FRANCISCUS PRÆPOSITUS S. SALVATORIS POLLINGÆ · A. 1744 ·
AD BIBLIOTHECAM
IBIDEM .

2° 7. Can. 9

99

J

S. II

710

OPUSCULUM

THEOLOGICO-JURIDICUM

DE

UTROQUE RECURSU:

In JUDICEM, ſcilicet,

COMPETENTEM et INCOMPETENTEM:

QUINQUE LIBRIS DISTINCTUM:

IN QUIBUS AGITUR,

In LIBRO PRIMO,

De RECURSU ad Judicem competentem, puta ab Eccleſiaſtico ad Eccleſiaſticum, de Sæculari ad Sæcularem, vel ad Eccleſiaſticum Superiorem.

In SECUNDO vero,

De eodem ad Judicem incompetentem; puta, ab Eccleſiaſtico ad Sæcularia Tribunalia.

In TERTIO,

Exponuntur variæ A. ALLEGATIONES,

In RESPONSIONIBUS ad aliquos RECURSUS ad CONTROVERSIAS aliquas juridicas, editæ.

In QUARTO,

Tranſcribuntur ſimiles aliæ RESPONSIONES, tum Promotoris, tum Vicarii Generalis, tum Senatus Eccleſiaſtici, ad ſimilia Gravamina, et Controverſias, ſub A. objectæ.

In Fine appenduntur aliæ conſimiles, et doctiſſimæ RESPONSIONES, et ALLEGATIONES formales Sapientiſſimi atque Obſervantiſſimi Præſulis Illuſtriſſimi D. Emmanuelis da Sylva Frances, Epiſcopi Tagaſtenſis.

In QUINTO denique,

Variæ miſcellaneæ ALLEGATIONES in controverſis Conſultationibus tum theologicis, tum juridicis, et liturgicis, ſeu cæremonialibus, apud A. olim excitatis, nunc in Lucem proferuntur.

Sub REGIS REGUM Patrocinio,

Omnibus REGIBUS, PRINCIPIBUS, ac JUDICIBUS, tum Eccleſiaſticis, tum Sæcularibus, dicatum.

AUCTORE

Excellentiſſimo ac Reverendiſſimo D. IGNATIO à S. TERESIA Portucalenſi,
Ex-Canonico Regulari S. Auguſtini Congregationis S. Crucis Collimbrienſis, Archiepiſcopo Goano, Primate Orientis, Indiani Status ſemel, et iterum, Sæculari Ex-Gubernatore:

Poſtea vero Eccleſiæ Algarbienſis Epiſcopo, et ejuſdem Regni Armorum Gubernatore.

EXCUDEBATUR
Anno Salutis M.DCC.LIII.



Bayerische
Staatsbibliothek
München

ORATIONE

DE

SUPREMIS REGUM FUNERIBUS

IN

CONSTANTINOPOLITANA

ET

ROMANA ECCLESIA

DE

THEODOSIO

ET

HONORIO

IMPERATORIBUS

AD

LECTOREM.

OPUS aggredior, Candide Lector, graviſſimis difficultatibus, ac periculis, undique circumſeptum, et à nemine, quem ſciam, ſub hac formalitate, ac diviſione, ex profeſſo adæquate pertractatum; opus, inquam, quod equidem paucis gratum, perquam multis odioſum, licet aliquibus utile, futurum ſpero. Attamen ſatis mihi ſane erit horum paucorum utilitas, ut pro eis laborans, conatus meos, ut bene exercitos, ac benemeritos æſtimem, et opera conſummatos habeam, ad exemplum Salvatoris noſtri, qui pro paucis electis quoad efficaciam à *puero* agonizans, et in laboribus à juventute ſua, per *totam diem contriſtatus ingrediens*, totum ſacroſanctæ, ac laborioſæ vitæ ſuæ curſum *in brevi conſummatum*, ut *multa tempora expleret*, in fine dignos eos ſpeciali dilectione reputans, peramanter ratificavit, atque opere conſumptos complacenter habuit.

Mat. vii. et xxvi.
Pſ. lxxxv. 16.
Ibid. xxxvii. 7.
Sap. iv. 13.
Joann. xiii.
Ibid. xix. 30.

Cum enim philoſophicis, ac theologicis principiis dumtaxat inſtructus, à juridicis axiomatibus, et præſertim à judiciali praxi omnino alienus, prælaturam meam indigne agere cœpiſſem, meque paſſim variis, et incompatibilibus moleſtis controverſiis agitatum, et præcipue variorum, ac multiplicium recurſuum colluviali torrente undiquaque circumventum, abſque duce, et ductore, imo abſque exemplo, et exemplari, ingemiſcerem (rariſſimos namque recurſus ad ſæcularia tribunalia prædeceſſores mei ſuſtinuerant); competentem notitiam, auctores potius, et eorum tractatus evolvens, quam advocatos conſulens, ſummo labore, ac diligentia, carpere curavi: quos quidem ſudores meos, quondam diviſos, nunc autem collectos, in aliorum utilitatem, atque laboris præſervationem, et excluſionem, ne dure adeo premantur, charitative convertere paro, ad id me ſæpe ſæpius compellente aliquorum doctiſſimorum virorum prudenti, et frequenti circumſpecta ſuaſione.

Et quia eadem fraterna, ac paterna charitate commotus, maxime ſæpe dolui, et expertus ſum, miniſtros laicos juriſdictionem eccleſiaſticam non ſemel graviter lædere, modo eam uſurpando, modo minuendo, ac deprimendo, modo in principalem cauſam, pure eccleſiaſticam, ſeſe injuſte, atque incompetenter, intrudendo, modo aliis ſacrilegis læſionibus offendendo; idcirco quicquid in hac re utriſque de jure, ac de facto, liceat, theologice juridice hic ex profeſſo pertractare conſulto decrevi.

Aliquarum autem ſejunctarum reſponſionum allegationum diffuſæ quidem extenſioni, benigne parcet prudens lector; tum quia ex induſtria DD. citatorum auctoritates per extenſum tranſcribere libuit, ut qui eis uti maluerit, facile eas per formalia ad manum habeat, tum ob rationes non contemnendas, alleg. 11, 12. 15. et ſeq. et 34. 42. et aliis, inſinuatas; quibus tandem regias

ſuper eiſdem, et aliis controverſiis reſolutioncs immiſcere congruit ; ex quibus religioſa regum Luſitanorum laudabilis erga eccleſiam Dei pietas facile commendatur, et juſtitiæ meæ, atque eccleſiaſticæ juriſdictionis veritas haud obſcure innoteſcit.

Præterea eiſdem allegationibus, quibus plurima juri Indico tum regii patronatus, tum epiſcopalis juriſdictionis, necnon utriuſque parochialis inſtitutionis, *collativæ* videlicet, et *authorizabilis*, concernentia, ſatis prælibantur, partialiter quidem præſens ſupplebit opuſculus notum copiæ defectum doctorum Luſitanorum, hac de re ex profeſſo ſcribentium, quibus totum Caſtellæ regnum, etiam in Indiis ſuis Occiduis, affatim abundat, ut ex marginaliter, veluti indiculo, notatis, ſat deprehendere licebit.

Avendan. theſaur. Indic. Solorſan. de jur. Indiar. Fraſſ. de reg. patron. Acoſta, Montenegr. et al.

Unum tamen denique tibi animadverſum vellem ; me, ſcilicet, ut velocius in hujuſce operis abſolutione progrederer, et ob frequentia incompatibilium munerum meorum impedimenta, tranſcriptiones auctoritatum juris, ac doctorum, amanuenſibus meis prorſus commiſiſſe ; ex quorum majori, vel minori diverſa peritia provenit diverſitas, quam reperies, tranſcriptionis gloſſarum juris, vel prout in illo jacent, cum poſtpoſitione capitum titulorum citationi ; vel è converſo, ut aſſolent ; et quicquid minus rectum irrepſiſſe notaveris, ex eadem, vel conſimili cauſa emanâſſe intelligas. Faxit Deus, ut qualiſcunque hic labor, et opuſculus, in ejus gloriam, quam non abinvicem, ſed à *Deo ſolo*, juxta Dominicum monitum, quæro, cedat, ac procedat.

Joann. v. 44.

V A L E.

INDEX

INDEX

LIBRORUM, CAPITUM, et ALLEGATIONUM.

Præludium 1.

DE quidditate recursus in genere, distinctione, ac divisione, Pag. 1.

Præludium 2.

Quid, et quotuplex, sit jurisdictio, 2.

Præludium 3.

De jurisdictione ecclesiastica, præsertim Summi Pontificis, 3.

Præludium 4.

De utriusque jurisdictionis reciproco auxilio, 9.

Præludium 5.

De jurisdictione Summi Pontificis, et ecclesiæ, necnon regum Christianorum in infideles, 11.

Præludium 6.

Pro jure rerum, et personarum ecclesiasticarum, 16.

LIBER I.

De recursu ad judicem competentem.

DISTINCTIO I.

De recursu à judice ecclesiastico ad competentem judicem ecclesiasticum, proprie talem.

Caput 1.

De quidditate, licitudine, et reliquis proprietatibus recursus à judice ecclesiastico ad competentem ecclesiasticum judicem, proprie talem, 25.

Caput 2.

De reliquis recursui ad competentem judicem ecclesiasticum, proprie talem, attinentibus, 27.

DISTINCTIO II.

De recursu ab ecclesiastico ad ecclesiasticum competentem, sed improprie; judicem, puta, conservatorem.

Caput 3.

Præmittuntur aliqua pro licitudine, et qualitatibus recursus ad conservatores regularium, et eorum judicii, 30.

Caput 4.

Pro observandis ex parte electionis, et processus conservatorum regularium, 32.

DISTINCTIO III.

De recursu à judice sæculari ad competentem ecclesiasticum superiorem.

Caput 5.

Quando, et quomodo, detur recursus à judice sæculari ad ecclesiasticum, 36.

Caput 6.

De licitudine recursus à judice laico ad ecclesiasticum, ex titulo violentiæ, 38.

DISTINCTIO IV.

De recursu à judice sæculari ad competentem sæcularem, vel ad principem.

Caput 7.

De differentiis recursus à judice sæculari ad sæcularem competentem, 41.

LIBER II.

De recursu ad judicem incompetentem; videlicet ab ecclesiastico judice proprie, vel improprie tali, ad regem, vel ad regia tribunalia sæcularia.

Caput 8.

Præmittuntur aliqua pro gravitate materiæ, et inæqualitate DD. ministrorumque sæcularium de illa scribentium, atque judicantium, 45.

Caput 9.

De auctoritate Gabrielis Pereira de Castro de manu regia; *et in quibus faveat, vel adversetur, jurisdictioni ecclesiasticæ, et sibimet ipsi, atque notoriæ veritati,* 50.

DISTINCTIO I.

De recursu à judicibus ecclesiasticis ordinariis ad tribunalia sæcularia.

Caput 10.

Præmittitur regia legis municipalis dispositio quoad recursus, aut gravamina à judicibus ecclesiasticis interposita, 54.

Caput 11.

De recursu ex capite notoriæ oppressionis, aut notoriæ violentiæ, in terminis regiæ legis, 56.

Caput 12.

Quid, et quotuplex, sit violentia notoria, 58.

Caput 13.

De licitudine recursus, ex titulo notoriæ violentiæ interpositi, 61.

Caput 14.

Quando, et quomodo, cesset notorietas violentiæ recursabilis, et hæc dubia reddatur, 65.

Caput 15.

De licitudine, vel illicitudine, recursus ad sæculare tribunal à judice ecclesiastico judicante secundum opinionem vere probabilem, relicta communiori, 68.

Caput 16.

An judex ecclesiasticus, judicans juxta opinionem vere, et certò practice probabilem, omissa probabiliori, nedum notoriam injustitiam, sed et notoriam violentiam recursabilem inferat, 73.

Caput 17.

De illicitudine recursus, ex notoria injustitia, citra violentiam, 88.

Caput 18.

De illicitudine, vel licitudine, recursus à judice ecclesiastico valide, sed injuste notorie procedente, 92.

Caput 19.

An licitudo recursus ex capite notoriæ violentiæ, expresse, vel saltem implicite de jure canonico probetur, aut deducatur, 97.

Caput 20.

Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ pro illicitudine recursus, etiam in casibus violentiæ notoriæ, et manifestæ, pugnantis, 100.

Caput 21.

Rejiciuntur defendentes licitudinem istius recursus ex titulis concordiarum, privilegiorum, consuetudinum, et aliorum, præter juris naturalis defensionis, 102.

Caput 22.

Nostrum, ac verum hac de re judicium super consuetudinibus, et concordiis regni Lusitani, 110.

Caput 23.

Prosequitur idem institutum cum competentibus corollariis, et quæsitis, 122.

Caput 24.

De licitudine recursus ad tuitivas chartas, seu ad mandata de manutenenda *impetranda,* 132.

DISTINCTIO II.

De recursu ex capite notoriæ violentiæ in denegatione legitime appellationis.

Caput 25.

De illicitudine, vel licitudine, recursus, nulla intercedente appellatione, 140.

Caput

Caput 26.
De illicitudine recurſus ex non receptione appellationis frivolæ, 146.
Caput 27.
De illicitudine recurſus ex non delatione appellationi à jure, vel ab homine prohibitæ, aut non permiſſæ, 151.
Caput 28.
De licitudine recurſus ex appellatione juſte ac legitime interpoſita, et injuſte denegata, 156.
Caput 29.
De licitudine, vel illicitudine, recurſus à judice eccleſiaſtico ad ulteriora procedente, non obſtante recuſatione, 162.

DISTINCTIO III.

De recurſu ab eccleſiaſtico judice ordinario ad ſæculare tribunal; prætextu violentiæ, ex non ſervato jure naturali.

Caput 30.
De licitudine, vel illicitudine, recurſus ab eccleſiaſtico judice, ex non ſervato jure naturali, 167.
Caput 31.
Exponuntur aliquæ limitationes præjactarum reſolutionum, 169.

DISTINCTIO IV.

De recurſu ex uſurpata juriſdictione.

Caput 32.
De licitudine, vel illicitudine, recurſus ex uſurpatione regiæ, vel alterius juriſdictionis, 172.
Caput 33.
De licitudine recurſus ab eccleſiaſticis interponendi ex notoria regiæ juriſdictionis uſurpatione, vel ex titulo notoriæ violentiæ in aliis materiis, 177.

DISTINCTIO V.

De recurſu à judicibus delegatis, et à prælatis regularibus, ad ſæculare tribunal.

Caput 34.
De licitudine recurſus à delegato judice improprie, vel proprie tali; videlicet, à conſervatore, et aliis, 179.
Caput 35.
De illicitudine recurſus à regularibus à propriis prælatis ad ſæcularia tribunalia interponendi, 183.
Caput 36.
De reliquis recurſui à delegatis judicibus, proprie talibus, ſpectantibus, 187.
Pro recurſu in cauſis beneficiorum remiſſive, 189.

DISTINCTIO VI.

De ſtylo, ac modo cognoſcendi.

Caput 37.
De ſtylo, ac modo cognoſcendi, et procedendi in cauſis recurſuum ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæculares intentatorum, 192.
Caput 38.
Deciduntur aliquot quæſtiunculæ erga præmiſſum ſtylum, ac modum cognoſcendi, 197.

DISTINCTIO VII.

De proceſſu ad temporalitates adverſus judices eccleſiaſticos.

Caput 39.
De licitudine, vel illicitudine, procedimenti ad temporalitates adverſus judices eccleſiaſticos, nolentes ultimo decreto ſenatus palatini pro ultima recurſus deciſione parere, 210.
Caput 40.
Notantur, ac reſolvuntur aliqua circa praxim præjacti ſtyli, 219.
Caput 41.
Inſinuantur aliquæ, quæ reſtant, quæſtiunculæ pro opuſculi complemento, 223.
Caput finale 42.
Opuſculi obeliſcus, 231.

LIBER III.

Exponuntur variæ A. allegationes in reſponſionibus ad aliquos recurſus, vel ad controverſias aliquas, adhibitæ.

Allegatio 1.
In recurſu, prætextu multiplicis uſurpationis juriſdictionis, à procuratore coronæ regiæ, 237.
Alleg. 2.
In recurſu ob notificationem ad comparendum, 243.
Alleg. 3.
In recurſu clerici minoriſtæ acolythi, 245.
Alleg. 4.
In duplici recurſu à procuratoribus cujuſdam religionis, et regiæ coronæ, in cauſa reivendicationis miculoſæ imaginis pueruli Jeſu ex eccleſia parochiali Colluana, 246.
Alleg. 5.
In reſponſione ad chartas in eodem recurſu, 253.
Alleg. 6.
In gravamine à vicario Colluano in eodem recurſu, 257.
Alleg. 7.
In recurſu ab advocato Canarino, 259.
Alleg. 8.
In recurſu à laico lenone ob capturam, &c. 261.
Alleg. 9.
In duplici gravamine à clerico Canarino excommunicato, 263.
Alleg. 10.
In recurſu à laico ex denegatione ſecuri pro lenocinio, 266.
Alleg. 11.
In recurſu à parocho regulari ob denuntiationem, 267.
Alleg. 12.
In recurſu à procuratore regio, nomine duorum collegarum, 276.
Alleg. 13.
In reſponſione ad chartam rogatoriam in eodem recurſu, 284
Alleg. 14.
Pro ultima deciſione in Senatu Palatino in eodem recurſu, 289.
Alleg. 15.
In recurſu procuratoris regii ſuper nova erectione confraternitatis, 295.
Alleg. 16.
In recurſu à proviſore capellarum ſuper viſitatione ejuſdem confraternitatis, 303.
Alleg. 17.
Pro ultima deciſione in eodem recurſu, 308.
Alleg. 18.
In recurſu à procuratore regio in favorem duorum gentilium, 312.
Alleg. 19.
In recurſu à clerico propter incarcerationem ob uſurpationem æris alieni, 319.
Alleg. 20.
In recurſu à laico detento ob dilapidationem bonorum eccleſiæ, et confraternitatum eccleſiaſticarum, 321.
Alleg. 21.
In recurſu à clerico minoriſta ob fictionem patrimonii cum falſa ſcriptura, et duplicem concubinatum, detento, 323.
Alleg. 22.
In recurſu à proviſore regio ob intruſionem in confraternitatibus, 326.
Alleg. 23.
In recurſu à procuratore generali ordinis S. Franciſci ob executionem regii reſcripti, pro eccleſiis Bardeſienſibus *amovendis,* 329.
Alleg. 24.
In eodem recurſu, 332.
Alleg. 25.
In eodem recurſu ad primam et ſecundam chartam rogatoriam, 344.

Alleg. 26.
In recurſu diſtincto à judicibus in eadem cauſa interpoſito, 345.
Alleg. 27.
In ſecundo recurſu ab aliquibus parochis Franciſcanis intentato, 347.
Alleg. 28.
In reſponſione ad tertium recurſum ſuper eadem cauſa, 354.
Alleg. 29.
Pro ultima aulica deciſione ſuper utroque recurſu præjacto, 360.
Alleg. 30.
In gravamine à procuratore mitræ pro juſtificatione tuitivæ Franciſcanorum, 368.
Alleg. 31.
In recurſu à procuratore ordinum ſuper nova ejuſdem reſcripti exhibitione, 370.
Alleg. 32.
In recurſu à laico detento ob crimina eccleſiaſtica, 374.
Alleg. 33.
In recurſu regii proviſoris declarati in juris cenſuras, 376.
Alleg. 34.
In controverſia conſervatoriæ Societ. Jeſu, 380.
Alleg. 35.
Quæ eſt ſecunda promotoris in eadem controverſia, 403.
Alleg. 36.
Super eadem conſervatoria Nodum cenſuratum, *à D. Carolo Joſeph. Fideli,* 408.
Alleg. 37.
Allegatio multiplex in propoſitione dubiorum S. Congregationi, 428.
Alleg. 38.
In recurſu à procuratore regio ab interdicto contra conſervatorem, et proviſorem, 433.
Alleg. 39.
Ad primam chartam rogatoriam, et proviſionalem ſententiam in præmiſſo recurſu, 435.
Alleg. 40.
In recurſu à notario laico à declaratione, &c. 438.
Alleg. 41.
Pro non adimpletione primæ chartæ rogatoriæ in dicto recurſu, 441.
Alleg. 42.
In recurſu procuratoris generalis ſociet. ſuper viſitatione capellæ ruralis, 442.
Alleg. 43.
Super paſtorali immunitatis ab exactionibus laicis an. 1728. 448.
Alleg. 44.
Super exemptione, et ſubjectione S. Officii miniſtrorum, atque patentatorum, 450.

LIBER IV.

Alleg. 45.
Promotoris in recurſu à laico ſuper reivendicatione ſpolii illuſtriſſimi archipræſulis defuncti, &c. 453.
Alleg. 46.
Promotoris in recurſu notariorum ſæcularium, 455.
Alleg. 47.
Promotoris ſuper demiſſione donati reformatorum, &c. 456.
Alleg. 48.
Super duplici appellatione ejuſdem donati, 459.
Alleg. 49.
Promotoris ſuper allegatione provincialis ejuſdem donati citati ad allegandum, quare, 462.
Alleg. 50.
Promotoris in recurſu miniſtri regii ad conſervatorem equitum, 465.
Alleg. 51.
Vicarii generalis in recurſu laici citati ad exhibendum teſtamentum falſum, complice quodam clerico, 468.
Alleg. 52.
Vicarii generalis, ut judicis reſiduorum, in recurſu à denegatione copiæ mandati ſequeſtri in cauſa teſtamenti, 470.
Alleg. 53.
In recurſu à laico capto in cauſa teſtamentaria, 471.
Alleg. 54.
Judicis reſiduorum ad primam chartam in præfato recurſu, 472.
Alleg. 55.
Promotoris in reclamatione profeſſionis regularis, et conſervatoris deputatione, 474.
Alleg. 56.
Ejuſdem promotoris in conſervatoria reformatorum provinciæ Matris Dei, 479.
Alleg. 57.
Promotoris ſuper ordinibus collatis à conſervatore aliquibus regularibus, 482.
Alleg. 58.
Ejuſdem promotoris in recurſu à reformatis ſuper revocatione licentiarum, 485.
Alleg. 59.
Super prætenſa exemptione cujuſdam canonici capitularis, 487.
Alleg. 60.
In reſponſione judicis reſiduorum ad precatorium proviſoris ſæcularis ſuper inventario, 490.
Alleg. 61.
In reſponſione à notariis judicis reſiduorum ſæcularis ſuper confectione teſtamentorum, 491.
Alleg. 62.
In copia novorum documentorum in eodem recurſu, 493.
Alleg. 63.
In reſponſione ab officialibus domus Miſericordiæ Goanæ ſuper non remiſſione bonorum cujuſdam canonici ab inteſtato decedentis, 494.
Alleg. 64.
Promotoris ſuper novis conditionibus datis conductori tabaci fumici, cum offenſione libertatis, et immunitatis eccleſiaſticæ, 495.
Alleg. 65.
In recurſu ob denegationem copiæ actorum propter tertium poſſeſſorem, 498.
Alleg. 66.
Super extractione idolorum Aſſolonenſium, 498.
Alleg. 67.
In recurſu à notificatione ad ocularem inſpectionem, 500.
Alleg. 68.
In recurſu theſaurarii confraternitatis à monitorio ad ſolvendum, 502.
Alleg. 69.
Promotoris pro denegatione publicationis teſtium, actrice juſtitia, 502.
Alleg. 70.
Allegatio magna, multiplicem continens allegationem in conſultatione Romæ facta ſuper variis dubiis, 504.
Alleg. 71.
In recurſu judicis orphanorum oppidi Alcoitimi *Algarbienſis diœceſis, à vicario generali declarati in cenſuram canonis,* Siquis, ſuadente. 515.
Alleg. 72.
Super annullatoria bullæ Pontificiæ vi reſignationis jam expiratæ, nulliter expeditæ, et intruſi ſummaria, et prompta amotione, 518.
Alleg. 73.
In recurſu ab executione bullæ præclecti, 543.
Alleg. 74.
Proſecutio cauſæ, 547.
Alleg. 75.
Ad chartam ſecundam rogatoriam in recurſu ſemicanonicorum hujus S. Sedis Algarbienſis, 547.
Alleg. 76.
Pro reviſione in eodem recurſu in hypotheſi, quod aulici ſenatus deciſio favorabilis foret recurrentibus, 550.

Alleg. 77.
Allegatio concernens, multiplicem continens allegationem ad ſingula dubia ſuper præmiſſis S. Congregationi in viſitatione ad Limina propoſita, 552.

Alleg. 78.
Apologetica ſuper contradictione capituli Pharenſis adverſus § 12. et 14. meæ paſtoralis impreſſæ an. 1743. et editæ ingreſſo jam anno 1744. 556.

Alleg. 79.
Vindicativa notarum, atque ſugillationum, adverſus capita alia ejuſdem paſtoralis, 558.

Alleg. 80. [Deeſt hæcce *Allegatio.*]
Super diſpenſatione ex epichea ad contrahendum matrimonium, impedimento dirimente ſecundo gradu conſanguinitatis intercedente.

Alleg. 81.
In reſponſione ad chartam rogatoriam in recurſu cujuſdam laici extractoris detenti ab eccleſiaſtico judice, 562.

Alleg. 82.
In reſponſione ad gravamen ab executione decreti viſitationis, 563.

Alleg. 83.
In reſponſione ad gravamen à proviſore, et à confratribus Miſericordiæ, de non receptione appellationis, 564.

Alleg. 84.
In reſponſione ad gravamen intentatum à remotione depoſiti cujuſdam mulieris, facti in quodam collegio, cauſa ſponſalium, 564.

Alleg. 85.
A non receptione appellationis in ſuſpenſivo, in revocatione attentati, 565.

Alleg. 86.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis interpoſitæ ob denegationem copiæ cujuſdam diplomatis ſecretarii ſtatus Pontificis, 565.

Alleg. 87.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis in utroque effectu in cauſa alimentorum futurorum, 566.

Alleg. 88.
In reſponſione ad gravamen à denegatione appellationis à decreto, ſeu ſententia interlocutoria, 566.

Alleg. 89.
In reſponſione ad gravamen à denegatione appellationis ſuſpenſivæ in caſu cujuſdam tertii opponentis, 566.

Alleg. 90.
In recurſu intruſi, et cum intruſione proviſi, ob falſam cauſam, ab excluſione cognitam, 567.

Alleg. 91.
In recurſu à non receptione cujuſdam exceptionis declinatoriæ, ad judicium ſæculare intentatæ, 567.

Alleg. 92.
In recurſu ob non receptionem appellationis ab interlocutoria, 568.

Alleg. 93.
In recurſu interpoſito ob non receptionem appellationis in effectu ſuſpenſivo in tertii opponentis caſu, 568.

Alleg. 94.
In reſponſione ad gravamen contra quendam executorem regii patrimonii compellentem quendam religioſum ſolvere gabellam ex emptione cujuſdam domus, 569.

Alleg. 95.
In reſponſione ad gravamen à negatione copiæ cujuſdam diplomatis S. Congregationis concilii, 569.

Alleg. 96.
In reſponſione ad gravamen à proceſſu cenſurarum adverſus quendam miniſtrum, qui clericum ſine auctoritate carceravit, 570.

Alleg. 97.
In reſponſione ad gravamen à proceſſu cenſurarum in materia alimentorum, 571.

Alleg. 98.
In reſponſione ad gravamen interpoſitum in eadem materia, 571.

Alleg. 99.
In reſponſione ad gravamen à denegatione copiæ poſt inhibitionem judicis delegati, et poſtquam is habuit ſe pro inhibito, 572.

Alleg. 100.
In reſponſione ad gravamen à ſubſtatoria juſſa expediri à judice, ut delegato, 572.

Alleg. 101.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis in effectu ſuſpenſivo in cauſa exactionis penſionis, 573.

Alleg. 102.
In reſponſione ad gravamen à rejectione appellationis intimatæ ob cognitionem non admiſſam ſuper impedimentis oppoſitis ſententiæ deſertionis appellationis, 573.

Alleg. 103.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis ſuſpenſivæ in cauſa collationis beneficii, extrajudicialiter factæ, 574.

Alleg. 104.
In reſponſione ad gravamen ab executionis continuatione, pendente recurſu ad coronam, 574.

Alleg. 105.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis ſuſpenſivæ à ſententia rejectionis impedimentorum, 575.

Alleg. 106.
In reſponſione ad gravamen interpoſitum à quibuſdam monialibus à denegatione copiæ petitæ per ſupplicationem ſimplicem, 576.

Alleg. 107.
In reſponſione ad gravamen ab inhibitoria expedita ad judicem ſæcularem, 576.

Alleg. 108.
In reſponſione ad gravamen à decreto, per quod juſſum fuit egredi à monaſterio S. Monicæ Ulixbonenſis quandam fœminam ſæcularem, quæ in illo gravem injuriam irrogaverat, 577.

Alleg. 109.
In reſp. ad chartam rogatoriam ſuper eodem caſu, 578.

Alleg. 110.
In reſponſione ad gravamen à denegatione appellationis poſt tres ſententias conformes, 580.

Alleg. 111.
In reſponſione ad gravamen à non admiſſione ſubdelegationis in cauſa matrimoniali divortii, 581.

Alleg. 112.
In reſponſione ad gravamen à non receptione appellationis intentatæ poſt tranſactos terminos primi, et ſecundi fatalis, 581.

Alleg. 113.
In reſponſione ad gravamen ab expoſitione concurſui, juſſo haberi ſuper eccleſiam S. Romani, patronatus collegii Deiparæ gratiarum Conimbricenſis, 582.

Alleg. 114.
In reſponſione ad gravamen ab innovatione facta in conſtitutionibus noviſſimis epiſcopatus Portucalenſis de materia decimarum, primitiarum, &c. 582.

Alleg. 115.
In reſponſione ad chartam rogatoriam judicis coronæ, qua dubitata fuit adimpletio proviſionis datæ in quodam recurſu, 584.

Alleg. 116.
In reſponſione ad gravamen coronæ circa eandem materiam, 585.

Alleg. 117.
In reſponſione ad gravamen ab abſtinentia cognitionis in exceptione ſuſpectionis oppoſitæ ſubdelegato, 587.

Alleg. 118.
In reſponſione ad gravamen à quodam provinciali ſuperiore regulari monaſterii S. Monicæ, cui juſſum fuit, ut conſenſum præſtaret, aut rationes redderet, ſub pœna excommunicationis, cur noluerit annuere executioni cujuſdam bullæ à moniali quadam obtentæ, 587.

Alleg. 119.
In reſponſione ad gravamen à judice executore cujuſdam reſcripti, qui non recepit appellationem quoad effectum ſuſpenſivum, 588.

Alleg. 120.

Alleg. 120.
In responsione ad gravamen interpositum à quodam intruso in beneficio, quo expulsus fuit; et petita copia ad allegandum, jussa illi fuit dari in actis separatis, 589.

Alleg. 121.
In responsione ad gravamen ab edicto, quo prohibitus fuit laicis usus sellæ reclinatoriæ in ecclesia, 589.

Alleg. 122.
In responsione ad gravamen à receptione appellationis in effectu devolutivo dumtaxat, emissæ à rejectione impedimentorum obreptionis, et subreptionis, oppositorum quibusdam bullis, 590.

Alleg. 123.
In responsione ad chartam rogatoriam judicii coronæ, quæ adimpleta non fuit, 591.

Alleg. 124.
In responsione ad gravamen ab expeditione cujusdam precatorii monitorii contra judicem relatorem causa cujusdam rei, 591.

Alleg. 125.
Sive consilium præstitum in consultatione circa immunitatem factam D. Rocho Assenso, capto in atrio ecclesiæ metropolitanæ Ulyssiponensis, anno 1714. propter homicidium, 592.

Alleg. 126.
In recursu interposito à rejectione cujusdam exceptionis rei judicatæ in materia venditionis simoniacæ, et nullius juris, patronatus, 594.

Alleg. 127.
In consultatione pro causa quadam majoratus, juxta quod consilium, ex partium conventione judicatum est, 595.

Alleg. 128.
Sive consilium in consultatione super auxilio implorato à R. P. Fr. Antonio à Purificatione, visitatore, ac reformatore provinciæ Observantis S. Francisci regni Portugalliæ, 597.

Alleg. 129.
Sive consultatio in favorem clericorum in diœcesi patriarchali Ulixbonæ Orientalis, et in archiepiscopatu Ulixbonensi Orientali ordinatorum ad titulum capellaniarum, in quas in eodem archiepiscopatu collati fuerant: qua præfatos clericos legitime ordinatos esse, neque in suspensionis, aut irregularitatis censuras incursos esse ostenditur, 598.

Alleg. 130.
Apologetica in præcedentis consultationis tuitionem, 601.

LIBER V.

Alleg. 131.
Liturgica, sive cæremonialis, in controversia præcedentiæ cum prorege Goano in ecclesia, 607.

Alleg. 132.
Sive consultatio super obligationem denuntiandi inquisitoribus usum cujusdam maleficii, 614.

Alleg. 133.
Sive consultatio super eadem obligatione denuntiandi peccatum Sodom. eisdem inquisitoribus in Lusitania, 616.

Alleg. 134.
Sive consultatio super obligatione denuntiandi inquisitoribus quandam propositionem circa veritatem realis præsentiæ Christi in sacramento eucharistiæ, 617.

Alleg. 135.
Sive consultatio in materia beatificationis Sanctorum, 618.

Alleg. 136.
Super reiteratione sacramenti baptismatis sub conditione, quam aliqui etiam appellant rebaptizationem, *inquisitoribus denuntiata,* 619.

Alleg. 137.
Sive consultatio censoria, super libello Dæmon violentus *religiosissimi ac sap. Fr.* Aldefonsi dos Prazeres, *ex monacho Benedictino, Francisçani Observantis, atque Apostolici missionarii de* Veratojo, 624.

Alleg. 138.
Apologetica super famosa denuntiatione cujusdam propositionis concionatoriæ. 629.

Alleg. 139.
Sive epistola præmisso brevi replicatoria, cum brevi informatione, ac allegatione, in memoriali annexo, 634.

Alleg. 140.
Super competentia, ac denuntiatione, revelationum simplicium, et sacramentalis sigilli fractione, 640.

Alleg. 141.
Super editione librorum cum sola licentia ordinarii, et super notis concioni D. Teresiæ oppositis, 645.

Alleg. 142.
Super vitam ponentibus pro defensione mysterii immaculatæ Deiparæ conceptionis: an tales veri martyres æstimandi sint? 656.

Alleg. 143.
Super prædestinatorum numero, reprobos excedentium, 670.

Alleg. 144.
Super non effluentia sanguinis ex vulneribus, et non incisionis ferri, an naturali virtute, an semper ope dæmonis, eveniant? 673.

Alleg. 145.
Super scrupulo assertionis absolutæ, dari de facto avem phœnicem singularem, 675.

Alleg. 146.
Super pacto aliquarum prrsonarum obsessarum, quæ sese dæmoni tradunt, proprio sanguine traditionem firmantes, cum utilissimis adnotandis non vulgaribus, 677.

Alleg. 147.
Super utroque edicto, sive charta pastorali eminentissimorum dominorum cardinalium patriarchæ Ulixbonensis, et inquisitoris generalis Lusitaniæ, præcipiente denuntiari S. Officii tribunalibus confessarios, complicum criminis revelationem in confessione extorquentes, et aliquam impropriam circumstantiam *interrogantes,* 686.

Alleg. 148.
Super excusatione delationis cujusdam sacerdotis ad turpia in confessione sacramentali solicitantis in concursu circumstantiarum graviorum, ac notabiliorum, juxta communem doctrinam, 712.

Alleg. 149.
Super multiplicitate præceptorum ecclesiasticorum, et super fallibilitate, vel infallibilitate, judicii inquisitorum; atque super obligatione denuntiandi inquisitoribus de recto eorum ministerio male sentientes; necnon super secreto servando à ministris S. Officii, et à reis ibidem denuntiatis, vel processatis, 725.

Alleg. 150.
Super licitudine, vel illicitudine, procurandi aborsum fœtus, ope dæmonis incubi concepti, 734.

Alleg. 151.
Super frivola, et incuriali recusatione capituli Sedis Pharensis, 742.

Alleg. 152.
Super novissima bulla Sacramentum pœnitentiæ, *et consequenti alia* Apostolici muneris, *Sanctissimi P. Benedicti* XIV. *actu in ecclesia Dei regnantis,* 744.

Alleg. 153.
Digressiva, sive regressiva, partim in consequentiam contentorum in alleg. 136. *erga necessitatem, ac licitudinem, repetitionis sacramenti baptismi in prudenti dubio valoris illius; partim in prosecutionem præmissorum alleg.* 148. 754.

Alleg. 154.
Super decentia, vel indecentia, dignitatis episcopalis in personali exorcizatione obsessorum, et confessionis sacramentalis susceptione, 763.

Alleg. 155.
Concernens, ac consequens contenta in alleg. 153. 766.

IN

IN

LAUDEM OPUSCULI

DE UTROQUE RECURSU.

EXcellentiſſime, ac reverendiſſime domine
Archiepiſcope epiſcope,
D. IGNATI à Diva TERESIA,
Quem cum dixi, omnia dixi.
Ambigo, pluſne honoris infulæ præſtiteris,
An illa tuæ ſuperaddiderit excellentiæ?
Utrinque ornamentum ingens.
Sane illam gemmifero virtutum ſplendore,
Et aurea ſapientia conflâſti,
Neutiquam inflatus ſcientia, ſed ob ipſam infulatus.
Primo Orientalis Indiæ primas
In partem ſolicitudinis naviculæ Divi Petri vocat
Emenſo oceano,
Illius comparâſti conjugium eccleſiæ;
Nunc Turdetani regni exiſtis præſul.
Par enim erat, ut qui orienti præfulſeras,
Etiam occidentem *mitrato* (1) jubare illuſtrares:
Huc reverſus,
Cum ſolarem induas naturam,
(2) *Non præeſſe refugis, dum prodeſſe potes,*
Inter Dominici gregis antiſtites egregius.
ORACULUM MINERVÆ,
Imo tanquam (3) *ſapiens miraculum,*
Divini Eccleſiaſtici monitis obtemperans,
(4) *Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo,*
Ut reipublice proſpicias, ac proficias,
Cujus intereſt palam habere doctos,
(5) *Per quorum ſcientiam totus illuminetur orbis,*
Scientifico radio, ſeu ſtylo adamantino,
Injuſtitiam tenebrarum principis ſobolem proſcribis.
Ejus aſſeclas
Plectis calamo, ut in rectum flectas.
Te incolumis juris exhibes columen,
Ac nominis ex omine
Ignitam erigis rectitudinis columnam,
Quam velut angelus fortis
Viam ſignas adeuntibus,
Quibus, ne veſtigiis labent, adſtas
(6) *Firmamentum in operibus juſtitiæ,*
Quam
Indefecto tenore ſervas,
Tanta adſtruens harmonia,
Quantam in cœlo tenent aſtra.
PRÆCLARISSIMUM SIDUS
In atamenti nocte fulgidius
Eccleſiæ firmamento enites.
Errantes corrigis planetas,
Lætitia Saturnum, Jovem fide,
Pace Martem, veritate Mercurium,
Venerem pudicitia, conſtantia Lunam;
Unum progreſſu, et lumine, æmularis Solem,
Qui medium inſtar virtutis obtinet,
Quarto ſitus epicyclo, quo et ſatus die.

(1) *Mithra* ſignificat Solem, vel ſacerdotum principem. (2) Conſilium D. Bernardi ad Vallem. Abb. epiſt. 86. (3) Cicero de div. lib. 2. (4) Eccli. iv. 28. (5) Authent. habita cod. *Ne filius pro patre.* (6) Eccl. cit. ver. 29.

Sole

Sole igitur adumbraris
Encyclopædiam citra vitioſum circulum luſtrans,
Ad (7) *tui ſigna* nominis
Literario micas zodiaco.
Et Apollinea dexteritate dimicans in Pythones
Serpentino tractu, non recta pergentes,
Et in actum injuſtitiæ devios,
Sub incompetenti judice Themidem lacerantes
Profanos eccleſiaſtici juris prædones
Fulgurante Sagittarii ſpiculo proſternis,
Arcu in triumphalem converſo.
Sic zelo candens, et animo candidus,
Diſcolorum ſcuta igne comburis
In flagrantis virtutis flamma prælibans empyreum.
Adeo radias, ut excæces invidiam,
Aculeatæ garrulitatis contemptor,
Stellarum utpote princeps:
Quæ ob convitia ſannionum, et inſanorum,
Ponentium *in cælum os ſuum*,
Lunaticis canibus eas quaſi urſas inſequentium,
Non relinquunt curſum ſibi à Deo ordinatum,
Nec deviant, (8) quia cœlo fixæ,
Opprobria ferunt, et non moventur.
Hujuſmodi reſplendens ſpeculo,
Ipſa eminens ſuper aſtra,
Nam ut ſapiens in eiſdem dominaberis,
Radiis ſtelliones percutis;
Ac ſereno nubila eliminans horoſcopo,
Facem præfers recurrentibus,
Tenebrionibus affulgens,
Ceu Phœbus juſtitiæ.
UTRIUSQUE JURIS PERITISSIME,
Cæſarei aquilifer,
Ac propugnator Pontificii,
Rectius Papæ, quam Papiniani præſcripta tenes,
Cum de Utroque Recurſu agens,
Doctor videaris in utroque.
(9) *Juris religioſiſſimus* canonicus,
Magnæ doctorum Aquilæ ſoboles,
Nihil degenerans ab ejus genio, et ingenio,
Patriarcham non modo theologiæ ſolem,
Sed etiam juriſprudentiæ ſcientiſſimum imitatus,
Et ejus indutus virtutibus
Inſtruis ſenatus, mundum erudis.
Nomicorum (10) anteceſſor laticlavios præcellis,
Aſſertor clavium poteſtatis,
Ac ſcientiæ gerens clavem,
Ea recurrentibus in invio
Aditum occludis:
Et canone exleges coercens,
Viam aperis veritatis,
Qua terrigenas ad aſtra dirigens
Civili fruituros beatitudine,
Adraſtia errorum ultrice,
In terram revocas Aſtræam
E cœlico delapſam prætorio.
Sicut animata juſtitia jus ſuum unicuique tribuis,
Totuſque in eam artibus, et artubus,
Cum ſit quaſi lingua calamus velociter ſcribentis,
Stylo digitis loquentibus,
In digito Dei indicas, quo recurrere fas ſit.
Divini juris interpres
Notatas digito Omnipotentis tabulas,
Unde in decemvirales
Omnis æqui et boni ars promanavit,
Sacrario pectoris aſſervas:

(7) Anagramma nominis *Ignatius*. (8) Div. Auguſt. in Pſalm. xciii. ait—Quanta de ipſis luminaribus, et luna, loquuntur homines? Et patienter ferunt . . . et tolerant, et non moventur. Quare? Quia in cœlo ſunt. (9) Proœm. Inſtit. (10) Vinn. in Proœm. Inſt. notat—*Qui ſequebantur ſcholas, anteceſſores dicebantur.*

Dignus,
Qui adinſtar omnium celebreris:
(11) Namque theologum geris juriſconſultiſſimum.
Cujus laudem
Ne Baldus quidem, niſi Bardus, inficiabitur;
Vel ſolus carpet, qui non capiet:
Quod negari nugari foret.
Cujus minime mendoſis chartis
Nullius obumbrabit (12) cartilago nequioris,
Speciem oſſis, nihil fortitudinis habens.
CALUMNIANTIUM TRIUMPHATOR,
In pugna pacatus,
Vacuus mœrore, virtute plenus,
Ea vernas ſenior, ac ſanior.
Magis prudentia, quam prodentia viges,
Togata Pallade ſtrenuiſſimus.
Cui major ab arte, quam Marte, gloria,
Nec tanta ab armamentis, quanta atramento
Provenit.
Io! (13) militiæ utriuſque ſacer imperator,
Duplici potitus ſtrategia,
Paludatus conſiliis,
Literarum munitus præſidio,
Nedum (14) armis decoraris, ſed armaris et legibus,
Ut glorioſe utriſque vincas,
Ductor, ac Doctor.
MOYSI SIMILIS,
Qui ſplendenti facie, ſeu face,
Quaſi (15) *dux*, *pontifex*, *doctor*, *et legiſlator*,
Hagiographum confecit Pentateuchum
Fideli, et plana theologia profunde plenum,
Dictum Hebraice *Thora*, quod legem ſonat,
Ipſumque divinum cæremoniarum exemplar.
Tu germana præclari operis analogia,
Tanquam evangelicus Aaron, eloquio mirabilis,
Pontificali apice, et ducis munere commendabilis,
Archiepiſcopus quaſi arcis epiſcopus,
Qua protegis gregem, hoſtem profugas;
Doctor, qui et ſtatuta condis,
Theologico-juridicum autographum graphice egiſti,
Liturgicis coronatum ritibus.
Digeſtum novum Pentateuchum
In quinque diſcretum libros
Omnibus abſolviſti numeris.
DIGNITATE OPERIS AUCTOR,
In quolibet minimo maximi,
Æternitatem ſectantis in puncto,
Calamo mortis calamitatem avertis.
Illud lucubrationibus elaboratum
Id ſibi à luce derivat,
Quod nullo implicetur noctis involucro:
Ut tenebras inſcitiæ amandet,
E typorum fumo, cui neque ſuccedet flamma,
In lucem editur
Tenui, et integra Minerva partum.
Tuus librorum cortice involutus animus,
Trajiciens maria, terras peragrans,
Aureum reipublicæ negotium inſiſtit.
Fori legali fœnore
Quinque in libris totidem collocas (16) talenta,
Ut lucrum reportes decumanum,
Et decies multiplicatum poſſideas centuplum,
Favente ſupremo Judice,
Rege regum,
Cui opus jure conſecrâſti.

(11) Owen. lib. 10. epigr. 59. Theologus ſapiens ſit, ut omnibus omnia fiat. (12) Hug. in Job. xl. ver. 13. lit. g. ediſſerit: Cartilago ſpeciem habet oſſis, ſed non fortitudinem; et ſignificat minores, qui quanto debiliores ſunt ad perpetranda mala, nequiores exiſtunt. (13) Etiam juriſprudentia militia dicitur: unde de Bartholo pangitur—*Militiæ vexilla ſacræ fert.* (14) Proœm. Inſtit. (15) Alap. in Pentat. argum. Moyſ. init. (16) Alluditur ad Evang. parab.

Quippe

Quippe qui
Æterna ſapientia
(17) *Eruditis* intereſt *cogitationibus, habitans in conſiliis.*
Ille ut in rectum manuducat,
In viis juſtitiæ ambulat,
In medio ſemitarum judicii:
Cujus inhærens veſtigiis,
Sacro, ſcilicet, munere, et miniſterio, (18) ambulans cum Deo,
Ad legitimum recurrentibus confugium
Tramitem demonſtras.
EUGE! OPTIME DOMINI MINISTER!
Multiplex adauctis mercibus talentum,
Eidem reddis Domino, à quo acceperas,
Cum laude copioſam ab eo lucratus mercedem
Stemmate fidelitatis æſtimatam,
Nec defecturam in cœlis;
Ubi
Qui ad juſtitiam erudis multos,
Fulgebis (19) *quaſi ſtella in perpetuas æternitates.*

EPIGRAMMA.

JUſtitiæ recto luſtrans Sol ardua motu
Prodis iter Themidis per tenebroſa vagis.
Luce viam ſternis, qui lex oculata videris:
Hac pede inoffenſo pergere cuique licet.
Judicibus ceu norma præi, anteque cede, magiſter:
Talo ſtans recto progredi in aſtra potes.
Ex errore vocas, correctos dirigis ardens:
Fax tua fas, lex lux, jus via, meta polus.

Angelom. apud Alap. in 2 Reg. c. xxiii. ver. 1. ait: Qui in timore Domini dominatorem in ſubditis exercet, lucis opera per Solem juſtitiæ illuminata profert.

ALIUD.

VOX quædam ſcriptum: poſt vitam hac recta docebis:
Litera te referat, vox ſine voce ſonet.
Juris perpetuo tecum prudentia vivet,
Et vitam, exutus corpore, mentis ages.
Juſtitia eſt conſtans, necnon æterna voluntas,
Jus dare cuique ſuum, taleque velle tuum.
Adde voluntati, et menti memorabile, præſul,
Juſtitiæ æquævus, jure perennis eris.

Definitio juſtitiæ.

ODE.

INteger legum, canonumque cuſtos,
Regulas calles utriuſque juris;
His fori tutos aditus tenendo
Ordine prodis.

Qua globus Phœbum puerum ſalutat,
Igneum et ſpectat juvenem micare,
Qua feneſcentem tenet æquor, omnes
Lumine ducis.

Editus prodes documenta præſtans:
Indicas quorſum potius recurrant,
Deviet nequis male ſuaſus actus
Tramite recti.

Sorte Theſea labyrinthum adortus
Vincis errores, premis execranda
Monſtra Minoi, duplicique ſimplex
Pallade fulges.

Ne magiſtratus ſpecie favendi
Juris uſurpent aliquid, coerces,
Adſtruens plana ratione verum,
Fraude retuſa.

(17) Prov. viii. Geneſ. v. 22.
(18) Ambulare cum Deo, eſt in publico eſſe miniſterio, et fungi officio ſacerdotis. Alap. in
(19) Dan. xii. ver. 3.

Perperam

Perperam aggreſſis calamo obſtrigillas,
Ceu ſacræ aſſertor ditionis extas,
Nec ſinis falcem ſegeti profanam
Mitti alienæ.

Ut magis Petrum timeant, Quiritum
Virgam Aaronum redimens ab auſis,
Soſpites zelo reverenda Sedis
Juſſa ſupremæ.

Librat Aſtrææ probitas ſeveræ
Pondus id juſti: Themis auſpicatur,
Inclytum complens opus in legentis
Utile munus.

Teque cenſores adeant magiſtrum,
Quem ſatis prodit Dianæa, legum:
Mente præcellis, velut inter aſtra
Clarior ignis.

Baldus aſſurgat, colat Ulpianus,
Bartholus laudet, venerentur omnes
Te, probet princeps, ſimul et ſenatus,
Atque Lyceum.

Rite liturgos etiam erudiſti,
Ut Deo cedat proprium, ſuumque
Cæſari, ac digne tibi docta cingens
Tempora laurus.

A pedibus Cliens obſequentiſſimus,

MICHAEL ALOYSIUS TEIXEIRA.

PRÆ-

PRÆLUDIUM I.

Quid ſit Recurſus, genericè ſumptus, et quomodo dividatur.

SUMMARIUM.

I. *Definitur, ac dividitur, recurſus in genere.*
II. *Explicantur particulæ definitionis.*
III. *Explicatur diviſio recurſus* ad judicem competentem, et incompetentem.
IV. *Conſervatores regularium non ſunt proprie judices, ſed improprie.*
V. *Definitur recurſus ad conſervatorem.*
VI. *Et recurſus à judice eccleſiaſticò ad ſæculare tribunal.*
VII. *Qualiſnam ſit judex regius pro violentiis notoriis tollendis à judicibus eccleſiaſticis.*
VIII. *Recurſum ad regem, non tanquàm* ad judicem, *ſed tanquam* ad virum bonum *dumtaxat, Roſa permiſit, atque approbavit.*

CUM omnis quæſtio à definitione, quæ eſt *oratio explicans eſſentiam alicujus*, derivanda ſit, ut declarat gl. in l. *Omnis definitio*, 203. ff. de Regul. jur. idcircò,

I. Recurſus, ut ſic, prout præſcindit ab eo, qui interponitur ad judicem competentem, et ad incompetentem, definiendus, vel deſcribendus venit generice: *Supplicatio per modum confugii ad potentem virum pro gravamine aliquo recurrentis levando.*

II. Ubi particula *ſupplicatio*, quæ ponitur loco generis, et particula *per modum confugii*, quæ eſt prima differentia, excludit 1. appellationem, quæ eſt *provocatio*, et *devolutio* cauſæ ad ſuperiorem, cum inhibitione judicis inferioris; quæ quidem non habet *recurſus*, utpote, qui eſt pure *ſupplicatio* per modum *miſericordiæ*, aut *ſimplicis querelæ*, pro gravamine aliquo tollendo; vel etiam merum confugium, ſive ſimplex deprecatio pro pœna etiam juſta minuenda, aut moderanda, de quo Cortiad. p. 2. d. 25. n. 62.

Pariformiter particula *ad potentem* etiam appellationem excludit, quæ eſt ad ſuperiorem judicem cum inhibitione inferioris; quod tamen recurſus præciſe non habet; qui quidem, ut dicimus, non ſuſpendit juriſdictionem judicis à quo: quinimo poteſt dari recurſus, qui non ſit ad judicem, ut eſt recurſus ad conſervatorem regularium, qui non eſt judex, ſed tantum *vir potens*, ut infra dicetur l. 1. diſt. 2. et recurſus etiam ad regem ab eccleſiaſticis judicibus, qui juxta doctrinam Per. de man. reg. c. 4. n. 1. *non niſi tanquam ad virum bonum admittitur.*

Particula *pro gravamine* non ſolum intelligitur de gravamine proprie tali (quod definitur: *judicis cujuſvis injuſta, vel violenta vexatio:* de quo tamen infra c. 7. ex n. 1.) ſed etiam de pœna qualibet, etiam juſta, à qua quidem recurrens poteſt ad ſuperiorem judicem ſupplicare, ut minuatur, vel moderetur, vel penitus tollatur. Quamvis enim jus, et judex juſte procedens neminem gravet, ex c. *Paſtor.* 53. de appellat. l. *Si ex plagis*, Tabern. ff. ad L. Aquil. attamen pœna etiam à jure inflicta, quâ talis, lato modo reum gravare dicitur, quatenus ei moleſta et gravoſa eſt.

Porro *ſupplicatio* late eſt *quælibet precum porrectio ſuperiori facta ad juſtitiam ſive gratiam obtinendam.* Stricte vero eſt, *quæ fit principi adverſus ſententiam, cui non competit medium ordinarium.* De quo infr. vid. Reif. de appellat. p. 1. tt. 28. § 1. n. 18.

Denique reliquæ particulæ *pro gravamine aliquo recurrentis levando*, præſcindit ab eo, quod potens levare recurrentem id exhibeat judicialiter, aut extrajudicialiter; per viam facti, aut juris, ut *judex*, aut pure ut *vir potens*, ſeu ut *vir bonus* (ſicut in præfatis conſervatoribus regularium, et in principibus ſæcularibus reſpectu judicum eccleſiaſticorum) per potentiam politicam, et œconomicam, vel juriſdictionalem; directam, aut indirectam; fundatam in naturali defenſione, vel politica, et æqua reipublicæ adminiſtratione, &c.

Poterit etiam recurſus in tota ſua latitudine abſtracte ſic definiri: *Confugium ad potentiam, quæ gravato recurrenti, ſeu ad eam accurrenti, ſuccurrere valeat:* cujus definitionis verba facile, conformiter ad priorem, explanabuntur: cum hac tamen adnotatione, quòd particula *gravato* intelligi debeat de gravato actuali, et de præſenti; non verò de *gravando*, ſeu de gravato de futuro; in hoc enim etiam recurſus diſtinguitur ab appellatione, quod hæc poſſit interponi pro gravamine inferendo, ille vero pro illato dumtaxat; proindeque particula *pro gravamine aliquo* in 1ª definitione, etiam de gravamine illato de præſenti, non vero de inferendo intelligenda eſt; ni velis *tuitivam* pro gravamine futuro etiam hic comprehendere, de quo infr. c. 24. Et hæc ultima definitio competit recurſui perſonali, qui fit abſque ulla ſupplicatione.

Deſumitur autem definitio ex illis Sacræ paginæ locis, in quibus de conſimili confugio aut recurſu agitur, ut ex deſignatis *civitatibus confugii*, Joſ. 21. et ex 9. Levit. 26. Num. 35. Deut. 4. et 19. et ex aliis infra indicandis n. 9.

Dividitur ergo recurſus:

III. In eum, qui interponitur *ad judicem competentem*, et ad *incompetentem.* Primus datur dupliciter, 1. quando à judice inferiori recurritur ad ſuperiorem, proprie judicem, et competentem, v.g. quando recurritur à judice eccleſiaſtico ad ſuperiorem judicem eccleſiaſticum; vel à judice inferiori ſæculari ad ſuperiorem judicem, aut ad tribunal, etiam ſæculare, vel ad principem; vel etiam à ſæculari judice ad eccleſiaſticum, qui in aliquibus caſibus non ſolum eſt capax, ſed competens, et ſuperior, cum vera juriſdictione ad tollenda gravamina judicum ſæcularium, et ut ab iis ad eum licite ac valide recurratur, prout infra demonſtrabitur diſt. 3. Et ſuffragatur Per. de man. reg. c. 24. n. 1. *Pariter ob denegatam juſtitiam, vel ob impoſſibilitatem conſequendi eam, epiſcopus inter ſæculares adiri poteſt, ut ex l. 2. cod. de annal. except.*

IV. 2° modo datur recurſus ad judicem, competentem quidem, ſed improprie judicem; ut quando recurritur à judice eccleſiaſtico, aut ſæculari, ad conſervatores regularium, qui proprie judices non ſunt, ſed improprie, cum ſint *viri potentes* dumtaxat, de quo infr. d. 2.

Porro recurſus *ad judicem incompetentem* tunc datur, quando ab eccleſiaſtico judice, ſive proprie tali, ſive improprie, puta à conſervatore, recurritur ad regem, vel ad regia tribunalia, qui eſt præcipuus hujus operis ſcopus, et ex profeſſo late pertractabitur lib. 2.

Recurſus ergo à judice eccleſiaſtico ad eccleſiaſticum judicem, proprie talem, competentem; vel à ſæculari ad ſæcularem, aut etiam à ſæculari ad eccleſiaſticum competentem; ſic definire, aut deſcribere placet: *Supplicatio per modum confugii ad judicem ſuperiorem, potentem tollere vel moderari gravamen, aut pœnam ab inferiore inflictam.* Nam *ſupplicatio* ſtricte ſumpta definitur: *Quædam precum porrectio facta principi, ut ex quadam benignitate reſtituat ſupplicantem adverſus ſententiam, contra quam competit mandatum ordinarium.* Ita in Abb. c. *ex Litt.* in 6. 5. de reſt. in integr.

V. Ad judicem autem competentem, ſed improprie talem, puta *ad conſervatorem*, ſic definire libet: *Supplicatio per modum confugii ad potentem virum, vel executorem extradelegatum, pro manifeſtis injuriis, ac notoriis violentiis præcisè tollendis, vel reparandis.* Ex quibus ſatis apparet quam reſtrictus ſit, et quam reſtringendus, recurſus ad conſervatores regularium; de quibus infr. d. 2. et alleg. 34, 35, 36, 37. 50. 70. et aliis.

VI. Recurſus tandem ab eccleſiaſtico judice ad ſæculare tribunal ſic definiendus venit: *Supplicatio per*

modum confugii ad principem, ut virum potentem, pro vi, aut violentia aliqua notoria, ac manifeſta, de facto indirecte tollenda. Ex quibus clauſulis ſatis etiam conſtat reſtrictio debita hujuſce recurſus, et diſtinctio illius à recurſu ad judicem proprium, et competentem. Derivatur hæc definitio ex illis Sacræ Scripturæ locis ſupra, et infra n. 9. inſinuandis; et ex aliis.

Ubi nota 1°. repetitionem illorum verborum ſynonomorum, *ſupplicatio, ſeu confugium, vel per modum confugii*, in ſingulis definitionibus iteratam, non omnino ſuperfluam videri; quia gravatus poteſt recurrere mediate, vel immediate, ad ſuperiorem, per ſupplicationem, aut libellum, vel perſonaliter per ſeipſum, ſuperiorem adeundo, vel ad illum confugiendo; vel per internuntium, aut procuratorem, vel aliis modis, de quibus DD. paſſim, et nos infra diſt. 1. 3, 4. lib. 1. et d. 1, 2, et 5. lib. 2.

Præterquam quod conceptus, et ſignificatum hujus vocis *ſupplicatio*, ſaltem formaliter, et quoadmodum, diſtinctus incedit à conceptu, et à ſignificato iſtius vocis *confugium*, ut conſideranti clarebit: ſupplicatio namque formaliter eſt *poſtulatio quælibet pro qualibet re, ex gratia, vel ex juſtitia, concedenda.* Confugium autem eſt *accurſus ad protectionem alicujus pro aliqua gravamine, aut injuria reparanda, vel tollenda.*

Nota 2°, quod quamvis judex regius ſæcularis in violentiis manifeſtis, ac notoriis judicum eccleſiaſticorum, quæ nulla tergiverſatione celari poſſint, de quo infr. c. 12. videtur in aliquibus caſibus judex competens pro violentia præciſe de facto tollenda (eſto contrarium ſuaderi inſpiciatur ex doctrina Salgad. infr. cit.) attamen hic illum appellamus *judicem incompetentem, et extraneum*, tum quia eſt heterogeneus cum judice eccleſiaſtico, tum quia non judicialiter, neque juriſdictionaliter, ſed extrajudicialiter, ac per viam facti, et non *ut judex*, ſed *ut vir bonus*, cognoſcit, de quo infr. c. 37, 38, et ſeqq. tum quia nequit cognoſcere de cauſa principali, neque in meritis ejus ſeſe intromittere, v. g. circa validitatem, aut licitudinem cenſuræ, aut circa qualitatem ſacrilegii juxta infr. dicenda c. 13. 37, et ſeqq. tum denique quia adhuc acriter utrinque contenditur, et adhuc ſub judice lis eſt (de quo Cevalh. de cogn. per vi. violent. in prolog. et in monito ad cenſuras apud illum doctiſſimus, et prudentiſſimus inquiſitor de Aguero, et Beyerlinch.) an liceat iſte recurſus ab eccleſiaſticis ad judices ſæculares, etiam prætextu tollendæ violentiæ? De quo etiam vid. Pignatell. tom. 2. conſ. 72. et tom. 5. conſ. 2. et tom. 9. conſ. 33. et tom. 10. conſ. 53.

VIII. Imo Salgad. de Reg. Prot. prælud. 5. n. 282. expreſſe ait, quod *recurſum ad regem nunquam permiſit Roſa, tanquam ad judicem, ad effectum obtinendi inhibitiones, ſed tanquam ad privatum, et potentem.* Et Per. cit. c. 4. n. 1. quod *princeps in his violentiis, ex permiſſione juris canonici, non admittitur, niſi tanquam vir bonus.*

Nota 3°, omnes definitiones præmiſſas eſſe de mente omnium fere DD. de hac materia ſcribentium, ut in eiſdem paſſim reperietur, ſignanter in Per. de man. reg. c. 4. et 7. et in prælud. Portug. de Donat. p. 2. c. 31. ex n. 12, et ſeqq. Salgad. de Reg. Prot. l. p. c. 1. prælud. 1. et prælud. 5. n. 282. Peg. ad Ord. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14, et 15. Card. Deluc. de judic. diſc. 19. n. 17, et 18. et miſcellan. diſc. 17. n. 10. et diſc. 19. n. 2.

IX. Imo illarum formalitatem derivari nedum ex Sacris Literis, ſed ex profanis, et etiam ex humanis legibus, facile conſtat; et 1° ex civitatibus *refugii*, aut *confugii*, quæ in Sacra pagina, et in profanis hiſtoriis leguntur, de quibus Lexicon, verb. *Aſylum.* Ibi; *Juſta certe aſylorum authoritas ea quondam fuit, ut magis affectis invidia, et potentiorum formidine oppreſſis, quam ſceleratis hominibus ſerviret.* Et infr. *Aſyli etiam dicuntur à Græcis homines à violentia tuti, ut ſunt ſacroſancti . . . . . quales erant tribuni plebis apud Romanos, et caduceatores*, &c. Vid. Cod. Theodoſ. tot. tit. *De his, qui ad ſtatuas confugiunt*, et tit. *De his, qui ad eccleſ. confug.* et ibi DD. nec non Nicol. Myler. *De jure aſyli.* et Tholoſan. ſyntagm. jur. l. 33. c. 21. Ibi: *Ad aſyla fugientes, ad Deum quaſi provocant, maxime ſi locus ſecuritatis ſit quidam ex ſacris, ut templum, et ara*, &c.

2. Ex *confugio*, ſive *refugio*, nedum locali, ſed et perſonali, ſeu non tantum *ad loca*, ſed etiam *ad perſonas*, ut Iſa. 10. 3. *Ad cujus confugietis auxilium?* Et ibidem 20. 6. *Ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos à facie regis Aſſyriorum.* Ubi opportune notandum, prophetam in primo citato loco agere de juridica, et rigoroſa oppreſſione, ac violentia, ut ex contextu liquet ibid. 2. *ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent cauſæ humilium populi mei:* quos quidem pauperes, oppreſſos, ſicut iniqui illi judices, legibus injuſtis, ab omni confugio ſive recurſu privare intentârunt; ita pariformiter ſeſe omni confugio ſive recurſu ad alienum auxilium reſtitutos æque invenirent.

Conſonat Eſth. 14. 1. *Confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.* Et Pſ. 142. 9. *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.* Et Hebr. 6. 18. *Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*, et alia. Nec non tex. in l. *Præſenti*, 5. cod. de iis, qui ad Eccleſ. confugiunt. l. *Siqua*, cod. de epiſc. et cler. vid. Lexic. et Scot. verb. *confugere.*

PRÆLUDIUM II.

Quid, et quotuplex ſit juriſdictio.

SUMMARIUM.

I. *Definitur, ac dividitur jus in communi.*
II. *Juris præcepta quot, et qualia?*
III. *Quid, et quotuplex ſit juriſdictio?*
IV. *Quid officium judicis nobile, quid merum, et mixtum imperium?*
V. *Qualiſnam ſit juriſdictio ordinaria, et delegata?*
VI. *Et qualis juriſdictio eccleſiaſtica, et ſæcularis?*

I. CUM *juriſdictio* à jure nomenclaturam deducat, priuſquam de illius definitione agamus, quid ſit *jus* exponere refert; et prætermiſſo, quod hujus nominis *jus* triginta ſignificationes circumferantur, juxta Albertum Regnat. de leg. et jure, c. 15. n. 9. Gibalin. l. 3. c. 1. 9. 1. Definitur hic *jus: Ars boni, et æqui, cujus merito ſua jura cuilibet miniſtrantur.* F. de juſt. et jur. l. 1. Ita Alex. Scot. verb. *jus*; quamvis in tota ſua latitudine ab eo, quod *juſtum* eſt, nomen uſurpet, ſecundum Ulpian. eſto juſtitia etymologice, eo, quod ſit *juris ſtatio*, jus ipſum præſupponat; de quo vid. Lexicon, verb. *jus.* Dividitur ergo jus in *naturale*, et *ſcriptum.* Illud eſt, quod naturalis ratio præcipit; hoc vero, quod lex ſcripta ordinat.

Porro *jus ſcriptum* dividitur in *divinum*, et *humanum.* Primum eſt, quod divina lex ſtatuit; ſecundum vero, quod homines ſecundum rationis ordinationem ſanciti ſunt. *Jus humanum* ſubdividitur in *canonicum*, et *civile.* Illud eſt, quod Summi Pontifices pro univerſo orbe, et prælati eccleſiæ, habentes merum, et mixtum imperium, pro ſuis diœceſibus in legibus eccleſiaſticis condiderunt. Iſtud vero, quod imperatores, reges, et civitates in legibus ſæcularibus pro ſuis ſubditis ordinârunt. Unde jus canonicum definit Lancellot. *quod dirigit civium actiones ad finem*

nem æternæ beatitudinis. Jus autem civile definit Gasparr. Inst. jur. civil. tt. 2. n. 4. *quod quælibet civitas, vel populus sibi proprium constituit,* l. *Omnes,* ff. de just. et jur.

II. Juris autem præcepta tria sunt, scilicet, *honeste vivere, alterum non lædere, et jus suum unicuique tribuere.* Inst. de just. et jure, § *Juris præcepta.* Concordat c. *Cum deustissimam,* § *Si sæcul.* 12. q. 2. ubi dicitur quod *summum bonum est justitiam colere, et unicuique jus suum tribuere.* Ita Alex. Scot.

III. Hinc definienda venit *jurisdictio* (quam quidem Azon. Fulgor. et Tiraquell. non *jurisdictio,* sed *jurisditio,* scribenda contendunt, eo quod *ditio* imperium sonet, ex Justin. in § 1. *Proœm. inst.* cui reliqui communiter contradicunt, firmantes, quod legenda sit *jurisdictio,* à jure dicendo nomen derivans, ut liquet ex tex. in l. 1. et 18. de jurisd. omn. judic.) Definitur ergo jurisdictio à Perer. in c. cit. tit. *Publica de causis cognoscendi, et judicandi potestas.* Quæ quidem, ut sic, dividitur in *jurisdictionem simplicem, et imperium.*

Jurisdictio *simplex* est illa, quæ spectat ad officium judicis mercenarium: *imperium* vero est, quod officio nobili judicis exercetur. Ita Bart. in l. 1. ff. tit. cit. Illud autem dicitur *officium judicis nobile, quod exercetur à judice motu proprio,* id est, vel parte non petente, vel non petente, ope actionis stricte sumptæ, ut est ferre leges, procedere ad inquisitionem, delicta punire, restituere in integrum graviter læsum; quapropter facultas restituendi in integrum non concedebatur à jure civili magistratibus municipalibus, seu civitatum, quia illi non habebant imperium, sed meram jurisdictionem: textus est expressus in l. 26. ff. *Ad municipal.*

IV. Officium vero judicis *mercenarium* illud dicitur, *quod non exercetur, nisi ad instantiam partis habentis actionem in jure fundatam:* Bart. in l. *deposita,* num. 2, et seq. c. *depos.* Felin. in cap. 2. num. 8. de *officio judic.* Ridolph. in prax. par. 2. cap. 4. num. 57. *Imperium* vero, prout distinguitur à simplici jurisdictione, dividitur in *merum,* et *mixtum.* Merum est, *quod exercetur officio judicis nobili, primario respiciente publicam utilitatem.* Mixtum vero, *quod exercetur officio judicis nobili respiciente primario utilitatem privatam.* Abb. in c. *Quod sedem,* n. 5. de offic. ordin. Pax Jordan. tom. 3. l. 13. tt. 2. n. 19.

Ad imperium *merum* spectat leges condere, monetam cudere, esse illum, ad quem ultimo appellatur, constituere publicos ministros, punire facinorosos pœna mortis naturalis, vel civilis, imponere vectigalia, &c. et in Summo Pontifice convocare universale concilium, &c.

Addit Alex. Scot. verb. *merum,* ad merum imperium etiam pertinere pœnam exilii, relegationis, et incarcerationis, ex l. ff. 2. de public. jur. Ad *mixtum* autem pertinet concedere minoribus veniam ætatis, legitimare illegitimos, coercere carcere, vel pœna pecuniaria, delinquentes, dare facultatem, ut procedatur, postposita appellatione, constituere tutorem, vel curatorem, interponere authoritatem in emancipatione, vel venditione immobilium, concedere restitutionem in integrum, &c. In Pontifice transferre episcopum de uno episcopatu ad alium, dividere, vel unire episcopatum, &c.

V. Porro jurisdictionis famigerata divisio est in *ordinariam,* et *delegatam.* Primam DD. vocant propriam: secundam impropriam, alienam, vel mandatam. *Ordinaria* est jurisdictio, quam quis ex munere suo, et suo nomine exercet, qualem habent episcopi, capitulum sede vacante, vicarius generalis episcopi, &c. Bart. et alii in l. *More major.* ff. de jurisd. omn. judic. vestr. in prax. lib. 3. cap. 3. Scau. de judic. lib. 1. cap. 16. num. 5. Pax Jordan. elucubr. vol. 3. l. 13. tit. 3. num. 1. et per tot.

Subdividitur hæc ordinaria jurisdictio in *contentiosam,* qua dirimuntur controversiæ litigantium, et *voluntariam,* quæ dictas controversias non respicit, et ad eam spectat collatio beneficiorum, concessio privilegiorum, oblatio ordinum, &c. *Jurisdictio* autem *delegata* est potestas, quæ non ex proprio munere, sed ex commissione mediata, vel immediata alterius, id ex proprio munere habentis, jurisdictionem exercere potest. Pax Jordan. loco cit. tit. 6. per tot. Marant. in prax. p. 4. dist. 5. Trivis. dec. 1. per tot.

Vide quæ late prosequitur Gasparr. Inst. can. p. 3. tit. proœm. an. 13. et quæ doctissime de hac re infra differuntur alleg. 36. ex n. 2. Et quia principalior, et ad rem, ac materiam subjectam aptior, et magis conveniens divisio est, in jurisdictionem *ecclesiasticam* (quæ scilicet à Summo Pontifice, et a conciliis generalibus in universo orbe, et à reliquis prælatis ecclesiæ in suis territoriis spiritualiter, et etiam temporaliter, erga omnes fideles, et in aliquibus casibus, etiam erga infideles exercetur) et in *sæcularem,* quæ à regibus, et principibus sæcularibus temporaliter pro sibi subditis in pacifica societate conservandis agitatur; idcirco sequens speciale instituimus præludium de *jurisdictione ecclesiastica,* quam sic definire libet:

VI. *Publica de causis spiritualibus primario cognoscendi, ac judicandi potestas.* Ubi particula *primario,* connotat *secundario* posse cognoscere de causis temporalibus, modo infra exponendo. Jurisdictionem vero sæcularem in hunc modum definire placet: *Publica de causis temporalibus pacificam societatem populorum respicientibus cognoscendi, ac judicandi potestas.* Unde deduces, jurisdictionem ecclesiasticam respicere tanquam finem divinum cultum, et æternam, atque supernaturalem beatitudinem; sæcularem vero societatem humanam in pace, atque justitia conservanda. Ita Oliv. de for. eccles. q. 2. n. 23.

PRÆLUDIUM III.

De Jurisdictione Ecclesiastica, præsertim Summi Pontificis.

SUMMARIUM.

I. *Jurisdictio ecclesiastica spiritualis simul cum temporali cæpit distincta ab origine mundi, licet quandoque conjuncta in eodem subjecto.*
II. *Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium per leges publicas antiquius est sæculari ex Marsil.*
III. *Tempore Moysis, et posterius, judicium rerum spiritualium, ac temporalium sacerdotibus pertinebat.*
IV. *Summus Pontifex præter jurisdictionem spiritualem, quam primario tenet, retinet secundario jurisdictionem temporalem, exercendam quoties expedierit bono spirituali.*
V. *Probatur aperte nedum ex jur. can. verum et à S. pagina.*
VI. *Utroque gladio Christus Dominus cum D. Petro usus est.*
VII. *Ratione etiam multipliciter comprobatur.*
VIII. *Atque antiqua, et continuata praxi.*
IX. *Contrariam opinionem damnavit S. congregatio Inquisitionis.*
X. *Potestatem temporalem Summus Pontifex non indirecte tantum, sed directe, licet secundario, retinet.*
XI. *Probatur ex jure, ex facto, et ex rationibus.*
XII. *Probatur specialiter ex ipsamet præcontinentia.*
XIII. *Satisfiunt, et retunduntur argumenta ex adverso.*
XIV. *Respond. aliis argumentis.*
XV. *Explicatur extravag. Meruit. de privileg. explicativa, extr.* unam sanctam, *de major. et obed.*
XVI. *Scholium antiquorum DD. à Verricel. laudatorum.*

rum, ex quo convincitur communis opinio antiquorum contra commune neotericorum.

XVII. *Eadem poteſtas temporalis competit etiam epiſcopis pariformiter pro ſuis territoriis.*

XVIII. *Quod nedum à jure, ſed à ratione patet.*

XIX. *Variæ illationes ex dictis.*

XX. *Et præſertim quoad jus à Papa conceſſum regibus Luſitanis, et aliis, debellandi et occupandi regna infidelium.*

XXI. *Quomodo hoc recta via exequendum?*

XXII. *Illa tamen poteſtas temporalis in Summo Pontifice non eſt actu, ſed habitu.*

XXIII. *Antiquitus prælati eccleſiaſtici de cauſis temporalibus laicorum cognoſcebant.*

XXIV. *Referuntur verba Theodoſii imper. relata in c.* Quicunque, 11. q. 1.

XXV. *Tranſcribuntur verba Tilmani adverſus Smidelirium.*

XXVI. *Comprobatur ex D. Auguſtino apud Poſſidonium.*

XXVII. *Et ex naſcentis eccleſiæ exordio, et à ratione.*

XXVIII. *Et ex variis authoritatibus.*

XXIX. *Tranſcribitur Raynaldus, et exornatur.*

XXX. *Tranſcribitur etiam Ubertus.*

XXXI. *Explicatur P. de Marca de Concord. ſacerdot. et imper.*

I. JURISDICTIONEM, atque poteſtatem eccleſiaſticam, et ſpiritualem, ſimul cum temporali, et politica, eodem tempore ab origine mundi incepiſſe inter ſe diſtinctas, licet quandoque conjunctas in eodem ſubjecto, ut in Melchiſedech rege, et ſacerdote, in lege naturæ (de quo ad Hebr. 6. et Pſ. 109. et Trid. ſeſ. 22. c. 1. de reformat.) probat Oliv. de for. eccleſ. p. l. q. r. ex uſu ſacrificiorum (quæ ad hanc poteſtatem pertinere oſtendit) quæ Cayn, et Abel, ex exemplo primi parentis Adami, offerebant, ut Gen. 4. et Heb. 11. et ex ſacerdotio, primogenituræ annexo, ut Gen. 25. 34. et 27. 36. quas quidem actiones, ac deputationes, non ex poteſtate temporali, et politica, utpote, quæ non finem ſpiritualem, ſed mere temporalem reſpicit, verum ex poteſtate ſpirituali, illi tempori congruente, quæ in communitate, ut aſſerit Victor. de pot. eccleſ. rel. 2. q. 1. n. 2. vel in uno, eodemque individuo reſidebat, ut videtur in exemplo Melchiſedech, oriri ſane potuiſſe, ſolide demonſtrat, ibid. n. 11. ex Bellarmin. de Rom. Pontifice, cap. 9. l. 5.

Ex quo probatiſſimo diſcurſu n. 12. ſic proſequitur idem Oliv. *Unde infertur optimo jure, Seſſe in l. 1. deciſion. in epiſtola ad Regem, n. 39. et 47. reprehendiſſe Cevall. tom. 4. Commun. in epiſtola, et de cogn. per viam viol. in prologo num. 5. aſſerentem, temporalem poteſtatem antiquiorem eſſe ſpirituali, niſi intelligatur de ſpirituali legis gratiæ, prout loquitur Navar. in cap. novit. notab. 3. n. 90. de jud.* Vide etiam Gratioſ. Ubert. de citation. c. 4. an. 64. Cujus verba partialiter infra fortaſſe tranſcribentur, n. 30.

II. Quinimo juriſdictionis eccleſiaſticæ exercitium per publicas leges ſcriptas longe antiquius eſſe, quàm ſæcularis, eleganter probat eruditus D. Franciſcus Manoel, ex Marſilio et aliis, in epiſtola encomiaſtica ad 3. p. Themudi, ubi ait, jus civile, et leges ſæculares, filias quidem eſſe juris canonici, et legum eccleſiaſticarum, atque ab his dependentes; legis namque Moyſaicæ anterioris pro Hebræis ſcriptæ, imitatores, aut *ſimii*, ut ait Marſilius, evaſerunt omnes, qui pro aliis gentibus leges condiderunt, ac publicârunt, ut Mercurius Trimegiſtus pro Ægyptiis; Foroneus pro Græcis; Lycurgus pro Lacedæmoniis; Apollo pro Arcadibus; Plato pro Magneſiis; Saturnus pro Italis; Bellus pro Caldæis; et tandem (ut alios quamplurimos miſſos faciam) Romulus et Numa pro Romanis.

III. Et inſuper cum Becan. de Pontiff. vet. teſtam. c. 4. § 3. addit, jam tempore Moyſis, ſicut et poſterius, curam legum, et rerum temporalium judicium ſummis pontificibus, ac ſacerdotibus pertinuiſſe; licet nunc temporis miniſtri eccleſiaſtici, non ex defectu poteſtatis, aut juriſdictionis, ſed ex moderatione, curam legum, ac rerum temporalium, regibus, ac principibus ſæcularibus reliquerint. Ipſum vide, et ibidem etiam reperies copioſum ſcholium DD. Luſitanorum, tam theologorum, quàm juriſtarum, et aliorum.

Porro prophetam Samuelem leges ſæculares condidiſſe pro regno Iſraelis, apertiſſime conſtat ex 1 Reg. 10. 25. *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, et ſcripſit in libro, et repoſuit coram Domino.* Ubi Alapid. *Præſcripſit leges ſervandas tam regi circa populum, quam populo circa regem, quid ſcilicet rex populo, advicisſim quid populus regi præſtare deberet. Hinc liquet jus regis à Samuele recenſitum c. 8. v. 11. non eſſe legitimum, ſed inique uſurpatum.* vide infr. c. 37. et ſeqq.

IV. *Dico igitur* 1. Summus Pontifex, præter juriſdictionem ſpiritualem, quam primario habet, retinet etiam juriſdictionem temporalem in reges, et regna ſecundario exercendam, quoties expedierit animarum bono, ac ſaluti. Ita expreſſe Per. de man. reg. prælud. 2. n. 4. cum D. Thom. 2. 2. q. 1. à 10. et q. 60, à 6. ad 3. et in 2. ſent. d. 44. cum Tuſch. 6. tom. verb. *Papa.* Mart. de Juriſd. qui graviter *invehitur* adverſus opinionis contrariæ patronos, 1. p. c. 25. Oliva de for. eccl. 1. p. q. 3. per tot. ubi quamplurimos DD. pro hac opin. citat. Themud. p. 2. in præf. n. 49. Verricelli demiſſion. n. 13. q. 182. ſef. 5. Bordon. to. 1. Sacr. Trib. c. 2. qui de ſolis DD. juriſtis pro hac opinione plusquam quinquaginta citat, et horum plures Laicos, et ſæculares.

Prob. 1. quia Chriſtus Dominus B. Petro, et ſucceſſoribus ejus utriuſque imperii, cœleſtis, et terreni, jura commiſit, ut expreſſe notatur c. 1. 22. d. ibi. *Qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, terram ſimul, et cœleſtis imperii jura commiſit.* Et conſonat c. *ita Dominus*, 19. d. cap. *Alius*, 15. quæſt. 6. ubi Bonif. 8. Philippo Pulchro ita ait: *Scire te volumus, quod in ſpiritualibus, et temporalibus nobis ſubes*, c. *in novo*, 21. d. cap. *venerabilem*, 34. de electione, c. *licet*, de foro compet. cap. *grandi*, de ſupplend. neglig. lib. 6. cap. *ad apoſtolicæ*, de re judic. lib. 6. clem. 1. in princ. de jurejur. clem. *Paſtoralis*, verſ. *nos tamen*, de re judic. et text. in c. *Valentinian.* et c. *Adrian.* 63. d. c. *Conſtantin.* 96. d. c. *Sacerdotibus.* 11. q. 1. c. *Siquis.* 17. q. 4. c. *Hortatu*, 23. q. 8. c. *Scelus*, 2. q. 1. c. *nos ſi incompet.* 2. q. 7. c. un. *de ſchiſmat.* in 6. et alia jura videnda apud Verricell. cit. ſ. 17. n. 252. et tandem extravag. *unam ſanct.* de major. et obed. In quibus omnibus traditur, S. Pontificem ſæpe ſæpius temporalem poteſtatem exercuiſſe. vid. etiam Cirin. Nex. c. 1. à n. 42.

V. Prob. 2. ex illo Matth. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, et in terra: euntes ergo in mundum* (nota obiter particulam illam illativam, et cauſalem *ergo*) *docete omnes gentes.* Ubi, prout exponit Navarr. in c. *Novit ille*, de judic. aperte loquitur de utraque poteſtate, ſpirituali, ſcilicet, et temporali, quas quidem ibidem committit, et relinquit apoſtolis ſuis pro fide, et eccleſia ſua per univerſum orbem propaganda, ut Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo prædicans præceptum ejus. Poſtula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* In ordine ad quam prædicationem exprimit dominium temporale, et ſuper gentes; quod et apoſtolis ſuis commiſit, ut etiam notatur in d. c. *Ita Dominus*, 19. d. ubi gl. verba *voluit. Ab eo, quod ipſe Dominus erat, ſcilicet Petra; voluit eum vocari Dominus Petrum. De conſecr. d. 2. revera.* Junctis verbis ſuperioris contextus. *Ita Dominus ad omnium apoſtolorum officium pertinere voluit.*

Prob. 3. ex Luc. 22. *Ecce duo gladii hic. ſatis eſt.* Non dicit, *nimis eſt*, ſed, *ſatis eſt*, ait Gl. et notant plures cum Bordon. Verricell. Ubi ſufficientiam, et opportunitatem utriuſque gladii, ſpiritualis, ac temporalis, pro eccleſiæ ſuæ regimine, atque tuitione ſat aperte innuit, ut EE. ibi late proſequuntur, et expenditur in d. extravag. *Unam ſanct.* ubi dicitur *gladium eſſe ſub gladio*, &c.

Et confirmari poteſt ex eo, quod Chriſtus Dominus in hortulo olivarum, licet Petro improbaverit uſum gladii temporalis in percutione Malchi, non illum tamen impedivit, ſed permiſit, et tantummodo interdixit ſecundi ictus iterationem.

Imo Bordon. cit. ex illo: *Converte gladium tuum in vaginam*, ait, quod in illo pronomine *tuum* declaravit Chriſtus competentiam, et communicationem gladii tem-

temporalis Petro; et in confirmationem adducit verba D. Bernardi, l. 4. de consider. *Tuus ergo est ipse, tuo forsan nutu, si non tua manu, evaginandus.* Et P. Felix Milens. in scrut. c. 3. ait: Non mandat Petro, ut abjiciat gladium, ne retineat, aut gestet gladium: imo contra præcepit, ut illum retineat, et in vaginam convertat, id est, bene custodiat, et conservet: prohibens hoc modo abusum, et imperans, ut servetur ad usum, et hoc exoptato lib. 3. adversus Permenianum, et ex Germonio lib. 3. de sacros. imm. c. 13. n. 18, et 19. et ex Fr. Ang. Camus. Firmat etiam Bovadilla politica lib. 2. cap. 17. num. 6. v. Rayn. d. supl. 5. ad c. 7. sub n. 99.

VI. Prob. 4. ex ipso Christo Domino, qui gladio, et potestate temporali quandoque uti visus est: 1. Quando Mat. 21. et Luc. 19. jussit discipulis *solvi asinam, et pullum ejus, et sibi adduci*, addens: *Et siquis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* Ubi sane de dominio temporali loqui conspicitur.

2. Quando super utramque sedit, atque triumphavit eadem occasione, regias turbarum acclamationes admittens, tanquam Filio David, et Regi Israel directas: *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini:* necnon ramorum, atque vestimentorum prosternationes, adorationes cum commotione universæ civitatis: quinimo Pharisæis suadentibus, ut discipulos propter has acclamationes increparet, respondit: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. 19. 39. quem quidem triumphum, et temporalis potestatis usum, et exercitium, eadem die in templo consummavit, *ejiciens omnes vendentes, et ementes, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertens.* Quo quidem gladio temporali jam occasione alia distincta usus fuerat, ut legitur Joan. 2.

3. Quando Dæmonibus potestatem dedit in porcos ingrediendi, ut Marc. 5. 20. Communiter EE. 4° quando in horto totam adversariam cohortem, dicens, *Ego sum*, bis fecit abire retrorsum, et in terram cadere prostratam, ut Joan. 18. 6. Et tandem quando imperavit ventis, et mari, in confirmationem, quod *illi data erat omnis potestas in cœlo, et in terra.*

VII. Probatur denique ratione, 1. quia posito, quod Summus Pontifex ampliss imam potestatem spiritualem retineat, recta ratio postulat, ut et temporalem habeat, saltem in habitu, ut si casus evenerit, in quo finis supernaturalis indigeat mediis temporalibus, et horum usum, ut consequatur, expostulet, facile adhibere ea possit, et ex habitu, atque potentia ad actum reduci. Ita cit. Per. prælud. 2. n. 9.

Unde ponderat Bordon. cit. c. 2. quod Petro non dixerit Christus Dominus: *Tibi dabo clavem*, sed *claves.* Mat. 16. ad indicandam duplicem potestatem jam explicatam. Et confirmatur ex illo: *Appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech*, Hebr. 5. Constat autem Gen. 14. Melchised. fuisse regem, et sacerdotem, et utramque exercuisse potestatem. Quare etiam D. Petrus appellat *Regale*, sacerdotium ecclesiasticum, et D. Thomas in 4. d. 19. q. 4. c. 2. ait: *Sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet, spiritualis, scilicet, et sæcularis, hoc illo disponente, qui est Sacerdos, et Rex.*

VIII. 2. Ex ipsamet praxi, et antiqua, atque continuata Summorum Pontificum observantia, tum in depositione Frederici per Innoc. IV. ut ait Oliv. et Sancii 2. per c. *Grandi*, de suppl. neglig. prælator. in 6. tum in expulsione Henrici per Gregor. VII. et electi Rodulphi confirmatione, ut c. *Ad Apostolic.* de rejudic. in 6. tum in evectione Pipini in Regem per Papam Zachariam, de quo c *Alius*, 150. q. 6. et aliis tandem exemplis, de quibus DD. citati à Per. d. prælud. 2. n. 16. et ab Oliv. d. q. 2. n. 37, et fusiùs à Verricell. d. s. 5. n. 44. et 50. ad imitationem summorum sacerdotum legis veteris, qui talem potestatem sæpe practicârunt, ut 4. Regum 2. et 2. Paral. 16. quæ quidem temporalis potestas prælatorum ecclesiasticorum speciatim super gentes, et super regna evellenda, ac dissipanda, et denuo plantanda, et ædificanda, clarè evincitur ex Jerem. 1. de quo vid. Soar. adversus Angl. err. l. 3. c. 23. et DD. in c. *Solitæ* de major. et obed.

Et hinc validissimum instauratur argumentum adversus eos, qui cum Salgad. de Prot. Reg. 1. p. c. 1. prælud. 5. astruunt, ex eo quod reges, et principes sæculares, superiorem non agnoscentes, asseverant, se habere jurisdictionem, ac potestatem succurrendi oppressis à judicibus ecclesiasticis, eisdem absque dubio standum, et credendum est: ergo potiori jure Summis Pontificibus, regibus sublimioribus, atque potentioribus, ut can. *Duo sunt*, 96. d. can. *Solitæ*, de majorit. et obed. c. *Quoniam*, 10. d. nedum affirmantibus, se habere potestatem, ac jurisdictionem temporalem in reges, et regna, quando bonum spirituale, atque supernaturale id exegerit, verum et eadem sæpe sæpius utentibus, utique indubie credendum, et standum est. Hic namque valet argumentum ab actu ad potentiam, sicut valet *à solitis*, l. *Siquis*, ff. de usu fruct. l. *Quodsi*, § *Assidue*, ff. de ædilit. edict. Solorz. de jur. Indiarum, tom. 1. Barbos. loc. commun.

IX. Contrariam autem opinionem in congregatione S. universalis Inquisitionis de urbe, approbante Innoc. X. declaratam fuisse hæreticam, saltem reductive, et secundario, ita ut sine periculo fidei catholicæ defendi nequeat, esseque erroneam, temerariam, et periculosam, refert Dian. qui S. Congregationi interfuit, p. 10. tr. de exauctor. Reg. res. 8. et cum eo Verricell. cit. q. 182. n. 251. Imo addit Bordon. quæs. 40. sub n. 209. hanc veritatem de fide esse, et ut talem declaratam fuisse in Concil. Florentino, tom. 4. Concilior. sess. fin. pag. 883. et Bobadill. polit. l. 2. c. 17. n. 10. refert ex Bald. in l. 1. § *Præsides*, in fin. ff. *de Requir. Reis*, Dantem fuisse post mortem quasi hæreticum damnatum, eo quod in sua Monarchia scripserat, imperium hec ab ecclesia pendere, nec derivari.

X. *Dico*, 2. Summus Pontifex non solum habet hanc potestatem temporalem *indirecte*, ut communiter docent moderni Theologi cum Bellarm. Medin. Victor. Abul. et aliis citatis à Per. de man. reg. d. prælud. 2. n. 4. quibus novissime adhæret Cirin. nex. ver. c. 1. n. 38. sed *directe*, licet *secundario*, ut graviter et nervose defendit idem Per. ibid. n. 6. dicens, sibi nunquam placere potuisse hanc indirectæ tantum potestatis attributionem (Idem dicit Barbos. in Collect. in c. *Per Venerabil.* qui fil. sint leg. n. 37.); quia excellentia potestatis spiritualis exposcit, quod quando potestate temporali utitur, directe utatur. Tenet etiam Azor. inst. mor. p. 2. l. 4. c. 29. Mart. de jurisd. p. 1. c. 18. usque 25. et communiter canonistæ, quos presso nomine citat Oliv. 9. q. 4. n. 1. in c. *Novit.* de judic. et in c. *Causam quæ*, 7. qui fil. sint leg. Bart. in extr. *ad reprimend.* n. 9. sicut enim *directe* Summus Pontifex excommunicare potest reges, ita etiam, et *directe* eos à regno privare, id causa fidei, aut alias spirituali postulante; *Oliv. cit.* d. q. 2. n. 34. eorum leges *directe* abrogare, si sint nutritivæ peccati, vel boni spiritualis impeditivæ, et in c. ult. *De præscript.* c. 1. *De torneam.* Clem. I. *De usur.* et alia temporalia, eadem exigente causa, *directe* exequi. Ita Oliv. cit. n. 47. ex tex. in c. ult. *De præscription.* et ibi Abb. n. 1, et 2. Per. cit. n. 22. Themud. 2. p. in præf. n. 49. vide etiam Verricell. qui tamen contendit d. q. 282. n. 253. hanc potestatem *esse quidem temporalem jurisdictionem, et secundum quid spiritualem.*

XI. Probatur 1. quia licet Summi Pontifices quandoque hac potestate *indirecte* tantum utantur, v. g. quando absolvunt vassallos e juramento fidelitatis, regibus præstito, ut in c. *Novit.* de judic. Mart. de jurisd. p. 1. c. 41. attamen certum est, etiam multoties *directe* ea uti, reges directe privando, deponendo, et legitimis successoribus regna tradendo, hosque directe confirmando, ut in casibus ap. Oliv. cit. n. 34. inter reges directe jus dicendo, atque eosdem ad justam initam pacem compellendo, &c. Oliv. cit. n. 36. et sane negari non potest hanc directam potestatem in Summo Pontifice quoad jus directe dicendam inter reges, et alios principes non agnoscentes superiorem, et eorum causas, ac lites temporales directe, ac jurisdictionaliter dirimendo, atque componendo.

Prob. 2. quia apud Summum Pontificem residet uterque gladius, ac potestas; atqui quando gladio spirituali adversus principes temporales procedit, *directe* eo utitur: ergo similiter, quando utitur gladio, et potestate temporali. Prob. 3. quia quando utraque potestas, tum in lege veteri, tum in primitiva ecclesia,

reſidebat in actu apud ſummos ſacerdotes, et epiſcopos in plurimis locis, de quo infr. n. 22, et 23, et ſeqq. Pontifices, et prælati eam directe retinebant, et directe utraque utebantur: ergo etiam nunc temporis, licet poteſtatem temporalem in habitu tantum, et potentia, et ſpiritualem in actu præcontineant; nam præcontinentia in habitu tantum, minime tollit, quod *directe* contineatur, et quando prodit in actu, *directe* prodeat.

Prob. 4. ex tex. in c. *Per venerabilem*, qui fil. ſint legit. ibi: *Certis cauſis inſpectis, temporalem juriſdictionem caſualiter exercemus.* Ubi particula *caſualiter*, non indicat exercitium indirectum, neque eſt ſynonyma cum particula *indirecte*: ſed denotat dumtaxat exercitium occaſionale, dependens à concurrentia certarum cauſarum, aut circumſtantiarum. Confirmatur, quia cauſa per accidens, licet caſualiter. et occaſionaliter tantum operetur, nec ideo definit *directe* operari, ſecundum præhabitam virtutem, atque potentiam, ut in tegula caſualiter è tecto decidente, et vulnus directe infligente: ergo ſimiliter.

XII. Prob. 5. quia licet Summus Pontifex habeat poteſtatem temporalem ſecundario, eo quod eam non contineat, niſi per ordinem ad poteſtatem ſpiritualem, quam primario tenet, neque ea, niſi ratione iſtius, utatur, de quo Per. cit. d. prælud. 2. n. 22. et alii, attamen continentia, et exercitium illius eſt directum, et non tantùm indirectum; ut viſitur in pluribus exemplis cauſarum phyſicarum, et moralium, v. g. in igne, qui primario intendit introducere formam ſubſtantialem in paſſo, quam accidentales (videlicet diſpoſitiones) quas ſecundario, et ratione formæ ſubſtantialis introducendæ, producit: et tamen utraſque *directe*, et æque immediate phyſice producit: et in Deo, qui licet ſit objectum primarium beatitudinis, et ſancti ſecundarium: attamen anima fidelis per bona opera ſupernaturalia utriuſque objecti viſionem *directe* miretur, et utroque in patria *directe* fruitur: ergo pariformiter, &c.

Prob. 6. quia poteſtas temporalis in Summo Pontifice continetur in ſpirituali, et ſub illa eſt, ut in extravag. *Unam ſanctam* de major. et obed. ibi: *oportet, gladium eſſe ſub gladio, et temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati.* Nam cum dicat apoſtolus: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in ſupremo:* ergo ſicut eccleſia continet directe gladium ſuperiorem, et poteſtatem ſpiritualem, ita ut temporalem inferiorem ſub illa contentam, illique ſubordinatam, per quam dirigitur, ac reducitur.

XIII. Et hinc recte reſpondetur 1. ad Per. de man. reg. d. prælud. 2. n. 6. contendentem, quod Summus Pontifex, quando utitur remediis temporalibus ad finem ſupernaturalem, tunc non utatur indirecte poteſtate temporali, ſed ſua ſpirituali directa; nam cum ipſi politica ſubordinetur, quando media temporalia aſſumit ad ſuum finem, non indirecte temporalem, ſed directe ſpiritualem exercet, ſumptis mediis temporalibus. Et pro hac intelligentia, atque explicatione citat Soar. adv. Angl. err. l. 3. c. 32.

Sed contra, 1. quia ibid. dicit id. Per. cum communi, *utraque poteſtas, ſpiritualis et temporalis, ſeparatæ et diſtinctæ ſunt:* ergo exercitium directum iſtius nequit ab illa directe et immediate prodire. Contra, 2. quia ſi poteſtas temporalis, et politica, ut inferior, continetur in ſpirituali, ut ſuperiori, et eminentiori, de quo idem Per. n. 2. cur iſtud directum exercitium illius, non immediate ab eadem, ut contenta in prima proveniet, ſicut directum exercitium ſpirituale primæ, ſecundum continentis, ab ea immediate provenit? Unde reſpond. Rectius, et expeditius, imo et intelligibilius diſcurri, dicendo, illud directum exercitium temporalis poteſtatis immediate ab ea, ut contenta in ſpirituali, tunc procedere. Quod ulterius probatur ex ratione Verricell. d. q. 182. n. 253. quia ſimpliciter denominatio fieri debet à ſpecie ſubſtantiali, ac primaria: unde cum actus exterior non ſumat ſpeciem moralem primariam à fine extrinſeco operantis, ſed ab intrinſeco; ſic actus illius juriſdictionis, qui à fine intrinſeco temporali, et politico regulatur, et à fine extrinſeco ſpirituali, dicetur utique actus juriſdictionis temporalis ſimpliciter.

XIV. Reſp. 2. ad præcipua contrariæ ſententiæ argumenta, quorum primum eſt, Chriſtum Dominum nunquam temporalem hanc poteſtatem exercuiſſe directe, vel indirecte. Secundum illud ejuſdem Domini effatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Tertium diſpoſitio extr. *Meruit* de privileg. à Martino V. in favorem Philippi regis Francorum editæ, qua abrogatur, ſeu moderatur diſpoſitio, ſeu declaratio extr. *Unam Sanct.* de major. et obed. ubi ſic habetur. *Nos regi, et regno, per definitionem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ octavi prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Unam ſanctam, nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari: nec quod per illam rex, regnum, et regnicolæ prælibati, amplius eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quam antea exiſtebant: ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad eccleſiam, quam etiam ad regem, regnum, et regnicolas ſuperius nominatos.*

Reſpondetur igitur ad primum, negando aſſumptum juxta ſuperius dicta, n. 6. Ad ſecundum, illud adjectivum poſſeſſorium *meum*, clare indicare, Chriſtum Dominum ibidem loqui de regno, quod eſt proprie, et primario, *ſuum*, beatitudinem ſupernaturalem pro fine reſpiciens, videlicet, poteſtas, ac juriſdictio ſpiritualis; non tamen per hoc negare poteſtatem etiam temporalem, ſaltem in habitu, apud ſe reſidere, ipſomet atteſtante: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, et in terra.* Et ipſomet Deo per David eidem dicenti: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſ. 2. *Et dabit illi Dominus ſedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob.* Luc. 1. Poteſt etiam 2º reſponderi: Non dixiſſe Chriſtum, *Non eſt in hoc mundo:* ſed *de hoc mundo:* utrumque namque regnum Chriſti ei à Patre provenit: *Omnia tradita ſunt mihi à Patre meo,* Matth. 11. *Poſtula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* Pſ. 2.

XV. Ad tertium reſp. 1. Cum Per. cit. d. prælud. 2. n. 2. d. extravag. *Unam Sanct.* non eſſe abrogatam per poſteriorem *meruit*; neque in hac legitur clauſula, vel particula aliqua prioris abrogatoria, ſed tantùm explicativa, atque declarativa. Reſp. 2. extravag. *Meruit*, ſolum declarare per priorem *Unam ſanct.* nullum regi Francorum præjudicium generari intentum fuiſſe; neque novam ſubjectionem illi, et regno, ſuper antiquam imponere. Cum autem jam antea reges, et regna Summo Pontifici ex Chriſti Domini ordinatione, et commiſſione utriuſque poteſtatis Petro, et reliquis apoſtolis; ſpiritualiter, et temporaliter erant ſubjecti: ſequitur extravag. *meruit*, potius in confirmationem, quam in redargutionem adduci.

XVI. Adverte tamen, quod licet communiter Theologi hanc juriſdictionem indirectam tantùm Summo Pontifici tribuant, quos ſequitur Verricell. attamen ipſe copioſum ſcholium adducit quamplurimorum Theologorum graviſſimorum pro hac directa juriſdictione ac poteſtate in eodem Pontifice pugnantium. tr. 13. q. 182. n. 35. videlicet, Alex. de Ales in ſum. 4. p. q. 10. § 2. in verb. *Pro Rege noſtro*, et 3. p. q. 40. num. 5. Hugo. de Sancto Victore, 3. p. operum de *Sacramentis*, l. 2. p. 2. c. 4. Sanctum Bonavent. in 4. diſt. 37. in expoſit. litteræ dub. 4. et in lib. de *Eccleſiaſt. Hierarch.* p. 2. et opuſculo *de auctoritate* Pap. Auguſtinum Triumphum, in ſum. *de poteſtate Eccleſiæ*, q. 1. art. 1. Alvarum Pelag. lib. 1. *de planctu Eccleſiæ*, c. 13. Henricum Gandavenſem quodlib. 6. q. 23. ubi ait *de jure divino, et naturali, ſacerdotium ſupereminet imperio, et penes ipſum reſidet jure divino, et naturali, utraque juriſdictio, et ſuper ſpritualia, et ſuper temporalia, et ſimiliter ejus immediata executio.* Ita Henricus de Gandavo, qui immerito citatur ab aliquibus pro contraria opinione. S. Antonin. in ſumm. p. 3. tit. 22. c. 5. § 17. Gabriel Biel. in canon. miſſæ, lect. 23. Carthuſianus in 2. ſent. diſt. 44. q. 5. Ægidius Romanus l. 6. *de poteſtat. Eccleſiæ*, c. 7. Tartaretus in 4. diſt. 18. q. unica. Mayronus in 4. diſt. 19. q. 4. Ferrarienſis lib. 4. contra gentes, cap. 76. Sylveſter verbo *Papa*, q. 7. et 10. et verbo *Legitimus*, q. 4. Caſtro *del. pœnali*, lib. 2. fol. 16. et *de juſta hæreticorum punit.* l. 2. c. 23. Alexander Peſantius *de poteſtate Pontificis* diſp. et 2. Rodericus Sancius epiſcopus Zamorenſis, lib. *de origine*,

ne, et differentia principatus, p. 1. in fine. Alexander de Sancto Elpidio, lib. *de potestate Ecclesiæ*, c. 6. Comitolus in Apologetico, c. 3. per totum. Celsus Hugo, tra. *de jurib. Principatuum*, lib. 3. c. 1, et 2. Pisanus in sua summa, verbo *Dominium*, c. 5. Beatus Joannes à Capistrano, tra. *de auctorit. Papæ*, p. 1. 2. partis, n. 4, et 5. Turrecremata, tra. *de auctorit. Papæ et Ecclesiæ*, et in c. *Ad verum*, 96. dist. Jacobatius de Concilio, lib. 10. art. 8. Joan. Selestadinensis in quadrivio, p. 1. Almainus *de potestat. Ecclesiæ, et Sæculari*, p. 1. c. 9. Lelius Zechus in tra. Theolog. loco 5. Thomas Bozius *de temporali Ecclesiæ Monarchia*, lib. 1. c. 1. fol. 13. et c. 23. et *de jure status Eccles.* lib. 2. c. 9, et seq. et *de Italiæ statu* adversus Machiavel. lib. c. 5. *de Ruinis gentium*, lib. 1. c. 18. et *de signis Ecclesiæ*, lib. 17. c. 3. lib. 18. c. 1, et 2. Seraphinus Treitas *de Imperio Asiatico*, c. 6. et hinc clare deduces, hanc fuisse communissimam opinionem antiquorum Theologorum, licet contraria sit hodie communis inter neotericos.

XVII. *Dico*, 3. Cum Oliv. d. q. 2. n. 38. Navarr. in c. *Novit.* not. 6. Molin. de just. et jur. tr. 2. d. 29. et aliis ab eodem laudatis, *non solum posse Summum Pontificem*, ait Oliv. *in ordine ad bonum spirituale, contra principes Christiani orbis, suosque ministros, et quascunque alias personas particulares, uti gladio spirituali, et materiali; sed etiam episcopos, et alios ministros ecclesiæ inferiores, qui similiter contra principes, et ministros sæculares, juxta et intra terminos suæ jurisdictionis, in ordine ad bonum spirituale, et ecclesiasticum ministerium, quoties opus fuerit, procedere.* Accedit Verricell. de Mission. tt. 13. q. 182. f. 17. n. 251. ubi hanc potestatem appropriat etiam cuilibet prælato habenti jurisdictionem spiritualem in foro externo; quod probat ex Trid. ses. 25. c. 3. de Reform. Cirin. nex. rer. c. 1. n. 42.

Prob. 1. ex tex. in can. *Duo sunt*, 96. d. in fin. ibi: *Regum colla, et principum submitti genibus sacerdotum.* Et ex procedimento D. Ambrosii adversus Imperatorem Theodosium ibid. Prob. 2. ex c. *In singulis*, § *Ad hoc*, de statu Monachor. *Præcipimus tam Diœcesanis, quam personis, quæ præerunt capitulis celebrandis, ut per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant advocatos, patronos, vicedominos, et consules, magnates*, &c. *Ne monasteria præsumant offendere in personis, aut rebus: et si forsan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant.* Quam quidem compulsionem, et compescentiam, nedum per gladium spiritualem censurarum, sed et per materialem, seu temporalem posse fieri, tenet Oliv. d. n. 38. quod et confirmari potest ex tex. in c. *Dilecto*, c. *Venerabilibus* de sent. ex com. in 6.

Prob. 3. ex c. *Omnes* de Major. et obed. et ibi: Abb. n. 2. ex c. *Si Imperator*, 11. 96. d. et ex c. *Novit.* de judic. et ibi Abb. et reliqui DD. ubi dicitur, etiam reges et principes teneri obedire episcopis; ubi idem Abb. in d. c. *Novit.* n. 8. ait, *quod principes sæculares non solum episcopis, sed presbytero parochiali in spiritualibus subjiciuntur.*

XVIII. Prob. 4. quia quilibet episcopus in sua diœcesi habet eandem potestatem, quam Summus Pontifex in universo orbe, ex jure divino, ut tenet Gasparr. inst. can. tt. 4. c. 5. n. 180. Cum pluribus aliis signanter Barb. de pot. ep. alleg. 1. p. 1. Deluc. de jurisd. d. 14. n. 4. Cæsar. Hierarch. eccles. p. 1. d. 6. § 4. Soar. de leg. 1. 6. c. 14. Sot. de just. l. 10. q. 1. a. 3. ex c. *Ad honorem*, de auct. et us. pall. et ex c. *Novit.* de judic. Vide etiam Henriq. in sum. l. 10. c. 33. et infr. variis locis; et concessa jurisdictione, conceduntur omnia, sine quibus ea exerceri nequit, l. 2. ff. de jurisd. omn. judic. c. *Præterea*, ubi Barb. de offic. de leg. late ad rem Anguian. de legib. to. 1. l. 2. contr. 17. n. 22. atqui sola potestas coercendi per censuras, est insufficiens contra protervos, et contumaces, ac gravissima perpetrantes delicta: deinde causa temporalis, v. g. successionis regni, evadit spiritualis, quando adjicitur periculum catholicæ fidei: ergo, &c. Ita Verricell. cit. n. 252.

XIX. Hinc infert Oliv. 1. n. 43. posse prælatos ecclesiasticos, et eorum visitatores jubere parochianis, vel iis, qui ad id jure tenentur, ut faciant vias aptas ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum infirmis deferendum, etiamsi aliquod temporale præjudicium alicui eveniat.

Infert, 2. n. 44. posse etiam compellere populos ad alicujus parochiæ erectionem, juxta tex. in c. *Ad audient.* de eccles. ædific. et ex Trid. sess. 21. c. 7. de reform. de quo videndus in specie Covarr. l. 3. Var. c. 4. et Valasc. tom. 1. cons. 22. qui addunt, idem observari debere circa reparationem ecclesiarum parochialium constructarum.

XX. Infert, 3. posse Summum Pontificem concedere principibus Christianis jus debellandi et occupandi regna et principatus infidelium impedientium publicationem evangelii in suis regnis ac provinciis: Quocirca adducit doctrinam Seraphin. de Freitas *de justo imper. Lusitan.* c. 9. n. 7. et Cabed. p. 2. dec. 47. à n. 1. asserentium, *ex hoc fundamento sustineri, et intelligi debere Bull. Alex.* VI. *inter cætera a.* 1443. *in qua Indias et Insulas Occidentales regibus Hispaniæ et Portugalliæ donavit ac divisit.* Vid. Oliv. d. q. 2. et Verricell. d. q. 182. sess. 3. ubi alia plura scitu dignissima inferunt consequenter; et consule etiam Joan. Palatio in sua *Monarchia Occident.* sive *Aquila inter Lylia*, c. 6.

XXI. Hic tamen cum eod. Verricell. maxime animadvertendum est, n. 13. q. 182. sess. 3. id recta via fieri non posse ante prædicationem evangelii, aut ante ejusdam repulsam: quo circa affert, n. 4. decretum insignis consessus theologorum et juristarum Valisoleti ex mandato Caroli V. an. 1552. ad instantiam illustrissimi ac venerabilis episcopi Chiapensis Fr. Bartholomæi *de las Casas* (fulgentissimi ordinis prædicatorum syderis, et primæ magnitudinis beneficæ stellæ) congregati: in quo, communi calculo, decisum est, *illicita esse bella contra Indos ante evangelii prædicationem.* Et hanc resolutionem expresse tenent etiam cardin. Cayetan. 2. 2. q. 66. a. 8. Sot. in 4. Sent. d. 5. q. un. a. 10. Victor. Relect. 1. de Indis, n. 30. Valent. to. 3. d. 1. q. 10. pu. 7. Banes 22. q. 10. a. 10. dub. 4. cl. 5. Bellarm. de Rom. Pontif. c. 2. Soar. de Fid. d. 18. ses. 1. Salas de Legib. d. 7. ses. 4. n. 31. Delug. de Fid. d. 19. f. 2. § 2. n. 102. Aug. Barb. de Ep. p. 1. tt. 3. c. 2. n. 41. et alii plures laudati à Verricell. ibid. n. 15. sed de hoc fusius infra, prælud. 5.

XXII. *Dico tandem:* Hæc potestas temporalis in Summo Pontifice, licet directe resideat, non est tamen in eo in actu, sed in habitu, et potentia. Ita præter citatos AA. Salg. de Reg. Prot. p. 1. c. 1. prælud. 3. Bobad. polit. l. 2. c. 17. n. 10. ubi refert ex Bald. damnationem Dante contrarium asserentis. Peg. tom. 3. ad ord. lib. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. Raynald. tom. 4. suppl. 5. ad c. 1. n. 73. Sesse de inhib. c. 9. § 3. n. 6. Carleval. de Judic. Minn. in basi pontif. jur. tr. 2. f. 1. q. 6. §. 4. f. 10. Menoch. de Imper. et pot. ecclesiastica, et sæculari. Prob. quia distinctæ sunt potestates, spiritualis tradita prælatis ecclesiasticis, et temporalis communissima principibus sæcularibus, ex cit. can. *Duo sunt*, 96. d. et can. *Solitæ* de major. et obed. Atqui quamvis in primitiva ecclesia utraque potestas foret in actu apud ecclesiam, et ejus prælatos, ut in c. *Quicunque*, 11. q. 1. et fatetur Bobad. 1. 2. c. 12. n. 31. nunc tamen temporis potestas temporalis non nisi in habitu apud eosdem residet, qua tantum *casualiter*, et *secundario* quandoque utuntur, ratione boni alicujus spiritualis, ut habetur in extr. *Unam Sanctam* de major. et obed. et in c. *Per venerabil.* qui fil. sint legit. ergo, &c. Hic obiter observa præclaram cit. Bobad. d. n. 31. assertionem, qui esto laicus, vers. *Pues las republicas*, aperte asseverat ex Grimald. et Bertrand. quod *nunquam reipublicæ fuerunt melius rectæ, quàm cum consulta prælatorum ecclesiasticorum.*

XXIII. Quod autem antiquitus ecclesiastici causas temporales laicorum cognoscebant, ut certum supponit Raynald. cum cit. Bobad. Baron. et Tilman. ex D. Aug. ep. 147. et in Ps. 118. et ex D. Bern. ad Eugen. et illius fusam doctrinam, amplioris notitiæ gratia, hic licebit transcribere. Ait igitur Raynald. d. Supl. 5. n. 71. *Antiquitus Ecclesiastici cognoscebant causas laicorum, ut ostendit Baron. Annal.* lib. 1. anno Christi 57. *num.* 36. *ad* 41. fol. mihi 426. ubi *verba D. Pauli, et plurium sanctorum Patrum sententias affert, et comprobat pluribus Tilmannus Brendebachius*

in

in Anthyperaſpiſte pro vera componendorum eccleſiæ diſſidiorum ratione contra Smidelinum lib. 2. cap. 16. pag. 138. qui affert legem Imperatoris Theodoſii relatam in cap. Quicunque 11. quæſt. 1. cujus verba ſunt:

XXIV. *Quicunque, litem habens, ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragetur, ad epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur. Omnes itaque cauſæ, quæ prætorio, vel civili jure tractantur, epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur, nec ulterius liceat retractari negotium, quod epiſcoporum ſententia deciditur,* &c. Subdit Tilmannus ibid.

XXV. *Hæc ſiquis antiquata contendat, quia in Juſtiniano codice non inveniuntur iſta inſerta, per Carolum Magnum renovata cognoſcat, qui in ſuis capitularibus ſic ait inter cætera: Volumus, atque præcipimus, ut omnes noſtræ ditioni ſubjecti, tam Romani, quam Franci, Alemani, Bavari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Friſones, Galli, Britones,* &c. *quocunque legis vinculo videantur adſtricti, vel conſuetudinario annexi more, hanc ſententiam, quam 17. Theodoſius,* c. *videlicet* 11. *ad interrogata Blanii Ducis, quam illi, et omnibus per ſcripturam miſimus, et inter noſtra capitula pro lege tenenda, conſulto omnium fidelium noſtrorum, poſuimus, pro lege cuncti perpetua teneant, id eſt, quicunque litem habens, ſive petitor,* &c. uti ſupra ex Theodoſ. retulimus.

Ex his arbitror luculenter conſtare, antiquiſſimum eum eſſe in eccleſia morem, ut eccleſiaſtici primates etiam civilium judiciorum adminiſtrandorum poteſtatem habeant; quo etiam præclara illa Conſtantini Magni Imperatoris ſententia referri poteſt, qua ad epiſcopos Concilii Niceni uſus eſt: Deus, inquit, conſtituit vos ſacerdotes, et poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: et ideo nos à vobis recte judicamur, &c.

Quod ſi hæc non ſatisfaciunt Smidelino, audiat, quid de beatiſſimo illo Præſule D. Auguſtino ſcribit Poſidonius: Interpellatus, inquit, *Beatus Auguſtinus à Chriſtianis, vel à cujuſcunque ſectæ hominibus, cauſas audiebat diligenter, ac piè.* Et paulo poſt: *et eas aliquando uſque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, ſemper tamen noſcebat, et dirimebat.*

XXVI. Et § immediate ſequenti affert verba ejuſdem D. P. Aug. id ipſum de ſe affirmante, de oper. Monachor. c. 26. et ep. 147. dicens *tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo procidendis:* quæ etiam verba per formalia tranſcribit Verricell. infr. cit. adducens alia ſimul cum exemplis SS. Ambroſii, Gregorii Thaumaturgi, Syneſii, et aliorum. Unde addit Verricell. de Miſſion. tr. 13. q. 182. f. 17. § 8. n. 459. quod deficiente legitimo judice, quod ſæpe contingit in novo orbe, ad eccleſiam ſpectat quodcunque judicium, etiam de temporali cauſa: et probat, 1. ex illo 1 Cor. 6. 2. ſecundum expoſitionem D. Chryſoſt. hom. 16. ind. c. et D. Aug. locis cit. *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? * Neſcitis quoniam angelos judicabimus? Quanto magis ſæcularia? * Sæcularia igitur judicia, ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Et hanc opinionem, quoad Indias, et regiones alias remotas, amplectitur expreſſe Bobadill. polit. l. 2. c. 17. n. 108. Cum Abb. in c. licet *ex ſuſcepto*, n. 9. de for. comp. Marant. 4. p. d. 11. n. 11. Greg. Lop. Humad. Per. et aliis.

XXVII. Prob. 2. ex ipſo naſcentis eccleſiæ exordio, quo etiam laicorum cauſæ ad epiſcopum deferebantur, quod et ſtatuerunt Clem. Rom. lib. 2. Conſt. c. 47. et in ep. ad Jacob. fratrem Domini. Anaclet. Pap. ep. 1. Alex. 1. ep. 2. Marcellin. ep. 3. ad epiſc. Orient. relatus in c. *Quæcunque* 11. q. 1. quæ quidem pariformiter ſtatuerunt, nedum Theodoſius Imper. l. 1. § *Quicunque*, de epiſc. audient. cod. lib. 16. ſed et Carolus Magnus Imper. in ſuis Capitular. l. 6. c. 271. ut refertur in c. *Quicunque* 35. c. *Omnes*, 36. c. *Volumus*, 37. 11. q. 1. Imo Ulpianus, quamvis ethnicus, ſentit, *juſtitiæ miniſtros ſacerdotes merito appellandos*, in l. 1. ff. de juſt. et jur. *etenim ſacerdotis eſt, exterminare vitia, fovere virtutes*, &c.

Probat etiam ratione, 1. quia ſpiritualis poteſtas eccleſiæ ſaltem indirectè extenditur ad quæcumque temporalia, exigente bono ſpirituali; quod equidem id exigit, deficiente legitimo judice. Et confirmat ex D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3. ad 3. ibi: *Poteſtas temporalis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ; et ideo non eſt uſurpatum judicium, ſi ſpiritualis prælatus ſe intromittat de temporalibus.* Quod tamen intelligendum, ait Verricell. *deficiente judice laico.*

XXVIII. Prob. 2. ex doctrina Butr. in c. *Ex ſuſcepto* de for. compet. et in c. *Novit.* de judic. et ex communi DD. placitu, eo quod hæc poteſtas temporalis, in ſpirituali, ut ſuperiori, contineatur, et penes eccleſiam, ſaltem in habitu, reſideat; et quamplurima adducit exempla, et DD. authoritates: ibidem per otium videndæ: an. 461.

Denique d. f. 17. n. 466. oppoſitas opiniones de ſucceſſione Summi Pontificis in juriſdictione, vacante quolibet regno, aut principatu, non ſolum de plenitudine poteſtatis, ſed de jure communi, ex c. *Ex ſuſcepto*, de for. comp. ſic Verricell. ibid. ita conciliandas putet: *Vacante regno, dico, non poſſe recurri ad Papam, niſi ex defectu adminiſtrationis juſtitiæ, cùm deeſt ſuperior, ad quem appelletur. At vacante imperio, ſimpliciter poteſt ad ipſum appellari, non ſecus, ac ſi appellaretur ad imperatorem, quia in juriſdictione imperii ſimpliciter ſuccedit, et per ſe; non per accidens, ſicut in regno, ratione defectus adminiſtrationis juſtitiæ; ut patet ex Clement. Paſtoralis, de ſententia, et re judicata, et extravaganti Joannis* XXII. *ubi excommunicat eos, qui vicarios imperii appellabant. Quare male Auſrerus, tract. de poteſtate eccleſ. ſuper laicos, docuit, quod non recurritur, vacante imperio, ad Papam, ſed expectandus eſt ſucceſſor, ne turbetur juriſdictio imperialis, niſi in caſu, quo injuſte oppreſſus non haberet ſuperiorem, ad quem recurreret; male, inquam, loquitur, et ſine fundamento; quia, vacante imperio, eandem juriſdictionem habet Papa, ac habebat vivens imperator; prout habetur in dicta extravagant. Joannis* XXII.

XXIX. Raynald. autem d. ſuppl. 5. ad c. 1. n. 99. ait, quod, quamvis controverſia ſit inter DD. *An Summus Pontifex, ſicut habet ſupremam poteſtatem in ſpiritualibus, illam habet etiam in temporalibus, ut videre eſt penes Duarenum, qui in tract. de Sacr. Eccleſ. Miniſter. cap. 4. illam habere negat, et penes Martam, qui cum majori, et meliori, et juridico fundamento in tract. de Juriſd. par. 1. cap. 17, et ſeqq. illam omnimodam habere firmat, et nos diximus hic, num. 71.*

Nihilominus concedunt omnes, Pontificem habere poteſtatem ſupremam in temporalibus habitualiter, et virtualiter in ordinem ad bonum regimen, et gubernium eccleſiæ, et finem ſupernaturalem, ut dicunt Anaſt. Germon. de ſacr. immun. lib. 3. cap. 13. per tot. Pereira de man. reg. par. 1. prælud. 2. num. 9, et 12. Cevall. com. contra com. quæſt. 739. ad finem. Bovadilla politica, lib. 2. cap. 17. num. 6. Anguian. de Legib. lib. 2. contr. 17. num. 29. Morla empor. jurit. 2. quæſt. 4. num. 9. Bellarmin. de Romano Pontifice, lib. 5. cap. 1. 4. 6. Aufret. de poteſt. eccleſ. ſuper laic. Galganett. de jure publico, lib. 3. tit. 13. num. 7. Peregrin. de jure fiſci, lib. 1. tit. 2. num. 30. Salgad. de regia protect. par. 1. cap. 1. prælud. 1. num. 55. Seſſe in epiſtola ad Regem in initio deciſ. tom. 2. num. 9. et in deciſ. 425. num. 11, et ſeqq. tom. 4. et in tract. de inhibit. cap. 8. part. 1. in princ. Remieres de Lege Regia, § 2. num. 44.

Et ibid. n. 72. ait, *quod cum hodie etiam habitu remaneat penes eccleſiam hæc juriſdictio, ut ait Seſſe de inhibit. cap. 9. § 3. num. 6. ſequitur quod per acquieſcentiam in judicem eccleſiaſticum ſit prorogatio, quia quælibet res de facili revertitur ad ſui naturam, cap. ab exordio* 35. diſt. l. *Si unus*, § *pactus*, *ff. de pactis*, *et hoc ex Azavedo recopil. lib. 4. tit. 1. l. 11. num. 16. aſſerit Seſſe loco citato, et ex Oltrado, Carleval. Bellect. et Sanches, firmat D. Fernandes de Minnano d.* § 4. *num.* 80. Imo per ſeipſam, addo et ego, facile poterit hæc juriſdictio in actum tranſire, et ad actum ſecundum reduci ex accidenti, ſive ex accidentali occaſione, ex motivo ſpirituali illius juriſdictionis exercitium

citium suadente, juxta tex. in c. *Per venerabil.* qui fil. sint legit. ibi: *Temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.* Nota adverbium *casualiter*, quod idem valet atque *ex casu fortuito*, atque *accidentali*, sive *ex contingenti occasione.*

XXX. Denique pro uberiori super hac re intelligentia, et utriusque jurisdictionis distinctiori notitia, hic tandem subnectere et transcribere licebit verba superius insinuata ubert. de citation. c. 4. n. 4. ibi: *Ex jure gentium discretæ: sunt gentes, dominia distincta, et regna condita, lex hoc jure, ff. de just. et jur. Et de publico introducta est jurisdictio, et potestas, cum necessitate juris dicendi, et æquitatis statuendæ, l. 1. juncta gloss. ff. de jurisd. omn. judic. Lata lege regia, populus in principem transtulit omne suum imperium, omnemque potestatem, l. 1. ff. De constit. princ. Habuit enim imperator jurisdictionem à populo immediate, mediate autem à Deo, cap. Legimus, 92. distin. ibi, quomodo si exercitus imperatorem facit, licet omnis potestas à Deo sit, et cap. Quid culpatur, 22. quæst. 1. ibi non habet quisquam potestatem, nisi desuper datam; non enim est potestas, nisi à Deo, sive jubente, sive sinente, et cap. Audacter, 8. quæst. 1. ibi, non semper principes populi, et ecclesiæ judex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt.*

Et n. 65. sic prosequitur: *Quantum autem ad sacerdotium, et potestatem ecclesiasticam, quando Deus voluit educere Hebreos de manu Ægyptiorum, vocavit ad se Moysen, et illum fuit allocutus, jussitque, ut populum duceret ad sacrificandum, et sibi velut in coadjutorem adjungeret Aaron: sic legitur Exodi cap. 10. Deum dixisse Moysi, Loquere ad Aaron, et pone verba mea in ore ejus, et ego in ore tuo, et in ore illius; et ostendam vobis, quid agere debeatis: ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu autem eris ei, in his, quæ ad Deum pertinent.*

Et sicut in veteri testamento sacerdotium immediate processit à Deo, ita et in novo potestas ecclesiastica processit immediate à Christo Filio Dei, Salvatore nostro, Matth. 16. F. t. ita legimus in cap. In novo, 21. dist. In novo testamento post Christum Dominum nostrum à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt edversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum. Hic ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit, prout etiam legimus in cap. Fidelior, 50. dist. Petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tanquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagem molemque contineat.

Hinc recte dicimus potestatem ecclesiasticam, non à publico, non à populo, non à filius hominum, sed à Deo, à Christo Filio Dei, immediate provenisse; Bald. in l. Imperium, n. 4. ff. Jurisd. omn. jud. dixi in legal. congress. 5. Congressu, n. 1. fol. 173.

Hinc etiam dixit Imperator in § 1. auth. quomodo oporteat episcop. Maxima sunt in omnibus dona Dei à superna collata clementia, sacerdotium, et imperium: illud quidem ministrans divinis, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno eodemque principio utramque providentia humanam exornant vitam. Hæc Ubert. cit.

XXXI. Et quamvis Petrus de Marca, dum præsidis sæcularis munere in supremo Navarræ parlamento fungebatur, librum edidisset de *Concordia Sacerdotii, et Imperii*, antequam ad episcopalem dignitatem à Ludovico XIII. Galliarum Rege eveheretur anno 1613. de quo controversia nota fuit Romæ, ac si libertati ecclesiæ in quibusdam capitibus adversaretur; attamen, ut asseritur in schedula illustrissimi cujusdam, Romanis porrecta, et Barcinone edita ann. 1646. in prologomen. ap. ipsum: *Libellum Barcinone Marca publicavit, quo editionis suæ consilium explicat, quod in colenda et augenda Romanæ Ecclesiæ dignitate præcipue versatur. Deinde opus integrum ejusdem ecclesiæ, et Innocentii X. Summi Pontificis censuræ submittit, et principes custodes canonum esse docet, non autem authores: Quidquid vero præter canonum et decretalium mentem in Gallia circa res ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis apostolicis, non autem mero jure regio, ut quidam autumabant, Marcæ persuasum esse. Hunc libellum, eo proposito, typis mandari curavit, ut publica esset doctrina, quam in hac parte sequitur professio; ita ut siquem dissertationum ejus editio læserat, hujus libelli editione curaretur.*

PRÆLUDIUM IV.

De Utriusque Jurisdictionis reciproco Auxilio, atque mutuo Coadjuvamine.

SUMMARIUM.

I. *Utraque jurisdictio, ecclesiastica, et sæcularis, sibimet reciproce auxiliari debent.*
II. *Qua tamen differentia, ex Oliva.*
III. *Potestas spiritualis et nobilior et dignior est temporali.*
IV. *Temporalis potestas claritatem mutuatur à spirituali; et canones altiores sunt legibus sæcularibus, nec spiritualis potestas temporali subjici valet.*
V. *Quoad modum auxilii præstandi, concedendæ sunt leges municipales; quod tamen regia ordin. vetat conferri judicibus apostolicis.*
VI. *Judex eccles. potest per censuras sæcularem compellere ad requisitum auxilium sibi præstandum; non tamen econtra.*
VII. *Judex sæcularis auxilium ab ecclesiastico non obtinens non debet recurrere ad sæcularia tribunalia, sed ad superiorem prælatum ecclesiasticum.*
VIII. *Limitatur ex Pereira.*
IX. *Dispositio regiæ legis pro auxilio judicibus ecclesiasticis conferendo, est jurisdictioni ecclesiasticæ omnino favorabilis, et minimè inhibitiva vel deminutiva.*
X. *Confirmatur ex ead. ordinat.*
XI. *Nusquam in jure legitur, auxilium à judicibus ecclesiasticis petendum ex necessitate, sed ex subsidio, ac libertate, pro libitu illorum.*

I. CERTUM est, 1. utramque jurisdictionem sibimet reciproce auxiliari debere. Et prob. quia licet præfatæ potestates distinctæ sint in lege gratiæ inter fideles; tamen quodammodo veluti unum corpus efficiunt. Unde, quoties opus fuerit, sese mutuo coadjuvare debent, ad exemplum auxilii, et coadjuvaminis reciproci ipsarummet partium corporis physici. Ita Oliv. de for. eccles. d. q. 2. n. 24. Ses. lib. 1. decis. et in ep. ad Regem, n. 23. Cevall. de cogn. per vi. viol. in prolog. Per. de man. reg. d. prælud. 2. et c. 52. Delbene de immunit. 1. p. c. 9. dub. 31. n. 12. ex jurib. infr. cit.

Quod autem principes sæculares debeant ecclesiam adjuvare, probat Oliv. ex c. *Principes*, 23. q. 5. econtra vero de adjutorio ecclesiæ erga principes sæculares, probat ex c. *Venerabil.* de elect. ex Clem. *Pastoralis*, de re judic. et ex c. *Licet*, de for. compet.

II. *In hoc tamen est differentia*, prosequitur Oliv. n. 25. *quia licet spiritualis potestas cogere possit temporalem, ut auxilium præstet, quia superior, et dignior, ut infra statim probabimus; temporalis tamen cogere*

non poterit ſpiritualem, quia ſubordinata, et inferior. Caſtro de manu regia, dicto præludio 2. num. 14.

Et n. 26. ſic infert: *Ex quibus deducitur: Utramque poteſtatem intra ſuos debere limites contineri, non poſſeque ſuos tranſgredi terminos, neque unam aliam perturbare, probatur ex earum diſtinctione, et ex citato capit. Cum ad verum, 96. diſtinct. ubi, Cum ad verum ventum eſt ultra ſibi, nec imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum uſurpavit, cap. Si nos incompetenter, 2. quæſtione 7. textus in cap. Cauſam, quæ 2. qui fil. ſint legitim. ibi, Ne videamur juri Regis Angelorum detrahere, ubi Panorm. et alii, et in cap. Novit, ibi, Non putat aliquis quod juriſdictionem illuſtris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cum ipſe juriſdictionem noſtram nec velit nec debeat impedire, ubi etiam Doctor. et poſt eos illationem tenet Navar. ibi notab. 3. num. 23. Azeved. lib. 4. novæ recopilat. tit. 4. leg. 11. num. 10. Decian. tom. 1. lib. 4. cap. 11. Molin. de juſtit. et jure, tractat. 2. diſputat. 29. in prima, et ſecunda concluſione.*

III. Certum eſt, 2. Poteſtatem ſpiritualem nobiliorem et digniorem eſſe temporali, quemadmodum ſpiritus dignior et nobilior eſt corpore, et finis ſpiritualis ſupernaturalis fine naturali temporali et caduco. Unde cit. can. *Duo ſunt*, 96. d. ibi: *Duo ſunt quippe, imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: authoritas ſacra pontificum, et regalis poteſtas. In quibus tanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum, in divino ſunt reddituri examine rationem . . . . . Honor et ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, et principum diademati; longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla et principum ſubmitti genibus ſacerdotum, et, oſculata eorum dextera, orationibus eorum credant ſe communiri.*

Et cit. can. *Solitæ* de major. et obed. ibi: *Quod autem ſequitur, regi, tanquam præcellenti: Non negamus quin præcellat imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia: ſed Pontifex in ſpiritualibus antecellit: quæ tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori . . . . Præterea nôſſe debueras, quæ fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præeſſet diei, et luminare minus, ut præeſſet nocti: utrumque magnum: ſed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt, univerſalis eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, et regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus, major eſt: quæ vero carnalibus, minor: ut quanta eſt inter ſolem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoſcatur. Hæc autem ſi prudenter attenderet Imperatoria Celſitudo, non faceret aut permitteret Conſtantinopolitanum patriarcham, magnum quidem et honorabile membrum eccleſiæ, juxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra parte ſedere: cum alii reges, et principes, archiepiſcopis et epiſcopis ſuis (ſicut debent) reverenter aſſurgant, et eis juxta ſe venerabilem ſedem aſſignent.*

IV. Unde concludunt, 1. Sot. in 4. diſt. 25. a. 1. Seſſe, lib. 1. in ep. n. 1. Treitas de juſto imper. Luſitan. c. 6. n. 39. Cevall. de cogn. viol. prolog. n. 2. et cum iis Oliv. d. q. 2. n. 28. *Quod ſicut luna lucem à ſole mutuatur, ſic etiam temporalis poteſtas claritatem, et diſciplinam, qua dirigitur, mutuatur et accipit ab ſpirituali.* Et n. 48. *Tanto enim altiores ſunt canones legibus ſæcularibus, quanto cœli gubernacula diſtant à terreſtribus, et quantum diſtat perpetuum à corruptibili; ut per Bald. conſ. 464. vol. 1. Rebuf. cit. n. 122.*

Concludunt, 2. Quod licet temporalis poteſtas ſubordinetur, et obedire teneatur ſpirituali in ordinem ad finem ſpiritualem, de quo D. Thom. de regim. princip. l. 2. c. 14. Soar. de primatu Roman. Pontif. c. 21, et 22. Cevall. de cog. per viol. in prol. n. 20. Per. de man. reg. prælud. 2. n. 11. Seſſ. in d. ep. n. 9. Treit. d. c. 6. n. 38. *Non tamen è converſo poterit*, proſequitur Oliv. n. 31. *ſpiritualis poteſtas eſſe temporali ſubjecta; repugnat enim hoc excellentiæ et ſuperioritati ſpiritualis juriſdictionis naturali ratione*; de qua in c. *Cum inferior, de major. et obed. Et hanc aſſertionem tenent omnes proxime citati, et prob. ex d. c. Solitæ cum ſimilibus.* Ipſum vide, ubi clare et ſolide reſpondet ad oppoſita uſque ad n. 34.

V. De modo autem et formalitate prædictum auxilium præſtandi, conſulat unuſquiſque leges municipales. Et apud noſtrates videatur ordin. reg. l. 2. tt. 8. quæ tamen, § 6. vetat omnino *auxilium judicibus apoſtolicis* conferri. Peg. ad eand. Per. de man. reg. c. 52. per tot. Coſt de ſtill. Dom. ſupplic. annot. 5. n. 38, et ſeqq.

VI. Concludunt, 3. poſſe judicem eccleſiaſticum cogere per cenſuras ſæcularem ad ſibi requiſitum brachii ſæcularis auxilium præſtandum, et illum excommunicare, ſi renuat; non tamen econtra, judicem ſæcularem adverſus eccleſiaſticum, auxilium adhibere recuſantem, procedere poſſe, ex defectu juriſdictionis, et ex ſuperioritate ſpiritualis potaſtatis. Per. Cit. c. 52. n. 32. Oliv. d. q. 2.

VII. Unde in tali caſu judex ſæcularis auxilium ab eccleſiaſtico implorans, et non obtinens, debet ad prælatum judicis eccleſiaſtici ſuperiorem recurrere, non vero ad tribunalia ſæcularia, ut tenet cit. Per. cum Villalob. in d. ærario, l. 1. n. 165. Aviles, c. 20. n. 21. et dicit communem eſſe ex Covarr. pract. c. 20. Et probatur, quia à judice eccleſiaſtico non recurritur, niſi in caſu manifeſtæ et notoriæ violentiæ, quæ nulla tergiverſatione celari poſſit, de quo infr. c. 11, uſque 14. incluſive.

In prædicta autem denegatione, quæ eſt actus mere negativus, et quamplurimis tergiverſationibus celabilis, præſertim ſi judex ſæcularis proceſſum non exhibeat, et deficiant alia requiſita, de quibus cit. Per. nec ratio notoriæ violentiæ inveniri facile poterit, neque, quando reperiretur, recurreretur ab illa, niſi ad competentem ſuperiorem eccleſiaſticum: alias corrueret commune fundamentum ſuperius ſtabilitum, videlicet, poteſtatem temporalem, utpote inferiorem, non poſſe in hac re ſpiritualem ſuperiorem cogere, de quo Oliv. cit. n. 31. vide infr. c. 38. n. 10, et ſeqq.

VIII. Addit tamen Per. cit. n. 32. *Quod ſi contingat, judicem eccleſiaſticum gladio ſpirituali diſtricto judicem ſæcularem compellere, quod brachium concedat, quando ipſe non concedendum putat, ſi contingat excommunicari, patebit ad regium tribunal aditus, juxta formam ordinationis, lib. 1. tit. 9. § 11. Dixit Cancer. lib. 2. reſol. c. 15. de liter. requiſ. num. 7. Azeved. et alii relati ab Oliban. ubi ſupra, Gartia de nobilitat. gloſ. 9. n. 33. quia non eſt compellendus injuſte obedire, ex his, quæ Oldrad. conſ. 89. Feder. de Senis, conſ. 163. et 251. Angel. conſ. 276. Farin. d. q. 97. art. 4. n. 82.*

Pro intelligentia tandem cit. ord. reg. l. 2. c. 8. § 7. ubi diſponit, quod procedentibus prælatis eccleſiaſticis per reaggravatorias adverſus aliquem, et inſtante jam ulteriori procedimento ad cenſuram interdicti, ipſis requirentibus, auxilium brachii ſæcularis concedatur, *quod quidem ordinat in gratiam prælatis eccleſiaſticis regnicolis præſtandam ac exhibendam:*

IX. Notare debes, quod ſicut per hanc diſpoſitionem, eo quod ſit *in gratiam* et *auxilium* prælatorum, et eorum juriſdictionis, non intendit lex regia eam inhibere, ſed coadjuvare, eique auxiliari et favere; ita pariformiter per diſpoſitionem tt. 9. ſequentis § 4. pro puniendis in judicio ſæculari reſiſtentiis, offenſis, ac officialibus eccleſiaſticis illatis, non intendit inhibere aut minuere poteſtatem ac juriſdictionem eccleſiaſticam, ſed eidem auxiliari ac favere. 1. Quia non poteſt juriſdictionem prælatorum, quæ à jure canonico et civili ipſis competit, in aliquo minuere, aut inhibere, cap. *Placuit*, 16. q. 7. l. *Privilegia*, cod. de Sacr. Eccleſ. auth. *Caſſa et irrita*, eod. lib. Levren. ad jus can. l. 1. tt. 2. q. 110. n. 1. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 23. n. 5. et 2. p. q. 1. et 3. per tot. *Et quod ob gratiam conceditur alicui, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, c. 61. de reg. jur.

X. 2. Quia ex eadem lege colligitur, hanc diſpoſitionem fore in gratiam, auxilium, et favorem juriſdictionis eccleſiaſticæ, et ut mandata prælatorum, prout oportet, exequantur; auxilium autem non inhibet,

hibet, neque impedit auxiliatum, sed illum coadjuvat: et similiter favor aut gratia non vertitur in deminuitionem ac detrimentum; sed potius in ampliationem; ex juribus infr. cit. et cit. c. 61. de reg. jur.

3. Quia ad summum quod hæc ordinatio voluit, fuit casum hunc mixti fori, seu mixtæ cognitionis efficere, ut bene notat Oliv. cit. n. 5. cum aliis DD. Pro casibus autem fori mixti, habet prælatus ac judex ecclesiasticus expeditam jurisdictionem, si præventione non præoccupetur à sæculari. vid. Oliv. cit. et Themud. dec. 263. Bobadill. l. 2. a. 17. n. 87.

XI. 4. Tandem, quia nusquam in jure legitur, auxilium hoc à judicibus ecclesiasticis petendum esse ex necessitate, sed ex indulgentia, facultate, subsidio, ac libertate pro libitu illorum, si necessarium ipsis videbitur. Patet ex c. *Quoniam* de offic. Ordin. ibi: *Si opus fuerit*, c. *Statuim.* de stat. reg. præl. ibi: *Si necesse fuerit.* Trid. sess. 24. c. 8. et sess. 25. c. 5. de ref. *Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.* Et quod conceditur ob gratiam, non vertitur in dispendium, præsertim, si concedatur ex motu proprio, et non ad instantiam partis, gl. in cit. c. 6. de reg. jur. Consonat jus civile videndum ap. Peg. et Barb. ad cit. ordin. et infr. c. 8. Vide etiam Monacell. p. 1. tt. 6. for. 15. et infr. alleg. 65.

Quia tamen alicubi repugnant à judice ecclesiastico apprehensos in carceribus laicis recipere et retinere, cum de jure communi carceres publici communes extent, tam pro jurisdictionis ecclesiasticæ, quam sæcularis districtis, tex. in l. *Judices*, cod. de episc. audient. et l. *Neminem*, 23. l. *Privatas custodias*, 24. eod. titulo, et toto ti. Cod. de *Custod. reor.* et signanter l. *Neminem*, ultim. *Carcer enim est locus publicus, imo et sanctus, æque, ut muri civitatis*, l. 13. ff. de custod. reor. l. 13. § 5. de re milit, et cap. *multorum.* Clem. I. de hæretic. *Statuimus, ut quilibit carcer, vel murus, quem de cætero volumus fore communem*, &c. Vide Emeyric. q. 58. et 59. Pegn. apud ipsum Bovadill. Polit. l. 2. c. 17. Molin. de auxil. brach. sæcular. Alzed. de præcell. episc. Cardos. verb. *Carcer*, et alii, et est de mente cunctorum, qui negant, posse prælatos habere familiam armatam. De quibus Peg. tom. 3. et Per. cit. et Oliv. de for. eccles. p. 2. q. 1.

Ad omnem dubietatis occasionem tollendam sereniſſimi Portugalliæ reges aliquas provisiones regias pro aliquibus diœcesibus expediri jusserunt, ut ap. Per. de man. reg. c. 52. n. 17. et signanter pro diœcesi Algarbiensi, anno 1628. Februarii 27. illustrissimo præsuli, D. Francisco Menesio, una expedita reperitur, qua jubetur omnibus sæcularibus justitiis, ut in sæculares carceres diligenter et effective recipiant, et recipi ac retineri faciant, omnes judicum ecclesiasticorum ordine districtos, ea, quæ sequitur, forma:

Regia Provisio patrio Idiomate.

EU el Rey mando atodos os corregedores, ouvidores, juizes, justiças, e officiaes do bispado do Algarve, que sendo cadahum requerido por parte de *Dom Francisco de Menezes*, bispo do dicto bispado, do meo consello, ou pelas justiças ecclesiasticas delle, e por seos ministros, recebam, e recollam, e façam recoller nas cadeas seculares dos lugares delles as pessoas, que pelas dictas justiças ecclesiasticas, e por seos ministros forem prezos; eisto Ré as ditas pessoas serem levadas ao Aljube, e carcere ecclesiastico do dicto bispado; o que huns contros assim cumpriram commuita brevidade, e diligencia, cadaves que para isso forem requeridos; por que assim o hey por bem do meo serviço; e esta valera, posto que o seu officio haja de durar mais de hum anno, sem embargo da ordenaçao do 2. livro, tl°. 4°. em contrario. Sepriamo de Figueyredo ofesem Lixboa a. 27. de Fevereiro de 1628. Pedro Sanches Farinha ofes escrever. Rey.

PRÆLUDIUM V.

De Jurisdictione Summi Pontificis, et Ecclesiæ, necnon Regum Christianorum in Infideles.

SUMMARIUM.

I. *Summus Pontifex habet jurisdictionem directam, et immediatam, in omnes baptizatos.*
II. *Et in omnes infideles non baptizatos habet directam jurisdictionem quoad compulsionem auditionis evangelii.*
III. *Quod multipliciter probatur ex S. Pagina.*
IV. *Et vel ex natura rei, vel saltem ex commissione Christi.*
V. *Infideles etiam dicuntur oves Christi conducendæ ad ovile ecclesiæ.*
VI. *Ecclesia habet directam potestatem debellandi principes infideles dure direque resistentes prædicationi evangelii, et eorum regna Christianis principibus adscribendi.*
VII. *Præcedentibus tamen septem prorsus conditionibus à Verricell. expressis, quæ transcribuntur; in quarum tamen aliquali defectu, hodie juste possidentur aliqua regna infidelium à principibus Christianis subjugata.*
VIII. *Si rex ethnicus non ejiciat prædicatores, nequit à regno dejici, neque ex hoc solo titulo, ut commodius sub catholico principe fides prædicetur, ex quinque inconvenientibus numeratis.*
IX. *Argumenta contraria soluta.*
X. *Non est recta consequentia* à non usu *inferre* non continentiam.
XI. *Habet etiam ecclesia directam potestatem in infideles principum Christianorum subditos*, 1. *Ratione peccati scandalosi.*
XII. *Tractum successivum habentis*, 2. *Ratione complicitatis.*
XIII. 3. *Ratione conformitatis.*
XIV. 4. *Ratione alterius notabilis circumstantiæ; et afferuntur exempla.*
XV. *Principes sæculares nequeunt infideles non subditos directe cogere ad fidem, et prædicationem evangelicam suscipiendam.*
XVI. *Quod infideles vero subditos probabile est, eos posse directe cogere ad suscipiendam fidem sufficienter propositam.*
XVII. *Probatur multiplici ratione.*
XVIII. *Et ex ipsamet convenientia reipublicæ.*
XIX. *Confirmatur exemplis Constantini et Theodosii imperat. et ratione patriæ curæ.*
XX. *Argumenta contraria soluta.*
XXI. *Principes Christiani possunt directe cogere subditos infideles ad auditionem fidei et evangelii.*
XXII. *Et pro diecœsi Goaana adest specialis lex coactiva ecclesiastica, et sæcularis.*
XXIII. *Probatur à ratione.*
XXIV. *Refutatur Platell. et ejus unicum fundamentum diluitur.*
XXV. *Reges Portugalliæ et Castellæ, ut delegati Summi Pontificis, habent hanc directam jurisdictionem specialiter in infideles sibi adscriptos.*
XXVI. *Principes Christiani nequeunt in terris ditionis suæ tolerare ritus gentilium superstitiosos, vel intrinsece malos.*
XXVII. *Quibus conditionibus possunt permitti Maurorum mesquitæ, et Judæorum synagogæ, non tamen in Hispaniis.*
XXVIII. *Ex Turca nusquam permittente in imperio suo ullum delubrum gentilibus, redarguitur hæc permissio in dominiis Christianorum.*

XXIX.

XXIX. *Laudatur in confirmationem Card. Delugo.*
XXX. *Tranſcribitur lex regia pro ſtatu Indico.*
XXXI. *Et corroboratur ejus utilitas pro omnibus, ex authoritatibus.*
XXXII. *Specialia inconvenientia in Hiſpaniarum Regnis contra permiſſionem ſynagogarum Judæorum.*

I. *DICO*, 1. Eccleſia, et Summus Pontifex, habet juriſdictionem ſpiritualem directam, et immediatam, in omnes hæreticos, ſchiſmaticos, apoſtatas, et omnes alios, qui baptiſmum ſuſceperunt, ut in veros, ac proprios ſubditos. Ita omnes DD. Theologi, et Canoniſtæ, nemine excepto. Prob. 1. Quia omnes præfati ingreſſi ſunt in eccleſiam per baptiſmum, utpote qui eſt janua, per quam in eam ingreditur, juxta ſanctionem Trid. ſeſſ. 14. de pœnit. c. 2. ergo illius judicio, utpote ejuſdem domeſtici, directe, et immediate, ſubjacent.

Prob. 2. Ex ipſamet praxi annuali eccleſiæ, qua per bullam in Cæna Domini directe, et immediate, excommunicantur et anathematizantur omnes hæretici, ſchiſmatici, &c. can. 1.

II. *Dico*, 2. In reliquos Infideles, Paganos, Gentiles, Mahometanos, et omnes alios, qui Chriſtiano baptiſmo intincti non ſunt, habet eccleſia, et Summus Pontifex, juriſdictionem directam ad eos compellendos ad admiſſionem et auditionem evangelicæ prædicationis in univerſo orbe. Ita præter auct. citatos expreſſe Alex. Alenſ. Hug. Victorin. D. Bonav. in 4. d. 37. Aug. Triumph. Alvar. Pelag. S. Antonin. in Summ. Henr. Gandav. Biel. Ægid. Thom. Tartaret. Boſi. Almain. Seraphin. de Treit. de *Juſto Imper. Luſitan.* ubi plures alios DD. præſertim juriſtas, copioſe citat.

III. Prob. 1. Ex illo, Luc. 14. *Compelle intrare.* Quod quidem non adeo genuine, ac naturaliter, et proprie de hæreticis intelligi poteſt, ut putant DD. opinionis contrariæ: hæretici namque, cum non ſint extra eccleſiam, ſed intra illam per baptiſmum, nequeunt proprie ad intrandum compelli: ergo intelligendum eſt de infidelibus, qui ſunt extra eccleſiam, quos ibidem *cæcos*, id eſt, luce fidei carentes, atque *debiles*, et *claudos*, id eſt, viribus gratiæ deſtitutos, et ſolis viribus naturæ nitentes, Chriſtus Dominus inducit, et hos omnes jubet, ut *compellantur intrare.*

Prob. 2. ex Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, prædicans præceptum ejus. Poſtula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ubi directum dominium, etiam temporale ſuper infideles, in ordine ad hanc fidei prædicationem, ſatis declarat. Quod quidem dominium et poteſtatem Chriſtus Dominus eccleſiæ ſuæ commiſit, ac reliquit, quando apoſtolos ad hanc prædicationem miſit, ut ex Mat. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, et in terra: euntes ergo docete omnes gentes:* et ex Marc. 16. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ.*

IV. Ergo in univerſo orbe, et in omnes gentes ac nationes, retinet eccleſia hanc poteſtatem directam, vel ex commiſſione Chriſti, ut textus probant, vel ex natura rei, ut Suar. contendit, dicens, quod poſito primo jure, aut juriſdictione docendi omnes gentes, connaturalis eſt eccleſiæ ſecunda juriſdictio, ſaltem reprimendi impedientes, l. 3. adverſ. Angl. err. c.

Prob. 3. Ex illa Chriſti traditione, aut commiſſione: *Paſce oves meas.* Quæ, ut ait Soar. lib. 1. diſp. 18. non indicat quamcunque poteſtatem, ſed juriſdictionalem, et directam, quæ primo, et principaliter, per prædicationem exercetur, in qua prædicatione et doctrina primum pabulum animarum conſiſtit, juxta illud apoſtoli, 1 Cor. 3. 1. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam:* et illud, 1 Pet. 2. *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.*

V. Et ne dubium faceret, quod Chriſtus *oves ſuas* etiam infideles, ante baptiſmi lavacrum, appellet, ipſemet Joan. 10. ſic teſtatur: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.* Ubi ſecundum communem EE. intelligentiam, aperte loquitur de infidelium converſione, et conductione ad eccleſiæ ovile, ut unicum ſub uno paſtore in univerſo orbe fiat, ut Mat. 2. 12.

VI. *Dico*, 3. Si principes infideles renuant admittere miſſionarios, et prædicatores evangelicos, aut illos repellant, vel male afficiant, aut vetent ne ſubditi fidem recipiant, aut catechumenos ejiciant, vel dure vexent, vel eos ad apoſtaſiam cogant; habet eccleſia directam poteſtatem illos debellandi, et eorum regna principibus Chriſtianis adſcribendi, ut regibus Portugalliæ tradidit Leo X. per bullam *Præcelſæ*, feliciſſimo regi Emmanueli directam, confirmatoriam alterius Nicolai V. *Dum diverſas*, Alphonſo etiam V. et alterius Callixti III. *Romanus Pontifex*, infanti Henrico expedita; ubi Pontifex Nicolaus V. d. bull. *Dudum*, ſic ait: *Tibi, et ſucceſſoribus tuis regibus Portugalliæ perpetuo applicandi, et appropriandi, ac in tuos, et eorundem ſucceſſorum uſus, et utilitates convertendi, plenam et liberam, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium, concedimus facultatem; eandemque regiam majeſtatem tuam rogamus, requirimus, et hortamur attente, quatenus virtutis gladio præcinctus, ac forti animo præmunitus pro Divini nominis augmento, fideique exaltatione, ac animæ tuæ ſalute conquirenda, Deum præ oculis habens, hujuſmodi negotio, potentiam virtutis tuæ extendas, ut fides catholica per tuam regiam majeſtatem contra inimicos Chriſti, triumphum ſe reportâſſe tranſeat, tuque coronam æternæ gloriæ, pro qua militandum eſt in terris, quamque promiſit Deus diligentibus ſe, noſtramque, et dictæ ſedis benedictionem, et gratiam exinde valeat uberius promereri.*

VII. Advertit tamen prudenter, ac juſte, Verricell. 1. cit. q. 182. ſeſ. 15. n. 206. debere omnino ad id præcedere ſeptem conditiones: 1. Ut prædicatores ſoli, ſine milite, ſine armis, eant ad prædicandum. 2. Ut à rege, aut à majori parte populi, non à privatis perſonis, ejiciantur. 3. Ut prædicatores non ſemel, aut bis, ſed ter, aut quater ejecti, aut occiſi ſint. 4. Ut ante bellum fiat proteſtatio regi infideli, quod niſi prædicatores admiſerit, bello petendus erit. 5. Ut ſit certum prædicatores ab ipſo rege, aut à majori parte populi, fuiſſe ejectos, qui ut bellum inferri poſſit, debet rex eſſe certus de juſta cauſa belli, nec ſufficit probabilitas. 6. Ut ad belli concilium adhibeantur prudentes et docti viri. 7. Ut ſine multi ſanguinis effuſione regnum ſubjugari poſſit. Ipſum vide à n. 205. uſque 215.

Advertit, 2. n. 214. Quod licet aliqua Indiarum regna injuſte, et contra expreſſiſſimas ſuæ majeſtatis inſtructiones, ſubjugata fuiſſent; tamen hodie juſte poſſidentur; tum quia nullus eſt, cui reſtitui deberent: tum quia eſſet contra catholicæ fidei bonum dare iis populis licentiam, ut alium ſibi regem eligant. Ita optime probat Solorzanus de jure Indiar. tom. 1. lib. 3. cap. 5. et Corduba in quæſtionar. lib. 1. q. 57. dub. 6. verſ. *Quod ſi.*

VIII. Advertit tandem, n. 222. Quod quando rex ethnicus non ejicit prædicatores, liberamque ſubditis ſuſcipiendi fidem facultatem largitur, licet aliunde aliqua impedimenta fidei præciſe ex infideli regimine proveniant, tunc non poterit dejici. Et n. 224. Quod ex hoc ſolo, ut commodius fides ſub catholico principe prædicetur, non poteſt privari regno rex infidelis. Præponderant enim majora belli inconvenientia, 1. In innumeris cædibus, vaſtationibus, et excidiis. 2. Pugnat cum evangelii manſuetudine. 3. Chriſti inſtitutioni mittentis fidei præcones, tanquam agnos inter lupos, adverſatur. 4. Inde infideles obſtinatiores fiunt, nec ullum piam affectionem ad eam prædicationem habere queunt, pro qua immenſa damna, cruenta prœlia, direptiones, incendia paſſi ſunt. 5. Quia plerumque ex timore majorum malorum ficte ſacrum lavacrum ſuſcipiunt, prout narrat Zurita, annalium tom. 4. lib. 20. cap. 39. de inſula Canaria; cum enim anno 1462. rex Caſtellæ cruento ſatis prœlio ſubjeciſſet inſulam majorem, *Canariam* dictam; inſulani, ex timore, ficte ſacrum baptiſmum ſuſcepere. Igitur hæc, aliaque innumera ex bello incommoda præponderant majori commoditati dilatandæ fidei ſub catholico rege: ergo ex ſolo ethnico regimine (niſi rex omni conatu fidei ſe opponat, quamvis prædicatoribus non ejectis) non adeſt juſta cauſæ debellandi regem infidelem: ergo non habet tunc Papa authoritatem ad eum privandum ſuo regno, quippe qui ſine fidei

fidei necessitate nullam habet jurisdictionem ad auferenda regibus regna. Hæc cit. Verricell.

IX. Argumenta præcipua contrariæ opinionis facili negotio diluuntur. Primum est: *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed spiritualia sunt*, 2 Cor. 10. Secundum, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*, Mat. 22. Tertium, *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos?* Luc. 12. Quartum, c. *Inter hæc*, caus. 32. q. 3. *Sancta Dei ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem.* Quintum, Ecclesiam nunquam hac potestate temporali directa ad debellanda regna infidelium usam fuisse.

Resp. ad primum, Loqui de usu, seu actu exercito primario, et ordinario jurisdictionis ecclesiasticæ; non vero loqui de potentia, aut actu signato, atque de usu extraordinario. Ad secundum, Loqui de censu Imperatori reddendo: Sed quid inde? Imo ipsemet Imperator Papam, etiam in temporalibus, superiorem agnoscit; ab ipso enim et gladium, et temporalem recipit potestatem. Vid. Verricell. cit. loc. et Oliv. p. 1. q. 4.

Ad tertium, Loqui de non constitutione primaria, et principali, aut à potentia aliqua humana ad temporales lites decidendas. Ad quartum pariformiter, Loqui de gladio primario, et per se ab ecclesia retento, non vero de secundario, et per accidens, juxta illud in c. *Per Venerabil.* qui fil. sint legit. *Temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.* Ad quintum negatur assumptum ex superius traditis, et ex bullis superius laudatis.

X. Imo hoc etiam dato, non tenet consequentia: *Ecclesia nunquam hac temporali potestate usa est: ergo illam non habet.* Nam etiam ecclesia non utitur potestate illa, quam habet, de qua, 1 Cor. 5. *Judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis*; de qua etiam Alap. Petr. Tyræus *de locis infest.* Del Rio *de Magia:* nec etiam utitur de purgatione canonica, *per ignem, per aquam, per crucem*, &c. de quibus Del Rio ibidem; nec de potestate ad imponendam, et exequendam pœnam mortis, de qua can. *Mulier*, 15. q. 1. c. *In synodo*, d. 63. c. fin. *de pœn.* in 6. bull. S. Pii V. *Cum nihil.* Urban. VIII. *in Suprem.* Levitic. 20. Deuter. 13. Num. 25. 1 Reg. 15. Act. 5. et tamen hinc non valet inferri: ergo præfatas potestates non habet. Ergo similiter.

Constet ergo, quod sicut ex illo, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. colligitur præceptum de confitendis peccatis, et jus, quod ecclesia habet, ad omnes fideles annuæ confessioni compellendos: ita pariformiter ex illo, Mat. ult. *Docete omnes gentes*, colligi debet præceptum, et subjectio omnium gentium ad evangelicam prædicationem audiendam; et consequenter jus, ac potestas in ecclesia eas ad id directe cogendi. Hoc autem præceptum jam prius in Thabor ab æterno Patre expositum est, dicente de Christo: *Ipsum audite*; Mat. 17. et ante in lege veteri, Deuteron. 18. et alibi.

Et quamvis Joann. Palat. Gallus in sua *Aquila inter Lilia*, sive *Monarchia Occident.* lib. 1. c. 6. n. 10. asserat, *Imperatorem habere potestatem in Saracenos, quam Papa non habet*; intelligendus est de gladio temporali *primario*, juxta tradita supra: imo ipsemet ibidem, n. 8. sic ait: *Si catholica religio, cujus director Pontifex est, ubique toto terrarum orbe diffunditur: et Imperium, quod ecclesiæ gerit tutelam, ubique Christi portabit vexillum . . . ut sub umbra Imperialis gladii tuti, verbum Dei evangelizare possimus.* Ubi expresse conspicitur, loqui de potestate gladii temporalis *primaria*, quam Imperator habet, ad compellendos infideles ad missionem prædicatorum evangelicorum. Et initio ipsiusmet c. 6. ait: *Electus Cæsar Pontificis æmulus est. Iste templi, ille dominii claves habet. In ecclesia Pontifex, in tribunali Imperator; ad pacem uterque; animarum ille, corporum iste*, &c.

XI. *Dico*, 4. Ecclesia habet, et exercet directam jurisdictionem in infideles, regum ac principum Christianorum subditos, in multiplici casu. 1. Ratione peccati scandalosi notorii, et tractum successivum habentis, præsertim contra legem naturæ, aut cum connexitate personæ Christianæ, ex c. 1. de offic. ordin. et c. *Cum sit generale* de for. compet. ub. glos. utrobique: *Et de quocunque peccato mortali.* Navarr. in c. *Novit.* de judic. not. 6. et Fermosin. ibid. q. 8. et in c. *Licet ex suscepto*, de for. com. ub. glos. verb. *Vacante: item ratione connexitatis, ut in dote*, c. *De prudentia*, de donat. in t. vir et uxor. supradictos casus exostiens. comprehendit hoc versiculo: *Hæreticus, Simon, Servus, Perjurus, Adulter.* Vid. etiam Alex. de Nevo. cons. 100. et 101. et cum eo Raynald. obs. crim. tom. 4. suppl. 5. ad c. 1. n. 49.

XII. 2. Ratione complicitatis, v. g. Si infidelis inhoneste, et scandalose tractet, aut se commisceat cum mulieri fideli: Ita Rayn. cit. n. 425. et deducitur ex Nello, cons. 96. et Petr. Perus. concil. 95. penes Martianes. Est enim talis commixtio eis prohibita in jur. can. c. *In nonnullis*, de Judæis, etiamsi meretrices sint, ut cum Mut. Ciarlin. et Caren. tenet Ant. Gob. dec. 28. n. 9. addens, quod si se commisceant in contemptum religionis nostræ, subjiciantur privative Inquisitoribus, ex Bursat. cons. 90. n. 14. et Caren. p. 3. tt. 14. n. 24. Vide etiam Pignatell. tom. 1. cons. 482. et tom. 5. cons. 2. n. 26. ubi refert decisum à S. Congregatione, posse Judicem ecclesiasticum cognoscere contra laicos ratione complicitatis cum ecclesiasticis; quod etiam refert Panimoll. dec. 17. annot. 1. Ergo pariformiter, &c. Quod tamen intelligendum est; *quoties concurrat causæ indivisibilitas*, Rayn. cit. n. 81. Bobadill. l. 2. c. 17. n. 90. et 91.

XIII. 3. Ratione conformitatis cum fidelibus in observantiis externis, v. g. in observatione sacrorum dierum, de quo pro hac diœcesi Goana adest specialis lex in Const. Synodal. tt. 12. const. 5. et renovata fuit in omnibus quinque Goanis conciliis.

XIV. 4. Ratione alterius notabilis circumstantiæ, aut accidentis, de quo Rayn. cit. d. suppl. 5. ad c. 1. n. 82. ubi ait, quod non solum ratione complicitatis in delictis, sed etiam in aliis contingentiis, in quibus clericus et laicus insimul operati fuerint, subjaceat laicus judici ecclesiastico: nam *magis dignum trahit ad se minus dignum*, Bald. in l. *Præcipim.* c. *de appellat.* Roman. cons. 245. Jas. in l. *Imper.* col. 4. ff. de jur. omn. jud. Marant. p. 4. d. 11. n. 18. Menoch. de jurisd. b. 3. c. 2. ca. 16.

Hic tamen subjungere libet doctrinam cit. Alex. de Næv. relatam à Raynald. cit. n. 50. ibi: *Qui ponit exemplum in Judæis dantibus ad usuram Christianis: firmat enim eos peccare fœnerando Christianis secundum communem Theologorum, et Canonistarum opinionem, et allegat D. Thomam, Hostien.* 10. *Andr. Butr. Cardinal. Archidiacon. et alios: et inde infert, quod ratione peccati judex ecclesiasticus se intromittit ad impediendum hujusmodi peccatum, ad text. in cap. post miserabilem de usuris, etiam antefactum prohibendo; ne dent ad usuram; et movetur, quia ubi Judæus, vel alius infidelis, delinquit contra legem naturæ, vel jus divinum quoad præcepta moralia, subest jurisdictioni judicis ecclesiastici, et ab isto, ubi datur facultas, potest puniri, cap. Quod super his devoto, Hostien.* 10. *Andr. et alii in cap. Gaudemus de divort. cum pluribus, Emeric. direct. part. 2. qu. 46. pag. mihi* 376. *et* 377. *ubi etiam regna, com.* 71. *lit. B. et C. et sic, Siquis infidelis contraheret matrimonium cum duabus mulieribus eodem tempore in terris Christianorum, posset a judice ecclesiastico puniri, quia polygamia repugnat juri naturæ, et etiam divino: et respondet ad argumentum eorum, qui dicunt, quod ecclesia non judicat de personis, quæ foris sunt, vide eum: alia de Judæis vide infra, num.* 313. *et seqq. et n.* 425. *et seqq. et nota interim, quod Judæi, si delinquant in jus divinum, puta quod non adorantes unum Deum, dæmones invocent, illis sacrificent, et his similia agant, puniuntur à tribunali S. Officii pœnis corporalibus, puta ultimo supplicio, illos tradendo curiæ sæculari, seu pœna carcerum perpetuorum, seu ad tempus, juxta facti et personarum qualitatem, ut pluribus ostendit Emeric. loco cit. d. qu.* 46. *à num.* 14.

SECT. UNIC.

Quia dicendum de Poteſtate Regum et Principum Chriſtianorum erga Infideles ſibi ſubditos.

XV. *Prima Reſolutio:* Reges et principes ſæculares Chriſtiani nequeunt infideles non ſubditos ad prædicationem evangelicam, et fidem recipiendam directe cogere. Eſt communis contra Sepulvedam, Major. et alios, quamvis Soar. admittat aliquem caſum, in quo poteſt juſte fieri coactio, diſp. 18. ſeſ. 2. n. 8. Probatur facile, quia in non ſubditos nullam juriſdictionem directam habent. Et quamvis principes ſæculares catholici habeant jus directum ad nuncios mittendos, et miſſionarios introducendos in regna infidelium; hoc jus directum eſt mere permiſſivum abſolute loquendo, ex licitudine actionis: non vero eſt jus directum poteſtativum, juriſdictionale, aut dominativum, ex defectu dominii in infideles non ſubditos.

XVI. *Secunda Reſolutio:* Probabile eſt, tam intrinſece, quam extrinſece, reges et principes ſæculares poſſe directe cogere infideles ſubditos ad fidem ſufficienter propoſitam ſuſcipiendam. Ita quamplures Scotiſtæ cum ſuo Doctore Subtili. Et pro hac opinione citatur etiam D. Antoninus, 3. p. tt. 22. et eam ſequuntur aperte Major. Herice, Sepulveda, Gabriel, Angel. Silveſtr. Hoſt. Panormit. et alii penes Coninch. et Cardin. Delug. diſp. 19. ſeſ. 2. § 3. et eam inſuper abſolute probabilem dicunt DD. contrariæ ſententiæ cum Lorca, Lacro, Platell. Arriag. de fide, ſeſ. 3. Vid. noviſſime Em. Card. Lambertin. de canonizat. l. 3. c. 17. à n. 11.

XVII. Prob. 1. Quia principes ſæculares valent directe cogere infideles ſubditos ad illud amplectendum, aut rejiciendum, ad quod jam tenentur ex jure naturali, ac divino, ut et ipſi adverſarii fatentur; atqui ex jure naturali, ac divino, tenentur infideles ad amplectendam fidem ſufficienter propoſitam, ad unicum Numen colendum, pluralitatem Deorum rejiciendam, &c. Ergo, &c.

Prob. 2. Quia princeps, etiam juxta contrariæ opinionis DD. poteſt ſubditos infideles directe cogere ad legis naturalis, et rationis dictamina obſervanda, ut cum D. P. Aug. tenet D. Antonin. 3. p. tt. 22. c. 5. §. 8. unde poteſt eos ad non perjurandum, non adulterandum, et non furandum, directe cogere, ut obſervat Ulixbonenſ. in Tyrocin. c. 292. Atqui idololatria repugnat lumini naturali rationis, et illi conſonat unius Numinis ſingularitas: ergo ſaltem ad hanc profitendam, et illam deferendam, poterit ſubditos infideles directe compellere.

XVIII. Prob. 3. Quia princeps ſæcularis poteſt infideles ſubditos directe cogere ad omne illud, quod conveniens eſt ad unionem, conſervationem, et ſtabilitatem reipublicæ illius, et ad omne illud, quod ad ſtatum ejus politicum pertinet, ut fatetur Platelli. Atqui ad hæc omnia nimis conducit unitas fidei, et religionis, ut ex ipſa experientia docent ipſimet DD. politici, ut Tacitus, Livius, Tullius, Valer. Maxim. l. 1. de Religion. c. 1. et alii videndi apud Beyerlinch. Theatr. orb. terr. verb. *Religio.* Ergo, &c.

Et ſi opponant, hanc obligationem in infidelibus eſſe ſupernaturalem; reſpondebimus, 1. Eſſe etiam quoad plura naturalem; 2. eſſe ſupernaturalem ex parte termini, aut objecti; non tamen ex parte principii, aut inſtrumenti, nempe prædicatoris; neque ex parte actionis, aut naturalium rationum, et argumentorum.

XIX. Confirmatur, 1. Exemplis Imperatorum Conſtantini, et Theodoſii, infidelium delubra occludi, imo et detrudi jubentibus, et idololatriam directe vetantibus, efficacibus legibus ſtabilitis, quæ in cod. Theodoſiano, tt. *de Paganis*, reperientur, quas proſecutus eſt Imperator Juſtinianus, eod. tit. et illas approbant cum D. Ambroſio, et Auguſtino, plura concilia, ſignanter Carthagin. African. Toletan. et alia: eaſque in hoc Indiano ſtatu æmulatus eſt prorex D. Antonius de Norogna, de quo infra, n. 22.

Confirmatur, 2. Quia princeps erga rempublicam, et ſubditos, habet ſe tanquam paterfamilias erga domum ſuam, et filios, ex c. *Duo iſta*, 23. q. 4. ub. gloſ. Joan. Andr. in c. *Venerabilem*, de elect. Ergo, ſicut parentes habent juriſdictionem naturalem directam in filios ad eos inſtruendos, et compellendos ad ea obſervanda, quæ ad bonos mores, et veram religionem pertinent; ita principes ſæculares in ſubditos infideles. Vid. D. Thom. l. 1. de regim. princip. c. 14. et l. 2. et ultimo.

XX. Dices in c. *Sicut Judæi*, et c. *De Judæis*, d. 45. prohibetur principibus Chriſtianis, ne ſubditos infideles ad receptionem fidei Chriſtianæ compellant. Reſp. id ſuaderi, non ex defectu poteſtatis aut juriſdictionis in principibus Chriſtianis; ſed ex inconvenientibus inde reſultantibus; videlicet, ut in cit. c. *De Judæis* legitur: *Ne nomen Dei blaſphemetur, et fides, quam ſuſceperint, vilis et contemptibilis habeatur.* Imo d. c. *De Judæis* laudatur zelus Sizubuti regis hanc coactionem in ſuos ſubditos infideles directe exercentis, et ratificatur præterea ipſa coactio, licet in poſterum prohibeatur ob expreſſa inconvenientia, *Ne nomen Dei*, &c. Unde concludunt etiam Lorca, et alii, ex natura rei, et intrinſece, licere coactionem illam principibus Chriſtianis, eſto per accidens, et extrinſece, illicita reddatur ex inconvenientibus, et ex vetito eccleſiæ.

XXI. *Tertia Reſolutio:* Principes Chriſtiani poſſunt directe cogere infideles ſubditos ad auditionem fidei, atque prædicationis evangelicæ. Ita Bannes, Soar. Hurt. Perant. Arriag. Card. Delugo, diſp. 19. n. 54. Coninch. diſp. 18. Lacro. l. 2. n. 79. Lorc. 2. 2. q. 10. cum D. Thom. ibid. a. 8. et expreſſe docetur in bull. Gregor. XIII. *Sancta Mater Eccleſia*; et à praxi frequenter obſervatur Romæ, et alibi, ubi Judæi coguntur diebus dominicis evangelii prædicationem audire.

XXII. Et pro hac diœceſi Goana adeſt ſpecialis lex ſæcularis à prorege D. Antonio de Norogna, de conſilio et approbatione ſenatorum ſæcularium, in primi concilii Goani executionem, anno 1577. edita, ordinans, ut in omnibus ſtatus civitatibus, et arcibus, quinquaginta infideles cunctis diebus dominicis, per tres eccleſias, videlicet D. Dominici, D. Franciſci, et Societatis Jeſu, diſtribuantur ad fidei prædicationem, ſub certa mulcta pecuniaria, audiendam. Quæ quidem lex, ſi exacte uſque adeo obſervaretur, jam nullus, aut fere nullus gentilis in ſtatus ditione reſtaret.

XXIII. Probatur, 1. Quia quilibet princeps temporalis quoſlibet ſubditos directe cogere poteſt ad recipiendos et audiendos ejus nuntios et legatos, vel alterius principis. At miſſionarii apoſtolici legati quidem ſunt, et nuntii, miſſi ab eccleſia, vel à principibus Chriſtianis, juxta illud, 2 Cor. 5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Ergo, &c.

Prob. 2. Quia princips ſæcularis directe cogere poteſt infideles ſubditos ad honeſtas actiones externas mere naturales, ſuis republicis convenientes. Sed evangelicæ prædicationis auditio eſt actio externa mere naturalis, et utrique reipublicæ bono ſpirituali, et temporali, longe utiliſſima. Ergo, &c.

XXIV. Dices pro Platellio: Qui non tenetur ad finem, non tenetur ad medium ad ipſum finem ordinatum: ſed auditio fidei eſt medium ad illam, juxta illud, Rom. 10. *Ergo fides ex auditu*; ad quam infideles non tenentur: ergo. Reſp. 1. Negando ſuppoſitum; videlicet, infideles non teneri ad recipiendam fidem ſufficienter propoſitam. Reſp. 2. Negando abſolute majorem: nam reſpublica, alicui principi ſupremo ſubjecta, licet non teneretur ad finem legationis, ab eo miſſæ, ſi illicitus foret, aut exceſſivus; teneretur tamen ad medium, nempe ad receptionem et auditionem ejuſdem legatorum, aut nuntiorum.

Reſp.

Resp. 3. Qui non tenetur *per se* ad finem, non tenetur *per se* ad medium, transeat; non tenetur *per accidens*, nego. Sic religiosus, qui non tenetur per se ad finem majoris perfectionis, quam in regula, et constitutionibus perscribitur, tenebitur per accidens ad aliquas orationes, et jejunia præ statutis, si à prælato, honesto motivo, imperentur. Dixi, *transeat*, quia princeps temporalis, esto habeat fidem pro fine ultimo, et adæquato, potest habere ejus auditionem pro fine immediato, et inadæquato, ob honestatem actionis, ob conformitatem reipublicæ membrorum, ob exercitium obedientiæ, et ob alia motiva temporalia, sub ejus præcepto cadentia. Vid. Arriag. subs. 4. Et novissime Card. Lambertin. cit.

XXV. *Quarta Resolutio:* Reges Portugalliæ, et Castellæ, qui à Summo Pontifice delegantur ad fidei propagationem, in conquistis, eidem commissis, habent jurisdictionem directam in infideles, sibi adscriptos, ad eos ad fidei prædicationem audiendum directe compellendos, etiam dato, quod reliqui reges, non taliter delegati, illa directa potestate ac jurisdictione carerent. Prob. facile: quia, ut ait Verricelli (et ex præcitatis bullis constat) reges Castellæ, et Portugalliæ, sunt Summi Pontificis delegati, in ordine ad fidei propagationem inter infideles, sibi commissos: atqui delegatus gerit vices delegantis, et retinet eandem jurisdictionem commissam, quam exercere potest directe, nedum in subditos, verum et in omnes impedientes, ac resistentes, ex c. 1. et c. *Sane*, 2. de offic. deleg. ub. glos. et l. 1. ff. *de offic. ejus cui mand. est. jurisd.* Ergo, si Summus Pontifex habet hanc directam jurisdictionem super omnes infideles in universo orbe, eandem retinent ejus delegati in regna, et infideles sibi ab eodem adscriptos. Et idem dicendum de reliquis principibus temporalibus, consimili delegatione condecoratis.

XXVI. Ex præmissis colligitur, 1. Principes Christianos nec debere, nec posse tolerare in terris ditionis suæ ritus infidelium intrinsece malos, ac superstitiosos, et naturali rationi adversantes, ut ritus idolo-latricos, et consimiles. Hanc resolutionem tradit expresse D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11. quam sequuntur, Suar. ses. 4. Delug. ses. 2. § 4. Hurtad. Arriag. Coninch. et reliqui DD.

XXVII. Colligitur, 2. Quod licet, causa gravissima intercedente, et gravi, atque probabili utilitate, bonum fidei et ecclesiæ, inde resultans, respiciente, permitti possint Judæis synagogæ, omni scandalo prorsus cessante, ut actu Romæ permittitur (quod tamen in regnis Hispaniarum, et earum conquistis, nunquam permitti posset, ob certum scandalum, et infallibilem perversionem modernorum Christianorum Hebræorum, de quo, n. 32.) imo et Mauris suæ ecclesiæ, aut *Mesquitæ*, eo quod utrique verum Numen adorent, in cujus honorem ecclesias illas ædificârunt, ut quondam in arce Ormusiana à nostris prædecessoribus permissum fuit, sub certis conditionibus, quod ibi Mahometum minime invocarent, et Mesquitas non reædificarent; attamen delubra gentilibus nunquam possunt permitti, eo quod dæmones, et alia falsa numina adorent. Super quo videndus Nicolaus de Lira in Apoc. 13. 18.

XXVIII. Et cum eo maxime notandum, quod non permittente Turca in toto imperio suo, aut in terris dominii sui, ullum delubrum gentilibus, permittatur à Lusitanis in arce Diensi, non servatis conditionibus à piissimo rege Sebastiano præfixis; nempe, 1. Quod ibidem non nisi verum Deum adorarent, et nullam imaginem, aut picturam alicujus numinis falsi conservarent. 2. Quod delubrum illud, et ejus materiale ædificium, in nihilo reformarent, aut reficerent. 3. Quod nullam cæremoniam publice exercerent: quam quidem prohibitionem primum concilium Goanum, act. 2. dec. 9. extendit etiam ad cæremonias privatas et secretas.

XXIX. Neque ad illam permissionem ulla, quantumvis gravis, causa excogitari potest, eo quod sit intrinsece mala. Nam etiam pro primis tolerantiis, atque permissionibus non idololatricis, neque intrinsece malis, requirunt communiter DD. causam gravissimam; ut Card. Delug. § 4. disp. cit. ibi: *Inprimis non posse sine gravissima causa permitti, constat clare, quia deesset princeps in præcipuo munere, et debito sui principatus: si enim minora alia vitia permittere non potest, quanto minus hæ, quæ præcipuam religionis virtutem oppugnant? Unde in Scriptura reprehenduntur reges omnes, qui excelsa non abstulerunt: hoc est, permiserunt populo sacrificia offerre ritu prohibito, quem sane totis viribus auferre debuissent, et in profanis etiam literis commendantur, qui religionis et pietatis studium politicis omnibus rationibus, et negotiis, in republica administranda præposuerunt, ut late probat Hurtado .... In quo judicio Hurt. § 10. videtur statuere pro unica causa religionem, dicens, tunc solum permissionem esse licitam, quando majus imminet religioni damnum inevitabile, nisi concedatur permissio.*

XXX. Hic, in non obscuram primorum Lusitanorum hujusce Asiæ conquisitorum, et regum Lusitaniæ pietatis commendationem, sequentes leges, primorum imperatorum religiosarum legum æmulatrices, a laudato prorege D. Antonio de Norogna editas, et primo concilio Goano, typis mandato, annexas, subjungere licebit. Statuit igitur sic, § 3. *Defendo, ac veto, quod in terris ditionis meæ nullum sit falsæ deitatis delubrum, et ea, quæ constiterint, dissolvantur, et similiter succidantur arbores, et saltus, vel quilibet alius locus, quo cultus diabolicus, vel quodlibet aliud idololatriæ genus peragitur; et quod in Maurorum Mesquitis non invocetur Mahometus .... Et quod cæremoniæ hujusce sectæ, vel quælibet aliæ gentilicæ, publice non exerceantur, neque taliter, ut per testes probari queant ... Neque in observantiam prædictarum gentilitatum lavatoriis aut peregrinationibus utentur, neque frontes sandalo signabunt .... Et tandem quod nullus gentilis, subditus status, proficiscatur ad terras dominorum confinium, solemnitatibus suorum falsorum numinum adstiturus; neque infideles extranei per terras status pertransibunt, peregrinationis gratia falsis numinibus dicatæ.*

XXXI. Quam decorosum autem, ac glorioſum, imo et proficuum, ac perutile regibus Christianis evadat, infideles subditos, et extraneos ad fidem solicite pertrahere, et eorum falsas sectas, cultusque superstitiosos expugnare, et penitus destruere curare; vide apud D. P. Aug. lib. 1. de civit. D. c. 24. et apud Solorsan. de jur. Indiar. tom. 1. l. 2. c. 16. apud quem etiam Luc. de Pena sic ait, n. 64. *Inter laudabilia omnia catholicæ fidei opera, quæ rex explere debet pro suæ dignitatis, ac totius religionis Christianorum salute, nullum majus, nullum honorabilius, nullum denique gratius Deo offerri potest, quam barbaras gentes, et Turcarum perfidiam, cæterosque populos, qui falsos ritus, ac deos colunt alienos, expugnare, atque in fræna submittere sub Christi fide.*

XXXII. Contra permissionem tandem synagogæ, et ritus Judaici in regnis Hispaniarum, et earum conquistis, adsunt gravissima, et specialia inconvenientia, quæ illam omnino illicitam reddunt. 1. Est certum, et infallibile scandalum, ac perversio Hebræorum Christianorum, quibus tota Hispania, et illius conquistæ abundant; quod quidem inconveniens non datur Romæ, et Florentiæ, et alibi; ubi rariores, et non adeo promiscue degunt. 2. Ex infallibili cautela, qua Hebræi Christiani oriundos filios, vel recenter natos, occulte ad locum Judæis in habitationem destinatum transmitterent, ad baptismum Christianorum declinandum, et circumcisionem Judaicam inibi suscipiendam, et ut Judaicis ritibus ibidem instruantur; qua etiam cautela gentiles Diensis, orphanos parentum infidelium oriundos occulte ad continentia infidelium loca transfretabant, ne sacro baptismatis fonte, juxta leges regias, et ecclesiasticas, intingerentur; et quâ insuper per totum Indicum statum, coronæ Lusitanæ subjectum, cuncti gentiles, alio moribundos affines transferunt, ne forte ad baptismum à Christianis trahantur, et ut in infideli territorio gentilibus ritibus concrementur, ac parententur. 3. Quia si ex sola infectione occulta modernorum Christianorum Hebræorum, adeo in tota Hispania illorum pestis errorum grassata est; quanto latius, et profundius serpet, ut cancer, ex publica synagogæ permissione?

4. Specialius, quia *regnum Lusitanum est fide purum, et pietate dilectum à Christo*, ex quo elegit *Missores*, sive missionarios, *ut ejus nomen deferatur in exteras*

exteras gentes, ut conſtat ex divino oraculo, primo regi Alfonſo directo: illi autem puritati fidei, ac doctrinæ, illa permiſſio longe quidem nocentior, ac indecentior foret. 5. Ab experientia omnium illorum damnorum ex permiſſione Hebræorum Luſitaniæ, etiam ſub unitate fidei reſultantium, de quibus illuſtriſſimus D. Fr. *Amâtor Arrâes* in ſuis dialogis; dialog. 3. Quid ergo erit ſub diverſitate religionis? 6. A paritate gravis illius diſcordiæ inter Græcos, et Hebræos, etiam ſub unitate religionis, et congregationis, de quo, Act. 6. Et tandem ſcholium quamplurimorum aliorum damnorum ex diverſitate religionis reſultantium paci, tranquillitati, negotiationi, augmento, decori, opinioni, unitati, gravitati, honori, et reliquis commodis reipublicæ, necnon et civium utilitati, conformitati, conviventiæ, reciprocæ charitati, quæ ex ſimilitudine oritur, bonæ famæ, conſervationi, patrimoniis, proſperitati, felicitati, jucunditati, et aliis; de quibus P. Senneri, ſ. 33. quadrag. P. Nieremb. tom. 3. dictam. polit. et chriſt. cent. 1. ego ipſe in *ſtatu Indici ſtatus* in exord. et c. 1. 2. et 3. per otium invenietur, ac perlegetur à viro curioſo.

PRÆLUDIUM VI.

Pro Jure Rerum et Perſonarum Eccleſiaſticarum.

SUMMARIUM.

I. *Quænam confœderatio, et quænam differentia ſit inter jus canonicum, et civile?*
II. III. *Varia rerum pro decidendis caſibus dubiis, et obſcuris, ſecundum jus canonicum, aut civile.*
IV. *In materia conſcientiæ, et peccato ſubjecta, tenendum eſt jus canonicum, etiam in terris imperii, et non jus civile, ex multiplici utriuſque juris diſpoſitione.*
V. *In materiis ſpiritualium, et ſacramentorum, univerſim ad jus canonicum recurrendum.*
VI. *Leges civiles, de perſonis et rebus eccleſiaſticis diſponentes, ſunt invalidæ defectu juriſdictionis.*
VII. *Sed ſi ſint mere favorabiles, et pure privilegia, valent, et ſubſiſtunt.*
VIII. *Res, et loca ſacra ſunt jure divino eccleſiaſticæ teſtati privative ſubjecta.*
IX. *Probatur à jure, et à facto.*
X. *Can.* Convenior *retorquetur in adverſarios.*
XI. *Probatur etiam de jure naturæ, etiam pro rebus non benedictis.*
XII. *Etiam pro annexis ſpiritualibus.*
XIII. *Immunitas perſonalis clericorum, et religioſorum, eſt à jure naturali, et divino.*
XIV. *Nec Papa illi valet præjudicare, ſed tantummodo interpretando moderari.*
XV. *Fortiores rationes ſunt pro immunitate perſonali eccleſiaſtica, quam pro locali et reali.*
XVI. *Probationes ex Sacra pagina, et canonibus.*
XVII. *A ratione, cum confirmationibus.*
XVIII. *DD. contrariæ ſententiæ fatentur eſſe de jure divino initiative, ac reductive; alii vero eſſe tam de jure divino, quam humano.*
XIX. *Opinio 3. Scar. conciliativa duplicis primæ oppoſitæ.*
XX. *Argumenta contraria ſoluta.*
XXI. *Imperatores immunitatem clericorum agnoviſſe, conſtat ex utroque jure.*
XXII. *Clericus, etiam juramento adſtrictus, nequit renuntiare fori privilegio.*
XXIII. *Covarr. redarguitur merito à Gaſparr.*
XXIV. *Adducuntur appoſite in exemplum actiones allquæ D. Thomæ Cantuar.*

SUPPOSITO, quod *jus* ſit à juſtitia derivatum, juxta Ulp. in l. 1. ff. *de Juſt. et Jur.* et definiatur: *Ars æqui et boni; juſtitiam namque colimus* (proſequitur Ulp.) *æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes*, &c. Et *jus* dividatur in *canonicum*, et *civile*, de quo prælud. 3. et jus *canonicum* ab Engel definiatur: *Jus ex ſacris regulis eccleſiaſticis collectum* (*canon* namque *regulam* ſonat) vel aliter, ut Lancelot. definit ſupra, prælud. 3. n. 2. Et jus civile definiatur à Gaſparr. *Quod quælibet civitas vel populus ſibi proprium conſtituit*: l. *Omnes*, ff. d. juſt. et jur. De utriuſque diſcrepantia, et convenientia, hic merito aliqua prælibanda veniunt.

I. Cum enim inter jus canonicum, et civile, quandoque confœderatio, quandoque vero pugna ſit, pro hujuſmodi notitia (ait Engel de jur. can. orig. in procem. n. 19.) ſequentes regulæ traduntur.

Prima, Quoties caſus aliquis dubius eſt in jure civili, jure autem canonico clare deciſus, hæc Pontificii juris deciſio, etiam in foro civili, obſervanda eſt.

II. *Secunda*, E converſo, ſiquid jure canonico dubium, et obſcurum (ſicut præſertim circa contractus, et pacta, perpaucæ ſunt in canonibus deciſiones) jure autem civili clarum, ejuſque materia ſit profana, non ſpiritualis, in foro eccleſiaſtico, etiam juri civili locus eſt. Utraque hæc regula confirmatur *ex cap.* 1. *et* 2. *de novi operis nunciat.* ubi Summus Pontifex ait: *Sicut leges non dedignantur ſacros canones imitari; ita et ſacrorum canonum ſtatuta principum conſtitutionibus adjuvantur.* Imo quandoque etiam in materia ſpirituali leges in foro canonico procedunt, non tamen aliter, quam ſi expreſſe à ſacris canonibus recipiantur, ſicut in tit. *de Cognatione Legali*, quæ oritur ex adoptione, et conſtituit impedimentum dirimens matrimonium.

III. *Tertia* regula eſt, ſi inter jus canonicum, et civile, ſit pugna, et contrarietas, vel diverſitas, eaque ſit de re profana, nec attingat conſcientiam, vel peccatum, ut circa ſolemnitates teſtamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque ſimilium actuum, *quodlibet jus in ſuo foro ſervandum eſt*; nimirum in terris Summo Pontifici ſubjectis, jus canonicum; in terris Imperii ſæcularis, jus civile, *cap. Cum ad verum*, 6. *diſt.* 96. In cauſis tamen clericorum, etiam temporalibus, et extra territorium Romani Pontificis, juri canonico eſt inſiſtendum, *cap. Quod clerici* 9. *de foro compet.* Sed hic textus juxta ſingularem interpretationem Barboſæ *in eodem cap.* 9. *n.* 5. non procedit eo caſu, quo clericus actor convenit laicum coram judice ſæculari, quo caſu, ſicut clericus actor forum rei laici, ita etiam ejuſdem fori leges ſequi debet, ut proinde illa verba *in cap.* 9. poſita, *Si clerici contra aliquos, vel aliqui contra ipſos, cauſas habuerint*, &c. intelligantur in eum ſenſum, ſi clerici Pariſienſes (de quibus illud cap. inſcriptum eſt) contra aliquos alios clericos, coram judice tamen eccleſiaſtico, actionem inſtituant.

IV. *Quarta* regula eſt, ubi *de re conſcientiæ, et materia peccati agitur*, ſi inter jus canonicum, et civile, differentia ſit, *tenendum eſt jus canonicum, etiam in terris imperii.* Quidquid enim ſit de illâ quæſtione, an S. Pontifex abſolute ſit major, et ſuperior imperatore, quam tractant interpretes *ad cap. ſolitæ* 6. *de majorit. et obed.* certe univerſi catholici DD. fatentur, ſaltem in ſpiritualibus, et ubi de ſalute animæ agitur, S. Pontificis juriſdictionem, tanquam Chriſti vicarii, et communis animarum paſtoris, etiam ad terras imperii, et totum mundum, extendi, text. *in de cap. Solitæ, verſ. Quod autem: et in cap. nov.* 3. *de judiciis. Extravag. Unam ſanctam de major. et obed.*

Exemplum

Exemplum ad hanc regulam est in cap. ult. *de Præscript.* ubi corrigitur jus civile permittens præscriptionem longissimi temporis cum mala fide; in cap. ult. *de sepult.* et in cap. *In literis*, 5. de raptoribus; ubi statuitur, hæredes defuncti, qui aliis in vita damnum intulit, ad exonerandam conscientiam ejus (neque enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cap. *Peccatum*, 4. de reg. juris in 6.) teneri juxta vires hæreditatis ad se devolutæ illud damnum resarcire, contra leges civiles, quæ non obligant hæredem ad damnum à defuncto datum, nisi in quantum ex tali damno, v. g. furto, aut rapina, ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam contestata fuerit, *l. Unica, c. Ex delictis defuncti*, &c.

Denique, ut plurima alia exempla, quæ in diversis titulis occurrunt, prætereamus, leges civiles permittentes impune concubinatum, *in t. t. ff. et c. De concubinis, et in Nov.* 18. *cap.* 5. per SS. canones abrogatæ sunt, cap. *Audite* 6. *dist.* 34. Et qualiter adversus concubinarios locorum ordinarii per censuras, et invocationem brachii sæcularis, procedere debeant, traditur in concilio Trid. *sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 8. et sess. 25. cap. 14. Non obstat cap. *Is, qui 4. Ec. Christiano*, 5. *dist.* 34. ubi ex sententia antiquorum patrum Christiano una tantum, aut uxor, aut concubina permittitur, quia ibi nomine *Concubinæ*, non intelligitur scortum (quo sancti patres contra prohibitiones juris divini permittere utique non potuissent); sed uxor ducta quidem per verum consensum matrimonialem (qui ante concilium Tridentinum, absque alia solemnitate, sufficiebat ad valorem matrimonii, *cap. Is, qui* 30. *de Sponsalibus*). at clandestine, sine dotalibus instrumentis, qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali consensu legitime non constabat, concubina præsumebatur, *arg. c. aliter* 1. *causa* 30. *quæst.* 5. et dicebatur: ut in annotatione *in dicto c. Is, qui dist.* 34. recte exponitur.

V. *Quinta* regula est, *in materia spirituali, et sacramentorum*, neglecta dispositione juris civilis, *universim ad jus canonicum recurrendum est*: hæc enim tractare, et definire, non ad sæcularem, sed spiritualem, et ecclesiasticam potestatem pertinet, *c. Decernimus* 2. *de judiciis.*

Quare licet jure civili invalidum sit matrimonium, quod filii familias contrahunt sine consensu parentum, in quorum potestate existunt, *l. Nuptiæ* 2. *et* 18. *ff. de ritu nuptiarum*; jure tamen canonico, et concilii Trid. *sess.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 1. si non simpliciter licitum, saltem validum pronunciatur, prout infra in lib. iv. ad tit. *de desponsatione impuberum*, § 2. expositum.

VI. *Sexta* regula est, quod *leges civiles, disponentes de personis et rebus ecclesiasticis, ex defectu jurisdictionis, invalidæ reputentur*, tametsi favorem ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum concernant, *c. Denique*, 5. *cum seq. dist.* 96. *c. Ecclesia*, 10. *de constit.* Etenim personas ecclesiasticas, et res earum, jure divino à sæcularium dominorum potestate exemptas esse, aperte à Summis Pontificibus, et conciliis universalibus (quibus utique competit de jure divino cognoscere) declaratum est *in c. Nimis*, 30. *de Jurejurando*, *c. Quanquam*, 4. *de censibus in* 6. in concilio Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 20. quod prolixe tractat Martha, *de jurisdictione*, *parte* 2. *cap.* 6.

Dixi *tametsi leges civiles ecclesiis favorabiliores sint*, ne prætextu favorabilis constitutionis principes et potestates sæculares jurisdictionem in ecclesiasticos usurpent, *d. c. Ecclesia*. Sed hoc ita accipiendum est, si lex *favorabilis* contineat aliquam obligationem, sive mandatum, et jurisdictionis speciem, prout *in l. Jubemus*, 14. *c. de SS. Eccl.* de alienatione bonorum ecclesiasticorum; *in l. Sacris*, 47. *c. de Episcopis et Cler.* de electione abbatum statuitur, et forma præscribitur, quæ leges non aliter vim habent, quam quatenus à SS. canonibus receptæ sunt.

VII. At vero si leges nullam habeant annexam obligationem, sed sint mere favorabiles, et pura privilegia; non est dubium, quin valeant, et subsistant, ne quod in favorem ecclesiarum est introductum, quod legibus sæcularium non subjaceant, in earum odium retorqueatur, si nullo sæcularium principum privilegio affici possent, contra *c. Quod ob gratiam, de reg. juris in* 6. Tale privilegium est *in auth. quas actiones (de SS. Ecclesiis.* Ubi contra ecclesiam Romanam tantum *centenaria*, contra alias *quadragenaria* præscriptio admittitur. In *auth. item nulla communitas, c. de Episc. et Cler.* ubi ecclesiæ, et personæ ecclesiasticæ ab exactionibus, et oneribus realibus, per sæculares magistratus imponendis, liberæ pronuntiantur. *In Nov.* 5. *cap.* 5. quod bona ingredientium monasteria, sine prævia dispositione, monasteriis acquirantur. Plura alia similia in primis titulis Cod. et Novell. passim occurrunt. His igitur pro dicendis opportune prælibatis;

VIII. *Dico*, 1. Cum Oliva de for. eccles. q. 10. (et est communissima sententia) templa, altaria, cœmeteria, aræ, vasa sacra, corporalia, et vestes sacræ, seu benedictæ, ornamenta, et alia similia, quæ speciali consecratione, seu benedictione, cultui divino dedicantur (de quibus in cap. *Vestimenta*, 42. *cum sequentibus, de consecratione, distinctione* 1. *et alibi*, Sylvest. in *Summa*, verbo *Benedictio*) primo à jurisdictione temporali exempta sunt divino jure, et potestati ecclesiæ subjecta, privativeque ostendit, urgentibus fundamentis, Suar. adversus Angl. error. lib. 4. cap. 17, 18, et 19. Videatur etiam Cirinus nex. rer. eccles. c. 7. § 1. per tot.

IX. Prob. 1. Ex c. *Convenior*, 23. q. 8. et ex Dan. 5. ubi refertur, Balthasarem regem à Deo punitum fuisse ob profanationem vasorum templi Ierosolomitani, quod etiam recitatur in d. c. *Vestimenta*, 42. de consecr. d. 1.

Prob. 2. Quia licet materia sit temporalis, et deputatio de jure humano ecclesiastico (ait Oliv.) post consecrationem tamen, seu benedictionem, remanet spiritualibus annexa immediate, docet D. Thomas 2. 2. quæstione 100. art. 4. Navar. cap. 23. nu. 99. versic. *Quod omnia*, post Selec. de benef. part. 1. quæst. 3. n. 23. Suar. de relig. tom. 1. lib. 4. n. 3. unde eo ipso, quod Christus Dominus spiritualia exemit à potestate temporali, concedens ea Petro, et successoribus tantum; ita etiam exemit spiritualibus annexa, ut Oliva probat præcedenti quæstione, quod ratione naturali ostenditur, ut late ostendit Suar. dict. cap. 17. cum sequentibus: nam commissis spiritualibus Petro, etiam censentur sibi commissæ eæ res, sine quibus spiritualia exerceri vel non possunt, vel non decenter, postquam hæ res fuerint annexæ, et benedictione speciali deputatæ.

X. Adverte hic, quod licet aliqui in contrarium adducere soleant præcit. c. *Convenior*, ex illo probare volentes, imperatores posse ab ecclesiis tributa exigere; ex ipsomet can. expresse constat, ecclesias, et ejus res, imperatori non subjici: et quoad tributa, dicendum est, deberi dumtaxat, vel pro ratione prædii, aut fundi, in quo ecclesia fundata est, vel in aliquo ex casibus, de quibus Graff. de eff. cleric. eff. 3. n. 154. et seqq.

XI. Prob. 3. Quia etiam jure naturali magna reverentia hujusmodi sacris rebus debetur, et ideo à potestate humana eximuntur, ut quæ Deo (saltem circa divinum cultum) dicatæ sunt, amplius in profanos usus non sint revertendæ, probatur in cap. *Ligna*, 38. cum sequentibus, *De consecr.* distinctione 1. regula *Semel Deo*, 51. de reg. jur. lib. 6. qua ratione naturali dictante, jurisconsulti, etiam gentiles, res sacras et sanctas divini juris esse, et in nullius hominis existere bonis decideruntur; ut in leg. 1. ff. *De rerum divisione*; idem declaravit imperator Justinian. in § *Nullius*, instit. eodem titulo, quod notandum est ad legem regiam (quæ prædictæ resolutioni quoad forum concordat) lib. 2. tit. 1. § 10. de cujus declaratione Castr. Lusitan. de man. reg. 2. p. cap. 17. n. 10. Ex quibus rationibus, et locis juris canonici, et civilis, manifeste infertur, idem esse dicendum circa exemptionem de omnibus aliis rebus in ministerium altaris perpetuo deputatis, prout sunt candelabra, thuribula, urceola, ornamenta altaris, cortinæ, et similia, licet speciali benedictione non benedicantur, quinimo et alia omni templi supellectilia, quod notari potest ad ordin. d. § 10. id fine: dum asserit, *quod si reus* fateatur esse ecclesiæ, *ad forum pertineant ecclesiasticum*, quia hæ res tales sunt, ut possint esse profanæ,

ſanæ, et cultui Divino non deputatæ, Caſtr. ubi proxime. Hæc Oliv. cit.

XII. Unde aſſerit Panorm. in c. *Quanto*, de judic. quod de ſpiritualibus, et annexis, idem eſt judicium, ac de principalibus ſpiritualibus connexis; ubi multis probat legibus, et exemplis. Sequitur ibid. dec. n. 3. ubi etiam multa cumulat, et Barb. de jur. eccleſ. et de pot. epiſc. et in axiomat. verb. eiſd. et tritum eſt vulgare axioma: *Annexi, et connexi, idem eſt judicium, etſi annexum majoris ſit valoris*, c. *Cum ſinguli*, juncta gl. v. *Annexi*, de præbend. in 6. gl. v. *Connexa*, in c. *Quando*, de judic.

XIII. *Dico*, 2. Cum communiori, et veriori ſententia: Exemptio, ſive immunitas perſonalis clericorum, et aliarum eccleſiaſticarum perſonarum, à jure naturali et divino provenit. Ita gloſ. in can. *Si imperat.* verb. *Et diſcuti*, d. 66. et in c. *Quamvis*, v. *Divino*, de cenſ. in ſexto. Innoc. in c. 2. num. 1. *de major. et obed.* Abb. in cap. *Eccleſia*, num. 6. de conſtit. late Fagnan. ibid. num. 16. et in cap. *Cum non ab homine*, num. 66. de judic. Oldrad. conſ. 83. n. 5. Alex. conſ. 8. in princ. vol. 1. Vaſq. tract. de ſucceſſ. creat. § 22. limit. 17. num. 58. Azor. part. 1. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 12. quæſt. 1. Vant. in tract. *de nullitate*, tit. de nullit. ex defect. juriſd. clar. § fin. q. 36. num. 2. Martha de juriſd. part. 2. cap. 6. num. 1. Tanner. tom. 4. Theol. ſcholaſt. diſp. 1. quæſt. 4. dub. 6. num. 138. Laym. lib. 4. theol. moral. tract. 9. cap. 8. grammatic. dec. 29. num. 14. et deciſ. 61. num. 12. Rot. deciſ. 2. de conſuetud. in antiquiſſimis, et deciſ. 10. num. 4. eod. tit. in antiquis.

XIV. Quibus addendus Card. Deluca, qui generice et abſolute tenet, *immunitatem eccleſiaſticam eſſe de jure divino*, de regalib. diſc. 55. n. 8. et de judic. diſc. 35. ſub n. 26. Proindeque, Papam illi derogare non poſſe, ſed ſolum interpretando poſſe, ex juſta cauſa, eam moderare, d. diſc. 55. n. 8. et ſuperaddendus Cirin. nex. rer. c. 1. an. 19.

XV. Unde eo ipſo, quod ſtatuatur, templa materialia, et res divino cultui dicatas, exemptas et immunes eſſe de jure naturali, ac divino; à fortiori idem ſtatuendum quoad perſonas eccleſiaſticas in ſortem Domini vocatus, et illi ſpecialiter dicatas, tum quia ſunt templa Dei viva, juxta illud: *Vos eſtis templum Dei*, 2 Cor. 6. tum quia ſunt nobiliores, ratione animæ eſſentialiter immortalis, ad æternam beatitudinem ſupernaturalem elevatæ, et in hac vita gratia juſtificante, et reliquis conſequentibus virtutibus condecoratæ, vi quarum, et filia, et ſponſa cœleſtis Regis eſſe, et nuncupari meretur; ex illo Joan. *Ut filii Dei nominemur, et ſimus.* Et *Regina formoſiſſima, tota pulchra, circundata varietate.* Et illo Pſ. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, &c. Et ex variis locis Canticor. et Apocalypſ. deducitur.

XVI. Prob. 1. Ex locis Sacr. Scripturæ, nempe Gen. 47. Levit. ult. Num. 3. 18. et 45. ex quibus conſtat, in lege veteri ſacerdotes et Levitas exemptos fuiſſe à juriſdictione ſæculari aliarum tribuum, et lege ſolvendi tributa; quæ jura, quamvis à lege gratiæ ſint abrogata, tamen ex his colligitur non minora privilegia ſacerdotibus et clericis novæ legis fuiſſe conceſſa, qui adeo excellentiores ſunt ſacerdotibus, et miniſtris legis antiquæ. Rurſus Pſal. 104. habetur, *Nolite tangere chriſtos meos, et in prophetis meis nolite malignari*; et Chriſtus Dominus, Matth. 17. eximit ſe, et apoſtolos ſuos ab obligatione petendi tributa ſæcularia, ita Petrum interrogans: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filiis, an ab alienis?* Reſpondente Petro, *Ab alienis*; hanc conſequentiam Chriſtus deduxit, *Ergo liberi ſunt filii*; ubi teſte Maldonat. in dictum locum, verſ. 25. ſicuti ſub nomine filiorum regum temporalium comprehendere voluit domeſticos etiam, et familiam regum, quæ pariter ab onere ſolvendi tributa erat exempta; ita ſub nomine filiorum ſuorum, non omnes Chriſtianos voluit intelligi, ſed familiares, et domeſticos, quales ſunt perſonæ eccleſiaſticæ.

Prob. 2. Ex canonicis ſanctionibus in c. *Quanquam*, de cenſ. in ſexto: ibi: *Cum igitur eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quinimo divino, à ſæcularium perſonarum exactionibus ſunt iminunes*, &c. Idem habetur in concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. relato in cap. *Nimis* de jurejur. ubi dicitur: *Nimis de jure divino quidam laici uſurpare nituntur, cum viros eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtanda ſibi fidelitatis juramenta compellunt.* Conſonat his omnibus Tridentinum, quod ſeſſ. 25. cap. 20. de reform. vocat. perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem *Dei ordinatione, et canonicis ſanctionibus, conſtitutam.* Ipſum adi.

XVII. Prob. 3. Ratione. Clerici ſunt Deo dicati, vocati in ejus ſortem, et ſegregati à negotiis ſæcularibus; ergo eo ipſo ſunt exempti à ſæculari juriſdictione, quæ nihil omnino juris quoad illos fortitur. Probatur conſequentia à fortiori; nam ſi res ſacræ inanimatæ, uti altaria, vaſa, veſtes, &c. per hoc, quod Deo ſint dicatæ, à ſæcularis poteſtatis diſpoſitione ſunt ipſo jure immunes; à fortiori, clerici, ut templa animata, et viventia gratiæ, eo ipſo, ac clerici ſunt, erunt exempti à poteſtate qualibet ſæculari.

Confirmatur: nam nulla poteſtas, ſive juriſdictio, poteſt propria virtute ferri extra limites ſui objecti; atqui juriſdictio temporalis verſatur per ſe tantum, quoad perſonas ſæculares; tanquam circa ſuum objectum: ergo, &c. Denique, ſi jure tantum humano immunitas perſonalis eccleſiaſtica inducta eſſet, poſſent principes ſæculares abrogare in toto, vel in parte, hanc immunitatem per revocationem expreſſam, vel præſcriptionem, quod quam pernicioſum foret eccleſiæ toti, nemo non videt. Ita Gaſparr. inſt. can. tt. 2. ex n. 84.

XVIII. Hic animadverte cum eodem, n. 97. quod DD. contrariæ ſententiæ, qui ſunt Molin. Sot. Victor. Bellarm. Covarr. Salaſ. Seſſ. Cevall. Pereir. de man. reg. et alii citati ab Oliv. de for. eccleſ. q. 10. n. 9. licet ſtatuant, immunitatem hanc non eſſe à jure divino imperatam, eſſe tamen affirmant à jure divino initiative, et ad illud reduci, quatenus jus divinum docet, hanc exemptionem clericis à principibus fore concedendam. Unde cit. Oliv. qui n. 17. ex c. *Quanquam* de cenſibus in 6. tenet, exemptionem clericorum eſſe tam de jure divino, quam humano, ex verbis ibidem: *Cum igitur eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quinimo et divino, à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes*: et n. 21. opinionem Soar. quam *tertiam* in hac re appellat, ſic inducit:

XIX. *Tertia opinio in hac materia fuit Suarii, lib. 4. contra Angl. error. cap. 9. n. 9. qui conciliare volens prædictas duas opiniones, aſſerit, privilegium clericorum eſſe à jure divino datum; dependens tamen à Petri, ſucceſſorumque ordinatione, et moderatione; quia licet is doctiſſimus vir fateatur, nullum locum ſacræ paginæ, et juris canonici eſſe, in quo expreſſe hoc privilegium concedatur circa perſonas et res clericorum; ſuppoſita tamen inſtitutione ſtatus clericalis, ait in conſequentiam neceſſariam venire (ut ſupra tactum reliquimus cum hac diſtinctione, ſeu conciliatione) verum videri exemptionem hanc eſſe de jure divino, et humano, et habere locum utramque opinionem.*

XX. Pro DD. contrariæ opinionis objic. 1. Clericos, et eorum res, in primitiva eccleſia ſubditas fuiſſe principibus ſæcularibus. 2. Paulum ad Cæſarem appellantem, Act. 15. 3. Rom. 13. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubjecta ſit.* 4. Mat. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* 5. Quia eccleſia non liberat fideles ab ullo vinculo civili, puta à debito pecuniario. 6. Quia Summus Pontifex poteſt ex juſta cauſa clericorum immunitatem reſtringere, quod quidem non poſſet, ſi à jure divino et naturali emanâſſet.

Reſp. ad 1. In primordiis illis vagientis eccleſiæ, ſubditos quidem fuiſſe *de facto*, non *de jure*; ex tyrannica ſcilicet paganorum poteſtate. Ad 2. Paulum appellâſſe ad Cæſarem, ut ad ſuperiorem judicis à quo, nempe Feſti. Nec tenet conſequentia: appellavit: ergo non erat exemptus. Ad 3. Commendare ibidem Chriſtianis ſæcularibus, ut obediant principibus, etiam ethnicis, quorum vaſſali inceſſerint. Neque ex hoc conſequitur: *ergo clerici non ſunt exempti.* Ad 4. Loqui de ſolutione debiti tributi à laicis perſolvendi, ex Mat. 17. *Ergo liberi ſunt filii.* Ad 5. Equidem non liberare, et ſatis providere, ut laici clericum conveniant coram judice eccleſiaſtico pro illis vinculis. Ad 6.

Poſſe

Posse quidem restringere secundum quod illi Deus, et recta ratio naturalis dictet.

XXI. Porro imperatores agnovisse hanc exemptionem, nedum Summi Pontificis, sed et aliorum prælatorum, et clericorum, expresse claret ex celebri illo facto, et effato Constantini, relato in can. *Sacerdotibus* 11. q. 1. his verbis: *Ecclesiastica quoque historia testatur, quia cum piæ memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, et eosdem, qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis, à vero Deo constituti. Ite, et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut nos judicemus deos.* Et ex auth. *Statuimus*, cod. de episcop. et cleric. auth. *Quas actiones*, cod. de sacrosc. eccles.

XXII. Unde concludit Gasparr. n. 116. *Cum igitur jure divino, et naturali, in decus totius ordinis clericalis inducta sit hæc personalis immunitas, jure optimo decrevit Innoc.* III. *in c. Si diligenti, hoc titul. quod neque volens possit clericus renuntiare fori privilegio, et constituere judicem sæcularem in judicem sibi competentem, etiamsi juramento id promittat. Ratio autem est, quia juri inducto pro tota communitate non potest privatus pro suo libitu renuntiare. L. Imperatores, ff. de pact. et* 1. *illud ff. de pact. dotal. . . . . Juramentum autem, cum non debeat esse vinculum iniquitatis, can. in malis* 22. *quæst.* 2. *et super re illicita præstitum non habeat, ideo neque talis renuntiatio, juramento firmata, sustinebitur. Ita cum text. in dict. cap. Si diligenti unanimiter sentiunt, Sas. in l.* 1. *num.* 10. *ff. Siquis in jus voc. &c. Natt. cons.* 324. *Caball. resol. crimin. cons.* 225. *per tot. Gratian. discept.* 190. *num.* 7. *Menoch. de arbitr. cas.* 430. *Pax Jordan. elucubr. vol.* 3. *lib.* 13. *tit.* 8. *num.* 1. *et seqq. Marth. de jurisdict. part.* 4. *cent.* 1. *cas.* 61. *num.* 13. *Sanselic. decis.* 227. *num.* 5. *et* 6. *Sperell. decis.* 10. *num.* 13. *et decis.* 104. *num.* 85. *et in sortiaribus terminis, Rot. decis.* 148. *num.* 19. *et seqq. part.* 9. *ac decis.* 343. *num.* 24. *et seqq. part.* 10. *recent.*

XXIII. Nota tamen, quod licet Covarr. ex illo Ps. 104. *Nolite tangere christos meos*, unice de corporali accipiendum dicat; illum tamen merito redarguit Gasparr. cit. n. 114. ex D. Ieron. in Zachar. c. 2. qui illum textum ita accipit, *Ne quid vel minimum in sacerdotes patrent, nec quid eos vexent, aut afficiant; idemque asserit D. Gregor. lib.* 1. *epist.* 35. *quod denotat ipsum verbum tangere, significans quidquid ad aliquem aliquo modo spectat; unde, juxta usitatum modum loquendi, hæc res nihil me tangit, interpretatur, ad me nullatenus spectat; judicia autem, et judicis jurisdictio, spectat ad litigatores; adeoque etiam spectaret ad clericos, si coram magistratu sæculari convenire possent.*

Rursus, loquendo etiam in sensu Covarruviæ, esto verbum tangere referendum sit ad solam vim et injuriam clericis illatam, adhuc nostræ favet sententiæ, cum dicatur inferri injuriam clericis, si cogantur subesse jurisdictioni laicali, cui non sunt subditi. Et ideo illa verba Zachar. cap. 2. *Qui vos tetigerit, pupillam oculi tanget, intelligit Anacletus Papa relatus in can. Accusatio, il primo,* 2. *quæst.* 7. *non solum de injuria personali inferenda, sed etiam de sententia ferenda, et judicio.* Vide etiam quæ infra, c. 21. et 22. latiori calamo exarantur, et quæ Cirin. cit. c. 1. an. 19. tradit.

XXIV. Pro uberiori tandem, et opportuniori erga immunitatis ecclesiasticæ observantiam notitia, et ne prælati, ac judices ecclesiastici, facile leves illius violationes dissimulent, ex quibus graviores consequi solent, hic opportune transcribam, quæ Polydorus Virgilius, l. 13. hist. Angl. et ex illo Tho. Stapletonus in libello *Tres Thomæ* intitulato, de reb. S. Thomæ Cantuar. archiep. scribit: *Rex Henricus*, ait, *ejus nominis secundus, magni animi princeps, et civilis justitiæ zelator egregius, si tamen modum in eo tenuisset, prædecessorum suorum, utriusque Guilielmi, Henrici primi, et Stephani, vestigiis insistens (qui cleri immunitates, sicut et populi, multis modis violare conati sunt) in concilio regio sanxerat, ut cunctis etiam sacris initiati, qui cervos, aut damos, intra septa regia, seu saltus occidissent; a judice prophano mulctarentur. Hanc legem regiam Hugo, legatus Pontificis in Anglia, non abnuit ratam habere. Quæ res* (ait Polydorus) *non modo tunc, sed in posterum quoque tempus ita jus infregit, ut etiam nunc sacerdotes in multis causis, perinde ac cæteri, apud prophanos judices conveniantur, atque pro noxa puniantur; adeo jus semel violatum facile dissolvitur: atque ordo sic magnum fecit detrimentum.*

Et paulo infra idem Polydorus apud eundem sic scribit: *Cum Thomas Cantuar. Antistes, vir summa integritate, ac prudentia, cerneret regem quotidie sacerdotes minus idoneos, aut eligere episcopos, aut ad alia perducere sacerdotia, ac ex præscripto Normanicarum legum, jure (ut ille aiebat) suo utendo, nihilque à majorum consuetudine, atque conciliis alienum faciendo, omnem sacerdotalis ordinis authoritatem, dignitatemque frangere, ac demum jus fasque conari trahere, quo vellet, primo eum amice admonuit, ut de negotio desistere, æquiusque se adversus populum gereret; deinde in ea re cum se parum proficere animadverteret, statuit suas non remissius agere partes, ut de laboris præmio satis certum habens. Itaque omnis vitæ periculi oblitus, communis causæ tuendæ gratiæ propalam Henrico resistere, multisque eum argumentis ab incepto deterrere conatus est.*

Hæc fuit (superaddit Stapleton cit.) *prima S. Pastoris sancta fortitudo, ut regem potestatis suæ fines excedentem, intra justos limites coerceret: nec jus sacerdotale divinitus ei datum, atque commissum, ignave proderet: memor illius dicti Ambrosiani: Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum.*

Imo monachus ille Guillelmus Neubrigensis, quem in regis causam propensiorem taxat Stapleton. ibid. sic seriem texit: *Regi circa curam regni satagenti, et malefactores sine delectu exterminanti, à judicibus intimatum est, quod multa contra disciplinam publicam à clericis committerentur, ad quos laicæ non posset jurisdictionis vigor extendi. Quamobrem acri motu turbatus in spiritu vehementi contra malefactores clericos posuit leges: in quibus utique zelum justitiæ publicæ habuit: sed fervor immoderatior modum excessit. Cum ergo ad discutiendos, vel puniendos clericos, nova quædam statuta fecisset, in quibus modum non tenuit, ita demum credit fore rata, si episcoporum essent consensu roborata. Convocatis ergo ad eliciendum quocunque modo consensum episcopis; ita omnes usque ad unum vel pellexit blanditiis, vel infregit terroribus, ut regiæ voluntati credendum, parendumque putarent, et novarum legum illarum conscriptioni propria sigilla apponerent. Usque ad unum dico. Nam solus Cantuariensis archiepiscopus flexus non est, sed ad omnem impulsum stetit immobilis. Tunc vero tanto vehementius regis in eum furor efferbuit, quanto ipsi regali magnificentiæ, ratione dati et accepti, magis obnoxius videbatur. Unde rex cœpit ei gravis existere, occasionibus eum undecumque exquisitis pulsare, eorum, quæ olim in regno cancellarius fecerat, rationem exposcere. Ille intrepida libertate respondit, se expleta sæculari militia ecclesiæ à principe, cui militaverat, absolute fuisse dimissum, nec debere in se per occasionem magis, quam veritatem, vetera replicari. Cumque indies regii furoris causæ ingravescerent, eo die, quo plenius responsurus erat objectis, solemne illud officium de B. Stephano, scilicet, Sederunt principes, &c. et adversum me loquebantur, et iniqui persecuti sunt me, jussit coram se in celebratione sacrificii solemniter decantari. Mox curiam ingressus est, crucem argenteam ante se portari solitam, manu propria bajulans, volentibusque quibusdam episcoporum, qui aderant, ministerium portandæ ante metropolitanum proprium crucis suscipere, abnuit: non enim* (subjungit Stapletonius) *eos dignos existimabat, qui crucem metropolitani ferrent, quum crucem Christi portare recusaverant, regi turpiter adulantes, et ecclesiasticam jurisdictionem, ac disciplinam, nefarie prodentes,* &c.

His plane necessariis præludiis præmissis, progrediendum utique erat ad principalem operis, seu opusculi, scopum. Aliqua tamen, pro præludiorum complemento, breviter intermittenda sunt.

SECT.

SECT. I.

Pro Complemento Præludiorum.

SUMMARIUM.

I. *Quid ſit* territorium *in communi? Quid eccleſiaſticum? Quid laicum?*

II. *Omnis diſtrictus, intra cujus limites judex poteſt jus dicere, terrendo, minando, vel procedendo, eſt proprie illius territorium.*

III. *Hinc totus mundus eſt territorium Summi Pontificis pro utraque juriſdictione; et tota provintia, diœceſis, aut paræciæ, territorium archipræſulis, præſulis, et parochi, quoad juriſdictionem ſpiritualem tantum.*

IV. *Territorium vel eſt* locale, *vel* perſonale, *vel* mixtum.

V. *An poſſit dari juriſdictio, abſque territorio?*

VI. *Ambitus monaſteriorum regularium dicitur illorum territorium, quamvis prælati regulares ſolam juriſdictionem perſonalem, et non localem, in illis retineant.*

I. NOtabis, 1. circa *territorium*; hanc nomenclaturam derivari à *terrendo*, ſive à *jure terrendi*, aut *amovendi*; et prout abſtrahit à territorio laico, vel eccleſiaſtico, eſt, *diſtrictus juris, vel juriſdictionis alicujus, intra ilum, ſive intra illius fines, exercendæ.* Deſumitur definitio pro territorio eccleſiaſtico, à Clem. *Ne Romani*, § *Sane:* ibi: *Sane cum, juxta conſtitutionem prædictam, Papa extra civitatem, in qua cum ſua erat curia, moriente, in civitate, in cujus diſtrictu ſeu territorio moritur, ſit regulariter ſucceſſoris electio celebranda, diſtrictus, ſeu territorii nomine, Diœceſim, hoc caſu, intelligenda fore cenſemus.* Ubi vides territorium ſumi pro diœceſi, idcoque prælatos diœceſanos proprie, et vere habere territorium. Ita cum Alex. Scot. verb. *Territorium*, Dulc. Proſper. et alii infr. cit. cum Minan. pontif. juriſd. tr. 2. fund. 2. q. 11. § 4. ex c. fin. v. *Quia tamen* de for. compet.

Pro territorio vero laico etiam derivatur definitio à l. *Pupill.* ff. de verbor. ſignif. § *Territorium*, ubi ſumitur pro *diſtrictu, ſeu pro univerſitate agrorum alicujus civitatis, intra cujus fines magiſtratus ejuſdem loci, terrendi vel ſummovendi jus habet.* Ita Lexic. et Scot. cum pluribus DD. ibid. verb. *Territorium.*

II. Unde omnis locus, ſeu diſtrictus, intra cujus fines, ſive terminos, judex aliquis eccleſiaſticus, vel ſæcularis, poteſt jus dicere, vel exercere jus terrendi, amovendi, vel determinandi, aut diſterminandi, tum ſpiritualiter, tum temporaliter, proprie, et vere dicitur illius *territorium* ex juribus, et DD. præcit. quibus accedunt alia plura infra et apud ipſos, et Pignatell. tom. 4. conſult. 179. n. 8. etiam Inquiſitoribus delegatis territorium ex juriſdictione adſcribentem. Vid. etiam Oliv. p. 2. q. 3.

III. Hinc cum Summis Pontifex poſſit jus dicere, et juriſdictionem exercere pro univerſo orbe diſterminando, vel amovendo, totus mundus proprie dicitur, et eſt ipſius territorium. Deluc. relat. cur. Rom. diſc. 1. per tot. et in miſcellan. diſc. 1. n. 3. et de regal. d. 119. n. 23. Proſper. de territor. ſepar. in procem. Minan. cit. n. 16. quod intelligendum eſt tam pro juriſdictione ſpirituali, quam temporali illius, juxta inferius dicenda, et ſuperius tradita, prælud. 5. Idem reſpective dicendum de archiepiſcopis pro tota provincias, epiſcopis pro tota diœceſi, parochi pro tota parœcia, et aliis pariformiter, quoad juriſdictionem ſpiritualem dumtaxat. Deluc. miſcellan. diſc. 11. n. 5. Proſper. q. 8. n. 7. etiam inter laicos, Fermoſin. de judic. in c. 10. q. 40. n. 21.

IV. Notabis, 2. Hoc jus, ſive juriſdictionem terrendi, ſeu amovendi, vel verſari circa locum, et tunc dicitur *territorium locale*, vel circa perſonas in certo diſtrictu, et tunc videtur dicendum *territorium perſonale* (eſto *territorium* ſtricte *locale* ſonare videatur, præſertim ſi derivetur ab eo, quod *terrendi hoſtis cauſa conſtituitur*; vel ſi dicatur *territorium*, quaſi *tau-*

ritorium, id eſt, *tritum bobus, et aratro*, ab eo, quod antiqui, ſulco ducto, et poſſeſſionum limites, et territorium deſignabant; ita Briſac. Cujac. ap. Lexicon. vel tandem deducatur à *terra* potius, quam à *terrendo*, ut volunt alii, ſæpe enim pro *fundo* accipitur, ut l. *Nulli*, cod. de epiſc. et cler.) vel tandem verſatur erga loca, et perſonas, et tunc *mixtum* congruenter appellabitur. Et in hoc ſenſu univerſus orbis eſt territorium locale, perſonale, et mixtum Summi Pontificis, tam ſpiritualiter, quam temporaliter: habet namque juriſdictionem nedum ſpiritualem in perſonas omnes, cum fideles, tum infideles, licet diverſimode; ſed et temporalem in illas, et in omnia regna, etiam infidelium, quæ aliquando poteſt catholicis principibus adſcribere, inſtante cauſa ſpirituali fidei, et boni ſpirituali univerſæ eccleſiæ, ſecundum reſolutiones ſuperius traditas cum communi DD. prælud. 5. Minan. cit. n. 16. et 17.

V. An vero poſſit dari juriſdictio abſque territorio? Videtur negare Franc. in cap. *Cum cauſam*, 63. n. 28. de appellat. Surd. conſ. 437. n. 18. lib. 3. Mantic. de tacit. et ambig. lib. 22. tit. 20. n. 6. cum alioquin, ex veriori, et magis recepta opinione poſſit dari dicta juriſdictio, tam ordinaria, quam delegata, ad univerſitatem cauſarum et perſonarum etiam abſque territorio, ut pluribus relatis tradit in ſubjecta materia Gratian. diſcept. forenſ. cap. 818. n. 58. quem ſequitur Card. Deluc. de juriſdict. diſc. 20. n. 20. ibique concordantes. Ita Proſper. de territ. ſeparat. q. 4. n. 2. Vide etiam cit. Minan. § 2.

VI. Certum tamen eſt, quod quamvis prælati regulares non habent juriſdictionem localem, ſed perſonalem dumtaxat in ſuis monaſteriis, Monacelli, p. 1. tt. 6. form. 20. n. 34. quare nequeunt in propriis eccleſiis indulgentias publicare abſque ordinariorum licentia; neque ad valvas externas illarum monitoria, vel cedulones, vel edicta, etiam pro regularibus ſibi ſubditis affigere; neque contradicente ordinario ſacratiſſimum euchariſtiæ ſacramentum populo publice exponere; neque alia efficere, de quibus Monacelli, p. 1. tt. 11. form. 19. et tt. 6. form. 20. per tot. ſignanter, n. 34. ubi deciſ. refert, et p. 2. tt. 13. et 15. et p. 3. tt. 1. form. 42. et 44. et tt. 3. form. 1. 4. et 6. et 9. et tt. 4. § 2, 3. et alibi. et in ſupplem. ad 1. tom. tt. 6. form. 20. n. 34. vel 141.

Attamen reſtrictum intra ambitus ipſorum monaſteriorum (non tamen extra) dicitur prælatorum regularium territorium. Deluc. miſcellan. diſc. 15. n. 5. Rot. deciſ. 348. n. 3. p. 11. Recent. 2. Proſp. de territ. ſepar. 9. 8. n. 7. et de paroch. d. 23. n. 11. Proſp. cit. Et quoad aliqua ſunt etiam territorium epiſcopi diœceſani, qui in pluribus caſibus in eorum eccleſiis, et monaſteriis, poteſt jus dicere, et juriſdictionem tum ordinariam, tum delegatam, exercere; de quibus Monacell. loc. cit. Card. Petr. tom. 3. in conſt. 11. Alex. 4. ſect. un. extra vero ambitus, vel ſepta monaſteriorum, *ſunt parochi territorium*, et *illius juris*, Proſper. et Deluc. loc. cit. Quod autem prælati eccleſiaſtici verum territorium proprie retineant, habetur in ipſo jure civili l. *Omnes*, 32. § *Præterea*, et § *In hac*, l. *Monaſteria*, cod. de epiſc. ibi: *Monaſteria degunt, ſeu cenſentur ſub epiſcopis territoriorum ſuorum; et abbatum quidem curam gerunt epiſcopi, monachorum vero abbates. Non ſit vero abbas duorum monaſteriorum.* Et aliis infr. cit. c. 11. n. 20.

Conſtet ergo contra aliquos DD. laicos, epiſcopos habere vere pro territorio propriam diœceſim, etiamſi in illa non habeant juriſdictionem temporalem (ut epiſcopi titulares, et in partibus): poſſunt namque intra illius fines ſpiritualem juriſdictionem exercere, parœcias præſertim dividendo, ac diſterminando, &c. Similiter parochus habet propriam parœciam pro vero, ac proprio territorio, cum in illa juriſdictionem ſuam exercere valeat, diſterminando vicos, et plateas, intra ejuſdem parœciæ fines, et perſonas unius uni ſubalterno

terno coadjuto, rialterius autem; alteri adſcribere, vel quid ſimile, diſtinguendo efficere. Vide Pignatell. tom. 4. conſ. 179. n. 8. etiam Inquiſitoribus judicibus delegatis territorium adſcribentem, eo quod *territorium* non importet dominium terræ, ſed juriſdictionem, et coercitionis ſuperioritatem.

SECT. II.

Pro Familia armata Prælatorum.

SUMMARIUM.

I. *Negant aliqui, epiſcopos poſſe habere familiam armatam.*
II. *Probabilius, alii affirmant communiter.*
III. *Idque nedum ex jure novo, ſed et ex antiquo.*
IV. *Trid. non dat formam, ſed tradit inſtructionem, atque adeo valet excommunicatio, illa non ſervata, juxta aliquos.*
V. *Confirmatur reſolutio ad hominem.*

I. NEgant aliqui, epiſcopos habere poſſe familiam armatam, apud Peg. contrarium tamen ſentientem, tom. 3. ad Ord. l. 2. tt. 8. § 7. gl. 9. ubi concludit, *in criminibus eccleſiaſticis poſſe prælatos procedere, et carcerare per ſuos miniſtros, abſque imploratione auxilii ſæcularis.*

II. Hanc ergo opinionem affirmativam veram eſſe, communiter docent DD. ex Trid. ſeſ. 25. c. 3. de Reform. et ex DD. Regnicolis id palam defendunt, Peg. ad Ordin. l. 2. tt. 12. § 7. gl. 9. n. 1. et conſtat ex reg. ipſa Ord. l. 2. tt. 1. § 13. et tt. 8. in princip. et § 7. cujus explanationes vide infra, c. 9. ex n. 23. et ſeqq. Fatetur etiam hanc veritatem, vel invitus, Per. de man. reg. c. 34. § 19. Tuentur etiam Tragoſ. de regim. reip. d. 4. § 14. Oliv. de for. eccleſ. q. 1. et 3. Themud. dec. 146. et 255. qui multipliciter deciſum, ac judicatum tradunt. Barb. de pot. epiſc. alleg. 107. Fermoſin. de judic. in c. 10. *Non ab homine*, q. 42.

III. Ex DD. exteris, quod curia eccleſiaſtica poteſt habere familiam armatam, idque de jure antiquo (præter novum Tridentini) ſtatutum fuerat in c. *Attendendum*, c. *Siquis contumax*, et c. ſeq. 17. q. 4. et c. *Contra idolorum*, ub. gl. 26. q. 5. tenent Antonell. de judic. civil. c. 5. n. 9. Genuenſ. in prax. archiep. cap. n. 3. Mart. de juriſd. p. 2. c. 29. n. 7. Ugolin. de offic. et pot. epiſc. p. 2. c. 56. n. 3. Barboſa eod. tract. p. 3. alleg. 107. an. 2. verſ. *Altera*, uſque ad num. 9. Maſtril. deciſ. 68. n. 4. Bellet. in diſquiſ. cleric. tit. de favor. cleric. real. § 5. n. 103. Decian. tract. crim. tom. 1. lib. 4. c. 26. n. 1. et communiter dicit Sperell. dec. 4. n. 3. 8, 9. et 14. Guaz. defenſor. reor. 1. cap. 8. n. 28. Late Jo. Tranc. Leo in Tonſ. for. eccleſ. p. 1. c. 9. n. 16. et ſeqq. Dian. p. 1. tr. 2. reſol. 89. Ricc. in prax. p. 5. reſol. 483. *Conceſſa enim juriſdictione, omnia intelliguntur conceſſa, quæ ad illam tuendam, et conſervandam ſunt neceſſaria.* Arg. lib. 2. ff. de juriſd. omn. illud.

IV. Obſervant tamen nonnulli recentiores (ait cit. Antonell. n. 13.) concilium d. c. 3. tradere inſtructionem, non autem imponere formam, et ideo valere excommunicationem, non ſervato dicto ordine concilii: ita Ricc. in prax. foro eccleſ. p. 4. reſol. 202. n. 4. ubi citat. Maceratenſ. var. reſolut. lib. 1. reſol. 112. caſ. 75. in fin. ver. inſuper. Ita cit. Antonell. quem adi.

V. Confirmatur reſolutio principalis, et probatur ad hominem à ratione, 1. quia, ſi, juxta adverſarios, manca remaneret juriſdictio regia, ſi non poſſet temporaliter exerceri in eccleſiaſticos per occupationem temporalitatum per proprios miniſtros ſæculares, quando opus fuerit, ſaltem quoad poteſtatem œconomicam et politicam; ergo pariformiter manca remaneret juriſdictio eccleſiaſtica, quæ perſonalis eſt, perſonaliter exercenda in perſonas ſubditorum tum ſpiritualiter, tum corporaliter, ex jurib. cit. ſi non poſſet eam per proprios curiæ eccleſiaſticæ officiales executores exercere.

2. Ex ordinatione regia, l. 2. tt. 8. jubente dari *auxilium* (id eſt, *ſuffragium*, vel *adjuvamen*, ex Lexic. et Scot.) juriſdictioni eccleſiaſticæ, quod autem *ſuffragatur*, et coadjuvatur, utique potentiam et facultatem habet ad ipſum effectum, ad quem adjuvatur. 3. Ex fine talis auxilii eodem titulo expreſſo, videlicet, *quo facilius judicum eccleſiaſticorum ſententiæ, et mandata exequantur:* ergo ſi non, ut præciſe vel neceſſario exequantur, ſed *facilius*; conſequitur, judices eccleſiaſticos, ad id exequendum abſolute per proprios executores potentiam atque facultatem ſufficientem habere; et ſolum ſæculari ſuffragari ad majorem brevitatem, ac facilitatem, ut loquitur regia lex.

4. Ex expreſſo aſſerto, § 7. cit. tt. 8. Nempe *id in gratiam et obſequium prælatorum eccleſiaſticorum ordinare.* Ergo *ex gratia*, et non ex neceſſitate. Ergo poſſunt laicos per proprios officiales exequi, et non indigent alienis executoribus. Nam, ut habetur reg. 61. jur. in 6. *quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Sed de hoc infra latius, c. 9. ex n. 24. Interim vid. Barb. de ep. p. 3. alleg. 107. et Oliv. p. 2. q. 3.

His ergo præmiſſis Præludiis, ſit Diſtinctio prima.

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

DE RECURSU AD JUDICEM COMPETENTEM.

DE
Recurſu ad Judicem Competentem.

DISTINCTIO I.

De Recurſu à Judice Eccleſiaſtico ad Competentem Judicem Eccleſiaſticum, proprie talem.

Cum recurſus ad judicem competentem vel poſſit dari à ſæculari judice ad ſæcularem ſuperiorem, aut etiam ad eccleſiaſticum; vel ab eccleſiaſtico ad eccleſiaſticum competentem, ſed improprie judicem, videlicet conſervatorem regularium; vel ad ſuperiorem judicem, proprie talem, competentem; v. g. à vicario generali ad epiſcopum, ab epiſcopis ad metropolitanos, aut ad ſacram congregationem: idcirco per ſequentes diſtinctiones de omnibus diſcrete agemus.

CAPUT I.

De Quidditate, Licitudine, et reliquis Proprietatibus Recurſus à Judice Eccleſiaſtico ad Competentem Eccleſiaſticum Judicem, proprie talem.

SUMMARIUM.

I. *Definitur, et explicatur recurſus ad judicem competentem.*
II. *Poteſt recurri per modum miſericordiæ à juſta declaratione cenſuræ juris.*
III. *Privilegia ſpecialia epiſcopis utriuſque Indiæ conceſſa.*
IV. *Licitus eſt iſte recurſus, tum à gravamine vero, tum à pœna juſte inflicta, dummodo non fiat per modum querelæ.*
V. *Quomodo, et quando, liceat regularibus recurſus ad ſuperiores.*
VI. *Interdicta appellatione, non interdicitur recurſus. Limita, ubi appellatio removetur ad evitandas lites.*
VII. *Recurſus de ſe non eſt ſuſpenſivus, licet poſſit eſſe per accidens.*
VIII. *Diſſentiente archiepiſcopo à ſuffraganeis in concil. provinciali, ad Papam, vel ad primatem, recurrendum eſt.*
IX. *Recurſus ſemper intelligitur exceptus, etiamſi pars ei renuntiaverit.*
X. *Appellatio ex imperitia à vicario generali ad epiſcopum in ſententia definitiva, interpretanda eſt recurſus ex indulgentia.*
XI. *Recurſus à judice eccleſiaſtico ad tribunal ſæculare per modum appellationis, debet ſtatim rejici abſque ulla cognitione.*
XII. *Notanda pro ſtylo appellandi ab interlocutoriis vicarii generalis ad epiſcopum.*
XIII. *Confirmatur ſtylus ex doctrina aliquorum DD.*
XIV. *Rejicitur Neopraxiſta Vanguerve.*

I. RECURSUS igitur à judice eccleſiaſtico ad eccleſiaſticum judicem, proprie talem, competentem, ſic, ſecundum præmiſſa, definiendus. vel deſcribendus progreditur: *Supplicatio, ſive confugium, ad judicem ſuperiorem, potentem tollere, vel moderari gravamen, aut pœnam ab inferiore inflictam.* Ubi notabis, 1. Poſſe recurri à judice eccleſiaſtico ad eccleſiaſticum ſuperiorem, nedum pro gravamine vero tollendo, verum etiam pro pœna juſte inflicta moderanda, aut abſolvenda. Sed iſte recurſus non erit per modum gravaminis, aut etiam ſimplicis querelæ: non enim apparet, de quo juſte reus querelletur, ſi pœna illi juſte imponatur: ſed erit per modum meræ ſupplicationis, aut miſericordiæ, ut ait Cortiad. p. 2. dec. 25. n. 63.

Notabis, 2. Quod licet ſuperior, qua talis, videatur potens eſſe ad quodlibet gravamen, vel pœnam ab inferiore inflictam tollendam, ut moderandam, ac per conſequens ſuperflua reputetur repetitio, et conjunctio illius participii *potentem* ad ſubſtantivum *ſuperiorem*, et prout ſic, ſufficiens fore dicere ſimpliciter *ad ſuperiorem, pro gravamine, aut pœna tollenda, vel moderanda*; attamen non incongrue, ſed opportune, imo et neceſſario, apponitur participium *Potentem*, eo quod reus poſſit recurrere à judice eccleſiaſtico inferiore ad immediate ſuperiorem, pro tollenda pœna ab eo juſte inflicta, ſed à ſuperiore inauferibili, et in diſpenſabili, eo quod ſit reſervata Summo Pontifici; v. g.

II. Si reus recurrat à vicario generali ad epiſcopum, per modum miſericordiæ, aut meræ ſupplicationis, à juſta declaratione cenſuræ à jure latæ, et Papæ reſervatæ, puta à cenſuris bullæ Cœnæ, et à declaratione irregularitatis incurſæ, et aliis ſimilibus. Tunc namque fruſtraneus erit talis recurſus, niſi in circumſtantiis illis, quod vel adſit privilegium, vel nequeat, aut non facile, ad Papam recurri, de quo vidend. Montenegr. in Itinerar. lib. 5. tr. 1. ſeſ. 6. Sanch. l. 3. de matrim. diſp. 10. an. 2. Illuſtriſſimus D. Rodericus à Cunha de judic. n. 180. Vega, Solorſan. de jur. Indiar. et alii.

III. Aſſerit autem Solorſan. tom. 2. l. 3. c. 7. n. 24. et cum eo Verricell. tt. 4. q. 98. § 14. n. 62. quod epiſcopi Indiarum à caſibus contentis in bulla Cœnæ Domini abſolvere poſſunt, ſanctum chriſma, eo, quod in illis partibus non reperitur, ſine balſamo, et clericorum numero, conſecrant: novos epiſcopos unus ſolus conſecrare poteſt: limina S. Petri, non niſi in quinquennium, ettunc per procuratorem, viſitant. In omni irregularitate, excepta ea, quæ ex homicidio extra bellum, et ſimonia, diſpenſant; et etiam in gradibus, ultra tertium, ad matrimonium prohibitis, et cum Indis etiam in omnibus jure divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus; et aliquando etiam in impedimentis dirimentibus matrimonium contractum, ſi occulta fuerint, et cum illegitimis, quoad ordines, et etiam beneficia curata Indorum, ratione idiomatis, et melioris converſionis eorum, et in bigamia, etiam ex delicto publico proveniente, et in ſimonia, etiam publica, quoad cenſuras, et pœnas; et habent facultatem abſolvendi omnes et quoſcumque Indos à crimine hæreſis, et aliis quibuſcumque, et caſibus reſervatis, et diſpenſandi cum eiſdem Indis, et

in eorum converſione ſe occupantibus, in voto caſtitatis perpetuæ.

Proſequitur Verricell. tranſcribens bullas *Nuper*, Gregor. XIII. et *Decens*, S. Pii V. et n. 65. addit, poſſe epiſcopos Indiarum diſpenſare cum illegitimis, etiam ad dignitates, et beneficia curata, tum ex conſuetudine; de qua Solorſan. n. 20. tum quia ratio finalis brevium Gregorii XIII. et Pii V. fuit, quia non erant, qui verbum Dei Indis prædicarent, eorum confeſſionem audirent, ac ſacramenta miniſtrarent; propter linguæ ignorantiam: ergo implicite voluit diſpenſare ad beneficia curata, ad hoc ut eſſent, qui ſacramenta miniſtrent; et quamvis Solorſanus dubius hæreat, tamen mihi id apertiſſimum videtur; conſtat enim de Pontificis mente; et ita docet Felicianus à Vega in cap. 4. § de *adulteriis*, à num. 127. de *judiciis*, tum quia non improbabiliter multi docent, epiſcopos, ſtante eccleſiæ neceſſitate, aut utilitate, poſſe diſpenſare cum illegitimis, quoad majores ordines, et beneficia curata; ita archidiaconus, in cap. 1. de *filiis preſbyterorum*, in 6. Gambara de *officio legati à latere*, lib. 7. rub. 1. q. 18. à num. 187. Cardin. Paleotus, de *nothis et ſpuriis*, cap. 57. num. 6. et alii, quos refert Garſia, de *beneficiis*, p. 7. cap. 2. num. 52. et par. 11. cap. 5. à num. 337.

Pro Indiis noſtris Orientalibus adeſt etiam privilegium generale à Gregor. XIII. conceſſum ann. 1579. de quo compend. Indic. ſocietatis verb. *Gratiarum communicatio*, § 1. ubi *omnia privilegia, fatultates, et gratiæ, quæ Occidentali Indiæ, et Orientali conceſſa ſunt, et in poſterum concedentur, in invicem communicantur. Juxta quæ* (ait Avandan. Theſaur. Ind. tom. 2. tt. 12. c. 5. n. 114.) *licet conceſſio ad religioſos dirigatur, ſatis tamen Pontificis mens videtur eſſe teſtata, ut privilegia, quæ Orientali, et Occidentali Indiæ ſingillatim, ac diviſa conceſſa ſunt, communia utrique habeantur: nam privilegia non tam religioſis, quam Indiis ipſis conceduntur, ut ex tenore conceſſionis conſtat, verbis illis; quæ Occidentali Indiæ, et Orientali conceſſa ſunt, et in poſterum concedentur. Licet Pontifex, etiam non de conceſſis ſpecialibus provinciis, aut communitatibus, ſed de conceſſis generalius videatur loqui, toti ſcilicet Occidentali, aut Orientali; nam indefinita locutio cum videtur habere ſenſum; ſine improprietate tamen, aut violentia, poteſt ſenſus minus univerſalis ſuſtineri: nam quod conceſſum eſt parti alicujus communitatis, dummodo pars ſit, quæ communitatem etiam partialem efficiat, dici poteſt communitati conceſſum. Sic enim in compendiis religionum omnium occurrit.*

IV. Porro hujuſce recurſus licitudo facile ſuadetur; ſi enim recurratur à gravamine vere tali, licitum quidem eſt, ipſo naturali lumine dictante, illius levamen, vel carentiam quærere, dicente, Jerem 21. 12. *Erue vi oppreſſum de manu calumniantis.* et 22. 3. *Liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris; et advenam, et pupillum, et viduam nolite contriſtare, neque opprimatis inique.* Si autem hæc licent pro oppreſſione, et gravamine alieno; cur non pro proprio levando?

Sin autem recurratur à pœna juſte inflicta, dummodo non fiat per modum querelæ, aut querimoniæ, etiam licitus eſt hujuſmodi recurſus, ut de facto licite, et juſte, imo religioſe, et meritorie, ad Deum recurrimus, pro abſolutione, et extinctione pœnarum, et ſuppliciorum nobis juſte inflictorum, et à nobis reapſe, ultra actualem inflictionem, longe promeritorum. Unde in orationibus S. matris eccleſiæ, recurrentes ad Deum ſic deprecari ſolemus quotidie: *Flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. A peccatis omnibus exuas, et à pœnis, quas pro his meremur, eripias:* &c.

V. Utrum vero liceat regularibus ad ſuperiores à ſententiis juſtis recurrere? Negat Donat. abſolute in prax. regular. tom. 1. tr. 10. q. 5. n. 4. et tr. 7. q. 15. n. 4. et addit, quod ſi talis recurſus fiat ex levi, vel frivola, vel ficta cauſa, ſit à ſuperiore punibilis. Aſſerit tamen, tr. 5. q. 17. n. 1. quod recurſus ad S. Sedem non ſit regularibus interdictus. A paritate cujus licitudinis, et ex ejuſdem Donat. doctrina, tr. 10. q. 36. n. 3. videlicet, *quod recurſus ad ſuperiorem includit tacitam licentiam*; merito inferre licebit, quod recurſus à juſtis ſententiis ad ſuperiores non eſt regularibus abſolute interdictus, ſi non fiat per viam gravaminis, aut querimoniæ, vel rigoroſæ querelæ, ſed per modum miſericordiæ, et puræ, atque humilis ſupplicationis. De interdictione regularium recurrendi ad tribunalia ſæcularia, infra agetur, cap. 34. Interim v. Pignatell. tom. 10. c. 53. n. 19. et Fraſſ. de reg. patron. tom. 2. c. 80. n. 19.

VI. Obſerva tamen, 1. Quod recurſus ad ſuperiorem non cenſetur prohibitus, etiam prohibita appellatione. Creſpi, p. 1. n. 77. pag. mihi 154. Portugal. de donation. tom. 2. c. 31. n. 13. Salgad. de prot. reg. n. 84. prælud. 3. Lancellot. de attent. c. 19. Cortiad. p. 2. dec. 25. n. 17. qui tamen, n. 45. limitat, ubi appellatio removetur ad vitandas lites. *Nam*, inquit, *ubi appellatio removetur ab ſtatuto ad evitandas lites, cenſetur etiam remota ſupplicatio, glo. in l. fin. c. Ut lite pendente. Jaſon. in authent. Quæ ſupplicatio, n. 6. c. De precib. imp. offeren. Decius in 1. fin. n. 50. c. eodem. Surd. deciſ. 120. n. 20. et 21. par. 1. Ramon. noſter, conſ. 64. n. 9. Ripoll. ad Peguer. in prac. civil. rub. 27. n. 159. Suelveſ. conſ. 22. num. 14. lib. 3.*

VII. Obſerva, 2. Recurſum non eſſe de ſe ſuſpenſivum, licet talis poſſit eſſe per accidens; eo quod ſit remedium extrajudiciale, et ſubſidiarium. Portugal. de donat. cit. c. 31. n. 17. et 18. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 20. n. 6. Salgad. de libertate benef. ac. 16. Creſpi, p. 2. n. 15. qui inſuper, n. 16. etiam in recurſibus ab eccleſiaſticis ad regia tribunalia, ait, quod *quamplurima à contrario ſequerentur abſurda*, quorum aliqua numerat ibidem.

Attamen, quando etiam à judicibus apoſtolicis recurritur ad S. Congregationem, miſſa ab eadem judici à quo, non formali inhibitione, aut proceſſus avocatione, ſed epiſtola dumtaxat pro informatione, judex à quo, pro inhibito habetur in reverentiam, ut audio; et colligitur ex Per. de man. reg. c. 60. n. 2. ibi: *Cauſæ, in quibus Pontifex manum apponit, manent affectæ, et reſervatæ, Lara, Simoneta, Gigaſ. Gonzal. et alii.*

VIII. Obſerva, 3. Ex doctrina Card. Petræ, tom. 1. in c. Un. honor. 2. ſeſ. 1. n. 73. quod diſſentiente archiepiſcopo à ſuffraganeis in concilio provinciali, recurrendum ſit ad Summum Pontificem, ex Guarant. q. 30. Si tamen epiſcopi non conveniant, archiepiſcopus cum aliis adjudicet; et ſi utraque pars non acquieſcet, primas decidere valet, ex ep. Bonif. 6. q. 4. can. *Si inter.*

IX. Obſerva, 4. Recurſum ſemper poſſe intentari, et ſemper intelligi exceptum, etiamſi reus gravatus, et reliquæ partes ei renuntiaverint. Portug. de donation. cit. c. 31. n. 23. qui reſolutionem ampliat, etiam quando ſententia judicis à quo fuit juſta, ſi lata ſit contra non citatum. Creſpi, p. 2. n. 77.

Probatur; quia recurſus, ut ait Creſpi, eſt ſuprema principis regalia, et nunquam poteſt abdicari: ergo licet, qua parte eſt gravatis favorabilis, poſſet ab his abrenunciari; attamen, qua parte devolvit principis regaliam, nunquam renuntiari poteſt, ex certo ejuſdem præjudicio.

X. Obſerva, 5. Quod quando rei, vel partes, ex imperitia et ignorantia dicunt, ſe appellare, vel gravamen interponere, à ſententiis definitivis vicariorum generalium ad epiſcopos, aut ad eorum ſenatus, vel ab aliis vim definitivarum habentibus, à quibus non admittitur appellatio, vel ratione materiæ, vel eo, quod vicarius generalis, et epiſcopus, idem judicium conſtituunt, et veluti unam perſonam repræſentant, ex c. *Non putamus*, de conſuetud. in 6. et ex c. *Romana*, de offic. vicar. eod. lib. accipienda eſt illa provocatio ex indulgentia, et benignitate, quaſi mera *ſupplicatio*, aut *recurſus*, ſecundum doctrinam Mend. à Caſtr. 1. p. l. 1. c. 2. n. 21. et § 2. n. 4. et l. 3. c. 19. n. 11. Nam quamvis ab uno ad ſeipſum nequeat dari *appellatio*, poteſt tamen dari *ſupplicatio*, et *recurſus*, pro pœna, v. g. condonanda, aut minuenda, juxta ſuperius dicta. Et ita praxi pluries ſervatur in hoc ſenatu eccleſiaſtico Goano, imo et in Ulyſſiponenſi, Eborenſi, ac Bracharenſi, teſte Themud. 1. p. præfat. n. 41. et p. 3. dec. 284. n. 4. Unde etiam cit. Mend. d. l. 3. § ſeptimo, *Differt*, ſic ait: *Si pars appellat, cum ſupplicare debuiſſet, poteſt ſuperior cognoſcere de gravamine; non ſic e converſo. Nam ſi pars ſupplicat,*

non poteſt cognoſcere de appellatione, niſi appelletur, argumento Ordin. l. 3. tt. 69. § ult. Sed de hoc iterum, infr. n. 13.

XI. Aſt circa recurſum ab eccleſiaſtico ad regia tribunalia; vide Salgad. de prot. reg. prælud. 5. n. 269. ubi ait, quod *ſi aliquis uteretur recurſu ad regem per viam appellationis, ſtatim ſenatores remitterent cauſam judici eccleſiaſtico, abſque cognitione; et recurrens incurreret cenſuras juris, et in eas declararetur*; ut in caſu, licet variato, n. 270. et n. 330. monet, cavendum eſſe à Cevall. utente loquendi modo, ſcilicet, *Appellatur per viam violentia.*

XII. Pro ſtabiliendo autem ſtylo de his ſupplicationibus, aut de gravaminibus intentatis ab interlocutoriis vicarii generalis ad epiſcopum, vel ad ejus ſenatum, tranſcribenda eſt atteſtatio, et doctrina Themud. 1. p. in præfat. n. 41. et 43. et 3. p. dec. 284. n. 4. ibi: *Obiter adverte ad ſtylum ſenatus hujus metropolitanæ Ulyſſiponenſis, Bracharenſis, et Eborenſis, ſecundum quod ab interlocutoriis ſententiis dari quemdam recurſum ad ſenatum, attamen eſt, una et eadem inſtantia, inventum hoc ſalutare remedium, ut melius cauſæ definiantur, et jus partium conſulatur, quia plus vident multi oculi, quam duo: fateor hoc in jure non inveniri expreſſum; convenientius tamen fuit inveniri; et ideo admiror, quod admiretur ſapientiſſimus D. Matthæus Homem. Leitao in ſuo aureo libro de jure Luſitano, tract. 1. q. 6. n. 84. verſ. Hinc, ubi citat locum, in quo agimus de hac materia, ſcilicet, in proœmio, 1. p. noſtrarum deciſionum, n. 41. et 43.* Vide regimentum ſenatus, et auditorii Bracharenſis, tit. 1. n. 44. et tit. 2. n. 84. et ſeqq.

XIII. Pariformiter Barb. in c. *Non putamus*, de conſuetud. in 6. n. 6. ſic ait: *Limita, 1. et declara, ut tunc demum de vicario ad epiſcopum appellatio impediatur, quoties à ſententia definitiva appellari contigerit, non vero ſi ab interlocutoria, quia tunc nihil impedit, quominus ad epiſcopum appellatio per viam recurſus à gravamine interponatur, ut per gloſſ. in præſenti, verbo Officiali, Lap. n. 1. Gemin. n. 3. et Franc. num. 4. Rota deciſ. 503. lib. 2. Marcheſ. de commiſſ. part. 1. c. 4. num. 67. Jacob. de Laurent. de judice ſuſpecto, c. 4. n. 12. Narbona d. tract. n. 175. Limita, 2. et declara, ut ſimiliter epiſcopus de nullitate ſententiæ ſui vicarii cognoſcere poſſit, etſi ipſe à definitiva ſententia appellari interdicatur, ut per domin. in præſenti, n. 3. Franc. n. 10. Cucb. lib. 2. inſtit. major. tit. 8. de vicar. num. 126. Vant. de nullit. ſent. tit. Coram quo nullitas proponi poſſit, n. 20. Sbroz. lib. 3. quæſt. 10. num. 1. Jacob. de Laurent. d. c. 4. num. 12. ad fin.* quem etiam citat, et ſequitur Antonell. de judic. civil. c. 12. n. 5. ubi dicit, à decreto interlocutorii vicarii poſſe per viam recurſus appellari ad epiſcopum. Quia ſicut vicarius decretum ſuum interlocutorium mutare, vel emendare poteſt, c. *Cum ceſſante* de appellat. ita etiam epiſcopus.

Idem autem Barb. de pot. ep. p. 3. alleg. 54. n. 49. refert opinionem Sbroz. l. 3. q. 12. Ancharan. Roland. et Marcheſ. de commiſſ. p. 1. c. 6. n. 118. aſſerentium, à ſententia vicarii poſſe ſupplicari ad epiſcopum, quam idem Barb. etiam amplectitur, ibid. quando ſupplicatio in remedio reſtitutionis ſuam fundat intentionem, et n. 50. ſic tenet: *Limita in appellatione ab interlocutoria vicarii, quia nihil impedit, quominus ab ea ad epiſcopum appelletur per viam recurſus à gravamine*, gl. verb. *Official.* in d. c. Ub. gemin. et Franch. &c. et ſub n. 51. concludit, epiſcopum poſſe emendare et corrigere ſententiam à ſuo vicario interloquendo pronuntiatam, tanquam à ſeipſo prolatam. Vide et allegat. D. Vegæ, apud cit. Barb. in d. c. *Non putam.* qui à 2. in fine ſic concludit: *Quare archiepiſcopus Toletan. recte ac legitime cognoſcit in dicto ſuo concilio ex jure ſuperius dicto primatiali, in appellatione à ſuis vicariis generalibus, ſive procedant tanquam diœceſani in prima inſtantia, ſive tanquam metropolitani in ſecunda, et ſic in ſua ultima ſententia, quæ ſit conformis cum duabus aliis, ſive inferiorum officialium, ſive ſuffraganeorum executioni mandatur, juxta text. in Clem.* I. *de re judicata, quo finiuntur ac terminantur lites et controverſiæ, cap. ſua* 65. *de appell.* 1. *unica, c. Ne liceat tertio provoc. l.* 25. *tit.* 23. *p.* 3. *Stephan. Gratian. diſceptationum c.* 42. *per totum, Rota deciſ.* 52. *n.* 1. *ultimarum, Farin.* 1. *part.*

XIV. Unde rejiciendus venit Neo-practicus *Vanguerve*, 3. p. c. 21. abſolute teſtificans, in foro eccleſiaſtico non interponi gravamina; imo de eo mirandum, quod DD. Regnicolas frequenter adeo evolvens, nunquam illius ſtyli tot auditoriorum, ac diœceſium obſervantia occurrerit, de qua Themud. ſupr. cit. et Barb. et regimentum archiepiſcopatus Bracharenſis, tit. 1. de præſide, n. 44. et tit. 2. de ſenatoribus, n. 84. acced. Scacc. q. 8. nuper. Silv. ad Ord. tom. 3. l. 3. tt. 68. ad rubr. n. 36.

CAP. II.

De reliquis Recurſui ad Competentem Judicem Eccleſiaſticum ſpectantibus.

SUMMARIUM.

I. *Utrique recurſui alia communia, alia ſpecialia ſunt.*
II. *Novitiis regularium, ſine cauſa expulſis, competit recurſus ad ſuperiores.*
III. *Similiter ejectis à prælaturis, vel à beneficiis manualibus, et quando à revocationibus licentiarum audiendi confeſſiones in genere.*
IV. *Ex non admiſſione ad dignitates in religione, regulariter nequit intentari recurſus; ſecus quando dignitates non conferuntur ex mera gratia, ſed ex juſtitia, ut in religione Ieroſolymitana.*
V. *In judicio eccleſiaſtico gravamen ab interlocutoria totam cauſam principalem devolvit; et aliquando eximit à ſuperiore ordinario.*
VI. *Non facile interponitur gravamen ab arbitris, præſertim à tribunali collegiali.*
VII. *A vicarii generalis interlocutoria ad epiſcopum, vel à rejectione impedimentoram ſententiæ definitivæ, vet vim definitivæ habentis, gravamen interponitur.*
VIII. *A vicario autem foraneo, etiam appellatur ad epiſcopum, vel ad ejus vicarium generalem, qui non conſtituit unum judicium cum illo.*
IX. *Gravati ab inquiſitoribus recurrere debent ad eminentiſſimum inquiſitorem generalem, vel ad ſupremum S. et generalis inquiſitionis tribunal.*
X. *Qualenam ſit gravamen irreparabile?*
XI. *Quando inutile ſit in judicio ſæculari.*
XII. *Quando à ſenatu, et quando à ſenatore interponatur à non obſervata ordinatione.*
XIII. *Solum interponendum in caſibus in eadem expreſſis, qui et numerantur.*
XIV. *Tranſcribitur notabilis doctrina Leytam.*
XV. *Qualitates requiſitæ pro ſtylo practicabili.*
XVI. *Stylus, ut quædam conſuetudinis ſpecies, requirit pro introductione judicium contradictorium.*
XVII. *Non ſemper attendendum adeo, quæ fieri debent: contrarium eſt miſerum imperitorum effugium.*
XVIII. *Corollaria, et reſolutiones generales.*

I. QUÆ hactenus obſervavimus, et adhuc ulterius obſervanda inſinuavimus, communia quidem ſunt utrique recurſui ad competentem, et incompetentem judicem, demptis tamen ſpecialibus cujuſlibet definitionibus. Et ſi aliqua ſpecialia, aut propria obvenerint, illa ſane obiter adnotabimus.

II. Igitur pro recurſu regularium ad ſuperiores, vel ad Sanctam Congregationem; notabis adhuc, 1. Novitiis ſine cauſa expulſis competere recurſum ad ſuperiores, vel ad ſanctam congregationem, uc docet Card. Deluc. de benefic. diſc. 97. n. 16. ſicut etiam competere ejectis à beneficiis manualibus, ſive regulares ſint, ſive ſæculares. Idem ibid. n. 14. § Pro recurſu autem eorundem utriuſque ſexus regularium ad nuntiaturam obſerva regii mandati intimationem à regio ſecretario nuntio apoſtolico factam, de qua infr. c. 36. n. 15.

III.

III. Notabis, 2. Regularibus, etiam ejectis ab abbatiis, vel prælaturis, vel à beneficiis manualibus, ſimiliter recurſum competere. Id. Deluc. ibidem, diſc. 15. n. 8. dec. 97. de benefic. n. 14. et d. dec. 15. n. 11. etiam agit, quando regularibus competat aditus recurſus propter revocationes in genere licentiarum audiendi confeſſiones, ab ordinariis locorum factas, dicens, quod quamvis in libito epiſcopi ſit revocare licentias, vel facultates conceſſas regularibus audiendi confeſſiones ſacramentales ſæcularium, neque exinde detur appellatio, vel recurſus, quoniam id ſequi poteſt ex juſtis cauſis ſibi cognitis per extrajudiciales notitias, et informationes, quas patefacere non convenit; attamen ſi eſſet remotio generalis, puta omnium regularium in genere, ſive omnium profeſſorum illius religionis (quando illi eſſent in aliquo numero conſiderabili) iſta generalitas cuidam livori potius referenda venit. Ideoque Sacra Congregatio reſtitutionem demandare ſolet. Sed de hoc vid. quæ infr. allegat. 58. late expenduntur.

IV. Notabis, 3. Quod quamvis ex non admiſſione ad dignitates in religione, præſertim ſi admiſſio dependeat ex libera per ſuffragia electione, ex natura rei videatur non poſſe intentari recurſus; ſecus tamen dicendum de amotis ſine cauſa, vel ex odio, vel cum gravi dedecore, aut præjudicio, non obſtante, quod officia et beneficia regularia ſint obedientialia, et manualia, Deluc. de benific. d. 97. an. 4. ad 14. attamen in religione Ieroſolymitana, vel ſimilibus militaribus, in quibus commendæ, prioratus, et dignitates non ſunt ex mera gratia, ſed ex juſtitia, ratione antianitatis, vel benemerentiæ, atque dantur in titulum regulariter ad vitam, *Hinc proinde*, ait Deluc. cit. n. 22. *quamvis, ratione obedientiæ, dicantur manualia, attamen id procedit large, ac improprie, ob compatibilitatem cum obedientia; ſed ſine cauſa non datur remotio, atque alias appellatur, vel habetur recurſus ad ſuperiores, quoniam de facto regulari, videtur magis jure beneficiorum ſæcularium, ut advertitur præſertim, dec. 473. n. 10. et ſeq. par. 5. recent. et in aliis ibidem; atque ſi à denegatione beneficii aſſequendi, ſeu à gratificatione alterius concurrentis, datur formalis appellatio cum examine gravaminis, et an uni, vel alteri ex concurrentibus beneficium ſit de juſtitia debitum, ut patet ex iis, quæ habentur ſupra in duplici Melevitana, diſc. 68. et 69. multo magis abſque dubio, ubi agatur de amotione, quæ in religione, ac ſimilibus, non eſt practicabilis ſine injuria, ac dedecore.*

V. Notabis, 4. Quod licet gravamen, aut recurſus non ſit ſuſpenſivus de ſe, ſed per accidens, de quo Mend. à Caſtr. pract. l. 3. c. 19. § 1. et Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 1. prælud. n. 40. attamen in judicio eccleſiaſtico gravamen ab interlocutoria totam cauſam principalem devolvit. Card. Deluc. de judic. diſc. 37. n. 4. et 47.

An autem gravamen ab Ordinario eximat aliquando ab illius juriſdictione? vid. cit. Deluc. diſc. 3. n. 70. ubi dicit, Sacram Congregationem ſolere quandoque concedere generalem exemptionem ſubdito à ſuperiore ordinario, gravamen ad illam, vel ad Papam, aut ad alios ſuperiores, interponenti, litemque cum eo ſuſtinenti, et ob id ſuperiorem recuſanti, eique in recuſatione aliqua objicienti, quæ crimen ſaperent; et tunc ordinario viciniori ſubditum ipſum committere; ſed de hoc certam regulam non habere.

VI. Notabis, 5. Quod ab arbitris, licet recurri poſſit, non tamen facile gravamen interponi, eo quod arbitraria ob mutuam compromiſſionem, et liberam electionem, nequeant faciliter argui de gravamine. Card. Deluc. de donat. diſc. 1. n. 16. diſc. 29. n. 3. de paroch. diſc. 21. n. 6. de juriſd. diſc. 2. ſub n. 5. de fideic. diſc. 207. n. 7. de jurep. diſc. 23. n. 10. de procem. diſc. 8. ſub n. 14. de dot. diſc. 196. n. 1. de benef. diſc. 26. n. 4. Et præſertim ubi agitur de tribunali collegiali; difficilius namque reſpectu illius præſumitur, aut convincitur gravamen, quam reſpectu ſolius judicis. Idem Deluc. diſc. 196. de benefic. n. 2. Nam facilius patratur exceſſus ab uno, quam à pluribus.

VII. Notabis, 6. Quod licet à vicario generali ad epiſcopum appellari nequeat, eo, quod unum cum illo conſtituat, ex c. *Non putam.* de conſuet. in 6. poteſt tamen gravamen interponi ab interlocutoria, vel à non receptione, aut rejectione impedimentorum ſententiæ definitivæ, vel vim definitivæ habente. Themud. cit. 1. p. et 3. dec. 284. n. 4. et colligitur ex doctrin. cit. Deluc. de judic. diſc. 37. et diſcept. 196. de benefic. et reliquis ſupra citatis; et ex ſtylo, tum curiæ, tum reliquarum diœceſium, quidquid nuperus praxiſta Vanguer. aliter teſtetur, p. 3. c. 21. n. 73. et Leyt. de jur. Luſit. ſupr. cit.

VIII. A vicario autem foraneo ad epiſcopum, vel ad ejus vicarium generalem, poteſt gravamen, et appellatio interponi; quia non conſtituit unum judicium cum epiſcopo, ſicut generalis vicarius. Ex gl. in Clem. II. verb. *Foraneo*, de reſcript. cap. *Super. quæſtionum* de offic. delegat. c. *Dilecti* 3. et ubi gloſſ. 2. de *Appellation.* Marant. de ordin. judic. 4. part. diſt. 5. num. 13. et in 6. part. titul. de *Appellation.* num. 383. Zerola in prax. verbo *Vicarius*, verſ. 2. part. 1.

IX. Notabis, 7. Cum Mend. à Caſtr. p. 1. l. 2. c. 1. § 7. n. 17. quod ſi aliquis gravatus fuerit ab inquiſitoribus, tam in civilibus, quam in criminalibus cauſis, quæ ad eos pertinent, recurrere debebit ad ſupremum ſanctæ et generalis inquiſitionis ſenatum, vel ad eminentiſſimum inquiſitorem generalem, ut per Simanc. de catho. inſtit. c. 36. Ab hoc autem rectiſſimo tribunali non permitti recurſum ad regem, ex reg. ordin. lib. 1. tt. 12. § 5. et 6. et ex aliis, infra dicetur, c. 34.

X. Pro gravaminibus autem à judicibus ſæcularibus ad ſuperiores ſæculares intentandis; obſerva, 1. ex Leyt. de gravam. q. 3. n. 40. gravamen irreparabile dici illud, *Quod reparari non poteſt per appellationem à definitiva, quamvis ex natura ſua reparari poſſet: etiamſi poſſit ceſſare per definitivam; et etiamſi leve ſit præjudicium, quod cauſat: etiamſi conditionaliter tantum inferatur, etiam de futuro. Etiamſi conſiſtat ſolum in denegatione modi agendi, vel defendendi.*

XI. Obſerva, 2. ex eod. q. 5. gravamen in proceſſu inutile eſſe, quando interlocutoria pronuntiat dilatione probati, et actorem non eſſe audiendum: et interponitur tantum à condemnatione expenſarum retardationis; atque etiam ab interlocutoria pronuntiante non probari exceptionem peremptoriam in vim dilatoriæ oppoſitam; et inſuper ab interlocutoria, quæ profertur ſuper attentato; cum diſtinctionibus tamen apud eund. Leyt. videndis ead. q. 5. n. 21. et ſeqq.

XII. Obſerva, 3. ex eod. q. 6. n. 39. à ſenatu non poſſe gravamen interponi *propter ordinationem non obſervatam*; poſſe vero à ſenatore, et tunc cognitio pertinet ad rectorem juſtitiæ, et in ſenatu Portucalenſi ad gubernatorem cum quinque ſenatoribus, q. 5. n. 88. Ab ipſo autem ſenatu Portucalenſi etiam non interponitur in cauſis ibi introductis, q. 6. n. 11.

XIII. Obſerva, 4. ex eod. q. 6. n. 91. gravamen ſolum interponendum eſſe in caſibus in ordinatione expreſſis; qui quidem quot, et quales ſint, numerat ipſe Leytam, q. 5. n. 41. et minime denegari poteſt per judicem à quo, etiamſi gravamen injuſte interjiciatur, q. 6. n. 84.

XIV. Denique obſerva notabilem doctrinam ejuſdem, q. 6. n. 18. ibi: *Debent tam judices, quam advocati, cæterique in foro verſantes attendere, ne gravamina interponantur, ubi appellatio eſt interponenda; nec reſtringere debent regulas juris, facileque recurrere ad gravamina, quorum remedium raro habet locum, imo, ſecundum noſtram opinionem, ſolum, quando lex noſtra illud interponendum expreſſit, et nos referemus omnes caſus, in quibus ordin. gravaminis remedium conceſſit ad fin. hujus quæſtionis, ut facilè conſtare poſſit, in quibus caſibus eo ſit utendum, et extra illos recurrendum, vel ad appellationem, vel ad gravamen in proceſſu tantum, ſecundum interlocutoriarum naturam, et regulas ordinat. dict. tit. 69. et dict. tit. 2. § 46.*

Neque obſtat, ſi dicatur ex adverſo ſtylum et praxim jam admiſiſſe gravamen, de quo agimus, interponi in pluribus caſibus in ordinat. non expreſſis. Nam licet negare non poſſumus maximam eſſe praxis authoritatem, ut deducitur ex text. in l. Minime, ff. de legibus, et in leg. Filius emancipatus, ff. ad leg. Cornel. de falſis, et in § penultimo inſt. de ſatisdat. et in leg. Labeo 11. ff. de ſtatu lib. et apud nos ex ordinat. lib. 3. tit. 64. in princip.

princip. et lib. 1. tit. 1. § 37. Pinelo, qui pluribus exornat in leg. 2. c. De reſcind. 2. p. cap. 4. num. 2. Gama deciſ. 228. Paz in praxi in initio per tot. Gratian. diſcept. forenſ. tom. 1. diſcept. 191. num 2. et diſcept. 100. num. 61. poſt part. in leg. juriſperitos in fine princip. ff. de excuſat. tit. Afflict. deciſ. 136. per tot. et ex congeſtis per Barb. ad dict. ordinat. tit. 64. in principio.

XV. *Tamen neque in re iſta datur ſtylus, aut praxis conformis, nec ſupradicta locum habent in qualibet praxi, quolibetumve ſtylo; nam ut hic alicujus ſit momenti, plura ſunt neceſſaria. Primum, ut juri non ſit contrarius; alias enim robur non habebit, Phœbus, 2. p. deciſ. 125. n. 8. cum ſequentib. Thom. Valaſc. allegat. 76. n. 71. Mendes à Caſtro in praxi, 1. p. ad fin. fol. 387. in mea impreſſione; atqui ſtylus, de quo agimus, eſt juri, et regulis ordinationis contrarius, ut ſupra probavimus: ergo ſuſtineri non poteſt.*

Deinde ſtylus, ut habeat authoritatem, debet eſſe apertus, notorius, et non varius, Gom. in proœmio regular. cancel. num. 17. Rebuf. de conſuet. art. 7. gloſ. 13. num. 54. Caſſador. deciſ. 13. deprehend. et ille omnino eſt refellendus, qui modo niger eſt, modo albus, Ferret. conſ. 58. n. 19. Felinus in cap. Rodulphus, num. 22. dereſcript. Mandoſ. regula 33. quæſt. 8. num. 5. Garcia de benef. 1. p. cap. 5. num. 87, et 88. Et ſi bene attendimus, nihil magis varium, magis turbidum quam res iſta, in qua non certitudo aliqua, aut ſtabilitas, ſed varietas libera, et confuſio maxima invenitur.

XVI. *Præterea, quia ſtylus eſt quædam conſuetudinis ſpecies, in cujus introductione requiritur judicium contradictorium, ſcilicet, quod fuerit dubitatum, et controverſum, an ſtylus ille deberet obſervari, et judicatum pro ejus obſervantia, ſaltem tacite, ut de conſuetudine reſolvunt Surdus conſ. 393. n. 2. Decianus conſ. 51. per tot. Valaſc. conſc. 162. num. 10. cabed. 1. p. decis. 51. num. 7. et in ſpecie de ſtylo Caputaquenſ. deciſ. 711. lib. 1. in manuſcript. Et quidem nec id interveniſſe ſcimus, nec in propemodum infinitis caſibus id fieri poteſt, aut ſtylus, vel praxis certa allegari.*

Tandem contra ſtylum, ſiquis in hac re poſſet allegari, facit text. in auth. de moderatore Helenoponti, collat. 10. conſt. 28. ubi docemur ea, quæ rationabiliter ab antiquis fuerunt obſervata, non quæ ſine ratione introducta, obſervanda eſſe; unde in effectu malam praxim exulandam, dixit Bald. in l. Quicumque, verſ. et ideo ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſdictio, Alciatus de præſumpt. præſumpt. 30. Facit optime reſolutio regia, de qua Pereira de Caſtro de man. reg. 1. p. ſub tit. ad finem libri. Rezolucoens, que ſe tomarao, &c. Rubrica ſobre os eſtillos, ubi jubentur obſervari ſtyli cum illa declaratione, ſe forem bons; qui enim juri non ſunt conformes, quis eos probare poteſt? Et conducit ad rem iſtam; nam licet plurimorum in contrarium ſtet ſine ratione opinio, et obſervatio, non ideo, quia multorum ſequenda, cum poſſit unius forſan, et deterioris ſententia, et multos, et majores, aliqua in parte ſuperare, ut alias dixit imperator Juſtinianus in lib. 1. c. de veteri jure enucleando, digna ſane tanto principe ſententia, quæ liberum à Deo homini conceſſum arbitrium, et intellectum relinquit, quæ ſtudioſis, et ingenioſis, verum meditandi occaſionem præbet; quæ veritatem et rationem non obſervantiam, aut errorem introductum, defendit. Attendendum igitur ſemper non ad ea, quæ fieri ſolent, ſed ad ea, quæ fieri debent, ut admonet, 1. Conſ. in l. Sed licet ff. de offic. præſid. præcipue in re, de qua agimus; nullatenus enim datur ſtylus, nec in caſibus eam diverſis poteſt dari, aut conſiderari talis, ut non ſit abjiciendus.

Et ſane hic tacere non poſſum, ſtylum imperitorum refugium miſerum eſſe ſolere; in his enim, quorum ſubſtantiam non percipiunt, ſtatim confugiunt ad illam ineptiſſimam allegationem, Sic multi, et graves judices fuerunt, non debemus credere nos illis eſſe ſapientiores; et quod intolerabilius, ſi forte aliquando ipſi novam probant opinionem contra ſtylum, et communem, ipſi aperte proclamant, nihilo faciendum ſtylum, aut communem contra veram juris et rationis philoſophiam. Quam tamen mordicus reſpuunt, quando ab aliis nova ſubtilis, et vera proponitur opinio, ut ſic obſcuretur illorum gloria, et ipſorum, qui illud non perceperunt, inſipientia contegatur. Libere igitur, et laudabiliter, ſtudioſis philoſophari liceat; non enim vulgo, ſed unius docti exiſtimatio eſt quærenda.

Corollaria.

XVIII. Ex præmiſſis facile deduces ſequentes generales reſolutiones: 1. ſcilicet, Recurſum, et gravamen, eſſe quidem actiones notorie diverſas; nam licite per modum miſericordiæ recurri poteſt à pœna juſte inflicta, non vero ab illa gravamen interponi per modum querelæ, aut querimoniæ, juxta ſuperius tradita, n. 5. c. 1. et c. 7. 2. Recurſum latius patere, quam gravamen; non enim ab omnibus, à quibus recurritur, gravamen interponitur, ut patet in miniſtris S. Inquiſitionis, ſecundum doctrinam ſupr. n. 9. et infr. c. 36. et in renuntiantibus gravamini, gravamini, qui etiam recurrere valent, juxta dicta numero 9. c. 1. et in ſententiis juſtis definitivis vicariorum generalium, et aliorum judicum eccleſiaſticorum, a quibus ad epiſcopum neque appellatur, neque aggravatur, ſed ſimpliciter recurritur, juxta præmiſſa, n. 12. c. 1.

3. Ut pars valeat gravamen interponere à judice ſæculari ad ſuperiorem ſæcularem, vel ab eccleſiaſtico ad ſuperiorem eccleſiaſticum, non prærequiri violentiam, etiam ſimplicem, et multo minus notoriam, ſed ſufficere injuſtitiam ſimplicem, vel incurialitatem, aut inobſervantiam, vel præteritionem ſtyli, vel denegationem aliquam circa modum agendi, vel defendendi, ſecundum doctrinam Leytam, ſupr. n. 10. et aliorum cum communi; ſignanter, Peg. Per. Coſt. de ſtyl. et alii infer. cit. de quo etiam infr. cap. 17, 18. et 37. et c. 7.

Ad fundandum vero recurſum a judice eccleſiaſtico ad incompetentem ſæcularem, puta ad regem, omnino, et eſſentialiter, prærequiri gravamen, nedum injuſtum, ſed et violentum, non quidem violentiam ſimplicem continens, ſed qualificatam, videlicet undequaque notoriam, quæ nulla tergiverſatione celari, aut prætextari poſſit, juxta dicenda c. 12. et ſeqq.

4. Quod licet, ſecundum doctrinam Monacell. 3. p. 3. tt. 1. form. 48. de qua infr. c. 4. et c. 33. ordinarius procedere poſſit adverſus conſervatorem citantem miniſtrum curiæ ordinarii cum comminatione cenſurarum, eo quod talis citatio gravamen inferat, quod non niſi per appellationem reparari valeat; non hinc etiam ſequitur, quod à quolibet gravamine judicis ordinarii eccleſiaſtici poſſe recurri ad tribunal ſæculare, ſicut recurri poteſt ab hoc gravamine judicis conſervatoriis, de quo infr. c. 34.

Ratio diſparitatis eſt, 1. Quia neque rex cognoſcit de injuſtitia judicis ordinarii, ſed de violentia notoria; neque à qualibet violentia iſtius recurritur, ſed à qualificata et manifeſta, juxta dicenda c. 12. Cum autem conſervator neque in re ſit judex, nec datus, niſi pro tollenda violentia undequaque manifeſta, ſi quomodolibet excedat, aut delinquat, reputatur, ut privatus, et ſine juriſdictione procedens, atque adeo vim inferens, et ſubjacens juſtæ animadverſioni ordinarii, et principis ſæcularis, providæ reſiſtentiæ, juxta tradita c. 3. et 4.

2. Quia facilius recurritur ad regem à gravamine judicis conſervatoris, quam judicis ordinarii, ob rationes expoſitas c. 34. n. 2. unde ad fundandum recurſum ad principem ſæcularem à conſervatore, ſufficit gravamen injuſtum, cum in re judex non ſit, et procedens pro violentia non undequaque notoria, et manifeſta, ut privatus, et abſque juriſdictione notoria procedat, atque adeo ei utique authoritate publica, vel privata, reſiſti poſſit, juxta ſtabilita c. 11. et 13. at vero cum judex ordinarius re ipſa judex vere et proprie ſit, et habet pro ſe juris præſumptionem, et juriſdictionem quoad omnes intra diſtrictus ſui limites conſiſtentes, in jure ipſo fundatam, nequit ab eo recurri, niſi in caſu violentiæ undequaque manifeſtæ, et nullatenus prætextabilis, aut tergiverſabilis, ſecundum ſtatuenda c. 12. et ſeqq.

Adde quod præſumptio juris ſtat contra conſervatores, ex c. fin. de offic. deleg. in 6. quippe qui *facultates ſuas ſolent excedere.* Præſumptio autem habetur pro veritate, l. *Quicumque*, cod. de apoch. publ. et relevat ab onere probandi, l. fin. ff. quod met. cauſ.

DISTINCTIO II.

De Recursu ab Ecclesiastico ad Ecclesiasticum Competentem, sed improprie, Judicem puta Conservatorem.

CAP. III.

Præmittuntur aliqua pro Licitudine et Qualitatibus Recursus ad Conservatores Regularium, et eorum Judicii.

SUMMARIUM.

I. *Conservatores regularium improprie* judices *vocitantur, cum proprie sint tantum* viri potentes, et auxiliatores extradelegati.

II. *Rotta nunquam approbavit recursum ad regem, ut* ad judicem, *sed ut* ad privatum *et* potentem.

III. *Conservatores tamen Ierosolymitani, et Societatis, in causis passivis, et restrictis, dicuntur* judices.

IV. *Licet plus deferendum D. uni specifice scribenti, quam mille generice loquentibus, non tamen P. Monetæ de conservator. Et,*

V. *Ex consimili ratione parum fidendum authoritatibus regularium, in causa propria, et aliorum DD. inconsultationibus.*

VI. *Conservator munus suum excedens, ab officio, ipso jure, suspenditur, et excommunicatur, si implicet ordinarii jurisdictionem, et ab eo plectitur, et pars id procurans effective excommunicatur, nec absolvitur, quin prius satisfaciat.*

VII. *Causæ, et casus restricti, de quibus cognoscunt conservatores.*

VIII. *Ut excedat conservator, sufficit quod exequi faciat citationem, contra curiam ordinarii cum comminatione censurarum.*

IX. *Conservatores nequeunt annullare censuras cujusvis judicis ordinarii, aut delegati; bene vero ordinarius cujuslibet delegati excedentis in suo territorio.*

X. *Pœnæ in conservatores, et partes procurantes, fulminatæ, cum latæ sint, possunt ab ordinariis denunciari, etiam in causis dubiis, et requirentibus altam indagationem.*

XI. *Licitus est recursus ad conservatores legitimos, et in manifestis violentiis, et in causis passivis, et absque excessu, procedentes.*

XII. *Possunt regulares deputare conservatorem pro injuria determinata, dummodo notoria sit, minime vero quando ordinarius adversus illos procedit, ut executor juris ordinate, et in reliquis casibus, in quibus ordinario subjiciuntur.*

I. POST recollectionem definitionis supr. prælud. 2. n. 5. nempe *supplicatio, seu confugium ad potentem virum, vel executorem extradelegatum, pro manifestis injuriis, ac notoriis violentiis præcise tollendis, vel reparandis:* Ubi nota limitationem illam *præcise*, indicantem jurisdictionem conservatoris esse unice pro tollenda præcise injuria manifesta, vel pro præcise reparanda. Sufficit enim quandoque ut reparet, aut impediat, esto absolute non tollat, ut in prosecutione appellationis, gravamine suspenso:

II. Præmittendum est, 1. Conservatores regularium improprie judices appellari, cum revera judices non sint, sed tantum *viri potentes, et auxiliatores, assistentes religiosis, ut eos à manifestis injuriis et violentiis tueantur.* Ita Cirin. nex. utr. jur. c. 6. n. 22. citans Deluc. 1. p. de jur. et for. cum p. disc. 49. n. 5. Peg. de compet. 1. p. c. 50. n. 40. Cum enim conservator sit judex datus, et restrictus cum simplici jurisdictione mere pro injuriis ac violentiis manifestis extrajudicialiter tollendis, judex reapse non est; et licet sit delegatus, ex c. *Statuim.* de offic. deleg. in 6. non delegatur, ut *judex*, sed ut *vir potens*, et auxiliator. Potest enim dari legatus, qui non sit judex, neque jurisdictionem habeat, ut ait Molin. de jurisdict. tr. 5. d. 9. Quare à Mend. a Castr. pract. p. 2. l. 2. c. 3. conservator appellatur *Judex extradelegatus, et executor.*

III. Imo Salgad. de reg. prot. prælud. 2. n. 282. aperte testatur, etiam recursum ad regem pro tollenda violentia, et inhibitionibus obtinendis, nunquam permissu mfuisse à Sacra Rotta, *ut ad judicem*, sed tantum ut *ad privatum*, et *potentem.* Et hac de causa, c. 2. de offic. deleg. in 6. *conservatores* non veniunt appellatione *judicum*, imo ab his segregantur, verbis ibi: *A judicibus*, vel *conservatoribus*, ub. glos. infert, per appellationem *judicum*, non apprehendi conservatores. Confirmatur ex c. 1. eod. tt. ibi: *Nec alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.* Ubi non *jurisdictionem*, sed *potestatem* simpliciter in eis agnoscit, quæ tamen ad judicialem indaginem minime extenditur.

IV. Conservatores tamen religionis societatis Jesu, et Ierosolymitanæ (inquit Monacelli, tom. 1. in append. ad Const. IX. Gregor. XV. n. 2.) *quæ habent indulta ampliora, nec revocata, nisi in ea parte, et causis, in quibus sunt actores, dicuntur judices, quia habent facultatem cognoscendi omnes causas, in quibus hujusmodi regulares sunt rei, ut firmat Deluc. de regular. disc. 51. num. 1, 2. et 15. et disc. 52. num. 11. et de jurisd. disc. 49. n. 7.*

V. Præmitt. 2. Quod licet Petrus Moneta codicem, seu tractatum late scripserit de conservatoribus, et plus deferendum sit uni doctori loquenti in specie, et ex professo, quam mille loquentibus generice, vel perfunctorie, et per transennam, ut tenent Oliv. de for. eccles. p. 1. q. 12. n. 38. Menoch. præsumpt. 72. Sanch. in Decal. l. 2. c. 9. n. 9. Navarr. in man. c. 27. n. 286. et communiter DD. in c. *Ne innitaris*, de Const. et alii cit. infr. attamen nimium fidendum non est in authoritate ac doctrina præfati Monet. ob rationem, quam affert Card. Deluc. de jurisd. disc. 4. sub. n. 9. ibi: *In contrarium adducebatur specialis authoritas Monetæ in tract. de conservator. d. c. 6. ubi in specie confutando Antoninum loco supra allegato, dicit sufficere, quod vivatur in domibus commendarum, et prioratuum. Verum ista authoritas omnino spernenda videbatur, quoniam cum casus dedisset, ac Antoninus tanquam vicarius generalis Papien. ad aliquos actus processisset contra ipsummet Monetam, qui tanquam conservator privilegiorum plura sibi assumebat, fimbrias dilatando, ut liquet ex dicta Antonini resolutione super hoc edita; idcirco ipse tanquam pars interessata, et ad propriam defensionem, tanquam per speciem apologiæ illa scribere curavit; unde propterea nulla fide dignus est, potissime dum nullum deducit solidum fundamentum, vel rationem convincentem.*

VI. Ex consimili, et consequenti ratione, etiam parum fidendum in scriptis et authoritatibus DD. regularium, fimbrias potestatis suorum conservatorum plus justo protendentibus, ac dilatantibus, tum quia causam propriam tuentur, tum quia plerumque ordinariæ jurisdictioni sunt infensi, ut animadvertunt Deluc. miscellan. disc. 16. n. 12. et de jurisd. d. 29. Pignatel. tom. 2. cons. 21. n. 6. Ventrigl. p. 1. ann. 48. n. 134. Monacell. p. 3. form. 6. n. 14. tt. 3. et ead. p. 3. in app. decr. Clem. X. pro can. regul.

n. 5.

n. 5. Hi namque redduntur ſuſpecti ratione præſumptæ affectionis erga religionem, pro qua ſcribunt. Idem judicium facit id. Deluc. de DD. ſcribentibus *per conſultationes* in favorem alicujus partis, cui hac de cauſa plus juſto ſolent deferre; unde abſolute concludit, diſc. 166. de dot. n. 37. Quod *conſulentium authoritas ſuſpecta eſt, et non attendenda.* Id. de don. d. 19. n. 10. et de cred. d. 154. n. 3. et de feud. d. 53. n. 6. et 127. ubi etiam adverſus ſemetipſum loquitur, dum conſultus ſcriberet.

VII. Præmitt. 3. cum eod. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 7. Quod controverſiæ, et ſcandala, quæ indies oriuntur inter conſervatores regularium, et ordinarios locorum, ut plurimum procedunt ex imperitia eorumdem conſervatorum, ut obſervat Fagn. in d. c. *Si clericus*, n. 55. de for. comp. Ideo in d. conſt. Gregorii proviſum fuit, quod ſi quæ inter judices conſervatores hujuſmodi, et locorum ordinarios, controverſia ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, *Nequaquam* (ſunt verba Bullæ) *in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos ſuper juriſdictionis competentia, fuerit judicatum. Unde, ſi talis diſpoſitio ſervabitur, prout ſervatam hic ſuppono, clauſum erit oſtium ſcandalis:* claudit cit. Monacell.

VIII. Præmitt. 4. cum Cirin. d. c. 6. n. 31. et 32. Quod ſi e laribus ſuæ commiſſionis et juriſdictionis conſervator exierit, à ſuo conſervatoris munere per annum ſuſpenditur, ex allata Gregor. XV. conſtit. et favent Suares, et Lezan, et alii per Pellizzar. d. § 4. quæſt. 38. n. 143. ſi ſcienter exceſſerit: at ſecus, ſi ignoranter: ibidem, etiamſi ſupina fuerit ignorantia: non tamen temeritas: Peyrinus, tom. 2. privil. conſtit. 5. Gregor. XV. n. 6. Pelizzar. n. 144. Alvar. Valaſc. conſult. 152. n. 2. par. 2. Antonell. n. 2. Et ſi epiſcopi loci ordinarii juriſdictionem implicaverit, conſervator iſte itidem *ab epiſcopo plectatur, et cenſurarum mucrone feriatur:* Seſſe d. cap. 1. § 1. n. 30. Nam *ut privatus reputandus eſt tunc conſervator:* Menoch. præſumpt. 67. n. 13. 16. lib. 2. Navarr. in d. cap. *Cum contingat*, remed. 4. de reſcript.

Pars autem ſi procuraverit, ut conſervator exceſſum committeret; ipſo facto in excommunicationem ruerit; cap. fin. de offic. deleg. in 6. *effectu tamen ſequuto:* Bonac. de cenſur. in par. quæſt. 2. punct. 35. n. 3. Barboz. allegat. 106. n. 49. et alii per Antonell. n. 8. *Nec ab ea abſolvitur, niſi pars vexata fuerit de expenſis ſatisfacta:* ut innuit Gregor. XV. in adducta conſtitutione, § 8. et fin. Peyrin. n. 65. ibidem; et de reſervatis ſum. Pontifici excommunicatio erit, ſi pars adhuc non fuerit ſatisfacta, inſinuat Pellizzar. n. 145. in fine.

IX. Ex cedit autem officium ſuum conſervator, quando ſe ingerit in cauſis, quæ non reſpiciunt manifeſtas injurias, et violentias, quæ de facto inferuntur religioſis, aut bonis monaſterii, ad quas reſtringitur juriſdictio, ut habetur expreſſe in d. c. fin. de pot. jud. deleg. in 6. ubi DD. communiter: nec ullo modo extenditur ad cognoſcendum de injuriis illatis eorum familiaribus, et agentibus: quia antiqua nonnullorum regularium privilegia conſervatoriarum, quæ forte talem facultatem tribuebant, tum à concilio Trid. tum à d. conſtitutione Gregorii, in hac parte abrogata fuerunt, ut ingenue fatetur contra ſuos Donat. prax. rer. regular. tom. 1. par. 2. tract. 17. de conſervat. quæſt. 14. Ideoque ſi eorum coloni accuſentur, et conveniantur in tribunali ordinarii eccleſiaſtici pro damno dato (qui eſt caſus figuratus in formula) ſive illato ſine dolo, ſive illato doloſe, et ſtudioſe, non poteſt conſervator ſe ingerere, etiam ſi colonus carceretur: quia colonus non eſt bonum mobile monaſterii. Vide Monacell. cit. form. 48. n. 19.

X. Qui etiam ibidem, n. 5. ait, ſufficere, ut conſervator exequi faciat citationem cum comminatione cenſurarum contra curiam epiſcopi, ad hoc ut dici valeat, quod in ſuis facultatibus exceſſerit, et pœnam ſuſpenſionis ab officio incurrerit: quia cum executio citationis ſit actus juriſdictionis contentioſæ, et de judiciali proceſſu, Fagn. in c. *Conqueſti*, n. 55. de feriis, lædit juriſdictionem ordinarii: et facta cum comminatione cenſurarum, infert injuriam, et gravamen irreparabile, ut mederi non poſſit, niſi per appellationem, Fagn. in c. *Super eo*, il. 2. n. 24. de appellat. niſi illico ex ignorantia et inadvertentia id eveniſſe conſtaret, alias ſcienter feciſſe præſumitur, ut in terminis advertit Banacin. de excom. extr. bull. Cœn. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 35.

XI. Præmitt. 5. Conſervatores non poſſe annullare cenſuras cujuſvis judicis delegati, et multo minus ordinarii, cum tantum habeant poteſtatem procedendi in injuriis manifeſtis extrajudicialiter. Themud. dec. 352. n. 4. ubi refert judicatum ann. 1647. Poteſt tamen ordinarius ſe intromittere in juriſdictionem cujuſlibet delegati excedentis in ſuo territorio, et illum punire, atque ejus cenſuras annullare. Id. Themud. dec. 53. per tot.

XII. Præmitt. 6. Quod pœna ſuſpenſionis conſervatoris, contenta in conſt. Gregor. XV. ſicut et alia excommunicationis, quoad partem procurantem, cum ſint latæ ſententiæ, rite poſſunt ab ordinario denunciari; et non ſolum in caſibus, in quibus clarum eſt, conſervatores juriſdictionem non habere; ſed etiam in aliis cauſis dubiis, et requirentibus altiorem indaginem, in quibus ſe ingerere non poſſunt, ut advertit Pirning. in jus can. lib. 1. tit. 29. n. 209. et 211. imo cognoſcendo de injuria ſimplici, quam conſervator non defendit, ſed qualificatam tantum, hoc eſt, notorium, Riv. dec. archiep. Neap. 258. n. 9. et ſeqq. par. 2. Donat. loco ſupra citato, quæſt. 8. n. 24. Cum enim conſervatoriæ ſint odioſæ, et reſtringendæ, injuria, de qua loquitur text. in d. c. fin. non ſumitur large, hoc eſt, *pro omni eo, quod non jure fit, et damnum cauſat regularibus, ſed ſtricte, proprie, et ſpecifice, pro injuriis, quæ fiunt violentia, aut contumelia*, ſcilicet per vim aliquid auferendo, à poſſeſſione expellendo, ad aliquid faciendum, quod ſponte quis non erat facturus, compellendo, vel pacificam poſſeſſionem turbando, ut bene hic advertit notabiliter Donat. loco ſæpe citato, quæſt. 8. n. 5. et ſeqq. quæſt. 11. n. 6. quæſt. 16. n. 1. et quæſt. 26. n. 2. Ita Monacell. cit. p. 3. form. 48. n. 26.

XIII. Ex his claret jam reſolutio pro licitudine recurſus ad conſervatorem regularium; qui quidem licitus erit, ſi ſit *de manifeſtis injuriis, ac violentiis, in cauſis tantum paſſivis, et non activis*, ad conſervatorem peritum, rite, ac recte electum, et partibus non ſuſpectum, neque ut talem recuſatum, minime facultates ſuas excedentem, aut in proceſſu delinquentem, et nullatenus juriſdictioni ordinarii implicantem. In iſtis circumſtantiis licitus quidem erit recurſus; in defectu alicujus earum, abſolute illicitus; et partes recurrentes, et in exceſſum conſervatoris cooperantes, ſubjacebunt proculdubio et incurſioni pœnarum prædictarum, et juſtæ punitioni judicis ordinarii, juxta ſuperius ſtatuta.

XIV. Hic animadvertere, quod licet regulares valeant conſervatores deputare pro offenſa, atque injuria determinata, quæ tamen manifeſta et notoria ſit, ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de reform. nequeunt tamen conſervatores eligere, quando ordinarius præcipit eis decreta aliqua concilii Trid. obſervare: neque quando adverſus illos procedit, juris ordine ſervato, in caſibus, in quibus regulares ordinariis ſubjiciuntur, ut reſpondit S. Congregatio in cauſa Angelopolitana, ad dub. 1. et 2. in bulla *Cum ſicut*, Innoc. X. pro ead. cauſa, et apud Monacell. p. 1. in append. n. 9. et 10. et Tondut. de prævent. et infr. alleg. 34. et ſeqq. et 55. ac 56.

Pro uberioris tamen in hac re doctrinæ notitia, illam ſequenti cap. proſequemur.

CAP.

CAP. IV.

Pro obſervandis ex parte Electionis, et Proceſſus Conſervatorum Regularium.

SUMMARIUM.

I. *Formula electionis conſervatorum remiſſive.*
II. *Debet eſſe reſtricta ad quinquennium, pro quo proſequitur, etiamſi vicarius generalis electus à vicariatu deponeretur.*
III. *Soli judices ſynodales et canonici, vel dignitates cathedralium, non tamen eccleſiæ collegiatæ, et minime guardiani, et priores Mendicantium, imo et abbates non perpetui, eligi poſſunt in conſervatores.*
IV. *Conſervator datur regularibus adverſus eorum privilegia notorie infringentes, et injurioſe lædentes.*
V. *Electionis inſtrumentum exhibendum eſt coram ordinario, alioquin coram eodem conveniendum. Quid importet illud* exhibere?
VI. *Quid ſit actio* ad exhibendum *hic?*
VII. *Coram quo judice impedimenta literis deputationis objectæ agitari, et proſequi debeant, et pro damnis, atque intereſſe?*
VIII. *Si impedimenta objicientur à promotore juſtitiæ pro parte ordinarii, ad arbitros eſt deveniendum.*
IX. *Ordinarius poteſt eſſe judex per viam tuitionis in cauſis eccleſiæ, et propriæ menſæ.*
X. *Præſertim ſi procedat extrajudicialiter.*
XI. *Quando regulares à principibus poſſint petere judicem non ſuſpectum.*
XII. *Regulares nequeunt eligere conſervatores adverſus proprios ſuperiores regulares; neque adverſus alios regulares ejuſdem ordinis.*
XIII. *Improbantur duo prava exempla nuperrima in contrarium.*
XIV. *Facultas eligendi conſervatores præſcribi poteſt.*
XV. *Conſervatores vices ſuas nulli alii committere poſſunt, niſi ſpecialiter id eis concedatur.*
XVI. *Conſervatores legitimi nequeunt procedere, quin prius ſaltem ſummarie per teſtes eis conſtet de notorietate violentiæ, et ſuper ea pronuntiare.*
XVII. *Quam ſi non inveniant eſſe notoriam, ſe incompetentes pronuntiabunt; et hæc eſt praxis.*
XVIII. *Pati etiam debent recuſationem, ad quam intentandam, non eſt neceſſe, ut conſervator incipiat procedere, ut de jure civili municipali.*
XIX. *Ab utraque ſententia conſervatoris poteſt appellari ad Papam, non vero ad legatos à latere.*
XX. *Poteſt etiam ab eo recurri ad regem, vel ad ordinarium loci; et quando.*
XXI. *Ordinarius loci poteſt conſervatorem excedentem, nedum punire, et in pœnas conſtit. Gregor. ſed in cenſuras juris incurſum declarare; et quando.*
XXII. *Conſervator in dignitate epiſcopali non conſtitutus, nequit procedere adverſus epiſcopum quemlibet, niſi ſit à Sede Apoſtolica immediate electus.*
XXIII. *Conſervatoris juriſdictio non expeditur, niſi per exhibitionem litterarum coram ordinario.*
XXIV. *Licet conſervator facultatem haberet ad erigendum tribunal, et notarium ſpecialem creare (quam certe non habet) minime ea uti poſſet, niſi poſt conſummatam literarum exhibitionem, ſub pœna lata ſuſpenſionis, et aliarum.*
XXV. *Quamvis conſervator ullum tribunal habere, aut ullum notarium creare non poſſit, ex notariis tamen jam creatis poteſt quem maluerit eligere, vel aſſumere.*
XXVI. *Ex Donat. conſervator debet examinare teſtes ſuper qualitate notorietatis injuriæ; qua qualitate deficiente, debet ſe incompetentem pronuntiare.*
XXVII. *Nequit ſe intromittere in occultis, aut dubiis, alias pœnas incurrit; et in delicto notorio cum ignorantia authoris, procedit per inquiſitionem generalem, non ſpecialem.*
XXVIII. *Reo factum negante, vel excuſante, debet probationes recipere ſuper notorietate; quam quidem negante reo, factum tamen plene confitente, procedit adverſus illum, ſi nedum factum, ſed et injuria notoria ſit.*
XXIX. *Debet conſervator procedere civiliter, et non criminaliter.*
XXX. *Etiam procedens civiliter poteſt cenſuris uti, brachium ſæculare implorare, et alia neceſſaria peragere.*

I. FORMULAM electionis exactiorem reperies apud Monacell. p. 3. form. 50. et apud Donat. tom. 1. p. 2. tr. 17. q. 32. qua utere, et non errabis. Et ex ea facile conjicies, hanc electionem, vel deputationem, ex more, ac de jure, debere fieri à prælato regulari cum capitulo, ſeu concilio, ex c. *Quod omn. tangit*, de reg. jur. in 6. Cirin. d. c. 6. n. 22. Piaſec. p. 2. c. 3. n. 43. Panimol. dec. 84. n. 3. Donat. cit. Pellizzar. man. regular. tom. 2. tr. 8. c. 8. ſeſ. 4. n. 86.

II. Conjicies, 2. Deputationem debere eſſe reſtrictam ad luſtrum, ſeu quinquennium, ex Trid. c. 5. ſeſ. 14. de reform. Gav. man. prælat. verb. *Conſervator*; ubi dicit, literarum conſervatoriarum beneficium non valere ultra quinquennium. Cirin. cit. qui addit, n. 32. quod conſervator taliter electus amoveri non poſſit, durante quinquennio, niſi cum cauſa legitima, à Sede Apoſtolica, vel ab ordinario loci, approbata; nimirum ob negligentiam, impotentiam, vel inimicitiam: et in capitulis provincialibus mutantur; Piaſec. p. 2. c. 3. n. 43. Panimol. n. 3. ex Conſt. Gregor. XV. § 15. Et ſi vicarius generalis epiſcopi electus fuerit, etiamſi à vicariatu fuerit depoſitus, continuat uſque ad quinquennium integrum: Sanch. de matrim. lib. 8. diſtinct. 27. n. 22. Pellizzar. n. 103. ubi de probabili edocet.

III. Conjic. 3. cum cit. Monacell, n. 3. Quod eligendus non ſolum debet eſſe in aliqua dignitate conſtitutus; ſed etiam copulative requiritur, quod ſit judex ſynodalis, ut expreſſe habetur in hac conſtitutione, § 2. ibi: *Ita ut dignitate eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel cathedralium canonici exiſtant: ſed etiam in conciliis provincialibus, ac diœceſanis, juxta decretum concilii prædicti, judices electi, ſed deſignati ſint.* Et ideo canonici collegiatæ, etiamſi ſint in dignitate conſtituti, et doctores, quia conſtitui non poſſunt judices ſynodales, in conſervatores eligi non poterunt, ut de veriori Barboſ. de offic. et pot. epiſc. alleg. 106. n. 12. tenet; quem ſequitur, pluribus aliis allegatis, Donat. prax. rer. regular. tom. 1. par. 2. tract. 17. de conſervat. quæſt. 28. n. 2, 3. et 4. Niſi tamen agatur de religione Hieroſolymitana, quæ ex indulto Alexandri Papæ VII. conceſſo 17 Maii 1655. perſonas eccleſiaſticas in conſervatores eligere poteſt, etiamſi in conciliis provincialibus, vel diœceſis, judices deſignati non ſint. Unde Pignatell. tom. 1. c. 165. et tom. 10. c. 96. n. 7, 8. et 9. tenet, quod guardiani, et priores Mendicantium, et alii conſimiles regulares, imo et abbates, qui non ſunt perpetui, nequeunt eligi in conſervatores; et quod epiſcopus poſſit in illos procedere, ſi non doceant de facultate.

IV. Conjic. 4. et convincitur etiam ex c. 1. et ult. de offic. deleg. in 6. Conſervatorem vel datum eſſe, ut aliquos tueatur adverſus eos, qui eorum privilegia notorie et violenter infringunt, vel extenſius, ut illos defendant ab injuriis, et offenſis manifeſtis, ut tenent Hoſt. et Innoc. in d. c. 1. et ult.

V. Conjic. 5. Quod *hujuſmodi electionis, ſeu aſſumptionis inſtrumentum penes acta curiæ ordinariorum tenentur regulares exhibere, et dimittere; alioquin coram ipſis ordinariis conveniantur*, ex cit. bull. Gregor. XV. § 7. Ubi nota verbum illud *exhibere*, expreſſe denotare, literas deputationis conſervatoris apud curiam ordinarii exhibitas ſubjacere impedimentis et objectionibus partium intereſſe habentium, adverſus eas opponendis, ſi vitio aliquo nullitatis, erroris, aut exceſſus laborent, aut illegitimæ, et indebitæ, præjudiciales, aut doloſæ, et contra juris præſcripta expeditæ

ditæ fuerint. Nam, ut tenet Alex. Scot. in vocabular. *Exhibere, eſt rem in publicum deducere, ſeu oſtendere, ut copiam habeat adverſarius rem ſuam tangendi, et eam ſic viſam, ſi ſibi ſua videtur, vendicandi. De hoc ff. ad exhibendum lege* 2. *de lib. homin. exhib. lege* 3. § *ait prætor. Require ſupra (actio ad exhibendum.)*

VI. Verbo autem *actio ad exhibendum*, ita ait: *Exhibere, eſt rem in publicum deducere, et oſtendere, ut adverſarius copiam habeat, rem ſuam eſſe contendendi . . . . ut ff. ad exhibendum, l.* 2. *cum ibi not. et ſi erit inſtrumentum res ipſa exhibenda, debet fieri facultas legendi, et etiam deſcribendi, ff. quemadmodum teſtam. aper. l.* 1. *et* 2. § *Inſpectio.* Unde evidenter colligitur, quod ſi literæ deputationis illius ſint uſurpativæ alicujus juris alicui, puta ordinarii loci, regii magiſtratus, eccleſiaſtici patroni, aut aliorum, vel reſpiciant materiam requirentem altiorem indaginem, competat adverſus illas prædicta *actio ad exhibendum*, et jam exhibitis, convenientium impedimentorum objectio.

VII. Quorum tamen impedimentorum cauſa, et agitatio, ſi ſint à partibus, præ ipſo ordinario, objecta, coram eodem ordinario loci intentari, et proſequi poſſe videntur, tum quia id eidem competit ratione officii, ex c. 1. et 7. et reliquis, de offic. ordin. et in 6. cap. *Sicut*, et reliq. de re judicat. tum quia cauſæ amotionis literarum eorum, durante quinquennio, cognitio, et approbatio, ordinariis locorum committitur per cit. bull. Gregor. XV. § 8. tum quia ibid. § 4. et 7. *Quamdiu regulares conſervatores non elegerint, vel ſi ſecus quam juxta formam ſuperius (puta in d. bull.) præſcriptam, elegerint, vel ſic electis uti auſi fuerint, regulares voce activa, et paſſiva, ſint ipſo jure privati . . . . eorumque perſonæ ac bona careant conſervatore ad annum, ita ut eorum cauſæ interea coram locorum ordinariis dumtaxat cognoſci, ac definiri debeant.* In quo conſentit etiam Donat. cit. tr. 17. q. 33. et alii, quando in literis deputationis error reperiatur.

Imo coram loci ordinariis convenitur, ait Cirin. n. 30. *pro damnis, et intereſſe, ſi in cauſa ſuæ commiſſionis et delegationis deliquerit, in judicando nimirum, et non reddendo jus, et abutendo ſua juriſdictione, aut litem ſuam faciendo: ſubdunt ex Farinac. n.* 977. *Barboz. de pot. ep. alleg.* 106. *n.* 37. *Pellizar. ſeſ.* 4. *tr.* 8. *c.* 8. *n.* 134. *et* 135. Accedit Gonzal. Tell. in c. *Cum in jur.* de offic. deleg. dicens, quod cum in quolibet territorio præſumptio ſit pro judice ordinario, c. *Sicut* de re judic. nullus alius creditur judex in ipſa ditione. Et Oliv. in ſpecie, q. 16. n. 54. ibi: *Si conſervator excedat terminos ſuæ juriſdictionis, poteſt ordinarius contra illum procedere, ejuſque acta nulla declarare, ſi exceſſus evidens, ſeu notorius exiſtat; poſt Joan. Andr. Domin. in cap. Statutum,* § *ult. de reſcriptis, lib. ſexto, ubi Franc. n.* 5. *gloſſ. ult. commun. recepta in cap. ult. de reſcriptis, ibi Abb. n.* 17. *Butr. n.* 51. *Gig. de penſ. quæſt.* 70. *n.* 1. *Caſtr. de man. reg. p.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. *quod non ſemel, me votante, practicum eſt in Bracharenſi ſenatu, et poſtea practicavi in Viſenſi diœceſi, cum officio proviſoris, ſeu vicarii in ſpiritualibus fungerer, monitoria, excommunicationeſque conſervatorum, delegatorumque nullas nuntiando, quia notorie excedebant; ac per conſequens punire eos poteſt ordinarius, cum in ſuo territorio delinquant.* De quo v. etiam in ſpecie, et expreſſe regimentum eccleſiaſticum ſenatus Bracharen. tit. 2. n. 78. citans Salgad. de reg. protec. 4. p. cap. 4. Themud. p. 1. dic. 53. et 54. et 3. p. dec. 263. n. 21. Reyn. dec. 60. an. 33. Per. de man. reg. p. 1. cap. 7. n. 6. Frag. de reg. reip. tom. 2. p. 2. lib. 4. diſp. 12. § 2. n. 40. Peg. ad orb. lib. 1. tt. 65. in rub. n. 21. et de compoſit. cap. 58. n. 6. Barb. de poteſt. epiſc. 3. p. alleg. 166. n. 27. id. Themud. 3. p. quæſt. 17. an. 8.

VIII. Sin autem impedimenta objiciantur à promotore juſtitiæ, ſeu ab aliquo procuratore curiæ ordinarii pro parte juris ejuſdem, aut juriſdictionis uſurpationis, vel præjudicii, aut pro quavis juriſdictionis incompetentia; ad arbitros deveniendum, juxta ſanctionem S. concilii Trid. ſeſ. 14. c. 5. de reform. et cit. conſt. Gregor. XV. § 10. Cirin. cit. c. 6. Paſqualig. ad Laur. de Franc. p. 1. n. 853. Si vero objiciantur à procuratore capituli eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ; coram ordinario agitanda videntur, ut de prioribus opponentibus diximus; ceſſat enim hic inconveniens, quod ordinarius in cauſa propria judex evadat, l. *Julian.* 2. ff. de judic.

IX. An vero ordinarius poſſit eſſe judex in cauſa bonorum propriæ menſæ? vide Card. Petr. tom. 1. in c. 1. Leon. X. ſ. 2. n. 16. *Certum eſt, quod ſicuti eſt permiſſa cuicumque tuitio, tam perſonæ, quam bonorum, ita etiam erit permiſſum prælato id agere propriis armis ſpiritualibus; et quoad perſonam concurrere majorem rationem, ait gloſſ. cap. Delicto, v. Bonis, et in quibuſcunque mobilibus, ſtabilibus, juribus, &c. ut notat Ricciul. cit. cap.* 61. *n.* 27. *et* 30. *et nedum pro bonis eccleſiæ, ut in cap. Venerabili, de cenſibus, pro quibus eccleſiæ bonis textus, cap. Delicto, etiam poteſt appellari, ut docent Farinac. in fragment. par.* 7. *litt. E. ver. Excommunicatio, n.* 28. *Maranta in ſpecul. par.* 4. *diſt.* 8. *n.* 26. *ex majoritate rationis, præſertim poſt excommunicationem juris contentam in concil. Trid. et bulla in Cœna Domini, ſed etiam pro illis menſæ, ut diſtinguendo in caſu, quo epiſcopus procedat judicialiter, et quando id agat per viam tuitionis, ut primo caſu intret difficultas, ut nequeat eſſe judex in cauſis ſuæ menſæ, de quo articulo infra dicam; ſecundo vero caſu, poſſe epiſcopum excommunicare, optime explicant Innoc. cit. c. Venerabili, n.* 5. *Abb. c. Cum veniſſent, n.* 10. *de judic. Hoſtienſ. cap. Procurationes, num.* 7. *de cenſibus, Turrecremat, et Præpoſit. in can. Siquis erga, 2. quæſt.* 7. *in fin. Late Fagn. cit. cap. Nôſti, num.* 20. *verſic. Tu vero dicas de elect. et cit. cap. Procurationes, num.* 34. *Lapus alleg.* 37. *Ricciul. cit. cap.* 61. *num.* 2. *et ſeqq. Card. Deluca cit. diſc.* 47. *n.* 22. *de juriſdictione, et diſc.* 43. *num.* 2. § *Primum objectum in fin. ubi etiamſi epiſcopus fuerit recuſatus, optima quidem ratione, quia recuſatio fertur in judicem, non autem in partem, cujus vices gerit prælatus in tali defenſione à jure permiſſa, imo etſi appellâſſet reus, ſuſtinentur cenſuræ, eadem ratione, et ne interim ſpoliata remaneat eccleſia, Bellet. cit.* § 4. *n.* 30. *Covar. cap. Alma mater, par.* 1. § 9. *num.* 6. *Marta de juriſdictione, par.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. *et Rota cit. deciſ.* 122. *optime declarando concluſionem in deciſ.* 47. *ejuſdem cauſæ eadem par.* 15. *firmatam, quod epiſcopus non poſſet eſſe judex in cauſa ſuæ menſæ, et cenſuras fulminare contra baronem bona menſæ uſurpantem, dixit non procedere, ſi prælatus vim vi repellendo cenſuras promulget ad formam cap. Delicto, ut in d. deciſ. n.* 18. *verſ. Igitur; et ideo in dicta deciſione dubitavit de validitate cenſurarum, ex eo, quod fuerat proceſſum judicialiter; et in terminis bonorum menſæ, poſſe prælatum dicta facultate uti, pluries declaravit Sac. Cong. et præcipue in cit. Boven. ubi agebatur de bonis prædictis.*

X. Et n. 19. ſic proſequitur: *Neque ſupra firmatis obſtat, quod nemo in cauſa propria poſſit jus dicere, l. Unica, c. Nequis in ſua cauſa; et talis dicitur cauſa menſæ quoad epiſcopum, ubi ad ipſum emolumentum, vel damnum ſpectat, can. Biduum* 2. *quæſt.* 6. *et in terminis epiſcopi, late Fagnan. cit. cap. Nôſti, num.* 18. *Nam hæc quidem poſſent objici in actu judiciali, quem gereret epiſcopus, non autem in actu hoc tuitivo ad inſtar partis, ut docent cit. DD. ut ſupra,* § *Certum eſt, imo præciſe habetur ex diſpoſitione cit. text. cap. Delicto. Et in hoc caſu uſurpationis, videtur fieri injuria eidem prælato, quo caſu ceſſat diſpoſitio dicti textus in l. Prima, c. Nequis, &c. ut optime Cynus in cit. l. et notat de Franch. deciſ.* 722. *num.* 27. *et bene Card. Deluc. de juriſdict. diſc.* 47. *n.* 22. *et antecedentibus. Id tamen maxime nunc procedit contra uſurpantes hujuſmodi bona menſæ, utpote eccleſiaſtica, quia poſſeſſa ab epiſcopo, ratione eccleſiæ, pro quibus cauſis adſunt cenſuræ ipſo jure inflictæ, ut ſupra dixi; et ſic eſſet firmior ratio, cum verſaretur caſus in cenſura juris, ſtatim incurſa, in qua requiritur tantum declaratoria; ita tamen ut epiſcopus potius dicatur gerere vices executoris juris, quam judicis, et cum differentia, ut ſi procedat vim vi repellendo, et continenti, poſſit quidem extrajudicialiter, quia ſi poteſt excommunicare hoc modo, eo fortius poterit declarare excommunicatum; ſi tamen velit procedere uti judex, debent quidem fieri actus judiciales, proceſſus, et citatio, Marant. de ordin. judicial. par.* 4. *num.* 26. *Ricciul. cit.*

cap. 61. *num.* 4. *ubi declarat plures utilitates reſultare ex tali proceſſu extrajudiciali, et ponit formulam talis proceſſus, quamvis in facto notorio, neque in actu judiciali requiratur citatio: ſed ſatis difficilis redditur talis notorietas: de qua re alibi.*

XI. Verum, quamvis præcit. bull. Gregorian. § 4. expreſſe ſtatuatur, *ut eorum* (regularium) *cauſæ interea coram locorum ordinariis dumtaxat cognoſci, ac definiri debeant*; per hoc non tollitur, quod § 12. etiam expreſſe permittitur; nempe, *quod in caſibus à jure permiſſis petant judicem non ſuſpectum à principibus*, tribus requiſitis ibidem expoſitis copulative concurrentibus.

XII. Conjic. 6. Regulares non poſſe eligere conſervatores adverſus proprios ſuperiores regulares, neque regulares unius conventus recurrere ad eundem conſervatorem adverſus regulares alterius ejuſdem ordinis: imo conſervatores ab eis recte electi *neque audire poſſunt*, ait Cirin. n. 35. *querelas regularium contra alios regulares ſuæ conſervatoriæ ejuſdem ordinis, ſub pœna excommunicationis; depromitur ex Leonis* X. *conſtitutione, quam afferunt Peyrin. tom.* 1. *de privileg. conſtit.* 23. *Leon.* V. § 2. *Pellizzar. d. ſect.* 4. *n.* 122. *Nec eorum poſſunt punire crimina conſervatores: etenim iſta ad prælatos ſuos regulares ſpectant: indicant Rodrig. tom.* 1. *quæſt.* 65. *Pellizzar. n.* 123. *Neque confugientes ad eccleſiam regularium extrahere poſſunt: nam hoc munus ad ſolum epiſcopum, et ab eo deputatum, fuit ſpecialiter per Gregorium* XIV. *indultum: Monet. de conſervat. cap.* 7. *n.* 266.

Accedit Bordon. q. 9. addens apud cit. Pellizzar. quæſt. 19. non poſſe unum religioſum convenire coram ſuo conſervatore alium religioſum, ſive ejuſdem, ſive alterius ejuſdem ordinis conventus; tum quia id nullo jure probatur, tum quia regulares intra ſuum ordinem habent proprios prælatos in judices, tam in civilibus, quam in criminalibus; adeoque non poſſunt adire extraneos judices, qui reſpectu eorum non ſunt competentes.

Et quæſito 22. idem Pelliz. quærens, An conſervatores poſſint recipere querelas regularium, quorum ſunt conſervatores, contra religioſos ejuſdem ordinis? Reſp. non poſſe, cum id expreſſe prohibuerit ex prohibitione Leon. X. *prohibentis ſub excommunicatione latæ ſententiæ quibuſlibet judicibus, etiam conſervatoribus, ne querelas hujuſmodi fratrum, vel ſororum, contra alios fratres dicti ordinis ſuſcipiant, vel de eis cognoſcant*; quæ prohibitio, cum ſit favorabilis toti ordini, licet odioſa religioſis particularibus, utique cadit ſub communicatione privilegiorum. Vid. Cirin. nex. c. 6. n. 35. ubi addit: *Nec eorum poſſunt punire crimina conſervatores: etenim iſta ad prælatos ſuos regulares pertinent, Rodrig. Pelliz. neque confugientes ad eccleſiam regularium extrahere, quia hoc ad ſolum epiſcopum, et ab eo deputatum, ex Greg.* XIV. *pertinet. Monet. &c.*

XIII. Ex quibus clare colliges notoriam injuſtitiam illius celebris nuperæ conſervatoriæ deputationis, qua in Collimbrienſi civitate, rector cujuſdam collegii ordinis Mendicantis, adverſus provincialem ſuum, alium regularem, licet in ſacra theologia laureatum, ſpecialiter deputare auſus eſt, cum notabili, ſed non mirabili, reliquorum academicorum regularium ſcandaloſo ſchiſmate: et ſimiliter, eodem tempore, alterius celebrioris, qua in hac civitate Goana, moniales S. Monicæ, impie ſuggeſtæ, illuſtriſſimum Malacenſem adverſum me, proprium earum præſulem, nedum diœceſanum, ſed et regularem, elegerunt: et nullitatem procedimentorium iſtius, quibus adverſus aliquas illius monaſterii privatas religioſas, ad cenſurarum declarationem, et ad uſque officiorum regularium privationem, progreſſus eſt. Vide infr. allegat. 34, 35, 36. et alibi.

XIV. Conjic. 7. Quod facultas eligendi conſervatores præſcribi poſſit. Cirin. nex. c. 6. n. 21. Deluc. de regular. diſc. 52. ex n. 4. de regalib. diſc. 51. n. 11. et 12. et colligitur ex Trid. ſeſ. 7. de reform. c. 14. Lezan. ſum. tit. 2. c. 10. n. 58. Antonel. de regim. l. 6. c. 2. n. 13.

XV. Ex parte autem proceſſus conſervatoris, obſervandum eſt, 1. ex c. fin. de offic. deleg. in 6. quod conſervatores *vices ſuas nulli alii committere poſſunt*, neque in alium, aut plures ſubdelegare, niſi ſpecialiter hæc facultas eis per privilegium ſpeciale à Sede Apoſtolica indulta fuerit. Monacell. p. 1. in append. ad cit. conſt. Gregorian. n. 3. Card. Deluc. de regular. diſc. 1. n. 33. Marc. Anton. Var. l. 1. reſ. 16. n. 5. Campanill. rub. 12. c. 13. n. 24. Nicol. lucubr. l. 1. tt. 29. except. 3. n. 13. Tondut. de prævent. p. 2. c. 59. n. 23. Sobus in comp. tit. de conſervator. n. 3. Peyrin. conſt. tom. 2. conſt. 5. et de habentibus ſpeciale privilegium accipiendum eſt illud Conſt. Gregor. § 2. *ut judices, et conſervatores hujuſmodi ſive principales, ſive ſubrogati:* quod etiam exprimitur in c. fin. de offic. deleg. in 6.

XVI. Obſervand. 2. cum Monacell. tom. 1. in cit. append. et conſt. n. 7. *Quod conſervatores in forma communi conſtituti, non poſſunt procedere, neque in cauſis injuriarum notoriarum, niſi in primis ſaltem ſummarie ipſis conſtet de ipſa qualitate fundante eorum juriſdictionem, per probationes etiam per ipſoſmet receptas. Tuſch. litt. C. concluſ.* 760. *num.* 3. *et* 4. *quem falſo alio in loco citat Tondut. de prævent. p.* 2. *c.* 59. *n.* 8. *verſ. Veriſſimum.* Et tenet etiam Mend. à Caſtr. pract. l. 2. c. 3. § 2. n. 26. affirmans, hanc eſſe praxim. Unde ſicut in regio coronæ judicio pro cognitione violentiarum judicum eccleſiaſticorum proceſſus inſtruitur, priuſquam, partibus auditis, proferatur ſententia; ita ſervari debet in judicio conſervatorio, admittendo partium opponentium objectiones, et impedimenta, et ſuper eiſdem pronuntiando, antequam de notorietate violentiæ judicet. Reiff. infr. cit. n. 173.

XVII. Quam tamen ſi non inveniat eſſe notoriam, ſe incompetentem pronuntiare debet, Mend. cit. cum Barb. de epiſc. alleg. 106. n. 18. *Et hæc eſt praxis* (proſequitur Mend.) *et ſi de facto procedat, ei parendum non eſt, ut tradit Cevall. tom.* 4. *communium quæſt.* 897. *n.* 755. Barb. de officio epiſc. allegat. 106. n. 26. Reiff. l. 1. Decretal. tt. 29. n. 173. et poterit ſupplicari ad judicem coronæ, Vallaſc. conſ. 100. num. 3. et conſ. 152. in princip. P. Emmanuel Rodrig. 1. tom. regular. quæſt. 65. artic. 9. Molin. Theolog. tom. 4. tractatu 5. diſputat. 29. n. 8. et alii, quos refert Pereira de manu regia, 1. p. cap. 7. n. 3. Et quamvis factum ſit certum, et notorium, debet examinare teſtes ſuper facto notorio, et proceſſum inſtruere ad animi ſui informationem, Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. n. 1. Accedit cit. Reiff. tt. 29. n. 173. Pro quo obſerva etiam ſolidam doctrinam Donati infr. extenſam, n. 26.

XVIII. Et pariformiter--pati debet recuſationem; nam, ut cum communi dicit Monacell. cit. 1. p. n. 6. Conſervatores, licet procedant, ſolum in cauſis notoriis injuriarum, adhuc allegari poſſunt ſuſpecti, et recuſari, ut firmat Barboſ. de offic. et poteſt. epiſc. alleg. 106. n. 32. niſi notorium eſſet permanens, Paſqualig. ad Laurent. de Franch. controv. par. 1. num. 851. ubi dicit, quod ubi caſus contingat, eligendi ſunt arbitri, qui judicent de cauſis ſuſpectionis, concil. Trid. ſeſ. 14. cap. 5. de reform.

Ad quam quidem recuſationem intentandam, et ſuſpectionum rationes objiciendas, non eſt neceſſe, quod conſervator inceperit procedere, ut de jure civili municipali diſponitur, Ord. l. 3. tt. 21. § Guerr. de recuſat. 1. Reiff. cit. n. 173. et alii, et noviſſime Silva ad Ordin. cit. Sed ante omnem proceſſus aut procedimenti inceptionem recuſari poteſt; reſtrictio namque illa de jure civili, non afficit jus canonicum, neque juxta illius decreta procedentes; et de jure canonico poſſe judices eccleſiaſticos ante omnem proceſſum, imo et ante litem cœptam, aut motam, recuſari, deducitur ex c. *Super eo* de appellat. et ex aliis, et à paritate ipſius appellationis, quæ cum recuſatione recurrit, ex eod. c. *Super eo:* ibi: *Sacri canones ante, et poſt litis conteſtationem, et in prolatione ſententiæ, et poſt, ſingulis facultatem tribuunt appellandi; leges autem ſæculares appellationem (niſi in caſibus) ante ſententiam non admittunt. In cauſis quoque eccleſiaſticis, ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliquatenus deferendum.* Idem deducitur ex c. *Novit ille, eod. tit. ub. gl. verbo Debuiſſet*; ibi: *Primo recuſatio eſt proponenda; et ſi judex illam non admittat, ſi ſit juſta, tunc eſt appellandum, quia tunc ipſum gravat:* Vide

Formoſin.

Formoſin. in cit. c. *Super eo*; et in c. 4. *Siquis in cauſa*, de for. comp.

XIX. Obſervand. 3. Quod ab utraque ſententia conſervatoris, tam finali ſuper violentia, quam interlocutoria ſuper impedimentis, poteſt appellari ad Papam delegantem, vel ad Sanctam Sedem; Mend. à Caſtr. cit. n. 29. Barb. de ep. alleg. 106. n. 4. Deluc. de regular. diſc. 1. n. 23. et diſc. 52. n. 4. non autem ad legatos de latere, Deluc. de juriſd. diſc. 49. n. 2. cui quidem appellationi, ſi frivola notorie non fuerit, conſervator deferre tenebitur, et eam ad utrumque effectum, devolutivum, ſcilicet, et ſuſpenſivum, reciperc, ſi injuria, aut violentia manifeſta undequaque non fuerit; ſin autem adeo notoria fuerit, ut nulla probabili tergiverſatione celari poſſit, tunc, quoad effectum devolutivum, appellationem recipiet. Deluc. de juriſd. diſc. 49. n. 12. et de regular. diſc. 1. n. 33.

Vid. tamen infr. c. 28. ſub n. 27. reſol. ad dub. 3. ſup. muntior. facultatibus.

XX. A conſervatore autem juſtæ appellationi non deferente, patere recurſum ad regem, tenet Per. de man. reg. c. 7. Mend. à Caſtr. cit. Guerr. de recuſat. Peg. ad Ordin. et relig. DD. Regnicolæ. Necnon Cirin. cit. Salgad. de prot. reg. p. 1. Cevall. de viol. et alii.

An autem poſſit ab eodem, in illa hypotheſi, recurri ad ordinarium loci, ex eo quod conſervator abſolute non deferens appellationi notorie juſtæ, notorie delinquat, proindeque ſubjaceat punitioni, et correctioni ordinarii, qui quidem de jure omnem delegatum in territorio ſuo notorie in officio delinquentem objurgare poteſt: ex c. 2. de offic. deleg. c. *Solicitudinem*, de appellat. c. *Paſtoralis*, de offic. deleg. ub. gloſſ. et ex gloſſ. in c. *Ex Literis*, de offic. deleg.

Videtur reſpondendum affirmative, ſi talis non delatio ex notorietate juſtitiæ appellantis communiter delictum, et injuſtitia reputetur. Ita Cirin. nex. cit. c. 6. n. 30. ibi: *Conſervator porro, aut delegatus, ſi deliquerit, ab ordinario loci objurgatur; Petr. Caball. reſ. crim. tom. 1. caſ. 5. 2. n. 1. et ſeqq. Jacob. de Laurent. de judic. ſuſp. cap. 4. n. 33. Mend. à Caſtr. prax. Luſitan. par. 2. cap. 3. n. 9. Proſp. Farinac. fragm. crim. par. 2. lit. F. n. 973. et ſeq. Barboſ. d. alleg. 106. n. 37. Pelizzar d. ſect. 4. tract. 8. cap. 8. n. 134, 135. Et ſi aliquid injuſtum exequi voluerit, ei reſiſtere poſſet ordinarius: Farinac. ibidem, et facit gloſſ. in cap. Ex literis, de offic. deleg. Gig. conſ. 163. De Laurent. d. cap. 4. n. 33. Aufrer. cap. Tolleſ. dec. 424. et nos infra melius.* Unde concludendum, quod ſi ordinarius id poteſt ex officio, multo magis ad inſtantiam partis. Vide Oliv. de for. eccleſ. q. 22. et 23.

XXI. Obſervand. 4. Quod ordinarius nedum conſervatorem quomodolibet excedentem punire poteſt, et in pœnam conſtitutionis incurſum denuntiare, ſed ulterius (ait Monacell. 3. p. cit. form. 48. n. 27.) *Si exceſſus eſſet doloſus, et præſumptuoſus, eum, tamquam uſurpatorem juriſdictionis ordinariæ, in cenſuram bullæ Cœnæ incurſum proclamare deberet, Donat. loc. cit. quæſt. 42. n. 5. Pignatell. conſult. 24. n. 8. tom. 2. Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 27. n. 10. vel etiam iterum excommunicare, cum, ratione offenſæ juriſdictionis, fiat ſubditus. Barboſ. de offic. et pot. epiſc. alleg. 106. n. 37. in fin. Donat. d. quæſt. 42. n. 6. Et ſic juxta exceſſus circumſtantias manus aggravanda erit.*

XXII. Obſervand. 5. Conſervatorem regularium, qui non ſit in dignitate epiſcopali conſtitutus, non poſſe procedere adverſus epiſcopum quemcunque. Ita Pignatell. tom. 1. conſ. 165. n. 7. *Quod ex litera textus in c. 2. de offic. deleg. liquido conſtare dicit.* Niſi talis conſervator fuerit à Sede Apoſtolica immediate electus, ut ex verbis cit. c. clare convincitur: *A judicibus, vel conſervatoribus à Sede Apoſtol. deputatis.* Et expreſſe notat gloſſ. ibid. et Pignatell. cit. et multo minus procedere valet adverſus epiſcopum, qui ſit ordinarius loci, ex nova concilii Trid. ſanctione, c. 5. ſeſ. 14. de reform. moderante, ac reformante diſpoſitionem juris antiqui, d. c. 2. contentam, et aperte jubente, quod in cauſis controverſiæ juriſdictionis cum ordinario loci, conſervator non procedat, quod etiam per cit. Conſt. Gregorian. *Sanctiſſimus*, § 10. denuo præcipitur, verbis, ibi: *Nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos ſuper juriſdictionis competentia fuerit judicatum.* Quæ verba *Nequaquam*, &c. ait *Monacell.* cit. 3. p. n. 9. idem important, quod ſi diceret, *nullo pacto, nullo caſu, nulla ex parte, ut docet Barboſ. dict. 212. videntur habere vim præciſæ prohibitionis, et æquipollere clauſulæ Nullatenus, quæ nullitatem actus ipſo jure inducit; idem Barb. dict. 226. n. 4. Rot. coram Dunnoz. jun. dec. 731. n. 25. maxime juncta dictione illa Donec, quæ de per ſe facit conditionem, Barb. dict. 93. n. 12.* Vide Pignatell. et Monacell. loc. cit. ubi reperies, n. 10. formulam, qua ordinarius inhibere debet conſervatorem, ut ad arbitros deveniat in caſu præfatæ controverſiæ.

XXIII. Obſervand. 6. Juriſdictionem conſervatoris non expediri, niſi per exhibitionem literarum ſuæ deputationis penes curiam ordinarii: eſt reſolutio communis ex noviſſima bulla *In ſupremo*, Benedict. XIII. § 26. et ex vulgari axiom. *Juriſdictio delegati pendet ex præſentatione reſcripti.* Bald. in l. 1. cod. ut lit. Decius in c. *Super eod.* de appellat. Gratian. for. tom. 1. c. 170. n. 20. et cum multis tenet Fraſſ. de reg. patr. p. 2. c. 79. n. 31. ibi: *Nec habet interim delegatus ullus, ante exhibitionem literarum, juriſdictionis exercitium, c. Super eo de appellat. c. Cum injur. de offic. jud. deleg. ub. Barb. n. 21. Valenſ. conſ. 125. an. 12. ubi n. 13. docet, quod ſi ante ad præſentationem literarum delegati ordinarius procedat, et juriſdictionem præoccupet, valent geſta ab ordinario ex Felin. in c. Cæterim de reſcriptis, Decius in c. Ut debitus de appellat. Marant. in ſpecul. 4. p. d. 16. n. 8. et facit optime bulla Gregor. XV. § 7.*

XXIV. Unde deduces, quod etiamſi conſervator ad erigendum tribunal, et notarium ſpecialem creandum, facultatem haberet (quam non habet, ut ſtatim oſtendemus) minime ea uti poſſet ante conſummatam literarum exhibitionem; et ſi eam ante præfatam exhibitionem exerceret, per id reapſe ſuarum facultatum limites excederet, et pœnam ſuſpenſionis per annum, in conſt. Gregorian. § 11. et in c. ult. de offic. deleg. in 6. incurreret, ut in cauſa infr. alleg. 34. et 35. et 36. et alibi.

XXV. Obſervand. 7. Conſervatores regularium nullum tribunal erigere poſſe, nec erectum habere, ex Trid. c. 5. de reform. ſeſ. 14. neque notarium creare, aut inſtituere, Monacell. p. 1. in append. ad d. bull. n. 1. Deluc. de juriſd. diſc. 4. n. 14. Barb. de ep. alleg. 106. n. 51. qui referunt deciſum à S. Congregatione in una Faventin. anno 1667. Cirin. cit. c. 6. n. 36. ex quo infert Pignatell. tom. 2. conſ. 35. n. 4. *Excluſa facultate erigendi tribunal, ſequitur, quod conſervator uti debeat notario, et officialibus curiæ epiſcopalis, ut reſolvit Sacr. Congreg. epiſcoporum et regul. in Vicentin. 10. Jan. 1605.*

Poſtea tamen prodiit alia S. Congregationis declaratio in eadem cit. cauſa Favent. ann. 1667. *poſſe conſervatorem ad ſui libitum notarium aſſumere*; id eſt, vel de curia epiſcopi, vel notarium apoſtolicum, vel quemlibet alium ab ordinario loci approbatum. Quod equidem non eſt creare, aut inſtituere. Sed de hoc fuſe, et uſque ad nauſeam, in infra citatis allegationibus, 34, 35, 36.

XXVI. Obſervanda tandem ſolida, et clara doctrina Donat. in prax. regular. tr. 17. q. 8. n. 24. ibi: *Ex quibus plura colligunt; primo conſervatorem poſſe ſummarie examinare de qualitate injuriæ, an clare de ea appareat, et ſuper ea probationes recipere, ita ut ſi inveniet illam notoriam, procedat, alias ſe incompetentem pronunciet, ut docet gloſſ. in dict. cap. 1. in ver. Conſervatores, quia conſervator non habet poteſtatem defendendi injuriam ſimplicem, ſed qualificatam, hoc eſt, notoriam, cui adhæret Ricc. deciſ. 257.*

XXVII. *Secundo, Non poſſe ſe intromittere in his, quæ ſunt occulta, et dubia, quin det in pœnas d. cap. ultim. de offic. jud. deleg. in 6. Tertio, Quod ſi delictum eſt notorium, et neſcitur quis illud patraverit, poteſt conſervator procedere per inquiſitionem generalem, non autem ſpecialem, gloſſ. in caſu d. cap. 1.*

XXVIII. *Quarto, Quod conſervator debet vocare reum, qui ſi confiteatur factum, bene quidem: ſi neget, ſemper notario probationes recipiat, ut dictum eſt; ſi vero confiteatur factum, licet dicat, ſe ſuo jure feciſſe, debet etiam probationes recipere ſuper offenſa notoria,*

ad

ad quod facit cap. Bene, de elect. alias facile eſſet eludere conſervatoris officium, Silv. ver. Conſer. n. 3. dict. 3. ubi addit, quod in caſu, quo reus confiteatur delictum, ſed neget illud eſſe notorium; conſervator debet procedere ad ſententiam contra ſic confitentem, licet neget qualitatem notoriam; quia per ejus confeſſionem factum eſt notorium juris, prout habetur in cap. Veſtra, juncta gloſſa ver. Non deſitetur, et cap. final. de cohabit. cler. et mulier. Miranda, cit. loc. Illa tamen Donat. verba, *Factum eſt notorium juris*, accipienda ſunt de notorietate *facti*, non vero de notorietate *injuriæ*; poteſt enim factum notorium quidem eſſe, et tamen violentia, vel injuria eſſe dubia ex probabilitate utrinque.

XXIX. *Quinto* (proſequitur) *Quod in ſupradictis caſibus conſervator debet procedere civiliter tantum, hoc eſt, ad eorum privatam utilitatem, ut conſtat ex d. cap. 1. et ultim. de offic. jud. deleg. in 6. non autem criminaliter, quia non habet cognoſcere principaliter de crimine, nec ad publicam utilitatem, quod ad judices ordinarios ſpectat, cap. Placuit, 6. q. 3. nec maxime per ea, quæ notat.*

XXX. *Sexto, Quod pro prædictis cauſis, etiam civiliter procedendo, poterit conſervator cenſuris uti, brachium ſæculare invocare, et alia neceſſaria ad effectum reſtitutionis et ſatisfactionis peragere, ut conſtat ex cap. Sane, il ſecondo, de offic. jud. deleg. et ſupponitur in cap. Auctoritate, de privil. in 6. Etenim, ut dictum eſt, conceſſa alicui aliqua juriſdictione, cenſentur eidem illa omnia conceſſa, ſine quibus illa juriſdictio nequit expleri; et additur, quod fruſtra datur juriſdictio, quæ non eſt cum coactiva conjuncta, prout notant Peyr. cit. loc. et Lezana.*

Plura alia conſervatoribus attinentia, et recurſui ab eis ad judices regios interponendo, obſervabis infra, c. 34. et alleg. 34, 35, 36. 50. 55, 56, 57, 58.

DISTINCTIO III.

De Recurſu à Judice Sæculari ad Competentem Eccleſiaſticum Superiorem.

CAP. V.

Quando, et quomodo, detur Recurſus à Judice Sæculari ad Eccleſiaſticum.

SUMMARIUM.

I. *Definitur recurſus à judice ſæculari ad eccleſiaſticum.*
II. *Juriſdictio eccleſiaſtica, utpote ſuperior, et habitu præcontinens ſæcularem, poteſt de facili in actum prodire.*
III. *Satis communiter docent DD. judicem eccleſiaſticum de jure cognoſcere inter laicos in omnibus cauſis pietatem et charitatem concernentibus.*
IV. *Hinc poteſtas compellendi ad frumentum vendendum tempore caritatis annonæ, et ad abſtinendum à ponderibus, ac menſuris deminutis, &c.*
V. *Hinc etiam poteſtas cognoſcendi cauſas peregrinorum, et tranſportantium merces, &c. præſertim data notoria judicis ſæcularis negligentia.*
VI. *Licitudo recurſus à judice ſæculari ad eccleſiaſticum, ut ad competentem, ex jure probatur; limitatur tamen à Raynald. dupliciter.*
VII. *Limitatur etiam ab Oliv. ad 4 caſus.*
VIII. *In quibus indubitatum dicit ex pluribus DD.*
IX. *Quænam nomine* perſonarum miſerabilium *comprehendantur?*
X. *Regium reſcriptum pro metropoli Goana.*
XI. *Communiter docent DD. ex negligentia judicis ſæcularis in qualibet cauſa, poſſe eccleſiaſticum cognoſcere inter laicos.*
XII. *Difficile tamen ad praxim reduci poteſt.*
XIII. *Prius monendus eſt urbane judex ſæcularis, et quomodo?*
XIV. *Ratio Oliv. improbatur, quoties pars gravata facile poteſt recurrere ad ſuperiorum laicum.*
XV. *Quid juris pro Indiis Occiduis in hac re reperiatur?*
XVI. *Aliqua ſanctorum exempla adducta in confirmationem.*

I. DEFINITIO iſtius recurſus coincidit cum præmiſſa prælud. 2. n. 1. videlicet, *Supplicatio, ſive confugium ad judicem ſuperiorem, potentem tollere, vel moderari gravamen, aut pœnam ab inferiore inflictam.* Ubi judex eccleſiaſticus, ad quem recurritur, dicitur *ſuperior*, et *judex* reſpectu judicis ſæcularis, à quo recurritur re ipſa; namque talis eſt in aliquibus caſibus, ut jam oſtendimus.

II. Et in primis juriſdictionem eccleſiaſticam, ut ſuperiorem, continere eminenter ſæcularem, ut inferiorem, et ſibi ſubditam; et hanc penes eccleſiam adhuc in habitu reſidere, pro indeque de facili, ex accidenti, poſſe in actum prodire; jam ſupra probavimus, et tenent DD. cit. prælud. 3. n. 10. et evidenter conſtat ex illo in c. *Per venerabilem*, ibi cit. *Temporalem juriſdictionem occaſionaliter exercemus*, &c.

Et ulterius probatur, quia quælibet res de facili tranſit ad primum ſuæ naturæ ſtatum, c. *Ab exordio*, 35. d. l. *Si unus*, § *Pactus*, ff. de pactis. Primus autem ſtatus utriuſque juriſdictionis fuit penes judices eccleſiaſticos in actu reſidere, de quo ſupr. prælud. 3. n. 3.

III. Hoc præmiſſo, *dicendum eſt*, 1. Satis communem doctrinam eſſe (quam ſequitur Rainald. tom. 4. ſuppl. 5. ad c. 1. n. 30.) quod judex eccleſiaſticus cognoſcit de jure inter laicos in omnibus, et quibuſcunque cauſis, pietatem, et officium charitatis concernentibus, per text. in cap. 1. et 2. diſt. 81. cap. *Super quibuſdam*, in fine de verb. ſignific. Abb. in cap. *Cum eſſes*, num. 35. de teſtam. et in cap. *Ut mens*, 5. de empt. et vendit. Et ibi Hoſtien. Butr. Imola, et Barboſa de offic. epiſc. par. 3. alleg. 82. et aliis relatis Formoſin. in cap. *Novit.* quæſt. 8. num. 10. de judic. et in cap. 5. quæſt. 1. et quæſt. 9. de foro compet. et Aufrer. loco cit. num. 3. qui plures dat concordantes. Favet etiam Per. de man. reg. c. 24. n. 1. *Sicut pariter ob denegatam juſtitiam, vel ob impoſſibilitatem conſequendi eam, epiſcopus inter ſæculares adiri poteſt, ut in l. 2. cod. de annal. empt.*

Datur exemplum ſecundum Aufrer. ibidem in vendentibus res carius tranſeuntibus, quam vendantur in mercatu; et datur exemplum in vendentibus res etiam civibus, et habitantibus in loco, pluris quam generaliter vendantur: Nam ut dicit Aufrer. d. num. 3. verſ. *Adjiciens*, verſatur in hoc cauſa pia, ut pauperes non vexentur, et nec compellantur emere neceſſaria ultra debitum; et idem dicit Bovadilla *politica*, par. 2. cap. 17. n. 118. qui adducit text. hoc decidentem in cap. 1. de empt. et vendit. et ibi Cardin. et alii canoniſtæ.

IV. Sub hoc capite venit poteſtas, quam habent eccleſiaſtici, compellendi, etiam cenſuris, laicos ad eleemoſynam, et ad hoſpitalitatem, et ad vendendum frumentum

frumentum tempore charitatis annonæ, ut explicat Aufrer. d. num. 3. et venit etiam poteſtas puniendi laicos; qui vendunt cum menſuris et ponderibus deminutis, ut per text. in Concilio Toletano 3. cap. 16. et per doctrinam Tholoſani, Syntag. juris, par. 2. lib. 15. cap. 12. num. 37. inquit Bovadilla, in politica, par. 2. cap. 17. num. 158. Quoties enim ſcandalum, et cauſa imminet peccati, ſemper judex eccleſiaſticus eſt competens inter laicos, ad text. in cap. *Novit.* et ibi Fermoſin. quæſt. 8. num. 6. de judic.

V. Sub eodem capite venit poteſtas cognoſcendi cauſas peregrinorum, et mercatorum, qui accedunt cum eorum mercibus, laboratorum, et etiam navigantium: nam ſunt ſub juriſdictione, et protectione judicis eccleſiaſtici, quia egent extraordinario favore, et auxilio; ut per text. in cap. *Innovamus*, de tregua et pace, et in cap. *Excommunicationi*, de raptoribus, et per alia jura, et DD. auctoritates firmat Bovadilla in politica, par. 2. cap. 17. num. 112.

In præmiſſis igitur exemplis, in quibus judex eccleſiaſticus in prima inſtantia ex ejus officio de jure adiri poteſt, ſiquis ob negligentiam notoriam judicis laici in deferendo juſtis populi querelis adverſus prædictos tranſgreſſores, vel in iſtorum pernicioſis impiiſque iniquitatibus corrigendis, recurrat ad judicem eccleſiaſticum, utpote competentem et ſuperiorem, quis juſte et rationabiliter negabit hujus recurſus competentiam? pro qua vide Fermoſin. tom. 1. in c. *Eccleſ. Mariæ*, de conſtit. vel *Licet regulariter à judicibus ſæcularibus* non appellentur ad Papam, qui non ſunt de ejus juriſdictione temporali; Abb. in rub. de appellat. n. 9. et ib. Franch. n. 13. tamen per notoriam injuſtitiam imperatoris, aut regis, et ratione peccati, poteſt pontifex cognoſcere inter laicos, et in caſibus arduis juxta dicta in cap. *Novit.* 13. de judic. aut ex cauſa negligentiæ judicis laici ex dictis in c. *Qualiter*, de judic. et ſub tit. de for. compet. et ex aliis cauſis, quas congeſſit Marth. in c. 1. de juriſd. *Item nullo modo ad Papam queat impediri recurſus.* Quod etiam extendendum eſt ad alios prælatos; Per. cit. c. 24. n. 1.

VI. *Dicendum*, 2. Licitum et competentem etiam eſſe recurſum à judice laico ad eccleſiaſticum in cauſis miſerabilium perſonarum, in quibus etiam ſat communis doctrina eſt, judicem eccleſiaſticum, etiam pro prima inſtantia, de jure eſſe quidem competentem. Ad text. in c. ex parte de foro compet. Abb. et Innocen. in cap. *Super quibus*, de verborum ſignif. Aufrer. *De poteſt. ſæcular.* num. 29. Marquardus de *Judæis*, par. 2. cap. 9. n. 8. Fermoſin. in cap. *Ex tenore*, quæſt. 1. n. 1. et in cap. *Ex parte*, quæſt. 1. n. 1. *de foro compet.* Marta *de juriſdict.* par. 1. cap. 21. n. 1. *Syntagma commun. opin.* rub. *De Deo*, loco primo, tit. *De judice eccleſiaſtico*, cap. unico in princip.

Sed hæc regula, ait Raynald. cit. n. 38. non procedit ſic ſimpliciter, et indiſtincte ſumpta: nam requirunt doctores ad hoc, ut perſonæ miſerabiles poſſint agere coram eccleſiaſtico, et eccleſiaſticus poſſit ſe ingerere in eorum cauſis mere laicis, quod concurrat qualitas oppreſſionis, vel ſpolii; et ideo requirunt, quod una cum miſerabilitate interveniat violentia, et injuria miſerabilibus illata, ut videre eſt penes Fermoſin. in cap. *Ex tenore*, quæſt. 1. num. 5. *de foro compet.* et in cap. *Ex par.* quæſt. 1. num. 1. eod. tit. allegat. Felician. in d. cap. *Ex parte*, num. 25. Balboa in eod. cap. *Ex parte*, n. 3. Et Granam. ibidem, num. 2. et monentur ad ita dicendum ex diſpoſitione text. in d. cap. *Ex parte*, et ex text. in cap. *Siquis*, il. 2. 24. quæſt. 3. Propterea, ut inquit Fermoſin. in d. cap. *Ex parte*, quæſt. 1. n. 2. et in cap. *Ex tenore*, quæſt. 1. n. 8. cauſa miſerabilium poteſt tractari à judice eccleſiaſtico reſpectu ad recuperandam poſſeſſionem, non vero reſpectu ad petitorium.

VII. Sed quia doctores in hac quæſtione varie loquuti ſunt, et alii, ut dicit Oliva, *de foro eccleſiæ*, par. 3. qu. 40. n. 27. obſcure dictum ſuum explicârunt, exiſtimavit idem Oliva, loco citato ad num. 27. uſque ad finem, rem per quatuor caſus diſtinguere, ac exponere: Primus eſt, Quando perſonæ miſerabiles ſunt pauperes. 2. Quando ſunt vere tales ex alio capite, quam paupertatis; videlicet, ætatis, vel viduitatis. 3. Quando ſunt oppreſſæ, et agunt interdicto *undevi*, aut *retinendæ*; pro quo etiam pugnat Cortiada, dec. 245. n. 24. et ſeqq.

VIII. Quartus tandem caſus eſt, quando judex ſæcularis remiſſus ac negligens eſt in adminiſtranda juſtitia his perſonis miſerabilibus; et tenet pro indubitato, quod dictæ perſonæ poſſunt trahere laicos ad forum eccleſiaſticum, prout tenent Innoc. Butr. Abb. Felyn. Covar. Barboſ. Menoch. Maranta, locis per eum citatis.

Unde ipſe locutus de vidua, ait Raynald. n. 42. vel orphano, vel pupillo, exigit in ſubſtantia ad effectum, ut judex eccleſiaſticus ſe poſſit ingerere in eorundem cauſis cum laicis, quod vidua, vel orphanus, vel pupillus ſit copulative etiam pauper; et quatenus ſit dives, interveniat oppreſſio, vel denegatio juſtitiæ: pauperum ergo; vel nihil differt ejus opinio ab illa, de qua loquitur Fermoſinus locis ſupra cit.

IX. Pro ampliori comprehenſione perſonarum miſerabilium, ponit Raynald. n. 43. exemplum in cauſis viduarum, pupillorum, orphanorum, peregrinorum, puellarum, nobilium pauperum, mercatorum, qui in pedagiis ſolvendis gravantur, publice pœnitentium, expoſitorum, ſenum decrepitorum, cæcorum, membris mutilatorum, leproſorum, debilitatorum, incarceratorum, neophytorum, diuturno morbo laborantium, et aliorum hujuſmodi; nam hi inter miſerabiles enumerantur, ut explicat Aufrer. loc. cit. *De poteſt. eccleſiaſt. ſuper laicis*, n. 29. et ibidem Matthæus Boys in addit. qui citat Menoch. de arbitr. caſ. 661. et Rebuff. de ſent. proviſion. art. 3. gloſſa ult. Peres ad ordinat. Caſtellæ, lib. 3. tit. 1. lege 1. col. 17. et ſeq. quibus addendus Navarus in tract. de elect. fori, qui plures alios inter perſonas miſerabiles enumerat, et ſignanter meretrices; et Oliv. d. q. 40. n. 7. enumerat inter perſonas miſerabiles mulieres, quæ habent viros inutiles, captivos, exules, vel ad triremes damnatos; nam tales mulieres largo modo dicuntur viduæ, quia idem eſt non habere maritum, ac habere inutilem, ad text. in cap. 2. § *Sed neque*, et ibi gloſſa *de tranſlat. prælator.* et hoc idem firmat Fermoſin. in d. cap. *Ex tenore*, quæſt. 1. n. 13. qui plures citat; et addendus etiam Marta de juriſd. par. 2. cap. 21. qui n. 5. enumerat eos omnes, quos ſpecificat Matth. Boys; et ponit inter perſonas miſerabiles confugientes ad eccleſiam, ſervientes eccleſiis, pauperes, eccleſiam, advenas, eccleſiaſticas perſonas, virgines, celibem vitam ducentes, meretrices, &c.

Hos, et alios, qui dicuntur miſerabiles, enumerat Thoma Mieres ad conſtitut. Cathalon. collat. 9. cap. 35. *De cauſis miſerabilium*, per tot. et collat. 11. in rubrica, n. 1. ait ex Innoc. in cap. *Ex tenore*, de foro compet. quod cauſæ viduarum principaliter ſpectant ad Papam; ſed ipſe de gratia defert principibus ſæcularibus, ut ſe non intromittat, nec cognoſcat, niſi propter negligentiam judicis ſæcularis: at in d. rub. n. 3. ex eodem Innoc. in cap. *Super quibuſdam*, verbo *Reſpondere*, de verbor. ſignif. ſubdit, quod viduæ, pupilli, orphani, et aliæ miſerabiles perſonæ, poſſunt quoſlibet convenire in foro eccleſiæ; ſed tamen ipſæ perſonæ miſerabiles non poſſunt invite trahi ad dictum forum eccleſiæ, ſi maluerint ſub ſæculari judice reſpondere.

X. Pro hac metropoli Goana extat regium reſcriptum mihi directum, 18 Aprilis, ann. 1724. quo ſuper amicabilibus litium, et litigantium compoſitionibus, quas in generalibus viſitationibus intentâram, et effeceram; mihi animadvertitur: *Quod quamvis laudabilis ſit zelus meus partes extrajudicialiter, et amicabiliter componendi, attamen id exequi debeam modo omnem coactionem excludente; et quod, ut judex, intromitti non debeam in cauſis profanis, etiam perſonarum miſerabilium: nam judicibus eccleſiaſticis uſus iſtius juriſdictionis nunquam permiſſus fuit in Portugallia; non obſtante quod in hoc puncto injuſtificationem procedimenti mei allegaveram*, &c.

Ubi tamen duo notanda ſunt; 1. Quod non dicat, *Judices eccleſiaſticos præfata juriſdictione carere:* ſed quod *illius uſus dumtaxat* eis nunquam fuerit permiſſus. 2. Quod adverbium illud negativum *nunquam* reſtricte intelligendum eſt ad regnum Luſitanum dumtaxat; quaſi diceret, *nunquam*, aut *nuſquam*, in hoc regno.

XI. *Dicendum*, 3. Etiam eſſe communiſſimam, et receptiſſimam doctrinam, quod judex eccleſiaſticus abſolute cognoſcit inter laicos in quavis cauſa, in qua judex laicus ſit negligens: text. eſt in cap. *Qualiter* de judic. Fermoſin. in cap. *Cæterum*, quæſt. 12. n. 1. et 2. de judic. et in cap. *Qualiter*, quæſt. 1. eod. tit. Balboa in cap. *Ex ſuſcepto*, n. 3. de foro compet. nam certum eſt in jure, poſſe judicem eccleſiaſticum, alias incompetentem, fieri competentem, propter judicis ſæcularis negligentiam, ut formalibus verbis firmat Fermoſin. d. cap. *Cæterum*, quæſt. 12. n. 2. Et hoc eſt verum etiam reſpectu ad alios judices eccleſiaſticos ſubordinatos, dicente Fermoſino, d. cap. *Qualiter*, quæſt. 1. num. 2. quod negligente capitulo corrigere canonicos, poteſt epiſcopus in eos animadvertere; et principalis concluſionis, ſeu regulæ, aſſignat rationes Fermoſinus d. quæſt. 1. n. 25. et ſeqq. quas videbis apud eum.

Hanc eandem concluſionem exiſtimat veram Guidopapa in ſupradicto tractatu col. antepenult. verſ. *Item negligentia*; et licet ipſe Guidopapa videatur exigere, quod in caſu negligentiæ neceſſe ſit, quod partes recurrant; veritas tamen eſt, quod judex eccleſiaſticus poteſt procedere in cauſa, quoties, et ubi, crimen eſt notorium, quia cum tali caſu negligentia judicis ſæcularis ſit evidens, poteſt judex eccleſiaſticus ex officio procedere, ut ex abb. inquit Aufrer. de *poteſtate eccleſ. ſuper laic.* n. 3. verſ. *Adde quod abbas antiquus*, pag. mihi 404. et pluribus probat Fermoſin. in cap. *Dicet*, quæſt. 1. n. 1. et ſeqq. *de foro compet.*

XII. Dicit tamen unum valde notandum Fermoſin. in d. cap. *Qualiter*, quæſt. 1. n. 31. nempe quod difficile eſt hoc reducere ad praxim, quia difficillima eſt probatio negligentiæ, cum conſiſtat in negativa; et id firmat etiam Humada in addit. ad Gregor. Lopes Hiſpan. partita 1. tit. 6. leg. 48. gloſſa 8. verbo *Adizir al reo*, Solorzanus de *jur. Indiar.* lib. 3. cap. 7. n. 64. Menochius de juriſdict. lib. 3. cap. 2. in 15. caſu; qui tamen exiſtimat, quod negligentia judicis inferioris ſuperior primum adeundus eſt, et citat Afflict. abb. et Decianum; et hoc dicit eſſe verum, ſive extet edictum principis, qui ſignificet ſe promptum paratumque juſtitiam miniſtrare, ſive non extet tale edictum; nam de jure communi ſatis proviſum eſt, quod in caſu negligentiæ debeat recurri ad ſuperiorem, et Fermoſin. loco citato conteſtem allegat Bovadilla in politica, lib. 2. cap. 17. n. 108. et ſeqq. qui ponit remedia, quibus eccleſiaſtici uti debent adverſus laicos nolentes, aut negligentes, adminiſtrare juſtitiam.

XIII. Ulterius ceſſant difficultates, quoties judex eccleſiaſticus, antequam manus apponat in cauſa, moneat judicem ſæcularem per literas, vel alio modo urbano, ut juſtitiam adminiſtret, ut bene advertit Oliv. de foro eccleſiæ, par. 3. quæſt. 40. n. 31. ut pars ipſa inſtet coram judice ſæculari pro terminatione cauſæ, ut ſubdit Oliv. loco citato dicens, quod, in his terminis, poteſt litigans poſt trinam requiſitionem etiam appellare, et citat abb. Dec. Felin. et Salgadum; et addit, quod aliqui dicunt unicam requiſitionem ſufficere, ſed trinam eſſe debere pro tutiori et ſecuriori via aſſerit; nec facit, quod in caſu negligentiæ inferioris recurri debet ad ſuperiorem ipſius judicis, quia ſuperior in iſto caſu eſt in duplici culpa: prima conſiſtit in electione talis judicis: ſecunda conſiſtit in incuria, quam oſtendit eo ipſo, quod non curat ſcire procedimenta ſui officialis, et ideo jure recipit præjudicium.

XIV. Hanc tamen Olivæ rationem non approbo, quoties pars gravata poteſt facile recurrere ad ſuperiorem judicem laicum, vel ad principem; et ſolum illam opinionem admitto in caſu quo ad ſuperiorem laicum non ſit facilis recurſus ob diſtantiam, ut exempli gratia in hoc ſtatu, ex provincia ſeptemtrionali ad hanc civitatem Goanam in menſibus pluvioſis, ſeu procelloſis, qui ſolent eſſe quinque aſſidui, à menſe Maii uſque ad Septembrem, in quibus ob negligentiam auditoris, vel auditorum arcium in illa provincia exiſtentium, et ob omnimodam difficultatem recurſus ad judices ſuperiores laicos hujuſce ſenatus Goani, licite poſſet quis ad judicem eccleſiaſticum recurrere à notabili et pernicioſa negligentia judicis laici, temporis illius procelloſi impedimento durante, et extra illud, ſi daretur periculum in mora.

XV. Et hanc opinionem apertiſſime pro Indiis occidentalibus proſequitur Bobad. polit. l. 2. c. 17. n. 108. et abſolute n. 112. pro quolibet loco, et in quolibet caſu, quo inſtet damnum grave, et notabilis fuerit judicis ſæcularis negligentia; ubi plures DD. citat, et auct. *Ut differentes jud.* § *Si vero*, ibi: *Si vero, dum aliquis adierit judicem provinciæ, non meruit juſtitiam, tunc jubemus eum adire ſuum ſanctiſſimum epiſcopum, et ipſum mittere ad clariſſimum provinciæ judicem, aut per ſe venire ad eum, ut nudis omnibus audiat interpellantem, et liberet eum cum omni juſtitia, ſecundum noſtras leges, ut non cogatur peregre de ſua patria proficiſci: text. in authent. Ut judices ſine quoque ſuffra,* § *Siquis autem, ubi dicit: Damus autem provincialibus licentiam, ſiquid apud provinciam injuſtum, qui adminiſtrationem debet, egerit, vel ſi damnis aliquibus aut calumniis ſubdat noſtros collatores, ut Deo amabiles epiſcopi, et provinciæ primates, preces ad nos dirigant exponentes cungulum habentis delicta; nos enim hæc agnoſcentes dirigemus in provinciam hoc examinaturum. Vide etiam Fermoſin. locis ſupra cit.* et cit. Per. c. 24. n. 1. in fin.

XVI. Aliqua etiam aliquorum ſanctorum prælatorum in confirmationem exempla circumferuntur, ut venerabilis Evormoldi epiſcopi Racoburgenſis, qui, cum à quodam principe ſæculari non obtineret libertatem quorundam laicorum, ab eo in carcere injuſte detentorum, quodam mane dominicæ reſurrectionis carcerem ingrediens, et vinctos ac vincula aſperſione aquæ benedictæ irrorans, et dicens, *Dominus ſolvit compeditos*, ferreis catenis crepitanter diſruptis, eos antiquæ reſtituit libertati: et alia. V. Aſſert. Kraz. l. 5, Vandal. c. 42.

CAP. VI.

De Licitudine Recurſus à Judice Laico ad Eccleſiaſticum, ex Titulo Violentiæ.

SUMMARIUM.

I. *Refertur judicium Peg. ſuper licitudine recurſus à judice laico ad eccleſiaſticum.*
II. *Potiori jure hæc ſententia omnino tenenda, quam recurſus ab eccleſiaſtico ad ſæcularem.*
III. *Probatur etiam à ratione.*
IV. *Licitus eſt recurſus ad Summum Pontificem à principibus ſæcularibus violentiam, vel etiam injuſtitiam, notorie ſuis vaſſalibus inferentibus.*
V. *Probatur de jure, et de facto.*
VI. *In præfatis recurſibus poteſt provideri oppreſſis, nedum per viam facti, et extrajudicialiter, ſed et ſupericraliter.*
VII. *Confirmatur à jure, et à ratione.*
VIII. *Sufficit injuſtitia notoria permanens, citra terminos violentiæ, pro providentia in iſto recurſu ad Papam.*
IX. *Argumentum Cevall. controvertitur.*
X. *Aliorum objectio redarguitur.*
XI. *Pariformiter aliorum temeraria ratio apud Peg. multipliciter retunditur.*
XII. *Ampliores ſunt occaſiones judicibus ſæcularibus ad declinandum à recto juſtitiæ tramite (quæ recenſentur) quam eccleſiaſticis.*
XIII. *Ex regibus Judæ, et Iſrael, plures damnati, et pauciſſimi certe ſalvi facti ſunt. Aſt ex 250 Summis Pontificibus hactenus de unico damnari conſtat; et de 720. fere ſucceſſive, præter alios poſteriores, ſanctorum faſtis adſcriptos, notiſſimum eſt.*
XIV. *In Summorum Pontificum catalogo Bonif.* VIII. *de quo male opinabatur, poſt 300 annos incorruptus inventus eſt ann.* 1605.
XV. *Referuntur varii eventus judicum ſæcularium.*
XVI. *Media, quibus judex eccleſiaſticus violentiæ judicis ſæcularis occurrere poteſt.*

I. EM-

I. EMMANUEL Alvares Pegas, tom. 3. ad ordin. reg. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. n. 22. recte, ac judicioſe, ſic diſcurrit: *Non conſidero majorem aliquam rationem, ut hæc poteſtas concedatur judicibus, ſive principibus ſæcularibus, ad moderandam ſententiam eccleſiaſtici, qua vis notoria fieri dicitur, haneque tollendam, quam per contrarium judicibus eccleſiaſticis contra ſententias ſæcularium. Imo eccleſiaſticis principibus id magis competebat, ut probat Oliv. d. p. 1. q. 15. n. 28. et Suar. ubi ſupra, n. 32. Imo ordinarii judices eccleſiaſtici, ratione peccati, ſæcularis violenter procedentis, ſe poſſent majori cum ratione intromittere. Hoc tamen illis licere negat Pereir. d. p. 1. cap. 10. n. 28. et ſeqq. Neque aliquam rationem adducit ad comprobandam majoritatem rationis, ut ſcilicet judicibus ſæcularibus, ſive principibus, hæc poteſtas competat contra eccleſiaſticos. Num judices eccleſiaſtici non ſunt literati, et timorati? aut melius à ſæcularium literatura, aut Dei timore præſumitur? Sane ſi id reſtringitur ad judices delegatos illiteratos, qui ut plurimum aperte ipſa impetrantes electi, et periti dantur, aliqua ratione (licet inſufficienti ad tribuendam ſæculari juriſdictionem, aut ſuperioritatem, ad corrigendas eorum ſententias) dicta præſumptio fundaretur. At dicere (ut plurimos ratiocinantes audivi) hujuſmodi frænum eſſe apprime neceſſarium ad reprimendas inſolentias judicum eccleſiaſticorum; temere et indecenter dictum eſt. Unde Cevall. in d. diſcurſu, verſ. Contra iſta reſpondens prædictæ inſtantiæ, ſibi, ut inquit, oppoſitæ à quodam literato, non potuit, licet conaretur, aſſignare rationem differentiæ concludentem.* Hæc Peg. de quo etiam videndus Oliv. de for. eccleſ. d. p. 1. q. 15. ex n. 27. et Raynald. d. Suppl. 5. ad c. 1. n. 38. et 49.

II. Sit igitur *Prima Reſolutio:* Suppoſita licitudine recurſus ab eccleſiaſtico ad ſæcularem pro tollenda violentia notoria, tenendum omnino eſt, potiori jure, et evidentiori ratione licere etiam è contra recurrere à ſæculari judice ad eccleſiaſticum, in caſu ſimilis violentiæ manifeſtæ. Ita Peg. et Oliva cit. Soar. adverſ. Angl. error. l. 4. c. 34. n. 35. Mart. de juriſd. l. 4. caſ. 56.

Probatur facile, 1. Quia ratione violentiæ, in illa ſuppoſitione, eſt æqua lance licitudo pro utroque recurſu, videlicet à judice eccleſiaſtico ad ſæcularem, et à ſæculari ad eccleſiaſticum. Deinde ratione peccati, in violentia ipſa intercedentis, directe ejus cognitio judici eccleſiaſtico competere inſpicitur, ex c. 1. de offic. ordin. et ex c. *Cum ſit generale*, de for. comp. ubi gloſſ. utrobique: *et de quocunque peccato mortali.* Et ex c. *Novit*, de judic. ubi DD. omn.

Denique ratione continentiæ juriſdictionis temporalis, utpote inferioris, in ſpirituali, ut ſuperiori, et ratione actualis reſidentiæ in habitu illius temporalis juriſdictionis penes eccleſiam, ut ſupr. ſtabilitum remanet, prælud. 3. n. 4. et c. 5. n. 2. etiam directe, licet ſecundario, aut ſaltem indirecte, ut volunt moderni theologi, judex eccleſiaſticus eſt competens in illa hypotheſi, et licite poteſt pro violentia illa tollenda adiri, et judex ipſe licite et valide parti recurrenti de remedio providere, juriſdictionem ſuam temporalem, in habitu quidem dumtaxat retentam, in actu occaſionaliter directe exercere, ratione violenti illius gravaminis contingentiæ, ad tex. in c. ſæpe cit. *Cum per venerabilem*, qui fil. ſint legit. ibi: *Temporalem juriſdictionem occaſionaliter exercemus.* Ergo potius jus, et majores atque fortiores rationes aſſiſtunt licitudini recurſus à ſæculari judice ad eccleſiaſticum, et iſtius providentiæ pro violentia tollenda, quam contraverſum. Et hæc veritas ipſo naturali lumine nota eſt, et penitus innegabilis.

III. Probatur, 2. Quia, ſi manca remaneret juriſdictio temporalis principum ſæcularium ſupremorum, non agnoſcentium ſuperiorem, qui juriſdictionem illam, et poteſtatem, immediate à Deo habent, juxta illud Rom. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo:* ut diſcurrunt Salgad. Cevall. et alii (quamvis Ubert. de citation. c. 4. n. 64. explicet illud *à Deo eſt*, vel *commiſſa*, ut eccleſiaſtica, vel *permiſſa*, ut ſæcularis, ex c. *Quid culp.* 22. q. 1, ib. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo, ſive jubente, ſive ſinente.*) ſi ſaltem per viam facti nequirent ſibi ſubditis, à judicibus eccleſiaſticis, licet exemptis, notorie oppreſſis ſubvenire; et e contra defectuoſa foret juriſdictio eccleſiæ, ſi ſaltem per accidens, et ſecundario, bono ſpirituali id perquirente, temporalem juriſdictionem exercere non valeret, etiam in leges eccleſiæ ipſius filios, et ſubditos: quis ad oculum non videat majoritatem rationis, et juris firmioris pro recurſu à judice laico inferiore, ac ſubdito ad eccleſiaſticum ſuperiorem; quam ab iſto omnino exempto, et minime ſubdito, ad illum nullatenus ſuperiorem, nedum reſpectu judicis eccleſiaſtici, ſed etiam ne reſpectu quidem cujuſvis clerici privati? ex can. *Si imperator*, d. 66. et ex c. *Quamvis* de cenſib. et reliquis juribus præcitatis in prælud. 3. an. 4.

IV. *Secunda Reſolutio:* Licitus eſt recurſus ad Summum Pontificem à regibus et principibus ſæcularibus pro vaſſalis ſuis notorie juſtitiam non adminiſtrantibus, vel notorie violentiam inferentibus; et conſequenter licita et valida erit pontificalis proviſio pro oppreſſis, vel injurias atque injuſtitiam patientibus. Ita Oliv. d. q. 15. n. 28. Per. de man. reg. c. 7. n. 2. Mart. de juriſd. l. 4. c. 56. n. 5. Soar. cit. Fermoſin. in c. *Eccleſ. S. Mariæ*, de conſtit. et alibi.

V. Probatur ex c. 2. *Ad Romanam*, 2. *q.* 6. ibi: *Ad Romanam eccleſiam ab omnibus, maxime tamen ab oppreſſis, appellandum eſt, et concurrendum quaſi ad matrem, ut ejus auctoritate defendantur*, &c. et ex c. *Grandi*, de ſupplend. negligentia prælatorum in 6. in quo Summus Pontifex providit prælatis, proceribus, et populo Luſitano, ab omiſſionibus regis Sancii ad ſe recurrenti, ibi: *Sed potius ſibi, et eidem regno, deſtructioni expoſito, ac vobis ipſis in vita ipſius regis, per ſolicitudinem et providentiam comitis conſulere ſuprædicti.*

Et ex capitibus aliis ſupr. cit. prælud. 3. n. 4. et ex caſibus variorum ad Summum Pontificem recurſuum, à populo adverſus proprios reges injuſtos ibidem contentis; et tandem ex bull. Cœn. can. 12. ubi excommunicantur omnes, qui hos recurſus ad Summum Pontificem impediunt, ibi: *Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas eccleſiaſticas quaſcunque, vel ſæculares, ad Romanam curiam, ſuper eorum cauſis et negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores, et agentes, ſeu etiam auditores, vel judices ſuper dictis cauſis vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum vel negotiorum hujuſmodi occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque præeminentiæ et dignitatis fuerint.*

VI. *Tertia Reſolutio:* In his præfatis recurſibus tam ad Papam, quam ad judicem eccleſiaſticum, ſtante notorietate injuſtitiæ, et violentiæ, poteſt quivis eorum oppreſſis providere, nedum per viam facti, et extrajudicialiter, ſed et juriſdictionaliter, atque ſuperioraliter, et directe. Ita Oliv. cit. n. 28. rationem diſparitatis inter judicem laicum per viam facti dumtaxat, in recurſu violentiæ à judice eccleſiaſtico cognoſcentis, aperte inſinuans, ex totali defectu juriſdictionis judicis laici in clericos; qui quidem non datur in judice eccleſiaſtico reſpectu judicum ſæcularium, atque etiam principum, et regum, ut late probat q. 2. et nos ſupr. prælud. 3. an. 4.

VII. Confirmatur ex providentia juriſdictionali contenta in cit. c. *Grandi*, et in cit. c. 2. *Ad Romanam*, ibi: *Concurrendum quaſi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, et à ſuis oppreſſionibus releventur*, &c.

Et confirmatur etiam ratione, 1. Quia, ſi eccleſia habet juriſdictionem non ſolum ſpiritualem, ſed etiam temporalem directam in reges, et principes, et reliquos laicos, licet ſecundario, de quo ſupr. cit. n. 4. quam occaſionaliter, inſtante bono ſpirituali, in eos directe exercere valet: ergo juriſdictionaliter, et directe, eandem exercebit judex eccleſiaſticus in judicem ſæcularem pro tollenda violentia, à qua ad ipſum recurritur. Confirmatur, 2. Quia ratione peccati judex eccleſiaſticus propriam juriſdictionem ſpiritualem directe exercet in laicos: ſed in caſu præfigurato intervenit peccatum injuſtitiæ, et violentiæ in judice laico, vel etiam in principe temporali: ergo oppreſſis eccleſiaſticus

ſiaſticus judex juriſdictionaliter, et directe, providere poterit, etiam juriſdictione ſpirituali, ut in cit. c. *Grandi.*

VIII. *Quarto Reſolutio:* Quamvis requiratur violentia non ſimplex, ſed qualificata, nempe manifeſta, et notoria, ut à judice eccleſiaſtico ad regem, aut ad regia tribunalia recurratur (de quo infr. l. 2.) et non ſufficiat injuſtitia, quæ violentiam, aut naturalis defenſionis excluſionem, aut denegationem non contineat, ut infra demonſtrabitur c. 17. attamen ad hoc, ut populi à propriis regibus ac principibus ad Summum Pontificem, et ad ſanctam ejus Sedem licite poſſint recurrere, et valide ac licite provideri, non requiritur violentia, ſed ſufficit injuſtitia, quæ notoria et permanens ſit. Probatur, quia ex defectu totali juriſdictionis judicis regii in clericos, nequit iſte cognoſcere de injuſtitia judicis eccleſiaſtici, neque ab hoc ad illum, injuſtitiæ titulo, valet recurri; et ſolummodo titulo notoriæ violentiæ, ob poteſtatem, quæ in judice ſæculari in hoc caſu à jure naturalis defenſionis reſultantem, dimanat: atque hic juriſdictionis defectus non datur in Summo Pontifice, imo reſidet in illo utraque juriſdictio, etiam adverſus reges occaſionaliter exercenda, ſecundum dicta ſuperius prælud. 4. n. 4. et ſeqq. Ergo, &c.

IX. Dices pro Cevall. in prolog. n. 75. ep. ad reg. Summus Pontifex, et quilibet judex eccleſiaſticus, nuſquam, et nunquam, præſumit laicos eſſe juriſdictionis eccleſiæ in rebus et cauſis temporalibus. Sed contra, 1. Quia oppoſitum ſatis ſuperque probatum manet ſupr. prælud. 3, 4. et 5. et cap. 5. Contra, 2. Quia etiam reges minime præſumunt, judices eccleſiaſticos eſſe ſuæ juriſdictionis in cauſis foro eccleſiaſtico ſpectantibus, imo neque quoad alia; cum illos omnino exemptos à laicali juriſdictione, et exactionibus, indubie agnoſcant: ergo, ſi ratione notorietatis violentiæ poteſt recurri à judice eccleſiaſtico ſuperiore, et exempto, ad judicem ſæcularem inferiorem, et juriſdictione directa deſtitutum; cur à judice laico inferiore, et ſubdito, ratione conſimilis notorietatis, non valebit recurri ad judicem eccleſiaſticum ſuperiorem, vera et directa juriſdictione pro ſimilibus caſibus præditum?

X. Dices, 2. pro aliquibus, quos preſſe inſinuat Oliv. cit. n. 27. Contra judices ſæculares datur ordinarium remedium appellationis ad majorem in regno. Sed contra redarguit Oliv. ibidem: quia idem remedium appellationis datur in regno contra eccleſiaſticos per appellationem ab epiſcopo ad archiepiſcopum; ab iſto ad nuntium apoſtolicum, &c. et ſimiliter datur et appellatio, et gravamen à vicario generali ad epiſcopum ab interlocutoriis, et à non receptione impedimentorum, à definitivis objectorum; et datur recurſus in omnibus cauſis, juxta ſuperius dicta c. 2. n. 7. et c. 1. n. 2. et à vicariis foraneis datur etiam appellatio ad epiſcopum, et ad vicarium generalem ejuſdem, et ad ejus ſenatum, de quo Pelegrin. in prax. vicar. p. 3. Themud. ſupr. cit. c. 2. n. 7. Barb. et alii ibidem: ergo ſicut tot recurſuum ac remediorum multiplicatio et facilitas non impedit recurſum extrajudicialem à judice eccleſiaſtico ſuperiore ad ſæcularem inferiorem; cur impediet recurſum à judice laico inferiore, et ſubdito, ad eccleſiaſticum ſuperiorem, et ſæcularem, etiam juriſdictionem, ſaltem in habitu, præcontinentem?

XI. Dices, 3. pro aliis preſſo nomine citatis à Peg. d. gl. 14. ſub n. 22. Hujuſmodi recurſus frænum eſſe apprime neceſſarium, ad reprimendas inſolentias judicum eccleſiaſticorum. Sed contra, 1. Quia, ut idemmet Peg. redarguit, hoc temere et indecenter dictum eſt. Contra, 2. Quia ejuſdem fræni neceſſitas dari inſpicitur pro judicum ſæcularium inſolentiis reprimendis, præſertim in locis à ſuperioribus *ad quos* longe diſtantibus, ut in ſeptemtrionali provinciæ reſpectu hujuſce ſenatus Goani, et ab hoc ſenatu Goano reſpectu aulici ſenatus Ulixbonenſis. Contra, 3. In contrarium namque notorie ſtat integritas et rectitudo judicum eccleſiaſticorum Romæ judicantium, ac decidentium, tum in ſacra Rota, tum in reliquis S. cardinalium congregationibus, de quibus v. Lacr. de conſcient. n. 214. et Deluc. de benef. d. 67. et rel. cur. d. 32. et de Par. d. 6. et 7. Lother. de re benef. to. 1. in appar. à n. 80.

Contra, 4. Quia, ſi recte recenſeantur, forſan plures numero, et majores re, et conſequentiis, invenientur injuſtitiæ atque violentiæ judicum ſæcularium, quam eccleſiaſticorum, ob frequentiores et ampliores occaſiones, quas ad illas habent.

XII. 1. Ex ampliori ſegete ad falces temporalis judicii mittendas, cauſas ſanguinis, præter omnes profanas deportationis, et propriæ vitæ naturalis privationis, judicando; à quibus omnibus abſtinet juriſdictio eccleſiaſtica, quæ ad cauſas ſpirituales reſtringitur. 2. Ex majori indigentia ad uxores, liberos, et majorem numerum ſervorum ſuſtentandos.

3. Ex conſequenti et connaturali conatu ad theſaurizandum pro illorum decenti ſtatu conſervando, et augendo, et ad ſufficientes, imo ad ſuperabundandantes redditus, eiſdem poſt parentum mortem relinquendum, congregandos. 4. Ex majori ac frequentiori periculo ſubornationis, et corruptelæ, tum ab uxoribus, tum à filiis, ſæpe repetundis circumventis. 5. Ex majoribus ſubjectionibus, ac dependentiis, utpote ſæculares, et laici, pluribus legibus, obligationibus, atque exactionibus adſtricti, à quibus eccleſiaſtici, utpote liberi, et exempti, immunes prorſus ſunt. 6. Ex aliis quampluribus circumſtantiarum differentiis, quæ conſideranti facile obvenient, et ex multiplicibus frequentioribus periculis, quæ pro temporali juriſdictione exercenda, atque adminiſtranda, quam pro ſpirituali contingere ſolent. Et tandem ex ipſomet ſtatu ſæculari de ſe faciliori, et procliviori ad declinandum à recto, præ eccleſiaſtico ſtatu à ſæculo ſegregato, et in ſortem Domini vocato, &c.

XIII. Et ſane ex tribus ſupra viginti regibus Judæ, temporalem juriſdictionem adminiſtrantibus, ſex dumtaxat vitam æternam ſunt conſecuti (dubitatur de tribus, inter quos computatur Salomon) et de reliquis quatuordecim certo et fideliter conſtat de eorum ſempiterna damnatione. Pariformiter ex undeviginti regibus Iſraelis, eandem poteſtatem, ac juriſdictionem agentes, omnes perierunt; et ne unus quidem, qui cum ſervis Job pronuntiare poſſet, *Evaſi ego ſolus*, ſalvus factus eſt.

At vero in catalogo Summorum Pontificum ſpiritualem juriſdictionem moderantes, inter quinquaginta ſex ſupra ducentos, qui à D. Petro uſque ad præſentem Clementem Duodecimum excurrerunt, primi ſeptuaginta duo ſucceſſive, duos tantum ſi demas, ſanctorum faſtis adſcripti incedunt; et in reſiduis plures etiam indigetes venerantur, ut S. Benedictus, S. Vitalianus, S. Gregorius Septimus, tres Divi Leones, et alii. Et reliqui omnes (dempto Benedicto IX. de cujus dumtaxat damnatione conſtat) probatæ vitæ, integritatis, ac rectitudinis evaſerunt.

XIV. Imo in eodem catalogo Bonif. VIII. de quo criticabant, teſte Guill. Bur. *Papatum ut valpes intravit, ut lupus gubernavit, ut canis expiravit*; attamen trecentis poſt mortem annis, hoc ſæculo, anno nempe 1605. quinto idus Octobris, corpus ejus plane incorruptum, membriſque omnibus integrum repertum fuiſſe; veſtibus quoque ſacris, quibus ad ſepulturam indutus fuerat, omnino ſanis: qua de re confectum fuit publicum inſtrumentum, quod deſcripſit Bzovius, tom. 4.

Quid ſimile ſane in ſeriebus magiſtratuum, et judicum ſæcularium, ſi recte inſtituerentur, in qualibet republica non invenietur. Imo in univerſo orbe judex mere ſæcularis, ſanctorum catalogo deſcriptus, vix unus et alter indigetantur, nempe S. *Pudens*, pater S. Pudentianæ, et S. *Apollonius*, qui fuerunt ſenatores. Deſideratur in proximum Thomas Morus Cancellarius Anglicanus.

XV. Conſulat unuſquiſque proprios lares, et comprovincias, et obſervet qua morte frequenter decidant judices laici, qua eccleſiaſtici. Et mehercle in hoc Indiano ſtatu (ex ore ipſorum ſæcularium loquor) majores et frequentiores ſunt violentiæ et injuſtitiæ laicorum judicum, præ eccleſiaſticis. Et ſi hiſtorias retro conſulant, per celebrem illum caſum, et cataſtrophen Petri Boteglii, ſæcularis judicis, quem ab hac Goana civitate ad Ulixbonenſem remeantem, dæmones Æthiopum ſpecie in mare apparentes, et in æneam caldariam recipientes, ac ſummergentes, ad inferna deſcenderunt, quaſi lapides. Conſulant quæ de aliquibus gubernatoribus, et aliis miniſtris temporalibus,

ralibus, in hiſtoriis Aſiaticis perleguntur, caſus quidem non minus fatales, licet minus famoſos, et clamoroſos, obiter indicantia; omiſſis illis, quos conſtans, et continuata traditio in hac India refert, præſertim alterius publici miniſtri; hinc Ulyſiponem renavigantis, et in itinere à viſibili phantaſmate improviſo oppreſſi.

Moderniora tamen, nondum ſex luſtra abſumentia, fuerunt infeſta illa nocturna ſpectra, quibus eadem nocte (et aliis ſubſequentibus) qua hujus ſenatus Goani cancellarii cadaver ſepulturæ traditum eſt, in aula ipſa ſenatoria voces clamoroſæ altercantes, arguentes, cachinnantes, et irridentes, cum ſtrepitu et fragore horriſono, à quamplurimis exauditæ et obſervatæ fuerunt, cujus infeſtationis experimentales et credibiles teſtes, adhuc viventes, id mihi ſerio ſæpe aſſeverârunt. Et notiora, licet antiquiora, ſunt ſpectra, et infeſtationes illæ, etiam diurnæ, quæ ſenatores regios ſenatus domum alio transferre coegerunt.

Et multo notior, ac modernior fuit fatalis obitus regii proviſoris capellarum in hac civitate abhinc paucis annis; quem cum in juris cenſuras declarâſſem, ob invaſionem violentam in confraternitates eccleſiaſticas, earum rationes ſumpturum, caſdemque intruſe viſitaturum, et vitandus ſeſe in die natalitio S. Franciſci Xaverii, feſto publice adſtiturus, in ejus eccleſiam introduceret, tranſactis duobus, vel tribus annis, levatis jam à me cenſuris, ad inſtantiam atque interventum excellentiſſimi proregis comitis Sandomilenſis, eadem die mane à lectulo ſurgens, eidem feſtivitati interfuturus, ſubito mortuus cecidit; cum jam antea, poſt mucronem cenſurarum, talem fœtorem ex toto corpore exhalaret, ut à nemine toleraretur, et tam ponderoſa torpedine ac debilitate premeretur, ut paucos greſſus, non niſi cum multo labore, multiſque gravoſis morulis, dirigere poſſet. Quibus addi etiam poteſt magiſtratus ille, qui in Portucalenſi ſenatu cancellarii munus agens, reum quendam ex indiciis tantum ob crimen beſtialitatis poſt capitalem pœnam comburi fecit, poſtea menſe Januarii 1721. in fortuito cujuſdam theatri, præſepis ac natalitii Domini repræſentativi, incendio pariter ipſe combuſtus, infeliciter occubuit.

E contra vero in memoriam revocent rectiſſimos illos eccleſiaſticos, qui in ſenatu regio magiſtratus ſæculares nuper inceſſerunt, ut incorruptus *Hieronymus Vas Vieira*, qui ſereniſſimo regi Petro II. ut ſenatoria palatina inveſtitura condonaretur, multiplices allegavit ſententias, quas adverſus regem ipſum, et primos regni proceres, intrepide tulerat; et morti proximus cauſas non paucas ſibi diſtributas, ne cum juſtitiæ periculo ad alterum judicem tranſirent, ipſe manu propria, gravi debilitate contempta; finaliter, et juſtiſſime, ut præter morem mors imminens poſtulabat, judicavit: et *Joannes de Azevedo*, canonicus doctoralis ſedis Ulixbonenſis, etiam ſenator palatinus, quondam in Colimbrienſi academia primarius canonici juris interpres; atque *Emmanuel Coſtius de Almeida*, item ſenator aulicus, atque in eadem academia et facultate veſperarius moderator; et denique *Antonius Texerius Alvareſius*, quondam juris Pontificii in Colimbrienſi academia interpres primarius, qui adhuc vivit, et ob notiſſimam et expertam integritatem à ſereniſſimo rege Joanne V. et ab omnibus generaliter pluris ducitur. Necnon *Emmanuel da Gama Lobo*, juris Cæſarei, et canonici, in eadem academia quondam veſperarius interpres, qui adhuc etiam vivit, et omnes fere præfati, etiam S. officii deputati inceſſerunt.

XVI. Media autem, quibus judex eccleſiaſticus valebit violentiam judicis ſæcularis tollere, et recurrenti providere, poterunt eſſe eadem, quibus providendum gravato ob negligentiam judicis laici, dicunt Fermoſin. in c. *Cæterum*, q. 12. n. 2. et in c. *Qualiter*, q. 1. n. 2. citans Bobadill. polit. l. 2. c. 17. n. 108. et ſeqq. quorum primum et præcipuum, n. 112. eſt, quod prælatus exhortationibus ac monitionibus judicem ſæcularem admoneat, et ſenatui notificet tam negligentiam judicis, quam damni inſtantiam, ut de prompto remedio provideat. Et allegat diſpoſitionem juris civilis auct. *ut differentes judices*, § *Si vero*, et n. 111. tradit, judicem ſæcularem valde remiſſum, ac negligentem in adminiſtranda clerico juſtitia, incurrere majorem excommunicationem à lege, ex gloſſ. 1. in c. *Vergentis*, de hæretic. et in c. *Adminiſtratores*, 7. q. 5.

Reges tandem, et principes ſæculares, in juribus ſuis dubiis, vel utrinque probabilibus, ſolere ad Summum Pontificem, etiam in cauſis temporalibus, ut ad proprium judicem pro deciſione recurrere, inſinuavimus ſupra, prælud. 3. et c. 5. et 6. et tenet Verricell. demiſſionib. Oliv. de for. eccleſ. q. 2. et 4. et Bobadill. polit. l. 2. et alii cum Per. de man. reg. c. 36. n. 2.

DISTINCTIO IV.

De Recurſu à Judice Sæculari ad Competentem Sæcularem, vel ad Principem.

CAP. VII.

De Differentiis Recurſus à Judice Sæculari ad Sæcularem Competentem.

SUMMARIUM.

I. *Dupliciter dari poteſt recurſus à judice ſæculari ad competentem ſæcularem.*
II. *Senatores gravaminum proviſionem denegant, ſi pars injuſte ſupplicat; et tranſacto termino præfixo reſcriptum concedunt, etiam ex cauſa colorata.*
III. *Tranſactis autem duobus menſibus, admiſſio partis ad proſequendum pertinet ſenatoribus palatinis. Et præſentato inſtrumento intra paucos dies poſt terminum, debet admitti.*
IV. *Stylus domus ſupplicationis, ut ſit validus, debet eſſe præſcriptus, et populo notus, et minime introductus contra legem ſcriptam.*
V. *Ut interponatur gravamen ad judicem competentem, non requiritur violentia qualificata, nempe notoria, ſicut requiritur, ut interponatur ad judicem incompetentem, puta ab eccleſiaſtico ad ſæcularem; et aſſignatur diſpar ratio.*
VI. *De jure can. ab omni interlocutoria appellare licebat ante Concil. Trid. non ſic vero poſt illud.*
VII. *Quæ in hac re communia ſint utrique juri, et foro.*
VIII. *Fallentiæ, et exceptiones de jure patrio.*
IX. *Quænam interlocutoria gravamen irreparabile, vel reparabile contineat.*
X. *Quædam advertentiæ ex Leytam.*
XI. *Concluſio cum eodem.*
XII. *Gravamen ſemper innuit actionem externam, quæ cum violentia et oppreſſione recurrat.*
XIII. *Definitio gravaminis juridici.*
XIV. *Violentia, et vis definitur, et etiam oppreſſio, et qualis prærequiritur pro gravamine interponenda.*

I. HUIC recurſui eadem, quæ præcedenti, adaptatur definitio. Poteſt dupliciter fieri; vel per modum gravaminis cum querimonia de exceſſu, aut defectu judicis inferioris; vel per modum ſupplicationis ſimplicis ad principem; vel ad ſenatum, potentem pœnam, v. g. juſte inflictam ab inferiore, levare, vel minuere. Porro recurſus viâ gravaminis, etiam eſt in duplici differentia. Primum dicitur *gravamen ordinarium*. Secundum *gravamen per petitionem*. De quibus vide ordin. reg. l. 1. tt. 6. et l. 3. tt. 84. per tot. et tt. 20. § 46. et tt. 1. § 18. et 19. Cabed. 1. p. dec. 10. et 40. Mend. à Caſtr. p. 1. l. 3. c. 19. Coſta de ſtill. dom. ſupplic. annot. 2. et 5. Leytam de jur. Luſit. et alios.

Gravamen autem ſic definire libet: *Actio externa judicis violenta partem aliquam injuſte opprimens*. Ubi particula *actio* etiam comprehendit (pro gravaminibus judicum ſæcularium, non vero pro judicum eccleſiaſticorum gravaminibus) quamlibet injuſtam delationem, ſeu deferimentum, decretum, vel deliberationem contra ſtylum, de quo tamen infr. n. 5. et 12. et ſeqq. et 17. et 18.

II. Ex quibus obſerva, 1. Quod ſenatores gravaminum ſi in petitione gravaminis inveniunt, quod pars gravamen proponens juſte conqueratur, pronuntiant in tribunali pro illa: non ita vero, ſi injuſte ſupplicavit, ideoque proviſionem ei denegant. Coſt. de ſtyl. annot. 2. n. 28. quæ quidem notanda ſunt pro infra dicendis, l. 2. c. 37. et 38. Circa admiſſiones petitionum gravaminum ſeu recurſuum à judicibus eccleſiaſticis ad tribunalia regia.

Obſerva, 2. pro gravamine ordinario, Quod tranſacto termino decem dierum præfixo ab ord. reg. lib. 3. tit. 84. in principio ad interponendum gravamen à die notitiæ ſententiæ adverſæ, à qua pars voluerit ſupplicare, fieri ſolet petitio ad menſam ſenatorum palatii, ut reſcriptum concedatur, quod, non obſtante tranſitu illius termini, poſſit pars ſupplicare, et ex qualibet cauſa, etiam colorata, ſolet concedi. Coſt. de ſtyl. annot. 5. n. 12.

III. Obſerva, 3. circa ordin. reg. l. 3. tt. 84. § 4. de qua Cabed. 1. par. deciſ. 40. n. 6. Quod tranſactis duobus menſibus, de quibus ibi, ſi pars ex aliquo impedimento non detulit intra ſpatium illius termini acta ad ſuperiores, debet petere à ſenatoribus palatii regii, quod eam admittat ad proſequendum gravamen, non obſtante tranſitu illius termini. Coſt. cit. n. 14.

Obſerva, 4. Quod inſtrumentum, ſeu charta teſtimonialis gravaminis debet offerri ſuperioribus intra triginta dies enumeratos à gravamine interpoſito ab interlocutoria, juxta ord. reg. lib. 3. tit. 74. § 5. alias non dabitur proviſio per ſuperiores, *Emmanuel Barboſa in ſuis remiſſionibus ad d.* § 5. *n.* 1. Tamen præſentatio inſtrumenti intra paucos dies poſt terminum debet admitti, ut reſolvit *D. Gama, deciſ.* 132. *et deciſ.* 210. *n.* 2. *facit l. Si fundum*, 16. *ibi pauciſſimi ſunt dies, ff. fundo dotali*; et quod ſufficiat intra terminum præſentari diſtributori in forma notata ex areſto ſenatus per Melchiorem Phœbum, areſto 27. Coſt. cit. annot. 5. n. 18. et 19.

IV. Obſerva, 5. Quod licet pro ſtylo domus ſupplicationis, tum quoad modum procedendi erga præſentia gravamina, ac ſupplicationes, tum etiam circa appellationes, idem Coſt. annot. 2. n. 50. ſcribat, quod ſtylus domus, ut ſit validus, et ſervandus, debet eſſe præſcriptus, et quod venerit in notitiam populi, aut majoris partis, juxta declarationes, de quibus Aimon. *de antiquit. temporis*, 4. par. in principio n. 36. Alex. conſ. 36. in fin. lib. 2. Rebuf. de conſuetud. art. 2. gloſſ. 13. n. 11. tom. 3. relati à doctiſſimo Stephano Gratiano, 1. tom. *diſcep. forenſ.* cap. 143. n. 22. Attamen id non debet accipi, nec intelligi, de ſtylo introducto contra legem ſcriptam, juxta ſenatuſconſultum, de quo idem Coſt. ibid. n. 52. et ita extat ſenatuſconſultum in lib. 8. relationis, fol. 119. quod *conſuetudo, ſeu ſtylus, non poteſt prævalere, ſi fuerit lex ſcripta in contrarium, et non oſtendantur ſententiæ, vel relationis decretum, quod ſtylum approbet*; et facit ad intellectum difficilis text. in l. 2. c. *Quæ ſit longa conſuetudo*. Et quæ Minſinger in § *Ex non ſcripto*, n. 6. Inſtit. de jure naturali, gent. et civili, ubi Hiſpanus Pichardus ingenioſe explicat, n. 3. dd. in l. *De quibus*, ff. de legibus.

V. Obſerva, 6. Quod quamvis, ut recurratur ab eccleſiaſtico judice ad ſæcularem incompetentem, imo et ad competentem quidem, ſed improprie judicem, puta ad conſervatorem, prærequiratur violentia, non ſimplex, neque quomodolibet, ſed qualificata; videlicet evidens, ac notoria: attamen ut gravamen interponatur à judice ſæculari, vel eccleſiaſtico, ad ſuperiorem judicem proprie talem competentem, ſufficit quælibet à communi ſtylo, et generalis praxis obſervantia declinatio; ut videre eſt in Leytam de gravam. q. 3. n. 35. et per tot. de quo etiam ſupra, c. 2. n. 14. et infra, c. 30. et 31.

Diſparitatis ratio ineſt defectui juriſdictionis in primo caſu, et aſſiſtentiæ illius in ſecundo. Unde licet nequeat recurri ad tribunalia ſæcularia à judice eccleſiaſtico valide, quamvis injuſte procedente; ab illo tamen, et à judice ſæculari, ad ſuperiorem competentem, poteſt gravamen intentari, nedum à qualibet injuſtitia, ſed et à qualibet præſcripti ſtyli inobſervantia, et in modo procedendi, ab ſtatutis ordinationibus declinatione, et requiſitarum ſolemnitatum prætermiſſione.

De recurſu in gradu gravaminis, vel ordinarii in actibus, vel extraordinarii per petitionem à ſæculari judice ad ſuperiorem ſæcularem competentem, quia jam ſuperius, n. 1. et alibi, ſatis actum eſt, hic ſuperſedere decet.

VI. Animadverte tamen hic adhuc, 1. Quod licet ante Concilium Tridentinum de jure canonico ab omni interlocutoria appellare licebat; attamen id per dictum concilium reformatum eſt, c. 1. ſeſſ. 13. de reform. ibi: *Ita ſtatuit, et decrevit: in cauſis viſitationis, et correctionis, ſive habilitatis, et inhabilitatis, necnon criminalibus, ab epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus vicario generali, ante definitivam ſententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur: nec epiſcopus, ſeu vicarius, appellationi hujuſmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur; ſed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis judice emanata, necnon omni ſtylo, et conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere; niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit: quibus caſibus, ſacrorum et antiquorum canonum ſtatuta illibata perſiſtant.*

Ad quod Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 23. ſic ait: *Tridentinum inhærens juri civili diſpoſuit, quod ab ordinariis locorum appellari nequeat, niſi à definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, et cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Quale gravamen eſſet omnis actus irretractabilis trahens ſecum executionem, à quo pars gravata nullatenus ſublevari poſſit per appellationem à definitiva, vel non niſi cum magna difficultate, ac ſui præjudicio, ut eſſent indebita carceratio, tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum*, &c. *Conſule hac de re Scacc. de appell. q.* 16. *lim.* 47. *n.* 73. *et ſeqq. Pax Jordan. loco cit. tit.* 26. *n.* 382. *Ridolph. in prax. par.* 1. *cap.* 13. *n.* 299. *et* 308. *et ſeqq. Giurb. deciſ.* 56. *per tot.*

VII. Ad quod etiam Leytam de gravam. q. 2. hæc, quaſi communia utrique juri, et foro, ſcribit ſub n. 1. Regula prædicta, ſcilicet, quod ab interlocutoria appellare non licet, probatur de jure civili per textum in l. 2. ff. *de appellat. recipiend.* et in l. *Apertiſſimi*, c. de judic. et in l. *Cum ſolitum* 15. c. de ſententiis, et interlocut. et in l. *Eos*, § *Super*, c. de appellat. et in l. 2. c. *De epiſcopali audientia*, text. Melior, et capitalis in l. *Ante ſententiæ*, c. *Quorum appellat. non recip.* De jure vero canonico probatur tantum per S. C. Trid. ſeſſ. 24. *de reformatione*, cap. 20. et in caſu particulari, ſeſſ. 13. *de reform.* cap. 1. et per regulas cancellariæ apoſtolicæ, de quibus Scaccia de appellat. quæſt. 17. limit. 47. n. 83. Nam ante illud S. Concilii decretum, de jure canonico ab omni interlocutoria appellare licebat, ut agnoſcunt omnes per textum ibi in cap. *Super eo*, de appellat. Notat Scaccia cum pluribus ubi proxime, membr. 1. n. 73. et habetur in l. 13. tit. 23. partic. 3. Paz in praxi, 6. p. tom. 1. in proœm. n. 25. Et ſatis deducitur ex text. in cap. fin. de appellat. in 6. ubi non negatur appellari poſſe (ſecundum tempus illud) ab interlocutoriis continentibus gravamen reparabile,

licet

licet etiam ſine damno poſſet excuſari appellatio ab illis, ut inferius latiſſime explicabimus, et aperte conſtat ex eo quod prædictum S. Concil. jus novum ibi inſtituit, quod nemo poteſt ambigere.

De jure vero patrio Luſitano (proſequitur) probatur prædicta regula ex apertiſſima ordinat. lib. 3. tit. 69. in principio. De jure tamen Caſtellæ in lib. 3. tit. 23. partic. 3. et in lib. 3. tit. 28. lib. 4. et in lib. 10. tit. 7. lib. 2. et in lib. 5. tit. 5. lib. 7. recopilationis notant DD. infra citandi.

VIII. Fallentia vero, et exceptio prædictæ regulæ, ſcilicet, quod appellari poſſit ab interlocutoria habente vim definitivæ, vel irreparabile gravamen, probatur de jure civili: nam licet non inveniatur ſcripta dicta exceptio ita aperte et diſtincte; tamen ſemper, unanimi ſcribentium conſenſu, fuit receptum, illam exceptionem addendam eſſe regulæ prædictæ, et ſecundum eam debere intelligi, et declarari: quod ſatis deducebatur ex aliorum juris fontibus, et particularibus ejuſdem loci, quæ adducunt DD.

De jure vero canonico, ante Trident. cum ab omni interlocutoria liceret appellare, ut proxime diximus, probatur dicta exceptio, non tanquam exceptio, ſed tanquam regula. Probatur vero dicta exceptio apertius, quam alibi, in Trid. ſæpe dicto capite 20. De jure tandem patrio probatur dicta exceptio in ordinatione dicto titulo 69. in principio, et § 1. et de jure Caſtellæ in legibus ſupra citatis. Hæc Leyt. cit.

IX. Quænam autem interlocutoria gravamen irreparabile, aut reparabile contineat? Reſolvendum eſt ex cap. fin. de appellat. in 6. ibi: *Licet ab interlocutoria (per quam pacti, vel præſcriptionis, vel alia principali negotio præjudicans, vel judicium nullum reddens excepti eſt repulſa) non fuerit appellatum; ſi tamen à definitiva (quæ poſtmodum etiam ultra decennium promulgatur) appellari contingat, poteſt in appellationis cauſa ipſum gravamen per interlocutoriam eandem illatum licite per appellationis judicem emendari. Ubi vero interlocutoria ſuper eo profertur, quod non parat præjudicium negotio principali, vel judicium nullum reddit; niſi fuerit appellatum ab ipſa: per appellationem à definitiva poſtea interjectam gravamen illatum nequaquam poterit revocari.*

Ad hoc etiam Leytam cit. q. 3. ſub n. 4. Ecce textus optimus, qui nobis inſinuat aperte quænam interlocutoria contineat gravamen reparabile ad ſuperiorem cognoſcentem de appellatione definitivæ; quænam vero irreparabile: nam, ut ex eo apparet, interlocutoria vel profertur ſuper quæſtione vel exceptione præjudicante negotio principali, id eſt, faciente et conducente ad deciſionem cauſæ principalis, et ad condemnandum, vel abſolvendum in ea; vel profertur ſuper quæſtione, vel exceptione, quæ non continet talem materiam, nec ad condemnandum, vel abſolvendum facit, ſed aliud peculiare intereſſe incidenter, vel emergenter allegatur. Hæc hujuſce A. expoſitio: ſi tibi tamen, ut clarior, magis placuerit citati Gaſparr. explicatio ſupra extenſa, ea utere.

X. Sed eſt advertendum, 1. cum eodem Leyt. n. 10. Quod textus noſter licet dixerit, quales interlocutoriæ haberent gravamen reparabile; tamen non dixit, ab eis non licere appellare; imo ſolum dixit, quod etiamſi ab eis non appellaretur, poſſent tamen emendari in appellatione à definitiva, in quo ſuppoſuit licere, ſi gravatus vellet ab eis appellare; quod apertius probatur ex eo, quod poſtea S. C. Trid. dicta ſeſſ. 24. de reform. cap. 20. de novo diſpoſuit, quod ab interlocutoriis habentibus gravamen reparabile non appellaretur.

Advertendum, 2. quoque eſt, Jam ante text. in cap. fin. de jure decretalium, poſſe ſuperiorem emendare gravamina, de quibus agimus, etiamſi ab illis interlocutoriis fuiſſet remota appellatio, juxta text. in cap. *Paſtoralis*, in principio de appellat. Sic intelligendum infr. n. fin. apud ipſum, cujus obſcuram et indiſtinctam deciſionem declaravit text. in dict. cap. fin. ſecundum cujus diſtinctionem intelligendus et declarandus eſt text. in cap. *Paſtoris*.

XI. Concludendum igitur cum eodem, n. 11. Interlocutorias habentes reparabile gravamen eſſe illas, *quæ proferuntur ſuper exceptionibus, vel allegationibus præjudicantibus negotio principali, vel ſuper exceptionibus nullitatis:* cætera vero continere gravamen irreparabile; et per conſequens in illis habere locum prohibitionem appellandi; in his vero, ſcilicet irreparabile gravamen continentibus, appellationis prohibitionem ceſſare. Et de hoc ſatis.

XII. Pro ulteriori tamen, atque uberiori gravaminis definitionis, vel deſcriptionis explicatione, adnotabis adhuc, 1. *Gravamen* juridice uſurpatum, ut inpræſentiarum, ſemper innuere actionem externam, quæ illud cum *violentia* et oppreſſione recurrere facit: unde quamvis theologice *gravamen* adaptari queat internis animi affectionibus, ut de iniquitate peccatoris dicitur Iſa. 34. *Gravabit eam iniquitas ſua, et corruet*; et Jobi 7. *Factus ſum mihimet ipſi gravis*; et Luc. 11. *Ne forte graventur corda veſtra*; juridice tamen ſtricte importat actionem externam violentam, ut Judith. 5. 10. *Cumque gravaret eos rex Ægypti*; et 2 Cor. 1. 8. *Supra modum gravati ſumus.* Quamvis etiam aliquando late pro re externa non violenter, ſed voluntarie gravante uſurpetur, ut 2 Reg. 13. 25. *Ut veniamus omnes, et gravemus te*; et ibid. 14. 28. *Quia gravabat eum cæſaries.*

XIII. Undegravamen juridicum ſtricte definiendum, ſive deſcribendum venit: *Actio externa judicis violenta patientem injuſte premens:* ubi particula *injuſte* excludit juſta ſupplicia, et juſtas punitiones judicum, quæ quamvis reos premant, ipſis reluctantibus, atque adeo violenter *(cum violentum ſit ab extrinſeco reluctante paſſo)* et uſque ad ſanguinis effuſionem, ipſiuſque animæ, ſive vitæ exhalationem; non tamen ſunt graves, aut gravantes ſtricte, neque *gravamina* ſimpliciter dicuntur, tum quia ſunt juſtæ; tum quia conformes ſunt legi: *Lex autem neminem gravat.* L. *Meminerint*, cod. undevi. c. *Veniens*; de jur. jur. c. *Jus gentium*, diſt. 1. Particula autem *injuſte* comprehendere facit gravamen ad judicem competentem, quod quidem in ſimplici injuſtitia fundari poteſt; juxta dicenda infra, c. 17. et 18.

XIV. Adnotab. 2. *Violentiam*, cum qua gravamen recurrit, ſic etiam definiri: *Vi illata oppreſſio*; de qua infr. c. 14. *Oppreſſio* autem definitur: *Mobilis prævalentia viribus ſuccumbentem externe gravans, aut vexans*; et per hanc particulam *externe* excluduntur gravamina mere interna, ut animi paſſiones, affectiones, dolores interni, orti ex melancholicis apprehenſionibus, et alia hujuſcemodi. Et hæc definitio deducitur ex Lexic. verb. *Oppreſſio*; ibi: *Oppreſſio mobilium eſt, ut invaſio immobilium:* et ex 2 Reg. 13. 14. *Viribus prævalens oppreſſit eam:* ſed de hoc latius infra, c. 14.

Per particulam primam *actio* comprehenditur etiam quælibet *delatio* injuſta judicis, vel quodlibet decretum injuſtum, aut injuſta deliberatio, à qua gravamen interponi poteſt à judice competente ad competentem, proprie talem, vel ſæculari, vel eccleſiaſtico; non vero ab eccleſiaſtico ad ſæcularem regium, utpote incompetentem; neque etiam à judice eccleſiaſtico ad eccleſiaſticum judicem improprie talem, puta ad conſervatorem, quia ut ab eccleſiaſtico judice ad præmiſſum duplicem gravamen licite interponatur, prærequiritur, non quælibet injuſtitia, quinimo nec quælibet violentia, ſed *qualificata*, nempe *patens, manifeſta, et notoria*, quæ nulla tergiverſatione, aut diſſimulatione celari, vel prætextari queat, juxta ſuperius inſinuata, n. 5. et inferius plene, et plane enucleanda, c. 14. et ſeqq. uſque 18. inclusive.

LIBER SECUNDUS.

DE

Recurſu ad Judicem Incompetentem; videlicet,

Ab Eccleſiaſtico Judice proprie, vel improprie tali, ad Regia Tribunalia ſæcularia.

CAPUT VIII.

Præmittuntur aliquo pro gravitate materiæ, et inæqualitate Doctorum, Miniſtrorumque ſæcularium de illa ſcribentium, atque judicantium.

SUMMARIUM.

I. *Argumenti gravitas, ac difficultas.*
II. *Imploratur divina lux.*
III. *Notantur inæqualitates, et iniquitates DD. hac de re ſcribentium.*
IV. *Retunditur aliquorum ratio fundamentalis.*
V. *Comprobationes de jure canonico.*
VI. *Confirmationes ex jure civili.*
VII. *Conſonantia ex eodem jure.*
VIII. *Conſimiles diſpoſitiones, et retorſiones.*
IX. *Alia inæqualitas ex Peg. adverſ. Pereir.*
X. XI. *Aliæ ex eodem.*
XII. *Altera ex Ubert. qui tranſcribitur.*
XIII. *Pariformiter ex eminentiſſimo Card.* Cienfuegos.
XIV. *Notantur inæqualitates ſcribentium, præſertim Vanſpen.*
XV. *Proſequuntur ex Peg.*
XVI. *Notatur celebris alia ex eodem.*
XVII. *Proſequitur, et tranſcribitur, Peg. et Oliv.*
XVIII. *Altera ex ampliatione ſtyli.*
XIX. *A mero executore modum non excedente, nec gravamen, nec appellatio datur.*
XX. *Regii miniſtri adhærentes Gabr. Per. in refragantibus, non vero in ſuffragantibus eccleſiæ juriſdictioni.*
XXI. *Judices ſæculares nimis facile pronuntiant in recurſibus adverſus eccleſiaſticos.*
XXII. *Retunduntur aliquorum effata.*
XXIII. *Jus civile dictatum eſt à prudentia humana; jus autem canonicum derivatum à S. Paginæ, PP. et Conciliorum auctoritatibus.*
XXIV. *Jus canonicum auro, jus autem civile plumbo, ab ipſo jure comparatur.*

I. PRÆSENTIS argumenti gravitas, ac difficultas, omnibus ſane per ſe patens, atque notoria eſt, neque expoſitione indiget, utpote quæ ſecum temporalem juriſdictionem regum hinc devolvit, et hinc ſpiritualem, atque temporalem Summi Pontificis, et eccleſiæ, nec non jura clericorum, et eccleſiaſticam immunitatem; et, ut ait doctiſſimus Joannes Delgado de Aguero, inquiſitor ordinarius, et archiepiſcopatus Toletani generalis vicarius, in prudentiſſimo, pariter ac doctiſſimo monito ad cenſuras ſuper tractatum Cevalli de cognit. pervi. violentiæ; ibi: *Magnum iſtud argumentum eſt, et majeſtate plenum. Agit de finibus regundis inter SS. Pontificum tiaras, et ſceptra regum. Nullus hic adeo palam apparet limes agro poſitus, qui litem hanc diſcernat, quin fateri oporteat, vel ipſo Deo Termino opus eſſe, Agri-menſore. Neque prodiit quiſnam hactenus, qui talem ſe finitorem gloriari poſſet, ut omni ſui parte verum modum dixerit: adeo difficile eſt, ſi non humanis ingeniis impoſſibile, omnia inter divina jura, et contumeliam lædendi Cæſaris temperare, atque dignoſcere quæ Deo reddenda ſunt, ut Deo propria; et quouſque rebus Cæſaris incumbamus, et jure poteſtatis ejus utimur, ut loquitur D. Hilar. in comment. in Matth. c. 23. Quod ſiquis adeo ſe Lynceum, adeo aquilinis oculis inſtructum eſſe præſumat, ut radios omnes ſolares à lunaribus, eccleſiaſticam, inquam, à ſæculari poteſtate facile definiat; nihil in hoc ſalo, et ſalebris hæreat, Sylla quamvis et Charybdi, hodie præſertim, magis periculoſis, quarumque reciprocus ex vitatione impulſus; nam tam eſt frequens, quam utriſque, hujus poteſtatis colliſio, connexio, implexio; longe tamen ille ab omni humanitate aberit, ſi aliis, nondum adeo perſpicacibus, ſuccenſuerit.*

Et infra: *Dum porro vetiti, et permiſſi, ratio et interſtitium non ſemper in aperto eſt, fieri poteſt, ut intra eccleſiæ muros, et regiæ peccetur, et extra; ab utriſque, inquam, judicibus, pariter atque ſcriptoribus. Tum porro quid amplius jure quis exigat, quam ut ſiquis imprudens alienum extremis articulis attigerit, nihil præjudicatum, nihil dictum, nihil actum velit?*

De quo prudenti monito Laurentius Beyerlinch. in approbatione ſua ibidem auctoris titulum, *De cognitione per viam violentiæ in cauſis eccleſiaſticis, et inter perſonas eccleſiaſticas*, merito notans, ita ait: *Sic tamen et nova cautela, ſive monitum, à viro docto, et in eadem facultate verſato, conceptum, quo mens auctoris percipiatur, cum titulus ipſe alioquin durior videatur, ipſi operi, ſive eidem tomo præmittatur.* Vide etiam *Seſſe* de inhibit. c. 8. et in prolog. et in ep. ad reg. et Salgad. de prot. reg. prælud. 1. n. 1. et Ubert. de citation. c. 4. per tot. et alios.

II. Quare, ne et ipſe in hoc tenebricoſo chao deerrem, ſine duce, ſine luce, non tamen ſine cruce, à Cœleſti Numine ſupernum lumen iterum, atque iterum enixe deprecor, ut ſicut olim dixit *de tenebris lucem ſplendeſcere*, ſic inpræſentiarum lucerna ejus ſplendeat ſuper caput meum, ut ad lumen ejus inoffenſe in his tenebris ambulem, et poſt illas, ac de illis optatam lucem eliciam. Proſequar ergo aſſidue ſupplex cum Salomone ſupplicans: *Da mihi, Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, et* 2 Cor. 4. 6. Job 29. 3. Sap. 9. 4.

mecum

mecum laboret, ut ſciam, et adimpleam, quid acceptabile ſit coram te omni tempore.

Pro inæquali ſcribentium diſſonantia.

III. Prima, quæ ſeſe offert inæqualitas, vel potius iniquitas, illa eſt, oblocutionum, improperiorum, atque exorbitantium opprobriorum, quibus ſcriptores ſæculares eccleſiaſticos judices, imo et prælatos probroſe laceſſunt, atque convitiantur, ut laudati Joannes Lupus, ſeu *Palacius Rubeus*, Smidelinus, et alii, de quibus Raynald. obſerv. crim. to. 4. ſuppl. 5. ad c. 1. ſub n. 43. § *Occaſione ſumpta*; et n. 71. qui judices eccleſiaſticos *aſinos ferratos, avaros, injuſtos*, &c. de quo ſupr. prælud. 3. an. 25. irridentes, et contemnentes vocitare, et blaterare non verentur. Quibus tamen improperiis, et oblocutionibus, ut malignis, et ex mero odio eructatas, quamvis Raynald. ipſe cum D. Franc. Molin. tr. de brach. ſæcular. p. 1. c. 4. reſpondere ſatagat, et quidem licite, ac juſte, ſecundum illud Pſ. 118. *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum:* et illud Prov. 26. *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam:* ego tamen ab omni reſponſione, et retorſione, conſulto abſtinebo; illæ namque injuſtæ contumeliæ, et infamia convitia, ut notat Senec. de remed. fortun. ſuarum ipſarum, vel ſuorum ipſorum auctorum flagella quidem acriora, et ſupplicia incedunt condigniſſima: *In quo enim judicant alios, ſe ipſos condemnant; et malum, quod excogitant, in caput eorum revertitur:* et, ut ait Salomon in Proverbiis, 18. 7. *Os ſtulti contritio ejus, et labia ipſius ruina animæ ejus.*

Secunda inæqualitas ſit ea, de qua Peg. tom. 3. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. n. 22. illorum ſcilicet ratiocinantium, ſeu garrientium hujuſmodi frænum recurſuum apprime neceſſarium eſſe ad reprimendam inſolentiam judicum eccleſiaſticorum. Sed contra, quia præterquam quod idem Pegas hoc aſſertum, ut *indecens*, ac *temerarium*, palam ibidem merito laceſſit; jam ſupra oſtenſum eſt, plures et majores eſſe inſolentias, ſive exceſſus judicum ſæcularium, quam eccleſiaſticorum; proindeque plus frænum illud ipſis neceſſarium equidem evadere.

IV. Tertia ſit illa, quam Bobadill. Polit. l. 2. c. 17. n. 108. et Covarruv. c. 6. prac. n. 1. inſinuant, eorum irridentium, nedum opinionem communem canoniſtarum, ſed et ſacros canones, quibus ea fundatur, quatenus tribuunt juriſdictionem judici eccleſiaſtico cognoſcendi inter laicos in cauſis miſerabilium perſonarum, præſertim intercedente notabili negligentia, aut omiſſione judicis ſæcularis in juſtitia eiſdem adminiſtranda, vel moleſtia, aut oppreſſione aliqua ab eo eiſdem illata. Sed contra, 1. Quia ſi DD. iſti, et ſcriptores irriſores volunt, et totis viribus ſtatuere conantur, deferendum et credendum eſſe principibus ſæcularibus affirmantibus, ſe juriſdictionem, vel ſaltem poteſtatem habere ad providendum oppreſſis â judicibus eccleſiaſticis; cur eundem aſſenſum non præbebunt, neque pacate patientur præberi, tot juribus, et tot ſupremis Pontificibus ſancientibus, ac definientibus, ſe juriſdictionem, etiam temporalem, habere, quandoque exercendam, etiam adverſus reges, et principes; eccleſiæ, et eccleſiaſticis judicibus cauſas miſerabilium perſonarum pertinere; et earundem, atque cæterorum patrocinium, ac protectionem adverſus quoſcunque injuſtos, ac violentos oppreſſores?

V. Perlegant competentes juris canonici decreta, imo et civilis leges ipſas apertiſſimas, videlicet, capita contenta tot. tit. de for. compet. ſignanter c. *Licet ex ſuſcepto*, ubi Innoc. III. ſic decernit: *Liceat tamen ipſis, qui ſub eiſdem conſulibus taliter duxerint contendendum, ſi ſe in aliquo ſenſerint prægravari, ad tuam (ſicut hactenus ſervatum eſt) vel ad noſtram, ſi maluerint, audientiam appellare, hoc præſertim tempore, quo vacante imperio ad judicem ſæcularem recurrere nequeunt, qui à ſuperioribus in ſua juſtitia opprimuntur.*

Conſonat ſubſequens c. *Ex tenore*, eod. tit. pro viduis, quibus Innoc. III. ibidem mandat archiepiſcopo, et theſaurario Turonenſi, in defectum judicis ſæcularis, etiam in cauſa mere civili, providere, et jus dicere. Et c. *Ex parte*, ubi Honorius III. decernit, *Miſerabilem perſonam poſſe laicum interdicto undevi coram judice eccleſiaſtico convenire, etiamſi res ſubſtracta dicatur fœudalis.* Ubi gloſſ. et c. *Significâſti*, ubi Gregor. IX. ſic ſancitur: *Licet privatorum conſenſus cum, qui juriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit judicem conſtituere, clerici tamen in judicem non ſuum (niſi forte ſit perſona eccleſiaſtica, et epiſcopi diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.*

Extra hanc partem, et titulum, legant etiam jam citatum c. 2. *Ad Romanam*, 2. q. 6. ibi: *Ad Romanam eccleſiam ab omnibus (maxime tamen ab oppreſſis) eſt appellandum, et concurrendum quaſi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, à ſuis oppreſſionibus releventur: quia non poteſt, nec debet mater obliviſci filium ſuum.* Sic definit Zepherinus Papa.

VI. Sin autem ſacris his ſanctionibus aſſentiri detrectent, eo quod non juris ſæcularis, et Cæſarei, ſed juris eccleſiaſtici, et canonici incedant (eſto juris iſtius fortaſſe regulis in academiis operam navarent, in eoque academicas actiones, et curſitationes pro graduationibus in eadem facultate obtinendis perſolverint, et laurea tandem ejuſdem pontificii juris, infulati evaſerint) cogitent, an ipſis Cæſarei, civiliſque juris ſæcularibus legibus annuere debeant, et aſſentiri, an etiam, ut præmiſſas eccleſiaſticas, irridere? Ponderent per quamplures leges in toto tit. *De epiſcopali audientia, et de epiſcop. et cleric.* cod. expreſſe eccleſiaſticorum judicum juriſdictionem pro laicis in cauſis ſæcularibus, atque profanis prorogantes, ſignanter auct. 1. *Negotiatores*, cod. eod. tit. ibi: *Negotiatores ſiqui ad domum noſtram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere, chriſtiani (quibus verus cultus eſt adjuvare pauperes, et poſitos in neceſſitate) provideant epiſcopi.*

Item expreſſius ibid. auct. 8. *Siqui:* ibi: *Siqui ex conſenſu apud ſacræ legis antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius in civili dumtaxat negotio, more arbitri ſponte reſidentis, judicium. Quod his obeſſe non poterit, nec debebit, quos ad prædicti cognitoris examen conventos potius abfuiſſe, quam ſponte veniſſe conſtiterit.*

Et conſequentem auct. 9. *Epiſcopale judicium:* ibi: *Epiſcopale judicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri à ſacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus, quam veſtri deferri neceſſe eſt poteſtatibus, à quibus non licet provocare. Per judicum quoque officia, ne ſit caſſa epiſcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.*

VII. Conſonat conſequens etiam auct. 10. *Judices:* ibid. Ubi imperatores Honorius et Theodoſius judicibus ſæcularibus jubentes, ut provideant, ne carcerum cuſtodes inhumaniter ſe habeant erga carceratos, executionis iſtius curam etiam epiſcopis committunt, vel ad eos ſpectare declarant; ibi: *Nec deerit antiſtitum chriſtianæ religionis cura laudabilis, quæ ad obſervationem conſtituti judicis hanc ingerat monitionem.*

Conſonat etiam text. in l. 2. cod. de annali exception. ibi: *Sin autem nullo potuerit modo præſidem adire, ſaltem ad locorum epiſcopum eat, vel defenſorem civitatis, et ſuam manifeſtare voluntatem in ſcriptis deproperet; ſin autem abfuerit vel præſens, vel epiſcopus, vel defenſor civitatis, liceat ei proponere publice, ubi domicilium habet poſſeſſor, ſeu cum tabulariorum ſubſcriptione, vel, ſi civitas tabularios non habeat, cum trium teſtium ſubſcriptione, et hoc ſufficere ad omnem temporalem interruptionem, ſive triennii, ſive longi temporis, ſive triginta, vel quadraginta annorum ſit.*

VIII. Conſimilis eſt diſpoſitio auct. 12. *Chriſtianos*, cod. tit. ubi epiſcopis committit et eis ſpectare declarat protectionem, ac providentiam, ut redeuntes à captivitate nemo injuriis afficiat: ibi: *Chriſtianos (epiſcopos) proximorum locorum volumus ſolicitudinem gerere, ut Romanos captivos, qui reverſi fuerint, nemo teneat, nemo injuriis, aut damnis afficiat.* Et titulo de *Epiſcop.* ibid. auct. *Parabolavi* 18. Iidem imperatores Honorius et Theodoſius committunt epiſcopo Alexandrino deputationem ſexcentorum parabolanorum, ſeu medicorum pro ægris corporibus debilium curandis, et horum deputatorum ſubſtitutiones.

Videant igitur præfati irriſores, de quibus Covarr. et Bobadill. ſupr. cit. qui canoniſtarum, et Summorum Pontificum aſſerta, pro cognitione judicum eccleſiaſticorum inter laicos deridenť, an irridere etiam audeant

has

has imperatorum sæcularium pro eisdem assertiones, et Cæsarei juris justas quidem, et rectas dispositiones? Et qui judicant, regibus, et principibus sæcularibus, asserentibus, se jurisdictione gaudere pro violentiis judicum ecclesiasticorum cognoscendis, ac tollendis, ob eorum celsitudinem esse omnino deferendum, atque annuendum: à fortiori, aut saltem ab æquali, assentiri, et credere debeant Summis Pontificibus sanctioribus, et præcelsioribus, in consimili asserto pro jurisdictione ecclesiæ inter laicos?

IX. Quarta autem inæqualitas ea sit, de qua Peg. tom. 3. cit. gl. 14. et Oliv. cit. q. 15. n. 28. adversus Per. (et alios) de man. reg. c. 10. n. 28. et seqq. qui mordicus defendens licitudinem recursus à judice ecclesiastico ad tribunalia sæcularia in casibus notoriæ violentiæ, idem etiam licere in eisdem casibus à judice sæculari ad ecclesiasticum proterve negat, nullam, ne apparentem quidem, sufficientem majorem rationem adhibens; præsertim agnoscens ipse, et aperte confitens, superioritatem jurisdictionis ecclesiasticæ, et sæcularis subordinationem, atque in illa continentiam, prælud. 2. et c. 10. et competentiam, ratione peccati, saltem successivi, et publici, cit. c. 10. et cit. prælud. 2. n. 11. et seqq.

Sane reciproca æqualitas postulabat, ut in eisdem casibus, quibus DD. sæculares autumant, licere recurri à judice ecclesiastico superiore, et minime sæculari judice subjecto, sed ab eo omnino exempto, ad istummet sæcularem judicem; pariformiter recurreretur à judice laico inferiore ab ecclesiasticum, qui certe superior est, præcontinens, saltem in habitu, jurisdictionem laicam et temporalem, de quo supr. prælud. 3. et cui jurisdictio ipsa temporalis subordinata est, præsertim ex notoria competentia ratione peccati violentiæ, præcipue si publica sit, et scandalosa, habensque tractum successivum. Quod quidem nedum fieri permittunt DD. et ministri sæculares, verum et licere velo levato acriter negant. Et hæc manifesta non reputabitur inæqualitas, imo fortasse et iniquitas! Mehercle, si debita contraria servaretur æqualitas, duo infallibiliter consequerentur: et paucitas recursuum ab ecclesiasticis ad sæculares; et eorundem à sæcularibus ad ecclesiasticos frequentia, justaque provisio.

X. Et si idem Gabriel. Per. cit. c. 10. et n. 31. asserit, prælatos ecclesiasticos per viam denuntiationis evangelicæ, vel inquisitionis, etiam ad correctionem prælativam non posse cognoscere de peccato, quod resultat ex sententia injusta lata in foro civili; nam cum hæ sententiæ, licet injustæ, sustineantur, ac si legitime latæ essent ob bonum publicum ad vitandas lites, ex l. 1. ff. de re judic. c. de litis contest. in 6. ordin. l. 3. tt. 75. § 2. quia his casibus non publicum est peccatum, &c. cur idem non affirmabit de sententiis in foro ecclesiastico prolatis, quæ licet injustæ, sustineantur ac si legitime prolatæ essent, ob publicum bonum, litesque, atque injustas querelas vitandas; et cum de nigro album efficiant, in his casibus, saltem accusata violentia, neque publica, neque notoria, et manifesta apparebit? Et si à notoria injustitia, in foro sæculari lata, nequit per viam denuntiationis recurri ad prælatum ecclesiasticum; cur recurri non posset per viam violentiæ, si injustitia illa hujusce fuerit qualitatis? Vide Soar. Granat. in defens. fid. l. 4. c. 34. n. 32.

XI. Quinta sit illa consimilis, de qua idem Peg. cit. gl. 14. n. 26. etiam 5. loco, sic inquit: *Quintum illud, quod scilicet defensores hujusmodi recursus magnam vim ponunt in probando, reges debere succurrere oppressis, et violentias tollere, quæ sunt trita juris principia, et indubitata: quasi leges illæ non verificarentur, nisi in violentiis factis per judices sæculares, non autem in oppressionibus illatis per privatos, in quibus illæ leges procedunt; et pro illis oppressionibus tollendis, regia potestas, et auxilium, quotidie sit necessarium; non autem pro oppressionibus factis per judices ecclesiasticos, quæ non præsumuntur, ex pluribus legibus Castellæ adductis à Cevall. et Salgad. d. locis, nisi tantum una supra citata; cæteræ omnes dicunt tantum regi incumbere oppressiones subditorum tollere; quod quis negat?* &c.

Si ergo judices sæculares possunt inferre, et de facto inferunt quamplures violentias in judicando; cur sæculares scriptores pro illis ad hanc regiam potestatem etiam recurrendum non consulunt, sed unice pro illatis à judicibus ecclesiasticis, quæ et minores, et minus frequentes sunt, et non præsumuntur, nisi in casu legitimæ appellationis non receptæ, aut denegatæ? Si dicant, judices sæculares habere superiores, ad quos recurrere possunt pro eorum violentiis per viam gravaminis, vel appellationis; idem etiam dicemus, et jam superius dictum est de judicibus ecclesiasticis: ergo, &c.

XII. Sexta sit eorum, qui cum Covarruv. apud Ubert. de citation. c. 4. n. 93. extollunt necessitatem hujus auxilii adversus judices ecclesiasticos, ne opprimerentur innocentes procul à Romana curia degentes; passim namque in illa distantia judices ecclesiastici jurisdictione et potestate ecclesiastica abuterentur. Sed contra respondet Ubert. cit. n. 93. in hunc modum.

In primis, admittere credereve non possum, quod in illis partibus, quibus nominatione regia ex melioribus optimi promoventur ad dignitates ecclesiasticas, omnes censeri debeant tales esse, qui abutantur potius, quam utantur religiose et pie, potestate sibi commissa.

Dein considero, quod jus scriptum prævalet non scripto, § Constat, et § Sine scripto, instit. de jure nat. gent. et civ. et æquitas, utilitasve non scripta, nunquam præfertur æquitati scriptæ, imo nec rigori scripto; l. Placuit, c. de Jud. l. Prospexit, ff. qui et à quibus manumissi, et ibi not. Doct. Et tunc demum æquitas supplet, quando jus deficit, l. In summa, § Item variis, ff. de aq. pluv. arcen. ibi: Hæc æquitas suggerit, etiam si jure stricto deficiamur.

In hac materia scriptum jus est, quod clericus, vel alius habens negotium cum clerico, non relinquat judicem ecclesiasticum, neque recurrat ad sæculares; quod si unum habuerit suspectum, adeat alios superiores, cap. Si clericus, cum multis aliis, 11. quæst. 1. et nefas est, ut quisvis magistratus jubeat ecclesiastico judici, ne aliquem excommunicet, vel ut sententiam excommunicationis latam revocet, vel suspendat, quod declaravit Sacr. Conc. Trid. c. 3. sess. 25. de reform. et principes Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus: non præferre, c. Si imperator, in fine 96. distinct. Ergo huic juri scripto prædictus forensis usus præferèndus non est.

Item in hac materia utilitas, seu æquitas scripta hæc est, quod cœlestis miles extra forum suum non debet trahi, cap. Christianis 11. q. 1. ne militans Deo sæcularibus negotiis implicetur, caput Cum ad verum 96. distin. et quod cuique ecclesiastico servetur sua jurisdictio, ne alias ecclesiasticus ordo, qui custodiri debet, confunderetur, cap. Pervenit, 11. quæst. 1. ergo huic æquitati scriptæ non debet præferri prætensa utilitas non scripta, ne scilicet innocentes opprimantur à judicibus ecclesiasticis post interpositam appellationem ad Sedem Apostolicam: sed revera est hæc quædam utilitas omnino fucata et mendicata; quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona, gloss. in l. qui sub prætextu in verbo, obviandum, c. de sacrosan. eccles. et in cap. Non magnopere, in verbo Obtentu, ne cler. vel mon. et de duobus malis minus est eligendum, cap. Juravi, et cap. Non solum, 22. quæst. 3. et non est qui magis amet filium, quam mater, l. c. Ubi pupilli educ. deb. Ergo quod filii contra matrem corrigentem extrancum auxilium implorent, facinus est non ferendum: non debent enim esse filii castigatores parentum, § Sed quod sancitum auct. de nuptiis; ibi: Erubescit enim lex castigatores filios genitoribus statuere.

XIII. Septima potest esse, quam insinuat eminentissimus cardin. Cienfuegos in vita sanctissimi Francisci Borgiæ, l. 5. c. 14. § 3. per hæc formalia verba: *Era este el recurso de la fuerça, que havia empezado algunos annos antes a praticarse en Hespanna con gemido, y llanto de la cabeça de la Iglesia: y aora se hallaban en campo sangriento los tribunales real, y eclesiastico. Armabanse en las leyes de la immunidad los ministros del Papa, esto adonde no debe entrar sino la reverencia, y que le profana qualquiera huella atrevida. ô menos cauta. Los ministros dela regalia hizieron arma offensiba dela que llamaban natural defença: y debiendo occuparse estos dos braços severos en el castigo delos escandalos, y en mantener la paz y la justicia delos pueblos; empleaba toda su fuerça robusta cada braço en batallar con el otro, hasta despedaçar el cuerpo.* Et aliæ, quæ perquirenti occurrent.

XIV. Octa-

XIV. Octava tandem, eaque iniquiſſima, et execrabilis ſit, qua Vanſpen, tom. 6. tr. *de recurſu*, cum eccleſiaſticus ſit, veſtigia ipſorummet DD. ſæcularium minime inſequens, imo ſectari omnino deſpiciens, quatenus paſſim monere, et exhortari non deſinunt judices regios, ut cum magna cautela, et circumſpectione, in hac cognitione via violentiæ incedant, minime ultra notoriæ violentiæ punctum progredientes, ad cenſurarum, aut injuſtitiæ cognitionem, etiam incidenter nullatenus ſeſe immiſcentes; facillime enim in cenſuras juris eo ipſo realiter incident, de quo, cap. 13. et alleg. 29.

Ipſe tamen, cui majus hujuſmodi exhortationis, ac admonitionis, utpote clerico, et in ſortem Domini vocato, onus, et obligatio incumbebat, nedum hanc penitus prætermittit, quinimo ulterius toto § 5. et præſertim in concl. finali, acriter et audacter velo levato, regios judices graviter ciet, et ſtimulat, ut abſque ullo cenſurarum timore, et parvipenſo, quod ob id *extra ſynagogam fiant*, adverſus prælatos, et eccleſiaſticos judices, pro eorum violentiis, injuriis, atque injuſtitiis poteſtative tollendis, ac reparandis, et pro illis in procedimentis injuſtis compeſcendis, temere procedant, inepte, imo et controverſe, ſive contra producentem, eiſdem illud Eccl. 4. 33. adaptans: *Pro juſtitia agoniſare pro anima tua, et uſque ad mortem certa pro juſtitia, et Dominus expugnabit pro te inimicos tuos.*

Dico, *inepte*, et *controverſe*: 1. Quia *juſtitia*, de qua loquitur præſens textus, et juſtitia formalis, ſeu *gratia*, quæ nos formaliter juſtos reddit, juxta communem interpretationem, quam amplectitur P. Segneri in Mann. die 24 Aug. quaſi diceret, pro conſervanda animæ gratia, ut vertit Alap. debemus agoniſare, et certare uſque ad mortem, ut etiam indicat contextus, *pro anima tua.*

2. Quia etiam dato, quod *juſtitia* ſumatur ſtricte pro virtute juſtitiæ, quam rex, et ejus miniſtri adminiſtrare debent, perperam textus hic adaptatur regi, vel ejus miniſtris per viam recurſus cognoſcentibus, tum quia rex non cognoſcit de injuſtitia, ſed de violentia notoria, de quo infr. c. 18. et 19. tum quia ex verbo *agoniſare*, et *uſque ad mortem*, et ex verbis *expugnabit pro te inimicos tuos*, evincitur, textum loqui de oppreſſis, et violentiam atque oppreſſionem ab aliis illatam patientibus, ut etiam innuit verſus immediate præcedens 32. *Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii*; non vero loquitur de obligatione, aut jure regiorum judicum pro violentiis oppreſſorum tollendis, aut reparandis.

3. Quia *Vanſpen* eſt A. quidem doctrinæ vehementer ſuſpectæ Janſeniſmi, et Gueſnelliſmi notorie fautor, juriſdictioni et auctoritati eccleſiaſticæ nimis infenſus, atque ideo à tribunali S. Inquiſitionis Hiſpanæ totus ipſe tomus 6. jure merito prohibitus circumfertur, et nonniſi cum cautela, et monitu bibliopolæ in fronte ipſius expreſſo, *Ne ſimul cum doctrina venenum propinetur*; et inſuper cum formalibus cenſuris eminentiſſimi cardinalis Biſſi, Meldenſis epiſcopi, typis tradi permiſſus eſt, de quo infr. c. ſequenti, n. 7.

4. Quia Vanſpen in præfatione ejuſdemmet tom. 6. impudenter, ac temere, necnon immodeſte, atque irreligioſe, *ignorantes*, *irreligioſos*, *temerarios*, &c. acriter appellat DD. omnes *regio placito*, pro decretorum, aut dogmatorum fidei executione, et publicatione *prævio*, contradicentes, aut repugnantes, tanquam immunitatis, juriſdictionis, ac libertatis eccleſiaſticæ aliqualiter læſivo, aut depreſſivo. Videat prudens lector, an ignorantes, an temerarii, et irreligioſi ſint, Victoria, Zerola, Azorius, Magn. Suarius, et alii maximi S. Theologiæ Coryphæi, placito illi regio juſtiſſime repugnantes?

Pro inæqualitate judicantium.

XV. Prima inæqualitas notanda ea ſit, quam taxat celebris advocatus Peg. cit. n. 41. de ſumma facilitate, qua judices regii, qui nonniſi de violentiis notoriis contra judices eccleſiaſticos cognoſcere valent, judicare ſolent, violentiam commiſſam fuiſſe in rebus, quæ ad ſummum injuſtitia erit, et adeo dubia, ut omnino altam indagationem de ipſis apicibus juris pro deciſione requirat: et e contra adverſus judices conſervatores, frequens ſit proviſio recurrentibus, eo nixi vero fundamento, quod conſervatores de violentiis dumtaxat notoriis, ac manifeſtis, cognoſcere queant.

Audi ipſum Pegas, qui quidem non eccleſiaſticus, ſed ſæcularis cauſidicus eſt, ibidem: *Illud tamen hic adverto, ut ſcilicet judices regii videant quam frequenter in illo judicio detur proviſio gravatis per conſervatores, ex eo ſcilicet, quia cum illi de violentiis notoriis tantum cognoſcere valeant, ex cap. fin. de offic. deleg. lib. 6. cum aliis, de quibus ibi Auguſt. Barb. in collect. et ultra eos Phœb. 2. p. dec. 118. num. 4. judicant tamen regii judices, talem non eſſe violentiam, et merito ut plurimum; raro enim contingit violentia notoria, præcipue in extrajudiciali cognitione: ſic ergo ſimiliter eam non facile inveniant ad dandam proviſionem contra judicum eccleſiaſticorum pronuntiata.* Videantur exempla, de quibus Pereira, p. 1. cap. 7. et 8. per tot. et cap. 9. n. 35. et conſtabit, violentiam notoriam judicari, cum ſit ad ſummum injuſtitia adeo dubia, ut ſit neceſſarium quæſtiones apicibus juris controvertere, ac decidere, ut inde convincatur violentia perperam talis, et pejus notoria dicta.

XVI. Secunda ſit ea, quæ claret ex allegat. 98. et 99. infr. lib. 5. ubi adverſus illuſtriſſimum ac doctiſſimum epiſcopum Tagaſtenſem, Ulixbonenſis archiepiſcopatus proviſorem, per regios magiſtratus judicatum eſt, vim commiſiſſe in comminatione excommunicationis in quandam mulierem laicam, ut e conventu Monialium S. Monicæ Ulixbonæ Orientalis, quibus ſatis moleſta erat, effective egrederetur, ex defectu, et exceſſu juriſdictionis, ut autumabant, ad cenſuras comminandas: cum tamen in ejuſdem ſententiæ contextu finali rogabant, et monebant, ut per cenſuras cogeret prioriſſam, cæteraſque moniales, ad eandem laicam in conventum, et ſocietatem ſuam convicturam reciperent. Et ſane adeo notoria hæc injuſtitia, et implicantia regiorum magiſtratuum evaſit, ut ſereniſſimus rex Joannes V. actu regnans, non obſtante confirmatorio, ultimoque decreto menſæ palatinæ, quod judicum ſententiam, proceſſumque confirmârat, ſuperſedere juſſit, et acta prælato remitti, ut, prout melius ſibi viſum foret, procederet.

Conſimilem eventum finalem habuerunt duæ ſententiæ coronæ judicii Ulixbonenſis, duoque diſtincta decreta aulicorum ſenatorum, eas ultimo confirmantia adverſus ſapientiſſimum, et rectiſſimum, Aloiſium Barnabô, nuntiaturæ auditorem, in duplici recurſu meæ canonicæ congregationis Auguſtinianæ, de quibus præfatus illuſtriſſimus præſul in cit. allegatione mentionem facit: et pariformes implicantias atque inconſtantias notabis in allegationibus infra extenſis, ſignanter alleg. 12. et ſeqq.

XVII. Tertia celeberrima ea ſit, quam Peg. narrat, et redarguit cit. gloſſ. 14. ſub n. 44. quæ præcedenti ſimillima extat, de proviſione data in Portucalenſi coronæ judicio contra generalem vicarium exempti territorii regii S. Crucis Conimbricenſis monaſterii, quod capitale eſt meæ canonicæ regularis congregationis, qui deprecatus à vicario generali primatialis Bracharenſis in quadam ſententia declaratoria cujuſdam laici miniſtri, ordinariam expeditionem, ut exequeretur, vulgo, *Cumpraſe*, inſcripſerat; et quod notabilius, ac mirabilius ibi circumfertur, eſt, quod non obſtante juſta, ſolida, convincenti, atque inexpugnabili reſponſione judicis à quo, *videlicet* (ait Peg.) *ſe non potuiſſe denegare prædictam licentiam, et nihil aliud in eo negotio feciſſe; et nihilominus, ſiquidem ab eo gravamen interponebatur, ut deſiſteret*, &c. *ipſe deſiſtebat, et tollebat, in quantum poterat, cenſuras; et erat paratus ad faciendum quicquid ab aggravante peteretur, et à regio judice juberetur: non tamen eſſe judicem, aut partem, ut poſſit cum eo agi de juſtitia, aut injuſtitia cenſurarum impoſitarum: nihilominus proviſio data fuit in eodem modo contra eùm cum clauſulis conſuetis additis, ac ſi ipſe eſſet judex, qui excommunicationem protuliſſet: ſed ſupradicta conſiderari debent attente propter excommunicationem bullæ Cœnæ Domini, de qua Cardoſ. d. alleg. n. 44. et ſeqq.*

XVIII. Quarta ea ſit, tum judicantium, tum etiam ſcribentium, aut allegantium, vel garrientium, qui cum Per. et aliis affectant, adverbium *Porem*, id eſt,

eſt, *Aſt*, vel *Sed*, quo utitur ordinatio, l. 2. tt. 1. § 13. non *diverſificative*, ſed *continuative* accipiendum, quaſi idem ſonet, atque *Porende*, id eſt, *Unde*, vel *Proinde*; quod confirmant ex quadam declaratione, aut nota regii procuratoris *Thomæ Pinheiro da Veiga* ad regiam ordinat. de qua Peg. tom. 3.

Sed contra, 1. Quia ex contextu, et ex mente legis regiæ aperte conſtat, diverſificative uſurpandum. 2. Quia in d. § cavet ord. ne prælati eccleſiaſtici in viſitationibus excommunicent, capiant, aut diſtermineant laicos concubinarios, non præmiſſa trina monitione contra formam Trid. Deinde partim *ampliative*, partim *diverſificative* proſequitur: *et in aliis caſibus præter hos* (nempe propter concubinatum, et extra viſitationem) *quibus concilium facultatem eis præbet capiendi, et pignorandi laicos, ut cenſuræ vitentur* (utique ab eiſdem prælatis ipſis laicis infligendæ) *ea non exequantur* (ipſimet prælati) *niſi procedendo judicialiter* (ut potius per capturas, et pignorationes, quam per cenſuras procedant). Deinde omnino *diverſificative* quoad modum procedendi proſequitur: *Porem ſe neſtes crimes, ou em outros*, &c. id eſt, *Aſt*, ſi in his, vel in aliis criminibus, ſibi ex jure competentibus, ordinarie velint procedere ſine captura, pignoratione, aut exilio, ante finalem ſententiam, minime impediantur, *&c.*

Contra, 3. Quia intelligentia, et acceptio illa diverſificativa adverbii *Porem*, eſt naturalis, et univerſalis, et prævalet illi ſingulari, inuſitatæ, et minus æquæ, minuſque naturali, uſurpationi continuativæ, tum ex c. 2. de reg. jur. in 6. l. *In his*, ff. de condit. tum quia *uſus communis loquendi attendi debet, et verborum proprietati prævalet*; l. *Liberor.* § *Quod tamen*, ff. de legat. 3. l. *Labeo*, ff. de ſupell. legat.

Contra, 4. Quia (dato, quod non irrepſerit vitium in illius tranſcriptione) lex, utpote populo directa, debet tradi per terminos clariores, et uſitatiores, et univerſaliores, qualis eſt uſurpatio diverſificativa termini *Porem*; et ſemper eſt in potiori ſignificatione accipienda, l. *Quæritur*, ff. de ſtat. hom. l. *Non aliter*, ff. de legat.

Contra, 5. et eſt confirmatio præcedentis rationis; Quia hoc adverbium *Porem* in pluribus aliis titulis ejuſdem reg. ordin. non *continuative*, ſed *diverſificative* uſurpatur, ut l. 3. tt. 95. § 7. et tt. 63. in princip. et § 4. tt. 65. § 1. tt. 66. in princ. et § 3. tt. 71. § 3. tt. 72. § 1. et aliis ibid. et lib. 2. tt. 2. § 1. tt. 5. § 1. tt. 8. § 4. tt. 9. § 3. tt. 11. § 1. tt. 18. § 1. et 3. tt. 33. § 24. et plures alii ibid. et in omnibus reliquis libris, ubi nullum adverbium *Porem* invenitur, quod non *diverſificative*, ſed *continuative* uſurpetur; et *ab aſſuetis, ac ſolitis, validum eſt argumentum.* Vid. infr. c. 9. n. 8.

XVIII. Quinta ſit ea, de qua idem Peg. ibidem, n. 42. de injuſto ſtylo, quem dicit obſervari et practicari apud idem coronæ judicium, circa gravamina à mero executore interpoſita, ex eodem capite notoriæ violentiæ, qui quidem practicatur, inquit, *auctoritate Pereir. p. 1. c. 7. n. fin. ubi propoſita quæſtione, an à mero executore Summi Pontificis poſſit recurri ad judicem coronæ ex capite violentiæ illatæ; et recognita difficultate hujus recurſus; tandem concludit, ſtylum obſervare recurſum dari, et illum fundat ſtylum auctoritate Bart. in l. A Divo Petro, § Sententiam Romæ, ff. de re judic. ibi: Tunc ſi præſtat auxilium juris, puta, excommunicando, vel interdicendo, vel juriſdictionem denegando, ab ipſo appellatur, quoniam ipſe actus eſt, qui me lædit.*

Et n. 43. proſequitur Peg. inſinuans, Gabrielem Per. cit. circa licitudinem hujus recurſus, cum nota, et formidoloſe loqui videri, ex contextu verborum ſequentium; ubi, quæſo, notetur etiam inutilitas commendationis chartarum rogativarum pro mero executore apoſtolico, etiam S. Sedis, aut Summi Pontificis, in hoc regno, videlicet, *ut tollat cenſuras, vel procuret, ut tollantur*, cum notorium ſit, rem reponere poſſe. Ait igitur Per. cit. n. 45. in fin. *Ex his fundamentis chartæ regiæ ad ipſum executorem diriguntur, ut tollat cenſuras, vel procuret, ut tollantur à delegante, quando hæc omnia ad partis inſtantiam fiunt, et hic in regno adeſt, tunc ipſi notificatur, ut cenſuras tollat, vel procuret, ut tollantur, termino aſſignato; et ſi non obediat, capitur, et incarceratur, ut ex Aragonia dixit Seſe de inhibition. cap. 9. § 1. n. 63. et latius, cap. 10. § 1. per tot. Hoc ultimum non vidi practicari in hoc regno, primum vero ſæpiſſime, et non ſine dubio eſt; ideo cum maxima cautela procedi debet, examinata violentia, an talis ſit, cui alio modo ſuccurri non poſſit; et quando alia via non pateat, ſolet ex ſtylo regni procedi contra ipſum executorem, ad occupationem temporalitatum, et privationem naturalitatis, donec per ſe, vel ſuum ſuperiorem, à quo mandatum habuit, excommunicationem tollat.*

Ad quod Oliv. q. 19. 24. ita ait: *Collige, quam erronee loquantur judices prædicti tribunalis, quoties ſimpliciter dicunt, ut nudus miniſter, ſeu merus executor violentiam tollat, vulgo, que levante as cenſuras, cum hoc ſibi impoſſibile ſit: ſin autem intelligunt abſolutionem cenſuræ datam ab eo, qui non habet poteſtatem, valere; graviter, et præjudicialiter errant: ſi vero notorie reperiunt, nullam fuiſſe cenſuram, ſicque poſſint declarare nullitatem per modum cauſæ, jubeant ſubditis non ſervandam, ut facere ſolent, et diſponit lex regia, lib. 1. tit. 9. § 12. et tit. 12. § 6. quod ſatis eſt; non vero procedant contra executores culpa carentes, et poteſtatem non habentes.*

XIX. Sexta eſſe poteſt, ampliatio iniqua, et generalis, quam ex hoc ſtylo injuſte elicit Per. loco cit. et qui eum inſequuntur, ſtatuens illud injurium, et privatum axioma; *Qui exequitur injuſtam, et nullam ſententiam, eſt qui me lædit.* Seu, ut à quodam regio coronæ judice ſenatus Portucalenſis in conformi cauſa audivi; *Qui me executione lædit, me gravat.* Adverſus quos, et eorum anteſignanum, merito Peg. cit. n. 44. ſic redarguens ſcribit: *Prædicti ſtyli, et doctrinæ auctoritate, ita eam ampliant judices regii, ut mirum ſit; jam enim quaſi in proverbium abiit apud ipſos, gravamen ad prædictum judicium recte interponi, à quolibet etiam notario, intimante ſententiam, vel clerico, ex mandato ſui ſuperioris declarante aliquem excommunicatum.*

Conſtet igitur adverſus omnes, quod à mero executore, ſi modum non excedat, ſicut appellatio non datur, ita et gravamen non intentatur; in hoc enim appellatio et gravamen æquiparantur, ſicut et recuſatio; et pari paſſu procedunt, quod eſt communis doctrina, quam amplectitur idem Per. c. 9. n. 6. et 7. et c. 7. n. 13. et 17. et late defendit Salgad. de reg. prot. p. 4. c. 3. n. 31. et ſeqq. et c. 8. n. 183. et 189. et c. 9. n. 74. Guerr. de recuſat. l. 2. c. n. 11, 12. et 20. Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 6. et ſeqq. et etiam certum eſt, quod *executor facti non gravat.* Guerr. l. 2. c. 60. n. 9. et ſeqq. cum pluribus.

Et eſt expreſſa diſpoſitio juris in c. *Conſuluit*, c. *Novit ille*, de appellat. ibi: *Secundum jus ab executoribus appellari non poſſit, niſi forſan modum excedant.* Et etiam in l. *Non videtur*, § *Qui juſſu*, ff. de reg. jur. ibi: *Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet.* Ub. gl. et in l. *Is damnum datum*, 130. ff. eod. tit.

XX. Septima ea ſit, qua miniſtri regii regnicolæ, cæco veluti modo adhærentes doctrinis d. Gabr. Per. quæ adverſus eccleſiaſticam juriſdictionem pronuntiant, ita ut in earum obſequium intellectum captivaſſe videantur; adverſa tamen inæqualitate ſeſe habent in iis, quibus præfatus D. eidem juriſdictioni favet; minime illi deferentes. Idem notatur in aliis, qui pariformi inæqualitate fidunt doctrinis Salgad. de prot. reg. eidem juriſdictioni adverſantibus; et faventibus diffidunt, ut paſſim in allegationibus infra extenſis adnotare licebit. Ex quibus ſeſe inique impares, et minus bene affectos, et proclives in eccleſiaſticam juriſdictionem clare oſtendunt.

XXI. Octava ſit tandem generalis illa, et frequens facilitas, de qua conqueritur Peg. cit. n. 40. qua judices ſæculares vim notoriam fieri per judicem eccleſiaſticum temere pronuntiant, cujus exempla in hujuſce veritatis confirmationem, *infinitum*, ait, *eſſet recenſere.* Quibus nos etiam hic ſuperſedemus, quia ſatis ſuperque id demonſtratur ex annexis allegationibus, lib. 3. et ſeqq. et adhuc ex dicendis præſertim de modo, et ſtylo procedendi in hac materia, c. 37. palam fiet.

Unum tamen, vel aliud exemplum, nuper coram me in hac Goana civitate eventum, non prætermit-

tam. Cum enim quidam procurator regius in quadam conferentia mecum habita, aſſeveraret, reges, et principes ſæculares independenter à Papa juriſdictionem ſuam temporalem, et habere, et exequi poſſe:

XXII. Contraverſum, cum notoria, et notabili inæqualitate, autumabat, Papam, et prælatos eccleſiaſticos, ſicut in paganos, ita et erga fideles laicos juriſdictionem exequi non poſſe, niſi à voluntate regum, et principum ſæcularium dependenter; et pariformiter, leges eccleſiaſticas, etiam juris communis, ſæculares non adſtringere, niſi accedente principum temporalium conſenſu. Ab eo tandem interrogans, num, ut c. *Omnis utriuſque ſexus*, de pœnit. obliget reges ipſos, et omnes eorum vaſſallos ad annuam confeſſionem, dependeat ab ipſorum regum voluntate? obmutuit; cui ego pro concluſione adjeci, quod per baptiſmum omnes laici, ſubditi, et filii eccleſiæ Chriſti efficiebantur; proindeque, independenter à conſenſu principum eorum ſæcularium, in rebus ſpiritualibus, ejuſdem eccleſiæ legibus, et ejuſdem univerſalis paſtoris, Chriſtique vicarii, ſubjecti remanebant. Unde, ſi principes ſæculares à Papæ voluntate independenter temporali juriſdictione ſua, quam in laicos habent, uti poſſunt; cur Summus Pontifex, et reliqui eccleſiæ prælati, à conſenſu regum independenter, ſuam ſpiritualem juriſdictionem, quam poſt baptiſmum in omnes fideles laicos retinent, exercere non poterunt?

XXIII. Alterum autem ſolemnius, fuit cum quodam regio magiſtratu ſeniore, et jam emerito, magnæ quidem apud cæteros auctoritatis, quem, cum critica ſane arrogantia, abſurdum hoc proferre exaudirem: *Jus* ſcilicet *canonicum gravi quidem circumciſione indigere:* illi opportune, ſed modeſte retorſi: jus canonicum depromptum eſſe ex S. Paginæ auctoritate, ex definitionibus conciliorum generalium, et particularium, et Summorum Pontificum, necnon ex veris, et ſanctis ſanctorum Patrum deciſionibus, ac decretis, Spiritus Sancti ſpeciali aſſiſtentia, ac luce irradiatorum: jus autem civile dictatum quidem ab humana prudentia agnoſci. Si ergo, quod humana prudentia dictârat, circumciſione, ac reformatione dignum non recognoſcebat; cur tale proferebat effatum de illo jure, quod Spiritus Sancti illuſtratio direxerat, et firmaverat? Deinde, jus civile (proſecutus ſum) potius juſtitiæ rigori, quam æquitati attendebat; jus vero canonicum è contra, potius æquitati, quam rigori. Utrum autem gravi tali circumciſione potius indigeret, quod æquius procedebat, quam quod rigoroſius? ipſe bene perpenderet.

XXIV. Proſecutus eſt adhuc ipſemet fatens, utramque juriſdictionem, ſpiritualem, ſcilicet, et temporalem, aurum equidem eſſe: cum hac tamen differentia, quod juriſdictio laica erat aurum obriſum, et ad numiſmata redactum; juriſdictio vero eccleſiaſtica, aurum infectum, rude, et illaboratum erat. Cui conſequenter reſpondi: Juriſdictionem eccleſiaſticam eſſe quidem aurum, et hoc negari non poſſe; juriſdictionem autem laicam non aurum, non argentum quidem, ſed infimum metallorum *plumbum* ineſſe, ut aperte conſtabat ex can. *Duo ſunt*, 96. diſt. Cujus formalia verba ſupra per extenſum recitantur, prælud. 4. Miſſas facio conſulto plures alias hujus furfuris ineptas garrulitates. Ex quibus, et præjactis, ſatis nota remanet horum obloquentium, ſicut et ſcribentium, atque judicantium in hac materia, inæqualitas, et multoties iniquitas, orta ex minus pia affectione erga juriſdictionem eccleſiaſticam.

CAP. IX.

De Auctoritate Gabrielis Pereira de Caſtro de Manu Regia, *et in quibus faveat, vel adverſetur Juriſdictioni Eccleſiaſticæ, et ſibimet ipſi, atque notoriæ Veritati.*

SUMMARIUM.

I. *An Gabr. Per. de man. reg. reperiatur, prohibitus?*
II. *An, licet prohibitus, tolerctur ejus lectio?*
III. *Redarguitur, et refutatur doctrina Vanſpen de placitu regio ſuper publicatione decretorum curiæ Romanæ.*
IV. *Prohibitio dicti Gabr. Per. fuit in Luſitania publicata, et executa.*
V. *Summus Pontifex independenter à placitu regis poteſt decreta ſpiritualia eccleſiaſtica edex; et è contra rex decreta ſæcularia politica independenter à bene placitu Summi Pontificis.*
VI. *Tomus* 6. *Vanſpen eſt prohibitus à S. Inquiſitionis Tribunali Hiſpano, et merito, ob notorium favorem Janſeniſmo et Gueſnelliſmo.*
VII. *Ipſemet bibliopola in fronte cavet, hunc* 6. *tomum in* nonnullis *doctrinam non* ſanam continere.
VIII. *Et id ex judicio cardinalis Byſſi, ne ſine antidoto venenum propinetur.*
IX. *Idem eminentiſſimus,* 1. *Cenſurat Spenium dicentem, aliqua decreta doctrinalia mutationi* obnoxia eſſe, *ut conſtitut.* Unigenitus *infirmaret.*
X. 2. *Quatenus examen librorum auctoritate Pontificis factum mordet.*
XI. *Et quatenus Gueſnellii librum, non obſtante prohibitione,* libere perlegi poſſe, *effutit.*
XII. 3. *Quatenus ſubmittit publicationem decretorum, circa fidem externam, regio placito, contra effatum Pauli:* Ore confeſſio fit, &c.
XIII. *Erronee, et ſcandaloſe in aliis aſſertis progreditur Spenius.*
XIV. *Super doctrina Gabr. Per. quid ſentiant DD. regnicolæ, et extranei.*
XV. *Proſequitur.*
XVI. *In quibus ſuffragetur eccleſiæ, et ejus juriſdictioni, uſque ad n.* 20. *Favet juriſdictioni temporali Summi Pontificis, quam abſolute ſuperiorem agnoſcit regali, contra quam præſcribere poteſt, et agnoſcit nullitatem legum ſæcularium offendentium libertatem eccleſiaſticam.*
XVII. *Favet etiam ſuper conventione laicorum in foro eccleſiæ in pluribus caſibus, et ſuper qualitate violentiæ notoriæ prærequirenda ad recurſus licitudinem.*
XVIII. *Et quod in his violentiis rex non admittitur ex permiſſione juris can. niſi ut* vir bonus, *et minime ut* judex; *et quod non cognoſcat de injuſtitia; et literas rogatorias non præceptum, ſed ſimplicem rogationem continere, cui judex eccleſiaſticus ex urbanitate tantum tenetur parere.*
XIX. *In quibus eiſdem adverſetur remiſſive.*
XX. *In quibus reali veritati, et ſibimet refragetur, quatenus negat, prælatos eccleſiaſticos habere territorium. Quid veniat nomine* territorii, *remiſſive.*
XXI. *Sibimet in hoc, et in aliis contrarius.*
XXII. *Reali veritati etiam refragatur quoad capturam laicorum per miniſtros eccleſiaſticos.*
XXIII. *Et quoad pœnas de jure concubinariis comminatas.*
XXIV. *In judicio coronæ ſæpe judicatum fuit in favorem juriſdictionis eccleſiæ quoad præmiſſam diſtrictionem.*
XXV. *Adverbium* porem, *quo utitur ordinatio,* diverſificative, *et non* continuative, *eſt uſurpandum.*
XXVI. *Quod ex ipſius ordinationis formalitate conſtat, et ex conceſſione auxilii brachii ſæcularis.*
XXVII. *Et ex eo, quod illud auxilium ſit in gratiam, juxta regulam juris* 61. *in* 6.
XXVIII. *Et ex ipſo conciliari decreto.*
XXIX. *Jura canonica, et civilia, ſuffragantia.*
XXX. *Suppoſita ſaltem probabilitate hujus ſententiæ, injuſte provident miniſtri regii contra illam, et ad hominem redarguitur Per. de man. reg.*
XXXI. *Vel invitus fatens veritatem, adhuc rem inique vertit in dubium.*
XXXII. *Retorquetur ex præſcriptione, quam fatetur, et admittit.*

XXXIII.

XXXIII. *Sibimet et veritati aliis in locis adverſant demonſtratur.*

XXXIV. *Similiter quatenus ſtatuit actibus negativis non patere recurſum, quem tamen aſſerit dari à non remiſſione actorum à judice eccleſiaſtico ad rogativam chartam.*

Vid. Indic. Rom. ſub Alexandr. VII. decr. 44. fol. 240. et infr. lit. *M. De Manu Regia tractatus.*

I. IN noviſſimo expurgatorio Romano, ſi recte recordor, litera G. ſic legi: *Gabriel Pereira de Caſtro de manu regia totus prohibetur*, vel quid ſimile. Et in quibuſdam notis ad ordin. manuſcriptis inquiſitoris *Joannis da Coſta Pimenta*, ſequentem notitiam, propria manu exaratam, ac ſubſcriptam ſic reperi: *Die* 12. *Septembris* 1641. *publicatum fuit decretum eminentiſſimorum cardinalium, quo jubebant, ne legeretur, aut uſu reciperetur tractatus de manu regia Gabrielis Pereira de Caſtro*; et ſubſcribebat: *Inquiſitor Joannes da Coſta Pimenta.* Imo mihi certa ſcientia conſtat, quamplurima volumina adhuc extare intra domum inquiſitionis Ulixbonenſis, quæ ex vi illius prohibitionis recollecta, ac ſuppreſſa fuerunt: Decretum autem hoc videtur illud eſſe, quod legitur in indice librorum prohibitorum, ubi inter alios libros totaliter prohibitos recenſetur Per. de man: reg.

Hinc merito venit inquirendum: Si ita prohibetur; quomodo ejus lectio permittitur? Hoc dubium cum cuidam juriſtæ proponerem, mihi reſpondit: Papam prohibuiſſe præfatum librum, non ut ſummum eccleſiæ caput, ſed ut ſupremum dominum Romæ: quæ tamen reſponſio inſufficiens ſane eſſe videtur; et mihi ſemper valde diſplicuit. 1. Quia prædictus A. ideo prohibetur, quia in plurimis juriſdictioni, libertati, ac immunitati eccleſiaſticæ adverſatur; de qua temporalis dominus Romæ non curat; ſed ſpiritualis eccleſiæ præſul. 2. Quia in eodem libro, et contextu, quo auctores acatholici prohibentur, et alii plures doctrinæ ſuſpectæ, aut minus piæ, vel ſcandaloſæ, aut aliis titulis vetitæ; interdicitur etiam præjactus Gabr. Per. de man. reg. et licet non in odium auctoris, in odium tamen doctrinæ: ergo ſicut Summus Pontifex, ut talis, et ut ſupremum eccleſiæ caput, illos equidem vetat, ita et iſtum.

Ab alio etiam audivi hanc prohibitionem pro Italia dumtaxat evaſiſſe. Sed, 1. Obſtat notitia præmiſſa. 2. Prohibitio aliorum DD. generalis, et non reſtricta. 3. Finis illius prohibitionis, ne ſcilicet magiſtratus regii in Luſitania, aut Hiſpania juxta illam, cum libertatis, immunitatis, ac juriſdictionis eccleſiæ detrimento, judicarent, aut deciderent.

II. Unde expeditius dicendum eſt, quod ſicut non obſtante publica hæreticorum, et ſchiſmaticorum excommunicatione annali in bulla Cœnæ Domini, toleratur, et permittitur, juſtis de cauſis, eorum converſatio, et mutua cum illis communicatio et participatio: ita ſimiliter, non officiente prohibitione illa totali, toleratur, et permittitur præfati auctoris lectio, allegatio, et circumlatio, ex aliquibus juſtis cauſis, quas Summi Pontifices ad hanc permiſſionem, ac tolerantiam habent, fortaſſis ex nimia gratiſſima acceptatione hujus libri principibus et magiſtratibus ſæcularibus; et ratione illius, ex juſto timore formalis inobedientiæ, vel minus perfectæ obedientiæ efficaciori prohibitioni, aut interdicto; et ob alias etiam cauſas, quas ignoro, et mihi facile obvenire nequeunt.

Verba decret. cit. 44. ſunt: *Damnat, ac prohibet . . . . ne ullus in poſterum eos imprimere, legere, aut quovis modo apud ſe retinere audeat . . . Libri autem ſunt: De Manu Regia tractatus Gabr. Per. de Caſtro.* Quæ quidem prohibitio eſt totalis, et abſoluta.

III. Neque ex doctrina *Vanſpen* prorſus cum illo dicere audeas, tom. 6. p. 2. *de placitu regio ſuper publicatione decretorum curiæ Romanæ*; ubi aſtruit hoc placitum præcedere quidem debere pro publicatione et executione decretorum dogmaticorum curiæ Romanæ, etiam quoad librorum prohibitionem; quod quidem placitum forſan in Luſitania non præceſſit.

IV. Sed contra eſt, 1. evidenter, Quia ex nota ſuperiori reverendiſſimi illius inquiſitoris, necnon ex fama publica conſtat, illud decretum in Luſitania publicatum atque adeo executum fuiſſe.

V. Contra, 2. Quia ſicut rex independenter à Summi Pontificis beneplacitu quælibet decreta ſæcularia, et politica, ſuam temporalem juriſdictionem publicare, et exequi facere poteſt; ita Summus Pontifex independenter à placitu regum quælibet decreta ſpiritualia, ſuam eccleſiaſticam juriſdictionem reſpicientia, edere, et proſequi facere quit; de quo ſuperius prælud. 3. et alibi.

VI. Contra, 3. Quia ſacrum inquiſitionis Hiſpaniæ tribunal totum ipſum tomum 6. *Spenii*, ob ipſum aſſertum regii beneplaciti pro executione et publicatione legum, ac decretorum eccleſiaſticorum, etiam dogmaticorum, et ob alias reſolutiones validitati cenſurarum, et auctoritati, atque juriſdictioni eccleſiæ, imo et illius ſupremi capitis adverſantes, doctrinæque Janſenii et Gueſnellii, jam ab eccleſiæ damnatæ, notorie fautrices, meritiſſimo quidem jure vetuit, et per manus tradi, ac perlegi non permittit. Unde Vanſpenii in his materiis auctoritas, vel prope nulla, vel parvi momenti eſt.

VII. Contra, 4. Quia hujuſce A. doctrinæ reprobatæ adeo vehemens (ne dicam evidens) eſt ſuſpectio, ut ipſemet bibliopola, qui præfatum tomum typis dedit, hanc in frontiſpicio præmonitionem edere coactus fuerit: *Hæc opera quamvis utilia plurima continent, quæ vix alibi congeſta reperies, nonnulla tamen in iis inſpergi, quæ doctrinam non ſanam, et partis Pontifici, eccleſiæque pridem infenſæ ſtudium redoleant.*

VIII. *Quare eminentiſſimi Card. Byſſi, Meldenſis in Gallia epiſcopi, de auctore noſtro judicium in cautionem præfigendum cenſuit, ut venenum ſine antidoto non propinetur.*

IX. Iſtud autem prædicti eminentiſſimi judicium ibidem late, et multipliciter continetur, et hic ſummatim indicabitur. Et, 1. Cenſurat Eſpenium dicentem; *nonnulla decreta dogmatica inter decreta doctrinalia diſciplinæ, mutationi obnoxia, eſſe referenda.* Et illum redarguit, quaſi *factioni eccleſiam hodie turbantem notiſſime adhærentem*; *et librum hunc in lucem prodeuntem ann.* 1712. *eo utique conſilio, ut conſtitutionem Unigenitus, quam tunc Romæ cudi ſciebat, in anteceſſum—infirmaret.*

X. Cenſurat, 2. Eo quod *eſt ſtudio palpabili invidiam conflandi Summo Pontifici, ejuſque auctoritatem in contemptum adducendi; loquens de modo, quo librorum examen, et cenſura Romæ peragitur, aſſerit, fere ſemper abſente, et inſcio Pontifice illam peragi, et decerni ex relaxione regularium aliquot præventorum*, &c.

XI. Et illum redarguit, utpote Gueſnellii librum tacite deſignantem et excuſantem, ut ſine offenſione, etiam non obſtante prohibitione, libere perlegi poſſit, *etiamſi contineat obſcuriores expreſſiones, aut leviores errores*, &c.

XII. Cenſurat, 3. Quod prævio placito regio ſubmittat publicationem et executionem legum, et decretorum, etiam dogmaticorum, ipſum placitum regium, imo et examen excuſans, quaſi non ſe verſans circa *fidem internam*, cui tenemur, ſed tantum circa *fidem externam*, ad quam non obligamur, &c. Et redarguit ex deſtructione uniformitatis in profeſſione fidei, ad quam omnes fideles tenentur; et ex contradictione auctoritati Ap. Rom. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam*; *ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

XIII. Unde erronee, et ſcandaloſe progreditur Spenius effutiens, *populum non adſtringi ad externe credendum dogma definitum, priuſquam à principe ad id adſtringatur, neque ad illorum obſervantiam poſſe per cenſuras conſtringi*, &c. Alia aſſerta diſſonantia, et ſcandaloſa ibidem ſolide refutata reperies; poſt quæ ſic eminentiſſimus refutator concludit: *Ecce theologiam Spenii, ecce viri principia, poteſtatem principum, etiam in ipſa fidei decreta! Poſt hæc nonne mirari fas eſt, auctoritatem tribui auctori, qui non niſi cenſuras mereatur?*

XIV. Super illius tamen præmiſſi auctoris, Per. videlicet de man. reg. doctrina, ac pietate erga eccleſiaſticam juriſdictionem, videndum ac ponderandum eſt judicium, quod de illa faciunt reliqui DD. nedum regnicolæ, verum et extranei, ſignanter Sperell. Raynald. Ubert. Aug. Barboſ. de jur. eccleſ. tom. 1. *de privileg. clericor.* c. 39. § 2. n. 196. ſic ait: *Dolco equidem, et ſumme doleo, cum video DD. pietate et lacrymis inſignes (ad aures principum quorundam prurientes molliter fricandas) in amplianda nimis ſæculari juriſdictione, et eccleſiaſtica injuſte diminuenda pro viribus laborare, tractatus in hoc integros de manu regia, de cognitione per viam violentiæ, &c. non ſine propriæ conſcientiæ diſpendio, et adulationis ſuſpicione, divul-*

divulgantes; dum enim, viri doctiſſimi, veſtras hujuſmodi opiniones, nove inventas, referre procuratis, veras confunditis theoricas, et in eccleſia Dei confuſionem ſuſcitatis, ita ut clamare non ceſſem cum Iza. Populo meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt; et viam greſſuum tuorum diſſipant. Oliv. de for. eccleſ. paſſim in illum invehitur; et frequenter ab ejus doctrina cavendum monet, ſignanter 9. 3, 4. 7, 8. 10. 12, 13. an. 45. q. 14, 15. n. 38. q. 16, 17. n. 59. q. 18, 19, 20. 22. et reliqui, quibus ſubſequentibus ſimiliter et Themud. præſertim tom. 1. et 2. Necnon Peg. ad ord. variis locis infr. c. 10, 11. 13. et aliis laudatus.

XV. Apud aliquos DD. extraneos me legiſſe recordor, quod præfatus Gabriel Per. de Caſtro, quamvis *alias doctus*, minus tamen pius, minuſque bene animo affectus erga eccleſiæ juriſdictionem ac poteſtatem incedat, ſignanter Fermoſin. in c. 10. *Eccleſia S. Mariæ* de conſt. q. 1. 7. et alib. et in c. 2. de judic. q. 26. n. 7. et c. 8. ibid. q. 3. n. 5.

Æquius etiam, et rectius judicium de illo eſt, quod ipſimet reddidit M. Soarius in duplici reſponſione, die 11. Novemb. 1614. data duplici epiſtolæ et ipſiuſmet Per. et gubernatoris regni Portugalliæ, *Didaci Lopeſii Soſii*, in nuperrimo libello *Monomachia* nuncupato, ann. 1738. edito, et ad manus meas, poſt hæc exarata, forte pervento; ubi poſt accurate reviſam, ac bene perpenſam defenſionem, et allegationes præfati Gabr. Per. ſuper concordiis hujus regni, tandem illi reſcribit eximius D. pag. 42. ſerio notans, quod *In illis nimium propendat in favorem temporalis poteſtatis: quare haud poterat ex integro illis acquieſcere, eo quod earum doctrina in aliquibus illarum per juriſdictionem, ac poteſtatem ſpiritualem, pluſquam jur. can. decreta permittunt, ſecabat*, &c.

Et in ſubſequenti epiſtola, gubernatori præmemorato directa, pag. 43. eadem proſequens, ſic effatur: *Et certe gauderem, quod materia ſubjecta talis foret, ut in omnibus cum libello illo conformari poſſem; ut, in ea parte, qua licuit, me ſincere conformavi. Verum alia, adeo alta, graviaque inſinuat, et adeo conſcientiam pungunt, et doctrinam ſanam excedunt, ut in illis quid ſentiam, libere pandere, citra cujuſvis offenſionem, modeſte omittere nequeo*, &c. Vide conſequentes ſatisfactiones eximii D. ſingulis dubitationibus cit. Gabr. Per. ibidem.

Aliqui, illius totalis prohibitionis expurgatorii Romani occaſione, ſibi perſuadent, præfatum auctorem in totum juriſdictioni, immunitati, ac libertati eccleſiaſticæ injuſte adverſari; ita ut ab aliquo audirem, cum ob illam cauſam, non *Pereiram de manu regia*, ſed *de manu rigida* appellandum. Attamen in obſequium veritatis, in quibus doctor ille eccleſiæ faveat, aut ſuffragetur, diſtinctis ſeriebus hic adnotare licebit.

XVI. Favet igitur eccleſiæ, ejuſque juriſdictioni, 1. prælud. 2. ſuper juriſdictione temporali Summi Pontificis. Favet etiam, 2. ſuper ejuſdem, et ejus ſpiritualis juriſdictionis abſoluta ſuperioritate, ibid. n. 11. 13. et 20. Favet, 3. n. 14. ibid. ſuper nullitate legum offendentium eccleſiaſticam libertatem, *etiamſi latæ ſint ad conſervationem reipublicæ temporalis.* Favet, 4. c. 22. n. 35. fatens, poſſe prælatos jure regio juriſdictionem temporalem acquirere, et contra illam præſcribere.

XVII. Favet, 5. c. 17. n. 12. ex mente legis regiæ aperte confitendo, laicos in foro eccleſiæ conveniri pro ejus alendis miniſtris, vel pro fabricæ quæſtionibus, quacunque ex cauſa actum ſit, etiamſi negent qualitates in libello propoſitas. Et c. 24. quatenus ait, *poſſe adiri epiſcopum pro injuſtitia, aut difficultate judicis ſæcularis.* Favet, 6. dum, c. 4. et 7. ad recurſus licitudinem prærequirit violentiam ita qualificatam, quoad notorietatem et evidentiam, ut omnino certa, et minime dubia ſit, aut celabilis, et quæ omnimodam etiam probabilitatem in contrarium excludat, et probabile etiam judicium, atque auctoritatem aliquorum DD. in contrarium ſentientium.

XVIII. Suffragatur etiam, 7. in hac cognitione per viam recurſus, dum, cap. 4. n. 1. agnoſcit, ac fatetur, *Quod princeps ſæcularis in his violentiis ex permiſſione juris canonici non admittitur, niſi tanquam vir bonus*, &c. et dum, c. 12. n. 4. aſſeverat, judices regios in eadem *non juriſdictionaliter cognoſcere, neque judicare, ſed declarare per ſimplicem facti notionem, non imperare, ſed deprecari, ac rogare*, &c. et n. 5. dum ait, *Literas rogatorias, non præceptum, ſed ſimplicem rogationem continere, cui judex eccleſiaſticus ex urbanitate tantum acquieſcere debet*; et in nota ad concordiam 1. regis Dionyſii, art. 5. dum aſſerit, *Quia licet prælati abutantur juriſdictione eccleſiaſtica (dummodo non ſit cum notoria vi, vel denegatione juris naturalis) non poſſunt reges occurrere, quia rex non occurrit injuſtitiæ*; adde tu, *etiam notoriæ*; quod iterum aſſerit, c. 7. n. 44. et tandem in aliis aſſertis, quæ per otium legenti occurrent; ſignanter c. 34. n. 19. ubi etiam, n. 20. negat, *Poſſe recte ſupplicari ad regium tribunal, eo quod prælati vocent laicos, ut moneantur ſuper crimine concubinatus; tenentur namque comparere, et ſubire monitionem*, &c.

XIX. Adverſatur tamen in quamplurimis, quæ Oliv. de for. eccleſ. per totum opus paſſim redarguit, et impugnat, quarum multa etiam in hoc opuſculo frequenter notantur; et facile legenti obviabunt. Et inexcuſabiliter, c. 16. ad diſpoſitionem ord. l. 2. tt. 62. § 43. in favorem poſſeſſionis juriſdictionis eccleſiaſticæ erga confraternitates ſæculares, *ſi poſſeſſio de jure ſufficiens ſit*, prærequirit, quod talis poſſeſſio ſit *immemorialis*, et *centenaria*: cum nimium favorabilior erga juriſdictionem laicam inferiorem, ac ignobiliorem, ſufficere dicat duplicem actum, c. 7. et alibi.

XX. Reali autem veritati ipſemet Per. in multis refragatur, et c. 17. n. 10. ubi negat, *Prælatos eccleſiaſticos habere territorium*, contra expreſſam aſſertionem c. *Siquis epiſcoporum*, 16. q. 5. cui etiam ſuffragatur jus civile, l. *Omnes*, 32. § *Præterea*, § *In hac*, cod. de epiſc. l. *Monaſteria*, 39. eod. tit. l. *Decernimus*, et aliis, tot. tit. de epiſcop. audient. de quo ſupr. prælud. 6. § 1. et contra realem, et manifeſtam veritatem; cum notorie conſtet, prælatos eccleſiaſticos habere diœceſim; diœceſis autem et territorium idem in jure ſunt, et pro eodem uſurpantur: conſtat utrumque ex cit. c. *Siquis epiſcoporum*; ibi: *Siquis epiſcoporum alienæ civitatis territorio pro quacunque ſuorum opportunitate eccleſiam ædificare diſponit, non præſumat dedicationem facere, quæ illius eſt, in cujus territorio eccleſia aſſurgit.* Ub. gloſſ. verb. *Territorio*: territorio, id eſt *diœceſi* (quid autem ſit territorium, ſupra dictum eſt, prælud. 6. § 1.).

XXI. Deinde ſibimet ipſi non conſtans expreſſe adverſatur, c. 7. n. 6. ibi: *In tertia quæſtione extra dubium, quod ſi conſervator excedit, loci ordinarius ipſum punire poteſt, quia delinquit in ejus territorio*, c. 2. de offic. deleg. in 6. et c. 54. n. 5. in fine, et alibi. Deinde, c. 6, 7, et 8. ubi fatetur, privilegia, etiam *remuneratoria*, poſſe revocari à principe, ſibimet adverſatur contrarium prætendenti, ibid. et alibi, quatenus aſſerit per legem generalem concilii, et bullæ Cœnæ, non derogari privilegiis *remuneratoriis* regum Luſitaniæ.

XXII. Refragatur inſuper reali etiam veritati multipliciter, c. 34. n. 17. in fin. ubi ait, Concilium Trident. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. concedens epiſcopis facultatem capiendi laicos, *Lequi tantum de cauſis civilibus*; *et de criminibus tantum mixti fori*; quod et c. 54. iterum ſuadere conatur; ſed contra notoriam veritatem ex ipſomet conciliari decreto manifeſtam, 1. Ex contextu, ibid. *In cauſis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel perſonalis, ut ſupra, fieri poteſt.* 2. Ex clauſula illa ibidem: *In cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus.* Ergo ſi *quomodolibet*, non *mixte* dumtaxat.

XXIII. Pariformiter notoriæ veritati adverſatur, ibid. n. 12. quatenus aſſeverat, *de jure nullas eſſe pœnas contra laicos concubinarios*: et n. 13. quod *Concubinatus nulla pœna juris civilis, aut canonici punitur.* Contrarium autem convincitur ex ipſo jure canonico, imo et civili, c. *Nemo ſibi blandiatur*, 32. q. 4. ibi: *Nulli liceat ſcire mulierem, præter uxorem*; et c. *Præter hoc*, 5. diſt. 32. et c. *Novit*, 13. de Jud. Trid. ſeſ. 14. c. 8. de ref. De jure civili, v. totum tit. ff. *De concubinis*, et cod. eod. tit. ord. reg. l. 2. tt. 9. v. etiam Antonell. de regim. 6. de judic. crimin. c. 29. Fragoſ. de regim. reip. 4. § 14. quæ autem prohibentur ſaltem pœna *arbitraria* puniuntur.

Deinde

Deinde collatis adinvicem assertis utriusque præcitati, cap. 34. et 54. facile sibimet adversans in aliquibus præfatus doctor reperietur; et pariter, c. 53. n. 17. inquiens: *Cum nulla lege canonica cautum sit, ut inter seculares illud* (lenocinii crimen) *punire possit ecclesiasticus judex*: obstat et reali veritati, c. *Discretionem*, de eo, qui cogn. consang. consonat l. *Si Lenon.* cod. de episc. aud. et auct. de lenon. § *Præconiz.* Imo et sibi ibid. quatenus dicit, *Quod ecclesia statuit, ut omnia hæc crimina vindicari possint in utroque foro, ita ut quæ solum ad correctionem, solum ad eam deducebantur, attento jure communi. Hodie post* 3. *conformes etiam adducantur ad vindictam*, &c.

XXIV. Notæ etiam veritati ibidem adversatur (ut ipsemet insinuat, et invitus fatetur, cit. c. 34. § 19. *Verum, si verum amamus*) dum n. 18. præcedenti suadere conatur, *Prælatos non posse capere laicos per suos ministros absolute*, cum manifesta contradictione tum asserto ab ipso, cit. n. 19. c. 34. et n. 7. c. 54. cum reali veritati in contrarium, quæ expresse constat, 1. Ex ipsa ordin. regia, l. 2. tt. 1. § 13. declarante, quod in *aliis casibus extra visitationem possint, juxta Concil. Trid. capere, aut pignorare laicos, dummodo judicialiter procedant.* Pro quo vide Peg. ad ord. l. 2. tt. 8. § 7. gl. 9. sub n. 1. ibi: *Ita concludimus, quod in criminibus ecclesiasticis ad ecclesiasticum privative pertinentibus, potest procedere, et carcerare per suos ministros, absque imploratione auxilii sæcularis.* Confirmatur ex ipsa ord. l. 2. c. 1. § 13. dum monet judices ecclesiasticos non procedere adversus concubinarios per *excommunicationem, capturam, vel exilium*, absque trina Trid. monitione: sicut supponit in eis jurisdictionem ad excommunicandum, ita et ad capiendum independenter ab auxilio.

Et tt. 1. § 13. gl. 15. n. 2. et n. 24. in fine, ubi adducit casum judicatum in regio coronæ judicio in favorem jurisdictionis ecclesiasticæ, fundata sententia in illis verbis cit. ordin. *Et in aliis casibus extra visitationem*, &c. ex qua etiam patet, adverbium *Porem*, id est, *Ast*, sive *Verum*, de quo utitur præcit. ordinatio, non *continuative*, ut vult Per. contra veram, et legitimam significationem prædicti adverbii, et verum, ac naturalem sensum citatæ legis regiæ, sed *diversificative* accipiendum esse, ut communiter accipitur, pro quo vid. Barb. de pot. ep. alleg. 107. p. 3. Oliv. p. 2. q. 1. et 3. n. 39. et 55. ad 58. Themud. 2. p. dec. 146. et p. 3. dec. 255. ubi casus judicatos affert. Et in hoc puncto aliquid amplius licuit immorari, quia est materia frequens recursuum, ut infra, alleg. 1. 3. 7, 8. 20. et 21. et 32. et aliis.

XXV. Nec obstat, quod aliqui apud Peg. velint adverbium *Porem*, non *diversificative*, sed *continuative* accipiendum; quod et confirmant ex præcitata nota superiori c. de qua Peg. tom. 3. et nos superius, c. 9. n. 17. adversantur namque omnia ibidem adnotata, et supra extensa. Et formaliter ipsamet reg. ord. in aliis titulis, ubi adverbium *Porem*, non *continuative*, sed *diversificative* usurpatur, ut l. 3. tt. 95. § 7. et tt. 63. in princip. et § 4. et reliquis, ibid. et tot. lib. 2. tt. 2. § 1. et reliquis titulis eod. lib. et in omnibus aliis superiori c. n. 19. indigitatis. Et uno verbo, nullibi in tota citata reg. ordinatione adverbium illud *Porem* reperietur, quod non *diversificative* accipiatur. Et certum in jure est, *validum esse argumentum ab assuetis, et à solitis*, l. *Siquis*, ff. de *usufruct.* et *à consuetudine ad statutum*; et è contra, &c. l. *de quib.* delegat. &c.

XXVI. Constat, 2. Ex formalitate ipsiusmet regiæ ordinat. l. 2. tt. 8. in princip. ex qua convincitur, *Concessionem auxilii brachii sæcularis prælatis, judicibus, ac visitatoribus ecclesiasticis impertiendi, esse, ut brevius, sive facilius eorum sententiæ, ac mandata exequantur.* Ergo si, ut *brevius*, ac *facilius* exequantur, non est, quia absolute absque tali auxilio exequi non possunt. Quod etiam clare confirmat verbum *auxilium*, sive *coadjuvamen*; qui autem in aliquo auxiliatur, aut coadjuvatur, non est impotens ad id se solo absolute exequendum.

XXVII. Constat, 3. Ex § 7. ejusd. regiæ leg. cit. tt. 8. ubi ratificat, hanc concessionem auxilii brachii secularis prælatis, capitulis, et eorum officialibus, ac justitiis exhibendi, declarans, *id in gratiam, ac obsequium prælatorum, ac personarum ecclesiasticarum regnicolarum ordinare*: et tt. 9. § 4. permittens, quod resistentiæ laicorum justitiis ecclesiasticis incussæ puniantur in sæculari judicio, hoc ordinare declarat, *ut justitia ecclesiastica hoc favore prosequatur*; quod autem in gratiam, favorem, ac obsequium alicujus ordinatur, non ordinatur, neque verti debet in ejus detrimentum, neque in ejusdem juris, ac jurisdictionis inhibitionem, seu deminutionem, quinimo in ampliationem, atque extensionem, ex vulgaribus, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Ex reg. jur. 61. *Favores, et gratiæ sunt ampliandæ*; et illud *introductum in favorem alicujus, non debet retorqueri in odium*, Barb. axiom. 96. *et inducta ad augmentum non debent operari deminutionem*, id. ax. 34. n. 11. *et non debet injuria nasci, ex qua jura sperantur*, id. ax. 126. n. 3. *et concessa ad unum finem, non debent producere effectum contrarium*, id. ax. 80. n. 9. Vide dicta prælud. 4. in fin. et Oliv. de for. eccles. 2. p. q. 1. et 3. per tot.

XXVIII. Constat, 4. Ex conciliari decreto citato, c. 3. sess. 25. de reform. ibi: *Contra quoscunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias . . . seu per capturam pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam*, &c. *ad quod exclamat Oliv. 2. p. cit. q. 3. sub n. 39. Sileant ergo contrariæ opinionis sequaces, post decretum concilii improbabilis, et tam claris fundamentis, ac manifestis juribus canonicis acquiescant.*

XXIX. Jura autem canonica sunt can. *Attendendum*, 17. q. 4. c. *Contra idolorum*, 26. q. 5. c. *Cum sit generale*, de for. compet. c. *Cum episcopos*, de offic. ordin. in 6. Clem. I. § 1. de hæretic. c. 2. *de adulter.* c. 2. *de maledicis*; et alia fuse ab ipso Oliv. citata, d. q. 3. p. 2.

Imo nec desunt jura etiam civilia huic veritati suffragantia, l. 2. ff. de jurisd. omn. judic. auct. *Causa, quæ fit cum monach.* cod. de episcop. et cler. ibi: *Executoribus, qui admonitionem facere præsumpserint, ab ipsis sanctissimis episcopis in locis decanicis detrudendis.* Vid. infr. alleg. 7, 8. et 20, 21. et aliis. Quare Oliv. c. q. 3. n. 59. graviter insurgit adversus ministros sæculares regios ex iniqua legis regiæ intelligentia, recurrentibus in hoc casu inique providentes.

XXX. Et sane suppositа saltem probabilitate (si nolis fateri veritatem) hujus sententiæ, injuste providet, cum ex eo nec violentia, nec saltem notoria, in judicibus ecclesiasticis, ea utentibus, considerari potest. V. dicta c. 14. usque ad 18. inclusive; et allegationibus præcitatis.

Denique Per. sibimet noviter adversatur, dum, prælud. 2. n. 12. ex illo axiomate, l. 2. de jurisd. omn. judic. *Concessa jurisdictione, conceduntur omnia ad illius commodam explicationem necessaria; imo ad utiliorem expeditionem negotii*; quare c. 21. vult, ut notat Oliv. q. 18. posse judices regios cogere ecclesiasticum ad remissionem processuum in recursibus ab eo intentatis, et c. 12. posse etiam ad temporalitates adversus illum procedere, etiam extra casus regiæ jurisdictionis usurpatæ: cur ex eodem principio, non æqua lance idem judicium facit de jurisdictione ecclesiæ ad capiendos laicos per suos proprios ministros, in omnibus causis ad judicium ecclesiæ de jure pertinentibus? Vide tradita c. 27. an.

XXXI. Pariformiter, dum cit. c. 54. n. 7. transcribens diploma piissimi regis Sebastiani, et aperte fatens, *Regem jurisdictionis sæcularis habenas laxâsse, et remisisse, ut prælati laicos capere valeant in casibus expressis* in S. Concil. Trid. *in quo sit prælatis facultas eos puniendi in casibus mixti fori, quoties oportuerit, de quo diximus supr. ad* § 13. immediate addit (ut noviter hoc assertum vertatur in dubium, et anceps judicium adhuc remaneat) *ubi videri potest, an rex per se solum, sine publicis comitiis, hoc potuisset facere?* Et cit. c. 34. n. relato 9. postquam veritatem, pro jurisdictione ecclesiastica resolvens, amplecti protestatus est, § *Verum, si verum amamus*: in fine, eodem fine rem dubiam relinquendi, addit, et insinuat, *Quia rex non potuit suæ jurisdictioni præjudicare, quæ sua non est, sed regni*: cum notoria contradictione sibimet ipsi cit. c. 54. n. 4. ibi: *Principes hujus regni prosequuti ecclesiasticam libertatem, non dubitarunt in materia jurisdictionis regiæ præscriptionem, et consuetudinem admittere,*

mittere, cum tamen inter ſubditos ſæculares illius præſcriptionem omnino interdixerit ex aliquorum ſententia, ex lege regia, lib. 2. tit. 45. § 10. diximus ſupr. ad ordin. tit. unde ex ſpeciali favore prælatis indulget facultatem inducendæ conſuetudinis in præjudicium regiæ juriſdictionis, ut in lib. 1. tit. 67. in princip. et lib. 1. tit. 62. § 43. proſequitur. Valaſc. 105. n. 64. Menoch. conſ. 1000. n. 75.

XXXII. Et c. 17. n. 15. et c. 10. et alibi, hanc eandem poſſibilem præſcriptionem, conſuetudinem, ac facultatem juriſdictionem acquirendi à piiſſimis regibus Luſitanis, prælatis eccleſiaſticis, etiam cum propriæ regiæ juriſdictionis præjudicio, ac detrimento conceſſam, agnoſcit, ac fatetur. Ergo ſi abſque publicis comitiis valuerunt reges Luſitani hanc præſcriptionem, ac demiſſionem facere, cur piiſſimus rex Sebaſtianus non potuit etiam inducere, præſertim poſt publicationem Tridentinæ ſynodus, et illius conciliarii decreti? cujus quidem principes ſæculares protectores incedunt, ex bulla ejuſdem concilii confirmatoria in fine, et c. 20. ſeſſ. 25. de reform.

XXXIII. Deinde ſibimet, et veritati refragatur aliis in locis, ſi adinvicem recte conferantur, ut c. 12. n. 11. ſuper aſſerta ſuperioritate ſenatorum palatinorum, collato cum c. 4. n. 1. et 8. cum c. 7. n. 27. et c. 12. n. 4. 24. et 44. et cum notis ad art. 5. et 40. concord. 1. Dionyſianæ, et cum prælud. 2. n. 11. et 12. Vide infr. c. 40. an. 2. ſimiliter, c. 10. n. 1. collato cum c. 7. n. 44. et cum nota ad concord. 1. regis Dionyſii, art. 5. de qua ſupr. et infr. c. 22. et 23. et alibi.

XXXIV. Præterea etiam ſibimet adverſatur, quatenus, c. 22. n. 28. fatetur (et quidem recte) *ab actibus negativis, qui conſiſtunt in non faciendo* (teſte Oſor. reſ. 67. n. 10.) *non dari recurſum ad coronam*, eo quod in actibus negativis, neque detur vis, neque violentia reperiatur (de quo infr. c. 36. et 37. quod etiam docent Cevall. com. q. 897. n. 899. Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 8. n. 52.) cap. tamen 11. n. 6. inconſtanter tenet ipſemet Per. judicem eccleſiaſticum *acta non mittentem* ad rogativam coronæ, *novam violentiam committere.* Cum quo ipſemet Oſor. de patron. reg. ſibimet etiam contradicit, reſol. 70. n. 13. contrarium primo aſſerenti cit. reſol. 67. n. 10. circa actus negativos, cum DD. præmiſſis, et aliis pluribus infr. c. 28. n. 6. inſinuandis.

Sibimet etiam pariter non conſtat aſſeverans, derogatorias Concilii Trid. et bullæ Cœnæ, non comprehendere, neque derogare regni concordiis, ac privilegiis, ut c. 6. n. 13. et ſeqq. et alibi; contra quod generaliter, et expreſſe ſtatuit, c. 60. n. 21. ibi: *Quando . . . ad curiam deferuntur, juxta S. Concilii decreta, per quod omnibus concordiis* (nota) *et privilegiis contrariis derogatum extitit, ut in d. c. 20. in fin. ubi non obſtantibus*, &c. Ipſummet cit. Per. vide n. 38. et ſeqq. et aliis locis, ubi paſſim conſimiles repugnantiæ, et contrarietates adinveniuntur, et ſignanter locis notatis infr. c. 22. an. 59. et ſeqq. et alibi.

Subjungam tamen notabilem, ac favorabilem doctrinam illius, c. 34. n. 21. ubi loquens de triplici monitione concilii, ait: *Vidimus dubitatum, an illæ tres monitiones debeant eſſe cum eadem perſona, vel ſufficiant eſſe cum diverſis concubinis: et licet aliquando judicatum viderim monitiones requiri cum eadem concubina, tamen verius omnino eſt ſufficere, ut cum diverſis concubinis quis moneatur, quia hic ſolum punitur incorrigibilitas, quæ æque conſideratur cum eadem, vel cum diverſis: nam non monetur, ut caveat à tali fœmina, ſed ut caveat à tali delicto, in quo ille eſt contumax, et incorrigibilis perſeverat: probat Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 14. ibi: Cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes: ſicque illuſtriſſimi cardinales declarárunt.*

DISTINCTIO I.

De Recurſu à Judicibus Eccleſiaſticis Ordinariis ad Tribunalia Sæcularia.

CAP. X.

Præmittuntur Regiæ Regis Muncipalis diſpoſitio quoad Recurſus, aut Gravamina à Judicibus Eccleſiaſticis interpoſita.

SUMMARIUM.

I. *Regiæ ordin. diſpoſitio.*
II. *Adnotatio ex Peg.*
III. *Proprium judicium erga contextum ordin. perficiendum.*
IV. *Rejiciuntur contendentes pro cohæritia illius ordin. diſpoſitionis.*
V. *Judices regii ex capite violentiæ cognoſcentes judicant præciſe ſuper vi illata, et non ſuper competentia cognitionis.*
VI. *Aliæ ſequelæ ex adverſo.*
VII. *Tres caſus dumtaxat, in quibus ex lege regia permittitur recurſus à judicibus eccleſiaſticis.*
VIII. *Nequit recurri à partibus, ſed à judicibus, ut partibus procedentibus.*
IX. *Non ad quemlibet regium magiſtratum, ſed ad ſolum judicem coronæ, de jure patrio recurrendum.*
X. *Unica pœna ordinat. pro judice eccleſiaſtico non parente proviſioni in recurſu ex cap. Violentiæ dumtaxat.*
XI. *Vocatio judicis eccleſiaſtici ſuper juriſdictionis uſurpatione, et proceſſus ad temporalitates, in ſolis caſibus uſurpatæ juriſdictionis haberi debet remiſſive ad c. 39.*
XII. *Doctrina Oſor. pro non recurſu ab actibus negativis.*

I. REGIA regni ordinatio, lib. 1. tt. 9. § 12. ſic diſponit, agens de judicibus coronæ: *Veruntamen non cognoſcent de gravamine, quod partes interpoſuerint à judicibus eccleſiaſticis in caſibus, in quibus cognitio eis pertinet, niſi quando de notoria oppreſſione, aut vi ipſis illata gravamen intentaverint, aut de jure naturali erga illos non ſervato; quia in his caſibus, nos, ut rex, et dominus, noſtris vaſſallis ſuccurrere tenemur.* Hucuſque recte et cohærenter (ait Peg.) loquitur legiſlator noſter; at cum nec dixiſſet, quid faciendum, ut violentiæ occurratur, neque circa id dediſſet modum, quaſi eandem diſpoſitionem proſequeretur, immediate tranſit ad alium, et diverſum caſum, dicens: *Et poſtquam judices actorum noſtrorum judicaverint, cognitionem judicibus noſtris, et non eccleſiaſticis pertinere, præcipient miniſtris noſtris, ut tales perſonas nec vitent, nec excommunicatorum mulctas ab eis exigant, eo quod ſic ſemper uſus obtinuit, et aliud medium non adeſt, ut juriſdictio noſtra non uſurpetur.*

II. Ecce regiæ legis diſpoſitio; quæ, ut bene notat Peg. in hac ſecunda parte, loquitur de recurſu ex capite uſurpatæ juriſdictionis, de quo ſine principio loqui incipit, ita ut merito dici poſſit de hac ordinatione, quod prior diſpoſitio non habet finem, poſterior vero non habet principium. Unde cum non obſcure colligitur, inter priorem et poſteriorem verſic. verba deficere, et impreſſoris incuria prætermiſſa fuiſſe; non

non autem temerarium eſſet credere illa verba, quæ deficiunt, forte concludere, ideo providendum illi, cujus ita oppreſſi appellatio non reciperetur, ita ut intentum eſſet dicere, quod regii judices cognoſcant de violentia notoria, quæ dicitur illata per judices eccleſiaſticos, in rejectione appellationis juſte interpoſitæ et admiſſibilis, propter quam competit talis recurſus, ut, multis citatis, tenet Coſt. dom. ſupplic. annot. 8. num. 45. et ſeqq. Salgad. de reg. protect. p. 1. cap. 1. et per tot. Auguſt. Barb. vot. 48. n. 11. multis citatis, Oliva de foro eccleſ. p. 1. q. 17. per tot. Salzed. de leg. politic. lib. 1. cap. 9. Fermoſin. in cap. 2. de judic. ad cap. 2. q. 19. n. 28. Delbene de immunit. eccleſ. 2. p. cap. 9. dub. 6. ſect. 4. Caſtill. de tert. lib. 7. comment. cap. 41. n. 163. et ſeqq. et n. 170. noviter Eſcant. in propugnacul. ord. milit. diſcept. 15. cap. 3. n. 17. unde recte miratur Peg. ibid. n. 2. DD. regnicolas non advertiſſe prædictam diſpoſitionem eſſe incompletam, quoad primam partem, ſeu quoad primam clauſulam; et deficere verba aliqua in ea lege, quæ eam cohærentem reddant, id eſt, quæ ſecundam clauſulam primæ cohærere recta conſtructione efficiant.

III. Quibus præmonitis præmiſſis, putarem et ego, verba deficientia inter unam, et aliam clauſulam, ſive compartem regiæ legis, eſſe ſequentia, vel conſimilia, videlicet, vulgari idiomate: *Como tambem nos caſos da uzurpaçao da noſſa juriſdicçao:* Latine vero: *Sicut et in caſibus uſurpationis noſtræ juriſdictionis.* Ita namque perfectus ſenſus, perfectaque proſequutio conſtruitur, et perficitur, ut ex ipſorum, et antecedentium, atque conſequentium verborum coordinata conſtructione, tum Luſitane, tum Latine, ad oculum patebit; videlicet, *Porque neſtes cazos, nos como rey, e ſenhor, temos obrigaçao de acodir a noſſos vaſſalos; como tambem nos cazos da uzurpaçao da noſſa juriſdicçao. Edepois de os juizes dos noſſos feitos julgarem,* &c. id eſt: *Nos ut rex, et dominus, noſtris vaſſallis ſuccurrere tenemur; ſicut et in caſibus uſurpationis noſtræ juriſdictionis. Et poſtquam judices actorum noſtrorum judicaverint,* &c.

Deficere etiam aliqua verba adjicienda in prima clauſula terminis illis, *de notoria oppreſſione, aut vi, ipſis illata*; quibus adjiciendum, *in non receptione, ſeu in denegatione legitimæ appellationis*; ita ut ordinatio reſtricte, et non abſolute loqui judicetur; infra oſtendetur.

IV. Ex quibus colliges, 1. Merito rejiciendos eſſe illos, qui adhuc contendunt, teſte Peg. illam incompletam legis regiæ diſpoſitionem eſſe cohærentem, ejus diſſonantiam non percipientes, ut objicit Peg. n. 7. Rejiciuntur autem, 1. Ex ipſamet legis patentiſſima, atque notiſſima diſſonantia. 2. Ex generali DD. regnicolarum intelligentia, et uniformi erga illam judicio, ut Aug. Barb. in prax. exigend. penſ. p. 1. q. 6. n. 18. et vot. 48. Ambroſ. Cardoſ. in allegat. jur. pro interdict. civit. Ulyſſipon. et de tributt. perſon. eccleſ. n. imponend. n. 43. et ſeqq. Coſta de ſtill. dom. ſupplicat. ann. 8. et alii.

V. 3. Quia quando judices regii cognoſcunt ex capite illatæ violentiæ, non quærunt, neque diſputant, aut judicant, an judicibus ſæcularibus ea cognitio pertineat, ut in clauſula 2. legis regiæ recitatur; ſed cognoſcunt ac judicant dumtaxat, an judex eccleſiaſticus vim feciſſet; proindeque ejuſdem legis incompletudo, incohærentia, et diſſonantia cum prima clauſula præcedenti manifeſte evincitur.

VI. 4. Quia, ut arguit Peg. n. 8. ſi ſecunda clauſula immediate primæ præcedenti cohæreat, et abſque competenti reformatione, atque emendatione ſuperius inſinuata, eodem contextu, eademque conſtructione concipiatur; et materia ſecundæ clauſulæ non novum, atque diſtinctum caput proſequatur, ait Peg. conſequens fit, quod non datur in ordinatione diſpoſitio jubens, judicem regium coronæ cognoſcere de gravaminibus ex capitæ uſurpatæ juriſdictionis, ut conſideranti, et utramque regiæ legis partem, aut clauſulam, ut cohærentem, et immediata ſyntaxi legenti, ac concipienti patebit.

5. Ex conſuetudine in ipſamet lege regia allegata (qua etiam adverſarii, ut ait Peg. prædictum recurſum juſtificari intendunt) quam quidem conſuetudinem ibidem prædicta lex allegat, non ad cognitionem ex capite violentiæ, ſed ex capite uſurpatæ juriſdictionis, ut ex ea aperte liquet, *et apertius*, proſequitur Peg. *ex ord. antiqua; l. 1. tt. 11. § fin. ubi agitur de uſurpata juriſdictione; de violentia autem nullo, quem ſciamus, loco illius ordinationis agitur.*

VII. Colliges, 2. Quibus caſibus, et in quibus materiis, juxta mentem regiæ legis, permittatur recurſus à judicibus eccleſiaſticis ad tribunalia regia, ſive ad regios magiſtratus; videlicet, 1. In caſu notoriæ vis, aut oppreſſionis, quæ detur in denegatione, ſeu non receptione legitimæ appellationis. 2. In caſu non obſervantiæ juris naturalis, quando ſcilicet reis naturalis defenſio non permittatur, neque ad eam allegandam locus adhibeatur. 3. In caſu regiæ juriſdictionis uſurpationis; Coſt. de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 8. n. 19. et alibi. Sed de hoc latius capite ſubſequenti.

VIII. Colliges, 3. Recurri non debere, neque poſſe à partibus, ſed a judicibus; imo neque à judicibus, ut partibus procedentibus, ſed à judicibus procedentibus, ut judicibus, ut ex legis formalibus verbis pateſcit. Sed de hoc etiam infr. c. 11. quod ulterius confirmatur ex doctrina Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 24. n. 16. ubi docet, *quod à perſonis particularibus non poteſt ſupplicari ad regium coronæ tribunal, quia hoc regiis legibus cautum non reperitur, ut ſcilicet à particularibus perſonis vim inferentibus, ad tribunal regium ſupplicatio fiat; dantur enim juris, et ejuſdem legis regiæ ordinaria remedia; ceſſareque debet hoc tam dubium, et extraordinarium,* l. *Quædam,* ff. *Edendo.* Ub. Bart. n. 1. gl. in l. *Vinum,* ff. *Cert. pet.* l. in cauſ. 2. ff. *de minor.* Cald. in l. *Si curator.* verb. *Implorare,* n. 5. Ub. plur. citat Mart. de juriſd. p. 3. c. 4. n. 7.

IX. Colliges, 4. cum eodem Peg. eadem gloſſ. 16. n. 49. cum Fontanell. 2. p. dec. 313. et 317. n. 5. Non ad quemlibet judicem, aut regium magiſtratum, à judicibus eccleſiaſticis recurrendum, ſed ad judicem coronæ dumtaxat, ex regiæ legis diſpoſitione, neque aliquem aliorum magiſtratuum inferiorum poſſe ad hanc cognitionem intromitti; licet Per. c. 4. n. 4. aſſerat, de jure communi poſſe quemlibet magiſtratum de violentia cognoſcere, et eam reponere. Sed cum loquatur late *de jure communi,* per id nil officit loquenti ſtricte de jure privato, et patrio.

X. Colliges, 5. cum eod. Peg. n. 30. cit. gl. 14. Unicam in ordinat. ſtatutam pœnam adverſus judicem eccleſiaſticum, non parentem proviſioni datæ recurrenti ex capite notoriæ violentiæ, ſed perſiſtentem in exequenda ſententia, eſſe eam dumtaxat, *quod non evitent querellantem, cui data fuit proviſio, neque ab eo exigant pœnas excommunicatorum*; nullumque aliud impedimentum, ſive reſiſtentia, ibi jubetur fieri contra judicis eccleſiaſtici ſententiam. De quo ſimiliter infra latius agetur, c. 39.

XI. Colliges, 6. cum ipſomet Peg. cit. n. 31. Quod vocatio judicis eccleſiaſtici, rogatoriis epiſtolis non parentis, ut coram rege, ſeu regiis ſenatoribus palatinis compareat, ut audiatur, et rationes ſibi faventes expendat, quibus à gravamine, aut querela uſurpationis regiæ juriſdictionis exoneretur: ut diſponit regia ordin. cit. l. 1. tt. 12. § 6. et conſequens proceſſus ad temporalitates tantummodo locum habeat; et practicari debet in caſibus, atque gravaminibus, ex capite uſurpatæ juriſdictionis regiæ intentatis, ut ex eadem regia ordin. clare deprehenditur, et notat Peg. ibid. Sed et de hoc etiam latius infr. c. 38, 39. et ſeqq.

XII. Colliges, 7. cum neoterico Oſor. prax. de patron. reg. reſol. 67. n. 10. Quod ab actibus negativis, qui conſiſtunt in non faciendo (v. g. pro non executione ſententiæ, quia judex recepit appellationem, et ſimilia) non datur recurſus ad coronam; in hoc enim caſu non datur violentia, ſed *injuſtitia:* ex Gabriel Per. de man. reg. cap. 22. n. 28. Cevall. commun. q. 897. a n. 899. Salgad. de protect. reg. p. 1. cap. 8. a n. 52. quo in caſu appellare debet ad ſuperiorem, et non ſupplicare ad coronam: ex Lambertin. dict. lib. 2. q. 8. principal. art. 10. n. 1. et art. 11. n. 1. et 2. Plures per Barboſ. de poteſt. epiſcop. alleg. 72. n. 167. Salgad. ubi ſupr.

CAP.

CAP. XI.

De Recurſu ex Capite notoriæ Oppreſſionis, aut notoriæ Violentiæ, in Terminis Regiæ Legis.

SUMMARIUM.

I. *Laudatur Peg.*
II. *Corroboratur ex lege Caſtellæ, diſpoſitionem ordinat. Luſitanæ non voluiſſe introducere recurſum generaliter, ſed reſtricte.*
III. *Vera reſolutio pro intentione piiſſimorum regum Luſitanorum in introductione non generali, ſed reſtricta recurſus.*
IV. *Probatur ex ipſa regia ordin. et ex incohærentiis.*
V. *A paritate regni Caſtellæ, à qua Luſitani magiſterium quoad literas et arma deſumpſerunt.*
VI. *In defectum propriarum legum, per vicinas regulari judices ſolent.*
VII. *Conformari voluerunt reges Luſitani aliis regnis Chriſtianis in recurſus reſtricta admiſſione; et contrarium aperte eſt contra mentem ipſorum piiſſimorum regum.*
VIII. *Generalis recurſus introductio neque ab antiqua ordinat. cognita eſt.*
IX. *Comprobatur ex concordiis regni.*
X. *Aliæ conſimiles confirmationes.*
XI. *Et ſpecialiter ex concordi Alfonſi* V.
XII. *Deo gratum ſervitium foret, ſi piiſſimi reges Luſitaniæ juberent in ſuis regnis ſervari, quoad recurſus admiſſionem, quod in cæteris catholicis practicatur.*
XIII. *Cum hac providentia ſaltem minuerentur recurſus, et proviſiones.*
XIV. *Notoria oppreſſio, aut violentia, de qua loquitur regia ordinatio, eſt, ex ejus mente, reſtricta ad triplicem caſum dumtaxat.*
XV. *Nec praxis in contrarium, quantumvis generalis, ex uſu licita redditur remiſſive.*
XVI. *In nullo caſu licet interponere recurſum ad principem infidelem, ex Traſſo.*

I. CUM citatus Peg. n. 4. gl. 14. teſtetur, ſe non recordari legiſſe doctoris alicujus locum (multos videndo) ex quo colligeret apud alia regna, ex hoc capite violentiæ generaliter admiſſum recurſum ad tribunalia ſæcularia, neque ordinatione antiqua eum fuiſſe recognitum: hinc merito ait, n. 5. dubitari poteſt, an prædicta incompleta ordinationis noſtræ diſpoſitio adeo generaliter introducere voluiſſet recurſum, apud alias nationes non uſitatum, cum, tali recurſu dato, ampliſſima et univerſalis via pateat ad cognoſcendum in ſæculari de ſententiis judicum eccleſiaſticorum, cum nulla cauſa conſiderari poſſit, in qua vim fieri proponi non poſſit; cognitionis ergo nullus eſt limes, aperta hujuſmodi porta, quamvis proviſio denegari contingat: cum ergo nullum aliud caput, ex quibus recurſus ad ſæculare judicium admittitur, adeo præjudicet eccleſiaſticæ juriſdictioni, *attentiſſime* conſiderandum eſt per dominos judices doctiſſimos, an dicta ordinatio illud introducere voluiſſet.

II. Corroboratur hæc ratio dubitandi ex praxi, et ſtylo Hiſpanico, et ex lege Caſtellæ 36. tt. 5. lib. 2. novæ recopilat. non admittente recurſum, niſi ex hoc capite non receptæ appellationis; ad quæ cit. Peg. n. 4. teſtatur, ſe ſcire, et quidem in Hiſpania ſolummodo conſiderari violentiam notoriam, in non receptione admiſſibilis appellationis, ut videre eſt per Cov. pratict. cap. 35. n. 3. Salgad. et alios ſupra maxime citatos, qui recenſentes capita, ex quibus recurſus datur, nullo modo violentiam generaliter adducunt, ſed in prædictis tantummodo terminis; quod apertius colligitur ex iis, quæ ſcribit Salgad. d. cap. 1. n. 1. et ſeqq. ubi adducens omnia capita, ex quibus datur prædictus recurſus, nullo modo enumerat caput violentiæ, ſive oppreſſionis notoriæ abſolute, vel ſimpliciter, ſed tamen reſtrictæ ad prædictos terminos appellationis rejectæ, quod ipſe titulus operis demonſtrat: idem apertiſſime conſtat ex multis dictis à Cevall. in diſcurſ. ad reg. lingua vulgari editum in princip. com. contra commun. et ex hoc capite appellationis non receptæ recurſum admittit lex Caſtell. 36. tit. 5. lib. 2. novæ recop. nec alia generalis allegatur ad cognoſcendum de violentiis. Sit igitur

Vera Reſolutio.

III. Credendum non eſt (nec credi poteſt) piiſſimos reges Luſitanos per præjactam legis regiæ diſpoſitionem voluiſſe introducere adytum recurſus in omni oppreſſione, ac vi generaliter, et abſolute, ſed reſtricte ad terminos denegationis, aut non receptionis legitimæ appellationis, prout apud alias nationes, et in vicinis regnis Chriſtianis, praxi receptum eſt. Proindeque verbis illis regiæ legis in prima parte: *Niſi quando gravamen intentaverint de notoria oppreſſione, aut vi:* deeſſe verba ſequentia abjicienda: *in denegatione, ſive in non receptione legitimæ appellationis.* Hæc regiæ legis mens ſeria, ac vera eſſe videtur.

IV. Probatur hæc intelligentia, 1. Ex repetitis, ac ſæpe iteratis proteſtationibus piiſſimorum regum Luſitanorum expreſſis in ipſamet regia ordin. l. 2. tt. 5. in princip. et tt. 11. et tt. 18. § 5. de ſeria, ac ſincera intentione favendi in omnibus, quantum fieri poterit, eccleſiæ, ejuſque juriſdictioni, atque immunitati, necnon juribus, privilegiis, &c. de quibus videndus Peg. ad citatas ordin. et Per. de man. reg. c. 50. et 54. et alibi.

Cum quibus minime cohærere inſpicitur hæc tam ampla porta, lataque via patens ad adytus recurſuum infinitorum ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæculares magiſtratus abſque limite in omni caſu violentiæ generaliter, vel univerſaliter; et non reſtricte ad prædictos terminos denegationis, aut non receptionis juſtæ, ac legitimæ appellationis.

V. Prob. 2. A paritate cit. legis regni Caſtellæ, regni quidem noſtro Luſitano antiquioris, et in juridicis rebus, aliiſque ſcientiis, tum practicis, tum ſpeculativis, verſatioris, atque exercitatioris; nam, ut animadvertit eruditus D. Franciſcus Emmanuel in ſuis diſertis, et bene comptis *epanaphoris*, Luſitani cum literis, tum armis Caſtellanos magiſtros quidem habuerunt. Cum autem reges in ferendis legibus, præſertim juniores, ſeſe vicinioribus, antiquioribus conformare ſoleant, ut ipſa experientia docet, et perfecta ſuadet ipſarum legum notitia, et inſtructio, quæ ex vicinitate oritur, et præſumitur, ex text. in c. *Quoſdam* de præſumpt. ubi Angel. Bald. Bartol. Alex. et reliqui DD.

VI. Imo et prælati eccleſiaſtici, in defectum legum propriarum diœceſum, atque auditoriorum, per vicinarum leges, ac ſtylos regulari ſoleant, ut conſtat ex cujuſlibet auditorii eccleſiaſtici regimentis privatis, et ex communi doctrina, quam tenet expreſſe Valax. de part. c. 19. n. 11. Cabed. 2. p. dec. 25. n. 1. Barb. remiſſ. ad ord. l. 3. tt. 64. n. 16. Guerr. de divis, l. 2. c. 6. n. 73. dicunt, *quod ubi lex noſtra, vel communis deficit, ad leges regni vicinioris recurrendum eſt*, ubi citat Aquil. ad Rox. p. 2. c. 5. n. 66. dicentem, quod etiam in Caſtella, propria lege, obſervanda eſt ordinatio noſtra:

VII. Hinc recte tenendum, piiſſimos reges Luſitanos in illa municipali lege ferenda, legi Caſtellanæ conformari voluiſſe; præſertim cum eadem lex, ac ſtylus, teſte Pegas, vigeat apud reliquas nationes Chriſtianas, et in nullo alio regno admittatur recurſus ab eccleſiaſticis ad tribunalia ſæcularia ex hoc capite violentiæ generaliter, ſed reſtricte, ex capite violentiæ in denegatione juſtæ appellationis, ut aſſerit Peg. cit. n. 4. prope finem, teſtificans, neque tale ſe in aliquo auctore, etiam extraneo, legiſſe. Unde minime præſumendum, à Chriſtianiſſimis regibus noſtratibus introduci voluiſſe novam, et generalem materiam recurſus apud nullum aliud catholicum regnum praxi,

aut

aut lege ſtabilitum, vel receptum cum tanto eccleſiaſticæ juriſdictionis præjudicio, atque diſpendio præmemorato.

Et conſequenter uſum, ſeu potius abuſum contrarium aperte contra ipſorum regum mentem atque intentionem injuſte introductum liquido deprehendi, ut etiam de uſu Galliæ teſtatur P. de Marca in definitione 8. propria, in prolegom. de concord. ſacerdot. et imper. ib. 8. *Appellationum ab abuſu ob canones violatos cognitionem ſaltem reſtringendam eſſe, et terminandam, eo fine, ut ob ſcandalum emergens, executionem interim impediat ejus judicati, quod à judice eccleſiaſtico ratum erit adverſus conſtitutiones eccleſiaſticas: attamen hoc prætextu curiis ſupremis non licere de negotio principali, quod eſt mere eccleſiaſticum, pronuntiare; uſumque contrarium alienum eſſe à mente, et à praxi veterum principum, et regum Chriſtianiſſimorum.*

VIII. Probatur, 3. Et confirmatur præcedens probatio ex alia cit. Peg. atteſtatione ibidem; videlicet, recurſum iſtum ex capite violentiæ generaliter, et abſolute, *neque ab antiqua regni ordinatione fuiſſe cognitum:* ergo cum nova ordinatio ex antiqua deducta fuiſſet, et ſit prioris reformatio, quamvis generalibus et univerſalibus terminis oppreſſionis, vis, ſeu violentiæ loquatur, reſtricte accipienda eſt, de violentia, ſive oppreſſione in legitimæ ac juſtæ appellationis non receptione; proindeque terminis illis *oppreſſionis*, ac *vis*, deficere hanc clauſulam reſtrictam *in denegatione legitimæ appellationis*; quæ forſan in antiquiori ordinatione exprimebatur, et vel incuria, vel iniqua fortaſſis induſtria expuncta eſt.

IX. Prob. 4. Ex ipſiſmet concordiis, ex quibus, et ſtylus, et ordinatio pro cognitione violentiarum judicum eccleſiaſticorum deſumpta eſt. Nam in 4. artic. concordiæ quartæ regis Dionyſii (non tertiæ, ut ſcribit Per. de man. reg. c. 1.) ſic legitur, ſecundum ipſiuſmet Per. tranſcriptionem: *Quod ſi aliquis laicus excommunicatus eſt, et contra ipſum opponitur, quod audiri non debet in judicio, quia excommunicatus exiſtit, nihilominus jubet, quod audiatur contra juris præcepta, et contra articulum ſecundum concordiæ; et reſpondet rex, quod in d. artic. allegatio de hoc non agitur, et quod articuli, qui de hoc loquuntur, ad unguem obſerventur; ſuis tamen prudentibus ita viſum eſt, quod ſi prælatus aliquem ſecundum canones excommunicaverit in caſu, in quo ad eum ſpectat cognitio, et ſecundum juris ordinem procedit, et excommunicatus jam denuntiatus eſt, quod debet, à judicio repelli, quouſque abſolutus appareat, niſi probetur quod appellavit, et ſuam proſequitur appellationem.*

Ubi notandæ ſunt reſtrictiones illæ: *in caſu, in quo ad eum ſpectat cognitio:* et *niſi probetur quod appellaverit, et ſuam proſequitur appellationem:* ex quibus clare conſtat, loqui, ſive agi dumtaxat de caſu uſurpatæ juriſdictionis, quando cognitio ad regem ſpectat; et de caſu non receptæ, aut denegatæ appellationis, quando aliquis, illa non obſtante, excommunicatus eſt; proindeque de vi, aut oppreſſione *reſtricte*, et non *generaliter*, vel *abſolute*.

X. Confirmatur, 1. Ex reſponſione ejuſdem regis in primo artic. d. quartæ (non tertiæ) concordiæ: ibi, juxta ejuſdem relatoris verſionem, *Reſpondet rex, quod ubi eccleſia habet juriſdictionem cognoſcendi, et excommunicat pro ſuis juribus, ipſe obſervat illius mandata, et jubet, ut obſervetur ſuus ſecundus articulus Romæ editus.* Ad quod cit. Per. ibidem: *Aperte innuit, quod ad hoc ut rex non cognoſcat, oportet quod juriſdictio ſit eccleſiæ, et non excedat: quia tunc, tanquam ab abuſu, non remittit rex cognoſcendi facultatem.*

XI. Confirmatur, 2. expreſſius, Ex concordia regis Aldefonſi V. apud eund. Per. ibidem: *Huic articulo reſpondet rex, quod reges hujus regni ab antiquo obſervârunt, quod prælati illius nonnullos excommunicant in caſibus ad eos non pertinentibus, vel quando ab illis legitima erat interpoſita appellatio; quod faciebant animo propagandæ ſuæ juriſdictionis, magis ex proprio affectu, quam juris ordine procedentes: et, ut his malis remedium adhiberetur, ſancitum fuit inſimul cum prælatis regni ſui, quod tales chartæ expediri poſſent, ne à ſæcularibus judicibus arceantur à judicio, nec ab ipſis capiantur, aut alias ab illis pœnas, excommunicatis impoſitas, exigant, ſicut alias in ſuis articulis continetur, et ordinationibus: qui uſus ab initio fuit inviolabiliter obſervatus, quem ſic obſervari expedit pro ſervitio Dei, et bono communi ſui regni, in caſibus in eodem articulo expreſſis. Quando tamen appareat, tales chartas expediri non debere, ipſe prohibebit, ne expediantur. Quod ſi in aliquibus caſibus ipſe rex viderit, quod oportet ſcribere prælatis, vel eorum vicariis, ipſe ſcribet priuſquam ipſas chartas in forma juris expediat, ut ipſi oppreſſiones corrigant, aut oſtendant, quod rite et recte proceſſerunt; vel in ipſis chartis poterunt rationes exprimi ſupra poſitæ, quia, ſi aliter fiat, cum magno fiet detrimento eorum, qui eas expedierint. Quando autem rex viderit expedire prælatis ſcribere, id quidem faciet in duabus chartis, prout ipſi prælati expoſcunt, habita conſideratione loci, ubi prælati degunt, et diſtantiæ.*

Ubi maxime etiam notandæ ſunt reſtrictiones illæ: *Nonnullos excommunicant in caſibus ad eos non pertinentibus, vel quando ab illis legitima erat interpoſita appellatio:* ergo cum ex concordiis, et illa antiqua obſervantia allegata, ordinationis regiæ diſpoſitio deprompta eſt, et illæ non generaliter, vel abſolute, ſed reſtricte dumtaxat loquantur, tenendum firmiter equidem eſt, legis regiæ diſpoſitionem reſtrictam quidem, et non generaliter ſimiliter eſſe. Et certe Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. n. 64. exemplum ſupplicationis ad introductionem recurſus in nullo alio figurat, niſi in caſu denegatæ appellationis; et n. 19. aſtruit, quæ infra per extenſum ponitur, n. 2. c. 12. et antiquior praxiſta *Caminha* nil de hoc recurſu à judice eccleſiaſtico ad tribunalia ſæcularia agit, ut in toto ipſius parvulo volumine facili negotio reperietur.

XII. Et mehercle ſervitium Deo gratiſſimum fore reputo, ſi ſereniſſimi reges noſtrates expreſſo decreto juberent, ut in eorum regnis ſervaretur, quod in reliquis Chriſtianis obſervatur, non permittendo, nec admittendo recurſus ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæcularia tribunalia, prætextu oppreſſionis, aut violentiæ, niſi in caſibus appellationis injuſte non admiſſæ, vel naturalis defenſionis violenter denegatæ; quicquid in contrarium magiſtratus, doctoreſque laici reclamarent: non enim exteros reges catholicos et Chriſtianiſſimos, et eorum leges ſanctas, ac juſtiſſimas, imo et ipſorum regna ſancte, et recte moderata, præmiſſa non obſtante diſpoſitione ac moderatione, fateri dedignabuntur; et reges noſtros, ex novi iſtius abuſus introductione, ſanctiores, eorumque leges juſtiores, et tandem ipſorum regna feliciora, et æquiora proclamare audebunt.

XIII. Et quamvis partes, hac etiam data diſpoſitione, prius appellare, et poſtmodum recurſum interponere poſſent, ſi earum appellationes à judice eccleſiaſtico quoad utrumque effectum non reciperentur; attamen longe ſane minuerentur recurſus, et recurrentium proviſiones: tum quia generalis, et univerſalis violentiæ materia reſtringeretur tantum ad caſus juſtæ appellationis denegatæ, aut non admiſſæ; tum quia cum quamplures illarum appellationes notorie frivolæ ſint, ſaltem (ſi non recurſum) proviſionem excluderent; tum quia ſi appellatio doloſa foret, et malitioſa, ut plerumque accidere ſolet, vel ad correctionem vitandam, vel ad piorum legatorum ſatisfactionem demorandam, aut forſan nunquam exequendam, vel ad juſtum aliud procedimentum fugiendum, vel animo non proſequendi, ut plerumque fit, teſte Caſtr. Pal. de cenſ. bull. Cœn. diſp. 3. pu. 15. n. 8. cum ſolitis fatalibus tranſactis, et appellatione deſerta pronuntiata, iterum reus ſubjiceretur judicis eccleſiaſtici cognitioni, neque ejuſdem judicium, ac proceſſum abſolute eluderet, neque ſi denuo appellaret, et iterato ſecundum recurſum adiret, proviſionem utique obtineret, ex jam noto, et experto ejuſdem appellationis dolo, ac nequitia, non quidem ad præſidium innocentiæ, ſed ad injuſtitias, atque ad iniquitates fovendas, arreptæ; tum denique, quia prout ſic decentius, atque cohoneſtius regii magiſtratus procederent, et prælatorum eccleſiaſticorum juriſdictioni æquius conſuleretur, et ipſi à tam frequenti gravaminum, atque recurſuum pondere aliquantulum conquieſcerent, ac reſpirarent.

XIV. Concludendum igitur eſt, notoriam oppreſſionem ac violentiam, de qua loquitur regia ordinatio, eſſe quidem reſtrictam ex ejus mente ad caſum legitimæ appellationis injuſte denegatæ; et in hoc caſu dumtaxat, necnon in caſu non ſervati juris naturalis, vel regiæ juriſdictionis uſurpatæ, juxta ejuſdem legis apertiſſimam, et claram diſpoſitionem, patere aditum ad recurſum, ut notat Coſta de ſtyl. d. annot. 8. n. 19. de quo etiam cap. ſubſequenti latius, et reliquis infra proſequentibus.

XV. An vero univerſalis uſus jam praxi generaliter receptus in hoc regno Portugalliæ, et ejus conquiſtis, recurrendi ab omni violentia generaliter, tale recurſum licitum reddat, tam recurrentibus, quam de eo cognoſcentibus ac judicantibus, infr. c. 25. et ſeqq. ex profeſſo diſcutietur.

XVI. Unum tamen noto (inquit Fraſſ. de reg. patr. tom. 1. c. 40. n. 52.) in nullo neceſſitatis caſu licere recurſum interponere ad principem infidelem, atque ipſius ope uti, ut late fundat Cacheran. in diſput. poſt ſuas deciſiones edita per totam, Martin, Mager. de advocat. armat. cap. 7. n. 38. et ſeqq. et n. 121. et ſeqq. ubi ait de Franciſco I. Galliarum rege, de quo noviſſime Stephan. Nathen. de juſtit. vulnerat. 1. part. tt. 2. cap. 8. n. 3. ante fin. ita refert: Cum admiratione dolenter lego Franciſcum I. Galliarum regem, tantumque principem, morientem exclamâſſe, ſe periiſſe, quod voluerit eſſe fœderatus ei, qui hoſtis eſt Chriſtiani nominis: cardinali autem Guiſio ſuggerenti conſolationem, et ex Sacra Scriptura replicâſſe, omnem ſibi miſericordiam clauſam, qui ut æmuli ſui (ſcilicet Caroli V. imperatoris, et regis Hiſpaniarum) vel gloriam infuſcaret, vel vindicaret injuriam, fœdus pepegiſſet cum Turca, et Chriſtianorum capita, tanquam armenta, ad Mahometanos vivus videnſque paſſus fuiſſet abigi. Et additur, quod ejus poſteritas miſere extincta fuerit; quæ in honorem Chriſtianiſſimæ coronæ non referrem, niſi jamdudum ante ab aliis relata fuiſſent. Hæc Nathen.

CAP. XII.

Quid, et Quotuplex ſit Violentia notoria.

SUMMARIUM.

I. *An differant oppreſſio, et violentia notoria?*
II. *Recte reſolvitur à Per. de man. reg.*
III. *Aliqualis diſcrepantia in auctoritate* Coſtæ.
IV. *Quid intelligat nomine* ſpolii.
V. *Omnes prærequirunt* violentiam notoriam, *ſed fere omnes non explicant quid ſit* violentia, *et quid* notorium.
VI. *Utriuſque definitio deducitur ex jure can.*
VII. *Et ex Donato, et aliis.*
VIII. *Improbatur Guerr. dicens* notorium *et* publicum eſſe ſynonyma in jure.—*Convincitur ex jure eſſe diverſa, et* ex fama oriri publicum, non ſic vero notorium.
IX. *Allegantur text. juris canonici.*
X. *Gloſſa in c. 1. de offic. deleg. in* 6. *requirit tergiverſationem* probabilem *ad celandum factum, non ſic in reliquis textibus.*
XI. *Violentia ex regia lege ad fundandum recurſum debet eſſe patens, et evidens, et minime dubia, aut tergiverſatione aliqua, ſaltem probabili celabilis.*
XII. *Confirmatur à notorietate percuſſoris clerici, ut ſit vitandus.*
XIII. *Omnia fere jura ad inducendum notorium ſolam tergiverſationem ſimpliciter, abſque qualitate illa* probabilitatis, *expreſſe excludunt.*
XIV. *Ad offuſcationem, ſeu ad celabilitatem notorietatis, ſufficit, quod aliquo juris ſuffragio excuſari poſſit.*
XV. *Quotuplex ſit* notorium.
XVI. *Quæ ſententiæ, et confeſſio notorium non faciant.*
XVII. *Notorium* facti *triplex, videlicet* tranſeuntis, permanentis, *et* interpolati.
XVIII. *Etiam Per. de man. reg. pro fundamento recurſus requirit talem notorietatem, quæ nullatenus dubia ſit, de qua judex regius prius cognoſcere, et certiorari debet.*
XIX. *Qua ponderatione, ac circumſpectione regii magiſtratus circa hoc ſe gerere debeant.*
XX. *Ratio* à priori, *cur ſola violentia undiquaque notoria prærequiratur ad licite fundandum recurſum.*
XXI. *Alia ratio ex exemptione, et immunitate perſonali.*
XXII. *Alia ex proceſſu per viam facti, et ex jure defenſionis naturalis.*
XXIII. *Evidentia, et notorietas eſt de ſpecie* boni, *proindeque ex* integra cauſa; *dubietas vero, et obſcuritas eſt de ſpecie* mali, *proindeque ex* quocunque defectu.
XXIV. *Etiam reo ſufficit offuſcare probationes actoris, ut cauſam dubiam reddat.*
XXV. *Ut quis agere licite contra notorium privilegium canonis, clericos impune percutiendo, requiritur notorietas undiquaque oppreſſionis contrariæ, et nullatenus excuſabilis.*

I. GABRIEL Pereira de man. regia, c. 8. ait, notoriam oppreſſionem, et notoriam violentiam non differre in ſubſtantia, ſed in modo procedendi et cognoſcendi. Nam vis, aut violentia, per ſe ſumpta, ſemper denotat actum injurioſum, cui occurri poſſit; non ſic oppreſſio, quæ aliquando erit juſta, et non notoria (ſed contra, quia etiam violentia aliquando erit juſta, quando ſcilicet vi vis alia repellitur, et in defenſionem proceditur). Aſt concludit, in utroque caſu notorietatem requiri. Quo non obſtante, et recta regiæ legis conſtructione, dubitant aliqui, an qualitas *notorii* expreſſa in *oppreſſione*, repetenda etiam ſit, ex mente, et recta dictæ legis ſyntaxi, ſive conſtructione, in *violentia*; ita verba illa, *Notoria oppreſſao, ou força*, id eſt, *Notoria oppreſſio, aut violentia*, concipienda utrobique ſint cum eadem qualitate *notorii*, videlicet, *notoria oppreſſio, ſeu notoria violentia.*

II. Hoc dubium etiam recte reſolvit idem Per. c. 7. n. 2. dicens: illud verbum, quo lex regia utitur, *ou força*, debet accipi cum repetitione notorii, prout prædixerat, in violentia, in qua deſiderat notorietatem, quia cum alternative oratio concepta ſit, *notoria oppreſſao, ou força*, cum eadem qualitate *notorii* accipi debet, et ponitur pro *ſive* apud Calliſtratum, l. *Debitoribus*, 31. ff. re judic. leg. *Quia abſente* 4. c. de procur. Julian. in leg. *Eum, qui*, 56. § Qui ſibi, ff. de verbor. obligat. ubi Bart. Bald. Alex. Alciat. et comprobatur hic ſenſus, quia ad licitum uſum defenſionis in materia eccleſiaſtica, requiritur actualis violentia, quæ ſit clara et manifeſta; cum enim contentio ſit inter ſubditum ſæcularem, et prælatum, vel ſuperiorem eccleſiaſticum, ideo oportet, ut ſit violentia patens, et clara; quia, ſi res fuerit dubia, ſemper pro ſuperiori erit præſumendum, cap. *in præſentia*, de renunt. cum vulgar. quia alias magiſtratus, vel princeps ſæcularis vim inferret, privando eccleſiaſticum poteſtate, quam habet in ſuos ſubditos, quando caſus eſſet dubius; nec ſufficiet probabile judicium, vel inniti aliquorum doctorum auctoritate, eo caſu dari violentiam aſſerentium, niſi certum ſit illam dari, et nullam opinionem contrariam probabilem eſſe.

Et quoad hanc requiſitam notorietatem, ſive claritatem, atque evidentiam, idem ſtatuerat, terminis fere identicis, c. 4. n. 11. in fine, ut conſpicere, ac conferre licebit. Et ulterius claire probabatur reſolutio ex illa conjunctione, ſeu disjunctione *aut*, ſive *vel*; quæ licet ſint alternativæ, aliquando ſunt copulativæ et declarativæ, atque adeo repetitivæ earundem qualitatum, de quo v. Barb. de dictionibus.

III. Noto tamen aliqualem diverſitatem in citata auctoritate Coſt. de ſtyl. d. n. 19. ubi ſic: *De gravaminibus autem ab eccleſiaſticis in caſu notoriæ oppreſſionis, ſeu ſpolii, aut non ſervati juris naturalis,* in

in quibus princeps, tanquam rex et dominus, tenetur ſubditis ſuccurrere, proſequitur ord. reg. d. tit. 9. § 12. *et lib.* 1. *tit.* 12. § 6. *et* 7. *Senator Cabed.* 2. *par. deciſ.* 119. *Aviles ad cap. Prætorum, cap.* 3. *verbo Juriſdicion. et in cap.* 20. *gloſſ. Uſurpan. cum ſeqq. erudite Bobadilla in ſua politica, lib.* 2. *cap.* 19. &c. Et n. 48. ſic effatur: *Unde etiam in caſu ſpolii contra inauditum ab eccleſiaſtico commiſſi, competens eſt judex regiæ coronæ, ex d. ordin. tt.* 9. § 12. *et l.* 2. *tt.* 1. § 2. *Vallaſc.* 1. *tom. conſ.* 11. *n.* 2. *et conſ.* 43. *n.* 4. *et* 11.

IV. Ubi notanda ſunt verba illa: In caſu notoriæ oppreſſionis, ſeu ſpolii, aut non ſervati juris naturalis. Ex quibus ſatis deducitur, 1. Hunc auctorem practicum in particula *oppreſſione*, ſubintelligere ſynonymum aliunde appoſitum in regia lege; nempe, *aut violentia*; et per particulam *ſpolii*, videtur uſurpare ipſammet regiæ juriſdictionis uſurpationem; ſpolium namque eſt *alienæ rei uſurpatio*, quod confirmare videtur citatio ord. l. 1. tt. 9. § 12. cit. n. 48. in qua agitur de hac uſurpatione. *Niſi forſan mavis*, cum Peg. gl. 16. n. 25. *hunc A. intelligere hic ſpolium* ſtricte, de quo reg. ord. l. 2. tt. 1. § 2. et l. 3. tt. 40. et l. 4. tt. 58. Aſt de ſpolio commiſſo à parte, non agitur via extraordinaria recurſus, ſed via ordinaria: et licet à judice eccleſiaſtico ſpoliante partem de facto detur recurſus ſtricte, quando ſcilicet ſpoliat cum notoria oppreſſione, Portugal. tom. 2. c. 31. n. 15. remanet iſte caſus in terminis primi: quod etiam probatur ex ord. l. 2. tt. 1. § 2. cit. d. n. 48.

V. Deducitur, 2. etiam juxta mentem iſtius praxiſtæ, in præmiſſo triplici caſu dumtaxat, poſſe intentari gravamen, aut recurſum à judice eccleſiaſtico ad regia tribunalia; et in caſu oppreſſionis, ſeu violentiæ, prærequiri omnino, ut ipſa *notoria* ſit, et *manifeſta*. Attamen cum prærequiſitum hoc ſit de mente DD. omnium ſuper materia hac ſcribentium, neque cit. Peg. neque Per. neque Themud. neque Portugal. de donat. reg. neque Oliv. de for. eccleſ. (Guerreiro excepto de recuſat. l. 4. c. 8. n. 88.) neque etiam ex Hiſpanis Cevall. aut Salgad. Seſſe, et alii formalem definitionem *violentiæ notoriæ* apponunt, aut adhibent; hac de cauſa aliunde expetenda eſt. Nam utriuſque rei, videlicet tum *violentiæ*, tum qualitatis *notoriæ*, eſſentialis ſtabilitio, et baſis fundamentalis, et clavis veluti regia, ac magiſtra incedit ad omnes difficultates in hac recurſus materia facillime aperiendas, atque enodandas.

VI. Igitur *violentia*, et *injuria manifeſta*, aut *notoria*, illa eſt, *quæ nulla poteſt probabili tergiverſatione celari*. Ita Donat. pract. regular. tr. 17. *de conſervatoribus*, q. 8. n. 10. ex c. *Ex parte*, de verbor. ſignificat. et c. ult. de cohabit. cler. et mul. et docet gloſſ. in c. 1. de offic. jud. deleg. in 6. verb. *Conſervatores*. *Quandoquidem illud dicitur manifeſtum, quod per facti evidentiam; ita notorium eſt, ut examinatione non indigeat; vel, ſi indigeat, poteſt tamen probari clare, et certitudinaliter, per multos teſtes, et ita quod negari non poſſit, Tuſch. ver. Manifeſtum, concluſ.* 71. *n.* 7. *Joan. Monach. in d. cap.* 1. *de offic. jud. deleg. Rodr. tom.* 1. *q.* 65. *ar.* 11. *Miranda, tom.* 2. *Manuel. q.* 47. *ar.* 7. *concluſ.* 1. *et egomet dico ſupra in tract.* 13. *de exempt. religioſ. q.* 47. *ubi late habes, quid ſit notorium crimen, et quod perſonæ requirantur ab faciendum notorium facti, et quomodo probandum.*

Loco autem cit. d. q. 49. tr. 13. n. 5. ipſemet Donat. explicans quid ſit notorium, ſic ait: *Notorium eſt illud, quod non poteſt ulla tergiverſatione celari; ſeu eſt illud, quod omnibus immediate evidenter apparet: ideoque non poteſt dici notorium, ubi cadit juſtus error, ſeu dubitatio. Bart. in l. Omnes, c. de agricolis, et cenſ. lib.* 11. *Alii idem dicunt per diverſa, quod notorium dicitur, quod eſt extra omnem juris dubitationem; quod enim poteſt in dubium refricari, nullatenus poteſt dici notorium.*

VII. Donato adhæret Guerr. cit. n. 88. ibi: *Manifeſta, notoria, evidentia, et publica ſunt ſynonyma, et fere pro eodem jure accipiuntur, niſi materia ſubjecta, aut mens diſponentis repugnent, ut probant text. in cap. Manifeſta,* 2. *q.* 1. *cap. Evidentia, cum ibi notatis de accuſationibus, cap.* 1. § *Sane, verſ. Notoria de cenſibus, lib.* 6. *cap. Ad noſtram*, de jurejurando, cap. ab eo 31. ibi gloſſ. de electionibus, lib. 6. Barb. et cæteri ordinarii in dictis juribus, et in dicto cap. *Romana*, n. 3. ubi alios citet Barb. et intelligunt illa, *quæ notoria ſunt*, et patentia, et quæ *nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt*, ut probant ſupra citata jura, et text. in cap. ult. de cohabitatione, cap. Cum olim 24. de verborum ſignificatione, in quibus nulla probatione, ſeu examine opus eſt, docent Barb. in dicto cap. *Romana*, num. 2. et 3.

VIII. Non approbo tamen, quod dicit Guerr. *Notorium*, ſcilicet, et *publicum* in jure ſynonyma eſſe. Nam gl. in d. c. *Manifeſta*, ſic recitat: *Scias ergo, quod aliud eſt fama, aliud notorium. Ex fama autem oritur publicum, non ſic vero notorium.* Et curſus mor. Salmat. tom. 4. de priv. regul. c. 4. pu. 1. n. 26. et ex eo Lacr. l. 6. p. 2. n. 1656. tenet, *publicum eſſe, quod ſcitur ſaltem à decem perſonis viciniæ: notorium vero, quod coram majore parte communitatis factum eſt: nam ſi ad illius notitiam alio modo pervenerit, dicetur famoſum, vel manifeſtum, non vero notorium.*

IX. In cit. autem c. ult. *A nobis*, de cohabit. cler. et mulier. ſic ſancitur: *Etiam in caſu propoſito ſuſpenſus non eſt, niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu confeſſionem factam jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.* Ubi gloſſ. verb. *Sententiam* definitivam requirit, ad conſtituendum notorium.

Conſonat c. *De manifeſta*, 2. q. 1. ibi: *In qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen.* Ubi gloſſ. *Tergiverſatione*, id eſt, *diſſimulatione.* Et c. *Cum olim* de verb. ſignif. ibi: *Offenſam illam nos reſcribimus intelligere manifeſtam, quæ vel per confeſſionem, vel probationem legitime nota fuerit, aut evidentia rei, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari.*

X. In c. vero 1. *Statuimus*, etiam cit. de offic. deleg. in 6. ſic decernitur: *Ut conſervatores à manifeſtis injuriis, et violentiis defendere poſſint.* Ubi gloſſ. verb. *Conſervatores: Intellige manifeſta illa, quæ notoria ſunt, et ita patentia, quod nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt*, ut de verbor. ſignific. *ex parte* in antiq. et c. ult. de cohabit. cler. et mul. *Sed quid, ſi negetur offenſa notoria? Negatione videtur fieri res dubia.* Cod. quib. *ad lit. proclam. non lic.* l. 2. &c.

Præcit. autem c. ex parte 1. de verbor. ſignif. ſic habetur: *Si offenſa eſt manifeſta, non credimus ſatisfieri congrue, ut relaxetur ſententia, niſi prius ſufficiens præſtetur emenda. Si vero dubia eſt ſententia, ſufficere credimus ad relaxandam eandem.*

XI. Ex quibus juribus, et doctrinis, ſat evidenter probatur ad conſtituendum *notorium*, prærequiri omnino talem evidentiam, quæ tergiverſatione aliqua, ſaltem probabili, celari non poſſit. Quibus etiam inhærendo DD. omnes, etiam regnicolæ, aperte fatentur, et ſtatuunt, violentiam illam, quæ ex regia ordinatione ad regia tribunalia fundat recurſum, debere eſſe claram, patentem, manifeſtam, et evidentem, ut expreſſe Per. de man. reg. cit. c. 7. et 4. n. 11. ibi: *Oportet oppreſſionem, ſeu violentiam eſſe notoriam, patentem, quæ celari nequeat, aut effici dubia.* Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. Portugal de Donat. reg, tom. 2. c. 31. n. 13. et ſeqq. Themud. et alii. Et non quomodocunque, ſeu aliqualiter notoriam, ſed undiquaque, et ex omni parte manifeſtam, notoriam, atque evidendentem; alias dubia remanebit. Et ratio à priori eſt, quia notorium, et evidens eſt de ſpecie boni; dubium vero de ſpecie mali: *Bonum autem non niſi ex integra cauſa*, juxta vulgare axioma, cum *malum ex quocunque defectu* reſultet.

XII. Confirmatur efficaciter à paritate notorietatis, aut etiam publicitatis percuſſoris clerici, qui ut vitandus ſit, requiritur, juxta declarationem Concilii Conſtantienſis, an. 1414. celebrati, conſimilis notorietas, nulla tergiverſatione celabilis, ut patet ex verbis ejuſdem concilii tranſcriptis à Pal. decenſ. diſp. 2. pu. 4. n. 7. et Pignat. tom. 10. conſ. 115. n. 49. et Lacr. c. 2. n. 129. ibi: *Salvo, ſiquem pro ſacrilega manuum injectione in clericum, ſententiam latam à can. adeo notorie conſtiterit incurriſſe, quod factum non poſſit tergiverſatione aliqua celari, neque aliquo ſuffragio juris excuſari.*

XIII.

XIII. Ubi notandum, 1. Neque in hac conciliari declaratione, neque in diſpoſitione cit. c. ult. de cohabit. cler. et mul. neque in cit. c. *De manifeſta*; et c. *Cum olim*, requiri qualitatem illam *probabilitatis* tergiverſationis, quam requirit cit. gl. in præmiſſum c. *Statuimus*, de offic. deleg. in 6. verb. Conſervat. ibi: *Nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt*; ſed abſolute decernunt: *Tergiverſatione aliqua celari non poſſit*: ex quo colligi videtur, ad offuſcandam notorietatem illam, ſufficere quamlibet tergiverſationem celantem; ut etiam ſupponit cit. Per. c. 11. quatenus ſimpliciter ait: *Violentiam notoriam, patentem, quæ celari nequeat.*

XIV. Notandum, 2. pro infra dicendis, ſufficere etiam ad eandem offuſcationem, ſive ad reddendam illam notorietatem celabilem, et illius cenſuræ incurſionem dubiam, quod juris aliquo ſuffragio excuſari poſſit, ut ex ſuperius traditis convincitur, et ex eod. Per. ibid. et c. 7. n. 2.

XV. Porro *notorium* duplex eſt, juris, ſcilicet, et *facti*. Notorium *juris* (ait Donat. cit. n. 10.) juxta veriorem ſententiam eſt ſolum, quando conſtat, vel ex confeſſione rei ſpontanea in judicio facta, vel per ſententiam definitivam; et habetur expreſſe in cap. *Quæſitum* 10. de cohabit. cler. et mul. et habetur etiam in cap. *Cum dilectus*, de ordin. cogn. cap. *Denique*, de exception. D. Thom. in 4. ſenten. diſtinct. 12. q. 82. ar. 9. ad 3. et Domin. Soto, tom. 1. in 4. diſtinct. 12. q. 1. art. 6. poſt primam concluſ. ver. *Ambiguitas ergo*; et Navarr. in d. ſum. cap. 25. n. 73.

XVI. Hinc infertur (proſequitur) quod ſententia contumacialis non facit notorium, nec illa, quæ non tranſit in rem judicatam, nec ea, de qua fuit appellatum, nec ſententia condemnationis ex præſumptivis, nec confeſſio facta vi tormentorum, nec convictio, ſeu plena probatio per teſtes in judicio, niſi ſequatur ſententia; Covar. lib. 3. var. reſolut. cap. 3. n. 4. clarus in § *Uſura*, n. 5. et alii plures, quos allegat P. Theſaur. 1. p. prax. cap. 21. ubi multa colligit, et in 2. p. ver. *Uſura*, cap. 7. *Item manifeſtus eſt*; et Sylv. ver. *Notorium*, q. 1. in fine, de qua notorietate, Concil. Trid. in d. cap. 14. ſeſſ. 25. de regul. non loquitur.

Notorium vero *facti* illud dicitur eſſe, quod exhibet ſe, et offert oculis omnium, ita manifeſte, ac evidenter, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, ut dictum eſt, ex cap. *Tua*, de cohabit. cleric. et docet gloſſ. 2. q. 1. can. de monop. et eſt deciſio Concilii Conſtantienſis, qua voluit, ut notorie clerici percuſſor evitetur ubique, declarans *factum notorium*; ait, *illud eſſe, quod nulla poteſt tergiverſatione celari, nec aliquo juris remedio excuſari*, Syl. ver. *Manifeſtum*, et late ver. *Notorium*, q. 1. Jacob. Graff. deciſ. aur. p. 1. lib. 4. cap. 11. n. 10. de publico clerici percuſſore. Avilla, 2. p. cap. 6. diſp. 2. dub. 4. § *Tertio ſequitur*; et Paul. Layman. l. 4. tract. 3. p. 2. cap. 3. *de juſta læſione famæ*, n. 7. q. 3.

XVII. Hoc tamen *notorium facti* poteſt eſſe *triplex*; *primo*, *facti tranſeuntis*, uti eſt vox præconis blaſphemantis in platea Deum, vel Beatiſſimam Virginem, quæ quidem blaſphemia tranſiit, et non permanet; *ſecundo*, *facti permanentis*, ut vulnus homini notorie illatum, quod permanet; *tertio*, denique, facti *interpolati*, ut frequentatio domus meretricis, quæ licet ſit notoria, non tamen eſt continuata, nec ſemper peccatur, Sylv. ver. *Notorium*, q. 2. ſpecul. lib. 3. rubr. de not. crim. § 8. n. 1. Farin. in praxi, q. 21. et alii, quas allegat Peyr. in ſuo formul. prælat. cap. 17. n. 1. Hæc Donatus cit.

XVIII. Cui cohærens Per. cit. c. 7. n. 2. et c. 4. n. 11. pro fundamento recurſus requirit talem violentiæ notorietatem, quæ nullatenus dubia ſit, et quæ omnem etiam probabilitatem in contrarium excludat, et nullo modo celari queat; et quod judex regius prius de qualitate notoriæ oppreſſionis, à qua juriſdictionem accipit, cognoſcere debeat, quam circa merita cauſæ ſe ingerat, ut videre eſt loc. cit.

Ex dictis ſatis conſtat qualis, et quotuplex ſit violentia notoria, notorietate juris, aut facti; et quod omnis violentia, quæ aliqua tergiverſatione celari, vel juris ſuffragio, aut remedio excuſari poſſit, notoria non ſit, et hujuſmodi qualitatem exuat; proindeque omnem violentiam, aditum ad recurſus ab eccleſiaſticis ad regia tribunalia ſæcularia fundantem, ita claram, patentem, manifeſtam, atque evidentem eſſe omnino debere, ut nulla, ſaltem probabili, tergiverſatione celabilis ſit, nulloque juris remedio, aut ſuffragio excuſabilis evadet.

XIX. Videant ergo bene, et recte perpendant, ac præponderent rectiſſimi, et prudentiſſimi regii judices, et reliqui magiſtratus, an tot frequentes, multiplicesque affectatæ violentiæ, et oppreſſiones, de quibus partes adverſus eccleſiaſticos prælatos, ac judices paſſim, et inordinate conqueruntur, ac recurrunt, de jure, vel de facto, modo prædicto, celabiles, aut excuſabiles ſint, necne? Et an, hac intercedente excuſatione, et tergiverſatione, illis occurrere debeant, ac providere?

XX. Ratio autem à priori, cur ſola violentia ita qualificata, videlicet, *undiquaque notoria, patens, et evidens*, eſt quæ ſternit viam ad recurſum, et illius licitudinem fundat, et quod prius debet juſtificari, ut tenet Per. infr. cit. et c. 7. hæc eſt: 1. Quia, ut ait Per. cit. c. 4. n. 11. *qualitas eſt fundamentum judicii*, ut per DD. in l. 2. ff. ſig. in jus voc. ubi Roman. n. 10. Gramm. conſ. 1. poſt dec. 105. n. 53. de quo latius idem Per. ad ordin. l. 2. tt. 1. § 5. et 6. Nam cum juriſdictio judicis ſæcularis reſpectu clericorum, et cauſarum eccleſiaſticarum, odioſa quidem ſit, imo et injurioſa, ſeu contra jus, prius conſtare debet de qualitate notorietatis illius, quæ illius juriſdictionis exercitium fundat, et quæ recurſui, et huic extrajudiciali judicio januam aperit. Unde idem Per. cit. § 5. ſub n. 3. c. 26. ita ait: *Tertio tandem, ut requiratur notorietas qualitatis propoſitæ, ut in conſervatore, cujus juriſdictio, cum odioſa ſit, et ad notorias violentias, juxta c. 1. de offic. deleg. et c. ult. eod. tt. in 6. ſemper requiritur, ut illa qualitas, quæ juriſdictionem tribuit, notorie exiſtat.*

XXI. 2. Quia exemptio, et immunitas perſonarum, ac rerum eccleſiaſticarum à ſæculari judicio, et incompetentia laicorum judicum erga illas, eſt undiquaque ſatis notoria, clara, et evidens; vel immunitas illa ſit de jure naturali divino, vel de eccleſiaſtico poſitivo dumtaxat, de quo ſuperius, prælud. 3. et 5. Atqui quod eſt *undiquaque* evidens, clarum, et notorium, non poteſt vinci (imo neque æquari) niſi ab alia conſimili evidentia, et notorietate, imo *à majori*, ut ab ea ſuperetur: nam *actio ſemper eſt à vincente*: ergo, ut in ſæculari judicio agi poſſit contra exemptos illos, non obſtante illorum notoria immunitate, alia ex adverſo notorietas, et evidentia requiritur, quæ vel primam ſuperet, vel ſaltem adæquet.

XXII. 3. Quia, cum judices regii nequeant in hoc recurſu procedere juriſdictionaliter, aut ſuperioraliter, niſi indirecte, et per viam facti, adverſus judices eccleſiaſticos ex jure naturalis defenſionis, reſultante in illis, ex contraria gravatorum oppreſſione; ut oppreſſi poſſint licite agere adverſus notorium illud jus perſonarum, ac rerum eccleſiaſticarum, à ſæcularium judicum cognitione evidenter immunium; et ut regii judices licite valeant ſe in illius violenti facti cognitionem ingerere; debet prius evidenter etiam conſtare, quod in eo caſu jus naturale defenſionis prævaleat juri etiam naturali, aut poſitivo exemptionis eccleſiaſticorum; proindeque notorietas illius violentiæ debet eſſe undiquaque clara, et evidens.

XXIII. Nam (eſt quartum fundamentum) cum evidentia, claritas, et notorietas, ſint de ſpecie boni; et è contra dubietas, obſcuritas, et tenebroſitas ſint de ſpecie mali: utique ſicut illæ non niſi *ex integra cauſa*, et ex omni parte, conſtare debent; ita hæ *ex quocunque defectu* reſultare, et illas vitiare, ac deturpare, ſive offuſcare valebunt; juxta proloquium: *Malum ex quocunque defectu*; *bonum non niſi ex integra cauſa.*

XXIV. Unde card. Deluc. docet, *Sufficere reo offuſcare probationes actoris, ut cauſam dubiam reddat, et illius intentionem, atque actionem eludat, ac elidat*, de judic. diſc. 2. n. 18. Boſc. a. 1. n. 1. De emphyt. diſc. 15. n. 9. de ſuſcept. diſc. 48. n. 4. de teſtam. diſc. 6. n. 5. imo etiam, *ut in cauſa actorem vincat, et judicetur abſolute, jus actori in ea non aſſiſtere.*

Idem

Idem de fideic. diſc. 11. n. 15. de benef. diſc. 3. n. 6. diſc. 5. ex n. 5. diſc. 15. n. 6. et 7. diſc. 22. n. 9. diſc. 13. n. 11. in fine de paroch. diſc. 23. n. 11.

XXV. 5. Quia, ut licite quis agere poſſit de facto contra notorium privilegium canonis clericorum, eos licite percutiendo in defenſionem, requiritur notorietas oppreſſionis, et violentiæ contrariæ undiquaque, et nullatenus celabilis, aut excuſabilis, cum moderamine inculpatæ tutelæ; videlicet, quod alias vis, aut oppreſſio, commode ſaltem, repelli non poſſet, ut in ſexdecim caſibus, de quibus Monacell. 3. p. form. 2. tt. 1. n. 14. ergo ſimiliter, ut licite agere queat de facto per viam recurſus contra notorium privilegium fori eorundem, in eadem immunitate fundatum, ac per conſequens, &c. et de hoc fortaſſis iterum infr. cap. ſeq. et c. 14.

6. Denique pro violentia notoria ex parte ſuperiorum in ſubditos procedentium, facit ratio etiam à priori à Per. ſupra attacta, c. 7. n. 2. quia, ſcilicet, cum contentio ſit inter ſubditum ſæcularem, et prælatum, vel ſuperiorem eccleſiaſticum, ideo oportet, ut ſit violentia patens, et clara; quia, ſi res fuerit dubia, ſemper pro ſuperiori præſumendum, c. *In præſentia* de renunt. quia alias magiſtratus, vel princeps ſæcularis, vim inferret privando eccleſiaſticum poteſtate, quam habet in ſuos ſubditos, quando caſus eſſet dubius, juxta extenſa ſupr. n. 2. Nam juriſdictio prælati eſt notorie certa abſolute. V. cit. Per.

CAP. XIII.

De Licitudine Recurſus ex titulo Notoriæ Violentiæ interpoſiti.

SUMMARIUM.

I. *Licitudo recurſus ex parte recurrentium, et judicantium.*
II. *Laudatur Salgad. quoad aliquas probationes, et rejicitur quoad comprobationem* ex reſiſtentia *D. Michaelis in Luciferum.*
III. *Quid ſit* vis: *Et ex* majori impetu, *quem dicit formaliter, retunditur Salgad.*
IV. *Rejicitur etiam Cevall. comprobatio ex Moſe licite occidente Ægyptium.*
V. *Et refellitur ex Aug. et aliis.*
VI. *Deberet Moſes debitum ſervare moderamen.*
VII. *Pereiram de man. reg. etiam redarguit Peg. et Ubert.*
VIII. *Aliorum placita.*
IX. *In caſu violentiæ* undiquaque *notoriæ, et evidentis, licite recurritur ad regem* in ſubſidium.
X. *Cuilibet privato licet vim vi repellere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.*
XI. *Et potiori jure licebit recurrere ad regem, cujus officium eſt liberare vi oppreſſos.*
XII. *Conſonat jus civile; et decentius, ac modeſtius, recurritur ad regem pro pulſanda violentia, quam propria auctoritate privatim providendo.*
XIII. *Manca et clauda procederet regia et temporalis juriſdictio, ſi ſaltem indirecte providere non poſſet adverſus clericos violentos, licet notorie exemptos.*
XIV. *Quod et exemplo Salomonis comprobatur.*
XV. *Et ex Chriſti Domini monito ad Seraphicam Tereſiam.*
XVI. *Et à paritate licite percutientis clericos notorie immunes in multiplici caſu.*
XVII. *Et ex can.* 15. *bullæ Cœnæ.*
XVIII. *Recurſus eſt remedium extraordinarium, et ſubſidiarium, et non niſi in ſubſidium, atque in defectum remediorum ordinariorum, licite intentandus.*
XIX. *Data licitudine recurſus pro violentia* undiquaque *notoria, et nullatenus excuſabili, regii magiſtratus, ad id ſpecialiter deputati, licite cognoſcunt per viam facti extrajudicialiter.*
XX. *Hanc licitudinem recurſus generaliter non recte probant aliqui ex bulla* Apoſtolicæ *Martin.* V. *ſed tantum reſtricte ad tuitionem, et conſervationem poſſeſſionis beneficialis.*
XXI. *In hoc caſu reſtricto approbat recurſum S. Rotta, et DD. canoniſtæ.*
XXII. *In caſu violentiæ, non* undiquaque *notoriæ, et evidentis, et aliqualiter jure, vel facto celabilis, illicitus eſt recurſus tum recurrentibus, tum providentibus.*
XXIII. *Sola violentia evidens fundat de jure, et de facto, licitudinem recurſus, tam recurrentibus, quam cognoſcentibus.*
XXIV. *Violentia probabilis eſt dubia, proindeque non notoria; et multo magis, ſi pro ea adſit probabilis opinio.*
XXV. *Violentia, quæ aliqua tergiverſatione, ſaltem probabili, celari poteſt, non eſt patens, et manifeſta.*
XXVI. *Quod ex jure ipſo comprobatur.*
XXVII. *Et à paritate notorietatis publici clerici percuſſoris, ut vitandus reputetur.*
XXVIII. *Ut quis licite vi repellere poſſit vim clerici opprimentis, requiritur talis notorietas oppreſſionis violentæ, quæ prævaleat practice notorietati immunitatis clericalis.*
XXIX. *Licitudo recurſus eſt materia opinabilis, et interpretationis ſtrictæ; proindeque in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis decidenda.*
XXX. *In bulla Cœn. excommunicantur tam recurrentes, quam cognoſcentes extra caſum violentiæ non undiquaque notoriæ.*
XXXI. *Et qui judices eccleſiaſticos, etiam indirecte, et quomodolibet impediunt, quo minus ſua juriſdictione eccleſiaſtica utantur.*
XXXII. *In licitudine recurſus pugnant diverſa jura reciproce, videlicet, jus notoriæ immunitatis eccleſiaſticæ, et jus naturalis defenſionis; quod quidem, ut contrarium vincat, evidentius eſſe debet practice.*
XXXIII. *Recurſus, et conſuetudo in illo fundata, ſtricte quidem, et minime amplianda.*
XXXIV. *Argumenta contra licitudinem recurſus, etiam ſtricti, remiſſive.*

I. LICITUDO, ſeu illicitudo, in præſenti recurſu, vel dari poteſt ex parte recurrentium, vel ex parte judicantium, ac providentium; proindeque de utriſque inpræſentiarum agendum eſt, juxta diverſa doctorum placita.

II. D. Franciſcus Salgado de Somoſa, natione Gallæcus (ut de ſeipſo teſtatur) p. 1. prælud. 1. de reg. prot. hanc licitudinem recurrendi ad reges in caſibus notoriarum violentiarum probat à paritate recurſus ad Deum, cujus poteſtatem in reges ab illo derivatam agnoſcit, et probat multiplici ex Scripturiſticorum Sacrorum textuum conglobatione, et recte ex illo Iza. 38. *Domine, vim patior; reſponde pro me.* Et ex illo, Pſ. 34. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum, et pauperem, à diripientibus eum.* Et ex illo ad Rom. 13. 1. *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Et ibid. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit.* Cui quidem ſuperaddi poteſt Abac. 1. 2. *Vociferabo ad te vim patiens, et non ſalvabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, et laborem, videre prædam, et injuſtitiam contra me? . . . . . Quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egredietur judicium perverſum,* &c.

Quatenus vero idem Salgad. ibid. n. 41. conatur adducere in paritatem, *reſiſtentiam* ſupremi principis angelorum D. Michaelis in Luciferi violenta ſuperbia propulſandæ; mihi videtur impropria, et minus apta ſubjecto recurſui adaptatio: in illo namque nec Deus ipſe ad Michaelem, quaſi ad ſuperiorem recurrit, aut refugit; nec à creatura aliqua poteſt Deo *ſtricte* violentia inferri; et multo minus oppreſſio, reſpectu illius, etiamſi omnium creaturarum collectio in eum conſpiraret, conſiderari poteſt; nec Deus ipſe impo-

tens incedebat ad illam quaſi violentiam propulſandam, ac tollendam; nec in ea, ut ſibi facillimo negotio, ac nutu conſuleret, atque provideret, vires ſuppetebant; neque aliæ imperfectæ circumſtantiæ, quæ in refugiis aut recurſibus vaſſalorum ad principes temporales intercedere ſolent, reperiebantur, ut clare conſideranti relucebit.

III. Et tandem, ut tenet Alex. Scot. in ſuo vocabular. utr. jur. verb. *Vis: Vis eſt rei majoris impetus, qui repelli non poteſt, vel cui reſiſti non poteſt (Supple) commode*, ff. *quod vi, met. ve cauſ.* l. 1. et 2. Vis autem aut violentia Luciferi non erat major reſpectu virtutis Dei, et commode et abſolute repelli poterat, et eidem reſiſti. Deinde *violentia eſt vi illata oppreſſio*, ut infr. c. 17. ſtatuetur: implicat autem oppreſſio creaturæ in Deum.

Cevall. autem de cognit. per vi. violent. cum primum fateatur, ut in monito notat Aguero, hanc regiorum magiſtratuum cognitionem non eſſe juriſdictionalem, ſed œconomicam dumtaxat, et qualem exercet pater in familiam, filios, et ſervitia; qualemque exercuit Moſes, dum privatus Ægyptium Judæo inſultantem occidit: ex ipſo Moſis facto, ad violentiam illius inſultationis tollendam, comprobare, et confirmare ſibi perſuadet præſentis recurſus licitudinem.

IV. Sed contra, 1. Quia, ut cum D. Aug. D. Thom. Rupert. et aliis, tenet Alap. in Exod. 2. 11. Moſes id fecit ex inſpiratione divina, à quo auctoritatem adeptus erat: movebat enim Deus Moſen ad hanc cædem, ut vindicem ſui populi agere inciperet, et publicum hoſtem occideret: hoc enim eſt, quod ait S. Stephanus, Act. 7. 25. *Fecit ultionem percuſſo Ægyptio: exiſtimabat autem fratres intelligere, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis.* Sciebat ergo Moſes, adeoque alios paſſim ſcire putabat, ſe jam à Deo deſignatum eſſe ducem, et vindicem Hebræorum, Deumque velle, ut ad hunc ducatum per hanc cædem, et vindictam juſtam, ſe compararet; adeoque S. Stephanus hic videtur confirmare hiſtoriam Joſephi, qui narrat oraculum patri Amram factum de filio ſuo Moſe vindice et liberatore Hebræorum futuro.

Contra, 2. Quia à S. Auguſt. l. 22. contra Fauſt. c. 70. *Hoc factum Moſis culpat* (ait Alap.) *quaſi factum præter poteſtatis et juſtitiæ ordinem; illudque tribuit ejus zelo, ſed nimio et inculto, qui vitioſa quidem, inquit, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat: ſignificabat enim hic zelus nimius, Moſen, ubi excultus foret, zelumque hunc ratione regere, et temperare didiciſſet, fore inſignem, et animoſum populi ducem. Hinc et Oecumen. in epiſt. Judæ tradit diabolum in altercatione cum Michaële de corpore Moſis, dixiſſe, Moſen non eſſe dignum ſepultura, eo quod injuſte occidiſſet Ægyptium, eumque non in ſepulchro, ſed in ſabulo ſepeliviſſet.*

V. Contra, 3. Quia S. Ambroſ. l. 1. officior. 36. et Thom. Burgenſ. ap. eund. Alap. hoc Moſis factum tribuunt juſtæ defenſioni, qua Hebræum injuſte invaſum defendere tenebatur ex charitate: qui enim ſocium non defendit ab injuria, cum poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit, ait S. Amb. Nam, ut ait Toletus in Lucæ 12. annot. 27. tunc non erat judex, qui poſſet injuriam avertere, et injuria erat præſens, nec moram temporis patiebatur: unde Moſis erat tunc ſubvenire.

VI. Obeſt tamen, 1. Quia Moſes videtur non obſervâſſe moderamen inculpatæ tutelæ, omnino ſervandum in hoc genere defenſionis, ut ſtatuunt Cevall. cit. Barb. in remiſſ. ad ord. l. 1. tt. 3. § 6. et probatur ex c. *Olim*, de reſt. ſpoliator. ub. gl. c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ub. gl. verb. *Sibimet*, c. *Significâſti*, 2. de homicid. ib. non *ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam*, ub. gl. v. *Tutelæ*.

Debebat enim illam dumtaxat defenſionem adhibere, quæ foret ſufficiens ad oppreſſum à violentia cum effectu liberandum citra oppreſſoris occiſionem: quod equidem moderamen Moſes ipſe obſervavit poſtmodum in defenſione, atque liberatione ſeptem filiarum ſacerdotis Madian, à violento inſulto paſtorum Madianitarum; et inter duos Hebræos rixantes, ut legitur ibid. 13. et 17.

VII. Per. de man. reg. c. 4. et prælud. 1. et alii cum illo, hanc licitudinem, ipſiuſmet manus regiæ juſtæ protectionis licito exercitio extrajudiciali tribuunt. Quos tamen redarguit Peg. cit. tom. 3. gl. 14. n. 11. dicens: *Ante aliud, precor, dicant, ſi per hanc viam ex rei natura, dato, quod nec judicialis, nec juriſdictionalis via eſſet, non læditur eccleſiaſtica juriſdictio, cur ipſi doctores recurrunt ad concordatas, et conſuetudinem?* Et fuſius, ac nervoſius, redarguit Ubertus de citationib. c. 4. per totum, præſertim an. 23. et ſeqq. quem omnino perlege.

Salgadus autem de reg. prot. hanc, c. 2. expreſſe appellat nudam poteſtatem, naturalem defenſionem, auxilium politicum, œconomicam tuitionem, permiſſam facultatem, licitam vim, charitativam protectionem, propugnaculum violentiæ, aſylum oppreſſorum, tutum acceſſum, et legitimum recurſum; *cujus cognitio, utpote extrajudicialis, abſque umbra, et veſtigio juriſdictionis, et nil juriſdictionale continens*, utique licere dignoſcitur.

VIII. Alii denique in his concordiis, quaſi ex illis juriſdictio à Papa communicata in regiis magiſtratibus, pro cognoſcendo, ac providendo juriſdictio derivetur, ut paſſim Per. ſignanter c. 1. 5. et 6. alii in ſpecialibus privilegiis, ut Soar. infr. cit. alii in conſuetudine hujuſce recurſus, atque cognitionis, licitudinem fundant, ut Salg. Cevall. et alii ap. Oliv. q. 15. et 16. de for. eccleſ. alii in præſumpta voluntate pontificis, ut Azeved. Avendan. Greg. Lop. et alii: nos vero veritati ſemper inhærentes per ſequentes reſolutiones rem decidemus.

IX. Sit igitur *Prima Reſolutio:* In caſu violentiæ ita notoriæ, atque evidentis, ut nulla probabili tergiverſatione celari, nulloque juris ſuffragio, aut remedio excuſari poſſit, licite recurritur ad regem, vel ad regios magiſtratus *in ſubſidium*; et licite regii judices de ea cognoſcunt, ac provident. Hæc concluſio, quamvis ſic modificata eſt de mente omnium doctorum pro licitudine hujus recurſus pugnantium, videlicet Oliv. q. 15. n. 17. et 34. Per. de man. reg. c. 4. n. 11. et c. 7. Seſſ. in ep. ad reg. n. 86. et ſeqq. Cevall. cit. p. 1. gloſſ. 6. Salgad. de reg. prot. prælud. 1. et 2. Per. de Marca, etiam pro regno Galliæ, de concord. ſacerd. et imp. l. 4. c. 21. n. 4. et c. 19. n. 4.

X. Probatur prima reſolutio quoad 1. partem: quia cuilibet privato, jure naturali, vim vi repellere licet, l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. l. 1. § *Vim vi*, ff. de vi et vi arm. et tot. hoc. tit. l. *Siquis percuſſorem*, et l. *Is, qui aggreſſorem*, cod. ad l. Cornel. et de jur. can. c. *Significâſti*, 2. de homicid. c. *Si vero*, de ſent. excom. c. *Dilecto*, eod. tit. in 6. quod quamvis intelligendum ſemper ſit, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, l. 1. cod. *Undevi:* attamen ampliatur etiam ob propriarum rerum, ſeu bonorum defenſionem, l. *Furem*, 9. ff. ad l. Cornel. de ſicar. et l. 4. ff. ad l. Aquil. ita ut ob hanc ei etiam liceat ex jure regio municipali ordin. l. 4. tt. 58. § 2. et ex leg. Caſtell. 4. lib. 8. ordin. 13. convocare amicos, conſanguineos, et affines, armaque paranda pro eis in continenti recuperandis; et deducitur etiam ex l. *Qui poſſeſſionem*; et ex l. 3. § *Cum igitur*, de vi, et vi armat. Barb. in remiſſion. ad d. ordin.

XI. Ergo potiori jure licebit recurrere ad reges et principes, de quibus, c. *Regum*, 23. q. 5. ibi: *Regum officium eſt proprium, facere judicium, atque juſtitiam, et liberare de manu calumniantium vi oppreſſos*; et c. *Principes*, et c. *Adminiſtratores*, ibidem: ubi: *Adminiſtratores ſæcularium dignitatum, qui ad eccleſiarum dignitatum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem conſtituti eſſe proculdubio debent.* Et conſonat partialiter c. *Ab imperatoribus*, 23. q. 3. ibi: *Ab imperatoribus univerſis juſtum eſt auxilium poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur eccleſia; ut defenſores ejus adverſus potentias divitum cum epiſcoporum proviſione delegentur. Ecceque nonnunquam eſt obviandum perverſis, et injuria ſociorum armis eſt propulſanda.*

XII. Et prout etiam habetur in jure civili, auct. *de quæſtion.* in princ. ibi: *Dei auxilio, ut ſubjecti, ab ejus clementia nobis traditi, illæſi ſerventur.* Et auct. *Ut judices ſine quoque*, verſ. *Oportet*, ibi: *Et noſtros ſubjectos inquiete à provincialibus judicibus conſervari,*

vari, &c. Nam in principem omnem ſuam poteſtatem homines tranſtulerunt, text. in l. 1. ff. de Conſt. princip. tex. in § *Sed et quod principi*, inſt. de jur. nat. gent. et civili. Ergo decentius, rectius, atque modeſtius recurrunt ad regem privati, ut illatas ſibi violentias publica ejus auctoritate tollat, quam ſibimetipſis privatim providendo, vim vi propria auctoritate repellentes, ut notat Cevall. in procem. et in prolog. Dum enim ſibi in cauſa propria quiſque providet, indulgentius juſto, ob proprium amorem cæcutiens operatur. *Quod ne periculoſo exemplo fiat* (inquit doctiſſimus Aguero in *monito* cenſuræ ad eund. Cevall.) *dum natura pro ſe quiſque indulgentius ſentit, et in re propria cæcutit, rectius manus regia intervenit: ſic aliquo caſu recurſum licere, alio non, item cenſuit etiam Rotta Romana.*

XIII. Probatur, 2. efficaciter, Quia, ut ſuperius prælud. 3. et 5. cum communi theologorum, et canoniſtarum aſſeruimus, non ſatis Deus eccleſiæ ſuæ juriſdictioni provideret, ſi ſolam juriſdictionem ſpiritualem, ſine temporali, Summo Pontifici relinqueret; et ſane quodammodo manca et clauda incederet eccleſiaſtica juriſdictio, ſi ſaltem ſecundario, et indirecte, ſine ſpirituali exigente, temporali juriſdictione, in ſpiritualis auxilium, uti nequiret: ergo pariformiter manca et clauda procederet regia et temporalis juriſdictio, ſi ſaltem indirecte adverſus clericos et reliquos eccleſiaſticos, ab ea licet notorie exemptos, providere non poſſet; et prout ſic imperfecta proculdubio, et ſibi inſufficiens, verſaretur reſpublica temporalis, quæ tamen, ſicut et ſpiritualis, perfecta undiquaque, et ſibi ſufficiens eſſe debet, ut animadvertunt Oliv. cit. q. 15. n. 15. et 17. Victor. de pot. eccleſ. rel. 1. q. 5. n. 13. et 14. Molin. de juſt. et jur. d. 29. concl. 3.

XIV. Confirmatur, 1. Exemplo regis Salomonis, ut 3. Reg. 2. 27. ibi: *Ejecit Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini:* ubi narratur, Salomonem poteſtate œconomica, et indirecta, ſummum ſacerdotem Abiathar exterminaſſe, et conſequenter à ſacerdotio indirecte ejeciſſe, eo quod cum Adonia adverſus Salomonem conſpiraverat, ut et Salomonem à ſolio David patris ſui ejiceret, et regnum ſibi Adonias artificioſe uſurparet. Ubi Alap. *Perro*, inquit, *Salomon indirecte exauctoravit, et privavit Abiathar pontificatu, quia pontifex debebat reſidere Icroſolymis*, &c. et Tirin. *Ejecit poteſtate temporali, et politica*, quatenus temporaliter eum exterminavit.

XV. Confirmatur, 2. Exemplo divini illius oraculi, ſive conſilii ipſiuſmet Chriſti Domini ad beatam meam Seraphicam Tereſiam, dum in nova Carmelitana reformatione ſtabilienda à multis violentas contradictiones pateretur, eundem recurſum ad regem ſuadentis, ac dicentis, *Recorre al rey*, ut legitur in ejus vita, et in fundationibus, atque ep. 27. et refert Salgad. prælud. Seſſ. et alii.

XVI. Confirmatur, 3. Quia, non obſtante notorio privilegio canonis, ex immunitate notoria clericorum reſultante, poteſt quilibet privatus, vim vi repellendo, eos impune, ac licite percutere, ut in caſibus apud Monacell. 3. p. tt. 1. form. 2. n. 14. Ergo pariformiter, &c.

XVII. Prob. 3. Ex ipſomet contextu bullæ Cœnæ Domini, can. 15. ibi: *Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque, perſonas eccleſiaſticas, capitula, conventus, collegia eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium, vel parlamentum, præter juris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore.* Ubi ex illa limitatione, aut exceptione; *Præter juris canoniti diſpoſitionem*; implicite ſaltem comprobatur iſtius recurſus licitudo ſecundum canonici juris diſpoſitionem, et intra illius terminos. Quinam hi ſint, atque ubinam illa extet diſpoſitio, infra examinabitur, c. 19.

XVIII. Appoſui in reſolutione modificationem illam, *in ſubſidium*; quia cum recurſus ſit remedium extraordinarium, et ſubſidiarium, Portugal de Donat. p. 2. c. 31. n. 18. Seſſe in ep. ad reg. n. 87. Poſth. de manut. obſ. 6. n. 26. videtur non licite quidem intentari poſſe, niſi vel in defectum remediorum ordinariorum, vel in ſubſidium, eis quidem exhauſtis, de quo infr. c 25. et ſeqq.

XIX. Probatur eadem reſolutio quoad ſecundam partem: Quia regii magiſtratus ab ipſomet rege ſpecialiter deputati ſunt, ut ipſius nomine, et auctoritate, de notoriis violentiis illis, non celabilibus, neque excuſabilibus, cognoſcant, et partibus, juxta qualitatem ac notorietatem violentiæ, de facto provideant: ergo, data licitudine illius recurſus ad regem, jure naturalis defenſionis pro proviſione (extrajudiciali præcedente cognitione) habenda, conſequenter etiam dabitur, atque admittenda eſt pro ſimili cognitione, atque proviſione in regiis magiſtratibus ad eam ſpecialiter deputatis. Ita DD. ſupr. cit.

XX. Scio tamen, Seſſ. in ep. ad regem, n. 97. Cevall. de cogn. per viam viol. in procem. c. 10. n. 36. et cum eo Salgad. de reg. prot. prælud. 5. n. 191. necnon Per. de man. reg. c. 5. hanc licitudinem pro recurſu abſolute probare ex bull. Martini V. incipiente, *Apoſtolicæ Sedis*, quam tranſcribunt, quaſi id regibus Franciæ liceret abſolute, titulo conſuetudinis immemorialis. Sed contra, Quia in præjacta bulla, non recurſus abſolute, et generice approbatur; ſed reſtricte, et ſpecifice dumtaxat, videlicet, *pro tuitione poſſeſſorum, in ſuorum beneficiorum conſervatione*, ut ex ipſius bullæ formalibus verbis patefit; ibi: *Sibi aſſerit licere, etiam juridice tueri poſſeſſores . . . . Non in aliquo derogare voluiſſe, aut velle quoquomodo, ipſoſque reges et judices decernentes partes moleſtas, ſuper earum conſervatione ad ſuorum beneficiorum poſſeſſionem ipſius regis auxilium implorantes, dummodo in contemptum juriſdictionis, et libertatis eccleſiaſticæ, ut partes ſibi adverſas in rebus eccleſiaſticis diutius perturbarent, hoc non fecerint, pœnas in dicta noſtra conſtitutione contentas nullatenus incurriſſe, aut debere incurrere, quovis modo; per hoc autem nullum jus, ſeu juriſdictionem in præmiſſis cognoſcendi, eidem regi de novo acquiri volumus*, &c. Licere autem recurſum ad regem pro manutentione, et tuitiva conſervatoria, imo et reſtitutoria, infr. latius demonſtrabitur, c. 24.

XXI. Et in hoc caſu reſtricto, licitudinem recurſus, ſacra Rotta approbante, agnoſcit etiam Pignatell. to. 5. conſ. 23. n. 23. ibi: *Tum quia interdum recurſus eſt licitus ad defenſionem propriæ poſſeſſionis contra eccleſiaſticos de facto turbantes poſſeſſores in eorum jure, dummodo non recurrerint ad laicos, tanquam ad judices ad effectum obtinendi inhibitiones, et mandata contra eccleſiaſticos, ſed tantum pro habenda eorum interceſſione contra turbativam eccleſiaſticorum, juxta dec. Achil. de Graſſ. 56. de appell. et Rot. in Salamantina canonicatus 14. Maii 1595. coram Blancheto apud Farinac. conſ. 68. n. 13. et ſeqq. lib. 1. et coram Pegna dec. 482. n. 2. et 3. ac dec. 484. n. 6. et ſeqq. ubi hac diſtinctione contrariam opinionem conciliat.*

Pro his tamen, et aliis deciſionibus rotalibus pro recurſus licitudine adductis vide Gratioſum Ubertum de citationibus, c. 4. an. 101. et ſeqq. ubi eas in longe diverſo ſenſu ex ipſo contextu, et ſubjecta materia explicat, et adverſus hanc recurſus licitudinem denique concludit, ut ab initio cit. c. 4. reſolverat. Ipſum adi, et per otium conſule.

XXII. *Secunda Reſolutio:* In caſu, quo violentia undiquaque notoria, et evidens non ſit, ſed dubia, aut de jure, vel de facto, celabilis, vel excuſabilis, illicitus quidem eſt præjactus recurſus, tum recurrentibus, tum providentibus; et utrique juris cenſuris proculdubio innodantur. Etiam hæc reſolutio, ſic explicata, eſt de mente omnium DD. requirentium pro licitudine iſtius recurſus violentiam notoriam, et evidentem, ſeu pro fundamento hujus judicii hanc qualitatem, de qua Per. cit. c. 4. n. 11. illam expreſſe tenet Oliv. cit. q. 15. n. 34. Afflict. dec. 24. Olyban. de jur. fiſc. c. 11. an. 57. Seſſ. in ep. ad reg. n. 77. et dec. 114. n. 22. Cevall. cit. p. 1. gloſſ. 1. n. 34. Soar. adverſ. Angl. err. l. 4. c. 34. n. 3. Per. de man. reg. c. 4. n. 6. et 11. et c. 7. n. 2. et c. 8. n. 28. et eſſe abſolute de mente omnium DD. licitudinem hujuſce recurſus defendentium, dicit Oliv. loc. cit. unde cit. Per. d. c. 4. n. 11. ita ait: *Ultimo conſidero circa juriſdictionis abuſum, quod, ut in regum tribunalibus cognoſci valeat, oportet oppreſſionem, ſeu vio-*

violentiam, ita eſſe notoriam, et patentem, quæ celari nequeat, aut effici dubia: et ideo dixi *undiquaque notoria*, quia non ſufficit notorietas reſpectiva, ſed requiritur abſoluta, quæ aliqualiter celari non valeat, modo infra explicando, c. 14. n. 10.

XXIII. Probatur, 1. pars reſolutionis, 1. Quia ſola violentia, et oppreſſio notoria, et evidens, eſt quæ, ſic qualificata, tam de jure, quam de facto, fundat licitudinem iſtius recurſus, tam recurrentibus, quam cognoſcentibus, et fundamentum præbet huic extrajudiciali judicio pro violenti gravaminis cognitione, ut conſtat ex cit. ordin. regia, l. 1. tt. 9. § 12. ubi Peg. et Barb. in remiſſ. et ex cit. c. ult. de cohabit. cler. et mulier. et ex cit. gl. in c. 1. de offic. deleg. in 6. verb. *Conſervatores.* Et tenet Donat. cit. d. q. 49. n. 5. Per. cit. c. 4. n. 11. et cit. c. 7. n. 1. et 5. Portug. cit. c. 31. n. 13. Oliv. cit. q. 15. Guerr. cit. et alii.

XXIV. Atqui violentia dubia non eſt notoria, patens, et evidens, ut præjacti textus, ac DD. requirunt: ergo illicitus eſt recurſus in illa fundatus, tum partibus recurrentibus, tum judicibus cognoſcentibus; quia, ut ait, Per. cit. c. 7. n. 2. *Non ſufficit probabile judicium, vel inniti aliquorum DD. auctoritate, eo caſu dari violentiam aſſerentium, niſi certum ſit illam dari, et nullam opinionem contrariam probabilem eſſe.*

XXV. Probatur, 2. eadem pars, Quia violentia, non undiquaque patens, ac notoria, ſed aliqualiter celabilis, atque excuſabilis, aliqua tergiverſatione celari poteſt, ut ex ipſis terminis liquet. Atqui violentia, *quæ aliqua tergiverſatione celari poteſt*, ut ſancitur in d. c. ult. de cohabit. cler. et mulier. vel ſaltem *quæ aliqua probabili tergiverſatione celari poteſt*, ut declaratur in cit. gl. in d. c. c. 1. de offic. deleg. in 6. non eſt violentia patens, manifeſta, et notoria, prout præjacta jura expoſtulant, et DD. ſupra citati, ſignanter Per. d. c. 7. n. 2. et c. 4. n. 11. et alibi: ergo, &c.

XXVI. Confirmatur, 1. Ex verbis præcitatæ gloſſæ ind. c. 1. de offic. deleg. verb. *Conſervator.* ibi: *Intellige manifeſta illa, quæ notoria ſunt, et ita patentia, quod nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt.* Ex quibus ſic conficitur probatio: particula *nulla*, utpote malignantis naturæ, juxta doctrinam tritam logicorum, atque juriſtarum, *negat omnia*, omnem videlicet tergiverſationem, atque celabilitatem, ſive excuſabilitatem; atqui violentia non undiquaque notoria, evidens, et patens, eſt aliqualiter celabilis, et excuſabilis: ergo, ſtante probabilitate aliqua ex parte illius, vel aliqua probabili tergiverſatione eidem ſuffragante, excluſa equidem remanet à negativa illa abſoluta, *nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt*; ac proinde non comprehenditur in qualitate violentiæ notoriæ prærequiſitæ, pro illius recurſus licitudine fundanda.

XXVII. Confirmatur, 2. A paritate notorietatis publici clerici percuſſoris, ad hoc ut vitandus ſit, ac reputetur; quæ quidem notorietas ſic debet eſſe undelibet, et omni ex parte, ita evidens, ac manifeſta, ut nullatenus excuſabilis aut tergiverſabilis ſit, tam de jure, quam de facto, ut ſuperius ex declaratione Concilii Conſtantienſis inſinuatum eſt. Quomodo autem hæc notorietas de jure, et de facto, etiam ab incurſione cenſuræ excuſetur, vide in Monacell. 3. p. for. eccleſ. tt. 1. form. 2. an. 14. et infr. ex eodem n. ſeq.

XXVIII. Confirmatur, 3. Quia cum notoria ſit immunitas perſonarum eccleſiaſticarum, et privilegium canonis, ex ea reſultans, ut quis vim vi repellendo eas percutere licite poſſit, et violentas manus in eas impune, atque inoffenſe injicere, requiritur talis notorietas, atque evidentia oppreſſionis, et contrariæ vis illatæ, atque deſtitutionis alterius commodæ defenſionis, ut nullatenus dubia ſit, ſed undelibet, atque omni ex parte evidens, certa, et inculpabilis, et quæ de facto in licitudine repulſæ, prævaleat notorietati immunitatis illius exercite, et practice, ut in præfatis caſibus apud Monacell. cit. p. 3. ergo pariformiter eadem notorietas, et evidentia, prærequiritur in actione recurſus adverſus illarum privilegium fori, in eadem immunitate fundatum.

XXIX. Confirmatur, 4. Quia licitudo recurſus eſt materia opinabilis, atque adeo dubia, etiam in caſibus violentiæ notoriæ: deinde eſt ſtrictæ interpretationis, et minime ampliabilis, proindeque in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis atque immunitatis ſemper decidenda, prout infra n. 73. extenſius oſtenditur: ergo, &c.

XXX. Prob. 2. pars reſolutionis, videlicet, Tam recurrentes, quam providentes in illo caſu, juris cenſuras contrahere. Probatur igitur, 1. Quia in bull. Cœn. cit. can. 15. excommunicantur *qui, præter juris canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, vel quovis quæſito colore, perſonas eccleſiaſticas ad ſuum tribunal*, &c. Atqui, tam juris canonici præcitati, et infra citandi, c. 14. quam civilis eſt, quod in ſolo caſu notoriæ oppreſſionis, aut violentiæ nullatenus celabilis, aut excuſabilis, trahi poſſint: ergo, &c. Deinde pariformiter excommunicantur, can. 13. *omnes, qui prætexentes frivolam appellationem à gravamine, aut alias, ad curias ſæculares, et laicam poteſtatem, recurrunt pro futura executione literarum apoſtolicarum impedienda.* Et can. 14. ſimiliter excommunicantur *omnes, qui cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, prætextu literarum apoſtolicarum, etiam de facto advocant, vel quomodolibet impediunt, vel ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum*, &c. Ergo tam recurrentes, quam cognoſcentes, ac providentes, in illo caſu violentiæ dubiæ, et non undiquaque notoriæ, atque evidentis, ſed aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis, præmiſſas juris cenſuras, et alias infra, c. 14, 15. et 16. explanandas de facto incurrunt.

XXXI. Prob. 2. Ex can. d. bullæ Cœn. 16. ubi excommunicantur omnes, *qui prælatos, et omnes alios quoſcunque judices eccleſiaſticos ordinarios, quomodolibet directe, vel indirecte, impediunt, quominus ſua juriſdictione eccleſiaſtica contra quoſcunque utantur .... et qui ad cancellarias, et alias curias ſæculares recurrunt, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, et favorem in eiſdem.* Atqui, juxta doctrinam cit. Per. de man. reg. c. 7. n. 2. ſuperius relata, c. 12. *Magiſtratus, ſeu princeps ſæcularis, vim potius inferret judici eccleſiaſtico, privando eum poteſtate, quam habet in ſuos ſubditos, quando caſus eſſet dubius; nec ſufficiet probabile judicium, aut probabilis aliquorum DD. opinio pro violentiæ realitate, aut notorietate in illo caſu, niſi certum ſit, eam dari, et nullam opinionem in contrarium probabilem eſſe:* ergo, &c.

XXXII. Nam cum hinc inde pugnent diverſa jura, et diverſæ notorietates, videlicet ex alia parte jus notorium, et minime dubium, immunitatis eccleſiaſticorum; ex alia parte jus, quod allegatur, naturalis defenſionis oppreſſorum; debet ſane hoc jus, ut exercite, et de facto, aliquid contra illud operari aut agere poſſit, reponi in eadem qualitate *notorii*, minime indubii, et undiquaque patentis, ac evidentis, imo magis evidentis, quæ vincere poſſit notorietatem contrariam; *nam actio ſemper eſt à vincente:* ac per conſequens, ut quis licite agat per recurſum, et ut judices licite cognoſcant, debet prius violentia juſtificari, et ita notoriam eſſe, et evidentem, ut nec pro illa ulla adſit probabilis opinio, nec aliqualiter celabilis, vel prætextabilis, aut excuſabilis, tam de jure, quam de facto, evadat.

XXXIII. Prob. 3. et confirmatur reſolutio, Quia recurſus eſt ſtricti juris, ſtrictæque interpretationis, Deluc. de judic. diſc. 19. et alii communiter; imo et conſuetudo in illo fundata ſtricta eſt, et minime extendenda de caſu ad caſum, de loco ad locum, et de perſona ad perſonam, Deluc. de benefic. d. 13. n. 8. d. 30. n. 12. d. 65. n. 16. miſcell. d. 31. n. 16. de regul. d. 4. n. 10. ad concil. d. 20. n. 4. de jur. p. d. 22. n. 6. de feud. d. 53. n. 4. d. 109. n. 20. et alibi. Deinde diverſæ dantur opiniones etiam pro licitudine recurſus adhuc in caſibus notoriæ violentiæ, et pro incurſu cenſurarum bullæ Cœnæ, et aliarum à lege ex illius cognitione, de quo ſupr. c. 13. et ſeqq. uſque 19. et 20. atque adeo res dubia reapſe remanet, ex probabilitate utriuſque opinionis utrinque pugnantis: ergo illa opinio præferenda, quæ magis favet juriſdictioni, et immunitati eccleſiaſticæ, ut tenent DD. communiter apud Oliv. q. 12. et q. 25. n. 15. ibi: *In dubio ea opinio accipienda eſt, quæ favet clavium;*

vium poteſtati, ſeu juriſdictioni eccleſiæ, ut poſt antiquiores, quos ipſe refert, reſolvit Felin. in c. 1. n. 54. verſicul. 5. limita, de conſtit. Butr. in cap. Cæterum, n. 9. de jud. læſ. in l. 2. n. 19. ff. Siquis in jus vocat. Marth. de juriſd. p. 4. caſu 145. n. 1. et caſu 6. n. 1. Pro eccleſia ergo in dubio judicandum, eaque opinio in dubio eligenda, quæ eccleſiæ favet: nam eccleſia, et cauſa pia æquiparantur, Abb. poſt alios in cap. 1. de reſt. in integr. Everhard. in topicis, loco ab eccleſia ad pia loca, Tiraquel. de pia cauſa privilegio 140. ubi plures refert. Ratio eſt clara: nam omnis cauſa eccleſiæ pia eſt, et nihil magis pium, quam ipſa eccleſia: at opinio, quæ favet piæ cauſæ, accipienda eſt, et pro ea judicandum; probatur in l. Cum perſonæ, ff. de relig. et ſumpt. fun. Doctores, in cap. In præſentia de probat. plures citat, et ſequitur Tiraquel. in d. tract. privilegio 148. plures etiam citat et ſequitur Martho d. caſu 164. n. 2.

XXXIV. Argumenta pro illicitudine recurſus ad tribunalia ſæcularia, etiam in caſu notoriæ violentiæ pugnantium, infr. c. 20. diluentur. Interim immediate ſequenti cap. ventilari refert, quotuplex ſit violentia dubia, et quando notorietas illius ceſſare æſtimanda ſit; et ſubſequentibus, an injuſtitia notoria cum notoria violentia recurrat, et an idem ſit violentia, et injuria? &c.

CAP. XIV.

Quando, et quomodo, ceſſet Notorietas Violentiæ Recurſabilis, et hæc dubia reddatur?

SUMMARIUM.

I. *Dubium, et notorium, poteſt eſſe tam juris, quam facti.*
II. *Dubium juris.*
III. *Dubium facti datur multipliciter.*
IV. *Notorietas violentiæ recurſabilis debet eſſe abſoluta omnino, et non reſpectiva.*
V. *Quoties juris diſpoſitio per ſe non patet, ceſſat notorietas violentiæ.*
VI. *Quod ex jure ipſo convincitur.*
VII. *Et ſimiliter quoties non eſt certa, et diverſas patitur interpretationes.*
VIII. *Pariformiter quoties in jure diſpoſitum eſt reconditum, et intricatum, ut requirat judicialem, aut extrajudicialem indaginem.*
IX. *Quod et à ratione comprobatur.*
X. *Ceſſat etiam notorietas violentiæ, quoties hæc, et illius caſus habet pro ſe utrinque opinionem æque probabilem.*
XI. *Prebatur à jure, et à ratione.*
XII. *Probabile parit dubium, et non certum.*
XIII. *Violentia habens pro ſe opinionem vere probabilem, eſt vere celabilis, et prætextabilis.*
XIV. *Violentia habens probabilem opinionem, quæ illam excuſat, non eſt violentia certa actu, et re ipſa.*
XV. *Laudatur Oliva.*
XVI. *Si probabilitas fuerit tantum extrinſeca, etiam extrinſece tantum ceſſabit notorietas, et reſultabit dubietas.*
XVII. *Quid dicendum de judice judicante ſecundum opinionem minus communem, et minus probabilem, remiſſive.*
XVIII. *Quoties factum non ſe omnium intuentium oculis evidenter offert, non eſt notorium abſolute.*
XIX. Dubium facti *opponitur* notorio facti, *quod ſcilicet* offert ſe omnium oculis.
XX. *Factum non certum, eo quod vel negatur, vel non plene, aut non legitime probatur, vel eſt inveroſimile, aut aliqua probabili tergiverſatione celatur, eſt ſimpliciter dubium.*
XXI. *Probatur ex jure, et ratione.*
XXII. *Quod inveroſimile eſt, credibile non eſt, ſed eſt imago falſitatis.*
XXIII. *Numerantur caſus, in quibus quis licite poteſt vim vi repellere clericorum, non obſtante eorum privilegio canonis.*
XXIV. *Multa dicuntur* notoria, *quæ non ſunt; et in recurſibus ſæpiſſime controvertitur de quæſtionibus in apicibus juris ſiſtentibus, et quidem injuſte, ac illicite.*
XXV. *Et cum infallibili incurſu cenſurarum ex can. 13, 14, 15. et 16. bull. Cœn.*
XXVI. *Qua cautela, et circumſpectione, judices regii in hac materia procedere admonentur.*
XXVII. *Prælatis, ac judicibus eccleſiaſticis pro immunitate eccleſiaſtica fortiter tuenda exponitur præclarum monitum præclariſſimi conſtantiæ et fortitudinis exemplaris S. Thomæ Cantuarienſis, cujus verba tranſcribuntur.*

I. PRÆMITTO, 1. *Dubium* (ſicut et ejus contrarium *notorium*) poſſe etiam eſſe tam juris, quam facti. Unde dubium juris, et facti, à contrario ſenſu, pariformiter tot modis dabitur, ac reperietur, quot modis notorium juris, et facti invenitur. Igitur dubium juris, argumento deducto à contrario ſenſu, dabitur, quoties res dubia de ſe excluſerit notorietatem juris, v. g. quoties neque conſtiterit ex ſpontanea rei confeſſione judiciali, neque de ſententia definitiva, quæ in rem judicatam adhuc non tranſierit, &c. à paritate ſui contrarii, *notorii juris* videlicet, et ad illud conformiter ordine inverſo; nam *contrariorum eadem eſt ratio.*

II. Preſſius tamen, et forſan formalius, dubium juris dabitur, 1. Quando quod in jure diſponitur, vel per ſe non patet, neque evidens eſt; vel non eſt certum, aut diverſas patitur interpretationes; vel eſt tantum probabile, et circa illud diverſæ verſantur gloſſatorum, et aliorum DD. opiniones, vel intellectus, ſeu intelligentiæ; vel alio modo notorium non eſt. Conſtant omnes prædictæ explicationes ex diverſis juribus inferius citatis.

III. Dubium autem *facti* (argumento etiam deducto à ſuo contrario) eſt illud, quod vel per ſe non patet, nec ſe omnium oculis exhibet, vel aliqua tergiverſatione, aut prætextu probabili celatur, aut excuſatur, vel de facto negatur, et non probatur, vel ſemiplene dumtaxat, aut illegitime probatur, vel eſt inveroſimile, aliumve patitur in certitudine defectum, ut, quoad credulitatem illius, aſſenſum non rapiat, ſed ſuſpenſum relinquat. Ita DD. communiter infra citandi.

Omnia præmiſſa, præter communem auctoritatem, etiam conſtant, et colliguntur, ex gl. in c. 1. de offic. deleg. in 6. gl. in c. *Manifeſta*; c. *de manifeſta*, 2. q. 1. et c. *A nobis*, de cohabit. cler. et mulier. gl. in c. *Evidentia*, de accuſation. gl. in c. *Naviganti*, de crim. falſ. verb. *Dubitatur.*

IV. Præmittendum denique, et principaliter, notorietatem violentiæ recurſabilis debere eſſe, non reſpectivam, vel quomodolibet; id eſt, reſpectu aliquorum afferentium, talem violentiam ſibi notoriam incedere, vel attento aliquo illius reſpectu dumtaxat; ſed debere eſſe omnino abſolutam, et undiquaque, ita ut, omnibus circumſtantiis perſpectis, etiam notorium ſit, nec aliquam probabilem opinionem ei obeſſe, nec aliquo juris ſuffragio excuſari poſſe, nec aliqualiter celabilem, aut tergiverſabilem, ſeu prætextabilem evadere, juxta tradita, c. 12. ex jurib. ib. cit. præſertim ex c. *de manifeſta*, 2. q. 1. *Neque tergiverſatione aliqua poterat tegi:* ub. gl. Tergiverſatione, id eſt, *diſſimulatione.* Et ex doctrina Per. cit. c. 4. n. fin. et c. 7. n. 2. et reliquorum DD. d. c. 12. laudatorum. Ratio *à priori* eſt jam inſinuata, videlicet, quia notorietas, claritas, et evidentia eſt de ſpecie boni: dubietas vero, obſcuritas, et celabilitas, vel offuſcatio, aut tenebroſitas, eſt de ſpecie mali, ut per ſe patet. Juxta autem vulgare: *Malum ex quocunque defectu; bonum autem non niſi ex integra cauſa.*

V. *Dico igitur*, 1. Quoties juris diſpoſitio per ſe non patet, neque evidens eſt, ceſſat notorietas violen-

tiæ, contra illam patratæ; proindeque nequit ab ea recurri à judicibus eccleſiaſticis ad tribunal ſæculare: ita Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 34. Per. cit. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 2.

VI. Probatur facile reſolutio; quia quod per ſe non patet, neque evidens eſt; non eſt notorium, neque tale enuntiatur, ut patet ex cit. gl. in c. *Manifeſta*, 2. q. 1. ibi: *Notorium dicitur manifeſtum, quod patet per evidentiam rei*, ut ex c. *Cum olim*, de verb. ſignific. et ex c. *Ab eo*, de elect. in 6. ibi: *Objicit evidentem, notorium, ſeu manifeſtum ſcientiæ defectum*; ubi gl. verb. *Manifeſtum*: *Iſta enim, quoad caſum noſtrum, ſunt ſynonyma, et idem ſignificant.* Conſonat gl. in c. *Evidentia*, de accuſation. ibi: *Evidentia ſceleris, id eſt, ſcelus, quod notorium eſt per operis evidentiam, et eſt unus modus notorii.*

Atqui diſpoſitio juris per ſe non patens, neque evidens, eſt dubia, et non notoria: ergo in illa, prout ſic, ceſſat qualitas notorietatis: atqui à ſola violentia notoria, et evidenti, quæ nulla tergiverſatione celari poteſt, aut juris remedio, vel ſuffragio excuſari, licite poteſt recurſus intentari: ergo, &c. Confirmatur; quia à violentia dubia nequit licite recurri ad ſæcularia tribunalia: atqui violentia illa non notoria, neque per ſe patens, et evidens, eſt ſimpliciter dubia: ergo, &c.

VII. *Dico*, 2. Quoties diſpoſitio juris non eſt certa, et diverſas patitur interpretationes, ceſſat notorietas violentiæ adverſus illam operatæ, et remanet in terminis violentiæ dubiæ. Probatur eadem facilitate, et eiſdem fere fundamentis, atque auctoritatibus: quia quod non eſt in jure certum, et diverſas, ac oppoſitas admittit interpretationes, non eſt per ſe patens, et evidens, neque clarum, aut notorium, et eſt ſimpliciter dubium, ut conſtat ex gl. in c. *Manifeſta*, cit. et ex c. *Olim*, de verb. ſignif. verbis ſupra tranſcriptis: atqui ſola violentia clara, notoria, et evidens, eſt quæ fundat licitudinem recurſus ad regios magiſtratus, ut tenet Per. de man. reg. cit. c. 7. n. 2. *Oportet, ut ſit violentia patens, et clara; quia, ſi res fuerit dubia, ſemper pro ſuperiori præſumendum.* Et c. 4. n. 11. *Oportet oppreſſionem, ſeu violentiam eſſe notoriam, et patentem, quæ celari nequeat, aut effici dubia.* Et Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 34. uſque ad 36. cum Seſſ. in ep. ad regem, n. 77. Cevall. cit. p. 1. gl. 1. n. 34. Soar. adverſ. Angl. error. l. 4. c. 34. n. 33. et eſſe de mente omnium DD. aſſerit Oliv. et eſt expreſſa regiæ ordin. diſpoſitio: ergo, &c.

VIII. *Dico*, 3. Quoties in jure diſpoſitum eſt adeo intricatum, ac reconditum, ut pro ſui enucleatione atque manifeſtatione altam requirat indagationem, vel judicialem indaginem exigat, amittit qualitatem *notorii*, et remanet in terminis *dubii* juris. Probatur reſolutio, 1. ex c. *Statuimus*, de offic. deleg. in 6. ubi, quamvis judicibus conſervatoribus permittatur clientes ſuos *à manifeſtis injuriis et violentiis defendere*; expreſſe interdicitur eiſdem, quod *nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigant, ſuam poſſint extendere poteſtatem.* Ergo ſentit, ea, quæ talem indagationem exigunt, manifeſta non eſſe, nec notoria.

IX. Probatur, 2. ratione: Quia omne illud, quod, ut pateat, et manifeſtetur, indagine judiciali, aut indagatione, etiam extrajudiciali, indiget; per ſe patens, manifeſtum, atque evidens non eſt: atqui evidens, manifeſtum, ac per ſe patens, et notorium ſynonyma ſunt, et idem ſignificant, ut habetur in cit. gl. in c. *Ab eo*, de elect. in 6. ibi: *Evidentem, notorium, ſeu manifeſtum*: ubi gl. *Iſta ſunt ſynonyma, et idem ſignificant*: et gl. cit. in c. *Manifeſta*, 2. q. 1. et gl. in c. *Evidentia, de accuſationib.* et c. *Conſtitution.* de verb. ſignific. ergo, &c.

X. *Dico*, 4. Ceſſat notorietas, et claritas violentiæ recurſabilis, quoties hæc, vel caſus illius, habet pro ſe utrinque opinionem vere, et æque probabilem. Ita Oliv. cit. n. 34. Per. d. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 2. et reliqui DD. ſuperius laudati cum Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 19. ubi non jam *opinionem probabilem*, ſed ſimpliciter *opinionem* requirit, dicens: *Ad impediendum recurſum ad coronam, ſufficit, quod judex habeat pro ſe opinionem.*

XI. Probatur, 1. Quia quod dubium patitur, notorium non eſt, neque dici poteſt, aut evidens, et manifeſtum; ut conſtat ex c. *Conſuluit*, 1. de appellat. ibi: *Quos manifeſtum ſit, et notorium . . . . . ſi appellaverint, eorum appellationi non eſt aliquatenus deferendum. Sed cum multa dicantur notoria, quæ non ſunt, providere debes, ne quod dubium eſt, pro notorio videaris habere.* Atqui quod æque probabile utrinque eſt, dubium reapſe eſt.

XII. Probabile enim dubium parit, et non certum, ut conſtat ex c. *Super*, de teſtib. cog. et ex gl. in l. *Si*, cod. *qui ad lit. procl. non licet.* Bald. in l. *Si de probat.* Et probabilitas non generat ſcientiam, ſed opinionem dumtaxat; opinio autem, ut communiſſime docent logici, atque theologi, ita ſemper, et eſſentialiter procedit cum formidine partis oppoſitæ: ergo, &c.

XIII. Prob. 2. Quia violentia pro ſe habens opinionem vere probabilem, vere celabilis, atque prætextabilis eſt, nedum aliqua tergiverſatione probabili, aut excuſatione juris, ſed vera ratione, veriſque fundamentis, tam juris quam facti, ipſa ſcilicet probabilitate intrinſeca rationum, et extrinſeca DD. Atqui violentia, quæ aliqua ſaltem probabili tergiverſatione celari poteſt, aut aliquo juris ſuffragio, aut remedio excuſari, non eſt notoria, et evidens, ut ex cit. gl. in c. 1. *de offic. deleg.* in 6. et in c. ult. *de cohabit. cler. et mulier.* et reliquis juribus præcitatis; neque fundamentum, aut aditum præbet ad recurſum: ergo, &c.

XIV. Prob. 3. Quia violentia habens pro ſe opinionem, ſaltem vere probabilem, ipſam violentiam excludentem, non eſt violentia adeo certa, clara, et evidens, ut certum etiam ſit, eam actu reipſa dari, et nullam pro ea opinionem contrariam probabilem eſſe, ut ex terminis liquet: atqui, ut aſſeverat Per. cit. c. 7. n. 2. Ad licitum uſum iſtius defenſionis in cauſa, aut materia eccleſiaſtica, requiritur actualis violentia, quæ ſit clara, et manifeſta, et patens; nec ſufficit probabile judicium DD. aſſerentium, eo caſu violentiam dari, *niſi certum ſit illam dari, et nullam opinionem contrariam probabilem eſſe*: quod etiam docet Soar. Magn. infra cit. Cevall. et alii; et late proſequitur Oliv. ſub n. cit. 34. ergo, &c.

XV. *Unde* (proſequitur Oliv. loc. cit.) *ſi quæſtio in jure, ſeu apud DD. diverſas patitur reſolutiones, vel diverſas habet DD. opiniones, dari non poteſt hic recurſus; neque principes ſæculares, eorumque miniſtri, contra eccleſiaſticos prætextu violentiæ, etiam per viam facti, procedere poſſunt; non enim judex eccleſiaſticus vim facit eligendo unam ex diverſis opinionibus, vel unum ex diverſis legis intellectibus probabilibus, quoties quæſtio in jure conſiſtit, Cevall. d. p. 1. n. in prolog. n. 138. cum ſeqq. et ideo optime Suar. d. c. 34. n. 33. aſſerit, non ſatis eſſe, quod poteſtas ſæcularis probabili judicio, aut ſuſpicione ducatur, niſi certo ſciat, nullam eſſe opinionem contrariam probabilem, juxta quam poſſit eccleſiaſticus prælatus juſte præcipere, judicare, ſeu procedere. Sequitur Caſtr. d. c. 7. n. 2.*

XVI. *Dico*, 5. Si probabilitas fuerit tantum extrinſeca, ſcilicet fundata in auctoritate aliquorum DD. dumtaxat, et non intrinſeca, videlicet ſiſtens in rationum fundamento; ceſſat etiam notorietas, et reſultat dubietas extrinſeca tantum, et non intrinſeca. Probatur clare; quia, juxta ſuperius dicta, probabilitas parit dubietatem: ergo eo modo, quo fuerit probabilitas, erit dubietas: atqui in hoc caſu probabilitas eſt tantum extrinſeca, et non intrinſeca: ergo pariformiter dubietas ſolummodo extrinſece, et non intrinſece reſultabit: ergo etiam notorietas extrinſece tantum, et non intrinſece ceſſabit.

XVII. Sed quid ſtatuendum de violentia, quam dicunt aliqui notorie infligi à judice eccleſiaſtico, non judicando ſecundum opinionem communiorem, aut etiam ſecundum opinionem vere, et realiter *probabiliorem*, præſertim poſt damnationem propoſitionis 2. ab Innoc. II. infra extenſæ? Hæc equidem, ut graviora, et altiorem indaginem requirentia, ſub ſpeciali titulo, c. 15. et 16. infra ventilabuntur. Interim,

XVIII. *Dico*, 6. pro dubio facti: Quoties factum non eſt per ſe patens, et evidens, neque ſe omnium intuentium oculis offert, ſed eſt aliqua tergiverſatione celabilis, vel excuſabilis, non eſt notorium, ſed dubium. Ita DD. præcitati.

XIX.

XIX. Probatur reſolutio: Quia dubium facti opponitur notorio facti, et eſt ejus contrarium, ut ſat patet ex dictis, ex ipſiſque formalibus terminis. Atqui, ut dicit cit. gl. in c. *Manifeſta*, 2. q. 1. *Notorium facti eſt, quod exhibet ſe, et offert oculis omnium*; id eſt, *quod ita habet facti evidentiam, quod non poteſt negari*, ſupple *probabiliter*, ut *extra de coha. cler.* c. *Tua*, et *Extra*, eod. ti. c. *Veſtra*, *In tali non auditur appellans*. Extra de app. c. *Cum ſit Romana*, c. *Præterea*, et c. *Pervenit*, et *Creditur ſimplici aſſertioni officialis*; ut 4. q. 4. c. *Nullus*, § *Aliquando*. *Nec requiritur hic ſcientia omnium*, ſed *plurium, ut infra eod. c. de manifeſta*: ergo, econtra, dubium facti erit, *quod non exhibet ſe oculis omnium*, &c.

XX. *Dico*, 7. Quoties factum non eſt certum, vel negatur, et non plene probatur, ſed tantum ſemiplene, et illegitime; vel eſt inveroſimile, aut aliqua alia probabili tergiverſatione celatur, aut excuſatur; eſt ſimplicitur dubium, et non notorium; proindeque nec violentiæ notorietatem admittit, nec aditum aperit ad recurſum, neque ad ejus licitam cognitionem. Ita cit. Per. c. 4. n. 11. et c. 7.

XXI. Prob. Quia *dubium*, et *certum*, ſunt oppoſita; deinde res, ut notoria ſit, debet eſſe certa, et evidens, ut ſuperius probatum remanet. Præterea, quod negatur, et non plene probatur, eſt dubium, ut conſtat ex cit. gl. in c. 1. de offic. deleg. in 6. v. *Conſervatores*; ibi: *Sed quid ſi negetur offenſa notoria? Negatione videtur fieri res dubia.* Cod. quib. ad lit. proclam. non licet, l. 3. ibi: *Quod vero petitur, ſi fuerit negatione dubium.* Ubi gl. *Nota, per negationem rem fieri dubiam.* Sic infra de acquir. poſſeſſ. l. *Nemo*, et ſupr. de fi. inſtr. l. *plures*, et ff. de tranſact. l. 1. &c.

XXII. Deinde, ut dicitur in gl. ad l. *Admonendi*, ff. de jurejurando, *Dubia cauſa dicitur, quæ ſemiplene probata eſt.* Et *dubitabile* eſt, quando argumenta pro, et contra, congruunt, ut colligitur ex l. *Licinius*, ff. de fideic. libert. prætor. Ulterius, *quod inveroſimile eſt, credibile non eſt*; *quia veroſimile* de præſumption. l. fin. in princip. ff. quod met. cauſ. Nam *inveroſimile eſt, imago falſitatis.* Jor. de ruſticis in proœm. ad l. *Cum avus*, c. 2. n. 2. ff. de condit. et monſtr. ergo in omnibus caſibus præmiſſis ceſſat notorietas violentiæ, et hæc redditur dubia ſimpliciter; ac per conſequens, &c.

XXIII. Caſus autem, in quibus, non obſtante notorietate privilegii canonis pro clericis, et reliquis perſonis eccleſiaſticis, poſſit quis vim vi repellendo licite, et impune eos percutere, à Monacell. p. 3. form. 2. tt. 1. n. 14. ſupra attacti, ſunt ſequentes:

Porro, à cenſura can. Siquis, plures excuſantur: 1. *Percutiens clericum, ignorans probabiliter, et rationabiliter eſſe clericum, vel percutiens clericum volens percutere laicum .... Quarto, Percutiens, vim vi repellendo, vel detinens clericum ob defenſionem ſui, et ſuorum, vel etiam proximi, dummodo modum defenſionis notabiliter non excedat. Quinto, Mulier percutiens clericum, pudicitiam ſuam facto tentantem. Sexto, Percutiens clericum inventum, et deprehenſum turpiter colluctantem, aut actus impudicos agentem, cum uxore, matre, filia, vel ſorore. Septimo, Prælatus, præceptor, pater bono zelo ductus diſciplinæ, et correctionis cauſa, clericum percutiens: de prælato loquitur, text. in c. Univerſitatis, 24. de ſent. excom. ubi quod abbas per ſe ipſum, vel converſum religionis, monachum verberare poſſit. Epiſcopus vero poteſt mandare ex juſta cauſa, quod clericus capiatur, carceretur, et torqueatur, abſque metu excommunicationis, Sayr. de cenſ. l. 3. c. 27. n. 26. Bellet. diſp. cler. de favor. can. § 2. n. 32. De præceptore, ſive ludimagiſtro, eſt text. in cap. 1. de ſent. excom. dummodo diſcipulum verberet, moneat, edoceat, ut diſcipulum, ſine ſævitia, c. Cum voluntate, § fin. eod. tt. ubi gloſſ. verb. Magiſterii, dicit, quod modica et levis caſtigatio permiſſa eſt, et quod nimia ſævitia annumeratur culpæ, et quod hoc magiſtri privilegium extendatur ad clericum conſtitutum in ſacris, dicit Graff. conſil. 6. n. 10. de ſent. excom. p. 2. lib. 5.*

De patre, ſolet dubitari, an filium in ſacris conſtitutum poſſit verberare abſque incurſu excommunicationis, et verior ſententia eſt negativa, quam amplectitur Graff. d. conſ. 6. diffic. 1. n. 6. Barboſ. in d. c. Siquis, ſuadente, n. 68. Octavo, Judex laicus, ſive etiam privata perſona capiens, vel detinens clericum præparatum ad inferendam injuriam alteri, ut conſignent epiſcopo. Nono, Judex laicus, vel ejus familia capiens clericum ſæcularem, vel regularem, repertum in flagranti delicto, ut illum remittat, et deducat ad ſuum judicem infra terminum viginti horarum. Decimo, Judex laicus, ſive creditor capiens, et detinens clericum debitorem in cauſa civili de fuga ſuſpectum, præſertim ubi non adeſt copia judicis eccleſiaſtici, dummodo tamen quanto citius remittat ad ſuum judicem. Undecimo, Faciens violentiam clerico pro recuperatione rei ablatæ, ſeu propter defenſionem rerum ſuarum, &c.

XXIV. Ex omnibus ſuperius diſcuſſis, ac traditis, ſatis enucleatur, quomodo, et quando, ceſſet notorietas violentiæ, tam de jure, quam de facto, et hæc dubia ſimpliciter reddatur. Et quia, ut ſtatuitur in præcit. c. *Conſuluit*, 1. de appellat. *Multa dicuntur notoria, quæ non ſunt*; et præſertim in hac materia recurſuum, fere, ut notoria, allegantur quamplurima, quæ forſan nedum probabilia incedunt, et pro notoriis reputantur, ac de illis, prout talibus, cognoſcitur, ac providetur à regiis judicibus, ut notat Peg. tom. 3. cit. gl. 14. ſub n. 13. *Univerſæ quæſtiones hæ, quæ tractantur in ſæculari tribunali, ſæpiſſime ſunt de apicibus juris*; et n. 41. *Cum conſtet, violentiam notoriam judicari, cum ſit ad ſummum injuſtitia adeo dubia, ut ſit neceſſarium quæſtiones de apicibus juris controvertere, ac decidere, ut inde convincatur violentia perperam talis, et pejus notoria dicta:* idcirco cum maxima cautela, ac circumſpectione, nedum ipſis regiis magiſtratibus in hac re procedendum eſt, verum etiam (et plus fortaſſe) patronis, atque advocatis recurſuum libellos, ac ſupplicationes conſulentibus, et efformantibus; omnes enim, ſi violentia undiquaque notoria non fuerit, ſed dubia, aut aliqualiter celabilis, vel excuſabilis, et ſi certum ulterius non ſit, nullam probabilem opinionem in contrarium extare, quæ judici eccleſiaſtico adſit in caſu ſubjecto, et ei, ſaltem probabiliter, ſuffragetur, ut animadvertunt, et de plano aſtruunt, Per. cit. c. 7. n. 2. et c. 4. n. 11. Soar. Granat. cit. c. 34. et cum illis Oliv. et reliqui DD. ſupr. laudati; infallibiliter juris cenſuras incurrent, de quo infr. c. 15. et 17.

XXV. Nam in can. 13, 14, 15. et 16. excommunicantur, et anathematizantur, *tam recurrentes ad curias ſæculares, et laicam poteſtatem, præter juris canonici diſpoſitionem, quam judices, ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, perſonas, aut cauſas eccleſiaſticas ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, vel quomodolibet impediunt judices delegatos, aut ordinarios, quominus ſua juriſdictione contra quoſcunque utantur; quam denique reliqui omnes conſilium, auxilium, favorem, patrocinium, aut etiam aſſenſum præbentes, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, aut aliarum prætenſionum*, &c.

XXVI. Quare DD. omnes, tam laici, quam eccleſiaſtici, hac de re ſcribentes, paſſim regios monent magiſtratus, qua circumſpectione, et cautela, in ea debeant procedere, ut Cevall. infr. cit. Salgad. de reg. prot. prælud. 1. et alib. Per. de man. reg. c. 7. et 11. Peg. tom. 3. loc. cit. Oliv. d. q. 25. n. 35. ubi ſic eos admonet: *Caveant ergo* (inquit) *judices regii tribunalis, ne violentiam, ſeu oppreſſionem (ubi nulla eſt, vel non notoria, aut dubia) pro vera, certa, et notoria judicent, ſeu declarent, et prætextu ejus contra perſonas, ſeu judices eccleſiaſticos procedant: nam quoties ita procedunt, non ſolum Deum graviſſime offendunt, ſed etiam ſententiam excommunicationis in jure, et bulla Cœnæ Domini contentæ incurrunt, tanquam libertatis eccleſiaſticæ violatores; et in his terminis ad minus habet locum* § 14. *ejuſdem bullæ, dum non permittit, etiam prætextu violentiæ, contra perſonas eccleſiaſticas per judices ſæculares procedi, ut fatetur Cevall. de cogn. per viam viol. quæſt. ult. n. 10. in fin. cum ſeqq. ubi ſimilem facit exhortationem: neque ex ignorantia juris excuſabuntur, cum teneantur ſcire ea, quæ ad ſuum officium ſpectant, ut in ſpecie pater Suar. adverſus Angl. error. d. c. 34. n. 4. hæc enim ignorantia procedit à culpa, et peccato negligentiæ, ut idem doctiſſimus vir aſſerit, et probatur in leg. Latæ culpæ, ff. de verb. ſig.*

ſig. D. Thom. 2. 2. quæſt. 76. art. 2. Sylveſtr. verbo Ignorantia, § 7. Covar. in reg. poſſeſſor. 2. p. § 7. n. 7. Nav. in manu. cap. 23. n. 47. Suar. de cenſur. diſp. 4. ſect. 8. n. 14. unde generaliter DD. aſſerunt, ex ignorantia juris non excuſari à cenſura eos, qui in officio ſuo delinquunt, cum ſcire teneantur: ita Covar. d. cap. Alma, p. 1. § 10. n. 7. Graff. in D. caſuum conſcientiæ, p. 1. lib. 4. c. 9. n. 39. Suar. d. ſect. 8. n. 14. ubi alios citat: neque excuſabuntur in his terminis ex varietate opinionum, quia juris obſcuri error videtur excuſare, quia æquiparatur errori facti, ac per conſequens invincibilis; ut citati docent: nam hæc excuſatio ad noſtrum caſum applicari non poteſt, quia eo ipſo quod jus eſt intricatum, et varios patitur intellectus, jam clare conſtat, et miniſtri ſæculares ſcire debent, violentiam, ſeu oppreſſionem notoriam non eſſe; ac per conſequens procedere non poſſe, quinimo ex hoc magis culpabiles reddi: et hæc eſt pura veritas. Hæc Oliva.

Vide etiam Gratioſ. Ubert. de citationib. c. 4. fuſe per totum, præſertim an. 23. et ſeqq. de quib. aliqualiter infr. c. 17. et 18. et Cevall. de viol. q. finali, an. 10. et alibi; Seſſe, de inhibit. in prolog. et c. 8. et in ep. ad regem; et alios.

XXVII. Prælati autem, ac judices eccleſiaſtici, pro eccleſiaſtica immunitate, libertateque tuenda, præclarum illud conſtantiæ ac fortitudinis ſpeculum, præſulumque exemplar illuſtriſſimum, D. ſcilicet Thomam Cantuarienſem, ob oculos ſemper retineant, illiuſque ſalutaria monita in ep. ad epiſcopos Angliæ; ibi: *State mecum, fratres; apprehendite arma, et ſcutum, et exurgite in adjutorium mihi. Accingimini gladio verbi Dei potentiſſimi, ut ſimul omnes fortius et validius valeamus una reſiſtere pro officii noſtri debito adverſus malignantes, adverſus operantes iniquitatem; adverſus eos, qui quærunt tollere animam eccleſiæ, quæ eſt libertas; ſine qua nec viget eccleſia, nec valet; adverſus eos, qui quærunt ſanctuarium Dei hæreditate poſſidere. Feſtinemus ergo ſimul omnes id agere, nec ira deſcendat ſuper nos, tanquam ſuper negligentes paſtores, et deſides; nec reputemur canes muti non valentes latrare; ne exprobretur nobis à tranſeuntibus: A ſenioribus Babylonis egreſſa eſt iniquitas.*

Et infra; *Ob tot quidem, et tantas Deo, et eccleſiæ ſuæ illatas injurias, et mihi propter Dominum, quas ſuſtinere non debui, ſalva conſcientia mea, nec ſine diſcrimine vitæ meæ potui emendare, nec diſſimulare ſine animæ periculo; elegi potius declinare ad tempus, ut habitarem ſalubrius in domo Domini, quam in tabernaculis peccatorum, donec completa eſſet iniquitas, revelarentur corda iniquorum, et manifeſtarentur cogitationes cordium. Illa tot injuriarum illatio fuit cauſa appellationis meæ. Hæc fuit occaſio receſſus mei, quem dicitis inopinatum: qui magis ſecundum ea, quæ proponebantur adverſum me, et quæ agebantur mecum (ſi veritatem loquimini, qui noviſtis) debuiſſet fuiſſe inopinatus; ne impediretur præſcitus. Sed Domino vertente caſus adverſos in melius, proſpectum eſt domini noſtri regis honori, et ſuorum, ne quid fieret in me in ipſius ignominiam, et generationis ſuæ. Melius enim conſultum his, qui ſuſpirabant in necem meam, qui ſitiebant ſanguinem meum, qui aſpirabant ad faſtigium eccleſiæ Cantuariæ (ut vulgo dicitur, et creditur) in noſtram perniciem. Utinam minus ambitioſe, quam avide,* &c.

CAP. XV.

De Licitudine, vel Illicitudine Recurſus ad Sæculare Tribunal à Judice Eccleſiaſtico judicante ſecundum Opinionem vere probabilem, relicta communiori.

SUMMARIUM.

I. *Duplex datur probabilitas.*
II. *Opinio probabilis tripliciter dividitur.*
III. *Opinio certo probabilis, alia eſt communior, alia minus communis.*
IV. *Propoſitiones circa hoc damnatæ; videlicet, 2. Innoc. XI. 3. et 4. Alex. VIII.*
V. *Opinio magis communis non eſt re ipſa probabilior minus communi, imo poteſt in re falſa eſſe.*
VI. VII. *Probatur in multiplici exemplo in practicis.*
VIII. *Etiam in ſpeculativis.*
IX. X. *Quid in re tenuerit D. Thom. circa opinionem magis piam, et tunc minus communem, de immaculata conceptione Deiparæ.*
XI. *Tempore D. Aug. variæ circumferebantur communes opiniones, quæ reapſe falſæ erant.*
XII. *Quid de communiori opinione prædeſtinationis ante merita abſolute prævisa? An contraria probabilior?*
XIII. *Et quid de opinione circa ſolemnitatem votorum religioſorum de jure divino?*
XIV. *Plus credendum uni doctori in puncto diſcutienti ex profeſſo, quam plurimis obiter loquentibus.*
XV. *Dictum unius doctoris in puncto loquentis, etiam ſine lege, dicitur caſus legis.*
XVI. *Poteſt unus doctor ſingularis efficere probabilem opinionem adverſus alios.*
XVII. *Si ſit omni exceptione major, et alias retineat conditiones.*
XVIII. *Quin officiat propoſitio 27. damnata ab Alex. VII.*
XIX. *Cum præmiſſis conditionibus poteſt probabilem opinionem efficere, etiam contra communem.*
XX. *Judex judicans ſecundum opinionem certo, et practice probabilem, relicta communiori, in multiplici caſu, non committit injuſtitiam, neque violentiam.*
XXI. *Opinio communior poteſt eſſe intrinſece minus probabilis.*
XXII. *In quibus caſibus judex teneatur judicare, ſecundum opinionem minus communem, practice tamen probabiliorem.*
XXIII. *Opinio communior, ideo non eſt intrinſece veroſimilior, aut veritati propinquior.*
XXIV. *Communiores opiniones ſæpe decurſu temporis repertæ ſunt falſæ.*
XXV. *Propoſitio damnata afficit judicem judicantem ſecundum opinionem minus probabilem, non vero minus communem.*
XXVI. *In praxi aliquæ opiniones minus communes præferuntur communioribus, imo et probabilioribus; et quænam?*
XXVII. *Aliquando recedendum eſt ab opinione magis communi ex Deluc.*
XXVIII. *Non debemus irrationabiliter, more avium, aut ovium, ſequi præcedentium volatus, et ſaltus.*
XXIX. *Judex judicans ſecundum opinionem vere probabilem, licet minus communem, non committit violentiam notoriam.*
XXX. *Talis accuſata violentia eſt tergiverſatione probabili vere celabilis.*
XXXI. *Opinio quantumvis probabilior, et communior, eſſentialiter præcontinet formidinem, et incertitudinem.*
XXXII. *Violentia recurſabilis debet formaliter, et eſſentialiter, in ſe ipſa præcontinere notoriam injuſtitiam, vi illatam.*
XXXIII. XXXIV. *Quomodo opinio minus communis poſſit practice communiori præponderare?*
XXXV. *Opinio ex probabili, et probabiliori, poteſt reddi improbabilis.*
XXXVI. *Aliquæ antiquorum opiniones probabiliores et communiores, hodie improbabiles ſunt.*
XXXVII. *Notoria injuſtitia, et notoria violentia, ſunt quid formaliter diverſum.*
XXXVIII. XXXIX. XL. *Aliud dicendum de judice judicante ſecundum opinionem tenuiter probabilem, et probabiliter tantum probabilem.*
XLI. *In hoc caſu peccaret judex contra charitatem, prudentiam, juſtitiam, et proprii munus officii.*

I. PRÆMITTO, 1. Duplicem dari probabilitatem, aliam extrinſecam, fundatam in auctoritate DD. aliam intrinſecam, nitentem fulcimento rationum. Utramque comprehendit Ariſtoteles, quando, 1. topic. c. 1. et 1. ethic. c. 4. de opinione proba-

probabili dixit, eſſe: *quam aſſerunt viri ſapientes, et confirmant optima argumenta.* Et primæ uſum ex unico A. præciſe damnavit Alex. VII. in prop. 27. ita recitante: *Si liber eſt alicujus junioris, et moderni, et eſt ejus opinio, cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.*

II. Præmitto, 2. Opinionem probabilem etiam tripliciter dividi, 1. In opinionem tenuiter probabilem. 2. In opinionem probabiliter probabilem. 3. In opinionem certo probabilem. Circa primam extat damnatio Innoc. XI. in prop. 3. ſic: *Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui modo à probabilitatis finibus non excatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Non tamen damnatur hic, ait compilat. cum Lumb. et Villalob. n. 490. quod in caſu neceſſitatis cujuſcunque materiæ, ſequi poſſit opinio tenuis probabilitatis, imo teneatur; quia hoc non eſt *generatim* eam ſequi, et ipſa neceſſitas tunc auget in illa probabilitatem, et uſum illius licitum reddit.

III. Præmitto, 3. Opinionem certo, et vere probabilem, aliam eſſe *communiorem*, quia ſcilicet vel majori DD. numero fulcitur, vel in praxi eſt magis uſu recepta; aliam *minus communem*, ex minori DD. patrocinio, et uſu minus frequenti; aliam etiam *probabiliorem*, tam extrinſece, quam intrinſece, quia ſcilicet, majori DD. aut magis claſſicorum, et melioris notæ copia protegitur; et majori, ſolidiorique rationum, aut argumentorum fulcimine ſolidatur: aliam *minus probabilem*, non quia tenuis probabilitatis eſt, ſed quia intra terminos certæ, et veræ probabilitatis, non æquali copia DD. aut argumentorum æquali ſoliditate fundatur: aliam tandem *probabiliſſimam*, quæ ſcilicet inter opiniones probabiles principalem locum obtinet, ut ait P. Viv. et eſt quaſi moraliter certa.

IV. Quocirca invenitur ſequens propoſitio 2. damnata ab Innoc. XI. videlicet: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare, juxta opinionem etiam minus probabilem.* Et prop. 3. confixa ab Alex. VIII. *Non licet ſequi, vel inter probabiles, probabiliſſimam.* Et 4. ab eodem: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

V. Præmitto, 4. Opinionem certo probabilem, et magis communem, licet extrinſece probabilior ſit, quam minus communis, certo tamen probabilis; non ideo abſolute, et intrinſece probabiliorem eſſe, aut magis ad veritatem accedentem; cum in re falſa omnino, et à veritate penitus aberrans eſſe poſſit; et contraverſum opinio minus communis poteſt eſſe intrinſece probabilior, et veroſimilior, imo reipſa vera, et certa. Ita Platell. de conſcient. Viv. in propoſ. præjactas, unde Ariſtoteles: *Multa falſa, ſunt probabiliora veris.*

VI. Patet præmiſſum in multiplici exemplo, maxime pro dicendis obſervando, tum in moralibus, tum in ſpeculativis. Et, 1. In communiſſima opinione, quæ ante Soarium Magnum generaliter circumferebatur (pro qua ſolus Averſ. numerat undeviginti AA.) ſacerdotem ſcilicet ſacrum celebrantem, antequam matutinum cum laudibus recitaret, graviter peccare, eo quod in rubricis Miſſalis Romani, de defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus, § 10. ita caveatur: *Si celebrans ſaltem matutinum cum laudibus non dixerit.* Quam tamen obligationem Soarius ipſe examinans, poſtquam adverſus opinionem illam ſcripſit, defendens, nullum eſſe peccatum, ſaltem mortale, eo quod non videretur eſſe ulla ſpecialis connexio, aut dependentia miſſæ ab illis precibus (quando enim recitatur de feſto ſemiduplici, licite poteſt dici miſſa votiva, vel defunctorum, ex ipſomet eccleſiæ præſcripto: proindeque connexio inter officium, et miſſam, non eſt adeo gravis, ut gravitatem materiæ inducat in illius defectu) ut apud Gobat, tr. 3. n. 667. vel ſaltem, eſſe dumtaxat veniale, ſi nulla rationabilis cauſa interſit, ut probabilius defendunt Buſemb. Laym. Filliuc. et Averſ. q. 11. ſ. 12. § 8. omnes ſubſequentes DD. Soario adhærentes hanc opinionem communiorem, et probabiliorem reddiderunt, prima minus probabili evadente, et minus communi de facto, eo quod pro contraria major ſeries auctorum primæ notæ, et hodierna die omnes DD. majori rationum pondere pugnent, ut Valent. Henriq. Arriag. Vaſq. Bellarm. Victor. Bonac. Can. Con. Sanch. Leſſ. Caſtrop. Fagund. Ilſung. et alii ap. Lacr. l. 6. p. 2. n. 230. licet acriter repugnet Monacell. ſupplem. ad 2. tom. tit. 16. n. 419.

VII. Patet, 2. In opinione tenente regulares ab ordinariis approbatos cum limitatione, tranſacto tempore limitationis, poſſe virtute bullæ Cruciatæ à pœnitentibus eligi in confeſſarios: quæ ante damnationem Clem. XII. per bullam *Cum ſicut*, ann. 1700. editam communior, et forſan apud aliquos, præſertim regulares, ut probabilior verſabatur; et tamen erat falſa, et hodie improbabilis poſt prædictam damnationem, et nuperas ſubſequentes Innoc. XIII. in bull. *Apoſtolici miniſterii*, ann. 1723. et Bened. XIII. in bull. *In ſupremo*, ann. 1724. promulgatas, et in appendice ad novum concilium Roman. reperiundis; ubi damnatio Clem. XII. extenditur etiam ad confeſſarios non approbatos ab actuali ordinario loci, eſto tales fuerint ab ordinario præterito ejuſdem territorii; ibi: § 17. *Declaramus inſuper prædictis ſacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus, ad confeſſiones excipiendas, vel ex vi prædictæ bullæ Cruciatæ, vel ex quocunque alio privilegio electis, ſuffragari minime etiam poſſe, quod approbati alias fuerint ab epiſcopo illo, qui aliquando fuerit ordinarius loci, in quo confeſſiones audiendæ ſint, ſed talis tunc temporis amplius non exiſtat, vel quia ab humanis exceſſerit, aut epiſcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam eccleſiam auctoritate apoſtolica tranſlatus reperiatur; ſed neceſſariam omnino eſſe illius, qui actualiter, et pro tempore, ordinariam juriſdictionem in ea diœceſi exerceat, approbationem.*

VIII. Patet, 3. In opinione docente, circumſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem non teneri aperiri in confeſſione; quæ tamen licet ſit communior (et quondam fortaſſis probabilior reputabatur, ut ait D. Thom.) hodie tamen non eſt re ipſa probabilior, nec verior contraria, ſaltem practice, imo multo minus probabilis, et fortaſſe aliquando corrigibilis, tum quia opponitur catechiſmi declarationi, tum ob grave, quod affert animabus et conſcientiis, ſpirituale præjudicium; quinimo illam abſolute improbabilem practice reputo in caſu, quo pœnitens de circumſtantiarum illarum gravitatis qualitate interrogetur, de quo vid. Gonet. d. 10. a. 3. Arr. D. 32. Lacr. l. 6. p. 2. n. 977. Et ſimiliter in opinione docente, per ſacrilegam quidem communionem eccleſiaſtico præcepto fieri ſatis; quæ ſane communior erat, et hodie falſa, poſt formalem ejus damnationem Innoc. XI. propoſ. 55.

IX. Patet, 4. In ſpeculativis, in opinione minus pia, tenente beatiſſimam, et immaculatam Deiparam pro primo inſtanti originalem labem contraxiſſe, quæ tempore D. Thomæ communior quidem erat, et hac de cauſa (non ex majori probabilitate) à doctore Angelico ſecuta eſt, ut ipſemet revelavit venerabili Fr. Dominico Ruſſol, Carmelitæ Diſcalceato, ut conſtat ex ejus vita, typis mandata, et ex chronicis ordinis, dum Neapoli, in pervigilio feſtivitatis ipſius immaculatæ conceptionis Deiparæ, in eadem cellula, ſeu ſacello (qua doctor ipſe Angelicus ab angelorum Domino audire meruit, *Bene ſcripſiſti de me*) noctu orationi vacaret, et cogitaret, quomodo ſanctus ille, Beatiſſimæ Virgini adeo devotus, minus piam opinionem amplexatus fuerit; et an verum hoc etiam foret, quod eidem opinioni ſubſcripſerit? Apparens D. Thomas ipſi affatus eſt, eundem certiorem faciens, ſe, dum ſcriberet, opiniones illas, quæ tunc temporis communiores erant, ſemper fuiſſe amplexatum; et quia opinio illa minus pia, tunc communior incedebat, ei ſubſcripſerit. Aſt poſtquam in patria viderat in verbo, *Omnipotentem Deum, glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum filii ſui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparâſſe*, intellexiſſe clare, eandem Deiparam originalis labis prorſus immunem pro omni temporis differentia evaſiſſe. Et tamen opinio minus pia, licet communior, et extrinſece probabilior, jam tunc erat falſa.

X. In obſequium tamen D. Angelici, et ejuſdem ſingularis erga illibatam Virginem devotionis, hic addere licebit, nonnullos, etiam Thomiſtas, conſtanter negare, D. Thomam minus piæ opinioni adhæſiſſe; imo contrarium tenuiſſe; in cujus confirmationem ipſ-

ſiuſmet auctoritates allegare ſolent ex opuſculo, q. 17. et alibi: *Ipſa*, ſcilicet *Sancta Maria, puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Et ex 1. ſent. diſt. 10. q. 2. a. 4. et in 3. diſt. 44. q. 1. a. 3. ad 3. *Poteſt aliquid ita purum eſſe, ut nil purius ſit in rebus creatis; et talis fuit puritas B. Mariæ, quæ à peccato originali, et actuali, immunis fuit:* et ex commentar. in ep. ad Gal. lect. 6. *Virum de mille unum reperi, qui eſſet ſine omni peccato. Mulierem autem non inveni, quæ à peccato omnino immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali. Excipitur puriſſima, et omni laude digniſſima Virgo Mariæ.* Et 3. p. ad Fauſtin. epiſcop. apparens poſt mortem, ann. 1400. ſic effatus eſt: *Scito, domine epiſcope, quod quando talem opinionem poſui, ſolum habui reſpectum ad illum ſtatum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, niſi per filium fuiſſet præſervata. Sed Dei Filius Matrem ſuam ab originali macula præſervavit.*

De quo vide Avendan. in opuſc. de conception. et P. Silveir. etiam in opuſcul. q. 17. Velaſq. de conception. l. 5. diſ. 3. ad not. 2. et diſt. 1. ann. ff. 7. et alios.

XI. Pariformiter tempore D. P. Auguſtini variæ circumferebantur opiniones, quibus S. doctor, ut communioribus, adhæſit; et tamen erant falſæ, et ideo ipſe D. Parens in libr. retractationum eaſdem aperte retractavit. Imo ipſemet S. D. ep. 8. ad Hieron. et refertur in c. 4. d. 9. ſic ait: *Sicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſint juſto judicio, et nulla temeritate damnari.* Similiter eodem tempore probabile erat, eſſe quidem licitum ducere alteram conjugem, demiſſa adultera, teſte ipſo Aug. de adult. nupt. l. 1. c. 25. et colligitur ex c. *Illud etiam*, 30. q. 3. et hodie certum eſt, non licere.

Item, et uſque ad tempus Sotti, communior erat opinio, non debere impertiri abſolutionem, etiam ſub conditione moribundo, qui nulla contritionis ſigna ediderat; et tamen hodie, præſertim poſtquam Sottus opinionem illam retractavit, contraria communior quidem eſt.

XII. Similiter etiam inter ſcholaſticos, licet communior ſit opinio aſſerens prædeſtinationem eſſe ante omnia merita abſolute prævisa, non tamen ideo probabilior eſt; imo contraria in praxi inſinuanda, et conſulenda eſt omnino, ait Platellius de prædeſtin. tum quia animis ad ſalutis ſtudium erigendis accommodatior eſt, et magis auget, ac firmat fiduciam, et ſpem fidelium erga beatitudinem conſequendam; tum quia, ut animadvertit D. Franciſcus Saleſius, opinio prædeſtinationem poſt merita abſolute prævisa ſtatuens, videtur eſſe practice de ſenſu, ac mente univerſalis eccleſiæ, in illa oratione eccleſiaſtica: *Omnium miſereris quos fide, et opere futuros eſſe prænoſcis.*

XIII. Idem viſitur in opinione, tenente ſolemnitatem votorum religioſorum eſſe de jure divino, et de eſſentia ſtatus religioſi, olim communiſſima, nunc certo falſa, ait Platell. ex bull. *Aſcendente Domino*, Greg. XIII. et in aliis. His igitur præmiſſis, ſit

Concluſio Prima.

XIV. Plus credendum, ac deferendum eſt, tam in materiis moralibus, quam in juridicis, ac judicialibus, uni doctori in puncto loquenti, et rem ex profeſſo diſcutienti, et pertractanti, quam pluribus DD. obiter, et per tranſennam, ſeu à remotis rem tangentibus, et indicantibus. Unde unicus A. poteſt efficere opinionem practice probabilem cum conditionibus infra exprimendis. Eſt reſolutio communiſſima, tam juriſtarum, quam moraliſtarum, etiam poſt damnatam prop. 27. ab Alex. VII.

XV. Ex juriſtis eam tradunt expreſſe Surd. Conſ. 379. n. 23. Gratian. c. 282. n. 19. et c. 335. n. 22. Mart. vot. Piſan. n. 7. et 198. n. 23. Seſſ. dec. 230. n. 6. et 7. Natt. conſ. 631. n. 17. ubi ait: *Plus valet una doctrina in puncto, quam mille à remotis, et ſimilibus.* Accedunt Anſald. conſ. 142. n. 691. Cavalcan. dec. 28. n. 16. et 30. et dec. 34. n. 10. p. 1. Tradit etiam expreſſiſſime Menoch. dec. Florent. I. n. 39. et conſ. 73. n. 17. ubi inquit: *Dictum unius doctoris in puncto loquentis, etiam ſine lege, dicitur caſus legis.* Quibus adhærent Fagn. in c. *Ne innitaris*, de conſtit.

Ex theologis moraliſtis, atque ſcholaſticis eam defendunt cum curſ. mor. Salmantic. et Lumb. to. 2. fragm. 7. et cum eo Fr. Valentin. Carden. Viva Lacr. ad Buſemb. et reliqui infr. cit. necnon plures alii, quos citat Verricell. to. 2. q. 5. et P. Dom. Viva in d. prop. 27. Alex. VII. Platell. Villalob. et alii.

XVI. Probatur facile; quia poteſt D. aliquis modernus ex profeſſo rem exactius præ antiquis examinando adeo evidentes rationes, et ſolidiſſima fundamenta pro una parte detegere, quæ prævaleant adverſæ, et communi aliorum DD. rem tantum obiter, et per tranſennam indigitantium, et practice etiam, nedum ſuam ipſius ſingularem opinionem probabilem efficere, ſed et contrariam probabiliorem, et ei practice etiam præferendam reddere, ut accidit Soario in laudata opinione de licitudine ſacrum celebrandi, horis matutinis non recitatis; et ut Subtili, Felicique doctori Mariano Scotto, ordinis Seraphici decori eximio, in examine, et oſtenſione, atque publica opinionis piæ illibatæ conceptionis Deiparæ mirabili ſuſtentatione, ac defenſione, etiam feliciter evenit. Ergo, ſi doctor ille, eſto ſingularis, et modernus, ſit omni exceptione major, et ſolidis rationibus, ac argumentis ſuam opinionem fundet, illam practice probabilem reddet, imo probabiliorem forſan juxta prædicta.

XVII. Unde cum multis ſic concludit Lacr. l. 1. de conſcient. n. 155. *Unicus auctor, ſi ſit omni exceptione major, afferatque rationem, quam illi non conſiderârint, vel non ſatis ſolverint, ipſe autem aliorum rationes commode ſolvat, quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem ſuam certo probabilem, donec alii expenſas viciſſim ipſius rationes ſolvant, et dicant non eſſe ſufficientes: ita docent* 23 *auctores cum Carden. d.* 11. *n.* 254. *d.* 55. *n.* 4. *d.* 57. *c.* 2. *Plures idem affirmantes referunt Mendo. inſtat d.* 13. *qu.* 15. *n.* 204. *d. Moya, qu.* 3. *et* 4. *qui aſſentitur: idem docent Sporer, n.* 41. *Arſdelin. t.* 2. *p.* 2. *tract.* 1. *c.* 2. § 5. *Tamb. in Dec. l.* 1. *c.* 3. § 3. *n.* 5. *Ratio eſt, quia, ſi iſtæ circumſtantiæ adſint, prudenter judicatur habere rationem gravem pro opinione ſua.*

Et n. 160. quærens, *Quis auctor dicatur omni exceptione major?* ſic reſpondet: *Ille eſt omni exceptione major, contra quem opponi non poteſt una harum exceptionum, vel,* 1. *Quod ejus opinio ſit contra principium aliquod certum; tum enim eſt certo falſa, et improbabilis: vel,* 2. *Quod levi æquivoco, aut ſophiſtico fundamento nitatur: vel,* 3. *Quod ipſe alias varia improbabilia, et à cæteris theologis reprobata docuerit: cum enim gravitas fundamenti dicatur relative ad judicium prudentum, ſi hi aliquid communiter rejiciant ut improbabile, cenſeri non poterit grave: vel,* 4. *Quod ſit merus ſummiſta, qui ſententias utrimque non examinatas à ſe tantum ſumat ex aliis, et ſolum exſcribat; tum enim ſtari non poteſt ejus judicio, cum incertum ſit, an quæſtionem bene intellexerit, et argumenta penetrârit: ſi unum horum poſſit contra ipſum opponi, non eſt omni exceptione major.*

XVIII. Nec obeſt præpoſita propoſitio 27. ab Alex. VII. preſcripta; ibi namque damnat Pontifex ſequelam, et judicium de probabilitate illius opinionis, ex eo præciſe, *quod ſit doctoris alicujus moderni*, et ex hac tantum inſufficienti probabilitate extrinſeca; non vero ex intrinſeca, et ex aliis fundamentis, ac rationibus. Ita Carden. de probabilit. tr. 1. diſp. 11. c. 4. uſque 12. incluſive, et Fr. Valentin. in compilat. mor. hic, ubi cum reliquis DD. ibid. cit. ſic inquit, n. 283. et 284. unde ex Caſtro Pal. to. 1. tr. 1. diſp. 2. pu. 1. n. 3. *Poteſt junior doctus, pius, et gravis, opinionem reddere probabilem, ſi tam ſolida ratione fundat, quamvis à nullo alio materia ſit controverſa; et etiamſi ab aliquibus tractata fuerit, contra eos ſua vere fulcita opinione inſurgere valet, practiceque probabilem efficere poteſt. Quæ Palai opinio hic damnata non venit; quia non ex eo præciſe, quod ex juniore, et quia impreſſa eſt; ſed aliis allatis circumſtantiis, probabilem, et ad praxim reducibilem eſſe affirmat; ita Corell. n.* 175. *Et hinc infert, quod auctor ſingularis poteſt opinionem contra communem aſſenſum facere, ſi ſolida ratione, et non tranſeunter, ſed ex profeſſo, rem controverſam tractet. Villal. to.* 1. *tract.* 1. *dif.* 4. *n.* 7. *Palao citat. n.* 5. *et dummodo*

modo talis opinio ab aliis non rejiciatur communiter, ut improbabilis, nec ab eccleſia damnata ſit.

XIX. Quare etiam cit. P. Viv. in d. prop. 27. Alex. VII. § 6. ſic tenet: *In eo dumtaxat caſu admitti poteſt, ut probabilis non ſolum plurium, ſed etiam unius auctoris opinio, etiamſi adverſus communem aliorum ſentiat, quoties auctor eſt omni exceptione major: cum enim auctores relate ad imperitos, qui non valent momenta rationum perpendere, ſint veluti teſtes veritatis, ſicut unus teſtis poteſt eſſe aliquando ſufficiens ad aliquid ſuadendum, quando eſt omni exceptione major, adeo ut ejus auctoritas pluris fiat, quam multorum tenuis auctoritatis, ac dubiæ fidei, in oppoſitum; ita poterit unus auctor omni exceptione major reddere opinionem aliquam probabilem, etiamſi adverſus illam plures tenuioris auctoritatis ſentiant. Is autem dicitur auctor omni exceptione major, qui ſit valde peritus, firmis ac validis rationibus conſueverit concluſiones ſuas fundare, qui veritatis potius, quam novitatis cenſeatur amator: ac demum qui aliorum fundamenta plene diſcuſſerit, et dejecerit; adeo ut prudenter credi poſſit alios etiam doctiſſimos eidem opinioni ſubſcripturos: ita contingit in opinionibus, quas D. Thomas primus omnium adverſus communem antiquorum docuit; quod optime advertit M. Gallego de conſc. probabil. dub. 21. dicens: Noſter Angelicus doctor multa ſcripſit, et docuit contra alios, qui ante ipſum ſcripſerunt; et tamen ejus opiniones ſtatim, ac ab ipſo traditæ ſunt, exiſtimatæ ſunt probabiles, tum propter ejus maximam auctoritatem apud theologos; tum quia non levibus, ſed rationabilibus fundamentis ductus eſt ad ſic opinandum.*

Concluſio Secunda.

XX. Judex judicans ſecundum opinionem vere, et certo practice probabilem, ſed minus communem, relicta communiori, in multiplici caſu non committit injuſtitiam, neque in ullo violentiam notoriam, quæ poſſit fundare recurſum. Hæc reſolutio eſt de mente omnium fere moraliſtarum, quoad 1. partem; licet quoad 2. ſit contra aliquos juriſtas, ſibi tamen, et eorum principiis, non conſtantes, ſi bene perpendantur; videlicet Portugal de donat. p. 2. c. 31. n. 25. Per. de man. reg. et alios.

XXI. Probatur, 1. pars; Quia, juxta ſuperius præmiſſa, opinio communior poteſt eſſe magis quidem communis, ſed minus probabilis; et opinio minus communis poteſt re ipſa intrinſece, et practice, certo eſſe probabilior. Atqui in tali caſu judex tam ſæcularis, quam eccleſiaſticus, teneretur judicare ſecundum opinionem minus communem, magis tamen reapſe probabilem: ergo, &c. Probatur hæc minor evidenter ex damnatione præmiſſa Innoc. XI. in prop. 2. qua damnatur etiam probabilitas, quod quilibet judex judicare poſſit juxta opinionem minus probabilem: ergo ſi hoc aſſertum, poſt damnationem illam, falſum eſt, neceſſario verum erit ipſius contrarium, aut contradictorium; videlicet quod judex non poſſit judicare juxta opinionem minus probabilem, et quod hoc probabile ſit, ut propoſitio damnata recitabat: ergo, ſaltem, in illo caſu, teneretur judex judicare juxta opinionem minus communem, magis tamen probabilem.

Subſumo ſic: Atqui judex ita adſtrictus, et taliter judicando, non operaretur contra juſtitiam, quinimo contra illam expreſſe operaretur, ſi ſecundum communiorem, ſed minus probabilem opinionem judicaret: ergo, abſolute loquendo, non eſt verum, quod judex ſemper teneatur ſecundum communiorem opinionem judicare; et quod injuſtitiam committat non ita judicando, ſed ſententiam ferendo, juxta minus communem opinionem, practice tamen certo probabilem.

XXII. Prob. 2. Quia judex ſententiam ferendo juxa opinionem certo, et practice probabilem, ſed minus communem, in favorem rei in criminalibus, licite, et juſte judicat, imo tenetur ſic reo favens judicare, ut eſt commune DD. placitum, ex reg. jur. 11. in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.* Quoties autem jura partium in diverſas opiniones dividuntur, licet una communior ſit, imo probabilior, jura quidem obſcura ſunt, ut ait Villalob. n. 4. neque caſus iſte comprehenditur in damnatione illa Innoc. XI. ut tenent Viv. Fr. Valentin. in compilat. mor. ſicut neque comprehenditur in civilibus opinio docens, teneri judicem ſententiam pronuntiare in favorem partis poſſidentis, quamvis ei opinio minus communis, imo minus probabilis aſſiſtat, et contrariæ parti probabilior, et communior; quia hæc major probabilitas abſorbetur, et confunditur ab illa, per circumſtantiam prævalentem legitimæ poſſeſſionis. Ita Torrecill. Filgueir. hic, et alii, cit. à Fr. Valent. in d. prop. ſub n 484. ergo, in his caſibus, non ſolum licite poteſt, imo et tenetur judex, citra injuſtitiam judicare ſecundum opinionem minus communem, vere tamen probabilem.

XXIII. Prob. 3. Quia judex tenetur judicare ſecundum jus partium veroſimilius, et ſecundum veroſimiliorem opinionem, ut patet ex reg. jur. 45. in 6. et ex l. *In obſcuris*, ff. de reg. jur. ibi: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius.* Atqui opinio communior nec ideo eſt veroſimilior, neque veritati propinquior, aut conformior: et probatur; quia major illa communitas poteſt provenire tantum ab auctoritate extrinſeca, eo quod pro illa ſtet major, non melior, DD. copia. Et ſi proveniat ex praxi, poteſt communior hic uſus oriri non ex majori aliqua ratione, aut fundamento ab intrinſeco, ſed ex majori caſuali frequentia praxiſtarum, quatenus ſubſequentes veſtigia præcedentium, *pecorum more*, ut inquit Seneca, vel *avium volantium*, ut ait Deluc. inſequuntur: quæ quidem rationes nil urgent pro majori veritati propinquitate. Vide cardin. Deluc. de donat. d. 65. n. 14. infr. cit. n. 27.

XXIV. Quia communiores opiniones, imo et probabiliores, ſæpe ſæpius, decurſu temporis, veritate clarius innoteſcente, repertæ ſunt falſæ: ergo nec ſemper tenetur judex juxta communiorem opinionem judicare, imo multoties ſecundum minus communem, ſi pro hac adſit ratio, aut circumſtantia aliqua ſpecialis, quæ eam practice communiori faciat præferri, ac prævalere.

XXV. Confirmatur, 1. Quia propoſitio damnata agit dumtaxat de judice judicante ſecundum opinionem minus probabilem, non vero ſecundum minus communem: deinde in humanis actionibus licite, et practice ſequi poteſt opinio minus, vere tamen probabilis, etiam in conflictu probabilioris, ut tenent communiter DD in d. prop. 3. Alex. VIII. ſignanter Carden. Viv. Moya, Fr. Valentin. Torrecill. Lumb. et alii.

XXVI. Præterea hodie etiam in praxi præferuntur aliquæ opiniones minus communes, et minus probabiles communioribus, ac probabilioribus, ut in opinione tenente, ſacerdotem in miſſa, ſi poſt ſumptionem ſanguinis experiatur vinum fore corruptum, vel jam acetum factum, teneri nedum novam materiam vini, et aquæ adhibere, ſed ad novam hoſtiam pro nova conſecratione utriuſque materiæ, etiam citra ſcandalum, incipiendo à verbis illis: *Qui pridie*, &c. quæ opinio, quam ſequitur D. Thom. et univerſa ejus ſchola, eſt probabilior, et fortaſſis communior fuit olim, propter rubricam miſſalis, *de defectu vini*, § 4. ibi: *Apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et conſecret, et conſumat, quamvis non ſit jejunus*; et propter rationem attactam à Fel. Pot. de verificatione verborum illorum: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem*, &c. Et tamen in praxi hodie præfertur, et practicatur opinio Scoti, etiam privatim, ab ipſiſmet D. Thom. diſcipulis, adhibendo tantum novam materiam vini, et aquæ, et incipiendo à verbis: *Similiter poſtquam*, &c. Idem viſitur in aliis variis opinionibus, c. ſequenti indicatis.

XXVII. Confirmatur, 2. Ex doctrina card. de Luca de don. diſc. 196. n. 17. ubi formaliter docet, quod aliquando recedendum eſt ab opinione magis communi, et procedendum cum minus communi. Et diſc. 65. n. 14. et 17. eod. tit. de donat. ibi: *Et ſi objiciatur, quod non adſint doctrinæ deſcendentes ad has diſtinctiones, et reflexiones in concurſu tot doctrinarum in contrarium, recte poteſt reſponderi eodem modo, quo ſimili objecto reſpondit Paul. de Caſtro, conſ. 434. in fin. lib. 2. à me relato, diſc. 1. de benef. n. fin. ibi: Sufficit auctoritas mea, quia video, et cognoſco, prædicta omnia vera eſſe, et veritate fulciri .... Multa exempla ad id comprobandum deduci poſſent, et præſertim illud in celebri quæſtione, an creditores poſteriores ex cauſa oneroſa vincant anteriores ex cauſa lucrativa, quoniam omnes antiqui, et medii, uſque ad tempora Gabriel. Eugubin.*

gubin. concorditer dabant hanc prælationem, ipſe autem adhibuit, abſque auctoritatibus, diſtinctionem inter chirographarios, et hypothecarios, quoniam diſtinctio erat legalis, moderni, et tribunalia, magis ſecuti ſunt ex relatis à me diſc. 31. *de credito cum ſimilibus.*

XXVIII. *Ideoque non debemus more avium, vel ovium, aliorumque irrationabilium, abſque diſcurſu ſequi aliorum volatus, vel ſaltus . . . quoniam, ut præmiſſum eſt, quicquid antiquorum ſimplicitas dubitaverit, hodie extra controverſiam receptum videtur,* &c.

XXIX. Probatur, 2. pars concluſionis efficaciter; videlicet, Quod in nullo caſu judex judicans juxta opinionem vere probabilem, licet minus communem, committat violentiam notoriam, quæ poſſit fundare recurſum ad ſæcularia tribunalia; et probatur evidenter ex ipſorum DD. ſæcularium doctrinis; 1. Quia ſola violentia clara, patens, et evidens, quæ ita notoria fuerit, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, et quæ minime dubia ſit, imo quod de illa certum ſit, non ſolum, quod realiter detur, ſed etiam *quod nulla detur probabilis opinio in contrarium*, ut loquitur Per. de man. reg. cit. c. 4. n. 11. et 7. n. 2. et alibi.

XXX. Atqui in caſu judicis judicantis, juxta opinionem vere probabilem, quamvis minus communem, accuſata violentia eſt aliqua tergiverſatione, atque prætextatione, ipſamet ſcilicet opinione, celabilis abſolute, ut unice requirere videntur textus ſuperius citati, c. 12. nempe text. in c. ult. de cohabit. cler. c. *De manifeſta*, 2. q. 1. c. *Cum olim*, de verb. ſignif. vel ſaltem celabilis probabiliter, ejuſdem opinionis vera, et certa probabilitate, vi cujus remanet practice certo celabilis, et prætextabilis, ut declarat gl. in d. c. 1. de offic. deleg. in 6. *Probabili tergiverſatione celari*; et gl. in c. *Manifeſta*, 2. q. 1. verb. *Notorium facti*; ibi: *Quod ita habet facti evidentiam, quod non poteſt negari*, ſupple *probabiliter:* deinde ſufficit illa minor probabilitas, licet minus communis, etiam in conflictu communioris, et probabilioris opinionis ad rem dubiam reddendam, ut docent præcitati DD.

XXXI. Et patet ex ipſo eſſentiali conceptu opinionis, quæ quantumvis probabilior, et communior, incertitudinem ſemper præcontinet, et formidinem partis oppoſitæ, ut eam definit D. Thom. 1. p. q. 79. a. 9. ad 4. et 2. 2. q. 1. a. 4. dicens: *Opinio eſt actus intellectus, latus in unam partem contradictionis, cum formidine alterius:* quem generaliter ſequuntur omnes theologi, ac philoſophi.

Ergo accuſata violentia in tali caſu, ſemel, quod opinio vere probabilis intercedat, eſt reapſe dubia, et non notoria, clara, et evidens, cum excluſione totali opinionis probabilis in contrarium, ut vult cit. Per. proindeque, juxta mentem illius, et cæterorum, non eſt violentia recurſabilis, ſeu quæ valeat aditum ad recurſum præbere: ergo, &c.

XXXII. Prob. 2. Quia violentia, quæ valeat fundare recurſum à judice eccleſiaſtico ad ſæculare tribunal, debet in ſe ipſa formaliter præcontinere notoriam injuſtitiam; imo ut violentia ſit, ac reputetur, debet eſſe injuſta, imo debet præcontinere injuſtitiam, et *vim*, ſive injuſtitiam *vi illatam*; ab hac enim dicitur, et eſt *violentia*, quaſi *vi oppreſſio illata*, ſeu *vi illata injuria*. Atqui in caſibus præſuppoſitis judex ferens ſententiam juxta opinionem vere probabilem, licet minus communem, nec peccat, nec injuſtitiam committit: ergo multo minus committet violentiam, et minime violentiam notoriam recurſabilem.

XXXIII. Objicies, 1. contra 1. partem concluſionis 2. Ex eo quod opinio, quam judex deſeruit in ferenda ſententia, ſit communior, et praxi magis recepta, eſt practice probabilior: atqui, juxta damnationem præmiſſam, judex tenetur judicare juxta probabiliorem: ergo, &c. Probatur major ex auctoritate præd. Fr. Valentin. hic ſub n. 484. § 5. ibi: *Non damnatur aſſerere, quod poſſit judex inferior ſententiam ferre juxta minus probabilem opinionem, ſi in praxi eſt magis recepta: nam major probabilitas ſuppletur optime per praxim, et ſtylum, qui eſt velut certum jus municipale, ad quod omnino attendendum eſt, ut cum Barb. affirmat Filgueir. in præſenti:* ergo, &c.

XXXIV. Reſpondetur diſtinguendo majorem: eſt practice probabilior, ſi oppoſita ſententia probabilis minus communis, nullam pro ſe praxim, aut uſum habeat; tranſeat: ſi habeat etiam uſum practicum, licet minus frequentem, ſubdiſtinguo: cæteris paribus, et ex vi uſus præciſe, concedo; cæteris imparibus, et aliunde, nego. Poteſt enim opinio probabilis minus communis, vel abſolute, vel hic, et nunc, aliquam habere rationem, fundamentum, aut circumſtantiam, quæ eam faciat practice præponderare, et communiori, uſuque receptiori præferri.

XXXV. Nam, ut tenet Lacr. de conſcient. n. 201. certum eſt, opinionem ex probabili, et probabiliori, poſſe reddi improbabilem; et è converſo, ex improbabili, poſſe probabilem, et probabiliorem evadere, ſi aliqua ratio firma pro illa, vel contra illam nunc innoteſcat, quæ hactenus vel ignorabatur, vel non adeo bene perpendebatur, vel forte non aderat, ut ſæpe factum eſſe, ac fieri experientia docet, et claret in exemplis ſuperius præmiſſis.

XXXVI. In confirmationem adducit Carden. Criſ. 2. d. 1. c. 13. ex Sanch. de matrim. l. 7. d. 52. n. 5. exempla aliquorum SS. PP. qui ut probabiles, et communiores, opiniones aliquas quondam tenuerunt, et docuerunt, quæ hodie improbabiles ſunt; et ſic refert Sanch. citatus apud Lacr. n. 161. D. Thom. et D. Bonav. docuiſſe, omnes gradus affinitatis, et conſanguinitatis, in quibus matrimonium, Levit. 18. prohibetur, facere illud jure naturæ illicitum, quod tamen nunc eſt improbabile; neque ideo deſinunt SS. illi DD. eſſe omni exceptione majores. Similiter S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 4. q. 1. docuit, valere ſacramentum pœnitentiæ, licet dolor abſolutionem ſequatur: item ibid. ar. 3. q. 2. moribundum teneri confiteri laico, ſi deſit ſacerdos; *non credo autem*, inquit, *nunc eſſe aliquem, qui eas opiniones dicat eſſe adhuc probabiles.*

XXXVII. Objic. contra 2. partem ejuſdem concluſionis, quatenus aſſerit, in nullo caſu opinionis vere probabilis intercedere violentiam notoriam recurſabilem; objicies, inquam: Eſt notorium, hanc numero opinionem, v. g. eſſe communiorem, et eſſe uſu, ac praxi receptiorem. Deinde eſt etiam notorium hunc judicem eccleſiaſticum, non juxta illam judicâſſe, ſed ſecundum opinionem minus communem: ergo notorium etiam eſt, non juſte judicâſſe; proindeque notoriam injuſtitiam commiſiſſe: ergo etiam notoriam violentiam. Reſpondetur, argumentum, quia multum probat, nihil ad punctum probare.

Reſpondetur tamen in forma, 1. Negando conſequentiam: jam enim ſupra oſtenſum eſt, judicem judicantem juxta opinionem minus communem, vere tamen probabilem, licite, ac juſte judicare; imo in multiplici caſu teneri juxta opinionem minus communem ſententiam ferre. Reſp. 2. Permiſſa prima conſequentia, ultimam negando; non enim idem ſunt *notoria injuſtitia*, et *notoria violentia*; ſiquidem à prima, licet nullatenus celabili, nequit intentari recurſus, bene vero à ſecunda; hæc namque illi ſuperaddit, et vim, et oppreſſionem. Sed de hoc latius infr. c. 16, 17. et 18.

XXXVIII. Inferes: Ergo etiam, ſi judex eccleſiaſticus judicet ſecundum opinionem tenuiter probabilem, aut probabiliter tantum probabilem, licet committat notoriam injuſtitiam, nullatenus tergiverſabilem, non tamen notoriam violentiam recurſabilem: et probas: Nam violentia, à qua poteſt intentari recurſus, debet ita eſſe evidens, et notoria, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, imo ut notorium etiam ſit, ſibi nullam adeſſe probabilem opinionem, ei ſuffragantem. Atqui in caſu ſuppoſito datur opinio ſaltem probabiliter probabilis; præter auctoritatem extrinſecam DD. violentiam illam à ratione notoriæ excuſans, ac liberans, ſeu violentiæ illius notorietatem aliqualiter, imo probabiliter celans, prætextans, ac tergiverſans: ergo violentia illa non eſt recurſabilis, neque valet fundare recurſum: ergo, &c.

XXXIX. Reſpond. 1. Illationem minime impetere, neque in minimo offendere reſolutionem noſtram; quæ quidem, non de judice juxta opinionem tenuiter, aut probabiliter tantum probabilem, judicante, ſed ſecundum opinionem vere, et certo practice probabilem; et prout ſic, quicquid de illatione ſit.

XL. Reſp. 2. Judicem, et quemlibet alium fidelem, non poſſe licite operari, vel practice ſequi opinionem tenuis probabilitatis practice: contrarium namque ab Innoc. XI. in prop. 3. damnatum. Et quam-

vis

vis Hozes, et Torrecill. apud compilatorem hic n. 488. negent, in illa damnatione comprehendi opinionem probabiliter probabilem, ſed tenuiter probabilem dumtaxat, imo addant, hanc ſufficere ad recte operandum; attamen Lumb. Filgueir. Correll. et compilator ipſe probabilius dicunt, comprehendi, et inſufficientem eſſe ad licitam, ac rectam operationem; nam, ut ex Carden. docet Viv. hic, ſicut opinio tenuiter probabilis, eſt illa, quæ tenuiter inclinat aſſenſum intellectus; ita opinio probabiliter tantum probabilis, eſt illa, quæ probabiliter tantum, et ſpeculative inclinat intellectum ad aſſenſum, quin illum certificet practice de licitudine, aut rectitudine operationis: unde potius inclinat intellectum ad aſſenſum probabilitatis illius opinionis ſpeculative, quam ad certitudinem operationis practice ex practica certitudine illius probabilitatis; nam, ut ait compilat. cit. *Cum opinione probabiliter tantum probabili, non operamur certitudine morali ſubjectiva, ut requiretur ad recte operandum: quia dubitamus poſitive de ipſa probabilitate, quæ fundamentum debet eſſe certitudinis moralis ſubjectivæ.*

XLI. Unde judex, in illo caſu, et peccaret contra propriam charitatem, et contra prudentiam, operando illicite contra damnationem præmiſſæ prop. 3. et ſimul peccaret peccato injuſtitiæ contra juſtitiam probabiliorem partis, et contra officii partes, atque ſtrictas obligationes, procedendo contra damnationem aliam ejuſdem Pontificis in prop. 2. et injuſtitiæ quidem notoriæ, ſuppoſita notorietate iſtius damnationis, ac prohibitionis; et ſuppoſita inſuper notorietate inſufficientiæ illius probabilitatis practice, ſeu potius præſuppoſita notorietate improbabilitatis practice illius opinionis probabiliter tantum probabilis ſpeculative. Quod autem hæc notoria injuſtitia, ob inſinuatas rationes, nec violentia ſit, nec recurſabilis; videant adverſarii, an illatio ex eorum principiis, et explicationibus, recte deducatur? Sed de hoc infr. c. 17. et 18.

CAP. XVI.

An Judex Eccleſiaſticus judicans juxta opinionem vere, et certo practice probabilem, omiſſa probabiliori, nedum notoriam injuſtitiam, ſed et notoriam violentiam recurſabilem inferat.

SUMMARIUM.

I. *Damnat. prop. 2. Innoc. XI. loquitur de omni judice.*
II. *Intelligitur tam de probabilitate facti, quam juris.*
III. *Non extenditur damnatio ad omne id, quod non eſt judicare.*
IV. *Opinio probabilior extrinſece et intrinſece qualis?*
V. *Opinio* tutior, *non ideo ſemper eſt practice probabilior.*
VI. *Oſtenditur variis exemplis.*
VII. *Non damnatur uſus opinionis minus probabilis in caſu urgentis, vel extremæ neceſſitatis.*
VIII. *Neque opiniones practice probabiles, et tutæ, quoad ſacramentorum adminiſtrationem.*
IX. *Poteſt una opinio eſſe alia probabilior ſpeculative, non vero practice.*

SECT. I.

X. *Judex ſecundum opinionem, quantumvis probabilem, judicans, relicta probabiliori, peccat graviter, et committit notoriam injuſtitiam, atque ad reſtitutionem tenetur.*
XI. *Probantur ſingulæ partes.*
XII. *Notorium eſt, judicem non debere eſſe perſonarum acceptorem.*
XIII. *Tenetur judicare ſecundum veroſimilius.*
XIV. *Eſt conſtitutus à rep. ut unicuique jus ſuum dicat, juxta merita cauſæ.*
XV. *Ex contractu cum rep. eſt fidelis adminiſter.*
XVI. *Habet ſe velut arbiter prudens judicium faciens.*
XVII. *Tranſcribitur doctrina Buſemb. circa hoc.*
XVIII. *Inæquali jure partium non licet ei rem, cui maluerit, adjudicare.*
XIX. *Unde vel res dividenda, vel ejus pretium, vel ſorti exponenda.*
XX. *Opinio docens, judicem pro libitu adjudicare non poſſe, ſtante æquali jure partium, eſt practice probabilior contraria.*
XXI. *Imo tutior, æquior, et rationabilior, et melior quoad auctoritatem extrinſecam.*
XXII. XXIII. *Qui operatur injuſte, non operatur prudenter.*
XXIV. *In ferendis ſententiis, et ſacramentis conficiendis, opinio probabilis non retinet practice ſuam probabilitatem, in conflictu probabilioris.*
XXV. *Quomodo, et quale beneficium poſſit epiſcopus alterutri ex æque dignis pro libitu conferre.*
XXVI. *Quænam diſpoſitio conciliaris in hoc.*
XXVII. XXVIII. *Nuſquam prohibitum reperitur beneficia ſimplicia ſimpliciter dignis conferre, ſicut reperitur pro beneficiis curatis.*
XXIX. *Tranſcribitur Deluc. pro uberiori notitia.*
XXX. *Quid in paritate votorum de adhæſione diſcretiva epiſcopi.*
XXXI. *Judex, ſtante æquali jure partium, rem cui maluerit adſcribens, peccat contra juſtitiam; non tamen committit injuſtitiam notoriam.*
XXXII. *Quod comprobatur à paritate violentiæ notoriæ.*
XXXIII. *Non comprehenditur in damnatione pontificia.*
XXXIV. *Probabilius eſt, damnationem Innocentianam comprehendere etiam ſententias interlocutorias.*
XXXV. *Non tamen ideo peccatum judicis evaderet injuſtitiæ* notoriæ.
XXXVI. *Eo quod foret aliqualiter celabilis probabiliter ex probabilitate contraria.*
XXXVII. *Propoſitio confixa non loquebatur formaliter de ſententia, ſed de judicio.*
XXXVIII. XXXIX. *Verſante majori probabilitate erga licitudinem, non vero erga validitatem ſententiæ, judex illi non deferens, licet peccaret, non committeret injuſtitiam* notoriam.
XL. *Injuſtitia illa etiam celaretur à vera probabilitate contraria.*
XLI. *A judice valide, licet injuſte, procedente, non datur recurſus.*
XLII. XLIII. *Eodem modo diſcurrendum, ſi probabilitas verſetur circa validitatem ſententiæ.*
XLIV. *Probabilius eſt, judicem non poſſe ſuggerere aliquid uni ex collitigantibus, quo allegato, certo evinceret, quia debet eſſe impartialis.*

SECT. II.

XLV. *Judex juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, judicans, licet committat notoriam injuſtitiam, non tamen notoriam violentiam recurſabilem probabiliter.*
XLVI. *Probabilius tamen practice contrarium eſt, quando probabilioritas eſt practice notoria.*
XLVII. *Suppoſita pontificia damnatione, notorium eſt, probabilitatem practicam propoſitionis confixæ evanuiſſe.*
XLVIII. *Et vim inferret judex notorio juri probabiliori partis adverſæ.*
XLIX. *Si probabilioritas non ſit patens, et evidens practice, manebit aliqualiter tergiverſabilis.*
L. *Suppoſita notorietate probabilioritatis, probabilitas contraria redditur practice improbabilis.*
LI. *Sententia judicis, cum ſit quid practicum, debet regulari à probabilitate practica.*
LII. *An detur interdictum* undevi *contra talem judicem remiſſive.*
LIII. *Quomodo unius D. opinio reddat cauſam dubiam.*
LIV. *In reliquis caſibus, in quibus judex notoriam injuſtitiam certe non committit, ſed tantum probabiliter; etiam notoriam violentiam, nedum certe, verum nec probabiliter committit.*

LV. *Implicat notorietas violentiæ abſque notorietate injuſtitiæ.*
LVI. LVII. *Semel quod violentia ſit aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis, non eſt notoria, ſed dubia.*
LVIII. *Ad notorietatem violentiæ requiritur, et quod illa certa ſit, et realis; et ulterius, quod certum etiam ſit, nullam pro ea probabilem opinionem adeſſe.*
LIX. *In caſu validi proceſſus, et injuſtæ ſententiæ, judex infert notoriam injuriam, prout hæc recurrit cum injuſtitia; non tamen prout injuria recurrit cum violentia, ſi injuria ſit probabili opinione celabilis.*

Sect. III.

LX. *Quales ſint DD.* probabiliſtæ, *quales* probabilioriſtæ, *et quales* tutioriſtæ, *et* rigoriſtæ?
LXI. *Opinio tutior favens potius legi, quam libertati in humanis actionibus, nec ideo probabilior evadit.*
LXII. *Rigoriſtæ docent ex Janſenio, via tutiſſima incedendum eſſe, nedum ex conſilio, ſed et ex præcepto.*
LXIII. *Ex illis principiis erravit Janſen. in prop.* 1. *ex quinque damnat. ab Innoc.* X. *et errârunt tutioriſtæ in prop.* 3. *damnat. ab Alex.* III.
LXIV. *Notantur cum P. Segner. rationes fere omnes, quæ à probabilioriſtis congeruntur, ad ſuadendum ſequelam probabilioritatis, convinci indiviſim ad ſuadendam ſequelam tutioritatis.*
LXV. *D. Thom. in ſumma plures retractavit opiniones, quas in* 4. *ſent. amplexatus fuerat.*
LXVI. Tutior *eſt gradus comparativus præſupponens poſitivum* tutum.
LXVII. *Non ſolum* tutum, *ſed et probabilius eſt, poſſe ſequi opinionem probabiliſſimam faventem potius libertati, quam legi in humanis actionibus.*
LXVIII. *Hactenus Summi Pontifices opiniones minus pias damnare conſueverunt.*
LXIX. *Textus, et auctoritates probabilioriſtarum, et tutioriſtarum, retorquentur in illos.*
LXX. *Controvertuntur textus principaliores, et ſelectiores.*
LXXI. *Qui conſilio prudentum operatur, ſecure, et prudenter operatur.*
LXXII. *Plures ex objectis textibus loquuntur de conſilio, non de præcepto.*
LXXIII. *Fundamenta ex jure can. objecta.*
LXXIV. *Retunduntur ex ipſo jure.*
LXXV. *Et plene ſingulis fit ſatis.*
LXXVI. *Retorquetur etiam auctoritas Sperelli.*
LXXVII. *Retunditur auctoritas D. Anton. et D. Thom.*
LXXVIII. *Et D. P. Aug. relatus in c.* Quid culpatur.
LXXIX. *Aliquæ rationes objectæ, et retortæ.*
LXXX. *Omnes Janſeniſtæ ſunt probabilioriſtæ, et tutioriſtæ, à Chriſto D. et ab apoſtolo, antecedenter reprobati.*
LXXXI. *Imprudentiſſima imprudentia eſt jugum Domini* ſuave, *et* leve, *reddere grave, moleſtum, et inſupoprtabile.*
LXXXII. *In ſequela opinionis practice probabilis, et tutæ, non exponitur obſervantia legis alicui fruſtrabilitati; imo etiam aliquando in ſacramento pœnitentiæ, quoad probabilitatem, juriſdictioni confeſſarii, et diſpoſitioni pœnitentis.*
LXXXIII. *Opinio minus probabilis infidelis, non eſt practice probabilis, aut practicabilis, nec practice tuta.*
LXXXIV. *Tranſcribitur diſpoſitio c.* Alligant. 26. *q.* 7.
LXXXV. *Omnes probabilioriſtæ, ac tutioriſtæ in rebus propriam utilitatem reſpicientibus, probabilitatem, imo et laxitatem practice ſectantur.*
LXXXVI. *Fere impoſſibile moraliter eſt diſcernere, quænam ex opinionibus controverſis re ipſa probabilior ſit.*
LXXXVII. *Probabilioriſtæ ſpeculative probabilioritatem ſuadent; practice vero in proprium commodum probabilitatem amplectuntur.*

Sect. IV.

LXXXVIII. *Hinc arguuntur* ad hominem *multipliciter.*
LXXXIX. *AA. probabiliſtæ numero longe excedunt probabilioriſtas.*
XC. *Et plures ex ipſis Thomiſtis.*
XCI. *Et ex omnibus religionibus.*
XCII. *Præponderat auctoritas aliquorum Summorum Pontificum.*
XCIII. *Probabiliſtarum opinio, etiam intrinſece, eſt practice probabilior.*
XCIV. *Imo nedum communior, ſed et univerſalis eſt practice.*
XCV. *Aliqui probabilioriſtæ practice, et in ordine ad ſe, amplectuntur opiniones, nedum probabiles, ſed hodie jam improbabiles.*
XCVI. *Oſtenditur multipliciter, uſque ad n.* CIII.
CIV. *Probabilioriſtæ in re, et practice, conſentiunt cum probabiliſtis in multis concluſionibus.*
CV. *Sicut poſitivum* tutum *tale etiam eſt in conſortio comparativi* tutioris; *ita* probabile *in conſortio* probabilioris.
CVI. *Diſparitatem incaſſum conatur adhiberi.*
CVII. *Merito damnatur Janſenius præferens auctoritatem D. Aug. etiam pontificiis declarationibus.*
CVIII. *In quibus locis D. Thom. faveat probabiliſmo.*
CIX. *Quomodo rudes, et indocti in rebus fidei acquieſcant parochis, et confeſſariis?*
CX. Luccioni *nimis, et in aliquibus non recte fatigatur primum A. probabiliſmi diabolum edicere.*
CXI. *Inter laxitates* probabiliſtarum, *et rigiditates* tutioriſtarum *caute, velut inter Scyllam et Charybdim, incedendum.*
CXII. *Redarguuntur* probabilioriſtæ, *convitiis et contumeliis* probabiliſtas *injurioſe impetentes.*
CXIII. *Laudatur doctrina Mart. de Prad.*
CXIV. CXV. *Totum jus civile eſt probabiliſmi certum ſectarium.*
CXVI. CXVII. *Probabiliſmus fundatur in jure gentium, imo et in naturali.*
CXVIII. *Præſumptiones juris fundantur in probabilitate.*
CXIX. CXX. *Idem viſitur in juris* fictionibus.
CXXI. *Et in* indiciis, *et* conjecturis, *quibus* præſumptio innititur.

I. PRÆLIBANDUM eſt, 1. cum compilat. et Heb. ad prop. 2. Innoc. XI. quod hic loquitur damnatio de judice, tam ſuperiori, quam inferiori; tam arbitro, quam legitimo; quia omnes judices ſunt. Non tamen, ait doctor Hebas, de illo, qui eligitur ad amicabiliter lites componendas, quia vere judex non eſt.

II. Prælib. 2. Quod iſta damnatio intelligitur, tam de probabilitate facti, quam juris. *Probabilitas juris* eſt, quando leges, vel earum legitima interpretatio magis, vel minus, uni parti, quam alteri favent. *Probabilitas facti*, quando factum probatur pluribus, vel paucioribus teſtibus, aut ſcripturis. Et juxta magis, aut minus, vel juxta majorem, ſeu digniorem, aut minorem numerum erit res magis, aut minus probabilis, jam de facto, jam de jure, ſervata proportione.

III. Prælib. 3. cum eiſdem, Quod non damnatur ſententia aſſerens, quod poteſt judex opinionem minus probabilem ſequi in omni eo, quod non eſt ſententiam pronuntiare, hoc eſt, quod ſententiam definitivam præcedit: cum enim id non ſit proprie judicare, et damnatio quid odioſum ſit, reſtringenda potius, quam extendenda eſt. Licet oppoſitum, ut probabilius, infra præeligatur, n. 34.

IV. Prælib. 4. Opinionem probabiliorem poſſe eſſe talem extrinſece, vel intrinſece. Intrinſece probabilior erit illa, quæ ſolidiori fundamento rationis, et majoribus ac melioribus argumentorum ponderibus nitatur. Extrinſece autem probabilior illa erit, quæ meliorem (non autem numero tantum majorem) DD. auctoritatem pro ſe habuerit, vel quia ſunt AA. primæ notæ, vel quia rem ex profeſſo tractant. Unde pauciores DD. materiam ex profeſſo diſcutientes, opinionem reddunt extrinſece probabiliorem, quam multo plures eam obiter, et per tranſennam indicantes, juxta ſuperius dicta c. præced.

V. Prælib. 5. Opinionem *tutiorem*, ſive *ſecuriorem*, non ideo eſſe ſemper practice *probabiliorem*, niſi quando ex omiſſione *tutioris* aliquod grave ſequitur damnum, ut in medico omittente tutius pharmacum adhibere

adhibere cum gravi periculo vitæ ægroti, et in iis, quæ pertinent ad valorem ſacramentorum (non vero quoad adminiſtrationem præciſe) videlicet ad eorum materiam, formam, atque miniſtri intentionem cum gravi, et certa expoſitione fruſtrationis eorum; quocirca ſequens circumfertur propoſitio 1. ab Innoc. XI. confixa: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis.*

VI. Unde, quamvis tutior ſit opinio (etiam in ſacramentis conferendis, aut conficiendis) quod ſacramenta adminiſtrari debeant cum intentione formali; probabilior tamen eſt, et practice communior, et tuta, quod ſufficiat intentio virtualis, neque cum hac ſola exponitur ſacramentum fruſtrationis periculo. Similiter, licet tutior ſit opinio requirens pro valore, et fructu ſacramenti pœnitentiæ contritionem ſupernaturalem; probabilior tamen eſt, et practice moraliter certa, ſufficere attritionem ſupernaturalem, ut ex Trid. deducitur, ſeſſ. 14. c. 4. quatenus adverſus Lutherum definit, *attritionem ad Dei gratiam obtinendam diſponere in ſacramento pœnitentiæ.*

Pariformiter, tutius eſt in conſecratione epiſcopi tres adhibere, et hæc olim fuit communior, et probabilior opinio etiam pro validitate. Et tamen hodie practice certum eſt, ſufficere unicum ex diſpoſitione apoſtolica. Quare omnes DD. in dictam propoſitionem Innoc. docent non comprehendi præmiſſas opiniones in illius præſcriptione, et omnes alias, quæ licet minus tutæ, tutam etiam reddunt ſacramenti confectionem, nec illud fruſtrationis periculo exponunt.

VII. Similiter docent, non damnari uſum opinionum minus probabilium, imo et tenuis probabilitatis, in caſibus urgentis, vel extremæ neceſſitatis; v. g. adhibere aquam roſaceam pro materia ſacramenti baptiſmi, in defectu aquæ naturalis: ungere unicum organum ſenſus moribundo in adminiſtratione ſacramenti extremæ unctionis: uti hac forma ab alteram ignorante, pro conferentia ſacramenti baptiſmi: *Baptizo te in nomine genitoris, geniti, et procedentis:* quia neceſſitas opiniones illas practice probabiliores reddit, imo et illarum uſum obligatorium.

VIII. Sicut non damnantur reliquæ opiniones practice probabiles, et tutæ quoad ſacramentorum adminiſtrationem, omiſſis probabilioribus, ac tutioribus, et quæ verſantur circa miniſtri pœnitentiæ juriſdictionem; v. g. quod ſufficiat illud adminiſtrare cum ſola juriſdictione probabili, etiam errore communi non interveniente, ex certa, et pia ſuppletione eccleſiæ: quod pœnitens probabiliter diſpoſitus abſolvi debeat, et aliæ ſimiles. Unde merito in præfata propoſitione damnatur, quod *ſententia probabili utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis.* Vide Carden. Viv. compilator. et alios in d. propoſit.

IX. Prælib. denique, Opinionem poſſe eſſe ſpeculative alia probabiliorem, non ſic vero practice; imo practice nedum minus probabilem, ſed et improbabilem poſſe evadere. Sic in opinionibus præjactis de inſufficientia aquæ roſaceæ pro ſacramento baptiſmi, unici præſulis pro conſecratione epiſcopi, et linimenti unius organi ſenſus pro ſacramento extremæ unctionis: ſic etiam in opinione docente, judicem teneri judicare ſecundum allegata, et probata, etiam in condemnatione capitali rei, quem certo, licet privatim, ſcit eſſe innocentem, quæ opinio eſt D. Thom. et totius ejus ſcholæ; et ſpeculative videtur probabilior; practice tamen minus probabilis, imo impracticabilis, ut docent Navarr. Leſſ. Sa, Fill. Bonac. Tolet. Lug. Buſemb. et alii; eo quod occidere innocentem directe, ſit intrinſece malum; proindeque teneri judicem omni modo eum liberare, ſi poſſit, v. g. impediendo accuſationem, extrahendo judicium, aperiendo carcerem, remittendo cauſam ad ſuperiorem, ait Buſemb. l. 4. a. 4. dub. 2. imo demittendo officium, addunt alii.

His igitur pro dicendis neceſſario, et pro uberioris doctrinæ notitia convenienter prælibatis, ut cum debita diſtinctione, ac ſecernatione certorum ab incertis procedamus:

Sect. I.

X. *Dico*, 1. Judex judicans juxta opinionem minus probabilem, quantumvis vere probabilis ſit, relicta practice probabiliori, peccat mortaliter, et committit notoriam injuſtitiam, teneturque ad reſtitutionem. Ita curſ. mor. Salmantic. to. 5. c. 1. de jud. Moya in ſelect. Lumb. Buſemb. Viv. compilat. et reliqui omnes, qui poſt damnatam præmiſſam propoſitionem ſcripſerunt.

XI. Probatur, 1. Quod peccet lethaliter, tum ex gravitate defectus, ſeu deficientiæ in officio ſuo gravi, tum ex damnatione Innoc. XI. in præjacta propoſ. 2. Probatur, 2. Quod committat notoriam injuſtitiam; et, 1. Quia notorium eſt poſt dictam proſcriptionem, contrariam opinionem practice improbabilem eſſe, ſive non poſſe ad praxim reduci: ergo notorium eſt, judicem eam practice amplectendo, et juxta eam judicando, injuſtitiam committere, et ad reſtitutionem teneri.

XII. 2. Quia notorium eſt, judicem non debere eſſe perſonarum acceptorem; unde Exod. 23. 3. dicitur: *Pauperis non miſereberis in judicio.* Et ibid. 2. *Nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Et idem docetur à D. Ambr. in Pſ. 118. et D. Iſidor. de ſum. bon. l. 2. *Non eſt perſona in judicio conſideranda, ſed cauſa.* Atqui foret acceptor perſonarum juxta probabiliorem opinionem, ſententiam non ferens: ergo.

XIII. Prob. 3. Quia judex tenetur judicare juxta illud, quod eſt veroſimilius, ut dicitur in reg. jur. 45. in 6. et l. *In obſcur.* ff. de regul. jur. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius.* Sed non ita judicaret, aut inſpiceret, non ferendo ſententiam juxta opinionem practice probabiliorem: ergo.

XIV. 4. Quia judex conſtitutus eſt à republica, ut tanquam publica perſona unicuique jus ſuum dicat pro æquitate, et ſecundum merita cauſæ: atqui habens pro ſe opinionem practice probabiliorem, habet potius jus, et meliora, atque majora merita cauſæ: ergo. Confirmatur ex l. *Rem non novam*, 14. cod. de judic. ubi præſcribitur, ut judex *juret, ſe ex majori præſidio diremturum litem.* Sed habens opinionem practice probabiliorem habet pro ſe majus præſidium in lite: ergo.

XV. 5. Quia ex tacito contractu cum republica judex ab ea conſtitutus eſt, ut tanquam fidelis miniſter diligenter inquirat de veritate, et pro ea judicet; ſed judicans, juxta ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori, non judicaret pro veritate, et ſecundum veritatem: ergo.

XVI. 6. Quia judex habet ſe ut arbiter, qui tenetur, et quod vere in re ſentit dicere, et circa eam judicium prudens facere; atqui poſita pontificia præſcriptione, nequit facere judicium prudens de probabilitate practica opinionis minus probabilis in conſortio probabilioris; neque vere poteſt ſentire licitum eſſe illius uſum in materia juſtitiæ, cum Pontifex non ſolum damnet licitudinem, ſed et probabilitatem illius: *Probabiliter exiſtimo*, &c. ergo injuſtitiam notoriam committit, et ad reſtitutionem tenetur, cujus radix eſt ipſa injuſtitia, Leſſ. Viv. Lumb. et reliqui cum Bonac. to. 2. D. 10. ex D. Thom. 2. 2. q. 67. a. 4.

XVII. Nota tamen ſolidam doctrinam ſolidi Buſemb. l. 4. a. 4. dub. 2. circa obligationem judicis injuſtam ſententiam ferentis, in ordine ad reſtitutionem: *Reſp.* 1. (inquit) *Si dolo, vel magna imperitia, judex id fecit, litem fecit ſuam, id eſt, damnum partis læſæ in ſe tranſtulit, cui tenetur reſtituere, Bon. tom. 2. d. 10. de præcept. q. 2. p. 4. ex S. Thom. et c. V. ſupra d. 2. an. 1. reſp. 11. Si alioqui dignus ſuo munere, tametſi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conſcientia ad reſtitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali ſententia acceperit, vel potius (ſecundum alios) cum culpam theologicam non commiſerit; debet tamen revocare ſententiam, ſi poteſt ſine gravi incommodo, Lay. l. 3. t. 6. cap. 2. n. 11.*

XVIII. *Dico*, 2. cum eodem Buſemb. ibid. reſp. 2. Si opiniones oppoſitæ æque probabiles videantur, non licebit

licebit uni eorum adjudicare totum pro ſuo arbitrio, cum uterque æquale jus habeat, ſed ſuadebit compoſitionem; imo etiam imperabit in caſu nimis intricato (alias enim non licet) vel uni dimidium, et alteri alterum dimidium juris, aut rei, de qua lis eſt, adjudicabit: memor interim axiomatis: *Quod ſi partium jura ſint obſcura, potius favendum ſit reo, quam actori,* ib. Bonac. de peccatis, d. 2. q. 4. p. 9.

XIX. Addit tamen Viv. in d. prop. ex Lug. D. 37. de juſt. n. 121. Caſtr. Pal. Soar. Gran. Con. Laym. Eliz. Sanch. Salaſ. et aliis, quod ſi res fuerit individua ſive indiviſibilis, vel dividendum eſt pretium ejus, ſi partes conveniant in venditione, vel ſi renuant, ſorti exponendam, ut per ſortem lis dirimatur, et ei, ſuper quem ſors ceciderit, adjudicetur; et ſi adhuc utrique renuant, et compoſitioni inſinuatæ, tunc poterit judex cui maluerit rem adjudicare, ex tacita renuntiatione juris ſui utriuſque partis, et ex tacita compromiſſione utrinque in arbitrium judicis pro libitu, in illo caſu. Nunquam tamen licere (ait Viv. cum Lug. cit. contra Bann. et Ledeſma) quoties utrinque opiniones ſunt æque probabiles circa jus, et neuter litigantium poſſideat, uni potius, quam alteri rem adjudicare, cum ad id nulla detur major ratio.

XX. Probatur ulterius reſolutio, Quia judex, juxta condemnationem Innocentianam, tenetur judicare juxta opinionem practice probabiliorem; atqui opinio docens, non poſſe judicem pro libitu, ſtante æqualitate opinionum, et juris partium, rem adjudicare cui maluerit, eſt practice probabilior contraria opinione: ergo. Probatur hæc minor, 1. Quia judex nequit eſſe acceptor perſonarum; atqui foret, ſi pro libitu rem potius uni, quem maluerit, quam alteri adſcriberet: ergo. 2. Quia judex, ſecundum pontificiam præſcriptionem, tenetur rem adjudicare parti majus, ſive melius jus habenti: ergo quando jus fuerit æquale, æqualiter tenebitur utrique adjudicare: atqui non adjudicabit æqualiter, niſi vel rem dividendo, vel ſi fuerit individua, ſorti exponendo: ergo.

XXI. 3. Quia hæc opinio practice eſt tutior, et æquior, quia æque conſulit, ac providet juri utriuſque partis præ contraria, quæ non æque, ſed inique providet, deciſionem arbitrio judicis pro libitu pure remittens; eſt etiam pauperibus, et miſerabilibus perſonis favorabilior, atque indulgentior, et providentioris conſulti.

Deinde eſt rationabilior, quia tam rationi, quam juri, et regulis juſtitiæ, et æquitatis eſt conformior. Præterea habet pro ſe patrocinium DD. magis claſſicorum, et melioris notæ: deinde eſt conformior alteri condemnationi Alex. VII. in prop. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex accipere pecuniam pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Alias rationes vide in Eliz. § 1. ergo.

XXII. Dices: Judex in æqualitate opinionum, atque juris partium, prudenter operatur rem uni potius, quam alteri judicialiter adſcribens. Deinde, ſuppoſito illo æquilibrio, cum non appareat major ratio pro una, quam pro alia, ſtat poſſeſſio pro ejus libertate, ut licite rem cui maluerit adjudicet: ergo. Confirmatur à paritate humanarum actionum, in quibus quilibet homo prudenter, ac licite operatur, ſequendo opinionem vere probabilem in conſortio alterius æque probabilis, aut etiam probabilioris, ut communiter, et ut probabilius docent probabiliſtæ omnes, contra probabilioriſtas, ut videre licebit in præcit. DD. Carden. Viv. Buſemb. Lacr. &c.

XXIII. Reſp. negando antecedens, quoad primam partem; qui enim operatur injuſte, non operatur prudenter; virtutes enim prudentiæ, atque juſtitiæ, adinvicem non adverſantur. Judex autem in præmiſſo caſu injuſte equidem operatur, ut probatum remanet. Deinde nego antecedens, quoad 2. partem. Nam neque judici in ferendis ſententiis, neque ſacerdoti in conferendis ſacramentis ſtat poſſeſſio pro libertate, ac libero eorum arbitrio, præſertim poſt pontificias proſcriptiones in contrarium. Ad confirmationem diſtinguo antecedens: ſi talis homo operetur, ut privatus, concedo: ſi operetur, ut miniſter publicus, vel eccleſiæ in conferendis ſacramentis, vel reipublicæ in ferendis ſententiis, nego.

XXIV. Sed inſtas: Juxta prædictos probabiliſtas adverſus probabilioriſtas, ac rigoriſtas, opinio vere probabilis, etiam in conflictu probabilioris, retinet ſuam propriam probabilitatem: ergo multo magis in conflictu æque probabilis. Reſp. diſtinguendo antecedens: In humanis actionibus privatis, concedo. In conferendis ſacramentis, vel ferendis ſententiis, ſubdiſtinguo: retinet ſuam probabilitatem ſpeculative; tranſeat: practice, nego. Nam, poſita condemnatione pontificia, contrariæ opiniones remanent practice improbabiles, præcipue in proſcriptione propoſit. 2. Innoc. in qua non ſolum damnatur licitudo uſus opinionis minus probabilis in conflictu probabilioris, ſed etiam ejus probabilitas, ſaltem practica. Ait enim propoſitio: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe,* &c.

XXV. Sed urges: Epiſcopus poteſt pro libitu, atque ſuo puro arbitrio, licite beneficium conferre alterutri ex æque dignis: ergo ſimiliter judex poterit licite pro libitu rem adjudicare alterutri ex æquale jus habentibus. Reſpondet P. Viva, hanc paritatem nil obſtare: nam beneficium ne ſecundum æſtimationem quidem poteſt dividi (Parum diſcrepat reſponſio curſ. mor. Salmantic.) Sed contra, quia, ſaltem juxta ipſius doctrinam, poſſet inter duos, aut plures æqualiter dignos, ſorti exponi, de ipſorum conſenſu, ut ſors ipſa litem dirimeret, et prout ſic, æquali dignitati ipſorum æquius, ac juſtius conſuleretur. Rectius igitur, ac verius inſtantiæ huic——

XXVI. Reſpondetur negando conſequentiam, et diſparitatem aſſignando ex Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 18. et ſeſſ. 7. de ref. c. 3. Nam pro beneficiis non curatis ſufficit, ut epiſcopus eligat dignum, et idoneum, relictis dignioribus, ut tenet communis doctrina, et exornat Card. Deluc. in Trid. diſc. 32. n. 28. Pro beneficiis autem curatis, etiam ſufficiebat dignitas, ſive idoneitas providendi juxta diſpoſitionem d. c. 3. ſeſſ. 7. ibi: *Beneficia eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis, et habilibus conferantur.* Et c. 7. *Qui* (ordinarii) *ſolicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos .... animarum cura laudabiliter exerceatur.*

Attamen, cum idem concilium, re maturius ponderata, poſtea, d. ſeſſ. 24. c. 18. novam diſpoſitionem induxerit, ut beneficia curata omnium eccleſiarum parochialium per concurſum providerentur, et idoneis concurrentibus, atque examinatis, ex his epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit: et ſolummodo in paritate votorum examinatorum, circa approbationem, aut reprobationem idoneitatis alicujus ex concurſoribus, liberum relinquit epiſcopo adhærere pro libitu parti examinatorum approbantium, vel reprobantium, prout maluerit; ibidem: *Quorum* (examinatorum) *votis, ſi pares, aut ſingulares fuerint, accedere poſſit epiſcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur:* et in eccleſiis parochialibus juris patronatus eccleſiaſtici, etiam ſtatuit, ibid. *Quod epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem.* In patronatus vero laicalis parochiis, diſponit ibid. quod, *qui à patrono præſentatus erit .... non niſi idoneus repertus fuerit, debeat admitti:* idcirco——

XXVII. Recte et formaliter reſpondetur inſtantiæ, quod ſi loquatur de beneficiis curatis parochialibus, æqualiter epiſcopum teneri digniorem præeligere, ſicut et judicem rem digniori, ſeu probabiliorem opinionem habenti, adjudicare, et in paritate votorum dumtaxat parti, cui maluerit, accedere: quia ita reperitur à lege diſpoſitum, tum in cit. c. 3. ſeſſ. 7. Trid. tum in c. *Licet*, de elect. in 6. c. *Grave nimis*, de præb. conſt. Alexand. III. in Lateran. et Greg. IX. in Lugdun. Concilio. Quæ quidem conſimilis legalis diſpoſitio non invenitur pro judice judicante, imo contraria in præmiſſæ prop. 2. damnatione, ut non niſi ſecundum opinionem probabiliorem judicare poſſit.

XXVIII. Sin autem inſtantia loquatur de beneficiis ſimplicibus, ſeu non curatis, tunc procedit paritas, cui tamen diſparitatem hanc adjicimus; videlicet, quod nullibi reperitur prælatis interdictum beneficia ſimplicia dignis, et idoneis tantum conferre, omiſſis dignioribus, ſicut prohibitum invenitur judici judicare, juxta opinionem minus probabilem, omiſſa probabiliori. Imo ante hanc conciliarem diſpoſitionem, etiam pro beneficiis curatis, liberum erat epiſcopis de jure

communi

communi dignis, et idoneis dumtaxat ea conferre; ut notat Deluc. annot. ad d. concil. d. diſc. 22. et de paroch. diſc. 1. et 36. quem adi, pro plurimis ſcitu digniſſimis obſervandis, erga beneficiorum licitam, ac validam proviſionem, atque collationem.

XXIX. Et pro uberiori, et opportuna prælatorum (quorum obſequio et levamini in hoc opuſculo præcipue inſervire intendimus) erga eandem proviſionem notitia, tranſcribere licebit hic doctrinam ſolidam ejuſdem Delucæ, Ventrigl. referentis, in explicationem illius clauſulæ, aut expreſſionis conciliaris, *Quorum votis, ſi pares fuerint*, &c. ubi de paroch. diſc. 1. ſub n. 13. ita inquit: *Præfatus vero auctor in ejus praxi rerum notab. adnot. 5. § 1. n. 51. fol. 107. agendo de iſta adhæſione in paritate votorum, tanquam ex adeo longa praxi nimium in materia peritus, ita exemplificat; ut ſi ex quatuor examinatoribus duo approbârunt, et duo reprobârunt, accedendo epiſcopus, vel vicarius duobus approbantibus, examinatus dicitur approbatus, et accedendo reprobantibus, reprobatus; et ſic de quolibet concurrente ſingulariter, et diſcretive ad effectum illum collocandi inter approbatos, vel reprobatos, non autem comparative ad alios.*

Et n. 14. ſic proſequitur: *Idem clarius probari diccbam non ſolum ex quadam declaratione Sacr. Congregationis relata per Maſſobrium, dict. requiſit. 4. dub. 6. ubi, quod epiſcopus, ita adhærendo, poſſit aliquem ex non approbato facere approbatum, ſed etiam ob aliam declarationem editam ſub die 29. Aprilis 1604. per quam caſus deciditur in individuo, tam circa adhæſionem, quam circa præelectionem, cujus tenor eſt præciſus* (ut ſequitur).

XXX. *Dubium; An exiſtentibus duobus concurrentibus examinatis quatuor examinatoribus, quorum unus reportavit omnia vota favorabilia, alter vero duo tantum favorabilia; poſſit epiſcopus ſui voti acceſſione approbare ſecundum, ita ut cum hic ſecundus ultra dimidium, incluſo voto epiſcopi, vota favorabilia habeat, ſic judicandus idoneus, uti primus, ita ut liceat deinde epiſcopo eligere ex his duobus, qui ſibi magis idoneus videbitur?* Die 29. Aprilis 1604. *Congregatio cenſuit, eum quoque, qui à duobus examinatoribus approbatus, et ab aliis duobus reprobatus fuit, ſi epiſcopus votis approbantium acceſſerit, quemadmodum ei licet per decretum concilii, cap. 18. ſeſſ. 24. approbatum intelligit; ac propterea poſſe etiam ad parochialem vacantem regendam epiſcopi electione alteri præferri, ſi eum altero magis idoneum judicaverit.*

XXXI. *Dico*, 3. In illo caſu præcedentis reſolunis, licet judex in opinionum, ac juris partium æqualitate, rem cui maluerit adjudicans, peccet contra juſtitiam, ut probatum remanet, non tamen committit injuſtitiam notoriam. Probatur hæc reſolutio, quæ de mente omnium DD. juxta ipſorum, et juris præmiſſi principia, neceſſario eſſe debet; et probatur, 1. ex cit. c. ult. de cohabit. cler. et mul. c. *Cum olim*, de verb. ſignif. c. *De manifeſta*, 2. q. 1. et gl. in c. 1. de offic. deleg. in 6. et ex reliquis juribus, atque auctoritatibus ſuperius, c. 12. late expenſis; ex quibus ſat evincitur, *Notorium* dici dumtaxat, *quod nulla tergiverſatione, aut diſſimulatione celari poteſt:* atqui in ſubjecto caſu injuſtitia illa eſt aliqua tergiverſatione celabilis, aut excuſabilis, ipſa ſcilicet probabilitate opinionis in contrarium; videlicet, quod, ſtante æqualitate juris partium, poſſit judex rem litigatam licite cui maluerit, pro ejus libito, adſcribere; et alia ulterius probabilitate reflexa, quod hæc probabilis opinio non comprehendatur in proſcriptione illa Innocentiana: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem:* ergo, &c.

XXXII. Prob. 2. à paritate: Quia violentia notoria illa dicitur dumtaxat, quæ nullatenus celabilis eſt, aut prætextabilis, vel excuſabilis; et quæ excludat omnem probabilem opinionem in contrarium, ex cit. doctrina Per. de man. reg. c. 4. n. 11. et c. 7. et c. 9. ergo ſimiliter injuſtitia notoria ſola illa erit, quæ nullatenus celabilis, aut prætextabilis, et omni probabili opinione favorabili penitus denudata incedat. Sed hoc in præſenti caſu non invenitur; adeſt namque favorabilis opinio, nedum ſpeculative, ſed et practice probabilis: ergo, &c.

XXXIII. Dices: Suppoſita pontificia damnatione, opinio docens, poſſe judicem juxta opinionem minus probabilem judicare, et hoc probabile eſſe, eſt practice ſaltem improbabilis notorie; et judex adhuc, ſecundum illam, et contra proſcriptionem illam papalem, ſententiam ferens, notoriam injuſtitiam committit, ex notorietate illius damnationis, et impracticabilitatis illius opinionis in condemnatione comprehenſæ: ergo ſimiliter in caſu ſubjecto. Reſp. negando conſequentiam: Diſparitas jam manet inſinuata in argumento ipſo; videlicet, quod opinio illa ſit notorie, et indubie comprehenſa in illa papali proſcriptione, imo ſit formale ſubjectum damnationis illius; at vero opinio hæc docens licitudinem adjudicationis pro libito in juris partium æqualitate, neque eſt ſubjectum damnationis illius, neque in illa expreſſe, et certo comprehenditur, ſed dubie, et probabiliter tantum, et etiam in hoc ſenſu implicite dumtaxat.

XXXIV. *Dico*, 4. Licet probabilius ſit, in proſcriptione illa Innocentiana comprehendi etiam ſententias interlocutorias judicum circa præparatoria litis, v. g. examen teſtium, citationem, confeſſionem rei, conceſſionem termini, &c. ut tenent Caden. Lacro. compilat. et alii contra Tap. Laurent. et Hozes: attamen judex in interlocutoriis, judicans juxta ſententiam minus probabilem, eſto peccaret peccato injuſtitiæ, ſecundum primæ ſententiæ AA. non tamen injuſtitiæ notoriæ, ob probabilitatem, ac patrocinium DD. ſecundæ ſententiæ.

XXXV. Probatur 1. pars reſolutionis 1. Quia judex, in judicando, debet ſemper probabiliori opinioni adhærere, ſecundum damnationem prædictam; quæ quidem damnatio non diſtinguit inter ſententiam interlocutoriam, vel definitivam. 2. Quia alias poſſet judex in interlocutoriis habere acceptionem perſonarum, agere ut privata perſona. 3. Id eſſet graviter damnoſum alteri parti, quia ſententiæ interlocutoriæ communiter parant viam ad definitivam: ergo ſi non licet in hac, nec licebit in illis ſequi minus probabilia.

XXXVI. Probatur 2. pars: Quia, data probabilitate ſecundæ opinionis Tap. et aliorum, injuſtitia illa eſt aliqualiter celabilis, et tergiverſabilis, proindeque dubia, et non notoria: neque hæc ſecunda opinio probabiliter comprehenditur expreſſe in illa condemnatione, quæ utpote odioſa, reſtringenda eſt; et ſententiæ interlocutoriæ proprie, et rigoroſe ſententiæ non ſunt, cum litem non dirimant, ſed ſolæ ſententiæ definitivæ, ut cum curſ. moral. Salmantic. tom. 6. tr. 29. de judic. c. 1. pu. 4. n. 40. tenet compilator hic ſub n. 479. § 31.

XXXVII. Verum in rei veritate, cum propoſitio confixa non loquatur de *ſententia*, ſed de judicio, ſeu actu judicandi, *judicem poſſe judicare:* et loquatur abſolute, et non reſtricte ad hoc, quod eſt judicare finaliter, et definitive, vel interlocutorie: ideo priori, et certe probabiliori ſententiæ in praxi inhærendum eſt, ob hanc, et alias rationes inſinuatas, et quia in praxi tutior proculdubio eſt, atque ſecurior.

XXXVIII. *Dico*, 5. Quoties probabilitas, aut probabilioritas opinionum verſatur circa licitudinem, et non circa validitatem ſententiæ, ita ut certum ſit, judicem valide ſententiam ferre in illo caſu, et ſolummodo dubium, an licite: quamvis probabilius ſit practice, quod illicite tunc judicet (ut in caſu, quo judex probabiliori opinioni actoris adhærens, non judicaret in favorem rei, aut poſſeſſoris, qui in his circumſtantiis opinionem practice probabiliorem pro ſe habent) tunc licet peccaret contra juſtitiam, non tamen committeret injuſtitiam notoriam.

XXXIX. Probatur reſolutio, quoad 1. partem: Quia practice probabilius eſt, judicem tunc debere ſententiam ferre in favorem rei, juxta practicam regulam jur. 1. in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.* Et ex c. *Litteris*, de probat. ibi: *Quod ſi ambarum partium teſtes ſint æqui idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur:* ergo quamvis actori faveret in iſto caſu opinio probabilior ſpeculative, poſtponenda utique eſt opinioni practice probabiliori rei, atque poſſeſſoris; et judex ita non judi-

judicando contra juſtitiam operaretur, et contra pontificiam damnationem. Vide cit. curſ. moral. n. 43. ubi aliquas exceptiones ponit.

XL. Prob. eadem reſolutio, quoad 2. partem: Quia in illis caſibus injuſtitia celaretur, atque palliaretur duplici tergiverſatione, atque prætextu probabili, alio orto ex probabilitate contrariæ ſententiæ; alio reſultante ex validitate ſententiæ, ac proceſſus. Confirmatur; quia, ſecundum communiorem, et probabiliorem ſententiam, de qua Oliv. q. 16. n. 3. et ſeqq. et nos infr. c. 18.———

XLI. Quoties judex eccleſiaſticus valide, licet injuſte procedit, non datur locus recurrendi ad ſæcularia tribunalia, tum quia in eo caſu ex validitate ſententiæ, ac proceſſus, violentia deſinit eſſe notoria; tum quia, ſecundum leges, et communem DD. auctoritatem, non datur etiam interdictum *undevi* contra judicem valide, eſto injuſte procedentem, c. *Præſentium*, ub. gl. 7. q. 1. c. *Conquerente*, de reſt. ſpoliat. ub. Abb. 7. et reliq. DD. quorum plures citat Seſſ. in ep. ad reg. n. 89. et dec. 114. Per. de man. reg. c. 4. n. 7.

XLII. *Dico*, 6. Si probabilitas verſetur circa validitatem ſententiæ, ut in caſu judicis, qui in eadem cauſa advocatum egerat, de quo Buſemb. l. 4. dub. 2. a. 4. reſp. 2. ita ait: *Si judex in aliqua cauſa fuit advocatus, in eadem judex eſſe, et ſententiam ferre non poteſt, l. Eos in princ. c. de appell. et l. Prætor de juriſd. quia judicium ejus habetur ſuſpectum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi doct. docet Sanct. l. 3. conſil. c. un. dub. 26. (additque, n. 3. ſententiam non fore validam: quod tamen alii negant, ſi ſit judex ordinarius) Lugo. d. 41. n. 4. v. etiam Dia. p. 3. t. 5. miſc. R. 56. ubi ex Corduba ſentit, talem judicem in conſcientia non peccare, ſi ſine affectu ſecundum leges altera parte inſcia judicet.* In hoc igitur caſu, licet judex peccet, juxta primam ſententiam, in eadem cauſa judicans, non tamen peccato injuſtitiæ notoriæ, tum ex validitate judicii, et proceſſus, juxta ſecundam opinionem; tum quia juſte judicare exercite, et juſtam ſententiam ferre, et forſan in favorem partis, adverſus quam interceſſerat.

XLIII. Veruntamen caſus iſte non videtur comprehendi in proſcriptione illa Innocentii, quippe quæ in verbo *poſſe*, potius licitudinem, quam validitatem judicii reſpicere æſtimatur. Idem dicendum, atque docendum videtur in opinionibus aliis conſimilibus, quæ apud DD. facile reperiuntur, et cogitanti facile obvenient.

XLIV. An vero judex, ſi advertat, unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, poſſit hoc illi ſuggerere? Poſſe, reſpondet Lacr. n. 1478. imo teneri facere, dicunt Dicaſt. de juſt. l. 2. tt. 1. d. 5. n. 285. et nonnulli apud Dianam, qui hanc ſententiam cenſet probabiliſſimam; Baldus putat, non teneri quidem, attamen poſſe ex charitate; ſed Vaſq. Sanch. Caſtr. tt. 1. d. 2. p. 10. n. 9. Burgh. cent. 2. caſ. 94. aliique communiter, et probabilius dicunt, peccare graviter, ſi faciat; quia debet ſe gerere tanquam perſonam publicam in omnibus, et tantum procedere ex ſcientia publica, vel per partes hauſta, uti docet S. Thom. 2. 2. q. 67. ar. 2. deinde debet tantum judicare ex allegatis, et probatis per partes ipſas; denique debet eſſe impartialis, et indifferens ad utramque partem, nec agere unius advocatum: ergo.

Sect. II.

Quid tandem dicendum de notorietate violentiæ in caſibus, præjactis reſolutionibus, contentis?

XLV. *Prima concluſio:* Probabile eſt, judicem judicantem juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, graviter quidem peccare, et notoriam injuſtitiam committere; non tamen notoriam violentiam recurſabilem, ſi ſententiam executioni non mandet. Reſolutio conſequitur ex dictis. Prob. 1. Quia violentia notoria recurſabilis ea eſt, pro qua notorium eſt, nullam adeſſe probabilem opinionem, qua celari, aut tergiverſari poſſit: atqui notorium eſt in præmiſſo caſu, probabilem adeſſe opinionem: ergo violentia ea non evadit notoria, præſertim ſi judex ſententiam non exequatur. Probatur, 2. Quia probabile eſt, damnationem Innocent. in prop. 2. non extendi ad opiniones probabiles, etiam poſt illam communiter amplexatas, de quibus, c. 15. et 16. n. 7. etiam quoad rationem gravis injuſtitiæ: ergo multo minus extendetur ad hanc probabilem opinionem, quoad rationem violentiæ notoriæ, quæ eſt ratio injuſtitiæ ſuperadditæ, et illa major, et ſimiliter ad probabilitatem licitudinis recurſus. Confirmatur ex ſuperius traditis, c. 14. et ex infra adducendis in objectionem ſequenti concluſioni, præſertim an. 50.

XLVI. *Secunda concluſio:* Judex eccleſiaſticus, ut in 1. caſu, judicans ſecundum opinionem minus probabilem, omiſſa probabiliori practice, quam talem eſſe notorium etiam eſt, et eam exequens, ſive executioni mandans, nedum notoriam injuſtitiam, ſed probabilius æque notoriam violentiam recurſabilem committit. Hæc concluſio eſt conſequens ad doctrinam Portugal. de donat. c. 31. et Per. de man. reg. et aliorum defendentium, patere recurſum à judice eccleſiaſtico non judicante juxta communiorem opinionem, quod tamen ſuperius impugnamus.

XLVII. Prob. concluſio 1. Quia, ſuppoſita pontificia illa damnatione prop. 2. notorium eſt, opinionem damnatam, et illius probabilitatem, ſaltem practicam, omnino evanuiſſe, et ad nihilum, tanquam ſi non eſſet, redactam fuiſſe: ergo, ſicut notorium eſt, judicem tunc injuſtitiam committere, ita et violentiam, ſi etiam notorium ſit, opinionem ab eo deſertam practice probabiliorem eſſe. Prob. conſequentia; quia licet non ex eo quod detur, injuſtitia notoria, ſequatur irrefragabiliter, dari notoriam violentiam; poteſt enim notorie injuſtitia dari, quin detur violentia; non enim mutuo ſeſe includunt injuſtitia, et violentia, de quo infr. c. 17. et 18. et quamvis omnis violentia ſit injuſta; eo ipſo, è converſo, non omnis injuſtitia eſt violentia: attamen in caſu præſenti, ſuppoſita exinanitione opinionis proſcriptæ, et ejus probabilitatis, notorium eſt, non adeſſe patrocinium alicujus opinionis probabilis, ſaltem practice, judici judicanti juxta opinionem minus probabilem; et nullum jus practice adeſſe parti, minus probabili opinione ſuffultæ; et non ſolum probabilius jus (quod jam antea habebat) ſed totum jus in his terminis adeſſe parti probabiliorem opinionem pro ſe habenti: atqui judex rem, v. g. non adjudicans parti totum jus ad illam notorie habenti, et illam adjudicans parti nullum jus ad eam practice habenti, et nulla probabili opinione practice, et notorie munitæ, vim inferret, et notorie inferret: ergo, &c.

XLVIII. Prob. hæc minor, quoad vis inferentiam, ſeu incuſſionem: quia *violentia* eſt *vi illata oppreſſio*, ſeu *injuria*. Atqui in caſu propoſito judex, vi muneris ſui, et ſententiæ injuſtæ ab eo prolatæ, injuriam faceret notorio juri partis contrariæ, et illud vi veluti opprimeret, ac proſterneret, præſertim ſententiam ipſam exequendo, vel executioni mandans: ergo, &c. Prob. eadem minor, quoad notorietatem violentiæ: quia illa dicitur, et eſt violentia notoria, quæ nulla ſaltem probabiliter tergiverſatione celari poteſt; ſed, poſita illa pontificia damnatione, et proſcriptæ propoſitionis notoria evaneſcentia, ſeu exploſione, notorium eſt, nullam pro illa extare probabilem opinionem, qua celari, aut prætextari poſſit probabiliter, vel adhuc etiam abſolute: ergo violentiam notoriam inferret judex minus probabiliter taliter judicando, et judicatum exequi faciendo; proindeque ab ea, ut tali, pateret recurſus ad regiam coronam.

XLIX. Dixi, *Si notorium etiam ſit, probabiliorem practice eſſe opinionem, ſecundum quam judex non judicavit:* quia ſi hoc notorium non ſit, patens, et evidens; erit utique dubium, et aliqualiter tergiverſabile, ſaltem prætextu opinionis probabilis, cui judex adhæſit, atque adeo minime patebit aditus ad recurſum. Confirmatur ex doctrina Dianæ, duplicem notorietatem requirentis in denuntiatione regularium exemptorum in cenſuras juris, facta ab ordinariis, pro cujus licitudine, ac validitate requirit, *et quod factum notorium ſit, et notorium inſuper, nullam cauſam regulares habere, qua ſe excuſent.* Vid. Dia. p. 3. tr. 2. reſ. 35. Tamb. de jur. Abb. to. 1. et 2. et alios ibid.

L. Dices,

L. Dices, 1. Violentia notoria eſt illa, quæ nullatenus celabilis eſt: atqui violentia in caſu præfato eſt aliqualiter celabilis: et probas: quia adhuc haberet opinionem, licet minus probabilem, ſecundum quam judex judicaret: ergo. Reſp. negando min. Ad probationem nego ſuppoſitum, quod illa minus probabilis opinio, ſecundum quam judex judicaret, poſita pontificia proſcriptione, et opinio foret, et probabilis practice: in praxi namque reputatur, quaſi ſi non foret, et ut vere improbabilis, et impracticabilis, præſertim ex tenore damnationis illius, eam etiam probabilitatem comprehendentis: *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe*, &c.

LI. Urgebis; Juxta doctrinam ſuperius traditam, opinio minus probabilis propriam retinet probabilitatem, etiam in conſortio probabilioris: deinde poteſt dari notoria injuſtitia, quæ non ſit notoria violentia: ergo licet, ſuppoſita proſcriptione pontificia, judex tunc notorie peccaret contra juſtitiam, ſententiam ferens in favorem partis, minus probabilem opinionem habentis, non tamen notoriam inferret violentiam. Reſp. diſtinguendo antecedens, quoad 1. partem: Si nulla interſit damnatio eccleſiæ circa uſum, vel probabilitatem illius opinionis, tranſeat; ſi interſit, ſubdiſtinguo: retinet probabilitatem ſpeculativam; tranſeat: practicam, ſive ad praxim reducibilem (ſententia autem judicis, cum ſit quid practicum, debet regulari à probabilitate practica) nego: deinde diſtinguo idem antecedens, quoad 2. partem: poteſt dari notoria injuſtitia, &c. in caſu præſenti, nego; in aliis caſibus, concedo. De quibus tamen infr. c. 17. et 18.

LII. Dices, 2. In hoc caſu non daretur interdictum *undevi* adverſus talem judicem, eo quod valide poſſet adhuc procedere: atqui leges non permittunt interdictum *undevi* contra judicem valide, licet injuſte procedentem: ergo. Reſponſio hujus argumenti patebit ex dicendis c. ſubſequenti.

LIII. Dices, 3. juxta doctrinam Deluc. de fideic. d. 140. n. 4. *Unius D. opinio, et auctoritas reddit cauſam dubiam, et tranſigibilem:* ergo. Reſp. 1. Diſtinguendo antecedens: non interveniente decreto aliquo eccleſiaſtico in contrarium; tranſeat: interveniente, ſubdiſtinguo: reddit cauſam dubiam ſpeculative; tranſeat: practice, nego. Reſp. 2. Deluc. ibi loqui de quadam tranſactione ſuperveniente fideicommiſſo, de quo altercabatur, an donatio foret cauſativa, et habens ſpeciem contractus, necne? Et ſpecialis reſolutio in hac materia non debet ad alias generaliter extendi, præſertim cum in hac etiam dicit Deluc. ibid. *id pro ſuo ſenſu periculoſum eſſe.* Ipſum vide.

LIV. Concluſio 2. In reliquis caſibus ſuperius extenſis, videlicet æqualis probabilitatis utrinque validi proceſſus, licet injuſti, judicii probabilis in ſententiis interlocutoriis, non vero in definitivis; et in aliis, in quibus judex notoriam injuſtitiam non committit certe, ſed tantum probabiliter, juxta unam opinionem; etiam nec notoriam certe infert violentiam: proindeque nequit ab eo intentari recurſus. Hæc concluſio etiam eſt de mente omnium DD. et communi doctrinæ cohærens, videlicet Per. cit. c. 4. 7. et 9. Oliv. q. 15. et 16.

LV. Prob. 1. Quia implicat notorietas violentiæ abſque notorietate injuſtitiæ; cum omnis violentia eo ipſo injuſta ſit, et injurioſa: definitur enim *vi oppreſſio illata*, ſeu *vi illata injuria:* atqui in caſibus præmiſſis non invenitur ratio injuriæ, aut injuſtitiæ notoriæ, ex patrocinio, atque aſſiſtentia opinionis vere, et practice probabilis: ergo neque reperietur ullo modo ratio notoriæ violentiæ.

LVI. Prob. 2. concluſio, et ſimul hæc conſequentia; Quia ſemel quod violentia ſit aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis, ceſſat in ea ratio notorietatis, et remanet in terminis violentiæ dubiæ, et non notoriæ, ut tenet Per. cit. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 2. et c. 9. et ſatis probatum remanet ſupr. c. 14. et 15. atqui in reliquis caſibus præmiſſis an. 17. uſque 45. nedum violentia, ſed et injuſtitia ipſa eſt celabilis, aut tergiverſabilis patrocinio opinionis vere probabilis, quæ ei aſſiſtit, et ſuffragatur: ergo in caſibus illis violentia notoria non eſt, ſed dubia. Subſumo ſic: Sed quando violentia non eſt patens, evidens, et ita notoria, quæ omnimodam probabilem opinionem ſibi faventem excludat, ut explicant DD, ſuperius cit. c. 12. et 14. non datur aditus ad recurſum ad regia tribunalia: ergo, &c.

LVII. Dices, 1. In caſibus præmiſſis judex, quamvis non committat notoriam injuſtitiam certo, eam committit ſaltem probabiliter, juxta ſuperius tradita: ergo pariformiter, quamvis non inferat notoriam violentiam certe, illam inferret ſaltem probabiliter. Reſp. 1. Negando antecedens, quoad rationem notorietatis: nam quamvis probabile ſit, juxta unam opinionem, in illis caſibus injuſtitiam quidem practice committi; non tamen evidens, et notoria injuſtitia illa incedit, ob prætextum, ac tergiverſationem opinionis probabilis, qua practice celatur.

LVIII. Reſp. 2. DD. præcitatos, ad rationem notorietatis violentiæ, non ſolum prærequirere, quod illa certa ſit, et realis, ſed ulterius, quod etiam ſit certum, nullam pro ea probabilem opinionem extare, ut Per. cit. c. 4. et 7. et reliqui ſupra laudati c. 12, 13. et 14. et colligitur ex juribus expreſſis ibid. tranſcriptis. Unde quamvis certum ſit, ſecundum unam opinionem, practice dari injuſtitiam, ſeu quod injuſtitia in præmiſſis caſibus practice ſit certa, non tamen certum eſt practice, imo et ſpeculative, notoriam eſſe, eo quod celetur, ac prætextetur tergiverſatione probabilis opinionis: quæ quidem ratio plus, et ſecurius militat in notorietate violentiæ: nam hæc, injuſtitiæ, atque injuriæ rationi, vim ſuperaddit; eſt enim *vi illata injuria*; et aliunde nulla datur opinio, nullum jus, aut auctoritas docens, *notorium* dici poſſe id quod tantum probabiliter tale eſt; quod idem valet, atque id, quod dubie tantum notorium eſt, et non clarum, patens, et evidens. Imo dantur jura, et auctoritates copioſiſſimæ in contrarium, demonſtrantes, ſolum id poſſe dici notorium, quod nullatenus dubium eſt, et quod nulla, ſaltem probabili tergiverſatione, aut *diſſimulatione*, ut ait gloſſ. in cit. c. *De manifeſta*, 2. q. 1. celari poteſt. Sed de hoc iterum, c. 17. et 18.

LIX. Dices, 2. Saltem in caſu validi proceſſus, et injuſtæ ſententiæ, judex notoriam injuriam infert juri partis, meliorem, ſeu clariorem juſtitiam habentis; judicat enim in jus, ſive contra notorium jus illius, proindeque injuſte, et injurioſe: ergo vim illi infert notorie; ac per conſequens, &c. Reſp. negando antecedens; vel melius, illud ſic diſtinguendo: Infert notoriam injuriam, prout injuria recurrit cum injuſtitia; tranſeat: prout recurrit cum violentia, ſubdiſtinguo: ſi injuria ſit aliqualiter celabilis, vel tergiverſabilis probabilitate alicujus opinionis favorabilis, vel aliqua circumſtantia eidem ſuffragante, nego; ſi ita non ſit, tranſeat pro nunc; infra namque ex profeſſo hoc uberius diſcutietur, c. 17. et 18.

Sect. III.

Notantur aliqua ſpecialiter pro probabilioritate practice probabiliſmi adverſus probabilioriſmum, ac tutioriſmum; et oſtenditur, probabilioriſtas practice veritatem, ac ſecuritatem opinionis vere probabilis generaliter ſequi, et amplexari.

Cum pariter utilitati, et placidæ quieti prælatorum in hoc opuſculo inſervire intendamus; pro extenſiori, et fortaſſis intentiori etiam, erga præſentem materiam notitia, hunc ſpecialem paragraphum ſuperaddimus: pro cujus ſubjecti faciliori intelligentia ——

LX. Præſupponendum eſt, 1. Quod doctores, qui uſum, et ſequelam opinionis vere probabilis, ut licitam, et ſecuram in praxi pro humanis actionibus conſulunt, *probabiliſtæ* vocantur; qui vero ſolius probabilioris, *probabilioriſtæ*; qui autem tutioris dumtaxat, *tutioriſtæ*; qui tandem rigidæ, aut rigidioris practicam ſuadent, *rigoriſtæ* nuncupantur.

LXI. Præſupp. 2. Opinionem *tutiorem* in humanis actionibus faventem potius legi, quam libertati, nec ideo præciſe *probabiliorem* evadere, ut patet in ſufficientia actus attritionis ſupernaturalis in ſacramento pœnitentiæ, qui quidem minus tutus eſt, quam actus formalis contritionis; et in ſufficientia intentionis virtualis, quæ minus tuta eſt, quam actualis, et formalis; et tamen opiniones, pro illarum ſufficientia pugnantes, tutæ ſane in praxi, et probabiliores quidem ſunt; ut ſuperius demonſtratum remanet, c. 15. et ut oſtenditur in opinione D. Thom. in 4. diſt. 16. q. 1. a. 2. docente, quod *circumſtantiæ notabiliter aggravantes non ſunt de neceſſitate confitendæ*,

tendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt; et hoc eſt probabilius: et tamen non eſt tutius.

LXII. Præſupp. 3. Sinnichium, et alios tutioriſmi ſectatores ex Janſenio communiter docere, et cum eis rigoriſtas, via tutiſſima incedere, eſſe opus præcepti, non conſilii dumtaxat; proindeque veluti præcepta recipiunt conſilia evangelica majorem perfectionem reſpicientia, ut illud, 1 Cor. 12. *Æmulamini chariſmata meliora*; et illud, Matth. 19. *Vade, et vende omnia, quæ habes*, &c.

LXIII. Præſupp. 4. Ex his principiis errâſſe Janſenium in prop. 1. ex quinque damnatis ab Innoc. X. ubi ſic: *Aliqua Dei præcepta omnibus juſtis volentibus, et conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Et illius doctrinæ inhærentes errâſſe etiam tutioriſtas in prop. 3. pariter ab Alex. VIII. damnata: *Non licet ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam.* Nota verba illa: *Inter probabiles*, non *inter probabiliores.*

LXIV. Præſupp. 5. Cum venerab. P. Paulo Segneri (viro æque famoſo, virtuoſo, exemplari, ac docto, qui ideo in ſpecialem conſultorem Innoc. XII. pro materiis theologicis ab eo ſelectus erat) in ſua epiſtola aurea *de probabili*, n. 49. recte animadvertente, rationes fere omnes, quæ à probabilioriſtis congeruntur ad probandum, teneri nos ad ſequendum ductum opinionis probabilioris, indiviſim evincunt, teneri ad ſequendum quod eſt tutius. Et tamen probabilioriſtæ à tutioriſtis diſcrepant, ac recedunt, docentes, ſufficere in praxi ſequi quod eſt *probabilius*, licet re ipſa tutius non ſit in moralibus actionibus humanis: nam ad recte moraliter operandum, ſufficit, quod tuto operetur.

LXV. Præſupp. 6. D. Thomam in ſumma retractâſſe plures opiniones, quas antea in 4. ſent. amplexatus fuerat, ut notat Caſned. Criſ. d. 1. ſect. 5. unde Divinum illud Chriſti D. oraculum: *Bene ſcripſiſti de me, Thoma*, non ſupra *veritatem*, ſed ſupra *probabilitatem* cadere dignoſcitur; non enim dixit *Vere*, ſed *Bene ſcripſiſti.* Vid. cit. Caſned. ibid. n. 134.

LXVI. His igitur præſuppoſitis ſit 1. Notabile ſpeciale, quod argute, ac ſolide notavit Gibalin. apud ven. P. Segneri, in ep. cit. ibi: *Tutior eſt gradus comparativus, præſupponens poſitivum, ſcilicet, aliam eſſe tutam propoſitionem.* Ex quo recte infertur ad hominem, ut aiunt, contra tutioriſtas, eo ipſo, quod *tutioriſtæ* aſſeverant, opiniones ſuas tutiores eſſe, et ut tales, praxi conſulunt proſequendas, implicite aſſeverare, oppoſitas *probabiliſtarum* opiniones poſitive tutas eſſe in praxi, et tute etiam in ea ſequi poſſe. Nam, ut aſſerit Nider ibidem, *Non oportet ſemper tutiorem opinionem eligere de neceſſitate ſalutis, ſed ſufficit tutam eligere.*

LXVII. 2. Notabile ſit, quod, ſuppoſita illa Alexand. VIII. propoſitionis 3. proſcriptione, non ſolum tutum, ſed et probabilius eſt, poſſe ſequi opinionem probabiliſſimam inter probabiles, faventem potius libertati, quam legi, in humanis actionibus, quin neceſſe ſit quærere probabiliſſimam inter probabiliores, vel etiam inter has, moraliter, aut metaphyſice certam; quod ſane reapſe tutius quidem foret, quam ſolam inter probabiles probabiliſſimam tenere. Ubi adverte, opinionem probabiliſſimam inter probabiles, cum adhuc in terminis *opinionis* remaneat, non excludere omnem formidinem partis oppoſitæ, quæ eſt de eſſentiali conceptu opinionis, juxta commune DD. placitum, imo et ipſius D. Angelici ſupr. cit. n. 65. quam quidem formidinem excludit opinio moraliter certa; tum quia moraliter eſt evidens, et aſſenſum neceſſitat, tum quia magis accedit ad ſcientiam. *Quia tamen*, addit P. Viva, *certitudo moralis non conſiſtit in indiviſibili, et ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, ideo poterit ſupremus gradus probabilitatis attingere infimum gradum moralis certitudinis, ita tamen ut nunquam ſuprema probabilitas dici poſſit proprie, ac preſſe certitudo.*

LXVIII. 3. Notabile, quod, ut obſervat P. Avendan. probl. theol. proluſion. pro concept. et etiam Velaſq. de conception. lib. 3. et 5. hactenus Summi Pontifices opiniones minus pias damnare conſueverunt. Sed opiniones rigoriſtarum, ac tutioriſtarum, quatenus quod tutius, et rigoroſius eſt in humanis actionibus citra damnum grave tertii nos perquirere, tenere, et obſervare cogunt, ſunt minus piæ, minuſque ſuavitati jugi Domini, ejuſque oneris levitati, atque ipſius mandatorum latitudini, facilitati, et perviæ adimpletioni conformiores: ergo ſunt ſaltem ſuſpectæ falſitatis, et pontificiæ abolitioni obnoxiæ.

LXIX. 4. Notabile, quod omnes textus, auctoritates, rationes, quibus probabilioriſtæ, ac tutioriſtæ fundantur, et in favorem ſuarum opinionum adducunt, retorqueri in ipſos à probabiliſtis, vel formaliter, vel pariformiter, vel conſequenter, ut ex infr. expreſſis facile innoteſcet. Similiter in ipſos retunduntur notæ, et ſugillationes, quibus præfati probabiliſmum impetunt, ac inurunt, ut jam concernere libet.

Fundantur igitur variis ſacræ paginæ auctoritatibus, et, 1. Pſ. 118. *Tu mandâſti mandata tua cuſtodiri nimis.* 2. Matt. 7. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* 3. Rom. 14. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* 4. Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* 5. Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* 6. 1 Cor. 12. *Æmulamini chariſmata meliora.* 7. Matt. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, et vende*, &c.

LXX. Sed contra retunduntur, et ad 1. ex eodem Pſ. *Latum mandatum tuum nimis.* Et ex Eccl. 7. *Noli eſſe juſtus multum, neque plus ſapiens, quam neceſſe eſt.* Et ex definitione Trid. de juſtif. c. 11. ſeſſ. 6. *Deus impoſſibilia non jubet.* Et ſequentes etiam textus. Ad 2. *Jugum meum ſuave eſt, et onus meum leve:* ex Matt. 11. *Et mandata ejus gravia non ſunt.* 1 Joa. 5. 3. et textus præmiſſi, *Latum mandatum tuum*, &c.

Ad 3. ex Rom. 7. *Peccatum non cognovi, niſi per legem:* et Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſibi ſunt lex.* Et Jud. 17. *Unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Et 1 Cor. 10. *Omne in macello venditum manducate, non interrogantes propter conſcientiam . . . . Si quis infidelium vos vocat, et vultis ire, omne manducate, nihil interrogantes.* Unde reſpondent communiter, *quod non eſt ex fide*, id eſt, *ex recto dictamine conſcientiæ*, vel, ut explicat P. Viva, id eſt, *quod, bona fide, non creditur vacare culpa, peccatum eſſe.* At quod fit juxta opinionem practice probabilem, juxta conſcientiam fit, et bona fide, practice creditur, et prudenter judicatur culpa vacare; et quod fit ſecundum conſcientiam, ſeu naturale dictamen rationis, quod eſt lex, ſeu regula immediata humanarum actionum, legem adimplet, ut ex cit. text. Rom. 2. et 1 Cor. 10. 11. Cor. 10.

Ad 4. et 5. Retorquentur ex illo Rom. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Et Eccl. 6. *In multitudine preſbyterorum prudentium ſta, et ſapientiæ illorum ex corde conjungere.* Et 8. ibid. *Ne deſpicies narrationem preſbyterorum ſapientium.* Et Act. 9. *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Et Matt. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Pontifices, et Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, facite.* Et Eccl. 4. *In judicando eſto pupillis miſericors.* Et Tob. 4. *Conſilium ſemper à ſapiente require: conſilium*, non *certitudinem*; *à ſapiente*, non *à ſapientiore.*

LXXI. Unde reſpondetur ab objectos textus, quod qui conſilio prudentium operatur, prudenter, et ſecure operatur, nec practice ſe exponit periculo peccati formalis, ſed ad ſummum materialis dumtaxat. Neque prudentiæ propriæ innititur, qui alienam conſulit, et practice ſequitur. Imo gentes, quæ legem non habentes, et quæ ſunt legis naturaliter implentes, ipſi ſibi ſunt lex, et propriæ prudentiæ inculpabiliter, imo obligatorie innituntur, quatenus naturalis rationis proprium prudens dictamen inſequuntur, et inſequi tenentur. Unde non reprobat Salomon inniti propriæ prudentiæ prudenter, et rationabiliter; ſed imprudenter, præſumptuoſe, arroganter, pervicaciter, et ſuperbe. Unde Septuaginta vertunt, *Ne extollaris:* Roman. *Ne exalteris:* Arabic. *Ne elevetis.* Vid. Alap.

LXXII. Ad 6. et 7. reſp. Eſſe conſilia, non præcepta, ut innuit contextus: *Si vis perfectus eſſe.* Sicut opera conſilii, et non præcepti ſunt illa: *Qui*

non

non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, &c. Qui non odit patrem ſuum, et matrem, &c. Niſi efficiamini ſicut parvuli, &c. Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c. Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis, &c. In omnibus operibus tuis præcellens eſto. In omnibus operibus tuis cogita Deum. Ambula coram me, et eſto perfectus, &c.

Alioquin, ut ait Apoſtolus, 1 Cor. 5. *Debueramus de hoc mundo exire.* Et omnes tenerentur ingredi religionem ob majorem ſecuritatem, et probabiliorem ſpem æternæ beatitudinis conſequendæ, atque bonis omnibus temporalibus, nedum affectu, ſed inſuper et effectu renuntiare, et ſæculo valedicere, et alia, quæ majoris ſecuritatis, atque perfectionis ſunt, ſemper anxie inquirere, et effective exequi; et prout ſic jugum Domini, non ſuave, ac leve, ſed ſatis grave, ac moleſtum redderetur. Unde retunduntur etiam ex illo, Prov. 30. *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem*, Et ex vulg. axiom. *Summum jus, ſumma injuſtitia.*

LXXIII. Fundantur etiam in variis juris can. textibus, et 1. c. *Juvenis* de ſponſalib. ubi dicitur: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Et c. 2. *Ad audientiam*, de homicid. Et c. *Significâſti*, et c. ultimo eod. tit. ubi decernitur *quod in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem.* 2. c. *Siquis* de pœnit. ubi ex verbis Auguſt. *Tene certum, et dimitte incertum.* 3. Declarationem illam S. Congr. apud Sperell. dec. 129. n. 28. qua declaratæ ſunt moniales Dominicanæ, incurſæ in cenſuram, c. *Non ſolum* de regular. in 6. eo quod juxta probabilem opinionem DD. theologorum ordinis ad profeſſionem novitiam quandam admiſerunt, non expleto probationis anno, et alias conſimiles deciſiones, jubentes abſolutionem ad cautelam, in caſibus dubiis, et utrinque probabilibus.

LXXIV. Sed contra, retorquent, reg. jur. 31. in 6. *Qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* Et vulvare axioma: *Medio tutiſſimus ibis:* et *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Quæ utique in humanis actionibus *pro libertate ſtat.* Et præterea, c. *Inquiſitioni* de ſent. excom. ibi: *Cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, et diſcreta, quamvis non evidenti, reddere poteſt debitum*, &c.

LXXV. Unde reſpondent ad 1. et conſequentes textus, vel loqui de conſilio, non de præcepto, ſed ad cautelam, ut colligitur ex cit. c. *Significâſti*; ibi: *Cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare*; vel loqui de dubio practico cum periculo peccati formalis conſequentis, non vero materialis dumtaxat, aut alterius gravis incommodi, inde reſultantis, aut ſubſequentis. Ita Platel. Vide auctoritatem D. Antonini, infr. n. 77. et apud Lacr. c. *Sicut quædam*, d. 14. cit. c. *Inquiſitioni*, de ſent. excom. c. *Ego ſolis*, d. 9. ubi ex Aug. *Non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios AA. vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, perſuadere potuerunt.* Ub. gl. v. *Probabiles: Ratio æquivalet canoni*, ut ſupr. d. 1. *Conſuetudo.* Et infr. c. 21.

Ad 2. reſpondent in cit. c. de pœnit. ſolum doceri, aut ſuaderi ex verbis D. P. Auguſt. quod pœnitentia non ſit differenda uſque ad finem vitæ cum incertitudine, et periculo ſalutis æternæ, ut ex ipſo liquet, non vero quod tutior, et certior ſententia in humanis actionibus ſit amplectenda, et præferenda. V. c. *Alligant*, infr. n. 84.

LXXVI. Ad 3. reſpondetur, et retorquetur ex verbis ipſius Sperell. ibid. n. 27. et 28. *Et in hunc ſenſum intelligenda eſt concluſio, quæ habet, ſemper adhærendum eſſe opinioni, quæ magis favet eccleſiæ, præſertim ubi periculum vertitur cenſuras incurrendi, ut per Felin. in c. 1. n. 104. de conſtitut. Caball. reſol. crim. caſ. 60. ad fin. Honded. conſ. 3. n. 24. lib. 1. Bellett. diſquiſit. cleric. p. 1. tt. 6. § 4. n. 13. Dian. reſol. moral. p. 5. tract. 1. reſol. 23. v. Igitur: Nam extra hos terminos licitum eſt ſequi probabilem, relicta probabiliori, ſecundum ea, quæ late deduxi in dec. 119. an. 57. uſque ad 62. Sic rurſus nec quidem à cenſura, vel pœna à jure lata excuſat probabilis opinio DD. ſecus ſentientium; qua de re habemus egregiam deciſionem Rottæ penes Mohedan. d. 3. de ſent. excom. ubi quædam moniales ordinis Prædicatorum admiſerant ad profeſſionem novitiam, nondum expleto probationis anno; contra diſpoſitionem text. in c. Non ſolum, 2. de regularibus, in 6. fretæ auctoritate D. Antonini, Paludani, ac Silveſtri, graviſſimorum theologorum, qui dubio procul probabilem efficiebant ſententiam; et nihilominus Rotta determinavit dd. moniales incidiſſe in cenſuram, de qua in dict. cap. Non ſolum; quia poterant et debebant conſulere canoniſtas, potius quam theologos: et ideo, quamvis eſſent mulieres, illas ex hoc cap. minime excuſari.*

LXXVII. Fundantur inſuper variis SS. PP. auctoritatibus, præſertim D. Antonini, quibus maxime fidit illuſtriſſimus Genetus, to. 1. et D. Thom. necnon D. P. Aug. et aliorum. Sed contra revibrantur aliis eorundem SS. PP. auctoritatibus, ſignanter D. Anton. in ſumm. p. 1. c. 10. *Eligere viam tutiorem, conſilii eſt, non præcepti: aliter oporteret multos ingredi in religionem, in qua tutius vivitur, quam in ſæculo.* Et D. Tho. in ſuppl. 65. a. 1. *Lex naturalis nihil aliud eſt, quam conceptio homini naturalis indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis.* Nota illud, *in actionibus propriis.* Item 2. 2. q. 17. a. 2. *Homo in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientiam à propria ſcientia*, et quolib. 3. a. 10. *In his, quæ pertinent ad fidem, et bonos mores, nullus excuſatur ex alterius aſſerto.* Et quodlib. 8. et 9. a. 13. et 15. ubi docet: *Nullum poſſe eſſe peccatum, niſi quis operetur, vel contra legem, vel contra conſcientiam; quod autem nec contra legem, nec contra conſcientiam eſt, peccatum eſſe non poteſt. Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, alteram falſam*, &c. Vid. infr. n. 82.

LXXVIII. Et inſuper D. P. Aug. relatus c. *Quid culpatur in bello*, 23. q. 1. ubi docet, ſufficere, quod bellum ſit probabiliter juſtum, ibi: *Ergo vir juſtus, ſi forte etiam ſub rege et homine ſacrilego militet, recte poteſt illo jubente bellare, ſi vice pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Ub. gl. v. *Iniquitas*; ibi: *Habes, quod licet dominus peccet præcipiendo, tamen ſubditus non peccat obediendo, ut* 100. *diſt. contra Morem. in princ. ſic* xxxix. *q. v.* Manifeſtum, *extra de jurejur. debitores. Idem habes hic, quod in dubiis, ſemper eſt obediendum*, xix. *diſtinct. in memoriam.*

Et ep. 118. referens duplicem opinionem tempore illo probabilem, ait, *ſe utramque permittere, et neutram reprobare:* et ep. 117. paritate à Zacheo, et centurione deducta, ait, quod *opinantes, et operantes oppoſita, Deum glorificent.*

LXXIX. Objiciunt præterea aliquas rationes, quibus etiam fundantur: et, 1. Quod multæ probabiliſtarum opiniones damnatæ ſint. 2. Non eſſe prudentiam in negotio ſalutis æternæ ſequi probabile, relicto probabiliori, ac tutiori. 3. Inferri injuriam legi Dei, ſicut et ſacramentis, amplectendo minus tutum, relicto tutiori. 4. Si peccator, operans juxta opinionem minus probabilem, poteſt excuſari à peccato: ita et infidelis non credens, ductus opinione minus probabili, poterit excuſari ab infidelitate; quod tamen damnatum eſt ab Innoc. XI. in prop. 4. &c.

LXXX. Sed contra, 1. adverſus 1. rationem: Nam etiam aliquæ probabilioriſtarum, et tutioriſtarum opiniones, ac propoſitiones damnatæ reperiuntur, ut 1. Janſenii ab Innoc. X. et 3. ac 30. ab Alex. VIII. et 1. et 3. ab Innoc. XI. et aliæ à Clem. XI. in bulla *Unigenitus*, præſertim in illis, quæ ad rigiditatem declinant, ut prop. 33. 38. 44. 49. 53. 62. 68. et in aliis. Videant probabilioriſtæ, dum aſtruunt, non dari; niſi duos amores, bonum, et malum, Dei, et mundi, &c. an comprehendantur in damnatione prop. 44. 53. Gueſnel. et 7. ab Alex. VIII. proſcriptæ?

Deinde omnes Janſeniſtæ, et ipſorum anteſignanus, ſunt probabilioriſtæ, ac tutioriſtæ, ut ex ipſorum doctrinis clare convincitur: et in aliquibus, etiam rigoriſtæ ſunt, jam antea à Chriſto Domino in evangelio damnati, Matt. 23. 4. et ab Apoſtolo 2 Theſſal. 3. et à jure can. c. *Alligant*, 26. q. 7. inferius tranſcripto. Deinde probabilioriſtæ, nedum ad invicem diſcordes ſunt, verum et ſibimetipſis contrarii:

nam ut notat Caram. apud Caſned. D. 10. ſect. 3. n. 76. *Non ſolum Candid. Philaletus, et Merenda, et alii, qui affirmant, eligendam probabiliorem contra cæteros, qui contrariam tutantur, ſed et contra ſemetipſos ſcribunt, cum opinionem, quam prius habebant, retractârunt: ergo nil certi nos docent: nam ſicut priora hodie, quia aliter ſunt affecti, refellunt; ſic, et cras, quia aliter affecti.*

LXXXI. Contra, 2. adverſus 2. rationem: 1. Quia etiam imprudentiſſima imprudentia eſt reddere grave, moleſtum, atque inſupportabile jugum Domini, quod ipſe dixit, et effecit ſuave, tolerabile, et leve; ut eleganter notatur in d. c. *Alligant*, infra tranſcribendo. 2. Quia prudentia eſt operari cum certitudine, et ſecuritate practica de licitudine actionis, ut conſtat ex ſuperius traditis, et expreſſe ex reg. jur. 31. in 6. *Qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* Et Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent*, &c. et ibid. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Et Eccli. 6. et 8. et reliquis ſupra inſinuatis, an. 70.

LXXXII. Contra, 3. adverſus 3. rationem: Quia ideo in ſacramentis conferendis (idem videtur etiam in ſuſcipiendis, juxta opinionem Platel. et Viv. et aliorum, quos ſequitur Lacr. l. 1. de conſcient.) irrogatur injuria illa objecta, quia exponerentur fruſtrationi, vel quoad valorem, vel quoad fructum; at in ſequela opinionis practicæ probabilis, non exponitur obſervantia legis alicui fruſtrabilitati, neque quoad validum, neque quoad licitum, quia ſemper tute praxi obſervaretur cum practica obſervatione opinionis vere probabilis. Imo etiam in conferendis, ac ſuſcipiendis ſacramentis, licet ſequi opiniones probabiles, quæ reddant tutum valorem, ac fructum ſacramenti, v. g. ex parte juriſdictionis miniſtri in ſacramento pœnitentiæ, ubi ſufficere probabilem, omnes communiter docent, citra periculum invaliditatis ſacramenti, ex certo ſupplemento eccleſiæ; intentionis virtualis, relicta actuali, et formali, pro validitate, ac licitudine ſacramenti euchariſtiæ; et ex parte diſpoſitionis pœnitentis, in attritionis ſupernaturalis ſufficientia, &c. Ubi nota, quod etiam in jure civili certa ſit ſuppletio juriſdictionis à republica, intercedente errore communi cum titulo colorato, ut conſtat ex l. *Barbarius* de offic. prætor. ac per conſequens probabiliſmi approbatio, et praxis.

LXXXIII. Contra, 4. adverſus 4. Quia aſſignatur notoria diſparitas: nam opinio minus probabilis infidelis, non eſt practice probabilis, aut practicabilis, nec practice tuta; tum quia veritas hujus, aut illius ſectæ, non pendet à probabilitate opinionis; tum quia evidentia credibilitatis ſtaret in contrarium pro vera religione, ſcilicet catholica: unde imprudenter operaretur huic non aſſentiens, cum teneretur amplecti ſectam magis credibilem, imo evidenter credibilem, qualis eſt religio catholica, juxta illud, Pſ. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; et evidenti periculo æternæ damnationis in falſæ ſectæ ſequela. At vero in peccatore fideli opinio vere probabilis, etiam in concurſu magis probabilis, eſt practice probabilis, et tuta, et operans ſecundum illam prudenter operatur, et à peccato excuſatur, quia operatur juxta conſilium ſanum prudentum, ac ſapientum, juxta ſuperius dicta.

LXXXIV. Denique obſervent diſpoſitionem, et clauſulas cit. c. *Alligant*, 26. q. 7. *Alligant autem onera gravia, et importabilia*, &c. *Tales ſunt nunc etiam ſacerdotes, qui omnem juſtitiam populo mandant; et ipſi nec modice ſervant: videlicet, non ut facientes ſint juſti; ſed ut dicentes appareant juſti. Tales ſunt et qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: qui dicunt, et non faciunt: et ſic dum pœna præſentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſueris, nec eſſe habet, ut aut faſcem rejiciat, aut ſub pondere confringatur, ſic et homo, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam rejiciet; aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccat. Deinde etſi erramus modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus eſt diſpenſator, non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid ſacerdos ejus auſterus vult apparere? Quare circa vitam tuam eſto auſterus; circa alienam benignus. Quare Chryſoſt. hom. 23. Vis apparere ſanctus? circa vitam tuam eſto auſterus; circa alienam benignus.*

LXXXV. Ultimum, et præcipuum notabile ſit ex præcit. c. *Alligant*, deductum, quod omnes probabilioriſtæ, et tutioriſtæ, ſibi, et in ſuis rebus, propriam utilitatem, commodumque reſpicientibus, probabilitatem, imo et laxitatem practice ſectantur, et amplectuntur; et in rebus alienis, *dicentes, et non facientes*, importabilia onera alienis humeris imponunt, ea digitò movere nolentes, quatenus ſpeculative docent, homines tutiores, ac probabiliores opiniones quærere, et ſectari debere; quod equidem onus inſupportabile, et inaſſequibile practice humanæ imbecillitati proculdubio eſt; tum quia, ut ait Plateli, ratione imbecillitatis humani ingenii, fit difficillimum, et ſæpe impoſſibile, certo aſſequi veritatem circa agibilium honeſtatem; tum quia onus nimis grave, et humanæ fragilitati intolerabile foret, ſi ad vitandum quodcunque periculum peccati materialis, tenerentur homines in omnibus viam probabiliorem, et tutiorem inquirere, et inſequi; quam tamen aſſequi raro, et nunquam fortaſſe ſecure, et practice valerent.

LXXXVI. Nam, ut bene notat idem Platel. n. 153. Nimis difficile, et fere moraliter impoſſibile eſt, depurare, et diſcernere, quænam ex opinionibus inter DD. multum controverſis, ſit re ipſa probabilior; tum quia opinio probabilior poteſt re ipſa falſa incedere, ut docet Ariſt. ſupr. cit. et, ut experientia conſtat, multas opiniones olim communiores, et probabiliores, hodie falſas, et improbabiles redactas eſſe, de quibus ſupr. n. 60. et iterum inferius; tum quia quod uni probabilius apparet, alteri minus probabile, imo et improbabile, et falſum reputatur, ut ipſamet experientia comprobatur.

In cujus confirmationem, plura infra adducentur; hic tamen obiter, quia ad rem appoſite venit, licebit prælibare ſolutionem illam, quam conſtanter fertur adhibuiſſe P. Thyrſum Gonzales objectioni cujuſdam coadjutoris ſpiritualis, ſibi in die jejunii eccleſiaſtici, potionem *chocolati* porrigentis, et ſimul objectantis, quod cum foret inter DD. Caſtellanos probabilior opinio, potionem chocolati frangere jejunium, cur ipſe P. Thyrſus Caſtellanus, et probabilioriſta, in hoc probabiliorem non ſectabatur opinionem? Cui reverendiſſimus P. reſpondit: *Sibi opinionem negativam, probabiliorem quidem incedere.*

LXXXVII. Pariformiter reliqui probabilioriſtæ, ſibi, et rebus ſuis, probabilitates, ut tales, vel ut probabiliores, practice amplexantur; aliis probabilioritates, et tutioritates ſpeculative relinquentes, et amandantes; ita ut eiſdem potiori ratione converti, et adaptari poſſet, quod inſignis probabilioriſta *Fr. Thomas Luccioni de Bonifacio*, probabiliſtis impingit ex verbis Salviani de Arrianis decerptum: *Hæretici ſunt, ſed non ſunt: apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt.* Quare his inhærendo, pro coronide, et efficaci concluſione in hac re, exponi tandem licebit ſequens probatio *ad hominem*, ut inquiunt.

Sect. IV.

Facilior, et efficacior modus, ac methodus, concludendi ad hominem *adverſus probabilioriſtas, et tutioriſtas* practice, *et* exercite.

LXXXVIII. Igitur ſic inſurgo: Per vos, O probabilioriſtæ, ideo opiniones probabiliores debent ſequi in praxi, omiſſis vere probabilibus, quia illæ probabiliores ſunt, hæ vero minus probabiles; atqui probabilius eſt, tam extrinſece, quam intrinſece, poſſe in praxi licite, et tute ſequi opinionem vere probabilem, relicta probabiliori: ergo juxta veſtram ipſorum doctrinam, licite, et tute poteſt ſequi opinio vere probabilis, relicta probabiliori in humanis actionibus moralibus.

LXXXIX. Prob. minor, quoad 1. partem: Nam, ut fatentur illuſtriſſimus Genetus, Conteſ. et alii probabilioriſtæ, doctores probabiliſtæ numero probabilioriſtas longe excedunt; ſoli namque DD. ſocietatis, qui omnes, paucis exceptis, probabiliſmum tuentur, adverſarios numerice ſuperant. Quibus ſi addas ex antiquis (non enim probabiliſmi tuitio, ac ſequela è moderna à Jeſuitis adinventa, ut aliqui autumant, et objectant) quos

quos Plateli recenſet, n. 151. cum Abelli, doctrina, et dignitatibus eccleſiaſticis illuſtres; videlicet, *S. Auguſt. ep.* 19. *ad Hieron. S. Leonem cognomento Magnum epiſt.* 92. *ad Ruſtic. Narbonenſ. S. Antonin. in ſum. part.* 10. *tit.* 3. *c.* 1. *et apud hunc Albert. Mag. Palud. patriarch. Hieroſol. Malder. epiſ. Antverpien.* 1. 2. *q.* 19. *diſp.* 86. *Nicol. Tudeſ. archiep. Panormit. in cap. Capellanus de Feriis, Zerol. epiſc. Minorenſ. in praxi pœnitentiæ, cap.* 22. *q.* 3. *Joſeph. Angleſ. epiſc. Boſan. q. de confeſſione difficul.* 8. *Didac. Alvar. archiepiſ. Franenſ. in comment. in* 1. 2. *Bartholom. Ledeſm. epiſc. Guazaguenſim, in tract. de pœnitentiæ ſacramento, difficultate* 14. *Martin. Bonac. epiſc. Aug. Barboſ. Ugentium epiſc. tom.* 1. *collectan. in lib.* 2. *decret. pag.* 408. *Joan. Caramuel epiſc. Myſiæ, Barthelom. Med. ad* 1. 2. *q.* 19. *à* 6. *concl.* 3.

XC. *Quibus plures alios, etiam Thomiſtas, addit præfatus Luccioni, cum Vinc. Ferrer. uſque ſexaginta ſex ſummatim; atque etiam P. Moya et Caſned. D.* 10. *S.* 4. *ſuperaddunt M. Joan. à S. Thom. illuſtriſſimos Godoy, Arauj. Acac. de Velaſc. Tap. et alios præcit. quos ex familia Dominicana cum Baro. numerat uſque ad* 99 *ſupra centum, extraneos includentes.*

Et quos etiam ſuperaddit Lacr. n. 269. poſt laudatos cardin. et epiſcop. Alb. M. S. Anton. Palud. Panorm. Alv. B. Med. Ledeſ. Zerol. Mald. Bonac. Barb. Caram. Tolet. Lug. et alios dicens: *Thomiſtæ, inter quos Dominicani plurimi, Ang. Viguer. Med. Lop. Vict. Mercad. Nazar. Bann. Nugn. Martin. P. Ledeſm. Gandid. Ildeph. Blanchis, Hacquetus apud Deſch. c.* 5. *et Illſ. t.* 1. *d.* 1. *a.* 6. § 6. *Accedunt J. à S. Tho. Tapia, Gravina, Navarete,* &c. *Hinc ait Deſch. Thomiſtas recentiores tam admirabili conſenſu patrocinium ſuſcepiſſe hujus ſententiæ, ut ex iis, qui poſt B. Medinam de hac controverſia ſcripſerunt, nullum viderit, qui vel in ſpeciem tenuerit contrarium: hinc Gallego apud Eſp. a.* 236. *ait, Hæc ſecunda ſententia communior eſt inter Thomiſtas: Salon an.* 1592. *editus dicit multos, ac graviſſimos theologos ita ſentire, ac maxime ex diſcipulis S. Thomæ, uti fatetur Gonz. in introd. n.* 3.

XCI. Imo et ex ipſis *Carmelitis Thomiſtis*, Cornei. Lezan. Urb. ab Aſcenſ. curſ. mor. Salmantic. Gabr. à S. Vincent. Quibus addendi Fr. Valentin. à conception. for. conſcient. et compilat. mor. Lumb. in fragm. et propoſit. Fr. Andr. à S. Joſepho in chryſol. Fr. Joan. à SS. Trinitate, &c.

Et ex *Franciſcanis*, Pelb. Villal. Port. J. Pontius, P. March. Hanz. Coriol. Caſpenſ. Geſv. Ragg. apud Deſchamp. Baſſ. in floribus, Bordonus in propugn. Boſco. in Th. Sacram. 5. Sporer. de conſ. Reifenſt. Bard. Quibus addendi Maſtr. Correll. Fel. Pot. Boiv. Torreſill. Durandill. Angl. Jeſuald. Delgadill. Neuſſ. Lup. Berul. Poſnan. Baron. Aſcargot. Sargar. Ex *Benedictinis*, ac *Ciſtercienſibus*, Sayr. Reding. Pet. à S. Joſeph. Lorc. Mallet. quibus addendi Bambeſtub. Biſſ. dec. mor. tr. 5. qui citat etiam Caram. philoſoph. mor. Roncagl.

Ex *Clericis Regularibus*, Leand. Garc. Averſ. Paſq. Dia. Vidald. Lanfr. Boſſ. Homobon. Spinol. Morin. Merol. Guaz. Joſeph. de Januar. Delbene; quibus addendi Verani, Schiara, et noviſſime Qualelo in tractatu de *probabilitate*, edito ſub mentito nomine *Nicolai Peguleti*, et Verricell. qq. mor. tr. 2. q. 10.

Ex *Canonicis Regularibus*, ipſe Mag. ſententiarum, Pet. Lombard. ex canonico regulari S. Genueſæ epiſcop. Pariſienſ. Navarr. Dubal. in reg. D. Aug. Tamburin. de jur. abbat. illuſtriſſ. Spinola, et nuperrime Michel. in ſua theolog. can. moral. et D. Leonard. Janſen. can. Præmonſtrat.

Et ex familia *Eremitarum Auguſtinianorum*, Salon. Gibon. t. 3. Aragon. Beja B. Pont. quibus addendi Deſirant. et doctiſſimus, mihique vera amicitia conjunctiſſimus Fr. Franciſcus ab Annuntiatione Luſitanus, et doctor Conimbricenſ. in conſult. myſtica moral. et in vindic. virt. Ex *Congr. Oratorii*, Merul. Guazin. Januar. Ex DD. Pariſienſ. Yſambar. Duvallius, Gamachæ. Domet, Abelly, et alii.

Denique ex *Carthuſianis*, Roſel. et alii; et ex aliis omnibus religionibus, ac congregationibus, qui reperientur apud Lacr. Deſchamp, et alios moderniores ſcriptores. Ex quibus conſtat, majorem, et meliorem probabilitatem extrinſecam adeſſe probabiliſino, quam probabilioriſmo.

XCII. Quibus omnibus præponderat auctoritas plurimorum Summorum Pontificum, videlicet D. Leonis Papæ, relati in c. *Sicut quadam*, d. 14. ibi: *In his, quæ dubia fuere, vel obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis patrum inveniatur adverſum.* Et illorum jam citatorum ſupr. in jure can. etiam relatorum, ſcilicet Innoc. III. c. *Inquiſitioni*, de ſent. excom. Clem. III. c. *Capellanus*, de feriis, &c. Et Sixti IV. et V. approbantium, ut probabilem utramque opinionem contrariam, et contradictoriam de adventu Chriſti, Adamo non peccante, ut *Scripturæ, fidei, pietati, auctoritati, et rationi conſonam*, prout teſtatur P. Caſnedi, Criſ. theol. de *probabilit.* D. 11. ſeſ. 8. n. 127. et 176.

Atque Urbanus VIII. ibid. n. 177. ſuper barbarorum matrimoniis, et ſuper dubio: *An barbari ad fidem converſi cogendi eſſent, ut primam uxorem retinerent, an alias ducere poſſent?* ſic reſpondentis: *Non videri ſibi ſpeciali ſua diſpenſatione opus eſſe, ubi doctorum ſententiæ utrinque probabiles intercederent; ſequerentur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores; ſalva interim utriuſque partis auctoritate, ſinerent doctis hominibus ſentiendi libertatem.*

XCIII. Probat. eadem minor, quoad 2. partem, videlicet, quod probabiliſtarum opinio ſit etiam practice intrinſece probabilior, quam probabilioriſtarum: et prob. 1. ex majori, ac ſolidiori pondere tam rationum, quam Sacræ Scripturæ, conciliorum, juris canonici, imo et civilis (de quo infr.) fundamentorum, et aliorum omnium, ex quibus intrinſeca probabilioritas hujuſce probabilitatis practicæ coaleſcit, juxta ſuperius tradita.

XCIV. Prob. 2. quoad eandem partem: Quia probabiliſtarum opinio practice, et exercite, nedum communior eſt, ſed univerſalis ab ipſiſmet probabilioriſtis generaliter in praxi ſervata, et exercite in omnibus rebus ſuis, et propriæ utilitati, et commodo attinentibus, univerſaliter amplexata: de quo egomet ipſe, et plures alii ſcientiam, et experientiam certam habemus. Et jam Gonzal. ap. Lacr. in n. 169. fatetur *ab anno* 1597. (quo Suar. et Nav. teſtantur hanc opinionem probabiliſtarum jam communiorem eſſe) *uſque ad annum* 1656. *traxiſſe omnes fere theologos in ſui aſſenſum.* Et Oſtraedt. probabilitatum juratus hoſtis, ut ait Lacr. in diſſ. pag. 13. *Nihil per multos annos communius probabilitatum doctrina . . . Communis ergo, et univerſalis per eccleſiam erat probabilitatis doctrina.* V. Lacr. n. 269. in fin. lib. 1. de conſcient. fol. mihi 31.

XCV. Quod autem nunc temporis ſit etiam univerſalis practice, etiam apud ipſos probabilioriſtas, oſtenditur, 1. Quia nedum probabilius, imo certum eſt, et practice impracticabile contrarium poſt declarationes Clem. VIII. et Urban. VIII. anno 1630. bullam Cruciatæ non prodeſſe regularibus pro abſolutione reſervatorum ordinis; et tamen ex certa, et conſtanti ſcientia, atque experientia ſcio, in quadam religione probabilioriſmi ſectatrice, ac profeſſoria, univerſaliter contrarium praxi ſervari, apparenti prætextu, quod ſupplicantes, et obtinentes licentiam à prælato emendi bullam Cruciatæ, implicite etiam ſibi concedi facultatem utendi omnibus privilegiis in ea contentis, atque adeo, ut à cunctis reſervatis, virtute bullæ, abſolverentur; cum tamen præfati pontifices declarant, nunquam in bulla talem facultatem contentam fuiſſe: ut Clem. VIII. *Perpetuo declaramus conceſſionem S. Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſarium, et abſolvendi à caſibus reſervatis, etiam in bull. Cœn. D. contentis cum fratribus, et monialibus quorumcunque ordinum, locum minime habuiſſe, nec habere, nec illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe.* V. Oliveir. in compend. bull. c. 1. a. 3.

XCVI. Oſtenditur, 2. In variis conſultationibus, tum in Portugallia, tum in hoc ſtatu pro variis pertinentiis prolatis, præſertim pro diſpenſationibus in hac Aſia ab ordinariis obtinendis; in quibus ſemper vidi, et notavi (et idem objecerat P. Caſned. M. Palanco, D. 10. ſect. 3. n. 130.) probabilioriſtas laxiores, et minus

minus probabiles opiniones ſectari, et laxiſſimis, et prope improbabilibus judiciis ſubſcribere. Similiter in hoc ſtatu parochos regulares ad nutum amovibiles, nimia laxitate, et nulla forſan probabilitate cujuſdam religionis probabilioriſmi amplexatricis, ſemper vidi, et video reſidentiæ materiali, imo et formali, parochiali penitus deficere; per totam quippe hebdomadam à parochiis abſunt, cathedras ſcholares in conventibus, aut collegiis ordinis regentes, et ſolis diebus Dominicis, aut de præcepto, in parœciis apparentibus, et ſtatim cum ipſo die diſparentibus. De quo, cum quidam, juſto ſcrupulo confixus, meipſum conſuleret, quærens, an aliqua probabilitate in hac re uti poſſet, et illi acquieſcere? reſpondi: Quod quamvis aliqua probabilitas daretur (quam tamen re ipſa inveniri negabam, et nullibi extare comperiebatur, de quo Montenegr. in itiner. l. 1. tr. 2, per tot.) ipſe tamen conſultator practice ea uti non poterat, eo quod probabilioriſmi profeſſor incedebat. Et huc adnotanda venit notabilis, et clara doctrina Mag. Martin. de Prad. inſignis D. Complut. ex propriis ord. Prædicator. conſtitut. confirmata, apud Caſned. D. 10. n. 164. et infr. tranſcripta, n. 113.

XCVII. Oſtend. 3. Quia ſimiliter ſcio, et experimento certus ſum, probabilioriſtas quamplures, ut ſe, et religiones ſuas, necnon conſanguineos, affines, et amicos à reſtitutione in caſibus probabilitatis excuſent, relictis opinionibus probabilioribus, ac tutioribus, probabilibus, et laxis adhærere. Idem eſt in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ pro pœnitentibus, ſtante probabilitate ſimpliciter à reſtitutionis obligatione excuſandis, præſertim ſi pœnitens ipſe probabilem pro ſe alleget opinionem, eum à reſtitutione abſolventem; tunc enim nedum poſſe, ſed et teneri confeſſarium pœnitentis opinioni probabili, probabiliori, et tutiori relicta, annuere, et inhærere; tenent omnes communiſſime, etiam ex ipſis probabilioriſtis DD. et fatentur expreſſe illuſtriſſ. Genetus, Luccioni, et alii cum Victor. Paludan. Gotfret. Reginald. Nider. Claromont. Dom. Sot. Erdemb. et aliis.

XCVIII. Idem tenendum circa abſolutionem impertiendam pœnitentibus probabiliter diſpoſitis, in caſibus, quibus confeſſarius certus ſit de ſua juriſdictione; imo erga juriſdictionem ipſam, qua probabili dumtaxat omnes probabilioriſtæ practice utuntur, irrequiſita probabiliori, et tutiori, ex certo ſupplemento eccleſiæ, imo etiam reipublicæ de jure civili, intercedente, vel ſolo titulo colorato, vel ſimul cum eo, errore communi, ex l. *Barbarius*, ff. de offic. prætor. de quo inferius, n. 114. et pariformiter in uſu intentionis virtualis dumtaxat, pro ſacramenti euchariſtiæ confectione, qua quidem practice omnes probabilioriſtæ utuntur, non repetita actuali, et formali, et in praxi ſufficere, ut probabilius, tenent, et docent; de quo vid. Larrag. et alios etiam Thomiſtas.

XCIX. Oſtend. 4. Quia probabilior ſane eſt, et quamplurimis certa opinio in Hiſpania, comœdias amatorias profanas, quæ nunc temporis in ea publicis theatris eduntur, eſſe de ſe, et intrinſece malas, et quamplurimorum peccatorum, atque ſcandalorum occaſionatrices, ut videre eſt in ſpeciali diſcurſo, docto, eleganti, et vero P. Ignatii *Camargo* Jeſuitæ Neoterici. Et tamen plures probabilioriſtæ, vel proprio, vel populi oblectamento indulgentes, ac prurientes, contrariæ opinioni ſæpius ſubſcripſerunt, et nunc etiam ſubſcribunt, et tenent, docentes eſſe malas, et ſcandaloſas per accidens. Et rei eventu, ac veritate, teſte ipſo P. Camarg. quia Philippus II. ipſarum comœdiarum jam fere oblitum uſum, et innovationem permiſit, horum theologorum judicium, probabile, ut ipſi proteſtabantur, contra aliorum multorum probabilius, ac ſolidius, in ultima hora, quando veritas omnibus abſque prætextatione aliqua apparente clare innoteſcit, et ſeſe cunctis denudata conſpicienda objicit, hoc juſto ſcrupulo tactum cor, et conſcientia ejus intrinſecus, intime anxiabatur, et cruciabatur; ut ipſemet Catholicus rex tunc confeſſario ſuo faſſus eſt. Vid. cit. Camarg. § 3. pag. mihi.

C. Oſtend. 5. Quia probabilius eſt ſubditum teneri obedire prælato actionem probabiliter honeſtam præcipienti, eſto ſubditus probabiliorem opinionem haberet, ſaltem hic, et nunc, contra talis actionis honeſtatem: tum quia ita jubetur, Heb. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, et ſubjacete eis:* tum quia prælatus habens pro ſe opinionem probabilem licite præcipit. Prælato autem licite præcipienti tenetur ſubditus obedire, eo quod ex voto præcedenti habet debitum parendi, ut docent Caſtr. Pal. Buſemb. curſ. moral. Salmantic. tom. 4. et alii. Atqui totum hoc deficeret, et corrueret, ſi quilibet teneretur ſequi, et amplecti in praxi opinionem probabiliorem: ergo. Et certe ſemper vidi, etiam in religionibus probabilioriſmi profecutricibus, prælatos itidem probabilioriſmi profeſſores, huic practicæ probabilitati, aut probabilioritati ſubditorum aperte reſiſtere, et eam penitus improbare. Unde B. Humbertus ordinis prædicatorum generalis, 5. l. de erudit. religioſ. c. 1. ſic ait: *Niſi aperte ſit malum, quod à ſuperiore præcipitur, ſic accipiendum eſt, ac ſi à Deo præciperetur:* ergo, &c.

CI. Oſtend. 6. Quia etiam ſæpe vidi religiones probabilioriſmi ſectatrices, aliam adverſus aliam pro bonis temporalibus litigare, in quibus neceſſe erat, unam probabilius jus præ alia habere, et majorem probabilitatem uni adeſſe, quam alteri; imo ſæpe vidi aliquam litigia moventem, omni probabilitate vera, realique juſtitia deſtitutam. Et intra eandem religionem probabilioritatis promotricem vidi ſæpe, et notavi filios ejuſdem matris alios adverſus alios pugnantes litigare, quæ ſua erant, vel quæ ſua eſſe volebant, contentioſe quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, et pariformiter ordinis magiſtros, et cumprimis doctos, inter ſe diviſos in favorem alterutrius opinionis, et factionis ſingillatim. Et tamen pro utraque parte non erat, neque eſſe poterat opinio probabilior, neque æque probabilis, imo et pro aliqua, ſaltem practica, improbabilis; et juxta doctrinam præceptoris Angelici, infra extenſam, n. 108. *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, alteram falſam:* ergo.

CII. Oſtend. 7. Ex eventu illius celebris conſervatoriæ (ut alias taceam quæ alleg. 34, 35, 36. 56, 57. et 70. exprimuntur) de qua c. 3. et 4. in academia Conimbricenſi, ab uno rectore cujuſdam collegii regularis, et mendicantis, adverſus provincialem ſuum injuſte, et invalide erecta, in perſona cujuſdam theologi doctoris alterius ordinis, etiam regularis, et probabilioriſmi ex ſuæ religionis conditu, acerrime ſectarii, qui et deputationem conſervatoris acceptavit, et adverſus majorem prælatum illum injuſte, et nulliter proceſſit, et pro juſtitia ſua prætenſa varios libellos, et judicia ſcripta ſparſit, quibus ſubſcripſerunt plures alii doctores, ac primi ſubſellii academici magiſtri, probabilioriſmi etiam publici profeſſores; et tamen nedum minori, quinimo, nulla probabilitate ſuffulti, ita ut, lata controverſia ad Ulyſſipponem, et regio juſſu reviſis libellis, ac judiciis pro utraque parte editis, et ſubſcriptis, merito omnes mirati ſunt, quomodo viri docti, et academici, adeo enormiter, et caliginoſe hallucinati fuerint, ut notorie injuſte, imo et nullæ conſervatoriæ tam facile ſuffragarentur, ut mihi per veridicas, et omni fide digniſſimas literas, et atteſtationes, primæ diſtinctionis optimatum perſonarum, certificatum eſt. De quo vid. ſupr. c. 3. et 4.

CIII. Oſtend. 8. In opinione tenente, non dari actus in individuo indifferentes, quam Thomiſtæ omnes, ut probabiliorem, tuentur; cum practice probabilior, imo et conſulenda ſit contraria, quæ eſt Scoti, et totius ejuſdem ſcholæ, quam etiam medii communiter defendunt, de qua ait Platel. de actibus human. n. 112. eſſe valde probabilem, et in praxi conſulendam: probabilem quidem, quia pro ſe habet Scoti, aliorumque graviſſimorum DD. auctoritatem, et faventia SS. PP. teſtimonia, ſignanter D. Hieronimi, ep. 89. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria; inter utrumque indifferens ambulare . . . ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, neque injuſtitiam:* et rationes ſat ſolidas; neque argumenta in contrarium videntur ſatis convenientia, ad tantam obligationem toti naturæ abſolute imponendam; cum ambulare, aut accedere ad focum propter moderatam, naturæque ſenſitivæ commoditatem, ibi præciſe ſiſtendo, non videatur otioſum, nec inordinatum, aut difforme;

difforme; ſed potius conforme regulæ rationis, non quidem ut poſitive præcipienti, ſed ut permiſſive ſe habenti: conſulendam vero, quia illam ſequendo vitatur certum periculum multiplicandi venialia formaliter peccata: cum per hoc fiat, ut actiones illæ, quæ juxta ſententiam negantem fieri nequeunt ſine peccato otioſitatis, non ſint peccatum, ſaltem formaliter, id impediente conſcientia probabili, et practice tuta. Deinde opinio probabilioriſtarum, ac tutioriſtarum actus in individuo indiſcriminatim tollentes, negantes, imo et damnantes, videtur aliqualiter coincidere cum doctrina damnata à Clem. XI. in propoſit. Gueſnellian. 44. 49. 53. et 7. ab Alex. VIII. ubi juxta compilat. damnatur aſſerere, non dari actiones indifferentes ſecundum ſpeciem, quod jam damnârat Concilium Conſtantienſ. ſect. 5. et eſt opinio D. Auguſt. Hier. Thom. ap. Salm. to. 3. tr. 11. d. 7. n. 3.

Et tamen nullus probabilioriſtarum practice ſcrupulizat de non rectificatione practica iſtarum humanarum naturalium actionum indifferentium, ut notat Arr. de actibus human. v. g. fricare barbam, oculos extollere, caput inclinare, manum levare, vel per frontem, aut per capillos trahere, &c. neque eas ut peccata, vel ut poſitivas etiam imperfectiones, ad ſacramenti pœnitentiæ tribunal defert; eo quod cum in illis, utpote naturalibus, regulariter intercedat intellectus inconſideratio, quæ à peccato excuſat, utique et à malitia actuali conſequenter eas exuit. Unde evincitur, probabilioriſtas practice, et exercite, etiam in hac quæſtione probabilitatem tenere, ac ſectari.

Idem dicendum de gravi obligatione præcepti amoris Dei appretiative ſummi, ſuper omnia in primo inſtanti uſus rationis, ut etiam, tanquam probabilius, docent Thomiſtæ, de quo iterum Platel. de charit. n. 449. ſic ait: *Præceptum amoris Dei appretiative ſummi ſup. n. 275. explicati non obligat (ut volunt Thomiſtæ, favente S. Th. 1. 2. q. 89. a. 6.) graviter ſtatim, ac pervenitur ad uſum rationis ſufficientem ad peccatum mortale, non ſolum ſumendo illud ſtatim ſtricte pro inſtanti mathematico, ſed late, et moraliter pro ſpatio trium, aut quatuor horarum, vel dierum: quia eſt, ſi non abſolute, ſaltem moraliter impoſſibile, ut habeatur notitia naturæ, et objecti formalis actus omnium ſupernaturalium præſtantiſſimi, ejuſve obligationis ſub mortali ſtatim initio uſus rationis, cum rudiores iſtæ vix percipiant poſt diuturnam, ac ſedulam inſtructionem à parentibus, et parochis acceptam.*

Et ſane nullus probabilioriſta etiam practice ſcrupulo affectus hactenus fuit, neque afficitur, ut ex ipſis audivi, de non adimpletione hujus præcepti in primo illo inſtanti uſus rationis, et de non tenenda, atque conſulenda practice majori illa, ut æſtimant, probabilitate, imo, ut bene animadvertit Arr. de charit. nemo de hac obligatione inſtantanea unquam cogitavit, niſi poſtquam eam forte legit in doctrina D. Thomæ, vel ejus aſſeclarum.

CIV. Denique oſtenditur, ipſoſmet probabilioriſtas, practice, et in re coincidere, et ſentire cum probabiliſtis in multis concluſionibus, ut patet ex doctrina cit. Luccioni, q. 1. *De uſu licito opinionis probabilis*, et cit. illuſtriſſ. Geneti, c. 6. q. 5. et 6. ubi docent, poſſe ſequi opinionem minus tutam, relicta tutiori, quia, in re, tuta eſt, et per conſortium tutioris, non amittere propriam ſecuritatem; et hoc etiam docent probabiliſtæ, ſcilicet, opinionem certo probabilem, practice tutam eſſe, et ſecuram, neque propriam probabilitatem amittere per conſortium probabilioris, non interveniente eccleſiaſtico decreto in contrarium, aut gravi damno, ſicut minus bonum per conſortium majoris non amittit propriam bonitatem, ut viſitur in actu attritionis in concurſu contritionis; et in amore complacentiæ in conſortio amoris benevolentiæ erga Deum.

CV. Quod ſi arguas: Licitum eſt ſequi opinionem minus tutam practice in aliquibus caſibus, relicta tutiore: ergo etiam ſequi minus probabilem practice, probabiliori relicta: negant conſequentiam; et diſparitatem aſſignant: quia minus tuta, ait Genet. in concurſu tutioris, eſt ſemper tuta; at vero opinio minus probabilis, in concurſu probabilioris, non ſolum non habet certitudinem moralem, ſed etiam à ſua probabilitate decidit. Si autem urgeas: Sicut *tutius*, quod eſt comparativum, ſupponit poſitivum *tutum*, ita comparativum *probabilius* ſupponit poſitivum *probabile*: atqui poſitivum *tutum* non definit tale eſſe in concurſu *tutioris*; ergo ſimilter poſitivum *probabile* in concurſu *probabilioris*. Ergo vel opinio vere probabilis practice in concurſu probabilioris propriam retinebit probabilitatem, ſicut minus bonum in concurſu majoris propriam bonitatem; vel, è contra, opinio tuta in concurſu tutioris propriam amittet ſecuritatem.

CVI. Diſparitatem conatur adhibere Genet. d. q. 5. et 6. ſed meo judicio inefficaciter, præſertim cum ipſe in reſp. ad d. q. 5. ſic doceat ex D. Antonino: *Ad non peccandum ſufficit, ut antequam agamus, habeamus certitudinem moralem de bonitate actionis noſtræ; quæ certitudo non requirit cognitionem evidentem, ſed tantum cognitionem probabilem, quæ nos ad talem potius opinionem, quam contrariam ſequendam inducat.* Aliis oſtenſionibus ſuperſedeo, tum quia hæ ſufficiunt, tum quia aliæ facillime obvenient cum probabilioriſtis frequenter converſanti.

Sect. V.

Pro complemento.

CVII. Adnotandum eſt adhuc, 1. Adverſus eos, qui adeo nimis fidunt, ac firmantur in ſingulari qualibet auctoritate D. P. Auguſt. et D. Thom. ut eas immerito, et imprudenter, cunctis aliis, imo et pontificiis declarationibus præferant, Janſenium imitantes, qui gloriabatur, *ſe decies, et amplius univerſa opera Auguſtini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros vero contra Pelagianos facile trigeſies à capite ad calcem evolviſſe*; quare arroganter *ſe, Auguſtinum Janſenii*, appellare auſus eſt; ab Alex. VIII. merito hanc Janſenianam propoſitionem 30. proſcriptam fuiſſe: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino, clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, et docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

CVIII. Adnotand. 2. D. Thomam, quodlibet. 8. et 9. a. 13. et 15. ſatis favere probabiliſtini licitudini in praxi, et practice ſequelæ dictaminis propriæ conſcientiæ: ait enim circa licitudinem plurium præbendarum habendarum, quæ tunc temporis in Pariſienſi academia undique controvertebatur, loc. cit. ſic: *Nullum poſſe eſſe peccatum, niſi quis operetur, vel contra legem, vel contra conſcientiam; quod autem nec contra legem, nec contra conſcientiam eſt, peccatum eſſe non poteſt. Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem magiſtrorum, utpote habens plures præbendas, facit contra veram opinionem; et ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit: aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quod vere liceat habere plures præbendas: et tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet conſcientiam de contrario; et ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem quandam; ſic tamen quod in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; et ſic, ſi, manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo ſe committit: et ſic proculdubio peccat, amans magis beneficium temporale, quam propriam ſalutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; et ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

Et 2. p. ſum. tt. 5. c. 10. § 1. *Quoties dantur ſolemnium DD. opiniones, nec adeſt expreſſa Scriptura, aut eccleſiæ declaratio, periculoſum eſt ita uni opinioni adhærere, ut alteram dicat damnabilem. Quod quidem commentans D. Anton. inquit: Hoc eſt contra multos prædicatores, et confeſſores modernos, qui ſunt nimis faciles ad judicandum, aliquid eſſe mortale.*

CIX. Adnotand. 3. Homines indoctos nil practice curare, aut ſcrupulizare de hac obligatione; et ex doctis, eos dumtaxat, qui vel haſce quæſtiones evolvunt, vel damnatas illas propoſitiones ponderant; qui tamen, etiam ſi probabilioriſmum ſpeculative profiteantur practice, ſaltem in rebus ſibi attinentibus, ſcrupulum deponunt, et probabilitatem cum reliquis amplectuntur, ut oſtenſum eſt. Unde homines in-

docti, ſinceri, rides, necnon pueri, et fœminæ ſimplices, tuto acquieſcunt conſilio, et aſſertioni parochi, et confeſſarii, aut patris ſpiritualis, quam probabilem, et practice tutam, abſque alia inquiſitione æſtimant. Quare, non obſtante prop. 21. ab Innoc. XI. damnata: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, et utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus: nihilominus*, ait P. Viv. in prop. 3. Alex. VIII. *Rudes, et pueri credere poſſunt fide divina, quod ſibi à parocho proponitur credendum; quia ſcil. auctoritas parochi, etſi de ſe non ſit tanta, ut pariat evidentiam moralem, relate ad rudes vero, et pueros, parit ſufficientem evidentiam moralem, quoties carent motivo ad ſuſpicandum de inſcitia, aut mendacitate parochi: quare ſimiliter poterit aliqua opinio eſſe de ſe probabiliſſima, aut etiam moraliter certa, et ſimul alicui apparere dumtaxat probabilis ſolum ſpeculative, et non practice; in quo caſu illicitum erit, quamvis per accidens, ſequi hujuſmodi opinionem de ſe probabiliſſimam, aut etiam moraliter certam.*

CX. Adnotand. 4. Quod licet cit. Fr. Thomas Luccioni in doctr. probabil. inveſtigat. c. 1. conetur probare aut inſinuare cum Merend. *Primum probabiliſmi auctorem alium non fuiſſe, niſi patrem mendacii*; et ad hoc comprobandum nimis longam inductionem texere à primo peccato Adami in Paradiſo, et Caini extra illum, et diſcurrendo per ſubſequentia peccata, etiam ipſorum patriarcharum, à Geneſi uſque ad Apocalypſim, ut ipſe effatur, etiam illa, quæ plures SS. PP. et DD. polemici à lethali noxa abſolvunt, ut ebrietatem Noemi, et Lothi; ſimulationem Abrahami in germanitate Saræ, peregrinationem Iſaaci cum Rebecca, et alia: et per peccata certa Saulis, Davidis, Caiphæ, Pilati, &c. (inter quæ immerito numerat judicium Salomonis in contentione duarum mulierum ad dignoſcendam veram matrem filii ſuperſtitis; necnon bellum defenſivum Judæ, et Judæorum die ſabbati: hæc enim Sacra Scriptura ſatis aperte approbat, ut prudentiſſima, et inculpabilia, ibid. 3 Reg. 3. 28. *Timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.* Et 2 Maccab. 8. 24. *Et facto ſibi adjutore Omnipotente, interfecerunt ſuper novem millia hominum.* Et v. 27. *Sabbatum agebant benedicentes Dominum, qui liberavit eos in iſto die, miſericordiæ initium ſtillans in eos.* Vid. etiam lib. 1. c. 2. 41.) cuncta illa peccata in probabilitate fundamentum habuiſſe autumat; quare implacabilis exclamat: *Ah probabiliſme, probabiliſme!* Attamen cit. Lacr. an. 361. ordinate competentibus, et correſpondentibus ſolutionibus plene, planeque objectionibus illis ſatisfacit, quem adi.

CXI. Adnotand. 5. Inter laxitates probabiliſtarum, et rigiditates tutioriſtarum, ac probabilioriſtarum, velut inter Scyllam et Charybdim, cum magna cautela incedendum, ne nimium ad utramlibet deflectatur; utrumque namque periculoſum, ac pernicioſum eſt; idcirco cum magna circumſpectione, et utriuſque periculi provida, ac prævia animadvertentia, et declinatione quaquaverſum caute, vigilanter, ac prudenter procedendum, juxta ſanum ac ſolidum P. Vivæ conſilium in prop. 3. Alex. VIII. § 17. ibi: *Sicut autem opiniones, quæ probabiliſſimæ juxta communem DD. ſenſum cum Scripturis, et ſanctis Patribus concordant, poſſunt licite in praxim deduci, etiamſi non ſint tutiſſimæ, ut conſtat ex proſcriptione tertiæ hujus theſis Alexandr.* VIII. *ita quæ probabiliter dumtaxat, juxta gravium DD. ſenſum ex Scripturæ, et SS. PP. doctrina deſcendunt, licite etiam poſſunt in praxim deduci; dummodo uterque ſcopulus declinetur, quoad ejus fieri poteſt, et nimiæ benignitatis, quæ vergit ad execrandam laxitatem, et nimii rigoris, qui vergit ad execrandum tutioriſmum: ex utroque enim ſcopulo naufragium imminet animarum, ut ex proſcriptis theſibus fit palam: quamvis (quod facile eſt dignoſcere) turpius ac pernicioſius errârint, qui tutioriſmum ſectando theſibus ab Alexan.* VIII. *proſcriptis ſubſcripſerunt, quippe quæ fidei doctrinam convellunt, quam qui theſibus ab Alexand.* VII. *et Innoc.* XI. *proſcriptis ſubſcripſerunt ſectando intolerabilem benignitatem.* Unde D. Bonav. to. 7. comp. ver. theol. l. 2. c. 52. *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, et nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem. Item, prima dicit malum bonum; ſecunda, è contra, bonum malum. Prima ſæpe ſalvat damnandum; ſecunda, è contra, damnat ſalvandum.*

CXII. Adnotand. 6. Turpiſſime, et peſſime procedere probabilioriſtas illos, qui probabiliſtas convitiis, contumeliis, injurioſiſque dicteriis, malevolentiam male olentibus, monito D. P. Auguſtini, *Ratio cum ratione confligat*, oblito, impetunt, ac laceſſunt, eos *idololatras, pertinaces, novitatum amatores, ac inventores* vocitantes, et probabilitates ipſas *artificia Jeſuitica* falſo nuncupantes: cum ex ſacris ipſis Scripturis aperte conſtet, nedum inter homines juſtos, et ipſa prima eccleſiæ fundamenta, jam gratia confirmata, ut Act. 15. 37. et 39. ibid. *Facta eſt autem diſſenſio, ita ut diſcederent abinvicem*; et ad Gal. 2. 11. et alibi; ſed et inter ipſos Angelos cœleſtes, jam comprehenſores, et lumine gloriæ beatæ donatos, diverſas, imo et contrarias opiniones utrinque probabiles, diverſis probabilibus motivis inſpectis, ac attentis, ut claret ex illo, Dan. 10. 13. ibi: *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michaël, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum.* Et 3. Reg. 22. 20. *Dixit unus verba hujuſcemodi, et alius aliter.* Ubi valde notabile eſt, quod relictis probabilibus, et ſpeculative probabilioribus forſan opinionibus bonorum ſpirituum ſapientiorum, ſibi *à dextris*, et *à ſiniſtris aſſiſtentium*, amplecteretur Dominus, ac præferret omnibus, opinionem unius ſpiritus mali forte adſtantis, dicens: *Decipies, et prævalebis; egredere, et fac ita:* quia ſpiritus iſte nequam, licet minus ſapiens, quoad deceptiones tamen erat practice exercitator, atque expertior.

CXIII. Adnotanda, 7. Doctrina clara M. Mart. de Prad. D. Complut. in procem. ad præcip. theol. mor. qq. n. 4. ibi: *In ſeligendis autem ſententiis, ſicut non ſemper magis rigidas, ita nec ſemper magis benignas, et laxas eligimus; nec enim fieri poteſt, ut in altero ſemper extremo veritas reperiatur, quamvis, ut verum fatear, cum pro neutra parte aliquid convincens* (notato *convincens*) *qua parte ſtet veritas, affertur, curabo opiniones benigniores amplecti, vel earum probabilitatem indicare; cum ordo noſter Prædicatorum ob animarum ſalutem ab initio naſcatur inſtitutus; et animarum ſalus impediatur, ut notatur in gloſſa conſtitutionum ordinis Prædicatorum in prologo,* § 3. *litera I, nimia auſteritate in conſiliis, et opinionibus: terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut ſalutem propriam negligant; quapropter relaxanda eſt, quantum fieri poteſt, rigiditas, et auſteritas in conſiliis, ac homines benigne tractandi ſunt.*

CXIV. Adnotand. tandem, et maxime notandum, Totum jus civile eſſe probabiliſmi, et probabilitatum certum, et practicum ſectarium, atque ſtabilem ſervatorem, ut patet in omnibus legibus, ac diſpoſitionibus illis, tam juris communis, quam municipalis, quæ fundantur in judiciis, in conjecturis, in congruentiis, in præſumptionibus, in probabilitatibus, et in bona fide geſtorum, vel poſſeſſorum, et in omnibus illis, quæ ratihabitionem, vel ratificationem actorum jubent, aut conſulunt, etiam actorum contra legum diſpoſitiones, aut ſolemnitates geſtorum, unde vulgare promanavit axioma: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*; et in aliis infra notandis; quæ quidem omnes in probabiliſmo, ſeu probabilitatibus fundantur.

CXV. Hoc jam notaverat Bern. Biſſ. dec. mor. tr. 5. § 1. n. 5. inquiens: Et quidem in utroque jure ſæpe fit mentio de probabilitate, ut ſignatim in c. 18. *Licet*, § *Si vero*. De regularib. l. 1. *Præſes*, § ita enim verſic. *Si vero poſt cauſam*, ff. *de var. et extraord. cognitionib.* l. 6. *Singulis*, ff. *de exception. rei indicat.* l. 33. *Quia aliena*, § final. ff. *de negot. geſt.* l. 1. *Utilitatem*, § *Magiſtrum*, ff. *de exercitor. action.* l. 4. *Suus quoque*, verſic. *Quæ ſententia*, ff. *de hæredib. inſtituend.* l. 11. *Si idem*, § *Si una, in fin.* ff. *de juriſdiction. omn. judic.* l. 32. *Diem*, § *Stari*, ff. *de recept. arbitr.* l. 2. *Sextum decimum*, § *Quem ita ſentio*, ff. *de vacat. et excuſat. muner.* l. 9. *Sed Julianus*, § *Proinde, verſic. Quod dicitur*, ff. *ad ſenat. conſult. Macedonian.* l. 2. *Conditioni*, c. *de inſtitutionib.* l. 3. *Si res*, c. *de pericul. tutor.* Ex quibus, et pluribus aliis juris locis, clare colligitur terminum probabile, non eſſe

eſſe noviter inventum, ut quidam imperiti vociferantur : nam etiam antiquitus in jure probabilitas admittebatur, aut rejiciebatur, ſecundum quod materia occurrens exigebat, et apud juriſperitos multæ habentur opiniones probabiles, ut etiam dentur opiniones communes contra communes, notante Caramuel. in Triſmeg. theolog. tom. 4. cap. 2. artic. 22. ſect. 1. in princip. Vide etiam Cevall. *commune contra commune* per tot.

CXVI. Cum autem jus civile in naturali, et in jure gentium fundetur, et utrumque naturali lumine rationis conſiſtat, conſequens eſt, ut probabiliſmus etiam naturali lumine fundetur, ac demonſtretur, ut patet ex legibus illis, quæ, naturali ipſo lumine dictante, vim vi repellendi licitudinem docent, ut l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. l. 1. et toto tt. de vi, et vi armat. l. *Is qui aggreſſor*, è l. *Siquis percuſſor*, cod. ad l. Cornel. de ſicar. et quæ probabiliter ſequi, et amplecti jubent expreſſe, ut cit. l. *Præſes*, de extraord. cognit. § *Advocat.* ibi: *Summa peti poterit uſque ad probabilem quantitatem*; et cit. l. *Singulis*, de except. rei judic. ib. *Singulis controverſiis ſingulas actiones, unumquemque judicati finem ſufficere, probabili ratione placuit.* Et cit. l. *Sextum decimum*, ff. de vacat. et excuſat. ib. *Quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficientis in homines obiri poſſunt, niſi certis, et receptis probabilibus cauſis, non remittuntur.* Et cit. l. *Si idem*, § fin. ib. *Et ſane eorum ſententia probabilis eſt.* Et l. 7. *Item*, ff. ad ſenat. conſ. Macedon. § *Proinde*, ib. *Ita locum habent, ſi probabilem modum in mutua pecunia non exceſſit*; l. 3. *Si res pupillares*, cod. de peric. tutor. ib. *Non ad tuum damnum, ſed ad pupilli tui ſpectare diſpendium, minus probabili ratione depoſcis*, &c.

CXVII. Et ex iis, quæ ex indiciis, ac præſumptionibus jubent ad pœnas arbitrarias, vel ad torturam reorum procedere, ut in lib. 5. reg. ordin. tt. 6. et 19. et 37. et 134. et l. *In criminibus eruend.* et ſeqq. ff. tot. tit. de queſtionib. De quo etiam vide aphoriſm. inquiſitor. l. 2. tt. 39. per tot. et alibi; et c. *Cum in contemplatione*, de regul. jur. in 6. ub. gloſſ. et l. 1. § *Item illud*, ff. ad Syllam; et l. *Et ſi certus*, § *Si unus*, ff. eod. et aliis juribus citatis ab Antonell. l. 6. de judic. criminal. c. 44. per tot. Ricc in prax. p. 2. reſol. 324. et aliis apud ipſos. Et ex iis, quæ in dubio, prolem poſthumam, natam ex vidua duos viros ſucceſſive agnoſcente, ſecure adjudicant ex præſumptione, probabilitate dumtaxat parenti illi, cui proles conformior, et conſimilior in vultu, et reliquis corporis membris evaſit, de quo Tiraquel. l. 7. Connub. p. 7. gl. 1. Alciat. l. *Quæret*, de verbor. ſignif. Fulgoſ. conſil. 2. c. 12. Sal. l. *Gallus*, ff. de liber. et poſthum. Polib. l. 2. c. 2.

CXVIII. Præterea, cum ipſamet *præſumptio* definiatur, *Rationabilis conjectura rei dubiæ collecta ex argumentis, ſeu indiciis, quæ per rerum circumſtantias plerumque, vel frequenter eveniunt* (ex Marcard. de probat. vol. 1. q. 10. n. 8. et Farinac. pract. l. 1. q. 36. n. 72.) utique in ſola mera probabilitate ſiſtit, utpote eſſentialiter *dubia*, et *indiciis* ordinariis nixa. Et tamen practice, et ſecure, ex illa proceditur; et, non obſtante dubio illo, et formidine ſpeculativa, jus ipſum in praxi, ac foro externo ſecure procedere jubet, tum *in præſumptione juris tantum*, quæ datur, *quando lex in re dubia aliquid præſumit, ſed ulterius aliquid non ſtatuit, quod pro jure habeatur*, ut in l. *Filium*, ff. de his, qui alieni juris ſunt, l. *Si chirographum*, ff. de probat. l. *Pactum*, ff. de probat. Farinac. cit. n. 88. tum fortius in præſumptione juris, et de jure, quæ eſt *præſumptio legis in re dubia aliquid præſumentis, et ulterius ſuper præſumpto, tanquam ſibi comperto, ſtatuentis*, ut ex Alciat. definit. Menoch. l. 1. de præſumpt. q. 3. n. 17. et conſtat ex l. fin. cod. ad S. C. Macedon. ex c. *Per tuas*, de condit. appoſit. de quo v. Farinac. et Menoch. cit. et Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 8. c. 3. n. 273. et ſeqq.

CXIX. Idem etiam clare inſpicitur in legum diſpoſitionibus, quæ verſantur circa juris fictiones, ut cum, v. g. *ex l. ult. cod. de epiſcop. et cler. ibique gloſſ. margin. lit. V*, jus fingit, religioſum eſſe mortuum in ordine ad quoſdam actus civiles, eſto phyſice, et re ipſa vivat, *ex l. fin. cod. de impub. et al. ſubſtituend.* patrem et filium eſſe unam, eandemque perſonam; et *ex c.* pen. *de divort.* virum, et mulierem eſſe unam carnem: quamvis ipſa *fictio juris* definiatur, *Diſpoſitio legis adverſus veritatem in re poſſibili ex juſta cauſa.* Ex Alciat. et Menoch. cit. q. 8. n. 7. ubi notabis, quod quamvis *fictio juris* eſſentialiter ſit adverſus veritatem phyſice, et ſpeculative ſumptam, eſt tamen illi conformis juridice, et practice; et ex ſola hac conformitate tuto, ac licite, et quandoque obligatorie, juxta illam proceditur, in foro externo, imo aliquando et in interno; ut in obligatione adhibendi materiam probabilem tantum, imo et dubiam, pro conferentia aliquorum ſacramentorum in extrema neceſſitate, et in obligatione impertiendi abſolutionem probabiliter diſpoſito, et in reliquis caſibus ſuperius traditis, ex n. 7.

CXX. Confirmatur, 1. Idem ultimum notabile ex ipſiſmet etiam communiter circumductis diſtinctionibus *juris præſumptionis, à juris fictione*, de quibus cit. Gaſparr. n. 262. ubi prima à ſecunda diſtingui circumfertur: 1. Quia *fictio juris* nunquam convenit cum veritate; facit enim eſſe vera, quæ vera non ſunt; *præſumptio* autem, cum verſetur circa rem dubiam, quæ ſcilicet eſſe, vel non eſſe poteſt, ſæpe convenit cum veritate.

Secundo, Quia *fictio* inducitur ſemper à jure; *præſumptio* autem aliquando ab homine, ut inferius patet *apud eundem Gaſparr.*

Tertio, Quia *fictio* continet aſſenſum plerumque verum; *præſumptio* autem non habet aſſenſum; cum hæreat ſoli apprehenſioni.

Quarto, Quia *fictio* non eſt ſpecies probationis, ſicuti eſt *præſumptio.* Ita Menoch. loco cit. n. 20. et ſeqq.

CXXI. Confirmatur, 2. Ex ipſiſmet *indicii*, et *conjecturæ*, quibus *præſumptio* innititur, definitionibus: nam *indicium* definitur, *Notabile ſignum alicujus rei, de qua dubitatur, ad veritatem cognoſcendam inſerviens*, juxta doctrinam ex Maſcard. cit. q. 15. n. 2. et Farinac. etiam cit. n. 27. apud Gaſparr. ibid. n. 257.

Conjectura autem definitur *Opinio levis, ſeu tenuis aſſenſus cum magna titubatione, de re dubia ex levibus indiciis procedens*; ita Menoch. l. 1. de præſumpt. q. 7. n. 42. et 43. et cum illo Gaſparr. cit. n. 261. Et tamen pro foro externo jubent quandoque leges ſecure procedere ex indiciis, et conjecturis, ſaltem ad torturam, et ad aliquas pœnas arbitrarias, ut conſtat ex legibus præcitatis, et l. *Edictum*, 8. ff. de quæſtion. et l. *de minore* 10. et l. *Ex libero* 15. ff. eod. de quo v. Anton. Gom. tom. 3. c. 13. Jul. clar. q. 64 Farinac. cit. et alios ap. Leſſ. de juſt. et jur. c. 29. dub. 15. ergo, &c.

CAP. XVII.

De Illicitudine Recurſus ex Notoria Injuſtitia citra Violentiam.

SUMMARIUM.

I. *Quid injuſtitia, quid juſtitia ſit?*
II. *Quid ſit injuria,* quæ juri adverſa eſt?
III. *Injuria tripliciter fieri poteſt,* re, verbis, *et* literis.
IV. *Injuria regulariter in ſolis actionibus externis reperitur.*
V. *Quid ſit* violentia, *et quid ſit* vis, *à qua nomenclaturam derivat?*
VI. Injuſtitia *in ſolo actu interno reperiri poteſt:* injuria *vero ſuperaddit actionem externam:* violentia *autem in ſolo facto externo alieno.*
VII. *Violentia facto externo injurioſo ſuperaddit* vim.
VIII. *Judex plus juſto reum abſolvens, etſi injuſtitiam committat, non tamen ſemper injuriam ſtricte.*
IX. *Licet omnis injuria ſit injuſtitia, non tamen omnis injuſtitia eſt injuria.*
X. *Injuſtitia poteſt conſiſtere in ſolo actu interno; injuria vero regulariter in actu externo, ſcilicet* re, verbis, *aut* literis.
XI. *Jus immobile nequit abdicari à domino, aliter jus mobile, ut in clerico in propria percuſſione, et in marito in propria uxoris adulterio conſentiente.*
XII. *Conſentienti voluntate facti, et invito, quoad voluntatem juris, poteſt inferri injuria ſtricte.*
XIII. *Seipſum occidens, licet ſibi injuriam rigoroſe non incutiat, eam tamen facit Deo ſpeciali vitæ A.*
XIV. *Licet omnis violentia ſit injurioſa, non tamen omnis injuria eſt violenta.*
XV. *Violentia ex ſuo formali conceptu eſt* vi illata oppreſſio.
XVI. *Conſervatores regularium poſſunt procedere pro manifeſtis injuriis, cum violentia recurrentibus.*
XVII. XVIII. *Conſervator regularium nequit procedere adverſus percutientem religioſum conſentientem in percuſſione; nec adverſus ementem ab illo rem gravem pretio vili; neque adverſus ſimplici contumelia eum afficientem.*
XIX. Injuriæ manifeſtæ pro violentiis *in jure uſurpantur.*
XX. *Et aliquando ſunt ſynonyma.*
XXI. *Conjunctio* et, *regulariter eſt copulativa, et repetitiva præcedentium qualitatum, et denotat æqualitatem terminorum copulatorum.*
XXII. *Illicitus eſt recurſus ex notoria injuſtitia citra terminos notoriæ violentiæ.*
XXIII. *Violentia rationi injuriæ ſuperaddit vim, et impetum majoris actionis irrepellibilis.*
XXIV. *Implicat dari violentiam, quæ non ſit injurioſa.*
XXV. *Licet nulla detur injuria, quæ non ſit injuſtitia, poteſt tamen dari injuſtitia, quæ non ſit injurioſa.*
XXVI. *In judice injuſte judicante poteſt dari notorietas injuſtitiæ abſque notorietate violentiæ.*
XXVII. *Oſtenditur in variis exemplis.*
XXVIII. *Judex injuſte reum parte carentem abſolvens, non infert injuriam ſtricte.*
XXIX. *Injuria notoria intra terminos meræ injuriæ conſiſtens, non eſt violenta.*
XXX. XXXI. *Violentia, ſicut ab armis, ita à calamo judicis poteſt inferri, quando rationi injuſtitiæ ſuperaddit rationem vis, aut oppreſſionis.*
XXXII. *A judice valide, licet injuſte procedente intra terminos injuſtitiæ, non incutitur violentia, ſaltem notorie.*
XXXIII. *Suppoſita illicitudine recurſus ex titulo notoriæ injuſtitiæ citra violentiam, cenſuras juris incurrunt tam recurrentes, quam providentes.*
XXXIV. *Non ſuffragatur concordia* I. *inter regem Sanctium* II. *et Stephanum Brachar. archiepiſcopum.*
XXXV. *Notum ex jure eſt, negligentiam judicis eccleſiaſtici non poſſe à laico ſuppleri.*

I. RECURSUM à judice eccleſiaſtico ad tribunalia ſæcularia, quamvis injuſtitia judicis notoria foret, dummodo ratio notoriæ violentiæ in illa etiam non reperiretur, eſſe notorie injuſtum, atque illicitum, nunc denique pergimus demonſtrare. Pro quo prius, quid ſit *injuſtitia*, quid *injuria*, quid *violentia*, clare enucleandum eſt.

Igitur *injuſtitia*, juxta nominis etymon, talis dicitur ab *in-juſtitiam*, id eſt, *contra juſtitiam*; vel à *non juſtitia*, accipiendo particulam *non*, contrarie, ſicut particulam *in*; et *non* mere negative, pro eo præciſe quod caret juſtitia, ſeu rectitudine. Unde ſicut juſtitia, quæ quaſi *juris ſtatio* dicitur, ab eo quod juſtum eſt, etymologiam trahit, ita *injuſtitia* ab eo, quod eſt injuſtum: et, ſicut *juſtum* à jure derivatur; et eſt omne illud, *quod ſecundum jus eſt*; ita et *injuſtum*, ab eo, quod contra jus, vel non ſecundum jus eſt, modo explicato: quare, ſicut *juſtitia* ſtricte definitur ab Ulpiano, *Conſtans et perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*; ita contrarie *injuſtitia* ſtricte definitur à Platelio, *Inclinatio voluntatis ad non tribuendum cuique jus ſuum.*

Nota tamen, 1. cum eodem, c. 4. n. 506. Quod *jus*, etiam quandoque accipitur, 1. Pro *juſto*, ſtricte, id eſt, pro commenſo, et adæquato jure alterius. 2. Pro lege, quæ eſt regula juſti. 3. Pro legitima quapiam poteſtate in rem aliquam. Nota, 2. *Juſtum* ſtricte ab eodem definiri, *Æquale debitum alteri.* Unde *injuſtum* contrarie definiendum etiam eſt, *Indebitum alteri inæquale*, ſeu *inæquum*, aut *iniquum*; ut ex Alex. Scot. verb. *Injuria*, deducitur.

II. *Injuria* autem, quæ *juri* adverſa eſt, ſecundum nominis etymologiam, eſt *quod non jure fit*, accipiendo ſimiliter particulam *non*, contrarie pro eo, quod *contra jus fit*, ex l. 1. ff. de injur. et definitur, ſtricte ſumpta, à Card. Delug. de juſt. et jur. et à Platelio, et aliis, *Voluntaria læſio*, ſeu *violatio juris alieni.* Unde, ut notatur in lexic. utriuſque jur. Bruta injuriam facere non reputantur, tum quia nec *voluntarie*, tum quia nec *jure* quidquam facere poſſunt, l. 1. § 1. ff. *Si quadr. pauper. fec.* Lacr. autem ad Buſemb. l. 3. p. 2. latius injuriam ſic definit: *Injuſta læſio juris alieni, quod alter habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur.*

III. Ubi notabis, 1. cum Alex. Scot. Injuriam tribus modis fieri; videlicet, *Re*, *verbis*, et *literis*. *Re*, ut cum manus inferuntur, ut d. l. 1. §. 1. ff. de injur. *verbis*, ut cum fit convitium; et tunc dicitur contumelia à *contemnendo*, ut notat lexic. et habetur in d. l. 1. § 1. et l. *Item* apud Labeon. eod. tit. *Literis* tandem fit injuria, cum quis ad infamiam alicujus libellum, vel famoſum carmen, vel hiſtoriam conſcribit, ut ff. de injur. l. *Cornelia*, § *Siquis.* Item injuria triplex eſt (proſequitur idem Scot.) una levis, ut ſi modico ictu quis à patre, vel ſuperiore percutiatur: alia atrox, ut ſi aliquis à minore ſe, verberetur, vel in conſpectu judicis, vel oculo, aut membro privetur. Et ſic dicitur pluribus modis, ut præmiſſum eſt.

IV. Notab. 2. Injuriam regulariter reperiri in ſolis externis actionibus, ut ex præmiſſa declaratione, ſeu diviſione conſtat, et adhuc ex dicendis conſtabit; injuſtitiam vero in actu interno voluntatis conſiſtere poſſe, ut patet, tum ex juſtitiæ definitione, *conſtans*, et *perpetua voluntas*, id eſt, *volitio*, explicat Platell. actu accepto pro habitu, quod indicatur per ly *conſtans*, et per ly *perpetua*, quoad affectum, non vero quoad effectum, ſeu durationem; tum in actu interno, ſive ſimplici deſiderio peccaminoſo judicis, reum ad mortem, quam juſte ex propriis demeritis promerebatur, non ex zelo juſtitiæ, ſed ex invidia, odio, aut mala voluntate, vel ex alio motivo injuſto (judex namque tenetur, et juſtitiam, et juſte adminiſtrare, juxta illud: Sap. 6. 11. *Qui cuſtodierint juſta juſte, juſtificabuntur).*

tur). In quo quidem deſiderio, licet ratio injuſtitiæ inveniretur, non tamen ratio injuriæ; tum quia reus ipſe mortem juſte promerebatur, et forte illius juſtæ inflictioni ex juſtitiæ zelo non reſiſtebat, nec reluctabatur, etiam interne; tum quia in judice, in facta hypotheſi, nulla actio externa, etiam deſiderii illius interni indicativa intercederet; et, ut patebit ex infra dicendis, et in deſiderio inefficaci res alienas concupiſcentis contra 10. præceptum decalogi; quod quidem deſiderium, licet injuſtum, non tamen foret injurioſum; et in aliis ſimilibus.

V. *Violentia* tandem, quæ à *vi*, ſeu à *violando*, nomenclaturam derivat, attenta nominis etymologia, definitur, *vi oppreſſio illata*, ſeu *vi illata injuria*; quæ quidem definitio deducitur ex c. *Siquis ſponſam*, 27. q. 2. ut notat lexic. verb. *Violavit*, id eſt, *oppreſſit*: et deducitur etiam ex 2 Reg. 13. 14. *Prævalens viribus oppreſſit eam. Vis* autem, ſecundum Paulum, l. ſent. 1. tit. 7. apud lexic. definitur, *Major, ſeu majoris rei impetus, qui repelli non poteſt.* Quæ definitio *vis* deducitur ex l. 2. ff. quod met. cauſ. ibi: *Vis eſt neceſſitas impoſita contraria voluntati, majoriſque rei impetus, qui repelli non poteſt.* Unde *violentia*, et *oppreſſio* eſſentialiter præſupponunt, ſeu devolvunt *vim*, et vim majorem irrepellibilem, ut patet ex dictis, et ex cit. tex. 2 Reg. 13. 14. et ex Eccl. 4. *Nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.*

VI. Ubi nota, 1. Quod ſicut *injuſtitia* in ſolo actu interno conſiſtere poſſit, *injuria* vero ſuper actum internum requirit actionem externam, ſaltem verbalem, ſive verbis contentam, ex ſuperius traditis: ſic *violentia* in ſolo facto externo alieno reperitur, ut notatur in cit. lexic. ibi: *Vis non dicitur, quæ verbis, ſed facto; qui enim aliter, quam facto cogitur, aut propria voluntate, vim non patitur. Quod in interdicto, vim fieri vero, maxime dicendum argumento verbi, Fieri.* L. pen. § *Si*, ſi uſus.

VII. Nota, 2. Quod ſicut *injuria* actui interno injuſto ſuperaddit actionem externam injurioſam *re, verbis*, aut *literis*: ita violentia facto externo, et alieno injurioſo, ſuperaddit *vim*, et impetum majorem, ſeu majoris actionis impetum; eſt enim *vi oppreſſio illata*; ſeu *vi illata injuria*; et conſtat ex cit. tex. *Prævalens viribus oppreſſit eam.* Et Deut. 28. 19. *Opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.* Dixi *facto externo, et alieno*, ut præſcindamus interim à quæſtione, an ſibi ipſi quilibet, et injuſtitiam ſtricte, et injuriam poſſit inferre, ut in occidente ſeipſum inique, et in aliis exemplis, de quo infra fortaſſe, n. 13.

Nota, 3. Quod quamvis *oppreſſio* à nemine formaliter definita circumducatur; ſic tamen definienda venit: *Mobilis prævalentia viribus ſuccumbentem externe gravans:* ſeu *externa prævalentia viribus ſuccumbentem mobiliter gravans:* deducitur definitio ex lexic. verb. *Oppreſſio*; ibi: *Oppreſſio mobilium eſt, ut invaſio immobilium.* Et ex illo 2 Reg. 13. *Prævalens viribus oppreſſit eam:* et ex eod. lexic. verb. *Violentia.*

VIII. Nota, 4. Quod judex plus juſto reum abſolvens, vel injuſte libertans, aut liberum declarans, injuſtitiam quidem committeret, non vero injuriam ſtricte, ſi reus partem non haberet; quia abſolutio illa reo ipſi favorabilis foret: et quamvis late poſſet dici legibus injurioſa, quatenus juri ſcripto conformis non foret, ſed contraria; hoc non conſtitueret rationem injuriæ ſtricte, juxta dicenda infr. n. 28.

Hic igitur prævie et opportune enucleatis ſit —

Prima Reſolutio.

IX. Quamvis omnis injuria ſit injuſtitia, non tamen è converſo omnis injuſtitia eſt injuria; proindeque, licet omnis injuria ſit injuſta, non ideo tamen omnis injuſtitia eſt injurioſa. Probatur clare, 1. Quia poteſt dari actio injuſta, in qua reperiatur ratio injuſtitiæ, non tamen ratio injuriæ; ut in emptore, qui à venditore invitante, et ſcienter volente, rem mobilem vili pretio emeret: quæ quidem emptio foret actio injuſta, eo quod deficeret eſſentialis æqualitas pretii cum merce: et tamen non foret injurioſa ex ſpontanea voluntate, et libero conſenſu venditoris: nam *Scienti, et conſentienti, non fit injuria, neque dolus*, ex reg. jur. 37. in 6. Et *nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, et conſentiunt*; ex reg. jur. 145. de diverſ. reg. jur. ergo emptio, et venditio præfata, eſto injuſta, non tamen injurioſa evaderet. Ita Platel. et Lacr. cit. cum plurimis DD.

X. Probatur, 2. Quia injuſtitia poteſt conſiſtere in mero actu interno: injuria vero regulariter in ſolo actu externo reperitur, ſcilicet *re, verbis*, et *literis*, juxta prædicta. Deinde injuria, cum eſſentialiter ſit contra jus alterius, eſſentialiter ſupponit, ac ſecum devolvit injuſtitiam, eo quod eſſentialiter quod juſtum eſt lædat, ac violet: atque adeo, licet non omnis injuſtitia ſit injurioſa, contraverſum omnis injuria injuſta quidem eſt.

XI. Nota tamen, 1. cum Platelio, Quod licet jus mobile abdicari poſſit à domino, non tamen jus immobile; proindeque, licet clericus conſentiat in propria percuſſione, percutiens tamen, quamvis ei non inferret violentiam, injuriam tamen ſtricte irrogaret, ut reſolvitur in c. *Contingit*, 36. de ſent. excom. ibi: *Reſpondemus, quod hujuſmodi manus injectio, etſi non violentia, tamen injurioſa videtur: cum ille canon tam in favorem clerici, quam in favorem ordinis clericalis, fuerit promulgatus.* Unde quamdiu talis permaneat, nequit à ſe abdicare jus immobile ordini clericali annexum; proindeque et ipſi clerico, et toti ordini clericali, fit injuria ſtricte, quamvis clerico ipſi conſentienti, propter ipſum conſenſum, violentia non irrogetur. Idem dic de clerico in judicium ſæculare conſentiente, cui, et toti ſtatui clericali, judex certe injuriam inferret, eo quod privilegium fori, ſicut et canonis, in favorem totius ſtatus conceſſum foret.

Pariformiter, licet maritus conſentiat in propriæ uxoris adulterio, adulter injuriam infert, nedum ſacramento matrimonii, verum et ipſi marito conſentienti, ut probabilius defendunt Cayet. Ban. Tur. Dicaſt. Eſp. Maur. et Platel. contra Molin. Leſſ. Lug. Amic. Spor. Haun. Ilſ. et alios; eo quod maritus nequeat à ſe abdicare jus immobile fundatum in jure matrimonii, quod eſt perſonale privative, eo quod per illud duo corpora conjugata fiunt una caro; et ulterius fundatum in bono ſacramenti, repræſentantis conjunctionem Chriſti cum eccleſia, et in bono prolis, cui certe officeret nimium commiſtio cum alienis. Injuria autem eſt omne illud, quod fit contra alterius jus, ſive mobile, ſive immobile, ſive voluntate facti, ſive voluntate juris inviti.

XII. Et hinc nota, 2. cum eodem, Quod etiam conſentienti voluntate facti, et invito quoad voluntatem juris, poteſt injuria ſtricte inferri, ut patet in hero optante ſibi à ſervo rem aliquam ſurripi, ut inde occaſionem ſumat ſervum juſte puniendi; in quo etiam caſu violatur jus heri contra ipſius voluntatem, non facti, ſed juris, quod in re illa, antequam ſurripiatur, et ad illam etiam poſt ſurreptionem habet; eſto voluntas illa facti ſufficiat, ut nec actione injuriarum agi poſſit contra eum, qui lædit conſentientem, neque is ad reſtitutionem, aut ſatisfactionem cogitur; tum quia conſentiens voluntate facti dumtaxat, cenſetur tollere, ac remittere ſatisfactionem; tum quia actio injuriarum, non ex pacto, ſed ex contumelia oritur, l. *Sed ſi unus*, § *Si pactum*, ff. eod. tit. inſt. de injur. et *conſenſu illo*, ſeu *diſſimulatione aboletur lex:* ita Alex. Scot. vocab. verb. *Act. injur.*

XIII. Nota, 3. Quod ſeipſum occidens, ſibi injuriam, aut injuſtitiam rigoroſe non incutiat; cum *injuria*, et *injuſtitia* eſſentialiter ſit *ad alterum*, ſicut et ipſarum contrarium; videlicet *injuſtitia*, ut ex iſtius definitione ſatis colligitur: *Jus ſuum cuiquam tribuendi.* Facit tamen injuriam Deo, ſpeciali vitæ auctori, contra ipſius voluntatem, ſibimet inferens mortem. Qui vero alterum, etiam volentem, et conſentientem occideret, et Deo, et ipſi occiſo injuriam ſtricte inferret, ut contra Molin. Eſp. et alios tenet Lacr. cum communi DD. Ratio eſt, quia jus, quod quis habet ad uſum vitæ, eſt acceptum ab auctore vitæ inabdicabiliter, ſeu inceſſabiliter, niſi ab ejuſdem auctoris voluntate dependenter. Et poſt mortem occiſi adhuc exiſtit anima, et in ea jus ad reunionem cum corpore, et ad vitæ uſum. Ita Lacr. cum Haun. t. 2. n. 595.

Secunda Reſolutio.

XIV. Eſto omnis violentia ſit injurioſa, non tamen omnis injuria eſt violenta; atque adeo poteſt dari injuria, quæ violentia non ſit, et citra limites violentiæ contineatur. Prob. 1. ex cit. c. *Contingit*, 36. de ſent. excom. ibi: *Hujuſmodi manus injectio, etſi non violenta, tamen injurioſa videtur clerico*, &c. Prob. 2. Quia, juxta præmiſſa, poteſt dari injuſtitia, quæ non ſit injurioſa; quia injuria aliquid ſuperaddit injuſtitiæ, nempe actionem externam, quam injuſtitia ſimpliciter non requirit; poteſt enim hæc in ſolo actu interno conſiſtere: ergo pariformiter poterit dari injuria, quæ non ſit violenta, cum violentia rationi injuriæ vim ſuperaddat; quæ tamen non conſideratur reſpectu volentis, et conſentientis, ut in clerico, ſe ab alio percuti conſentiente.

XV. Prob. 3. Seu confirmatur; quia violentia, ex ſuo formali conceptu, eſt *vi oppreſſio illata*; ſeu *vi illata injuria*: atqui à ratione injuriæ, et injuſtitiæ, poteſt ſeparari ratio vis irrogationis, ſeu inferentiæ vis, ut in marito, et ejus uxore in adulterio conſentientibus; in clerico conſentiente in proceſſu judicis ſæcularis, vel in propria percuſſione ab altero incutienda: ergo in talibus actionibus reperietur quidem ratio injuriæ, atque injuſtitiæ ſeparata à ratione violentiæ: ergo poteſt dari injuria, quæ violenta non ſit. Confirmatur, 2. Quia injuria poteſt ſolis verbis conſiſtere, et ſimplici contumelia irrogari; et tamen per ſola verba vis non incutitur, ſed ſolo facto, ut ex lexic. ſupr. cit. et ex definitione *vis* innoteſcit, quæ eſſentialiter dicit *impetum majoris rei*, ſeu *actionis irrepellibilis*: ergo, &c.

XVI. Dices, 1. Conſervatores regularium neque cognoſcere, neque procedere poſſunt, niſi in caſibus, et cauſis notoriarum violentiarum, juxta tradita ſuperius, c. 3. et 4. alleg. 34. et ſeqq. et tamen poſſunt cognoſcere de manifeſtis injuriis, juxta declarationem 8. in cauſ. Angelopolit. pro parte Jeſuitar. ibi: *Poſſe à manifeſtis injuriis, et violentiis eos compeſcere*; et ſecundum diſpoſitionem c. 1. et ult. de offic. deleg. in 6. ibi: *A manifeſtis injuriis, et violentiis, ſcienter ſe intromiſerint*. Ergo injuria, et violentia idem omnino ſunt, ſaltem in re, et quoad juris reputationem, ut innuit conjunctio illa *Et*.

Reſp. diſtinguendo minorem: De manifeſtis injuriis cum violentia recurrentibus, concedo; de manifeſtis injuriis, quæ cum violentia non recurrunt, ſed intra terminos injuriarum citra violentiam continentur, nego. Unde tam textus præfati, quam declarationes, loquuntur de injuriis, quæ cum violentiis recurrunt, et extra limites injuriarum tranſilientes, ad formalem rationem violentiæ, ſeu vi illatæ injuriæ, aut oppreſſionis pertingunt, atque introgrediuntur.

XVII. Patet hoc evidenter, 1. Quia conſervator nec cognoſcere, nec procedere poſſet adverſus percutientem religioſum in percuſſionem conſentientem; et tamen in illa actione percuſſiva daretur ratio injuriæ, non tamen violentiæ, juxta præjacta: ergo, &c.

XVIII. Patet, 2. In emente vili pretio rem aliquam ab aliquo particulari religioſo: in qua emptione daretur ratio notoriæ injuſtitiæ, imo et injuriæ, reſpectu juris religionis in venditione illa rationabiliter invitæ; et non reperiretur in illa ratio violentiæ. Si tamen religio ipſa rem aliquam vili pretio venderet alicui, in hac emptione ceſſaret ratio injuriæ, exceſſione totius religionis, non tamen ratio injuſtitiæ ex inæqualitate, et inadæquatione pretii cum merce. Attamen in neutro caſu inveniretur ratio violentiæ ex libero conſenſu religioſi, ac religionis: ergo, &c.

XIX. Patet, 3. In contumelia, aut injuria verbis tantum illata, imo et in ſcriptis irrogata intra terminos contumeliæ non infamis, ex improperatione culpæ veræ, et notoriæ: in qua quidem contumelia, licet reperiretur ratio injuriæ, non tamen ad rationem violentiæ ex prædictis perveniret.

Patet, 4. Evidentiſſime, ac formaliſſime in c. *Gravis*, de reſt. ſpoliat. ubi expreſſe manifeſtas injurias, prout cum violentia recurrunt, uſurpat; ibi: *Et de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis: proviſuri, ut non tantum fructus à novo, et violento poſſeſſore perceptos, ſed quos*, &c.

XX. Dices, 2. Si in præjactis textibus idem eſt injuria, atque violentia, fruſtranea, et ſuperflua eſt repetitio *à manifeſtis injuriis, et violentiis*. Deinde illa particula *Et*, quæ eſt diſtinctorum conjunctio, videtur innuere nedum diſtinctionem formalem, ſed et ſubjectivam, atque objectivam prædictorum terminorum: ergo, &c.

Reſp. Repetitionem illam non eſſe ſuperfluam, nec fruſtraneam, tum quia *non ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturam*: l. *Eos*, 26. ub. gl. verb. de *ſuperfluo*, cod. de uſur. c. Turbat. 37. diſt. c. *Utile*, et c. *Non debet*, de regul. jur. in 6. et ex vulgar. tum quia inſervit ad majorem ac meliorem declarationem rei conceptæ, ſicut in regia ordinatione, l. 1. tt. 9. § 12. repetitio illa: *Salvo quando aggravarem de notaria oppreſſao, ou força*; id eſt, *Salvo gravamine à notoria oppreſſione, aut vi, ſive violentia*. Ubi *oppreſſio*, et *violentia*, ſeu *vis*, licet ſint nomina ſynonyma, idem in re ſignificantia, ut tenet Per. de man. reg. c. 8. non tamen ſuperflue, aut fruſtranee conjunguntur in regia lege, quia ibidem ponuntur ad majorem expreſſionem; ſicut etiam vitioſa, et ſuperflua non foret repetitio illius, qui diceret, judicem non judicantem ſecundum opinionem practice probabiliorem, *vim inferre, et violentiam facere*: et ſicut abſque vitio, c. 2. de offic. deleg. in 6. repetuntur nomina ſynonyma: *nimia contumaciæ protervitas, ſive culpa*. Et in aliis paſſim.

XXI. Conjunctio autem *Et*, licet aliquando ponatur inter diverſa, ut in rubr. cod. de ſent. et interlocut. et in rubr. inſt. de uſucap. et in c. *Cum olim*, 34. de teſtibus; attamen regulariter eſt copulativa, et conjunctiva, proindeque æqualitatem terminorum copulatorum denotat, et eſt repetitiva præcedentium qualitatum, et conditionum, ut in l. *A filio*, § Teſtator, ff. de alim. l. *Avia*, junct. gl. ff. de condition. et demonſtr. Vid. Card. Tuſc. Lucenſ. et Barb. de diction. Unde, ſicut in lege regia dictio *aut*, ſeu *vel*, licet de ſe ſit alternativa, ſumitur hic copulative, et ponitur inter duo nomina ſynonyma, ſeu idem ſignificantia: ita conjunctio *Et*, licet quandoque (ſed raro) inter diverſa ponatur, in præjactis tamen textibus, ac declarationibus ponitur copulative, et declarative inter duo nomina ſynonyma, idem ibidem ſignificantia, videlicet, *à manifeſtis injuriis, et violentiis*.

Tertia et principalis Reſolutio.

XXII. Illicitus, et injuſtus eſt recurſus à judice eccleſiaſtico ad ſæcularia tribunalia intentatus titulo notoriæ injuſtitiæ citra terminos notoriæ violentiæ. Ita Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. per tot. et alibi; et Per. de man. reg. c. 4. et 7. et in concord. 58. Joan. I. et reliq. DD. infr. cit.

Probatur, 1. Quia à judice eccleſiaſtico licite valet intentari recurſus in caſibus violentiæ, non ſimplicis, aut dubiæ, ſed notoriæ dumtaxat, ex regia lege præcit. et ex communi DD. cum Per. Oliv. Guerr. Portug. Themud. Seſſ. Salgad. Cevall. de violent. et aliis laudatis ſuperius, c. 12. et 15. et ſeqq. Atqui poteſt dari injuſtitia, quæ quamvis notoria, attamen intra terminos ſimplicis injuſtitiæ conſiſtat, et non perveniat ad rationem violentiæ, imo neque ad rationem injuriæ ſtricte, ut ſupra remanet oſtenſum, et ex ipſis formalibus rationibus cujuſlibet convincitur, poſſe inveniri injuſtitiam, quæ neque injurioſa, neque violenta ſit: ergo, &c.

XXIII. Probatur, 2. Quia *violentia*, rationi injuriæ, atque injuſtitiæ, ſuperaddit *vim*, et impetum majoris rei, ſeu actionis irrepellibilis; eſt enim *vi oppreſſio illata*, ſeu, *vi illata injuria*. Ipſa autem *vis* eſt *majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, juxta definitiones præmiſſas: ergo poteſt reperiri ratio injuſtitiæ, imo et injuriæ, abſque illo ſuperaddito, ſeu abſque illa vi, et impetu, quem dicit eſſentialiter, et formaliter violentia, atque oppreſſio. Atqui in illa poſſibili hypotheſi reperiretur in judice ratio injuſtitiæ quidem, non tamen ratio violentiæ: ergo.

XXIV. Prob. 3. Quia implicat dari violentiam, quæ non ſit injurioſa, ſeu quæ non contineat rationem formalem injuriæ ſtrictæ; et tamen poteſt dari injuſtitia, quæ non ſit injurioſa, ſeu non contineat formalem rationem injuriæ ſtricte, ut ſuperius demonſtratum

ſtratum remanet: ergo potiori jure, quæ non contineat formalem rationem violentiæ.

XXV. Prob. 4. ſivè confirmatur; Quia licet nulla detur injuria, quæ non ſit injuſta; attamen poteſt dari injuſtitia, quæ non ſit injurioſa: et pariformiter; licet nulla detur violentia, quæ non ſit injurioſa; attamen poteſt dari injuria, quæ violenta non ſit, juxta ſuperius tradita: atqui in facta hypotheſi, ſecundum terminos, et ordinem præmiſſum, reperiretur ratio violentiæ ſeparatæ à ratione injuriæ, ſibi proximioris; ergo multo magis à ratione injuſtitiæ remotioris; nam cum *injuſtitia* poſſit in actu interno conſiſtere, et *injuria* in ſolis actibus externis ſtrictè inveniatur, et *violentiæ*, utrique ſuperaddat vim, et impetum majoris actionis irrepellibilis, videtur rationem injuriæ mediare inter rationem injuſtitiæ, atque violentiæ, præmiſſo ordine ſpectato; proindeque remotior remanet violentia ab injuſtitia, quam ab injuria: atque adeo, ſi reperiri poteſt injuria non violenta; potiori jure injuſtitia, quæ violenta non ſit, et in qua nulla violentiæ ratio inveniatur.

XXVI. Confirmat. 2. Quia in judice injuſte judicante, licet detur notorietas injuſtitiæ, poteſt tamen vel non dari notorietas violentiæ, vel eſſe dubia, aut tantum probabilis, aut aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis: atqui à ſola violentia ita notoria, quæ nulla tergiverſatione, aut ſimulatione celari poteſt, dari valet recurſus ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæculares, juxta præmiſſa, c. 14, 15. ergo, &c.

XXVII. Prob. 5. Et demonſtratur reſolutio in variis, et claris exemplis; et, 1. in caſu cit. c. *Contingit*, de ſent. excom. ubi de percuſſione clerici in eam conſentientis dicitur, quod *ſit injurioſa, non tamen violenta*. 2. In marito ſponte conſentiente in propriæ uxoris adulterio; qui quidem conſenſus injuſtus, et injurioſus eſt, nedum ſacramento, ſed et ipſi marito, non tamen eidem violentus. 3. Ex reliquis caſibus reſolutione duplici ſuperius attactis: quibus addi poſſunt et alii, qui cogitanti facillimè obvenient.

XXVIII. Objic. 1. Injuſtitia in judice judicante, eo ipſo, foret injurioſa, eo quod ſemper læderet jus alicujus: atqui ſi foret injuria notoria, conſequenter foret violenta; ſiquidem judex per ſententiam notorie injuſtam, et notorie injurioſam, vim infert, et violenter opprimit unam ſaltem ex partibus collitigantibus: ergo in judice judicante, notoria injuſtitia, eo ipſo, foret notorie violenta; proindeque juſtum, ac licitum recurſum ad ſæcularia tribunalia fundaret. Confirmatur ex doctrina Cevall. de viol. p. 1. gl. 5. ubi aſſerit, *Omne, quod non jure fit, injurioſum eſſe, et quaſi per vim factum*; et citat § 1. inſt. de injur. adverſus quem, et eam citationem Oliv. d. q. 5. n. 7.

Reſp. 1. negando majorem: Nam judex, qui notorie plus juſto, vel totaliter reum, parte carentem abſolveret, notoriam injuſtitiam committeret; quæ tamen nulli foret injurioſa; non parti, ſiquidem reus iſte, ut ſupponitur, eam non habebat; non ipſi reo, cui abſolutio favorabilis, et decoroſa erat; non juri ipſi ſcripto, ſeu legibus, reorum punitionem jubentibus, tum quia id jubent in abſtracto, et præſcindendo à caſibus, et circumſtantiis particularibus, tum quia judex legum rigorem non ſervans, non dicitur legibus injurioſus ſtrictè, cum injuria ſtrictè ſit *læſio juris alieni*, adeoque ad tertiam aliam perſonam læſam relationem dicens: ſed dicitur, *legum inobſervator*, et ad ſummum *iniquus*, eo, quod juſtam æquitatem non ſervat. Deinde id commune eſt omni peccato: omne namque *eſt tranſgreſſio legis*; et tamen non omne eſt, aut dicitur legi, aut juri ſtrictè injurioſum, cum non omne peccatum ſit injuſtitia ſtrictè, aut alterius juris læſivum: ergo, &c.

XXIX. Reſp. 2. Permiſſa majori, diſtinguendo minorem; injuria notoria conſequenter foret violenta, ſi conſiſtat intra preciſos terminos injuriæ, et vim, ac impetum majoris actionis non ſuperaddat, nego; ſi ita non conſiſtat, ſed excurrat ad formales terminos violentiæ, vim, et oppreſſionem, ſeu majorem impetum ſuperaddens, concedo. Poteſt enim injuria etiam in judice contineri intra terminos præciſæ injuriæ, non violentæ, ut viſitur in judice ſententiam juſtam quidem proferente, in contextu tamen illius aliquid, citra violentiam, partibus contumelioſum, ſeu calumnioſum immiſcente; in quo ſane ratio injuriæ ſtrictè reperiretur, non tamen ratio violentiæ, eo quod calumnia, aut contumelia culpam veram, et publicam continebat, ex qua forſan utrinque litigium occaſionem deſumpſerat. Idem viſitur in aliis caſibus ex inſinuatis ſuperius.

Ad doctrinam Cevall. reſp. cum Oliv. cit. q. 15. n. 7. et 1. cum diſtinctione: *Quod non ſit jure, injurioſum eſſe late*, id eſt contra jus, aut præter jus; non tamen injurioſum eſſe *ſtrictè*, prout injuria recurrit cum violentia, ſed ad ſummum prout recurrit cum injuſtitia. Reſp. 2. Eundem Cevall. et text. ab eo cit. non aſſerere jure non factum, *eſſe per vim factum*; ſed *quaſi per vim factum videri*; quod quidem diverſiſſimum eſt. Reſp. 3. Cevall. procedere in errore, quem in prolog. n. 143. amplectitur, *ſententiam injuſtam non eſſe ſententiam*, quod eſt falſum, et contra commune, ut probat Oliv. cit. n. 7. ex c. Int. Monaſter. de ſent. et re judic. l. *Si cauſa cognit.* cod. de tranſact.

XXX. Objic. 2. Sicut violentia à parte armis, ſic à judice calamo inferri poteſt, ut docet Per. de man. reg. c. 4. n. 7. ex text. in c. *Conquerente*, de reſt. ſpoliat. et deducitur etiam ex Eccl. 5. 7. *Si videris calumniat egenorum, et violenta judicia*: atque adeo, ut contra judicem competat interdictum *undevi*, ut tenet Menoch. 8. remed. recuper. n. 8. Atqui non aliter vim inferret, niſi notorie injuſte judicando: ergo notoria illa injuſtitia foret etiam notoria violentia, adeoque licite poſſet ab ea recurſus ad regios magiſtratus intentari.

XXXI. Reſp. 1. Permiſſa majori, diſtinguendo min. notorietate injuſtitiæ, intra terminos injuſtitiæ citra violentiam conſiſtentes, nego; notorietate injuſtitiæ, ultra rationem injuſtitiæ ſuperaddentis, vel includentis rationem formalem violentiæ, contentæ in vi, aut oppreſſione notoria injuſtitiæ ſuperadditæ, concedo. Nam, ut ſupra demonſtravimus, *violentia* ex ſuo formali, et eſſentiali conceptu rationi formali injuſtitiæ, imo et injuriæ, ſuperaddit vim, et oppreſſionem, ſeu impetum majoris actionis; eſt enim *vi oppreſſio illata*; et vis ipſa eſt, *Majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*. Hæc autem majoris impetus, ſeu vis, aut oppreſſionis ratio, poteſt quidem in judice injuſte judicante ſeparari, et non reperiri incluſa in ratione injuſtitiæ præciſæ, quamvis notoriæ.

XXXII. Reſpond. 2. diſtinguendo majorem: A judice nulliter, vel non ſervato juris ordine, procedente; tranſeat: à judice valide, licet injuſte procedente; ſubdiſtinguo: injuſte intra terminos injuſtitiæ citra violentiam, nego: ultra terminos injuſtitiæ ad formalem rationem violentiæ introgredientis, vel eam devolventis, iterum ſubdiſtinguo: ſi violentia ſit dubia, aut aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis, nego: ſi ita dubia non ſit, ſed evidens, et ita notoria, ut nullam tergiverſationem, aut diſſimulationem patiatur, nec probabili aliqua opinione fulciatur, concedo.

Solutio patet ex dictis, et illam expreſſe tenent Per. n. cit. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 2. et 3. addentes, in tali caſu non dari adverſus judicem valide, licet injuſte procedentem, interdictum *undevi* citans Gabr. commun. l. 5. de reſt. ſpoliat. concl. 2. n. 123. Menoch. rem. 8. recup. n. 3. Seſſ. et alios inferius citand. quod idem Per. cit. extendit etiam ad vim expulſivam per ſententiam validam, quamvis injuſtam; eo quod talis ſententia mero jure valida foret, et in rem judicatam tranſiret, ex l. *Re judicata*, ff. de reg. jur. c. *Cum inter*, de re judic. ord. reg. l. 3. tt. 73. § 2. ſed de hoc latius infr. c. ſequenti.

XXXIII. Suppoſita tamen illicitudine, ac injuſtitia præfati recurſus ex cap. notoriæ injuſtitiæ citra violentiam notoriam, conſequens eſt indubie, tam recurrentes, quam recurſum admittentes, ac providentes, et omnes alios quoſcunque faventes, aſſentientes, conſulentes, auxiliantes, patrocinantes, &c. et gravem noxam, et juris cenſuras infallibiliter contrahere, juxta tradita ſupra, c. 14. et infra adhuc tradenda, c. 22, 23. et 37. et ſeqq. et omne ſic judicatum, nedum injuſtum, ſed et invalidum, atque nullum evadere, ſecundum dicenda inferius capitibus præcitatis.

XXXIV. Neque ſuffragatur concordia prima, inter regem D. Sancium II. et D. Stephanum Bracharenſem

ſem archiepiſcopum, c. 3. apud Per. de man. reg. in fin. 1. partis, videlicet, quod *ob defectum juſtitiæ judicum eccleſiaſticorum rex faceret juſtitiam fieri.* Reſpondetur enim, 1. Hanc primam concordiam inter præfatos nullius roboris fuiſſe, imo et illicitam fore, præter invalidam, ex defectu confirmationis Apoſtolicæ, et ex notorio defectu juriſdictionis ad illam, tam ex parte prædicti ſereniſſimi regis, quam ex parte præfati archiepiſcopi, imo et totius cleri Luſitani, juxta infra tradenda, c. 22. n. 43.

XXXV. Reſp. 2. cum eodem Per. cit. Satis notum eſſe de jure, quod negligentia judicis eccleſiaſtici non nocet eccleſiæ, neque ſuppleri poteſt à judice laico, ex c. *Qualiter* de judic. c. *Per tuas*, de ſent. excom. auct. *Ut nulli judicum*, § *Et hôc pervenit.* Specul. in tit. de comp. judic. ad § 1. v. 23. Mart. caſ. 146. Oliv. q. 25. n. 26. et q. 15. n. 6. Unde præjacta concordia intelligenda eſt in caſibus, in quibus via recurſus reges cognoſcunt, videlicet, de violentiis, ſeu de injuſtitia violenta notorie; alias irrationabilis, atque adeo nulla foret, et illicita ex hoc novo titulo, præmiſſa concordia, de quo infra, c. 22. n. 6.

CAP. XVIII.

De Illicitudine, vel Licitudine Recurſus à Judice Eccleſiaſtico valide, ſed injuſte notorie procedente.

SUMMARIUM.

I. *Quid aſſerat Pereira de judice valide, ſed injuſte procedente.*
II. *Quid Oliv. ex variis juribus.*
III. *Si injuſtitia judicis pro ſe habeat probabilem opinionem, ſaltem quoad notorietatem, vel conſiſtat intra terminos injuſtitiæ, non patebit aditus recurſui.*
IV. *Quia probabilitas illius opinionis eam celaret, et non perveniret ad terminos formalis violentiæ notoriæ.*
V. *Etiamſi probabilitas opinionum contrariarum verſetur circa validitatem procedimenti judicis, non patebit locus recurſui ex non evidentia violentiæ undiquaque notoriæ.*
VI. *Neque quando validitas proceſſus eſt certa, eſto etiam ſit certa injuſtitia.*
VII. *Eo quod certe probabile ſit, à judice valide, licet injuſte procedente non datur recurſus.*
VIII. *Neque interdictum* undevi.
IX. *Et ſolum datur, quando notorie oppreſſus ex naturali defenſione vim vi repellere poteſt.*
X. *Principes, et miniſtri ſæculares incapaces ſunt cognoſcendi de juſtitia, vel injuſtitia, et de meritis cauſarum eccleſiaſticarum.*
XI. *Non eſt violentum, quod judex, lege permittente, et tanquam ejus miniſter facit.*
XII. *Communiter tenent DD. miniſtros ſæculares non poſſe per viam violentiæ cognoſcere de meritis cauſarum ad forum eccleſiaſticum pertinentium.*
XIII. XIV. *Quod jure non fit, licet injuſte fiat, non tamen injurioſe ſtricte, et quaſi per vim reipſa fit.*
XV. *Si injuſtitia judicis conſiſtat tantum in defectu alicujus ſolemnitatis citra validitatem, et naturalem defenſionem, non dabitur violentia recurſabilis.*
XVI. *Quod Oliv. ampliat etiam ad pronuntiationem ſuper exceptionibus nullitatis.*
XVII. *Pariformiter, ſi injuſtitia proceſſus judicis competentis, et judicialiter procedentis, ſiſtat in defectu dumtaxat litis conteſtationis, vel conſimilis ſolemnitatis judiciariæ.*
XVIII. *Adverſus talem judicem non datur interdictum* undevi, *neque* reſtitutorium, *aut* conſervatorium.
XIX. *Et hæc opinio eſt quæ praxi ſervatur.*
XX. *Qua probabilitate ſuppoſita, ceſſat notorietas violentiæ.*
XXI. *Si notorietas injuſtitiæ conſtet ex actis dumtaxat, non datur locus recurſui.*
XXII. *Non à notoria injuſtitia, ſed à notoria violentia nullam pro ſe probabilem habente opinionem, recurri poteſt.*
XXIII. *Quomodo intelligatur referri ſententiam judicis ad certam actorum partem cum fallentia.*
XXIV. *Etiam in hoc datur probabilis opinio, atque proinde violentia dubia, et non notoria.*
XXV. *Si admitteretur recurſus ex hoc defectu, judices ſæculares cognoſcerent de meritis cauſarum eccleſiaſticarum.*
XXVI. *Sententia excommunicationis, licet injuſta, tenet, et eſt ſemper timenda.*
XXVII. *Sententia injuſta vere ſententia eſt, et in quo differat à juſta.*
XXVIII. *Per ſententiam interlocutoriam validam, licet injuſtam, ſuper exceptionibus, et quæſtionibus ordinem judicii reſpicientibus, non irrogat judex violentiam recurſabilem.*
XXIX. *Tum ex validitate proceſſus, tum ex adſtantia favorabilis opinionis probabilis.*
XXX. *Ampliatur à Per. ad judicem, ſervato juris ordine rejicientem injuſte exceptionem nullitatis primæ ſententiæ objectæ.*
XXXI. *Sententia judicis eccleſiaſtici continens notorium errorem ex ipſa notorie apparentem, et inſuper damnum irreparabile, et judex non admiſſa nullitatis exceptione velit ſententiam exequi; probabiliter violentiam recurſabilem incutit.*
XXXII. *Potiſſima regula dignoſcendi licitudinem recurſus, eſt licitudo reſiſtentiæ judici, ut rivato.*
XXXIII. *Oliv. non ſibimetipſi quoad hoc reipſa eſt contrarius, eſto talis videatur.*
XXXIV. *A ſententia judicis eccleſiaſtici notoria nullitate laborante, ſed judicialiter prolata, probabilius eſt non dari recurſum; præſertim, ſi poſt judicialem rejectionem nullitatis, ſententiam principalem judex exequatur.*
XXXV. *Qua majori probabilitate ſuppoſita, certum omnino eſt, non intercedere violentiam notoriam, quæ fundare poſſit recurſum.*
XXXVI. *In dubiis quæſtionibus pro juriſdictione eccleſiæ judicandum, et eidem etiam contra communem opinionem favendum.*
XXXVII. *Licet juxta aliquos detur interdictum* undevi *adverſus judicem notoria nullitate ex incompetentia, vel ex defectu juriſdictionis procedente; attamen nequit dari recurſus ex violentia notoria, ſemel quod probabilis intercedat opinio.*
XXXVIII. *Violentia probabilis in ſententia continente notorium errorem, et damnum irreparabile, ſtaret in eo, quod judex, non admiſſa nullitatis excuſatione, vel legitima appellatione, ad executionem progederetur.*
XXXIX. *Licet practice probabilior ſit opinio favens reo regulariter, quam actori in judiciis, in quibus agitur via criminali, non vero in extrajudiciali cognitione per viam violentiæ, cum hujuſce notorietas ceſſet interveniente probabili opinione.*
XL. *Regula licitæ reſiſtentiæ judici, ut privato, debet ſemper intelligi ſervato debito moderamine, atque appellatione præmiſſa.*
XLI. *Sententia notorie nulla ex nullitate incompetentiæ, aut incapacitatis, vel ex totali defectu citationis, aut naturalis defenſionis, aperit aditum recurſui.*
XLII. *Si judex eccleſiaſticus ſententiam, etiam juſtam, executioni mandet contra tertium poſſeſſorem non citatum, et non victum, et rejecta ejus exceptione in hoc defectu citationis, et naturalis defenſionis fundata, violentiam facit, et patebit recurſus.*
XLIII. *Limitatur, quando executio fieri poteſt contra tertium poſſeſſorem non defenſum.*
XLIV. *Eo quod in his caſibus judex nedum permittente, ſed et ita diſponente lege procedit*

I. GABR.

I. GABR. Per. de man. reg. cit. c. 4. n. 7. reſolvens, judicem nulliter procedentem, vel defectu juriſdictionis, vel non ſervato juris ordine, violentiam quidem inferre: attamen in tertio caſu, ſi judicialiter, et ſervato juris ordine procedat, injuſte tamen, et contra jus litigatoris, vim non facere, niſi cum manifeſto errore procedat. Unde ſic aſſerit, d. n. 7. in fine: *In tertio autem caſu non competit remedium reſtitutorium, quia cum judex ſervato juris ordine procedit, ſolum reſultat injuſtitia, quæ validitatem actus ſupponit; imo pro judice eſt præſumptio, cap. In præſentia de renuntiatio. Sicut alias non datur contra eum actio, quod metus cauſa, ſi aliquem compellit dare, vel facere, quando rite, et judicialiter procedit, l. 3. § 1. ff. Quod metus cauſ. Idemque recipiendum eſt in vi expulſiva, quia talis ſententia tanquam mero jure valida, in rem judicatam tranſit, l. Re judicata, ff. de regul. jur. cap. Cum inter de re judic. ord. lib. 3. tit. 75. § 2. Niſi alias notoriam involvat nullitatem, cum errore juris expreſſi, cap. Inter cæteras, de re judic. Gabriel ſub tit. de reſt. ſpol. n. 112.*

II. Oliv. tamen cit. q. 16. n. 2. abſolute docet, quod quoties judex injuſte, valide tamen procedit, regula negativa tenenda ſit, quod ſcilicet in his terminis nec violentiam faciat judex, nec detur materia recurrendi ad prædicta tribunalia: et quod non faciat vim, probatur in cap. *Præſentium*, et ibi gloſſ. 7. quæſt. 1. Abb. qui alios citat, dicens, ita communiter teneri in cap. *Conquerente*, n. 7. de reſt. ſpol. aſſerentes contra judicem judicialiter procedentem (quia valide, licet injuſte) non dari interdictum, quia violentiam non facit; licet per hanc viam privet condemnatum à poſſeſſione; plures de more citat, et ſequitur, Gabriel com. opin. lib. 5. tit. de reſtit. ſpol. concluſione 2. n. 123. in 14. limitatione, Menoch. remed. 8. recup. n. 3. ubi etiam plures citat, Seſſe in epiſtola ad regem, n. 89. et deciſ. 114. n. 29. et 25. Caſtr. de man. reg. 1. p. cap. 4. n. 7. Huic etiam ſententiæ adhæret Portug. de donat. p. 2. l. 1. c. 31. n. 67. ubi aſſerit, quod, extra caſus uſurpatæ juriſdictionis, non datur recurſus, quando eccleſiaſticus valide, et ſervato juris ordine procedit, licet ſententiam injuſtam proferat; et citat Oliv. Per. et Seſſ. in ep. ad reg. n. 89. et dec. 114. n. 25. et 29.

Attamen, cum validitas, et injuſtitia judicis valide, licet injuſte procedentis, conſiderari, ac reperiri poſſit vel circa proceſſum, vel circa ſententiam, vel circa ejus executionem; idcirco, claritatis ergo, per ſequentes reſolutiones rem abſolvemus, licet aliqua ex dicendis cum jam traditis fere coincidant.

III. *Dico igitur*, 1. Si injuſtitia judicis (vel ſit in proceſſu, vel in ſententia, vel in ejus executione) pro ſe habeat aliquam probabilem opinionem, quod injuſtitia non ſit, aut ſaltem, quod notoria non ſit; imo quamvis ſit notoria in ratione injuſtitiæ, ſi conſiſtat intra terminos injuſtitiæ præciſe citra violentiam; non patebit aditus recurſui juſto, ac licito, à judice eccleſiaſtico ad ſæculares. Ita DD. præcitati.

IV. Prob. 1. pars; Quia probabilitas illius opinionis celaret, ac tergiverſaret abſolute illius injuſtitiæ notorietatem, illamque dubiam redderet, et plane non recurſabilem, juxta ſuperius dicta c. præcedenti, et c. 12. ac 13.

Prob. 2. pars; Quia ab injuſtitia intra terminos injuſtitiæ, quamvis notoriæ, contenta, et ad terminos formalis violentiæ notoriæ non pervenientis, non patet recurſus ab eccleſiaſtico judice ad ſæculares, cum ſola violentia notoria patens, et evidens, nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis, et quæ inſuper omnem probabilem opinionem ſibi faventem notorie excludat, eſt quæ licite, et valide fundare poſſet præfatum recurſum, juxta præmiſſa d. c. 12, 13. et c. immediate ſuperiori.

V. *Dico*, 2. Etiamſi probabilitas opinionum contrariarum verſetur circa validitatem procedimenti judicis, vel quoad proceſſum, vel quoad ſententiam, vel quoad executionem, ut in opinione utrinque probabili tenente, judicem etiam ordinarium invalide procedere, ac judicare in eadem cauſa, in qua advocatum egerat, de qua ſupr. c. 16. n. 42. et apud Buſemb. l. 4. dub. 2. art. 4. tunc etiam non patebit locus recurſui ad ſæcularia tribunalia: tum quia probabilitas illa dubiam utique redderet, et non notoriam, atque evidentem violentiam, imo et injuſtitiam in eo procedimento accuſatam, aut notatam; tum quia non quælibet violentia aditum præbet recurſui ab eccleſiaſtico judice ad ſæculares; ſed illa dumtaxat, quæ ita patens, evidens, et notoria incedit, ut nulla tergiverſatione, aut *diſſimulatione*, ut ait gl. in cit. c. *de manifeſta*, 2. q. 1. verb. *Tergiverſatione*, celari poſſit, et de qua etiam notorium inſuper ſit, nullam pro ea probabilem adeſſe opinionem, ut tenet Per. cit. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 2. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. et 16. per tot.

VI. *Dico*, 3. Quando validitas quoad proceſſum eſt certa, injuſtitia vero etiam certa, et notoria, tunc itidem à judice eccleſiaſtico taliter procedente non patet locus recurſui, eo quod certum ſit, tunc neque violentiam notoriam inferre, neque recurſabilem. Ita Oliv. cit. et Per. d. c. 4. n. 7. et alii apud ipſos.

VII. Prob. 1. Quia probabile eſt, judicem valide, licet injuſte procedentem, nec violentiam committere, nec anſam præbere recurſui ad ſæcularia tribunalia, ut tenet Oliv. Per. Seſſ. et reliqui citati; atqui probabili, et favorabili intercedente opinione, judex neque vim infert, neque fundat recurſum: ergo.

VIII. Prob. 2. Quia ſi judex valide, et injuſte procedens violentiam committeret, daretur adverſus illum interdictum *Undevi*; atqui adverſus judicem valide et judicialiter procedentem, quamvis notorie injuſte procedat, non datur interdictum *Undevi*, eo quod violentiam non faciat ſecundum jura, et DD. præcitatos: ergo.

IX. Prob. 3. Quia, juxta tradita ſuperius, c. 13. 20. 25. et 30. in tantum recurſus à judice eccleſiaſtico ad tribunalia ſæcularia eſt licitus, in quantum oppreſſus, vi naturalis defenſionis, vim notorie illatam à judice opprimente propria auctoritate repellere poteſt, debito moderamine ſervato; adeoque decentius, et honeſtius ad regiam auctoritatem recurrit, ut manu regia vis illa notoria tollatur, ſecundum muneris ſui notam competentiam: atqui judici valide, et ſervato juris ordine procedenti, pars condemnata, etiam propria poſſeſſione per illius ſententiam privata, propria auctoritate reſiſtere non poteſt; imo ſententia, ſi non appelletur, tranſibit in rem judicatam: ergo neque auctoritate regia per viam recurſus ei etiam poteſt reſiſtere: ergo, &c.

X. Prob. 4. (et hanc etiam efficacem rationem dicit eſſe Oliv. n. 6.) Quia principes ſæculares, eorumque miniſtri, incapaces ſunt, et omnino incompetentes cognoſcendi, et judicandi de juſtitia, vel injuſtitia, meritiſque cauſarum ſpiritualium, ſeu eccleſiaſticarum, et contra eccleſiaſticas perſonas, ut in ſuperioribus quæſtionibus ſatis probatum reliquerat, et in noſtra ſpecie agnoſcunt Covar. practic. quæſt. d. cap. 35. Olyban. *de jure fiſci*, cap. 11. n. 55. cum antecedentibus, et ſequentibus, Seſſe in d. *Epiſtola*, n. 89. cum antecedentibus, Cevall. *de cogn.* per viam viol. gloſſ. 6. n. 60. et gloſſ. 5. clariuſque gloſſ. 1. n. 31. et quæſtione fin. n. 6. cum ſequentibus, Caſtr. d. cap. n. 6. et etiam paſſim in illo tractatu, et apud omnes, qui de his recurſibus egerunt, indubitatum exiſtit.

Atqui, ſi à judice eccleſiaſtico valide, licet injuſte procedente, pateret recurſus ad regios judices ſæculares, hi prorſus cognoſcerent de juſtitia, vel injuſtitia judicis eccleſiaſtici ſuperioris; adeoque invalide, illicite, atque ſacrilege, cum de notoria violentia dumtaxat, extrajudicialiter reſtricte, et per viam facti cognoſcere poſſint: ergo, &c.

XI. Confirmatur, 1. Quia non eſt, neque dicitur violentum, quod judex, permittente lege, et tanquam ejus miniſter facit. Atqui judex valide, et juris ordine ſervato, licet injuſte procedens, permittente et ratificante lege facit; nam jura, ut ait Oliv. n. 4. firmiter ſtatuerunt, ſententiam judicis validam (licet injuſtam, et contra jus litigatoris) tranſire in rem judicatam, et facere jus inter partes, textus in cap. *Inter monaſterium*, de ſent. et re judic. ubi Abb. et omnes in cap. *Cum inter*, eodem tit. et poſt tranſitum in rem judicatam pro veritate haberetur, textus in l. *Res judicata*, 208. ff. de reg. juris, deducta ex l. *Ingenuum*, 25. ad finem, ff. de ſtatu hominum; adeo ut, etiam ſi appareat ex actis injuſta, retractari non poſſit,

etiam prætextu inſtrumentorum de novo repertorum, ut in dicto cap. *Inter monaſterium*, et in l. *Sub prætextu*, l. *Si cauſa cognita*, cod. tranſact. Debet ergo condemnatus appellare, ſi cauſa appellabilis ſit, et adhuc appellationi locus exiſtat; hoc enim remedium à jure conceditur; quo omiſſo, ſtare et obedire ſententiæ præcipitur. Quomodo ergo violentia conſiderari poteſt in ea ſententia, cui adeo jura favent, ut velint ex ea inter partes jus oriri, et retractari non poſſe?

XII. Confirmatur, 2. ex doctrina omnium DD. præcitatorum, et ſignanter Cevall. p. 1. gl. 5. fatentium principes, et miniſtros ſæculares non poſſe per viam violentiæ cognoſcere de meritis cauſarum ad forum eccleſiaſticum pertinentium; ſed tantum quaſi miniſtros legis naturalis, de notoria violentia per viam facti ad eam tollendam: atqui cognoſcerent de meritis cauſæ, ſi ad eos pateret recurſus, nedum de notoria violentia, verum etiam de notoria injuſtitia: ergo.

XIII. Dices pro eodem Cevall. Quod jure non fit, injurioſum eſt, et quaſi per vim factum, ut § 1. inſt. de injur. unde l. *Injuriarum*, 13. § *Labeo*, ff. de injur. in fin. dicitur, quod *Judex aliquando per injuriam ſententiam dicit*. Atqui, ſi ſententia fuerit injurioſa, erit utique violenta, ſeu quaſi per vim prolata: ergo, &c. Reſp. 1. (præterquam quod citata lex non dicat, quod aſſerit Cevall.) quod *quaſi per vim factum videtur*, non eſt reapſe per vim, ſeu violenter factum; modus enim loquendi per ſimilitudines, non proprietatem deſignat, ſed aliqualem paritatem indicat, cum improprie, et abuſive nomenclatura in eo uſurpetur.

XIV. Reſp. 2. negando min. Nam, ut ſuperius oſtendimus c. præcedenti, poteſt dari injuria, quæ violentia non ſit, eo quod ſiſtat intra terminos præciſos injuriæ citra violentiam, eo quod injuria de ſuo formali conceptu dicat dumtaxat *alterius juris læſionem*. Violentia autem rationi injuriæ vim ſuperaddat, utpote *vi oppreſſio illata*: unde judex, licet injuſte, valide tamen, et competenter, et ſervato juris ordine procedens, quamvis non jure, imo contra jus faceret, ut probatur d. § 1. de injur. ub. gl. et DD. attamen certum eſt (proſequitur Oliv. n. 7.) vim, vel violentiam non facere, ut poſſit ei reſiſti, et ad tribunalia ſæcularia recurri, ſecundum omnes; certum etiam eſt de hac injuria, quæ ad merita cauſæ pertinet eccleſiaſticæ, ſeu contra eccleſiaſticos, non poſſe principem, ſeu ejus miniſtros, tanquam incapaces, ſeu incompetentes, cognoſcere, ut prædiximus.

XV. *Dico*, 4. Si injuſtitia in proceſſu tantum conſiſtat in defectu aliquorum, quæ de ſolemnitate dumtaxat, non de validitate requiruntur; et ſeſe non extendat ad denegationem naturalis defenſionis, vel illorum requiſitorum, quæ neceſſario eam defenſionem includunt, et ad eam eſſentialiter pertinent; etiam judex ille taliter procedens, eſto committeret injuſtitiam, et etiam injuriam fortaſſis, non tamen violentiam, et multo minus recurſabilem. Probatur eiſdem fundamentis, et ex eo, quod ſola violentia notoria, ita patens, et evidens, ut nullatenus celabilis, atque tergiverſabilis ſit, et nullius probabilis opinionis patrocinio ſuffragetur, eſt quæ poteſt fundare recurſum ab eccleſiaſtico judice ad ſæcularia tribunalia.

XVI. Hanc autem reſolutionem ampliat Oliv. cit. n. 11. ut procedat etiam in pronuntiatione ſuper *exemptionibus nullitatis*; tum quia deficit aliqua ſolemnitas; vel quia opponitur fuiſſe latam ſententiam ex falſis probationibus, vel falſis inſtrumentis, vel aliis ſimilibus, ut per Caſtr. dicto n. 26. Neque contrarium dicit Cevall. de cogn. per viam viol. quæſt. 126. ubi tantum concludere videtur, quod, in his terminis, tunc tantum datur recurſus ad tribunalia regia, quoties judex eccleſiaſticus pronuntiat, non recipiendo, et appellatione remota, ſeu non recepta, ſententiam exequitur; quod ex ratione prædicta procedit, quia judex eccleſiaſticus exceptiones non recipiendo, licet injuſte faciat, valida tamen eſt ejus pronuntiatio: ac per conſequens non poteſt cenſeri, ut privatus, neque ei reſiſti poteſt, cum vim non faciat talem, ex qua dari recurſus per viam violentiæ poſſit; ſed neceſſaria erit appellatio ad legitimum ſuperiorem: neque de juſtitia pronuntiationis ſuper exceptione judex ſæcularis cognoſcere poteſt ex ratione præcedentis ampliationis.

XVII. *Dico*, 5. Si injuſtitia proceſſus judicis, alias competentis, et judicialiter quidem procedentis, ſiſtat in defectu dumtaxat litis conteſtationis, vel ſimilis ſolemnitatis judiciariæ, probabile eſt tunc etiam judicem vim non facere; ac per conſequens, illa probabilitate ſuppoſita, certum omnino eſt à tali judice non poſſe, prætextu notoriæ violentiæ, ad ſæcularia tribunalia recurri. Ita DD. infra citati.

Prob. 1. pars: Quia, non obſtante, quod c. 1. et ib. gl. de lit. conteſt. verb. *Irritum*, et c. *Dudum*, 2. de elect. dicatur, proceſſum abſque illa irritum reddi; de quo etiam Fagn. in c. *Olim*, eod. tit. n. 10. attamen Cravet. conſ. 302. n. 4. Oliv. d. q. 16. n. 22. cum Menoch. rem. 8. n. 20. Seſſ. in ep. ad reg. n. 89. et dec. 114. n. 23. defendunt, judicem competentem, præjactis terminis procedentem, vim non facere, nec ei poſſe reſiſti, eo quod, non ut privatus, ſed ut judex procedat.

XVIII. Proindeque adverſus illum non datur remedium interdicti *Undevi*, neque etiam *interdicti reſtitutorii*, aut *conſervatorii*, ſi partem à poſſeſſione privet. Et addunt, hanc etiam reſolutionem eſſe de mente Abb. in c. *Conquerente*, de offic. jud. ord. n. 8. et ibid. Bero. n. 9. et optime Menoch. ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpondent.

XIX. Imo ſuperaddit Oliv. cit. n. 22. *Ego hanc ſequor, quam puto receptam in praxi, quia non vidi unquam in praxi dari hæc interdicta contra judices competentes, et (audita parte) judicialiter procedentes, ex capite nullitatis, quæ aliunde proveniret: hocque regimini reipublicæ maxime convenit; tum quia aliter intolerabile judicibus onus videtur; tum quia lites multiplicabuntur, quod bonum regimen abhorret, ut jura vulgaria clamant: ac per conſequens dari non debet etiam recurſus contra judicem eccleſiaſticum ad regia tribunalia in his terminis, ex capite ſcilicet, quia exequitur ſententiam nullam ex defectu alicujus ſolemnitatis, ordinem judiciarium reſpicientis.*

Et n. 24. confirmat hanc opinionem ex praxi in his regnis obſervata ad finiendas lites, ſecundum quam exceptiones nullitatis regulariter in civilibus non recipiuntur, niſi allegata inſimul probabili injuſtitia; non ſine effectu juſtitiæ, quam ſaluberrimam aſſerit Gam. deciſione 237. Valaſcus de partit. cap. 39. n. 27. et de jure Emph. quæſt. 6. n. 14. prout in aliis regnis obſervari aſſerit Miſing. cent. 1. deciſ. 27. et cent. 4. deciſ. 26. de hac etiam Gail. lib. 1. obſervat. 42. n. 1.

XX. Et hujuſce opinionis, probabilitate ſuppoſita, probatur facile 2. pars: Quia ſola violentia ita notoria, patens, et evidens, et nulla probabili tergiverſatione, aut diſſimulatione celari, aut prætextari valeat, et cui nulla probabilis opinio ſuffragetur, eſt quæ poteſt fundare recurſum ab eccleſiaſtico judice ad ſæculares: atqui inpræſentiarum datur opinio probabilis, prætextans, ac celans violentiam illam, ita ut ſaltem dubia, et non notoria reddatur, et à qualitate violentiæ notoriæ penitus, vel ſaltem probabiliter exuens: ergo, &c.

XXI. *Dico*, 6. Ex parte ſententiæ, ſi notorietas injuſtitiæ illius ex actis dumtaxat conſtet, et judex ſe non refert, et fundat expreſſe in certa parte actorum, à qua contrarium evincitur, nec violentiam judex ipſe taliter judicando committit, nec datur locus recurſui ad tribunalia ſæcularia. Ita Oliv. cit. q. 16. n. 12. cum Seſſ. in ep. ad reg. n. 91. citans etiam Innoc. Butr. Abb. Imol. et Felin. in c. *Quoniam contra* de probat. et in c. *Inter cæter.* de re judic. ubi etiam Afflict. dec. 29. et 47. plures citans; et ſequitur etiam Gabr. commun. l. 12. de ſent. concl. 10. n. 6. et 7.

XXII. Prob. 1. pars: Quia ſententia, cujus injuſtitia ex actis conſtat, regulariter eſt valida, et, ſi ab ea non appelletur, in rem judicatam tranſit, ut eſt commune apud citatos DD. et apud reliquos. Prob. 2. pars, 1. Quia in hac re intervenit opinio probabilis, quæ certe recurſus materiam tollat, et illius aditum prorſus, et abſque dubio impedit. 2. Quia non à notoria injuſtitia, ſed à notoria violentia dumtaxat, quæ nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis ſit, poteſt patere recurſus ad ſæculares judices. Probabilitas autem præſentis opinionis violentiam illam, ſi forte aliqua daretur, omnino celaret, palliaret, atque prætextaret,

textaret, et indubiam redderet, et irrecurſabilem, eo quod, probabilitate illa intercedente, jam non undiquaque notoria remaneret, ſed dubia: ergo, &c.

XXIII. Notat tamen Oliv. ib. n. 14. quod non dicitur referri ad certam actorum partem, pro fundamento ſententiæ per clauſulam generalem, et verba enuntiativa, viſis actis, oſtenditur tale, vel tales, ut fieri ſolet, ut per Felin. in dicto capit. *Quoniam*, contra Bald. in l. ſecunda, cod. de re jud. Jaſ. in l. *Præſes provinciæ*, 27. verſic. *Adde etiam*, ff. de re judic. communem aſſerit Afflict. dicta deciſ. 47. n. 4. alios citat, et ſequitur Gabriel ubi proxime, n. 14.

Et ſubſequenti n. 15. ampliat idem Oliv. eandem reſolutionem etiam ad caſum, quo judex ſe refert ad certam partem actorum, pro fundamento ſententiæ, ex qua non conſtat aſſertio ejus; veluti ſi dicat, quia probatur per tales teſtes, Titium, ſcilicet, et Sempronium, vel teſtes folio tali; et teſtes nihil de illo loquantur; vel, ſi loquuntur, dicunt contrarium: dubium non minimum eſt, utrum valeat ſententia, quia pro utraque parte, affirmativa ſcilicet, et negativa, jura allegantur, et pro utraque multi, et graves ſunt doctores, magnuſque opinionum afflictus, ut per Innoc. Butr. Imol. Abb. Felin. Decium, in d. cap. *Quoniam contra*, et in dicto cap. *Inter cæteras*; et conſtat ex eis, quos citat in utramque partem Gabriel dicta concl. 10. per tot. et licet affirmativa verior, et communior videatur, non poſſumus negare rem eſſe incertam, et dubium pati.

XXIV. Ergo etiam, ſi judicis eccleſiaſtici ſententia fuerit notorie injuſta, ex ea notorietate tantum, quæ ex actis conſtat; licet judex ad ea acta ſe referrat, ſi tempore debito appellatum non fuerit, etiamſi executioni detur, non dabitur locus recurſui ad tribunalia regia, per viam violentiæ, cum dari non poſſit, quoties ſententia valida eſt, et judex competenter, et obſervato ordine judiciario, ut ſupra reſolvimus: nec etiam dari poſſit, quando certum non eſt, vel eſt dubium, utrum ſententia ſit nulla, an valida, ut in caſu proximo. Hæc Oliv.

XXV. Prob. 3. eadem 2. pars, et confirmatur eadem reſolutio, ex eod. Oliv. ibid. n. 17. Quia (ſi daretur recurſus ad tribunalia regia prætextu violentiæ ortæ ex ſententia notorie injuſta, ex ea notorietate, quæ ex actis colligitur, ut prædiximus) judices ſæculares de meritis, et juſtitia cauſæ ſpiritualis, ſeu alias eccleſiaſticæ, cognoſcerent, ad eam notorie injuſtam declarandam, ſeu eam revocandam, quia non datur illud remedium, nec alius finis: at certiſſimum eſt, etiam in recurſu per viam violentiæ, judices ſæculares non poſſe cognoſcere de meritis cauſæ ad aliquid pronuntiandum, tanquam incapaces; imo ſemper, et omni caſu, judici eccleſiaſtico relinquere debere, ut omnes DD. etiam qui magis favent principibus ſæcularibus, uno ore non ſolum fatentur, ſed docent, Afflict. deciſ. 24. n. 6. Covar. d. cap. 35. n. 3. verſic. Nec regii conſiliarii: Olyban. de jure fiſci, cap. 11. n. 55. Seſſe d. n. 89. Cevall. de cogn. per viam violentiæ, gloſſ. 6. n. 61. verſic. Nec obſtat 7. diffic. et in verſic. ſequenti, et quæſt. ult. paſſimque in eod. tract. Caſtr. de man. reg. part. 1. c. 4. n. 6. et paſſim alibi eodem tract.

XXVI. Dices pro Cevall. de viol. in prolog. n. 143. ſecundum aliquorum theologorum placitum, *Sententia injuſta, ſententia non eſt.* Atqui ſententiæ notorie nullæ poteſt pars condemnata reſiſtere, et a judice eam exequente poteſt ad regia tribunalia juſte recurrere: ergo etiam ab executione ſententiæ notorie injuſtæ. Reſp. negando abſolute majorem; tum quia ſententia excommunicationis, licet injuſta, tenet, ut conſtat ex vulgari axiomate deducto ex c. 1. *Sententia paſtoris*, 11. q. 3. c. *Non ſolum*, ibid. c. *Poſſeſſionem*, de probat. ubi gl. verb. *Litteras*, et ex aliis juribus: *Cenſuræ, ſive juſtæ, ſive injuſtæ, ſemper ſunt timendæ:* et ex Bajard. ad clar. 2. p. q. 78. n. 38. ibi: *Sententia excommunicationis tenet, ſive lata fuerit ex falſa cauſa, ſive ex non legitima, et etiam mala intentione, vel ex invidia, dummodo poteſtas fuerit in excommunicatione:* tum quia aſſumptum falſum eſt, et contra expreſſa jura præcitata, ut aſſerit Oliv. n. 8.

XXVII. Nam ſententia injuſta vera ſententia eſt, et in hoc differt à nulla, et executioni mandari debet, niſi per modum legitimum retractetur, ut prædixerat; aliter enim omnes cauſæ eccleſiaſticæ ad tribunalia ſæcularia deferrentur, quod eſt abſurdum; et quod in his terminis non poſſit exequenti judici reſiſti, prob. in cap. *Paſtoralis*, 28. § *Quia vero* de officio deleg. ubi gloſſa verbo, *Et ſi ſciat*, verſic. item not. Innoc. Butr. Abbas, Felin. et alii omnes, et in cap. *Si quando*, ubi late Felin. eod. tit. docentes, ſententiæ injuſtæ, ſed validæ parendum, ſi ab ea non fuerit appellatum, ſeu in rem judicatam tranſierit: quia licet judex injuſte judicet, ſi tamen ſententia eſt in caſu executionis, jam juſte judex facit eam executioni mandans, quia id, jure permittente, ſeu præcipiente, facit, ut detur litium finis, juxta vulgarem regulam textus in cap. *Finem litibus*, de dolo, et contumacia; ac per conſequens ei non reſiſti, ſed obediri debet, ut aſſerit prædicta gloſſa, et DD. Condemnatus ergo per ſententiam injuſtam validam, debet appellare, ſi cauſa, vel inſtantia appellabilis fuerit; aliter enim obedire debet, juxta prædicta: cum ergo pars reſiſtere non potuerit, nec ad principem per viam violentiæ recurri poterit, ut in quæſt. præcedenti diximus: ſin autem judex eccleſiaſticus noluerit appellationem recipere in caſu, in quo recipi debuerit, eaque pendente, ſententiam excommunicationis mandaverit, vim fieri, et dari recurſum ad tribunalia ſæcularia, leges regiæ Hiſpaniæ, et Luſitaniæ aſſerunt, doctoreſque moderni ſupra citati defendunt, de quo inferius.

XXVIII. *Dico*, 7. Si judex eccleſiaſticus per ſententiam interlocutoriam validam, licet notorie injuſtam, exceptiones dilatorias, vel peremptorias, vel ſuper quæſtionibus ordinem judicii reſpicientibus injuſte rejiciens, nec notoriam violentiam irrogabit, nec licito recurſui occaſionem præbebit. Ita Oliv. cit. q. 16. n. 10. Cevall. de viol. q. 126. Per. de man. reg. c. 3. n. 25. et 26. et alii apud eund. Oliv.

XXIX. Prob. 1. Quia tunc etiam judex, quamvis injuſte, valide tamen pronuntiat. Et adeſt probabilis opinio, judicem eccleſiaſticum valide, licet injuſte pronuntiantem, nec violentiam facere, nec recurſui locum præbere. 2. Quia ea validitate, ac probabilitate intercedente, non datur violentia notoria, patens, et evidens, ſed ad ſummum dubia, et incerta, adeoque incapax recurſum ad regem fundandi. Unde concludit Oliv. ibid. n. 10. *Licet judices eccleſiaſtici exceptionem injuſte rejiciant, vel alias injuſte pronuntient, neceſſaria erit appellatio, ut gravamen reparari poſſit; nam ad tribunalia regia non patebit recurſus, ut poſt longam diſputationem concludit Caſtr. cap. 9. n. 25. cum ſequenti, quia violentia non datur, ſed tantum injuſtitia per modum, et ordinem juris, de qua judex ſæcularis cognoſcere non poteſt, vel judicare: nam ſicut incompetens eſt ad cognoſcendum de cauſa eccleſiaſtica principali; ſic etiam de quocunque ejus incidenti, et præparatorio, in ordine ad eandem cauſam, gloſſa verbo Forma juris, in cap. Legitima de appell. lib. 6. recepta, ut ſupra notavimus, quæſt. 5. ampliatione 8.*

XXX. Hanc reſolutionem ampliat etiam Per. de man. reg. cit. c. 9. n. 25. et 26. ad caſum, quo judex eccleſiaſticus, ſervato juris ordine procedens, rejicit injuſte exceptionem nullitatis primæ ſententiæ oppoſitæ, inquiens: *Primo caſu oppoſita nullitate, ſi talis exceptio repellatur, regulariter nullo modo ad regem patet recurſus, cum appellari poſſit ad ſuperiores eccleſiaſticos, qui reponere poſſunt via appellationis gravamen, vel in gradu appellationis de nullitate cognoſcere, leg. Camelia, ff. de jure patron. Dixi regulariter, quia recurſus competit uni ex quatuor caſibus ſupra enarratis. Primo, ex violentia illata, quæ nullo modo conſiderari poteſt in hac cognitione, cum judex cognoſcendo nullam vim inferat. Secundo, ex oppreſſione notoria, quæ non datur, quia vel arguatur incompetentia judicii, vel defectus juriſdictionis, cum hæc duo verſentur reſpectu alterius judicis eccleſiaſtici, non eſt cur princeps ſe intromittat, cum eo caſu partes ſuperiorem eccleſiaſticum adire poſſint. Tertio, ex capite juris naturalis non ſervati ſolum competere poteſt recurſus, ob defectum citationis, cujus omiſſio jus naturale lædit, quia in ea includitur legitima defenſio, maxima in prima citatione ad cauſam, vel ſi judex ſuſpectus, et pro tali judicatus, cognoverit.*

XXXI.

XXXI. *Dico*, 8. Si ſententia judicis eccleſiaſtici, alias competentis, continuerit expreſſum, ac notorium errorem, ex ipſo tenore ſententiæ notorie apparentis, et etiam irreparabile damnum continuerit, et judex eam velit executioni mandare, non admiſſa hujuſce nullitatis exceptione; violentiam probabiliter incutiet, et dabit locum recurrendi ad regia tribunalia. Ita Oliv. d. q. 16. n. 18. et 19. et iterum n. 25. Per. de man. reg. c. 9. n. 18. et reliqui DD. infra citati. Dixi *probabiliter*; contrarium namque etiam eſt probabile, et forſan practice probabilius, de quo reſolut. ſequenti.

Probatur, 1. præcedens reſolutio; Quia ſententia illa expreſſum talem continens errorem, nulla quidem eſt manifeſte, ex tex. in l. 2. cod. *Quando provoc. non eſt neceſſ.* ub. gl. Bart. et alii. Deinde judex injuſte non admittens exceptionem nullitatis oppoſitæ ſententiæ, damnum irreparabile continentis, vim facit, et ei, ut privato, reſiſti poteſt, ut per DD. in c. *Siquando*, de offic. delegat. ub. Felin. n. 2. et Abb. n. 3. aſſerentes, omnes hanc amplecti; Rip. in l. *Naturaliter*, § *Nihil*, n. 73. ff. de acquir. poſſ. Gabriel commun. l. 4. de reſt. ſpol. n. 129. plures alios laudans. Cevall. de viol. plures etiam citans, q. 126. n. 14. Nam licet exceptio nullitatis (addit Oliv. cit. n. 25.) regulariter non impediat executionem, ſi tamen executio contineat damnum irreparabile, eam impedit, ut Bart. in l. un. cod. in integr. reſt. poſtulat. Alex. conſ. 17. n. 4. lib. 1. Jaſ. in l. 3. § *Si ſerv.* n. 9. ff. de acquir. poſſeſſ.

XXXII. Prob. 2. Quia potiſſima regula cognoſcendi licitudinem, et competentiam recurſus à judice eccleſiaſtico ad regia tribunalia, hæc eſt: quoties pars judici ipſi, ut privato, reſiſtere valet ex vi naturalis defenſionis; et quoties adverſum ipſum judicem in favorem partis datur interdictum *Undevi*, vel etiam interdictum *reſtitutorium*, aut *conſervatorium*. Atqui in caſibus ſententiæ notorie nullæ, et notorie injuſtæ, expreſſum errorem, atque irreparabile damnum continentis, adverſus judicem, nullitatis exceptiones, aut impedimenta non recipientem, et ſententiam executioni mandantem, datur interdictum *Undevi*, et reliqua; ut tenent communiter DD. Ad l. 2. ff. de vi, et vi armat. et reliqui apud Oliv. cit. Imo judici ipſi, ut privato, poteſt reſiſti, ut aſſerunt Seſſ. dec. 114. n. 10. Oliv. cit. n. 18. et 19. cum reliquis DD. ſuperius, et apud ipſum laudatis: ergo, &c.

XXXIII. Hic animadverte, quod quamvis Oliv. ſibimet contrarius videatur, quatenus cit. n. 25. ibid. ſic aſſerit: *Ex qua reſolutione ſequitur, quod ſi judices eccleſiaſtici exceptiones prædictas nullitatis non recipiant; non poterit excipiens ad regem recurrere; tum ex prædicta ratione ratione; tum quia, ſi ipſe competens eſt, rejectio, ſeu repulſio exceptionis ad injuſtitiam pertinet, ut ſupra notavimus in primo membro, ampliatione 2. et aſſerit Caſtr. de man. reg. part. 1. cap. 9. n. 26. de qua in cauſa eccleſiaſtica ſæcularis, etiam per hanc viam, cognoſcere non poteſt, niſi appellatio interpoſita non recipiatur, de quo inferius:* attamen per hoc ſibimet non conſtans ibidem, neque quoad aſſerta præcedenti n. 24. et 23. reputandus eſt: nam quando negat, patere recurſum ad regios judices ab eccleſiaſtico competente, nullitatis exceptionem injuſte rejiciente, loquitur in terminis regiæ ordin. l. 3. tit. 63. de nullitatibus nudis, abſque notorietate injuſtitiæ, et circumſtantiæ irreparabilis damni allegati, ut viſitur ex ſummario, cit. n. 24. ibi: *Nullitatem allegans nudam, ſine allegatione, et juſtificatione injuſtitiæ, non auditur:* et dum aſſerit cum communi opinione, cit. n. 25. patere locum recurſui à judice eccleſiaſtico exceptionem nullitatis injuſte rejiciente, loquitur *de nullitatis claræ, et patentis, et inſimul de injuſtitiæ notoriæ, atque damni irreparabilis, in executione contenti, exceptione*; ut ex ipſius formalibus verbis aperte conſtat.

XXXIV. *Dico*, 9. Quando ſententia à judice eccleſiaſtico eſt judicialiter prolata, et notoria nullitate laborat, non datur recurſus ad ſæcularia tribunalia, ſi judex eam exequitur. Ita expreſſe, et formaliter, Portug. de donat. p. 2. l. 1. c. 31. n. 68. ubi palam dicit, *Hanc ſententiam veriorem videri, ex his, quæ Menoch. de recup. rem. 8. n. 20. cum ſeqq. Seſſ. in ep. ad reg. n. 89. et dec. 114. n. 23. et ſeqq. Oliv. d. q. 16. n. 23. et 24.* Et nos nedum veriorem, et practice probabiliorem, ſed certam, et certiſſimam reputamus; præſertim ſi judex eccleſiaſticus recipiens exceptionem nullitatis, poſt iſtius judicialem rejectionem, principalem ſententiam exequatur. Et ſic conciliari videntur DD. contrariam ſententiam tenentes, videlicet Decius, Boer. Menoch. Per. et Oliv. ab ipſo Portug. citati, cum quibus et nos ſupra reſol. 8. n. 31.

XXXV. Prob. 1. efficaciter hæc ſententia; Quia, ſuppoſita probabilitate, imo majori, et veriori probabilitate hujuſce ſententiæ, violentia non eſt notoria, ſed dubia; imo ſententia hæc minus dubia remanet, et magis accedens ad veritatem in ea parte, in qua probabilior apparet, juxta ſuperius ſtatuta, cap. 15. et cap. 16. Atqui minime patere poteſt recurſus à violentia dubia, et non omnino certa, evidenti, et notoria, pro qua nulla probabilis opinio adſit, ut palam tenet Per. cit. cap. 4. n. fin. et cap. 7. n. 2. et reliqui DD. communiter, de quibus ſupr. cap. 14, 15. et 16: ergo.

XXXVI. Prob. 2. Quia, ut tenet cum Felin. Hoſt. et Joan. Andr. Oliv. q. 12. n. 39. Marth. de juriſd. cap. 6. p. 2. n. 6. et p. 4. caſ. 164. et Cevall. de viol. in prologo, n. 216. ibi: *In dubiis quæſtionibus pro juriſdictione eccleſiaſtica eſt judicandum propter ſuæ poteſtatis excellentiam, et morigerum obſequium, quod S. Sedi, et communi Patri tenemur exolvere*, &c. Imo ampliat Marth. cit. *Quod etiam contra communem, opinio favens eccleſiaſticæ juriſdictioni tenenda eſt.* Ergo, ſuppoſita illius opinionis probabilitate, et violentiæ dubietate, practice pro juriſdictione eccleſiaſtica deferendum eſt.

XXXVII. Confirmatur; Quia, licet detur ſpolium, et interdictum *Undevi*, adverſus judicem notorie nulliter procedentem, de quo Menoch. cit. rem. 8. n. 20. attamen, probabili intercedente opinione, nequit dari recurſus adverſus judicem eccleſiaſticum; tum quia tunc violentia non remanet notoria, in qua notorietate recurſus fundatur; tum quia practice deferendum eſt opinioni eccleſiaſticæ juriſdictioni magis faventi. Unde idem Menoch. ibi: n. 18. *Hanc declarationem intelligunt Dec. et Cravet. cum de incompetentia, et juriſdictionis defectu, clare apparet; ſecus, ſi de ea non conſtaret: nam tunc judex potius errore, quam culpa lapſus dicitur, quare injuriam intuliſſe non cenſetur, ut probat ſecundum eos* tex. in cap. *Præſentium*, 7. q. 1. &c. Deinde aliud eſt, ſententiam judicis eſſe notorie nullam, aliud notorie patere recurſum à judice competente judicialiter, ſed nulliter procedente. Hoc namque nequit eſſe notorium, ſemel quod in contrarium probabilis adſit opinio.

XXXVIII. Dices, 1. Per nos ſuperiori reſolutione 8. n. 31. probabile eſt à ſententia continente notorium errorem, ex actis apparentem, poſſe intentari recurſum: ergo multo melius à ſententia notorie nulla. Reſp. diſtinguendo antecedens: à ſententia continente damnum irreparabile, et in qua judex, exceptione nullitatis non admiſſa, ad executionem procedit, concedo; à ſententia non continente irreparabile damnum, et in qua judex exceptionem nullitatis admiſit, et poſt eam judicatam, ad executionem procedit, ſubdiſtinguo: ſi reus legitime appellet, et judex eccleſiaſticus vel non recipiat appellationem, vel, ea pendente, procedat, concedo: ſi reus non appellet, nego. Sed de hoc infra, c. 25. uſque 28. Unde violentia ſtaret in eo, quod judex, non admiſſa juſta nullitatis exceptione, vel legitima appellatione, ad executionem progrederetur; non vero, quod poſt utramque judicatam, vel deciſam, ſententiam exequeretur.

XXXIX. Sed inſtas: Practice probabilior eſt ſententia, et opinio favens potius reo, quam actori, de quo ſupr. c. 15. n. 26. et c. 16. atqui damnatum eſt ab Innoc. XI. prop. 2. *Poſſe judicem licite ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori:* ergo. Reſp. 1. revibrando argumentum: Practice probabilior eſt ſententia negans, à ſententia judicialiter ab eccleſiaſtico prolata, et notoria nullitate laborante, poſſe ad ſæculare judicium patere recurſum; tum quia id aſſeverat Portug. cit. et reliqui DD. hanc ſententiam tenentes, eamque veriorem incedere ſuperaddentes; tum quia favora-

favorabilior eſt eccleſiaſticæ juriſdictioni, atque adeo affirmativæ præferenda eſt practice; atqui judex judicare tenetur ſecundum opinionem practice probabiliorem: ergo regii judices in caſu præmiſſo nec recurſum admittere, nec ei licite poſſunt providere.

Reſp. 2. directe ad argumentum, diſtinguendo majorem: In judiciis ordinariis, vel extraordinariis, in quibus non agitur de violentia notoria, concedo; in extrajudiciali procedimento recurſus, in quo cognoſcitur de notorietate violentiæ, nego duplex ſuppoſitum implicitum; videlicet, primum, Quod probabilior, ſaltem practice, ſit ſententia affirmans, in præfato caſu poſſe intentari recurſum: cum ſententiam negativam probabiliorem, ac veriorem incedere, jam demonſtratum ſit. Secundum, Quod ſemel, quod detur opinio probabilis in contrarium, poſſet dari locus recurſui; cum enim recurſus fundamentum ſit notorietas violentiæ, et opinio etiam minus probabilis (multo magis probabilior) eam utique dubiam reddat, et non notoriam, idcirco intercedente opinione probabili, nequit in hoc extrajudiciali judicio patere locus recurſui: quicquid ſit in aliis judiciis, in quibus neque agitur, neque cognoſcitur de notorietate violentiæ, ſed de meliori merito, neque de bono, et æquo judicatur.

XL. Dices, 2. Potiſſima ratio dignoſcendi caſus recurſus, hæc eſt, juxta dicta ſuperius, c. 13. et n. 32. hoc eod. c. quando pars in illis poteſt judici reſiſtere, et propria auctoritate ſibi providere: ergo. Reſp. Cum moderamine inculpatæ tutelæ, concedo; abſque illo, nego. Deinde diſtinguo minorem, ſi legitime appellet, et non admiſſa, vel pendente appellatione, judex procedat ad executionem, concedo; ſi non appellet, nego. Nam appellationis interpoſitio pertinet ad rationem moderaminis tutelæ inculpatæ, ut docent Soar. Gran. et alii apud Oliv. q. 15. unde reus, etiam poſt exceptionis nullitatis deciſionem, debet appellare, ut impediat ſententiæ executionem; quod ſi non appellet, ſibi imputetur; neque debet ſuccurri per remedium recurſus, tum quia remedium eſt ſubſidiarium, et extraordinarium, et nequit intentari, niſi ordinariis exhauſtis, qualis eſt appellatio; tum quia practice tenenda eſt opinio eccleſiaſticæ juriſdictioni favorabilior, qualis eſt negativa inpræſentiarum; tum etiam ex dicendis ex profeſſo infr. c. 25. uſque 28.

XLI. *Dico*, 10. Si ſententia judicis eccleſiaſtici notorie nulla, et invalida fuerit ex notorietate ejus incompetentiæ, vel etiam incapacitatis, aut ex notorietate defectus citationis, et defenſionis naturalis, tunc etiam vim inferret, et dabitur locus recurſui ad ſæculare tribunal. Ita Per. de man. reg. cit. c. 9. Oliv. cit. q. 16. et reliqui DD. præcitati. Prob. 1. Quia etiam in his terminis præfato judici impune quit reſiſti, etiam quoad primam citationem. 2. Quia adverſus eum dabuntur interdicta præmiſſa. Sed de hoc inferius, c. 30. et 31. cum de licitudine recurſus ex non ſervato juris ordine ſermo inſtituetur.

XLII. *Dico*, 11. Ex parte executionis, ſi judex eccleſiaſticus ſententiam, etiam juſtam, contra tertium poſſeſſorem non citatum, et non convictum, executioni mandaverit, rejecta ejus exceptione in hoc defectu citationis, et propriæ defenſionis fundata, violentiam faciet, et patebit aditus recurſui. Ita Oliv. cit. q. 16. n. 30. Per. de man. reg. c. 22. n. 8. Cevall. de viol. q. 16. per tot. et alii communiter. Prob. Quia etiam tali judici poteſt ut privato reſiſti, et adverſus illum datur interdictum *reſtitutorium. Et certum eſt*, addit Oliv. cit. n. 31. *tertium rei poſſeſſorem, ſe opponentem executioni ſententiæ, eam impedire, ut DD. dicunt ex textu in cap. Cum ſemper de re jud. et in l. A Divo Pio, § Si ſuper rebus, eod. tit. et poſt ordinarios ibi, Covar. pract. quæſt. c. 16. n. 3. verſic. Tertia ſolet tradi ſpecies, Boer. deciſ. 225. n. 6. Duenas regula 274. limitatione ult. Val. tom. 1. conſult. 55. n. 1. Cevall. de cog. per viam viol. quæſt. 16. per tot. pro qua ſententia praxi recepta facit lex regia, lib. 3. tit. 86. § 17. et pluries judicatum eſt in ſupremo ſenatu, ut per Phœb. areſt. 25. p. 1. et areſt. 1. et 40. et 57. p. 2. ubi aſſerit, in praxi obſervari, quod impediat tantum, ſi intra triduum probetur, ad evitandas fraudes.*

XLIII. Hanc tamen reſolutionem reſtringit ibidem præfatus Oliv. n. 32. ut non procedat in iis caſibus, in quibus executio fieri poteſt contra tertium poſſeſſorem non defenſum: nullam enim vim facit judex, quoties id facit, quod leges ſtatuunt, et tanquam earum executor. Exemplum poni poteſt in tertio poſſeſſore, in quem tranſlata eſt, ſeu alienata res litigioſa: nam ſententia lata contra reum, qui alienavit, executioni mandatur in eadem re contra hunc tertium, per Xuar. in repet. l. *Poſt rem judicatam*, ampliatione 8. Covar. pract. quæſt. cap. 15. n. 7. ubi alios citat, Par. Lador. lib. 2. *Rerum quotidian.* 4. p. cap. fin. § 6. n. 19. Gutier. in repet. l. Nemo poteſt, n. 25. ff. legat. 1. Menoch. conſilio 319. n. 11. Surd. conſilio 334. n. 13. Lancelot. *de attentis lite pendente*, in præfatione cap. 4. n. 531. Cevall. *de cogn. per viam viol.* 2. p. quæſt. 16. n. 4. cum ſequentibus, et in tract. commun. contra communes, lib. 1. quæſt. 36. in fin. eſtque communis, et recepta traditio, habemuſque pro ea legem regiam, lib. 4. tit. 10. § 9. et ſic in aliis caſibus, in quibus fieri poteſt executio contra tertium, de quorum aliquibus facit mentionem Cov. dicto cap. 15. et 16. Cevall. d. quæſt. 16.

XLIV. Præcipua ratio eſt, quia in illis caſibus judex, nedum permittente lege, verum et ita diſponente, atque ordinante procedit; proindeque nedum citra violentiam, quinimo et citra injuriam, atque injuſtitiam, juſte, ac licite procedit. Sed de hoc, et de reliquis huc ſpectantibus, latius agetur, infr. c. 24. et ſeqq.

CAP. XIX.

An Licitudo Recurſus ex Capite Notoriæ Violentiæ, expreſſe, vel ſaltem implicite de Jure Canonico probetur, aut deducatur.

SUMMARIUM.

I. *Multipliciter licitudinem recurſus ex jure can. conatur probare Gabr. Per.*
II. *Plures tamen cum Soar. communiter negativam tenent.*
III. IV. *Et probabiliter ſatisfaciunt textibus objectis.*
V. *Præfertur ſecunda reſponſio Oliveæ, ut conformior, c.* Siquis cum clerico.
VI. *Reſpondetur ad alios textus objectatos.*
VII. *D. Hieron. relatus in c.* Regum *nullam de clericis facit mentionem.*
VIII. *Aliis conſimilibus textibus fit ſatis.*
IX. *Facilior reſponſio juribus ex adverſo objectis.*
X. *Tranſcribuntur canones B. Cœnæ hac de re loquentes.*
XI. *Datur in jure canonico fundamentum ſaltem implicitum ad licitudinem recurſus ex titulo violentiæ probandam.*
XII. *Adducuntur jura uſque ad n.* XIV.
XV. *Diſpoſitio juris can. relata in can.* 15. *B. Cœnæ non eſt diſpoſitio aliqua formalis pro hac ſpecie recurſus; ſed ſunt diſpoſitiones permittentes convenientiam eccleſiaſticarum perſonarum coram judicibus ſæcularibus in aliquibus caſibus.*
XVI. *Utrumque ex ipſo jure probatur.*
XVII. *Deſignantur diſpoſitiones illæ juris can.*
XVIII. *Ampliatio illa can.* 14. *bullæ Cœnæ*, etiam prætextu violentiæ, *non protrahitur ad diſpoſitionem can.* 15. *ita ut ex illa colligatur formalis diſpoſitio pro licitudine recurſus.*

XIX. *Duo præjacti canones ſunt materialiter, et formaliter diverſi.*

XX. *Oſtenditur diverſitas utriuſque.*

XXI. *Can.* 15. *Licet regatur ab eiſdem verbis* excommunicamus, et anathematizamus, *can.* 14. *eſt tamen materialiter diverſus, quoad diſpoſitionem.*

I. MULTIPLICITER Gabr. Per. de Caſtr. c. 7. de man. reg. probare conatur, hanc licitudinem ex jure canonico, videlicet ex c. *Filiis*, 16. q. 7. ibi: *Regis hæc auribus intimare non differat*, cap. *Principes*, cap. *Regum*, cap. *Adminiſtratores*, 23. quæſt. 5. cap. *Chriſtianis*, cap. *Petimus*, 11. quæſt. 1. cap. *Quidam Monachi*, cap. *Prohibitum*, 16. quæſt. 1. cap. *Non licuit*, diſtin. 17. cap. *Maximianus*, 23. quæſt. 3. cap. *Boni principis*, 96. diſt. (qui tamen, c. 22. n. 24. expreſſe fatetur jura antiquorum canonum, cit. c. *Filiis*, et c. *Principes*, revocata reperiri in c. *Clerici*, et in c. *Qualiter*, de judic. c. 2. de for. compet. cum aliis) quæ omnia jura, inquit, d. c. 7. *Licet Soar. contra Angl. errores, lib. 4. cap.* 34. *n.* 38. *ita accipere velit, ut nullam juriſdictionem tribuant ſæcularibus principibus, cum Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 2. *tamen communi omnium ſcribentium conſenſu receptum eſt, per illa jura defendendi poteſtatem principibus permiſſam, prout accipiunt Oſaſcus, dec.* 116. *Quido, quæſt.* 1. &c.

II. At vero Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 11. expreſſe negat, cum Soar. d. c. 34. n. 38. et cum communi ſententia aſſerente, licitudinem iſtius recurſus, *Nullum in puro jure canonico habere fundamentum*; et cum eodem Soar. plene reſpondet, et concludenter, ad textus ex adverſo objectos; an. 5. et ſeqq. et n. 6. etiam innuit reſponſionem aliquorum, qui cum cit. Per. c. 22. n. 24. tenent, diſpoſitiones præmiſſorum canonum, c. *Filiis*, et c. *Principes*, revocatas fuiſſe per poſteriora jura, videlicet c. *Clerici*, c. *Qualiter*, de judic. c. 2. de for. compet. et aliorum; pro qua reſponſione adducit etiam Joan. Andr. Abb. Soar. Marth. et alios. Ubertus autem de citationib. c. 4. per tot. fortius, ac nervoſius id ipſum denegat, imo iſtius recurſus licitudinem abſolute; et ſolide reſpondet ad textus ex adverſo objectos, quem omnino vide.

III. Ad textum igitur deſumptum ex c. *Filiis, vel nepotibus*, 16. q. 7. ubi aſſeritur, quod *propinquis ejus, qui conſtruxit, vel ditavit eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi ſacerdotem, ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant, aut epiſcopo, vel judici corrigenda denuntient. Quod ſi talia epiſcopus agere tentet; metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat; regis hæc auribus intimare non differant.*

Reſp. 1. Oliv. n. 5. cum Marth. de juriſd. p. 4. caſ. 143. et communi DD. tenentium, intimationem, de qua ibi, non faciendam regi, ut archiepiſcopus ab eo corrigatur contra textum in cap. *Qualiter*, de jud. et in cap. *Clerici*, eod. tit. ſed, ut moneat metropolitanum, ut inſtet coram legitimo ſuperiore; quem intellectum ſequuntur Azor. de inſt. mor. lib. 5. p. 1. c. 12. verſic. *Quæ*, Auguſt. Barb. in collec. doctorum ad decretales in cap. *Eccleſiæ Sanctæ Mariæ*, de conſtit. Sequitur etiam Soar. d. cap. 34. n. 38. addens, quod dum rex inſtiterit coram Summo Pontifice, ſi archiepiſcopus non ceſſet, poteſt de facto impedire in caſu illius textus.

Reſp. 2. Ex proprio Marte, et recte, in illo textu non concedi recurſum per viam violentiæ ad regem, neque ibi agebatur de materia violentiæ; et dato, quod ageretur, tantum abeſt, quod probaretur intentum, ut imo contrarium probetur, intimatio enim facienda regi; de qua ibi fieri non debebat, niſi *in ſubſidium:* nam ſi bene advertatur, contra ſacerdotem malefactorem jubetur *adiri epiſcopum:* et ſecundo loco *archiepiſcopum*, quod conforme juris regulis exiſtit: et ultimo loco regem, unde aſſerit Seſſe in epiſtola ad regem, n. 87. ſecundum jus canonicum recurſus, de quibus agimus, per viam violentiæ, *ſubſidiarios* eſſe, deficiente, ſcilicet, ordinario, et metropolitano. Conſimilem reſponſionem adhibet Ubert. de citation. c. 4. n. 87. Menoch. impugnans. Vide damnationem Alex. III. adverſus articulum 2. Henrici II, Angliæ regis infr. tranſcriptum, c. 20. n. 11.

IV. Reſp. 3. n. 6. (ubi aſſerit, ſibi magis hanc reſponſionem placere) ex illo textu probari tantum ſecundum illa tempora, ex permiſſione juris canonici, negligentiam judicum eccleſiaſticorum poſſe ſuppleri per judicem laicum; quod etiam probatur in cap. *Siquis cum clerico* 11. quæſt. 1. ibi: *Sin autem noluerit epiſcopus litem dirimere, tunc ad civilem judicem diſceptatio cauſæ perveniat*: et ſuppoſito hoc vero intellectu, reſpondendum eſt dupliciter: 1. Quod nobiſcum non pugnat: 2. Jura illa abrogata poſtea fuiſſe per textum in cap. *Qualiter*, de jud. et affirmârunt Joan. Andr. ibi: n. 6. Sequitur Abb. n. 7. Marth. dicta 4. p. caſ. 146. n. 10. et ſtatim citandi; alios citat. Soar. dict. cap. 34. n. 28. et licet Covar. dict. cap. 35. n. 3. verſic. *Secundo probatur*, et cum Nav. in cap. *Cum contingat*, de reſcriptis dicant, prædictum textum non eſſe revocatum; id tamen aſſerunt in materia recurſus, ratione violentiæ, dum ex illo textu probare conantur, poſſe fieri ad regem; non vero quoad ſupplendam negligentiam judicis eccleſiaſtici: nam (attento jure decretalium, et hodierno) veriſſimum eſt, et receptum, negligentiam judicis eccleſiaſtici non poſſe per laicum ſuppleri: licet econtra fieri poſſit, ita reſolvunt gloſſa, Butr. Felin. Abb. et alii omnes in dict. cap. *Qualiter*; quem ſequitur Marth. dict. n. 10. Soar. adverſus Angl. error. lib. 4. cap. 14. n. 20. et in cap. 34. n. 7. quod efficaci ratione procedit: nam ſupplere negligentiam ad ſuperiorem ſpectat, cap. *Cum ſimus*, 9. quæſt. 3. qualis non eſt ſæcularis, reſpectu eccleſiaſtici, ut patet: hanc ſequitur Caſtr. de man. reg. 1. p. c. 22. n. 2. verſic. *Sed hæc ratio eſt falſa.* Unde cavendum eſt à gloſſa, verbo *Regis*, in dicto cap. *Filiis*, Guilhelm. Bened. in cap. *Raynutius*, verbo *Uxore*, deciſ. 2. n. 31. Chaſſan. in conſuet. Burg. rubrica 1. §. 5. n. 61. Menoch. remed. 3. Retin. n. 354. aſſerentibus, quod ſi judex eccleſiaſticus fuerit negligens in adminiſtranda juſtitia, recurri poteſt ad judicem ſuperiorem; loquuntur enim contra textum, qui expreſſus videtur, in dict. c. *Qualiter*, et contra communem ſententiam ibi in eodem textu, et prædicta ratione efficaci fundatam.

V. Hæc Oliv. cit. cujus tamen ſecunda reſponſio, ut brevior, et rectior, mihi magis arridet, et eſt contextui conformior, ut ex illo patet. Ad text. cit. ex c. *Siquis cum clerico*, 11. q. 1. reſponderi poteſt ulterius, ibi agi de cauſa pecuniaria parvæ ſummæ, ſine ſcriptura verbaliter, ex conventione partium, et extrajudicialiter decidenda, ut ex d. c. conſtat; ibi: *Siquis cum clerico litigium habuerit, ſiquidem de cauſa pecuniaria adeat prius epiſcopum, cujus judicio clericus ſuppoſitus eſt. Ille enim ſine damno, et ſine dilatione, competentem finem liti impoſiturus eſt. Sin autem noluerit epiſcopus litem dirimere, tunc ad civilem judicem diſceptatio cauſæ perveniat. Ubi autem epiſcopus cauſam dirimere vult, ſine ſcriptura omnia procedant, et definitiva ſententia ſine ſcriptis ab eo proferatur.*

Ubi gl. verb. *Siquis. Si vero epiſcopus vult cauſam eam dirimere ſine ſcriptura, omnia procedere debent, niſi partes velint, quod ipſa acta redigantur in ſcriptis.* Et verb. *Scriptura: In modicis cauſis non requiritur ſcriptura*, auct. de man. princip. § *Si tibi*, coll. 3. Unde pro deciſione extrajudiciali, et verbali, ex conventione partium, præſertim ex conſenſu epiſcopi, litem dirimere nolentis, et tacite deciſionem extrajudicialem ad civilem judicem remittentis, poterit licite hic adiri, ſine eccleſiaſticæ immunitatis læſione, quemadmodum in gl. in cap. *Si diligenti*, v. *Manifeſte*, et cap. *Significâſti*, de for. compet. ibi: *Clerici tamen in judicem non ſuum (niſi forte ſit perſona eccleſiaſtica, et epiſcopi diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.*

VI. Ad alios textus deductos ex c. *Principes*, 23. q. 5. et c. *Adminiſtratores*, ibidem, et ſuperius tranſcriptos, c. 13. facilius reſpondet, n. 8. inibi tantum probari principes ſæculares protectores eccleſiarum eſſe debere, auxiliumque præſtare in favorem miniſtrorum eccleſiæ: non vero ibi probatur, quod contra eoſdem, miniſtros, etiam prætextu violentiæ, poſſint procedere, etiam ut vis tollatur, vel impediatur (Vide etiam reſponſiones Ubert. de citat. c. 4. n. 89. et ſeqq. præjactis textibus adhibitas).

Quæ quidem reſponſio aperte comprobatur ex formalibus verbis d. c. *Principes*, ibi: *Ut per eandem pote-*

poteſtatem diſciplinam eccleſiaſticam muniant. Et d. c. *Adminiſtrat.* ibi: *Qui ad eccleſiarum tuitionem, ac protectionem*, &c. Licet Per. de man. reg. cit. c. 7. n. 1. ex præfato, c. *Adminiſtrat.* dicat comprobari licitudinem recurſus per cognitionem violentiæ ad regios judices.

VII. Ad fortiorem textum ex verbis D. Hieronymi, relati in c. *Regum*, 23. q. 5. (etiam ſupr. c. 13. tranſcripto) ubi dicitur: *Regum officium eſt proprium facere judicium, atque juſtitiam, et liberare de manu calumniantium vi oppreſſos.* Reſpondet etiam ibidem ſub n. 8. Oliv. cum Soar. cit. c. 34. n. 39. et cæteris DD. nullam de clericis ibi fieri mentionem: unde reſpectu clericorum bono ſenſu, et ſecundum regulas ordinarias id accipiendum eſt, ut ſcilicet clerici oppreſſi ab oppreſſione, et violentia commiſſa à ſubditis principum liberentur; non vero à violentia commiſſa per clericos, ſeu judices eccleſiaſticos: idem in effectu reſpondet Azor. d. c. 12. verſic. *Quæ*, Auguſt. Barb. ubi ſupra. Vide Ubert. de citat. c. 4. an. 77. et ſeqq. ubi præmiſſis omnibus, et ſubſequentibus, et aliis inſuper textibus ex adverſo objectis congrue, et ſolide reſpondet.

VIII. Ad alios conſimiles textus, ex c. *Petimus*, et c. *Chriſtianis*, 11. q. 1. ibi: *A Theodora ſe opprimi per violentiam conqueruntur. Juncto ibi: Tibi commendamus, ut ſublimitatis tuæ tuitione vallentur, nequid illis, aut ſubreptio, aut inimica legibus violentia neceſſitatis imponat*; etiam reſpondet cum Soar. dict. n. 39. et 40. ibi agi de implorando brachio ſæculari, quod licitum eſt, nec diminuit, imo juvat, et conſervat exemptionem clericorum.

Ego dico (addit Oliv. n. 10.) *etiam agi de violentia facta à laico, non vero à clerico, ut ex iiſdem juribus patet. Ad concil. vero Chalcedon. relatum in cap. Quidam monach.* 16. *quæſt.* 1. *(quod etiam adducitur pro prædicta ſententia) reſpondetur ſimiliter, agere de brachio ſæculari implorando; de quo etiam agit, cap. Probinum, eadem cauſa, et quæſt. et in cap. Non licuit, diſt.* 17. *et in cap. Maximianus*, 23. *quæſt.* 3. *et in cap. Boni principes*, 96. *diſtinctione, ut per Suar. dict. cap.* 34. *n.* 35.

IX. Putarem ſimiliter et ego, brevius, et facilius reſponderi poſſe ad hos, et ſimiles textus adductos ex decreto Gratiani præciſe, eos nil efficaciter concludere, eo quod non habeant vim legis, conformiter ad doctrinam, quam infr. ex Donat. de legib. q. 36. et Gaſparr. inſt. can. introduct. n. 29. ſatis adducemus, niſi quatenus fundantur in conciliorum generalium decretis, et Summorum Pontificum conſtitutionibus, de quo infr.

X. Attamen quia in bulla Cœn. c. 15. excommunicantur, *Qui ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque, perſonas eccleſiaſticas ad ſæculare tribunal, præter juris canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt*, &c. et can. 14. *immediate præcedenti, etiam excommunicantur qui etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, quomodolibet impediunt curſum cauſarum eccleſiaſticarum, vel partes actrices compellunt ad revocandas citationes, vel inhibitiones, vel ad conſentiendum in abſolutione à cenſuris, et pœnis in illis contentis*, &c. Ex quibus deduci videtur, dari *diſpoſitionem in jure canonico* ordinantem, aut ſaltem permittentem, tractum perſonarum eccleſiaſticarum ad tribunal ſæculare, ex præfatorum recurſuum prætextu, aut ex capite violentiæ: idcirco per diſtinctas reſolutiones rem expediemus.

XI. *Reſolvo igitur*, 1. Datur in jure canonico fundamentum ad licitudinem præmiſſi recurſus ex titulo notoriæ violentiæ à judicibus eccleſiaſticis ad regia tribunalia, ſi non expreſſum, et formale, ſaltem implicitum, et generale. Prob. 1. pars, Quod non detur fundamentum expreſſum, et formale; quia nullibi invenitur hæc formalis diſpoſitio expreſſa recurrendi ad principes ſæculares ab eccleſiaſticis judicibus titulo, aut prætextu notoriæ vis, aut violentiæ, ut patet ex præmiſſa, et ſingulari concludenti reſponſione textibus præjactis à Suar. Oliv. Azor. et reliquis DD. adhibita.

XII. Prob. 2. pars, 1. ex cit. c. *Regum*, 23. q. 5. Dum enim aſſerit, *Regum officium eſſe liberare de manu calumniantium vi oppreſſos*: cum generaliter loquatur de quacunque oppreſſione, ac violentia à quolibet illata, implicite, et in genere, comprehendit etiam violentias factas ab eccleſiaſticis, ut ponderat Oliv. cit. q. 15. n. 9.

XIII. Prob. 2. eadem pars; Quia in jure canonico declaratur, ac decernitur, licitum eſſe unicuique vim vi repellere, et hæc omnia jura proclamare, ut in c. *Significaſti*, de homicid. et in cap. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ibi: *Præterea cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctiſque ſeſe defenſare permittant: licuit utique ipſi decano .... contra illius violentiam, injuriamque ſe tueri: et quoniam adverſus ejus nimiam potentiam, ſufficiens temporalis defenſio ſibi forte non aderat, potuit ſe etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo eccleſiaſtico, defenſare: et infra: Licuit profecto ipſi decano proprio ſibimet ſubvenire ſubſidio, et ſuammet temporalem injuriam ſua propria ſpirituali defenſione: ſicque utrumque quodammodo gladium, et temporalem, et eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare*, &c.

Atqui licitudo hujus recurſus in illis juribus fundatur, quatenus repulſionem violentiæ, quam propria auctoritate privatus facere poterat, illam modeſtius exequi curat auctoritate principis, per viam recurſus ad illum: ergo hujus recurſus licitudo fundamentum, ſaltem implicite, habet in juris canonici ſtatutis, ac diſpoſitionibus.

XIV. Prob. 3. et cit. c. *Siquis cum clerico*, 11. q. 1. Cujus diſpoſitio, licet ſalvari non poſſit, quoad ſupplementum negligentiæ judicis eccleſiaſtici per judicem laicum, ut tenet Oliv. cit. n. 6. poteſt tamen, juxta aliquos, ſalvari quoad recurſum ex c. *Violentiæ*, ſi non expreſſe, et formaliter, implicite tamen, ut ex gl. ibid. *Sed ſi epiſcopus non vult cauſam pecuniariam dirimere, ad ſæculares judices recurratur.* Quamvis præjactus textus verius, et formalius intelligendus videatur, vel de tacita commiſſione, ſeu permiſſione judicis eccleſiaſtici litem decidere nolentis, et ut à ſæculari judice extrajudicialiter, et de facto ſolvi permittentis, præſertim cum factum fuerit de parva pecuniæ ſumma, à clerico creditori laico ſolvenda, ut ex ipſo c. et gl. ſupra tranſcripta, n. 5. conſtat; vel ex conventione partium pro deciſione verbali, et extrajudiciali de facto, abſque ulla tela judiciali, et abſque ullo juriſdictionali procedimento, ac proceſſu facienda, ut ſupra inſinuatum remanet, d. n. 5. vel etiam in aliquibus caſibus civilibus exceptis, in quibus clerici tam coram judice eccleſiaſtico, quam coram laico conveniri poſſunt, de quibus Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 2. à n. 136. et ſeqq. Antonell. de regim. et de jurib. cleric. Raynald. obſerv. Crim. et alii.

XV. *Reſolvo*, 2. Diſpoſitio juris canonici, ſecundum quam perſonæ eccleſiaſticæ trahi poſſunt ad tribunalia ſæcularia, et ad quam refertur exceptio illa, can. 15. bullæ Cœnæ: *Præter juris canonici diſpoſitionem:* expreſſe, et primario, non eſt diſpoſitio aliqua formaliter, decernens hujuſmodi tractum per viam recurſus à judicibus eccleſiaſticis ad ſæculares: ſed ſunt formales illæ, et expreſſæ diſpoſitiones juris eccleſiaſtici, decernentes, aut ſaltem permittentes, caſus in quibus perſonæ eccleſiaſticæ coram judicibus laicis conveniri poſſunt, quæ quidem inferius individualiter deſignantur.

XVI. Prob. 1. pars, 1. Quia nullibi reperitur talis diſpoſitio expreſſa, et formalis in jure canonico, ut ſat eſt probatum, et ut abſolute tenent præcitati DD. cum Soar. Azor. Oliv. &c. Prob. 2. Ex ipſo formali contextu canonis præjacti, in quo nulla fit mentio judicum eccleſiaſticorum per viam recurſus trahendorum, ut judicum, ad cancellarias, et reliqua ſæcularia tribunalia, prætextu violentiæ; ſed tantummodo de perſonis eccleſiaſticis, trahendis, ac ſubjiciendis, ut reis, ſæcularibus tribunalibus, ac judicibus; ſic namque formaliter recitat præcitatus canon 15. *Qui vel ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque perſonas eccleſiaſticas, capitula, conventus, collegia eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, concilium, vel parlamentum, præter juris canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore.*

XVII.

XVII. Prob. 2. pars ex c. *Prudentiam*, de mutuis petitionib. ex c. *In audientia*, de ſent. excommunic. ex c. *Sacerdotibus*, ne cleric. vel monach. ex c. *Clerici*, de vita, et honeſt. clericor. in 6. c. *Ex literis*, 16. eod. tit. et aliis juris can. textibus infr. cit. c. 22. reſol. 4. an. 54.

Dixi *expreſſe*, et *primario*, ſeu *principaliter*; quia ſecundario, et implicite dari hanc diſpoſitionem juris canonici, ſaltem generice, licitudinis hujuſce recurſus comprobativam, jam ſupra oſtenſum remanet in 1. reſolutione, n. 11.

XVIII. *Reſolvo*, 3. Quamvis canon 15. bullæ Cœnæ regatur ab eiſdem verbis *Excommunicamus*, et *Anathematizamus* præcedentis can. 14. attamen ampliatio illa in hoc contenta, *etiam prætextu violentiæ prohibendæ*, non protrahitur ad diſpoſitionem can. 15. ſubſequentis, neque regitur, aut afficitur limitatione illa in hoc can. 15. *præter juris canonici diſpoſitionem* expreſſa; ita ut ex illa colligatur, dari in jure canonico aliquam formalem, aut expreſſam diſpoſitionem pro licitudine recurſuum ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæculares, *prætextu violentiæ prohibendæ*, aut tollendæ.

XIX. Prob. 1. Quia iſti duo canones ſunt formaliter, et materialiter diſtincti, ſicut et ſubſequentes; atque adeo diſpoſitio unius non pertranſit, neque tranſgreditur ad formalem, aut materialem diſpoſitionem alterius, nec una ad aliam protrahitur, aut retrotrahitur, ut ex eiſdem conſtat.

XX. Prob. 2. Quia diſpoſitio can. 15. eſt erga perſonas eccleſiaſticas non trahendas, ut reas, ad tribunalia ſæcularia: diſpoſitio autem can. 14. eſt, quoad 1. partem, adverſus omnes, *Qui cauſas eccleſiaſticas avocant, vel illorum curſum impediunt, vel ſe, tanquam judices, de illarum cognitione interponunt.* Quoad ſecundam vero partem, contra eos, qui *partes actrices compellunt ad revocandum citationes, vel inhibitiones, et ad conſentiendum in abſolutione à cenſuris, vel quomodolibet executionem literarum apoſtolicarum impediunt, etiam prætextu violentiæ prohibendæ*, &c. ut ex ipſo canone 14. infra formaliter tranſcripto clarius conſtabit.

XXI. Neque obeſt, quod ſubſequens can. 15. regatur à verbis illis, initio hujus can. 14. appoſitis: *Excommunicamus, et anathematizamus:* quæ non repetuntur in can. 15. ſicut neque in ſubſequentibus uſque ad can. 19. excluſive. Nam hoc ideo factum eſt, ut evitetur ſuperfluitas in nimia repetitione illorum duorum verborum cenſurarum inflictorum, *Excommunicamus, et anathematizamus:* non autem eo quod diſpoſitio materialis unius (imo neque formalis, præter duorum illorum verborum) pertranſeat ad diſpoſitionem materialem alterius, ſeu in ea contineatur. Formalis autem diſpoſitio d. can. 14 eſt quæ ſequitur.

Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et ſingulos, qui per ſe, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et literarum apoſtolicarum prætextu, beneficiales, et decimarum, et alias cauſas ſpirituales, et ſpiritualibus annexas, ab auditoribus, et commiſſariis noſtris, aliis judicibus eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, et audientiam, ac perſonas, capitula, conventus, collegia, cauſas ipſas conſequi volentes, impediunt, ac ſe de illarum cognitione, tanquam judices, interponunt; quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, et faciunt, ad renovandam, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, et ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanârunt, à cenſuris, et pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel alias compellunt, vel executionem literarum apoſtolicarum, ſeu executorialium proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut conſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicare fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram nobis, et Sede Apoſtolica legitime proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint præſidentes cancellariarum, conciliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, conſiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque principum ſæcularium, etiamſi imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, commendatarii, ſeu vicarii fuerint.

CAP. XX.

Satisfit Fundamentis contrariæ Sententiæ pro Illicitudine Recurſus, etiam in Caſibus Violentiæ notoriæ, et manifeſtæ, pugnantis.

SUMMARIUM.

I. *Satisfit contrariæ ſententiæ fundamentis licitudinem recurſus iſtius impugnantis; et, primo, ex notoria incapacitate judicum ſæcularium.*
II. *Et, ſecundo, ex notoria exemptione eccleſiaſticorum.*
III. *Fit ſatis etiam, tertio, de decreto ex Trident. et ex bull. Cœnæ.*
IV. *Libertas eccleſiaſtica perſonalis non violatur per recurſum extrajudicialem per viam facti, et in naturali defenſione fundatum.*
V. *Præjactis fundamentis non bene fit ſatis recurrendo ad concordias, privilegia, et conſuetudines.*
VI. *Formalior ſatisfactio ex ipſa bulla Cœnæ.*
VII. *Sufficit quod violentia judicis eccleſiaſtici aliqualiter tergiverſetur, ut ab ea recurri non poſſit; non vero econtra ſufficit, quantumvis probabilis, ut fundet recurſum. Implicat in terminis poſſe recurri à judicis eccleſiaſtici violentia probabili, et non undiquaque notoria.*
VIII. *Judices eccleſiaſtici habent notorie pro ſe juris aſſiſtentiam, et probationem.*
IX. *Ut notorietas ſuperioritatis, et immunitatis judicis eccleſiaſtici devincatur à jure cognitionis judicis ſæcularis pro violentia, debet hujus notorietas ex circumſtantiis practice eſſe major illa, cum* actio ſit à vincente.
X. *Æquum fore quod judices eccleſiaſtici de violentiis judicum ſæcularium cognoſcerent, quemadmodum ſæculares de judicum eccleſiaſticorum violentiis cognoſcunt; quod de facto in aliquibus regnis, teſte Olyb. ſervatur.*
XI. *Quo ſenſu Alex.* III. *damnavit* 2. *artic. Henrici* II. *regis Anglorum, videlicet,* quod ab archidiacono ad epiſcopum, ab hoc ad archiepiſcopum, et ab hoc tandem ad regem recurretur.

Omiſimus c. 13. ſuperiori, argumentis contrariis licitudini iſtius recurſus competentes ſolutiones adhibere, quia conſulto huc eas, ut ibidem animadvertimus, reſervare decrevimus, ob rationes ibi inſinuatas, et ob majoris claritudinis, poſt uberioris notitiæ acquiſitionem, proſecutionem, ac progreſſum. Igitur:

I. PRIMUM contrariæ ſententiæ fundamentum (quam acriter, et nervoſe defendunt Azor. inſt. mor. p. 1. l. 5. c. 12. Farin. conſ. 68. Aug. Barb. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, de Conſt. Navarr. man. c. 27. n. 7. Soar. adverſ. Angl. error. l. 4. c. 34. et alii, cum Gratioſ. Ubert. de citation. c. 4. per tot. omnino videndo) fiſtit in notoria incapacitate principum, et judicum ſæcularium ad judicandum, vel cognoſcendum, etiam incidenter, de cauſis eccleſiaſticis, et ſpiritualibus, ſeu ſpiritualibus annexis, ut ſtatuitur in c. 2. de judic. et in c. *Quanto*, eod. tit. et d. c. *Eccleſ. S. Mariæ*, et c. *In eccleſia*, de conſt. ubi DD. communit. cum quibus Oliv. de for. eccleſ. q. 7, 8. et ſeqq.

II. Secundum fundamentum conſiſtit in notoria exemptione, nedum rerum, et cauſarum eccleſiaſticarum, ſed et ipſorum clericorum, et reliquarum perſonarum eccleſiaſticarum, ut decernitur in c. 2. de for. compet. c. *Clerici*, eod. tt. cum vulgar. de qua etiam

etiam Oliv. late q. 8. et Gaſparr. inſt. can. p. 2. tt. 17. et p. 3. tt. 2. et nos infra, cap. 21, 22. et 23. et ſupra prælud. 6. unde quælibet eccleſiaſticæ perſonæ, et potiori jure eccleſiaſtici judices, minime trahi poſſunt, etiam prætextu violentiæ, ad ſæcularia tribunalia, abſque notoria immunitatis eccleſiaſticæ violatione.

III. Tertium fundam. deſumitur ex Concil. Trid. de reform. ſeſ. 25. c. 3. et ex cit. can. 14. bull. Cœn. ex illis verbis: *Quive partes actrices*, &c. cui quidem addi poteſt, et debet præcedens can. 13. ibi enim etiam *excommunicantur tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, qui prætexentes frivolam quandam appellationem, aut alias, à judicibus apoſtolicis ad curias ſæculares, et laicam poteſtatem recurrunt.* Et poſt cit. can. 15. etiam canon 16. ubi pariformiter *excommunicantur, qui judicum ordinariorum, vel ab eis delegatorum quorumcunque ſententias, et decreta, aut alias fori eccleſiaſtici judicium eludentes ad cancellarias, et alias curias ſæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata contra ipſos judices decerni, et exequi procurant*, &c.

Ad primum igitur reſpondet Oliv. q. 15. n. 31. et ſeqq. etiam n. 39. ibidem, principes, et eorum miniſtros tollere violentias tantum per viam facti extrajudicialiter, nulla juriſdictione utentes: cum eam non habeant in eccleſiaſticos, nec tanquam judices, vel ſuperiores eccleſiaſticorum, ſed tanquam reges, quibus defenſio ſubditorum incumbit, eo ipſo quod reges eliguntur, vel naſcuntur. Afflict. d. 24. n. 2. et 6. optime Olyban. de jure fiſci, cap. 11. n. 53. Seſſe de inhibit. c. 8. § 2. n. 2. et ind. epiſtola ad regem, n. 54. Cevall. de cogn. per viam viol. in prolog. n. 210. ubi alios citat, et gloſſa 6. n. 130. et paſſim in eod. tractatu, Soar. adverſus Angl. error. lib. 4. cap. 34. n. 32. Caſtr. d. p. 1. cap. 4. per totum, quod aſſerit lex regia Luſitana, lib. 1. tt. 9. § 12. et lib. 2. tit. 3. et 4. prout contingit quoties bello et armis ſubditos à non ſubditis, et non ſubditos ab aliis extraneis adjuvando defendit illos ex debito, hos ex charitate, quæ aliquando præceptum inducit abſque ulla juriſdictione, vel ſuperioritate, quam in non ſubditos non habet.

IV. Ad ſecundum reſpondet, d. n. 31. nec libertatem eccleſiaſticam, nec privilegium perſonarum eccleſiaſticarum violari per recurſum, aut illius extrajudicialem cognitionem, quippe qui in jure naturali fundatur, quod equidem præcedit, et prævalet; proindeque nil contra illud operari poteſt diſpoſitio juris canonici, præſertim in caſibus in ea diſpoſitione non comprehenſis.

V. Ad tertium fundamentum deductum ex Tridentino, et ex bull. Cœn. reſpondet Per. et alii cum eo (ſed minus bene, ut ait Oliv. d. q. 15. n. 29.) recurrentes ad privilegia, et concordias, et immemorialem conſuetudinem, de quo infra, cap. ſubſequenti, et Oliv. q. 14. per totam, ubi contrarium verius eſſe oſtendit; et prout ſic reſpondet n. 30. bullam Cœnæ non comprehendere caſum, in quo agitur de auferenda, ſeu impedienda violentia: nec potuiſſe videtur Pontifex ea, quæ de jure naturali competunt, auferre; ita reſpondet Cevall. de cogn. per viam violentiæ, gloſſa 6. n. 43. ubi late: nam ſicut non potuit auferre particularibus jus ſe et proximum defendendi, ſic idem jus principibus tollere non valuit; unde recurſus, de quo agimus, quia continet jus naturale, non poteſt per aliquod ſtatutum, ſeu legem tolli, ut per Marth. de juriſdictione, p. 4. caſu 56. n. 7. et ideo ſublata appellatione, recurſus ad principem ſublatus non cenſetur, ut per Menoch. qui communem dicit, de arb. lib. 1. quæſt. 70.

VI. Clarius autem, et formalius reſpondetur ex ipſo formali d. bullæ contextu d. can. 13. *Qui prætexentes frivolam quandam appellationem ad ſæculares curias, et laicam poteſtatem recurrunt*; et can. 14. *etiam prætextu violentiæ prohibendæ*; præjactos canones loqui non de appellatione vera, et legitima, ſed palliata, ac prætextata, ſeu doloſa, et quovis modo frivola; et ſimiliter non comprehendere caſum, in quo violentia ſit vera, notoria, et evidens, ſed dubia, aut etiam prætextoſa, et affectata; et in quo magiſtratus regii ſe tanquam judices interponunt de illa juriſdictionaliter cognoſcendo contra vetitum d. can. 14. *Et qui fori eccleſiaſtici judicium eludentes ad curias ſæculares, citra notoriam violentiam*, eo fine recurrunt, et prohibitiones, ac mandata contra judices eccleſiaſticos doloſa, et calumnioſa affectatione procurant.

VII. Dices tamen adhuc, 1. Sufficit, ut violentia à judice eccleſiaſtico illata ſit aliqua tergiverſatione, ſive diſſimulatione celabilis, aut quovis modo palliabilis, prætextabilis, aut excuſabilis, juxta dicta ſuperius, cap. 12. et 14. ad hoc ut notoria non ſit, neque judices regii de illa cognoſcere queant: ergo ſimiliter ſufficiet, quod interceſſerit quævis appellatio, aut violentiæ allegatio, quamvis prætextoſa, et palliata, ad hoc ut recurrentes licite gravamen ab eccleſiaſtico judice interponere poſſint, et regii magiſtratus de illo licite cognoſcant.

Reſpondetur, 1. Implicare contradictionem, non poſſe recurri à judice eccleſiaſtico, neque de ejuſdem violentia cognoſci in regiis tribunalibus, niſi ea undiquaque notoria, evidens, et nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis: et poſſe cognoſci de violentia prætextata, et palliata, quæ nec vera, et realis eſt, ſed affectata, et conficta; et multo minus, nec clara, et notoria eſt, ſed dubia, aut tantum apparens incedit.

VIII. Reſpond. 2. Ex traditis, c. 13. prælatos, et judices eccleſiaſticos habere pro ſe, qua tales, juris aſſiſtentiam, ac præſumptionem. Unde, *Cum contentio* (ait Per. cit. c. 7. n. 2.) *ſit inter ſubditum ſæcularem, et prælatum, vel ſuperiorem eccleſiaſticum; ideo oportet, ut ſit evidentia patens, et clara; quia ſi res fuerit dubia, ſemper pro ſuperiori erit præſumendum, c. In præſent. de renunt. cum vulgar. Alias magiſtratus, vel princeps ſæcularis vim inferret privandi eccleſiaſticum poteſtate, quam habet in ſuos ſubditos.*

IX. Deinde, ut d. c. 13. inſinuavimus, cum hinc inde pugnent diverſa jura, diverſæ notorietates, videlicet, ex una parte jus, et notorietas ſuperioritatis judicis, atque etiam immunitatis eccleſiaſticæ, tam quoad cauſas, quam quoad perſonas; et ex alia, nempe ex parte oppreſſi, jus naturalis defenſionis; ut hoc jus priora illa devincat, debet ita de facto, nedum eſſe clarum, evidens, et notorium, ſed fortaſſe, ex circumſtantiis, hic, et nunc (ſaltem practice, et exercite) eſſe magis clarum, et magis notorium; nam *actio ſemper eſt à vincente*; atque adeo, ut de violentia in regio judicio licite, et valide agi poſſit, debet hæc non ſolum notoria eſſe, ſed hic, et nunc, ex circumſtantiis, ut ita dicam, magis notoria, quam evidentia notoriæ ſuperioritatis, atque immunitatis judicis eccleſiaſtici, ut hæc notorietas ab illa exercite vincatur.

X. Dices, 2. Violentia notoria non minus poteſt à judice eccleſiaſtico, quam à ſæculari irrogari, quibus æqualiter oppreſſi auctoritate propria reſiſtere poſſunt. Deinde non minus principes ſæculares ex proprio munere poſſunt, ac debent providere, ac tollere violentias ab eccleſiaſtico, quam à ſæculari judice inflictas; de quo tamen non curant, nec provident: ergo, ſi, ex jure naturalis defenſionis, licitus eſt recurſus ab eccleſiaſtico judice ad principem ſæcularem in caſu notoriæ violentiæ; ex defectu illius æqualitatis, ac providentiæ, illicitus, ſaltem extrinſece, evadet recurſus ad illum ab eccleſiaſtico, et non à ſæculari judice.

Reſpondet Oliv. cit. q. 15. n. 27. optimum fortaſſe eſſe dari etiam laicis hujus recurſus remedium per viam violentiæ contra judices ſæculares in majoribus regiis tribunalibus, ſicut contra eccleſiaſticos, ut in aliquibus regnis fit, ut per Olyban. de jure fiſci, cap. 14. à n. 111. cum ſequentibus, et cap. 5. à n. 31. et à n. 46. at ſi hoc non fiat, hanc culpam non tollere, nec impedire quominus principes poſſint violentiam tollere, etiam contra eccleſiaſticos.

XI. Dices, 3. Alexand. III. damnavit 2. articulum Henrici II. regis Anglorum; nempe, *Si emerſerint* (appellationes) *ab archidiacono, debent procedere ad epiſcopum, et ab epiſcopo ad archiepiſcopum: et, ſi archiepiſcopus defuerit in juſtitia exhibenda, poſtremo ad regem eſt perveniendum, ut præcepto ipſius in curia archiepiſcopi controverſia terminetur: ita quod*

non debeant ulterius procedere, abſque aſſenſu regis. Reſp. ex verbis Stapletoni, cit. ibidem: *Si iſte ſolus articulus inter regem, et D. Thomam controverſus fuiſſet, ſatis juſtam cauſam regiæ conſtitutioni ſeſe exponendi. Hæc enim conſtitutio regem ſubſtituit Summo Pontifici; poteſtatem Sedi Apoſtolicæ propriam, regi attribuit; concilio generali Sardicenſi diſerte contradicit; ipſum denique primatum pontificium Petro ujſque ſucceſſoribus datum tollit:* ex quo conſtat non damnari recurſum ſimpliciter, extrajudicialiter, per viam facti, et in naturalem defenſionem intentandum, ſed judicialem, ſuperioralem, per viam juriſdictionis, et rigoroſi præcepti, ut patet ex verbis illis, *Præcepto ipſius*, et reliquis.

CAP. XXI.

Rejiciuntur defendentes Licitudinem iſtius Recurſus ex Titulis Concordiarum, Privilegiorum, Conſuetudinum, et aliorum, præter Titulum Juris naturalis Defenſionis.

SUMMARIUM.

I. *Aliqui DD. probant licitudinem recurſus ex privilegio, alii ex concordiis, alii ex conſuetudine.*
II. *Aliqui tenent, per bullam Cœnæ omnia privilegia eſſe revocata, etiam in materia violentiæ tollendæ.*
III. *Alii autem contrarium tenent ex tenore ipſius bullæ.*
IV. *Nec ſolide, nec firmiter procedunt, qui recurrunt ad alios titulos præter juris naturalis defenſionem.*
V. *Pro hac revocatione circumferuntur contrariæ opiniones, quarum una neceſſario erit falſa.*
VI. *Sicut opinio probabilis non excuſat à noxa peccati materialis, eſto excuſet à labe peccati formalis; ita non excuſat à reali incurſu cenſurarum, ſaltem pro foro externo, ut eſt deciſum.*
VII. *Fundamenta ſententiæ negativæ pro revocatione privilegiorum per bullam Cœn. ſolvuntur probabiliter à DD. contrariæ opinionis; inter quas amplectenda, quæ favorabilior eſt auctoritati eccleſiaſticæ.*

Pro licitudine ex privilegio.

VIII. IX. X. XI. *Argumenta Gabricl. Per. ſoluta multipliciter.*
XII. *Pontifex prædeceſſor non ligat manus ſucceſſori eandem poteſtatem à Chriſto recipienti.*
XIII. XIV. *In conceſſionibus pontificiis ſemper ineſt conditio, ſi res in eodem ſtatu maneat, ex cit. Per.*
XV. *Fundamentum non receptionis juris canonici non eſt juri ipſi conſonum.*
XVI. *Neque recte recurritur ad tolerantiam Pontificis.*
XVII. *Multa per patientiam tolerantur, quæ, exigente juſtitia, tolerari non debent.*
XVIII. *Talis fuit tolerantia Alex.* III. *ſuper tribus articulis Henrici* II. *ab Alex. ipſo damnatis.*
XIX. *Fruſtra fingitur illa non receptio juris can. in Luſitania.*
XX. XXI. *Pontifex ſuam poteſtatem, non à ſubditis, ſed à Chriſto immediate accipit.*
XXII. *Pontifex in materia eccleſiaſtica ad publicum pertinente, non concordat ut perſona privata, ſed publica.*
XXIII. *Juriſdictio temporalis ſubditur ſpirituali.*
XXIV. XXV. *Princeps ſæcularis, ut dominus ſuæ juriſdictionis ſæcularis, concordat cum Papa, ut domino, et capite juriſdictionis, atque reipublicæ eccleſiaſticæ.*
XXVI. XXVII. *Adeſt ſpecialis clauſula revocatoria in bulla Cœnæ,* § 25.
XXVIII. XXIX. *Bulla impetrata à piiſſimo rege Sebaſtiano fuit multipliciter reſtricta, et limitata.*
XXX. *Ex expoſitione præfati regis colligitur, ſibi perſuaſum habuiſſe per verba bullæ Cœnæ revocari privilegia, et conſuetudines regni.*
XXXI. *Ideoque illarum uſum interdixit, donec requiſitam declarationem à Summo Pontifice obtineret.*
XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. *Colliguntur inſuper alia contra aſſerta Per.*
XXXVI. XXXVII. *Confirmatur ad hominem ex majori antiquitate exemptionis clericorum in Luſitania.*
XXXVIII. *Et ex ejuſdem redargutione in Valaſc.*
XXXIX. XL. *Diſſidentia inter DD. ſuper clauſula* ad noſtrum et Sedis Ap. beneplacitum.
XLI. XLII. *Retorquetur Per. ex ipſamet pontificia conceſſione.*
XLIII. XLIV. *Pro inſufficientia patientiæ nuntiorum regni, notantur aliqua appoſite ex D. Thom. Cantuarienſi.*
XLV. XLVI. *Adnotatur doctrina Uberti, et alia ex articulis Henrici* II. *damnatis.*

Pro licitudine ex conſuetudine.

XLVII. *Alia Per. argumenta ſoluta uſque n.* LIV.
LV. *Tranſcribuntur appoſite verba epiſtolæ D. Thom. Cantuarienſ.*
LVI. LVII. *Et doctrina Merend. atque Ubert.*
LVIII. *Tranſcribuntur 6 articuli Henrici* II. *damnati ab Alex.* III.

I. PRÆMITTENDUM eſt, 1. Aliquos eſſe doctores, qui licitudinem recurſus à judice eccleſiaſtico ad ſæculares defendunt ex titulo *privilegii*, alios ex *concordiis*, alios ex *conſuetudine*, alios vero ex aliis titulis, præterquam ex jure naturalis defenſionis, de quibus Oliv. de for. eccleſ. q. 14. Per. de man. reg. c. 2. 5. et 6. Salgad. de reg. prot. et alii.

II. Præmittend. 2. Aliquos DD. cum Navarr. in manual. c. 70. et 72. Suar. adverſ. Angl. error. l. 4. c. 34. an. 27. Azor. inſt. moral. l. 5. p. 1. c. 12. Aug. Barb. in c. *Eccleſia S. Mariæ* de conſt. n. 13. Banneſ. 2. 2. q. 67. a. 1. dub. 2. concl. 6. et alios, cum Oliv. cit. q. 14. ſub n. 1. tenere, omnia privilegia, etiam remuneratoria, conceſſa regibus ad cognoſcendum de aliquibus cauſis clericorum, revocata cenſeri per bullam Cœnæ Domini; et *loquuntur etiam*, ut teſtatur Oliv. *in fortioribus terminis in materia, ſcilicet, violentiæ tollendæ*; fortaſſis ex illa ampliatione can. 14. *etiam prætextu violentiæ prohibendæ*; de qua tamen cap. ſuperiori.

III. Præmitt. 3. Alios DD. cum ipſomet Suar. de cenſur. diſp. 21. ſeſ. 2. n. 107. citato ab Oliv. ibid. contrarium tenere, eo quod, licet bulla antiqua Gregor. § 19. revocentur omnia privilegia regibus conceſſa; attamen ea clauſula omiſſa eſt in bullis poſterioribus, et loco illius addita eſt alia ibi: *Sine ſpeciali, ſpecifica, et expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia.* Et ſane miratur ibidem Oliv. quod Nav. Soar. et Caſtr. dictis locis fecerint mentionem tantum ad propoſitum de clauſulis in duobus §§ bullæ contentis, c. 15. qui, ſcilicet, incipit, *Et qui eorum prætenſo officio*, ubi generaliter de materia criminali, et civili, et de ſtatutis, quæ libertatem eccleſiaſticam offendunt: et § 19. qui de cauſis criminalibus tantum agit, et ideo forte indeliberati permanſerunt; cum tamen exuberantiores clauſulæ revocatoriæ in fine bullæ contineantur, ut infra oſtenditur.

Et hinc præmittendus per formalia tenor exuberantium illarum revocatoriarum contentus § 25. præfatæ bullæ Cœn. qui ſic ſe habet: *Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et literis apoſtolicis generalibus, et ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cujuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, pontificali, imperiali, regali, ſeu quavis eccleſiaſtica, et mundana præfulgeant dignitate; vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et ſub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus*

nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum, mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, et aliis quibuſlibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. His igitur præmiſſis, ſit

Reſolutio.

IV. Nec ſolide, nec firmiter, aut irrefragabiliter procedunt, qui licitudinem recurſus ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæculares defendunt *ex privilegio*, vel ex *conſuetudine*, aut ex *concordiis*, præter juris naturalis defenſionem. Prob. 1. Quia ea privilegia, conſuetudines, et concordiæ, vel certe, vel ſaltem probabiliter, per bullam Cœnæ revocata ſunt ampliſſime, in præmiſſis exuberantibus derogatoriis. Atqui, ſi certe revocata ſunt, falſo, ac fallaci fundamento nititur DD. iſtorum defenſio, ac tuitio: ſin autem probabiliter tantum, etiam infallibili periculo erroris, et contradictionis cenſurarum in d. bulla fulminatarum exponuntur: ergo, &c.

V. Probat. hæc minor, quoad ſecundam partem: Quia ex duabus contrariis opinionibus, neceſſario una vera eſt, et altera falſa, ut probatum remanet c. 15. et 16. Atqui ſi non vera, et certa, datur tamen ſaltem vere probabilis opinio, tenens per bullam Cœnæ omnia præfata privilegia revocata eſſe: ergo ſi contraria opinio negativa falſa reipſa ſit, et hæc affirmativa vera incedat, infallibilis erit incurſus cenſurarum procedentibus ex titulis privilegiorum, conſuetudinum, et concordiarum præciſe: ergo nec ſolido, nec vero, ſed fallaci, ac fallibili nituntur fundamento.

VI. Prob. 2. et confirmatur: Quia, ſicut opinio doctorum vere, et certo practice probabilis, licet excuſet cum ea operantem à labe peccati formalis, non tamen à peccati materialis noxa; ita pariformiter, cum non excuſat à reali incurſione cenſurarum, ſaltem in foro externo; quia cum ex ratione opinionis ſit fallibilis, incerta, et eſſentialiter formidoloſa; ſi reipſa falſa ſit, non excuſabit cum illa operantem à reali cenſurarum incurſu; ut eſt communis DD. opinio, et caſus ſæpe deciſus in ſacra Rotta, de quo ſupra, c. 16. n. 76. et apud Sperell. dec. 129. n. 27. et 28. Unde jam ex communi doctrina hoc effatum in vulgare proloquium tranſivit: *Opinio probabilis doctorum non excuſat à cenſurarum incurſu*, ut apud Monacel. p. 3. tt. 2. form. 10. an. 16. ex deciſ. Mohed. 3. de ſent. excom. Pignatel. tom. 9. cauſ. 189. n. 87.

Atqui opinio tenens prædicta privilegia, ſaltem remuneratoria, non eſſe revocata per bullam Cœnæ, et ſimiliter concordias per modum contractus celebratas, utpote opinio incerta, et fallibilis, poteſt reapſe falſa incedere: ergo ex illa operantes non excuſabuntur à reali cenſurarum incurſione: ergo non firmiter, nec ſolide procedunt DD. defendentes licitudinem recurſus ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæcularia tribunalia, ex titulis privilegiorum prædictorum, concordantiarum, conſuetudinum, et aliorum, præter juris naturalis defenſionem.

VII. Prob. 2. reſolutio: Quia fundamenta ſententiæ tenentis privilegia illa, concordias, et conſuetudines non eſſe per præmiſſam bullam revocatas, utpote parum firma, et nullius roboris, facillime diluuntur à DD. contrariæ ſententiæ, qui ſolidas, et efficaces ſolutiones prioris ſententiæ argumentis convincenter adhibent, ut ex ſingularum projectione conſtabit: ergo, &c.

Confirmatur; quia ex duabus opinionibus probabilibus, illa amplectenda eſt, quæ magis favet auctoritati, dignitati, ac libertati eccleſiaſticæ, ut probatum eſt c. 15. ergo, &c. Igitur.

Pro licitudine recurſus ex privilegio.

VIII. Arguit, 1. Per. de man. reg. c. 5. n. 8. et c. 6. n. 14. quod, ut per bullam Cœnæ tolleretur jus, et privilegium per contractum acquiſitum, neceſſarium foret, ut prius principes audirentur, et citarentur ſuper cauſa revocationis; quod quidem probare conatur ex regula in l. *De unoquoque*, 47. ff. de re judicat.

Reſpondet Oliv. q. 12. n. 25. et q. 14. n. 2. hoc fundamentum eſſe parvi momenti; quia quoties per conſtitutionem generalem aufertur jus alicui; ejus citatio neceſſaria non eſt, nec ut prius audiatur; et proceſſus, prohibitiones, et omnia, quæ in bulla continentur, per viam legis, ſeu conſtitutionis generalis, et perpetuæ, facta cenſentur, ut per Navar. in man. cap. 27. n. 74. Suar. de cenſ. diſp. 21. ſect. 1. qui etiam videndus eſt in nuperrima *Monomachia*, in reſponſionibus ad dubitamina à Gabr. Per. illi objecta, ſignanter reſp. ad dub. 5.

IX. Arguit, 2. idem Per. d. c. 6. n. 11. Quod dato, quod Summus Pontifex poſſet, et vellet privilegia remuneratoria revocare; teneretur principibus ſatisfacere ſervitia, propter quæ conceſſa fuerunt, et quod reges ex parte ſua præſtiterunt reſtituere, juxta communem opinionem, de qua idem Oliv. q. 13. n. 30. citans aliquos ſignanter, n. 43. cum Alex. conſil. 112. et 189. et dec. in c. *Quæ in eccleſiarum*, n. 21. de conſtit. et alios apud Gabr. cummun. *de non tollend. jur. quæſit.* concl. 1. n. 26. Gom. etiam in reg. *de non toll. jur. quæſ. q.* 15.

Reſpondet pariformiter, 1. Oliv. q. 14. n. 3. hoc etiam fundamentum non procedere, quia difficile erit probare, ſæculares principes aliquid de ſuo præſtitiſſe: nec de ſæculari juriſdictione in concordiis factis, quod reſtituendum ſit: tum quia ea communis opinio, ſecundum receptiorem, non habet locum, quando per conſtitutionem generalem jus aufertur alicui particulari, quia tunc ad ſatisfactionem non tenetur, ut ſupra in quæſt. præcedenti dixerat: tum quia ſervitia facta, quæ allegantur per doctores, non talia videntur, quæ faciant propterea privilegium tranſire in contractum: nam licet multas provincias ad fidem reduxerunt, etiam ſua regna, imperium, ditionemque extenderunt, ex quibus reditus coronæ regiæ in maxima quantitate auxerunt, et ex officio tenebantur, tanquam reges Chriſtiani, fidem catholicam facere obſervari in regnis ſuis, et provinciis, in ſuam redactis ditionem; unde difficillimum erit probare Summum Pontificem efficaciter eſſe obligatum ad talia ſervitia recompenſanda. De quo etiam iterum videndus D. eximius in cit. *Monomachia.*

X. Reſpondet, 2. et melius fortaſſe: Quia hæc ſatisfaciendi, vel compenſandi obligatio, dato, et non conceſſo, quod Pontifex ad eam teneretur, non impedit revocationem privilegii, quin utrumque ſtare poteſt, ut per ſe patet: quemadmodum ſupra diximus, non impedire principibus ſæcularibus providere recurſibus vaſſalorum ex notoria violentia ab eccleſiaſticis interpoſitis, notorium defectum conſimilis providentiæ pro ſimilibus recurſibus à notoriis violentiis judicum ſæcularium intentatis. Deinde, etiam ſuppoſita illa obligatione compenſationis in Summo Pontifice, ſi de facto privilegia abſque compenſatione revocaret, ad ſummum illicite procederet, non vero invalide; illa namque injuſtitia non auferret, aut annullaret poteſtatem revocandi. Vid. etiam Soar. cit. *Monomach.*

XI. Reſponderi etiam poteſt, 3. et efficacius, ac forſan ſolidius, ex doctrina ejuſd. Oliv. d. q. 13. n. 46. Summum ſcilicet Pontificem non poſſe, nec potuiſſe à ſe abdicare per quemcunque contractum, hanc poteſtatem revocandi privilegia quæcunque, etiam remuneratoria, et per quemlibet contractum conceſſa, data juſta cauſa, et publica, ut optime de more probat Soar. d. c. 34. n. 24. et fatetur idem Per. de man. reg. d. c. 6. n. 11. et c. 5. n. 6. ex reg. c. 1. de conſuetud. c. *Clerici*, de judic. tum *quia poteſtas eccleſiæ non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem*, ut 2 Cor. 13. 10. et alibi:

XII. Tum quia Pontifex prædeceſſor non ligat, nec ligare potuit manus Pontifici ſucceſſori, eandem poteſtatem eadem intenſione, atque extenſione à Chriſto Domino immediate recipienti, ad quicquid ſibi juſtum viſum fuerit exequendum, caſſandum, ac revocandum; tum ex ratione, quam tangit Per. d. c. 6. n. 2. ibi:

ibi: *Secundo facit, quia illa exemptio conceſſa principi ſæculari per concordiam, ex parte eccleſiæ liberaliter cenſetur fieri et gratuite:*

XIII. *Et ſemper ea ineſt conditio, ſi res in eodem ſtatu permaneat; ex quo fit, quod ſi talis conceſſio incipiat vergere in eccleſiaſtici ſtatus detrimentum, revocari valeat, cap. Suggeſtum, de decimis; quod etiam fieri poteſt libere, et ſine cauſa, quia tale privilegium non tranſit in dominium ſubditi, et ita ſemper pendet à voluntate principis, Panormi. deci. archidia. Felin. et alii, in cap. Novit, de judic. gloſſa in Clem. Dudum, de ſepultur. verbo Inſtante, Bald. in l. Qui ſe patris, c. Unde, lib. Gabriel. tit. de jure quæſito, concluſ. 7. n. 3. et 5. Soares de legib. lib. 8. cap. 37. n. 10.* Videndus in nuperrima *Monomachia* in reſponſ. ad dub. 5. objectatum à Gabr. Per. n. 19.

XIV. Arguit, 3. idem Per. c. 5. ſub n. 6. Jus canonicum eximens clericos à juriſdictione temporali, receptum nuſquam fuit in Hiſpania, et Luſitania, in iis caſibus, de quibus reges per ſe, ſuoſque miniſtros hodie, etiam legibus latis, cognoſcunt. Unde, cum § 15. bull. Cœn. ſit clauſula illa, *Præter juris canonici diſpoſitionem*; et ſecundum jus canonicum, lex non recepta non obliget, ut docet gloſſa, verbo *Frangere*, in fine *Communiter recepta* in cap. 1. *Detreuga, et pace*, plures refert, et ſequitur Suarius de legibus, lib. 3. cap. 19. à principio; recte fit conſequens, quod hæc privilegia in bulla non ſunt revocata.

XV. Reſpondet Oliv. d. q. 14. n. 6. hanc non receptionem nec juri ipſi canonico, nec naturali, aut humano conſonam eſſe; proindeque non receptionem illam nullam præbere excuſationem, ut oſtenderat q. 12. n. 20. ſeu n. 22. ibi: ex quibus infertur, legem regiam Luſitanam, l. 2. tit. 1. in princ. dum aſſerit, epiſcopos, et alios prælatos, clericoſque exemptos, et alias perſonas religioſas, quæ in regno judicem ordinarium non habent, ſuper bonis patrimonialibus, et damnis datis, ad forum ſæculare poſſe trahi; et eodem titulo, § ſecundo, ubi dicitur, poſſe clericos conveniri coram judice ſæculari intra annum et diem, pro quacunque vi, et ſpolio à clericis commiſſo, etiamſi res eccleſiaſtica ſit; in aliiſque paragraphis ejuſdem tituli, aliiſque locis, in quibus dicitur, ſeu ſtatuitur, clericos in cauſis civilibus, ibi expreſſis, ad judicium trahi poſſe ſæculare, de quibus inferius ſpecialiter ſuo loco agit; necnon uſum, et obſervantiam Franciæ, ſecundum quam clerici in actionibus realibus coram ſæculari conveniuntur, et in aliquibus criminalibus, aliorumque regnorum, et provinciarum, ſimiles leges, et obſervantias, ex vi conſuetudinis, etiam immemorabilis; defendi minime poſſe: quod ſatis clare intellexerunt ejuſdem regni ſcribentes, Faber. in § ultimo n. 8. inſtitutis ſatiſdationib. Offredus in repetitione Clementinæ primæ. Nec videtur, et in ſecunda regula, fallentia 4. de officio ordinarii, dum ſe excuſant ab impugnanda conſuetudine, ſeu uſu Franciæ, quia ille de regno, hic vero de corpore curiæ erant, quos citat, et ſequi videtur Boerius, deciſione 69. n. 20. Excuſatio autem hæc utrum ſit juſta, dicat quicunque mediocriter literatus; et miror doctiſſimum Covarruniam, dicto cap. 31. n. 5. eundem Franciæ uſum tot juribus, et doctorum traditionibus repugnantem, auſum non fuiſſe damnare. Hæc Oliv.

XVI. Et proſequitur ibidem, q. 12. ſub n. 22. oſtendens, nec poſſe prædictas leges, ſeu conſuetudines, prætextu ſcientiæ, et tolerantiæ Summi Pontificis defendi; quia Summi Pontifices ſemper clamârunt, et clamant (ut notat M. Soar. in noviſſima *Monomach.* cit. reſp. ad dub. 2. et 5.) expreſſe prohibentes, et irritantes ſtatuta, et leges ſæculares, atque conſuetudines omnes libertati, ac immunitati eccleſiaſticæ contrarias, nedum in jure canonico, c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. c. *Quoniam*, de *Immunit.* in 6. c. *Quicunque*, de ſent. excom. in 6. Concil. Trid. de reform. ſ. 25. c. 20. c. un. *de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiunt*, &c. verum, et annuatim in bulla Cœnæ; atque adeo principes, et eorum miniſtros contrafacientes, cenſuris affici, expreſſe, et in ſpecie docent Azor. de inſtit. mor. p. 1. l. 5. c. 12. Aug. Barb. Luſitanus in collectan. ad decretal. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. Marth. p. 4. c. 101. n. 10. Imo ex hac tolerantia, ſi daretur, non præſumeretur conſenſus Summi Pontificis; cum ſi non contradiceret, id faceret mere *permiſſive*, ex cauſa ſcilicet vitandi majoris mali; non vero *approbative*; quo caſu tolerantia nullum jus tribuit, nec à culpa, ac pœna excuſat, ut per Abb. in ſpecie in c. *Clerici*, n. 6. de judic. Surd. conſil. 301. n. 58. ubi alios citat, Azor. et Aug. Barb. ubi ſupr. affirmantes ex tali tolerantia non præſumi approbationem legum, et conſuetudinum in noſtro caſu; pro quo facit bonus text. in c. *Cum jamdudum*, 18. de præbend. ibi:

XVII. Cum multa per patientiam tolerentur, quæ (ſi deducta fuerint in judicium) exigente juſtitia, non debeant tolerari. Ubi gl. v. *per patientiam:* et tamen per talem patientiam non fit diſpenſatio: arg. ex c. *Super eo*, de cogn. ſpirit. et c. *Mulier.* de jur. jur. et arg. talis patientia voluntatem requirit, ff. *de tribu.* l. 1. &c.

XVIII. Pro quo etiam facit tolerantia Alex. III. ſuper tribus ex 6 articulis Henrici II. Angl. regis ab ipſo damnatis, de qua Stapleton. inferius per extenſum citandus; et confirmari poteſt ex doctrina Petri Blenſ. in ep. ad D. Thom. Cantuar. ibi: *In primitiva eccleſia ſola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam, dimitteretur etiam et pallium. Alius enim erat, et alibi idem extra eccleſiam, quæ perſequebatur; alius, et alibi idem intra eccleſiam, quæ patiebatur*, &c. infra n. 55.

XIX. Reſponderi poteſt, 2. Fruſtra fingi hanc non receptionem juris canonici in regno Luſitaniæ, cum certo conſtet, exemptionem clericorum, etiam quoad cauſas civiles, de jure canonico anteriorem, et antiquiorem eſſe ipſo Portugalliæ regno, inter omnia catholica Hiſpaniæ regna juniori, utpote anno 1139. in campo Orichienſi ſub Alphonſo I. per debellationem quinque regum Maurorum in pervigilio D. Jacobi, ipſomet Chriſto annuente, et ſacrorum ſtigmatum quinario ſtemmate muniente, exerto. Et quamvis bullæ Cœnæ tenor ſub Martino V. anno 1420. regno Luſitano jam ſub Joanne I. rege 10. adoleſcente, inceperit; attamen anteriores ſane erant reliquæ juris can. pro clericorum etiam in civilibus exemptione, notoriæ præcedentes ſanctiones, quibus bulla ipſa fundatur, ut c. *Si imperator*, ub. gl. d. 66. et c. 2. de major. et c. *Eccleſ. S. Mariæ*, et reliquis prælud. 6. et fatetur idem Per. de man. reg. c. 5. n. 2. *etiam quoad cauſas civiles*, ex ep. 6. Leon. I. et Alex. I. ann. 109. *ubi teſtatur à tempore apoſtolorum ita obſervatum*; et ann. 203. Cai. Pap. ep. ad Felic. et ann. 314. Sylveſt. Pap. in Concil. Rom. c. 4. Gelaſ. in c. *Chriſtianis*, et c. *Sylveſt.* 11. q. 1. et Concilia plura, ſignanter Chalcedon. et Tolet. 3. cap. 13. ubi puniuntur clerici ad ſæculares judices recurrentes; et ex Concil. Pariſienſ. refert c. 2. de foro competenti, et ex Concil. Lateranenſ. ſub Alexandro III. deduxit, cap. *Si clericus*, illo tit. et in Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. *Renovantur omnes ſanctiones apoſtolicæ in favorem eccleſiaſticæ libertatis inductæ*; et tandem in Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. de reformat. Hæc Per. cit.

XX. Reſp. 3. ex eodem Oliv. q. 12. n. 2. Quod Summus Pontifex ſuam poteſtatem, non à ſubditis, ut principes ſæculares, ſed à Chriſto Domino immediate accepit, ut q. 2. oſtenderat, et catholica aſſertio proclamat; ac per conſequens indubitatum exiſtit non poſſe ſubditos reſiſtere juri canonico, ſeu conſtitutionibus apoſtolicis ex capite legis non receptæ, ſi Summus Pontifex contradicat non obſervantiam, imo præcipiat obſervare. Sed de hoc etiam infr. c. 22. et 23.

Pro licitudine ex concordiis.

XXI. Arguit iterum, 1. idem Per. cit. c. 6. n. 4. ut dicit Oliv. q. 14. ſub n. 5. Quod in concordiis celebratis inter reges, et clerum, à ſancta Sede Apoſtolica confirmatis, non ſe habuit Summus Pontifex tanquam ſuperior, quia ex parte regum agebatur de juriſdictione temporali, in qua non eſt ſubditus; et ſic non fuerunt celebratæ inter ſubditum, et ſuperiorem: ac per conſequens non poteſt Summus Pontifex eaſdem concordias revocare.

Reſp. cit. Oliv. ibidem, hoc fundamentum etiam novum, et parvi momenti videri, et ei ſatis reſponſum

q. præ-

q. præcedenti, n. 45. ubi cavendum monet ab hac Per. doctrina ;

XXII. Quia neque Summus Pontifex, neque princeps ſæcularis, concordiam, ſeu tranſactionem facere poſſunt, tanquam privati ſuper hac re, cum materia pertineat ad publicum, ſed tanquam perſonæ publicæ, et reipublicæ capita ; princeps quidem, ut caput temporale ſuæ reipublicæ ſæcularis ; Pontifex, ut caput ſpirituale eccleſiæ, ſeu reipublicæ ſpiritualis, etiamſi concordia, vel tranſactio ſit ſuper materia ſpirituali, vel etiam ſuper temporali, qua Pontifex utitur in ordine ad bonum ſpirituale, vel ex vi ipſius juriſdictionis ſpiritualis, eminenter præcontinentis temporalem, vel ex vi juriſdictionis temporalis, quam etiam præcontinet in habitu, vel indirecte, ut communiter tenent DD. vel directe, licet ſecundario, ut cum D. Thom. Per. de man. reg. prælud. 2. n. 4. et aliis oſtendimus ſupr. prælud. 3. et videndus inſuper eſt D. exim. in nupera *Monomach.* in reſp. ad dub. 3. et 5. Gabr. Per. n. 12. et 19.

XXIII. Unde, concludit cit. Oliv. d. q. 13. ſub n. 45. cum poteſtas temporalis ſubdita ſit ſpirituali, licet diverſa ; et omnes principes Chriſtiani tanquam tales, ſeu tanquam privati, ſubditi ſunt Summo Pontifici, etiam in materia temporali, in ordine ad bonum ſpirituale ; non eſt dabilis caſus, in quo Romanus Pontifex, tanquam talis, faciat actum, ſeu contractum cum principe ſæculari Chriſtiano ſuper juriſdictione, in quo idem princeps ſubditus non ſit ; eſt de mente Suarii adverſus Angliæ errores, lib. 4. cap. 34. n. 23. Nec potuit Summus Pontifex à ſe abdicare poteſtatem hanc per quemcunque contractum, optime, ut aſſolet, Suar. dict. cap. 34. n. 24. ergo Romanus Pontifex poterit, data juſta cauſa, et publica, revocare privilegium prædictum principibus, etiam per concordiam, et contractum, conceſſum, ut idem Suar. docet dict. cap. 34. à n. 22. uſque ad fin. fatetur idem Caſtr. n. 11. dicto c. 6.

XXIV. Confirmatur ; quia princeps ſæcularis, ut talis, et ut dominus ſuæ juriſdictionis temporalis, et in ordine ad bonum ſuæ reipublicæ regimen, concordiam illam, ſeu tranſactionem celebravit cum Summo Pontifice, ut tali, et ut domino ſuæ juriſdictionis eccleſiaſticæ, vel etiam temporalis, in ordine ad bonum regimen eccleſiæ univerſalis, ſeu particularis, aliquorum ſcilicet regnorum catholicorum, vel in ordine ad illorum bonum ſpirituale : ergo, non ut perſonæ privatæ, ſed ut publicæ.

XXV. Arguit, 2. idem Per. cit. c. 6. relatus ab Oliv. d. q. 14. n. 7. quod in §§ 15. et 19. prædictæ bullæ Cœnæ, continetur tantum clauſula revocatoria generalis, non faciens mentionem contractuum ; unde ſuppoſito, quod reges Hiſpaniæ, Franciæ, et ſaltem Luſitaniæ, privilegium habeant per viam contractus, ſeu concordiæ, qui contractus oneroſi videntur ; per clauſulas generales non facientes ſaltem generalem contractuum, ſeu concordiarum mentionem, revocata non cenſentur. Ratio eſt, quia clauſulæ illæ generales, *Non obſtantibus*, non comprehendunt privilegia per contractus, ſeu viam contractus conceſſa, ut Nav. Salzed. Suar. ſupra citati ſentiunt, ſentiunt etiam doctores in cap. 1. *de reſcriptis*, Ruin. conſilio 29. n. 4. et 5. vol. primo, Caſtr. dict. cap. 6. quod veriſſimum eſt ex eo, quia ex tali privilegio per viam contractus conceſſo, acquiritur jus revocabile, ut oſtenderat ſupra in quæſt. præcedenti ; et princeps per generales cauſas, non faciens de contractibus mentionem, non cenſetur jus ex eis quæſitum, quinimo, nec aliunde, auferre, ut per Rebuf. in praxi, tit. *De reſcripto etiam perinde valere*, n. 28. probat textus in l. ſecunda, § *Siquis à principe*, ff. *Nequid in loco publico*, et in cap. *Super eo*, de offic. deleg. et ibidem Abb. in noſtris terminis in cap. 1. *de reſcriptis*, ſequitur Felin. ibi, n. 3. verſiculo limita 4. Ruinus, conſilio 167. n. 21. vol. primo, Gom. in Reg. *De non tollendo jur. quæſit.* quæſt. 2. Gabriel. com. lib. 3. tit. eod. concluſione 1. n. 29.

XXVI. Reſpondet Oliv. d. q. 14. n. 8. præter clauſulas illas revocatorias generales contentas in §§ 15. et 19. eſſe aliam ſpecialem in fine d. bullæ Cœnæ, § 25. quæ incipit, *Non obſtantibus* (et eſt quæ ſuperius per formalia tranſcripta jacet, n. 3.) faciens expreſſam mentionem de privilegio *per viam contractus*, ſeu remunerationis conceſſo ; et certum in jure eſſe, poſſe principem (præcipue per generalem conſtitutionem ex cauſa, quæ in principe in his terminis præſumitur) revocare, ſeu tollere jus quæſitum, etiam ex ſuo contractu, ut ultra ea, quæ dixerat quæſtione præcedenti proxima, fatetur in noſtris terminis Caſtr. d. cap. 6. n. 17. neque princeps (præcipue Summus Pontifex) à ſe poteſt hanc publicam poteſtatem abdicare, ut in præcedenti quæſtione oſtendit : unde reſtat inquirere utrum noviſſimæ bullæ habeant eaſdem, vel ſimiles derogatorias clauſulas ; ex hoc enim dependet deciſio : et ne in dubium venire poſſit, utrum illa clauſula in fine poſita referenda eſſet ad omnia præcedentia, eadem bulla hoc expreſſit ; ibi : *Per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur, juvare valeant, vel tueri.*

Vide quoad hæc expreſſam mentem M. Soarii D. facile eximii, in reſponſionibus dubiis objectatis à Gabr. Per. de Caſtr. in cit. *Monomachia* noviſſime edita ann. 1738. ſignanter dub. 4. et 5.

XXVII. Arguit, 3. cit. Per. d. c. 6. n. 19. Quod Sebaſtianus rex Luſitaniæ deſideratus, anno 1574. impetraverit à Gregor. XIII. breve quoddam incipiens *Exponi nobis*, quod ipſe integraliter tranſcribit ſub n. 16. quo quidem eidem regi Pontifex permittit ſuis legibus uti, uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, abſque cenſurarum metu : *Quæ clauſula*, inquit, *et facultas non extinguitur morte concedentis, cum referatur ad beneplacitum Sedis, quæ nunquam moritur, text. in cap. Si gratioſe, de reſcript. lib. 6. ibi : Secus autem, ſi ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia conceditur prædicta : tunc enim, quia Sedes Apoſtolica non moritur, durabit perpetuo, niſi à ſucceſſore fuerit revocata, Caſſador. deciſ. 3. n. 1. et 2. de conſtitut. Mandoſ. in regul. 1. cancel. quæſt. 1. et 10. n. 15. Puteus, deciſ. 190. in fin. lib. 3. Gabriel. lib. 6. commun. tit. de præbend. concluſ. 1. n. 10. Gonzales, gloſſa 12. n. 6. et ſeqq.*

XXVIII. Sed contra eſt, 1. Tenor, onus, limitatio, et reſtrictio ejuſdem clauſulæ, quæ ſic ſe tenet : *Cum autem neque ex literis Majeſtatis tuæ, neque ex relatione tuo nomine nobis facta, intelligere potuerimus, quid legibus, et privilegiis prædictis caveatur, adduci non potuimus (licet alioquin animo ſimus erga te propenſiſſimo) ut ea probaremus, maxime cum de animarum ſalute agatur, quorum nullam penitus notitiam habemus ; quam ſi haberemus, quod tibi nunc non concedimus, fortaſſe non denegaremus : quocirca Majeſtatem tuam hortamur, ut quamprimum dictas concordias, confirmationes, leges, et privilegia ad nos mittere cures ; quibus per nos viſis, et paterno affectu conſideratis, eam rationem inire ſtudebimus, qua tuæ, tuorumque conſcientiæ ſecuritati, et tuorum regnorum tranquillitati conſulatur : nos benevolos erga te exhibere curabimus, ut tuæ erga nos, et hanc ſanctam Sedem, pietatis et obedientiæ te minime pœniteat. Interim vero Majeſtatis tuæ votis, quantum cum Deo poſſumus, aliqua ex parte ſatisfacere cupientes, tibi, et tuis judicibus, ac miniſtris, ut legibus prædictis, et privilegiis uti, et ſecundum illas, et illa procedere, judicare, exequi, prout hactenus (non tamen in contemptum) ſine controverſia uſi eſtis, dummodo Sacri Concilii decretis non contradicant, ad annum, et ulterius ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, abſque cenſurarum in dicta bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta contentarum, incurſu, valeatis, tenore præſentium, de benignitate apoſtolica concedimus, et indulgemus : volumus autem per hoc nullam tibi de novo juriſdictionem acquiri, contrariis quibuſcunque non obſtantibus*, &c.

XXIX. Ubi notabilem exhortationem illam, *Ut quamprimum dictas concordias*, &c. et limitationes illas—*Interim*, et *ad annum* ; necnon notabilem illam reſtrictionem, *Dummodo S. Concilii* (Tridentini puta) *decretis non adverſentur* ; et reliqua ibidem, et infra notanda : ex quibus———

Colliges, 1. Clauſulam illam, *ad annum, et ulterius ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*, fuiſſe conceſſam dependenter ab onere illo, ſeu ab adimpletione conditionis, aut diligentiæ illius in ea exhortatione expreſſæ : *Ut quamprimum dictas concordias, confirmationes*, &c. *ad nos mittere cures* ; *et interim* dumtaxat, *ad annum, et ulterius* (ſi intra annum diligentia illa

illa perfici, et adimpleri fortaſſis non poſſet) *ad proprium, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*, legibus prædictis, et *privilegiis* uti indulget. Unde conceſſio illa extendi nequit ad tempus perpetuum, quo Apoſtolica Sedes non moriatur, cum ſpecifice, et expreſſe limitetur à reſtrictionibus illis, *Interim, et ad annum*, et ulterius *ad beneplacitum*, ſeu ad tempus congruum, et bene viſum (limitatum tamen) pro onere, ac diligentia illa *quamprimum dictas concordias mittendi*, adimplenda.

XXX. Colliges, 2. Ex ipſamet regia expoſitione, intellexiſſe piiſſimum regem Sebaſtianum, ſibique, ac ſuis conſultoribus, atque miniſtris perſuaſum habuiſſe, quod *verborum* d. *bullæ Cœnæ tenore inſpecto, abrogari* penitus, et abſolute, abſque ulla modificatione, aut limitatione, illas *leges regni, antiquiſſimo uſu receptas, privilegiaque conceſſa*; proindeque indultum prædictum præfatis legibus, ac privilegiis utendi ſupplicâſſe, per expreſſam declarationem (quæ hactenus non emanavit) quod in bulla Cœnæ Domini non comprehenderentur, ut ex formalibus verbis præmiſſi brevis evincitur; ibi: *Quare nobis humiliter ſupplicari curâſti, ut attentis præmiſſis, leges, et privilegia prædicta, in bulla Cœnæ Domini non comprehendi, decernere, et declarare*, &c.

XXXI. Colliges, 3. In animo regio, ac pio præfati Sebaſtiani regis, adeo bene fundatum, ac radicatum permanſiſſe juſtum ſcrupulum perſuadendi ſibi, aut ſaltem prudenter dubitandi, an per bullam Cœnæ prædictæ leges, privilegia, ac concordiæ abſolute abrogarentur, ut illarum uſum interdixiſſet, donec Summum Pontificem conſuleret, et ab eo requiſitam, et optatam declarationem ſpecialem obtineret. Verba ſunt præjacti brevis per formalia: *Nedum putâſti, abſque mentis noſtræ declaratione ſpeciali, verum etiam legum, et privilegiorum hujuſmodi uſum, donec nos conſuleres, forſan interdixiſti.*

XXXII. Colliges, 4. Ex notorio defectu requiſitæ, ac ſupplicatæ declarationis, potius præſumi defectum etiam illius conditionis, ſeu diligentiæ adimpletionis, in exhortatione illa contentæ, *ut quamprimum dictas concordias*, &c. quam econtra præſumitur ejuſdem executio, ut diſcurrit cit. Per. n. 18. dicens: *Si præſumptioni locus eſſe poteſt, ita præſumendum eſt, factum extitiſſe*: Et hinc——

XXXIII. Colliges, 5. Contra eundem Per. ſub n. 19. non eſſe neceſſe, ut dictæ conſuetudines ſublatæ cenſeantur per bullam Cœnæ, ut in ipſa hujus apoſtolici indulti, et beneplaciti fiat ſpecialis mentio, et ſpecifica derogatio; alias enim ſemper durabit ex dict. cap. *Si gratioſe*, ibi: *Niſi à ſucceſſore fuerit revocata*, &c.

XXXIV. Nam, 1. Indultum hoc, et beneplacitum apoſtolicum, non abſolutum, ſed reſtrictum, limitatum, et interinum utique eſt; ut ex verbis illius liquet. 2. Per illam ſpecialem, et expreſſam clauſulam derogatoriam præmiſſam, in § 25. d. bullæ Cœnæ contentam ſatis ſuperque indultum hoc, *et privilegia quæcunque, generalia, vel ſpecialia, per viam etiam contractus, ſeu remunerationis conceſſa*, abrogantur. 3. Ex ratione immediate in ſequenti corollario 6. attacta, cui etiam præſumptioni favet, quod ſubſequenti anno 1578. rex ipſe diſparuerit.

XXXV. Colliges, 6. Indultum hoc conceſſum fuiſſe cum illa conditione, limitatione, ac reſtrictione expreſſa: *Dummodo Sacri Concilii* (Tridentini nuper editi, ann. videlicet 1565. puta) *decretis non contradicant.* Contradicit autem prædictarum legum, concordiarum, et conſuetudinum uſus ipſimet Sacro Concilio Trid. ſeſ. 25. de reform. c. 3. et 20. et ſeſ. 24. c. 10. et 20. et alibi; proindeque præfatum indultum inefficax, et abſque effectu evaſiſſe: nam dictio illa *Dummodo*, præcedentia reſtringit, et modificat: l. *Lucius*, § *Quæ habebat*; et l. *Ita tamen*, ff. ad Trebell. et coarctat diſpoſitiones ſecundum qualitates appoſitas, Rotta apud Paul. de rub. dec. 29. n. 31. tom. 2. alias 6. recent. et ſive iſta dictio faciat modum, ſive conditionem, ſemper requiritur, quod adimpleantur ea, quibus ipſa dictio adjungitur; alias, ſi non interveniunt, actus corruit, nec conſequitur effectum. Rebuf. in comment. ad leg. majore parte verſ. *Verum.* Paris, concil. 95. n. 44. volum. 2. Ancar. concil. 169. n. 2. et alii, ap. Barb. de dictionibus, dict. 96. n. 8. et 9.

XXXVI. Confirmatur ex doctrina ipſiuſmet Per. cit. c. 5. n. 2. ubi fatetur, quod licet antiquiſſimam ſupponamus hujus regni conſuetudinem, multo antiquior exiſtit clericorum exemptio à ſæculari juriſdictione, quoad bona, et cauſas civiles, utpote quæ cum ipſa eccleſia catholica incepit, ex teſtimoniis ibidem relatis, et ſuperius tranſcriptis, n. 17. et ſeqq. Ubi tandem refert decretum Concilii Trid. de reform. cit. ſeſ. 25. c. 20. ergo, hujuſce concilii decretis regni noſtri præfatæ leges, ac conſuetudines contradicunt. Ergo, ſuppoſita reſtrictione illa *Dummodo*, &c. non intelliguntur confirmatæ, per præmiſſum indultum regi Sebaſtiano conceſſum, neque illarum uſum permiſſum, etiam *interino tempore*, quo *quamprimum* exhibendæ forent; et etiam limitate *ad annum*, et *ulterius ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*: cum dictio illa conditionalis *Dummodo*, &c. excluſiva ſit ejuſdemmet gratiæ conceſſæ, non verificatis, atque adimpletis conditionibus, ac reſtrictionibus, ſub quibus conceſſa eſt, juxta modo tradita, n. 29.

XXXVII. Confirm. 2. Quia Portugalliæ, ſeu Luſitaniæ regnum, fidem, leges, et traditiones eccleſiaſticas, et apoſtolicas accepit ab Hiſpaniæ apoſtolis, nempe à D. Paulo Jacobo Majore, et ab utriuſque diſcipulis, ut hiſtoriæ eccleſiaſtica et Hiſpanica aperte narrant, et nos ſupr.

Atqui juxta communem doctrinam, et ipſiuſmet Per. cit. c. 5. n. 2. clericorum exemptio, quoad bona, et etiam quoad cauſas civiles, cum ipſa eccleſia incepit, et à tempore apoſtolorum obſervata fuit: ergo Portugalliæ regnum cum fide ipſa accepit ab apoſtolis, et eorum diſcipulis, eccleſiaſticas leges, ac traditiones; proindeque inter eas etiam leges clericalis exemptionis; quibus etiam longe lateque favebant leges imperiales jam promulgatæ, ut celebre illud factum, et effatum, Conſtantini Magni, relatum in can. *Sacerdotibus*, 11. q. 1. et auct. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et cleric. et à DD. paſſim recolitum: ergo, &c.

Et certo certius eſt, jam præexiſtere ſacros codices, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti, quos ab apoſtolis etiam Luſitania accepit, in quibus ſat aperte continetur, et decernitur immunitas, et exemptio clericorum, ut Gen. 47. Levit. Num. 3. 18. et 45. Matt. 17. Pſ. 104. et alibi: de quo ſup. prælud. 6. quo et confirmatur, 3. ex infra dicendis n. 45. c. 22, 23. et ſuperius, c. 19.

XXXVIII. Contra eſt, 2. Quia idem Per. cit. c. 5. et 6. mordicus defendit licitudinem legum Luſitanarum, non ex titulo privilegii, ſed ex titulo immemorialis conſuetudinis per concordias confirmatæ; et graviter invehitur in Valaſc. qui conſ. 141. n. 11. dicit, *leges regias, l. 2. tt. 1. ſuſtineri contra jus canonicum ex privilegio præſumpto.* Nam cum aſſentiatur, Summum Pontificem ex juſta cauſa poſſe revocare quodlibet privilegium gratioſum, etiam remuneratorium, ut c. 6. et conſtanter negat hoc de concordiis, per viam contractus celebratis; idcirco, ut defendat irrevocabilitatem legum, ac conſuetudinum Luſitanarum, recurrit ad concordias, Pontificia auctoritate confirmatas. Ex quo ſic redarguitur: quia licet privilegium gratioſum, aut remuneratorium, illam clauſulam ſecum deferret, *ad annum, et ulterius ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*; non diceret Per. quod privilegium hoc non revocabile, neque reſtrictum, limitatum, et temporale, et in perpetuum pro duratione ipſius Sedis Apoſtolicæ, quæ non moritur, duraturum, et quod morte concedentis non expiràſſe: ergo pariformiter, &c.

XXXIX. Contra eſt, 3. Quia, ut reſpondet Oliv. d. q. 14. n. 16. magna eſt inter DD. diſputatio, an quando utrumque beneplacitum exprimitur, ut in clauſula illa, *ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*, expiret privilegium morte concedentis? et inter opiniones diverſas Gemin. in c. *Si gratioſe*, de reſcriptis in 6. ſic diſtinguit, n. 6. Aut exprimitur utrumque alternative; nempe, *Ad noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*: et tunc morte Pontificis concedentis expirat, quia in alternativis ſufficit unum adimpleri; aut copulative; nempe, *Ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*; et hæc eſt forma noſtri reſcripti, ſeu gratiæ: et tunc, aut materia talis eſt, quæ ad ſucceſſorem tranſire ſoleat, ut in officiis perpetuis concedendis;

dendis; et non expirat morte concedentis; aut materia non ſolet ad ſucceſſorem tranſire: et tunc, ſi fiat motu proprio, etiam morte non expirat; quia lata fuit interpretatio in favorem ejus, cui gratia facta eſt, pro quo eſt textus in c. *Si pluribus*, de præben. lib. 1. Si autem non eſt facta motu proprio; ſervatur ordo literæ, ſeu ſcripturæ, hoc eſt, quod ſi prius fiat mentio Sedis Apoſtolicæ, non expiret; ſi vero prius fiat mentio Pontificis concedentis, ejus morte expiret, cum hac doctrina tranſit ibi Franc. n. ult. ſequitur doctiſſ. Sanch. de matr. lib. 8. diſp. 28. n. 60. Unde, ſecundum hanc doctrinam, apoſtolica conceſſio, de qua agimus, morte Papæ concedentis expiravit, quia utriuſque facta eſt mentio, hoc eſt, ad libitum concedentis, et Sedis Apoſtolicæ, *copulative*; et prius facta fuit mentio beneplaciti Pontificis, quam Sedis Apoſtolicæ; gratiaque, non motu proprio, ſed ad inſtantiam partis emanavit: et licet materia talis eſſet, quæ ad ſucceſſores tranſire ſoleat, ea conjectura locum haberet, cum confirmatio in forma fuiſſet conceſſa, non vero ex gratia, *pro interim*; imo aperte ex indulto conſtat, mentem Pontificis fuiſſe gratiam non facere perpetuam, ſed temporalem, et morte ſua extinguendam, ut patet ex eadem conceſſione, quia tantum pro interim *(dum leges, et privilegia ei non exhiberentur*, quas voluit exhiberi) facta fuit: nam ſi gratia, de qua agimus, quatenus concedebat, ut poſſet rex ſuis legibus, et privilegiis uti, donec exhiberentur, morte non expiraſſet Pontificis, ſiquidem realis forte reputanda erat; non eſſet neceſſaria alia legum, et privilegiorum confirmatio, quia leges, et privilegia nunquam exhiberentur, contra manifeſtam ejuſdem Pontificis mentem: et ideo (quicquid putaverit Caſtr. ubi proxime) non poſſunt judices regii ex hoc indulto fundamentum, ſeu excuſationem capere caſu, quo talis gratia neceſſaria eſſet.

XL. Arguit, 4. Idem Per. d. c. 6. n. 17. relatus ab Oliv. d. q. 14. n. 10. quod in eadem conceſſione Pontifex aſſerit, et fatetur, ſe nullam notitiam habere legum, concordiarum, et privilegiorum ejuſdem regni; ergo non cenſentur revocata, quia clauſula, quantumcunque *generalis*, non trahitur ad incogitata, et incognita, ut per Menoch. conſil. 335. n. 12. Val. conſil. 169. n. 12. ita arguit Caſtr. de man. reg. p. 1. c. 6. n. 17.

XLI. Sed contra, 1. Quia, ſi Pontifex atteſtatur, ſe nullam penitus notitiam prædictarum legum, et concordiarum habuiſſe; et hoc verum eſt, ut ſupponitur: ergo perperam *recufrit* Per. c. 6. et alii, ad ſcientiam, et patientiam Papæ. Contra, 2. Quia adeo certum eſt, ut hæc ſcientia, et patientia in Summis Pontificibus nunquam præextitiſſe, ut Sebaſtianus ipſe eam Gregor. XIII. non allegaverit, ſed ſcientiam, et patientiam nuntiorum dumtaxat, ut in formalibus verbis præmiſſi diplomatis legitur: *Videntibus, et patientibus Apoſt. Sedis in regnis ipſis nuntiis.*

XLII. Unde reſpondet, 1. Oliv. n. 11. d. q. 14. Hoc etiam fundamentum non ſatisfacere, neque bonum juris fomentum habere. Nam clauſulæ præfatæ bullæ ampliſſime exiſtunt, ut patet ex eis; et dum expreſſe Summus Pontifex de privilegiis remuneratoriis, et per viam contractus principibus conceſſis, facit mentionem, ſatis ſuam exprimit voluntatem; quod, ſcilicet, ubicunque regibus, ſeu regnis talia privilegia conceſſa eſſent, etiam per viam contractus revocata remanerent, et in claris non eſt locus conjecturis, l. *Continuus*, 137. § *Cum ita*, ff. *De verbo.* Neque in his terminis trahitur voluntas ad incognita, et incogitata; quia ſatis conſtat in genere de privilegiis principum ſæcularium cogitaſſe Summos Pontifices, ſiquidem eorum in genere fecerunt mentionem: nam licet Romanus Pontifex dicat in dicto indulto, ſe non habere notitiam ſpecialem hujus regni (prout aliorum regnorum, etiam non habebit) ſufficientem ad hoc, ut ea ex certa ſcientia confirmare poſſet; non tamen dicit, nec dicere potuit, quod de eis in genere non poterat cogitare, prout cogitavit in dicta bulla Cœnæ Domini; et ſufficit, quod in his terminis privilegium, etiam per viam contractus, fuiſſet in genere cogitatum, ut per Bartolum in l. *Sub prætexta*, 29. per textum ibi, et in l. *Si de certa re*, 21. codice *de tranſaction.* Gabr. qui plures citat, commun. titulo *de regul. juris*, concl. 4. in principio, et per tot. Menoch. *De præſumption.* lib. 3. præſumptione 151. n. 19. cum ſequentibus, ubi alios citat; ſic declarans eorum opinionem, qui aſſerunt, ampliſſimam clauſulam incognita, et incogitata comprehendere: ſequitur Valaſc. conſult. 39. n. 6. Aliter enim nulla privilegia, etiam gratioſa, per prædictam bullam eſſent revocata, quia Summus Pontifex eorum nullam habet notitiam in ſpecie, quod eſt abſurdum.

XLIII. Pro inſufficientia autem regni nuntiorum, nota hic opportune, quod ſcribit Thom. Staplet. de rebus geſtis D. Thom. Cantuar. archiepiſc. *Vetus*, inquit, *ille fuit regum Anglorum morbus (maxime ab annis quingentis, quo ferme tempore Gulielmus Normaniæ dux Angliæ regnum vi occupans, victoriis jus ſequutus, gravius id ſubjectum tenuit, quam ulli præcedentes Anglorum reges) ut quemadmodum populi privilegia, ac libertates magis, ac magis ſemper imminuebant, unde in illo regno frequentiſſimi leguntur tumultus populares, et legum regis Edvardi (quæ ante Gulielmum Normanum vigebant) frequens flagitatio; ſic etiam cleri immunitates, privilegia, et exemptiones, quibus videlicet jus ſuum regale violari exiſtimabant, omnibus modis vel abrogarent, vel certe magis ſemper, ac magis imminuerent. Hunc autem animi morbum in regibus Anglorum auxit, vel procerum inſtigatio, et adulatio, vel ipſius cleri ignavia, et timiditas, vel etiam interdum legatorum Sedis Apoſtolicæ nimia remiſſio, et indulgentia. A qua certe hujus mali originem profluxiſſe notavit Polydorus rerum Anglicarum ſcriptor accuratus.*

XLIV. Reſpondet, 2. n. 12. Quod in bulla Cœnæ poſt exuberantes clauſulas derogatorias privilegiorum, etiam per viam contractus, et remunerationis, appoſita eſt etiam clauſula, *Quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur*; quæ clauſula ſufficiens eſt ad deroganda omnia privilegia, etiam habentia clauſulam derogatoriam derogatoriarum, etiamſi nullam in ſpecie notitiam princeps haberet; quam opinionem amplectitur, et in tribunali Rottæ receptam (quia per ea pluries judicatum) aſſerit, Caſſador. deciſ. 10. n. 2. ſuper regulis cancellariæ, Felin. in cap. *Accedentes*, n. 5. *De reſcriptis*; plures citat Gabr. tit. *De clauſulis*, concluſione 5. n. 12. plures etiam DD. Rottæque deciſiones citat, et ſequitur Gonzal. in reg. 8. gloſſa 36. n. 29. Seſſe, deciſ. 93. aſſerentes omnes, hanc clauſulam inventam fuiſſe, ut aliqua via eſſet, qua Papa poſſet derogare gratiis præcedentibus, de quibus notitiam non habet: nam alias nimis arctaretur, ſi propter ignorantiam revocare non poſſet, à qua ſententia hodie eſſet temerarium recedere, licet aliqui antiqui minus bene contrarium aſſeruerint.

XLV. Ad calcem hic adnotare licebit, primo, Doctrinam gratioſi Uberti de citation. c. 4. ubi n. 97. ad allegata privilegia ſic adverſus Covarr. reſpondet: *Quantum ad aſſerta privilegia regibus conceſſa, omnino inveroſimile eſſe, quod fuerint conceſſa hujuſmodi privilegia apoſtolica contra jus divinum, quia, ut ſupra diximus, clerici exempti ſunt à laicis jure divino, et à Summis Pontificibus propter Deum, cap. Si imperator*, 96. *diſt. et ibi, gloſ. in verb. Et diſcuti, cum alii ſaddu&tis per Innocent. in cap. Siquis decretum, de major. et obed. n. 1. Et propterea Papa non poteſt facere legem, quod clerici conveniantur coram judice ſæculari, gloſ. in cap. Imperator*, 96. *diſtinct. Zabarel. in cap. Perpendimus, de ſent. excom. in repet. Rom. ſingul. 419. Sed an poteſt Papa; et addent ad illum plura allegant. et privilegium rationi, et æquitati contrarium, eſt de falſitate ſuſpectum; et non præſumitur emanaſſe à principe, cap. Cauſam quæ, et ibi, gloſ. Abb. Felin. et alii de teſtibus; et per bullam in Cœna Domini ſublata ſunt omnia privilegia, ut in ea.*

XLVI. Adnotare, 2. licebit, et per extenſum tranſcribere, Tres ultimos articulos conſtitutionis Henrici II. Angliæ regis, ex ſex damnatis ab Alex. III. videlicet, *Quartum, Quod non liceat epiſcopo coercere aliquem de perjurio, vel læſa fide. Quintum, Quod clerici trahantur ad ſæcularia judicia. Sextum, Quod rex, et alii laici tractent cauſas de decimis, vel eccleſiis.* Et quæ ſuper his ſcribit Stapleton. de reb. geſt. S. Thom. Cantuar. *Hos, inquam, tres*, ait, *dum pax, et concordia inter archiepiſcopum, et regem inirctur, propter bonum pacis,*

pacis, et ſperans fore ut in illis rex eum modum teneret, quem Chriſtianum principem tenere par erat, Summus Pontifex tolravit ad tempus, et diſſimulare non eſt gravatus; nunquam autem probavit, nunquam collaudavit, ut aliqui ex noſtris erranter dicunt. Sed vero tres illos alios, ut manifeſte impios, et peſtilentes, maximeque in Chriſtum, et in totam hierarchiam eccleſiaſticam ab eo inſtitutam, contumelioſos, prorſus et expreſſe damnavit: ſimulque D. Thomæ juſtam contradictionem, veroque paſtore dignam comprobavit. Iſti igitur articuli, in quibus tum primatus ipſe Sedis Apoſtolicæ, tum eccleſiaſtica poteſtas, et juriſdictio ab ipſo Chriſto Salvatore conceſſa, non vel ab apoſtolis, vel eorum ſucceſſoribus ob neceſſariam politiam inſtituta (quod tamen tale eſſet, ut à nullo rege violari deberet) graviter vulnerata, et violata fuit, odii, et diſſenſionis inter D. Thomam et regem Henricum cauſa extiterat.

Pro licitudine ex conſuetudine.

Præmonitum omnino lectorem velim, errores, et ſchiſma Anglicanum ab hac una radice, prætenſæ, ſcilicet, *conſuetudinum regni obſervantiæ*, pullulâſſe, ut conſtat ex epiſtola S. Thomæ Cantuar. infr. n. 58. tranſcripta.

XLVII. Argues igitur adhuc, 1. pro eodem Per. de man. reg. c. 6. n. 4. relato ab Oliv. q. 14. n. 5. quod invictiſſimi reges Luſitaniæ, circa ſuas obſervantias in hac materia, non fulciuntur privilegio, ſed conſuetudine immemoriali per contractum firmata: unde non comprehenduntur in clauſulis bullæ Cœnæ privilegiorum revocatoriis. *Quare* (addit) *nemo dicet ex tranſactione, et contractu, exire privilegium; repugnat enim, juxta ipſum, contractus naturæ, ex eo reſultare privilegium.*

XLVIII. Reſpondet Oliv. cit. n. 5. hoc etiam fundamentum novum eſſe, et non multum cogere: nam aut agimus de privilegio gratioſo; et tunc bene convincit fundamentum, quia repugnat naturæ contractus oneroſi, quod privilegium per viam contractus ejuſdem conceſſum, ſit gratioſum; aut agimus de privilegio remuneratorio, et per contractum oneroſum conceſſo; et tunc fundamentum hoc non eſt verum; et ſufficit, quod ſit omnium doctorum utriuſque juris, canonici ſcilicet, et civilis, imo etiam theologorum, qui de hac re egerunt, aſſerentium, ex contractu reſultare privilegium, et ſic privilegia paſſim per contractum concedi, de quo late egerat in præcedenti quæſt. et temerarium putat, hos omnes emendare, præcipue cum idem fateatur, ſe loqui contra doctores regni, qui leges de materia loquentes ex privilegio defendunt: et confeſſus eſt rex Sebaſtianus, ut ipſe refert in d. c. 6. n. 16. verſic. *Chariſſimo in Chriſto*, in fin. non enim repugnat privilegio, et contractus naturæ, ut in contractu concedatur privilegium: vel per viam contractus, ut aſſerit de mente omnium doctiſſimus Suar. adverſus Angl. error. lib. 4. cap. 34.

XLIX. Arguit, 2. prælud. 3. et cap. 5. an. 3. juxta Oliv. d. q. 12. ſub n. 22. Quod conſuetudo immemorialis vim habet privilegii, et ei æquiparatur, ex l. *Ex hoc jure*, § *Ductus aquæ*, ff. Aqua quotid. et æſtiv. et ex c. *Super quibuſdam*, de verb. ſignif. et c. *Cum contingat*, de for. compet. ubi DD. communiter. Deinde habet etiam vim dandi juriſdictionem, ex d. c. *Cum conting.* ub. gloſſ. Unde, cum hæc conſuetudo in regno Portugalliæ cognoſcendi reges de aliquibus cauſis clericorum, inceperit poſt Hiſpaniam à Mauris occupatam, prout magis reipublicæ naſcentis quies, et ſtatus poſtulabat, hæc conſuetudo ignota principi paulatim excreſcens, immemorialis evaſit, prælatorum aſſenſu, et Summorum Pontificum approbatione, ſaltem tacita, quia conniventibus oculis eam tolerabant; et licet olim talis conſuetudo reperiretur prohibita; jam ex hac nova, et inopinata cauſa, legiſlatori ignorata, potuiſſet incipere, et fieri rationabilis.

L. Sed contra, 1. Quia in præmiſſo diplomate Gregor. XIII. ad regem Sebaſtianum, expreſſe fatetur, ac proteſtatur Summus Pontifex, *ſe nullam penitus notitiam illarum legum, et conſuetudinum habuiſſe.* Nec Sebaſtianus ipſe eidem allegat ſcientiam, et patientiam Summorum Pontificum, ſed nuntiorum ejus dumtaxat; ibi: *Videntibus, et patientibus Apoſt. Sedis in regnis ipſis nuntiis.*

LI. Contra, 2. Quia, ut reſpondet Oliv. ſub n. 22. d. q. 12. nulla in hoc datur vera tolerantia Summi Pontificis; et ſi daretur, non præſumitur ejus conſenſus; et ſi non contradiceret, id faceret cauſa vitandi majoris mali, ut ex c. *Cum jamdudum*, de præbend. et ex aliis rationibus ibidem ab Oliv. expenſis, et ſuperius n. 16. tranſcriptis.

Contra, 3. Quia, juxta ipſum Per. prælud. 3. n. 12. eadem eſt canonum reſervatio, quoad criminales, et civiles cauſas clericorum: atqui in criminalibus, neque quoad omnes, neque quoad aliquas cauſas, poteſt introduci conſuetudo, ut judex laicus de illis valide ac licite cognoſcat, ut fatetur idem Per. ibid. n. 5. ergo neque quoad aliquas cauſas civiles.

LII. Contra, 4. Quia licet, juxta ipſius doctrinam ibidem, minus dedecus, et minor injuria, atque indecentia reperiatur in pulſatione clericorum coram judice laico in civilibus, quam in criminalibus; attamen aliqua injuria, dedecus, atque indecentia reperitur, ut ipſe innuit d. n. 5. et 12. Deinde æqualis eſt pro utriſque cauſis ſacrorum canonum prohibitio, atque reſervatio; et immunitas, atque libertas eccleſiaſtica non ſolum læditur per cognitionem judicis laici in criminalibus, ſed etiam in civilibus: ergo ſicut, ut ipſe aſſerit n. 6. ratio fundamentalis illicitudinis, atque invaliditatis iſtarum conſuetudinum eſt, *Quia eccleſiæ offendunt libertatem, quæ expoſcit, ut clerici in ſuo foro conveniant, et apud ſuum judicem*, c. *Cum ſit generale de for. comp. cum ſimilibus*; *et ſuccedit reg. c. 1. et ult. de immunit. in* 6. *DD. in auct. caſſa, et irrita, cod. de ſacroſ. eccleſ.* ergo æqualiter datur læſio, atque offenſio libertatis eccleſiaſticæ, in convenientia clericorum apud judicem, et forum laicalem in criminalibus, quam in civilibus.

LIII. Unde reſpondetur ex Oliv. q. 12. à n. 6. uſque 14. omnem conſuetudinem contra libertatem, et immunitatem eccleſiaſticam nil valere, cum eo ipſo irrationabilis ſit utique, et multo fortius ſi reprobata fuerit, ut per Felin. in c. *Cum conting.* de for. compet. n. 5. ub. plures citat, Gabr. de præſcript. concl. 1. n. 27. conſuetudo autem trahendi clericos ad judicium ſæculare tam in criminalibus, quam in civilibus, eſt aperte naturali rationi diſſona, et utrique juri tam divino, quam humano, manifeſte contraria, ut patet ex c. *Clerici*, 8. de judic. quod quidem licet in criminalibus tantum loquatur, idem eſſe in civilibus docent Butr. ibi, n. 10. Abb. n. 5. dec. nu. 14. et ibi communiter alii, Alex. conſ. 8. n. 5. vol. 1. Gutier. canonic. quæſt. cap. 34. n. 23. et ſtatim citandi: quod procedit etiamſi conſuetudo ſit immemorialis, ut eſt de mente citatorum; expreſſeque hoc tenet gloſſa verbo *Conſuetudine*, in dict. cap. *Clerici*. Rot. tit. de conſuet. deciſ. 10. in antiquis, Rochus, in cap. 5. De conſuet. ſect. 5. n. 31. et ſect. 6. n. 15. Gabr. tit. de præſcript. concluſ. 1. n. 14. Seſſe deciſione 113. n. 69. Marth. de juriſd. 4. parte, caſu 64. n. 5. cum ſequentibus, ubi alios citat: et caſu 101. n. 7. cum ſequentibus, Surd. conſ. 301. n. 57. et conſ. 396. n. 33. Suar. contra Angl. error. lib. 4. cap. 32. n. 6. et per tot. Azor. de inſtit. moral. parte 1. lib. 5. cap. 12. verſic. *Sed dubitari*, Caſtr. Luſitan. de man. reg. 2. parte, prælud. 3. ubi de criminalibus tantum loquitur; et 1. parte, cap. 2. n. 3. verſ. *Nec obſtabit*; ubi generaliter, et ideo in tribunali Rottæ fuit judicatum, *non valere conſuetudinem Angliæ, quod rex habeat juriſdictionem in clericos*, ut in dicta deciſione 10. in antiquis: quæ ſententia proculdubio vera, communis, et recepta, quæ confirmatur in bulla Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis legitur, in qua auferuntur, ſeu reprobantur in noſtris terminis omnes conſuetudines, etiam immemoriales.

LIV. Superaddit etiam cit. Oliv. d. q. 12. n. 7. tex. in c. *Cum terra*, de elect. optim. tex. in cap. *Noverit fraternitas tua*, 49. de ſentent. excom. ubi excommunicantur facientes ſervare ſtatuta, et conſuetudines contra libertatem eccleſiaſticam, et utrobique doctor. Rochus, de conſuetudine ſect. 5. n. 24. text. in authentica *caſſa*, cod. *De ſacr. eccleſ.* ubi imperator eadem ſtatuta caſſavit, et irritavit; notant etiam ibi legiſtæ, et probatur in dicta bulla Cœnæ Domini,

et

et ultra citatos, Garc. de benefic. 2. p. cap. 3. n. 8. et 9.

LV. Et hic adnotare oportet, et tranſcribere verba epiſtolæ D. Thomæ Cantuar. archiepiſcopi *ad amicum in urbe*, ap. Stapletonum cit. *Confeſſus eſt nuper*, inquit, *rex Anglorum coram rege Chriſtianiſſimo, archiepiſcopis, epiſcopis, proceribus, et omnibus, qui aderant, quod nihil aliud quærit, aut quæſivit à nobis, niſi obſervantiam conſuetudinum; quarum plures Apoſtolicæ Sedis convellunt majeſtatem, et eccleſiæ præjudicant libertati; qualiter autem res proceſſerit, lectores præſentium plene indicabunt: et quia nolumus in conſuetudines ſecundum verba ſimpliciter, et abſolute jurare, diſceſſit indignatus, non ſuſtinens honoris Dei, vel ordinis noſtri, vel divini juris aliquam fieri mentionem.* Sed de hoc iterum uberius, et diſtinctius, cap. ſequenti.

LVI. Hic tandem pro excluſione allegatæ tolerantiæ pontificiæ, tranſcribere etiam licebit doctrinam Merendæ controv. jur, l. 5. c. 36. n. fin. relati à Fraſſ. de reg. patr. tom. 1. c. 38. n. 23. ubi poſita quæſtione, *Cur Summus Pontifex non declaravit, non valere leges, et conſuetudines juri eccleſiaſtico repugnantes, adnotat. in cap. 1. et 2. de ſecund. nupt. cap. fin. de præſcription.?* reſpondet, *Summos Pontifices, ut humanis compatiantur infirmitatibus, ſinere interdictas quaſdam opiniones à veritate aberrantes vigere, donec veritatis detegendæ veniat tempus:* et repetit lib. 10. cap. 14. n. 22. ibi: *Hæc autem intelligenda ſunt, cum poteſt commode contradici, ex quo deſtruuntur abuſus contra eccleſiaſticam auctoritatem introducti. Silentium enim paſtorum, et ipſiuſmet Summi Pontificis, non eſt pro conſenſu ſuſcipiendum, quando ad evitanda ſcandala majora, ea fuere paſſi, quæ eccleſiæ derogant libertati, poteſtati, aut immunitati; huc pertinent textus in cap. 2. de præſumpt. cap. 3. ad fin. de cognat. ſpiritual. junctis traditis à Sarab. de juriſdict. adjunctor. quæſ. 30. n. 12.* Recole etiam tranſcripta Stapleton. ſupr. n. 18. et infr. n. 58.

Subjungere etiam hic, et adnotare iterum licebit doctrinam Uberti de citation. Sic Covarruv. n. 99. c. 4. ex hoc titulo *Conſuetudinis* refutantem: *Quantum denique ad conſuetudinem dictorum recurſuum, noviſſimi juris eſt, quod conſuetudo, quando eſt irrationabilis, non valet, ſed abuſus dicitur, et corruptela omnino extirpanda, cap. Mala, cum ſeq. diſtinctione 8. Eaque non derogat juri divino, neque naturali, neque etiam poſitivo, niſi ſit rationabilis, cap. fin. de conſuetud. nec valet contra libertatem eccleſiaſticam, cap. fin. de reb. eccleſ. non alien. Imo in caſibus, in quibus poteſt induci conſuetudo, ut valeat, neceſſe eſt, ut populus eam inducens habeat facultatem legis condendæ, Bart. in l. 1. in fin. ff. de legibus, Bald. in l. 2. n. 2. c. Quæ ſit longa conſuetudo, Natt. conſ. 431. n. 10. lib. 2. Et contra jus favens eccleſiis, nunquam poteſt induci conſuetudo ſine approbatione Papæ, cap. fin. de præſcript. Henric. Boinch. in cap. 1. n. 2. verſ. Tertia, quando de his, quæ fiunt à major. par. cap. Imol. ibid. n. 30. verſ. Tertia eſt concluſio, quæ omnia definiunt in hoc caſu, quando quidem judices laici, nec actu, nec habitu, juriſdictionem habent in eccleſiaſticos. Abb. in d. cap. Qualiter, et quando, n. 7. verſ. Sed judex ſæcularis, de judic. et ſunt illius penitus incapaces, cap. Cauſam, de præſcript. cap. Sacerdotibus, 11. quæſt. 1. et ſunt inferioris judicibus eccleſiaſticis, cap. Denique, 96. diſtin. et Clem. Ne Romani, de jurejur. Ideoque nullatenus poſſunt eccleſiaſticos judices corrigere, et nunquam major poteſt ſuperioris negligentiam ſupplere, Innocent. in cap. Quia diverſitatem, de conceſſ. præben. et conſuetudines, et obſervantiam contra immunitatem, et libertatem eccleſiaſticam, expreſſe damnavit Honorius tertius in cap. Noverit de ſententia excommunic. et in ſpecie haſce conſuetudines recurrendi ad laicos, etiam immemorabiles, ſuſtulerunt Summi Pontifices eadem bulla in Cœna Domini, ut in ea Rott. in recentiſſ. p. 2. d. deciſ. 10. n. 16. Rott. poſt Conſil. Farin. p. 2. deciſ. 121. n. 2. Hæc quoad Covarr.*

LVII. Et ſub n. 104. d. c. 4. ſic concludit: *Et ex iſtis recurſibus nihil aliud inferri poteſt, niſi quod ſi ipſi judices ſæculares volunt de cauſa eccleſiaſtica cognoſcere, quod eſt admodum abſurdum, cum judex laicus ſit incapax juriſdictionis in perſonas eccleſiaſticas, et eorum cauſas, nec immemorabilis conſuetudo hoc caſu ſibi ſuffragatur, doctores in cap. Cauſam de præſcript. Felin. in cap. 2. de major. et obed. Rott. in ant. deciſ. 10 de conſuet. Biſign. Seciſ. 2. eodem tit. præcipue cum in dicta bulla in Cœna Domini, derogetur conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

LVIII. Denique pro ampliori, atque aptiori notitia hic etiam ſubjungam 6 articulos Henrici II. regis Anglorum ab Alex. III. damnatos, qui fuerunt, 1. *Quod non appelletur ad Sedem Apoſtolicam, ſine licentia regis.* 2. *Quod non liceret archiepiſcopo, et epiſcopo, exire de regno, et venire ad vocationem D. Papæ, ſine licentia regis.* 3. *Quod non licet epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneat de rege in capite, vel* (ut eſt in quadrilogo) *aliquem domeſticorum miniſtrorum ejus, niſi rex prius ſuper eo conſulatur,* 4, 5. et 6. prout jacent ſupra n. 11. ſuper quos ſigillatim ſic adnotat Thom. Stapleton. de reb. geſt. S. Thom. Cantuar. *Iſte ſolus* 1. *articulus,* &c. Quæ ſuperius tranſcripta remanent, n. 11. c. 20.

Et ſuper 2. etiam cenſuram profert, prout infra jacet per formalia. Pro 3. vero ſic ait: *Hic vero articulus nonne in Chriſtum ipſum blaſphemus eſt, et generalem poteſtatem ligandi peccata eccleſiæ datam, ad regis jam beneplacitum coarctat? Nonne Chriſti verba corrigit hic articulus, et petulanter, atque impie abrogat? Quum enim Chriſtus dixerit, Dic eccleſiæ: ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, et publicanus: iſte articulus ſic jubet; Dic prius regi; ſi ex miniſtris, aut colonis regiis ſit; et ſi rege annuente eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus. O ſuperba hujus Henrici regis inſolentia! O fœda procerum tunc Anglorum adulatio! O ignava epiſcoporum tunc Angliæ divinitus datæ poteſtatis proditio! Regius ergo miniſter, O epiſcope, non æque eccleſiæ, et tibi ſubditus eſt, quam quivis alius è plebe? Imo rex ipſe nonne tibi ſubjicitur? Nonne tui gregis ovicula eſt, ſicut cæteri? Audi, ignave, et politice epiſcope, ac per hoc epiſcopi honore indigne: audi illum egregium epiſcopum, et maximum theologum Gregorium Nazianzenum, quid imperatori totius orbis, etiam in præſenti, et in os dicat: Vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſub ſellis, lex Chriſti ſubjicit. Scio te eſſe ovem mei gregis, ſacram ovem. Vide quid Ambroſius fecerit Theodoſio Magno imperatori nobiliſſimo: Nonne eum ipſum excommunicavit propter cædem Theſſalonicenſium æquo graviorem? Ipſeque paruit Imperator, ut Chriſtianum oportuit. Memineris Joannem Chryſoſtomum imperatricem Eudoxiam, quia vitem Calliopæ viduæ reddere noluit, ab eccleſiæ ingreſſu toto populo ſpectante prohibuiſſe. Et tu, ignave, domeſticum regis times? aut aliquem, qui tenet à rege in capite, excommunicare non audes? Imo (proh pudor! proh ſcelus!) promittis, et chirographo te obſtringis, te nunquam hujuſmodi excommunicaturum, niſi forte id regi videatur? Scilicet vel docebit te rex, an excommunicationem meruerit, vel tu ſciens eum probe meruiſſe, Chriſti tamen judicium, et mandatum, voluntati regiæ ſubjicies; in uno dux cæcus, in altero paſtor impius. Vide, hic ſolus articulus juſtiſſima martyris cauſa fuit: quod non eſt hoc loco operoſius explicandum.*

CAP. XXII.

Noſtrum, ac verum hac de re Judicium ſuper Conſuetudinibus, et Concordiis Regni Luſitani.

SUMMARIUM.

I. II. *Recolitur definitio, ac diviſio juris.*
III. *Jus gentium quid, et quale?*
IV. *Jus civile ſcriptum, et non ſcriptum.*
V. *Quid ſit conſuetudo, et quænam obliget?*
VI. *Conſuetudo non rationabilis non valet, nec prævalet juri ſcripto.*
VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. *Probatur à jure, et à ratione.*
XIV. XV. *Quænam frequentia actuum requiratur ad inducendam conſuetudinem?*
XVI. XVII. *Non valet conſuetudo contra eccleſiaſticam libertatem, et immunitatem.*
XVIII. XIX. *Hæc libertas eſt naturali juri, ac dictamini conſona.*
XX. *Et eſt à jure divino ſaltem initiative.*
XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. *Conſuetudo canonis obvians inſtitutis, et à jure reprobata, eſt irrationabilis, etiam de jure civili, et gentium; et eſt corruptela.*
XXVII. *Qui non poteſt ſtatuere, nequit etiam conſuetudinem inducere.*
XXVIII. XXIX. *Actor debet ſequi forum rei, etiamſi adſit contraria conſuetudo immemorabilis.*
XXX. XXXI. XXXII. *Ampliatur etiam ad tractum indirectum, et aliter.*
XXXIII. XXXIV. *Objectiones ſolutæ.*
XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. *Objectio triplex Cujacii contra Innocent. ſanctionem ſolutæ.*
XXXIX. *Judicis incompetentis, non vero incapacis, poteſt juriſdictio prorogari.*
XL. XLI. XLII. *Satisfit objectionibus Covarruv.*
XLIII. XLIV. XLV. *Clerus Luſitanus non poterat cum regibus concordare independenter à conſenſu Papæ pro renuntiatione fori.*
XLVI. *Objectiones ex jure loquuntur de judice ſimpliciter incompetenti, non de incapaci.*
XLVII. *Diverſum eſt prorogare juriſdictionem judicis incompetentis, et foro abrenunciare.*
XLVIII. *Neque cum licentia epiſcopi, aut metropolitani dumtaxat poterat clerus Luſitanus paciſci ſuper judice incapaci.*
XLIX. L. *Etiam pro conſuetudine mixta.*
LI. *Confirmatur ex conſuetudinibus regni Angliæ, et à Pontifice non approbatis.*
LII. *Diſtinctio inter privilegium exemptionis à foro ſæculari, et libertatis à legibus, et conſtitutionibus laicorum.*
LIII. *A diverſis et ſeparatis non fit illatio: unde ſervus privatus à privilegio fori, eo ipſo non privatur à privilegio libertatis à ſtatutis laicorum.*
LIV. *Solæ concordiæ regis Dionyſii, quæ à Sede Apoſtolica approbatæ reperiuntur, poterant valide inducere conſuetudinem.*
LV. *Non fuerunt approbatæ quoad omnia ſimpliciter, ſed quoad ea dumtaxat, quæ erant canonica, et eccleſiaſticæ libertati non adverſantia.*
LVI. *Patet ex formali contextu concordiæ.*
LVII. *Bulla Greg.* IX. *non eſt confirmatoria concordiarum inter Sancium* II. *et Stephanum Bracharen. quinimo eſt illarum conſuetudinum reprobativa, et inhibitiva.*
LVIII. *Quid hinc inferat Oliv. ſuper l. Reg. lib.* 2. *tt.* 1.
LIX. *Recenſentur conſuetudines canonicæ concord. Dionyſii.*
LX. *Taxatur minor fidelitas citationum Per. de man. reg.*
LXI. *Non approbantur ibidem conſuetudines in legibus mere ſæcularibus fundatæ.*
LXII. *Cur non ſufficiat fundamentum ex parte civili dumtaxat?*
LXIII. LXIV. *Allegationes juris canonici ex adverſo, non ſunt rectæ, nec formales.*
LXV. *Non ſufficit, quod fundentur in probabili DD. opinione.*
LXVI. *Etiam extra judicium opinio favens eccleſiæ eſt probabilior.*
LXVII. *Quænam opinio probabilior ſit in clerico laici ſucceſſore?*
LXVIII. *In hoc caſu pro exequenda ſententia contra clericum ſuccedentem laico in re litigioſa, debet recurri ad judicem eccleſiaſticum.*
LXIX. *Adducuntur rationes fundamentales.*
LXX. *Non fuit ſufficiens fundamentum occupatio Hiſpaniæ à Mauris ad inducendum conſuetudinem cognoſcendi de aliquibus cauſis clericorum in judicio ſæculari.*
LXXI. *Conſuetudo inducta per errorem, et ignorantiam, non valet.*
LXXII. *Motivum illud ex adverſo allegatum, fortius in contrarium retorquetur, et ad contrarium urgebat.*
LXXIII. *Afflicto non eſt addenda afflictio.*
LXXIV. *Sacrilega profanatio Maurorum in loca ſacra, potius compellebat fideles ad non profanandum etiam perſonas ſacras.*
LXXV. *Quod illa conſuetudo cœperit poſt Maurorum occupationem, non illam reddebat rationabilem.*
LXXVI. *Quod honeſtum non eſt, nequit eſſe utile.*
LXXVII. *Majoris, aut ſaltem æqualis reverentiæ dignæ ſunt perſonæ ſacræ, atque loca ſacra.*
LXXVIII. *Confirmatur ex variis ſuppliciis à Deo inflictis.*
LXXIX. *Qui non poteſt ſtatuere, nequit etiam inducere conſuetudinem.*
LXXX. *Præmiſſa conſuetudo nedum contra utilitatem eccleſiæ, verum et reipſa aperte evaſit.*
LXXXI. *Reges Portugalliæ cum diſpendio ſpirituali, et temporali eccleſiaſticorum, arces et oppida à Mauris revindicârunt, et occupârunt.*
LXXXII. *Laudatur illuſtriſſ. Matthæus Ulixbonen. archipræſul; et tandem infertur, quod ſi congruit, ut regum Luſitanorum juriſdictio etiam ad eccleſiaſticos ampliaretur ob triumphos ab infidelibus partos: congruentius decuit, ut eccleſiaſtica libertas à jure divino inducta, ex ipſorum eccleſiaſticorum cooperatione, et auxiliis illæſa cuſtodiretur, imo et ampliaretur.*

I. PRO uberiori intelligentia recolenda eſt definitio, ac diviſio juris ſuperius inſinuata, prælud. 3. et 6. videlicet: *Jus* in communi *ex l.* 1. *ff. de juſt. et jur.* definitur, *Ars æqui, et boni:* hoc eſt, collectio præceptorum docentium quid juſtum ſit, quid injuſtum, quid æquum, quid iniquum. Ita Gaſparr. inſt. civil. p. 1. tit. 1. n. 16. et 17. Scientia autem juris, quæ *juriſprudentia* appellatur, definitur ab imperatore in § *Juriſprudentia* inſtit. hoc titulo: *Divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia.*

II. Jus ergo in communi dividitur primario in *publicum*, et *privatum.* § *Hujus*, inſtit. d. Primum eſt, *Quod ad utilitatem publicam primario ſpectat*, prout ſunt leges agentes de magiſtratibus, de ſacris, &c. Secundum, *Quod primario reſpicit utilitatem ſingulorum*, ut ſunt jura loquentia de contractibus, ſucceſſionibus, &c.

Jus autem privatum ſubdividitur in jus *naturale*, jus *gentium*, et jus *civile*. *Jus naturale*, ut habetur in l. 1. § *Jus naturale*, ff. de juſt. et jur. *eſt, quod natura omnia animalia docuit*, illud nempe, quod homines faciunt recta ratione ducti, beſtiæ autem impetu, impulſuque naturæ, ut ſunt maris, et fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, et educatio, libertas, amor ſui ipſius, vim vi repellere, &c. Quæ omnia præcepta,

præcepta, licet diversimode executione demandentur à bestiis, ac ab hominibus, tamen juris naturalis dicuntur, quia ab illo originem ducunt.

III. Jus vero gentium est illud, *quod omni humano generi, illique soli commune est.* Est autem duplex; *primævum* aliud, aliud *secundarium.* Primævum (ita dictum eo quia primo ævo, quod aureum dicunt, antequam malitia, et peccatum terras replêsset, naturali ratione indictum fuit) est illud, *quod nulla necessitate, vel utilitate suadente, solo judicio rationis cognitum fuit*, ut simpliciter bonum, et ab hominum omnium societate receptum, ut religio in Deum, pietas in patriam, observantia erga parentes, fides in pactis, &c.

Secundarium vero est, *quod necessitate, vel utilitate suadente indictum fuit.* Ex necessitate, scilicet, ut vis vi repelleretur, prodierunt bella, ex bellis captivitates, ex captivitatibus servitutes. Ex utilitate emanârunt conventiones, contractus, et commercia inter homines, ut per mutuam rerum, bonorumque communicationem uberior vita duceretur. Ita Bartolus, et reliqui apud ipsum in l. 64. ff. de condict. indebit.

IV. *Jus civile* demum est, *quod quælibet civitas, vel populus sibi proprium constituit:* l. *Omnes*, ff. de just. et jur. Hocque jus nunquam contrariatur juri naturali, quia non esset rationabile; nec ei totaliter famulatur, quia non disponit tantum de eo, de quo jus naturale disposuit; esset enim superfluum; sed illi aliquid addit, et aliquid de novo disponit; l. *Jus civile*, ff. titulo citato; sicque si *jus civile* absolute et simpliciter dicas, per antonomasiam, jus commune, et Romanum intelligendum est, sicuti cum urbem simpliciter dicis, Romam dicis; § *Sed jus quidem*, instit. hoc titulo.

Aliud autem est *scriptum*, aliud *non scriptum*, quod etiam *consuetudo* vocatur; § Const. inst. tit. eod. de just. et jur. Juris autem *scripti* sex sunt partes, quas videre poteris apud eundem Gasparr. cit. n. 6. Nobis namque hic tantum agere refert de jure non scripto, sive de consuetudine.

V. *Consuetudo* igitur definitur, *Jus moribus diuturnis, tacito utentium consensu comprobatis, introductum.* Alia autem consuetudo dicitur *secundum jus*, alia *præter jus*, alia *contra jus.* *Secundum jus* est illa, quæ legem scriptam in usu ponit, et observat, quamvis hæc improprie consuetudo vocetur, cum novum jus non constituat, sed sit mera observantia juris præexistentis. *Præter jus* dicitur, quæ servat aliquid, quod adhuc à nulla lege scripta fuerat definitum. *Contra jus* vocatur, quæ servat contrarium illi, quod est dispositum à lege scripta; et abrogat, ac tollit contrariam legem humanam. Dixi *humanam:* si enim adversetur juri divino, vel naturali, consuetudo non obligat, cum talia jura sint perpetua, ideoque irrevocabilia.

VI. Ut autem consuetudo obliget, quatuor copulative requiruntur. Primo, Quod sit *rationabilis*; secundo, Quod diuturno tempore sit *præscripta*; tertio, Quod habeat *frequentiam actuum*; et ultimo, *consensum legislatoris.* Addit Card. Deluc. de pension. disc. 25. n. 10. quod ut inducatur consuetudo, requiritur essentialiter, ut nunquam quicquam actum sit in contrarium. Vide Gasparr. inst. civil. p. 1. tt. 2. n. 13. et 14.

VII. Superaddendum tamen est, ex Donat. tr. 1. de legibus, q. 22. n. 2. et 4. quod actus illi frequentes, et continuati, ad inducendam consuetudinem legalem requisiti, debent esse publici, et saltem à majori parte communitatis exerciti, et omnino voluntarii, et liberi; quia actus humani in tantum fundant consuetudinem, in quantum indicant, et manifestant consensum populi: sed actus non possunt indicare consensum, nisi fiant, et sint liberi, et voluntarii. Proinde actus facti per ignorantiam, errorem, violentiam, non possunt inducere consuetudinem; quia sunt involuntarii; prout docent glos. in cap. ultim. de consuetud. ibique cardin. Innocent. in rubr. de consuetud. n. 4. Glos. et Bartol. in l. 2. c. *Quæ sit long. consuetud.* quæst. 17. et colligitur expresse ex d. l. *De quibus*, ff. de leg. ibi *totam vim consuetudinis ponit in consensu populi*; ubi communiter dicitur, quod vis, metus, error, et ignorantia impediunt, vel tollunt liberum consensum populi, et necessarium ad consuetudinem fundendam.

VIII. Pariformiter ex eodem d. q. 22. n. 5. superaddendum, requiri insuper (quod est valde necessarium) ut hi actus non solum sint publici, voluntarii, et facti à tota communitate, vel ab ejus majori parte, sed, quod majus est, ut fiant à dicta communitate *cum intentione inducendi consuetudinem legalem*; quia jus consuetudinarium facti, seu quoddam materiale exercitum, sine voluntate obligandi, nihil refert, ut quando populus ex devotione introducit celebrationem alicujus festi, ut factum est in modo salutandi B. Mariam virginem, bis, vel ter in qualibet die. Item in modo tumulandi cadavera defunctorum; item sumendi cineres in prima die quadragesimæ, et similes consuetudines Christianæ, quæ non sunt inductæ animo obligandi, sed ex devotione, sine obligatione peccati, vel personæ: de quibus vide eminent. Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 18. ubi multa de ramis palmarum, et aqua benedicta, et gloss. in canon. *frustra*, distin. 8. ubi aiunt, quod de ratione consuetudinis legalis est, ut jus in posterum fiat, Panormit. in cap. fin. ver. *Septimo requiritur* de consuetud. Syl. ver. *Consuetudo*, quæst. 4. n. 10. tab. n. 10. Sot. d. lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 2. ubi dicit, quod unum de requisitis in consuetudine legali est, ut prædicti actus fiant cum intentione obligandi posteros, Tusc. tom. 2. lit. c. concl. 797. n. 18. et Vuares de lib. 7. deleg. cap. 14. n. 6.

Prima Resolutio.

IX. Non valet consuetudo, nec juri scripto prævalere potest, si non sit rationabilis, videlicet, de re honesta, et utili reipublicæ, legitime præscripta, per actus frequentes, continuatos, et minime interruptos, publice exercitos à tota communitate, vel saltem à majori parte, voluntarie, et libere, cum scientia et patientia, sive tolerantia principis.

Hæc resolutio sub præjactis expressionibus est de mente omnium DD. Illam expresse tenet Donat. in prax. cit. q. 22. et 23. tr. 1. de legib. Gasparr. cit. inst. civil. et inst. can. p. 3. tt. 2. an. 130. Oliv. cit. q. 12. per tot. et reliqui DD. tam canonistæ in c. ult. de consuetud. quam civilistæ in l. 2. et ult. cod. *Quæ sit longa consuetud.* et in l. *Quibus*, ff. de legib. et est expresse in utroque jure, locis infr. citand. tenet etiam Portug. de donat. p. 2. lib. 1. c. 10. et c. 33. ubi plures citat.

X. Probatur igitur resolutio, 1. ex cit. c. ult. de consuetud. ibi: *Licet etiam longævæ consuetudinis non sit levis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime præscripta.*

XI. Ubi gloss. verb. *Legitime*, sic habet: *Ad hoc ergo, ut consuetudo juri communi præjudicet, requiritur*, 1. *Quod rationabilis sit, et quod sit præscripta*, ut c. *Cum ecclesia* hoc eod. tit.

2. *Quod ex certa scientia*, et non per errorem sit inducta, l. *Quod non ratione*, ff. de legib. et sciente illo, qui potest jus condere, l. *De quibus*, ff. de legib. in fin.

3. Quod sit tale jus, quod possit præscribi: nam quædam sunt, quæ non possunt præscribi, saltem à laicis, c. *Causam, quæ*, de præscript. c. *Cum ex officii*, c. *Cum non liceat*; eod. tit.

4. Quod non sit contra jus naturale, c. *Flagitia*, 13. q. 7. vel saltem, quod sit obtenta in contradictorio judicio, l. *Cum de consuetud.* ff. de legib. et c. *Abbate*, de verb. signif.

5. Requiritur, Quod sis usus illa consuetudine, sive vicibus illis, quibus usus es, eo animo, ut intendas, sive credas, te jus habere, et ut in posterum id facias; l. 1. § *Julian.* ff. de itin. actuque pri. et l. ult. alias non prodest, ut ibi dicitur. Et sic solæ non inducunt consuetudinem, quia non exemplis, sed legibus judicandum est; l. *Nemo*, cod. de sent. et inter loc. omn. jud. 6. Requiritur, quod major pars populi usa sit ea consuetudine ad hoc, ut secundum illam judicetur; quia sicut minor pars populi non posset inducere legem, ita nec consuetudinem. Item et illa consuetudo præjudicat juri, cujus non extat memoria hominum, c. *Hæc quippe*, 3. q. 6. c. *Super quibusdam*, § 1. de verb. signif. l. *Hoc jure*, ff. *De aqua quoti.* § *Ductus aquæ*, et l. *Si arbiter*, ff. de prob. et

et ſic videtur, quod difficile ſit probare conſuetudinem, et præſcriptionem, &c.

XII. Ita cit. gloſ. ubi etiam exponitur differentia inter *conſuetudinem*, et *præſcriptionem*, et quomodo utraque probetur. Et verb. *Rationabilis*, inquirens, quænam conſuetudo dicatur *rationabilis?* ſic reſolvit: *Illam dico rationabilem, quam non improbant jura*, c. *Cum eccleſia* de cauſ. poſſ. c. *Cum dilectus*, eod. tit. c. *Abbate*, de verb. ſignif. . . . . *et illam dico generaliter rationabilem, quæ non obviat canonicis inſtitutis: irrationabilis eſt, quæ improbatur à jure, qualis eſt illa*, infr. c. *Ex frequentib.* de inſtit. c. *Cum venerabilis*, hoc eod. tit. c. *Cum cauſa*, de re judic. &c. *Et generaliter, ubi aliquid fit contra nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſive libertatem*, ut infr. c. *Cum terra*, de elect. c. *Sacroſanct.* et c. *Meſſan.* eod. tit. &c. Hæc cit. gl.

XIII. Probatur, 2. reſolutio: Quia conſuetudo habet vim legis ſcriptæ, et illi æquiparatur, dicitur-que *jus non ſcriptum*, ex ſuperius dictis, et ex § *Conſtat*, inſt. de juſt. et jur. et l. 1. et 2. cod. *Quæ ſit longa conſuetudo*, et ex gl. in c. *Videtur*, verb. *Antiqua conſuetud. qui matrim. accuſ.* et in c. ult. de conſuetud. Atqui lex debet eſſe rationabilis, de re honeſta, reipublicæ utili, et ad bonum communitatis ordinata: definitur enim ex D. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4. *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata:* vel ex gl. in c. fin. de conſuetud. ubi Abb. n. 3. *Sanctio ſancta, honeſta jubens, et contraria prohibens:* ergo conſuetudo, ut habeat vim legis, et juri poſitivo prævalere valeat, debet eſſe rationabilis, utilis, et honeſta, et habere reliquas conditiones in cit. cap. ult. de conſuetud. et cit. gloſſ. expreſſas, quarum aliquæ etiam reperiuntur in c. *Ad noſtram*, c. *Cum inter vos*, c. *Cum venerabilis*, c. *Ex parte*, et reliquis eod. tit. et aliis juribus jam ſupra citatis.

XIV. Quænam autem frequentia actuum requiratur ad inducendam conſuetudinem, vide in cit. Gaſparr. inſt. civil. tit. 2. n. 36. ubi docet, non induci per unum, vel duos actus tantum; et in cit. donat. q. 21. ubi idem tenens, docet tandem, n. 4. hoc relinqui arbitrio prudentis; cum non poſſit certum tempus aſſignari, nec certus numerus actuum definiri; et citat Sot. l. 1. de juſt. et jur. q. 7. a. 2. et Soar. l. 7. de legib. c. 10. n. 4. et q. 23. reſolvit, qualiſnam ſcientia, et tolerantia principis ſufficiat ad inducendam conſuetudinem, legem contrariam abrogantem; de quo etiam Gaſparr. cit. § 4. n. 63. ubi aſſerit, non requiri in hac materia, quod conſenſus legiſlatoris ſit *expreſſus, et perſonalis*, qui, ſcilicet, expreſſe approbat conſuetudinem introductam; ſed ſufficere, quod ſit *generalis*, ſeu *juridicus*, qui, ſcilicet, non provenit immediate ab ipſo principe, ſed à jure ſcripto per ipſum principem ſtatuto, et diſponente, quod conſuetudo habens has, et has conditiones habeat vim legis.

Quod equidem probat ex communi DD. in c. ult. de conſuetud. et ulterius ex ea ratione, n. 65. quia poteſt princeps ſupremus per ſuam legem ſtatuere, ut quæcunque conſuetudo rationabilis, et legitime præſcripta, juri poſitivo deroget; idque ſtatuit de jure civili, text. in l. *De quibus*, ff. de legibus, et l. ſecunda, et ultima, c. *Quæ ſit longa conſuetudo*; ſed eſſe rationabilem non habet conſuetudo ab aſſenſu principis, ſed ex natura ipſius rei; et eſſe legitime præſcriptam habet præciſe ex curſu temporis. Ergo, &c.

XV. Supratraditam reſolutionem intelligere debes, etiam in dubio rationabilitatis conſuetudinis, cum expreſſa illa, et vera limitatione, quam ibidem apponit cit. Gaſparr. n. 24. ſi conſuetudo non ſolum eſſet contraria legi, ſed etiam à lege aliqua expreſſe reprobata: tunc enim pro lege ſcripta in dubio, non pro conſuetudine eſſe judicandum, quia in tali caſu reprobatio conſuetudinis eſt certa: ergo non poteſt vinci ab honeſtate dubia conſuetudinis ipſius.

Et n. 25. immediate ſequenti ſtatuens cum Bart. in l. 2. cod. *Quæ ſit longa conſuetudo*, quamlibet conſuetudinem regulariter decennio præſcribi; eo quod leges ad talem præſcriptionem requirere unice *longum tempus*; minimum autem intra latitudinem longi temporis eſſe decennium, per text. in l. ult. ff. de præſcriptione long. tempor. attamen n. 34. ſic ait: *Adverte tamen concluſionem noſtram procedere, dummodo conſuetudo nunquam interrupta fuerit, vel unico actu contrario intra decennium; ſi enim interrupta fuerit, jam decennio integro non duravit. Ita Abbas in cap. ultimo de conſuetudine, n.* 19.

Secunda Reſolutio.

XVI. Conſuetudo (quælibet illa ſit) contra libertatem, aut immunitatem eccleſiaſticam introducta, nec valet, nec prævalet juri poſitivo; proindeque conſuetudo conveniendi clericos in aliquibus caſibus coram judice ſæculari, tam in criminalibus, quam in civilibus, independenter à privilegio apoſtolico, nulla omnino eſt, et illicita.

Ita Gaſparr. inſt. can. p. 3. tit. 2. n. 129. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 12. n. 6. Per. de man. reg. prælud. 3. et c. 2. n. 3. et 4. et c. 5. n. 1. et reliqui DD. ſupra cit. c. 21. quibus addendi Pignatell. tom. 1. conſ. 7. et 52. et 176. et tom. 2. conſ. 27. et tom. 4. conſ. 2. Panimoll. dec. 6. et dec. 1. annot. 2. et 11. Sperell. dec. 10. et 104. Sanfelic. dec. 227. Fagn. in c. *Nullus judicum*, et c. *Cum contingat*; et c. *Significâſti*, de for. compet. et in c. *Conſuetudo*, de conſuetud. et in c. *Quiſquis*, et c. *Cum terra*, et c. *Meſſana*, de elect. et in c. *Inter alia*, de immunit. eccleſ. Portugal. de donat. reg. p. 2. l. 1. c. 33. n. 30. ubi expreſſe tenet quod *conſuetudo à ſæcularibus principibus induci nequeat contra eccleſiaſticas conſtitutiones*; et citat Salzed. c. 8. n. 19. Gratian. c. 973. n. 38. Creſp. obſerv. 63. n. 10. et alios.

XVII. Prob. 1. reſolutio: Quia conſuetudo irrationabilis nil valet, et in nihilo præjudicare poteſt juri ſcripto; tum quia conſuetudo, utpote *jus non ſcriptum*, et habens vim legis, rationabilis utique eſſentialiter eſſe debet, ex eſſentiali definitione legis; tum ex cit. c. ult. de conſuetud. et gl. ibid. verb. *Rationabilis*, et verb. *Legitime præſcripta*; tum ex reliquis ſuperiori reſolutione traditis. Atqui omnis conſuetudo contra libertatem, aut immunitatem eccleſiaſticam introducta, eo ipſo irrationabilis eſt, et contra naturale rationis dictamen: ergo, &c.

XVIII. Prob. hæc minor, 1. Quia libertas, et immunitas eccleſiaſtica, tam realis, quam perſonalis, eſt à jure naturali, et naturali rationis dictamini conſona; quæ quidem edocet, *Sancta ſancte tractari*; proindeque tam res, quam perſonas ſpecialiter Deo dicatas, atque ſacratas, et ſpecialiter in ſortem Domini vocatas, quales ſunt clerici, ut ipſa nomenclatura etymologice indicat, eſſe ſpeciali exemptione, atque immunitate à ſæculari poteſtate dignas, atque donandas, ut ſuperius oſtenſum remanet prælud. 6. ubi ſatis eſt demonſtratum, eo ipſo quod ſtatuatur templa, et altaria, et res materiales divino cultui dicatas, de jure naturali, ac divino, eſſe immunes et exemptas à laica poteſtate; idem à fortiori tenendum de perſonis in ſortem Domini vocatis, et Deo ſpecialiter dicatis, utpote nobilioribus præ rebus materialibus, et inanimatis, et utpote quæ templa viva Dei incedunt, et præſertim ſacerdotes, qui dii ſpecialiter, et per excellentiam in Sacra Pagina nuncupantur, juxta illud: *Ego dixi, Dii eſtis.* Pſ. 81. 6. et illud: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum*, Pſ. 81. 1. &c.

XIX. Deinde etiam eſt naturali juri, et naturali rationis dictamini conſonum, quod nulla poteſtas, aut juriſdictio ultra limites ſui objecti feratur, tam quoad res, quam quoad perſonas; verbi gratia, juriſdictio temporalis, atque ſæcularis, ultra cancellos rerum, ac perſonarum ſæcularium: et quod quilibet in ſuo foro, et coram ſuo judice reſpondeat, ſcilicet, ſæculares in foro, et coram judice ſæculari; eccleſiaſtici vero in ſuo foro, et coram ſuo judice eccleſiaſtico, ut tenet Per. de man. reg. c. 2. ergo.

XX. Prob. 2. eadem minor: Quia libertas, et immunitas eccleſiaſtica, nedum quoad res, ſed etiam quoad perſonas, vel formaliter, et immediate, vel ſaltem radicaliter, et initiative, eſt à jure divino, juxta ſuperius ſtatuta d. prælud. 6. Atqui omnis conſuetudo, etiam immemorialis, juri divino contraria, eſt certo certius irrationabilis, et impræſcriptibilis, et nullam vim, ac robur habet; imo tanto pejor, et periculoſior

riculosior est, quanto longior incedit, ut aperte fatetur Oliv. q. 12. n. 9. et omnes DD. in c. ult. de consuetud. ubi talis consuetudo *dicitur verius corruptela*; et notatur in gl. ibid. verb. *Naturali juri*; eo quod tam jus naturale, quam divinum, sit immutabile, ideoque irrevocabile. Deinde consuetudo, sive *jus non scriptum*, ut ex illius definitione, atque explicatione superius tradita, solam *tollit contrariam legem humanam*, non vero naturalem, ac divinam, ut cum communi DD. resolvit Gasparr. inst. jur. civil. p. 1. tt. 2. n. 13. et 14. cum Soar. l. 4. adversus Angl. error. c. 31. Molin. tr. 2. disp. 31. concl. 4. Sot. et alii cit. ab Oliv. q. 10. Ergo, &c.

XXI. Prob. 3. eadem minor: Quia consuetudo, quæ canonicis obviat institutis, nullius est momenti, ut definitur in c. *Ad nostram*, de consuet. ubi maxime notandus est casus istius decretalis, qui sic se habet: *In diœcesi Pictavienſi talis erat consuetudo etiam in causis ecclesiasticis, quod cum aliqua causa tractabatur ibidem, auditis allegationibus utriusque partis ab iis, qui præsentes erant, sapientibus et insipientibus, quæritur quid juris, et quod illi, vel aliquis eorum, dictaverit de consilio præsentium, pro sententia habeatur.* Et tamen, præfata consuetudine non obstante, sic definit Summus Pontifex Innoc. III. ibid. *Nos igitur attendentes quod consuetudo, quæ canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti, cum sententia à non suo judice lata nullam obtineat firmitatem, ut in causis ecclesiasticis subjectorum tuorum, postquam tibi de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo postulat rationis.*

XXII. Ubi nota verba illa; *Sententia à non suo judice lata:* et sequentia; *Sicut ordo postulat rationis:* ex quibus colligitur irrationabilem esse consuetudinem ferendi sententiam in personas ecclesiasticas à judice laico, contra canonica instituta; et utpote talem, nullius momenti esse hic sanciri; ut etiam decernitur in c. *Cum venerabilis*, eod. tit. ibi: Cum igitur hæc, non tam consuetudo, quam corruptela, merito sit censenda, quæ profecto sacris est canonibus inimica, ipsam amandamus; et, ut exponitur in cit. gl. in d. c. ult. eod. tit. verb. *Rationabilis*; ibi: *Illam dico rationabilem, quam non improbant jura.* Et iterum: *Illam dico generaliter rationabilem, quæ non obviat canonicis institutis . . . . et generaliter illa est irrationabilis consuetudo, ubi aliquid fit contra nervum ecclesiasticæ disciplinæ, sive libertatem*, ut ibidem additur: ergo, &c.

XXIII. Confirmatur, 1. *Quia omnis consuetudo, quæ improbatur à jure, irrationabilis utique est*, ut habetur in cit. gl. verb. *Rationabilis:* atqui consuetudo contra libertatem, et immunitatem ecclesiasticam, et contra exemptionem personalem clericorum, etiam ut conveniantur coram judice laico, tam in criminalibus, quam in civilibus, positive reprobatur nedum a jure canonico, verum et à civili, imo et à jure gentium, quod in naturali jure fundatur, et cui consona omnino est exemptio, et immunitas personalis ecclesiasticorum: ergo, &c.

XXIV. Prob. minor, quoad 1. partem, ex jure civili, auct. *Statuimus*, cod. de episcop. et cleric. ubi imperat. Fridericus sic statuit: *Statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel civili, trahere ad judicium sæculare præsumat, contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, à suo jure cadat, judicatum non teneat, et judex ex tunc potestate judicandi privetur.*

Et in auct. *Cassa, et irrita*, ibid. de sacros. eccles. ubi idem imperator annullat omnia statuta, et consuetudines contra libertatem etiam personarum ecclesiasticarum adversus sacros canones inductas; ibi: *Cassa, et irrita esse denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia statuta, et consuetudines contra libertatem ecclesiæ, ejusque personas inductas adversus canonicas, et imperiales sanctiones; et ea de capitularibus penitus aboleri mandat nova constitutio; et de cætero similia attentata in ipso jure nulla esse decernit. Siquid contra fiat, pœnæ, quæ statutæ sunt, imminebunt.*

Consonat etiam auct. de sta. et consuetud. § *Item statuimus*, col. 10. et auct. *Clerici apud proprios episcopos*, eod. lib. et alia jura apud Pignatell. tom. 4. cons. 2. et alibi.

XXV. Probatur minor hæc, quoad 2. partem, de jure scilicet gentium, ex l. 1. ff. de rerum divisione, et ex declaratione Justin. imperatoris in § *Nullius*, inst. eod. titul. et ex supra traditis, prælud. 6. et ex regul. *Semel Deo dicata*, de regul. juris in 6. et ex communi DD. in c. *Ligna*, 38. cum seqq. de consecrat. dist. 1. ubi laudant, et tradunt, quod, lumine naturali dictante, etiam gentiles res et personas divino cultui dicatas (videlicet, *flamines*, *archiflamines*, et *virgines Vestales*) exemptas, et liberas à potestate laica judicârunt, de quo Oliv. q. 10. n. 4. et videndus etiam Baron. tom. 1. ad ann. 57. pag. 435. P. Segner. Christian. instr. p. 1. disc. 25. Beyerling. theatr. vit. hum. verb. *Sacerdotes*, ubi inter alios citat Cicer. lib. 2. de legib. extollentem honorem sacerdotibus gentium solitum præstari: *Qui tantus est habitus, ut summo jure, et auctoritate, summis præessent imperiis, et potestatibus: magistratu se abdicarent, consulibus decernebant: legem tollebant, si non jure rogata esset: nihil denique domi, nihil foris gestum, sine eorum assensu poterat cuiquam probari.*

XXVI. Probatur 2. resolutio efficaciter; Quia consuetudo, quæ à jure reprobatur, nil valet, et nullius roboris est, ut communiter tenent DD. in c. *Causam*, de præscription. Felin. in c. *Cum contingat*, n. 4. de for. compet. Mascard. de probation. concl. 429. ubi plures citat, Covarr. l. 1. Var. c. 17. n. 6. Anton. Gabr. de præscript. concl. 1. lim. 1. Oliv. de for. eccles. q. 12. n. 12. et seq. Soar. contra Angl. error. l. 4. c. 32. et alii cum Garc. de benefic. p. 2. c. 3.

At consuetudo, etiam immemorialis, trahendi clericos ad sæculare judicium expresse reprobatur ab utroque jure, tum civili, ut ostensum remanet, tum canonico, ut constat ex annali bulla Cœnæ, § 13, 14, 15, 16, 17. et 19. et ex c. *Gravem*, 53. et ex c. *Noverit*, 49. de sent. excom. ibi: *Excommunicamus . . . . necnon et qui de cætero servare fecerint statuta edita, et consuetudines introductas, contra ecclesiæ libertatem, nisi ea de capitularibus suis intra duos menses post hujusmodi publicationem sententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus statutarios, et scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, consules*, &c.

Cohæret c. *Cum terra*, 14. de elect. ibi: *Quia igitur hoc redundat in gravamen, et perniciem ecclesiasticæ libertatis, præscriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitus abolendam.* Nota verbum illud *præscriptam*; et, ea qualitate non obstante, absolutam resolutionem gl. ibid. verb. *Consuetudinis.* Nota, *Consuetudinem contra libertatem ecclesiæ non valere, ut c. 1. et ult. de consuetud.* Consonat etiam c. *Clericis*, de judic. ub. gl. et c. *Significâsti*, de for. compet. ub. gl. verb. *Clerici*, et alia.

XXVII. Confirmatur, 1. resolutio: Quia qui non potest statuere, non potest consequenter inducere consuetudinem, ut tenet Card. Deluc. de regalib. disc. 77. n. 5. Portug. de donat. p. 2. l. 1. c. 33. n. 30. cum Saltz. Gratian. et Cresp. obs. 63. n. 10. et quod fieri non potest expresse, minus tacite fieri potest, ex gl. in l. 1. ff. de jurisd. omn. judic. atqui principes sæculares nequeunt aliquid statuere expresse, vel tacite, contra personas ecclesiasticas, et earum exemptionem, ex notorio defectu potestatis, ac jurisdictionis in illas, ut communiter tenent DD. in c. *Ecclesia S. Mariæ*, de const. et videre licet apud Antonell. de regim. l. 1. c. 9. et l. 4. c. 1. et seqq. et de jurib. clericor. l. 1. c. 2. et seqq. ergo neque contra illas consuetudinem aliquam inducere.

XXVIII. Confirmatur, 2. Quia, secundum omnia jura, actor debet sequi forum rei, c. *Cum sit generale*, et c. *Si diligenti*, de for. compet. l. 2. cod. de jurisd. auct. cit. *Statuimus*, cod. de episcop. et cler. ubi præfatus imperator Fridericus agnoscit, forum speciale non esse privilegium privatum clericorum, sed jus commune, juxta imperiales, et canonicas sanctiones: ergo clerici, ut rei, nec in civilibus, nec in criminalibus, possunt ex qualibet consuetudine trahi ad forum sæculare: nam *generaliter omnis consuetudo, quæ canonicis obviat institutionibus, irrationabilis utique est*; et etiam *generaliter, quæ est contra libertatem ecclesiasticam*, ex cit. gl. verb. *Rationabilis*, in c. ult. de consuetud. et ex reliquis supra indicatis.

XXIX. Hanc reſolutionem cum communi DD. ampliat, 1. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 2. n. 130. etiamſi contraria conſuetudo immemorialis ſit; ſicuti enim nequeunt ſæculares per legem ſcriptam infringere hoc clericale privilegium, ita nec per conſuetudinem, ſeu legem non ſcriptam, legi ſcriptæ omnino ſimilem; l. *de quibus*, ff. de legib. et cum talis conſuetudo ſit contra ſacros canones, et eccleſiaſticam libertatem, non admittit ſui præſcriptionem, dummodo tamen hæc conſuetudo non adjuvetur privilegio Pontificis, ſaltem præſumpto, Abb. in cap. *Clerici*, n. 5. et 6. de judic.

XXX. Ampliat, 2. Ut clericus hac exemptione fruatur, tam ſi agatur contra ipſum actione perſonali, ut ex mutuo, exemptione, &c. quam ſi mere reali, cap. fin. de judic. tum quia bona utpote acceſſoria ad perſonam, perſonæ participant immunitatem, tum ne hoc modo clericus indirecte ſaltem trahatur ad ſæculare tribunal, à quo directe, et per ſe, eſt exemptus. Abb. in cap. *Eccleſia*, n. 22. de conſtitut. et in cap. *Qualiter*, n. 8. de judic. Marant. de ord. judic. par. 4. diſp. 11. n. 2. Farinac. in prax. crimin. lib. 1. de inquiſit. tit. 1. quæſt. 8. n. 21.

XXXI. Ampliat, 3. Ut etiam in qualibet cauſa, quam clericus habet communem cum uno, vel pluribus laicis, non poſſit trahi ad ſæculare tribunal; ſed ſi cauſa ſit individua, hoc eſt, ſi commode inter ſocios dividi nequeat, ne oriatur ſententia contra ſententiam, magis dignum, licet minus numero, trahet ad ſe minus dignum, quamvis numero majus; et laici quoque ob conſortium clerici erunt conveniendi in foro eccleſiaſtico. Sin autem cauſa dividua ſit, et commode ſeparari poſſit, quilibet in ſuo foro erit conveniendus. Covarr. pract. qq. cap. 34. n. 1. et 2. Farin. loco cit. q. 8. n. 51. Marant. loc. cit. diſp. 11. n. 23. Gaill. lib. 1. obſerv. 37. n. 2. Barb. de axiom. jur. axiom. 4. n. 38. Tuſch. litt. c. concl. 159. Chriſtin. dec. Belgic. 186. et ſeq. vol. 2. Sperell. dec. 19. per tot. Rotta coram Seraph. dec. 157. n. 11. dec. 296. n. 4. par. 11. et dec. 472. n. 1. par. 14. rec.

XXXII. An autem clericus ſucceſſor laici conveniri poſſit coram judice laico, pro obligatione à laico auctore contracta, maximi momenti quæſtio eſt inter DD. viciſſim diffidentes, quam tamen ibidem cit. Gaſparr. n. 135. per quatuor caſus diſtinctos, videndos apud ipſum, clare, et methodice expedit, de quibus infr. n. 67.

XXXIII. Objic. tamen, 1. c. *Cum contingat*, de for. compet. ubi Innoc. III. ſic decernit: *Ad te (utpote tanquam ordinarium) de talibus debent conquerentes habere recurſum; . . . . niſi forte ii, quibus delinquentes ipſi deſerviunt, ex indulgentia, vel conſuetudine ſpeciali, juriſdictionem hujuſmodi valeant ſibi vendicare:* ergo conſuetudo, ſaltem ſpecialis, dat juriſdictionem, ut notat gl. ibidem, verb. *Vel conſuetudine.*

Reſpondetur, diſtinguendo conſequens: Conſuetudo ſpecialis præſcriptiva unius judicis eccleſiaſtici contra alium judicem etiam eccleſiaſticum, concedo; præſcriptiva judicis laici contra judicem eccleſiaſticum, nego: nam in cit. c. agitur de conſuetudine in materia juriſdictionis inter eccleſiaſticas perſonas, videlicet inter epiſcopum Belvacenſem, et capitulum Belvacenſe, quoad clericos aliquos ipſi capituli ſervitio deputatos, quorum exceſſus ex conſuetudine corrigebat. In quibus terminis, ait Oliv. cit. q. 12. n. 16. non eſt dubium, juriſdictionem per conſuetudinem acquiri poſſe; capitula enim, et inferiores prælati, poſſunt præſcribere juriſdictionem quoad certos clericos, vel certum territorium, vel cauſas cumulative, et privative contra epiſcopos, ut probatur ibi, et in cap. *Irrefragabili*, § *Exceſſus*, de offic. ordin. de his prælatis inferioribus in cap. *Cum ab eccleſiarum*, eodem titulo, et utrobique DD. communiter; de conſuetudine vero, qua principes ſæculares, vel alii laici, volunt acquirere poteſtatem trahendi clericos ad ſuum forum, vel judicium, non agitur ibi.

XXXIV. Confirmatur reſponſio, et reſolutio, ex eodem Innoc. III. in c. *Si diligenti*, eod. tit. ibi: *Tam epiſcopi, quam diaconi, ſeu quilibet clerici in criminali, ſeu in civili negotio, ſi, derelicto eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis ſe purgare voluerint, etſi pro eis ſit lata ſententia, locum ſuum amittant, et hoc in criminali actione; in civili vero perdant quod evicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere: manifeſte patetque non ſolum inviti, ſed etiam voluntarii, paciſci non poſſunt, ut ſæcularia judicia ſubeant, cum non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat; ſed potius toti collegio eccleſiaſtico publice ſit indultum, cui privatarum pactio derogare non poteſt. Nec juramentum licite ſervari potuit, quod contra canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur.*

XXXV. Objic. tamen, 2. cum Cujacio, adverſus hanc Innocentianam ſanctionem, triplicem adverſantem rationem apud Gaſparr. cit. n. 120. Prima ratio eſt, Quia forum clerici eſt jus proprium, et privatum, quod habet in initio celebrati contractus, ut coram judice eccleſiaſtico ſit conveniendus; ſed jus privatum eſt renuntiabile: ergo, &c.

Secunda autem, Quia jure civili licuit hæc renuntiatio *per text. in l. Siquis in conſcribendo, c. de epiſc. et clericis; ib. Siquis in conſcribendo inſtrumento ſeſe confeſſus fuerit non uſurum fori præſcriptione propter ſacerdotii prærogativam, ſancimus non licere ei adverſus ſua pacta venire, et contrahentes decipere, cum regula ſit antiqui juris, omnes licentiam habere iis, quæ pro ſe indulta ſunt, renuntiare.* Idemque pene iiſdem verbis ſtatutum habetur in l. *Siquis in conſcribendo*, c. *de pactis*: atqui neque vetuſtiore jure eccleſiaſtico fuit vetita talis renuntiatio; ergo nec Innocentius eam debuit præbere.

Tertio ratio eſt, Quia non derogat juri publico, qui dimittit judicem ſuum, et prorogat juriſdictionem judicis incompetentis: ergo hoc idem clerico licebit, quod aliis permittitur.

XXXVI. Reſpondet Gaſparr. n. 123. Futilia quidem hæc argumenta eſſe, et emunctæ naris homine prorſus indigna; et breviter, ac facile, ad omnia reſpondet. De primo ad primum, negando ſuppoſitum: ſupponit enim Cujacius privilegium fori inductum eſſe in favorem clerici ei renuntiantis. Falſiſſima aſſertio! Clament quidem quantumlibet jura: *Favori pro ſe introducto quilibet renuntiare poteſt*: nunquam ſane audies dicentia, poſſe et quemlibet privatum renuntiare juri pro aliis introducto, et favore totius communitatis. Tale autem eſſe privilegium fori clericis competens affirmat Innocentius noſter, et merito affirmat; nam proculdubio dedecus toti ordini clericali, et gravis inferretur injuria, ſi hic vel ille clericorum coram judice laico ſtare cogeretur.

XXXVII. Pari igitur modo ad ſecundum petit à Cujacio; Quænam poteſtas inter catholicos conceſſa ſit principi ſæculari circa eccleſiaſtica? Plane nulla. Capit. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtitut. et can. *Bene quidem*, diſtinct. 36. Dicat igitur pro libito Juſtinianus, et erronee judicet, privilegium fori eſſe à clerico renuntiabile. Opponemus ipſi Innocentium oppoſitum è diametro definientem, et, juxta ſanctum orthodoxorum ritum, ejus in hac materia privative placitum amplectemur. Perlegat tamen Cujacius, etiam in jure civili, jus noviſſimum Friderici imperatoris relatum in auct. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et cleric. in qua prohibetur, et actori pœna imponitur, ſi clericus quilibet in cauſa civili, aut criminali, ad tribunal ſæculare trahatur, quaſi hoc ſit contra leges imperiales, et ſanctiones eccleſiaſticas; et agnoſcet forum ſpeciale non eſſe privilegium privatum clericorum, ſed jus commune eccleſiaſticum, cum de jure communi ſit, quod actor ſequi debeat forum rei, l. 2. c. de juriſdict. cap. *Cum ſit generale*, eod. tit.

XXXVIII. Quod autem ſubdit Cujacius, ante Innocentium nullibi haberi in jure canonico hoc clericale privilegium, et illius prohibitam renuntiationem; à veritate prorſus alienum eſſe reperiet, ſi conſulat Concilium Matiſconenſe relatum in can. *Nullus clericum*, 11. qu. 1. in quo 39 plagarum pœna imponitur clerico in minoribus conſtituto; honoratiori autem incluſio triginta dierum, qui patitur in civili, vel criminali negotio, trahi ſe ad judicem ſæcularem; idemque jus vel expreſſum, vel adumbratum, extat in can. *Relatum*, can. *Experientiæ*, can. *Clericum nullus*, et can. *Inolita*, eiſdem cauſa et quæſt.

XXXIX. Tertium vero argumentum nemo ſanæ mentis Cujacio aſſeruerit, niſi qui ſciverit, et bonum etiam Homerum quandoque dormitâſſe: adeo vel rudi

rudi quovis leguleio est prorsus indignum. Potest unusquisque prorogare jurisdictionem judicis incompetentis, non autem judicis incapacis. Hinc clericus potest quidem prorogare, ut superius monui, jurisdictionem judicis ecclesiastici, non sui, quia mere incompetens est, non autem judicis laici, qui est omnino incapax; adeoque ejus jurisdictio in hujusmodi causis ecclesiasticis est improrogabilis. Advertat igitur Cujacius, imo pudeat Cujacium, Cujacium non advertisse, quod non sonat idem in jure prorogare jurisdictionem judicis incompetentis, et foro proprio renuntiare, adeoque facilius eam prorogari, quam foro suo renuntiari posse.

Hæc Gasparr. cit. qui n. 129. sic concludit: *Certum igitur, et evidens sit ex hactenus dictis, judicem sæcularem non posse clericum judicare, vel condemnare, neque in causa civili, neque in criminali, juxta sanctionem Concilii Parisiensis existentem in cap. Nullus*, hoc tit. et de jure civili in *auct. Statuimus*, c. de episcop. et cleric.

XL. Objic. adhuc, 3. pro Covarr. apud Oliv. d. q. 12. n. 3. Quod jura canonica in nostris terminis expresse non reprobant consuetudinem immemorialem; sed simpliciter reprobant consuetudinem, ut patet in c. *Clerici*, 8. *de jud.* quod in nostris terminis loquitur, et capitale est, et in aliis juribus statim citandis pro contraria: at in generali reprobatione consuetudinis, etiam cum dictione universali, præscriptio, seu consuetudo immemorialis, sublata non censetur ex eo.; quia vim tituli habet, et propter ejus excellentiam, ut per Covarr. lib. 3. *var. cap.* 13. *n.* 5. *Gabr. tit. de præscript. conclus.* 1. *n.* 30. *Gutier. pract. lib.* 3. *quæst.* 67. *in fin. late Gonzal. de mensib. gloss.* 33. *n.* 2. *cum seqq. Garc. de benef.* 3. *p. cap.* 2. *à n.* 190. *igitur*, &c.

XLI. Respondet cit. Oliv. n. 15. Id habere posse locum dumtaxat, quando lex simpliciter tollit consuetudinem, ut fieri solet per clausulam, *Non obstantibus*, &c. secus vero, quando lex tollit, et reprobat consuetudinem simpliciter, eique resistit, quia tunc eam iniquam judicat, et irrationabilem, ut communiter DD. asserunt, *in cap.* 2. *de probat. ubi Dec. et Felin.* communem dicunt; sequitur Covarr. lib. 3. variar. cap. 13. n. 4. conclusione 2. ubi alios citat; ac per consequens immemorialem comprehendit, ut plures citans de more suo, Gabr. dict. conclusione 1. n. 27. et 28. cum sequenti, Covarr. dict. cap. 13. n. 5. plures citat; et sequitur Duennas regula 144. n. 3. Gonzal. dict. gloss. 33. n. 9. ita judicatum in Rotta refert Garc. de benef. parte 3. cap. 2. n. 19. Suar. adversus Angl. error. lib. 4. cap. 32. n. 9. et 12. Castr. Lusit. de manu reg. parte 1. cap. 2. n. 3. versic. *Nec obstabit*. Et hanc distinctionem firmant citati ad concordandas opiniones contrarias: unam, scilicet, asserentem, quod, sublata consuetudine cum dictione universali, censetur sublata etiam immemorialis; aliam vero contrarium docentem: at in nostra specie canonica jura non tantum tollunt; sed reprobant consuetudinem; eique resistunt, ut *in dict. cap. Clerici*, de jud. ibi: *Non debet in hac parte canonibus, ex aliqua consuetudine, præjudicium generari*; et in cap. *Ad nostram*, versic. *Nos igitur*, de consuetud. ubi adeo reprobatur talis consuetudo, ut contra eam servari facientes sententia excommunicationis latæ sententiæ proferatur; non solum autem jura canonica, sed civile jus imperatorum hanc consuetudinem reprobat, ut *in dict. auct. Cassa*, ita asserit *Suar. dict. cap.* 32. *n.* 12. *in bulla Cœnæ Domini in* § *Et qui eorum prætenso officio*, expresse reprobatur quæcunque consuetudo, per quam clerici ad judicia, seu tribunalia sæcularia trahuntur; quinimo in fine ejusdem bullæ in clausula, *Non obstantibus*, expresse derogatur consuetudini immemoriali, ut *Suar. loco citato adnotavit:* unde hodie non relinquitur locus dubitationi, ut per Gonzal. dicta regula 33. n. 7.

XLII. Ad aliud argumentum de consuetudine mixta laicorum, et clericorum, quo fortius nituntur id. Covarr. pract. c. 30. n. 5. et Per. de man. reg. p. 1. c. 2. apud Oliv. cit. q. 12. n. 17. infra fiet satis, n. 49.

Tertia Resolutio.

XLIII. Clerus Lusitanus, independenter à consensu, et ab approbatione Summi Pontificis, non poterat valide, nec licite concordare, aut pacisci cum sereniss. regibus Portugalliæ super convenientia coram judicibus laicis, et respondentia in foro sæculari in quibusdam causis civilibus cum diminutione clericalis exemptionis, et ipsius notorii fori privilegii.

XLIV. Probatur resolutio, 1. Ex expressa sanctione cit. c. *Si diligenti*, de for. compet. superius transcripti, ubi expresse definitur, *Quod clerici non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, etiam intercedente juramento, quod quidem ulterius declaratur, licite servari non posse*, eo quod sit *de illicita pactione contra canonica statuta*. Ubi gloss. verb. *Manifeste. Dicas, quod neque tacite, neque expresse, potest clericus alium judicem constituere*; imo in ecclesiasticam personam, sine speciali licentia episcopi sui consentire non potest, ut c. *Non liceat*, 3. q. 6. et c. *Significâsti*, hoc eodem tit. de for. compet.

Et in eadem gl. verb. *Juramentum*, ita notatur: *Sic ergo patet, quod si contractus non tenet, sive pactum, juramentum de observando ipsum contractum, vel pactum, non tenet, neque obligat, c. de legibus: Non dubium, et quia juramentum contra bonos mores, et vim legum, et auctoritatem juris, nullius est momenti, ff. de legatis, Primo, si quis inquilinos,* § *Si quis: et quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis*, 22. *quæst.* 4. *inter cætera, et infr. de jurejur. quanto. Item argumen. quod si principale non tenet, nec accessorium, ut c. de usuris, Eos, et c. Depositi, l. Si deposita pecunia, et l. prædicta, Non dubium, et infra de fide instrumen. inter dilectos: et quia idem juris est in principali, et accessorio, supr. de offic. deleg. prudentiam in fin. argumen. contra infr. de jurejur. debitores, et c. Cum contingat.*

XLV. Prob. 2. Ratione, cit. c. *Si diligenti* attacta: quia, scilicet, privilegium clericalis exemptionis *non est personale, sed potius toti collegio ecclesiasticum publice indultum:* atqui juri inducto pro tota communitate non potest privatus pro suo libitu renuntiare, ut sancitur l. *Imperatores*, ff. de pactis; et l. *Illud*, ff. de pactis dotalib. *Neque privatorum pactio eidem derogare potest*, ut definitur eod. c. *Si diligenti*, et pluribus citatis exornant Gasparr. inst. can. p. 3. tt. 2. n. 118. Gratian. discept. 190. n. 7. Menoch. de arbitr. cas. 430. Pax Jordan. elucubr. vol. 3. l. 13. tt. 8. n. 1. et seqq. et alii apud ipsos, et supra laudati prælud. 3. et 6. ergo, &c.

XLVI. Oppones tamen, 1. text. in cit. c. *Significâsti*, de for. compet. ubi definitur, clericos in judicem non suum consentire non posse, nisi forte sit persona ecclesiastica, et episcopi diœcesani voluntas accedat: ergo saltem accedente consensu episcoporum diœcesanorum poterant clerici Lusitani cum sereniss. Portugalliæ regibus pacisci, et concordare in judicem non suum, sæcularem, videlicet, pro certis saltem causis civilibus, independenter ab approbatione, et consensu Summi Pontificis.

Respondetur, 1. Explicando textum; qui quidem non loquitur de consensu in judicem suum *incapacem*, videlicet, in judicem laicum; sed in judicem non suum *incompetentem* dumtaxat, sed capacem, qualis est persona ecclesiastica, accedente simul voluntate prælati diœcesani; ideoque præjactus textus utramque hanc conditionem copulative requirit, ibidem: *Nisi forte sit persona ecclesiastica, et episcopi diœcesani voluntas accedat.* Simili modo distinguetur consequens: concordare in judicem non suum incapacem, qualis est judex laicus, nego; in judicem incompetentem, sed capacem, qualis est persona ecclesiastica, accedente voluntate episcopi, concedo.

XLVII. Respond. 2. cum Gasparr. cit. n. 128. *Non idem esse in jure prorogare jurisdictionem judicis incompetentis, atque foro proprio abrenuntiare:* nam per consensum in judicem incompetentem, sed capacem, fit jurisdictionis prorogatio, non tamen abrenuntiatio fori; per consensum vero in judicem incapacem, qualis est laicus respectu clericorum, fit fori proprii renuntiatio, quæ quidem, nedum illicita, sed

et

et invalida ſane eſt, utpote irrationabilis, et utrique juri expreſſe contraria, et ab utroque poſitive reprobata, ſecundum ſtatuta reſolut. 2. ſupr. n. 16.

XLVIII. Oppones, 2. (et eſt ſimul inſtantia præcedentis objectionis) gloſſam in cit. c. *Si diligenti*, eod. tit. verb. *Manifeſte*, ibi: Neque tacite, neque expreſſe poteſt clericus alium judicem conſtituere; imo in eccleſiaſticam perſonam ſine licentia ſpeciali epiſcopi ſui conſentire non poteſt: ergo ſaltem de ſpeciali licentia epiſcopi poſſunt clerici conſentire in judicem laicum; proindeque cum hac ſola licentia clerus Luſitanus cum ſereniſſimis regibus concordare poterant in aliquibus cauſis civilibus, independenter à conſenſu Papæ.

Reſpondetur, illam modificationem, ſine licentia ſpeciali epiſcopi conſentire, cadere immediate ſuper præcedentem clauſulam, *In eccleſiaſticam perſonam*, quam modificat; non vero ſuper primam clauſulam, *Alium judicem*, quæ à diverſo verbo, nempe *Conſtituere*, regitur, et prout ſic in diverſa oratione eſſe concipitur. Et ulterior ratio eſt eadem, quæ ad ſuperius caput *Significâſti* adhibita eſt; adeoque in hacmet gl. d. c. *Si diligenti*, ibidem citatur præjactum c. *Significâſti*. Unde, cum perſona eccleſiaſtica, quamvis incompetens, non tamen ſit incapax, poteſt clericus in eam, ut judicem, conſentire de ſpeciali licentia epiſcopi; non vero in judicem, ſive alienum, ſi ſit laicus, utpote qui, nedum incompetens, ſed et incapax omnino incedit, juxta ſuperius ſtatuta.

XLIX. Oppon. 3. pro Covarr. et Per. de man. reg. citatis ab Oliv. de for. eccleſ. q. 12. n. 17. prædictam veriſſimam, et receptiſſimam ſententiam de jure canonico limitare volentibus, ut non procedat *in conſuetudine mixta* laicorum, et clericorum, veluti quoties clerici ea utantur, patientes trahi ad judicium ſæculare, vel idem judicium adeuntes: nam hæc conſuetudo, ſecundum eos, valida eſt ad limitandum clericorum privilegium, eoſque ſubjiciendi juriſdictioni laicorum: ita Covarruvias, nemine citato, practicarum, cap. 31. n. 5. Caſtro Luſitanus de manu regia, parte 1. cap. 2. in principio.

Reſpondet Oliv. ibid. n. 18. Hanc limitationem merito reprehendi à Marth. de juriſd. p. 4. caſ. 63. n. 14. per rationes adductas ab eo, à n. 7. eandem reprobat Suarius adverſus Angliæ errores, lib. 4. cap. 32. n. 19. aſſerentes, dari non poſſe in his terminis conſuetudinem laicorum, et clericorum, quicquid ſit in aliis materiis: primo, Quia clerici, licet velint, non poſſunt tali conſuetudini conſenſum præbere, ex textu in capite, *Si diligenti*, de foro competenti, imo nec epiſcopi, ut in capite *Significâſti*, eodem titulo: unde ex tacito, vel expreſſo eorum conſenſu non poteſt conſuetudo introduci, ut clerici ad forum trahantur ſæculare.

L. Secundo, Quia conſuetudo laicorum clericos non ligat, ut per Butr. in Rubr. de conſuetud. n. 3. et 12. Abb. in capite, *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, n. 34. ubi alii communiter, idem Abbas in capite *Quod clerici*, n. 2. de foro competenti, Cynus in lege ſecunda, codice *Quæ ſit longa conſuetudo*, Capicius, deciſione 98. n. 2. Duennas, regula 135. Martha de juriſdictione, 4. p. caſu 63. n. 13. ubi alios citat; et deciſum refert; ſequitur Azor. p. 1. lib. 1. cap. 18. quæſt. 2. Suarius adverſus Angliæ errores, lib. 4. cap. 32. n. 17.

Tertio, Quia, in hac materia non poteſt dari conſuetudo mixta, quæ non offendat eccleſiaſticam libertatem, cum clerici virtute ejus ad forum trahantur ſæcularem, quo in caſu omnes conſuetudines reprobantur, tanquam irrationabiles, ut ſatis probatum reliquerat; laici autem etiam cum clericis auferre non poſſunt irrationabilitatem à jure adeo acclamatam, ut conſiderat Suarius in dicto capite 32. n. 19. et voluit, licet non tam clare, Martha dicto caſu 63. n. 19. quod fundamentum verum, et efficax eſt.

LI. Confirmatur tandem præjacta reſolutio ex conſuetudinibus, et obſervantiis regni Angliæ à clero, et prælatis, necnon ab aliquibus nuntiis, ſive legatis apoſtolicis ignaviter toleratis, et à Romano Pontifice non approbatis, quæ et Anglicano ſchiſmati, et erroribus fores aperuerunt, et illuſtri martyrio D. Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi juſte obſervantiis illis reſiſtentis, ac fortiter ſubſcribere nolentis, occaſionem præbuerunt, et aliis inde conſecutis commodis, atque longiſſimæ totius Angliæ paci: *Propter enim ſolius Romæ*, ſcribit Stapleton. cit. *fortitudinem, et conſtantiam, quam uſque ad mortem tenuit, et pro qua acerbiſſimum mortis genus ſuſtinuit (à quatuor impiis horrende trucidatus in ipſo templo ſuo, ipſaque precationis hora) toti eccleſiæ Anglicanæ pax, et libertas reſtituta fuit. Rex Henricus à ſuis impiis poſtulatis penitus deſtitit. Imo, ut ſcribit Eraſmus, per mortem B. Thomæ plurimum et auctoritatis, et opum, acceſſit ſtatui eccleſiaſtico apud Anglos: quod certe florentiſſimus poſtea per aliquot ſæcula cleri Anglicani ſtatus verum eſſe comprobavit.*

LII. Nota hic ex Pignatell. tom. 4. conſ. 2. n. 4. diſtinctionem inter privilegium *exemptionis à foro ſæculari*, et privilegium *libertatis à legibus, ſtatutis, et conſtitutionibus laicorum*. Primum namque, ait, importat exemptionem dumtaxat à judiciis, ſive à tribunali judicis laici, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus; et habetur in auct. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et in auct. *Ut clerici apud proprios epiſcopos*, et in can. *Conſulendum*, 28. d. can. *Denique*, 96. d. can. 1. et per tot. 11. quæſt. 1. in cap. *Clerici*, in princ. in cap. *Etſi clerici*, et in cap. *Qualiter*, de judic. in cap. *Nullus*, in cap. *Si diligenti*, et in cap. *Significâſti*, de for. compet. ad quos textus DD. omnes ſuffragantur; et habetur expreſſe in cap. *Noverit*; et in cap. *Gravem*, de ſent. excom. et in can. 15. bullæ Cœnæ Domini, in quo excommunicantur trahentes perſonas eccleſiaſticas coram ſe ad ſuum tribunal, ſeu forum, audientiam, cancellariam, concilium, vel parlamentum, præter juris canonici diſpoſitionem. Et propterea *forus* appellatur, in quo judicia publice exercentur, ut probat Iſidor. in lib. etymol. cujus tranſcripſit verba textus in cap. *Forus*, de verb. ſignif. unde *fori jus*, l. 8. *Qui ſatiſd. cog.*

Secundum importat libertatem à legibus, à ſtatutis, ordinationibus, conſtitutionibus, pragmaticis, ac quibuſcunque aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, vel quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet libertas eccleſiaſtica tollitur, ſive in aliquo læditur, vel demitur, aut alia quovis modo reſtringitur, ſive Romani Pontificis, et Sedis Apoſtolicæ, ac quarumcunque eccleſiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præjudicatur. Quod habetur in cap. 1. et per tot. d. 10. in can. *Bene quidem*, cum ſeqq. 96. d. in cap. *Quæ in eccleſiarum*, in d. cap. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. in auct. *Caſſa*, c. *de ſacroſ. eccleſ.* ac præſertim in d. can. 15. bullæ Cœnæ, ad quos locos DD. item omnes, et præ cæteris Abb. in d. cap. *Quod clericis*, de for. comp. et in d. cap. *Eccleſia S. Mariæ*, ubi exactiſſime hanc materiam proſequitur in repetitione ſua, n. 26. et 37. cum ſeq. et hæc libertas à legibus, et ſtatutis laicorum principum dicitur libertas comparatione obligationis, qua cæteri hominum titulo ſubjectionis eiſdem tenentur.

LIII. Sunt igitur privilegia diverſa, et ſeparata. *A diverſis autem, et ſeparatis non fit illatio, l. Papinianus*, ff. de minor. cum vulgar. aliis. Et ideo licet clericus, qui caret ſac. concilii requiſitis, fori privilegio privetur, non tamen habemus unde etiam privetur alio privilegio clericali *libertatis à legibus*, ac ſtatutis laicorum, præter id quod ſtatuit idem Tridentinum, quod non eſt in conſequentiam ad alia privilegia trahendum, maxime cum ſit odioſum, atque adeo reſtringendum.

Hinc, ſi ſacri canones alia privilegia volunt auferre, id exprimunt, ut in cap. un. de cler. conjug. in 6. quod confirmat Trident. eod. cap. 6. ſeſſ. 23. de for. ubi expreſſit, clericos conjugatos nullis aliis clericorum privilegiis gaudere, præter canonis, et fori, et his tantum ſervatis quibuſdam conditionibus. Has autem conditiones pro ſolo privilegio fori expreſſit.

Unde, quod clerici his requiſitis deſtituti gaudeant privilegio canonis, et immunitatis à vectigalibus, tradunt, Molina, Avila, Clarus, Leſſius, Malderus, Garcia, Comitollus, Belletus, Diana, Torreblanca, Suares, Poncius, Palaus, et alii, quos adduxit, tom. 3. conſult. 7. n. 79. Hæc Pignatell. cit.

Ex

Ex superius traditis sat constat, quam parum fidendum in concordiis allatis cleri Lusitani cum sereniss. Portugalliæ regibus, et quam invalidæ, et nullæ manifeste, atque notorie incedant, super obligatione, vel licitudine respondendi coram judicibus laicis prorsus incapacibus in causis præmemoratis, non intercedente Summi Pontificis consensu, et approbatione, juxta subsequenti resolutione tradenda.

Quarta Resolutio.

LIV. Solæ concordiæ regis Dionysii cum clero Lusitano, quæ reperiuntur à Sede Apostolica approbatæ, et confirmatæ, et ex speciali commissione S. Pontificis celebratæ, poterant valide, et licite inducere consuetudinem, non simpliciter, et absolute, quoad omnia, quæ in prædictis concordiis continentur; sed quoad eas consuetudines dumtaxat, quæ fuerint *canonicæ*, id est, sacris canonibus conformes, et rationabiles, et libertati ecclesiasticæ non adversantes. Idem dicendum de qualibet alia concordia, si detur, simili commissione, et confirmatione confirmata, et consimili limitatione modificata.

Probatur 1. pars resolutionis, Quia solæ concordiæ à Summo Pontifice approbatæ, ac confirmatæ, validam, et licitam consuetudinem inducere possunt, juxta stabilita præcedenti resolutione: atqui solæ concordiæ regis Dionysii inveniuntur præfata approbatione, et confirmatione roboratæ, necnon ex speciali Nicolai IV. commissione ad Bracharensem archiepiscopum, et ad alios regni Portugalliæ episcopos directa, celebratæ, ut ex ea claret, apud cit. Per. de man. reg. in fin. 1. partis pag. 325. ergo, &c. Ita Oliv. d. q. 12. sub n. 44.

LV. Prob. 2. pars: Quia præfatæ concordiæ non reperiuntur simpliciter, et absolute approbatæ, et confirmatæ, quoad omnia; sed quoad ea dumtaxat, quæ fuerint juri canonico, et rationi consona, et ecclesiasticæ libertati non contraria, ut convincitur ex ultimo cap. seu articulo ipsarum concordiarum, qui est 40. ibi: *Etsi aliquid fuit ordinatum de consensu prælatorum, pro bono, et pacifico statu regni, et consuetudine roboratum, dummodo sit canonicum, et rationabile, nec contra libertatem ecclesiasticam, consentiunt prælati, quod servetur*, ut videre est apud cit. Per. pag. 342. et testatur Oliv. cit. q. 12. n. 24. ibi: Ad ultimum respondetur, in eo supponi falsum, quia in concordia citata, *quæ est prima regis Dionysii capite ultimo* (de qua infra in hac eadem quæstione) non fuerunt approbatæ, nec confirmatæ per Summum Pontificem simpliciter consuetudines hujus regni; sed eæ tantum, quæ fuerint canonicæ, et rationabiles; et non fuerint contra libertatem ecclesiasticam; ut ex eodem capite patet.

Et de eodem cit. Per. inquit idem Oliv. ibidem, se sane mirari, virum alias doctissimum, variis in locis, multoties idem concordiæ capitulum, ejusque confirmationem, adduxisse ad defendendas eas leges regni per viam consuetudinis; cum tamen in eodem capitulo expresse reprobentur eæ, quæ non fuerint canonicæ, et rationabiles, vel fuerint contra libertatem ecclesiasticam; et quasi omnium consensu, tam theologorum, quam jurisperitorum receptum est, libertatem ecclesiasticam infringi, et lædi, si clerici in judicio sæculari, tanquam rei, conveniantur, etiam in civilibus, ut supra diximus.

LVI. Confirmatur ex ipsomet formali contextu præfatæ concordiæ, et ex formali directione, aut monitione pontificia ad præmissum regem in præjactæ concordiæ cit. c. aut art. 40. ibi: *Statuta, et consuetudines in eodem regno contra libertatem ecclesiasticam, et statum prædicti regni pacificum introducta, non serves, nec permittas observari; sed prædictas ecclesias, et ecclesiasticas personas, in plena libertate conserves.* Ex quo clare patefit, et commissionem Pontificis non fuisse ad concordandum in iis consuetudinibus, quæ ecclesiasticæ libertati adversarentur, et mentem ejusdem, atque expressam monitionem, ac jussionem in hoc perstitisse, ut statuta, et consuetudines ecclesiasticæ libertati adversantes, nec servarentur, nec servari permitterentur, sed penitus abolirentur.

LVII. Hic animadverte, quod bulla Gregor. IX. quæ incipit, *Illustris rex Portugalliæ*, transcripta ab eodem Per. cit. pag. 316. et Stephano archiepiscopo Bracharensi directa, non est confirmatoria concordiarum inter regem Sancium II. et d. Stephanum archiepiscopum Bracharensem, vel consuetudinum in eis contentarum; quinimo est illarum reprobativa, condemnatoria, et inhibitoria illarum, necnon variarum pœnarum comminatoria, utpote expedita ex vi querelarum ecclesiasticorum, ut ex illius terminis evincitur; ibi: *Eidem regi per literas nostras districtius inhibemus .... nec per se, vel per suos, compellat personas ecclesiasticas in sæculari foro de causis criminalibus, vel civilibus respondere ... Noverit nos tibi nostri dedisse literis districtius in præceptis, ut nisi ipse infra tres menses post receptionem literarum nostrarum, vel publicationem earum, in loco, ubi fuerit, prædicta curaverit adimplere, et ecclesiis, ac monasteriis de damnis, et injuriis per se ac suos irrogatis, eisdem satisfaciet competenter, promittens firmiter, per patentes literas suas, quod articulos expressos superius, cum sint de jure communi, observabit, et faciet observari, tibi et tuis plenam securitatem impendens.*

Confirmatur ex ipsiusmet regis authentico diplomate, in executionem, atque adimpletionem præmissæ bullæ pontificiæ expedito, ubi ait: *Sciatis, quod ego promitto firmiter, per præsentes meas literas patentes, quod articulos ecclesiasticæ libertatis in rescripto Apostolico comprehensos, et alios contentos in eadem servabo, et faciam juxta mandatum Apostolicum observari.*

De reliquis autem concordiis non ita à Sede Apostolica approbatis, ait cit. Oliv. d. q. 12. sub n. 44. *Aliæ autem concordiæ tempore ejusdem regis, aliorumque regum antecessorum, et successorum celebratæ, quas idem D. transcripsit eodem libro, nec formam concordiarum, seu contractuum habent; nec mihi apparet à Sede Apostolica confirmatas; licet fatear, quod potest illarum confirmatio allegari, et probata fama ejusdem confirmationis, et insimul immemoriali, confirmatio præsumptive probata censebitur, juxta supra resoluta, in specie, asserit idem Castro Lusit. de man. reg. 1. p. c. 6. in fin.*

LVIII. Ex superius dictis infert Oliv. cit. q. 12. n. 22. legem regiam Lusitanam, lib. 2. tt. 1. in princ. dum asserit, episcopos, et alios prælatos, qui in regno judicem ordinarium non habent, posse ad forum trahi sæculare super bonis patrimonialibus, et damnis datis; et prosequitur ibidem, § *Nec possunt*, ostendens, in hac re nec dari veram tolerantiam Pontificis, nec ejusdem consensum præsumi, ut fuse liquebit ex formalibus illius verbis supra transcriptis, c. 21. n. 16. et alibi.

LIX. Si tamen hic petas, quænam sint insinuatæ *consuetudines rationabiles, et canonicæ*, seu sacris canonibus conformes, in præmissa concordia Dionysiana approbatæ, et confirmatæ? respondebimus, esse 1. quæ continetur art. 1. concordiæ regis Aldefonsi III. apud cit. Per. pag. 321. super reconventione clerici in sæculari judicio, juxta text. in c. *Prudentiam*, de mutuis petitionib. cum limitationib. tamen apud Gasparr. inst. can. p. 3. tt. 2. cap. 5.

Esse 2. quæ continetur art. 8. ibidem de clerico incedente, ut laico, et armato, qui ter monitus ab episcopo, et non resipiscens, perdit privilegium fori, ut statuitur in c. *In audientia*, de sent. excommunicat.

Esse 3. quæ ibidem continetur art. 10. de clerico laicorum procuratore, qui deprehensus in fraude propter pecuniam, ab ecclesia non subvenitur, ut decernitur in c. *Sacerdotibus, ne clerici, vel monach.* cui addit Per. cit. cap. 1. de privileg. in 6. et Clem. 1. de testam. sed non recte: nam in cit. c. 1. de privileg. non agitur de convenientia ecclesiasticorum coram judice sæculari; sed de convenientia ecclesiasticorum exemptorum, ac privilegiatorum, certum judicem habentium, ut ratione delicti, contractus, aut rei, si hæc sint inita, vel sita in loco non exempto, conveniantur coram loci ordinario ecclesiastico, ut ex cit. c. et ejus summario liquet.

Idem respondendum ad cit. Clem. unicam, *de testamentis*; ibi namque etiam agitur de exigenda ratione ab ordinariis ecclesiasticis (non laicis) locorum, à religiosis, etiam exemptis, de executionibus testamentorum, quas gesserunt, et de punitione, si deliquerint, ab eis-

dem adhibenda, ut in cit. Clem. formaliter decernitur; ibi: *Religioſis etiam exemptis, deputatis ad executionem cujuſlibet ultimæ voluntatis, circa ipſius executionis officium (quod utique non poſſunt niſi à ſuperiori ſuo petita ſuper hoc licentia, et obtenta, ſuſcipere) volentes præſcindere materiam delinquendi, præſentis conſtitutionis auctoritate ſtatuimus, quod tales (etſi prælationis fungantur officio) locorum ordinariis debitam reddere, ipſique ordinarii ab eiſdem abſque dolo, fraude, ſeu negligentia, de ſuſceptæ executionis officio teneantur exigere rationem; illos, quos circa id deliquiſſe repererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocunque non obſtante privilegio) punituri.*

LX. En veritas, ac fidelitas citationum laudati Gabrielis Pereiræ de manu regia! quæ paſſim (ut notat etiam Oliv. de for. eccleſ. et nos ſupra notavimus. c. 11. et alibi) indebite, imo et inverſe quoad ſubſtantiam, ab eo adducuntur, ſive raptantur.

Eſſe 4. quæ continetur in art. 11. ejuſdem concordiæ ibidem, de clericis joculatoribus, goliardis, aut bufonibus, qui tertio moniti, ſi non deſiſtunt, ipſo jure perdunt privilegium clericale, ut decernitur in c. *Clerici*, de vita, et honeſt. clericor. in 6. et pariformiter quæ continetur ibid. art. 7. de clerico negotiatore, juxta ſanctionem c. *Ex literis* 16. *(non exhibitis, ut legitur apud cit. Per.) de vita, et honeſt. clericor.* et ſimiliter, eſſe alia, quæ à jure canonico vel decernuntur, vel permittuntur.

LXI. Non tamen eſſe, quæ præciſe fundantur in legibus mere ſæcularibus, et juris civilis præciſe, ut in art. 2. ibid. de clerico vocato, ut actore, in defenſionem laici emptoris, cui aliquid clericus vendiderat, in terminis legis regiæ, l. 2. tt. 11. § 11. quæ fundatur in quadam lege juris civilis, videlicet l. *Venditor*, ff. de judic. Nam quamvis hic etiam citetur gloſſa in canonem quendam, cauſ. 3. q. 1. cum nec numerice, nec initialiter deſignetur citatus canon, et omnes fere eadem quæſtione agant de epiſcopis ſpoliatis, et ejectis, qui redintegrandi ſunt; et de mutuo auxilio ſibi invicem præſtando; et canon 6. *Deus ergo*, qui eſt ultimus ejuſdem q. 1. præter commendationem præfati auxilii, agit tandem de ferenda excommunicatione in eos, qui opprobrium, et calumniam inferunt ſacerdotibus; facile inveniri non poteſt, quænam hæc gloſſa ſit; nec ego, ſingulis perlectis, clauſulam inſinuatam detegere potui. Et etiam non eſſe videtur, quæ art. 9. de clerico laici hærede, ubi citatur lex mere civilis juris, et nulla juris canonici, de quo tamen infr. n. 67.

LXII. Ratio autem, cur non ſufficiat fundamentum ex jure civile dumtaxat deſumptum, hæc ſat manifeſta omnino eſt: quia ſcilicet ex notorio defectu juriſdictionis leges civiles, et ſtatuta laicorum, res ac perſonas eccleſiaſticas adſtringere non valent, ut communiter tenent DD. in caput *Eccleſia S. Mariæ* de conſtit. Butr. in l. 2. de conſuetud. quibuſcum Antonell. de regim. l. 1. c. 1. § 7. et alibi: qui tamen ibidem n. 80. ſic diſtinguit: *Aut lex civilis, ſive ſtatutum, diſponit ſpecifice circa perſonas et res eccleſiaſticas; et tunc clericos nullo modo ligat, etiamſi lex ſit eccleſiæ favorabilis, cap. Eccleſia S. Mariæ, ubi DD. omnes de conſtitut. unde totus titulus, cod. de ſacroſanct. eccleſ. et de epiſcop. et cleric. ubi expreſſe de eccleſiis, clericis, et eorum bonis diſponitur, eſt nullus ex notorio defectu poteſtatis, juxt. comm. DD. opinionem, ut dict. clar. in § Emphyteuſis, verſic. Nec dicatur, Abb. et omnes in d. cap. Eccleſia S. Mariæ, Vulp. in prax. judic. cap. 44. n. 43. ſecus eſſet, quando lex civilis fundata eſſet ſuper naturali ratione, quia tunc ſervari debet, non ratione legis, ſed ratione juſtitiæ naturalis, Sylv. in ver. Lex, n. 15. aut quando eſt privilegiativa, quia concedere privilegium non eſt ſignum ſuperioritatis, cum etiam non ſubdito dari, et concedi poſſit, Silveſter loc. cit. Laym. ut ſup. n. 2. et alii communiter. Aut vero lex generaliter diſponit non faciendo mentionem de clericis; et tunc ex vi directiva, non coactiva, ligat clericos, dummodo reſpiciat bonum commune, et ſacris canonibus non repugnet, cap. 1. cap. Quoniam, et cap. de capitibus, diſtinct. 10. cap. 1. de nov. op. nunt. canoniſtæ in d. cap. Eccleſia S. Mariæ, Navar. cap. 23. n. 88. Bonacin. in d. tr. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 6. n. 29. Vulp. d. cap. 43. n. 33. Eſt communis opinio, ut dict. Dian. part. 1. tr. 2. reſol. 8. quod intellige, dummodo ſit favorabilis; ſecus, ſi eſſet præjudicialis, Sylv. in ver. Lex, n. 15. ubi etiam advertit, quod quando lex generaliter diſponens poteſt ſe habere ad commodum, et incommodum, non dicitur præjudicialis, inde ſi ſtatutum diſponat, quod primogenitus ſuccedat, ſecundo genitus, licet ſit clericus, non ſuccedat: ſimiliter in ſtatuto, quo maſculi excludunt mulieres, non ſuccedet mulier, licet ſit effecta religioſa; et ratio eſt, quia leges generaliter promulgatæ, et quæ ſacris canonibus non contradicunt, videntur approbatæ ab eccleſia, cap. 1. de nov. oper. nunt.*

LXIII. In reliquis autem ejuſdem concordiæ articulis par prænotato reperitur defectus, in juris canonici textuum citationibus non recte, et non formaliter æque applicatorum, ut viſitur in art. 3. ubi agitur de clerico poſſidente prædia regalia, qui *vocatus à rege tenetur obedire*; et citatur c. *Cum parati* de appellat. In quo tamen de re ſubjecta non agitur, ut ex caſu ibidem figurato convincitur: nam quamvis gloſſa ibidem aſſerat, quod auctoritas regis, in cujus legatione epiſcopus Zamorenſis inveniri allegabat, quando vocatus fuit à cardinali legato, excuſare ipſum poſſet de non comparentia in ſynodo, ad quem à cardinali ipſo vocatus fuerat; vocatio hæc non fuit à rege, ſed à legato, judice ſane eccleſiaſtico, ut notat eadem gloſſ. ibidem: *Nota, quod quilibet vocatus à judice ſuo, venire tenetur allegaturus privilegium ſuum.* Et circa legationem regis, ibidem ab epiſcopo allegatam, nil textus decernit; quinimo reſolvit, quod cum *epiſcopum non decuit, prætextu appellationis, ad vocationem venire legati*, præcipit, ut tandem coram illo *ſe præſentet innocentiam ſuam oſtenſurus.*

Deinde textus eodem art. citatus, cauſa 23. q. 1. etiam non individue deſignatur. Et quamvis can. *Militare*, ead. q. dicatur; quod *Cæſar præcipit, ferendum eſt; quod imperator indicit, tolerandum*; ibi tantummodo reſolvitur, militare non eſſe peccatum, niſi fiat propter prædam. Et Palea in ſpecie illius caſus declarat, epiſcopos illos *ab imperatore civilem juriſdictionem accepiſſe*; quibus tamen *Apoſtolicus legatus imperavit catholicos ab hæreticis defendere.* Et ſolum n. 8. quærit, *An epiſcopis, vel quibuſlibet clericis, ſua liceat auctoritate, vel imperatoris præcepto, arma movere?* Unde caſus, et reſolutio, utpote materialiter diverſiſſimus, non ad rem formaliter adduci videtur.

LXIV. Similiter art. 5. ejuſdem concordiæ *de clerico conjugato*, citatio cap. *Clerici* de cleric. conjugatis in 6. eſſe videtur contra producentem: ibi namque contrarium reſolvitur, quoad privilegium fori: *Et cum (juxta Pariſienſe Concilium) nullus clericus diſtringi, aut condemnari debeat à judice ſæculari; præſenti declaramus edicto, hujuſmodi clericos conjugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis, trahi non poſſe criminaliter, aut civiliter, ad judicium ſæculare.*

Conſimiles etiam defectus reperiuntur, tum in citationibus aliorum præfatæ concordiæ articulorum, tum in allegationibus laudati Gabr. Per. ad iſtos, et alios: unde non multum fidendum in utriſque. Et hæ redargutæ notæ ſuperaddendæ ſunt controverſis, ac retortis ſuperius, c. 9.

LXV. Dices: Prædictarum concordiarum, et cæterarum reſolutio, necnon ordinata in lege regia cit. lib. 2. c. 1. fundantur in probabili aliquorum DD. opinione, in favorem juriſdictionis laicæ in præmiſſis caſibus ſcribentium, ut etiam inſinuatur in art. 4. præjactæ Alfonſ. III. concordiæ: ergo prælati, et clerus Luſitanus, probabilitati illi inhærentes, poterant valide, et licite, quoad conſuetudines, etiam non canonicas, cum ſereniſſimis regibus concordare.

Sed contra, 1. Quia certum eſt, quod in judicando ſequi non poterant, niſi opinionem probabiliorem, juxta damnationem propoſitionis Innocent. XI. de quo ſupr. c. 15. et 16. et antecedenter, atque independenter ab illa damnatione ſententiam noſtram docuerunt ex juriſtis, Jaſ. in auct. noviſſ. Dec. Paris, Roland. Navarr. Menoch. et alii, quos citat, et ſequitur Oliv. d. q. 12. n. 36. et ex theologis Sot. Ban. Sa. Azor. Valent. Sanch. et alii. Opinio autem, quæ eccleſiæ favet, et ejus immunitati, ſaltem practice probabilior ſane eſt, ut docent DD. infr. cit. et cum eis Fagn. in c. *Ne innitaris, de conſt.*

LXVI.

LXVI. Contra, 2. Quia etiam extra judicium, opinio favens eccleſiæ, et ejus juriſdictioni, ac immunitati, probabilior utique eſt, ut tenent Andr. in c. *Rurſus*, infr. cit. Felin. in c. 1. de conſuet. Mart. et alii inferius laudandi, quibus accedunt, Antonellus expreſſe aſſeverans, quod *communis opinio DD. non eſt attendenda, quando altera contraria opinio favet clericis, aut piæ cauſæ, aut juriſdictioni eccleſiæ*; et pro hoc aſſerto, præter Felin. in c. 1. n. 54. de conſt. citat etiam Andr. Barbat. conſ. 6. n. 2. vol. 1. et conſ. 40. n. 11. vol. 3. Curſ. Jun. conſ. 55. n. 25. Dec. conſ. 501. Gram. conſ. civ. 50. n. 46. et alios permultos, quos refert, et ſeq. Marth. de juriſd. p. 4. c. 164. an. 1. ubi de magis communi teſtatur.

Imo, ſi contrariæ opiniones æque communes, vel æque probabiles reputentur, in his terminis, ait Oliv. cit. q. 12. n. 39. ſtylus, et conſuetudo ſæcularium tribunalium, imo et lex temporalis, non poteſt amplecti, et confirmare illam, quæ eſt contra eccleſiaſticam juriſdictionem; nam in dubio, tam propter reverentiam, quæ matri eccleſiæ debetur, quam ob favorem pietatis erga Deum, ſeu cauſæ piæ, pro ea judicari debet, et pro ſua juriſdictione ſpirituali. Hoſtienſ. et Joan. Andr. in cap. *Rurſus, qui clerici, vel venientes*, Felin. in cap. 1. n. 54. verſic. 5. *Limita, de conſuetud.* refert, et ſequitur Marth. de juriſd. p. 2. c. 6. n. 6. et p. 4. caſu 164. n. 1. ubi alios citat, et n. 2. qui DD. plus aſſerunt, hoc eſt, quod etiam contra communem eſt tenenda opinio, quæ eccleſiæ favet, juriſdictionique eccleſiaſticæ. Vide eund. Oliv. q. 25. n. 15. et q. 28. n. 43. et Cevall. de cogn. viol. in prolog. n. fin. et Fermoſin. tom. 4. *de judiciis*, ad c. *Qualiter, et quando*, 17. eod. tit. q. 1. et ſeqq.

LXVII. Quænam autem opinio probabilior ſit in clerico laici ſucceſſore, et in reliquis caſibus ſuperius attactis, reſolvit Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 2. n. 135. per ſequentes caſus diſtinctos.

Primus caſus eſt, Quoties clericus ſuccedit laico, cum quo nondum lis erat incepta; quo caſu omnes aſſerunt, clericum conveniri non poſſe, niſi in foro eccleſiaſtico, ut cum Bart. in l. *Hæres abſens*, n. 1. ibique DD. ff. de judic. Antr. de Butr. Abb. et canoniſtæ in cap. *Quia extra*, eod. Gail. obſerv. 37. n. 10. Peregr. de jur. fiſci, lib. 4. tit. 6. ſub n. 27. Marant. de ord. judic. par. 5. n. 13. Cevall. commun. opin. q. 36. n. 13.

Secundus caſus eſt, Quando laicus, poſt inceptum judicium coram judice ſæculari, fit clericus; et etiam tunc, ſi abſque fraude ſuſceperit ordinem eccleſiaſticum, remittendus erit ad judicem eccleſiaſticum; etſi ordinem ſuſceperit in fraudem juriſdictionis ſæcularis, mulctari quidem poterit in bonis, ſed non in perſona, quæ Deo eſt ſacrata, Imol. Conſ. 119. n. 1. Covarr. lib. 1. pract. quæſt. cap. 32. n. 4. Surd. deciſ. 184. et deciſ. 195. et Sperell. deciſ. 7. n. 4. allegans votum quoddam Robuſterii apud Marcheſan. de commiſſ. par. 2. n. 140.

Tertius caſus eſt, Quando ſuper re litigioſa clericus laico litiganti ſuccedit titulo ſingulari, puta emptionis, &c. tunc cum alienatio rei litigioſæ prohibita ſit, et ipſo jure nulla, Rub. et tot. tit. ff. et auct. de litigioſis, l. fin. cod. eod. tit. cap. fin. de alien. jud. mut. conſ. fact. Abb. in cap. *Eccleſia*, n. 10. ut lit. penden. fit ut alienans habeatur pro ſucceſſore, adeoque poſſit judicium proſequi contra ipſum, clerico emptore minime citato. Et ratio eſt, quia quando res eſt effecta litigioſa, non poteſt actor mutare ejus ſtatum in præjudicium adverſarii, et diriorem facere ejus conditionem quoad judicii ordinem, et examen cauſæ, Ant. de Butr. in d. cap. fin. n. 7. ubique Abb. n. 5. Lancelot. de attent. par. 2. cap. 4. in præf. an. 451. uſque ad 528. Covarr. pract. qq. cap. 15. ſub n. 7. Capyc. Latr. dec. 128. ſub n. 10. et Giurb. dec. 82. n. 7.

LXVIII. Verum tamen eſt, quod in hoc caſu pro exequenda ſententia lata à judice laico recurrendum ſit ad judicem eccleſiaſticum. Et ratio eſt, quia ad exequendam ſententiam, etiam contra ementem rem litigioſam, lite pendente, requiritur apud omnes citatio emptoris, ne auferatur ipſi defenſio, quam facere poteſt, ex traditis ab Aſin. in prax. § 31. c. 4. in princip. Lancelot. loc. cit. n. 452. et ſeqq. Coroc. de except. rei judic. excep. 108. ſub n. 2. et 11. Capyc. dict. deciſ. n. 12. et 13. Urſill. ad affict. deciſ. 7. n. 17. et ſeqq. Quare cum citatio contra clericum fieri nequeat, niſi ab illo, qui in eum habet juriſdictionem, ſequitur neceſſario executionem ſententiæ pertinere ad judicem eccleſiaſticum, ut notat etiam Martha de juriſdict. par. 4. cap. 35. n. 16. et Noguerol. alleg. 19. n. 127.

Quartus denique caſus eſt, iſque magis diſcuſſus, Quando clericus ſuccedit laico titulo univerſali, nempe hæredis; et in hoc caſu inſtantia fuerit, vel non fuerit cœpta coram judice laico contra actorem clerici, ea certe non eſt continuanda in clericum hæredem. Ita cum canoniſtis paſſim Bald. in cap. *In præſentia*, de probat. n. 9. Cabal. conſil. 91. n. 8. lib. 2. Marant. loc. cit. n. 12. et ſeq. Marth. de juriſdict. par. 4. caſ. 3. n. 5. Aſin. in prax. § 2. cap. 12. per tot. Pax Jordan. elucubr. vol. 3. lib. 13. tit. 8. n. 30. et 45. Strach. de mercat. partic. 1. ult. part. n. 45. de Graſſ. de effect. cleric. effect. 1. n. 181. Scacc. de judic. part. 1. cap. 11. n. 23. in fin. Gaill. loc. cit. Antonell. de jurib. et oner. cleric. lib. 1. par. 1. cap. 1. n. 26. Zach. de oblig. Camer. qu. 8. an. 8. uſque ad 11. ubi dicit, hanc eſſe opinionem ſacræ Rottæ Romanæ, et contrariam eſſe periculoſam. Covarr. pract. qq. cap. 8. ſub n. 3. Peregr. de fideic. art. 1. n. 2. Rotta, deciſ. 552. de for. comp. in antiq. et dec. 957. n. 9. coram Seraph. et hanc eſſe in praxi amplectendam, præſertim in ſtatu eccleſiaſtico, teſtantur Cevall. commun. opin. q. 36. n. 48. Gratian. diſcept. 16. n. 1. Tondut. de prævent. par. 1. cap. 30. n. 52. et ſub n. 55. quicquid in contrarium dixerint Alex. in l. *Si conſtante*, § fin. ff. ſol. matrim. Jaſ. in auct. *Quas actiones*, n. 39. Cod. de ſacroſ. eccleſ. vivi, lib. 2. Commun. opin. opinion. 48. verſ. Clericus, Surd. dec. 110. aliique civiliſtæ lato calamo recenſiti à Barb. lib. 1. jur. eccleſ. cap. 39. § 2. n. 102.

LXIX. *Prima* ratio eſt, Quia noſtra ſententia habet regulam pro ſe, ut clericus non conveniatur coram judice laico, Auct. *Statuimus*, c. de epiſcop. et cleric. et cap. *Si diligenti*, de for. compet. Limitatio igitur regulæ, quod non procedat in clerico hærede laici conventi, cum non probetur à jure, non eſt admittenda, ex l. *Illam*, cod. de collationibus.

Secunda ratio eſt, Quia ex dictis inſtantia defuncti non transfertur in hæredem ipſo jure; ſed opus eſt citatione ad hoc, ut ſit locus executioni illius contra hæredem: cum igitur hæc citatio requiſita ad inſtantiam transferendam in clericum hæredem nequeat fieri à judice laico, ſed tantum ad eccleſiaſtico; ſequitur, quod neque inſtantia facta contra defunctum afficiat clericum hæredem, niſi interpoſita auctoritate judicis eccleſiaſtici.

Et ſic ſolvitur ratio adducta à Surdo, conſ. 222. n. 10. vol. 2. et ejus aſſeclis: nam licet inſtantia defuncti tranſeat ad hæredem, non tranſit ipſo jure, ſed per ſententiam judicis, et hæredis citationem.

Sicuti pariter facili negotion diluuntur aliæ rationes contra noſtram opinionem ab adverſariis allatæ, quod nempe ubi cœptum eſt judicium, ibi ſit terminandum: quod hæres ſit una, eademque perſona cum defuncto, et jus defuncti, tam active, quam paſſive, transferatur in hæredem; quod hæres clericus per inſtantiam inceptam contra laicum actorem obligetur ex quaſi contractu, adeoque ſicuti ſervare, et adimplere debet obligationem promanantem ex contractu actoris ſui, ita et prodeuntem ex quaſi contractu.

Omnes hæ, inquam, et ſimiles regulæ, ſi opponantur expedite, et valide ſolvuntur dicendo, eas procedere, quando perſona, in quam jura defuncti transferuntur, eſt privilegiata, quia tunc ab ipſo privilegio augetur jus tranſlatum, et jus ita auctum non habet illa perſona à transferente, ſed à proprio privilegio argumento text. in l. *Cum quidam*, § *Debitores*, ff. de uſur. &c. Hæc Gaſparr. Vide etiam Ubert. de citationib. c. 4. an. 37. ubi acriter impugnat, et objurgat Marth. de affict. admittentem in deciſion. Neapolit. plures alios caſus, in quibus clerici coram judice laico conveniri poſſunt, ubi plura notatu digniſſima per otium comperies.

Quinta

Quinta Reſolutio.

LXX. Non fuit ſufficiens fundamentum, neque rationabile motivum, quod innuit cit. Per. de man. reg. c. 5. n. 4. quod, ſcilicet, *Hiſpaniam à Mauris occupatam, et oppreſſam, Chriſtianiſſimi reges Luſitani multis laboribus, et ſumptibus, priſtino decori et libertati reſtituerunt, à quo tempore de aliquibus clericorum cauſis cognoſcere cœperunt, prout magis naſcentis reipublicæ quies et ſtatus poſtulabat, quæ conſuetudo paulatim extreſcens ignoto principio immemorialis evaſit*, &c. ad hoc, ut valide, et licite, præmiſſa conſuetudo induceretur.

LXXI. Prob. 1. Quia etiam independenter ab offenſa immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ, conſuetudo per errorem, et ignorantiam inducta, et ſine rationabili cauſa, aut motivo, nec valet, nec prævalet juri poſitivo, ſecundum ſtabilita ſuperius, n. 16. et hocmet c. atqui hæc conſuetudo fuit introducta ſine rationabili cauſa, ac motivo, imo ſine aliquo motivo, aut fundamento, ut videtur evinci ex verbis præjactis ipſiuſmet Per. *ignoto principio excreſcens*: et fuit inducta per errorem, et ignorantiam, quatenus inductores ſibi licitum reputabant, quod reapſe illicitum erat, et contra utrumque jus, tam divinum, quam naturale, tam canonicum, quam etiam civile, juxta tradita ſupra prælud. 6. et hocmet cap. de quo inferius, etiam cap. ſubſequenti: ergo. Deinde, ut notat Fermoſin. cum illuſtriſſimo Acunha, Barb. et Baron. infr. cit. c. ſequenti, *Florentiſſimum noſtrum Hiſpaniæ regnum traditum olim fuiſſe à Deo Mahometanis, quia defecit in juriſdictione apoſtolica.*

Prob. 2. Quia etiam cum præfata independentia, conſuetudo, ut valide, et licite introducatur, debet eſſe de re honeſta, atque utili reipublicæ: atqui præmiſſa conſuetudo neutra harum erat; et probatur hæc minor, quoad primam partem; quia erat de re illicita, utpote offenſiva, atque læſiva libertatis eccleſiæ, et ſacrilegii maculæ ſuppoſita; proindeque ab omnibus juribus poſitive, et ſpecialiter, etiam ſub nullitatis clauſulis, interdicta, et reprobata.

LXXII. Deinde tantum abeſt, quod motivum allegatum de nupera occupatione Maurorum infidelium, fuerit rationabile, atque honeſtum, ad prædictam conſuetudinem licite inducendam, ut eam noviter illicitam, indecentem, irrationabilem, atque multipliciter inhoneſtam redderet: quod quidem multipliciter probo; et, 1. Quia Mauri, in longa illa occupatione, multiplicibus ſacrilegiis fœdârunt atque profanârunt eccleſias, et res ſacras, imo et perſonas ipſas Deo ſacratas, quas ad manus apprehendere potuerunt, ut Hiſpanicæ referunt hiſtoriæ: atqui quod hæc profanatio ſacrilega præceſſerit à Mauris infidelibus patrata, et diu profecuta in templis materialibus, et rebus Deo dicatis, eſſe non poterat ſufficiens, atque honeſtum motivum, ut à fidelibus exequeretur in perſonis Deo ipſi ſacratis, quæ ſunt templa myſtica, et ſpiritualia, adeoque digniora, ut probatum remanet, prælud. 6. et c. 21. et alibi; illarum privilegia lædendo, et graviori ſacrilegio (utpote à Chriſtianis, et fidelibus commiſſo) indecentius profanando: ergo.

LXXIII. 2. Quia recta ratio docet, afflicto non eſſe addendam afflictionem, ut vulgare axioma præſcribit, l. *Tam de mentis*, cod. de epiſc. c. *Ex part.* de cler. ægrot. c. *Siquis*, à propr. 11. q. 5. et *peccato* non eſſe *adjiciendum peccatum*, ut Eccli. 5. 5. et 3. 29. cavetur. Ergo rationabile, et honeſtum eſſe non poterat, ut perſonis eccleſiaſticis, ob profanationes, et ſacrilegia realia, et localia Maurorum, juſte afflictiſſimis, nova, injuſtaque adderetur afflictio, in novis, et ſacrilegis profanationibus perſonalibus, clericos, contra eorum immunitatem, et nota privilegia, ad profanum, et laicum judicium, vel in civilibus, vel in criminalibus, quacunque ex cauſa, abſque privilegio apoſtolico, peccaminoſe trahendo.

LXXIV. 3. Quia etiam recta ratio poſtulabat, ut eo ipſo, quod infideles eccleſias Dei, et res ſacras, adeo fœde, et ſacrilege profanaverint; fideles è converſo, in vindicationem, et ſatisfactionem opportunam, eaſdem, et eccleſiaſticas perſonas, noviter, et obſervantiori cultu et reverentia venerarentur, atque percolerent; utraſque priſtino decori, et reverentiæ, ſi in aliquo depreſſæ, aut deturbatæ fuerant, plene reſtituentes. Non enim minori reverentia dignæ ſunt perſonæ, quam loca ſacra; neque præcedens læſio, et fractio immunitatis localis, et realis, poterat licite, et honeſte, anſam præbere fractioni ac læſioni immunitatis ac libertatis perſonalis.

LXXV. Confirmatur, 1. Quia parum referebat ad honeſtatem et licitudinem illius conſuetudinis, ut recte notat Oliv. quod cœperit poſtea, vel antea, ad Maurorum occupationem, ſemel quod reapſe irrationabilis foret, eo quod eſſet contra immunitatem eccleſiaſticam, atque adeo juri naturali divino, et canonico contraria, proindeque impræſcriptibilis, ſecundum ſtatuta ſuperius, n. 70.

Confirmatur, 2. Quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; neque bonum, ex malo conſecutum, malum ipſum juſtificat, aut honeſtum reddit: atqui conſuetudo illa foret poſitive mala, utpote juri naturali, atque divino diſſona: ergo eam honeſtare minime poterat quodvis bonum ex illa ſecutum, quantumvis in utilitatem reipublicæ reputatum.

Confirmatur, 3. Efficaciter, ex ratione infra expenſa, n. 81. de eccleſiaſticorum etiam ope, et ſumptibus: ergo, &c.

LXXVI. Prob. eadem min. quoad 2. partem, de utilitate ſcilicet reipublicæ; et, 1. Quia quod non eſt honeſtum, nequit eſſe utile; ut conſtat ex illa unanimi conclamatione ſenatus Athenienſis, fortiter, et clamoroſe, adverſus Ariſtidem informantem de Themiſtoclis conſilio, *utili quidem, ſed minime honeſto*, ut ipſe aiebat, pronuntiantis; *Quod honeſtum non eſt, non poteſt eſſe utile*: ut refert, et diſerte, atque evidenter, proſequitur, Vener. P. Segneri, concion. 33. quadrag. et ut firmat Ciceronis, et Plutarchi conſilium, eidem Areopagitarum veræ ſententiæ inhærentium: *Ut quod juſtum non erat, minime putaretur eſſe utile.*

Atqui conſuetudo illa minime honeſta erat, utpote quæ præterquam poſitive irrationabilis, ſacrilega quidem erat; ſacrilegium namque eſt *Sacri læſio*, et conſuetudo illa certe offenſiva, ac læſiva prorſus erat immunitatis eccleſiaſticæ perſonalis, videlicet, perſonarum Deo ſpecialiter dicatarum, atque ſacrarum, et eorum privilegiorum jure naturali divino, et eccleſiaſtico inductorum: ergo, &c.

Prob. 2. Quia conſuetudo illa utique erat turbativa, et depreſſiva privilegiorum clericalium, et eccleſiaſticæ immunitatis, necnon prælatorum, atque judicum eccleſiaſticorum juriſdictionis; proindeque occaſio multiplicium querimoniarum, perturbationum, offendiculorum, diſcordiarum, et aliorum malorum paci, ac tranquillitati reipublicæ adverſantium: ergo eſſe non poterat reipublicæ utilis, atque proficua.

LXXVII. Prob. 3. Quia majoris (ut ſupra oſtenſum eſt prælud. 3. et 6. et in hocce capite) aut ſaltem æqualis reverentiæ equidem condignæ incedunt perſonæ, atque loca ſacra; et æqualiter provocant juſtitiam, atque vindictam divinam irreverentiæ adverſus perſonas, atque adverſus loca, et res ſacras patratæ: ut aperte conſtat ex acerrimis ſuppliciis Balthaſaris, templi, et ſacrarum rerum profanatoris, Dan. 5. et utriuſque Antiochi, 1 Machab. 1. et 6. atque 2 Machab. 6. et 7. et 9. Necnon Heliodori, ibid. 3. tum rerum, tum perſonarum Deo dicatarum, ſacrilegorum offenſorum: et inſuper ex aliis punitivis vindictis *à Deo ultionum* juſte, ac publice, in alios inflictis, ut in impiam Jeſabelem, 3 Regum 18. et 19. atque 4 Reg. 9. in irreverentem Saülem, Samuelis pallii violentum reciſorem, 1 Reg. 15. 27. et alios.

Æque namque in Scripturis Sacris Deus ipſe comminatur, et vetat irreverentias contra templa materialia: *Templum meum metuite*, Levit. 26. et 19. *Siquis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, 1 Cor. 3. atque adverſus templa myſtica, et ſpiritualia, juxta illud: *Nolite tangere chriſtos meos, et in prophetis meis nolite malignari*, Pſ. 104. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, Zach. 2. ubi verbum *Tangit*, ſecundum intelligentiam Anacleti Pap. in can. 1: *Accuſatio*, 2. q. 7. nedum accipiendum eſt de injuria perſonali, ſed etiam de judiciali per ſententiam, actionem, aut proceſſum, incompetenter inferenda; prout etiam intelligit D. Hieron. in Zachar. 2. verbum

namque

namque *tangere*, ut explicat Gaſparr. ſupra relatus c. 22. ſignificat *quicquid ad aliquem aliquo modo ſpectat*: cit. p. 3. tt. 2. n. 214.

Atqui minime utilia eſſe poſſunt reip. quæ divinam vindictam, et ultionem provocant adverſus eam: ergo, &c. Unde de Deo æmulatore utriuſque templi ſui injurias ulciſcente, ſic ait venerab. P. Segneri, ſerm. 23. Quadr. § 5. *Enimvero, auditores, malorum omnium cauſa, et origo, quæ florentiſſimas etiam urbes noſtras diruit, ultio Domini eſt, ultio templi ſui, palam pronuntio cum Jeremia. Videtis bella, et hoſtiles calamitates? Ultio Domini eſt, ultio templi ſui. Contagiones, et peſtilentias late graſſantes? Ultio Domini, ultio templi ſui. Terræmotus, et ſuccuſſiones formidandas? Ultio Domini, ultio templi ſui. Nec aliam ejus eſt ærumnarum noſtrarum originem rimari, Chryſoſtomo teſte; cum enim templa placando Deo erecta ſint, in illis etiam eum irritamus, ubi ejus clementiam conciliamus.*

LXXVIII. Confirmatur ex aliis quamplurimis ſuppliciis, ac punitionibus hiſtoriis, tam ſacris, quam profanis, enarratis, præſertim imperatorum Juliani, Valentis, Valentiniani, Gratiani, et aliis apud Beyerlinch. theatr. vit. hum. verb. *Eccleſiaſtici*, qui de Valentiniano ſic ait: *A Valentiniano* III. *ſicut everſa ſunt eccleſiaſtica jura, ſic imperium occidentale everſum pene fundítus; ipſe vero miſerabiliter à Maximo, cujus uxori vim intulerat, interfectus eſt, cum conſtitueret, ne epiſcopus ullius haberet judicii poteſtatem, neque in ipſos clericos, niſi clerici in ipſum compromittant; ſiquis è clericis litigantibus diſſentiat, ad eundem judicem profanum, clericos à laicis ad judices profanos trahi poſſe, preſbyteros quoque, et epiſcopos, multaque alia in detrimentum ſacræ poteſtatis. Eodem anno Attila irrumpens in Italiam, ſubverſa Aquileia, cunctas Galliæ Ciſalpinæ, et Æmiliæ urbes diripuit, ac vaſtavit; crudeliora patrâſſet, niſi occurrens ad Padum Leo Pontifex illum placâſſet. Genſericus autem, Vandalorum rex, Romam direptionibus et incendiis deformat, innumeram captivorum multitudinem abducit, prædam ingentem in Africam refert.*

Et infra adducit verba D. Ambroſii: *Imperator bonus intra eccleſiam, non ſupra eccleſiam eſt. Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; ſed ſi diutius vis imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſia.* Ergo conſuetudo præfata, nedum utilis eſſe poterat reipublicæ, quinimo nocentiſſima, et pernicioſiſſima. Pro quo perlegat curioſus quæque Polydor. Virgil. in hiſt. Angl. et Thomas Stapleton. in libello *Tres Thomæ*, de reb. geſt. D. Thom. Ap. et Cantuar. Archiep. et Thomæ Mori, ſcribit.

LXXIX. Prob. 4. Quia vel illa conſuetudo introducta fuit cum expreſſo conſenſu, et approbatione cleri Luſitani, vel abſque illa. Si ſecundum; ergo fuit illicita, et invalida, utpote introducta à non habente juriſdictionem, ac poteſtatem; nam reges ſæculares, qui minime poterant ſtatuere erga immunitatem eccleſiaſticam, neque conſuetudinem in illam inducere poterant ſecundum doctrinam Card. Deluc. diſc. 77. de regalib. n. 5. et alibi: de qua ſupr. n. 16.

Si primum; ergo etiam invalida fuit: jam enim ſuperius demonſtratum remanet, reſol. 3. n. 43. clerum Luſitanum, ſe ſolo ab approbatione Summi Pontificis independenter, nec valide, nec licite, potuiſſe adverſus immunitatem eccleſiaſticam conſuetudinem inducere; et infra demonſtrabitur conſuetudinem eam, abſque cleri conſenſu, intruſam fore. Deinde conſuetudo contra utilitatem eccleſiæ introducta, non valet, ſecundum doctrinam communem, quam late, et ſolide, proſequitur idem Deluc. Albic. diſc. 1. n. 90. et ſeqq. Neque etiam contra ſacros canones, quamvis jam introducta, obſervanda eſt, niſi præcedente Papæ approbatione, aut ſaltem tolerantia libera, et non coacta, idem de benefic. diſc. 13. n. 11. et ſeqq. et diſc. 65. n. 18.

LXXX. Conſtet ergo, conſuetudinem præmiſſam, nedum contra utilitatem eccleſiæ, atque eccleſiaſticæ immunitatis, verum et contra utilitatem reipublicæ aperte evaſiſſe; proindeque tantum abeſſe, ut utilis ac proficua reipublicæ recte reputaretur, quinimo reipublicæ nociva, atque pernicioſa certe æſtimanda foret; et minime ſufficiens motivum, aut fundamentum fuiſſe, ut induceretur poſt Hiſpaniam à Mauris, longo tempore, occupatam; et cum nullum aliud rationabile, aut ſufficiens principium, ac motivum ejuſdem introducendæ deſignetur, imo, ut teſtatur Per. cit. *Ignoto principio* inducta reperiatur; proculdubio reapſe irrationabilis, nulla, illicita, et certo impræſcriptibilis cenſenda eſt.

Unde Oliv. cit. q. 12. ſub n. 22. § *Quæ fundamenta*; ibi: *Nihil intereſt, conſuetudinem prædictam incepiſſe poſt recuperatam Hiſpaniam, vel ante, cum ipſa ſit tanquam irrationabilis jure canonico reprobata, ut ſupra ſatis oſtenſum reliquimus; nec ad irrationabilitatem evitandam ſufficit illa cauſa, quam ipſe conſiderat; quies ſcilicet reipublicæ, tunc temporis vigens: tum quia, tranſacto illo tempore, ceſſanteque illa cauſa, jam conſuetudo irrationabilis remanſerit, et viribus nuda: tum quia, ſi adhuc eadem cauſa viget, non eſt particularis; ſed generalis; neque eſt, cur recurramus ad illius temporis cauſam, et injuriam: ac per conſequens nihil additur ad corroborandam eam opinionem, quam idem videtur ſequi contra veram, receptamque ſententiam, quam nuper defendimus. Tandem, quia nec tempore illo antiquo, nec poſtea, fuit irrationabilis illa conſuetudo contra libertatem eccleſiaſticam prætextu quietis reipublicæ, quæ, ſi vera eſſet, jam vigere potuiſſet generaliter in omnibus provinciis tempore, quo à jure canonico reprobata fuit conſuetudo, et à Summis Pontificibus conſiderata; non vero ignorata, nec inopinata; et, ut ipſe putat, nunquam potuit eſſe rationabile, quod principes Chriſtiani, per conſuetudinem acquirant juriſdictionem in clericos, licet rationabile eſſe poſſit, quod per Summum Pontificem ea principibus concedatur in certis cauſis, ut ſuperius diximus.*

LXXXI. Deinde, quod maxime notandum eſt, reges Portugalliæ, non ſine ope, ac diſpendio ſpirituali, ac temporali, tum orationum, et ſacrificiorum, tum etiam materialis nummorum, ac militum, ad eccleſiaſticorum expenſas congeſtorum, Hiſpaniam à Maurorum ſervitute revindicârunt, ut ex chronologicis hiſtoriis conſtat, ſignanter ex rebus geſtis S. Ferdinandi regis Caſtellæ, et Alphonſi I. et II. regis Portugalliæ, necnon ex vita D. P. Theotonii, qui ſuis ſumptibus oppidum Aroncim, vulgo *Arronches*, Mauris occupavit, et ab eiſdem Colliponem uſurpatam regi reſtituit; et ſuis precibus, ſuæque canonicæ familiæ, eidem Alphonſo I. (ut is palam faſſus eſt) Scalabim, Ulyſſipponem, et alia oppida, ac arces facile, feliciterque ſubjecit; quinimo miraculoſa illa, multiplicique ex titulo fauſtiſſima victoria à quinque potentiſſimis regibus Saracenis Orichienſi campo cœleſtibus auſpiciis feliciſſime reportata, ejuſdem Theotonii, necnon Bernardi Clarevallenſis, orationibus deberi eorundem chroniſtæ plane proteſtantur; et anonymus Theotonii diſcipulus, atque ſcriptor ſuperaddit, nullam Alphonſus ipſe oppugnationem, bellumve aggreſſum fuiſſe, quin prius et Theotonii prudentiam conſuleret, et ejuſdem orationes depoſceret. Ipſeque præfatus Ferdinandus Sanctus, Hiſpalim oppugnaturus, ſuaſus à ſuis, ut, congiario ſubſidio pro militum ſtipendiis penitus deficiente, eccleſiarum argentum, quod eccleſiaſtici ſponte, libenterque offerebant, commodatum, cito redditurus, acciperet; religioſe ſane, et catholice reſpondit: *Plus ſibi ab eccleſiaſticorum precibus, ac ſacrificiis, quam ab eccleſiarum argento polliceri, atque ſperare.* Et in hujuſce religioſæ confidentiæ præmium, divinæ providentiæ ſuavi efficacia agente, die immediate ſequenti, abſque ullo ſanguinis, vel argenti, vel etiam laboris, aut induſtriæ diſpendio, ultro ſe regi Hiſpalenſis civitas, ac munitio ſubdidit. Mitto alia.

LXXXII. Non tamen præteribo illuſtriſſimum Matthæum, Ulyſſipponenſem archipræſulem, qui et ducibus ſeptemtrionalis claſſis Ulyſſipponi forte appulſæ, et exercitui ab eo, propriis ſtipendiis, celeriter collecto ductor, Salaciam, vulgo *Alacere*, cepit, potius, quam vi armorum, orationum virtute, quas ad cœlum ancipiti bello fudit, angelo, cruce inſignito, in ſpem victoriæ cœlo ipſo apparente. Ergo, ſi congruit, ut Luſitanorum regum juriſdictio ob vindicationes, atque triumphos ab infidelibus partos, etiam ad eccleſiaſticos ampliа-

ampliaretur; congruentius decuit, ut eccleſiaſtica immunitas, ac libertas, à jure divino inducta, ex ipſorum eccleſiaſticorum cooperatione, et auxiliis, nedum ſpiritualibus, verum et materialibus, atque ex ipſius Dei Opt. Max. experto, et ab omnibus agnito patrocinio, illæſa, et inoffenſa cuſtodiretur; imo, et quantum fieri poſſet, æquius ampliaretur; vel ſaltem, ne in minimo quidem, reſtringeretur, vel deprimeretur.

CAP. XXIII.

Proſequitur idem Inſtitutum cum Competentibus Corollariis, et Quæſitis.

SUMMARIUM.

I. *Conſuetudo præmiſſa nequit extendi ad alios caſus præter canonicos.*
II. *Conſuetudo eſt reſtricta, et non extendenda ad diverſum caſum, locum, aut perſonam.*
III. *Conſuetudo juri oppoſita eſt odioſa, et proinde reſtringenda.*
IV. *Conſuetudines Luſitaniæ juri canonico adverſantes, et non approbatæ à Sede Apoſtolica, inductæ præſumuntur, vel per ignorantiam, vel per pravum conſilium, aut zelum indiſcretum, ut ex ipſis regni hiſtoriis convincitur.*
V. *Etiam exceſſus Henrici* II. *Angliæ regis, libertatis eccleſiaſticæ læſivi, nimio juſtitiæ zelo tribuuntur.*
VI. *Ex pravo aliquorum conſilio aliqui reges contra jus, atque juſtitiam, aliqua perpetrârunt.*
VII. *Comprobatur ex c,* Grandi, 2. *de ſupplenda negligentia in* 6.
VIII. *Miniſtri ſæcularium principum erronee putant, ſe illis obſequium præſtare, eorum temporalem juriſdictionem plus juſto, et æquo, ampliando.*
IX. *Comprobatur etiam ex bulla Gregoriana* Illuſtris rex.
X. *In qua à Pontifice, et à rege, conſuetudines contrariæ* abuſus, *et* malæ conſuetudines, *etiam poſt longum tempus introductæ, appellantur.*
XI. *Ex qua etiam confirmatur, clerum, et prælatos, nunquam tolerâſſe pravas illas conſuetudines, et abuſus.*
XII. *Immunitas eccleſiaſtica realis, et perſonalis etiam, eſt de jure poſitivo naturali, et divino.*
XIII. *Ampliatio conſuetudinum Luſitanarum, ultra canonicas, eſt materia ſcrupuloſa, et juſtis conſcientiæ ſtimulis obnoxia.*
XIV. *Patet ex ipſamet Sebaſtiana ſupplicatione.*
XV. *Et ex uſus contrarii interdictione, donec Pontifex declararet.*
XVI. *Quod factum præſumitur ex conſilio DD. prudentum.*
XVII. *Et confirmatur ex doctrina Gabr. Per.*
XVIII. *Cujus tamen reſponſio plene non ſatisfacit.*
XIX. *An ſuppoſito* § 25. *bullæ Cœnæ, regii miniſtri excuſentur ab incurſu cenſurarum ex uſu cognoſcendi ultra caſus non approbatos? eſt gravis quæſtio.*
XX. *Non excuſantur pro foro externo præciſe ex probabili DD. aliquorum opinione.*
XXI. *Si uſus ſit generalis, et intra cancellos regiarum ordinationum, eſt probabile, excuſari.*
XXII. *Conſuetudo excuſans à contumacia, excuſat à pœna in ea fundata, ſi non ſit irritata à lege, neque contra jus naturale, aut divinum.*
XXIII. *Conſuetudo generalis fundata in privilegio, ſaltem præſumpto, excuſat à culpa, et à pœna violationis immunitatis eccleſiaſticæ.*
XXIV. *Si talis uſus ſit ultra limites regiæ legis, et poſt B. Cœnæ publicationem introductus, certum videtur non excuſare.*
XXV. *Privilegium illud non extenditur, imo reſtringitur intra terminos regiarum legum.*
XXVI. *Illud ultra terminos extendentes non excuſantur à contumacia poſt bullæ Cœnæ publicationem.*
XXVII. *Conſuetudo quantumvis generalis non prævalet juri naturali, et divino.*
XXVIII. *Neque adeſt pro ea in præſenti ſufficiens Pontificis tolerantia.*
XXIX. *Neque talis dabatur erga aliquas conſuetudines generales regni; licet daretur tolerantia aliquorum recentiorum regni.*
XXX. *Ponderatur interdictio* § 14. *Bullæ Cœnæ.*
XXXI. *Solæ conſuetudines canonicæ in concordia Dionyſiana approbatæ fuerunt.*
XXXII. *Conſervatores ex uſu excedendi limites, non excuſantur à reali cenſurarum incurſione.*
XXXIII. *Conſuetudo generalis irrationabilis non præſcribit quoad culpam, neque quoad pœnam.*
XXXIV. *Adducuntur in comprobationem plurium DD. famoſorum aſſerta.*
XXXV. XXXVI. *Qui ex conſcientia erronea, et ex aliquorum DD. placitu, ſibi perſuaderet, præmiſſum uſum generale practice licitum, in foro poli nec peccaret, nec cenſuras contraheret, quamvis in foro fori in eas declarari poſſet.*
XXXVII. *Suppoſita condemnatione prop.* 2. *ab Innoc.* XI. *tenentur judices practice deferre opinioni eccleſiæ favorabiliori, utpote practice probabiliori.*
XXXVIII. *Etiam contra communem opinionem, juxta aliquos.*
XXXIX. XL. *Conſuetudo generalis reprobata, et non tolerata, non excuſat à pœna, intercedente contumacia.*
XLI. XLII. XLIII. *Implicat, judices regios acquirere juriſdictionem ex uſu ultra terminos ordinationis regiæ contra immunitatem eccleſiaſticam.*
XLIV. *Comprobatur ex conſuetudinibus probabilibus regni Angliæ, damnatis ab Alex.* III.
XLV. XLVI. XLVII. *Quænam privilegia; et conſuetudines cenſeantur revocatæ per bullam Cœnæ.*
XLVIII. XLIX. *Poteſt allegari, et probari concordiarum confirmatio.*
L. LI. LII. *Summus Pontifex poteſt revocare conceſſa privilegia cognoſcendi de aliquibus cauſis clericorum (excipe cognitionem pro notoria oppreſſione).*
LIII. *Ejuſdem eſt ſolvere, cujus eſt condere.*
LIV. *Pontifex prædeceſſor nequit ligare manus ſucceſſoris, eſto concedere poſſit privilegium morte concedentis non extinguendum.*
LV. *Non obſtantibus derogatoriis bullæ Cœnæ,* § 25. *et quamplurium DD. opinione, probabilius eſt, concordias Luſitanas à Sede Apoſtolica ſpecialiter approbatas non revocari per præfatam bullam.*
LVI. LVII. *Revocat privilegia ſacris canonibus adverſantia dumtaxat.*
LVIII. LIX. *Conſuetudines non approbatas, neque canonicas, neque in privilegio reali fundatas, probabilius eſt revocari in* § 25.
LX. LXI. LXII. *Quodnam ſit ſubjectum hujuſce revocationis?*
LXIII. *Probabile eſt, etiam eſſe privilegium mere præſumptum, quod neque jam actu exiſtat, neque extitiſſe probetur.*
LXIV. *Ex ipſius clauſulæ formalitate oſtenditur revocari privilegia actu non exiſtentia, licet antea conceſſa fuiſſent.*
LXV. *Etiam per viam concordiæ, remunerationis, aut contractus.*
LXVI. *Regnum Luſitaniæ inchoatum anno* 1139. *uſque ad præſentem, mille annos adhuc non dinumerat, ut affectat Per.*
LXVII. LXVIII. LXIX. *Qui ad hominem rejicitur ex aliis.*
LXX. *Multa privilegia acquiri poſſunt, ad quæ non proficit conſuetudo; eſt doctrina Per.*
LXXI. *Juriſdictio à Summo Pontifice conceſſa, poteſt ex juſtis cauſis ab eodem auferri.*
LXXII. *Rejiciuntur qui omnes conſuetudines regni Luſitani, etiam approbatas, reputant revocatas per bullam Cœnæ.*
LXXIII. *Rejicitur etiam Gabr. Per. ſibi non conſtans.*
LXXIV. *Congruum ſane foret piiſſimos reges Luſitaniæ negotium à religioſiſſimo Sebaſtiano cœptum, proſequi, et finaliter terminare.*

I. EX superiori capite stabilitis sat aperte deducitur, 1. Consuetudinem præmissam, et reliquas contentas in lege regia, l. 2. c. 1. minime posse extendi ad alios casus, præter canonicos, et à Sede Apostolica approbatos. Ita Deluc. infr. cit. Oliv. de for. eccles. q. 38. et 39. et alibi.

II. Prob. 1. Quia de ratione *consuetudinis*, illius etiam, quæ sacris canonibus, et ecclesiasticæ immunitati non adversatur, est quod *stricta sit, et minime extendenda de casu ad casum, de loco ad locum, et de persona ad personam*, Deluc. de benef. disc. 13. n. 8. disc. 30. n. 12. disc. 55. n. 16. Miscel. discept. 31. n. 16. de regul. disc. 4. n. 10. ann. ad conc. disc. 20. n. 4. de jure p. disc. 22. n. 6. de parocho, disc. 38. n. 20. de empt. disc. 8. n. 8. de pens. disc. 31. n. 6. de feud. disc. 53. n. 4. et disc. 109. n. 20. de jurisd. disc. 46. n. 6. disc. 53. n. 3. disc. 64. n. 5. de empt. disc. 8. n. 8.

III. Prob. 2. Quia omnis consuetudo juri positivo, etiam non canonico, opposita, est odiosa, utpote contraria legi: atqui odiosa sunt restringenda, c. *Odia*, de regul. jur. in 6. l. *Cum quidem*, cod. de liber. et posth. c. *Ne aliqui*, de privileg. in 6. cum vulgar. Ergo à fortiori ratione, quæ opponitur juri canonico, et naturali, contra ecclesiasticam immunitatem, quippe quæ, præter odiosam, irrationabilis est, non accedente Papæ consensu. Nota tamen, quod odiosa, in favorem ecclesiæ, non restringuntur, sed ampliantur, ut per Genuens. in pract. eccles. q. 541. et reliquos DD. in jura præcitata: ex quibus ulterius confirmatur, quod si odiosa, ecclesiæ faventia, late ampliantur: à contrario sensu, odiosa ecclesiæ adversantia stricte coarctantur.

IV. Deducitur, 2. Consuetudines regni Lusitani, ultra canonicas, et à Sede Apostolica approbatas, aut confirmatas, in ipsius regni primordiis introductas fuisse, vel per errorem, seu ignorantiam, et juris canonici dispositionum minus frequentiam, aut callentiam; vel per non rectum, aut pravum laicorum advocatorum, et ministrorum consilium; vel per excessum nimii zeli, vindictæ punitivæ delictorum, aut justitiæ observantiæ in toto corpore reipublicæ, et omnibus, ac singulis ejus membris æqualiter: quæ quidem justitiæ, et æqualitatis nimia æmulatio sereniſſimos reges Lusitanas à præfixis limitibus exorbitare, et ultra justos jurisdictionis laicæ terminantes cancellos progredi, et transilire coegit.

Patet hoc manifeste ex ipsismet regni Lusitani chronologicis historiis. Et; 1. Ex duobus primis regibus Portugalliæ, Alphonso, et Sancio, etiam nomine primis, pietate, vitæ sanctitate, ac zelo fidei conspicuis, et ab omnibus scriptoribus laudabiliter commendatis, in quarum virtutum, et aliarum testimonium, eorum corpora in regio S. Crucis Conimbricensis cœnobio incorrupta conservantur; de quibus credi minime potest, quod per temeritatem, inobedientiam, aut contemptum sacrorum canonum dispositionum, filias cum dirimenti impedimento cognationis carnalis, et independenter à dispensatione apostolica, vel cum confidentia illius, nubendas tradiderint; primus, Urracam Ferdinando regi Legionensi; secundus, Beatam Teresiam, et Mafaldam, Alphonso regi Legionis, et Henrico primo, regi Castellæ, quarum matrimonia Pontificibus minime dispensantibus, post varias clades, atque regni calamitates, tandem per sententiam dirempta sunt; sed per ignorantiam, et errorem, hæc executos fuisse, æque præsumendum, quatenus sibi persuasum habuerunt, matrimonia illa licita quidem incessisse, saltem cum spe, et confidentia dispensationis contracta; de quo vide Vasconcellium anacephal. 2. et 3. Fariam in epitom. p. 3. c. 2. et 3. Marisium in vita præfatorum regum, Fr. Antonium Brandam in Monarchia Lusitan. et alios.

2. Ex chronica manuscripta Edvardi Galvao, in regio S. Crucis Conimbricensis cœnobio asservata, qui primi piissimi, ac religiosissimi regis, totam vitam, resque gestas, sincere descripsit (si certum est quod in ejusdem chronica manuscripta legitur, licet in typis mandata non reperiatur) de coactione illa, qua per metum à nuntio, seu collectore Papæ, censuræ interdicti, cui totum regnum ex mandato pontificio subjecerat, levamen, sive revocationem extorsit: quæ quidem, non temeritati, aut censurarum contemptui, vel dignitatis episcopalis minus reverentiæ tribuenda est; sed ignorantiæ, vel inadvertentiæ, et defectui notitiæ prohibitionis canonicæ, et fulminationis, c. ult. *de iis, quæ vi* in 6. vel indiscreto, aut nimio zelo tranquillitatis publicæ, populi indemnitati, vel alteri consimili pio, aut honesto motivo adscribenda.

3. Pariformiter ex eisdem historiis chronologicis, ignorantiæ, errori, necnon nimio zelo, atque inordinato, et exorbitanti scelerum vindictæ, et ultionis desiderio, tribuendæ sunt sacrilegæ illæ executiones, quas Petrus II. *Severus* appellatus effici præcepit, ut tradit *Faria è Sousa*, et reliqui nostrates scriptores, clericum homicidam, et monachum adulterum, motu proprio occidere jubens. Nam, ut iidem notant scriptores Lusitani, tunc potius armis, quam literis dediti, utrique juri per errorem, et ignorantiam, non per contemptum, aut temeritatem, in multis sæpe contraibant.

V. Imo Henrici II. Angliæ regis excessus, et notoriæ ecclesiasticæ libertatis offensiones, nimio, et immoderato justitiæ zelo tribuunt Polydor. Virgil. Gulilelm. Neubrigens. et alii apud Thom. Stapleton. superius relatum in prælud. 6. n. 25. et c. 22. n. 51. *Quamobrem*, ait Neubrigens. cit. *acri motu turbatus (rex) in spiritu vehementi contra malefactores clericos posuit leges; in quibus utique zelum justitiæ publicæ habuit, sed fervor immoderatior modum excessit.*

VI. 4. Ut ex eisdem chronicis constat, ex pravo consulentium consilio plura contra jus, et justitiam, reges aliqui patrârunt, et pravæ aliquæ consuetudines inductæ fuerunt; ut de rege Sancio II. et regina Messia, ejus uxore, quam etiam ex pravo familiarium consultorum consilio duxerat, ut scribit P. Antonius Vasconcellius anacephalæos. 5. *Hoc tempore Castellæ regina erat Berengia Alphonsi matertera, cui principis cura fuerat demandata, quæ sparso rumore permota, monitis, consiliis, regem ad meliora promovendum curabat . . . . Enimvero regis familiares id, quod futurum erat, suspicantes, nihil æqui bonique admonere, nullum non lapidem movere, ut illum à tali sententia dimoverent . . . . regem quanta maxima poterant contentione à materteræ consiliis deterrere, et nuptias illas dissuadere, et dehortari; quin potius Messiam Lopeziam de Haro illi conjugem invexere*, &c.

Et n. 4. sic prosequitur: *Aliqui tamen Lusitaniæ prælati patriæ amore succensi, cum Alphonsum vidissent ad meliorem frugem minime collectum, ad Pontificem Maximum detulerunt, tum regis remissionem, tum reginæ fabricas, et commenta; ad hæc ipsos, non prius habita Pontificis bona venia, nuptias celebrâsse, cum arctissima essent consanguinitate conjuncti. Qua super re Gregorius, hujus nominis* IX. *literas expedivit, monitis, et adhortationibus refertas, tempore ad resipiscendum præfinito. Episcopum deinde Sabinensem legavit in Lusitaniam, cujus in conspectu Sancius tantæ remissioni modum, tantæque licentiæ finem promisit: quod ad unguem servavit, quamdiu Pontificis orator in Lusitania commoratus est. Quem, mox atque ab ejus oculis evanuit, regina solitis illecebrarum lenociniis (quod aliqui philtris, et amatoriis poculis tribuebant) decepit; et familiares cæco quodam impetu omnia conturbârunt, populum latrociniis vexantes, divina, atque humana jura perfringentes, majori prorsus, quam antea, licentia debacchantes.*

Et n. 5. *Neque tam incredibili Lusitanorum hominum studio iniquæ reipublicæ administrationi modus est adhibitus; cum non à regina tantum, sed à rege etiam originem traheret. Quamobrem Legionensi in synodo multi prælati, patria charitate inflammati, apud Innocentium Pontificem Maximum acerbe conquesti sunt. Quibus rebus ut mederetur Innocentius, rem consultatione maturiori agitandum decrevit: in qua una omnium voce decretum est, ut Alphonsus Lusitani regis frater Bononia accersitus, regni clavum tractaret, ne respublica tot calamitatibus pressa vergeret in pejus, et ultimam rueret in vastitatem.*

VII. Quæ quidem pontificia resolutio, et ejus justum motivum, magis authentice constat ex c. *Grandi*, 2. de supplenda negligentia prælat. in 6. ibi: *Ad defensionem ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum regni præfati, et personarum ecclesiasticarum,*

tarum, tam religioſarum, quam ſæcularium, necnon viduarum, orphanorum, et cæterorum ibidem degentium, ac deperditorum ibi recuperationem, ſalubriter, ut in Domino confidimus, ſit aſſumptus.

Ex quibus conſtat, familiares regis conſiliarios iniquis ſuaſionibus, injuſtiſque, et pravis conſiliis regem coegiſſe *ſacrilegas nuptias celebrare, divina, atque humana jura perfringere*; necnon monaſteriorum, eccleſiarum, aliorumque piorum locorum, et perſonarum religioſarum privilegia, majori prorſus licentia debacchantes, impieque adulantes deturbâſſe.

VIII. *Quia*, ut ait Oliv. cit. q. 12. n. 43. *Principum ſæcularium miniſtri putant, ſe obſequium magnum ipſis principibus præſtare, ſi juriſdictionem temporalem extendant, ideo uſurpatio miniſtrorum potius, quam privilegium forte præſumetur* (Paria, et conſimilia leguntur apud cit. Polydor. Virgil. hiſtor. Angl. l. 13. Gulielm. Neubrig. Thom. Stapleton. de reb. D. Thom. Cantuar. et alios de pravis conſiliariis Henrici II. Angliæ regis). Atqui conſuetudines, ex pravo et iniquo conſilio contra jus introductæ, potius corruptelæ ſunt, quam conſuetudines, ut decernitur in c. ult. ub. gl. *de conſuetud.* et, ut irrationabiles, minime validæ, ac licitæ evadunt; imo conſuetudines per errorem, et ignorantiam inductæ, nec legem faciunt, nec legibus, aut juri ſcripto, etiam non canonico, prævalent, juxta ſuperius ſtabilita, n. 71. c. 22. ergo, &c.

IX. Confirmatur deductio præmiſſa efficaciter ex ipſamet bulla Greg. IX. *Illuſtris rex*, à Gabr. Per. de man. reg. tranſcripta, pag. 316. ubi Summus Pontifex expreſſe damnat, ut pravas, conſuetudines præfatas; ibi: *Quod idem rex prætextu cujuſdam pravæ conſtitutionis, quam proavus aſſeritur edidiſſe, ut mulier capiatur, cum qua perſona eccleſiaſtica reperitur*, &c. Et ex ipſiuſmet regis Sancii II. ſpontanea promiſſione ſervandi omnes articulos eccleſiaſticæ libertatis in hoc reſcripto apoſtolico comprehenſos, et alios in eadem contentos, &c. apud eundem Per. pag. 318. et ex juramento regis Alphonſi III. ejuſdem Sancii fratris ſui, auctoritate pontificia, ſucceſſoris; ubi art. 1. ibidem: *Ego Alphonſus, comes Boloniæ natus, claræ memoriæ Alphonſi regis Portugalliæ, promitto, et juro ſuper hæc Dei ſancta evangelia, quod quocunque titulo regnum Portugalliæ adeptus fuero, communitatibus, ſeu conſiliis, militibus, et populis univerſis, ac religioſis, ac clero ejuſdem regni obſervabo, ac faciam obſervari, bonas conſuetudines, ſeu foros ſcriptos, et non ſcriptos, quos habuerunt cum avo, et proavo meo; et tollam malas conſuetudines, ſeu potius abuſus introductos, qualibet occaſione, ſuper quaſlibet perſonas, tempore patris, vel fratris mei, et ſpecialiter de pœna pecuniaria pro homicidio, non extorquenda à vicinia interfecti, maxime ubi auctor homicidii notus eſt.* Vide etiam art. 4. ibid.

Ergo cum tam Pontifex, quam rex ipſe, eas conſuetudines adverſus libertatem, atque immunitatem eccleſiaſticam introductas, malas, et pravas agnoſcant, et pronuntient, imo rex ipſe *potius abuſus introductos* expreſſe appellet, ac fateatur, conſequens eſt, quod irrationabiles ſint, atque adeo nullius roboris, aut effectus.

X. Dices, Conſuetudines illas, jam antea tempore Alphonſi II. patris Sancii II. per concordiam cum prælatis, et clero confirmatas, atque ſtabilitas fuiſſe, de qua meminit cit. Per. pag. 313. et cum tempore præcedentis regis Sancii I. avi Sancii II. aut etiam proavi Alphonſi I. incepiſſent, cum regni naſcentis exordio, et, ut ſupponitur, cum cleri, et prælatorum tolerantia, aut permiſſu; ſequitur, quod, ut rationabiles, jus facere poſſunt, et adverſus jus canonicum poſitivum præſcribere.

Sed contra, 1. Quia, etiam poſt tam longum tempus decurſum, Gregor. IX. et Alphonſus III. conſuetudines illas, ut *abuſus*, *malos*, et *pravos* damnant, atque deteſtantur. Contra, 2. Quia concordia, ſeu concordiæ, tempore regis Alphonſi II. in eo dumtaxat conſtiterunt, *in querelis prælatorum eccleſiaſticorum ſuper aliquibus gravaminibus, et offenſis immunitatis eccleſiaſticæ, de quibus contendebant à rege, ut removerentur: et in futurum, ne proſequerentur, aut iterarentur, provida cautela, et opportuna emendatione ſedulo præcaveretur*, ut innuit cit. Per. ibid.

XI. Ex quo evidenter convincitur, prælatos, et clerum, minime aſſenſum præbuiſſe, aut tolerâſſe abuſus præfatos, et pravas has conſuetudines adverſus immunitatem eccleſiaſticam ignoranter, et per errorem, aut per iniquitatem, et pravum conſilium, intruſas: quod etiam notorie confirmatur ex proſecutione querelarum eorundem prælatorum in ſynodo Legionenſi, quas ad uſque Innocentium IV. Romæ deferendas curârunt, peracerbe apud illum conqueſti de eccleſiaſticorum privilegiorum aperta infractione, ut narrat Vaſconcellus, n. 4. ſupra tranſcriptus, n. 6.

Contra, 3. Quia, ut ſupra eſt demonſtratum, nec conſuetudines aliquæ independenter à conſenſu et approbatione Summi Pontificis valide, aut licite, introduci poſſunt contra immunitatem eccleſiaſticam; neque clerus, aut prælati, independenter ab illâ approbatione et aſſenſu, contra eandem concordare poteſt, etiam licite, aut valide; neque concordantia non legitima in minimo quidem privilegiis clericalibus præjudicare valet, neque jus aliquod in favorem regiæ, et ſæcularis juriſdictionis inducere, ut recte probat Oliv. cit. q. 12. n. 44.

Ut autem concordiæ præfatæ legitimæ ſint, et validæ, ait idem Oliv. ibidem, debent auctoritate Summi Pontificis celebrari, ſeu ab eo confirmari; nec ſufficit, quod ſint factæ de conſenſu epiſcoporum, aliorumque prælatorum, et clericorum, cum nullus eorum, nec omnes inſimul, ſine Summo Pontifice poſſint privilegium, exemptionemque clericorum, et eccleſiarum minuere, neque illi renuntiare, textus expreſſus in cap. *Si diligenti*, de foro compet. cum ſimilibus; et ſuccedunt ea, quæ dixerat in præcedentibus quæſtionibus: ita Rebuf. in concord. tit. de approbat. *Convenior*, verb. *Firmitate*, Suar. dict. cap. 34. n. 20.

XII. Contra, 4. Quia immunitas, et exemptio eccleſiaſtica, tum realis, tum perſonalis, non eſt de jure poſitivo canonico dumtaxat, ſed etiam de jure poſitivo naturali, et divino, ut ſupra remanet ſtatutum cum Card. Deluc. de regal. diſc. 55. n. 8. et de judic. diſc. 35. ſub n. 26. cum Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 2. c. 5. n. 81. et aliis ab ipſo citatis, necnon cum Felin. Barboſ. Marth. et aliis laudatis apud Oliv. de for. eccleſ. q. 10. n. 6. et ſeqq. Conſuetudo autem contra jus naturale, et divinum, neque valet quantumvis longiſſimo temporis decurſu protracta, neque adverſus utrumque præſcribere poteſt, ut ſupra remanet demonſtratum, c. 22. n. 10.

XIII. Deducitur, 3. Ampliationes conſuetudinum ordin. reg. d. l. 2. c. 1. et aliarum regni Portugalliæ, præter canonicas, et à Summis Pontificibus approbatas, et confirmatas, eſſe quidem materiam ſane ſcrupuloſam, et conſcientiæ morſibus, atque juſtis ſtimulis, jure obnoxiam; et de illa, prout tali, loquuntur, præter Azor. et Marth. laudatos ab Oliv. q. 12. et 14. Auguſtinus Barb. Luſitanus in collect. DD. ad decretal. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. ipſemet Felician. Oliv. etiam Luſitanus, de for. eccleſ. d. q. 12. et 14. per tot. Soar. Granatenſis, etiam doctor regnicola reputatus, utpote qui et in regno Luſitaniæ ſcripſit, et ſuper eiſdemmet regni conſuetudinibus, et primæ, ac præcipuæ regni academiæ Conimbricenſis primarius moderator, quoad vixit, extiterit, vir ſapientia ac ſanctitate adeo famoſus, et commendatiſſimus, ut, generali plauſu, univerſus celebrat orbis, et amplius, atque religioſius adhuc celebrabit, cum illum beatorum faſtis, ut ſperamus, adſcriptum tandem demiratus fuerit; necnon Martinus Acpicuelta Navarrus, in eadem academia ſacrorum canonum profeſſor primarius, atque pariformiter eiſdem de cauſis D. regnicola æſtimatus.

Ex quorum doctrinæ ſoliditate, atque ſerietate, necnon veritatis indagandæ indefeſſa cura, atque ex aliorum regnicolarum DD. clara, vera, et minime adulatoria intelligentia, non parum confirmatur ſcrupulorum in hac materia juſtus timor, ac motivum. Si enim idem Oliv. d. q. 12. n. 22. merito notat Fabrum in § ult. n. 8. inſtit. de ſatiſd. *Quaſi ex adulatione ſe excuſantem ab impugnanda conſuetudine, ſeu uſu conſimili regni Franciæ*, quippe qui de eodem regno oriundus incedebat, et accola (conſimilem cenſuram Stapleton. cit. Gulielmo Neubrigenſ. impingit, inquiens:

inquiens: *Hæc est audacis monachi censura, non jam politica, sed plane ethnica . . . . sed iste Neubrigensis sub Richardo rege hujus Henrici filio, et proximo successore, scribens, principi suo placere voluit)*; à contrario sensu, dum conspicimus Lusitanos famigeratos DD. regnicolas, absque ulla adulationis labe, clare, et aperte materiam hanc scrupulis obnoxiam, saltem post bullæ in Cœna Domini publicationem, sentientes, intelligendum utique est, id non nisi ex veritatis, et rationis pondere attractos, ac persuasos, tandem sibi sentire, et aliis innuere.

XIV. Confirmatur hæc opinio efficaciter, 1. Ex ipsamet regis Sebastiani ad Summum Pontificem Gregor. IX. supplicatione, de quæ Per. cit. c. 6. n. 16. et nos supra, c. 21. n. 30. ex qua evidenter constat, 1. Quod ex vi publicationis bullæ Cœnæ, et ex ipsius tenoris formalitate, præfatus rex justo scrupulo, et prudenti dubitatione perculsus fuisset de abrogatione legum antiquarum regni, in antiquissimo usu, ac privilegiis apostolicis, fundatarum; ut ex verbis formalibus illius brevis, incipientis, *Exponi nobis*, convincitur, apud cit. Per. ibi: *Ad tuam notitiam nuper pervenisse, nonnullas leges tuorum regnorum antiquissimo usu receptas, privilegiaque tibi, et prædecessoribus tuis ab Apostolica Sede concessa, per constitutiones apostolicas feria quinta in Cœna Domini publicari solitas, verborum ipsorum tenore inspecto, abrogari.*

XV. Constat, 2. Præfatum piissimum regem, eodem scrupulo agitante, adeo dubitâsse de licitudine in usu prædictarum legum ac privilegiorum continuando, supposita bullæ Cœnæ promulgatione, et illius abrogatoriarum, seu derogatoriarum clausularum formalitate, ut et earum usum interdixerit, donec Summus Pontifex consuleretur, ut ex prosequentibus ejusdem brevis verbis patescit: *Nihilominus tamen pro tua parte erga nos, et Apostolicam Sedem, nostramque, illius mandata reverentia, id tibi licere necdum putâsti, absque mentis nostræ declaratione speciali, verum etiam legum, et privilegiorum hujusmodi usum, donec nos consuleres, forsan interdixisti.*

XVI. Constat etiam, 3. Ex narrativæ formalitate, aut saltem præsumitur, hanc humilem supplicationem, et recursum ad Summum Pontificem pro prædictarum legum, et consuetudinum continuatione, non nisi ex prudentissimorum, atque sanæ mentis, conscientiæque virorum maturo consilio à præfato rege intentatum, et executum fuisse. Et cum tunc temporis vigeret doctrina eximii Soarii, qui anno 1517. è vivis decesserat in civitate Conimbricensi, in cujus academia primarius S. theologiæ professor incesserat, necnon solidi, ac serii Martini Navarri, qui insimul primariæ sacrorum canonum cathedræ in eadem academia moderator evaserat; et insuper rex ipse curæ, et instructioni prudentissimorum, ac sapientissimorum patrum societatis Jesu, necnon aliquorum religiosorum prædicatorum ordinis, sapientia ac virtute conspicuorum; credendum est, et horum consilio regem ipsum directum abiisse, et omnes eodem justo scrupulo, ac timore, fuisse perculsos.

XVII. Confirmatur, 2. Ex ipsiusmet cit. Per. expressa doctrina, qui passim difficultatem agnoscit, et fatetur, signanter c. 22. n. 8. ibi: *Nec pariter d. legem regiam tuetur longævus usus, quia consuetudine non generatur præjudicium jurisdictioni ecclesiæ, etiam immemorabili, ut supra diximus prælud. 3. nec ultimo sufficit ratio ab ipsa lege regia assignata*; ibi: *Porque sem razao seria*, &c. *Quia hæc ratio non sufficit, ut tribuat jurisdictionem non habenti, non obstantibus juribus à Navarro citatis in d. c. Cum contingat, 1. remedio, vers. decimo. Nec ex dispositione auct. ut clerici, et auct. de sanctiss. episcop. § Siquis cum clerico, 11. quæst. 1. quia illa jura ex defectu potestatis non ligant clericos, per text. in cap. Qualiter de judic. ex mente Joann. Andr. Panormit. et Hostiens. in cap. Postulâsti, de for. compet. et in cap. Ut famæ de sentent. excommunicat. Cardinalis in Clem. 1. de offic. ordin. n. 3.*

Et n. 11. palam fatetur, quod *hæ difficultates aliquantulum nostræ legis dispositionem convellere videntur, quas ut evitent aliqui, solent interpretari verba ipsius, quod non definiat*, &c. Et quamvis n. 17. præjactæ de consuetudine difficultati sic respondere conetur: *Nec obstat insuper, quod tertio loco objici scitebamus, quod nulla consuetudine potuit introduci, ut exempti in judicio sæculari respondeant, quia satis sit, quod cognoscimus, quod consuetudo est lex tacita, quæ non potest plus operari, quam expressa, l. Cum quid, ff. Si cert. petat. Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ, q. 8. vers. opponi tamen, Innoc. in rub. de consuetudine, quia consuetudo non facit capacem, sed supponit, Navarr. in c. Cum contingat, remed. 1. ad fin. Hoc autem casu, ut exempti in casibus in lege expressis judicium sæculare subeant, non sola consuetudine lex regia defenditur, sed concordia, et contractu inito, quem secuta fuit consuetudo inviolabiliter observata, quæ, ut rationabilis, et justa, amplexatur.*

XVIII. Hæc tamen responsio neque plene satisfacere, aut difficultatem solvere plane videtur: 1. Quia petit principium, et supponit, quod probandum erat, videlicet, consuetudinem illam esse quidem rationabilem, et justam; cum ex objectionibus ipsis ab ipsomet oppositis, et ex reliquis superius, c. 22. n. 16. et prælud. 3. et 6. statutis, irrationabilem omnino esse demonstretur. 2. Quia incidit in foveam, quam evitare conatur, recurrens, non ad consuetudinem simpliciter, sed ad consuetudinem, concordiis apostolica auctoritate confirmatis stabilitam; quæ quidem concordiæ, præfata auctoritate firmatæ, privilegium sapiunt, et ipsi æquiparantur, ut tenent ipsemet Per. infr. cit. 1. 5. n. 6. et Oliv. q. 12. n. 13.

Unde, cum ipsemet Per. adeo refugiat, et perhorrescat in hac difficultate admittere, ad eam vitandam, ac effugiendam, privilegii, *saltem præsumpti*, sacrum asylum, quem reliqui DD. regnicolæ, ipsius præceptores, generaliter amplectuntur, et tenent, ut immodeste adversus illos conclamare ausus sit sub n. 18. § *Sileant: Sileant igitur nostrorum præceptorum lucubrationes, qui dum ad hujus legis explicationem accederent, ad præsumptum privilegium confugiebant, nec aliter eam posse sustineri autumantes, cum dicti privilegii excogitatio purum figmentum contineat, cum illius nunquam leges regiæ meminerint, sed concordiæ, et longævi usus simplicitatem veritatis amplectentes*, &c. *Incidit in flammam, cupiens vitare favillas.* Nam in idem, quod declinare putabat, inconveniens, incautus, præcitato recursu, ad consuetudinem, apostolica auctoritate firmatam, reincidat; idcirco ex novo hoc titulo, displicet ejus responsio, additis præsertim super hoc effugio expendendis infr. n. 65.

Necnon notatis, quæ Fermosin. de judic. q. 19. n. 2. refert, ex Dia. p. 5. ref. 13. tr. 1. quem addere dicit ex Acunha in decret. Gratian. c. *Si agens*, in 5. dist. 56. Barb. de jur. eccles. l. 1. c. 39. § 2. n. 200. et ex Baron. ann. Christ. 701. Nempe, *Florentissimum Hispaniæ regnum traditum olim fuisse à Deo Mahometanis, quia defecit in jurisdictione apostolica.*

Quæstio Prima.

XIX. Disquires hic, 1. An posito, quod solæ consuetudines canonicæ in concordia Dionysiana à Sede Apostolica firmatæ, et approbatæ fuerint; et quod in materia consuetudinis, etiam generice, nequeat fieri ampliatio, sed omnino fieri debeat restrictio; et supposita annali promulgatione bullæ in Cœna Domini, et hujus expressa revocatione *consuetudinum quarumcunque, etiam immemorabilium, et quarumcunque præscriptionum, quarumcunque longissimarum, necnon quorumcunque privilegiorum, etiam per viam contractus, aut remunerationis, sub quavis forma concessorum*, &c. ut amplius, et expressius continetur in toto § 25. sereniss. regis Portugalliæ ministri, in judicando, ac processando, inhærentes usui reliquarum legum, seu consuetudinum non canonicarum, neque apostolica auctoritate approbatarum, ac confirmatarum, incidant effective in censuras juris, cum intra, tum extra præfatam bullam fulminatas?

Gravis equidem quæstio; pro cujus resolutione multiplici quidem distinctione opus est: etenim vel potest quæstio agitari de incursu, quoad forum poli, seu internum; vel quoad forum fori, sive externum; vel quoad consuetudines intra regiarum legum limites contentas, sive ultra illos excurrentes; vel tandem quoad consuetudinem generalem, vel quoad privatam. In quo multiplici sensu sit ——

XX. *Reſolutio* 1. Non excuſantur à reali incurſu cenſurarum, ſaltem quoad forum externum, regii miniſtri taliter judicantes, aut proceſſantes, eo fundamento præciſe, quod in hac materia habeant pro ſe probabilem DD. opinionem.

Probatur facile reſolutio: Quia probabilis DD. opinio non excuſat à reali incurſu cenſurarum, ſaltem quoad forum externum, ut communiſſima doctrina ſuſtinet cum Deluc. et Sperrell. dec. 129. n. 87. Pignatell. tom. 9. conſ. 189. n. 87. Mohed. de ſent. excom. dec. 3. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 12. et q. 25. et q. 28. n. 43. Monacell. p. 3. tt. 2. form. 10. n. 16. Panimoll. &c.

Confirmatur ex illa notabili S. Congregationis declaratione apud cit. Sperell. d. dec. 129. n. 28. decidente, quaſdam moniales Dominicanas admittentes profeſſioni novitiam quandam, anno probationis nondum perfecte adimpleto, ductas probabili S. Antonini, Paludani, Silveſtr. et aliorum primæ claſſis DD. theologorum opinione, reipſa cenſuram c. *Non ſolum*, de regularib. in 6. incurriſſe, *cum potius deberent juriſtas, quam theologos conſulere*, eo quod materia circa forum externum verſaretur, de quo Sperell. loc. cit. et nos ſupr. c. 16. n. 76. et infr. alleg. 11, 12. et aliis.

XXI. *Reſolutio* 2. Si conſuetudo, ſive uſus in judicando, aut proceſſando, ſit generalis, et intra cancellos legum ordinationis regiæ, eſt probabile, regios miniſtros, juxta illum judicantes, illumque non excedentes, non incurrere reapſe cenſuras juris, ſaltem quoad forum externum. Ita colligitur ex DD. infra citatis.

XXII. Prob. 1. reſolutio: Quia, juxta doctrinam Farinac. q. 95. n. 1. et ſeqq. Vermil. conſ. 199. n. 40. Bero. conſ. 190. l. 3. et Deluc. de benefic. diſc. 60. n. 10. diſc. 65. n. 14. de regular. diſc. 55. n. 9. et de penſ. diſc. 71. n. 7. *Conſuetudo, quamvis mala, excuſat à pœna*, eo quod excuſet à contumacia, atque adeo à pœnis, et cenſuris in contumacia fundatis ſaltem quoad forum externum. Quod tamen intelligendum videtur de conſuetudine, prout præſcindit à conſuetudine adverſus eccleſiaſticam immunitatem introducta (pro hac namque adeſt ſpecialis ratio) et quæ non antecedenter prohibeatur à lege, neque habeat ſpeciale decretum irritans ipſam conſuetudinem, ut continet bulla Cœnæ adverſus omnes conſuetudines, etiam immemoriales, et per contractum, aut concordias, aut remunerationis via inductas; neque intelligendum eſt de conſuetudine adverſus jus naturale, aut divinum, quantumvis generaliſſima, de quo inferius ex profeſſo. Unde ſolum videtur, verificari poſſe reſolutionem, ſtricte ſumptam ad conſuetudines contra eccleſiaſticam immunitatem introductas, de illis dumtaxat, quæ antecedenter ad publicationem d. bullæ Cœnæ generaliter, et inductæ, et obſervatæ ſunt, ut infr. n. 24.

XXIII. Prob. 2. reſolutio (etiam ſtricte ad terminos conſuetudinis contra immunitatem eccleſiaſticam): Quia præfatæ conſuetudines generales, intra terminos regiarum legum, fundantur in privilegio, ſaltem præſumpto, ut docent Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 12. Valaſq. conſil. 141. n. 11. Ludovic. Correa in c. *Clerici*, de judic. et alii viri doctiſſimi, quos preſſo nomine citat Per. de man. reg. c. 5. n. 3. et c. 22. n. 11. nec tamen ſequitur, quamvis illos, et præceptores ſuos, et viros doctiſſimos, atque eximiæ eruditionis fateatur, et agnoſcat, imo injuſte, ac immodeſte inſequitur, irridet, atque explodit, præſertim n. 19. d. c. 22. § *Sileant*. Privilegium autem, ſaltem præſumptum, ſicut excuſat vi illius operantem, ab offenſione, læſioneve immunitatis eccleſiaſticæ, ita excuſat abincurſu cenſurarum propter illius offenſam fulminatarum, ut tenet Gaſparr. inſt. can. p. 3. tit. 2. c. 5.

XXIV. *Reſolutio* 3. Si uſus, vel conſuetudo, quamvis generalis, ſit ultra limites, vel terminos ordinationis regiæ, et poſt bullæ Cœnæ publicationem introductus, verum reputo, et pro certo habendum, regios judices in proceſſando, aut judicando, tam quoad forum externum, quam quoad internum, juris cenſuras adverſus immunitatis eccleſiaſticæ offenſores fulminatas indubie incurrere. Ita Cevall. de cogn. viol. in prolog. n. 201. et q. final. n. 10. et alibi. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 2. n. 306. Seſſe de inhibit. c. 8. § 3. n. 104. et § 4. n. 12. Bobabad. polit. l. 2. c. 1. cap. 18. n. 60.

Prob. 1. Quia ſolum privilegium formale, aut virtuale, reale, aut præſumptum eſt, quod poteſt excuſare judices ſæculares, taliter judicantes, aut proceſſantes, ab offenſione immunitatis eccleſiaſticæ, et ab incurſu cenſurarum propter illam, ut tenent Gaſparr. cit. et alii ſuperius laudati.

XXV. Atqui tale privilegium (vel ex concordiis, vel ex remuneratione, vel ex alio capite ortum) non extenditur ultra limites in regiis legibus expreſſos, imo intra illos reſtringitur; eo quod regiæ leges ſecundum privilegii illius reſtrictiones, et juxta illius terminos, circumſcriptæ ſunt, ut ex reciproca utrorumque collatione conſtabit: ergo judices regii ordinationum regiarum limites excedendo, vel earum cancellos tranſgrediendo, ſicut non excuſantur à notoria eccleſiaſticæ immunitatis læſione, ita conſequenter neque à reali cenſurarum incurſu propter illam, quamvis generaliter id exequantur.

XXVI. Prob. 2. Quia præfati judices, poſt bullæ Cœnæ publicationem, regiæ legis limites excedendo, etiam prætextu conſuetudinis generalis, non excuſantur à contumacia, eo quod poſt monitionem legis adverſus illam, et ejuſdem ampliſſimas, et expreſſiſſimas derogatorias operentur, de quo Oliv. cit. Cardinal. Deluc. Azor. Soar. et reliqui ſuperius laudati, c. 13.

Atqui conſuetudo generalis in tantum excuſat à reali incurſione cenſurarum, et aliarum pœnarum, in quantum excuſat à contumacia, ſecundum prænotatam doctrinam Farinac. Vermil. Bero. et aliorum, quos citat, et ſequitur Card. Deluc. ſupra cit. n. 22. ergo, &c.

XXVII. Prob. 3. Quia immunitas eccleſiaſtica, etiam perſonalis, et quoad cauſas, nedum criminales, verum et civiles, eſt de jure naturali, et divino, ſaltem radicaliter, vel initiative, ut ſuperius demonſtratum remanet, prælud. 6. et c. 21. et 22. Atqui nulla conſuetudo, quantumvis generalis, et generaliſſima, prævalet juri naturali, aut divino; neque excuſat à culpa, et pœna, adverſus illud operantes, ut ſupra oſtenſum eſt, n. 27. ergo.

XXVIII. Prob. 4. Quia in tantum talis conſuetudo generalis excedens terminos regiarum legum poſſet, præciſo privilegio, excuſari à culpa, et pœna, ſeu à formali læſione immunitatis eccleſiaſticæ, et ab incurſione cenſurarum ob eandem realiter contracta; in quantum daretur ſufficiens, et libera Summorum Pontificum, et Sedis Apoſtolicæ tolerantia: atqui ſaltem poſt bullæ in Cœna Domini publicationem (in qua quotannis ampliſſimis et expreſſiſſimis clauſulis tales conſuetudines improbantur, ac revocantur, et eiſdem ſpecialiter et ſpecifice derogatur) talis tolerantia nec datur, nec præſumitur, nec allegari poteſt: ergo.

XXIX. Confirmatur efficaciter: Quia etiam erga conſuetudines generales, ac legitimas, videlicet intra regiarum legum limites præſcriptos, vere reipſa non dabatur talis tolerantia Summorum Pontificum, ac Sedis Apoſtolicæ, ut conſtat ex bulla ipſa Greg. XIII. à piiſſimo rege Sebaſtiano, anno 1574. impetrata, incipiente *Exponi nobis*, de qua Per. cit. c. 6. n. 16. et nos ſupra, c. 22. n. 57. Imo neque poſt illam data fuit tolerantia, quæ talis valeat, et foret ſufficiens ad præſcriptionem inducendam, et ad excuſandos judices regios à culpa, et pœna, ſaltem in uſu conſuetudinum à Sede Apoſtolica ſpecialiter non approbatarum, ut late probat Oliv. cit. q. et nos ſupra c. 22. eo quod talis tolerantia non foret libera, neque poſitiva, aut approbativa, ſed mere permiſſiva, coacta, et ad majus malum vitandum, et ex reliquis ſuperius, d. n. 28. inſinuatis.

Ergo à fortiori tenendum eſt, ſufficientem tolerantiam, quæ reapſe talis ſit, neque dari, neque præſumi poſſe, erga conſuetudinem, quamvis generaliſſimam, ordinationis regiæ præſcriptos terminos excedentem, ſaltem poſt bullæ Cœnæ publicationem; ut etiam ex cit. bulla Gregoriana palam convincitur.

XXX. Prob. 5. Ex ipſamet formalitate interdictionum bullæ Cœnæ, can. 14. et 15. et 19. ubi excommunicantur quilibet judices, vel concilia ſæcularia, trahentes ad ſuum tribunal perſonas, vel cauſas eccleſiaſticas

siasticas *directe*, vel *indirecte*, vel *quomodolibet*, vel quovis quæsito colore, tam in criminalibus, quam in civilibus, etiam prætextu violentiæ tollendæ, præter juris canonici dispositionem; et absque speciali, specifica, et expressa Sedis Apostolicæ licentia: quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel ea abutuntur, &c.

Ergo excedentes in hac re juris canonici dispositiones directe, vel indirecte, vel quomodolibet, vel eas extendentes, incidunt effective in censuras juris, præjactis canonibus adversus quoslibet, etiam præsidentes, fulminatas. Atqui eas proculdubio excederent, et perperam extenderent judices regii, qui ultra terminos legum, atque ordinationum regiarum judicare, sive cognoscere consuescerent: ergo, &c.

XXXI. Prob. hæc minor evidenter: Quia solæ concordiæ regis Dionysii à Sede Apostolica approbatæ, et firmatæ reperiuntur, non omnes, *sed eæ tantum, quæ canonicæ sunt*, idem secundum canonici juris dispositiones, ut constat ex art. 40. apud Per. de man. reg. pag. 342. de quo nos etiam supr. n. 54. c. 22. Ergo, si non omnes concordiæ, ex quibus regiæ leges, et regni consuetudines deductæ sunt, approbatæ inveniuntur ab Apostolica Sede, et, ex hujusce approbationis defectu, judices regii juris censuras non effugiunt, præcise ex titulo approbationis procedentes, aut cognoscentes in reliquis non ab eadem Sede approbatis, aut confirmatis, etiam intra limites in regiis ordinationibus præfixis; potiori jure (argumento à majori ad minus) earundem censurarum realem contractionem minime vitabunt judices regii, regiarum legum terminos excedentes, et ab eis, quamvis generali consuetudine quomodolibet exorbitantes *directe, aut indirecte, quovis quæsito colore, aut prætextu.*

XXXII. Confirmatur efficaciter à paritate judicum conservatorum, qui quamvis frequenter, et generaliter, jurisdictionis suæ limites excedere soleant, et ultra præfixos transilire, ut notatur in c. ult. de offic. jud. deleg. in 6. ibi: *Intra limites sibi traditæ potestatis, quos frequenter excedunt:* et in bulla Gregor. XV. *Sanctissimus*; et observant Monacell. p. 1. et 3. et Cirin. nex. utr. jurisd. c. 6. n. 31. et 32. et reliqui DD. supra laudati, c. 3. n. 7. attamen per hoc non excusantur à reali incursione censurarum, ac pœnarum in jure latarum, videlicet in d. c. fin. et d. bull. Gregorian. § 11. ibi: *Quod si conservatores, sive in hac parte, sive alias quomodolibet, suos limites excesserint, per annum ab officio conservatoris hujusmodi suspensi sint; et pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat*, &c. Ergo pariformiter judices regii, quomodolibet excedentes, non obstante usus frequentia, aut generali consuetudine.

XXXIII. Prob. 6. Quia consuetudo, quamvis generalis, in hac materia, utpote irrationabilis, et juri naturali, ac divino oppositа, sicut non præscribit, quoad culpam, ex c. ult. de consuetud. ub. gloss. verb. *Rationabilis*, et verb. *Legitime*; et omnes DD. communiter, signanter laudati supra, c. 22. resol. 2. n. 16. et ex reliquis superius statutis, d. c. 22. n. 17. et seqq. ita neque quoad pœnam præscribere censenda est, saltem post bullæ Cœnæ promulgationem, ut sentiunt superius citati DD. et inferius, n. sequenti.

XXXIV. Prob. tandem, ex communi etiam DD. sæcularium placitu, absolute asseverantium, regios magistratus, præfixos limites excedentes, censuras à lege prolatas minime evadere; quorum primus sit Cevall. de cognit. per viam viol. in prolog. n. 201. ibi: *Quorum senatorum aliqui, si quando, suggerente aliquo peculiari respectu, limites hujus cognitionis excesserint, eorum vitium non æquum est in totius reipublicæ damnum refundi: habent enim delicta suos auctores, l. Sancimus, c. de pœnis, Sat sit transgressoribus, censuram bullæ si contrahunt.*

Et q. ult. n. 10. in fine sic regios judices exhortatur (postquam ostenderat, hanc cognitionem non procedere in vim jurisdictionis, sed protectionis tantum, ut de patre erga filios, de domino erga servos, quæ est quædam œconomica cognitio dumtaxat, ut tradit Joann. Quintin. in c. *Novit*, de judic. n. 3.); *Caveant tamen*, prosequitur Cevallus, *et prudenter attendant consiliarii gravissimi, judicesque integerrimi, ne, prætextu tollendi violentiam, jura pontificia, et canonica transgrediantur, et ecclesiastici vexentur, excedendo legitimum modum protectionis, et defensionis naturalis: quia tunc censuram bullæ in Cœna Domini non evitabunt, ut sæpe demonstratum est.*

Secundus sit Salgado, de prot. reg. cum aliis ab ipso laudatis, p. 1. c. 2. n. fin. 306. ibi: *In his tamen exequendi modis animadvertant senatores, qua justificatione procedunt, caveant, ne in censuram bullæ labantur; quod facile facere possunt, quia quantum materia hæc periculum contineat, nemo ignoret, in illum errorum ne incidant, excedendo legitimos, ac permissos nudæ defensionis modos, cuncta tractantes cum moderamine inculpatæ tutelæ, attento animo, nimia præmeditatione, ac modestissima consideratione, quantum gravitas, et periculum rei exigit, prout etiam prudenter advertit Sesse de inhibitio. c. 8. § 3. n. 104. et Bobadil. in polit. lib. 2. c. 18. n. 60.*

Tertius sit Per. de man. reg. qui c. 11. in fine judices regios monet, ut circumspecte, et prudentialiter procedant, *Consulendo partibus, servando leges regias, rigorem molliendo, et omnia cum suavitate disponendo, asperasque in vias planas, præ oculis observando ecclesiasticam libertatem, ut omnia feliciter et prospere succedant.* Et c. 4. n. 10. et 11. et iterum, c. 7. n. 2. satis insinuat judices regios cognoscentes de violentia non evidenti, ac notoria, sed dubia, de qua certum non sit, *illam reipsa dari, et nullam opinionem contrariam probabilem esse, indubie excedere facultatem suam, atque adeo juris censuras non evadere.*

Quartus sit Sesse de inhibit. qui, etiam intra licitos terminos notoriæ violentiæ, sic ait, c. 8. § 4. n. 12. 16. *Secundum notandum, quod judex, repellens violentiam, non excedat modum inculpatæ tutelæ in repellenda vi; et sic debet contentari, eousque suam auctoritatem interposuisse, quantum sufficiat ad tollendam vim: alias autem, si ultra, quam ad id necesse sit, se intromittat, causam tractet, per omnes judicii tramites, non bene faceret, nec esset sine scrupulo incursus censurarum bullæ Cœnæ Domini, sicut secus esset, quando tantum cognitionis adhiberet, quantum necesse esset ad tollendam vim, et ad restituendum negotium, de quo agitur, ad pacificum statum, in quo ante vim erat, in hoc multum summarie procedendo, ne alias sub colore violentiæ clerici trahantur, et vexentur coram judicibus sæcularibus, in quo maxime advertant potestates sæculares, ne facultatem, quam habent, tollendi violentias, convertant ad eas inferendum, et nunquam faciendo omnia, quæ de rigore possunt.*

Quintus sit Gratiosus Ubertus de citation. c. 4. ub. n. 23. sic ait: *Non defuerunt multi, qui suis scriptis hujusmodi recursus defendere sunt conati; et inter alios Matthæus de afflictis in decisionibus Neapolitanis, Cacheranus decisionibus Pedamontanis, Jacobus Menoch. in tract. de retinenda possessione, Didacus Covarruvios in libro practicarum quæstionum, qui eos acriter lege, ratione, et auctoritate, comprobare nituntur, quorum dicta perpendere propono, non ut, quod principes agunt, judicem; sed ut notem, quæ nostri DD. in re tam gravi extra fines rationis, et juris sepia, conscripserunt; et illorum rationes si corruant, etiam cæterorum sequacium opiniones corruent.* Et prosequitur gradatim an. 24. usque ad n. 58. rationes *afflictis*, singulariter, et nervose impugnando, quarum aliquæ infr. transcribuntur, et an. 59. adusque n. 92. pariformiter explodit rationes Cacheran. quas *errores* appellat; et à n. 92. fundamenta Covarr. et aliorum similiter impugnat fuse, ac firmiter, quem per otium consule; non enim compendium, cui consulimus, amplissimas transcriptiones permittit.

Tandem Peg. tom. 3. ad ordin. locis superius notatis, c. 10. et c. 11. et seqq. cum Oliv. q. 15. n. 35. et q. 8. per tot. signanter n. 47. et alibi; et alii apud eosdem, quos inter Crespi, Raynald. Ubert. Sperell. Pignatell. et alii, eandem sustinent resolutionem.

XXXV. *Resolutio* 4. Qui ex conscientia erronea (non probabili) et ulterius ex aliquorum DD. placitu sibi persuaderet, talem usum, seu consuetudinem generalem ultra limites regiarum legum esse quidem practice licitum in cognoscendo, aut judicando: sicut in foro conscientiæ non peccaret formaliter, sed materialiter tantum, ita in eodem foro poli, et apud Deum, censuras juris non contraheret, quamvis in foro fori, sive externo,

externo, in eaſdem valide, et licite, poſſet declarari incurſus.

Prob. 1. reſolutio, quoad 1. partem: Quia cenſuræ eccleſiaſticæ in foro poli, ſeu interno, non contrahuntur abſque peccato formali, ut docent DD. communiter, Buſemb. l. 7. dub. 4. curſ. mor. Salm. to. 2. tr. 10. c. 1. p. 10. atqui præfatus judex ex conſcientia erronea, et ex aliquorum DD. ſuaſione, formaliter non peccaret: ergo, &c.

XXXVI. Prob. quoad 2. partem, 1. Quia probabilis opinio DD. vel advocatorum, non excuſat, ſaltem in foro externo, ab incurſu cenſurarum, aut pœnarum à lege latarum, ut communis opinio tenet, Monacel. p. 3. tt. 2. for. 10. n. 16. Mohed. dec. 3. de ſent. excom. Sperell. dec. 129. n. 87. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 12. et q. 28. Pignatell. tom. 9. conſ. 189. n. 87. et eſt deciſum à S. Congreg. apud cit. Sperell. imo quandoque neque etiam excuſat à culpa in foro interno, ut cum ipſo Sperell. cit. dec. à n. 13. et Buſemb. cit. dub. 4. tenet Lacr. ad illum n. 94. ibi: *Quamvis, ſecundum dicta l. 1. à n. 268. per ſe loquendo licitum ſit ſequi opinionem probabilem, in concurſu etiam probabilioris; tamen ſi tibi etiam probabilius ſit, aliquid eſſe licitum, vel illicitum, et ſuperior etiam ex opinione tantum probabili tibi ſub cenſura injungat oppoſitum, ſi contravenias, non excuſaris à peccato, et cenſura, ut dixi lib. 1. à n. 432. et præter ibi citatos tenet etiam Sperell. deciſ. 129. à n. 23. recte inferens à n. 26. ſi cauſa inter DD. vel advocatos, ſit dubia, non eſſe reo licitum adhærere, etiam probabiliori opinioni DD. vel ſuorum advocatorum, contra ſententiam cenſuræ à judice latam, quia ſemper eſt poſſeſſio pro auctoritate, et poteſtate ſuperioris.*

Prob. 2. Quia in tali caſu, ſuppoſito exceſſu limitum regiarum legum, et ex ipſo ſuppoſita ceſſatione privilegii præſumpti, necnon præſuppoſita annali bullæ Cœnæ damnatione, ac revocatione, adeſt in prædicto judice, omnia præmiſſa haud ignorante, ſufficiens contumacia ad juris cenſuras, ſaltem pro foro externo, et earum declaratoriam incurrendam, imo et quandoque noxam formaliter culpabilem, et peccaminoſam pro foro interno, juxta inferius dicenda, n. 58. et ſuperius tradita.

XXXVII. Prob. 3. Quia, ſuppoſita præſcriptione prop. 2. ad Innoc. XI. de qua ſupra, c. 16. n. 1. verſante opinione utrinque probabili, et prout tali ſpeculative dubia; tenentur practice judices deferre opinioni illi, quæ magis favet immunitati, ac juriſdictioni eccleſiaſticæ, utpote practice probabiliori, ac nobiliori; ſicut potius claritati ſolis, præ lunæ, actu deferre, atque adhærere debent, ut communiter tenent DD. etiam laici, in can. *Duo ſunt*, d. 96. et cum illis Cevall. de cogn. viol. prolog. n. fin. 216. ibi: *Hoc ſupereſt, tui præſtent conſiliarii in dubiis quæſtionibus, pro juriſdictione eccleſiaſtica eſt judicandum, propter ſuæ poteſtatis excellentiam, et morigerum obſequium, quod Sanctæ Sedi, et communi Patri, tenemur exolvere, cujus paterna viſcera, animarum ſalutem inhiantia, pacis, et clementiæ leges induent, et ſuo potius cedent juri, quam in filios præ rigore ſæviant. Solis enim munus, in quo Pontificia elucet dignitas, illud eſt, lunam ſplendore imbuere, quæ regiæ juriſdictionis ſymbolum eſt, et typus.*

Et hac de cauſa dixi in præjacta reſol. 4. *Ex conſcientia erronea, non ex probabili*, &c. eo quod in illis circumſtantiis, ac præſuppoſitionibus, nequit præfato judici excedenti adeſſe probabilitas practica, quæ ipſum ab incurſu cenſurarum in foro fori, et externo excuſet, imo et à formali noxa peccati in foro poli, ac interno evacuet. Vide dicta ſupr. c. 16. per tot.

XXXVIII. Imo Hoſtienſ. Jo. Andr. in c. *Rurſus, qui cler. vel vov.* Felin. in c. 1. n. 54. de conſuetud. Marth. de juriſd. c. 6. n. 6. et p. 4. caſ. 164. aſſerunt aperte, etiam contra communem, tenendam eſſe opinionem, quæ eccleſiæ, ejuſque juriſdictioni favet; quod tamen Oliv. limitat, *Si ea, quæ favet eccleſiæ, ſaltem æque probabilibus fundamentis nitatur*; q. 12. n. 39. in fine, quem etiam vide q. 25. n. 15. et q. 28. n. 43.

XXXIX. Dices, 1. Juxta doctrinam Card. Deluc. et Farinac. ſuperius citatorum, n. 22. reſol. 1. *Conſuetudo generalis, quamvis mala, excuſat à pœna:* atqui omnis cenſura à lege eſt pœna: ergo ſi conſuetudo excedens terminos regiarum legum, et harum cancellos tranſiliens, fuerit generalis, judices regii, juxta illam cognoſcentes, aut judicantes, ſaltem quoad forum externum, cenſurarum à lege incurſionem, atque declarationem utique vitabunt, non obſtantibus annalibus bull. Cœn. derogatoriis.

Reſp. diſtinguendo, ſive explicando majorem: Excuſat à pœna, ſi talis conſuetudo generalis ſit contra jus naturale, aut divinum; nego: ſi ſit contra jus poſitivum ſcriptum; ſubdiſtinguo: ſi non interſit contumacia, neque talis pœna in ea fundetur; concedo: ſi interveniat contumacia, et pœna infligenda in ea fundetur; iterum ſubdiſtinguo: excuſat à pœna infligenda à principe, aut à republica, quæ talem conſuetudinem generalem ſufficienter tolerat, ſi non quoad reatum culpæ, attamen ſaltem quoad inflictionem pœnæ; concedo: à principe, aut à republica, quæ talem conſuetudinem, quantumvis generalem, neque quoad culpam, neque quoad pœnam, ſufficienter tolerat, ſed expreſſe damnat, ac frequenter revocat; nego.

XL. Unde, cum Summus Pontifex, et Apoſtolica Sedes, quotannis in bulla Cœnæ has conſuetudines adverſus immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam, quantumvis generales, atque immemoriales, expreſſe damnet, deroget, ac revocet, judices regiarum ordinationum præfixos limites tranſgredientes, neque quoad forum fori, neque etiam quoad forum poli, ſive conſcientiæ (dempto erroneæ conſcientiæ caſu) pœnas ac cenſuras à lege, et earum licitam, ac validam declarationem, aut damnationem, evadere valebunt.

XLI. Dices, 2. Saltem ex illa generali conſuetudine ultra terminos ordinationis regiæ poſſunt magiſtratus regii juriſdictionem acquirere ſuper res, ac perſonas eccleſiaſticas, tum in cognoſcendo, tum in judicando, conformiter ad caſus in regiis legibus expreſſos, immunes à labe culpæ, aut pœnæ, ſaltem pro foro externo. Reſp. 1. Implicare aliqualem contradictionem, poſſe cognoſcere, ac judicare ultra terminos regiarum legum, et conformiter ad caſus in eiſdem comprehenſos, atque expreſſos; ſi enim ultra leges, ac difformiter ad illas, cognoſcunt: ergo non ad illas conformiter.

XLII. Reſpondetur, 2. Judices regios, et quoſlibet alios laicos, ex illa quantumvis generali conſuetudine, minime poſſe juriſdictionem acquirere ſuper res, aut perſonas eccleſiaſticas, præciſo Summi Pontificis privilegio, tum ex annali damnatione, revocatione; atque derogatione bullæ Cœnæ, quæ omnes præſcriptiones tollit, § 25. tum ex defectu ipſius præſcriptionis adverſus immunitatem eccleſiaſticam, de quo ſupr. c. 22. et 23. n. 12. præſertim ſtabilito, quod immunitas ipſa ſit de jure naturali, et divino, ſaltem radicaliter, de quo ibid. tum ex aliis amplioribus rationibus, quas innuit, ac congerit Oliv. cit. q. 8. n. 47. ibi:

XLIII. *Infertur*, 2. inquit, *Laicos (ſive ſint miniſtri poteſtatis ſæcularis, ſive non) juriſdictionem ſpiritualem præſcribere, vel conſuetudine acquirere non poſſe, etiam immemorabili; ratio eſt in promptu; quia non datur præſcriptio, etiam immemorabilis, ſine poſſeſſione, ut probat text. in leg. Sine poſſeſſione 25. ff. Uſucapionibus, text. in regul. Sine poſ. de regulis juris in 6. at laici poſſidere non poſſunt juriſdictionem ſpiritualem, quia ſunt incapaces: Igitur*, &c. *Illatio probatur in cap. Cauſam de præſcription. et ibi reſolvunt omnes, nemine diſcrepante; aſſerentes, jura ſpiritualia à laicis præſcribi non poſſe, etiam immemorabili, quia ab eis poſſideri non poſſunt, et reſolvimus ſupra in q. præcedenti, illatione 3. ampliatione ultim. ubi plures citavimus eam amplectentes: circa conſuetudinem autem probatur; quia conſuetudo requirit uſum, et exercitium ſecundum omnes: at laicis in juriſdictione ſpirituali uſus, et exercitium jure divino, et canonico interdicitur, ac prohibetur, ut in hac, et præcedentibus quæſtionibus ſatis probatum reliquimus: igitur*, &c. Prob. etiam in capite *Meſſana*, de election. ubi aſſerit textus, conſuetudinem, de qua agimus, eſſe corruptelam, et ibi notant omnes, eſtque etiam receptiſſima traditio, de qua ſupra agimus, ubi plures ejuſdem ſententiæ citavimus in quæſtione præcedenti, dict. illatione ultim. verſic. Extenditur illatio: quos hic, ne faſtidio ſim, omitto. Hæc Oliv.

XLIV.

XLIV. Confirmatur ex supra traditis de consuetudinibus, et observantiis regni Angliæ, quæ quamvis à clero ab aliquibus prælatis, ac nuntiis remisse toleratæ, à D. Thoma Cantuariæ archiepiscopo, et à Sede Apostolica injustæ, et illicitæ absolute judicatæ sunt, et tandem, ut ecclesiasticæ libertatis læsivæ, juste damnatæ, quibus generosa illustrissimi illius metropolitani archipræsulis resistentia, purpurato sanctorum martyrum catalogo per illustrem, fortemque athletam, proprio sanguine laureatum, triumphaliter superaddit. Vide superius transcripta.

Quæstio Secunda.

XLV. Disquires hic, 2. An ex generalibus; et specialibus clausulis bullæ Cœnæ, præsertim § 25. censenda sint revocata privilegia, tam expressa, quam præsumpta, necnon generales consuetudines, quamvis immemoriales, in eis fundatæ, etiam intra terminos regiarum legum, imo et etiam, quæ ex Dionysianis concordiis reperiuntur approbatæ, et confirmatæ à Sede Apostolica secundum prædicta, c. 21, 22.

XLVI. Huic quæstioni respondet Oliv. de for. eccles. p. 1. q. 12. n. 42. ibi: *Poterunt tamen prædictæ leges Lusitaniæ, aliorumque regnorum similes defendi ex vi privilegii Summi Pontificis, si hujusmodi privilegia adhuc hodie vigeant, post revocationem contentam in bulla Cœnæ, de quo infra in quæstione 14. licet idem Castr. dict. cap. 5. n. 3. contra Lusitanos, et alios DD. asserat, nostri regni leges per viam privilegii defendi non posse, quia nullibi de privilegio faciunt mentionem, sed antiquæ consuetudinis; verius est enim posse defendi, si concurrant necessaria: nam dubitatum est, posse Summum Pontificem privilegium hoc concedere non solum circa certum genus causarum temporalium clericorum, etiam criminalium, sed etiam spiritualium, ut de his possint principes sæculares cognoscere, easque judicare, quod in præcedenti quæstione proxima, et alibi superius ostendimus.*

Et n. 43. sic prosequitur: *Sin autem privilegium non apparuerit: illud allegatum poterunt per immemorialem præsumptive probare ex iis, quæ supra, q. 7. in limitatione generali, illatione 4. n. 103. et secundum ea, qua ibi diximus, dicendum videbatur, quod in his terminis, in quibus non agimus de causis spiritualibus; sed de privilegio circa causas criminales, et alias temporales clericorum; et ecclesiarum, in quibus non datur in laicis vera, et stricta incapacitas; sufficit probare immemorialem, etiam sine fama privilegii; sed contrariam opinionem in specie, post alios, sequitur Marth. de jurisd. 4. parte, casu 64. n. 14. asserentes, ultra necessarium esse probare famam privilegii, et in Rotta refert judicatum; sequitur etiam Suar. adversus Angliæ error. cap. 34. n. 17. quod verius videtur: tum ex eo, quia, ut hic doctissimus vir ait, privilegium hoc valde odiosum est, et raro conceditur: tum ex eo, quia principum sæcularium ministri putant, se obsequium magnum ipsis principibus præstare, si jurisdictionem temporalem extendant, ideo usurpatio ministrorum potius, quam privilegium, forte præsumetur.*

XLVII. Et infra § *Possunt*, amplians resolutionem, etiam ad concordias, quæ quidem ad titulum privilegii reduci possunt, sic ait: *Possunt etiam prædictæ leges defendi ex concordiis legitimis, ut per Suar. dict. cap. 34. n. 19. et Rebuf. ab eo citatum, Castr. Lusitan. de man. reg. p. 1. cap. 6. ubi late de discordiis inter leges, et ejusdem regni prælatos celebratis, quæ concordiæ, ad titulum privilegii reduci possunt, ut notat Suar. loco proxime citato, de quo in quæstione sequenti: ut tamen legitimæ sint, et validæ, debent auctoritate Summi Pontificis celebrari, seu ab eo confirmari; nec sufficit, quod sint factæ de consensu episcoporum, aliorumque prælatorum, et clericorum; cum nullus eorum, nec omnes insimul, sine Summo Pontifice, possint privilegium, exemptionem clericorum, et ecclesiarum minuere; neque illi renuntiare, textus expressus in cap. Si diligenti de foro comp. cum similibus, et succedunt ea, quæ diximus in præcedentibus q. ita Rebuf. in concord. tit. de approbat. conventor. verbo Firmitate, Suar. d. c. 34. n. 20.*

XLVIII. Et hinc tandem infert, quod sola concordata inter regem Dionysium, et prælatos, valida, et legitima existat, justumque titulum producere, quippe quæ dumtaxat à Nicolao III. confirmata reperitur: reliquas vero concordias, tum tempore ejusdem regis, tum aliorum celebratas, nec formam concordiarum, sive contractuum habere, nec à Sede Apostolica confirmatas apparere.

Fatetur tamen ibidem in fine, quod possit illarum confirmatio allegari, et probari fama immemoriali ejusdem confirmationis, et prout sic *confirmatio præsumptive probata censebitur*, juxta resoluta ab ipso, et Per. de man. reg. c. 6. in fin. ubi resolutionem remittit ad q. 14.

In quæstione autem 14. ejusd. 1. p. inquirens ipsemet Oliv. generice: *Utrum privilegia à Sede Apostolica concessa principibus sæcularibus, ut possint trahere clericos ad sua judicia, vel tribunalia, et cogantur ibi respondere in civilibus, vel criminalibus, per bullam Cœnæ Domini abrogata censeantur?*

XLIX. Post varias resolutiones, necnon responsiones solidas, ad objectiones pro parte negativa opponendas, n. 12. et 13. ostendens ex clausula derogatoria illius bullæ, *Quorum tenores*, &c. § 25. posse Pontificem privilegia illa, etiam habentia clausulam derogatoriam derogatoriarum, et omnes gratias præcedentes, de quibus notitiam non habet, revocare: et n. finali statuens ex indulto regi Sebastiano concesso constare, mentem Pontificis non fuisse gratiam facere perpetuam, tandem in fine concludit, *Non posse judices regios ex hoc indulto, fundamentum, seu excusationem capere casu, quo talis gratia necessaria esset.* Et principalem quæstionem de facto irresolutam prope relinquit, contentus forsan doctrina aliquorum, quam pro parte negativa, n. 1. § *Noster vero*, insinuârat, citans Suar. et alios, licet ibidem dicat, *se partem affirmativam receptiorem putare.*

L. *Assero igitur*, 1. Summus Pontifex potuit, et potest revocare præfata privilegia, concessa regibus Lusitaniæ, et aliis, cognoscendi de aliquibus causis clericorum (excipimus causas recursus ex notoria oppressione, ac violentia) et omnes consuetudines, etiam immemoriales, quantumvis ipsa privilegia, et consuetudines in eis fundatæ, sint remuneratoria, per viam concordiæ, aut contractus, et quantumvis concedantur, nedum nomine Pontificis concedentis, sed et nomine S. Sedis Apostolicæ, atque illius successorum, sive sub quibus aliis insinuatis, excogitatis, et excogitabilibus ampliissimis clausulis.

Ita fere Navarr. in man. c. 27. n. 7. et 72. Soar. contra Angl. err. l. 4. c. 34. ex n. 27. Salzed. ad Bern. c. 55. v. *Apud Gallos*; Aug. Barb. in c. *Ecclesia S. Mariæ*, constit. n. 23. sequens Azor. inst. moral. p. 1. l. 5. c. 12. qui quidem, teste Oliv. de for. eccles. q. 14. n. 1. *loquuntur etiam in fortioribus terminis, in materia scilicet violentiæ tollendæ:* quibus accedunt Bannes, 2. 2. q. 67. a. 1. dub. 2. cl. 6. Menoch. rem. 3. retin. n. 354. Jul. clar. pract. crim. § ult. q. 36. n. 26. et cum illis cit. Oliv. loquens, nedum de potentia, verum et de facto, et putans, *receptiorem esse sententiam affirmativam tenentem, privilegia illa regibus Hispaniæ, Lusitaniæ, et Franciæ concessa, revocata esse de facto per bullam Cœnæ, in clausula, Quorum tenores*, &c. § 25. expressa.

LI. Probatur hæc 1. assertio, 1. fundamento extrinseco DD. Quia ab actu ad potentiam valet argumentatio, ut omnes philosophi docent, imo et juristæ, ex c. *Atsi clerici*, de judic. c. *Cum cessante*, de appellat. et aliis apud Verricell. q. 182. et ex l. *Non codicill.* cod. de testam. prælud. 3. n. 8. Atqui plures DD. tenent, privilegia illa de facto per bullam Cœnæ revocata esse: ergo à fortiori tenendum est de potentia, quod potuerunt, ac possunt quidem revocari.

LII. Prob. 2. etiam ab extrinseco: Quia de facto per dictæ bullæ in Cœna Domini publicationem intellexit, vel saltem veritus fuit piissimus rex Sebastianus, et ejus etiam consiliarii suspicati sunt, *Nonnullas leges horum regnorum antiquissimo usu receptas, privilegiaque sibi, et prædecessoribus ejus, ab Apostolica Sede concessa, per constitutiones Apostolicas, feria 5. in Cœna Domini publicari solitas, verborum ipsorum tenore inspecto abrogari*, &c. ut videre est in diplomate pontificio Greg. XIII. apud Per. de man. reg. c. 6. n. 16. et supr. c. 21. n. 22. ergo intelligebant, et sibi persuasum

ſuaſum habebant, conſuetudines illas, ac privilegia poſſe quidem abſolute *abrogari*, quamvis cum *præjudicio, et turbatione pacis, ac tranquillitatis*, à dicto rege ibidem allegata.

LIII. Prob. 3. fundamento intrinſeco à ratione: 1. Quia *ejuſdem eſt ſolvere, cujus eſt condere*: et *ejus eſt deſtituere, cujus eſt inſtituere*, c. 1. de capell. monachor. ub. gl. cum vulgarib. ergo Summus Pontifex, qui potuit privilegia illa concedere, poterat eadem, juſta de cauſa, revocare. Atqui reliqui Pontifices in eandem dignitatem, et munus ſuccedentes eandem omnino poteſtatem habent, atque Pontifex concedens: ergo ſimiliter, juſta de cauſa, eandem abrogationem, atque revocationem valide, et licite, inducere poſſunt.

LIV. Prob. 4. etiam à ratione: Quia nullus Summus Pontifex prædeceſſor poteſt poteſtatem ſucceſſoris reſtringere, nec hujus manus ligare, cum ſucceſſor eandem, atque prædeceſſor, poteſtatem retineat, et eandem incircumſcripte, et abſolute, à Chriſto Domino accipiat, ipſomet dicente; *Quodcunque ligaveris, quodcunque ſolveris ſuper terram*, &c. ergo quantumvis ampliſſimis clauſulis Pontifex prædeceſſor, *nomine proprio*, et Sedis Apoſtolicæ, atque etiam *ſucceſſorum ſuorum*, privilegia concedat, poſſunt utique à ſucceſſoribus ex juſta cauſa abrogari.

Unde clauſulæ illæ ſuperadditæ *nomine Sedis Apoſtolicæ, et ſucceſſorum noſtrorum*, aliæve ſimiles, adinventæ non ſunt ad inſinuandum, gratias, et privilegia ſub illis conceſſa irrevocabilia, ex vi illarum, ipſo facto, vel ipſo jure remanere; ſed ad ſignificandum, privilegia, et gratias ſub eiſdem clauſulis conceſſas, non expirare morte Pontificis concedentis, ut tenent Oliv. d. q. 14. n. 14. ubi plures citat, et cit. Per. de man. reg. d. c. 6. n. 19. ibi: *Quæ clauſula, et facultas non extinguitur morte concedentis, cum referatur ad beneplacitum Sedis, quæ nunquam moritur*, text. in c. *Si gratioſe*, de reſcript. in 6. ibi: *Si ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia conceditur prædicta, quia Sedes Apoſtolica non moritur, durabit perpetuo, niſi à ſucceſſore fuerit revocata.* Nota hanc limitationem, ſeu reſtrictionem, ex qua optime aſſertio noſtra roboratur. Vid. gloſſ. in d. c. *Si gratioſe*, et DD. ab Oliv. et Per. ubi ſupr. citatos.

LV. *Aſſero*, 2. Quamvis in bulla Cœnæ reperiantur ampliſſimæ illæ derogatoriarum clauſulæ derogatoriæ, § 25. *Non obſtantibus privilegiis generalibus, vel ſpecialibus, alicui, vel aliquibus cujuſcunque dignitatis, et præeminentiæ, etiam pontificali, imperiali, regali*, &c. *etiam per viam contractus, aut remunerationis ſub quavis forma, et tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis . . . necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus, quantumcunque longiſſimis*, &c. *quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, quo inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus*, &c. et quamvis plures DD. defendant, per eas præfata privilegia regibus conceſſa penitus de facto abrogari; probabilius tamen puto, aliter ſentiendum de privilegiis, et conſuetudinibus in concordia regis Dionyſii à Summo Pontifice Nicolao IV. approbatis, et confirmatis, de quo ſupr. c. 21. et 22.

LVI. Prob. 1. aſſertio: Quia, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*; c. *Quod ſemel*, 21. de regul. jur. in 6. § *Semel cauſ.* inſtit. quib. ex cauſ. manumitt. non lic. *et approbatum ſemel, non poteſt amplius reprobari*, l. *Pomponius*, ff. de negot. geſt. et vulgar. quod tamen intellige, eiſdem circumſtantiis, rationibuſque motivis, ac finalibus eodem modo permanentibus; ut communiter explicant DD. in præcitata jura, et ſignanter in ſpecie Per. cit. c. 6. n. 2. ibi: *Conceſſio ex parte eccleſiæ ſemper habet tacitam conditionem, ſi res in eodem ſtatu permaneat: ex quo fit, quod ſi talis conceſſio incipiat vergere in eccleſiaſtici ſtatus detrimentum, revocari valeat*, c. *Suggeſtum* de decim. &c.

Atqui Summo Pontifici ſemel placuit, articulos, et conſuetudines in Dionyſiana concordia contentas, Apoſtolica auctoritate approbare, atque confirmare, *dummodo canonicæ forent, et rationabiles, nec contra libertatem eccleſiaſticam*, ut in 40. articulo exprimitur: ergo dicendum eſt, quod per bullam Cœnæ non reprobantur, nec revocantur præjactæ conſuetudines, et concordiæ, quæ canonicæ fuerint, id eſt, canonico juri conformes, et libertati eccleſiaſticæ non adverſantes: quocirca vide ſuperius tradita, c. 22. n. 26.

LVII. Prob. 2. Quia bulla Cœnæ in tantum revocat ea privilegia regibus, et imperatoribus quomodolibet *conceſſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis*, necnon *omnes conſuetudines, etiam immemoriales, atque omnes præſcriptiones, quantumcunque longiſſimas*, in quantum ſacris canonibus adverſantur, atque immunitatem, et libertatem eccleſiaſticam lædunt, vel offendunt: atqui quæ canonico juri ſunt conformes, ei non adverſantur, neque intercedente Apoſtolica approbatione, confirmatione, aut privilegio, lædunt eccleſiaſticam immunitatem, ac libertatem: ergo ſaltem privilegia, ac conſuetudines illæ in concordiis Dionyſianis contentæ, quæ canonicæ, ſeu canonico juri conformes ſunt, atque ſpecialiter à Summo Pontifice approbatæ, cenſeri non debent per poſteriorem bullam Cœnæ reprobatæ, et abrogatæ. Ita Per. de man. reg. c. 6. n. 13. quamvis, ut bene notat Oliv. cit. q. 14. ſub n. 1. *Doctor ille, licet in principio generalem videatur ponere quæſtionem; non tamen proſequitur materiam præſentis quæſtionis, ſed tantum defendit, non eſſe revocatum recurſum ad tribunalia regum ad tollendas violentias.*

LVIII. *Aſſero*, 3. Cohærenter ad ſuperius reſoluta c. 22. quoad alias conſuetudines, quæ canonicæ non ſunt, contentas in eiſdem articulis concordiæ Dionyſianæ, et quæ immunitatem, et libertatem eccleſiaſticam offendunt, et quoad reliquas, ſimilibus defectibus, ac qualitatibus notatas, quamvis in ordinationibus regiis expreſſe comprehenſas, cenſendum eſt, per bullam Cœnæ de facto quotannis revocari eas ſaltem, quæ privilegio mere præſumpto, et non realiter exiſtente, aut demonſtrabili fundantur.

LIX. Hæc aſſertio eſt de mente præcitatorum DD. abſolute tenentium privilegia illa, et conſuetudines, ac concordias per citatam bullam abſolute, ſive indiſcriminate revocari, videlicet Azor. inſt. moral. p. 1. l. 5. c. 12. Aug. Barb. in collectan. in c. *Eccleſ. S. Mariæ*, de conſt. qui reſolutionem extendunt etiam ad caſus recurſus pro violentiis tollendis. Salzed. ad Bern. c. 55. Soar. adverſ. Angl. error. l. 4. c. 34. quamvis *de cenſuris*, diſp. 21. ſect. 2. n. 103. ex vi § 15. et 19. præciſe cum aliqua limitatione loquatur, eo quod in dictis §§ clauſulæ revocatoriæ generales dumtaxat exprimantur; quare ipſe, et Salzed. reſolutionem Sedi Apoſtolicæ remittunt, ut refert Oliv. d. q. 14. ſub n. 1. et 6. non animadvertentes, quod § 25. ſpeciales, et ſpecificæ ampliores derogatoriarum derogatoriæ contineantur, et exprimantur, etiam quoad conſuetudines immemoriales, per viam contractus, aut remunerationis, et quoad omnes præſcriptiones quantumcunque longiſſimas, &c. ut bene notat Oliv. d. q. 14. n. 8.

LX. Prob. aſſertio, 1. Quia per bullam Cœnæ ſignato § 25. revocantur ſpecialiter *omnia privilegia, et indulta imperatoribus, ac regibus, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, ſub quavis forma conceſſa*: atqui non revocat privilegia exiſtentia realiter, ob rationes in 2. aſſertione expenſas: ergo revocat ſaltem privilegia præſumptive tantum exiſtentia.

LXI. Confirmatur, et explicatur probatio: Quia hæc bullæ Cœnæ revocatio, ac derogatio, § 25. contenta, reſpicit aliquod ſubjectum, ſeu materiam, ſupra quam cadit, et appellat: atqui non reſpicit pro ſubjecto privilegia, et indulta reipſa conceſſa, et realiter exiſtentia, ut probatum remanet: ergo reſpicit privilegia, quæ vel nec realiter conceſſa fuerunt, nec realiter exiſtunt, ſed mere præſumptive dumtaxat; vel quamvis reipſa conceſſa fuiſſent, actu tamen nec demonſtrantur, nec probantur exiſtere, ſed pure, præciſeque extitiſſe præſumuntur.

LXII. Prob. 2. Reſolutio ſpecialiter, quoad conſuetudines, et præſcriptiones, quantumvis immemorabiles, et longiſſimas: probatur, inquam; quia per dictam revocationem abrogantur etiam *omnes conſuetudines, etiam immemorabiles, et omnes præſcriptiones, etiam*

etiam quantumcunque longissimæ: atqui non revocantur consuetudines, et præscriptiones fundatæ in reali privilegio realiter existente, et libertatem ecclesiasticam reipsa non lædentes, secundum restrictionem in articulo 40. Dionysianæ concordiæ expressam: ergo revocantur præscriptiones, et consuetudines, vel quæ immunitatem, ac libertatem ecclesiasticam lædunt, vel quæ in privilegio mere præsumpto fundantur, vel quæ utrumque simul hunc defectum, seu qualitatem contineant.

LXIII. Dices, 1. juxta doctrinam Gasparr. inst. can. p. 3. tit. 2. c. 5. de quo supra, Non datur læsio immunitatis ecclesiasticæ, ubi datur privilegium, saltem præsumptum, pro cognitione judicis laici adversus ecclesiasticos, saltem in civilibus: atqui ordinationes omnes regiarum legum, etiam quæ canonicæ non sunt, neque in Dionysiana concordia expresse approbatæ reperiuntur, fundantur in privilegio saltem præsumpto: ergo.

Resp. 1. disting. majorem: ubi datur privilegium, saltem præsumptum, quod vel reipsa non existat, vel saltem non demonstretur, nec probetur extitisse, nego: quod quamvis reipsa non extat, attamen probetur, ac demonstretur extitisse, non datur læsio immunitatis ecclesiasticæ, ante specialem, et expressam revocationem ipsius privilegii, transeat; post expressam, et specialem privilegii ipsius abrogationem, nego. Cum autem bulla Cœnæ aliqua privilegia, et indulta revocet, et non revocet privilegia realiter existentia, et saltem in minimo hæc revocatio debet verificari; dicendum est, quod revocet privilegia, quæ, quamvis aliquando concessa fuerint, actu tamen non probantur, nec demonstrantur extitisse, sed tantummodo extitisse præsumuntur.

LXIV. Sed instas: Potest in minimo verificari hæc revocatio bullæ Cœnæ in § 25. contenta, et ejus intelligentia, asserendo, quod possit, et debeat intelligi de revocatione privilegiorum, quæ nunquam extiterunt, et nunquam concessa fuerunt; et actu mere tantum, et falso extitisse præsumuntur: ergo.

Sed contra: Quia expressa est ipsa revocationis formalitas, quæ sic se habet d. § 25. *Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis,* &c. *ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis forma . . . . concessis:* ergo bulla Cœnæ revocat privilegia, et indulta, quæ imperatoribus, ac regibus, reipsa vere concessa sunt, et non quæ falso præsumuntur concessa: atqui non revocat privilegia, et indulta reapse concessa, quæ actu, et realiter existunt: ergo revocat privilegia, quæ, quamvis aliquando concessa fuerunt, nunc tamen actu, et realiter, nec probantur, nec demonstrantur extitisse, sed pure præsumuntur intercessisse.

LXV. Dices, 2. pro Per. de man. reg. c. 5, 6. et 22. Bulla Cœnæ non revocat privilegia specialia, per viam concordiæ, aut contractus, vel remunerationis concessa; sed tantum privilegia generalia, et non præfato modo qualificata: pariformiter nec revocat consuetudines immemoriales, quæ hominis memoriam excedunt, et supponunt tempus infinitum, ultra mille annorum spatium, et præscriptiones ex eis promanantes: ut ipse asserit d. c. 5. n. 3. ergo.

Resp. 1. Negando antecedens, quoad utramque partem: contrarium namque evincitur ex ipsius bullæ formalibus verbis d. § 25. ibi: *Privilegiis, et indultis, ex quavis causa, etiam per viam contractus* (quod idem est, atque *per viam concordiæ*, teste Oliv. q. 13. et 14.) *aut remunerationis, vel sub qualibet alia forma,* &c. Et infr. *Necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet,* &c.

LXVI. Resp. 2. Regnum Lusitaniæ, seu Portugalliæ, quod feliciter incepit anno 1139. divino nutu, ac approbatione, sub felicissimo Alphonso I. in campo Orichiensi usque ad annum 1738. adhuc mille annos non dinumerare, quos ultra doctor iste affectat, vel plus justo ampliat in immemorabilis consuetudinis conceptum efformando; sed sexcentos dumtaxat, et adhuc imperfecte, supputare.

Hinc, et ex superius traditis, rejiciendus venit præfatus doctor d. c. 22. sub n. 19. § *Sileant igitur,* et d. c. 5. n. 3. adversus etiam personas suorum ipsius præceptorum, ac doctissimorum magistrorum accuratas lucubrationes immodeste, imo et arroganter garriens: *Sileant igitur nostrorum præceptorum lucubrationes,* &c. prout superius per extensum transcribuntur. Et cit. c. 5. n. 3. sic discurrens, atque redarguens commune DD. placitum ad privilegium saltem præsumptum, pro regiis illis ordinationibus salvandis recurrentium, *Verum,* inquit, *licet, argumentis, seu fundamentis supra assignatis, non obstantibus, semper audiverim viros doctissimos solitos has leges regias, prætextu, scilicet, privilegii, à Sede Apostolica obtenti, tamen hoc quidem commentitium, falsum, respuendum semper duxi, cum nullum in his ordinationibus privilegii vestigium reperiatur, nec extet (exceptis aliquibus casibus, de quibus suo loco dicemus) imo ipsa ordin. lib. 2. tt. 1. in fine principii, et lib. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 5. et tt. 62. § 4. et tt. 57. §. 8. solum de consuetudine antiqua, et concordia meminerit, non vero de privilegio; sicque cessat labor investigandi privilegii, ne videamur imponere illud quod non extat: memini olim præceptorem meum primarium Ludovicum Correa, virum quidem eximiæ eruditionis, interpretantem caput clerici de jud. cum accessisset ad intellectum illius ord. lib. 2. tt. in princ. dixisse, quod consulto ibi legislator mentionem privilegii non fecerat, non ex ea ratione, quod non extaret, sed quia non opportebat illud ostendere, ne de ejus viribus dubitari posset, et quod propterea allegaverat solam consuetudinem, quæ est potentior privilegio, ut per Molin. de major. lib. 2. cap. 2. n. 21. et cum sit immemorialis, supponit tempus infinitum; ultra mille annos, Velasques de Avendannus in lib. 41. Taur. gl. 1. n. 11. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 1. casu 3. n. 7. Covarruvias in reg. possessor. 2. p. § 3. n. 6.*

LXVII. Rejicitur, inquam, 1. et *ad hominem,* ut aiunt: Nam ipsemet Per. d. c. 5. n. 6. sic ait: *Agnosco enim, quod usu, et consuetudine privilegium æquiparari potest, et quod consuetudo æquiparatur privilegio in d. c. Novit. c. Super quibusdam, § Præterea de verbor. signif. Soar. d. c. 7. n. 8. et nomine privilegii, generaliter sumpti, venire consuetudinem.* Atqui ipsemet ibidem fatetur, et c. 6. privilegia, etiam remuneratoria, posse, data causa, revocari: ergo idem fateri debet de consuetudinibus, in privilegio fundatis: ergo, cum tota vis consuetudinis in hoc casu, in præcedenti, aut præsumpto, privilegio nitatur; dum Peireira ipse à privilegio tanquam infirmiori, ad consuetudinem, quasi ad ancoram sacram, et firmiorem refugere satagit, equidem videtur *incidere in Scyllam, cupiens vitare Charybdim:* seu *cinerem devitans incidere in prunas.*

LXVIII. Rejicitur, 2. etiam *ad hominem:* Quia, juxta ipsummet Per. prælud. 3. n. 5. non potest introduci valide, nec licite, consuetudo, ut judex laicus cognoscat de causis criminalibus clericorum, absque indecentia, et ecclesiasticæ immunitatis sacrorum canonum offensa: atqui, etiam juxta ipsum, ibid. n. 12. *Eadem est sacrorum canonium reservatio, quoad criminales, et civiles causas clericorum, ut apud suum judicem pulsandi, sint:* ergo. Vide cætera, quæ retorquentur, c. 22. resol. 2. n. 16.

LXIX. Rejicitur, 3. Quia quando illa consuetudo cœpit à primordiis, vel præcesserat privilegium, in quo fundaretur, vel non: si secundum; ergo cum ab initio nulla, irrationabilis, injusta, et prorsus impræscriptiva foret, utpote contra immunitatem ecclesiasticam, quæ quidem de jure naturali, et divino utique est, ut probatum remanet prælud. 3. et c. 22. tractu temporis convalescere non poterat, secundum vulgare axioma.

Si primum; ergo tota validitas, ac licitudo consuetudinis illius desumitur à præcedente privilegio, atque in illo sistit, ac resolvitur: ergo in idem recidit inconveniens, quod evitare satagebat; proindeque revertitur in caput ejus, quod adversus alios, à se avertens, cogitabat; dum incidit in idem obstaculum, in idemque repagulum impingit.

LXX. Rejicitur, 4. Quia, ut ipsemet Per. fatetur d. c. 5. n. 8. *Multa privilegio acquiri possunt, ad quæ non proficit consuetudo, præsertim propter personæ incapa-*

capacitatem: unde concludit in fine, quod, ut conſuetudines intelligantur revocatæ, non ſufficere generalem revocationem privilegiorum, *neque in illa videntur comprehendi, niſi illarum conſuetudinum fiat expreſſa mentio.* Ex qua doctrina ſubſumo ſic: 1. Atqui in præfata bullæ revocatione fit expreſſa mentio ipſarum *conſuetudinum, etiam immemorabilium*, et quarumlibet *præſcriptionum*, quantumcunque *longiſſimarum:* ergo, &c. Subſumo, 2. Atqui laici ſunt notorie incapaces cognoſcendi, etiam de cauſis civilibus clericorum, non intercedente privilegio apoſtolico, ut ſuperius manet ſtabilitum, c. 21. et 22. ergo, &c.

Unde Oliv. d. q. 12. n. 13. *Non ſemper eſt verum, privilegium, et conſuetudinem immemorialem æquiparari, quia multoties, quod acquiritur privilegio, non poteſt acquiri conſuetudine immemoriali; v. g. quando datur incapacitas; ut notant DD. communiter in cap. Cauſam, de præſcription. Felin. in cap. Contingat, n. 4. de for. exempt. Maſcard. de probat. concluſ. 429. ubi plures citati; Covar. lib. 1. Var. cap. 17. n. 6. verſic. quarto ab eadem; plures citat; et ſequitur Anton. Gabr. tit. de præſcript. concluſ. 1. n. 1. limitat. 1. principali.*

LXXI. Rejicitur, 5. Quia, etiam dato, quod princeps laicus juriſdictionem ſuper clericos civiliter pro aliquibus caſibus acquirere poſſit, ex tacita voluntate Pontificis delegantis, aut committentis; certum eſt, Pontificem ipſum eam juriſdictionem à principe laico ex cauſa juſta auferre poſſe, et ad ſe revocare, ut palam agnoſcit Per. c. 5. n. 6. cum Soar. adverſ. Angl. error. l. 8. c. 7. n. 14. ex c. 1. de conſuetud. c. *Clerici*, de judic. Vide Oliv. cit. et ſuperius reſoluta, c. 22.

LXXII. Ex dictis colliges, 1. Rejiciendos etiam venire eos, qui ex eo, quod autument, per annuam bullam Cœnæ revocari de facto omnes conſuetudines, etiam intra limites regiarum legum Luſitanarum contentas, et in privilegio, ſaltem præſumpto, fundatas, conſequenter putant, vel ſaltem verentur, judices laicos hodie poſt dictam annalem bullæ Cœnæ revocationem, ſecundum illas conſuetudines generaliter judicantes, ſive cognoſcentes, contrahere, etiam pro foro externo, ipſius bullæ, et reliquas competentes juris cenſuras, earumque declarationi pro eodem foro fori ſubjacere.

Rejiciuntur, 1. Quia, ſaltem quoad conſuetudines canonicas, et à Summo Pontifice Nicol. IV. in concordia Dionyſiana approbatas, nulli pro neutro foro cenſuræ incurſioni, aut ejuſdem declarationi ſubduntur, ut ſuperius eſt demonſtratum. Rejiciuntur, 2. Quia, etiam quoad reliquas conſuetudines, intra limites (non ultra) regiarum legum regii judices cognoſcentes, aut judicantes, abſque exceſſu aliquo in ſubſtantia, vel in modo, quoad forum externum, nec juris cenſuras incurrere, nec earum declarationi ſubjacere judicandi ſunt: 1. Quia intra terminos regiarum ordinationum, abſque exceſſu ullo, cognoſcentes, aut judicantes, habent ſufficientem titulum, et prætextum, quo à contumacia pro foro externo excuſentur. 2. Quia regiæ illæ leges, quæ etiam conſtituunt jus commune civile, ac municipale, reputantur in privilegio, ſaltem præſumpto, fundatæ; quod quidem, an per annuam bullam Cœnæ de facto abrogetur, necne, eſt materia de facto ſaltem quæſtionabilis.

LXXIII. Colliges, 2. Rejiciendam iterum venire doctrinam ejuſdem Per. cit. c. 5. n. finali: ubi, cum notoria præcedentibus, et c. 6. n. 2. traditis, contradictione, ait: *Agnoſcimus igitur, Summum Pontificem ex vi ſuæ poteſtatis ſpiritualis, cui ſubordinatur politica, et temporalis poteſtas, ratione ſui finis, poſſe has regni conſuetudines abrogare, tollere, et ceſſare. Suares adverſus Angliæ errores, d. cap. 34. n. 18. et de legibus, d. cap. 7. n. 14. in fin.*

Rejicitur, inquam, 1. Quia piiſſimus rex Sebaſtianus, et ſapientes ejuſdem conſiliarii, abſque illa expreſſa, et individuali *conſuetudinis Portugalliæ*, mentione, ſibi perſuaſerunt, potuiſſe Summum Pontificem regni Portugalliæ conſuetudines abrogare, imo *et verborum ipſorum tenore inſpecto abrogatas*, vel intellexerunt, vel ſaltem merito ſuſpicati ſunt. 2. Quia non eſt neceſſaria individua illa mentio *regni Portugalliæ*, vel cujuſlibet alterius, tum quia regnum Portugalliæ ſpeciali privilegio non fulcitur, ut niſi de ipſo ſpecialis, et individua mentio fiat, non concipiatur comprehenſus in generalibus, et ſpecialibus derogatoriis, alia regna comprehendentibus: tum quia ſufficiunt, et ſuperabundant ampliſſimæ, et ſpecialiſſimæ derogatoriarum derogatoriæ, cit. bullæ § 25. *Præeminentiæ: Etiam pontificali, imperiali, regali .... ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis .... ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem .... quæ omnia quoad hoc, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur*, &c. Vid. Oliv. cit.

LXXIV. Colliges, 3. Congruum nimis, et opportunum ſane fore, ut juxta præclarum votum illud Cevall. de Cogn. violent. à doctiſſimo Aguero, in *monito* cenſuræ ad illud merito laudato, *quo enixe rogat Pontificem, et regem, utriuſque pedibus advolutus, ut ipſi fines ſuos diſterminent; quos ultra citraque in poſterum neutrius miniſtri conſiſtant. Præclarum votum!* proclamat, et finit cit. Aguero: et juxta remiſſionem Soar. et Azeved. *ultimam reſolutionem*, pro revocatione de facto à bulla Cœnæ inducta, *Sedi Apoſtolicæ remittentium*, ut notat Oliv. d. q. 14. n. 7. Sereniſſimi reges Luſitani, in propriæ, et alienæ, miniſtrorum videlicet ſuorum, conſcientiæ exonerationem, atque levamen, necnon in prælatorum, ac judicum eccleſiaſticorum, et totius reipublicæ tranquillitatem (non enim ſcrupulis, atque periculis ſpiritualibus, materia caret) negotium hoc ad ſanctam ſedem, piiſſimi Sebaſtiani regis cœpta proſequentes, iterum devolverent, ab eadem optatam, atque à præfato rege piiſſimo ſupplicatam declarationem obtenturi, vel antiquorum, ſi forſan præceſſerunt, privilegiorum confirmationem, vel novorum conceſſionem, atque juſtarum regni immemorabilium conſuetudinum approbationem, ac ratificationem impetraturi, vel aliud, quod melius, et magis opportunum viſum fuerit, medium præelecturi, atque executuri. Dignetur miſericors Deus, qui fortiter, et ſuaviter cuncta diſponit, religioſa Chriſtianiſſimorum regum noſtrorum corda, quæ in potenti manu ſua retinet, ad id, quod in majorem ipſius gloriam ceſſerit, benevolus inclinare.

CAP. XXIV.

De Licitudine Recurſus ad tuitivas chartas, *ſeu ad* mandata de manu tenendo *impetrandas.*

SUMMARIUM.

I. *Licitus eſt recurſus pro tuitivis conſervatoriis.*
II. *Etiam in poſſeſſore appellante, quoad appellationem proſequatur.*
III. *Differentiæ inter tuitivam reſtitutoriam, et interdictum* undevi.
IV. *Licitus etiam eſt recurſus pro tuitiva reſtitutoria, ſtante violentia notoria.*
V. *Et cum limitationibus tamen à DD. notatis.*
VI. *Licite etiam recurritur pro tuitiva reſtitutoria, etiam non intercedente appellatione, ſtante notoria violentia, et non ſolum notoria injuſtitia.*
VII. *Notantur 5 differentiæ inter recurſum, et tuitivam.*
VIII. *Licite etiam recurritur à legitime appellante, et animo appellationis ſerio proſequendæ, non ita vero à doloſe appellante animo eluſorio, nec notoria violentia intercedente.*
IX. *Aliud eſt poſſidere, aliud in poſſeſſione eſſe.*

X.

X. *Ex praxi in Portugallia non conceditur tuitiva, niſi oſtenſo titulo.*
XI. *Conceditur tuitiva, ſpreta quavis nullitate, de qua non cognoſcitur, ſed remittitur.*
XII. *Debet præcedere juſtificatio ſummaria pro impetratore tuitivæ.*
XIII. *Tuitiva non conceditur habenti poſſeſſionem ſpoliativam, violentam, vel quovis modo vitioſam.*
XIV. *De titulo non cognoſcunt, neque etiam de colore illius juriſdictionaliter.*
XV. *Non conceditur, ſi de non jure impetrantis notorie conſtet.*
XVI. *Neque ei, qui contra ſe habet vehementem juris præſumptionem.*
XVII. *Impetratur etiam pro violentia futura, quæ probabiliter timetur.*
XVIII. *Quænam impetrandæ tuitivæ impedimenta objicienda?*
XIX. *Tuitiva appellatoria debet impetrari intra annum, et ſolum in caſibus, in quibus non datur appellatio ſuſpenſiva.*
XX. *Conceſſa uni, alteri non prodeſt.*
XXI. *An admittatur in cauſa commiſſa* appellatione remota, *et an à pronuntiatione tuitivæ appelletur? Remiſſive.*
XXII. *Praxis procedendi contra judices eccleſiaſticos pro tuitiva appellatoria.*
XXIII. *Nequeunt judices regii jubere, ut eccleſiaſticus appellationem concedat, vel recipiat, quoad utrumque effectum.*
XXIV. *Sed debent ſe reſtringere ad terminos ordinationis.*
XXV. *Minus bene leges Caſtellæ, quam Luſitaniæ, quoad hoc diſponunt.*
XXVI. *Leges Luſitanæ poſteriores recte deflectunt in hoc à legibus Caſtellæ anterioribus.*
XXVII. XXVIII. *Confirmatur ex variis doctrinis, quod judices tuitivæ intra limites tollendæ violentiæ præciſe contineantur.*
XXIX. *A judice judicialiter rejiciente appellationem injuſte, non datur interdictum* Undevi, *neque pars privata ei reſiſtere poteſt.*
XXX. *Violentia tunc præciſe ſtat, non in rejectione ipſa, ſed in procedimento ad ulteriora, ut comprobatur ex c.* de priore.
XXXI. *Etiam in caſu tuitivæ appellatoriæ* reſtitutoriæ, *ut pars manuteneatur, non eſt neceſſe jubere, ut appellatio recipiatur; ſed ſufficit, ne ulterius procedatur, et, ſi proceſſerit, ut cauſa reponatur in eodem ſtatu, ante proceſſum poſt rejectionem appellationis.*
XXXII. *Judex appellationem judicialiter rejiciens, ſi ad ulteriora non procedat, non incutit violentiam notoriam recurſabilem.*
XXXIII. *Retunditur Per. agnoſcens exceſſum in illa, et eam ex uſu juſtificare affectans.*
XXXIV. *Officium principis eſt tollere violentiam præciſe, et ſpectato ſine appellationis, ſufficienter providet, ne pars ulterius gravetur, et cauſa in priſtinum ſtatum reſtituatur, ſuper quo monentur judices regii ab Oliv.*
XXXV. XXXVI. *Si judex eccleſiaſticus appellationem non recipiat, neque excommunicatum abſolvat, nequit contra illum temporaliter procedi, ultra limitationes regiæ legis.*
XXXVII. *Ex præſcripto ordin. non proceditur temporaliter adverſus judices eccleſiaſticos in caſu uſurpatæ regiæ juriſdictionis; de quo remiſſive.*

Tuitiva, quæ eſt altera ſpecies recurſus, ſi ſit præciſe conſervatoria prægravamine, quod de futuro timetur, cum non ſit præſidium intentatum via gravaminis jam illata, ſed via ſimplicis *tuitionis*, aut *manutentionis*, non comprehenditur ſtricte in definitione generali recurſus, prælud. 1. *Confugium ad potentem gravato recurrenti ſuccurrere*; niſi particulam *gravato* abſtrahat à gravamine illato, vel inferendo; et tunc in hac circumſtantia cum appellatione recurrit, juxta dictum prælud. 1. n. 1. et 2.

Licitum quidem eſſe ad reges, regioſque miniſtros, pro tuitione, et manutentione in poſſeſſionibus, etiam beneficiorum, atque officiorum eccleſiaſticorum recurrere jam ſupra, c. 10. et 11. inſinuavimus, et impræſentiarum de hac re ſpecialiter eſt nobis agendum; quam quidem quæſtionem pertractant Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 15. n. 49. et q. 17. n. 25. et q. 25. n. 13. Per. de man. reg. c. 20. et 21. Salgad. de reg. prot. in prælud. et alibi: Valent. p. 4. Cevall. de cogn. viol. etiam 4. p. q. 897. Portugal. de donat. p. 2. l. 1. c. 32. et 33. Peg. ad ord. et alii infr. cit.

Sed quia alia tuitio dicitur *conſervatoria*, alia *reſtitutoria*, *appellatoria* alia; de cunctis convenienti diſtinctione agere refert. Sit igitur

Sect. I.

Pro tuitiva conſervatoria.

I. *Reſolutio* 1. Licitus eſt recurſus ad regem, vel ad regia tribunalia, pro *tuitivis conſervatoriis*, ſive *mandatis de manutenendo* in poſſeſſione impetrandis. Ita præter cit. Mend. à Caſtr. p. 2. l. 2. c. 11. per tot. et p. 1. l. etiam 1. c. 11. § 1. Portugal. de donation. p. 2. l. 1. c. 32. Peg. ad ord. tom. 2. et alii.

Prob. 1. Quia ſecundum ſe licitus eſt talis recurſus, tam de jure can. ex Clem. 1. § *Porro*, de jur. c. *Cum veniſſent*, de inſtit. quam de jure civili, ex l. 1. § 1. ff. *Ne vis fiat ei qui in poſſ. miſſ.* ibi: *Fruſtra enim prætor in poſſeſſionem mitteret, niſi miſſos tueretur, et prohibentes venire in poſſeſſionem coerceret.* Deinde quod licitus etiam ſit adverſus judices eccleſiaſticos in poſſeſſione aliquem, nedum injuſte, ſed et violenter turbantem, aut deturbantem; patet, 1. ex bulla Martini V. *Apoſtolicæ Sedis*, Carolo regi Francorum directæ, apud Guid. dec. 1. de mater. poſſeſſor. et Salgad. de reg. prot. ſupr. cit. Cevall. in procem. de cogn. viol. n. 36. et apud alios, ibi: *Derogare voluerimus juri, et juriſdictioni regiæ, præſertim in cauſa poſſeſſorii retinendæ poſſeſſionis ſuper ſuis eccleſiis, et beneficiis eccleſiaſticis regni Franciæ . . . . . in omni caſu, etiam juridice tueri poſſeſſores*, &c.

Patet, 2. Quia regibus competit vaſſalos à violentiis manifeſtis, et notoriis etiam adverſus judices eccleſiaſticos tueri juxta reſoluta, c. 13. et alibi: atqui accidere poteſt, ut aliquis poſſeſſor laicus, vel eccleſiaſticus in ſua legitima poſſeſſione ab eccleſiaſtico judice turbetur, aut deturbetur violenter: ergo talis poſſeſſor licite recurrere poterit ad regem pro manutentione, ne à poſſeſſione dejiciatur, donec plene audiatur, et convincatur, dummodo violentia undiquaque notoria ſit, et nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis, juxta dicta, c. 19. et 20. et ſervatis inferius adnotandis.

II. *Reſolutio* 2. Poſſeſſor, qui non impetravit chartam tuitivam conſervatoriam poſſeſſionis ejuſdem, ſi tamen à ſententia lata à judice eccleſiaſtico contra ejus poſſeſſionem legitime appellat, licite recurrere poteſt ad regem pro manutentione impetranda, dum appellationis cauſa proſequitur. Ita iidem DD. præmiſſi, et caſus expreſſus in regiis ordinationibus infra citandis: et probatur, tum quia appellatio eſt ſpecies defenſionis, et juri naturali conformis; tum quia in hoc poterit etiam ex parte judicis eccleſiaſtici inferri violentia notoria, ſi illa pendente, et adhuc non judicata, nec ut frivola rejecta, ſententiam ex abrupto exequi velit. De quo tamen plene infra § 3. de *tuitivis appellatoriis*.

Confirmatur utraque reſolutio ex ratione ab Oliv. inſinuata, d. q. 15. n. 49. Nam ad has tuitivas concedendas, et in executione earum nulla juriſdictio in clericos exercetur, nec ſuper re eccleſiaſtica; ſed tantum extrajudicialiter de quæſtione facti, hoc eſt, utrum implorans hoc remedium vere, et juridice poſſideat, inſpicitur, ad defenſionem naturalem, per viam facti proceditur, quod non ſolum in manutentione, è tuetiva conſervatoria procedit, ſed etiam in reſtitutoria, dummodo vis, ſeu violentia ſit notoria, et evidens, et non procedatur per viam juriſdictionis, ſed facti, et tollendæ violentiæ; licet in hoc regno, attenta lege regia, clerici poſſint coram judice ſæculari conveniri juriſdictionaliter interdicto *Undevi*, intra annum, et diem, lib. 2. tit. 1. § 2. quæ lex utrum defendi poſſit, ſupra q. præced. diſputaverat.

Sect. II.

Pro tuitiva reſtitutoria.

III. Sicut tuitiva conſervatoria aſſimilatur interdicto *Interim*, vel *Uti poſſidetis*, *aut retinendæ poſſeſſionis* nuncupato; ita tuitiva reſtitutoria æquiparatur interdicto *Undevi*, vel *Recuperandæ poſſeſſionis* appellato. Et ſicut interdictum *Interim* differt à tuitiva *conſervatoria*, quod illud litem motam ſupponat, hæc vero minime: ita tuitiva *reſtitutoria* differt in aliquibus ab interdicto *Undevi*, vel recuperandæ poſſeſſionis, videndis apud cit. Per. c. 20. n. 15. et c. 21. et apud Gaſparr. inſt. civil. p. 3. tt. 11. et Oliv. cit. ſignanter q. 17. Portugal. de donat. p. 2. c. 32. quorum præcipua differentia in eo ſtat, 1. Quod interdictum *Undevi*, ſeu *Recuperandæ*, poteſt dari in cauſis etiam profanis; tuitiva vero reſtitutoria, imo et conſervatoria, in ſolis cauſis eccleſiaſticis, ſaltem in Hiſpania, teſte Cancer. l. 3. c. 14. n. 33. Per. c. 21. n. 17. Portug. cit. c. 32. n. 20.

Stat, 2. Quod ad interdictum *Undevi*, ſeu *Recuperandæ*, contra judicem laicum ſufficit forſan injuſtitia notoria, ex doctrina cit. Per. et aliorum apud Oliv. q. 16. n. 3. de quo nos etiam ſupr. c. 17. et ab Oliv. q. 16. n. 3. Ad tuitivam vero *reſtitutoriam* per viam recurſus adverſus judicem eccleſiaſticum obtinendam, non ſufficit notoria injuſtitia, ſed omnino intercedere debet ex parte præfati judicis notoria violentia, juxta ſuperius dicta, c. 13. uſque 16. incluſive, et inferius dicenda, c. 25. et ſeqq. quod etiam fatetur Per. c. 21. n. 2.

Stat, 3. Quod ad interdictum *Recuperandæ*, ita ſufficit notoria injuſtitia, licet adſit opinio in contrarium, ut vel ex majori probabilitate, vel ex frequentiori, aut receptione in praxi illa manifeſtetur injuſta. At vero pro *tuitiva* contra judicem eccleſiaſticum, præter notoriam injuſtitiam, requiritur talis notorietas violentiæ manifeſtæ in contrarium, ut nulla probabilis opinio in contrarium appareat; imo, ut notorium ſit, nullam adeſſe probabilem in contrarium opinionem, et denique ut notorietas violentiæ nullatenus celabilis, aut excuſabilis ſit; eo quod notorietas violentiæ, recurſum adverſus judicem eccleſiaſticum fundans, debet undiquaque evidens, et minime dubia, cum notorietas ſit de ſpecie boni; dubietas autem de ſpecie mali; *et malum ex quocunque defectu*; bonum vero non *niſi ex integra cauſa*, de quo ſupr. c. 14. et ſeqq. uſque 18.

IV. Sit *reſolutio* 1. Licitus eſt recurſus ad regem, vel regia tribunalia, pro adipiſcenda charta tuitiva *reſtitutoria* adverſus judicem eccleſiaſticum, nedum notorie, injuſte, ſed et notorie violenter detrudentem, aut ſpoliantem à poſſeſſione ſua legitimum poſſeſſorem, legitima pendente appellatione, ab eo interpoſita in caſu, quo propria auctoritate ſe defendere poteſt. Ita DD. ſuperius laudati, ſignanter Per. d. c. 21. n. fin. dicens, *Quod recurrentes in his caſibus manifeſtæ violentiæ ad regia tribunalia licite faciunt, et ſine cenſurarum incurſu, cum propriam defenſionem intendant, in caſu, quo propria manu ſe defendere poſſunt*, &c.

Prob. 1. reſolutio ex ratione eadem à cit. Per. attacta: Quia ſcilicet recurrentes in dictis caſibus manifeſtæ, et notoriæ violentiæ, *propriam defenſionem intendunt, implorata regis manu, in caſu, in quo propria manu ſe defendere poſſent, Seſſe de inhibition.* § 4. *cap.* 8. *n.* 140. *cum eo caſu omnia fiant in reverentiam Sedis Apoſtolicæ, ne recurſus ad Pontificem impediatur, explicat Corduba in tract. de Caſoſ. c.* 35. *Vivaldus in Candelabro, 2. p. in explicatione bullæ, cauſ.* 16. *n.* 114. *Bobad. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 139. *Garcia de nobilit. gloſſ.* 9. *à n.* 46. *Seſſe ubi ſupra, n.* 83. *et pro hac parte ſæpe in Rotta judicatum dicit Pariſ. conſ.* 172. *vol.* 4. *et eſt deciſio Achilles* 36. *de appell. in impreſſis refert Mandoſ. commiſſ. dcc. n.* 14. *formula verbo revocandi, et judicatum à Farinacio refert Seſſe d. cap.* 8. § 3. *n.* 184. *plura in confirmationem adducit Cevalloſ.* 4. *p. q.* 897. *n.* 136. *et* 138. *Bobad. d. cap.* 18. *n.* 146.

Prob. 2. ex ordinatione regia, l. 1. tt. 3. § 6. ibi: *Concedent chartas tuitivas, et chartas manutenendi appellantes, ne à ſua poſſeſſione dejiciantur, vel ut ad illam reducantur, ſi contingat poſt appellationem ſpoliari: et chartas inſimul reſtitutorias quorumcunque poſſeſſorum ſpoliatorum, quamvis non appellârint.* Conſimiles partim diſpoſitiones habentur in hocmet lib. in regim. ſenatorum palatinorum, § 116. et l. 2. tt. 10. et l. 3. tt. 85. § 1. Vide Barboſ. remiſſ. ibid. Valaſc. conſ. 79. Cabed. p. 1. dec. 76. et p. 2. dec. 71. et Peg. ad ord. loc. cit. præſertim ad tt. 3. cit. lib. 1.

V. Præmiſſam tamen reſolutionem ſemper accipe, et intellige cum præjacta limitatione à Per. cit. cum Oliban. Menoch. et Valaſc. appoſita, c. 21. n. 44. et c. 20. ſub n. 12. videlicet, *in caſu, quo tuitivam impetraturus propria manu, vel auctoritate ſe poſſet defendere, et reſtitutionem, aut redintegrationem adoriri:* et cum alia ab eodem inſinuata, c. 20. ſub n. 14. § *Et è converſo*, ſcilicet, *Quod judices tuitivæ intra limites notoriæ violentiæ tollendæ præciſe contineantur, nec ulterius excurrant ad ea, quæ judicio eccleſiæ ſpectant, nec in manutentione appellantis ultra proprios cancellos tranſiliant jubendo, ut judex eccleſiaſticus ejuſdem appellationem abſolute, vel quoad utrumque effectum recipiat*; de quo Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 25. et alibi, et nos infr. n. 23. et ſeqq. et ſervatis aliis infra adnotandis, n. 23.

VI. *Reſolutio*, 2. Licite, ſaltem quoad ſubſtantiam, poteſt recurri ad regem pro chartâ tuitiva reſtitutoria impetranda adverſus judicem eccleſiaſticum, nulla intercedente appellatione in caſu conſimili præmiſſo. Probatur ex verbis ipſis regiæ legis cit. l. 1. tt. 3. § 6. ibi: *E chartas reſtitutorias de quaeſquer poſſuintes, è eſbulhados, poſtoque appellantes nao ſejao:* id eſt, *Et concedent chartas reſtitutorias quorumcunque poſſeſſorum ſpoliatorum, quamvis appellantes non ſint.*

Prob. 2. Quia in caſu, quo poſſeſſor legitimus, nedum injuſte, verum et notorie violenter, à judice eccleſiaſtico à ſua poſſeſſione, nulla intercedente appellatione, detruderetur, poſſet licite judici tali reſiſtere; et propria auctoritate, atque privata manu eam recuperare: ergo multo melius, et æquius, manu regia. Ita Per. et Oliv. cit. Sed de hoc clarius, ac diſtinctius, infra, c. 25. cum de licitudine, vel illicitudine recurſus ab eccleſiaſtico judice ad tribunalia ſæcularia, appellatione non intercedente, ſermo erit: et hac de cauſa in præmiſſa reſolutione caute poſui limitationem illam, *ſaltem quoad ſubſtantiam.*

Si vero procedimentum, aut ſententia judicis eccleſiaſtici, ſit tantum injuſta, et non notorie violenta, tunc nequeunt ſe intromittere judices regii, neque per viam manutentionis, neque reſtitutionis; nam, ut ait Per. de man. reg. c. 21. ſub. n. 2. Illa iniquitas per legitimum ſuperiorem debet reformari, ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 3. ubi prohibet, nec ob denegatam juſtitiam ſe intromittant magiſtratus ſæculares, quia hoc ad ſuperiores eccleſiaſticos ſpectat: nec obſtat ord. d. § 12. quia agit de notoriis oppreſſionibus, quæ non poſſunt ita conſiderari in judice, qui non de facto, ſed ſervato juris ordine, proceſſit, et ſententiam protulit, cujus executioni adverſa pars reſiſtere non poteſt, imo tenetur parere, et executionem pati, quouſque ad ſuperiorem appellationem introducat, et ipſe inhibeat, cap. *Romana*, § *Si vero* de appell. in 6.

Sect. III.

Pro tuitiva appellatoria.

Cum diverſum medium, ac remedium, diverſaque via, atque aditus ſit *interpoſitio recurſus*, aut gravaminis ad regem ob legitimam appellationem injuſte denegatam, et *impetratio tuitivæ*, ſeu mandati de manutenendo, pendente appellatione: ideo, quamvis late c. 25. et ſeqq. de licitudine recurſus illius agere decernimus, hic ſpecialiter, ſed breviter, de licitudine hujuſce tuitivæ *appellatoriæ* aliqua prælibare refert. Igitur,

VII. Imprimis prænotandæ ſunt differentiæ, quæ inter medium, et aditum recurſus, atque tuitivæ, intercedere conſpiciuntur: nam, 1. Recurſus non datur niſi poſt gravamen, et violentiam jam illatam, vel in facto eſſe, vel in fieri de præſenti, ut explicat Per. cit. c. 4. 7. et 11. Tuitiva vero conceditur etiam ante gravamen, aut turbationem, quæ nedum futura certo ſperatur, ſed probabiliter tantum futura timetur, de quo Portug. de donat. p. 2. l. 1. c. 32. Per. cit. c. 20.

c. 20. n. 14. Mend. à Caſtr. p. 2. l. 2. c. 11. et conſtat ex cit. leg. reg. l. 1. in regim. ſenator. palat. § 116. et l. 2. tt. 10.

2. Providentia recurſus, et ejus proviſio, pertinet magis ad juſtitiam, quam ad gratiam; ideoque hæc non datur, niſi poſt gravamen juſtificatum, et judice à quo prius audito, et committitur ordinario judici regio. At vero tuitivæ proviſio pertinet magis ad gratiam, quam ad juſtitiam, atque adeo non niſi ſupremis palatinis ſenatoribus reſervatur, quibus hæ, et aliæ ſimiles gratiæ proviſiones committuntur per cit. leg. reg. ordin. l. 1. tt. 3. in princip. ibi: *Noſtris ſenatoribus palatinis pertinet expedire omnes petitiones gratiæ, quæ à nobis ſupplicata fuerit in cauſa, quæ juſtitiæ attinere poſſit*, &c. et poſt illarum gratiarum individuationem, ibidem, § 6. hanc tuitivarum chartarum gratiam exprimit, dicens: *Item concedent chartas tuitivas, et chartas de manutenendo in poſſeſſione appellantes*, &c. Deinde tuitiva hæc ante præmiſſarum juſtificationem, et antequam partes intereſſe habentes prius audiantur, concedi ſolet, de quo infr. n. 31.

3. Proviſio recurſus non datur in gravamine probabili dumtaxat, et probabiliter exiſtente; ſed unice in gravamine reali, certo, evidenti, manifeſto, et notorio, de quo nec probabilis opinio adſit in contrarium, ut communiter tenent DD. cum Per. cit. c. 4. n. fin. et c. 7. n. 2. Oliv. cit. q. 15. et 16. et nos ſupra c. 13. et 14. At vero proviſio tuitivæ conceditur cum ſolo titulo probabili, imo et colorato, etiam detentatori, juxta aliquos, et cum reliquis circumſtantiis infr. § 4. explanandis.

4. Recurſus cognitio, proceſſus, proviſio, expeditio, et in reliquis eidem attinentibus, ſtylus eſt omnino fere diverſus ab ſtylo, cognitione, proviſione, atque expeditione chartarum tuitivarum, ut conferenti fiet palam, et abunde conſtabit ex inferius adnotandis § 4. et tradendis c. 37. et 38.

5. Quia *tuitiva eſt præparatorium judicii*, Portug. cit. c. 32. n. 11. cum Cevall. commun. q. 897. n. 946. Covarr. pr. c. 17. Per. cit. c. 21. n. 15. et cum cit. Peg. ad ordin. cit. § 6. Non ita vero recurſus, quippe qui omnino extrajudicialis eſt. Deinde recurſus eſt remedium ſubſidiarium, Portug. cit. c. 31. n. 18. cum Poſth. de manut. obſ. 6. n. 26. Salgad. 1. p. c. 7. n. 10. Seſſ. in ep. ad reg. n. 87. et Oliv. q. 20. n. 3. Tuitiva vero, quatenus præparatorium judicii eſt, non dicitur remedium ſubſidiarium, licet tuitiva appellatoria, qua talis, auxiliativa ſit. Nam ſicut diſpoſitiones in phyſicis, ita præparatoria in juridicis, ad idem genus cauſæ reducuntur, ex communi DD. placitu.

VIII. His ergo prælibatis, ſit *reſolutio unica:* Licitus eſt recurſus ad regem pro impetranda charta tuitiva appellatoria ab eo, qui in cauſa eccleſiaſtica appellabili, legitime, et ſerio, atque animo appellationem juſtam proſequendi, non frivole, ac doloſe, aut animo eludendi judicium, aut juſtam judicis à quo ſententiæ prolationem, aut executionem impediendi, appellavit, ne, pendente appellatione, adverſus eum procedatur. Ita DD. præcitati, et reliqui omnes communiter.

Prob. 1. Quia appellatio pertinet ad naturalem defenſionem, ſaltem *reductive*, et in ea fundatur; et appellans legitime, et ſerio, certum jus habet, ne, appellationis illius cauſa pendente, turbetur, atque moleſtetur, ſalvis limitationibus, ac modificationibus inferius propalandis, § 4. et c. 27. et 28. confirmatur; quia remedium tuitivæ etiam innititur juri, et rationi naturali, ut probat Portug. d. c. 33. n. 20.

Prob. 2. Ex expreſſa cit. leg. regiæ diſpoſitione, l. 1. tt. 3. § 6. et tt. de ſenator. palat. regim. § 116. et l. 2. tt. 10. in princ. ibi: *Præcipimus, quod lata ſententia à judice eccleſiaſtico contra clericum, aut beneficiatum, aut contra laicum, in caſu ejuſdem judicis juriſdictioni attinente, quamvis ſententia contra clericum lata prolata non fuerit ſuper beneficii poſſeſſione; ſi clericus, aut laicus, ad Romanam curiam appellaverit, in caſu, quo appellare poſſunt, et, antequam proſequendæ appellationis terminus finiatur, ſupplicaverit chartam, ne, appellatione pendente, adverſus eum per noſtras juſtitias procedatur, neque capiatur, aut vitetur, aut pœnis excommunicatorum mulctetur; placet, ut cuilibet illorum charta tuitiva concedatur, quando per publicam ſcripturam, ſe appellâſſe, et appellationes ſuas proſequi docuerint, licet appellationes ipſæ receptæ non ſint*, &c. Nota obiter limitationem illam: *Per noſtras juſtitias procedatur.* De quo tamen uberius, infr. n. 19.

Pro triplici hac tuitiva, ſi procedimentum, aut ſententia judicis eccleſiaſtici, in ſola injuſtitia conſiſtat, et citra notoriam expreſſionem, aut violentiam, obſerva item doctrinam Per. de man. reg. c. 21. n. 2. *Illud itaque primo noto, quod dum leges regiæ admittunt has tuitivas, ut impediantur ſententiarum latarum in foro eccleſiaſtico executiones, videntur non leviter offendere eccleſiæ libertatem: nam judicium eccleſiaſticum componitur ex cognitione cauſæ, diffinitione per ſententiam, et ultimo rei judicatæ executione; ſicque executio ſententiæ eſt pars illius judicii, docet Innoc. in cap. Significâſti de offic. deleg. Marant. de ordin. judiciorum 6. p. n. 1. Sicut ergo judex ſæcularis ſe non intromittit circa cognitionem, ſic pariter nec circa executionem, quæ tertius judicii factus eſt, ne diverſo jure cenſeantur contra l. Eum, qui ædes, ff. de uſucapion. quod confirmatur, quia judices eccleſiaſtici poſſunt ſecundum regulas juris canonici appellationes non recipere, cap. Cum appellationibus, de appell. in 6. vel quando ſit commiſſa diſcuſſio, remota appellatione, cap. Inter cæteras de re jud. cap. Romana, § Quod ſi objiciatur, de appell. in 6. vel aliud canonicum obſtet: quare his caſibus, et ſimilibus, dum ſæcularis poteſtas ſe intromittit, non datur ædificatio, ſed deſtructio, cap. Paſtoralis, § Verum de appell.* Sed de hoc infra.

Sect. IV.

Adnotantur aliqua triplici huic tuitivæ chartæ ſpecificæ differentiæ.

IX. Adnotandum, 1. pro tuitiva conſervatoria, et reſtitutoria, Quod aliud ſit *poſſidere*, aliud in *poſſeſſione eſſe*; ita Portug. cit. c. 32. n. 13. cum Capyc. dec. 12. n. 1. et deciſ. 55. n. 1. et 2. Chriſtoph. de Paz. de tenut. c. 3. n. 12. et c. 10. n. 12. et c. 40. n. 37. Poſt. d. obſerv. 2. n. 29. ubi plures laudat. Et ultra eos Giurb. de ſucceſ. feud. § 1. gloſſ. 16. n. 15. et 16. Thuſc. liter. P. concluſ. 404. Pichard. in § In ſumma inſt. de interd. n. 121. Fermoſin. in c. fin. § In aliis q. 1. n. 18. ut lite non conteſtata, Capyc. Latro, deciſ. 182. n. 37.

In poſſeſſione eſſe dicitur rei detentator, qui eam vere non poſſidet; detinere namque minus eſt, quam poſſidere, ſicut eſſe detentatorem, minus quam poſſeſſorem. Nevizan. conſ. 81. n. 9. et 10. Portug. cit. n. 26. *Poſſidere* autem dicitur verus poſſeſſor, qui rem vere poſſidet. Cum autem ad impetrationem tuitivæ requiratur poſſeſſio, ita ut impetrans ſit in poſſeſſione rei tempore ſaltem conceſſionis; Portug. cit. n. 25. Per. de man. reg. c. 20. n. 6. hinc aliqui tenuerunt detentatori remedium tuitivæ denegandum fore, utpote qui verus poſſeſſor non ſit; et tuitiva conſervatoria ſit remedium poſſeſſorium, quod veram poſſeſſionem requirit, ad ſimilitudinem interdicti *Uti poſſidetis*, quod quidem ex hoc eodem fundamento detentatori non conceditur. Portug. et Per. cit. cum Menoch. retin. rem. 3. n. 46. et 168. Valaſc. conſ. 79. n. 12.

Attamen ipſe Portug. n. 27. cum Per. cit. n. 7. probabilius tenent detentatori tuitivam eſſe concedendam: nam quicquid ſit de interdicto *Uti poſſidetis* reſpectu detentatoris, hoc regale auxilium tuitivæ inductum fuit ad tollendas violentias, ne inferantur, et ad reſtitutionem illatarum. Et ſic, quamvis ceſſent circa detentatores remedia interdictorum; non ceſſabit hoc auxilium regalis tuitivæ ad inſtar meri judicis officii, quod datur hujuſmodi detentatoribus pro tuendo, ſeu recuperando ſtatu, ac conſervando illo, in quo erant, per text. in l. *Aquilius Regulus*, ff. de donat. Alciat. lib. 2. parerg. n. 49. Clar. in § Donatio, q. 3. Cujac. lib. 17. obſerv. c. 33. Et eſt ratio, quia detentatio eſt meri facti; ac, ut quis manuteneatur, ſatis eſt, quod poſſeſſoris locum teneat, Lother. de re benefic. lib. 3. q. 11. n. 81. et omnis detentator præſumitur poſſeſſor, Sylvan. conſ. 27. n. 4.

n. 4. quippe detentatio pro poſſeſſione habetur ; atque venit appellatione poſſeſſionis, Rotta Bonon. deciſ. 80. n. 33. poſt. obſerv. 42. n. 76. Ex quibus invaluit colono detentatori ſpoliato, et expulſo, dari interdictum *Undevi*, ſecundum Anton. Fabr. in cod. l. 4. tit. 42. de locato diffinit. 58. Giurb. deciſ. 12. à n. 10. Fontan. 1. p. deciſ. 136. et 137.

X. Adnotandum, 2. Quod, licet in interdicto *Uti poſſidetis* non ſit neceſſaria tituli productio, Portug. cit. n. 32. atque adeo, in impetratione tuitivæ, ſecundum ſe non ſit neceſſarius titulus, eo quod agatur de poſſeſſione, quæ poteſt dari, licet non ſit juſta, nec titulata, Portug. n. 33. Per. cit. c. 20. n. 9. attamen ex praxi generali apud noſtrates tuitiva abſolute non conceditur, niſi producto titulo, ſaltem colorato, etiam in non beneficialibus. Ita demum Portug. cit. n. 36. quamvis in præcedentibus à n. 32. uſque ad 35. valde inclinârat in contrariam opinionem cum Barb. in c. *Beneficium*, de reg. jur. in 6. n. 3. et 4. Pro qua etiam praxi *uſitatiſſima* (ut eam appellat) ſtat Peg. ad ord. l. 1. tt. 3. § 6. n. 17. cum Valaſc. conſ. 79. n. 10. Mend. in prax. p. 2. l. 2. c. 11. § 1. n. 3. Oliv. 1. p. q. 15. n. 49. Per. c. 20. n. 9. Aug. Barb. ubi ſupr. et aliis.

Et in hac materia (proſequitur Peg. ib. n. 18.) dicitur *titulus coloratus*, quando eſt habitus ab illo, qui poteſtatem habet conferendi, Pereir. 2. p. cap. 69. n. 65. et 1. p. cap. 21. n. 9. Mend. d. § 1. n. 4. Valaſc. d. conſult. 79. n. 4. Et ad hoc ſufficit, quod titulus ſit extrinſece coloratus, licet non ſit intrinſece, Larrea alleg. 68. n. 4. Pereir. d. cap. 62. n. 66. Valaſc. dicta conſult. 79. n. 4. et 19. Poſth. de manut. dec. 646. n. 38. et dec. 669. n. 12. et obſerv. 46. n. 13. et ſeqq. Garcia de beneficiis 4. p. cap. 4. n. 2. Et ſufficit ſententia ad hoc, Auguſt. Barboſ. vot. 19. n. 14. et vot. 21. n. 4. vel titulus triennalis Menoch. de recuperand. remed. 15. n. 459. Oliv. de for. eccleſ. q. 8. n. 59. Gutier. lib. 3. practicar. q. 14. n. 76. et quod prima facie validus appareat, ut proſequitur Guid. Papa, d. 185.

Et hanc praxim, et ſententiam veram, et certam dicit Per. cit. n. 9. in poſſeſſione illius rei, quæ ſine titulo poſſideri non poteſt, propter juris repugnantiam, ut eſt uxoris, et liberi hominis poſſeſſio, cap. *Ex tranſmiſſa*, de reſtit. ſpoliat. l. *Liberi hominis*, ff. de contrah. emption. pariter, et beneficii eccleſiaſtici, cujus ſine titulo nulla eſt poſſeſſio, ex communi in d. cap. *In literis*, vel ejus rei, in qua jus commune, et ejus præſumptio reſiſtit poſſidenti, cap. *Ad decimas*, de reſt. ſpol. lib. 6. explicat Covarr. d. cap. 17. n. 6. Valaſc. d. n. 3. Menoch. n. 589. deciſio pedem. 55. agens de beneficio; Boer. deciſ. 23. Abb. Bero ; et alii in d. cap. *In literis*, de reſtitut. ſpoliat. Veraldus deciſ. 66. n. 4. Olibanus d. c. 15. n. 20. ubi tenet hoc caſu debere probari poſſeſſionem per inſtrumentum publicum, non per teſtes ; ſequitur Cancerius, ubi ſupra, n. 26.

XI. Adnotandum, 3. cum Peg. cit. n. 21. Quod tuitiva conceditur, ſpreta quacunque nullitate, aut injuſtitia tituli allegata, quia ad judices ſæculares non pertinet de illa cognoſcere, tradit Oliv. dict. quæſt. 15. n. 50. ſolum namque de quæſtione facti poſſunt cognoſcere, Valaſc. ubi ſup. n. 4. Oliv. d. q. 15. n. 49. Poſth. d. obſerv. 42. n. 24. et nos diximus tom. 1. ad tit. 1. gloſſ. 55. per totam. Et non de nullitate tituli, caſu, quo de illo opponatur, ut judicavit ſenatus in cauſa collegiatæ *de Valença do Minho*, cum canonico Antonio de Villaſboas, apud notarium Laurentium de Barros de Andrada, anno 1668. Et merito, quia in tuitiva princeps occurrit ſoli violentiæ ſe opponens, quæſtionem juſtæ, vel injuſtæ poſſeſſionis ſuo judicio competenti remittens, apud quem partes agere poſſunt : ſic tuitivæ verba inſinuant ; ibi : *Contra elle pertender algum direito* ; et ita tenet Valaſc. d. conſult. 79. n. 15. et 16. Aug. Barboſ. ubi ſupra.

XII. Adnotandum, 4. cum eodem n. 24. Quod juſtificatio ſummaria debet præcedere, ad hoc ut concedatur tuitiva tam circa poſſeſſionem impetrantis, quam circa perturbationem adverſarii citata parte, Valaſc. dict. conſult. 79. n. 14. ubi n. 12. quod debet juſtificare, ſe poſſediſſe tempore impetrationis tuitivæ : Auguſt. Barb. ubi ſup. ubi etiam quod, licet clauſula *citatis partibus* ſolita poni in tuitivis non exprimatur, tamen tacite intelligitur, et videtur expreſſa, et quod tuitivæ chartæ conceduntur ratione voluntariæ juriſdictionis, et ex mera gratia principis abſque reſponſione judicis, et citatione partis, cum agitur de manutentione, et repoſitione poſſeſſionis, ex ord. lib. 3. tit. 8. § 1. et 2. Mend. d. cap. 11. n. 3. et ſequentibus.

XIII. Adnotandum, 5. cum Portug. cit. n. 67. Tuitivam non concedi ei, qui habet poſſeſſionem ſpoliativam, vel alio modo nullam, aut violentam, doloſam, improbam, ſeu vitioſam ; vel poſſeſſorem eſſe intruſum, furem, vel prædonem ; et de hoc conſtiterit notorie, et evidenter, abſque alia diſputatione ; non erit hujuſmodi poſſeſſori danda tuitiva, ſeu manutentio, l. 1. in princ. ff. Uti poſſidet. l. *Improba*, c. de acquir. poſſeſſ. Flamin. de reſignat. l. 1. q. 6. n. 8. Roderic. de ann. redit. lib. 1. q. 17. n. 21. et ſeqq. Cancer. lib. 3. c. 14. n. 54. et 55. Gratian. cap. 870. n. 18. et cap. 899. n. 11. et deciſ. 10. n. 4. Cyriac. contr. 46. n. 11. poſt alios Ludovic. Poſth. obſerv. 42. n. 137. Tondut. de prævent. p. 2. cap. 58. n. 18. Intelligite tamen, quod ſupra dictum eſt de probatione injuſtitiæ poſſeſſionis *in continenti* facienda, ut ſcilicet in continenti facta dicatur probatio, quæ intra terminum probatorium juſtificationis tuitivæ facta fuerit, Chriſtophor. de Paz. de tenut. c. 20. n. 16. et c. 23. n. 37. et 39. et c. 30. n. 39. Poſth. d. obſerv. 42. n. 73. Cum enim impetrans juſtificare debeat preces tuitivæ coram judice nominato, et adverſario opponenti de juſtitia poſſeſſionis terminus probatorius aſſignandus ſit, quamvis ſummarius, probatio facta intra illum, *quaſi in continenti*, data cenſeri debet, et ita ſervat ſtylus.

Ita opponere poterit adverſarius impetrantem ab eo poſſidere clam, vel dolo, aut precario : quo caſu impetrans non obtinebit tuitivam d. l. 1. in princ. et § *Perpetuo*, et § fin. ff. *Uti poſſidet*. l. unica, c. eodem, § *Hodie* inſtit. de interdict. Aretin. in § *Retinendæ*, n. 4. inſtit. de interdict. Cancer. var. c. 14. n. 41. Virgin. Boccat. de manut. c. 2. ſub n. 46. et c. 3. n. 12. et c. 10. n. 6. et 7. poſt plures. Poſth. obſerv. 42. n. 162. et 170. Valaſc. conſult. 79. n. 19. Secus tamen erit, ſi poſſeſſio fuerit clandeſtina, precaria, aut alias injuſta reſpectu tertii, qui de illa non contendit ; tunc enim procedet tuitiva contra adverſarium turbantem, Valaſc. d. n. 19. Anton. Gomez in l. 45. Tauri, n. 169. Cæſar Barz. deciſ. 140. n. 31. Poſt. d. obſerv. 42. n. 169.

XIV. Adnotandum, 6. cum cit. Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 50. Quod licet tuitivæ non concedantur, niſi oſtenſo titulo vero, vel *ſaltem colorato*, ut in beneficialibus, et ſimilibus ſpiritualibus, vel quoties jus reſiſtit, ut per Valaſc. et Caſtr. proximo loco citatos ; ſenatores tamen palatii regii, qui tantum has literas concedere poſſunt, necnon judices inferiores commiſſarii, non cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt de validitate tituli, neque etiam de colore juriſdictionaliter ; ſed tantum inſpicere debent per viam facti, utrum titulus appareat notorie coloratus, ad eum finem, ut de facto poſſeſſor defendatur, vel tollendo vim, ſeu violentiam, ſpoliatus per hanc viam in poſſeſſorem reponatur. Procedit etiam in mandatis, ſeu proviſionibus de manutenendo, ſeu chartis tuitivis appellantium, de quibus lex regia dicto § 6. et in regimine ſenatorum palatii, § 116. et lib. 2. tit. 10. quæ concedi poſſunt ad tollendam vim, ſeu violentiam factam, vel faciendam per judicem eccleſiaſticum, volentem (appellatione pendente, et non recepta) ſententiam executioni mandare, condemnatumque poſſeſſione privare, quæ violentia notoria, et evidens, cognitioque, non per viam juriſdictionis, ſed facti, eſſe debet, juxta ſupra reſoluta.

XV. Adnotandum, 7. cum ipſomet Portug. n. 70. Quod etiam admittenda erit exceptio de non jure impetrantis, quando notorie, et in promptu, conſtat de dominio opponentis. Quemadmodum enim in interdicto *Undevi* non reſtituitur ſpoliatus, ſi conſtat de notorio proprietatis defectu, et dominio ſpoliantis, Innocent. cap. *Cum eccleſia Sutrina*, de cauſ. poſſeſſion. et propriet. Menoch. de recuper. poſſeſſ. remed. 1. q. 19. n. 131. Maſcard. de probat. concluſ. 1327. n. 1. Oliva de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 36. Noguer. alleg. 26. n. 338. Solorzan. tom. 2. lib. 2. c. 28. n. 70.

n. 70. Hieronym. Leo, deciſ. 24. n. 13. Garcia de nobilit. gloſſ. 12. n. 86. Anton. Gomez. in l. 45. *Tauri*, n. 183. D. Joſeph. vela differt. 49. n. 64. ſta in hoc tuitivæ remedio non habebit locum manutentio, ſi de non jure impetrantis notorie, et evidenter conſtiterit, abſque alia diſceptatione, Cancer. l. 3. c. 14. n. 54. et ſeqq. Fontan. de pact. nupt. clauſ. 7. gloſſ. 3. p. 10. n. 74. Poſt. obſerv. 42. n. 148. Quia tunc petitorium abſorbet poſſeſſorium, Roderic. de ann. reddit. lib. 1. q. 17. n. 21. Neque lex, aut rex vitioſum poſſeſſorem tueri intendit, Valaſc. conſult. 79. n. 19. et 20. Poſt. d. obſerv. 42. n. 15.

XVI. Adnotandum, 8. Quod etiam tuitiva non conceditur ei, qui habet contra ſe vehementem juris præſumptionem, et reſiſtentiam, de quo, et in quibus caſibus, videndus Aug. Barb. in d. c. *Beneficium*, n. 4. de reg. jur. in 6. Poſth. obſ. 44. n. 12. et ſeqq. Neque etiam conceditur intruſo, etiam in caſu, quod ab ordinario loci accepiſſet inſtitutionem, et poſſeſſionem beneficii in curia vacantis, et cujus proviſio Sedi Apoſtolicæ, vel ſoli Summo Pontifici reſervata erat, juxta text. in c. 2. de præbend. verb. *Si ad nos*, et in reliquis caſibus videndis apud cit. Portug. an. 72. uſque 90.

XVII. Adnotandum, 9. cum Per. cit. c. 20. n. 14. et Mend. in prax. p. 2. c. 11. § 1. n. 3. Tuitivam etiam impetrari poſſe, nedum pro violentia, aut turbatione, jam illata, ſed et pro futura, et inferenda, de qua prudenter, et probabiliter timetur; eo quod remedium tuitivæ ſit regiæ protectionis, æqualiter tendens, atque intendens, et violentias præſentes tollere, et futuris præcavere, Per. cit. cum Cevall. 4. p. q. 897. n. 464. et in hoc diſtinguitur *tuitiva* ab interdicto *retinendæ*, quod hoc prærequirat moleſtiam, et turbationem jam illatam, quæ realiter exiſtere, aut extitiſſe probetur, ex l. 1. l. 3. § ult. ff. *Uti poſſidetis.* Menoch. rem. 3. n. 468. et 559. Roland. conſ. 9. n. 28. l. 3.

XVIII. Impedimenta autem tuitivæ impetrandæ objicienda, non ſunt ſolummodo, quæ inſinuata remanent, et quod impetratio fuerit ſurreptitia, ſed etiam *omnia illa* (ait Mend. cit. n. 12.) *opponi poſſunt, quæ poſſeſſionem impetrantis enervant, et ipſum incapacem tuitionis eſſe oſtendant; veluti, ſi adverſarius vi, vel precario poſſideat, ut dixi, vel ſi de defectu tituli objiciatur in iis, quæ ſine titulo poſſideri nequeunt, vel de ſurreptione impetrationis, quod mentionem non fecerit de ſententia lata in favorem adverſarii ſuper poſſeſſorio, vel circa alia, quæ concernunt dilatoriam exceptionem; de iis enim, et aliis, in quibus ſurreptio committi poteſt, recte opponitur, Valaſc. conſult. 79. n. 19. Pereira de manu regia, 1. p. cap. 21. n. 17. verſ. Confirmantur.*

Denique, n. 13. ibid. adducit id. Mend. ſequentem *Praxim poſt obtentam tuitivam*, inquiens, quod iſta charta tuitiva à ſenatu maximo obtenta præſentatur coram ſenatoribus regiæ coronæ, et pars contraria citatur, et auditur, et ſummarie procedunt, ut per Gabriel. Pereira de man. reg. cap. 21. n. 16. quia iſta tuitiva aſſimilatur interdicto, quod practici (interim) appellant, in quo tantum ſummaria cognitio adhibetur ad hujus interdicti pronuntiationem, ut per manſuetum, titul. de poſſeſſorio, n. 24. Covarr. pract. p. 17. n. 3. verſ. Tertio.

Judex autem pronuntiare debet, ut adverſarius deſiſtat ab omni moleſtia, et inquietatione, et deinceps in futurum non moleſtet, nec perturbet, ut in l. 1. in princip. et in § *Eſt igitur*, et in § *Illud*, et § *Interdictum*, ff. *Uti poſſidet.* Et addit ibidem, non dari chartam tuitivam excommunicatis pro debito, quod debetur prælatis, aut capitulis, ordin. lib. 2. tit. 9. § 6. et lib. 2. tit. 10. § 1. et n. 9. cit. § 1. animadvertit, quod etiam tuitiva conſervatoria non concedatur, ſi pars non poſſedit per triginta dies, ut ex praxi hujus regni tradit Per. cit. c. 21. n. 19.

Sect. V.

Adnotantur, quæ deſiderantur pro tuitiva appellatoria.

XIX. Et, 1. ex cit. Mend. n. 7. Ad tuitivam appellatoriam conſequendam, requiri in praxi, quod impetretur intra annum, Cabed. deciſ. 76. quia elapſo anno tranſit ſententia in rem judicatam, nec ejus executio retardari debet, tradit Per. de man. reg. cap. 21. n. 19. verſ. ult. *Quæſtio eſt*; ſed id non procedit in tuitiva conſervatoria, qua ſemper rex occurrit, ne moleſtia, vel vexatio detur.

2. Quod tuitiva appellationis non habet locum in iis caſibus, in quibus appellatio non habet effectum ſuſpenſivum. Per. cit. c. 22. n. 43. Cui accedit Portug. cit. c. 33. n. 32. qui n. 38. addit, quod appellatio à proviſione, collatione, vel inſtitutione beneficii, non habet effectum ſuſpenſivum, quando proviſio fieri jubetur extrajudicialiter; ſecus, ſi judicialiter; et n. 40. limitat de jure noviori, in proviſione parochialium, à qua appellatio interpoſita non ſuſpendit; quod intelligendum dicit, ut n. 41. videndo.

3. Quod etiam non concedatur contra tertium, qui appellantem ſpoliavit; quia tuitiva ſolum reſpicit litigantes. Per. cit. c. 22. n. 39. et 40.

XX. 4. Quod tuitiva conceſſa certæ perſonæ non proderit, quoad alios, ut tenet cit. Per. c. 21. n. 18. licet contrarium teneat Valaſc. conſ. 76. n. 13. Reliqua vide apud cit. AA. et apud Themud. 2. p. dec. 162. et alibi.

XXI. An autem admittatur appellatio à pronuntiatione tuitivæ, vide apud Valaſc. conſ. 79. n. 5. uſque 18. Cabed. 2. p. dec. 71. in fin. Peg. for. c. 15. n. 183. ubi tenent reſolutionem affirmativam ex ord. l. 3. tt. 48. ſecundum æſtimationem litis, quæ fieri debet, juxta ord. l. 3. tt. 70. § 9. et 10. Ita Cabed. cit. n. 3. de quo etiam 1. p. dec. 76.

An vero concedatur tuitiva appellatoria, quando cauſa commiſſa eſt cum clauſula *appellatione remota*, et in quibus caſibus, vide in cit. Portug. c. 33. à n. 33. Salgad. de prot. reg. p. 3. c. 6. n. 76. A. Barb. clauſ. 9. n. 10. Creſp. obſ. 69. n. 22. Sanfelic. dec. 261. et aliis, de quo etiam c. ſeq.

XXII. Praxim autem procedendi contra judices eccleſiaſticos, quando conceditur tuitiva appellatoria poſt appellationem, tradit cit. Mend. d. § 1. n. 5. dicens: Si judex eccleſiaſticus nonvult deferre appellationi, et pro executione multis afficiat reum cenſuris, et gravaminibus, conqueritur ſimplici querela coram ſenatoribus regiæ coronæ, à quibus præcipitur tabellioni ſub certa pœna, quod intra breve tempus mittat ad curiam acta cauſæ, et proceſſum, et cogatur judex eccleſiaſticus, ut abſolvat excommunicatum ad aliquot dies, qui ſufficiant miſſioni, et examinationi proceſſus, *Barboſa de jure eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 39. § 2. n. 180.* Quod ſi contumax judex ſit, dantur ſecundæ literæ, et tertiæ; et viſo proceſſu in ſenatu, illud agitur, an juſte judex deferre voluerit appellationi; et ſi compertum ſit, appellationem eſſe frivolam, cauſa ad eundem remittitur; ſi autem juſta viſa fuerit appellatio, tollitur illa vis, et injuria, quæ adverſus ſacros canones, et auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, fit appellanti ad eandem; et præcipitur illi judici, quod appellationi deferat, et abſolvat excommunicatum, omnia, quæ acta poſt appellationem, retractet, et reducat in eum ſtatum, in quo erant tempore appellationis, et ſententiæ, tunc cum certitudine iſtius deciſionis ſupplicans in ſtatu impetrat tuitivam, ut non moleſtetur, nec perturbetur à ſua poſſeſſione per appellatum, vel alios quoſcunque, Valaſc. ubi ſupra, n. 13. Cald. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 25. pag. 29. vel etiam ut reſtituatur ad poſſeſſionem, à qua dicit ſpoliatum, ord. lib. 1. tt. 3. § 6. argument. text. in cap. *Regum*, 23. quæſt. 5. et ex iis, quæ tradit Michael Agia de exhibendis auxiliis, 27. fundamento verſic. erga oppreſſos in regno Aragoniæ hæc tuitiva *firma* appellatur, de qua Cenedus, collecta 17. n. 20. ad decretal. Molinus in reportorio fororum Aragoniæ, verb. *Firma.* Hæc Mend. cit.

Sed de hac praxi, et de reliquis remediis appellationis attinentibus, infra, c. 25. ſuſe agetur. Hic obiter tamen recole reſoluta ſuperius, c. 22. et c. 23. ubi quamplurima ſtatuimus pro licitudine ex conſuetudine quoad conſimiles praxes, et ſignanter n. 16. d. c. 22. *Quod ſolæ concordiæ regis Dionyſii cum clero celebratæ, et à Sede Apoſtolica ſpecialiter approbatæ, licitam conſuetudinem inducere valuerunt, quoad eas duntaxat, quæ canonicæ erant:* et n. 31. c. 23. quod conſue-

conſuetudinum in regiis ordinationibus contentarum, et à Sede Apoſtolica approbatarum, minime fieri poſſit extenſio, neque ultra earum terminos, neque ad alios caſus, præſertim non canonicos, neque à Sede Apoſtolica ſimiliter approbatos, et reliqua omnia fuſe, ac ſolide præcitato duplici capite per totum, et ſignanter duplici quæſtione, d. c. 23. an. 19. per multiplices reſolutiones ſtabilita. Ex quibus radicitus pullulat, ac firmatur adverſus illam praxim duplex ſequens ———

Concluſio 1.

XXIII. Senatores regii concedentes tuitivam appellatoriam parti appellanti legitime, nequeunt jubere judici eccleſiaſtico, ut appellationem concedat, vel ut eam quoad utrumque effectum, devolutivum, ſcilicet, et ſuſpenſivum, recipiat; ſed dumtaxat providere debent, ne judex eccleſiaſticus, appellatione pendente, et tempore proſecutionis currente, ad ulteriora procedat, vel ſententiam exequatur. Ita Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 23. et 25.

Prob. 1. Quia, ſi id liceret ſenatoribus regiis, vel eſſet ex vi juriſdictionis, quam haberent in judices eccleſiaſticos, vel ex vi legis regiæ in privilegio, vel in concordia aliqua approbata fundatæ: atqui ex neutro capite licet: ergo. Prob. min. quoad 1. partem: Quia judices laici nullam in eccleſiaſticos judices juriſdictionem retinent, neque in eos ullam valent exercere, ut ſæpe ſæpius probatum remanet, præſertim c. 13. et 31.

XXIV. Prob. eadem min. quoad 2. partem: Quia diſpoſitio legum regiarum ſuper hac re in concordiis approbatis, vel in privilegio, aut etiam in rationabili conſuetudine approbata fundatarum, non eſt quod regii ſenatores aulici tuitivas chartas concedentes judicibus eccleſiaſticis appellationes, quoad utrumque effectum recipere; ſed præciſe duntaxat, *Ne à ſua poſſeſſione dejiciantur, vel ut ad illam reducantur, ſi contingat poſt appellationem ſpoliari*; ut ſtatuitur l. 1. tt. 3. § 6. juxta tranſcriptionem Per. cit. c. 20. n. 2. et in regim. ſenat. palat. § 116. ibi: *Expedient chartas, ne a ſua poſſeſſione expellantur, et ut manuteneantur, durante dicta appellatione.* Pariformis eſt diſpoſitio lib. 3. tt. 85. § 1. et l. 2. tt. 1. § 2. et tt. 10. in princ. ibi: *In caſu, quo appellare poſſunt, et antequam proſequendæ appellationis terminus finiatur, ſupplicaverit chartam, ne, appellatione pendente, adverſus eum per noſtras juſtitias procedatur*, &c. Et eod. tt. § 1. *diſponit pariformiter in eiſdem circumſtantiis, quod parti tempore apto legitime appellanti, idque per inſtrumentum probanti, expediatur charta tuitiva appellatoria in forma*; id eſt, in forma immediate ſuperius, et alibi præſcripta.

Deinde concordia, quæ hac de re circumfertur (et eſt, quæ continetur art. ult. inter concordias regis Joannis I. ex qua diſpoſitio præfatarum regiarum legum deducta eſt) nil pro tali præcepto inſinuat, ſed ſimpliciter refertur ad antiquam conſuetudinem, quæ utique erat præciſe in terminis præjactarum diſpoſitionum: atqui ſenatores palatini, et alii judices regii, terminos prædictarum legum, et conſuetudinum præſcriptos non poſſunt excurrere, neque ultra illos per novam aliam conſuetudinem tranſilire, juxta ſuperius reſoluta, c. 22. et c. 23. ergo, &c.

XXV. Prob. 2. eadem concluſio, 1. ex combinatione, atque collatione cum diſpoſitione legum Hiſpanicarum, de quibus Oliv. cit. q. 17. n. 24. ibi: *Minus bene videntur conceptæ leges Hiſpaniæ, dum ſtatuunt, cogendos eſſe judices eccleſiaſticos ad recipiendas appellationes, quarum verba tranſcribit Cevall. de viol. gl. 1. n. 6. et ſecundum hanc legem vidi aliquando in tribunali regio coronæ Luſitaniæ pronuntiatum, quod defendi minime poteſt; quicquid idem Cevall. gloſſ. 7. n. 4. et alibi paſſim ſibi contrarius, Oliban. de jure fiſci, cap. 11. n. 54. Covarr. pract. cap. 35. n. 3. et aliqui Hiſpani prædictam legem defendentes, dicant judicem eccleſiaſticum violentiam facere, non recipiendo appellationem juſtam; et tunc per principem ſæcularem procedi poſſe contra judicem eccleſiaſticum, ut recipiat; niſi hoc intelligatur, quoad effectum, hoc eſt, ut provideatur, ne ad ulteriora judex à quo procedat, et ea, quæ procedendo egerit, in priſtinum reponantur ſtatum, ac ſi appellatio recepta eſſet. Rectius ergo ſtatuit lex regia Luſitana, merito laudanda, circa tuitivas chartas appellantium concedendas, lib. 2. tit. 10. in principio; præcipiens miniſtris regiis, ut provideant, ne judices eccleſiaſtici, pendente appellatione, et tempore proſecutionis, ad ulteriora procedant, in eo caſu, in quo appellatio recipi debuit.*

XXVI. Ex quibus aperte conſtat, quod leges regiæ Luſitanæ, utpote poſteriores, præcedentium legum Caſtellæ veſtigia inſequentes, quamvis prioribus conformarentur quoad manutentionem, ac protectionem per chartas tuitivas, ne appellantes, legitima appellatione pendente, à judicibus eccleſiaſticis ſpoliarentur, vel opprimerentur; quoad hanc tamen circumſtantiam jubendi, ut appellationes illorum admittant, vel recipiant, omnino ab eis, et recte quidem, deflexerunt, atque difformatæ ſunt, ut bene obſervat cit. Oliv. dicens: *Rectius ergo ſtatuit lex regia Luſitana:* atqui non ex alio capite, niſi quia judices laici, nec valide, nec licite, id judicibus eccleſiaſticis præcipere poterant, eo quod nulla in eos polleant juriſdictione: ergo, &c.

Confirmatur efficaciter hæc intelligentia ex ipſomet cit. Per. agnoſcente quidem, et fatente, c. 21. n. 31. *Non tamen in hac ordinatione eſſe cautum, ut appellatio concedatur, de quo eſt lex Caſtellæ* 36. *tt.* 5. *lib.* 2. *et videtur ex hac noſtra lege non perfecte violentiam tolli, cum appellationem concedere non jubeat, ſed tantum contenta ſit, quod appellans interim non gravetur, nec capiatur, nec aliæ excommunicationis pœnæ ab ipſo exigantur.*

Et infra, n. 32. ſic plane proſequitur: *Quoad ſecundum effectum tuitivæ pariter non videtur in hac lege plene proviſum, cum videam, quod cum violentia detur, quam princeps inter ſubditos tollit, tamen his caſibus non jubet, ut, ſi forte appellans excommunicatus fuit, tollatur excommunicatio, vel quod revocentur attentata, prout in d. lege Caſtellæ ſatis proviſum eſt; ibi: Quæ verba omnia attentata poſt appellationem revocanda eſſe decernunt, lex autem regia utitur illis verbis:* E lhe ſera paſſada carta para nao ſer tirado de ſua poſſe, e ſer mantido nella: *quæ manutentionem tantum important.*

XXVII. Prob. 3. ex doctrina ipſiuſmet Per. cit. c. 20. ſub n. 14. § et *è converſo*, ubi ex quodam caſu judicato docet, judices tuitivæ intra limites violentiæ tollendæ præciſe continendos fore, et reliqua ad judicium eccleſiæ, cui ſpectant, diſcutienda remittant: ergo cum violentia tota ſtet in ſententiæ executione, ſeu proceſſu ad ulteriora, pendente appellatione; ſi hoc præciſe impediatur, perfecte tollitur violentia; proindeque, quatenus Per. cit. aſſerit, *Videri non perfecte per has leges violentiam tolli, cum non jubeant, ut appellatio concedatur; minus bene dixit* (ait Oliv. cit. n. 25.) *quia cautiſſime leges regiæ hoc omiſerunt, cum vis tota conſiſtat in executione, ſeu proceſſu ad ulteriora: unde, ſi hoc tollatur, perfecte violentia tollatur, perfecte violentia tollitur*, &c. Sed de hoc iterum infr. c. 27. et 28.

XXVIII. Confirmatur ex doctrina Oliv. cit. q. 17. n. 22. ibi: *Violentia, per cujus viam ad principem recurri poteſt, non conſiſtit in pronuntiatione, qua judex eccleſiaſticus appellationem rejicit; ſed dum, ea non obſtante, ad ulteriora procedit, vel ſententiam executioni mandat, vel mandare intendit; hoc enim tantum concludunt jura citata pro hac ſententia, et rationes adductæ, et aſſerit Cevall. de cogn. per viam viol. gloſſ. 1. n. 7. verſic. 8. Deducitur, et n. 31. et gloſſ. 6. à principio, et gloſſ. 7. Seſſe, deciſ. 114. n. 4. quia judex eccleſiaſticus, ut judex pronuntiat; non recipiendo ſecundum ſuum arbitrium, quoties ſaltem in arbitrio ejus poſitum eſt, ut in ea appellatione, quæ ut frivola rejicitur: nullamque vim facit in proferendo arbitrio, cum ad ejus juriſdictionem hoc ſpectet: et juriſdictionem habeat, quod oſtenditur ex iis, quæ oſtendimus in quæſt. 1. in primo membro, etiam in p. 1, 2. membri; nec in his terminis datur locus reſiſtentiæ, jurique defenſionis, de quo mentionem fecimus.*

Et n. 23. ſic proſequitur: *Unde non poteſt princeps ſæcularis, ſeu ejus tribunal, cogere per viam violentiæ judicem eccleſiaſticum, ut appellationem recipiat; hoc enim libertatem, juriſdictionemque offendit eccleſiaſticam, quia*

quia cogit eundem judicem ad judicandum ſic vel ſic in cauſa eccleſiaſtica, ſeu ejus incidenti; quod omnino fieri non poteſt, ſed per legitimos modos impedire debet, ne, pendente appellatione, ad ulteriora procedat, neve ſententiam exequatur, ſeu alias facere, ut ipſe judex reponat rem in eo ſtatu, in quo erat tempore appellationis, vel pronuntiationis, quouſque apud legitimum eccleſiaſticum ſuperiorem cauſa appellata decidatur, quia tunc judex eccleſiaſticus, tanquam privatus, ſine juriſdictione procedit.

Ex qua doctrina, quæ etiam aliorum eſt, ſic ſubſumo: Atqui ſolum id tolli debet, in quo violentia evidens, et manifeſta conſiſtit: ergo ſi hæc non ſtat in rejectione appellationis legitimæ, ſed in procedimento ad ulteriora, vel ad ſententiæ executionem, appellatione non obſtante; providere debent dumtaxat ſenatores regii, ne ad ulteriora procedant eccleſiaſtici judices; minime vero, ut appellationem recipiant.

XXIX. Confirmatur, 2. Quia à judice judicialiter procedente, et appellationem judicialiter rejiciente, licet injuſte procedat, non datur interdictum *Undevi*, ut tenent Oliv. q. 16. n. 4. ex c. *Conquerente*, de reſtit. ſpol. Gabr. com. 1. 5. de reſt. ſpol. cl. 2. n. 123. lim. 14. Menoch. recuper. rem. 8. n. 3. Seſſ. ep. n. 8. et dec. 114. à n. 25. Per. de man. reg. c. 4. n. 7. Neque pars illi manu propria, et privata, reſiſtere poteſt, cum id nequeat efficere, niſi cum moderamine inculpatæ tutelæ; ad quod moderamen equidem pertinet, quod iterum appellet ab illa appellationis rejectione, vel non receptione, quoad utrumque effectum, v. g. quod quidem facile patrare poteſt, et abſque incommodo; juxta inferius ſtatuenda: qui ſecundum doctrinam Per. cit. n. 12. § *Cumque princeps, Tuitiva ſpecialiter conceditur illi ſpoliato, qui ſuam recuperare poteſt poſſeſſionem propria auctoritate*, ord. l. 4. tt. 58. § 3. Menoch. recup. rem. 1. n. 384. rem. 9. n. 170. Valaſc. conſ. 88. n. 5. et c. 21. n. fin. Idem Per. agens de tuitivis appellatoriis, ſic ait: *Quod recurrentes his caſibus manifeſtæ violentiæ ad regia tribunalia licite faciunt, et ſine cenſurarum incurſu, cum propriam defenſionem intendant, implorata regis manu, in caſu, in quo propria ſe defendere poſſent, Seſſe de inhibition. § 4. cap. 8. n. 140. cum eo caſu omnia fiant in reverentiam Sedis Apoſtolicæ, ne recurſus ad Pontificem impediatur; explicat Corduba in tract. de caſoſ. cap. 35. Vilvaldus in candelabro, 2. p. in explicatione bullæ, cauſ. 16. n. 114. Bobad. lib. 2. cap. 18. n. 139. Gartia de nobilit. gloſſ. 9. à n. 46. Seſſe ubi ſupra, n. 83. et pro hac parte ſæpe in Rotta judicatum dicit Pariſ. conſ. 172. vol. 4. et deciſio Achilles, 36. de appell. in impreſſis refert Mandoſ. commiſſ. dec. n. 14. formula verbo revocandi, et judicatum à Farinacio refert Seſſe, d. c. 8. § 3. n. 184. plura in confirmationem adducit Cevallas, 4. p. q. 897. n. 136. et 138. Bobad. d. cap. 18. n. 146.*

XXX. Dices, 1. Concordiæ regni Luſitani celebratæ inter regem Dionyſium, et clerum, ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ commiſſione, approbatæ quidem fuerunt ab eadem Sede Apoſtolica, *quatenus canonicæ forent*, id eſt, ſacris canonibus conformes, ut conſtat ex breve ipſo Gregoriano ſupr. tranſcripto, c. 22. et 23. Atqui concordia regis Joannis I. art. ult. quoad tuitivarum chartarum expeditionem in favorem appellantium, et quoad proceſſum, et compulſionem adverſus judices eccleſiaſticos legitimis appellationibus deferre contemnentibus, eſt juri canonico conformis, ut patet ex c. *de priore*, de appellat. ergo praxis, et conſuetudo ex illa orta, utpote canonica, tenenda, et ſervanda eſt.

Reſp. 1. Solas concordias regis Dionyſii, et non regis Joannis I. reperiri ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ commiſſione celebratæ, et ab eadem, *quatenus canonicæ fuerint*, approbatæ. Reſp. 2. diſting. min. Quoad proceſſum, et compulſionem faciendam à judice laico, nego; à judice eccleſiaſtico, et apoſtolico, ſubdiſtinguo; quoad compulſionem ad recipiendam appellationem, nego; ad adeundam Sedem Apoſtolicam de tanto exceſſu ſatisfacturum, concedo. Patet ſolutio, tum ex caſus figurali narrativa, *quo canonicus quidam regularis ab exceſſu notabili prioris ſui ad Sedem Apoſtolicam appellans, prior, non obſtante appellatione, proceſſit enormiter contra illum: unde Papa mandavit cuidam judici (Apoſtolico ſubintellige) ut compelleret ipſum priorem ad Apoſtolicam Sedem cum literis veritatem continentibus venire, ſatisfacturum de tanto exceſſu.* Ut formaliter in ipſomet textu continetur: *Ad Sedem Apoſtol. appellavit, et ipſe tali appellationi deferre contempſit, eum cum literis tuis veritatem continentibus, de tanto exceſſu ſatisfacturum ad Sedem Apoſtolicam venire compellas.* Nota etiam illud *deferre contempſit*; quod quidem de non delatione deſpotica, et contemptiva, non vero de judiciali, et rationabili loqui conſpicitur; tum ex ſupr. traditis.

XXXI. Dices, 2. pro Per. cit. c. 21. n. 33. Quod mens legis regiæ ea eſſe videtur, quod appellans manuteneatur, et, ſi forte contigerit expelli, reſtituatur per regiam manum. Reſp. Etiam in tuitiva appellatoria reſtitutoria, ut manuteneatur, et protegatur appellans, non eſt neceſſe jubere, ut judex eccleſiaſticus appellationem recipiat, ſed ſufficere providere, quod in caſu rejectæ appellationis, vel ad ulteriora non procedat, vel, ſi proceſſerit, reſtituatur pars, et reponatur cauſa in eodem ſtatu rejectæ appellationis ante aliud ulterius procedimentum, præſertim, cum pars ab ipſamet rejectione ſuæ appellationis facile appellare poſſit, et, hac nova appellatione pendente, facilius provideri per tuitivam conſervatoriam, ne, hac appellatione pendente, gravetur, aut deturbetur.

XXXII. Confirmatur ſolutio: Quia tuitivæ, vel conſervatoriæ, vel reſtitutoriæ, conceduntur adverſus judices eccleſiaſticos in caſibus dumtaxat violentiæ, et quidem qualificatæ, videlicet manifeſtæ, notoriæ et evidentis: atqui ſi judex eccleſiaſticus, licet appellationem rejiciat, ad ulteriora non procedat, nec vim ſimpliciter incutit effective, et multo minus violentiam notoriam: ergo, &c. Minor probatur expreſſe ex terminanti doctrina Oliv. cum aliis cit. q. 17. ſub n. 23. ſic ait: *Unde, ſi judex eccleſiaſticus, licet appellationem rejecerit, ad ulteriora non proceſſerit; nec vim facit cum effectu; nec ad aliquid per hanc viam cogi poteſt; ac per conſequens minus bene videntur conceptæ leges Hiſpaniæ, dum ſtatuunt, cogendos eſſe judices eccleſiaſticos ad recipiendas appellationes, quarum verba tranſcribit Cevall. de viol. gl. 1. n. 6.* Et confirmatur ex doctrina ejuſdem, et aliorum ſupr. n. 28. et 29.

XXXIII. Dices, 2. pro eod. Per. cit. c. 21. ſub n. 23. Licet praxis illa jubendi judici eccleſiaſtico, *quod appellationi deferat, omniaque acta poſt appellationem retractet, ſit exceſſiva, et ultra terminos regiæ legis, hac præciſe ſpectata; attamen ſpectato fine, et officio principis, ex quo de violentia denegatæ appellationis cognoſcit, poteſt ex jure, et conſuetudine, quæ dat juriſdictionem, Cevall. cit. n. 252. ad illum finem omnia diſponere, et ordinare, ne impediatur cognitio judicis ad quem, qui contemnitur, et injuria afficitur ab eo, qui innovat, dum ſententiam ſuperioris non expectat; proindeque revocari poſſe videtur à principe omnia, quæ vergunt in præjudicium appellationis.*

Reſp. 1. Judices regios, nec valide, nec licite, poſſe conſuetudine, quantumvis generali, ultra terminos in concordiis, ac legibus regiis præſcriptos progredi, ac tranſilire, nec contra facientes realem cenſurarum juris incurſionem evadere, ſaltem pro foro externo, ut ſatis ſuperque demonſtratum eſt, c. 22. et c. 23. n. 24.

XXXIV. Reſp. 2. allatam rationem retorquendo: Nam cum officium principis ſit violentiam tollere præciſe, illud dumtaxat tollere debet, in quo præciſe ſtat violentia; quæ quidem, juxta ſuperius tradita, non conſiſtit in rejectione appellationis, ſed in proceſſu ad ulteriora, ea non obſtante. Deinde etiam *ſpectato fine appellationis*, ne ſcilicet judicis ad quem cognitio, et ſententia impediatur, ſufficienter providetur, ne pars moleſtetur ulteriori procedimento gravoſo, et cauſa appellationis ad priſtinum ſtatum reſtituatur, quoad à judice ad quem finiatur, juxta ſuperius inſinuata, quin neceſſe ſit expreſſe, et formaliter jubere, ut judex eccleſiaſticus appellationem reapſe recipiat; per hoc enim eccleſiaſticam libertatem utique lædunt, et juris cenſuras conſequenter incurrunt.

Unde Oliv. cit. q. 17. n. 25. ſic eos admonet: *Caveant judices regii, ne in hunc modum excedant, cogendo judices eccleſiaſticos, ut recipiant appellationem;*

ſed

ſed legem ſervando regiam: provideant, ne (pendente appellatione, etiam non recepta in eo caſu, in quo notorie conſtet, eſſe recipiendam) ad executionem ſententiæ appellatæ procedatur, reſque in priſtinum ſtatum reponatur; aliter enim libertatem infringent eccleſiaſticam: cenſuram bullæ Cœnæ non effugient.

Concluſio 2.

XXXV. Si judex eccleſiaſticus nonvult tuitivæ appellatoriæ annuere, appellationem non recipiendo, neque excommunicatum abſolvendo, ſecundum praxim præjactam à Mend. cit. c. 11. § 1. n. 5. nequeunt judices regii adverſus illum per ſubtractionem temporalitatum procedere, neque alia pœna, aut procedimento temporali, præter in præfatis regiis legibus taxatum, atque præſcriptum. Ita DD. infra citandi, c. 39. et 40.

Prob. 1. Eiſdem fere fundamentis, atque præmiſſa 1. concluſio; et ſignanter, quia in laudatis legibus, non alia pœna, aut procedimentum deſignatur, niſi quod, *pendente appellatione, contra appellantem per juſtitias ſæculares procedatur, nec capiatur, aut vitetur, aut ab eo pœnæ excommunicatis impoſitæ exigantur*, ut expreſſe diſponitur lib. 2. ordin. tt. 10. in princip. et § 1. et l. 1. tt. 9. § 12. ibi: *Jubebunt juſtitiis noſtris, ne tales perſonas evitent, nec ab eis pœnas excommunicatis impoſitas exigant, eo quod ſemper id conſuetum fuerit, nec aliud medium remanet, ne juriſdictio noſtra uſurpetur.* Nota duplicem hanc rationem de generali, et antiqua conſuetudine, et de alterius medii non aſſiſtentia, ſive totali defectu. Ex quibus convincitur, neque aliam antiquam conſuetudinem extitiſſe; neque aliud reſtare medium, aut procedimentum temporale adverſus judices eccleſiaſticos, tuitivis chartis non parentes, nec illas ſervantes.

XXXVI. Confirmatur ex conſimili diſpoſitione tt. 12. ejuſd. l. 1. § 6. ibi; ſecundum tranſcriptionem Gabr. Per. de man. reg. c. 12. n. 1. *Quando judices eccleſiaſtici non deſtiterint ab occupatione regiæ juriſdictionis, judices noſtræ coronæ expedient chartas in favorem eorum, qui gravati proponuntur, quibus ab eis deprecabuntur, ne contra eos procedant, exprimentes, quod illis caſibus ad nos juriſdictio ſpectat; jubebuntque inſimul regiis magiſtratibus, ne eorum mandata ſervent, tanquam incompetentium judicum, nec ſubditos regis evitent, nec capiant cenſurarum occaſione, nec ab illis pœnas excommunicatis inſordeſcentibus impoſitas extorqueant, nec obſervent, nec exequantur tales ſententias. Quodſi prælati eccleſiaſtici, vel judices literis rogatoriis non deferentes ad ulteriora proceſſerint, nec à cenſuris deſtiterint, vel proceſſibus inchoatis; nos tanquam rex, et dominus, eos vocabimus epiſtola, noſtra manu ſignata, ſi extra curiam degant, vel per nuntium, quando in curia reſideant, ut coram nobis compareant, rationem reddituri, cur noſtram juriſdictionem uſurpant, et ut ſuper eo de jure ſuo doceant coram noſtris aulicis ſenatoribus cum judice, et procuratore regio, qui de jure utriuſque partis diſſerant, et diſputent; quodſi tandem judex eccleſiaſticus non agnoverit noſtram eſſe juriſdictionem, nec deſtiterit ab inceptis, dicti ſenatores cauſam decident; quodque ab illis noſtro nomine ſancitum fuerit, obſervabitur.*

XXXVII. Prob. 2. eadem 2. concluſio: Quia adverſus prælatos, et reliquos judices eccleſiaſticos, non proceditur ad occupationem temporalitatum, ex præſcripto ordinat. regiæ, niſi in caſu uſurpatæ regiæ juriſdictionis, ſi non pareant, atque exequantur ultimum ſenatus aulici conſultum, atque finalem reſolutionem, ut tenent DD. infra citati, non vero in caſibus non receptæ, aut rejectæ appellationis, de quo infr. c. 39. et 40. fuſe agetur: ergo, &c.

DISTINCTIO II.

De Recurſu ex c. Notoriæ Violentiæ in Denegatione legitimæ Appellationis.

CAP. XXV.

De Illicitudine, vel Licitudine Recurſus, nulla intercedente Appellatione.

SUMMARIUM.

I. *Quid ſit* appellatio; *et quæ extrajudicialis; et quando interponi poſſit.*

II. *Appellare nequit verus contumax, nec ſententiam etiam tacite approbans, nec debitum fatens.*

III. *Ex jure can. potius æquitatem, quam rigorem reſpiciente, ab omnibus ſententiis licet appellare, eſto ex jure Cæſareo à ſolis definitivis, à quibus etiam dumtaxat, vel à locutoria vim definitivæ habente, ex Tridentino ab ordinariis appellandum.*

IV. *Judex eccleſiaſticus deferens appellationi frivolæ quoad utrumque effectum, peccat, et violentiam infert notoriam juri partis (ex Themud.); qui tamen non inhibetur recipiens appellationem cum clauſula,* Si, et in quantum.

V. *Recurſus, nulla intercedente appellatione, ad ſæcularia tribunalia intentatus, eſt illicitus recurrentibus; excipe recurſum ex regiæ juriſdictionis uſurpatione.*

VI. *Recurſus eſt remedium extraordinarium, et ſubſidiarium; et non adhibendum, omiſſo ordinario.*

VII. *Conſtat ex jure, et ab auctoritatibus.*

VIII. *Adducitur auctoritas* P. de Marca, *et pro Galliæ ſtylo.*

IX. *Confirmatur ex legibus Caſtellæ, et ex praxi totius Hiſpaniæ.*

X. *Et ex legum Luſitanarum diſpoſitione, concordiis, et ex ſeria piiſſimorum regum intentione, non recurſum generaliter, ſed reſtricte, inducere volentium.*

XI. *Ad moderamen inculpatæ tutelæ, in vi licite repellenda per viam recurſus, pertinet, quod prius appelletur, ſi abſque gravi incommodo fieri poſſit.*

XII. *Sicut ad idem moderamen attinet, quod repulſio privata fiat in* continenti.

XIII. *Sicut et, ut violentia ſit qualificata, notoria ſcilicet, et undelibet manifeſta; et non ſufficit violentia dubia, neque injuſtitia notoria.*

XIV. *Sicut repulſio vis eſt juris naturalis, ita et immunitas eccleſiaſtica, quæ quidem notoria eſt; et, ut contra illam agatur remedio extraordinario, et ſubſidiario, requiritur notorietas remedii ordinarii exhauſti.*

XV. *Licitudo recurſus ſimpliciter, eſt dubia ex opinionibus utrinque contrariis; et adeſt opinio probabilis pro hoc exhauſtu remediorum ordinariorum, proindeque practice tenenda, ut favorabilior eccleſiæ, et recurſum evacuans.*

XVI. *Nulla intercedente appellatione, non datur rigoroſa ratio* vis, *vel* violentiæ, *in injuſtitia, etiam notoria, judicis eccleſiaſtici, cum per appellationem facile reparari poſſit.*

XVII. *Solvitur argumentum Oliv.*

XVIII.

XVIII. *Licet jus naturale vim repellendi non reſtringatur legibus appellationum, reſtringitur tamen multipliciter pars, illo uti volens.*

XIX. *Imo in aliquibus jus oppreſſi ad ſe defendendum, eſt fortius, et ampliatius, quam principis ad ei per viam recurſus providendum.*

XX. *Detentator abſque jure dominii in re, et abſque vera poſſeſſione, poteſt manuteneri à rege, nulla intercedente appellatione, per viam* tuitivæ, *quæ eſt remedium interinum, et reſpiciens nudum factum ſimplicis poſſeſſionis; non vero per viam* recurſus, *qui eſt remedium* ſubſidiarium, *et prærequirens realitatem, et notorietatem violentiæ præſentis certæ, et non futuræ, aut probabilis tantum.*

XXI. *Ex non ſervato jure naturali, recurritur ad regem, nulla interveniente appellatione, quando hæc vel non poteſt, vel non commode interponi, et judex ex abrupto, et præcipitanter procedat, de quo remiſſive.*

XXII. *Suppoſita illicitudine præfati recurſus, quoad recurrentes, ita conſequenter illicitus evadit quoad cognoſcentes, et providentes, ex multiplici fundamento.*

XXIII. *Et ex illicita cooperatione, ut extrinſece probatur.*

XXIV. *Et à paritate fulminationis cenſurarum bullæ Cœnæ, præſertim can.* 14. *et à paritate aliarum cooperationum.*

XXV. *Nec regios judices excuſabit à culpa, et pœnis, uſus cognoſcendi per viam recurſus, nulla intercedente appellatione.*

XXVI. *Sæpe ſenatus rejicit recurſus intentatos, non exhauſtis remediis ordinariis, et non ſufficienter inſtructos.*

XXVII. *Sicut rejicitur recurſus in appellatione fundatus, ſi de ea non edoceat, ita ſi non doceat de remedio ordinario prius adhibito.*

Sect. I.

Prælibantur aliqua pro quidditate, et diſtinctione appellationis.

HOC appellationis remedium introductum à jure fuit, 1. Ad removendum gravamen injuſte illatum, cap. *Suggeſtum* in fin. hoc tit. 2. Ne læſus ex propria ignorantia, vel negligentia, damnum ſentiat; ideoque ea, quæ coram judice prioris inſtantiæ non probavit, vel allegavit, probare poſſit, vel allegare, coram alio judice, l. *Prolatum*, cod. de temp. appell. et cap. *Cum Joannes*, de fid. inſtrum. 3. Ut iniquitas, vel imperitia unius judicantis corrigatur ab alio judice, l. 1. in princ. ff. *De appell. et relat. Licet* (ſunt verba textus in dicta lege 1.) *nonnunquam bene latas ſententias in pejus reformet: neque enim utique melius pronuntiat, qui noviſſimus ſententiam laturus eſt.*

I. Definitur ergo *appellatio*; *Ab inferiore judice ad ſuperiorem facta provocatio, ut is de ea re amplius cognoſcat, et prius pronuntiatum corrigat, vel in melius reformet.* Hæc definitio deſumitur ex l. 1. § *Siquis*, ff. hoc tit. et affertur à Donello lib. 24. comment. cap. 4.

Ex hoc autem, quod appellatio ſit *provocatio* à judice inferiore ad ſuperiorem, inquit Gaſparr. inſt. can. tt. 10. p. 3. n. 4. oculare fit, appellationem, quam dicunt *extrajudicialem*, quæ ſcilicet interponitur extra judicium, à quocunque gravamine, vel illato, vel probabiliter inferendo, non venire ſub nomine propriæ, et rigoroſæ appellationis, de qua noſter unice futurus eſt ſermo; ideoque in materia pœnali non comprehenditur appellationis nomine extrajudicialis appellatio, juxta Alex. de Nævo in cap. *Cum ſit*, n. 13, 14. et 15. hoc tit.

Nota tamen, 1. cum eod. ibid. tt. 6. n. 43. Quod etiam appellationem *judicialem* interponere liceat die feſto, quamvis non liceat proſequi appellationem; gloſſ. in cap. ult. verb. *Quibus utique*, hoc tit. ibique Abb. n. 13. Tuſch. lit. F. concl. 100. n. 10. Cala de feriis, q. ult. n. 226. 241. et ſeqq. et Gratian. dec. March. 5. per tot. cum addit.

Nota, 2. cum eod. cit. tt. 10. n. 9. Quod ſi appellationem ſpectes, quatenus quædam ſui defenſio eſt, et innocentiæ præſidium, à jure ipſo naturali originem dices ſortiri, juxta Abb. in rubr. hoc tit. n. 7. ſin autem reſpicias ad ejus formam, et ſolemnitates, à jure tantum poſitivo aſſeres inductam; et bene aſſeres, cum quoad illas tolli, et mutari queat; ſecus autem, quoad ſubſtantiam, l. unic. c. *De ſententiis*, præf. præt. et Abb. loc. cit. n. 7.

II. Sin autem hic quæras, 1. Quiſnam appellare poſſit? reſpondet Gaſparr. cit. n. 18. Quod ſolum ille appellare nequeat, qui vere contumax ſit, quia ſcilicet fuerit perſonaliter citatus, et in termino citationi annexo non venerit ad judicium, cum venire poterat, l. *Ex conſenſu*, § fin. et ibi gloſſ. verb. *Non recte provocâſſe*, ff. de appellat. et relat. l. *Contumacia*, et ibi gloſſ. verb. *Litis damno*, ff. de re judic. Marant. par. 6. de ord. judic. tit. de appell. n. 273. et 284. ſicuti etiam, ſiquis ſententiam contra ſe latam, vel expreſſe, vel tacite approbaverit, videtur exercendo actum in contrarium, appellationi renuntiâſſe, cap. *Gratum*, et ibi gloſſ. fin. de offic. jud. de leg. et l. fin. § fin. c. de temp. appellat. inſtitut. jur. can. tom. 11. Idemque dicas de eo, qui propria voce confeſſus fuit debitum in judicio, l. 2. c. *Quor. appellat. non recip.* niſi tamen confeſſionem erroneam probaverit, ut late ſub tit. *De confeſſis* dixerat.

III. Si quæras, 2. A quibus ſententiis licitum ſit appellare? reſpondet, n. 22. Ab omnibus tam definitivis, quam interlocutoriis, imo à quovis gravamine tam ante, quam poſt ſententiam illato. Ita diſpoſuit jus canonicum in cap. *Cum ſit*, et cap. *Super eo*, hoc tit. corrigens jus Cæſareum, quod à ſola definitiva, non autem ab interlocutoria, appellationem concedit in l. pen. ibique gloſſ. verb. *Diſcuſſore*, cod. *Quor. appellat. non recip.* cum enim jus canonicum reſpiciat æquitatem potius, quam rigorem, ſatius duxit provide, et illico, cuicunque gravamini occurrere, et partes illæſas ſervare, quam remedium quærere nimis ſerotinum. Abb. in cap. *Super eo*, n. 5. Gratian. diſcept. 74. n. 16. et ſeqq. Neguſan. de pignor. par. 8. memb. 1. n. 3. Thomat. dec. 58. Peregrin. dec. 89. n. 3. par. 10. rec. Sed ſuper hoc vide omnino noviſſimam bullam *Ad militantis eccleſiæ* ſanctiſſimi P. Benedicti XIV. actu regnantis *de appellationibus* et inhibitionibus negandis, vel concedendis, de qua infr. c. 28. in fin.

Animadvertit tamen, n. 23. quod Tridentinum ſeſſ. 13. c. 21. et ſeſſ. 24. c. 20. de reform. inhærens juri civili diſpoſuit, quod ab ordinariis locorum appellari nequeat, niſi à definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, et cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat: quale gravamen eſſet omnis actus irretractabilis, trahens ſecum executionem, à quo pars gravata nullatenus ſublevari poſſit per appellationem à definitiva, vel non niſi cum magna difficultate, ac ſui præjudicio, ut eſſent indebita carceratio, tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, &c. Conſule hac de re Scacc. de appell. qu. 16. lim. 47. n. 73. et ſeqq. Pax Jordan. loc. cit. tit. 26. n. 382. Ridolph. in prax. par. 1. cap. 13. n. 299. et 308. et ſeqq. Guirb. deciſ. 56. per tot.

IV. Nota, 3. cum Themud. p. 3. dec. 302. Quod à denegatione appellationis concedatur appellatio; et quod judex deferens appellationi frivolæ peccet, et poſſit puniri, p. 1. dec. 13. an. 19. et d. 112. imo et quod violentiam committat, et aperiat aditum recurſui ad tribunal ſæculare, ib. n. 23. eo quod nedum notoriam injuſtitiam committat, ib. n. 20. imo et notoriam violentiam, ex Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 3. et ex eo quod delatione illa poſitiva notorie lædat, et vim inferat juri partis adverſæ; et citat Per. de man. reg. c. 21. n. 21. quod tamen intelligendum videtur, ſi deferat appellationi frivolæ, quoad utrumque effectum; non ita vero, ſi tantum deferat, quoad devolutivum.

Nota, 4. ex eod. Themud. p. 2. dec. 242. n. 3. et 6. Quod appellatio recepta cum clauſula, *Si, et in quantum*, non inhibeat judicem *à quo*; eo quod clauſula illa, ex ſui natura, importet conditionem, et refertur ad diſpoſitionem juris, ita ut nihil obſtet acceptationi appellationis, ſi de jure contrarium eſſet, ut per Mart. clauſ. 132. Scacc. de appell. q. 17. lim. 6. et 7. n. 100. Et confirmatur ex doctrina

Marant. de ord. jud. p. 9. n. 211. poſt Felin. Lancelot. et alios cit. per Mart. quos ſequitur Mend. in prax. l. 3. c. 9. n. 4. et jam olim judicatum refert in cauſ. D. Emanuelis da Veiga Cabral cum epiſcopo Leyrienſi, &c. Vid. d. Themud. dec. 239. et infr. c. 26. n. 1. et 2. cui favet etiam Donat. in prax. tr. 10. q. 11. n. 4. dicens, quod boni judices non ſolent appellationem admittere, niſi cum cautela, incipiendo à negativa; nempe dicendo, *Non admittatur, niſi ſi, et in quantum*, per quam clauſulam poterit ad ulteriora procedere, antequam ſit eis per judicem appellationis inhibitum, ut infr. c. 26. n. 1.

Deciditur quæſtio per duplicem reſolutionem.

V. *Dico*, 1. Illicitus quidem eſt recurſus ex parte recurrentium, nulla præmiſſa appellatione ad tribunalia ſæcularia intentatus, excipe interim recurſum ex uſurpatione regiæ juriſdictionis, de quo tamen infr. c. 32. Hæc reſolutio eſt contra Olivam de for. eccleſ. q. 15. ubi n. 32. aſſerit, quod *jus naturale, ſecundum quod licitum eſt unicuique vim vi repellere, legibus appellationum non reſtringitur; nec vim paſſus tenetur appellare, quinimo nec ad judicem recurrere.* Eſt tamen de mente expreſſa Portugal. de donat. reg. p. 2. l. 1. c. 31. n. 18. Seſſe in ep. ad reg. n. 87. Soar. adverſus Angl. error. l. 3. c. 34. n. 33. Hier. Leo. dec. 2. n. 34. Poſth. de manut. obſ. 6. an. 26. Salgad. de prot. 1. p. c. 7. an. 10. Caldero, tom. 3. dec. 132. n. 9. Coſt. de remed. ſubſidiar. rem. 22. n. 4. obſ. 6. n. 26. et ſeqq. et aliorum, et omnium DD. illorum, qui expreſſe tradunt, recurſum eſſe *remedium ſubſidiarium*, proindeque non niſi in *ſubſidium* adhibendum, ut etiam tradit cit. Oliv. ibid. ſub n. 5. infra tranſcribendus. Et expreſſe Oliv. ipſe, q. 17. n. 59. Per. de man. reg. c. 21. n. 12. et 13. Salgad. p. 2. c. 2. n. 43. et ſeqq. Peg. de alternat. p. 77. n. 149. Altim. de nullit. tom. 1. rub. 1. q. 9. n. 11. aperte ſuſtinent, remedium recurſus, utpote extraordinarium, locum habere non poſſe, omiſſo remedio ordinario appellationis, proindeque repellendum.

VI. Prob. 1. Reſolutio ex ipſamet natura recurſus, qui quidem, ut ait cit. Portugal, cum pluribus DD. *eſt remedium ſubſidiarium; ideoque non ſuſpendit juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, neque ab eo geſta, pendente recurſu, dicuntur attentata; et hanc eſſe veriorem ſententiam cum Oliv. 1. p. q. 20. n. 3. Salgad. cit. et aliis.* Atqui de natura, ac ratione remedii ſubſidiarii eſt, quod in ſubſidium dumtaxat alterius adhiberi debeat: ergo remedium extraordinarium, et ſubſidiarium recurſus, non niſi in ſubſidium remedii ordinarii appellationis licite poteſt adhiberi. Ita Ubert. de citation. c. 4. n. 31. Confirmatur ex ipſamet natura, ac ratione remedii extraordinarii, quod adhiberi non debet, omiſſo ordinario: unde Per. cit. art. 58. concord. Joan. I. B. *Nullo ergo colore rex ſe intromittit ad reparandam injuſtitiam, quæ reparari poteſt medio ordinario appellationis.*

VII. Prob. 2. Ex c. *Filiis, vel Nepotib.* 16. q. 7. (ex quo quamplures DD. probant licitudinem recurſus ad regem de jure canonico, ut videre eſt ap. Oliv. cit. q. 15. ſub n. 5. et apud nos ſupr. c. 19.) ubi aſſeritur, *Licitum eſſe propinquis ejus, qui conſtruxit, vel ditavit eccleſiam, à rectore defraudante res eccleſiæ, ad judicem, vel ad epiſcopum, pro correctione recurrere; et ab epiſcopo, ſi talia agere tentet, ad metropolitanum. A metropolitano autem, ſi talia gerat, regis auribus intimare non differant.* Quæ quidem diſpoſitio ſatis aperte demonſtrat, remedium recurſus eſſe ſubſidiarium, et non niſi in ſubſidium alterius licite adhibendum, ut patet ex verbis illis ejuſdem textus, *Licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam*, &c. videndis per extenſum cit. c. 19. necnon, niſi mediis, ac remediis omnibus ordinariis prius coram judicibus competentibus exhauſtis, ad ſubſidiarium remedium recurſus ad regem, vel regios judices incompetentes, deveniendum: ergo.

Confirmatur hoc, 1. Ex doctrina ipſiuſmet Oliv. cit. q. 15. n. 5. § *Fulcitur*; ubi de intelligentia ejuſdem cit. c. *Filiis*, ſic ait: *Ego autem dico, ſi inter tot doctiſſimos viros meum ſas eſt proferre judicium, in illo textu in dicto cap. Filiis, non concedi recurſum per viam violentiæ, de quo agimus, ad regem, neque ibi agebatur de materia violentiæ; et dato quod ageretur, tantum abeſt, quod probaretur intentum, ut imo contrarium probetur; intimatio enim facienda regi, de qua ibi, fieri non debebat, niſi in ſubſidium; nam ſi bene advertatur, contra ſacerdotem malefactorem jubetur adiri epiſcopum: et ſecundo loco archiepiſcopum, quod conforme juris regulis exiſtit: et ultimo loco regem, unde aſſerit Seſſe, in epiſtola ad regem, n. 87. ſecundum jus canonicum, recurſus, de quibus agimus, per viam violentiæ ſubſidiarios eſſe, deficiente, ſcilicet, ordinario, et metropolitano.* Et expreſſius, q. 17. n. 22. et 23. verbis tranſcriptis ſupr. c. 24. n. 28.

VIII. Confirmatur, 2. Ex doctrina P. de Marca de concord. ſacerd. et imper. l. 4. c. 20. etiam pro Galliæ ſtylo ſcribentis; ibi: n. 4. ibi: *Si concilii Francofordienſ. ratio habeatur (quod juſſu Caroli Magni, et auctoritate Adriani I. coactum eſt) et ex epiſcopis Galliæ, Italiæ, Germaniæ, compoſitum diximus, cauſæ clericorum ad regem deferri non debent, niſi poſt metropolitani judicium, una cum ejus literis.* Et c. præcedenti, n. 4. aperte inſinuat, remedium hoc recurrendi ad regem, etiam ante concordata, fuiſſe quidem *ſubſidiarium*; ibi: *Quæ verba obſervanda ſunt, ut inde pateat in hoc caſu appellationem* (puta recurſum) *ad regem ſubſidiariam fuiſſe appellationi ad concilium.*

IX. Prob. 3. Ex diſpoſitione legis 36. regni Caſtellæ, l. 2. tt. 5. novæ recopilat. et ex generali praxi, et ſtylo totius Hiſpaniæ (imo et omnium regnorum catholicorum, ut infr. ex Peg. demonſtrabitur) non permittentibus, nec admittentibus recurſum, niſi in caſu juſtæ, et legitimæ appellationis injuſte denegatæ, atque adeo *in ſubſidium* dumtaxat, ut teſtatur Salg. de prot. p. 1. c. 1. per tot. Cov. in pract. c. 35. n. 3. Peg. tom. 3. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. qui addit prope finem cit. n. 4.: *Nec memini legiſſe locum doctoris alicujus (videndo multos) ex quo colligerem, apud alia regna ex hoc capite generaliter admiſſum recurſum ad tribunalia ſæcularia, neque ordinatione antiqua fuiſſe cognitum.*

Confirmatur, 1. Efficaciter, ex ipſamet *ſupplicationis* ſtrictæ definitione: nam *recurſus eſt ſupplicatio per modum confugii*; *ſupplicatio* autem ſtricte, et proprie, eſt *quædam precum porrectio facta principi, ut ex quadam benignitate reſtituat ſupplicantem adverſus ſententiam, contra quam non competit remedium ordinarium.* Ita cum Abb. in c. *Ex literis* de reſt. in integr. in 6. Reiff. de appellat. tt. 28. § 1. n. 18. ergo tunc ſolum licite datur recurſus, ſive *ſupplicatio* ad principem, quando non adeſt remedium ordinarium.

X. Confirmatur efficaciter, 2. Ex ipſamet legum Luſitanarum diſpoſitione, tum in ordinationibus antiquis, de quibus teſtatur idem Peg. ibid. *Nullibi hunc recurſum ex hoc capite violentiæ generaliter ordinatione antiqua fuiſſe cognitum*; tum in modernis, atque in concordiis, ex quibus præfatæ leges deductæ ſunt; ex quibus ſatis aperte conſtat, ut ſuperius, c. 11. fuſe demonſtratum eſt, piiſſimos reges Luſitanos non voluiſſe introducere aditum ad recurſum ex omni oppreſſione generaliter, et abſolute; ſed reſtricte, ex ea, ſcilicet, quæ reperiretur in legitimæ appellationis denegatione; ac per conſequens verba illa regiæ legis d. § 12. *De notoria oppreſſione, aut vi*, intelligenda eſſe de vi, quæ detur *in denegatione, vel non receptione legitimæ appellationis*; quæ verba ipſius legis contextui deeſſe, clare cum cit. Peg. comprobavimus cit. c. 11. omnino colluſtrando.

Quod quidem confirmavimus ibidem ſub n. 10. ex feriis, ac repetitis proteſtationibus ipſorum piiſſimorum regum erga juriſdictionem eccleſiaſticam propalatis, ordin. l. 2. tt. 5. in princ. et tt. 11. et tt. 18. § 3. necnon ex concordiis ipſis, unde præfatæ leges promanârunt, videlicet, ex concordia 4. art. 4. regis Dionyſii apud Per. de man. reg. c. 1. ſub n. 1. et ex concordia regis Alphonſi V. apud eundem ibid. et ex aliis ſupr. cit. c. 11. omnino integraliter videndo, notatis; necnon ex diſpoſitione earundem legum ſuper tuitivis appellatoriis per viam recurſus impetrandis, de quibus fuſe, c. 24. præcedenti. Ex quibus omnibus ſat conſtat, recurſum eſſe remedium ſubſidiarium, et non niſi in ſubſidium, ſive auxilium appellationis interpoſitæ, intentandum.

XI.

XI. Prob. 4. Quia licet licitudo recurſus fundatur in principio illo naturali, *Vim vi repellere licet*; hæc tamen licitudo, etiam privato propria auctoritate vim repellenti, accipienda eſt *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, videlicet, ſi alia via ſibi moderatius, et pacatius providere commode non valeat, ut explicant communiter DD. infra citati cum magno Soario, et Salgad. de prot. reg. p. c. 2. n. 43. et aliis ap. Oliv. cit. q. 15. n. 33. quibus addend. Altimar. de nullitat. tom. 1. rub. 1. q. 9. n. 11. Peg. de alternat. pag. 77. n. 149. et iterum Oliv. q. 17. n. 59. aſſerentis, *Rejiciendum eſſe recurſum, quo de remediis ordinariis prius aditis non edocetur.*

Atqui ad hoc moderamen inculpatæ tutelæ in recurſu à judicibus eccleſiaſticis ad regia tribunalia intentando, pertinet, ut prius recurratur ad prælatum eccleſiaſticum, ſi ſine gravi incommodo id fieri poſſit, ut aliqui, quos preſſo nomine citat Oliv. d. q. 15. n. 32. aſſerverunt, et expreſſe tenet magn. Soar. Granat. l. 3. adverſ. Angl. error. c. 34. n. 33. cujus præ cunctis auctoritas magni facienda eſt; nam de illo, quamvis in pluribus diſcors, ait cit. Per. c. 7. n. 23. *Cujus fama ſidera pulſat:* ergo, &c. Imo cit. Per. c. 9. ſub n. 3. ait: *Violentia non reperitur, ubi pars poteſt ad ſuperiores legitimos ſupplicare.*

XII. Confirmatur, 1. Quia etiam ad moderamen inculpatæ tutelæ pertinet, quod repulſio vis per aliam à privatis, et propria auctoritate ſibi providentibus, fiat *in continenti*, atque durante adhuc maleficio, et gravamine, de quo ordin. l. 4. tt. 58. § 2. Per. c. 4. n. 1. Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. et tom. 3. et alibi. Vid. infr. alleg. 11. et ſeqq. Et Oliv. cit. q. 15. n. 21. ibi: *Ex his tamen dicendum videtur, hunc modum violentiæ tollendæ (poſtquam commiſſa eſt) dari non poſſe, niſi in continenti; nam privati poſſunt tantum in continenti vim repellere, textus in dict. l. Tertia, § Eum igitur, et in l. Qui poſſeſſionem, ff. de vi, et vi arm. et in cap. Olim in primo, de reſt. ſpol. et utrobique; DD. Decius, conſilio 460. n. 27. alios citat; et ſequitur Menoch. remed. primo recup. n. 384. Valaſ. conſult. 88. n. 5. Ex intervallo enim datur legum prohibitio, et in vindictam ſonat, quæ licita non eſt; ſed reſpondemus dupliciter: et primo, agnoſcendo argumentum; ſed illud in continenti, habere ſuam latitudinem, et intelligendum, ubi primum vim paſſus commode poteſt, dummodo ſe præparet, et non acquieſcat, conſiderata rerum, loci, et perſonarum qualitate; plures citat; et ſequitur Menoch. ubi proxime, n. 385. qui pro citatione multorum ſufficiat, Caſtr. de man. reg. part. 1. cap. 4. n. 1. Eſtque optima noſtra lex regia, l. 4. tit. 58. § 2. unde ſi vim paſſus recurrat ad regios miniſtros, cum primum potuerit ſecundum hæc, adhuc dicitur in continenti recurrere: poſtquam autem rex, ſeu ejus miniſtri de violentia cognoſcere inceperunt, ſi fiat diligentia, ſemper durat illud, in continenti, ut per Afflict. in conſtitut. Neapolitan. l. 1. rubr. 25. n. 12. Menoch. dicto remed. 1. n. 385.*

Ergo pariformiter ad idem moderamen pertinere dicendum eſt, quod prius adeantur ſuperiores judices eccleſiaſtici competentes; et prius adhibeatur remedium *ordinarium* appellationis; et non niſi in ſubſidium illius, et illorum, intentetur extraordinarium recurſus ad regem remedium.

XIII. Confirmatur, 2. Quia ad idem moderamen inculpatum attinet, quod oppreſſus licite nequeat recurrere ad regios miniſtros, niſi de violentia notoria, manifeſta, et evidenti, pro qua notorium ſit, nullam probabilem adeſſe opinionem, ut tenet Per. cit. c. 4. et 7. et nos ſupra c. 13. et minime ſufficere violentiam dubiam, quantumvis probabilem, imo nec violentiam ſimplicem, neque ſimplicem injuſtitiam, quantumvis notoriam, juxta ſuperius ſtabilita, c. 12, 13, 14. 16. et 17. eo quod obſtet notorietas eccleſiaſticæ immunitatis, et exemptionis, de quo ſupr. c. 12, 13, 14. &c.

Ergo ſimiliter ad idem moderamen, atque inculpabilitatem pertinebit, quod non niſi in ſubſidium, et appellationis ordinario remedio prius interjecto, hoc extraordinario, et ſubſidiario recurſus remedio utatur, ex eodem obſtaculo immunitatis, atque exemptionis clericalis; et quod ab eccleſiaſticis judicibus competentibus non recurratur ad laicos incompetentes, niſi in ſubſidium appellationis ad ſuperiorem judicem eccleſiaſticum competentem interpoſitæ.

XIV. Prob. 5. Reſolutio, et propalatur eadem ratio ſupra inſinuata: quia ſicut licitudo vim vi repellendi, eſt juris naturalis; etiam exemptio clericalis, et immunitas eccleſiaſtica, eſt de jure naturali divino, ut ſuperius comprobatum remanet prælud. 3. et 6. et c. 14. et 17. et ſeqq.

Deinde hæc exemptio, et immunitas de jure naturali divino, ſaltem radicaliter, et initiative, eſt omnibus notoria, et evidens, de quo ſupr. c. cit. et cit. præludiis: ergo ſecundum ſe illicitum omnino eſt recurrere ad judices laicos incompetentes adverſus judices eccleſiaſticos competentes. Atqui, ut recurſus ille evadat licitus recurrentibus, prærequiritur talis notorietas violentiæ in judice eccleſiaſtico, quæ nullatenus celabilis, prætextabilis, et tergiverſabilis ſit, juxta dicta, c. 13, 14. et ſeq. et quod pro illa, et in favorem judicis eccleſiaſtici notorium etiam ſit, nullam adeſſe probabilem opinionem, quæ judicis eccleſiaſtici violentiam, vel à ratione violentiæ, vel à qualitate ſaltem notoriæ probabiliter excuſare poſſit: ergo ſimiliter prærequiretur notorietas prærequiſitæ diligentiæ prius adhibendæ, videlicet appellationis interpoſitæ ad ſuperiorem judicem eccleſiaſticum competentem, et omnium remediorum ordinariorum prius exhauſtorum, quæ talem recurſum ex parte recurrentis licitum, et omnino excuſabilem reddat.

XV. Prob. 6. Efficaciter, ex ratione inſinuata ſæpe ſæpius ab Oliv. q. 12. n. 39. et q. 25. n. 15. et q. 28. n. 43. et à Cevall. in prolog. n. fin. et ab aliis apud ipſos; quia licitudo recurſus ſimpliciter *non eſt certa, ſed dubia*; pugnant enim utrinque probabiles opiniones, de quibus c. 13. et 14. et ſeqq.

Deinde apud DD. pro illius licitudine, ſervatis ſervandis, et terminis competentibus certantes, hoc generaliter receptum eſt, quod practice ſequatur, et amplexetur opinio illa, quæ eccleſiæ, et ejus juriſdictioni favorabilior fuerit, utpote practice probabilior, ut expreſſe cit. Cevall. cujus verba ſuperius, et prælud. 4. tranſcribuntur: atqui ſaltem probabilis eſt opinio aſſerens, remedium recurſus, utpote *ſubſidiarium*, non niſi in ſubſidium appellationis interjectæ, et mediis omnibus ordinariis exhauſtis, intentandum, quam expreſſe tenent Portug. cit. et alii ſupr.

Ergo hæc opinio practice amplectenda eſt, et contrariæ preferenda, pro eaque judicandum, utpote practice probabiliori, et eccleſiaſticæ juriſdictioni, atque immunitati favorabiliori, necnon decori, ac ſuperioritati juriſdictionis pontificiæ, ac Sanctæ Sedis, propter ejus excellentiam, ac morigerum obſequium (ut loquitur Cevall. cit.) quod ei tenemur exolvere indulgentiam; imo illa opinione ſuppoſita, recurſus penitus excluditur, qui quidem dumtaxat de violentia ita notoria interponi poteſt, de qua notorium etiam ſit, nullam probabilem opinionem pro ea extare, ut ait Per. et nos ſupr. c. 13. et ſeqq.

XVI. Prob. tandem efficaciter, quia *violentia* eſt *vi oppreſſio illata*, ſeu *vi illata injuria*, de quo ſupr. c. 12. et 17. Deinde *vis* (à qua violentia nomen vindicat) *eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, ut conſtat ex dictis d. c. 17. atqui quælibet injuſtitia, vel injuria judicis eccleſiaſtici poteſt reparari, atque repelli per appellationem: ergo, non intercedente appellatione, nequit vel conſiderari in ſententia, aut executione judicis eccleſiaſtici, ratio vis, aut violentiæ, etiam ſimplicis, ex defectu notorio *irrepellibilitatis*, ſeu majoris impetus *irrepellibilis*; et multo minus conſiderari poteſt ratio violentiæ qualificatæ, videlicet evidentis, et notoriæ, quæ dumtaxat recurſum ad ſæcularia tribunalia fundare poteſt ex ſæpe traditis ibidem, et c. 11, 12, 13. et ſeqq.

XVII. Objic. 1. pro Oliv. d. q. 15. n. 32. *Licet hoc recurſus remedium ſit ſubſidiarium, hoc eſt, deficiente omnino judice eccleſiaſtico, qui violentiam auferre poſſit, ac per conſequens prius debeat adiri archiepiſcopus, et legatus in regno, alias dici non poteſt violentia, ſeu vis irreparabilis*; attamen *jus naturale, ſecundum quod licitum eſt unicuique vim vi repellere, legibus appellationum non reſtringitur, nec vim paſſus tenetur appellare: ergo ſicut vim paſſus, ſpreto judiciali remedio, poteſt vim ſibi illatam repellere, et quod ſibi ablatum*

eſt

eſt in continenti recuperare; ita tertius quicunque, ac per conſequens rex, ſeu princeps ſæcularis, tanquam magis potens, abſque illo judiciario ordine, et juriſdictionis exercitio, licite, et debite, eum adjuvare, et à violentia liberare poteſt.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum: Etiam exemptio, et immunitas eccleſiaſtica, quæ eſt de jure naturali divino, non reſtringitur, nec circumſcribitur legibus laicalibus principum ſæcularium, etiam prætextu violentiæ tollendæ, adverſus judices eccleſiaſticos omnino exemptos, in iis, quæ ſacris canonibus adverſantur, et exemptioni, atque immunitati ipſi præjudicant: ergo, &c.

XVIII. Reſp. 2. Quod quamvis jus naturale vim vi repellendi, non reſtringatur legibus appellationum, eiſdem tamen, et aliis juris poſitivi reſtringi, ac conſtringi partem, jure ipſo naturali uti volentem in repulſa violentiarum; debet enim ex ipſamet juris poſitivi, ac naturalis diſpoſitione, 1. Vim repellere in continenti. 2. Cum moderamine inculpatæ tutelæ. 3. Adverſus judices eccleſiaſticos per manum regiam, non niſi in caſibus violentiæ notoriæ, et manifeſtæ, non vero dubiæ, aut ſolum probabilis, vel aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis. 4. Servatis aliis conditionibus ſuperius, atque inferius, longe lateque inſinuatis, ac inſinuandis.

Deinde diſtinguo conſequens, quoad 1. partem: Vim paſſus poteſt vim ſibi illatam repellere *in continenti*, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, concedo; abſque tali moderamine, et ultra terminum à legibus præfixum, nego. Vide ordin. cit.

XIX. Ulterius diſtinguo idem conſequens, quoad 2. partem: Rex, ſeu princeps, tanquam magis potens quoad media, ſeu armatam manum, concedo; quoad jus, nego ſuppoſitum, quod ſcilicet potentius ſit jus regis pro tollenda violentia oppreſſi, quam jus tertii, ſeu partis oppreſſæ pro eadem violentia repellenda:

1. Quia jus principis pro illa violentia tollenda per viam recurſus, fundatur in jure partis ipſius oppreſſæ pro ea repulſanda; unde nequit jus illud principis, fundatum, potentius evadere fundamento, cui innititur, ex his, quæ ordin. reg. lib. 3. tt. 20. § 32. et tt. 47. § 2.

2. Quia jus principis in ſuccurrendo oppreſſo per viam recurſus, ſolummodo adhibetur in ſubſidium, utpote remedium ſubſidiarium; jus autem partis oppreſſæ non in ſubſidium tantum, ſed proprie, et principaliter ſibi valet providere.

3. Quia rex, ſeu princeps, per viam recurſus nequit ſubvenire oppreſſo, niſi violentia ſit præſens, realis, certa, et notoria. At vero pars poteſt ſe in poſſeſſione ſua tueri, etiam cum probabilitate tantum dominii, et tuitionem intentare, etiam pro gravamine probabilitatum, et futuro, licet contingenti.

4. Quia via tuitiva poteſt adiri contra quemlibet tertium, et contra quemlibet judicem, etiam laicum. Via vero recurſus ex c. violentiæ, non contra partem, ſed contra judicem, eccleſiaſticum, videlicet in reſtrictione, qua procedimus.

5. Ex aliis differentiis, quæ cogitanti facile obvenient.

XX. Inſtabis: Etiam detentator, abſque ullo jure dominii in re, et abſque vera poſſeſſione, et cum ſola detentatione (quæ minus eſt, quam poſſeſſio, et detinere, minus, quam poſſidere, ex Portug. p. 2. l. 1. c. 32. n. 6.) poteſt tamen licite tuitionem per manum regiam impetrare, abſque ulla appellatione: ergo ſimiliter proviſionem per remedium recurſus. Reſp. diſting. antecedens: Per medium, et viam impetrationis tuitivæ, concedo; per medium, et viam proviſionis recurſus ex capite notoriæ violentiæ, nego. Sunt namque hæc media, ac remedia, ex natura ſua inter ſe adinvicem diſtincta, ac diverſa; et, prout ſic, habent quidem diſtinctas, ac diverſas vias, quibus adiri, atque intentari poſſint.

Unde remedium tuitivæ, utpote reſpiciens nudum factum ſimplicis poſſeſſionis, vel detentationis, poteſt quidem etiam adverſus judices laicos, vel quemlibet alium tertium per viam manutentionis, ſeu tuitionis, vel tuitivæ chartæ impetrationis intentari, interim (eſt enim remedium *interinum*, non deciſivum) donec in competenti judicio de defectu dominii proprietatis detentator convincatur, vel quouſque cauſa principalis, etiam ſuper poſſeſſione ipſa agitata (de quo Per. cit. c. 20. n. 21.) in competenti judicio plene decidatur.

At vero medium, ac remedium recurſus ex capite violentiæ adverſus judices eccleſiaſticos, utpote *ſubſidiarium*, nequit per hanc viam licite intentari, et multo minus obtineri, niſi ſtante realitate, et notorietate violentiæ præſentis, et non futuræ dumtaxat; certæ, et non tantum probabilis. Et harum differentiarum ultima ratio petenda eſt, tum ex diverſa ipſarum legum diſpoſitione, tum ex differenti ipſorum mediorum, ac remediorum tendentia, atque natura, tum ex notorietate ſuperioritatis, atque exemptionis judicum eccleſiaſticorum, tum ex reliquis in fundamentis hujuſce quæſtionis inſinuatis, et etiam c. 11. et ſeqq. et c. 37. et ſeqq.

XXI. Objicies, 2. Adverſus judices eccleſiaſticos nedum recurri poteſt in caſibus violentiæ, et oppreſſionis notoriæ ex injuſta denegatione juſtæ appellationis legitime interpoſitæ, verum et ex *non ſervato jure naturali*; quia ſcilicet proceditur, reo non citato, neque audito, aut aliqualiter non defenſo; ut conſtat ex verbis regiæ legis cit. ordin. d. tit. 9. § 12. ergo ſaltem in hoc caſu recurrere licebit, non interjecta appellatione aliqua ad eccleſiaſticum judicem ſuperiorem competentem.

XXII. Reſponſio formalis, et adæquata huic argumento dependet ab inferius pertractandis, diſt. 3. c. 30. *de licitudine recurſus ex non ſervato jure naturali.* Interim tamen, reſp. 1. Reum, ſicut recurrere poteſt ad regem, ita poſſe quidem appellare ab illo violento procedimento, ſeu violentia non obſervantiæ juris naturalis, ipſo non citato, neque audito, aut defenſo; et tunc in ſubſidium interpoſitæ appellationis poſſe connaturalius ad regem recurrere, ſi non detur periculum grave in mora. Quodſi tale grave periculum detur, aut grave aliud incommodum, et judex eccleſiaſticus ex abrupto, nedum violenter, ſed et præcipitanter, abſque intervallo procedat, et ulterius nec detur copia, aut locus tutus appellationi interjiciendæ; tunc, quia in hoc caſu ſatis verificatur moderamen inculpatæ tutelæ, licite poterit, ex mente magn. Soar. cit. c. 34. abſque interpoſitione, ac mediatione appellationis, ad regem immediate recurrere; ſed caſus hic rariſſime contingens videtur. Neque in illo recurſus deſineret eſſe, et dici remedium ſubſidiarium, et in ſubſidium, ſi non appellationis interpoſitæ, vel interponendæ (de quo infr. c. 30. et 31.) ſaltem juris naturalis defenſionis.

XXIII. Objic. 3. juxta doctrinam Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 5. et 6. Ordinarius poteſt procedere adverſus conſervatorem facientem exequi citationem contra miniſtrum curiæ epiſcopalis cum commination cenſurarum, quia talis citatio gravamen infert, quod non niſi per appellationem reparari poteſt, et juxta communem doctrinam ab hoc gravamine recurri poteſt ad regem, juxta dicta, c. 30. ergo, ut detur gravamen fundans recurſum, non prærequiritur præmiſſio appellationis; quippe, ante ipſam interpoſitam, jam datur gravamen irreparabile. Reſp. Ut detur gravamen injuſtum, non prærequiri appellationem; prærequiri vero, ut detur gravamen notorie violentum, fundans licitum recurſum ad regem, tum ob rationes inſinuatas, c. 25. tum quia gravamen, quod per appellationem reparatur, ac ſuſpenditur, non abſolute irreparabile, vel irrepellibile ſit, atque adeo non abſolute violentum, cum *vis*, à qua violentia nomenclaturam deducit, ſit *majoris impetus rei irrepellibilis*, juxta dicta, c. 13. et 17. tum quia conſervator in illa citatione uſurpat juriſdictionem ordinarii, juxta doctrinam ejuſdem Monacell. cit. eo quod citatio ſit de judiciali indagine, atque cognitione, quam conſervator arripere non poteſt, et de tali uſurpatione conſervatoris recurritur, juxta Per. et alios; cum juxta eundem non recurratur ab uſurpatione juriſdictionis unius judicis eccleſiaſtici ordinarii reſpectu alterius, de quo, c. 3. et 4. tum denique quia ordinarius habet pro ſe juris præſumptionem ex dictis, c. cit. et 34. et non niſi notorie conſtet de violentia, ab eo non recurritur, eo quod certe juriſdictionem habet in omnes intra limites ſui diſtrictus.

At

At vero juris præſumptio ſtat contra conſervatores, eo quod *facultates ſuas excedere ſoleant*, ex c ult. de offic. deleg. et ex conſt. Gregoriana; præſumptio autem *ex iis, quæ frequenter eveniunt, habetur, ut conſtat ex ejus definitione, Rationabilis conjectura rei dubiæ, collecta ex argumentis, ſeu indiciis, quæ per rerum circumſtantias plerumque, vel frequenter eveniunt.* Vide etiam n. 3. c. 34.

XXIV. *Dico*, 2. Suppoſito, quod illicitus ſit recurſus, ex parte recurrentium, nulla intercedente appellatione, intentatus, conſequenter etiam illicitus evadit ex parte judicum eum admittentium, et multo magis recurrentibus in eo providentium.

Probatur eiſdem fere fundamentis, atque prima reſolutio. Et, 1. Ex natura ipſius recurſus, qui quidem, cum ſit remedium ſubſidiarium, non niſi in ſubſidium intentari, et adhiberi debet. 2. Ex legum ipſarum formali, et recta diſpoſitione, necnon ex formalitate concordiarum, à Sede Apoſtolica approbatarum, ex quibus deductæ fuerunt. 3. Ex neceſſario, et prærequiſito moderamine inculpatæ tutelæ. 4. Ex notorietate immunitatis, atque exemptionis eccleſiaſticæ, quæ etiam eſt de jure naturali divino. 5. Ex probabilioritate practica opinionis magis faventis eccleſiaſticæ juriſdictioni, ac libertati, et ex gravi obligatione pro ea in praxi judicandi. 6. Ex certo defectu notorietatis violentiæ, ſemel quod in favorem illius circumferatur, vel adſit probabilis opinio; et ex totali ceſſatione fundamenti ad recurſum interponendum, probabili pro judice eccleſiaſtico opinione intercedente.

XXV. Præjactis fundamentis jam ſuperius attactis ſuperaddimus, tanquam ſpeciale, et efficax, ſubſequens ex principiis juris, atque moralis theologiæ deductum; videlicet, illicita eſt cooperatio formalis, vel materialis proxima, favor, patrocinium, et coadjuvatio illicitæ actioni, ſeu operationi cujuſlibet: atqui intentatio, ſeu interpoſitio recurſus à judicibus eccleſiaſticis ad ſæcularia tribunalia, nulla intercedente appellatione, eſt illicita recurrentibus, ut ſuperiori reſolutione ſatis comprobatum manet: ergo pariformiter, et conſequenter, ex parte judicum illicita quidem erit admiſſio, protectio, et favor, et multo magis proviſio illius illiciti recurſus, cujus quidem judices admittentes, ac patrocinantes, et multo magis providentes, illicitudini cooperantur proxime, ac participant immediate, et concauſæ efficaces evadunt, ſaltem continuationis, ſive proſecutionis, illius illicitæ actionis, quæ ſane, ſicut mala, et iniqua in prima ſui productione extitit, ita et in proſecutione, ſeu continuatione, pariter illicita evaſit; ex communi doctrina moraliſtarum, ac juriſtarum, de qua Lacro. ad Buſemb. l. 6. p. 2. n. 93. dub. 3.

Major probatur, 1. Ex axiomate illo vulgari deducto ex c. *Quantæ*, de ſent. excom. *Facientes, et conſentientes in pari pœna plectenda catholica condemnat auctoritas* ex can. *Omnes eccleſiæ*, 17. q. 4. ibi: *Omnes eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores à liminibus ejuſdem matris eccleſiæ anathematizamus, apoſtolica auctoritate pellimus, damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus: et non ſolum eos, ſed omnes conſentientes eis; quia non ſolum, qui faciunt, rei judicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt: par enim pœna, et agentes, et conſentientes comprehendit.*

Conſonat c. *Nuper*, de ſent. excom. ibi: *Cum talis communicet crimini, et participet criminoſo, at per hoc, ratione damnati criminis, videatur in eum delinquere, qui damnavit*, &c. 1. de offic. deleg. et l. *Jubemus*, § *Oeconomus*, cum vulgar. cod. de ſacroſ. eccleſ.

XXVI. Prob. 2. à paritate fulminationis cenſurarum bullæ Cœnæ, can. 1, 2. 11, 12, 13, 14, 15, 16. 18. &c. ubi non ſolum excommunicantur, et anathematizantur hæretici, appellantes ad futurum concilium, hoſtiliter inſequentes prælatos eccleſiæ, agentes in curia directe vel indirecte moleſtantes, prætexentes frivolam appellationem ab executione literarum apoſtolicarum, avocantes, vel trahentes, cauſas aut perſonas eccleſiaſticas ad tribunalia ſæcularia, impedientes prælatos ordinarios, quominus ſua eccleſiaſtica juriſdictione contra quoſcunque utantur, &c. ſed etiam in illis dantes auxilium, conſilium, aut favorem, nechon judices appellationes illas recipientes, inhibitiones, citationes decernentes, vel exequentes, etiam *prætextu violentiæ tollendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Summum Pontificem informandum, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint*, &c. ut expreſſe habetur in cit. can. 14. Atqui non ex alià ratione, niſi ex immediata cooperatione, et illicito favore, aut coadjuvamine rei illicitæ. Ergo ſimiliter, &c.

Prob. 3. A paritate aliarum quamplurimarum cooperationum, et comparticipationum rerum illicitarum; de quibus videndi moraliſtæ in titulis de charitate, de ſcandalo, de cooperatione materiali, vel formali peccato alterius, de furto, et de reſtitutione, et aliis conſimilibus; de quibus ſignanter Lacro. ad Buſemb. l. 2. dub. 5. a. 2. et 3. et l. 3. p. 1. et 2. et l. 5. de peccatis, et alibi. Necnon prop. 51. damnata ab Innoc. XI. et reliqua huc attinentia.

XXVII. Dices, Jam generalis conſuetudo obtinuit, ut in judicio ſæculari coronæ regiæ admittatur recurſus ex capite notoriæ violentiæ ab eccleſiaſticis judicibus, nulla interveniente appellatione: ergo ſaltem ex parte regiorum judicum licita ſaltem erit admiſſio talis recurſus.

Reſp. 1. Ex traditis neſſario recolendis, c. 22. per tot. et c. 23. etiam per tot. præſertim an. 19. et ſeqq. ubi reſolvimus, non excuſari à reali incurſu cenſurarum, tam quoad forum internum, quam quoad externum, judices regios in cognoſcendo, aut judicando excedentes, quantumvis generali conſuetudine, terminos regiarum legum, etiamſi illarum limites, probabili DD. opinione ſuffulti, excurrerent. Recole ibi tradita diligenter, ne eadem ſuperflue repetendo moleſtus, et odioſus fiam.

Reſp. 2. Illam conſuetudinem non eſſe generalem et univerſalem: ſicut namque paſſim ex praxi non admittuntur recurſus, debita inſtructione deſtituti, de quo c. 37. et 38. ita ſæpe, etiam in hoc ſtatu vidi, rejici recurſus, in quibus non edocebatur de mediis, ac remediis ordinariis prius aditis, et exhauſtis, de quo etiam vide Salgad. p. 2. c. 2. n. 43. et ſeqq. Altimar. de nullit. tom. 1. rubr. 1. q. 9. n. 11. Peg. de altern. pag. 77. n. 149. Per. cit. c. 22. n. 12. et 13. Oliv. cit. q. 17. n. 59. et prout ſic ſenatus decretum accordans ita prodire ſolet, *Senatum de tali recurſu cognitionem non ſumere*; cauſam tamen non exprimendo. Imo uſus præfatus, ſeu potius abuſus, utpote contra apertam mentem ſereniſſimorum regum, illicite, atque illegitime introductus, omnino rejiciendus eſt, ex traditis c. 11. et ex auctoritate Petri de Marca de concord. ſacerdot. et imper. in prolegom. propoſ. 8. propr. ibi: *Uſumque contrarium alienum eſſe à mente, et à praxi, veterum principum, et regum Chriſtianiſſimorum.*

Unde concludendum eſt, quod, ſicut recurſus in appellatione fundatus, ſi de ea non edoceat, rejicitur, et non providetur, neque etiam quoad manutentionem per tuitivam, juxta diſpoſitionem ordin. citatar. lib. 2. tt. 10. in princ. de quo ſupr. c. 24. Mend. p. 2. l. 2. c. 11. ita potiori jure, ſi non edoceat ſaltem de ordinario remedio appellationis prius intentato, et injuſte denegato, in cujus ſubſidium dumtaxat remedium extraordinarium recurſus intentari, et admitti debet.

CAP. XXVI.

De Illicitudine Recurſus ex non Receptione Appellationis frivolæ.

SUMMARIUM.

I. *Quid ſit appellatio frivola.*
II. *Quid appellatio manifeſte frivola, fruſtratoria.*
III. *Cavendum monet Oliv. à Per. alias doctiſſimo, in explicatione appellationis frivolæ.*
IV. *Qui teneant, non licere recurrere ad regem pro denegatione cujuſvis appellationis, etiam legitimæ.*
V. *Quibus fundamentis.*
VI. *Alias judices ſæculares cognoſcerent de meritis juſtitiæ cauſæ eccleſiaſticæ.*
VII. *Præfertur ſententia affirmativa, quæ probatur ex auctoritate Rottæ.*
VIII. *Et ex ratione remedii defenſivi.*
IX. *Quæ tamen, licet in ratione naturali fundetur, inventa eſt ſimpliciter à jure humano.*
X. *Melius probatur ex ſuſpenſione juriſdictionis judicis* à quo.
XI. *In cauſa appellabili à judice ad ulteriora procedente, non obſtante appellatione notorie frivola, non patet recurſus.*
XII. *Appellatio frivola non ſuſpendit judicis juriſdictionem.*
XIII. *Etiamſi procedat poſt judicis* ad quem *inhibitionem.*
XIV. *Fundamentum appellationis eſt gravamen injuſtum, ſive violentum.*
XV. *Appellatio frivola non eſt ad præſidium innocentiæ, ſed ad defenſionem iniquitatis.*
XVI. *Appellatio frivola, et fruſtratoria, recurrunt ad invicem.*
XVII. *In appellatione frivola notoria, judicis ſuperioris inhibitio non ſuſpendit, etiam probaliliter, juriſdictionem judicis* à quo.
XVIII. *Judex non deferens appellationi frivolæ probabiliter, et ad ulteriora procedens, eſto committeret notoriam injuſtitiam, non tamen notoriam violentiam recurſabilem.*
XIX. *Ex eo quod appellatio probabiliter tantum frivola non ſuſpendat certo juriſdictionem judicis, practice certa eſt illius juriſdictio ad procedendum ex certo ſupplemento eccleſiæ, aut reipublicæ.*
XX. XXI. *Appellatio probabiliter frivola, eſt dubia, et nequit certo prævalere; et comprobatur ex auctoritatibus.*
XXII. *A judice valide, ſed injuſte procedente, non patet recurſus.*
XXIII. *Neque in caſibus notoriæ injuſtitiæ, ſed notoriæ violentiæ.*
XXIV. XXV. *Appellatio probabiliter frivola, eſt minus legitima.*
XXVI. *In dubio pro validitate actus judicandum, et pro judice præſumendum.*
XXVII. *Judici appellationem probabiliter frivolam rejicienti nequit privatus reſiſtere.*
XXVIII. XXIX. *Licet appellans frivole probabiliter habeat pro ſe regulam juris*, nil innovandum, pendente appellatione; *potiores habet judex rejiciens*, ex præſumptione juris, ex validitate actus, et ex certa juriſdictione *practice, et ex mente legum, atque judicis ad quem.*
XXX. XXXI. XXXII. *Judex non deferens, ad ſummum committeret notoriam injuſtitiam, non tamen notoriam violentiam.*
XXXIII. *Confirmatur ad hominem ex Oliv. tenente dubium juris, aut facti, excuſare à notorietate violentiæ.*
XXXIV. *Neque in hoc dubio pro validitate appellationis judicandum, in conflictu juris publici judicis, pro quo jura præſumunt, eſto aliter habeatur in conflictu juris partis privatæ.*
XXXV. *Jus deferri jubet appellationi dubiæ, non probabiliter frivolæ, ſed probabiliter legitimæ.*
XXXVI. XXXVII. *Ad impetrandam proviſionem per viam* tuitivæ *ſufficit probabilitas gravaminis futuri, non vero ad intentandam per viam* recurſus.
XXXVIII. *A judice eccleſiaſtico competente, appellationem ut frivolam rejiciente, vix defendi poteſt licitudo recurſus ex commun. doctrin.*
XXXIX. *Præfato judici, etiam injuſte agenti, nequit privata auctoritate reſiſti.*
XL. *Ex juris diſpoſitione ad eundem judicem pertinet de legitimitate appellationis cognoſcere.*
XLI. *Sicut fundamentum probabile probabiliter, ita apparens aliqualiter, celat violentiam rejectionis, arbitrio judicis relictæ.*
XLII. XLIII. *Si tamen abſque fundamento ullo, etiam apparente, rejiciat, patebit recurſus, ſi ad ulteriora procedat.*
XLIV. XLV. *Qua tergiverſatione evadat celabilis violentia judicis appellationem illam rejicientis.*
XLVI. *In illa rejectione arbitraria procederet judex probabilitate practice certa, ſaltem quoad excluſionem violentiæ.*
XLVII. XLVIII. *In reliquis judiciis, arbitrio judicis non commiſſis, debet judex judicare juxta probabilius jus partis; aliter vero, aliter.*
XLIX. *Arbitraria nequeunt argui de gravamine, neque ab eis recurri ad judicem incompetentem, bene vero aliquando ad judicem competentem.*

I. APPELLATIO frivola, ſecundum doctrinam Caſtr. Pal. de cenſur. bull. Cœn. d. 3. pu. 15. n. 8. et Scacc. q. 2. n. 48. curſ. mor. Salmantic. tom. eſt illa, *quæ eſt inanis, et vana*, nedum quoad fundamentum, verum etiam quoad finem: quare appellationem frivolam prætexunt (proſequitur Pal.) *recurrentes ad curiam ſæcularem, quia non habent animum appellationem proſequendi, ſed ſolum verbo tenus proponunt, ea de cauſa appellationem prætexere, id eſt, fingere, dicuntur; frivolam namque, et inanem; cum revera recurſum ad curiam ſæcularem tantum intendant.*

Secundum autem Donat. in prax. tr. 10. q. 11. n. 4. *Illa dicitur appellatio frivola, quæ interponitur ſine cauſa, vel cauſa eſt irrationabilis, vel eſt falſa, gloſſ. ibidem, ubi ſubjungit, quod ſi judex à quo injuſte admittat dictam appellationem, nedum peccat mortaliter; verum etiam, ſi judex appellationis dixerit, male appellatum, et bene judicatum, non tenebitur remittere cauſam principalem; at ipſemet cognoſcet de merito cauſæ, quod imputet ſibi judex à quo, ex eo quod detulit appellationi frivolæ, et ſe ſponte ſua juriſdictione ſpoliavit. Etenim ipſi judici à quo relictum eſt judicium judicandi, an appellatio ſit frivola, vel calumnioſa. Hinc boni judices non ſolent appellationem admittere, niſi cum cautela, incipiendo à negativa; nempe dicendo, non admittatur, niſi ſi, et in quantum; per quam clauſulam poterint ad ulteriora procedere, antequam ſit eis per judicem appellationis inhibitum.*

II. Juxta vero doctrinam Gaſparr. inſt. can. tt. 10. n. 31. *Appellatio manifeſte frivola, et fruſtratoria, eſt illa, quæ ſine legitima cauſa interponitur*; quæ quidem omnino rejicienda venit; non enim eſt inventa, ut ſit iniquitatis, ſed innocentiæ præſidium, c. *Cum parat.* hoc tit. c. *Appellationibus*, eod. tit. in 6. ub. gl. verb. *Deferendum.*

Oliv. autem de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 34. ſic appellationem frivolam deſcripſit, dicens, *Eam eſſe, quæ interponitur à ſententia, quam ex actis conſtat notorie eſſe juſtam, ac per conſequens appellationem notorie injuſtam, quod arbitrio judicis relinquitur*, ut per Menoch. de arbitr. caſu. 197. in fin. ſequitur Lancel. de attent. dicta limit. ſexta, n. 7.

III. Unde, et merito, cavendum monet à Per. de man. reg. *viro alias doctiſſimo, c. 22. n. 10. dum putat, eam tantum appellationem evidenter eſſe frivolam, in qua exprimitur cauſa frivola, vel ſine fundamento, ut ſi dicat appellans, Appello, quia pluit; quod non eſt tenendum: tum quia id nullo jure probatur: tum etiam, quia à ſententia definitiva ſine cauſæ expreſſione appellari poteſt, ut ipſe fatetur, unde nullus appellans cauſam exprimeret; ac per conſequens nulla appellatio rejici poſſet,*

poſſet, etiamſi eſſet contra manifeſtam juſtitiam; et ſic rariſſime locum haberet deciſio textus in d. cap. Cum appellationibus.

Juxta vero doctrinam aliorum tenentium, appellationem frivolam eſſe *omnem appellationem, quæ prohibita reperitur ſpecialiter*, dicendum eſt, appellationem in ſecunda inſtantia, à decretis, vel ſententiis ſuffraganeorum, omiſſo medio curiæ metropolitanæ; quia ſpecialiter interdicitur, atque invalida declaratur, à S. Congr. ſub Clem. VIII. die 15. Maii, 1700. ap. Monacell. p. 2. tt. 15. form. 2. n. 8. ad 10. de quo infr. c. 27. n. 22.

Confirmatur à paritate ex doctrina Leuren. de vicar. gen. q. 75. et Sbroz. l. 3. q. 2. n. 6. tenentium à vicario foraneo non poſſe appellari ad metropolitanum, præterito epiſcopo, ejuſque vicario generali; et abſolute docet Deluc. in miſcellan. d. 1. n. 76. de judic. d. 3. n. 54. de juriſd. d. 72. n. 18. de præemin. d. 34. n. 6. *Prohibitam eſſe omnem appellationem, omiſſo medio, præterquam ad Papam*; et eſt certiſſima juris concluſio, *quod non licet appellare*, omiſſo medio, etiamſi ad principem appelletur, l. *Imperatore*, 21. ff. de appellat. cum concordant. Scacc. de appellat. q. 7. n. 1. et per ſacr. canones ſtatutum eſt, *appellationem gradatim, et non per ſaltum, interponendam eſſe.* c. *Dilecti* 66. de appellat. ub. gl. vid. *Poſt hujuſmodi.*

IV. In hac igitur quæſtione partem negativam, videlicet, quod abſolute non liceat recurrere ad regem, vel ad tribunalia ſæcularia, pro denegatione cujuſvis appellationis, etiam non frivolæ, ſed legitimæ, tenent Azor. de inſt. mor. p. 1. l. 5. c. 12. et ſeqq. Aug. Barb. in collect. DD. ad decretal. in c. *Eccleſ. S. Mariæ*, de conſtit. Soar. l. 4. contr. Angl. error. c. 34. n. 34. et alii, quos citat Oliv. q. 12.

V. Fundamentum illis eſt, 1. Quod ad judicem eccleſiaſticum pertinet cognoſcere, et judicare, utrum appellatio ſit recipienda à ſententia, quam ipſe competenter tulit; vel ad judicem ad quem, gloſſ. verb. *Fiat*, in l. 1. per textum ibi ff. *Nihil novari appell. interpoſita recepta ab omnibus*, textus in cap. *Romana*, § *Quod ſi objiciatur*, de appellat. lib. 6. Covarr. pract. quæſt. cap. 23. in principio, Marant. de ord. jud. 6. part. tit. de appellatione, n. 133. Non ergo pronuntiando, ut judex, facit vim, ſeu oppreſſionem, imo valida exiſtit ejus pronuntiatio, cum à judice competenti, et juris ordine ſervato, fiat; et ad regem non pertinet cognoſcere de juſtitia ſententiæ datæ ſuper incidenti in cauſa eccleſiaſtica; ſed ad ſuperiores eccleſiaſticos, ut probavimus ſupr. in quæſt. proxima in primo membro; aſſerit Caſtr. part. 1. d. cap. 8. n. 2. Seſſe d. n. 89. et deciſ. 114. Hæc Oliv.

Corroboratur hoc fundamentum (proſequitur cit. Oliv. n. 3.) quia multi ſunt caſus, in quibus jus canonicum, et civile ſtatuit, ut non recipiatur appellatio, textus in cap. *Non ſolum*; ibi: *Exceptis caſibus, in quibus jura poſt ſententiam prohibent appellare*, de appellat. lib. 6. Alii etiam, attento jure Sacri Concil. Trid. et quoties Sedes Apoſtolica cum clauſula, *appellatione remota*, cauſam, vel negotium committit; et ad judicem eccleſiaſticum ſpectat cognoſcere, an ſententia ab eo prolata ſit appellabilis, necne: quod indubitabile eſt, tam in jure, quam in praxi; unde ſi non recipiat appellationem, licet alias injuſte, valide tamen pronuntiat; et, exequendo ſententiam, vim non facit, neque oppreſſionem, quia, permittente, imo præcipiente jure, exequitur; ac per conſequens ceſſat recurſus ad regem, ut oſtenderat in primo membro primæ præcedentis quæſtionis.

VI. 2. Quia, ſi à judice eccleſiaſtico appellationi, ut frivolæ, non deferente, licet injuſte, recurri poſſet ad regem, ex capite notoriæ violentiæ tollendæ, ſequeretur, quod princeps ſæcularis (ait Oliv. n. 7.) ſeu ejus miniſtri cognoſcere poſſent de juſtitia cauſæ, ſeu juris ſpiritualis, vel alias eccleſiæ; at conſequens eſt falſum, ut notum eſt in jure, et probaverat ſupra, quæſt. 8. et in ſpecie tenent omnes citati infra, qui contra judicem eccleſiaſticum, qui appellationem non recipit in caſu, in quo recipere debuit, dari recurſum ad regem pro violentia auferenda aſſerunt; igitur et antecedens: et quod ſequela ſit vera, in vim ſequelæ, probatur; quia in his terminis in tribunali regio illud tantum diſcutitur principaliter, utrum appellantes habeant in cauſa juſtitiam, quia ex hoc pendet deciſio allegatæ violentiæ, et oppreſſionis, an ſcilicet judex eccleſiaſticus juſte, vel injuſte appellationem frivolam pronuntiârit; eamque ex hoc capite non receperit: quam quæſtionum eſſe juris, et ejuſdem qualitatis, ac ipſam principalem cauſam, negari non poteſt; quinimo juſtitiam cauſæ principalis involvere manifeſtum eſt: et licet non ad cauſam principalem decidendam, ſed tantum ad finem decidendi, utrum judex eccleſiaſticus bene judicaverit appellationem frivolam pronuntiando; ac per conſequens, ſaltem in his terminis, quando appellationi non defertur, ut frivolæ; non poteſt in tribunali regio cognitio per viam violentiæ aſſumi.

VII. His, et aliis non obſtantibus fundamentis apud cit. Oliv. videndis, contrariam ſententiam affirmativam pro licitudine illius recurſus, tenent ipſe Oliv. n. 10. cum Cevall. de viol. gl. 1. 6. et 7. et in prolog. n. 114. Covarr. pract. qq. c. 35. n. 3. Oliban. de jur. fiſc. c. 11. n. 53. Seſſ. in ep. n. 92. et dec. 114. n. 7. Guttier. de juram. p. 1. c. 2. n. 26. Salzed. ad Bern. c. 102. Per. de man. reg. c. 6. n. 17. et c. 22. per tot. cum variis tamen limitationibus infr. inſinuandis.

Prob. 1. Hanc ſententiam ex Rottæ Rom. approbatione ann. 1595. cujus verba tranſcribit Cevall. gl. 6. n. 55. et Farinac. conſil. c. 8. n. 13. et 14. ibi: *Et non obſtat exceptio excommunicationis propter recurſum ad concilium regium; quia iſte recurſus hoc caſu ad defenſionem propriæ poſſeſſionis, et appellationis admiſſionem, non eſt improbatus. Aquil. dec. 36. de appellat. Urbanius enim agit, cum poſſit judici de facto procedenti, de facto etiam reſiſtere. Pariſ. conſ.* fin. l. 4. et ideo etiam in eadem Rotta judicatum pluries fuit, ait Lancelot. de attent. p. 2. c. 4. lim. 1. n. 38. et decl. 4. n. 34. et cum eo Oliv. cit. q. 17. n. 10. *Quod non dicitur attentare in judicio eccleſiaſtico, qui pro tuenda ſua poſſeſſione, lite ſeu appellatione pendente, ad principem ſæcularem recurrit.*

VIII. Probant, 2. à ratione: Quia (ait Oliv.) appellatio eſt remedium defenſivum adverſus judicem inique judicantem, textus in l. prima ff. de appellationibus: et ad præſidium innocentiæ, textus in capit. *Cum ſpeciali* 61. § *Porro*, de appellat. Continet ergo appellatio naturalem defenſionem: ac per conſequens, qui appellationem non recipit contra partem indefenſam, ſententiam exequitur, et vim facit claram, daturque locus recurſui ad regem, ut reſolvit idem Oliv. in quæſtione præcedenti, 2. p. ſecundi membri: et ideo aliqui dixerunt, appellationem eſſe de jure naturali; alii autem quoad ſubſtantiam; quatenus continet defenſionem juris naturalis; licet, quoad formam, et ſolemnitates, et alias circumſtantias, ſit de jure humano, Abbas, et alii in rubrica de appellat. Caſtr. de man. reg. p. 1. cap. 22. n 4. Cevall. de cogn. per viam violentiæ in proœmio cap. 11. n. 13.

IX. Huic tamen loquendi modo refragatur Oliv. ibid. ſub n. 12. ſibique magis placere dicit aſſerere, appellationem (licet in ſe habeat defenſionem, et in ratione naturali fundetur) inventam eſſe ſimpliciter à jure humano, de jureque humano eſſe, ab eoque tolli poſſe; et ideo defenſio civilis dicitur, ut, poſt alios, tenuit Dec. in dicta rubr. n. 9. faciens differentiam inter appellationem, et citationem; quod idem dixit Abb. in dicto cap. *Dilecti*, de excep. Covarr. pract. cap. 23. n. 6. Cevall. de cogn. per viam viol. gloſſ. 6. n. 27. quod etiam concludit in dicto cap. 11. n. 16. hocque concludit ratio generalis, et vera, ab omnibus citatis DD. adducta, quod, ſcilicet, poteſt, principem tolli, ut planum, et indubitabile exiſtit; quod fieri non poſſet, ſi eſſet de jure naturali: unde, licet hoc fundamentum aliquid faciat ad confirmandum recurſum ad principem ſæcularem contra judicem eccleſiaſticum; non tamen eſt concludens.

X. Quare probat, 3. eandem ſententiam: Quia per appellationem juriſdictio, et poteſtas judicis à quo, quoad cauſam appellatam, ſuſpenditur, textus in cap. *Veniens*, in ſecundo de jurejurand. et in cap. 1. de re jud. et utrobique DD. alibique paſſim affirmant Ægid. Bellemer. deciſ. 707. Pariſ. conſil. 28. n. 23. ubi de deciſione Rottæ citat lib. 4. Covarr. pract. cap. 23. n. 1. Cevall. gloſſ. 12. n. 9. eſtque apud utriuſque

juris

juris DD. de hac re agentes reſolutiſſimum, Rottæque deciſionibus approbatum, ut per Lancelot. *de attent. appell. pend.* in præfatione, n. 118. ligatque manus judicis à quo, ut non poſſit procedere ad aliquem actum in illa cauſa, textus in l. *appellationes* cod. appell. et in l. 1. ff. *Nihil novari appellatione interpoſita*, Marant. de ord. jud. 6. part. tit. de appellat. n. 171. unde ſine juriſdictione judex poſt appellationem procedit, ut ex Cevall. de cognit. per viam viol. gloſſ. 7. n. 3. et in omnibus appellans eximitur à judice à quo, Pariſ. ubi proxime, à n. 24. et ideo, ex hoc defectu, proceſſus, executioque, nullius eſt momenti, ſecundum veriorem, et receptiorem ſententiam textus in cap. *Licet*, de ſent. excom. Bellem. dicta deciſ. 707. Lapus alleg. 2. n. 2. Alex. conſil. 35. n. 2. vol. 4. Pariſ. conſ. 28. n. 29. et conſil. fin. n. 29. lib. 4. alios citat; et ſequitur Lancelot. de attent. appellatione pend. in præfatione n. 119. eandem communem aſſerit; et ſequitur Covarr. pract. p. 24. n. 2.

Ut tamen utrique opinioni, et veritati plene ſatisfaciamus, ſit——

Prima Reſolutio.

XI. Licet cauſa appellabilis ſit, ſi tamen appellatio notorie frivola fuerit, non patet aditus ad recurſum ad regia tribunalia à judice eccleſiaſtico ad ulteriora, vel ad executionem, ea appellatione non obſtante, procedente. Hæc reſolutio eſt communis, et de mente omnium DD. etiam pro licitudine hujuſce recurſus pugnantium.

XII. Prob. 1. Quia appellatio frivola non ſuſpendit juriſdictionem judicis, ex c. *Cum appellationibus*, de appellat. in 6. ubi DD. omn. et ſignanter Marant. de ord. jud. p. 6. de appellat. n. 182. Lancelot. de attent. appell. pend. lim. 6. n. 1. Cevall. de viol. q. 19. n. 11. Per. de man. reg. c. 9. n. 32. et c. 22. n. 10. Oliv. de for. eccleſ. q. 17. n. 32. Atqui in tantum poſſet intentari recurſus à judice eccleſiaſtico, pendente appellatione, ad ulteriora procedente, in quantum notorie abſque juriſdictione ulla procederet: ergo cum notorium ſit in hoc caſu juriſdictionem retinere ex notorietate appellationis frivolæ, nequit ab illo recurſus intentari.

XIII. Hanc reſolutionem ampliat Oliv. ibidem, n. 33. etiam poſt inhibitionem à judice *ad quem* emanatam; quia inhibitio, in his terminis, foret notorie injuſta; et inhibitioni ſolummodo obediendum, quando fuerit canonica. Ægid. dec. 239. Felinus in cap. ſupra *quæſtionum* 17. § finali, de officio, et pot. jud. deleg. in fine, Pariſ. conſil. 108. de bono jure, n. 6. lib. 1. et conſil. 172. in cauſa n. 15. lib. 4. Vant. de nullit. ex defect. juriſd. dict. n. 242. Marant. dict. tit. de appellat. n. 207. ſequitur Lancel. dict. limit. 6. n. 21. cum ſequenti.

XIV. Prob. 2. Quia fundamentum appellationis eſt, nedum gravamen ſimpliciter, ſed qualificatum, videlicet injuſtum, aut violentum, ex c. *Conſuluit* de appellat. c. *Suggeſtum*, cod. tit. ubi DD. omnes, et Gaſparr. cit. n. 30. cum Abb. n. 3. in d. c. *Conſuluit*. Et fundamentum recurſus eſt etiam violentia, non ſimplex, ſed qualificata, et ita notoria, quod nullatenus excuſabilis, aut tergiverſabilis ſit, nec pro illa appareat ulla probabilis opinio, juxta tradita c. 12, 13. et ſeqq. Atqui judex eccleſiaſticus, appellatione notorie frivola ſpreta, ad ulteriora progrediens, nec ſimplex gravamen incutit, neque injuſtitiam, aut violentiam, etiam ſimplicem infert, et multo minus notoriam, et nullatenus celabilem, aut excuſabilem: ergo.

XV. Prob. 3. Quia appellatio eſt ad præſidium innocentiæ inſtituta; ex c. *Cum ſpeciali*, § *Porro* de appellat. et c. *Cum parat.* eod. tit. c. *Appellationi*, et aliis. Atqui appellatio frivola, non ſolum non eſt ad præſidium innocentiæ, quinimo eſt ad defenſionem iniquitatis adinventa, et interjecta, regulariter *ad frivolæ ejus appellationis diffugio judicis proceſſum impediendum*; ut formaliter dicitur cit. § *Porro:* ergo judex eccleſiaſticus tali appellationi non deferens, nedum injuſtitiam, et multo minus violentiam infert, cum teneatur ex juſta diſpoſitione juris ipſius eidem non deferre, ex cit. § ibi: *Non eſt hujuſmodi provocationi deferendum.* Et quid ſimile diſponitur, etiam c. *Cum parat.* et c. appellationibus cod. tit.

XVI. Confirmatur: Quia appellatio *frivola*, et *fruſtratoria*, recurrunt adinvicem, ex doctrina Gaſparr. cit. tt. 10. n. 31. et conſtat ex cit. c. *Cum parat.* et c. *Appellationibus* in princip. eod. tit. in 6. ibique gl. verb. *Deferendum*, et ex c. *Paſtoralis*, hoc tit. ibi: *Appellatio fruſtratoria tantum*, &c. Deinde *fruſtratorium*, et *fruſtraneum*, dicitur id quod *exitum ſperatum non habet*; *vel quod incaſſum*, *inaniter*, *aut inutiliter abſque ullo rei effectu fit*, ut ex lexic. utr. jur. et Alex. Scott. verb. *Fruſtra*, aperte deducitur: ergo appellatio frivola, et fruſtratoria, ex propria ipſius natura nullum effectum, etiam devolutivum, producit, et nullam receptionem, vel admiſſionem meretur.

XVII. Dices: Saltem in caſu, quod, interpoſita appellatione frivola, judex *ad quem* inhibitionem mittit in cauſa appellabili, ſi non ex vi illius appellationis interjectæ, ſaltem ex vi hujuſce inhibitionis emanatæ, ſuſpenſa utique remanebit judicis *à quo* juriſdictio; proindeque nulliter notorie, atque violenter, ad ulteriora procedet, quod ſæpe Rotta admiſit, ut tradit Lancel. cit. d. lim. 6. n. 23.

Reſp. diſt. antecedens: Appellatione frivola probabiliter tantum, tranſeat; frivola notorie, nego; tum quia inhibitio judicis tunc foret etiam notorie injuſta, proindeque eidem non parendum à judice *à quo*, ut tenent Oliv. et reliqui DD. ſupra cit. tum quia mens, et animus judicis *ad quem* non eſt inhibere cum effectu judicem *à quo*, ſtante notorietate frivolæ, et fruſtratoriæ appellationis, ut conſtat ex cit. c. *Cum parat.* et *Cum ſpeciali*; quemadmodum neque, ſi aliquod grave inconveniens, aut præjudicium, intercedat in executione illius inhibitionis, ſicut et cujuſlibet alterius reſcripti, ut convincitur expreſſe ex c. *Cum teneamur* de præbend. c. *Si quando* de reſcript.

Secunda Reſolutio.

XVIII. Etiamſi judex eccleſiaſticus non deferat appellationi probabiliter tantum frivolæ, et, illa rejecta, ad ulteriora procedat, etiam dato, quod injuſtitiam committeret, non tamen violentiam notoriam, et recurſabilem inferret. Eſt contra Oliv. cit. n. Eſt tamen reſolutio hæc conformis, atque cohærens alteri c. 17. n. 14. præmiſſæ; et, ſi bene ponderetur, eſt de mente omnium DD. pro fundamento recurſus prærequirentium violentiam ita notoriam, quod nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis ſit, ut ex jure ipſo c. 12, 13. et ſeqq. ſatis allegato, communiter circumfertur; et eam expreſſe tenent Guerreir. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 7. et de mun. judic. orphan. tr. 2. l. 8. c. 14. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 15. c. 2. n. 689. et 690. Oliv. q. 17. n. 59. et 60. et idem eſſe judicium de recuſatione, ac de appellatione, omnes communiter docent.

XIX. Prob. 1. Quia in tantum à judice eccleſiaſtico appellationi probabiliter frivolæ non deferente, et, ea non obſtante, ad ulteriora procedente, patere poſſet aditus ad recurſum, in quantum appellatio illa certo, et notorie, ſuſpenderet juriſdictionem judicis: atqui appellatio probabiliter frivola, non certo, et notorie, ſuſpendit juriſdictionem judicis *à quo*: ergo. Probatur minor, non ſolum ex c. *Cum appellationib.* hoc tit. in 6. infra tranſcribendo, et ponderando; ſed etiam ex ratione, quia appellatio notorie frivola, certo, et notorie, non ſuſpendit juriſdictionem judicis: ergo etiam appellatio probabiliter frivola, quantum eſt ex ſe, probabiliter non ſuſpendit juriſdictionem judicis: atqui, ſtante hac probabilitate, et poſito, quod talis judex certus ſit, practice, et exercite, habet juriſdictionem certo, et notorie: ergo.

Prob. hæc minor ſubſumpta: Quia in materia juriſdictionis, ſtante probabilitate, certum eſt, judicem etiam cum ſolo titulo colorato practice, et exercite, juriſdictionem habere ex ſupplemento eccleſiæ, vel reipublicæ, nedum eccleſiaſticæ, verum et ſæcularis, ex l. *Barbarius*, ubi DD. omnes de juriſd. omn. judic. Atqui impræſentiarum judex non ſolum habet titulum coloratum, ſed verum, et certum, et eſt certo, et notorie, verus judex: ergo practice ex ſupplemento reipublicæ, ſtante probabilitate illa, certo, et notorie, juriſdictionem retinet, quam quidem appellatio probabiliter frivola nequit ſuſpendere.

XX.

XX. Confirmatur, 1. Quia appellatio probabiliter frivola, eſt appellatio dubia, ſaltem quoad juſtitiam, et effectus, imo et quoad validitatem: atqui quoad dubium eſt, nequit prævalere certo, neque eidem præjudicium inferre: ergo dubium, vel probabilitas fruſtratorietatis, aut frivolitatis appellationis, nequit prævalere, aut præjudicare juriſdictioni certæ judicis, certo et notorie talis. Neque *certa pro incertis demittenda ſunt*, l. *Quemadmodum*, ff. de judic. l. *Cum Titio*, ff. *Ad l. Falcid.*

XXI. Confirmatur, 2. Ex eod. Oliv. cit. n. 47. ubi docet, quod licet detur opinio aliqua DD. tenentium cauſam aliquam appellabilem eſſe, ſi illa opinio reipſa probabilis non ſit ex jure, vel ex praxi, appellatio, vi illius interpoſita, non ſuſpendit juriſdictionem judicis *à quo*; neque judex procedens, ea appellatione ſpreta, vim facit, neque attentatum committit, eo quod opinio illa nil derogat notorietati juſtitiæ ſententiæ appellatæ; et citat Marant. Lancelot. et alios: ergo ſimiliter.

XXII. Prob. 2. Quia à judice eccleſiaſtico valide, licet injuſte, judicante, et procedente, non patet aditus recurſui ad tribunalia ſæcularia, ut expreſſe tenet Oliv. q. 16. n. 10. cum Per. de man. reg. c. 9. an. 25. de quo ſupr. c. 15, 16. et 18. Atqui judex eccleſiaſticus, in caſu illo, ſaltem valide procederet; imo et licite, ac juſte, ex practica certitudine ſuæ juriſdictionis, et ex probabilitate fruſtraneitatis, et frivolitatis appellationis illius: ergo, &c.

XXIII. Prob. 3. Quia à judice eccleſiaſtico nequit interponi recurſus ad judices regios in caſibus injuſtitiæ, etiam notoriæ; ſed ſolummodo in caſibus violentiæ, non ſimplicis, et quomodolibet, ſed qualificatæ, puta manifeſtæ, et ita notoriæ, atque evidentis, ut minime celabilis, aut tergiverſabilis ſit, de quo ſupr. c. 12. et c. 14, 15. et 16. atqui, poſita probabilitate illius appellationis frivolæ, et fruſtratoriæ, notorium non eſt, neque eſſe poteſt, judicem ei non deferentem, et ad ulteriora, ea non obſtante, procedentem, notoriam, et evidentem violentiam inferre, imo neque notoriam injuſtitiam ex certitudine ſuæ juriſdictionis, et ex dubietate ſortitionis, aut productionis effectus appellationis illius probabiliter frivolæ (cujus quidem probabilitas certe celaret, aut tergiverſaret, notorietatem illius violentiæ, imo et injuſtitiæ) et ex reliquis ſupra traditis: ergo, &c.

XXIV. Prob. 4. Quia appellatio probabiliter frivola eſt appellatio minus legitima: ergo non ſuſpendit juriſdictionem judicis, ut patet ex c. *Cum appellationibus frivolis nec juſtitia deferat, nec ſit à judice deferendum, ſi judex inferior appellationem minus legitimam non admittat.* Ubi ſupponit judicem inferiorem poſſe talem appellationem non admittere, et jubet condemnari appellantem, et à ſuperiore refutari etiam judicis inferioris delationem; ibi: *Si vero judex admittat eandem, licet tam appellatio, quam ipſius judicis delatio, à ſuperiore valeant refutari; quia tamen judex ipſe, quantum in ſe fuit, à ſe juriſdictionem abdicavit, appellationi deferens minus juſte*, &c. Ubi vides, etiam poſt appellationem illam, fuiſſe adhuc in judice inferiori juriſdictionem, et eam dumtaxat à ſe abdicâſſe per delationem appellationi illi.

XXV. Confirmatur, 1. Ex expreſſa doctrina Oliv. cit. q. 17. n. 40. ibi: *Ultimo, Limita prædictam ſententiam, quæ recurſum ad regia tribunalia admittit in materia, de qua agimus, ut procedat tantum, ſi evidenter, et notorie conſtiterit, judicem eccleſiaſticum injuſte appellationem legitimam rejeciſſe, eaque non obſtante, ad executionem proceſſiſſe, Caſtr. dicto cap. 21. n. 5. eſtque de mente omnium de hac re agentium; generale enim eſt, quod non habeat locum hic recurſus per viam violentiæ, niſi data violentia certa, et notoria, ut ſupr. quæſt. 12.* reſolvimus *cum communi opinione praxi recepta.* Atqui in facta hypotheſi appellationis probabiliter frivolæ, ac fruſtratoriæ, non eſt notorium, ſed dubium, quod appellatio illa juſta, ac legitima ſit; imo neque notorium, judicem injuſte, et multo minus violenter, ei non detuliſſe, vel eam rejeciſſe, vel, ea non obſtante, ad ulteriora, ſive ad executionem, proceſſiſſe: ergo.

XXVI. Confirmatur, 2. Ex obligatione ſtandi, ac judicandi, pro validitate actus in dubio validi, ex poſitione clara utriuſque juris, ſecundum quam *actus in dubio validus debet interpretari*; ex l. *Quoties*, ff. de reb. dub. l. *Quoties*, ff. de verbor. oblig. c. *Eſtote*, de regul. juris; *et in benigniorem partem ſumendus*, l. *Semper*, ff. de regul. juris, et ex præſumptione, quam *pro judice ſemper jura decernere jubent*, tum quoad validitatem, tum quoad licitudinem ab eo geſtorum, l. 1. in fin. ff. de offic. prætor. l. *Nimis*, cod. de acquir. poſſeſſ. c. *In præſentia*, de renunt. quod ampliatur, *etiamſi à ſententia ſit appellatum*; quod intellige *appellatione juſta, et legitima.* Surd. de alim. tit. 1. q. 120. n. 11. Alciat. de præſumpt. reg. 3. pr. 9. n. 2. l. *Herennius*, 63. § *Caia*, ff. de evict.

XXVII. Confirmatur, 3. efficaciter: Quia, juxta doctrinam Oliv. q. 15. et 17. potiſſimum ſignum dignoſcendi, quando liceat recurſus ad ſæcularia tribunalia, hoc eſt, quando pars licite judici eccleſiaſtico, ut privato, reſiſtere valet, et vim vi repellere: atqui nequit taliter reſiſtere judici appellationem probabiliter frivolam rejicienti, tum quia eam rejicit ut judex, tum quia ejus arbitrio relinquitur judicare, qualiſnam appellatio frivola ſit: ergo.

XXVIII. Dices, 1. pro Oliv. cit. n. 42. Si appellatio fuerit tantum probabiliter frivola, et fruſtratoria, remanebit dubia illius juſtitia: atqui ſemel quod injuſtitia appellationis non ſit certa, et juſtitia illius ſit dubia, tenetur judex illi deferre, tum ob reverentiam ſuperioris, tum quia appellans tunc habet pro ſe regulam juris, quod, *pendente appellatione, nihil innovandum*, c. *Non ſolum*, ne appellat. in 6. et per tot. ff. *Nihil innovari*: ergo, *Licet in aliis materiis non poſſit dici violentia notoria* (proſequitur Oliv.) *ſi jus, vel factum dubium fuerit; imo magis dubia violentia, quanto magis jus dubium? in hac tamen materia non ricipiendi appellationem, ſeu exequendi ſententiam, ea pendente, reſultat violentia certa, et notoria:* ergo.

XXIX. Sed contra, 1. Quia Oliv. ibi procedit in ſuppoſitione, quod appellatio illa judicis juriſdictionem cum effectu ſuſpendat; ait enim n. 42. *Nam judex in his terminis notorie ſine juriſdictione procedit, ut privatus, cum in dubio appellationi deferre debuerit, et, licet non detulerit, ſuperſedere debet, gloſſa ultima, in fin. in l. Qui reſiſtere*, 68. *ff. de rei vend.* et jam ſupra ſatis oſtendimus, n. 18. appellationem probabiliter frivolam non ſuſpendere juriſdictionem judicis; quinimo, ea non obſtante, utpote dubiam, judicem ipſum, utpote certum, practice, et exercite, certam, et notorie juriſdictionem habere, ſaltem ex ſupplemento reipublicæ.

XXX. Contra, 2. Quia etiam judex in illo caſu habet pro ſe juris regulas certas; videlicet, quod *pro judice jura præſumunt*; et quod *actus dubius, validus debeat interpretari*; et quod *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*, c. 1. de matrim. contr. interdict. c. *Rurſus, qui cler.* c. Ad Apoſtolic. de regular, l. *Patre furioſo, de his, qui ſunt ſui jur.* l. 1. § *Biduum*, ff. *Quando appellandum.*

XXXI. Contra, 3. Quia etiam animus, et mens ſuperioris, et ipſarum legum, hæc eſt, ut judicis juriſdictio non impediatur, etiam per appellationem, in prima inſtantia, ut patet ex claro S. Concilii Trid. decreto, ſeſſ. 24. c. 20. de reform. et alibi; et multo minus per appellationem probabiliter fruſtratoriam, et non legitimam, ex ſuperius traditis, c. eodem, n. 12. et ex ſeqq.

XXXII. Reſpondetur ergo ad argum. diſting. minorem: Tenetur judex illi appellationi deferre, ita ut non deferens, committat injuſtitiam vel certam, vel ſaltem probabilem, tranſeat; ita ut committat violentiam notoriam, et nullatenus celabilem, vel tergiverſabilem, atque adeo recurſabilem, id eſt, habilem, ut pro ea remedium recurſus effective adeatur, nego. Dixi, *Tranſeat*; quia, cum illa dubietate juſtitiæ appellationis illius, non videtur judex illi non deferens injuſtitiam certam, ſed dubiam committere. Imo, dato, quod committeret, certe violentiam notoriam, et evidentem, non inferret, cum ejus notorietas ex dubietate juſtitiæ illius appellationis infirmaretur, et utique redderetur celabilis, prætextabilis, atque excuſabilis, ſicut et in reliquis materiis.

XXXIII. Confirmatur hæc ratio: nam, ſi, juxta Oliv. in reliquis materiis dubium juris, aut facti, excuſat à notorietate violentiæ; ita et in præſenti: tum

quia appellatio probabiliter frivola, ac fruſtratoria, non ſuſpendit certo juriſdictionem judicis, imo nec *practice*, neque probabiliter; tum etiam ex aſſiſtentia certa regularum juris judici ipſi; tum denique, quia juſtitia, et injuſtitia, ſunt correlativa: unde implicat, ex juſtitia dubia partis appellantis, reſultare injuſtitiam certam in judice non deferente; imo, dato, quod reſultaret injuſtitia certa, nunquam reſultaret violentia notoria, evidens, et recurſabilis; eo quod ex dubietate illa ſatis celabilis, et tergiverſabilis redderetur. Vide tradita c. 12. et 14.

XXXIV. Inſtabis: Si in dubio interpretandum eſt pro validitate actus; ergo pro validitate, et juſtitia appellationis dubie, aut probabiliter frivolæ judicandum: Reſp. 1. retorquendo argumentum: Ergo pro validitate, et juſtitia non delationis, ſive rejectionis talis appellationis dubiæ, aut probabiliter frivolæ, et fruſtratoriæ, præſumendum eſt, atque judicandum.

Reſp. 2. diſting. conſequens: Contra tertium, et in conflictu juris illius adverſus jus appellantis, concedo; contra judicem, et in conflictu, ſeu concurſu juris judicis, cum jure partis appellantis, nego. Quando enim pugnant utrinque diverſa jura, deferendum, et ſtandum erit juri fortiori, et meliori. Melius autem, et fortius eſt jus publicum, et perſonæ publicæ, qualis eſt judex, quam jus perſonæ privatæ, qualis eſt pars. Deinde *pro judice*, non pro parte, *jura præſumunt*; *et jus ſpeciale, et privatum, facilius tollitur, quam jus commune, et publicum, l. Ejus*, § 1. ff. *de milit. teſtam.*

XXXV. Dices, 2. C. *Cum ſpeciali*, de appellat. jubetur deferri appellationi dubiæ; ibi: *Exceſſu quoque dubio exiſtente, ne, frivolæ appellationis diffugio, appellans judicis proceſſum impediat, coram eodem probabilem cauſam appellationis exponat; talem videlicet, quæ, ſi foret probata, deberet legitima reputari:* atqui appellatio probabiliter frivola eſt dubia: ergo.

Reſp. 1. Textum non loqui de appellatione probabiliter frivola, ſed probabiliter legitima, cum probabilitate talis cauſæ, quæ probata, appellationem ſimpliciter, et abſolute certo legitimam redderet. Appellatio autem probabiliter frivola, non fundatur in probabilitate poſitiva legitimitatis cauſæ, ut appellatio probabiliter legitima fundatur; ſed in probabilitate poſitiva fruſtratorietatis, doli, fraudis, aut malitiæ, quæ conſtituunt appellationem frivolam, id eſt, doloſam, fraudulentam, malitioſam, ut conſtat ex c. *Suggeſtum*, hoc tit. ibi: *Siquis deprehenſus fuerit hoc ex fraude, vel malitia, facere, appellationi ejus non deferens, neque ob id cauſam tibi commiſſam terminare poſtponas.* Ex quo conſtat, diverſum quid eſſe, *probabiliter legitimum*, et *probabiliter frivolum.*

Reſp. 2. Ex diſpoſitione text. cit. c. *Cum ſpeciali*, ſolummodo ſequi, judicem appellationi dubiæ non deferentem, injuſtitiam quidem committere, non vero notoriam violentiam, quæ quidem omnino diverſiſſima ſunt, juxta tradita c. 17. et 18.

XXXVI. Dices, 3. pro Per. de man. reg. c. 21. n. 5. ibi: *Quando judex eccleſiaſticus contra canonum præcepta appellationem per manifeſtam injuſtitiam repellit, et ſententiam ſuam exequitur, injuſte opprimit, ſuæ prudentiæ innititur, et ſuperiorem, ad quem appellatum extitit, contemnit; ex quibus injuſtitia fit notoria, et oppreſſio per revelationem ad jus commune, quo injuſtitia fit manifeſta, et venit non obſervanda talis ſententia, arg. cap. Inter cæteras, de re judic.*

XXXVII. Reſp. 1. Ibidem non loqui de appellatione probabiliter frivola, ſed notorie juſta, ac legitima, *quam judex eccleſiaſticus per manifeſtam injuſtitiam repellit, et ſententiam exequendo injuſte opprimit.* Reſp. 2. Ibidem agere, non de manu regia per viam recurſus adeunda, ſed per viam chartæ tuitivæ appellatoriæ interponenda; ad hanc autem impetrandam ſufficit timor, et probabilitas gravaminis futuri, et injuſtæ moleſtiæ, atque turbationis. Ad obtinendam autem proviſionem per viam recurſus, non ſufficit injuſtitia, etiam notoria, nec gravamen probabile tantum, aut futurum; ſed prærequiritur omnino violentia realis, certa, et ita notoria, et evidens, quod nullo modo celabilis, tergiverſabilis, aut excuſabilis ſit, et de qua notorium etiam ſit, nullam ſibi probabilem adeſſe opinionem, ut tenet expreſſe cit. Per. c. 7. et c. 4. n. fin.

Tertia Reſolutio.

XXXVIII. Quando judex eccleſiaſticus competens appellationem repulit, ut frivolam, vix defendi poteſt licitudo recurſus ab illo ad tribunalia ſæcularia. Ita expreſſe Oliv. de for. eccleſ. q. 17. ſub n. 19. § *Ad ſecundum.* Illam etiam tenet Seſſ. in ep. ad reg. ex n. 89. et dec. 114. n. 22. Menoch. rem. 8. recuper. et eſt de mente DD. omnium in c. *Conquerente*, de reſt. ſpoliat. Conſentiunt etiam Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 17. cum Bobadill. polit. l. 5. c. 3. Larr. dec. 98. n. 59. quæſ. Pil. contra for. c. 16. n. 2. Idem namque eſt judicium de recuſatione, atque de appellatione. Idem Guerr.

XXXIX. Prob. 1. Quia, juxta commune DD. placitum, in d. c. *Conquerente*, adverſus judicem competentem, juris ordine ſervato, appellationem frivolam pronuntiantem, et ſententiam exequentem, reumque à poſſeſſione privantem, licet injuſte agat, non tamen ipſi judici privata auctoritate reſiſti poteſt, neque adverſus eum competunt interdicta poſſeſſoria, ex notatis per DD. citatos: atqui in eo tantum caſu poteſt dari locus recurſui ad tribunalia ſæcularia ab eccleſiaſtico judice, quando pars, ex vi defenſionis naturalis, ei privata auctoritate reſiſtere poteſt, ut probat cit. Oliv. cum multis ibid. n. 5. et q. 15. n. 17. et ſeqq. ergo.

XL. Prob. 2. Quia ad eundem judicem eccleſiaſticum à quo pertinet cognoſcere, an appellatio ab eodem interjecta ſit frivola, necne, ex ipſius juris diſpoſitione, c. *Cum appellationib.* de appellat. in 6. ubi DD. omnes, cum quibus Lancelot. de attent. appell. pend. lim. 6. n. 1. Deinde, arbitrio judicis committitur, ac relinquitur judicare, an appellatio interpoſita frivola ſit, ut tenent præcit. DD. et Gaſparr. cit. Guerr. cit. n. 17. Ergo ſi talis judex, juris ordine ſervato, appellationem talem frivolam pronuntiet, et ad executionem procedat, pro illo de jure præſumendum eſt; et quamvis de facto, vel etiam de jure, probetur injuſte pronuntiâſſe, atque injuſte procedere; ab injuſtitia, etiam notoria, non patet aditus ad recurſum, ſed à violentia taliter notoria, et evidenti, ut nullo modo celabilis, aut tergiverſabilis ſit. Vide reſoluta c. 12, 13, 14. et ſeqq.

XLI. Prob. 3. Quia, ſi judex eccleſiaſticus talem appellationem cum aliquo fundamento (ut facere debet) rejiciat; vel tale fundamentum erit certum, vel probabile, vel tantum apparens. Si *certum*, erit rejectio notorie juſta. Si *probabile*, erit juſta probabiliter, et minime appellatio illa ſuſpendere poterat judicis juriſdictionem; tum quia *pro judice jura præſumunt*; et multo magis in judicio, ac deciſione rei, ejus arbitrio relictæ; tum quia probabilitas ſufficit ad conferendam, et ſupplendam juriſdictionem, etiam in judice illam reipſa non habente, et cum ſolo titulo colorato procedente; multo magis in judice vero, et certo, non ad conferendam non habenti, ſed ad eam jam habitam, retinendam.

Si *apparens* dumtaxat; cum hoc ſufficiat ad celandam, palliandam, et tergiverſandam aliqualiter judicis violentiam, imo et injuſtitiam, eo quod judicium de appellatione frivola ejus arbitrio relinquitur; et pro *judice jura præſumunt*; et in arbitrariis non poteſt facile convinci injuſtitia, aut improbabilitas poſitiva, Gregor. dec. 106. n. 2. Deluc. de matrim. d. 1. n. 13. Rovit. pragm. rubr. de appellat. n. 25. et ſeqq. non patebit ab illo aditus ad recurſum, quandoquidem hic ſolummodo intentari poteſt, non ab injuſtitia, ſed à violentia ita notoria, et evidenti, quæ aliqualiter celabilis, aut tergiverſabilis non ſit.

XLII. Dixi, *Vix defendi poteſt*; quia in aliquo caſu licita poterit eſſe intentatio recurſus à judice eccleſiaſtico competente, appellationem, ut frivolam, rejiciente, et, ea non obſtante, ad ulteriora procedente; quando, ſcilicet, abſque ullo fundamento, aut ratione, etiam apparente, ſed mere pro libitu, et ex abrupto, id faceret, ita ut notorium omnino foret, judicem injuſte, libere, et deſpotice, abſque fundamento aliquo, etiam apparente, appellationem rejeciſſe, de quo tamen infra c. 28. n. 7.

XLIII. Aſt in hoc etiam caſu monet iterum Oliv. n. 22. uſque 24. d. q. 17. tunc violentiam recurſabilem non conſiſtere in pronuntiatione, qua judex eccleſiaſticus appellationem rejicit; ſed, dum, ea non obſtante,

obſtante, ad ulteriora procedit, vel ſententiam executioni mandat; et hoc tantum aſſerit concludere jura, et rationes adductas pro hac ſententia, ut etiam aſſerit Cevall. ab eodem cit. gl. 1. n. 7. et gl. 6, et 7. Seſſe dec. 114. n. 4. unde, proſequitur, *Si judex eccleſiaſticus, licet appellationem rejecerit, ad ulteriora non procedat, nec vim faciet cum effectu, nec ad aliquid per hanc viam cogi poteſt.* Ipſum vid. cit. q. 17. n. 22. et 23.

XLIV. Dices: Juxta tradita c. 12, 14, 15. et 16. violentia notoria eſt illa, quæ nulla probabili ratione, non vero apparenti tantum, celabilis, aut tergiverſabilis eſt: atqui quod celatur, aut tergiverſatur *apparenter* dumtaxat, non tergiverſatur, aut tegitur *probabiliter*: ergo non ſufficit ratio, aut fundamentum apparens dumtaxat, ad celandam notorietatem violentiæ judicis appellationem, ut frivolam, rejicientis. Reſp. 1. ex notatis d. c. 12. Quod quamvis gl. in c. *Statuimus*, de offic. deleg. in 6. verb. *Conſervatores*, dicat; *Intellige manifeſta illa, quæ notoria ſunt, et ita patentia, quod nulla probabili tergiverſatione celari poſſunt*; attamen in reliquis juris capitibus, non additur, neque adjungitur, qualitas illa probabilitatis; ſed ſimpliciter dicitur, *quod tergiverſatione aliqua celari non poſſit*, ut c. *A nobis*, de cohabit. cler. et mul. et c. *Cum olim*, de verbor. ſignif. ibi: *Quæ nulla poſſit tergiverſatione celari.* Et c. *De manifeſta* 2. q. 1. ibi: *Neque tergiverſatione aliqua poterat tegi*, ub. gl. *Tergiverſatione*; id eſt, *diſſimulatione.* Ubi neutro iſtorum jurium adjungitur qualitas *probabilitatis*; non enim dicitur *probabili tergiverſatione*, ut in gl. cit. c. *Statuimus*; ſed *aliqua tergiverſatione*, vel *diſſimulatione* ſimpliciter.

XLV. Reſp. 2. Dato, quod illorum textuum tergiverſatio intelligenda ſit cum qualitate illa probabilitatis, ita ut clauſulis illis, *tergiverſatione aliqua*, ſubintelligatur adjungi adjectivum *probabili*, ut in cit. gl. c. *Statuimus*; attamen in caſu præſentis judicii ſuper qualitate appellationis frivolæ, et fruſtratoriæ, judex eam rejiciens ex fundamento, aut ratione apparenti, non apparenter tantum, et probabilitate dubia, ſed probabiliter, et probabilitate vera, et certa procederet; ex duplici, aut triplici illo certo principio, quod *judicis arbitrio relinquatur, et committatur deciſio appellationis frivolæ*, ex gl. in c. *Legitima* de appellat. in 6. et quod *pro judice jura præſumunt*, et quod *in his, quæ ſunt arbitraria judici, ſtat pro ratione voluntas*; Menoch. conſ. 69. n. 12. et *non poteſt à judice requiri, ut rationem reddat, cur ita egerit.* Menoch. de arbitr. l. 1. q. 70. n. 12.

XLVI. Unde pro illius juſtitia in hoc caſu præſumendum eſt, donec contrarium notorie, et evidenter conſtet. Nam, ut ſupra inſinuatum manet, in arbitrariis, non poteſt facile convinci iujuſtitia, aut improbabilitas poſitiva. Rovit. ſupr. pragm. in rubr. de appellat. n. 25. Greg. dec. 106. n. 2. Deluc. de matr. diſc. 1. n. 13. et alii ap. ipſos. *Neque judex in arbitrariis ſyndicatui ſupponi poteſt.* Guerreir. de recuſ. l. 1. c. 19. n. 17. Bobadil. l. 5. polit. c. 3. n. 55. Larrea dec. 98. n. 59. Gueſ. Pil. contr. c. 16. n. 2.

XLVII. Inſtabis; Juxta doctrinam Olivæ, q. 22. 25. 28. et alibi, et aliorum DD. opinio improbabilis rem dubiam non facit: atqui ratio, ſeu fundamentum apparens eſt improbabile: ergo, &c. Reſp. diſting. min. In reliquis judiciis in quibus tenetur judicare ſecundum jus probabilius partium, et non pro proprio arbitrio, concedo: In judicio appellationis frivolæ, quæ judicis arbitrio ex jure ipſo committitur, ac relinquitur, ſubdiſtinguo; eſt improbabile, ſpectata præciſe ratione illa apparentiæ, tranſeat; adjuncta præſumptione juris, quæ pro judice ſemper præſumit, præſertim in iis, quæ ejus arbitrio relinquuntur, nego. Unde, quamvis in reliquis judiciis, quæ judicis arbitrio non committuntur, teneatur judex judicare ſecundum jus partis probabilius, et ſecundum probabiliorem opinionem, et nequeat propriæ prudentiæ inniti, juxta animadverſionem c. *Ne innitaris* de conſtitut. attamen in judiciis, in quibus deciſio ejuſdem arbitrio relinquitur, poteſt propriæ prudentiæ inculpabiliter inniti, et ex prudentibus conjecturis judicium facere, et ſententiam ferre; et prout ſic ejuſdem judicii, ac ſententiæ juſtitia, non dubia, et apparens tantum, ſed probabilis certo evadat, ex circumſtantiis ſuperadditis: jus autem, per quod appellationis frivolæ deciſio judicis arbitrio relinquitur, deducitur ex c. *Legitima*, de appellat. in 6. ub. gl. verb. *Suſpicionis*; et ex aliis eod. tit. et ſupra attactis.

XLVIII. Perurgebis: Secundum doctrinam Card. Deluc. *Arbitraria nequeunt argui faciliter de gravamine*; de donat. diſc. 1. n. 16. diſc. 29. n. 3. de paroch. diſc. 21. n. 6. de juriſd. diſc. 2. ſub n. 5. de fideic. diſc. 207. n. 7. de jurep. diſc. 23. n. 10. de præem. diſc. 8. ſub n. 14. de dot. diſc. 196. n. 1. de benef. diſc. 26. n. 4. ergo, ſi non *faciliter*, ſaltem aliquando, in aliquibus caſibus, licet raris, argui poterunt de gravamine: atqui in nullo caſu melius, ac juſtius, quam quando judex rejicit appellationem, ut frivolam, fundamento apparenti dumtaxat: ergo ſaltem tunc patebit aditus ad recurſum pro gravamine in rejectione illa illato.

XLIX. Reſp. diſtinguendo utrumque conſequens: Argui poterunt de gravamine, et patebit aditus ad recurſum ad judicem competentem, et titulo injuſtitiæ, concedo; ad judicem incompetentem ex capite notoriæ violentiæ, nego. Diſparitas eſt; quia ad recurrendum ad judicem competentem, ſufficit injuſtitia, vel etiam non obſervantia praxis, ac ſtyli generalis; ad recurrendum vero ad judicem incompetentem ſæcularem, prærequiritur, nedum injuſtitia, ſed et violentia taliter notoria, ut nullo modo celari, aut tergiverſari queat. Cum autem in præſenti violentia, imo et injuſtitia, aliquo modo, et ſufficienter celetur, tum ex ipſa apparentia rationis, tum ex præſumptione juris, tum ex non facili redarguitione injuſtitiæ in arbitrariis; idcirco nequit patere aditus ad recurſum ad judices ſæculares incompetentes ex notoria violentia. Recole dicta c. 7. 11, 12, 13, 14. et 17.

CAP. XXVII.

De Illicitudine Recurſus ex non Delatione Appellationi à Jure, vel ab Homine prohibitæ, aut non permiſſæ.

SUMMARIUM.

I. *Quando detur appellatio ab homine prohibita.*
II. *Clauſula*, appellatione remota, *quando intelligatur.*
III. *Non prohibetur appellatio interjecta ob cauſam in jure expreſſam.*
IV. *Effectus ejus eſt, quod non ſuſpendatur juriſdictio judicis* à quo.
V. *Quænam appellatio à jure prohibita.*
VI. *Judex rejiciens appellationem in cauſa cum præmiſſa clauſula commiſſa, nec vim, nec injuſtitiam facit.*
VII. VIII. *Probatur à jure, et à ratione.*
IX. *Ab eo, quod quis facere tenetur, non datur appellatio.*
X. *Neque à mero executore, modum non excedente.*
XI. XII. *Nec judex inferior ex commiſſione ſuperioris appellationem rejiciens, vim faceret notoriam.*
XIII. XIV. *Confirmatur ex juribus municipalibus.*
XV. *Poteſt tamen inferior in aliquo caſu non deferens appellationi notorie juſtæ, injuſtitiam committere, non tamen notoriam violentiam.*
XVI. *Poteſt in caſu illo prætextari notorietas violentiæ, non vero injuſtitiæ, et quomodo.*
XVII. *Quando clauſula illa extendatur ad reliquos articulos.*
XVIII. *Rejectio appellationis à correctione prælati, non eſt injuſta, et multo minus violenta.*
XIX. *A pœna, et à legiſlatore, non datur appellatio.*

XX.

XX. *Limita, ſi prælatus modum excederet in correctione.*
XXI. XXII. *A rejectione appellationis à cenſura eccleſiaſtica propria non datur appellatio ſuſpenſiva.*
XXIII. *Excommunicatio, et quælibet alia cenſura propria, ſecum trahit executionem.*
XXIV. *Poteſt tamen appellari à declaratoria.*
XXV. *Rejectio appellationis contra jus, aut juris executionem, etiam non eſt injuſta, nec violenta.*
XXVI. *Jus neminem gravat.*
XXVII. XXVIII. *Rejectio appellationis eluſoriæ ad declinandam primam inſtantiam, ordinarie non eſt injuſta, imo ſecundum jus.*
XXIX. *Executor rejiciens appellationem ab executione ſententiæ, nec gravat, nec violentiam incutit.*
XXX. *Si executor etiam merus modum excedat, tenebit appellatio: et quando modum excedit.*
XXXI. *Non datur injuſtitia in rejectione appellationis à ſententia lata in judicio poſſeſſorio, quando ea à jure civili denegatur.*
XXXII. *Aliter de jure canonico reſpiciente potius æquitatem, quam rigorem.*
XXXIII. XXXIV. *An liceat appellare à ſententia arbitri; remiſſive.*
XXXV. XXXVI. *An à prælatis regularibus; etiam remiſſive.*
XXXVII. XXXVIII. *Notantur aliqua pro apoſtolis dandis.*

I. TUNC datur appellatio *ab homine* prohibita, quando ſuperior committit inferiori alicujus cauſæ cognitionem cum clauſula *appellatione remota.* Superior autem, cum dicta clauſula committens, eſt ſolus Summus Pontifex, quoad cauſas eccleſiaſticas; quoad profanas vero, ſolus princeps ſupremus, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcit: inferior enim non poteſt tollere jus ſuperioris judicis, ad quem appellatur, l. 1. § fin. ff. *A quibus appellare non licet*, Abb. in cap. *Paſtoralis*, n. 4. et 5. hoc tit. Roland. à Valle conſ. 29. n 15. et 16. Marant. loc. cit. act. appell. n. 326. Marcheſ. loc. cit. n. 12. Scacc. loc. cit. n. 106. et 109. Fragoſ. de regimine Chriſtianæ reipublicæ, p. 1. lib. 8. diſp. 24. n. 212. et ſeqq.

An autem, ſi alicujus cauſæ cognitio commiſſa ſuerit à principe cum hac clauſula, *appellatione remota*, intelligatur prohibita omnis appellatio abſolute, etiam *legitima*, et non frivola?

II. Reſpond. Gaſparr. inſt. can. tt. 10. n. 45. *Affirmative* (quod etiam aſtruunt Per. de man. reg. c. 21. n. 23. Oliv. cit. q. 17.) per text. in c. *Paſtoralis* in princip. hoc tit. et Leoncill. deciſ. Ferrar. 31. n. 12. et deciſ. 134. n. 2. alias enim dicta clauſula eſſet omnino fruſtratoria, ſi prohiberet tantum appellationes frivolas, et illegitimas, cum certum in jure ſit, hujuſmodi appellationibus nunquam à judice fore deferendum, per text. in cap. *Cum appellationibus*, hoc tit. in ſext. Quando autem clauſula, vel diſpoſitio nihil operetur, non meretur interpretationem adeo ſtrictam, quamvis ſit clauſula odioſa, et exorbitans à jure communi. Ita habetur in l. *Stipulatus*, ff. de verb. obligat. ibique Bart. in princ. quod contractus, etiam ſtricti juris, late veniat interpretandus; ſi alias, nullum haberet effectum.

III. Qui tamen notat, n. 46. quod per dictam clauſulam, *appellatione remota*, non intelligatur vetita appellatio, ſi interponatur ob aliquam cauſam à jure expreſſe indultam, et conceſſam, ut habetur in eodem cap. *Paſtoralis*; tunc enim gravamen eſt notorium, quia jus expreſſe permittit ab illo appellare: à gravamine autem notorio appellari poteſt, etiamſi cauſa commiſſa fuerit appellatione remota, gloſſ. in cap. *Conqueſtione*, verb. *Poſt appellationem*, de reſtit. ſpoliat. Tuſch. lit. A, concl. 400. n. 15. et 21. et Barboſ. de clauſul. clauſ. 9. n. 21. Princeps enim, committens cauſam cum dicta clauſula, exiſtimat, judicem non injuſte gravaturum partes; alias, ſi hoc ſciret, non poſſet abſque iniquitate ita cauſam committere; ideoque in tali caſu dicta clauſula non habet effectum ſuum ex præſumpta deficientia voluntatis in principe, cauſam cum dicta clauſula committente; ita Abb. in dicto cap. *Paſtoralis*, n. 14. puta ſi opponatur exceptio conſanguinitatis in judice, cui cauſa commiſſa fuit, ut habetur in cap. *Poſtremo*, hoc tit. ſi citatus nequeat tutus accedere ad locum judicii, et hæc exceptio reſpuatur à judice, ut habetur in cap. *Ex parte*, hoc tit.

IV. Et n. 49. animadvertit, effectum hujus clauſulæ, *appellatione remota*, eſſe, quod non ſuſpendatur juriſdictio judicis *à quo* per appellationem interpoſitam; ideoque illum poſſe exequi ſuam ſententiam, antequam per judicem ad quem fuerit ipſi inhibitum, ne exequatur, cap. *Paſtoralis*, § *Præterea*, de offic. jud. deleg. Abb. in cap. *Paſtoralis*, hoc tit. n. 9. et 16. et conſequenter nunquam acta per judicem à quo revocari poterunt à judice ad quem per viam attentatorum, juxta Abb. ibidem, n. 11. Marcheſ. de commiſſ. part. 1. cap. 8. n. 82. Pariſ. de reſign. benefic. lib. 1. quæſt. 7. n. 163. Scacc. de appellat. q. 16. limit. ſub n. 84. et 105. caſ. 4. Non enim ejus juriſdictio ſuſpenſa eſt per interpoſitam appellationem, niſi hæc interpoſita fuerit ob cauſam à jure expreſſam, et indultam.

V. Tunc tandem datur appellatio *à jure* prohibita, quando ea à jure ipſo vel cavetur, aut non permittitur, vel improbatur, aut vetatur. Ita Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. Gaſparr. inſt. can. tt. 10. p. 3. Donat. tr. 10. prax. regul. ut in Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 10. et c. 20. et ſeſſ. 13. c. 10. et alibi. Et in decretis Clem. VIII. et Bened. XIII. in append. ad Concil. Roman. et noviſſime in conſt. Bened. XIV. incipiente *Ad militantis eccleſiæ*, menſe Mart. an. 1744. edita, de qua infr.

VI. *Aſſero igitur*, 1. Quoties judici eccleſiaſtico à ſuperiore committitur cognitio cauſæ cum clauſula *appellatione remota*, ſi judex eccleſiaſticus appellationi interjectæ non deferat, vel eam rejiciat, nec vim facit, imo nec injuſtitiam, atque adeo non datur locus recurſui ab eodem ad tribunalia ſæcularia. Ita Oliv. cit. q. 17. n. 27. Marant. de ord. judic. p. 6. de appellat. n. 248. uſque 365. Seſſ. in ep. an. 92. et dec. 114. Cevall. de viol. gl. 1. et gl. 6. et 9. et 15. Lancelot. de attent. p. 2. c. 12. Duen. reg. 41. et ſeqq. Bernard. Dias reg. 35. et alii.

VII. Prob. 1. Ex text. in c. *Non ſolum* de appellat. in 6. ibi: *Exceptis caſibus, in quibus jura poſt ſententiam prohibent appellare.* Ubi gl. verb. *Caſibus*, et DD. communiter, Marant. hoc tit. n. 117. Lancelot. de attent. appell. pend. lim. 8. ubi plures caſus numerat, et ſignanter hunc præſentem de commiſſione cauſæ cum clauſula *appellatione remota:* atqui idem eſt judicium de prohibetis *à jure*, atque *ab homine:* ergo.

Prob. 2. Ex expreſſa diſpoſitione textus in c. *Paſtoralis* de appellat. ibi: *Quæſiviſti, utrum, quando inhibetur appellatio in reſcripto, fruſtratoria tantum inhibita videatur? .... Reſpondemus, quod quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ à jure non indulgetur expreſſe.* Quod etiam confirmatur ex text. in c. *Paſtoralis*, § *Præterea*, de offic. deleg. ub. Abb. et reliqui DD.

VIII. Prob. 3. ratione: Quia, in caſu illo, judicis *à quo* juriſdictio per appellationem interjectam minime ſuſpenditur, tum ex mente, et intentione ſuperioris procedere jubentis *appellatione remota*, tum ex diſpoſitione ipſorum jurium, citatis c. *Non ſolum*, et c. *Paſtoralis*; tum ex natura, et ſpecifico, ac ſpeciali effectu illius clauſulæ, *appellatione remota*; qui quidem eſt, ut non ſuſpendatur juriſdictio judicis *à quo* per appellationem interpoſitam, ut ex doctrina Gaſparr. n. 49 ſupr. tradidimus, n. 4. et tradit etiam Oliv. cit. q. 17. n. 28. Marant. et Lancelot. ſuperius laudati. Per. de man. reg. c. 21. n. 23.

IX. Prob. 2. Quia judex inferior tenetur exequi, et obedire reſcripto ſuperioris, cauſam ſibi committentis, appellatione remota: atqui ab eo, quod quis facere tenetur, non datur appellatio, ut tenent Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 30. Abb. in c. *Conſuluit*, de appellat. n. 3. et reliqui DD. ibid.

X. Prob. 3. Quia judex inferior exequens mandatum principis, quoad circumſtantiam illam cognoſcendi, appellatione remota, habet ſe tanquam merus executor; et non deferendo appellationi illi, modum non excedit: atqui à mero executore, modum non excedente, non datur appellatio, nec gravamen, aut recuſatio, nec juſta alia querimonia, ut eſt commune DD. de quo infr. n. 29. ergo, &c.

XI.

XI. Prob. 4. Quia, etiam dato, et non conceſſo, quod judex inferior injuſtitiam committeret non deferendo aut non recipiendo, ſed rejiciendo appellationem illam; attamen nunquàm committeret violentiam notoriam recurſabilem: et probatur; quia violentia notoria recurſabilis eſt illa, quæ *nulla tergiverſatione*, vel *diſſimulatione*, *celari valet*, ut conſtat ex gl. in c. ult. de cohabit. cler. et mulier. c. *de manifeſta*, 2. q. 1. ub. gl. verb. *Tergiverſatione*, c. *Cum olim*, de verbor. ſignificat. atqui injuſtitia illa ſufficienti, imo et ſuperabundanti tergiverſatione, ac diſſimulatione celaretur, atque tegeretur, ex ipſa commiſſione principis, necnon ex diſpoſitione juris, atque ex natura ipſa prædictæ clauſulæ: ergo.

XII. Prob. 5. Ex omnibus rationis fundamentis, quibus ſupra probavimus, appellationi frivolæ circa violentiam non deferendum: nam appellatio interpoſita in cognitione cauſæ, ea remota, commiſſæ, utique frivola, et fruſtratoria eſt, ut conſtat ex cit. c. *Paſtoralis*, hoc tit. et ex cit. c. *Non ſolum*, de appellat. in 6.

XIII. Confirmatur ex diſpoſitione legis Caſtellæ: *Que dellos legitimamente ſon interpueſtas*; et legis Luſitanæ, tt. 10. l. 1. *No cazo, em que pode appellar.* Et in regim. Sanator. Aulicor. *Sendo cazo, em que por direito lha deva receber*, &c. Confirmatur, 2. Quia fundamentum appellationis eſt gravamen, ſicut fundamentum recurſus eſt notorietas violentiæ: atqui judex inferior, exequendo mandatum ſuperioris, cui parere tenetur, neminem gravat, et multo minus violentiam incutit, et violentiam notoriam, nullatenus celabilem, aut tergiverſabilem, cum ſatis abunde tegatur, ac prætextetur à jure, et ab homine, juxt. dicta n. 11. ergo.

XIV. Dices: Juxta diſpoſitionem cit. c. *Paſtoralis*, de offic. deleg. et gl. in c. *Conqueſtion.* de reſt. ſpol. et doctrin. Oliv. cit. q. 17. n. 29. ſi certo, et notorie conſtet, rem eſſe appellabilem, ob aliquam cauſam à jure expreſſe indultam, ob quam notorium etiam ſit, eſſe in gradu appellabili, et notorie conſtet de adimpletione requiſitorum; non obſtante clauſula *appellatione remota*, poteſt, et tenetur inferior eam recipere, et ad ulteriora non procedere; et, ſi procedat, dabitur locus recurſui ad ſæculare tribunal. Quod inſuper confirmatur ex doctrina cit. Gaſparr. d. tit. 10. n. 46. cujus verba tranſcripta remanent ſupr. n. 3. ergo tunc ſaltem patebit aditus recurſui ex notoria injuſtitia, imo et violentia judicis à quo.

Reſp. 1. Quod quamvis princeps, per clauſulam *appellatione amota*, vetans appellationem à jure notorie permiſſam, gravamen notorie incuteret; attamen judex inferior, exequens, prout tenetur, ſuperioris mandatum, gravamen, et injuſtitiam, ſaltem notoriam, non inferret, cum ſatis celetur, ac prætextetur, tum ex ipſa ſuperioris commiſſione, tum ex juris ipſius pro illa præſumptione, tum denique ex natura ipſiuſmet clauſulæ, et ex effectu ſpeciali, ac præcipuo, qui quidem eſt non ſuſpendere juriſdictionem judicis *à quo*, per ſubſequentem appellationis interjectionem.

XV. Reſp. 2. Etiam dato, quod judex inferior in tali caſu appellationi non deferret, vel eam, ut frivolam, rejiceret, notoriam injuſtitiam committeret, non tamen notoriam violentiam. Ratio diſparitatis in eo eſt; quia *injuſtitia*, cum ſit id, quod eſt *in jus*, ſive *contra jus alterius*, deſumitur à re ipſa, prout in ſe eſt, ſive à jure illo, prout eſt in ſe realiter; atque adeo, cum notorium ſit in hoc caſu, hic et nunc, cauſam ſive rem appellabilem eſſe, idcirco ex contraria non admiſſione ſive denegatione appellationis, reſultat injuſtitia notoria.

At vero, cum violentia ſuperaddat injuſtitiæ rationem vis, et oppreſſionis illatæ; eſt enim *vi illata injuria*, ſeu *vi oppreſſio illata*; et aliunde notorietas violentiæ recurſabilis ex ſuo formali conceptu, talem evidentiam, et manifeſtationem undiquaque prærequirat, ita ut in contrarium etiam notorium ſit, nullam dari opinionem probabilem; et violentiam illam nulla tergiverſatione, aut diſſimulatione celari, aut prætextari poſſe; atque adeo non deſumatur ab eo, quod in re eſt, ſeu prout in re eſt, ſed prout nobis objicitur, aut repræſentatur omni probabilitate deſtituta, atque omni ex parte nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis, juris aliquo ſuffragio, aut diſſimulatione aliqua; ideo in caſu præfato non datur violentia notoria recurſabilis ex prætextu, ac tegmine illo triplicato, quo notorietas hic prætextata apparet, videlicet ex ſuperioris commiſſione, ex juris præſumptione, et ex natura, atque effectu clauſulæ præfatæ. Vide tradita c. 14. n. 4. et c. 18.

XVI. Inſtabis: Quamvis notorietas injuſtitiæ in caſu illo prætextetur, ac celetur ſufficienter ex commiſſione ſuperioris; attamen prætextatio hæc non tollit notorietatem gravaminis à judice *à quo* illati, non deferendo, aut non admittendo appellationem interpoſitam: ergo pariformiter in caſu præfato celabilitas, ac tegibilitas ex commiſſione principis, non tollit notorietatem, atque evidentiam violentiæ recurſabilis. Reſp. negando conſequentiam. Diſpar ratio jam ſuperius eſt inſinuata; videlicet, quod in prima ſuppoſitione cum notorietate commiſſionis pugnat notorietas in contrarium appellabilitatis, ſive provocabilitatis cauſæ hic et nunc, practice, et exercite; at vero in ſecunda ſuppoſitione non datur duplex notorietas adinvicem pugnans, et mutuo ſe excludens; nam ſemel, quod violentia illa ſit aliqualiter celabilis, aut aliquo modo prætextabilis, jam deſinit eſſe notoriam, atque evidentem, notorietate recurſabili, excludente omnem probabilitatem, imo et omnem tergiverſationem, ac diſſimulationem in contrarium, juxta ſuperius reſoluta c. 12. et c. 14. et ſeqq.

XVII. Animadvertit tandem hic Gaſparr. cit. n. 52. quod ſi clauſula *appellatione remota* appoſita ſit in delegatione cauſæ alicujus continentis plures articulos inter ſe connexos, in quacunque interim reſcripti parte ſita fuerit, cenſeatur comprehendere, et extendi ad omnes, ſingulos articulos; non enim potior ratio aſſignari poteſt, cur ad unum magis, quam ad alium articulum ſit extendenda, cum inter ſe connexa diverſo jure cenſeri non debeant, text. in cap. *Secundo requiris*, hoc tit. et Menoch. lib. 2. de arb. caſ. 64. Sin autem articuli non ſint connexi, diſtinguendum eſt: vel talis clauſula eſt appoſita in medio reſcripti tantum, et ſolum ad articulos præcedentes, non ad ſubſequentes videtur referenda, quia utpote odioſa, eſt reſtringenda; vel eſt adjecta in medio reſcripti, et inſuper repetita in fine; ac tunc omnia in diſpoſitione contenta complectitur, per text. in cap. *Inquiſitioni*, hoc tit. ibique Abb. n. 4.

XVIII. *Aſſero*, 2. Appellatio rejecta, aut non admiſſa à correctione facta à prælato regulari, vel ſæculari, in ſuos ſubditos, non eſt injuſta, nec violenta, etiam probabiliter, et multo minus notorie; atque adeo nequit præbere locum recurſui. Ita Oliv. cit. q. 17. Gaſparr. cit. tit. 10. n. 25. et alii DD. communiter cum Donat. prax. regular. infr. cit. de quo noviſſima nuperrima bulla Bened. XIV. *Ad militantis eccleſiæ*, de qua infr.

Prob. 1. Ex c. *Irrefragabili*, de offic. jud. ordin. cap. *Ad noſtram*, cap. *Reprehenſibilis*, cap. *Cum ſpeciali*, et cap. *de priore*, tit. eodem, cap. *Relatum*, c. *Ne cler. vel mon.* &c. cap. *Quoad conſultationem*, de re judic. et Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 4. Fermoſin. in cap. *Novit.* quæſt. 50. de judic. Valenzuel. conſ. 43. n. 118. et ſeqq. Barboſ. de poteſt. epiſcop. alleg. 23. n. 36. Sanch. lib. 6. in decal. cap. 3. n. 111. Scacc. de appellat. quæſt. 17. limit. 26. n. 8. Lancelot. de attent. 2. part. cap. 12. limit. 18. n. 6. Salgad. de protect. reg. 1. part. cap. 3. n. 10. Tholoſan. lib. 5. partit. tit. 15. cap. 2. lit. N. et Gibalin. de clauſur. regular. 2. part. cap. 2. § 3. conſect. 5.

Prob. 2. Ex cit. noviſſima conſt. *Ad militantis eccleſiæ*, per totam, et ſignanter § *Item.*

XIX. Ratio prima eſt: Quia delinquens obligat ſe, et tacite conſentit, pœnæ à lege delicto inflictæ, l. *Si qua pœna*, ff. de verb. et rer. ſignif. Deinde ſubditus ex vi voti obedientiæ ſemper habet debitum parendi prælato juſte, et licite præcipienti, et multo magis licite corrigenti ſecundum regulam, et conſtitutiones. Buzemb. cum Caſtr. Pal. *de ſtat. religioſ.*

Secunda: Quia hujuſmodi correctio habet rationem pœnæ reſpectu exceſſus à ſubdito commiſſi; à pœna autem non admittitur appellatio dicta l. *Si qua pœna*, et cit. c. *Irrefragabili*, gl. in c. *Quia nos*, 32. de

appellat. Monacell. p. 3. tit. 1. form. 22. n. 20. Fagn. in c. *Super eo*, 2. de appellat. n. 50. Bonac. de cenſ. d. 1. q. 2. pu. 2. Et ratio rationis eſt, quia lex pœnalis eſt lata à legiſlatore in ſuo ordine ſuperiorem non recognoſcente; ſicut autem non admittitur appellatio à legiſlatore ipſo, ita nec ab ejus lege, l. 1. ff. hoc tit. et l. 2. ff. de orig. jur.

XX. Si tamen prælatus excederet modum in corrigendo, poſſet ſubditus à tali exceſſu appellare, d. cap. *Irrefragabili*, de offic. jud. ordin. cap. *Ei, qui appellat*, cauſ. 2. q. 7. ibique gloſſ. verb. *Non poteſt*, cap. *Novit*, ubi gloſſ. verb. *Modum*, hoc tit. et Salgad. loc. cit. Imo, etſi adhuc non detur exceſſus, ſed probabiliter timeatur, ab inferendo gravamine poteſt interponi appellatio. Ita Gonzal. in d. c. *Irrefragabili*, n. 3. in fin. et reliqui DD. ibid. et infr. cit. Vide Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 26. et cit. famoſam conſtit. Bened. XIV. *Ad militantis.*

Unde etiam Donat. in prax. tr. 10. de appellat. q. 29. ſtatuit, quod non poſſit appellari à correctionibus, et punitionibus prælatorum, niſi modus in correctione excedatur, et conſtat ex cap. *De priore*, 31. de appell. ubi prior regularis, qui appellationi cujuſdam religioſi non detulit, graviter punitur; ibi: *Licet in corrigendis exceſſibus, juxta canonicas ſanctiones, ſit diffugium intercluſum; quia tamen*, &c. ubi gloſſ. in fin. caſ. ait, *Nota, quod à correctione non appellatur, niſi modus excedatur*; quod item repetit in ver. *Appellari*, et in cap. *Super quæſtionum articulis*, 27. de offic. jud. deleg. ibi: *Niſi modum excedat*; et ſecundum hanc limitationem debent intelligi cap. *Ad noſtram*, cap. *Reprehenſibilis*, 26. de appellat. et ſimilia; et hoc ideo; quia appellatio eſt permiſſa ad auferendum gravamen, ex cap. *Ut debitus*, eod. tit. at religioſus ubi punitur, ſecundum regulam, et ſtatuta, nullum patitur gravamen; ſecus autem, ubi modus præſcriptus exceditur: ergo. Sylveſt. quæſt. 7. Armill. n. 11. Tab. n. 11. ver. appell. Rodr. tom. 1. quæſt. 29. ar. 2. ubi ex multis oſtendit, quod regularibus liceat appellare, nedum in civilibus, vel criminalibus; verum etiam in cauſa correctionis, in qua regulariter etiam ſæculari prohibetur appellare; et in ſumma de ordine judicario, cap. 13. n. 3. Navarr. comment. 3. de regul. ſuper cap. *Nullam*, 28. quæſt. 2. n. 21. Miranda, p. 2. de ord. jud. quæſt. 29. art. 4. n. 28. Foller. in pract. criminal. canonica, cap. 36. *de ordine procedendi contra monachos*, n. 22. Aretinus in ſua praxi crim. cap. 10. de appellat. Late Sanches, multis citatis, p. 2. lib. 6. ad decal. cap. 8. quæſt. ult. n. 202. et ſeq. Pereir. de ſubd. tom. 10. quæſt. 1. cap. 20. et Navarr. in Luc. regul. ver. *Appellare*, n. 6. quod totum intellige procedere de jure commun.

XXI. *Aſſero*, 3. Rejectio, aut non admiſſio appellationis à ſententia excommunicationis, vel alterius cenſuræ eccleſiaſticæ, proprie talis, à qua non licet appellare quoad effectum ſuſpenſivum, ſed quoad devolutivum dumtaxat, non eſt injuſta, nec violenta, proindeque nec viam ſternit ad recurſum ad judices regios. Ita Oliv. cit. q. 17. et Gaſparr. cit. n. 28. Vide etiam cit. famoſam conſtitutionem *Ad militantis eccleſiæ.*

XXII. Prob. 1. Quia talis appellatio non ſuſpendit juriſdictionem judicis *à quo*, quoad executionem ſententiæ, cum careat effectu ſuſpenſivo; ſed cauſam devolvit dumtaxat ſuperiori: atqui per effectum devolutivum dumtaxat, non ſuſpenditur juriſdictio judicis *à quo*; ſed, relicta ipſi facultate exequendi ſuam ſententiam, nova cauſæ cognitio devolvitur ad ſuperiorem, videlicet ad judicem *ad quem* fuit appellatum, ut conſtat ex c. *Ad reprimendam*, de offic. jud. ordin. cap. *Ad hæc*, et cap. *Paſtoralis*, § *Verum*, hoc tit. cap. *Is, cui*, in fin. de ſent. excommun. in ſexto Barb. voto 35. n. 100. Gutier. lib. 1. canon. qq. cap. 1. Gibal. de cenſur. diſquiſ. 6. cap. 9. Trentacinqu. var. reſol. lib. 2. tit. de appellat. reſol. 6. per tot. Thomat. deciſ. 18. n. 1. et ſeqq. Sperell. deciſ. 48. et deciſ. 160. et Rot. deciſ. 496. part. 14. rec.

XXIII. Prob. 2. ratione: Quia excommunicatio, ſicut quævis propria, et rigoroſa cenſura eccleſiaſtica, eſt ex illis, quæ trahunt ſecum executionem, ſeparationem, ſcilicet, excommunicati ab eccleſia, quæ non poteſt auferri per appellationem, cum per hanc fieri nequeat, ut qui fuit excommunicatus, non fuerit inſimul vere ſeparatus ab eccleſia; adeoque eadem poteſtas clavium, ad quam pertinet ferre cenſuras, poteſt unice eas latas delere, hoc eſt, per abſolutionem.

XXIV. Advertit tamen Gaſparr. cit. n. 29. et reliqui DD. communiter, quod licet appellari nequeat à ſententia excommunicationis abſolute lata, poſſit tamen appellari à ſententia declaratoria judicis, qua quis declaretur excommunicatus; fieri enim poteſt, ut judex male declaraverit, d. cap. *Paſtoralis*, § *Verum.* Marant. de ordin. jud. part. 6. de appell. n. 169. Suar. lib. 3. de cenſ. ſect. 6. n. 6. Pax Jordan. d. vol. 3. lib. 14. tit. 15. n. 48. Lancelot. de attentat. cap. 12. in præfat. n. 99. et eod. c. 12. ampliat. 8. per tot. Ridolph. in praxi, part. 2. cap. 8. n. 175. et ſeqq. per tot.

Confirmatur ex cit. conſtit. *Ad militantis eccleſiæ*, Bened. XIV. § ultimo: *Item à comminatione excommunicationis à jure, et à ſententia excommunicationis latæ ab homine, ſuſpenſionis, et interdicti, niſi appellatio fuerit interpoſita ex cap. Nullitatis; et è converſo*, &c.

XXV. *Aſſero*, 4. Non delatio, ſive non admiſſio, aut rejectio appellationis omnis, quæ eſt contra jus, aut juris executionem (puta, ſi appelletur, ne fiat, quod manifeſta lege præcipitur faciendum, vel ab omni alio, quod quis facere tenetur) etiam non eſt injuſta, neque violenta; neque ullatenus recurſui ad ſæcularia tribunalia anſam, aut occaſionem præbere poteſt. Ita DD. cit. et reliqui omnes.

XXVI. Prob. Quia hujuſmodi appellatio caret notorie juſtæ appellationis fundamento, quod quidem eſt *gravamen*: ergo. Prob. antecedens; quia jus neminem gravat, atque adeo ab ejus ſanctione non poteſt appellari, cum appellationis fundamentum ſit gravamen, non ſimpliciter, ſed *gravamen injuſtum*, ex c. *Conſuluit*, hoc tit. ibique Abb. n. 3. et DD. omnes. Cum quibus Gaſparr. cit. n. 30.

XXVII. Hinc infertur, 1. Quod ſi ordinarius rejiciat appellationem volentis, ejus prætextu, declinare ejuſdem judicium, et ſententiam illius, atque cognitionem cauſæ in prima inſtantia doloſe eludere, in eo neque injuſtitiam committit, neque vim, aut violentiam, etiam ſimpliciter, infert. Probatur facile, 1. Quia appellatio illa, utpote doloſa, atque fruſtratoria, et eluſoria, frivola omnino eſt. 2. Quia jus vetat aperte, et generaliter, provocare cauſas à prima inſtantia judicum ordinariorum, et illarum cognitionem in prima inſtantia quovis modo impedire, ut patet ex Trid. ſeſſ. 24. c. 20. de reform.

Unde Oliv. cit. n. 31. *Hoc tamen ultimum reſtringitur, ut non procedat, quoties non ſolum appellatio, ſed etiam inhibitio prohibetur, ut attento Sacro Concil. Trid. in materia viſitationum, et correctionum, ſeſſ. 24. de reform. cap. 10. et circa appellationem ab interlocutoriis, ſeſſ. 13. c. 1. verſic. Quod ſi per edictum citati; et de non avocandis cauſis à judicio ordinariorum in prima inſtantia, ſeſſ. 24. cap. 20. nam in his caſibus inhibitio nihil operatur; eaque non obſtante, poteſt judex ad executionem procedere; quod proſequere cum Caſtr. de man. reg. part. 1. cap. 7. à n. 9. ac per conſequens ceſſat recurſus ad regem; quicquid aliqui moderni dicant, et male, quod etiam in dictis caſibus datur locus inhibitioni, poſtquam judex ad quem juſtificatum gravamen repererit, etiam antequam ſententiam dicat.*

Deinde, eſt caſus deciſus à S. Congregat. ſub Clem. VIII. ann. 1700. ubi pro epiſcopis regni Sardiniæ adverſus delegatum apoſtolicum, ad 7. dubium, inter alia, ſic propoſitum; *An judex delegatus valeat appellationes in ſecunda inſtantia recipere à decretis, ſeu ſententiis ſuffraganeorum, omiſſo medio curiæ metropolitanæ?* Sacr. Congreg. die 15. Maii 1700. reſpondit: *Ad 10. Negative.* Vide tranſcripta infr. c. 28.

XXVIII. Infertur, 2. Idem judicium faciendum de omnibus aliis appellationibus ab ordinariis locorum, non niſi à definitivis ſententiis, vel ab interlocutoriis, vim definitivæ habentibus, interjectis. Prob. ex expreſſis decretis Concilii Trid. ſeſſ. 13. c. 1. et ſeſſ. 24.

c.

c. 20. de reform. ubi, juris civilis diſpoſitioni inhærens, præcipit, quod ab ordinariis locorum appellari nequeat, *niſi à definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, et cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Quale gravamen eſſet omnis actus irretractabilis trahens ſecum executionem, à quo pars gravata nullatenus ſublevari poſſit per appellationem à definitiva, vel non niſi cum magna difficultate, ac ſui præjudicio, ut eſſent indebita carceratio, tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum*, &c. Conſule hac de re Scacc. de appell. qu. 16. lim. 47. n. 73. et ſeqq. Pax Jordan. loc. cit. tit. 26. n. 382. Ridolph. in prax. par. 1. cap. 13. n. 299. et 308. et ſeqq. Giurb. deciſ. 56. per tot.

XXIX. *Aſſero*, 5. Siquis appellaverit ab executione ſententiæ contra ſe latæ, et talis appellatio à judice à quo, exequente ſententiam, rejiciatur, nec gravamen, aut violentiam, imo nec injuſtitiam in eo patietur; neque patebit illi aditus ad recurſum, aliamve juſtam querimoniam. Ita DD. ſuperius laudati, et inferius citandi.

Prob. ex Gaſparr. cit. n. 32. Quia executio ſententiæ imputatur judici, qui illam tulit, vel executori, qui illam exequitur nomine judicis, qui pronuntiavit non nomine proprio; effectus enim tribuitur cauſæ principali, non vero inſtrumentali, quo mediante ipſa ſuum operatur effectum; ideoque, ſi ſententia erat injuſta, ab illa appellari poterit, non ab executione; ſin autem juſta erat ſententia, ſicut ab ea appellari non poteſt, ita nec ab executione illius, can. *Ei, qui*, § *Ab executore*, 2. q. 6. cap. *Super quæſtionum*, § *Nos autem*, de offic. deleg. cap. *Quoad conſultationem*, in fin. de re judic. cap. *Novit*, hoc tit. l. *Ab executore*, ff. hoc tit. leg. *Ab executore*, et leg. penultim. cod. quor. appell. non recip. Oſuald. lib. 28. ad comment. Donell. cap. 6. lit. BB. Fachin. lib. 1. contr. cap. 74. de Marin. lib. 1. reſol. cap. 103. Monet. de commut. cap. 8. n. 691. Salgad. de prot. reg. part. 4. cap. 3. per tot.

XXX. Intelligendam tamen hanc limitationem monet Gaſparr. ibi, n. 33. procedere in executore mero, qui habet à judice nudum miniſterium exequendi ſententiam ſub certa forma ipſi à judice præſcripta; ſi enim executor ſit mixtus, qui poſſit aſſumere partes judicis, et gravet in exequendo, poteſt appellari à tali executione, quia tunc gravamen non imputatur judici, ſed executori, qui in exequendo judicis partes aſſumpſit, l. *Diligenter*, ff. Mand. et l. *Itaque*, ff. de jurejur. Intelligendam ulterius, n. 35. quod ſi executor etiam merus excedat modum in exequendo, poſſit ab ejus executione appellari, quia tunc non ſervat finem mandati, aliud proprio Marte agendo, ac ipſi à judice commiſſum fuerit. Ita jura, et DD. n. 31. allegati, quibus addo Gratian. diſcep. 987. n. 36. et Capyc. deciſ. 35. n. 4.

Dicitur autem excedere modum in exequendo multipliciter. *Primo*, Quando executio fit in alia re, quam in ſententia contenta. *Secundo*, ſi invertatur ordo executionis, quia executor merus procedat in exequendo in via ordinaria, et cum cauſæ cognitione, l. *Minor*, ff. de minor. vel non exequatur ſententiam prius in mobilibus, quam in immobilibus, contra præſcriptum text. in l. *à D. Pio*, ff. de re judic. Ita Carleval. de judic. lib. 2. tit. 10. per tot. *Tertio*, ſi tempus datum condemnatis ad ſolvendum ab executore imminuatur, cap. *Quoad*, de re judic. *Quarto*, ſi abſque partis citatione ab executione incipiat, contra textus in l. 1. et l. ult. c. de execut. rei judic. et l. *Si pacto*, c. de pact.

XXXI. *Aſſero*, 6. cum cit. Gaſparr. n. 41. Etiam non dari injuſtitiam, nec violentiam in rejectione appellationis à ſententia lata in judicio poſſeſſorio, à qua de jure civili appellatio denegatur, ex l. unic. c. *Si de moment. poſſeſſ. fuer. appell.* Gratian. diſcept. 74. n. 12. Scacc. d. quæſt. 17. limit. 6. per tot. Pax Jordan. d. tit. 26. n. 256. et ſeqq. Tuſch. lit. A, concl. 407. et ſeqq. Ridolph. in praxi, part. 2. cap. 6. n. 127. et ſeqq. Paciſ. de Salvian. in ſpect. 4. cap. 2. per tot. Sanſelic. dec. 94. per tot. Chriſtin. dec. 121. vol. 4. Peregr. dec. 97. n. 13. et Cacheran. deciſ. 25.

Prob. facile ex eodem: Quia gravamen, quod ab illa infertur, facile eſt reparari in judicio petitorio; ideoque, ſi tale præjudicium in petitorio reparari non poſſet, eſſet danda, etiam de jure civili, appellatio in poſſeſſorio, juxta theoricam Bart. in l. 2. n. 3. ff. de appellat. recip. Sperell. dec. 87. n. 9. Rottam coram Merlin. deciſ. 111. coram Cevall. deciſ. 510. et deciſ. 137. per tot. part. 13. recent.

XXXII. De jure autem canonico, etiam à ſententia lata in poſſeſſorio conceditur appellatio, per text. in Clem. unic. de ſequeſtr. poſſeſſ. in fine, ubi dicitur, *Neminem eſſe privandum poſſeſſione beneficii per unam tantum ſententiam in poſſeſſorio latam; ſed fructus illius apud tertium fore ſequeſtrandos, reſtituendos poſtea in cauſa victori.* Et ratio eſt, quia jus canonicum, utpote apprime conſonum æquitati, etiam in iis, quæ modici præjudicii ſunt, appellationi defert; et ulterius, quia magnum eſt commodum poſſeſſionis, cum in dubio, et in caſu, quo probationes hinc inde ſint æquales, abſolvi debeat poſſeſſor, juxta Abb. in cap. *Cum ad ſedem*, n. 30. de reſtit. ſpoliat. Bar. loc. cit. n. 10. Gratian. diſcept. 74. n. 16. et ſeqq. Marant. loc. cit. n. 295. Covarr. pract. quæſt. cap. 23. n. 8. Neguſan. de pignor. part. 8. memb. 1. n. 3. Sanſelic. deciſ. 94. per tot. Peregr. deciſ. 97. n. 13. Rottam, deciſ. 441. n. 1. part. 9. et deciſ. 389. n. 44. par. 10. rec. licet Fachin. lib. 1. controv. 35. contendat quoad hoc non differre jus civile à canonico, cum, de jure civili, etiam denegetur in poſſeſſorio appellatio ſuſpenſiva, non devolutiva, juxta Abb. loc. cit. Bart. ubi ſupra, n. 2. et DD. allegatos, ſub n. 40. nec ex jure canonico erui poſſit, quod appellatio ſuſpenſiva generaliter concedat, qualibet ſententia lata in poſſeſſorio. Dicit enim, dictam Clem. unicam procedere tantum in caſu ſpeciali, id eſt, in cauſis beneficialibus; et conſequenter ad cauſas profanas non fore extendendam.

XXXIII. An autem liceat appellare à ſententia arbitri, vide in cit. Gaſparr. n. 55. ubi, poſt varias præſuppoſitiones, n. 61. pro affirmativa reſolvit ex l. *Non diſtinguemus*, § *Cum quidam*, l. *Diem*, § *Stare*, ff. de arbitr. l. 1. c. eod. tit. can. *A judicibus*, can. ſeq. et can. *Siquis epiſcopus*, § *Arbitrariis*, 2. q. 6. Tholoſan. lib. 5. partit. tit. 4. c. 1. et 2. Scacc. de appell. q. 17. limit. 13. et n. 13. Tuſch. lit. *A*, concl. 413. et Pax Jordan. dicto vol. 3. lib. 14. tit. 26. n. 325. et ſeqq.

Et rationem affert ibidem: Quia litigatores eo animo compromiſerunt in arbitros, ut per eorum ſententiam finis controverſiæ imponeretur; quod nunquam fieret, ſi ab eorum ſententia ſemper admittenda eſſet appellatio. Cum enim, poſt compromiſſum factum, nequeant compromittentes revocare perſonas arbitrorum; à fortiori, neque reſpuere poſſunt illorum ſententias. Hinc optime dicit textus in citata l. *Diem*, § *Stare: Sibi imputet qui compromiſit:* cui inhærens diſpoſitioni inquit D. Thomas, 2. 2. q. 69. art. 3. ad 2. Quod *ex proprio defectu, vel negligentia, procedit, quod aliquis ſua ſponte ſe alterius judicio ſubjiciat, de cujus juſtitia non confidit.* Levis etiam animi eſſe videtur, ut ſemper non permaneat in eo, quod ſemel approbavit; et ideo rationabiliter denegatur ſubſidium appellationis à judicibus arbitrariis, qui non habent poteſtatem, niſi ex conſenſu litigantium.

XXXIV. Animadvertit tamen, n. 62. Quod quamvis propria, et rigoroſa, ab arbitrorum laudo interponi nequeat appellatio, adhuc ſi partes ſe ab illo gravatas ſentiant, poſſunt petere, ut reducatur laudum ad arbitrium boni viri; quod ſit per hoc, quod adeant judicem ordinarium competentem, et ab illo petant hanc reductionem, et ita impediatur executio laudi juxta Salicet. in l. 1. c. *Quando provocare*, &c. Lancelot. de attent. cap. 16. per tot. Conciol. cum Romaguer. ad ſtat. Eugub. lib. 3. rubr. 3. per tot. et Chriſtin. tom. 1. deciſion. 257.

XXXV. An autem regularibus de jure communi, et ſpeciali, liceat appellare, et quo ordine; et an jus, et privilegium, quo appellare prohibentur, ſit æquum, et juſtum; quære in Donat. prax. regular. à q. 29. uſque 35. incluſive. De quo tamen fortaſſe inferius, c. 34. et 35. Interim vide famoſam conſtit. *Ad militantis eccleſiæ*, Bened. XIV.

XXXVI. Nota tamen pro praxi cum cit. Gaſparr. n. 70. quod judex à quo teſtimonium perhibere debet

judici

judici ad quem de appellatione coram ipſo interpoſita, et juriſdictione in cauſa à ſe dimiſſa, quæ literæ miſſivæ, ſeu dimiſſoriales, vocantur *Apoſtoli*, à verbo Græco *Apoſtellin*, quod eſt mittere, juxta veſtr. lib. 7. prax. cap. 3. n. 32. Scacc. loco cit. quæſt. 13. n. 2. Marcheſan. de commiſſ. part. 2. tit. de apoſt. petit. et conceſſ. n. 3. et ſeqq. qui apoſtoli in curia ſub diverſis nominibus dari ſolent.

Aliquando enim dare ſolent judices apoſtolos refutatorios; v. gr. in cauſis executivis, et ſummariis, ac ubicunque judicant, rejiciendam fore appellationem; quo caſu judex à quo non habet manus ligatas, ſed poteſt ad ulteriora procedere, juxta ſpecul. de appellat. lib. 4. § *Sequitur videre*, n. 6. veſtr. loc. cit. Et appellans habet tempus unius anni, vel, ex cauſa juſta, biennium, ad committendam alteri judici cauſam appellationis, juxta Scacc. loc. cit. quæſt. 17. n. 1.

XXXVII. Apoſtoli *reverentiales* in forma conceduntur à judice, quando exiſtimat deferendum eſſe appellationi; et dicuntur *reverentiales*, ob reverentiam Summi Pontificis, ad quem in curia appellatur, juxta ſpecul. loc. cit. veſtr. loco cit. Scacc. loc. cit. quæſt. 13. n. 18. et quæſt. 14. n. 7. 12. et ſeqq. Et hoc caſu appellans habet terminum decem dierum ad cauſam committendam, alias cenſetur deſerta, veſtr. dict. l. 7. c. ult. n. 2. Scacc. dict. quæſt. 14. n. cit. Rotta coram Put. deciſ. 371. lib. 2. coram Puratt. deciſ. 171. n. 3. et 4. deciſ. 226. n. 1. et 3. et deciſ. 764. n. 1. Quodſi concedat reverentiales ſimpliciter, non addito ly *in forma*, non cenſetur præfigere parti terminum decem dierum ad appellandum; ideoque habet ſpatium unius anni à jure conceſſum ad committendam cauſam appellationis, Scacc. dicta quæſt. 14. n. 4. et ſeqq.

Idem eſt, ſi judex det dimiſſorios, quibus pariter defert appellationi, non ſecus ac per reverentiales, ſpecul. loc. cit. n. 1. Marcheſ. loc. cit. n. 56. Scacc. quæſt. 13. n. 10. ſolumque differunt *dimiſſorii* à *reverentialibus*, quia, quando judex dat dimiſſorios, certiſſime judicat deferendum fore appellationi; quando autem dat reverentiales, dubitat, an illi ſit deferendum, necne; ſed, ob reverentiam ſuperioris, potius defert appellationi, quam non, juxta Scacciam, dicta quæſt. 13. n. 18.

Quid autem dicendum in caſu, quo judex dubitet, an appellationi ſit deferendum, neque ad utramlibet admiſſionis, vel denegationis partem ſe valeat determinare, infra inſinuabitur. Interim vid. cit. Gaſparr. à n. 79. et ſeqq.

XXXVIII. Denique obſerva formalem doctrinam Oliv. cit. q. 17. n. 38. ubi inquit, quod ſi partes tacite, vel expreſſe, appellationi renuntient, tunc ſententia executioni tradenda eſt, cum appellatio finiatur; et ceſſat attentatum, text. in cap. *Solicitudinem*, 54. § *Nos igitur*, de appell. ubi gloſſa, et DD. et in cap. *Gratum*, 20. de offic. deleg. Lancel. *de attent. appellat. pend.* in præfatione in principio, et n. 17. cum ſequentibus, ubi n. 22. aſſerit, *jure prohibitam non reperiri renuntiationem appellationis*; ſed potuit aſſerere, permiſſam. De tacita renuntiatione ſunt jura clara in dict. cap. *Gratum*, et in dict. cap. *Solicitudinem*; de expreſſa vero eſt textus in cap. *Interpoſita*, 70. § *Ille denique*, ubi DD. eod. tit. Duenh. reg. 49. Marant. de ord. jud. par. 6. n. 341. Cevall. de cogn. per viam violentiæ, quæſt. 2. n. 4. aſſerentes, *poſſe tacite, et expreſſe, appellationi renuntiari*: ſicut alias poteſt renuntiari attentatorum privilegio, et ipſis attentatis, ut per eundem, ſub eodem tit. limitatione 42.

CAP. XXVIII.

De Licitudine Recurſus ex Appellatione juſte ac legitime interpoſita, et injuſte denegata.

SUMMARIUM.

I. *Partem affirmativam qui teneant.*
II. *Intra terminum à jure permiſſum, judex nullatenus deferens appellationi, injuſtitiam non facit.*
III. *Quod à jure permittitur, juſtum utique eſt.*
IV. *Violentia ex ſuo eſſentiali conceptu prærequirit vim, et impetum majorem irrepellibilem.*
V. *Notorietas prærequiſita ad fundandam violentiam recurſabilem, non eſt reſpectiva, ſed abſoluta, et undiquaque.*
VI. *Judex ultra terminum juris præfixum appellationi omiſſive non deferens, non incutit violentiam notoriam recurſabilem, ſi ad ulteriora non procedat, juxta aliquos.*
VII. *In illo caſu daretur notoria injuſtitia, non tamen notoria violentia.*
VIII. *Sed hæc daretur in procedimento ad ulteriora.*
IX. *Illi non delationi pure omiſſivæ non poſſet privatus reſiſtere, vim vi repellendo.*
X. XI. *Notorietas violentiæ prærequirit vim, et impetum majorem irrepellibilem, et notorietatem nullius favorabilis opinionis.*
XII. *Omiſſio illa, licet non excuſaretur à notoria injuſtitia, ſtante in contrarium notorietate appellabilitatis; poſſet tamen excuſari à notorietate violentiæ.*
XIII. *In cauſa notorie appellabili judex omiſſive appellationi non deferens intra juris terminum, et ulterius procedens, notoriam injuſtitiam, et violentiam irrogaret.*
XIV. XV. XVI. *Appellatio illa ſuſpenderet juriſdictionem judicis à quo, et ut privatus procederet, et poſſet privatus ei reſiſtere; jam enim haberet debitum moderamen.*
XVII. *Quamvis arbitrio judicis committatur judicare appellationis fruſtraneitatem, non tamen habere ſe omiſſive, non admittendo, ſeu rejiciendo appellationem.*
XVIII. *Tranſcribitur Oſor.*
XIX. *Si tamen intra terminum appellationem legitimam rejecerit, non tamen ad ulteriora procedat, inferet notoriam injuſtitiam, non tamen notoriam violentiam recurſabilem.*
XX. *Privatus non poſſet judici illi, ut judici rejicienti, propria auctoritate reſiſtere.*
XXI. *In arbitrariis non ſtat pro ratione voluntas deſpotice, ſed politice, et cum fundamento aliquo.*
XXII. *Annotantur aliqua pro praxi, uſque ad n.* XXIV.
XXV. *Adnotatur bulla* Ad militantis *Bened.* XIV.
XXVI. *An legatus à latere valeat cognoſcere de appellationibus ad Summum nomine expreſſo in tertia inſtantia?*

I. PRO parte affirmativa pugnat abſolute Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 40. cum hac tamen limitatione, *ut procedat tantum, ſi evidenter, et notorie conſtiterit, judicem eccleſiaſticum injuſte appellationem legitimam rejeciſſe; eaque non obſtante, ad executionem proceſſiſſe*, Caſtr. dict. cap. 22. n. 5. Ubi etiam autumat, eſſe de mente omnium DD. de hac re agentium: *Generale enim eſt*, inquit, *quod non habeat locum hic recurſus per viam violentiæ, niſi data violentia certa, et notoria, ut ſupra quæſt.* 12. *reſolvimus cum communi opinione praxi recepta.*

Attamen, quia judex à quo vel poteſt appellationem poſitive rejicere; vel eam non admittere, aut ei non deferre, pure omiſſive, aut pure negative ſe habens; et utrumque vel ad ulteriora, ea appellatione non obſtante, procedendo, vel non procedendo, aut executionem, et reliqua procedimenta ulterius ſuſpendendo; idcirco per ſequentes, ac competentes reſolutiones, rem decidemus. Sit igitur ——

Prima Reſolutio.

II. Si judex *à quo* dubitet, an ſit deferendum appellationi, quatenus ad utramlibet contradictionis, aut contrarietatis partem non deliberat, id eſt, quoad ex dubio

dubio illo nec admittit, nec non admittit, nec denegat, aut rejicit appellationem, ſi non excedat terminum juris concedi ſolitum; nec injuſtitiam, nec vim, aut violentiam patrat. Ita ex Gaſparr. cit. d. tt. 10. n. 79.

III. Prob. 1. Quia quod à jure conceditur, aut permittitur, utique juſtum eſt: ergo judex à quo, dubius, quoad appellationi non defert intra terminum, aut tempus à jure permiſſum, non facit injuriam, aut injuſtitiam: ergo multo minus vim, aut violentiam incutit; cum violentia injuriæ, aut injuſtitiæ, ſuperaddat vim, atque oppreſſionem, eo quod ſit *vi oppreſſio illata*, ſeu *vi illata injuria*. Atqui judici à quo, taliter dubio, concedi ſolet terminus juris, quod eſt ſpatium triginta dierum, ut deliberet, teſte Gaſparr. infra tranſcribendo; qui quidem terminus etiamſi ex ſtylo dumtaxat concedatur, hoc ſufficit, ut dicatur à jure conceſſum; nam *ſtylus jus facit*, Coſt. de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 17. n. 33. et ſeqq. ex l. 2. cod. *Quæ ſit longa conſuetud.* et c. ult. de conſuetud.

Prob. minor illa ſubſumpta, quoad *terminum juris* conceſſum ex expreſſa doctrina Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 79. et 80. ibi: *Quodſi judex dubitet, an ſit deferendum appellationi; illaque nec admittenda videatur, nec deneganda; concedere ſolet terminum juris, quod eſt ſpatium triginta dierum computandorum à die interpoſitæ appellationis, intra quod deliberare poteſt, an ſit deferendum appellationi, et redire debet appellans ad petendos apoſtolos, l. Judicibus, c. de appell. cap. Ab eo, hoc tit. in ſexto, veſtr. loc. cit. n. 33. Marcheſ. loc. cit. n. 24. et 312. Rotta coram Duran. deciſ. 86. n. 11. et deciſ. 217. n. 9.* Sin autem dubitet, *an ſit deferendum appellationi, et concedat teſtimoniales, tunc appellans habet ſpatium unius anni ad committendam cauſam, nec debet denuo adire judicem pro petitione apoſtolorum, Marcheſ. loc. cit. n. 55. Scacc. dict. quæſt. 14. n. 2. et 60. Rotta coram Put. deciſ. 371. lib. 2.*

IV. Prob. 2. Reſolutio ſignanter, quoad carentiam violentiæ in ea non admiſſione, ſive non delatione appellationi illi; et probatur ex ipſo formali conceptu *violentiæ*, quæ eſt *vi illata injuria*, ſive *vi oppreſſio illata*: ergo ex ſuo formali, atque eſſentiali conceptu prærequirit vim, et oppreſſionem, rationi injuſtitiæ, aut injuriæ ſuperadditam: atqui *vis*, etiam ex ſuo conceptu formali, atque eſſentiali, eſt *majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, juxta ſuperius tradita, c. 12. et ſeqq. uſque 17. ergo, cum judex *à quo*, in caſu præfato, habet ſe mere omiſſive, abſque aliquo impetu majoris rei irrepellibilis, imo abſque aliqua poſitiva actione, nequit in pura illa omiſſione conſiderari, aut detegi, ratio vis, atque violentiæ. Deinde nequit etiam in eadem conſiderari, atque reperiri, ratio ſeu qualitas notorietatis, quæ eſſentialiter etiam requiritur ad fundandam violentiam recurſabilem: ergo.

V. Prob. hæc minor: Quia notorietas prærequiſita ad fundandam violentiam recurſabilem, non eſt notorietas quælibet, et reſpectiva, ſed abſoluta, et undiquaque, ſecundum dicta ſupr. c. 12. et 14. ita ut nullatenus, ſeu nulla ex parte, atque nullo modo celari, aut tergiverſari, vel diſſimulari valeat; et quod notorium etiam ſit, nullam pro ea probabilem adeſſe opinionem, ſecundum tradita ſuperius, c. 12. et 14. et ſeqq. atqui, in caſu præſenti, injuſtitia conſiderata in non delatione, vel non admiſſione appellationis illius, ſatis ſuperque celaretur, ac tergiverſaretur, tum ex dubietate ipſius judicis, atque ex non facili deliberatione illius circa dubium apprehenſum, aut objectatum; tum certiſſime ex ipſo juris termino conceſſo: ergo, ſi duplex hæc celatio, ac prætextatio ſufficiens, imo ſuperabundans ad tegendam, ac tergiverſandam notorietatem injuſtitiæ, potiori jure, etiam notorietatem violentiæ.

Secunda Reſolutio.

VI. Etiamſi judex *à quo* prædictum terminum juris præfixum excedat, non deferens, vel non admittens appellationem intra illius ſpatium, habendo ſe pure omiſſive, non tamen ad ulteriora procedendo, licet committeret injuſtitiam, etiam notoriam, non tamen per id notoriam violentiam recurſabilem irrogaret. Hæc reſolutio eſt expreſſe de mente Oliv. cit. q. 17. n. 22. quam etiam ampliat ibidem ad caſum, quo judex ipſe appellationem, ut frivolam, poſitive rejiceret. Et pro eadem ſententia citat Cevall. de viol. gl. 20. n. 7. et gl. 6. et 7. et Seſſe dec. 114. n. 4. Accedit noviſſime Oſor. prax. de patron. reg. verbis infr. tranſcriptis, n. 18.

Prob. 1. Reſolutio ex doctrina ipſius Oliv. cit. n. 22. ibi: *Ex prædictis colliges violentiam, ut per ejus viam ad principem recurri poſſit, non conſiſtere in pronuntiatione, qua judex eccleſiaſticus appellationem rejicit; ſed dum, ea non obſtante, ad ulteriora procedit, vel ſententiam executioni mandat, vel mandare intendit; hoc enim tantum concludunt jura citata pro hac ſententia, et rationes adductæ, et aſſerit Cevall. de cogn. per viam violentiæ, gloſſ. 1. n. 7. verſic. 8. deducitur et n. 31. et gloſſ. 6. à principio, et gloſſ. 7. Seſſe deciſ. 114. n. 4.*

VII. Prob. 2. Ratione ſæpe ſæpius inſinuata c. 17. et reſolutione præmiſſa: Quia, ſcilicet, poteſt ſtare injuſtitia notoria abſque notoria violentia; violentia enim rationi injuſtitiæ ſuperaddit vim, et oppreſſionem; quæ quidem, utpote *impetus majoris vis irrepellibilis*, conſiderari nequit in illa pura omiſſione, et totali carentia actus poſitivi judicis dubii, et ad utram contradictionis partem deliberare neſcientis, aut ſe determinare omittentis.

VIII. Prob. 3. Quia vis, et oppreſſio tunc tota daretur, ac conſideraretur, in proceſſu ad ulteriora, vel in executione effectiva ſententiæ appellatæ, quippe quæ executio, et procedimentum quodlibet ulterius, actus quidem poſitivus incederet, in quo ratio vis, ſeu majoris impetus irrepellibilis reperiretur: ergo in pura illa omiſſione, ſeu in præciſa illa inactione judicis *à quo* non admittentis, aut non deferentis appellationi interjectæ, ratio poſitivæ violentiæ notoriæ, et recurſabilis, inveniri aut detegi non poſſet.

IX. Confirmatur: Quia potiſſimum ſignum dignoſcendi, quando licitus ſit recurſus à judice eccleſiaſtico ad ſæculare tribunal, hoc eſt; quando pars propria auctoritate licite poteſt judici ipſi reſiſtere, et vim vi repellere: atqui quamvis poſſit reſiſtere judici illi quoad procedimenta ulteriora, non tamen illi puræ omiſſioni, neque vi eam repellere, ut violentam, cum ſit pura ſuſpenſio, et omiſſio, in qua non reperitur ratio vis, aut majoris impetus: ergo.

X. Dices: Quamvis omiſſio judicis non deferentis appellationi intra terminum à jure præfixum ſufficienter celetur, ac prætextetur ab ipſo termino juris, etiam quoad excluſionem notorietatis injuſtitiæ: attamen poſt ipſum terminum juris tranſactum, non excuſatur injuſtitia illa, licet omiſſiva, à ratione, aut à qualitate injuſtitiæ notoriæ: ergo ſimiliter non palliabitur, aut celabitur, quoad rationem, aut qualitatem notoriæ violentiæ.

Reſpondetur, 1. negando conſequentiam. Diſpar ratio eſt; Quia tranſacto illo termino juris, jam judicis omiſſio, atque non delatio appellationi juſtæ, eſt notorie injuſta, cum etiam appellationi dubiæ notorie teneatur deferre, ex certo, et notorio jure appellantis, ut docet communis opinio, quam amplectitur Oliv. cit. q. 17. n. 46. cum Lancelot. de attent. lim. 1. de quo tamen ſupr. c. 26. et 27. cum aliqua diverſificatione, nobis actum eſt.

XI. At vero cum notorietas violentiæ recurſabilis ceſſet, atque ſufficienter excuſetur, atque tegatur ex aliqua tergiverſatione, vel diſſimulatione, et ex ipſo formali conceptu talis notorietatis, ita debeat eſſe patens, et manifeſta undiquaque, et abſolute, ut nullatenus celabilis, atque tergiverſabilis ſit; et aliunde, ut etiam notorium ſit, nullam probabilem adeſſe opinionem ei faventem; et ulterius ex ipſo formali, et eſſentiali conceptu violentiæ, requiratur *vis*, ſeu *impetus majoris rei irrepellibilis*, qui equidem notorie non datur in actu illo pure omiſſivo, ſeu mere negativo judicis dubii, et ad utramlibet contradictionis, aut contrarietatis appellationis partem, ſe pure ſuſpenſive non determinantis, ſed requirit actus poſitivos proceſſus ad ulteriora in proſequenda, aut exequenda ſententia: idcirco, in ſolo hoc procedimento ulteriori vis dari, aut conſiderari poteſt, non vero in pura illa omiſſione non delationis appellationi, de quo infr. n. 18.

XII. Reſp. 2. Et fortaſſe melius, diſtinguendo antecedens: Non excuſatur omiſſio illa à qualitate injuſtitiæ notoriæ, ſi notorium ſit, cauſam eſſe appellabilem, concedo; ſi non ita notorium ſit, ſed dubium, nego. Imo etiam dato, quod injuſtitia illa notoria foret, non exinde ſequeretur, etiam in ea intercedere rationem notoriæ violentiæ, cum hæc rationi injuſtitiæ ſuperaddat *vim*, et *oppreſſionem*, ex ſuo eſſentiali conceptu; et vis ex ſimili eſſentiali definitione devolvat *impetum majoris rei irrepellibilis*, qui quidem in pura illa omiſſione conſiderari nequit, juxta prædicta.

Tertia Reſolutio.

XIII. Si cauſa notorie appellabilis ſit, et judex *à quo* pure omiſſive legitimæ appellationi intra juris terminum non deferens, ulterius ad executionem ſententiæ procedat, vel in proceſſu cauſæ principalis, hoc fine progrediatur; et notoriam injuſtitiam, et notoriam, atque patentem violentiam recurſabilem utique irrogabit. Ita Oliv. cit. q. 17.

XIV. Prob. 1. Quia, poſita legitimitate appellationis in caſu, aut in cauſa notorie appellabili, appellatio illa ſuſpenderet juriſdictionem judicis *à quo*; atque adeo injuſte, eo quod ſine juriſdictione procederet; et poſita notorietate provocabilitatis, ſeu appellabilitatis cauſæ, ad quam appellans notorium jus haberet, utique judex ad ulteriora, abſque delatione illa appellationi illi, et ea non obſtante, ad executionem procedens, notorie vim inferret, per actus poſitivos violentos, atque majoris impetus irrepellibilis, qui non niſi per appellationem illam, aut gravamen ſubſequens interpoſitum, reparari poſſent.

XV. Prob. 2. Quia judex ille in caſu figurato, ut privatus, procederet; atque ipſi, ut tali, pars licite reſiſtere poſſet; jam enim tunc præhaberet moderamen inculpatæ tutelæ, in ipſa ſcilicet appellatione præmiſſa, ſecundum dicta ſuperius, c. 25. et ſeqq. de quo etiam Oliv. q. 15. n. 32. Soar. Gran. adverſ. Angl. error. l. 3. c. 34. n. 33. et alii apud ipſos.

Prob. 3. Omnibus aliis fundamentis, ac rationibus expenſis; et inſinuatis ſupr. c. 20. 26, 27. et infr. c. 29. et ex aliis colligendis ex rationibus, ac doctrinis infra tradendis.

XVI. Dices: Juxta doctrinam ſuperius traditam, c. 26. n. 28. judex cum fundamento, etiam apparenti, appellationem, ut frivolam, rejiciens, nec notoriam injuſtitiam, nec notoriam violentiam infert; eo quod ejus arbitrio à jure ipſo committitur judicium de legitimitate, aut fruſtraneitate appellationis illius: ergo pariformiter diſcurrendum de omiſſione illa delationis appellationi interjectæ, juris termino elapſo; eo quod ejuſdem arbitrio relinquitur appellationem illam admittere, vel non admittere, aut rejicere.

XVII. Reſp. 1. negando conſequentiam: Nam quamvis arbitrio judicis relinquatur, ac committatur, judicare appellationem, an frivola ſit, necne; et eam, prout talem, rejicere; atque adeo judex *à quo* eam judicans, et ut fruſtraneam, ſive frivolam, reſpuens, neque injuſtitiam, neque violentiam irroget; attamen ejuſdem arbitrio non relinquitur habere ſe pure omiſſive, nec admittendo, nec rejiciendo appellationem interpoſitam; cum eam debeat omnino judicare, vel admittendo, ſi legitima, aut ſaltem dubia fuerit, intra terminum juris præfixum; vel denique rejiciendo, ſi doloſa, frivola, ac fruſtranea apparuerit, ſecundum reſoluta c. 26. et 27.

XVIII. Unde Oſor. cit. reſol. 67. n. 10. ſic ait: *Quia ab actibus negativis, qui conſiſtunt in non faciendo (v. g. pro non executione ſententiæ, quia judex recepit appellationem, et ſimilia) non datur recurſus ad coronam; in hoc enim caſu non datur violentia, ſed injuſtitia: ex Gabr. Pereir. de man. reg. cap. 22. n. 28. Covall. commun. q 897. à n. 899. Salg. de prot. reg. p. 1. cap. 8. à n. 52. quo in caſu appellare debet ad ſuperiorem, et non ſupplicare ad coronam; ex Lambertin. dict. lib. 2. q. 8. principal. art. 10. n. 1. et art. 11. n. 1. et 2. Plures per Barboſ. de poteſt. epiſcop. alleg. 72. n. 167. Salgad. ubi ſupra.*

Quarta Reſolutio.

XIX. Si judex à quo, intra terminum juris definitum, appellationem legitimam, ut frivolam, rejecerit in caſu notorie appellabili; non tamen ad ulteriora proceſſerit; eſto notoriam injuſtitiam committeret, non tamen notoriam violentiam recurſabilem inferret. Ita Oliv. cit. q. 17. n. 22. et 23.

Prob. 1. Ex doctrina Oliv. loc. cit. cujus verba tranſcripta dedimus c. hoc, n. 6. et c. 26. et ex doctrina Oſor. præcit. n. 18. et aliis. Prob. 2. Eiſdem fundamentis, ac rationibus ſuperius expenſis, c. eodem, n. 6. et c. 27.

Nam in caſu notorie appellabili judex à quo abſque fundamento ullo, et mere deſpotice, appellationem, ut frivolam, rejiciens, notorie ageret contra jus partis appellantis, et contra juriſdictionem judicis *ad quem*, atque adeo contra juſtitiam: non tamen per id præciſe notoriam violentiam recurſabilem irrogaret, ſi ad ulteriora non procederet; tum quia in ſolis actibus poſitivis ulterioris illius proceſſus ſtat *vis*, ſive *impetus majoris rei irrepellibilis*, quam violentia ex ſuo formali conceptu eſſentialiter dicit; tum quia pars nequit reſiſtere judici à quo præciſe judicanti, ac rejicienti appellationem, ut frivolam, ac fruſtraneam, cum non ut privatus, ſed ut judex, rejiciat, ac judicet, ex ipſa juris commiſſione, judicis arbitrio judicium illud relinquente: poteſt tamen reſiſtere illi, ut privato, ſi, rejecta appellatione legitima in caſu notorie appellabili, ulterius ad executionem ſententiæ, vel ad executionis præparatoria, cum effectu procedat. Ita Oliv. cit. n. 22. et Guerr. de recuſat. l. 4. c. 1. n. 74.

XX. Dices: In his, quæ arbitrarie judici à jure committuntur, ac relinquuntur, *ſtat pro ratione voluntas*, ſecundum doctrinam DD. infr. laudatorum, et aliorum communiter; et nequit judex argui de injuſtitia, neque ſyndicatui ſupponi, ex doctrina Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 17. Bobadill. polit. l. 5. c. 3. n. 55. Larrea dec. 98. n. 59. Gueſad. Pil. contr. c. 16. n. 2. et alii: ergo, &c.

XXI. Reſp. diſtinguendo antecedens, quoad utramque partem: Stat pro ratione voluntas, procedens deſpotice, nego; procedens politice, et juridice à juris regulis, et veritatis, ſaltem veroſimiliter, et cum fundamento regulata, concedo. Similiter diſtinguitur quoad ſecundam partem: In arbitrariis judex de injuſtitia nequit argui faciliter, concedo (et in his terminis, ſeu cum hac modificatione, loquitur expreſſe cit. Deluc.): nequit argui ſimpliciter, et abſolute, ſubdiſtinguo: ſi judicet cum fundamento aliquo, et arbitrium ejus aliqua tergiverſatione, vel diſſimulatione, vel juris aliquo ſuffragio, ita celari poſſet, ut excludat notorietatem injuſtitiæ in contrarium, concedo; ſi taliter celari, aut prætextari nequeat, et notoria undiquaque, et evidens ſit injuſtitia rejectionis legitimæ appellationis in caſu notorie appellabili, nego.

In hoc autem caſu procedit reſolutio, et in eo pariformiter diſcurrendum eſt, atque de notorietate injuſtitiæ, de qua ſupr. c. 17. et alibi; et de notorietate violentiæ recurſabilis, de qua c. 12, 13, 14. et ſeqq.

Adnotantur aliqua pro Praxi, quoad Appellationes eccleſiaſticas.

XXII. Pro praxi appellationum hic adnotare, ſive adjungere licebit, 1. Decreta Sacræ Congregationis, juſſu Clem. VIII. de quibus Donat. de appellation. tr. 10. q. 1. novum Concilium Lateranenſe in app. 13. quæ ſequentia ſunt.

Ad tollendas ambiguitates, et controverſias juriſdictionales, &c. vivæ vocis oraculo in poſterum fieri, ac ſervari debere mandavit, et mandat.

§ 1. *Metropolitani, archiepiſcopi, primates, aut patriarchæ, in ſuffraganeos, eorumve ſubditos, non judicent, niſi in caſibus à jure expreſſis.*

§ 2. *Iidem, nec alii ſuperiores, etiam nuntii, vel legati de latere, ſpecificam facultatem majorem non habentes, cauſas in curiis ordinariorum, vel aliorum inferiorum judicum pendentes, ad ſe non avocent, niſi per viam legitimæ appellationis ad ipſorum tribunalia deferantur; tuncque appellantes ab inferiorum juriſdictionibus, quoad alias cauſas, eximere non poſſint.*

§ 3. *Appellationes nunquam recipiantur, niſi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius conſtiterit, appellationem à ſententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam*

nitivam ſententiam reparari non poſſit, in caſibus à jure non prohibitis, per legitimam perſonam, et intra debita tempora, fuiſſe interpoſitam, ac propoſitam, ac proſecutam.

§ 4. *Nec, dum cauſæ coram inferioribus judicibus pendent ante definitivam ſententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine illato ſuperioris cognoſcere valeant, licet, citra præjudicium curſus cauſarum, ſe id facere conteſtentur; nec, ad hunc effectum, liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, ut ipſis copia proceſſus tranſmittatur, etiam expenſis appellantis.*

§ 5. *Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur, receptam, non concedantur, niſi cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti definitivi, aut vim definitivi habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis; alias inhibitiones, et proceſſus, et inde ſecuta quæcunque, ſint ipſo jure nulla, eiſque impune non parere liceat.*

§ 6. *Si appellans aſſerat, ſententiæ, aut appellationis exemplum, culpa judicis à quo, vel actuarii, habere non poſſe, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda; ſed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut, ſoluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen judex à quo, ne, ſi vere appellatum fuerit in caſu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet; et ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitiones conſtiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta poſſit judex appellationis adjicere, nec interim aliquid novi contra appellantem attentetur.*

§ 7. *Ab executione decretorum ſacr. Conc. Trid. aut viſitationis apoſtolicæ, appellationes à metropolitanis non recipiantur, nec ſi epiſcopi virtute ejuſdem Sacr. Conc. procedunt, ut Sedis Apoſtolicæ delegati in cauſis, quæ ſub eorum juriſdictione ordinaria non comprehenduntur; ſalva tamen in hoc caſu legatorum, et nuntiorum apoſtolicorum auctoritate.*

§ 8. *In cauſis vero viſitationis ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur, niſi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum viſitator, citata parte, et adhibita cauſæ cognitione, judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſivum.*

§ 9. *Cum à gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam comminatæ, appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel proviſio aliqua concedatur.*

§ 10. *Cauſa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad judex, ad quem appellatum eſt, viſis actis, et cauſa cognita, aliter decreverit; et tunc, ſi à judicis ad quem decreto, vim definitivæ habente, fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poterit, donec per judicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.*

§ 12. *Acta originalia proceſſuum primæ inſtantiæ ad judicem appellationis notarius mittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa, et ſuſpicio incidat, quæ judicialiter objiciatur; et tunc, terminata cauſa, remittenda ſunt ad ordinarium, ut in ſuo archivio conſerventur.*

§ 13. *Cenſura eccleſiaſtica, in appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari, per judicem appellationis non poſſit, niſi auditis partibus, et cauſa cognita; tuncque, ſi conſtiterit eam juſtam eſſe, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus eſt, ut ab ipſo juxta ſacros canones beneficium abſolutionis, ſi humiliter petierit, debitamque emendationem præſtiterit, obtineat; ſi vero injuſtam eſſe clare appareat, ſuperior abſolutionem impendat; ſi dubitetur, honeſtius eſt, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum, eidem præfigendum, abſolvendus remittatur, licet etiam ſuperior, hoc caſu, id ipſum per ſe præſtare jure poſſit.*

§ 14. *Abſolutio ad cautelam, non niſi parte citata, et viſis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis, ab homine prolatæ, vel à jure, ſi occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit; tuncque ad tempus breve cum reincidentia, et præſtita per excommunicatum cautione de ſtando juri, et parendo mandatis eccleſiæ tantum; et ſi juxta formam à jure præſcriptam apparebit, quem ob manifeſtam offenſam excommunicatum fuiſſe, debitam etiam ſatisfactionem præſtare; et ſi ob contumaciam manifeſtam, expenſas pariter ſatisfacere, et cavere de judicio ſiſti coram excommunicatore quis tenebitur, priuſquam ad cautelam abſolvatur.*

§ 15. *A ſententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis proviſio, quamdiu appellans in hujuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur. Romæ, in Sacra Congregatione, die* 16. *Octobris* 1600.

Et inſimul adnotare deciſiones S. Congregat. de quibus *Monacel. p.* 2. *tt.* 15. *form.* 2. *n.* 8. ubi ad inſtantiam epiſcoporum regni Sardiniæ adverſus judicem delegatum, conſulta S. Congregatio:

1. *An, quando ordinarii ad evitanda ſcandala procedunt, non citata parte, nec adhibita cauſæ cognitione in cauſis viſitationis, aut correctionis morum, poſſit judex delegatus apoſtolicus appellationem ſimpliciter admittere?*

2. *An ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, quod tamen poteſt reparari per ſententiam definitivam, valeat appellationem admittere?*

3. *An, quando appellatur de gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut carcerationis, torturæ, aut excommunicationis, poſſit appellationem admittere, aut inhibitionem, vel aliam inhibitionem concedere, non viſis actis, ex quibus evidenter apparcat de gravamine?*

4. *An cenſuras eccleſiaſticas, in appellantem prolatas, valeat relaxare, aut nullas declarare, non auditis partibus, nec cognita cauſa?*

5. *An valeat abſolutiones ad cautelam concedere, non citata parte, nec viſis actis, nec præſtita cautione ab appellante de ſtando juri, et parendo mandatis eccleſiæ?*

6. *An ab executione decretorum Sac. Concil. Trid. valeat appellationem admittere?*

7. *An valeat cauſas in curiis ordinariorum, vel aliorum judicum inferiores pendentes, ad ſe avocare, vel illorum curſum impedire, ſub quolibet prætextu, præterquam per viam legitimæ appellationis fuerint ad ipſius tribunal delatæ?*

8. *An valeat appellationem recipere, niſi per publica documenta (quæ realiter exhibeantur) prius conſtiterit, appellationem à ſententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam ſententiam reparari non poſſit in caſibus à jure non prohibitis, per legitimam perſonam, et intra debita tempora, fuiſſe interpoſitam, et proſecutam?*

9. *An valeat inhibitionem concedere, poſt receptam appellationem, abſque inſertione tenoris ſententiæ, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis, etiamſi appellans aſſerat, culpa judicis à quo, vel actuarii, exemplum habere non poſſe, non juſtificato impedimento; et an in caſu poſſint inhibitiones impune ſperni?*

10. *An valeat appellationes in ſecunda inſtantia recipere à decretis, ſeu ſententiis ſuffraganeorum, omiſſo medio curiæ metropolitanæ?*

11. *An in cauſis de ſui natura appellabilibus, in quibus dictus judex proceſſit, valeat appellationem, quoad effectum ſuſpenſivum, denegare?*

Sacra Congregatio, die 15. Maii 1700. reſpondit,

Ad 1. *Negative, quoad effectum ſuſpenſivum.*
Ad 2. *Negative.*
Ad 3. *Negative, quoad cognitionem cauſæ in gradu appellationis tantum, et affirmative quoad brevem ſuperſeſſoriam.*
Ad 4. *Negative.*
Ad 5. *Negative, præterquam in caſu abſolutionis ad breve tempus; et tunc cum obligatione de ſtando juri, et parendo mandatis eccleſiæ.*
Ad 6. *Negative.*
Ad 7. *Negative.*
Ad 8. *Negative.*
Ad 9. *Negative.*
Ad 10. *Negative.*
Ad 11. *Negative.*

Pro

Pro prohibitione autem appellationis, omiſſo medio, et non gradatim (de quo quæſt. 10.) ut ſtatuitur, c. *Dilecti*, 66. de appellat. ſic ſancitur d. c. *Quod cum, omiſſo diœceſano epiſcopo, fuiſſet ad archiepiſcopum appellatum, ad quem gradatim fuerat appellandum, in cauſa ipſa de jure procedere non debebat .... Quocirca mandamus, quatenus ſententias, poſt hujuſmodi appellatas, in eos denuntiatis penitus non tenere, ub. gl. verb. Poſt hujuſm.* Quod etiam arctat judices delegatos, juxta deciſionem præmiſſam, et doctrinam Deluc. d. judic. d. 3. n. 54. et n. 46. d. juriſd. d. 72. n. 18. de præemin. d. 34. n. 6. Miſcell. d. 1. n. 76. Trid. ſeſſ. 24. c. 20. d. reform. ad quod Deluc. in adnot. d. 33. ex n. 1. et ſeqq.

Poſt hæc exarata expedivit Summus Pontifex Benedictus XIV. actu regnans bullam, quæ incipit, *Jamdudum*, expedita die 22. Julii anni 1745. qua ſtatuit, poſſe, omiſſis mediis, ad ipſum, et ad nuntios legatos appellari, et quis judex ad quem debeat prævalere, cum ſimul ad diverſos appellatur, et alia valde opportuna, et congruentia, quæ tranſcribentur infra.

XXIII. Adnotanda, 2. Decreta Urban. VIII. ann. 1626. ſuper quibuſdam dubiis, de quibus eadem Sacr. Congregatio unanimi conſenſu cenſuit:

1. *An in tribunali auditoris cameræ Romanæ poſſint concedi monitiones, ſeu monitoria cum abſolutione, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, excommunicatis per epiſcopos, et alios ordinarios, ex cauſa violatæ juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ, appellantibus, vel alias recurrentibus ad ſupradicta tribunalia?*

2. *An in cauſis, quæ agitantur in ſupradictis tribunalibus curiæ Romanæ, poſſit recurſus haberi ad Sacram Congregationem ſuper immunitate, et controverſiis juriſdictionalibus, pro reſolutione, vel declaratione, an ſit, vel non ſit, commiſſa violatio juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ; et an ſit locus reintegrationi hujuſmodi violationis; et interim debeant dicta tribunalia ſuperſedere uſque ad reſolutionem, ſeu declarationem ejuſdem Sacr. Congregationis, illamque ſequi, et exequi?*

Die 4. et 11. Auguſti 1626. S. Congregatio unanimi conſenſu cenſuit:

Quoad 1. *Tribunal auditoris cameræ, necnon alia tribunalia ſupradicta, non poſſe hujuſmodi abſolutiones concedere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam.*

Quo vero ad 2. *Ut ſupra, recurri poſſe; et interim ſupradicta tribunalia expectare debere reſolutionem, ſeu declarationem, et illam omnino ſequi, et exequi.*

XXIV. Adnotandæ, 3. Additiones, ſeu declarationes Bened. XIII. ſuper quibuſdam ex allatis decretis, quæ per extenſum facile videri poſſunt in d. append. ad d. Concilium Lateranenſe, ſeu Romanum noviſſimum: quare, et quia longa ſunt, hic eas non tranſcribimus, una, vel alia excepta, videlicet ad decret. 12. et 13. Clem. VIII. *quoad abſolutionem ultimatam à cenſuris; ibi:*

Verum, quoad abſolutiones cum reincidentia, quæ partibus concedi ſolent à judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi, cum inoluerit uſus tam in tribunali A. C. quam forſan etiam in metropolitanis aliis tribunalibus appellationum, quod committantur abſolutiones cuicunque confeſſario, ita ut rei, abſque ulla reverentia proprii ordinarii, pro abſolutis ſe publice habeant, Sanctitas ſua ſtatuit, ut in futurum hujuſmodi abſolutiones cum reincidentia tam in tribunali A. C. quam in curiis metropolitanis, aliorumque judicum appellationum, committantur ipſis ordinariis excommunicantibus cum clauſula, ut infra tres dies abſolvant cenſuratos, juxta commiſſionem; quibus elapſis, ſi requiſitus ordinarius abſolvere recuſaverit, vel neglexerit, abſolvantur à confeſſario, juxta commiſſionis formam, quæ in præſenti ſervatur in dictis commiſſionibus abſolutionum. Quoad vero cenſuratos, in urbe commorantes, committi debeat abſolutio cardinali urbis vicario, ſeu ejus vices gerenti; ac præfata ſervari etiam mandavit in abſolutionibus, quæ conceduntur per congregationes, prout jam religioſe in ipſis ſervatum fuit. Declaravitque rurſus Sanctitas ſua, quod hujuſmodi commiſſiones de abſolvendo præſentari debeant cancellario ordinariorum, à qua præſentatione currere debeant tres dies, poſt quorum lapſum, et non data abſolutione, poſſint ab aliis abſolvi, ut ſupra, in commiſſione.

Quoad inſuper cenſuratos, mandat Sanctitas ſua, quod reportata abſolutione à cenſuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, ſed tantummodo tegantur, et tecti remaneant, durante termino obtentæ abſolutionis.

XXV. Adnotanda, 4. Conſtitutio noviſſima Bened. XIV. quæ incipit *Ad militantis eccleſiæ*, menſe Martii anno 1742. edita, ubi innovando quæ in S. Concilio Tridentino, et conſtitutionibus apoſtolicis, provide ſancita ſunt, ſic effatur:

Inhærentes itaque decretis ejuſdem S. Concilii, necnon congregationis epiſcoporum, et regularium, juſſu, et approbatione recordationis memorabilis Clementis PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, alias editis die 16. Octobris 1600. itemque aliis congregationis particularis juſſu pariter, et approbatione felicis recordationis Urbani PP. VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, promulgatis die 5. Septembris 1626. eorumque declarationibus nuper ſuperadditis à piæ memoriæ Benedicto XIII. etiam prædeceſſore noſtro, in appendice Concilii Romani, aliiſque apoſtolicis conſtitutionibus hac de re alias editis, et innovatis, et præſertim conſtitutioni piæ memoriæ Gregorii XV. quæ incipit—Inſcrutabili, ſub datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1622. nonis Februarii; deſtricte præcipimus, et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum dicti ſacri Concilii Tridentini in omnibus illis cauſis, et negotiis, in quibus executio hujuſmodi epiſcopis, et locorum ordinariis, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatis, ab eodem S. Concilio, vel dictis apoſtolicis conſtitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacunque poſtpoſita, commiſſa eſt, appellatio aliqua in tribunalibus prædictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales, vel ſpeciales, cum commiſſione inſerta, monitoria, et alia hujuſmodi, per quæ dictorum decretorum executio retardetur, aut proceſſus ad ulteriora in eadem executione ſuſpendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

Deinde proſequitur per ſingula decreta quamplurima ſuperioribus tribunalibus primam ordinariorum inſtantiam injuſte inhibentibus, vetans, et interdicens; et tandem prope finem ſic diſpoſuit: *Volumus, præcipimus, et mandamus, quod ab archiepiſcopis, patriarchis, ſeu primatibus, aliis judicibus eccleſiaſticis, etiam noſtris, et Sedis Apoſtolicæ nuntiis, vel de latere legatis, etiam S. Romanæ eccleſiæ cardinalibus, atque etiam cameræ noſtræ generali auditore, ſignaturæ juſtitiæ præfecto, cæteriſque judicibus Romanæ curiæ, eorumque vicariis, et officialibus, citationes generales, vel ſpeciales, cum commiſſione inſerta, monitoria, et alia hujuſmodi cum inhibitione, per quam executio decretorum, mandatorum, et proviſionum hujuſmodi retardetur, ſuſpendatur, aut impediatur, minime concedantur; et quatenus, et in poſterum conceſſa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis, impune ſperni poſſint, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut ſtylo concedendi inhibitiones in cauſis prædictis, tametſi temporarias, penitus excluſis. Nos enim citationes, et monitoria aliter, quam ut præfertur, conceſſa, vel in poſterum concedenda, nulla atque irrita declaramus, et pro nullis atque irritis habere volumus, et mandamus; decernentes, quod adverſus decreta, mandata, et proviſiones ejuſmodi, quas, vel quæ ab epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis fieri, vel capi contigerit in cauſis, et negotiis prædictis, vel ſimplex dumtaxat, et extrajudicialis recurſus per viam ſupplicis libelli ad nos, et ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, vel reſpective, et juxta cauſarum naturam et qualitatem, appellatio ad quos de jure in ſolo devolutivo, et ſine retardatione, vel præjudicio legitimæ executionis, recipi, et admitti poſſit.*

Et § *Quo vero ad perſonas exemptas*, ſic progreditur: *Volumus, ſtatuimus, et mandamus, quod cauſæ omnes tam civiles, quam criminales, ad forum eccleſiaſticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quæ ex eodem concilio, vel alias juxta canonicas ſanctiones apud nos, et Sedem Apoſtolicam, tractari poſſunt, aut debent, coram ordinariis locorum dumtaxat, in prima inſtantia cognoſcantur, neque à metropolitanis, patriarchis, aut primatibus, aliiſque judicibus eccleſiaſticis, etiam noſtris, et*

et Sedis Apoſtolicæ nuntiis, vel de latere legatis, aut cameræ noſtræ generali auditore, et cæteris quibuſlibet curiæ noſtræ judicibus, ad ſe avocari, vel aliis committi poſſint, niſi per viam legitimæ appellationis, et in caſibus, ut ſupra, non prohibitis ad ipſorum tribunalia deferantur. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, niſi prius conſtiterit, quod nedum per legitimam perſonam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit; ſed etiam quod appellatum fuerit à ſententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam ſententiam reparari non poſſit: idque per publica documenta, quæ realiter in actis exhibeantur; tunc enim, et non antea, judici, ad quem appellatum fuerit, in cauſa ſe intromittere, citationes, et inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti definitivi, ſeu vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; alias citationes, inhibitiones, proceſſus, et inde ſecuta quæcunque ſint, ipſo jure, nulla, atque impune ſperni poſſint.

Quodſi appellans aſſerat ſententiæ, aut decreti exemplum authenticum culpa judicis à quo, vel notarii, ſive actuarii, habere non poſſe, tunc ſaltem copiam ſimplicem ſententiæ, ſeu decreti, in actis producere teneatur; ejuſque tenori in literis inhibitorialibus inſerto adjicienda erit, prout adjici volumus, et mandamus, in earum corpore expreſſa conditio—Quatenus tamen tenor inſertus vere, et in ſubſtantialibus, cum originali concordet, eodemque originali præſentes literæ ſint in tempore poſteriores, alioquin nullæ et irritæ cenſeantur: et, ſi ſecus factum fuerit, inhibitiones aliter conceſſæ nullatenus afficiant, et notarii, ſive actuarii, qui illas expedierint, incidant in pœnas ſuperius expreſſas. Cum vero à gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, ſiquidem res ſit de carceratione, jam ſecuta cum mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam conſtito prius de ipſa carceratione per depoſitionem ſaltem duorum teſtium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter, ſervatis ſervandis, judicatum fuerit: ubi vero agatur de cenſuris jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ, aut cenſurarum, obſervetur omnino diſpoſitio dictorum decretorum congregationis epiſcoporum ſub recordationis memorabilis Clemente VIII. *juxta additiones et declarationes piæ memoriæ Benedicti* XIII.

Et ſupra, § *Quoniam vero*, &c. ſtatuit, quod *monitoria, ſive inhibitiones, minime concedantur, niſi præmiſſo libello cum documento ſemiplene ſaltem gravamen probante, et tunc cum ſubſequenti clauſula ſub pœna nullitatis in reſcripto inſerenda: nos enim, attentis juribus, et ſupplici libello, nobis præſentatis, atque in actis exhibitis, ſicut præfertur, inhibendum eſſe ſpeciali reſcripto mandavimus*, &c.

XXVI. An autem de appellationibus interpoſitis ad Sanctiſſimum nomine expreſſo valeat cognoſcere excellentiſſimus nuntius cum poteſtate legati à latere? Affirmat nuperrime Silva in diſſert apolog. § 2. ex c. 1. de offic. legat. c. *Si Abbat.* 36. de electionib. gloſſ. ad c. *Siquis veſtr.* 2. q. 6. v. *Apoſtolic.* ubi plura, et plures congerit DD. Icio tamen, quod in Rom. curia anno 1744. poſt apologiam illam typis traditam, reprobatum fuiſſe eminentiſſimo Card. *Oddi*, nuntio apoſtolico, et legato à lat. in his regnis Portugalliæ committere cognitionem cauſarum appellationum ad Sanctiſſimum auditori ſuo *Delaciaia*, nedum in 2. ſed etiam in 3. inſtantia: 1. Quia in his terminis appellaretur ab eminentiſſimo nuntio ad ſeipſum, ex text. in c. 2. de conſuetud. Pet. Barb. in l. *Cum prætor*, 12. n. 223. de judic. 2. A paritate auditoris cameræ Papæ, qui, quamvis habeat facultatem cognoſcendi de omnibus appellationibus ad Papam interpoſitis, minime tamen in 3. inſtantia; et neceſſaria eſt omnino nova judicis deſignatio facta à Papa, vel à S. Congregatione, ejus nomine. 3. Quia facultates domini nuntii legati, ſolæ ſunt (ut in earum brevi exprimitur) pro cognoſcendis omnibus appellationibus in 2. inſtantia, ergo non pro 3. 4. Quia omnis appellatio præſupponit ſuperioritatem, et majoritatem juriſdictionis in judice ad quem, ex c. 1. de offic. legat. Scacc. de appellat. q. 8. n. 49. eam autem non ſupponeret, ſi dominus nuntius de illis etiam in 3. inſtantia cognoſceret. 5. Ex variis abſurdis inde ſequendis, præſertim perſiſtendi in judicatis, ac deciſis à ſeipſo in 2. inſtantia. 6. Ex doctrina Gonzal. ad c. 2. de offic. legat. ibi: *Legati, et pontifices, non eſſe idem tribunal, ſeu judicium, ſiquidem à legato appellatur ad Pontificem, ut paſſim hoc tit.*

Has omnes dubitationes tandem decidere dignatus eſt Sanctiſſimus P. Benedictus XIV. per ſuam bullam, quæ incipit, *Jamdudum*, 22. Julii anni 1745. ubi ſequentia decidit: 1. Dubium.

1. *Utrum nuntius apoſtolicus cognoſcere poſſit cauſas in prima inſtantia?*

Ad primum: *Negative*; ita tamen diſponitur in brevi ſuæ deputationis, ſed ſervandam eſſe, etiam à nuntio, formam conſtitutionis ſanctiſſimi domini noſtri de inhibitionibus concedendis, vel denegandis editæ anno 1742. quæ incipit, *Ad militantis eccleſiæ.*

2. *Utrum appellari poſſit ad nuntium in 2. inſtantia?*

Ad *ſecundum*: Rite rectèque appellari poſſe ad nuntium, omiſſo medio metropolitani: quia nuntius repræſentat Sedem Apoſtolicam, ad quam appellari poteſt, etiam omiſſo medio.

3. *Utrum adverſus ſententiam in ſecunda inſtantia latam ab auditore, alioque judice nuntiaturæ, iterum appellari poſſit ad nuntium, vel potius appellari debeat ad Sanctiſſimum?*

Ad *tertium*: Affirmative, quoad *primam*, et *negative*, quoad *ſecundam partem*: quia in dicto brevi deputationis datur nuntio facultas recipiendi quaſcunque appellationes, et ſic etiam in tertia, vel alia ulteriori inſtantia.

4. *Utrum adverſus ſententiam in ſecunda, vel alia ulteriori inſtantia latam à delegato apoſtolico ſpecialiter deputato per conſuetas literas in forma brevis, appellari poſſit ad nuntium?*

Ad *quartum*: *Affirmative*; etiamſi agatur de judicibus ſynodalibus propter ſpecialem facultatem, quæ ſuper hoc tribuitur nuntio in dicto brevi ſuæ deputationis.

5. *Utrum nuntius cognoſcere poſſit, vel alteri delegare cauſas reſtitutionis in integrum adverſus res judicatas, quæ ortæ ſint, vel propter lapſum fatalium, vel propter numerum trium ſententiarum conformium.*

Ad *quintum*: *Affirmative*; prout juris fuerit, ſicut diſponitur in ejus facultatibus, id eſt, citata parte, et juſtitia ſic exigente: ſecus autem parte non citata.

6. *Utrum nuntius in recipiendis et committendis cauſis appellationum ſervare teneatur conſtitutionem S. mem. Bonifacii* VIII. *de una, et Sacri Concilii Lateranenſis de duabus dietis, ſeu potius illis derogare poſſit?*

Ad *ſextum*: Quando nuntius in curia nuntiaturæ per ſeipſum judicat, vel alteri judicandas committit cauſas appellationum, non intrare prædictas conſtitutiones, ſicuti non intrant, quando metropolitanus in curia ſua cognoſcit de cauſis ſuæ provinciæ, vel Summus Pontifex in curia Romana de cauſis univerſi Chriſtiani orbis: æquum tamen eſſe, ut eas, quæ non attingunt ſummam ſcutorum centum monetæ Romanæ, in curia nuntiaturæ nequaquam retineat, ſed alteri committat, intra unam, vel ſaltem duas dietas: quatenus tamen nuntius committere velit cauſas extra curiam nuntiaturæ, rite rectèque derogare poſſe prædictis conſtitutionibus juxta facultatem, quæ ipſi tribuitur in dicto brevi.

7. *Utrum nuntius cognoſcere, vel alteri delegare poſſit cauſas criminales, et matrimoniales?*

Ad *ſeptimum*: *Affirmative*; juxta facultatem, quæ datur in dicto brevi.

8. *Utrum nuntius juriſdictionem habeat in cauſa et cauſis, tam ſuper officiis eccleſiaſticis, quam laicalibus, collatis per capitulum, ſede Bracharenſi vacante?*

Ad *octavum*: Cauſam et cauſas ſuper conceſſionem dictorum officiorum, etiam laicalium, ſpectare ad forum eccleſiaſticum, quia non ſunt reditus, et bona propria eccleſiæ Bracharenſis, atque ideo poſt conſumptam coram ordinario primam inſtantiam, poſſe nun-

tium de illis cognoſcere, ſicuti de omnibus aliis cauſis ad forum eccleſiaſticum in ſua legatione pertinentibus.

9. *Utrum juriſdictio nuntii in ſecunda inſtantia ſit privativa, vel potius appellari poſſit pro arbitrio appellantis, etiam ad metropolitanum?*

Ad *nonum: Negative*, quoad primam; et quoad ſecundam partem, *affirmative*, quia in dicto brevi deputationis nullibi excluditur appellatio de jure permiſſa ad metropolitanum.

10. *Utrum, omiſſo nuntio, appellari poſſit ad Sanctiſſimum, et ab eo impetrari commiſſio per brevem in partibus?*

Ad *decimum:* Affirmative; quia facultates non dantur in brevi excluſive ad ipſum Summum Pontificem, qui facultates ejuſmodi concedit, et qui neque volens poſſit hoc jure ſupremæ majeſtatis ſeſe expoliare: neque obſtare privilegium *Julii tertii*, quia per illud non prohibetur, ne litigantes recurrere poſſint ad ipſum Summum Pontificem pro obtinendis commiſſionibus; ſed ſolummodo conceſſum fuit ſub quibuſdam reſtrictionibus, ut cauſæ regni non committantur judicandæ extra regnum.

11. *Quando intelligatur appellatum ad Sanctiſſimum appellatum, et quando ad nuntium?*

Ad *undecimum:* Si appellatum fuerit ad Sanctam Sedem, ſive ad ejus nuntium, intelligi appellatum ad nuntium: ſi vero appellatum fuerit *ad Sanctam Sedem*, ſive *ad Pontificem regnantem*, proprio ejus nomine *expreſſo*, id eſt, *ad ſanctiſſimum dominum noſtrum Benedictum* XIV. tunc intelligi appellatum non ad nuntium, ſed ad ipſum Pontificem; neque aliud poſſe nuntium, quam præfigere appellanti tres conjunctos terminos pro obtinenda commiſſione.

12. *Quænam appellatio ſervanda ſit, quando is, qui ſuccubuit in prima inſtantia, cumulative appellavit ad metropolitanum, et ad nuntium: vel quando cumulative appellat ad metropolitanum, ad nuntium, et ad Sanctiſſimum.*

Ad *duodecimum:* Expectandum eſſe in utroque caſu, quid appellans intra decem dies datos ad appellandum declaret in actis, coram quo appellationem proſequi velit. Eo vero elapſo, et nulla facta declaratione, intelligi appellatum ad digniorem, id eſt, ad nuntium, excluſo metropolitano; et reſpective ad Summum Pontificem, metropolitano, et nuntio excluſis.

13. *Quænam appellatio ſervanda ſit, quando ex collitigantibus alter appellat ad metropolitanum, et alter ad nuntium; vel quando alter appellat ad nuntium, et alter ad Sanctiſſimum?*

Ad *decimum tertium:* Servandum eſſe appellationem ad digniorem interpoſitam.

14. *Ad quem ſpectet judicare de pertinentia inter nuntium, aut ejus delegatum, ex una, et judicem à Sanctiſſimo delegatum per breve, ex altera.*

Ad *decimum quartum:* Remittendas eſſe partes ad Summum Pontificem: nec poſſe nuntium de pertinentia ejuſmodi cognoſcere, aut judicare.

15. *Utrum judices per breve à Sanctiſſimo delegati procedere poſſint ad cenſuras contra auditorem nuntiaturæ?*

Ad *decimum quintum:* Poſſe, quatenus auditor nuntiaturæ ſeſe ingerat in cauſa alteri per Summum Pontificem ſpecialiter delegata, aut proceſſum actorum tradere recuſet; vel aliter quoviſmodo impediat, ne delegatus Papæ in cauſa procedat: ſed tamen non decere propter reverentiam Sedis Apoſtolicæ.

16. *Utrum tribunal nuntiaturæ poſſit ſibi mulctas applicare?*

Ad *decimum ſextum:* Affirmative; quia ſic diſponitur in brevi ſuæ deputationis.

CAP. XXIX.

De Licitudine, vel Illicitudine Recurſus à Judice eccleſiaſtico ad ulteriora procedente, non obſtante Recuſatione.

SUMMARIUM.

I. *Definitur* recuſatio.
II. *Eſt juri naturali conſona.*
III. *Recuſatio, et appellatio, à pari procedunt.*
IV. V. *Recuſatio notorie frivola, aut calumnioſa, rejicitur à judice eccleſiaſtico, abſque injuſtitia; etſi non ex tenore ipſius, ſed ex actis, calumnia conſiſteret.*
VI. *Talis recuſatio non ſuſpendit juriſdictionem judicis.*
VII. *Cauſæ ſufficientes ad recuſationem arbitrio judicis committuntur.*
VIII. *Reſolutio patet etiam ex omnibus conſtitutionibus ſynodalibus diœceſum Portugalliæ.*
IX. A Per. *monet cavendum Oliv. quoad nullitatem geſtorum poſt appellationem.*
X. *Judex rejiciens recuſationem probabiliter calumnioſam, non committit injuſtitiam notoriam.*
XI. *Ad recuſandum judicem requiritur cauſa legitima.*
XII. *Recuſatio probabiliter frivola non ſuſpendit juriſdictionem judicis.*
XIII. *Stante probabilitate ex parte judicis in illo caſu, reſp. practice certo confert juriſdictionem.*
XIV. XV. *Periculoſam opinionem* Per. *dicit Oliv. dum aſſerit, patere recurſum à judice recuſato ad ulteriora procedente, etiamſi pars non appellet.*
XVI. *Recuſatio frivola, nec probabiliter ſuſpendit juriſdictionem judicis.*
XVII. XVIII. *Judex*, ut pars, *vim vi repellens, valide, et licite procedit, non obſtante qualibet recuſatione, aut appellatione.*
XIX. *Suſpicio, et recuſatio, non in partem, ſed in judicem cadunt.*
XX. *Laudantur quamplures DD. id aſtruentes.*
XXI. *Judex legitimam recuſationem rejiciens, et ad ulteriora procedens, notoriam injuſtitiam committit.*
XXII. *Pars legitime recuſans habet notorium jus, ut judex conquieſcat.*
XXIII. *Probabilitas opinionis in contrarium, ſaltem ex diſpoſitione juris, nil ei ſuffragaretur.*
XXIV. *Et ex illa redderet rem practice certam.*
XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. *Qui teneant judicem legitime recuſatum ad ulteriora procedentem, nedum notoriam injuſtitiam, ſed et notoriam violentiam incutere, qui ad hominem redarguuntur.*
XXX. *Judex eccleſiaſticus rejiciens ſuſpiciones, quarum cauſæ in jure ſunt expreſſæ, et ad ulteriora procedens, notoriam violentiam infert; ſecus vero, quando cauſæ non ita ſunt expreſſæ.*
XXXI. XXXII. *Licet non ſit certum, recuſationem legitimam effective ſuſpendere juriſdictionem judicis, certum tamen notorie eſt ex diſpoſitione juris, pendente legitima recuſatione, judicis officium conquieſcere.*
XXXIII. *Judici legitime recuſato ad ulteriora procedenti poteſt, ut privato, reſiſti.*
XXXIV. *Ex damnat. Innoc. XI. judex tenetur judicare ſecundum opinionem practice probabiliorem, et multo magis, ubi nulla in contrarium circumfertur opinio.*
XXXV. *Recuſatio tunc cenſetur frivola, quando in jure expreſſe non reperitur, vel cauſa non eſt ſimilis, aut major aliis in jure expreſſis.*
XXXVI. *Contra judicem procedentem, appellatione, vel recuſatione non obſtante, videtur providendum per tuitionem dumtaxat, non per viam recurſus, ex Oliv.*
XXXVII. *Quando recuſans ſtatim teſtes non nominat, nec exprimit cauſam, vel non legitimam, probabile eſt, poſſe judicem ad ulteriora procedere.*
XXXVIII. *Si vicarius generalis (non vero judex delegatus) obliget recuſantem, ut cautionem deponat, vim non facit, nec competit recurſus, et coram quo tractandæ recuſationes officialium epiſcoporum, remiſſive.*

XXXIX. XL. *Attento jure communi, merus executor probabiliter recuſari poteſt; non tamen ab eo pateret recurſus recuſationem rejiciente.*

XLI. XLII. *Judex recuſationis, in dubio, tenetur contra illam pronuntiare.*

I. PRÆMITTENDUM, 1. Recuſationem definiri ex Guerr. l. 1. c. 1. de recuſat. *Judicis, audientiæque declinatio:* quæ quidem à jure præſertim inducta fuit, quia ſub ſuſpecto judice litigare periculoſum eſt, ut probatur in cap. *Quod ſuſpecti*, 3. q. 5. nam quodammodo naturale eſt, inquit Summus Pontifex, ſuſpectorum judicum inſidias declinare, et inimicorum judicium ſemper velle refugere; nam quid gratius, et amabilius dare quis inimico poteſt, quam ſi ei ad impetendum commiſerit, quem lædere forte voluerit?

II. Præmitt. 2. ex eodem: Quod unicuique de jure naturali licitum eſt præcavere ab offenſione: quare legimus, plures ſanctos ſuos judices recuſaſſe, confugientes ad aſylum hujus clypei, ad elidendum technas moderatorum, ſi forte maligna præcordia nutriant, quo in amplexendo nota aliqua haud officiuntur juri propriæ defenſionis inhærentes, referunt Bobadilla, l. 3. politicorum, cap. 8. n. 122. Capicius Latro conſ. 101. n. 3. Exprimunt duritiam hanc Barat. in ſpeculo viſitationis, cap. 6. n. 3. Fontanella deciſ. 1. n. 1.

III. Præmittendum, 3. ex eodem Guerr. l. 3. c. 6. n. 18. Quod *recuſatio*, et *appellatio*, à pari procedunt; et ubi non datur appellatio, non datur recuſatio, ut docet cum aliis Barb. in votis deciſivis, lib. 1. voto 4. n. 98. et ipſe jam multoties dixerat: cur autem recuſatio procedat, quando prælatus excedit modum in viſitatione, clara eſt ratio; quia tunc, ſicut datur appellatio ſuſpenſiva, ut docet Barb. ad conc. dicto cap. 10. n. 10. et 11. et dicta alleg. 73. n. 32. cum infinitis ibi relatis, et ita recuſatio. Vide quæ ipſemet dixit cap. 16. hoc lib. His præmiſſis, ſit ——

Concluſio 1.

IV. Si recuſatio fuerit notorie calumnioſa, vel notorie frivola, judex eccleſiaſticus eam rejiciens, ut talem, et ad ulteriora procedens, nec injuſtitiam facit, nec violentiam irrogat. Ita Oliv. cit. q. 17. n. 60. cum Abb. in c. *Cum ſpeciali*, n. 23. de appellat. Láp. alleg. 1. n. 2. Burſat. conſ. 21. n. 25. Lancelot. de attent. c. 6. n. 31. et hanc ſententiam veram agnoſcit Per. de man. reg. c. 9. n. 3. et 34. et c. 22. n. 9. ubi alios citat.

Oliv. autem loc. cit. eam nedum veram, verum et praxi receptam dicit, et procedere ſecundum mentem omnium DD. etiamſi calumnia recuſantis non ſit expreſſa in tenore recuſationis manifeſte, et notorie frivolæ; ſed ſufficit ex actis aliunde conſtare, ſeu colligi; quicquid dicat Caſtr. d. cap. 22. n. 10. verſic. *Unde opinio:* unde defendere vult, non poſſe judicem ſuſpicionem, ut frivolam, rejicere, ne ſit judex in cauſa propria; niſi quando de malitia recuſantis ex tenore recuſationis conſtiterit: ſentiens, idem eſſe in appellatione; quod tenendum non eſt, ut ſupra, limit. 2. in fine, ſed arbitrio judicis relinquendum, quæ ſit recuſatio frivola, ut per Menoch. de arb. lib. 2. caſu 197. in fine.

V. Prob. concluſio, 1. A paritate rejectionis appellationis notorie frivolæ; appellatio namque, et recuſatio æquiparantur, et à pari procedunt, juxta ſuperius præmiſſa, n. 3.

VI. Prob. 2. Quia recuſatio notorie frivola, et calumnioſa, certe apud omnes non ſuſpendit juriſdictionem judicis recuſati, etiam apud illos, qui tenent, recuſationem legitimam judicis juriſdictionem ſuſpendere; quod tamen dubium eſt; nam DD. primæ notæ probabiliter contrarium docent, ut infra demonſtrabitur, n. 12.

VII. Prob. 3. Ratione, adducta à Guerr. l. 1. c. 19. n. 16. quia cauſæ, quæ ad recuſationem ſufficiant, præter in jure expreſſas, arbitrio judicis committuntur. Giurba, et Queſada Pilo ſupra, Carrocius except. 120. n. 41. Carraſc. ad leges recopilationis, cap. 9. n. 311. Donad. de renuntiationibus, cap. 32. à n. 69. Qua hypotheſi poterit tanquam à ſua fronte inſubſiſtens, et notorie elidibilis ſperni, et rejici, et ea ſpreta, ad ulteriora progredi. Cancer. 1. variar. cap. 21. n. 37. et 3. cap. 10. n. 37. Fontanella, deciſ. 5. n. 18. Carolus de graff. except. 24. n. 12. Queſade Pilo ſupra, n. 30. Faber in ſuo codice, lib. 31. tit. 4. *Nequis in ſua cauſa, de fin.* 6. et 7. Barb. voto 4. n. 107. Cabedo, deciſ. 20. n. 4. part. 1. Cortiada, deciſ. 18. n. 66. Capicius Latro, deciſ. 164. n. 4. et alii quamplurimi apud Olivam de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 60.

VIII. Prob. 4. Ex omnibus conſtitutionibus ſynodalibus omnium diœceſum regni Portugalliæ, et ex omnibus regiminibus omnium auditoriorum eccleſiaſticorum ejuſdem, ſignanter conſt. diœceſis Portucalenſis in regim. § 3. de ſuſpicionib. et aliis exception. dilator. in regim. auditorii Bracharenſ. Ulyxbonenſ. et aliorum; ubi expreſſe decernitur, quod ſi ſuſpiciones notorie frivolæ fuerint, judex poſſit eas ſtatim rejicere, et ad ulteriora in cauſa procedere; quod etiam ex praxi docent Farinac. l. 1. conſ. 17. n. 16. to. 4. Fragoſ. § 7. n. 222. Fermoſin. in c. 4. de for. comp. q. 2. Themud. p. 2. dec. 198. n. 14. Gonzal. Tell. ad tex. in c. *Cum ſpeciali*, de appellat. n. 5. cum quibus Guerr. l. 1. c. 19. et l. 5. c. 7. n. 20. 29. et ſeqq.

IX. Prob. 5. Ex omnibus aliis rationibus pro licita, ac valida rejectione appellationis notorie frivolæ (cui recuſatio æquiparatur) adductis ſupra c. 26. et 27. et ex reliquis, quæ Oliv. citat. q. 17. per tot. expendit; qui tandem ibi, n. 61. cavendum iterum monet à Per. de man. reg. dum c. 9. n. 55. aſſerit, quod licet appellatio, cui recuſatio æquiparatur, tanquam frivola repelli poſſit; geſta tamen poſt appellationem ipſo jure nulla ſunt, quod falſum eſt; quia ſi appellatio, ſeu recuſatio frivola notorie fuerit, nullum operatur juris effectum; et judex poteſt ad ulteriora procedere, ſententiamque executioni mandare, et per eum geſta valida ſunt, ut reſolvunt DD. communiter in d. c. *Cum appellationibus*, late Lancelot. qui plures refert, de attent. appell. pend. lim. 6. Barb. in l. *Si de vi*, n. 145. alias enim ad quid prodeſſet, judicem poſſe, et debere frivolis appellationibus non deferre, ut ratio, juſque docet in d. cap. *Cum appellationibus?*

Concluſio 2.

X. Etiamſi recuſatio fuerit tantum probabiliter frivola, et calumnioſa, judex eccleſiaſticus eam rejiciens, ut talem, nec notoriam violentiam, nec injuſtitiam committit. Ita præcitati DD. quos ſequitur Oliv. infr. citat. Prob. 1. A paritate rejectionis appellationis probabiliter frivolæ dumtaxat, de qua ſupr. c. 26. n. 12. A pari namque procedunt recuſatio et appellatio, Guerr. de recuſat. lib. 3. c. 3. n. 18.

XI. Prob. 2. Quia de jure canonico requiritur cauſa legitima ad judicem recuſandum ex c. *Legitima*, de appellat. in 6. ibi: *Legitima ſuſpicionis cauſa contra judicem aſſignata:* ub. gl. verb. *Suſpicionis*. Guerr. de recuſ. l. 1. c. 19. quicquid ſit de jure civili. Deinde quænam cauſæ legitimæ ſint, præter expreſſas in jure, judicis arbitrio committuntur, Guerr. l. 1. c. 19. n. 16. cum Giurb. et Queſ. Pil. Carraſc. ad leg. c. 9. 311. Donad. de renunt. c. 32. an. 69. Judex autem judicando, ut frivolas, cauſas, quæ ejus arbitrio committuntur, de injuſtitia redargui non poteſt, nec ſyndicatui ſubjacere. Guerr. cit. n. 17. cum Bobadill. Queſ. Pil. Larr. et aliis.

XII. Prob. 3. Quia in tantum judex in caſu figurato, injuſtitiam notoriam, aut notoriam violentiam incuteret, in quantum recuſatio probabiliter tantum frivola, ejuſdem juriſdictionem notorie ſuſpenderet, vi cujus ſuſpenſionis notorie, ſine juriſdictione procederet; atqui non ſuſpendit; et probatur: quia, licet probabilis circumferatur opinio tenens, legitimam recuſationem juriſdictionem judicis recuſati ſuſpendere, quam amplectuntur Guerr. cit. l. 1. Bertrand. conſil. 130. l. 2. Alciat. conſ. 111. Burſat. conſ. 21. n. 2. l. 1. et alii apud Oliv. q. 17. n. 59. attamen æque probabilis, et forſan probabilior opinio verſatur, graviſſimorum DD. quos refert Lancelot. de attent. c. 6. n. 1. Cevall. de viol. p. 2. q. 19. n. 17. et 21. Per. de man. reg. c. 22. n. 10. Oliv. cit. n. 59. ubi dicit, *Rem adeo dubiam eſſe, ut quinque opiniones referat*

ferat Francus, in c. *Cum ſpeciali*, de appellat. n. 47. Atqui, ſtante probabilitate, reſpublica, tam laica, quam eccleſiaſtica, ſupplet, et confert juriſdictionem certam, etiam cum ſolo titulo colorato, ex l. *Barbatius*, ff. de offic. prætor. de quo ſupr. c. 15. et ſeqq. ergo.

XIII. Deinde, præter hanc probabilitatem objectivam, ſive ſubjectivam abſolutam, quoad ſuſpenſionem juriſdictionis judicis, etiam in recuſatione legitima, adeſt alia probabilitas formalis, et ſpecialis, in noſtro caſu, ex parte ipſius formalis recuſationis probabiliter frivolæ, ſive probabiliter non legitimæ, quæ una ſimul cum priori probabilitate abſoluta, et generali, certo equidem conferri, ac ſuppleri facit à republica juriſdictionem, etiam in judice præſumpto, eam in re non habente; et multo melius eam conſervari, ac retineri in judice vero, eam certe, ac legitime præhabente, juxta tradita, omnino colluſtranda, c. 16. n. 8.

XIV. Hinc colligit Oliv. cit. q. 17. n. 59. quam periculoſa ſit opinio Per. de man. reg. c. 9. an. 35. aſſerentis, poſſe recurri ad regium tribunal, et in eo providendum eſſe contra judicem eccleſiaſticum, qui (non deferens recuſationi) ad ulteriora proceſſit, etiamſi non appellet, pro qua opinione refert proviſum ſupplicanti in tribunali regio hujus regni, quod etiam videtur ſentire Cevall. de cog. per viam viol. part. 2. quæſt. 19. n. 17. et 21. licet ipſe ibi aſſerat, quod hodie ſemper interponitur appellatio à judice, ſi ad ulteriora procedere vult; et ſi judex non ſuperſedet, tunc recurritur ad tribunalia regia; colligitur, inquam, periculoſam eſſe hanc opinionem, quia pendet ex eo, utrum, recuſatione pendente, ſuſpenſa ſit juriſdictio recuſati judicis, geſtaque ab ipſo, ea pend. ſint nulla; quod adeo dubium eſt in jure, ut pro parte negativa (hoc eſt, quod non ſuſpendat, et geſta ſint valida ante appellationem, ſaltem attento jure canonico) ſit opinio communis graviſſimorum DD. quos refert Lancel. de attent. cap. 6. n. 1. et 2. ubi aſſerit, ſecundum eam in Rotta pluries judicatum, hanc opinionem etiam referunt Cevall. ubi proxime, Caſtr. d. part. 1. c. 22. n. 10. et adeo dubia eſt, ut quinque opiniones referat Francus in cap. *Cum ſpeciali*, de appell. n. 47.

XV. Et proſequitur ibidem, quod licet recentiores ſequantur partem affirmativam, etiam attento jure canonico, hoc tamen non tollit, quæſtionem eſſe dubiam in jure, et inter utriuſque juris DD. ex qua certa, et notoria violentia reſultare non poteſt, prout requiritur, ut recuſanti provideri poſſit in regio tribunali; niſi appelletur, et pendente appellatione, judex ad ulteriora procedat, quod ſemper obſervari in regno Caſtellæ, aſſerit Cevall. dict. quæſt. 19. n. 17. Quam enim, quæſo, violentiam facit judex ex duabus communibus DD. opinionibus unam eligendo, et ſecundum eam judicando? Fateor tamen, quod ſi opinionem negativam praxis fori eccleſiaſtici, ut non probabilem, vel minus veram, rejecerit, et intrepide affirmativa admittatur, et ſecundum eam concorditer judicetur; jam quæſtio non erit dubia; ſed erit violentia certa in his terminis: ac per conſequens recurſus ad regia tribunalia cum effectu locum habere poſſet. Hæc Oliv. quocirca vide dicta c. 15. et 16.

XVI. Dices: Quamvis probabilis circumferatur opinio docens, recuſationem, etiam legitimam, non ſuſpendere juriſdictionem judicis; attamen ipſe Oliv. cit. n. 59. cum recentioribus, amplectitur contrariam, ut veriorem, et praxi receptiorem: ergo, non obſtante probabilitate illa opinionis negativæ, practice ſtandum eſt pro affirmativa, docente, recuſationem judicis juriſdictionem reipſa ſuſpendere, et quieſcere facere, nedum de jure civili, verum et de canonico, ex Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 5. ex c. *Legitima*, de appellat. in 6. c. *Judex*, de offic. deleg. ibid. et reliquis jurib. infr. cit.

Reſp. diſtinguendo antecedens, quoad 2. partem: Opinionem tenentem recuſationem legitimam ſuſpendere juriſdictionem judicis; concedo: recuſationem probabiliter frivolam, nego. Eo enim quod ſit probabiliter, vel aliqualiter frivola, jam non eſt legitima. Unde DD. illi loquuntur de appellatione legitima, quæ conquieſcere facit judicis juriſdictionem, de qua loquitur Guerr. l. 1. non vero loquuntur de recuſatione probabiliter frivola, de qua impræſentiarum agimus.

Concluſio 3.

XVII. Si judex procedat, non ut judex, ſed ut pars extrajudicialiter in defenſionem, et vim vi repellendo, non obſtante qualibet recuſatione, imo, et appellatione, poteſt valide et licite ad ulteriora procedere extrajudicialiter. Eſt communis doctrina, quam tenent Tamburin. de jur. Abbat. tom. 2. diſp. 14. q. 3. n. 1. Pignatell. tom. 1. conſ. 170. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 15. Ventrigl. 1. p. annot. 48. Panimol. dec. 96. ad n. 1. Sperell. dec. 48. Cardin. Deluc. de judic. diſc. 9. et in miſcell. diſc. 14. Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. et reliqui DD. infr. laudati alleg. et hæc eſt expreſſa exceptio Guerr. relati ſupr. n. 2. et aſſerentis, l. 1. c. 1. cum Bobadill. l. 3. c. 8. *quod hac nota non afficiuntur juri propriæ defenſionis inhærentes.*

XVIII. Prob. 1. ex c. *Dilecto*, c. *Venerabilib.* de ſent. excom. in 6. c. 2. de privileg. c. *Venerabil.* de cenſib. c. *Procurationes*, cum ſeqq. eod. tit. Panormit. in cit. c. *Venerabilis*, de cenſib. Butr. in c. *Cum veniſſent*, c. *Ex literis*, c. *De cauſis*, de offic. deleg.

XIX. Prob. 2. A ratione, quia ſuſpicio, et recuſatio, non in partem, ſed in judicem cadit: atqui judex in præfato caſu, non ut judex, et judicialiter, ſed ut pars extrajudicialiter in defenſionem, et vim vi repellendo procederet: ergo.

Confirmatur, 1. Quia appellatio, et recuſatio illa, non in judicem, ſed in partem cadens, notorie frivola incederet, utpote à jure non ordinata, nec permiſſa, imo contra juris intentionem oppoſita; quod quidem omnibus propriam defenſionem ſemper, et pro ſemper permittit, atque ideo citra gravamen, quod quidem juſta defenſio excludit; proindeque nequit ſuſpendere juriſdictionem judicis.

XX. Confirmatur, 2. Ex doctrina quamplurimorum primæ claſſis DD. laudatorum in allegatione 11. et reliquis, videlicet Card. Deluc. Card. Petr. Jacob. Pignatell. Cæſar. de Panimoll. Sperell. Monacell. Ricciol. et ſignanter ex doctrina Tamburin. de jure Abbat. diſp. 14. p. 3. n. 1. et ſeqq. ibi: *Epiſcopi, et reliqui eccleſiaſtici prælati poſſunt proprias perſonas, ac bona, et jura ſuarum eccleſiarum, per cenſuras extrajudicialiter, et nullo juris ordine ſervato defendere, oppugnantes, et vim, ac moleſtiam inferentes, excommunicando, per text. in cap. Dilecto, et cap. Venerabilibus, § Attamen, et ibi communiter DD. de ſent. excom. lib. 6. notant Innoc. &c. et hoc ſive agant pro tuendis rebus mobilibus, ſive ſtabilibus, gloſſ. in d. cap. Dilecto, verb. Occupare. Cum enim quis in cauſa propria judex eſſe nequeat, qui eſt ſuſpectus, ut can. 1. 4. q. 4. l. penultim. ff. de arbitr. et toto tit. Nequis in cauſ. propria, Anton. de Butr. in cap. Cum veniſſent, de judic. non poteſt prælatus judicialiter, et cognitionaliter ſuam juriſdictionem contra tales exercere, et uti judex procedere; et ideo, ne, dum probatio fieret, eccleſia jure ſuo ſpoliata, et ejus bona ab aliis occupata remaneant, licitum ei eſt eadem bona, et ita ſpiritualiter, gladio, videlicet, utendo eccleſiaſtico, extrajudicialiter tueri, ac recurrere ad arma ſpiritualia, quæ ſunt eccleſiæ propria, ut loquitur tex. in d. cap. Dilecto. Unde prælatus ita extrajudicialiter procedens, nequit uti ſuſpectus recuſari; tum quia non tanquam judex, ſed tanquam pars procedit; et ſuſpicio in judicem, non in partem cadit. Antonius de Butr. d. cap. Cum veniſſent, n. 10. tum etiam, quia in hoc caſu non admittitur pars ad appellandum, Panormit. in d. cap. Venerab. d. n. 3. verſ. Primo caſu tenet excommunicatio; ideo nec multo minus ad recuſandum, cap. Super eo, il. 2. § In cauſis, de appellat. D. Anton. Ricciul. d. c. 61. n. 8. et 9.*

Concluſio 4.

XXI. Objecta legitima recuſatione, ſi judex, ea rejecta, vel non rejecta, ad ulteriora procedat, notoriam quidem injuſtitiam, atque injuriam committit. Ita Guerr. l. 5. c. 7. à n. 1. Valenſ. conſ. 43. n. 170. Giurb. conſ. 9. Lancel. de attent. p. 2. c. 6. Cortiad. dec. 18. Oliv. d. q. 17.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 5. *Nequaquam in cauſa procedatur*; et ex c. *Judex* de offic.

offic. deleg. in 6. et ex aliis jurib. infr. inſinuandis, ſignanter c. *Quod ſuſpectum*, 3. q. 5. c. *Judex*, de offic. deleg. in 6. c. *Legitima*, de appellat. eod. lib.

XXII. Prob. 2. ratione: Quia pars recuſans habet notorium jus, ut objecta legitima recuſatione, judex conquieſcat, et ulterius non procedat, quoaduſque ſuſpicionis cauſæ in forma juris per arbitros judicentur, Guerr. l. 5. c. 1. per tot. Atqui injuſtitia, et injuria eſt id, quod eſt in jus, ſeu contra jus alterius: ergo ſi jus illud notorium eſt, utique et injuria, atque injuſtitia ex illi adverſantibus reſultans, pariformiter, et proportionaliter notoria erit.

XXIII. Prob. 3. Quia, licet circumferatur probabilis opinio, quod recuſatio, etiam legitime, judicis competentis juriſdictionem non ſuſpendat, quantum ex ſe eſt, et intrinſece (quæ quidem probatur ex c. *Judex*, de offic. deleg. in 6. ib. *Si jam recuſatio eadem ſit probata, dummodo pronuntiatum non fuerit ſup. ea; extunc enim, cum omnino judex eſſe deſierit, &c. ub. gl. extunc, id eſt, ex quo pronuntiatum fuerit illum eſſe ſuſpectum*); attamen extrinſece ſaltem, et ex ipſa juris diſpoſitione cit. c. 5. Trid. et c. *Quod ſuſpectum*, 3. q. 5. DD. in c. *Cum ſpecial.* de appellat. c. *Legitima*, eod. tit. in 6. c. *Judex*, de offic. deleg. certum, et notorium omnino eſt, illam ſuſpendere, et judicem legitime recuſatum debere omnino conquieſcere, et ulterius non procedere, quoad recuſatio judicetur; imo certum, et notorium eſt, nullam quoad hoc contrariam verſari opinionem, nec probabilem, nec etiam improbabilem, cum ſit doctrina generalis ab omnibus DD. univerſaliter ſtabilita, et ſecuta: ergo.

XXIV. Dices: Quoties in materia diſputabili, ac quæſtionabili, intercedit opinio aliqua probabilis, res non evadit notoria, ſed dubia, juxta reſoluta ſuperius, c. 12. et 14. et ſubſequentibus. Atqui in præſenti materia diſputabili verſatur opinio probabilis tenens, recuſationem etiam legitimam, juriſdictionem judicis competentis abſolute non ſuſpendere: ergo notorium non remanet, ſed dubium, judicem recuſatum, non obſtante recuſatione, aut ea rejecta, ad ulteriora procedentem, notoriam injuſtitiam, atque injuriam inferre.

Reſp. diſting. min. Non ſuſpendere juriſdictionem judicis competentis, quantum eſt ex ſe intrinſece, tranſeat: extrinſece, et ex juris ipſius diſpoſitione, nego. Imo circa hoc, ut jam inſinuavimus, nulla circumfertur opinio abſoluta, et multo minus opinio probabilis, cum ex jure notum, ac notorium ſit, judicis recuſati officium omnino conquieſcere; et recuſantem, ſaltem extrinſece, ex jure ipſo, exemptum dici à juriſdictione judicis, quantumvis competentis; Guerr. cit. c. 1. l. 5. Oliv. cit. q. 17. ex Trid. cit. c. ſ. 14. de reform. et aliis jurib. ſuperius citatis.

An vero judex legitime recuſatus, ad ulteriora procedens, ſicut notoriam injuſtitiam, ita notoriam violentiam recurſabilem incutiat?

XXV. Majus eſt dubium. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 15. affirmat cum aliis pluribus: et ratio illi eſt; quia recuſatio ſuſpendit juriſdictionem judicis, quod probat ex gl. in cit. c. *Judex*, de offic. deleg. in 6. verb. *Proponatur*. Sed contra, 1. Quia dubium eſt, an recuſatio, vel ſuſpicio oppoſita reipſa effective ſuſpendat juriſdictionem judicis competentis, eo quod probabiliſſima verſetur opinio in contrarium; opinio autem probabilis rem dubiam facit, et notorietatem tollit, ex dictis c. 12. et 14.

XXVI. Contra, 2. Quia ex ipſomet cit. c. *Judex*, conſtat expreſſe, juriſdictionem, etiam judicis delegati recuſati, non ſuſpendi effective, et realiter, niſi poſt recuſationem probatam, et judicatam, et poſtquam ſuper ea finaliter pronuntiatum fuerit; *extunc enim* dumtaxat, non antea, *omnino judex eſſe deſierit; extunc, id eſt* (explicat gl. cit.) *ex quo pronuntiatum fuerit, illum eſſe ſuſpectum.*

XXVII. Oliv. autem cit. q. 17. idem probat ex eo quod judex recuſatus, ad ulteriora procedens, notoriam committat injuſtitiam, atque adeo notoriam violentiam recurſabilem.

Sed contra, 1. Quia poteſt dari notoria injuſtitia abſque notoria violentia, ut ſolide ſtatuimus c. 17. et c. 18. Nam injuria, atque injuſtitia, deſumitur ab eo, quod eſt *in jus*, ſeu *contra jus* alterius; violentia autem rationi illi injuriæ, aut injuſtitiæ, ſuperaddit vim, atque oppreſſionem; eſt enim *violentia, vi illata injuria*, ſeu *vi oppreſſio illata*, ut late ſtabilitum remanet cit. c. 12. 14. et 17.

XXVIII. Contra, 2. Nam ex doctrina ipſiuſmet Oliv. et Guerr. cit. ſaltem, quando judex rejicit recuſationem, ut frivolam, cum fundamento aliquo, et in cauſa quæſtionabili, nec injuriam, nec violentiam infert. Unde Guerr. cit. l. 1. c. 19. n. 18. ſic tenet: *Ubi de jure fuerit quæſtionatum, an cauſa propoſita ſit legitima, vel frivola, etiamſi judex eam non recipiendo ad ulteriora procedat, non ideo vim facit, ita ut competat recurſus, quia ad impediendum recurſum ad coronam, ſufficit, quod judex habeat pro ſe opinionem. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. quæſt. 15. n. 37. quia tunc ceſſat notorietas violentiæ, quæ omnimodo requiritur. Oliv. ſupr. n. 35, 36. et 37.*

XXIX. Confirmatur ex doctrina ejuſdem Guerr. cit. l. 1. c. 19. n. 25. et 26. ibi: *Limitatur, 3. Vel quando judex recuſatus procedit poſt tranſactos quadraginta quinque dies, licet poſt ipſos detidatur ſuſpicio, quia tunc non facit vim, nec competit recurſus, ut judicatum tradit Pegas ubi proxime, n. 764. ex ea ratione, quia, licet probabilior ſit ſententia, quod nec Papa, nec rex, poteſt committere cauſam, recuſatione remota, et quod hæc clauſula intelligatur de frivola, ut cum multis tradidimus cap. 18. et de munere judicis orphanorum, tract. 2. lib. 8. cap. 14. contraria ſententia etiam pro ſe multos habet DD. quos retulimus in locis ſupra citatis, et ad longum Phœb. dec. 77. per tot. quod ſufficit ad evitandum recurſum ex defectu notorietatis violentiæ.*

Ergo certum eſt, quod ſuſpicio objecta non ſuſpenderet reapſe, et abſolute, judicis juriſdictionem ante recuſationis ipſius deciſionem, ac ſententiam; ſiquidem poſt illius oppoſitionem, tranſacto ſpatio illo 45 dierum, valide, et licite procedit in cauſa. Igitur alia via incedendum eſt, alioque principio firmandum. Sit igitur ——

Concluſio 5.

XXX. Quando judex eccleſiaſticus rejicit, ut frivolas, ſuſpiciones ſibi legitime intimatas, quarum allegatæ cauſæ in jure ſunt expreſſæ, et ad ulteriora procedit, notoriam quidem violentiam irrogat, et patet locus recurſui ad ſæculare tribunal; ſecus vero, quando cauſæ non ſunt expreſſæ in jure. Ita formaliter Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 15. et ſeqq. cum pluribus ab eo ibid. laudatis.

XXXI. Prob. 1. Hæc concluſio bipartita, quoad primam partem, non ex eo, quod judex notoriam tunc injuſtitiam dumtaxat committat; neque etiam ex eo, quod recuſatio illius juriſdictionem effective ſuſpendat; hoc enim dubium eſt; ſed ex eo, quod certum, et notorium ſit ex jure, pendente legitima recuſatione, judicis officium conquieſcere, et recuſantem interim exemptum dici, vel fieri, à judicis recuſati juriſdictione; proindeque, hunc non poſſe ulterius in cauſa procedere; et inſuper notorium, et certum etiam ſit, nullam abſolute, nec probabilem, nec etiam improbabilem opinionem contrariam in hac re circumferri, ut conſtat, tum ex unanimi DD. omnium conſenſu; tum ex apertiſſimis totius juris textibus, ac legibus, ſignanter, ex c. *Judex*, de offic. deleg. in 6. c. *Legitima*, de appellat. eod. lib. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de reform. et ex reliquis jurib. ſuperius adductis.

XXXII. Ex quibus ſic conficitur probatio: ſuppoſita illa juris diſpoſitione, et unanimi DD. auctoritate, judex recuſatus legitime, ad ulteriora procedens, rejiciens, ut frivolas, cauſas recuſationis in jure ipſo expreſſas, et ad ulteriora inſuper procedens, indubie notoriam injuriam, atque notoriam injuſtitiam, infert parti legitime recuſanti; ut ſupra probatum manet, concl. 4.

Atqui etiam infert notoriam violentiam: et probatur; quia vis, et oppreſſio, quam violentia ſuperaddit injuriæ, et injuſtitiæ ex ſuo formali conceptu, expreſſe, et notorie reperitur in ulteriori illo proceſſu poſitivo, recuſanti ipſi equidem violento, et oppreſſivo: ergo.

XXXIII. Prob. 2. eadem 1. pars: Quia judici legitime recuſato, ad ulteriora procedenti, rejecta, vel

non rejecta legitima recuſatione, poteſt recurrens, ut privato, reſiſtere, et ejus vim auctoritate privata repellere: ergo etiam auctoritate publica, juxta tradita c. 13.

XXXIV. Prob. 3. A paritate damnationis prop. 2. Innoc. XI. de qua ſupr. c. 16. n. 45. § 2. ubi condemnat Pontifex, probabile eſſe, poſſe judicem judicare ſecundum opinionem minus probabilem, omiſſa probabiliori; ad quam ibidem reſolvimus, probabilius eſſe, judicem taliter, in terminis damnationis Pontificiæ judicantis, et judicatum exequi mandantis, vel facientis, nedum notoriam injuſtitiam, verum et notoriam violentiam incutere, tum ex notorio jure partis probabiliorem pro ſe opinionem habentis, tum ex totali deſtitutione juris partis contrariæ, poſita Pontificia damnatione, vi cujus probabilitas illius opinionis practice omnino evanuit, et ad nihilum redacta eſt, quaſi ſi non eſſet, et ex aliis rationibus expenſis: ergo potiori jure in caſu præſenti, ubi nulla opinio abſolute, etiam improbabilis, hactenus apparuit; et ubi notorietas tam auctoritatis intrinſecæ juris, ac rationis, quam extrinſecæ DD. omnium, uniformiter patens, et evidens eſt.

XXXV. Prob. denique eadem concluſio, quoad ſecundam partem, ex cit. Guerr. ſub n. 15. Quia tunc recuſatio cenſetur frivola, et fruſtratoria, quando in jure non expreſſe reperitur; vel quando cauſa non eſt ſimilis, aut major aliis in corpore juris expreſſis. Fontanell. dec. 7. n. 6. p. 1. et dec. 5. n. 18. Giurb. dec. 54. n. 9. Pil. Queſ. c. 37. n. 29. et judex non admittendo recuſationes frivolas, et fruſtratorias, de jure procedit, ut jam diximus, et contra judicem ſecundum jus procedentem recurſus non competit. Ita Guerr. cit. n. 15.

XXXVI. Pro complemento notabis, 1. Animadverſionem, quam tandem Oliv. cit. q. 17. n. finali ſic inducit: *Veruntamen advertere oportet, quod in his Luſitaniæ regnis, videtur non admitti alium recurſum ad regia tribunalia contra judicem eccleſiaſticum, qui ſententiam, appellatione pendente, exequitur (idem videtur dicendum, recuſatione pendente) quam ad tuitivam impetrandam à ſenatoribus aulicis; tam ad reſtituendum, quam ad manutenendum; quibus privative ſecundum leges regias competit has tuitivas chartas concedere; et quod in his terminis non admittatur alius recurſus, judicatum refert Caſtr. d. c. 22. in fine; ſed idem Caſtr. ubi aſſerit, ex hoc non tolli, poſſe recurri ad alia regia tribunalia, quæ regiæ coronæ appellantur, pro violentiis tollendis generaliter deputata, quod intelligo, ut violentiam paſſus recurrere poſſit ad quod maluerit tribunal, quia ad eundem tendunt finem, ad violentiam ſcilicet tollendam, niſi quod ad tribunal regiæ coronæ pertinet decreta in his terminis ſenatorum palatii executioni mandare, ut quotidie fit.*

XXXVII. Notabis, 2. Doctrinam Guerr. de recuſat. l. 5. c. 6. n. 1. probabile eſſe judicem, non obſtante recuſatione, poſſe ad ulteriora procedere, quando recuſans non ſtatim nominat teſtes, quibus recuſationem probare intendit; ex diſpoſitione regiæ legis, l. 3. tt. 21. § 25. eo quod recuſatio, quæ poſtea probari non poteſt, non eſt attendenda; ſed tanquam frivola eſt rejicienda, ut late dixerat, lib. 4. cap. 1. ergo in tali caſu poterit judex, non obſtante recuſatione, ad ulteriora procedere.

Notabis, 3. Doctrinam ejuſdem, c. 7. n. 29. ibid. *Limita, 7. Quando in recuſatione non exprimitur cauſa, vel non legitima ad recuſationem: quia tunc poterit judex, attento jure canonico, et noſtro Luſitano, ad ulteriora procedere, ut late diximus, et probavimus, lib. 4. cap. 1.*

XXXVIII. Notab. 4. Aliam ejuſdem, l. 5. c. 1. n. 11. ibi: *In cauſis ſuſpicionis ſi vicarius generalis obliget recuſantem, ut deponat cautionem, non facit vim, nec competit recurſus ad coronam; ſecus, ſi judex delegatus deponere cautionem obliget, quia tunc vim facit, et competit ad coronam recurſus, ut judicatum tradit. Peg. ad ord. lib. 1. tt. 9. § 12. n. 72. Pereir. in promptuario juris, verbo Judex quoad recuſationem, n. 902. Thomas Vas, alleg. 97. ubi pro regula tradit, quod in curiis eccleſiaſticis circa cautiones obſervandæ ſunt conſtitutiones archiepiſcopatus, ſeu epiſcopatus: quia obſervantur leges fori, ubi vertitur litigium.*

Porro, recuſationem vicarii generalis, aut alterius officialis epiſcopi, eſſe tractandam coram ipſo epiſcopo, docet idem Guerr. l. 1. c. 9. n. 2. ex Bayo, in prax. eccleſiaſtica, 3. p. lib. 2. q. 30. ubi n. 4. advertit, quod recuſatio officialis epiſcopi eſt tractanda coram ipſo epiſcopo; quod intellige, quando per conſtitutiones diœceſis non ſit proviſum de judice, coram quo recuſatio ſit tractanda; quia tunc talis judex, et non epiſcopus, adiri debet, Cortiada, deciſ. 18. n. 31. late Barboſa in cap. 4. de officio delegati in 6.

XXXIX. Notab. 5. Quod quamvis aliqui ſint, qui aſſeverent, merum executorem recuſari non poſſe ex ord. lib. 3. tt. 21. § 28. ubi Barb. infinitos citat; quibus adde quos refert, et ſequitur Cardozo ſupra, n. 42. Thom. Vas, alleg. 96. n. 10. Pereira in promptuario juris, verbo *Judex quoad ſuſpicionem*, n. 890. ex ratione, de qua in dict. ord. § 28. nempe, quia partes remedio appellationis ſatis proviſæ ſunt, quando executor in executione modum excedit, ut dixit Guerr. *de munere judicis orphanorum*, tract. 2. lib. 8. cap. 1. ex multis Mendes in praxi, 1. p. lib. 3. cap. 21. n. 51. ubi tradit judicatum, quod procedat, quamvis executor aſſerat ſe ſuſpectum eſſe: attamen idem Guerr. l. 2. c. 10. n. 12. quamvis de jure Luſitano ſupra poſitam reſolutionem indubitabilem dicat; attento tamen jure communi, contrarium ſententiam ſequendam eſſe aſſeverat cum Barb. ad cit. ordin. et infinitis apud ipſum. Et n. 13. adducit etiam probabilem pro utraque parte opinionem de recuſabilitate judicis reſiduorum procedentis executive in diſtrahendis rationibus teſtamenti, et ſatisfaciendis bonis animæ; et pro parte negativa laudat cit. Barboſ. ad 2. ord. l. 3. tt. 21. § 28. n. 3. et judicatum tradit Phœb. 1. p. ar. 94. pro parte vero affirmativa citat Pegas Phœb. præter ſeipſum.

XL. Ex quo colligendum venit, quod ab ipſo judice reſiduorum, et ab alio quocunque mero executore eccleſiaſtico, minime patere locum ad recurſum; quia, ſuppoſita probabilitate opinionis negativa, ceſſat violentia, imo et injuſtitia, ac per conſequens ceſſat etiam omnino recurſus fundamentum, quod quidem eſt violentia, non ſimplex, ſed qualificata, videlicet ita patens, notoria, et evidens, et quæ nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis ſit, et etiam notorium et evidens ſit nullam in contrarium adeſſe probabilem opinionem, ut aſſerit Per. de man. reg. c. 4. et 7. n. 1. Recole dicta ſupr. c. 12. et 14. et diſpoſitiones famoſæ conſtitutionis *Ad militantis eccleſiæ*, Bened. XIV. ann. 1742. editæ, de qua infr. n. 42.

XLI. Notab. 6. ex eodem Guerr. lib. 6. c. 3. n. 4. Quod judex recuſationis in dubio, an recuſatio ſit juſta, vel injuſta, probata, vel non probata, tenetur contra recuſationem pro judice judicare, ut dixit lib. 1. cap. 1. ad finem ex ord. lib. 3. tt. 21. § 9. et ex DD. et rationibus in dicto cap. 1. allegatis, quibus DD. eſt addendus Fragoſo de regimine reipublicæ, lib. 5. diſput. 12. n. 214. quibus accedit illud, quod mirum in modum tradit Carleval. de judiciis, tit. 2. diſp. 1. n. 6. ad illa formalia verba; ibi: *Quatenus autem quilibet eſt ſingularis perſona, nolet ad judicem duci, judicique obedire, quod eleganter expreſſit Hiſpanum proverbium*; Todos quieren juſtitia, y ninguno por ſu caſa: etenim unuſquiſque odio habet judicem, qui eum alteri injuriam inferre non ſinat, qui aliena ſive bona fide, ſive mala, poſſeſſa reſtituere cogat; averſaturque virginem illam inflexibilem, ſcelerum ultricem, aſpero, et ſevero vultu contuentem, ancipitique, ac minaci gladio, armatam, *juſtitiam* dico, omnibus inviſam, et odioſam, et ideo dicitur judicium in invitum.

XLII. Notab. tandem ſingulas diſpoſitiones famigeratæ conſtitutionis *Ad militantis eccleſiæ*, Bened. XIV. an. 1742. editæ, præſertim quæ continentur § *Item à comminatione excommunicationis à jure latæ, et à ſententia excommunicationis latæ ab hominæ, ſuſpenſionis, et interdicti, niſi appellatio fuerit interpoſita ex capite nullitatis; et, è converſo, à ſententia abſolutionis ab eiſdem cenſuris eccleſiaſticis, et generaliter ab executione aliorum quorumcunque decretorum dicti S. Concilii Trid. epiſcopis, atque ordinariis locorum demandata ab ipſo concilio, et in conſt. felic. record. Pii PP. IV.* quæ incipit *Benedictus Deus*, &c. ubi etiam

etiam § *Inhærentes*, cit. bull. Benedictinæ, ſic diſponitur: *Diſtricte præcipimus, et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum S. Concilii Trid. in omnibus illis cauſis, et negotiis, in quibus executio hujuſmodi epiſcopis, et locorum ordinariis, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ab eodem S. Concilio, vel eiſdem apoſtolicis conſtitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacunque poſtpoſita, commiſſa eſt, appellatio aliqua in tribunalibus prædictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales, vel ſpeciales cum commiſſione inſerta, monitoria, et alia hujuſmodi, per quæ dictorum decretorum executio retardetur, aut proceſſus ad ulteriora incedere executionem ſuſpendatur, aut impediatur, quoquomodo concedatur*, &c. Et § *Quo vero ad perſonas*, &c. declarat *citationes, inhibitiones, proceſſus, alias factos, et inde ſecuta, quæcunque ſint, ipſo jure nulla, atque impune ſperni poſſint*, &c. Ipſam vide per totam.

DISTINCTIO III.

De Recurſu ab eccleſiaſtico Judice Ordinario ad ſæculare Tribunal prætextu Violentiæ, ex non ſervato Jure naturali.

CAP. XXX.

De Licitudine, vel Illicitudine Recurſus ab eccleſiaſtico Judice, ex non ſervato Jure naturali.

SUMMARIUM.

I. *Dupliciter poteſt non ſervari jus naturale à judice.*
II. *Qui latitat, et ſubterfugit citari, habetur pro citato.*
III. *A judice eccleſiaſtico procedente, non ſervato jure naturali intra præciſos terminos injuſtitiæ, et citra terminos violentiæ notoriæ, non patet aditus ad recurſum.*
IV. *Conſtat ex communi auctoritate, etiam Gabr. Peir.*
V. *Licitus eſt recurſus à judice procedente contra partem notorie non citatam, et à defecta citationis legitime appellantem.*
VI. *Tali judici privatâ auctoritate reſiſti poteſt.*
VII. *Eſt ſententia receptiſſima.*
VIII. *Si tamen pars non appellet, illicitus evadet recurſus.*
IX. *Patebit etiam recurſus, ſi judex procedat contra partem citatam, ſed non plene defenſam.*
X. *Juris naturalis eſt citatio, et plena defenſio, quando aliud qualitas cauſæ ſpecialiter non exigit.*
XI. *Fundamenta reſolutionis.*
XII. *Judex ſententiam juſtam exequens contra tertium non citatum, nec convictum, vim inferret.*
XIII. *Judex notorie incompetens, ſententiam executioni mandans, eſto ſervaverit ordinem judiciarium, vim etiam notoriam incuteret, ex Oliv.*

I. HIC eſt alius titulus, ex quo noſtrates docent, juxta regiæ legis diſpoſitionem, l. 1. tt. 9. § 12. competere recurſum ad ſæculuria tribunalia, ex non ſervato, vel ex denegato jure naturali, de quo Per. de man. reg. c. 9. Portug. de donat. p. 2. l. 1. c. 31. n. 67. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 3. et 26.

Dupliciter autem poteſt judex eccleſiaſticus, non ſervato, vel denegato naturali jure procedere; videlicet, vel proceſſum contra partem, ſine ulla citatione, abſolute inchoando, et proſequendo; vel adverſus eam non abſolute, aut non plene defenſam, procedendo; vel latam ſententiam exequendo. Ita præcit. DD.

Dixi, *abſolute, ſine ulla citatione*; quia quamvis judex eccleſiaſticus abſque citatione proceſſum inciperet, ſi poſtea pars compareret, et audiretur, per comparitionem illam partis, utique ſanaretur illius citationis defectus, cum jam in vulgare axioma abierit, quod *defectus citationis ſanatur per comparitionem, et citatio nulliter executa per comparitionem convalidatur, etiam ad effectum, ut poſſit deveniri ad excommunicationem*, ut tenet Felin. in c. *Cum contingat*, de reſcript. Gratian. diſc. 946. n. 12. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 11.

II. Pariformiter, ſi judice eccleſiaſtico citationem fieri jubente, pars latitaret, et citationem ſubterfugeret, poterit judex eccleſiaſticus proceſſum inchoare, et proſequi, cum in illis terminis citatio facta præſumatur, et vulgare etiam ſit, quod *qui latitat, et ſubterfugit citari, habetur pro citato*, Monacell. p. 2. tt. 15. form. 7. n. 7. ex c. *Quoniam frequent.* § *Porro*, ubique gl. Rotta coram Seraphin. dec. 1094. n. 3. Paſſerin. de elect. c. 11. q. 6. n. 41. Sperell. dec. 48. iterum Monacell. p. 3. tt. 1. form. 8.

III. *Dico igitur*, 1. Si judex eccleſiaſticus procedat, non ſervato, vel denegato jure naturali, ex abſoluto citationis, vel juſtæ defenſionis defectu, intra terminos injuſtitiæ, quamvis notoriæ, et citra terminos notoriæ violentiæ, nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis; non patebit aditus, neque anſa ad recurſum ab eo ad ſæculare tribunal. Ita DD. infra citati, et ſupr. c. 14. et 17. et eſt cohærens, et conſequens reſolutio ex traditis ibidem.

IV. Prob. 1. Omnibus fundamentis, ac rationibus, d. c. 13, 14. et 17. et alibi expenſis. Prob. 2. Communi auctoritate extrinſeca, et ſpecifica DD. ſignanter Per. de man. reg. d. c. 9. ſub n. 3. § *Nec pariter*; ibi: *Jam ſupponimus, quod ſi manifeſta non ſit juris naturalis denegatio, princeps nequeat ſe intromittere.* Portug. cit. n. 67. ibi: *Redeundo igitur ad ſpecificam recurſus materiam, ſciendum eſt, quod extra caſus uſurpatæ juriſdictionis, non datur recurſus, quando eccleſiaſticus valide, et ſervato juris ordine, procedit; licet ſententiam injuſtam proferat: ut bene tradit Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. à n. 3. cum ſeqq. Gabr. Per. de man. reg. p. 1. c. 4. n. 7. Eſſe in epiſtol. ad reg. n. 89. et deciſ. 114. n. 25. atque etiam Oliv. cit. q. 16. n. 28. ibi: In his terminis (hoc eſt, non citata, ſeu non audita parte) poteſt dari contra judicem eccleſiaſticum recurſus ad regia tribunalia, ſi de hoc notorie conſtet, per viam violentiæ, et naturalis defenſionis.*

V. *Dico*, 2. Licitus eſt recurſus à judice eccleſiaſtico procedente, et ſententiam exequente adverſus partem notorie nullatenus citatam, de qua conſtet à ſententia ipſa, vel à defectu citationis illius legitime appellâſſe, et appellatione hac ſpreta, vel rejecta, judicem ad ulteriora proceſſiſſe. Eſt etiam hæc reſolutio cohærens traditis c. 13. et alibi, et de mente DD. ibidem laudatorum.

Prob. 1. Quia *violentia eſt vi oppreſſio illata*, juxta ſtabilita c. 12. Deinde *vis eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt.* Atqui, quamvis per appellationem reparari, ſeu repelli poſſet proceſſus, vel executio judicis eccleſiaſtici, ſine citatione procedentis, poſita tamen appellationis rejectione, vel contemptu, irreparabilis, et irrepellibilis eſt: ergo.

VI.

VI. Prob. 2. Quia tali judici taliter procedenti utique valet pars, tanquam privato, propria auctoritate reſiſtere: ergo potiori, et æquiori jure, auctoritate publica, et regia, ſecundum ſtabilita c. 13.

Prob. 3. Quia adverſus talem judicem, equidem dantur interdicta reſtitutoria, et conſervatoria, ut ait Oliv. cit. n. 26. *Quoties ipſe extrajudicialiter procedens (hoc eſt, non citata, ſeu non audita parte) eam ſuo jure, reque privat, vel ordine juris non ſervato.*

VII. 4. Hanc ſententiam probat Oliv. ibid. expreſſe, ut inquit ex c. *Conquerente* de reſt. ſpoliat. et ibi eam docent Innoc. Abb. Butr. et alii communiter, Felin. in cap. *Dilectis* in primo, n. 1. verſ. *Tertio fallit*, de reſcriptis; plures citat Gabr. com. opinion. lib. 5. tit. de reſt. ſpol. concluſione 1. n. 124. Boer. deciſ. 238. n. 4. plures citans, Menoch. qui etiam plures citat, remed. octavo, recup. n. 8. Valaſc. conſult. 191. Seſſe in dicta epiſtola, n. 89. et dict. deciſione 114. n. 20. cum ſequent. Caſtr. dict. c. 4. n. 7.

Et n. ſequenti 17. dicit, *Eſſe receptiſſimam, et veram traditionem*; nam in his terminis, non ut judex, ſed tanquam privatus, conſideratur, violentiam, et oppreſſionem committere; eique reſiſti, etiam armis, et privata auctoritate poteſt, ex juris naturalis defenſione, Bartol. in l. *Prohibitum*, per textum, ibi, codice de jure fiſci, lib. 10. et alii; ſequitur Gabr. dicta concluſione 1. n. 124. alios citans, dec. in l. *Ut vim*, n. 24. ff. de juſtitia, et jure, Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 9. in fin. Menoch. qui alios citat, d. remed. 8. n. 9. Seſſe ubi ſupra: habentque locum jura omnia dicentia, *vim vi repellere*, cuicunque jure naturali licere, quæ in præcedenti quæſt. citaverat.

VIII. Dixi, *de qua conſtet, partem legitime appellâſſe*, &c. Nam, ſi non appellet, illicitus erit recurſus, juxta tradita c. 25. n. 5. tum quia appellatio neceſſaria eſt ad verificandum debitum moderamen inculpatæ tutelæ, ſecundum probabilem ſententiam, quam amplexati ſumus, cum Soar. Granat. adverſ. Angl. error. l. 3. quam etiam innuit Per. de man. reg. cit. c. 9. ſub n. 3. et Oliv. cit. q. 16. tum quia, cum *violentia* à *vi* nomenclaturam ſortiatur, et *vis ſit impetus majoris rei, qui repelli non poteſt*; et facile per appellationem impetus illius proceſſus abſque citatione reparari, ac repelli poſſit; nequit abſolute vis recurſabilis conſiderari, atque in eo inveniri, nulla prorſus intercedente appellatione. Vide tradita cit. c. 25.

IX. *Dico*, 3. Si judex pariformiter procedat adverſus partem, quamvis citatam, non tamen plene auditam, atque defenſam, et hoc notorium ſit ultra limites notoriæ injuſtitiæ, et intra terminos notoriæ violentiæ; patebit etiam aditus ad recurſum à judice eccleſiaſtico ad ſæcularia tribunalia. Ita DD. præcitati.

X. Prob. 1. Quia non minus juris naturalis eſt, et ad naturalem defenſionem pertinens, quod pars citetur, quam quod etiam plene audiatur, quando aliud qualitas cauſæ, et judicii ſpecialiter non exigit, de quo Per. cit. c. 9. n. 1. ex c. 1. de cauſ. poſſ. c. *Deus omnipotens*, 20. 2. q. 1. et Joan. 8. 51. ibi: *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo?*

XI. Prob. 2. Ex omnibus fere fundamentis, ac rationibus, in 2. reſolutione allatis. Et quoad fundamentum interdictorum reſtitutoriorum, et conſervatoriorum, utramque immediatam reſolutionem ampliat Oliv. cit. q. 16. n. 29. ita ut non ſolum procedat, quoties judex eccleſiaſticus aliquem vult poſſeſſione rei, ſeu alicujus juris privare, ſed etiam quotieſcunque ita nulliter, nullo juris ordine obſervato, contra partem indefenſam, vel non citatam, procedit in quacunque cauſa civili, ſeu criminali, vel mixta, ſuper actione reali, ſeu perſonali, in qua citatio, ſeu defenſio, attento jure, requiritur, etiam ubi non datur materia interdictorum prædictorum, Seſſe in epiſtola ad regem, n. 112. verſic. Et hæc conſuetudo, et eſt de mente omnium, Cevall. de cogn. per viam viol. gloſſ. 6. n. 19. nam in omnibus his caſibus poteſt ei prædicto modo reſiſti; et vis vi repelli, ob eandem rationem; doctrina enim prædicta generalis eſt, et in omnibus caſibus, in quibus injuria prædicto modo infertur, locum obtinet; quod magis locum habet, ſi coram eodem judice hujus nullitatis exceptio fuerit opinata: eaque non admittatur, quia per hoc augetur violentia, et gravior per vim injuria irrogatur.

XII. Ex qua ratione infert, n. 30. quod ſi judex eccleſiaſticus ſententiam etiam juſtam, contra tertium poſſeſſorem non citatum, et convictum, executioni mandaverit; vim inferret, et violentiam; Cevall. ſtatim citandus, n. 24. Caſtr. de man. reg. p. 1. c. 22. n. 8. verſic. *Sic pariter*, præcipue ab eodem tertio oppoſita exceptione, et non recepta, quia etiam hoc caſu, reſpectu hujus tertii poſſeſſoris, extrajudicialiter, non obſervato juris ordine, procedit, et tanquam privatus reputatur, cum nullus judex, etiam princeps, poſſit contra inauditam partem procedere, ut in d. c. 1. *De cauſa poſſ. et propriet.* Pontifex Summus docet, et ideo certum eſt, tertium rei poſſeſſorem, ſe opponentem executioni ſententiæ, eam impedire, ut DD. dicunt ex text. in cap. *Cum ſuper*, de re jud. et in l. *A Divo Pio*, § *Si ſuper rebus*, eodem tit. et poſt ordinarios ibi, Covarr. pract. quæſt. c. 16. n. 3. verſic. *Tertia ſolet tradi ſpecies*, Boer. deciſ. 225. n. 6. Duennas, regula 274. limitatione ult. Val. tom. 1. conſult. 55. n. 1. Cevall. de cogn. per viam viol. quæſt. 16. per tot. pro qua ſententia, praxi recepta facit lex regia, lib. 3. tt. 86. § 17. et pluries judicatum eſt in ſupremo ſenatu, ut per Phœb. areſt. 25. p. 1. et areſt. 1. et 40. et 57. p. 2. ubi aſſerit, in praxi obſervari, quod impediat tantum, ſi intra triduum probetur, ad evitandas fraudes.

XIII. Et n. 49. ſic aſſerit, *Quod ſi judex incompetens* (ſubintellige notorie) *contra aliquem procedat, vel aliter juriſdictione careat, licet ordinem ſervet judiciarium, vel ſententiam latam executioni mandare velit; apertam, et claram violentiam committit, recurſuique ad tribunalia regia locus datur. Oliban. de jure fiſci, cap. 13. n. 38. Seſſe in epiſtola ad regem, n. 89. et deciſione 114. n. 31. cum ſequentibus, Oliban. ſupra, cap. 14. n. 113. Cevall. de cogn. per viam violentiæ, part. 2. quæſt. 126. n. 9. cum ſequentibus, Caſtr. dicta part. 1. cap. 4. n. 7. Nulla enim major nullitas, quam quæ ex defectu poteſtatis procedit, Abbas in cap. Cum olim, col. fin. de cauſ. poſſ. et propr. Nam contra judicem competenter procedentem, ſine juriſdictione, ſi ſpoliet, ſeu perturbet, datur interdicta reſtitutoria, et conſervatoria, Ant. Butr. in dicto cap. Conquerente, ubi Abb. n. 8. Felin. in dicto capit. Dilectus, n. 1. de reſcriptis, Rip. in l. Nihil commune, n. 49. ff. de acquirenda poſſ. Gabr. com. opin. lib. 5. tit. de reſt. ſpol. concluſione 1. n. 130. Menoch. qui alios refert, d. remed. 8. n. 13. Seſſe, et Caſtr. proximo loco citati; eſtque opinio communis, quam amplectuntur omnes DD. communis opinionis, de qua ſupra in prima parte hujus membri in principio; aſſerentes, dari interdictum generaliter contra judicem nulliter procedentem ex quacunque cauſa: et licet contrariam, tanquam veriorem, ibi amplectamur, agendo de nullitatibus ex aliis cauſis procedentibus; in nullitate tamen ex defectu juriſdictionis fundata, locum obtinere apud omnes obſervatum eſt, ſicut in ea, quæ oritur ex defectu citationis, et defenſionis, de qua ſupra in ſecunda parte hujus membri. Aliquæ rationes aſſignantur per DD. præcipue per Menoch. loco citato: ea tamen ad propoſitum mihi magis placet, quia judex competens privatus reputatur, imo vere privatus exiſtit, ac per conſequens ei reſiſti de facto poteſt, probatur in l. Prohibitum, cod. de jure fiſci, lib. 10. Crau. conſilio 302. n. 4. Alciat. de præſumpt. reg. 3. præſumptione 9. n. ult. Decius in l. Ut vim, n. 24. ff. de juſt. et jur. Oliban. dict. cap. 13. n. 39. Menoch. ubi proxime, n. 9. et 17. Seſſe ubi ſupr. Caſtr. dict. n. 7. unde urbanius facit, ſi ad regem recurrit, quod tunc intelligendum eſt, ſi clara, et notoria fuerit incompetentia; alia ſecus.*

CAP.

CAP. XXXI.

Exponuntur aliquæ Limitationes præjactarum Resolutionum.

SUMMARIUM.

I. *Limitatur præcedens resolutio in casibus, quibus sine citatione procedi potest.*
II. *Citationis fines sunt, ut reus compareat, et se ad defensionem paret.*
III. IV. *Illius effectus* 8. *ex Ubert. et* 5. *ex Gasparr.*
V. *Judex ecclesiasticus procedit sine citatione, quando extrajudicialiter procedit in defensionem* vim vi repellendo.
VI. *Et quando extrajudicialiter denuntiat, etiam exemptum, in censuras juris notorie incursum, et quando aliquid expedit* secundum conscientiam suam.
VII. *Quando lex ex causa rationali citationem tollit.*
VIII. *Quando Papa* de plenitudine potestatis *sic super beneficialibus disponit.*
IX. *Quando princeps ex eadem potestate tollit nedum civilem, sed et naturalem possessionem.*
X. *Quando executio fieri potest contra tertium possessorem non defensum.*
XI. *Et in pluribus aliis casibus remisisse.*
XII. *Quando constat de notorio juris spoliatoris in proprietate, spoliatus non est restituendus, etiam contra judicem.*
XIII. *Quando judex ex officio, ordinante lege, et tanquam ejus executor procedit, non citata parte, vim non facit.*
XIV. XV. *Sic visitator per decretum jubens removeri à capella sedes aliquas privatas honorificas, vel ne laici capellæ cantellos tempore officiorum ingrediantur, &c.*
XVI. *Sic judex ecclesiasticus per monitorium procedens, in causis sui fori cum clausula justificativa.*
XVII. *Edictum generale ad visitationem, est sufficiens citatio.*

I. DUPLICEM præmissam resolutionem limitant communiter DD. ut non procedant in iis casibus, in quibus procedi potest, sine citatione: quæ quidem definitur ab Uvenasebee, in parat. ff. de in jus vocand. *Actus judicii præparatorius, quo is, quem judicio sisti opus est, judicis mandato legitime vocatur in judicium, juris experiendi causa.* Ita Gasparr. inst. can. p. 3. tt. 3. n. 13.

II. Porro citationis finis ex eodem n. 14. est respectu actoris, ut reus ad ipsius instantiam compareat; respectu autem rei, ut se ad defensionem paret. Ob quam causam citatio dicitur esse juris naturalis, quia respicit rei defensionem, et actus factus contra non citatum ipso jure est nullus. Marant. de ordin. judic. part. 6. de citat. n. 4. Gaill. lib. 1. observ. 48. n. 1. et 2.

III. Effectus autem illius, ex gratioso Ubert. de citationib. c. 16. à n. 2. fuse expensi sunt sequentes: 1. Firmare jurisdictionem judicis delegati. 2. Perpetuare jurisdictionem ejusdem. 3. Jurisdictionem prævenire. 4. Facere commissionem, et jura communia. 5. Inducere litis pendentiam. 6. Approbare personam citati. 7. Interrumpere præscriptionem. 8. Et ultimus, inducere contumaciam.

IV. Hos autem effectus cit. Gasparr. an. 34. cum aliqua diversitate, et pressiori, atque expressiori distinctione sic numerat: *Primo, Obligat reum ad comparendum, et eum contumaciæ subdit, nisi legitimam causam non comparendi habuerit, ut ostendam sub titulo de dolo, et contumacia.*

Secundo, Inducit præventionem, ita ut, si duo judices habeant in citatum jurisdictionem in solidum, coram illo reus comparere debeat, qui per citationem prævenit; cap. penul. de foro compet. l. Si quis post aquam, ff. de judic. Marant. loco cit. n. 20. Gaill. loc. cit. observ. 27. n. 4, 5. et 6. et observ. 75. n. 18.

Tertio, Inducit vitium litigiosi, ita ut alienatio rei, de qua est controversia, deinceps reo sit prohibita; auct. litigiosa, c. De litigios. et Clem. II. ibique gloss. 5. ad hoc, ut, lite pendente, &c. de quo latius in fine hujus tituli.

Quarto, Interrumpit præscriptionem longissimi etiam temporis, triginta, vel quadraginta annorum; gloss. in l. Sicut, verb. Solam conventionem, c. De præscript. triginta, vel quadraginta annorum.

Ac, ultimo, Incheat judicium, seu processum judicialem, non ablata tamen litigantibus potestate recedendi à prosecutione instantiæ coram illo judice, et coram alio litigandi; quæ facultas regulariter aufertur ipsis, quando lis est contestata, cum ubi cœptum est judicium, ibi terminandum fore definiat text. in l. Ubi cœptum, ff. de judic. late de recensitis effectibus citationis deferunt Baron. dec. citat. quæst. 45. per tot. Tusch. lit. c. concluf. 262. et seqq. Pax Jordan. loc. cit. tit. 1. n. 162. et seqq. et Tondut. de prævent. p. 1. cap. 9. per tot.

V. Primus igitur casus celebris, ac famosus, in quo judex ecclesiasticus procedere potest absque citatione, est ille, qui continetur in c. *Dilecto*, c. *Venerabilib.* de sent. excom. in 6. et c. *Ex literis*, de caus. de offic. deleg. c. *Reprehensibilis*, ub. gl. de appellat. et alibi, quando scilicet prælatus licite, ac valide, extrajudicialiter procedit *vim vi repellendo*, in defensionem, ac tuitionem, vel propriæ personæ, aut jurisdictionis; vel propriorum bonorum, aut ecclesiæ; vel ecclesiasticæ immunitatis, ac libertatis; vel etiam bonorum mensæ, et aliorum, præsertim in notoriis, de quibus late Card. Petr. tom. 3. in const. 11. Alex. IV. et tom. 1. in const. 1. Leon. IX. q. 2. et Card. Deluc. in miscellan. disc. 14. et de judic. dic. 9. et de jurisd. d. 29. Pignatell. tom. 1. cons. 170. et to. 7. cons. 10. Panimoll. dec. 96. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. Sperell. dec. 48. et reliqui DD. infr. cit. alleg. 4. 11. et seqq. et 34. 42. et alibi, in quibus de hac re satis abunde.

VI. Præmisso casui affinis est alius, quando ordinarius, nulla citatione præmissa, extrajudicialiter denuntiat, vel declarat aliquem, etiam exemptum, notorie incursum in censuras à jure, vel à lege latas, de quo præcit. DD. et reliqui inferius fuse laudati cit. alleg. 4. 11. 42. et aliis præcitatis. Et alius duplex casus, de quo Ubert. de citation. c. 8. n. 261. et 262. quando, scilicet, vult aliquid expedire, *secundum suam conscientiam.* Bald. in l. *Si qua per calumn.* cod. de episc. Marant. in specul. p. 6. n. 21. et quando aliquid facit *ad sui instructionem*, quia tunc probatio fit, ut concludat soli judici. Bald. ub. supr. et in l. *Certum*, cod. unde leg. &c.

VII. Secundus casus est, quando lex cum rationabili causa citationem tollit, non quatenus concernit defensionem naturalem (hoc enim non potest, Ubert. de citation. c. 8. n. 37. ex Clem. *Pastoral.* de re judic. gl. in extr. *Rem non novam*, de dol. et contum. DD. in c. 1. de *caus. poss. et prop.* et in c. *Ex parte*, 2. de offic. deleg. et in c. *Cum olim*, de re judic.) sed quatenus concernit defensionem civilem. Id. Ubert. n. 38. et seqq. cum princeps sit supra legem, l. *Princeps*, ff. de leg. l. *Digna vox*, cod. eod. l. *Ex imperfecto*, cod. de testam. cujus casus specificationes reperies apud eund. Ubert. à n. 89.

VIII. Tertius casus est, si Papa de plenitudine potestatis aliquid sine citatione super beneficialibus disponat; nam in his absolutam retinet potestatem, Ubert. cit. n. 166. ex c. *Licet*, de præbend. in 6. ibi: *Licet ecclesiarum personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, et idem habetur in Clem. 1. in fin. ut lit. pend. ibi, salva in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem ecclesiarum personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plena, et libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere. Et pariter absoluta est Papæ potestas super rebus ecclesiasticis, et earum alienatione, Felin. in cap. Quæ in ecclesiarum, n. 6.*

de conſtit. Rott. in recent. dec. 11. *n.* 7. *part.* 2. *Et quod de poteſtate Papæ donandi decimas non ſit dubitandum, dixit Rotta in recent. par.* 2. *deciſ.* 212. *n.* 3. *Item habet omnimodam poteſtatem in reſervatione penſionum, et in tranſlatione, Rott. in recent. part.* 2. *deciſ.* 281. *n.* 1. *part.* 1.

IX. Quartus caſus eſt, ſi princeps ex eadem poteſtate, et ex certa ſcientia, tollat, nedum civilem, ſed etiam naturalem poſſeſſionem, et vitium ſpolii, Ubert. cit. n. 164. cum Felin. in c. *Poſtulâſti*, n. 73. verſic. *Et iſta limitatio*, de reſcript. Mohed. deciſ. 4. n. 7. de reſtit. ſpoliat. Et tollere remedium can. *Reintegranda*, et decernere, ut de eo cum poſſeſſorio cognoſcatur, Rott. in recentiſſ. deciſ. 1. n. 4. part. 1. Et, ultimo, magis poteſt impedire, ne ſpolium incipiat, cum multa impediantur fieri, quæ facta tenent, l. *Patre*, ff. *De eis, qui ſunt ſui, vel alieni juris*; qua ratione beneficialibus ſolet Papa reſcribere, abſque vitio ſpolii; et, omiſſis aliis, poteſt etiam princeps tollere, ſeu rejicere attentata, Lancel. de attent. 2. p. cap. 4. de *attent. lit. pend. in præfat.* n. 456. uſque 462.

X. Cui affinis eſt etiam caſus, et reſtrictio, quam Oliv. cit. q. 16. n. 32. affert illationi à ſe eductæ, n. 30. et ſuper à nobis tranſcriptæ: qua præmiſſam illationem reſtringit, ut non procedat in iis caſibus, in quibus executio fieri poteſt contra tertium poſſeſſorem non defenſum; nullam enim vim facit judex, quoties id facit, quod leges ſtatuunt, et tanquam earum executor. Exemplum poni poteſt in tertio poſſeſſore, in quem tranſlata eſt, ſeu alienata res litigioſa; nam ſententia lata contra reum, qui alienavit, executioni mandatur in eadem re contra hunc tertium, per Xuar. in repet. l. *Poſt rem judicatam*, ampliatione 8. Covarr. pract. quæſt. cap. 15. n. 7. ubi alios citat, Parlador. lib. 2. *Rerum quotidian.* 4. p. cap. fin. § 6. n. 19. Gutier. in repet. l. *Nemo poteſt*, n. 29. ff. legat. 1. Menoch. conſilio 319. n. 11. Surd. conſilio 334. n. 13. Lancelot. *De attent. lite pendente*, in præfatione cap. 4. n. 531. Cevall. *De cogn. per viam viol.* 2. p. q. 16. n. 4. cum ſeqq. et in tract. *Commun. contra communes*, lib. 1. quæſt. 36. in fin. eſtque communis, et recepta traditio, habemuſque pro ea legem regiam, lib. 4. tit. 10. § 9. et ſic in aliis caſibus, in quibus fieri poteſt executio contra tertium, de quorum aliquibus facit mentionem Covarr. d. cap. 15. et 16. Cevall. d. quæſt. 16.

XI. Plures alios caſus per otium, tum pro judice ordinario, tum pro delegato, videre poteris in eodem Ubert. cit. c. 8. per totum, et fuſius c. 15. etiam per tot. et in Oliv. cit. q. 16. qui ibid. n. 33. adhuc utramque præmiſſam reſolutionem ſic limitat: 1. *Ut non procedat etiam in iis caſibus, in quibus ſpoliatus ante omnia non eſt reſtituendus. Exemplum eſt, quoties jus reſiſtit ſpoliato: et aſſiſtit ſpolianti, ut in cap. Ad decimas de reſtit. ſpol. lib.* 6. *et in cap. Cum perſonæ, de privileg. eodem lib. tunc enim non admittitur recurſus ad regem, ſeu ejus tribunalia, nec concedentur manutenentiæ, ſeu chartæ tuitivæ, ut per Valaſc. dict. conſult.* 79. *n.* 19. *ex iis, quæ Covarr. practic. quæſt. cap.* 17. *n.* 6. *Gabr. com. lib.* 5. *tit. de reſt. ſpol. concluſione* 1. *n.* 122. *Menoch. recup. remed.* 15. *n.* 466. *cum ſequentibus.*

Exemplum 2. *Quando datur incapacitas in ſpoliato circa poſſeſſionem, prout in puro laico, quoad beneficia, ſeu jura ſpiritualia, quia non reſtituitur niſi oſtenſo privilegio, et juſtificato, ut per Menoch. dict. remed.* 15. *à n.* 434. *cum ſequentibus. Tertium exemplum in juriſdictionalibus, ut per Menoch. ubi proxime, n.* 469. *Quartum exemplum ſit in eo caſu, quo notorium eſt, nullam parti competere defenſionem, quia judex in his terminis extrajudicialiter procedens, etiam ſine citatione tanquam judex procedere poteſt, ac per conſequens violentiam, ſeu oppreſſionem non committit: nec adverſus eum dantur interdicta poſſeſſoria, ut per Brunum conſilio* 22. *n.* 2. *ſentit Bart. in l. Meminerint, n.* 7. *cod. unde vim; ſequitur Menoch. remed.* 1. *recup. n.* 122. *et remed.* 8. *n.* 12. *et generaliter, quod judex in his terminis poteſt procedere, etiam parte non citata, nec defenſa, eſt communis opinio ex pluribus, quos refert, et ſequitur Gabr. lib.* 2. *commun. titulo de citatione, concluſ.* 1. *n.* 319. *ſequitur Marant. de ord. jud.* 6. *p. tit. de citation. n.* 37. *Menoch. de arb. lib.* 1. *quæſt.* 17. *n. ult. ubi plures refert, Lancelot. de attent.* 3. *part. cap.* 25. *n.* 52.

XII. Hinc eſt, quod quoties conſtat de notorio jure ſpoliatoris, in proprietate, ſeu illius, quem judex in poſſeſſionem miſit; ſpoliatus non eſt reſtituendus, etiam in profanis, contra privatum; quanto magis contra judicem, communis ſententia docet tam legiſtarum, quam canoniſtarum, ut per Boroium in dicto cap. *In literis*, n. 68. de reſt. ſpol. ſequitur Gabr. lib. 5. com. tit. eodem, concluſ. 1. n. 116. verſic. *Et propterea:* hanc videtur amplecti Covarr. de ſponſ. 2. part. cap. 7. § 5. n. 10. defendit Menoch. remed. 5. recup. n. 113. cum ſequentibus; conſtare autem notorie de jure ſpoliatoris dicitur, eſſe confeſſionem ſpoliati factam in judicio, Gabr. dict. concluſ. 1. n. 117. et n. 104. ubi plures citat; Menoch. dict. remed. 1. n. 215. ubi plures citat; licet contra illum, de cujus dominio notorie non conſtat, etiam prædo reſtituendus ſit; etſi notorium proprietatis defectum patiatur: item per inſtrumentum publicum paratam habens executionem, Dec. conſil. 302. n. 24. et conſil. 423. n. 130. Gabr. ubi alios citat, ubi proxime, n. 103. alios citat, et ſequitur Menoch. ubi proxime, n. 224. quod intelligendum eſt, ſi contra illud nihil opponatur, declarat Menoch. ubi proxime, n. 225. nam eo ipſo, quod contra inſtrumentum aliquid opponitur, res notoria, et clara eſſe deſinit, Bart. in l. *Si cauſa cognita*, n. 4. cod. tranſact. ubi etiam Alex. dec. conſil. 351. et citati à Menoch. dict. n. 225. Item oſtenditur notorium ex iis actis contra ſpoliatum, Innoc. in c. *Cum eccleſia Sutrina*, de cauſ. poſſ. et proprie, alios citat, et ſequitur Menoch. dict. remed. 1. n. 231. *Nam acta notorium faciunt*, Abb. in cap. *Cum olim*, n. 4. *de verb. ſig.* notant DD. communiter in c. *Inter cæteras*, de ſent. et re jud. Felin. in c. *Dilectus* in 1. n. 1. verſ. 2. *Fallit*, de reſcript. eſtque communis aſſertio, ut per Menoch. ubi proxime, n. 232. Cevall. de cogn. per viam viol. p. 2. q. 126. n. 3. quod tamen notorium ex actis non poteſt conſtare regulariter, niſi poſt concluſionem in cauſa, ut aſſerit Rotta deciſ. 393. in noviſ. Agid. dec. 404. Abb. in dict. cap. *Cum olim*, n. 3. gloſſ. Abb. Butr. et alii in cap. *Significaverunt*, de reſt. Felin. in cap. *Licet cauſam*, de probat. Pariſ. conſ. 112. n. 62. vol. 1. Gabr. dict. concluſ. 1. n. 118. Alios autem modos, quibus notorie dicitur conſtare de jure ſpoliatoris contra ſpoliatum, proſequere cum Menoch. dict. remed. 1. à n. 226. et cum Gabr. dicta concluſ. 1. In his itaque omnibus ratio violentiæ ceſſat, ac per conſequens recurſus ad regia tribunalia locum non habet; quinimo conſtanter aſſero, non habere etiam locum in quocunque caſu, in quo probabiles fuerint contrariæ opiniones, utrum ſpoliatus ſit reſtituendus, quia tunc violentia, quoad reſtitutionem, dubia exiſtit: vel ſaltem non certa, clara, et notoria, prout requiritur, ut ſæpe dictum reliquimus.

XIII. Limitat, 2. n. 41. ut non habeat locum in caſibus, in quibus judex eccleſiaſticus, ſeu prælatus, procedere poteſt ſine citatione; tunc enim ex capite defectus citationis, et defenſionis, nulla violentia committitur, nec recurſui datur locus: quos proſequere cum Marant. de ord. jud. p. 6. tit. de citat. à n. 5. uſque ad n. 38. et cum Gabr. commun. opin. tit. de citatione, concluſ. 1. à n. 302. uſque ad fin. ubi diligenter centum et triginta congeſſit caſus, in quibus citatio non requiritur.

Ex quo infert, n. 42. Quod quando judex eccleſiaſticus ex officio (præcipiente, ſeu ordinante lege, et tanquam ipſius executor) procedit, etiam non citata parte; violentiam non facit, nec ei reſiſti poteſt; ac per conſequens nec dari recurſus ad tribunalia regia: ratio eſt, quia, quoad ea, quæ judex poteſt, et debet facere ex puro ſuo officio, ſaltem nobili, partis citatio non requiritur; deducitur ex Bald. in l. *Non dubium*, n. 13. cod. deleg. et Felin. in cap. 2. n. 7. et 8. de teſt. alios citat; et ſequitur clare Gabr. tit. *de citat.* concluſ. 1. n. 344. clare etiam Lancel. *de attent.* p. 3. cap. 25. n. 51. Caſtr. de man. reg. p. 1. cap. 4. n. 4. et clarius, cap. 7. n. 5. verſic. *Licet nulla requiratur partis citatio*, ubi alios citat, quod paſſim obſervant viſitatores eccleſiaſtici in viſitationibus, præſertim

in

in decretis, quæ relinquunt circa reformationem eorum, quæ ad cultum divinum spectant, et aliorum similium: sic etiam judices sæculares, quoties provinciam visitant, vulgo *Corregedores, e Provedores* (quod præcipue locum habet, si præcepta, seu decreta fuerint generalia); non vero contra aliquem in particulari; tunc enim indubitanter nullius citatio necessaria est, nec fieri debet; aliter enim visitationes difficillime possent expediri, cessaretque visitationum finis in hac parte; quod tamen clarius procedet, quoad personas, quæ tenentur præsentes esse in actu visitationis ecclesiasticæ, prout rectores ecclesiarum, vicarii, et alii beneficiati, commendatores, cæterique ministri; nam hi omnes citantur per constitutiones synodales, ut præsentes sint: unde licet fiat aliquod decretum in hujus regni visitatione, in utilitatem curæ animarum, vel cultus divini, quod in præjudicium eorum, ad quos fructus ecclesiæ pertinent, redundet; non poterunt de violentia conqueri; nullam enim vim facit visitator: et sic de cæteris: tum quia ex puro officio procedit tanquam minister, et executor juris canonici, et decretorum S. Concilii Trid. et non est possibile illi citare partes, contradictoriumque, et ordinarium facere judicium: tum etiam quia esse præsentes tenentur, et per constitutiones citantur.

XIV. Sic etiam si visitator per suum decretum visitationis jubeat, ut sedes propria alicujus particularis à capella majori ejiciatur, quia sedes honorifica illic soli prælato debetur, vel parocho (laici enim humiliter debent sedere in ecclesia, textus in cap. 2. verfic. *Sit itaque*, de immun. eccles. lib. 6.) vel quia intra cancellos ecclesiæ laici tempore divinorum officiorum stare, vel sedere non debent, ut libere, ac honorifice divina officia possint celebrari, cap. 1. *de vit. et hon. cleric.* cap. *Sacerdotium*, 30. de consecr. distinction. 2. necnon si jusserit, sedilia particularia ab ecclesia ejici, vel in alium locum ejusdem ecclesiæ transferri, ne proprius, et particularis locus detur in ecclesia Dei, contra jus naturale, et humanum, docens, res sacras, et sanctas divini juris esse, eorumque dominium nullius hominis esse posse, l. 1. ff. de rer. divis. § *Nullius*, inst. eod. tit. DD. in cap. *Abolendæ*, de sepult. Suar. contr. Angl. error. cap. 19. n. 5. lib. 4. post Navar. in apolog. de red. monitu 24. n. 5. utque cessent alia magna incommoda spiritualia, quæ inde oriri solent, ut experientia docet; non poterant partes de violentia conqueri ex eo, quia non citatæ, nec victæ fuerunt; nam sic procedendo visitator (præcipue præcedente summaria informatione) procedit ut minister, executorque juris, decretorumque S. Conc. Trid. præcipientium, ut ordinarii, eorumque visitatores, ea, quæ in ecclesiis repererint reformanda, in actu ipso reforment; quod pene impossibile esset, si eos, quos negotium tanget, necessarium esset, prius citari, et convinci, cum certum sit, quod citatio non requiritur, quoties negotium tale est, ut ex rei natura citationem non patiatur, Innoc. in cap. fin. *de transiat.* prælat. Las. in l. *Certum*, cod. *Unde leg.* Bellem. distinct. 4. alios citat, et sequitur Gabr. dicta concluf. 1. n. 310. unde non potest in his terminis dari recursus ad regia tribunalia, ut vidi judicatum in tribunali regiæ coronæ supremi senatus hujus regni, licet aliquando, et forte multoties, contrarium, ut audio, saltem in Portuensi regiæ coronæ tribunali, judicatum, seu decretum fuit; *sed caveant* (prosequitur Oliv.) *judices illius tribunalis, quia excommunicationem bullæ Cœnæ non effugient ex errore, nec ex asserta bona fide, ut supra in præcedenti quæst. diximus.*

XV. Et confirmat sub eodem n. 45. Quia in hoc parvum præjudicium considerari potest, cum partes valeant facile coram prælato, vel superiore, de jure suo agere; et sic admittuntur adhuc ad probandum jus suum, ut in simili considerat Messia de taxa panis, concluf. 1. gloss. 1. n. 44. Castr. de cap. 7. n. 5. ad med. Nam cum prædicta decreta visitationum non transeant in rem judicatam, nec proprie sint sententiæ, quæ finem causæ imponant; et quacunque causa justa allegata per partes revocari possunt per eosdem prælatos, seu eorum officiales, ut quotidie fieri solet. Adeo autem verum est, visitatorem non facere violentiam, ut etiam à decretis visitationis appelletur, et, pendente appellatione, decretum executioni mandetur; attentatum non committatur, nec per viam attentati executio revocari possit, ut pluries in Rotta judicatum refert Lancelot. de attent. p. 2. c. 12. limit. 18. à n. 7. usque ad finem; nam decretorum, actorumque visitationis executionem, nulla appellatio, nullaque inhibitio suspendit, Trid. sess. 24. de ref. c. 10. quoad alios autem visitationis actus in reformatione, seu correctione morum sæcularium circa materiam hujus tractatus, inferius suo loco tractat idem Oliv.

XVI. Et n. 47. declarat tandem prædictam resolutionem, ut non procedat, quoties judex ecclesiasticus procedit in causa ad forum ecclesiæ pertinente, et competenter per viam monitoriorum excommunicationis cum clausula justificativa, ut fieri solet, *Si senseris te gravatum, compareas, et justitia ministrabitur*; nam in his terminis nulla violentia committitur, cum illa clausula (comparente reo, et negante) in simplicem citationem resolvatur: ac per consequens, sive reus compareat, sive non compareat, nunquam dicere potest, se indefensum, vel non citatum, vel judicem ab executione incepisse, glossa in l. *De pupillo*, § *Meminisse*, ff. de operis novi nuntit. quam ibi DD. sequuntur, ut per Imol. Angl. Alex. glossam fin. in cap. *Ex parte*, in 1. de verb. sig. ubi But. Abb. n. 8. Bart. in l. 1. cod. *De executione rei jud.* Bald. in l. *Ad peremptorium*, ff. de jud. alios citat Ant. Gabr. lib. 2. commun. tit. *De citatione*, concluf. 1. n. 375. Jas. in l. *Nec quicquam*, § *Ubi decretum*, n. 6. de officio proconsulis, Rebuf. ad leges Gall. tom. 1. tit. de liter. oblig. art. 6. gloss. 2. n. 4. Gutier. canon. quæst. cap. 4. n. 18. qui, cum hac clausula procedit, neminem gravat in quo dicit aliquando vidisse erratum per judices regios afferentes, violentiam fieri ex eo, quia contra sæculares personas procedunt, incipiendo per censuras, cum tamen in his terminis non incipiat judex per censuras simpliciter, sed si reus noluerit comparere: est itaque in ejus potestate hujusmodi fugere censuram; unde judices sæculares, qui prætextu violentiæ in his terminis contra ecclesiasticum procedunt, censuram bullæ Cœnæ non effugient.

Reliqua huc attinentia, infra probabuntur, cum de recursu ex usurpatione jurisdictionis, c. 32. et 33. et à judice delegato interposito, c. 34. et 36. sermo fuerit.

XVII. Observa tamen hic, quod edictum ad generalem visitationem ecclesiasticam promulgatum est, et dicitur sufficiens citatio, ut tenet Barb. de pot. ep. alleg. 73. p. 3. Cæs. de Panimol. dec. 10. et 11. ex var. declarat. S. Congreg. Fusc. de visit. l. 1. c. 4. Friaf. de visit. c. 5. Gavant. in prax. visit. § 5. Mend. in prax. p. 2. l. 2. c. 3. n. 36. Altamir. de visit. verb. *A metropolitan.* n. 46. Piasec. in prax. episcop. 2. p. c. 2. art. 1. n. 5. Oliv. supr. transcriptus, n. 13. et ap. ipsum, q. 16. n. 42. et seqq.

DISTIN-

DISTINCTIO IV.

De Recurſu ex uſurpata Juriſdictione.

CAP. XXXII.

De Licitudine, vel Illicitudine Recurſus ex Uſurpatione regiæ, vel alterius Juriſdictionis.

SUMMARIUM.

I. *Præmittitur regiæ legis diſpoſitio.*
II. *Rejicitur ampliatio Gabr. Per.*
III. *Juriſdictionis abuſus poteſt contineri intra terminos injuſtitiæ præciſe.*
IV. *Illicitus eſt recurſus à judice eccleſiaſtico præciſe ex uſurpatione juriſdictionis non regiæ, ſed ſpiritualis, aut temporalis alterius judicis eccleſiaſtici.*
V. *In hac uſurpatione præciſe, licet detur notoria injuſtitia, non tamen notoria violentia recurſabilis, nulla intercedente appellatione.*
VI. *Tunc enim non conſideratur vis irrepellibilis, neque habet locum remedium ſubſidiarium.*
VII. *Eſt expreſſa doctrina Gabr. Per.*
VIII. *Et formalis diſpoſitio ordinationis.*
IX. *Diſparitas, cur recurri valeat ab uſurpatione regiæ juriſdictionis, non vero alterius judicis eccleſiaſtici.*
X. *Judex regius eſt competens pro cognitione ſuæ juriſdictionis, non vero alterius judicis eccleſiaſtici.*
XI. *Ordinarius habet in territorio ſuo fundatam intentionem adverſus omnes, etiam exemptos, et delegatos.*
XII. XIII. *Licitus eſt recurſus ex notoria uſurpatione regiæ juriſdictionis, ex vi concordiæ canonicæ, et approbatæ.*
XIV. *Judex eccleſiaſticus, et regius, poſſunt extrajudicialiter, nullo juris ordine ſervato, proprie juriſdictionis uſurpationem vi repellere.*
XV. *Poteſt rex propriam juriſdictionem à notoria violentia per recurſum tueri.*
XVI. *Moderamen inculpatæ tutelæ in hoc caſu ſtabit in præcedenti exceptione, vel proteſtatione incompetentiæ.*
XVII. *Et ratio remedii ſubſidiarii in eo quod in ſubſidium medii ordinarii citationis, vel vocationis judicis eccleſiaſtici ad forum regis adhiberetur.*
XVIII. *Judex regius poteſt occurrere uſurpationi illi ex officio, vel ad inſtantiam partis, dupliciter,*
XIX. *Non tamen eſt neceſſaria ratio remedii ſubſidiarii, cum judex regius ſit competens ad illam cognitionem.*
XX. *Concordiæ Dionyſianæ approbatæ fuerunt quatenus canonicæ, et libertati eccleſiaſticæ non adverſantes.*
XXI. XXII. *Pro uſurpatione bonorum feudalium concordia illa canonica reperitur.*
XXIII. XXIV. *Limita ex aliquibus, ſi agatur de re feudali civiliter; ſecus, ſi ageretur criminaliter contra clericum, et circa poſſeſſorium merum.*
XXV. *Si uſurpatio illa verſetur circa perſonam laicam in cauſa mere profana, dubium eſt, an concordia illa canonica ſit.*
XXVI. *Reſolvitur tamen canonicam eſſe ex generalibus juris, etiam canonici, principiis.*
XXVII. *Ut licitus evadat recurſus, debet uſurpatio omnino evidens, et notoria incedere.*
XXVIII. *Quoties qualitas aliqua requiritur ad fundandam juriſdictionem, debet illa prius verificari.*
XXIX. *Poſita notorietate exemptionis judicis eccleſiaſtici, ad fundandum recurſum requiritur ex adverſo notorietas violentiæ talis, cui ex jure naturalis defenſionis occurri poſſit.*
XXX. *Laudatur Oliv. ſuper hac notorietate.*
XXXI. *Solvuntur argumenta in contrarium.*
XXXII. *Retorquetur doctrina Per.*
XXXIII. *Judex incompetens, non vero incapax, cognoſcere poteſt, an ſua ſit juriſdictio.*
XXXIV. *In hac re juris incorporalis nequit agere princeps, ut de re propria, niſi ſtante poſſeſſione, et ſcientia, ac patientia Summi Pontificis.*
XXXV. *Notanda pro formula conſueta in chartis rogativis extra caſum uſurpationis.*

I. LEX regiæ ordin. l. 1. tt. 12. § 5. ſic diſponit: *Quod ſi procurator regius viderit, quod noſtra juriſdictio ab eccleſiaſticis uſurpatur, vel aliquod jus regale, poterit judicem noſtræ coronæ adire, ſuper his cauſis, quia ille ſolus eſt competens judex ad cognoſcendum, an noſtra ſit juriſdictio; idem erit, quoties aliquis ſupplicaverit à judicibus eccleſiaſticis, dummodo ſæcularis ſit, vel quod cauſa illius eſt naturæ, quod ad judicium ſæculare ſpectat, etiam agitetur inter eccleſiaſticas perſonas, quia in his terminis noſtra juriſdictio ſecundum ordinarias juris regulas procedit.*

Hanc autem ordinationem dicit Per. de man. reg. c. 10. n. 1. deſumptam eſſe ex 9. articulo concordiæ Dionyſianæ, ubi ſic: *Reſpondet rex, quod utantur ſua juriſdictione eccleſiaſtica; eſt quod antiqua conſuetudo regni eſt, quod quælibet perſona, vel eccleſiaſtica, vel ſæcularis, quæ bona coronæ regiæ habuerit, quod ſuper omni lite, quæ ſuper dictis bonis moveatur, reſpondeat coram regiis judicibus; et quod dominus rex vult, quod ita obſervetur ſuo tempore, et ſuorum ſucceſſorum; quam reſponſionem acceptârunt prælati.* Et licet prima facie (proſequitur idem Per. ibid.) videatur, hunc concordatæ articulum ſolum agere de his, qui ex conceſſione principis bona regalia occupant, ut ſuper his in ſæculari reſpondeant, tamen ad omnes dirigitur, qui ſuper bonis regalibus conveniuntur, quorum appellatione, et juriſdictiones continentur, quæ in jure conſiſtunt.

II. Hinc rejiciendus venit idem Per. quatenus recurſum hunc ex *uſurpata juriſdictione regia* ampliare videtur ad *omnem juriſdictionis abuſum*, ut ex titulo deprehenditur. Rejicitur, 1. Quia tum in verbis legis regiæ, tum in formalitate concordiæ, unde ipſa deſumpta eſt, non reperitur iſte inſinuatus abuſus juriſdictionis generaliter, ſed *uſurpationis* dumtaxat, et uſurpationis *regiæ juriſdictionis*, atque *regalium jurium* reſtricte.

Rejicitur, 2. idem Per. *Ad hominem:* Quia juxta ipſum, c. 9. n. 25. et 26. non datur recurſus à judice ordinario eccleſiaſtico, contra non ſubditum, vel incompetenter procedente, ſi incompetentia ſit, non reſpectu judicis ſæcularis, nec in materia uſurpationis juriſdictionis regiæ, et temporalis, ſed reſpectu alterius judicis eccleſiaſtici, ut etiam ex ipſo, licet adverſanter, notat Oliv. cit. q. 16. n. 65. Atqui in hoc caſu datur abuſus juriſdictionis abſolute, et inſuper datur abſolute uſurpatio juriſdictionis, licet non regiæ, et temporalis, eccleſiaſticæ tamen, et alterius judicis ſpiritualis: ergo, &c.

III. Rejicitur, 3. *etiam ad hominem:* Quia abuſus juriſdictionis generaliter, et abſolute, poteſt ſtare, et contineri præciſe intra terminos injuſtitiæ, et ſimplicis violentiæ, non tamen qualificatæ, videlicet manifeſtæ, et undiquaque notoriæ, atque nullatenus celabilis, ac tergiverſabilis: ſed ſola hæc eſt, quæ fundat recurſum à judice eccleſiaſtico ordinario ad regium tribunal, ut ipſemet Per. expreſſe ſtatuit c. 4. et 7. et alibi: ergo, &c.

Rejicitur, 4. Etiam retorſive, ſive controverſive, ex doctrina ejuſd. Per. c. 9. n. 27. ubi generalem illam ampliationem *abuſus juriſdictionis*, abſolute, reſtringit ad abuſum repertum dumtaxat in uſurpatione juriſdictionis regiæ; ait enim ibidem, *Ex capite abuſus juriſ-*

juriſdictionis nullitas oppoſita locum dabit ad recurſum ad principem, ſi incompetentia oppoſita non verſetur circa alterius judicis eccleſiaſtici juriſdictionem, ſed reſpectu principis ſæcularis, ad quem eo caſu ſpectabat cognitio; tunc enim ſemper ſententia erit nulla, ordinat. lib. 2. tit. 1. § 14.

Prima Reſolutio.

IV. Illicitus eſt recurſus interjectus à judice eccleſiaſtico ordinario præciſe ex uſurpatione juriſdictionis non regiæ, nec temporalis, ſed ſpiritualis alterius, ſcilicet, judicis eccleſiaſtici, reſpectu alicujus huic judici ſubditi, non vero judici ordinario, reſpectu cujus quidem ſubjecti, ordinarius ipſe ſit notorie incompetens. Ita Per. de man. reg. c. 9. n. 25. et 26. quam quidem ſententiam comprobat Barb. ad ord. l. 1. tt. 2. § 15. cum pluribus ab ipſo citatis ex ipſa formali d. ord. reſtrictione, *dummodo aggravans ſit laicus.*

Prob. 1. Ex allata concordia ſupr. n. 1. et ex regiæ ipſius legis, in ea fundatæ, diſpoſitione, ubi tantum reſtricte *de uſurpatione juriſdictionis regiæ, regaliumve jurium*, et non abſolute de cujuſlibet juriſdictionis eccleſiaſticæ, et ſpiritualis, uſurpatione agitur.

V. 2. Quia in illa uſurpatione præciſe, non intercedente appellatione, licet conſideretur injuſtitia, etiam notoria, ſi notoria fuerit incompetentia, non datur, nec conſiderari poteſt ratio vis et violentiæ neceſſario prærequiſitæ ad fundandum recurſum ad ſæcularia tribunalia; et hac de cauſa appoſui in reſolutione illam particulam limitativam *præciſe*: ergo, &c.

VI. Probatur hæc ratio, et ſimul confirmatur reſolutio efficaciter: quia *vis*, à qua violentia nomenclaturam derivat, *eſt majoris rei impetus irrepellibilis*; atqui, nulla intercedente appellatione, impetus illius uſurpationis non eſt, nec reputatur irrepellibilis, cum per appellationem optime, et facillime repelli poteſt: et ſola legitima appellatione interveniente, ſi hæc injuſte denegetur, aut rejiciatur, impetus illius uſurpationis irrepellibilis, aut irreparabilis, reputatur: ergo, cum recurſus fundetur in vi, ac violentia, non qualicunque, ſed omnino notoria, et manifeſta, ex illa uſurpatione *præciſe*, non interveniente appellatione ulla, non adeſt ſufficiens fundamentum ad recurſum ad regia tribunalia. Vide tradita c. 12. et c. 25.

Confirmatur ulterius, 1. Ex ipſa natura remedii ſubſidiarii, et extraordinarii, quale eſt recurſus, qui quidem ex natura ſua exigit non intentari, neque adhiberi licite, niſi in ſubſidium, et exhauſtis prius mediis ordinariis, de quo c. 25. Vide infr. n. 18.

VII. Confirmatur, 2. Ex formali et expreſſa cit. Per. doctrina, d. c. 9. n. 25. et 26. ibi: *Primo caſu oppoſita nullitate, ſi talis exceptio repellatur regulariter, nullo modo ad regem patet recurſus, cum appellari poſſit ad ſuperiores eccleſiaſticos, qui reponere poſſunt via appellationis gravamen, vel in gradu appellationis de nullitate cognoſcere, leg. Camelia, ff. de jure patron. Dixi regulariter, quia recurſus competit uni ex quatuor caſibus ſupra enarratis. Primo, Ex violentia illata; quæ nullo modo conſiderari poteſt in hac cognitione, cum judex cognoſcendo nullam vim inferat. Secundo, Ex oppreſſione notoria, quæ non datur, quia vel arguatur incompetentia judicis, vel defectus juriſdictionis, cum hæc duo verſentur reſpectu alterius judicis eccleſiaſtici, non eſt cur princeps ſe intromittat, cum eo caſu partes ſuperiorem eccleſiaſticum adire poſſint. Tertio, Ex capite juris naturalis non ſervati ſolum competere poteſt recurſus, ob defectum citationis, cujus omiſſio jus naturale lædit, quia in ea includitur legitima defenſio, maxime in prima citatione ad cauſam, vel ſi judex ſuſpectus, et pro tali judicatus, cognoverit; quod pariter obtinebit in omni caſu, in quo jus naturale offendatur; reliquæ namque cauſæ nullitatis, ſcilicet ex falſis probationibus, ex corruptione judicis incompetentiæ, reſpectu juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici, licet executionem retardare poſſint, oppoſitæ illis modis, quibus ſupra diximus, non tamen habent locum in recurſu regio, qui ex aliis principiis oritur, nec defenſiones civiles reſpicit, ſed naturalem ſolum.*

VIII. Confirmatur, 3. Ex ipſa formali ac reſtricta cit. ord. l. 1. tt. 1. § 15. ibi: *Orto dubio inter judices eccleſiaſticos, ac ſæculares, ſuper juriſdictionis pertinentia, judices regii competentes quidem ſunt ad cognoſcendum, an juriſdictio noſtris juſtitiis pertineat; et illis hujus caſus deciſio attinet, dummodo aggravans ſit laicus:* ergo ſolum ab uſurpatione juriſdictionis regiæ; et reſpectu illius ſubjecti notorii, qualis eſt laicus, patebit aditus ad judicem regium per viam recurſus:

Dices pro Oliva, d. q. 16. n. 65. Judex eccleſiaſticus, notorie incompetens, notoriam oppreſſionem, atque violentiam facit, eique, ut privato, poteſt reſiſti, atque ad regem pro tollenda violentia recurri, ſi alterius judicis, aut prælati eccleſiaſtici, juriſdictionem uſurpet, eo modo quo ſi regiam uſurpet juriſdictionem: atqui pro uſurpatione regiæ juriſdictionis licitus eſt recurſus, etiam nulla intercedente appellatione: ergo ſimiliter.

IX. Reſpond. diſting. maj. quoad 1. partem: ſi procedat intra terminos notoriæ injuſtitiæ, citra notoriæ violentiæ terminos, et nulla intereedente appellatione, nego; ſi procedat in terminis notoriæ violentiæ, et aliqua legitima appellatione interjecta, concedo. Deinde diſtinguo eandem majorem, quoad 2. partem: Poteſt ei, ut privato, reſiſti cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad quod quidem appellationis interjectio prærequiritur, concedo; abſque debito inculpatæ tutelæ moderamine, nego. Solutio patet ex dictis in fundamentis hujuſce reſolutionis, et ex traditis ſuperius, c. 25.

Ad paritatem uſurpationis regiæ, diſpar aſſignari poteſt ratio; videlicet, quod in uſurpatione regiæ juriſdictionis, cum judex regius competens ſit ad cognoſcendum, ac judicandum de ea, an ſua ſit, necne; ſicut illius uſurpationi occurrere poteſt, etiam non requiſitus, atque etiamſi pars non appellet, ex officio, ut cit. ord. l. 1. tt. 12. § 3. ſtatuitur; potiori jure occurrere eidem poterit, parte ipſa denuntiante, vel recurrente; et ſufficiet ex parte ipſius recurrentis objectio nullitatis, et incompetentiæ, et proteſtatio ad regios judices recurrendi, ſi exceptio illa rejiciatur, vel non admittatur, ad verificandum debitum moderamen, dato quod hoc etiam in regiæ juriſdictionis uſurpatione, ſicut in alterius judicis eccleſiaſtici, prærequiratur.

X. At vero in uſurpatione juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici, cum judex regius nec reſpectu ipſius juriſdictionis competens ſit, eo quod hæc eccleſiaſtica incedat, ipſe vero laicus; nec, reſpectu ipſius judicis eccleſiaſtici, ſuperior exiſtat; neceſſe omnino eſt, ut pars prius media ordinaria exhauriat ad proprium ſuperiorem appellando, ad hoc, ut à judice laico per recurſum licite ac valide ſuccurri valeat in ſubſidium, ſuppoſita illius appellationis rejectione, et, ea non obſtante, proceſſum ipſius judicis appellati ad ulteriora, juxta reſoluta c. 25. n. 6. Eſt enim remedium recurſus ſubſidiarium, et extraordinarium, proindeque non adhibendum, niſi in ſubſidium, ac defectum omnium remediorum ordinariorum, ut d. c. 25.

Deinde; ſi juriſdictio regia reipſa uſurpata ſit à judice eccleſiaſtico, quamvis ſuperior, ad quem appellatur, talis ſit, et competens reſpectu ipſius judicis appellati, atque reſpectu ejuſdem formalis injuſtitiæ, in uſurpatione illa exercitæ, non tamen reſpectu juriſdictionis ipſius materialiter, eo quod hæc, non eccleſiaſtica, aut ſpiritualis, ſed omnino temporalis, et laica incedat. Judex autem regius, licet competens non ſit reſpectu ipſius judicis eccleſiaſtici uſurpantis, nec reſpectu formalis injuſtitiæ illius, eſt tamen competens reſpectu juriſdictionis uſurpatæ, eo quod laica, et temporalis ſit, proindeque independenter ab appellatione licite poteſt uſurpationi illi occurrere, et pars gravata, etiam licite ad eum, nulla interjecta appellatione, recurrere, Per. de man. reg. c. 7. n. 6. Cirin. c. 6. n. 31. Vid. alleg. 50. Sed de hoc fuſius infr. reſol. ſequenti.

XI. Tandem judex eccleſiaſticus ordinarius habet in territorio ſuo fundatam intentionem ſuam adverſus omnes, etiam exemptos, ex c. 1. et ſeqq. de offic. ordin. imo et adverſus omnes judices delegatos excedentes, vel delinquentes in munere ſuo, ex c. 2. de offic. deleg. c. *Solicitudinem*, de appellat. Per. de man. reg. c. 7. n. 6. Cirin. c. 6. n. 31. v. alleg. 11. unde non facile uſurpatio juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici, notorie violenta undiquaque, et nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis, juſte reputabitur, ſed ad

ſummum injuſta; atque adeo ab ea non patebit recurſus ad regium tribunal. Vide ſtabilita c. 14. et 17.

Secunda Reſolutio.

XII. Licitus eſt recurſus è notoria uſurpatione regiæ juriſdictionis à judice eccleſiaſtico uſurpatæ, ex concordia à Sede Apoſtolica approbata, ſi hæc canónica, ſeu canonici juris ſanctionibus conformis extiterit. Ita Per. de man. reg. l. p. prop. fin. in art. 40. 1. concord. Dionyſianæ, n. 89. § *Ex quo colligitur*, pag. mihi 342. ibi: *Juxta formam canonum antiquorum*; et infr. *Quod conſuetudines regni, quæ ab illo tempore ad hoc uſque durant à prælatis approbatæ, ſint canonicæ.*

XIII. Prob. reſolutio, 1. Quoad 1. partem, ex reg. ordin. cit. l. 1. tit. 12. § 5. et l. 2. tt. 1. § 17. ibi: *Tum ſuper reditibus illarum poſſeſſionum, et ſuper juriſdictione, ſi illam habuerit*, &c. Prob. 2. Quia quilibet judex competens eſt, ut cognoſcat, an juriſdictio ſua ſit, necne, ex cit. ordin. lib. 1. et 2. Per. cit. c. 10. ex l. *De his, quæ in teſtam. de cent.* DD. in c. *Cum veniſſent*, de judic. Oliv. d. q. 16. et 26. per tot.

XIV. Prob. 3. Quia judex eccleſiaſticus, nulla prævia diligentia, et nullo juris ordine ſervato, poteſt, vel ex officio, vel ad inſtantiam promotoris extrajudicialiter, vim vi repellendo, ſuæ juriſdictionis uſurpationem propulſare, ut docent Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. Deluc. Pignatell. Panimol. et reliqui DD. infra laudati, alleg. 4. 11. et ſeqq. et aliis infr. lib. 3. alleg. 11. et ſeqq. Ergo pariformiter judex regius, nulla intercedente appellatione, poterit ſaltem per viam recurſus ex officio, vel ad inſtantiam partis, aut regii procuratoris, regiæ juriſdictionis notoriam uſurpationem ab eccleſiaſtico judice propellere, ac tueri.

XV. Prob. 4. Quia princeps poteſt alios à notoria violentia tueri: ergo, à fortiori, et propriam juriſdictionem à notoria violenta uſurpatione; argumento tex. in l. *Præſes*, cod. de ſervit. et aqu. Ita Oliv.

Prob. 5. Quia judici eccleſiaſtico notorie incompetenti ex uſurpata regia juriſdictione, poteſt pars, ut privato, cum moderamine inculpatæ tutelæ, licite propria auctoritate reſiſtere: ergo poterit decentius, ac moderatius, eidem auctoritate regia reſiſtere.

Moderamen autem inculpatæ tutelæ, in hoc caſu regiæ juriſdictionis uſurpationis, non ſtabit in præmiſſione appellationis ab ipſo judice eccleſiaſtico ad ſuperiorem ejus eccleſiaſticum; tum quia neuter eſt judex competens ratione juriſdictionis uſurpatæ, materialiter ſumptæ, eo quod hæc ſit laica, et temporalis, et non eccleſiaſtica, atque ſpiritualis; tum ex reliquis ſupra inſinuatis, n. 9. et ſeqq. ſed ſtabit, ac ſufficienter verificabitur, in hoc, quod pars gravata exceptionem notoriæ incompetentiæ, atque uſurpationis objiciens, cum proteſtatione recurrendi ad regios judices, ſi judex eccleſiaſticus, ea exceptione rejecta, aut ſpreta, ad ulteriora procedat; licite quidem judici eccleſiaſtico objectam exceptionem non recipienti, et, ut privato, reſiſtere poterit, et ad regem pro tollenda violentia recurrere, abſque alia prævia diligentia appellationis ad ſuperiorem eccleſiaſticum emittendæ; eo quod, cum ratione juriſdictionis uſurpatæ judex regius ſit competens ad cognoſcendum de ea, independenter ab aliqua provocatione; eo ipſo competens eſt ad eidem occurrendum, ac providendum, ut ne uſurpetur, aut ut reponatur, prout tenet Oliban. Seſſ. Cevall. et alii cit. ab Oliv. d. q. 16. n. 55. Deinde, natura ipſa remedii ſubſidiarii, et extraordinarii, qualis eſt recurſus, naturaliter petit, ac exigit præmiſſionem illam naturalis exceptionis incompetentiæ, ut ad remedium ordinarium pertinentis.

XVI. Inferes: Ergo etiam ad verificandum moderamen inculpatæ tutelæ in licita reſiſtentia partis gravatæ propria auctoritate, vel regia per viam recurſus pro notoria violentia tollenda in aliis materiis, ſufficiet hæc exceptio, et proteſtatio; et non erit neceſſario præmittere ordinarium remedium appellationis ad ſuperiorem eccleſiaſticum: quod quidem eſt contra ſtabilita c. 25.

Reſp. negando illationem: Diſparitas eſt, quia judex regius in cauſa notoriæ uſurpationis regiæ juriſdictionis eſt competens ad eam impediendam, et reſtituendam, et ad cognoſcendum de ea independenter ab appellatione aliqua à parte gravata emittenda; atque adeo ſtatim atque uſurpatio notoria datur, poteſt illico ei occurrere, vel ex officio, vel ad inſtantiam regii procuratoris, vel per viam recurſus ad ſupplicationem ejuſdem, aut partis gravatæ, ut bene declarat Per. de man. reg. d. c. 10. ſub n. 1. § *Et licet.*

Aſt in aliis cauſis, et caſibus recurſus, præter regiæ juriſdictionis uſurpationem, vel recurſus interponatur ex titulo notoriæ violentiæ, vel juris ordinis notorie non ſervati, vel uſurpationis alterius juriſdictionis eccleſiaſticæ, judex regius non eſt competens, imo neque capax (tum quia non eſt ſuperior judicis eccleſiaſtici ratione perſonæ, tum quia nec ratione juriſdictionis, aut materiæ gravaminis) ad cognoſcendum, et providendum per viam remedii extraordinarii, et ſubſidiarii recurſus, niſi exhauſtis mediis ordinariis, et præmiſſa competenti, ac legitima, ad proprium ſuperiorem eccleſiaſticum appellatione, ſecundum reſoluta c. 25.

XVII. Inſtab. Remedium recurſus pro uſurpata regia juriſdictione, etiam eſt extraordinarium, et ſubſidiarium: atqui non apparet in cujus ſubſidium adhibeatur, niſi in defectum appellationis ad ſuperiorem eccleſiaſticum præmittendæ: ergo. Reſp. 1. diſting. maj. Eo modo, quo eſt recurſus pro violentia in aliis materiis tollenda, nego; diverſo modo, concedo. Deinde diſtinguo min. In cujus ſubſidium ex præſuppoſitione incompetentiæ judicis regii ad cognoſcendum de regia juriſdictione uſurpata, nego ſuppoſitum; eſt enim omnino competens; præſuppoſita competentia, et ex ſuppoſitione excluſionis, vel omiſſionis, medii ordinarii citationis, vel vocationis ad forum regis, et ex præelectione remedii extraordinarii recurſus, non apparet in cujus ſubſidium adhibeatur, &c. ſubdiſtinguo: In aliis recurſibus, etiam alterius juriſdictionis eccleſiaſticæ uſurpatæ, concedo; in recurſibus pro uſurpatione regiæ juriſdictionis intentatis, nego: in his namque remedium extraordinarium recurſus adhibetur in ſubſidium remedii ordinarii vocationis per citationem ad forum regis.

XVIII. Explicatur ſolutio; quia dupliciter poteſt judex regius occurrere regiæ juriſdictionis notoriæ uſurpationi, vel ad inſtantiam partis gravatæ, vel ex officio, etiam ad inſtantiam regii procuratoris; et tunc etiam dupliciter procedere poteſt; primo, ordinarie per citationem, aut vocationem judicis eccleſiaſtici notorie uſurpantis, ut tenet Per. (cui tamen adverſatur Oliv. q. 26. per tot. et ſignanter à n. 61.) vel extraordinarie, per ſupplicationem recurſus, juxta doctrinam Gabr. Per. cit. c. 10. ſub n. 1. ibi: *Illico namque, ut apud prælatum eſſe dignoſcitur aliquis juriſdictionis gradus ſæcularis, poteſt regius procurator illum vocare ad forum regis, ut dimittat, vel in cauſa ſupplicare ab uſurpata juriſdictione, quando ipſa pars acquieſcat*, &c.

Poſito autem, quod omittatur primum illud remedium ordinarium citationis, adhibetur, veluti in ſubſidium illius, hoc remedium extraordinarium recurſus; diverſo tamen modo atque adhibetur in ſubſidium, et defectum appellationis in aliis materiis; tum quia in his non poteſt judex regius *illico*, et *ſtatim*, occurrere ex notoria incompetentia, niſi prævia intercedente appellatione, ſecundum dicta c. 25. et ſupr. n. 10. tum quia judex laicus eſt competens in materia uſurpationis regiæ, et temporalis juriſdictionis, quomodolibet defendendæ, aut occurrendæ; quod quidem non habet in aliis materiis eccleſiaſticis, etiam uſurpationis alterius juriſdictionis eccleſiaſticæ, et ſpiritualis. Vide tamen Oliv. ſuper hæc re cit. q. 26. per tot.

XIX. Hæc ſolutio in his terminis adhibetur ex ſuppoſitione, quod ſalvari prætendatur ratio remedii ſubſidiarii, etiam in recurſu ex regiæ juriſdictionis uſurpatione intentato; in quo tamen non neceſſario videtur hanc etiam rationem adinvenire, ex competentia, et præcontinentia illius juriſdictionis in ſuo judice proprio, qui illico eidem quomodolibet defendendæ, atque reſtituendæ, occurrere valet, ſecundum præmiſſa; licet Oliv. cit. q. 26. admittens occurſum judicis regii in hoc caſu per viam recurſus, de facto, et extrajudicialiter; minime illum admittit judicialiter, ſeu juriſdictionaliter per viam cognitionis ordinariæ; quam quidem nunquam praxi ſervari, aut adduci, ſe vidiſſe,

vidiſſe, aut legiſſe, etiam in Hiſpaniarum regnis, aſſeveranter atteſtatur d. q. 26. n. 61. et 62. ſed tantum per viam facti pro violentia extrajudicialiter tollenda; quarum etiam cognitionum differentiam explicat, n. 63.

XX. Prob. eadem reſolutio, quoad 2. partem, videlicet, quoad conditionalem illam, *ſi concordia ſit canonica*; et probatur, 1. Ex ipſamet formali Sedis Apoſtolicæ approbatione in art. 40. 1. concordiæ regis Dionyſii, apud Per. de man. reg. n. 89. pag. mihi 342. ibi: *Et ſi aliquid fuit ordinatum de conſenſu prælatorum pro bono, et pacifico ſtatu regni, et conſuetudine roboratum, dummodo ſit canonicum, et rationabile, nec contra libertatem eccleſiæ, conſentiunt prælati, quod ſervetur.* Ex qua conſtat aperte, nec prælatos conſenſum præbuiſſe, nec concordatos fuiſſe in conſuetudinibus regni, niſi cum reſtrictione illa, *dummodo canonicæ, et rationabiles, et libertati eccleſiæ non adverſantes incederent:* neque Summum Pontificem Nicolaum IV. concordias illas, niſi cum eadem reſtrictione, ac limitatione, approbâſſe. Prob. 2. ex traditis ſuperius, c. 21, 22. et 23.

An autem hæc concordia de recurſu ad regem ex regiæ juriſdictionis uſurpatione ſit canonica, necne, decidendum venit. Dupliciter tamen reſolutio dabitur.

XXI. *Dico igitur*, 1. Si uſurpatio regiæ juriſdictionis ſit ſuper bonis feudalibus, certum eſt, concordiam præmiſſam canonicam eſſe, id eſt, juri canonico conformem. Prob. ex doctrina Antonell. de oner. l. 1. p. 2. c. 14. n. 50. ibi: *Clericus, vel eccleſia, quæ habet feudum à principe laico, convenire poteſt in cauſis feudalibus coram ipſo principe laico; hoc enim caſu clericus, et eccleſia, ex promiſſione juris canonici ſe ſupponunt domino feudi: quemadmodum vaſallus laicus ſimiliter convenitur in cauſis feudalibus coram clerico, ſi clericus ſit dominus feudi, cap. Verum, ubi DD. communiter de for. compet. Gail. obſerv. 37. n. 3. lib. 1. Urſill. ad afflict. dec. 24. n. 5. Marant. in pract. p. 4. dict. 11. n. 49. Clar. in § Feudum, q. 90. verſ. Sed quid ſit dominus, &c. et alii quamplures, quos refert, et ſequitur Car. de Graff. de effect. cleric. eff. 1. n. 718. et ſeqq.* Quibus juribus, et auctoritatibus, ſuperaddendæ erunt ex Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 1. n. 25. tex. in c. *Ex tranſmiſſo*, de for. compet. Clar. in § *Feudum*, quæſt. 90. n. 8. Schrad. de feud. c. 10. ſect. 1. n. 2. 4. et 5. Borch. de feud. c. 10. n. 18. et 21. Roſenthal. de feud. c. 12. concluſ. 1. n. 10. et ſeqq. Pax Jordan. elucubr. volum. 9. tit. 8. n. 275. et Sanfelic. in praxi, ſect. 12. n. 5.

XXII. Et ratio ſequens, quia feuda introducta ſunt moribus gentium, non lege ſcripta, et primo quidem apud Germanos, deinde apud Gallos, Hiſpanos, cæteraſque nationes, ut unanimiter aſſerunt Tholoſan. lib. 6. ſyntagm. cap. 6. Cujac. in notis ad libros feudorum, Gibalin. de uſur. p. 2. lib. 4. cap. 3. per tot. Valaſc. de jur. emphyt. part. 1. quæſt. 39. ideoque feudorum libri, *uſus feudorum* dicuntur.

XXIII. Limitat tamen Antonell. cit. n. 53. hanc concluſionem, 1. Ut procedat, quando agitur inter vaſallos civiliter de re feudali; ſecus, ſi ageretur contra clericum vaſallum ad amiſſionem feudi criminaliter, aut civiliter pro crimine: quia hoc caſu cognitio cauſæ eſt remittenda ad judicem eccleſiaſticum: ratio eſt; quia laici nec directe, nec indirecte, poſſunt cognoſcere de crimine clericorum, cap. *At ſi clerici*, ubi DD. de judic. Innoc. in d. cap. *Verum*, n. 2. et ſeqq. de for. compet. Mar. ſoc. in cap. *Ex tranſmiſſa*, n. 32. eod. tit. et conſ. 12. n. 22. lib. 1. Bero. conſ. 82. n. 11. lib. 1. Rol. conſ. 4. n. 35. lib. 1. Squillan. de privil. cleric. cap. 7. n. 106. Bellet. diſquiſ. cleric. par. 1. tit. de favor. cleric. real. § 3. n. 5. Mart. de juriſd. p. 4. caſ. 89. n. 18. et ſeqq. ubi dicit, quod ſi judex eccleſiaſticus protulerit ſententiam in clericum, declarando, ipſum ob felloniam incidiſſe in amiſſionem feudi, tunc rex, vel alius princeps, non poſſet clericum poſſeſſorem feudi propria auctoritate à poſſeſſione expellere, quia, ſicut cognitio cauſæ criminalis pertinet ad judicem eccleſiaſticum, ita etiam compulſio clerici pertinere debet ad eundem judicem eccleſiaſticum, l. *Nulli*, c. *de judic.* l. *Ordinarii*, c. *de rei vendic.* c. 1. de cauſ. poſſeſſ. et propriet. Jo. Andr. Innoc. et Abb. in cap. *Verum*, de for. compet. Archid. in cap. 1. de cleric. conjug. in 6. Menoch. de retin. poſſeſſ. remed. 3. n. 396. et ſeqq. Aufrer. in repet. Clem. 1. in 3. quæſt. de offic. ordin. ubi reſolvit, quod in nullo caſu dominus feudi poteſt clericum capere, diſtringere, vel alias eidem violentiam inferre; quia in feudum juriſdictionem habet, non in perſonam, Boer. dec. 69. n. 8. et ſeq. ubi dicit, quod in actione perſonali, et criminali, epiſcopus cognoſcere debet: ſed in reali, et aliis ex reali deſcendentibus, dominus feudi eſt judex competens, Carol. de Graff. de effect. cleric. effect. 1. n. 726. et ſeq.

XXIV. Limitat. 2. Ut dicta concluſio procedat, quando agitur inter vaſallos de re feudali circa proprietatem, et ſic circa petitorium; ſecus, ſi circa poſſeſſorium, quia cauſa poſſeſſorii eſt agitanda coram ordinario ipſius clerici, gloſſ. in cap. *Cæterum*, ubi etiam Innoc. et Ant. de Butr. de judic. Goffred. in ſum. tit. de for. compet. verſ. *Et nota*, &c. Pariſ. de puteo in tr. de reintegr. feud. cap. 198. n. 5. et 6. Squillan. de privil. cler. cap. 7. n. 105. et de communi teſtatur Car. de Graff. eff. 1. n. 730. et 732. cum ſeq.

Reliquas limitationes vide apud eund. Antonell. ibid. et apud Gaſparr. cit. à n. 28. et ſeqq.

XXV. *Dico*, 2. Si uſurpatio regiæ juriſdictionis verſetur circa perſonam laicam in cauſa mere profana; dubium eſt, an præmiſſa concordia canonica ſit, præſertim cum articulus 9. præfatus, ex undecim Romæ oblatis contra regem Dionyſium, ex quo deſumpta eſt ordin. l. 2. tt. 1. § 15. totus verſetur, ut ex ipſo conſtat, et agnoſcit, ac fatetur Per. ſub cit. n. 1. erga illos, *qui ex conceſſione principis bona regalia occupant, ut ſuper his in ſæculari judicio reſpondeant.* Et quamvis Per. cit. ibidem aſſerat *ad omnes etiam dirigi, qui ſuper bonis regalibus conveniuntur, quorum appellatione et juriſdictiones continentur, quæ in jure conſiſtunt*; ex hoc tantum ſequitur licitudo recurſus ex præfata uſurpatione juriſdictionis reſtricte, ac limitate, ſcilicet, ſuper his bonis regalibus; non vero generice, et abſolute, ſuper qualibet alia cauſa mere profana; ut bene notat Oliv. q. 26. n. 3. Per. redarguens.

Et licet ordin. regia, l. 1. tt. 12. § 5. amplius, et generalius, de qualibet uſurpatione *juriſdictionis*, aut *juris*, loqui videatur (de qua Oliv. cit. q. 26. n. 4. et alibi); cum etiam hæc ordinatio, teſte eod. Per. ibid. ex eodemmet art. 9. deſumpta eſt, in idem recidimus inconveniens, ſpectata reſolutione ex formalitate illius concordiæ præciſe. Unde reſolutio ex generalibus juris principiis expetenda eſt, nedum juris civilis, ex quo certum eſt, judicem cognoſcere poſſe, an competens ſit, et an ſua ſit juriſdictio, l. 2. § *Sed etſi dub. l. Siquis ex alien.* ff. de jud. verum et ex juris canonici principiis.

XXVI. Ex quibus videtur dicendum, præfatam concordiam canonicam eſſe, id eſt, canonici juris diſpoſitionibus cohærentem. Nam, quamvis aliqui juris canonici textus, ex quibus noſtrates eam deducere conantur, formaliter intentum non probent; alii tamen ſufficienter id ſuadent, quatenus firmant, aut ſaltem innuunt, quemlibet judicem, etiam canonici juris ſanctionibus ſpectatis, cognoſcere quidem poſſe, an ſua ſit juriſdictio, necne.

Prob. igitur reſolutio affirmativa, de jure canonico, ex c. *Super literis*, de reſcript. c. *Cum perſonæ* de privileg. in 6. ub. Abb. Joa. Andr. Archidiac. Felin. in c. *Cæterum*, de reſcript. n. 22. Rotta recent. dec. 440. n. 4. p. 2. et dec. 1. de appellat. in nov. Seraph. dec. 35. n. 1. Ubert. de citation. c. 9. n. 28. ex quibus conſtat, quemlibet judicem cognoſcere poſſe, an ſua ſit juriſdictio; quod etiam docent Seſſe de inhibit. c. 5. § 6. n. 22. Oliv. de for. eccleſ. d. q. 16. n. 5. et n. 61. cum fallentiis tamen ibid. notatis, et q. 26. per tot. Mart. de juriſd. p. 2. c. 4. per tot. et ex c. *Cæterum*, de judic. Vide, et nota omnino prædictas fallentias ab Oliv. cit. q. 16. et 26. juſte ac ſolide adductas.

Tertia Reſolutio.

XXVII. Ut licitus ſit recurſus à judice eccleſiaſtico ad ſæculare tribunal ex regiæ juriſdictionis uſurpatione, debet hæc uſurpatio eſſe omnino evidens, et notoria; et

et non ſufficit, quod dubia, aut probabilis ſit. Ita Oliv. d. q. 16. n. 57. et iterum q. 26. à n 61. ubi alios citat. Quod quidem intelligi debet, tam de dubio juris, quam facti, ex infra dicendis.

XXVIII. Prob. 1. reſolutio: Quia quoties qualitas aliqua requiritur ad fundandam juriſdictionem, debet hæc prius verificari, et probari, ut eſt commune apud DD. ſignanter Seſſ. de inhibit. c. 5. § 6. n. 16. Ubert. de citation. Mend. in prax. l. 2. c. 3. n. 26. ibi: *Ubicunque juriſdictio competit alicui reſpectu certæ qualitatis, pro fundamento judicii debent ante omnia eidem de illa qualitate conſtare*, ut per Bart. in l. *Multum*, ff. de condit. Barb. in l. *Siquis*, n. 248. ff. *de judic.*

Atqui ad fundandam cognitionem judicis regii per viam recurſus generaliter per viam violentiæ, non ſufficit violentia ſimplex, ſed qualificata, videlicet omnino notoria, patens, et evidens, tum ex leg. regiæ ordin. l. 1. tt. 9. § 12. tum ex generali DD. placitu, Per. de man. reg. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 1. et alib. Peg. ad eand. ordin. et reliqui DD. ſuperius cit. c. 10, 11. et 12. cum cit. Mend. l. 2. c. 3. ergo, &c.

XXIX. Prob. 2. Quia, poſita notorietate exemptionis judicis eccleſiaſtici, quam eſſe de jure naturali divino, oſtendimus prælud. 3. et 5. et ſuppoſita notorietate etiam incompetentiæ, imo et incapacitatis judicis laici ad procedendum contra judicem eccleſiaſticum juriſdictionaliter; ad hoc, ut procedat extrajudicialiter per viam facti, ſeu recurſus, prærequiritur notorietas alia de jure naturali in contrarium, quæ licitum reddat proceſſum, et cognitionem judicis ſæcularis adverſus eccleſiaſticum, videlicet, notorietas violentiæ, et oppreſſionis talis, cui ex naturali defenſione, ſeu ex jure ipſo naturæ, *vim vi repellendi* licitudinem dictante, occurrere et obſiſtere quis poſſit, vel auctoritate privata, vel publica regis, aut miniſtrorum ipſius, juxta tradita c. 13. et 14. et 17. ergo, &c.

XXX. Prob. 3. Omnibus fundamentis, ac rationibus ſuperius expenſis, c. 13. et 14. et 17. quibus addenda auctoritas Oliv. in ſpecie ſuper hac regiæ juriſdictionis uſurpatione d. q. 16. n. 59. ſic reſolventis: *Dicendum eſt, attento jure canonico, ex vi uſurpatæ juriſdictionis, reges, eorumque miniſtros, contra eccleſiaſticos judices procedere non poſſe, niſi uſurpatio notoria, et evidens ſit; et tunc per viam facti, et defenſionis propriæ juriſdictionis; non vero juriſdictionaliter, quoad violentiam tollendam etiam importat, prout in aliis violentiis tollendis; cum hac opinione, pro indubitata, tranſit Seſſe, deciſion. 114. n. 19. Cevall. de cogn. per viam viol. quæſt. 55. n. 8. et quæſt. 52. n. 17. ubi in regno Caſtellæ multoties per hanc viam violentiæ notoriæ in noſtris terminis proceſſum in tribunalibus regiis fuiſſe teſtatur; quod paſſim idem doctiſſimus vir, et acerrimus temporalis juriſdictionis propugnator, in eodem tractatu enuntiat; ſentit Covarr. practic. capit. trigeſimo quinto, n. 3. verſic. At ſi laicus, Olib. de jure fiſci, c. 11. n. 7. et nullam facientes differentiam inter uſurpationem juriſdictionis, et violentias in aliis rebus factas.*

Solvuntur argumenta adverſus hanc tertiam reſolutionem.

XXXI. Argues, 1. pro Per. de man. reg. c. 10. n. 1. putante, ex ord. reg. cit. l. 1. tt. 12. § 5. et l. 2. tt. 1. § 15. et ex auctoritate Covarr. Valaſc. Cabed. et aliorum, non eſſe neceſſarium, quod uſurpatio ſit notoria, ad hoc, ut judex regius, etiam in dubio juris, poſſit cognoſcere, et procedere adverſus judicem eccleſiaſticum, nedum ex vi concordiæ, verum et de jure communi: argues, inquam; quia rex, ſeu princeps, ſecundum diſpoſitionem juris communis poteſt cognoſcere de ſua juriſdictione, et ex cit. ordin. l. 2. tt. 1. § 15. ergo non eſt neceſſe, quod uſurpatio ſit notoria, ad hoc, ut judex regius de illa cognoſcere poſſit.

XXXII. Sed contra, 1. Quia Per. per hæc ſibimet contrarius notorie videtur, et ab ipſo ſtabilitis cit. c. 4. 7. et alibi. Contra, 2. Quia, ut bene reſpondet Oliv. cit. q. 16. ſub n. 59. Covarr. Valaſc. Cabed. et alii cit. ab ipſo, *Nihil aliud concludunt, quam poſſe principem cognoſcere de ſua juriſdictione inter ſubditos prætendentes habere juriſdictionem temporalem in ſuo regno; et cogere eos ad oſtendendum titulos: quod nobiſcum non pugnat, quia agimus de judicibus eccleſiaſticis, qui non ex vi temporalis, ſed ſpiritualis poteſtatis, procedere intendunt, licet terminos excedant, contra quos princeps ſæcularis juriſdictionaliter cognoſcere non poteſt, ſine privilegio apoſtolico, ut ſup. in d. quæſt. oſtendimus; ſed tantum per viam violentiæ, et notoriæ uſurpationis tollendæ, et per viam facti, quæ locum habere non poteſt, quoties dubium eſt ad quem forum cauſa pertineat, ut idem Caſtr. aſſerit dict. p. 1. c. 7. n. 43. quia princeps judex eſſe non poteſt in cauſa, quam habet cum non ſubdito, Socin. conſ. 120. col. 9. Marant. de ord. jud. 6. p. tt. de appell. n. 34. Leges autem hujus regni præcitatæ, contrarium aſſerentes, defendi non poſſunt, niſi ex privilegio, et concordia apoſtolica auctoritate confirmata, quam refert Caſtr. d. c. 10. Si adhuc poſt bullam Cœnæ Domini in ſua remanſerit firmitate, de quo vide, quæ diximus ſupra in quæſt. 11. et 14.*

XXXIII. Arg. 2. Quod unuſquiſque judex cognoſcere poteſt, utrum ſua ſit juriſdictio; text. in l. *Siquis ex aliena*, ff. de jud. ubi doctores, et noviſſime doctiſſ. Bar. an. 111. DD. etiam in l. 2. ff. *Siquis in jus voc.* ubi Jaſ. ſeptem ponit fallentias, et in cap. *Super literis*, de reſcriptis, ubi Felinus 14 aſſignat, Marth. de juriſd. part. 2. c. 4. per totum.

Reſpondet Oliv. 1. n. 61. Regulam illam locum non habere, quoties agitur inter principes diverſos, eorumque miniſtros, quia de re propria unuſquiſque agat, et contra non ſubditum, cum judex eſſe non poſſit princeps in cauſa, quam habet cum non ſubdito; quanto magis cum alio principe? Et ejus pronuntiatio nullam vim habet, ex iis, quæ DD. in cap. *Cæterum*, de jud. Marth. de juriſdictione, caſu 145. n. 6. optime Surd. conſil. 386. n. 11. cum ſeqq. et hæc continentur in una ex fallentiis, per Jaſ. in d. l. ſecunda, ff. *Siquis in jus vocatus*, fallentia quarta, ubi aſſerit, non poſſe judicem cognoſcere, utrum ſua ſit juriſdictio, quando agitur de nullo exercitio juriſdictionis; ſed de proprietate ſubjectionis, et ſubſtantia ipſius juriſdictionis, Surd. dict. n. 11. Felin. ubi proxime, Barb. in d. l. *Siquis ex aliena*, an. 11.

Reſpondet, 2. et melius, n. 62. Quod prædicta regula non habet locum in incapaci, ſeu omnino incompetenti, prout judex ſæcularis circa clericos; quia, ſi pronuntiet ſe competentem in cauſis ſpiritualibus, ſeu clericorum etiam temporalibus, cum fuerint rei, pronuntiatio nullius erit momenti; Marth. dict. cap. 4. n. 5. et ſuperius reſolverat, quæſt. 8.

XXXIV. Arg. 3. Quia in hoc caſu agitur de juriſdictione; ac per conſequens de re propria ipſius principis ſæcularis, quatenus talis eſt: unde, licet dubium ſit in jure, utrum caſus ad eccleſiaſticam, an vero ad temporalem pertineat juriſdictionem; eſt tamen verum, non teneri quenquam rem, quam poſſidet, in dubio demittere, vel reſtituere, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis, text. in l. *In pari cauſa*, 171. ff. de reg. et in regula, *In pari delicto, vel cauſa*, 65. eod. tt. lib. 6. Covar. in regn. peccatum, 3. p. in initio n. 4. doctiſſ. Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. n. 12. cum ſeqq. et in præcepta decalogi, lib. 1. cap. 10. n. 9. Leſſius de juſt. lib. 2. cap. 10. dubit. 6. n. 40.

Reſpondet Oliv. n. 63. id tantum locum habere poſſe, quoties in ſpecie, de qua agitur, princeps ſæcularis poſſeſſionem haberet, quæ dari non poteſt in hac materia juris incorporalis, niſi ſciente et tolerante Romano Pontifice, l. *Quoties*, in 2. ff. de ſervit. l. 2. cod. *de ſervit. et aqua*, ubi DD. Covar. in reg. poſſeſſor. 2. p. in initio n. 8. ubi plures citat, et Numine citato Menoch. retin. remed. 3. n. 147. non ſufficit autem generalis poſſeſſio poteſtatis temporalis in principe ſæculari, quia eadem ratio poſſeſſionis eſt in Summo Pontifice circa ſpiritualia; magnumque abſurdum daretur, ſi unuſquiſque poſſit procedere ad defenſionem ſui dubii juris, etiam per viam facti, et naturalis defenſionis, et ſuper eadem re ab utraque parte juſtum bellum daretur, quod ferri non poteſt inter poteſtatem ſpiritualem, et temporalem: neceſſarium ergo eſt, ut in hoc dubio, et contentione, aliquis detur judex, qui quæſtionem dirimat, qui cum debeat eſſe ſuperior, nullus eſt, niſi Summus Pontifex,

ſeu

ſeu alii miniſtri ſpiritualis poteſtatis, de quo inferius in quæſtione particulari agitur.

XXXV. Advertit tandem præfatus Oliv. cit. q. 16. n. 64. quod quando violentia conſiſtit in uſurpata juriſdictione regia, bene concipitur forma conſueta *(lhe fazeis força, e violencia, e excedendo voſſa juriſdicçaô aos cazos, que vos naô pertencem, uzurpais a noſſa)*: at quoties violentia in uſurpatione juriſdictionis non conſiſtit, ſed in aliis materiis; minus bene judices regii prædicta forma utuntur; non enim dicere debent, *quod uſurpetur juriſdictio regia*, ubi materia aliena eſt à tali uſurpatione: non dico hoc gratis, nec ſine cauſa; ſed quia vidi aliquoties, non ſine dolore, prædictam formulam in decretis, et chartis dicti tribunalis inſertam in materiis, quæ juriſdictionem regiam non tangebant; debet ergo variari formula ſecundum variationem materiarum. Hæc Oliv. de quo etiam infr.

Nota hic, quod, ſicut id. Oliv. cit. loc. q. 16. n. 64. redarguit conſuetam formalitatem rogativarum, quando non recurritur formaliter de *uſurpatione regiæ juriſdictionis*, ſed de aliis capitibus alienis, videlicet, de non ſervato jure naturali, vel de legitima appellatione rejecta, vel etiam de uſurpatione alterius judicis eccleſiaſtici, de quo ſupr. et infra; ita pariformiter debet variari formula, quando, v. gr. providetur laicus in materia eccleſiaſtica, in qua eſt ſubditus eccleſiæ, v. gr. in declaratione cenſurarum à lege ob violatam immunitatem, vel ob publicam clerici percuſſionem; non enim recte dicitur in hoc procedimento judicem eccleſiaſticum uſurpâſſe regiam juriſdictionem, procedendo adverſus laicos, qui ſubditi regiæ juriſdictionis incedunt, ut paſſim cum errore notorio vidimus in rogativis irrepere.

In quo tamen procedimento inflictionis, vel declarationis cenſurarum, etiam adverſus laicos, non datur regiæ juriſdictionis uſurpatio, nec *formaliter*, nec *ſubjective*. Non *formaliter*, quia rex, utpote princeps ſæcularis, non habet juriſdictionem ſpiritualem, qualis eſt juriſdictio fulminandi cenſuras, atque in eas declarandi, de quo Per. cit. c. 7.

Non *ſubjective*, quia laici, ſemel quod baptizati ſint, ſunt immediate ſubditi juriſdictioni eccleſiæ in rebus ſpiritualibus, ſicut æque immediate ſubditi in temporalibus juriſdictioni regiæ, præſertim in materiis cenſurarum à lege, et ſignanter in cenſura can. *Siquis ſuadente*, 17. q. 4. de qua Monacell. p. 3. form. 2. tt. 1. n. 1. ſic ait: *Perſonæ, quæ ſubjiciuntur can. Siquis, ſunt viri, et mulieres, etiam impuberes, et inferiores, clerici, laici, et religioſi, habentes dignitatem, et non habentes, epiſcopi, et cardinales, dummodo ſint baptizati, et habeant uſum rationis, et peccare mortaliter poſſint.* Barb. in d. c. *Siquis.* Donat. in prax. tom. 4. tr. 5. q. 12. n. 12.

Neque obeſt Coſt. de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 8. n. 61. Quia caſus ibidem figuratus eſt de re mere profana, videlicet, locatione domus inter laicos, cujus cognitio ad judicem laicum competenter pertinebat; et in intromiſſione judicis eccleſiaſtici, nempe conſervatoris apoſtolici; dabatur utique regiæ juriſdictionis uſurpatio; ex quo tamen caſu nequit fieri extenſio ad alios heterogeneos; nam *diverſorum, diverſum eſt judicium*, etiam *ſi diverſitas ſit in ſola ratione*, l. *Inter ſtipul.* ff. de verb. ſignif. Menoch. conſ. 106. n. 304. Gratian. for. tom. 5. c. 859. n. 20. *Mutentur ergo formulæ*, ut ait Oliv. ſupr. cit. q. 16. n. 64.

CAP. XXXIII.

De Licitudine Recurſus ab Eccleſiaſticis interponendo ex notoria regiæ Juriſdictionis Uſurpatione, vel ex Titulo notoriæ Violentiæ in aliis Materiis.

SUMMARIUM.

I. *Præmittitur regiæ legis diſpoſitio.*
II. *Difficilius admittitur recurſus per perſonas eccleſiaſticas intentatus, quam per laicas.*
III. *Poteſt epiſcopus clericis probibere, ne prorogent ſæcularem juriſdictionem.*
IV. *Clerici pro uſurpatione ſuper bonis feudalibus, aut juribus regalibus, licite recurrunt ad judicem regium, debito moderamine ſervato.*
V. *Lex regia ſupponit clericos quandoque, quoad hoc, non ſupplicare.*
VI. *Etiam in aliis materiis, præmiſſa legitima appellatione, et debito moderamine ſervato, poſſunt clerici, ex titulo notoriæ violentiæ, licite recurrere.*
VII. *Clerici in favorabilibus veniunt nomine vaſallorum.*
VIII. *Etiam illis ex jure naturali competit vim vi repellere.*
IX. *Explicatur reſtrictio ordin.* Dummodo aggravans laicus ſit.
X. *Tranſcribitur Ubertus contra Afflict. et contra clericos recurrentes ad ſæcularia tribunalia.*

I. DECLARAT lex regia, l. 1. tt. 12. § 5. *Judicem regium competentem eſſe ad cognoſcendum de uſurpatione cujuſlibet juris, aut juriſdictionis regiæ, et pariformiter ad cognoſcendum de gravamine à judicibus eccleſiaſticis interpoſito, dummodo aggravans laicus ſit, aut cauſa talis qualitatis, aut naturæ, ut ad juſtitias ſæculares ejus cognitio ſpectet, etiamſi partes perſonæ eccleſiaſticæ exiſtant*, &c. et § 3. ibid. ampliat: *Etiamſi partes contra formam ipſarum ordinationum vexatæ non ſupplicent, vel ſupplicare non poſſint.* Eodem autem lib. tt. 9. § 12. ſtatuit, *Judices regios non debere cognoſcere de gravamine à partibus adverſus judices eccleſiaſticos intentato, in caſibus ad eorum cognitionem pertinentibus, niſi quando à notoria oppreſſione, aut violentia, vel à non ſervato jure naturali aggraventur*, &c.

Ubi notabis, 1. Reſtrictionem, tt. 12. expreſſam, *dummodo aggravans ſit laicus*, non exprimi tt. 9. ſed abſolute loquitur *de partibus aggravantibus:* et cum titulus hic 9. ſit de regio judice, penes quem regia juriſdictio reſidet; titulus autem 12. ſit de regio ipſius juriſdictionis procuratore, qui ex officio eandem juriſdictionem defendere, atque promovere tenetur; videtur utrobique regiæ legis diſpoſitio cum eadem reſtrictione, quantum eſt ex vi illius, pariformiter accipienda.

Notabis, 2. Ex diſpoſitione illa regiæ legis cit. tt. 12. § 3. optime quidem conjici, eam ſane præſupponere, perſonas eccleſiaſticas poſſe equidem ſupplicare, aut recurrere ad regium judicem pro uſurpatione regiæ juriſdictionis, aut jurium regalium. Quare de licitudine iſtius recurſus, quoad eccleſiaſticos, tum ex hoc titulo, tum ex aliis notoriæ violentiæ, aut non ſervati juris naturalis, ſpeciatim hic agere refert.

II. *Dico igitur*, 1. Difficilius admittitur recurſus per perſonas eccleſiaſticas ab eccleſiaſticis judicibus ad ſæcularem regium intentatus, quam per perſonas pure laicas interpoſitus. Prob. 1. Ex illa expreſſa reſtrictione cit. tt. 12. § 5. *Dummodo aggravans laicus exiſtat.* Ex qua à contrario ſenſu videtur inferri: ergo, ſi aggravans laicus non ſit, nequit juxta limitationem ordinationis gravamen interponere, neque judex regius *competenter* de illo cognoſcere; cujus tamen reſtrictionis verus ſenſus infr. n. 9. propalabitur.

III. Prob. 2. Quia epiſcopus poteſt prohibere clericis, ne juriſdictionem ſæcularem prorogent, ut etiam fatetur Per. de man. reg. c. 7. n. 20. ex c. *Significaſti*, de for. compet. et prohibitum inducitur à S. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de reform. et in c. *Inolita*, c. *Placuit*, 11. q. 1. et alibi. Confirmatur ex majori adſtrictione, qua clerici juriſdictioni eccleſiaſticæ tum ratione perſonarum, tum bonorum, in omnibus ſubduntur, de quo Antonell. de jur. et oner. clericor.

Prob. 3. Auctoritate Azor. inſt. moral. p. 1. l. 5. c. 12. Ubert. de citation. c. 4. et aliorum quamplurimorum DD. cum doctiſſimo Penna apud Sell. de inhibit. c. 8. § 3. à n. 108. ubi affertur deciſio Rot-

talis coram præfato Penna; qui quidem conſtanter negant hanc licitudinem clericis ex variis, et gravibus rationibus (quas etiam *non parum urgentes* appellat Seſſ. cit. n. 129.) quarum plures adducit Ubert. cit. infra tranſcribendus. Ex quorum auctoritate ſatis ſaltem evincitur, rem dubiam incedere, atque adeo in dubio pro juriſdictione eccleſiaſtica, et auctoritate eccleſiæ, decidendum, juxta ſæpius tradita, c. 12. 14. et ſeqq.

IV. *Dico*, 2. Clerici pro regiæ juriſdictionis notoria uſurpatione ſuper juribus regalibus, aut bonis feudalibus, licite poſſunt ad regium judicem recurrere, debito moderamine præmiſſo, de quo ſuperius, c. 13. n. 10. ſed modeſtius, ac decentius agent, ſi recurſum hunc regio procuratori intentandum omnino relinquant. Prob. 1. pars, 1. Ex ipſa cit. ordinationis regiæ, l. 1. tt. 12. § 3. præſuppoſitione, et ex concordia, qua ipſa fundatur. 2. Quia clericus notoriæ illi uſurpationi, debito illo moderamine præmiſſo, licite auctoritate privata reſiſtere poteſt: ergo, potiori et æquiori jure, auctoritate publica, et regia.

V. Prob. 2. pars: Quia lex regia non cogit clericos ab uſurpationibus illis recurrere ad judices laicos; imo etiam præſupponit, ac facile permittit, impune eos ab eiſdem non ſupplicare, nec recurrere poſſe, ex verbis ibid. d. § 3. *Poſto que as partes vexadas contra a forma das ditas ordenaçoens naõ requeiraõ*; id eſt, *Quamvis partes gravatæ contra prædictarum ordinationum formam non ſupplicent:* ergo decentius, ac modeſtius, ſecundum ordinationis hujuſce permiſſum, ac perſcriptum, regio procuratori ſupplicationem hanc, aut recurſum, penitus relinquent.

VI. *Dico*, 3. Etiam ex capite notoriæ, et manifeſtæ violentiæ in aliis materiis, præmiſſa legitima appellatione ad competentem ſuperiorem eccleſiaſticum, et debito inculpatæ tutelæ moderamine obſervato, licite poſſunt clerici ad regia tribunalia recurrere in ſubſidium à judicibus eccleſiaſticis, legitima appellatione non obſtante, ad ulteriora procedentibus, ſecundum ſtabilita c. 25. et 28.

VII. Prob. 1. Reſolutio (quæ eſt Peg. ad cit. ordin. Per. cit. c. 7. Seſſ. cit. et aliorum) eo quod clerici in favorabilibus veniant appellatione *vaſallorum* ratione originis, ac domicilii, ut tenent Valaſc. Per. et alii apud Peg. cit. gl. 15. n. 9. quamvis rigoroſe, et ſtricte vaſalli non ſint, ut defendunt Oliv. &c.

VIII. Prob. 2. Omnibus fundamentis ſuperius expenſis, ſignanter, quia clericis etiam ex jure naturali licet vim vi repellere, etiam adverſus judicem eccleſiaſticum notorie violentum, et eidem auctoritate privata, ut privato, reſiſtere, atque urbanius, ac decentius, auctoritate publica regis, aut principis, &c.

IX. Neque obeſt limitatio, aut reſtrictio illa cit. regiæ ordin. l. 1. tt. 12. § 3. *Dummodo aggravans ſit laicus*. Reſpondetur enim, ordinationem in reſtrictione, aut limitatione illa non loqui relative ad licitudinem recurſus à partibus interponendi, ſed relative ad competentiam juriſdictionis judicis regii, de quo aſſerit, *Competentem quidem eſſe ad cognoſcendum, an juriſdictio ſua ſit; et ſimiliter ad cognoſcendum de gravamine à judicibus eccleſiaſticis intentato, dummodo aggravans laicus ſit:* nam cum laicus ſubditus ſit juriſdictioni laicæ, habet judex regius in illum fundatam intentionem ſuam; eſtque competens, reſpectu illius, ſive recurrat, ſive alio modo, aut medio ſupplicet.

Quam quidem intentionem, et competentiam fundatam non habet in perſonam eccleſiaſticam recurrentem, niſi per accidens, in caſu ſcilicet manifeſtæ, et notoriæ oppreſſionis, et violentiæ; et tunc non niſi in ſubſidium, et remediis ordinariis appellationis legitimæ exhauſtis, juxta dicta c. 25. et hæc eſt ratio diſparitatis, cur in tt. 9. non intromittitur, aut exprimitur reſtrictio illa, *dummodo aggravans ſit laicus*; quia hic in obſequium juriſdictionis eccleſiaſticæ interdicitur judicibus regiis admittere gravamen, vel recurſum à judicibus eccleſiaſticis de caſibus eorum juriſdictioni competentibus, excepto notoriæ oppreſſionis, ac violentiæ caſu. Utramque ordinationem confer, et ex collatione verus utriuſque ſenſus apparebit.

Aſt, cum rationes adverſus recurſum à partibus eccleſiaſticis intentandum ponderoſæ quidem ſunt, et *non parum urgentes*, ut fatetur Seſſ. cit. c. 8. § 3. n. 129. hic adnotare, et tranſcribere licebit partem doctrinæ Ubert. de citation. ſuper hac re, c. 4. per tot. ubi ſpeciatim impugnans Matthæum de Afflict. ſic proſequitur à n. 24.

X. *Affict. dec.* 24. *plura dicit; et primo, Quod quando rex, ſeu judex, vult procedere per modum ordinariæ juriſdictionis, et cum cauſæ cognitione contra clericum, non poteſt; quia diviſum imperium cum Jove Cæſar habet, n.* 6. *Sed quando vult procedere ad præſtandum extrajudicialem defenſionem clerico notorie ſpoliato, et oppreſſo per alium clericum per facti notorium, et evidentiam rei, et per modum extraordinariæ cognitionis, poteſt, ut per eum, n.* 2. *et* 4.

Sed iſtud ultimum dictum non video, quomodo poſſit verificari; nam ſive judex procedat judicialiter, ſive extrajudicialiter, ſemper procedit per modum juriſdictionis, quæ vel eſt voluntaria, vel contentioſa, l. 2. *ff. de offic. proconſul. et leg.*

Juriſdictio voluntaria eſt, quæ non redditur in invitum, ſed expeditur de partium voluntate, abſque eo quod judex ſedeat pro tribunali. Exemplum eſt in adoptione, emancipatione, manumiſſione, legitimatione, confirmatione electionis, et ſimilibus; quando ſcilicet partium contradictio non intervenit, Calder. conſ. 48. *alias* 2. *de elect. Contentioſa autem juriſdictio eſt, quæ redditur in invitum, et judicialiter expeditur, contradicentibus actore et reo, et judice pro tribunali ſedente, l. Inter ſtipulantem,* 83. *ff. de verbor. oblig. prout ita diſtinguit, et declarat gloſſ. notabilis in d. l.* 2. *ff. de off. proconſ. et leg. Quando igitur judex ſæcularis inhibet eccleſiaſtico, et illum cogit ad exhibendum informationes, non poteſt dici, quod procedat extrajudicialiter; quia partes non conſentiunt; ſed judicialiter, quia inhibet judici, et parti invitæ. Et hic noto æquivocationem in terminis, quia præſupponit, quod judex extrajudicialiter procedens, non procedat per modum juriſdictionis; quando quidem extrajudicialiter proceditur ab actibus voluntariæ juriſdictionis.*

Alteram æquivocationem noto, dum dicit, judicem procedere per modum extraordinariæ cognitionis: nam etiam extraordinaria cognitio non fit, niſi per modum juriſdictionis; tunc ſcilicet, quando coram judice agitur de muneribus, ſive honoribus gerendis; aut de pecuniaria re diſceptatur, aut de æſtimatione alicujus, id eſt, fama, vel opinione cognoſcitur; aut de capitali crimine quæritur: ut eſt tex. in leg. penult. ff. de variis, et extraord. cognit.

Secundo, Dicit idem Affict. quod eccleſiaſticum ad ſe recurrentem, et oppreſſum à judice eccleſiaſtico, teneturi rex defendere ex officio charitatis, quod verſatur in repellenda injuria, et oppreſſione; et qui negat oppreſſis favorem debitum, quodammodo Chriſtum negare videtur, cap. Omnis, 7. *quæſt.* 1. *ut per eum, n.* 5.

Sed neque hoc dictum mihi videtur poſſe applicari; quia is, qui jure publico utitur, non videtur injuriæ faciendæ cauſa hoc facere; juris enim executio non habet injuriam, tex. eſt in l. Injuriarum in princip. ff. de injuriis; et quod vim vi repellere licet de jure naturæ, procedit in vi à privato illata; non autem ſi à judice illata ſit, gloſſ. in l. Ut vim, ff. de juſt. et jur. ibi not. DD. Non licere de facto reſiſtere judici; et dicit Apoſt. ad Rom. cap. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Et adverſus judicis injuſtitiam data ſunt à jure diverſa remedia, alia ordinaria appellationis, nullitatis, ad ſuum ſuperiorem, alia extraordinaria, utputa reſtitutionis, et recurſus. Sed remedium ordinarium facit ceſſare extraordinarium, l. In cauſæ cognitione, l.* 2. *ff. de minoribus; ibi: Nam ſi communi auxilio, et mero jure, munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.*

Ergo judex ſæcularis ad inſtantiam recurrentis inhibens eccleſiaſtico non repellit injuriam, vel oppreſſionem, quæ à judice non poteſt cenſeri illata, ſed injuriam potius confovet, quam recurrens infert alteri parti, et judici d. l. Iujuriarum, § 1. *ff. de injuriis; ibi: Siquis per injuriam ad tribunal alicujus me interpellaverit mei vexandi cauſa, potero injuriarum experiri.*

Et pro hoc retorqueo tex. quem, ut ſupra, Affictus alleg. in d. cap. Omnis, 7. *qu.* 1. *nam ibi dicitur, Quod qui perſequuntur epiſcopos Domini, eoſque de civitatibus ad civitates tranſire compellunt, non eos tantum perſequantur, quantum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,*

Christum, cujus legatione funguntur: nec ipsi episcopi in hoc peccant: quoniam non sponte, sed coacte, hoc agunt; sed illi, qui eos persequuntur: nec ipsis episcopis hoc imputari potest, sed illis, qui eos hoc agere cogunt. Ergo judices regii, qui recurrentium, et inobedientium, et excommunicatorum temeritatem contra prædicta conciliorum decreta, et Pontificum constitutiones, confovent, qui ecclesiasticos judices, et episcopos Domini persequuntur, qui illis inhibent, qui illos cogunt, ut à cognitione se abstineant, recipiant appellationes, spoliatos restituant, retractent sua decreta, non eos tantum persequuntur, sed Christum, quia ejus legatione funguntur. Et ipsi ecclesiastici, licet obediant, habeant se pro inhibitis, et pronuntiata revocent; ipsi non peccant, sed illi, qui eos cogunt.

Tertio, Dicit idem Afflict. d. dec. 24. sub n. 4. Quod rex ex suo debito, et ex forma juramenti per eum præstiti in sua coronatione, debet defendere ecclesiasticas personas.

Sed neque hoc dictum puto posse applicari ad casum; nam beneficium non confertur in invitum, l. Hoc jure, § Non potest, ff. de denot. Et cura de personis et rebus ecclesiasticis commissa est episcopis, archiepiscopis, et Summo Pontifici, qui petunt hanc defensionem; imo damnant hujusmodi recursus, et recurrentes excommunicant, juxta præmissa. Sic officium judicis non impertitur, nisi in subsidium, et locum deficientiæ actionis, l. 4. § Hoc autem judicium, ff. de damn. infect. Bart. in l. 1. ff. de jurisd. omn. jud. n. 1.

Et statutum est, quod laici non præsumant tractare ecclesiastica negotia, sed episcopi, abbates, archiepiscopi, et alii ecclesiarum prælati, de negotiis ecclesiasticis, maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio non disputant, nec propter eorum probationes ecclesiasticam dimittant justitiam exercere, cap. Decernimus de judic. Itaque damnare, et repellere debent magistratus regii hosce recurrentes, ne alias, tanquam non contenti sua jurisdictione, contra tex. in auct. quomodo oport. episc. in princ. et in l. Quicunque, cod. de execut. et exactor. lib. 12. viderentur turbare potius rerum officia, contra tex. in l. Consulta, c. de test. ac perniciose potius recurrentes inde censuris illaqueatos perdere, quam injustis, et fucatis eorum provisionibus defendere.

Quarto, Dixit, quod rex auctoritate juris tenetur ecclesiasticos ad se recurrentes protegere, et defendere adversus eorum judices; et allegat tex. in cap. Petimus, 11. q. 1. et in c. Quidam monachi, 16. q. 1. ut per eum, sub dicto n. 4.

Sed istos textus retorqueo; nam in dicto cap. Petimus, legitur, quod Concilio Carthaginensi episcopi petebant, dari sibi auctoritatem, ut, necessitate cogente, illis liberum esset rectorem provinciæ adire adversus illum, qui plebem, quam invaserat, commonitus relinquere contemneret; et patres dixerunt, Justum est, et placet. Ergo, si datur facultas, ut liberum sit episcopis adire rectorem provinciæ in casu necessitatis, non sequitur, quod sit data libera auctoritas rectori, ut irrequisitus ab episcopis, et contra eosdem, ad solam privatorum ecclesiasticorum petitionem se ingerat; illisque inhibeat, et jurisdictionem ecclesiasticam perturbet.

Similiter, d. cap. Quidam monachi, statuit Concilium Chalcedonense, quod monachi, sine licentia episcopi vagantes, prima per monitionem episcopi, deinde per defensorem civitatis, inviti dejiciantur, et compellantur, ut ad sua loca redeant. Et ita non datur auctoritas defensori, ut tueatur recurrentes ad se; sed datur facultas episcopis requirendi defensores, ut monachos vagantes, et recurrentes ad eorum civitates, dejiciant, et compellant redire ad sua monasteria, &c.

Hæc Gratios. Ubert. qui ibidem prosequitur alias rationes Afflict. impugnando, necnon fundamenta alia Cacheran. Menoch. et Covarr. Ipsum adi, et per otium audi.

DISTINCTIO V.

De Recursu à Judicibus delegatis, et à Prælatis regularibus, ad sæculare Tribunal.

CAP. XXXIV.

De Licitudine Recursus à delegato Judice improprie, vel proprie tali, videlicet, à Conservatore, et aliis.

SUMMARIUM.

I. *Conservator regularium improprie est judex etiam delegatus.*
II. *Facilius admittitur recursus à conservatore, quam à judice ordinario.*
III. *Conservatores frequenter excedunt limites suos, qui nimis restricti sunt.*
IV. *Sunt plerumque imperiti.*
V. *Regia lex jubet favere jurisdictioni ordinariorum, non vero delegatorum.*
VI. *Patet recursus à conservatore in pluribus casibus, quam ab ordinario.*
VII. *Primus, Si conservator procedat, non exhibitis literis delegationis suæ.*
VIII. *Ex illa, non ex officio, habet conservator jurisdictionem.*
IX. *Debet literas exhibere, et subjicitur actioni ad exhibendum.*
X. *Citatus à delegato non tenetur comparere, non ostensis literis delegationis.*
XI. *Secundus casus, Si conservator ante suæ delegationis exhibitionem aliquem jurisdictionis actum exerceat.*
XII. *Tertius, Si etiam post exhibitionem vices suas alteri committat, absque speciali privilegio, vel personæ non expressæ in jure.*
XIII. XIV. *Quartus, Si procedat etiam in causis passivis, absque summaria informatione per testes de qualitate violentiæ, et sine pronuntiatione super eadem.*
XV. *Etiam in facto notorio debet examinare testes super notorietate.*
XVI. *Si inhibitus ab ordinario procedat, vel negligat arbitrum eligere.*
XVII. *Idem erit, si conservator inhibeat ordinario.*
XVIII. *Sextus, Si exequi faciat citationem contra curiam ordinarii cum comminatione censurarum.*
XIX. *Septimus, Si lædat, aut usurpet in aliquo jurisdictionem ordinarii.*
XX. *Si, rejecta exceptione incompetentiæ, vel non parens inhibitioni, aut monitioni ordinarii, ulterius procedat.*
XXI. *Ordinarius habet jurisdictionem certam super conservatorem.*
XXII. *Cur Sedes Apostolica non dat conservatores episcopis, sicut regularibus.*

XXIII. *Cur admittatur recurſus à conſervatore uſurpante juriſdictionem ordinarii, et non ab hoc ex uſurpatione juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici.*
XXIV. *Conſervator neque in re judex eſt, neque juriſdictionem habet ex officio.*
XXV. *Juriſdictio conſervatoria regularium reſidet penes ordinarios, ratione officii.*
XXVI. *Si erigat tribunal, aut creet notarium, patet recurſus.*
XXVII. *Si ſe ingerat in cauſas activas, vel quæ altam indagationem requirunt, vel non ſunt notoriæ violentiæ, vel cognoſcat de injuriis illatis familiaribus regularium.*
XXVIII. *Conſervatoriæ ſunt odioſæ, et reſtringendæ.*
XXIX. *Si cognoſcat de renovatione emphyteuſi, et procedat extra caſum ſpolii.*
XXX. *Si procedat contra officiales exigentes mulctas, vulgo* coimas.
XXXI. *In Indiis Occiduis non admittitur recurſus à regularibus ad conſervatores adverſus epiſcopos.*
XXXII. XXXIII. *Non ab omnibus delegatis proprie talibus admittitur recurſus.*
XXXIV. *A miniſtris S. Inquiſitionis non admittitur recurſus, et quare.*
XXXV. *Neque ab ordinariis, quando majus inconveniens ex eo ſequitur.*
XXXVI. *Cauſæ fidei, et bonorum morum, ſunt præ reliquis privilegiatæ.*
XXXVII. *A collectoribus, et aliis delegatis, patet recurſus ex eiſdem capitibus atque à judicibus ordinariis.*
XXXVIII. *Obſervanda pro recurſu à regularibus ad nuntios.*

I. JUDEX delegatus improprie eſt conſervator regularium, qui, quamvis proprie ſit *delegatus*, improprie tamen dicitur *judex*, cum potius ſit *vir potens*, aut auxiliator, ſive executor extradelegatus *pro manifeſtis injuriis, ac notoriis violentiis præciſe tollendis*, ut deſcripſimus prælud. 1. et c. 3. ex Cirino nex. utr. jur. c. 6. n. 22. Judex autem delegatus, proprie talis, eſt quilibet alius delegatus vel ad univerſitatem cauſarum, ut domini nuntii, ſive collectores; vel ad cauſam aliquam, aut executionem particularem, ut judices in privatis reſcriptis deputati; et quilibet alius, qui ex commiſſione alterius cognoſcit, aut procedit. De quo v. Mend. in prax. l. 2. c. 3. qui n. 23. ita deſcribit: *Conſervator eſt judex extradelegatus, et executor, qui ex ſacra juſſione, et forma, eſt datus, qui propriam juriſdictionem non exercet, ſed ſibi commiſſam ab habente poteſtatem; ideoque extraordinarius dicitur, et conſervator, qui debet conſervare jura partium, et privilegia perſonarum, quibus datus eſt.*

II. *Aſſero igitur*, 1. Facilius permittitur, atque admittitur recurſus ad tribunalia ſæcularia à delegato conſervatore, quam ab ordinario judice eccleſiaſtico. Ita DD. infr. cit. ſignanter Peg. tom. 3. ad ord. l. 1. tt. 9. et l. 2. tt. 8.

III. Prob. facile, 1. Quia cum juriſdictio aut poteſtas conſervatorum ſit nimis reſtricta, ad cauſas ſcilicet paſſivas dumtaxat, et pro injuriis atque violentiis tantum notoriis reparandis, frequenter facultates ſuas ſolent excedere, et extra præfixos cancellos tranſilire, ut notatur in c. fin. de deleg. in 6. ibi: Limites ſibi traditæ poteſtatis, quos frequenter excedunt; et obſervant DD. ad illud, et in ſpecie Cirin. ac Monacell. infr. citati, et conſtat etiam ex bull. Gregor. XV.

IV. Deinde conſervatores regularium plerumque ſunt imperiti, ut obſervat Fagn. in c. *Si clericus*, n. 59. de for. compet. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 7. et Cirin. nex. utr. juriſd. c. 6. à n. 30. et ſeqq. et nos ſupr. c. 3. n. 10. et colligitur ex cit. bull. Gregor. XV. *Sanctiſſimus*. Quare facilius præ ordinariis nedum injuſtitias, verum et violentias, notorie incutiunt.

V. Prob. 2. Ex ipſiſmet regiis legibus, quæ ordin. l. 2. tt. 8. in princip. expreſſe jubent favere, et auxiliari ordinariæ juriſdictioni prælatorum, et judicum ordinariorum, non ſic vero delegatorum apoſtolicorum; imo § 6. ordinantes, ſuſtinendas, et auxiliandas eſſe cenſuras à prælatis, et capitulis, et reliquis judicibus ordinariis fulminatas, expreſſe excipiunt à judicibus apoſtolicis inflictas; ibi: *Naõ ſendo porem juizes apoſtolicos*. Idem favor proſequitur, ac proteſtatur in eadem ord. reg. eod. lib. tt. 5. in princip. et tt. 11. et tt. 18. &c. ergo ex majori hoc favore regiæ juriſdictionis erga protectionem ordinariæ juriſdictionis præ cujuſlibet delegatæ, colligitur etiam et major facilitas protegendi recurrentes à juriſdictione delegata reſtrictiſſima conſervatorum, quam ordinariorum judicum.

VI. *Aſſero*, 2. Non ſolum in iis caſibus, et ex eiſdem capitibus, videlicet *notoriæ violentiæ, non ſervati juris naturalis, et regiæ juriſdionis uſurpatio*, in quibus patet recurſus à judicibus ordinariis eccleſiaſticis ad ſæculare tribunal, patet etiam à conſervatoribus; verum et in aliis quamplurimis inferius ſpeciatim deſignandis, in quibus à judicibus ordinariis nequit intentari recurſus. Eſt communis DD. omnium infra citandorum: quod tamen intellige, ſi conſervator etiam ultra terminos notoriæ injuſtitiæ procedat, et intra terminos notoriæ violentiæ, ſecundum tradita c. 12. 14. et ſeqq.

VII. Primus igitur caſus eſt, ſi conſervator (idem eſt de quolibet alio delegato) contra aliquem procedat, non oſtenſis, aut non exhibitis delegationis ſuæ literis, præſertim, ſi ad id requiratur, vim facit, et patet recurſus ad regem. Ita Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 50. Per. de man. reg. c. 7. n. 8.

Prob. 1. Quia tali conſervatori, aut delegato, taliter procedenti, nedum quis parere non tenetur, ſed et impune ei, ut privato, reſiſtere poteſt, ut conſtat ex l. *Prohibitum*, cod. de jur. fiſc. ub. Bart. et alii DD. et ex c. *Cum in jure*, de offic. deleg. ergo, ſi impune auctoritate propria ei reſiſtere poteſt, urbanius, ac decentius, auctoritate regia.

VIII. Prob. 2. Quia conſervator non eſt judex, neque juriſdictionem habet ex officio, ſicut ordinarius, ſed ex commiſſione alterius, utpote delegatus: ergo ad ſuam intentionem fundandam debet prius edocere, atque certiorari de commiſſione ſibi facta: quodſi id non faciens, ſaltem requiſitus, contra aliquem procedat, vim faciet.

IX. Prob. 3. ex bull. *Sanctiſſimus*, Greg. XV. § 7. ubi jubetur, literas electionis conſervatoris *penes acta curiæ ordinariorum exhibere, et demittere*. Ubi illud *exhibere*, deſignat ſubjectionem ipſarum literarum impedimentis, atque objectionibus partium intereſſe habentium opponendis, juxta ſtabilita c. 4. n. 5. Unde, poſita competentia actionis ad exhibendum cuilibet ex illis partibus intereſſentibus, ſi conſervator renuat exhibere, vel, quamvis exhibeat, procedere attentet impedimentis pendentibus, et antequam ſuper illorum objectione, prout de jure, pronuntietur, violentiam committet. Vide dicta cit. c. 3. et 4.

X. Hinc eſt (infert ulterius Oliv. cit. q. 16. n. 51.) quod citatus à delegato non tenetur comparere, niſi literis ſuæ delegationis oſtenſis, ut eſt communis opinio ſecundum additionem ad Felin. in dicto cap. *Cum in jure*: eandem dicit communem, et ſequitur Andr. Gail. lib. 7. pract. obſer. cap. 48. n. 1. cum ſequentibus; nec tanquam delegatus eſt tractandus, nec recipiendus, priuſquam delegationem oſtendat, Maſcard. de probat. concluſione 492. n. 6. et ideo ſolent practici delegati ſuæ commiſſionis literas in citationis mandato inſerere, ut aſſerit Gail. et additio ad Felin. ubi proxime; licet Felin. in dict. cap. *Cum in jure*, et aliis, minus bene dicatur citatum comparere debere, et petere, ut literæ delegationis oſtendantur; quod clara ratione procedit; nam nullus præſumitur juriſdictionem habere delegatum, niſi probetur; nec ei creditur, ut probatur in dicto cap. *Cum in jure*, et in l. 1. cod. Mand. princip. Ubi omnes, et docet communis, ut per Menoch. et ab eo ubi proxime citatos; ſequitur Caſtr. dict. cap. 7. n. 3. ac per conſequens, dum ſe judicem non oſtendit, privatus reputatur, impuneque eo non paretur; adeo ut ejus mandata nullum habeant robur, ut prædicta communis docet, excommunicatioque interim (dum non oſtenduntur literæ) lata non teneat, Abb. et Felin. n. 3. in d. cap. *Cum in jure*, Rotta, deciſ. 15. de dolo, et. contum. Maſcard. de probat. concl. 492. n. 7. Marth. de juriſd. 2. part. cap. 35. n. 1. alios citat, et ſequitur, Caſtr. d. cap. 7. n. 3. verſic. *Unde ſolum*.

XI.

XI. Secundus casus est, Si conservator, antè suæ deputationis literarum exhibitionem penes curiam ordinarii, jurisdictionem aliquam, vel jurisdictionis suæ aliquem actum exerceat adversus quemlibet, violentiam incutit, et patet aditus ad recursum. Ita DD. omnes admittentes licitudinem recursus adversus judicem ecclesiasticum nulliter notorie procedentem, de quo supr. c. 13.

XII. Prob. Quia tunc conservator, nedum notorie suas facultates excederet, verum et notorie nulliter procederet, cum notoria violentia; quæ consisteret in reali, ac præjudiciali procedimento externo *vi*, seu *majori impetu irrepellibili*, illato: ergo. Prob. antecedens: Quia *jurisdictio cujusvis delegati pendet ex præsentatione rescripti.* Bald. in l. 1. cod. ut liter. Gratian. for. tom. 1. c. 170. n. 20. cum multis Fraff. de reg. patron. p. 2. c. 79. n. 31. et alii superius cit. c. 4. n. 24.

Confirmatur specialiter ex bulla noviſſima, *In supremo*, Bened. XIII. in appendic. ad novum concil. Lateran. § 26. innovando constitutiones Innoc. IV. Alex. IV. Bonif. VIII. Gregor. XV. et aliorum Romanorum Pontificum, et insuper addendo, ut *iidem judices conservatores, et mandatorum suorum executores, exhibere debeant episcopis, aliisque locorum ordinariis, literas suæ deputationis, quarum vigore procedere intendant.* Ergo ante omne etiam processum intentum, debet illa exequi exhibitio.

XIII. Tertius casus est, Si conservator, etiam post literarum exhibitionem, absque speciali privilegio apostolico (de quo constitutio Gregoriana, § 2. *Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati*) vices suas alteri committat, et subrogatus in vim commissionis illius adversus aliquem procedat, vel ipsemet conservator principalis, ut ejus subrogato pareant; tunc enim uterque, et notoriam injustitiam, et notoriam violentiam recursabilem incutiet, ex notoria nullitate commissionis illius. Monacell. 1. p. in append. n. 3. et reliqui DD. superius cit. c. 4. n. 15. quibus addo nunc Antonel. de regim. l. 7. c. 2. n. 14. Prob. ex tex. in c. fin. de offic. deleg. in 6. ibi: *Vices quoque suas, citationibus, et sententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere, nulli committere possint, nisi hoc eis competerit ex beneficio literarum; sed nec tunc, nisi intra civitates, seu diœceses, in quibus deputati fuerint, et personis, quæ superius sunt expressæ; hoc est, vel episcopis, aut eorum superioribus, aut abbatibus, seu dignitatibus, vel personatum cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis obtinentibus.*

XIV. Quartus casus est, Si conservator, etiam legitime electus, et in forma communi constitutus, procedat, etiam in causis passivis notoriarum injuriarum, quin prius summarie, per testes à seipso recipiendos, sibi constet de qualitate, ejus jurisdictionem fundante, nempe de *notorietate violentiæ*, et super ea pronuntiet, eo modo, quo in regio coronæ judicio cognoscitur, et pronuntiatur extrajudicialiter super notorietate violentiæ à judicibus ecclesiasticis illatæ. Ita Mend. à Castr. affirmans, hanc esse praxim, l. 2. c. 3. § 2. n. 26. cujus verba transcribuntur supr. c. 4. n. 16. et Monacell. p. 1. in cit. append. n. 7. quibus accedunt Per. de man. reg. c. 7. n. 3. Valasc. Barb. et alii ibi laudati.

Prob. ex communi fundamento à DD. præcitatis, et ab Antonello de regim. l. 7. c. 2. n. 5. adducto; videlicet, Quia *ubicunque jurisdictio competit alicui respectu certæ qualitatis, debet ante omnia eidem de illa qualitate constare, Bart. communiter receptus in l. Multum interest, n. 2. et 5. ff. de condit. et demonstrat.*

XV. Imo dato, quod factum reipsa sit certum, et notorium, adhuc conservator debebit examinare testes super notorietate facti, et processum instruere ad animi sui informationem pro ulteriori procedimento, juxta doctrinam Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. n. 1. quam etiam solide statuit Donat. prax. regular. tr. 17. q. 8. n. 24. superius transcriptus, c. 4. n. 17.

XVI. Quintus casus est, Si conservator inhibitus fuerit ab ordinario, juxta formulam 52. adductam à Monacell. p. 3. tt. 1. ne procedat in causa, de cujus competentia controvertitur, aut dubitatur, et insimul commonitus, ut arbitrum suum eligat, secundum sanctionem S. Concil. Trid. sess. 14. de reform. c. 5. conservator autem arbitrum eligere noluerit, potest recurri ad regem (ait Mend. à Castr. cit. c. 3. n. 28.) tanquam ad protectorem Concil. Trid. ut ex cod. Concil. c. finali.

XVII. Idem erit; si conservator inhibeat ordinario quod facere non potest; quia in casu dubio, et controverso, conservator nullam habet præsumptionem boni juris, sicut habet ordinarius, qui jus, et potestatem habet legitimam cognoscendi de omnibus causis ex c. 1. et reliq. de offic. ordin. Ita Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 11. et nos supr. c. 4. et infr. alleg. 34. et seqq.

XVIII. Sextus casus est, Si conservator exequi faciat citationem cum comminatione censurarum contra curiam episcopi; per quam quidem, nedum notoriam injustitiam committit, et facultates suas notorie excedit, eo quod citationis executio sit actus jurisdictionis contentiosæ, et de judiciali processu, adeoque lædens jurisdictionem ordinarii, Fagn. in c. *Conquest.* n. 55. de feriis; verum et injuriam, et gravamen irreparabile infert, quod quidem reparari non potest, nisi per appellationem. Ita Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 5. cum Fagn. in c. *Super eo*, 2. n. 24. de appellat. et reliqui DD. supr. cit. c. 3. n. 6. et in hoc sensu intelligenda sunt dicta c. 4. n. 20. de gravamine injusto conservatoris, quod quidem plerumque, et violentum est ex rationibus, ibid. et infr. n. 23.

XIX. Septimus casus est, Si conservator in aliquo alio lædat, vel usurpet jurisdictionem ordinarii, in quo, juxta doctrinam cit. Monacell. 3. p. form. 48. n. 27. tt. 1. et form. 45. per tot. et aliorum laudatorum, infr. alleg. 34. et seqq. et 55. et 56. potest ordinarius conservatorem ob excessum punire, verum et illum *vim vi repellendo* extrajudicialiter excommunicare, ob notoriam turbationem, atque usurpationem, vel in juris censuras etiam extrajudicialiter declarare, sive denunciare, secundum doctrinam Card. Petr. tom. 1. in const. 1. Leon. IX. sect. 2. et aliorum infra signatorum, alleg. 34. et reliquis cit.

XX. Et ulterius partes præjudicatæ possunt ab eodem conservatore exceptionem incompetentiæ rejicientem, vel ordinarii inhibitioni, aut monitioni non parentem, et ad ulteriora procedentem, ad regem per viam recursus supplicare. Est communis præfatorum DD.

Prob. 1. Quia tunc conservator notorie excedit facultates suas ultra terminos notoriæ injustitiæ, et intra limites notoriæ violentiæ tum partibus ipsis, tum ordinario illarum illatæ.

Prob. 2. Quia conservatori illi taliter procedenti, potest et ordinarius, et partes incommodum patientes, ut privato, propria auctoritate resistere, et vim vi, cum debito moderamine inculpatæ tutelæ, repellere: ergo multo melius auctoritate publica regia.

XXI. Attamen, quamvis nedum partes damnum, vel interesse habentes, verum et ordinarius ipse à tali excessu, atque violenta læsione, atque usurpatione conservatoris supplicare possint ad regem per viam recursus; id, licet partibus licitum, ordinario tamen minus decens, atque minus decorosum reputabitur, cum certam habeat jurisdictionem ex officio in jure certo fundatam ad procedendum valide ac licite adversus conservatorem, illum puniendo ob excessum, vel illum extrajudicialiter excommunicando, vel excommunicatum declarando in censuras juris ob læsionem, atque usurpationem illam, proprii gladii defensione neglecta, recurrat ad alieni clypei fallibilem protectionem, huic propriam jurisdictionem, atque certam erga conservatorem superioritatem, imbecilli, atque veluti indecenti demissione submittens, et contingenti, atque fallibili eventui forsan exponens.

XXII. Et hæc videtur ratio esse, cur Sedes Apostolica prælatis regularibus facultatem præbens eligendi judices conservatores, qui eos à manifestis injuriis tueantur, hanc etiam facultatem non tribuerit prælatis ordinariis diœcesanis; quia de jure super hoc jam illis provisum erat, cum ex officio intra suum territorium cuilibet jurisdictionem dedit super omnes, etiam judices delegatos, in illorum territoriis delinquentes, ut tenent Donat. in prax. regular. p. 1. tr. 13. q. 6. ex c. 2. de offic. deleg. c. Solicitudin. de appellat. gl. in

c. *Ex literis*, de offic. deleg. DD. in c. *Cum conting.* de reſcript. ex adverſus quoſcunque eorum juriſdictionem turbantes, ac lædentes, ex can. 16. bullæ Cœn. ex Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. (ſeſſ. 25.) c. *Siquis preſbyt.* de rebus eccleſ. non alien. c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excommunic.

XXIII. Dices: Juxta doctrinam Per. de man. reg. quam amplexati ſumus c. 32. et 33. non admittitur recurſus à judice eccleſiaſtico ex uſurpatione juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici: ergo neque à judice delegato conſervatore ex uſurpatione juriſdictionis judicis ordinarii.

Reſpond. diſtinguendo antecedens: A judice eccleſiaſtico ordinario, concedo; à delegato conſervatore, nego antecedens, ut ſimul conſequentiam ex eo illatam. Ad quam diſparitatis ratio nota aſſignatur; quia judex ordinarius habet juriſdictionem amplam ex officio, et habet in jure fundatam intentionem ſuam adverſus quoſlibet, etiam exemptos, intra territorium ſuum exiſtentes, ut docent Donat. tom. 1. tr. 13. q. 6. Bordon. reſ. 7. q. 1. et reliqui DD. cit. alleg. 34. et ſeqq. Deinde regum intentio eſt, regiis legibus declarata, ut ordinariorum juriſdictionem adjuvent, atque tueantur, non ſic vero juriſdictionem delegatorum judicum, et multo minus delegati conſervatoris, ut conſtat ex cit. ord. lib. 2. § 6.

XXIV. Conſervator autem neque in re judex eſt, neque juriſdictionem habet ex officio, ſed ex commiſſione, et eam quidem reſtrictiſſimam, et præciſe pro injuria, aut violentia notoria reparanda; et neque territorium habet, neque intentionem ſuam, imo neque juriſdictionem fundatam, niſi dependenter à verificatione, ac comprobatione qualitatis, videlicet notorietatis injuriæ; quæ juriſdictio quidem, cum odioſa ſit, minime amplianda eſt, ſed omnino reſtringenda, et ideo à ſæcularibus principibus non tuetur, neque juvatur, aut protegitur, ſicut ordinariorum juriſdictio; et cum aliunde conſervatores, ex imperitia, *ſibi traditæ poteſtatis frequenter limites ſoleant excedere*, ut notatur in c. fin. de offic. deleg. in 6. hinc eſt, quod facile admittitur recurſus ab illis ex uſurpatione notoria ordinariorum juriſdictionis; non ſic vero ab ordinariis ex uſurpatione juriſdictionis alterius judicis eccleſiaſtici.

XXV. Addo, quod cum juriſdictio conſervatoria regularium pro manifeſtis injuriis reparandis reſideat penes ordinarios ipſos, ratione officii, coram quibus pro illis, et aliis, deficientibus, vel impeditis conſervatoribus, conveniendi ſunt ex declarationibus S. Congregationis in cauſa Angelopolitana, ſignanter declar. 6. apud Tondut. de prævent. p. 3. c. 3. et Monacell. p. 1. in append. et ex declarationibus ad bullam *Sanctiſſimus* Greg. XV. et ex ipſamet bulla Gregoriana; idcirco non facile conſiderari, aut inveniri poteſt realis uſurpatio, ſaltem materialiter, juriſdictionis conſervatoris à judice ordinario; neque ratione illius ad regem ſupplicare; ſed orta contentione, aut controverſia ſuper juriſdictionis competentia, ſervare debet uterque decretum Conciliare Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de reform.

XXVI. In præmiſſo caſu comprehenditur etiam alius affinis, ſi, videlicet conſervator erigat tribunal, aut erectum habeat, vel pro illo notarium creet; neutrum enim poteſt efficere ex expreſſa prohibitione S. Concil. Trid. cit. 5. et ex declaratione S. Congregationis *in una faventina*, ann. 1667. apud Pignatell. tom. 2. conſ. 35. n. 4. Cirin. c. 6. n. 36. Barb. de pot. ep. alleg. 106. n. 51. Deluc. et alii ſupr. cit. c. 4. n. 24. unde illa creatio, vel erectio, nedum notorie nulla, et exceſſiva foret, verum et notorie ordinariæ juriſdictionis uſurpativæ, atque adeo præfatis procedimentis obnoxia. Pro quo vide allegat. 34. et ſeqq. et reliquas ſupr. cit.

XXVII. Octavus caſus eſt, Si conſervator ſe ingerat in cauſas activas, vel quæ requirunt altiorem indaginem, vel quæ non reſpiciunt manifeſtas violentias, et injurias; ex cit. c. fin. de deleg. in 6. ub. DD. omnes; *Injurias, inquam, non large acceptas*, inquit Monacell. cit. form. 48. n. 26. *ſcilicet pro omni eo, quod non jure fit, et damnum cauſat regularibus; ſed ſtricte, proprie, et ſpecifice, pro injuriis, quæ fiunt violentia, aut contumelia, ſcilicet per vim aliquid auferendo, à poſſeſſione expellendo, ad aliquid faciendum, quod ſponte quis non erat facturus, compellendo, vel pacificam poſſeſſionem turbando, ut bene hæc advertit notabiliter Donat. loc. ſæpe cit. quæſt. 8. n. 5. et ſeqq. quæſt. 11. n. 6. quæſt. 16. n. 1. et quæſt. 26. n. 2.*

XXVIII. Et ratio eſt, quia conſervatoriæ ſunt odioſæ, atque adeo reſtringendæ, et minime ampliandæ; ita Monacell. cit. n. 26. qui etiam ibid. n. 18. ſic proſequitur: *Nec ullo modo extenditur* (conſervatoris facultas) *ad cognoſcendum de injuriis illatis eorum familiaribus et agentibus; quia antiqua nonnullorum regularium privilegia conſervatoriarum, quæ forte talem facultatem tribuebant, tum à Concilio Trid. tum à conſtitutione Gregorii, in hac parte abrogata fuerunt, ut ingenue fatetur, contra ſuos, Donat. prax. rer. regular. tom. 1. par. 2. tract. 17. de conſervat. quæſt. 14.*

XXIX. Hunc caſum plures alii affines conſequuntur, de quibus Peg. ad ordin. tom. 3. videlicet, *Si conſervator intendat cognoſcere* (ſubintellige, ſi exceptione incompetentiæ rejecta, vel ſpreta, cognoſcere incipiat, et ad ulteriora procedere, juxta tradita c. 29. n. 21.) *de renovatione emphyteuſi à monaſterio facienda, vel non facienda*, ibid. pag. 5. n. 12. et 13. ſi procedat in cauſis civilibus commendatorum, pag. 74. n. 151. quod intelligendum eſt, ſi procedat intra terminos, nedum notoriæ injuſtitiæ, verum et notoriæ violentiæ, juxta reſoluta c. 12. 14. 17. et ſeqq. *Si procedat extra caſum ſpolii, et injuriæ notoriæ*; ib. pag. 77. n. 158. et 202.

XXX. Pariformiter, ſi procedat contra officiales exigentes pœnas, vel mulctas, vulgo *coimas*; id. ibid. pag. 84. n. 184. *Si cognoſcat de cauſis conductionis domorum ſuper exactione penſionis, quia in non ſolutione non committitur vis*; ib. pag. 109. n. 244. ſi impediat exactionem tributorum, vel jugationum; ib. pag. 122. n. 267. pag. 123. n. 277. et 278. n. 499. 758. 763. 820. et 826. ſi cognoſcat de injuria facta ſervo privilegiati, pag. 144. n. 327. ubi tenet, in omnibus præfatis, et aliis conſimilibus caſibus, fuſe apud ipſum videndis, conſervatorem vim facere, et recurſum ab eo patere, et multipliciter ad hæc conformiter judicatum refert, et per extenſum ſententias tranſcribit. Reliquos autem caſus ex traditis c. 3. et 4. facile conjicies. Vide etiam inferius allegationes jam cit.

XXXI. Adnota hic, ex Fraſſ. de reg. patr. tom. 2, c. 80. n. 27. In Indiis non admitti recurſum ad conſervatorem à regularibus adverſus epiſcopos, vel archiepiſcopos, prætextu cujuſvis privilegii, et conceſſionis, ubi regium reſcriptum affert die 1. Junii, anni 1654. quod quidem infr. allegat. 45. tranſcribitur.

XXXII. *Aſſero*, 3. Non ab omnibus delegatis judicibus proprie talibus, admittitur recurſus ad regios judices. Eſt communis, et expreſſe eam tenent DD. infr. citandi.

Prob. Quia in primis non admittitur recurſus, etiam in regno Caſtellæ (ut teſtatur Oliv. q. 15. n. 48.) ad regia tribunalia contra miniſtros exactionis ſubſidii per diploma regium, et contra miniſtros S. Cruciatæ, ut per Cevall. in prolog. dict. n. 103. cum ſequentibus, et lib. 4. commun. quæſt. 1. n. 286. non admittitur etiam contra miniſtros bullæ Cruciatæ, ut per eund. Cevall. 4. p. quæſt. 897. n. 284. et de cognit. per viam viol. Roderic. dict. q. 17. n. 75. Seſſe in dicta epiſtola, n. 98. in dict. cap. 30. n. 44. de quo etiam facit mentionem Caſtr. de man. reg. par. 1. c. 8. n. 3.

XXXIII. *Sed ego* (proſequitur Oliv. ibid.) *in his duobus ultimis caſibus aliam rationem non invenio, niſi quia exactio ſubſidii, et bullæ Cruciatæ, redundat in bonum principis, quia pecunia reſultans in his, ad ejus diſtributionem pertinet in regni defenſionem, ſecundum apoſtolicas conceſſiones; hæc tamen ratio licet (quando violentia conſiſtit in uſurpata juriſdictione) ſufficiat; ſubditorum enim tangit præjudicium; nunquam tamen placere potuit, reſpectu violentiarum, quas miniſtri cruciatæ, et ſubſidii, committere poſſunt extra dictam uſurpationem: non video enim inconveniens publicum, quod recurſum prædictum impediat in defenſione naturali fundatum; neque rationem differentiæ inter miniſtros bullæ, et alios eccleſiaſticos; unde in hoc regno Luſitaniæ hæ duæ ultimæ exceptiones forte non recipientur, quia nec ratio convincit, nec legem eas approbantem habemus, ut aſſerit Caſtr. dict. n. 3. Imo, ſi*

ad regis officium pertinet violentias tollere, et de manu calumniantium vi oppreſſos liberare; non poteſt idem princeps hoc jus, ſeu manum regiam oppreſſis denegare, niſi data publica cauſa, quæ rationem recurſus prædicti vincat.

XXXIV. Deinde etiam à miniſtris S. Inquiſitionis non datur, neque admittitur recurſus, etiam in regnis Caſtellæ, ut tenet Oliv. cit. n. 47. cum Cevall. d. n. 203. Roderic. et Seſſe ubi proxime, poſt Symanch. de cathol. inſtit. tit. 36. n. 2. Salzed. ad Bernard. dict. cap. 102. verſic. et licet dictum remedium, citans etiam legem regiam, et decretum: quod etiam juſtificatur ex eo, quia miniſtri hujus graviſſimi tribunalis circumſpectiſſime procedere ſolent, et rariſſime in eis violentia active invenietur.

Quam quidem reſolutionem ampliat Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 22. etiamſi recuſati forent, et inſuper, etiamſi, non obſtantibus recuſationibus, ad ulteriora procedant; *Tum quia*, proſequitur Guerr. *cum ſint æquiſſimi, rectiſſimi, piiſſimi, religioſiſſimi, et peritiſſimi, ut diximus cap. 13. contra eos non præſumitur, quod partibus vim faciant, Oliva de foro eccleſiæ, 1. p. cap. 15. n. 47. in fine; tum quia recurſus non datur ad tribunalia regia contra eccleſiaſticos prætextu violentiæ, quoties majus inconveniens ex eo procederet; Oliva ſupr. n. 44. quia bonum publicum privato anteponendum eſt, ex l. Actione, 66. § Labeo, ff. Pro ſocio, l. ult. § Unico, cod. de caduceis tollendis, cum multis, Oliva, n. 45. et nos diximus de munere judicis orphanorum, tract. 1. lib. 4. cap. 6. Et nullum majus inconveniens reperiri poteſt, quam arcana utiliſſima S. Inquiſitionis in publicum prodere; et nullum bonum majus publicum excogitari poteſt, quam S. officii auctoritatem, omnibus titulis venerandam, illæſam manere; et ita, aliis relatis, docet Oliv. ſupr. n. 47.*

XXXV. Hæc duplex ratio præferentiæ boni publici privato, et inconvenientiæ publicandi arcana S. officii (quæ ſunt potiſſime pro excluſione recurſus ab ejuſdem miniſtris, eo quod in recurſu non niſi viſis actis proceditur, et juſtificata violentia per pronuntiationes, decreta, delationes, citationes, vel alias diligentias, aut procedimenta, quæ in tribunali illo fidei ſecrete peraguntur) conſequenter efficiunt, et efficaciter ſuadent, quod ſi in aliquo S. officii miniſtro, v. g. in commiſſario aliquo, præſertim in locis ultramarinis à tribunalis domo, vel à menſa ipſa dominorum inquiſitorum longe diſſitis, forte injuria aliqua notoria, vel violentia reſpectu alicujus privatæ perſonæ reperiretur; non ideo pateret recurſui locus, neque ipſe admitti, ſed omnino rejici deberet à regiis magiſtratibus: violentia namque illa, quantumvis notoria, optime celaretur ab illo duplici inconvenienti graviſſimo, et à gravitate, rectitudine, decore, ac munere miniſtrorum S. officii, eo fere modo, quo à munere, et obligatione graviſſima muneris confeſſarii pro ſigillo, etiam indirecte ſervando, celatur, et excuſatur practice à ratione mendacii quælibet abſoluta negatio, etiam jurata, de qualibet etiam nota pœnitentis culpa, de quo vide Lacr. l. 6. p. 2. n. 1984. D. Thom. q. 11. à 1. ad 3. et DD. in prop 26. Innoc XI.

XXXVI. Ex his etiam fundamentis boni publici privato præponendi, et majoris inconvenientis ex admiſſione recurſus, quam ex non permiſſione; et ſubinde ex eo quod duo genera cauſarum magis privilegiatarum hæc proculdubio ſunt, quæ *fidem*, et *bonos mores* concernunt; quemadmodum à delegatis judicibus in cauſis fidei attinentibus neque admittitur, neque permittitur recurſus ad ſæcularia tribunalia, etiamſi exceſſus in modo allegetur; ita ab ordinariis judicibus congruum ſane foret, ut minime permitteretur in cauſis bonos mores concernentibus, præſertim in viſitationibus generalibus, et in omnibus aliis cauſis morum correctioni, ac reformationi ſpectantibus; quantumvis exceſſus in modo importunæ querimoniæ immiſcerentur, et prætexerentur. Privilegium namque cauſæ, ratio utilitatis publicæ, et præponderatio boni publici privato, necnon gravitas majorum inconvenientium, ac præjudiciorum ex contrario inſequendorum, ipſiuſque muneris reformatoris, ac viſitatoris eccleſiaſtici graviſſima obligatio, ſatis celarent, ac tegerent practice, quamlibet violentiæ prætextatam querimoniam, ut fere accidere ſolet; quare jam à jure ipſo appellationes ſuſpenſivæ à correctionibus, et reformationibus prælatorum, præſertim in viſitationibus, omnino eliminatæ reperiuntur in Trident. de reformat. ſeſſ. 13. c. 1. et ſeſſ. 24. c. 10. et 3. et ſeſſ. 25. c. 6. et ſ. 7. c. 7. et 8. et ſ. 21. c. 6. et 8.

XXXVII. A reliquis autem delegatis judicibus proprie talibus, videlicet à dominis collectoribus, et ab aliis in reſcriptis deſignatis pro cognitione, vel executione aliquarum cauſarum in genere, vel in ſpecie, patebit recurſus ex eiſdem titulis, et capitibus, atque à judicibus ordinariis, et in eiſdem circumſtantiis, dummodo violentia ſit patens, notoria, et evidens, et non tantum probabilis, et dubia; et dummodo gravamen non contineatur intra terminos injuſtitiæ, quamvis notoriæ, citra terminos notoriæ violentiæ; ſed ulterius ingrediatur, atque præcontineatur intra limites notoriæ violentiæ, juxta ſuperius ſtabilita, c. 12. 14. 17, 18. et aliis ead. diſt. 1. Ita Oliv. cit. q. 16. n. 49. Per. de man. reg. c. 4. et 7. et alii.

XXXVIII. Obſerva hic, recurſum, qui in aliquibus ſtatutis, aut conſtitutionibus regularibus permittitur ad dominum nuntium, ſeu collectorem, ut in meis conſtitutionibus canonicis Luſitanis, p. 3. c. 20. ſolum permitti, atque dari ad conſilium, non ad deciſionem. Neque ad illum eſt juriſdictio prorogabilis, quatenus privative conceſſa eſt religioſis ejuſdem ordinis, ex eiſd. conſt. ibid. et ex confirmatione Paul. V. *de motu proprio, et ex certa ſcientia*, ipſis appenſa. Pro quo etiam vid. Cabed. p. 1. dec. 22. et ideo poteſt opponi exceptio notoriæ incompetentiæ, etiam poſt ſententiam; Cabed. ſupr. n. 10. Pet. Barb. in l. *Siquis alien.* n. 15. ff. de judic. l. fin. cod. de juriſd. omn. jud. c. 2. de conſtit. in 6. Clem. *Paſtoral.* § *Piſan.* de re judic. Panorm. in c. *Ex parte*, de appellat. Guar. in prax. p. 6. tit. de citation. n. 39. Miſinger. dec. cam. cent. 6. obſ. 7. à n. 5. Sed ad opponendam illam exceptionem regulares non tenentur, utpote notoriam; imo illa prætermiſſa poſſunt procedere. Et licet nuntius ſubſtari, aut ſuperſedere præcipiat; ſpreta ſubſtatione, progredi poſſunt abſolute, Cabed. cit. n. 7. ex c. 2. de dilat. Pet. Barb. ſupr. n. 11. in l. *Contumacia*, § fin. ff. de re jud. et ex c. *Si ex judice*, de appellat. in 6. Vide omnino nuperam regiam, quoad hoc, diſpoſitionem, infr. c. 36. n. 6.

CAP. XXXV.

De Illicitudine Recurſus à Regularibus à propriis Prælatis ad ſæcularia Tribunalia interponendi.

SUMMARIUM.

I. *Recurſus regularibus contra proprios prælatos graviſſime prohibetur.*
II. *Eſt turbativus regularis obſervantiæ.*
III. *Ad judices regios eſt ſpecialiter interdictus in Portugallia.*
IV. *Damna etiam ex legitima appellatione regularium à ſententiis prælatorum.*
V. *Nequeunt appellare à correctione, neque à ſententiis, citra infamiam.*
VI. *Tranſcribitur regium reſcriptum vetans cognitionem recurſus à regularibus contra prælatos proprios intentati.*
VII. *Exceptio nuperrima Oſorii.*
VIII. *Dubia archiep. Goani.*

I. *SIT concluſio:* Omnino illicitus eſt recurſus à religioſis contra proprios prælatos regulares, etiam prætextu notoriæ violentiæ, ad regios judices intentatus: quinimo pluribus cenſuris eſt reipſa facile obnoxius. Ita Oliv. cit. q. 15. n. 46. Pignat. tom.

tom. 10. conſ. 53. n. 19. Donat. in prax. tom. 1. tr. 20. q. 5. n. 4. et tr. 7. q. 15. n. 4. Fraſſ. de reg. patr. tom. 2. c. 80. n. 19. et noviſſime Oſor. prax. de reg. patron. reſol. 45.

II. Prob. 1. Prima pars, ex ratione allata ab Oliv. cit. n. 46. *Quia tota regularis obſervantia, ejuſque regimen perturbaretur, occaſione talis recurſus; et ita obſervari in regno Caſtellæ, lege lata, aſſerit Roderic. de annuis reditibus, lib. 1. quæſt. 17. n. 75. Seſſe in epiſtola ad regem, n. 98. et de inhibitione, cap. Trigeſimo, n. 44. Caſtr. de man. reg. part. 1. cap. 7. n. 21. Cevall. de cog. per viam violent. in prolog. n. 203. quod in hoc Luſitaniæ, et aliis regnis, provinciiſque obſervari debet.* Et jam obſervatur ex regio reſcripto, infra tranſcripto, pro ſtatu Indiano, et poſtea extenſo etiam ad Braſilicum ſtatum, et ex præcedenti ſereniſſimi regis Joannis IV. pro tota regiæ ſuæ coronæ ditione, de quo infra, n. 6.

Prob. 2. Eadem prima pars, et ſecunda, ſimul ex variis prohibitionibus, et cenſurarum fulminationibus à Summis Pontificibus adverſus regulares ſuper hac re editis, de quibus curſ. mor. Salmantic. tom. 4. tr. 15. de ſtat. religioſo, c. 7. pu. 1. § 2. n. 14. ibi: *Supponimus primum in omni eventu eſſe prohibitum religioſis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſervatæ, appellare ad tribunalia ſæcularia, vel coram illis aliquem confratrum, vel ſuperiorum convenire, vel ad illa quovis colore confugere, ut conſtat ex conſtitutione Bonifacii* IV. *et Leonis* X. *quas refert Confectius in compend. privileg., Mend. et Greg.* XIII. *quem refert idem Confectius, fol.* 194. *n.* 10. *addens, ultra excommunicationem, privationem vocis activæ, et paſſivæ, ipſo facto incurrendam. An vero liceat titulo illatæ vis, aut violentiæ, ad eadem ſæcularia tribunalia accedere? late diximus tom. 2. tract. 8. de ordine, c. 7. à n. 75. agentes de clericis. Sed licet daretur poſſe judices ſæculares per viam violentiæ de cauſis eccleſiaſticorum cognoſcere, adhuc tamen non liceret religioſis coram illis ſimilem querelam adducere, propter magnum detrimentum religionum, quod inde ſequitur. Unde id facientes vocant Peyrin. et Lezan. latrones, et fures, patricidas, et matricidas, ingratas beſtias, maculas convivantes, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones. Sed licet per querelam, vel appellationem, non poſſit religioſus gravatus injuſte ad tribunalia ſæcularia accedere; ſi tamen nulla via poſſit vim ſibi illatam injuſte intra ordinem repellere; quia vel non admittitur appellatio, vel ſuperior longe diſtat, et eſt periculum in mora; vel non curant ſuperiores vim auferre; tunc poſſe recurrere ad judicem ſæcularem, non quaſi appellent ad competentem judicem, ſed ut ſibi ſuccurrat in illo gravamine, tollendo vim factam modo, quo licite poteſt, nimirum ſuadendo prælato, ut vel abſtineat à vi injuſta, vel det locum appellationi, vel judices novos aſſignet, tenet Portell. in addit. ad dub. regul. verb. Appellare, n. 3. Delbene, tom. 2. cap. 9. dub. 6. ſect. 1. n. 23. Souza in bullam Cœnæ, cap. 15. diſput. 78. n. 2. Emanuel à S. Oliveto in practica regul. part. 2. a. 7. n. 495. Anton. à Spirit. Sanct. tract. 3. diſput. 6. n. 776.*

III. Horum tamen DD. auctoritate non obſtante, contraria reſolutio omnino tenenda eſt. 1. Ex ſpeciali prohibitione ſereniſſ. Joannis IV. pro regno Portugalliæ, et ſeren. Joan. V. pro hoc ſtatu, infra tranſcripta. 2. Quia ſi regularibus adeo graviter, et efficaciter interdicitur à jure communi, et privato, omnis appellatio, etiam juſta, ad proprios ſuperiores à quibuſlibet ſententiis, ac pœnis, quantumvis gravibus, et graviſſimis, de quibus Donat. cit. et curſ. moral. Salmantic. cit. § 2. quanto magis interdicetur recurrere ad judices laicos incompetentes, imo et incapaces? præſertim ſtante probabili opinione, quam tenent Ban. Salon. Ledeſm. Aldret. Pet. ab Angel. et alii apud Salmantic. cit. § 2. n. 16. negante omnino regularibus licitudinem appellationis, etiam ad proprios ſuperiores, etiam in cauſis gravibus, et notoriæ injuſtitiæ, atque gravaminis manifeſti; qua probabilitate ſuppoſita, utique etiam regiis judicibus illicita quidem redditur cujuſvis recurſus à propriis ſuperioribus, à regularibus interpoſiti, admiſſio, tum ob tradita, et ob late expenſa c. 14. et ſeqq. et c. 17. et ſeqq. et ob majora inconvenientia, atque ſcandala ex admiſſione illa conſequenda, de quibus etiam in terminis legitimæ appellationis ad proprios ſuperiores curſ. moral. Salmantic. cit. n. 11. et 12. ſic effatur.

IV. *Infertur, 1. Non poſſe religioſum appellare, nec ad Pontificem, nuntium, vel alios prælatos, intra, vel extra ordinem, etiam in cauſis graviſſimis, à gravaminibus, et pœnis, quantumvis gravibus, ſibi juſte inflictis, ſecundum ſtatuta ſui ordinis, etiamſi prælatus, quod rigoroſum eſt in conſtitutionibus, ſequatur, nullam gratiam reo faciens, quando modus juſtitiæ non excedituri: hoc enim jura, et privilegia ſupra poſita loquuntur, et ratio ipſa perſuadet: tum, quia ſi hoc permitteretur, magna perturbatio in ſtatibus religioſis inſurgeret, occaſioque ſubditis tribueretur deſpiciendi ſuperiorum mandata, nihilque actum eſſet circa diſciplinam religioſam, ſed totum querelis, et perturbationibus expoſitum: tum etiam, quia appellatio jure permiſſa eſt ad tollenda gravamina, cap. Ut debitus, de appell. ſed hoc non ſentit religioſus, quando ſecundum ſtatuta, quæ profeſſus eſt, corrigitur, obligavit. Pellizzar. tract. 6. cap. 7. n. 40. et 50. Palaus, n. 3. Lezan. tom. 3. verb. Appellat. n. 2. Petrus ab Angel. p. 1. cap. 26. n. 30. Suares tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 11. n. 9. Sylveſt. verb. Appellat. 7. q. 6. Rodrig. tom. 1. q. reg. 29. art. 1. Sanch. lib. 6. n. 102. Peyrin. de ſubdit. q. 1. cap. 20. dict. 2. Aldrate lib. 2. cap. 28. n. 8. unde peccaret mortaliter religioſus talem interponendo appellationem propter inobedientiam, quam committit, non acceptando juſtam pœnam impoſitam, et propter alia inconvenientia, quæ ex appellatione ſequuntur, ut tenent prædicti auctores, et quia ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, et privationis officiorum, et inhabilitatis ad ea, et privationis vocis activæ, et paſſivæ, ipſo facto incurrenda, prohibita eſt talis appellatio à Clemente* VIII. *pro noſtris excalceatis Carmelitis, ut refert Pellizzar. n. 45. et ex ipſo Anton. à Spirit. Sancto, tract. 3. diſput. 6. n. 181.*

V. *Infertur, 2. Ab ordinaria correctione prælatorum, vel à ſententiis cauſarum, quæ non gravem infamiam, nec rigoroſas pœnas continent (ut carceris, triremium, diræ flagellationis, vel officiorum privationis, &c.) quamvis prælatum excedere juſtitiam, vel religionis ſtatuta, clare conſtat, non poſſe religioſos appellationem juridicam interponere ad quemcunque prælatum, intra, vel extra ordinem. Poterit autem per ſimplicem querelam ad ſuperiorem ſui ordinis recurrere, quæ per jus naturale omnibus conceditur, ut ſupr. n. 4. diximus: etſi talis recurſus, et querela, non ſufficiat ad tollendum gravamen injuſtum, debet hoc religioſus Deo offerre, et tolerare ob bonum, tranquillitatem, rectamque religionis exiſtimationem, cui tanquam illius membrum debet incumbere, et conſulere, etiam cum aliquo præjudicio ſui, ſicut membrum corporis ictibus, et inciſioni exponitur ob conſervationem totius. Sanch. n. 109. Palaus, n. 6. Pellizzar. n. 40. Petrus ab Angelis, n. 31. Lezan. tom. 1. cap. 9. n. 7. Anton. à Spiritu Sancto, n. 790. Suar. tom. 4. de religion. lib. 2. cap. 11. n. 12. ubi hæc præclara verba habet: Quod ſi interdum, interveniente etiam juſta cauſa, ille recurſus non ſufficiat, minus malum eſt, quod in caſu raro privata perſona incommodum aliquod patiatur, quam ut relaxatio religionis per uſum appellandi à correctione regulæ introducatur, eo vel maxime, quod ex hujuſmodi correctione non creatur infamia alicujus momenti; et licet aliqua excogitari poſſit, per humilem certe obedientiam, et patientiam, non ſolum recompenſatur, ſed etiam ſuperatur. Aliunde etiam hujuſmodi religioſis pœnis non eſt tantus labor, aut dolor, quin ſine culpa poſſit facile ſuſtineri ab his, qui perfectionem profitentur: nam et ipſi poſſunt, et debent hujuſmodi pœnas inter alias pœnitentias, et auſteritates, quas voluntarie ſumunt, computare. Hactenus eximius doctor, et piiſſimus Suares.*

Regium reſcriptum ſuper hac re per concilium ultramarinum ann. 1718. expeditum.

VI. *D. Joaõ por graça de Deos Rey de Portugal, e dos Algarves, &c. Faço ſaber avos D. Luis de Meneſes conde da Ericeira V. Rey, e capitaõ general do eſtado da India, que o dezembargador Jozè da Silva e Gouvea, juiz dos feitos da coroa deſſa rellaçaõ de Goa, eos officiaes da camara della me deráõ conta das*

das razoens, que moveraô ao padre Paulo Emilio a ſahir da companhia de Jeſus, e meterſe por religiozo Theatino, e as circunſtancias, que neſte particular procederaô, e recurſo, què interpuzera o dito padre para a coroa pelo provincial da dita companhia lhe naô querir admittir appellaçaô ad Sanctam Sedem, no qual tivera provimento. Me pareceo dizervos, que eſte recurſo foi mal interpoſto, e conſequentemente ſe naô devia tomar conhecimento delle, porque do procedimento do prelado regular contra o ſeu ſubdito naô ſe admitte recurſo para a coroa, conforme o decreto do ſenhor rey D. Joaô o IV. da glorioza memoria, ò que aſſim ſe pratica tambem em Caſtella, e em França, e da meſma ſorte ſe deve praticar neſſe eſtado. Neſta conſideraçaô vos ordeno, que aſſim ſe obſerve, e que eſtranheis aos juizes o haverem tomado conhecimento deſte recurſo, e ſe vos declara, que eſta diſpoziçaô naô he para ſe retratar a ſentença dada, pois naô he eſte o meyo competente, principalmente naô ſe queixando o provincial da companhia de Jeſus, mas paraque no futuro ſe naô tome ſemelhante entre os regulares, porque de annullarſe o dito acordaô ſe offenderia a authoridade da rellaçaô, e cauzaria major eſcandalo, e paraque conſte da determinaçaô, que mandei ſe praticaſſe neſte particular, fareis comque ſe regiſte eſta ordem nos livros da ſecretaria, e nos da rellaçaô, e mais partes onde convir, remetendome certidaô de como aſſim o executaſtes. El Rey noſſo ſenhor o mandou, &c. Liſboa occidental, 6. de Abril de 1718.

Id eſt:

D. Joannes, Dei gratia rex Portugalliæ, et Algarbiorum, &c. Notum vobis facio, D. Ludovico Meneſio, comiti Ericerienſi, proregi, ducique generali Indici ſtatus, quod ſenator Joſephus Silvius de Gouvea, judex regius ipſius ſenatus Goani, et officiales ſenatus urbici ejuſdem civitatis, mihi expoſuerunt rationes, quibus P. Paulus Emilius coactus fuit è ſocietate Jeſu exire, et religionem Theatinorum ingredi, et circumſtantias, quæ in hac re præceſſerunt, et inſuper recurſum, quem præfatus P. ad judicium coronæ interpoſuit à non admiſſione appellationis ad S. Sedem per provincialem ejuſdem ſocietatis non delatæ, in quo quidem recurſu proviſionem obtinuit: mihi viſum eſt vobis reſcribere, recurſum iſtum perperam interpoſitum fuiſſe, conſequenterque de illo minime cognoſci debuiſſe; nam à procedimento regularis prælati adverſus ſubditum ſuum, recurſum ad coronam non admittitur, juxta decretum domini Regis Joannis IV. glorioſæ recordationis; quod quidem in regnis Caſtellæ, et Françiæ etiam ſervatur, et obſervari debet pariformiter in ipſo Indico ſtatu. Quare vobis jubeo, ut ita obſervetur, et quod judices increpemini, eo quod de præfato recurſu cognitionem ſubirent. Et vobis declaratur, hanc diſpoſitionem non eſſe ad latam ſententiam revocandam, cum hoc non ſit medium competens, præſertim deficiente penitus provincialis ſocietatis querela; ſed ne in futurum ſimilis cognitio inter regulares admittatur: ex annullatione namque prædictæ ſententiæ reſultaret et majus ſcandalum, et aliqua offenſa auctoritatis ſenatus. Et ut conſtet hæc mea regia deliberatio, jubebitis, quod regiſtretur in libris ſecreti ſtatus, et ſenatus, et ubi oportuerit; et mihi authenticum teſtimonium, quod hoc ita adimpleveritis, mihi remittetis, &c. Ulyſſipone occidua, 6. Aprilis 1718.

Hoc reſcriptum poſtea ann. 1720. etiam communicatum fuit Braſilienſi ſenatui, et ad totam ipſam Braſilicam ditionem extenſum.

VII. Excipit tamen cit. Oſor. reſ. 45. de patron. reg. n. 20. et 21. quod quamvis regulares nequeant recurrere à ſuperioribus, etiam modum excedentibus in cauſis, quæ intra clauſtra geruntur, ut per Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 2. § 5. n. 21. et 22. Cevall. de viol. p. 2. q. 95. Barboſ. in vot. lib. 1. vot. 4. n. 124. attamen in negotiis, quæ exeunt extra clauſtra, de quibus cognoſcunt delegati et conſervatores, poſſunt religioſi recurrere ad tribunal coronæ, pro notoria violentia, ut per Salgad. cit. n. 24. et 25. Dian. de immunit. p. 1. reſol. 13. Fraſſ. de reg. patr. c. 28. n. 33. et 34. et affert n. 22. in confirmationem declarationem ſereniſſimi regis Joan. IV. ad primum ſuum de hac re decretum rectori, et ſenatoribus domus ſupplicationis directam die 9 Maii ann. 1654. et n. 25. caſum judicatum adverſus collectorem, eo quod clericum recurrentem, et non obtinentem carceri tradidiſſet, qui denuo ab hoc gravamine recurrens proviſus fuit. Ipſum vide.

Annectere hic congruit ſequentia dubia archiepiſcopi Goani in Indiis per annos 1614. *publicata Goæ ann.* 1615. *et iterum ann.* 1621.

Dubium 1.

VIII. Ad ſeſſ. 22. c. 8. Conc. Trid. petitur declaratio: an epiſcopi poſſint viſitare confraternitates laicorum, quæ ſunt intra eccleſiam regularium exemptorum?

Dub. 2.

Ad Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. *De reformat.* petitur declaratio: an epiſcopi poſſint procedere pœnis, et cenſuris, quibus ipſis viſum fuerit, contra regulares exemptos, extra monaſteria degentes, quibus in hac Indiæ Orientalis regione commiſſa eſt cura animarum, ſi ordinarios in ſua juriſdictione perturbent, et illis obedire noluerint in iis, in quibus juxta Conc. Trid. tenentur ordinariis parere; et inſuper contra quoſcunque alios regulares, eoſdem ordinarios perturbantes in iis, quæ pertinent ad ſuam juriſdictionem?

Dub. 3.

Ad Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. de reform. An epiſcopi poſſint per ſeipſos ſolos numerum miſſarum, ſi magnus ſit, ad majorem redigere, quando parva noſcatur eleemoſyna ipſarum, et ſynodus diœceſana non ſit de proximo celebranda?

Dub. 4.

Ad Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de regul. circa proceſſiones: an regulares poſſint facere eaſdem per vias publicas civitatis extra clauſtra ſuorum monaſteriorum abſque licentia ordinarii, vel renitente ordinario, maxime ſi ipſe ordinarius eodem die proceſſionaliter cum ſuo clero per eaſdem incedat?

S. Congreg. cardinal. Conc. Trid. interpretum ad ſingula reſpondit:

Ad 1. *Poſſe.*

Ad 2. Poſſe quidem epiſcopos extra clauſtra degentes, et particularibus eccleſiis ſæcularibus deſervientes, etiamſi deliquerint in aliis, quam concernentibus curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem; quodſi regulares hujuſmodi intra clauſtra degant, et in eccleſiis ſæcularibus ſacramenta adminiſtrent, item ſi juſſu ſuorum ſuperiorum degant in ædibus particularibus, ſuo monaſterio unitis, atque curam animarum exerceant, ſubeſſe epiſcopo in his dumtaxat, quæ ad dictam curam, et ſacramentorum adminiſtrationem pertinent: cæterum regulares alios intra clauſtra monaſterii degentes, et curam animarum perſonarum ſæcularium non exercentes, minime poſſe regulariter ab ordinariis puniri.

Ad 3. *Non poſſe redigere.*

Ad 4. *Non poſſe, niſi de licentia ordinarii.*

Dub. 5.

Ad Conc. ſeſſ. 22. in decret. de obſerv. ad verba illa *Moneant*, &c. An ſtet illa monitio ab epiſcopo facienda, in terminis puræ admonitionis ſine præcepto aliquo coactivo, an vero admonere poſſit, et, ſi non obediant, procedere pœnali præcepto, cogereque ſuos parochianos, ut audiant ſacrum ſuis in parochiis, dominicis, et feſtis diebus; aut ſaltem compellere, jubendo, ut unuſquiſque ex parochianis mittat perſonam aliquam de familia ſua ad audiendam miſſam tertiæ in parochia, ad effectum, ut ſcire poſſint vigilias, et dies feſtos in illa hebdomada? Et ſimul quæritur: an poſſit ordinarius compellere regulares, ut in miſſa principali enumerent vigilias, et dies feſtos, ut gaudeant privilegio Sedis Apoſtolicæ, etiamſi tali die concio non habeatur?

Dub. 6.

Ad Conc. d. ſeſſ. 22. et d. decr. An ordinarii poſſint cogere aliquo præcepto parochianos parochiæ majoris, ut ad ipſam concurrant ad audiendum ſacrum in illis diebus, in quibus ipſi exercent Pontificalia, aut concionantur, vel faciunt ſpiritualem aliquam, et particularem collocutionem ad populum, ratione officii paſtoralis?

Reſp. ad 5. Stare in terminis puræ admonitionis, ita ut liceat quidem epiſcopo populum ad prædicta invitare, ſed nullo modo compellere. Et regulares curam animarum perſonarum non exercentes, cogi non poſſe ab ordinariis ad vigilias, ac dies feſtos in eorum eccleſiis enuntiandos.

Ad 6. Non poſſe cogere.

Dub. 7.

Ad Conc. d. ſeſſ. 6. c. 6. circa eandem regularium exemptionem: an poſſint ordinarii regularibus prohibere, ne in ſuis eccleſiis confeſſores ipſorum audiant confeſſiones mulierum, niſi in publicis confeſſionariis, ſi ita expedire judicaverint?

Dub. 8.

Ad Conc. ſeſſ. 6. c. 3. de reform. et ſeſſ. 26. c. 13. de regularibus: an epiſcopi poſſint per ſe, vel per ſuos judices procedere contra regulares ratione delicti publice, vel private, verba injurioſa contra ipſos epiſcopos proferentes? an vero teneantur ipſi epiſcopi tales regulares exorbitantes ad ſuos majores remittere; et quid agendum, ſi ipſi majores in hoc excedant? Si enim id epiſcopi exequi non poſſint, erunt deterioris conditionis, quam ipſi regulares, quibus ſi epiſcopi injurioſi ſint, licet conſervatores ſibi aſſumere, ut ſibi ipſis ſatisfiat, cum ipſi regulares ad ſummum ſimplices ſint ſacerdotes, epiſcopi vero principes ſint eccleſiæ, et ſucceſſores apoſtolorum.

Et *utrum* ſæculares ſubditi proferendo verba injurioſa contra epiſcopum in præſentia ipſius, incurrant aliquam pœnam, et cenſuram eccleſiaſticam, an vero ſubjaceant tantum ſententiæ ferendæ epiſcopi, et ipſius diſtrictioni?

Reſp. ad 7. *Poſſe prohibere.*

Ad 8. *Non poſſe* procedere; ſed ſubjacent epiſcopi diſtrictioni.

Dub. 9.

Ad id Concil. An dicti religioſi poſſint eligere conſervatores idiotas, et eos, qui carent ſcientia, et experientia, quando in loco illo reperiuntur docti viri, et experti?

Dub. 10.

Ad Conc. ſeſſ. 14. c. 7. An regulares poſſint abſolvere à caſibus reſervatis, quos epiſcopi in ſuis conſtitutionibus reſervant per leges particulares, et extra eaſdem alias pro bono regimine eccleſiæ ſuæ, virtute privilegiorum quæ aſſerunt ſe habere, quibus attentis in caſibus reſervatis à jure, et ab homine, ei à Papa generaliter, et indiſtincte, ſibi tribuunt poteſtatem?

Dub. 11.

Ad Conc. ſeſſ. 23. c. 9. de reform. An triennium illud currere incipit in familiaribus epiſcopi nominati à rege, nondum tamen electi à Sede Apoſtolica; an vero requiratur ad effectum, quod debeat incipere poſt electionem, et conſecrationem?

Dub. 12.

An regulares in ſuis monaſteriis in die paſchatis communionem euchariſtiæ illis perſonis dare poſſint, quibus jam ratione præcepti in propriis parochiis data eſt?

Dub. 13.

An regulares expulſi à ſuis religionibus poſſint confirmari in beneficiis eccleſiaſticis, vel cathedralibus, et ſimplicibus?

Reſp. ad 9. *Non poſſe* eligere.

Ad 10. *Non poſſe* abſolvere à caſibus, quos epiſcopi ſibi reſervârunt.

Ad 11. Incipere etiam ante electionem, et conſecrationem.

Ad 12. *Non poſſe.*

Ad 13. *Non poſſe.*

Dub. 14.

Utrum monaſteria teneantur alere expulſos, quocunque modo expulſi ſint, aut illis reſtituere bona, quæ ſecum attulerunt, quando religionem ingreſſi ſunt?

Dub. 15.

An ſpolia epiſcopi regularis, qui ſimul erat magiſter ſcholæ in hac Sede Primatiali Goana, morientis ab inteſtato, pertineant ad cameram apoſtolicam, an ad ſucceſſores beneficii, vel denique ad monaſterium, et religionem, in qua profeſſus eſt?

Dub. 16.

An regulares ad audiendas confeſſiones expoſiti poſſint in foro contentioſo abſolvere ab his cenſuris, quæ jam ad externum judiciale forum ſunt devolutæ, præſertim cum præſens adſit ipſe judex, qui ſententiam pronuntiavit; et an poſſint abſolvere extra ſacramentum pœnitentiæ?

Reſp. ad 14. Monaſteria non teneri alere expulſos ob incorrigibilitatem, ſi illi in ſua pertinacia perſtiterint, nec ad ordinem recipi humiliter poſtulaverint; quodſi reſipiſcentes à ſuo monaſterio recipiantur, utique ibi alendos eſſe; ſed etſi non recipiantur, ſiquod monaſterium injuſte illos recuſaverit, indiſtincte, teneri ipſum monaſterium ejectis vitæ neceſſaria miniſtrare, et quidem ex bonis ab expulſo in idem monaſterium delatis, ſiquæ extiterint, alias ex bonis propriis ipſius monaſterii. Cæterum, præter alimenta minime teneri monaſterium ad reſtitutionem.

Ad 15. Quæ bona epiſcopus ante conſecrationem habuit, ad monaſterium; quæ vero poſt conſecrationem, ad propriam eccleſiam pertinere.

Ad 16. Minime poſſe abſolvere, quoad judicialem, et externum forum, ita ut excommunicatus maneat; tametſi in foro pœnitentiali, vel contentioſo, à regularibus, dictorum privilegiorum virtute, fuerit abſolutus. Si tamen in foro fori à judice poteſtatem habente, abſolutionem non impetraverit, cogendus ſit ab epiſcopo gerere ſe pro excommunicato, repellenduſque ſit ab iis, quæ excommunicato non licent.

Dub. 17.

Ad d. Conc. ſeſſ. 20. c. 3. de reform. An epiſcopi ſuas ſententias in quibuſcunque cauſis civilibus, et criminalibus, quorum cognitio ad eoſdem noſcitur pertinere, exequi poſſint; an vero ad illos tantum expectat cognoſcere, et judicare de cauſis illis; executio vero pertineat contra clericos ad miniſtros eccleſiaſticos, contra laicos vero ad ſæculares?

Reſp. ad 17. In cauſis quibuſcunque, tam civilibus, quam criminalibus, in quibus laici forum eccleſiæ ſortiuntur, non ſolum cognitionem, verum etiam executionem ad judicem eccleſiaſticum pertinere.

Ann. 1621. publicata Goæ.

CAP. XXXVI.

De reliquis Recurſui à delegatis Judicibus, proprie talibus, ſpectantibus.

SUMMARIUM.

I. *Datur recurſus ab executore apoſtolico.*
II. *Apoſtolica reſcripta ſemper continent conditionem:* Si preces veritate nitantur.
III. IV. *Exceptio obreptionis, vel ſurreptionis legitimæ, ſi rejiciatur, et ad ulteriora procedatur, fundat recurſum.*
V. *Delegatus ex jure tenetur exhibere literas ſuæ delegationis, et hoc poſſunt principes ſæculares per viam facti eis politice inſinuare.*
VI. *Erga delegatos particulares ad lites, id etiam poterit in aliquo caſu.*
VII. *Si delegatus, nolens oſtendere literas delegationis, incipiat procedere, poterit à principe per viam tuitionis, vel violentiæ tollendæ, provideri de remedio.*
VIII. *Literas ſuſpectas, etiam politice, et per viam facti, poſſunt principes coram ſe adduci facere, ut extrajudicialiter examinentur.*
IX. *Probatur reſolutio ex jure.*
X. *Contrarium, privilegio ſecluſo, tenent aliqui.*
XI. XII. *Satisfit horum argumentis.*
XIII. XIV. *Monitio Oliv. ad regios judices.*
XV. § *Pro recurſu à delegatis et ordinariis judicibus in cauſis beneficiorum patr. reg.*
XVI. *Et ex non obſervantia ordin. ac Trid.*

I. *QUÆRES*, 1. Utrum detur recurſus ad regem à judice delegato apoſtolico, ſive apoſtolico literarum executore, ſi nulliter rejecta, vel deſpotice ſpreta exceptione, ſive impedimentis obreptionis, et ſurreptionis, literas violenter executioni mandet? Huic quæſtioni reſpondet Oliv. affirmative de for. eccleſ. q. 22. n. 5. cum Per. de man. reg. c. 7. et c. 60.

II. Prob. 1. Quia reſcripta apoſtolica, ſive *gratiæ* ſint, ſive *juſtitiæ*, ſemper hanc clauſulam, ſeu conditionem præcontinent, *ſi preces veritate nitantur*, ex c. 2. c. *Super literis*, de reſcript. Atqui exceptio *obreptionis* competenter datur, quando aliquid falſum inducitur; *ſurreptionis* vero, quando verum aliquid tacetur, quod concedentem retraheret, vel retardaret: ergo cum hoc vitium in precibus intercedere poſſet; competens, et omnino neceſſaria erit exceptio illa ad vitium objectum examinandum. Et, ſi nulliter rejecta, ad executionem violenter procedatur; patebit aditus ad recurſum.

Confirmatur; quia reſcripta gratiæ omnino vitiantur, ſi aliquid tacetur, quod principem à gratia concedenda vel retraheret, vel difficiliorem redderet, ex c. *Poſtulâſti*, de reſcript. Navarr. in c. *Siquando*, excep. 3. et 8. eod. tit. atque adeo interpretanda ſunt, ut tertio neque præjudicent, neque jus auferant, ex c. *Super eo*, de offic. deleg. et ex l. 2. § *Siquis à princ.* ff. *Nequid in loc. public.* Gom. in regul. *de non toll. jur. quæſit.* q. 2. ergo, &c.

III. Prob. 2. A paritate appellationis legitimæ, quæ de ſe ſuſpendit juriſdictionem judicis; et, ſi injuſte rejiciatur, et ad ulteriora procedatur, arguit violentiam in judice, et parat recurſum ad judices regios, ſi violentia notoria ſit: ergo pariformiter exceptio obreptionis, et ſurreptionis, quæ non eſt minus privilegiata, imo forſan magis, utpote reali veritati adverſans, ex cit. c. 2. c. *Super literis*, de reſcript. c. *Poſtulâſti*, c. *Siquando*, eod. tit.

IV. *Quæres*, 2. Utrum principes ſæculares, eorumve ſuprema tribunalia, poſſint notificare legatis, ſeu nuntiis apoſtolicis, ut literas ſuæ poteſtatis oſtendant, priuſquam eis in regno utantur, ſub commination, quod, dum non oſtenſæ fuerint, earum exercitium impediatur?

Hanc quæſtionem præmiſſis terminis excitat Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 22. et cum aliquibus limitationibus affirmativam partem amplectitur cum Covar. pract. qq. c. 35. n. 4. Mart. de juriſd. p. 2. c. 25. n. 1. et in q. 23. excitat etiam: utrum *principes ſæculares poſſint notificare legatis, ut literas ſuæ poteſtatis oſtendant, priuſquam eis in regno utantur, ſub commination earum exercitii impedimenti?*

V. *Dico igitur*, 1. Cum delegatus teneatur ex jure ipſo, delegationis ſuæ literas oſtendere, ſive exhiberè, ex c. *Cum in jure*, de offic. deleg. et nemo præſumatur delegatus, niſi probetur, Maſcard. de prob. concl. 492. Menoch. præſumpt. 15. l. 2. Mart. de juriſd. c. 35. poſſunt principes ſæculares politice, et per viam facti notificare, ſeu inſinuare legatis executionem, ſeu adimpletionem iſtius obligationis, ipſis à jure ipſo inhærentis; non tamen id poterunt juridice, ac juriſdictionaliter, ex totali, ac notorio defectu juriſdictionis in clericos, juxta dicta prælud. 3. et 6. et c. 17. et ſeqq.

Neque obeſt; quod jus canonicum hanc obligationem omnibus delegatis imponat. Nam principes ſæculares, neque ſunt principales, et ſpeciales executores juris canonici adverſus judices eccleſiaſticos, ſed ſubſidiarii dumtaxat, et per modum auxilii, ut prælud. 6. et c. 20. 25. et alibi: neque ratione illius executionis reſultat in illis directa juriſdictio in clericos. Vide dicta prælud. 3. et 6. et c. 17, 18, 19, 20. 25. et ſeqq.

VI. Hoc autem nunquam ſibi placuiſſe in delegatis particularibus ad lites, aſſerit Oliv. q. 23. n. 4. eſſet enim intolerabile in magnam diminutionem ſpiritualis poteſtatis, eccleſiæque auctoritatis, ſi omnes delegati ad lites cogerentur literas principi, ſeu ejus tribunali, exhibere: imo regimen utriuſque reipublicæ deturbaretur, ut in præcedenti quæſtione conſideraverat, et ideo nunquam in praxi receptum vidiſſe dixit, hocque tantum admiſſurum in caſu particulari, quoties pars, ſeu fiſcalis, hoc poſtulaverint, allegantes cauſam rationabilem, et probabilem præjudicii publici; quia tunc eas delegatus requiſitus principi, vel ejus tribunali, exhibere debet, ut, ſi tale præjudicium reperiatur, poſſit Summo Pontifici reſcribi, obſervatis iis, quæ in quæſtione proxima præcedenti dixerat.

VII. *Dico*, 2. Si legatus vel delegatus quilibet delegationis ſuæ literas nolit oſtendere, et procedere incipiat, vel tribunal eligendo, vel partes citando, aut quid aliud exequendo, poterit quidem princeps ſæcularis politice, et œconomice ſibi, et regno ſuo, extrajudicialiter providere, vel per viam *tuitionis*, vel *violentiæ tollendæ* ad inſtantiam partis, aut procuratoris fiſcalis, modo c. 24. et c. 33. inſinuato. Et probatur, quia in his terminis quilibet privatus, debito moderamine præmiſſo, propria auctoritate delegato illi reſiſtere poteſt impune, atque adeo auctoritate publica principis. Vide dicta c. 13. 19, 20. et ſeqq.

VIII. *Dico*, 3. Principes ſæculares, eadem poteſtate œconomica, et politica, etiam ſpeciali privilegio ſecluſo, literas apoſtolicas ſuſpectas poſſunt per viam facti coram ſe adduci facere, ut examinentur, an falſæ ſint, anve aliquid contra jus divinum, aut contra utilitatem eccleſiæ, vel reipublicæ, graviter et notorie contineant, et illarum executionem retardare, quoad Summo Pontifici effective reſcribant, illius declarationi, aut determinationi ſe ſerio ſubmittentes. Ita Oliv. q. 22. n. 13. cum Bobadill. polit. l. 2. c. 18. n. 207. Cevall. de viol. in prolog. n. 157. et aliis, quos citat Per. de man. reg. c. 65. ubi aſſerit, et ex eo Oliv. n. 16. n. 2. invictiſſimos reges Luſitaniæ circumſpectiſſime hoc jus aſſumendi, ac detinendi literas apoſtolicas libenter omiſiſſe; ideoque in Luſitaniæ tribunalibus praxim hoc jure non uti.

IX. Prob. 1. Reſolutio ex expreſſa diſpoſitione, c. *Siquando*, de reſcript. ub. gl. c. *Cum tencamur*, de præbend. ubi decernitur ſuperſedendum, ac reſcribendum in executione reſcriptorum apoſtolicorum, quæ ſine ſcandalo exequi non poſſunt, ubi DD. omn.

X. Prob. 2. Ex ipſa formalitate § 14. bullæ Cœnæ, ibi: *Seu etiam donec ipſi ad nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſuppli-*

ſupplicationes hujuſmodi coram nobis, et Sede Apoſtolica, legitime proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint præſidentes cancellariarum, conciliorum, parlamentorum cancellarii, vicecancellarii, conſiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque principum ſæcularium, etiamſi imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, commendatarii, ſeu vicarii fuerint. Nota limitationem illam, *Niſi ſupplicationes hujuſmodi*, &c.

XI. Contrariam tamen ſententiam, privilegio ſecluſo, defendunt Az. inſt. moral. p. 1. l. 5. c. 12. Aug. Barb. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſt. Navarr. in man. c. 27. n. 71. Soar. Granat. de cenſur. diſput. 21. ſect. 2. n. 76. 1. Quia ſic principes ſæculares mitterent falcem in ſegetem alienam. 2. Quia diſpoſitio dictorum textuum cit. c. *Si quando*, et *Cum teneamur*, non dirigitur principibus ſæcularibus, ſed judici ipſi eccleſiaſtico executori dumtaxat. 3. Quia princeps ſæcularis id non poteſt ex vi poteſtatis temporalis, neque ex vi naturalis defenſionis: ergo ſolummodo ex vi poteſtatis ſpiritualis per ſpeciale privilegium communicatæ.

XII. Reſp. ad 1. et 2. Reges et principes id facere ex vi poteſtatis œconomicæ, ut reipublicæ, atque vaſallorum protectores, non juriſdictionaliter quidem, ſed extrajudicialiter politice, et per viam facti, atque adeo abſque nota intruſionis falcis in ſegetem alienam. Ad 2. Non ſolum executori apoſtolico, ſed etiam principi ſæculari dirigi diſpoſitionem illam juris canonici, per præcitatum can. 14. bullæ Cœn. quod quidem jus principibus ſæcularibus competere probant Victor. de pot. Pap. n. 23. Symanc. de cathol. tit. de pœnis, n. 34. Per. de man. reg. cap. 65. n. 3.

XIII. Admonet tamen Oliv. cit. q. 22. ſub n. 14. § *Ex qua*; ibi: *Caveant ergo judices regii tribunalis, qui prætextu reſcribendi Summo Pontifici, vel eum informandi, literas prædictas detinent, vel executionem de facto impediunt, ſi Pontificem vere ſincereque non informent, informationemque coram eo legitime non proſequantur, libertatem infringere eccleſiaſticam, juriſdictionemque ſpiritualem vere impedire: ac cenſuram bullæ Cœnæ Domini indubitanter incurrere, ut ex prædictis patet.*

XIV. Admonet inſuper, n. fin. 19. ibid. Non poſſe principes ſæculares generaliter per conſtitutionem ſtatuere, ut nullæ apoſtolicæ literæ executioni mandentur, niſi prius tribunali regio præſententur, et examinentur, earumque executio permittatur; hoc enim in magna poteſtatis ſpiritualis injuria, diminutioneque redundaret, retraherenturque multi ab impetrandis gratiis apoſtolicis, imo ab impetratis deſiſterent, propter difficultatem executionis; aliaque apoſtolica mandata parvipenderentur, propter eandem difficultatem; et quia magna ex parte à tribunali regio dependere videretur ſpiritualis poteſtas, et auctoritas, eſſet intolerabile jugum, et ſic libertas eccleſiaſtica notorie infringeretur: ac per conſequens non ſolum conſtitutio nullius eſſet momenti; ſed etiam ſtatuentes cenſuram bullæ Domini incurrerent; aliter enim etiam Summus Pontifex poſſet per conſtitutionem generalem præcipere, ut nullum reſcriptum gratiæ impetratum à principe ſæculari executioni mandaretur, niſi prius apud epiſcopos præſentetur, et examinetur, utrum contra eccleſias, ſeu jura earum, vel Sedis Apoſtolicæ, aut in præjudicium ſpiritualis poteſtatis aliquid contineat, quia non minor, ſed major eſt ejus poteſtas ad hoc, quam principis ſæcularis ad illud; at nemo mediocriter literatus, imo et prudentia tantum præditus, negabit, ſi ab utroque principe hæ conſtitutiones fierent, intolerabiles eſſe, quia regimen publicum ſpirituale, et temporale deturbaretur. Hæc Oliv. quem adi.

Poſt hæc exarata promanavit regium reſcriptum die 25. Jul. anno 1744. directum cancellario domus ſupplicationis ſenatus Portucalenſis, quo multa juſta, et utilia præcavet, et providet, tum ne in judicio coronæ recurſus frivoli, et de rebus, ac materiis eccleſiaſticis privative ad judices eccleſiaſticos pertinentibus, admittantur, neque etiam à regularibus, à propriis prælatis recurſum ad coronæ judicium interponentibus: tum pro nuntiis apoſtolicis, ne eccleſias cathedrales viſitent, neve de cauſis in prima inſtantia cognoſcant, neque alia exerceant, ex quibus paci, ac tranquillitati publicæ detrimentum aliquod ſequatur; et tandem quod etiam à regularibus adverſus proprios prælatos de rebus œconomico eorum gubernio intra clauſtra attinentibus, et non niſi in gradu appellationis, recurſum minime admittant; et alia, quæ in ipſo regio reſcripto, in idiomate patrio infra deſcripto, continentur.

Regium reſcriptum vernaculo idiomate.

CHANCELLER da rellaçaô do Porto, amigo: Eu el Rey vos envio muito ſaudar: mandandovos os breves facultativos, que me foraô aprezentados por parte do nuncio apoſtolico, que entra de novo, me pareceo mandarlhe eſcrever, e aos prelados das religioens na forma das copias, que ſeraô com eſta, e hey por bem, que eſtas ſe communiquem aos juizes dos feitos da coroa, e procurador della neſſa rellaçaô, paraque lhes conſte oque rezolvi neſta materia, ficando tambem advertidos, que tanto por parte do nuncio, que agora acabou, como de alguns prelados do reino ſe me tem feito queixas, de que no juizo da coroa ſe admittem facilmente *recurſos frivolos*, e algumas vezes *ſobre materias*, que tocaô *privativamente* à juriſdicçaô eſpiritual dos meſmos prelados, donde lhes rezulta grande inquietaçaô, e embaraço para a adminiſtraçaô da juſtiça, pelo que ſou ſervido, que os ditos juizes ſe contenhaô nos recurſos eccleſiaſticos do nuncio, prelados, e regulares de maneira, que ſem faltar ao reparo das violencias, evitem qualquer abuzo, e naô dem ao meſmo nuncio, e prelados juſta occaziaô de queixa, oque vos mando avizar, paraque aſſim o fiqueis entendendo, e participeis o referido aos ditos miniſtros paraque o obſervem. Eſcrita em Liſboa a 15. de Junho de 1744. Rey. Para o chanceller da rellaçaô de Porto.

Carta do Secretario de Eſtado ao Nuncio Monſ. Tempi.

S. Mageſtade foi ſervido mandar ver na forma do eſtillo, os breves, que V. Ex. me remeteu, e me ordena diga a V. Ex. em ſeu real nome, que naô obſtante os poderes, que nelles ſe concedem a V. Ex. naô deve V. Ex. vizitar as cathedraes, nem tomar conhecimento de cauzas algumas *em a primeira inſtancia*, nem praticar outras couzas, de que poſſa ſeguirſe detrimento a quietaçaô publica, e boa ordem da adminiſtraçaô da juſtiça, pois naô po de ſer a intençaô de S. Santidade, que ſe alterem os coſtumes louvaveis, ou ſe prevertaô as lays, e eſtillos, e concordatas do reino, ou que das faculdades do nuncio apoſtolico ſe ſiga perturbaçaô ao bem commum, e ſocego dos ſubditos de S. Mageſtade, pelo que naô deve V. Ex. ſequir no exercicio das faculdades, que lhe ſaô concedidas, ſenaô os uzos, que ſe acharem convenientemente praticados, abſtendoſe de tudo oque for *novidade*, ou ſe tiver abuzivamente introduzido em prejuizo, e perturbaçaô dos vaſſallos do meſmo ſenhor, tendo V. Ex. entendido, que em tudo oque praticar, ou permittir ſe pratique em contrario, ſe tomara conhecimento, como de violencia no juizo da coroa, e quando para elle ſe interpuzerem recurſos por eſte fundamento, ſe ha de ſuſpender no procedimento das cauzas, e ſe haô de remeter os auttos, paraque aviſta delles ſe conheça ſe houve violencia.

Igualmente por naô alterar a ley, e coſtume do reino naô deveraô os juizes, e officiaes da legacia levar majores ſallarios, e eſportulas, do que juſtamente ſe coſtumaô levar nos auditorios da corte, e na expedicaô dos deſpachos da juſtiça, e de graça ſe deveraô obſervar as taxas eſtabelecidas, evitandoſe toda a occaziaô de queixa, e eſcandalo.

Tambem manda S. Mageſtade lembrar a V. Ex. que deve nomear promotor nacional, como ſe coſtumou ateagora, e por eſpecial cuidado, em que aſſim eſte, como os mais miniſtros, que V. Ex. eſcolher para a legacia, ſejaô ſugeitos de inteireza, letras, e experiencia, e limpeza de ſangue, como ſe requer, paraque os prelados ordinarios ſe naô ſintaô, e queixem,

xem, deque as ſuas ſentenças ſe revogaô por peſſoas, em quem faltaô os requizitos referidos.

Sendo prezente a S. Mageſtade o abuzo, que frequentemente fazem os regulares dos recurſos a nunciatura para evitarem por eſſe meyo a correcçaô dos ſeus prelados, e ſe ſubtrahirem a obediencia, que lhes devem, pertendendo ſem juſto motivo tutos acceſſos, licenças, e abſoluçoens em detrimento da boa ordem, e diſciplina das communidades, donde rezultaô, como a experiencia tem moſtrado, graviſſimas deſordens, relaxaçaô dos inſtitutos, inquietaçaô das provincias, e eſcandalo dos povos; o meſmo ſenhor me manda expreſſar a V. Ex. que naô deve V. Ex. diſpor couza alguma nas materias, que pertencem ao governo economico dos regulares de hum, e outro ſexo *intra clauſtra*, nem admittir recurſos dos meſmos regulares, ſenaô em grao de appellaçaô, e ſobre iſto meſmo manda S. Mageſtade fazer avizo aos prelados das religioens paraque otenhaô entendido, e obſervem, e façaô obſervar pelos ſeus ſubditos.

Em tudo eſpera S. Mageſtade, que V. Ex. obre de maneira, que tenha muito que louvarlhe, paraque poſſa V. Ex. experimentar os effeitos da veneraçaô, e obzequio, que o meſmo ſenhor profeſſa a Sè Apoſtolica, ea eſtimaçaô, que faz da peſſoa de V. Ex. tanto pela reprezentaçaô do ſeu caracter, como pelas qualidades, e virtudes, que em V. Ex. concorrem, e dando me V. Ex. repoſta por eſcrito, aoque neſta tenho expreſſado, reſtituirei os breves a peſſoa porquem V. Ex. os mandar buſcar, ficando prompto para ſervir a V. Ex. no que ſe offerecer. Deos guarde a V. Ex. Paço a 14. de Junho de 1744. Excellentiſſimo e Reverendiſſimo ſenhor, B. as maons de V. Ex. ſeu major ſervidor, Marco Antonio de Azevedo Couttinho, &c.

Contentum in primo reſcripto cancellario Portucalenſi directo.

Diſtincte eſt, 1. Quod judici, ac procuratori regiæ coronæ animadvertatur, nuntium præteritum, eminentiſſimum cardinalem Oddi, et aliquos prælatos eccleſiaſticos regiæ majeſtati conqueſtos fuiſſe, quod in coronæ judicio facillime admittebantur frivoli recurſus, et ſuper materiis privative juriſdictioni eccleſiaſticæ ipſorum prælatorum pertinentibus; ex quo maxima turbatio, magnumque obſtaculum rectæ adminiſtrationi juſtitiæ reſultabat. 2. Quod judex coronæ, et reliqui regii miniſtri, in recurſibus à præfato nuntio, et prælatis interpoſitis, ita intra terminos reſtrictos contineantur, ut quin violentiarum reparationi deficiant, quemlibet abuſum evitent. 3. Quod deinceps nec nuntio, nec prælatis præmiſſis ullam juſtæ querelæ occaſionem præbeant.

Contentum in ſecundo reſcripto moderno nuntio Tempi directo.

Eſt diſtincte, 1. Quod neque cathedrales eccleſias viſitet, neque cauſarum in prima inſtantia cognitionem ſumat. 2. Quod neque aliud in praxim reddat, ex quo detrimentum aliquod publicæ tranquillitati, et recto ordini adminiſtrationis juſtitiæ inſequi poſſit. Non enim hæc poteſt eſſe Sanctitatis ſuæ intentio, ut conſuetudines laudabiles alterentur, vel regni leges, et concordiæ pervertantur, vel ex facultatibus apoſtolico nuntio conceſſis, perturbatio aliqua bono communi, et paci ſubditorum regiæ majeſtatis oriatur. 3. Quod in uſu facultatum ſuarum ab omni novitate abſtineri deberet, et ab omni abuſu illegitime introducto in damnum turbationis reipublicæ, alias in coronæ judicio per viam recurſus de violentia illata cognoſceretur. 4. Quod in recurſibus in hoc judicio intentatis per viam violentiæ, acta remittantur, et interim in procedimentis cauſarum ſuſpendatur. 5. Quod judices, et officiales nuntiaturæ in ſportulis ſeſe conforment cum reliquis ſæcularium curiæ auditoriorum. 6. Quod promotor fiſcalis nuntiaturæ ſit nationalis, juxta conſuetudinem. 7. Quod tam promotor, quam reliqui miniſtri nuntiaturæ, confidit, quod ſeligantur talis integritatis, literaturæ, atque ſanguinis puritatis, qualis decet, ne ordinarii prælati juſte conquerantur, ſententias ſuas paſſim à defectuoſis perſonis revocari. 8. Ne concedantur regularibus abuſivi recurſus ad nuntiaturam, quos frequenter intentant, neque tuti acceſſus, neque licentiæ, aut abſolutiones in præjudicium recti ordinis, atque diſciplinæ regularis, unde graviſſimæ relaxationes, et ſcandala, quæ experientia paſſim demonſtrat, dimanant. 9. Quod circa gubernationem œconomicam regularium utriuſque ſexus, nil decernat, vel ſeſe ingerat. 10. Quod non admittat recurſus regularium, niſi in gradu appellationis; quod et prælatis regularibus notificari jubetur. 11. Tandem, quod in reliquis regia majeſtas expectat à domino nuntio, ita ſe gerat laudabiliter, ut ipſius characteris repræſentatio, literæ, virtutes, cæteræque optimæ qualitates, quæ in ipſo concurrunt, compromittunt, et quod data ſuper præmiſſis reſponſione ſcripta, propriæ ipſius literæ, ſive brevia, ſibi traderentur, &c.

§ Unicus.

Pro recurſu tandem à delegatis, et ordinariis judicibus in cauſis beneficiorum patronatus regii remiſſive.

Fuſe de hac re neotericus Benedictus Cardoſius Oſorius Portucalenſis ex nobili oppido *S. Joannis ad fauces Durii* civitatis Portucalenſis, *in praxi de patronatu regio, et ſæculari*, nuper, anno 1736. edita, ubi per centuriam reſolutionum plura ſcitu digniſſima ſolide, ac erudite tradit, et reſolvit.

XV. Et ſic, reſol. 7. n. 9. tenet: quod ſi litigium vertatur in poſſeſſorio ſuper beneficiis regii patronatus per viam violentiæ, pertineat cognitio ad judicium coronæ, ubi n. 10. et 11. judicatum tradit.

Et reſol. 34. n. 25. tenet, quod reſignantes, et permutantes beneficia juris patronatus regii, et prioratuum coronæ, ſine eorum licentia patronorum, committunt violentiam, pro qua datur recurſus ad coronam, ubi aggravantibus providetur, prout conſtat ex ſententiis relatis ab eodem, ref. 30. et datur etiam actio ſpolii in eodem judicio, cujus virtute impetrantes etiam excluduntur, prout conſtat ex ſent. coronæ ibid. relata. Et ref. 64. afferens caſum de ſenatore quodam à capitulo Lamecenſi valide, et licite cenſurato ob ſacrilegam percuſſionem, ac detentionem clerici, agit de recurſu ejuſdem ad capellanum majorem, et quatenus iſte ordinariis inhibere poſſit pro non cenſurandis miniſtris regiis.

Reſol. 67. n. 3. defendit, prælatum non committere violentiam, ſi jubeat, quod patronus de jure ſuo doceat; et n. 8. quod ſi præſentatus appellet ab ordinario, quia admiſit præſentationem alterius patroni, quin eum reſtitueret, debet proſequi appellatio coram ſuperiore eccleſiaſtico, et non datur gravamen, nec recurſus ad coronam, juxta Gabriel. Per. c. 27. n. 40.

Et reſol. 68. tuetur, in judicio coronæ non provideri gravamini interpoſito à rejectione appellationis executoris in reſervatione penſionis uni ex duobus ſuper idem beneficium litigantibus, altero proviſo per arbitros ex utriuſque conſenſu electos, ubi etiam n. 83. tradit ſententiam conceſſionis auxilii brachii ſæcularis judici eccleſiaſtico, et de aliis.

Et reſol. 69. ſuſtinet, legatos, collectores, et reliquos judices eccleſiaſticos, teneri acta et proceſſus præſtare judicibus regiis, ut gravamina ab illis ad coronæ judicium interpoſita decidantur; quod tamen intelligendum eſt de obligatione politica, non de juridica; nam, ut tenent apud Oliv. de for. eccleſ. q. 18. Soar. Azor. Per. de man. reg. c. 21. n. 29. Peres Salzed. Cevall. Pignatell. et alii infra videndi c. 34. q. 3. n. 41. judices eccleſiaſtici non tenentur *juridice* parere chartis regiis rogativis, ſed tantum *politice*, de quo late infr. c. 38.

Reſol. autem 73. agit de impetratione tuitivæ ſuper beneficio patronatus regii, aut eccleſiaſtici, ubi aſſerit cum communi, eum, *qui continuat* ſuam poſſeſſionem, *non attentare*, et attentatum ſolummodo afficere litigantes, non vero tertios poſſeſſores, neque Summum Pontificem providentem beneficium, de quo litigatur, ex Clem. 1. *Ut lit. pend.* et doctrina Jacob. Cavaller dec. 186. an. 28.

Et reſol. 75. refert praxim proceſſus ad temporalitates adverſus prælatos, et judices eccleſiaſticos, ex ſtylo, et concordia nolentes chartas rogativas aſſentiri ſuper proviſione gravaminis interpoſiti ob denegationem collationis præſentato à patrono, pacificam poſ-

ſeſſionem præſentandi habente, ubi duplicem caſum conſimilis proceſſus adverſus epiſcopum Portucalenſem, et archiepiſcopum Eborenſem, n. 14. et ibi regiam epiſtolam ſuper talis praxis formalitatibus, omnino videndam, et alios caſus. Sed de hoc infr. c. 37, 38. uſque ad 41.

Et reſol. 77. n. 16. aſſerit, quod, cognoſcente judice eccleſiaſtico de decimis coronæ ex conceſſione Pontificis concorporatis, detur recurſus ad coronam; ubi tamen n. 25. affert decretum palatinorum ſenatorum, quo chartas judicii coronæ male expeditas judicârat; poſtmodum in impedimentis regii procuratoris hoc decretum ab eiſdem revocatum eſt, et expeditio, bona judicata, et confirmata.

Et reſol. 78. agit de uſurpatione regiæ juriſdictionis ab eccleſiaſtico cognoſcente inter laicos de re mere laica, et mere profana. Et reſol. 79. n. 17. adducit ſententiam judicii coronæ revocatoriam primæ, qua judicârat, ordinarium non commiſiſſe violentiam in proviſione eccleſiæ parochialis, filialis eccleſiæ juris patronatus regii; eo quod archiepiſcopus Eborenſis erat in poſſeſſione illam præſentandi, quæ poſſeſſio priori donatario S. Petri oppidi *Torres vedras*, illam primo præſentanti, deerat. Qua tamen poſſeſſione in impedimentis primæ ſententiæ probata, contrarium denique judicârunt, et pro violentia deciſum eſt.

Et reſol. 82. n. 5. adducit aliam ſententiam coronæ, cujus rogativæ male expeditæ fuerunt judicatæ in ultimo decreto ſenatus aulici ſuper proviſione beneficii regii patronatus regulis reſervatoriis cancellariæ ſubjecti in menſe alternativæ, n. 33. et ultimo tandem, n. 42. aliam ſententiam ejuſdem judicii excluſivam recurſus à vicario generali Portucalenſi intentati, ſuper proviſione conſimilis beneficii in menſe ſuæ reſervationis, vel alternativæ.

Et reſol. 84. agit de unione beneficiorum patronatus regii, tum quoad epiſcopos, tum quoad capitulum. Et reſol. 85. agit de competentia judicis ordinum militarium, vel vicarii generalis ad cognoſcendum de cauſis decimarum inter commendatores, et donatarios, ubi refert, n. 5. ſententiam providentem in gravamine interpoſito à judice ordinum, quaſi incompetente, et vicarium generalem diœceſanum, competentem eſſe declarantem, quæ tamen revocata fuit in decreto menſæ palatinæ, ubi chartæ rogativæ non bene expeditæ judicatæ fuerunt.

Et reſol. 86. agit, an priores, et rectores patronatus regii poſſint præſentare coadjutores perpetuos in annexis ſuarum eccleſiarum. Et n. 22. adducit ſententiam coronæ judicii excluſivam recurſus pro ſimili præſentatione intentati. Et n. 3. aſſerit, curatum amovibilem non eſſe beneficiatum, ſed ſimplicem ſtipendiarium, ex Garc. p. 1. c. 2. à n. 93. Themud. dec. 11. n. 12. et curatus amovibilis non cenſetur habere *titulum* beneficii. Barb. collectan. ad c. *Conſtitutus*, n. 2. de fil. preſbyter. Et n. 5. quod curatus annualis, vel vicaria temporalis, non poſſit conferri in perpetuum, ſed debet prius erigi in vicariam perpetuam ex declaratione S. Congr. apud Garc. p. 11. c. 2. n. 15. Barb. et alios. Vide etiam decretum ſereniſſimi regis Joan. IV. ap. eund. Oſor. reſ. 89. n. 6.

Et reſol. 87. ait, quod, ſi, oppoſita exceptione obreptionis, et ſurreptionis contra inhibitoriam apoſtolicam, ſi judex inhibens ad ulteriora procedat, quin cognoſcat de exceptione, neque ei deferat, committit violentiam; et n. 17. affert ſententiam judicii coronæ in palatino ſenatu confirmatam.

Et reſol. 89. affert decretum ſereniſſimi regis Joannis V. ſuper proviſionibus beneficiorum eccleſiaſticorum epiſcopatus Angrenſis, et aliarum eccleſiarum tranſmarinarum ordinibus militaribus attinentium; ubi declarat, 1. Bullam erectionis epiſcopatus Angrenſis extinxiſſe omnino juriſdictionem eccleſiaſticam, quam ordo militiæ Chriſti in illis partibus habebat, illamque in noviter electum epiſcopum tranſtuliſſe, abſque diſtinctione aliqua.

2. Declarat, ſolummodo regibus hujus regni reſervâſſe jus patronatus, ad epiſcopos eligendos, et ad cuncta beneficia cum cura, et ſine cura præſentanda; et hanc reſervationem, utpote odioſam juriſdictioni epiſcoporum, minime ampliandam eſſe, ſed reſtringendam ad beneficia perpetua dumtaxat.

3. Reliqua officia eccleſiaſtica, et onera, quæ perpetua non erant, non poſſe quidem appellari beneficia, et ſolummodo continere nudum miniſterium annuale amovibile ad nutum concedentis.

4. Talium officiorum proviſionem epiſcopo, et, ſede vacante, capitulo pertinere ratione juriſdictionis epiſcopalis, à bulla præſtitæ, cui conſuetudo è contrario pro parte menſæ ordinum allegata, minime præjudicare poterat; nam juriſdictioni, ac juribus epiſcopalibus, nulla conſuetudo, aut poſſeſſio in illa fundata, utpote irrationabilis, et contra jus, præjudicare valet.

Et tandem ſic concludit: *Et eo quod hæc materia gravis ſit, et juriſdictioni epiſcopali præjudicialis, debebant miniſtri tribunalis ordinum graviter in illa ſcrupulizare, et ſolummodo beneficia, cum cura, et ſine cura, quæ perpetua fuerint in vita recipientium providere; non vero officia, et alia munia eccleſiaſtica, quæ removibilia ſunt, quorum proviſio epiſcopo, et capitulo, ſede vacante, ſecundum jus pertinet.*

Reſol. autem 90. aſſerit, à judice delegato in cauſa juris patronatus regii cognoſcente, vel delegante, ultra locum, et diœceſim commiſſionis, patere recurſum; et n. 7. judicatum tradit.

Et reſol. 91. tenet, etiam dari recurſum, ſi judex eccleſiaſticus cognoſcat de alio incidenti, quin prius de exceptione incompetentiæ cognoſcat, et etiam refert judicatum n. 9.

Et reſol. 92. tenet, quod inſtitutio, et collatio beneficiorum jure proprio competit ordinario in omnibus beneficiis ſuæ diœceſis de jure communi, etſi præſentatus appellet ab ordinario ob dilatam, vel denegatam inſtitutionem. Et ad diſpoſitionem Clement. *Auditor*, de reſcriptis, reſpondet, hoc procedere ex ſpeciali jure Romæ tantum, et reſpectu beneficiorum, quorum collatio, et inſtitutio pertinet ad Papam; et quod eſt ſpeciale auditoribus cameræ Romæ, non eſt ad alios delegatos extendendum cum certo præjudicio juris ordinariorum, cui minime etiam per conſuetudinem in contrarium præjudicatur, juxta ſuperius tradita reſol. 89.

Reſol. 96. aſſerit, non poſſe impetrari beneficium patronatus cujuſvis, ſine licentia, aut conſenſu patroni, et à tali impetratione patere recurſum ad coronam; et judicatum refert n. 8. et reſol. 97. reſolvit, ordinarium non poſſe cognoſcere de exceptione juris patronatus, oppoſita edicto de providendo per concurſum, beneficio vacante; ſed remittendam auditori regiæ capellæ, et interim ſuperſedere, alias patere aditum ad recurſum.

Reſol. 98. agit de reſignatione beneficiorum, et refert ſententiam interlocutoriam judicii regii, qua juſſit notificari priorem Cintrenſem, ut acceptaret reſignationem beneficii ſimplicis ſuæ proviſionis; quæ quidem beneficia ſic reſignata, non ſunt reſervata, ex Gonz. ad reg. 8. Cancellar. gl. 14. et aliis.

Reſol. 99. agit de appellatione à collatione ordinarii facta virtute præſentationis donatarii, vel patroni, quam tenet non eſſe ſuſpenſivam, neque patere recurſum ad coronam ex denegatione illius, quoad hunc effectum. Et n. 7. refert decretum ſenatus aulici, decernens, male expeditas fuiſſe chartas rogativas judicii coronæ, ubi in contrarium gravamini cuidam proviſio data fuit. Et aliud conſimile decretum in alio pari gravamine, n. 21. et tandem reſol. 100. agit de præſentia procuratoris regii pro judiciis dicendis in ultima deciſione cauſarum recurſus in ſenatu aulico, de quo infr. c. 38. et ſeqq. et ſatis. Recole tamen regiæ commendationis, ſive admonitionis intimationem moderno nuntio apoſtolico domino *Tempi* à regio ſecretario Marco Antonio die 14. Junii, anni 1744. factam, ſuperius traditam.

Complementum pro recurſu ex non obſervata ordinatione regia, vel Trident. Concil. diſpoſitionibus.

XVI. Aliqui neoterici ex ſtylis domus Portucalenſis apud modernum Solanum ad Peg. to. 3. tertiam hanc, et quartam recurſus rationem, ſive ſpeciem inducere affectant, pro qua etiam adducitur nota quædam egregii regii procuratoris Thomæ Pinheiro da Veiga. Pro quo recolendæ ſunt regulæ ex Engel. prælud. 6. ſupra tranſcriptæ.

Et ulterius ſupponendum eſt, 1. Regiam ordinationem eſſe jus civile, non vero jus canonicum, ordinatam

dinatam à rege ipſo, ut principe laico, qui, ut talis, utique juriſdictione, et auctoritate omnino caret ad condendas leges canonicas, ſive eccleſiaſticas, eccleſiaſticos judices arctantes. Imo circa jus patronatus regii, eo quod ſit ſpiritualibus annexum, nequit princeps laicus legem aliquam condere ex c. *Decernimus*, c. *Quanto*, de jud. Per. de man. reg. c. 29. Vivian. de jur. patron. l. 4. c. 4. gl. in c. *De jure*, 16. v. *Irritum*, de jur. patron. et alii ap. Oſor. in prax. reſol. 41. n. 16.

Suppon. 2. Judices eccleſiaſticos teneri judicare ſecundum jus canonicum, quod ipſis proprium eſt, utpote jus eccleſiaſticum; non ſecundum jus civile, etiam municipale; quamvis deficiente diſpoſitione juris canonici, poſſint ſe conformare diſpoſitioni juris civilis, præſertim municipalis. Ita DD. communiter ex c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. Antonell. de regim. l. 6. c. 1. n. 93. Fermoſin. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, d. conſtit. q. 2. Barboſ. ibid. et alibi, et omnes fere communiter, quibus adhæret Gaſparr. inſt. can. tt. procem. n. 52. ex c. 1. de nov. oper. nunciat. ibi: *Sicut leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita et ſacrorum can. ſtatuta conſtitutionibus principum adjuvantur.*

Suppon. 3. Etiam ipſoſmet judices regios teneri decidere recurſus à judicibus eccleſiaſticis intentatos, ſecundum leges canonicas, non vero civiles, ex c. 1. de conſtit. Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 2. § 3. n. 1. et ſeqq. et p. 2. c. 4. n. 30. Oſor. de patron. reg. reſol. 40. n. 11. et alii.

Suppon. 4. Reges, et principes laicos non cognoſcere de injuſtitia judicum eccleſiaſticorum, ſed de violentia, eaque patente, manifeſta, ac notoria, et minime celabili, Per. de man. reg. c. 4. 7. et 11. et nos ſupr. c. 17. et ſeqq. Neque hanc cognitionem exercere, ut *regem*, ſed ut *virum bonum*, non juriſdictionaliter, aut ſuperioraliter, ſed per viam facti *extrajudicialiter abſque umbra* (ut ait Salg. p. 1. c. 2.) *et veſtigio juriſdictionis per nudam poteſtatem, quaſi naturalis defenſionis auxilii politici, et œcumenicæ tuitionis, et charitativæ protectionis, tuti acceſſus, atque aſyli vi oppreſſorum*, &c. Vid. Salg. cit. c. 1. et 2.

Dico igitur, 1. Aſſertio illa, quod pateat recurſus ad regios judices ex non obſervantia ordinationis regiæ, ſolummodo debet intelligi, in illis proceſſibus, in quibus vel læditur jus naturale, vel naturalis defenſio tollitur, vel aliqua vexatione notoria reus opprimitur, aut notoria vis, ſeu violentia, minime celabilis, vel tergiverſabilis, illi incutitur, juxta canonicas ſanctiones, de quibus etiam leges civiles municipales diſponunt: non vero de non obſervantia præciſe ordinationis regiæ, tanquam juris mere civilis, quamvis municipalis, et in genere præciſæ injuſtitiæ citra violentiam: et prout ſic ſiſtimus in triplici præmiſſo cap. Licitudinis recurſus, de qua ſupr. à c. 10. et ſeqq. Ita Fermoſin. infr. cit. Cohæret partialiter neotericus Silva ad ord. l. 3. tit. 64. ad princip. *de leg. et ſtyl. ſervando.*

Prima pars patet ex traditis, c. 11. 17. et ſeqq. unde recte judicatum fuit apud Peg. to. 3. ad ord. l. 1. t. 9. § 12. n. 829. judicem apoſtolicum vim non facere nolentem obſervare regiam ordinationem in caſu, pro quo dabatur juris canonici diſpoſitio, ex doctrina Salg. de protect. reg. 1. p. c. 2. § 3. Et quamvis ibidem alium caſum in contrarium judicatum adducat; intelligendus eſt, ex debita legum, ac jurium concordantia de facto, pro quo expreſſa juris can. diſpoſitio non dabatur, atque adeo juris civilis diſpoſitioni deberet judex eccleſiaſticus conformari.

Similiter, quando decernitur contra judicem eccleſiaſticum non obſervantem diſpoſitionem ord. l. 2. t. 1. § 13. ideo eſt, quia læditur jus naturale propriæ defenſionis, et propriæ famæ conſervationis, ut expreſſe ipſamet ordinatio innuit; quæ quidem, qua parte etiam diſponit obſervantiam Concil. Trid. quoad trinæ monitionis præcedentiam pro excommunicatione ferenda, jam ex coadjuvamine juris canonici, et non mere civilis diſponit, ut paſſim diſcurrit Fermoſin. de judic. et for. compet.

Secunda autem pars, videlicet, Quod in genere præciſe injuſtitiæ non pateat recurſus ex non obſervantia regiæ ordinationis, prob. 1. Quia implicat recurſus à judice eccleſiaſtico per viam violentiæ ab eo, quod talis judex facere non tenetur: atqui judex eccleſiaſticus non tenetur judicare juxta diſpoſitionem ordinationis, tum quia eſt jus civile, et non canonicum, tum quia reges Luſitaniæ non ordinârunt leges ſuas civiles pro judicibus eccleſiaſticis directe, ſed pro laicis, de quo Silva cit. n. 9. inquiens, quod, deficientibus canonibus, debent cauſæ eccleſiaſticæ terminari ſecundum leges Cæſareas, et non ſecundum leges regni, etiam contra ſtatutum ſynodale, aut provinciale, ex Cald. Barb. Cardoz. Tell. Themud. dec. 59. n. 12. et 13. ergo.

2. Quia implicat dari talis recurſus ex non obſervantia juris civilis in caſu, ubi non datur ex non obſervantia juris can. et eccleſiaſtici: atqui non patet recurſus à judice eccleſiaſtico ad ſæculares ex non obſervantia juris can. in terminis meræ injuſtitiæ, quamvis notoriæ, ſed in terminis notoriæ violentiæ dumtaxat, quæ nullatenus celari poteſt, ex dd. c. 17. et ſeqq. ergo.

3. Quia à judice judicialiter, ſervato juris ordine, procedente, et injuſte judicante contra jus canonicum, non patet recurſus ad regem, eo quod rex non cognoſcat de injuſtitia, ſed de violentia manifeſta, de quo ſupr. c. 18. 14. et ſeqq. ergo multo minus ab injuſte judicante contra leges civiles, etiam municipales.

Confirmatur ex iis, quæ cit. Silva adducit, n. 34. de ſtylo curiæ Romanæ ſervando à judicibus eccleſiaſticis, etiam extra illam, et n. 47. de ſequenda opinione in judicando, quæ magis animæ favet, et n. 60. de præferenda opinione canoniſtarum, etiam opinioni theologorum in interpretatione juris can. et quæ ibidem adducuntur ad § 3. et alibi, ubi etiam n. 43. aſſerit, etiamſi agatur de peccato veniali debere, in foro civili judicari, ſecundum diſpoſitionem juris can. cum Barb. hic, et Surd. q. 29.

Dices, 1. Juxta eundem D. ibid. n. 8. leges regiæ debent ſervari in foro eccleſiaſtico, ſi contentio vertitur inter laicos: ergo.

Reſp. cum diſtinctione: Quantum ex parte materiæ politicæ, vel profanæ, tranſeat (cum hac enim diſtinctione aſſerit etiam Gaſparr. cit. tit. 1. de conſtit. n. 52. in defectu tamen diſpoſitionis juris canonici): quantum eſt ex parte proceſſus, ſive ordine, aut ſtyli procedendi, nego. Sic enim, quamvis ex diſpoſitione ordinationis recuſatio non intentatur, niſi lite mota, aut verſante, et à ſententia recuſationis non datur appellatio; attamen ex jure can. poteſt intentari ante motionem litis, et ab illius ſententia appellatio admittitur, de quo alibi.

Pariformiter, etſi de jure civili valet appellatio abſque expreſſione judicis ad quem, de jure canonico eſt nulla, Abb. in c. *Inter cætera*, de appellat. Franch. in c. *Dilecti*, c. 13. eod. tit. de quo Pelegrin. in prax. p. 3. ſ. 1. n. 90. et in cauſis matrimonialibus ſervandi ſunt canones, Barb. et Silv. cit. atque adeo matrimonium contractum abſque parentum conſenſu, quod nullum proclamat jus civile, validum quidem eſt de jure canonico. Engel. cit.

Item de jure municipali nulliter proceditur ad inquiſitionem, vulgo *Devaça*, in offenſis minus gravibus; cum tamen de jure canonico valide, et licite, imo regulariter in praxi proceditur per inquiſitionem in qualibet offenſa rerum, et perſonarum eccleſiaſticarum, de quo Themud. deciſ. 59. n. 11.

Pro non obſervantia Concilii Tridentini.

Fermoſin. de conſtit. in c. 10. *Eccleſia S. Mariæ*, q. 19. n. 36. ita inquirens: *An reges poſſint ſe intromittere, quando ab aliquo epiſcopo non obſervatur aliquod Tridentini decretum?* et ſic reſolvit: *Iterum nunc dico, quod etſi affirmative reſpondeant Bobadilla in politica, tom. 1. lib. 2. cap. 18. n. 194. Zevallos de cognitione per viam viol. p. 1. gloſſ. 1. n. 62. et p. 2. q. 3. n. 9. n. 99. et n. 16. ubi ita aſſerit: En nueſtra Eſpanna ſe practita, que el rey nueſtro ſeñor, y ſu real conſejo ſea juez competente, paraque ſe guarde el Concilio Tridentino. Verum hanc praxim, ut notat Diana p. 1. tr. 2. reſol. 10. non ſolum theologi, ſed nec juriſconſulti admittant, comprobans ex Pereira in tractatu de man. reg. p. 1. c. 8. n. 22. dicente reſpuendam eſſe illam praxim, quæ maxime invaluit, pluribus ſententiis ſenatus corroboratam, quod ad regium tribunal ſupplicare*

care liceat, quoties aliquod Concilii Trid. decretum ab epiſcopo non obſervatur, quaſi reges ſint Concilii Protectores, quia hoc repugnat ipſi concilio ſeſſ. 35. de reformat. cap. 3. ut in dicto loco expendi; ait enim Pereira, in his caſibus non ineſſe violentiam, cui occurri debeat per ſæcularem, et Diana, ut quando epiſcopus non obſervat aliquod concilii decretum, recurrendum ſit ad archiepiſcopum, et non ad regem. Itaque in regia cancellaria Valliſolet. ubi egi plus 13 *abhinc annis, nec vidi, nec audivi aliquem caſum ſuper hoc eſſe tractatum per viam violentiæ, cum alias quotidie de caſibus violentiæ ab eccleſiaſticis illatæ ventiletur.*

Dico tamen, 2. In ſenſu veritatis, reges eſſe protectores, et executores S. Concilii Trid. ut conſtat ex bulla ejuſdem concilii confirmatoria, de quo etiam alleg. 75. et ſeqq. proindeque poſſe tueri, ac protegere, etiam in rebus vexationem, aut naturalem defenſionem non devolventibus, ipſius decretorum obſervantiam; ſed per aliam viam, aut per alium modum tuitionis, ac providentiæ, diverſæ formaliter, ac materialiter à proviſione via violentiæ, et via gravaminis, ſeu recurſus contentioſi; videlicet, per epiſtolam, aut per monitum politicum, ſive per nuntium, vel regii beneplaciti inſinuationem, eo modo, quo ſæpius in praxi proviſum reperitur, etiam pro obſervantia Romani cæremonialis, etiam in eccleſiis, in controverſiis præcedentiæ inter prælatos, et gubernatores, inter capitula cathedralium, et magiſtratus ſæculares, et alias ſimiles, quæ reperiuntur allegationib. 131. et alibi.

DISTINCTIO VI.

De Stylo, ac Modo Cognoſcendi.

CAP. XXXVII.

De Stylo, et Modo cognoſcendi, ac procedendi in Cauſis Recurſuum ab eccleſiaſticis Judicibus ad ſæculares intentatorum.

SUMMARIUM.

I. *Quiſnam in hac re ſtylus, ex Coſta.*
II. *Per quem notarium exequi debeat expeditio judicis eccleſiaſtici.*
III. *Si notarius regius libellum in acta reducere omittat, quid agendum.*
IV. *Judex eccleſiaſticus non reſpondens intra terminum trium dierum perfectorum, traditionis die excluſo, adhuc poteſt cum actis, ex vi rogativæ tranſmiſſis, reſponſionem mittere.*
V. *Poteſt etiam pro reſponſione propria nullam aliam, quam quæ ex allegationibus in actis tranſmittendis conſtant, adhibere; et cur non adſtringatur ad defenſionem dandam.*
VI. *In recurſibus ab epiſcopo intentatis, poteſt iſte vicario ſuo generali reſponſionem committere, vel etiam promotori allegationem texere.*
VII. *Si tamen prælatus, aut ejus vicarius, abſolute non reſpondeant, poteſt pars, contra quam recurritur, pro juſtitia ſua allegationem jungere, et ad id à judice ecclesiaſtico copia proceſſus præberi.*
VIII. *In coronæ judicio proceditur de bono et æquo.*
IX. *In aliis regnis fit citatio per edictum, ut omnes intereſſati compareant, ſi velint.*
X. *Eſt conforme regiæ legi in aliis gravaminibus.*
XI. *Et à fortiori in gravaminibus, etiam à judice eccleſiaſtico.*
XII. *Suffragatur auctoritas Olivæ.*
XIII. *Notificatio recurſus parti intereſſatæ in Luſitania, non fit explicite, ſed implicite.*
XIV. *Suffragatur etiam ſtylus nuntiaturæ, et auctoritas Gabr. Per.*
XV. *Tranſcribitur cit. Per.*
XVI. *Non obeſt Oſor. qui et retorquetur.*
XVII. *Qualinam formalitate reſpondeant judices eccleſiaſtici.*
XVIII. *Quo titulo epiſcopi, et eorum miniſtri, afficiantur in ſenatus decretis.*
XIX. *Qualinam decentius affici deberent; de jure, etiam civili, titulus* reverendiſſimi *epiſcopo dabatur.*
XX. *Recurrens à vicario generali, non recurrit à juriſdictione ordinaria, ſed à ſingulari perſona, illam exercente.*
XXI. *Si notarii ſæculares debitum prælatis honeſtamentum in actorum notis non adhibeant, quid agendum.*
XXII. *Quomodo procedatur adverſus judicem eccleſiaſticum exterum, ex Per.*
XXIII. *Si judex eccleſiaſticus nolit parere rogativis, quid agatur.*
XXIV. *An procurator regius debeat aſſiſtere prolationi vocum in ſenatu palatino, ad n.* XXIX.
XXX. *Tranſcribitur Stapletonius de laudibus Thomæ Cant.*

I. STYLUM in hac re ſecundum leges, et praxim Luſitanam, diſtincte adducit *Joannes Martinus da Coſta*, de ſtyl. dom. ſupplicat. ab annot. 8. à n. 19. ubi à n. 64. figurat caſum gravaminis, ſive recurſus, à quodam laico ad regium coronæ judicium interpoſiti, eo quod, cum à quodam conſervatore monitus fuiſſet, ad demittendam cujuſvis domus conductionem, de qua tertius alius apud præfatum conſervatorem conqueſtus fuerat, quaſi violenter factam; et non obſtantibus impedimentis, quæ opportune recurrens monitorio illi objecerat, demonſtrans, nullam vim in conductione illa interceſſiſſe, conſervator ipſe oppoſita impedimenta, imo etiam et appellationem ab eorum non receptione interpoſitam, non admittens, ad ulteriora proceſſerat, ſupplicantem excommunicaverat, et excommunicatum declaraverat, &c. Et denique, ſupplicationem concludit, poſtulans à rege, ut violentiam tollat, et provideat, ut conſervator ipſe adverſus eum non procedat, &c.

Hic libellus ſupplicationis ab advocato ſubſcriptus offertur in menſa regii ſenatus coram regio regii patrimonii proceſſuum judice, vulgo, *Juiz dos feitos da coroa*, qui cum duplici adjuncto ejuſdem regii ſenatus ſic ei deferunt:

> *Accordaõ em rellaçaõ, &c. haja viſta o conſervador, e com ſua repoſta torne, &c. Aſſigna o juiz dos feitos da coroa com dois adjuntos.*

Id eſt:

> *Conveniunt in ſenatu, &c. quod exhibeatur conſervatori, et cum reſponſione ejuſdem revertatur, &c. Subſcribit judex regius cum duobus ſenatoribus adjunctis.*

Porro ille ſupplicationis libellus, ad acta redactus, fit concluſus judici eccleſiaſtico, qui ſequenti delatione illum expedit:

> *Junteſe aos autos, etornem para reſponder. Aſſignaſe.*

Id eſt:

> *Appendatur ad acta, et revertantur pro reſponſione adhibenda. Subſcribit.*

Pro-

Proſequitur Coſta dicens, *Judicem eccleſiaſticum in actis per ſcriptum ſuam reſponſionem dare, allegando quæ faciunt in confirmationem ſuæ juſtitiæ, et in interpoſiti gravaminis excluſionem.*

II. Ubi notandum eſt, 1. Quod cum A. hic non exprimat per quem notarium exequi debeat expeditio illa judicis eccleſiaſtici, *Appendatur ad acta*, &c. et quibus actis annecti debeat libellus, ſive ſupplicatio recurrentis; dubitandum venit, *Per quem notarium; et quibus actis appendenda?* Et *in quibus* tandem per ſcriptum reſponſio danda?

Sed ſatisfit, quoad 1. Videri excquendam per proprium notarium judicis eccleſiaſtici à paritate alterius ipſiuſmet delationis ab ipſomet judice pro charta rogativa ad remiſſionem actorum expedienda, in qua, juxta ſtylum, ſecundum eundem Coſtam ibidem, et infr. ſequenti delatione eam expedit: *Quod notarius judicii ſui coram illo ſimul cum eadem charta afferat acta.*

Quoad 2. vero, Eſſe acta, ſeu proceſſum in eccleſiaſtico judicio verſantem.

Quoad 3. autem, Cum acta, quibus libellus, ſive ſupplicatio recurſus, appendenda eſt, nequeant eſſe acta ipſa in eccleſiaſtico judicio ab ipſomet judice eccleſiaſtico proceſſata; hæc enim reſervantur poſt datam reſponſionem, imo et poſt ſpecialem rogatoriam chartam pro remiſſione illorum tranſmittenda; conſequens eſt, ut acta hæc, in quibus judex eccleſiaſticus reſponſionem, ſive allegationem juſtitiæ ſuæ deſcribit, eſſe prima illa acta libelli, ſive ſupplicationis recurſus, quæ ad acta ex ſtylo redigitur; imo et quandoque, per primam delationem ſenatus, qua copia exhiberi jubetur judici eccleſiaſtico, expreſſe hæc redactio in acta exprimitur in hunc modum: *Cohærent in ſenatu, ut ad acta redacta ſupplicatio, rever. vicario generali (v. gr.) exhibeatur*, &c. Quod ſæpe ſæpius in hoc ſenatu praxi ſervatum vidi, præſertim poſt notarii omiſſionem, infra, ſequenti notando expreſſam.

III. Notand. 2. Quod ſi notarius judicis regii ex omiſſione, oblivione, aliove motivo, libellum, ſive petitionem recurſus in acta reducere omitteret, et à ſenatu ſimpliciter expedi, abſque præfata reductione, judici eccleſiaſtico præſentaret, ſeu exhiberet; poterit judex eccleſiaſticus petere per notam ſive declarationem, vulgo *cotta*, ut ad acta reducatur, cum *proteſtatione* in illis reſpondendi, et quod interim ſibi tempus non decurrat; ut practicatum vidi in hoc Goano ſenatu; cui judices regii detulerunt, ut perquirebatur; et extunc cautela præfata uti cœperunt, exprimendi in prima recurſus delatione, ut exhiberetur judici eccleſiaſtico copia libelli, ad acta redacti.

IV. Notand. 3. Judicem eccleſiaſticum, ſi nolit reſpondere intra terminum præfigi ſolitum, id eſt, intra triduum perfectum, die traditionis recurſus ſecluſo, ex ord. lib. 3. tt. 13. et ex Peg. ad illam, et tom. 3. et 8. atque ex Per. de man. reg. c. 4. 7. 11. et 12. poſſe adhuc tempeſtive, atque opportune reſponſionem dare uſque ad actorum remiſſionem ex vi rogativæ chartæ ad illam, et una cum actis ipſis allegationem ſuam mittere ante finalem recurſus ſententiam, ex Peg. tom. 8. ad ordin. l. 2. tt. 9. § 3. n. 34. ib. *Cui in dicto appenſo præfatus vicarius generalis reſpondit, quod et facere poterat in reſponſione ad chartam rogatoriam, noviter illi miſſam*, &c. Et hic ſtylus in praxi, etiam pro hoc ſtatu, conſtat ex alleg.

V. Notand. 4. Judicem eccleſiaſticum, ſi nolit abſolute recurſui reſpondere, et pro allegatione, atque defenſione juſtitiæ ſuæ contentus ſit cum ea, quæ ex actis proceſſus ipſius remittendi conſtat, id impune, atque inoffenſe efficere poſſe; minime enim adſtringitur ad reſpondendum, vel ad ſe defendendum, etiamſi nullus actorum extet proceſſus, qui remitti poſſit, et ex quo juſtitiæ ſuæ defenſio, vel innoteſcat, vel deprehendatur. Ratio eſt, quia judex eccleſiaſticus in recurſibus iſtis, non ut reus, ſed ut judex reſpondet, ex Coſt. cit. et ex ſtylo; et nullam in eum juriſdictionem ſenatores regii exercent, nec retinent, cum non juriſdictionaliter, ſed per viam facti, et de plano cognoſcat, de quo infr. c. 38. et ſeqq. Solet tamen, quando judex eccleſiaſticus nullatenus reſpondet, exprimi in ſententia clauſula illa, *à ſua revelia*, id eſt, *in ipſius contumaciam*; ut videre licet in quamplurimis areſtis apud Peg. tom. 3. et 8. ad ordin. et apud Themud. Oſor. et alios.

VI. Notandum, 5. Quod quando gravamen, ſive recurſus intentatur ab ipſomet epiſcopo, ſeu prælato ordinario, poteſt hic per propriam delationem in actis recurſus jubere vicario ſuo generali, utpote unum, idemque judicium cum eo conſtituenti, ex c. 1. et ſeqq. de offic. jud. ordin. ut recurſui reſpondeat, vel etiam promotori ſuo, ut allegationem pro ejuſdem juſtitiæ defenſione texat, utpote juſtitiæ ipſius procuratori notorio, ex c. 2. fin. cod. *Ne fiſcal.* et ex aliis juribus, quod etiam poteſt vicarius ipſe generalis, reſpectu ejuſdem promotoris, ex identitate judicii, ac rationis; et de facto hunc ſtylum ſervari, nedum in diœceſi Eborenſi, ut ex Themud. convincitur, dec. 158. 254. et 257. et ex Cevall. de viol. q. 22. ſed et in hoc ſtatu ſæpe ſæpius, ut conſtat ex recurſu interpoſito à procuratore ordinum militarium ab illuſtriſſimo prædeceſſore meo D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione, ſuper viſitatione fabricarum, et confraternitatum eccleſiarum parochialium patronatus regii in hæc diœceſi conſiſtentium; ſuper quo prodiit in favorem mitræ Goanæ ſententia tranſcripta infr. alleg. 23. et ex aliis recurſibus, de quibus alleg. 45. et 22. et ſtylus in hac diœceſi obtinuit, ut in recurſibus à ſenatu eccleſiaſtico intentatis, audito promotore juſtitiæ, et iſtius allegationem ſenatoribus ratificantibus, eam pro reſponſione ſpecialiter offerunt, ut videre eſt ex allegat. 22. et 23.

VII. An vero, ſi prælatus ordinarius, vel ejus generalis vicarius, nolint reſpondere, nec reſponſionem juſtitiæ promotori committere, poſſint offerre allegationem partis, contra quam ſupplicatur, aut recurritur, ut ex inſpectione ejus juſtitiæ, dignoſcatur etiam juſtitia proceſſus judicis eccleſiaſtici; et prout ſic poſſint judices eccleſiaſtici parti eidem copiam proceſſus recurſus dari præbere, vel permittere, ad hoc, ut jus ſuum defendant, et ne judicis eccleſiaſtici omiſſione pereat? Affirmative, quoad utramque partem, reſpondendum, cum Per. de man. reg. c. 11. n. 1. et 8. Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 40.

Contrarium reſolvit extrav. collect. 2. n. 8. in nupera nova edit. ordinat. reg. ad tit. 9. n. 1. §12. n. 62. quæ tamen declaratio procedit, quando eccleſiaſticus judex reſpondet.

VIII. Prob. 1. Reſolutio; quia in hoc judicio coronæ proceditur de bono et æquo, ut tenet Per. cit. n. 1. nec petendi formulis ſtatur, ſed occurritur, ubi naturalis æquitas ſuccurrendum dictat, licet pars in petendo deficiat, vel non curiali forma petat, veritate, et juſtitia ſuggerente, ad imaginem text. in cap. *Ad petitionem*, de accuſation. ubi Pontifex ſpoliatum per ſententiam nullam, non reſtituit, ſpreto juris rigore, ſecutus veritatem negotii, et cauſæ, et explicat gloſſ. ibi verb. *Reſtituendus*, arg. leg. 2. § *Qui furem*, ff. de furtis, ubi fur condemnatur ad damnum non petitum, l. *Emilius*, ubi Bart. ff. de min. ſpecul. in tit. *de actione, et petitione*, § *Super petitionibus*, v. *Sed quid ſit reus*; ſicque in hoc regno in omnibus cauſis faciendum decernit regia ord. lib. 3. tit. 63. in princ. et tit. 30. § fin. et tit. 44. § 3. et tit. 48. § 4. et tit. 52. § 4. et lib. 4. tit. 54. § fin.

IX. Prob. 2. A paritate ſtyli aliorum regnorum, tum intra, tum extra Hiſpaniam, qui obſervat, teſte Oliv. cit. n. 40. ut fiat citatio generalis per edictum, ut ſiquis ſua putaverit intereſſe, compareat; ut per Lucam de Penna, cujus verba refert Seſſ. in ep. ad reg. n. 86. poſt. Afflict. d. dec. 24. n. 6. Ita Oliv. Ergo quælibet pars intereſſe habens in recurſu, poteſt, ſaltem de bono et æquo, licite ſuper illo audiri, et jus ſuum allegare; *ne principes, et reges* (proſequitur Oliv. cit.) *vel eorum judices falſa informatione decipiantur*; *neque ideo aliqua juriſdictio in eccleſiaſticos exercetur.*

X. Prob. 3. A paritate, et ex conformitate diſpoſitionis regiæ legis, ord. l. 1. tt. 80. § 9. ibi: *E ſe a parte, a que tocar, quizer reſponder, reſponderà em outro tanto termo:* id eſt, *Si pars, cui gravamen tetigerit, vel in eo intereſſe habens, reſpondere voluerit; intra conſimilem terminum reſpondebit.* Et l. 3. tt. 85. ibi: *E quando as partes requererem taes cartas, mandemlhes, que tragaõ inſtromento de aggravo, ou cartas teſtemunhaveis com repoſta do julgador de que ſe aggravarem, e das partes, a que o negocio pertencer, ſe a repoſta das partes for neceſſaria para decizaõ do aggravo:* id eſt, *Et quando partes prædictas chartas*

(informationum puta) *ſupplicaverint, jubeant illis, ut gravaminis inſtrumentum afferant, vel literas teſtimoniales cum reſponſione judicis à quo, et partium, quibus negotium attinerit, ſi partium allegatio neceſſaria fuerit pro gravaminis deciſione.*

XI. Quæ quidem ordinationes, licet proprie loquantur de gravaminibus à judicibus fæcularibus ad ſuperiores judices, etiam fæculares, intentatis; à fortiori, ſuffragantur etiam gravaminibus à judicibus eccleſiaſticis interpoſitis; tum à paritate, et à reliquis conſimilibus obſervantiis, de quo Coſta, Oliv. et alii; tum ex eo, quod ſi magiſtratus ſuperiores in gravaminibus ab inferioribus judicibus laicis interpoſitis, in quibus judicialiter, atque juriſdictionaliter cognoſcunt, admittunt allegationem partis intereſſe habentis, pro juſtitia, ac jure ſuo exponendo, atque explanando; potiori ratione idipſum admittere debent in recurſibus à judicibus eccleſiaſticis, omnino exemptis, interpoſitis, in quibus non judicialiter, ac juriſdictionaliter, ſed per viam facti, et per modum protectionis, atque de bono et æquo cognoſcunt.

XII. Confirmatur, 1. Secundum doctrinam Oliv. d. q. 15. n. 40. qui ex citatis ordinationibus infert, hanc permiſſionem etiam in recurſibus à judicibus eccleſiaſticis interjectis; imo addit ſequentem aſſertionem; ibi: *In his tamen Luſitaniæ regnis, licet citatio partis non fiat, notificatur tamen ei, et judici eccleſiaſtico, ut, ſi velint, in certo termino, dicant contra recurſum, ex ord. l. 1. tt. 80. § 9. et l. 3. tt. 85.* Ergo etiam parti, contra quam recurritur, debet notificari recurſus, ex mente regiæ legis.

XIII. Hæc tamen notificatio, cum explicite parti ipſi intereſſatæ non ſoleat fieri, videtur dicendum fieri implicite in copia, ſeu exhibitione libelli recurſus, quæ in prima expeditione decernitur explicite judici eccleſiaſtico, implicite autem etiam parti intereſſe habenti; cui quidem copia, ſeu inſpectio proceſſus recurſus, vel permitti ſimpliciter poteſt à judice eccleſiaſtico, vel per expeditionem conſimilem delationi ſupra expreſſæ, n. 2. jubendo notario ſuo, ut eam det parti intereſſatæ; vel poſt reſponſionem, vel non reſponſionem judicis eccleſiaſtici, poſſunt judices regii eam parti ipſi dari jubere ad ejus inſtantiam, ut colligi videtur ex Per. cit. n. 8.

XIV. Confirmatur, 2. Ex ſtylo, quem practicari audio in nuntiatura, et colligi etiam videtur ex cod. cit. Per. n. 8. ibi: *Sæpiſſime ſupplicatur à collectore, vel alio judice eccleſiaſtico, qui acta non mittunt, &c. in quo tam domini nuntii, quam ejus auditores, ſæpiſſime recurſibus, ab eis intentatis, reſponſionem non dant, et loco reſponſionis mittunt allegationem partis.*

XV. Confirmatur ex doctina ejuſdem Per. de man. reg. cit. n. 8. ibi: *Sextum notabile eſt circa copiam proceſſus partibus dandam, quod ſolet regius procurator inſtare, ne parti, contra quam ſupplicatur ad regium tribunal, copia detur actorum, eo fundamento, quod in cauſa ſupplicationum, ſolus ſupplicans, judexque à quo ſupplicatur, audiri debet, quia dum judicis culpa arguitur, ipſe pro ſua juriſdictione audiri debet, arg. text. in cap. Venerabilibus, de ſent. excom. lib. 6. quia ipſius intereſt defendere cauſam ſuam; ſed potius hæc traditio eſt exterminanda ab eo judicio, in quo ex bono et æquo proceditur; et ſæpiſſime ſupplicatur à collectore, vel alio judice eccleſiaſtico, qui acta non mittunt; et nuda manet partis petitio; quam haberi poſſe pro juſtificata, ut ſtylus obſervat, quam abſonum ſit, jam ſupra oſtendimus; et partibus, et juſtitiæ cauſa, ſummopere conſulitur, ſi partes audiantur, quia cauſam inſtruunt, et juſtitiam aperiunt, laborem levant judici, et in tempore occurrunt, ne poſt vulneratam cauſam per impedimenta admittantur; inſuper, ſi procuratori regio datur actorum copia, quia ipſius intereſt regiam juriſdictionem tueri, quomodo neganda eſt parti adverſæ, contra reg. Non licet, de reg. jur. lib. 6.? Exulet igitur talis ſtylus, et partibus actorum fiat copia, ut plene de jure ſuo doceant, quibus nocere poterit judicis, à quo ſupplicatur, vel imperitia, ſi non perfecte reſpondeat, vel contumacia, ſi acta non remittat; nec poteſt fieri argumentum à ſupplicationibus ad ſenatum, quarum non fit copia partibus, quia in illis ſemper acta junguntur, ſemper judex reſpondet; quod non ita eſt in his gravaminibus, de quibus agimus.*

XVI. Neque obeſt contraria doctrina nuperi Oſor. prax. de patron. reg. ref. 24. n. 2. dicentis; quia in recurſu coronæ tres tantum perſonæ admittuntur, ex quibus componitur judicium: ex cap. *Forus*, de verbor. ſignificat. Prima eſt ipſius judicis. Secunda procuratoris coronæ, vel aggravantis pro violentia, qui ſuſtinent vices actoris. Tertia judicis eccleſiaſtici, à quo aggravatur, qui ſuſtinet vices rei: nec pars adverſa admittitur; ſi enim habuerit aliquid de ſua juſtitia allegaturus, per viam judicis eccleſiaſtici repræſentare debet, et ei poteſt omnes informationes, et documenta præſtare, quin ex propria perſona admittantur; et hæc eſt praxis inveterata, à qua non licet recedere, ex l. *Si publicanus*, § ult. ff. de publican. l. *Illud*, ff. de excuſat. tutor. Valaſc. conſ. 157. n. 34. Gail. lib. 2. obſerv. 52. n. 19. Thom. Vas, alleg. 46. n. 18. Gonz. d. gloſſ. 9. § 2. n. 65.

Non obſtat, inquam, 1. Quia doctrinæ Oſorii opponimus doctrinam Gabr. Per. et aliorum præcitatorum. 2. Quia Oſorius loquitur de copia actorum danda parti pro impedimentis objiciendis ultimo decreto finali ſenatus palatini: nos vero cum præcitato Per. loquimur de copia exhibenda parti pro informatione, et allegatione juſtitiæ ſuæ in ipſo proceſſus initio, et ante primam recurſus ſententiam. 3. Quia Oſorii aſſertum procedit, quando judex eccleſiaſticus reſpondit, et plene auditus fuit de ſua juſtitia; nos vero, quando nullatenus reſpondet, aut pro illa minime allegat. 4. Quia, ſicut juxta Oſor. procurator coronæ, et aggravans, juridice, et moraliter, conſtituunt unam perſonam; et juſtitia unius reputatur juſtitia alterius, et mutuo poſſunt ſupplere ſibi defectus adinvicem per informationes, aut allegationes; ita pariformiter juſtitia judicis eccleſiaſtici, et partis, in cujus favorem detulit, moraliter, et juridice, eſt una eademque, et uterque unam perſonam moraliter conſtituit, et poterunt adinvicem defectus utriuſque per informationes et allegationes ſupplere: ergo in totali defectu allegationis, et reſponſionis judicis eccleſiaſtici, poterit pars ſuæ juſtitiæ allegationem utique opportune adhibere ante finalem ſententiam, et ultimum decretum palatii.

5. Quia regula illa, quæ eſt præcipuum fundamentum Oſor. de triplici perſona in judicio; dato, quod vera foret generaliter, in judiciis judicialibus, et contentioſis; fallit omnino, et indubie, in judicio hoc extrajudiciali, in quo de bono et æquo, et per viam facti proceditur. 6. Quia adhuc in judiciis contentioſis, et judicialibus, fallit iterum in cauſis gravaminum, etiam ad judicem competentem, in judicio fæculari, in quo, juxta cit. ordin. l. 1. tt. 80. § 9. et l. 3. tt. 85. admittitur quarta perſona ad allegandum (ſi quartam illam velis nuncupare) nempe pars illa, in favorem cujus judex à quo detulit: ergo potiori jure in judicio hoc extrajudiciali, præſertim cum recurſus ſit ſpecies gravaminis.

7. Quia, ſi præmiſſæ rationes à præcitatis DD. allatæ, et aliæ congruentes, textibus, et legibus utriuſque juris non deſtitutæ, coegerunt ſenatores aulicos, imo et ipſum ſereniſſimum regem Joannem, in caſu ab Oſorio ipſo expoſito, ad providendum parti, in cujus favorem judex eccleſiaſticus proceſſerat, adhuc poſt finalem cauſæ ſententiam, et ultimum ſenatus aulici decretum, concedendo ſuperſeſſoriam, et impedimenta decreto illi ultimo admittendo, et novam cauſæ agitationem, citra reviſionem, admittendo; cur non cogent allegationem partis in defectum reſponſionis judicis eccleſiaſtici admittere, tum ex pondere rationum illarum, tum ex inconvenientibus inde reſultantibus, et ne forſan intempeſtive, et importune illam cogantur admittere?

Declaratio autem de an. 1652 ap. Peg. cit. n. 762 procedit, quando judex eccleſiaſticus reſpondet, ex verbis ibi: *Se ſe admitte a petiçam, e a reposta do juiz eccleſiaſtico, &c.*

XVII. Notandum, 6. Quod formalitas earum reſponſionum, ſive allegationum à judicibus eccleſiaſticis adhibendarum ea eſt, quæ conſtat ex quamplurimis deciſionibus Themudi, et ex iis, quæ inferius, lib. 4. adjunguntur: in quibus, ut videre licet, incipitur cum rege ipſo, quem tribunal illud repræſentat, loquendo, per nomen *Domine:* et proſequitur eandem formalitatem obſervando in reliquis terminis, ac ſi cum rege ipſo perſonaliter loqueretur.

XVIII. Notandum, 7. Quod quamvis ſenatores regii in expeditionibus, ac ſententiis recurſus, tam vicarium

tarium generalem, quam senatores ecclesiasticos, et quemlibet alium judicem, imo et episcopum ipsum, non nisi titulo, sive honestamento *Reverendi* afficiant, ac prosequantur, v. g. Exhibeatur R. vicario generali, vel R. episcopo, &c. eo quod una eademque sit jurisdictio vicarii, et episcopi; attamen in aliquibus expeditionibus, ac sententiis in recursibus ab illustrissimis prædecessoribus meis intentatis in hoc coronæ judicio, notavi titulum, sive adjectionem aliqualiter digniorem, et quidem decenter ipsis adhibitum; videlicet, *Admodum R. archiepiscopo*, &c. ut etiam patet ex sententia infra alleg. 23. extensa.

XIX. Decentius tamen fore videtur, ex commendatione c. 2. de offic. deleg. in 6. ibi: *Quia pontificali dignitati præditis, ob reverentiam sacri officii, quod exercent, plurimum deferri convenit, et eos plus aliis honorari:* si vicario episcopi simplex præbetur adjectio *Reverendi*; episcopo ipsi, præsertim, si sit ordinarius loci, honorificentior titulus, videlicet *Reverendissimi*, adhiberetur, utpote ipsis, nedum de jure canonico, ex pontific. Rom. et cæremon. episcop. verum et de jure civili competentem, quo et imperatores ipsi sæpe usi sunt, ut visitur in l. *In contractibus*, § *In emmi vero*; ibi: *Per virum reverendissimum episcopum:* et l. *Parabolani*, cod. de episcop. ibi: *Per arbitrium viri reverendissimi antistitis*, l. *Decernimus*, eod. tit. ibi: *Sed arbitrio reverendissimorum antistitum*, l. *Nulli licere*, 28. ibid. l. *Omnes*, 32. § *In hac*, 2. eod. tit. &c.

XX. Neque obest ratio insinuata, quod una eademque sit vicarii, et episcopi jurisdictio. Contra enim est, 1. Quia non recurritur à jurisdictione, sed à judice ipso personali, sive à singulari persona jurisdictionem illam exercente; personæ autem diversæ quidem sunt. Alias gravatus, sive oppressus à vicario episcopi, sive ab aliquo ejus ministro, posset ab episcopo personaliter recursum intentare. 2. Quia, non obstante identitate jurisdictionis, licet senatores regii adversus vicarium generalem temporaliter procedentes, etiam usque ad expulsionem è regno, et ad privationem juris naturalitatis procedere possint, inconsulto rege; non tamen adversus quemlibet episcopum, ex dictis c. 39. n. 2. 3. Quia, quamvis officium conservatoris regularium sit idem tam in episcopo, quam in alio prælato episcopali dignitate non præfulgente; illi, non isti, *ob reverentiam sacri officii*, jubet præcit. c. 2. honorificentius deferri: ergo similiter. 4. Quia licet in vicario generali resideat eadem potestas jurisdictionis, quæ in episcopo; non tamen residet potestas ordinis, quæ episcopale officium adintegrat; ob reverentiam cujus officii, jubet cit. c. 2. *plurimum episcopo deferri, et plus aliis honorari:* ergo.

Vid. Collect. 2. n. 8. et 9. ad t. 9. l. 1. ordin. novæ edit.

XXI. Si autem notarii sæculares judicii coronæ, ex oblivione, vel ex inurbanitate in continuatione, sive executione jussæ, aut decretæ exhibitionis, delationi senatus inhærentes, non alium titulum, aut honestamentum, nisi *Reverendi*, episcopo ipsi adhiberent, sicuti et in fronte actorum recursus; potest prælatus juste conqueri ad tribunal de hac irreverentia in ipsamet justitiæ suæ allegatione, quod et ego executus sum; cui quidem meæ justæ repræsentationi tribunal libenter detulit, notarium animadvertens, et præcavens in futurum. Interest namque prælatum ecclesiasticum, nedum quæ ecclesiæ libertatem, et immunitatem concernunt, sed et quæ ipsius prælati decorem, ecclesiasticamque politiam, disciplinam, et honorem tangunt, sarta tecta conservanda facere, et curare, exemplo D. Thomæ Cantuar. archiepiscopi, et aliorum SS. pontificum, de quibus Stapletonus infra transcribendus. Et confirmari potest à paritate DD. pro licitudine recursus ad reges scribentium, quatenus cum Per. Portug. Peg. et aliis jam cit. astruunt, *Judices ecclesiasticos, si non juridice, politice tamen, et urbane, epistolis rogativis regiis parere teneri.* Ergo pariformiter, &c.

XXII. Notandum, 8. Quod quando judex ecclesiasticus, vel executor procedens, non est naturalis, sed exterus, qui privari naturalitate non potest, asserat Per. de man. reg. c. 12. n. 14. *tunc procedi contra partem, in cujus favorem judex ecclesiasticus procedit:* attamen n. 15. immediate sequenti, sic tradit: *Aliter in nostram curiam receptus est stylus, ut scilicet lata sententia in senatu palatii (quia eo casu executio ejus ad solum judicem regium spectat, ut ipse solus, sine adjunctis, eam exequatur) solent partes ab eo exposcere, ut chartam mittat rogatoriam ad judicem, qui de appellatione cognoscit ab ordinario interposita, ut supplicantem in possessionem immittat, spreto ordinario episcopo, à quo supplicatum fuit, et contra quem lata fuit sententia, et ipse tales literas expedire solet; cujus rei videtur esse ratio, quia, post causam examinatam in senatu palatii, ibi declaratio scribitur, quod sententia bene lata est, et quod impleatur: unde cum ab illa confirmatione robur accipiat, ipsa exequitur, non prior charta à judice regio expedita, arg. eorum, quæ sententiis dici solent, ultimam sententiam exequi, non primam, Barbos.* in l. *Divortio*, § *Si vir*, n. 52. ff. *Solut. matrim.* Bart. in l. *Furti*, ff. *De his, qui notant. infam.* n. 8. *Et ideo solus judex regius executor est.*

XXIII. Notandum, 9. Quod quando prælati, et judices ecclesiastici, nolunt obedire chartis rogatoriis coronæ, ait Osor. cit. n. 3. tunc ab eod. tribunali expeditur aggravantibus attestatio cum tribus sententiis coronæ insertis, quibus ecclesiasticus noluit obedire; et cum ea præsentatur supplicatio in tribunali palatii, tenoris apud ipsum extensi; qua petitur, ut charta judici ecclesiastico expediatur ad comparendum in eodem tribunali, ut audiatur super ratione ad rogativas chartas non adimplendas.

Vid. 2. collect. extravag. ad l. 1. t. 9. ordin. nov. edit. n. 3, 4. et 5.

Virtute hujus supplicationis (prosequitur) expeditur charta manu regis firmata ad judicem ecclesiasticum tenoris apud eundem reperti, si judex est absens, juxta præscriptum ordinat. l. 1. tt. 12. § 6. et cum hac charta mittitur alia ad præsidem provinciæ territorii, ut per scribam sui auditorii eam tradat judici ecclesiastico; qua tradita, scriba attestationem dat cum die, mense, et anno traditionis, et citationis, cum qua pars aggravans novam petitionem offert in tribunali palatino, supplicans designationem diei ad decisionem ultimam in eodem sumendam: quo die designato sumitur ultima resolutio; et decretum extenditur; et si judex ecclesiasticus adsit, ei illico ibidem notificatur; si absit, expeditur nova charta eidem directa ad illud exequendum; et constito per assertionem scribæ de decreti notificatione, et de non paritione judicis ecclesiastici, per novum decretum accorde adinstar (tenoris apud eundem Osor. n. 17. extensi) jubentur occupari temporalitates: ex vi cujus decreti executivi, per judicium coronæ expeditur nova charta ad præfatas temporalitates occupandas, prout ex mandato ibid. transcripto.

Hæc adamussim prænotare, et observare debent judices regii; nam experientia non semel reperi, aliquas ex præmissis formalitatibus ab aliquibus inique prætermissas, et præcipiti acceleratione transilitas, de quo regiæ epistolæ omnino videndæ alleg. 12. et 14.

Notandum, 10. Quod quando judices aulici in ultima gravaminum decisione judicant, chartas fuisse male expeditas, et exequi non deberi, tenentur assignare fundamenta rejectionis, ut tenet Osor. de patron. reg. resol. 48. plurima adducens exempla: et tunc posse partem aggravantem, contra quam deciditur, vel procuratorem coronæ ei assistentem, impedimenta objicere huic finali decreto; et si materiam relevantem opponant, prius decretum revocatur, et chartæ rogativæ jubentur adimpleri, ut evincitur ex exemplis ab eodem Osor. resol. 47. ex n. 14. ad 29. et resol. 77. ex n. 26. et alibi allatis.

XXIV. An vero procurator coronæ debeat esse præsens in senatu aulico, nedum pro altercatione cum judice ecclesiastico ad illum vocato, rationem usurpationis judicato reddituro, verum etiam ad singularem vocum prolationem post utriusque allegationem, super bona, vel mala expeditione rogatoriarum, et earum ab ecclesiastico judice non adimpletione? dubitat Osor. de reg. patron. resol. 100. ex ordin. l. 1. tt. 12. § 2. et pro negativa resolvit, n. 10. ex ordin. ibid. § 6. et ex lege *Quæcunque*, ff. de act. et oblig. Cum enim procurator regius, et judex ecclesiasticus, sint partes adinvicem, si huic non licet interesse prolationi ultimæ decisionis, utique neque illi id licebit, ex vulgari axiomate, quod *utrique parti servanda sit æqualitas*, l. *Non debet actor*, ff. de reg. jur. l. fin. cod. de procurat. Et certe in Goano senatu vidi hanc praxim

do

de non intereſſentia regii procuratoris, neque judicis coronæ, et aliorum adjunctorum, qui ſententiam in recurſu tulerant, ad ſingularem votorum in ultima deciſione prolationem.

XXV. Si quæras, an judex eccleſiaſticus teneatur nedum ſubſcriptionem propria manu exarare, ſed etiam totam reſponſionem, vulgo *de proprio punho?* reſp. negative: 1. Ex ſtylo, et praxiſtarum generali, et ſimplici locutione, qui dicunt judicem eccleſiaſticum reſpondere *in ſcriptis*; non vero propriis characteribus, ſeu manu propria efformatis. 2. Ex ſtylo Eborenſis judicii, de quo Them. dec. 158. ubi judex eccleſiaſticus jubet promotori per propriam delationem reſpondere, ipſe autem non reſpondet. 3. Quia, ſi utrique parti *ſervanda eſt æqualitas*, ex reg. *Non licet*, 32. de reg. jur. in 6. ſicut recurrens, imo neque advocatus libellum recurſus conficiens adſtringitur proprio pugillo, aut characteribus propriis, illum exarare, ſed tantum ſubſcribere; id etiam licebit judici eccleſiaſtico in reſponſione ad libellum ipſum. 4. Quia hæc reſponſio non eſt ſententia aliqua judicialis, quæ debeat ipſiuſmet judicis propria manu extendi, ac deſcribi; ſed eſt quædam extrajudicialis pro juſtitia ſua allegatio.

Vid. Collect. 2. nov. edit. ordin. ad tit. 9. l. 1. n. 11.

XXVI. Unde ſi pars aggravans, imo et illius patroni non tenentur allegationes eorundem juſtitiæ propria exaratione ſcripturiſtica efformare, etiam in cauſis judicialibus, et in quibus de rigore juſtitiæ proceditur; multo minus ad id tenebitur judex eccleſiaſticus in cauſa hac extrajudiciali, et in qua proceditur de *bono et æquo*, et inſpecta veritate, et in judicio, in quo per viam facti cognoſcitur, et cui judex eccleſiaſticus non ſubditur juridice, ſed ad ſummum politice, et ut judex, non tamen ut reus.

Et ſi juxta cit. reg. 32. de reg. jur. in 6. ub. gloſſ. *quod licet actori, multo magis licebit et reo*; cum judex eccleſiaſticus ſuſtineat vices rei, ex Oſor. reſ. 24. n. 2. ſicut *procurator coronæ ſuſtinet vices actoris*; quod huic licet, utique et magis licebit et illi. Nam, ut ait gloſſ. cit. verb. *Non licet*, *Favorabiliores ſunt rei, quam actores: unde ſiquid actori licet, multo magis reo, qui favorabilior eſt*, c. *In judiciis*, eod. tit.

5. Quia judex eccleſiaſticus, ut talis, defert in his recurſibus, ſecundum ſtylum præmiſſum n. 1. jubens, 1. *Ut appendatur ad acta libellus recurſus ad reſponſionem dandam.* 2. In charta rogativa pro actorum remiſſione, in ea deferens, *ut exequatur.* 3. In prima charta rogatoria pro deſiſtentia à gravamine, quando recurrens in eo obtinuit, cui hanc delationem inſcribit: *Quod notarius ſui judicii, adjunctis actibus, eam coram ipſo deferat.* 4. In eadem epiſtola rogatoria, ſi ei non pareat, vel eam non exequatur, ſic deferens; *quod juſte proceſſit, et in conſcientia non poſſit adimplere ſententiam, vel decretum regii ſenatus.* Quæ omnia aperte conſtant ex ſtylo ipſo apud cit. Coſtam, annot. 8. n. 6. atqui omnes has delationes, ſive expeditiones, judex ipſe eccleſiaſticus non tenetur proprio pugillo exarare, ſed proprio dumtaxat ſigno ſubſcribere; nullum enim deferimentum, quod ſententia non ſit, tenetur judex propriis manualibus characteribus exarare, ex communi doctrina: de qua § 6. ex traditis ſupra, n. 7. et ſeqq. et à pari, ex doctrina Per. de man. reg. ibid. n. 8. et 15. ubi tranſcribitur idem Per. c. 11. n. 1. et 8. et Oliv. q. 15. n. 40. aſſerentes, poſſe judicem eccleſiaſticum reſpondere allegationem partis intereſſatæ mittendo; ut de auditoribus nuntiaturæ ait Per. cit. n. 8. qui loco reſponſionis mittunt allegationem partis; quo caſu, non per propriam exarationem, ſed ad ſummum per propriam ſubſcriptionem, aut ratificationem, reſpondent: ergo ſimiliter.

XXVII. Dices: Auctoritas regii hujuſce coronæ judicii, utpote regem ipſum repræſentantis, poſtulat, ut judex eccleſiaſticus, ſaltem ex decentia, propria manu allegationem juſtitiæ efformet. Sed contra, 1. Quia in hoc judicio rex non procedit, *ut rex*, aut ut judex, ſed ut *vir potens*, aut *vir bonus*, et de *bono et æquo*, ſecundum dicta ſuperius. Contra, 2. Quia, non obſtante regia ipſa auctoritate, tum principis, tum hujuſce illius tribunalis, neque partes recurrentes, neque illarum patroni, tenentur allegationes ſuas propria exaratione conficere: ergo multo minus judex eccleſiaſticus, qui eſt pars, et perſona dignior, et nobilior, ut judex, et magis qualificata. Contra, 3. Etiam regiam majeſtatem, et illius regium tribunal, magis decet, ut inſtruatur per literaturam per viam, et characteres faciles, et bene efformatos, et elaboratos, qui quidem inoffenſo pede decurri poſſint, quam per ſigna, aut characteres forſan adeo informes, ut vel male, vel non niſi cum moleſtia, ac defatigatione, percipi valeant; taliter, ut regii judices cogantur per novum decretum interlocutorium (quod non ſemel accidit) monere judicem eccleſiaſticum, ut allegationem ſuam per ſcripturam facilem, perviam, ac perceptibilem, denuo exponeret.

Contra, 4. Quia non poteſt poſtulari major decentia in allegatione judicis eccleſiaſtici, erga regium tribunal, regem ipſum repræſentans, quam quæ abſolute exigitur erga ipſam regiam majeſtatem in propria perſona. Atqui auctoritas regia in propria perſona, non arctat partes, neque illarum patronos, tam in ſupplicationibus, quam in allegationibus, aut informationibus, vel inſtructionibus regiæ ipſi majeſtati perſonaliter directis, ad hoc, ut ex proprio pugillo, aut manu propria conficiantur: ergo multo minus arctare licebit judices, vel prælatos eccleſiaſticos in juſtitiæ ſuæ allegationibus in extrajudiciali judicio coronæ.

Contra, 5. Quia ex hac obligatione, ſi induceretur, quamplurima reſultarent inconvenientia, tum adverſus æquitatem, et charitatem (præſertim in judicio de bono et æquo procedente) tum adverſus ipſammet regiæ majeſtatis decentiam. Prima pars oſtenditur, quia iniquum ſane foret, et contra charitatem, prælatos, ſenio et labore confectos, ad allegationes tot, tantis, tamque variis, et facillimis gravaminibus ab eiſdem intentatis, et affectatis, propria manu, nedum ſubſcribere, ſed et in totum exarandas cogere velle; cum melius, et facilius, per alienam bene formatam deſcriptionem elementarem, ab ipſis tantum ſubſcriptam, plene et plane ſatisfacere poſſunt.

XXVIII. Adverſus decentiam majeſtatis regiæ; quia indecens eſſe nemo inficiatur, regiis oculis, vel regii ipſius tribunalis intuitui, vel inſpectioni, exponere allegationem imperviam, perlegi difficilem, informibus characteribus impolitam, qui non niſi ocululorum, et phantaſiæ, moleſta defatigatione bene percipi, ac penetrari valeant; cum omnis inſtructio, aut juſtitiæ allegatio, debeat eſſe clara, facilis, perſpicua, inoffenſa, per ſe patens, atque manifeſta, tum formaliter, tum etiam materialiter, quantum fieri poterit; ex communi DD. monitu, tit. *De judiciis*; Deluc. relat. cur. diſc. 46.

Et certe reipſa in primo mei utriuſque gubernii eccleſiaſtici, et ſæcularis exordio, dum epiſtolas, et informationes aliquas, tum Summo Pontifici, tum regiæ majeſtati à me directas propria manu, pro majori, ut putabam, decentia, deſcribere cogitâſſem, monitum utrinque accepi, ut etiam in epiſtolis, regia manu tradendis, amanuenſi uterer, qui elementares notas bene formatas, faciles, et expeditas ederet. Et hinc valide corroboratur intentæ decentiæ argumentum. Si namque hoc ſane, et ſumme regiam ipſam majeſtatem in propria perſona, etiam pro epiſtolis, et informationibus in manu regia tradendis, decet; cur, potiori et fortiori ratione, non licebit in inſtructionibus, et allegationibus, non regiæ majeſtati perſonaliter directis, et regiis oculis colluſtrandis, ſed regio tribunali, quod regiam majeſtatem figuraliter tantum, ſeu repræſentative adumbrat, offerendis?

XXIX. Confirmatur; quia ſi prælatus, vel judex eccleſiaſticus, impediatur infirmitate, vel alio impedimento, ſenatui palatino pro ultima recurſus deciſione intereſſe, auditur per ſcriptum, ut conſtat ex areſto apud Peg. ad ord. tom. 8. l. 2. tt. 9. § 3. n. 32. ubi ann. 1576. epiſcopus *D. Enmanuel de Almada, conſervator ordinis S. Benedicti, infirmitate detentus ad intereſſendum ſenatui palatino pro ultima deciſione recurſus ab ipſo interpoſito, per ſcriptum à ſe firmatum reſpondit.* Ex quo duo ſane colliguntur: 1. Quod ſi labor infirmitatis eum ad perſonaliter comparendum impediebat, ita ad ſuæ juſtitiæ allegationem propria manu exarandam tradere, ei obeſſet; proindeque à ſe tantum ſubſcriptam obtulit. 2. Quod ſi judex eccleſiaſticus, interveniente aliquo impedimento, perſonaliter non comparet, ſed per ſcriptum allegare admittitur; cum

cum prælati regulariter tot, tamque variis, ac multiplicibus recursibus allegationes proprio pugillo efformare præpediantur, tum ætate, tum ægra valetudine, tum etiam aliis incompatibilibus gubernii sui molestissimis curis, solicitudinibus, distractionibus, et reliquis majoris ponderis negotiis; utique semper licebit allegationes justitiæ suæ ab ipsis tantum subscriptas exhibere.

Confirmatur, 2. Ex dispositione ord. reg. pro validitate, ac licitudine scripturarum publicarum à ducibus subscriptarum dumtaxat.

Et certe in toto Indiano statu, tum mei utriusque gubernii tempore, tum prædecessorum meorum, neque prælati, neque eorum vicarii generales, vel foranei, non nisi per allegationes à seipsis subscriptas dumtaxat, justitiæ suæ fundamenta exponebant, ut ex propriis gravaminum actibus constat. Quinimo, dum sæculare gubernium moderarer, hoc solo impedimento, nunquam palatino status senatui pro ultimo recursus decreto interfui, sed semper per scripturam aliena manu exaratam, et à me tantum subscriptam, justi procedimenti mei allegationem dedi.

XXX. Nunc tandem, *Ut ad D. Thomam redeamus* (scribit sic Stapleton); *nihil à boni pastoris officio alienum fecit hic sanctus pontifex, et martyr. Fecit quod clarissimi, et sanctissimi episcopi contra principes, et magistratus male seriatos, non solum in causa fidei et dogmatum; sed etiam in quæstione politiæ, et potestatis, et disciplinæ ecclesiasticæ sartæ tectæ conservandæ fecerunt. Fecit quod S. Ambrosius contra Valentinianum juniorem; eligens potius, se occidendum militibus in ecclesiam immissis objicere, quam basilicam unam hæreticis tradere, aut coram imperatore de fide disputare. Sed et ipsum imperatorem Theodosium excommunicare non est veritus: ut jam dictum est. Fecit quod S. Chrysostomus, eligens potius in exilium pelli, quam vel imperatricem Eudoxiam inique agentem, et Callitropæ viduæ vineam per injuriam rapientem non coercere, vel contra jurisdictionem ecclesiasticam ab alienis episcopis in sua civitate judicari. Fecit quod S. Anselmus Cantuar. antistes, Gulielmum Rufum Angliæ regem acriter increpans, quod sedes episcopales, ipse interea fructibus gaudens, tamdiu vacuas teneret: quod S. Edmundus Cantuar. etiam archiepiscopus, contra Joannem regem hujus Henrici* II. *filium, et similia patri molientem: quod S. Dunstanus archiepiscopus contra Edgarum Angliæ regem adulterantem: quod S. Lambertus contra Pipinum Austriæ ducem cum sua Alpaide, simili scelere conjugale jus violantem: quod S. Hugo Lincolniensis episcopus contra exactiones injustas Richardi* I. *regis Anglorum, qui ministros regios in suam diœcesim missos excommunicationis fulmine retrocedere coegit. Fecit, quod S. Stanislaus Cracovicnsis episcopus contra Boleslaum Poloniæ regem adulterum, passusque similiter sicut ille: qui jussu regis ante altare interfectus est: quod S. Norbertus archiepiscopus Maddeburgensis contra civium suorum insolentiam, disciplinæ ecclesiasticæ severitatem non ferentes; quorum medios furentium cunctos ingressus, furorem eorum sua auctoritate, et præsentia, non sine aperto capitis discrimine, repressit: quod S. Anselmus Bellicensis episcopus, et S. Hugo Gratianopolitanus episcopus contra quosdam marchiones, et magnates, jus ecclesiasticum violantes, facere non sunt veriti. Fecit denique (ut commemorandi finem faciam, etsi hujusmodi exempla vix finem inveniant) quod S. Fredericus episcopus Trajectensis contra Ludovicum regem Galliæ; quod S. Antoninus archiepiscopus Florentinus contra magistratum, et populum Florentinum: qui cum duos sacerdotes in crimine forte deprehensos publica ignominia affecissent; eos primum excommunicatos, postea zona collo indita ad fores templi jussit procedere, ibique, spectante populo, converberatos terga absolvit. Fecit, inquam, non sic in laicam potestatem animadversus, sed sic sacerdotale privilegium defendens. Postremo, fecit contra Henricum* II. *regem Sanctus Thomas, quod contra Henricum* III. *imperatorem sacerdotalia jura invadentem fecit S. Anno Colonicnsis archiepiscopus; et contra Henricum* IV. *imperatorem multa sibi sacerdotalia vendicantem, S. Benno Herbipolensis episcopus. Quorum omnium typus fuit summus sacerdos Azarias: qui Oziam regem munus sibi sacerdotale arrogantem templo expulit.* Quæ denique exempla decet, ut omnes judices, ac prælati ecclesiastici præ oculis semper retineant.

Post præmissa, et totum opusculum consummate descriptum, prodiit tandem anno 1747. nova ordinationum editio cum collectionibus regiarum resolutionum modernarum extravagantium; quas quidem, si non licuit ob intempestivitatem contextui inserere, licuit tamen marginaliter saltem notare, ut prudens lector eas per otium in proprio codice quærat, ac perlegat.

CAP. XXXVIII.

Deciduntur aliquot Quæstiunculæ erga præmissum Stylum, ac Modum cognoscendi.

SUMMARIUM.

I. *Non idem est procedere* judicialiter, *ac* jurisdictionaliter.
II. *Quando detur processus extrajudicialis, non jurisdictionalis.*
III. *Etiam non est idem procedere* judicialiter, *atque procedere* juridice.
IV. *Judex potest procedere ut* talis, *vel ut* pars.
V. *Quid sit procedere* judicialiter, *quid* jurisdictionaliter.
VI. *Judices regii in his recursibus non procedunt* jurisdictionaliter.
VII. *Contrarios DD. rejicit Peg. sed inefficaciter.*
VIII. *Et ipse rejicitur à Portugal. efficacius.*
IX. *Cohæret etiam Gabr. Per.*
X. *In extrajudiciali cognitione recursus ab ecclesiastico judice, regii magistratus non cognoscunt jurisdictionaliter, neque superioraliter, sed per viam facti, ut* viri potentes, et protectores.
XI. *Reges, à quibus in eos jurisdictio illa derivatur, nullam habent jurisdictionem in clericos.*
XII. *Alias non procederent per viam* rogationis.
XIII. *Si judices regii in rogativis utantur formula aliqua præceptiva, subjacent procedimento judicis ecclesiastici.*
XIV. *Rex, non ut* judex, *sed ut* protector, *subvenit oppressis.*
XV. *Jurisdictio est* publica de causis cognoscendi, ac judicandi potestas.
XVI. *Ex eo quod non cognoscunt nisi in casibus violentiæ certæ, et undiquaque notoriæ, constat, non cognoscere jurisdictionaliter.*
XVII. *Probabilitas, et error communis, dant jurisdictionem subjecto incompetenti, non tamen incapaci.*
XVIII. *Stabilitur cognitio non jurisdictionalis ex communi DD. placitu, etiam sæcularium.*
XIX. *Remedium recursus est extrajudiciale, subsidiarium, et non suspendit jurisdictionem judicis ecclesiastici, nec ab eo gesta dicuntur attentata.*
XX. *DD. recurrentes ad concordatas, non ideo recurrunt, ex assistentia jurisdictionis, sed ad majorem conscientiæ securitatem.*
XXI. *Per concordias solet etiam concedi, et approbari, quod jam de communi jure inerat.*
XXII. *Defensio naturalis vi vim repellendi inest de jure com.*
XXIII. XXIV. *Ministri regii, licet procedant, ut ministri publici, non tamen procedunt, ut superiores judicum ecclesiasticorum.*
XXV. *Assertum D. à Peg. laudati, potius arrogantiam, quam veritatem sapit.*
XXVI. *Sententia tenens, recursum non suspendere jurisdictionem judicis ecclesiastici, nec ejus gesta, recursu pendente, attentata esse, est probabilior, verior, et communior.*

XXVII. *Rex, et ejus miniſtri per appoſitionem manus recurſui, non ſunt ſuperiores reſpectu judicis eccleſiaſtici.*

XXVIII. XXIX. *Recurſus non eſt appellatio, neque eſt formaliter inhibitio.*

XXX. *Eſt de ſpecie gravaminis; proindeque non eſt ſuſpenſivus.*

XXXI. XXXII. *Varia abſurda conſequerentur, ſi recurſus foret ſuſpenſivus.*

XXXIII. XXXIV. *Appellatio effectum ſuſpenſivum non habens, licet legitime interponatur; nec ſuſpendit juriſdictionem judicis, nec in ejus acta inducit attentatum: ita ſimiliter recurſus.*

XXXV. *Tranſcribitur Oliv.*

XXXVI. XXXVII. *Satisfit DD. contrariis, qui pauci ſunt.*

XXXVIII. XXXIX. *Tranſcribitur Creſpi.*

XL. *Suſpendit tamen* politice, *eſto non* juridice.

XLI. *Cogi non poteſt judex eccleſiaſticus à regiis miniſtris ad tranſmiſſionem proceſſuum in eccleſiaſtico judicio efformatorum.*

XLII. *Hæc remiſſio non per viam præcepti, ſed rogationis exquiritur.*

XLIII. *Acta ad forum contentioſum nondum deducta, remitti à judice eccleſiaſtico, vetat expreſſe lex Sebaſtiana.*

XLIV. *Parti oppreſſæ, licet competat jus repulſandi violentiam, non tamen jus aliquod cogendi judicem eccleſiaſticum ad proceſſus remiſſionem.*

XLV. *Nemo tenetur edere inſtrumentum ad fundandam adverſarii intentionem, quod et duriſſimum eſt judici eccleſiaſtico.*

XLVI. *Judex, et acta fori eccleſiaſtici omnino exempta ſunt à juriſdictione laica.*

XLVII. *Etiam nequeunt cogi notarii eccleſiaſtici, licet laici ſint, ad eandem remiſſionem.*

XLVIII. *Quomodo intelligatur axioma,* Conceſſa juriſdictione, conceduntur omnia, *&c.*

XLIX. *Loquitur de juriſdictione omnium judicum.*

L. *Ad tollendam præciſe violentiam notorjam non eſt neceſſaria actorum inſpectio, ſicut neque pro tuitivis concedendis.*

LI. *Argumentum de conſequenti ad antecedens non concludit, quoties ſpecialis ratio diverſitatis intereſt.*

LII. *Quamvis regio munere competat tollere violentias, non tamen acta petere, niſi politice, et rogative.*

LIII. LIV. LV. LVI. *Nec judex eccleſiaſticus denegans proceſſum, denegat principi facultatem tollendi violentias.*

LVII. *Confirmatur ex doctrina ipſiuſmet Gabr. Per.*

LVIII. *Neque ex illa denegatione reſultat præſumptio doli, niſi in judice inferiore injuſte denegante contra mandatum judicis ſuperioris.*

LIX. *Solæ concordiæ regis Dionyſii inveniuntur ſpecialiter approbatæ.*

LX. *Concordia regis Joannis* I. *art.* 60. *eſt tantum politica, et commendativa mutuæ obligationis utriuſque juriſdictionis pro auxilio reciproco.*

LXI. Fruſtra petit is, quĩ quod debet, non impedit.

LXII. *Non officit areſtum Peg. pro juſtificatione gravaminis ex denegatione proceſſus.*

LXIII. *Nequeunt judices regii jubere eccleſiaſtico in proviſionibus recurſuum, ut cenſuras tollant, cenſuratos abſolvant, &c.*

LXIV. *Patet ex variis juribus.*

LXV. *Atque etiam à ratione, et ex generali ſtylo.*

LXVI. *Et ex ipſa regia lege.*

LXVII. *Hinc minus bene locutum Pereiram, ait Oliv.*

LXVIII. LXIX. *Iſte fuit unus ex erroribus, qui ſchiſmati Anglicano occaſionem præbuerunt.*

LXX. *Leges regiæ licite ordinant, non exigi pœnãs excommunicatis contumacibus impoſitas, conſtito de juſta proviſione recurſus finaliter deciſi.*

LXXI. *Eſt diſpoſitio mere temporalis.*

LXXII. *Pœnæ illæ ſolis excommunicatis contumacibus imponuntur.*

LXXIII. *Excommunicatus excipiens de nullitate cenſuræ, dum probat, non eſt vitandus in actibus extrajudicialibus.*

LXXIV. *Conſtito de notoria nullitate cenſuræ, licite poſſunt judices regii præcipere laicis, ut non vitent cenſuratos in temporalibus, aliter vero in ſpiritualibus.*

LXXV. *Societas, et communicatio hominum in temporalibus eſt temporalis.*

LXXVI. *Non vitatio excommunicatorum in ſpiritualibus, etiam reſpectu laicorum, eſt ex juriſdictione principis ſæcularis.*

LXXVII. *Si excommunicatio reperiatur notorie injuſta, non vero notorie nulla, nequeunt jubere, etiam laicis, ut excommunicatos non vitent, etiam in temporalibus.*

LXXVIII. *Excommunicatio quantumvis injuſta, non tamen nulla, ligat quidem excommunicatum.*

LXXIX. *Excommunicatio privat excommunicatum communibus ſuffragiis, quoad eccleſiam, licet quoad Deum probabiliter non privet.*

LXXX. *Pro cenſura valida, quantumvis injuſta, tollenda neceſſaria eſt abſolutio judicis eccleſiaſtici.*

LXXXI. *Admonitio Olivæ pro judicibus regiis.*

LXXXII. *Nequeunt etiam incidenter directe pronuntiare ſuper nullitate cenſuræ, quantumvis notoria; ſed, hac notorietate præſuppoſita, poſſunt illam incidenter recitare per modum fundamenti ad concludendam violentiæ notorietatem.*

LXXXIII. *Declaratio principaliter, vel incidenter, alio modo ſupponit juriſdictionem in materia ſpirituali, qua principes temporales carent.*

LXXXIV. *In totali defectu reſponſionis judicis, vel miniſtri eccleſiaſtici, poteſt pars intereſſata pro juſtitia ſua allegationem jungere remiſſive.*

LXXXV. *An judex eccleſiaſticus, vel ejus promotor, poſſit chartis rogativis, ſicut pars intereſſata, impedimenta objicere?*

LXXXVI. *Quomodo intelligendus Peg. ſuper hac re.*

LXXXVII. *Pars in recurſu obtinens, non eſt quæ rogativas chartas poteſt impedire.*

LXXXVIII. LXXXIX. *Poteſt judex eccleſiaſticus, vel ejus promotor, chartis ipſis impedimenta offerre.*

XC. *Conſtat ex praxi Caſtellæ, et eſt conforme regiæ ordinationi.*

XCI. *Neque obſunt areſta ex Peg. objecta.*

XCII. *Loquuntur de impedimentis ſententiis vulgo* acordaôs *objectis, non vero chartis rogativis.*

XCIII. XCIV. *In areſtis illis non ideo denegatum fuit promotori impedimenta objicere, tanquam incompetenti ad objiciendum, ſed quia intempeſtive objecit.*

XCV. Legibus, non exemplis, judicandum.

XCVI. *Decentius videtur, judicem eccleſiaſticum impedimenta præfatis chartis formaliter non objicere, ſed in reſponſionibus ad chartas ipſas allegare, quid pro juſtitia ſua facit, et hanc allegationem pro impedimentis offerre.*

XCVII. *Quo loco, et quomodo debeat ſedere judex eccleſiaſticus vocatus ad regium tribunal.*

XCVIII. *Si judex eccleſiaſticus infirmitate, vel alio conſimili impedimento, perſonaliter adeſſe detineatur, poteſt in ſcriptis à ſe firmatis, allegationem pro juſtitia ſua mittere; qua adjuncta, concluduntur judicibus aulicis acta.*

XCIX. *Judex eccleſiaſticus pro ultima in palatino ſenatu deciſione, non tenetur comparere, etiamſi impeditus legitime non ſit.*

C. *Judex eccleſiaſticus, dignitate epiſcopali præfulgens, ſedere debet in cathedra ſub baldachino ad lævam præſidis in eadem linea.*

CI. CII. *Conſtat ex jure, et ex ſtylo.*

CIII. *Epiſcopo, etiam ut reo comparenti, conſimilis ſedes honorabilis debetur.*

CIV. *Epiſcopi,* utpote illuſtres, *in jus vocati, habent jus ſedendi, etiamſi ſint accuſati.*

CV. CVI. CVII. *Confirmatur ex multiplici ſtylo.*

CVIII. *Quid pro epiſcopis pure titularibus, non juriſdictionalibus?*

CIX. *Quid in tribunali S. officii quoad hos diſponatur?*

CX. *Epiſcopi ex ipſamet regis electione remanent regni magnates, et optimates.*

CXI. CXII. *Quo loco conſedere debeat judex eccleſiaſticus non epiſcopus?*

CXIII. *Qua forma D. Thomas Cantuar. archiepiscopus aulam regiam objectis responsurus, est ingressus, remissive.*
CXIV. *Judices regii debent judicare secundum jus canonicum.*
CXV. *Resp. objectis.*
CXVI. *Jus canonicum magis accedit ad naturale, quam civile.*

Prima, et præcipua, quæ hic circa præfatum cognoscendi modum sese offert, quæstio est: an judices regii in hac extrajudiciali recursus cognitione, quoad judices ecclesiasticos, cognoscant jurisdictionaliter, ut judices, et ut superiores, cum propria, et directa jurisdictione in illos; an tantum per viam facti, ut reges, ac protectores, et viri potentes, absque jurisdictione, ac superioritate directa, sed ad summum indirecta?

I. PRO resolutione observa, 1. Non idem esse procedere *judicialiter*, atque procedere *jurisdictionaliter*, vel è contra; potest namque dari processus extrajudicialis, qui jurisdictionalis sit; et qui jurisdictionalis non sit. Tunc datur processus extrajudicialis, qui jurisdictionalis sit; quando, v. g. judex ordinarius extrajudicialiter declarat subditum, in quem directam habet jurisdictionem, notorie incursum in juris censuras; vel quando conservator regularium cognoscit, ac procedit, adversus eisdem notorias injurias, atque violentias inferentes; quæ quidem cognitio, atque processus, extrajudicialis est; cum vera tamen, ac directa jurisdictione delegata in illos, à Papa derivata, juxta tradita c. 3. et 4.

II. Tunc vero datur processus, vel procedimentum extrajudiciale, quod jurisdictionale non sit, quando, v. g. judex ordinarius extrajudicialiter denuntiat exemptum, notorie incursum in aliquam juris censuram; qui quidem processus, et cognitio, extrajudicialis quidem est, eo quod sit extra telam judicii; et non est jurisdictionalis respectu exempti, quia illum directe non respicit, sed populum subditum, sive oves ordinarii, quibus eum denuntiat, et indirecte dumtaxat, exemptum; et solummodo respectu subditorum, quibus denuntiatum vitare præcipit, jurisdictionalis reputatur, secundum communem DD. modernorum doctrinam in auctoritatibus alleg. 11, 12. et aliis expensam. Pariformiter cognitio magistratuum regiorum, et processus, vel per viam recursus, vel tuitionis, extrajudicialis quidem est, et minime jurisdictionalis, adversus ecclesiasticos judices omnino exemptos, juxta communem opinionem infra stabiliendam.

III. Observa, 2. Etiam idem non esse procedere *juridice*, atque procedere *judicialiter*; potest namque dari processus juridicus extrajudicialis. Sic judices regii, et judices conservatores, pro tollendis violentiis manifestis, procedunt *juridice*, quia *secundum jus*, vel *juri conformiter*; et tamen non procedunt *judicialiter*, sed extrajudicialiter, quia extra telam, ac figuram judicii. Similiter judices ordinarii, quando extrajudicialiter procedunt in defensionem, *vim vi repellendo*, procedunt juridice quidem; sed non judicialiter, ob datam rationem: cum hac tamen differentia inter utrosque, quod processus regiorum magistratuum in recursibus, et ordinariorum respectu exemptorum in denuntiatione censurarum, est extrajudicialis, non tamen jurisdictionalis, quamvis juridicus, juxta præmissa: processus autem extrajudicialis conservatorum, et judicum ordinariorum, respectu subditorum, est juridicus, et jurisdictionalis, prout animadvertitur cit. alleg. 11. et alibi.

IV. Observa, 3. Judicem vel posse procedere, *ut judicem*, eo quod procedit judicialiter, et cum directa jurisdictione; vel *ut partem*, eo quod procedit extrajudicialiter in defensionem vim vi repellendo; vel *ut virum potentem*, aut *ut protectorem*, quemadmodum procedunt conservatores regularium, qui judices non sunt, sed viri potentes, juxta resoluta c. 3. et 4. et 34. atque judices regii in recursibus, qui non *ut judices*, aut *superiores* ecclesiasticorum, sed ut *reges*, et *protectores* vasallorum oppressorum procedunt, ut explicant Oliv. et Portugal. infra citati.

V. Unde procedere *judicialiter*, est procedere, ut judicem, et servata forma, ac tela judicii; procedere autem *jurisdictionaliter*, est procedere cum vera, ac directa jurisdictione, sive potestate, ac superioritate, tam subjectiva, quam materiali pro causis cognoscendis, ac judicandis; jurisdictio namque definitur, *Publica de causis cognoscendi et judicandi potestas*. V. prælud. 2. à n. 5. et prælud. 3. à n. 1.

VI. His observatis, præjactæ quæstioni Peg. ad ordin. tom. 3. ad lib. 1. tt. 9. § 12. n. 10. respondet, communem adhibens resolutionem; videlicet, *Judicem sæcularem nullo modo ex prædictis terminis cognoscere jurisdictionaliter, aut judicialiter, sed tantum extrajudicialiter, per viam facti cognoscendo de articulo ecclesiastico, tantum per modum causæ, non per viam jurisdictionis; in quo tantam vim ponunt, ut in eo consistere universam hujus recursus justitiam sentiant, quasi, si aliter cognoscerent prædicti judices, non possint excusari ab usurpatione ecclesiasticæ jurisdictionis; Salgad. autem dictis locis sæpe repetit, sine umbra, aut vestigio jurisdictionis, hujusmodi cognitionem adhibere, et Valasc. cons. 76. n. 14. et 15. Cancer. var. p. 1. cap. 14. n. 8. Posth. de man. observ. 6. n. 20. et 27.*

VII. Num. tandem 11. sic eam rejicit: *At multis demonstrabo, in modo, et re, cognitionem istam jurisdictionaliter procedere; contrarium autem vane et perfunctorie astrui. Et ante illud, precor, dicant, si per hanc viam, ex rei natura, dato quod nec jurisdictionalis, nec judicialis via esset, non lædetur ecclesiastica jurisdictio, cur ipsi DD. recurrunt ad concordatas, et consuetudinem? Deinde dicant, qualiter judicialis non est, si per judices expeditur contra judicem judiciali modo? si judicialis non est cognitio, quare non committitur capitaneis, vel gubernatoribus cujuscunque loci, ubi miseri, ut dicunt, oppressi facile per eos succurrantur, nec cogantur longius ad suprema tribunalia recurrere, si quidem vis adeo notoria supponitur, et in facto consistens, ut pars ipsa judicare possit illam talem esse, ut sibi liceat illam propulsare propria auctoritate? Sane merito dixit Suar. in lib. de defens. fid. lib. 4. cap. 34. n. 34. talia afferentes, verbis illudere.*

VIII. At vero Dominicus Antunes Portugal de donat. regiis p. 2. c. 31. n. 18. Pegam sic rejicit, Olivæ adhærens: *Ex cujus fundamentis*, ait, *convincitur opinio affirmativa, quam sequuntur relati ab Oliva, d. q. 20. à n. 1. cum seqq. Deinde placere non potest, quod noviter, ut ipse ait, voluit defendere Emman. Alvar. Pegas. ad ord. lib. 1. tit. 9. § 12. n. 10. et seqq. quatenus refert, judices regiæ coronæ non extrajudicialiter, seu judicialiter, cognoscere de gravaminibus pro tollenda violentia judicis ecclesiastici: quia omnia ab eo considerata diluuntur unico tantum verbo; nempe, ad hoc, ut jurisdictionalis dicatur cognitio, necessario requiritur, quod in cognoscente detur jurisdictio: sed princeps, et ejus ministri sunt incapaces jurisdictionis ecclesiasticæ: ergo eorum cognitio circa tollendas violentias, jurisdictionis non est, neque esse potest. Immo neque princeps ad tuendos vasallos à violentiis ecclesiasticorum jurisdictione indiget, quamvis aliqua cognitione egeat ad cognoscendum, an violentia facta sit, necne? Ita Salgad. de regia protect. 1. p. cap. 1. per totum, et maxime præl. 5. à n. 194. et de retent. bullar. 1. p. cap. 1. n. 152. et 153.*

IX. Cohæret Per. de man. reg. c. 12. n. 4. ibi: *In supplicationibus sæcularium, qui se oppressos conqueruntur, non jurisdictionaliter cognoscunt, et ordinarie, sed extra ordinem per quandam simplicem facti notionem; non judicant, sed declarant, et aperiunt facti veritatem; non imperant, sed deprecantur, et rogant; non sententiam promulgant, sed literas rogatorias mittunt, ita ut omnia fiant cum maximo decore, et urbanitate, ut sola reparetur violentia.*

X. Sit igitur *resolutio:* Judices regii in hac extrajudiciali cognitione recursus quoad judices ecclesiasticos, non jurisdictionaliter, neque superioraliter, ut judices, aut ut superiores; neque per viam præcepti, sed per viam facti, seu defensionis, ut reges, seu ut viri potentes, ac protectores, quibus defensio subditorum incumbit, ut à notoriis, atque nullatenus celabilibus, ac tergiversabilibus violentiis liberentur, cognoscunt, atque procedunt. Ita Oliv. de for. eccles. 1. p. q. 15. n. 39. cum Afflict. decis. 24. n. 2. et 6. optime Oliban. de jure fisci, cap. 11. n. 53. Sesse de inhibit. c. 8. § 2. n. 2. et in d. epistola ad regem, n. 54.

Cevall.

Cevall. de cogn. per viam viol. in prologo, n. 210. ubi alios citat, et gloſſ. 6. n. 130. et paſſim in eodem tractatu, Suar. adverſus Angl. error. lib. 4. cap. 34. n. 32. Caſtr. d. p. 1. cap. 4. per totum, quod aſſerit lex regia Luſitana, lib. 1. tit. 9. § 12. et lib. tit. 3. et 4. *Prout contingit*, proſequitur Oliv. *quoties bello, et armis, ſubditos à non ſubditis, et non ſubditos ab aliis extraneis adjuvando defendit, illos ex debito, hos ex charitate, quæ aliquando præceptum inducit, abſque ulla juriſdictione, vel ſuperioritate, quam in non ſubditos non habet.*

Quibus adhærent etiam Portugal, de donat. reg. p. 2. lib. 1. c. 31. n. 17. citans etiam, præter ſignatos, Salgad. de prot. reg. 1. p. c. 2. n. 2. cujus verba eleganter contexta infra tranſcribentur, n. 40. quibus addendi Creſp. p. 2. obſerv. 118. Valanz. diſcurſ. ſtat. 2. p. conſid. 7. Humad. in l. 13. tit. 13. p. 2. gl. 4. Azeved. et alii citati per Cœned. pract. can. 45. n. 36. et 57. et ſuffragantur aliquæ Rottæ deciſiones in una Cæſarauguſtana, 7 Febr. 1561. et in alia Vercellenſi, 27. Jun. ejuſd. ann. apud cit. Salgad. n. 13. ſuffragatur etiam Per. de man. reg. c. 4. n. 1. et cit. c. 12. et alib.

XI. Prob. 1. Quia in tantum regii miniſtri in hoc extrajudiciali cognoſcendi modo per viam recurſus procederent juriſdictionaliter, in quantum ipſi, et principes ſæculares, à quibus in eos derivatur juriſdictio, aliquam juriſdictionem directam haberent in clericos: atqui nullam habent, neque ſubjective, reſpectu ſubjectorum eccleſiaſticorum, neque materialiter, reſpectu cauſarum eccleſiaſticarum, et ſpiritualium, ut ſuperius firmatum manet, prælud. 3. et 4. et 6. ergo, &c.

XII. Prob. 2. Quia ſi reges, et eorum miniſtri, pro tollendis violentiis judicum eccleſiaſticorum, procederent juriſdictionaliter, et cum directa ſuperioritate, procederent quidem per viam præcepti, et non per viam rogationis, atque precationis: atqui certum eſt ex ſtylo ipſo, minime per viam, aut per modum præcepti procedere, ſed rogationis, atque precationis, ſeu admonitionis dumtaxat, ut conſtat ex ipſis rogativis, aut rogatoriis chartis; et obſervat Oliv. d. q. 15. n. 43. ergo.

XIII. Confirmatur, efficaciter, ex doctrina Oliv. q. 15. n. 39. et aliorum, cum Affict. dec. 24. Seſſ. in ep. ad reg. n. 54. Cevall. de viol. in prol. n. 210. et gl. 6. n. 130. &c. aſſerentium, quod ſi judices regii in rogatoriis chartis utantur formula aliqua præceptiva, libertatem eccleſiaſticam infringant, et conſequenter poſſint cenſuris coerceri à judice eccleſiaſtico: atqui ſi judices regii procederent cum vera juriſdictione, aut ſuperioritate directa, vel materialiter, vel ſubjective, neque libertatem eccleſiaſticam læderent, neque judex eccleſiaſticus taliter in illos procedere, aut animadvertere poſſet: ergo. 2. Ex doctrina Per. prælud. 1. n. 6. *Manui regiæ duo jura univerſalia tribuuntur, juriſdictio in proprios ſubditos, protectio etiam in non ſubditos.*

XIV. Prob. 3. Ex ipſamet regiarum legum formali diſpoſitione, l. 1. tt. 9. § 12. ibi: *In his caſibus* (notoriæ ſcilicet oppreſſionis, aut violentiæ, aut non ſervati juris naturalis) *nos ut rex, ac dominus, tenemur noſtris vaſallis ſubvenire:* quæ quidem diſpoſitio iterum, tt. 12. § 5. repetitur: ergo in hac cognitione, ac procedimento, princeps ſæcularis, non ut judex, aut ſuperior; ſed *ut rex*, atque ut vaſallorum *protector*, ac *tutor*, proindeque non juriſdictionaliter, ſed per viam facti dumtaxat, ac defenſionis procedit. Confirmatur ex alia ordin. l. 2. tt. 3. in princip. *Ipſe, non tanquam judex, ſed tanquam rex, et dominus*, &c. et tt. 4. *Nos non tanquam judex, ſed tanquam ejus rex, et dominus*, &c.

XV. Prob. 4. Ex ipſamet juriſdictionis definitione; videlicet, *Publica de cauſis cognoſcendi, ac judicandi poteſtas.* Ubi particula *publica* idem valet, ait Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. procem. n. 3. atque *bono publico neceſſaria, vel idonea.* Atqui, licet miniſtri regii ſint miniſtri publici, nullam tamen habent poteſtatem cognoſcendi, aut judicandi cauſas ſpirituales, vel perſonarum eccleſiaſticarum: deinde hæc poteſtas in miniſtris ſæcularibus neque idonea eſt, cum ipſi incapaces omnino ſint cognoſcendi, ac judicandi de cauſis eccleſiaſticis, et adverſus eccleſiaſticas perſonas; neque neceſſaria reputatur, cum pro tollenda violentia judicum eccleſiaſticorum præciſe, optime quidem ſufficiat, ut de facto ſufficit, hæc extrajudicialis cognitio, atque proceſſus per viam facti, abſque juriſdictione, vel ſuperioritate, procedendo, non ut judices, vel ſuperiores, ſed ut reges, ac tutores vaſallorum notorie oppreſſorum: ergo.

XVI. Prob. 5. Quia judices regii nequeunt per viam recurſus cognoſcere, aut procedere, niſi in caſibus violentiæ, atque oppreſſionis, ita notoriæ ac manifeſtæ, ut nullatenus celabilis, aut tergiverſabilis ſit, ex cit. l. *Regia*, l. 1. tt. 9. § 12. et ex ſtabilitis c. 12, 13. et ſeqq. atque adeo non poſſunt cognoſcere, aut procedere in caſibus violentiæ dubiæ, aut probabilis, ſed evidentis dumtaxat: ergo non cognoſcunt, neque procedunt juriſdictionaliter, ſed extrajuriſdictionaliter, per viam facti, ex naturali defenſione innocentis oppreſſi, et ex naturali licitudine vim notoriam vi altera repellendi.

XVII. Prob. conſequentia: Quia, cum probabilitas, imo et error communis, dent juriſdictionem ſubjecto incompetenti, non tamen incapaci, juxta tradita c. 14, 15. et 16. ſi judices regii procederent juriſdictionaliter, in caſibus recurſus, et capaces incederent juriſdictionis capeſſendæ ad hoc procedimentum juriſdictionale, et ſuperioritale, utique cognoſcere, ac procedere valerent, etiam in caſibus violentiæ tantum probabilis, et non in ſolis caſibus violentiarum evidentium: atqui illud non poſſunt, juxta communem omnium DD. aſſertionem: ergo.

XVIII. Confirmatur, 1. Ex communi etiam DD. placitu; et ex eo, quod, ſi judices regii capaces forent hanc juriſdictionem, ac ſuperioritatem acquirendi, et illa utendi in hoc procedimento extrajudiciali per viam recurſus, utique antiquus, et connaturalis conatus, et affectio, laicam juriſdictionem ampliandi, ac prorogandi, et eidem eccleſiaſticam ſubjiciendi, eos in hanc intelligentiam, et communem conſpirationem generaliter vergere faceret, atque detruderet: atqui non in hanc opinionem, ſed in contrariam generaliter inclinant: ergo.

XIX. Confirmatur, 2. Ex ratione à Portugal ſuperaddita, cit. c. 31. n. 17. quia ſcilicet *remedium recurſus, nedum extrajudiciale eſt, verum et ſubſidiarium, Poſſib. de manut. obſ.* 6. *à n.* 16. *Ideoque prædictus recurſus non ſuſpendit juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, neque ab eo geſta dicuntur attentata:* quod quidem non haberet, ſi in eo judices regii procederent juriſdictionaliter, aut cum ſuperioritate, ut judices, vel ut ſuperiores reſpectu judicum eccleſiaſticorum; nam ut tales, illorum juriſdictionem, atque proceſſum ad ulteriora ſuſpendere, et inhibere poſſent; de quo tamen infr. n. 26.

XX. Ad rationem à Peg. cit. tom. 3. inſinuatam de confugio aliquorum DD. ad concordatas, facile reſpondetur, 1. Hanc rationem à prædictis DD. aſſignari ad majorem ſecuritatem, et certitudinem ſerenitatis conſcientiæ in hac materia ſane ſcrupuloſa.

XXI. Reſp. 2. et declaratur, 1. diſpoſitio, juxta doctrinam Card. Petr. tom. 3. in conſt. 4. Innoc. IV. et tom. 2. in conſt. 6. Honor. III. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. de qua infr. alleg. 34. n. 36. quod ſicut multoties per privilegium ſolent Pontifices concedere id ipſum, quod à jure communi conceditur, aut permittitur in majorem firmitatem, aut certitudinem; ex c. 1. de reſcript. c. *Cum olim*, de privileg. c. *Quia*, de procurator. ita ſimiliter per concordias, aut earum confirmationem ſolent approbare, ac firmare, quod jam de jure communi naturali, aut ſcripto inerat; ut evidenter patet in confirmatione concordiæ 1. regis Dionyſii Luſitaniæ, art. 40. in quo Summus Pontifex approbat, *Quod fuit ordinatum de conſenſu prælatorum pro bono et pacifico ſtatu regni, et conſuetudine roboratum, dummodo ſit canonicum, et rationabile, nec contra libertatem eccleſiaſticam*; apud Per. de man. reg. in fin. 1. p. pag. mihi 342.

XXII. Cum autem defenſio naturalis dictans licitudinem vim vi repellendi, nedum de jure naturali ſit, ſed et de ſcripto, tam civili, l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. et tot. tt. de vi, et vi armat. quam canonico, c. *Si vero*, c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ideo per concordiam ad majorem certitudinem, ac ſecuritatem, firmatum fuit, quod jam *canonicum* erat, id eſt, juri

juri canonico, imo et naturali conforme. Pariformiter per bullam Martini V. *Apoſtolicæ*, pro regibus Galliæ, conceſſa, et firmata eſt manutentio, ac tuitio manu regia in poſſeſſione beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ quidem jam ex jure naturali, et ex ipſomet regio munere, regibus ipſis incumbebat.

XXIII. Dices tamen adhuc adverſus præjactam reſolutionem: Judices regii, in recurſibus à judicibus eccleſiaſticis intentatis, cognoſcunt, ut miniſtri publici ad id à rege deſtinati: deinde cognoſcunt, et procedunt in obſervantiam juris naturalis, atque in natuallis defenſionis ſubſidium, in præſidium ſcilicet, atque protectionem vaſallorum notorie oppreſſorum: ergo procedunt, ut ſuperiores; atque adeo cum vera, ac directa juriſdictione in judices eccleſiaſticos pro violentia præciſe tollenda.

XXIV. Reſp. diſting. conſequens: Procedunt, ut ſuperiores reſpectu vaſallorum oppreſſorum, tranſeat; reſpectu judicum eccleſiaſticorum, vel cauſarum eccleſiaſticarum, nego; nullam enim habent in utroſque directam juriſdictionem; quinimo incapaces omnino ſunt ad illam habendam independenter à privilegio apoſtolico; imo neque procedunt ut judices, tum ex hac notoria incapacitate, et notorio defectu illius juriſdictionis, tum ex ipſomet formali modo procedendi extrajudiciali, ſubſidiario, et tuitivo, ut reges, ſeu ut tutores, ac protectores clientum ſubditorum (quemadmodum conſervatores regularium, non ut judices, cum reipſa judices non ſint, ſed ut viri potentes, pro tollenda præciſe, vel reprimenda violentia) procedunt; et non per viam ſuperioritatis, aut præcepti, ſed per viam facti, et defenſionis præciſe, necnon per viam rogationis, ac puræ monitionis, ſive precationis, procedunt regii miniſtri; neque neceſſe eſt aliter procedere pro tollenda, aut impedienda violentia præciſe, quam modo, quo de facto extrajudicialiter, et per viam facti, abſque juriſdictione aliqua, vel ſuperioritate, reſpectu eccleſiaſticorum judicum, aut cauſarum, juxta dicta n. 6.

XXV. Ad auctoritatem cujuſdam eximii ſenatoris, quem preſſo nomine inducit Peg. cit. n. 16. aſſerentem, *Jam ſupremum ſenatum ſtatuiſſe hujuſmodi cognitionem eſſe per viam juriſdictionis*: Reſp. 1. Nullam fidem adhibendam doctori huic anonymo, et incognito; cui, licet ſibi noto, etiam ipſe Peg. non acquieſcit. Reſp. 2. ex eodem Peg. Hoc aſſertum potius arrogantiam, quam veritatem ſapere, ut innuit ipſe Peg. dicens: *Ut autem nihil in re iſta eſſet, quod non ſibi arrogarent ſæculares, poſt hæc ſcripta audivi*, &c.

XXVI. Quæſtio 2. ex hac 1. pullulans, hæc eſt: An recurſus interpoſitus, ſaltem poſtquam intimatus eſt judici eccleſiaſtico, ſuſpendat illius juriſdictionem; ita ut geſta ab eodem, recurſu pendente, attentata ſint, vel reputentur? Negativam reſolutionem quoad utramque partem amplectitur Portug. de donation. reg. p. 2. cit. c. 31. n. 18. cum Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 20. à n. 3. quam late defendit Salgad. de reg. prot. 1. p. c. 7. à n. 10. et noviter, ac nervoſe illuſtriſſ. Creſpi, p. 2. obſ. 118. à n. 10. ubi dicit hoc quidem certum eſſe, et generaliter obſervandum, atque non ambigendum, ut juri magis conſonum. Et n. 13. cum cit. Salgad. proſequitur, dicens, *Hanc ſententiam eſſe veriorem, probabiliorem, ſecuriorem, communi uſui, et praxi, uniformique ſenatorum, et advocatorum calculo receptam, et amplexam.*

XXVII. Probatur, 1. Reſolutio, evertendo unicum, vel ſaltem præcipuum paucorum aliquorum adverſariorum fundamentum; videlicet, quia intentum recurſus intimatus ſuſpenderet, aut ligaret juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, in quantum per appoſitionem manus ſuperioris ligatur inferior, ex jurib. infr. citand. Atqui neque rex, neque regii judices ſunt ſuperiores judicis eccleſiaſtici, neque ut tales procedunt, aut cognoſcunt, neque per viam præcepti, aut juriſdictionis, ſed per meram viam facti, protectionis, atque rogationis, vel puræ monitionis, ut præcedenti q. probatum remanet, et prælud. 2. et c. 37. ergo, &c.

XXVIII. Prob. 2. Quia recurſus non eſt appellatio, quæ ex natura ſua ſuſpenſiva eſt; imo in hoc diſtinguitur eſſentialiter recurſus, ſive ſupplicatio ab appellatione; quod appellatio, ſuſpenſiva ſit juriſdictionis judicis à quo; non ita vero recurſus, ſive ſupplicatio, *ut notant omnes communiter* (inquit cum Salgad. Creſp. cit. n. 13.) in l. *Siqui adverſ.* 5. et in auct. *Quæ ſupplicatio*, de precib. imperat. offerend. præſertim Jaſon, n. 2. Capicius, deciſ. 28. n. 11. Guid. Pap. deciſ. 50. Afflict. dec. 213. et deciſ. 358. n. 2. deciſ. 269. n. 3. et deciſ. 341. Maranta in ſpeculo 3. p. 6. partis princip. quæſt. 1. n. 26. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæſt. 7. n. 19. et 23. Miſinger. obſervat. 48. Aſin. in praxi, § 31. cap. 2. ampliat. 9. Lancelot. de attentat. cap. 16. à n. 16. Scaccia de appellat. quæſt. 19. rem. 30. et 33. et alios plures.

XXIX. Prob. 3. Quia etiam recurſus formaliter de ſe non eſt inhibitio; cum ſit ſupplicatio, ſive confugium; imo neque inhibitio eſſe poteſt, cum hæc formaliter ſit præceptum, vel mandatum de nihil innovando, à ſuperiore intimatum; definitur namque à Mandoſio, et Lancelot. de attent. 2. p. c. 20. n. 7. *Proviſio quædam ad juriſdictionem, et jura partium de cætero conſervandum, à jure introducta, vel ab habente juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, nullitatem actus contra eam facti, et pœnarum incurſum inducens.*

Miniſtri autem regii in remedio recurſus, neque ſunt ſuperiores, neque ut tales procedunt, neque juriſdictionaliter, neque per viam præcepti, ſed rogationis, vel requiſitionis; nec juriſdictionem aliquam ordinariam, aut delegatam retinent, nec acquirere poſſunt in judices, et cauſas eccleſiaſticas, ab eorum foro omnino abhorrentes, juxta ſuperius tradita, et c. 21. ac prælud. 3. et 4. Vid. etiam Per. de man. reg. c. 4. n. 1. et 4. et alib.

XXX. Prob. 4. Quia recurſus à judicibus eccleſiaſticis ad ſæcularia tribunalia, eſt de ſpecie gravaminis, ut communiter tradunt DD. atque hoc nomine *Gravaminis* deſignatur, ita ut jam vulgari nomenclatura, et *gravamen*, et *recurſum* interponere indiſcriminatim, et quaſi ſynonymice effetur. Atqui gravamen, etiam à judice inferiori ad ſuperiorem intentatum, vel interpoſitum, de ſe non eſt ſuſpenſivum, neque per ſe ſuſpendit juriſdictionem judicis à quo, ſed tantum per accidens, ob actorum remiſſionem ad ſuperius judicium, ut tenet Leytam de jur. Luſit. tract. de gravamin. variis in locis, de quo etiam ſupr. c. 7. et alibi: ergo, potiori jure, non ſuſpendet juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, omnino exempti, et minime inferioris, ſed ſuperioris, gravamen, ſeu recurſus ab eodem interpoſitus ad regios miniſtros, minime ſuperiores, et minime ut judices cognoſcentes, aut procedentes.

XXXI. Prob. 5. Ex abſurdis conſequentibus, etiam in recurſibus ab inferiori judice ſæculari ad regem, vel ad ſuperiorem ſæcularem intentatis. Nam ſi ſola recurſus intimatio proſecutionem, vel executionem cauſæ impediret, duo abſurda ſequerentur inevitabiliter, inquit cit. Creſpi, p. 2. obſ. 118. n. 15. et 16.

Primo, Quod nullus daretur litium finis: ſunt enim propemodum infiniti articuli, qui à reo convento ad protelandam cauſam moventur, et à proviſionibus factis, etiamſi ſint duæ conformes, et altera in gradu reviſionis, ſive, ut in Catalonia dicitur, *Contrarii imperii*, ponitur. Et ſi, dum pendet cauſa illius, à notificatione introductionis ſuperſedendum eſſet, expeditio litis fieret immortalis, et vitæ hominum modum excederet, quod eſt perquam abſurdum, leg. *Properandum*, 11. c. de judiciis.

XXXII. *Secundo*, Quod tum etiam expenſarum multitudo augeretur ad immenſitatem, adeo ut etiam opulentiſſimæ facultates ad eos non ſufficerent, et ad noviſſimam inopiam litigantes devolveret, quod ſane eſſet impiiſſimum, auct. *Ut determinatus ſit numerus clericorum*, in fine principii, ſive novella 3. ad finem præfationis.

XXXIII. Probatur reſolutio ſpecialiter, quoad 2. partem; videlicet, quoad excluſionem attentati ex ulteriori proceſſu, pendente recurſu; et probatur, 1. Ex allata ratione, quod recurſus non ſuſpendat juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, omnino exempti, et minime inferioris judicibus regiis, imo notorie ſuperioris, juxta ſuperius ſtabilita.

XXXIV. Prob. 2. A paritate appellationis, effectum ſuſpenſivum non habentis; qua non obſtante, et licet legitime interpoſita ſit, ad verum ſuperiorem, ſi judex inferior ad ulteriora procedat, ceſſet attentatum, quia valide, et licite poteſt judex à quo ſententiam executioni mandare, ut probatur in cap. *Non ſolum*, verſiculo *Exceptis caſibus*, de appellat. lib. 6. ubi DD.

Lancel. de attent. appellat. pend. cap. 12. lim. 8. n. 2. et limitatione 53. per tot. et vide n. 70. Ita Oliv. cit. q. 20. n. 7. et q. 14. quam ibid. citat: ergo.

XXXV. Prob. 3. Ex uberiori doctrina, et aliarum rationum congerie ab ipſo Oliv. ibid. n. 5. inſinuata; ubi ſic diſcurrit: *At princeps ſæcularis, ejuſque tribunal, non eſt ſuperior legitimus judicis eccleſiaſtici; nec in eum, ſeu in cauſam eccleſiaſticam, juriſdictionem habet, ut ſatis probavimus ſupra, quæſtione* 10. *cum ſequentibus; diſtinctæ enim ſunt poteſtates, ſpiritualis, ſcilicet, et temporalis; imo ſpiritualis dignior, cui ſervire debet temporalis, ut etiam late oſtendimus ſupra, quæſt.* 2. *nec princeps, ejuſque tribunalia procedunt per viam violentiæ tollendæ contra eccleſiaſticos juriſdictionaliter, tanquam ſuperiores; ſed protegendo vi oppreſſos per viam facti, et defenſionis naturalis, ut ſatis probatum reliquimus ſupra, quæſtione* 15. *cum ſequentibus; ut omnes etiam, qui huic recurſui favent, fatentur, ita ut apud omnes extra dubium ſit: ergo ceſſat fundamentum attentatorum, pendente hoc recurſu: ac per conſequens ceſſat attentati conſideratio.*

XXXVI. Dices, 1. pro Cevall. de viol. p. 1. gl. 9. n. 10. et pro Per. de man. reg. c. 7. n. 24. et aliis paucis: Per appoſitionem manus ſuperioris ligatur inferior, c. *Ut noſtrum*, 56. de appellat. cap. *Paſtoralis*, 28. de officio, cap. 1. et 2. de confirmat. utili, vel inutili, cap. *Ad Romani*, 14. § *Romani Pontifices*, de præbend. et dignitat. in extravag. comm. Et ideo interim geſta dicuntur nulla, et attentata. Lancelot. de attent. 2. p. cap. 10. Leo, deciſ. 88. n. 2. tom. 1.

XXXVII. Reſp. 1. Falſo ſupponi, regem, aut regios judices, ſuperiores incedere reſpectu judicum et cauſarum eccleſiaſticarum. Unde præcitata jura de ſolis veris judicibus ſuperioribus, et ut talibus procedentibus, atque animo, et intentione, judicem inferiorem ligandi, aut ſuſpendendi, juxta ſequentem cit. Creſp. explanationem.

XXXVIII. Reſp. 2. Ex clara, et eleganti præfati Creſp. doctrina cit. obſ. 118. n. 18. ibi: *Quia ita demum manus appoſitio ſuperioris ligat inferiorem, ſi cum ea intentione illas ſuperior apponat, ut in contemptum ſuæ ſuperioritatis inferiorem procedere, ea non obſtante, exiſtimaret. Ea enim ligatio tacita eſt, et præſumptiva, ob debitam reverentiam, cap. Ut noſtrum*, 56. *de appellat. ubi Barboſa, n.* 5. *Gonzales ad reg. cancell. gloſſ.* 59. *n.* 31. *et per totum, Loter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 32. *n.* 172. *Unde, è contrario, ſi ita manus apponeret ſuperior, ut ſine præjudicio executionis facere exprimeret, nemo affirmaret, inferiorem eſſe ligatum, vel procedere in cauſa, vel in executione non poſſet. Riccius collect.* 1745. *verſ. Nunc ſuprapoſitam, late Barboſ. de clauſ. uſu frequentibus, clauſ.* 159, 160, 161, 162. *Atque apud nos idem eſt inhibitionem, vel præceptum de nihil innovando omittere, ac exprimere, quod ſit manus appoſitione, ſine præjudicio executionis, ut eſt notoria praxis: ergo illa non poteſt obſtare, vel ſuſpenſionem inducere contra ſuperioris intentionem, cap. Quia intentionis, de privilegiis. Gonzales, gloſſ.* 52. *n.* 38. *Loter. lib.* 2. *de re benefic. q.* 26. *n.* 56. *ſiquidem, apud nos, niſi aliud expreſſe provideat, hic eſt animus ſuperioris, ita ut nec ratione urbanitatis debeat inferior aliud expectare, ut ad ulteriora procedat, licet expectandum admonuerit Salgad. de protect. reg.* 1. *p. cap.* 7. *n.* 34. *agens de recurſibus à judicibus eccleſiaſticis ad tribunal principis. Apud nos enim urbanius agit, et magis ſuperioris intentioni conſentanee operatur inferior, ſi, dum ſuperior non prohibet, juſtitiam partibus ſine mora adminiſtrat.*

XXXIX. Unde, n. 20. ſic cit. Creſpi concludit: *Quibus omnibus, exiſtimo, probatum manere rationem praxis noſtræ, et ſatisfactum eſſe contrariis objectionibus, ita ut dubitandum non ſit, inferiorem recedere poſſe, imo debere, et nullo modo ſuperſedere in cauſa ob notificationem recurſus, niſi expreſſe à ſuperiore jubeatur; juxta textum allegatum in cap. Non ſolum,* 7. *de appellat. in* 6. *ubi Barboſa, n.* 3. *Lancel. de attent. cap.* 21. *limit.* 1. *n.* 1.

XL. Dices, 2. pro Per. c. 12. n. 5. et alib. Recurſus intimatus, ſi non juridice, ſaltem politice ſuſpendit judicem eccleſiaſticum; eſt enim *auxilium politicum*, ut loquitur Salgad. ergo. Reſp. 1: Quicquid ſit de antecedenti. Reſp. 2. cum diſtinctione: Si non obviet aliquod inconveniens juridicum, vel ſaltem politicum, concedo; ſi obſit, nego; eſſet enim contra mentem regis, qui eſt caput totius politicæ obſervantiæ.

Unde cit. Salgad. p. 1. c. 2. n. 2. de hac theorica, ſic ait: *In ea non procedi judicialiter, ſed extrajudicialiter, et abſque umbra, ſeu veſtigio juriſdictionis, quam non patitur, nec indiget ſubjecta materia, et res, de qua agimus, vel potius ſuper qua cadit cognitio; nec forma, ac modus procedendi omnibus judicii ſubſtantialibus, et apparatu deſtitutus illam admittit, prout de cætero monſtrabimus; nihil enim in ea reperitur juriſdictionale, quia eſt nuda poteſtas, naturalis defenſio, auxilium politicum, œconomica tuitio, permiſſa facultas, et licita vis, charitativa protectio, propugnaculum violentiæ, aſylum vi oppreſſorum, tutus acceſſus, legitimus recurſus, et vis protectiva, et propulſiva, qua vis injuſta juſte repellitur, ac à principe ſupremo propulſatur, cujus proprium officium eſt, vi oppreſſos liberare non quidem judicii ordine ſervato; ſed de facto, et per rei evidentiam, ut praxis vulgaris obſervat.*

XLI. Quæſtio 3. An judex eccleſiaſticus teneatur parere chartæ rogativæ judicum regiorum ad actorum, et proceſſuum in eccleſiaſtico judicio efformatorum remiſſionem? Reſp. negative cum Oliv. de for. eccleſ. q. 18. à n. 5. Azor. inſt. moral. p. 1. l. 5. c. 12. et 13. Soar. contr. Angl. error. l. 4. c. 34. n. 34. Per. de man. reg. c. 21. n. 29. ubi dicit, *Sine dubio videtur cogi non poſſe eccleſiaſticum à principe ſæculari, ut proceſſum exhibeat, cum diſtinctæ ſint poteſtates inter ſe, et illa cognitio, an juſta, vel injuſta ſit appellatio, eo tendat, ut in ſæculari judicio decidatur, an judex eccleſiaſticus bene, vel male judicaverit, quod juri repugnat canonico, ex Abbate in cap.* 1. *n.* 12. *de officio ordin. Innocent. in cap.* 1. *de ſtatu monachorum, lib.* 6. *ſequitur Aviles prætor. cap.* 20. *n.* 20. *Perez in l.* 4. *tit.* 1. *gloſſ.* 3. *ordinam. Salzedo in pract. cap.* 160. *n.* 13. *Gevallos ubi ſupr. n.* 111. *et* 116. et c. 12. n. 5. aperte reſolvit, *judicem eccleſiaſticum ex urbanitate tantum acquieſcere debere chartis rogativis.*

XLII. Probatur, 1. Reſolutio; quia miniſtri regii remiſſionem præfatorum actorum non per viam præcepti, neque ut ſuperiores, ſed per viam rogationis, aut precationis, et ut protectores vaſallorum oppreſſorum, per epiſtolam ſcilicet rogatoriam, requirunt abſque juriſdictionis exercitio: atqui quod fit, non per viam præcepti, aut juriſdictionis, ſed per viam rogationis, ac requiſitionis, non inducit obligationem parendi in requiſito, neque occaſionem præbet principi roganti, ut ad id juſte cogere poſſit eum, in quem nullam prorſus juriſdictionem retinet: ergo, quamvis, juxta ſententiam Pignatell. tom. 6. conſ. 13. n. 26. et Dacian. tr. crim. l. 9. c. 37. n. 6. et c. *Petitio*, de jurejur. c. *Quia propt.* de elect. chartæ rogativæ regis, virtualiter contineant præceptum ſaltem in regno Caſtellæ, ut ponderat Per. cit. c. 12. n. 4. non inducunt rigoroſam obligationem eiſdem parendi juridice, ſed ad ſummum politice, et urbane, ſi non obſit aliquod inconveniens: ergo.

XLIII. Confirmatur: Quia ſi acta adhuc in ſecreto ſint, et non adhuc ad forum contentioſum publice deducta, non debet, neque poteſt judex eccleſiaſticus ea exhibere, imo neque regii miniſtri ea remittenda poſtulare ex regio decreto, de quo Themud. dec. 172. Mend. à Caſtr. l. 2. c. 4. § 2. n. 23. Per. de man. reg. c. 11. n. 7. ibi: *Semperque advertendum eſt ad regium diploma, quod continetur lib.* 6. *Senatus, fol.* 24. *quod non permittit, quod acta, et proceſſus criminalium cauſarum petantur, quæ in ſecreto ſint, ſed exemplar eorum, quæ jam publica ſint partibus.* Ergo ſi aliquod adſit inconveniens, ſaltem politicum pro actis remittendis, non ad id tenebitur eccleſiaſticus judex; et ſicut eidem liberum eſt reſpondere fundamentis recurſus, atque pro defenſione juſtitiæ ſuæ allegationem omittere, ita liberum erit, juridice ſaltem, actorum etiam publicatorum remiſſionem exequi. Vid. Parej. de inſtr. edit. tt. 6. reſol. 7. et 8.

XLIV. Prob. 2. efficaciter, ex ratione Oliv. cit. n. 13. *Quia princeps ſæcularis in his terminis tollendæ violentiæ contra judicem eccleſiaſticum non juriſdictionaliter procedit; ſed per viam facti; adjuvando oppreſſum*

preſſum eodem modo, quo ipſe oppreſſus reſiſtere, ſeu vim vi repellere jure poſſet, ut in præcedentibus quæſt. præcipue quæſtione 15. *probavimus: ac per conſequens non majus jus ei competit, quam parti.* Atqui, quamvis parti oppreſſæ competat jus reſiſtendi, et cum debito moderamine ſe defendendi à notoria oppreſſione judicis eccleſiaſtici, non tamen competit jus aliquod eundem cogendi ad actorum exhibitionem, ſive copiam edendam: ergo ſimiliter.

XLV. Prob. 3. ex generali illa ratione: Quia nemo tenetur edere inſtrumentum ad fundandam adverſarii intentionem, ex c. 1. ub. DD. omn. de probat. et in l. *Qui accuſare*, codic. de edend. quod ſimpliciter locum habet, ubi crimen reſultat, et ad probationem ipſius agitur; nullus enim ſe prodere tenetur, juxta Ambroſ. relatum in capit. *Quis aliquando*, § *Item illud*, de pœnit. diſtinctione 1. de quo Navarr. ibi à n. 4. et ideo melius tenetur poſitioni, quæ crimen includit, reſpondere, ut per Marant. de ordin. jud. 6. par. tit. de interrog. n. 7. Navarr. ubi proxime, n. 19. et 26. per textum, et ibi Bart. in l. *Qui jura*, § *Si pater*, ff. de jurejur. cavetur lege regia, lib. 3. tit. 53. § 11. Deinde durum, ac duriſſimum eſt (proſequitur Oliv. n. 13.) quod cogatur miniſter eccleſiaſticus mittere proceſſum ad hoc, ut tribunal regium cognoſcat, vel inſpiciat, utrum ille bene, vel male proceſſerit, et ſic ad convincendum crimen ejuſdem judicis: ergo, &c.

XLVI. Prob. 4. Quia tam judex eccleſiaſticus, quam acta, et proceſſus eccleſiaſtici fori, ſunt omnino exempti à juriſdictione principis ſæcularis, qui proinde in eos, tanquam in non ſubditos, aliquid ſuper hac re juridice præcipere non poteſt, neque ad aliquid eos juridice cogere.

XLVII. Atque ex eadem ratione, proſequitur Oliv. cit. n. 6. non poteſt etiam cogere (ut in regno Caſtellæ ſervatur) notarios fori eccleſiaſtici, licet laici ſint, ut ad tribunalia regia proceſſus deferant eccleſiaſticos, quia hujuſmodi proceſſus ad forum pertinent eccleſiaſticum, et eccleſiæ poteſtatem ſpiritualem, cum in ſuo foro ad cauſas eccleſiaſticas decidendas formentur, qui omnino exemptus eſt, et diverſus à foro ſæculari, adeo, ut, ſi laici in officio fori eccleſiaſtici delinquant, poſſint per judicem eccleſiaſticum puniri, ut per Archid. et Joan. Andr. in cap. *Si epiſcopus*, de offic. ord. lib. 6. ubi Franc. n. 2. Boer. deciſ. 9. n. 7. et 8. Steph. Grat. deciſ. 233. n. 19. et diſcept. forenſ. cap. 340. n. 31. Cevall. de cog. per viam viol. quæſt. 64. n. 16. ac per conſequens libertatem eccleſiaſticam infringere, et cenſuras juris, et bullæ Cœnæ Domini incurrere videntur judices regii, qui talia judicibus, ſeu miniſtris eccleſiaſticis præcipiunt, vel eos ad id cogunt, mittentes falcem in meſſem alienam, præcipue cum hoc fiat in eum finem, ut cognoſcant, ac judicent ſæculares, utrum bene, an male judicaverit eccleſiaſticus in non recipiendo appellationem, ad ulterioraque procedendo? Quod ad judicem eccleſiaſticum ſuperiorem, non vero ad ſæcularia tribunalia pertinet, Caſtr. dict. cap. 22. n. 29. ubi alios citat, eſtque indubitatum. Hæc Oliv.

XLVIII. Dices tamen, 1. Conceſſa juriſdictione, conceſſa cenſentur omnia, ſine quibus illa expediri, et exerceri non poteſt, text. in l. 2. ff. de juriſd. omnium jud. et in cap. *Præterea*, de offic. deleg. et utrobique omnes DD. quod in omnibus materiis locum habet, ut ibidem notatur: unde alia exiit regula regularis docens, quod *qui vult conſequens, velle etiam neceſſarium antecedens neceſſe eſt, et id per quod pervenitur ad illud*, textus in l. *Ad rem mobilem*, et in l. *Ad legatum*, ff. de procur. ultra DD. ibi Everar. in locis argum. loco *à conceſſione conſequentis* per tot. declarat. Menoch. lib. 4. præſumpt. 103. n. 2. cum ſequentibus. Ergo, conceſſo jure, ſive juriſdictione principi ſæculari ad tollendas, vel impediendas violentias factas per judices eccleſiaſticos, competere etiam ei debet facere ea omnia, quæ ſunt neceſſaria antecedentia, ſine quibus ad violentias tollendas non poteſt perveniri, prout eſt inſpectio actorum eccleſiaſticorum, ſine qua regulariter apparere, et ſciri congruenter non poterit, utrum violentia ſit commiſſa.

XLIX. Reſp. 1. Textum, utpote agentem *de juriſdictione omnium judicum*, loqui quidem de judicibus, ut talibus, et per viam juriſdictionis procedentibus; non vero loqui de partibus, aut de principibus procedentibus, ut partibus, ſeu ut viris potentibus, per viam facti, et protectionis, aut defenſionis naturalis; in hoc enim procedendi modo, juxta doctrinam Salgad. de reg. prot. prælud. 5. n. 282. recurſum etiam ad reges, nunquam S. Rotta permiſit, aut toleravit, ut ad judices, ſed ut ad privatos, et potentes. Ipſum vide; et Per. de man. reg. c. 4. n. 1. ubi ait, quod princeps in his violentiis ex permiſſione juris canonici, non admittitur, niſi tanquam vir bonus.

L. Reſp. 2. ex doctrina Oliv. cit. n. 15. Quia licet neceſſarium antecedens ſit ad violentiam tollendam contra judices eccleſiaſticos, certo ſcire violentiam notoriam, non tamen eſt neceſſarium antecedens inſpectio proceſſus eccleſiaſtici in tribunali regio; ſed antecedens antecedentis. Sic etiam ad concedendas chartas de manutenendo appellantibus, appellatione pendente, vulgo *tuitivas*, contra judicem eccleſiaſticum, qui eam non recipit, circumſpecte, et magna conſideratione leges regiæ non jubent, ut proceſſus eccleſiaſticus ad tribunal regium mittatur; ſed ſtatuunt, quod pars offerat in tribunali regio inſtrumentum publicum, per quod conſtet de appellatione, et rejectione ipſius, et de qualitate cauſæ, aliis neceſſariis requiſitis ad violentiam concludendam: vel oſtendant per inſtrumentum publicum, quod ipſi petenti certitudines, et exemplaria proceſſus, in parte, vel in totum, judex eccleſiaſticus non detulit: et ſic quotidie practicatur; habent enim in hoc tantum tribunali regii palatii ex denegatione judicis eccleſiaſtici in hoc particulari *tuitivæ* concedendæ, pro juſtificato illud, quod pars prætendebat probare per exemplaria actorum, quæ ab eo petierat; quod ultimum licet dubio non careat, et ad proviſiones in tribunalibus regiæ coronæ per alium modum, quam *tuitivæ*, et manutentionis, non extendendum aſſerat Caſtr. d. cap. 2. n. 30. tolerabilius tamen eſt, quam cogere judicem, et notarium eccleſiaſticum, ut originalem proceſſum ad tribunalia regia mittant, ut ſupradicta lex Caſtellæ ſtatuit, quam neſcio defendere, cum videatur contra libertatem eccleſiaſticam in hoc modo procedendi, licet eam non infringat, quoad ſubſtantiam tollendæ violentiæ; nec etiam ex privilegio defendendi poteſt, cum per bullam Cœnæ ſint hæc, et ſimilia privilegia ſublata, ut ſupra dixi in quæſt. 12. et 14. Hæc Oliv. cit.

LI. Unde directe ad argumentum reſpondet idem Oliv. n. 19. argumentum de conſequenti ad antecedens locum non habere, quoties ſpecialis ratio concludit, ſeu ſuadet, aliud eſſe in uno, ac in alio, ex iis, quæ Menoch. dicta præſumptione 103. lib. 4. quæ ſpecialis in noſtris terminis viget; agitur enim contra non ſubditum; et princeps, ut privata perſona, reſpectu non ſubditi reputatur; unde non debet aliis mediis uti ad ſciendum, utrum violentia fiat, niſi iis, quæ parti licerent.

LII. Dices, 2. pro Per. de man. reg. c. 21. ſub n. 29. Poſito, quod de jure competat regibus ſubditorum violentias tollere, juſte, et ſecundum jus ipſum, competere etiam debet acta, et proceſſus, in quibus violentia continetur, petere, et requirere: atqui ſi juſte petantur à rege, injuſte denegantur à judice eccleſiaſtico; dum enim hic denegat proceſſum, denegat principi facultatem, et jus cognoſcendi de ſubditorum oppreſſionibus; et dum media ad defenſionem tollit, conſequenter ipſam tollit defenſionem, quæ ſine mediis obtineri non poteſt: ergo judex eccleſiaſticus requiſita acta denegans, vel non remittens, ſubjacebit quidem regiæ coactioni, imo et temporali procedimento in juſtam punitionem.

LIII. Confirmatur, 1. ex eodem: Quia contra denegantem proceſſum, reſultat præſumptio doli, et receditur ab ordinariis juris regulis, l. *De pupillo*, § *Siquis rivos*, ubi late Jaſ. ff. de nov. oper. c. *Cum ab eccleſia*, de offic. ordin. Morla de juriſd. tt. 2. q. 14. n. 1. Confirmatur, 2. Ex concordia Joann. I. art. 49. qua cautum reperitur, ut ab uno foro ad alium proceſſus remittantur, quoties oportuerit: ergo, &c.

LIV. Reſp. ad argum. diſting. maj. Competere etiam debet proceſſus petere, eo modo, quo illis competit violentias tollere, tranſeat; diverſo modo, nego.

Unde

Unde cum regibus competere dignoſcatur violentias tollere, non quidem judicialiter, aut juriſdictionaliter, ſed omnino extrajudicialiter, per viam facti, œconomice, et politice, *abſque umbra*, ſeu *veſtigio juriſdictionis*, ut loquitur Salgad. cit. eodem modo politice, atque œconomice, per viam facti, et rogationis, non per viam præcepti, aut juriſdictionis, competere poterit proceſſuum requiſitio; qui quidem modus petendi, aut requirendi proceſſus, non cogit, neque coarctat ad parendum judices eccleſiaſticos, niſi ad ſummum *politice*.

LV. Eodem fere modo diſtinguitur minor: cum enim jus cognoſcendi, et petendi proceſſus per viam recurſus in regibus ipſis, ſit tantum jus œconomicum, et politicum; injuſtitia ex diametro illi oppoſita, et correlative reſultans, ac reperta in denegatione judicis eccleſiaſtici, erit tantum politica, et œconomica, non vero juridica atque propria, et rigoroſa, regiæ juriſdictionis læſiva.

LVI. Ad inſinuatam ejuſdem minoris probationem, reſp. eam negando; judex enim eccleſiaſticus, dum regi denegat proceſſum ſui judicii, non illi denegat facultatem cognoſcendi de ſubditorum oppreſſionibus, et eas extrajudicialiter tollendi; cum enim nequeat cognoſcere, niſi de violentia ita notoria, ac manifeſta, ut nullo modo celabilis, aut tergiverſabilis ſit; ſi hæc per ſe talis evidenter appareat, non indiget actorum, ſeu proceſſuum judici eccleſiaſtici remiſſione, ad hoc, ut à rege extrajudicialiter, et per viam facti, ac tuitionis, œconomice, et politice tollatur. Vide Oliv. cit. q. 18. à n. 8. et ſeqq.

LVII. Confirmatur ex doctrina cit. Per. c. 12. n. 5. ibi: *Apud nos in illis verbis rogatoriis non præceptum ineſſe puto, ſed ſimplicem rogationem, cui judex eccleſiaſticus ex urbanitate acquieſcere debet; ſi tamen ſibi aliter videbitur, adhuc alia ſupereſt inſtantia, et ultima tabula in ſenatu palatii, ubi judex regius, et eccleſiaſticus, pro ſua juriſdictione pugnantes, de novo audiuntur*, &c.

LVIII. Ad 1. confirmationem reſpondetur, Eam doli præſumptionem reſultare in judice inferiori denegante injuſte, et injurioſe, proceſſum contra expreſſum mandatum ſuperioris, veram, et directam juriſdictionem in eum habentis; non vero in judice minime inferiori, ſed omnino exempto, juſte, ac licite non parere potente, juxta tradita.

LIX. Ad 2. confirmationem reſpond. 1. Concordias regis Joann. I. non reperiri ſpecialiter approbatas à Sede Apoſtolica, ſicut concordias regis Dionyſii, quæ ſolæ hac ſpeciali approbatione, et confirmatione fulcitæ inveniuntur.

LX. Reſpond. 2. Diſpoſitionem concordiæ citatæ regis Joann. I. (non quæ continetur art. 40. ut tenet cit. Per. ſed quæ art. 60. expenditur) vel tantum politicam eſſe, vel commendationem, aut monitionem mutuæ obligationis, quæ de jure utrique juriſdictioni ineſt, pro mutuo, ac reciproco auxilio, et coadjuvamine impertiendo, de quo prælud. 4. ex qua tamen nulla rigoroſa, vera, ac directa juriſdictio reſultat in judice regio adverſus judicem eccleſiaſticum, pro tali auxilio impertiendo, vel proceſſuum tranſmiſſione exequenda, cum judices regii, et quilibet alius laicus incapax omnino ſit juriſdictionis veræ, ac directæ in judices eccleſiaſticos capeſſendæ, quamvis judex eccleſiaſticus, utpote ſuperior, et cum vera juriſdictione ſuper ſæcularem, eum cogere poſſit per cenſuras ad debitum ſibi præſtandum auxilium, juxta dicta prælud. 4. et juxta commune DD. placitum apud cit. Oliv.

LXI. Adde quod, deficientibus judicibus regiis, aliiſque ſæcularibus judicibus, hujuſce concordiæ diſpoſitionem exequi, et ad adimplere, proceſſus judicii, et fori ſui ad requiſitionem judicum eccleſiaſticorum frequenter non tranſmittentibus; ceſſare, atque conſequenter deficere debet in judicibus eccleſiaſticis hæc talis, qualiſve obligatio politica, aut conventionalis pro remittendis proceſſibus eccleſiaſtici fori; ex regula *Fruſtra petit is, qui quod debet, non impendit*, c. *Fruſtra*, de regul. jur. in 6. l. *Ædiles*, in fin. ff. de ædilie, t. edic. Gratian. for. to. 5. c. 944. n. 42. et ex axiomate, *Qui non facit quod debet, non recipit quod oportet*, Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib. 3. tt. 16. n. 15. Roland. à Vall. l. 3. conſ. 58. n. 1. Natta l. 4. conſ. 676. n. 15.

LXII. Neque officit areſtum à Peg. accuſatum ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 16. n. 522. videlicet, quod ex actorum denegatione habeatur gravamen pro juſtificato, et vim fieri declaratur: repugnat enim juri, ac rationi, imo et antiquo ſtylo in contrarium ſervato, de quo Per. infr. cit. et adverſus ſe patitur contraria tot graviſſimorum DD. aſſerta, ſignanter Per. de man. reg. c. 11. n. 7. et c. 12. n. 8. ibi: *Verum hæc praxis nullo modo ſuſtineri poteſt; ratio eſt, quia in hac materia non potuit ſtylus introduci per ſenatores ſæculares, ad quos hæc cognitio ex concordia, et contractu ſpectat, quem egredi ipſi non poſſunt, nec à principe recipiunt facultatem hoc caſu introducendi ſtylum, quia hæc illis indulgetur, in ordin. lib. 3. tit. 64. in rebus, et cauſis, quæ politicæ ſubſunt poteſtati, non vero in his, quæ ad utramque ſpectant.*

LXIII. Quæſtio 4. An miniſtri regii in ſententiis, quibus per viam recurſus provident oppreſſis, poſſint pro violentia tollenda jubere, vel cogere judices eccleſiaſticos, ut cenſuras tollant, cenſuratos abſolvant, vel præcipere ſæcularibus, ut excommunicatos non vitent?

De hac quæſtione ait Oliv. de for. eccleſ. q. 24. quod aliquibus otioſa videatur ex notorietate, quod poteſtas ligandi, et abſolvendi, ad juriſdictionem ſpiritualem dumtaxat pertineat, et ex clara diſpoſitione c. *Quicunque*, de ſent. excom. in 6. c. *Decernimus*, c. *Quanto*, de judic. quod late idem Oliv. pertractat q. 2. 7. et 8. quam tamen ipſe ibidem convenienter agitandam reputat ob diſpoſitionem ſpecialem legis regiæ, l. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 6. et l. 2. tt. 10. infr. c. ſequenti, n. 4. tranſcribendæ.

LXIV. Reſpond. igitur quæſtioni *negative*, quoad 1. partem, cum cit. Oliv. n. 8. cum Barb. in l. *Titia*, n. 34. ff. *Soluto matrim.* Marth. de juriſd. p. 3. c. 16. Cevall. de viol. gl. 6. an. 111. Per. de man. reg. c. 7. n. 23. citante doctrinam notabilem D. Eximii; et aliis.

Prob. 1. Ex citatis juribus, et ex Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 3. ibi: *Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui, prohibere eccleſiaſtico judici, nequem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet ſub prætextu, quod contenta in præſenti decreto non ſint obſervata, cum non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* Et confirmatur ex Concil. Lugdunenſi, præſente Gregor. IV. et rege Philippo III. celebrato, in quo, nemine diſcrepante, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, et Apoſt. Sedi reſervata adverſus in illa per duorum menſium ſpatium permanentes, graviter interdictum eſt, nequis judices eccleſiaſticos cogat cenſuras tollere, vel eos, aut ſuos capiat, vel alias gravet in perſonis, aut bonis; et quod bona capta infra octo dierum ſpatium ſint reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa, ut latius per formalia videre eſt ap. P. de Marc. de concord. ſacerdot. et imper. l. 4. c. 19. n. 3.

LXV. Prob. 2. Ratione; tum quia judices, ac principes laici nullam juriſdictionem, aut poteſtatem directam habent in clericos, neque in cauſas eccleſiaſticas, ex traditis prælud. 3. et c. 19. et ſeqq. tum ex ſtylo generali, tam Luſitaniæ, quam regnorum Caſtellæ, monendi judices eccleſiaſticos, non per viam præcepti, ſed per viam rogationis, ut cenſuras tollant, de quo Covarr. c. 35. n. 3. Oliban. de jur. fiſc. c. 12.

LXVI. Prob. 3. Ex ratione ab Oliv. obſervata in diſpoſitione præcitatarum legum regiarum, quæ quidem, quamvis citatis locis ordinent taliter excommunicatos non eſſe vitandos, *Nullibi tamen ſtatuunt* (proſequitur Oliv. ſub n. 9. § *Ex hac veriſſima) quod judices ſæculares cenſuras eſſe nullas declarent, licet aliquando ſupponant earum nullitatem.*

LXVII. Unde infert, minus bene locutum Per. de man. reg. d. c. 7. n. 22. dum ait, quod per viam cauſæ, et facti ſimplicis declarationis, poteſt declarari excommunicatio nulla, et præcipi, ut tollatur; nam hoc confunditur ex eo, quia, qui tantum declarat, non præcipit; ſi vero præcipiat, jam non eſt per modum cauſæ declarare; multum enim differt declaratio à præcepto, quod multo magis locum habet, quando

quando declaratio fit tantum per modum cauſæ, et fundamenti ad aliud temporale, quod ſæcularibus permiſſum eſt.

LXVIII. Confirmatur; quia iſte unus error, et occaſio fuit ſchiſmatis Anglicani, ut illius regni referunt annales, necnon Polydor. Virg. Gulielm. Neubrig. et alii ap. Stapleton. de rebus geſt. S. Thomæ Cantuar. nam quatuor illi ſacrilegi ſicarii, qui præter mandatum regis illum trucidârunt, ex regio mandato (ut ipſi aſſeveraverunt) eidem præclaro antiſtiti ſic intimârunt: *Abſolve quos excommunicâſti, et ſuſpendiſti à ſuo officio.* Quibus vir ſanctus intrepide reſpondit: *Nulla ab eis exhibita eſt ſatisfactio; itaque non abſolvam.* Rurſus illi: *Nunc igitur morieris, et recipies pro meritis.* Quibus S. archipræſul: *Ego vero pro Domino meo mori paratus ſum, ut eccleſia meo ſanguine pacem, et libertatem aſſequatur. Præcipio autem ex parte omnipotentis Dei, ne quenquam ex meis lædatis.* Mox illi, facto impetu, in eum irruunt, &c.

LXIX. Quoad 2. vero quæſtionis partem, fatetur idem Oliv. ibidem, § *Sequentium*, eam multorum affirmativam partem, videlicet, *poſſe miniſtros regios jubere ſæcularibus, ut excommunicatos non vitent*, defendere volentium: et proprium ipſius ingenium torquere. Ut tamen certa ab incertis ſeparentur, cum diſtinctione procedendum.

LXX. *Dico igitur*, 1. Leges regiæ præcitatæ licite ordinant, ac præcipiunt, ut juſtitiæ ſæculares non exigant pœnas, ſive mulctam excommunicatis protervis, ſive contumacibus impoſitam, ord. l. 2. tt. 10. § 5. ſi conſtito per viam recurſus certo, et notorie, de nullitate cenſuræ, judex eccleſiaſticus poſt ſententiam ſenatus recurrenti favorabilem, et poſt duplicem chartam rogativam, et ultimam ſenatus aulici decreti in favorem præmiſſarum chartarum expeditionem, eiſdem non acquieſcens noluerit cenſuras levare, ac tollere. Hæc concluſio eſt de mente cit. Oliv. q. 24. n. 11. et ſeqq. Per. de man. reg. c. 7. n. 24. Peg. et Barb. ad eaſdem ordinat. et aliorum DD.

LXXI. Prob. 1. Quia hæc ordinatio, ac diſpoſitio eſt temporalis, et pœnæ, ac mulctæ, ab ipſa ordin. l. 2. c. 10. impoſitæ, ſunt temporales, atque adeo ſub temporali poteſtate regis cadentes, tam ipſæ, quam ipſarum ceſſatio, atque prætermiſſio. *Nam ejuſdem eſt tollere, cujus eſt condere*, c. 1. *de capell. monachor.*

LXXII. Prob. 2. Quia mulcta illa, et carcerationis pœna in cit. regia l. expreſſa, non imponitur, niſi excommunicatis contumacibus, et in excommunicationem ultra tempus à judice eccleſiaſtico præfixum culpabiliter inſordeſcentibus: atqui recurrens à notorietate nullitatis cenſuræ, neque illa ligatur, neque in illa contumaciter, aut culpabiliter inſordeſcit: ergo.

LXXIII. Prob. 3. A paritate diſpoſitionis c. *Per tuas*, et c. *Solet*, de ſent. excom. in 6. ubi Pontifex docet, quod excommunicatus, excipiens de nullitate cenſuræ, dum probat, non eſt in actibus extrajudicialibus vitandus: ergo potiori jure, infert Oliv. n. 13. poſtquam conſtiterit de nullitate, nec in judicialibus, nec in extrajudicialibus, vitandus eſt: ubi gloſſ. et DD. communiter, et Marth. de juriſd. p. 3. c. 15.

LXXIV. *Dico*, 2. Leges, et judices regii cognoſcentes per viam violentiæ, ſi reperiant excommunicationem eſſe notorie nullam, licite poſſunt pro violentia tollenda præcipere ſæcularibus ſubditis, ut notorie excommunicatum in rebus temporalibus non evitent: aliter vero in ſpiritualibus. Ita Oliv. cit. q. 24. n. 10. et 11.

Prob. reſolutio, quoad 1. partem, 1. Quia hæc diſpoſitio tam materialiter, quam ſubjective etiam, temporalis eſt, et ſub juriſdictione temporali principis contenta.

LXXV. Prob. 2. Ex ratione Oliv. Quia in temporalibus communicatio, et ſocietas hominum, ex ſe temporalis eſt, ut eſt notum; unde nihil impedit, principem ſæcularem hoc temporali medio uti ad prædictum finem.

LXXVI. Prob. eadem reſolutio, quoad 2. partem, 1. Ex text. in cit. c. *Quicunque*, de ſent. excom. in 6. c. *Decernimus*, et c. *Quanto*, de judic. Prob. 2. Ratione ab Oliv. efformata, cit. n. 10. ibi: Quia præceptum hoc, de non evitando, ſuperioritatem, et juriſdictionem neceſſario ſupponit, quam princeps ſæcularis, etiam in laicis, alias ſubditis ſuis, non habet in ſpiritualibus, in quibus non principibus ſæcularibus, ſed tantum eccleſiaſtico principi ſubjiciuntur, ut ſupra oſtenderat quæſt. 6. verſic. *Sed quidem hæc reſolutio*; et multo minus hoc præcipere poteſt clericis: unde laici non tenentur, nec poſſunt judicibus prædictis obedire; nec miniſtri regii illos punire poſſunt, ſi in audienda miſſa, ea aliis ſpiritualibus actibus, tales nulliter excommunicatos evitaverint, cum ad temporalem poteſtatem hoc non poſſit pertinere; per miſericordiamque divinam ita vidi multoties obſervari, quia etiam laici, ſaltem in eccleſiis, eos evitant, licet judices regii ſimpliciter præcipiant, non evitari. Hæc Oliv.

LXXVII. *Dico*, 3. Judices regii, quamvis per viam recurſus reperiant, excommunicationem fuiſſe notorie injuſtam, non vero notorie nullam, nequeunt jubere ſubditis, etiam laicis, ut cenſuratos, etiam in temporalibus, non vitent. Ita Oliv. cit. q. 24. ſub n. 12. et n. 19.

Prob. 1. Quia excommunicatio notorie injuſta citra nullitatem continet injuſtitiam, non vero violentiam notoriam: atqui regii judices nequeunt cognoſcere per viam recurſus de injuſtitia, etiam notoria, judicum eccleſiaſticorum, neque ab ea recurrentibus citra violentiam providere; ſed tantum à violentia omnino manifeſta, et ita notoria, ut nullatenus celabilis, vel tergiverſabilis, aut ſimulabilis ſit, juxta late ſtabilita c. 13. et ſeqq. et c. 17. et 18. et juxta doctrinam Per. de man. reg. in art. 5. concord. 1. regis Dionyſii; *quia rex non occurrit injuſtitiæ*: ergo.

Confirmatur; quia injuſtitia, etiam notoria, non tranſgreditur limites injuſtitiæ, neque ingreditur terminos violentiæ: atqui quamvis violentia ſit aliquid magis, quam injuſtitia, princeps non cognoſcit de violentia judicis eccleſiaſtici, niſi de notoria, ac manifeſta: ergo multo minus cognoſcet de injuſtitia, quantumvis notoria; *cui enim non licet quod eſt minus, etiam non licebit quod eſt majus*; l. *In eo*, ff. de reg. jur. c. *Nulli*, 44. diſt.

LXXVIII. Prob. 2. ſpecialiter: Quia excommunicatio injuſta, non tamen nulla, valida quidem eſt, et ligat cenſuratum, et in eo impedimentum communicationis cum fidelibus, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, producit; ſeu, ut loquitur Oliv. cit. n. 12. *effectum privationis communicationis fidelium producit*, ex ordinatione, atque ſpirituali poteſtate eccleſiæ in bonum, atque utilitatem ſpiritualem fidelium, ut late per Covarr. in c. *Alma*, p. 1. § 7. n. 7. Atqui impedimentum, et effectus ille, utpote ſpiritualis, non ſubjacet poteſtati, ac juriſdictioni temporali principum ſæcularium, ſed ſoli ſpirituali eccleſiæ, cui etiam ſubeſt ipſa temporalis regum poteſtas: ergo.

LXXIX. Prob. 3. Ex alia ratione ab Oliv. attacta cit. n. 19. Quia, ſcilicet, excommunicatio injuſta vera quidem cenſura eſt; et, licet quoad Deum non privet excommunicatum communibus ſuffragiis, ſecundum veriorem, et æquiorem ſententiam, quæ communis eſt, ut per Covarr. in cap. *Alma*, part. 1. n. 5. verſic. *Secunda concluſio*, Navarr. d. rem. 2. oppoſit. 1. n. 15. Marth. de juriſdict. part. 3. c. 14. n. 4. Guttier. d. cap. 4. n. 34. Suar. de cenſuris, diſp. 4. n. 41. ligat tamen quoad eccleſiam, et quoad actus exteriores; in quibus terminis habet locum illa Gregorii doctrina relata per Gratianum in d. capit. *Sententia*, 11. quæſt. 3. aſſerentis, *Sententiam paſtoris, ſive juſtam, ſive injuſtam, timendam eſſe*; quod tenent omnes citati, aſſeritque Covarr. in d. § 7. n. 5. verſiculo *Secunda concluſio*, et clarius in verſiculo *Tertia concluſio*, eam communem omnium eſſe, quam etiam ſequitur Caſtr. de man. reg. d. part. 2. cap. 7. n. 24.

Unde, cum detur vera cenſura, proſequitur Oliv. n. 20. implicat, non eſſe vitandum excommunicatum denuntiatum, ſecundum extravag. Martini Quinti, adeo, ut nec etiam judex eccleſiaſticus poſſit facere, ut licitum communicare cum excommunicatis, etiam à ſeipſo. Cum ergo poteſtas eccleſiaſtica, et ſpiritualis hunc excommunicavit, ac per conſequens fidelium communicatione privavit; clariſſimum eſt, non poſſe miniſtros poteſtatis temporalis contrarium præcipere;

licet miniſter eccleſiæ injuſte proceſſerit; ſed recurrendum eſſe ad eundem, vel ad legitimum ſuperiorem.

LXXX. Hinc, cum Per. de man. reg. cit. c. 7. n. 24. (quem ibi optime locutum fuiſſe, teſtatur Oliv.) aſſerit et ipſe cit. n. 20. quod ſi cenſura valida ſit, quamvis injuſta, neceſſaria eſt abſolutio judicis eccleſiaſtici habentis poteſtatem, etiamſi judex regius millies in favorem ejus judicet: imo aſſerendum eſt, quod ſi ſententia excommunicationis non eſt nulla ipſo jure, ſed tantum injuſta, non video quomodo de hac injuſtitia cognoſci poteſt in tribunali regio, ſecundum ea, quæ dixerat ſupra, quæſt. 16. et 17. ubi cum communi reſolvit, quod ſi judex eccleſiaſticus ſententiam injuſtam, validam tamen, executioni mandaverit; non poteſt regium tribunal reum providere per viam violentiæ, quia vim non committit talem, ob quam ei reſiſti poſſit.

LXXXI. Admonet tamen adhuc cit. Oliv. n. 14. inquiens; *Dixi ſupra, ſi repererint, excommunicationem notorie eſſe nullam, quia judices regii hoc facere non poſſunt, niſi violentia, ſeu uſurpatio juriſdictionis fuerit certa, et notoria; ac per conſequens cenſura notorie nulla: aliter enim libertatem, et juriſdictionem ſpiritualem infringent, cenſuramque bullæ Cœnæ non evitabunt, ut in hoc tractatu à quæſt. 12. ſæpe dictum reliquimus; et ideo etiam circa particulares, qui evitare non tenentur nulliter excommunicatum, intelligendum eſt, ſi certo hoc conſtiterit, ut per Angel. de Clavas in ſumma, verbo Excommunicatio, 3. § 19. Guttier. d. capit. 4. n. 37. Et licet hi doctores etiam notorietatem in particularibus excommunicatis requirant, debet tamen hæc notorietas in eis aſſumi pro certitudine, declarat Navarr. d. cap. Cum contingat, remed. 2. oppoſit. 1. n. 24. quod menti tenendum eſt; non enim apud aliquem hoc explicatum inveni; nam conſuetudine, de qua ipſa lex facit mentionem, defendi non poteſt, cum conſuetudo etiam immemorabilis in hac materia nullas vires habeat, ut ſupra oſtendimus, quæſt. 24. ubi diximus, Utrum hodie indulti apoſtolici regi Sebaſtiano conceſſi effectus duret?*

LXXXII. Quomodo autem regii judices poſſint cognoſcere, et pronuntiare ſuper notoria nullitate cenſuræ pro violentia notoria tollenda? Reſpondet Oliv. cit. q. 24. n. 9. certum eſſe, non poſſe directe, neque principaliter, neque incidenter cognoſcere de cenſuræ nullitate, neque ſuper ea directe pronuntiare, ex doctrina communi Menoch. Barb. Mart. Per. de man. reg. c. 7. n. 22. et aliorum, quam late ipſe Oliv. proſequitur, et amplectitur q. 8. per tot. quam etiam, nedum magis communem, ſed et veram dicit Cevall. de viol. gl. 6. à n. 111. Marth. c. 16. *Poſſe tamen incidenter per modum cauſæ, et fundamenti, ad oſtendendam, et concludendam notorietatem violentiæ, ſe fundare in notoria nullitate cenſuræ* (quod tamen intellige *recitative*, non vero *pronuntiative* ſuper nullitate ipſa notoria).

LXXXIII. Et rationem affert ibidem: Quia hæc declaratio, ſive fiat principaliter, ſive incidenter, ſi non ſumatur *per modum cauſæ*; *ſupponit juriſdictionem ſuper materia, quæ eſſe non poteſt, niſi eccleſiaſtica, et ſpiritualis, ut per ſe notum, et catholicum eſt, cum materia ſit ſpiritualis, quæ à Chriſto Domino Petro, et non principibus ſubjecta fuit, ut late ſupra, quæſt. 2. ergo temporalis, ſi hoc facere intendat, nihil agit; mittitque falcem in meſſem alienam; libertatemque, et juriſdictionem eccleſiaſticam violat.*

LXXXV. *Quæſtio* 5. An ſi judex eccleſiaſticus nolit recurſui reſpondere, nec promotori ſuo reſponſionem committere, juxta tradita c. 35. n. 7. poſſit pars intereſſata allegationem pro juſtitia ſua recurſui adjungendam offerre? Reſolutio hujuſce quæſtionis jam ſuperius manet inſinuata, eod. c. 35. n. 7. et patet expreſſe ex doctrina Per. de man. reg. c. 11. n. 1. et 8. ibidem tranſcripta, cui hic nil aliud ſuperaddere opus eſt, niſi quæ infra q. ſequenti an. 86. fuſe exponuntur.

LXXXV. *Quæſtio* 6. An ſicut ſententiis recurſus, et chartis rogatoriis ex vi illarum expeditis, poſſunt à partibus, recurſum intentantibus, impedimenta offerri; ita poſſint objici à judice eccleſiaſtico, vel à promotore juſtitiæ ejuſdem?

Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. tenet, quod ſecunda charta rogativa (idem dicendum videtur de prima) in favorem recurrentis, cui in recurſus ſententia proviſum eſt, expedita, *poſſit in cancellaria à parte impediri*; *in quorum impedimentorum cognitione, prout in reliquis ſimilibus expeditionibus objectis, hinc inde ſuſtentatis, procedi ſolet:* &c.

Cum autem non exprimat, *à qua parte* impedimenta offerri poſſint, an ab ea, quæ intentavit recurſum, an ab ea, contra quem, ſeu in cujus præjudicium, recurſus intentatus eſt; merito dubitatur, utra earum ſit, ex ea præſertim clara ratione primæ partis excluſiva. Nam juxta ſpeciem caſus à cit. Coſt. ibidem figurati in eo recurſu, pars illum intentans, obtinuit proviſionem, et in favorem illius; et ſententia prodierat, violentiam à conſervatore factam recurrenti adjudicans; et rogatoriæ chartæ expeditæ ſunt, conſervatorem ipſum rogantes, ac monentes, ut à violentia deſiſteret, et cenſuras in recurrentem fulminatas levaret, ac tolleret. Quomodo ergo, aut ad quid, niſi in proprium præjudicium, pars, quæ recurſum intentavit, et in eo proviſionem obtinuit, chartas rogatorias ſibi faventes, et eandem proviſionem proſequentes, impediet?

LXXXVI. Si dicant, recurrentem poſſe præfatas chartas impedire, quando non obtinuit in recurſu; contrariam manifeſtam aliam rationem hoc effugium patietur. Nam quamvis recurrens non obtinens poſſit ſenatus ſententiam, ſive decretum de non proviſione danda impedire; attamen, ſi etiam in his impedimentis decreto illi objectis, non provideatur, minime chartæ rogativæ expediuntur, ſicut neque ſi recurrens ſententiæ ei non providenti acquieſcat, et impedimenta non offerat. Neque finis aliquis apparet ad prædictarum chartarum expeditionem, cum ſententia parti recurrenti in gravamine non providens, in favorem judicis eccleſiaſtici cedat, ac verſetur.

LXXXVII. Quare, quamvis pars recurrens poſſit impedimenta objicere ſententiæ, aut decreto ſibi non providenti; dicendum tamen eſt, partem, quæ rogativis chartis impedimenta opponere poteſt, non eſſe partem ipſam, quæ recurſum intentavit, ſed vel partem, adverſus quam recurritur, vel aliam in recurſu, aut materia illius aliquod habentem intereſſe.

LXXXVIII. Unde videtur quæſtioni præjactæ affirmative reſpondendum. Prob. 1. Ex obſervatione ſupra facta. 2. Ex auctoritate Per. de man. reg. c. 11. n. 8. ibi: *Et partibus, et juſtitiæ cauſæ, ſummopere conſulitur, ſi partes audiantur, quia cauſam inſtruunt, et juſtitiam aperiunt, laborem levant judici, et in tempore occurrunt, ne poſt vulneratam cauſam per impedimenta admittantur; inſuper ſi procuratori regio datur actorum copia, quia ipſius intereſt regiam juriſdictionem tueri, quomodo neganda eſt parti adverſæ? contra reg. Non licet, de reg. jur. lib.* 6.

LXXXIX. Ex qua ſic infero: Ergo, ſi procuratori regio (et cuilibet alteri parti intereſſatæ) datur actorum copia, et licebit impedimenta objicere, quia ipſius intereſt regiam juriſdictionem tueri; cur idem non licebit procuratori, ſeu promotori juſtitiæ eccleſiaſticæ, cum ipſius etiam interſit ordinariam juriſdictionem defendere?

XC. Prob. 3. Ex dictis ſupra, c. 37. n. 9. et ſeqq. et ex praxi regnorum Caſtellæ, in quibus fit citatio per edictum, ut ſiquis ſua putaverit intereſſe, compareat in extrajudiciali recurſus judicio, teſte Luc. de Penna apud Seſſ. in ep. ad reg. n. 86. poſt Affict. dec. 24. n. 6. et apud Oliv. cit. q. 15. n. 40. ſecundum quem etiam in his Luſitaniæ regnis, notificatur parti, et judici eccleſiaſtico, ut, ſi velint, in certo termino dicant contra recurſum, ex ord. l. 1. tt. 80. § 9. et l. 3. tt. 85. Promotor autem eccleſiaſticus eſt pars competens ad allegandum pro juſtitia judicis ordinarii, et pro rebus eccleſiæ. *Fiſcalis enim officium eſt inſtare pro rebus eccleſiæ*, Pelegr. de jur. fiſci, p. 4. ſeſſ. 1. n. 19. Amat. Dunat. 1. p. dec. 397. n. 5. et dec. 515. Zerol. in prax. 1. p. verb. *Fiſcus*. Ricc. in prax. 3. p. reſ. 492. Themud. in præfat. 1. p. n. 53.

XCI. Oppones tamen areſtum ſenatus apud Peg. tom. 3. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 16. n. 612. ubi tradit, ſententias prolatas in cauſis recurſus, à ſola parte recurſum intentante impediri poſſe, non vero à promo-

promotore eccleſiaſtico; cui etiam in alio caſu denegatum fuit impedimenta objicere: ergo, &c.

XCII. Reſp. 1. Si ſententia prodiit in favorem partis recurrentis, impertinens quidem, imo et præjudicialis ſibi foret impedimentorum objectio; ſin autem in favorem judicis eccleſiaſtici, etiam ſimili præjudicio, atque ineptitudini ſubjacebunt impedimenta à promotore eccleſiaſtico oppoſita, niſi forſan partialiter tantum, et non totaliter, illi favorabilis foret; ſed adhuc, qua parte ſententia faveret, ineptum, et præjudiciale foret impedimenta offerre.

XCIII. Reſp. 2. brevius, et formalius, Areſtum illud ſolummodo judicâſſe ſententias recurſus, vulgo *accordaons*, non poſſe impediri à promotore; non vero chartas rogativas, ex vi ſententiarum illarum expeditas, quod quidem eſt quid diverſum. *Et cum odioſa ſint reſtringenda, et exceptio firmet regulam in contrarium*; ex hacmet ipſa exceptione firmatur noſtra reſolutio.

Reſp. 3. Areſta illa, ut ex 2. caſu judicato colligitur, vel intelligenda eſſe de alia parte, quæ quamvis intereſſata, aut præjudicata, in recurſu ante ejus ſententiam non comparuit, cum facile poſſet; et poſt ſententiam dumtaxat impedimenta illi opponere prætendit; vel de promotore eccleſiaſtico, quando nec judex eccleſiaſticus, nec promotor ipſe, pro juſtitia ejuſdem aliquid allegavit, nec recurſui aliquid reſpondit, ſed in contumaciam utriuſque judicatus eſt; et hanc videtur fuiſſe ſpeciem ſecundi caſus judicati in recurſu D. Auguſtini apud cit. Peg. ibid.

XCIV. Ubi nota, ex ipſiſmet areſtis ſufficienter colligi, non ideo promotori denegatum fuiſſe impedimenta recurſus ſententiæ offerre, quaſi ipſemet pars competens non fuerit ad in eo allegandum, aut objiciendum pro juſtitia, atque juriſdictione eccleſiaſtica, ſed quia intempeſtive, vel ſuperflue, impedimenta opponere intentavit. Confirmatur hæc intelligentia, tum ex dictis ſupr. c. 37. tum ex ſtylo judicii eccleſiaſtici Eborenſis, de quo Themud. dec. 158. et 254. et 257. Cevall. de viol. q. 22. et etiam ex ſtylo ſæpe in hoc judicio, et ſenatu Goano obſervato; tum denique ex ipſomet 1. areſto, quo nedum promotori, ſed et cuilibet alteri parti intereſſe, aut præjudicium in recurſu habenti (cum tamen pars competens proculdubio ſit, ratione illius intereſſe, aut præjudicii, juxta dicta) impedimenta ſententiæ ſenatus offerre, præter partem recurſum intentantem, denegatur.

XCV. Deinde *legibus, non exemplis, judicandum*, l. *Sed licet*, ff. de offic. præſid. l. *Nemo*, cod. de ſent. et interloc. c. 1. de offic. poſtulat. prælat. Menoch. conſ. 996. n. 27. vol. 10. Leges autem, et rationum convincentium pondera, ſunt in favorem cujuſvis partis in recurſu intereſſe aut præjudicium habentis ad in eo allegandum, aut objiciendum: et certe, ſi promotor expeditioni cujuſlibet chartæ impedimenta objiciat, de illis opportune cognoſcendum, atque judicandum, ut in facti contingentia in hoc ſenatu ſervatum eſt in recurſu infr. alleg. 25. et 27. contento.

XCVI. Decentius tamen videtur, ut tam judex eccleſiaſticus, quam promotor, ejus nomine allegans, hac formalitate impedimentorum objectionis non utantur; ſed loco illorum in reſponſionibus ad primam et ſecundam chartam rogatoriam allegent, et afferant quicquid ſibi utile, et bene viſum fuerit. Et hæc forſan fuit ratio, ſeu fundamentum denegationis in areſtis ſupra laudatis.

XCVII. *Quæſtio* 7. Quo loco, et quomodo ſedere debeat judex eccleſiaſticus, cum, pro ultima recurſus deciſione in aulico ſenatu ſumenda, à rege ad hoc tribunal vocatur, ſimul cum regio judice, ac procuratore audiendus? juxta præſcriptum lege regiæ ordin. l. 1. tt. 12.

XCVIII. Hanc quæſtionem apud neminem noſtratum DD. regnicolarum agitatam, ac deciſam reperio; ſed apud exteros. Pro cujus reſolutione animadvertendum eſt, 1. Quod ſi judex eccleſiaſticus infirmitate laboret, quando à rege ad palatinum ſenatum pro ultima recurſus deciſione vocatur, ita ut perſonaliter comparere non poſſit, poteſt quidem per ſcriptum à ſe firmatum, reſpondere, et allegationem ſuæ tandem juſtitiæ contexere, etiamſi jam recurſui, et rogativis chartis anterius reſponſiones adhibuiſſet, ut aperte convincitur ex areſto, apud Peg. tom. 8. ad ord. l. 2. tt. 9. § 3. n. 32. ex quo conſtat, *in aulico ſenatu Ulixbonenſi auditum fuiſſe per ſcriptum à ſe ſubſcriptum, eo quod cauſa infirmitatis perſonaliter comparere non poſſet, epiſcopum D. Emmanuelem de Almada conſervatorem ordinis D. Benedicti*, &c. ann. 1576.

XCIX. Animadvertendum, 2. Judicem eccleſiaſticum ordinarium, vel delegatum, taliter ad præfatum finem à rege vocatum, non teneri comparere, ſi nolit (imo regulariter nullus comparet, etiamſi impeditus non ſit); ſed pro ſuæ juſtitiæ allegatione ſatisfaciunt, vel cum reſponſionibus recurſui, et chartis rogativis expoſitis, vel cum iis, quæ ex actis ipſis tranſmiſſis evincuntur: in quo caſu ſolet in decreto ultimæ deciſionis apponi clauſula, quod *in menſa ſenatus* palatini auditi fuerint regius procurator, ac judex, in contumaciam judicis eccleſiaſtici, &c. ut conſtat ex variis areſtis apud cit. Peg. ibid.

C. Reſpondetur igitur quæſtioni cum diſtinctione: Nam ſi judex eccleſiaſticus eſt ipſemet epiſcopus ordinarius loci, vel quilibet alter ordinarius, vel delegatus, dignitate epiſcopali præcellens, debet quidem ſedere in cathedra ſub baldachino, aut umbella, immediate ad lævam præſidis illis tribunalis, et in eadem linea. Ita Alzed. de præcell. epiſcop. c. 12. n. 36. Parlador. in ſexquicentur. centur. quotidian. controv. n. 27. Villaroel. gubern. eccleſiaſt. p. 1. q. 1. art. 3. n. 18. Solorſan. de jur. Indiar. l. 4. c. 3. n. 65. Caſſan. de gloria mundi, p. 4. conſider. 25. cum plurimis laudatis DD. in c. *Solitæ*, de majorit. et obed. et in l. ult. cod. *Ubi ſenat.* l. 2. et fin. cod. *de offic. diverſ. jud.*

CI. Patet reſolutio, 1. Ex tex. in c. *Solitæ*, de major. et obed. ibi: *Cum alii reges, et principes archiepiſcopis, et epiſcopis ſuis (ſicut debent) reverenter aſſurgant, et eis juxta ſe venerabilem ſedem aſſignent. Venerabilem*, id eſt, *ad dextram*, explicat Caſſan. cit. et reliqui DD. in d. c. *Solitæ*.

CII. Patet, 2. Quia epiſcopus (et quilibet alius judex eccleſiaſticus) tunc, non ut pars, ſed ut judex, nobiliori juriſdictione præfulgens, comparet audiendus; imo ſi compareret, ut pars, idem jus haberet ſedendi ſub baldachino immediate poſt præſidem, ut expreſſe tenent Parlador. et Alzed. cit. et cum illis laudatis Villaroel. cit. p. 1. q. 1. art. 3. n. 18. quamvis lex 3. regni Caſtellæ, tt. 5. l. 1. de regio foro ſic ordinet: *Y ſi acaeciere, que rey, o infante, ſijo de rey, o de reina, o arcobiſpo, o obiſpo, que ayan pleito contra alguno, de cada uno dellos qui en razon de por ſi: cà no es guizado, que otro homem los contradiga, loque ellos dixeren.* Quod obiter quidem notandum pro notabili illa irreverentia regii proviſoris capellarum hujuſce ſtatus, de qua allegat. 33.

CIII. Et quod magis eſt, quod etiamſi epiſcopus compareret, ut reus, conſederet loco, et modo, à cit. Caſſan. expreſſo, d. p. 4. conſid. 25. ibi: *Princeps, ſeu rex, debet epiſcopo præbere honorem in aſſurgendo in adventu ipſius, et ei juxta ſe venerabilem ſedem aſſignare, et ſic ad dextram; et, quando accuſatur, debet ſedere, et non ſtare.*

CIV. Et c. 7. cum Joan. Andr. et Panorm. in d. c. *Solitæ*, Corſet. de pot. reg. q. 57. ſic tradit: *Quia ſi illuſtres ſint in jus vocati, habent jus ſedendi, etiamſi ſint accuſati, et propriam cauſam defendant.* Vide etiam Themud. dec. 49. n. 25. et 26. ubi cum pluribus tenet, epiſcopum in ſua diœceſi, *omnes, etiam regem ipſum, præcedere debere*; quod intellige in eccleſia, vel eccleſiaſticis actionibus.

CV. Confirmatur, 1. A paritate diſpoſitionis regimenti S. officii regnorum Portugalliæ, l. 1. tt 3. § 58. ubi ordinatur, quod *in reverentiam debitam magnæ dignitati epiſcopali, ſi ordinarius loci, quo S. officii reſidet tribunal, epiſcopus ſit, cum menſæ adfuerit, in caſibus, in quibus adeſſe poteſt, primo loco ſedeat, in capite menſæ, et ultimo ſuffragium ferat*, &c. *Sin autem epiſcopus non fuerit, obtinebit locum concedi ſolitum perſonæ ordinariorum epiſcoporum commiſſione, menſæ aſſiſtenti*, &c. § autem 5. ejuſdem tt. diſponit, *quod inquiſitores ordine ſedendi præcedant perſonam ex commiſſione ordinarii loci tribunali aſſiſtentem, etiamſi talis perſona epiſcopus titularis exiſtat.*

CVI. Ex qua reſtrictione videtur inferri, quod ſi ſit epiſcopus non titularis, ſed diœceſanus, et cum proprio

proprio alibi territorio, alius locus dignior deputandus, ſaltem immediate poſt primum inquiſitorem: et ratio illius præcedentiæ videtur eſſe præcellentia judicis delegati ordinario, in cauſis ſuæ ſpecialis delegationis, ſecundum juris diſpoſitionem, c. *Significâſti*; ub. gl. verb. *Nonvult*, de offic. deleg. c. *Paſtoralis*, c. *Sane*, eod. tit.

CVII. Confirmatur, 2. A paritate loci, ac ſedis, quam archiepiſcopi Goani, epiſcopi gubernatores ejuſdem diœceſis, archiepiſcopo decente; videlicet actualis epiſcopus Coccinenſis, ex ſpeciali bulla Pontificia Gregor. XIII. incipiente *Paſtoralis officii*, obtinent in conſiliis ſtatus, in menſa ſecundæ inſtantiæ, pro cauſis criminalibus equitum trium ordinum militarium, et in comitiis, aut publicis congreſſibus trium ordinum ſtatus pro cauſis gravioribus pacis, aut belli, in quibus omnibus archiepiſcopus, vel epiſcopus gubernator, ſedet immediate poſt proregem, et ad ejus lævam in eadem linea, et ſub eodem baldachino, tum ex ſtylo, tum ex regio decreto die 10. Januar. ann. 1708. pro hoc ſtatu expedito.

CVIII. Ubi notandum, quod quamvis cit. c. *Solitæ*, de majorit. et obed. dicatur *archiepiſcopis, et epiſcopis ſuis, ſicut debent*, &c. per quod innuitur, illam reverentiam, non ſimpliciter dignitati epiſcopali, ſed ut adjunctæ cum juriſdictione ordinaria territorii, deberi; attamen dignitati epiſcopali, etiam ab ea juriſdictione præciſæ, deferri videtur, tum ex dictis, atque ex laudatorum DD. aſſertis, tum ex eo, quia epiſcopi non pure titulares, ſed juriſdictionales ſunt, immediati apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti vicarii, magiſtri, patres, et paſtores fidelium, ut declaratur nuperrime in Concilio Lateranenſi, ſeu Romano, tt. 16. c. 1. et 2. ibi: *Sive intra, ſive extra eccleſiam cum omnibus, ut patres, et paſtores ſe habeant; et ſupra omnes, veluti ſuperiores, locum ſibi ſervent digniorem.* Et in Trident. ſeſſ. 25. c. 17. de reform. et ratione dignitatis, atque ſuperioritatis juriſdictionis, reliquis judicibus, ac ſenatoribus ſæcularibus, præferendi videntur, juxta illud: *Sacerdos ſecundus à rege.* Pro quo etiam facit tex. in c. *Duo ſunt*, diſt. 96. ubi dignitas epiſcopalis comparatur ſoli, dignitas vero regia lunæ. Imo hanc plumbi metallo, illam vero auri fulgori, etiam ibidem comparat: et c. *Solitæ*, de majorit. et obed. et c. *Venerabilis*, de præbend. ubi eadem epiſcopalis dignitas *Culmen dignitatum appellatur*: et c. 1. de privileg. nuncupatur, *Honor, cui debent excellentiora committi.* Vide etiam Barb. de epiſcop. p. 1. c. 1. et 2. ubi D. Ignatius martyr, n. 23. in epiſt. ad Smyrn. dicit, quod *epiſcopus omni principatui, et poteſtati ſupereminet*; Cortiad. et alios.

CIX. Neque obeſt diſpoſitio præfata regiminis S. Inquiſitionis, ordinans perſonam pro loci ordinario aſſiſtentem, *etiamſi ſit epiſcopus titularis*, ſedere debere immediate poſt inquiſitores: non officit, inquam, tum ex reſtrictione illa, *Epiſcopus titularis*, quæ non patitur ampliationem ad epiſcopos juriſdictionales; tum ex vera ratione ſuperius inſinuata, de præcedentia judicis delegati ordinario ejuſdem fori. Regii autem ſenatores aulici, quamvis ordinarii judices exiſtant in foro ſæculari, et pro cauſis gravioribus à rege decidendis in ſupremo tribunali palatino deputati, ſunt ſane inferiores epiſcopis (vel ut judices ordinarii, vel ut deputati procedant) tum ratione juriſdictionis, tum etiam officii, muneris, atque dignitatis, et characteris, de quo vide Alzed. de præcellent. epiſcopor.

CX. Adde, quod epiſcopi ex ipſamet regia electione remanent regni magnates, ac proceres, ſive optimates, et correſpondent ordini comitum, ſicut archiepiſcopi ordini marchionum; primates vero, ac patriarchæ, ordini ducum comparantur; atque adeo à dextris in publicis actionibus regibus aſſiſtunt præſules illi eccleſiaſtici, gradualiter, et proportionaliter collati optimatibus illis ſæcularibus ad lævam adſtantibus, quam præeminentiam non habent ſenatores aulici.

CXI. Sin autem judex eccleſiaſticus in palatina menſa pro ultima recurſus deciſione comparendus, fuerit ipſius epiſcopi vicarius generalis in ſpiritualibus, aut temporalibus, vel quilibet alius miniſter, aut ſenator eccleſiaſticus, vel illuſtriſſimi nuntii aut collectoris regni auditor, vel alicujus ordinis conſervator; ignoro quid conſuetudinis in hac re pro ſedium loco, et ordine ſervetur: quamvis pro hoc ſtatu audiam, quendam vicarium generalem inter judicem, ac procurarorem regium conſediſſe. Quare nil decerno, aut ratiocinor, ne forſan conſuetudini ſtabilitæ adverſari videar. Attamen decere videtur, quod immediate poſt primum ſenatorem aulicum locum obtineat; tum à paritate epiſcoporum immediate poſt præſidem conſedendorum; tum à paritate archiepiſcopi, et epicopi gubernatoris Goani, immediate poſt proregem in eadem linea conſedentis; tum denique ex rationibus aliis decentiæ ſuperius attactis.

Alii tamen judicent, ac reſolvant de ſtylo ſupra hac re melius inſtructi, ac edocti, cum ea tamen certitudine præ oculis ſemper habenda, quod judex eccleſiaſticus, non ut reus, ſed ut judex vocatur; et eadem, atque forſan majori urbanitate, ac reverentia, qua proprii tribunalis magiſtratus, ut decet, afficiendus, atque honorandus eſt.

CXII. Poſt hæc ſcripta reperi nuperrimum Oſor. qui prax. de patron. reg. réſol. 41. ex n. 5. loquens de obedientia epiſcoporum debita vocationi regiæ, ſic ait: *Rex autem, ipſis venientibus, eos honorare debet, et eis aſſurgere capite inclinato: ex cap. Valentinianus, diſt. 66. ibi: Cui etiam nos, qui gubernamus imperium, ſincere noſtra capita ſubjicimus, cap. Solitæ, de majorit. v. Hæc autem, ubi Innocentius* III. *reprehendit imperatorem per rationem; ibi: Hæc autem ſi prudenter attenderet imperatoria celſitudo, non faceret, aut permitteret, Conſtantinopolitanum patriarcham, magnum quidem, et honorabile membrum eccleſiæ, juxta ſcabellum pedum ſuorum, ſiniſtra parte ſedere; cum alii reges, et principes, archiepiſcopis, et epiſcopis ſuis (ſicut debent) reverenter aſſurgant, et eis juxta ſe venerabilem ſedem aſſignent, cap. Novit, 13. v. Nos igitur de judicibus, Lancelot. Conrad. in templo judic. lib. 1. cap. 1. § 3. in principio n. 4. Quare eos debent ad dextram collocare, ut per textum ubi proxime in dict. cap. Solitæ, ubi DD. coercit. de poteſtate reg. 4. par. q. 59. gloſſ. verbo Reſidendi; ubi Bald. notab. 3. in l. Decernimus, cod. de ſacroſancta eccleſ. Lancelot. Conrad. de templo judic. lib. 2. cap. 5. § 4. in principio n. 11. et lib. 1. cap. 1. § 3. dict. n. 4. Caſan. in catalog. gloriæ mundi, 4. p. conſid. 25. Bobad. polit. lib. 2. cap. 17. n. 12.*

Si vero vocati venire recuſaverint, et fuerint rebelles, et inobedientes, et ſeditioſi, tunc rex eos, non ex vi, et poteſtate juriſdictionis, ſed ex vi poteſtatis politicæ poteſt eos à regno expellere, et eorum bona, et temporalitates occupare; ut pluribus relatis Salgad. de protection. reg. p. 1. cap. 2. an. 274. Bobad. polit. lib 2. cap. 18. n. 62. Emmanuel Barb. ad ordinat. lib. 2. tt. 13. n. 4. Covall. de cognit. per viam violent. 2. p. q. 77. et q. 100. n. 4. Themud. diſt. 106. n. 13. et 15. Barboſ. in collect. in l. Quicunque, cod. de epiſc. et cleric. n. 2. ubi plures refert Salzed. dict. cap. 12. n. 6. . . . . Ob evidentem regni, et reipublicæ utilitatem poteſt eos rex præficere in præſidentiis conciliorum, et in regni regimine occupare, ſi alii ſatis idonei non reperiantur; eorum enim conſilio melius reſpublica gubernatur, ut docet experientia, ita ex aliis, quos refert Bobad. dict. lib. 2. cap. 17. n. 31. et 32. et cap. 18. n. 99. Covall. commun. q. 585. ſub n. 7. et 8. Barb. de poteſt. epiſcop. alleg. 53. à n. 15. Diana tract. 10. de immunitat. eccleſ. reſolut. 5. Salzed. dict. cap. 12. à n. 20. et à n. 36. et n. 40. et n. 45. refert reges, qui eos in regni regimine occupârunt; et à n. 49. verſic. Quare, et à n. 87. Quamvis enim reſidentia prælatorum ſit de jure divino, ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. in principio de reformat. ubi plures refert Barboſ. in collect. n. 3. Covall. dict. quæſt. 585. in princip. Salgad. de protect. regia, 2. p. cap. 15. n. 12. Nihilominus tamen in quatuor caſibus, in eodem concilio expreſſis, excuſantur à reſidentia ex interpretatione legali Concilii Tridentini, Salzed. dict. cap. 12. n. 35. et n. 53. et à n. 68. . . . Primus, Chriſtiana charitas: Barboſ. in collect. ad Trid. dict. cap. 1. n. 8. et de jur. eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 9. n. 80. et de poteſtat. epiſcopi, alleg. 53. n. 6. Leſſius de juſt. lib. 2. cap. 34. dub. 29. n. 156. Salzed. d. cap. 12. à n. 33. . . . Secundus, Urgens neceſſitas: Barboſ. ad Trid. dict. cap. 1. n. et de jur. eccleſ. d. lib. 1. cap. 9. n. 81. et dict. alleg. 53. n. Leſſ. ubi ſupra. . . . Tertius, debita obedientia:

tia : Barbos. in collect. ad Trid. d. cap. 1. *n.* 10. *et de jur. eccles. d. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 82. *et alleg.* 53. *n.* 10. *Less. ubi supra : et propter hanc possunt etiam creari legati à regibus; et plura exempla refert Salzed. d. cap.* 12. *n.* 65. *et* 66. *prout etiam à Papa. Vide exempla per eundem Salzed. d. cap.* 12. *n.* 71. . . . . *Quartus, Evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas : Barbos. in collectan. ad Trid. d. cap.* 1. *n.* 12. *et jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 9. *à n.* 84. *et d. alleg.* 53. *n.* 14. *et* 15. *Less. de just. ubi supra.*

Propter has causas, à dicto Concilio Tridentino approbatas, possunt licite abesse, si evidens utilitas ecclesiæ vel reipublicæ id postulet, etiam ultra tres menses ab eodem concilio concessos, ex Barbos. d. lib. 1. *cap.* 9. *n.* 85. *dummodo præcedat Summi Pontificis licentia, vel metropolitani, data in scriptis, coram quo justæ causæ absentiæ justificandæ sunt, ex eodem Concilio Tridentino dict. cap.* 1. *ubi Barbos. in collect. n.* 13. *et* 14. *Cevall. d. q.* 585. *n.* 10. *Less. de justit. ubi supra. Si tamen necessitas fuerit tam urgens, ut nec etiam ad metropolitanum recurri possit pro licentia obtinenda, potest prælatus recedere ea non obtenta, ex Barbos. in collection. ad cap.* 1. *n.* 15. *quam tenetur postulare, si absentia sit (ultra dictos tres menses à concilio concessos) duratura prout episcopus Portuensis D. Gasparr. do rego da Fonceca, eam postulavit à metropolitano Bracharensi, quando ann.* 1637. *fuit vocatus à rege Castellæ in curiam Matritensem, quam ei dictus metropolitanus Domn. Sebastianus de Matos de Noronha in scriptis remisit, jam in illa curia existenti, et eam dictus episcopus mihi ostendit cum quadam doctissima allegatione super justificatione suæ absentiæ, quam originaliter in mea habeo potestate.*

CXIII. Nota hic quæ de D. Thoma Cantuariensi scribunt Polydor. Virgil. Gulielm. Neubrig. apud Stapleton. cit. circa formam, qua S. ille archipræsul, eo die, quo plenius responsurus erat objectis, aulam regiam ingressus est manu propria bajulans crucem argenteam archiepiscopalem, ante se portari solitam, et alia superius transcripta, n. 25. prælud. 6.

CXIV. Pro complemento autem attinentium ad hoc extrajudiciale judicium, et cognitionem tam judicum coronæ, quam senatorum aulicorum, quæres tandem, an utrique teneantur judicare secundum leges canonicas, an potius civiles? Respondetur, quod secundum leges canonicas omnino. Prob. 1. Ex communi auctoritate, videlicet Cevall. de cognit. viol. p. 1. gl. 6. et alibi. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 2. § 3. n. 4. et p. 2. c. 4. n. 30. Per. de man. reg. c. 8. et 17. et novissime Osor. prax. de patr. reg. resol. 40. n. 11. ex c. 1. de const. quibus accedunt alii.

Prob. 2. Quia juxta auctoritatem citat. Cevall. p. 1. gl. 6. n. 62. et p. 2. q. 3. n. 9. et q. 99. n. 16. Per. de man. reg. c. 8. n. 11. et c. 17. n. 6. et c. 63. n. 42. Barb. de jur. eccles. l. 2. c. 11. n. 60. Bovadill. l. 2. c. 18. n. 194. Osor. cit. n. 10. ob non servatam dispositionem decretorum S. Concilii Trid. recurritur à judicibus ecclesiasticis ad judicium coronæ, et ibi providetur, dictam dispositionem servari commendans: ergo, &c. Ex quo infert dictus Osor. cit. n. 11. quod qui dictam dispositionem servat, non committit violentiam, imo justitiam administrat, pro quo affert casum judicatum alibi, et etiam Themud. dec.

Prob. 3. Rationibus attactis allegat. 17. n. 7. et seqq. videlicet, quia judex ecclesiasticus, ut talis, non tenetur judicare secundum jus civile, et sæculare, sed secundum jus canonicum, et ecclesiasticum, juxta tradita.

Deinde, ideo ab eo recurritur, quia non servat jus canonicum, vel non deferendo appellationi, juxta idem jus, legitimæ, et deferibili; vel non servando jus naturale, in quo ipsa appellatio, et ipsum jus canonicum fundatur; vel excedendo, quando procedit, ut executor, seu minister legis, aut juris canonici: ergo hujusce juris dispositiones perspici debent à regiis judicibus, ad hoc, ut secundum illas judicent, an detur violentia, aut injuria notoria.

Prob. 4. Quia etiam quando recurritur ob usurpatam jurisdictionem, debet prius perquiri, an illa usurpatio sit licita, ac juridica, secundum canones; et secundum illos datur locus jurisdictionis prorogationi, ac perscriptioni, juxta tradita c. 32. et secundum doctrinam Per. de man. reg. c. 22. n. 35. Peg. ad ordin. lib. 1. tt. 62.

CXV. Dices, 1. Saltem in casibus, in quibus à jure regio præscriptio permittitur ecclesiasticæ jurisdictioni contra illud, debent judices regii juxta proprium jus judicare: ergo. Respond. In his casibus judicare quidem juxta jus regium secundum quid, non simpliciter; nam prima radix judicii, etiam tunc desumitur à jure canonico, an illud accedat, et in illo habeat fomentum, ac fundamentum, ad illam jurisdictionis prorogationem, atque præscriptionem. Idem dic, quando judicant juxta concordantias, quæ, posita approbatione ecclesiæ, utique leges ecclesiasticæ evadunt.

Dices, 2. Saltem quando à judicibus ecclesiasticis recurritur ob non servatum jus naturale in denegatione defensionis naturalis reis, ob quam vim ac violentiam committere pronuntiantur, debent judices regii judicare secundum jus civile, quippe quod juri naturæ, et gentium, proximius est, quam jus canonicum.

CXVI. Resp. negando totum: 1. Quia Deus ipse à theologis, et philosophis, dicitur, *Natura naturans*, sive auctor totius naturæ creatæ, et creaturæ dicuntur *Naturæ naturatæ*, sive productæ, et creatæ à Deo; proindeque Deus, ut primum ens essentiale, et immutabile, est prima radix totius naturalitatis; atque adeo jus canonicum, respiciens Deum ipsum, ut colendum, et obtemperandum ab hominibus, et ab eis finaliter assequendum, magis accedit ad jus naturale, quam jus civile, respiciens tantum reipublicæ pacem, ac tranquillitatem.

2. Quia jus ipsum naturale vel sumatur pro lege æterna, vel pro justitia, vel pro dictamine rationis, quod honestum est dictante, vel pro eo, quod justum, et æquum est; habet fundamentum radicale in ipso Deo, ut totius justitiæ, et honestatis primo fonte, ac radice, erga quem jus canonicum versatur; nam, ut ait Gibalin. l. 4. c. 7. n. 18. *Jus naturale est legis æternæ transcriptio, et promulgatio.*

3. Quia jus canonicum nedum nobilius, sed et antiquius est jure civili, ut probavimus prælud. 3. Nam exemplo Mosis Pentateuchum scribentis, et leges ecclesiasticas promulgantis in libris Exodi, et Levitici, primus legislator Cecropa, seu Mercurius, leges civiles condidit, et publicavit, ut asserit eruditus D. Franciscus Emmanuel in doctissima epistola ad 3. partem Themudi, sive in epistola 1. centur. 4. ubi ait ex Marsilio, *Simias Mosis fuisse, quotquot post eum leges tulerunt*, videlicet, *Cecropam, vel Mercurium Trismegistum, pro Ægyptiis; Foroneum, pro Græcis* (à quo deductum est verbum *Forus*) *Drecum, et Solonem, pro Athenienſibus; Lycurgum, pro Lacedæmoniis; Minum pro Thebanis; Zoroastren, pro Bactrianis; Platonem, pro Magnesiis, et alios.* De quo etiam vid. Beyerlinch. theatr. vit. hum. verb. *Lex*, et Ubert. de citat. c. 4. n. 64. et seqq.

Tandem pro licitudine, vel coactione rogativarum regiarum de stylo in hoc regio coronæ judicio emitti solitarum, observa notabilem doctrinam Pignatell. tom. 6. cons. 13. ex n. 26. ubi sic tradit:

4. Opponunt, Quod hortatoriæ sint permissæ ex longissimo usu, sive consuetudine immemorabili, non prohibeantur à sacris canonibus, et approbentur tacita permissione Sedis Apostolicæ, cum aliud non sint, quam preces, et hortationes.

Respondeo: Quicquid sit de simplicibus literis hortatoriis, falsum est de significatoriis, comminatoriis, et præceptivis, etiam pœnalibus, ut ex tenore ipsarum patet; quare nunquam illas Sedes Apostolica tacite, vel expresse, approbavit; sed semper habita notitia mandat episcopis, ne illas observent, neve pareant. Nam præter ea, quæ d. tom. 1. tradidi, tenor illarum importat jussionem, habeturque instar injuriarum, et per consequens ei parendum non esset. Principum enim preces importunæ, minæ sunt, cap. *Petitio, de jurejur.* cap. *Quia propter, de elect.* Bellug. *in specul. princip. n.* 16. ibique Borel. *in addit. liter.* A. Mascard. v. *Blanditiæ*, Alex. cons. 124. n. 4. lib. 1. ubi alii: Panorm. in cap. 1. n. 10. de his, *quæ vi, met. caus. et in cap.* 2. *eod. tit. n.* 3. *cum seqq.* ubi ait: *Principis preces præcepta esse, non preces. Idem notat*

gloſſ. in lib. 1. *v. Quemadmodum, ff. Quod juſſu*, Afflict. *dec.* 69. *n.* 9. Gail. lib. 2. obſer. 93. quia blanditiæ principum indicant juſtum metum. Ex gloſſ. in l. 1. cod. *Si rector provinciæ*; et rogatio domini, vel ſuperioris, habet vim præcepti: ut dicit Bartol. in tract. tyrannid. col. 3. Bald. in c. *Si mandator*, c. *Quod cum eo*, faciuntque dicta per Barbat. in cap. *Quoniam*, de offic. deleg. Marſil. ſingul. 645. quo et illud poetæ referendum eſt:

Scribere me Auguſtus jubet, et mea carmina poſcit,
Pœne rogans; blando vis latet imperio.

Et *rogando cogit, qui rogat potenter*, juxta mimum; traditque Felin. in cap. 1. n. 2. et 3. de offic. jud.deleg.

Præſertim, quia hæ literæ hortatoriæ ſcriptæ ſunt nomine officii, et dignitatis, ex quo capite tam eas ſcribens, quam recurrens ad principem ſcribentem innodantur excommunicatione bullæ in Cœna Domini, quamvis ſint hortatoriæ, id eſt, non comminantes, neque præcipientes, quia non ſunt ſimpliciter amicabiles, ſed aliquo modo compulſivæ, ut proinde dici poſſit interpoſitam fuiſſe auctoritatem principis, aut judicis laici, ex quo ſatis eccleſiaſticæ juriſdictioni irrogatur injuria, ſi modo præſumatur judex eccleſiaſticus non admiſſurus, niſi interceſſiſſent literæ eo modo ſcriptæ, à quibus, ut talibus, dicatur eſſe motus.

Sunt injurioſæ, quatenus continent vim quandam, et coactionem, ſaltem moralem, ad obtinendum intentum, cum inferior non poſſit congrue reſiſtere tali efficaci hortationi. Nam tunc continent vim coactivam, quando, niſi ſatisfiat, hortans eſt paratus inferre damnum: et efficacia ipſa hortationis excitat reverentialem metum, ob quem non manet libertas ad negandum, quod petitur, præcipue quando tales hortatoriæ fiunt cum quadam violentia morali. Tunc autem fiunt cum violentia morali, quando adhibentur verba conſtrictiva; et hortans declarat, ſe omnino velle, quod in hortatione petit. In hoc enim caſu locum habet metus ſaltem reverentialis; et proinde injuria contra libertatem diſponendi.

Hinc quod fit enixe, petente principe, metum factum cenſetur, ut inter alios gloſſ. in l. 1. ff. *Quo jus.* Imol. in cap. *Cum inter*, de elect. Pariſ. conſ. 5. n. 152. vol. 4. Et verba conſtringentia, et hujuſmodi declaratio æquivalent vultui atroci, imo ſuperant. Vultus autem atrox potentis ſufficiens eſt ad incutiendum metum, ut docent Bald. in § *Injuria*, de pac. jur. fir. Angel. in l. *Qui in aliena*, § fin. ff. de acq. hæred. Decian. in cap. 1. de offic. deleg. qui metus reverentialis quicquid ſit, quando concipitur ex ſola qualitate perſonæ, an impediat liberam voluntatem; quando tamen concipitur, non ſolum ex perſona, ſed etiam ex qualitate petitionis, quia videlicet oſtendit animum omnino determinatum ad obtinendum, quod petitur, tunc certe cadit in conſtantem virum; quia rationabiliter ſibi perſuadet, quod, niſi obſequatur, petens graviter indignabitur. Unde verecundia conjuncta eſt cum timore indignationis, et damni, quod poteſt ex ea ſequi; et ideo eſt ſufficiens, ut cadat in conſtantem virum. Imo, ſi non timeret, non eſſet conſtans, ſed temerarius. Idque præſertim, quando, ut d. tom. 1. dixi, preces ſunt reiteratæ, ac importunæ cum commiſſariis, et armatorum turmis; quæ omnia ſunt prohibita non ſolum à jure communi, ſed etiam à bulla Cœnæ Domini, in qua reprobatur quæcunque conſuetudo, etiam immemorabilis, ut ſæpe alibi docuimus.

DISTINCTIO VII.

De Proceſſu ad Temporalitates adverſus Judices eccleſiaſticos.

Parcat benignus lector hic, et alibi, uti vocabulo *procedimenti* ad diſtinctionem ipſius ſcripti *proceſſus*.

CAP. XXXIX.

De Licitudine, vel Illicitudine, Procedimenti ad Temporalitates adverſus Judices eccleſiaſticos, nolentes ultimo Decreto Senatus Palatini pro ultima Recurſus Deciſione parere.

SUMMARIUM.

I. *De ſtylo procedimenti temporalitatis contra judices eccleſiaſticos.*
II. *Tranſcribitur doctrina Per.*
III. *Praxis hæc plures patitur difficultates.*
IV. *Prima, Ex ipſamet ordinat. regia.*
V. *Cujus diſpoſitiones de ſolis caſibus uſurpatæ juriſdictionis agunt.*
VI. *Secunda, Ex reſtrictionibus regiarum legum ad laicos oppreſſos.*
VII. *Ad ſolos caſus uſurpatæ juriſdictionis, et laicorum oppreſſorum, et non ultra, talis proceſſus extenditur.*
VIII. *Tertia difficultas ex generalitate illius ſtyli.*
IX. *Unde illicitus eſt proceſſus ad temporalitatum ſubtractionem in aliis caſibus, in quibus nec recurrentes fuerint laici, nec materia, præfata uſurpatio.*
X. *Illud procedimentum ultra prædictos caſus non redditur licitum ex concordiis regis Joan.* I. *nec regis Sebaſtian.*
XI. *Solæ concordiæ regis Dionyſii fuerunt à Sede Apoſtolica approbatæ; et quomodo.*
XII. *Concordia regis Sebaſtiani expreſſe loquitur de uſurpatione regiæ juriſdictionis, et adverſus laicos; quæ tranſcribitur.*
XIII. XIV. *Concordia regis Joannis loquitur de eiſdem caſibus, et de proceſſu adverſus laicos poſt rogativas.*
XV. XVI. *Concordiæ autem Dionyſianæ, vel ſunt ſuper bona feudalia à clericis poſſeſſa, vel hæreditates regi tributarias.*
XVII. *Ex legibus reſtricte loquentibus non redditur licitum procedimentum generale.*
XVIII. *Neque judices, neque uſus, potuerunt ampliare illas legum reſtrictiones.*
XIX. XX. *Rex poteſt temporaliter procedere adverſus judices eccleſiaſticos oppreſſores, et contra clericos refractarios, juxta leges, et concordias, non vero contra, vel ultra illas.*
XXI. *Debent reſtricte practicari, et minime ampliari.*
XXII. *Judex eccleſiaſticus* ſe tanquam murum pro domo Dei *opponens in materia conſcientiarum gravante, non eſt inobediens regi, neque pacis turbator.*
XXIII. *Pax eſt* tranquillitas ordinis.
XXIV. *Inobedientiæ leves clericorum, et regularium, non puniuntur à rege, ſed à propriis ipſorum prælatis.*
XXV. *Explicatur diſpoſitio ord. l.* 1. *tt.* 12. § 5.
XXVI. *Etiamſi recurrens ſit laicus, et materia recurſus non ſit regiæ juriſdictionis uſurpatio, ſed alia, videtur illicitus proceſſus ad temporalitates.*

XXVII.

XXVII. *Quod quidem liquet ex ipſa ord. reg. multiplici loco.*

XXVIII. *Ratio ſola ſæcularitatis recurrentis, non eſt ſufficiens ad fundandum procedimentum temporale in cauſis foro eccleſiæ attinentibus.*

XXIX. XXX. *Turbans juriſdictionem alicujus, ſit ejus ſubditus, ſi judex turbatus ſit tantum incompetens; non ita vero, ſi etiam ſit incapax.*

XXXI. *Judex laicus eſt incapax ſubjiciendi perſonas eccleſiaſticas.*

XXXII. *Sicut judex eccleſiaſticus poteſt ſpiritualiter procedere adverſus judicem ſæcularem, ejus juriſdictionem turbantem; ita ſæcularis adverſus eccleſiaſticum temporaliter in defenſionem ſuæ juriſdictionis, ſi hæc effective uſurpetur.*

XXXIII. *Ex legibus, et concordiis, non aliud procedimentum conſtat, præter quod cenſurati non vitentur, nec ab eis mulctæ excommunicatorum exigantur.*

XXXIV. *Et hæc diſpoſitio ad ſolos caſus uſurpatæ juriſdictionis reſtringitur.*

XXXV. *Licitudo illius procedimenti ex ſolo titulo juſtæ defenſionis propriæ juriſdictionis ſalvari poteſt.*

XXXVI. XXXVII. *Nequit ea licitudo ampliari ad alios caſus, et pro recurrentibus eccleſiaſticis.*

XXXVIII. *Laudatur Oliv.*

XXXIX. XL. *Procedimentum temporale adverſus judices eccleſiaſticos, non eſt in pœnam inobedientiæ, ſed in defenſionem regiæ juriſdictionis.*

XLI. XLII. *Imo dato, quod foret in pœnam, non illud poſſent magiſtratus ampliare, vel inducere ultra caſus reſtrictos.*

XLIII. *Nec in legibus, nec in concordiis approbatis, invenitur vel leve veſtigium alterius procedimenti, quam non vitandi cenſuratos, ab eiſque non exigendi mulctas.*

XLIV. XLV. XLVI. *Exponuntur concordiæ Dionyſianæ.*

XLVII. XLVIII. *Ad 5. artic. concordiæ negat rex, ſe unquam per ſubtractionem temporalitatum proceſſiſſe.*

XLIX. *Senatores aulici in ultima recurſus deciſione non decernunt procedimentum temporale, ſed unice rogativas eſſe recte, vel non recte expeditas.*

L. *Et dato, quod decernerent, id in caſibus dumtaxat regiæ juriſdictionis uſurpationis efficerent.*

LI. LII. LIII. *Ex capite naturalis defenſionis poteſt adhiberi formalitas temporalis proceſſus in caſibus uſurpationis illius, non vero in aliis caſibus.*

LIV. *Patet etiam à paritate judicis eccleſiaſtici juſte procedentis adverſus ſæcularem turbatorem.*

LV. *Illicita videtur pœnæ temporalis executio, quæ prius, neque implicite comminata fuit.*

LVI. *Pro aliis cauſis, in quibus non datur regiæ juriſdictionis uſurpatio, ſufficit providentia ordinationis.*

LVII. *Tam pars oppreſſa, quam princeps ei ſuccurrens, debent obſervare debitum moderamen pro violentia præciſe tollenda.*

LVIII. *Princeps ſubveniens oppreſſo manu regia non acquirit majus jus, quam pars habebat ad ſe defendendum.*

LIX. *In aliis cauſis præter uſurpationis propriæ juriſdictionis, rex, non ut judex, ſed ut vir bonus procedit.*

LX. LXI. LXII. *Neque in illis intendit rem propriam defendere, vel recuperare.*

LXIII. *In his cauſis, una tantum conſideratur violentia, in uſurpationis vero duplex.*

LXIV. LXV. LXVI. *Quamvis judex eccleſiaſticus poſſit continuare violentiam, non abſolvens cenſuratos, neque ad ſacra admittens; attamen providentia legum regiarum non ſe extendit ad communicationem ſpiritualem, ſed ad temporalem tantum.*

LXVII. *Neque licite potuit introduci ſtylus efficacioris procedimenti in aliis cauſis præter uſurpationem.*

LXVIII. *In recurſibus ex regia juriſdictione uſurpata, procedit rex ex jure protectionis oppreſſi, et ex jure defenſionis rei propriæ; non ſic vero in aliis.*

LXIX. LXX. *Suffragatur auctoritas Gabr. Per.*

LXXI. *Et ex auctorit. P. de Marca, et ex Galliæ ſtylo.*

LXXII. *Neque per hoc regia auctoritas vileſcit.*

LXXIII. *Nec judex eccleſiaſticus non impune non acquieſcit rogativis regiis.*

LXXIV. *Obedientia regis rogativis debita à judice eccleſiaſtico eſt politica, et urbana, non vero juriſdictionalis.*

LXXV. *Inobedientiæ, etiam juriſdictionalis, etiam erga Papam, aut eccleſiam, levis exceſſus non eſt punibilis juxta DD.*

LXXVI. *Quando judex eccleſiaſticus vult obedire ultimæ aulici ſenatus deciſioni, quid agendum?*

LXXVII. *Minus auſterum eſt procedimentum temporale in Galliis.*

LXXVIII. *In Concilio Lugdunenſi ſub anathemate prohibitum eſt, ne judices eccleſiaſtici cogantur cenſuras tollere perſonis, vel bonis captis.*

LXXIX. *Tranſcribuntur aliqua de conſuetudinibus, et erroribus ſub D. Thoma Cantuar. archipræſule.*

I. PRÆFATUS Joannes Martinus Coſtius, cit. annot. 8. de ſtyl. dom. ſupplicat. poſt notificationem ultimæ deciſionis ſenatus aulici judici eccleſiaſtico ſic proſequitur: *E ſe comtudo o ecclezíaſtico naô quer dezíſtir dos procedimentos, e abſolver os aggravantes, ao procurador da coroa pertence procurar, e defender a juriſdicçaô de ſua mageſtade, na forma da ord. d. tit. 12. § ult. Cabed. 2. part. deciſ. 119.*

Id eſt: *Si tamen judex eccleſiaſticus noluerit à procedimentis abſtinere, et recurrentes abſolvere, regio procuratori coronæ judicii attinet curare, ac defendere regiæ majeſtatis juriſdictionem, juxta formam* ord. d. tt. 12. § ult. Cabed. 2. p. dec. 119. Eleganter Aviles ad capita prætorum, c. 3. verb. *Juriſdiction.* et in c. 20. gloſſ. Uſurpan. cum ſeqq.

Et § immediate ſequenti de ſtylo temporarii procedimenti ſic proſequitur cit. Coſt. ibid. *E o eſtillo he mandarſe tomar as cavalgaduras ao eccleziaſtico, defenderlhe, que ſeus criados o naô ſirvaô, eas padeiras lhe naô vendaô paô, e aos fornos, que naô cozaô, nem os mais officiaes o ſirvaô em ſeus miniſterios, e ſe notifica a ſeus rendeiros, e cazeiros lhe naô acudaô com as rendas; e ſe procede, lhe mandaô ſequeſtrar ſuas rendas, e o deſnaturalizaô, e mandaô ſe vaya do reino.*

Id eſt: *Stylus ſervat, jubere capi eccleſiaſtico ſubjicibilia quadrupedia, inhibere ejuſdem famulos, ne ei famulentur, et panificos, ne ei panem venundent, furnarios, ne ei panem decoquant, et reliquos officiales, ne ei deſerviant, ac miniſtrent. Itemque notificantur ejus conductores, et prædiorum cultores, ne ei reditus, aut proventus afferant. Et ſi adhuc judex eccleſiaſticus procedit, ejus reditus ſequeſtro ſubjiciuntur, et ipſe jure naturalitatis privatur, ac tandem è regno egredi jubetur. Quæ tamen expulſio,* addit ipſe Coſta ibidem, *non fit apud nos, niſi conſulto principe, notat Emmanuel Mend. à Caſtr. in ſua pract. Luſit. lib. 1. c. 2. § 2. n. 8.*

II. Idem tenet Per. de man. reg. c. 12. n. 13. ibi: *Verum licet hoc de jure communi defendi poſſit, in hoc tamen regno, ubi eccleſiaſticorum immunitas, et libertas, præ cæteris rebus colitur, ob inſignem regum pietatem facienda eſt differentia inter prælatos inferiores, et epiſcopos, ut contra priores liceat judici regio procedere, eoſque citare uſque ad naturalitatis privationem, et expulſionem è regno; at vero contra majores prælatos, puta epiſcopos, et alios altioris ordinis, nequaquam ſit judicium inſtituendum, quin prius illud regi innoteſcat, et ejus juſſus expectetur, ſpecialiter faciens mentionem de ipſa naturalitatis privatione; ſic continetur in quadam epiſtola regia 4 Maii 1611. cujus verba ſunt, agendo de collectore Apoſtolico,* que ſe naô chegue ao ultimo termo, que o direito permitte, ſem ſe me dar conta: id eſt, *Non deveniatur ad ultimum, quod jus permittit, me inconſulto: quæ verba reſpiciunt expulſionem, non vero naturalitatis privationem, quia collector non naturalis eſt: et in cauſa epiſcopi Portuenſis fratris Gondiſſali de Moraes, Portuenſis ſenatus ſententia annullata fuit per principem, eo quod ſententia privationis naturalitatis contra epiſcopum lata fuerat, ſine ſpeciali ipſius mandato, expreſſo privationis caſu; et facit exemplum epiſcopi Domni Michaelis da Silva, qui cum rege Joanne invito Romam peteret, literis regiis revocatus non obediit, ob quod ab ipſo principe per*

ſententiam

ſententiam ejus manu latam ipſum naturalitate privavit, nullo alio judice intercedente: extat hujus ſententiæ veſtigium in libro ſphæræ Portuenſis ſenatus, fol. 84. V. etiam P. de Marca, l. 4. c. 18. n. 2. ubi ait, *Etiam in caſu invaſæ juriſdictionis regiæ ab epiſcopis, quoad hoc temporale procedimentum modeſtius ſe gerere Gallos, quam Hiſpanos.*

III. Hæc tamen praxis, et ſtylus præfatus in multis quamplures patitur objectiones, ac difficultates, ſingulariter hic breviter deſignandas, ipſiſmet regiis legibus, atque concordiis, vel repugnantes, vel per exceſſum exorbitantes, ut cunctis ex illarum collatione evidenter patefiet.

IV. Prima igitur difficultas oritur ex cit. ord. l. 1. tt. 12. § ult. videlicet 7. ubi tantum loquitur de caſu gravaminis, aut recurſus ex uſurpata juriſdictione regia, et non ex notoria violentia, aut oppreſſione, vel ex non ſervato jure naturali, ut videre licet ex § 5. et 6. ejuſdem tituli, ad quos remiſſive loquitur cit. § 7. ibi: *E quando as juſtiças eccleziaſticas procederem por ſuas cenſuras contra os noſſos dezembargadores, e juſtiças, por tirarem, ou mandarem tirar algum prezo da igreja, ao procurador dos noſſos effeitos da coroa pertence procurar, e defender a noſſa juriſdicçaô na forma aſima dita.*

Id eſt: *Quando eccleſiaſtici judices per cenſuras adverſus ſenatores noſtros, ac juſtitias proceſſerint, eo quod aliquem detentum ab eccleſia, ad quam confugerat, extraxerint, vel extrabere juſſerint, regio noſtræ coronæ procuratori attinet noſtram juriſdictionem, forma ſuperius dicta, curare, ac defendere.*

Et relato § 6. ſic diſponit regia lex, agens de regio procuratore: *E ſe vir, que (os juizes eccleziaſticos) uſurpaô noſſa juriſdicçaô, ou algum direito noſſo, podera requerer ſobre iſſo ao juiz dos noſſos feitos, oqual he juiz competente para conhecer, ſe a juriſdicçaô pertence a noſſos juſtiças. Eo meſmo ſera quando alguma peſſoa ſe aggravar dos juizes eccleziaſticos, e for leigo, ou a cauſa de tal qualidade, que pertença as noſſas juſtiças o conhecimento della, poſtoque as partes ſejaô peſſoas eccleziaſticas, porque em taes termos a noſſa juriſdicçao eſta fundada em direito.*

Id eſt (vertit Per.): *Etſi repererit, quod judices eccleſiaſtici noſtram juriſdictionem uſurpant, vel aliquod jus regale, poterit judicem noſtræ coronæ adire, ſuper his cauſis, quia ille ſolus eſt competens judex ad cognoſcendum, an noſtra ſit juriſdictio; idem erit quoties aliquis ſupplicaverit à judicibus eccleſiaſticis, cum ſæcularis ſit, vel quod cauſa illius eſt naturæ, quod ad judicium ſæculare ſpectat, etiamſi agitetur inter eccleſiaſticas perſonas, quia in his terminis noſtra juriſdictio ſecundum ordinarias juris regulas procedit.*

Et § 6. immediato, ſic diſponit: *E quando os juizes eccleziaſticos naô quizerem deziſtir de tomarem noſſa juriſdicçao, os juizes dos noſſos feitos daraô cartas aquelles, contra quem os ditos juizes eccleziaſticos procederem, nas quaes lhe encommendaraô, que naô procedaô contra elles, e nellas declaraô, que a juriſdicçaô pertence a nos. E mandaraô a noſſas juſtiças, que naô guardem ſeus mandados, como de juizes incompetentes, e que naô os evitem, nem prendaô por ſuas cenſuras, nem levem delles penas de excommungados, nem guardem, nem executem ſuas ſentenças. E quando os prelados, e juizes eccleziaſticos, ſem embargo das ditas cartas naô quizerem deixar de proceder contra os leigos, ou naô deziſtirem dos procedimentos, que tiverem feitos contra elles, nos como rey, e ſenhor, os chameremos por cartas por nos aſſignadas, eſtando elles fora da corte, e donde eſta o dezembargo do paço: e eſtando donde a corte eſtiver, por reccado noſſo, para nos darem razaô de como tomaô noſſa juriſdicçao, e para ſobre iſſo ſerem ouvidos perante os noſſos dezembargadores do paço com o juiz, e procurador dos noſſos feitos, os quaes fallaraô, e diſputaraô ſobre o cazo; e naô querendo o juiz eccleziaſtico reconhecer, que a tal juriſdicçao pertence a nos, ſe guardarà o que pelos ditos dezembargadores do paço em noſſo nome for determinado.*

Id eſt: *Et quando judices eccleſiaſtici a noſtræ juriſdictionis uſurpatione deſiſtere noluerint, judices noſtræ coronæ expedient chartas in favorem eorum, qui gravati proponuntur, quibus ab eis deprecabuntur, ne contra eos procedant, exprimentes, quod illis caſibus ad nos juriſdictio ſpectat; jubebuntque inſimul regiis magiſtratibus, ne eorum mandata ſervent tanquam incompetentium judicum, nec ſubditos regis evitent, nec capiant cenſurarum occaſione, nec ab illis pœnas excommunicatis inſordeſcentibus impoſitas extorqueant, nec obſervent, nec exequantur tales ſententias. Quodſi prælati eccleſiaſtici, vel judices, literis rogatoriis non deferentes, ad ulteriora proceſſerint contra laicos, nec à cenſuris deſtiterint, vel proceſſibus inchoatis; nos tanquam rex, et dominus, eos vocabimus epiſtola noſtra manu ſignata, ſi extra curiam degant, vel nuntium, quando in curia reſideant, ut coram nobis compareant, rationem reddituri, cur noſtram juriſdictionem uſurpant, et ut ſuper eo de jure ſuo doceant coram noſtris aulicis ſenatoribus cum judice, et procuratore regio, qui de jure utriuſque partis diſſerant, et diſputent: quodſi tandem judex eccleſiaſticus non agnoverit noſtram eſſe juriſdictionem, nec deſtiterit ab inceptis, dicti ſenatores cauſam decident; quodque ab illis noſtro nomine ſancitum fuerit, obſervabitur.*

V. Ex quibus clare evincitur, citatas legis regiæ diſpoſitiones de ſolis caſibus uſurpatæ juriſdictionis regiæ agere; atque adeo temporale procedimentum, in ea dumtaxat fundatum, non bene extendi à cit. Coſt. ad alios caſus recurſus ex capite violentiæ notoriæ in non receptione legitimæ appellationis, et in ulteriori proceſſu conſervatoris, ea non obſtante, ſecundum ſpeciem caſus ab eodem Coſt. ibidem figurati, neque ab aliis DD. regnicolis ad alios caſus præter expreſſum juriſdictionis regis uſurpatæ.

VI. Secunda difficultas oritur pariter ex reſtrictionibus expreſſis præcitatarum legum, d. l. 1. tt. 12. § 5. ibi: *Idem erit, quando perſona aliqua gravamen interpoſuerit à judicibus eccleſiaſticis, et fuerit laicus,* &c. et § 6. ibidem: *Et quando prælati, vel judices eccleſiaſtici, non obſtantibus literis rogatoriis, ad ulteriora proceſſerint contra laicos,* &c. Ex quibus manifeſte dignoſcitur, præcitatas leges, præter reſtrictionem caſus uſurpatæ juriſdictionis regiæ, aliam aperte, et expreſſe innuere; videlicet, quod recurrens ſit *perſona laica*, et quod procedimenta judicis eccleſiaſtici ſint *contra laicos*; quamvis Per. de man. reg. in verſione hujuſce ſecundæ legis, omittat hanc ſecundam reſtrictionem *contra laicos*. An caſu, an induſtria? alius videat.

VII. Unde etiam evidenter videtur convinci, procedimentum temporale adverſus judices eccleſiaſticos, in ſolis caſibus uſurpatæ juriſdictionis, et adverſus laicos, licitum quidem eſſe; non vero quando recurrentes fuerint perſonæ eccleſiaſticæ: ex qua ratione hinc prævenienter concluditur adverſus illicitudinem, atque injuſtitiam notam proceſſus illius ad temporalitates in recurſu religioſorum parochorum provinciæ Bardeſianæ, de quo inferius, alleg. 27. et ſeqq.

VIII. Tertia difficultas provenit ex generalitate, qua de ſtylo illo loquitur Coſta in pluribus clauſulis, de quibus infr. præſertim de ſequeſtratione fructuum, ac redituum, præcipue menſæ prælati reſpondentium, aut deſtinatorum; et ex aliis inferius diſcutiendis. Sit igitur——

Reſolutio Prima.

IX. Illicitus eſt proceſſus ad temporalitatum ſubtractionem adverſus judices eccleſiaſticos in recurſibus, in quibus nec recurrentes laici fuerint, neque materia fuerit regiæ juriſdictionis uſurpatio. Hæc reſolutio, quamvis in his terminis à nemine, quem ſciam, tradatur, eſt de mente, ac de formali conceptu, præcitatarum legum regiarum. Imo eſt etiam juxta ſtylum regni Galliæ, et mentem P. de Marca de concord. ſacerdot. et imper. l. 4. c. 19. ubi n. 1. ex ſtylo regni præfati, procedimentum illud temporale in ſolis caſibus *regiæ juriſdictionis ab epiſcopis invaſæ* agnoſcit.

X. Prob. 1. reſolutio: Quia procedimentum per ſubtractionem temporalitatum adverſus judices eccleſiaſticos vel redderetur licitum ex diſpoſitione ipſarum legum regiarum, vel ex vi concordiarum, in quibus leges ipſæ fundantur. Atqui neque ex concordiis, neque ex legibus ipſis, licitum reddi poteſt: ergo, &c. Prob. min. quoad 1. partem, videlicet, quod *ex concordiis* non reddatur licitum.

XI. Et prob. 1. Quia concordiæ, in quibus leges illæ fundantur, ſunt, teſte Per. de man. reg. c. 12. n. 2.

n. 2. vel concordiæ regis Joannis I. art. 82. et 48. vel aliæ regis Sebaſtiani art. 11. Atqui harum neutræ licitum reddere poſſunt proceſſum illum temporalem; et prob. 1. Quia ſolæ concordiæ regis Dionyſii approbatæ fuerunt à Sede Apoſtolica, non vero concordiæ regis Joannis I. aut regis Sebaſtiani, juxta ſuperius ſtabilita, c. 21. et 22. ergo.

XII. Prob. 2. Quia imprimis citata concordia regis Sebaſtiani, in qua videtur fundari diſpoſitio legis regiæ cit. lib. 1. tt. 12. § 5. et 6. expreſſe loquitur de uſurpatione regiæ juriſdictionis, ac de proceſſu ulteriori judicum eccleſiaſticorum adverſus laicos, non obſtantibus præmiſſis chartis rogativis, ut in eadem concordia inſpici licebit apud cit. Per. c. 12. n. 3. et in ejuſd. tranſlatione in idioma Latinum, ubi ſic recitat:

In undecimo cap. dicunt, quod in dubiis motis inter judices eccleſiaſticos, et ſæculares; audiunt tanquam judices, et ſuperiores, coram ſe judices eccleſiaſticos; qui ſi non acquieſcunt eorum decretis, adverſus eos procedunt, illoſque vexant contra juris præcepta. In hoc capitulo ſancitum fuit, quod judex regius eſt competens ad cognoſcendum, an juriſdictio ad regem ſpectet, quando ſupplicans ſæcularis eſt; habet enim rex fundatam intentionem ſuam in jure communi; et, ut talis, poteſt notificare judici eccleſiaſtico, ut reſpondeat, quo fundamento cognitionem illius caſus aſſumit; ita enim eſt de jure, et in hoc regno ita praxis, et ſtylus obſervat: Quando autem in judicio coronæ regiæ deciditur cognitionem pertinere ad regios judices, et non ad eccleſiaſticos, judex regius ſolum per viam declarationis procedit, rogatque ſuis chartis judices eccleſiaſticos, quod ulterius non procedant, jubendo ſæcularibus judicibus, ne judicum eccleſiaſticorum mandata obſervent tanquam judicum incompetentium: quodſi prælati, et judices eccleſiaſtici, his non obſtantibus, non deſiſtunt, laicoſque adhuc vexant, ego, tanquam rex, et dominus, eos voco meis epiſtolis, mea manu ſignatis, ut mihi rationem reddant, cur ſic meam uſurpent juriſdictionem, et ut ſuper eo in ſenatu mei palatii audiantur.

XIII. Deinde concordia 48. ſeu 49. regis Joann. I. ſic recitat apud cit. Per. c. 12. ibi: *Item, c. 48. dicunt, quod rex jubet citare prælatos, eorumque vicarios, ex quacunque cauſa pro libito voluntatis ſuæ, in quo faciunt expenſas, et patiuntur labores, dum citantur, et vocantur chartis regiis vel apertis, vel clauſis.*

Ad hunc articulum reſpondet rex, quod non citat, nec citari facit prælatos, niſi quando fuerit ex cauſa, quæ eorum præſentiam, et tractatum poſtulet, ratione boni communis; quo caſu prælati tenentur mandato regis comparere, quando ita expediat: ſic enim inter reges et clerum olim ſpeciali concordia ſancitum fuit; et urbanius agerent, ſi illa verba ſupprimerent, quæ habent, quod ex libito ſuæ voluntatis eos vocat, quia hoc non facit, niſi ex magna cauſa, et juſta.

XIV. Concordia autem ſpecialis, cui ibidem refertur, videtur eſſe, vel illa conſuetudo antiquarum legum regni, relata in bulla Gregor. XIII. regi Sebaſtiano directa, apud Per. c. 6. n. 16. et in 11. art. concordiæ ſupraſcriptæ ejuſdem Sebaſtiani: et prout ſic jam oſtenſum eſt, articulum illum loqui expreſſe de caſibus regiæ juriſdictionis uſurpationis, et de ulteriori proceſſu adverſus laicos poſt rogativas literas, ut ex illo liquet, apud cit. Per. c. 12.

XV. Vel eſt concordia prima regis Dionyſii, art. 35. ut eſſe videtur, vel tertia ejuſdem regis, art. 1. quas citat idem Per. ad art. non 48. ſed 49. regis Joannis I. et, ſecundum hanc intelligentiam, prima concordia cit. art. 35. eſt ſuper bona feudataria à clericis poſſeſſa vel exculta: ut ibi in fine: *Super cauſis vero, quas clerici, qui fiſcales notorias feudatarias, et realengas poſſeſſiones excolunt, occaſione ipſarum habuerint, facta eſt inter ipſos, et procuratores prædictos, compoſitio ſpecialis.*

XVI. Tertia vero concordia, art. 1. ejuſdem Dionyſii, etiam eſt ſuper hæreditates regi tributarias, aut forarias, quarum ratione eccleſiaſtici poſſeſſores reſpondere tenentur in curia ſæculari, ſecundum primam concordatam, cit. artic. 35. à Sede Apoſtolica confirmatam, de qua ibidem fit mentio. Ergo neutra harum concordiarum licitum poteſt reddere procedimentum ad ſubtractionem temporalitatum adverſus judices eccleſiaſticos, extra caſus uſurpationis regii juris, aut juriſdictionis, et proceſſus adverſus laicos; juxta diſpoſitionem cit. ord. l. 1. tt. 12. § 5. et 6.

XVII. Prob. 2. ead. min. prioris probationis, quoad 2. partem, videlicet, quod neque ex legibus ipſis procedimentum illud temporale licitum reddi valeat: nam leges ipſæ expreſſe, formaliter, ac reſtricte loquuntur de caſibus dumtaxat regii juris, aut juriſdictionis ab eccleſiaſticis uſurpatæ, vel proceſſus adverſus laicos ad regem recurrentes à gravamine à judicibus eccleſiaſticis illato, ut ex cit. § 5. et 6. aperte conſtat: ergo cum leges reſtricte loquantur, et materia odioſa quidem ſit judicibus eccleſiaſticis, atque eccleſiaſticæ juriſdictioni, immunitati, ac libertati, reſtricte debent uſurpari, atque practicari, juxta vulgare axioma: *Odia ſunt reſtringenda*, l. *Odia*, de regul. jur. in 6.

XVIII. Prob. 2. Reſolutio ex traditis c. 21, 22. et 23. ubi oſtendimus, neque regios judices, neque uſum, aut ſtylum aliquem, poſſe juſte, aut licite, ampliare reſtrictiones concordantiarum, et legum in ipſis fundatarum, præſertim adverſus earum intentionem, ac mentem. Pro qua etiam facit à pari doctrina Per. de man. reg. cit. c. 12. n. 8. ubi loquens de introductione praxis habentis pro juſtificata ſupplicationem recurrentis, quando prælatus denegat proceſſum, ſic ait: *Verum hæc praxis nullo modo ſuſtineri poteſt: ratio eſt, quia in hac materia non potuit ſtylus introduci per ſenatores ſæculares, ad quos hæc cognitio ex concordia, et contractu ſpectat, quem egredi ipſi non poſſunt, nec à principe recipiunt facultatem hoc caſu introducendi ſtylum, quia hæc illis indulgetur, in ord. lib. 3. tit. 64. in rebus, et cauſis, quæ politicæ ſubſunt poteſtati; non vero in his, quæ ad utramque ſpectant; quod cum non reperiatur cautum in concordatis, ut pro juſtificata partis petitio habeatur, hoc non poſſunt ſoli ſenatores ſæculares introducere, ſine ſpeciali conſenſu clericorum, et Summi Pontificis approbatione.*

XIX. Dices, 1. Rex, ſeu princeps laicus, ſua poteſtate œconomica poteſt temporaliter procedere adverſus clericos inobedientes, et publicæ pacis turbatores, aduſque è regno ſuo excluſionem, ſecundum doctrinam communem, de qua Salgad. de reg. prot. 1. p. c. 2. Solorzan. de jur. Indiar. l. 3. c. 27. per tot. Ergo etiam eadem poteſtate licite procedere valebit procedimento temporali adverſus judices eccleſiaſticos chartis rogativis ejuſdem, et ultimæ ſenatus aulici deciſioni non parentes; etiam extra caſum uſurpatæ regiæ juriſdictionis, et procedimenti adverſus laicos gravatos.

XX. Reſp. cum diſt. Contra leges regni ſtabilitas, et contra concordantias ipſorum regum cum clero firmatas, nego; juxta leges, et concordias regni, ſubdiſtinguo: in caſibus gravibus, in quibus clerici obedientiam ipſi regi exhibere tenentur, et quando ſunt vere refractarii, et publicæ pacis turbatores, concedo: in caſibus levibus, et in quibus clerici regi parere non tenentur, ſed utuntur jure ſuo, vel pro peccato vitando, vel pro immunitate, libertate, atque juriſdictione eccleſiaſtica defendenda, vel conſervanda, nego.

XXI. Cum autem expreſſa legum regiarum, et concordiarum, in quibus hæ fundantur, diſpoſitio, mens, et intentio ea tantum ſit, ut in ſolis caſibus uſurpationis regiæ juriſdictionis, et ulterioris proceſſus adverſus laicos recurrentes, et in recurſu obtinentes, adverſus judices eccleſiaſticos temporaliter procedatur, cum ſola hac duplici reſtrictione practicari debent, et minime ampliari ad alios caſus non reſtrictos, videlicet, notoriæ violentiæ, vel ex legitimæ appellationis non receptione, vel juris naturalis non ſervati; præſertim quando aggravantes non ſunt laici, ſed perſonæ eccleſiaſticæ.

XXII. Pariformiter, ſi judex eccleſiaſticus in conſcientia non teneatur parere literis rogativis regis, vel quia materia recurſus, in quo pars obtinuit, ſecum devolvit peccatum, vel quia continet aliquid, ut ſæpe contingit, contra immunitatem, libertatem, atque juriſdictionem eccleſiæ, quam judex eccleſiaſticus tueri, ac defendere totis viribus tenetur, *ſe tanquam murum pro domo Dei* opponens; tunc nec inobediens regi, nec publicæ pacis turbator dici, aut reputari poteſt; tum quia *potius Deum audire, et ipſi obedire, quam hominibus*

minibus debemus, Act. 4. 19. tum quia *qui jure ſuo utitur, nemini injuriam facit*, l. *Injuriarum*, § 1. ff. de injur. l. *Qui injuriar.* de jur. jurand. c. *Cum eccleſia*, de elect. Menoch. præſumpt. lib. 6. q. 29. tum quia pacem inter Deum, et animam ſuam, quam inter homines, pro omnibus quis curare, ac ſervare tenetur.

XXIII. Imo cum pax à D. Auguſtino definiatur *tranquillitas ordinis*, quæ cum peccato conſiſtere non poſſit, dicente Iſa. 48. 22. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus:* et S. Job 3. 14. *Quis reſtitit ei, et pacem habuit?* idcirco pax peccatorum, quantumvis tranquilla, vere non eſt pax, ex defectu ordinis: *Pax, pax, et non erat pax*, Jerem. 6. 14. Pax autem juſtorum quantumvis amaritudinibus repleta, eſt vera pax, ex ordine debito, et interna tranquillitate, ut teſtatur Iſa. 3. 17. *Ecce, in pace amaritudo mea amariſſima.* Et Jerem. 14. 13. *Pacem veram dabit vobis.* Quare D. Leo in ſerm. *Tunc eſt vera pax hominis, et vera libertas, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo præſide gubernatur. Hæc eſt verâ pax, à Dei voluntate non dividi, et in his, quæ ſolius Dei ſunt, delectari. Et Hug. de clauſtr. anim. l. 3. Dum prælati ſubditis imperant, et eos diſciplinæ legibus non coarctant, ſolummodo pacem docent, et non tenent.*

XXIV. Dixi *in caſibus gravibus*, ſive gravioribus: nam inobedientias clericorum, tum ſæcularium, tum regularium, in caſibus minus gravibus contra regia mandata commiſſas, non ſolent reges à ſeipſis punire, ſed propriis ipſorum inobedientium prælatis animadvertendas committunt, cum monitione reges ipſos de qualitate, et executione ſupplicii certiorandi. V. Solorſan. l. 3. c. 27. Imo exceſſus levis non punitur, ex trad. per DD. in l. *Scio*, 4. ff. de reſt. in integr.

XXV. Dices, 2. Eadem diſpoſitio regiæ ordin. cit. tt. 12. § 5. ſervari præcipitur, vel recurrens ſit laicus, vel perſona eccleſiaſtica: ergo. Reſp. 1. Hanc diſpoſitionem juxta contextum præcedentem, ac conſequentem, reſtricte loqui de caſibus regiæ juriſdictionis uſurpationis. Reſp. 2. Loqui de munere regii procuratoris, et quando ſupplicare poſſit, videlicet, vel in defenſionem regiæ juriſdictionis uſurpatæ, vel in tuitionem aggravantis laici. Sed de hoc iterum infra, n. 34.

Reſolutio Secunda.

XXVI. Quamvis recurrentes laici ſint, ſi tamen materia recurſus non fuerit regiæ juriſdictionis uſurpatio, ſed vel legitimæ appellationi non delatio, vel juris naturalis non ſervatio in cauſa eccleſiaſtica, et eccleſiæ foro pertinente, illicitus etiam videtur proceſſus ad temporalitatum occupationem judici eccleſiaſtico, jus naturale non ſervanti, vel legitimæ appellationi non deferenti in cauſa ſuo foro attinente.

XXVII. Prob. 1. Reſolutio ex præcitatis legibus regiis, quæ lib. 1. tt. 12. § 5, 6. et 7. et tt. 9. § 12. talem proceſſum adverſus judices eccleſiaſticos principaliter fundant in præfatæ regiæ juriſdictionis uſurpatione; et ſi requirunt etiam, quod recurrentes ſint laici, id equidem per modum conditionis requirunt, ad fundandam intentionem judicis regii, qui quidem in cauſa profana, ac temporali, qualis eſt etiam regia, et ſæcularis juriſdictio, fundatam ſane habet intentionem ſuam, ſi reus, aut recurrens, laicus ſit, ut late, et bene probat Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 26. n. 11. et deducitur ex præcitatis legibus, necnon ex alia lib. 2. tt. 1. § 15. ibi: *Et ſi inter judices eccleſiaſticos, et ſæculares, dubitatio oriatur ſuper competentia juriſdictionis, noſtri judices regii competentes ſunt ad cognoſcendum, an juriſdictio juſtitiis noſtris pertineat; et eiſdem attinet illius caſus deciſio, ſi aggravans laicus fuerit.* Et jubet ſervari ordinata cit. tt. 12. lib. 1. addens, *Hoc ſemper fuiſſe in regnis Portugalliæ uſu, et conſuetudine ſervatum.*

XXVIII. Prob. 2. Quia ratio perſonæ laicæ, ſeu ſæcularitatis rei, ſe ſola, non eſt ſufficiens ad fundandam intentionem judicis laici; nam laicus in cauſa fori eccleſiæ convenitur coram judice eccleſiaſtico, ut tritum eſt apud DD. ex c. 1. et ſeqq. de offic. et pot. jud. ordin. DD. in c. *Quoniam*, de offic. ordin. Donat. tom. 1. tr. 13. q. 6. n. 3. et ſeqq. Ergo ad fundandam intentionem judicis regii adverſus eccleſiaſticum per procedimentum ad temporalitates requiritur, nedum quod reus, ſeu recurrens ſit laicus, ſed etiam quod materia recurſus non ſit eccleſiaſtica, ſed profana: atqui ſi materia recurſus ſit regiæ juriſdictionis uſurpatio, utique ſæcularis ac profana eſt, et competens juriſdictioni, ac cognitioni judicis laici; non ita vero, ſi materia recurſus ſit denegatio legitimæ appellationis, vel non obſervatio juris naturalis in cauſa eccleſiaſtica, et foro eccleſiæ competente; tum quia nec ratione materiæ, nec ratione ipſius denegationis, aut non obſervantiæ, competit juriſdictioni judicis regii, et tanquam judici, cum extrajudicialiter tantum, et per viam facti, et nullatenus juriſdictionaliter, de illa cognoſcat, neque ut judex, ſed ut vir potens, juxta ſæpius ſtabilita, præſertim c. 4. 11. et 12. et ſecundum doctrinam cit. Salgad. Peg. Per. de man. reg. et aliorum.

XXIX. Prob. 3. Quia turbans, ſive lædens, aut uſurpans juriſdictionem alicujus, fit ei ſubditus, et prorogat ejus juriſdictionem, juxta doctrinam Card. Deluc. de juriſd. diſc. 29. n. 4. et diſc. 47. n. 21. et diſc. 736. n. 3. Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. Pignatell. tom. 4. conſ. 128. Donat. in prax. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. et alii plures ex c. *Dilecto*, c. *Venerabilib.* de ſent. excom. in 6. V. infr. alleg. 11, 12, 13. et ſeqq.

XXX. Dummodo in judice turbato, licet detur incompetentia, non tamen datur incapacitas juriſdictionem exercendi adverſus turbatorem, ut, v. g. in prælatis ordinariis adverſus regulares exemptos, reſpectu quorum, licet in aliquibus incompetentes ſunt, non tamen incapaces juriſdictionem exercendi; tum quia de jure communi regulares ſubduntur epiſcopis, et hi fundatam habent intentionem ſuam in tota ſua diœceſi, adverſus omnes, etiam regulares exemptos, juxta communem doctrinam, de qua Donat. in prax. p. 1. tr. 13. q. 6. Bordon. reſ. 7. q. 1. et reliqui laudati infr. alleg. 11. 23. 34. et ſeqq. 42. et 50. et 70. tum quia ordinariorum prælatorum juriſdictio utique eccleſiaſtica eſt, cui foro regulares ſubduntur, ex c. 1. et ſeqq. de offic. jud. ordin.

XXXI. Atqui judex eccleſiaſticus, turbans, aut uſurpans juriſdictionem judicis regii, nequit huic ſubdi ratione perſonæ; tum quia obſtat notoria immunitas perſonæ eccleſiaſticæ, et notoria incapacitas judicis laici ad cognoſcendum, aut procedendum adverſus perſonam eccleſiaſticam; tum ex notoria ſuperioritate juriſdictionis eccleſiaſticæ reſpectu ſæcularis, etiam in judice hanc turbante, aut uſurpante: ergo judex eccleſiaſticus tunc ſubditur judici regio, ſi non perſonaliter; id enim fas non eſt, ut loquitur Mend. in pract. l. 1. c. 2. n. 8. temporaliter tamen, ſeu ratione temporalitatum, quæ juriſdictioni judicis laici ſubduntur: ergo ad hoc, ut judex regius poſſit exercite, atque effective, procedere temporaliter adverſus judicem eccleſiaſticum, non ſufficit, quod recurrens ſit laicus; ſed ulterius requiritur, quod materia recurſus ſit ipſius regiæ juriſdictionis uſurpatio; et non ſufficiet, quod ſit denegatio legitimæ appellationis, aut non ſervatio juris naturalis in cauſa aliqua eccleſiaſtica, et eccleſiæ foro competente.

XXXII. Confirmatur, 1. Quia ſicut judex eccleſiaſticus in defenſionem ſuæ juriſdictionis ſpiritualis poteſt ſpiritualiter procedere per cenſuras adverſus judicem ſæcularem, illam turbantem, aut uſurpantem, ex c. *Dilecto*, de ſent. excommunic. in 6. c. *Sæcularis*, de for. compet. eod. lib. c. ult. de except. etiam in 6. bulla Cœn. can. 16. ita judex ſæcularis in defenſionem ſuæ juriſdictionis temporalis poterit temporaliter de facto procedere adverſus judicem eccleſiaſticum illam turbantem, aut uſurpantem, ex tex. in l. *Addictos ſupplicio*, ub. gl. verb. *Vindicetur*, cod. de epiſcopal. audient. et in l. fin. ff. de offic. procurat. Cæſar.

Atqui, ut judex eccleſiaſticus licite, et exercite, poſſit procedere adverſus ſæcularem ſpiritualiter in defenſionem ſuæ juriſdictionis, neceſſe quidem eſt, ut hæc effective uſurpetur, aut turbetur, quamvis juriſdictio ſpiritualis ſuperior incedat temporali, et pars querelans perſonaliter aut materialiter ſubjecta ſit judicio eccleſiæ: ergo pariformiter, ut judex ſæcularis licite, et exercite, poſſit procedere temporaliter adverſus

verſus eccleſiaſticum in defenſionem propriæ juriſdictionis temporalis, neceſſe omnino erit, ut reapſe detur ipſius juriſdictionis uſurpatio, quamvis pars aggravans ſit laicus, atque adeo ſubditus temporali juriſdictioni judicis laici.

XXXIII. Confirmatur, 2. Quia neque ex concordiis, neque ex ipſis regiis legibus, conſtat alius proceſſus adverſus judicem eccleſiaſticum nolentem parere chartis rogatoriis, aut ultimæ deciſioni recurſus à ſenatoribus aulicis habitæ, quam ille, qui in præfatis legibus exprimitur; videlicet, l. 1. tt. 9. § 12. *Quod juſtitiæ ſæculares cenſuratos recurrentes non evitent, neque ab eis exigant mulctas excommunicatis impoſitas* (ſcilicet l. 2. tt. 8. § 5. et 6.); *eo quod ita ſemper conſuetudine ſervatum fuerit, et aliud medium non reſtet, ut noſtra juriſdictio non uſurpetur.* Eadem diſpoſitio iteratur in titulo 12. § 6. ubi ordinatur, *Quod juſtitiæ ſæculares non ſervent mandata judicum eccleſiaſticorum, utpote incompetentium in illo caſu; nec vitent, aut capiant cenſuratos; nec exigant ab eis mulctas excommunicatorum*, &c.

XXXIV. Atqui utraque hæc diſpoſitio procedit in ſolo caſu uſurpatæ juriſdictionis, ut præter clauſulas immediate tranſcriptas aperte conſtat ex aliis in contextu præcitatarum legum; videlicet in primo cit. tit. 9. ib. *Et poſtquam noſtri judices regii judicaverint, cognitionem noſtris juſtitiis pertinere, et non eccleſiaſticis, mandabunt juſtitiis noſtris, ut non evitent tales perſonas recurrentes, neque ab eis mulctas excommunicatis impoſitas exigant*, &c. Et cit. tt. 12. § 5. *Quia in his terminis juriſdictio noſtra in jure fundata eſt.* Et § 6. *Et quando judices eccleſiaſtici deſiſtere noluerint à noſtræ juriſdictionis uſurpatione*, &c. Et infr. *Ut nobis rationem reddant, cur noſtram juriſdictionem uſurpent.* Et inferius in fine: *Et nolens judex eccleſiaſticus recognoſcere, quod talis juriſdictio nobis competat, obſervabitur, quod à præfatis ſenatoribus aulicis nomine noſtro decretum fuerit.* Et § 7. ibidem: *Noſtræ coronæ procuratori attinet procurare, ac defendere juriſdictionem noſtram modo ſupra tradito.* Ergo, ſicut utriuſque tituli diſpoſitiones regiæ in ſolo caſu uſurpatæ juriſdictionis procedunt, ita conſequenter, et procedimentum temporale in illis fundatum; ac per conſequens non ſufficit ad illud, ut recurrens ſit laicus, ſed neceſſario prærequiritur, ut materia recurſus ſit ipſa regiæ juriſdictionis uſurpatio.

XXXV. Confirmatur, 3. Quia poſito, quod tale procedimentum ad occupationem, vel ſubtractionem temporalitatum, juxta ſtylum, de quo Coſt. et Mend. ſupra cit. non conſtet, neque ex concordiis, neque ex ipſis regiis legibus, petenda eſt licitudo illius proceſſus ex alio capite (de quo infr. reſolut. ſequenti latius agetur): atqui ex nullo alio capite, ſeu principio, poteſt licitudo illa comprobari, et proceſſus ille juſtificari, niſi ex titulo juſtæ defenſionis propriæ juriſdictionis, ne uſurpetur, ut cit. § 7. inſinuatur, et infra uberius propalabitur: ergo omnino neceſſarium erit, quod præcedat ipſius regiæ juriſdictionis realis uſurpatio, in cujus defenſionem regius judex adverſus eccleſiaſticum uſurpatorem temporaliter procedere licite poſſit; et non ſufficiet, quod pars recurrens ſit perſona laica, ſi materia recurſus ſit alia, videlicet legitimæ appellationis non delatio, aut juris naturalis non ſervatio in cauſa eccleſiaſtica, ſeu eccleſiæ foro attinente.

XXXVI. Dices, 1. Juxta diſpoſitionem regiæ ordinationis cit. § 5. tt. 12. idem ſervari jubetur in gravaminibus à judicibus laicis interpoſitis, vel *à laico, vel à perſonis etiam eccleſiaſticis in cauſis talis qualitatis, ut earum cognitio juſtitiis ſæcularibus competat*: atqui ſi recurrens ſit laicus, et materia recurſus ſit ipſa regiæ juriſdictionis uſurpatio, licitum erit procedimentum temporale, de quo inferius: ergo, etiamſi recurrens ſit perſona eccleſiaſtica, et materia recurſus ſit alia à præfata regiæ juriſdictionis uſurpatione, videlicet, denegatio legitimæ appellationis, vel inobſervantia juris naturalis, etiam in materia eccleſiaſtica.

XXXVII. Reſp. Hunc titulum 12. agere de munere regiæ coronæ procuratoris, cui attinere dicit imprimis *curare, ac defendere jura, ac juriſdictionem regiam, juxta concordias regni approbatas, et juxta jus commune. Deinde diſponit, quod ſi viderit regiam juriſdictionem, vel regale aliquod jus, ab eccleſiaſticis uſurpari, ſupplicet ſuper eo coram judice regio tanquam competente. Et idem erit* (ſubjungit immediate) *quando aliquis gravatus fuerit à judicibus eccleſiaſticis, et laicus fuerit ipſe aggravans.* Ubi clare conſpicitur in hac clauſula duo quidem regiam legem innuere: primum, Competentiam judicis regii pro gravaminibus, aut recurſibus à laicis interpoſitis: ſecundum, Munus, et competentiam regii procuratoris in ſupplicando pro laicis recurrentibus, vel pro illis tantum in auxilium ſupplicet, vel in patrocinium, de quo Peg. Barb. ad eandem ord.

Et quamvis per particulam disjunctivam *vel*, immediate ſubjungat; *Vel cauſa talis qualitatis ſit, ut earum cognitio noſtris juſtitiis competat, quamvis partes perſonæ eccleſiaſticæ ſint*; id nobis non officit: in hac namque tertia diſpoſitione agit etiam de competentia regii procuratoris ad ſupplicandum coram judice regio, et ad conveniendum coram illo perſonas etiam eccleſiaſticas in cauſis qualificatis, videlicet, jurium regalium, ſive patrimonii regii, in caſibus ordin. l. 2. tt. 1. et alib. et concordiarum à Sede Apoſtolica approbatarum, de quibus c. 21.

XXXVIII. Quare has diſpoſitiones ibidem ſic concludit: *Quia in his terminis noſtra juriſdictio in jure fundata eſt. Atque adeo poterit judex regius eccleſiaſticos judices notificare, ut rationem reddant, cur in talibus caſibus cognoſcunt*, &c.

Super quo tamen obſerva doctrinam Oliv. de for. eccleſ. q. 26. n. 62. ibi: *Non obſtat, quod juriſdictio temporalis inter regalia, ſeu bona regiæ coronæ connumeratur, et in his regnis, ratione bonorum regiæ coronæ, clerici poſſeſſores coram judicibus ſæcularibus conveniuntur, ex l. regia, lib. 2. tit. 1. § 16. cum tribus ſequentibus, de quo in tertia parte hujus tractatus, Deo dante, agemus: reſpondetur enim locum habere, quoties aliquis titulo temporali, hoc eſt, donationis, præſcriptionis, venditionis, vel alio ſimili particulari juriſdictionem exercet ſæcularem, ut domini terrarum faciunt; non vero quando judex eccleſiaſticus, non ex titulo temporali, ſed virtute ſpiritualis juriſdictionis, ad forum eccleſiæ cauſam pertinere prætendit; et ideo nunquam vidi in his terminis judicem eccleſiaſticum coram judice regio pro uſurpata juriſdictione conveniri, neque in Hiſpaniarum regnis id obſervari DD. Hiſpani aſſerunt: unde cavendum eſt à Caſtr. de man. reg. quem citavimus ſupra in 1. et 2. fundamento primæ ſententiæ, dum in prima part. cap. 10. n. 1. et part. 2. cap. 36. n. 1. putat judicem eccleſiaſticum in his terminis, poſſe coram ſæculari conveniri; melius tamen aſſerit, dum in eiſdem terminis ad recurſum extraordinarium prædictum confugit.*

XXXIX. Dices, 2. Procedimentum temporale à judice regio adverſus eccleſiaſticum habendum, juxta ſtylum, et graduationem cit. Coſt. eſt in pœnam, ſive in vindictam inobedientiæ, et contumaciæ illius, libere nolentis parere literis regiis rogativis, neque ultimæ deciſioni in recurſibus à ſupremo ſenatu aulico ſumptæ: atqui hæc inobedientia æqualiter verſatur in judice eccleſiaſtico, ſive cauſa, vel materia recurſus ſit regiæ juriſdictionis uſurpatio, ſive ſit legitimæ appellationis non delatio, vel quælibet alia eccleſiaſtico foro pertinens; atque ſimiliter, ſive recurrens ſit perſona laica, ſive eccleſiaſtica: ergo, &c.

XL. Reſp. 1. negando maj. Ille namque proceſſus non in pœnam, atque vindictam inobedientiæ judicis eccleſiaſtici, ſed in defenſionem regiæ juriſdictionis adhibetur; ut expreſſe, ac formaliter patet ex præcitatis legibus, et *eo quod aliud medium non adſit, aut reſtet ad impediendam, vel defendendam, ac tuendam prædictæ juriſdictionis uſurpationem*, ut loquitur lex regia cit. tt. 9. § 12.

XLI. Reſp. 2. Dato, quod procedimentum illud temporale, quod ſervat ſtylus præmiſſus, adhibituri foret in pœnam, ſeu vindictam, minime illud regios ſenatores introducere licite potuiſſe ſupra præfatarum ordinationum, atque concordiarum, in quibus fundantur, diſpoſitionem; imo contra illam. Nam tam concordiæ, quam leges prædictæ in eis fundatæ, non aliam pœnam, vel vindictam ſtatuunt, ac præfigunt, quam in eiſdem legibus expreſſam; videlicet, *quod aliter non exequantur mandata judicum eccleſiaſticorum,*

nec

nec ab eiſdem cenſuratos devitent; neque ab his mulctas excommunicatorum exigant; et hic omnino ſiſtunt, nec ulterius excurrunt. Et quatenus cit. tt. 9. § 12. addunt, *non reſtare, vel non adeſſe aliud medium ad regiæ juriſdictionis uſurpationem arcendam; ſive impediendam*; ſatis innuere videntur, non eſſe earum intentionis, quod in mediis ad illam uſurpationem impediendam, vel vindicandam ultra percurratur.

XLII. Et juxta tradita cap. 21. et ſeqq. et ſecundum ſuperius tranſcriptam doctrinam n. 38. cit. Per. de man. reg. c. 12. n. 8. regii ſenatores, etiam aulici, non poterant ſtylum, aut conſuetudinem introducere, præter in legibus, atque concordantiis taxatum, ac præfixum, neque haſce ampliare ultra earum terminos, atque intentionem. *Neque à principe acceperunt facultatem*, ut ait Per. cit. in conſimili diſpoſitione, ſive ampliatione *in hoc caſu introducendi ſtylum, cum hæc cognitio, et proceſſus ex illa ſecutus, ad eos utique ex concordia, et contractu ſpectat, quem egredi, aut excedere ipſi non poſſunt*, &c. Sed de hoc uberius reſolut. ſequenti.

Reſolutio Tertia.

XLIII. Neque in concordantiis à Sede Apoſtolica approbatis, et non approbatis, neque in regiis legibus, quæ in illis, et in immemoriali regni conſuetudine fundantur, invenitur vel ſufficiens veſtigium hujuſce procedimenti per occupationem, aut ſubtractionem temporalitatum, quod præſens ſtylus obſervat, præter in ipſis regiis legibus expreſſum, videlicet, quod non vitentur cenſurati, neque ab eis excommunicatorum mulctæ exigantur, neque in hac re prælatorum, aut judicum eccleſiaſticorum mandata exequantur; præſertim in caſibus ab uſurpatione regiæ juriſdictionis alienis.

Hæc reſolutio eſt certa, et evidens; et quoad concordias probatur ex eiſdem, ubi neque in confirmatis, et approbatis regis Dionyſii art. 5. 6. 35. et 40. primæ concordiæ; et art. 9. ſecundæ; et art. 1. ac 2. tertiæ; talis procedimenti formalitas, aut diſpoſitio, præter ſuperius expreſſam minime reperitur.

XLIV. Et quamvis art. 1. quartæ concordiæ objiciebatur, quod rex expellebat prælatum, qui aliquem excommunicabat; et art. 5. quod ſi aliquis excommunicabatur, victus prohibebatur judici ordinario; facilis eſt reſponſio ad utrumque. Et ad 1. art. quartæ concordiæ reſp. 1. Solam concordiam primam, et ſecundam regis Dionyſii reperiri Romæ confirmatam, et approbatam à Sede Apoſtolica, non vero tertiam, et quartam.

XLV. Reſp. 2. Quod cum rex id facere ibidem non fateatur, imo implicite neget id feciſſe, quatenus ſe remittit ſecundo art. primæ concordiæ approbatæ, quo expreſſe negat id feciſſe, per hæc verba: *Reſpondent procuratores regis, quod nec hoc hactenus fecit, et non faciet in futurum, et de facientibus juſtitiæ complementum exhibebit*: intelligendum eſt, ſi id aliquando contigit ab aliquo miniſtro laico per exceſſum, abſque conſenſu regio, et per propriam auctoritatem, violenter, ac exorbitanter factum fore, ut ſatis colligitur, ex verbis finalibus præfati art. 2. *Et de facientibus*, &c.

XLVI. Reſp. 3. Ex reſponſione regia ad prædictum art. 1. videlicet, *Quod ubi eccleſia juriſdictionem habet, et pro ſuis juribus excommunicat, rex cenſuras obſervat, et jubet ſervari contenta in 2. art. Romæ firmato.* Ex quibus infert Per. de man. reg. in nota ad d. 1. art. *Unde ſi pro majoribus ſolitis excommunicet, tunc non pro ſuis agit, ſed pro non ſuis* (id eſt, juribus regiis); *et rex per viam querelæ manu regia occurrit*, &c. ex quo aperte conſtat, in his terminis, etiam dato, quod expulſio illa fieret regis conſenſu, et approbatione, in ſolis caſibus regalium jurium, ac regiæ juriſdictionis uſurpatione, executam fuiſſe; non vero in aliis caſibus non ſervati juris naturalis, vel non delationis legitimæ appellationi.

XLVII. Ad 5. art. ejuſdem quartæ concordiæ Dionyſianæ *de ſubtractione victus judici eccleſiaſtico*, et aliarum temporalitatum, cum rex ibidem reſpondeat: *quod nunquam id fecerat: et ſi ſub ejus gubernio factum fuit, illico revocari, et corrigi effecerit:* et ulterius jubeat expreſſe obſervari 6. art. Romæ firmatum, in quo ſimilis denegatio regia; et prohibitio, atque animadverſio in futurum continetur: tenendum eſt, inhærenter, et conformiter ad regiam aſſertionem, nunquam tale eveniſſe. Quod confirmatur ex articulo immediate præcedenti, qui eſt 4. ejuſdem quartæ concordiæ, ubi nullus alius proceſſus, aut diſpoſitio continetur, quam ordin. lib. 2. tt. 10. *Tuitivæ concedendæ excommunicatis appellantibus*, ut etiam aperte annotat Per. de man. reg. ibid.

XLVIII. Quod autem formalitas illius proceſſus per occupationem, vel ſubtractionem temporalitatum, quem praxis, et ſtylus præfatus ſervat, non etiam ſatis deprehendatur ex formali diſpoſitione præcitatarum legum regiarum, ex ipſiſmet facile, et evidenter convincetur, tum ex cit. l. 2. tt. 10. tum ex reliquis tt. 1. ejuſdem lib. § 13, 14, 15. et 17. et lib. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 5, 6. et 7. in quibus non aliud procedimentum deſignatur, atque taxatur, niſi præjactum non vitandi cenſuratos, neque ab eis mulctas excommunicatis impoſitas exigendi, et exequendi mandata judicum eccleſiaſticorum adverſus illos: quod equidem ſufficiens medium eſt ad violentiam præciſe tollendam, ut infra uberius propalabitur.

XLIX. Dices, In ordin. reg. lib. 1. tt. 12. § 6. diſponitur, quod, *renuente judice eccleſiaſtico agnoſcere ſubjectam juriſdictionem regi pertinere, ſervabitur, quod à ſenatoribus palatinis, nomine regis, decretum fuerit*: ergo, ſi decernant procedimentum illud temporale, id ex ordine regio ſervandum erit.

Reſp. 1. Senatores aulicos, in ultima recurſus deciſione, non decernere procedimentum ad temporalitates, neque illius etiam commemorari, aut monitionem facere, in illa ultima deciſione; ſed pure, ac ſimpliciter, cognoſcere, ac decernere, *chartas rogativas eſſe recte, vel non recte expeditas, atque adeo exequi debere, vel non debere.* Ulterior autem proceſſus ad temporalitates, et earum executio, pertinet ad ſolum regium judicem ad inſtantiam regii procuratoris, ex DD. cit.

L. Reſp. 2. Dato, quod procedimentum temporale decerneret, hoc tantum foret in caſibus regiæ juriſdictionis uſurpatæ, non vero in reliquis, ut ex cit. § conſtat.

Quare præſens ſtylus videtur uſurpatus, vel introductus ad exemplar, et imitationem proceſſus temporalis in regnis Caſtellæ practicati; quorum quidem regnorum obſervantiarum, et conſuetudinum, Luſitani ſemper æmulatores inceſſerunt, ut notat eruditiſſimus D. Franciſcus Emmanuel in ſuis commendabilibus epanaphoris. An licite? ſequens diſcutiet reſolutio.

Reſolutio Quarta.

LI. Quamvis non ex formali regiarum legum diſpoſitione, attamen ex alio capite, videlicet ex naturalis defenſionis licitudine, poteſt licite adhiberi formalitas illius temporalis procedimenti ſecundum præjactum ſtylum, in caſibus tamen uſurpatæ regiæ juriſdictionis, non vero in reliquis legitimæ appellationis denegatæ, aut juris naturalis non ſervati, in cauſis eccleſiæ foro pertinentibus.

LII. Prob. 1. Reſolutio, quoad 1. partem; quia tam de jure canonico, quam de civili, licitum eſt unicuique ſe, et ſua, etiam armis defendere, ac tueri, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, ex c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. c. *Venerabilib.* eod. tit. c. *Cum olim*, de reſt. ſpoliator. c. *Jus naturale*, d. 1. et ibi: DD. omnes, c. 2. de homicid. ibi: *Te, tuaque liberando*: l. 3. § *Eum igitur*, ff. de vi, et vi arm. l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. et ibi DD.

LIII. Atqui præmiſſa duplici epiſtola rogativa, ut judex eccleſiaſticus deſiſtat ab uſurpatione rei alienæ, videlicet regiæ juriſdictionis, et noviter examinata in ſenatu aulico tota cauſa recurſus, et finaliter in iſtius favorem deciſa per finale decretum, quod rogativæ chartæ recte expeditæ fuerint, et exequi, atque à judice eccleſiaſtico adimpleri debeant, ſervat debitum moderamen inculpatæ tutelæ ex parte ſui: ergo ſi judex eccleſiaſticus adhuc renuat deſinere rem alienam uſurpare, poterit ad id licite cogi à rege, quaſi vim vi repellente: atqui non perſonaliter, tum quia perſonæ eccleſiaſticæ omnino immunes ſunt à poteſtate laicali;

laicali, tum quia princeps laicus incapax eſt juriſdictionem exercendi, vel acquirendi, ſaltem directe in eccleſiaſticos, juxta tradita prælud. 3. et 4. et c. 21. et ſeqq. ergo temporaliter, per occupationem, vel ſubtractionem temporalitatum illarum, quæ poteſtati laicæ ſubduntur.

LIV. Prob. 2. A paritate: quia, ſi judex laicus turbet, aut uſurpet juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, poterit hic in illum, et ſpiritualiter per cenſuras, et temporaliter armis corporalibus in defenſionem animadvertere, eo quod utraque juriſdictione, et ſpirituali, et temporali, ex naturali ſaltem jure defenſionis polleat, *Sicque utrumque quodammodo gladium, et temporalem, et eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare*, ut aſſeritur cit. c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ergo pariformiter, ſi judex eccleſiaſticus uſurpet juriſdictionem judicis regii, poterit hic, modo in legibus præſcripto, vel ſaltem à rationabili conſuetudine introducto, procedere temporaliter adverſus judicem eccleſiaſticum, per ſubtractionem rerum temporalium, quæ ſubſunt ejuſdem juriſdictioni laicæ.

Prob. 3. Ex ſuperius ſtabilitis, prælud. 3, 4. et 6. et c. 13. et ſeqq. et c. 17. 19. et ſeqq. et ex aliis ſupra traditis, et infra dicendis.

LV. Et confirmatur, quia injuſta, et illicita videtur pœnæ temporalis executio, et inflictio, quæ prius, neque implicite ſaltem comminata fuit; ex doctrina Card. Deluc. de benefic. diſc. 119. ex n. 7. de teſtam. d. 71. n. 3. de can. d. 27. n. 18. et alibi: et ex doctrina Per. de man. reg. c. 12. n. 9. in fin. Cum autem in regiis legibus ſola comminetur pœna non vitandi, ac non mulctandi excommunicatos à judice eccleſiaſtico, neque hujus mandata exequendi, alia autem pœna procedimenti temporalis, nec implicite comminetur, idcirco illicita videtur ejus executio, atque proſecutio.

LVI. Prob. eadem, quoad 2. partem; et, 1. Quia in aliis cauſis, eccleſiæ foro pertinentibus, non datur uſurpatio regiæ juriſdictionis, in cujus defenſionem, atque vindicationem, regius judex procedat; ſed tantum dabitur oppreſſio, et violentia reſpectu partis recurrentis in non receptione legitimæ appellationis, vel in inobſervantia juris naturalis: atqui ut hæc violentia præciſe tollatur, ſufficit providentia præcitatarum legum, l. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 5, 6. et 7. et lib. 2. tt. 10. videlicet quod non vitentur cenſurati, quod ab eis non exigantur mulctæ, &c. ergo.

LVII. Prob. 2. ſive confirmatur, ſuperior probatio: Quia tam pars oppreſſa, propria auctoritate adverſus judicem eccleſiaſticum opprimentem ſe defendens, ac reſiſtens, quam rex per viam recurſus eidem parti oppreſſæ ſubveniens, debent obſervare debitum moderamen inculpatæ tutelæ, et nequeunt procedere, niſi pro vi, ac violentia præciſe tollenda, et quantum præciſe ſufficiat pro vi, et violenta injuria levanda, ut tenent communiter DD. ſignanter Oliv. de for. eccleſ. p. 1.

LVIII. Neque princeps ſubveniens oppreſſo manu regia, acquirit, aut retinet majus jus ad eum ab oppreſſione liberandum, quam pars ipſa oppreſſa habet ad eam propria auctoritate repellendam, ut tenet Oliv. de for. eccleſ. q. 15. et 16.

Atqui ad debitum moderamen prædictum attinet, quod ad terminos citatarum legum ſeſe reſtringant judices regii, et eos non excedant, vel ultra illarum cancellos non tranſiliant: ergo in aliis cauſis præter regiæ juriſdictionis uſurpationem, nequeunt procedere temporaliter adverſus judices eccleſiaſticos, niſi in terminis præcitatarum ordinationum, videlicet, *non ſervando mandata judicum eccleſiaſticorum, nec cenſuratos vitando, aut ab eis mulctas exigendo.*

LIX. Confirmatur, 2. Quia rex in aliis cauſis præter propriæ juriſdictionis uſurpationem, non ut judex competens, imo neque ut judex, ſed *ut vir bonus, et potens*, procedit, de bono et æquo, per viam facti, et non juriſdictionaliter, neque ſuperioraliter, ut tenent Per. de man. reg. c. 4. n. 1, 2. et 4. et c. 7. et 11. n. 1. Atqui non procederet ut vir bonus, ac de bono et æquo, ſi ultra terminos propriarum legum regiarum procederet, et ultra illarum cancellos, juſte præfixos, ipſe, vel ejus miniſtri tranſilirent; ſiquidem ultra quod juſtum, et æquum eſt, excurrerent, atque exorbitarent! ergo.

LX. Dices, 1. Etiam in caſibus uſurpatæ juriſdictionis regiæ, diſponit regia ordinatio, l. 1. tt. 9. § 12. quod *poſtquam judices regii judicaverint cognitionem cauſæ laicis juſtitiis, et non eccleſiaſticis pertinere, mandabunt, ut juſtitiæ ſæculares cenſuratos non vitent, nec ab eis excommunicatorum pœnas exigant; eo quod ſemper ita fieri conſueverit, et aliud medium non adſit, ne regia juriſdictio uſurpetur.* Et tamen per nos ultra hunc procedendi modum poteſt judex regius adhuc licite procedere ad ſubtractionem temporalitatum: ergo ſimiliter in aliis caſibus violentiæ, extra regiæ juriſdictionis uſurpationem, etiam in cauſis eccleſiæ foro attinentibus.

LXI. Reſp. 1. Negando conſequens. Diſparitas eſt; quia in aliis caſibus violentiæ in cauſis eccleſiaſticis, cum harum materia eccleſiaſticæ juriſdictioni competat, rex non intendit rem propriam defendere, aut recuperare, ſicut in cauſis propriæ juriſdictionis uſurpatæ; ſed intendit dumtaxat oppreſſioni notoriæ, atque violentiæ vaſalli, ad ſe recurrentis, ſubvenire per viam facti, eam præciſe tollendo, vel ceſſare faciendo: ut autem violentia præciſe ceſſet, vel tollatur, ac levetur, ſufficit providentia in regiis legibus taxata, ne cenſurati vitentur, ac mulctentur, neque judicum eccleſiaſticorum in eos ſententiæ, ac mandata exequantur.

LXII. At vero in cauſis regiæ juriſdictionis uſurpatæ, intendit rex rem propriam defendere, ac recuperare; videlicet, juriſdictionem ſuam, cui cognitio cauſæ illius competit. Cum autem quilibet ſe, et ſua, etiam armis, licite defendere, ac liberare valet, ex cit. c. 2. de homicidio, et reliquis juribus ſuperius cit. hinc eſt, quod ſi non ſufficiat providentia in regiis legibus taxata, ut judex eccleſiaſticus ceſſet, aut deſiſtat ab alienæ juriſdictionis uſurpatione, poterit rex, utpote illius uſurpatæ juriſdictionis dominus, efficacioribus mediis, ac remediis illam defendere, ac recuperare, curare; dum enim judex eccleſiaſticus non deſiſtit, continuatur alienæ rei uſurpatio, atque durat, et permanet injuria, et offenſa violenta regi illata, quam ipſe, quatenus durat, vi repellere poteſt, juxta doctrinam Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. et tom. 3.

LXIII. Reſp. 2. In aliis caſibus notoriæ violentiæ extra uſurpationem regiæ juriſdictionis, una tantum conſideratur injuria oppreſſo recurrenti illata, vel in denegatione legitimæ appellationis, vel in non obſervantia juris naturalis: et cum aliunde materia cauſæ principalis ſit foro eccleſiæ competens; idcirco rex, et ejus miniſtri, non juriſdictionaliter, neque ut judices, ſed ut viri boni, per viam facti valent in illis procedere præciſe pro violentia tollenda, et quantum ſatis ſit, ut eam ceſſare, aut levare faciant: at vero in cauſis uſurpatæ regiæ juriſdictionis, præter injuriam illatam parti recurrenti, datur alia injuria violenta regi, et ejus juriſdictioni incuſſa.

Et quamvis, quatenus pro injuria recurrenti facta, nequeat per viam recurſus adverſus judicem eccleſiaſticum procedere, niſi per viam facti, et non per viam juriſdictionis, aut ſuperioritatis; attamen qua parte procedit pro defenſione, ac recuperatione propriæ juriſdictonis uſurpatæ, poſtquam in ſenatu aulico finaliter deciſum eſt juriſdictionem regi pertinere, et non judici eccleſiaſtico; cum materia cauſæ principalis competat juriſdictioni regis, et ratione hujus competentiæ cauſa illa laicæ juriſdictioni ſubjiciatur; poterit quidem rex in propriæ juriſdictionis defenſionem, aliqualiter juriſdictionaliter adverſus judicem eccleſiaſticum ab uſurpatione illa deſiſtere nolentem procedere: atqui nequit procedere adverſus eum perſonaliter, eo quod ſit perſona omnino immunis à poteſtate laica: ergo temporaliter, ſubtrahendo, aut occupando temporalitates laicæ juriſdictioni ſubjectas.

LXIV. Inſtabis: in aliis caſibus violentiæ in cauſis eccleſiaſticis, et præter uſurpationem laicæ juriſdictionis, poterit etiam judex eccleſiaſticus illam continuare non abſolvendo cenſuratos, vel appellationi non deferendo, non obſtante inhibitione providentiæ in regiis legibus taxatæ, non vitandi, atque non mulctandi cenſuratos, neque exequendi adverſus eos ju-

dicis eccleſiaſtici ſententiam, ac mandata: atqui ſi hæc providentia non fuerit ſufficiens in caſibus uſurpatæ juriſdictionis; poterit rex ulterius ad occupationem temporalitatum procedere: ergo etiam in aliis caſibus. Prob. conſeq. Quia providentia illa ordinationis regiæ non extenditur ad hoc, ut excommunicati non vitentur in ſacris, ſed tantum in profanis, neque ut non vitentur à juſtitiis eccleſiaſticis, ſed ſæcularibus dumtaxat, neque ut ad divina officia, ac ſacrificia admittantur, ſed ad temporalia commercia ſolummodo: ergo inſufficiens eſt ad violentiam perfecte, et adæquate tollendam; ac per conſequens, &c.

LXV. Reſp. 1. Negando conſequentiam; ad cujus probationem diſtinguitur ſub illata conſequentia: inſufficiens eſt, quoad intentionem regiarum legum, nego; quoad perfectam libertatem, atque expeditionem oppreſſi, ſubdiſtinguo: in iis, quæ laicæ poteſtati non ſubjacent, et de quibus rex providere non curat, aut intendit, concedo; in iis, quæ temporali ſubduntur poteſtati, et de quibus rex providere intendit, nego. Cum autem rex optime noverat, providentiam taxatam in regiis legibus non extendi ad expeditionem, atque ad communicationem oppreſſi in ſacris, ſed tantum in profanis, *ſi aliud voluiſſet, expreſſiſſet.* Cum autem non expreſſerit, niſi ut non vitentur, nec mulctentur à juſtitiis ſæcularibus, neque ab his mandata judicum eccleſiaſticorum exequantur (quæ quidem ſub ejus juriſdictione cadebant); dicendum eſt, hac tantum providentia regiam intentionem fuiſſe contentam, præſertim cum hæc ſufficeret ad tollendam violentiam pro commerciis humanis, ac temporalibus oppreſſorum, quamvis non pro ſpiritualibus, et eccleſiaſticis, quæ non cadunt ſub temporali regum juriſdictione.

LXVI. Reſp. 2. Aſſignando diverſam rationem diſparitatis: nam, in caſu uſurpatæ juriſdictionis, procedit rex ipſe, nedum ex vi violentiæ parti recurrenti factæ, ſed ex vi etiam violentæ injuriæ regi ipſi, et ejus juriſdictioni illatæ, in ejuſdem violenta à judice eccleſiaſtico uſurpatione; in cujus defenſionem, atque recuperationem habet jus, et poteſtatem, in naturali defenſione propriarum rerum fundatam, ad eam etiam vi repellendam, quamdiu duret, ac permaneat, juxta ſuperius dicta: qui quidem titulus deeſt in tollenda violentia in aliis caſibus præter regiæ juriſdictionis uſurpationem; atque adeo in his nequit temporaliter procedere, ſicut in illis, niſi juxta taxam, et præſcriptum legum regiarum, quæ quidem providentia ſufficiens eſt ad oppreſſionem recurrentium præciſe tollendam in temporalibus, et ut ad humana, et temporalia commercia impunes admittantur.

LXVII. Dices, 2. In recurſibus ex regiæ juriſdictionis uſurpatione intentatis, præter regiarum legum diſpoſitionem, potuit licite introduci ſtylus et conſuetudo alterius procedimenti efficacioris per ſubtractionem temporalitatum adverſus judices eccleſiaſticos nolentes, poſt ultimam recurſus deciſionem, ab uſurpatione deſiſtere: ergo ſimiliter licite potuit induci in recurſibus, ex aliis titulis interpoſitis, videlicet ex denegata legitimæ appellationis receptione, vel ex non ſervato jure naturali.

LXVIII. Reſp. negando conſequentiam: Diſparitas eſt, quæ immediate inſinuata eſt; nam in recurſibus ex uſurpatione juriſdictionis regiæ, procedit rex non ſolum ex jure tuitionis, ac protectionis erga oppreſſum recurrentem, ſed etiam ex jure naturalis defenſionis, ac recuperationis erga propriam juriſdictionem; atque adeo ex vi hujuſce ſecundi juris, uſurpatione permanente, poteſt illam etiam vi atque armis repulſare, et propriam rem revindicare, ac recuperare. At vero, in recurſibus ex aliis capitibus, procedit rex ex jure præciſo tuitionis, ac protectionis oppreſſi, per viam facti, quantum præciſe ſufficiens ſit ad violentiam tollendam, et hoc quidem ex contractu, et concordantia inter clerum, et regem inito; proindeque, non potuiſſe juſte, nec licite, introduci ſtylum illum ulterioris procedimenti temporalis, abſque novo contractu, novoque cleri expreſſo conſenſu à Sede Apoſtolica approbato, juxta ſuperius tradita, c. 22.

LXIX. Confirmatur veritas hujuſce reſponſionis à formali, et expreſſa doctrina Per. de man. reg. c. 12. n. 8. à paritate conſimilis novi ſtyli, ubi ſic tenet: *Verum hæc praxis nullo modo ſuſtineri poteſt: ratio eſt, quia in hac materia non potuit ſtylus introduci per ſenatores ſæculares, ad quos hæc cognitio ex concordia, et tractatu ſpectat, quem ingredi ipſi non poſſunt, nec à principe recipiunt facultatem hoc caſu introducendi ſtylum, quia hæc illis indulgetur, in ordin. lib. 3. tit. 64. in rebus, et cauſis, quæ politicæ ſubſunt poteſtati; non vero in his, quæ ad utramque ſpectant: quod cum non reperiatur cautum in concordatis, ut pro juſtificata partis petitio habeatur, hoc non poſſunt ſoli ſenatores ſæculares inducere, ſine ſpeciali conſenſu clericorum, et Summi Pontificis approbatione.*

LXX. Confirmatur, 2. Ex alia cohærenti doctrina ejuſdem Per. c. 11. n. 4. qui rejicit aliam praxim, et ſtylum, eo quod excedat regiam legem, l. 1. tt. 9. § 12. et concordiam, cui illa innititur, dicens in fine: *Atque ideo praxis, qua receptum eſt, ut ſtatim in ingreſſu cauſæ, et ſupplicationis, charta expediatur, ne obſerventur cenſuræ, explodenda eſt, quia contra verba concordiæ, et concilii, ſeſſ. 25. de reform. c. 3.*

LXXI. Confirmatur, 3. Ex ſuperius traditis, c. hocmet, et ex doctrina P. de Marca de concord. facerd. et imper. l. 4. c. 18. ubi ex ſtylo regni Galliæ, hoc procedimentum temporale adverſus epiſcopos, in ſolis caſibus regiæ juriſdictionis ab eiſdem invaſæ agnoſcit, aperte aſſeverans, ib. n. 2. quoad illud *modeſtius ſe gerere Gallos, quam Hiſpanos.*

LXXII. Dices, 3. Ex Per. de man. reg. c. 12. n. 9. ſibi non conſtante eod. c. n. 8. ſi adverſus judicem eccleſiaſticum nolentem parere regiis literis rogativis, et ultimæ deciſioni ſenatus palatini pro earum rectitudine judicanti, non adhibeatur alius proceſſus præter expreſſum in regiis legibus, non vitandi ſcilicet, et non mulctandi excommunicatos, certe *regia auctoritas, et dignitas vileſcet, ejuſque determinatio redderetur illuſoria*; cum impune judex eccleſiaſticus rogativas chartas non adimpleverit, abſque timore ulterioris proceſſus ad ſubtractionem temporalitatum. Atqui non minorem obedientiam præſtare tenetur judex eccleſiaſticus rogativis regiis in recurſibus ex capite notoriæ violentiæ, ob non delationem legitimæ appellationi, atque juris naturalis inobſervantiam, quam ex titulo regiæ juriſdictionis uſurpatæ interpoſitis: ergo.

LXXIII. Reſp. Negando majus, ad cujus inſinuatam probationem negatur aſſumptum; nam judex eccleſiaſticus non impune non acquieſcit regiis epiſtolis rogativis, cum in illis, veluti in pœnam inobedientiæ, comminetur, quod *alias ejus mandata non exequantur, nec ab eo excommunicati vitentur, ac mulctentur à juſtitiis ſæcularibus*; ſi non pareat ultimæ palatini ſenatus deciſioni. Neque ſenatus ipſe, aut regii judices, imo rex ipſe, aliam pœnam, et ulteriorem proceſſum ad occupationem temporalitatum, comminari, aut exequi poſſunt, cum hanc tantum in regiis legibus, ex concordia, et contractu cum clero, quem alterare, aut immutare non valent, taxatam ſtabilirent; et cum hac ſola diſpoſitione regia auctoritas, et dignitas, plene planeque ſibi ſatisfieri ſenſit, atque judicavit. Si autem rex ipſe hac ſola ſatisfactione contentus evadit; cur non ita etiam regii miniſtri? Unde, ſicut nemo veraciter, atque prudenter æſtimare, et autumare poteſt regiam dignitatem vileſcere, eo quod injurias ſibi, vel ſuis miniſtris à clericis illatas propria manu non vindicet, pœnis corporalibus clericis infligendis, ſed per manum prælatorum, vel judicum eccleſiaſticorum, eo quod pœnas illas à ſeipſo infligere non valet: ita pariformiter in noſtro caſu; præſertim, cum per leges ipſas regia auctoritate ſtabilitas, ac firmatas, ex contractu, ac concordia cum clero, non aliæ pœnæ, neque aliud procedimentum taxetur, neque permittatur, niſi quod in ipſis clare, et diſtincte exprimitur.

LXXIV. Ad minorem ſubſumptam reſp. cum diſtinctione: Non minorem obedientiam præſtare tenetur judex eccleſiaſticus rogativis unius, quam alterius recurſus, diſtinguo; materialiter, ſive ratione materiæ, nego; formaliter, ſive ratione protectionis oppreſſi præciſe, ſubdiſtinguo: ita ut obedientia iſta debita à judice eccleſiaſtico ex hac ratione præciſe, ſit obedientia tantum politica, et urbana; concedo: ita ut ſit obedientia juriſdictionalis, et juridica; nego.

LXXV. Certum ergo eſt, majorem obedientiam deberi regi, et oppreſſo ſubvenienti per viam recurſus, et

et propriam rem uſurpatam per eandem viam vindicanti, ac recuperanti, ratione materiæ, quam oppreſſo dumtaxat in aliis materiis ſuccurrenti. Cum autem obedientia debita à judice eccleſiaſtico in hoc caſu ſit tantum politica, et ex urbanitate, ut fatetur Per. de man. reg. c. 12. n. 5. et omnis pœna debeat culpæ proportionari; idcirco pœna, ſeu procedimentum contumaciæ, ſive inobedientiæ, judicis eccleſiaſtici adhibitum, et adhibendum, nequit pariformiter eſſe, niſi politicum, quale eſt, quod in regiis legibus taxatur non vitandi, nec mulctandi excommunicatos; et minime poteſt eſſe licite, ac juſte, aliud procedimentum gravius, et efficacius qualitati culpæ politicæ improportionatum, eamque excedens, qualis eſt proceſſus ad occupationem, ac ſubtractionem temporalitatum: qui tamen in recurſibus ex uſurpata regia juriſdictione licite adhiberi poteſt, non præciſe ex inobedientia politica judicis eccleſiaſtici, ſed ex defenſione, atque recuperatione propriæ regiæ juriſdictionis, quam quidem judex eccleſiaſticus, etiam in conſcientia demittere tenetur, ſemel, quod ei legitime conſtet, non ſuam, ſed alienam eſſe.

LXXVI. Adde, quod etiam in obedientia, nedum politica, ſed et juridica, ac juriſdictionali, nedum regi, aut imperatori, verum et Papæ, et eccleſiæ debita, levis exceſſus non eſt punibilis, ex trad. per DD. in l. *Scio*, 4. ff. de reſtit. in integr. Ciriac. contr. 454. n. 5. et ſeqq. l. 3. Antonell. de jurib. clericor. l. 1. p. 1. c. 2. n. 93.

LXXVII. Obſerva denique ex cit. Coſta, quod ſi judex eccleſiaſticus vult ultimæ deciſioni palatini ſenatus annuere, et rogatorias epiſtolas adimplere; tunc recurrens, adjuncto notarii regii teſtimonio de ejuſdem judicis obſequioſa reſponſione, ab ipſomet eccleſiaſtico judice ſupplicat, ut ſuppoſita ejuſdem favorabili reſponſione, cenſuras levando, jubeat ordinem expediri, ut ab eiſdem abſolvatur. Et huic ſupplicationi judex eccleſiaſticus formaliter defert: *quod quilibet parochus, aut confeſſarius approbatus eum abſolvere poſſit.* Hæc ex ſtylo Coſtæ cit. annot. 8. quibuſcum finaliter definit. Et nos ad illius complementum ſubjungemus hic formularium, ſive ſummarium procedimenti temporalis, quod in hujuſce ſtatus ſecreto ſervatur, expeditum anno 1617. tempore ſcilicet regum catholicorum, ubi præſcribens modum, et graduationem præjacti procedimenti, expreſſe cavet, ne occupetur caballus, ſive equus, in quo prælatus, ſive judex eccleſiaſticus equitare conſuevit; per hæc verba: *Naô entenderaô com oſeu cavallo*, &c. in fine hujus c. tranſcribenda, ſive c. ſequentis n. 22.

Tandem Petrus de Marca de concord. ſacerdot. et imper. lib. 4. c. 18. n. 1. ubi de ſtylo regni Gallicani hoc procedimentum temporale in caſibus dumtaxat *regiæ juriſdictionis ab epiſcopis invaſæ* recognoſcit, n. 2. prope finem, de ſtylo regnorum Hiſpaniæ ſic ait: *Apud Hiſpanos obtinet, ut epiſcopi, et clerici, qui mandatis regiis non obtemperant, ſive ad impertiendam tuitionem contra vim judicum eccleſiaſticorum in cauſa eccleſiaſtica latis, ſive ad repellendam invaſionem, quæ fit à clericis adverſus juriſdictionem ſæcularem, aut quamcunque aliam graviorem contumaciam, jure civitatis, ſeu naturalitatis regni priventur, et ſtatim à regno expellantur, ſuiſque reditibus expolientur: non quidem, inquiunt illi, per modum juriſdictionis ordinariæ, quæ in clericos regibus non competit, ſed poteſtate quadam politica, et œconomica, ut docent Covar. et Bobadilla, et omnes ſcriptores Hiſpani. Minus ergo auſterum eſt remedium, quod à Gallis uſurpatur, quam quo Romani principes utebantur olim, quove Hiſpani læſam auctoritatem vindicant, licet remedium noſtrum ferro cauſas, ſeu morbos, curet potius, quam emplaſtro.*

LXXVIII. Et n. 3. affert decretum Concil. Lugdunenſis, præſente Gregor. X. et rege Philippo III. expreſſe vetantis ſub anathemate, *Ne judices eccleſiaſtici cogantur cenſuras tollere perſonis, vel bonis captis, aut qui his utuntur, earum uſu deſiſtere.* Conſule præcit. decretum per formalia ibidem.

LXXIX. Huc appoſite faciunt quæ ſuperius cap. 14. et 21. et prælud. 6. et quæ inferius cap. 40. de conſuetudinibus, et erroribus Anglicanis, ex Polydor. Neubrig. et Stapleton. prælibata ſunt; et quæ D. Thomas Cantuar. in ep. ad epiſcopos Angl. ſic recitat: *Addicta ſunt fiſco bona eccleſiæ, patrimonium Crucifixi: pars pecuniæ converſa in uſus regios: pars in tuos, frater Lundoniarum, ſi vera ſunt quæ audivimus, et eccleſiæ tuæ. Quod ſi ita eſt, exigimus à te præcipientes tibi in virtute obedientiæ, quatenus infra quadraginta dies poſt iſtarum ſuſceptionem literarum, quicquid inde tuliſti, vel in uſus eccleſiæ tuæ converſum eſt, remota omni occaſione, et dilatione, infra tempus prænominatum in integrum nobis reſtituas. Iniquum eſt enim, et juri valde contrarium, eccleſiam ditari de alterius incommodo. Si laudas auctorem, ſcire debes ſuper rebus eccleſiæ ablatis eum non legitime poſſe præſtare auctoritatem, qui violentam facit injuriam. Quo ergo jure perverſo, quo ordine canonum tranſpoſito, poterunt ſe tueri raptores ſacrilegi bonorum eccleſiaſticorum invaſores, non reſtitutis ablatis eccleſiæ? Opponentne appellationis obſtaculum? Abſit. Quæ nova, imo quæ juri contraria, introducitis in eccleſiam iſtam? Videte quid agatis. Certe cudetur in vos faba iſta, et in eccleſias veſtras, ſi non melius vobis proſpexeritis. Periculoſe enim ageretur cum eccleſia Dei, ſi raptor ſacrilegus alienorum bonorum, invaſor maxime eccleſiæ, tutus eſſet adverſus eam, appellationis auxilio. Fruſtra enim juris implorat auxilium, qui juri non obtemperat, imo qui eſt contrarius juri.*

Et quæ Petrus Blenſis archidiaconus Bathonicus in ep. ad eund. apud cit. Staplet. ſcribit, inquiens: *Dicunt enim, Non debet archiepiſcopus tam inſtanter ſua repetere à rege Angliæ, ut dimittat reconciliationis pacem pro amiſſa pecunia. Falluntur ſpecie veri, adulatione falſi. Qui ſpecie veri decipiuntur, inſtruendi ſunt; qui adulatione falſi, repellendi. Simplicitas enim revocanda eſt; malitia prorſus abjicienda. Certe penſandum eſt in omni tam contractu, quam actu, quid; propter quid faciendum, vel quid dimittendum ſit. Penſanda etiam ſunt tempora, et diverſi ſtatus temporum, ſecundum quos mutantur merita cauſarum. Nam in primitiva eccleſia ſola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteretur et pallium. Alius enim erat, et alibi; id eſt, extra eccleſiam, qui perſequebatur: alius, et alibi, id eſt, intra eccleſiam, qui patiebatur. Modo vero jam adulta eccleſia, non licet filiis eccleſiæ, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, ſicut decuit pupillo tolerare adverſarium.*

CAP. XL.

Notantur, ac reſolvuntur aliqua circa Praxim præjacti Styli.

SUMMARIUM.

I. *Cur, quæ deſunt, perfunctorio calamo tradenda ſunt.*
II. *Procedimentum temporale non ingreditur domum epiſcopi.*
III. *Palatium epiſcopi gaudet immunitate ob dignitatem perſonæ.*
IV. *Licet epiſcopus ſit abſens, vel mortuus, et palatium non eſt locatum.*
V. *Extenditur immunitas palatii epiſcopi 40 paſſus per circuitum.*
VI. *Extenditur ad palatium epiſcopi titularis conſecrati, et ad domum epiſcopi diœceſani extra propriam eccleſiam.*
VII. *Gaudet etiam privilegio juris aſyli.*
VIII. *Officiales ſæculares, etiam à judice laico miſſi, ingredientes palatium epiſcopi pro executione temporali, tantum debent cenſuris coerceri.*
IX. *Neque excuſabuntur, eo quod juſſu judicis exceſſerint, juxta Per.*
X. *Non omnes temporales executiones ſimul, ſed diſcontinuo intervallo gradualiter proſequuntur.*

XI. *Reditus conſiſtentes in congiario ſubſidio tantum pro congrua ſuſtentatione nequeunt ſubjici ſequeſtro, eo quod ſint alimenta.*
XII. *Imo neque reditus reales, quin decens portio reſervetur pro ſuſtentatione congrua, ſicut neque militaribus ſtipendia, niſi in tertia parte.*
XIII. *Bona menſæ prælati ſunt adeo privilegiata, ut valide poſſit procedere adverſus ea occupantes, aut impedientes.*
XIV. *Fructus beneficii, et vere eccleſiaſtici, nequeunt ſequeſtrari à judice laico ex ordin.*
XV. *Talia bona ſunt eccleſiaſtica, et ſpiritualia, et non temporalia.*
XVI. *Ampliatur ad bona patrimonialia clerici.*
XVII. *Præſertim, ſi fructus adhuc exiſtant in horreo.*
XVIII. *Fructus vero jam collecti, et ſoluti, non ſunt quid ſpirituale, ſed temporale, ex Peg.*
XIX. *Neque officit ordin. l. 2. tt. 13. et 15. diverſo caſu procedens.*
XX. *Cui etiam conformis eſt diſpoſitio temporalis de non occupando proprios equos prælati, aut judicis eccleſiaſtici, quo equitare ſolet, vel lectica, aut palanga.*
XXI. *Etiamſi foret judicis eccleſiaſtici, quoad uſum tantum; et illud ſubjicibile, quo judex eccleſiaſticus actu aſportaretur, qui violenter manu detineret, incideret in cenſuram juris.*
XXII. *Formalitas regii diplomatis.*
XXIII. XXIV. *Varia annotanda.*
XXV. *Exemplar ſententiæ judicii coronæ Ulixbonenſis adverſus aliam judicii Portucalenſis.*

I. PERFUNCTORIO calamo, quæ reſtant, tandem perſtringam; non enim per otium immorari, aut in longum hæc ultra protrahere ſinunt quotidiani, et aſſidui abhinc pluſquam per tres menſes bombardarum ſonitus, cæterorumque armorum, et raucarum tubarum horriſoni ſtrepitus, quibus infenſiſſimus, et infideliſſimus hoſtis *Marâſta*, poſtquam per duos annos continuos tota ſeptemtrionali provincia invaſa, civitatem Baſſaimum aſſidua, et conſtanti, quæ adhuc durat, obſidione circumcinxit, aliis arcibus minoris momenti, à Luſitanis demiſſis, occupatis, tandem menſe Januario præſentis fatalis anni 1739. provinciis etiam Salſetana, et Bardeſiana, quæ pro antemurali ab auſtro, et ſeptemtrione, inſulis Goanis extant, inſperata invaſione hoſtiliter irruptis, Racciolenſem arcem uſque ad præſentem diem 25. Aprilis, D. Marco evangeliſtæ dicatum, dura, moleſtaque obſidione circumvallatam tenet; et cum omnibus aliis nominis Chriſtiani, atque Luſitani antiquis hoſtibus conjuratis, reguliſque confinitimis, atque domeſticis, etiam gentilibus confederatus, per totalem victualium, et reliquarum humanæ, mortalique vitæ neceſſariarum temporalitatum ſubtractionem, præter armorum acerbitatem, capitibus noſtris quotidie minatur, et veluti jam triumphator anticipata arrogantia inſultat, non obſtante ſuorum militum adeo ampla ruina, ac ſtrage, ut ad quadraginta fere millia numerus in hoc bello biennali pereuntium protrahatur: niſi Pater ipſe miſericordiarum, et Deus totius conſolationis, *qui, cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur*, commiſeranter nos conſolari dignetur in hac multiplici tribulatione noſtra, ac preſſura, inter cujus conſtrictiſſimas anguſtias, frequenteſque, et quotidianos terrores diurnos, ac nocturnos, hoc opuſculum, et progreſſus ſum, et nunc tandem conſummare et abſolvere curo.

Vid. collect. 2. n. 2. et 3. in nov. edit. ad tit. 9. l. 1. § 12.

II. Notandum igitur eſt, 1. Pro praxi illius procedimenti ad temporalitates, quod Per. de man. reg. cit. c. 12. n. 9. animadvertit, dicens: *Si non obtemperaverit, ejus temporalia occupantur, quouſque obediat, ex l. fin. ff. de offic. procurat. Cæſ. l. Quicunque, cod. de epiſcop. &c. quod de illis temporalibus accipiendum eſt, quæ extra domum cuſtodiuntur, quia eorum domus non ingrediuntur miniſtri ſæculares, et notificantur ipſorum famuli, ne illis inſerviant, nec ante hanc notificationem capi poſſunt, ut ſæpe fit; quia, niſi præcedat præceptum, nulla datur culpa, quæ puniri poſſit.* Et idem diſponitur in regio decreto apud Oſor. prax. de patron. reg. reſol. 75. n. 15. infra tranſcribendo, n. 15. et in ſententia coronæ apud eund. reſol. 18. n. 9. unde nec ſervi notificantur, niſi extra domum, et illius circuitum, quadraginta paſſuum reperiantur, de quo infr. n. 5.

III. Ratio eſt, quia domus ſive palatium epiſcopi eccleſiaſtica gaudet immunitate ob dignitatem perſonæ, ex expreſſo text. in c. *Id conſtituimus*, 17. q. 4. ibi: *Id conſtituimus obſervandum, quod eccleſiaſtici canones decreverunt, et lex Romana conſtituit, ut ab eccleſiæ atriis, vel domo epiſcopi, reos abſtrahere omnino non liceat.* Et eſt conforme juri civili, ſeu legibus Romanis, ut cit. tex. commemoratur, videlicet, l. 1. *Juxta ſanctionem*, l. 2. *Omnis*, cod. de epiſc.

IV. Et hanc reſolutionem tenet Cov. l. 2. var. c. 20. et ibi Faria in addit. Farinac. de immunit. c. 17. Delben. de immunit. 2. p. c. 16. dub. 9. ſect. 14. cum quo Peg. ad ordin. tom. 8. l. 2. tt. 5. ad princip. n. 23. etiam aſſerit procedere, licet epiſcopus ſit abſens, vel mortuus, dummodo palatium non ſit locatum, et etiam contra alios aſſerit procedere, licet non exiſtat intra quadraginta paſſus per circuitum eccleſiæ cathedralis, *Giurb. conſ.* 10. *n.* 13. *Cyardin. forenſ. cap.* 116. *n.* 4. *Barb. d. cap.* 3. *n* 70. *et ultra eos Correa de immunit.* 2. *p. n.* 16. *Bezerra d. cap.* 2. *n.* 11. ubi extendit etiam ad palatia prælatorum, qui habent juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut ſunt priores ordinum militarium, et ibi explicat ex aliis *Frances de eccleſ. cathedr. cap.* 29. *n.* 52. *et ſeqq. Barb. hic, n.* 10.

V. Unde, cum privilegium immunitatis palatio epiſcopi concedatur in reverentiam, et decorem dignitatis epiſcopalis, quæ eſt ſuprema in eccleſia, ut ait Delben. cit. n. 9. et palatium epiſcopale venit appellatione *loci ſacri*, et *religioſi*, licet ſacellum non habeat, idem ib. n. 17. tenendum eſt, quod ſicut ſpatium immunitatis eccleſiæ cathedralis, ſeu majoris, extenditur ad quadraginta paſſus per circuitum, minoris vero eccleſiæ ad triginta, Delben. ibid. ſect. 8. n. 2. cum Covarr. Thuſc. Soar. Farinac. et aliis pluribus; quibus adhæret Franc. de eccleſ. cathedr. et alii, ex c. *Sicut antiquit.* 17. q. 4. c. *Quiſquis*, c. *Definivit*, ibid. gl. in cit. c. *Id conſtituim.* verbo *Vel domo:* ita immunitas palatii epiſcopalis ad alios quadraginta paſſus protrahenda, ex cit. gl. verb. *Vel domo*, ibi: *Quæ domus erat intra* 40 *paſſus . . . . Idem tamen privilegium habet, ſi eſt extra iſtos paſſus.* Præſertim cum privilegia immunitatis in dubio non ſunt reſtringenda, ſed amplianda, Delben. cit. ſect. 8. n. 17. et ſect. 14. n. 12.

VI. Ex quo conſequitur affirmativa, et favorabilis etiam reſolutio pro palatio epiſcopi titularis, ſi ſit conſecratus, Delben. ib. n. 22. Ciarlin. contr. c. 116. Dian. p. 4. tr. 1. reſol. 40. imo et pro domo epiſcopi diœceſani extra propriam diœceſim, idem Dian. cit. quam opinionem probabilem dicit Delben. n. 21. licet repugnet Ciarlin. cit. Prob. tamen, 1. A paritate epiſcopi titularis; pro cujus etiam familia privilegio fori gaudente, ſæpe S. Congregatio immunitatis decidit, teſte Dian. cit. 2. Quia epiſcopus diœceſanus extra propriam diœceſim, ſemper eſt perſona ſacra, et ſemper retinet dignitatem epiſcopalem, quæ eſt prima in eccleſia; proindeque ejus domus propriæ habitationis, venit appellatione loci ſacri, et religioſi.

VII. Et pariformiter favorabiliter etiam venit decidenda contra Correa de immunit. p. 2. n. 20. quæſtio de apprehenſis ante domum epiſcopi, ad quam confugerant, cum puſilla intercapedine, de qua Peg. cit. n. 24. vide etiam Antonell. de regim. l. 1. c. 9. n. 34. et Gaſparr. inſt. can. p. 2. tt. 17. c. 1. n. 10. et 11. ubi aſſerit, palatium epiſcopi, et cardinalium, hoc privilegio etiam frui, *jure aſyli*. Et comprobari poteſt etiam reſolutio ex diſpoſitione ord. regiæ, l. 3. tt. 86. § 12. et 23.

VIII. Notandum, 2. Quod ſi forſan officiales laici temere domum epiſcopi, etiam juſſi à judice regio, familiares epiſcopi notificaturi, ne ei inſerviant, vel quid aliud ad procedimentum hoc temporale pertinens executuri, ingrediantur; à judice eccleſiaſtico debent cenſuris coerceri, et utpote immunitatis eccleſiaſticæ notorii læſores ab eodem extrajudicialiter, vel judicialiter in cenſuras juris declarari, vel denuntiari poterunt, ad formam, de qua Monacell. p. 3. tt. 1. form. 11. et ſeqq.

IX.

IX. Neque præfati officiales excusabuntur, eo quod, non ex proprio Marte, sed ex præcepto expresso judicis regii excesserint. Nam juxta doctrinam Gabr. Per. de man. reg. c. 7. n. 44. ibi: *Non erit sufficiens excusatio, si minister dicat, se commisisse excessum mandato sui superioris, quia oportebit, ut justum alias mandatum exequatur, non contra libertatem ecclesiæ in casibus, in quibus judex sæcularis cognoscere non potest; quia hæc ignorantia, cum juris sit, non excusat nec judicem, nec executorem, qui obedire non tenetur, nisi justa præcipienti: et licet mitius agendum sit cum ministro, qui imperanti obtemperat, cum ejus non sit cognoscere juste, vel an injuste, superior judicet, aut præcipiat; tamen non omnino excusatur à facto, quia hæc excusatio proderit, ut relevetur à pœna, non tamen evincit, ne conveniri possit.*

X. Notandum, 3. Quod non omnes subtractiones, et occupationes prædictarum temporalitatum simul, et veluti unica executione absque intervallo prosequuntur: sed discontinuo, et veluti gradualiter cum prudenti ac sufficienti dierum intervallo, ita ut prius notificentur panifici, furnarii, et reliqui officiales externi, quia sunt magis extrinseci, quam famuli domestici, à paritate executionis ord. reg. l. 3. tt. 86. § 7. et 12. Deinde conductores, et prædiorum cultores: postea famuli domestici laici, si extra domum prælati, aut judicis ecclesiastici reperiantur, tum ex dictis superius, n. 3. tum à paritate dispositionis ord. reg. d. tt. 86. § 12. Postmodum vero familiares, et postremo sequestrantur reditus illi, qui sequestro laico subjici possunt, de quo infr. n. 12. et omnia gradualiter, ac competenti intervallo intercedente, ut deducitur ex c. 2. de offic. jud. deleg. in 6. et à paritate aggravationis, ac reaggravationis censurarum contumacialium; de qua Monacell. p. 3. tt. 1. form. 12. 15. et 16.

In regio autem decreto 21 Jun. 1617. apud Osor. cit. et infra transcripto, 1. Disponitur sequestratio, aut impeditio redituum, et mobilium extra domum consistentium. 2. Impeditio, aut occupatio equitum, mularum, et similium subjicibilium, in quibus actu ecclesiastici non sedeant, aut equitent. 3. Notificare servos sæculares extra domum, ne actu serviant, &c.

XI. Notandum, 4. Quod si fructus, aut reditus prælato ecclesiastico adscripti sit tantummodo congiarium subsidium, vel portio, aut emolumentum, aut quid simile pro congrua sustentatione destinatum, ut in hac diœcesi Goana, et in reliquis harum ultramarinarum conquistarum Lusitanæ ditionis, tam in Asia, quam in America, et Africa consistentibus, tunc nequeunt subjici sequestro, eo quod sint alimenta, et talia reputentur, pro congrua, ac decenti prælatorum sustentatione taxata: Surdus de aliment. tt. 8. privileg. 80. n. 4. ex tex. in l. fin. § *Quod si ei*, cod. de ord. cognit. ub. Salic. n. 4. Bartol. tr. de aliment. Padill. n. 83. Lancelot. de attent. p. 2. c. 4. decl. 4. n. 23.

XII. Imo etiam prælatis reditus, et fructus reales habentibus, nequeunt omnes sequestro supponi, quin pro congrua, ac decenti sustentatione prælati rationabilis pars reservetur, ut nuper actum est cum illustrissimo Joanne Mendozio, episcopo Ægitanensi, cui pro congrua sustentatione, sive pro alimentis, reservata est summa tercentum millium regalium pro quolibet mense. Atque etiam ipsis militaribus sæcularibus regiæ, laicæque jurisdictioni directe, ac immediate subjectis, nequeunt sequestrari, aut impediri stipendia, nisi ad summum in tertia parte, eo quod reputentur alimenta, ex expresso ordine regio, in archivo hujusce status asservato; qui quidem est ipsi juri conformis, et de mente DD. superius laudatorum, et aliorum communiter.

XIII. Notandum, 5. Quod bona mensæ prælati ecclesiastici adeo privilegiata sunt, ut, juxta aliquos, possit prælatus valide procedere extrajudicialiter, imo et judicialiter, donec recusetur adversus ea occupantes, vel impedientes, absque nota judicandi in causa propria, præsertim si principale interesse sit ecclesiæ, consecutivum autem prælati, et cum reliquis conditionibus à Card. Petr. insinuatis, tom. 1. in const. 1. Leon. IX. an. 125. cum Bald. in cit. l. 11. n. 3. cod. *Nequis in sua causa.* Salicet. n. 6. Angel. de Perus. n. 3. Felin. et communiter DD. in c. *Cum venissent*, de judic. Fagn. in cit. c. *Procurationes*, n. 28. et seqq. Oldrad. cons. 156. Boër. dec. 136. Capyc. dec. 37. Deluc. de judic. disc. 3. n. 56. et de jurisd. disc. 47. n. 11. et in miscellan. disc. 1. n. 109. Calderin. cons. 6. Lap. cons. 37. et alii cum D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 1. ad 4. Ricciol. de jur. personar. c. 61.

Et confirmari potest ex can. 17. bullæ Cœn. ibi: *Quive jurisdictiones, seu fructus, reditus, et proventus ad nos, et Sedem Apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia, sequestrant.*

XIV. Notandum, 6. Quod si fructus sequestrandi prælato, vel judici ecclesiastico, sint fructus beneficii, vel ecclesiastici vere, videtur, quod sequestrari nequeunt à judice sæculari, ex dispositione regiæ ord. l. 2. tt. 7. exceptuatis ab executione à judice laico facienda, etiam in causis illis, in quibus clerici tenentur, coram illo, ut rei, vel ut actores respondere; fructus, seu bona, quæ vere ecclesiæ sint, his verbis: *Com tanto, que os bens naõ sejaõ verdadeiramente da igreja:* similis exceptio reperitur, l. 3. tt. 93. *quoad bona capellarum auctoritate Papæ, vel prælatorum ecclesiasticorum fundatarum, aut institutarum, eò quod sint jurisdictionis ecclesiæ.*

XV. Quod equidem ulterius ratione comprobatur, quia talia bona, utpote ecclesiastica, spiritualia quidem sunt, et non temporalia; atque adeo executio processus temporalis, seu procedimenti ad temporalitates occupandas, sive subtrahendas à judice laico, nequeat ad illas extendi, eo quod non sint *temporalitates*, seu bona temporalia, sed spiritualia, et citra illa omnino debet consistere illius processus executio (licet ad illa etiam extendi videatur expressio regiæ epistolæ, de qua infr. n. 22.).

XVI. Quæ quidem exceptio ex doctrina Peg. ad ordin. amplianda etiam videtur ad bona patrimonialia clerici, sive judicis ecclesiastici, ut clerici: *Nam cum bona patrimonialia* (inquit Peg. cit. lib. 2. tt. 7. gl. 2. n. 14.) *sint ecclesiastica, et potiantur eisdem privilegiis, ac ecclesiasticæ, in illis non potest fieri executio, ord. lib. 2. tit. 7. et lib. 3. tit. 93. Quare judicatum fuit in dicta causa, me patrocinante, quod in dictis bonis non fieret executio. Et ita fuit executum, quamvis judex contrarium judicâsset.*

XVII. Et sub n. 17. sic prosequitur: *Et si petatur executio in fructibus beneficii, facienda est in requisitionem judicis ecclesiastici, Castr. dict. cap. 51. in fine. Et vide Barb. et alios ad rubric. et etiam Souf. de foro eccles. 2. p. q. 24. n. 61.* Præsertim si fructus adhuc existant in horreo, sive in cellario, et non sint extracti, ac soluti, juxta arestum sententiæ in judicio coronæ latæ ibidem, n. 22. de qua idem Peg. n. sequenti 23. ita ait:

XVIII. *Et merito ita judicatum fuit in secunda parte aresti; quia tales fructus soluti jam, et collecti, non sunt quid spirituale, sed temporale; et potest de illis judex sæcularis cognoscere, et procedere contra conductorem, aut illorum cessionarium, aut donatarium; quia licet jus proprium decimarum non possit pertinere ad laicos, tamen potest jus ad fructus tribuere, donatione, locatione, vel venditione, et in pretium licite potest fieri executio, etiam ante partitiones, Less. de just. et jur. lib. 2. cap. 39. dub. 4. et 5. Leandro ad 5. præcept. eccles. tract. 6. disp. 2. quæst. 53. Trullench. lib. 3. in decalog. cap. 3. dub. 8. n. 10. Fagund. lib. 3. de quinto præcepto eccles. cap. 5. n. 12. Bonacin. in eodem præcepto, quæst. 5. punct. 6. n. 2. Azeved. lib. 1. nov. recop. tit. 5. l. 1. n. 1. de qua re vide Tondut. de præv. judic. p. 2. cap. 25. n. 10. Atque ita potest in illis facere executionem per se, licet aliqui dicant fieri debere per requisitoriam ad judicem ecclesiasticum missam, tenent aliqui ex citatis ad rubric. et Cevall. com. tom. 4. quæst. 1. n. 691. et 613. Mart. de jurisd. 2. p. cap. 2. n. 27. et 4. p. cent. 2. cas. 104. n. 9. et cas. 121. alias 124. n. fin. Dian. tract. 2. resol. 21. vers. Sed hæc, Ambrosin. de immunit. eccles. cap. 20. n. 52. Duard. in bulla Cœnæ,*

lib. 2. can. 15. quæſt. 11. n. 36. Bonacin. de legibus, diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. § 1. n. 26. Bellet. in diſq. cleric. p. 1. tit. 3. n. 27. Genuenſ. in praxi curiæ archiep. Neapol. cap. 12. Vivius, dec. 49. alias 46. n. 6. idem Mart. de jur. p. 1. cap. 50. n. 34. Barb. citatus *in rubr. quia convincuntur ex dictis, et à reſolutione DD. ibidem citatorum, et ex noſtri textus diſpoſitione, et Fermoſin. ibi allegato.*

Neque obſtat, 1. Auctoritas *notæ*, de qua Peg. ibid. n. 18. tum quia non eſt irrefragabilis; tum quia opponitur expreſſo juri ſuperius citato; tum quia poſito, quod detur probabilis opinio in contrarium, in favorem eccleſiæ, et ejus immunitatis, hæc oppoſitæ præferenda eſt; et in praxi tenenda, juxta ſæpius repetita ſuperius, c. 18. n. 36.

XIX. Neque obſtat, 2. Diſpoſitio ordinat. l. 2. tt. 13. et 15. in præjacta nota citata; quippe quæ in caſu, toto cœlo diverſo, procedit, videlicet adverſus illos, qui jure naturalitatis regni privati ſunt, et ab illo ejecti, ut ex eiſdem patebit.

XX. Notandum, 7. Quod illa exceptio in formulario procedimenti temporalis infra, n. 22. ibi: *E outro ſi embargar as cavalgaduras, em que autualmente naõ forum a cavallo:* id eſt, *Item impedire equos, vel mulas, quibus actu non inſideant, aut equitent:* quamvis diverſa, et ex diverſo motivo nobilitatis, affinis tamen eſt diſpoſitioni regiæ ordinat. l. 3. tt. 86. § 23. quatenus jubet, *quod pignoratio nobilibus, equitibus, et ſenatoribus non fiat in equis, armis, codicibus, veſtibus corporum ſuorum* . . . . in attentionem utenſilium cuilibet neceſſariorum ad proprium ſervitium, ac uſum, juxta perſonarum ſuarum qualitatem, etiamſi alia bona non habeant, &c. Ex quo infertur, eandem reſolutionem tenendam, ſi prælatus, vel judex eccleſiaſticus, equo, aut mula non utatur, ſed lectica, vel ſella geſtatoria, aut ferculo, ſive palanga, vulgo *Palanquim*, ut in hoc ſtatu, ex identitate rationis, ac neceſſitatis. Unde etiamſi actu non inſideat in proprio equo, aut mula, dummodo ſit proprius, in quo epiſcopus, aut judex equitare ſolet, videtur favorabiliter ampliari poſſe exceptionem ex motivo nobilitatis, et ex mente ordin. cit.

XXI. Notandum, 8. Quod quamvis equus, aut mula, in qua judex eccleſiaſticus inſideret, aut ferculum, vel quodlibet aliud ſubjicibile, in quo aſportaretur, non proprium foret, ſed alienum, dum tamen actu inſideret, aut veheretur, non poſſet capi, aut illi ſubtrahi ab officialibus laicis; et ſi hoc attentarent facere, ſaltem manum equo, vel mulæ, aut bajulis, ſive palangariis violenter injicientes, inciderent proculdubio in cenſuram can. *Siquis, ſuadente diabolo*, juxta communem, et expreſſam doctrinam theologorum, ſignanter Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 5. cum quo Buſemb. l. 7. c. 2. dub. 4. a. 4. n. 1. ibi: *Qui manus violentas injicit in equum, cui clericus inſidet, occidendo, vulnerando, cædendo, vel ſiſtendo per frænum, quæ actio, licet ſit levis, reſpectu corporis, non tamen reſpectu honoris.* Et poſſunt ab eodem judice extrajudicialiter declarari, vel ſtatim in defenſionem, et vim vi repellendo, vel poſtea in ſatisfactionem juſtitiæ, et injuriæ honori clericali graviter illatæ, juxta tradita alleg. 71. et hac de cauſa cavetur in formulario, infr. n. 22. ne occupentur quadrupedia, in quibus judex eccleſiaſticus actu equitet, aut ſedeat.

XXII. Formalitas autem illius regii diplomatis 21 Junii, anni 1617. continentis formam procedimenti temporalis apud Oſor. cit. n. 15. extenſi, hæc ſummatim continet: *E conſiderando eu as muitas vezes, que poderà ſucceder errarem os miniſtros da juſtiça na occupaçaõ das temporalidades: doque tudo ſe ſequem inconvenientes contra a boa adminiſtraçaõ da juſtiça, e reſpeito, com que os miniſtros eccleziaſticos devem ſer tratados: hei por bem de reduzir a eſcrito a pratica, e coſtume immemorial acerca das ditas temporalidades, o qual he, que naõ obedecendo os prelados, e juizes eccleziaſticos aos aſſentos do dezembargo do paço, e dando ordem, que ſe proceda na forma do eſtillo: poderaõ proceder, mandando aos ditos prelados, e juizes ſequeſtrar, e embargar as ſuas rendas patrimoniaes, ou eccleziaſticas, eos moveis, que ſe acharem fora de ſuas cazas: e outro ſi, embargar as cavalgaduras, emque autualmente naõ forem a cavallo, e notificar aos creados ſeculares, que o naõ ſirvaõ, e que continuando o ſerviço ſeraõ prezos. Eſtas temporalidades poderaõ aplicar todas juntas, ou cada huma de per ſi, como parecer de major conveniencia,* &c.

Vid. extravag. in nov. edit. ord. l. 1. ad tit. 9. § 12. collect. 2. n. 2, 3. et 4.

Id eſt: *Conſiderans, quod miniſtri laici ſæpe errare poterunt in temporalitatibus occupandis, ex quo inconvenientia contra bonam juſtitiæ adminiſtrationem, et contra debitam miniſtris eccleſiaſticis reverentiam; placet mihi, ad ſcripturam reducere praxim, et conſuetudinem immemorialem prædicti procedimenti temporalis, videlicet, quod non annuentibus prælatis, et judicibus eccleſiaſticis palatini ſenatus decretis, poſſint procedere ad ſequeſtrum, vel impedimentum eorum redituum patrimonialium, aut eccleſiaſticorum, et mobilium extra domos reperterum: item impedire, vel detinere equos, vel mulas, quibus actu non equitent, aut inſideant, et ſervos laicos notificare, ne eiſdem inſerviant, ſub diſtrictionis pœna. Hæ autem temporalitates applicari poſſunt, vel ſimultanee, vel ſingillatim, ut convenientius viſum fuerit,* &c. Adverſus tamen prælatos, et collectorem Summi Pontificis, cavet ne ulterius ad exterminium, aut è regno ejectionem procedatur, ipſo rege inconſulto.

XXIII. Ubi, 1. Adnotandum eſt illud, *ſæpe miniſtros laicos errare poſſe*, et illud *contra debitam miniſtris eccleſiaſticis reverentiam*, &c. Ex quibus concluditur adverſus regios judices, qui hac tempeſtate erronee hoc procedimentum temporale ampliare ſatagunt, cum ſtricti, et ſtrictiſſimi juris ſit, minime huic debitæ reverentiæ deferentes, imo cum notoria et præcipiti, atque ſcandaloſa irreverentia procedentes, ab ipſamet regia majeſtate deteſtata, atque redarguta in regiis epiſtolis, alleg. 11. et alleg. 14.

XXIV. Adnotandum, 2. Quod quamvis hic decernatur ſequeſtratio, aut impeditio redituum patrimonialium, etiam eccleſiaſticorum, contra reſoluta ſuperius, n. 14. et ſeqq. attamen ibi reſoluta ſuſtinenda ſunt; hæc namque regiæ epiſtolæ diſpoſitio accipienda eſt benigne de illis reditibus patrimonialibus eccleſiaſticis, qui quamvis *natura* eccleſiaſtici fuiſſent, actu tamen jam eccleſiaſtici non ſunt, ſed ſæculares, et prout tales, executioni ſæculari ſubjicibiles reputantur, juxta doctrinam, et notam diſtinctionem Tondut. de prævent. p. 2. c. 25. et Peg. ad ord. l. 2. tt. 2. gl. 2. n. 22. et 23. in auctorit. ſuperius extenſa, n. 18. Alias, ſi de bonis patrimonialibus actu eccleſiaſticis loqueretur regia diſpoſitio, ſubjiceretur ſane can. 17. bullæ Cœnæ ſupra relato ſub n. 13.

Confirmatur, 1. Hæc intelligentia ex ipſamet regia epiſtola, aut diplomate, expreſſe jubente *notificari ſervos ſæculares*, non vero eccleſiaſticos; et detineri equos, mulas, et ſimilia ſubjicibilia, *quibus actu eccleſiaſtici non inſideant, aut equitent:* ergo, à paritate, illa præmiſſa diſpoſitio etiam accipienda eſt ex mente regii diplomatis de bonis patrimonialibus, non *actu*, ſed *habitu* tantum, aut natura, ratione primi ſtatus, non præſentis, eccleſiaſticis.

Confirmatur, 2. A paritate occupationis mobilium extra, non intra domos eorum actu, et ſub actuali domicilio exiſtentium.

Præterea, cum hæc regia diſpoſitio ordinata fuit tempore, quo regnum Luſitanum regibus Caſtellæ ſubjiciebatur, tunc autem hujus regni totale gubernium politicum per certos regios miniſtros, ac moderatores agebatur, nil mirum, quod ex antiquo conatu, temporalis procedimenti formulario ſtatuendo aliqualiter ultra mentem, ac diſpoſitionem regiarum ordinationum, earum reſtrictos limites tranſiliendo, et ampliare nitentes excurrerent, prout et hodie de facto ipſius proceſſus fimbrias contra præſcriptum legum dilatare ſatagunt, de quo ſupra c. 22. et 23.

XXV. Hic cohærenter ſubnectere congruit ſententiam, in judicio regiæ coronæ Ulixbonenſi prolatam, in reviſione regiæ majeſtatis decreto, habita ſuper exceſſivo ad temporalitates multiplici procedimento judicii coronæ Portucalenſis adverſus Franciſcum Pereiram Limanum, abbatem S. Mariæ *de Pinu*, archiepiſcopatus Bracharenſis, vicarium foraneum abſolutum oppidi *Turris Moncorvi*, ubi damnatur, atque acriter objurgatur notabilis, atque multiplex exceſſus de facto exorbitans, qui ibidem palam *abominabilis, inſolens*, et *multipliciter deordinatus*, judicum ſæcularium

rium capacitatem enormiter excedens; jurisdictionis destitutus, omnino contra formam judicii extraordinarii, quale est judicium coronæ, quo non per viam jurisdictionis, sed protectionis cognoscitur; et citra damnationem expensarum, et pro damnis emergentibus, &c. Tenor autem sententiæ est qui sequitur:

Copia do Accordaô, que no juizo da coroa da caza da supplicaçaô se proferio nos autos de revista por decreto de S. Magestade sobre os excessos de temporalidades, comque o juizo da coroa da caza do Porto tinha mandado proceder em varias partes contra Francisco Pereira Lima, abbade de S. Maria de Pinheiro do arcebispado de Braga.

ACcordaô em relaçaô, &c. que vistos estes autos, decreto do dito senhor, por carta escrita ao chançaler da relaçaô do Porto, porque foraô mandados remetter aeste juizo, para nelle serem examinados, e novamente sentenciados, e se mostre do mesmo decreto, que he de *estricto direito*, ser somente dado para se conhecer da injustiça, com que o juiz da coroa da relaçaô do Porto, e seus adjuntos mandaraô proceder, e se procedeo por suas ordens a temporalidades contra o padre Francisco Pereira Lima, vigario geral, que foi da Torre de Moncorvo, e naô para se conhecer da determinaçaô tomada no assento da meza do dezembargo do paço no recurso, que do dito vigario geral interpuzera Miguel Vas da Cruz; pois desta rezoluçaô nenhuma mençaô se faz no dito decreto, e se naô possa extender a ella, nem julgarse, que outra fosse a real intençaô do mesmo senhor, e assim nesta parte naô tenha lugar o que por parte do dito Francisco Pereira de Lima se pertende na primeira parte das suas razoens, e fique evidente serem somente os autos do procedimento, que houve nas temporalidades, e que se mandaô, e devem examinar, e julgar; e se mostre, e faça evidente nelles a notavel, e multiplicada desordem, procedimento de facto, estranho, e falta de jurisdicçaô, que houve, assim noque se mandou, e julgou no dito juizo da coroa da relaçaô do Porto, como na execuçao, que se cometeo ao provedor da comarca da Torre de Moncorvo; pois naô somente se naô declarou no dito juizo a forma, e modo, com que se devia proceder, e guardar o que se observa na pratica tirada da ley, que hà nesta materia, que se naô devia ignorar pelos juizes, mas se passou a ordem com conhecido excesso doque a dita ley adverte, e por modo, que naô cabe na capacidade de juizes seculares, o que talvez deu occaziaô ao que o dito ministro executor obrou com taô abominavel excesso, qual o de se entrar na caza do dito vigario geral, e de selhe tirarem os bens, que nella tinha pelo modo insolente, com que offenderaô à sua pessoa, como tudo consta: e o que mais he, que na mesma relaçaô se julgou, que o dito vigario geral pagasse perdas, e damnos, e procedeo a mandar, que o dito Miguel Vas da Cruz recurrente jurasse naquelle juizo a importancia de seus interesses, tudo com excesso, e falta de jurisdicçaô, assim porque tal naô estava julgado no provimento, que se deu no dito recurso, confirmado pela meza do dezembargo, nem se podia julgar por naô ser este juizo ordinario, mas extraordinario, em que se naô conhece *por via de jurisdicçaô, mas de protecçaô*, em que naô cabe tal procedimento, e condemnaçaô contra o juiz ecclezistico, de quem se recorre, e muito menos depoisque elle deixou de servir o dito cargo de vigario geral, fazendose assim mais abominavel o termo de compoziçaô, que se admittio perante juiz secular, e sem jurisdicçaô, e capacidade para fazer o que se obrou no desembolço, que o dito padre Francisco Pereira Lima fez na sua prezença dos trezentos mil reis, que logo, por remir sua vexaçaô, entregara ao dito Miguel da Cruz, como tudo consta do termo folhas duzentas, e sincoenta e quatro, vers. *Couza inaudita, eja mais vista em cazo de recurso a coroa* do dito senhor; sendo que assaz se achava dado cumprimento ao assento, que nelle se tomara; e muito mais doque o dito juiz ecclezistico era obrigado, como tambem se vè doque se acha nos mesmos autos; e como finalmente se mostre estar o dito padre Francisco Pereira Lima ja entregue dos bens, que com *taô barbaro excesso* lhe foraô tirados da caza, em que elle estava; por tanto declaraô nullos, e de nenhum vigor os mais procedimentos, que contra elle houve taô desordenados, como fica dito, e mandaô, que logo lhe sejaô restituidos os trezentos mil reis, que de facto lhe foraô extorquidos, e para as mais perdas, e damnos lhe deixaô seu direito rezervado contra quaesquer pessoas contra que possa competirlhe, por naô caber neste juizo em tal cazo o conhecimento, e decizaô desta materia, e à dever deduzir em juizo ordinario, quando entenda, que tem este dereito, que selhe deixa salvo. Lisboa Oriental vinte etres de Fevereiro de 1737. Cardeal. Castro. Giraldes. Fui prezente rego.

Alius etiam stylus reprobabilis, et ab augustissimo rege emendabilis, in eodem senatu Portucalensi, imo et in Ulixbonensi, irrepere cœpit, ut judice ecclesiastico ad ulteriora, non obstante primo recursu, procedente, secundum intentare, et retentis actibus primi, diligentia procuratoris regii, secundo in favorem recurrentis providere, et post istius sententiæ adimpletionem, tunc primo provisionem denegare, eo quod illam non merebatur: quod nuper in duplici recursu ejusdem senatus Portucalensis expertum est, in qubus cum in senatu palatino Ulixbonensi decretum ultimo foret, *chartas rogativas secundi recursus bene expeditas fuisse, et adimpleri debuisse*; postmodum traditis actibus primi recursus retentis, contrarium decretum prodiit, videlicet, *chartas male expeditas fuisse*. Quæ quidem injusta, atque fraudulenta deordinatio facillime corrigi potest, jubente regia majestate, ut in consimili casu uterque recursus simul decidatur. Vid. Osor. resol. 47. et 48. et alibi.

CAP. XLI.

Insinuantur aliquæ, quæ restant, Quæstiunculæ pro Opusculi Complemento.

SUMMARIUM.

I. *Judices regii nequeunt procedere adversus sæculares, ut eorum medio recurrentes restituantur.*
II. *Optime respondet Oliv. ad fundamenta contraria.*
III. *Neque post ultimam decisionem possunt procedere etiam adversus depositarios.*
IV. V. *Episcopus vocatus à rege, et simul à superiore ecclesiastico, per se tenetur potius obedire superiori, quam regi.*
VI. VII. *In obedientia præferri debet dignitas, quæ præcellit in excellentia, et cujus præceptum fortius tenet.*
VIII. *Debitum obedientiæ episcopi erga Summum Pontificem est ex obstrictione juramenti.*
IX. X. *Secluso jure feudi, ecclesiastici non sunt proprie vasalli principis laici.*
XI. *Late, et minus proprie, vasalli dicuntur, et in favorabilibus nomine vasallorum comprehenduntur; secus in odiosis.*
XII. *Ex rei eventu, tempore Emmanuelis regis felicissimi, resolutio comprobatur.*
XIII. *Rejicitur Osorius sibi implicatus.*
XIV. *Per accidens tamen episcopus tenebitur potius regi, quam Papæ, aut superiori alteri ecclesiastico simul vocanti, obedire.*
XV. *Videlicet ex gravioris causæ, ex gravi inconvenienti, ex præcedentia regiæ vocationis, et ex rationabili interpretatione voluntatis Papæ.*
XVI. XVII. *Episcopus feudatarius vocatus à rege ratione feudi, per se prius regi, quam Papæ, obedire tenetur; per accidens tamen tenebitur aliquando ad oppositum.*
XVIII. *Episcopus habens feudum à rege, est illius vasallus, et juramento fidelitatis ei adstringitur.*

XIX.

XIX. XX. *Quando per accidens teneatur ad oppoſitum.*
XXI. *Tranſcribitur ex Stapleton. art. 2. Henric.* II. *regis Angliæ*; *nempe*, quod non liceret archiepiſcopo exire de regno ad vocationem D. Papæ, ſine licentia regis.
XXII. *Tranſcribitur judicium P. de Marca ſuper 7 aſſertionibus Pap. Maſſoni ſuper concurrentia conſimilis vocationis.*
XXIII. *Qua ſuperioritate ſenatores aulici pro ultima recurſus deciſione cognoſcant.*
XXIV. *Judicium Gabr. Per.*
XXV. *Sibimet non conſtat, et adverſatur.*
XXVI. *Convincitur* ad hominem *ex propria doctrina, et ex regiæ ordin. diſpoſitione.*
XXVII. *Senatores ex ipſo, non ut* judices, *ſed ut* reges, *per viam facti, et non judicialiter, aut juriſdictionaliter cognoſcunt; neque imperant, ſed rogant.*
XXVIII. *Aulici ſenatores duplicem inſpectionem aſſumunt:* 1. *An judex eccleſiaſticus notoriam violentiam incuſſerit?* 2. *An judices regii recte pro ea pronuntiaverint?*
XXIX. *Senatores aulici, qua parte cognoſcunt de judicato à judicibus regiis, cum aliqua ſuperioritate reſpectu illorum cognoſcunt; ſecus vero, qua parte cognoſcunt de violentia qualificata judicis eccleſiaſtici reſpectu iſtius.*
XXX. *Senatores palatini non niſi auctoritate à rege derivata cognoſcunt, atque adeo, eadem, ac rex ipſe,* ut vir bonus, *per viam facti cognoſceret.*
XXXI. *Cognoſcunt ex concordia, et contractu, quem excedere nequeunt.*
XXXII. XXXIII. *Conſpirat Per. et alii.*
XXXIV. *Tranſcribuntur aliqua de rebus geſtis D. Thom. Cantuar.*
XXXV. *Rex procedit, ut* dominus, *jure protectionis, non vero jure juriſdictionis, reſpectu judicis eccleſiaſtici.*
XXXVI. XXXVII. XXXVIII. *Suffragatur doctrina Per.*
XXXIX. *Lata excommunicatio contra judicem regium non eſt valida, dum præciſe cognoſcit, ſed dum cognoſcendo excedit, aut lædit eccleſiaſticam immunitatem.*
XL. *Quomodo dupliciter regii ſenatores poſſunt in recurſu cognoſcere.*
XLI. *Si ultra taxatos cancellos tranſiliant, excommunicantur; non ita vero, ſi intra debitos limites contineantur.*
XLII. XLIII. *Ex Card.* Cienfuegos, *multoties clypeum naturalis defenſionis in arma offenſiva immunitatis eccleſiaſticæ convertunt.*
XLIV. XLV. *Quando notorie per exceſſum juris cenſuras effective contrahunt, poſſunt à judice eccleſiaſtico animadverti valide et licite.*
XLVI. *Turbans et offendens juriſdictionem alicujus, fit ei ſubditus, et prorogat illius juriſdictionem.*
XLVII. *Delegatus, quamvis ſuperior ordinarii in rebus ſuæ delegationis, ſi excedat, ſubjicitur ejuſdem ordinarii animadverſioni in proprio territorio.*
XLVIII. *Qui in una actione ſuperior incedit reſpectu alicujus, poteſt fieri.*
XLIX. *Judex eccleſiaſticus, licet ſuperior laico, ſi ejus juriſdictionem uſurpando offendat, fit ei ſubditus, quoad procedimentum temporale.*
L. *Sic etiam, ſi ſenatores, ut ſuperiores cognoſcerent, et in aliquo excederent, aut læderent, ſubjacerent extrajudiciali procedimento judicis eccleſiaſtici in defenſionem.*
LI. *Effective lædentes, eo ipſo cenſuras juris contraherent, et ſubjacerent juſtæ earum declarationi.*
LII. *Officialis laicus vim clerici turbatoris vi repellens, ſi excedat clericum percutiens, incidit effective in cenſuram juris, et ſubjacet punitioni, ac declarationi judicis eccleſiaſtici.*
LIII. *Suffragatur doctrina Gabr. Per.*
LIV. *Juſte capientes clericum in flagranti, et eum ignominioſe prælato remittentes, ſubjacent cenſuris, et punitioni eccleſiæ.*
LV. *Comprobatur ex D. Antonio Florentino epiſcopo.*
LVI. *Et ex trita DD. aſſertione.*
LVII. *Et ex epiſtola Henric.* II. *Angl. regis ad Alex.* III.
LVIII. *Et ex doctrina P. de Marca.*
LIX. LX. *Et ex Pignatellio, et aliis.*
LXI. LXII. *Tranſcribuntur aliqua ex D. Thom. Cantuar. pro non deferendis appellationibus, atque epiſtolis rogativis, regiiſque mandatis cum offenſa immunitatis eccleſiaſticæ.*
LXIII. *Exhortatio D. Thomæ ad eundem regem Henric.*
LXIV. *Hæc monitio infructuoſa non fuit.*
LXV. *Quod expreſſius liquet ex collatione Henric.* II. *cum Henric.* VIII. *facta ab Stapleton.*
LXVI. *Occiſio S. archipræſulis Henrico* II. *omnino involuntaria, et poſt factum doloroſiſſima ſane fuit.*
LXVII. *Reſolutio corollarii finalis, et fundamentalis.*

Alia, quæ deſiderari poſſunt ad uberiorem juriſdictionis, atque immunitatis eccleſiaſticæ notitiam; quia noſtri inſtituti non ſunt, utpote qui de recurſu præciſe ſermonem inſtituere decrevimus, conſulto miſſa facimus; neque operæ pretium eſt ad operis noſtri præcipuum ſcopum ea pertingere, atque adeo nec etiam perſtringere judicamus; præſertim cum facile ea quis in DD. magis obviis copioſius per otium evolvere poterit; videlicet in cit. *Oliv.* de for. eccleſ. *Delben.* de immunit. Deluc. eiſdem tit. Antonell. de regim. et onerib. Gaſparr. inſt. can. &c.
Et cum etiam in allegationibus inferius extenſis, lib. 3, 4. et 5. ſatis enucleantur, atque exponuntur; præter ea quæ ſuperius ſat prælibata ſunt prælud. 3. et 6. et c. 11, 12, 13. et ſeqq. unam tamen, vel alteram quæſtionem, ad hujuſce compleementum opuſculi, illique attinentes, perſequentes diſquiſitiones breviter inſinuabimus.

I. *Diſquires igitur*, 1. An judices regii ante ultimam in ſenatu palatino recurſus deciſionem, poſſint adverſus ſæculares procedere, ut eorum medio, ac opera, reſtituatur recurrens, qui ſupplicavit, et obtinuit, verbi gratia, ad percipiendos fructus beneficii, vel ſimiles à judice eccleſiaſtico ſequeſtratos?

Hanc quæſtionem excitat Oliv. 1. p. ordine 25. et n. 14. recte reſolvit negative, 1. Ex validioribus fundamentis. 2. Ex tutioritate conſcientiæ. 3. Ex favorabilioritate eccleſiaſticæ juriſdictionis. Sed potiſſima ratio, et deciſiva equidem, eſt ipſamet regiæ legis formalis diſpoſitio, l. 1. tt. 12. § 6. quæ quidem procedit, etiam in caſibus regiæ juriſdictionis uſurpatæ, ut ex ea formaliter liquet. Accedit Per. de man. reg. c. 12. à n. 1. et alibi, c. 4. n. 5.

II. Unde, n. 12. optime reſpondet Oliv. ad fundamenta contraria, quæ ſane futilia ſunt; et n. 23. ſpeciatim ad ord. lib. 1. tt. 65. § 16. et tt. 58. § 12. et in fin. d. n. 17. ſic miniſtros inferiores monet: *Caveant igitur prædicti inferiores, ne ad hoc manum mittant, ut factum aliquando audivi; nam contra eos poteſt judex eccleſiaſticus juſte procedere; ſi tamen in illo ſupremo tribunali reſolvatur, violentiam factam, et à tribunali regiæ coronæ bene proceſſum; et judex eccleſiaſticus reſolutioni acquirere noluerit; poteſt judex regius, executor prædictæ reſolutionis, hæc omnia facere, quia media temporalia ſunt, et non aliud magis aptum ad violentiam notoriam tollendam, juriſdictionemque temporalem defendendam ex jure naturalis defenſionis, ultra media illa, quibus contra eundem eccleſiaſticum uti poteſt, de quibus ſupra, quæſtione* 18. *et* 21.

III. Addo tamen, quod neque poſt ultimam deciſionem ſenatorum palatinorum, nec ſolent, nec poſſunt, judices regii procedere adverſus ſæculares, v. g. depoſitarios, vel ſequeſtri cuſtodes, ad hoc, ut reſtituant, et per eorum medium, ac manus violentiam tollant. 1. Quia alia eſt legum regiarum diſpoſitio, ex contractu, atque concordia cum clero ſtabilita, quam quidem alterare, vel immutare judices regii non valent, ex ſæpe ſæpius inſinuatis. 2. Ex ſtylo ipſo proceſſus ad temporalitates, non contra præfatos ſæculares, ſed adverſus judices eccleſiaſticos renuentes parere ultimæ palatinorum ſenatorum deciſioni. 3. Quia, quamvis formula epiſtolarum rogativarum regnorum Caſtellæ inſeratur particula *y repongan*, de qua Cevall. gl. 14. hæc non invenitur, neque inſeritur

ritur in chartis rogatoriis regnorum Portugalliæ, nisi quod in eisdem exprimitur, tum quoad judices ecclesiasticos, tum quoad justitias ipsas sæculares. Vide stabilita c. 37, 38. et seqq.

IV. *Disquires*, 2. An episcopi vocati à rege, et simul à Papa, vel alio superiore ecclesiastico, teneantur prius, vel potius, obedire Papæ, vel superiori ecclesiastico, quam regi, vel è contra? Hanc quæstionem etiam excitat, et prosequitur Oliv. cit. ordine 31. p. 1. necnon Solorz. de jur. Indiar. l. 3. c. 6. n. 58. et Cirin. nex. rer. eccles. c. 1. à n. 62. Osorius autem nuperrime, absque ullo fundamento Olivam rejicit, sibimet contrarius, et pro regia auctoritate gratis decidit resol. 61. de patron. reg. quem infr. redarguemus. Alii autem hanc quæstionem varie, et diversimode cum variis modificationibus, ac limitationibus resolvunt, de quo etiam videndus Pignatell. tom. 6. cons. 13. ex n. 31. quibus, et nos partim adhærentes, partim dissentientes, per sequentes resolutiones rem discutiemus.

V. *Dico igitur*, 1. Secundum se episcopus vocatus simul à rege, et à superiore ecclesiastico, potius huic præ illo obedire tenetur. Ita Oliv. cit. n. 22. et 32. Solorzan. cit. Cirin. cit. c. 1. n. 70. ubi rejicit Oliban. et Grassal. contrarium tenentium, cum prælatio in spiritualibus politicis polleat: et citat Pignatell. cons. 6. n. 44. tom. 3. et patet etiam à contrario sensu ex gl. in c. *Cum parati*, de appellat. et ibi Abb. n. 11. Butr. n. 6.

VI. Prob. 1. Quia illa dignitas debet præferri in obedientia, quæ præcedit in excellentia: atqui præcellentior est dignitas pontificalis, et episcopalis, imperatoria, ac regia, ex c. *Solitæ* de majorit. et obed. et ex c. *Duo sunt*, dist. Innocent. in d. c. *Solitæ*, et in c. *Cum parati*, de appellat. ergo.

VII. Prob. 2. Quia illa obedientia præferri debet, cujus præceptum fortius tenet: atqui præceptum superioris ecclesiastici in episcopum fortius tenet, quam præceptum regis; tum quia rex, sive quilibet alius princeps sæcularis, vere non est superior episcoporum, neque aliorum clericorum, sicut est Papa, vel ejus legatus, aut metropolitanus; tum quia obedientia episcopi regi debita non est juridice, aut jurisdictionaliter debita, sed politice, et urbane dumtaxat, ex traditis prælud. 3. et 4. et c. 20. et 40.

VIII. Deinde debitum obedientiæ episcopi erga Summum Pontificem, vel ejus legatum, est etiam ex obstrictione juramenti in ordinatione præstiti, ut constat ex Pontific. Rom. ergo, &c.

IX. Prob. 3. Quia episcopi, et alii clerici, non sunt subditi potestati laicæ, et sæculari, sed omnino ab ea exempti, ex traditis prælud. 6. et c. 21.

X. Deinde, secluso jure feudi, de quo statim, neque proprie sunt vasalli regis, aut imperatoris; cum *vasallus* proprie supponit dominium cum jurisdictione, quam et quod principes sæculares in clericos non habent, ut per Butr. in c. *Nimis*, de jur. jurand. DD. in c. *Cæterum*, de judic. c. *Ex transmissa*, de for. compet. Oliv. cit. q. 31. n. 6. et 7. et hinc est quod etiam ratione temporalium bonorum, quæ *feudalia* non sunt, nequeunt clerici principi sæculari præstare juramentum fidelitatis: Oliv. cit. n. 12. et 13. cum Innoc. Abb. Hostiens. Butr. in cit. c. *Nimis*, et reliqua præcitata: quibus accedunt Ruin. consil. 41. Menoch. l. 3. præsumpt. 91. n. 46.

XI. Unde solummodo late, et minus proprie, *vasalli* dicuntur, ut contendit Valasc. cons. 100. quatenus *cives*, vel *incolæ* regni sunt; vel per distractionem deducto rigore vocabuli *vasalli*, à primo statu sæculari ab ecclesiasticis personis ante clericatum obtento, quo omnes vere vasalli regis extiterunt. Quare in favorabilibus (aliter in odiosis) etiam clerici nomine vasallorum veniunt: Oliv. cit. n. 15. Valasc. d. consult. 100.

XII. Confirmatur egregie resolutio ex ipso rei eventu in nostro regno Portugalliæ, quo dum rex Emmanuel ad generalia regni comitia proceres, et reliquos convocârat, sereniss imus infans Georgius, filius regis prædecessoris Joannis II. magnus magister militiæ D. Jacobi, omnes præfatæ militiæ equites ad religionis comitia pariter vocavit: quo factum est, ut omnes fere equites præcepto ecclesiastico magni magistri, quam sæculari sereniss imi regis, ut par erat, potius parentes, et regia comitia deferentes, felicissimum regem Emmanuelem fere solitarium reliquerunt. Quare cogitare ipse cœpit, ut post obitum magistri Georgii, ex indulgentia apostolica, præfati ordinis magistratus regiæ coronæ in perpetuum adjungeretur, et ordinis militiæ Christi, et D. Benedicti Avizienss; quod sub ejus filio, piissimo rege Joanne III. per breve Julii 3. anno 1551. consummatum, et executum est, ut ex chronologicis illorum historiis constat.

XIII. Hinc rejiciendus venit ad hominem Osor. cit. qui n. 3. tenens omni ratione destitutus, quod episcopus vocatus à rege, et metropolitano, teneatur potius regi obedire, n. 4. sic statuit: *Si tamen vocaretur à rege, et à Papa eodem tempore, teneretur potius Summo Pontifici obedire, tam ratione honoris, quam jurisdictionis, ex gl. in c. Cum parat. de appellat. v. In legat.*

Rejicitur, 1. A paritate; quia si, ratione jurisdictionis, tenetur potius obedire Papæ; ergo etiam metropolitano rigorosam, et strictam jurisdictionem in illum habentem, quam rex non habet, et majorem, et honorabiliorem dignitatem, juxta prædicta. 2. Quia adhuc dato, quod rex in episcopum ullam haberet jurisdictionem politicam, jurisdictio metropolitani, utpote spiritualis, et ex vi juramenti, est fortior, et major; et obedientia episcopi ei debita, est obstrictior: ergo, &c.

XIV. *Dico*, 2. Episcopus vocatus simul à rege, et à Papa, vel superiore alio ecclesiastico, tenebitur quandoque per accidens potius regi, quam superiori ecclesiastico parere. Ita Oliv. sub n. 31. § *Quare*, cum Abb. in cit. c. *Cum parati*; cui adhæret Cirin. cit. n. 72. ubi restringit: *Si non pro libito, sed quando, et ubi de pacando tumultu in rep. eorum opera excitato ageretur . . . vel ubi regis, ac regni maxima urgeret necessitas; tunc, nulla excusationis causa accedente, parere debent*, &c.

Prob. 1. Quia, quamvis secundum se, et cæteris paribus, episcopus teneatur potius superiori ecclesiastico, quam regi parere; attamen ex aliqua gravi circumstantia, vel accidenti, tenebitur potius regi, quam Papæ obedire. 1. Quando gravior, et urgentior causa vocationis instet potius pro obedientia regi, quam Papæ exhibenda. 2. Quando rex id graviter ægre feret, et in dilatione, vel mora obedientiæ superiori ecclesiastico, nec peccatum, nec grave periculum intercederet. 3. Quando ex aliquo gravi inconvenienti ex non parendo regi resultante, prudenter interpretaretur, mentem Summi Pontificis, vel alterius ecclesiastici superioris, tunc fore, ut præferretur adimpletio regiæ obedientiæ, quam papalis, ad mentem tex. in c. *Cum teneamur*, de præbend. c. *Si quando*, de rescript.

XV. 4. Quando, cæteris paribus, vocatio regis præcessit, juxta text. in cit. c. *Cum parati*, et c. *Reprehensibilis*, 23. q. 8. et c. *Episcopus*, 17. dist. ub. gl. verb. *Regia*; ibi: *Et quilibet debet venire, si vocaretur propter regnum.* Suffragatur etiam c. *Si vobis*, 23. ead. q. 8.

5. Si episcopus sit regi feudatarius, et vocetur ratione feudi; cum modificatione tamen sequenti speciali resolutione exprimenda.

XVI. *Dico*, 3. Si episcopus feudum habet à rege, ab eoque vocatus secundum jura feudi, per se prius regi, quam Papæ vocanti, parere tenetur, præsertim si vocatio regis prævenit. Per accidens tamen quandoque tenebitur ad oppositum. Ita DD. infr. citati. Videatur tamen Pignatel. tom. 6. cons. 13. n. infra transcriptus.

XVII. Prob. 1. pars, 1. Ex dispositione tex. in c. *Cum parati*, de appellat. ub. gl. verb. *In legatione*, et ibi Abb. in 6. et in c. *Si episcopus*, 18. dist. ubi regium mandatum, seu legatio præcessisse dicitur, quamvis Innoc. ibid. asserat regi prius parendum, etiamsi mandatum ejus non præcedat; quod quidem intelligendum est ex tacita, et interpretativa voluntate prælati ecclesiastici: è contra vero Marth. de jurisd. p. 4. cas. 18. à n. 10. constanter asseverat, prius semper prælato ecclesiastico, quam regi, etiamsi hujusce mandatum prævenerit, obediendum.

XVIII. Prob. 2. Ratione: Quia episcopus, feudum habens à rege, proprie istius vasallus est, et coram

eo, ratione feudi, convenitur; et juramento fidelitatis eidem obſtringitur, et ſubjicitur ex permiſſione juris canonici, c. *Ex tranſmiſſa*, de for. compet. c. *Cæterum*, de judic. c. 1. § *Verum*, de ſtat. regular. in 6.

XIX. Prob. 2. pars: Quia quamvis per ſe, ratione juramenti fidelitatis, epiſcopus vocatus à rege ob jura feudalia, potius huic, quam eccleſiaſtico prælato parere teneatur; attamen aliqua intercedente graviori circumſtantia, et cum graviori periculo ſpirituali in mora, prius prælato eccleſiaſtico vocanti parere tenebitur, etiamſi vocatio regis præceſſerit; præſertim ſi epiſcopus à ſuperiore vocetur cum clauſula expreſſa, *Non obſtante vocatione regia*. Ita Innocent. in d. c. *Cum parati*; quem ſequitur Butr. n. 6. Hoſtienſ. et alii, quos citant Marth. d. caſ. 18. à n. 10. Oliv. cit. n. 28. in fin.

XX. Prob. 1. Quia potius ſpiritui, quam carni obedire tenemur; et clerici eccleſiaſtico prælato, non principi ſæculari, in ſpiritualibus ſubditi ſunt. Prob. 2. Omnibus fundamentis, ac rationibus ſuperius extenſis, n. 8. Vide de hac re Card. Deluc. de feud. Antonell. de onerib. cleric. lib. 1. p. 2. c. 14. Oliv. cit. q. 31. Cirin. nex. c. 1. n. 69.

XXI. Pro ampliori, et utiliori notitia ſubjungam hic judicium Thomæ Stapletoni, qui ſuper art. 2. regis Henrici II. videlicet, *Quod non liceret archiepiſcopo, et epiſcopo, exire de regno, et venire ad vocationem D. Papæ, ſine licentia regis*; *in libello*, Tres Thomæ, *nuncupato, de reb. geſtis S. Thomæ Cantuar.* ita ait: *Quis non videt, quam etiam hic articulus ſchiſmaticus, et impius ſit, et antiquiſſimis eccleſiæ canonibus contrarius, quibus cavetur, ut epiſcopi frequentius Romanam fidem adeant, impedientes vero anathemate feriantur? Scilicet, ſi vel concilium generale celebrandum, vel alicujus in Anglia epiſcopi opera uti volet eccleſia, vel aliquis Angliæ epiſcopus, aut à ſuo primate, aut à confratribus ſuis, injuria aliqua pulſetur, non licebit ei ad Sedem Apoſtolicam, omnium eccleſiarum matrem, aditum habere, niſi id placeat regi. Et quid hoc aliud rurſum eſt, niſi, ut rex Angliæ ſit apud ſuos Papa? Quid aliud hic Henricus* VIII. *completa jam malitia, aperte ſibi uſurpavit, ut ſupremum eccleſiæ caput in Angliæ eſſet?* &c. Vide etiam quæ infra tranſcribuntur, n. 34.

XXII. Subjungam inſuper judicium P. de Marca, lib. 4. c. 12. de concord. ſacerdot. et imper. § 7. ſuper ſeptem aſſertionibus Papirii Maſſoni pro renitentia epiſcoporum Galliæ, ſimul ab imperatore Ludovico, et à Gregorio IV. vocatorum, quas, ut minus veras, de Marca ibidem ſic refutat:

1. *Epiſcopum Romanum vocandum Papam fratrem, non autem patrem, neque Pontificem.*

Hoc epiſcopi Gallicani (ait de Marca) non decreverunt, quod eo tantum nomine Gregorius reprehendit, quod ſe nunc *fratrem*, nunc *Papam* appellâſſent, cum reverentius fuiſſet Papæ, vel patris nomen.

2. *Imperialem poteſtatem plus poſſe in adminiſtranda eccleſia, quam Pontificiam.*

Hoc eſt omnino alienum (proſequitur de Marca) à pietate, et à verbis epiſcoporum, qui ex eo tantum capite ſe apud Pontificem excuſant, ſi advenienti non occurrerunt, quod juſſione imperatoris prius evocati fuiſſent.

2. *Cæſarem non debonеſtandum præſumptuoſa excommunione.*

Verum eſt id aſſeruiſſe epiſcopos ob eam rationem, quam ſuperius explicui.

4. *Poſſe unum aliquem Pontificem abjici ſine injuria Sedis Apoſtolicæ.*

Hac de re ne verbum quidem. Id tantum aiunt, *Summum Pontificem aliquando reprehendi poſſe*, abſque injuria Sedis Apoſtolicæ.

5. *Epiſcopos in cauſa fidei jusjurandum præſtare ſolitos imperatori.*

Hic plane hallucinatus eſt. De fide data, ſeu de juramento fidelitatis agitur, quod præſtabant imperatoribus epiſcopi.

6. *Agobardum primatem Aquitaniæ nullam deinceps habiturum poteſtatem in excommunicando, nullamque juriſdictionem in cæteras parochias, ſi obediret potius Pontifici, quam Cæſari.*

Non agitur de Agobardo, ſed de Summo Pontifice, ex ſenſu, quo ſuperius retuli.

7. *Privandum epiſcopum conſortio, et honore, qui prius Pontifici, quam eccleſiæ Gallicanæ concilio obediret.*

Non eſt ea mens epiſcoporum. Id tantum contendunt, epiſcopos, qui injuſte, et incompetenter, latæ excommunicationi conſenſerint, periculum gradus ſui ſubdituros. Hactenus P. de Marca loc. cit.

Subjungam inſuper doctrinam Pignatell. tom. 6. conſ. 13. n. 31. ubi de vocatione epiſcoporum ſic ait: *Quinto, Opponunt, quod poſſint vocari epiſcopi, ac eorum vicarii, ad audiendum verbum regium, maxime autem feudatarii.*

Reſpondeo: *Vocatio ſimpliciter eſt prohibita, eamque ſemper Sedes Apoſtolica impugnavit, tanquam caſum comprehenſum in bulla Cœnæ Domini; qui eccleſiaſtici trahuntur ad forum ſæcularem, qui in eccleſiaſticos nullam habet juriſdictionem.* Eſtque textus in can. *Siquis epiſcopus*, 23. *quæſt.* 8. *can. Si vobis ead. præſertim, quia concipitur verbis præceptivis. In feudatariis vero ſemper requiritur licentia præcedens Summi Pontificis, ut per Turrecrem. in can. Quo auſu*, 23. *quæſt.* 8. *vel ſaltem non permittitur, quando adeſt vocatio Papæ, idque illi opponunt, ac proteſtantur, gloſſa communiter recepta in c. Cum parati, de appell. ubi Innoc. n.* 1. *et* 2. *Oſtien. n.* 3. *præſertim in regno Neapolitano, in quo Papa eſt dominus directus proprietarius*; *de qua re vide etiam t.* 1. Hæc Pignatell.

XXIII. *Diſquires*, 3. An, et qua ſuperioritate ſenatores aulici pro ultima recurſus deciſione, de eo, ac de juſtitia judicis eccleſiaſtici, necnon de judicato à judicibus regiis cognoſcant?

XXIV. Gabr. Per. de man. reg. c. 12. n. 11. aſſerens, quod poſt ultimam ſenatus palatini ſententiam non poſſit judex eccleſiaſticus, nec executores ſæculares, dum exequuntur, nec ipſos palatinos ſenatores excommunicare, ſub prætextu uſurpatæ juriſdictionis, can. 15. et 16. bullæ Cœnæ, hanc notabilem rationem adducit: *Implicat enim* (inquit) *contradictionem, ut ſenatores palatii ſuperiores ſint ad vim tollendam, et quod impedire valeant, vel excommunicari, ſi eam tollant . . . . unde lata excommunicatio contra judicem regium, dum cognoſcit, nullo modo valida eſt, nec obſervanda, ex defectu cauſæ, et tanquam lata in ſuperiorem in caſu violentiæ, quem inferior impedire non poteſt; ſicque dicendum eſt, quando lata eſt in ſenatores palatii, qui loco primi judicis ſubrogantur, per modum reviſionis, licet etiam eo caſu viderem eos abſtinere, donec ad judicem regium querela à procuratore Cæſaris interponitur ab abuſu, et cenſura declaratur nulla, quod non videbatur neceſſarium.* Hæc Per.

XXV. Ex quibus clare deprehenſis, hunc doctorem, ſibi non conſtantem, imo expreſſe adverſantem, c. 4. n. 1. et 8. et c. 7. n. 22. et c. 12. n. 4. et 24. et 44. et in notis ad art. 5. et 40. concord. 1. Dionyſianæ, et alibi, autumare, atque agnoſcere in ſenatoribus aulicis, dum cognoſcunt, atque examinant totam cauſam recurſus pro ultima deciſione, aliqualem ſuperioritatem reſpectu judicis eccleſiaſtici, quam tamen minime agnoverat, imo conſtanter, et omnino negârat in regiis judicibus, quinimo et in rege ipſo pro violentia judicanda, atque tollenda.

XXVI. Prob. manifeſte, et efficaciter, contradictio *ad hominem*: Quia tam regii judices in hoc coronæ judicio extrajudicialiter judicantes, quam ſenatores palatini in aulico ſenatu pro ultima deciſione, etiam extrajudicialiter de recurſu cognoſcentes, id efficiunt, ac proſequuntur eadem auctoritate, ac poteſtate ab eodem rege derivata, ut recte deducitur ex doctrina ipſius cit. Per. prælud. 1. et 3. necnon c. 1. 4. 6, 7. 10, 11. et 12. Atqui rex ipſe per viam recurſus non cognoſcit, neque procedit, *ut judex*, vel *ut ſuperior*, ſed præciſe ut *vir bonus*, vel ut *vir potens*, de *bono* et *æquo*, non juriſdictionaliter, vel ſuperioritaliter, ſed tantum *per viam facti*, ut tenet ipſe Per. præcitatis locis, ſignanter c. 4. 11. et 12. n. 4. et ut reſolvit regia ordinatio, lib. 2. tt. 3. ibi: *Et hoc non per viam juriſdictionis, ac judicii:* et tt. 4. ibid. *Nos, non tanquam judex, ſed tanquam rex, et dominus:* ergo, ſi neque judices regii, neque rex ipſe cognoſcit, nec procedit per viam recurſus cum aliqua juriſdictione, aut

aut superioritate; ita neque regi senatores aulici, cum eadem omnino potestate, ac facultate à rege derivata, cognoscentes, atque judicantes.

XXVII. Confirmatur, 1. A paritate regii judicis coronæ, et cæterorum conjudicum, de quibus expresse asseverat præfatus Per. locis cit. quod non ut *judices*, sed ut *reges* cognoscunt per *viam facti*, non *judicialiter*, aut *jurisdictionaliter*, vel *superioritaliter*: ergo si regii judices, absque ulla jurisdictione, ac superioritate cognoscunt, ita etiam regii senatores; si enim cognoscent ut superiores, seu cum superioritate, cognoscerent utique, ac judicarent cum jurisdictione.

Confirmatur, 2. Ex doctrina Oliv. cit. c. 12. n. 4. Si enim judices regii, *non judicant*, *neque imperant*, sed rogant, ac deprecantur, licet auctoritate regia cognoscant; ita pariformiter regii senatores eadem auctoritate cognoscentes, ac finaliter decidentes.

XXVIII. Hinc clare elicitur vera resolutio bipartita; pro qua tamen præsupponendum est, regios senatores, seu aulicos judices, duplicem inspectionem pro ultima recursus decisione sibi assumere. Prima est, An judex ecclesiasticus reipsa notoriam violentiam incusserit, quæ ex actis ipsis, atque ex documentis, notorie appareat? Secunda est, An judices regii recte judicaverint, judicem ecclesiasticum reipsa notoriam violentiam commisisse, atque pro ea tollenda recte rogativas chartas expedire fecisse?

XXIX. Sit igitur *vera resolutio*: Senatores aulici qua parte cognoscunt de sententia, ac processu, atque de omni alio extrajudicialiter judicato à judicibus regiis in recursibus ab ecclesiastico judice interpositis, licet respective ad judices ipsos cum aliqua superioritate cognoscant, ac decernant: qua parte tamen cognoscunt de judicis ecclesiastici violentia qualificata, id est, notoria, vel dubia, vel probabili, vel nulla, aut simplici; nulla prorsus superioritate respectu ipsius judicis ecclesiastici, et justitiæ ejusdem, cognoscunt, aut decernunt; imo neque cognoscere, aut decidere possunt. Hæc resolutio, sic expositа, est de mente omnium fere DD. imo et ipsius Pereira refragantis.

XXX. Prob. 1. Resolutio fundamento, ac ratione jam superius expositа; videlicet, quia senatores ipsi, non nisi auctoritate à rege derivata, cognoscunt, ac decernunt. Rex autem ipse, si personaliter cognosceret per viam recursus, non ut judex, aut superior judicaret, sed ut *vir bonus*, seu ut *vir potens*, et minime *per viam jurisdictionis*, ac *judicii*, sed *per viam facti*, ac *tuitionis*, seu *protectionis* notorie oppressoforum. Ergo.

XXXI. Prob. 2. efficaciter: Quia rex, et regii senatores, in recursibus ab ecclesiastico judice intentatis, cognoscunt ex concordia, et contractu à rege cum clero inito, et à Sede Apostolica approbato, quem quidem excedere, aut immutare non possunt, ex doctrina Per. cit. c. 12. n. 8. et cognoscunt etiam ex consuetudine regni ab eadem S. Sede approbata. Atqui Sedes Apostolica neque concordias illas, neque regni consuetudines approbavit, nisi *dummodo sint canonicæ, et rationabiles, nec contra ecclesiasticam libertatem*, ut expresse patet ex art. 40. 1. concordiæ Dionysianæ; imo nec clerus ipse Lusitanus consensit in concordia illa, nisi cum expressis præjactis limitationibus, ut patet ex immediata clausula, ac conclusione ibidem: *Et si aliquid fuit ordinatum de consensu prælatorum pro bono, et pacifico statu regni, et consuetudine roboratum, dummodo sit canonicum, et rationabile, nec contra ecclesiasticam libertatem, consentiunt prælati, quod servetur.* Ergo tam consensus cleri, quam approbatio Pontificis, fuit cum illa expressa restrictione, quod concordiæ et consuetudines juri canonico conformes fuissent, et rationabiles, et minime libertati ecclesiasticæ adversantes, ut innuit particula illa negativa *Nec.*

XXXII. Atqui, secundum doctrinam cit. Per. c. 4. n. 1. *Rex, seu princeps sæcularis in his violentiis ex permissione juris canonici, non admittitur, nisi tanquam vir bonus, violentias prohibeat, ne committantur, non autem ut cognoscat, et judicet* (idem docet Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 1. et c. 2. et prælud. 5. Cresp. p. 2. observ. 118. et alii cit. ab Oliv. 1. p. q. 15. et supr. c. 38. numer. 10.): ergo non admittitur, ut judex, neque ut superior, etiam ut cognoscat, ac judicet, sed tantum, ut præcise violentiam tollat, tanquam vir bonus, seu vir potens.

XXXIII. Deinde, si rex, aut regii senatores cognoscerent, ut superiores, cum aliqua jurisdictione, vel superioritate, respectu judicis ecclesiastici, utique hæc consuetudo, et illa concordia, ecclesiasticam libertatem læderet, subjiciens, tanquam inferiorem, judicem ecclesiasticum omnino superiorem, immunem, et exemptum, cognitioni, ac judicio principis, aut judicis laici certe inferioris, ut resolvimus prælud. 3. et c. 22. et seqq. et tenet idemmet Per. prælud. 2. n. 11. et 12. ergo.

Prob. 3. Omnibus illis fundamentis, ac rationibus superius expensis, prælud. 3. et 4. et c. 19, 20, 21, 22. et 23. necnon c. 37. et 38.

XXXIV. Confirmatur etiam ex iis, quæ supra, c. 21. et 22. notavimus, et transcripsimus de erroribus schismaticis Anglicanis, et ex his, quæ iterum hic transcribemus ex ep. D. Thom. Cantuar. ad episcop. Angl. ubi ad objectiones, tum recessus, quem inopinatum dicebant; *Si nobis recedentibus, et in discessu nostro, turbata sunt omnia, sibi imputet, qui causam dedit*; et reliqua per extensum recitata, c. 14. n. 27. tum ignobilitatis, tum ingratitudinis, atque inobedientiæ, et aliorum: quibus plene sic facit satis: *Dicitis me de exili sublimatum ab ipso (rege) in gloriam: non sum revera atavis editus regibus. Malo tamen is esse, in quo faciat sibi genus animi nobilitas, quam in quo nobilitas generis degeneret. Forte natus sum de paupere tugurio; sed cooperante divina clementia, quæ novit misericordiam facere cum servis suis, quæ elegit humilem, ut confundat fortia; in exilitate mea, antequam accederem ad regis obsequium; satis copiose, satis abundanter, satis honorifice, sicut ipsi novistis (prout abundantius inter vicinos meos, et notos cujuscunque conditionis fuerunt) conversatus sum. David de post fœtantes assumptus constitutus est, ut regeret populum Dei: cui aucta est fortitudo, et gloria, quoniam ambulavit in viis Domini. Petrus vero de arte piscatoria electus factus est ecclesiæ princeps, qui sanguine suo meruit pro nomine Christi in cœlis habere coronam, et in terris nomen, et gloriam. Utinam et nos similiter faciamus; successores enim Petri sumus, non Augusti. Novit Dominus, quo intuitu nos ipse desideraverit sublimari. Respondeat ei sua intentio: et nos respondebimus ei pro officii nostri debito; fidelius per misericordiam Dei in severitate, quam qui blandiuntur ei in mendaciis. Meliora enim sunt verbera amici, quam fraudulenta oscula inimici*, &c.

Hanc ignobilitatis notam rex ipse coram familiaribus suis, non regie etiam objecerat, conquerens, ipsos dominum suum à plebeio quodam clerico tam probrose pati illudi, ut refert Thom. Stapleton. in brev. apologet.

Prosequitur deinceps in cad. ep. idem Christi athleta, et archipræsul integerrimus: *Impingitis nobis ingratitudinis notam per quandam insinuationem. Credimus, quia nullum peccatum criminale est, quod importet infamiam, nisi processerit ex animo . . . . Præterea defendit nos ab ingratitudinis nota P. noster, et patronus, qui est ipse Christus. Jure paterno tenemur ad ejus obedientiam; qua non observata, puniemur justa exhæredationis pœna. Potest enim pater exhæredare filium, ex certa causa. Ipse enim dixit: Si non annuntiaveris impio iniquitatem suam, et moriatur in delicto suo, sanguinem ejus de manu tua requiram*, &c.

Ad objectionem denique de periculis, sic tandem respondit: *Proponitis nobis periculum ecclesiæ Romanæ; jacturam temporalium; periculum quidem nostrum, et nostrorum; nec fit mentio de periculo animarum. Intentatis nobis etiam comminatorium de recessu domini nostri regis (quod absit) à fidelitate, et devotione Romanæ ecclesiæ; absit, inquam, ut unquam domini nostri regis devotio, et fides, ob temporale commodum, vel incommodum, à fidelitate, et reverentia Romanæ discedat ecclesiæ; quicquid criminale, et damnabile esset in privato, nedum in principe, qui multos secum trahit post se. Absit etiam, quod quisquam ejus fidelis hoc unquam cogitare debeat, nedum dicere: subditus aliquis, nedum episcopus.*

XXXV. Dices, 1. Secundum regias leges præcitatas, rex per viam recursus ab ecclesiastico judice interjecti,

tetjecti, cognoſcit, ac procedit, ut *rex*, ac *dominus:* atqui implicat, quod procedat, ut *dominus*, quin procedat cum aliqua ſuperioritate, aut dominio: ergo. Reſp. diſting. maj. Ut rex, ac dominus, jure *protectionis*, concedo; jure *juriſdictionis*, ſubdiſtinguo: reſpectu judicis eccleſiaſtici, nego; reſpectu oppreſſi, ſubdiſtinguo; ſi ſit laicus, tranſeat; ſi ſit clericus, nego. Solutio patet ex expreſſa, ac formali AA. hac de re ſcribentium doctrina, ſignanter Per. de man. reg. prælud. 1. n. 6.

XXXVI. Ibi: *Hæc igitur regia illa duo jura univerſalia diſpenſantur, quibus regia majeſtas præfulget, juriſdictionis ſcilicet, et protectionis: Primum, Quod in proprios ſubditos exercetur, modo contentioſe, modo voluntarie. Secundum, Quod in omnes etiam non ſubditos dirigitur, quos tanquam reipub. membra princeps protegit, defendit, ac à quacunque injuria tuetur, quando ejus auxilium imploratur; quæ quidem protectio etiam duplex eſt; altera juriſdictionalis, quæ propriis ſubditis convenit, cap. Ex parte, de privil. c. Ad audientiam cum gloſſ. et ibi Decius de appell. gloſſ. in c. Eos, 87. diſt. altera extrajudicialis, quæ defenſioni ſoli incumbit, et etiam non ſubditis convenit, prout in omnibus violentiis inter eccleſiaſticos commiſſis, quibus extrajudicialiter reges occurrunt, notavit gloſſ. verbo Sanctionem, et gloſſ. verbo Omnia, in l. Bene à Zenone, c. de quadrienniis præſcript. Afflict. d. 24.*

XXXVII. Dices, 2. Juxta cit. Per. d. c. 12. n. 11. lata excommunicatio in judicem regium, dum cognoſcit, nullo modo valida eſt; implicat enim, quod tam ille, quam ſenatores aulici, potentes ſint *ad vim tollendam; et quod impediri, vel excommunicari valeant:* atqui, ſi non procederent, ut ſuperiores, poſſent utique impediri, et excommunicari, ſaltem valide, à judice eccleſiaſtico, ſane ſuperiore: ergo.

XXXVIII. Reſp. 1. Hunc D. procedere in ſuppoſitione, quod ſaltem ſenatores palatini ſuperiores ſint reſpectu judicis eccleſiaſtici, et ut ſuperiores cognoſcant, ut conſtat ex contextu; cujus oppoſitum manifeſte, et *ad hominem*, ex ipſius Per. doctrina ſatis evicimus.

XXXIX. Reſp. 2. Diſtinguendo, et explicando auctoritatem ſubjectam: dum præciſe cognoſcit abſque exceſſu, et citra offenſam juriſdictionis, ac libertatis eccleſiaſticæ, concedo; dum cognoſcit, et ſimul per exceſſum lædit, aut offendit utram earum, vel utramque ſimul, ſubdiſtinguo: dum præciſe cognoſcit per viam facti, concedo; dum cognoſcendo excedit, aut offendit, nego. Pariformiter explicatur ſecunda clauſula: *Implicat, quod potentes ſint ad vim tollendam, et quod impediri valeant*; diſtinguo: impediri valeant, ne vis præciſe tollatur per viam facti, extrajudicialiter, abſque alia aliqua juriſdictione, aut ſuperioritate; concedo: ne tollatur cum exceſſu, aut offenſa juriſdictionis, ac libertatis eccleſiaſticæ, ſeu potius, ne per eos nova violentia juriſdictioni ipſi, ac immunitati, per exceſſum, aut offenſam in cognoſcendo incutiatur; nego.

XL. Dupliciter poteſt judex regius, et aulici ſenatores, in cognoſcendo, atque in violentia tollenda, ſe habere: 1. Seſe reſtringendo ad terminos, ac limites præſcriptos cognitionis extrajudicialis per viam facti abſque imperio, ſuperioritate, vel juriſdictione aliqua, non ut judices, ſed ut viri boni, ac potentes, de bono et æquo cognoſcentes, ſeſe in principali cauſa, aut aliquo puncto ſpirituali minime introducentes, imo in facto violento, non niſi quod præciſe neceſſarium eſt pro violentia de facto tollenda, extrajudicialiter decernentes, atque non niſi de violentia clara, patenti, ac evidenti, nullatenus tergiverſabili, aut tergiverſatione aliqua celabili, cognitionem ſumentes, et reliqua citra injuriam omnino, et offenſam juriſdictionis, ac libertatis eccleſiaſticæ exequentes, de quibus cit. Per. c. 4. n. 1. c. 7. per tot. c. 11. c. 12. n. 4, 5. 8. et 13. et alibi. Oliv. de for. eccleſ. q. 15, 16. et ſeqq. et nos ſupr. c. 11. 21. et alibi. Et in hoc ſenſu loquitur nova collect. 2. ad tit. 9. l. 1. ordin. n. 10. videlicet, non quod *ſint*, ſed quod *reputentur ſuperiores*, non juriſdictionaliter, ac directe, ſed indirecte, atque tuitive, ſive protectionaliter.

XLI. Secundo modo præfati judices, ac ſenatores ſeſe forſan habebunt, ut ſæpe evenit, præfixos limites excedendo, et ultra taxatos cancellos tranſiliendo, vel quoad modum, vel quoad ſubſtantiam; ſi, v. gr. ſeſe in cognitione cauſæ principalis intromittant, vel alicujus puncti, aut cauſæ pure ſpiritualis; vel ſi juriſdictionaliter, aut ſuperioritaliter, vel imperioſe procedant, non ſimpliciter rogantes, aut deprecantes, ſed imperioſe jubentes; vel non de violentia notoria, ſed de dubia, aut ſimplici, vel de ſola injuſtitia, quamvis notoria judicis eccleſiaſtici cognoſcant; nam notoria injuſtitia non eſt notoria violentia, Per. cit. c. 7. n. 44. vel cum exceſſu aliquid ultra factum, aut materiam gravaminis præciſe (quod quidem ſtricti juris eſt, atque ſtrictiſſimæ cognitionis, ac providentiæ) decernentes, vel aliquid aliud judicantes, ac perpetrantes, quod equidem certo, et notorie læſivum, injurioſum, turbativum, atque offenſivum ſit, nedum judicis eccleſiaſtici, ſed ejus juriſdictionis, atque exemptionis, libertatis, immunitatis, et jurium certorum eccleſiæ; ratione cujus turbationis, et offenſæ, regii judices, vel ſenatores aulici, eo ipſo in juris cenſuras notorie incidant:

XLII. Ut ſæpe ſæpius accidit, et de facto, me obſiſtente, in caſu allegat. 17. et teſtatur Em. Cardinalis *Cienfuegos* in vita S. Franciſci Borgiæ, loc. infr. cit. dicens, *Miniſtros regios clypeum naturalis defenſionis in arma offenſiva immunitatis eccleſiaſticæ convertiſſe.*

XLIII. Si regii judices, vel aulici ſenatores, primo modo procedant, certum eſt non poſſe excommunicari, *dum præciſe cognoſcunt, et dum præciſe violentiam tollunt.*

XLIV. Si vero ſecundo modo, cum aliquo ex exceſſibus inſinuatis, vel conſimilibus, vi quorum effective contrahant juris ipſius cenſuras; quis non dicet, aut quis dubitabit, judicem eccleſiaſticum non poſſe valide, et licite, in eos animadvertere, vel eos incurſos declarando in eaſdem cenſuras, in quas libere, et ultronee inciderunt; vel illos extrajudicialiter excommunicando, *vim vi repellendo*; vel judicialiter, præcedente monitione, vel citatione, eo modo, quo in cit. alleg. 12. et 26. cum ratione turbationis, et offenſæ, noviter ſubjiciantur eidem eccleſiaſtico judici, quem turbant, aut lædunt, et ejus prorogant juridictionem, etiamſi is incompetens foret? Nam ex offenſa illa, ac turbatione, competens equidem redderetur, juxta communem doctrinam, de qua alleg. cit.

XLV. Et quia hoc jam in caſu cit. allegationis fuit valde hic controverſum, ſpeciales, ac diſtinctas comprobationes ad hujuſce argumenti ſuaſionem, atque ad licitudinem, ac validitatem proceſſus judicis adverſus judices regios, aut palatinos ſenatores excedentes, ac offendentes per excommunicationem, vel declarationem animadvertentis demonſtrandam, hic tandem ſubjungam.

XLVI. Prob. igitur validitas, ac licitudo procedimenti judicis eccleſiaſtici in caſu figurato; et probatur, 1. Ex vulgari, et communi doctrina; quia turbans, aut offendens juriſdictionem alicujus, fit ei ſubditus, ac prorogat ejus juriſdictionem, et de incompetenti (caſu, quo talis foret) eum reddit competentem, ut docent Deluc. de juriſd. diſc. 736. n. 3. et diſc. 29. n. 4. et diſc. 47. n. 21. et 22. *Etiamſi turbantes haberent aliquas probabiles prætenſiones*, Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. Pignatell. tom. 4. conſ. 128. Donat. prax. regular. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. et alii infr. laudati allegat. 11, 12. et 23. et ſeqq.

XLVII. Prob. 2. efficaciter, A paritate judicis delegati, qui, quamvis ſuperior ordinarii, in rebus, et cauſis ſuæ delegationis, incedat, ſi tamen quomodolibet excedat in territorio ipſius ordinarii, etiamſi fortaſſe adverſus eum cognoſcat, ut in delegatis conſervatoribus regularium frequenter accidere ſolet, ex c. fin. de offic. deleg. in 6. et ex bull. Gregor. XV. ſubjicitur animadverſioni, ac punitioni ipſiuſmet ordinarii, adverſus quem forſan cognoſcebat, et non obſtante ſuperioritate; juxta communem doctrinam traditam ſuperius, c. 3. et 4. et alleg. 34. et ſeqq. ergo pariformiter, etiamſi judices regii, vel ſenatores aulici, ut ſuperiores cognoſcerent in recurſibus adverſus judices eccleſiaſticos, ſi tamen excederent in ſuis muneribus, vel quoad modum, vel quoad ſubſtantiam,

tiam, subjacebunt declarationi, atque animadversioni judicis ecclesiastici, de quo cognoscunt.

XLVIII. Non enim implicat contradictionem, ut qui in una ratione, atque actione superior incedat, in alia, imo in eadem per accidens fiat inferior, ac subditus, ut manifeste inspicitur in conservatoribus excedentibus, et constat ex const. Gregor. XV. *Sanctissimus*, et ex cit. c. *Hac constitutione*, de offic. deleg. in 6. et ex doctrina Pignatell. Butr. Ricc. Genuens. et aliorum infr. cit. n. 50.

XLIX. Confirmatur, 1. A paritate judicis ecclesiastici; qui quamvis per se, et secundum se, ratione muneris sui, ac jurisdictionis, sit superior judici laico, attamen si excedat in munere suo, et offendat jurisdictionem judicis laici, eam usurpando, subjicitur temporaliter procedimento judicis regii in violentiæ sibi illatæ justam repulsam, et usurpatæ jurisdictionis defensam, atque vindicationem, juxta doctrinam Per. Mend. Cost. Peg. et reliquorum DD. regnicolarum superius laudatorum, c. 32. et 33. ergo, &c.

L. Confirmatur, 2. Ex doctrina Pignatell. tom. 1. cons. 170. ex qua convincitur, quod etiamsi senatores aulici, ut superiores, et ut proprii judices cognoscerent, si in aliquo læderent jurisdictionem prælati ecclesiastici, subjacerent extrajudiciali procedimento illius in defensionem; ibi, n. 29. *Imo, pendente judicio competente, non ideo impeditur, quin episcopus extrajudicialiter, uti pars, vim vi repellendo, censuris suam jurisdictionem defendere possit, etiam contra proprium judicem, ut advertit Butr.* in d. c. *Venerabil.* de censib. col. 2. et Innoc. sub n. 2. Ricc. d. c. 61. Genuens. d. c. *Dilecte*, n. 6.

LI. Prob. 3. Quia judices regii, ac palatini senatores, si in cognitione recursus ita excedant, ut vel sese in causa principali, aut puncto aliquo, pure ecclesiastico, judicando, aut decidendo intromittant, vel aliquid jurisdictionis, atque immunitatis, ac libertatis ecclesiasticæ offensivum, vel depressivum patrent, certe, et statim censuras à jure latas, adversus turbatores, ac usurpatores jurisdictionis ecclesiasticæ, ejusque immunitatis læsores, eo ipso contrahent, et eisdem proculdubio infallibiliter innodabuntur. Atqui semel quod judices laici, etiam regii senatores, per excessum, aut offensam in censuras à lege incidunt, subjacent declarationi, ac punitioni ecclesiæ, et ecclesiastici judicis, præsertim si excessus sit notorius, etiamsi patratus fuerit in cognitione adversus ipsum judicem ecclesiasticum, ut est vulgaris, et generalis doctrina, deducta ex c. *Venerabil.* de censib. ergo.

LII. Prob. 4. A paritate ministri, aut officialis laici, vim vi juste repellentis adversus clericum turbatorem jurisdictionis suæ, aut ejus exercitii, qui, si aliqualiter excedat in præcisa defensione, clericum aliqualiter lædens, aut percutiens, incidit cum effectu in censuras juris, et subjacet punitioni, ac declarationi judicis ecclesiastici; et quamvis ad regem recurrat, non protegitur, ut patet evidenter, 1. Ex casu judicato apud Peg. tom. 8. ad ordin. l. 2. tt. 9. § 3. n. 33. ubi provisor capellarum declaratus à judice ecclesiastico, eo quod violenter à manibus notarii inhibitionem sibi intimantem avulserit, non obtinuit in recursu, quem intentavit, quia actio illa violenta neque jurisdictionalis fuerat, neque defensiva; qualis tamen fuit actio ædilis percutientis monachum D. Benedicti in propriæ jurisdictionis defensionem, *absque excessu in modo*, apud eund. ibid. n. 32. et apud Themud. dec.

LIII. Patet, 2. Ex doctrina Per. de man. reg. c. 7. sub n. 42. ibi: *Satisfit namque, clericum capi posse, quando resistit, ut suo præsentetur episcopo decenter, et sine excessu: nam qui impeditur, ne publicum officium exerceat, dum tollit impedimenta, non manus injuriosas ponit, sed justas; non offendit, sed suo muneri insistit, cap. Si vero, secundo, de sent. excom. Gratia, de gloss. 9. n. 36. gloss. in cap. Cum non ab homine, de jud. verbo Deprehensos, Luc. de pœn. in l. 2. Cod. de navib. non excus. lib. 11. Abb. Hostiens. et Innocent. in cap. Ut famæ, de sentent. excom. Verum, licet hoc juste fiat, non tamen evincit, quod si judex, vel minister sæcularis vocetur ad judicium ecclesiæ, eo quod manus violentas injecerit, et ratione excessus, et, si non compareat, excommunicetur, quod ad judicem regium patteat aditus; quia qualitas sacrilegii proposita sufficit, ut ille forus fiat competens, et dum examinatis actis non apparet, an realiter excesserit, nulla querimoniæ causa subest.*

LIV. Confirmatur, 1. Ex communi aliorum doctrina in casibus, quibus clerici capi possunt per laicos ministros, ut prælatis suis præsententur, ut in terminis ordin. reg. l. 2. tt. 1. §. 15. § 26. et § fin. et l. 5. tt. 90. § 26. qui omnes docent ignominiose remittentes clericum, subjacere censuris ecclesiæ, et punitioni judicis ecclesiastici, ex c. *Ut famæ*, de sent. excom. ub. gl. c. *Si judex laicus*, § fin. de for. compet. et ibi Gemin. n. 11. Franc. n. 6. post Federic. cons. 229. Oliv. de for. eccles. 3. p. q. 20. n. 74. Per. de man. reg. c. 7. n. 40. cum quo Themud. dec. 19. n. 15. ibi: *Et quamvis habeant mandatum episcopi, tenentur clericum mite tractare, episcopoque præsentare, alias manent excommunicati, Marant. 6. p. act. 12. n. 5. Gabr. Per. d. c. 7. n. 42. verb. Satisfit, ibi (ut suo præsentetur episcopo decenter, et sine excessu): Alias pro sacrilegio, et excommunicatione incursa potest ecclesiasticus judex contra ipsos procedere, nec datur recursus ad coronam, ut judicatum refert, d. n. 41. et seqq. ubi de jure hanc defendit resolutionem.*

LV. 2. Et in facti contingentia idem practicavit D. Antoninus Florentiæ archipræsul, adversus totam regiam audientiam sæcularem Florentinam, ob indecentem remissionem, sibi directam, duorum clericorum in flagranti delicto deprehensorum, cujus quidem omnes, et singulos senatores de facto excommunicavit, vel excommunicatos declaravit, non ob captionem præcise, sed ob excessum publicæ, atque indecorosæ remissionis, qua præfati clerici funibus ligati, et satellitibus armatis circumsepti, transmissi sunt, ut in ejus vita legitur, et apud Stapletonum supr. cit. n. 21.

LVI. Confirmatur, 3. Ex trita DD. hac de re scribentium, notissima doctrina, videlicet, Oliv. de for. eccles. q. 15. n. 35. q. 16. n. 48. q. 17. à n. 23. q. 24. per tot. Cevall. de violent. gl. 6. et alibi; Salgad. de reg. prot. prælud. 3. et p. 1. c. 1. et alibi; Themud. dec.

LVII. Confirmatur, 4. Ex epistola Henrici II. regis Angliæ ad Alex. III. ubi agnoscit, se, et suos regios ministros, à S. archiepiscopo Cantuariensi excommunicari quidem, ob eorum in eum, et in ejus ecclesiam excessus, jure merito, quamvis ipsis injuriose, ac critice reluctantibus: *Ne* (ait rex ipse) *venenum suæ excommunicationis in nos, et alios effundat:* ubi, ut notat Stapletonus, rex ad Alex. acerbe conquerebatur de severitate, ac constantia, qua regio decreto obstitit, ne clerici ad sæcularia judicia traherentur, dicens audacter: *Ego Dei ministros laicæ potestati non exponam: sed si peccent, ego eos sic puniam, ut leges divinæ, ac PP. decreta sanxerunt.* Et agnoverunt illi quatuor nobiles ministri regii, qui à S. præsule absolutionem extorquere conati sunt, dicentes: *Absolve quos excommunicâsti, et suspendisti.*

LVIII. Confirmatur, 5. Ex doctrina P. de Marca, l. 4. c. 21. de concord. sacerd. et imper. ubi postquam n. 9. statuerat, ministros regios (ex privilegio tamen) excommunicari non posse, dum muneris sui functionem exequuntur, sic n. 10. immediate sequenti effatur: *Quæ à me toto capite dicta sunt, ita velim intelligi, si de jurisdictione tantum agatur, et disciplina ecclesiastica. Nam si his contentionibus fides Christiana læderetur, omnia pericula appetenda potius essent episcopis, quam ut præ socordia, aut metu, nefariis conatibus assentirentur, aut conniverent. Sed, exceptione illa adhibita, possunt conniventiam suam tueri Romanorum Pontificum exemplo: qui in professione, quam post electionem suam B. Petro nuncupabant, canones quidem, et decreta à se observatum iri pollicebantur, sed infractiones ab aliis factas, aut emendatum, aut excepta fidei causa, toleratum iri. Quæ conniventia præcipue præstanda est iis rebus, quas imperio, et auctoritate sua principes gerunt.*

LIX. Comprobari etiam potest ex doctrina alia ejusd. Pignatell. tom. 1. ead. cons. 170. n. 1. et 2. ibi: *Declaratoria incursus principis, seu magistratus in censuras per episcopum lata, præsumitur de jure valida, et justa, ex cumulatis per Gabr. de sent. concl. 5.*

ti 6. in princip. taliſque præcipue probatur, dum apparet lata vim vi repellendo, pro neceſſaria defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ, juxta terminos, cap. Dilecto, de ſent. excomm. in 6. ubi poſt alios notat Gemin. n. 7. et Innoc. in cap. Venerabilis, ſub n. 4. de cenſ. cum aliis mox allegandis. Hujuſmodi namque juriſdictionem princeps, ſive magiſtratus uſurpat, dum literis, ſive hortatoriis, ſive minatoriis, mandat epiſcopo, vel ejus vicario, ut cenſuras ab eis latas pro defenſione jurium epiſcopalium contra miniſtros curiæ ſæcularis, alioſve revocent. Quod repugnat diſpoſitioni S. Concil. Trid. cap. 3. verſ. Nefas, ſeſſ. 25. de reform. ac bullæ Cœnæ Domini, ut animadvertunt DD. præcipue alter, diſp. 7. cap. 1.

LX. Junĉto n. 20. ibi: *Similiter nec dicatur hujuſmodi literas, et proviſiones principis, ſive magiſtratus, exequi poſſe contra epiſcopos; primo, quia hujuſmodi abuſus à Sede Apoſtolica fuit ſemper improbatus, ac nunquam toleratus in eccleſia Dei, ex latiſſime deductis per Suar. in defenſ. fid. cathol. tt. de immun. cap. 24. § Defenſio juſta; cum repugnet ſacris conciliis, canonibus, et apoſtolicis conſtitutionibus. Quam ob cauſam epiſcopi, et nominatim epiſcopus Neocaſtrenſis, anno 1585. propter ſolam præſentationem literarum hortatorialium, declaravit miniſtros regios, imo ipſum ducem Oſſunæ, tunc temporis proregem, excommunicatos. Prout etiam hac de re publicatæ fuerint cenſuræ contra collaterale Neapolitanum tempore cardinalis Granvelæ, et ducis Medinæ, ab epiſcopo S. Agathæ Gothorum: item contra ſenatum Mediolanenſem tempore S. Caroli, contra parlamentum Burdigalenſem, et ſenatum Granatenſem, ac alios paſſim: adeo quod paucis abhinc annis in cauſa Alexandrina, in qua ſenator Vignatus ſcripſerat, pro regiis ſe tractaverit. Quare hunc abuſum Sedes Apoſtolica invicte oppugnavit, expugnavitque,* &c.

LXI. Animadverte hic, appoſite pro non deferendis appellationibus, neque rogatoriis epiſtolis, aut etiam mandatis regiis in eiſdem fundatis adimplendis cum notoria læſione, atque offenſa libertatis, et immunitatis eccleſiaſticæ, quæ D. Thomas Cantuarienſis in epiſtol. ad epiſc. Angliæ admoneat: *Certe,* inquit, *nôſſe debuerat diſcretio veſtra, quoniam introductæ ſunt appellationes ad pulſandam injuriam, non ad inferendam; ad ſublevandos oppreſſos, non ad amplius opprimendos. Unde ſiquis non confidentia juſtæ cauſæ, ſed cauſa offerendæ moræ, ne contra eum feratur ſententia, appellaverit, hujuſmodi appellationem cenſeo non eſſe recipiendam: quis enim erit eccleſiæ ſtatus, ſi ſubverſa ejus libertate, ſi rebus ejus occupatis, et detentis, epiſcopis à Sede propria expulſis, vel non pacifice, cum omni ſecuritate, omniumque ablatorum reſtitutione admiſſis, raptores, occupatores, invaſores, ne coerceantur, licite appellaverint, et ſe defenderint per appellationem? Quæ erit iſta deſtructio? Videte quid egeritis, quidque dicatis.*

Et paulo inferius: *Quis unquam audivit hæc mirabilia? Et audietur, et prædicabitur in omni populo, et gente, ſuffraganeos Cantuarienſis eccleſiæ, qui cum metropolitano ſuo ob defenſionem eccleſiæ, ejuſque libertatis, deberent vivere, et mori, omniaque ſuſtinere diſpendia, velle ad mandatum regium, quantum in ipſis eſt, ſuſpendere poteſtatem ipſius, et auctoritatem, ne ſeveritatis diſciplinam exerceat in delinquentes adverſus eccleſiam.*

LXII. Et infra: *Eſtne iſta devotio, et conſolatio veſtra? Hiccine fraternæ charitatis affectus metropolitano veſtro pro vobis omnibus exulanti à fraternitate veſtra exhibitus? Indulgeat vobis Deus hanc inclementiam. An ignoratis, fratres, quod chaos magnum in fraudem legis, et canonum, inter nos et vos firmatum ſit, ut non poſſit aliquis de noſtris, ſine diſcrimine capitis, vel captionis, vel truncationis membrorum ad vos tranſire? Etſi de veſtris aliqui liberius poſſent, ſi vellent, tranſmeare ad nos. Et idcirco miramur, quem ordinem exigitis, ubi nullus ordo circa nos, circa eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas, ſed horror (qui utinam ſempiternus non ſit!) et injuriæ obſervantur, quum ſpoliati ſimus, et noſtri; quorum quidam tam clerici, quam laici, capti redempti ſunt; cumque poſt iſtam, quam dicitis appellationem, edictum generale ſit propoſitum, ſicut dicitur, ut nemo de noſtris inventus ſit in terra iſta, qui non capiatur: nemo veſtrum, vel aliorum amicorum noſtrorum, literas noſtras, vel nuntios audeat ſuſcipere. Eſt hæc reverentia appellationi debita exhibita, et obſervata.*

Non tamen hoc ideo dicimus, quicquid vobiſcum agatur, et cum noſtris, ut quicquam circa perſonam domini regis, vel terram ſuam, circa perſonas, et eccleſias veſtras, unquam inordinate fecerimus, vel per Dei miſericordiam facturi ſimus. Credebamus quidem, ſi recte intelligitis, ſi cupitis utiliter eccleſiæ ſubvenire, de nimis ordinata, et longa patientia magis à vobis culpari, quam de ſeveritatis mora commendari. Mora enim trahit ad ſe periculum: quia nimis ordinata patientia plus habet remiſſionis, quam commendationis; plus vitii, quam virtutis. Et inde eſt, quod breviter vobis dicimus, et affirmamus conſtanter, dominum noſtrum regem nullatenus fore injuſte gravatum, ſi adverſus eum à domino Papa, et à nobis ipſis, legitime literis, et nuntiis, ac ſæpiſſime conventum, ſatisfacere, quum poſſit, nolentem, ſeveritatis cenſura proceſſerit. Non enim injuſte gravatur, quem jus punit legitime. Et, ut omnia breviſſimo fine concludam, certum tenete, quia raptores, invaſores, occupatores bonorum eccleſiæ, ejuſque libertatis ſubverſores, nec tuetur juris auctoritas, nec appellatio defendit.

LXIII. Deinde in ead. epiſtola ſic regem Henricum II. hortatur ad reſipiſcentiam: *Audiat itaque dominus meus poſtulationem fidelis ſui, conſilium epiſcopi, patris exhortationem, ut bene faciat ei Dominus, et augeat dies ſuos, et annos, et filiorum ſuorum in tempora longa. Permittat eccleſiam frui pace, et libertate ſub ipſo, tanquam ſub rege Chriſtianiſſimo; eccleſiam Romanam uti jure, et libertate in terra ſua, quam habere debet, et habet in cæteris regnis. Reſtituat Cantuariæ eccleſiæ, et nobis, jura ſua, et libertates, et omnia ablata cum pace, et ſecuritate noſtra, ut libere, et quiete poſſimus Deo militare ſub ipſo: et ipſe debeat obſequio noſtro uti, prout ei placuerit; ſalvo honore Dei, et eccleſiæ Romanæ, et ordine noſtro. Iſtæ ſunt dignitatis regiæ leges optimæ, quas petere debet, et obſervare rex Chriſtianiſſimus, quibus gaudere debet, et florere ſub ipſo eccleſia: iſtæ ſunt leges obtemperantes legi divinæ, non derogantes: quas qui non obſervaverit, inimicus Dei conſtituitur. Lex enim Domini immaculata, convertens animas. De legibus enim ſuis dicit Dominus, Leges meas cuſtodite. Et propheta: Væ qui condunt leges iniquas, et ſcribentes ſcripſerunt injuſtitias, ut opprimerent pauperes in judicio, et vim facerent cauſæ humilium populi Dei! Non erubeſcat ergo dominus meus redire ad cor; humiliari in cordis contritione, et humilitatis manſuetudine coram Domino ſatisfacere ei, et eccleſiæ ſuæ, de injuriis illatis. Cor enim contritum, et humiliatum, Deus non deſpiciet, ſed amplectitur ſincerius: ſicut et S. David, qui, cum peccâſſet, humiliavit ſe coram Domino, petivit miſericordiam, et obtinuit veniam.*

LXIV. Nec monitio hæc S. paſtoris inefficax, aut infructuoſa evaſit: nam, ut ſcribit Stapletonus, *Rex ipſe Henricus poſt martyrium S. Thomæ ita peccatum ſuum recognovit, ut non ſolum à maximo ſe ſtudio purgaret, et pœnitentiam ſibi à Sede Apoſtolica injunctam obedienter expleret, verum etiam multis aliis modis S. martyri ſatisfacere ſtuduerit. Nam et ſororem ejus Mariam ſanctimonialem paulo poſt ampliſſimo fœminarum monaſterio Berlingenſi abbatiſſam præfecit, et identidem cum filio ſuo Henrico mauſoleum D. Thomæ ſupplex adivit (ut noſtri annales teſtantur) et ampliſſimis donariis exornavit.*

LXV. Quod et expreſſius liquet ex comparatione, quam ibidem confert regis Henrici II. cum rege Henrico VIII. ibidem: *Henricus* II. *etſi viventem (S. Thomam) perſequebatur, ut ejus libidini adverſum, tamen mortuum venerabatur, ut ſupra paucis monſtratum eſt; copioſius autem in vita S. Thomæ apud Surium videri poteſt. At Henricus* VIII. *poſt annos fere* 400, *ſanctum in tota eccleſia habitum à tot anteceſſoribus ſuis Angliæ regibus mirifice honoratum, tot, ac tantis miraculis per totam Angliam illuſtrem, hoc infami edicto omni veneratione ſpoliavit. Henricus* II. *percuſſores S. Thomæ defendere noluit, ſed Thomam ad pœnitentiam tam atrocis facti petendam obligavit, ut ſcribit Neubrigenſis; ſed et totam hujus ſancti necem, omnemque ejus cauſam, à ſeipſo, quanto potuit ſtudio, longiſſima*

ſime amsvit; adeoque injuſte, et nefarie occiſum fuiſſe, multis modis declaravit.

LXVI. *Unde et ipſemet quoque pœnitentiam à Rom. Pont. legatis injunctam humiliter ſuſcepit, ut refert Neubrigenſis, eodem in loco. Henricus* VIII. *in hoc edicto percuſſores juſtificat, ipſum ſanctum ſuæ quodammodo mortis occaſionem dediſſe affirmat. Henricus* II. *occiſi martyris reliquias magna humilitate veneratus eſt, multis lacrymis veniam perſecutionis injuſtæ deprecatus eſt. Henricus* VIII. *rebellem eum, ac proditorem proclamat. Henricus* II. *certis reditibus annuis (ut eſt apud Matthæum Pariſienſem, et in quadrilogo) memoriam S. Thomæ honoravit; et quibus potuit officiis ſancto factas injurias reparavit; ut ſupra commemoravimus. Henricus* VIII. *omnes illos reditus, totumque monaſterium Cantuarienſe ſuſtulit, atque ſubvertit. Henricus* II. *omneſque, qui ſucceſſores Anglorum reges, memoriam, ac mauſoleum D. Thomæ ampliſſimis, et magnificentiſſimis donariis exornârunt, et locupletârunt. Henricus* VIII. *ea omnia, ut prædo robuſtus, expilavit. Henricus* II. *leges illas iniquas, quas vivente S. Thoma mordicus extorquere contendit, poſt glorioſum ejus martyrium ſtatim abrogavit, et Anglicanæ eccleſiæ pacem optatiſſimam reddidit. Henricus* VIII. *caſdem iniquiſſimas leges, aliaſque iniquiores leges revocavit, et earum nomine memoriam hujus ſancti obliterare, ſed fruſtra, et inaniter laboravit. Poſtremo Henricus* II. *Dei, et eccleſiæ judicio ceſſit: à Deo glorificatum, ab eccleſia in ſanctorum numerum relatum, humiliter, et ut eccleſiæ filium decuit, honoravit, et coluit. Henricus* VIII. *poſt annos fere* 400, *oſſa hujus ſancti, tanquam infamis alicujus, vel hæretici, vel malefici, ſacrilege effodit; et flammis publicis (inaudito facinore) concremavit,* &c.

LXVII. Unum denique, pro conſummata hujuſce rei notitia, te monitum eſſe volo; quod ſcilicet occiſio hujus S. archipræſulis Henrico regi penitus involuntaria, et equidem poſt factum doloroſiſſima fuit, Polydoro, Gulielmo, et annalibus ipſis Anglicanis ſic apud cit. Stapleton. atteſtantibus: *Reverſus domum archiepiſcopus cum ſumma animi devotione, ac puritate, celebravit Chriſti natalem: atque eo ipſo die poſt concionem terribili ſententia perculit unum ex regiis miniſtris propter facinus quoddam, et cæſos miniſtros ſuos: itemque Bandulphum hominem ſceleſtum totius malitiæ incentorem tandem adjecit: A Jeſu Chriſto maledicti ſint, et à cœtu ſanctorum deleatur eorum memoria, quicunque inter me, et dominum meum regem odium, et diſcordias ſeminabunt. Abierunt tum quidam magni viri ad regem, et ſanctum martyrem apud eum detulerunt: ita ut rex graviſſime commotus iteratis vocibus ita dixiſſe feratur: Inertes, ac miſeros homines enutrivi, et erêxi in regno meo, qui nec fidem ſervant domino ſuo, quem à plebeio quodam clerico tam probroſe patiuntur illudi. Aderant ibi nobiles quatuor, genere conſpicui, et è familia regis. Ii hæc verba ex ore regis rapientes, ſævius ea, quam rex vellet, interpretati ſunt: moxque in necem ſancti viri conſpirârunt: neſcienteque rege, mare celerrime trajecerunt. Regi ubi id comperit, ſuſpicante mali quippiam illos moliri, mittenteque nuntios, qui eos revocarent: ſed illi jam longius anteceſſerant, quam ut poſſent revocari. Invito quidem rege, cæſum ab illis fuiſſe archiepiſcopum, vel inde ſatis liquet, quod ubi comperit crudeliſſimum facinus, incredibili dolore, et horrore correptus fuit.*

Prælaudatos auctores, et Anglicanas conſule hiſtorias.

CAP. FINALE XLII. et OPUSCULI OBELISCUS.

SUMMARIUM.

I. *Aliquorum vota pro limitibus utrique juriſdictioni circumſcribendis.*
II. *Qualenam medium S. Franciſcus Borgia adinvenerit?*
III. *Pro prima baſi ſtatuit S. Concil. Trid. deciſionem.*
IV. *Medium prudentiſſimum obtulit à Philippo Prudente facile admiſſum.*
V. *Qualenam fuerit, conjicitur multipliciter, uſque ad n.* VIII.
IX. *Qualenam in caſu denegatæ appellationis, nedum injuſte, ſed et violenter.*
X. *Et ſemper in majorem immunitatis, ac juriſdictionis eccleſiaſticæ commendationem, cum utriuſque juriſdictionis reciproco, et amicabili decore.*
XI. *Et quomodo utrique conſulendum in caſibus uſurpatæ juriſdictionis regiæ.*
XII. *Quid in bulla Cœnæ pro majori firmitate, et cautela, ſuperaddi poteſt.*
XIII. XIV. *Arbitrium Fontanellæ deveniendi ad arbitros, à paritate controverſiæ immunitatis inter judicem laicum, et eccleſiaſticum, atque inter ordinarium, et conſervatorem.*
XV. *Opuſculi concluſio.*
XVI. *Laudatur procurator regius Thom. Pinheir. in cenſuris ad Oliv. et Themud.*
XVII. *Ultimus finis opuſculi qualis?*

I. HIERONYMUS de Cevallos de cognitione violentiæ, in operis concluſione, ut obſervat doctus Aguero in monito ad cenſuram ejuſdem operis, *Denique enixe rogat Pontificem, et regem, utriuſque pedibus advolutus, ut ipſi fines ſuos diſterminent: quos ultra citraque in poſterum neutrius miniſtri conſiſtant.* Quod quidem *votum*, cum idem monitor *præclarum* proclamet, et undique juſtum, ac juſtificatum appareat, cuilibet juſtitiæ, et æquitatis zelanti amatori æque, ac laudabiliter, et mente concipere, et voluntate omnibus, quibus intereſt, recte ſuadere licebit; præſertim cum ex vita S. Franciſci de Borgia, ab eminentiſſimo cardinali *Cienfuegos* diffuſa elegantia deſcripta, l. 5. c. 14. § 3. liquido conſtet, quod acriter agitata controverſia de licitudine hujuſce recurſus in Hiſpania inter miniſtros, ac advocatos pontificios ſanctiſſimi Pii V. et regios prudentiſſimi Philippi II. beatus Franciſcus à Pontifice ſpecialiter deputatus ad concordiam, opportunum, ac ſecurum medium prudenter adinvenerat, ſacræ tiaræ auctoritati, imo et triumpho favorabile, quo et eccleſiaſticæ immunitatis decus, et regiæ dignitatis auctoritas, et naturalis juris immunitas, æque ſervabatur, ac commendabatur: quod quidem libentiſſime Philippi clara prudentia jam amplexata fuerat; ad effectum tamen, atque ad praxim reduci imminens deceſſus tam Pontificis, quam Borgiæ, fataliter diſtorſit.

II. Hæc hiſtoriæ fidelis narratio. Quale autem medium illud providum, ac ſecurum extiterit, penitus ignoro, etiam adhibitis opportunis diligentiis, quas adhuc proſequor, illud ſaltem ab eminentiſſimo ſcriptore percepturus. Et quoad illius notitia non pervenit, vel apparet, licebit per diſcurſum, ac conjecturas, qualenam illud evaſerit, perſcrutari. Pro quo,

III. Noto, imprimis, S. Borgiam pro prima baſi, ac fundamento, ſternere, teſte præfato Em. ſcriptore, deciſionem S. Concilii Trid. ſuper hac re; quæ videtur eſſe contenta c. 20. et c. 3. ſeſſ. 25. de reform. præſertim declaratione illa: *Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici, nequem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti decreto non ſint obſervata; cum non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* Et illam præcedentem ibidem: *Liceat eis in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam.*

IV. Noto deinde mentem S. Borgiæ, in hac re, hanc fuiſſe conſtanter, ut ibidem aſſerit idem Em. ſcriptor, *Debere in hoc puncto ad unguem ſervari decretum S. Concilii Tridentini, et minime ad controverſiam, quod ab eo jam deciſum erat, revocari; ſed cum prudentia convenientem illud ſtabiliendi, ac practicandi modum perquiri debere.* Et medium obtulit opportunum, ac ſecurum, quod ſtatim prudentiſſimus rex Philippus lubens admiſit. Ex qua duplici nota præmiſſa, aliquali probabilitate, qualenam illud fuerit, conjici oportebit.

V. Po-

V. Poteſt igitur conjici, 1. Fuiſſe, ut reges, et eorum miniſtri, liberam facultatem facerent prælatis eccleſiaſticis capiendi laicos per propríos miniſtros, ac officiales, ut fecit rex piiſſimus Sebaſtianus, in omnibus cauſis quomodolibet ad forum eccleſiaſticum civiliter, vel criminaliter, mixte, vel privative, pertinentibus; de quo v. Per. de man. reg. c. 34. et 54. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. c. 1. et 3. Cevall. de viol. q. 92. et 93. Gultier. l. 1. q. 46. et alios. Et omnino vetant recurſum laicorum in hac materia, et proviſione judicum regiorum, tum ex clara ipſa conciliari deciſione, tum quia, ſuppoſita probabilitate opinionis eccleſiaſticæ juriſdictioni faventis, ceſſat notoriètas violentiæ, et nequeunt magiſtratus de illa cognoſcere. V. dicta c. 13. et 14.

VI. Poteſt conjici, 2. Fuiſſe, ut regii magiſtratus in epiſtolis rogativis omnino abſtinerent à clauſula aliqua præceptiva, reformata, quæ apud Hiſpanos invenitur, continens in parte præceptum per verbum *Mando*; ut ex Cevall. gl. 8. notat Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 43. ubi ait, has epiſtolas *peccare in forma, et modo procedendi*; formulam autem in regnis Luſitaniæ pro his epiſtolis obſervatam, utpote mere rogativam, ac requiſitoriam, eſſe juri communi magis conformem. Ipſum vide, et alibi, q. ſcilicet 24, 25. &c. et nos ſupra, c. 38. n. 12.

VII. Poteſt conjici, 3. Fuiſſe, in obſervantiam deciſionis præjactæ Tridentini, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ut præter verba præceptiva, reformetur etiam aliud, quo Caſtellæ formularium utitur, nempe, *y repongan*; de quo Cevall. de violent. gl. 14. quo tamen formula Luſitana rectius non utitur. Neque enim recurſus ſuſpendit juriſdictionem judicis eccleſiaſtici, ita ut, ſi, eo pendente, ad ulteriora procedat, attentatum committat, ut tenet Oliv. q. 20. per tot. et nos ſupr. Imo neque appellatio ipſa, quantumvis legitima, quoties effectum ſuſpenſivum non habet; et, ea non obſtante, poteſt judex à quo licite, et valide, ſententiam executioni mandare, ex c. *Non ſolum*, de appellat. in 6. ubi DD. Oliv. cit. n. 7. et q. 14. cum Lancelot. de attent. c. 12. lim. 8. n. 2. et lim. 53. per tot.

VIII. Poteſt conjici, 4. Fuiſſe inſuper, in obſervantiam ſubſequentis clauſulæ conciliarii decreti, *ſub prætextu, quod contenta*, &c. ubi vetatur ſæcularibus magiſtratibus cognoſcere de validitate, vel de juſtitia excommunicationis, et ſuper eam pronuntiare, *cum hæc cognitio non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos pertineat*: quamvis, ſi nullitas notoria ſit (non tamen ſi excommunicatio ſit notorie injuſta dumtaxat) poſſint per modum cauſæ, non declarative, etiam incidenter, ſed mere relative, aut enuntiative, fundamentum ex ea ſumere ad notorietatem violentiæ per viam facti declarandam, ut docet Oliv. q. 24. n. 9. et nos ſupr. c. 38. n. 10. et hac de cauſa aſſeverat ibid. regias leges Luſitanas, quamvis ordinent taliter excommunicatos non eſſe vitandos, nullibi tamen ſtatuere, aut inſinuare, quod judices ſæculares cenſuras eſſe nullas declarent, licet ſupponant earum nullitatem aliquando.

IX. Hæc quoad excommunicationem. Quoad appellationes vero, cum in regnis Caſtellæ non admittatur recurſus, niſi in caſu appellationis legitime interpoſitæ, et nedum injuſte, ſed et violenter denegatæ, de quo ſuperius c. 25, 26. et ſeqq. poteſt etiam conjici fuiſſe, ut regii magiſtratus omnino abſtinerent à cognitione denegationis, vel non delationis appellationi, quantumvis legitimæ, quoties denegatio intra terminos injuſtitiæ, quamvis notoriæ, conſiſteret, et non ingrederetur limites notoriæ violentiæ, modo ſuperius explanato, c. 14, 15. et 16, 17. et ſeqq. cum certum ſit, fundamentum extrajudicialis cognitionis hujuſce regii judicii, eſſe violentiam, non ſimplicem, ſed qualificatam, *notoriam* puta, de quo ſupr. c. 13.

X. Et in caſibus etiam denegationis notoriæ violentiæ, poteſt conjici fuiſſe, in majorem immunitatis, atque dignitatis juriſdictionis eccleſiaſticæ commendationem, ne videretur judicem eccleſiaſticum obedire, ac parere epiſtolis, quamvis rogatoriis magiſtratuum ſæcularium, quæ implicite præceptum videntur continere, id præſtaret Summo Pontifici per ſpecialem bullam expediendam jubenti, ut judices eccleſiaſtici in recurſibus ex notoria violentia interpoſitis, pronuntiata ultima in ſenatu palatino deciſione in favorem recurrentium, omnino ſuperſedeant uſque ad deliberationem judicis ad quem ſuper appellatione ad eum interpoſita: reges autem ipſi, ac principes ſæculares, per ſpeciale diploma ab ipſis etiam viciſſim expediendum, regiis magiſtratibus ſtricte præciperent, ut in caſu probabilitatis judici eccleſiaſtico aſſiſtentis, vel violentiæ non certæ, ac evidentis, ſed aliqua tergiverſatione celabilis, in favorem recurrentium minime pronuntiarent, juxta tradita c. 12, 13. et ſeqq. tum quia tunc violentia deſinit eſſe notoria, ac manifeſta; tum quia, ſtante probabilitate, potius juriſdictioni eccleſiæ, utpote nobiliori, et favorabiliori, quam laicæ, deferendum, ut tenent communiter DD. quos laudatos relinquimus c. 14. et c. 15. et ſeqq.

XI. In caſibus autem recurſus ex uſurpata regia juriſdictione intentati, quamvis juxta diſpoſitionem regiæ ord. l. 1. tt. 12. c. 9. regius judex ſit competens ad ſuper ea pronuntiandum; attamen in majus obſequium dignitatis, ac juriſdictionis eccleſiaſticæ, poterant principes ſæculares per ſpeciale regium diploma ſtatuere, ut regii judices, æquali intercedente probabilitate, pro juriſdictione eccleſiaſtica potius, quam pro ſæculari pronuntiarent, ob rationes ſolidas, quas Oliv. de for. eccleſ. q. 15. et 16. expendit, de quibus etiam nos ſupr. c. 18. n. 36. et alibi; et Summus Pontifex per ſpecialem bullam, etiam decernere, ut judices eccleſiaſtici, finali deciſione in ſenatu aulico ſuper ea re habita, in obſequium regiæ dignitatis ei acquieſcerent, donec ipſe Supremus Pontifex ſuper negotio conſuleretur. Et ſic æquali, et amicabili fœdere utrique auctoritati, ac dignitati Pontificiæ, et regiæ, æque conſultum foret. Quod quidem arbitrium in reliquis recurſibus ex denegato jure naturali interjectis etiam practicari poterit.

XII. Ex parte vero ipſorum Summorum Pontificum pro majori firmitate, ac certitudine in bulla Cœnæ, quæ quotannis promulgatur, poterant pro nova cautela breves aliquæ particulæ expreſſiores clauſulis jam exaratis ſuperaddi ad omnem dubietatem, atque ſiniſtram interpretationem, tergiverſationemque excludendam, ut can. 14. ad clauſulam illam, *Tanquam judices interponunt*, poterant ſuperaddi verba aliqua exceſſum omnem, etiam in extrajudiciali cognitione per viam facti, et ut viri boni, caventia; v. g. etiam de facto in caſu probabili. Vid. c. 12. et 14. Et ad clauſulam illam ibid. *Etiam prætextu violentiæ*, poterat adhiberi verbum, aut particula aliqua omnem etiam exceſſum citra violentiam notoriam, et non celabilem, omnino cavendum, perfecte cavens; v. g. prætextu violentiæ probabili tergiverſatione celabilis. Quæ etiam particula conveniens, et expreſſior, opportune ſuperaddi poterat can. 15. ad clauſulam illam, *Præter juris canonici diſpoſitionem trahunt*, &c. Quod et de facto ab exemplis Gregor. XIII. vel Pii V. addentis can. 16. B. Cœnæ, et Pauli V. ſuperaddentis clauſulam *hæc de cauſa directe, vel indirecte*, &c. et Urb. VIII. *aut alias* deſuper adjungentis; de quo v. Pignatell. tom. 6. c. 18. et Hugolin. can. 14. ubi aſſerit clauſulam *etiam prætextu violentiæ prohibendæ* additam ab eod. Pio V. &c.

XIII. Scio inſuper, Petr. Fontanella de pact. nuptial. p. 3. gl. 13. clauſ. 4. n. 20. ut eum citat Cevall. de viol. gl. 6. n. 48. dubium de hac cognitione propter difficultates traditas per Azor. dicit, *Has contentiones inter judicem eccleſiaſticum, et ſæcularem, in omnibus cognitionibus per viam violentiæ, per judices arbitros à Pontifice, et rege, nominandos, eſſe dirimendas; et hanc dicit eſſe ſuam ſententiam, dum alius meliorem non excogitaverit.*

Quæ ſententia poteſt corroborari, 1. A paritate judicis ordinarii, et conſervatoris in dubiis juriſdictionis, ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de reform. 2. A paritate judicis eccleſiaſtici ſimul cum ſæculari deliberantis ſuper caſibus immunitatis eccleſiæ, pro delinquentibus ad eam confugientibus; de quibus ordin. tt. 5. § 7. Peg. ad eand. n. 20. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 27. n. 14. Farinac. de immunit. c. 22. n. 359. et alii; ad quæ conformiter poterit conſimile medium prudens, et opportunum, à Summo Pontifice, et regibus, arbitrari, ſaltem pro finali excluſione ulteriorum dubitaminum, ac controverſiarum.

XIV.

XIV. Deliberent igitur tandem pro ſibi deſuper data prudentia, ac ſapientia, *per quam principes imperant, et legum conditores juſta decernunt*, utrique principes eccleſiaſtici, ac ſæculares, et fines ſuos finaliter diſterminent, quos ultra citraque in poſterum neutrius miniſtri conſiſtant, ut enixe, teſte Aguero, rogat Cevall. ſupr. cit. et nos hic etiam ulterius non progreſſuri finaliter conſiſtamus, 11. die menſis Maii ejuſdem fatalis ann. 1739. ſed fauſto pervigilio felicis natalis ſanctiſſimæ Joannæ virginis perfectiſſimæ, inclytæ principis noſtræ colendiſſimæ, Joannis ſecundi *perfecti principis, optimique regis exemplaris*, nomenclatura jure inſigniti, digniſſimæ ſororis, Alfonſique quinti, *Belligeratoris* nuncupati, heroinæ filiæ, quæ, pro Chriſti ſpinea corona, plures regnorum coronas, an ſpinas, neglexit, ut eleganter deſcribit P. Vaſconcellius, in *Anacephaleoſ.* et apud eundem concinne modulatur P. Pimenta.

XV. En habes, candide lector, hujuſce qualiſcunque opuſculi mei, quo conſcientiæ tuæ ſecuritati theologice, juridice, ex charitate inſervire, et conſulere decrevi, ultimum, ſed non ultimatum complementum; quod quidem non adeo ingratum, ut in prologo veritus ſum, fore ſane æſtimo, ſi quantumvis regalis juriſdictionis acer æmulator, atque amplificator evaſeris, realis, ac ſimplicis veritatis æquus amator, ac zelator inſimul inceſſeris.

XVI. Nec tibi in nauſeam, vel odioſam averſionem converti patieris, quæque in deminutionem regiæ poteſtatis induci videbuntur, cum non niſi diſputando, et controverſa altercatione diſcutiendo pertractentur; quo equidem modo, atteſtante regiæ juriſdictionis famoſo promotore, ac procuratore, famigerato ſenatore Thoma Pinheiro da Veiga, in cenſuris ad deciſiones Themudi, p. 3. et ad quæſtiones Oliv. de for. eccleſ. ubi tradit, quod opiniones DD. in libris ſuis materias diſcutientium, diverſæ quidem ſunt à conſtitutionibus, quas prælati eccleſiaſtici vi legum promulgant: quarum publicationis inconveniens, ſi illa fiat cum fractione concordiarum, et privilegiorum regni, ceſſat tamen in opinionibus, quæ diſputationi, ac diſquiſitioni veritatis locum relinquunt. Præterquam quod nil novum, aut denuo inducimus, atque aſſerimus, quod quidem prius jam, ſaltem quoad ſubſtantiam, à primis, et primariis horum tractuum DD. nedum antiquioribus, videlicet, Azorio, magno Suario, Navarro, Proſpero Farinacio, Sayro, Banneſio, Roa, et aliis, quos ſeriatim redarguens commemorat Cevallius (et aliquos immodeſta acrimonia, ſignanter doctorem eximium, non minus ſanctum, quam ſapientem) de viol. gl. 6. § 2. n. 60. verum et modernioribus, ſcilicet Proſpero, Fagnano, Auguſtino Barboſa, Feliciano, Oliva, Gratioſo Uberto, Pignatelio, P. de Marca, Fraſſo, Solorſano, Themudo, Pegas, Portugal, et aliis, quos toto hoc opuſculo laudatos relinquimus.

XVII. Hujuſce operis præcipuus ſcopus, jam in prologo tibi ſatis patefactus eſt. Si illius finem, ſaltem minus principalem, à me in utilitatem tuam, vel ſtudii tui levamini, vel conſcientiæ tuæ ſecuritati, clare intentum; aliqualiter aſſecutus ſum, mihi non grates rependam, ſed tu, et ego ipſe, Deo Opt. Max. debitas gratias referamus, eo quod pientiſſime dignatus ſit, me in obſequium, et ſervitium ejus, atque filiorum eccleſiæ ſuæ, aliquid exhibere, et, licet imperfectionibus laborans, in lucem tandem edere, atque publicæ cenſuræ exponere.

Faxit iterum Deus ipſe clementiſſimus, ut ad eum uterque, tanquam ad competentem, et ultimum, verumque Judicem, utrinque recurrentes, pro peccati, dæmoniſque dura violentia finaliter tollenda, atque extirpanda, juri, ac poſſeſſioni amiſſæ beatitudinis integraliter reſtituamur, in æternum non commovendi! Vale iterum, et interim.

PARS SECUNDA.

LIBER TERTIUS.

Exponuntur Variæ AUCTORIS

ALLEGATIONES

IN

RESPONSIONIBUS ad aliquos Recurſus, vel Controverſias aliquas Juridicas,

ADHIBITÆ.

RESPONSIO et ALLEGATIO I.

In Recurſu, Prætextu multiplicis Uſurpationis Juriſdictionis, à Coronæ regiæ Procuratore interpoſito.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Ad fundandum recurſum à judice eccleſiaſtico ad tribunalia ſæcularia, non ſufficit injuria, aut injuſtitia, aut violentia ſimplex, aut dubia, ſed notoria, et manifeſta.*
III. *Tam prælatis eccleſiaſticis, quam regiæ majeſtati, de jure competit exequi facere ultimas voluntates; et habet locum prævention.*
IV. *Et illi judicio, cui competit rationum redditio teſtamentorum, competit etiam de jure inventariorum confectio, et quorum inventariorum?*
V. *Quia hæc inventaria ſuccedunt loco viſionum.*
VI. *Diſpoſitioni juris communis ſucceſſit in Luſitania lex concordiæ per menſium* alternativam.
VII. *Clauſula hujus legis concordiæ,* cum reliquis dependentiis, *importat, reſpective ad judicium eccleſiaſticum, non ſolum rationum* redditionem, *ſed etiam* inventariorum conſtructionem.
VIII. *Doctores pro hac intelligentia adducuntur, qui poſt concordiam ſcripſerunt.*
IX. *Quod hæc lex indiſtincte procedat reſpective ad teſtamentarios eccleſiaſticorum et laicorum, aliqui aſſerunt; ſed alii rectius contrarium tenent.*
X. *Dato, quod opinio Guerr. et Oliver, ſigillatim, poſt concordiam ſcribentium, ſingularis quidem foret, omnino contrariæ plurium DD. prævalere deberet;* plus enim valet una doctrina in puncto, quam millia in remotis, et ſimilibus.
XI. *In ſtatu Indico ſtat poſſeſſio pro judicibus eccleſiaſticis conficiendi etiam inventaria in menſibus ſuæ alternativæ; et pro illis ſæpe fuit judicatum in coronæ judicio.*
XII. *Poſita poſſeſſione pacifica, et titulata, minime competit recurrenti* actio vis, *ac violentiæ, ſed ad ſummum* actio ſpolii *dumtaxat.*
XIII. *In iis, in quibus adeſt titulus, per uſum paratis, retinetur univerſum jus, quoad quaſlibet ſpecies, ſub eo contentas.*
XIV. *Succedente diſpoſitioni juris communis diſpoſitione legis concordiæ, evidens eſt, quod ſicut ante illam, judici eccleſiaſtico prævenienti utraque actio reddi-tionis rationum, et fabricationis inventariorum attinebat, ita et poſt illam.*
XV. *Subrogatum ſapit rationem ejus, in cujus loco ſubrogatur.*
XVI. *Epiſtola regia ex adverſo producta, non ſuffragabatur recurrenti, nec poterat derogare legem concordiæ, apoſtolica auctoritate firmatam.*
XVII. *Conſuetudo prævalet juri ſcripto.*
XVIII. *Ex clauſula concordiæ,* e ſuas dependencias, *conſtat, publicationem teſtamenti pertinere etiam judici eccleſiaſtico, in menſibus ſibi per alternativam reſervatis; et hæc eſt praxis generalis.*
XIX. *Hæc praxis, non modo jure communi, verum et particulari fundatur.*
XX. *Judex eccleſiaſticus in conflicto duarum opinionum, unam etiam minus tritam, præ alia eligens, vim non facit, ſaltem notoriam, et manifeſtam, nec datur locus recurſui.*
XXI. *Violentia notoria illa eſt,* quæ nulla poteſt probabili tergiverſatione celari.
XXII. *Pereir. de man. reg. qui legem concordiæ præceſſit, etiam ſtando in terminis juris communis fatetur, connexam eſſe inventarii confectionem, et teſtamenti publicationem.*
XXIII. *Paſtoralis mea ſuper taxam lucri ex mutuo, novam legem non condebat.*
XXIV. *Dato quod conderet, deficere poteſt quilibet epiſcopus in ſua diœceſi, etiam ſine conſenſu, imo cum repugnantia capituli.*
XXV. *Capitulum, ſede vacante, id facere poteſt, etiam poſt novi epiſcopi electionem.*
XXVI. *Nec obeſt, quod epiſcopi Summum Pontificem ſuperiorem agnoſcant.*
XXVII. *Ordinatio regia fatetur, epiſcopos non habere ſuperiorem ordinarium in regnis Luſitanæ ditionis.*
XXVIII. *Eadem ordinatio vetat, dari chartas tuitivas excommunicatis ob debita eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis.*
XXIX. *Judex eccleſiaſticus cognoſcens de legatis piis, etiam cognoſcit de profanis.*
XXX. *In capellis, xenodochiis, et hoſpitalibus juriſdictioni ſæculari ſubjectis, poſſunt prælati eccleſiaſtici, et ejus viſitatores, cogere adminiſtratores laicos per mulctas, vel cenſuras, ad voluntatem defunctorum adimplendam quoad celebrationes miſſarum, et alias diſpoſitiones pias.*
XXXI. *Ex eadem regia ord. laici emphyteutæ eccleſiarum proprietatum coram judice eccleſiaſtico reſpondere tenentur.*
XXXII. *Coram eodem adducuntur laici pro rebus non ſacris, quæ ſub cuſtodia, aut poteſtate eccleſiæ ſunt, ex ejuſdem ordinationis diſpoſitione.*
XXXIII. *Sacrilegium etiam committitur auferendo* non ſacrum de ſacro.
XXXIV. *Allegationi ordinationis ex adverſo objectæ, ſit ſatis.*
XXXV. *Confraternitates eccleſiaſticæ, et reliqua loca pia, gaudent privilegiis minorum, et perſonarum miſerabilium.*
XXXVI. *Adducitur lex Sebaſtiana omnimodam, et perfectam Trident. Concilii obſervantiam jubens, et præcedentes ordinationes contrarias revocans.*
XXXVII. *Hæc lex nec poſtea revocata eſt, nec revocari poterat.*
XXXVIII. *Epiſcopi intra limites propriæ diœceſis habent ſuam intentionem in jure communi fundatam contra omnes, etiam exemptos in omnibus caſibus, in quibus intrat peccatum mortale.*
XXXIX. *Laici poſſunt prorogare judicis eccleſiaſtici juriſdictionem, quæ reſpectu illorum, adhuc in iſtis, in habitu remanet.*
XL. *Pro hac opinione in coronæ judicio judicatum refertur.*
XLI. *Ultimis objectationibus ſit ſatis.*
XLII. *Præſentis recurſus exitus.*
XLIII. *Regium reſcriptum ſuper taxa lucri ex mutuo pro Indiano ſtatu.*

SPECIES FACTI.

I. ANNO 1734. die 24 Auguſti, promulgata fuit quædam mea charta paſtoralis, qua multa ad meæ diœceſis reformationem, rectamque juſtitiæ adminiſtrationem ordinabantur; inter quæ, in roborationem alterius paſtoralis de anno 1727. et obſervationem *alternativæ* auctoritate apoſtolica, in hoc regno Portugalliæ, et omnibus ſuæ ditionis conquiſtis, ſtabilitæ; qua *teſtamentorum exarationes, menſe Januarii conficiendæ, notariis eccleſiaſticis reſervantur; notariis vero ſæcularibus, quæ menſe Februarii, et ſic alternatim, pro menſium ſucceſſione, et inſuper teſtamentorum executiones, rationum redditiones, cum reliquis dependentiis, aut pertinentiis, conſimili alterna reſervatione, utriuſque fori judicibus,* eccleſiaſticis ſcilicet, et ſæcularibus, adſcribuntur; jubebam inter alia in præfata paſtorali, 1. Ut utriuſque fori notarii ſeſe intra limites ſuarum alternativarum continerent, tum in teſtamentorum confectione, tum in excluſionibus, rationum redditionibus, et reliquis dependentiis.

2. Quod in locis, ubi deeſſent vicarii foranei, aut judices eccleſiaſtici reſiduorum, parochi, ſecundum

 gene-

generalem ſtylum, in menſibus alternativæ eccleſiaſticæ, teſtamenta aperirent.

3. Ut ad amuſſim leges Conciliorum Goanorum, ſuper taxatione lucri ex mutuo, ſive ex fœneratione proventuri, ob facile deteſtabilis uſuræ periculum, obſervarentur.

Triplici huic memoratæ paſtoralis diſpoſitioni, biennio poſt ejus publicationem, addebat regius procurator, eodem menſe Auguſti anni 1736. quartum gravaminis motivum, nimium ſane conquerens, atque conclamans, me, ut juriſdictionis meæ fimbrias ampliarem, laicos, fabricis eccleſiarum, et confraternitatibus eccleſiaſticis debitores, ad reſpondendum in eccleſiaſtico judicio injuſte cogere, ut ex aliis pendentibus recurſibus, ſuper hac re, manifeſtum fiebat: et ex his omnibus, quaſi injuſtis, ac violentis actionibus, regiæque juriſdictionis uſurpativis, ad regiam coronam recurrebat.

Hæc ſummatim præſentis recurſus materia.

Responsio et Allegatio.

Quadruplici huic querimoniæ, ac gravaminis fundamento, quaterna competenti punctorum diſtinctione, juxta eorundem ordinem ſatisfaciebam: et,

Quoad primum:

II. Imprimis dicebam, eſſe mehercle notatu dignum, quod præſens paſtoralis, cum publicata permaneret per unius, aut duplicis quidem retro anni, ſpatium, quin de exceſſu, aut defectu aliquo minime taxata, redarguta, ſive contradicta foret; et poſtquam in pacifica poſſeſſione, conſtantique obſervatione, non modo per tam notabile tempus, ſed per magis longum, in conſimili diſpoſitione alterius paſtoralis de anno 1727. cum ſcientia, et patientia ipſorum regiorum miniſtrorum; nunc tandem, ac tantum, regius procurator, prætextu injuriæ, ac violentiæ, necnon regiæ juriſdictionis uſurpationis, de illa conquereretur; cum ad fundandum recurſum à judice eccleſiaſtico ad ſæcularia tribunalia, non injuria, aut injuſtitia quælibet, quinimo nec violentia ſimplex, aut nuda, quamvis certa (dubia namque omnino excluditur, Per. de man. reg. cap. 4. Peg. ad ord. Portug. de donat. Sald. Guerr. Oliv. Seſſe, et reliquis infra cit.) ſed qualificata, nempe *notoria, ac manifeſta* requiritur ex ipſamet ord. regia, lib. 1. tt. 9. § 12. et ex conſtanti ipſorum regiæ poteſtatis acerrimorum defenſorum doctrina; videlicet, Per. de man. reg. cap. 4. 7. 9. et alib. Salg. de prot. reg. p. 1. cap. 2. § 3. n. 26. Guerr. de recuſat. l. 1. cap. 19. n. 18. Seſſe, dec. 114. et in cap. c. 189. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 15. Portug. de donat. reg. p. 2. c. 31. n. 13. et late probat Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. et 16. cui accedit Themud. dec. 161. n. 26.

III. Deinde allegabam, certum eſſe de jure communi, et municipali regni, ord. l. 1. tt. 62. § 4. et 42. et lib. 2. tt. 9. § 2. *tam prælatis eccleſiaſticis, quam regiæ majeſtati incumbere ultimas defunctorum voluntates exequi facere; et in hac materia habere locum præventionem*; ut etiam diſponitur in c. *Tua nos*, 19. de teſtam. eo quod executio illa ſit mixti fori, Tiraquel. priv. 149. Bobad. polit. l. 2. c. 17. n. 104. Melin. de juſt. et jur. tract. 2. d. 250. n. 1.

IV. Et inſuper certum etiam extare de jure communi, illi judicio, cui rationum redditio teſtamentorum pertinet, conſequenter etiam inventariorum confectionem pertinere: non illorum inventariorum, quæ ad bonorum defuncti diviſionem, vulgo *partilhas*, inter hæredes fabricantur, de quibus Guerr. de inventar. l. 1. c. 1. n. 10. ſed illorum, quæ *ob cauſam reddendæ rationis conficiuntur:* cui quidem redditioni teſtamentarii, et teſtamentorum executores certe tenentur. Pinheir. de teſtam. diſp. unic. ſ. 3. § 10. n. 230. Guerr. l. 4. cap. 6. n. 4. Peg. de majorat. tom. 1. cap. 5. n. 315. et ſeqq.

V. Ratio eſt; quia, cum hæc inventaria loco reviſionum ſuccedant, ut idem Pinheir. loquitur, ſequi omnino debeat, et comitari earundem rationum redditionem, utpote ab illa penitus dependentia, Peg. for. tom. 1. c. 3. n. 728. et 739. et 744. ſequens eundem Pinheir. qui n. 230. loc. cit. ſic concludit: *Talis executor tenetur rationem reddere accepti et expenſi in opera, de uſibus ſibi præſcriptis à teſtatore, ut ex ſuperioribus conſtat, et eſt indubitatum; ratio autem accepti, neque exigi, neque reddi convenienter poteſt, niſi per codicem inventarii, ut per ſe liquet; et ita pro hac ratione reddenda diſponit jus Luſitanum*, lib. 1. ord. tt. 62. § 9.

VI. Huic de jure communi diſpoſitioni, et ad illam conformiter, præfatæ alternativæ ordinatio ſucceſſit, ob frequentes, et quotidianas, quæ inter judices, et utriuſque fori notarios, ſuper præventione, controverſias, et diſſidia, ſuſcitabantur, ut videre eſt apud Themud. dec. 350. quæ in toto regno Luſitano, et in omnibus ultra mare provinciis, illi ſubjectis, praxi obſervatur, ut idem Themud. ibidem teſtatur, et Mend. à Caſtr. in prax. l. 1. c. 2. § 3. et noviſſimus praxiſta Vanguerr. ut teſtis ocularis, p. 4. c. 5. n. 108.

Stante autem hac concordia, et noviſſima lege, apoſtolica auctoritate, regiaque firmata (quæ ſuperfluas omnino reddebat diffuſiſſimas antiquarum legum, etiam externarum, citationes à recurrente congeſtas) et nil amplius, ſed idem formaliſſime, mea paſtorali diſponente, identiciſque terminis, quibus in concordantia diſponitur, evidens remanet, et ipſius ab omni injuriæ arguitione, imo et ſuſpicione immunitas.

VII. Neque unicus ſcrupulus, circa inventariorum conſtructionem, quo regii procuratoris zelus agitabatur, haud æque pertendens, clauſulam concordatæ, ſeu legis noviſſimæ, *cum omnibus, ſive cum reliquis dependentiis*, reſpective ad judicium eccleſiaſticum, importare tantum *rationum redditionem*, minime vero, etiam ratione illarum, inventariorum confectionem, prævalere:

VIII. Imo neque permanere poterat, conſtante generali famigeratorum DD. qui poſt concordiam illam ſcripſerunt, ſolidiori, ſaniorique ſententia, ſignanter Guerr. de inventar. cap. 6. n. 25. inquiens: *Suppoſita concordia, quam in regno habemus, dicendum eſt, quod ſi teſtamenta, juxta illam, debeant exequi ab eccleſiaſtico, coram illo eſt inventarium faciendum, et reddenda ratio; ſi vero eorum executio ſecundum concordiam ad judices ſæculares pertineat, coram ipſis eſt inventarium faciendum, et ratio reddenda; aliter, æqualitas, et concordia, non potuiſſet ſervari*, &c.

Accedit Oliveir. de munere proviſor. cap. 5. n. 50. ſic aſſeverans: *Data concordia, non potuiſſet æqualitas ſervari, ſi executores menſis ſæcularis (ſi clerici proponerentur) rationem reddere deberent coram eccleſiaſtico, teſtamento ſæculari contingenti.*

Idem proſequitur Peg. de majorat. tom. 1. cap. 50. n. 315. aſſerens, *Proviſorem ſæcularem minime judicem competentem extare ad cognoſcendum de capella et majoratu decedentium in menſibus alternativæ eccleſiaſticæ.* Ex quo legitime infertur, etiam incompetentem evadere ad inventarium conficiendum bonorum, illorum defunctorum, in menſibus eccleſiaſtico reſervatis, decedentium. Nam, cum talia bona majoratui, ſive capellæ inſtitutæ, vinculari deberent, utique plenam de illis cognitionem judex eccleſiaſticus ſumere deberet, ac de illis pronuntiare, ut, legatis, ac debitis ſegregatis, majoratus, aut capella ex reſiduo plane confirmetur, pleneque perficiatur; ut videre etiam eſt in eodem Peg. ad ord. l. 1. tt. 50. ad rubr. cap. 50. n. 209. et 219.

IX. Et quamvis citati Guerr. et Oliveir. abſolute aſſerunt, legem concordiæ indiſtincte procedere reſpective ad teſtamentarios clericorum, et laicorum, ita ut ſicut de teſtamentariis laicis menſis eccleſiaſtici expreſſe diſponit, quod reddant rationem, et inventaria conficiant in eccleſiaſtico judicio, ita pariformiter dicendum ſit de teſtamentariis clericis menſis ſæcularis, quod et rationes reddant, et inventaria conſtruant in judicio ſæculari: attamen in contrarium, licet conveniat quoad primam partem, penitus, et acriter diſcrepat Peg. quoad ſecundam, aperte reprobabilem abuſum id eſſe proclamans, jurique canonico, imo et regio, manifeſte repugnans, et reliqua, per hæc formalia verba, quæ ſequuntur loco citat. ad ord. lib. 1. tt. 50. n. 209. *Quod refert Per. 1. p. cap. 17. n. 13. et 18. et ſæpius judicatur, videlicet, concordiam circa prærogationem in cauſis piis, et capellis, de quibus in tt. 62. § 35. et lib. 2. tt. 8. § 2. et tt. 9. § 2. locum habere, etiamſi*

etiamſi adminiſtrator ſit perſona eccleſiaſtica, abuſus videtur omni exceptione major, et reprobari debet ab illis ſapientiſſimis, quia tam juri canonico, et civili, et regio repugnare videtur, et debet exulari à ſenatu, quia eſt materia adeo præjudicialis in foro animæ propter canonis privilegium.

Et infra, n. 219. graviter reprobat, et objurgat aliquas ſententias in ſæculari judicio contra hanc intelligentiam latas, per quas monaſteria, et clerici præſtare rationem in judicio ſæculari cogebantur, quas quidem ſententias *nullo colore excuſabiles* dicit, *cum etiam in nulla illarum aliqua ratio aſſignetur, niſi quod ſint mixti fori: quæ quatenus ſint*, ex ſupradictis evidens remanere; et pro hac opinione allegat cit. Oliveir. cap. 1. n. 7. et dicit, pro illa in judicio coronæ judicatum fuiſſe.

X. Addebam inſuper, quod, etiam dato, quod hæc opinio Guer. et Oliveir. ſigillatim in puncto legis concordiæ, et poſt illam ſcribentium, ſingularis quidem foret; omnino contrariæ, etiam plurium DD. prævalere deberet, ob ſæpe datam rationem à Gratian. for. cap. 282. n. 19. et cap. 335. n. 22. Seſſe d. 230. n. 6. et 7. Menoch. conſ. 73. n. 17. videlicet, *Dictum unius doctoris in puncto loquentis ſine lege, dici caſum legis*; et ob conſimilem claram, et evidentem rationem à Nald. conſ. 631. n. 17. et Cavalc. dec. 28. n. 16. et 30. et dec. 34. n. 10. p. 1. expenſam, ſcilicet, *Quod plus valet una doctrina in puncto, quam millia in remotis, et ſimilibus: quia procedentes per ſolas regulas generales habentur pro imperitis, cum recurrere ad illas, ſit refugium miſerorum. Caball. conſ. 49. et conſ. 54. n. 11. lib. 2. Mantic. de tacit. lib. 4. tt. 1. n. 29. Viv. dec. 135. n. 4.* Et denique concludebam, tot legibus, auctoritatibus, atque rationibus, ſuffultam hanc opinionem, perperam ex adverſo vocitari *errorem, et majorem, qui in jure reperiri poſſe*, ad judices eccleſiaſticos, hæc inventaria pertinere poſſe, *opinari*.

XI. Cui equidem addebam pacificam, et antiquiſſimam, et minime contradictam poſſeſſionem, qua judices eccleſiaſtici in hoc ſtatu permanebant, hæc inventaria, in menſibus ſuæ alternativæ, conficiendi; quæ evidenter conſtabat ex nupero recurſu, quod proviſor ſæcularis, et ejus ſcribæ, anno 1728. à meo generali vicario interpoſuerunt, quo minime obtinuerunt, ſed pro poſſeſſione judicii eccleſiaſtici in hac re pronuntiatum fuit, præcipue, viſis atteſtationibus, ex utriuſque judicii actibus, et chartophylaciis congeſtis et productis.

Ex quibus notorie conſtabat, inter alia, confecta fuiſſe in judicio eccleſiaſtico, hac Goana civitate, inventaria ſequentium defunctorum, nempe, doctoris *Simonis de Azevedo*, phyſici majoris hujus ſtatus, menſe Januarii 1689. deceſſi; *et D. Antonii N.* eodem menſe 1698. *D. Dominicæ*, Maii 1664. *Franciſcæ da Fonceca* Martii 1697. *Elizabet. da Coſta* Septembris 1642. et, quod notabilius eſt, *Blaſii Henriques Viegas*, ſenatoris regii, judicis reſiduorum, et defunctorum, in hoc ſtatu majoris proviſoris, Martii 1660. et alterius regii ſenatoris *Conſtantini Sardinha*, Novembris 1697. et aliorum quamplurimorum, antiquorum, et modernorum, uſque ad nauſeam per longum ſcholium, cum hac tamen neceſſaria, et omnino notanda declaratione allegatorum, quod nullus defunctorum illorum animam ſuam hæredem inſtituerit (de his namque, nunquam hic controverſum, neque in dubium verſum eſt, judicio eccleſiaſtico pertinere); quibus etiam annectebatur modernum precatorium, abhinc octo, aut novem annis retro, à vicario generali hujus diœceſis *Henrico Bravo de Moraes* ad regium ſenatorem, ac proviſorem *Martinum Lobo da Silva* miſſum, pro remiſſione inventarii ab eo confecti, bonorum *Joannis de Bragança*, et ejus uxoris *Mariæ Annæ Rodrigues*, menſe Januarii decedentium, ad judicium eccleſiaſticum; quod quidem in continenti, abſque mora, aut dubio, plane adimpletum, et perfecte executum fuit.

XII. Quibus omnibus prædictis documentis productis, aſſerebam, poſita poſſeſſione hac pacifica, et titulata, minime competere poſſe doctori recurrenti actionem, et querimoniam vis, ac violentiæ, ſed ad ſummum actionem ſpolii duntaxat, juxta doctrinam Fermoſini in c. *Cum ſuper*, de cauſ. poſt. et propr. q. 4. et Poſth. civil. reſol. 113. n. 68.

Præterquam quod ſufficiebat hæc poſſeſſio, in qua judices eccleſiaſtici in hoc ſtatu conſtanter ſtabant, ſumendi rationum redditiones in menſibus ſibi per alternativam reſervatis, ut ſibi conſequenter etiam pertinerent inventariorum confectiones, et reliquæ omnes dependentiæ.

XIII. Nam *in iis, in quibus adeſt titulus per uſum partis, retinetur univerſum jus, quoad quaſlibet ſpecies ſub eo contentas:* ut plane aſſerit Peg. ad ord. lib. 1. t. 27. §1. n. 79. et ſeqq. cum Poſth. de manut. obſ. 73. n. 112. Cortiad. p. 5. d. 253. n. 63. Franc. Vex. reſol. cap. 9. per tot. quamplures alios citans; tenet etiam Nicol. Noal. conſ. 78. n. 1. ex tex. in l. unic. *Eſt via*, ff. de ſervit. reſt. præd. l. *Is qui uſumfruct.* ff. *Quibus modis uſ. fruct. amittat.* et alii.

XIV. Confirmabam denique ſupradicta cum hac evidenti ratione: ſi enim in terminis juris communis, et municipalis prævention is, judici eccleſiaſtico prævenienti certe attinebat, non modo teſtamentorum redditio rationum, verum etiam inventariorum fabricatio, ſicut utrumque judici ſæculari prævenienti, pertinuiſſe ex adverſo expreſſe fatetur; et late probat Themud. d. 88. n. 15. nam in hac re unus et alter proviſor, eccleſiaſticus ſcilicet, et ſæcularis, æquiparantur, ex ord. lib. 1. tt. 62. § 4. et 5. et 42.

XV. Et caſus hic eſt fori mixti, tum ex jure communi, tum etiam ex privato regni: ſuccedente novo jure noviſſimæ legis concordiæ, loco juris antiqui, et antiquarum legum; cur utraque executio redditionis rationum, et confectionis inventariorum, non pertinebit ſimul judici eccleſiaſtico, poſt ſubrogationem novæ legis concordiæ, ſicut antea, ex diſpoſitione antiquarum legum, per hanc novam ſubrogatarum, cum de jure certum ſit, *ſubrogatum ſapere rationem ejus, in cujus loco ſubrogatur?* Tirag. de jur. primogen. q. 40. n. 43. Surd. d. 35. n. 9. et d. 306. n. 99. ex l. *Si cum*, § *Qui injur.* ff. *Si quis caution.* ubi Barth. Bald. et al. l. 1. § *Hæc actio*, ff. *Si quis teſtam.* &c.

Ex præjactis omnibus concludebam quoad primum punctum, in diſpoſitione meæ paſtoralis, nec umbram quidem injuſtitiæ, et multo minus violentiæ, atque violentiæ notoriæ, et manifeſtæ, proindeque minime locum præſenti recurſui adeſſe poſſe; et ne in minimo quidem epiſtolam regiam ex adverſo productam, anno 1634. exaratam, ei ſuffragari poſſe; quia licet expedita foret anno concordiæ ſubſequenti, nec ipſa noviſſima lex concordiæ in hoc ſtatu adhuc publicata, et praxi demandata erat.

XVI. Nec ipſa epiſtola præfatam concordiæ legem derogat, neque derogare poterat, ſuppoſita Apoſtolicæ Sedis confirmatione.

XVII. Et per poſteriorem legis concordiæ conſtantem, diuturnam, et continuatam obſervantiam, utique ſublata, et præſcripta remanſit contraria illius epiſtolæ diſpoſitio, aut commendatio, ex vulgaribus axiomatibus: *Conſuetudo prævalet juri ſcripto, Et eſt potentior ſtatuto*; l. *De quibus*, l. ſeq. ff. de legib. Gonzal. ad regul. 8. cancellar. gloſſ. 45. § 1. *Et poteſt quicquid perſcriptio*, Thuſc. liter. C. conſ. 890. et ex aliis.

Quoad ſecundum punctum, circa teſtamentorum publicationem.

XVIII. Pariformiter dicebam, eſſe conſequentem ad primum, juſtitiæ meæ notorietatem, cum ex pacifica, et antiquiſſima poſſeſſione, tum ex ipſo titulo legis concordiæ per illa verba, *e ſuas dependencias*; id eſt, et reliquas teſtamentorum dependentias, aut pertinentias; quarum una eſt ipſorum teſtamentorum apertio, aut publicatio; et eſſe praxim generaliter obſervatam, non ſolum in toto regno Luſitano, ſed et in omnibus ſuis conquiſtis, aperte ex ſcientia, et propria experientia teſtatur noviſſime modernus praxiſta Vanguerv. p. 4. cap. 5. n. 108.

XIX. Quæ quidem praxis non eſt jure, et auctoritate deſtituta, ut ex adverſo arguebatur, quippe quæ non ſolum eſt juris communis diſpoſitionibus fundata, l. 2. ff. de juriſd. omn. jud. ibi: *Conceſſa juriſdictione, conceduntur omnia, ſine quibus ipſa exerceri non poteſt*, &c. *Præterea*, de offic. delegat. *Conceſſa juriſdictione,*

dictione, conteduntur omnia, per quæ pervenitur ad illam: Panimoll. d. 17. n. 24. ſed etiam juris particularis, videlicet, noviſſimæ legis concordiæ expreſſæ, et formali diſpoſitione ſtabilitæ, per illa formalia verba: *Os teſtamentos, contas, as execuçôes delles, e ſuas dependencias, &c.* id eſt, *Teſtamenta, rationum redditiones, illorum executiones, et omnes eorum dependentiæ,* &c. Accedit auctoritas Themud. dec. 350. n. 18. et 27. et inſuper Paul. de Caſtro ad dict. l. 2. n. 1. et reliqua 1. puncto attacta.

Et licet adducebatur ex adverſo praxis Cardoſii (qui concordiam præceſſit, et ante illam ſcripſit); et contra verum manifeſtum effutiebatur, hanc praxim moderniorem nuperiorem eſſe, quam praxis Vanguev. (qui adhuc hodie vivit; cum Cardoſius, quando ejus praxis tertia editio anno 1695. in lucem prodiit, jam communi vivorum luce privatus erat); addebam, quod ipſemet Card. citat. n. 52. verb. *Teſtamentum*, expreſſe fateatur, in hac re *obſervandum eſſe ſtatutum, ſeu conſuetudinem cujuſcunque regionis*, l. *Teſtamenti*, ubi Bald. Salicet. Alex. et al. cod. *Quem ad teſtam. aper.*

XX. Et ſi ex adverſo cum Per. de man. reg. (majori ſane regiæ juriſdictionis Achille) cap. 16. n. 18. pro mea juſtitia, non ſolum opinio agnoſcebatur, ſed *opinio probabilis*, et fundamento non deſtituta, hinc legitime inferebam, hoc pluſquam ſufficiens eſſe, ad paſtoralem meam nota violentiæ, etiam ſimplicis, et multo magis manifeſtæ, penitus exuendam; tum quia judex eccleſiaſticus in conflicto duarum opinionum, unam, etiam minus tritam, præ alia eligens, vim non committit, nec datur recurſui locus: Oliv. de foro eccleſ. q. 16. n. 10. Salg. de protect. reg. p. 1. c. 2. § 3. n. 26. id. Per. de man. reg. c. 4. 7. et 9. tum quia dato, quod vim committeret, aut violentiam inferret, probabilitas illa qualitatem *notoriæ ac manifeſtæ* ab ea diſpoſitione utique auferret: nam, ut optime tenet Donat. in prax. reg. 2. p. tr. 17. q. 8. n. 10. cum Thuſc. verbo *Violentia*, concluſ. 214. et verbo *Manifeſtum*, concl. 71. Peyrin. tomo 2. privileg. in 5. conſt. Greg. XV. n. 37. Menoch. de recup. poſſ. in prælud. à n. 78. ——

XXI. *Violentia notoria eſt illa, quæ nulla poteſt probabili tergiverſatione celari*, c. *Ex parte*, de verb. ſignification. c. ultim. de cohabit. cler. et mul. ubi gloſſ. et c. 1. de offic. deleg. in 6. verbo *Conſervat.* Et conſonat à paritate declaratio Concilii Conſtantienſis, anno 1414. celebrati, ſuper excom. can. *Siquis, ſuadente diabolo*, 17. q. 4. ubi declarat, notorium clerici percuſſorem eſſe illum, *cujus factum non poteſt tergiverſatione celari, aut aliquo juris remedio excuſari.* Soares tom. 5. de cenſur. d. 11. ſ. 2. n. 13.

XXII. Quinimo ipſemet Per. citat. n. 19. c. 16. (qui legem concordiæ præceſſit, et ideo ejus auctoritas in hac re, nunc temporis inutilis videtur) adhuc ſtando in terminis juris communis, aperte fatetur, *connexam eſſe inventarii confectionem, et teſtamenti publicationem*; et ibi ſub n. 18. affirmat, *quod judici eccleſiaſtico non poteſt denegari publicatio de teſtamentis, cujus ipſe competens eſt judex.*

Quoad tertium punctum, ſuper decretorum Goanorum Conciliorum obſervantia, &c.

XXIII. Arguebat regius procurator, me novam condere legem, quod equidem facere non poſſe dicebat, ſuſe probare contendens, ſolos principes, qui ſuperiores non agnoſcebant, et Summum Pontificem ob eandem rationem, leges conficere poſſe; non vero epiſcopos, aut archiepiſcopos, et reliquos præſules eccleſiaſticos, qui ſuperiorem recognoſcebant Summum Romanum Pontificem, &c. Et ſane mirabar, quod per quatuordecim retro armos, quibus hanc prælaturam, quam indigniſſime, et invitus rego, atque in tot, per totum illorum decurſum, tamque frequentibus, ut moleſtis, ac acerrimis controverſiis cum regiis miniſtris, ſuper juriſdictionis materia, ut ex illarum aliquibus in hoc volumine patefiet, nunquam tale punctum mihi objectum fuiſſet, nec in dubium verſum, vel in diſputationem, niſi impræſentiarum, evocatum.

Satisfaciebam tamen plane aſſeverans, me non novam condere legem, ſed jam conditas obſervari jubere; quas quidem regia epiſtola de anno 1627. infra tranſcripta, ad meam inſtantiam expedita (quam adjungebam) ſuper taxam lucri ex mutuo redundandi, etiam obſervari præcipiebat, imo et expreſſa lex regiæ ordinationis, l. 4. tt. 67. § 9. quæ in hac materia, utpote peccatum involvente, jubet ſecundum jus canonicum judicari; addebamque, leges Goanorum Conciliorum eſſe, proculdubio, jus canonicum privatum hujus metropolis, ut ex dicendis liquefiet, quod quidem regia majeſtas, per epiſtolam præfactam, et ſervari exequi, mandabat.

XXIV. Imo dato, quod foret lex nova, demonſtrabam, minime poſſe in dubium excitari mea notoria ad illam conſtruendam poteſtas, etiam ſine conſenſu, aut conſilio, quinimo cum repugnantia mei capituli, ut noviſſime clare probat Gaſparr. inſtit. canon. tt. proœmial. n. 16. et 17. ex cap. 2. de major. et obed. ubi Abb. et in cap. *Cum conſuetud.* de conſuetud. n. 5. Antonell. de regim. lib. 1. cap. 1. § 2. n. 68. dicens, eſſe de mente omn. DD. ex c. *Aut animarum*, de conſtit. in 6. addens, *Quod ſi ſtatuta epiſcopi rationabilia ſint, non cenſcatur illis derogatum per ſubſequentes Summorum Pontificum conſtitutiones, niſi in iis id expreſſe caveatur, cap. 1. de conſtitut. in 6.*

XXV. Inſuper Gaſparr. citat. n. 23. aſſerit, *Quod, vacante eccleſia cathedrali, poteſt capitulum ſtatuta condere, totam diœceſim obligantia, et duratura, etiam poſt electionem novi epiſcopi, niſi huic ea revocare viſum fuerit expediens.* Ita Soares, lib. 4. de legib. c. 6. n. 14. et 17. Abb. in cap. *Cum olim*, n. 7. de majorat. et obed. pluresque apud ipſos.

XXVI. Nec ratio, qua procurator regius ſumme fidebat, me ſcilicet Summum Pontificem ſuperiorem recognoſcere, aliquid officiebat, aut faciebat: nam hæc epiſcoporum, et archiepiſcoporum Romano Pontifici ſubjectio, haud aliquid obſtat, quominus veri principes, utpote apoſtolorum immediati ſucceſſores, juxta illud Pſ. 44. 17. *Conſtitues eos principes*; et veri pontifices reapſe ſint, et abſolute nuncupentur, juxta illud eccleſiæ: *Sacerdos, et pontifex, et virtutum opifex:* proindeque leges, et ſtatuta condere poſſe, ut ſupremus princeps, quilibet in ſua diœceſi, in qua nullus ordinarium ſuperiorem agnoſcit.

XXVII. Quod et regia ordinatio fatetur, et recognoſcit, quatenus l. 2. tt. 1. in princ. aperte dicit, *prælatos* (puta, epiſcopos) *non habere ſuperiorem ordinarium in ſuis regnis:* et 16. Barboſ. in remiſſion. Peg. ad eand. et alii.

Hinc commune axioma provenit ex c. *Ad honorem*, de auctor. et uſu pall. et c. *Novit*, de judic. deductum: *Quicquid poteſt Summus Pontifex in univerſo orbe, poteſt epiſcopus in ſua diœceſi:* ut tradunt expreſſe Soares de legib. l. 6. d. 14. Sanch. de matrim. l. 1. d. 6. Sot. de juſt. l. 10. q. 1. a. 3. concl. 1. Barb. de ep. p. 1. alleg. 1. n. 6. et in c. 1. de præb. Abb. in c. *Cum vint.* 4. de clut. in c. *Venerab.* de præb. et in c. *Dilectus*, de conceſſ. præb. ubi etiam reperitur, *Dignitatem epiſcopalem, eſſe majorem dignitatum apicem:* Andrad. in Theoſeb. 1. p. c. 1.

Inferebatur hic ex adverſo longa deſcriptio, et diviſio, uſurarum *licitarum*, ut aiebat, *et illicitarum:* cui quidem, implicantiam terminorum, *uſurarum licitarum*, prætermittens, nil operæ pretium duxi reſpondendum, præterquam generalitati, qua ex adverſo abſolute, et abſque debitis reſtrictionibus, ac limitationibus, ſupponebatur, et affirmabatur, licitudo *lucri ex mutuo*, quod *ab omnibus juribus, omnibuſque DD. permiſſum eſſe* vociferabatur: opponebam propoſ. 41. damnatam ab Innoc. XI. et 40, 41, 42. ab Alex. VII. et communem DD. ſententiam aſſerentem, pecuniam non eſſe lucrativam, et ſolum ratione lucri ceſſantis, et damni emergentis, vel aliorum ſimilium, aliquid ultra ſortem recipi poſſe; quocirca videndus curſ. moral. Salmantic. tom. 3. tr. 14. c. 3. punct. 3. D. Thom. 22. q. 78. a. 1. et in 3. d. 39. a. 6. et in op. ult. et reliquos DD.

Quoad ultimum punctum, circa debitores fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum, coram judice eccleſiaſtico convenientium:

XXVIII. Plene etiam, planeque ſatisfaciebam, ex ipſamet regia ordinationis diſpoſitione, l. 2. tt. 10. § 3.

§ 3. qua denegari jubentur chartæ tuitivæ excommunicatis ob debita eccleſiis, et perſonis eccleſiaſticis; et tt. 8. ejuſdem leg. 2. agens de auxilio brachii ſæcularis, eccleſiaſticis judicibus præſtando, eandem repetit diſpoſitionem, circa quam videndus Barb. in remiſ. ad dict. ordinat.

XXIX. Et juxta communem doctrinam, quam proſequitur Amoſtat. de cauſ. piis, l. 6. c. 6. n. 62. *Judex eccleſiaſticus cognoſcens de legatis piis, etiam cognoſcit de profanis. Jus namque nuſquam concedit facultatem imperfectam, ut actus imperfectus fiat*, &c. Idem tenet Themud. d. 98. n. 28. ex c. *Si hæred.* de teſtam. ubi gloſſ. et Abb. n. 5. et 7. Innoc. et Hoſt. ibid. n. 7. quam gloſſam communem dicit Anton. in c. *Joan.* de teſtam. Alex. conſil. 239. l. 6. Molin. de juſt. l. 1. tr. 2. d. 250. Bobadilla, tom. 1. l. 2. c. 17. n. 102.

XXX. Et etiam ſecundum eandem ordinat. reg. in capellis, xenodochiis, et hoſpitalibus, juriſdictioni ſæculari ſubjectis, poſſunt prælati eccleſiaſtici cogere adminiſtratores laicos ad defunctorum voluntatem adimplendam, quoad celebrationes miſſarum, et alias diſpoſitiones pias, et § 41. ibidem diſponit inſuper, quod *quando prælati, vel viſitatores eccleſiaſtici vel ex officio, vel ad partis petitionem in executionem piarum diſpoſitionum proceſſerint per cenſuras, vel per mulctas pecuniarias, contra præfectos adminiſtratores laicos, etiam proviſores ſæculares, minime illis contradicant.*

XXXI. Præterea eadem regia ord. lib. 2. tt. 1. § 9. jubet, laicos conductores, proprietates eccleſiarum in emphyteuſim accipientes, coram judice eccleſiaſtico reſpondere teneri; quod etiam aperte affirmat Per. de man. reg. cap. 31. n. 3. dicens: *Laicus non ſolvens penſionem emphyteuticam, apud eccleſiam convenitur.*; qui quidem n. 4. reſolutionem ampliat, etiam ad caſum, *quo laicus ultra poſſideat, elapſo biennio ab ſtatuto aſſignato*; et idem affirmat de eccleſiarum colonis, religionum ſyndicis, de hæredibus, adminiſtratoribus, et reliquis debitoribus, quos omnes dicit adduci poſſe ad judicium eccleſiaſticum, etiam ab ipſis penſionariis, ut videre eſt n. 8. et ſeqq.

XXXII. Pariformiter eadem ordinatio, § 10. ejuſdem tt. 1. l. 2. decernit, poſſe laicos ad judicium eccleſiaſticum adduci, etiam pro rebus non ſacris, quæ in confeſſo ſint ſub cuſtodia, aut poteſtate eccleſiæ: quæ quidem diſpoſitio etiam comprehendere debet pignora ipſa, quæ non modo in cuſtodiam, verum et hypothecam eccleſiis ſeu eccleſiaſticis confraternitatibus, pro debitorum ſecuritate traduntur. Certum enim eſt, ſi in pignoribus ipſis detur dilapidatio, aut diverſio aliqua, dari omnino ſacrilegium.

XXXIII. Quod etiam, ſecundum theologos, committitur, *auferendo non ſacrum de ſacro.* Sacrilegium autem, utpote mixti fori, ad eccleſiaſticum pertinere, agnoſcit eademmet regia ordinatio, l. 2. tt. 9. quæ § 3. ibidem, etiam in caſu, quo ſæcularis judex per præventionem cognoſcit, qualitatem ſacrilegii eccleſiaſtico reſervat; et cum illa idem Per. cap. 53. n. 33. qui n. ſeqq. 34. etiam fatetur, *ſæcularem trahi ad forum eccleſiæ ratione furti, aut violentiæ.* Et tandem oſtendebam, me in conſimilibus terminis, et circumſtantiis adverſus laicos, de quibus erat querimonia, proceſſiſſe; proindeque in mea, ſuper ea re, cognitione, ac procedimento, minime injuriæ, aut violentiæ labem reperiri; quo ſuper etiam videndus Gonç. Tell. in c. *Cum ſit general.* de for. compet. n. 3. Menoc. de juriſd. l. 3. c. 2. Raynald. ſuppl. 5. ad cap. 1. n. 12.

XXXIV. Allegationi autem ordin. l. 1. tt. 62. § 39. ex adverſo factæ, ſatisfaciebam dicens, loqui *de litigiis, quæ inter actores et reos laicos agitantur*; non vero loqui de caſibus illis, quibus per eandem, actrice eccleſia, laici coram judice eccleſiaſtico conveniri poſſunt; et ſufficere, addebam, pacificam poſſeſſionem, qua ego, et prædeceſſores mei notorie ſtabant (quod quidem et ex adverſo fatebatur) ad hoc, ut miniſtri regii judices eccleſiaſticos minime inquietarent, in illaque poſſeſſione liberè continuare permitterent, juxta expreſſas regiæ ordinationis diſpoſitiones, l. 1. tt. 2. § 43. et l. 2. tt. 1. § 13. præcipue accedentibus ſacri Concilii Trid. decretis, ſeſſ. 22. de reform. c. 9. 11. et ſeſſ. 25. c. 3. et reliquis juris communis ſanctionibus ſuper attactis; et inſuper auctoritatibus quamplurium DD. quas per extenſum tranſcribebam, videlicet Antonell. de judic. civil. c. 10. n. 3. citantum Redoand. de rebus eccleſ. q. 78. n. 5. Calder. conſil. 6. de judic. et alios.

XXXV. Præterquam quod certum erat, confraternitates eccleſiaſticas, eccleſiarum fabricas, hoſpitalia, et reliqua loca pia, gaudere minorum privilegiis, et miſerabilium perſonarum, Ricc. in prax. p. 2. reſol. 317. et p. 3. reſol. 413. Alex. conſ. 122. vol. 4. et etiam pluſquam certum in jure, perſonas miſerabiles, tam in civilibus, quam in criminalibus, electionem fori habere, et poſſe coram judice eccleſiaſtico, tanquam competente, convenire; ut communiter tenent DD. et cum illis Vulp. in prax. judic. for. eccleſ. c. 47. n. 4. et ſeqq. Antonell. de judic. civil. l. 5. cap. 4. ex cap. 1. et 2. diſt. 87. c. *Ex parte*, de for. compet. c. *Super quibuſdam*, de verb. ſignification. et hoc privilegio uti poſſe, etiam ſi judicium cœptum ſit coram judice laico. Urſill. ad Afflict. dec. 257. ſub n. 2. Navar. in prax. e clut. fori, q. 6. ſ. 2. Giurb. et aliis, quos refert, et ſequitur Ricc. in collect. p. 6. dec. 2156. ubi refert, ita fuiſſe deciſum in magna curiæ vicaria, et in ſenatu Sabaudiæ.

XXXVI. Adducebam ſubinde notam ſereniſſimi regis Sebaſtiani legem, anno 1569. conditam, qua expreſſe omnimodam, et perfectam ſacr. Conc. Trid. obſervantiam jubet, ut etiam fatentur Valaſc. conſ. 179. n. 30. et plane Per. de man. reg. c. 38. n. 17. § *Verum*; ubi alteram ordinationis diſpoſitionem adducit, l. 1. tt. 9. § 1. *Qua*, inquit, *revocatæ proponuntur ordinationes anteriores conditæ* anni 1568. prout eas abrogatas dicit Valaſc. conſ. 179. n. 29. et dec. 117. n. 11. et per extenſum Conc. Tridentini decretum, ſeſſ. 25. de reform. c. 13. ibi: *Liceat eis* (epiſcopis) *ſi expedire videbitur in cauſis civilibus, ad forum eccleſiaſticum, quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque, etiam laicas, per mulctas pecuniarias, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem*, &c.

XXXVII. Nec obſtare dicebam aliquorum liberum aſſertum, legem Sebaſtianam poſterius revocatam fingentium: nam, ut optime arguit Themud. dec. 98. n. 20. et 21. vel iſta proviſio Sebaſtiana ſolam concilii declarationem continet, vel aliquam conceſſionem, aut donationem eccleſiæ, et ejus prælatis, ab eodemmet rege factam. Si primum; ergo, ſicut rex ſucceſſor, nunquam tentionem habuit, neque habere poterat, concilium ipſum revocandi; ita neque illius declarationem, præcipue cum hæc Sebaſtiana lex expreſſe approbetur per ſucceſſores in ord. l. 2. tt. 1. § 13. ut etiam dicit *idem Per.* d. dec. 117. n. 13. et 14.

Si ſecundum; ergo irrevocabilis remanet talis proviſio; conceſſiones enim, et donationes eccleſiæ factæ per legem, irrevocabiles ſunt: Soar. contra reg. Angl. c. 30. an. 6. quem ſequitur idem Gabr. Per. d. dec. 117. n. 14. ubi teſtatur, judicatum fuiſſe in menſa palatina, *Prælatos poſſe laicos capere, aut diſtringere in Tridentini obſervantiam.*

XXXVIII. Denique addebam, prælatos eccleſiaſticos habere intentionem ſuam in jure communi fundatam adverſus omnes intra diœceſium ſuarum limites conſiſtentes in omnibus caſibus, civilibus, et criminalibus, etiam adverſus exemptos, Donat. in prax. regular. p. 1. tr. q. 6. et q. 11. et etiam contra laicos, Gaſparr. inſt. can. tt. 4. n. 166. præcipue in omnibus cauſis, in quibus intrat peccatum mortale, Raynald. obſervat. crimin. tom. 4. ſupplem. 5. ad c. 1. n. 49. ex c. *Novit ille*, de judic. gloſſ. in cap. 1. de offic. ordin. c. *Antigon.* de pact. c. *Cum ſit generale*, de for. compet. Navar. et Fermoſin. in c. *Novit*, q. 8. de judic. et in c. *Licet ex ſuſcepto*, q. 1. n. 1. de for. compet. et DD. commun. et n. 71. Affert idem Raynald. ibidem legem Theodoſianam, relatam in c. *Quicunque*, 11. q. 1. ubi, inter alia, ſic præcipit: *Omnes itaque cauſæ, quæ prætorio, vel civili jure tractantur, epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur, nec ulterius liceat retractari negotium, quod epiſcoporum ſententia deciditur*, &c. Videatur etiam, quod Tilmanus Brandebach. in antiper. l. 2. c. 16. apud eund. Raynald. ſubdit. ibid.

XXXIX. Deinde, certam, et communem eſſe DD. ſententiam dicebam, laicos quidem poſſe judicum eccleſi-

cleſiaſticorum juriſdictionem prorogare, non ſolum ob rationem attactam à Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 14. et 15. tom. 3. nempe, quod ſæcularis juriſdictio, licet non ſit in judicibus eccleſiaſticis *in actu*, adhuc tamen in illis ſit *in habitu*, utpote in eccleſiaſtica contenta; Seſſe de inhibit. c. 9. Carleval. ex Oldrad. Bellet. Sanch. Azeved. recopil. l. 4. tr. 1. lect. 11. et utpote quæ olim eccleſiaſticis indiſcriminatim pertinebat, Bovadill. p. 2. c. 17. n. 3. Rayn. citat. ſuppl. 5. ad c. 1. n. 72. verum etiam ex expreſſa ſanctione, c. *Significâſti*, de for. comp. ubi Abb. n. 14. et DD. communiter, Bart. in l. 1. § *Poſt oper.* ff. Novor. oper. nunt. et in l. 1. ff. de judic. et inf. *Ex conſenſu*, ff. de appellat. et communem dicit Curt. in l. 3. n. 6. ff. de jud. Abb. in c. *Cauſam quæ*, ubi Felin. n. 1. *de re judicata*. Peres in l. 6. tt. 1. l. 3. Azeved. l. 4. tt. 1. p. 11. n. 16. Barb. de judic. l. 1. a. 3. ex n. 133. Cacher. d. 78. n. 1. et 2. Viv. dec. 175. n. 2. et quod ad hanc prorogationem minime laici requirant licentiam magiſtratus, ſeu ſuperioris ſæcularis, dicit Minnan. q. fin. § 8. de pontific. juriſd. Raynald. citat. n. 75. Peres l. 1. tt. 3. l. 6. ad ord. Caſtell. et poſſe epiſcopum procedere per cenſuras contra judicem laicum contrarium edicentem, et edicto prohibentem, ne laicus eligat perſonam eccleſiaſticam in arbitrum, dicit Raynald. ex trad. per Pignatel. conſ. 450. tom. 1. et conſ. 40. n. 24. tom. 2.

XL. Et pro illa opinione refert judicatum in judicio coronæ Luſitanæ Themud. dec. 100. n. 9. et ſeqq. ubi ad contraria plene reſpondet, et iterum judicatum tradit n. fin. et idem aſtruit, 3. p. dec. 257. n. 3. et 4. et inſuper quod juriſdictio eccleſiaſtica adverſus regiam ſæcularem præſcribat, præter citatas ordinat. conſtat ex aliis, quas citat, et ſequitur Per. de man. reg. c. 37. n. 14. et c. 22. n. 35. et c. 57. n. 1. et ad illas conformiter ſic concludit, d. c. 37. *Perſcriptio juriſdictionis, pluribus locis, à lege regia permiſſa reperitur.*

XLI. Pro coronide recurrebat regius procurator aliquod generale remedium requirens *clamoribus, quos pendentes per recurſus* dicebat, aliquorum laicorum ad eccleſiaſticum judicium pro præfatis debitis vocatorum, adhibendum. Cui quidem reſpondebam, 1. Oſtendens, nullum in hac re pendere recurſum, niſi duplicem, duorum fabricariorum duplici eccleſiæ, ob notoriam, de qua in judicio eccleſiaſtico, quo conſenſerant, convicti fuerant, in bonorum eccleſiaſticorum dilapidationem.

2. Proſoquebar, quod ſi hi duo debitores, aut dilapidatores, recurſus remedio jam uſi fuerunt; ad quid inſerviebat novus ſuper eadem re præſens recurſus? et quale novum excogitabile remedium generale perquirebatur contra ejuſdem recurſus naturam? Qui quidem, utpote remedium *extraordinarium*, et *ſubſidiarium*, Caldero, tom. 3. dec. 132. n. 9. Coſt. de remed. ſubſid. 22. n. 4. v. 2. Menoch. remed. 15. n. 22. quo equidem per viam facti cognoſcitur, Portug. de donat. reg. p. 2. c. 31. n. 17. et 18. certe interponi non valet, niſi de factis jam factis, et actualitate functis; et non extenditur ad futura, ex eadem gravaminis, et recurſus, natura, vis, aut violentiæ notoriæ prætextu, interpoſiti, et ex mente ipſiuſmet regiæ ord. l. 1. tt. 9. § 11. et 12. et l. 3. tt. 8. § 1. Coſta *de ſtyl. dom. ſupplicationis*, annot. 8. et tandem concludebam, ſimile remedium generale anticipatum, jam ab hocmet ſenatu regio Goano prætenſum, et præventum, reprobatum, et aſperrimis terminis exploſum fuiſſe à regia majeſtate in duplici regali epiſtola 12 April. anni 1726. proregi directa, et in ſenatus libris tranſcribi juſſa, quas in ipſiſmet pro oblitis habebam (quæ quidem infra allegat. 12. et 15. per extenſum, utroque idiomate, traduntur): et tandem pro mea notoria poſſeſſione, et pro reliquis neceſſariis, expreſſam *proteſtationem* faciebam.

XLII. Hæc reſponſio et allegatio hujus fuſi recurſus, cujus introductionis petitio fuſiori adeo extenſione exarabatur, ut per fere viginti foliorum amplitudinem ſpatiaretur. Finis autem, vel exitus, nullus hucuſque fuit, niſi ſilentium; nam ad reſponſionis evidentiam, neque procurator recurrens, neque alter ejus collega, ſenator etiam regius, qui recurrentem ad præſentium gravaminum interpoſitionem ardentius excitârat, ulterius progreſſi ſunt, neque judex ipſe regiæ coronæ etiam acta concluſa ſibi facere juſſit; ſed omnes omnino hactenus tacuerunt.

Regium reſcriptum, ſupra citatum, ſuper taxa lucrorum ex mutuo pro hoc Indiano ſtatu.

XLIII. DOM Joaõ, por graça de Deos, rey de Portugal, e dos Algarves, da quem, e da lem mar em Affrica, ſenhor de Guine, &c. Faço ſaber a vôs, reverendo arcebiſpo primâs de Goa, que ſevio, o que me reprezentaſtes em carta do primeyro de Dezembro, do anno de 1725. de que eſtando por ley inſtituida pello 5. Concilio Goano, pelo arcebiſpo D. Fr. Aleyxo de Menezes, de que neſſas partes orientaes, os ganhos no dinheyro, que ſetoma a mutuo, naõ excedaõ de 7 por cento tomado porpenhores; et de 8 por hypotheca de rais; e de 9 em papel razo, mandando a todos os juizes eccleziaſticos e ſeculares, que neſta conformid. julgando, ſentenceem condenando, e declarando todô o mais exceſſo por uzura, ſem embargo das leys do reyno naõ permittirem exceſſo de mais de 6, e 4, por cento; e porque, conforme a praxe, parece ſenaõ comprehenderaõ neſte decreto as reſpondencias do mar, que ordinariamente ſaõ a des por cento: a cobiça e avareza inventou modo, com que palear os ganhos da terra, para que podeſtem tambem ampliar os de 10 por 100, pretextando-os com o nome de *reſpondencia*; e aſſim fazem o contracto comeſtas expreſſoes dizendo, que daõ tanto, &c. *a reſponder a ganhos da terra, de* 10 *por* 100; e por que ainda que os prelados, voſſos anteceſſores, ſempre com ſuas paſtoraes o prohibiraõ, e condenarão eſte abuzo como uzurario (o que vôs tambem imitaſtes) e ſuppoſto que alguns miniſtres, que tinhaõ noticia deſtes decretos, e das leys Goanas, ſentenciaraõ conforme a taxa e diſtinçaõ dellas, com tudo outros, e eſpecialmente os ouvidores dos auditorios inferiores, pondo as partes as eſcripturas em juizo, ſentenceaõ conforme o contracto nellas expreçado, por menos noticia das leys eccleſiaſticas, ou por que ſe enganaõ com a clauſula de dinheyro a reſponder *a ganhos da terra*, ou talues, por que entendem, que por uzo haverâ alguma preſcriçaõ, a qual naõ pode haver nunca no cazo preſente, contra as leys ſinodaes, pela contiua repugnancia, e prohibiçoês dos prelados, ſem que jâ mais da parte deſtes, ſe poſſa allegar tolerancia, ou paciencia, donde como as paſtoraês prohibem com formal cenſura, que ſe naõ excedaõ as leys Goanas, nem ſe leve a 10 por cento, declarando o contracto por uzura, e os devedores ſe defendem com ellas, e os acredores inſtaõ, com as ſentenças, que nos auditorios ſeculares alcançaõ, conforme as e ſcripturas; de que naſce, naõ pequena confuzaõ; e por que as leys, e ordinaçoes mandaõ, que a lem dos cazos ali declarados, ſe obſerve o que for achado por dereyto canonico, e determinaçoês eccleſiaſticas, viſto ſer materia, que tras peccado, e encargo de conciencia; que ſe obſerve o eſtillo deſte reyno, que he naõ ſe exuder de 6, e 4, por 100; viſto o contracto eſtar deminuto, e abatido na India, e naõ dar de ſi a quelles lucros que dava, quando nella ſe fizeraõ as ditas leys; ou que ao menos nas ſentenças, naõ exceda a taixa do decreto do ditto 5. concilio, por ſer ley eccleziaſtica; com as quaes manda, que ſe conforme com a meſma obrigaçaõ allegada: me pareceo dizervos, que pela ordenaçaõ do reyno eſtá provido o que neſta materia me propondes, e que ſe obſervê as diſpoſiçoês eccleziaſticas; e ſe vos declara, que ao chanceler, e mais miniſtros da relaçaõ de Goa, mando façaõ obſervar as diſpoſiçoês eccleziaſticas determinadas ſobre eſta materia, aſſim em todos os auditorios ſeculares. El Rey noſſo ſenhor o mandou por Antonio Rodrigues da Coſta, e o Doutor Jozeph Carvallo Abreu, conſelheyros do ſeu conſelho ultramarino, e ſe paſſou por duas vias. Dionizio Cardozo Pereyra a fes em Liſboa Occidental a 27. de Março de 1727. O ſecretario Andre Lopez de Lavre a fes eſcriver. Antonio Rodriguez da Coſta. Jozeph Carvallo Abreu.

Idem

Idem reſcriptum Latine traditum.

D. Joannes, Dei gratia rex Portugalliæ, et Algarbiorum, citra et ultra mare Africanum, dominus Guineæ, &c. Notum vobis facio, reverende archiepiſcope primas Goane, quod perſpectum eſt, quod mihi per epiſtolam veſtram 1. Decembris 1725. quod cum à quinto Concilio Goano, ab archiepiſcopo D. Fr. Alexio de Menezes celebrato, expreſſa lege ſtatutum ſit, ut in partibus ipſis orientalibus lucra ex mutuo, non excedant quantitatem ſeptem pro centum, quando ſuper adduntur pignora mobilia; et octo, quando hypothecantur bona immobilia; novem, quando per ſimplicem codicem pecunia mutuatur; præcipiendo cunctis judicibus eccleſiaſticis, et ſæcularibus, ut ad hæc cohærenter judicantes, reliquum exceſſum, ut uſurarium, damnent, et declarent, quamvis leges regni non permittant exceſſum, niſi ſex et quadrantis pro centeſimo numero: et quia ſecundum praxim vulgarem videbatur in hoc decreto non comprehendi reſpondentias maritimas, quæ regulariter lucrantur *decem pro centum*; humana cupiditas et avaritia modum adinvenit, quo lucra terreſtria palliaret, et ea ad denarium lucrum pro centum applicaret, ea vocabulo hoc *reſpondentiæ* prætextando, ſicque contractum hunc expreſſione hac celebrando, videlicet, ſeſe talem quantitatem præſtare *ad reſpondendum* cum lucris terreſtribus decem pro centum: quem quidem contractum, utpote uſurarium, prædeceſſores veſtri per ſuas paſtorales chartas ſemper reprobârunt, quos vos etiam imitati eſtis: et quamvis aliqui miniſtri, harum legum haud ignari, conformiter ad illas, ſuas tulerunt ſententias, alii tamen, præſertim in auditoriis inferioribus, exhibitis in judicio ſcripturis, conformiter ad contractum in eis expreſſum judicant, vel ex defectu notitiæ formalitatis prædictarum legum, vel quia falluntur clauſula ea *ad correſpondendum*; vel quia ſibi perſuaderent propter uſum, aliquam adeſſe præſcriptionem; quæ tamen in caſu præſenti dari non poteſt, adverſus expreſſas leges ſynodales, et continuam prohibitionem, ac repugnantiam prælatorum; ex parte quorum, nec tolerantia, nec patientia unquam recognita eſt. Unde cum paſtorales ſub formali cenſura vetant, ne leges Goanæ in hac re excedantur, declarantes uſurarium contractum aliter celebratum: debitores earum diſpoſitione clypeati, ſeſe defendere quærunt; creditores ſententias, ſcripturis conformes prolatas, non ſine parva confuſione exequi conantur: et quia aliunde ordination. reg. jubent, quod præter caſus ibidem expreſſos, ſervetur, quod jure canonico, et eccleſiaſticis decretis ſancitum repertum fuerit, eo quod ſit materia peccatum, et onus conſcientiæ involvens; congruum foret, ut obſervaretur regni ſtylus, non excedentibus lucris ſex et quadrantem, ſuppoſita præſenti negotii deminutione; vel ſaltem, quod in ſententiis, non excedatur taxa decreti quinti Concilii Goani, quæ lex eccleſiaſtica eſt: mihi viſum eſt vobis reſcribere, quod per regiam ordinationem proviſum eſt propoſitioni huic, et quod obſerventur diſpoſitiones legum eccleſiaſticarum: et ulterius vobis declaratur, quod cancellario, et reliquis miniſtris ſenatus Goani, præcipio, ut obſervari faciant in omnibus auditoriis eccleſiaſticas diſpoſitiones ſuper hac re decretas. Rex dominus noſter id juſſit per Antonium Rodrigues da Coſta, et doctorem Joſephum Carvallo de Abreu, conſiliarios concilii ſui ultramarini, et duplicatum tranſmiſſum fuit. Dionyſius Cardoſo Pereira hanc fecit Ulyſſipone Occidentali, die 20. Martii 1727. Secretarius, Andreas Lopes da Lavre, ſubſcripſit. Antonius Rodrigues da Coſta, Joſephus de Cavallo de Abreu.

ALLEGATIO II.

In Reſponſione ad Recurſum ob Notificationem ad comparendum ex vi Culparum in Viſitatione denuntiatarum, et ob Rejectionem Appellationis ab ipſa Notificatione interpoſita.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Appellatio, in qua non petuntur apoſtoli, invalida eſt, et rejicienda.*
III. *Appellatio, in qua judex ad quem non determinatur, licet de jure civili valida ſit, de jure canonico aliter dicendum venit.*
IV. *Appellationis libellus debet ab appellante, aut ejus procuratore ſubſcribi.*
V. *In materiis viſitationis, aut morum correctionis, nulla datur inhibitio, aut appellatio.*
VI. *Nec in rejectione appellationis de prædictis datur violentia, aut locus recurſui.*
VII. *Cauſæ viſitationis, ſunt ſummariiſſimæ, et in his de jure non datur appellatio.*
VIII. *Appellationi à notificatione ad comparendum, ut reus audiatur, et exoneretur, non defertur, nec falſa alleganti.*
IX. *Appellationi frivolæ non deferens, non committit violentiam, etiamſi materia illius appellabilis ſit.*
X. *Trita praxis omnium viſitatorum eccleſiaſticorum eſt, citare reos ad comparendum ſub excommunicationis pœna.*
XI. *Cum hac etiam pœna, et formali præcepto, ut omnes conveniant ad denuntiandum, publicatur viſitationis edictum.*
XII. *In criminibus notoriis poteſt procedi, etiam ad declarationem cenſuræ, abſque prævia monitione, aut citatione, et multo magis ad comminationem illius, ut notorius delinquens compareat.*
XIII. *Prælati eccleſiaſtici, etiam extra viſitationem, habent juriſdictionem ad cenſuras comminandas pro morum correctione, ac reformatione.*
XIV. *A prælato procedente, ut executore juris, aut Concilii Trid. non datur recurſus.*
XV. *Ita ſæpe in coronæ judicio judicatum eſt.*
XVI. *Sufficit, quod judex eccleſiaſticus valide, licet injuſte, procedat, ut non pateat recurſus ab illo ad ſæculare tribunal.*
XVII. *Tridentinum trinam monitionem prærequirit pro excommunicatione lata per modum pœnæ, et punitionis, contra concubinarios, non pro comminatione excommunicationis, quæ tanquam medium ad comparendum adhibetur.*
XVIII. *Areſta, ex adverſo adducta, pronuntiata fuerunt ſuper ſententiis finalibus, et ſuper captura concubinariorum ante trinam monitionem.*
XIX. *Areſtum pro judice eccleſiaſtico, non ſolum citante, ſed et damnante, apponitur.*
XX. *Nec reges, nec ſupremi principes, eximuntur à cognitione, et monitione viſitationis eccleſiaſticæ.*
XXI. *Recurſus non admittitur, quoties ex illo majus inconveniens bono communi ſequitur.*
XXII. *Recurſus præcipue eſt introductus, ut judicis ſuperioris auctoritas conſervetur, ejuſque adjuvetur juriſdictio.*
XXIII. *Exitus præſentis recurſus.*

FACTI SPECIES.

I. IN prima mea provinciæ Salſetanæ viſitatione anno 1722. mulier quædam Canarina denuntiata ob concubinatum ſcandaloſum, et notificata, ut compareret, notificationi minime paruit; ſed ab ea incurialiter appellans, rejecta appellatione, recurſum ad coronæ judicium interpoſuit; cujus fundamenta ad duo tantum reducebantur; videlicet, 1. Quod ſub pœna excommunicationis majoris juſſa fuerit comparere. 2. Quod ejus appellatio non recepta, ſed rejecta foret, in quibus vim mi illi notoriam inferre, varia allegans, conquerebatur.

II. Re-

II. Reſpondebam tamen, et quoad rejectionem appellationis clare oſtendebam, illam dupliciter peccare, tum ex parte formæ, tum ex parte materiæ. Ex parte formæ: 1. Quia in ea minime petebantur apoſtoli, cujus defectus, aut omiſſio certe reddit appellationem invalidam, et rejiciendam, ex text. in cap. *Cordi*, de appellat in 6. cap. *Biduum*, cap. *Poſt appellat.* 2. q. 6. et tex. in l. *Eos*, § *Apoſtolos*, et l. *Quoniam*, 11. cod. de appellat. et notat Innoc. in c. citat. de appellat. eo quod apoſtolorum petitio ſit de forma appellationis. Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſ. 1. n. 91.

III. 2. Quia in appellationis libello, aut petitione, non deſignabatur *judex ad quem*; et quamvis appellatio indeterminata, et disjunctiva ſit de jure civili valida, ut tenent Bald. et Bartol. in l. 2. de appellat. Abbas tamen in cap. *Inter cæt.* de appellat. et Franc. in cap. *Dilecti*, 3. q. 16. limitant, *de jure canonico aliter ſervandum*, ait cum illis Pelegr. loco citato.

IV. 3. Quia inter alias contra ſtylum incurialitates, appellationis libellus, aut petitio, neque per appellantem, neque per ejus procuratorem, ſubſcripta erat; quod quidem ſufficiens erat, ut ei non deferretur; Pelegrin. prax. vicar. p. 2. ſeſſ. 1. ſaleſ. 2. Sperell. dec. 130. et alii apud illos.

V. Ex parte materiæ etiam appellatio inattendibilis et inadmiſſibilis reddebatur: 1. Quia erat materia viſitationis, et morum correctionis; et juxta S. Concilii Tridentini ſanctiones, ſeſſ. 13. cap. 1. et ſeſſ. 24. c. 10. de reformat. *Nec in his, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.*

VI. Ex vi quorum decretorum concludunt Marſil. in concil. l. 4. tt. 7. c. 17. Scacc. de appellat. q. 17. lim. 26. n. 1. ubi mult. alios refert; Salg. de reg. protect. p. 2. c. 15. n. 55. uſque 57. Petra. tom. 3. in conſt. 4. Bonifac. VIII. n. 10. et 11. f. mihi 524. in denegatione appellationum in his materiis minime violentiam conſiderari poſſe, neque aditum recurſui patere.

VII. 2. Quia cauſæ viſitationum ſummariæ, et ſummariiſſimæ ſunt, in quibus de plano, et ſine figura, et ſtrepitu judicii proceditur, actiones dilatorias vitando, Panimol. dec. 10. et 11. Monacell. p. 1. tt. 5. form. 1. n. 15. et ſeqq. ex variis declarationibus, Barb. de poteſt. epiſc. p. 3. alleg. 73. et certum eſt de jure in cauſis ſummariiſſimis, nec dari, nec admitti appellationem, ex his quæ Petra. tom. 4. in conſt. 1. Innoc. IV. n. 21.

VIII. 3. Quia recurrens, non fuit juſſa comparere, ut illa minus vere allegabat, ad hoc, ne immediate emendationem de concubinatus culpa promitteret, et ſubſcriberet; ſed ad hoc, ut ſuper illa culpa, et aliis in viſitatione denuntiatis (quæ tamen in notificatione minime expreſſabantur) audita, et monita foret, et defenſionem ſuam, ſi vellet, juxta ſtylum producere poſſet. In his autem terminis ac circumſtantiis, appellationi interpoſitæ nullatenus deferre tenebar, tum ratione finis notificationis, quæ in utilitatem ipſius recurrentis certe cedebat, quatenus, ut ipſa audiretur, et exoneraretur, dirigebatur; quod quidem vitare, aut effugere minime poterat, Petra. tom. 3. in conſt. 4. Bonifac. VIII. et alii; tum ob notoriam falſitatem, illam allegatam, quæ appellationem inattendibilem reddebat, ex leg. *Eleganter*, ff. de pignor. act. gloſſ. in l. 2. cod. de hæretic.

IX. Et tandem concludebam, quod cum præfata appellatio tot titulis frivola, imo et nulla foret, nullum in illius denegatione gravamen, aut violentia intercedere poterat. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 35. etiam dato, quod materia illius appellabilis foret; Cevall. de cognit. per viam violent. Per. de man. reg. p. 1. cap. 22. Salg. de reg. prot. cap. 1. et 2. et hanc eſſe praxim generaliter obſervatam, teſtatur idem Oliv. modo citatus.

X. Quoad aliud fundamentum, videlicet, notificationis, aut citationis ad comparendum ſub excommunicationis pœna; dicebam, etiam in hoc nec umbram gravaminis, aut violentiæ reperiri.

XI. 1. Quia hæc eſt trita, et generalis praxis viſitatorum eccleſiaſticorum, teſtes, et reos, ut compareant, ſub illa pœna, notificare jubentium, ut examinentur, audiantur, exonerentur, corrigantur, &c. Oliv. de foro eccleſ. p. 1. q. 16. n. 46. et 47. Andrad. de viſitat. gener. c. 13. n. 232. Tuſc. de viſit. l. 1. c. 4. Trias de viſit. c. 5. Barb. de pot. ep. alleg. 73. et jur. eccleſ. 1. 1. c. 14. Piaſec. in prax. 2. p. c. 2. a. 1.

XII. Quinimo ipſum viſitationis edictum ſub formali præcepto, et majoris excommunicationis pœna, jubet omnes, et ſingulos ad denuntiandum convenire; ut videre licet in omnibus ſynodalibus conſtitutionibus, ſignanter in Portucalenſibus in regim. tt. 12. in Bracharenſ. regim. tt. 11. in Ulixbonenſ. et Eborenſ. tt. 11. et aliis. Mend. à Caſtr. in prax. 2. p. l. 2. c. 13. n. 36. Altamiran. de viſitation. verb. *A metropolitan.* Fuſc. Trias, et Piaſec. cit. n. 5. Gavant. in prax. viſitat. § 5. n. 2.

XIII. 2. Quia crimen erat publicum, notorium, et ſcandaloſum; et ſi in criminibus notoriis, etiam ad declaratoriam abſque prævia monitione, aut citatione, procedi poteſt, ut tenent Sayr. Hugol. et alii ap. curſ. moral. Salmantic. tr. 10. c. 1. de cenſur. potiori jure procedi poterit ad ſimilem citationem cum comminatione cenſuræ, ut notorius delinquens compareat ad hoc, ut audiatur, et moneatur, etiam non obſtante antecedenti appellatione. Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſeſſ. 1. caſ. 20. ex c. *Cum ſit Romana*, c. *Pervenit*, c. *Conſuluit*, de appellation. et aliis juribus.

XIV. 3. Quia certum eſt, prælatos eccleſiaſticos facultatem, et juriſdictionem ad ſimiles comminationes, intra, et extra viſitationem, ad morum reformationem, ac correctionem faciendas, habere, ut clare deducitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 1. ſeſſ. 24. c. 3. et 10. ſeſſ. 25. c. 6. de reform. Fuſc. de viſit. d. l. 2. c. 4. Gavant. verbo *Viſitatio*. Barb. de pot. ep. p. 3. alleg. 73. et conſtat ex variis S. Congregationis declarationibus apud ipſos: præcipue intercedente ſcandalo, etiam extra viſitationis actum; Vela in c. 1. de officio ordin. n. 1. c. *Scitote*, 2. Barb. de jur. eccleſiaſt. l. 1. c. 2. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 3. Sperell. p. 1. dec. 4.

XV. Et quoties prælatus procedit, ut executor juris canonici, et decretorum S. Concil. Trid. nec vim facit, nec patet recurſui aditus; Per. de man. reg. c. 4. n. 4. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 42. et ſeqq.

XVI. Denique oſtendebam, eſſe caſum ſæpe judicatum in coronæ judicio, in his citationibus ad comparendum ſub excommunicationis pœna pro præfata concubinatus culpa, non dari violentiam, aut gravamen, ut videre eſt apud Themud. p. 3. dec. 256. Peg. ad ord. l. 2. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. n. 14. et n. 633. Thome Vas alleg. 70. n. 18. ubi citat, præter alios, theoricam Joann. Henr. Cur. Philip. 1. p. § 17.

XVII. Et ſufficere, quod judex eccleſiaſticus, valide, licet injuſte procedat, ad hoc, ut non detur recurſus ad tribunalia ſæcularia; Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 4. et 10. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. n. 30. et alii plures.

XVIII. Hinc gradum faciebam ad retundendas allegationes ex adverſo: et ad primam Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de reform. dicebam, loqui de excommunicatione lata per modum ſententiæ, et tanquam pœna, et punitione culpæ, quam quidem non vult præferri, niſi poſt trinam monitionem: *ſi ter moniti ea de re fuerint*, &c. non vero loqui *de comminatione* excommunicationis, quæ tanquam medium adhibetur, ut rei compareant, ad hoc, ut audiantur, et moneantur, &c. In quo etiam ſenſu loquitur Gabr. Per. de man. reg. ex adverſo allegatas.

XIX. Ad areſta ex Peg. collecta, reſpondebam ſimiliter, et cum rei veritate, omnia pronuntiata fuiſſe ſuper ſententiis finalibus in judicio eccleſiaſtico contra concubinarios prolatis, et ſuper declaratoriis, et captura illorum, quin præcederet trina monitio à Tridentino ſancita. Quinimo ipſe Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. n. 339. areſtum quoddam tranſcribit, pronuntiatum ſuper ſimilem recurſum à quadam concubina interpoſitum de ſententia viſitatoris eccleſia-

eccleſiaſtici, qui illam, et ad comparendum citaverat, et per finalem ſententiam in pœna pecuniaria, vel alia ſimili, damnârat; in quo præcipuum fundamentum recurrentis erat, ipſemet defectus trinæ conciliaris monitionis, et tamen nullatenus obtinuit; vide eundem Peg. ibid. l. 2. tt. 1. § 13. gloſſ. 15. n. 18. ubi trinam monitionem non eſſe neceſſariam ad pœnam pecuniariam injungendam, vel aliam ſimilem, ſed tantum ad ſententiam excommunicationis ferendam, fatetur cum Caſtr. c. 34. n. 11. Barb. ad Conc. n. 3. Vela in c. 1. de offic. ord. p. 1. n. 64. Souſa, q. 9. n. 5. et ita deciſum à S. Congregatione.

XX. Allegationi ſpeciali propriæ honeſtatis recurrentis, *ſe Canariuam Braemenam, et gravem* eſſe obtrudentis; reſpondebam, nec reges ipſos, aut ſupremos principes, à viſitationum eccleſiaſticarum cognitionibus, atque monitionibus exemptos eſſe, de quo Fuſc. de viſit. l. 2. c. 32. n. 1. et ultimo ſedulam ponderationem ſuper hoc tandem haberi poſtulabam; quod ſcilicet,

XXI. Nec admitti, nec provideri deberet recurſus, ex quo majus inconveniens, vel præjudicium bono communi ſequitur, quam ex illius rejectione. Peg. ad ord. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. c. 1. n. 28. Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 45. p. 1. ex l. *Actione*, ff. pro ſoc. l. unic. cod. caduc. toll. authent. de *non alienand.* c. *Scias*, 7. q. 1. et aliis. Et ſi præſens recurſus admitteretur, finis emendationis, ac correctionis mearum ovium, quinimo et totius diœceſis reformationis, penitus fruſtraretur, et eluderetur. Quilibet namque ad comparendum ſimiliter notificatus, aut citatus, ſtatim ſe gravatum conclamans, illico ad recurſus remedium, præcipue ſi ſe in conſcientia gravatum ſenſerit, confugiet, ut ipſamet recurrens perfecit; et ſic comparendi obligatio, omnino à reorum urbanitate dependebit, et morum correctioni, ac reformationi, viæ penitus præcludentur.

XXII. Et denique ponderatione etiam dignum dicebam, quod Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 6. n. 29. aperte aſtruit, dicens: *Hæc regia poteſtas, ea potiſſimum ratione, in hoc genere violentiæ fuit inducta, non ſolum, ut oppreſſo appellanti ſuccurratur, ſed etiam, ut judicis ſuperioris auctoritas conſervetur, ejuſque adjuvetur juriſdictio, neque ipſius honor vilipendatur*, &c.

XXIII. Hac mea reſponſione factis actibus ſenatui concluſis, ſententia hac prodiit, *Senatum de præſenti recurſu cognitionem non ſumere.* Et ſic recurrens (poſt declarationem tamen) citationi paruit, et comparens emendationem promiſit, et ſubſcripſit.

ALLEGATIO III.

In Reſponſione ad Recurſum à quodam Clerico Acolytho introductum, ob Capturam propter Delicta enormia in eum executam.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Primi fundamenti falſitas oſtenditur.*
III. *Ut clericus, etiam tonſuratus, dumtaxat gaudeat privilegio fori, et reliquis, ſufficit, citra beneficium, adſcriptio alicui eccleſiæ.*
IV. *Pontificale Romanum ita prima tonſura initiatis notificat.*
V. *Concilium Trid. ad fori privilegium requirit disjunctive, aut beneficium eccleſiaſticum, aut prædictam adſcriptionem.*
VI. *Hæc adſcriptio ſufficit, quod ſit generalis.*
VII. *Et ſufficere reale ſervitium eccleſiæ abſque adſcriptione, aliqui affirmant.*
VIII. *Sed contrarium certum, quoad privilegium fori; ſecus vero, quoad alia.*
IX. *Judex eccleſiaſticus non tenetur acta remittere ex vi chartæ rogatoriæ, quatenus culpæ non ſunt deductæ ad forum contentioſum.*
X. *Lex Sebaſtiana id vetans eſt in ſua viridi obſervantia.*
XI. *Recurrens minime obtinuit, neque in impedimentis primæ ſententiæ.*
XII. *Notantur varia pro uberiori hujus Sebaſtianæ proviſionis intelligentia.*
XIII. *Judex eccleſiaſticus poteſt recurſui adjungere atteſtationes culparum, et aliorum.*

FACTI SPECIES.

I. QUIDAM clericus Indianus, quatuor minorum ordinum gradibus inſignitus, de aliquibus gravibus ſceleribus, præcipue de cujuſdam publicæ ſcripturæ falſificatione, coram me denuntiatus, necnon de fictione patrimonii in alienis bonis celebrati, et ob ea in carcerem detruſus, ab illo aufugiens, et ſæculares induens veſtes, recurſum interpoſuit, hoc duplici tantum fundamento ſtabilitum.

1. Quia biduum ante capturam, nec tonſuram, nec veſtem clericalem gerebat.

2. Quia beneficio carebat; proindeque, etiam dato, quod in veſte, et tonſura clericali incederet, minime pro eccleſiaſtica perſona, et eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjecta, reputari debebat, ac per conſequens neque fori privilegio gaudente.

II. Oſtendebam imprimis primi falſitatem fundamenti, ex proprii parochi teſtimonio atteſtante, recurrentem, biduum ante capturam, parochialem domum ingreſſum fuiſſe in veſte, et tonſura clericali, et cum corona, propria ipſius graduum, in occipite capitis abraſa; quod et confirmabam, ex quadam ſupplicatione in illis diebus, ab ipſo, ut clerico, ad me directa, ſuper proprii clericalis patrimonii validitate.

III. Ad ſecundum fundamentum dicebam, clerico, etiam tonſurato, dumtaxat, ut fori, et reliquis privilegiis gaudeat, ſufficere, citra beneficium, cujuſlibet eccleſiæ ſervitio adſcriptionem, ex Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de reform. Per. de man. reg. c. 23. n. 1. Peg. ad ord. l. 2. tt. 1. § 4.

IV. Et hoc illis poſt primæ tonſuræ initiationem, juxta Romani pontificalis ordinationem, à prælato notificari per illa verba: *Hodie de foro eccleſiæ facti eſtis, et privilegia clericalia ſortiti eſtis.*

V. Confirmabam ex ipſomet Trid. eodem c. 6. ad fori privilegium, disjunctive tantum requirente, aut beneficium eccleſiaſticum, aut præfactam adſcriptionem cum habitu, et tonſura clericali; verbis ibi: *Ita etiam fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum, aut clericalem habitum, et tonſuram deferens, alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate, de licentia epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos, verſetur.*

VI. Hanc autem adſcriptionem, opus non eſſe, quod ſit ſpecialis, ſed ſufficere generalem, quæ implicite in ordinationis charta continetur, aſſeverat Barb. de jur. eccleſiaſt. l. 1. de privil. cleric. cap. 39. n. 35. et 36. contrariam, quam tenuerat, opinionem retractans: *Quia vidi*, inquit, *deciſionem S. Congregationis in Valentina 29. Junii 1628. aſſerentem, quod clericus in minoribus eccleſiæ deſerviens, non tamen ex mandato epiſcopi, habitum, et tonſuram deferens, gaudeat privilegio fori: et iterum in alia ejuſdem S. Congregationis 28. Martii ejuſdem anni.*

VII. Et quod hodie adſcriptio eccleſiæ de mandato epiſcopi non ſit neceſſaria, ſed ſufficere reale illius ſervitium in divinis, cum id videatur reſpexiſſe Tridentinum, tenent expreſſe Antonell. de privil. cleric. c. 7. Biſſ. dec. moral. tr. 4. de immun. § 15. n. 314. Pignatell. tom. 3. conſ. 7. Cardin. Deluc. de juriſd. d. 112. et de ſervit. dec. 61. n. 18. et ad concil. d. 24. et de regular. dec. 62. Cardin. Petra, alias deciſiones adducens, tom. 1. in conſt. un. Greg. VII. ſeſſ. 1. n. 59. et ibid. et alibi 123. Panimol. dec. 14. n. 1. et 5. Sperell. dec. 123. et alibi. Cortiad. dec. 7. et 12. et alii apud ipſos.

VIII. In rei tamen veritate equidem ſcio, hodie contrarium tenendum, quoad privilegium fori, propter

expreſſum novi Concilii Lateranenſis decretum, tt. 6. c. 11. de quo etiam infra, alleg. 37. licet quoad reliqua privilegia, canonis ſcilicet, et immunitatis ab exactionibus laicalibus, adhuc ſubſiſtat præjacta prædictorum DD. opinio.

IX. Denique, quoad actorum remiſſionem, quæ per chartam rogatoriam ab eodem judicio, poſt præmiſſam meam reſponſionem oblatam, expoſtulabantur; etiam dicebam, minime hanc rogatoriam chartam me exequi poſſe, aut teneri; tum quia acta poſtulata nulla alia erant præter denuntiationes, et inquiſitionem quandam privatam ſuper illarum materiis; tum quia delicta recurrentis adhuc ſub ſecreto exiſtebant, et ad forum contentioſum minime deducta, quo caſu tenebat lex Sebaſtiana, die 10. Octobris 1571. expedita, omnino vetans à judicibus ſæcularibus, per rogatorias chartas, culpas reorum, vel acta culparum poſtulari, quatenus ad forum contentioſum deducta non ſint.

X. Quam quidem legem in ſua viridi obſervantia permanere, tam in regnis Portugalliæ, quam in toto hoc Indiano ſtatu, et reliquis ultramarinis provinciis, præter notam experientiam, teſtatur Themud. dec. 172. n. 3. Mend. à Caſtr. l. 2. c. 4. § 2. n. 23. Per. de man. reg. c. 11. n. 7.

XI. In hoc gravamine recurrens nullatenus obtinuit, neque in ipſo recurſu, neque in impedimentis, quæ primæ ſententiæ, proviſionem deneganti, tenaciter oppoſuit.

XII. Tu vero pro uberiori præcitatæ legis, aut proviſionis Sebaſtianæ intelligentia, obſerva, 1. Eam ad inſtantiam illuſtriſſimi domini D. Georgii de Almeyda, archiepiſcopi Ulixbonenſis, cum conſilio ſenatorum palatinorum, expeditam fuiſſe; contra frequentem abuſum, quo ex judicio coronæ in favorem reorum aliquorum, adverſus quos, in eccleſiaſtico judicio ob culpas tum intra, tum extra viſitationem procedebatur, ad illud recurrentium, præfatæ chartæ rogatoriæ mittebantur, culpas, ob quas procedebatur, poſtulantes.

Obſerva, 2. Prædictam proviſionem regiam ſequentia diſponere: 1. Quod ſimiles rogatoriæ chartæ ulterius non expediantur, *niſi ubi fuerit decretum viſitationis, addendam copiam illius, vel ubi intervenerit monitorium, aut libellus, ad ſimiliter illorum tranſcriptiones præſtandas, et ubi valida conſuetudo invaluerit dandi etiam atteſtationes, certum facientes præfatos reos culpas in eccleſiaſtico judicio habere.*

Obſerva, 3. Omnino prohibere, et interdicere *peti copiam teſtificationum, querelarum, et denuntiationum, quoad ſub ſecreto, et ad forum contentioſum non deductæ extiterint.*

XIII. Et ex his inferes, contra aſſertum Peg. tom. 3. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. poſſe à judice eccleſiaſtico in recurſibus ab illo intentatis adjungi atteſtationes, vel ex actibus, vel ex viſitationis libro, vel aliunde emanatas.

ALLEGATIO IV.

In Reſponſione duplici Recurſui à Procuratoribus regiæ Coronæ, et generali cujuſdam Religionis interpoſito in Cauſa in competenti Reivindicationis miraculoſæ Imaginis Pueruli Jeſu, ex Eccleſia parochiali Colluana Salſetanæ Provinciæ, ſuper Monitorio, ne extraheretur abſque Impedimentorum Deciſione in Cauſa principali, et abſque Ordinarii, et regii Patroni Conſenſu; et ſuper Citatione ad allegandum quare, *&c. poſt violentam, nullam, et multipliciter ſacrilegam Extractionem.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Triplex recurſus fundamentum.*
III. *Fundamentum erat appellatio quædam,* Ante omnia *nuncupata.*
IV. *Ordin. l. 2. tt. 14. non loquitur de* charta monitoria, *ſed de* charta inhibitoria, *non ex officio, ſed ad inſtantiam partis expedita.*
V. *Tranſcribitur ordin. reg.*
VI. *Adducuntur DD. regnicolarum auctoritates.*
VII. Monere, citare, *et* inhibere, *diverſa quidem ſunt.*
VIII. *Judex eccleſiaſticus, tenetur propriam juriſdictionem defendere, et ſæculari inhibere.*
IX. *Judex ſæcularis non ſuccurritur, quando ab eccleſiaſtico inhibitus excommunicatur; et multo minus, quando tantum monetur, aut citatur ad* allegandum quare, *&c.*
X. *Quando vicarius generalis poſſit ſenatores regios, etiam palatinos, excommunicare, remiſſive.*
XI. *Judicibus laicis expreſſe probibetur juriſdictionem aliquam in eccleſia exercere.*
XII. *Eccleſia non eſt territorium judicis ſæcularis.*
XIII. *Judex laicus non poteſt ſpoliare reum ad eccleſiam confugientem armis prohibitis, nec bonis furtivis, niſi cum licentia judicis eccleſiaſtici.*
XIV. *Judicialis illa traditio in eccleſia executa, opponebatur multiplici juris can. prohibitioni.*
XV. *Referuntur enormia ſacrilegia in executione illa ab officialibus laicis patrata.*
XVI. *In chartis monitoriis, vel citatoriis ad allegandum, non infertur gravamen à judice eccleſiaſtico, neque datur recurſus.*
XVII. *Ad ſententiam notorie nullam exequendam, deeſt penitus juriſdictio.*
XVIII. *Totalis defectus citationis quoad partes præcipue intereſſatas, reddit ſententiam nullam, præſertim in cauſis reivindicationis.*
XIX. XX. *A nulla eccleſia patronata, imo et ab altari, nequit miraculoſa imago alio transferri abſque expreſſa patroni, et ordinarii licentia.*
XXI. *Parochus illius eccleſiæ jus habet percipiendi oblatas, imagini illi exhibitas.*
XXII. *Debebat et citari mitræ procurator.*
XXIII. *Oblationes illæ, ſi magnæ ſint, de jure competunt epiſcopo.*
XXIV. *Epiſcopus eſt legitimus defenſor, et gubernator omnium ſuæ diœceſis eccleſiarum, et in omnibus intereſſatus.*
XXV. *Parochus poteſt diſtincte opponi, et pro parte eccleſiæ, et pro parte ſuorum jurium.*
XXVI. *Neque obſtat oppoſitio in principio.*
XXVII. *Gaudet beneficio reſtitutionis, et in omni ſtatu poteſt exceptionem incompetentiæ opponere.*
XXVIII. *Imo ſufficiebat prima oppoſitio ad hoc, ut noviter ad executionem citari deberet, cum aſſignatione* 10 *dierum.*
XXIX. *Exceptio incompetentiæ, etiam poſt* 3 *conformes, opponi valet, à qualibet comparte.*
XXX. *Alias proceſſus redditur nullus.*
XXXI. *Sufficiebat, quod imago illa foret ſub parochi poſſeſſione, licet non ſub dominio, ut illius reivindicatio privative judicio eccleſiaſtico competeret.*
XXXII. *Reg. ord. l. 2. tt. 1. etiam loquitur generice de imaginibus ſacris, et de omni re, quamvis non ſacra, ſub cuſtodia eccleſiæ conſiſtente.*
XXXIII. *Sufficit ſpecialis benedictio, ut res dicatur ſacra.*
XXXIV. *Specialis titulus datur* de benedictione imaginum.
XXXV. *Factum præſumitur ex his, quæ fieri præcipiuntur.*
XXXVI. *Qualitas præſumitur, ſi rei connaturalis eſt.*
XXXVII. *Sufficiebat formalitas repræſentationis, et applicationis illius imaginis, ut illius reivindicatio judicio eccleſiaſtico privative attineret.*
XXXVIII. *Etiam ex alia qualitate* miraculoſa.
XXXIX. Ad hominem *hæc ratio convincebatur.*
XL. *Nil efficiebat regium reſcriptum, neque prævenire in judicio ſæculari ſuper poſſeſſorio.*
XLI. *Quando poſſeſſio ſimul cum proprietate commiſceatur, eſt incompetens judex ſæcularis.*

XLII.

XLII. *Ut detur actio reivindicationis eſſentialiter, neceſſarium eſt, ut probetur dominium ex parte actoris, et poſſeſſio ex parte rei.*
XLIII. *Probatio dominii, ut probanti proſit, debet eſſe clara, et certa.*
XLIV. *Poſſeſſor præſumitur dominus.*
XLV. *Dominii probatio efficacior requiritur.*
XLVI. *Si ſpecialis quæſtio conſiſtit in ſolo facto, poteſt judex ſæcularis cognoſcere; ſecus vero, ſi eſt mixta, in facto, et jure conſiſtens.*
XLVII. *Auctoritas Per. de man. reg. in confirmationem.*
XLVIII. *Executionis nullitates,* 1. *Ex intempeſtivitate, et acceleratione;* 2. *Ex non extractione, et ſigillatione ſententiæ;* 3. *Ex defectu citationis parochi ad illam;* 4. *Ex non expectatione menſium reg. ord. l.* 3. *tt.* 84. § 14. *uſque ad n.* LII.
LIII. *Aliæ nullitates ratione loci, et bonorum, et diei ſacri, et exceſſuum ſacrilegorum, et ſpoliativorum, uſque ad n.* LVII.
LVIII. *Appellatio allegata etiam in multis claudicabit:* 1. *In defectum ſpecialis mandati.* 2. *In moroſa interpoſitione poſt afflictiones.* 3. *In congruentia perſonæ, coram qua interpoſita eſt.* 4. *In incurialitate receptionis abſolutæ.* 5. *Ex aliis defectibus, uſque ad n.* LXIII.
LXIV. *Appellatio interpoſita non coram judice à quo, nec devolvit, nec ſuſpendit, juxta Scacc.*
LXV. *Appellatio, cui jus manifeſte reſiſtit, eſt frivola, et irreceptibilis.*
LXVI. *A monitoriis, et à citatoriis* ad allegandum, *non datur appellatio.*
LXVII. *Appellationis fundamentum eſt gravamen injuſtum.*
LXVIII. *Procedimentum defenſivum nec injuſtum eſt, neque gravat.*
LXIX. *Recurſus non expectans appellationis decretum, vel deciſionem, eſt acceleratus, et intempeſtivus, cum ſit remedium ſubſidiarium.*
LXX. *Minime patet recurſus à non receptione appellationis, effectu ſuſpenſivo carentis.*
LXXI. *Novo recurſui in eadem materia, primo pendente, interpoſito, nil reſponſionis additum eſt, niſi exceptio juſta notariorum regularium atteſtationum.*
LXXII. *Facultas S. Pii* V. *pro notariis regularibus eſt reſtricta ad unicam actionem* intimandi *mandata, privilegia, et indulta apoſtolica.*
LXXIII. *Regium reſcriptum reprobativum demiſſionis paræciarum Salſetanæ provinciæ à regularibus parochis* ad nutum.
LXXIV. *Chartæ citatoriæ* ad allegandum *exemplar.*

SERIES FACTI.

I. DEFERENTIBUS quibuſdam parochis regularibus anno 1722. parochias ſæculares, quarum curam regii patroni commiſſione in Salſetana provincia hujus diœceſis Goanæ agebant, ſecum abſtuliſſe quandam miraculoſam imaginem pueruli Jeſu ex parochia Colluana cum omnibus illius opulentis bonis mobilibus, et cum omnium immobilium, quibus locupletiſſime abundabat, titulis, eo quod autumarent, præfatam imaginem, Racciolenſi Collegio, ut poſſeſſam à P. Benedicto Ferreira, quondam ejuſdem collegii incola, pertinere, quo eam ex Moſſambiqueis litoribus, poſt naufragium navis, qua ſimul cum Deiparæ imagine veniebat, aſportaverat:

E contra vero reclamantibus parochianis, eo quod conſtaret, præfatum patrem eandem imaginem prædictæ parochiali eccleſiæ donâſſe, illique eam concorporari feciſſe, cum eccleſiam illam, uti parochus rexerat; et notorium erat, præmiſſam imaginem, non ſolum particulare altare, in illa eccleſia, ut partem illius, ſed et ſpecialem confraternitatem, auctoritate ordinaria erectam, ac rectam, etiam quoad cuncta illius bona, et ab ordinario ſæpe viſitatum, à quo etiam quotannis ſpecialis illius honorum theſaurarius privative nominabatur:

His et aliis fundamentis, recurrentibus parochianis ad ſereniſſimum regem per ultramarinum tribunal, prodiit regium reſcriptum die 18. Aprilis, anni 1724. jubens ſacram imaginem cum omnibus ſuis bonis, ac ſupellectili, parochiali eccleſiæ reſtitui; et quoad dominium, aut proprietatis jus, in judicio competenti, via ordinaria agi: quoad deſertionem autem, eodem die, et anno, aliud regium reſcriptum expeditum eſt regia manu firmatum, quo eam acriter reprobat, ac reprehendit, ut ex ipſa liquet, n. 73. Facta autem per manus ſæcularis cujuſdam miniſtri traditione, P. provincialis illius religionis, ut actor, S. imaginis reivindicationem in ſæculari judicio agitare cœpit; et, rejectis exceptionibus incompetentiæ, præſcriptionis, et aliis, finalis ſententia prodiit pro actore: cui quidem promotore eccleſiaſtico, et mitræ procuratore per aſſiſtentiam partibus, ſecundum ordinationis regni permiſſum, et parocho pro propriis, et regii patroni juribus ſeſe, cum multiplicium nullitatum impedimentis, opponentibus, ante illorum deciſionem, actore, et executore ſententiam ipſam exequi parentibus; per publicum monitorium die 5. Auguſti anni 1729. id facere interdixi, uſque ad cauſæ in judicio competenti finalem deciſionem, et meam neceſſariam licentiam pro executione in eccleſia facienda, prius obtentam. Quo quidem monitorio ab utroque ſpreto, feriata, die 10. Auguſti, S. martyris Laurentii natalitio conſecrata, executionem, armata manu, violenter, arrepti ſunt, exceſſus, et indecentias perpetrantes, quæ in citatoria charta *ad allegandum* infra de induſtria, propter illius ex adverſo redargutiones, tranſcripta, enarrantur; à qua regius procurator, pro parte reorum, ad coronæ judicium recurrit.

II. Triplex erat recurſus fundamentum: 1. Regiæ ordinationis diſpoſitio, l. 2. tt. 14. ordinans, *nullam partem, à judice eccleſiaſtico inhibitoriam contra aliquem regium ſenatorem impetrantem, eam, abſque prævia regis notitia, exequi facere.*

2. Quod miniſter executor, et ejus officialis in præjacta executione, juriſdictionis ſuæ actum exercuerant; proindeque citatoria prædicta violentiam illis inferebat.

III. 3. Fundamentum erat appellatio quædam, *Ante omnia* nuncupata, interpoſita à prædicto provinciali coram provinciali obſervante S. Franciſci poſt ipſam citatoriam chartam expeditam, ac publicatam. Quæ quidem fundamenta ſigillatim, eadem diſtinctione, refutabam. Et——

Quoad primum fundamentum.

IV. Dicebam, citatam ordinationem, l. 2. tt. 14. non loqui de *charta monitoria*, ut ipſe recurrens, minus vere, aiebat; ſed expreſſe de *charta inhibitoria*; et non de inhibitoriis, quas judices eccleſiaſtici *ex officio* expediri faciebant; ſed *de inhibitoriis*, quas ab ipſis impetrabant, et executioni mandabant. Quare hæc ordinatio non dirigitur *contra judicem inhibentem* (quem regia majeſtas, defectu juriſdictionis, minime interdicere poterat, ne inhibeat, in caſibus in quibus id, ſecundum jus, poteſt efficere, c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. ub. DD. omn. Antonell. de regim. l. 1. c. 1. § 7. Jul. Clar. de ſacroſ. eccleſ. Vulp. in prax. c. 44. n. 43. et alii apud ipſos); ſed dirigitur *contra partes impetrantes*, quos quidem, utpote ſubditos, et vaſallos, proprie dictos, poterat rex prohibere, ne impetratam inhibitoriam executioni mandent, priuſquam de illa eum certiorem faciant.

V. Et pro majori evidentia, ipſam ordinationem per formalia tranſcribebam, quæ in hunc loquitur modum: *Jubemus, quod perſona aliqua, cujus favore inhibitoria impetrata eſt, ut inhibeat ſenator aliquis noſter, aut judex, qui de impetrantis cauſa cognoverit, eam publicare non faciat, quin prius id nobis notum facere curet.*

VI. Adducebam inſuper terminantes doctorum regnicolarum auctoritates, aperte fatentes, ordinationem prædictam, non de inhibitoriis, quas judices eccleſiaſtici *ex officio* expediunt, ſed de illis, quas partes ab eis impetrant, diſponere; proindeque, non *contra judices ipſos*, ſed *contra impetrantes dumtaxat*, ordinari. Themud. dec. 8. n. 3. Per. de man. reg. c. 62. n. 12. et 14. et dec. 58. ex n. 22. Barboſ. et Peg. ad eandem ordinat. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. et q. 17. et plures alii, quos ibid. citat, et ſequitur.

VII. Et hæc quidem adducebam, etiam dato, quod accuſata citatoria foret inhibitoria; nam neque illam, neque præcedentem monitoriam inhibitorias eſſe, ex ipſarum

ipſarum titulis, diſpoſitionibus, et contextibus, manifeſte convincebam; et cunctis notum equidem eſt, *Monere, vel citare, et inhibere*, diverſiſſima quidem, ex ſuis etiam formalibus conceptibus, importare.

VIII. Quod autem judex eccleſiaſticus poſſit, et debeat ſuam juriſdictionem defendere, et ſæculari inhibere, præcipue in cauſis, quæ incompetentiæ exceptionem patiuntur, manifeſtum faciebam, ex cap. 1. et c. *Præterea*, de offic. deleg. c. 2. de for. compet. in 6. c. 2. de except. c. *Decernim.* c. *Venerabil.* de ſent. excom. in 6. et ex Themud. addente, poſſe et judicem ſæcularem ab eccleſiaſtico excommunicari, ſi inhibitioni non paruerit, c. *Tuam*, de ord. cognit. c. *Intellecto*, de ſent. excom. in 6. *Imo* (proſequitur idem Themud.) *ſi judex ſæcularis excommunicetur per eccleſiaſticum, non debet ſuccurri per regios miniſtros.*

IX. Ex quo inferebam, quod ſi judex ſæcularis non debeat ſuccurri, quando ab eccleſiaſtico inhibetur, et ob non paritionem excommunicatur; multo minus, quando tantum monetur, aut *ad allegandum, quare declarari non debeat*, citatur; in quo nullam dari violentiam, infr. n. 16. oſtenditur.

X. Tandem remiſſionem quandam recurrenti faciebam, ut certiorari poſſet, quando non modo prælatus eccleſiaſticus, verum et illius generalis vicarius, ſenatores regios, etiam palatinos, excommunicare poterat, eum ad ipſammet regiam ordin. l. 1. tt. 12. § 7. ad Per. de man. reg. c. 7. n. 41. et c. 12. n. 10. et 11. ad Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. et 3. p. ad Themud. dec. 8. n. 2. et alios, remittens.

Quoad ſecundum fundamentum, miniſtrum ſcilicet, et officiales, eſſe in actu ſuæ juriſdictionis.

XI. Dicebam imprimis, 1. Quod, etiam dato, quod executio intempeſtiva non foret, neque etiam ſententia notorie nulla, certum omnino erat, ad illam neceſſario præcedere debuiſſe licentiam ordinarii prælati, cui eccleſia illa, in qua ipſa executio erat facienda, ſubjecta erat: nam *judicibus laicis expreſſe probibitum eſt juriſdictionem aliquam in eccleſia exercere*, ex c. 1. et 2. de immunit. eccleſ. in 6. Sperell. dec. 51. Barb. de jur. eccleſ. l. 2. c. 3. et refert multoties deciſum Dian. reſol. moral. p. 5. Delben. de immunit. tom. 2. c. 16. Ciarlin. contr. for. p. 2. c. 154. n. 52.

XII. Et cum certo certius ſit, eccleſiam non eſſe territorium judicum ſæcularium, æque convincitur, nec ipſos, nec illorum officiales, actum aliquem juriſdictionis in illa exercere potuiſſe contra expreſſas, etiam juris civil. ordinationes, l. ult. ff. de juriſd. omn. judic. ub. gl. Marth. de juriſd. p. 1. c. 51. et vulgare, notumque axioma: *Juriſdictionem nemo exercere poteſt extra ſuum territorium, vel diſtrictum.* Bald. in leg. 1. cod. de ſent. Barb. in l. 1. ff. de re judic. a. 4. n. 118. Grat. for. c. 665. n. 10. Peres ad l. 1. tt. 4. verb. *Cancellaria*; Marth. p. 3. c. 1. Card. in prax. verb. *Judex.*

XIII. Imo, neque judicem ſæcularem proprio Marte poſſe ſpoliare reum ad eccleſiam confugientem armis prohibitis, neque bona furtiva inde auferre, *niſi cum licentia judicis eccleſiaſtici*; æqualiter certum eſt. Farinac. de immunit. n. 248. Gazin. defenſ. 1. c. 29. Caſtro Pal. tom. 2. tr. 11. d. un. pu. 9. Barb. de pot. ep. p. 2. alleg. Boer. dec. 109. n. 3. Soar. de ſtat. relig. tom. 1. tr. 2. l. 4. c. 8. Bellet. diſq. cler. d. fav. § 4. n. 21. et alii apud Sperell. dec. 49. ex n. 25. ex c. *Definivit*, 17. q. 4.

XIV. Dicebam, 2. Minus poſſe dici, aut eſſe, actum juriſdictionis judicis, et officialium ſæcularium, judiciale traditionis decretum, ſive authenticum inſtrumentum, et ruſticanæ communitatis adminiſtratorum inobedientiæ criminalem actum, aut inſtrumentum; quæ executor miniſter intra eccleſiam, et intra primarium illius ſacellum, quo S. euchariſtiæ thronus, et tabernaculum conſiſtebant, per ſcribam ſuum fecit extendere; eo quod prædicti adminiſtratores, horriſono præconio, eodem mane per totum pagum publicato, ut ad præmiſſam traditionem faciendam in eccleſiam ſtatim convenirent, non paruerint; quæ quidem inſtrumenta ipſe executor, et prælatus regularis, ibidem ſubſcripſerunt, contra expreſſas, etiam ſub nullitatis pœna, prohibitiones, cap. *Decet*, de immunit. in 6. cap. *Quoniam*, eod. tt. ibid. can. *Placuit*, 11. q. 1. c. *Conqueſt.* de for. comp. quod equidem adverſus præfatos ſacrilegos, *appellatione remota*, jubet procedere; et inſuper can. 15. bullæ Cœn. et aliorum.

XV. Et tandem quærebam, num etiam forent actus juriſdictionis miniſtri executoris, et ejus officialium, cuncti execrandi ſacrilegi actus, quos in ea executione enormiter patraverunt, jam altare ſacrum, quod ſacratis calice, et corporalibus ad ſacroſanctum, tremendumque euchariſtiæ ſacramentum, et ſacrificium rite peragendum, paratum erat, profanando; temere, et audacter illud conſcendentes, immundiſque pedibus conculcantes, jam ſeras, et cryſtallina ſpecularia loculi pegmatis, quo ſacra imago condebatur, tumultuario ſtrepitu frangentes, et avellentes, ipſamque ſacram, et miraculoſam pueruli Jeſu imaginem indignis manibus, indecenter, imo et irreverenter extrahentes, et alia plura, quam quæ in citatoria charta enarrabantur?

XVI. Et ſi omnia hæc notoria ſacrilegia, vel ad minus notorii exceſſus dignoſcebantur; quomodo miniſtri regii, juſto, atque juſtificato in procedimento meo, violentiam notoriam interceſſiſſe, judicare valerent; cum pariter notoria, et communis doctrina ſit, in his monitoriis, aut citatoriis chartis *ad allegandum, quare non debebat declarari*, neque violentiam, neque gravamen aliquod à judice eccleſiaſtico inferri? Fagn. c. *Super eo*, de appellat. Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 38. Inſuper, *neque dari recurſum contra judices eccleſiaſticos, quando procedunt per monitorias chartas cum hac clauſula juſtificativa*, Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. n. 34. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 48. ubi addit, contrarium eſſe errorem, *in quo*, ait, *aliquando vidi erratum per judices regios.* Et *ad hominem*, ut inquiunt, concludebam, quod ſi nuper in eodemmet regio tribunali, in recurſu religioſorum Franciſcanorum, ſuper executione regii reſcripti, quo ipſos ab adminiſtratione parochiali eccleſiarum Bardeſienſium amovere mandabat, contra me pronuntiatum eſt, ob exceſſum, quem regii ſenatores in reſcripti executione interveniſſe dicebant; potiori jure in præſenti adverſus recurrentem judicandum videbatur, violentias, ſaltem ob executionis exceſſus, ex parte executorum, non ex mei parte, interceſſiſſe declarando.

XVII. Hic inſuper, clarioris evidentiæ gratia, defectum juriſdictionis miniſtri executoris, et ejus officialium ad præjactam executionem, ex notoria nullitate ſententiæ, amplius oſtendebam: certum namque omnino eſt, ad ſententiam notorie nullam exequendam, juriſdictionem penitus deeſſe; l. *Si aut nullum*, cod. de leg. hæred. l. *Condemnatum*, ff. de re judicat. Surd. dec. 51. Rot. apud Farinac. dec. 572. ſententiam autem præſentis ſacræ imaginis reivindicationis, manifeſte nullam eſſe, multiplici ex capite per ſeipſam palam fiebat.

XVIII. Primo, Ex totali defectu citationis quoad partes præcipue intereſſatas; quæ quidem eſſentialiter in quolibet judicio, ad quemlibet actum judicialem, ſub pœna nullitatis citari debent, l. *De unoquoque*, ff. de re judicat. Felin. in c. *Cum ſuper*, de re judic. et ſpeciatim in cauſa reivindicationis, ſi pars legitima, aut tertius poſſeſſor, in cujus poſſeſſione, aut dominio, res reivindicanda exiſtit, non citetur; totus proceſſus, et ſententia ipſa, redditur nullus, l. *Si is à quo*, 57. verſ. *Ut poſſeſſoria*, l. *Quemadmod.* ff. de acquir. poſſeſſ. Vant. de nullit. ex defect. citat.

XIX. Et cum notorium ſit, regiam majeſtatem, ut magnum militiæ Chriſti magiſtrum, patronum exiſtere illius eccleſiæ parochialis, et cæterarum in hac India fundatarum, et fundandarum, et utpote talem, partem præcipue intereſſe habentem in illius ſacræ, et miraculoſæ imaginis in eadem eccleſia conſervatione; utique ad præſentem cauſam in procuratore ordinis prius citari debebat; nedum illius præciſe ratione intereſſe, ſed ex alia duplici longe notabili.

XX. 1. Quia ex nulla eccleſia patronata poteſt aliqua miraculoſa imago transferri, quinimo nedum ex uno altari patronato ad aliud intra eandem eccleſiam, abſque prævia, et expreſſa patroni licentia, etiam neceſſaria ordinarii, jam prius obtenta, Deluc. de jur. patron.

patron. dec. 52. 12. Rott. dec. 550. n. 1. p. prim. diverſ.

XXI. 2. Quia cum ad regium patronum pertineat nominatio, et præſentatio parochi ad eam eccleſiam, et parochus ipſe jus habeat percipiendi oblatas, quæ miraculoſæ imagini in ſua eccleſia offeruntur; Deluc. de jur. patron. dec. 12. n. 9. de paroch. dec. 32. et de decim. dec. 19. n. 4. et 6. evidens eſt, magis æſtimabilem ineſſe nominationem, et præſentationem parochi, cum prædicto jure, quam abſque illo: quo quidem intereſſe penitus ceſſante per imaginis ipſius extractionem, atque alio tranſlationem, certum remanet, quod ratione illius, regius patronus in procuratore ſuo ad præfatam reivindicationem omnino citari deberet, et d. l. *de unoquoque*, et reliquis juribus ſupra citatis.

XXII. Ex eiſdem, ſimiliter mitræ procurator debebat citari, tum ob ſubjectionem ipſius imaginis, cum omnibus ſuis mobilibus, et immobilibus bonis, et theſauri annali nominatione, juriſdictioni ordinariæ, illiuſque viſitationi, adminiſtrationi, et ordinationi (quod productis, et apertis documentis demonſtrabatur); tum ob eandem parochi nominationem, quam regius patronus hujus diœceſis prælatis libere, et liberaliter delegavit; tum denique ob prædictum jus præfatarum oblatarum percipiendarum:

XXIII. Quæ, *ſi ſint magnæ*, ut præſentes ſunt, *de jure competunt epiſcopo*, Deluc. de decim. dec. 19. et de juriſdiction. dec. 42. n. 4. Deciſ. Rott. 257. coram Merlin. Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 9. quæ omnia ceſſant per tranſlationem illius miraculoſæ imaginis ad eccleſiam regularem, et exemptam.

XXIV. Subinde, certum eſſe dicebam, *quod epiſcopus eſt intereſſatus in omnibus eccleſiis ſuæ diœceſis, earumque legitimus defenſor, et omnium gubernator*, Deluc. de præemin. dec. 26. n. 12. et de juriſd. dec. 2. n. 13. Themud. dec. 11. n. 17. et quod parochus ipſe præjudicium in illa tranſlatione patiebatur, ob prædictarum oblatarum ceſſationem, ad quas, non modo intra eccleſiam ſuam, verum et intra parochiæ limites jus habet. Deluc. de paroch. dec. 32. per tot. et de decim. dec. 19. n. 4. et 6. et in annot. ad concil. dec. 18. n. 5. et de præemin. dec. 11. n. 17.

XXV. Ac per conſequens jus etiam retinet, ne quælibet miraculoſa imago ex illius eccleſia abſque proprio ipſius expreſſo conſenſu extrahatur, etiamſi expreſſa licentia prælati ordinarii proceſſiſſet, Deluc. de paroch. d. diſc. 3. n. 6. et de decim. diſc. 19. n. 17. Deciſ. Rott. in Hiſpalenſ. coram Pamphil. ap. Mareſcot. l. 2. var. c. 42. n. 10. Ventrigl. annot. 26. n. 26. proindeque certum remanet, parochum etiam, ſpecialis hujus intereſſe ratione, neceſſario citandum fore, defectu cujus, proceſſum, et ſententiam nullas redditas eſſe.

XXVI. Nec huic ultimæ rationi obſtare demonſtrabam, quod in illius cauſæ progreſſu parochus ipſe pro parte eccleſiæ ſe oppoſuiſſet:

1. Quia ſe oppoſuit pro parte eccleſiæ tantum, non pro parte ſuorum jurium parochialium, et ſui ſpecialis et perſonalis intereſſe; quorum quidem ratione, adhuc citari, et audiri neceſſum erat.

2. Quia, licet ſe oppoſuerit, eum pro ſe, et ſuis juribus ſpecialiter, noluerunt audire, ſed per aſſiſtentiam partibus dumtaxat, ut ex actis conſtabat.

XXVII. 3. Quia parochus in ea oppoſitione palam exceptionem incompetentiæ objectans, pro illa expreſſe proteſtatus eſt, et pro illius, in competenti judicio, deductione, et juſtitiæ ſuæ allegatione: et cum reſtitutionis beneficio gauderet, in omni cauſæ ſtatu, adhuc exceptio illa opponi poterat; et hac de cauſa nunquam ſententia prolata poteſt dici, tranſire in rem judicatam. Mend. à Caſtr. 1. p. 1. l. 3. c. 21. § 8. ord. l. 3. tt. 87. et 75. Themud. dec. 101. DD. ad l. 4. ff. de re judicat.

XXVIII. Quinimo ſufficiebat prima illa parochi oppoſitio, ad hoc, ut noviter ad executionem, cum decem dierum aſſignatione, omnino citari deberet, ut infra demonſtratur, n. 48. et cujus defectu citationis executio ipſa etiam nulla redacta eſt: de quo ſtatim, n. 49.

XXIX. Secundum ſententiæ nullitatis caput, et totius cauſæ progreſſus, eſt ipſa judicii incompetentiæ exceptio: quæ equidem adeo privilegiata evadit, ut etiam poſt tres conformes ſententias opponi valeat, Themud. dec. 59. n. 4. Phœb. p. 2. dec. 118. ex n. 25. Gail. l. 1. obſerv. 42. n. 11. Theſaur. dec. 122. et 228.

XXX. Et ſufficit, quod quælibet pars hanc exceptionem opponat, ad hoc, ut totus proceſſus nullus reddatur, etiamſi nulla judicis eccleſiaſtici inhibitio intercedat, et quantumvis judex ſæcularis ſe competentem pronuntiârit, Valaſc. conſil. 159. n. 14. Anton. in c. *Tuam*, col. 4. de ord. cognit. poſt Frederic. de quo per Abb. ib. n. 11. c. d. dec. 7. n. 3.

XXXI. Inſuper, etiam dato, quod miraculoſa hæc imago ſub parochialis illius eccleſiæ dominio non exiſteret, ſufficiebat, quod in illius poſſeſſione extaret, ad hoc, ut illius reivindicatio in eccleſiaſtico judicio privative agitari deberet; duo namque illi termini *dominium*, et *poſſeſſio*, non ad hanc competentiam *copulative*, ſed *disjunctive* dumtaxat prærequiruntur, Peg. ad ord. l. 2. tt. 1. § 10. gloſſ. 12. Barb. ad eand. dict. 110. et alii: et ex hoc capite, nulla indubie evaſit ſententia in ſæculari judicio prolata, totuſque illius proceſſus (excepto nudo ſpolii facto dumtaxat); præcipue poſt incompetentiæ exceptionem à partibus oppoſitam, atque, ut ex actis convincebatur, acerrime ſuſtentatam: quæ quidem nullitas etiam ex expreſſa regiæ ordinationis diſpoſitione evincitur, dict. lib. 2. tt. 1. § 10.

XXXII. Quin adverſus obſtare valeat, quod præcitata ordinatio, loquens expreſſe *de calicibus*, et *veſtimentis*, non ita locuta ſit de *imaginibus*. Reſpondetur namque ad hoc convincenter, loqui de imaginibus, in termino generico, *ou outra couſa ſagrada*: id eſt, *aut rem aliam ſacram*; quinimo, etiam juxta ejuſdem ordinationis contextum, ſufficit, quod etiam res non ſacræ ſint ſub poteſtate, aut poſſeſſione, aut cuſtodia eccleſiæ, ad hoc, ut de illis in judicio eccleſiaſtico privative agatur.

XXXIII. Præterquam quod, ut imago aliqua denominetur *ſacra*, non eſt opus ſpecialis (ut calicis, et patinarum) *conſecratio*; ſed ſufficit ſpecialis (ut ſacrarum veſtium, et indumentorum) *benedictio*; ratione cujus dumtaxat, ſacræ dicuntur, ſicut et ipſum, pro ſacra euchariſtia aſſervanda, tabernaculum, aut pyxis; quæ cum ſpeciali tantum benedictione ſacra nuncupantur; quæ omnia ex Romano pontificali, et rituali ſaltem, aperte conſtant.

XXXIV. Et cum in eiſdem detur ſpecialis titulus *de benedictione imaginum*; et aliunde eccleſiaſticæ leges ſtatuunt, quod in eccleſiis, et altaribus, etiam regularibus, imagines non collocentur abſque ordinarii licentia, et *abſque propria* illarum *benedictione*; concil. provinc. Bracharenſ. act. 5. concil. Mediolan. act. 4. conſt. Portugalenſ. tt. 2. l. 4. Gavant. verb. *Imagines ſacr.* Monacell. p. 2. tt. 13. form. 1. n. 12. Conc. Trid. ſeſſ. 25. *de invocat. et ſacr. imagin.* Urban. VIII. in conſt. 280. ſequitur, quod præfata imago, vel quando miſſa eſt ex Luſitania à piiſſima, et Chriſtianiſſima regina D. Catharina, Caroli quinti ſorore, et felicis regis Emmanuelis uxore, vel ſaltem quando in Racciolenſi collegia collocata eſt, à patribus, legum, et eccleſiarum cæremoniarum, etiam minimarum, cum primis obſervantiſſimis, propria ſpeciali benedictione, cujus ratione ſacra dicatur, donata præſumatur.

XXXV. Quod quidem, quamvis quid facti ſit; certum eſt in jure, *Factum præſumi in his, quæ fieri præcipiuntur*, Jaſon in l. *Sciendum*, de verb. *Obligat.* Menoch. de præſumpt. l. 2. præſumpt. 81. *et quod actus præſumitur factus ſecundum quod jus diſponit*, c. *Ex literis*, de conſtitut. c. *Sedes*, de reſcript. c. *Venientes*, de jur. patron. Surd. conſil. 198. n. 15.

XXXVI. Et licet conſecratio, aut benedictio, ſit qualitas, *quæ non præſumitur, niſi probetur*; hæc regula *limitatur in qualitate naturali, quæ rei ineſt, vel adeſſe præſumitur*, gloſſ. in c. *Si forte*, de elect. in 6. Menoch. de præſumpt. l. 1. q. 13. et ſicut eccleſiaſticis et ſacerdotalibus indumentis connaturalis eſt benedictio, quia eccleſia expreſſe diſponit, ut benedicantur; ita de ſacris imaginibus, ex eadem diſpoſitione, dicendum eſt; quas quidem imagines, etiam

ſanctorum, quæ publico cultu venerantur, Concilium Trid. expreſſe *ſacras* appellat, titulo *de invocatione, veneratione, et reliquiis ſanctorum, et ſacris imaginibus*, ſeſſ. 25. et eodem modo loquitur Concil. Nicæn. l. act. 3. et 4. et 6.

XXXVII. Et ſufficiebat formale repræſentationis illius imaginis cum prædictæ eccleſiæ applicatione, ad hoc, ut illius reivindicatio eccleſiaſtico judicio privative pertineret, ut *de ſancto ſudario*, refert judicatum Peg. ad eandem ordinat. l. 2. tt. 1. § 10. gloſſ. 12. Bezerr. de jur. ſacror. c. 2. et 3. Oliv. de for. eccleſ. p. 3. q. 39. n. 21. ſic concludens: *Reus laicus pro re ſacra, quæ ad cultum divinum ſpeciali benedictione dedicari ſolet, et neget, rem eſſe eccleſiæ, vel eſſe ſacram, non obſtante tali negatione, coram judice eccleſiaſtico reſpondere cogitur, Butr. in c. Si cleric. Nam eſſe, vel non eſſe ſacram, ſpirituale eſt, et ad forum eccleſiaſticum pertinet .... Prædictam ſententiam ſequitur lex regia, l. 2. tt. 1. § 10.*

XXXVIII. Alia autem qualitas, quod talis imago *miraculoſa* foret, novam rationem nullitatis in ſententiam, et proceſſum inducit, ex novo titulo ejus reivindicationis pertinentiæ judicio eccleſiaſtico privative. Donum namque, et ſpecialis miraculorum gratia, qua præfata imago relucet, cum ſit quid ſpirituale, et divinum, conſequenter facit, quod etiam imago ipſa ſit *de genere ſpiritualium corporalium de jure divino*, ut tenet Pignatell. tom. 10. conſ. 75. per tot. Deluc. de præmin. diſc. 40. et alii ap. ipſos; et ut talis, ſit à foro, et judicio ſæculari exempta, et privative ſubjecta eccleſiaſtico, Bezerr. cit. de jur. ſacror. Peg. d. gl. 12. ſub n. 12.

XXXIX. Hanc autem rationem efficaciter, et *ad hominem*, ut inquiunt, ulterius confirmabam ex duplici ſæcularium miniſtrorum deliberatione, et ex ſententia, vi illarum, in actibus gravaminis promulgata, qua, etiam poſtquam regia majeſtas ruſticanæ communitati Colluanæ, poſſeſſione pro bona, judicârat, regii miniſtri, in Pignatelli doctrina fundati, prædictæ communitati, utpote ſæculari, negabant validam fuiſſe præfatæ imaginis, utpote rei ſacræ, poſſeſſionem, et conſequenter hanc collegio regulari, utpote eccleſiaſtico, adjudicabant.

XL. Ex quo inferebam ipſe: ergo neque illius reivindicatio in ſæculari judicio agitari valebat, neque contraria ſententia, præcipue poſt incompetentiæ exceptionem, poteſt dici in rem judicatam tranſiiſſe, neque executioni mandari poterat, ex præcit. ord. l. 3. et ex c. *de cæter.* de re judic. ub. Abb. Felin. n. 12. et al. Mend. in prax. p. 1. l. 3. c. 21. § 8.

Neque officere dicebam regium reſcriptum ſupra, ſub n. 1. neque præventio in judicio ſæculari ſuper poſſeſſorio.

1. Quia reſcriptum regium non jubebat cognoſcere de proprietate in judicio ſæculari, ſed *in judicio competenti*; ut ex ea liquebat.

XLI. 2. Quia præventio tantum durat, quantum durat cauſa præventionis ſuper poſſeſſorio, Carlev. de judic. tt. 1. § 3. Noguer. alleg. 19. ex n. 134. Rovit. d. 44. Vivius, d. 526. per tot. Actor autem, videlicet, provincialis regularis, deſtitit de cauſa poſſeſſoria cum proteſtatione agendi de cauſa proprietatis. Imo, etiam quando proprietatis cauſa cum poſſeſſoria commiſcetur, quoad illam judex ſæcularis certe incompetens eſt, Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. n. 56. infra tranſcriptus.

Tertium tandem ſententiæ, et proceſſus nullitatis principium, eſt defectus, et carentia actionis reivindicationis, quæ exceptio etiam in actis objectata eſt.

XLII. Nam, ut hæc actio detur, neceſſum eſt neceſſitate eſſentiali, ut probetur dominium ex parte *actoris*, et poſſeſſio ex parte *rei*, Caminh. de libell. reivindicat. ex l. *Si in rem*, ff. de reivindic. ub. gl. et DD. omn. § *Omn. inſtit.* de action. et cum judices judicâſſent, non probari poſſeſſionem ex parte reorum, eo quod ſæculares eſſent; et ex parte actoris adhuc dominium concludenter non probatum fuerat; conſequitur, iſtam amplius nullitatem interceſſiſſe.

Quod autem dominium concludenter probatum non fuiſſet, ex actis ipſis conſtabat, ubi atteſtatio pro illo adducta, vitii ſuſpicione convincebatur, et contrariis teſtimoniis retundebatur:

XLIII. Et ſic convincens; imo ſufficiens probatio non erat; hæc namque, *ut probanti dominium profit, debet eſſe certa, et clara*, Menoch. c. 97. n. 98.

XLIV. Et ſtante dominii probatione, vel ſaltem præſumptione pro parte eccleſiæ parochialis, ex certitudine poſſeſſionis, quia *poſſeſſor præſumitur dominus*, l. 1. § *Dominium*, ff. de acquir. rer. domin. § *Retinend.* inſt. de interdict. l. *Sive poſſidet*, cod. de probat. l. fin. cod. *Si per vim*, Mend. à Caſtr. in prax. p. 1. l. 3. c. 21. n. 38. minime poterat actori effective dominium judicari:

XLV. *Cujus quidem probatio efficacior requiritur, cum præſumptio, et veriſimilitudo repugnant.* Menoch. ub. ſup. c. 2. n. 321. *Et ſufficit reo offuſcare probationes actoris*, Deluc. de judic. diſc. 2. n. 17. et 18.

XLVI. Ex ipſa autem dominii probatione in judicio ſæculari ſuper cauſam præſentem facta, noviter incompetentia illius judicii, et proceſſus, atque ſententiæ nullitas comprobatur; eo quod quæſtio *non in ſolo facto* conſiſtebat, quo caſu intrat communis doctrina, de qua Oliv. cit. de for. eccleſ. p. 1. q. 8. n. 52. per hæc verba: *Quoties quæſtio ſpecialis conſiſtit in ſolo facto, poteſt judex ſæcularis cognoſcere; ſecus autem, ſi inſimul de facto, et de jure, et ſic de quæſtione mixta tractetur; quia in hoc caſu judex ſæcularis incompetens eſt*, l. *Quoties*, cod. de judic. Barb. ad l. *Titia*, ff. ſolut. matrim. Seſſ. dub. 113. n. 112. Per. de man. reg. c. 23. n. 7.

XLVII. Et n. 56. ibidem ſic proſequitur: *Judex ſæcularis non poteſt cognoſcere, etiam inter laicos, de cauſa poſſeſſoria rei, vel juris ſpiritualis, quoties admixtam habuerit cauſam proprietatis, vel de titulo, ſeu jure ſpirituali, aliquo modo, ſummarie, vel plenarie*, Abb. in c. *Literas*, de juram. n. 8. et communiter DD. legiſtæ ad d. l. *Titia*, ff. ſolut. matr. et in l. *Quoties*, cod. de judic. et canoniſtæ in c. *Tuam*, et ord. cogn.

XLVIII. Quin adverſum hoc officiat, quod judex ſæcularis ſe competentem in cauſa pronuntiâſſet: quia contra eſt, 1. Expreſſa repugnantia legis regiæ contrarium ordinantis, l. 2. tt. 1. § 2. Contra, 2. Communis doctrina, quam etiam Oliv. ead. q. 8. n. 27. proſequitur: *Ampliatur, 5. ut procedat, etiamſi judex ſæcularis ſe competentem pronuntiet*; quia pronuntiatio nullius eſt momenti, Abb. in c. *Si diligenti*, dec. in c. 2. de judic. Barb. in l. *Siquis*; Marth. Felin. et alii ad ipſum. Neque talis pronuntiatio nullitatem ſententiæ et proceſſus abſtulit, aut ſanavit, Valaſc. conſ. 159. n. 14. Anton. in c. *Tuam*, col. 4. de ord. cognit. poſt Frederic. de quo per Abb. ib. n. 11. dec. 7. n. 3.

Et hinc gradum faciebam ad demonſtrandas etiam--

Executionis nullitates ex parte ipſius.

XLIX. Prima erat executionis intempeſtivitas, et acceleratio: 1. Quia facta eſt, reorum, atque procuratoris mitræ, et juſtitiæ eccleſiaſticæ impedimentis ex titulo nullitatis, incompetentiæ, et citationis defectus, et aliorum, pendentibus; quorum quidem finalis deciſio omnino expectari debebat, ſub nullitatis pœna, ord. l. 3. tt. 75. et 87. Mend. in prax. p. 1. l. 3. c. 21. § 7. et 8.

L. 2. Quia ſententia executioni mandata eſt, quin ex proceſſu extraheretur, et per cancellariam ſigillata tranſiret, ſecundum regiæ ordinationis, ſub invaliditatis pœna, præceptum, l. 2. tt. 39. et l. 3. tt. 66. et alibi: et inſuper, quin victor præſtaret fidejuſſionem, expreſſe juſſam in eadem ordin. l. 3. tt. 86. § 15. quæ quidem neceſſario præcedere debebat, ſuppoſitis impedimentis reorum ſententiæ gravaminis oppoſitis, quæ in cancellaria ipſa actu pendebant.

LI. 3. Ob defectum citationis parochi, quo, pro parte eccleſiæ, ſeſe opponente, non illi decem dies legis regiæ, ut intra illos audiretur, aſſignati ſunt, ord. l. 3. tt. 86. § 15. Mend. in prax. 1. p. l. 3. c. 21. § 7. et, cum parochus, præter jura eccleſiæ, adhuc retinebat ſua ſpecialia jura parochialia, quibus executio præjudicabat, utique ratione ſpecialis præjudicii, ſicut et reliquæ partes intereſſatæ, ad executionem præcitari debebat, ex ordinat. reg. l. 3. tt. 41. § 4. et 8. et tt. 80. § 27. et tt. 86. Mend. in prax. c. 21. § 7. n. 41. et § 8. n. 43. et 44.

LII.

LII. 4. Quia, ſuppoſito ſtatu cauſæ in gradu gravaminis ordinarii, et impedimentis ſententiæ oppoſitis, expectari certo certius debebant ſex menſes legis regiæ, et ante illorum perfectum tranſitum, ſententia executioni mandari nequibat, ord. l. 3. tt. 84. § 14. præcipue cum executio foret actionis realis, et non perſonalis, et realiter res exequendæ exiſterent bene conſervatæ, et ulterius ſuperabundantibus bonis ruſticanæ communitatis per coactam fidejuſſionem, ad quæſitum, et beneplacitum pluſquam ſatiſdatis: quocirca Mend. in prax. p. 2. l. 3. c. 21. n. 10. ſic ait: *Item fit executio de ſententia, quæ eſt in gradu gravaminis, ſi tranſacti fuerint ſex menſes, ord. l. 3. tt. 84. § 14. ad fin. Niſi oſtendatur proceſſum eſſe in manu judicis ſenatoris; ita decidit ſenatus in cauſa hæredum NN.*

LIII. Secunda autem executionis nullitas, erat ratione loci, quo ipſa executa eſt; videlicet intra eccleſiam, quæ non eſt territorium ſæcularium miniſtrorum, Cortiad. dec. 2. n. 25. et quin procederet neceſſaria ordinarii licentia, Sperell. dec. 49. et 51. ex juribus citatis ſupr. n. 19. quare executio illa nulla ipſo jure reddita eſt; ſicut et traditionis judicialis actus ab ſcriba ſæculari intra eandem eccleſiam, imo intra primarium ſacellum extenſum, et à judice, atque ab actore ſubſcriptum, ex c. *Decet*, de immunit. in 6. c. *Placuit*, 11. q. 1. et executores ipſi etiam ipſo jure excommunicati redditi ſunt, ex c. *Quoniam*, de immunit. et aliis jam ſupra cit. Vide etiam infra, n. 56.

LIV. Tertia nullitas erat, quæ proveniebat ex parte bonorum, quibus executio facta eſt, bonorum, ſcilicet, eccleſiaſticorum pro talibus cognitorum, et in confeſſo, etiam ab actore, et judicibus habitorum, abſque prælati ordinarii prævia licentia neceſſario obtinenda, ex ord. reg. l. 2. tt. 1. § 10. et tt. 7. in princip. et refert deciſum Peg. ad eandem n. 22. Per. de man. reg. c. 51. legis regiæ diſpoſitionem l. 3. tt. 93. adducit, ubi ſic jubet: *Et ſi bona* (exequenda) *fuerint capellarum, quæ Papæ, aut prælatorum auctoritate inſtitutæ, aut fundatæ fuerint, miniſtri noſtri minime ſe intromittant ad executionem in talibus bonis faciendam, quia ſunt juriſdictionis eccleſiaſticæ.*

LV. Quarta nullitas executionis erat ex parte diei feriati, die videlicet 10. Auguſti, divo Laurentio martyri cum præcepto dicati, hora ſeptima matutina, qua populus partim ſacrum auditurus ad eccleſiam confluebat, et in illa partim jam ſacro intereſſebat; et ulterius, præcedente juſſu miniſtri executoris per totum pagum publico præconio, communitatis ruſticanæ adminiſtratores ad judicialem imaginis omnium illius bonorum traditionem, intra eccleſiam faciendam citante, contra expreſſata, non modo juris canonici, c. *Placit.* 2. c. 1. et ultim. de feriis, c. ultimo, 15. q. 4. Clem. VII. de verbor. ſignificat. Gonzal. add. c. ultim. de fer. Caſtr. Pal. tom. 2. tr. 9. diſp. unic. verum etiam ipſiuſmet juris civilis prohibitiones, ſole ipſo clariores, ord. reg. l. 3. tt. 8. § 16. et l. 2. tt. 18. l. *Omnes judic.* 3. et ultim. cod. de feriis, l. *Dies feſtos*, cod. l. et tt. ibi:

LVI. *Dies feſtos Majeſtati Altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus, et venerandum, ut à cunctis executionibus excuſetur: nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fidejuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio deliteſcat, ſit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox ſileſcat, reſpirent à controverſiis litigantes, et habeant fœderis intervallum.*

LVII. Cui quidem nullitati addendos dicebam exceſſus violentos, ſpoliativos, et offenſivos immunitatis, et juriſdictionis eccleſiaſticæ, necnon reliqua omnia ſacrilegia in ſubjuncta citatoria compendioſe narrata, quorum ſingula, aut aliqua ſeorſim ſumpta, dato, quod ad nullitatem, et invaliditatem inducendam efficacia actu non forent, cuncta collective ſumpta, pluſquam efficacia cenſeri debent, juxta regulam: *Singula, quæ non proſunt, multa collecta juvant*, l. c. *Cum cauſam*, 13. de prat. l. *Spadonem*, § *Qui jura*, ff. de excuſat. tutor. l. *Rationes*, l. *Inſtrumenta*, cod. de probation. verb. *Legitimis*, in l. 2. ff. eodem tt. *De excuſat. tutor.*

Quoad tertium fundamentum in appellatione, quæ jungebatur, ſiſtens:

LVIII. Dicebam, hanc appellationem à prælato regulari nomine proprio, et ſuorum religioſorum, necnon nomine miniſtri executoris, et ſuorum officialium, coram P. provinciali S. Franciſci extrajudicialiter interpoſitam, peccare, et fallere in multis:

1. Quia defecerat ad illam interponendam pro parte miniſtri, et aliorum executorum, ſpeciale horum procurationis mandatum; quod quidem ſemper prærequiritur in cauſis gravioribus, ſaltem de jure canonico, Clem. *Non poteſt*, c. *Quid agendum*, de procuratoribus, in 6. Them. dec. 6. n. 9. Card. verb. *Procurat.* theſaur. dec. 155.

LIX. Peccare, 2. In tempore; quia, licet in ipſa diceretur, *appellare ante omnia*, certum reapſe erat, fuiſſe interpoſitam, et præſentatam die 26. Auguſti, poſt publicationes, et affixiones tum chartæ monitoriæ die 5. tum citatoriæ die 20. ejuſdem menſis executas, ut ex ipſis conſtabat; proindeque, minime illas potuiſſe ſuſpendere, neque aliquid operari, cum illis poſterior foret; ex communi DD. placitu apud Scacc. de appellat. q. 6. Piaſec. in prax. Deluc.

LX. 3. Peccare, et fallere in perſona, coram qua interpoſita eſt. Nam, ut ſæpe demonſtraveram, provincialem Franciſcanum, et cæteros prælatos Mendicantes, ad ſimiles effectus non reputari *perſonas in dignitate eccleſiaſtica conſtitutas*; ſed tantum dignitates, aut canonicos alicujus ſedis epiſcopalis, et ad ſummum alicujus inſignis collegiatæ, Barb. verb. *Dignitas*, 71. n. 10. Pignatell. tom. 1. conſ. 165. et tom. 10. conſ. 96. Fagn. in c. *Sane*, de offic. deleg. Alex. Scot. et Benedict. Per. verb. *Dignitas*; qui et deciſum referunt.

LXI. 4. Peccare in incurialitate receptionis abſolutæ, et determinatæ ab ipſo provinciali Franciſcano, appellationi in hunc modum deferente: *Se illam quoad utrumque effectum, devolutivum, et ſuſpenſivum, recipere*; cum potius, ſecundum ſtylum, deferre deberet, *ſe illam recipere, quantum de jure receptibilis foret.*

LXII. Cum enim ille de appellationis effectibus minime cognoſceret, nec cognoſcere deberet, incurialiter, imo et injuſte videbatur procedere, abſolute, et quaſi cœco modo, etiam quoad effectum ſuſpenſivum, appellationi illi deferens, præcipue cum notum ſit apud omnes, tales appellationes extrajudiciales coram talibus interpoſitas, effectum ſuſpenſivum non habere, Salg. de reg. prot. p. 4. c. 7. Scacc. de appellat. q. 6. n. 7. infra, n. 65. extenſus.

LXIII. 1. *Quia appellatio interponi debet coram judice à quo, viva voce*, Clem. 1. de appellat. alioquin coram notario, et non coram judice interpoſita, erit nulla, Capel. Tholoſ. dec. 429. Mend. in prax. 1. p. l. 2. cap. 11.

2. Quia appellationes *coram probo viro*, non niſi ad inhibitoriam, ſeu compulſoriam à judice *ad quem*, perquirendam, et obtinendam inſerviunt; minime vero, ad ſuſpendendum, ipſo facto, judicem *à quo*, ut multoties etiam patefeceram cum Soccin. conſil. 39. n. 32. l. 4. Scacc. de appellat. q. 6.

LXIV. 3. Quia neque effectum devolutivum habebat ex expreſſa doctrina ipſius Scacc. ead. q. 6. n. 7. ibi: *Appellatio non interpoſita coram judice à quo, non ſolum non operatur effectum ſuſpenſivum, ſed neque devolutivum; et moveor, quia appellatio non rite interpoſita, non devolvit, non ſuſpendit, neque extinguit pronuntiata*, &c.

LXV. Quinimo addebam, hanc appellationem, ex parte materiæ, involvere manifeſtam juris reſiſtentiam, ut ſupra oſtenſum eſt. Appellationes autem, quibus jus manifeſte reſiſtit, utpote frivolæ, receptibiles non ſunt, Salg. de reg. protect. p. 3. c. 6. n. 22. Larrea, p. 2. dec. 57. n. 14. et 32.

LXVI. Præterea oſtendebam, non dari appellationem à monitoriis, neque à citatoriis *ad allegandum quare*, &c. Fagn. in cap. *Super eo*, de appellat. Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. Monacell. p. 2. tt. 15. form. 2. n. 7. et p. 3. tt. 1. form. 38. Neque etiam dari à citatoriis, imo et à declaratoriis in cenſuras *à jure*, in quibus judex in juris executionem procedit. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 30.

LXVII.

LXVII. *Cum appellationis fundamentum*, inquit, *ſit gravamen, et quidem injuſtum, et jus neminem gravat*, cap. *Conſuluit, de appellat. ibi Abb. n.* 3. *et in cit. cap. Conqueſti, de for. compet. procedere jubetur, appellatione remota, contra ſacrilegos jurium, et immunitatis eccleſiæ violatores.*

LXVIII. Et cum procedimentum meum præjactum, utique in defenſionem immunitatis et libertatis eccleſiaſticæ evaſerat, certum remanebat, ab illo non dari appellationem aliquam, etiam ad Papam, quæ illud ſuſpenderet, etiamſi ad declaratoriam procederem, ut ſæpiſſime deciſum reperitur à S. Congregatione apud Monacell. Omnino videndum p. 3. tt. 1. form. 5. n. 3. *Dixi, etiamſi ad declaratoriam procederem:* nam præfatum procedimentum meum, de quo recurrebatur, non niſi initiale, et præparatorium erat, utpote conſiſtens tantum in præmiſſa monitoria, et ſubſequente citatoria *ad allegandum*; de quibus jam ſupra oſtenſum eſt, neque appellationem dari, neque recurſui locum.

LXIX. Præterquam quod præſens recurſus, quatenus in interpoſita appellatione fundabatur, omnino intempeſtivus, et nimis acceleratus dignoſcebatur; debebant enim expectare appellationis decretum, ſive expeditionem, aut deciſionem; et poſt illam, ſi in unico tantum, vel nullo effectu reciperetur, ad ſubſidiarium et extraordinarium recurſus remedium ſub colorato titulo gravaminis, aut violentiæ, ſive oppreſſionis *notoriæ*, gradualiter deſcendere; ut ſtylus, et communis DD. tenet doctrina: ex textu in cauſ. 17. ff. *de minorib.* l. *Quidem*, ff. *de edendo*, ord. l. 3. tt. 44. § 2. Peg. ad eand. gloſſ. n. 2. Scacc. de judic. 1. p. c. 51. n. 28. Menoch. rem. 15. n. 22. Pinel. de reſcind. vendit. p. 3. c. 1. n. 19. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 59.

LXX. Dixi, *ſub colorato titulo*; in re namque certum, et indubium eſt apud omnes, etiam regiæ poteſtatis rigidiores ampliatores, minime patere recurſui aditum à non receptione appellationis, quæ effectu ſuſpenſivo caret, Salgad. de reg. protection. p. 4. c. 7. Seſſe d. dec. 114. Per. de man. reg. c. 7. et 22. Cevall. de viol. gl. 1. et 6. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17.

Tandem concludebam, iterum in memoriam revocans præfatam adverſum me in eodem ſenatu, ab eiſdem miniſtris regiis, paulo ante, pronuntiationem, in recurſu parochorum Franciſcanorum prætextu exceſſus in regii reſcripti executione, de quo ſupr.

LXXI. Hanc meam reſponſionem tradidi die 29. ejuſdem menſis Auguſti, cujus quidem copia dum regio procuratori de more daretur, interim præfatus regularis prælatus alium diſtinctum recurſum nomine proprio, ſuper eadem materia, cum eiſdem fundamentis, intentavit; qui mihi, dum die 9. Septembris præſens fieret, nil amplius reſpondere judicavi, niſi eandem præcedentem reſponſionem, ob identitatem materiæ, et rationum, ratificare. Et ſolummodo excepi quaſdam notoriorum regularium Franciſcanorum atteſtationes de appellatione coram eorum provinciale interpoſita, et in utroque effectu recepta, mihique cum hac receptione præſentata, &c.

LXXII. Et dicebam, neque religioni recurrentis privilegium adeſſe utendi privatis notariis diverſæ religionis pro propriæ negotiis, aut cauſis; neque Franciſcano ordini etiam pariformiter ineſſe privilegium, ut ejus notarii regulares extra ordinem, et in cauſis alienæ religionis, tale officium exerceant: bulla namque *Demum*, S. Pii V. prælatis regularibus facultatem tribuens notarios regulares creandi, reſtricta eſt ad unicam actionem intimandi *mandata, privilegia, et indulta apoſtolica regibus, principibus, ducibus, baronibus*, &c. non vero ad appellationes ordinariis intimandas, neque ad alias actiones forenſes extra clauſtra præſtandas, præcipue abſque ordinarii loci approbatione, ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 10. Deluc. ad illud, dic. c. 22. Aldret. l. 1. c. 19. n. 9.

Quibus tamen non obſtantibus, et proviſionem recurrentibus obtinentibus, rogativis chartis, ſequentes in ſubſequenti allegatione reſponſiones adjeci.

Regium reſcriptum reprobativum demiſſionis parochiarum Salſetanæ provinciæ proprio idiomate, et Latino, tranſcriptum.

LXXIII. V. Rey, e cappitaô general do eſtado da India, amigo: Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Foraome prezentes as voſſas cartas de 14. de Septembro do anno de 1722. e ſinco de Janeiro do anno paſſado, em que medais contra da deziſtencia que o provincial da companhia de Jeſus fes das igrejas de Salſete, com a occaziô da viſita, que nellas fes o arcebiſpô primâs, e ſem embargo das reſoês, que dizeis teve o ditto provincial para tomar eſta rezoluçaô, meſoy muito deſagradavel o ſeu procedimento, e dos ſeus ſubditos, os quaes ſuppoſto haverem recebido a incumbencia de parochiar as ditas igrejas por eſpecial ordem minha, naô deviaô ſem ella largallas, nem vos aceytar lhe a deziſtencia, que inconſideramente fizeraô, buſcando para iſto pretextos frivolos, e affectados: e por que eſta materia deve ſer examinada nos tribunaes a que pertence, me pareceo naô tomar por hora outra reſoluçaô mais, que a demandar ao arcebiſpo primas, que conſerve as igrejas no eſtado, em que ſeachaô, a lhe nova ordem minha, o que mando participarvos, para que o tenhais entendido. Eſcripta em Lixboa occidental a 18. de Abril de 1724. Rey. Para o V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India.

Idem reſcriptum Latine redditum.

PRorex, ac dux generalis Indiani ſtatus, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto. Literæ veſtræ 24. Septembris anni 1722. mihi quidem præſentes fuerunt, quibus mihi repræſentabatis demiſſionem, quam provincialis ſocietatis fecit ab eccleſiis Salſetanis, occaſione viſitationis ab archiepiſcopo primate in illis perfectæ: et non obſtantibus rationibus, quas aſſeritis, habuiſſe prædictum provincialem ad reſolutionem hanc exequendam, mihi longe diſplicens fecit ipſius provincialis, et ejus ſubditorum procedimentum; qui quidem, ſuppoſita harum eccleſiarum parochialis incumbentiæ de manu mea acceptione ſpeciali ordine meo, eaſdem abſque iſto abdicare non debebant, neque vos illarum deſiſtentiam acceptare, quam abſque matura conſideratione patrârunt, prætextus frivolos, ac affectatos, ad id perquirentes. Et quia negotium hoc in tribunalibus, quibus attinet, examinari debet, mihi viſum equidem eſt, nil aliud interim ſuper eo reſolvere, niſi archiepiſcopo primati jubere, ut has eccleſias in ſtatu, in quo reperiuntur, conſervet uſque ad novam reſolutionem meam: de quo etiam mihi viſum eſt vos participes fieri, ut meam hanc reſolutionem agnitam habeatis. Scripta Ulixbonæ Occidentalis, die 18. Aprilis ann. 1724. *Rex* Proregi, ac duci generali ſtatus Indiani.

Charta citatoria ad allegandum, quare, &c. expedita die 20. Auguſti adverſus præfatos, auditorem generalem cauſarum civilium, et ejus officiales, necnon rectorem, quendam regularem, ob injuſtam, ac violentam, ſacræ, & miraculoſæ imaginis pueruli JESU, ab eccleſia parochiali Colluana extractionem, executam die 10. *Auguſti anni Domini* 1729.

LXXIV. DOmnus Ignatius à Sancta Tereſia, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia, archiepiſcopus Goanus, primas Orientalis, à conſiliis ſereniſſimi domini mei regis, &c. Univerſis, et ſingulis, &c. Notum facimus, quod edocente ipſomet Domino N. Jesu Chriſto in evangelio ſuo, *reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, et Deo, quæ Dei ſunt*, ut, utraque juriſdictione diſtincta, nec Cæſaris gladius per claves Petri cædere audeat, nec Petri claves in Cæſaris gladium ſeſe immiſceant; inſimulque per prophetam ſuum univerſis intimante, eccleſiam ſuam eſſe quidem *locum ſanctitatis, et orationis*, tranquillum, ac pacificum, et, utpote talem, ab omni turbido, omnique alio negotio, quod in Dei cultum, humilemque, ac reverentem venerationem non cedat, omnino alienum et immunem: quapropter jus canonicum ſub variis pœnis, ac cenſuris, in ipſiſmet eccleſiarum atriis quaſlibet negotiationes, ſtrepitus, et omnes actus, atque

executiones judiciales, per ſæculares miniſtros exequendas, etiam ſub pœna nullitatis expreſſe prohibet; et alia cuncta locorum, ſacrarumque rerum immunitati, ſanctitati, decentiæque repugnantia; quarum quidem ſacrarum doctrinarum, et canonicarum ſanctionum veſtigiis inhærentes, adverſus illarum in India notorias et frequentes infractiones, *tanquam murum pro domo Dei*, per crebras, et multiplices chartas paſtorales, nos conſtanter, et aſſidue *opponentes*, has tamen ſuum plenum, optatumque effectum perfecte ſortitas non eſſe, nunc denuo experti dolemus, atque ingemiſcimus. Nam cum die 5. hujus menſis Auguſti publicum monitorium, ad valvas eccleſiæ parochialis Colluanæ, titulo *Dominæ noſtræ de Mercede*, provinciæ Salſetanæ, affixum ediderimus, nequis ſacram, ac miraculoſam puerili JESU imaginem (quæ in illa publico cultu, et frequenti fidelium concurſu adoratur, et ſub ejuſdem eccleſiæ poſſeſſione, ac dominio, cum ſpeciali altari, et confraternitate, ordinarii auctoritate erecta, ac recta, et cum ſpeciali theſaurario pro ejus pingui patrimonio, ab ordinario etiam ſingulariter nominato) ab ipſa eccleſia amoveret, aut extraheret, abſque prævia licentia noſtra, et ſereniſſimi patroni regii, et parochi conſenſu, ob notorium jus, quod ipſi, et nos, in eandem imaginem, ejuſque confraternitatem, et bona, noſtræ juriſdictioni, viſitationi, et adminiſtrationi ſemper ſubjecta habemus, per nos, et prædeceſſores noſtros, etiam in tempore, quo religioſi ſocietatis parochialem curam ipſius eccleſiæ agebant, ut aperte conſtabat ex viſitatione illuſtriſſimi domini Domni Fr. Auguſtini ab Annuntiatione, anno 1699. et vicarii generalis Henrici Bravo de Moraes, anno 1718. et ex noſtris perſonaliter factis, anno 1722. et 1728. et ante finalem cauſæ, in competenti judicio, deciſionem, quod quidem ſub pœnis, et cenſuris à jure latis, adverſus omnes et ſingulos monitorio noſtro contravenientes, et ſignanter ſub pœna interdicti perſonalis cuilibet perſonæ, collegio, aut communitati, et ſub pœna interdicti localis cuilibet eccleſiæ, aut capellæ, etiam regulari, in qua præfata imago modo prædicto extracta aſſervaretur, prohibebamus: quibus juribus, et comminationibus non obſtantibus, penitus ante impedimentorum, quæ adhuc pendent, ſuper nullitatibus proceſſus, et ſententiæ, ob notoriam judicii incompetentiam, et ob inſanabilem defectum citationis, et auditionis partium, præcipue intereſſe habentium, et ob alia, neceſſariam cognitionem, et deciſionem; et ante ſententiæ curialem extractionem; executor miniſter, auditor ſcilicet generalis civilium cauſarum N. et P. rector N. et officiales, apparitor, ſcilicet, et ſcriba N. N. cuneo militari pluſquam viginti militum, ſclopetis armatorum, ſtipati, die feriata decima Auguſti, hora ſeptima matutina, fores parochialis eccleſiæ aliis militibus obſidentibus, aliis vero eam armata manu cum terrore, et ſcandalo numeroſi populi, qui intra illam tremendo ſacroſanctæ euchariſtiæ ſacrificio intereſſebant, ingredientibus, et poſt illos executore miniſtro, cum officialibus, et prædicto rectore, non obſtante præfato noſtro monitorio, quod et à parocho illis intimatum, et ab ipſis perlectum fuit, injuſte, intempeſtive, ac ſacrilegi, quin præcederet ulla ad nos, nec etiam per politicam epiſtolam, ad noſtram prævian neceſſariam licentiam, et conſenſum, ſupplicatio, et quin aliquid proficerent iteratæ parochi pro juriſdictione noſtra, pro ſuis, et patronalibus juribus proteſtationes, ad executionem nullæ ſententiæ, nulliter intra eccleſiam procedentibus, jubente executore judice, officiales ſuos laicos, circitorem, et ſcribam, altare S. imaginis, quod quidem calice, et corporalibus, ſacro jamjam peragendo paratum erat, conſcendere, qui immundis pedibus illud conculcantes, non obſtantibus permagnis parochi, numeroſique populi lacrymoſis clamoribus, ac lamentis, ſeras, cryſtallinaque ſpecularia loculi pegmatis, in quo ſacro imago condebatur, ſacrilegis manibus avellentes, ipſamque ſacram imaginem etiam profanantes, violenter, irreverenterque extraxerunt, et rectori præfato tradiderunt, ſæculari ſcriba, intra primarium eccleſiæ ſacellum, judicialem actum traditionis prius conficiente; imo et criminalem alium inobedientiæ adverſus ruſticanæ communitatis adminiſtratores; eo quod horriſono præconio, quod per totum pagum prius eadem diem judex executor perſonare fecerat, ad hoc, ut præfati pagani adminiſtratores ad eccleſiam pro judiciali traditione facienda convolarent, non parerent: et quia ſtrictiſſime tenemur in defenſionem ſanctitatis, ac immunitatis eccleſiæ, noſtræque utriuſque juriſdictionis, imo et in tantorum ſacrilegiorum, violentiarum, et execrandarum, quæ in India frequentes ſunt, inexcuſabilium violentiarum, ad quas patrandas, executores ipſi neque apparentem prætextum, aut excuſationem, ad executionem illam intra eccleſiam faciendam abſque licentia noſtra, habere poterant, etiamſi ſententia in competenti judicio *valide*, et *licite* reportata foret, et executio terminis omnibus rite abſolutis inſtaret; et multo minus, multiplici titulo, utraque notorie nulla incedente; *per præſentem* notificamus, et citamus præfatum miniſtrum executorem N. et ejus officiales, circitorem N. ſcribam N. referendarium, et curſorem N. N. necnon P. rectorem N. *ad allegandum, quare*, &c.

ALLEGATIO V.

In Reſponſione ad Chartas rogatorias in eodem Recurſu poſt ejus Sententiam miſſas.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries proſequitur.*
II. III. Citatoria *non eſt* inhibitoria, *neque auctoritas Per. loquebatur de inhibitionibus juſtis.*
IV. V. *Ordinatio regia loquitur de caſibus judici ſæculari de jure pertinentibus, quando ab eccleſiaſtico injuſte inhibetur.*
VI. *Relatum eſt in referente,* quoad relationem, *non vero* quoad officientiam.
VII. *Inhibitionis deſcriptio.*
VIII. *Purum monitorium cenſurarum juris comminatorium, formaliter* non inhibet, *ſed tantum monet.*
IX. *Judex ſæcularis recurrens de inhibitione eccleſiaſtica non ex hoc providetur.*
X. *Monitorium mixtum ex præcepto, et comminatione cenſurarum, quale?*
XI. *Vera definitio* monitorii *in communi, ex* Uberto.
XII. *Citatio admixtam non habens clauſulam aliquam inhibentem, non eſt inhibitoria, etiam mixte.*
XIII. *Temporale poteſt ſumi, vel prout opponitur* æterno, *vel prout opponitur* ſacro.
XIV. XV. *Oliva loquitur pro cauſæ temporalitate, quando certum eſt de jure, ita ut contrarium probabile non ſit.*
XVI. *Dato, quod præſens cauſa judicio ſæculari pertineret, executores ob exceſſus ſacrilegos cenſuras juris indubie incurrent.*
XVII. *Imago miraculis clara, eſt de genere ſpiritualium de jure divino, et à laicis nullo jure poſſideri, aut præſcribi poteſt.*
XVIII. *Notabantur aliquæ ſententiæ clauſulæ.*
XIX. XX. *Eccleſia non eſt, nec dicitur de territorio ſæculari in materiis temporalibus.*
XXI. XXII. *Judicibus ſæcularibus expreſſe interdicitur juriſdictionem aliquam in eccleſia exercere.*
XXIII. *Probabilius eſt, immunitatem eccleſiaſticam valere reo ad eam è manibus lictorum confugienti.*
XXIV. *Quid in hoc diſponat regia ordinatio?*
XXV. *Si executores ſæculares, dum cognoſcunt, reos ligent, judex eccleſiaſticus ocyſſime cenſuras fulminare debet.*
XXVI. *Ponderantur aliæ ejuſdem ordinationis diſpoſitiones.*
XXVII. *Palatium epiſcopale gaudet immunitate eccleſiaſtica, et juſtitiæ illud non ingrediuntur.*
XXVIII. *Juſtitiæ ſæculares nequeunt intromitti in executionem bonorum eccleſiaſticorum, etiam ex vi ſententiæ in ſæculari judicio competenter latæ.*

XXIX. *Ut locus aliquis dicatur* territorium *judicis, non ſufficit contineri materialiter intra terminos illius diſtrictus, ſed formaliter quoad juriſdictionem.*

XXX. XXXI. *Eccleſia formaliter non eſt intra diſtrictum judicis ſæcularis.*

XXXII. XXXIII. *Ex dominio, et poſſeſſione regulari objecto, confirmabatur reivindicatio præſens, quod eccleſiaſtico judicio pertineret.*

XXXIV. XXXV. *Judici ſæculari de ſpoliato à clerico cognoſcenti, expreſſe cavetur cognoſcere, præterquam de vi nova, ſi res reſtituenda eſt eccleſiaſtica.*

XXXVI. *Inſinuatur ex jure ſuperioritas juriſdictionis eccleſiaſticæ, et epiſcopalis dignitatis.*

XXXVII. XXXVIII. *Quomodo Chriſtus Dominus eccleſiæ offenſores objurgaret, ac repelleret.*

XXXIX. *Quomodo alii ſancti, ac prælati eccleſiaſtici, uſque ad n.* XLII.

XLIII. *Can.* Si imperator, *diſt.* 36. *tranſcribitur.*

I. PRÆCEDENTIS allegationis meæ evidentiam regius procurator obnubilare prætendens, varia ſuper illa ratiocinatus eſt, multa confingens, et confundens, et alia ſugillans, duplici fini certe collimando: primo, ad ſua tria fundamenta ſuſtentanda; ſecundo, ad confundenda, et offuſcanda, quæ adverſus illa clare allegaveram: quibus quidem illius ratiocinationibus, imo et affectionibus, ſenatores judices inhærentes ſententiam in favorem recurrentium potulerunt, fallibilibus tamen, et inſubſiſtentibus nixam fundamentis, ut ex illorum, et procuratoris rationum redargutione, infra liquebit. Igitur ——

Quoad primum fundamentum:

II. Inſiſtebat regius procurator in prætenſa intentione demonſtrandi, citatoriam meam, vere eſſe inhibitoriam; et utriuſque terminos confundens, in ſui favorem trahebat auctoritatem Per. de man. reg. c. 62. n. 20. ibi: *Judices ſæculares iniquis, et injuſtis inhibitionibus, acquieſcere non debent.*

Reſpondebam tamen, ſalva pace doctoris allegantis, adductam auctoritatem punctum quidem non attingere, ſed extra illud remanere; punctum namque præſens erat, an citatoria mea *vera inhibitoria* foret; non vero an miniſter executor illi acquieſcere teneretur? Deinde, etiam dato, quod mea citatoria inhibitoria foret, auctoritas adducta loquitur *de inhibitionibus iniquis, et injuſtis*, non de juſtis, qualis præſens erat.

III. Quinimo idem Per. legem regiam circa inhibitorias proprie dictas, quas partes à judicibus eccleſiaſticis conſequuntur, non quas judices ipſi ex officio promulgant, interpretans, ſic ait, dec. 58. ſub n. 22. *Hæc ordinatio non poteſt procedere in cauſis notoriis, et quæ, attenta natura ſua, ad forum eccleſiæ ſpectant; et ſi attente legatur, agit de inhibitoria, et avocatoria, qua à judice cognoſcente cauſa avocatur ad judicium eccleſiæ.*

IV. Neque etiam officere rationem iterum attactam pronuntiationis judicis ſæcularis in cauſa, præter ſupra allegata, noviter oſtendebam ex eadem Per. eod. n. 22. § *Quare*, ſic loquente: *Quare hæc ordinatio debet exponi, quando judici ſæculari inhibitum eſt in caſibus, qui ad ipſius juriſdictionem ſpectant, attento jure communi, vel regio.* Ubi notabam, non dicere, *attenta pronuntiatione*; ſed *attento jure.*

2. Eadem pertenſione allegabat regius procurator, quod, quamvis *charta citatoria* hoc titulo promulgaretur, ſufficiebat præcedens monitorium in ea relatum, ad hoc, ut vera inhibitoria proprie dicta evaderet; et rationem ſubjungebat, *quia relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.*

V. Sed contra reſpondebam, 1. Etiam monitorium præcedens relatum in citatoria non eſſe inhibitoriam proprie dictam, de qua loquitur ordinatio, ſecundum ejuſdem Per. interpretationem ead. dec. 58. n. 23. adducentis § 15. novæ juſtitiæ reformationem, ubi ſic ait: *Unde hæc ordinatio debet reſtringi ad inhibitorias, quæ proprie, et vere tales ſunt*; nec debet extendi ad requiſitorias, quas judex eccleſiaſticus *ex officio expendit* ad defenſionem ſuæ juriſdictionis; conſonat novæ juſtitiæ reformatio.

VI. Reſpondebam, 2. Axiomati in confirmationem tracto: verum quidem eſſe, quod relatum ſit in referente *quoad relationem*; non vero *quoad efficientiam, et diſpoſitionem*, Seſſe dec. 125. et 187. Aliter, monitoria, quibus prohibetur aliquid à jure ſub cenſuris vetitum, cum comminatione declarationis in illas, ſi contrafecerint, forent jam reipſa veræ cenſurarum illarum actuales declarationes, et fulminationes, eo quod actu ad illas referantur. Et ſimiliter chartæ citatoriæ *ad allegandum, quare*, &c. quæ præcedunt declaratorias cenſurarum à lege, forent reapſe actuales declaratoriæ, ob illarum tum cenſurarum, tum declaratoriam relationem, quod abſonum omnino eſt.

VII. Harum rationum evidentia coactus regius procurator refugit ad inhibitoriæ definitionem, aut deſcriptionem à Sabellio in hunc modum traditam, tom. 2. § 20. n. 1. *Inhibitoria eſt proviſio præſervativa juriſdictionis inhibentis, ac jurium partis, inducens nullitatem actus in contrarium geſti, et pœnarum comminatarum incurſum.* Et addebat, omnes hujus definitionis circumſtantias, ſive qualitates, in mea citatoria, quam iterum inhibitoriam appellabat, reperiri.

Sed contra, reſpondebam, 1. Citatoriam illam, quantumvis *inhibitoria* vocitetur, nullam illarum qualitatem inducere; quia minime inhibebat, ſed præciſe citabat, aut notificabat dumtaxat; ut ex illius terminis, et contextu demonſtrabatur.

VIII. 2. Quia neque præcedens monitorium, quo plures cenſuræ à jure latæ comminabantur, qualitates illas veſtiebat: ſicut enim de lege illas comminante, non dicitur, quod formaliter *inhibeat*, ſed tantum, quod *moneat*; ita ſimiliter de monitorio illas referente: *relatum* enim (ut ex adverſo arguebatur, et hic magis proprie affertur) *eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.*

Contra, 3. Quia jam ſupra ſatis ſuperque oſtenſum eſt, legem ordinationis non loqui de qualibet inhibitoria late, et improprie dicta, ſed de *ſtricta*, et proprie dicta; et non de inhibitoriis à judice eccleſiaſtico *ex officio expeditis*, ſed de illis ſtricte, quæ *partes* ab illo *aſſequuntur*, et publicari faciunt: de quo ſup. n. 3. et alibi.

IX. Imo etiam de his inhibitoriis agens Per. cit. d. dec. 58. n. 24. *Si judex aliquis inhibetur in cauſa, de qua cognoſcit, ſi ipſe inhibitus ſupplicat ad tribunal regium, non debet ſtatim provideri ex eo ſolum, quod inhibitoria emanaverit ſine licentia principis . . . quia ſi inhibitoria juſta ſit, non ſufficit, ut publicaretur ſine approbatione principis ſæcularis, ut non valeat inhibitio, ut ex decret. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. explicat Caned. Azeved. Salzed. &c. et dum in eadem ordination. pœna imponitur, non currunt geſta, neque lex ſæcularis annullare poteſt ea, quæ per eccleſiaſticos fiunt, ſervato juris ordine.*

X. Refugiebat, 2. Regius procurator, velut ad ſacram ancoram, ad aliam P. Cayeiri definitionem in opuſculo *de monitoriis pro rebus ablatis reſtituendis*, § 1. quam quidem autumabat eſſe definitionem *monitoris meri.* Sed contra, 1. Ex eodem titulo, eademque definitione oſtendebam, non definire *monitorium merum*, ſeu in communi; ſed tantum *monitorium reſtrictum*, ſeu ſpeciale, nempe *pro ablatis rebus reſtituendis*, et monitorium mixtum ex præcepto, et excommunicationis comminatione; quod et de mente, et explicatione ejuſdem auctoris confirmabam eodem § 1. n. 2. ibi: *Itaque monitorium duo includit, ſcilicet præceptum reſtituendi, vel revelandi, et comminationem excommunicationis, contra violatores talis præcepti, quæ quidem excommunicatio vulgo dicitur monitorium.*

XI. Et tandem veram monitorii in communi ex Uberto de citat. c. 7. et aliis, illi producebam; videlicet, *Canonica præmonitio ad aliquid faciendum, vel omittendum, cum comminatione pœnæ facta à judice eam exequi potente.*

Ad aliam autem auctoritatem ex Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. n. 23. deductam, et ex adverſo objectam; qua aſſerit *de ſtylo in eadem charta inhibitionis mandatum de citando expediri*; reſpondebam, ex ea non inferri puras citatorias, ſeu pura mandata citatoria *ad allegandum, quare*, &c. eſſe veras inhibitorias proprie dictas, quod eſt punctum noſtrum:

XII.

XII. Sicut enim *pura inhibitoria*, quæ admixtum ſecum non deferret mandatum de citando, quod certe non deferre poterat (imo, juxta aliquos, non deberet, ex eodem Oliv. cad. q. n. 20. et 22.) non diceretur *citatoria*, ſed pura inhibitoria; ita pariformiter, *citatoria*, quæ ſecum non haberet admixtam clauſulam aliquam inhibentem, ſed mere citantem, aut notificantem, non dicetur *inhibitoria*, ſed pura *citatoria*.

Quoad ſecundum fundamentum:

XIII. Proſequebatur adverſarius allegans, cauſam hanc, utpote *temporalem*, abſque dubio ſæculari judicio pertinere. Sed contra, dicebam, quia vel terminum *temporalem* ſumebat, prout contrapoſitum termino *æterno:* vel prout contrapoſitum *ſpirituali*. In primo ſenſu, falſum erat aſſertum; nam veſtes ſacræ, patinæ, et calices, non ſunt æternæ, ſed temporales, et illorum cognitio ad judicium eccleſiaſticum privative certiſſime ſpectat, ex eadem regia ordinat. l. 2. tt. 1. § 2. et 10.

In ſecundo ſenſu etiam falſum eſſe aſſertum dignoſcebatur. Nam imago quædam ſacra, et miraculoſa, eſſe *de genere ſpiritualium de jure divino*, evidenter, et *ad hominem* ſupra oſtenſum eſt, ex præcedente alleg. Et illam etiam judicio eccleſiaſtico dominium, et certa eccleſiæ parochialis poſſeſſio privative reſervabat: de quo ſupra.

XIV. Rationem, quam afferebat, ut *pro temporali* reputaretur; quia ſcilicet ita judicatum fuerit; etiam clare refutabam, 1. Ex ſupra allegatis præced. alleg. et, 2. *Ad hominem*; quia aliter ſequeretur ex hac doctrina, quod cauſæ in judicio eccleſiaſtico, ut competenti, judicatæ, et per recurſum ad ſæculare delatæ, non poterant in hoc declarari incompetentes eccleſiaſtico, neque ſæculari competentes, neque in hoc poſtea agitari, aut proceſſari; quia auctoritas rei judicatæ in judicio eccleſiaſtico (juxta adverſarii doctrinam) redderet improbabilem pertinentiam ſæculari judicio; in quo certiſſime miniſtri regii minime convenient.

XV. Ad auctoritatem Oliv. *de for. eccleſ.* qua aſſertum ſuum confirmare prætendebat; videlicet, *Si certum eſt de jure, ita ut contrarium probabile non ſit, cauſam temporalem eſſe, reumque laicum eſſe non dubitetur, jam notoria eſt violentia, et uſurpatio:* Ex ipſius formalibus verbis facillime reſpondebam: *Si certum eſt de jure, ita aut contrarium probabile non ſit.* Contrarium autem aſſerti adverſarii, non modo probabile, et certum de jure, quinimo et evidens eſt.

XVI. Addebam tamen, quod, etiam dato, quod cauſa præſens judicio ſæculari pertineret, nemo mehercle inficiabitur, tum intempeſtivitatem, acceleratorem, et notorias nullitates executionis, et quod hæc intra eccleſiam abſque prævia ordinarii licentia exequi non poſſet; tum etiam deteſtabiles exceſſus ſacrilegos, qui in ea interceſſerunt, quorum ſaltem ratione executores ipſi cenſuris eccleſiæ, et eccleſiaſtici judicis ultioni ſubjecti remanebant. Per. de man. reg. c. 7. et 22. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 8.

XVII. Negare etiam pertendebat adverſarius, quod Pignatell. tom. 10. conſ. 75. aſſereret, imaginem ſacram, et miraculoſam, immunem eſſe à foro, et dominio ſæculari. Sed convenienter reſpondebam tranſcribendo Pignatell. auctoritatem per formalia, n. 3. ejuſdem conſil. 75. ibi: *Dicta enim imago, multis miraculis clara, eſt de genere ſpiritualium de jure divino . . . At ea, quæ ſunt ſpiritualia ſecundum propriam eſſentiam, nullo jure poſſunt à laicis poſſideri, vel præſcribi*, &c. Et etiam contextum ejuſdem n. 30. et ſequentibus, quibus adverſarium remittebam. Et tandem *ad hominem* concludebam inquirendo; cur actor, ſui in favorem, præmiſſam Pignatell. auctoritatem adduxerat; et judicum deliberationes in illa fundatæ, cur à dominio, et poſſeſſione illius imaginis reos excluſerunt, niſi quia ipſi laici exiſtebant, et imago erat *de genere ſpiritualium*, ac per conſequens eccleſiaſtico dominio pertinens?

Quoad tertium fundamentum:

XVIII. Nil amplius ſpecialiter ultra id, quod in præcedenti allegatione reſponſum fuerat, operæ pretium duxi reſpondendum. Notabam tamen, quod regius procurator nil penitus objectâſſet, aut oppoſuiſſet extenſis allegationibus meis, ſententiæ, et executionis nullitates manifeſtantibus, et comprobantibus; et dicteriis criticis, ne dicam ſatiricis, contentum fuiſſe. Itaque, hinc tranſitum faciebam ad ponderandas, et infirmandas aliquas ſententiæ recurſus clauſulas, et fundamenta, omiſſis aliis præ brevitate.

Ponderantur aliquæ recurſus ſententiæ clauſulæ, et illis plene fit ſatis.

Prima, quæ ſeſe offerebat, ſententiæ clauſula hæc erat: *Immunitatem eccleſiæ non impedire executionem mandatorum, et ſententiarum judicis ſæcularis in cauſis civilibus; et adhuc etiam in criminalibus, poſt actum, ſeu inſtrumentum ſuper immunitate confectum, declaratur, eam locum non habere*, &c. Verum hinc etiam, ex ore ipſorum judicum judicans, et ego uniformiter, quærebam, quiſnam actus, aut inſtrumentum ſuper eccleſiæ immunitate impræſentiarum præceſſerat? Quænamve declaratio, aut quænam judicis, aut prælati eccleſiaſtici requiſitio ad præjactam executionem, tot exceſſibus, atque immunitatis eccleſiæ tot ſacrilegis offenſionibus exercitam? Quiſnam judicis eccleſiaſtici cum ſæculari concurſus ad promiſcue decidendum, an in hac cauſa civili, ut in criminalibus, prævaleret, aut læderetur immunitas eccleſiæ, juxta formam à jure eccleſiaſtico in conſtitutionibus ſynod. hujus archiepiſcopat. tt. 20. conſt. 5. et 6. et à jure regio ord. l. 2. tt. 5. § 7. præſcriptam? Ergo, cum talia non præceſſerint, certa remanet eccleſiaſticæ immunitatis offenſa, ſicut in illis caſibus ordinationis, et conſtitutionum, ſi præſcriptæ utrobique diligentiæ non præmitterentur.

XIX. Secunda clauſula durior erat; aſſerebat namque: *Quod, reſpectu bonæ juſtitiæ adminiſtrationis, dicebatur eccleſia eſſe de territorio ſæculari in materiis temporalibus*, &c.

XX. Sed *quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic ſimile?* Ego de me fatebar, nunquam aſſertum tale, aut quid ſimile audiviſſe. Nam temporalitas materiæ neque eccleſiæ ſuam auferebat immunitatem, ut ex cap. *Decet*, de immunit. in 6. et ex ead. ord. l. 2. tt. 5. clare conſtabat; neque efficiebat, quod eccleſia territorium foret ſæcularis judicii: alias, in caſibus, quibus judices ſæculares poſſunt reos qualificatos ab eccleſia extrahere, ſecundum ejuſdem ordinationis eodem tt. 5. diſpoſitionem, poſſent conſequenter eos in eadem eccleſia, vel in ejus atriis, judicialiter proceſſare, atque judicare, et alios actus forenſes exercere, contra expreſſas ejuſd. cap. *Decet* prohibitiones, et contra noſtri regis Joannis I. cum clero concordiam, art. 4. apud Per. de man. reg.

XXI. Deinde oſtendebam cum Sperell. dec. 51. ex c. 1. et 2. de immunit. et ex var. deciſionibus, quod *judicibus ſæcularibus expreſſe prohibitum eſt juriſdictionem aliquam in eccleſia exercere.*

XXII. Imo ad actus, et exercitium juriſdictionis eorum in perſonas laicas, ut ad extrahendum ab eccleſia latronem, vel alium reum cum armis vetitis ad illam confugientem, id, abſque prævia judicis eccleſiaſtici licentia, patrare non poſſunt. Sperell. dec. 49. ex n. 25. Farin. Gazin. Caſtr. Pal. et alii, jam præcedenti alleg. citat.

XXIII. Quod inſuper confirmabam, 1. Cum meliori, et veriori DD. opinione aſſerentium, immunitatem eccleſiæ valere reo, qui ad illam ex manibus lictorum ſæcularium confugit; quam ſolide defendunt Abb. Silveſtr. Silv. Angel. Gutierr. Thuſc. Dec. Genuenſ. Farinac. Laim. Germon. et plures alii apud Delbene de immunit. c. 16. dubit. 10. ſect. 7. n. 1.

XXIV. Confirmabam, 2. Cum regiæ ordination. diſpoſitione l. 2. tt. 5. § 7. quæ omnino vetat, ab eccleſia extrahi reos malefactores in alia forma, quam ibi præſcriptam; videlicet, judicante ſimul judice eccleſiaſtico cum ſæculari, in tali caſu immunitatem reo non valere; et dum ſummariam hanc cognitionem perficiunt (quam quidem, non *intra* eccleſiam conficere jubet, ſed quod *extra* fiat, generalis ſervat ſtylus) expreſſe præcipit, *malefactorem bene, et honeſte ſervari.*

XXV. Quod ſi judices, vel executores ſæculares contrafecerint reum ligantes, aut vinculantes, ait Per, de man. reg. c. 50. n. 12. *Judex eccleſiaſticus cenſurarum*

rarum fulmina ocyſſime, et excommunicationum tonitrua laxare debet. Idem proſequitur Peg. ad eand. ordinat. § 7. gl. 9. qui etiam gloſſ. 9. n. 89. cum *Bezerr.* et *Correa*, n. 85. affirmat, et judicatum refert, immunitatem eccleſiæ valere etiam debitoribus refugiatis. Quod equidem non ita judicaretur, ſi eccleſia in cauſis, aut materiis temporalibus foret territorium judicum ſæcularium. Quocirca videndus etiam Cortiad. dec. 2. n. 24. et ſeqq.

XXVI. Confirmabam ex aliis pluribus juris regii ordinationibus: et, 1. Ex ordinatione l. 2. tt. 1. § 10. et ponderabam, quod ſi ex illius diſpoſitione, et ob res eccleſiæ, quæ ſunt extra illam in manibus laicorum judicio ſæculari ſubditorum, et in territorio judicis ſæcularis, debent laici apud eccleſiaſticum judicem convenire; et in cauſis civilibus clericorum in judicio ſæculari competenter agitatis (quod in aliquibus caſibus fieri poteſt) ſi executio facienda ſit in fructibus beneficii, vel in aliis bonis eccleſiaſtici, debet pro illa judex eccleſiaſticus adiri, ex ead. ord. l. 2. tt. 7. et tt. 1. § 2. et l. 3. tr. 93. quomodo eccleſia ipſa vere dici valeat territorium judicum ſæcularium?

XXVII. Quod quidem non dici *palatium epiſcopale*, fatetur Peg. gl. 2. n. 23. ad eand. l. 2. tt. 5. et Per. de man. reg. c. 12. n. 9. quatenus loquens de procedimento ad temporalitates contra prælatos ita ait: *Occupantur temporalitates, quæ extra domum cuſtodiuntur; quia eorum domus non ingrediuntur miniſtri ſæculares.*

XXVIII. 2. Ex ead. ordin. l. 3. tt. 93. in princip. quæ, ſuper bona capellarum, prælatorum eccleſiaſticorum auctoritate inſtitutarum, aut fundatarum, vi ſententiæ in judicio ſæculari competenter latæ ſub haſta vendita, et exequenda, omnino *vetat juſtitias ſæculares in executionem ſeſe intromittere.* Et in favorem eccleſiæ, judicatum refert Peg. ibid. n. 21. et ſimiliter Per. de man. reg. c. 51. n. 1. Quomodo ergo, ſi omnia hæc non ſubduntur executioni judicum ſæcularium, eo quod ſint bona eccleſiaſtica; quo jure, aut ſundamento, eccleſia ipſa, illis in cauſis temporalibus, ut illorum territorium ſubjecta dici poterit?

XXIX. Fundamentalem rationem hanc ex Delbene adducebam: nam, ut aliquis locus alicujus judicis territorium dicatur, *non ſufficit, quod materialiter contineatur intra terminos diſtrictus illius: ſed neceſſe eſt, ut contineatur formaliter, præſertim quoad juriſdictionem contentioſam.* Delben. de immunit. c. 13. dub. 1. ſect. 2. n. 5. ex c. *Cum epiſcopus*, de offic. ordin. in 6. Clemen. archiep. de privil. ub. DD. communiter.

XXX. Et cum certo certius ſit, eccleſiam formaliter non eſſe intra diſtrictum judicum ſæcularium, neque etiam materialiter quoad juriſdictionem contentioſam, ex c. *Decet*, de immunitat. in 6. c. *Quia nonnulli*, ibid. evidenter ſequitur, nullo modo, nulloque pacto, eccleſiam vere dici poſſe judicum ſæcularium territorium. Quem quidem errorem ut radicitus penitus extirparem, et illorum ſignanter, qui putant prohibitionem dicti cap. *Decet*, ſolum cauſas criminales, non vero civiles comprehendere, illius ſequentia verba dumtaxat tranſcribebam:

XXXI. *Decet domum Domini ſanctitudo. Decet*, &c. *Ceſſent in eccleſiis, earumque cœmeteriis, negotiationes, et præcipue nundinarum, ac fori cujuſcunque tumultus; omnis in eis ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat; nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maxime, agitetur; ſint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hoc faciant obſervari, ſuadenda ſuadeant, interdicta hujus canonis auctoritate compeſcant .... Et nihilominus proceſſus judicum ſæcularium, ac ſpecialiter prolatæ ſententiæ in eiſdem locis, omni careant robore firmitatis*, &c.

XXXII. Tertia clauſula erat: *Quod per eandem ſententiam, qua judicatum eſt pertinere dictam imaginem venerabilem religioni ſocietatis, abſque dubio eidem ſæculari judicio pertinebat etiam illius traditio*, &c. Sed contra retorquebam; quia ex eo ipſo, quod ſocietatis religio, cui ſacræ imaginis dominium pertinere judicatum eſt, eccleſiaſtica foret, et eccleſiaſtica etiam parochialis eccleſia, ſub cujus dominio, vel ſaltem poſſeſſione, imago detinebatur, et à qua juſſa eſt auferri; quomodo ejus reivindicatio judicio ſæculari pertinere poterat, cum notoria, etiam juris regii, reſiſtentia? ord. l. 2. tt. 1. § 2. et 7. et 10. et tt. 7. et l. 3. tt. 93.

XXXIII. Imo dato, quod in ſæculari judicio cauſa hæc agitari, et judicari poſſet; non inde præciſe ſequeretur, eidem judicio executionem attinere, ut ex caſibus, et legibus infra citandis liquebit. Et cum executio ipſa intra eccleſiam peragenda foret, quomodo ad illam poterant devenire, eamque proſequi, abſque prælati ordinarii licentia, et etiam eccleſiaſtici patroni conſenſu? reclamante ordinat. reg. l. 2. tt. 1. § 2.

XXXIV. Ubi judici ſæculari, deſpoliato à clerico cognoſcenti, expreſſe jubet, quod *unice de vi nova cognoſcat, et non amplius, ſi res reſtituenda eccleſiaſtica ſit*; et l. 3. tt. 93. expreſſe cavente ſæculares judices, ne in bonis capellarum eccleſiaſticarum executiones faciant; et l. 2. tt. 7. ne in fructibus beneficiorum, etiam in cauſis in ſæculari judicio competenter agitatis; et alibi.

XXXV. Pro ultima clauſula, omiſſis aliis, ponderanda, præmittendum eſt; quod cum recurſum hunc intempeſtivum, et acceleratum dicerem, eo quod, non expectata appellationis deciſione, intentatus foret; et ſimiliter executionem ſæpe ſacrilegam appellarem; regius procurator, quaſi per reconventionem, in me, meaſque allegationes taliter debacchatus eſt, ut me pauperem intelligentiæ, meamque reſponſionem ſcandaloſam, inordinatam, confuſam, frudulentam, doloſam, aliiſque improperiis ſugillaverit; horum opprobriorum ſcholium Tulliana exclamatione claudens: *O tempora! O mores!* (quam quidem certiori juſtitia retorquere poteram); et pro ſe denique, l. 1. cod. *Si quis imperatori maledixerit*, injuſte uſurpabat. et hinc non bene fundatum fundamentum judices deſumpſerunt, ut in ſententiæ contextu, me *recordationis reverentiæ regio tribunali, et modeſtiæ meo characteri debitæ*, animadverterent.

Reſpondebam tamen, quod ſi expreſſiones meæ *recurſus intempeſtivi, et executionis ſacrilegæ*, &c. minus reverentes regio tribunali viſæ ſunt; cur non idem judicium æque efformatum eſt de tot, tantorumque indecentium, et irreverentium opprobriorum ſcholiis, à regio procuratore eidem tribunali directis, cui regius procurator, licet partiale illius membrum, equidem reipſa ſubditus, etiam ut talis, incedebat?

XXXVI. Et hic obiter, pro ſuperioritate juriſdictionis eccleſiaſticæ, epiſcopaliſque dignitatis, procuratorem ipſum ad utriuſque juris leges inviſendas; videlicet, c. *Solitæ*, de majorit. et obed. ub. gl. verb. *Inter ſolem*, c. *Duo ſunt*, c. *Quoniam*, diſt. 18. c. *Si imperater*, c. *Nunquam*, diſt. 96. et jure civil. toto titulo, cod. *de epiſcopis*, et *Ubi de crim. agi oportet*, auct. *Qua in provincia*, et tex. relatum in cap. *Valentinianus*, diſt. 63. et alios.

XXXVII. Quoad modeſtiæ meo debitæ characteri animadverſionem (imo et quoad primam) dicebam; quod cum expreſſiones illæ, et reliqua procedimenta mea, in notoriam ſanctitatis, et immunitatis eccleſiæ notiſſime forent; quantumvis aliquibus exceſſus, et immoderationes videantur, eſſe reapſe moderationis, ac modeſtiæ, et quidem eccleſiaſtici prælati dignam obſervantiam; quam ipſiuſmet omnium divini, et imitabilis exemplaris, Jeſu Chriſti exemplo confirmabam; non modo in illa dura, ac ignominioſa regi Herodi apologatione, *Dicite vulpi illi*, Luc. 13. atque in aliis durioribus ſcribis, et phariſæis, jam *hypocritas, ſepulchra dealbata, cæcos, et duces cæcorum, generationem pravam, et incredulam*, et alia hujus furfuris publice improperantis, ita ut invincibilis ejus patientia proclamare cogeretur; *Quamdiu vos patiar? quamdiu apud eos vero?*

XXXVIII. Verum etiam in famoſa illa materialis templi ſui ſanctitudinis, et immunitatis, propriis manibus, medio flagello de funiculis templi ab eiſdem ſancte contextis, bis exercita defenſione, atque ultione (qua nuſquam in defenſionem, aut vindictam injuriarum adverſus illum, qui erat *Templum vivum Dei, in quo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitabat*, ignominioſe adeo, ut doloroſe profunde inflictarum, uſus fuerat) ſacrarum manuum ultrices actiones, in ſanctitatis, et immunitatis materialis templi vio-

violatorum crebris flagellationibus, violenta ejectione, cathedrarumque ſubverſiva detruſione, ſacrorum verborum doctrinalibus redargutionibus auxilianter adjuvantis in illa efficaciſſima prolatione: *Domus mea, domus orationis eſt; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

XXXIX. Inſuper omiſſis D. Ambroſii, et Innocentii III. adverſus imperatores Theodoſium, et Arcadium procedimentis, relatis in c. *Duo ſunt*, 1. 96. necnon crebris D. Joannis Chryſoſtomi vindiciis in Eudoxiam imperatricem, D. Thomæ Cantuarenſis in Henricum II. Angliæ regem, Moguntini epiſcopi in proprium parentem Othonem imperatorem, quem ut juris canonici violatorem excommunicavit, et aliis pluribus, quibus eccleſiaſticæ, profanæque abundant hiſtoriæ, duplex tantum, aliud domeſticum, aliud longe præſenti prætenſioni conforme (eo quod adverſus integrum regium tribunal evaſerat) exemplum ſeligebam.

XL. Primum erat venerabilis D. Fr. Bartholomæi à martyribus, archiepiſcopi Bracharenſis, Hiſpaniarum primatis: qui prætorem quendam, qui juſtitiam venalem fecerat, publice in faciem ejus, infami latronis nomine, eum ſugillavit; et alium, qui ab eccleſia, reum ad illam confugientem, fractis violenter eccleſiæ foribus, ſacrilege evellit, non modo excommunicavit, et, cenſuras aggravans, ad locale interdictum proceſſit; verum etiam poſt delinquentis reſtitutionem, miniſtrum, eccleſiaſticæ immunitatis violatorem, à cenſuris in illum fulminatis noluit abſolvere, donec eccleſiæ offenſæ debitam ſatisfactionem publice etiam præſtaret, adſtans die Dominica extra portam eccleſiæ, quamdiu matutinæ horæ, divinaque officia peragebantur, cum eadem ſecuri ſuper humeros, qua valvas eccleſiæ propriis manibus confregerat; de quo Souza in vita hujus illuſtriſſimi præſulis, l. 3. c. 8.

XLI. Aliud exemplum erat D. Antonini, archiepiſcopi Florentini, qui ob minorem decentiam dumtaxat, qua regalis Florentina audientia ei duos clericos, in flagranti delicto captos, demiſerat, regium tribunal perſonaliter ingrediens, graviter ſenatores omnes objurgavit, et poſtea excommunicavit: quibus ad Summum Pontificem recurrentibus, et ab hoc, remiſſa cauſa eidem S. archiepiſcopo, ut eos abſolveret, minime commendatam abſolutionem illis impartiri voluit, quin prius debitam eccleſiæ ſatisfactionem publice præberent, quam quidem ſolemniter exhibuerunt ad eccleſiam nudis pedibus, et funibus ad collum ligatis devenientes, ubi majori ſolemnitate, et æquali gravitate à ſancto archiepiſcopo, juris forma abſoluti ſunt, ut conſtat ex hagiologiis Dominicanis in vita ejuſdem S. die 10. Maii. Quin in nullo horum procedimentorum, aut actionum, ob quas præfati præſules, et alii ſimiles, ut ſancti coluntur, et venerantur, minima minoris, erga regios miniſtros, atque tribunalia reverentiæ, aut modeſtiæ, proprio debitæ characteri, nota taxari valeant.

XLII. Denique legi illæ codicis, *Si quis imperatori maledixerit*, quam regius procurator ſibi arrogare, aut appropriare contendebat, opponebam imprecationem ex pontificali Romano in epiſcopi conſecratione recitatam, ibi: *Qui ei maledixerit, ſit ille maledictus; et qui ei benedixerit, benedictionibus repleatur.* Et tandem legi illi juris civilis, duas ſacras juris canonici à ſancto Pontifice Joanne I. ſancitas contraponebam, videlicet canones *Nunquam, et ſi imperator*, diſt. 96. ibi:

XLIII. *Si imperator catholicus eſt (quod ſalva pace ipſius dicimus) filius eſt, non præſul eccleſiæ. Quod ad religionem competit, dicere ei convenit, non docere . . . . Ad ſacerdotes enim voluit Deus, quæ eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates: quas (ſi fideles ſunt) eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubjectas. Non ſibi vendicet alienum jus, et miniſterium, quod alteri deputatum eſt, ne contra eum contendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt, et contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſecutus eſt poteſtatem . . . . Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas eccleſiaſticis præſulibus, non præferre.*

In hunc modum clauſi reſponſionem rogativis epiſtolis datam, ſecundum intelligentiæ meæ, ex adverſo objectatam, paupertatem, quam quidem cum Jeremia ſincere fatebar, dicens: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*, Thren. 3.

ALLEGATIO VI.

In Gravamine, quod in eadem Cauſa Vicarius ejuſdem Eccleſiæ parochialis Colluanæ interpoſuit ad Senatum regium, ab Executore Miniſtro, eo quod non detulerit Supplicationi, quam Parochus ipſe ei direxerat ad Repoſitionem ſacræ Imaginis in eadem Eccleſia, ex eo, quod illi in Caſu præſenti competeret Interdictum unde vi; *et ob alias Rationes, in Gravaminis Supplicatione deductas.*

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Judex inordinate procedens, ſpoliat, et vim facit, etiamſi procedat mandato principis.*
III. *Et contra illum competit interdictum* unde vi.
IV. *Quod remedium eccleſiæ, ut magis privilegiatæ, competit.*
V. VI. *In Luſitania ſpoliatus à judice, per inſtrumentum gravaminis reſtituitur.*
VII. VIII. *Nulla major injuſtitia, quam nullitas.*
IX. X. *Rationes judicis à quo infirmatæ.*
XI. *Cauſa de re eccleſiaſtica quoad proprietatem, etiam mixte, et incidenter cum poſſeſſorio, etiam inter laicos, nequit agitari in ſæculari judicio.*
XII. *Præventio ratione poſſeſſorii habentis admixtam cognitionem proprietatis, tunc habet locum, quando judex eſt capax utriuſque cognitionis.*
XIII. XIV. *Poſt cognitionem poſſeſſorii in judicio ſæculari, cognitio proprietatis remittitur eccleſiaſtico.*
XV. *Ad hanc reſtitutionem, non requiritur citatio ſpoliantis, etiam auctoritate judicis.*
XVI. *Spoliato non ſolum remedium illius interdicti competit adverſus judicem, ſed etiam adverſus partem ſupplicantem.*

I. POST violentam ſacræ imaginis, ab altare proprio avulſionem, atque à parochiali eccleſia prænarratam extractionem, P. Victorianus da Coſta, ejuſdem parochiæ vicarius, dum curſum ſuum præmiſſi duo recurſus percurrebant, eidem executori, atque extractori miniſtro ſupplicationem fecit, pluribus juribus ſtabilitam, ad hoc, ut eidem eccleſiæ ſacram imaginem reſtitueret; aut ſaltem interim reponeret aduſque ultimam principalis cauſæ, quæ adhuc pendebat, deciſionem, ob rationes, et fundamenta in petitionis libello extenſa; quorum præcipuum erat *ſpolium*, in executione præfata, injuſte patratum. Et quia judex executor non favorabiliter detulit petitioni, imo in ejus expeditione declarabat, *non adeſſe jus ſpolii, ubi plenaria cauſæ cognitio præceſſerat*; de rejectione hac, gravamen ad ſenatum intentavit parochus, nomine eccleſiæ, et ſuo etiam, ſequentibus rationibus fundatum: quarum illas, quæ ſpecialem juris diſpoſitionem, adhuc non attactam, continent, hic exponam; alias vero jam duplici allegatione præcedenti diſcuſſas, ne faſtidioſus fiam, conſulto omittam.

II. Gravaminis igitur fundamenta erant, quia *cum judex executor inordinate, indebite, et intempeſtive, executionem arriperet*, inſpectata ſcilicet impedimentorum deciſione, die, et loco incompetenti, et cum reliquis defectibus in citatoria charta enarratis; utique

ſpolium commiſerat, et eccleſiæ *interdictum unde vi* certe competebat; nam, juxta communem doctrinam, *Judex inordinate procedens ſpoliat, et vim facit*, Peg. for. cap. 11. n. 209. pag. 914. Barb. ad c. *Cum cauſa*, 22. de offic. deleg. n. 13. et ad cap. *Conquerente*, n. 3. de reſt. ſpoliat. *etiamſi ſpolium fiat mandato principis*, Peg. ibid. cum Giurb. conſ. 67. n. 32. Menoch. conſ. 1001. n. 13. Valenz. conſ. 58. Barb. Vot. 97. *et judicatum refert* Peg. tom 7. ad regim. ſenat. aulici. De qua re etiam vide Queſad. Pil. Caſtr. et alios apud ipſos.

III. Quod quidem intelligitur non ſolum de proceſſibus, et ſententiis, ſed etiam de executionibus illarum. Gratian. diſc. for. c. 66. ex n. 23. Aym. conſ. 140. n. 1. et ita concludit Peg. d. n. 209. *Itaque competit interdictum unde vi pro reintegratione, et purgatione ſpolii, ſi poſſeſſor habet ſe pro ſpoliato, cum uti privatus tunc judex procedere dicatur*, d. c. *Conquerente*, de reſtit. ſpoliat. ubi Abb. et Fermoſin. q. 1, 2. et 4. c. *Ex inſinuatione*, de procurat. Cyriac. controv. 389. poſth. civil. reſolut. 40. n. 5.

IV. Quod remedium potiori equidem jure eccleſiæ, ut magis privilegiatæ, competere, nemo dubitabit. Deluc. de feud. diſc. 60. n. 8. et de tutor. diſc. 5. n. 2.

V. Et poſito, quod judex à quo noluiſſet per ſeipſum requiſitam reſtitutionem, ac reintegrationem facere, ut de jure tenebatur, ſecundum AA. modo citatos, et reliquos omnes de reſtit. ſpoliat. proculdubio (proſequebatur parochus) ſibi hujus ſpolii reſtitutionem, nomine eccleſiæ, et gravaminis via, de noſtro jure privato, perquirere competebat.

VI. *Nam in hoc regno ſpoliatus à judice, per inſtrumentum gravaminis reſtituitur*; de praxi teſtatur Valaſc. conſ. 191. n. 8. Barb. ad ordinat. l. 3. tt. 48. § 3. Mend. in prax. lib. 4. § 10. n. 25. et multoties ſe vidiſſe judicatum inibi fatetur.

VII. Quod autem in accuſata executione judex à quo *inordinate*, *injuſte*, imo et *nulliter*, proceſſerat, probabat aggravans eiſdem fundamentis, duplici præcedenti allegatione ſatis ſuperque explanatis; et addebat ſufficere quamlibet prædictarum nullitatem ſingulariter, et ſuperabundare tot, taleſque ſimultanee, ad hoc, ut executor judex à quo, vim, et ſpolium commiſiſſe reipſa judicetur: *Cum nulla major injuſtitia ſit, quam nullitas*, Ægid. dic. 345. in fin. Gratian for. diſc. 66. n. 23.

VIII. Hic etiam parochus aggravans, conquerebatur, quod judex à quo illum noluiſſet pro parte jurium ſuorum, audire, neque locum ad juſtitiam ſuam deducendam ei dediſſet, quam quidem, à partium juſtitia diſtinctam, et jus proprium, à jure partium diverſum certe aggravans habebat; quinimo ab oppoſitione ſpeciali injuſte adeo repulſus foret, ut et advocatum, qui oppoſitionis articulos ſubſcripſerat, judex ipſe gravi, et infami per octo dies carcerationis pœna mulctaret; contraveniens per omnia juris regii expreſſis legibus, ord. l. 3. tt. 86. § 15. et tt. 87. et alib. Mend. in prax. l. 3. cap. 21. § 7.

IX. Ulterius progrediebatur ad infirmandam rationem judicis à quo in petitione aggravantis inſinuatam, videlicet, *Non adeſſe jus reputans, hic ſpolium interceſſiſſe, cum plenaria cauſæ cognitio præceſſiſſet*: è contra redarguens, 1. Minime dici poſſe præceſſiſſe illius cauſæ plenariam cognitionem, quæ adhuc pendebat, et ab impedimentis, quæ adhuc deciſionem expectabant, minime ſoluta, et finalis deciſionis metam adhuc non pertingens, ex vulgarib. ex l. 2. ff. de orig. jur. l. fin. § *Illud*, cod. de codicil. *Et paria ſunt cæptum non perficere, vel non incipere*, l. *Contractus*, cod. de fid. inſtrum.

X. 2. Quia ratio illa, à judice à quo indicata, ſolum verificaretur in plenaria cauſæ in competenti judicio cognitione; non vero in notorie incompetenti; ac proinde nulliter agitata, et proceſſata, ut in præſenti evenerat.

3. Quia, dato, quod plenaria cognitio, cum proceſſu, et ſententia valida, et juſta proceſſerat, ſufficiebant executionis exceſſus, et nullitates, ad hoc, ut judex executor vim, et ſpolium, vi illarum, commiſiſſe judicaretur, et ad reſtitutionem, atque reintegrationem cogeretur, ut judicatum refert Peg. for. p. 2. cap. 11. p. 914. col. 2.

XI. Ad excludendam etiam rationem aliam noviter attactam, videlicet, præventionis cauſæ in judicio ſæculari, præter jam ſupra allegata, dicebat aggravans, 1. Solum quod ad poſſeſſorium præciſe attinebat, potuiſſe in judicio ſæculari agitari; non vero quod ad jus proprietatis, *etiam mixte, et incidenter cum poſſeſſorio, etiam inter laicos*, Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. n. 56. ord. reg. lib. 2. tt. 1. § 2.

XII. Dicebat, 2. Tunc prævention em habere locum ratione cauſæ poſſeſſoriæ habentis admixtam cognitionem cauſæ proprietatis, quando judex eſt capax utriuſque cauſæ cognitionis, ex tex. in cap. *Significavit*, de judic. Carleval. de judic. tt. 1. ſeſſ. 3. n. 956. ord. lib. 3. tt. 73. § 5. et tt. 49. § 2. Per. de man. reg. cap. 24. n. 17. et 21.

XIII. Unde poſt cognitionem poſſeſſorii in judicio ſæculari, cognitio proprietatis judicio eccleſiaſtico remittenda erat, eo quod ſæculare judicium omnino, non modo incompetens, verum et incapax notorie foret ad cognoſcendum de imagine *ſacra*, *miraculoſa*, et *eccleſiaſtica*, quoad utramque partem, et utramque poſſeſſionem, ac dominium, ut ſupra in utraque immediata allegatione ſatis ſuperque demonſtratum eſt; et hic noviter aggravans demonſtrabat, præter citatas jura atque auctoritates, allegans etiam cap. *Cauſam*, cap. *Sacroſancta*, cap. *Maſſana*, de elect. cap. *Nullus*, 16. q. 7. cum concord. per Genuenſ. in prax. 41. n. 22. Abb. in c. *Conſulere*, n. 13. de ſimon. Roch. de Curt. de jur. patron. n. 1. Rodoan. de ſimon. p. 1. et 3. Deluc. de præemin. dec. 40. n. 8.

XIV. Denique, probabat, et confirmabat aggravans juſtitiam ſuam, et ex vi illius ſibi, et eccleſiæ ſuæ *interdictum unde vi* pertinere, ex pluribus ſententiis, et areſtis in caſibus conſimillimis in Luſitaniæ regno prolatis, deductis, ſignanter ex Peg. for. cap. 11. pag. 914. col. 2. et ibid. n. 210. pag. 942. col. 2. ubi idem Peg. ſic proſequitur: *de qua re vide Menoch. recuper. rem. 8. n. 27.*

XV. Et ad talem reſtitutionem non requiritur citatio ſpoliantis, qui fecit ſpolium, etiam auctoritate judicis procedentis abſque forma judiciali, ut tradit cur. Philip. 2. § 8. quia ea, *quæ de facto fiunt, de facto etiam ſunt revocanda*, l. 1. § *Nuntiatio*, ff. *Non oper. nunc*; Alex. conſ. 179. l. 6. Parlad. Cov. Caſtill. et alii apud Salg. p. 1. c. 3. n. 14. Et tandem requirebat remedium dicti interdicti, tam ſibi, quam eccleſiæ ſuæ, quæ ſemper poſſidebat, et nomine cujus, tanquam procurator, agebat, ut deliberatum, et judicatum etiam referebat Peg. for. c. 11. pag. 910. col. 2. cum Menoch. recuper. rem. 1. n. 411. Cald. de emption. c. 12. n. 16.

XVI. Et inſuper addebat, remedium non ſolum ſibi competere adverſus judicem à quo, ſed etiam adverſus partem, quæ executionem petierat, et adverſus omnes mandantes, et ratificantes, ut Peg. for. d. cap. 11. pag. 902. col. 2. ſic tradebat: *Præterea aperti etiam juris eſt, quod hoc interdictum procedit adverſus eundem ſpoliatorem, vel adverſus mandantem, vel contra ratificantem, ut omnes tenent per gloſſ. in l. 1. § Interdict. ff. de vi, et vi arm. et eſt tex. in cap. Conſultation. de offic. deleg. plures citat, et ſequitur Dec. conſ. 125. n. 1.*

Minime tamen in hoc tam bene fundato gravamine parochus recurrens obtinuit ab eiſdem judicibus, à quibus tam facile P. provincialis prædictus in ſuo incuriali recurſu, cunctorum admiratione, obtinuerat.

ALLE-

ALLEGATIO VII.

In Recurſu intentato à quodam Advocato Canarino, in Viſitatione propriæ Parochiæ de ſcandaloſo domeſtico Concubinatu denuntiato, quo, etiam poſt Parochi Admonitiones, et Sacramentorum publicam Denegationem, impudenter inſordeſcebat.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Libellus recurrentis, et repulſam, et punitionem utique merebatur ob irreverentias, et blaſphemias, quibus ſcatebat.*
III. *Qua reverentia ſacerdotes de jure colendi, juxta quod injuriæ, etiam verbales, clericis factæ, atroces decernuntur, et ſevere puniuntur.*
IV. *Atrocior eſt injuria per ſcripturam, quam per verba facta.*
V. *Trina monitio à Trid. pro concubinariis requiſita, eſt, ne cenſura excommunicationis feriantur, non vero pro aliis pœnis.*
VI. *A jure communi, etiam civili, pœna concubinariis imponitur.*
VII. *Quæ pœnæ imponantur in ſynodalibus conſtitutionibus.*
VIII. IX. *Aliæ pœnæ excommunicationem, poſt Trid. in ſuo robore remanſerunt.*
X. *Areſta ex adverſo producta, erant de cenſuratis, et carceratis contra formam Trid.*
XI. *Laudantur Per. et Peg. ad ord. lib. 2. tt. 1. § 13.*
XII. XIII. *Non datur gravamen in mulcta pecuniaria, quod judex eccleſiaſticus concubinarium, etiam in primo lapſu damnat.*
XIV. *Vera emendatio delicti, licet pœnam moderetur, non ab ea abſolvit reum ſufficienter non punitum.*
XV. *Hodie, juxta conſuetudinem, ad ſpecialem inquiſitionem formandam, infamia non prærequiritur.*
XVI. *Concubinatus, juxta aliquos, eſt fori mixti.*
XVII. XVIII. *In materia correctionis, aut morum reformationis, non datur recuſatio.*
XIX. XX. *Suſpectus in judicando, non eſt ſuſpectus in delegando.*
XXI. *Prælati eccleſiaſtici quaſi* ſigna ad ſagittas *injuriarum, et querimoniarum injuſtarum, ſunt expoſiti, ut cap.* Qualiter, *de accuſat.*
XXII. *Proviſio hujus gravaminis fuit decretum, quod improperia, et blaſphemias deleri jubebatur, et recurrentem ſimul cum advocato, qui petitionem recurſus ſubſcripſit, publico carcere detrudi, et ſecure cuſtodiri, quæ prompte executa fuerunt.*
XXIII. *Quantum oporteat ſupplicationes recurſuum, antequam decernentur, in ſenatu perlegere.*

I. IN ſecunda cujuſdam parochiæ inſulæ Goanæ viſitatione, multis teſtibus conformibus, atque earum pluribus omni exceptione majoribus, denuntiatus prodiit quidam Canarinus ſolutus, ob retentionem publicam, et ſcandaloſam cujuſdam concubinæ, intra propriæ habitationis domum, de qua jam filium habebat, quin efficaces evaſiſſent tum parochi, tum ejus coadjutoris frequentes admonitiones, imo et publicæ ſacramentorum denegationes, præter meam, et poſt eam, in viſitatione paternalem monitionem. De cujus ſcandali famoſa publicitate, vi generalis, et conſtantis infamiæ judicialem inquiſitionem facere jubens, reum notificari feci ad competentem defenſionem, atque liberationem: et cum ille advocatum ageret, ad recurſus extraordinarium remedium aufugit.

In libello introductionis recurſus in tot deliramenta, et improperia adverſum me, et promotorem meum debacchabatur, ut de induſtria recurſui reſponſionem dare omiſi; et ſecundum ſtylum in hac diœceſi, ut et in aliis perſæpe obſervatum, de quo Themud. dec. 284. n. 2. et 4. juſſi, ut promotoris vicem gerens (eo quod proprietarius ſe etiam ſuſpectum declarârat) reſponſionem texerit, quam ille ſequenti formalitate ſubſtantialiter confecit.

II. Sed antequam ad fundamentorum recurrentis infirmationem deveniret, opportune regio tribunali repræſentabat inattendibilitatem libelli recurſus, et juſtam, quam illico merebatur, repulſam, imo et ſeveram punitionem, qua recurrens ſe dignum exhibebat, ob atroces, et inauditas ſupra inſinuatas calumnias, imo et ob irreverentes, et ſacrilegas blaſphemias, quæ in illo reperiebantur, quatenus propriam, quam affectabat, innocentiam, cum innocentia ſanctæ, et caſtæ Suſannæ, imo et Filii Dei, comparabat; quibus omnibus temerariis oblatrationibus, regii etiam tribunalis debitæ reverentiæ, notoriam offenſionem, ac injuriam irrogabat.

III. Et reſpective ad recurrentis munus, notabat etiam, quod advocati officium exercens, minime recordaretur decretorum, ac legum ab utroque jure ſtabilitarum, pro veneratione ac reverentia, qua ſacerdotes ab omnibu colendi ſunt, ut aperte conſtat ex cap. *Si per venerabilium*, c. *Quis dubitet*, c. *Si imperator*, diſt. 96. et toto tt. cod. *de epiſcop.* et cleric. ubi injuria omnes, *etiam verbales*, clericis factæ, atroces decernuntur, l. *Atrocem*, cod. de injuriis. Themud. dec. 336. n. 12. Cevall. de cognit. per viam violent. 2. p. q. 59. quæ quidem injuriæ ſevere puniri jubentur, non ſolum in eccleſiaſtico judicio, cap. *Olim*, de injur. ſed etiam in ſæculari, etiam de jure regio, ord. l. 2. tt. 9. § 3. Thom. Vas, alleg. 55. Themud. dec. 127. n. 2. Per. de man. reg. c. 53. n. 33. præcipue injuriæ dictæ, vel factæ adverſus miniſtros juſtitiæ, ord. lib. 5. tt. 50. et ibi Barb. Farinac. q. 105. Peg. ad eandem ordinat. lib. 1. tt. 65. § 25.

IV. Addebatque tandem, totam recurſus petitionem, non niſi famoſum, injurioſum, et undique infamem libellum incedere; et atrociorem certe eſſe injuriam, quæ per ſcripta, utpote permanentia, quam quæ per verba, utpote tranſeuntia, fiunt. Antonell. de judic. crimin. l. 6. c. 13. et 14. Panimol. dec. 52. per tot. et denique promeritam ſenatus in aggravantem animadverſionem convenienter ſupplicabat; cui quidem juſtæ poſtulationi, ſenatus ipſe juſtiſſime detulit, modo infra in fine allegationis declarando.

V. Ad merita autem aggravantis allegationum deveniens, minus præcipuis omiſſis, primæ ex Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 8. de reformat. decerptæ, reſpondebat promotor, trinam monitionem ibid. à ſacro concilio prærequiſitam, eſſe ſolummodo, ne concubinarii, abſque illarum præcedentia, excommunicationis cenſura feriantur, ut ex illius verbis, *excommunicatione feriendos eſſe*, clare dignoſcitur; non autem, ne aliis pœnis, videlicet, mulctis pecuniariis, vel aliis pœnis juridicis, à jure ſcilicet communi, vel à ſynodalibus conſtitutionibus ſtatutis, ut Sacra Congregatio, teſte Dian. p. 1. tr. 1. reſ. 10. declaravit, et in alia *Bracharenſi*, teſte Per. infra cit. et communiter tenent AA. Barb. et Deluc. in dict. locum concil. Per. de man. reg. cap. 34. n. 12. § *Quare*, Themud. dec. 145. Bellet. de favor. cler. real. § 5. n. 48. Ulp. in prax. c. 28. n. 9. Ricc. in prax. p. 1. reſ. 330. et alii ap. Antonell. de judic. crimin. l. 6. c. 29. n. 4.

VI. Pœnæ autem à jure communi concubinariis impoſitæ, conſtant ex c. *Infames*, 6. q. 1. c. *Nemo*, 32. q. 4. c. *Cum ſit generale*, de for. comp. et ex clar. § *Fornicatio*, Trid. d. ſeſſ. 24. c. 28. et etiam à jure civili, l. fin. cod. commun. de ſucceſſ. auct. de lenocin. verſ. *Mulieres*, l. penult. ff. de concubin. Ulp. in prax. cap. 28. Azor. p. 2. l. 3. c. 53. q. 2. Dian. p. 1. tr. 2. reſ. 88. et p. 5. tr. 1. reſ. 10. qui conſtanter aſſerunt, *quod etiam à jure civili concubinatus remanet punibilis pœna arbitraria*; de quo etiam Antonell. cit. de judic. crimin. l. 6. cap. 29.

VII.

VII. A jure autem ſynodali pœnas arbitrarias adverſus concubinarios ſtatutas præferebat, ſpecialiter, quæ in conſtitutionibus Goanis, tt. 31. conſt. 3. in Portucalenſibus, et Bahianis, tt. 15. conſt. 14. et tt. 31. conſt. 4. in Conimbricenſibus, tt. 15. conſt. 2. et tt. 33. conſt. 4. in Eborenſibus, tt. 10. conſt. 16. et tt. 25. conſt. 15. in Lamecenſibus, tt. 12. conſt. 15. et tt. 30. et aliis, et citat. Per. de man. reg. d. c. 34. n. 11. ſic concludit: *Quare, excepto caſu excommunicationis, quando epiſcopi aliis pœnis uti velint, non inconvenit, ut illis afficiantur concubinarii, nulla præcedente monitione.*

VIII. Inſuper, rem eſſe claram oſtendebat ex eadem in eodem capit. 8. Tridentini diſpoſitione, ubi ad excommunicationis pœnam trinam canonicam prærequirens monitionem, de aliis ſic diſponit, in fine: *Aliis pœnis contra adulteros, et concubinarios inflictis, in ſuo robore manentibus*, ut bene notat Thom. Vas, in alleg. 34. n. 10.

IX. Cum autem aggravans concubinatum plane confitebatur, neque negabat ter monitum fuiſſe, bis à parocho, et ſemel ab ejus coadjutore, poſt meam diſtinctam, ac præcedentem in viſitatione actuali admonitionem, ſufficientia prærequiſita forſan habere dicebat, ad hoc, ut etiam excommunicationis gladio, citra querelam, feriretur: præterquam quod, procedimentum, à quo aggravans recurrebat, nedum erat à citatione *ad allegandum, quare non deberet excommunicari*, ſed à ſimplici notificatione dumtaxat ad hoc, ut citra capturam, defenſionem ſuam allegaret, ut ab eo delicto, ſecundum ſtylum, liberaretur, aut abſolveretur.

X. Nec recurrenti ſuffragabantur areſta ex Peg. deducta; omnia namque procedebant, in caſibus, in quibus, ob culpas in viſitationibus denuntiatas, fuerant rei, abſque trinarum monitionum præcedentia, cenſurati, et carcerati; et in præſenti caſu, neque excommunicatio, neque carceratio, etiam poſt trinam monitionem modo declaratam intervenit; quinimo, neque per extrajudiciales teſtes viſitationis ſimpliciter, ſed per judiciales poſt illam, et poſt iteratam, ſeu continuatam ſcandaloſam rei infamiam, judicialiter inquiſitas, adverſus eum prædictam notificationem judiciale procedimentum intentatum eſt; qui quidem procedenti modus ab ordinatione regia approbatur, et excipitur, l. 2. tt. 1. § 13.

XI. Ad quam videndus idem Peg. n. 12. et Per. de man. reg. c. 34. n. 16. ita incipiens: *At vero, quando ipſi prælati de caſibus* ſibi permiſſis cognoſcunt, licet excedant, illud utique reſpicit injuſtitiam cauſæ, quam princeps ſæcularis corrigere non poteſt prætextu violentiæ, quæ non reperitur, niſi ubi tollitur jus naturale, vel prima citatio: unde fit, quod prælati cum ſic, vel ſic, monendos concubinarios decernunt, non excedunt in cognitione cauſæ, ſed in expeditione juſtitiæ, quod ſubeſt ſuis ſuperioribus, &c.

XII. Præterea hiſce ex Peg. areſtis deductis opponebat promotor alia moderniora, apud Themud. dec. 145. ubi judicatum reperitur in ſenatu Ulixbonenſi, *non dari gravamen in mulcta pecuniaria, qua judex eccleſiaſticus concubinarium damnaverat, et ulterius poſſe hanc mulctam habere locum in primo, aut ſecundo lapſu.* Et præterea caſum judicatum in ſenatu Portucalenſi, apud Valaſc. alleg. 34. n. 12. quo, quamvis concubinarius quidem conſimili mulcta ab eccleſiaſticæ curiæ officiali, in prima monitione plexus, gravamen interponens obtinuerat; attamen ſententia hæc in palatino ſeu aulico ſupremo ſenatu Ulixbonenſi revocata eſt, *et determinatum fuit, officialem bene proceſſiſſe. Et bene*, addit Valaſcus, *determinatum reputo, quia concilium non tollit alias pœnas contra concubinarios, imo jubet eas permanere.*

XIII. Neque etiam recurrenti ſuffragari dicebat, parochi, quam adjungebat, atteſtationem, qua reum è propria habitationis domo, concubinam die 3. Julii ejeciſſe, certum faciebat. Nam, 1. Hanc excluſionem effecerat, ex vi notitiæ prius habitæ de mandato ad illam perficiendam, die 1. ejuſdem menſis expedito. 2. Quia ejectio hæc doloſa præſumebatur, ſicut fuerat prima in viſitatione ex vi paternalis meæ admonitionis.

XIV. 3. Quia licet vera emendatio delicti pœnam moderetur, non ab ea penitus abſolvit reum non ſufficienter punitum, Antonell. de judic. crimin. l. 6. cap. 43. et 45. n. 16. Locatell. judic. inſpect. 5. Soccin. in c. Super de crimin. falſi. Bonacoſ. relat. in ſyntagmat. de crimin. et delict. c. 12.

XV. Ad concilii provincialis Toletani allegationem prærequirentem infamiam ad proceſſum, aut etiam ad inquiſitionem, nihil reo proficere dicebat; tum quia diſpoſitio illa anno 1565. ſtabilita, erat provincialis, et municipalis; tum quia reus per pluſquam duos annos ſtabili et ſcandaloſa publicæ infamiæ nota, cum patenti execrabilis concubinatus fructu, apud omnes generaliter inuſtus erat: præterquam quod hodie ex conſuetudine, non ſolum in eccleſiaſtico judicio, verum etiam in ſæculari, ad ſpecialem inquiſitionem formandam, infamia non prærequiritur, ut cum Boſch. Clar. Luſit. tr. 3. de inquiſitionib. n. 60.

Refutatis ſic allegationibus ex adverſo adductis, ad retundendas indecentias, quas in poſtulatione gravaminis introductionis, recurrens impudenter, aut ignoranter blaterabat, progrediebatur adhuc promotor.

XVI. Imprimis namque regiam majeſtatem interpellabat reus, *ne in judicio eccleſiaſtico à tali crimine defendi cogeretur* (quaſi crimen hoc, gloſſabat redarguens promotor, mere eccleſiaſticum non foret, juxta aliquos AA. ap. Antonell. de jud. crimin. l. 6. c. 29. vel ſaltem mixti fori, ut aliis placet ap. eundem, ibid. et per prævention em, et præcedentes admonitiones, eccleſiaſtico judicio non certe pertineret) ex ipſo jure reg. ord. l. 2. tt. 1.

XVII. Interpellabat inſuper, *ut in regium tribunal me ei ſuſpectum in omne tempus judicaret, ad hoc, ut ego, neque per me, neque per meum generalem vicarium, aut alios judices commiſſarios, aut delegatos, aut etiam per parochos, contra illum animadvertere poſſim*, &c. Quaſi (progrediebatur gloſſa) in materia correctionis, aut morum reformationis, daretur recuſatio, excluſo exceſſu in modo. Trident. ſeſſ. 24. c. 10. et ſeſſ. 13. c. de reform. Guerr. de recuſat. l. 5. c. 7. Marſil. in concil. l. 4. tt. 7. c. 17. Ciarlin. contr. for. l. 1. c. 66. n. 20.

XVIII. Et quaſi ſæculare coronæ judicium competens foret, ad hanc recuſationem judicandum, vel iſte foret modus eam judicandi, de quo ord. reg. l. 3. tt. 21. § 3. Guerr. de recuſat. et alii:

XIX. Et tanquam ſi ſuſpectus in judicando, conſequenter ſuſpectus foret in delegando; de quo Guerr. de recuſat. Mend. in prax. p. 1. et 2. Sperell. dec. 93. Fragoſ. de regim. 1. p. l. 5. d. 12. Pelegrin. prax. vicar. 2. p. ſect. 1. ſubſ. 6. ex c. *Si contra*, de offic. deleg. in 6.

Poſtulabat ulterius, *quod regia majeſtas juberet, ut ſi aliquis eum, vel aliquem ex ejus familia, etiam ſervili, denuntiare vellet de aliquo, hoc coram juſtitiis ſæcularibus faceret, cum comminatione condemnationis adverſus ſingulos aliter denuntiantes, imo et adverſus juſtitiæ eccleſiaſticæ promotorem, et habendi pro nullis, irritis, et reſciſſis, proceſſibus cunctis, extra ſæculare judicium confectis*, &c.

XX. Quaſi, redarguebatur, crimina mere eccleſiaſtica in judicio ſæculari denuntiari, aut in illo tales denuntiationes admitti poſſunt; aut quæ in eccleſiaſtico darentur, et proceſſus ex vi illarum efformati, annullari poſſent in ſæculari, de quo videnda. Antonell. de jur. clericor. l. 1. et d. privileg. l. 1. c. 1. § 7. et DD. omnes ad c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtitut.

Denique, æquali impudentia poſtulabat, ut *inhibitoria, aut decretum favorabile, quod à regio tribunali expectabat, in propria eccleſia parochiali, tribus diebus de præcepto ad miſſæ ſtationem in populi concurſu publicaretur, ut omnibus notum fieret, et ne aliquis poſtea ignorantiam allegare valeret*, &c.

XXI. Huic tamen ſacrilegæ, et irreverenti, etiam regiæ majeſtati, quam interpellabat, expoſtulationi, nihil, niſi cum juſta admiratione, reſpondebat promotor, auſus hujus, et inauditæ audaciæ temeritatem regiæ ponderationi juſte remittens; quam ego etiam prudenti lectori ſubmitto, ut certioretur, non tamen miretur, ad quas injuriarum, ineptiarum, et improperiorum ſagittas, ut in c. *Qualiter, et quando*, de accuſationib. effatur, veluti ſigna, in harum conquiſtarum

ſtarum regionibus, pluſquam in aliis, ſunt expoſiti.

XXII. Proviſio, quam regium tribunal ſuper hoc gravamine dedit, fuit decretum quoddam, quo omnes blaſphemias, improperia, et ſatiricas ineptias, quibus ſcatebat, expoſtulationis libello deleri jubebat; et inſuper, quod recurrens, et advocatus, qui ejus petitionis libellum ſubſcripſerat, in publicum detruderentur carcerem, et ſecure cuſtodirentur; quod ſtatim executum eſt. Et equidem fateor, quod ſi libellus petitionis in ſenatu legeretur, quando expeditus prodiit cum ordinario inſpectionis, aut præſtandæ copiæ decreto, minime aliter decerneretur, quam cum eodem poſterius ſecuto carcerationis decreto.

XXIII. Et hinc ad oculum dignoſcetur, quantæ rationis pondere ſupra, 1. p. inſurrexi adverſus abuſum, et hujus ſenatus Goani cacoethem, quam ſenatoribus regiis non ſemel objeci, dum bis cum gubernio ſæculari munus rectoris ſenatus exercerem, non legendi in illo libellos introductionis gravaminum à judicibus eccleſiaſticis intentatorum, ſed ſtatim, abſque materiæ notitia, et cum ſola illa confuſa, quæ ex petitionis, ſeu libelli initio decerpitur, ſtatim illam et admittunt decernunt: quo certe inique operantur; tum quia, ſi ex petitionis libello materia dignoſcatur non eſſe recurſus, nequeunt ſe in illo, etiam quoad copiam præſtandam ordinario decreto, judices pronuntiare; tum quia ſæpe ſæpius recurſus petitiones abundant dicteriis ſatiricis, impudentibus indecentiis, et aliis hujus furfuris, indignis certe reverentiæ regio tribunali, et regiæ, quæ interpellatur, protectioni debitæ, et dignis ſolummodo, quæ ſtatim reſcindantur, ſecundum doctrinam Bobadill. in ſua politica, p. 1. Et adverſus recurrentes opportune procedatur, ex traditis per Salgad. de reg. protect. p. 1. prælud. 5. et alios.

RESPONSIO, et ALLEGATIO VIII.

Ad Gravamen, à quodam Laico intentatum, ſuper Captura illius, ob Culpam Lenocinii erga propriam Uxorem, et alias exerciti, in Viſitatione denuntiatam.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Duo præſentis gravaminis fundamenta.*
III. IV. *Poſt Concil. Trid. ceſſavit controverſia de judicibus eccleſiaſticis pro laicorum carceratione per officiales proprios, et in caſibus mixti fori.*
V. *Pro hac ſententia ſtat jus regium, et praxis generalis in Luſitania, et communis auctoritas, uſque ad n.* VII.
VIII. *Imploratio brachii ſæcularis, eſt actus facultativus, et arbitrarius.*
IX. X. *Eſt ordinata in favorem juriſdictionis eccleſiaſticæ, proindeque non in deminutionem.*
XI. *Prælati procedentes, vel juris communis executores, minime vim faciunt.*
XII. *Nec ab eis appellatur, aut recurritur.*
XIII. *Poſſunt familiam armatam pro his capturis retinere.*
XIV. XV. *Judex eccleſiaſticus habet immediate juriſdictionem in omnes laicos ſuæ juriſdictionis pro criminibus eccleſiaſticis.*
XVI. *Nulla perſona, quantumvis privilegiata, immunis eſt à viſitatione, et correctione eccleſiaſtica.*
XVII. XVIII. *Gravitas, et enormitas criminis lenocinii, quod et in primo lapſu pœna carceris, et exilii punitur.*
XIX. *Ita diſponitur in pluribus conſtitutionibus ſynodalibus.*
XX. *Exitus gravaminis, in quo recurrens minime obtinuit.*

I. QUIDAM Canarinus uxoratus, arcis oppidi Racciolenſis bombardarum ſubpræfectus, in prima illius oppidi parochiæ viſitatione denuntiatus fuit de crimine lenocinii in propriam uxorem, et alias exerciti, quas diverſorum ſtatuum diverſis perſonis, cum aliis gravioribus circumſtantiis, et generali ſcandalo, multis jam retro annis tradebat; et inſuper de omiſſione gravi ſuper executione legatorum cujuſdam teſtamenti, cujus ipſe teſtamentarius foret: ſuper quibus denuntiationibus auditus, et convictus, pronuntiatus eſt, ut carceratus liberaretur, eo quod lenocinii, et adulterii crimina, ut qualificata, et graviora,] talem pronuntiationem ſecundum ſtylum perquirebant; à qua, et ab ejus executione, gravamen interpoſuit.

II. Gravaminis fundamenta, duo tantum erant: 1. Quod capi non poterat, niſi per officialem curiæ ſæcularis; et hanc eſſe praxim. 2. Quod actu Racciolenſis arcis officialis incederet.

Quoad primum fundamentum:

III. Dicebam, quod licet ante Concil. Trident. hæc materia alicubi aliquam pateretur contradictionem, attamen poſt ejuſdem concilii publicationem, et acceptationem, ceſſaverat controverſia, conſervatis prælatis eccleſiaſticis in antiqua poſſeſſione, ac libera, et ampla facultate carcerandi laicos per propriæ curiæ miniſtros, et officiales, abſque brachii ſæcularis imploratione, non ſolum in cauſis ſpiritualibus, et mere eccleſiaſticis, ſed etiam in caſibus fori mixti: ut convincitur ex cauſa Mediolani agitata inter ſæculares miniſtros, et ſanctiſſimum eorum epiſcopum D. Carolum Borromæum, anno 1567. qua et Pii V. ſanctitas *pro epiſcopo reſolvit, ut poſſit in cauſis, etiam mixti fori, facere executiones perſonales, et reales, abſque requiſitione etiam judicis ſæcularis, et pœnis temporalibus punire*, ut videre eſt apud Ciarlin. l. 1. c. 15. contr. for. n. 51. qui addit ibid.

IV. *Conforme quidem eidem concilio, et juri communi eſſe, quod epiſcopi, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam mixti fori cauſis, poſſint laicos carcerare, et aliis pœnis temporalibus punire, ſive in pecunia, ſive fuſtigatione, vel pœna perpetui carceris*, ex tex. in c. *Contra idolor.* 26. q. 2. et in c. *Attendend.* 17. q. 4. ub. gl. verb. *Carceri: ergo eccleſia habet carcerem, et infligit pœnam relegationis*, c. *In primis*, 2. q. 1. &c.

V. Et pro ſententia ſtare jus regium, et univerſalem praxim in toto regno Luſitano, fatetur Per. de man. reg. c. 34. n. 19. § *Verum, ſi verum amamus*; ubi dicit, quod veritati amatores hanc ſententiam tenere debent; et iterum tomo deciſionum hanc ſententiam defendit, dicens dec. 117. n. 11. *Attento tamen jure regio, aliter res ſe habet, ſecundum quod prælati, in caſibus, in quibus cognoſcunt, poſſunt laicos per ſuos miniſtros capere.* Et ſequenti n. 12. aſſeverat, contrariam legem abrogatam eſſe ab alia à piiſſimo rege Sebaſtiano promulgata, juxta quam, ulla conſuetudine, privilegio, aut concordia in contrarium minime obſtante, *libere poſſunt prælati, per ſuos miniſtros, laicos capere, quoties opus fueri.*

VI. Accedunt Valaſcus, teſtificans, conſil. 179. hanc eſſe univerſalem praxim, in auditorio eccleſiaſtico frequenter obſervatam; et Themud. dec. 146. et 255. ubi duplicem caſum in favorem juriſdictionis in coronæ judicio Ulixbonenſi judicatum, annis 1640. et 1647. et ita ſervare ſtylum abſque contradictione teſtatur; et allegat Per. de man. reg. et aliud areſtum ſenatus palatini, et Oliv. de for. eccleſ. 2. p. q. 3. Favet etiam Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. n. 13. et 23. et Paz. in prax. eccleſ. tom. 2. præl. n. 56. ibi: *Et ita in praxi obſervatur in tribunali epiſcopali, nec in hac ſpecie loquuntur leges regiæ.*

VII. Et veritatem hanc, non modo generaliter receptam, verum et generaliter in omni jure ſtabilitam eſſe, affirmant Felin. in c. *Irrefragabilis*, § *Cæterum*, n. 5. Aufr. de poteſt. eccleſ. ſup. laic. n. 2. Rott. dec. 7. Dom. in c. *Cum epiſcop.* n. 9. Marth. de juriſd. p. 1. c. 50. et alios apud ipſos.

VIII. Præterquam quod brachii ſæcularis imploratio, eſt actus facultativus, et arbitrarius, ut erudite cum multis probat Ciarlin. controv. for. tom. 1. l. 1. c. 50. n. 41. Aug. Barb. de jur. eccleſ. tom. 1. l. 1. c. 39. § 4. n. 72. uſque 75. ubi aſſerit, imploratione brachii ſæcularis ex parte judicis eccleſiaſtici non eſſe *ex defectu* juriſdictionis ad laicos carcerandos, ſed *ad facilitatem executionis*; et Tiraquell. apud eund. Barb. in breviar. jur. can. *tenet, epiſcopum non teneri, ſed poſſe invocare brachium ſæculare:* et ſi teneretur, certe manca eſſet juriſdictio eccleſiaſtica, et plura committerentur flagitia, quæ remanerent impunita, ait Barb. ſupr. cit.

IX. Hæc autem omnia equidem procedere juxta mentem legis regiæ ord. l. 2. tt. 9. § 4. ex ipſamet convincitur, quatenus dicit, id decernere, *ut juſtitia eccleſiaſtica favore hoc proſequatur, et ejus mandata convenienter exequantur.* Quod autem in favorem ordinatur, non ordinatur in deminutionem, cum favor, vel ſit ad adjuvandum, vel ad firmandum, aut confirmandum, vel ad augendum; minime vero ad minuendum.

X. Nec credi facile poteſt, mentem regum adeo piorum, et adeo juſtorum legiſlatorum fuiſſe, eccleſiaſticam juriſdictionem deminuere, eodem contextu, quo eam favere proteſtantur; et cum notoria, et notiſſima juri communi, ſacriſque canonibus contraventione, quinimo, et cum manifeſta, ob id, cenſuris eccleſiaſticis ſubjectione, can. *Placuit*, 16. q. 7. c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. bull. Cœn. can. 15. et 16. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 23. n. 5. Lauren. ad jus can. l. 1. tt. 2. 110. n. 1. Fragoſ. diſp. 3. § 16. Navarr. in man. c. 27. n. 70. 1. Leo in theſaur. c. 7. n. 85. Et inſuper cum notoria contraventione, et repugnantia etiam juri civili, l. *Privilegia*, cod. de ſacroſ. eccleſ. auct. *Caſſa, et irrita.*

XI. Præterea addebam, quoties prælatos, ut juris communis, et ſacri Concilii Tridentini executores procedere, certum eſſe, minime vim committere, neque dari recurſui locum. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 42. Peg. ad ordin. lib. 1. tt. 9. § 12. gl. 15. n. 32. Per. de man. reg. c. 4. n. 4. et c. 7. n. 5. ab eod. Peg. laudatus.

XII. Et certam, atque notoriam eſſe ejuſdem concilii diſpoſitionem, ſeſſ. 13. c. 1. et ſeſſ. 24. c. 10. de reform. vetantem omnem appellationem, gravamen, querelam, aut quamlibet aliam inhibitionem, in his, quæ morum correctioni, et ſubditorum emendationi, in viſitationibus, præcipue, concernunt, et in favorem epiſcopi Portucalenſis in hoc regno, extat conſtitutio Pauli V. ann. 1610. expedita, apud Ciarl. controv. for. l. 1. c. 66. n. 20. qua majori et ampliori expreſſione, quam Tridentinum, prohibet in viſitationibus eccleſiaſticis quamlibet cujuſlibet rei appellationem, gravamen, ſuſpenſionem, recurſum, &c. *Quare*, concludit Ciarl. ibid. *hic non eſt audiendus, ſive appellet, ſive recurſum petat, ſive ſuſpectum juret ſe habere ordinarium.*

XIII. Quod autem eccleſiaſtici prælati valeant familiam armatam retinere ad ſimiles capturas, et executiones faciendas, reſolvunt Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 2. n. 7. Segur. in director. judic. p. 2. c. 12. n. 41. Sperell. p. 1. dec. 4. n. 8. et 9. Barb. de judic. in l. 2. a. 5. n. 33. Aug. Barb. de pot. ep. alleg. 107. n. 2. p. 3. Ricc. in prax. p. 1. reſ. 483. n. 2. Pignatell. tom. 1. conſ. 8. n. 2. Conciol. reſol. crimi. 2. verb. *Epiſcop.* Ciarl. contr. for. l. 1. c. 50. n. 25. Leo in theſaur. p. 1. c. 9. n. 23. Dian. tom. 9. tr. 2. reſol. 81. n. 3. et tr. 8. reſol. 5. Loter. de re benef. l. 1. q. 9. n. 96. Piaſec. in prax. p. 2. c. 3. a. 1. n. 4. Menoch. de arbitr. caſ. 394. n. 52. Marth. de juriſd. p. 1. c. 50. n. 32. Salzed. in prax. c. 51. n. 23. Solorzan. de jure Indiar. p. 2. l. 3. c. 7. n. 82. Villa Roel. p. 2. q. 17. a. 1. n. 7. Grat. for. c. 340. n. 26. Fuſc. de viſitation. l. 2. c. 32. n. 16. Bonac. in bull. Cœn. diſp. 1. q. 20. pu. 3. § 1. Pelegr. prax. vicar. p. 4. ſeſſ. 8. n. 48. Et tandem Barb. in concil. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. n. 28. citans pro hac opinione, Roland. Surd. Gondiſalv. Jordan. Villadeig. Sbroz. Pegna. Molin. Ugolin. Farinac. Card. Thuſc. Antonin. Bellet. Baudin. Campanil. et alios plures; quos hic ad faſtidium licuit laudare, ob dubitamen aliquorum religiorum miniſtrorum, quod de probabilitate, etiam extrinſeca, hujus ſententiæ ab eis audieram.

Quoad ſecundum fundamentum:

XIV. Dicebam etiam, nullius fore momenti; quod enim reus arcis Racciolenſis officialis verſaretur, nullum ei præſtabat privilegium, quominus ab officialibus eccleſiaſtici judicii, nullo alio conſenſu expectato, aut prærequiſito, capi poſſet; ipſe enim reus, et omnes alii militares officiales, mihi, et juriſdictioni meæ in criminalibus eccleſiaſticis immediate ſubdebantur, Piaſec. in praxi, p. 2. c. 4. n. 1. c. *Conquerente*, de offic. ordin. c. de perſon. 2. q. 1. proindeque immediate in illos, nullo alio beneplacito intercedente, procedere valebam, ſecundum S. Concil. Trid. decretum, ſeſſ. 25. c. 3. de reform.

XV. Et dato, quod alicujus beneplacitum, verbi gratia proregis, aut provinciæ ducis generalis, intervenire deceret; hoc prærequiſitum, vel foret politicum tantum, vel juridicum: ſi politicum, et urbanum dumtaxat, nulla in ejus prætermiſſione dabatur violentia; cum actus mere urbani, et politici, ſint actus facultativi, et arbitrarii, in quorum omiſſione injuria non conſideratur, ex gl. in l. *Solent*, de offic. pro conſ. c. *Cum eccleſ.* de cauſ. poſſeſſ.

Si juridicum, deberet reus exhibere privilegium, aut jus, quo illud fundaretur, vel continetur, allegare; quod cum hactenus non effecerit, certum remanet, neque tale illi adeſſe privilegium, neque in illius captura injuriam, aut violentiam, illi fuiſſe irrogatam.

XVI. Præcipue, cum certo certius etiam ſit, perſonam ullam cujuſlibet dignitatis, ſtatus, aut conditionis, à correctione prælativa, et eccleſiaſtica viſitatione, minime immunem evadere, juxta frequentes S. Congregationis declarationes apud Leo. in theſaur. c. 2. n. 41. et Monacell. p. 3. tt. 1. form. 39. ubi ait, n. 3. *Quod gladio ſpirituali cenſurarum poterit epiſcopus viſitator uti, etiam contra patentatos tribunalis, et officii, qui in his, quæ concernunt diſciplinam eccleſiaſticam, et morum correctionem, non ſunt exempti, ſed poſſunt, et debent viſitari, prout S. Congr. dec. 16. Jan. 1672. in Melitenſ. quam etiam reſolutionem refert Raynald. obſerv. crim. ſupplem. ad c. 1. ſupplem. 3. n. 127.*

XVII. Gravitatem autem, et enormitatem criminis lenocinii (quam magnopere aggravabat, tum quod reus propriæ uxoris ſe lenonem exhiberet, tum quod et de hoc facinore publice gloriaretur, ut ex denuntiationibus conſtabat) ſatis explanant Sabell. tom. 3. verb. *Lenocin.* n. 1. Cabal. reſ. crim. contr. 2. c. 171. n. 3. Farinac. de delict. carn. q. 144. Card. verb. *Lenocinium.*

XVIII. Et quod in primo lapſu puniatur pœna carceris, et exilii, vide ordinat. reg. l. 5. tt. 32. Barb. ad eand. ordinat. Per. de man. reg. c. 53. ex n. 16. Thom. Vas alleg. 13. ex n. 98. Fragoſ. de regim. reip. l. 1. diſp. 4. § 15. Gomeſ. in l. *Taurian.* 73. Raynald. obſervat. crim. tom. 5. c. 27. Matthæu. de re crim. contr. 59. n. 43.

Et tandem Luc. de Andrad. in viſitatione generali expreſſe ait, c. 13. n. 228. *Poſſe viſitatores ſtatim ad capturam procedere in caſibus gravioribus, quales ſunt maleficium, lenocinium, inceſtus, et alii ſimiles.*

XIX. Idem diſponit regimentum ſenatus, et auditorii eccleſiaſtici archiepiſcop. Bracharenſ. tt. 11. *de viſitatoribus*, n. 45. in hunc modum: *Si probetur per duos teſtes, vel plures, vel per unicum, præcedente infamia, et fugæ ſuſpicione intercedente, et aliquibus indiciis, perſonam aliquam commiſiſſe crimen grave, videlicet falſitatem in literis apoſtolicis, inceſtum, raptum, vel grave ſacrilegium, aut aliud ſimile, vel gravius delictum, viſitator ipſe reum capiet, et ad archiepiſcopalem carcerem mittet; et in alio probato crimine, quod de gravibus non ſit, procedere poterit viſitator, ut melius intellexerit, ſecundum juſtitiam, et Dei ſervitium fore.* Et citat conſtitut. Bracharenſ. tt. 40. conſt. 13. Barb. ad Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 14. n. 11. et deciſum refert in Rott. Garc. de benef. p. 11. c. 10. n. 186. declarat. 7. et 8. et quid de culpis gravibus diſponunt reliqua diœceſana regimenta;

menta, ut Portucalenſ. Eborenſ. Ægytanenſ. Videatur etiam Themud. dec. 256. ubi dicitur errâſſe vicarium generalem quandam lenam carceri illico non mandantem.

XX. In hoc recurſu aggravans non obtinuit; quare illius curſum ulterius progredi non curavit, ſed alium diverſiſſimum, fugam arripiens; quamvis poſtea comparens, ſe mihi ſubmiſerit.

ALLEGATIO IX.

In duplici Gravamine diſtincte interpoſito, et à quodam Clerico Indo ſuper Declaratoria in duplicem Cenſuram; aliam ab homine, propter Inobedientiam Citationi ad comparendum in Viſitatione; aliam à Jure ob Turbationem, et Impedimentum Juriſdictionis ordinariæ; et ab ejus Conſanguineis, et ob eandem Culpam diſtincte declaratis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Primi recurſus duo fundamenta.*
III. *Exceptio objecta ex actorum informitate.* 2. *Ex duplicis excommunicationis publica declaratione.*
IV. *Eccleſiaſticus judex poteſt differre reſponſionem recurſui dandam, uſque ad actorum remiſſionem.*
V. *Chartæ ſecuritatis conceſſio, eſt gratia; proindeque ejus denegatio nequit de injuſtitia argui.*
VI. *Etiam in foro ſæculari, judex non tenetur ſecuritatem concedere poſt culpam plene probatam.*
VII. *Securitatis charta denegatur malitioſe petenti.*
VIII. *In judicio eccleſiaſtico etiam in criminalibus, quæ mortem, aut exilium perpetuum promerentur.*
IX. *Lenonibus recurrentibus de denegatione ſecuritatis non datur proviſio.*
X. *Excommunicatus vitand. etiam de jure civili à judicio debet, repelli etiam nemine opponente, vel excipiente.*
XI. *Et licet valeat appellare, ſolet in curia rejici ab hoc beneficio, et ei denegari audientia.*
XII. *Fruſtra auxilium eccleſiæ invocant, qui in eam committunt.*
XIII. *In pertinentibus ad eccleſiaſticam viſitationem, et morum correctionem, procedit ordinarius quacunque appellatione, et querela, aut inhibitione ſemota.*
XIV. *Non admittitur recurſus à judice eccleſiaſtico, niſi in caſu juſtæ appellationis, injuſte denegatæ.*
XV. *Rei contumacia illum reddit indignum abſolutionis, et ad reincidentiam.*
XVI. *Et ſi abſolutus reincidat, aut permaneat in culpa, eò ipſo recidit, aut permanet ligatus in cenſuras.*
XVII. *Nullum datur gravamen in denegatione abſolutionis à cenſura Papæ reſervatæ.*
XVIII. *Juxta aliquos, etſi poſſit epiſcopus abſolvere à cenſuris reſervatis, non tamen ad id tenetur.*
XIX. *Nulla vis conſiderari poteſt in denegatione delationis appellationi vere contumaci.*
XX. *Allegationes ex adverſo male adductæ, loquebantur de reſcripto excommunicationis.*
XXI. *Injuſta copiæ denegatio, non invalidat cenſuram; neque ſolemnitas c.* Cum medicinal. *eſt de valore cenſuræ, ſed de neceſſitate præcepti.*
XXII. *Non datur recurſus ab eccleſiaſtico judice valide, licet injuſte, procedente.*
XXIII. *Quid caveatur in reg. ordin. l. 2. tt. 1. § 13.*
XXIV. *Duo etiam fundamenta ſecundi recurſus.*
XXV. *Cum falſa allegatione cauſæ, beneficium abſolutionis impertiri non poteſt; et abſolutio ex falſa cauſa obtenta, eſt nulla.*
XXVI. *In viſitationis materiis, non requiritur ſpecialis monitio, ſed ſufficit virtualis in edicto generali contenta.*
XXVII. *Poſita incurſione cenſurarum à jure, nil remanet ad declarationem, niſi ſpecialis notificatio* ad allegandum, *etiam pro regularibus exemptis declarandis in cenſuras à lege notorie incurſis.*
XXVIII. *Poſſunt epiſcopi turbantes, aut impedientes viſitationem, etiam privilegiatos, et patentatos S. officii, atque principes ipſos, vim vi repellendo excommunicare.*
XXIX. *Lex Sebaſtiana vetat remiſſionem actorum, quæ adhuc in ſecreto ſunt.*
XXX. *Gravi anathemate feriuntur, qui ad curias ſæculares recurrunt pro obtinendis prohibitionibus contra prælatos, juxta Salg.*
XXXI. *Utrumque recurſum rejecit ſenatus.*

I. IN prima cujuſdam parochiæ Salſetanæ provinciæ viſitatione, quidam clericus Indus, ſeu Canarinus, de gravibus criminibus denuntiatus, et ad comparendum citatus ſub majoris excommunicationis pœna, et poſtea ter monitus, cum parere, et comparere recuſâſſet, in comminatam cenſuram declaratus eſt. In cujus ſtultam vindictam ipſe, et ejus conſanguinei, potentium perſonarum, quibus grati erant, interventione, reputatos delatores multipliciter vexare, et agitare cœperunt, eo fine, ut me invitum cogerent, et ad reum impune abſolvendum, et ad delendum, aut abrogandum, vel annullandum, ut ipſi (ſecundum conteſtes ſubſequentes denuntiationes) publice vocitabant, atque effutiebant; quod adverſum præfatum clericum denuntiatum reperiebatur, eo quod indirecte perſonam tertiam qualificatam comprehendebat; et tandem, ut his turbationibus teſtes deterriti, vel denuntiationes retractarent, vel ſaltem in ſequentium parochiarum viſitatione nullus ulterius eos denuntiare (quod et maxime timebant) amplius auderet. Quare in juris cenſuras extrajudicialiter declarati, ſingillatim clericus, et ejus affines, duplicem præſentem recurſum intentârunt.

II. Fundamenta primi ad duo tantum reducebantur, videlicet, ad denegationem chartæ ſecuritatis negativæ, et abſolutionis ad reincidentiam. Quibus quidem fundamentis ſtatim, in prima gravaminis libelli copia, ex juſto, ac neceſſario motivo, nolui directe reſpondere; ſed duplicem, aut triplicem exceptionem oppoſui, ad terminum præfixum ſpatiandum, atque convenienter protrahendum.

III. Primum, actorum informitatem, in quibus deerat recurrentis procuratio, qui quidem defectus ſubſtantialis videbatur, imo et inſanabilis, l. *Inter ſtipulat.* § 1. ff. de verbor. oblig. eo quod abſque mandato, ſeu procurationis inſtrumento, judicium redditur illuſorium, et acta omnia irrita, et nulla, Rot. dec. 15. alias 488. et dec. 25. n. 451. Scacc. de judic. c. 101. n. 73. quia fruſtra in judicio nihil fieri debet, l. *Si quis poſtea*, ff. de judic.

Secundum, duplicis excommunicationis *ab homine*, et *à jure*, in quibus reus publice declaratus, et vitandus reperiebatur; et ut talis, omni actu ad judicium pertinente privatus erat, c. *Veniens*, de teſtibus, c. *Pia*, de except. in 6. c. *Nullus*, 7. q. 4. imo debet à judicio repelli, c. *Intellex.* de judic. c. *Officii*, c. *Cum pro cauſis*, de ſentent. excommunicationis, Covarr. in c. *Alma mater*, Gibal. diſquiſ. 9. q. 2. n. 18. et communiter tenent DD. cum Pal. Sayr. Coninch. Avil. Hugolin. et apud curſ. moral. Salmantic. tr. 10. de cenſur. c. 3. pun. 11. n. 118. et 119. ex variis juribus.

Quin reo ſuffragari poſſet, quod ab una ex prædictis cenſuris, aliam tacens, abſolutionem ad reincidentiam poſtulâſſet: certum namque eſt in jure, c. *Cum pro cauſis*, de ſentent. excommunicat. c. *Ex parte*, ubi gloſſ. de offic. ordinat. quod duplici cenſura ligatus, etiamſi ab una abſolutionem impetret, ab alia non remanet abſolutus, nec ad communicationem, aut participationem aliquam expeditus; imo nec prima ipſa abſolutio ſimpliciter ſuum habet effectum, donec

ab

ab omnibus ſit abſolutus, Cardoſ. in prax. verb. *Excommunicat.* n. 7. ex d. c. *Cum pro cauſ.* et c. *Officii*, de ſent. excommunicat.

IV. His, et aliis minus verarum atteſtationum, recurſus libello annexarum, exceptionibus non obſtantibus, neque ſuper illis aliquid ſenatoribus decernentibus, quinimo pro reſponſione recurſui eas reputantibus, chartam rogatoriam ad actorum remiſſionem, ſecundum ſtylum, expedire juſſerunt. In cujus reſponſione, directe etiam recurſus reſpondidi, cum adhuc tempus aptum, ad meam reſponſionem dandam, utique foret, ut liquet ex areſto Peg. ad ordinat. l. 2. tt. 9. § 3. gloſſ. 5. n. 34. tom. 8. et alibi.

Quoad primum fundamentum; denegationem, videlicet, chartæ ſecuritatis negativæ:

V. Reſpondebam, 1. Quod neque reus talem denegationem docebat; neque, etiamſi doceret, et ego multipliciter eam chartam denegarem, minimè de injuſtitia, aut violentia, juſte argui poteram: 1. Quia chartæ ſecuritatis conceſſio, eſt gratia, non ſolum in eccleſiaſtico, ſed etiam in ſæculari judicio, ord. reg. l. 5. tt. 1. et conſtat ex omnibus conſtitutionibus diœceſanis regnorum, et conquiſtarum Luſitaniæ. In denegatione autem gratiæ, minime violentia, aut etiam ſimplex injuſtitia, aut injuria conſiderari poteſt, ex vulgari axiomate: *Gratis quod fit, non debet ad neceſſitatem deduci*, l. *Solent*, ub. gloſſ. verb. *Qualitat.* ff. de offic. proconſ.

VI. 2. Quia etiam in foro ſæculari, judex non tenetur ſecuritatis chartam concedere poſt culpam plene probatam; quamobrem, in eis chartis hæc clauſula inferitur: *Quod reus non ſit carceratus, quatenus adverſus illum tantum reperiatur, quantum ad carcerationem eum obliget*, ord. l. 5. tt. 130. § 6. et recurrens non ſolum ſecuritatis chartam poſtulavit, poſt culpas plene probatas, ſed, et poſt ejus cauſam finaliter in viſitatione judicatam; cauſæ enim viſitationis, utpote ſummariæ, et ſummariiſſimæ, in quibus de plano, ſine figura, et ſtrepitu judicii proceditur, in ipſa, et cum ipſa regulariter finiuntur, et conſummantur, Barb. de pot. ep. p. 3. alleg. 73. n. 43. Panimol. dec. 10. et 11. Monacell. p. 1. tt. 5. form. 1. n. 58. ex Trid. ſeſſ. 24. c. 3. de reform. et alibi: et multipliciter declaratum refertur à S. Congregat. quinimo eam chartam petivit, poſtquam bis in præjactas cenſuras declaratus fuerat.

VII. 3. Quia ſecuritatis charta, malitioſe petenti denegatur; ex citat. ordinat. § 1. Leytam de jure Luſitan. tom. 1. tr. 2. de ſecurit. q. 6. n. 8. Quod autem recurrens eam malitioſe poſtulâſſet, ſat conſtabat: 1. Quia eam non petivit, ut ſe ſecure præſentaret, vel defenſionem ſuam produceret; ſed tantum, *ut ne puniretur ob culpas in viſitatione delatas.* 2. Ex totali inobedientia, et frequentibus ſubterfugiis, notificationibus ad comparendum, quin aliquid prodeſſet certioratio, quam à me, mediis parochi regularis, et aliarum graviſſimarum, et fide dignarum perſonarum atteſtationibus, habebat, ad inoffenſe comparendum, et citra diſtrictionis timorem ſe præſentandum. 3. Ex maleficis, moleſtiſque, atque violentis vexationibus, dure, direque in præſumptos delatores exercitis, cum notoria turbatione, impedimento, ac offenſa exercitii juriſdictionis ordinariæ; quæ omnia ex juridicis denuntiationibus, atque atteſtationibus convincebantur.

VIII. 4. Quia in judicio eccleſiaſtico ſecuritas denegatur in criminibus illis, quæ mortem, aut perpetuum exilium promerentur, concil. provinc. Bracharenſ. ultim. act. 4. conſt. Ulixbonenſ. l. 1. tt. 7. § 10. et l. 5. tt. 21. Portucalenſ. antiq. et modern. l. 5. tt. 23. conſt. 8. Lamecenſ. l. 5. c. 5. Ægytanenſ. l. 5. c. 8. recurrens autem criminis lenocinii denuntiatus erat, cum pluſquam plena probatione; quod equidem crimen, etiam in foro ſæculari, et in reis mere laicis, pœna capitis, et exilii perpetui, de jure plectitur, ord. reg. l. 5. tt. 32. auct. de lenon. l. *Si lenones*, cod. de epiſcop. et præter hoc horroroſum crimen, de aliis non minus gravibus, et horroroſis, etiam denuntiatus reperiebatur, videlicet de concubinatibus diſtinctis, et de adulteriis, et aliquo ex his cum notabiliter aggravanti circumſtantia violentiæ, aut vis illatæ; quæ omnia pœna capitali damnantur, ordin. reg. l. 5. tt. 25. et 18. l. *Quamvis*, l. *Qui*, cod. de pœn. auct. *Sed hodie*, cod. ad l. Juliam de adulter.

IX. Reſpondebam, 2. Hujus recurſus materiam, quatenus hoc primo nitebatur fundamento, eſſe caſum ſæpe judicatum in ſenatu Ulixbonenſi, apud Themud. tom. 1. dec. 256. et noviſſime etiam in hoc ſenatu Goano, in nuperrimo gravamine, à quodam laico Indo de eadem lenocinii culpa in viſitatione alterius ejuſdem provinciæ parochiæ prius denuntiato, ſuper eadem ſecuritatis denegatione proxime intentato: et ſane illius rationes ad proviſionem in illo denegandam, recurrenti ſæculari, fortius urgebant impræſentiarum, ad ſimilem, et omni ex parte juſtiorem recurrenti clerico denegationem: ſuper quo videnda etiam Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. n. 692.

Quoad ſecundum fundamentum; denegationem, ſcilicet, abſolutionis ad reincidentiam:

Dicebam, 1. Præterquam quod etiam hanc denegationem neque probabat, neque ullo modo docebat, minime in denegatione, etiam expreſſa, talis abſolutionis, injuſtitiæ, aut violentiæ notam argui quidem poſſe, neque locum recurſui patere; quinimo, neque etiam de præſenti recurſu cognitionem ſenatores regios ſumere quidem valere, addebam, et inſtabam ex multiplici ratione.

X. Prima: Eo quod recurrens, ut ipſe in gravaminis libello fatebatur, publice incurſus in cenſuram excommunicationis majoris denuntiatus erat; proindeque etiam ab hoc ſæculari coronæ judicio repelli deberet, ut expreſſe diſponitur, etiam in jure civili in conſtitutionibus Frederici II. et Caroli IV. à Bonifacio IX. in conſt. *Juſtiſ.* confirmatis, ad quam card. Petr. tom. 4. pag. mihi 366. n. 7. ubi cum Gonzall. in c. *Intelleximus*, 7. de judic. et Paſſerin. in c. *Pia conſiderat.* 1. de except. in 6. Scortia ad hanc bull. epiſt. 29. per tot. et pluribus aliis, concludit, excommunicatos majori excommunicatione, etiam de jure civili, debere à judicio repelli, etiam nemine excipiente, aut opponente; quia judex ex officio publice excommunicatum repellere debet, c. *Exceptionem*, 12. c. *Pia*, de except. in 6. Petra, ibid. ſub n. 9. et n. 17. dicit, poſſe quidem excommunicatum appellare, in ſequelam defenſionis; non poſſe tamen proſequi appellationem, niſi appellatus eam proſequatur; quia hoc caſu continuaret ſe defendere.

XI. Qui tamen n. 18. limitat, quod, etſi excommunicatus valeat appellare, tamen ſolet à principe, ſive à ſignatura in curia, aliiſque tribunalibus, rejici ab hoc beneficio, et ei denegari audientiam, quia beneficium appellationis procedit à legis civilis permiſſione, nec eſt de jure naturæ, ut eſt defenſio; quod præſertim comprobatur ex eo, quod Papa, aliique principes paſſim committunt cauſas cum clauſula *Appellatione remota*; quod fieri non poſſet, ſi appellatio eſſet defenſio debita jure naturæ, ut magiſtraliter dixit Rotta cit. dec. 165. n. 6. et 7. poſt Zach. de obligat. cameral. et tunc denegata audientia nequit amplius ſtare in judicio; et ad hujuſmodi excommunicatos repellendos ob recurſum ad judices laicos, facilia ſunt tribunalia curiæ, *et ſufficiunt tales quales probationes*, etiam præſumptivæ, ut denegetur eis audientia, licet pro inferendis cenſuris, ſeu declarationibus earum, requirantur plene probationes, ut paſſim Rotta ſervat, Add. ad Pamphil. deciſ. 107. n. 10. dec. 96. n. 2. et ſeqq. ubi Adden. n. 6. et ſeqq. Cor. Ludoviſ. dec. 81. n. 11.

XII. Secunda ratio: Quia *fruſtra auxilium eccleſiæ invocant, qui in eam committunt*, c. *Inaudient.* de ſent. excommunic. c. *Quia fruſtra*, de uſur. Petr. in conſt. 1. Joan. XXII. n. 8. tom. 4. recurrens autem videns ſe in duplicem præfatam cenſuram declaratum, eas temerarie contempſit, et ſacrilege, etiam communicationi in ſacris cum fidelibus, ſacro intereſſendo, ſe publice intromiſit; et à gubernio ſæculari, medio potentium protectorum patrocinio, in præſumptos delatores mandata, ut in ſæcularem carcerem detruderentur, cum effectu impetravit, et exequi perfecit,

cum

cum nova diſtinctæ cenſuræ majoris excommunicationis incurſione, in ipſo viſitatoris edicto adverſus omnes, qui in teſtes, ante, vel poſt viſitationem minas effuderint, vel moleſtiam, aut vexationem incuſſerint; et in talia perpetrantes, juxta ſtylum, de quo Petr. cit. n. 18. ſolet audientia denegari; ex dec. Rottæ ap. eund. Petr. ſupr. cit.

XIII. Tertia ratio: Quia tota, et totalis intentio recurrentis erat, dilatio, et ſpatiatio cauſæ, ne ad terminum correctionis, et emendationis, authenticam promiſſionem deveniret; et hoc fine poſtulaverat delatarum copiam culparum, non ad propriam defenſionem, aut purificationem, ſed *ad impedimenta illis opponenda* (ut in ſupplicatione exprimebat); et his mediantibus ad propriam correctionem, et promeritam, etiam paternalem, animadverſionem impediendam: et, *Certiſſimum eſt* (inquit Ciarlin. cum plurimis DD. contr. for. l. 1. c. 65. n. 17.) *in his, quæ ſpectant ad viſitationem, et morum correctionem, epiſcopum, et ordinarium poſſe procedere, quacunque appellatione, ſive querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam, interpoſita, omnino ſemota, aut inhibitione non obſtante, quæ executionem impedire aut ſuſpendere nullo modo poſſunt.* De quo etiam videndum Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. ſeſſ. 24. c. 10. de reform. ad quod Marſil. l. 4. tt. 7. c. 17.

XIV. Et certiſſimum etiam eſt, non admitti recurſum ab eccleſiaſtico judice ad ſæculares, niſi *in caſu juſtæ appellationis injuſte denegatæ, aut non admiſſæ*, Covarr. Cevall. Seſſe, Treſ. Salg. de protect. reg. p. 1. et alibi ſæpe, et alii apud Peg. ad ordinat. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 14.

XV. His rationibus alias etiam addebam, quæ me ad denegandam talem abſolutionem ad reincidentiam in præjactis circumſtantiis inducebant. Et prima erat, notoria rei contumacia et permanentia, ac progreſſio in vexandis, ac moleſtandis teſtibus; vi cujus in novas cenſuras juris reincidebat; videlicet, bullæ Cœn. can. 16. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. c. unic. *de his qui vi*, in 6. Deluc. in miſcellan. diſc. 12. n. 9. Navarr. in man. c. 27. n. 125. Pal. de cenſ. d. 3. pu. 33. n. 7.

XVI. Secunda: Quia, ſecundum doctrinam, et communem DD. moralium opinionem, quando aliquis ad reincidentiam ab aliqua cenſura abſolvitur, ſi in eadem culpa, ob quam cenſuratus eſt, perſeveret, eo ipſo ligatus remanet, atque in eandem cenſuram, à qua abſolutus fuerat, reincidit. Ita Soares, Tilcuc. Cornej. Gibalin. Bonac. Candid. Hurtad. et alii apud curſum moral. Salmantic. tr. 10. c. 2. pu. 1. n. 5.

XVII. Tertia: Quia, cum recurrens in cenſuras bullæ Cœnæ, et alias à jure Sanctiſſimo reſervatas, nullum ei gravamen, aut injuriam inferrem in denegatione abſolutionis à cenſura, ad quam extra mortis articulum juriſdictionem non habebam, ſecundum ejuſdem bullæ Cœnæ contextum, § 22. verſ. *Cæterum*; ibi: *A prædictis cenſuris nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo, nec etiam tunc, niſi de ſtando eccleſiæ mandatis, et ſatisfaciendo, cautione præſtita, abſolvi poſſit*, Abreu de inſtr. paroch. l. 10. c. 8. ſect. 1. et 22. n. 233. Palao, d. 3. pu. 22. n. 2. Fragoſ. d. 3. § 21. n. 344. Navarr. in man. c. 27. n. 73. Leo in theſaur. p. 3. c. 7. n. 162. Sayr. l. 3. c. 25. n. 4.

XVIII. Et quamvis aliqui DD. videlicet, Avil. Ban. Fagund. Veg. Arag. Granad. Leandr. et alii apud cit. curſ. Salmantic. d. tr. 10. c. 2. pu. 5. n. 55. autumarent, poſſe quidem epiſcopos, juxta facultatem Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform. (quam dicunt per bull. Cœn. expreſſe non revocari) abſolvere à caſibus in bulla Cœn. hæreſi excepta, Sanctiſſimo reſervatis; nullus tamen ex prædictis AA. eſto concedant, *quod poſſint*, affirmat, quod teneantur epiſcopi ad talem abſolutionem petentibus præſtandam, præcipue permanentibus his, et non deſiſtentibus à culpis, ob quas in prædictas cenſuras incurſi, et declarati ſunt; cum neque ipſe Summus Pontifex, niſi hac deſiſtentia præmiſſa, ab illis abſolvere ſoleat, ut in bulla ipſa exprimitur, § 24. *Declarantes, ac proteſtantes, quamcunque abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi à præmiſſis, cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi, deſiterint.* Alter. l. 5. d. 22. c. 4. Fragoſ. d. § 21. n. 348. Pal. cit. pu. 22. n. 6.

XIX. Denique addebam expreſſas auctoritates Salgad. de reg. prot. p. 2. c. 8. n. 7. et ſubſequentibus, et aliorum DD. apud ipſum docentium; *vim nullam eſſe poſſe in denegatione delationis appellationis interpoſitæ à vero contumace, cum ſiquidem non audiatur appellans in cauſa, in qua contumax fuit*, tex. eſt in l. *Et poſt edictum*, 73. ff. de judic. et l. 1. cod. *Quorum appellatio non recipiend.* &c. Et hanc etiam opinionem aſtruit id. Salgad. p. 1. c. 2. ex n. 65. loquens reſtricte de judicibus eccleſiaſticis, et iterum p. 2. c. 1. ſub n. 187.

Aliquæ allegationes ex adverſo retundebantur.

XX. Et ad 1. ex Peg. deductam ad ordinat. l. 1. tt. 9. § 12. n. 634. et ad ſententiam ibidem tranſcriptam; dicebam, utramque loqui de reſcriptis generaliter in ordine ad avocationem cauſæ; non vero loqui ſpecialiter de reſcripto excommunicationis, neque in præſentis caſus circumſtantiis, ſed omnino diverſis.

XXI. Ad 2. ex c. *Cum medicinalis*, loquente ſpecialiter de reſcripto excommunicationis; dicebam, non adduci ad rem; tum quia diſpoſitio hujus capitis eſt, *Quod detur copia reo poſtulanti illam, ut ſi velit, ad ſuperiorem appellare poſſit, et quod in ea apponatur cauſa, ob quam fertur, ut conſtet de juſtificatione ſententiæ*; non vero, quod non denegetur illi abſolutio, quoad reincidentiam, præcipue, illo in contumacia permanente; tum quia etiam talis copiæ injuſta denegatio, non invalidaret cenſuras; nam, ut cum Gabalin. Palao, Cornej. Candid. et aliis, tenet curſus moralis Salmantic. d. tract. 10. ſupr. cit. n. 37. *Solemnitatem in dicto c. Cum medicinal. aſſignatam, non eſſe ſubſtantialem, et de neceſſitate rei ad valorem cenſuræ, ſed accidentalem, et de neceſſitate præcepti.*

XXII. Ex quo conſequenter inferebam, quod, poſita validitate cenſurarum, et procedimentorum judicis eccleſiaſtici, nullatenus ad recurſum ab illo aditus patere poterat, ex vulgari doctrina, *non dari recurſum ad tribunalia ſæcularia, quoties judex eccleſiaſticus valide, licet injuſte procedat*; ut cum multis tenet Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. et cum illo Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. n. 30.

XXIII. Tandem allegationem reg. ordin. l. 2. tt. 1. § 13. etiam ad rem non venire dicebam; ibi namque ſolummodo cavet, ne concubinarii in viſitationibus eccleſiaſticis excommunicationis cenſura feriantur, aut carcerationis pœna conſtringantur, non præcedente infamia, aut notorietate delicti, et non ſervata forma Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. et 10. de reform.

Quoad ſecundum recurſum:

XXIV. A conſanguineis, et affinibus præfati clerici recurrentis, ſuper eadem materia diſtincte, et poſt prædictum primum etiam interpoſitum, ob conſimilem in cenſuras à lege declarationem propter violentias, et vexationes in præſumptos delatores exercitas: cum gravaminis fundamenta ad duo etiam reducebantur, videlicet ad eandem denegationis abſolutionis reincidentiam; et ad declaratoriam abſque ſpeciali monitione; eaſdem fere rationes ſupra expoſitas in reſponſionem dedi: et, quoad 1. fundamentum, aliam dumtaxat ad talem denegationem addidi rationem; videlicet, quod recurrentes ad eam abſolutionem impetrandam, cauſam penitus falſam, et fictitiam allegabant, nempe, ſe declaratos quidem fore ob injectionem manuum violentarum in clericum quendam minoribus inſignitum.

XXV. Et certum eſt, quod cum falſa allegatione cauſæ, abſolutionis beneficium eis impertiri non poſſet, c. *Cum pro cauſ.* c. *Officii*, de ſent. excommunic. Gibalin. diſq. 9. q. 2. n. 18. Avil. Candid. et alii apud curſ. moral. Salmantic. tom. 2. tr. 10. c. 2. pu. 3. n. 35. et quamvis illis poſtulata abſolutio conferretur, minime eis prodeſſet, aut valeret; nam abſolutio cenſuræ obtenta ex falſa cauſa nulla equidem eſt; juxta probabilem opinionem, de qua Buſemb. et Lacroix ad illum l. 7. n. 152. p. 3. ex gloſſ. et S. Antonin. ibid.

XXVI. Quoad 2. fundamentum dicebam, ſpecialem monitionem minime requiri; tum quia, in viſita-

tionis materiis, non eſſe neceſſariam citationem aliquam formalem, ſed ſufficere virtualem in viſitationis edicto contemptam, docent, ex variis S. Congregationis declarationibus, Panimol. dec. 16. n. 17. et 11. n. 14. Thom. Vas alleg. 70. Barb. p. 3. de pot. ep. allegat. 73. et alleg. 80. et in c. *Dilecto*, de ſent. excommunic. in 6. n. 43. tum quia in edicto viſitationis, formalis monitio adverſus omnes exprimebatur, nequis teſtibus, ante, vel poſt viſitationem, timorem aliquem incuteret, nec vexatione, aut moleſtia aliqua eos afficeret, ſub majoris excommunicationis pœna latæ ſententiæ; tum etiam quia recurrentes prædictis violentiis turbantes, et impedientes ordinariæ juriſdictionis exercitium, et viſitationis executionem, certe inciderant in cenſuras à lege can. 16. bull. Cœn. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. et certo certius eſt ad præfatam cenſurarum legis incurſionem, nullam aliam ſpecialem monitionem prærequiri, præter ipſam legem, *quæ ſemper monet*; et illius cenſuræ ſecum trahunt executionem.

XXVII. Unde, poſita incurſione illarum, nil remanet ad declaratoriam, niſi ſpecialis notificatio, aut citatio *ad allegandum, quare non debeat declarari*, &c. de qua Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 19. et ſeqq. et hac etiam forma poſſe deveniri ad extrajudicialem declaratoriam etiam regularium exemptorum, in delictis certis, et notoriis, quibus annexa eſt excommunicatio à jure: firmat idem Monacell. ibid. n. 45. cum Tambur. de jur. abbat. tom. 1. d. 15. q. 7. n. 38. Nicol. lucubr. can. l. 5. tt. 39. n. 29. Pirhing. in jus can. l. 1. tt. 31. n. 115. qui refert decreta S. Congregat. Ricc. in prax. p. 2. reſ. 110. n. 4. Fagn. in c. *Grave*, n. 75. de offic. ordin. et in c. *Non poteſt*, à n. 15. de ſent. et re judic. Ventrigl. p. 1. annot. 48. n. 134. Deluc. miſcellan. diſc. 14. n. 6. et 7. et de juriſd. diſc. 29. n. 2. et 3. Panimol. dec. 84. ad n. 1. n. 65. Pignatell. tom. 7. c. 10. an. 1. ad 6. et tom. 9. c. 52. n. 6. et ſeqq. et aliis ibidem.

XXVIII. Denique poſſe epiſcopos, utentes jure ſuo, turbantes aut impedientes viſitationem, et exercitium eorum juriſdictionis ſtatim abſque monitione excommunicare, etiam privilegiatos atque patentatos S. officii, et principes ipſos, *vim vi repellendo*, dicunt Tuſc. de viſit. l. 2. c. 52. Barb. in c. *Dilecto*, de ſent. excommunic. in 6. Monacell. p. 3. form. 39. n. 3. tt. 1. Genuenſ. in prax. c. 18. n. 2. Ciarlin. contr. l. 1. c. 65. n. 12. Tamburin. de jur. abbatiſſar. d. 17. q. 3. n. 4. Fagn. in c. *Procuration.* de cenſur. per tot. Graff. dec. p. 2. in append. l. 3. c. 1. n. 42. Panimol. Deluc. et Ventringl. cit. et alii apud eundem Monacell. loc. cit.

XXIX. Quoad actorum autem remiſſionem, quæ per rogatoriam chartam, tam in hoc ſecundo, quam in primo clerici recurſu poſtulabantur; opponebam legem Sebaſtianam, jam alleg. 2. expoſitam, et auctoritates Per. de man. reg. c. 11. n. 7. Mend. à Caſtr. l. 2. c. 4. § 2. n. 23. Themud. dec. 172. et alios cum Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. ad 30. in favorem obſervantiæ præfati regii diplomatis expreſſe loquentes; et addebam, minime etiam poſſe ſæculares judices poſtulare, ut acta exhibeantur, ad hoc, ut ex illorum inſpectione, ultra punctum præciſum notoriæ, et manifeſtæ violentiæ, cognoſcant, an judex eccleſiaſticus, bene, vel male, juſte, aut injuſte proceſſit, ſub pœna notoriæ libertatis, et immunitatis eccleſiaſticæ offenſionis, et notoriæ incurſionis in cenſuras bullæ Cœnæ, et conſtitutionum Honorii III. Bonifac. IX. Martin. V. Paul. V. Leon. X. de quo videndus Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 18. n. 5. et ſeqq.

XXX. Et tandem adverſus utroſque recurrentes, et finem ultimum ab eis injuſte, et malignanter intentatum, concludebam tranſcribens per formalia auctoritatem Salgad. de reg. prot. qui 1. p. prælud. 5. n. 277. et 278. ſic proteſtatur: *Gravi anathemate feriuntur, qui ad cancellarias, et curias ſæculares recurrunt pro obtinendis prohibitionibus, et mandatis contra prælatos eccleſiaſticos; cum judices laici ſint incapaces juriſdictionis in clericos exercendæ . . . . et dum, prætextu violentiæ, audent judices laici judicibus eccleſiaſticis ſuperioris ordinis præcipere, aut inhibere, audent ſacris canonibus, et perpetuo eccleſiæ uſui (quæ ſemper hujuſmodi recurſus damnavit, et anathemate plectendos cenſuit) graviorem violentiam inferre.*

XXXI. Utraque mea reſponſione, poſt procuratoris regii inſpectionem, ad regium ſenatum, utriuſque recurſus factis actis concluſis, adverſus recurrentes prodiit decretum, ſenatum cognitionem non ſumere de præſenti gravamine: et, meliori reaſſumpto conſilio, recurrentes ſe mihi ſuppliciter ſubmiſerunt.

RESPONSIO, et ALLEGATIO X.

In Gravamine quodam Laico intentato, ob Denegationem Chartæ Securitatis in Crimine Lenocinii, cum Circumſtantiis Raptus, et falſorum Teſtium Inductionis, in Viſitatione denuntiato, ad comparendum ſæpe monito, ac citato.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Crimini raptus, ſicut et lenocinii, à jure communi pœna capitis imponitur.*
III. *Ad crimen raptus ſufficit aliqualis violentia, etiam per interpellationem, aut ſuaſionem; quod quidem committitur, etiamſi libidinis, aut matrimonii cauſa mulier alio adducatur.*
IV. *Crimini inductionis teſtium falſorum etiam à jure pœna capitalis imponitur.*
V. *Viſitator poteſt ſtatim carceri mandare mulierem in viſitatione comprehenſam in lenocinio, et ab hoc non admittitur recurſus.*
VI. *Neque à denegatione chartæ ſecuritatis comprehenſo in crimine falſitatis teſtium.*
VII. *Qui latitat, et ſubterfugit citari, habetur pro citato.*
VIII. *In viſitationum materiis ſufficit, quod præcedat qualiſcunque citatio, etiam virtualis.*
IX. *Exitus recurſus contra recurrentem, etiam in impedimentis oppoſitis primæ ſententiæ denegationis proviſionis.*

I. IN alterius Salſetanæ provinciæ parochiæ viſitatione, laicus quidam Indus denuntiatus eſt de crimine lenocinii cum raptus circumſtantiis; eo quod puellam quandam virginem, etiam Canarinam, dolo è paterna domo abſtuliſſet, dicens, ſe eam ad ducis generalis provinciæ domum conducere, ut hujus uxori domeſtice famularetur; et per deceptionem eam alio tranſtulit, ubi defloratа eſt; et cum denuntiationes hujuſce facinoris in viſitatione exhibendas pertimeſceret, falſos teſtes, ac delatores conduxerat, qui proprium ejus crimen alteri impingerent, et quod ex ipſius ore audierant, ſe, uſque ad viginti teſtes, jam ſolicitatos habere, ac paratos. De quo per plures, ac conteſtes teſtes denuntiatus, et citatus bis, aut ter, ut compareret, citationibus clam ſe ſubterfugiens, interim petitionem porrexit, ſecuritatis chartam, ne carceretur, expoſtulans. Cui cum deferrem, ut prius notificationibus pareret, hoc unico documento, gravamen interpoſuit, illud in hac virtuali, aut implicita ſecuritatis denegatione fundans. Tam facilis, et tam ordinaria eſt in India, hujus extraordinarii medii arreptio.

II. Huic autem fundamento eandem reſponſionem, quam immediate præcedenti, licet anterior illo præſens recurſus foret, appoſui. Et ſolum ſpecialiter addidi, quoad circumſtantiam criminis raptus, etiam huic, ſicut lenocinio, à jure communi pœnam capitis eſſe impoſitam, l. unic. de *raptu virginis*, l. *Raptores*, cod. de epiſcop. auct. de raptu mulier.

III. Et ad crimen raptus, non eſſe neceſſariam totam omnino vim, ſed ſufficere aliqualem violentiam, etiam per interpellationem, aut ſuaſionem, tenet Antonell.

tonell. de judic. crimin. l. 6. c. 31. n. 1. et eſt caſus in l. final. ubi Bart. ff. de extraordin. crimin. Boſſ. in tit. de coit. damn. n. 66. Navarr. conſ. 1. de rapt. Ricc. in prax. p. 4. reſ. 437. qui cum Bonac. de matrimon. q. 4. pun. 18. et aliis, ſtatuunt, raptus crimen committere, *qui libidinis, aut matrimonii cauſa, mulierem de loco ad locum adducit.*

IV. Alteri etiam crimini falſorum teſtium inductionis, etiam capitalem pœnam à lege impoſitam reperiri, ex ipſa regia ordin. l. 5. tt. 45. in princip. oſtendebam; et ex eadem lib. 3. tt. 75. etiam in princip. De quo etiam Cavalcant. pract. de teſtib. p. 3. n. 65. Bonaloſ. commun. crim. p. 1. verb. *Teſtis*, Gratian. for. c. 192. Clar. § *Falſum*, n. 3. Farinac. p. 4. dec. 125.

V. Addebam inſuper areſtum regii ſenatus Ulixbonenſis apud Themud. p. 3. dec. 256. ubi, cum viſitator quidam eccleſiaſticus adverſus mulierem in crimine lenocinii comprehenſam, pronuntians, ut ſine carceratione purgaretur *(in quo erravit*, ait Themud. *debebat enim illam carceri mandare)* ab ea pronuntiatione ad judicium coronæ gravamen intentante, proviſionem non obtinuit, annuit, anno 1646. *quod eſt notatu dignum*, addit Themud. *quia hæc gravamina ſunt quotidiana.* Et aliud etiam notabilius areſtum ejuſdem ſenatus apud eund. Themud. ibid. dec. 251. ſuper recurſu à judice eccleſiaſtico intentato ob pronuntiationem cujuſdam laici, qui teſtamentum falſificaverat; ubi omnino videnda eſt judicioſa, et religioſa, in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis, reſponſio procuratoris regii *Thomæ Pinheyro da Veyga.*

VI. Tertium tandem areſtum, deductum ex Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. n. 642. exponebam, ubi denegata à vicario generali charta ſecuritatis cuidam clerico in crimine falſitatis teſtium extra actum viſitationis, et ab hoc recurſu ad coronæ judicium interpoſito; in ſenatu aulico judicatum eſt, *non eſſe caſum recurſus.*

VII. Quoad recurrentis latitationes, et ſubterfugia notificationibus ad comparendum, dicebam, quod licet ad declaratoriam cenſuræ in notificationibus comminatæ adverſus recurrentem adhuc perventum non erat, ſi deveniretur, nullam ei in hoc injuriam illatam fore; neque ſe ad eam poterat dicere non citatum, quia, *qui latitat, et ſubterfugit citari, habetur pro citato*; Monacell. p. 3. form. 8. n. 1. Sperell. dec. 48. n. 36. et alii apud ipſos, ex tex. in c. *Quoniam freq.* § *Porro ut lit. non conteſt.*

VIII. Tum quia in materiis viſitationum ſufficit, quod præcedat qualiſcunque citatio, imo et virtualis in edicto contenta, juxta dicta ſuperiori alleg. n. 26. et prout ſic, nunquam reus poteſt dicere ſe indefenſum, aut non citatum, ut ait Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 44. et 45. ubi proſequitur loquens de viſitatoribus in viſitationis actibus, *quod pene impoſſibile eſſet, ſi eos, quos negotium tangit, neceſſarium eſſet, prius citari, et convinci, cum certum ſit, quod citatio non requiritur, quoties negotium tale eſt, ut ex rei natura citationem non patiatur*; Innoc. in c. fin. de tranſlat. prælat. Jaſ. in l. *Certum*, cod. *Unde leg.* Bellem. diſtinct. 4. alios citat, et ſequitur, Gabriel, dicta concl. 1. n. 310. *unde non poteſt in his terminis dari recurſus ad regia tribunalia, ut vidi judicatum in tribunali regiæ coronæ ſupremi ſenatus hujus regni*; claudit Oliv.

IX. In hoc etiam gravamine recurrens nullatenus obtinuit, neque in ſententia recurſus, neque in impedimentis, quæ illi oppoſuit.

ALLEGATIO XI.

In Recurſu, à quodam Parocho regulari, ſuper Denuntiatione in Cenſuras à Jure, ob Impedimentum, et Turbationem Exercitii ordinariæ Juriſdictionis, intentato.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Quatuor recurſus fundamenta.*
III. *Exceptio ex non interpoſitione recurſus intra decendium.*
IV. *Appellatio in materia immunitatis, debet eſſe ad Summum Pontificem, vel ad S. Congregationem immunitatis ſub nullitate.*
V. *Ab uno delegato ad alium non appellatur.*
VI. *Epiſcopi poſſunt perſonas, ac bona, per cenſuras extrajudicialiter defendere abſque appellatione, ſuſpicione, et recurſu.*
VII. *Appellatio extrajudicialiter interpoſita, extrajudicialis evadit, et caret effectu ſuſpenſivo.*
VIII. *Appellatio à declaratoria datur ante, non poſt declaratoriam.*
IX. *Epiſcopus in cauſis violatæ immunitatis procedit non obſtante qualibet appellatione, aut impedimento.*
X. *Appellatio admittitur à comminatione, non à declaratione excommunicationis.*
XI. *Jam ex conſuetudine, non datur appellatio, quoad effectum ſuſpenſivum.*
XII. *Appellatio minus legitima, ut non interpoſita judicatur.*
XIII. *Argumenta objecta loquebantur de proceſſu judiciali, non de extrajudiciali.*
XIV. *Ita proceditur nedum in defenſionem propriæ perſonæ, ſed etiam propriorum bonorum.*
XV. *In judicio ſæculari nequit cognoſci de validitate cenſuræ judicis eccleſiaſtici.*
XVI. *Regulares exempti poſſunt ab ordinariis denuntiari in cenſuras juris.*
XVII. *Exemptio regularium, utpote odioſa juriſdictioni ordinariæ, cui illi de jure communi ſubjiciebantur, debet reſtringi.*
XVIII. *Denuntiare non eſt actus juriſdictionis; et pro hac ſententia afferebatur praxis diœceſis Goanæ.*
XIX. *Contra quam nil ſuffragabantur privilegia allegata.*
XX. *Neque caſus Conimbricenſis ex Silveira.*
XXI. *In caſibus, quibus regulares ordinariis ſubduntur, poſſunt ab his cenſuris coerceri.*
XXII. *DD. canoniſtæ reprobant morales aliquos in propria cauſa ſcribentes.*
XXIII. *Adverſus ſuæ juriſdictionis turbatores, quantumvis exemptos, poſſunt ordinarii per cenſuras procedere.*
XXIV. XXV. *Nulla datur exemptio adverſus forum turbatæ juriſdictionis; et eſt deciſum:*
XXVI. *Etiamſi turbantibus adeſſent probabiles pertenſiones.*
XXVII. *Ubi major eſt offenſionis facilitas, debent eſſe promptiora arma defenſionis.*
XXVIII. XXIX. *Recurrens, ut parochus, ſubditus erat ordinariæ juriſdictioni.*
XXX. *Judicium ubi cœptum fuit, finiri debet.*
XXXI. *Parochi regulares ſubjacent correctioni ordinariorum, etiam in aliis, propter munus parochiale concernentia.*
XXXII. *Exemplaritas parochi quoad mores, etiam concernit munus parochiale.*
XXXIII. *In materia correctionis procedunt ordinarii, ut Sedis Apoſtolicæ delegati.*
XXXIV. *In caſu notorio poteſt procedi ad declarationem, etiam judicialiter, abſque citatione.*
XXXV. *Ampliatur ad caſum publicum, non notorium, etiam contra regularem exemptum.*
XXXVI. *Adeſt pro hac parte multiplex declaratio.*
XXXVII. *Notorii probatio relinquitur arbitrio judicis, et poteſt fieri per duos teſtes, et ſufficit ſcientia decem hominum.*
XXXVIII. *Non requiritur citatio, vel monitio, quando judex procedit extrajudicialiter, uti pars in defenſionem.*
XXXIX. XL. *Affertur ratio, et auctoritas multiplex.*
XLI. *Securius eſt procedimentum defenſivum extrajudiciale, quam judiciale.*
XLII. XLIII. *Si cuilibet private, multo magis prælatis, hoc procedimentum licet.*

XLIV.

XLIV. *Neque officiunt jura in contrarium adducta.*
XLV. *In hoc extrajudiciali procedimento judex non aſſumat partes judicis, ſed partis.*
XLVI. XLVII. *Congruit præmittere citationem virtualem ex urbanitate, aut honeſtate, non ex neceſſitate.*
XLVIII. *Non datur proceſſus judicialis, ſi iſte præmittatur tantum ad animi inſtructionem, uſque ad n.* L.
LI. *Pendente judicio coram judice competente, non impeditur epiſcopus, quin extrajudicialiter per cenſuras vim vi repellere poſſit.*
LII. *Judicialis actus non eſt, qui fit ſine partis citatione, et contradictione.*
LIII. LIV. *Procedimentum extrajudiciale nec ſemper debet eſſe in continenti.*
LV. *Declaratoria cenſurarum præſumitur de jure valida.*
LVI. *Non datur gravamen, quando judex eccleſiaſticus poteſt procedere ſine citatione, vel ex officio, ordinante lege; vel quoties pro illo adeſt probabilis opinio, uſque ad n.* LVIII.
LIX. *Sufficit, quod declaratoria ſit valida, licet injuſta, ad excludendum recurſum.*
LX. LXI. *In dubio pro judice jura præſumunt, et acta valida interpretantur.*
LXII. *Ad hanc validitatem judicandum, eſt incompetens coronæ judicium.*
LXIII. *Tranſcribitur Monacell. pro validitate hujus procedimenti.*
LXIV. *Ultimus hujuſce recurſus, ac controverſiæ exitus.*
LXV. *Chartæ recurrentis declaratoriæ exemplar.*
LXVI. *Regium reſcriptum ſuper epiſtolis indecoroſis proregis, et ſecretarii.*
LXVII. *Aliud ſuper publico præconio adverſus compoſitiones amicabiles partium in eccleſiaſtica viſitatione ſponte paratas.*

I. QUIDAM parochus regularis ad nutum amovibilis, in viſitatione aliquarum parochiarum cujuſdam meæ diœceſis provinciæ, de culpis gravibus mores concernentibus, cum ſcandalo publico, et aliis gravioribus circumſtantiis, indirecte denuntiatus eſt. Quod cum ille fortuito reſciviſſet, et gratus quidem foret proregi, ejuſque ſecretario, et aliquibus magiſtratibus regiis, horum omnium potentia abutens, cœpit in delatores, ac teſtes reputatos, multiplicibus violentiis, et vexationibus, atque moleſtiis, quæ in ſubjuncta declaratoria exprimuntur, dure, direque procedere, eo fine, ut denuntiata annullarentur, et novæ denuntiationes ſuper eadem materia admitterentur, et ad extorquendam abſolutionem cujuſdam clerici in cenſuras à jure, et ab homine declarati, prout in eadem ſubjuncta declaratoria melius enuntiatur, quam quidem hic ſubnectere licebit, tum ut juſta motiva illius melius dignoſcantur, tum etiam ob controverſas ejuſdem ſpeciales redargutiones, de quibus infra, allegat. hac, et ſeqq.

Præfatus autem parochus extrajudicialiter in cenſuras juris denuntiatus, ob cauſas in ſubnexa declaratoria inſinuatas, appellationem coram me ab ea interpoſuit; cui quidem quoad effectum devolutivum dumtaxat deferens, poſt viginti dies, ad coronæ judicium gravamen intentavit, quadruplici nixum fundamento.

II. 1. Erat ipſamet appellationis quoad effectum etiam ſuſpenſivum non receptio.

2. Ipſius declaratoriæ nullitas, aut invaliditas, ut ille autumabat.

3. Propria recurrentis, utpote regularis, exemptio.

4. Citationis defectus; et inſimul adverſus aliquas declaratoriæ clauſulas, ut exorbitantes, et injurioſas, debacchabatur.

III. Priuſquam tamen ſingulis fundamentis ſingillatim reſponderem, allegabam, recurrentem aggravandi actionem amiſſam quidem habuiſſe, eo quod gravamen à denegatione receptionis appellationis in effectu ſuſpenſivo intra decendium non interpoſuiſſet, juxta legem ordin. reg. l. 3. tt. 8. § 1. quæ quidem lex generalis eſt pro cunctis gravaminibus, etiam per viam recurſus à judicibus eccleſiaſticis intentatis, ut ex eadem ordin. l. 1. tt. 9. § 9. 11. et 12. clare colligitur; quin obſtaret, quod gravamen hoc, non à ſententia, ſed à facto erat interpoſitum; nam etiam gravamina à factis intentata, comprehendit lex decem dierum, ut tenet Leytam de gravam. q. 6. à n. 50. ſic inquiens: *Primum igitur requiſitum eſt, quod gravamen interponatur intra decem dies à die ſententiæ, vel facti, à quo aggravatur*; et comprehendere etiam gravamina à procedentis extrajudicialibus interpoſita, docet Salgad. de reg. prot. p. 2. c. 2. n. 72. ex tex. in c. *Concertation.* 8. de appellat. in 6. plures DD. citans, et inter eos Scacc. de appellat. q. 22. n. 115. Deinde ——

Quoad primum fundamentum:

IV. Dicebam, 1. Appellationem recurrentis receptibilem non eſſe, etiam quoad effectum devolutivum, ob incompetentiam judicis *ad quem*, videlicet illuſtriſſimi collectoris. Cum enim hæc appellatio utique foret à declaratoria cenſurarum à jure ob violationem immunitatis, et juriſdictionis eccleſiaſticæ, et ſpiritualiter cenſurarum bullæ Cœnæ; debebat certe interponi ad Sanctiſſimum, vel ad Sacram ejuſdem immunitatis Congregationem, ſub pœna nullitatis: nam, ut ait Pignatell. tom. 6. conſ. 18. n. 53. *Appellatio (etiam ad cardinales legatos) interponeretur ad judicem incompetentem; nam quando agitur de cenſuris inflictis ob violatam immunitatem, vel juriſdictionem eccleſiaſticam, nullus alius poteſt ſe ingerere, et abſolvere, niſi Papa, vel Sacra Congregatio immunitatis, quæ vices illius agit. Multoque magis, quando agitur de cenſuris impoſitis à bulla Cœnæ Domini, à quibus ne legatus quidem à latere abſolvere poteſt*; Rebuf. in bull. Cœn. § *Non obſtant.* Ugolin. de cenſur. p. 3. c. 2. Fragoſ. tom. 2. d. 10. § 2. Alter. § 2. de cenſuris, l. 5. c. 2. d. 22. cla. 2.

V. Hanc autem incompetentiam ulterius confirmabam ex doctrina Ricc. in prax. p. 4. Piaſec. in prax. quarant. verb. *Archiepiſcop.* Antonell. de regimine, l. 5. c. 12. et aliorum aſſerentium, *ab uno delegato ad alium non appellari, ſed immediate ad Sanctitatem ſuam*, ex c. *Super*, c. *Si duo*, de officio delegat. in 6. Ordinarii autem quoad correctionem morum, et ſubditorum emendationem, procedant, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, ex Trid. ſeſſ. 24. c. 13. et 10. de reform. et recurrens declaratus fuerat ob impedimenta exercitii hujus delegatæ juriſdictionis; ac per conſequens incompetenter appellârat ad judicem delegatum.

VI. Dicebam, 2. Cum Tamburin. de jur. abbat. tom. 2. diſp. 14. q. 3. n. 1. quod *epiſcopi poſſunt proprias perſonas, ac bona et jura ſuarum eccleſiarum per cenſuras extrajudicialiter, et nullo juris ordine ſervato, defendere, oppugnantes, et vim ac moleſtiam inferentes excommunicando, c. Dilecto, c. Venerabil. de ſent. excommunicat. in 6. unde prælatus, extrajudicialiter procedens, nequit, ut ſuſpectus, recuſari, quia non tanquam judex, ſed tanquam pars procedit; et ſuſpicio in judicem, non in partem cadit, Butr. in c. Cum veniſſent; tum etiam quia in hoc caſu non admittitur pars ad appellandum, Panorm. in c. Venerabil.* &c.

VII. Confirmabam; quia cum hæc appellatio foret à procedimento extrajudiciali, ejus natura veſtiebatur, et ſic pariter extrajudicialis evadebat; Salg. de reg. prot. p. 1. c. 2. n. 261. In appellatione extrajudiciali nemo tenetur, etiam quoad effectum devolutivum, excommunicato deferre, eo quod ei à jure prohibeatur, Abb. in c. *Bonæ memoriæ*, 51. Decius, Rebuf. Lancelot. Scacc. de appellat. q. 5. n. 6. et alii citati ab eodem Salg. ibid. n. 151. qui quidem, c. 7. n. 19. ead. 1. p. de omni appellatione extrajudiciali, etiam à non excommunicato interpoſita, abſolute docet, hoc effectu ſuſpenſivo carere, ita ut judex licite procedat in cauſa ex c. 1. de appellat. c. *Conſtitutus*, 2. eodem tt. Lancelot. de attentat. 2. p. c. 12. limit. 3. iterum id. Salgad. p. 2. c. 131. per tot.

VIII. Deinde, ut cum Felin. Sperell. dec. 48. et aliis, tenet Pelegrin. prax. vicarial. p. 1. ſect. 3. ſubſ. 1. n. 29. *Appellatio datur à declaratoria excommunicationis ante, non poſt declaratoriam. Fallit tamen in notoriis, in quibus non per hoc impediretur executio, et cedulonum affixio, c. Prævenit*, 1. de appellat.

IX.

IX. Ulterius proſequebatur tranſcribendo doctrinam Monacell. p. 3. tt. 1. form. 6. n. 3. ib. *Epiſcopus in cauſis violentæ immunitatis, et libertatis eccleſiaſticæ, procedit ordinaria ſua auctoritate, non attento quocunque impedimento ſive inhibitione, et non obſtante appellatione, etiamſi appellatio eſſet interpoſita ad Papam; nam non admittitur, niſi in devolutivo, ex Sacra Congregatione Malhexan.* 9. *Septembris* 1631. *in Benevent.* 22. *Novembris* 1639. *in Celſon.* 28. *Novembris* 1673. *in Baren.* 28. *Januarii* 1679. *in Balneo reg.* 18. *Auguſti* 1700. *in Piſaur.* 27. *Septembris* 1627. *in Biſautienſ.* 6. *Februarii* 1644. *de quibus Decius, &c. Unde ſi epiſcopus, non obſtante appellatione, procederet ad cenſuras, prout tenetur, Sperell. dec.* 181. *n.* 83. *valide procederet; ſic reſpondit S. Congreg. in Montis Faliſci* 8. *Julii* 1687. *l. Decr. Martell.* 129. *Sperell. dec.* 48. *n.* 42.

X. Et confirmabam duplici clara et evidenti ratione Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 52. *Tum quia appellatio ſolum admittitur à præceptis comminatoriis, non autem à declaratione excommunicationis jam incurſæ, Scac. q.* 17. *limit.* 22. *n.* 1. *et* 6. *Ricc. p.* 4. 2. 18. *Sperell. dec.* 48. *n.* 42. *l.* 1. *dec.* 160. *n.* 57. *l.* 2. *Ubi quod ſæpius id declaravit Sacra Congregatio immunitatis, alioquin nunquam poſſint ferri declaratoriæ contra violatores immunitatis, et juriſdictionis eccleſiaſticæ.*

XI. Et tandem ex praxi generali, de qua ait Panimol. dec. 96. annot. 2. in. 9. *Quicquid ſit jure, hodie ex conſuetudine à declaratoria non datur appellatio quoad effectum ſuſpenſivum, præcipue à declaratoria lata, ob violatam immunitatem eccleſiæ: et ita ſæpe declarâſſe Sacram Congregationem, teſtatur Sperell. dec.* 48. *et* 49. *n.* 11.

XII. Et concludebam, quod, cum recurrentis appellatio foret minus legitima, tum ex incompetentia judicis ad quem, tum ratione materiæ, et procedimenti extrajudicialis in defenſionem, ut non interpoſita debebat judicari, et ut omnino additum recurſui præcludens; nam, juxta expreſſam doctrinam Salgad. de reg. prot. p. 2. c. 2. n. 51. *Etiam in iis caſibus, in quibus, juris permiſſione, appellationi jus defert, et ſit à judice deferendum, ſi ipſa appellatio minus legitime, minuſve ſolemniter, vel alias nulliter interponatur, cum ut non interpoſita judicetur, delationem non meretur: et ejus virtute aditus ſupremus ſenatus, vel vim non fieri declarat, vel non venire per ordinem, cauſaque judici iterum remitti jubetur: appellatio etenim, quæ juris ſolemnitatibus caret, vitiumque nullitatis patitur, non dicitur appellatio, nec judicis juriſdictionem ſuſpendit, nec cauſat attentatum, aliiſque omnibus juris effectibus evacuatur,* notat Philipp. Franc. in c. *Ut debitus,* n. 47. *de appellat. Guido Pap. dec.* 213. *ſtatuta, n.* 6. *et deciſ.* 436. *de appellat. n.* 21. *et conſilio* 124. *circa materiam, n.* 3. &c.

XIII. Ad argumenta autem, et auctoritates ex adverſo objectatas, uno verbo reſpondebam, vel omnes loqui (ut ex ipſis liquebat) de appellatione ante ſententiam, vel ante declaratoriam, non vero poſt illas, et poſt cedulonum affixionem; vel loqui de judicibus judicialiter, et ut talibus procedentibus; non vero de judice extrajudicialiter, et tanquam parte procedente, *vim vi repellendo* in defenſionem: in quo procedimento gravamen nullatenus inveniri poteſt; hoc namque ſolum daretur in judice naturalem defenſionem denegante; non vero in judice, uti parte, ſecundum naturalis et poſitivi juris permiſſionem ſe defendente, *vim vi repellendo,* ex ord. reg. l. 1. tt. 9. § 12. et l. 3. et 4. tt. 59. et ex l. *Ut vim,* ff. de juſt. et jur. l. 1. et toto tt. de *vi et vi armat.* l. *Si quis percuſſ.* cod. ad l. Cornel. de ſicar. c. *Significâſti,* 2. de homicid. c. *Si vero,* de ſent. excom. c. *Dilecto,* eodem tt. in 6.

XIV. Quæ quidem utriuſque juris diſpoſitiones ſtabilitæ ſunt, non ſolum in defenſionem propriæ perſonæ, ſed etiam propriorum bonorum, ex l. *Furem,* 9. ff. ad l. Cornel. de ſicar. et l. 4. ff. ad l. Aquil. ib. gloſſ. verb. *Nam jure,* eod. c. *Dilecto,* c. *Si vero,* de ſent. excommun. et quod non detur gravamen, nec pateat recurſus à judice, ut parte, procedente in defenſionem, ſed à judice procedente ut judice, conſtat ex ipſa reg. ordin. l. 1. tt. 9. § 12. Per. de man. reg. c. 6. n. 2.

Quoad ſecundum fundamentum; nullitatem, videlicet, declaratoriæ:

XV. Proteſtabar imprimis, et expreſſe excipiebam, ne de illius declaratoriæ validitate, aut nullitate cognoſceretur, neque ſuper illa aliquid decerneretur in coronæ judicio, utpote incompetenti, et incapaci ad cognoſcendum de cauſa mere ſpirituali; quod de judicibus ſæcularibus ſub variis cenſuris manifeſte prohibetur, de quibus Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 18. ex n. 5. vi quarum prohibitionum, et incapacitatis, neque etiam incidenter cognoſcere poſſunt de exceptione nullitatis, aut validitatis excommunicationis, ſed tantum de facto, propoſita exceptione, ut cum communi DD. tenet id. Oliv. p. 1. c. 8. n. 10. et per tot. Salg. de reg. prot. prælud. 5. ex p. 197. et 277. et 278. et quia recurrens eam declaratoriam invalidam proclamabat fundamento ſuæ regularis exemptionis, hinc gradum faciebam ad ——

Tertium fundamentum; regularis, ſcilicet, exemptionis:

XVI. Dicebam, certum eſſe, 1. apud DD. communiter, Quod quantumvis regulares exempti privilegium habeant, ut non excommunicentur ab ordinariis; adhuc tamen poſſunt ab his denuntiari incurſi in cenſuras juris, et apoſtolicarum conſtitutionum. Ita ex DD. regularibus, Tamburin. de jur. abbat. tom. 2. d. 14. n. 7. Nicol. lucubr. can. l. 1. tt. 31. Rodrig. qq. regul. tom. 2. q. 63. à 11. Torreſil. exam. epiſcop. tr. 2. q. 1. diff. 14. Bagn. de S. R. E. dignitat. Delben. tom. 2. c. 14. dub. 1. Bordon. reſ. 6. q. 6. Dian. p. 3. tr. 2. Peyrin. tom. 1. c. 2. ſect. 4. Pirhing. in jus can. l. 1. tt. 31. n. 115. et alii, quos refert, et ſequitur Peg. de for. compet. p. 1. c. 50. n. 50.

Ex non regularibus hanc ſententiam tuentur Card. Deluc. de juriſdiction. diſc. 29. n. 2. et 3. et in miſcellan. diſc. 14. n. 6. et 7. Card. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. et tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. ſect. un. Pignatell. tom. 7. conſ. 10. et tom. 9. conſ. 52. ex n. 6. Fagn. in c. *Grave,* n. 75. de offic. ordin. et in c. *Non pot.* de ſent. et de re judic. an. 15. Panimoll. dec. 84. annot. 1. ex n. 65. et hanc ſententiam eſſe in praxi communem, teſtantur Ricc. p. 2. reſ. 210. n. 4. Genuenſ. c. 57. n. 1. Piaſec. p. 2. c. 3. à 6. de viſit. regul. n. 78. Ventrigl. p. 1. ann. 48. n. 134. ibique Carol. Anton. Deluc. n. 5. Barb. de pot. epiſcop. alleg. 105. n. 73. qui poſt vota deciſ. 125. l. 3. dec. 45. refert per extenſum decreta S. Congregationis pro hac ſententia, præſertim ſi factum ſit notorium. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 2. ſub n. 45. p. 1. tt. 6. form. 20. et alii apud ipſos.

XVII. Quam quidem ſententiam multipliciter, et evidenter probant præjacti DD. Et, 1. Quia regulares de jure communi ordinariis certe ſubjiciuntur, Deluc. de regular. diſc. 1. n. 7. et de judic. diſc. 3. n. 77. Albic. diſc. 1. n. 116. et diſc. 2. q. 1. et quamvis poſtea per privilegia ab eorum ſubjectione forent exempti, hæc exemptio, utpote odioſa juriſdictioni ordinariæ, et juris communis reſtrictiva, debet utique conſequenter reſtringi ad id præciſe, quod in privilegium expreſſum eſt. Cum autem in privilegiis regularium, eſto exprimatur, quod non valeant ab ordinariis excommunicari, non ita exprimitur, quod non valeant denuntiari: conſequens eſt, quod regulares, quoad hanc denuntiationem in cenſuras à lege, adhuc eandem ſubjectionem, ſicut ante exemptionem, ordinariis retineant. Ita Pignatell. tom. 7. conſ. 10. ex n. 1. ad 6. Deluc. de juriſdict. diſc. 29. n. 2. et 7. et diſc. 104. ex n. 4. et diſc. 31. n. 8.

XVIII. 2. Quia denuntiare, ſeu præciſe declarare, non eſt actus juriſdictionis; ideoque poteſt, etiam in exemptum, et in non ſubditum, exerceri; cum declaratio illa, in cenſuras à jure, et in factis notoriis, non evadat juriſdictionalis quoad exemptos. Ita Cardin. Petr. tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. n. 10. ſect. unic. Deluc. de juriſd. dec. 29. n. 2. ibi: *De excommunicatione lata à jure, receptum eſt, ordinarium, non obſtante privilegio, quamvis ſpeciale, circa cenſuras, poſſe exemptos declarare excommunicatos, ex*

ea clara ratione, quod ille excommunicare non dicitur, neque propriam juriſdictionem, vel ſuperioritatem exercere, ſed ſolum declarare, ſeu denuntiare illas cenſuras jam ex juris diſpoſitione incurſas.

Et pro hac ſententia in confirmationem, allegabam etiam praxim hujus diœceſis Goanæ, et caſus in hoc eccleſiaſtico judicio judicatos, circa declarationem aliquorum regularium à vicario generali Goano in cenſuram can. *Siquis ſuadente*, ob publicam clerici percuſſionem declaratorum; et ſignanter modernam declarationem vicarii generalis *Emmanuelis Coelho Leitaô*, *anno* 1720. (duobus annis dumtaxat ante præſentem caſum) exercitam in duos regulares Mendicantes, qui, propter propria privilegia, cæterarum omnium religionum privilegiis certe gaudebant, abſque appellatione aliqua, aut gravamine, aut querimonia tum ipſorum declaratorum religionis, tum reliquarum omnium, quæ intra Goanam hanc urbem, et inſulam continentur.

XIX. Hinc autem conſequenter ad privilegia à recurrente pro ſe, è religione ſua allegata, etiam reſpondebam, omnia, quæ producebat, vel eſſe, ne ab ordinario, judicialiter procedente, excommunicarentur, non autem procedente extrajudicialiter, et in defenſionem (nec dari poteſt contra naturalem defenſionem privilegium); vel etiam, ne rigoroſa, et juriſdictionali, aut auctoritativa declaratione, declarari valerent ab ordinariis, non autem ſimplici, et extrajudiciali denuntiatione, quam quidem à declaratione diſtingui, docet Petr. ibid. n. 11. per hæc verba:

Pro illuſtranda autem hac materia, diſtinguendi ſunt termini declarationis, et denuntiationis, quos paſſim DD. confundunt; cum tamen ſint actus omnino diverſi: denuntiatio enim incurſionis in cenſuras à jure latas, eſt actus mere extrajudicialis; quia non niſi indirecte reſpicit excommunicatum exemptum, directe vero reſpicit populum ipſi epiſcopo ſubjectum, eo præſertim tendens, ut populus ex tali actu denuntiationis cautus reddatur in mortida pecude vitanda; quod ſane non eſt juriſdictionem in exemptum exercere, ſed ſolum pœnam jam incurſam indicare, leg. Hæredes palam, § Quod vero ibi, ff. de teſtam. et bene Felin. *c. Non poteſt, n. 3. verſ. Facit, Campan. in diverſ. rubr. 12. c. 16. d. 42. in fin. Graff. dec. aur. l. 2. c. 49. n. 68. Cardin. Deluc. cit. diſc. 29. n. 2. verſ. Denunciatio enim; et facit ad rem tex. in can. Curæ ſit, 20. 11. quæſt. 3.*

XX. Ad caſum Conimbricenſem ex Sylveir. in opuſc. ex adverſo allegatum, reſpondebam, etiam eſſe quidem à præſenti diverſum; nam in illo inflicta fuit excommunicatio *ab homine*, quæ quidem juriſdictionem prærequirit; et hanc non requirere denuntiationem in cenſuras à jure: et poſſe exerceri à non habente juriſdictionem, docet expreſſe Deluc. de juriſd. diſc. 29. n. 2. ex ea clara ratione, quod *denuntiatio, tanquam inducta in favorem animarum, eſt actus, qui exerceri poteſt, etiam à non habente juriſdictionem, juxta text. expreſſum in Clem. 1. de privileg. ubi Abb. Zaberell. et cæteri, quibus relatis hanc veriorem profitentur. Campanil. in diverſor. jur. canon. rubr. 12. c. 16. n. 42. Laurent. de Franch. de controv. inter epiſcopos, et regul. quæſt. 7. verſ. Contraria opinio; Genuenſ. in prax. Archiep. Neapol. c. 57. n. 1. Et hanc opinionem, uti veriorem, mature diſcuſſo articulo, inhærendo pluribus aliis declarationibus antecedentibus, præſertim de annis* 1720. *et* 1730. *firmavit Sacr. Congreg. Concil. in una Eyſtetten.* 28. *Auguſti* 1649. *Ubi in ſortioribus terminis declarata fuit valida declaratio epiſcopi ſuper incurſu cenſurarum contra commendatorem ordinis Theutonici, ob ſolam retentionem clerici, contra quem dictus commendator prætendebat habere juriſdictionem, quam in effectu non habebat.*

XXI. Certum eſſe, 2. Ordinarios poſſe cenſuris adverſus regulares procedere, in omnibus caſibus, in quibus regulares de jure ordinariæ juriſdictioni ſubjiciuntur. Hanc reſolutionem ex regularibus ipſis tenent Lezan. verbo *Proceſſus quoad regulares*, n. 2. Donat. tom. 2. p. 1. tr. 3. q. 23. et 24. et 55. Villar. art. 2. n. 7. et 11. Sanch. et alii laudati à Fraſſ. de regio patron. tom. 2. c. 62. n. 42. et 47. Tenent etiam Gratian. dec. 232. Genuenſ. in prax. c. 57, 58. et 59. ubi deciſum refert Ricc. dec. 362. n. 6. et ref. 308. n. 6. et plures alii, quos citat, et ſequitur Barb. p. 3. alleg. 78. et 105. de pot. epiſcop. et ad Trid. ſeſſ. 25. c. 13. n. 19. de regularib. et de jur. eccleſiaſt. l. 1. c. 43. n. 163. et in ſum. apoſt. deciſ. collect. 605. n. 24. quibus addendus Ventrigl. ann. 48. n. 132. teſtificans hanc opinionem praxi ſervari, et paſſim videri ordinarios contra regulares inobedientes ſub pœna interdicti procedere; Paſſerin. de ſtat. homin. tom. 3. q. 189. a. 10. cit. à Monacell. p. 3. tt. 3. form. 6. n. 13. abſolute affirmans, quod *ubi datur facultas coercendi regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi*; Bellet. p. 2. de pœn. clericor. § 30. n. 6. Ciarl. contr. tom. 1. c. 50. n. 21. Paz. Jord. tom. 2. l. 7. tt. 14. n. 189. et alii ap. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. n. 10. ubi adducit plures Sanct. Congregat. declarationes; et etiam tt. 3. form. 6. per tot.

XXII. Denique idem Monacell. p. 1. tt. 6. form. 20. n. 26. hanc ſententiam proſequitur, cum Cardin. Deluc. de juriſd. dec. 29. n. 7. et diſc. 104. n. 1. ubi refutant Lezan. et aliquos morales ſcriptores, qui curantes tueri cauſam propriam, enixe ſtudent ordinariorum poteſtatem reſtringere; nam, ut concludit Deluc. d. dec. 29. n. 7. Moralium auctoritati in propoſito deferendum non eſt, quamvis alias doctis, et probatis, utpote teſtibus in cauſa propria: cum enim Concilium Tridentinum quæcunque privilegia talibus caſibus tollat, nihil remanet, quod ordinarios impediat, ne cenſuras proferre poſſint contra exemptos, eodem modo, quo in reliquum clerum, et populum ſubditum, jure ſuo primævo, et ordinario, et ex antiqua nativa juriſdictione, tanquam per remotionem obſtaculi, quod privilegia inferebant; ad inſtar habentis naturaliter membra valida, ſed ex accidentali vinculo impedita, quia, vinculis diſſolutis, operari dicitur jure ſuo primævo et nativo, non autem ex novo et dativo à diſſolutione reſultante, ut eſt communis beneficialiſtarum traditio in materia indultorum, quæ ordinariis conceduntur ſuper conferendis beneficiis reſervatis, licet hodie ob modernam indultorum formulam magis receptum ſit, id jus delegatum importare.

XXIII. Certum, 3. Poſſe ordinarios adverſus ſuæ juriſdictionis perturbatores, quantumvis exemptos, et privilegiatos, per cenſuras procedere in omnibus caſibus, in quibus hi ipſorum ordinariorum juriſdictionem turbant, aut offendunt; ex c. *Dilecto*, de ſent. excommunic. in 6. c. *Venerabil.* 7. c. *Ex literis*, 29. c. *De cauſa*, 4. de offic. delegat. l. 1. ff. *Si quis jus:* et ex ipſis regularibus tenent Donat. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. Thom. Tamburin. in decalog. l. 4. c. 1. Aſcan. Tamburin. de jur. abbat. Torreſil. et alii: et ex non regularibus, Farinac. q. 114. Carril. Franc. Barb. de pot. epiſc. alleg. 105. et alii apud Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 36. n. 3.

XXIV. Ubi generaliter aſſerit, quod, *Nulla datur exemptio adverſus forum turbatæ juriſdictionis.* Cujus potiſſima ratio ea eſt, quia exemptus per ipſammet offenſam, ſubjectus remanet judici, quantumvis alias incompetenti, cujus juriſdictionem læſit, aut offendit, et ex incompetenti illum proculdubio efficit competentem; illiuſque juriſdictionem prorogare ſentitur.

XXV. Et ita deciſum refert idem Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 29. n. 4. in declaratoria archiepiſcopi Neapolit. adverſus quendam equitem Hieroſolymitanum, ob ſimilem juriſdictionis turbationem aut offenſam, hac ſuffultus ratione, quod *juriſdictionis incompetentia prætendi non poterat, dum delictum conſiſtebat in injuria ipſi archiepiſcopo illata; ſuæque juriſdictionis turbatione, ob quam judex, cujus majeſtas læſa fuit, quantumvis alias incompetens, fit competens; quia exemptus ita turbando, et offendendo judicem incompetentem, dicitur illius juriſdictionem prorogare.*

XXVI. Quod quidem idem Deluc. extendit, diſc. 47. etiam ad caſus, in quibus *turbantes haberent pro ſe aliquas probabiles prætenſiones*; quod etiam defendit Pignatell. tom. 4. conſ. 128. et Cardin. Petra tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. et tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. et aſſertum, atque ampliationem illam concludit idem Deluc. ibid. n. 9. tt. 9. hac notabili, et ponderoſa ratione (quicquid in contrarium ſuadere conetur Cyrin. nex. utr. juriſd. c. 6.).

XXVII.

XXVII. *Ubi major eſt offenſionis facilitas, ibi magis prompta debent eſſe arma defenſionis: et ideo, cum ſine dubio facilius exerceri, et non ſubditi audeant ad hujuſmodi turbationes, et intruſiones procedere, quia minus timent eum, quem non agnoſcunt in ſuperiorem; hinc de conſequenti reſultat, dictum gladium ſpiritualem ita magis exercibilem eſſe debere; nam alias eſſet de plano exponere epiſcopos, alioſque prælatos, hujuſmodi uſurpationibus, ac turbationibus, de facto.*

XXVIII. Certum eſſe, 4. Recurrentem, utpote parochum actualem, eo tempore, quo præfatas turbationes excitare, ac perpetrare cœpit, et ego de illis cognoſcere, utique ordinariæ meæ juriſdictioni pro tunc ſubjacuiſſe, et pro nunc etiam ſubeſſe. Parochi namque regulares, quatenus parochi, ſubjacent cognitioni, correctioni, et punitioni juſtæ ordinariorum; ita Antonell. de regular. c. 16. Ulpian. in prax. c. 42. Barb. de pot. epiſc. p. 3. alleg. 74. et plures alii apud Fraſſ. de reg. patron. tom. 2. c. 62. Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 17. ex variis juribus.

XXIX. Quin obeſſe poſſet, 1. Quod recurrens, quando declaratus fuit, officium parochi actu jam non exercebat: reſpondetur namque, quod poſtquam turbationes commovit, proſecutus eſt, et ego de illis cognitionem ſumere cœpi, adhuc per pluſquam octo menſes parochiale exercitium inſimul fuit proſecutus; ideoque actus ille legitime à me cum vera juriſdictione antea cœptus, poterat eadem juriſdictione legitime poſtea finiri, quamvis recurrens forum meum de induſtria declinâſſet, ex communi doctrina cum Felin. in c. *Ex tenore*, n. 19. de reſcript. Polydor. rip. obſerv. 140. n. 2. Ricc. in prax. deciſ. 596. n. 3. ſeu reſol. 593. n. 3. Giurb. dec. 13. Card. verb. *Lis*, n. 31. Gratian. for. tom. 5. c. 906. n. 5.

XXX. Et tritum eſt axioma: *Judicium, ubi fuit cœptum, ibi finiri debet*, l. *Ubi cœptum*, ff. de judicio, l. *Si quis poſtea*, eodem tt. *Etiamſi detur mutatio fori*, l. *Cum quædam puella*, de juriſdictione, ub. Bartol. et reliq. DD. et in l. final. cod. *De veter.* l. 12.

XXXI. Quin obſit, 2. Quod ordinarii cognoſcere dumtaxat, ac punire valeant parochos regulares ob culpas munus parochiale concernentes, et non ob illas, quæ in morum defectibus ſiſtunt. Reſpondetur enim, 1. Sequentem declarationem pro hac Goana diœceſi anno 1620. datam, quæ, ut ex archiepiſcopali archivo authentice liquet, ſic ſe habet: *Reſpondetur ad 2. Poſſe quidem epiſcopos procedere contra regulares exemptos extra clauſtra degentes, et particularibus eccleſiis ſæcularibus deſervientes, ſi deliquerint in aliis, quam concernentibus curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem.*

XXXII. 2. Reſpondetur, alias addendo declarationes, quas affert Card. Deluc. de juriſd. diſc. 4. ubi n. 5. ſic ſolide docet: *Sub nomine concernentium curam animarum, et adminiſtrationem ſacramentorum, dicebam, et S. Congregatio rationabiliter admiſit, venire, non ſolum illos actus, qui præciſe, ac immediate id percutiant, ſed etiam alios qui in idem mediate influerent, circa vitam, ſcil. et mores ejuſdem curati, et quæ ſcandalum populo præbere poſſent, dum iſta quoque ipſam curam concernere dicuntur, ne qui ſibi commiſſas oves corrigere debet, eaſque ad meliorem frugem redigere, ita ſcandalum, vel peccandi occaſionem præbeat. Si enim epiſcopus viſitare poteſt ea, quæ à dicta adminiſtratione dependent, ſeu in eam influunt, quomodo, ſc. teneantur veſtimenta, et vaſa ſacra, ſive quomodo ipſa ſacramenta materialiter cuſtodiantur? cum ſimilibus, juxta dec. 167. Seraph. cum aliis per Barb. de epiſc. alleg. 74. n. 20. et ad Conc. ſeſſ. 25. de regul. c. 11. n. 15. Multo magis ea, quæ concernunt vitam, et mores, utpote magis proxime in id influentia; ſi enim curatus concubinam teneret, vel cum ſcortis publice converſaretur, aut in tripudiis inveniretur, ſeu publice et ſcandaloſe luderet, tabernas frequentaret, ſeu armatus, aut parum decenter veſtitus, ſive de tempore bacchanali perſonatus incederet, nemo dicet, id non præjudicare exercitio curæ animarum, et adminiſtrationi ſacramentorum, ratione ſcandali exinde reſultantis.*

XXXIII. Certum eſſe, 5. dicebam, Poſſe me quidem, ut Sedis Apoſtolicæ delegatum, adverſus recurrentem, quantumvis exemptus foret, cum vera juriſdictione procedere. Ordinarii namque in materiis correctioni morum, et ſubditorum emendationi attinentibus, utique ut Sedis Apoſtolicæ delegati procedunt, ex Trid. ſeſſ. 13. c. 1. ſeſſ. 24. c. 10. de reform. ubi Barb. et Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 1. Et denique addebam, præſentem caſum ſimiliter ſæpe judicatum fuiſſe in hac diœceſi, ut perſpicuum fiebat ex variis exemplis, ſignanter ex duobus regularibus ejuſdem religionis recurrentis, ab illuſtriſſimo archiepiſcopo D. Fr. Antonio Brandaô, monacho Ciſtertienſi, ob ſimiles turbationes declaratis, et ex aliis diverſi ordinis religioſis à vicario generali archiepiſcopatus ob publicam clerici percuſſionem publice, et abſque ſuarum religionum querimonia, declaratis, ſive denuntiatis.

Quoad quartum fundamentum, ex defectu citationis:

XXXIV. Dicebam, 1. In caſu notorio, poſſe quidem ad declaratoriam procedi abſque citatione, etiam quando judicialiter proceditur. Ita Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 14. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 44. n. 1. Fermoſin. in c. *Conſuluit*, de appellat. n. 14. abſolute ſtatuens, *Excommunicationem latam ſine citatione, et ſine monitione, tenere, ſed non ejus declaratoriam, niſi ſit ſuper notorio.* Quod etiam proſequitur Panimol. dec. 96. annot. 1. n. 14. ibi: *Quod tamen non procedit, ubi exceſſus ſit notorius; quo caſu poteſt judex abſque alia monitione, et ſine ſententiæ prolatione, ob incurſum in cenſuram à jure latam excommunicatum publice denuntiare, appellatione aliqua non obſtante, cap. Reprehenſibilis; et ibi gloſſ. in verb. Genere, et Hoſtien. n. 2. verſ. Pœnam, de appellat. cap. Cum ſit Romana, § Præterea; ubi Felin. n. 8. præpoſit. n. 29. et Dec. n. 76. et communiter DD. de appellat. Suares de cenſur. diſp. 3. ſect. 8. n. 3. Ricc. in prax. p. 2. reſolut. 394. n. 2. cum aliis congeſtis per Bellet. diſquiſit. cleric. p. 1. tt. de favor. clericor. can. § 4. n. 26. Sperell. dec. 48. n. 54. in fin. tom. 1. quoniam in notorio non requiritur ſententia, Bellet. ut ſupr.*

XXXV. Quam quidem reſolutionem Cardin. Petra extendit ad denuntiationem regularis exempti, etiam in caſu publico, et non notorio, tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. n. 12. *Idcirco, ſi incurſio in cenſuras ſit quidem publica, ſed non notoria, poterit epiſcopus exemptum populo denuntiare excommunicatum, non autem per viam declarationis procedere; nam dum incurſio eſt ſolum publica, non notoria, declaratio fieri non poſſet, niſi aliqualem juriſdictionem aſſumendo pro verificatione facti; ideo ad hoc evitandum, per ſimplicem denuntiationem epiſcopus procedere debebit. Quodſi incurſio in cenſuras ſit notoria, poterit tunc epiſcopus etiam per viam declarationis procedere, ex ea valida ratione, quod tunc ceſſat qualitas illa judicialis conſiderata in primo caſu, quæ non permittitur contra exemptum; cum in caſu veri notorii non requiratur citatio, nec proceſſus; neque opponi poſſit aliqua exceptio: et juxta hunc ſenſum debent intelligi aliqui DD. qui æquivocant, aliquando recipiendo denuntiationem pro declaratione, ita ut, ſicuti iſta non datur contra exemptum niſi in caſu notorio, ita nec illa poſſit fieri, ni pariter in caſu notorio, prout confundere videtur Cardin. Deluca, cit. diſc. 29. de juriſd. ubi aſſerit, poſſe declarari, ſive denuntiari: quæ ſane diſtinctio inter denuntiationem, et declarationem, et inter factum publicum, ac notorium, elicitur ex pluribus decretis Sacræ Congregationis Concilii. Quod enim, dum incurſio in cenſuras eſt ſolum publica, non notoria, poſſit epiſcopus tantum denuntiare, non autem declarare exemptum excommunicatum, reſolutum fuit in Motulen. juriſdictionis 13. Septembris 1675.*

XXXVI. Id etiam clarius convincitur ex aliis declarationibus adductis per Fagnan. in cap. *Non poteſt*, de ſent. et re judic. n. 8. præcipue *in Mileten. Synodi*, 27. Novembr. 1694. ap. eund. Petr. ibid. n. 13. ubi S. Congregatio declaravit, *Poſſe curiam epiſcopalem declarare regulares extra conventus, et monaſteria, incurrentes in cenſuras à Sede Apoſtolica latas, ſi notoria ſint delicta.* Et in Neapolitana 18. April. 1693. ubi pro abbate S. Mariæ Patientiæ de Cæſarea, declarato à curia archiepiſcopali in cenſuram can. *Si quis*, ob percuſſionem ſacerdotis ſæcularis, S. Congregatio quæſita,

quæſita, *An abbas exemptus à juriſdictione ordinaria potuerit ab eminentiſſimo archiepiſcopo declarari incidiſſe in cenſuras latas à jure, reſpondit; Affirmative, ſtante facti notorietate.*

XXXVII. Notorie autem conſtabat, et non ſolum publice, recurrentem ſuiſſe præcipuum illarum turbationum motorem; cujus notorietatis probationis legalitas, aut ſufficientia, *tota arbitrio judicis relinquitur*; Pignatell. tom. 6. conſ. 18. et alibi, c. 99. Maſcard. concl. 1105. cum Farinac. p. 2. de teſtib. et clar. q. 9. aſſerentibus, *Notorium probari per duos teſtes:* et Panimol. d. dec. 96. annot. 1. n. 22. cum plurimis adſtruit, quod *ad inducendum notorium, ſufficiat ſcientia etiam non populi, ſed viciniæ, vel decem hominum, c. Cum dilectus, de purgat. canon. per tex. in leg. Præter, 2. §. 4. ff. de vi bon. rapt. Bald. in leg. Si vero, § Qui pro rei qualitate, ff. Qui ſatisdar. cogant. Menoch. de arbitrar. quæſt. l. 2. cent. 2. caſ. 166. n. 2. ubi, quod notorie occiſus fuit, ſi coram decem homicidium committatur, Bellet. diſquiſit. clericor. p. 1. tt. de favore cleric. canon. § 4. n. 28. March. Paul. Leon. in prax. ad liter. Major. pœnitent. p. 2. tt. de form. diſpenſ. matrim. § Quid ſit notorium facti.*

XXXVIII. Dicebam, 2. Non requiri citationem, aut monitionem, quando judex extrajudicialiter in defenſionem, et tanquam pars, *vim vi repellendo*, procedit. Ita practicus Monacell. p. 3. tt. 1. form. 39. n. 1. et p. 1. tt. 12. form. 12. n. 1. Campanill. rubr. 12. Ventrigl. 1. p. annot. 48. afferens quandam S. Congregationis declarationem 26. Septembr. 1699. et aliam 16. Januar. 1700. quam reſolutionem cum aliis late proſequitur Pignatell. tom. 1. conſ. 170. n. 9. inquiens: *Minus obſtat defectus citationis, ſeu monitorii: nam, omiſſa diſcuſſione, an requiratur in declaratoria cenſurarum à lege, ex late congeſtis per Suar. de cenſ. d. 3. ſ. 8. n. 14. certum eſt, illam non requiri, quando per epiſcopum proceditur extrajudicialiter, uti pars, vim vi repellendo, pro defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ: alias enim epiſcopi pejoris eſſent conditionis quam laici, ſi facto uſurpantibus reſiſtere non poſſent armis cenſurarum, quæ ſunt propria eccleſiæ. Dum enim citatio fieret, juriſdictio, et jura eccleſiæ uſurpata remanerent abſque defenſione, tex. in c. Dilect.* de ſent. excommunic. in 6. ubi Gemin. Jo. Andr. Franch. Innoc. in c. *Venerabil.* Butr. Felin. &c.

XXXIX. Et ratio ea eſſe videtur, quia, cum citatio ſit actus judicialis, non requiritur abſolute in procedimento extrajudiciali, in quo tela judiciaria minime ſervatur: quam quidem rationem aperte innuit Panimoll. hanc etiam reſolutionem expreſſe amplectens, dec. 96. n. 16. ibi: *Quando cenſuræ feruntur pro defenſione violatæ juriſdictionis, et ad reſiſtendum executioni de facto, ſicut contra eccleſiaſticam perſonam, ſubſiſtunt etiam, ſi de facto relaxarentur, non ſervata tela judiciaria, juxta tex. in c. Reprehenſibilis; ubi gloſſ. in verb. Proferatur; et Abb. n. 13. extra, de appel. plene Sair. de cenſur. l. 1. c. 12. n. 26. Sperell. dec. 48. n. 52. tom. 1.*

XL. Et in eadem dec. annot. 1. n. 40. loquens de monitione, ac citatione, quæ excommunicationem, et illius declarationem, præcedere debet, juxta tex. in c. *Alma mater*, de ſentent. excom. in 6. hanc regulam ibidem, limit. 8. in hunc modum limitat, ut diſpoſitio dicti textus procedat in judice judicialiter procedente; ſecus vero, quando excommunicatio fertur à prælato, *non tanquam judice, ſed tanquam parte*, pro tuitione ſui juris *contra turbantem juriſdictionem*; tunc enim omitti poſſunt ſolemnitates.

XLI. Pariformiter Cardin. Deluc. in hoc procedimento extrajudiciali per ſpeciem defenſionis, tanquam ſecurius advertit, dic. 9. de juriſd. quod ſuperior eccleſiaſticus, nulla prævia citatione, nulloque ordine judiciario ſervato, procedat ad cenſuras contra uſurpatores, vel turbatores de facto, tanquam per ſpeciem defenſionis vim vi repellendo: et in miſcellan. diſc. 14. n. 8. loquens de eodem procedendi modo adverſus exemptos juriſdictionis turbatores, aut uſurpatores, non ſolum aſſerit, quod *tali caſu procedi poſſit, abſque citatione*; quinimo addit, quod *aliqui velint, ut ita procedi debeat; quodque alias ſit error, quaſi quod illa (citatio) potius vitiet proceſſum, ac probet fuiſſe tentatam viam judicialem.*

XLII. Hanc etiam reſolutionem à pari confirmabam: ſi enim cuilibet privato *vim vi repellere licet*, et proprio gladio ſe, et ſua tueri, et quamlibet injuſtam violentiam in naturalem defenſionem, nulla prævia judiciali actione citationis, notificationis, proteſtationis, impedimentorum, et cæterorum, propulſare, ex l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. l. 1. et toto tt. ff. de vi, et vi armat. l. *Scientiam*, § *Qui cum*, ff. ad leg. Aquil. c. *Significaſti*, 2. de homicid. c. *Si vero*, c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. Farinac. in prax. p. 4. q. 125. n. 9. et ſeqq.

XLIII. Cur id non licebit prælatis et judicibus eccleſiaſticis, qui non ſunt deterioris, ſed melioris conditionis, ut bene advertit Panimoll. cit. dec. 96. n. 16. annot. 2. propriis armis cenſurarum, quæ ipſorum proprii gladii ſunt? quam quidem paritatem late, et ſolide, ut ſolet, proſequitur Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 1. in hunc modum: *Sicut cuicunque privato licitum eſt armis temporalibus tueri propria bona contra invaſores, et injuriam, ac vim ſibi illatam coercere; ita hoc idem permittitur prælato gladio ſpirituali: quando tamen ei arma temporalia non ſint prompta, ut hac aſſignata ratione deciſiva decernit Summus Pontifex in cit. tex. cui coincidit alter in c. 2. de privil. ibi: Violentos itaque laicos coercere, non contra legem eſt agere, ſed legi facere ſubſidium, ubi gloſſ. verſ. Coercere, explicat; ſi aliquid de jure eccleſiæ ſibi uſurpare præſumpſerint, et cap. Venerabil. de cenſibus; ubi et contra prælatum inferiorem, et eccleſiaſticos impedientes ejus jurium exercitium, c. Procurationes de cenſibus, cum ſeqq. et ita docuerunt DD. ibidem ſcribentes, necnon D. Thom. 2. 2. quæſt. 108. art. 1. in reſponſ. ad 4. argumentum. Butr. in c. Venerabili, n. 10. verſ. 8. caſ. 4. collect. Ancharan. ibid. n. 8. verſ. de prædicta de cenſibus; optime Innoc. ibid. n. 4. in fin. et 5. Abb. n. 2. et paſſim alii repetentes, Fagnan. in c. Noſti, n. 5. de elect. et c. Procurationes, n. 32. de cenſib. Ricciul. de jur. perſon. c. 61. per tot. Cardin. Deluc. de juriſdict. dec. 47. n. 4. et dec. 48. n. 6. et plene Rott. dec. 122. n. 1. et ſeqq. p. 15. recent.*

XLIV. Et n. 3. ibid. notare jubet, *in hac cenſurarum inflictione ad formam dictorum jurium, non requiri monitionem, aut ordinem judiciarium, non obſtante can. Nemo, 2. q. 1. c. Sacro, de ſent. excommunic. cum hi textus intelligi debeant, ſi actus fiat judicialis; ſecus vero in actu extrajudiciali, et privato; quando ſcilicet epiſcopus procedit, ut pars; tunc enim judex poteſt de facto tueri jus ſuum, prout etiam permittitur cuicunque à jure civili, toto titulo, c. Quando jus ſibi, &c. prout bene perpendit Innoc. loco cit. Fagn. eod. c. Sacro, n. 13. et cap. Procurationes, n. 38. et 35. ſupr. cit. de cenſibus; quo caſu probationes rei nequit admittere ut judex; ſed poterit tantum, uti quilibet privatus, eiſdem ſe reddere inſtructum ad magis caute deliberandum, Innoc. cit. c. Venerabili, verſ. Item, col. pen. Ricciul. cit. c. 61. n. 16.*

XLV. Tandem ipſemet Petr. Deluc. et Pignatell. loco citat. animadvertunt, quod judex eccleſiaſticus in caſibus hujus extrajudicialis procedimenti, *non aſſumat partes judicis, ſed partis*, excommunicando de facto abſque monitione, aut citatione, *ne detur locus appellationi*, ut videre eſt in Pignatell. tom. 6. conſ. 18. n. 49. et aliis ibidem.

XLVI. Deinde adverſus hanc citationis prætenſionem ſpecialiter, et ad hominem, ut aiunt, retorquebam: ſi enim recurrens erat exemptus, et non ſubditus, ut fuſe in tertio, ſed præcipuo, fundamento allegabat; invalida quidem, et inutilis foret citatio, quippe quæ, ut actus juriſdictionis, in non ſubditum exerceri nequit. Et ſi prætenſa citatio, dato, quod præmittenda foret, deberet utique eſſe *virtualis dumtaxat, et ex urbanitate*; ut ait Monacell. p. 3. tt. 1. form. 44. n. 2. aut *ex honeſtate, ſeu decentia*, ut tenet Pignatell. tom. 6. conſ. 18. et tom. 7. conſ. 44. n. 43. et tom. 8. c. 94. et alibi, iſtius citationis defectus nullam aut invalidam minime declaratoriam reddebat: ſiquidem *quæ requiruntur tantum ex urbanitate, non requiruntur de neceſſitate*; neque quæ de *decentia* dumtaxat, requiruntur *de eſſentia*: ex vulgar. et leg. *Peto*, § *Prædium*, ff. de legat. 2.

XLVII.

XLVII. Et quod ſufficiat hæc virtualis citatio, expreſſe tenent Genuenſ. in prax. q. 708. Ciarlin. contr. for. tom. 1. c. 148. n. 14. Pignatell. d. conſ. 18. n. 49. et 50. tom. 6. cum Bellet. 1. p. § 4. n. 54. Maſſarat. reſ. 171. l. 1. Rott. dec. 48. n. 20. p. 4. rec. tom. 2. Et certum omnino demonſtrabam, recurrentem virtualiter monitum, atque citatum, aut notificatum multipliciter fuiſſe in declaratoriis, et citatoriis aliquorum complicum, ſignanter prædicti clerici Indi, et cenſuratorum parochiæ Marganenſis, et extractorum præfati rei in archiepiſcopali carcere detenti, de quibus alleg. 9. et alleg. 12. 16. et aliis. Quod autem monitoria in eccleſiaſtico judicio in citationes reſolvantur, communis doctrina eſt cum Gratian. forenſ. c. 531. n. 75. ubi quamplurimos citat, et pariter Themud. p. 3. q. 14. et 15.

Contra aliquas declaratoriæ clauſulas.

XLVIII. Arguebatur ex adverſo, et præcipue in illam, qua recitabatur, ſuper certitudine, ac notorietate facti, præceſſiſſe *informationes juridicas, et veridicas:* ex quo inferri videbatur tentatam fuiſſe viam, ac telam judicialem. Reſpondebam tamen cum communi doctrina, quam ſtatuit, et ſequitur Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 14. n. 7. et 8. Petr. tom. 1. in cōnſt. 1. Leon. IX. ſeſſ. 2. n. 8. et 9. *Quod non cenſetur epiſcopus procedere judicialiter, ſi præmittatur proceſſus ad inſtructionem animi ipſius prælati, præſertim ſi is reperiatur abſens longe à loco vis illatæ, vel potius dicendum, cautius illum agere cum proceſſu inſtructo, ut ſibi melius uſurpatio conſtet*; Innocent. cit. n. 5. Ricciul. de jur. perſonar. l. 4. c. 61. n. 2. Videatur etiam Pignatell. tom. 1. conſ. 170. n. 9. Deluc. de juriſd. dec. 47. n. 27. et 28. et alii.

XLIX. Et ita in praxi ſervari teſtatur Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. n. 1. ibi: *Licet in facto certo et notorio, ex quo reſultat incurſus cenſurarum ipſo jure, ordinarius non debeat contra exemptos proceſſum inſtruere in forma judicii, et formales partes judicis aſſumere; attamen debet examinare teſtes ſuper facto notorio, qui dicitur proceſſus facti ad futuram rei memoriam, ſive ad inſtructionem, et informationem ipſius ordinarii: ſicut etiam quamvis in facto certo, et notorio, non exigatur ad promulgandas cenſuras monitio, ſeu citatio; adhuc laudabilius eſt, et praxis recepit, ut ante denuntiationem per modum lenitatis, et urbanitatis, excommunicandi citentur ad dicendum cauſam, quare non debeant denunciari excommunicati; vel ad videndum ſe excommunicatos denuntiari: de qua laudabili praxi teſtantur Genuenſ. c. mihi, 57. n. 1. Fagn. in c. Non poteſt, n. 23. et ſeqq. de ſent. et re judic. Cardin. Deluc. miſcell. d. 14. n. 7. et 8.*

L. Neque etiam officere dicebam, appellare has informationes *juridicas*; aliud enim eſt *informatio*, aut *teſtificatio juridica*, aliud proceſſus, aut *procedimentum judiciale:* et quamvis omne judiciale ſit juridicum; non tamen è converſo omne juridicum eſt judiciale; ſic cognitiones gravaminum, aut recurſuum à judicibus eccleſiaſticis ad coronæ judicium interpoſitis, *juridicæ* quidem ſunt, quia ſunt juri conformes; et tamen *judiciales* non ſunt, ſed extrajudiciales. Et ipſemet recurrens in gravaminis libello rationes auctorum ſibi faventium, *probationes, et rationes juridicas*, vocitabat; cum tamen *judiciales* non forent. Hinc (ait Petr. c. d. n. 9. regulam deſignans ad cognoſcendum, quando proceſſus *judicialis* fuit, necne) *ſi proceſſus fiat ſolum pro inſtructione animi, imo etiam citatio, ſeu monitio, ut reus reſipiſcat, non autem, ut exceptiones deducat; videtur ceſſare qualitas judicialis; et ſi acceſſerit inſtantia promotoris fiſci, qui potius gerit vices denuntiatoris, quam actoris, cujus tamen perſonam vere repræſentaret œconomus menſæ, ad quam ſpectat emolumentum, prout in terminis dicti œconomi procedit cit. d. 122. et in terminis promotoris fiſcalis, quod ejus inſtantia non importet actum judicialem, dixit Pignatell. cit conſult. 170. n. 11. tom. 1.*

LI. Videatur Pignatell. conſ. 170. n. 9. et ulterius, n. 29. ubi addit: *Imo, pendente judicio coram ſuo judice competente, non ideo impeditur, quin epiſcopus extrajudicialiter, uti pars, poſſit vim vi repellendo cenſuris ſuam juriſdictionem defendere, ut probe advertit Butr. d. c. Venerabilis, de cenſur. col. 2. in fin. Innoc. ſub n. 2. et clare Ricc. ubi ſupr. d. c. 61. n. 61. et ſeqq. etiam contra proprium judicem; Gemin. d. cap. Dilecto, n. 6. de ſent. excom. in 6.*

LII. Denique Ubertus in magno illo volumine de citationibus pro regula ſtatuit, c. 7. n. 107. *quod judiciali. actus non dicitur, qui fit ſine citatione partis, et ſine contradictione.* Præterea, cum ex officio præjactis violentias repellere teneret, ſane abſque citatione procedere valerem, ut tenet Bald. in leg. *Non dubium*, cod. de legat. Felin. in cap. 2. de teſt. n. 7. Gabr. de citat. cl. 1. n. 347. Lancel. de attent. p. 3. c. 25. n. 51. Per. de man. reg. p. 1. c. 4. et 7. n. 5. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 42. et ipſemet Ubert. de citation. reſolutionem extendens (cum Giurb. conc. 39. n. 49.) etiam ad caſus, in quibus judex judicialiter procedit, c. 8. ibi: *Si judex procedat judicialiter ex officio, poteſt omittere citationem, ut diximus c. 3. n. 9.* et tandem n. 10. addit, quod judex, etiam ex officio procedens, debeat adhibere cauſæ cognitionem, non judicialem, quæ neceſſario requirit partis citationem, ſed extrajudicialem ad informandum animum, et conſcientiam judicis.

LIII. Ulterius etiam non officere dicebam, quod procedimentum extrajudiciale debeat eſſe *in continenti:* reſpondebam namque, hoc debere intelligi, quando offenſa eſt *contra perſonam*; non vero quando eſt *contra rem:* imo etiam, quando eſt contra perſonam, non debere intelligi *in facto permanenti*, ſed quando in eodem facto non perſeveratur, ut eleganter, et ſolide, idem Petr. cit. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. d. ſect. 2. n. 13. § *At prædicta*; ibi: *At prædicta ſunt intelligenda cum diſtinctione: aut enim injuria fuit in perſonam, et tunc debet deveniri ad cenſuras ſtatim, et in continenti, et flagrante adhuc maleficio, et ita procedunt ſuperius dicta; vel injuria fuit in rem, et poterit quidem infligi pœna excommunicationis, donec fuerit purgata, Ancharanus in citat. cap. Dilecto, n. 2. verſ. 7. nota; et optime Rott. in citat. dec. 122. n. 14. ratio eſt, quia prima injuria verſatur circa factum, quod tranſit, et non permanet; ſecunda vero circa factum permanens; unde, cum in hoc, injuria continuo irrogetur, continuo etiam datur facultas eam propulſandi, ut etiam ſentire videtur Card. Deluc. diſc. 48. n. 16. et 17. de juriſdict. et præſertim, ſi non fuerint intermedii actus judiciales.*

LIV. Adverſus aliam ejuſdem declaratoriæ clauſulam, acriter inſurgebat, 2. recurrens, quatenus in narrativa illius dicebatur, quod *callidioris, et antiqui ſerpentis aſtutia ſuggeſtus, ac ſuaſus*, &c. Hanc tamen querimoniam benigne excuſabam, dicens, procedere ex defectu notitiæ formularum conſimilium declaratoriarum, quas videre poterat, et illarum terminos duriores, in Pelegrin. in prax. vicar. p. 4. ſeſſ. 11. n. 63. ibi: *Pharaonis duritiam imitando, adinſtar ſurdorum aſpidum aures ſuas obturantium, ne incantantium voces audiant, in dicta excommunicatione perdurantes*, &c. et in Pontificali Romano, *tt. de ordine excommunicandi; quia, diabolo ſuadente . . . . monita ſalutaria ſpernens, ſuperbiæ ſpiritu inflatus . . . . diabolo cor ejus obdurante, in incœpta malitia perſeverat; ſecundum duritiam ſuam, et impœnitens cor, theſaurizat ſibi iram . . . . idcirco damnatum cum diabolo, et angelis ejus, et omnibus reprobis in ignem æternum judicamus*, &c.

LV. Denique his, et aliis auctoritatibus, et rationibus, cum Panimol. dec. 96. n. 1. concludebam, declaratoriam incurſus cenſurarum præſumi de jure validam, ex cumulatis per Gabriel. de ſentent. concluſ. 5. n. 6. in princip. taliſque præcipue probatur, dum apparet lata, ut in præſenti, *vim vi repellendo* pro neceſſaria defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ, juxta terminos cap. *Dilecto*, de ſentent. excommunic. in 6. ubi poſt alios notat Gemin. n. 7. Innoc. in c. *Venerabili*, ſub n. 4. de cenſur.

Pro gravaminis excluſione, et non proviſione.

LVI. Dicebam tandem, Neutri locum eſſe; et, 1. Quia gravamen non datur in caſibus, in quibus judex eccleſiaſticus poteſt procedere ſine citatione, ut cum Marant. p. 6. de citat. n. 15. et Gabriel. commun. opin. de citat. à n. 15. (qui centum et triginta congerit caſus, in quibus citatio non requiritur) reſolvit Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 41.

LVII. Quia, quando judex eccleſiaſticus ex officio, præcipiente, ſeu ordinante lege, et tanquam ipſius executor procedit, etiam non citata parte, violentiam non facit, nec ei reſiſti poteſt; ac per conſequens nec datur recurſus ad tribunalia regia. Ita Oliv. d. q. 16. n. 42. citans Bald. in l. *Non dubium*, n. 13. cod. de leg. Felin. in cap. 2. de teſt. n. 7. et 8. Lancel. de attent. p. 3. c. 25. n. 91. Per. de man. reg. c. 4. n. 4. et clarius, c. 7. n. 5.

LVIII. 3. Quia quoties judex eccleſiaſticus habet pro ſe opinionem probabilem, ceſſat notorietas vis, et violentiæ, in qua notorietate dumtaxat recurſus fundatur. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. an. 35. Portug. de donation. reg. p. 2. l. 1. c. 31. n. 14. Guerr. de recuſ. l. 1. c. 19. Fermoſ. in c. 2. de jud. q. 19. n. 28. Salzed. de l. polit. p. 1. c. 9. Peg. de alternat. benefic. n. 104. et 153.

LIX. 4. Quia ſufficit, quod declaratoria ſit valida, licet injuſta, et illicita foret, ad hoc, ut ab illa recurri non valeat. Idem Oliv. citat. d. q. 16. n. 10. ex variis juribus, citans etiam Per. de man. reg. c. 9. n. 25. et ſeqq. et amplectitur Peg. ad ordinat. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 16. n. 30.

LX. Ultimo tandem, pro validitate declaratoriæ dicebam, quod præter illius validitatis probabilitatem (quam ipſemet recurrens agnoſcere fatebatur) tot juribus, ac auctoritatibus, imo et deciſionibus fulcitam, animadvertendum fore, quod, etiam in dubio, *pro judice ſemper jura præſumunt, etiamſi ſit appellatum*, l. 1. ff. de offic. præſid. l. *Nimis*, cod. de acquir. poſſeſſ. c. *In præſentia*, de renuntiat. Surd. de aliment. tt. 1. quæſt. 120. n. 11. quod quidem etiam ad ſententiam excommunicationis ampliat Menoch. de præſumpt. l. 2. præſ. 67. an. 22.

LXI. *Et omnis actus in dubio ſemper validus interpretatur*, l. *Quoties*, ff. de verbor. oblig. *et actus abſolute factus, recte factus præſumitur*, l. *Gallus*, § *Quidam recte*, ff. de liber. et poſthum. etiamſi illi aliquod requiſitum, aut circumſtantia deeſſet: nam, *quæ non valent modo, quo fiunt, valent meliori modo, quo poſſunt*. Et multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, c. *Ad apoſtolicam*, de regul. 46. l. *Circa*, ff. de inofficioſ. teſtam.

LXII. Cui tamen validitati judicandæ incompetens cum foret coronæ judicium, hic meam reſponſionem claudebam, aliam, de qua recurrens libere me arguebat, ſuſpicionis notam in illum excludendo, ex doctrina Monacell. p. 3. tt. 1. form. 6. n. 16. et Tamburin. de jur. abbat. tom. 2. diſp. 14. q. 3. n. 1. uſque 3. ibi:

LXIII. *Epiſcopi poſſunt proprias perſonas, ac bona, et jura ſuarum eccleſiarum, per cenſuras, extrajudicialiter, et nullo juris ordine ſervato, defendere, oppugnantes, et vim ac moleſtiam inferentes, excommunicando, per tex. in c. Dilecto, et c. Venerabilibus, § Attamen; et ibi communiter doctores, de ſent. excomm. lib. 6. notant Innoc. in c. Venerabili, ſub n. 4. verſ. Item dicunt, ubi etiam Panormit. ſub n. 3. verſ. Et per prædicta, de cenſibus; idem Panormit. in c. Cum ſit generale, ſub n. 9. verſ. Sed contra hoc, de foro compet. et alii plures apud D. Anton. Ricciul. de jur. perſon. extra grem. eccleſ. exiſt. l. 4. c. 61. per tot. et hoc ſive agant pro tuendis rebus mobilibus, ſive ſtabilibus, gloſſ. in d. c. Dilecto, verb. Occupare. Cum enim quis in cauſa propria judex eſſe nequeat, quia eſt ſuſpectus, ut can. 1. 4. quæſt. 4. 1. penultim. ff. de arbitr. et toto tit. Ne quis in cauſa propria, Anton. de Butt. in c. Cum veniſſent, de judic. non poteſt prælatus judicialiter, et cognitionaliter, ſuam juriſdictionem contra tales exercere, et uti judex procedere; et ideo nedum probatio fieret, eccleſia jure ſuo ſpoliata, et ejus bona ab aliis occupata remaneant; licitum ei eſt, eadem bona, et ita ſpiritualiter, gladio videlicet utendo eccleſiaſtico, extrajudicialiter tueri, ac recurrere ad arma ſpiritualia, quæ ſunt eccleſiæ propria, ut loquitur tex. in d. cap. Dilecto. Unde prælatus ita extrajudicialiter procedens nequit uti ſuſpectus recuſari; tum quia non tanquam judex, ſed tanquam pars procedit, et ſuſpicio in judicem, non in partem cadit. Antonius de Butr. d. c. Cum veniſſent, num. 10. tum etiam, quia in hoc caſu non admittitur pars ad appellandum, Panormit. in d. c. Venerabili, d. n. 3. verſ. 1. caſu tenet excommunicatio; ideo nec multo minus ad recuſandum, cap. Super eo, il. 2. § 2. in cauſis de appellation. D. Anton. Ricciul. d. cap. 61. n. 8. et 9.*

LXIV. Hujus recurſus, ac controverſiæ ultimus exitus fuit, recurrentem, ordine regio in corroborationem præcepti ejus prælati generalis, ex hoc ſtatu, cum alio ejuſdem religionis ſocio, atque in præmiſſis turbationibus complice, effective egredi, et ad regnum Portugalliæ tranſmeare; quod quidem, licet inviti, diviſim adimpleverunt, et per duo alia reſcripta regia manu firmata, prorex, et ejus ſecretarius animadverſi fuerunt, ob indecoroſos, et inciviles terminos, dignitati meæ longe repugnantes, quibus in aliquibus mihi directis, ad placitum prædictorum patrum, uſi ſunt; et publicum præconium horriſonis militaribus tympanis, ordine proregis publicatum, reprobatum eſt, prout melius ex ipſis regiis epiſtolis conſtabit, n. 66.

Charta declaratoria præfati recurrentis, quæ præmiſſo gravamini occaſionem præbuit.

LXV. D. Ignatius à S. Tereſia, &c. Notum facimus, quod Dominus noſter JESUS CHRISTUS, cunctarum noſtrarum actionum verum exemplar, per totum ſuæ inculpatæ, et laborioſæ vitæ diſcurſum, omni manſuetudine, ac patientia, tot, taleſque injurias, atque offenſiones adverſus propriam, divinamque ejus perſonam realiter executas, taciturnus, quin aperiret os ſuum, libenter tolerans, quamvis templum Dei vivum, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitabat, realiter exiſteret; minime tamen paſſus eſt, injurias, atque offenſas adverſus ejus templum materiale exercitas; quinimo ſemel, et iterum, eas extraordinaria adeo punitione vindicavit, quæ pro facto in oculis humanæ ac terrenæ prudentiæ, exceſſus quidem reputaretur; nam quaſi flagellum de funiculis, propriis manibus ſacroſanctis, conficiens, omnes in templo res illas, quæ in ipſo ſacrificandæ erant, ementes, et vendentes, boveſque pariter, et oves, iteratis, et crebris flagelli ictibus à templo violenter ejecit, nummulariorum menſas, et cathedras vendentium columbas inſimul evertens; exemplum ſane in his actionibus prælatis eccleſiaſticis præbens, tum ſtrenuitatis, ac valoris, tum etiam vis, ac violentiæ, quæ in alterius repulſam licita eſt, qua ſanctitatem, et immunitatem eccleſiæ defendere debent, atque offenſas omnes, ac injurias adverſus illam, eccleſiaſticamque juriſdictionem commiſſas vindicare.

Et quia tam immunitas illa, quam juriſdictio, impræſentiarum, ob morum, temporumque inordinatam inverſionem, in hac Aſia, adeo depreſſa, violata, atque contempta inſpicitur, quantum non ſine gravi cordis noſtri dolore, lamentabilis experientia cunctis præ oculis profert, cunctarum illarum injuriarum inordinationum atque offenſionum præcipuo auctore, ac motore incedente patre N. ſacerdote profeſſo illuſtris, ac ſemper venerabilis religionis N. qui quidem utriuſque ſtatus munera obliviſcens, callidioris, et antiqui ſerpentis (totius boni, reformationis, obſervantiæque adverſarii) aſtutia ſuggeſtus, atque ſuaſus, reputans denuntiationes, datas in proxima viſitatione parochiæ, &c. adverſus quendam nequam clericum Indum, indirecte ſaltem ipſum etiam involvere, per ſe, ac per alios, vexationes, extorſiones, ac violentias, omnibus notorias, perpetrare, et exequi cœpit, alios vinculis conſtrictos in militarem carcerem detrudere, alios vero exulare faciens, et plures alias damnificationes reales, ac perſonales adverſus omnes ejus putatos denuntiatores inducens, ac proſequens, cum præjudicio, impedimento, ac totali utriuſque noſtræ juriſdictionis ordinariæ, et delegatæ turbatione, ipſomet aperte, et ejus fautoribus publice declarantibus, illarum turbationum finem nullum alium eſſe, niſi à nobis abſolutionem à cenſura, qua nequam ille clericus Indus declaratus erat, violenter extorquere, et inſuper nos ſimiliter cogere, ut neque illum debite corrigere, neque emendationis promiſſionem in ſcriptis ab eodem exigere, et, quod abſurdius eſt, nos præterea ad denuntiata annullanda, et novas denuntiationes pro utroque in eadem parochia ſumendas oppreſſive coarctare, concurrente ſubinde eodemmet patre eodem fine ad injuſtam, ac violentam extractionem cujuſdam rei, in carcere noſtro juſte detenti, inſimulque

inſimulque aliis injuſtis, atque incivilibus mediis liberum noſtræ juriſdictionis exercitium impedire, atque inhibere, eamque incompetentibus, et incapacibus judicibus ſubjicere ſatagente, et ad hoc libellos varios, nedum reſtrictivos, ac depreſſivos juriſdictionis, libertatiſque eccleſiaſticæ, verum et ſeditioſos, ac infames diſſeminante, quin longa noſtra tolerantia, ac patientia, qua (in illuſtris ſuæ religionis obſequium) hactenus abſque expreſſa, et individuali denuntiatione illum toleravimus, ipſummet in ſe reverti, et ad cor ſuum, ut reſipiſceret, redire effeciſſet, atque ut ſpiritualem, imo et rationalem obcæcationem, qua funeſte gravatur, recognoſceret; quinimo ex uno abyſſo in alium dilabens, abſque timore divinæ juſtitiæ gladii, ſenſibiliter adeo, ut patenter, poſt hæc diſturbia adverſus hunc ſtatum evaginati, non modo rationis luci proprios oculos pertinaciter clauſit, ſed lumini ipſi ſemper rebellis, magis tenebras, quam lucem diligens, alienos etiam quamplurium efficaciter occluſit, denuntiatorum aliquos pernicioſo conſilio notificationibus parere impediens, et nunc proxime in cenſuris reaggravatos in contumacia, ac duritia ſua permanere, et cum ipſo, etiam in ſacris, communicare cogens, imo horum aliquos in proximis ruſticanæ cameræ electionibus, prava et ſacrilega intentione, eligi confecit, ut ſic, novas (quas ſuadebat, et moliebatur) violentias, turbationes, ſchiſmata, ac ſeditiones, moliendo ſimul fraudes, contra animam ſuam, facilius exequeretur, et ſacrilegam perſonæ noſtræ ejectionem, quam, alterius modernæ injuſto exemplo, inſidianter machinabatur, promittens, novis diſturbiis juriſdictionem, et antiquam, ac pacificam, quam in omnes parochialium eccleſiarum fabricas, et confraternitates habemus, poſſeſſionem ſacrilege turbavit, utraſque per miniſtros laicos, quos ipſe aut præibat, aut comitabatur, viſitare, et de illarum bonis rationes ſumere, violenter, et cum notoria ordinariæ juriſdictionis uſurpatione, diſponere efficiens; inſuperque cum nova, ac manifeſta immunitatis, libertatiſque eccleſiaſticæ offenſa, ac læſione, quamplures ſacerdotes per curſores laicos citare fecit, cum comminatione punitionis à judicibus laicis illis inferendæ, ſi ipſorum judicum mandatis, ac executionibus, utique impeditivis, uſurpativis, turbativis, atque offenſivis juriſdictionis, immunitatis, et libertatis eccleſiaſticæ (quas ipſe direxit, et expediri ſuaſit) non obtemperarent. De quibus, et aliis, tot juris cenſuris, intra et extra bullam Cœnæ ſubjectis, per juridicas, et veridicas teſtificationes, ad noſtri animi inſtructionem deſumptas, certiores facti, et conſtito nobis de actuali adhuc in violentis factis notoria permanentia, vi quorum, non obſtante ejus regulari exemptione, nobis noviter ſubjicitur, gravem, ad quam tenemur, obligationem, in tantarum violentiarum, atque offenſarum repulſam, ac repreſſionem procedendi mature ponderantes, *vim vi repellendo*, denuntiamus, ac declaramus præfatum P. N. in cenſuras à jure, intra et extra bullam Cœnæ latas, et in tot præcedentibus monitoriis expreſſas contra utriuſque juriſdictionis ordinariæ, et delegatæ impeditores, turbatores, atque uſurpatores, et adverſus eccleſiaſticæ immunitatis, ac libertatis offenſores, violatores, ac depreſſores; eumque, ut publicum excommunicatum, vitandum, &c.

Regium reſcriptum proregi directum ſuper ejus, et ſecretarii ſtatus epiſtolarum indecoroſis, ac irreverentibus terminis, utroque idiomate deſcriptum.

LXVI. V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India, amigo: Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Sendome prezentes varias cartas, que em voſſo nome, e do ſecretario deſſe eſtado ſe eſcreveraô ao arcebiſpo primas D. Ignatio de ſancta Tereza, uzandoſe nellas determos mui indecentes, e totalmente atheos, naô ſô da veneraçao devida a dignidade do arcebiſpo, mas da gravidade do voſſo cargo; me pareceo prezizo eſtranharvos, ſeveramente, eſte exceſſo; e porque delle pertendeis eſcuzarvos em hua das cartas que me eſcreveſtes dizendo: *que as referidas foraô notadas pelo ſecretario do eſtado*, vos ordeno que em conſelho o reprendaes deſta desatençaô, advertindolhe, que quando naô trate ao arcebiſpo nas cartas de officio, que eſcrever, com o reſpeito que merecea ſua dignidade, uzarei com elle mayor demonſtraçaô; e porque a reſpeito da formalidade dos ſobre eſcriptos, me reprezentaes, ſer adeque uzaes a meſma que achaſtes eſtabelecida no formulario da ſecretaria: *Hey por bem* emendar o dicto formulario, ordenando que para o futuro, os vicereis eſcrevaô aos arcebiſpos, na meſma forma, em que eſtes coſtumaô eſcreverlhe, e ſem outra differença, tanto nas cartas, como nos ſobre eſcriptos, mais que a do tractamento de *Excellencia* e *Illuſtriſſima*. Eſcripta em Lixboa Occidental, a 18. de Abril de 1724. Rey. *Para o V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India.*

Aliud regium reſcriptum eadem die expeditum reprobativum publici præconii.

LXVII. V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India, amigo: Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Foime prezente a voſſa carta de 22. de Novembro de 1722. em que medais conta, deque achandoſe o arcebiſpo primas na viſita de Salcete, obrigou a muitos da quelles movadores, ſem embargo de ſerem peſſoas leigas, a que deziſtindo de algumas cauzas civis, que eſtavam pendentes no juizo competente, a ceitaſſem a mediaçaô de juizes arbitros, que o meſmo arcebiſpo lhes nomeou, procedendo neſta materia com tanta irregularidade, e violencia, que vos viſtes precizado para ſatisfazer as queixas das partes, a mandar publicar em rachol, hum bando a ſom de caixas, pelo que annullaſtes as ditas compoſiçoês. E ſem embargo das rezoês com que pertendeis juſtificar a voſſa rezoluçaô, me pareceo eſtranharvos *mui ſeveramente* eſte exceſſo, indigno de practicarſe com hum prelado *de tanta authoridade*, a quem, pela ſua dignidade deveis ter outra attençaô, e imitar a que eu coſtumo ter com peſſoas de ſemilhante carater; pois aindaque as compoziçoês referidas naô foſſem feitas com a moderaçaô que permitte o direito, mas com a violencia, e injuſtiça que reprezentaês, nunca o meyo deſe annullarem devia ſer eſte, havendo outros, que a ponta o direyto, e leis do reino, com as quaês vos deveis conformar; o que mando advertirvos, para que ſucedendo ſemilhantes controverſias de juriſdicçaô, procureis regular melhor o procedimento, que nellas deveis ter; e ao arcebiſpo primas mando tambem advertir, para que naô exceda os limites da juriſdicçaô, neſta, e em ſemilhantes materias; e vos ordeno, que mandeis ler eſta carta no conſelho do eſtado, e na relaçaô, na prezença dos miniſtros, que dizeis vos a conſelhariô eſte arbitrio, para que tenhaô entendido o grande deſprazer, que com elle recebi. Eſcripta em Lixboa Occidental, a 18. de Abril de 1724. *Rey. Para o V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India.*

Duplex præmiſſum reſcriptum Latine redditum.

PR. Rex, ac dux generalis Indiani ſtatus, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis mitto. Cum mihi variæ epiſtolæ præſentes forent, quæ nomine veſtro, et ſecretarii ipſius ſtatus, archiepiſcopo primati D. Ignatio à S. Tereſia ſcriptæ fuerunt, terminos nimis indecoroſos, nedum archiepiſcopi dignitatis penitus alienos, verum et muneris veſtri gravitatis exprimentes, viſum mihi eſt vos ſevere ob hunc exceſſum increpare. Et quia in una epiſtolarum, quas mihi ſcripſiſtis, vos ab illo exonerare prætenditis, aſſerendo prædictas epiſtolas à ſecretario ſtatus dictatas fuiſſe, vobis injungo, ut in concilio eum ob hanc irreverentiam reprehendatis, illum animadvertentes, quod ſi in epiſtolis ex officio, quas ſcripſerit, archiepiſcopum, ea reverentia, quæ ejus dignitati debetur, non proſequatur, ſeveriori demonſtratione adverſus eum utar. Et quia circa formalitatem ſuperſcriptionum exteriorum epiſtolarum ipſarum mihi exponitis, eam, qua uſi eſtis, eandem fuiſſe, quam in ſecretariæ formulariis ſtabilitam reperîſtis; placet mihi præfatum formularium corrigere, ordinando, ut in poſterum proreges archiepiſcopis reſcribant eadem formalitate, qua iſti illis ſcribere ſolent, abſque alia, tum in epiſtolis, cum in ſuperſcriptionibus, differentia, quam honorificentia *Excellentiæ*, ac *Illuſtriſſimæ*. Scripta in Ulliſſipone Occidua, die 18. Aprilis anni Domini 1724. Rex. *Proregi, et capitaneo generali ſtatus Indiani.*

Secun-

Secundum reſcriptum.

PRorex, et capitaneus generalis Indiani ſtatus, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto. Præſens mihi fuit epiſtola veſtra 22. Novembris anni 1732. qua mihi narratis, quod archiepiſcopus primas, dum viſitationem Salſetanæ provinciæ perageret, plures illius incolarum, non obſtante quod perſonæ laicæ forent, ad deſiſtentiam aliquarum cauſarum civilium, quæ in competenti judicio pendebant, coegit, et ad eas mediis arbitris, quos ipſe archiepiſcopus nominabat, componendas; in quo cum tanta irregularitate, ac violentia, archiepiſcopus ipſe proceſſerat, ut coacti fueritis ad partium querelis ſatisfaciendum, compoſitiones illas publico præconio ad ſonitum militarium tympanorum annullare. Et cum nihil vobis ſuffragentur rationes, quibus hanc veſtram reſolutionem juſtificare contenditis, mihi viſum eſt vobis nimis ſevere improperare hunc exceſſum, indignum ſane, quod cum tantæ auctoritatis prælato practicaretur, quem quidem, ob dignitatem ſuam, longe alia diverſa reverentia venerari debueratis, et eam, quam erga perſonas ſimilis characteris habere ſoleo, imitari: nam quamvis præ-dictæ compoſitiones, ea moderatione, quam jus permittit, peractæ non forent, ſed cum violentia, atque injuſtitia, quam arguitis, nunquam medium illis occurrendi, hoc eſſe debebat, remanentibus aliis, quæ jus, et regni leges indicant, cum quibus confirmati tenebamini: quod quidem vobis animadvertere jubeo, ut, in caſu ſimilium controverſiarum, procedimentum, quod in illis habere debetis, melius reguletis. Et archiepiſcopo primati, etiam advertere jubeo, ne in hac, et ſimilibus materiis limites ſuæ juriſdictionis excedat. Et vobis præcipio, quod hoc reſcriptum, in concilio ſtatus, et in ſenatu regio, perlegi faciatis coram miniſtris illis, quos dicitis vobis arbitrium hoc inſpirâſſe, ut recognoſcant diſplicentiam magnam, quam ex illo concepi. Scriptum Ulliſſipone Occidentali, 18. Aprilis 1734. Rex. *Proregi, et capitaneo ſtatus Indiani.*

Vide duplex aliud reſcriptum infra alleg. 17. n. 16. præjactæ declaratoriæ materiam concernens, et ſæcularium miniſtrorum, in ea complicum, procedimenta acriter objurgans.

ALLEGATIO XII.

In Reſponſione ad Recurſum à Procuratore regio, Nomine duorum Magiſtratuum ejus Collegarum intentatum, ob Cenſurarum in illos Fulminationem, et Declarationem, propter notorias ordinariæ Juriſdictionis, et Immunitatis, ac Libertatis eccleſiaſticæ Offenſas, atque Injurias.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Nimia præcipitantia, et acceleratione, abſque ſolida expeditione chartæ pro actorum remiſſione, et ante completam allegationem, pro qua proteſtabatur, ſenatus recurrenti providit.*
III. *Triplex recurſus fundamentum.*
IV. *Tempus aptum judici eccleſiaſtico pro allegatione ſua recurſui adjungenda, eſt etiam poſt expeditionem rogativæ chartæ pro actorum remiſſione.*
V. VI. VII. *Ex poſſeſſione immemoriali pertinebant juriſdictioni eccleſiaſticæ Goanæ omnium fabricarum, et confraternitatum, viſitatio, inventaria, ac rationum redditi, &c. 2. Ex ſynodalibus conſtitutionibus. 3. Ex ipſamet reg. ordin.*
VIII. *Habebat hæc poſſeſſio ſex qualitates de jure requiſitas, et juris præſumptio relevabat ab onere eam probandi.*
IX. *Quamvis poſſeſſio 30 annorum inducat præſumptionem tituli; attamen multiplex titulus expreſſus protendebatur.*
X. 1. *Decretum regium ſpeciale. 2. Bullæ erectionis archiepiſcopatus. 3. Regia diplomata, ſeu antigrapha, etiam ſpecialia. 4. Formalis diſpoſitio conſtitutionum ordinis militaris Chriſti: uſque ad n.* XIII.
XIV. *Inſtitutio quoad titulum beneficii dumtaxat, non vero quoad curam, non ſubjicit eccleſiam jure pleno.*
XV. *Ex citatis definitionibus magiſter ordinis præſentat beneficia ultra maria, et ordinarius inſtituit.*
XVI. *Duplex caſus judicatus in tribunali ordinum.*
XVII. *Non aderat memoria, quod fabricæ illæ viſitarentur à fratribus ordinum militarium.*
XVIII. *Et ſi aliquod proceſſerit, pluſquam centenaria præſcriptione abolitum erat.*
XIX. XX. XXI. *Multiplex offenſa, atque violentia ſacrilega in illa miniſtrorum ſæcularium executione.*
XXII. XXIII. *A judice eccleſiaſtico procedente,* ut parte *in defenſionem, non datur gravamen, ſed à procedente,* ut judice.
XXIV. *Repulſa violentiæ ex reg. ordin. debet eſſe* in continenti.
XXV. *In hoc caſu proceditur abſque monitione, et citatione.*
XXVI. *Violentia accuſata, ſtabat ex parte regiorum miniſtrorum.*
XXVII. *Laudatur Per. de man. reg.*
XXVIII. XXIX. XXX. *Etiam in procedimentis judicialibus, cenſuræ fulminatæ abſque citatione, vel monitione, quamvis illicitæ, validæ tamen ſunt, juxta plures.*
XXXI. *Miniſtri recurrentes præmoniti, et virtualiter citati fuerant.*
XXXII. XXXIII. *In ſententia recurſus ſolum decernitur, quod cenſuræ leventur; minime vero, quod contra declarentur.*
XXXIV. *Favor, et gratia, non debet converti in odium.*
XXXV. *Caſus ædilis ex adverſo objectus, erat toto cœlo diverſus multipliciter.*
XXXVI. XXXVII. *Caſus alius judicatus contrapoſitus.*
XXXVIII. XXXIX. *A diverſis non fit illatio, et diverſum non judicium.*
XL. *Nova comminatio ultra ſtylum ſubjacebat cenſuris juris.*
XLI. *Principis preces, præcepta ſunt, non preces.*
XLII. *Rogatoriæ chartæ ſunt aliquo modo compulſivæ, et injurioſæ juriſdictioni eccleſiaſticæ.*
XLIII. *Declaratio quædam S. Congregationis ſuper hac re.*
XLIV. *Sententia contra ſententiam nulla eſt, etiamſi utriuſque partis conſenſus interveniat.*
XLV. *Senatores, ex vi præſentis allegationis, prioris ſententiæ fundamenta deſerere coacti ſunt, et nova, etiam inconſtanter, arripere.*
XLVI. *Exemplar ſententiæ antiquæ in favorem juriſdictionis mitræ Goanæ prolatæ.*
XLVII. *Exemplar declaratoriæ utriuſque miniſtri.*

I. CUM parochi regulares parochias cujuſdam meæ diœceſis provinciæ, quas precario adminiſtrabant, poſt primam illarum viſitationem completam, inſperate deſererent, prætextu quod denuntiationes aliquas indirectas, aliquibus eorum parochorum attinentes admiſerim (re tamen vera, eo fine, atque turbidis motivis in ſuperiori denuntiatione inſinuatis) duo illorum proregi ſuggeſſerunt, ut per duos ſæculares miniſtros inventarium de rebus fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum parochiarum illarum, eo quod de patronatu regio forent, conficere juberet, et illarum bona in cuſtodiam proprio ordine tradere, et de aliquibus horum bonorum, ut ſibi melius viſum fuiſſet, diſponere: quod quidem prorex, cui ſuaſores nimis grati erant, ſtatim exequi mandavit; et executores, uno illorum ſuggeſtorum comite, patrare cœperunt, quæ in ſubjuncta declaratoria exprimuntur; à qua tamen, licet ab executionibus

nibus illis, poſt iſtius publicationem deſtiterant, et à me benigne cenſurarum abſolutionem, ipſiſmet ſupplicantibus, in forma privata obtinuerant, et per publicam contradeclaratoriam, illa deſiſtentia, et abſolutione præſuppoſitis, eos ad omnem communicationem expeditos publicare feceram; recurſum ad coronæ judicium, medio procuratore regio interpoſuerunt, ſubjunctis nixi fundamentis, quorum præcipuum ex ipſiuſmet publicæ contradeclaratoriæ beneficio aſſumebant; quibus tamen non illico formalem dedi reſponſionem, ſed interlocutoriam quandam, vulgo *Cottam*, appoſui, notans deficere in actibus documenta plura, de quibus in gravaminis petitione mentio fiebat (quod tamen regius procurator ægre tulit); et requirebam, quod jungerentur, ut reſponſionem meam formalem, et completam reddere poſſem; pro qua proteſtabar; ſimul obiter inſinuans, qualitatem procedimenti mei fuiſſe, non ut judicis, ſed ut partis in defenſionem, *vim vi repellendo*, de quo nullatenus gravamen valebat interponi; et materiæ, cauſæque ceſſationem per voluntariam recurrentium ab offenſis deſiſtentiam, ſequentemque abſolutionem, et contradeclarationem, ea præſuppoſita, &c. Et tandem docebam caſum in eodem ſenatu ſuper eadem materia anno 1697. in favorem juriſdictionis meæ judicatum.

II. Quibus tamen non obſtantibus, prodiit ſenatus decretum (uno tamen ex conjudicibus diſcrepante) in favorem recurrentium, triplici ſequenti fundamento fulcitum, ſed cum tali acceleratione, ac præcipitatione prolatum (ſicut in regio reſcripto infra allegat. 17. in fine ſevere redarguitur) ut et ſolitæ rogatoriæ chartæ ad actorem tranſmiſſionem, quæ gravaminis ſententiam præcedere ſolet, penitus deficerent, et ſic irrefragabili ſtylo contravenirent.

III. Primum igitur fundamentum erat, *quod recurrentes miniſtri erant in actu, et exercitio, ſuæ juriſdictionis; proindeque minime incurrebant in cenſuras juris, et in alias denuo fulminatas.*

Secundum, Procedimentum meum fuiſſe præcipitatum, non præmiſſa monitione, aut citatione.

Tertium, tandem, Contradeclaratoriam etiam informem eſſe, et minime juri, atque ſtylo conformem; quam denique reformandam commendabat, ac rogabat, juxta formam in ſimili caſu à procuratore regio inſinuato.

Et cum hac formalitate prima charta rogatoria expedita eſt; videlicet, quod à vi, et violentia, quam committebam, in non ponenda prædicta contradeclaratoria in forma requiſita, deſiſterem: cui quidem chartæ, et decreti, aut ſententiæ fundamentis ſic ſatisfaciebam: et imprimis ——

IV. Dicebam, me adhuc recurſui reſponſurum admittendum quidem fore; tum ex vi præmiſſæ proteſtationis, quæ mihi jus conſervabat, ex tex. in l. 4. § 2. ff. *Quib. mod. pignor.* gloſſ. in l. *Vim*, § *Labeo*, verſ. *Pure*, ff. *Famil. erciſc.* tum etiam ex ipſamet practici ſtyli obſervantia, de qua Peg. ad ordin. l. 2. tt. 9. § 3. gloſſ. 5. n. 34. tom. 8. vi cujus judicibus eccleſiaſticis permittitur formalem reſponſionem recurſibus, ab eiſdem intentatis, dare, etiam poſt præmiſſam chartam rogatoriam pro actorum tranſmiſſione ante finale gravaminis judicium, et in ordine ad illud; quam quidem obſervantiam impræſentiarum præcipitanter, ac de ſaltu, judices deſeruerant. Deinde, —

Ad primum fundamentum; *videlicet*, quod recurrentes erant in actu, et exercitio ſuæ juriſdictionis, *&c.*

V. Reſpondebam, 1. Inventaria, viſitationes, redituum rationes cunctarum illius provinciæ fabricarum, parochiarum, et confraternitatum, utpote eccleſiaſticarum, nulla excepta, ordinariæ juriſdictioni privative proculdubio pertinere: 1. Ex immemoriali, titulata, et pacifica poſſeſſione, quæ in ſententia, in hocmet ſenatu ſuper eadem ſubjecta materia, anno 1697. expreſſe recognoſcebatur, et fatebatur; quæ quidem ſententia poſſeſſionem illam tunc jam ſexagenariam eſſe affirmabat; et adjectis annis ſententiam ſubſequentibus uſque ad præſentem 1723. clare liquet, poſſeſſionem illam ducentorum fere annorum evadere. Et in illa ſententia, atque identico caſu judicato, pariter confirmata eſt pacifica ordinariæ juriſdictionis poſſeſſio, et annullata eſt viſitatio, quam, proregis juſſu, in aliquibus Salſetanæ provinciæ eccleſiis, pro fabricis tantum parochiarum, non pro confraternitatum bonis, intentavit Laurentius de Torrus Quintanilha, prætextu eodem, quod parochiæ illæ de patronatu regio erant.

VI. 2. Ex ſynodalibus conſtitutionibus hujuſce archiepiſcopatus, ex quibus, tt. 19. conſt. 1, 2. et 3. et tt. 39. conſt. 2. aperte conſtat, tam rationem redituum, et expenſarum, quam inventaria ipſa, et reliquam fabricarum abſolutam adminiſtrationem, privative ordinariæ pertinere juriſdictioni.

VII. 3. Ex ipſamet regia ordinatione, l. 1. tt. 62. § 39. ubi diſponitur abſolute de cunctis confraternitatibus, hoſpitalibus, capellis, et xenodochiis, prælatorum auctoritate, et conſenſu fundatis, ut ab eiſdem viſitentur, provideantur, adminiſtrentur, et illarum officiales à prælatis ipſis ad rationes ſibi reddendas cogantur, &c. Et clarius, § 43. eodem tt. *Etiamſi hoſpitalia ipſa, capellæ, manſiones, confraternitates, et reliqua loca pia laicalia ſint, et in illis non reperiatur præfatus titulus, quod prælatorum auctoritate fuerint fundata; attamen prælati ipſi in poſſeſſione fuerint in omnibus providendi, et poſſeſſio iſta talis fuerit, quæ de jure ſufficiat: miniſtri regii, quin in aliquo provideant, omnem proviſionem, et liberum poſſeſſionis ſuæ exercitium, prælatis relinquant.*

VIII. Et quod hæc ordinariæ juriſdictionis poſſeſſio *ſit talis, quæ de jure ſufficiat*, ſecundum legis regiæ expreſſionem, oſtendebatur, non ſolum quia *de jure* ſufficit, quod poſſeſſio ſit juſta, ad hoc, ut poſſeſſor in ea conſervetur reſpectu proprietatis, quatenus ordinarie, et plenarie convictus ſit, Cardoz. in prax. verb. *Citatio*, n. 29. et verb. *Poſſeſſor*, n. 14. Valaſc. conſ. 55. n. 1. Larr. dec. 97. n. 7. verum etiam, quia habebat omnes qualitates, et conditiones requiſitas in toto titulo ff. et cod. *pro poſſeſſore*, et *de præſcriptionibus*; nempe, quia erat continuata, et immemorialis; et ſufficit poſſeſſio quadraginta annorum, ut immemoriali æquiparetur, Per. de Caſtr. dec. 52. n. 3. et inſuper, quia erat poſſeſſio bonæ fidei, utpote in jure communi, et privato, etiam civili, et regio, fundata; neque hujuſce requiſiti circumſtantia probatione indigebat; nam poſſeſſio bonæ fidei de jure præſumitur, ex his quæ Menoch. de præſumpt. 130. n. 1. et ſeqq. et *juris præſumptio relevat ab onere probandi, et illud in partem transfert*, l. fin. in princ. ff. *Quod metus cauſ.* l. *Sive nuptura*, in fin. ff. *de jure dot.* l. *Sive poſſidetis*, cod. de probat. cum vulgar.

IX. Deinde, quamvis poſſeſſio per triginta annorum ſpatium ſufficiens ſit ad præſumptionem tituli inducendam, et talis tituli, qui ſufficiens etiam ſit ad inducendum dominium, ac proprietatem, ex ordin. reg. l. 4. tt. 79. l. *Sicuti*, cod. de præſcrip. trig. vel quadrag. ann. Menoch. cit. præſumpt. 131. n. 52. et 53. cum aliis pluribus; et præcipue ſi poſſeſſio immemorialis ſit, quæ pro meliori titulo reputatur, l. 3. § *Ductus aquæ quotid.* Gabr. commun. l. 5. tt. *de præſumpt.* concluſ. 1. n. 72. *et habetur pro privilegio ex certa ſcientia conceſſo*; Valaſc. conſil. 141. n. 10. attamen adeſt proprius, formalis, et expreſſus titulus, non ſolum in caſu judicato, et ſententia præfata, quæ, ſecundum jus, pro lege ipſa habetur, Gam. dec. 33. n. 2. ad fin. et dec. 174. n. 10. et ex profeſſo, dec. 228. per tot. quam refert, et ſequitur, Cabed. dec. 212. n. 1. ſed et in reliquis pluribus titulis formalibus, quibus ſententia illa fulciebatur, quos per extenſum exponebam, *cum proteſtatione*, me hoc ex ſuperabundantia facere, et ut melius juriſdictionis meæ poſſeſſio corroboraretur; non autem, ut judices circa titulum, et proprietatem illius, aliquid cognoſcerent, aut deciderent, utpote incompetentes, ut in eadem ſententia agnoſcebatur; quinimo etiam in caſu, quod competentes forent, non id abſque plenaria diſcuſſione poſſent efficere, Card. in prax. verb. *Citatio*, n. 29. et verb. *Poſſeſſor*, n. 14. Valaſc. conſ. 55. n. 1. Larr. dec. 97. n. 7.

X. Primus autem horum titulorum erat decretum quoddam ſereniſſimi regis Joannis IV. de quo loquitur Silveira in opuſcul. 2. reſolut. 43. de libert. n. 46. per hæc verba: *Ad majorem hujus rei firmitatem ipſemet rex Joannes* IV. *decretum regia manu firmatum*

die 2. Januarii 1651. quo præcepit omnibus miniſtris judicibus, ac ſenatoribus regiis, ut in his, quæ pertinebant ad capellas, ac bona eccleſiarum, nullo modo ſe audeant intromittere, aut aliquid innovare, quoad uſque de his tribus ultima fiat reſolutio cum S. Sede Apoſtolica.

XI. Secundus titulus erat bullarum ipſarum hujus archiepiſcopatus erectionis, ſignanter in bullis *Romani Pontificis*, et *Æquum reputamus*, Paul. III. *Pro excellenti*, Leonis X. et etiam *Pro excellenti*, Clementis VII. in quibus omnis antiqua juriſdictio, quam ordo militiæ Chriſti in his eccleſiis habebat, ſuppreſſa, et extincta eſt, per illa verba: *Vicariam ejuſdem oppidi de Thomar, apoſtolica auctoritate, ſuppreſſerat, et extinxerat*, &c. reſervato dumtaxat magno militiæ magiſtro jure patronatus quoad beneficiorum ſimplicem nominationem, ſive inſtitutionem tantum collativam tituli beneficiorum, cum totali, et abſoluta, et ampliſſima derogatione ipſarummet ordinis, et apoſtolicarum conſtitutionum, et quarumcunque aliarum gratiarum, aut privilegiorum ipſimet ordini, aut magno magiſtro, aut illius fratribus conceſſorum, ut ex illis verbis in præfata bulla *Æquum reputamus*, § 11. expreſſe liquet: *Non obſtantibus apoſtolicis conſtitutionibus, ac dictæ eccleſiæ Funchalenſis, ac militiæ, et ordinis . . . . . necnon ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis, et indultis eidem militiæ, et ordini, ac ipſius magiſtro, et aliis fratribus*, &c.

XII. Tertius titulus erat, qui apparebat ex regiis diplomatibus, ſeu antigraphis, quæ in archivo hujus primatialis ſedis Goanæ aſſervantur, et in libris generalis gazæ regiæ regiſtrata exiſtunt, alio ſereniſſimi regis Joannis III. die 15. Martii anni 1538. alio vero religioſiſſimi regis Sebaſtiani; in quibus clariſſimis, et expreſſiſſimis terminis declaratur, *ordinario Goano omnem juriſdictionem ſpiritualem pertinere, et magiſtro militiæ Chriſti jus patronatus dumtaxat:* quam declarationem aliæ poſteriores confirmant in regiis epiſtolis illuſtriſſimis archipræſulibus hujus diœceſis directis, præcipue, ut antiquiores omittam, in epiſtola ſereniſſimi regis Petri II. die 23. Martii anni 1697. exarata, qua proregi, comiti *de Villaverde*, et archiepiſcopo D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione diſtricte jubet, ut ſententia ſuper hac re in coronæ judicio Goano proferenda, ad amuſſim, abſque appellatione, obſervaretur; et in alia ejuſdem ſereniſſimi regis eidem prælato, die 12. Martii anni 1701. expedita, qua approbat, et laudat viſitationem, ab eodem præſule in eccleſiis Salſetanæ, et Bardeſianæ provinciæ, ex vi illius ſententiæ executam, illi inſimul commendans, *ut in reliquis eccleſiis ſuæ diœceſis id ipſum proſequatur*, ut ex eiſdem epiſtolis edoctis palam fiebat.

XIII. Pro quarto denique titulo afferebam diſpoſitionem ipſarummet ejuſdem ordinis militiæ Chriſti conſtitutionum; ex quibus conſtat, illi pertinere viſitationem illarum eccleſiarum dumtaxat, quæ *pleno jure* ipſius ordinis ſunt; ut p. 1. tt. 32. in princ. et p. 2. tt. 13. § 2. et p. 3. tt. 9. et tt. 11. et expreſſius tt. 13.

XIV. Et certo certius eſt, eccleſias parochiales hujuſce diœceſis, et totius Indiani ſtatus, *pleno jure* ordini illi non pertinere: primo, Quia ordo illa in his parochiis non inſtituit *quoad curam*, licet inſtituat *quoad titulum*; et ut communis fert doctrina, cum Petr. tom. 5. in conſt. 4. Callixt. III. ſect. 2. n. 226. referente Gemin. in c. unic. junct. gloſſ. ver. *Ipſos*, de capell. monach. n. 7. et 8. ibi: *Nota bene iſtud dictum gloſſæ, quod eccleſia non dicitur pleno jure ad aliquem ſpectare, quando non habet inſtituere, etiam ſuper curam, licet habeat inſtituere, quoad titulum beneficii: Innoc. in cap. In Lateranenſi, n. 13. et 4. de præbend. et cap. Quoniam de privil. Jo. Andr. in c. de monach. n. 10. de præbend. ubi Anchar. n. 7. Gaufred. in c. Paſtoralis, n. 4. de donat. Franch. in c. Preſbyteri, n. 13. de capell. monach. in 6. Lotter. de re benef. l. 2. q. 12. n. 32. et cit. dec. Burgen. coram Anſald. § Autumârunt, et ſeqq. et coram D. Card. Falconerio, § Aſt iſta.*

Et in ipſiſmet conſtitutionibus, aut definitionibus ejuſdem ordinis expreſſe habetur, tt. 13. § 3. *Quod in proviſionibus beneficiorum inſularum, et locorum ultramarinorum, magiſter præſentat, et inſtitutio pertinet archiepiſcopis, epiſcopis, et adminiſtratoribus epiſcopalibus:* inſimul definiens, *quod ita deinceps obſervetur.* Quod etiam expreſſe narrat d. bulla *Æquum reputam.* § 2. *Ad quem magiſtrum jus patronatus, ſeu præſentandi ad dicta beneficia, pertinebat, inſtitutione autem eidem epiſcopo Funchalenſi pro tempore exiſtenti reſervaverat.*

XV. Secundo, Quia hujus diœceſis parochiales eccleſiæ non providentur in perſonis, quæ ordinis habitum deferant, ut pro eccleſiis, quæ pleno jure ordinis ſunt, ſtatuitur in præfatis definitionibus, p. 3. tt. 11. in princ. neque in eiſdem eſt certa portio, ſive congrua pro parochis taxata, ut in eiſdem conſtitutionibus pro eccleſiis pleno jure ordini pertinentibus definitur, p. 3. tt. 14. et 15. Deinde in bullis hujus archiepiſcopatus erectionis, ſignanter in bulla *Æquum reputamus*, § 7. prope finem, expreſſe jubetur magno ordini magiſtro, *ut ad omnia beneficia eccleſiaſtica in hac diœceſi providenda cum cura, et ſine cura, ſæculares omnino, et nullatenus regulares perſonas præſentare deberet.*

XVI. Quadruplici autem huic titulo, aut fundamento, adjungebam caſum judicatum anno 1632. in ipſo ordinum tribunali, vulgo, *Menſa conſcientiæ*, apud Themud. p. 2. dec. 187. n. 4. ibi: *Judicamus, et declaramus, viſis bullis, et privilegiis apoſtolicis, quibus fratres, equites, et bona ordinum militarium ab ordinariorum juriſdictione eximuntur; quod archiepiſcopus viſitare non poteſt ea loca, quæ pleno jure fuerint eorundem ordinum, prout ſunt in hoc regno oppida de Noudar, et de Barrancos; poterit tamen viſitare tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, eas ordinum eccleſias, quæ eorundem pleno jure non fuerint, quamvis per eorum fratres deſerviantur, cum parochiani ſint vere ſubditi ejuſdem archepiſcopi*, &c.

Et aliam ejuſdem tribunalis reſolutionem ſumptam ſuper ſimili controverſia inter capitulum ſedis Angrenſis inſulæ, et ipſum ordinem militiæ Chriſti excitata, ſuper qua reſolutum fuit die 24. Februar. 1646. *Juriſdictionem eccleſiaſticam magiſtratus, ſeu ordinis militiæ, ſuppreſſam, et extinctam fuiſſe in illis partibus ultramarinis, per novam epiſcopatus erectionem, et ordinariæ juriſdictionis introductionem, et dominis regibus Luſitaniæ jus patronatus dumtaxat reſervatum eſſe, in ordine ad beneficia præſentanda; quæ quidem reſervatio, utpote ordinariæ juriſdictioni odioſa, reſtringi omnino debebat, et non ampliari ad onera, et officia eccleſiaſtica, non obſtante poſſeſſione, et ſtylo, pro parte ordinis allegato, quæ quidem exempla juriſdictioni epiſcopali minime præjudicare poterant*, &c. Vide Themud. cit.

XVII. Reſpondebam, 2. ad idem primum fundamentum, Minime adeſſe, vel reperiri exemplum, memoriam, aut notitiam, quod parochiæ hujus archiepiſcopatus, et illarum fabricæ, aut confraternitates viſitatæ forent ab ordinis fratribus, aut miniſtris, ex juſſu magni militiæ magiſtri, poſt epiſcopatus, et archiepiſcopatus erectionem; ex quo videbatur inferri, nunquam poſt talem erectionem ipſi ordini ad tales viſitationes juriſdictionem adfuiſſe; aliter enim aliquando ad exercitium fuiſſet reducta; et ex hujus totali notitiæ defectu, illius etiam carentia inferri poterat, eo quod, *Paria ſunt non eſſe, vel reperiri non poſſe*, l. *Cum unus*, § fin. de bon. authen. l. *Cum ita*, § *Species*, ff. de leg. 2. et ſimiliter, *Paria ſunt non ſuccedere, vel non eſſe in rerum natura*, l. *Pater filium*, ff. *de inofficioſ. teſtam.*

XVIII. Et dato, quod militaris ille ordo aliquod jus ad prædictas viſitationes haberet, et illud aliquando in exercitium traheretur, jam nunc ordinaria archiepiſcopalis juriſdictio, adverſus illam, legitimam, et pluſquam centenariam præſcriptionem habebat, cum pacifica poſſeſſione ducentorum fere annorum; nam in ſententia illa, ſuper hac re, anno 1697. in hoc Goano ſenatu prolata, refertur, juriſdictionem ordinariam jam tunc in poſſeſſione continuata, et pacifica illarum viſitationum, per ſpatium pluſquam centum et ſexaginta annorum extare, cum ſufficiat præſcriptio quadraginta annorum, ex authent. *Quas actiones*, cod. de ſacroſ. eccleſ. in qua etiam poſſeſſione hactenus perſiſtit, quin eam interrumpere potens fuiſſet viſitatio, quam prorex comes Alvorenſis, ut magni magiſtri ordinis locumtenens, in parochiis Salſetanæ

ſetanæ provinciæ anno 1678. intentavit; hæc enim ſtatim inhibita eſt ab illuſtriſſimo archipræſule D. Fr. Antonio Brandaô, et poſtea in ſenatu regio, contra ordinis procuratorem ab inhibitoria illa ad coronæ judicium recurrente, firmiter annullata anno 1697.

XIX. Reſpondebam, 3. Quod præter offenſam, atque violentam poſſeſſionis, ac juriſdictionis meæ in inventariis illis deturbationem, certe miniſtri regii recurrentes novam aliam violentiam committebant, quatenus in traditionum actibus, ſeu inſtrumentis judicialibus, quæ fabricariis, et confraternitatum theſaurariis ſubſcribere jubebant, clauſulas ſequentes inſerebant; videlicet, *quod theſaurarii confraternitatum, et capellarum, extraordinarias expenſas non facerent, abſque judicis harum expreſſa licentia, et in dubiis ad illud recurrerent; et ſimiliter fabricarii pro eiſdem ad judicem ordinum militarium recurrerent*, &c. In quo quidem inhibebant, et deprimebant, ſaltem indirecte, archiepiſcopalem juriſdictionem; quod ſane ſufficiebat ad notoriam incurſionem cenſurarum bullæ Cœnæ, can. 15. et 16. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. c. *Eos*, de immunit. in 6. ub. Barb. et de pot. epiſc. p. 3. alleg. 50.

XX. Præterea novas alias offenſas, et violentias ſacrilegas, certe perpetrabant in notificationibus, atque citationibus, quas adverſus clericos ſacerdotes per curſores laicos exequi faciebant, cum expreſſa, et formali comminatione capturæ, et ulteriorum procedimentorum, ut ex ſchedulis ſcriptis ipſarum citationum manifeſte apparebat: in quibus exceſſibus, nedum ordinariam, et eccleſiaſticam juriſdictionem notorie uſurpabant, verum et eccleſiaſticam immunitatem, ac libertatem, forique privilegium clericorum aperte, et ſacrilege lædebant, cum notoria incurſione in cenſuras juris, videlicet bullæ Cœnæ, can. 15, 16. et 17. c. *Gravamen*, c. *Noverit*, de ſent. excom. c. *Inolita*, c. *Placuit*, 11. q. 1. c. *Si diligenti*, de for. compet. c. *Quoniam*, de immunit. conſt. Martin. V. *Ad reprimendas*, et aliorum.

Quin eos ab illa incurſione, ne apparenter quidem, relevare poterat ſubterfugium excogitatum, de comminatione pœnæ capturæ, *non ab eiſdem, ſed à proprio prælato exequenda*; tum quia ex ſchedulis citationum clare conſtabat, executionem pœnæ comminatæ ab eiſdem faciendam fore; tum quia minime, aut illuſorie tantum, poterat executio illa reſervari prælato, quem manifeſte, et ejus juriſdictionem, atque eccleſiaſticam immunitatem, citationibus illis, atque ſacrilegis actionibus, offendebant; tum denique, quia judices laici pœnas, quas exequi non poſſunt, comminari nequeunt, ex his quæ Peg. tom. 8. ad ord. l. 2. tt. 1. § 23. gl. 25. n. 115.

XXI. Ex his omnibus, et reliquis præmiſſis, recte concludebam, minus recte judicari à ſenatu in accelerata illa, et intempeſtiva recurſus ſententia, *recurrentes miniſtros eſſe in actu, et exercitio, ſuæ juriſdictionis*, &c. Quis enim ſacrilega facinora, juris communis cenſuris notorie ſubjecta, actus, et exercitium juriſdictionis laicæ vocitare audebit?

Ad ſecundum fundamentum; præcipitationis, *videlicet*, meæ declaratoriæ, non præmiſſa monitione, aut citatione:

XXII. Reſpondebam, 1. Nullatenus dari poſſe gravamen, aut recurſum à judice eccleſiaſtico ad tribunalia ſæcularia, niſi à judice, *ut judice* procedente, non vero à judice procedente *ut parte*, in propriam, et ſuæ juriſdictionis defenſionem, ut recte deducebatur ex regia ordinatione, l. 1. tt. 9. § 12. ibi: *A gravamine, quod à judicibus eccleſiaſticis intentaverint, in caſibus, in quibus cognitio pertinet ſæcularibus*, &c. ub. Pereir. de man. reg. c. 6. n. 2.

Et ſimiliter, recurri etiam minime poſſe à judice in executionem juris naturalis, naturalem defenſionem, atque violentiarum excluſionem, ac repulſam alia vi permittentis, cum approbatione etiam, ac expreſſa utriuſque juris ſcripti diſpoſitione, l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. l. 1. et toto titulo de vi, et vi armat. et aliis; quod quidem intelligitur, non ſolum in propriæ perſonæ, ſed etiam bonorum, atque juriſdictionis defenſionem, l. *Furem*, 9. ff. ad l. Cornel. de ſicar. c. *Dilecto*, c. *Si vero*, de ſent. excommun. in 6.

XXIII. Et ratio eſt, quia cum hæc defenſio *vim vi repellendi*, ſit juris naturalis executio, nullo modo fundare poteſt recurſum à judicibus eccleſiaſticis ad ſæculares, qui dumtaxat fundatur in notoria vi, aut violentia contra jus naturale, atque naturalem defenſionem illata, ex ordinat. reg. præcit. et eodem Per. c. 6. et 7. à n. 2. et c. 8. et 11. n. 2. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 19. n. 19. Salzed. de legib. polit. p. 1. c. 9. Fermoſin. in c. 2. de judic. q. 19. n. 28. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. à n. 35.

XXIV. Neque hujus procedimenti licitudinem inficiebat præcipitatio ex adverſo taxata; nam ex ipſiuſmet juris clara diſpoſitione, procedimentum in violentiarum repulſam, ſive in defenſionem *vim vi repellendo*, utique debet fieri *confeſtim*, et *in continenti*, ex ipſa ord. reg. l. 4. tt. 28. § 2. ubi Cabed. dec. 172. 1. p. et ex tex. in l. 3. § *Eum igitur*; ibi: *Sed hoc confeſtim, non ex intervallo*, ff. de vi, et vi armat. et gloſſ. in l. 1. verb. *Moderamen*, cod. *Unde vi*.

XXV. Neque monitionis, aut citationis defectus procedimentum illud vitiabant, cum certo certius ſit, in hoc caſu, ſine illis procedi poſſe, imo, juxta aliquos, procedi debere: et hic pro extenſo adducebam textus omnes, atque auctoritates in ſuperiori reſponſione 11. allegatas, cum materia foret identica, et procedimentum præſens ab illo in hoc unice differebat, quod in hoc, et fulminatio formalis excommunicationis, et declaratio in cenſuras juris, adverſus turbatores promulgabatur; in primo vero, declaratio dumtaxat.

XXVI. Et ex præmiſſorum extenſa allegatione tandem concludebam, non ſolum me violentiam notoriam recurrentibus, in accuſato procedimento non intuliſſe; quinimo ipſoſmet et mihi, et juriſdictioni meæ, et immunitati, ac libertati eccleſiaſticæ, forique clericalis privilegio, eam multipliciter irrogaſſe. Et quod pro harum ſacrilegarum violentiarum ſatisfactione, in judicio eccleſiaſtico dumtaxat procedi debebat, terminanter reſolvit Per. de man. reg. c. 27. per totum, et ſpecialiter, n. 12. et 14. ubi aperte aſtruit, ſimiles violentias, eccleſiæ, aut ejus rebus illatas, ad judicium, et forum eccleſiaſticum utique pertinere, ſecundum expreſſam ordinationis regiæ diſpoſitionem, l. 2. tt. 1. § 6. et idem Per. ibid. c. 17. n. 10. et 12. loquens de pertinentia cognitionis ſuper controverſiis fabricarum eccleſiaſticarum, d. n. 12. § *Verum*, ſic concludit: *Verum lex regia aperte contrarium decidit, ſimpliciter agnoſcens, fabricæ quæſtionem judicis eccleſiaſtici eſſe, ex quacunque cauſa actum ſit, in quo favorem eccleſiaſticæ libertatis proſequitur*.

XXVII. Et infra ſolvens argumentum in contrarium, quod regia ordinatio videatur ſe reſtringere ad cauſas decimarum dumtaxat, reſolvit, *quod ordinatio generaliter comprehendit omnes caſus, in quibus ſuper fabrica actum ſit; et, dum decimas expreſſit, reſpexit ad illud, quod de jure ineſt, quia eccleſiarum reparatio eſt onus fructibus impoſitum; quibus deficientibus, ad parœcianos tranſit .... Quare pariformiter parœciani vocantur, vel pro fabrica eccleſiæ ſubeunda, vel pro alimentis miniſtro exhibendis. Cumque illi duo caſus ab una, et eadem obligatione procedant, eoſdem debent producere effectus, ut ſicut in uno cognitio reſervatur eccleſiæ judicio, ſic in altero; quando enim duo in jure æquiparata reperiuntur per viam regulæ, diſpoſitum in uno ex æquiparatis, in altero cenſetur diſpoſitum, gloſſ. recepta, in l. Siquis ſervo, cod. de furtis, et in l. Quod vero, ff. de legibus, et in cap. Si poſtquam, de electione, l. 6.*

XXVIII. Reſpondebam, 2. Quod etiam in procedimentis judicialibus cenſuræ fulminatæ abſque prævia monitione, vel citatione, quamvis illicitæ, validæ tamen ſunt, ut communis fert doctrina cum Dian. 5. p. tr. 9. reſol. 18. Cajetan. 2. 2. q. 69. à 1. ad 2. qui citat gloſſ. et Felin. Cordub. in quæſtion. l. 2. q. 17. col. 2. Soar. Granat. diſp. 4. ſ. 12. Bonac. n. 4. et aliis apud curſum moral. Salmantic. tr. 10. c. 1. pun. 7. n. 85. quam opinionem etiam confirmant, et exornant, multorum ſanctorum prælatorum in ſimilibus procedimentis exempla, ut illud D. Gregorii Papæ in c. *Tanta*, diſt. 86. D. Ambroſii epiſcopi, quando imperatorem Theodoſium excommunicavit, et Innocentii Papæ, quando adverſus imperatorem

rem Arcadium proceſſit, ut refertur in can. *Duo ſunt*, diſt. 96. et aliorum, quos laudat Pignatell. tom. 6. conſ. 19. ubi ait n. 6. quod ſi monitio non præmittatur, non propterea excommunicatio redditur nulla, niſi in caſu c. *Statuimus*, de ſent. excom. in 6. cum ſcilicet excommunicatio fertur in participantes cum excommunicato; et ita intelligitur gloſſ. 2. in d. cap. *Sacro*, in fin. ut ibidem declarat Felin. n. 2. poſt alios, ac Frederic. de ſen. conſ. 11. n. 1. et 7. ac 10. quibus in locis firmat excommunicationem latam, non præmiſſa trina monitione, non eſſe nullam, ſed injuſtam, et ideo timendam; quod etiam tenet Rotta, dec. 7. n. 1. de ſent. excom. in novis. Ratio autem eſt, quia vis excommunicationis non ab adminiſtratione, aut ordine judiciario, ſed à clavibus eccleſiæ, et juriſdictione ferentis dependet, quæ tam in delegato, quam in judice ordinario, eſſe poteſt.

XXIX. Et n. 15. ibidem ex mente Sacr. Congregationis reſolvit ſequens dubium: *An autem excommunicationes latæ ab epiſcopo, non ſervata forma d. c. 3. ſeſſ. 25. ſint ipſo jure nullæ, vel invalidæ; S. Congregatio ejuſdem concilii interpres conſulta reſpondit, eſſe validas, et excommunicatum indigere abſolutione, per ea, quæ tradit Abb. poſt gloſſ.* in c. 1. de exceſſ. præl. et Felin. in c. *Rodulphus*, n. 26. de reſcript. *excommunicationem latam ſine citatione, vel monitione, vel ejus ordine non ſervato, tenere, quamvis ſit injuſta.*

XXX. Et eodem tom. 6. conſ. 18. n. 49. idem Pignatell. citans Genuenſ. in prax. q. 108. et Ciarl. contr. for. cap. 148. n. 14. abſolute affirmat, neminem dicere, quod ad declaratoriam ſit neceſſaria citatio perſonalis, idemque tradere Bellet. p. 1. de fav. cleric. § 4. et Maſſarat. reſ. 271. l. 1. Rotta dec. 48. p. 4. tom. 2. et auctores requirentes perſonalem citationem in cenſura ab homine ferenda, loquuntur de cenſura judicialiter inflicta, non de extrajudicialiter fulminata, non ad validitatem, ſed ad licitudinem, ut ſat patet ex dictis.

XXXI. Addebam tandem, dato, quod aliqualis citatio prærequireretur, certum omnino eſſe, recurrentes prænonitos, et virtualiter citatos fuiſſe in publico monitorio, quod in ſuperiori declaratoria adverſus P. N. fulminata, reſpective ad illos promulgabatur, et in quadam epiſtola mea privata, eiſdem directa; et, ut communis doctrina tenet, *In judicio eccleſiaſtico monitoria reſolvuntur in citationes*, Themud. p. 3. q. 14. et 15. Garc. de benefic. p. 6. c. 2. Gratian. for. c. 531.

Quoad tertium fundamentum de informitate contradeclaratoriæ, *et quoad formalem rogationem chartæ, ut reformaretur*, &c.

XXXII. Reſpondebam, 1. Quod etiamſi in præjacto procedimento meo manifeſtam, et notoriam contra ipſum jus naturale, violentiam recurrentibus intuliſſem, et ipſi conſequenter favorabilem in recurſu proviſionem obtinerent, nil aliud, nec amplius adverſum me judicari, aut decerni poterat, quam quod ex legibus, conſuetudine, ac ſtylo decerni, et in rogatoriis chartis commendari ſolet, videlicet quod cenſuræ levarentur; alias juſtitiæ ſæculares ſententias meas, atque mandata non exequerentur, neque recurrentes vitarent, nec excommunicatorum pœnas ab eis exigerent; ut eſt expreſſa, et formalis diſpoſitio ordinat. reg. l. 1. tt. 12. § 6. ubi Peg. tom. 8. fere per totum innumerales caſus judicatos, et areſta adducens; de quo ſtylo etiam Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. n. 64. Per. de man. reg. c. 12. n. 1.

XXXIII. Et nunquam cogi poteram ad contradeclaratoriam ponendam, in forma, à regio procuratore perquiſita, et à ſenatu commendata, ac rogata: 1. Quia hæc ſenatus rogatio commendabat, *ut à violentia omnino deſiſterem, quam* me dicebat *facere recurrentibus, non ponendo contradeclaratoriam, qua expreſſe declararem, ipſos neque in cenſuras juris, neque in fulminatas à me incurriſſe, eo quod in actibus, et exercitio, ſuæ juriſdictionis erant.* Unde, coarctare me ad agnoſcendam, et confitendam recurrentibus juriſdictionem ad actus illos ſacrilegos, turbativos, et uſurpativos juriſdictionis, ac poſſeſſionis meæ læſivos, et offenſivos immunitatis, et libertatis eccleſiaſticæ, ut ſupra in reſponſione ad primum fundamentum fuſe oſtenſum eſt, idem erat, atque juriſdictionem, atque poſſeſſionem meam, ſaltem virtualiter deferere, illique abrenuntiare; et nedum virtualiter, verum et formaliter, approbare, ratificare, et ut juſta, ac licita, canonizare tot ſacrilegia notorie offenſiva, depreſſiva, ac læſiva eccleſiaſticæ libertatis, atque immunitatis; ad quod nemo ſane, neque Summus Pontifex, me cogere poterat, ſtante divina prohibitione in contrarium, et poſito, quod immunitas illa, ac libertas, de jure divino ſit, ut tenent Gaſparr. et alii ſupr. laudati prælud. 5.

XXXIV. 2. Quia nulla juris, aut legis diſpoſitio reperitur, quæ formam, aut formalitatem, perſcribat ad ſimiles contradeclaratorias, ſecundum eam, quæ et à procuratore regio perquirebatur, et à regiis judicibus commendabatur.

3. Quia beneficium abſolutionis privatæ, quam recurrentibus impertiri juſſi ad illorum inſtantiam (cum abſolutio illa publica eſſe deberet, ſuppoſita publicitate, ac notorietate ſacrilegorum eorum exceſſuum) fuit mera gratia, exhibita quidem, non ex motivo informitatis prioris mei adverſus illos procedimenti, ut regius procurator arguere nitebatur, ſed ex aliis motivis in ipſa contradeclaratoria expreſſe, et formaliter recitatis; videlicet, *eo quod religioſe à ſacrilegis violentiis deſiterant, et appropinquabat hebdomada ſancta, dies indulgentiarum, et miſericordiarum*, &c. Quod autem favor eſt, et gratia, non debet in odium converti, juxta text. in l. *Nulla juris ratio*, ff. de legib. et aliis pluribus.

XXXV. 4. Denique, quia caſus à procuratore regio excogitatus, et indigetatus apud Peg. ad ordinat. tom. 8. l. 2. tt. 9. § 3. gloſſ. 5. n. 32. (ex quo deſumendum præſumebat, atque conabatur jus, et ſtylum contradeclaratoriarum) erat toto cœlo diverſus à caſu præſenti, ut ex utriuſque circumſtantiis reciproce collatis clare patefiebat.

Nam, 1. In caſu illo, publicus ædilis erat in actuali exercitio ſui officii, et juriſdictionis ſuæ certæ, non litigatæ, neque dubitatæ, aut diſputatæ; videlicet, in diſtribuendis populo carnibus ex publico macello: in præſenti vero recurrentes miniſtri non erant in actibus, et exercitio, juriſdictionis ſuæ abſolute, et multo minus juriſdictionis certæ, atque non dubitatæ.

2. In illo caſu ædilis proceſſit in ſuæ juriſdictionis defenſionem, et modum non exceſſit, ut in ſententia relatorio narratur; ibi: *Et quia conſtat, ædilem officium ſuum actu exercere, et modum non excedere, neque rem aliam patrare, vi cujus ſacrilegium committere*, &c.

In præſenti autem miniſtri recurrentes, non modo non proceſſerant in ſuarum juriſdictionum defenſionem, neque in illarum exercitio erant; quinimo, dato, quod forent, modum ſacrilege ſane exceſſerant, citando clericos per laicos curſores cum inſerta comminatione diſtrictionis, ſeu capturæ, et aliarum pœnarum ab eiſdem infligendarum, eccleſiæ et confraternitatum domorum valvas violenter cum ſtrepitu frangendo, eccleſiaſticam fabricarum ſupellectilem publicæ licitationi in atriis eccleſiæ exponendo, et pro minutiſſimo pretio traducendo; fabricarios, et theſaurarios cogendo ad traditionum judicialium inſtrumenta ſubſcribenda, cum certa, et notoria inhibitione, depreſſione, ac impedimento eccleſiaſticæ juriſdictionis, ac libertatis, et reliquos exceſſus ſacrilegos patrando, et exequendo, qui ex adjunctis documentis manifeſte apparebant.

XXXVI. Sufficiebat autem, quod aliqua ex relatis actionibus juriſdictionalis non foret, ad hoc, ut uterque miniſter in cenſuras juris incurrerent, et ut à me fulminandis ſubjacerent, atque ut eiſdem in præſenti recurſu proviſio tandem denegaretur; ut aperte liquebat ex alio caſu judicato apud eundem Peg. ibidem, n. 33. ubi miniſtro alteri in actu, et exercitio, juriſdictionis ſuæ certe exiſtenti, quia tamen modum illius exceſſit, è manibus cujuſdam clerici inhibitoriam quandam vi arripiendo, ob quod declaratus fuit in cenſuram canonis, *Si quis, ſuadente diabolo*; à declaratoria gravamen interponens, proviſionem non obtinuit, *eo quod actio violentæ arreptionis inhibitoriæ*

è ma-

è manibus clerici, actus juriſdictionalis non fuerit, ut videre eſt in ſententia ibidem tranſcripta d. n. 33.

XXXVII. 3. Quia, in primo caſu, ædili illi in exercitio ſuæ juriſdictionis pacifice perſiſtenti, vis illata eſt à quodam religioſo converſo, contra illius voluntatem, et cum illius juriſdictionis ac adminiſtrationis turbatione, carnes à macello vi arripere attentante; in cujus vis juſtam repulſam, atque juriſdictionis ſuæ defenſionem, ab ædili regularis ille percuſſus eſt: in ſecundo vero caſu omnes præjactæ circumſtantiæ è converſo ſe habent.

4. Denique, Quia in primo caſu judex conſervator religioſi illius, non *ut pars*, ſed *ut judex*, atque judiciali ordine ſervato proceſſit: in ſecundo autem, non ut judex, ſed *ut pars*, in defenſionem, et extrajudicialiter quidem proceſſeram. Deinde, in primo caſu, decretum eſt in aulico ſenatu, ut conſervator in locis, ubi ædilis declaratus fuerat, *eum in cenſuram non incurriſſe, neque vitandum fore*; quia adhuc, ex vi affixæ declaratoriæ adhuc exiſtentis, generaliter ab omnibus vitabatur, et ut publicus excommunicatus reputabatur: at vero impræſentiarum miniſtri recurrentes per publicam contradeclaratoriam, ſuppoſita illorum deſiſtentia, et mea privata abſolutione, neque ab aliquo evitabantur, neque ut excommunicati æſtimabantur.

XXXVIII. Ex qua diverſiſſima utriuſque facti ſubſtantia, et notabiliter differentibus circumſtantiis, diverſiſſimum erga utrumque judicium ſane efformari debere, tandem concludebam, ex vulgaribus axiomatibus, *Diverſorum diverſum eſt judicium*, l. *Inter ſtipul.* ff. de verbor. oblig. *Diverſitas rationis, diverſitatem juris inducit*, l. *Conventionum*, in principio, ff. de pactis. *Neque à diverſis illatio fit*, l. fin. ff. de calumn. *Etiamſi diverſitas ſit in ſola ratione*, Menoch. conſil. 106. n. 304. l. 6. Gratian. for. tom. 5. c. 859. n. 20.

XXXIX. Reſpondebam, 2. Sive ulterius notabam, etiam in primo caſu, aulici ſenatus conſultum, ut conſervator notum faceret, ædilem vitandum non fore, utpote qui defendendo ſe non inciderat in cenſuram juris, latum quidem, et extenſum fuiſſe abſque ulla comminatione, ut ex eo videre eſt ibidem; in præſenti autem caſu, tot diverſiſſimis circumſtantiis, ac differentiis intercedentibus, formale procedimentum adverſum me expreſſe comminabatur; cum ex ſtyli forma, ſupra inſinuata, nulla alia comminatio intermitti debet, niſi ibidem, n. 32. expreſſa; videlicet, *Quod cenſuræ, et mandata judicis eccleſiaſtici à ſæcularibus miniſtris non ſerventur, neque à cenſuratis pœnæ excommunicatis impoſitæ extorqueantur.*

XL. Et addebam, novam illam comminationem obnoxiam quidem eſſe juris cenſurjs can. 15. bullæ Cœn. c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. quin ad concordias recurri valeat; hæ namque loquuntur de caſibus dumtaxat, in quibus ſæculares miniſtri ſunt in actu juriſdictionis ſuæ, ſecundum legum municipalium diſpoſitionem, non vero quando eccleſiaſticam juriſdictionem uſurpant, aut offendunt, atque eccleſiaſticam libertatem, et immunitatem deprimunt, ac lædunt. Neque etiam refugium iniri poteſt, ex eo quod præſens charta *rogatoria* ſit; proindeque immunitati eccleſiaſticæ minime violenta, aut injurioſa: contra enim eſt, 1. Diverſitas ſtyli jam ſupra expreſſa.

XLI. Contra, 2. Doctrina Pignatell. et aliorum tom. 6. conſ. 13. n. 26. et 27. ibi: *Quarto, Opponunt, quod hortatoriæ ſint permiſſæ ex longiſſimo uſu, ſive conſuetudine immemoriabili, non prohibeantur à ſacris canonibus, et approbentur tacita permiſſione Sedis Apoſtolicæ, cum aliud non ſint, quam preces, et hortationes. Reſpondeo, Quicquid ſit de ſimplicibus literis hortatoriis, falſum eſt de ſignificatoriis, comminatoriis, et præceptis etiam pœnalibus, ut ex tenore ipſarum patet; quare nunquam illas Sedes Apoſtolica tacite, vel expreſſe approbavit; ſed ſemper, habita notitia, mandat epiſcopis, ne illas obſervent, neve pareant. Nam præter ea, quæ tom. 1. tradidi, tenor illarum importat juſſionem, habeturque inſtar injuriarum, et per conſequens ei parendum eſſet. Principum enim preces importunæ minæ ſunt, c. Petito de jurejur. cap. Quia propter, de elect.* Bellug. in *ſpecul. princip.* n. 16. ibique Borel. in addit. Letter. et Maſcard. v. Blanditiæ, *Alex. conſ.* 124. *n.* 4. *l.* 1. *ubi alii, Panorm. in c.* 1. *n.* 10. *de his, quæ vi, et met. cauſ. et in cap.* 2. *eod. tt. n.* 3. *et cum ſeqq. ubi ait: Principis preces, præcepta eſſe, non preces. Idem notat gloſſ. in l.* 1. *v. Quemadmodum, ff. Quod juſſu, Afflict. dec.* 69. *n.* 9. *Gail. l.* 2. *obſerv.* 93. *quia blanditiæ principum indicant juſtum metum, ex gloſſ. in l.* 1. *c. Si rector provinciæ; et rogatio domini, vel ſuperioris, habet vim præcepti, ut dicit Bartol. in tract. tyrannid. col.* 3. *Bald. in l. Si mandator. c. Quod cum eo; faciuntque dicta per Barbat. in c. Quoniam, de officio delegat. Marſil. ſingul.* 645. *quo et illud poetæ referendum eſt:*

Scribere me Auguſtus jubet, et mea carmina poſcit,
Pene rogans: blando vis latet imperio.

Et rogando cogit, qui rogat potenter, juxta Mimum, traditque Felin. in c. 1. de offic. jud. deleg.

XLII. Et, n. ſequenti 28. loquens de chartis mere hortatoriis, et minime comminatoriis, ita ait: *Præſertim, quia hæ literæ hortatoriæ, ſcriptæ ſunt nomine officii, et dignitatis, ex quo capite tam eas ſcribens, quam recurrens ad principem ſcribentem, innodantur excommunicatione bullæ in Cœna Domini, quamvis ſint hortatoriæ, id eſt, non comminantes, neque præcipientes, quia non ſunt ſimpliciter amicabiles, ſed aliquo modo compulſivæ, ut proinde dici poſſit, interpoſitam fuiſſe auctoritatem principis, aut judicis laici, ex quo ſatis eccleſiaſticæ juriſdictioni irrogatur injuria, ſi modo præſumatur judex eccleſiaſticus non admiſſurus, niſi interceſſiſſent literæ eo modo ſcriptæ, à quibus, ut talibus, dicatur eſſe motus.*

XLIII. Et eod. tom. 6. conſ. 19. n. 21. affert idem Pignatel. quoddam decretum parliamenti Dolenſis, in obſervantiam Concil. Tridentini, ſeſſ. 25. c. 3. de reform. de abſtinendo à cenſuris, quoties executio realis, vel perſonalis fieri poteſt, ſtatuentis, ſententias judicum eccleſiaſticorum executioni mandari non debere, donec in curia prædicti parliamenti declaretur, locum eſſe prædictæ executioni reali, vel perſonali: *S. Congregatio concilii cenſuit, hoc decretum convellere juriſdictionem eccleſiaſticam contra veteres canones, contra concilium, quod dedit hoc arbitrium epiſcopis, et contra bullam Cœnæ Domini, excommunicantem eos, qui quomodolibet impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*

XLIV. Denique hanc meam allegationem, et reſponſionem claudebam, producendo authenticam copiam memoratæ ejuſdem ſenatus Goani ſuper eadem re, in ſimili recurſu, ſententiæ, quæ formaliter, ex patrio idiomate in Latinum verſa, ſubjungitur: et in illius cum præſenti collatione, pariter oſtendebam præſentis ſententiæ nullitatem, et injuſtitiam; tum in adjudicanda ſæcularibus miniſtris juriſdictione, nedum in rebus, atque actionibus, quibus certo, et manifeſte illam non habebant; verum in actionibus notorie ſacrilegis, libertatis, atque immunitatis eccleſiaſticæ offenſivis; tum quia ex vulgaribus axiomatibus, *ſententia contra ſententiam nulla eſt*, l. 1. cod. Quando provoc. *etiamſi utriuſque partis conſenſus interveniat*, ex gl. ſingul. in l. *Per diverſos*, cod. de tranſact.

XLV. Et ſane hujuſce reſponſionis evidentia judices adeo perculſi ſunt, ut prioris ſententiæ, ſeu decreti, fundamenta, videlicet *præcipitationis, defectus citationis, monitionis*, &c. omnino deſerere, ſeſe coactos ſenſerint, et in decreto ad ſecundæ rogatoriæ chartæ expeditionem nova (etiam inconſtanter) arripere, et in unico tandem ſiſtere, ut ex ſequenti allegat. patefiet, non dubitaverint: quo eventû? infra in fine allegationis 14. narrabitur, ac ex regio reſcripto demonſtrabitur.

Exemplar edictæ ſententiæ anno 1697. *in favorem juriſdictionis mitræ Goanæ in eodem ſenatu regio ſuper viſitatione fabricarum, et confraternitatum, prolatæ.*

XLVI. CONveniunt concorditer in ſenatu, &c. Quod viſis actis, petitione gravaminis à procuratore ordinis Chriſti ab admodum R. archiepiſcopo primate interpoſiti, reſponſionem datam ab eodem admodum R. archiepiſcopo, et à novo procuratore, qui magiſtratui conceſſus eſt, ex vi ſupplicationis, et conſultæ p. 23. rationes, et reliqua documenta, pro parte procuratoris mitræ hujuſce archiepiſcopatus adjuncta, cui aſſiſtit regiæ coronæ procu-

rator; oſtenditur, magiſtratus procuratorem, gravamen hoc intentâſſe, prætextu quod, deputante comite prorege hujus ſtatus viſitatores pro eccleſiis regularibus Salſetanæ, et Bardeſianæ provinciæ, necnon inſularum Goanarum in executionem ſubdelegationis à domino rege, ut magno ordinis Chriſti magiſtro, in ipſum comitem proregem factæ, juxta conceſſionem datam per breve fol. 4. prædictus admodum R. archiepiſcopus per inhibitoriam fol. 74. viſitatores inhibere juſſit, ne præfatas viſitationes exequerentur, niſi in eo, quod juri patronatus, et fabricis commendarum, quas ordo in hoc archiepiſcopatu habuiſſet, pertinebat, habente ordine ipſo plenum jus ad omnes eccleſias archiepiſcopatus, ſicut et reliquas omnium conquiſtarum viſitandas, ut illi per bullam fundationis conceſſum eſt, cui quidem non eſt derogatum per hujus archiepiſcopatus erectionem, et illa in robore ſuo manſerat, in cujus favorem reſolutio in menſa ordinum ſumpta eſt, de qua dubitari minime poterat, eo quod totius juris fomentum, ex bullis, et Pontificiis conceſſionibus reſultans, illi ſuffragetur. Quare admodum R. archiepiſcopus, dum, omnibus prædictis diſpoſitionibus prætermiſſis, præjactam monitoriam promulgavit, notoriam injuſtitiam cum manifeſta nullitate commiſerat, pro qua intentatus recurſus ipſi procuratori utique competebat.

Pro parte admodum R. archiepiſcopi, et ejus mitræ procuratoris, cui regius procurator aſſiſtit, demonſtratur, atque allegatur, non ſolum poſſeſſio, in qua eſt, omnem ordinariam juriſdictionem ſuper omnes præfatas eccleſias exercendi, verum incidenter ventilatur jus proprietatis, et dominium totius prædictæ juriſdictionis, quam oſtendit, illi pertinere, non ſolum ex eo, quod intentionem ſuam in jure canonico, et bullis archiepiſcopatus erectionis, atque aliis, quæ adjunxit diplomatibus, fundatam habeat, ſed etiam ex quaſi poſſeſſione, in qua eſt per pluſquam centum et quinquaginta annos, titulata prædictis fundamentis, ac bullis, per quas derogata, et ſuppreſſa eſt omnis juriſdictio, quam ordo Chriſti in prædictas eccleſias exercebat, reſervata dumtaxat appræſentatione beneficiorum, epiſcopo inferiorum, et ipſius epiſcopi nominatione, prædicto domino, ut regi Portugalliæ; et caſu quo præjactum jus deeſſet, jam hujus mitræ archiepiſcopalis juriſdictio adverſus magiſtralem legitime perſcripſerat, ob quamplurimorum annorum diuturnam quaſi poſſeſſionem, à prædeceſſoribus abſque ulla contradictione, nupera excepta, exercitam.

Quibus omnibus perſpectis, et reliquis, quæ ex actis conſtant; et quamvis inquiſitiones, pro parte mitræ oblatæ, fidem non mereantur, ob incompetentiam judicii eccleſiaſtici, in quo, abſque partium citatione, factæ ſunt, ex quo notoria nullitas ad pertenſum effectum reſultat; attamen, cum ex parte procuratoris ordinis nil aliud adverſus illas, quam nullitas defectus citationis probetur, et ſecundum jus adhuc ex illis aliqualis reſultat probatio, quæ adminiculata atteſtationibus, fol. 56. et fol. 37. per quas, et per unam ex prædictis inquiſitionibus probatur, archiepiſcopos hujus diœceſis, præſentis prædeceſſores, varias viſitationes in eccleſiis Bardeſianæ provinciæ, et inſularum Goæ exercuiſſe, viſitando ſacraria, olea ſancta, fabricas, confraternitates, et reliqua illis pertinentia, omnem ordinariam juriſdictionem in eis exequentes, et ſecundum jus hi actus ſufficiant ad prædictæ juriſdictionis quaſi poſſeſſionem inducendam, à qua ſpoliari minime valebant; et caſu, quo ſpoliati fuiſſent, ſufficiebant præfati actus ad reſtitutionem ſuæ quaſi poſſeſſionis, et ut in illa conſervarentur, quamvis eam, ſpolii tempore, non exercerent; quæ quidem quaſi poſſeſſio titulata reperitur, non ſolum juris canonici, et Concil. Tridentini aſſiſtentia, verum archiepiſcopatus erectionis bullis, adverſus quos titulos obſtare non poterat viſitatio, quam in eccleſiis Salſetanis dicitur facta à Laurentio de Torres Quintanilha: nam, præterquam, quod hæc non probatur, etiam non conſtat comitem Alvorenſem, tunc proregem, facultatem habuiſſe ad ſubdelegandum prædictum viſitatorem; neque etiam conſtat, magnum ordinis magiſtrum à Summo Pontifice diſpenſationem ad præfatum viſitatorem, abſque ordinis capitulo inſtituendum, obtinuiſſe; neque quod in præmiſſo capitulo ad id electum fuiſſet: quare, cum nullitas illius electionis, in omnes actus, ex ea ſecutos, nullitatem conſequenter induxerat, minime mitræ Goanæ quaſi poſſeſſioni præjudicare poterat, nec magnus magiſter eam adquirere; adverſus quem ſecunda præmemorata inquiſitio jungitur; ex qua conſtat, magiſtrum ordinis, in his eccleſiis expenſas non facere, neque in fundatione, neque in reparatione, neque in fabricis; ſed omnes ex parochianorum ſumptibus fieri: et inſuper ſubjunguntur atteſtationes, fol. 39. ex quibus demonſtratur, archiepiſcopos multis abhinc annis in præfatis eccleſiis ſepulturas perpetuas, et proprias conceſſiſſe; quæ omnia, adjuncta regia epiſtola, fol. 44. et regia ſereniſſimi Joannis IV. reſolutione, notoriam evidentiam quaſi poſſeſſionis, et juris ex illa in his eccleſiis, et reliquis ſui territorii, pro Goana mitra reſultantis, efficiunt; ad quorum conſpectum minime conſiderari poteſt notoria nullitas, et injuſtitia, de qua recurrens gravamen intentat: *Judicant, recurrentem gravatum non fore, in accuſatæ monitoriæ procedimento; et jubent præfatum archiepiſcopum primatem conſervari, et manuteneri in quaſi poſſeſſione, in qua eſt, viſitandi omnes eccleſias ſui archiepiſcopatus diſtricti cum omnimoda ordinaria juriſdictione*; declarant vero, ipſi, et M. magiſtro, jus ſuper prædictæ juriſdictionis proprietate reſervari, ut de ea in judicio competenti agere poſſint. Goæ 24. Decembr. 1697. *Dourado, Pereira, Gouvea, Faria, Sarmento*; præſens ſui *Delgarte,*

Eadem ſententia originali idiomate.

ACordam em rellaçam, &c. que viſtos eſtes autos petiçam de aggravo que do M. R. arcebiſpo primas da India interpos o procurador do meſtrado da ordem de Chriſto, repoſta do M. R. arcebiſpo, e do novo procurador, que ao dito meſtrado ſe deo pelo requerimento, e conſulta fol. 23. razoês, e mais papeis, que por parte do procurador da mitra deſte arcebiſpado ſe ajuntaram, por parte do qual, aſiſtio o procurador da coroa: moſtraſſe aggravar o dito procurador do meſtrado com proteſto, de que nomeando o conde V. Rey deſte eſtado vizitadores para as igrejas regulares de Salſete, Bardes, e ilhas de Goa em cumprimento da ſubdelegaçaô, que em o dito conde V. Rey, fes o dito ſenhor, como gram meſtre da ordem de Chriſto, o que lhe foi concedido pelo breve fol. 4. o dito M. R. arcebiſpo pela inhibitoria fol. 74. mandara inhibir aos vizitadores para que naô fizeſſem as ditas viſitas mais, que e moque pertenceſſe ao direyto do padroado, e fabricas das comendas, que a ordem de Chriſto tiveſſe neſte arcebiſpado; ſendo que a dita ordem tem emas igrejas delle como em as mais de todas as conquiſtas pleno jus para as viſitar como lhe foi concedido pela bulla, da fundaçaô da dita ordem, o qual ſenaô derrogou pela da erecçaô deſte arcebiſpado, e ficára ſempre em ſeo vigor, a favor do que ſe tinha jâ tomado rezoluçaô, na meza da conſciencia, da qual ſenaô podiâ ja duvidar, por ſeachar aſſiſtida de todo o direito que rezultava das bullas, e conceſſam dos Summos Pontifices, e que em o dito M. R. arcebiſpo contra todas as ditas diſpoziçôes, paſſar a dita monitoria tinha comettido notoria injuſtiça, e manifeſta nullidade pelas quaes lhe competia o recurſo intentado.

Por parte do M. R. arcebiſpo, e procurador da mitra, ao qual aſſiſte o procurador da coroa, ſe moſtra allegar, naô ſô ſobre a poſſe em que eſta de toda a juriſdicçaô ordinaria ſobre as ditas igrejas, mas incidentemente ventilar a propriedade, e dominio de toda a dita juriſdicçaô, a qual moſtra pertencerlhe, naô ſô porter ſua intençam fundada em direito canonico, bulla da erecçam deſte arcebiſpado, e mais padroês, que junctou, mas tambem lhe pertence a dita juriſdicçam, pela quazi poſſe em que nella eſtâ de mais de cento e ſeſſentâ annos, titulada com os ditos fundamentos, direito, e bulla, pela qual ſe derrogou, e ſuprimio toda a juriſdicçaô, que o gram meſtre da dita ordem tinha nas igrejas deſte arcebiſpado, ao qual foi concedida toda a juriſdicçaô ordinaria, que tinha o biſpo do Funchal, por cuja erecçao tambem ſe tinha jâ ſuprimida toda a juriſdicçam que a ordem de Chriſto exercitava nas igrejas do dito biſpado, ficandolhe ſomente ſomente reſervada a aprezentaçaô dos beneficios

neficios inferiores ao biſpo, ea deſte ao dito ſenhor; como rey de Portugal, e que ainda que iſto aſſim naô foſſe, a mitra deſte arcebiſpado tinha legitimamente preſcripto a dita juriſdicçaô pela diuturnidade de muitos annos, que havia eſtava na quazi poſſe della, exercitandoa os arcebiſpos ſeus prodeceſſores ſem contradicçaô alguma, mais, que de pouco tempo a eſta parte.

O que tudo viſto, eo mais que deſtes autos conſta, como ſuppoſto as inquiriçoês, que por parte da mitra ſe ajuntaô, naô mereçaô credito algum pela incompetencia do juizo eccleziaſtico, em que foraô feitas, ſem citaçaô das partes, a que tocava, de que rezulta notoria nullidade para o effeito, de que agora ſequer aproveytar dellas; com tudo, como por parte do procurador da ordem, ſenaô prove contra ellas mais, que a nullidade nua, da falta de citaçaô, e conforme a direyto, ainda neſte cazo, rezulta dellas alguma prova, que adminiculada com as certidoês, fol. 56. e fol. 37. pelas quaes, e por huma das ditas inqueriçoes ſe prova, que os arcebiſpos deſta cidade, predeceſſores do aggravado, fizeraô varias vizitas nas igrejas de Bardes, e ilhas de Goa, vizitando os ſacrarios, ſanctos oleos, fabricas, confrarias, e mais pertenças das ditas igrejas, exercitando nellas toda a juriſdicçaô ordinaria, e conforme a direyto, eſtes actos baſtaô, para ficarem introduzidos na quazi poſſe da dita juriſdicçaô, da qual naô podiaô ſer eſbulhados, e em cazo que o foſſem, os meſmos actos das vizitas precedentes lhe baſtavaô, para ſerem reſtituidos, e conſervados nella, poſto que ao tempo que foſſem eſbulhados, naô exercitaſſem a dita juriſdicçaô, a qual ſeacha titulada, naô ſô com a aſſiſtencia do direyto canonico, e Concilio Tridentino, mas tambem como da bulla da erecçaô deſte arcebiſpado; contra oque nam pode obſtar a vizita, que em as igrejas de Salſete ſedis fizera Lourenço de Torres, Quintanilha; por que álem de que eſta ſenaô prova, tambem naô conſta, que o conde de Alvor, V. R. que foy deſte eſtado, foſſe ſubdelegado para nomear por vizitador ao dito Lourenço de Torres; nem outro ſy conſta, que o graô meſtre tiveſſe diſpenſaçaô do Summo Pontifice para, ſem capitulo da ordem, nomear o dito vizitador, nem que em capitulo, que ſe fizeſſe, foſſe elegido para o dito effeito; termos em que, conforme os de direyto, ſendo o dito vizitador nullamente eleito, e rezultando da ſua nulla eleiçaô, nullidade em todos os actos, que por virtude della fes, com os quaes naô podia prejudicar â quazi poſſe, em que a mitra eſtava, nem adquirila ao graô meſtre, contra o que, tambem ſe juncta a ſegunda inquiriçaô, per que conſta, que os gram meſtres da dita ordem, naô fazem as deſpezas da fundaçaô das igrejas, reparo dellas, ou ſuas fabricas, o que tudo ſe deſpende à cuſta dos freguezes; e outro ſy ſe juntaô as certidoês fol. 39. per que conſta, que os arcebiſpos, de muitos annos a eſta parte, deraô covas de propriedade nas ditas igrejas, que, tudo junto com a carta, e rezoluçaô fol. 44. do ſereniſſimo rey D. Joaô IV. rezulta huma notoria evidencia da quazi poſſe, e direyto, que della pertence â mitra deſte arcebiſpado nas igrejas do ſeu deſtricto, termos em que, ſe naô pode conciderar a notoria injuſtiça, e nullidade, de que o aggravante ſe quer valer; julgaô naô ſer aggravado no procedimento da dita monitoria, e mandaô, que o dito arcebiſpo primâs, ſeja conſervado na quazi poſſe em que eſta, de vizitar as igrejas do diſtrito do ſeu arcebiſpado, com toda a juriſdicçaô ordinaria, com declaraçaô, que a elle, e ao graô meſtre deyxaô ſeu direyto rezervado, para ſobre apropriedade da dita juriſdicçaô poderem tratar em juizo competente. Goa 24. de Dezembro de 1697. Dourado, Pereira, Gouvea, Faria, Sarmento, Goes; *fui prezente* Delgarte.

Charta declaratoria duorum prædictorum magiſtratuum ſæcularium propter facta turbativa, et uſurpativa ordinariæ juriſdictionis, necnon læſiva, et offenſiva immunitatis eccleſiaſticæ, die 17. *Martii, anno* 1723. *expedita.*

XLVII. D. Ignatius à S. Tereſia, &c. Notum facimus, quod Dominus quidem JESUS, cujus verba doctrina ſunt, cujus opera, norma, et exemplum ad noſtram directionem, ac imitationem, quam omnes, ejus veſtigia ſequentes, ſane æmulari debemus, incedunt; utriuſque gladii, ſpiritualis ſcilicet, et temporalis, licitum uſum eccleſiaſticis prælatis permittens, quos inſuper *ſatis eſſe*, imo et ad propriam defenſionem neceſſarios judicavit, quatenus propriam *tunicam vendere, et gladium emere* diſcipulis ſuis conſuluit; cum tamen temporalis gladii uſus minus decens, minuſque conformis eccleſiaſticis ſit, utpote qui imitatores, et profeſſores ſunt illius patientiæ, ac humilitatis, quam ipſe Dominus, qui quidem mitis fuit, et humilis corde, à ſeipſo diſcere præcepit; hanc ob rem Petro in horto materialem gladium, quamvis in defenſionem evaginatum, *in locum ſuum convertere* juſſit, eoſdem in hocmet edocens prælatos, potius ſpirituali gladio cenſurarum, quam temporali, etiam in defenſionem, uti debere. Quare, cum, non obſtantibus tot cenſurarum comminationibus, abſque illarum timore, et alterius terribilioris gladii divinæ juſtitiæ, nuper propter præcedentes notorias injurias, et violentias adverſus eccleſiaſticam immunitatem, ac libertatem commiſſas, ſenſibiliter vibrati, duo regii miniſtri, videlicet N. et N. in provinciæ N. quamplurima adverſus eandem libertatem, immunitatem, atque juriſdictionem noſtram de proximo perpetrârunt, clericos ſacerdotes per curſores, et officiales laicos cum comminatione capturæ, et aliorum procedimentorum citare facientes, ut coram ipſis comparerent, et illorum decretis, atque mandatis pro inventariis fabricarum eccleſiarum parochialium, et confraternitatum eccleſiaſticarum conficiendis, ipſoſque earundem fabricarum, et eccleſiaſticarum confraternitatum theſaurarios inſimul conſtringentes, ut omnem ſupellectilem, et omnia bona dictarum confraternitatum, ac fabricarum, ipſis exponerent, atque præſentarent, ut de illis pro libitu diſponerent, cum notoria uſurpatione, turbatione, et offenſa noſtræ ordinariæ juriſdictionis, cui privative, et in ſolidum, viſitatio, adminiſtratio, et cognitio prædictorum bonorum, et ipſarum confraternitatum, ac fabricarum de jure communi, et privato, ſententiis, ac decretis confirmato, et ex immemoriali, ac pacifica poſſeſſione citra controverſiam pertinet: et inſuper die 13. et 14. currentis menſis Martii, præfati regii magiſtratus eccleſias parochiales N. et N. officialibus ſuis aſſociati invadentes, minis, ac terroribus, arreptis in alia clavibus domorum, quibus intra eccleſiam, ſupellectilis ornamenta, vaſa aurea, et argentea, et reliqua mobilia bona fabricarum, et confraternitatum cuſtodiebantur, et in alia vi, ac ſtrepitu fractis foribus prædictarum domorum, omnem in illis aſſervatam ſupellectilem violenter extraxerunt, et illius partem publica licitatione ad eccleſiæ januam, et intra illius atrium, cum nova eccleſiaſtici juris, et decoris, ac ſanctitatis eccleſiæ injuria atque offenſa, et cum novo, etiam accolarum gentilium ſcandalo, venundari fecerunt; et partem aliam, præcipue argentea vaſa, et aurea pignora æque theſaurariis, et fabricariis ipſis, veluti in depoſitum, ipſorum miniſtrorum deliberationi ſubjectum, tradiderunt, eaque in proprias, ac ſæculares theſaurariorum paternas domos, deferri, ac retineri, cum ſubſcripta, ac judiciali promiſſione, ea ad ipſorum miniſtrorum, et non alias, mandatum reponendi, de illiſque omni tempore rationem ipſis reddendi juſſerunt, et alia plura turbativa, inhibitiva, uſurpativa, et utriuſque noſtræ juriſdictionis impeditiva, necnon immunitatis, et libertatis eccleſiaſticæ offenſiva, ac læſiva, ipſiuſque ſanctitati eccleſiæ, ac decori, injurioſa, et indecentia, ſacrilegia patrârunt, ordinârunt, et ſtatuerunt: de quibus omnibus, licet publicis, et notoriis, debita tamen ad animi noſtri inſtructionem informatione ſumpta, et conſtito de permanentia, et in præfatis ſacrilegis violentiis, atque injuriis (quas quidem reprimere, et vindicare debemus) tractu ſucceſſivo, et actuali proſecutione: *vim vi repellendo*, excommunicamus prædictos magiſtratus N. N. et eorum ſcribam, et curſores, et reliquos omnes cum illis ad prædictas violentias, atque ſacrilegia concurrentes, eoſque ulterius in cenſuras juris communis; ſignanter can. 15, 16. et 17. bullæ Cœnæ, et cap. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. et c. *Siquis preſbyter*, c. *Hoc conſultiſſimo*, de reb. eccleſ. non alienand. et in Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 11. et ſeſſ. 25. c. 20. de reform. et in alias juris privati, declaramus, et ut publicos excommunicatos vitare præcipimus, &c.

ALLE-

ALLEGATIO XIII.

In Reſponſione ad ſecundam Chartam rogatoriam in eodem Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *Exordium.*
II. *Nova fundamenta à regiis judicibus adinventa.*
III. *Rationes ſuſpicionis à jure judicibus oppoſitæ.*
IV. *Styli vel ſunt leges, vel vim legis habent.*
V. *Proteſtatio jus conſervat, et actus contrarios invalidat.*
VI. *Et quoad non retractatur, repetita intelligitur ad omnes actus.*
VII. *Sententia feſtinanter prolata nulla eſt.*
VIII. *Judices regii ob leges prætermiſſas erant ſuſpecti ex jure.*
IX. *Efficacia allegationis demonſtrabatur ex deſertione priorum fundamentorum.*
X. XI. *Adminiſtratores, etiam laici, cujuſlibet fabricæ, rationes reddere tenentur ordinario.*
XII. *Epiſcopus poteſt ſe gladio ſimul ſpirituali, et temporali defendere.*
XIII. *Etiam cum dubitatione ſufficientiæ armorum temporalium.*
XIV. *Impoſſibile eſt, quod vetitum eſt.*
XV. *Quodammodo naturale eſt, ſuſpectorum judicum inſidias declinare.*
XVI. *Judices ſæculares in cognitione poſſeſſorii nequeunt involvere cognitionem proprietatis rei ſpiritualis.*
XVII. *Difficultas magna impoſſibilitati æquiparatur.*
XVIII. *Quilibet vim repellere poteſt auctoritate propria privata, etiamſi poſſit auctoritate publica.*
XIX. *Et confirmatur ex reg. ordin.*
XX. *Quodnam moderamen intercedere debeat.*
XXI. *Duplici defenſione poteſt quis uti.*
XXII. *Prælato eccleſiaſtico decentius eſt ad arma potius ſpiritualia, quam ad temporalia recurrere.*
XXIII. *Ex communi doctrina, poteſt abſque monitione, aut citatione, ad excommunicationem et declaratoriam in defenſionem extrajudicialiter deveniri.*
XXIV. *Excommunicatio injuſta, etiam ex cauſa minus legitima tenet, ſi adſit poteſtas fulminanti.*
XXV. *Judex ſæcularis per eccleſiaſticum excommunicatus non debet ſuccurri per regios judices.*
XXVI. *Ad hominem convincebantur judices de illicitudine uſus medii durioris, relicto ſuaviori.*
XXVII. *Præeminentia juriſdictionis, ac dignitatis eccleſiaſticæ ſuper omnes alias, ex jure oſtenditur.*
XXVIII. *Laudatur Per. de man. reg. etiam in materia recurſus.*
XXIX. *Præeminentia regiorum judicum eos non eximit, quin excommunicari poſſint à judice eccleſiaſtico.*
XXX. XXXI. *Immunitatem eccleſiæ non valere reo capto à miniſtris laicis, et è manibus eorum aufugienti, eſt opinio utrique probabilis.*
XXXII. XXXIII. *Tranſcribitur Per. de man. reg.*
XXXIV. *Judex eccleſiaſticus poteſt ſæcularem excommunicare, ſi inhibitioni non paruerit.*
XXXV. *Neque in hoc datur regiæ juriſdictionis uſurpatio.*
XXXVI. *Contra regium judicem, ut privatum, ſi excedat, et libertatem eccleſiaſticam lædat, poteſt per cenſuras procedi.*
XXXVII. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
XXXVIII. *Exempla ſanctorum prælatorum adverſus principes, et regios, ad audientias per cenſuras procedentium, uſque ad n.* XL.
XLI. *Qualitas ſacrilegii ſubjicit judicio eccleſiaſtico etiam actum juriſdictioni laicæ competentem.*
XLII. *Judices ſæculares ſunt incapaces cognoſcendi etiam indirecte, et incidenter, de rebus eccleſiaſticis.*
XLIII. *Qui utitur jure ſuo, etiam in caſibus dubiis, alienam juriſdictionem non offendit.*
XLIV. *Judex eccleſiaſticus ut pars in defenſionem procedens, non uſurpat regiam juriſdictionem.*
XLV. XLVI. *Princeps non dicitur poſſe illud, quod ſine peccato fieri non poteſt.*
XLVII. *Regiis mandatis minime obtemperandum, ſi aliquid contra jus imperent.*
XLVIII. *Recurſus exitus patebit ex ſequenti allegatione.*

I. CONVICTI regii judices præmiſſa reſponſionis evidentia, deſertis prioris deliberationis fundamentis, ad ſecundæ rogativæ chartæ expeditionem, nova excogitantes in allegatione procuratoris regii adinvenerunt; quæ, in illius chartæ decreto inſerta, ad quatuor reducebantur.

II. Primum erat, *Allegationem meam, quam in reſponſionem primæ chartæ dederam, ſufficientem non fuiſſe, ut ab illius adimpletione abſolverer.*

Secundum, *Me illo extraordinario procedimento nunquam uti potuiſſe, niſi in caſu, quod aliud medium, ad quod recurrerem, non habuiſſem, aut mihi difficile quidem foret, eo uti; quippe qui unicus caſus erat, quo uſus illius mihi à jure permittebatur.*

Tertium, *Quod procedens contra regios miniſtros, et præeminentis adeo characteris, regiam juriſdictionem utique uſurpaveram, et illorum præeminentiam offenderam.*

Quartum denique, *Ad ſatisfactionem illius uſurpationis, et offenſæ præeminentiæ dumtaxat, et non ab alium reſpectum, debere me requiſitam contradeclaratoriam edere.*

III. Priuſquam ſingulis fundamentis ſatisfacerem, aliquas rationes ſuſpicionis à jure, adverſus regium procuratorem, et judicem coronæ, et unum, aut alium ex conjudicibus (unus namque in favorem juriſdictionis, ac procedimenti mei ſuffragium dederat) in capite hujus allegationis opponebam, in legibus, ac juribus infra expreſſis fundatas.

Nam regiæ ordinationis lex expreſſe jubet, l. 1. tt. 3. § 4. *Omnes judices regios, qui partibus regias ordinationes ab eis allegatas integre non ſervaverint, et adimpleverint, viginti cruciatos partibus ſolvant; et ab officiis uſque ad novam gratiam mancant ſuſpenſi; et ipſo facto partibus ſuſpecti reddantur in cauſis ipſis, in quibus judices fuerant; et ſententiæ, ac deliberationes, in quibus ordinationes non ſervârunt, nullæ omnino ſint.*

Quæ quidem diſpoſitio eſt juri communi conformis, ut ait Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 4. n. 8. et 19. ibi: *Tam hi, quam alii magiſtratus regni debent obſervare ordinationes, et leges regias; alias eo ipſo remanent partibus ſuſpecti, et incurrunt pœnas ordinationis, l. 1. tt. 5. § 4. et 6. horumque ſententiæ nullæ redduntur ex dicta ordinatione, et l. Non dubium, cod. de legib. Valaſc. tom. 1. cap. 42. Cald. Cabed.* &c.

IV. Notorium autem, et ex ipſis actibus conſtans eſſe dicebam, leges, et ſtylos, qui etiam vel leges ſunt, vel legis vim habent, ex Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. omnino prætermiſſas, et non ſervatas fuiſſe in hujuſce recurſus proceſſu: 1. In non delatione primo meo requirimento, ut adjungi juberent documenta, de quibus in recurſus petitione mentio expreſſa fiebat, et penitus in actibus deerant, et neceſſaria omnino erant, jam ad procedimenti mei defenſionem, jam ad reſponſionem meam complete, et formaliter reddendam, pro quo proteſtatus ſum: et in hac prætermiſſione utrumque jus naturale, et ſcriptum, læſum abierat, quod non permittit judicare adverſus partes plene non auditas, Joan. 8. 15. cap. *Sicut*, 3. cap. *Deus omnipotens*, 20. q. 2. late Guerr. de diviſ. l. 8. c. 3.

V. 2. In contemptu illius proteſtationis, quæ quidem non ſolum jus conſervat, juxtà tex. in l. 4. ff. *Quib. mod. pignor.* gloſſ. in l. *Ita Labeo*, ff. famil. erciſc. ſed etiam invalidat, ac nullos reddit omnes actus ipſi proteſtationi contrarios, ut conſtanter tenet Peg. for. cap. 14. n. 22. ibi: *Credimus ergo contrario omnino modo regulam in hac re ſtatutam eſſe, ſcilicet, proteſtationem tollere, et invalidum reddere actum ſubſequentem, nec ipſam per eum tolli.* Cui quidem proteſtationi aliam ſubjungebam, producendi in tempore habili,

habili, ſimul cum ipſa mea formali reſponſione, documenta præciſe neceſſaria ad meam defenſionem, atque juſtitiam, et alia in chartophylacio ſcribæ ejuſdem coronæ judicii ſupplicabam, ut jungerentur; et in utriuſque proteſtationis prætermiſſione, ac contemptu, prætermiſſa etiam, et omnino deſerta eſt obſervantia ordinationis regiæ, l. 2. tt. 10. § 1. et 2.

VI. 3. In acceleratione illa, ac præcipitatione, qua contra legem, atque univerſalem, et irrefragabilem ſtyli obſervantiam, de quo Coſta de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 8. Per. de man. reg. c. 11. quin præmitteretur ſolita charta rogativa ad actorum remiſſionem, confeſtim adverſum me, mea reſponſione, ac defenſione non expectata, judicatum eſt; et in favorem recurrentium ſententia feſtinanter prodiit, violentiam in procedimento meo dijudicans, ſacrilegia recurrentium juſtificans, et inſolitas contra me comminationes, cum nova legis, ac ſtyli exceſſiva tranſgreſſione fulminans, de quibus in ſuperiori allegat. et cum præjacta proteſtatio, et ſupplicatio ſemper à me in omnibus, etiam in locutoriis reſponſionibus repetita eſt, quinimo, quoaduſque non retractetur, ſemper ad omnes actus ſubſequentes repetita intelligitur, ex tex. in l. *Qui in alien.* § final. ff. de acquir. hæred. Aymon. conſ. 10. n. 33. Contard. in l. unic. cod. *Si de moment.* poſſeſſ. fuer. appellat. lim. n. 16. ex quibus Barb. ad l. *Si de vi*, 37. ff. de judic. n. 99. ibi: *Adeo quod receptum ſit.*

VII. Hinc inferebam, 1. Sententiam illam præcipitanter, ac quaſi de ſaltu prolatam, non præmiſſa ſolita illa rogatoria charta, et reſponſione, ac defenſione mea minime expectata, fuiſſe notorie nullam; tum quia *ſententia feſtinanter prolata nulla eſt*, Peg. ad ordin. l. 1. tt. 1. in principio, gloſſ. 30. n. 5. Cyriac. contr. 498. n. 20. ex l. 2. cod. de ſent. ex pericul. tum qui ita diſponitur in lege regia, ordin. l. 1. tt. 5. § 4. et cum nulla fuiſſet, conſequens erat, quod nullum etiam produxerat effectum, ex vulgari axiomate, et text. in l. 4. ff. de judicat. l. *Si aut nullum*, cod. de leg. hæred. l. fin. cod. *Quod nullum.* Quod etiam ampliatur in ordine ad quamlibet ratificationem, confirmationem, aut revaliditatem, ex gloſſ. ultim. in cap. *Cum nos, de his quæ fiunt*; cap. fin. de confirmat. util. vel inutil.

VIII. Inferebam, 2. Judices regios tot leges, obſervantias, atque ſtylos ex abrupto præmittentes, ac lædentes, utique mihi ſuſpectos ipſo jure remanere, et eorum ſententias pariformiter nullas ex ordin. reg. d. l. 1. tt. 5. § 4. et 6. l. *Non dubium*, cod. de legib. Coſta de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 4. n. 8. et 19. Valaſc. tom. 1. cap. 42. Caldas citat. Cabed. cit. et alii.

Quas quidem ſuſpicionis rationes aliis exceſſibus ab eiſdem tum in actis, tum extra illa, coadjuvabam; et ſignanter famoſa illa comminatione interlocutoriæ ſententiæ, qua in recurſu illius parochi, recurrentium ſocii, ac complicis (de quo allegat. 11.) redarguentes in ipſamet ſententia minorem reſponſionis meæ ſolemnitatem, ita adverſum me pronuntiabant, et comminabantur: *Et ſi iterum eadem minus ſolemni formalitate cuilibet alteri recurſui reſponſum dederit, non amplius audietur, neque ſibi copia, aut notificatio exhiberi mandabitur, ſuper aliquo recurſu, qui ab eo interpoſitus fuerit; quinimo, ut in contumacem, atque inobedientem, in ſuam ipſius contumaciam, omnes judicabuntur*, &c. ac ſi ſufficiens foret majoris ſolemnitatis defectus, ad copiam, aut exhibitionem actorum, quæ juris naturalis eſt, denegandam.

Et quin à rationibus, atque intimatione ſuſpicionum prædictarum deſiſterem (quas quidem ipſimet judices recuſati judicare auſi ſunt, modo infra declarando) greſſum faciebam ad, ſingulis novis ſecundi decreti, aut ſententiæ fundamentis, concludentem reſponſionem ſingillatim adhibendam. Et imprimis, inſiſtendo in ſupramemorata evidentia, videlicet, mihi minime licitum fore pertenſam contradeclaratoriam, cum formalitatibus commendatis, jubere publicare, et ad id neminem me cogere poſſe, utpote ad rem graviter illicitam, et graviſſime conſcientiam meam onerantem, atque utraſque poli, ac fori leges offendentem.

Ad primum novum fundamentum; de inſufficientia reſponſionis meæ:

IX. Convincenter reſpondebam, quod, præterquam quod notoria nullitas ſententiæ, et rogativarum epiſtolarum, ex vi illius expeditarum, me ab iſtarum adimpletione ſane excuſabant, certum omnino erat, et innegabile, utpote ex actis ipſis manifeſtum, evidentiam meæ ad primam chartam reſponſionis, et concludentes utriuſque juris allegationes, et claras rationes, judices certe coegiſſe ad primum, et præcipuum ſententiæ eorum fundamentum deferendum; videlicet, *quod recurrentes miniſtri erant in actibus juriſdictionis ſuæ; proindeque cenſuras juris, et à me fulminatas non incurriſſe*, &c. In quo tamen fundamento jam præſens ſecundum decretum, aut ſententia, ad ſecundæ chartæ expeditionem non ſubſiſtebat, et in aliis novis ſtabiliebatur. Ex quo non modo ſufficientia, ſed et efficacia reſponſionis meæ concludenter demonſtrabatur, et conſequenter excuſatio primæ rogativæ chartæ adimpletionis; ad quod formalius, quam quæ à procuratore regio fiebat, venire diebam applicationem c. *Cum ceſſante*, de appellat. c. *Et ſi Chriſtus*, de jur. jurand. cum vulgar. Nam, *ceſſante ratione legis, prohibitio legis ceſſat.*

X. Neque aliquid proderat, aut ſuffragabatur novum effugium, aut ſubterfugium in nova regii procuratoris reſponſione excogitatum, quod clauſula illa, videlicet, *Miniſtros recurrentes eſſe in actibus ſuæ juriſdictionis*, deberet intelligi cum hac formali æquivalentia: *quod erant in actuali exercitio miniſtrorum.*

Retundebatur enim evidenter hæc intelligentia, aut interpretatio (aliis rationibus omiſſis) ex eo, quod, cum exercitium illud utique in abſtracto non fuerat, ſed in concreto, ad actum ſecundum redactum, et in certa ac determinata materia exercitum, cum hæc ſane fuerit laicis miniſtris incompetens, utpote materia eccleſiaſtica (vel fabricæ conſiderentur juriſdictionis ordinariæ, vel magiſtratus, qui etiam eccleſiaſticus eſt); et inſuper miniſtrorum recurrentium exceſſus in exercitio, et executione præmemoratarum actionum notorie ſacrilegi fuerunt, et nedum juriſdictionis, verum et immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ manifeſte læſivi; certo certius conſequens erat, eccleſiaſticas incurriſſe cenſuras, ex juribus citatis; et pariformiter, judicari minime poſſe, *eos in actuali exercitio miniſtrorum eſſe*; tum quia ad exercendas actiones ſacrilegas juriſdictionem non habebant, neque habere poterant; tum quia exercitium inventaria conficiendi de fabricis eccleſiarum, et illarum rationes ſumendi, eſt miniſtris laicis incompetens, non ſolum de jure communi, Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 5. de reform. et ſeſſ. 2. c. 8. et 9. et ſeſſ. 7. c. 7. ſed etiam de jure privato hujus diœceſis Goanæ, conſt. ſynod. tt. 19. conſt. 1, 2. et 3. et tt. 39. conſt. 2.

XI. Quibus quidem juribus additur praxis, et ſtylus de facto, de quo Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. n. 62. ibi: *Circa adminiſtratores confraternitatum obſervabis, quod adminiſtratores tam eccleſiaſtici, quam laici, fabricæ cujuſvis eccleſiæ, etiam cathedralis, hoſpitalis, confraternitatis, et quorumcunque piorum locorum, tenentur ſingulis annis reddere rationem adminiſtrationis ordinario, ſublatis quibuſcunque privilegiis, et conſuetudinibus in contrarium, ut laxius habetur in Trid. ſeſſ. 22. cap. 5. de reform. Gratian. tom. 2.* &c.

Ad ſecundum fundamentum; *videlicet*, quod illo medio extraordinario uti non poſſem, niſi in alterius defectum, *&c.*

XII. Reſpondebam, illud quidem videri deſumptum ex c. *Dilecto*, verb. *Sufficiens*, de ſent. excom. in 6. ibi: *Et quoniam adverſus ejus nimiam potentiam, ſufficiens temporalis defenſio ſibi forte non aderat, potuit ſe etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo eccleſiaſtico, defenſare, ac recurrere propter hoc ad arma ſpiritualia, quæ ſunt eccleſiæ propria*, &c. Ad quem text. Joann. Andr. in addit. ait: quia, ut preſbyter, et ut miles, nunc cenſura, nunc armis, procedebat contra ipſum, et ejus terram: et Petr. in conſt. 1. Leon. IX. tom. 1. ſect. 2. n. 1. ibi: *Hoc idem permittitur prælato gladio ſpirituali, quando ei arma temporalia non ſunt prompta, ex c. Dilecto, de ſent. excom. in 6.*

XIII. Attamen, præterquam quod omnibus evidens, et notorium erat, me, et familiam meam, armis temporalibus omnino deſtitutos eſſe, dicebam, quod etiam in prædictorum armorum aſſiſtentia, mihi utique licitus, et validus foret recurſus ad utrumque gladium ſimultance, ut in eodemmet c. *Dilecto*, etiam cum certitudine temporalium armorum aſſiſtentiæ, et cum dubietate dumtaxat de ſufficientia, *ſufficiens ſibi forte non aderat*, expreſſe decernitur verbis ibi: *Licuit profecto ipſi decano proprio ſibimet ſubvenire ſubſidio, ſuammet temporalem injuriam ſua propria ſpirituali defenſione tueri; ſicque utrumque quodammodo gladium, et temporalem et eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare.*

Præterea ex eodem cap. *Dilecto*, aperte conſtat, præfatum decanum, priuſquam ad temporalem gladium recurriſſet, gladium ſpiritualem cenſurarum fulminâſſe, ut ex verbis illis convincitur: *Et propter hoc poſtmodum ipſe decanus ſententiam tulerit interdicti, tanquam ſpirituali ſe mucrone defendens contra illius injuriam et violentiam*, &c.

XIV. Et quia regius procurator inſinuârat, me, in deſtitutione armorum temporalium, quam fatebatur, poſſe quidem ad recurſus, ſeu gravaminis remedium recurrere: dicebam tamen adverſus hoc dictamen ſpecialiter, 1. Mihi quidem ſub cenſuris, et aliis pœnis à jure canonico vetitum eſſe in materiâ eccleſiaſtica ad ſæcularia tribunalia recurrere; proindeque medium mihi omnino impoſſibile reddi, juxta text. in l. 2. § ultimo, ff. de uſufruct. cum vulgar.

XV. Dicebam, 2. Etiam ob notoriam judicum ſuſpicionem, idem medium mihi omnino impoſſibile effici; tum quia periculoſum ſane eſt ſub ſuſpecto judice litigare, c. *Quod ſuſpecti*, 3. q. 5. imo, ut ibid. ait Summus Pontifex, *quodammodo naturale eſt, ſuſpectorum judicum inſidias declinare*; ub. gloſſ. Queſad. Pil. ad eandem, c. 37. n. 16. Scacc. de re judic. gloſſ. 1. q. 10. n. 250. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 1. n. 4. tum quia mihi, et pluribus aliis, certo conſtans erat, judices regios deſiderati hujus occaſione recurſus, præjactam ſententiam anno 1697. in favorem juriſdictionis meæ in eodem ſenatu ſuper eadem materia latam, nunc tandem revocare, et in contrarium judicare, conſulto conſpiráſſe; ad quod jam viam aperuerat miniſter quidam, allegationem quandam ſcriptam, ordine proregis, publicare faciens, qua conſtanter aſſeverabat, quod, *non obſtante prædicta ſententia, et caſus judicati exceptione, denuo iterum eadem cauſa agitari, et judicari poterat, et finali ſententia decerni, eo quod recurſus proceſſus, ac ſententia extrajudicialis erat*, &c.

XVI. Tum, denique, quia ſimiliter conſtabat, eoſdem judices in cognitione violentiæ, ac poſſeſſorii, ſimul involvere velle cognitionem juris dominii, ac proprietatis; quod quidem, utpote ſpirituale, minime ſæculari judicio, ob notoriam incompetentiam, ſubjici poterat; et jam in proviſione à prorege miniſtris recurrentibus, ad inventaria, ac traditiones bonorum fabricarum, et confraternitatum faciendas, data, hæc clauſula, et cauſalis expreſſe inferebatur, *eo quod regiæ majeſtatis eſſent.*

XVII. Quæ omnia collectim, ac ſingillatim inſinuatum recurſus medium, mihi penitus impoſſibile, aut, quod idem eſt, æquiparative, graviter difficile reddebant, ex vulgar. axiom. *Difficultas magna, impoſſibilitati æquiparatur*, l. 2. § *Ex quo*, et l. *Continuus*, § *Cum quis*, ff. de verbor. obligat.

Dicebam, 3. Quod, etiam dato, et non conceſſo, quod licitus mihi in hoc caſu quidem foret uſus recurſus; attamen, in terminis d. cap. *Dilecto*, de ſent. excommun. in hoc medium non eſſe, quod moderamen inculpatæ tutelæ, ut ex adverſo arguebatur, excludebat, neque validitatem ac licitudinem armis cenſurarum ſimul in hoc caſu utendi.

XVIII. Nam etiam decano illi, de quo agit d. cap. *Dilecto*, aderat medium recurrendi pro violentia ad tribunal, vel eccleſiaſticum, vel ſæculare, de ea vi cognoſcere potens, et reſtitutionem decernere; et tamen hoc medio deſerto, aut ſpreto, ad proprium recurrit, vim illam vi alia repellendo, proprium ſpiritualem gladium cenſurarum, et temporalem armorum ſimul in defenſionem vibrando; quod et illi ibidem approbatur, et minime ei objectatur, aut notatur defectus recurrendi ad tribunal aliquod via gravaminis, aut recurſus.

XIX. Confirmabam hanc licitudinem, et præmiſſam ponderationem ex ipſamet ordinatione regia, quæ l. 3. tt. 48. diſponens modum recurrendi ad judices publicos in hac materia vis, et violentiæ (quæ maxime privilegiata eſt) poſt hoc medium ſuave, et licitum, aliud l. 4. tt. 58. § 2. diſponit, permittens cuilibet privato auctoritate propria vim vi repellere, et violentiani ſibi in qualibet poſſeſſione illatam vi alia confeſtim propulſare; quin limitet, aut diſtinguat, quod hoc tantum medio extraordinario in defectum alterius, dumtaxat uti debeat, aut valeat; aut quod ſolo hoc moderamine licitus ſit uſus iſtius. *Et ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*; neque etiam favorabiles leges reſtringere, quin potius ampliare, ex vulgari axiom. *Favores ſunt ampliandi*, c. *Renovantes*, 22. diſt. c. *Odia*, 15. de regul. jur. in 6. c. *Ne aliqui*, de privileg. eod. lib. l. *Cum quidam*, cod. de liber. et poſthum. cum vulgar.

XX. Dicebam, 4. In excluſionem totius, *pro debito moderamine*, excogitabilis objectionis; quod ſi credenda eſt gloſſ. in d. c. *Dilecto*, verbo *Sibimet*, quod ipſa unice ibidem excludit, eſt *corporalis læſio*, ut ex ejus verbis clare liquet ibidem: *Sed videtur, quod hoc non licuerit iſti decano; exceſſit enim moderamen inculpatæ tutelæ, quod facere non debuit .... Et hæc forte fuit dubitatio decretalis; ſed Papa hic approbat hanc defenſionem; et ita quocunque modo licitum eſt ſe defendere, dummodo corporalis læſio non inferatur, maxime quia hujuſmodi ſententiæ ſunt medicinales.*

XXI. Et quod etiam in concurſu armorum temporalium licitus ſit uſus ſimul ſpiritualium, et *gladium alium altero adjuvare*, jam ſupra ex eodem cap. oſtenſum eſt, et nunc inſuper ex eadem gloſſ. ibidem, verb. *Utrumque: ergo*, infert gloſſa, *duplici defenſione poteſt quis uti*, ut inſr. de reg. jur. *Nullus pluribus*, cum ſuis concordantiis; et judicatum refert Ciarlin. tom. 1. l. 1. c. 65. n. 12. pro epiſcopo Regienſi, utrumque gladium, in ſuæ quaſi poſſeſſionis defenſionem vibrante; quin officeret objectatio ſimilis defectus moderaminis, in facili recurſu, quem vel ad Summum Pontificem, vel Sacram Congregat. intentare poterat; quare, concludit Ciarl. ibidem, dictum epiſcopum bene feciſſe oſtia hoſpitalis frangendo, et præfectum viſitationi reſiſtentem, ac inobedientem, de facto excommunicando, non præmiſſa canonica monitione, *attenta ſua quaſi poſſeſſione*, &c.

XXII. Addebam inſuper, quod etiam in concurſu utriuſque gladii, licet epiſcopus valide, et licite, poſſit recurrere ad arma temporalia, ut in præmiſſo caſu apud Ciarl. cit. attamen communis DD. opinio, quaſi decentius, modeſtius conſulit, ut potius, quam ad temporalia, ad ſpiritualia cenſurarum arma, utpote eccleſiæ propria, recurrat; de quo videndus practicus Monacell. p. 3. tom. 1. form. 39. n. 2. ibi: *Et quamvis, Barb. ſupr. concil. loc. cit. n.* 16. *et jur. eccleſ. l.* 1. *c.* 43. *n.* 139. *Ciarl. d. c.* 65. *n.* 11. *Tambur. d. q.* 3. *n.* 4. *et Ventrigl. in prax. p.* 1. *annot.* 58. § *unic. n.* 88. *Velint, quod renuentibus regularibus, vel aliis exemptis, viſitationem, et claudentibus oſtium eccleſiæ, vel monaſterii, liceat epiſcopo vim inferre, et oſtium frangere, mihi tamen magis placet in praxi ſententia Grafis, d. aur. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 27. *n.* 59. *ubi ſic ait: Viſitator non debet frangere portas eccleſiarum, ſi ſibi denegatur aditus ad faciendam viſitationem; ita Innoc. in d. c.* 1. *de immunit. eccleſ. quia bona eccleſiarum ſunt Sancta Sanctorum, et Domino conſecrata; et ſic, qui violentiam facit, ſacrilegium committit*, 12. *q.* 2. *c. Nulli liceat, et c. Quicunque; ſed poteſt uti gladio ſpirituali, id eſt, excommunicatione, vel interdicto, facit text. in c. Dilecto, de ſent. excom. in* 6. *et ita defendere ſuam poſſeſſionem, hoc eſt, viſitationem; ita not. per Innoc. et Hoſt. in c. Venerabili, de cenſ.* &c.

XXIII. Quod autem epiſcopus id ſemper efficere poſſit, et taliter procedere abſque diſtinctione ulla, aut prævio aliquo citationis, monitionis, vel prætenſi moderaminis requiſito, nedum in ordine ad excommunicationem in defenſionem fulminandam, verum etiam in ordinem ad declaratoriam in facto notorio, præter ſuperius allegata, noviter hic oſtendebam ex

communi et expreſſa doctrina Cardin. Deluc. de judic. diſc. 9. n. 30. Panimol. dec. 96. n. 15. Pignatell. conſ. 162. n. 10. Fermoſin. in c. *Conſuluit*, de appellat. n. 14. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. n. 1. et ſeqq. Sperell. dec. 48. n. 54. et aliorum apud ipſos.

XXIV. Denique concludebam, quod, etiam dato, et non conceſſo, in præfato meo procedimento interceſſiſſe aliquem debiti moderaminis exceſſum, hinc ſolum argui poterat, excommunicationem prædictam, in defenſionem fulminatam, fuiſſe quidem injuſtam, non tamen invalidam, ex nota, et generaliter ſecuta doctrina Baiardi ad Clarum, q. 77. n. 38. ubi ait, ſententiam excommunicationis tenere, ſive lata fuerit ex falſa cauſa, ſive ex non legitima, etiam mala intentione, vel ex invidia, *dummodo poteſtas fuerit in excommunicatore, et diſpoſitio in patiente, et habilitas materiæ.* Cui doctrinæ favet gloſſ. in c. 1. de ſent. excom. in 6. verb. *Propter quam*, ubi ait, *quod etiamſi falſa ſit cauſa*, ligat tamen excommunicatio, ex text. in cauſ. 11. q. 3. et c. 1. et 2. de abſolut. et c. *Ex parte*, de offic. ordinarii.

Et hanc opinionem, communem appellat Soccin. conſ. 20. n. 24. in fin. ex quo ſequitur, quod, ſtante validitate cenſuræ, præcludatur aditus recurſus ad tribunalia regia, Peg. ad ordin. tom. 8. c. 1. gloſſ. 16. n. 30. cum Oliv. de for. eccleſ. l. 1. q. 16. n. 10.

XXV. Quo ſuper videndus etiam Themud. dec. 8. n. 2. ibi: *Imo, ſi judex ſæcularis excommunicetur per eccleſiaſticum, non debet ſuccurri per regios miniſtros, cum habeant ſuperiores eccleſiaſticos, ad quos recurrere poſſunt.*

XXVI. Tandem *ad hominem*, ut aiunt, tam judices quam recurrentes ſic redarguebam: ſi enim, quamvis recurrentes alia media ſuaviora, ac moderatiora haberent ad facilitandam parochorum, fabricariorum, atque theſaurariorum repugnantium pro foribus aperiendis, clavibus tradendis, atque rebus fabricarum, ac confraternitatum eccleſiaſticarum ſibi exponendis, qualia erant ordinaria media, vel ad me, vel ad ſuperiorem alium recurrendi, judicatum tamen eſt, ipſis recurrentibus licuiſſe, adeo extraordinaria, et violenta media arripere; qualia fuerunt, fores eccleſiæ violenter, ferreis inſtrumentis, frangere, fabricarum, et confraternitatum ſupellectilem vi extrahere, et illius partem publica, et ſacrilega licitatione, ad eccleſiæ januam intra atrium præcone horriſone reboante, traducere, et reliqua in præmiſſa declaratoria recitata patrare; cur mihi etiam non licuerit, adhuc in concurſu alterius medii ordinarii, et ſuavioris, notorias illas, et ſacrilegas violentias propulſare, non extraordinario, ut arguunt, ſed ordinario, proprio, et practico cenſurarum medio, vim vi repellendo, et in defenſionem meæ juriſdictionis, et quaſi poſſeſſionis, necnon immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ? Imo, etiam dato, quod medium illud foret extraordinarium, cur mihi licitum non erat illud, etiam in alterius conſortio, in defenſionem adhibere; cum pluribus defenſionibus uti, cuilibet à jure permiſſum ſit, ex d. c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. Salgad. de reg. prot. et aliis?

Ad tertium fundamentum; quod, ſcilicet, producens adverſus tam præeminentes miniſtros regios, regiam juriſdictionem utique uſurpaveram:

XXVII. Dicebam, dignum quidem majoris admirationis, atque ſenſibilis demonſtrationis eſſe, quod, ſuppoſita certitudine, ac evidentia præeminentiæ eccleſiæ Dei, illiuſque prælatorum, ſuper omnes alias ſublimioris adeo, atque excelſioris, ut videre eſt in c. *Duo ſunt*, c. *Si imperator*, c. *Nunquam*, diſt. 96. c. *Valentinianus*, diſt. 63. ub. gloſſ. verb. *Submittamus*, Sperell. in Ilveſcovo, p. 1. Barb. de poteſt. epiſcopi, p. 1. tt. 1. c. 2. et tt. 2. gl. 1. Luc. de Andrad. in action. epiſcopal. c. 1. per tot. in oculis ſæcularium judicum præeminentia illa adeo parvi ponderis ſit, ut ne verbum quidem pro ea, aut de ea proferatur, et ſola regiorum magiſtratuum præcellentia attendatur, et adeo extollatur, ut nedum per juſtam et neceſſariam omnino defenſionem (cui illa de jure, et facto ſubdebatur) offenſa reputetur, ac exaggeretur; verum et eorum aggreſſivum, et omnibus titulis injuſtum, violentum, ac ſacrilegum adverſus eccleſiam Dei procedimentum et juſtificetur, et uſus illius (licet adeo extraordinarius, notorieque illicitus, ac nullus) pro juſto ac valido judicetur; quaſi pro virtute delictum canonizantes, et pro vitio virtutem reprobantes judices iidem, qui auctoritatem, atque dignitatem eccleſiæ, ex propriis legibus tali veneratione, atque circumſpectione attendere debuerant, ut eis per ordin. reg. commendatur, l. 2. tt. 11. et tt. 18. et 22. et l. 3. et alibi, et per jus commune, cod. tot. tt. de ſacroſ. eccleſ. et de ſanctiſſim. epiſc. et Deo amabil. 6. cleric.

XXVIII. Quinimo etiam in his materiis recurſus, ipſemet tenacior juriſdictionis regiæ Achilles, Per. ſcilicet de man. reg. ſic proteſtatur, c. 12. n. 10. *Ex his aliquæ inferuntur reſolutiones plurimum obſervandæ: prima eſt, quod adeo noſtri principes eccleſiæ libertatem proſequuntur, ut in his caſibus, in quibus ad eorum manum recurritur, eorumque tribunalia, contra laicum ſupplicantem, prima ſententia eſt ultima, ut amplius audiri nequeat; ſi vero contra juriſdictionem eccleſiæ feratur, poſt primam, duæ chartæ expediuntur, in quibus rogati judicis reſponſio expectatur, et nova pronuntiatio intercedit; et poſt has ſententias, cauſa ad ſenatum palatii defertur, ubi ultima ſententia pronuntiatur; et his omnibus mediis eccleſiæ juſtitia diſcutitur, et non niſi tot ſententiis contra eccleſiaſticum judicem ſtatur; cum ſtetur primæ contra principem ſæcularem.*

XXIX. Directe tamen præjacto 3. fundamento ſatisfaciens, reſpondebam, præeminentiam regiorum magiſtratuum eos non eximere ab hoc, quod excommunicari poſſint, etiam à quolibet miniſtro meo inferiore, ut ex ipſamet reg. ordin. aperte conſtabat, l. 1. tt. 12. § 7. ibi: *Quando juſtitiæ eccleſiaſticæ per cenſuras contra noſtros regios ſenatores, alioſque judices proceſſerint, eo quod aliquem captum extraxerint, vel extrahi juſſerint ab eccleſia*, &c.

XXX. Ad quam ordinationis diſpoſitionem adnotabam, probabilem eſſe opinionem, quam tuentur aliqui cum Delbene de immunit. ſ. 7. et dub. 24. ſ. 17. curſ. moral. Salm. tr. 18. c. 3. pu. 3. § 2. n. 91. Soar. Pellit. Tuſc. Gutier. Pall. Farinac. et alii apud Buzemb. et Lacr. de aſylo, l. 4. n. 1393. de quo etiam ſupr. videlicet, immunitatem eccleſiæ non valere reo illi, qui à ſæcularibus miniſtris jam captus, ex eorum manibus aufugit, et ad eccleſiam confugit; in cujus opinionis ſuppoſitione videtur loqui citata regia ordinatio, ut ex illius contextu colligitur.

XXXI. Attamen, quia, etiam pro parte contraria, probabilis quidem adeſt opinio, quam defendunt apud citat. Delbene, ſ. 7. aliqui, quibus adhærent Fagund. præcept. 2. l. 4. c. 4. n. 57. Corell. in pract. tr. 15. c. 1. § 2. Lezan. in ſumm. tom. 3. verb. *Immunit.* Ricc. in collect. dec. 109. p. 1. Antonell. de regim. l. 1. c. 9. n. 5. videtur præſupponere eadem lex regia, judices eccleſiaſticos hujus ſecundæ, et eccleſiæ favorabilioris opinionis probabilitate utentes, adverſus regios magiſtratus forſan (ut equidem poſſunt) proceſſuros; et in terminis hujuſce ſuppoſitionis diſponit, ſeu declarat ibidem, *regio procuratori* in eo caſu *pertinere regiam juriſdictionem defendere.*

XXXII. Ex quo recte ſic inferebam: Ergo, ſi in materiis, in quibus pro utraque parte adeſt probabilitas, ſupponit jus regium eccleſiaſticos judices cenſuris quidem regios magiſtratus ferire poſſe; quid dicendum, aut ſupponendum de materiis illis ſacrilegis, injuſtis, violentis, turbativis, ac uſurpativis juriſdictionis eccleſiaſticæ immunitatis, ac libertatis læſivis, depreſſivis, et notorie ac multipliciter offenſivis?

XXXIII. In cujus veritatis confirmationem tranſcribebam notabilem ipſiuſmet Per. de man. reg. doctrinam, c. 7. n. 41. ibi: *Non omittendum duxi caſum, qui quotidie ingenia ſenatorum torquet, an poſſit per viam violentiæ provideri regio magiſtratui, qui, dum à clerico factis, et convitiis impeditur, ne publicam juriſdictionem exerceat, cum per familiam capere juſſit, et ob hoc factum excommunicatus fuit, ejuſque miniſtri, quod manus violentas in clericum injecerint; et videtur hoc caſu nullo modo patere aditum ad regium tribunal; nam clerici ratione delicti non fiunt de foro judicis ſæcularis, nec ab ipſo capi poſſunt, abſque excommunicationis incurſu, c. Si vero, de ſentent. excom. verſ: Cœperit, communem dicit Boſſius, tit. de foro comp.*

tomp. n. 150. *et tt. de captura, n.* 35. *Farinac. tit. de inquiſitione, q.* 8. *n.* 115. *et tt. de carcer. et carcerat. q.* 32. *n.* 72. et hanc opinionem, *quod capi nequeant, licet offendant juriſdictionem ſæcularem, tenuit Azeved. l.* 3. *tt.* 1. *lib.* 4. *n.* 3. *ubi citat gloſſ.* 2. *in l.* 57. *tt.* 6. *p.* 1. *Imo nec capi poſſe animo eum ducendi ad ſuum judicem, dicit Martha de juriſd.* 4. *p. cent.* 1. *caſ.* 42. *n.* 17. *Nec obſtabit, quod plurimi aſſerunt, poſſe clericum in flagranti delicto capi; ut clarum, § final. quæſt.* 77. *verſ. Sed quæro, ſyntagm. communi,* 1. *tom. loc.* 1. *cap.* 5. *ordin. lib.* 2. *tt.* 1. *§ fin. et alibi, qui omnes ex doctrina Innocentii loquuntur in d. cap. Si vero; nam ſi ad verba illius textus reſpicimus, eo loco talem capturam permittit pro defenſione propriæ perſonæ, quando aliter mors ipſius capientis vitari non poſſet; et ideo permittit capturam, quia veram, et propriam eo caſu continet defenſionem, ratione cujus eum occidere liceret, l. Ut vim, ff. de vi. Soares adverſus Angl. errores, l.* 4. *cap.* 34. *n.* 30. *ſecus vero hoc caſu, ubi judex ratione convitii clericum capit, in quo punitionem intendit, et criminis vindictam, non vero defenſionem. Deinde, dum judex eccleſiaſticus ſæcularem punit ratione ſacrilegii, judicium epiſcopi eſt omnino competens, ratione qualitatis propoſitæ, ordin. l.* 2. *tt.* 9. *§* 13. *cujus expreſſio ſola ſufficit, in citatione, vel libello, ut fundatum ſuper ea judicium conſiſtat, Barb. in l. Siquis ex aliena, ff. de judic. n.* 147. *Bobad. l.* 2. *c.* 18. *n.* 61. *Covarrub. l.* 1. *variar. c.* 4. *n.* 2. *de primat. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 15. *Menoch. conſ.* 1045. *n.* 14. *in fin. Unde dum pro exceſſu judex convenitur, licet non ſatis probetur illa ſententia, injuſta erit, et contra jus partis, et continebit violentiam (ſi illa conſiderari poteſt) valde dubiam, non vero notoriam.*

Et n. 42. et ſeqq. omnino videndis, plane, pleneque reſpondet, et ſatisfacit, omnibus in contrarium objectabilibus, plures ſolidas rationes, imo et areſta in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis adducens.

XXXIV. De quo etiam videndus Themud. dec. 8. n. 2. ubi dicit, poſſe judicem eccleſiaſticum excommunicare ſæcularem, ſi inhibitioni non paruerit, juxta text. in c. *Tuam*, de ordin. cognition. c. *Intellecto*, de ſentent. excom. in 6. et ex aliis jurib. ſub n. 1. citat.

XXXV. Quod autem, non ſolum regii magiſtratus, verum et principes ipſi valide, et juſte excommunicari poſſint, vel ſaltem declarari à prælatis eccleſiaſticis, hi in defenſionem ſuæ juriſdictionis procedunt, et quod ſic procedentes, minime regiam juriſdictionem uſurpent, quinimo principes ipſi eccleſiaſticam uſurpare dignoſcantur, quando per chartas rogatorias, aut comminatorias, prælatos cogere nituntur, ut ſuam juſtam declaratoriam, vel aliud revocent procedimentum, ſolide reſolvit Pignatell. tom. 1. conſ. 170. per totam.

Et ſignanter n. 1. et 2. ſic ait: *Declaratoria incurſus principis, aut magiſtratus, præſumitur de jure valida, et juſta, ex cumulatis per Gabr. de ſent. concl.* 5. *et* 6. *in princ. taliſque præcipue probatur, dum apparet lata vim vi repellendo pro neceſſaria defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ, juxta terminos c. Dilecto, de ſent. excom. in* 6. *ubi poſt alios notat Gemin. n.* 7. *et Innoc. in cap. Venerabilis, ſub n.* 4. *de cenſ. cum aliis mox allegandis. Hujuſmodi namque juriſdictionem princeps, ſive magiſtratus uſurpat, dum literis, ſive hortatoriis, ſive monitoriis, mandat epiſcopo, vel ejus vicario, ut cenſuras ab eis latas pro defenſione jurium epiſcopalium contra miniſtros curiæ ſæculares, alioſve, revocent; quod repugnat diſpoſitioni S. Concilii Trid. c.* 3. *verſ. Nefas, ſeſſ.* 25. *de reform. ac bullæ Cœnæ Domini, ut animadvertunt DD. præcipue Alter. deip.* 7. *c.* 1.

XXXVI. Et quamvis Per. de man. reg. c. 12. n. 11. conſtanter aſſerat, prælatos eccleſiaſticos, prætextu uſurpatæ juriſdictionis, non poſſe per cenſuras procedere contra ſenatores aulicos, poſt ultimam, et finalem ſententiam, ſuper cauſa recurſus, et hujus proceſſus, atque ſententiis, et chartis rogativis, ex viſtarum expeditis, ſecundum regni obſervationes, prolatam, notiſſime ex terminis ipſis cognoſcebatur præſentem caſum noſtrum in eiſdem circumſtantiis minime eſſe, ſed longiſſime diverſis; neque in hoc procedimentum fuit contra palatinos judices, ſuper recurſu cognoſcentes, ſed contra privatos miniſtros, non ut judices, ſed ut privatos procedentes, cum notorio propriæ juriſdictionis exceſſu, et eccleſiaſticæ manifeſta offenſione, turbatione, atque uſurpatione, quinimo libertatis, et immunitatis eccleſiaſticæ læſione. Et certum omnino eſt, *judici excedenti, ut privato, reſiſti poſſe*, ex l. *Magiſtratus*, 32. ib. *Quaſi privatus*, ff. de injur. l. *Prohibitum*, cod. de jur. fiſc. l. 10. Menoch. remed. recup. 8. n. 9. Covarr. reſol. 1. c. 2. n. 12. ord. l. 5. tt. 36. in princ. ad quam Barb. in remiſſ. Peg. tom. 3. et 8. Per. de man. reg. c. 4. n. 7. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. et 15. n. 15. et ſeqq.

XXXVII. Quinimo ipſemet Per. dum ſolum hunc excipit caſum, regulam, in contrarium, erga alios firmat, ex vulgari axiom. deſumpto, ex l. *Nam quod liquide*, ff. de pœn. leg. et ex c. 2. de conjug. leprof. et eod. c. 12. n. 11. in fin. fatetur, ſe quandoque vidiſſe ferri excommunicationem, etiam in ipſos ſenatores palatii, qui loco primi judicis ſubrogantur per modum reviſionis, et, eo caſu, eos à communicatione abſtinuiſſe, donec ad judicem regium querela à procuratore Cæſaris interponebatur ab abuſu, et cenſura declarabatur nulla. De quo etiam videndus Pignatell. ead. conſ. 170. tom. 1. n. 20. ubi tradit, epiſcopum Neocaſtrenſem ann. 1585. propter ſolam præſentationem literarum hortatorialium declarâſſe miniſtros regios, imo ipſum ducem Oſſunæ, tunc temporis proregem, excommunicatos. Prout etiam hac de re publicatæ fuerant cenſuræ contra collaterale Neapolitanum tempore cardinalis Granvelæ, et ducis Medinæ ab epiſcopo S. Agathæ Gothorum; item contra ſenatum Mediolanenſem, tempore S. Caroli; contra parliamentum Burdigalenſe, et ſenatum Granatenſem, et alios paſſim, &c. Et concludit affirmans, quod hunc abuſum Sedes Apoſtolica invicte oppugnavit, expugnavitque.

XXXVIII. Addebam inſuper, quod ſane non minor, quam recurrentium, erat præeminentia totius regiæ audientiæ Florentinæ, quam tamen de facto, et abſque citatione, excommunicavit ejus archiepiſcopus D. Antoninus, ob indecoroſam duorum clericorum, in flagranti delicto repertorum, capturam; qui quidem delinquentes quamvis ad eundem archiepiſcopum fuerint remiſſi, magiſtratus tamen abſolvere noluit, ſed ad Summum Pontificem eos miſit, à quo ad archiepiſcopum iterum remiſſi, abſolutionem minime obtinuerunt, niſi publica ſatisfactione præmiſſa, quam ad valvas eccleſiæ, funibus ad collum alligatis, et ad pedes ſancti archiepiſcopi provoluti, publice dederunt.

XXXIX. Et non minoris item, ſed certe majoris, quam recurrentium, erat imperatoris Theodoſii præeminentia, qui tamen de facto à D. Ambroſio epiſcopo excommunicatus eſt, ob crudelitatem in proprios ſæculares ſubditos, et citra immunitatis, atque juriſdictionis eccleſiaſticæ offenſionem aliquam, executam, quin per octo menſium ſpatium abſolutionem conſecutus fuiſſet, niſi poſt publicam, et ſcitiſſimam demonſtrationem ad pedes ſancti epiſcopi copioſo lacrymarum profluvio exhibitam.

XL. Et majoris quidem præeminentiæ erant Henricus Angliæ rex, à ſancto Thoma Cantuarienſi archiepiſcopo, ob uſurpationem bonorum eccleſiæ, eccleſiaſticis cenſuris percuſſi; Boleſlaus, rex Poloniæ, ob propriam laſciviam, eiſdem cenſuris à D. Staniſlao epiſcopo, et martyre, animadverſi; Arcadius imperator Conſtantinopolitanus ab Innocentio Papa, etiam abſque monitione, aut citatione, communicatione privati, et à D. etiam Joanne Chryſoſtomo ſimiliter fulminati, et aliorum; quibus denique addebam S. Petrum Romanum Carmelitam, qui et Candiæ gubernatorem anathemati, et totam inſulam eccleſiaſtico interdicto ſubjecit, ob denegationem ſæcularis auxilii pro certis delinquentibus puniendis, et cenſuras levare noluit, donec gubernator reſipiſceret, et ad pedes ejus devolutus ſubmiſſe veniam peteret: quæ omnes equidem præmiſſæ cenſurarum animadverſiones, utpote prælatorum ſanctorum, juſtæ proculdubio fuerant.

XLI. Auctoritatem denique Per. de man. reg. à procuratore coronæ in recurrentium favorem male adductam,

adductam, c. 7. n. 42. in ipſoſmet retorquebam; nam etiam dato, et non conceſſo, quod recurrentes juriſdictionem habuiſſent ad præmiſſa inventaria conficienda, ſufficiebant exceſſus ſacrilegi, ad hoc, ut pro illorum ratione excommunicarentur, et eccleſiaſtico judicio ſubjicerentur, ut idem Per. reſolvit ibid. § *Satisfit*, in fine, inquiens: *Verum, licet hoc juſte fiat, non tamen evincit, quod ſi judex, vel miniſter ſæcularis vocetur ad judicium eccleſiæ, eo quod manus violentas injecerit, et ratione exceſſus, et ſi non compareat, excommunicetur, quod ad judicem regium pateat aditus; quia qualitas ſacrilegii propoſita ſufficit, ut ille forus fiat competens; et dum, examinatis actis, non apparet, an realiter exceſſerit, nulla querimoniæ cauſa ſubeſt.*

XLII. Quod autem miniſtri ſæculares incapaces omnino ipſo jure ſint cognoſcendi directe, aut indirecte, principaliter, aut per incidentiam, de rebus, et cauſis eccleſiaſticis, reſolvunt communiter DD. in c. 2. de major. et obed. etiam in c. 2. de judic. c. *Cum conting.* de arbitr. c. *Cauſ.* de præſcript. c. *Princeps*, 26. q. 3. c. *Adrian.* 1. diſt. 63. Cevalh. de cognit. per viam violent. gl. 6. n. 133. et in prologo, n. 43. ibi: *Directe, nec indirecte, reges, et principes ſuperiores, nec principaliter, nec acceſſorie, in cauſis eccleſiaſticis cognoſcunt; quod quidem intelligitur, vel quæſtio in jure vel in facto conſiſtat, ut expreſſe tenet idem Cevalh.* commun. contra commun. tom. 1. q. 403. ibi: *Imo quod ſive ſit quæſtio facti, ſive juris, judex ſæcularis eſt incapax ad cognoſcendum de cauſa eccleſiaſtica.* Et, etiam in dubio, ſemper ſtandum eſt pro juriſdictione epiſcopi, ait Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 14. n. 65.

XLIII. Tandem quoad offenſam, ac uſurpationem juriſdictionis regiæ, ex adverſo in hocmet 3. fundamento objectam, reſpondebam, 1. Eum qui utitur jure ſuo, ac defenſione ab omnibus legibus permiſſa, et in ipſius juris executionem procedit, alienam juriſdictionem nec uſurpat, nec offendit: Nam, *juris executio non habet injuriam*, l. *Injuriar.* l. ff. de injur. et *jure ſuo qui utitur, nemini injuriam facit*, ead. l. et l. 3. § *His tamen*, ff. de liber. hom. exhib. c. *Cum eccleſia*, 31. verſ. *Quia*, de election. quæ regulæ ampliantur etiam ad caſus dubios; quia, *etiam in dubio, præſumitur quis jus ſuum tueri, non injuriam committere*, l. *Flamin.* l. *Proculus*, ff. de damnis infect.

XLIV. Reſpondebam, 2. Eum, qui non ut judex, ſed ut pars procedit, et in defenſionem, minime dici, aut conſiderari poſſe, regiam aut alienam juriſdictionem uſurpare; quare etiam per jus regium municipale de tali judice, ut parte procedente, gravamen, aut recurſus ad regem non interponitur, ord. l. 1. tt. 9. § 12. Per. de man. reg. c. 6. n. 2. neque à taliter procedente admittitur appellatio, neque ſuſpicio, aut recuſatio in eum cadit, ut eleganter aſſerit Tamburin. de jur. abbat. diſp. 14. q. 3. in auctoritate per formalia extenſa alleg. præcedenti, et juxta eundem Per. de man. regia, c. 7. n. 9. *Recurſus ad regem non patet, ubi appellatio prohibita reperitur.*

3. Tandem reſpondebam; quia tunc regia juriſdictio uſurpatur, quando judex eccleſiaſticus in poſitivos actus proprios illius intromittitur, et minime jure ordinario, vel jure privilegii, juriſdictioni eccleſiaſticæ competentes.

Et cum requiſitam contradeclaratoriam non publicare, neque ſit actus poſitivus, ſed mere negativus; neque ſit actus juriſdictionis regiæ proprius, aut ei competens, ſed eccleſiaſticæ juriſdictionis; clare evincitur in non publicatione ſupplicatæ, et commendatæ contradeclaratoriæ, nullatenus regiam uſurpari juriſdictionem.

Ad quartum fundamentum; quod ad ſatisfactionem tantum præallegatæ præeminentiæ ac uſurpationis prædictam declaratoriam expedire deberem:

XLV. Dicebam, 1. Jam ſupra huic fundamento ſatis ſuperque reſponſum fuiſſe; attamen ex ſuperabundantia breviter eidem nunc etiam fieri ſatis, ex ipſamet requiſitæ contradeclaratoriæ impoſſibilitate, atque illicitudine, jam ex manifeſto veritatis defectu, atque poſitiva falſitate, jam ex notoria offenſione juriſdictionis, atque immunitatis eccleſiaſticæ, aſſerendo, actus ſacrilegos in ea reprobatos, atque fulminatos, fuiſſe actus propriæ juriſdictionis, ac exercitii miniſtrorum recurrentium; jam denique ex certo, et infallibili ſcandalo, non ſolum inter Chriſtianos, ſed etiam inter gentiles ipſos totius hujus diœceſis reſultaturo (quod quidem jam graviter inter eoſdem in Salſetana provincia ex violenta forum eccleſiæ fractione, ac detruſione, clamoroſaque bonorum fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum extractione, atque licitatione, longe lateque pullulavit); et ex aliis pluribus tum ſpiritualibus, tum temporalibus inconvenientiis; vi quorum, illicitudine illa, ſcandaloque ſuppoſitis, minime regia majeſtas me ad præfatam contradeclaratoriam cogere poterat; nam, ut ex Ablina reſolvit Themud. dec. 195. n. 96. *Princeps non dicitur poſſe illud, quod non poteſt fieri ſine peccato.*

XLVI. Dicebam, 2. Nullatenus neceſſariam eſſe aliam contradeclaratoriam, quam primo à me expeditam, de qua ſupra, qua recurrentes ad omnem communicationem expeditos declaravi. Et quamvis regius procurator adverſus hanc declamaret, ſevere, aſſeverans eam *poſitam non fuiſſe in forma juris*; cum eatenus non allegârat, aut inſinuârat, ubi hæc forma juris contradeclaratoriarum exiſteret, aut reconderetur, et caſu ædilis, de quo ſupra, præterquam quod in ſubſtantia, et circumſtantiis diverſiſſimis ſit, eſt minus juridicus, minuſque legi ordinationis, l. 1. tt. 9. § 12. conformis; conſequens erat, illius contradeclaratoriæ ſupplicationem, atque commendationem, inſubſiſtentem, atque inattendibilem omnino fore.

XLVII. Quod quidem et doctrina ſæcularis quidem magiſtratus Bobadil. in ſua politic. l. 2. c. 10. ex n. 72. et 75. confirmabam, quatenus ibidem conſtanter aſſerit, regiis mandatis minime obtemperandum, ſi aliquid contra notorium jus, leges, aut forum imperent; vel mandatum careat cauſa, aut fundamento, aut à jure exorbitet; et adducit auctoritatem Innoc. in c. *Inquiſition.* de ſent. excom. Imol. et Felin. in c. *Quæ*, de conſtit. Hypolit. in l. 1. § *Præterea*, n. 108. ff. de quæſt. et alios ibid. videndos.

XLVIII. Hanc denique reſponſionem claudebam, cauſam hanc ad regiam præſentiam, cum omnibus ſecuturis avocando, ac provocando, caſu quo hæc mea clara, et evidens allegatio à regiis judicibus, non ut gravitas cauſæ requirebat, attenderetur: quæ tamen reſponſio conſimilem primæ habuit effectum, ut ex ſequentis allegationis patebit exordio.

ALLEGATIO XIV.

Pro ultima Deciſione in Senatu palatino Status ſuper eodem Recurſu ſumenda.

SUMMARIUM.

I. *Exordium.*

II. *Judex eccleſiaſticus impeditus adeſſe ſenatui regio pro ultima recurſus deciſione, poteſt eidem allegationem juſtitiæ ſuæ ſcriptam mittere ex ſtylo.*

III. *Judex eccleſiaſticus eidem, non ut reus, ſed ut judex, pro tali deciſione adeſt; et quo loco ſedere debeat.*

IV. V. *Etiamſi prælatus eccleſiaſticus illuc vocaretur ut reus, ſedere deberet in ſede honorabili.*

VI. *Judex, ut pars, in defenſionem procedit citra gravamen, aut recurſum, et etiamſi procedat ut judex ex officio.*

VII. *Sufficit validitas proceſſus judicis eccleſiaſtici ad excludendum aditum recurſus.*

VIII. *Illicitudo actus deobligat ab adimpletione mandati, aut rogationis principis, et ad contrarium obligat.*

IX. *Allegatio c.* Olim *de reſt. ſpoliat. erat contra producentem.*
X. *In eo minime continetur pertenſæ contradeclaratoriæ formalitas.*
XI. *Sed tantum ſatisfactio pro damno temporali.*
XII. *Quæ totaliter arbitrio epiſcopi committitur.*
XIII. Ad hominem *redarguebatur regius procurator.*
XIV. *Exceſſus in modo, non invalidat actum.*
XV. *Satisfactio juſſa ob exceſſum cit. c.* Olim, *eſt materialis, et non formalis, aut moralis per edictum, aut contradeclaratoriam publicam.*
XVI. *Ob exceſſus violentos, et ſacrilegos recurrentium, notabiliter non decreta fuit debita eccleſiæ ſatisfactio.*
XVII. *Procuratoris regii inattendibilis prætenſio.*
XVIII. *Violentiam vi propulſare, non reddit actum nullum, aut illicitum.*
XIX. *Exceſſus certus in modo, non invalidat actum defenſivum, et violentiæ repulſivum.*
XX. *Ordinatio non ignorans hanc licitudinem pro prælatis eccleſiaſticis, nullam aliam providentiam dedit, quam levaminis cenſurarum, ſub pœna non exigendi pœnas excommunicatorum, à juſtitiis ſæcularibus.*
XXI. *Non interfuit exceſſus in modo.*
XXII. XXIII. *Nec defectus moderaminis, qui quidem, ſi daretur, non annullaret proceſſum.*
XXIV. *Quod confirmabatur ex l.* Scientia *ex adverſo allegata.*
XXV. *Non obſtante medio ordinario, permittit lex reg. cuilibet extraordinarium,* vim vi *propria auctoritate* repellendi.
XXVI. *Tranſcribitur Monacell. appoſite.*
XXVII. *Auxilium extraordinarium non concurrit ſimul cum ordinario, ex l.* In cauſa cognit.
XXVIII. XXIX. *Quod ſit ad defenſam, pœnam non meretur.*
XXX. *Decretum Concil. Trid. ad rem.*
XXXI. *Eadem ſatisfactio materialis ordinatur in cit. l.* Scientiam, *et c.* Dilecto.
XXXII. *Lex non diſponit, quod præſupponit.*
XXXIII. *Hæc ſatisfactio totaliter committitur arbitrio epiſcopi.*
XXXIV. *Seria mens Pontificis, et principum in reſcriptis eſt, quod non exequantur, ſi adſit ſcandalum*; et ob ſcandalum quandoque receditur à jure.
XXXV. *Reſolutio c.* Dilecto, *in hac re, præferenda c.* Olim.
XXXVI. *A diverſis non fit illatio.*
XXXVII. *Allegationes meæ non tam erant ex codice* Flos ſanctorum, *ſeu ex horum legendis, ut ex adverſo dictitabatur, quin ex utroque jure decerptæ.*
XXXVIII. *Illarum legendarum lectio S. Ignatium Loyolæ, et ejus ſocietatem eccleſiæ peperit.*
XXXIX. XL. *Pro coronide ad regiam majeſtatem recurrebam, duplicem caſum allegans.*
XLI. *Et hæc ſupplicatio fruſtranea non evaſit.*
XLII. *Ut ex regio reſcripto tranſcripto conſtabit.*

I. SUPERIORIS ſecundæ ad ſecundam rogatoriam chartam reſponſionis claritate, et evidentia, denuo convictus regius procurator, defertis iterum fundamentis ab ipſo ad expeditionem illius allegatis, et in quibus decretum eam expediri jubens ſiſtebat, aliud noviter excogitatum adinvenit, c. *Olim*, de reſtit. ſpoliatorum, ad quod tanquam ad ſacram ancoram confugiens, proteſtabatur in eo, et prærequiſitæ contradeclaratoriæ formalitatem, et ultimum ejus finem, videlicet, debitam pro exceſſu meo ſatisfactionem contineri.

II. Et cum fortuita ægritudine ultimæ futuræ deciſioni in palatino hujus ſtatus ſenatu ſumendæ adeſſe actu impedirer, et in hoc caſu mihi ex ſtylo, et ex Peg. tom. 8. infra laudato, licitum quidem foret, allegationem juſtitiæ meæ in ſcriptis texere, et eidem ſenatui clauſam remittere, illam in hunc modum parare curavi.

III. Dicebam igitur, etſi me ab illa intereſſentia retrahere quidem potuiſſet conventiculum, quo regii miniſtri in præſentia defuncti proregis (jam enim nunc temporis è vivis exceſſerat) conſpiraverant, paciſcentes, nec mihi debitam ſedem in illo tribunali (ſi forte prædictæ actioni intereſſe decernerem) permiſſuros, nec debito honore, ac reverentia affecturos (generalem; et rationabilem ſtylum in hoc certe frangentes, de quo Solorſan. de jur. Indiar. l. 4. c. 13. n. 65. Villaroel. p. 1. q. 1. art. 3. n. 18. Alzed. de præcellent. epiſcop. c. 12. n. 36.); quinimo me quaſi reum reputantes, aſperrimis terminis, quibus regii procuratoris indecoroſæ reſponſiones ſat ſuperque ſcatebant, necnon et in ſenatorum ſententiis, aliqualiter reſpergebantur: cum certum equidem ex ipſo jure regio foret, ord. l. 1. tt. 12. § 6. et tt. 9. § 12. Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. Per. de man. reg. c. 4. n. 2. et ſeqq. judices eccleſiaſticos pro illis actionibus neque à ſenatu aulico vocari, neque ei intereſſe ut reos, ſed ut judices, et ut tales audiuntur, juſtitiam ſuam, et ſuarum ſententiarum fundamenta allegantes, imo et oppoſita redarguentes, ex ordin. cit. § 6.

IV. Et quamvis prælati eccleſiaſtici ad illud tribunal, ut rei, vocati, et in eo, ut rei, forent auditi, utique non amitterent, ſed retinerent, jus illud, proprio epiſcopali characteri annexum, ut eo honore, ac reverentia à regia etiam majeſtate afficerentur, de quo Caſſaneus in catalog. glor. mund. infinitos citans, p. 4. conſid. 25. deſumpto ex c. *Solitæ*, de majorit. et obed. ibi: *Princeps, ſeu rex, debet epiſcopo præbere honorem in aſſurgendo in adventu ipſius, et ei juxta ſe venerabilem ſedem aſſignare, et ſic ad dextram; et, quando accuſatur, debet ſedere, et non ſtare:* et in c. 7. idem proſequitur cum Joan. Andr. Panormit. in d. c. *Solitæ*, et Corſet. de poteſt. regia, q. 57. per hæc verba: *Quia, ſi illuſtres ſint in jus vocati, habent jus ſedendi, etiamſi ſint accuſati, et propriam cauſam defendant:*

V. Attamen (proſequebar) non eſſe hanc cauſam, quæ me ab illa retrahebat intereſſentia, verum notoriam ægritudinis meæ moleſtiam; qua ſuppoſita, mihi permiſſum, ex recepto, et praxi obſervata ſtylo erat, reſponſionem meam in ſcriptis dare, de quo Peg. ad ordin. tom. 8. l. 2. tt. 9. § 13. n. 32. Et minime à proteſtationibus factis, et ſuſpicionibus intentatis deſiſtendo (quas denuo præſentis procuratoris regii reſponſionis exceſſu, ipſiuſque ſenatus ſententiæ coadjuvari aiebam) et meas ad primam, et ſecundam chartam rogativas claras allegationes ratificando, ſpecialem ſuper illas reflectionem ſupplicabam; hoc enim ſufficiens fore contendebam, ad retundenda, et convincenda cuncta, tum vetera, tum etiam nova, cunctarum ex adverſo reſponſionum, et ſententiarum in eis ſiſtentium, fundamenta.

VI. Nam ex illis clare conſtabat, 1. Me, non *ut judicem*, ſed *ut partem* in defenſionem, et *vim vi repellendo* proceſſiſſe; proindeque citra gravaminis, aut recurſus intentum, aut querelam; etiam caſu, quo *ut judex* procederem, dummodo ex officio, et in juris ipſius executionem procederem; ut ex ſolidis rationibus, atque irrefragabilibus auctoritatibus, ibidem allegatis, manifeſtum fiebat; quarum nova hæc, licet ſummaria repetitio, novum juſtitiæ meæ, atque veritatis indicium parere dicebam, ex l. *Sicut falſi*, cod. ad l. *Cornel. de falſid.*

VII. Conſtabat, 2. Non ſolum meam cenſurarum fulminationem, validam quidem, et licitam fuiſſe, ſufficereque illius validitatem ad excludendum, atque præcludendum totius aditum gravaminis, aut recurſus, ex ſupra citatis Olivæ, Pegas, et aliorum auctoritatibus; quinimo, inter alia, evidenter conſtabat, prædictarum allegationum mearum fundamenta, ac rationes, ad eo ſolidas, convincentes, et efficaces evaſiſſe, ut contraria primæ ſententiæ, aut decreti, ad primæ chartæ expeditionem, fundamenta penitus ita cliderent, ac proſternerent, ut adſtringerentur judices in ſecundo ad ſecundam rogativam decreto, nova omnino fundamenta arripere; quæ quidem iterum eandem ruinam, in reſponſione ad ſecundam chartam conſimili eventu patientes, regios miniſtros neceſſario coegerunt; et novum tandem fundamentum ex præcitato c. *Olim*, 12. de reſtitut. ſpoliatorum, eatenus non allegatum, arreptandum.

VIII. Hinc, 1. Convictum, et alliſum remanere dicebam, primum hujus ultimæ ſententiæ fundamentum; videlicet, *Me concludentem rationem, quæ meam prædictarum chartarum adimpletionem excuſaret, non allegâſſe.* Nam præter informitates, et nullitates notorias

torias tum proceſſus, tum ſententiarum, quarum vi prædictæ chartæ expeditæ fuerunt (quod quidem ſufciebat ad me ab iſtarum executione excuſandum) et præter illicitudinem, iujuſtitiam, ſcandalum, et peccatum, quod certe in earum impletione involveretur (quod quidem certiſſime, nedum me à prædicta deobligabat executione, quinimo ad contrariam fortiter obligabat, atque adſtringebat, ex can. *Non licet*, can. *Certum*, diſt. 10.) ſane rationes meæ efficaces evaſerant ad totalem omnium adverſariorum fundamentorum ruinam, ac deſertionem.

IX. Et hinc, ſecundo, ad ſecundum fundamentum ex cit. c. *Olim*, deſumptum, in quo regius procurator, legem, et formalitatem requiſitæ contradeclaratoriæ reconditam eſſe autumabat, examinandum, et ſimiliter proſternendum, gradum faciebam; et conſtanter dicebam, hanc novam iſtius capitis *Olim* allegationem, clarius et evidentius contra producentem facere, quam gloſſam præcitati cap. *Dilecto*, ab eo in ſuperiori, pro ſecunda charta, reſponſione allegatam, et à me in eum ibidem convincenter revibratam, ut ex ipſarum reſponſionum inductione facile demonſtrabam.

X. Cum enim regius procurator declamaret, meam primam contradeclaratoriam, qua recurrentes, poſt violentiarum liberam deſiſtentiam, et à me obtentam privatim abſolutionem, expeditos ad omnem communicationem publicavi, *non eſſe poſitam in forma juris*; redargutus, quod oſtendere non valebat, ubi *hæc forma juris contradeclaratoriarum* explicite, aut implicite recondebatur, et convictus de improprietate, incongruentia, atque longiſſima diverſitate caſus ædilis, ab eo citati, recurrit tandem ad præjactum c. *Olim*, de reſtit. ſpoliator. eo quod Summus Pontifex in eo ſic epiſcopo Tridonienſi effatur: *Vos magiſtro ſatisfactionem debitam exhibete, ſi defendendo jus veſtrum in offenſam ipſius, vel domus militiæ templi, modum forſitan exceſſiſtis.*

XI. Attamen merito à procuratore regio perquirebam, in quibus hujuſce textus verbis continebatur, aut latebat pertenſæ contradeclaratoriæ formalitas? Unde colligebat, hanc *debitam ſatisfactionem*, exhibendam quidem fore per publicam contradeclaratoriam? Et cur debita hæc ſatisfactio, non materialis ob damna temporalia, forſan exceſſu reſultantia, atque emergentia; ſed pure ſpiritualis per quandam retractationem publicam reputanda eſt?

XII. Et ſi Summus Pontifex, qui quidem judex competens, et ſuperior epiſcopo præfacto incedebat, neque ei taxavit, aut individuavit qualitatem, ac formalitatem ſatisfactionis, imo neque judicium, an in tali caſu ea ſatisfactio præſtari deberet, necne; ſed totum epiſcopi judicio, et arbitrio commiſit, atque reliquit; cur regii judices, in quibus, ad me reſpective, omnes illæ ſuperioritatis, atque competentiæ rationes penitus deſiderabantur, cur meo etiam arbitrio, ac judicio illius ſatisfactionis, caſu, quo debita foret, qualitatem, ac formalitatem non relinquerent: verum per fas, aut nefas, omnia ſibi arrogare contenderent, et quod ego neceſſarius, atque coactus executor ſuarum novarum, ac deſpoticarum reſolutionum, omnibus juribus, ipſique regiæ legi (ut jam oſtenſum eſt) adverſantium, evaderem?

XIII. Denique *ad hominem*, adverſus ipſummet regium procuratorem, ſic arguebam: ſi enim, ut ille abſque fundamento effutiebat, *in hoc caſu neceſſaria non erat contradeclaratoria, ob notoriam*, ut aiebat, *procedimenti mei deformitatem*; cur adeo in ea perquirenda inſiſtebat? Et quomodo nullus, aut deformis poterat eſſe proceſſus ille, ex vi hujus cit. cap. *Olim*; cum illud novum, clarum, et evidens argumentum, et probata confirmatio exiſteret, illius procedimenti mei juſtitiæ, rectitudinis, ac validitatis? Quod clare, et convincenter ex ipſomet capite (illud in allegantem revibrando) oſtendebam.

XIV. Et, 1. Quia Summus Pontifex in allegato cap. *Olim*, etiam in ſuppoſitione contingenti, quod exceſſus in modo irrepſerit, juxta illa verba, *Si modum forſitan exceſſiſtis*; reſolvit, ac decidit, procedimentum validum quidem fuiſſe (ut etiam regius procurator agnoſcebat); et defenſionem, ac repulſam, ibidem approbat per illa verba; *Procuratorem veſtrum ab impetitione magiſtri, nomine domus militiæ templi, quoad faciendam reſtitutionem, quam petebat, reddimus abſolutum*; quomodo ergo regius procurator ex hoc capite extorquere nitebatur nullitatem, et deformitatem, procedimenti illius, quo in defenſionem, et recurrentium notorias violentias repellendo proceſſeram, ob exceſſum, quem affectabat in modo interceſſiſſe, cum etiam in iſtius ſuppoſitione, et caſu, quod interceſſerit, non invalidum, ſed, ad plurimum, illicitum, ex citato capite, procedimentum illud redderet? Et quomodo patere poterat aditus ad recurſum ex vi ſolius *injuſtitiæ*, ſtante illa validitate, et vis, aut violentæ oppreſſionis notorietate penitus deficiente, ſecundum ſæpe ſæpius præcitata jura, atque auctoritates?

XV. 2. Oſtendebam eandem validitatem ex eod. c. cit. Nam etiam in caſu, quod in modo repulſæ violentiæ exceſſus daretur, ſatisfactio, quam Pontifex hic jubet præſtari, non eſt per publicum aliquod edictum, quo nullus, et invalidus proceſſus ille declaretur, quem Pontifex hic validum definit (alias ſibimetipſi contraria pontificia foret deciſio, reprobans quaſi invalidum in ſatisfactione commendata, illudmet procedimentum, quod in reſolutione ultima pro valido approbaverat); ſed eſt ſatisfactio materialis, aut temporalis, infra declarata. Ergo quomodo ex hoc capite, contra proprium, et naturalem ejus ſenſum, violenter inferri, aut extorqueri conabatur, me ad pertenſam debitam ſatisfactionem exhibendam teneri, per publicum edictum, quo nullum, atque invalidum procedimentum illud proclamaretur, quod equidem citatum cap. *Olim* (etiam exceſſu in modo intercedente, qui ſubſtantiam actus invalidare non ſolet) tanquam firmum, et validum, clare approbat, ac definit?

XVI. Et ſi ex parte recurrentium, nedum notorius exceſſus in modo, verum et in ſubſtantia actorum violentorum, et ſacrilegorum intervenit (cui quidem veritati, jam regius procurator, ipſique judices aſſenſi fuerant, declarantes, *prædictas violentas actiones non fuiſſe actus juriſdictionis recurrentium*); cur eiſdem hanc ſatisfactionem, eccleſiæ, et clericali ſtatui debitam, præſtare non jubetur? Et ſi illis ſatisfactio eccleſiæ debita non jubetur; cur mihi, eccleſiæ prælato, qui violentiam eorum paſſus ſum, et in violentiarum repulſam, ipſiuſque eccleſia immunitatis, libertatis, atque juriſdictionis defenſionem proceſſi, cur mihi, inquam, præcipitur ſatisfactio quædam tot titulis, nedum exceſſiva, ſed notorie illicita, injuſta, et indebitat, atque veritatis, et rectitudinis, penitus deſtituta?

XVII. Hinc ad inattendibilitatem, et inſubſiſtentiam requirimenti procuratoris regii evincendam pergebam, qui quidem in hac ultima, pro ultima in aulico ſenatu deciſione, ſic ſupplicationis ſuæ qualitatem declarans exponebat: *Siſtit in hoc requirimentum meum, quod rev. archiepiſcopus, in ſatisfactionem violentiæ, qua adverſus recurrentes proceſſit, notum, et certum faciat, procedimentum ejus nullum quidem fuiſſe, ob exceſſum in modo, quem ſervare tenebatur, etiam quando recurrentes vim illi certe intuliſſent.*

XVIII. Hujus autem requirimenti inſubſiſtentiam redarguendo convincebam: 1. Quia violentia aliam violentiam propulſare, neque procedimentum nullum reddit, neque illicitum: etenim, ut *vim vi repellere licet*, ut in hocmet c. *Olim*, de reſiſt. ſpoliator. et in c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. aperte reſolvitur, et in jure regio, ordin. l. 4. tt. 58. et poſita licitudine, ac validitate illius repulſivi procedimenti, minime dari, aut requiri equidem poteſt ſatisfactio ulla pro violentis offenſoribus, ut ex eiſdem juribus ſatis deducitur.

XIX. Secundo, Quia exceſſus in modo, etiam quando certe intervenit, non invalidat, aut annullat proceſſum defenſivum, atque violentiarum repulſivum, ut in eodem c. *Dilecto* deciditur, ubi, etiam in ſuppoſitione defectus, aut exceſſus debiti moderaminis, prædictum procedimentum pro valido et licito definitur, ut in ſuperiori allegatione ad 2. chartam hujus recurſus ſatis ſuperque oſtenſum eſt; et conſtat etiam ex l. regia, cit. tt. 58. ordinat. indiſtincte, et abſque ulla limitatione, aut expreſſione exceſſus, aut debiti moderaminis, aut invaliditatis, ſeu illicitudinis, in illius defectum, loquente; et ſi lex alium voluiſſet, expreſ-

preſſiſſet, l. unic. § *Sin aut. ad defic.* cod. de caduc. tollend.

XX. Et hic obiter adnotabam, eos, qui ordinationes regni ordinârunt, aut diſpoſuerunt, non ignorantes hos juris canonici textus, et inſuper præſcientes, prælatos eccleſiaſticos in propriarum repulſa violentiarum per medium cenſurarum, modum quidem excedere poſſe, et procedere contra regios miniſtros, habentes pro ſe probabilitatem in contrarium in aliquibus caſibus, ſicut in caſu extractionis confugientis ad eccleſiam, de quo ord. l. 1. tt. 12. § 7. et nos ſupra allegat. ſuperior. attamen nullam aliam ediderunt providentiam, et nullam aliam ordinârunt ſatisfactionem, quam proviſis recurrentibus per viam recurſus, jubere prælatis per chartas rogativas, ut eis cenſuras levarent, ſub pœna, ut à ſæcularibus juſtitiis nec vitarentur, nec excommunicatis pœnæ impoſitæ ab eis extorquerentur; de quo ordin. l. 1. tt. 9. § 12. Peg. ad eandem. Per. de man. reg. c. 4. 11. et 12. Et minime providerunt, quod per publicam contradeclaratoriam, ſive aliud publicum edictum prælati eccleſiaſtici nullitatem, aut informitatem procedimenti ſui proteſtarentur.

XXI. Tertio, convincebam: Quia nullatenus exceſſus in modo, quem ego ſervare tenebar, interceſſerat: 1. Quia modus à me obſervandus erat, qui in c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. continetur; videlicet, vel uſus armorum temporalium dumtaxat, vel armorum tantum ſpiritualium cenſurarum, vel utrorumque ſimultanee (quod quidem mihi licuiſſe, ex eodem c. et ejus gloſſ. in ſuperiori allegatione ſatis oſtenderam) dummodo corporalis læſio non interveniſſet, ex gloſſ. ibid. verb. *Sibimet*; ibi: *Dummodo corporalis læſio non inferatur:* cum autem hæc læſio corporalis à prædicto procedimento meo penitus abfuerit, utpote quod equidem, non armorum temporalium, ſed gladii ſpiritualis cenſurarum ſolummodo fuit; conſequens erat, etiam ab eo exceſſus in modo penitus abfuiſſet.

XXII. 2. Quia exceſſus in modo, de quo loquitur c. *Olim*, de reſtit. ſpoliator. eſt fortaſſe *defectus moderaminis inculpatæ tutelæ*, de quo loquitur gloſſ. in d. c. *Dilecto* (et ideo præfata gloſſ. hujus moderaminis defectum adverſanter objiciens, allegat prædictum c. *Olim*): et jam in præmiſſa allegatione mea clare oſtenderam, ex iiſdem textibus, in procedimento meo cenſurarum, talem moderaminis defectum non interceſſiſſe; tum quia aliud medium non habebam; tum quia, licet haberem, mihi erat difficile; quod quidem ſufficiebat, ut eo non uterer, ſicuti in ſententia ipſa, ſuper mea ad primam rogatoriam chartam reſponſione, aperte fatetur.

XXIII. Imo, etiam dato, quod hujus moderaminis defectus interceſſiſſet, non exinde proceſſus nullus, aut illicitus reddebatur, juxta eandem gloſſ. ad d. c. *Dilecto*, verb. *Sibimet*; et aliam gl. ad prædictum c. *Olim*, verb. *Exceſſiſti*, ibi: *Si non aliter poſſunt ſe defendere, niſi modum excederent, nec tunc credo illos in ſententiam incurriſſe.*

XXIV. Quod etiam confirmabatur ex l. *Scientiam*, ex adverſo allegata, ff. ad l. *Aquiliam*, § *Qui*; ibi: *Qui, cum aliter ſe tueri non poſſent, et damni culpam dederint, innoxii ſunt; vim enim vi defendere, omnes leges, omniaque jura permittunt.*

XXV. 3. Quia, ſecundum procuratoris regii allegationem, exceſſus in hoc tantum ſtetit, quod *à cenſuris defenſionis meæ exordium fecerim, aliis ordinariis mediis omiſſis* (in cujus aſſerti confirmationem allegabat l. *In cauſæ*, 16. ff. de minor. cor.): tunc tamen etiam dicebam, quod ſicut, non obſtante medio ordinario, quod lex regia cuilibet præbebat ad vim repellendam, vel ſe deviolandum, ac tuendum auctoritate publica, et per viam juſtitiæ, ordin. l. 3. tt. 48. aliud tamen medium extraordinarium cuilibet permittebat, ac perſcribebat, vim per propriam auctoritatem privatam vi alia propulſandi, ead. ordin. l. 4. tt. 58. § 2. ita ſimiliter prælatis licitum ac permiſſum à jure eſſe, violentias repellere, vel ordinariis mediis, ac judicialiter, tanquam judicibus, vel medio extraordinario, et extrajudicialiter, tanquam partibus in defenſionem procedentibus.

Et afferebam modernorum DD. placitum prælatis conſulentium cum Cardin. Deluca, Petra, Monacell. et aliis, ut hoc medio extrajudiciali, tanquam partes, potius utantur, quam medio judiciali, et ordinario, tanquam judices; ut expreſſe Monacell. ad d. c. *Dilecto*, p. 3. tt. 1. form. 39. n. 1. ibi:

XXVI. *Epiſcopus, in ferenda hac cenſura, non debet aſſumere partes judicis, ſed adverſus potentiam, et violentiam renuentium viſitationem, eodem tempore, quo repellitur, gladio eccleſiaſtico, debet, tanquam pars, extrajudicialiter injuriam propulſare, ut habetur in hoc c. Dilecto, de ſent. excom. in 6. et agendo ſic, non aſtringitur ad juris ordinem ſervandum; imo hoc facto ſe reum conſtituit, et adverſarios actores facit, quos oportet conqueri de injuſta excommunicatione, quæ tamen abſque ulla monitione valida, et juſta eſt, ut communiter docent Barb. in d. c. Dilecto, n. 5. et ſeqq. et ſupra Concil. ſeſſ. 25. c. 11. n. 17. de regularib. Genuen. in prax. cap. mihi, 18. n. 2. ubi dat formulam decreti ſcribendam à notario, Ciarlin. contr. lib. 1. c. 65. n. 12. Tamburin. de jur. abbatiſſar. diſput. 17. quæſt. 3. n. 4. Fagn. in c. Procurationes de cenſ. à n. 29. ad 35. et per totum.*

Et hinc reſpondet idem Monacell. ibid. ſub eod. n. 1. ad omnia jura, ac textus in contrarium allegabiles per hæc verba: *Ex hac veriſſima concluſione oritur limitatio, et patet reſponſio ad jura, quæ dicunt, ſententiam excommunicationis ferendam non eſſe ſine cauſæ cognitione, et monitione, ut cap. Nemo, 2. quæſt. 1. c. Sacro, de ſent. excom. et c. 1. cod. tt. in 6. quoniam vindicant ſibi locum, quando epiſcopus procedit ut judex, non autem quando procedit ut pars; et tanquam ille, qui utitur jure ſuo, tanquam per ſpeciem defenſionis, ut hoc caſu; tunc enim ſine cauſæ cognitione, et monitione, tenet excommunicatio, Card. Deluc. miſcellan. diſc. 15. n. 9. ver. ultim. Graff. dec. aur. p. 2. in appendic. lib. 3. c. 1. n. 42.*

XXVII. Hanc etiam reſponſionem inſervire dicebam ad allegatam l. *In cauſæ cognitione*, quæ quidem de judiciali cognitione, ac judiciali proceſſu, aperte loquitur, et non de privato, in quo judices, non *ut judices*, ſed *ut partes*, in defenſionem procedunt, qui præſens caſus eſt. Et quod citata lex ibidem decernit, eſt, quod utrumque auxilium, ordinarium, ſcilicet, et extraordinarium, ſimul non concurrat, ut ex titulo, et Baldi rubrica dignoſcitur ibidem: *Auxilium extraordinarium in ſubſidium introductum, non concurrit cum ordinario:* et in ejuſdem legis contextu ſic diſponitur: *Si communi auxilio, et mero jure munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.*

Ad l. *Scientiam*, ff. ad l. *Aquil.* etiam ex adverſo citatam, dicebam, nec ad rem venire, nec niſi contra producentem inſervire. Nam in hac lege ſolum agitur de ſatisfactione materiali, quando, v. gr. aliquis in defenſionem volens lapide percutere Petrum, per accidens in effectu Paulum percuſſit; vel quando quis idoneum parietem ſuſtulit, qui, ratione damni, domino ejus tenetur.

XXVIII. Imo, in eadem l. et eodem § *Qui*, in titulo, aut rubrica ex Baldo dicitur: *Quod fit ad defenſam, pœnam non meretur.* Ex quo inferebam: ergo, ſi non meretur pœnam, neque ad ſatisfactionem obligat.

XXIX. Allegationibus autem etiam ex adverſo, ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 3. de reform. et ex Barb. arreptis, reſpondebam, etiam contra allegantem adduci: 1. Quia loquuntur de cauſis, ac proceſſibus judicialibus, ut ex verbis ipſius Trid. ibidem: *In cauſis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus eccleſiaſticis*, &c. Ubi etiam Barb. n. 18.

XXX. 2. Quia etiam in terminis judicialibus idem Concil. ibidem ſic decernit: *Quod ſi executio realis, vel perſonalis, adverſus reos hac ratione fieri non poterit; ſit erga judicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas, ferire poterit. In cauſis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel perſonalis, ut ſupra, fieri poterit; erit à cenſuris abſtinendum: ſed ſi dictæ executioni facile locus eſſe non poſſit; licebit judici hoc ſpirituali gladio in delinquentes uti; ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet.*

Et

Et certum omnino erat, me adverſus recurrentes per executionem realem, aut perſonalem, procedere non poſſe, neque eos à contumaciæ nota excuſari, poſt monitionem ipſis directam in declaratoria patris N. complicis in eiſdem violentiis, quæ per extenſum habetur in allegat. 11. n. fin. Et in terminis iſtis, ſecundum conciliarem diſpoſitionem, etiam per alias pœnas procedendo, ad arbitrium meum anathematis mucrone eos ſimul ferire poteram.

3. Tandem; Quia, ut ait idem Concilium ibidem, infra, et idem Barb. ad illud, n. 30. et ad d. c. *Eccleſia S. Mariæ* de conſtitut. n. 13. per verba expreſſiſſima à ſæcularibus miniſtris præ oculis habenda, et mente fideliter ponderanda: *Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici, nequem excommunicet*; *aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti decreto non ſint obſervata*; *cum non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos, hæc cognitio pertineat.*

XXXI. His tandem demonſtratis, pro explanatione illius *debitæ ſatisfactionis* in c. *Olim* commendatæ, dicebam, 1. Eam equidem eſſe ſatisfactionem damnorum, ac diſpendiorum materialium, vel temporalium, ſecundum diſpoſitionem præjactæ l. *Scientiam*, § *Qui*, ff. ad l. *Aquil.* quam quidem citat gl. ipſa dicti c. *Olim*, de reſtitut. ſpoliator. Quod inſuper probatur ex gloſſ. citat. c. *Dilecto*, ubi definita validitate, ac licitudine propulſationis *vim vi repellendo*, pro exceſſu in modo, aut in moderamine debito (quod idem eſt ex ead. gloſſ. citante idem c. *Olim*) deſignatur læſio corporalis dumtaxat, ibid. verb. *Sibimet*; ibi: *Dummodo corporalis læſio non inferatur*: et cum *jura juribus debeant concordari*, c. *Cum expediat*, de elect. in 6. l. *Sed*, ff. de legib. et ex cit. gl. d. c. *Olim*, colligitur injectas fuiſſe manus violentas in templarios, et etiam in res, et domum ipſorum, ut ex contextu ibidem: *Si defendendo jus veſtrum in offenſam ipſius, vel domus militiæ templi, modum forſitan exceſſiſtis*: ad quod Panorm. n. 22. ibi: *Nec ſic pugnantes, ſeu potius defendentes in excommunicationem incidunt, niſi manus miſerint in perſonas, quæ ſine violentia paratæ erant exire domum, vel alias exceſſerint modum, ut hic ſatis colligitur*: hinc ſequitur, *ſatisfactionem debitam*, hic à Pontifice juſſam, eſſe ſatisfactionem materialem, aut temporalem damnorum, vel diſpendiorum, aut jacturarum.

XXXII. Quod ulterius oſtendebam ex verbis ipſis *ſatisfactionem debitam*, id eſt, ſatisfactionem, quæ jam ex jure debita eſt; ubi hæc ſatisfactio ſupponitur jam debita; non ex vi hujus decreti cit. c. *Olim* (hoc enim, non abſolutum, ſed conditionale eſt, ut oſtendit verbum, *Si forſitan*; *et lex non diſponit, quod præſupponit*) ſed aliunde, ex alio titulo, videlicet, ex reſtitutione, aut ſatisfactione pro injuſta damnificatione, naturali jure debita, ex vulgarib. jurib. c. *Damnum*, de regul. jur. in 6. l. *Quod quis ex culpa*, ff. eod. tt.

XXXIII. Dicebam, 2. Quod ſi regius procurator inſiſteret, præter hanc ſatisfactionem materialem, aliam politicam etiam deberi; hæc ſane, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circumſtantias, et qualitatem, meo utique judicio, ac arbitrio, remitti deberet, ex expreſſa diſpoſitione ejuſdem cit. c. *Olim*, de reſtitut. ſpoliator. per illa verba: *Vos magiſtro ſatisfactionem debitam exhibete, ſi defendendo jus veſtrum in offenſam ipſius, vel domus militiæ templi modum forſitan exceſſiſtis*: ut obſervat ad illud Fermoſin. tract. var. q. 1. et ſeqq. et alibi.

XXXIV. Dicebam, 3. Quod, etiam dato, quod in præjacto reſcripto dicti c. *Olim*, formaliter, et cum formalitate pertenſa juberetur, prærequiſitæ contradeclaratoriæ ſatisfactio; cum in ea, in terminis, ac circumſtantiis præſentibus, certe involveretur, non ſolum peccatum mendacii, verum etiam et certum, ac grave, eccleſiaſticæ, et ordinariæ juriſdictionis præjudicium, et inſuper tot ſcandala inter Chriſtianos, ac gentiles, quod in duplici immediata allegatione remanent ponderata, certo certius erat, me ad illam minime teneri; hæc namque eſt ſeria mens Summorum Pontificum in ſimilibus reſcriptis, atque præceptis, ut expreſſe habetur in c. *Cum tenearmur*, de præbend. ibi: *Si non poteſt ei ſine ſcandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo mandatum noſtrum non duxeris exequendum.* Ubi gl. *Et ſic propter ſcandalum quandoque receditur à jure*: c. *Cum olim*, de cleric. conjugat. l. *Nepos*, ff. de uſu, et habit. c. *Non aliter*, 22. q. 2.

XXXV. Dicebam tandem, quod etiamſi formaliter, et terminanter adverſum me haberem reſolutionem citat. c. *Olim*, de reſtitution. ſpoliator. (cujus caſus, ac defenſionis ſpecies diverſiſſima quidem erat à præſenti); cum tamen pro me formaliter haberem deciſionem c. *Dilecto*, de excom. in 6. (cujus materia, ac defenſionis modus propriiſſimus, formaliſſimus, et identicus cum præſenti equidem erat) hujus capitis definitio, utpote propria, utique prævaleret, ac præponenda foret reſolutioni dicti c. *Olim*, utpote diverſæ, ſaltem in defenſionis ſpecie, quæ quidem facta fuit vi materiali, ac temporali, et non gladio ſpirituali cenſurarum præciſe, ſicut præſens defenſio, et quæ in d. c. *Dilecto* continetur.

XXXVI. Proindeque à caſu, et defenſionis modo in c. *Olim* contento, minime argumentari poterat ad caſum præſentem; tum quia *à diverſis non fit illatio*; tum quia exceſſus, vel defectus debiti moderaminis in caſu dicti c. *Dilecto*, non annullavit cenſuram, neque ad aliquam ſatisfactionem obligavit; dato, et non conceſſo, quod procedimentum invalidaret, et ad hanc adſtringeret in caſu d. c. *Olim*; cum tamen ex hoçmet c. etiam evincatur, ſubjectum procedimentum non annullare, imo revalidare, et non ad aliam ſatisfactionem politicam, aut ſpiritualem, vel conſimilem pertenſæ impræſentiarum, quam ad materialem dumtaxat damnorum illatorum conditionaliter obligare.

XXXVII. Ad dicteria, ac ſcommata, quæ regius procurator in allegationes meas dicaciter jaciebat, omnes ex codice, vulgo *Flos ſanctorum*, ſeu *Legenda ſanctorum*, deductas tantum eſſe objectans; reſpondebam; eſſe quidem admiratione dignum, hoc effatum, nedum à Chriſtiano, ſed et à ſenatore regio, gravaminumque miniſtro prodire, qui, ut talis, verſatus eſſe debebat in jure canonico, ſpeciatim in textibus illis, qui cenſurarum validitatem, ſuperioritatem, atque efficaciam decernunt, non obſtante ipſorum regum, atque imperatorum præeminentia; exempla autem in hac, et ſuperiori duplici allegatione adducta, non eſſe tantum ex *Flos ſanctorum* deſumpta, ut Innocentii Papæ, et D. Ambroſii exempla, non ſint etiam adducta ex can. *Duo ſunt*, diſt. 96. D. Gregorii P. ex c. *Tanta*, diſt. 86. Ad quod inſervit etiam gloſſ. in c. *Valentinianus*, verb. *Submittam*, et c. *Quoniam*, diſt. 18. ub. gl. verb. *Communi*, et l. *Si autem*, q. 4. et cod. ub. de crimin. auct. *Quæ in prov.* &c. In quibus textibus etiam reperitur, ipſoſmet imperatores ab uno ſacerdote etiam excommunicari poſſe. Quæ quidem capita juris præſenti expreſſione, ac diſtinctione citata non fuerunt, eo quod regium procuratorem, ut talem, ſatis de illis inſtructum præſupponebam.

XXXVIII. Et ſaltem ratione diei, in qua hæc ultima ſententia prolata eſt, quæ fuit die 30. Julii, in pervigilio D. Ignatii de Loyola, dicebam, debuiſſe criticum ipſum dicacem animadvertere (ſi forſan ejuſdem ſancti vitam legerat) codicis *Flos ſanctorum*, aut legendarum ſanctorum, fortuitam lectionem fuiſſe, quæ divum ipſum, et totam ejus illuſtrem ſocietatem, militiæ Chriſti adſcribi fecit; et è contra piorum librorum lectionis defectum, quamplurimos in funeſtiſſimo principis tenebrarum catalogo deſcribi miſerrime efficere; nam, ut ait D. Laurentius Juſtinianus de regim. prælator. *Sunt venerandæ ſanctorum virtutes in literis annotatæ tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus expoſita, qua ſine offenſione pergere, et ad ſuæ peregrinationis finem intentionem ſiſtere debeant.*

XXXIX. Pro coronide regiam majeſtatem ſubmiſſe, ſed efficaciter ſupplicabam, et ad illam fiducialiter recurrebam, ut, veluti egregius adeo, et famoſus eccleſiæ protector, dignitatis, juriſdictioniſque eccleſiaſticæ, ipſiſque debitæ reverentiæ venerabundus zelator, atque rectiſſimus juſtitiæ obſervator, imo et inſtaurator, eccleſiam ipſam, me, et juriſdictionem meam, ac dignitatem, à notoria hac vi, oppreſſione, atque violentia, à regiis miniſtris injuſte illata, nos

 tueri,

lucti, atque protegere dignaretur; et non obſtantibus rogatoriis chartis, jubere, ut neque illæ, neque vi illarum ultima deciſio ſumenda (ſi in favorem recurrentium prodiiſſet) adimplerentur, aut executioni mandarentur.

XL. Et ad hujus ſupplicationis gratiam, aut juſtitiam facilitandam, duo areſta moderna in duplici recurſu aliquorum meæ congregationis canonicorum ab auditore nuntiaturæ, doctiſſimo pariter, atque rectiſſimo, Aloyſio Barnabo, interpoſito ad ſenatum Ulliſiponenſem, in quo, nedum poſt rogativas chartas expeditas, verum et poſt ultimam in palatino ſenatu reſolutionem, in favorem recurrentium ſumptam, veritate inſpecta, et juſtitia cauſæ, quæ pro alia parte oſtendebatur, ponderata, juſſit regia majeſtas, acta auditori remitti, ut procederet prout de jure, et ut melius ſibi viſum fuiſſet.

XLI. Nec fruſtranea, aut otioſa hæc ſupplicatio fuit; nam utrinque ad ſereniſſimum regem Joannem V. cum actorum copia, partibus recurrentibus, ſequens regium prodiit reſcriptum anno 1726. ad me, et ad proregem ſtatus directum, quo turbidæ huic, atque moleſtæ cauſæ, placidus, ac tranquillus finis impoſitus eſt.

Regium reſcriptum originali idiomate deſcriptum.

XLII. VIce-Rey, e capitaõ geral do eſtado da India, amigo: Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Por cartas do arcebiſpo primas, dos governadores do eſtado, e do procurador da coroa, e chanceller deſſa rellaçaõ, fui informado das duvidas, que ſemoveraõ entre o meſmo arcebiſpo, e o juis das ordens, e provedor das capellas, por occaziao de ſe intrometerem os ditos miniſtros na adminiſtraçaõ das fabricas das igrejas de Salcete, e confrarias do meſmo deſtricto, e de outra, que ha na igreja de S. Lourenço deſſa ilha, cometendo neſta diligencia algũns exceſſos, que o arcebiſpo refere, de que rezultou, que procedendo elle em defenſa da juriſdiçaõ, que pertende ter, para vizitar, e adminiſtrar todas as fabricas das igrejas, e confrarias da ſua diecezi, echegando a proferir cenſuras contra os dictos miniſtros, aſſim pelo motivo referido, como pelo de lhe impedirem a correcçaõ dos ſeus ſubditos, evexarem as teſtemunhas, que haviaõ delatado alguns reos na ſua vizita, ſe interpozeraõ varios recurſos para a coroa, que todos foraõ ſentenciados contra o arcebiſpo; e em hum ſechegou atomar aſſento no dezembargo do paço do eſtado, o qual naõ ſendo cumprido pelo arcebiſpo, ſe procedeo contra elle a temporalides, e ſecontinuaraõ outros procedimentos, a lhe que por intervenſaõ dos governadores, e diligẽcias, que para eſte effeito ſes o ſecretario do eſtado, ſe conveyo no arbitrio de ſe ſuſpenderem os referidos procedimentos de ambas as partes, e darſeme conta delles com o treſlado dos autos, que remeteo o procurador da coroa. E ſendome eſtes prezentes em conſulta do conſelho ultramarino, fui ſervido mandalos remeter a meza do dezembargo do paço, para ſeverem, e examinarem de novo os pontos controverſos pela verdade ſabida, ſem attençaõ a qual quer deffeito, e incurialidade, que houveſſe nos proceſſos; e porque eſta diligencia, ſenaõ pode concluir na prezente monſaõ, tenho mandado recomendar ao arcebiſpo primas, que em quanto lhe naõ participo a minha ultima rezoluçaõ, naõ innove couza alguma nas materias referidas, abſtendoſe de todos os procedimentos, que a ellas pertencerem; e vos ordeno, que mandeis ler eſta carta na relaçaõ, em prezença de todos os miniſtros, e lhes advirtaes, que executem o meſmo, e junctamente lhes eſtranheis ſeveramente a irregularidade, a accelleraçaõ, e notoria paixaõ, comque, por motivos, e fins particulares, que naõ ignoro, procederaõ em todas as contendas referidas, buſcando para iſſo pretextos frivolos, e affectados, eſquecendoſe totalmente da imparcialidade, inteireza, e independencia, que devem obſervar os miniſtros. E eſpecialmente eſtranheis ao dezembargador Manoel Martins Ferreira, e Manoel Ferreira de Lima, os exceſſos, que obraraõ na diligencia de Salcete, os quaes nunca podiaõ ſer licitos, e ao dezembargador Joze Ferreira de Horta, os abſurdos que cometeo em formar da ſua propria letra a minuta para a petiçaõ de hum dos dictos recurſos, de que havia de ſer juis, e fazer na meſma forma outra minuta, de huma certidaõ, que mandou paſſar ao eſcrivaõ da coroa, em penhandoſe tambem em extorquir os vottos dos miniſtros ſeus adjuntos, alem de outros exceſſos, que me conſta haver obrado, indignos do carater com que o honrey; e aos procuradores da coroa, que foraõ nos referidos recurſos, eſtranhareis igoalmente os termos incivis, indecentes, e injuriozos de que uzaraõ nos ſeus requirimentos contra o arcebiſpo, a quem pela ſua dignidade, e peſſoa deviaõ tratar com differente reſpeito, e attençaõ, e imitar aque eu coſtumo ter com peſſoas de ſemelhante carather, advertindo a todos, que ainda que os ſeus procedimentos ſe faziaõ dignos de mais ſevero caſtigo, o ſuſpendo por hora, por juſtas razoẽs, que aiſto me moveraõ; e eſta carta mandareis regiſtrar nos livros de relaçaõ, para que conſte da minha rezoluçaõ. Eſcripta em Lixboa Occidental, a 12. de Abril de 1726. Rey. Para o V. Rey, e cappitaõ geral do eſtado da India.

Idem reſcriptum in Latinum idioma traductum.

PRorex, et dux generalis Indiani ſtatus, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto. Per epiſtolas archiepiſcopi primatis, gubernatorum ſtatus, procuratoris coronæ, et cancellarii ipſius ſenatus Goani, informationem cepi controverſiarum inter archiepiſcopum, et ordinum judicem, atque capellarum proviſorem excitatarum, occaſione prædictorum miniſtrorum intromiſſionis in adminiſtrationem fabricarum eccleſiarum Salſetanæ provinciæ, et confraternitatum ejuſdem diſtrictus, et alterius confraternitatis in eccleſia D. Laurentii inſulæ Goanæ ſtabilitæ, committentibus præfatis miniſtris in ea diligentia aliquos exceſſus, quos refert archiepiſcopus; ex quibus reſultavit, quod ipſo procedente in defenſionem juriſdictionis, quam ad omnes totius ſuæ diœceſis eccleſiarum, et confraternitatum fabricas viſitandas, ac adminiſtrandas habere pertendit, et deveniente ad cenſuraram adverſus prædictos miniſtros fulminationem, tum ob præjactum motivum, tum ob inductum impedimentum, correctionis ejus ſubditorum, tum denique ob vexationem in aliquos teſtes, qui reos aliquos in ejuſdem viſitatione denunciârant, executam, varii recurſus ad coronæ judicium fuerunt interpoſiti, qui omnes contra archiepiſcopum judicati ſunt; et in quodam ad ultimum decretum in palatino ſenatu ſtatus perventum eſt; quod quidem cum ab archiepiſcopo non exequeretur, ad temporalitatum procedimentum adverſus eum eſt deventum, et alia eatenus profecutæ ſunt, quatenus gubernatorum interventu, et diligentiarum ad eundem finem ab ſtatus ſecretario adhibitarum, conventum eſt in arbitrio ſuſpendendi utrinque prædicta procedimenta, et me illorum certiorem reddere cum actorum copia, quam coronæ procurator remiſit. Quæ quidem cum in concilii ultramarini conſultatione mihi præſentia forent, dignatus ſum eadem aulici ſenatus menſæ committere, ut controverſa puncta per notam veritatem denuo examinarentur, ac inſpicerentur, non attenta qualibet incurialitate, ac defectu, qui in proceſſibus interveniſſet. Et quia hujus negotii expeditio uſque ad præſentem navigationis occaſionem perfici non potuit, archiepiſcopo primati reſcribo, ei commendans, ut dum meam ultimam reſolutionem ipſi non participo, nil innovet in materiis præfatis, ab omnibus procedimentis eiſdem attinentibus, abſtinendo; et vobis præcipio, ut hanc epiſtolam meam coram omnibus miniſtris in ſenatu perlegi faciatis, eis animadvertentes, ut idem exequantur; et ſimul ſevere eos increpetis ob irregularitatem, acceleration em, et notoriam malam animi affectionem, qua finibus, ac motivis particularibus, mihi haud ignotis, in omnibus præmiſſis contentionibus proceſſerunt, frivolos, atque affectatos prætextus ad id quæritantes; impartialitatis, integritatis, atque independentiæ, quam miniſtri obſervare debent, penitus obliti. Et ſpeciatim increpabitis ſenatores N. N. ob exceſſus, quos in Salſetana diligentia perpetrati ſunt, qui quidem nunquam eis licere poterant; et ſenatorem N. ob abſurda, quæ commiſit, propria manu exemplar exarans ad ſupplicationem unius ex prædictis gravaminibus, quod, ut judex, judicaturus erat, et ſimiliter aliud conſcribens

Hujus confraternitatis controverſiæ continentur in ſequentib. alleg. 15. et 16.

bens ad atteſtationem, quam coronæ notario extendere juſſit, inſimulque enixe laborans in extorquendis ſuffragiis aliorum miniſtrorum, ejus adjunctorum, præter alios exceſſus characteris, quo eum honoravi, penitus indignos, quos patrâſſe mihi conſtans eſt: et procuratoribus coronæ, qui hoc munus in prædictis recurſibus exercuerunt, æque ſpecialiter corripietis ob terminos inciviles, indecentes, atque injurioſos, quibus adverſus archiepiſcopum in requirimentis ſuis uſi ſunt; quem quidem præſulem, propter ejus dignitatem, ac perſonam, diverſo ſane obſequio, ac reverentia debebant afficere, et meam ipſius, quam erga conſimilis characteris perſonas exhibere ſoleo, plane imitari: omnibus inſuper animadvertendo, quod quamvis eorum procedimenta ſeverioris punitionis digna quidem evaſerant, eam pro nunc juſtis de cauſis ſuſpendere placuit: et hoc reſcriptum in ſenatus libris regiſtrari jubebitis, ut de mea hac reſolutione ſemper conſtare valeat. Datum Ulliſſipone Occidentali, die 12. Aprilis, anni 1726. Rex.

Epiſtola regia mihi etiam eadem die reſcripta, in ſubſtantia, mutatis mutandis, identica omnino erat. Et aliud conſimile reſcriptum eadem die eidem proregi directum ſuper decreto ſenatus Goani, ne laicos per officiales meos capere poſſem, etiam pro criminibus eccleſiaſticis, hæreſi excepta, vide infra allegat. 17. n. 16.

ALLEGATIO XV.

In Reſponſione ad Recurſum Nomine Procuratoris regii intentatum, ſuper Viſitatione, et nova Erectione cujuſdam Confraternitatis eccleſiaſticæ, quam Capellarum Proviſor Sæcularium eſſe prætendebat.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Ratio, cur non reſponderam fundamentis recurſus.*
III. *Propriam recuſationem, contra omne jus, judices regii judicârunt.*
IV. *Et hæc erat nova ſuſpectionis probatio.*
V. *Et etiam indecoroſæ irreverentiæ contra utriuſque juris ſtatuta, quæ citantur.*
VI. *Independenter à titulis utraque confraternitas judicari deberet, eſſe eccleſiaſtica ex præſumptione, ex conjecturis, ex redituum ratione, et ex aliis, uſque ad n.* VIII.
IX. *Poſſeſſio* 10 *annorum inducit præſumptionem tituli.*
X. XI. *Et tandem ex erectionibus.*
XII. *Auctoritas ordinarii, licet quid de facto, præſumitur in* fieri conſuetis, *nec debet ab allegante probari.*
XIII. *Hæc auctoritas non requiritur per modum formæ, ſed per modum conſenſus; et ſolum requiritur* 1. *modo, quando requiritur ad ſupplementum defectus eſſentialis.*
XIV. *Per ſupervenientem approbationem compromiſſi, ſubjicitur confraternitas juriſdictioni ordinariæ.*
XV. *In dubio pro eccleſia eſt judicandum.*
XVI. *Ex titulis, et documentis productis, utraque confraternitas eccleſiaſtica agnoſcebatur, uſque ad n.* XVIII.
XIX. *Sententia ſenatus non judicavit proprietatem, ſed violentiam dumtaxat.*
XX. *Rationum redditio eccleſiaſtico pertinebat.*
XXI. *Notantur clauſulæ aliquæ illius ſententiæ.*
XXII. *Narrativa non faciunt jus.*
XXIII. *Gerundia important tempus infinitum; et reſolvuntur inconditionalia, ſicut ablativa abſoluta.*
XXIV. XXV. *Sententia, quæ tranſgreditur metas ea ſæ, nulla eſt.*
XXVI. *Et lata ſine probationibus, eſt injuſta, et non tranſit in rem judicatam.*
XXVII. *Si proferatur ſuper probandis, etiam eſt nulla.*
XXVIII. *Et pariformiter fundata in falſis informationibus.*
XXIX. *Uniendi, et ſeparandi, eadem eſt poteſtas.*
XXX. *Ex ordinatione ſufficit poſſeſſio prælatorum abſque titulo, etiam in confraternitatibus laicis, ut in eadem libere proſequantur.*
XXXI. *Eccleſia non privatur poſſeſſione, niſi per tres conformes, in judicio competentis.*
XXXII. *Et ſi apparet de alicujus injuſtitia, ſententia revocatur.*
XXXIII. XXXIV. *Confraternitates gaudent reſtitutione in integrum etiam adverſus* 3 *conformes.*
XXXV. *Conſtito de titulis proprietatis, nequit ſpoliatus reſtitui.*
XXXVI. *Contra libertatem eccleſiaſticam nec poſſeſſio, nec quaſi poſſeſſio, etiam inducta valet.*
XXXVII. *Probato defectu proprietatis, de poſſeſſione non eſt amplius agendum.*
XXXVIII. *Antiquiori poſſeſſione probata, recentior præſumitur clandeſtina.*
XXXIX. *Poſſeſſio violenta nil valet, præſertim ſi contra illam proteſtetur.*
XL. *Et, ſine citatione adepta, nulla eſt.*
XLI. XLII. *Conſenſus prælati in nihilo eccleſiæ præjudicat, etiam quoad poſſeſſionem: quæ ſemper eſt penes eccleſiam.*
XLIII. *Poſſeſſio turbida eſt nulla, et non manutenibilis.*
XLIV. *Et etiam habens juris reſiſtentiam.*
XLV. *Rerum corporalium datur dominium, et poſſeſſio; incorporalium vero quaſi dominium, et quaſi poſſeſſio.*
XLVI. *Statutum loquens de poſſeſſione, non extenditur ad quaſi poſſeſſionem.*
XLVII. *Quaſi poſſeſſio non acquiritur in materia juriſdictionis, abſque ſcientia, et patientia epiſcopi.*
XLVIII. *Antiquior poſſeſſio eſt manutenenda, quia poſterior præſumitur clandeſtina.*
XLIX. *Uniendi, et ſeparandi, idem eſt poteſtas, et judicium.*
L. *Confraternitates laicæ, poſt unionem auctoritate eccleſiaſtica, eccleſiaſticæ remanent.*
LI. *Quælibet res de facili revertitur ad ſui naturam.*
LII. *Unicuique licet, quod nullo jure prohibetur, et confratribus licet ſodalitati renuntiare, ec eam denuo ſub eccleſiaſtica juriſdictione erigere.*
LIII. *Confraternitas à principio laica, poſtea per nova ſtatuta poteſt fieri eccleſiaſtica.*
LIV. *Quæ epiſcopus non poteſt,* ut epiſcopus, *poteſt* ut delegatus.
LV. *Qui ſuccedit in alterius jure, eodem uti debet.*
LVI. *Juris executio non habet injuriam.*
LVII. *Actio ſemel extincta, non reviviſcit.*
LVIII. *Fraus, et dolus minime præſumuntur, cum ſint de ſpecie mali.*
LIX. *Epiſcopus in viſitatione debet mores corrigere, et quæ pacis, et unitatis ſunt, inducere.*
LX. *Finis præſentis unionis fuit diſcordiarum, et ſcandali ceſſatio.*
LXI. *Unicuique licet per induſtriam antiquo juri ſuo, et poſſeſſioni reſtitui; nec fraus præſumitur in faciente actum in ſui utilitatem, etiamſi damnum tertio reſultet.*
LXII. *Reintegratio retro trahitur ad priſtinum ſtatum.*
LXIII. *Controverſiæ, an aliquis ſit bene electus, admittendus, male cancellatus,* &c. *pertinent ad eccleſiaſticum.*
LXIV. *Nullitates ſententiæ recurſus.*
LXV. *Ad judicium eccleſiæ ſpectat facere pacem.*
LXVI. *Regiam majeſtatem pro manutentione, et reintegratione ſupplicabam.*
LXVII. *Exitus recurſus, et regium reſcriptum meæ juriſdictioni favorabile.*

I. IN

I. IN eccleſia parochiali D. Laurentii inſulæ Goanæ duplex confraternitas eccleſiaſtica, auctoritate ordinarii erecta, ſita eſt, alia Sanctiſſimi Sacramenti, alia Dominæ noſtræ ſub titulo *Ab auxilio*, quæ quidem, decurſu temporis, in unam confraternitatem dumtaxat, eadem ordinaria auctoritate, adunata eſt, diverſis tamen utriuſque ſodalitatis theſaurariis, ac gazophylaciis, necnon libellis rationum remanentibus.

Poſtmodum vero, cum ſecundæ confraternitatis reditus locupletes fuiſſent, primæ vero pauperculi, conquerebantur aſſidue illius confratres adverſus alios, quod in expenſis nimis gravarentur, et primi allevarentur; non enim æqualiter pro rata ad illas concurrebant. Quare à prædeceſſore méo, illuſtriſſimo domino D. Sebaſtiano de Andrade Pecanha, ſeparationem ſupplicârunt, quam quidem ille, in illius parochiæ, atque confraternitatum viſitatione effici juſſit, comminata ſaccorum ſuſpenſione, et aliis pœnis adverſus renuentes; à qua comminatione, atque ſeparatione, primæ ſodalitatis confratres gravamen ad coronæ judicium intentantes, et nihil omnino reſpondente, aut allegante archiepiſcopo, nec ejus viſitatore, aut promotore (quo fine ignoro) prodiit ſententia in favorem recurrentium per terminos gerundiales, et conditionales, confraternitates illas, non deciſive, ſed narrative, veluti fæculares referens, aut ſupponens, anno meam Indiano ſtatui appulſionem præcedente.

Hinc, cum me à mea prima Salſetanæ provinciæ viſitatione, aliqui, qui vel eam metuebant, vel eis illa diſplicebat, retrahere ſummopere conarentur, fæculari capellarum proviſori ſuaſerunt, ut ad inſtantiam aliquorum primæ confraternitatis ſodalium, ad eam parochialium eccleſiam pergeret, rationem expenſarum ab uno ex illis theſaurariis factarum ſumpturus; quod et ille celeriter effecit; adverſum quem, tamen, pravo illo fine recognito, nolui per cenſurarum comminationes procedere; ſed placuit ſolummodo proteſtationem illi intimare jubere, pro parte juriſdictionis meæ, et ipſius confraternitatis exemptione; et anno ſequenti in viſitatione eccleſiaſtica illius parochiæ, ac confraternitatum cum conſenſu, imo et plauſu utriuſque ſodalium, utramque pluſquam antea adunavi, et pure univi, utramque ad unicam ſimpliciter redigens, cum unico theſaurario, et unico gazophylacio, præcedente primarum extinctione, et nova, cum hac identica unione, ſolemni erectione; à qua quidem erectione, ac confraternitatum viſitatione, regius procurator recurſum interpoſuit: cui tamen nolui reſpondere, eo quod judices rite recuſâſſem, et allegationem juſtitiæ meæ palatino ſtatus ſenatui, pro ultima deciſione ſumenda, reſervabam, quam, ea, quæ ſequitur, forma exhibui.

II. Primo dicebam, Me recurſus fundamentis eatenus non reſpondiſſe, non ex diffidentia juſtitiæ meæ, ſed ex non conſenſu in judicibus deſignatis, quos paulo ante rite recuſaveram; et, pendente recuſationis cauſa, nil reſpondere poteram, ſed proteſtari, ut cum effectu coram actorum notario proteſtatus ſum (qui et hujus proteſtationis terminum, aut teſtimonium in actis per extenſum exaravit) allegandi juſtitiam meam coram judicibus non ſuſpectis. Et, non obſtante ea legitima recuſatione, et his duplicatis, atque iteratis proteſtationibus, lite pendente, progreſſi ſunt in cauſa principali recurſus; quinimo, contra regiæ ordinationis diſpoſitiones, lib. 1. tt. 1. § 14. et lib. 3. tt. 24. nimia celeritate propriam recuſationem, proprii judices ipſi recuſati, judicârunt, ſeſe judices in cauſa, in qua rei exiſtebant, conſtituentes, adverſus omnes utriuſque juris expreſſas diſpoſitiones, l. *Julian.* ff. de judiciis, l. *Qui juriſdict.* 10. ff. de juriſdict. omn. judic. l. unic. cod. *Nequis in ſua cauſ.* Barb. ad ord. lib. 3. tt. 24. Guerr. de recuſat. l. 4. c. 8. n. 8. et reliq.

III. Et quia judices ipſi mutua alternatione reciproce inter ſe diviſi ſunt, ita ut primus et ſecundus judicârint recuſationem tertii; et illico tertius et primus ſeorſim judicârint recuſationem ſecundi; et poſtremo ſecundus, et tertius, recuſationem primi adinvicem; putantes, hac mutua commutatione, ſive reciproca diviſione, evadere notam, et nullitatem judices in cauſa propria incedendi; dicebam tamen, hanc alternam diviſionem, ſeu commutationem minime illam nullitatem, et injuſtitiam evacuare; quia (præterquam quod omnes eodem contextu, et eiſdem articulis, recuſati erant ad omnes cauſas meas præſentes, et futuras) notorium erat omnino, quamplures recuſationis cauſas, ſeu rationes, eſſe identicas, et communes cunctis illis judicibus recuſatis, ſignanter eas, quæ duos ex ipſis judicibus, à me propter violentias ſacrilegas, in rebus fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum executas, extrajudicialiter cenſuratos, ſugillabant, et eas, quæ omnes propter ſacrilegium decretum, de quo allegat. 12. et malam animi adverſum me affectionem, tum ratione procedimentorum *in defenſionem* adverſus duos præfatos miniſtros, et adverſus omnes eos, qui in præjacto ſacrilego decreto convenerant, ad hoc, ut illud revocarent, juxta monitorium in fine allegat. præcedent. extenſum, tum ratione paſtoralium mearum, quæ miniſtros ipſos premebant, in defenſionem immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ, necnon juriſdictionis, ſæpe ſæpius editarum, et aliorum, quæ palam objeceram, et expoſueram.

IV. Addebam inſuper, hoc nullum, violentum, et injuſtum attentatum, à miniſtris ipſis recuſatis commiſſum in judicando proprias recuſationes, eſſe novam, et qualificatam probationem, tum illarum ſuſpectionum, tum juſtitiæ meæ ad eas, objectandas, ex ordin. reg. l. 1. tt. 5. § 4. Coſt. de conſult. dom. ſupplic. annot. 4. n. 6. et 19. præſertim addito, quod ſimul intervenerat, præfatum nullum, ac ſacrilegum decretum die 16. Auguſti in ſenatu ſtatutum (de quo infra) contra expreſſas, nedum juris canonici ſanctiones, c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excommunic. c. *Quoniam*, de immunitat. can. 15. et 16. bullæ Cœnæ Concil. Trid. c. 3. ſeſſ. 25. de reform. verum et jur. civilis notas leges, l. *Privilegia*, l. *Caſſa, et irrita*, cod. de ſacroſ. eccleſ. authent. *de ſanctiſſimis epiſcop. et de eccleſiaſtic. privileg.* et ipſammet regni ordinationem, l. 2. tt. 1. § 13.

V. Omiſſis aliis quamplurimis indecoroſis, ac irreverentibus titulis, quibus me in ſententiis, decretis, delationibus, ordinibus, atque mandatis, crebro afficiebant, obliti prorſus reverentiæ, ac decoris, quibus ipſimet imperatores in ſuis legibus publicis, non ſolum prælatos eccleſiæ, ſed etiam monachos, et clericos, afficere dignati ſunt, ut patet ex titulo citatæ authent. collat. 9. *de ſanctiſſimis epiſcopis, et Deo amabilibus, et reverendiſſimis clericis, et monachis.* Et alio titulo de eccleſiaſticis ibidem: *Beatiſſimum autem archiepiſcopum*; et cod. de epiſcop. *Viri reverendiſſimi antiſtitis*: et aliis pluribus.

His præmiſſis, progrediebar et ad juſtitiæ meæ fundamenta exponenda (quæ ea attentione ponderanda requirebam, quam Gabriel Pereir. de man. reg. commendat, c. 12. n. 8.) et ad contraria recurſus pariter elidenda, formalitate ſequenti, claritatis ergo, §§ diſtincta.

Sect. I.

Quoad titulos:

Oſtenditur præſentem confraternitatem, judicandam quidem fore eccleſiaſticam ex præſumptione; etiam dato, quod de hac qualitate non conſtaret, et res in dubio hæreret.

VI. Omnino independenter à titulis, ac proviſionibus, ſeu decretis erectionis, unionis, atque confirmationis duplicis hujus confraternitatis, dicebam, utramque eccleſiaſticam judicari debere ex multiplici fundamento: 1. Quia in dubio inſtitutionis confraternitatis, an eccleſiaſtica auctoritate, an fæculari, erecta fuerit, præſumitur auctoritate eccleſiaſtica inſtituta. Ita Franc. de eccleſ. cathedral. c. 25. n. 65. et ſeqq. Gutier. l. 1. q. 35. Frederic. conſil. 111. Eugen. conſil. 88. ex gl. in Clem. *Quia conting.* Ciarlin. contr. 116. n. 12. et alii ap. Monacel. p. 2. deciſ. 35. an. 1. et Panimol. intr. citand. et tandem Pegas ad ordin. l. 1. tt. 62. § 39. gl. 46. n. 28. tom. 4. ſic ait: *De verbo* fundado por leigos; *ſed ſi non conſtet, quomodo fuit inſtitutio facta, quid dicendum? Jam ſuperius adverti, præſumi auctoritate epiſcopi factas fuiſſe inſtitutiones, ad quod recurrendum videtur, et ad diſpoſitionem* § 44. *explicat Franc. c. 25. n. 65. et 83. et 156.*

Eandem

Eandem reſolutionem tradit Panimol. dec. 12. annot. 5. n. 14. citando Valaſc. conſil. 105. ac Menoch. præſumpt. l. 6. q. 79. n. 3. et alios plures; ita inquiens: *In dubio tamen locus, in quo exercentur opera pia, erectus præſumitur auctoritate epiſcopi, prout etiam præſumitur hoſpitale.*

VII. 2. Quia, juxta communem opinionem, in hoc dubio, pro conjecturis ſtandum eſt, ut tenet Panimol. cit. Barboſ. de pot. epiſc. alleg. 75. Amoſtaz. de cauſ. piis, l. 4. c. 12. n. 6. Ventrigl. annot. 1. n. 2. Ciarl. contr. 116. et alii apud ipſos. Præcipuas conjecturas ad dubium hoc decidendum aſſignat Monacel. p. 2. dec. 35. n. 1. et 2. per hæc verba: *Confraternitas, attenta antiquitate, et viſitatione ordinarii, præſumitur erecta auctoritate epiſcopi, etſi habeat eccleſiam, et altare, et in eo celebretur, &c. Per. gloſſ. in Clem. Quia contingit, § Cæterum, verb. Altare, de relig. Dom.* Quæ omnia copulative in ſubjecta confraternitate reperiebantur, ut ex adjunctis documentis conſtabat.

VIII. 3. Quia, ſi præſens confraternitas auctoritate ſæculari, et non eccleſiaſtica, erecta foret, ac proinde juriſdictioni regiæ ſubjecta eſſet, aliquod hujus juriſdictionis exercitii exemplum reperiretur, vel in viſitatione aliqua per miniſtrum aliquem ſæcularem exercita, vel in ratione redituum ſumpta, vel in alia actione, quæ juriſdictionis laicæ exercitium importaret. Cum nullum ex his appareret, et ex parte juriſdictionis eccleſiaſticæ præfata omnia oſtenderentur; conſequens erat judicium in favorem iſtius, et minime in favorem juriſdictionis laicæ, ex vulgari axiomate, *Non entis, et non apparentis, idem eſt judicium*, l. *Cum res*, § *Itaque*, ff. de legat. l. *Duo ſunt*, ff. de teſtam.

IX. Confirmabam: Quia decem annorum poſſeſſio ſufficiens eſt ad inducendam præſumptionem tituli, ut tenet Cardin. Deluc. de benefic. diſc. 91. n. 16. Caſſad. dec. 4. n. 8. et 9. ſup. Cancell. Pænia dec. 1004. Coccin. d. 475. Lotter. l. 2. q. 53. n. 31. Vercellen. præpoſituræ coram Bich. dec. 341. et ap. Celſum dec. 130. n. 11. et in aliis. Poſſeſſio autem ordinarii viſitandi duplicem hanc confraternitatem, et ſumendi rationes ab earum primæva inſtitutione, conſtabat ex duplicatis documentis meæ allegationi annexis.

X. 4. Quia prima ſubjecta confraternitas, Sanctiſſimi videlicet Sacramenti, erecta fuerat ab illuſtriſſimo archiepiſcopo primate, D. Fr. Sebaſtiano à D. Petro, anno Domini 1625. ut ex libris regiſtrorum cameræ archiepiſcopalis ſat aperte clarebat, poſt promulgationem bullæ Clem. VIII. anno 1604. et decretorum S. Congregationis eam ſubſecutorum anno 1608. quæ quidem bulla univerſalis fuit, ut ex ea liquet, et aſſerit Gavant. verbo *Confraternitas.* Et cum in ea prohibeatur erectio cujuſlibet confraternitatis, præſertim *Sanctiſſimi Sacramenti*, abſque auctoritate, et conſenſu ordinarii, atque ordinatio, et uſus ſtatutorum, ab eodem ordinario non approbatorum, atque confirmatorum, quæ quidem ipſi ordinario privative pertinere declarantur in eadem bulla, et per poſteriorem S. Congregationis anno 1627. declarationem, de qua Barb. in ſum. apoſtol. collect. 207. n. 13. et de jur. eccleſ. c. 11. n. 27. Franc. de compet. q. 78. n. 11. inde ſequebatur, præſentem confraternitatem auctoritate ordinaria erectam præſumendam; *nam actus ſimpliciter geſtus, eo modo, quo debuit, factus cenſetur*, l. *Gall.* § *Quid*, ff. de liber. et poſthum. l. *Si hæred.* § *Servus*, ff. de teſtam.

XI. Confirmabam: Quia cunctæ novæ hujus confraternitatis erectiones, quæ primam ſecutæ ſunt, approbationes, confirmationes, ſtatutorum, ſeu compromiſſorum ordinationes, imo ipſa adunatio, et ſeparatio, utriuſque adminiſtrationes, regimina, redituum, et expenſarum rationes, et alia hujuſmodi, omnia facta fuerant auctoritate, providentia, et decretis ordinarii, imo et ad ipſorum confratrum requiſitionem, atque ſupplicationem, ut ex productis documentis clarum fiebat: ergo idem judicandum de earum primæva inſtitutione, atque erectione, ſiquidem *à ſimilibus, et à conſuetis, valet argumentatio*, l. *Siquis donat*, ff. de uſufr. l. *Si cert. pet.* ff. de legib. præcipue cum ex camerali regiſtro conſtaret, omnes confraternitates inſtitutas tempore illuſtriſſimorum archiepiſcoporum D. Fr. Sebaſtiani à D. Petro, et D. Fr. Franciſci à Martyribus (qui fuerunt duo præfatarum confraternitatum inſtitutores) erectas quidem fuiſſe auctoritate ordinaria.

XII. Neque obſtare, aiebam, hanc ordinarii auctoritatem eſſe rem de facto; *factum autem non præſumitur, niſi probetur*: reſpondebam namque, 1. Factum hoc ſatis ex præjactis documentis probari: 2. Ex doctrina Coſtæ inſpect. 13. ibi: *Factum præſumitur, nec debet ab allegante probari, in fieri conſuetis, aut uſitatis*, Bald. ad rub. 8. c. de fide inſtrum. juſ. ad l. *Sciendum*, Menoch. &c. et ſic in factis notoriis, aut publicis, c. 1. de poſtul. prælat.

XIII. Præterquam quod, ut bene notat Themud. 1. p. dec. 17. n. 3. impugnans Per. de man. reg. verbum *Auctoritas*, non requiritur *per modum formæ*, ſed *per modum conſenſus*; hic enim *auctoritas* idem valet atque *conſenſus*; ut etiam docet Valaſc. c. 105. n. 5. ad ordin. l. 1. tt. 62. § 39. Et conſtat ex cap. *Cura*, c. *Suggeſtu*, c. *Illud*, c. *Quod autem*, de jur. patron. et ſolum requiritur per modum formæ, *quando requiritur ad ſupplementum alicujus defectus judicii, et capacitatis perſonæ*, ex l. *Obligari*, ff. de auctoritate tutor. et aliis juribus ap. Themud. ibid. n. 5. qui quidem n. 7. ſic concludit:

XIV. *Confraternitates laicorum per conſenſum, et approbationem ſupervenientem ordinarii, quando confirmavit compromiſſum illorum, eccleſiaſticas, et ſubjectas juriſdictioni illius eſſe reputandas.*

Idem docet Oliv. de for. eccleſ. p. 3. q. 34. n. 23. aſſerens, *ſtatuta eſſe formam confraternitatum: et cum forma det eſſe*, ex l. *Julianus*, § de ſignis, ff. *Ad exhibendum*; *ſequitur, quod ſi forma ſit eccleſiaſtica, utique eccleſiaſtica etiam evadet confraternitas*; quod amplius roboratur ex præcitata bulla Clem. VIII. et S. Congregationis declarationibus, et ex his, quæ congerit Barb. de jur. eccleſ. d. c. 11. et collect. 207. n. 13. et ex diſpoſitione regiæ ordin. d. l. 2. tt. 62. § 39. per verba illa: *In quibus non oſtenſum fuerit, fundatas eſſe auctoritate prælatorum, ſed per laicos ſimpliciter*; ubi modificatio illa *ſimpliciter*, quæ eſt reſtrictiva, ac limitativa, ſolum excipit erectionem abſque ullo conſenſu, aut confirmatione ordinarii.

XV. Et, ut ait ipſemet Gabriel Per. de man. reg. c. 7. n. 43. *In dubio, pro eccleſia eſt judicandum*; *ſibi namque ſolum notoriæ violentiæ cognitionem principes reſervârunt.*

Oſtenditur expreſſe, et formaliter, confraternitatem præſentem ſemper auctoritate ordinarii erectam fuiſſe.

XVI. Oſtendebatur hoc, 1. Ex ipſo compromiſſi, aut ſtatutorum titulo, fol. 1. qui ſic recitat: *Compromiſſum, aut regimentum confraternitatis ſodalitii Sanctiſſimi Sacramenti, erectæ in eccleſia D. Laurentii, de licentia domini epiſcopi gubernatoris, D. Fr. Michaelis Rangelii.*

Oſtendebatur, 2. Ex ipſamet confratrum ſupplicatione in eodem compromiſſo extenſa; ibi: *Confratres ſodalitatis Sanctiſſimi Sacramenti, quæ antea erat ſuaviſſimi nominis* Jesu; *ſed poſtquam de licentia domini D. Fr. Michaelis in eadem eccleſia ſacrarium collocatum eſt, et mutata eſt confraternitas ſuaviſſimi nominis* Jesu, *in ſodalitatem Sanctiſſ. Sacramenti . . . Et quia compromiſſum, quo regebantur, erat confratrum* Jesus, *confirmatum à domino archiepiſcopo, D. Fr. Sebaſtiano à D. Petro, cujus licentia, et proviſione, dicta confraternitas erecta eſt*, &c.

XVII. 3. Ex ipſo decreto, ſeu proviſione ad novam erectionem ab illuſtriſſimo domino D. Fr. Franciſco à Martyribus conceſſa, quæ in eodem compromiſſo, fol. 19. reperiebatur, et pro titulo ſic habebat: *Proviſio pro ſodalibus confraternitatis* Jesus, *eccleſiæ D. Laurentii, ad hoc, ut, antiquam confraternitatem deſerentes, aliam erigant Sanctiſſimi Sacramenti*: et, in corpore dictæ proviſionis, ſic aiebat: *Concedimus, quod prædicti confratres, qui antea erant ſodalitatis* Jesus, *nunc denuo eſſe poſſint confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti, ſodalitatis noviter erectæ in eadem eccleſia*, &c. Ex quibus omnibus ſatis conſtabat auctoritas ordinarii in cunctis hujuſce confraternitatis erectionibus.

XVIII. Pariformiter ex productis documentis ſpeciatim oſtendebantur reliqua omnia tum ad regimen ſpirituale, tum ad temporale, harum confraternitatum attinentia, auctoritate ordinaria diſpoſita, et proſecuta fuiſſe; quinimo quædam literæ proviſionales producebantur, eadem auctoritate expeditæ, quibus vetabatur, et annullabatur quilibet contractus, aut tranſactio in bonis ſtabilibus harum confraternitatum abſque prævia ordinarii licentia celebrata: et inſuper oſtendebatur per documenta legitima, ordinarium ſemper viſitâſſe, adminiſtráſſe, rationes ſumpſiſſe, et omnia utrique huic confraternitati ſpectantia ordinâſſe, ac diſpoſuiſſe.

Sect. II.

Quoad nuperi ſententiam recurſus:

Oſtenditur, hanc ſententiam ſolummodo judicâſſe violentiam, quam intercedere dicebat in ſeparatione, et ſaccorum ſuſpenſione, minime vero proprietatem eſſendi confraternitatem laicam, aut eccleſiaſticam.

XIX. Et, 1. Demonſtrabatur ex ipſamet ſententia, qua judicabatur, vim recurrentibus illatam fuiſſe eos privando poſſeſſione unionis, qua conſervabantur, et regebantur per pluſquam triginta annorum ſpatium, et in aliis pœnis comminatis contra renuentes ſeparationi, et in denegatione atteſtationum; et hæc ſunt, quæ etiam in rogatoria charta exprimuntur; nullatenus vero judicata, aut etiam ventilata eſt proprietas utriuſque confraternitatis, ſive juriſdictionis pertinentia.

XX. 2. Quia, quando vicarius generalis, et ſcriba camerarius, ordine prædeceſſoris mei viſitaverant has confraternitates, rationes expenſarum ab earum officialibus ſumpturi, nemo illorum proteſtatus eſt, neque etiam ii, qui in ratione data rei, ac debitores inventi fuerant; et ſolummodo poſt publicationem decreti ſeparationis, et ſaccorum ſuſpenſionis, reclamârunt, atque ad ſæculare judicium recurrerunt; ut ex actis conſtabat.

Ex quo duo evidenter apparebant: 1. Ipſoſmet recurrentes equidem agnoviſſe rationum redditionem ordinario ſane pertinere; et ipſamet recurſus ſententia non diffitetur, imo expreſſe hanc poſſeſſionem ordinario fatetur.

2. Eos à ſolo facto ſeparationis, et ſaccorum ſuſpenſionis, et atteſtationum denegationis, unice recurriſſe; ac proinde ſupra id factum dumtaxat prolatam fuiſſe, et cadere potuiſſe ſententiam; nam ſolum factum illud fuit materia litigii, et accuſatæ violentiæ, non autem confraternitatum proprietas: ſententia autem non extenditur, neque extendi poteſt, ultra ventilata, aut petita, ex vulgaribus juribus, et auctoritatibus infra citandis, n. 24.

XXI. Neque referebat, quod in ipſa ſententia expreſſe ſequentia recitabantur: *Quia eſſendo confraternitates prædictas erectas, atque inſtitutas abſque interventione præfati archiepiſcopi, aut prædeceſſorum ejus, ſunt protectionis domini regis:* et infra: *Quia ſecundum jus incedendo dictæ confraternitates ab erectione ipſa protectionis, ac juriſdictionis regiæ, juriſdictionis alicujus jus in eis acquiri non poterat*, &c.

Reſpondebam namque, 1. Clauſulas illas eſſe ipſammet formalem narrativam ſupplicationis recurſus, ut ex actis evincebatur; in iſtis namque nulla alia probatio, aut documentum reperiebatur, quam ſimplex narratio, et allegatio ſupplicationis, aut petitionis recurſus.

XXII. Certum autem in jure eſt, quod *narrativa jus non faciunt*, c. *Dilecto*, 34. de præbend. gl. in l. 1. cod. *Quando non pot.*

Reſpondebam, 2. Verba illa in ſententia recitata non eſſe aſſertiva, aut deciſiva, ſed mere conditionalia, utpote quæ non per modum indicativum, ſed per participia, aut per gerundia, *eſſendo*, *incedendo*, quæ quidem terminis, aut modis conditionalibus æquivalent, et faciunt hunc ſenſum: *eſſendo*, id eſt, *ſi ſint erectæ prædictæ confraternitates abſque interventione ordinarii, ſunt protectionis regiæ*; ex his quæ Deluc. de legat. diſc. 41. n. 5.

XXIII. Minime autem affirmant, aut decidunt, quod ſint juriſdictionis regiæ; neque enim *gerundium*, quod tempus infinitum importat, æquivalet præſenti, quod tempus finitum, et limitatum demonſtrat; et ex ipſo jure conſtat, *gerundia, et ablativa abſoluta reſolvi in conditionalia*, l. *Facta*, § *Reſcripto*, ff. ad Trebell. Barb. in l. *Cum ſtipulat.* de verbor. oblig. Pacian. conſil. 82. n. 68. Ciarl. l. 1. c. 99. n. 3.

Oſtenditur nullam quidem fore ſententiam, ſi judicâſſet proprietatem, ſeu qualitatem confraternitatis, eſſendi laicæ, *aut* eccleſiaſticæ.

XXIV. Oſtendebam, 1. Quia *ſententia, quæ tranſgreditur metas cauſæ, nulla eſt*, ex c. *Licet*, de ſim. l. *Ut fundus*, ff. Commun. divid. Præſentis autem cauſæ metæ, aut limites continebantur, et unice ſiſtebant, in facto ſeparationis confraternitatum, et comminationis pœnarum contra renuentes; nullatenus autem extendebantur ad proprietatem, aut qualitatem confraternitatum, ut ex ſupplicatione, et actis gravaminis patebat.

XXV. Confirmabam ex communi doctrina, quod in cauſis recurſus, aut gravaminis, utpote ſtricti juris, non poteſt amplius decerni, aut cognoſci, niſi de eo præciſe, quod neceſſarium eſt ad violentiam tollendam, Simanc. de catholic. inſtit. tt. 45. n. 35. Seſſe de inhibit. c. 8. n. 2. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 2. n. 9. Deinde in cauſa hac non eſt litigatum ſuper proprietate juriſdictionis confraternitatum: et quamvis in petitione recurſus allegabatur ſimpliciter, confraternitates has eſſe fundatas abſque interventione ordinarii; *allegare nihil, et allegata non probare, paria ſunt*, Barboſ. axiom. 20. n. 2. et *ſententia ſine cauſæ cognitione, et diſcuſſione, non valet*, l. *More*, ff. de juriſdict. Barthol. in l. 1. in princ. ff. Poſtulat. Themud. dec. 297. n. 7.

XXVI. Et, ut tenet Ciarlin. contr. for. l. 1. c. 232. n. 24. *Sententia ſine probationibus lata eſt injuſta, et nunquam tranſit in judicatum*, Alex. l. 6. conſil. 91. n. 1. Scaccia de ſent. gl. 14. q. 20. n. 8.

XXVII. Oſtendebam, 2. Quia *ſententia eſt nulla, ſi proferatur ſuper probandis, et non ſuper probatis*, c. *Judicat.* 3. q. 7. Pelegr. prax. vicar. p. 2. ſect. 3. ſubſ. 1. n. 87. In actis vero nullatenus probatur, ſed probanda deſiderabatur qualitas, et proprietas præſentium confraternitatum. Et ſi judices ex errore, et ſimplici allegatione falſa, eas judicâſſent eſſe juriſdictionis laicæ; hæc novam inducerent in ſententiam nullitatem; ſiquidem *ſententia ex falſa cauſa, et erronea, eſt notorie nulla*, Themud. dec. 68. n. 19. ex c. *Inter cæt.* ub. gl. et Innocent. Joan. Andr. Abb. Felin. et reliqui *de re judicat.* Alex. conſ. 77. Cardoſ. in prax. verb. *Sententia.* Notorium autem erat è converſo ex titulis, et poſſeſſione publica, confraternitates has eſſe juriſdictionis eccleſiaſticæ.

XXVIII. Neque etiam relevabat, aut evacuabat ſententiæ nullitatem, aſſerere, judices forſan aliquas habuiſſe informationes, quod confraternitates prædictæ juriſdictionis regiæ exiſterent. Non evacuabat, aiebam, 1. Quia id ex actis non apparebat. 2. Quia, ut ait Themud. 3. p. q. 8. ſententia fundata in falſis informationibus eſt nulla, et ſuſtineri non poteſt, l. fin. c. *De legibus*, l. *Si prætor*, 75. § *Marcell.* ff. de judic. Petr. Greg. de benef. Serafin. Abb. Rebuf. Imol. in c. *Int. cæt.* de ſent. et re judic. Rot. dec. 247. &c.

XXIX. Oſtendebam, 3. Quia confraternitates unitæ, et adunatæ fuerant auctoritate eccleſiaſtica, videlicet, per literas proviſionales illuſtriſſimi domini D. Fr. Petri à Silva, epiſcopi Coccinenſis, et hujus epiſcopatus (juxta bullam *paſtoralis* Gregor. XIII.) gubernatoris, ut ex ipſis literis productis manifeſte patebat: ergo eadem auctoritate ſeparari, ac deuniri poterant, ſiquidem *uniendi, ac ſeparandi, eadem eſt poteſtas*; Fagn. in c. *Sicut unire*, de exceſſibus prælat. c. *Cum inferior*, de major. et obed. *Et ejuſdem eſt tollere, cujus eſt condere*; l. 102. § 1. ff. de regul. jur.

XXX. 4. Denique, oſtendebam diſpoſitione ipſiuſmet regiæ ordinationis, l. 1. tt. 62. § 43. ubi non prærequirit titulum, ſed *poſſeſſionem* dumtaxat *de jure ſufficientem*, ad hoc, ut prælati eccleſiaſtici, etiam in confraternitatibus laicis, et locis piis, laicorum auctoritate inſtitutis, in omnibus provideant. Cum autem hæc

hæc poſſeſſio in ipſamet ſententia ordinario fateretur ſuper præfatas confraternitates, et de jure ſufficiat poſſeſſio quadraginta annorum, etiam ad hoc, ut reputetur immemorialis, Per. dec. 52. n. 3. qua quidem longior erat ordinariæ juriſdictionis in has confraternitates poſſeſſio; conſequebatur, ſententiam hanc nullam quidem fore, utpote contra expreſſam ordinationis legem prolatam, Coſta de conſult. dom. ſupplicat. annot. 4. n. 6. et 19.

Oſtenditur aliis fundamentis, quod, etiamſi præmiſſa ſententia proprietatem, et poſſeſſionem juriſdictionis laicæ ſuper præmiſſas confraternitates judicâſſet, non ob id, rebus ſic ſtantibus, juriſdictioni eccleſiaſticæ præjudicaret.

XXXI. Manifeſtum fiebat hoc aſſumptum, 1. Quia eccleſia jure ſuo, ac poſſeſſione privari non poteſt, niſi ad ſummum per tres ſententias conformes, Per. de man. reg. c. 4. n. 5. et c. 12. n. 10. Grat. f. p. 1. c. 103. n. 25. et quidem prolatas in judicio competenti, Solorſan. de jur. Indiarum, l. 3. c. 9. n. 39. et inſuper cum addito, *dummodo ſint validæ, et juſtæ*, Deluc. de judic. diſc. 36. et in præſenti caſu, una tantum ſententia extrajudicialis in gradu recurſus, quæ in re ſententia non eſt, et unica charta rogatoria expedita eſt, de quibus ait Per. de man. reg. c. 4. n. 2. *Ex quibus manifeſte apparet, quod judex regius, quando ad illum ſupplicatur, extrajudicialiter cognoſcit, nec aliquam profert ſententiam; ſed ſolum, cum ſibi conſtat, chartam rogatoriam mittit:* et infra, n. 3. *Chartæ rogatoriæ, quas judex regius mittit ad judices eccleſiaſticos, non præceptum, nec ſententiam continent, ſed ſimplicem requiſitionem, cui ipſi ex urbanitate acquieſcere, vel deferre debent.*

XXXII. 2. Quia, etiamſi tres ſententiæ conformes in judicio competenti prolatæ fuiſſent, ſemel quod de alicujus injuſtitia conſtaret, revocari deberet, ſecundum doctrinam Grat. citat. p. 1. c. 103. n. 25. ibi: *Quando apparet de notoria injuſtitia, ſententia revocatur, quamvis eſſemus in tribus conformibus, ſi non juſtificantur ex actibus probatoriis.* In actis autem nec probatio, nec probationis umbra, qualitatis confraternitatis apparebat pertinendi juriſdictioni laicæ, cum pro pertinentia eccleſiaſticæ, ſaltem præſumptive, probationes claræ extarent; quod quidem novam nullitatem in ſententiam inducebat, Gam. dec. 110. n. fin. Phœb. p. 2. dec. 183. n. 9.

XXXIII. Quinimo, etiamſi poſſeſſio, et proprietas juriſdictioni laicæ beneficium reſtitutionis in integrum competeret, à paritate reſtitutionis bonorum, Franc. de eccleſ. c. 25. n. 188. ibi: *Confraternitates gaudent reſtitutione in integrum, quod etiam extenditur adverſus tres conformes*, Cened. dec. 51. n. 8. Ricciol. in prax. c. 61. n. 14. Grat. et alii apud ipſos.

Confirmabatur hoc ex doctrina ejuſdem Gratiani, et Ciarl. l. 1. c. 105. n. 32. ad 38. et aliorum docentium ex can. *Reintegrandæ*, 3. q. 1. poſſe eccleſiam intra terminum quadraginta annorum (qui quidem terminus communis eſt in præſcriptione rerum eccleſiaſticarum) redintegrari, et reſtitui ad antiquam poſſeſſionem, quando alienatio facta eſt abſque juſta cauſa, aut ſine debitis ſolemnitatibus, etiamſi facta fuerit per viam contractus juramento firmati, etiamſi prælatus juraſſet non contravenire alienationi ipſi, aut remedio redintegrationis, ſive reſtitutionis, non uſurum; quo quidem remedio non ſolum ſucceſſores uti poſſunt, ſed ipſemet prælatus alienans, aut perſona alia nomine eccleſiæ, ad quod ſufficere docent unicam præcedentem poſſeſſionem.

XXXIV. Et n. 35. addit ipſe Ciarlin. quæ ſequuntur: *Nec de prædictis mirandum eſt; quia, licet regulariter quis nequeat facto proprio contravenire, tamen in hac materia prælatus male alienans bona eccleſiæ ſine ſolemnitate, vel juſta cauſa, poteſt eadem bona reſtituere, ſeu vindicare, et repetere, ac renovare, et ad poſſeſſionem reintegrare nomine eccleſiæ, etiam allegando propriam turpitudinem, et contraveniendo ejus facto, cum prævaleat publicus eccleſiæ favor, pro qua agit, et aliena revocat, ad tex. in c. Siquis preſbyt.* &c.

XXXV. 3. Quia conſtando poſtea per titulos pertinere has confraternitates quoad proprietatem juriſdictioni eccleſiaſticæ, etiamſi poſſeſſio pro ſæculari ſtaret, nil officeret illa ſententia: nam in hoc caſu, *Conſtito de titulis, et proprietate, nequit ſpoliatus reſtitui, neque in poſſeſſione aliqua conſervari*, ſecundum doctrinam Menoch. de recuper. reſtit. q. 19. n. 131. Noguerol. alleg. 26. n. 338. Peregr. de fid. commiſſ. a. 52. n. 141. Portug. de donat. p. 2. c. 45. n. 21.

Sect. III.

Quoad poſſeſſionem juriſdictionis laicæ:

Oſtenditur, hanc aſſertam poſſeſſionem neque poſſeſſionem eſſe, neque præjudicare poſſe poſſeſſioni ordinarii.

XXXVI. 1. Quia, ſecundum doctrinam Pignatell. tom. 6. conſ. 34. *Nec poſſeſſio, nec quaſi poſſeſſio, poteſt induci, nec inducta valet, contra immunitatem, libertatem, ac juriſdictionem eccleſiæ*, ex c. *At ſi clerici*, cod. *Clerici, de judic.* can. *Placuit*, can. *Inolita*, 11. q. 1. auct. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et cleric. et magiſtratib.

Accedit Barb. in repert. verb. *Eccleſia, quæ ſemper poſſidere, et jus habere dicitur:* et Per. de man. reg. c. 16. n. 14. et 15. et Peg. ad ordin. tom. 8. l. 2. tt. 9. § 1. gl. 3. n. 5. et Souſ. de for. eccleſ. 2. p. q. 7. n. 3. et alii, expreſſe fatentes juriſdictionem regiam, vel ſæcularem, non poſſe præſcribere contra ordinariam eccleſiaſticam, bene vero è contra, ut clare aſſerit idem Per. ibidem, n. 15. *Præſcriptio contra juriſdictionem regiam permittitur prælatis eccleſiaſticis.*

XXXVII. 2. Quia *poſſeſſio non attenditur, ubi conſtat de proprietate, et denegatur poſſidenti manutentio*, Ciarlin. l. 3. c. 231. n. 26. citans Menoch. de recup. rem. 1. n. 113. et Poſth. de manut. dec. 295. n. 1. et aliquas Rottæ deciſiones; cum quibus concludit, *Quod, probato proprietatis defectu, de poſſeſſione non eſt amplius quærendum, aut diſputandum.* Accedit Reynoſ. aſſerens obſervat. 66. n. 23. quod *notorius defectus proprietatis impedit ſpoliati reſtitutionem*; et Themud. p. 3. dec. 301. n. 26. ibi: *Poſſeſſor non dicitur, qui patitur notorium defectum in proprietate.*

XXXVIII. 3. Quia, etiam dato, quod juriſdictio ſæcularis aliqualem nuperam poſſeſſionem ſuper illas confraternitates haberet, cum poſſeſſio ordinarii foret antiquior, et ſolidior, imo et titulata, utique prævalere deberet, et recentior poſſeſſio clandeſtina reputari, juxta doctrinam Ciarlin. l. 1. c. 115. n. 106. ibi: *Probata antiquiori poſſeſſione, recentior præſumitur clandeſtina*, ad tex. in c. *Licet*, de probat. et de communi teſtatur Gutierr. can. qq. l. 1. q. 34. n. 52. Menoch. Themud. d. 15. n. 101. quod autem poſſeſſio clandeſtina nil intruſo ſuffragetur, nec primo poſſeſſori præjudicet, docent Afflictus dec. 394. n. 6. Reynoſ. conſ. 5. n. 14. l. 4. Piaſec. conſ. 15. n. 6. et conſ. 16. n. 11. et 12. Ciarl. l. 1. c. 5. n. 34.

XXXIX. 4. Quia poſſeſſio illa juriſdictionis ſæcularis fuit violenta, utpote minis, militibus armatis, et carcerationis comminationibus, imo et executionibus, intruſa, ut ex documentis, et teſtificationibus adjunctis, conſtabat. Poſſeſſionem autem violentam nil valere, præcipue ſi contra illam proteſtetur, docet cum communi Grat. for. tom. 3. c. 542. n. 13. et Petr. Barb. de judic. ad l. *Si de vi*, n. 94. addens, ſufficere ad hoc unicam poteſtationem, quia *proteſtatio conſervat jus proteſtanti*, l. 4. § 1. Quib. mod. pignor. gl. in l. *Item Labeo*, verb. *Pure*, ff. fam. cerc.

XL. 5. Quia nemo poſſeſſione ſua, abſque citatione, privari poteſt; quinimo poſſeſſio ipſa, abſque citatione, nulla eſt. Solorſan. de jur. Indiar. l. 2. c. 28. n. 8. Valenſuel. conſ. 58. n. 15. et 16. Portug. de donat. tom. 2. c. 28. n. 134. Grat. tom. 3. c. 436. n. 3. et ſeqq. ex l. *Meminerint*, cod. *Unde vi*, l. fin. cod. *Si per vim:* et ſimiliter, *Poſſeſſorius actus dicitur clandeſtinus, et non manutenibilis, parte non citata*, Ciarlin. l. 2. c. 160. n. 15. In ſententia autem et poſſeſſio ordinario fatebatur, et nullam, nec virtualem citationem præceſſiſſe, ſat ex actis ipſis conſtabat.

XLI. Neque objectari poterat conſenſus tacitus prædeceſſoris mei, eo quod nil recurſui reſponderet, aut defectus procedimenti mei in defenſionem: 1. Quia ego proteſtari juſſi pro parte juriſdictionis meæ, et exemptionis confraternitatis. 2. Quia ſententia

tentia recurſus, non judicavit qualitatem, aut proprietatem confraternitatum, ſed violentiam dumtaxat ſeparationis. 3. *Quia conſenſus prælatorum contra jura, et poſſeſſiones mitræ, et eccleſiæ ſuæ, reputantur tanquam conſenſus perſonarum privatarum*, et in nihilo juribus illis præjudicant, ut ex communis theologorum, et juriſtarum doctrina, Bened. Per. in promptuar. verb. *Princeps*, et verb. *Eccleſia*, Grat. tom. 1. c. 45. n. 24. Menoch. tom. 1. conſ. 39. Tambur. de jur. abbat. diſp. 23. q. 14. n. 4. et 6. Anton. Gob. conſ. dec. 78. n. 3. et 4. ubi ait: *Prælatus, ne quidem reſpectu poſſeſſionis, præjudicium aliquod, ejus facto, inferre poteſt eccleſiæ:* et Ciarlin. l. 1. c. 105. n. 27. ubi cum plurimis ſic tenet: *Eccleſiæ poſſeſſio non poteſt amitti, vel interverti, per ejus prælatum, vel rectorem*, Bartol. in l. 1. *Vir uxor.* ub. gl. Bologn. Abb. Verall. et reliqui.

XLII. Et ratio eſt, quia *eccleſiæ poſſeſſio eſt penes ipſam, et non penes prælatum*, Ciarlin. l. 2. c. 183. n. 62. unde, etiamſi prælatus in ſpolio conſentiat, et habeat ſe pro ſpoliato, eccleſia adhuc poſſidet, et quilibet nomine illius poteſt manutentionem, ac recuperationem intentare. Ciarlin. citat. n. 92. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. fin. n. 18. et 35. et ſeqq.

XLIII. 6. Quia *poſſeſſio turbida, et intricata, eſt nulla, et minime manutenibilis*, ut tenet Ciarl. l. 1. c. 107. n. 32. Veral. dec. 207. n. 1. p. 2. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gl. 45. § 2. n. 39. Poſth. obſerv. 49. ex l. *Quamvis*, 17. ff. de reb. auctor. judic. poſſidend. poſſeſſionem autem turbidam eſſe illam, *quæ auctoritate propria capitur*, dicunt cum communi præcitati AA. et talis fuerat poſſeſſio juriſdictionis laicæ in præſentes confraternitates, ut ex documentis patefiebat.

XLIV. 7. Quia, juxta doctrinam Deluc. de alienat. diſc. 18. n. 13. citantis Poſth. obſerv. 44. et alios, *Poſſeſſio habens juris reſiſtentiam, abſque juſtificatione tituli, non eſt manutenibilis:* manifeſta autem reſiſtentia juris, nedum canonici, verum et regii municipalis, jam ſupra oſtenſa eſt, et talis, quæ etiam excludat juriſdictioni laicæ reſtitutionem, ſeu redintegrationem in poſſeſſione, ex c. *Ad decimas*, de reſtit. ſpoliator. in 6. Gom. in l. 49. *Taur.* n. 138. Card. verb. *Interdict.* n. 36. Reynoſ. obſerv. 45. n. 11. Cov. de ſponſ. 2. p. c. 7. § 5. n. 10. Tondut. tom. 2. p. 2. c. 4. n. 11. Per. de man. reg. c. 29. n. 6. Phœb. 1. p. dec. 27. n. 7. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 33. et 36.

XLV. 8. Quia non verſamur circa materiam poſſeſſionis proprie dictæ, ſed *quaſi poſſeſſionis:* poſſeſſio namque, proprie dicta, verſatur circa res corporales; at vero *quaſi poſſeſſio*, circa res incorporales; ut explicant Gratian. Deluc. et Pignatell. cum communi, et noviſſime Gaſparr. inſtit. civil. p. 3. tt. 11. *de interdictis*, n. 1. ibi: *Sicut rerum corporalium dominium, incorporalium quaſi dominium habemus; ita in primas poſſeſſio, in poſtremas quaſi poſſeſſio cadit.* Jus autem viſitandi, et rationes ſumendi confraternitates, cum formaliter ſit quid incorporeum, ad prædicamentum quidem, non *poſſeſſionis*, ſed *quaſi poſſeſſionis*, pertinere dignoſcitur; proindeque leges municipales agentes de materia ſpolii, ac reſtitutionis, loquuntur de rebus corporeis, quæ rigoroſe poſſidentur, ut viſitur in ordin. l. 2. § 2. tt. 1. diſponente, *poſſe clericum citari coram judice laico pro vi nova in rebus mobilibus, aut immobilibus ſoli*; ad quam Peg. ibidem, gl. 4. n. 75. ait: *Ex his verbis conſtat, quod ſpoliati competit interdictum, pro rebus ſoli, et pro mobilibus. In quo videtur* tex. in l. 1. § 1. de vi; ibi: *Ad eos ſolum, qui de ſolo dijiciuntur*, &c.

XLVI. Et quamvis illa lex favorabilis ſit clerico, quando partes agit *actoris*; odioſa quidem ei eſt, quando *reus* incedit, ut bene notat Peg. cit. ibidem; ſiquidem eſt contra privilegium clericale, et contra jus commune. Quare diſpoſitio illius legis, ac remedium illud reſtitutionis, redintegrationis, ſive manutentionis in poſſeſſione, non debet extendi ad illas res, in quibus, non *rigoroſa poſſeſſio*, ſed *quaſi poſſeſſio* datur dumtaxat, ut ait Gratian. diſcept. for. c. 732. n. 61. ibi: *Incorporalia non poſſidentur, ſed quaſi poſſidentur; et ſtatutum, loquens de continuanda poſſeſſione, non extenditur ad quaſi poſſeſſionem, Butr. in c. fin. n. 13. de cauſ. et poſſeſſ. propriet.* Et infra: *Statutum favorabile comprehendit poſſeſſionem, et quaſi poſſeſſionem, quicquid ſit in odioſis.*

XLVII. Deinde hæc *quaſi poſſeſſio* in materiis diſpoſitionis non acquiritur abſque *ſcientia*, et *patientia* epiſcopi, Tambur. de jur. abbat. tom. 3. dec. 50. n. 6. et 52. n. 11. ex l. 2. cod. de ſerv. et aqu. Salgad. de reg. prot. p. 3. c. 8. n. 16. ex l. penult. de ſervis. Accedit Barb. in report. verb. *Juriſdictio*, ita inquiens: *Juriſdictionis actibus, ſicut in incorporalibus, non acquiritur poſſeſſio, ſine ſcientia, et patientia prælati, et capituli; et ad acquirendam poſſeſſionem contra plures, requiritur omnium patientia; alias contradictio unius faceret, ut quaſi poſſeſſio non acquireretur.* Hæc autem ſcientia, et patientia, non præſumitur, niſi longum tempus intercedat, et actuum multiplicitas, Tambur. cit. dec. 69. n. 16. et 17. ex pluribus deciſionibus Rottæ, Aym. de temp. antiq. 4. p. Put. dec. 217. et 164. n. 2. Longum autem tempus ſolum reputatur, quod decurſum decem, aut viginti annorum excedit, Valaſc. c. 70. n. 2. Canan. l. 1. Ciarlin. l. 1. c. 105. n. 21. Balb. de præſcript. 2. p. 3. princip. n. 83. in l. *Si cum fid.* ff. *Qui et æqui et inſtit.* de uſucap. gl. in rubr. cod. *Quæ ſit longa conſuet.* Alex. in l. *Sciend.* ff. de verbor. oblig. Quæ omnia equidem in illa intruſa viſitatione miniſtri laici, etiam diviſive, minime reperiuntur. Quinimo, etiam dato, quod illa poſſeſſio triennalis foret (quæ tamen ad biennium non pervenerat) hæc intruſis minime prodeſt Themud. dec. 264. n. 9. p. 3.

XLVIII. Denique demonſtrationem hujus § claudebam cum notiſſima doctrina Ciarlin. l. 2. c. 106. qui cum Ludoviſ. dec. 160. et aliis, n. 10. ita ait: *Antiquior poſſeſſio, etiam tranſlata, manutenenda eſt; quia poſterior præſumitur clandeſtina, et turbativa, c. Licet cauſam, Bartol. in l. Si duo, ff. Uti poſſid. Menoch. de retin. remed. 4. n. 725. &c. et hoc adeo verum eſt, ut procedat, etiamſi poſſeſſio junior eſſet titulata, et anterior careret titulo; adhuc enim antiquiori poſſeſſori danda eſt manutentio. Honded. c. 21. Surd. c. 28. Beltram. dec. 171.*

Sect. IV.

Oſtenditur, nullam violentiam interceſſiſſe in nova harum confraternitatum erectione, neque in expenſarum ratione deſumpta, et reliquis diſpoſitionibus.

XLIX. 1. Quia confraternitates hæ unitæ fuerunt auctoritate eccleſiaſtica, ut ex proviſionalibus literis unionis patefiebat, abſque ulla querela, aut contradictione, et ſimiliter abſque ulla injuria, et violentia: ergo abſque his poterant eadem auctoritate ſeparari; ſiquidem *Uniendi, et ſeparandi, eadem eſt poteſtas, ac judicium*, ex l. *Si plures*, 10. § *Filio*, ff. de vulg. et pupill.

Si autem objiciant, duplicem eam confraternitatem ex nova hac erectione, atque identificatione, eccleſiaſtica auctoritate, cum nova forma, et novis ſtatutis, eccleſiaſticam quidem evaſiſſe, cum præjudicio, ac per conſequens cum violentia ſæcularis juriſdictioni illatæ; inferam et ego: Ergo ex vi illius primæ unionis, auctoritate eccleſiaſtica factæ, jam utraque eccleſiaſtica etiam evaſit; proindeque poteram ego in præſenti viſitatione in illas, utpote eccleſiaſticas, citra injuriam alicujus, meam juriſdictionem exercere, eas vel magis adunando, vel ſeparando, vel aliud mihi bene viſum efficiendo.

L. 2. Quia, etiam dato, quod illæ confraternitates ante unionem forent juriſdictionis laicæ, poſt unionem auctoritate eccleſiaſtica inductam, vere et realiter juriſdictioni eccleſiaſticæ ſubjectæ remanſerunt: 1. Quia jam non duæ diſtinctæ, ſed unica ex duplici conflata, nova forma, quæ dat eſſe, novis legibus, ac ſtatutis, eadem auctoritate firmatis, incedebat. Sufficere autem hanc novam ſtatutorum, auctoritate eccleſiaſtica ordinatorum, et confirmatorum, diſpoſitionem, ad confraternitates, quæ antea erant juriſdictionis laicæ, poſtmodum eccleſiaſticas conſtituendas, tenet Oliv. de for. eccleſ. p. 3. q. 34. n. 21. Themud. dec. 264. Donat. tom. 3. tr. 8. q. 2. n. 2. ex c. *Patentibus*, de privileg. Felin. in c. *Sicut*, n. 29. de ſent. et re judic. Sperell. 1. p. dec. 87. n. 8. et 2. p. dec. 153. n. 23. et dec. 155. et alii apud eos.

LI.

LI. 3. Quia, poſito, quod hæ confraternitates in ſua ipſarum prima inſtitutione, eccleſiaſticæ fuerant, etiam dato, quod per poſteriorem nuperam intruſionem remanerent juriſdictionis laicæ *quoad exercitium*, licet non *quoad dominium proprietatis*, facillime poterant nunc tranſire ad ſuum priſtinum, ac primævum ſtatum: nam, ut cum plurimis tenet Raynald. obſerv. crim. tom. 4. ſupplem. 5. ad c. 1. n. 24. *quælibet res de facili revertitur ad ſui naturam*, c. *Ab exordio*, 35. diſt. 1. l. *Si unus*, § *Pactis*, ff. de pactis.

LII. 4. Quia cujuſlibet ſodalitatis confratres valent ei renuntiare, ut tenent Cortiad. tom. 3. dec. 183. n. 7. Amoſtaz. de cauſ. pi. l. 4. c. 12. n. 8. et, ſi ei renuntiare valent, poſſunt utique eam denuo erigere; nullam enim habent prohibitionem in contrarium; *et unicuique licet, quod nullo jure prohibetur*: cum autem ab initio eam erigere poterant cum ſubjectione juriſdictioni eccleſiaſticæ, etiam in nova erectione id efficere valebant, abſque injuria juriſdictionis laicæ, dato, quod hæc præceſſiſſet; tum quia hæc juriſdictio per illam renuntiationem expirârat; tum à paritate capeſſentium ſtatum religioſum, aut eccleſiaſticum, cujus patrimonia, et reliqua bona mobilia, et immobilia, ex ſæcularibus per novum illorum ſtatum eccleſiaſtica fiunt; et à paritate juris patronatus ſæcularis, qui facile tranſit in eccleſiaſticum, ex tex. in c. unic. § final. de jur. patron. in 6. ub. gl.

LIII. Quod quidem ulterius efficaciter confirmabatur ex doctrin. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 34. n. 21. et 22. ibi: *Unum tamen advertat lector; quod, licet à principio confraternitas fuerit laica, et mere ſæcularis, poteſt tamen poſtea fieri eccleſiaſtica, et de juriſdictione eccleſiæ; veluti ſi de novo fiant ſtatuta, et dicatur in eis, quod volunt eam facere, et erigere de novo in eccleſiaſticam; et accedat epiſcopi, vel ejus vicarii auctoritas, et approbatio, ad petitionem ipſorum confratrum; et multo magis, ſi dicant; quem modum erigendi confraternitatem non ſemel vidi, et practicavi. Nam, mutata forma, res antiqua extincta manet; quia forma dat eſſe rei, tex. in l. Julian. § Sed ſiquis, ff. Ad exhibend. ubi Barb. aſſerens, quod, forma mutata, jam res non eſt illa, quæ erat, ſed nova incipit eſſe.*'

Et n. 24. ita ait: *Et liberum eſt confratribus, accedente epiſcopi conſenſu, et auctoritate, confraternitatem eccleſiaſticam eligere; quod eſt de clara mente citatorum ex reg. tex. in l. 1. cod. de ſacroſanct. eccleſ. ubi omnes, quod etiam attenta lege regia permittitur, lib. 3. tt. 62. § 39. licet alias lege regia, l. 2. tt. 18. prohibeatur, ne eccleſiæ, et monaſteria, bona ſæcularia, ſtabilia ſine licentia regia acquirere poſſint. Non obſtant, quod eo ipſo, quod confraternitas creata eſt ſæcularis, effecta eſt de juriſdictione principis ſæcularis, cui præjudicare confratres non poſſunt, mutando eam in eccleſiaſticam: reſpondetur enim, quod juriſdictio temporalis ſemper eſt ſine deminutione apud principem quoad temporalia, licet ex mutatione materiæ in caſu particulari, per accidens, exerceri non poſſit; alias ſequeretur abſurdum, quod ſcilicet nulla bona ſæcularia ad eccleſiæ juriſdictionem pertinere poſſent; et licet ad eccleſiam legitime tranſlata eſſent, ſubjecta tamen manerent juriſdictioni temporali; ac, per conſequens, nulla ſtabilia eccleſiarum bona ſubeſſent eccleſiaſticæ poteſtati, contra jura canonica, imo imperatorum, quod catholicus nullus mediocriter literatus dicet.*

LIV. 5. Quia prælatus ordinarius in viſitationibus, nedum ordinaria juriſdictione, ſed et delegata procedit, ex Trid. ſeſſ. 13. c. 1. et ſeſſ. 24. c. 10. de reform. Panimol. dec. 22. annot. 50. ubi loquens de viſitatione confraternitatum ita ait: *Epiſcopus, quæ non poteſt ut epiſcopus, poteſt tamen ut delegatus Sedis Apoſtolicæ:* et, ut ait Cortiad. loquens etiam de confraternitatibus ſæcularibus, p. 3. dec. 143. n. 143. n. 31. et ſeqq. atque Franc. de eccleſ. c. 25. ibi: *Si crimina perpetrari contingat, vel abrogabit epiſcopus, vel partim temperabit, exemplo eorum, quæ ab initio naſcentis eccleſiæ in ſimilibus partim abrogata, partim permiſſa reperiuntur: de quibus tex. in c. Non oportet, c. Nullus, 44. diſt.*

Idem docent Ventrigl. p. 2. annot. 24. § 1. n. 60. et Donat. in prax. regul. p. 2. q. 40. tr. 8. ubi ait, *Confraternitates poſſe diſſolvi, 1. Mutuo conſenſu illorum, qui eas fundârunt .... 3. Ex præcepto ſuperioris, qui ob delicta eas deſtruat*, l. 1. et 3. ff. *de colleg.* odia autem, querelæ, et litigia, quæ ex unione illa imperfecta reſultârant, ſufficientia delicta reputari poterant ad antiquam unionem extinguendam, et novam conſummatam, et perfectam inducendam; præcipue ſuppoſitis antiquis eorum prædeceſſorum extinctionibus, et novis erectionibus, in quorum officium, atque jura ſucceſſeram.

LV. Et certum omnino eſt, quod *is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet*, reg. 46. de reg. jur. in 6. ut habetur in tex. in l. *Nihil*, de regul. jur. *Nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidve diſſolvere, quo colligatum eſt; ideo verborum obligatio, verbis tollitur; nudi conſenſus obligatio, contrario conſenſu diſſolvitur.*

LVI. In ſumptione autem rationum, etiam violentiam non interveniſſe oſtendebam ex antiqua et continuata poſſeſſione per prædeceſſores meos, et eorum viſitatores; qua poſita, jure meo uti poteram citra injuriam alicujus: *nam juris executio non habet injuriam; et jure ſuo qui utitur, nemini injuriam facit*, l. *Injuriar.* ff. de injur. Quinimo miniſtri regii mihi notoriam injuriam, ac violentiam irrogârunt, illa poſſeſſione mihi uti impedire attentantes, contra expreſſam regiæ ordinationis prohibitionem, l. 1. tt. 62. § 43. et circa confraternitates laicas, etiam quæ ſub immediata regum protectione ſunt, videndam innuebam doctrinam Fagn. in 3. lib. decretal. c. 3. à n. 17. de religioſ. domibus per tot. et c. 2. de xenodoch.

Et quod ſufficiat probabilitas in contrarium ad excludendam violentiam, expreſſe, et nervoſe, cum plurimis tuetur Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 40. et deficiente probabilitate, atque in dubio re mere manente, et citra caſum poſſeſſionis ordinariæ juriſdictionis, notoria eſt doctrina Solorſ. de jur. Indiar. l. 3. c. 14. n. 65. ibi: *Quippe, cum ſemper ſtandum ſit pro juriſdictione epiſcopi, donec contrarium probetur, Roland. conſ. 89. n. 35. 102. Seraph. dec. 1448. n. 1. et epiſcopus utatur de ſua juriſdictione, etiamſi non ſit in poſſeſſione ſubjectionis, contra eum qui allegat exemptionem, donec contrarium probetur conſuetudine, vel præſumptione acquiſitum, Franc. in c. Cum perſonæ; ubi Archaran. et alii de privil. in 6. Rott. dec. 145. Ruc. in prax. c. 54. n. 4.*

SECT. V.

Reſpondetur objectionibus in contrarium.

LVII. 1. Objectabant, poſſeſſionem ordinarii, quamvis titulatam, et continuatam ab inſtitutione primæva confraternitatum, interruptam tamen fuiſſe per illam miniſtri ſæcularis viſitationem; proindeque, loco eccleſiaſticæ, ſucceſſiſſe, atque ſubintrâſſe poſſeſſionem juriſdictionis ſæcularis.

Reſpondebatur, 1. Poſſeſſionem illam juriſdictionis ſæcularis, non fuiſſe poſſeſſionem, ſed intruſionem violentam, et multipliciter nullam, de qua ſupra, § 3.

Reſp. 2. Et, etiamſi fuiſſet poſſeſſio, nunquam tamen ordinariæ juriſdictioni præjudicium valuiſſet afferre; quia in hac confraternitate noviter erecta, ac noviter adunata, nunquam juriſdictio ſæcularis poſſeſſionem habuit; ſed, cum antiquarum extinctione, poſſeſſio hæc conſequenter extincta eſt; proindeque ad novam neque jus, neque actionem habere poteſt; nam *actio, ſemel extincta, non reviviſcit*, l. *Qui res*, ff. de ſolut.

LVIII. 2. Hanc novam erectionem præſumi factam in fraudem regiæ juriſdictionis, quæ in poſſeſſione erat; proindeque minime ordinariæ juriſdictioni ſuffragaturam: nam *fraus, et dolus, nemini debet patrocinare*, l. *Itaque*, ff. de ſur.

Reſp. 1. Quod fraus, et dolus, cum ſint de ſpecie mali, non præſumitur, niſi probetur; et abſolute *dolus, et fraus*, præſumi non debet, ead. l. et l. *Dolui*, 6. cod. de dolo, gl. verb. *Prius*, in c. *Super liter.* de reſcript. et è contra, *Bonum ſemper præſumitur*, l. *Quoties quis dolo*, ff. de probat. allegare autem hanc fraudem, non eſt probare, c. *Dilectus*, 34. de præbend.

LIX. Reſpon. 2. Quia, juxta Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. et 10. de reform. et ſeſſ. 21. c. 8. eod. tt. epi-

ſcopi in viſitationibus debent *bonos mores tueri, pravos corrigere*, populum *ad pacem, innocentiamque cohortari, quæ pacis, et unitatis ſunt inducere, odii ac diſcordiarum ſemina, fomitemque evellendo, atque penitus extinguendo, et cæt.* ad quæ, præter ordinariam poteſtatem, eis ibidem confert delegatam: et quoad pacificationem ſubditorum eadem commendantur epiſcopis in tota diſt. 90. ſignanter can. 9. *Placuit*, et can. 12. *Perlatum eſt:* et omnia prædicta in aliis juris can. *Capitibus*, ut c. 1. *de cenſib.* c. unic. 85. diſt. de quo etiam Fuſc. de viſitat. l. 1. c. 4. et l. 2. c. 7. Fr. Felician. epiſcopus l. 1. tt. 4. Frances de eccleſ. c. 28. n. 284. ibi: *In hac autem viſitatione dyſcolos, et incorrigibiles, et malorum morum ſeminatores acriter puniri præcipit concilium, etiam, ſi opus fuerit, eos expellendo; omnia denique, quæ ad inſtitutum pertinent, procurando.*

LX. Finis autem, ac motivum ſeparationis illarum confraternitatum, à ſodalibus unius illarum ſupplicatæ, et à prædeceſſore meo inductæ, nullus alius fuit, niſi diſcordiarum, odiorum, atque ſcandalorum ceſſatio, ut ex porrecta ſupplicatione conſtabat (et idem fuit finis novæ meæ erectionis, ac perfectioris unionis); quibus quidem de jure et prædeceſſor meus, et ego deferre, et providere tenebamur, quin in hoc dolus, poſita illa juris commendatione, aliqualiter conſiderari queat; tum quia *fraus non dicitur fieri ab eo, qui utitur jure ſuo*, Deluc. de ſerv. diſc. 40. n. 27. tam quia *quod quis mandato facit* (aut juris) *dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe*; reg. 24. de reg. jur.

LXI. Reſpond. 3. Quod, etiam dato, quod nova hæc erectio fieret de induſtria in fraudem juriſdictionis laicæ, nec ideo præjudicaret juri, atque poſſeſſioni juriſdictionis ordinariæ, neque impediret ejuſdem reſtitutionem, ſeu redintegrationem; tum quia *fraus jure non privat*, c. *Quamvis*, de elect. et elect. poteſt. quod quidem confirmatur ex Gen. 27. *Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam*; tum quia unicuique licet antiquæ poſſeſſioni ſuæ, jurique reſtitui, vel per vim, vel per induſtriam, aut dolum; ex c. *Dilecto*, de ſent. excommun. in 6. et toto tt. de cauſ. poſſeſſ. et propriet. et reſtit. ſpoliat. tum quia ex teſtibus productis conſtabat, intruſionem illam ſæcularis juriſdictionis, factam quidem fuiſſe in fraudem ordinariæ; quo ſuppoſito favebat axioma: *Dolo non videtur feciſſe, qui fraudem alterius excludit*, l. *Cum pat.* 79. § *Titio*, ff. de legat. tum denique quia, ut tenet Gratian. forenſ. tom. 1. c. 132. n. 42. et tom. 4. c. 970. n. 23. *Fraus non præſumitur in faciente actum ad ſui utilitatem, quamvis afferat damnum tertio.*

LXII. Tandem objectabant, poſſeſſionem juriſdictionis laicæ eſſe antiquiorem nova poſſeſſione ordinarii per hanc novam erectionem; proindeque ſolam illam reintegrandam, ac manutenendam.

Reſpond. 1. Antiquiorem fuiſſe ordinarii poſſeſſionem, quæ etiam in ipſa recurſus ſententia agnoſcitur, atque fatetur; *et reintegratio retro trahitur ad priſtinum ſtatum*; Ciarlin. cit. c. 105. et c. 103. n. 54. lib. 1.

Reſpond. 2. Reſtitutionem, ac manutentionem in poſſeſſione, debere fieri *re integra, et eadem permanente*, Ciarlin. citat. c. 105. Deluc. de judic. diſc. 38. n. 13. et 14. Præſens autem confraternitas, per antiquarum extinctionem, et novam unius adunatæ erectionem, cum nova forma, et novis ſtatutis, evaſit eſſentialiter diverſa à prima, ac per conſequens non eadem, nec redintegranda.

LXIII. Denique pro comminatione ſuſpenſionis ſacrorum confratribus renuentibus, imo et cancellationis, atque excluſionis à confraternitate, ſubjungebam doctrinam Cortiad. p. 3. dec. 143. n. 31. ubi, loquens etiam de confraternitatibus ſæcularibus, ſic ait: *Si ſit differentia, an aliquis ſit bene, vel male cancellatus à confratria confraternitate, vel ſit recipiendus, vel non, vel an ſit canonice electus ad gubernium, et adminiſtrationem hujuſmodi confratriæ, tales, et ſimiles controverſiæ dirimendæ ſunt per judicem eccleſiaſticum. Sic Bobadil. l. 2. c. 12. et 18. Gutier. l. 1. q. 35. Lotter. l. 2. q. 10. Urritig. de compet. q. 85. Graff. Ricciol. Manfred. et alii.*

Sect. VI.

Oſtenditur nullitas ſententiæ ſuper recurſum prolatæ, et rogativarum epiſtolarum ex vi illius emanatarum.

LXIV. Oſtendebam: 1. Quia recurſus iſte admiſſus, ac decretus eſt, et in illo progreſſum fuit, recuſationis lite pendente; et intempeſtive, atque nimis celeriter, ſententia prolata eſt, et rogativæ chartæ expeditæ. Quod autem ſententia, cum vitiis præmiſſis lata, ſit nulla, tenet expreſſe Peg. ad ord. l. 1. n. 1. in princip. gl. 30. n. 5. ex l. 1. cod. de ſent. ex pr. et quod nulla etiam ſit, ſi proferatur recuſatione legitime interpoſita, tenet Guer. de recuſatione, l. 4. c. 9. n. 25. et 29. præſertim judicantibus ipſiſmet judicibus recuſatis propriam recuſationem, ut ſupra oſtenſum eſt.

2. Quia ſententia illa continebat errorem manifeſtum, et falſam cauſam, quatenus aſſerebat, aut recitabat, confraternitates has abſque ordinarii interventione inſtitutas fuiſſe; et, ſecundum doctrinam Pignatell. tom. 6. conſt. 18. n. 59. quando ſententia continet errorem in facto, illa dicitur ipſo jure nulla, c. *Per tuas*, ub. gl. verb. *Error.* de ſent. excommunic. chartar. de pœn. Innoc. a. 3. n. 127. Accedit Pelegrin. in prax. vicar. p. 2. ſect. 3. ſubſ. 1. n. 87. ex c. *Judicet*, 3. q. 7. Videantur quæ ſupradicta ſunt § 2.

3. Quia ſententia illa prolata eſt ſuper probandis, et non ſuper probatis, de quo ſupra dict. § 2. et Pelegrin. loc. cit.

LXV. Et pro coronide per extenſum ſubnectebam diſpoſitiones canonum diſt. 90. præſertim can. *Studendum*, 7. ibi: *Studendum eſt epiſcopis, ut diſſidentes fratres, ſive clericos, ſive laicos ad pacem magis, quam ad judicium coerceat:* ubi notabam verbum *coerceat*, quod quidem coactionem, et compulſionem ſignificat; et can. *Præcipimus*, 11. ibidem, ubi gloſſ. *Per iſta capita patet, quod ad judicium eccleſiæ ſpectat facere pacem, ut hic, et extra de treuga, et pace*, c. 24. q. 3. et c. *Novit ille*, de judiciis, et reliquis ſupra citat.

LXVI. Denique regiam majeſtatem, ac pietatem, ſupplicabam pro manutentione, ac redintegratione in poſſeſſione mea, ſi forte in ea perturbatus, aut aliqualiter læſus reputarer; ex doctrina Gabr. Per. de man. reg. c. 7. n. 13. § *Quod tamen*, et Cabed. dec. 82. n. 6. et aliorum; et allegationibus iſtis præſentem reſponſionem clauſi die 24. Auguſti anni 1724. quo die etiam ſequentem reſponſionem expedivi.

LXVII. Quibus tamen non obſtantibus, ſenatus palatini ſtatus deciſio contraria prodiit; de qua ad majeſtatem regiam in propria perſona cum actorum exemplari recurrens, promanavit reſcriptum in fine ſuperioris allegationis extenſum. Et ſane in aulico ſenatu Uliſſiponenſi, et reliquis inferioribus, forma illa, proprias recuſationes, cum mutua præfata alternatione, atque diviſione judicandi, penitus reprobata, imo et irriſa quidem fuit.

ALLEGATIO XVI.

In Reſponſione ad ſecundum Recurſum à Proviſore Capellarum interpoſitum ſuper Viſitatione ejuſdem Confraternitatis, ab ipſo violenter, et armata Manu intentata, et ſuper Cenſurarum adverſus eum Comminatione, ac Fulminatione.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Triplex recurſus fundamentum, à procuratore regio intentati.*
III. *Notabilis judicum cautela.*
IV. *Fundamenta invaliditatis, et inſubſiſtentiæ appellationum.*
V. *De jure can. eſt nulla appellatio abſque determinatione judicis* ad quem.
VI. *Ratificatio appellationis nullæ etiam nulla eſt.*
VII. *Appellationi notorie frivolæ non defertur.*
VIII. *Arbitrio judicis relinquitur, qualis ſit appellatio frivola.*
IX. *Regulæ appellationes frivolas dignoſcendi, à DD. aſſignatæ.*
X. *Recurrentes ad curiam ſæcularem plerumque innodantur cenſuris bullæ Cœnæ, ex Caſtr. Pal.*
XI. *Appellatio, cauſa dilationis, non recipitur.*
XII. *Judex à quo frivole appellantem excommunicare poteſt, ut contumacem.*
XIII. *A declaratoria ob violatam immunitatem, non datur appellatio.*
XIV. *Et, licet excommunicatus appellet, nihilominus denuntiari poteſt.*
XV. *Non datur appellatio à judice,* ut executore juris *procedente.*
XVI. *Prælati eccleſiaſtici executores incedunt Concil. Trid. et juris can. decretorum.*
XVII. *Appellans, et poſtea delicta committens, excommunicatur.*
XVIII. *Et ſi, pendente appellatione, innovat, appellationi renuntiare cenſetur.*
XIX. *Contra verum contumacem appellatio non recipitur.*
XX. *Citatio nulliter executa, ſanatur per ſcientiam, vel comparitionem citati.*
XXI. *Declaratio excommunicationis eſt purus actus extrajudicialis.*
XXII. *Declaratio magiſtratus laici in cenſuras, præſumitur de jure valida, præſertim in defenſionem juriſdictionis, vel immunitatis eccleſiaſticæ.*
XXIII. *A comminatione epiſcopi contra incurrentes in cenſuras juris, non admittitur appellatio.*
XXIV. *Excommunicationis declaratoria, ex aliquo titulo nulla, adhuc ſuſtinetur, ſi agatur de facto permanenti.*
XXV. *Sententia excommunicationis tenet, etiamſi lata fuerit ex cauſa falſa, vel minus legitima, vel mala intentione, dummodo poteſtas ſit in excommunicante, ex Baiard. ad Clar.*
XXVI. *Nulla eſt appellatio de jure canonico, qua apoſtoli non petuntur, et ex aliis titulis præſens nulla erat.*
XXVII. *Superioris mandatum non excuſat executorem ab incurſu cenſurarum juris, quando executio lædit juriſdictionem, aut libertatem eccleſiaſticam.*
XXVIII. *Id ipſum expreſſe fatetur Per. de man. reg. tranſcriptus.*
XXIX. *Ante Concil. Trid. familiares epiſcopi fori privilegio in civilibus, et criminalibus, gaudebant.*
XXX. *Etiam poſt Concil. illo privilegio gaudent juxta plures DD. etiam laicos.*
XXXI. *Horum ſententia ex eodem concilio depromitur.*
XXXII. *Hanc firmat univerſalis praxis in omnibus fere regnis Chriſtianis.*
XXXIII. *Et confirmant quamplures S. Congregationis declarationes.*
XXXIV. *Per* familiam epiſcopi, *non intelliguntur ſolum domeſtici, ſed et alii deputati ad ſervitium epiſcopi.*
XXXV. *Extenditur etiam ad referendarios.*
XXXVI. *Qui denegant famulis cardinalium privilegium immunitatis, concedunt privilegium fori.*
XXXVII. *Contraria opinio nec vera, nec communis eſt; imo eſt temeraria, et falſa.*
XXXVIII. *Etiam data probabilitate iſtius contrariæ opinionis, amplectenda, et præferenda eſt, quæ eccleſiaſticæ libertati favorabilior eſt.*
XXXIX. *Sæcularis judex, familiarem epiſcopi detinens, incidit in cenſuras juris.*
XL. *Confirmatur à contrario ſenſu, ex Per. de man. reg.*
XLI. *Hoc privilegium pertinet familiaribus epiſcopi, ratione dignitatis epiſcopalis.*
XLII. *Ignorantia cenſurarum juris à nemine allegari poteſt.*
XLIII. *Medium precatorii ad remiſſionem officialis eccleſiaſtici à judice laico, eſt competens.*
XLIV. *Explicatur Peg. ex adverſo adductus.*
XLV. *Laici, injuſte carcerati à judice ſæculari, ſubſunt protectioni judicis eccleſiaſtici.*
XLVI. *Notoriæ nullitates ſententiæ recurſus ſummarie.*
XLVII. *Sententia recurſus nequit rogare, ut cenſuræ leventur* per contradeclaratoriam; *et ſufficit, quod incurſus ſit dubius, ut leventur per abſolutionem.*
XLVIII. *Præeminentia ſenatoriæ dignitatis non excuſat à fulminatione, ac declaratione cenſurarum à judice eccleſiaſtico.*
XLIX. *Coronabatur reſponſio doctrinis multiplicibus.*

I. EO exceſſus miniſtrorum ſæcularium adverſum me mala animi exorbitavit affectio, ut ſimul cum materia præmiſſi recurſus, novam aliam ad præſentem præmeditarentur, et exequerentur; inſimulque paucis antea diebus novam occaſionem me, atque juriſdictionem meam turbandi perquirentes, in quodam ſtatuto, aut decreto in ſenato ſtabiliendo conſpiraverant, ne laicos per officiales meos capere poſſem, etiam ob crimina mere eccleſiaſtica *(hæreſi excepta)* et ut regius procurator, et criminalis auditor effective è carcere meo cunctos laicos, ibi repertos, extraherent, prout melius in mea charta aggravatoria, ac fulminatoria infra exprimitur, et in regio reſcripto; et confeſtim novi hujus gravaminis occaſionem excogitantes, et executioni mandantes, convenerunt etiam, ut capellarum proviſor ad parochiam D. Laurentii hujus inſulæ Goanæ, prædictas confraternitates in ea ſtabilitas viſitaturus accederet; id etiam ſolicite procurante quodam ſæculari confratre, proviſori acceptiſſimo, in aliorum vindictam, ob denuntiationes in viſitatione mea contra eum datas de gravioribus et ſcandaloſis morum defectibus; quod quidem novum motivum novos ſtimulos ad diligentiam exequendam proviſori addebat. Quem finem aſſecuturus, medium elegit proviſor citationis factæ utriuſque confraternitatis officialibus, ut certo die fores eccleſiæ apertas haberent, ipſumque proviſorem in ea conventi expectarent, totius adminiſtrationis rationem eidem reddituri; ſimulque in eadem citatione varias pœnas, ſi ſecus facerent, minitabatur. Quæ quidem eum reſciviſſem, monitorium edidi, tum in ipſum proviſorem, ne ſeſe in confraternitates illas, utpote mere eccleſiaſticas, introduceret; tum in confraternitatum officiales, ne ei in hoc parerent. Contra decretum vero præmiſſum adverſus eundem miniſtrum, et alios ejus collegas, fere ſimul procedere incepi per alia monitoria, eo modo, quo in ſubjuncta aggravatoria continetur.

Appellationem autem incurialiter, et immodeſte proviſore interponente, armata manu unius cohortis ad prædictam eccleſiam perrexit; et cum citatos officiales non reperiſſet, hoſpitii gratia, et diligentiæ melius proſequendæ, in domum præfati denuntiati

ſe

ſe recipiens, conquiſitos, et inventos, aliquos eorum, vinculis coercitos, inter milites, et circitores ad publicum carcerem fecit conduci, reliquis militibus armatis remanentibus cum capitaneo, et aquilifero, tum ad aliorum terrorem, tum ad novas diſtrictiones, et vexationes alias proſequendas; quas cum dure direque in executionem perficerent, in tantum, ut et primum cameræ meæ referendarium, qui unius ex præmiſſis ſodalitatibus etiam confrater erat, vinculatum in carcerem laicum detruderent, quin iteratis monitoriis meis, et precatoriis mei vicarii generalis parere, aut prædictis violentiis, atque vexationibus abſtinere vellent, contumacia probata, ad eorum declaratoriam ſubnexam deveni; à qua, cum procuratoris regii aſſiſtentia, præſentem recurſum intentârunt, triplici ſequenti fulcimine fundatum.

II. Primum fundamentum ſiſtebat in appellationibus interpoſitis à prædictis proviſore, capitaneo, et aquilifero.

Secundum prætendebat excluſionem privilegii fori, et remiſſionis deprecatæ pro meo camerali referendario.

Tertium ſubſiſtebat in præmiſſi recurſus ſententiâ, allegatione præcedenti, inſinuata.

III. Quibus quidem fundamentis plane per diſtinctos §§ ſatisfaciebam; et ſimul conquerebar alterius miniſtrorum duræ diligentiæ, aut calliditatis, qui putantes, me ſuperiori allegatione in præmiſſo recurſu expediendæ ſimul adſtrictum, minime expediri poſſe ad hanc ſecundam, intra ſolitum terminum, concludendam, præſertim cum ſimul reſponſione ad quandam tertii alterius recurſus rogativam chartam, intra eundem terminum tradendam, præpeditus forem, notarium inſtruxerunt, ut ante elapſum terminum me adiret, acta, vel cum reſponſione, vel ſine illâ, recuperaturus, et cum proteſtatione, ſi in continenti non traderem, id ipſum ſtatim formali atteſtatione, actibus, ſeu actorum exemplari de induſtria ad id reſervato, jungenda teſtificandi: quod et ipſe effecit; ſed cum, et inſtructores omnes deluſi, per alium notarium eccleſiaſticum, paulo poſt illius fraudulentam diligentiam, acta ipſa cum mea ſequenti reſponſione, in manus judicis coronæ regiæ tradere jubens.

Sect. I.

Quoad nullitatem, atque inattendibilitatem appellationis doctoris capellarum proviſoris.

IV. Dicebam ergo, omnes ab appellante proviſore interpoſitas appellationes nullas quidem, et notorie frivolas, atque invalidas fuiſſe: 1. Quia prima, quam coram me, et aliis gubernatoribus in aula, atque tribunali gubernii ſæcularis expeditionis intrepide, ac indecoroſe interpoſuerat, non in ſcriptis, ſed verbo tenus, et cum nulla alicujus cauſæ expreſſione, atque abſque expreſſa, aut virtuali etiam, apoſtolorum poſtulatione, et tandem ſine deſignatione omnino judicis *ad quem*, interpoſita fuerat, dicendo tanto verbaliter, *ſe appellare ab omni diligentia confraternitati S. Laurentii attinente*, ut ex ipſius notarii, quem appellans ſecum deferebat, atteſtatione conſtabat. Prædicti autem omnes defectus ſimul, et eorum quilibet ſingillatim, appellationem illam, nullam, atque invalidam certe reddebant, ex Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſeſſ. 1. ex Pax. in prax. eccleſ. et aliis paſſim, imo et ex ipſo c. *Cordi*, de appellat. in 6. ibi: *Sancimus, ut ſicut in judicio, vel extra, ſuper interlocutoria, vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, cauſa appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat apoſtolos*, &c. *Quod ſi appellator, quæ permiſſa ſunt, non obſervet, reputabitur non appellans.*

V. Et quamvis de jure civili valida ſit appellatio, in qua abſque determinatione judicis ad quem dicitur tantum, *Appello*, ſecundum ſententiam Bartol. et Bald. ap. Pelegr. infra cit. attamen de jure canonico nulla equidem eſt, ut cum Abb. in c. *Inter cæter.* de appellat. et Franc. in c. *Diligenti*, 3. q. 16. et aliis, tenet Pelegr. p. 3. ſeſſ. 1. n. 91.

Secunda autem appellatio ab eodem intermixta in ſupplicatione ad me directa, qua copiam expectabat monitorii adverſus illum promulgati, non abſoluta fuerat, ſed conditionalis tantum; dicebat namque, *ſe appellare caſu, quo ego poſtulatam copiam ei denegarem.* Cum autem eam illi non denegâſſem, ſed liberrime conceſſerim, et ad probationem, quam expetebat, admiſerim, ad nihilum talis appellatio ei ſuffragabatur. Et quamvis in fine ſupplicationis iſtius proferebat, *ſe primam appellationem ratificare, et apoſtolos petere*; attamen ſalva ſemper manebat nullitas non deſignandi judicem ad quem, neque cauſam in ſcriptis exprimendi, de quibus nullitatibus Scacc. de appellat. q. 2. n. 48. et noviſſime Gaſparr. inſt. jur. can. tt. 10.

VI. Deinde, cum nulla fuerit appellatio ratificata, conſequenter etiam ratificans nulla evadit ex l. *Quod obſerv.* 1. de offic. proconſul. cum vulgar.

VII. Aliud autem fundamentum inattendibilitatis harum appellationum deſumebatur ex eo, quod notorie frivolæ forent, ac per conſequens non deferendæ, ex c. *Cum parat.* c. *Appellation.* in 6. ub. gl. verb. *Deferendum*, Gaſparr. ſupra citat. n. 31. imo judex illis deferens lethaliter peccat, Fagn. tom. 2. *ad noſtram*, de appellat. n. 10. Scacc. cit.

VIII. Et quamvis arbitrio judicis à quo relinquatur, qualis ſit appellatio frivola, Scacc. n. 51. Salg. de prot. reg. p. 3. c. 6. n. 42. attamen ex communi DD. placitu ſequentes inducuntur normæ ad appellationem frivolam dignoſcendam, et dijudicandam.

IX. 1. *Appellatio frivola dicitur illa, in qua nulla exprimitur cauſa, vel exprimitur minus legitima*, Scacc. cit. n. 48. et alii apud illum ibidem.

2. *Appellatio frivola eſt illa, quæ eſt inanis, et vana*; quod intellige, *non ſolum quoad fundamenta, ſed etiam in ordine ad finem*; Scacc. ibid. curſ. moral. Salmantic. Caſtr. Pal. de cenſur. bull. Cœn. diſp. 3. p. 1. n. 8. ibi:

X. *Exiſtimo plerumque recurrentes ad curiam ſæcularem, laicamque poteſtatem, hac excommunicatione ligari, quia appellationem frivolam prætexunt; quippe ſic recurrentes appellationem interponunt, non quidem ad curiam ſæcularem, ſed ad Pontificem, ejuſque legatum, ut ex praxi conſtat: at quia non habent animum hanc appellationem perſequendi, ſed ſolum verbo tenus proponunt; ea de cauſa appellationem prætexere, id eſt, fingere dicuntur; frivolam namque, et inanem: cum revera recurſum ad curiam ſæcularem tantum intendant.*

Quod autem ſimilis fuiſſet finis proviſoris appellantis, expreſſe convincebatur ex eventu, et ex eo, quod appellationem nec proſecutus eſt, nec de ea amplius curavit, nedum ut ſciret, an expedita foret; et ſolum verbo tenus appellavit, tum ad meum juſtum procedimentum impediendum, vel ſaltem retardandum; tum ad recurſui locum parandum, atque aperiendum.

XI. Et, juxta manifeſtam juris diſpoſitionem, *Appellatio cauſa dilationis non recipitur*; c. *Quicunque*, 2. q. 6. c. *Cum appellationib.* de appellat. in 6.

XII. Et, juxta doctrinam ſatis communem, de qua Scacc. de appellat. q. 2. n. 49. *Judex à quo poteſt frivole appellantem excommunicare tanquam contumacem*; Abb. Franch. Card. Alex. et alii cum Dec. c. 54. *Solicitudinem.*

XIII. Dicebam præterea, 1. A declaratoria ob violatam immunitatem, non admitti appellationem, juxta declarationes S. Congregationis, de quibus Pignatell. tom. 9. conſ. 51. Sperell. dec. 78. n. 42. Panimol. dec. 96. annot. 2. n. 10. et alii; appellans autem juriſdictionem, libertatem, atque immunitatem eccleſiaſticam multipliciter læſerat, atque in multiplices cenſuras à jure, et ab homine incurrerat, quatenus teſtes viſitationis, ſeu in illa denuntiatores, varie moleſtârat, atque vexârat, et ovium mearum pacem, atque concordiam confraternam turbârat, et juriſdictionem ordinariam, atque delegatam impedierat, atque uſurpârat; quæ omnia cenſuris caventur, c. *Placuit*, c. *Perlatum*, diſt. 60. et can. 13, 14, 15. et 16. bullæ Cœnæ; et in conſt. ſynodalibus, tt. 19, 20. 27. et 28. in quas quidem denuntiari poterat, juxta tex. in c. *Paſtoralis*, § *Verum*, de appellat.

XIV. Ubi reſolvitur, quod *licet excommunicatus ab excommunicatione appellet, nihilominus denuntiari poteſt:* et, ſecundum doctrinam Meirines, Lancelot. et Fontanell. dec. 314. n. 24. ibi: *In materia excommunicationis, declarationem ejus incurſus poſſe fieri, non obſtante*

obſtante appellatione; prout multis tradit Lancelot. de attent. p. 2. c. 12. nedum declaratio, ſed etiam denuntiatio poteſt fieri poſt appellationem, de quo Meyrin. c. 113.

XV. Dicebam, 2. Non dari appellationem à judice, tanquam executore juris procedente, ut clare exponitur c. *Novit*, de appellat. ibi: *Cum ſecundum jus ab executoribus appellari non poſſit*; et c. *Conſuluit*, eod. tt. ub. gl. verb. *Pro hujuſmodi*, ibi: *Non convenit, ut pro hujuſmodi appellationibus ab obſervatione decreti debeas abſtinere.* Quod autem judices eccleſiaſtici declarantes aliquem in cenſuras à lege, vel à ſtatuto, gerant vices executoris, communis doctrina eſt, de qua Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 59.

XVI. Et etiam vulgaris doctrina eſt, prælatos eccleſiaſticos executores incedere decretorum S. Concil. Trid. et juris canonici, ex c. *Nullitas*, 25. q. 1. Rainald. obſerv. crimin. tom. 4. ſupplem. 5. ad c. 5. n. 28. et ut tales, tenentur procedere in juriſdictionis ſuæ libertatis, atque immunitatis eccleſiaſticæ defenſionem, ut eiſdem per idem Concilium gaviter injungitur, ſeſſ. 25. de reform. c. 2. et 20. et alibi. De quo etiam Barboſ. de pot. ep. 2. p. alleg. 3. quia ſubjectus appellans poſt primam ſuam invalidam appellationem, edicto ac monitorio publico (quod in actis adjungebatur) ad valvas propriæ eccleſiæ parochialis affixo, admonitus fuerat; quo minime obſtante, vexationes, atque violentias, ob quas admonitus fuerat, iteraverat, et aggravaverat, ut ex documentis patebat; et ob eas, etiam legitima appellatione non obſtante, excommunicari, et denuntiari poterat.

XVII. Nam *appellans, et poſtea delicta committens, excommunicatur*, ex c. *Præterea*, 1. de appellat. ibi: *Eos appellatio non debet in ſua iniquitate tueri, quominus eorum exceſſus cenſura puniantur.*

XVIII. Et, ſecundum jus, *Appellans, ſi, pendente appellatione, innovat, dicitur renuntiare appellationi*; Scacc. q. 17. l. 2. n. 83. Franch. in c. 42. *An ſit*, de appellat. n. 2.

XIX. 3. Unde hac nova ratione, præter præmiſſam frivolæ appellationis, poterat, ut verus contumax, appellatione non obſtante, excommunicari, ac declarari: nam *appellatio non recipitur, contra verum contumacem*; S. Congregat. in una Rom. 1600. apud Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 15. et quod illa *citatio per edictum habeat vim citationis perſonalis, neque audiatur volens probare ad ſe illam non perveniſſe*, formalis doctrina eſt ejuſdem Pignatell. tom. 2. conſ. 55. n. 6.

Et quamvis in illa citatione aliquis intercederet defectus, et optime hic ſanaretur per appellantis comparitionem; Pelegrin. prax. vicar. 3. p. ſeſſ. 1. n. 56.

XX. Et, ut ait Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 11. *Citatio nulliter executa, ſanatur per ſcientiam citati aliunde habitam, vel per illius comparitionem.* Et citationem unicam ſufficere ad declarandum aliquem excommunicatum, expreſſe tenet cum multis Ciarlin. contr. for. l. 2. c. 148. n. 13.

XXI. 4. Quia, ut docet Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 70. fol. mihi, 182. *Declaratio excommunicationis eſt purus actus extrajudicialis, et tantum declarat quod ineſt.* Et quando appellatio extrajudicialiter proponitur, caret effectu ſuſpenſivo, ita ut judex licite procedat, ut tenet Salgad. de prot. reg. c. 7. n. 19. p. 1. ex c. 1. de appellat. c. *Conſtit.* eod. tt. præcipue in procedimento in defenſionem juriſdictionis lato, ut late exornat Tambur. de jur. abbat. tom. 2. diſp. 14. q. 3. Cujus verba per formal. tranſcripta remanent ſupr.

XXII. Cui cohæret Panimol. dec. 96. n. 1. inquiens: *Quoniam declaratoria magiſtratui laici in cenſuras per ordinarium lata, præſumitur de jure valida, ex cumulatis per Gabr. de ſent. excommunicationis, concl. 5. n. 6. præcipue dum apparet lata pro defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ.*

XXIII. Denique adnotabam ex doctrina Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. quod *Appellatio non eſt admittenda à comminatione epiſcopi facta contra incurrentes excommunicationem, et alias cenſuras eccleſiaſticas à jure latas, ad dicendum cauſam, quare non debeant declarari incediſſe; ſecus, ſi comminatio fiat contra alios delinquentes ad effectum illos excommunicandi ob aliquod delictum, vel crimen, ſub excommunicationis ab homine latæ pœna. S. Congr. Concil. in Tropien. 17. Martii 1619.*

XXIV. Et ex doctrina Petræ ſic docentis, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 15. *Exemplo declaratoriæ excommunicationis, quæ adhuc ſubſtinetur, etiam etſi fuerit ex aliquo motivo nulla, ſi agatur de facto permanenti, quia ſemper accedit novus incurſus in cenſuram, ut docent Panimol. dec. 96. n. 18. Pignatell. tom. 1. conſult. 170. n. 31. ubi utrque refert reſolutionem Sac. Congr. epiſcopor. die 19. Julii 1619. ſcilicet Sac. Congr. reſpondit, nullitatem cenſurarum non attendi, quando quod factum non eſſet, denuo fieri deberet.*

XXV. Et notoriam etiam eſſe dicebam doctrinam Baiardi ad Jul. Clar. 2. p. q. 78. n. 38. quod ſententia excomunicationis teneat, ſive lata fuerit ex falſa cauſa, ſive ex non legitima, et etiam mala intentione, vel ex invidia, dummodo poteſtas fuerit in excommunicatore. Ex quo inferebam cum Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. tom. 3. gl. 16. n. 30. et Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 2. *Non dari recurſum ad tribunalia ſæcularia, quoties judex eccleſiaſticus valide, licet injuſte, procedat.*

Sect. II.

Quoad appellationes capitanei, et aquiliferi, quibus regius procurator aſſiſtebat:

XXVI. Dicebam etiam, has appellationes conſimilibus etiam nullitatibus, ac defectibus laborâſſe; in illis namque neque apoſtoli petebantur, neque cauſa exprimebatur, neque judex ad quem deſignabatur; et quamvis atteſtatio notarii ſæcularis aliqua affectatione has expreſſiones ſub alia generali clauſula palliare conabatur, objiciebam atteſtationes formales, et ſpecificas notariorum eccleſiaſticorum contrarium aſſeverantes; quas quidem, utpote ſpecificas, et individuales, et ut notariorum proprii appellationum judicii, illarum terminos, et clauſulas apprime callentium, prævalituras eſſe dicebam unicæ notarii ſæcularis, et in hac re imperiti, atteſtationi; nam *probatio fortior debiliorem tollit*, l. penult. ff. de teſtam.

Deinde ordinem auditoris generalis, et epiſtolam proviſoris capellarum ab eiſdem, in allegatione propriæ defenſionis coram me exhibitis, eos à cenſurarum incurſu minime excuſabant: 1. Quia præfatum mandatum, et epiſtola, unice tendebant, ut prædicti capitaneus et aquilifer aliquos milites proviſori ipſi deſignarent ad præmiſſas diligentias exequendas; non autem, ut officiales ipſi perſonaliter eas proſequerentur, ut libere effecerunt.

2. Quia poſt aſſiſtentiam ejuſdem capitanei et aquiliferi in parochia illa in ipſorum præſentia, tribus diebus ſucceſſivis, monitorium in eccleſia publicatum eſt, nequis teſtes viſitationis, aut ſodalitatum confratres vexaret, aut moleſtia aliqua afficeret. Et poſt trinam illam monitionem aliquorum confratrum capturam et carcerationem, abſque ignorantia, et cum plena motivi illarum notitia, quam ipſimet palam coram me confeſſi ſunt, executi fuerunt.

XXVII. 3. Quia quantumvis rigoroſum mandatum, ac præceptum ſuperioris ad id haberent, certum omnino eſt, ſuperioris mandatum non excuſare executorem ab incurſu cenſurarum à jure, quando executio jus ipſum, aut eccleſiaſticam juriſdictionem, libertatem, ac immunitatem lædit, ut ſat aperte patet ex canonibus bullæ Cœnæ, ex c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excommunic. ex can. *Siquis*, 17. q. 4. et ex c. *Quantæ*, de ſent. excommunic. ibi: *Facientes, et conſentientes, in pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas. Delinquentibus favere interpretantur, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare.*

XXVIII. Et, ut expreſſe fatetur Per. de man. reg. c. 7. n. 44. *Non erit ſufficiens excuſatio, ſi miniſter dicat, ſe commiſiſſe exceſſum mandato ſui ſuperioris; quia oportebit, ut juſtum alias mandatum exequatur, non contra libertatem eccleſiæ, in caſibus, in quibus judex ſæcularis cognoſcere non poteſt; quia hæc ignorantia, cum juris ſit, non excuſat nec judicem, nec executorem, qui obedire non tenetur, niſi juſta præcipienti: et licet mitius agendum ſit cum miniſtro, qui*

 impe-

imperanti obtemperat, cum ejus non ſit cognoſcere juſte, vel an injuſte, ſuperior judicet, aut præcipiat; tamen non omnino excuſatur à facto, quia hæc excuſatio proderit, ut relevetur à pœna; non tamen evincit, ne conveniri poſſit.

SECT. III.

Quoad privilegium fori, ac remiſſionem mei camerarii referendarii:

XXIX. Certum eſſe, 1. Aſſerebam, quod ante Concil. Trid. familiares epiſcoporum fori privilegio in civilibus, et criminalibus gaudebant, ex c. final. de offic. archidiac. ibi: *Ipſius archiepiſcopi, et hominum, ac familiæ ſuæ cauſis dumtaxat exceptis.* Et ita hunc text. interpretantur infiniti AA. citat. à Fermoſin. in d. c. à Fagn. in c. *Nullus*, de for. compet. Sperell. dec. 128. n. 8. Pignatell. tom. 2. conſ. 51. Peg. ad ordin. tom. 3. l. 2. tt. 1. Guerr. de privil. famil. c. 19. n. 117. et ab aliis infra citandis.

XXX. Certum, 2. Etiam poſt Concil. Trid. gaudere familiares epiſcoporum eodem privilegio fori, tum ex jure, tum ex conſuetudine, tam in civilibus, quam in criminalibus. Ita, præter citatos, Alex. de Nævo apud Fagn. in d. c. *Nullus*, aſſeverans, hanc eſſe communem opinionem legiſtarum, ex l. 1. et 2. cod. de epiſcop. et cler. Ciarl. contr. for. c. 120. n. 56. et ſeqq. ex DD. ſæcularibus eandem reſolutionem amplectuntur Cortiad. tom. 1. dec. 8. an. 121. Menoch. de arbitr. jud. c. 562. n. 13. Gratian. dec. 233. et diſceptat. for. c. 340. Giurb. conſ. 7. et 88. Fontanell. Seſſ. Tondut. Marth. de juriſdict. et alii, cum Baiard. ad Clar. citati à Cortiad. et Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 39. et de pot. ep. p. 3. alleg. 107. Anton. Gob. conſult. dec. 47. ex n. 11.

XXXI. Et hæc ſententia ex eodem Concil. Trid. probatur, quod quidem, ſeſſ. 23. c. 6. de reform. loquitur de privilegio fori limitate quoad minoriſtas dumtaxat, non vero abſolute, et quoad laicos, qui alio titulo, præter ordinis clericalis, hoc privilegio gaudent, ut ex verbis ipſius concilii convincitur; ibi: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum, beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum*, &c.

Et cum hæc limitatio, utpote odioſa, reſtringenda ſit, et non amplianda, c. *Odio*, 15. de regul. jur. l. *Cum quid.* cod. de liber. et poſth. firmata remanet hæc ſententia ex mente ejuſdem Concil. de qua Delbene de immunitate, cum Dian. Megal. Machin. Cambacuit. et aliis, ſic ait c. 4. dub. 15. n. 18. *Unde minus recte ex verbis dicti concilii inferunt adverſarii, privilegium fori familiæ laicalis epiſcoporum abrogatum fuiſſe à Concilio Trident. ut amittant privilegium incluſum in corpore juris, nunquam cenſere derogatum, niſi fiat de ipſo ſpecifica mentio; ſicut ex communi docent* 19 *DD. quos citat, et ſequitur Dian.* 5. *p. tract.* 2. *reſolut.* 1. *item Soar. de legib. lib.* 8. *c.* 38. *n.* 1. *Salaſ. diſp.* 17. *ſect.* 14. *n.* 73. *Sanch. in opuſc. tom.* 2. *lib.* 7. *dubit.* 19. *n.* 20. *Pontius de matrim. lib.* 8. *c.* 19. *n.* 16. *Caſtr. Palaus, tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 21. § 4. *n.* 5. *et Portel. verb. Privilegium, n.* 7. *et* 67. *Quapropter clauſula, non obſtantibus privilegiis, non derogat privilegia in corpore juris incluſa, ut notavit Bartolus in l.* 2. § *Legatus, de judic. quem ſequuntur Moditius, l.* 2. § *fin. Principum placita, dub.* 140. *n.* 6. *et alii paſſim. At quicquid ſit de hoc, familia laica epiſcopi gaudet privilegio fori, ſaltem attenta conſuetudine, ſi non attento jure, ſicuti ſupra dicebam.*

XXXII. Hujus etiam ſententiæ veritatem firmat univerſalis praxis in omnibus fere regnis Chriſtianis, de qua Sperell. d. dec. 28. Delben. citat. Anton. Gob. conſult. dec. 47. per totam: quinimo etiam in noſtro regno Luſitano, ut convincitur ex caſu judicato apud Per. de man. reg. c. 10. n. 13. de quo Per. ait idem Sperell. cit. *Auctor ille, vel invitus, fatetur priorem ſententiam fuiſſe in judicio contradictorio, etiam in curia principis ſæcularis obtentam.* Et maxime animadvertendum eſt, quod crimen hujus caſus non minus, quam violenta quædam fuerit cujuſdam apprehenſi è manibus juſtitiæ ſæcularis extractio. Et ex alio caſu in hac Goana civitate, tempore illuſtriſſimi archipræſulis D. Fr. Auguſtini ab Annuntiatione judicato, quo alius cameræ eccleſiaſticæ referendarius, nomine *Emmanuel de Mello*, qui detentus in carcere laico, laici judicis mandato, in cauſa civili debitæ pecuniæ, ex vi precatorii vicarii generalis hujuſce diœceſis, ad ſuum judicium, atque archiepiſcopalem carcerem, remiſſus fuit.

XXXIII. Confirmant etiam hanc ſententiam plures S. Congregationis declarationes, etiam poſt Concil. Trident. de quibus Pignatell. tom. 2. conſ. 51. ſignanter alia, die 13. Julii 1647. *Familiares epiſcopi gaudent privilegio fori, et poſſunt deferre arma.* Et alia 17. Januar. 1628. apud eundem ibidem: *Familia laica epiſcopi titularis gaudet privilegio fori; eadem Sacra Congregatio* 17. *Januarii* 1628. *his verbis: Sacra Congregatio cenſuit, familiares etiam epiſcopi titularis gaudere debere privilegio fori; ita tamen, ut conveniri debeant, et ſint puniendi ab ordinario loci, in quo degunt, non ab epiſcopo, aut archiepiſcopo titulari.*

XXXIV. Ubi etiam notandum eſt, quod per *familiam epiſcopi*, non intelliguntur tantum domeſtici, qui epiſcopo *inſerviunt* intra domum, *ſed, ut ait Cortiad.* dec. 8. n. 128. *etiam famuli dicuntur, qui ſunt deputati ad aliquod actuale ſervitium, vel officium, Theſaur. dec.* 22. *n.* 2. *Maſcard. de probat. concluſ.* 756. *n.* 1. *Maceraten. var. l.* 1. *c.* 75. *Tondut. de prævent. jud. p.* 1. *c.* 29. *n.* 23. *Barb. de pot. epiſc. p.* 3. *alleg.* 107. *n.* 10. *et jur. eccleſ. univerſ. lib.* 1. *c.* 39. § 4. *n.* 33. *et* 37. *Riccius in prax. reſolut.* 471. *n.* 8. *late Fontanella, dec.* 336. *an.* 12. *p.* 2. *et aliis, n.* 131. *citandi, etiamſi famuli in domo ſua propria comedant, et dormiant, Fontanella de pac. nup. tom.* 1. *clauſ.* 4. *gloſſ.* 10. *et part.* 2. *n.* 68. *in fin. Narbon. l.* 20. *gloſſ.* 1. *n.* 62. *tt.* 1. *lib.* 4. *recop. dummodo non inſerviant dietim, Menochius de arbitr. jud. caſ.* 562. *n.* 14. *Guazin. defenſ.* 20. *c.* 9. *n.* 23. *in fin. Xammar. de fin.* 28. *n.* 13. *p.* 1. *neque ad beneplacitum, Grat. dec.* 233. *n.* 4. *ſed per conductionem ſaltem annuam certa mercede conſtitutam, Decian. tract. criminal. l.* 4. *c.* 9. *n.* 47. *Fontanell. dec.* 336. *n.* 19. *p.* 2. *vel cum perceptione emolumentorum, et lucrorum officii, Maceraten. var. lib.* 1. *reſolut.* 75. *n.* 1. *v. Cæterum, Fontanell. dec.* 336. *n.* 20. *p.* 2.

XXXV. Atque de iſtomet referendariorum officio formaliter loquitur idem Pignatell. eadem conſ. 51. tom. 2. n. 4. et 8. eorum privilegium etiam ad familiares ſuos extendens ex aliquorum opinione per hæc verba: *Alii tandem idem privilegium extendunt ad ſuos familiares, referendariorum utriuſque ſignaturæ, non ſolum ex generali ratione familiaritatis clericorum, ſed etiam ex ſpeciali diſpoſitione Pauli* III. *in conſt. Debitæ conſideratione.*

XXXVI. Et præterea Cardinalis Deluc. denegans famulis cardinalium privilegium immunitatis, eis tamen fori privilegium concedens ita taliter, ut, qui verbaliter tantum eos citaverit ad judicium ſæculare, incidere aſſerat in cenſuras bullæ Cœnæ: familiaribus autem epiſcoporum utrumque privilegium abſolute concedit, et rationem diſparitatis aſſignat, inquiens, de juriſdiction. diſc. 67. n. 4. *Adhuc diverſa ratio eſt; quia epiſcopus dicitur Pontifex in propria diœceſi; ibique habet tribunal erectum cum territorio, ac juriſdictione habituali, etiam in laicos, in pleriſque caſibus, quod extra titulos cardinalitios non congruit cardinalibus, quorum proinde familiaribus exemptionem concedendam eſſe, vel tanquam dativam rationem delicti, vel ſimilis privilegii, vel in reverentiam dignitatis ad effectum prædictum declinationis fori; non autem ad iſtum violationis immunitatis, et incurſus cenſurarum ex ſolo actu remoto citationis verbalis.*

XXXVII. Et quamvis certum etiam ſit, in hac materia dari opinionem in contrarium, attamen erga illam adnotabam, 1. Cum Sperell. d. dec. 128. n. 16. ubi ſic: *Et ſane hæc poſterior opinio, nec vera eſt, nec communis, nec ulla ratione probatur, neque denique ullatenus eſt tenenda; imo tanquam temeraria, et falſa, eliminanda.* Et in ſequenti dec. n. 22. § *Minus*, ſic ait: *Præterquam quod jam à S. Congregatione, etiam S. Pontifice approbante, canonizata fuit communiſſima ſententia, ut præſulum familiares ſint à foro laico exempti, ita ut jam contraria opinio ſit improbabilis, et teme-*

temeraria; et præter id pariter, quod etiam circumſcripta determinatione eccleſiæ, illa contraria ſententia nullo perſuaſibili fundamento fulcita, et tot veris rationibus repugnans, nunquam dici potuit probabilis.

XXXVIII. Adnotabam, 2. Quod, etiam data probabilitate contrariæ opinionis, in utriuſque conſortio amplectenda, et præferenda ea erat, quæ eccleſiæ, atque ejus immunitati, ac libertati magis favet, et periculum in eccleſiaſticas cenſuras incurrendi melius devitat; quod quidem communis doctrina eſt; quam tenent Dian. Bellet. Felin. Caball. Honded. Per. de man. reg. c. 7. § 43. et Sperell. dec. 129. ubi referens caſum monialium Dominicarum, in cenſuram c. *Non ſolum* declaratarum, ob admiſſionem novitiæ cujuſdam ad profeſſionem, ante annum probationis completum, non obſtante probabilitate, qua fundatæ ſunt, quamplurium graviſſimorum DD. theologorum, ut D. Antonin. Paludan. Silveſtr. et aliorum, ſic concludit, poſt S. Congregationis, pro validitate cenſuræ, deciſionem, n. 27. et 28. *Semper adhærendum eſſe opinioni, quæ magis favet eccleſiæ; præſertim, ubi periculum vertitur, cenſuras incurrendi . . . . Ne quidem à cenſura vel pœna à jure lata excuſat probabilis opinio DD. ſecus ſentientium, qua de re habemus egregiam deciſionem Rottæ, quæ determinavit dd. moniales incidiſſe in cenſuram cap. Non ſolum, 2. de regul. in 6. quia poterant, et debebant conſulere canoniſtas potius, quam theologos*, &c.

XXXIX. Adnotabam, 3. Quod ſæcularis judex, epiſcopi familiarem detinens, et remittere nolens, non ſolum incideret in cenſuram bullæ Cœnæ, can. 16. contra impedientes ordinariæ juriſdictionis latam, ſed etiam in cenſuram can. 17. ejuſdem bullæ *Contra uſurpatores* ejuſdem juriſdictionis vibratam, ut, in ſimili caſu, expreſſe tenet Sperell. dec. 129. n. 18. ibi: *Unde judex laicus carcerando dictum familiarem epiſcopi, cum impediebat, ne ſua in dictum familiarem uteretur juriſdictione, et incidit in c. 6. bullæ Cœnæ Domini, aut alias impediunt*, &c.

Et n. 19. ibid. ſic ait: *Rurſus, cum epiſcopi familiares ſint de illius foro, ut pariter in præcedenti late firmavi, utique judex ſæcularis nullam in eis habens juriſdictionem, uſurpavit illam ad præſulem ratione epiſcopatus ſpectantem, et conſequenter incidit in aliam cenſuram ab eadem B. fulminatam contra uſurpantes juriſdictionem ad epiſcopum, ratione epiſcopatus, ſpectantem, ut pariter in puncto obſervat Duart. loc. cit.*

XL. Quod quidem et à paritate, et à contrario ſenſu, confirmabam ex doctrina Per. de man. reg. c. 7. n. 24. et 43. ibi: *Dum epiſcopus ſuum ſubditum revocat, nihil aliud intendit, quam impedire exercitium juriſdictionis regiæ . . . . Et quando illa impeditur, quodammodo uſurpatur.*

XLI. Quod autem hoc privilegium fori familiaribus epiſcopi pertineat ratione *dignitatis epiſcopalis*, affirmat, cum plurimis, Grat. for. cap. 340. n. 1. ibi: *Notarius epiſcopi debet gaudere fori privilegio, non ſolum quia eſt de ipſius familia, ſed etiam quia dicitur curialis, et de juriſdictione epiſcopi, et illi neceſſaria, ita ut ſine eo officium exerceri commode non poſſit; et, per conſequens, privilegium fori, quod habet epiſcopus, tanquam principalis, et caput, trahetur etiam ad ejus membra acceſſoria, et appendice, ex notatis per DD. in c. fin. de offic. archid. et in ſpecie de notario, quod hæc ſit verior opinio, multis auctoritatibus, et rationibus comprobavi dec. 133. quibus poteſt addi, quod hæc ratio incommoditatis, non ſolum conſideratur in familis epiſcoporum, quibus conceditur privilegium fori ex favore magis ſpeciali epiſcopis tributo, Socc. in c. 1. dec. 18. Auſr. de pot. ſæcul. reg. 2. ſed etiam erit attendenda dicta incommoditas in ſervis, colonis, ac aliis de familia clericorum*, &c.

Idem repetit, ac reſolvit, dec. 233. per tot. et eandem reſolutionem tradunt Menoch. de arbitr. jud. l. 2. centur. 6. c. 572. Fermoſin. in d. c. de offic. archidiac. Fontanell. dec. 336. an. 7. privilegium extendens, nedum ad notarios, ſed etiam ad amanuenſes, nuntios, ſcriptores, et curſores, et ad omnes illos, ſine quibus epiſcopalis juriſdictio commode exerceri nequit. Et n. 13. ibidem ſic ait: *Ex prædicta ratione habentur pro familiaribus gaudentibus privilegio, veluti notarius, ſcriptores curiæ epiſcopi, item cancellariæ officium exercens, fiſcalis, nuntii, cuſtodes carcerum, lictores, quia ſolum ſunt deputati ad particularia officia et, officia epiſcopi; maxime quando, prout eſt in omnibus prædictis, officiales, et miniſtri ſunt neceſſarii taliter, ut ſine eis juriſdictio epiſcopi, et ejus officium, et ejus miniſterium exerceri commode non poſſit: cum enim iſti ſint dependentes ab epiſcopo, ita ut ſine illis commode officium ſuum exercere non valeat, eſt eis concedendum hujuſmodi privilegium, prout conceditur regulariter illis, ſine quibus privilegiatus non poſſet uti privilegio ſuo. Grat. dec. 233.*

XLII. Adnotandum, 4. Cum Fontanell. dec. 313. n. 9. *Ignorantiam bullæ Cœnæ Domini, et cenſurarum illius, à nemine allegari poſſe, neque admitti alicui.* Quod etiam proſequitur ipſemet Per. de man. reg. c. 7. § 44. inquiens: *Hæc ignorantia, cum juris ſit, non excuſat nec judicem, nec executorem, qui obedire non tenentur, niſi juſta præcipienti: et licet mitius agendum ſit cum miniſtro, qui imperanti obtemperat, cum ejus non ſit cognoſcere juſte, vel an injuſte, ſuperior judicet, an præcipiat; tamen non omnino excuſatur à facto, quia hæc excuſatio proderit, ut relevetur à pœna; non tamen evincit, ne conveniri poſſit.*

XLIII. Adnotandum, 5. Medium precatorii, quo vicarius meus generalis ad remiſſionem officialis mei uſus eſt, competens quidem fuiſſe, ex praxi, et exemplis, tum in ſimili præfato caſu Goano, tum in Ulixbonenſi, de quo Per. de man. reg. d. c. 10. n. 13. Quin officiat allegatio Peg. ex adverſo citati, tom. 8. pag. 183. ibi namque loquitur de exceptione à reo ad forum declinandum, et per articulos formales oppoſita, de quibus, priuſquam remittatur, judex laicus cognoſcere debet, ut ex verbis ipſiuſmet Peg. liquet, ibid. n. 10. *Cum vero opponitur exceptio, debet poni in ſcriptis*, &c. Non vero loquitur de caſu, quo, non excipiente, imo tacente, judex eccleſiaſticus ejus remiſſionem deprecatur, eo quod fori privilegio gaudeat, vel foro ſuo attineat; in hoc enim ipſemet Peg. ibidem, n. 7. ſic ait: *Imo, ſi rei accuſati omnino tacuerint, nec oppoſuerint exceptionem clericatus, poterit judex eccleſiaſticus repetere tales clericos à judicibus ſæcularibus, etiamſi ipſi confeſſi ſunt, ſe eſſe laicos. Bald. in l. Si qua, Cov. c. 3. Sperell. dec. 132. et 133.*

XLIV. In alio autem loco ex adverſo allegato, n. 53. p. 196. loquitur idem Peg. de remiſſione illius, qui, per articulos, ſe clericum eſſe non probavit, de quo ſic ait: *Si non probavit legitime, non eſt remittendus; neque in hoc caſu admittitur precatorium judicis eccleſiaſtici, ad hoc, ut remittatur clericus.*

XLV. Quinimo, ſtante certitudine, quod referendarius iſte innocenter ex parte ſui, et injuſte ex parte judicis laici carceratus fuerit, dicebam, me citra injuriam, etiam à fori privilegio independenter, jure illo uti poſſe, de quo Raynald. obſervatio. crimin. tom. 4. ſupplem. 5. ad c. 1. ibi: *Laici injuſte carcerati à judice ſæculari, ſubſunt protectioni judicis eccleſiaſtici, et judex eccleſiaſticus poteſt ſæculari præcipere, ut liberet captos, quos injuſte detinet, Avendan. prætor. c. 19. n. 8. Azeved. recop. l. 4. tt. 1. Solorſ. de jur. Indiar. lib. 3. c. 7. referens caſum deciſum, in quo excuſatio epiſcopi ex his fuit recepta.*

Sect. IV.

Quoad recurſus ſententiam, qua recurrens fundabatur; et quoad alia ab eo allegata, et requiſita:

XLVI. Quoad ſententiam recurſus objiciebam notorias illius nullitates, ſuperiori alleg. 15. expoſitas, et manifeſtos ejus errores, ac falſitates, quæ nullitatem certo de jure, et de facto, inducebant, ex c. *Putans*; ubi gloſſ. verb. *Error*, de ſent. excommunic. Pignatell. tom. 6. conſ. 18. n. 58. Chartar. de pœn. a. 3. n. 127.

XLVII. Quoad requirimentum autem recurrentis, ad hoc, ut regii judices cenſuras levare, aut tollere, media publica contradeclaratoria juberent; aperte dicebam, et clare oſtendebam, nullum adeſſe jus, nec recurrenti ad ſimilem contradeclaratoriam expetendam, nec regiis miniſtris ad eam commendandam, aut rogandam, ut convincenti, atque efficaci evidentia jam ſupra oſtenderam, alleg. 15. et ſufficere addebam,

bam, incurſionem cenſurarum eſſe dubiam, ad hoc, ut cenſuratus ab illis abſolvi deberet, et abſolutionis medio, non contradeclarationis, ab eiſdem expediendus foret, de quo Per. de man. reg. c. 12. Petra in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 3. n. 15. et 8. tom. 1. et hoc, etiam non obſtante appellatione à cenſurato interpoſita, ut ſancitur in c. *Venerabili*, § *Porro*, de ſent. excom. in 6. ibi: *Similiter, ſi ſuffraganeus extra judicium excommunicet aliquem, pro ejus offenſa, vel pro ſui defenſione juris, et ſuper hoc querimoniam ille proponat, et ille primitus, juxta formam eccleſiæ, abſolvendus.*

XLVIII. Quoad querimonias tandem doctoris recurrentis, in præeminentia ſui characteris fundatas, atque in clauſulis, et terminis declaratoriæ ipſius, quatenus ejus executionem *ſacrilegam, injuſtam, offenſivam, ac læſivam eccleſiaſticæ juriſdictionis, libertatis, atque immunitatis*, &c. vocitabant; plane reſpondebam, recurrentem, non ob virtutes, aut juſtitiam, ſed ob injuſtitiam, atque ſacrilegia, et violentias taliter, qualiter in declaratoria recitabatur, qualificatas, denuntiatum fuiſſe; quod quidem abſque ulla querimonia, aut offenſionis occaſione, patienter ferre deberet, ſenatoriæ dignitatis præeminentia minime ſuffragante; ex ipſo namque jure regio municipali conſtans eſt, et in omni jure certum, ipſos etiam palatinos ſenatores à quolibet vicario generali, aut judice aliquo eccleſiaſtico, excommunicari poſſe; ordin. l. 1. tt. 12. § 7. ad quam Peg. ibid. et Per. de man. reg. c. 12. n. 11. et plures alii apud ipſos.

XLIX. Denique hanc meam reſponſionem, et allegationem coronabam, vulgares doctrinas ſubjungens pro recurſus iſtius, atque proviſionis in illo pertenſæ excluſione, tum ex validitate excommunicationis, et ejus declaratoriæ, de quo Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. n. 34. et cum eo Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. tom. 3. gl. 16. n. 30. tum ex defectu violentiæ qualificatæ, videlicet notoriæ, ac manifeſtæ in hoc procedimento defenſivo; de qua qualitate Per. de man. reg. c. 4. n. 11. et c. 7. n. 2. et 3. et alii c. laudati, tum etiam ex minus recta, ac legitima appellationis interpoſitione, de qua Oliv. cit. p. 1. q. 17. n. 35. Salg. de prot. reg. p. 1. c. 2. et ex aliis tandem capitibus, quæ ex dictis ſat deprehenduntur; et reſponſionem à me ſubſcriptam de more tradidi, eadem die 24. Auguſti 1724. qua ſuperiorem etiam expedieram.

Conſequentia autem narrantur, er proſequuntur allegat. ſubſequenti, in fine cujus reperies duplex regium reſcriptum, et chartam reaggravatoriam, huc concernentia.

ALLEGATIO XVII.

Pro ultima Deciſione ſuper eodem Recurſu, in aulico Status Senatu deſumenda.

SUMMARIUM.

I. *Exordium.*
II. *Recuſabatur quidam ex judicibus ob complicitatem, et cenſuræ fulminationem.*
III. *Et excipiebatur etiam ob excommunicationem.*
IV. *Acta excommunicati tolerati ſunt valida, quamdiu per exceptionem non repelluntur.*
V. *In judicio coronæ cognoſcitur tantum per viam facti de violentia qualificata.*
VI. VII. *Appellatio in eccleſiaſtico judicio debet interponi, juxta canones eccleſiaſticos; et, ſecundum hos, debet in judicio illo cognoſci pro violentia.*
VIII. *Appellationes* ante omnia, *quæ de jure canonico validæ ſunt, de jure civili invalidantur.*
IX. *Retorquebatur proviſio recurrentis in appellatione* ante omnia *fundata.*
X. *De jure canonico invalida eſt appellatio, qua non petuntur* apoſtoli.
XI. *Probationes eccleſiæ ſunt potiores, et literis judicis ordinarii ſtandum eſt, donec contrarium probetur.*
XII. *Qui proteſtatur, nec tacet, nec aſſentitur.*
XIII. *Per bullam* Rom. Pontifex *Urban.* VIII. *revocantur omnes tolerantiæ, taciturnitates, et approbationes, etiam expreſſæ, juribus eccleſiæ, aut libertati, et immunitati, quomodolibet præjudicantes.*
XIV. *Per libros antiquos melius, quam per famam, aut teſtes, probatur.*
XV. *Executioni decreti ſuperſederunt ſenatores, donec ſereniſſimus rex decideret.*
XVI. *Duplex reſcriptum regium ſuper hoc negotio.*
XVII. *Exemplar chartæ reaggravatoriæ interdicti perſonalis.*

I. CUM præmiſſæ meæ reſponſionis, atque allegationis claritas, ac ſoliditas parum, aut nihilum apud regios judices profuiſſet, nec ego rogativas illorum chartas adimplerem, notificatus ad certo die in aula regia in palatino ſtatus ſenatu comparendum, pro juſtitiæ meæ defenſionis ultima allegatione edenda, et ſuper ea audiendum, eam in ſcriptis, juſta de cauſa, eidem ſenatui remiſi, ea, qua ſequitur formalitate, contextam.

II. Imprimis, juxta regiæ ordinationis diſpoſitionem, l. 1. tt. 1. § 14. recuſabam quendam regium miniſtrum, in ea ultima deciſione futurum judicem, quippe qui erat ſodalis et ſocius domus, ac menſæ declarati proviſoris, necnon complex, et cooperator in illius ſacrilegis facinoribus; et præterea, quia ipſemet futurus judex à me nominatim cenſuratus erat expreſſe cenſura interdicti perſonalis, et implicite in cenſuris bullæ Cœnæ denuntiati, necnon ad ulteriora procedimenta nominatim, et explicite ter monitus propter ſacrilegum decretum, die 16. Auguſti, in ſenatu firmatum; de quo in ſubnexa aggravatoria, regioque reſcripto, plane, et plene agitur, n. 16. et 17.

III. Deinde opponebam exceptionem cenſurarum bullæ Cœnæ can. 15. et c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. quas quidem prædictus recuſatus, ob præfatum decretum notorie incurrerat, et pro quo nominatim præjacta cenſura fulminatus erat, et in illas à jure implicite declaratus: quam quidem implicitam declarationem in facto, cenſuris illis ſubjecto, et expreſſam in monitoriis, quinimo realem cenſurarum notam incurſionem, à tali declaratione independentem, ſufficere dicebam ad judicem excipiendum, ac repellendum, et ad omnia ab eodem poſt exceptionem geſta, nulla, et invalida reddenda, etiamſi judex ipſe toleratus incederet, juxta communem doctrinam, de qua Monacell. p. 3. in prælud. n. 34. ibi: *Nullus excommunicatus poteſt eſſe judex, tabellio, et advocatus*, &c. *etiamſi ſit toleratus, aut occultus; ſemper enim, quantum in ſe eſt, debet vitare communionem aliorum, cum per concilium Conſtant. excommunicato tolerato nullus fiat favor. Navarr. in manual. c. 27. n. 34.*

IV. Qui pariformiter infr. n. 31. ibid. ſic ait: *Acta tamen excommunicati tolerati, ſunt valida, quamdiu per oppoſitam exceptionem excommunicationis non repellantur.* Quod etiam comprobatur ex c. *Ad probandum*, de ſent. et re judic. ub. gl. verb. *Innodatus:* ubi diſparitatis rationem aſſignat pro validitate actorum ſervi, reputati liberti, ſic inquiens: *Sed numquid idem eſt, ſi excommunicatus ferat ſententiam, quod publice habetur pro non excommunicato? Not. de ſent. et re jud. c. Ad approbandum. Et eſt ratio, quare aliud ſit in ſervo, quia ſervus in multis caſibus habet perſonam ſtandi in judicio; ſed excommunicatus in nullo.*

Demum noviter oblata, ac ratificata mea ſuperiori reſponſione, progrediebar ad præcludendum, atque infringendum excogitatum ſubterfugium, quo regii judices, non obſtante eſſentiali defectu appellationum interpoſitarum (quem agnoſcebant) in non petitione *apoſtolorum*, ſibi perſuaſerant, ſeſe recurrenti adhuc via recurſus provideri voluiſſe, eo nixi inſubſiſtente fundamento, quod hæc *apoſtolorum* petitionis forma,

ac diſpoſitio, ſit de jure canonico, et eccleſiaſtico, non vero de jure regio, aut civili, ſecundum cujus diſpoſitiones cognoſcitur in judicio coronæ, utpote laico, ac ſæculari.

V. Hanc rationem indignam, quæ à prudentibus, et literas callentibus viris proferretur, declamabam; et multipliciter eam refutabam: 1. Quia in judicio coronæ, eſto ſæculari, cognoſcitur tantum per viam facti *de violentia qualificata*, nempe *notoria*, ac manifeſta, quæ ab eccleſiaſticis judicibus infertur, vel juris naturalis legibus, vel canonici, aut eccleſiaſtici, in naturalibus fundatis, notoria cum oppreſſione contravenientibus: atqui judex eccleſiaſticus non deferens appellationi juxta regulas juris canonici non interpoſitæ, nedum violentiam, etiam ſimplicem, verum neque injuſtitiam committit; tum quia non contra jus (in quo ratio injuſtitiæ fundatur) ſed ſecundum jus operatur;

VI. Tum quia, cum appellatio illa in judicio eccleſiaſtico interponenda ſit, utique juxta canones eccleſiaſticos eſt interponenda; tum quia, juxta doctrinam Scacc. de appellat. q. 2. n. 51. Fagn. tom. 2. in c. ad noſtr. n. 10. Salgad. p. 3. c. 42. de qua ſuperiori allegat. peccat lethaliter judex eccleſiaſticus, appellationi frivolæ, aut minus legitimæ, id eſt, non ſecundùm leges eccleſiaſticas interpoſitæ, deferens.

VII. Ergo in ſæculari coronæ judicio, cognoſcendum de violentia manifeſta à judicibus eccleſiaſticis in appellationum eccleſiaſticarum rejectione commiſſa, utique cognoſcere debent ſecundum leges eccleſiaſticas, non ſecundum ſæculares, pro appellationibus ſtabilitas; de quo vide nuperrimum Oſor. prax. de patron. reg. reſol. 40. n. 11. ex c. 1. de appellat. Salg. de reg. prot. p. 1. c. 2. § 3. n. 4. et p. 2. c. 4. n. 30. et dict. ſupr. c. 37. n. 114.

VIII. 2. Quia, aliter, ſequeretur, 1. In coronæ judicio provideri non poſſe recurrenti, neque ejus recurſus admitti, qui juſte *ante omnia* appellans à judice eccleſiaſtico rejectus, et oppreſſus eſt: et probabam; quia licet de jure canonico validæ ſint, et admittantur appellationes *ante omnia* legitime interpoſitæ; de jure tamen civili rejiciuntur, et invalidæ ſunt, eo quod in hoc judicio omnis appellatio poſterior ſententiæ eſſe debeat, ut patet ex c. *Super eo de appellat.* ibi: *Sacri canones ante et poſt litis conteſtationem ſingulis facultatem tribuunt appellandi: leges autem ſæculares appellationem ante ſententiam non admittunt.*

Atqui hoc eſt manifeſte falſum, et contra id, quod in coronæ judicio, et reliquis tribunalibus ſæcularibus, de violentia judicum eccleſiaſticorum cognoſcentibus, adverſus eos frequenter judicatur, ut notatum remanet: ergo, &c.

IX. Sequeretur, 2. *Ad hominem*, ut aiunt, præſentem recurſum neque bene admiſſum fuiſſe à judicibus regiis, neque recurrentem recte in eo proviſum, ſed injuſte ac nulliter. Nam tam recurrens, quam proviſio ab eo in gravamine obtenta in ejus appellatione *ante omnia* maxime et præcipue fundata eſt; quæ quidem appellatio *ante omnia* de jure civili invalidatur, ac rejicitur. Et ſi, non obſtante hac rejectione, de jure civili, ex eo quod, de jure canonico, appellationes *ante omnia* permittantur, in illius favorem pronuntiârunt, et ſecundum jus eccleſiaſticum judicârunt; quomodo, ex eo quod ab eodem canonico jure appellationes, in quibus apoſtoli non poſtulantur, invalidæ expreſſe declarantur; quomodo, inquam, ſecundum idem jus eccleſiaſticum, appellationem, hoc ſubſtantiali defectu interjectam, non invalidam agnoverunt, ſed pro ejus validitate, et in favorem appellantis, ac recurrentis, juxta civilis, ac ſæcularis juris diſpoſitionem, pronuntiârunt?

X. Quod autem de jure canonico invalida ſit appellatio, qua apoſtoli non petuntur, jam ſupra in allegat. ex c. 1. de appellat. oſtenſum eſt; cui denuo addebam c. *Biduum*, et c. *Poſt appellation.* 2. q. 6. et notat. per Innoc. et Abb. in d. c. 1. de appellat. quinimo ſuperfluum erat hoc amplius probare; id enim de jure canonico plane à judicibus admittebatur, et ſupponebatur. Quare proſequebar inſuper addere, et oſtendere, hanc formalitatem petendi apoſtolos in appellationibus eccleſiaſticis etiam exprimi, et adnotari, in jure civili, ut l. *Eos*, § *Apoſtolos*, cod. de appellat. et ibi Bart. Bald. et alii; et l. *Quoniam*, 18. cod. eod. tit. ut bene obſervat Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſect. 1. n. 90.

XI. Et quod prima, imo et ſecunda recurrentis appellatio hoc ſubſtantiali defectu laborâſſet, ex notariorum eccleſiaſticorum atteſtationibus aperte conſtabat, quæ equidem ſimplici et affectatæ notarii ſæcularis aſſertioni præferendæ erant ex ratione data ſuperiori allegat. et ex diſpoſitione c. *Licet*, de *probationibus*; ibi: *Probationes eccleſiæ longe ſunt potiores.* Quinimo ſufficere dicebam meam in hac re ſimplicem atteſtationem, aut mei vicarii generalis, quia *literis judicis ordinarii ſtandum eſt, donec probetur contrarium*, c. *Poſt ceſſion.* de *probation.*

XII. Oſtendebam præterea minime poſſe in hac proviſoris violenta introductione recurri ad aliquam meam taciturnitatem, aut conſenſum in prima, etiam violenta intruſione prædeceſſoris recurrentis, de qua ſupra. Nam *qui proteſtatur, nec tacet, nec aſſentitur.* Ex documentis autem clarebat, me jam tunc in contrarium proteſtatum fuiſſe.

XIII. Imo, denuo addebam, quod, etſi meum expreſſum præſtarem conſenſum, hunc minime profuiſſe proviſori ad poſſeſſionem contra expreſſum eccleſiæ jus in has confraternitates acquirendam; tum ex communi doctrina apud Ciarlin. l. 1. c. 105. an. 32. tum ex bull. *Romanus Pontifex*, Urb. VIII. apud Cherub. tom. 4. annot. 1641. expedita, qua revocantur omnes tolerantiæ, taciturnitates, permiſſiones, conſenſus, approbationes, confirmationes tacitæ, aut expreſſæ, dicto vel facto quorumcunque prælatorum quomodolibet præjudicantes juri Sedis Apoſtolicæ, aut cujuſlibet eccleſiæ, aut libertati, immunitati, ac juriſdictioni eccleſiaſticæ, &c.

Videantur Pignatell. tom. 2. conſ. 34. n. 55. Delben. de immunitat. c. 3. dub. 15. n. 8. Antonell. de regim. l. 1. c. 9. et alii: et pro coronide poſtulabat, ut attente inſpicerentur tituli harum confraternitatum, et documenta omnia antiqua et moderna à me producta, cum teſtificationibus fere centum teſtium conteſtantium; et legitime, ſuper hac re, legitimam atque meliorem probationem demonſtrabam ex expreſſa ſanctione c. *Cum cauſa*, de *probationib.* ibi:

XIV. *Per libros antiquos, vel alio modo melius probabunt, necnon per teſtes, famam, et quæcunque alia adminicula.*

XV. His tamen nil proficientibus, adverſum me deciſum eſt; cujus tamen deciſionis executioni, et præfati decreti ſuper extractione in meo carcere detentorum, conſulto judices ſuperſederunt, donec ſereniſſimus rex ſuper his informaretur, et ultimo decideret: qui quidem ſolita pietate, juſtitia, ac zelo, per regia reſcripta ſic reſolvit:

Regium reſcriptum contra præmiſſum ſenatus decretum proregi directum lingua vernacula.

XVI. V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India, amigo: Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Por cartas do arcebiſpo primas, dos governadores do eſtado, e do chanceler, e procurador da coroa deſſa rellaçaô, fui informado de que achandoſe prezos no aljube deſſa cidade, a ordem do dito arcebiſpo primas, e por culpas pertencentes, ao ſeu foro, algumas peſſoas leygas, e requerendo hum dellas a rellaçaô para que o mandaſſe ſoltar, com o pretexto de ter ſido prezo ſem auxilio de braço ſecular, a rellaçaô, ſem preceder outra alguma formalidade de proceſſo, ou diligencia, e ſô pela ſimples petiçaô do prezo, tomou hum aſſento, para que foſſe notificado o arcebiſpo, e ſues officiaes para naô prenderem mais peſſoa alguma leiga, ainda que por crimes meramente eccleziaſticos (excepto ſô o de heregia) ſem primeyro ſe pedir o referido auxilio; e que viſto naô o haver pedido o arcebiſpo a lhe a quelle tempo, o ouvidor do crime, e procurador da coroa, foſſem ao aljube, e delle extrahiſſem todos os ſeculares, que achaſſem, conforme ſe havia praticado jâ na cidade de Dio, no anno de 1612. por occaziaô dos exceſſos, e vexaçoês que fazia ao povo o vigario foraneo da quella praça, ordenandoſe outro ſi, que em todos os dominios do eſtado, ſe publicaſſe o dicto aſſento; o qual ſendo com effeito

intimado ao dicto arcebiſpo, requereo eſte ao governo, e a rellaçaô a ſua revogaçam; e naô ſelhe definindo, a tornou a requerer por dous monitorios; e ultimamente promulgou interdicto peſſoal contra quatro miniſtros, que tinhaô convindo no dicto aſſento, de que rezultou continuarem eſtes, outros procedimentos, proteſtos, e requerimentos, *indecentes, et injuriozos contra o arcebiſpo*; alheque ultimamente ſe conveio no arbitrio de huma mutua ſuſpenſaô. E porque me foi muito deſagradavel, a noticia de tantos exceſſos, e diſturbios, quantos neſte cazo ſucederaô; e o procedimento que nelle teve a rellaçaô, à lem *de ſer irreverente, e indigno de practicarſe com hum prelado de tanta authoridade*, foi muito irregular, e a lheyo dos termos de direyto: ſou ſervido dezaprovalo, e ordenarvos, que como tal, *o eſtranheis ſeveramente ao tribunal*, ſem embargo das razoês com que pertende juſtificarſe, as quaês ſaô inattendiveis; pois quando o arcebiſpo primas excediſſe os limites da ſua juriſdicçaô, nas prizôes referidas, nunca o meyo de occorrer a eſta violencia devia ſer, o de que uzaraô, havendo outros, que a ponta o direyto commum, e leys do reyno, com as quaês ſe deviaô conformar, obſervando o que ſe practica com os juizes eccleziaſticos, quando, coma a devida formalidade ſe julgulgâ, que fazem força, e violencia aos meos vaſſallos, ſem chegarem ao exceſſo de mandar extrahir os prezos do aljube, por propria authoridade, e por miniſtros ſeculares, para o que lhes naô pode ſervir de deſculpa o exemplo que allegaô, o qual por reſpeitar as circunſtancias da quelle tempo, *mui differentes do prezente*, lhes naô devia ſervir de regra, à lem de outras razoês, que faziaô impracticavel o dicto aſſento; e muito menos pode ſer deſculpavel *a inconſideraçaô, e notoria paixaô*, comque o ouvidor do crime, N. e o procurador de coroa, N. contra aordem do governo, ſe atreveraô amandar publicar o aſſento referido, na audiencia deſſa cidade, e em Salſete, e em Bardes, a creſcentando neſte acto, a eſcandaloza circunſtancia, de ſer feyto a ſom de Cayxas, a qual expreſſamente o havia prohibido a rellaçaô; e porque ſou informado, que o dicto ouvidor do crime, *à lem deſte, e de outros exceſſos, e deſordens, que me ſaô prezentes*, a lhe chegou a arogarſe a authoridade de peſſoa conſtituida em dignidade eccleſiaſtica, recebendo appellaçoês *ante omnia*, lhe eſtranhareis eſpecialmente eſte procedimento, advertindoô, que para *nâo cahir em ſemilhantes abſurdos*, e regular melhor as ſuas acçoes, *deve, antes de as obrar, inſtruirſe* do que pode, e deve fazer hum miniſtro ſecular. E eſta carta, de pois delida na prezença de todos os miniſtros, a mandareis regiſtrar nos livros da rellaçaô para que conſte da minha rezoluçaô; a qual mando tambem participar ao arcebiſpo, advertindolhe naô ſer da minha intenſaô, permitirlhe por ella mayor juriſdicçaô, da que lhe he concedida pelo direyto commum, e leys do reyno. Eſcripta em Lixboa Occidental, a 12. de Abril de 1629.—Para o V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India.

Aliud, ſuper eodem negotio, reſcriptum mihi directum.

REverendo em Chriſto padre arcebiſpo, primas da India, amigo: Eu el Rey vos envio muito ſaudar, como a quelle, de cujo virtuozo acreſcentamento, muito me prazeria. Com grande deſprazer meu, fui informado pela voſſa carta de 16. de Dezembro de 1734. das deſordens, exceſſos, e perturbaçoês, que neſſa cidade ſuccederaô, por occaziaô de hum aſſento, que na relaçaô deſſe eſtado ſe tomou, mandando notificarvos, paraque naô executaſſeis a pena de prizaô em peſſoa alguma leyga, ainda por crimes meramente eccleziaſticos (excepto o da heregia) ſem primeiro pedires auxilio de braço ſecular, e que o ouvidor do crime, e procurador da coroa, foſſem ao voſſo aljube, e delle extrahiſſem todos os prezos ſeculares, que achaſſem, viſto conſtar, que para as dictas prizoês, naô havieis pedido auxilio; ordenando outro ſi, que em todos os dominios do eſtado, ſe publicaſſe o dicto aſſento, ſem que para huma rezoluçaô tam eſtranha, precedeſſe formalidade alguma de proceſſo, ou outra diligencia mais, que a ſimplex petiçaô de hum Canarim, prezo â voſſa ordem, e por culpas pertencentes ao foro eccleziaſtico; o qual requereo a rellaçaô o mandaſſe ſoltar como referido prætexto, de haver ſido prezo, ſem o dicto auxilio. E porque eſte procedimento da rellaçaô, naô ſô foy irreverente, e indigno de practicarſe com hum prelado de tanta authoridade, como avoſſa, mas tambem irregular, e totalmente alheyo dos termos de direyto: fui ſervido deſaprovalo, e ordenar ao V. Rey deſſe eſtado, que como tal o eſtranhe mui ſeveramente ao tribunal, ſem embargo das razoês, com que pertende juſtificarſe, as quaes ſam inattendiveis; pois ainda quando nas referidas prizoês, excedeſeis os limites da juriſdicçaô que he permitida aos prelados eccleziaſticos, nunca omeyo de occorrer a eſta violencia, devia ſer oque uzou a rellaçaô, havendo outros, que a ponta o direyto commum, e leys do reyno com as quaês ſe devia conformar, obſervando oque ſe practica com os juizes eccleſiaſticos, ainda nos cazos, em que com as devidas ſolemnidades ſe julga, que fazem força, e violencia aos meus vaſſallos, ſem chegar ao exceſſo de mandar extrahir os prezos do aljube por pria authoridade; e por miniſtros ſeculares, aos quaes mando tambem reprehender, pela notoria payxâo, com que procederaô na publicaçaô do aſſento, *atrevendoſe*, naô ſô a exceder as ordens da rellaçaô, mas a encontrar as do governo. E paraque vos conſte deſta reſoluçaô, me pareceo participarvola, advertindovos, que naô he da minha intenſaô permittirvos por ella mayor juriſdicçaô, da que vos he concedida por direyto commum, e leys do reyno. Eſcripta em Lixboa Occidental, a 12. de Abril de 1726. Rey. Para o arcebiſpo primas da India.

Duplex præmiſſum reſcriptum in Latinum idioma fideliter verſum.

PRorex, et dux generalis Indiæ ſtatus, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis felicito. Per epiſtolas archiepiſcopi primatis, gubernatorum ſtatus, cancellarii, atque procuratoris coronæ ipſius ſtatus, informatus ſum, quod cum in carcere eccleſiaſtico ipſius Goanæ civitatis, et propter culpas eccleſiaſtico foro attinentes, aliquæ perſonæ laicæ, ipſius archiepiſcopi primatis ordine detinerentur, una ex his ſæculari ſenatui ſupplicante, ut à vinculis ſolvi juberetur, eo prætextu, quod abſque ſæcularis brachii auxilio conſtricta fuiſſet, ſenatus ipſe, quin aliqua proceſſus, aut diligentiæ formalitas præcederet, et ob ſimplicem detenti petitionem, decretum ſtatuit in ſcriptis, ut archiepiſcopus, ejuſque officiales notificarentur, ut deinceps perſonam aliquam laicam, etiam pro criminibus mere eccleſiaſticis (hæreſi excepta) abſque brachii ſæcularis auxilio, prævie implorato, minime adſtringerent; et quia notum erat, archiepiſcopum eatenus præfatum auxilium non implorâſſe, criminalium judex cauſarum, et coronæ procurator, ad archiepiſcopalem carcerem pergentes omnes ſæculares, quos detentis ibi reperîſſent, inde extraherent, ſicut in arce Dienſi anno 1612. executum fuerat ob exceſſus, ac vexationes à vicario foraneo illius in populo exercitas; inſuper ordinando, quod in omnibus ſtatus dominiis prædictum decretum publicaretur; quòd quidem cum effectu archiepiſcopo intimatum foret, is ſæculari gubernio, ac ſenatui ejus, promptam revocationem poſtulavit; et cum ſibi non deferretur, iterum eam per duo publica monitoria admonuit, ac recommendavit; et tandem interdicti perſonalis cenſuram in quatuor miniſtros, qui in illud decretum convenerant, promulgavit; ex quo orta eſt, ex parte miniſtrorum, continuatio aliquorum procedimentorum, proteſtationum, ac requirimentorum, archiepiſcopo quidem indecentium atque injurioſorum, quouſque denique in mutuo cujuſdam ſuſpenſionis arbitrio utrinque conventum eſt: et quia mihi equidem nimis diſplicuit tot exceſſuum, ac diſturbiorum, quot in hoc caſu effective evenerunt, notitia; et procedimentum, quod in illo ſenatus habuit, præterquam quod irreverentior, et indignior, quod cum tantæ auctoritatis prælato practicaretur, fuit etiam valde irregularis, et à juris terminis longe aberrans, dignatus ſum idipſum reprobare, et vobis præcipere, ut veluti tale, ſevere ſenatui increpando improperetis, non obſtantibus rationibus, quibus ſeſe juſtificare prætendunt, utpote quæ inattendibiles ſunt: nam caſu, quo archepiſcopus

pus primas propriæ juriſdictionis limites excederet in diſtrictionibus relatis, nunquam medium illi violentiæ occurrendi, id, quo uſi ſunt, eſſe debebat, aliis deſertis, quos jus commune, et regni leges approbant, cum quibus ſeſe conformare tenebantur, et obſervare; quod cum judicibus eccleſiaſticis practicari ſolet, in caſibus, quibus cum debitis formalitatibus judicatur, vim, ac violentiam meis vaſallis incutere, quin ad exceſſum illum devenirent, vinctos è carcere archiepiſcopali, per propriam auctoritatem, ac per ſæculares miniſtros extrahere jubendi, à quo abſurdo minime eos excuſare, aut exculpare poterat exemplum, quod allegant; quippe quod circumſtantias illius temporis, longe quidem diverſas à præſenti, utpote reſpiciens, nunquam eis pro regula adeſſe poterat, præter alias rationes, quæ præfatum arbitrium impracticabile reddebant; et multo minus excuſabilis eſſe valet *inconſideratio*, et *notoria mala animi affectio*, qua criminalis auditor N. et coronæ procurator N. contra gubernii præceptum auſi ſunt præmiſſum decretum in auditorio civitatis Goanæ publicare jubere, atque etiam in provincia Bardeſiana, ac Salſetana, ſcandaloſam in hac actione circumſtantiam addentes, quam expreſſe gubernium ipſum prohibuerat, ut ad ſonitum militarium tympanorum publicatio illa fieret. Et quia inſuper informatus ſum, quod præfatus criminalis auditor, præter hanc, et alias diſordinationes, atque exorbitantias, quæ mihi præſentes extant, eo exceſſus devenit, ut auctoritatem perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, etiam ſibi arrogârit, appellationes ante omnia coram ſe recipiens, ſpecialiter illi hoc procedimentum increpabitis, eum ſimul animadvertens, quod, ut non in ſimilia reincidat abſurda, et ut melius actiones ſuas regulet, priuſquam eas operationi mandet, inſtrui quidem tenetur de eo, quod ſæcularis miniſter efficere poteſt, ac debet; et hanc epiſtolam, poſtquam omnibus miniſtris lecta fuerit, in ſenatus libris regiſtrare jubebitis, ut de reſolutione mea ſemper conſtet, quam etiam archiepiſcopo participare jubeo, illi inſinuans, non eſſe meæ intentionis, ei per illam majorem permittere juriſdictionem, quam eam, quæ per jus commune, et regni leges, ei conceſſa eſt. Scripta Ulyſſipone Occidentali, die vero 12. Aprilis, anno 1629. Rex. Proregi, ac duci generali ſtatus Indiani.

Secundum reſcriptum.

REverende in Chriſto pater archiepiſcope, Indiæ primas, amice: Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto, veluti illi, de cujus virtuoſa profectione valde complacerem. Magna quidem diſplicentia mea informatus ſum per epiſtolam veſtram, die 16. Decembris, anni 1724. factam, de exorbitantiis, exceſſibus, ac perturbationibus, quæ in civitate ipſa Goana evenerunt, occaſione unius decreti, quo ipſius ſtatus ſenatus convenit, vos notificari mandans, ne capturæ pœnam in perſonam aliquam laicam exequi faceretis, etiam ob crimina mere eccleſiaſtica (hæreſis unice excepto) quin prius ſæcularis brachii auxilium expoſtularetis; et inſuper ut criminalium cauſarum auditor, et regiæ coronæ procurator, ad veſtrum archiepiſcopalem carcerem procedentes, inde cunctos ſæculares vinctos repertos extraherent, eo quod conſtans erat, quod ad præfatas capturas ſæculare auxilium non imploraveritis, inſimul ordinando, quod in omnibus ſtatus dominiis præmiſſum decretum publicum fieret; quin ad hanc adeo extraordinariam, atque exorbitantem reſolutionem præcederet formalitas, aut diligentia aliqua, niſi unius Indi ſimplex petitio, qui ordine veſtro, et ob culpas eccleſiaſtico foro attinentes, detentus erat, ſenatui ſupplicavit, ut ab eo ſolvi juberetur, eo quod abſque prædicto auxilio captus foret: et quia hoc ſenatus procedimentum, nedum indecoroſum, atque indignum, quod adverſum tantæ auctoritatis prælatum, qualis veſtra eſt, practicaretur, verum et irregulare, et penitus à terminis juris alienum fuit, dignatus ſum illud reprobare, et proregi ſtatus ordinare, ut veluti talis, tribunal de eo ſevere increpet, non obſtantibus allegationibus, quibus ſe juſtificare præſumit, quippe quæ nullius attentionis dignæ ſunt. Nam, etiam dato, quod in relatis capturis limites juriſdictionis veſtræ, quæ eccleſiaſticis prælatis permiſſa eſt, excederetis, nunquam medium huic violentiæ ſuccurrendi, illud eſſe poterat, quod ſenatus practicavit, cum alia præexiſterent, quæ jus commune, et leges municipales, quibus inhærere debebat, præſcribunt, ad unguem obſervans, quod cum eccleſiaſticis judicibus ſervatur, etiam in caſibus, quibus, debitis ſolemnitatibus præmiſſis, vim, ac violentiam vaſallis meis inferre decernitur, minime ad exceſſum illum perveniendo diſtrictos è carcere eccleſiaſtico propria auctoritate, et per ſæculares miniſtros, educere jubendi; quos equidem miniſtros etiam increpare jubeo propter notoriam pravam animi affectionem, qua in illius decreti publicatione progreſſi ſunt, audentes, nedum ſenatus ipſius ordinem excedere, verum et gubernii præcepto contraire. Et, ut vobis de hac mea reſolutione conſtet, mihi viſum eſt de ea vos facere participes, cum hac animadverſione, quod per eam vobis majorem juriſdictionem, quam per jus commune, et leges regni, vobis conceſſa eſt, permittere, intentionis meæ non eſt. Scripta Ulyſſipone Occidentali, die 12. Aprilis, anno 1726. Rex.

Charta aggravatoria interdicti perſonalis, et fulminatoria interdicti localis contra regios miniſtros ob publicationem ſtatuti, aut decreti juriſdictionis immunitatis, et libertatis eccleſiaſticæ offenſivi.

XVII. D. Ignatius à S. Tereſia, &c. In Davidica Turri (myſtico eccleſiæ ſymbolo) cum propugnaculis ædificata, ex qua mille clypei, omnis fortium ſuorum armatura defenſorum, pendebant, eccleſiaſticis prælatis voluit ſapientia divina inſinuare, atque procedimenti eorum, in cauſis eccleſiæ, qualitatem eiſdem innoteſcere, utpote quod mere defenſivum eſſe debet, ſicuti clypei ipſi demonſtrant; et multipliciter repetitum, ut millenarius numerus declarat, præſertim quando injuriarum multiplicitas defenſionum multiplicationem ſuadet, ut paſſim nos canonici juris edocent ſanctiones. Et quia, non obſtantibus tot paſtoralibus chartis, ac monitoriis, quæ veluti tot alii clypei ex parietibus plurimarum eccleſiarum pendent, in defenſionem, ac tuitionem immunitatis, libertatiſque eccleſiaſticæ promulgatæ, et ſpeciatim monitoria noviſſima, in quibus regios ſæcularis ſenatus miniſtros admonebamus, et injungebamus, ut delerent, annullarent, atque intra præfixum terminum publice revocarent, nullum et ſacrilegum decretum, ſeu ſtatutum, in ſenatu die 16. præteriti menſis Auguſti ſancitum, quo ad placitum aliquarum minus rectæ intentionis, tum ſæcularium, tum eccleſiaſticarum perſonarum, nos, et miniſtros noſtros, inhibere conabantur, ne per officiales noſtros capere laicos poſſemus, etiam propter crimina mere eccleſiaſtica, hæreſi excepta, cum notoria offenſione decretorum ſacri Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de reform. et ſeſſ. 13. c. 1. eodem titulo, auctoritate regia, in toto Luſitaniæ regno, et ejus ditionibus, adamuſſim obſervari juſſorum, et cum manifeſta infractione nedum ſacrarum juris canonici ſanctionum, c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excom. et c. *Quoniam*, de immunitat. et aliis, verum et ipſius juris civilis notiſſimis legibus, l. *Privilegia*, l. *Caſſa, et irrita*, cod. de ſacroſ. eccleſ. l. *Si venerabilis*, eodem tt. auct. de *ſanctiſſim. epiſcop.* et de *eccleſiaſticis privileg.* collect. 9. ipſiuſque juris regii municipalis, ordin. l. 2. tt. 1. § 13. et inſuper cum notorio incurſu eccleſiaſticarum cenſurarum in can. 15. et 16. bullæ Cœnæ Domini, et in præcitatis capitibus, et aliis juris communis, atque privati, fulminatarum, ſignanter in conſtit. ſynodalibus, tt. 20. conſt. 1, 2. et reliquis, non ſolum præfati regii miniſtri præmiſſum decretum non revocârunt (quod quidem exequi tenebantur, etiam ab illis monitoriis, atque notificationibus independenter) ſed et poſt primam monitionem, atque abſolutum ſæcularis gubernii ordinem ad ſubſiſtendum in executione, quam decreverant, atque jam proxime paraverant, carcerem noſtrum archiepiſcopalem invadendi, fores frangendi, et ab eo detentos laicos violenter extrahendi per laicæ juſtitiæ, atque militiæ officiales, quos jam armata manu ad executionem illam inſtruxerant, quin eccleſiaſtici promotoris fiſcalis juſtæ, atque juridicæ ſupplicationi ad eundem ſuſpenſionis, ac revocationis finem unquam deferre vellent; quinimo in eiſdem abſurdis

ſurdis proſequentes, et ex uno in alium abyſſum, atque ex malo in pejus ruentes, præmiſſum decretum in auditoriis Goanæ hujus civitatis publicari, et in locis publicis Bardeſianæ, ac Salſetanæ provinciarum, ad ſtrepitum militarium tympanorum promulgari fecerunt; et effective officiales noſtros notificare juſſerunt, ne laicum aliquem caperent, aut in eccleſiaſticum carcerem reciperent, novam hiſce exceſſibus occaſionem novis ſcandalis, ac relaxationibus præbentes; quatenus plures laicorum, qui carcerationis timore, vel penitus emendati, vel ſaltem cauti vivebant, poſt illam publicationem, veluti canes reſpicientes poſt vomitum, ad antiquas publicarum turpitudinum, uſurarum, et aliorum atrocium delictorum ſcandaloſas enormitates, impudenter atque intrepide reverſi ſunt, mutuo ſibi publice congratulantes, quod jam ab eccleſiaſtica poteſtate nihil, quod pertimeſcerent, ſibi reſtaret; nam cum à diſtrictione carceris, vi hujus decreti, liberi extarent, à conſtrictione cenſurarum via recurſus, liberos ſe etiam evaſuros, quod et experientia præſentibus diebus, non ſine gravi ſpiritus noſtri dolore, et afflictione, large compertum eſt; et ulterius prædicti miniſtri in adinventionibus ſuis pergentes, ac progredientes, non ſolum aliquos recurſus in præfato ſacrilego decreto fundatos admiſerunt, decreverunt, atque nobis notificari fecerunt, verum etiam auditorem hujus civitatis Goanæ, poſt aſperam increpationem in conſiſtorio tribunalis ei inflictam, ab officio eum ſuſpenſum indixerunt, eo quod à nobis abſolutionem ad cautelam juſte, et private ſupplicârat, ob publicationem prædicti decreti ab eo in audientia ſua factam, ſeſe per hunc modum prædicti miniſtri, nedum in rebus foro conſcientiæ attinentibus intromittentes, verum et ovibus noſtris recurſum ad nos in rebus illius fori quodammodo impedientes: propter quæ omnia iterum eos monere compulſi ſumus ad memoratam revocationem intra terminum 6 dierum efficiendam, ſub pœna interdicti perſonalis, ac localis, et ad declarationem cenſurarum à lege deveniendi; et expectantes poſt terminum illum elapſum, tres alios dies, et experientia comperientes, præfatos miniſtros, nec monitionibus noſtris paruiſſe, nec præmonitam revocationem curâſſe, majori moderatione, quam eorum ſacrilegia ſuadebant, procedentes, die 26. Auguſti, cenſurarum interdicti perſonalis abſoluti, et totalis, in omnes, qui in decreto illo conſpirârant, effective indiximus, noviter eos monentes ad memoratam revocationem intra præciſum terminum trium dierum, ſub pœna procedendi ad declaratoriam inſinuatam, et ad cenſuram interdicti localis ſpecialis, et generalis: et quia monitoriis noſtris ſpretis, et ſtricta, quam omnes, ut eccleſiæ filii habent, eiſdem parendi, atque illi debitam, et publicam ſatisfactionem præbendi, obligatione, ſtatim ſequenti die immediata, judex coronæ precatorium miſit generali regii fiſci præfecto, ut nobis ſolvere ſuſpenderet utramque congruam potionem, utrique archipræſulis, et primi gubernatoris officio debitam, falſum, et incivilem prætextum ad id aſſumens, quod nullius cujuſdam, et injuſti recurſus ultimam deciſionem adimplere recuſaremus; et nil tandem proficientibus aliquibus ſuavibus ſane mediis, quæ paternali commiſeratione ad rationabilem quandam compoſitionem propoſuimus, quinimo ex benignitate noſtra in ulteriorum procedimentorum ſuſpenſione, occaſionem ſumentes in duritia ſua atque contumacia permanendi, imo et multiplicandi, atque machinandi novos et ſacrilegos conatus, inhibitiones, intimationes, et novam ſuper hac re injuſtam gravaminis interpoſitionem; conſiderata, atque, debita circumſpectione, undique perſpecta obligatione, ad quam graviter tenemur, nos tanquam murum pro domo Dei, et adverſus ejus offenſas, etiam cum propriæ vitæ diſpendio, libenter opponendi, cum certa tamen confidentia in illius ſuavi, atque efficaci providentia, quod in ſuam ipſius, noſtramque defenſionem, expugnabit pro nobis inimicos noſtros; per præſentem chartam eandem cenſuram interdicti perſonalis abſoluti in prædictos miniſtros N. N. N. fulminatam aggravamus; et præterea interdicto locali ſpeciali ſubjicimus omnia oratoria, atque capellas privatas, duorum actualium gubernatorum, et hoſpitalium, exceptis, in omnibus parochiis, ubi prædicti miniſtri degunt, necnon et in reliquis inſulæ hujus Goanæ, &c. et iterum præfatos miniſtros monemus, et reliquos omnes, quibus attinuerit, ut intra terminum præfixum trium dierum, annullent, ac publice revocent, prædictum ſtatutum, aut decretum, eiſdem ſolemnitatibus, quibus illud publicari fecerunt; et nihil aliud ordinent, moliantur, et exequantur contra eccleſiaſticam immunitatem, ac libertatem; ſub pœna ad comminatam declaratoriam ſpecialiter procedendi, atque ad interdictum generale, et ad ulteriora, &c.

ALLEGATIO XVIII.

In Recurſu à Procuratore regio intromiſſo in favorem duorum Gentilium adverſum Paſtoralem meam Bajulis, aut Palangariis Chriſtianis prohibentem, ne Gentiles bajularent, aut aſportarent.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Duplex fundamentum recurſus.*
III. *Ad plenam præſentis recurſus reſponſionem ſufficiebat, quæ adjungebatur, charta paſtoralis.*
IV. *Non datur regiæ juriſdictionis uſurpatio in iis, quæ, ſaltem mixte, juriſdictioni eccleſiaſticæ pertinent.*
V. *Materia in illa paſtorali prohibita pertinet privative eccleſiaſticæ juriſdictioni.*
VI. *Probatur ex toto titulo* de Judæis, *et* Saracenis.
VII. *Et ex indecentia nominis Chriſtiani.*
VIII. *Etiam in lege naturæ juſſit Deus Abraham ſeparare filium liberæ à filio ancillæ.*
IX. *A fortiori, prohibenda eſt Chriſtianis converſatio cum gentilibus, et paganis, falſum numen adorantibus, quam cum Judæis, et Saracenis, verum Numen colentibus.*
X. *Scriptura informis accipit robur, et fidem, ex obſervantia.*
XI. *Plura inconvenientia conſiderantur in infimo ſervitio bajulorum, quam in alio familiari erga infideles.*
XII. *Conciliares diſpoſitiones, et praxi, et regiis diplomatibus, roboratæ ſunt.*
XIII. XIV. *Tertium Concilium Goanum epiſtola regia comprobatum reperitur; et, quoad duplicem diſpoſitionem dumtaxat, ſuperſedere juſſum.*
XV. *Reſcriptum ſereniſſimi regis Joannis V. expreſſe vetat paganis ſuis ſubditis aſportari in geſtatoriis; et alia ad eorum reductionem diſponit.*
XVI. *Summa eſt ratio, quæ pro religione facit; qua neglecta, cuncta ruunt in pejus.*
XVII. *Ratione rei, quis forum ſortitur.*
XVIII. *In dubio præſumitur quis jus ſuum tueri.*
XIX. XX. *Prohibitio fuit impoſita bajulis, non* qua ſæcularibus, *ſed* qua Chriſtianis.
XXI. *Gratia, ut poſſit quis vehi in ferculo geſtatorio ſimpliciter, non extenditur, ut poſſit bajulári à palangariis Chriſtianis; nam reſcriptum principis non extenditur ad illicita, aut difficilia.*
XXII. *Notorium erat, ſubrecurrentes non eſſe in poſſeſſione allegati privilegii, imo è contra.*
XXIII. *Privilegium meretur amittere, qui permiſſa abutitur poteſtate.*
XXIV. XXV. *Poterant facile recurrentes uti bajulis, etiam paganis.*
XXVI. XXVII. *Gravitas præſentis materiæ.*
XXVIII. XXIX. *Lex regia, permittens adultericidium, non tollit prohibitionem legum eccleſiaſticarum.*

XXX. *Plus ſe quis amat in ungue pedis, quam alium in vertice capitis.*
XXXI. *Conſuetudo obvians canonicis inſtitutis, nullius eſt momenti.*
XXXII. *Ratio, et veritas, conſuetudini præfertur.*
XXXIII. *Propter ſcandalum, quandoque receditur à jure, et ab executione reſcripti.*
XXXIV. *Executionem juriſdictionis eccleſiaſticæ quomodolibet etiam indirecte impedire, ſubjacet juris cenſuris.*
XXXV. *Varia damna infallibiliter conſequenda ex proviſione recurſus, et ex inobſervantia paſtoralis, uſque ad n.* XXXIX.
XL. XLI. *Famulus illicite cooperatur peccato Domini, etiam per actionem indifferentem, proximam peccato.*
XLII. XLIII. *Erat infallibile periculum perverſionis.*
XLIV. XLV. *Rex non juſti et honeſti regula, ſed honeſti et juſti miniſter.*
XLVI. *Exemplar chartæ paſtoralis.*
XLVII. *Exemplar regiæ epiſtolæ laudatæ.*

I. ANNO 1728. die 14. Septembris, veſtigiis prædeceſſorum meorum inhærens, et Goanarum legum eccleſiaſticarum, tum diœceſanarum, tum conciliarium obſervantiæ, atque inſtaurationi favens, paſtoralem infra n. 46. extenſam, edidi, qua bajulos, ſeu vectores, aut portitores Chriſtianos vetabam, ne gentiles, et infideles alios ſuper humeros, aut ſuper capita veherent, propter graviſſimam dignitatis Chriſtiani nominis indecentiam, ac reliqua non minus gravia inconvenientia in paſtorali ipſa annotata: cui quidem univerſi hujuſce Goanæ diœceſis accolæ tum gentiles, tum Chriſtiani, ſubmiſſe, et abſque querimonia, aut controverſia ulla, perfecte paruerunt, uſque ad Februarii menſem anni 1730. quo regius procurator, nomine duorum gentilium ditiorum, qui à ſæculari gubernio quondam facultatem, aut privilegium obtinuerant, ut in geſtatoriis ferculis bajulari poſſent, recurſum præſentem interpoſuit, adverſus præfatam paſtoralem, jam fere duobus abhinc retro annis promulgatam, et praxi, nemine contradicente, pacifice, ac perfecte receptam, et obſervatam, duobus ſequentibus fulcitum fundamentis.

II. Primum erat, Uſurpatio regiæ juriſdictionis, quatenus Chriſtianos vetabat, ne gentiles bajularent.

Secundum, Quod hæc diſpoſitio, aut providentia, erat mere ſæcularis, utpote ad ſæculares perſonas directa, et contraveniens aliquibus ordinibus, aut permiſſionibus gubernii ſæcularis, aliquos gentiles privilegiantis ad hoc, ut in ferculo geſtatorio, vulgo, *Andor*, bajulari poſſent.

Duplici huic fundamento per diſtinctos ſequentes §§, et aliis, quæ objectari poſſent, plene reſpondebam.

III. Et imprimis dicebam, ſufficere ad plenam, adæquatam, atque ſuperabundantem totius præſentis recurſus reſponſionem, ipſammet, quæ adjungebatur, chartam meam paſtoralem, atque claros utriuſque juris textus, ac diſpoſitiones, et reliqua fundamenta, in eadem expreſſa, ſi, ut par erat, perlegerentur, ac ponderarentur; atque etiam pacificam, ac tranquillam poſſeſſionem, qua per me, et prædeceſſores meos ſtabam, hujuſmodi paſtorales edendi, necnon caſum judicatum in hacmet Goana civitate, atque eademmet materia, et conſimillimo recurſu, gentilium nomine contra perſimilem paſtoralem interjecto, anno Domini 1713. et inſuper diuturnam, atque continuatam obſervantiam paſtoralis meæ per ſpatium fere duorum annorum, citra ullam contradictionem, aut reclamationem, præter præſentem, quæ myſterioſa, et ex præmiſſis circumſtantiis prætextoſa videbatur. Deinde ad fundamenta ſeorſim diluenda progrediebar.

SECT. I.

Quoad primum fundamentum:

IV. Reſpondebam, tunc ſolummodo in paſtorali mea dari poſſe regiæ juriſdictionis uſurpationem, quando in illa res aliqua prohiberetur, quæ nullo modo, nec *privative*, nec *cumulative*, aut *mixte*, ut in caſibus mixti fori, ad juriſdictionem eccleſiaſticam pertineret, ſed ad ſæcularem, ac regiam dumtaxat, et privative quoad eccleſiaſticam, ut eſt expreſſa, et communis reſolutio DD. et ipſius regiæ ordinationis, l. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 5. Peg. et Barb. ad eaſdem, Per. de man. reg. c. 10. et 11. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. ex n. 56. Portug. de donat. reg. p. 2. c. 39. Themud. p. 1. et reliquis, et alii paſſim.

V. Quod autem materia in paſtorali mea prohibita bajulis Chriſtianis ſæcularibus, foret privative eccleſiaſtica, oſtendebam, 1. Quia eiſdem non prohibebatur *qua ſæcularibus*, aut regiæ majeſtatis vaſallis, ſed *qua fidelibus, et Chriſtianis*; in qua ratione ſubditos eſſe eccleſiæ, atque eccleſiaſticæ juriſdictionis, certe conſtabat ex 1. ad Cor. 5. ad Hebr. 13. 17. et ex toto tit. *de for. compet.* et *de pot. jud. ordin. et de judiciis.* Ad quos Barb. de univerſ. jur eccleſ. et de pot. epiſc. alleg paſſim. Antonell. de regim.

VI. 2. Oſtendebam ex toto titulo *de Judæis*, et *Saracen.* in capitibus eadem paſtorali adjuncta citatis, videlicet, c. *Ad hæc*, c. *Etſi Judæos*, c. *Judæi, ſive Saraceni.* Quibus denuo addebam c. *Multorum*, c. *Cum ſit nimis abſurdum*, c. *Ex ſpeciali*, eodem tit. directum noſtro ſereniſſimo Portugalliæ regi *Sancio* II. In quibus nedum omne ſervitium Chriſtianarum perſonarum erga infideles, tam intra, quam extra domum, etiam nobile nutritium officium, quolibet ſtipendio prohibetur, verum etiam ſub variis pœnis eccleſiaſticis eiſdem infidelibus interdicitur ad publica rerumpublicarum officia propoſitio, ut aperte, quoad utramque prohibitionem, videre licebit in citat. capitibus, ſignanter d. c. *Ad hæc*, ibi: *Ad hæc omnibus Chriſtianis, qui ſunt in juriſdictione veſtra, penitus interdicatis, et, ſi neceſſe fuerit, diſtrictione eccleſiaſtica compellatis eoſdem, ne Judæorum ſervitio ſe aſſidue pro aliqua mercede exponant.*

Et infra, quoad rationes motivas: *Quoniam Judæorum mores et noſtri in nullo concordant, et ipſi de facili, ob continuam converſationem, et aſſiduam familiaritatem, ad ſuam ſuperſtitionem, et perfidiam, ſimplicium animos inclinarent.*

VII. Quæ quidem proſequuntur, et extenduntur in cit. c. *Et ſi Judæos*, ad ipſammet indecentiam nominis ac dignitatis Chriſtianorum, quibus quidem, utpote filiis liberæ *Saræ*, id eſt, eccleſiæ, famulari non liceret filiis *Agar* ancillæ, videlicet ſynagogæ, vel gentilitatis, per hæc verba ibi: *Inhibemus ergo diſtricte, ne de cætero nutrices, vel ſervientes habeant Chriſtianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ.*

VIII. Et ob hanc eandem rationem in lege naturæ ipſemet Deus Abrahamo juſſit, à ſocietate Iſaac, liberæ Saræ filii, excludere Iſmaelem, infidelis Agar ancillæ filium, Saræ approbans ſuaſionem: *Ejice ancillam, et filium ejus:* tum ob inſinuatam indecentiam, ac perverſionis periculum; tum ob ſuperioritatem, quam Iſmael ſuper Iſaac, cum ejus contemptu, affectabat, et jam ſibi arrogare incipiebat, ut colligitur ex illis verbis ſacri textus: *Cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo*, juxta PP. interpretationem, de quo vidend. Alap. ibid. Gen. xxi. 10, 11. Ibid. xxi. 9.

IX. Hinc ergo à fortiori arguebam; quod ſi Judæis, qui verum Numen adorant, et qui veri fideles olim fuerunt, veram eccleſiam conſtituentes (quare hodierno etiam tempore ſynagogæ illorum permiſſio non eſt intrinſece mala, utpote Romæ, et alibi, ſed tantum extrinſece, ut in Hiſpania foret, ob mixturam originariorum cum nationalibus Hiſpanis); attamen illis adeo ſtricte à jure canonico interdicta eſt converſatio cum Chriſtianis, et omne iſtorum erga illos ſervitium, necnon erga Saracenos, qui, licet infideles, etiam verum Numen adorant; quanta majori, ac fortiori ratione interdicenda erit gentilibus, ac paganis, qui falſum Numen, diabolum ſcilicet, adorant? præſertim extenſionem faciente eodem jure canonico omnium prædictarum prohibitionum, cit. tit. *de Judæis*, etiam ad paganos, tum ob identitatem, tum ob majoritatem rationis, ut viſitur in cit. c. *Judæi*, c. *Adhuc*, c. *Cum ſit nimis abſurdum*; ibi: *Hoc idem extendimus ad paganos.* Cui cohæret generalis expoſitio DD. ut Auguſt. Barb. in dict. c. *Cum ſit*, n. 6. Sanch. in decalog. l. 2. c. 31. n. 25. Tabien. verb. *Judæus*, q. 1. n. 2. et rubric. d. c. *Judæi*; ibi: *Excommunicari debent Chriſtiani, qui in domo ſerviunt Judæis, vel Saracenis, ſive paganis.*

X. Oſtendebam ex jure eccleſiaſtico privato hujuſce metropolis in primo concilio Goano, conſtitutionibus diœceſanis, typis impreſſis, annexo; et ex antiquo illius exemplari in camerali archivo eccleſiaſtico conſervato, cui fides ea debetur, quam exprimunt Card. Deluc. de teſtam. diſc. 66. n. 8. et diſc. 26. n. 10. Menoch. conſil. 924. n. 28. Molin. de primogen. l. 3. c. 13. ibi: *Scriptura informis accipit robur, et fidem, ex obſervantia, et adminiculis.*

In hoc ergo concilio 1. tota act. 2. et 4. ſimiles, et majores prohibitiones reperiuntur, ſignanter decr. 15. act. 2. quo ſtatuitur, *quod omnes pagorum exactores, Chriſtiani ſint*; *et quod nullus diſtributor*, vulgo *Gancâr*, *gentilis, ſervitium aliquod Chriſtiano alicui jubeat, nec ſuper hunc aliquod habeat dominium*; et decr. 23. *Quod nullus Chriſtianus vernaculus in eadem domo cum infideli aliquo commoretur*; et decr. 24. *Quod nullus Chriſtianus converſationem, ac familiaritatem frequentem habeat cum infideli, neque ab iſto intra domum famuletur*, &c. et rationem addit: *Quia cum hac converſatione, et honorificentia, indurantur in perfidia ſua infideles, et difficilius ab ea convertuntur*; *quinimo inde occaſionem ſumunt alios in infidelitate ſua ſuſtentandi.*

XI. Ex his autem inferebam, quod ſi tam arcte illa vetabantur, et ſi adeo gravia pericula, atque inconvenientia conſiderabantur in familiari ſervitio infidelium erga Chriſtianos intra domum; quid erit, è converſo, in infimo ſervitio bajulorum Chriſtianorum erga infideles, ſupra propria capita hos aſportantium, et ſub iſtorum dominio manentium? præcipue, cum non reperiatur bajulus, aut vector aliquis paganus, vel gentilis, qui Chriſtiani alicujus vehiculum, aut ſellam geſtatoriam bajulet, nec ei pro umbella deferenda inſerviat, in Chriſtiani nominis contemptum, quod quidem, quaſi rem vilem, generaliter deſpiciunt (ut experientia compertum eſt, in catechumenorum converſione, et converſatione); et gentiles omnes, eorumque vanas obſervantias, cunctis Chriſtianis, horumque vera religione nobiliores, atque honorificentiores abſolute æſtimant.

Deinde ex hocmetipſo bajulorum Chriſtianorum ſervitio deſument gentiles occaſionem novas cæremonias, idololatricas ſuperſtitiones exercendi, in certis expiationibus, ac purificationibus ſuperſtitioſis, putantes, ſe, ad domus ſuas ex ipſomet Chriſtianorum contactu, ac ſervitio pollutas, aut, ut ipſi vociferantur, *polleatas* manere, ut notum, et in confeſſo eſt apud omnes, et quotidiana experientia confirmatum.

XII. Addebam inſuper, omnes illas conciliares diſpoſitiones confirmatas, ac corroboratas exiſtere regiis diplomatibus, eas praxi ſervari jubentibus, ſignanter authentico, et typis mandato diplomate, ſynodalibus conſtitutionibus, atque primo præfato Goano concilio annexo, à prorege D. Antonio de Noronha, nomine regiæ majeſtatis expedito; et alio in forma legis in hoc ſtatu, et in hac cancellaria Goana publicato, anno 1585. (quod exhibebatur) à prorege D. Edvardo Meneſio, nomine Regis Catholici edito in confirmationem ſimilium legum, ac decretorum ulteriorum conciliorum Goanorum, prima primi decreta proſequentium, quæ etiam proſecutum eſt concilium 4. act. 2. et ſpecialiter decret. 14. ubi quid ſimile vetatur. Quibus legibus municipalibus ſuffragantur leges juris communis Cæſarii, l. *Judæos*, l. *Ne Chriſtianum*, l. *Juſſio*, l. *Probatorias*, de diverſ. offic.

XIII. Et quamvis tertium concilium Goanum corroboratum à dicto prorege D. Edvardo, anno 1585. examinatum Ulyſſipone ordine regio, non approbabatum eſt, quoad diſpoſitiones demoliendi Maurorum delubra, ſeu *Meſquitas*, ac ſynagogas Ormuſianas, et prohibendi Bracmenis ſuperſtitioſæ lineæ geſtationem; et in his ſuperſedere juſſum eſt, quoad uſque major ſumeretur informatio, ut ex epiſtola regia expedita 5. Martii 1597. conſtabat; non hinc inferendum eſſe dicebam, ſuſpenſas etiam fore reliquas ejuſdem concilii diſpoſitiones; quinimo ex illarum exceptione, firmatam remanere pro iſtis regulam in contrarium, necnon ex formali ipſius regiæ epiſtolæ expreſſione; ibi:

XIV. *Meæ intentionis eſt, quod* (concilio) *debita præſtetur executio in omnibus illis, quæ ſervitium Dei, ac meum, et bonum ipſius ſtatus reſpexerunt*; et ſuper decr. 10. quoad cæremonias nuptiarum paganorum, ſic ait: *Mihi viſum eſt ſuper hac re deferendum, ac providendum*; *itaque vobis præcipio, ut publicas prohibitiones, ſub pœnis bene vobis viſis, promulgemini, quibus caveatis, ne gentiles cæremonias haſce pūblice agant*; et conſimili formalitate utebatur in confirmationem aliorum decretorum, ut ex ipſa regia adjuncta conſtabat.

XV. Denique annectebam noviſſimum ſereniſſimi, ac piiſſimi regis Joannis V. reſcriptum, die 15 Martii 1714. expeditum (quod infr. n. 47. tranſcribitur) expreſſe prohibens paganis hujus ſtatus *aſportari in geſtatoriis, fana in infidelium territoriis extra limites ſtatus fabricare, aut idololatricis ſolemnitatibus inibi adſtituris publice tranſmeare*; *expreſſiſſime jubens, ac commendans totum conatum pro gentilium cunctorum reductione, et inviolabilem obſervantiam cunctarum reſolutionum, in favorem iſtius expeditarum.* Cui conſonant alia regia reſcripta, 3. April. 1583. et 23. Martii 1659.

XVI. Et tandem addebam, hic ſubintrare regulam l. *Sunt perſonæ*, 43. in fin. ff. de religioſis, et ſumptib. funer. ad quam Menoch. de præſumpt. l. 6. pr. 84. n. 11. junctis traditis per Grat. for. tom. 5. c. 977. n. 22. ibi: *Religioni favendum eſt, et ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit*; *qua neglecta, reliqua, ubi promoveri creduntur, peſſum eunt.*

XVII. Atque concludebam, quod cum demonſtratum ſatis ſuperque fuiſſet, materiam prohibitionis accuſatæ paſtoralis meæ eſſe juriſdictioni eccleſiaſticæ attinentem; et aliunde certum foret, quod, *Ratione rei, quis forum ſortitur*, c. *Sane ſi epiſcop.* de for. compet. nulla regiæ juriſdictionis uſurpatio in illius exercitio excogitari poſſet; tum quia qui juriſdictione ſua utitur, alienam non uſurpat, nec contra illam injuriam, turbationem, aut violentiam committit, ex notiſſima regula: *Qui jure ſuo utitur, nemini injuriam facit*, l. *Injuriarum*, § 1. ff. de injur. c. *Cum eccleſ.* de election. tum quia etiam in dubio uſurpationis, aut injuriæ, in favorem inferentis de jure præſumitur, ex vulgari regula:

XVIII. *In dubio præſumitur quis jus ſuum tueri, non injuriam committere*, l. *Fluminum*, in fine, ff. de damn. infect. l. *Pro conſul.* ff. eod. tit. cum vulgar.

Sect. II.

Quoad ſecundum fundamentum; *ſcilicet*, quod diſpoſitio hæc ſit ſæcularis, et contraveniens gubernii ordinibus.

XIX. Breviſſime, quoad primam partem, reſpondebam, jam oſtenſum remanere, hanc diſpoſitionem eſſe mere eccleſiaſticam, et non dirigi ad ſæculares, *qua ſæculares*, ſed *qua Chriſtianos*, et *fideles*, propter periculum perverſionis, et propter indecentiam, ac depreſſionem nominis Chriſtiani, necnon ob majorem paganorum in perfidia ſua obſtinationem, et reliqua motiva ſupra obſervata.

XX. Quoad ſecundam vero partem, contraventionis, videlicet, *aliquibus gubernii ſæcularis ordinibus*; reſpondebam, 1. Ordines iſtos, imo et ipſiuſmet regiæ majeſtatis perſonales, equidem hos omnes collimare, atque omnino dirigi, ad perfectam præmiſſarum legum eccleſiaſticarum obſervantiam, ut ſupra manet demonſtratum, ſpeciatim ex citato regio reſcripto, anni 1714. infra tranſcripto, n. 47.

XXI. Reſpondebam, 2. Gratiam, aut privilegium conceſſum duobus paganis ſubrecurrentibus, ad hoc, *ut poſſent ferculo geſtatorio vehi*, minime eis concedere, nec permittere, *ut poſſent à vectoribus, aut palangariis Chriſtianis bajulari*; quod quidem diverſiſſimum eſt; et hoc formaliter, non illud, erat quod in paſtorali mea, non gentilibus, ſed Chriſtianis prohibebatur. Nec licita, aut valida erat extenſio prætenſa generalis illius privilegii diſpoſitionis, ſcilicet, *quod poſſent in vehiculo geſtari*, ad particularem, et reſtrictam, videlicet, *quod poſſent à Chriſtianis bajulis aſportari*; tum quia *à terminis generalibus ad reſtrictos, et privatos, non valet argumentum*; ex l. *Si is*, § *Utrum*, ff. *de reb. dub.* ſeſſ. Aragon. deciſ. 64. l. *Doli*, ff. de verb. oblig. tum quia, *Diſpoſitio generalis, ad illicita non extenditur*, Gratian. for. c. 448. tom.

tom. 5. n. 13. *et reſcriptum principis ad illicita non extenditur, nec ad ea, quæ difficilius facere ſolet*, Barb. axiom. 106. n. 4. et ſeqq.

XXII. Et notorium omnino erat, ſubrecurrentes non eſſe in uſu, ac poſſeſſione illius privilegii; quinimo è contra pacificam poſſeſſionem, atque uſum univerſalem adeſſe pro obſervantia, fere biennia, meæ accuſatæ paſtoralis, et illuſtriſſ. epiſcopi Coccinenſis, D. Fr. Petri Pacieci, hujus Goani archiepiſcopatus, poſt defunctum archipræſulem D. Fr. Auguſtinum ab Annuntiatione, gubernatoris, publicatæ anno 1713. quæ quidem, utpote in favorem fidei, et gentilium converſionem, confirmata ſane intelligitur per poſterius regium reſcriptum anni 1714.

XXIII. Proindeque, etiam dato, quod actu exiſterent in poſſeſſione illius privilegii; cum per extenſionem ſupra expoſitam, illo abuſi fuiſſent, contra intentionem regiæ majeſtatis, et contra mentem illud nomine regio concedentis; utique illud juſte amiſiſſe, juſtiſſime judicandi erant; quia *privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*, c. *Ut privilegia*, c. *Licet*, de regularib. c. *Ubi*, diſt. 74. c. *Privileg.* 11. q. 3. Soar. de legib. lib. 8. c. 38. Bonac. tom. 1. diſp. 1. pu. ult. § fin. n. 2.

XXIV. Si autem aliquis objiceret, fruſtraneum remanere conceſſum privilegium, ſi non permittatur privilegiatis uſus bajulorum Chriſtianorum, poſito, quod bajuli gentiles non reperirentur; objectio hæc facile præcludebatur, 1. Ex notoria, et comperta veritate in contrarium, in ædilibus, vulgo *Deſſays*, gentilibus, quos vectores ſimiliter gentiles bajulant, ... et in chirurgis, ſeu curativis, vulgo *Pandittis*, paganis, quos pagani portitores vehebant, ut nuper viſum fuerat in Panditto nomine *Madua*, et in aliis pluribus, idem privilegium habentibus, et à bajulis gentilibus ſuper capita geſtabantur, quos in reſponſione ad ſimilem recurſum prælaudatus illuſtriſſimus epiſcopus Coccinenſis numeroſa inductione referebat: et tandem in ipſiſmet ſubrecurrentibus, et aliis paganis harum inſularum accolis, qui poſt paſtoralem meam, excluſis Chriſtianis, bajulos gentiles conduxerunt.

XXV. Præcludebatur, 2. Quod, etiam data veritate totalis defectus vectorum paganorum, privilegium à gubernio conceſſum intelligendum erat per ordinem ad prohibitionem legum ſæcularium dumtaxat, et nullatenus per ordinem ad prohibitionem legum eccleſiaſticarum; tum quia in his nullam juriſdictionem, aut poteſtatem, nec regia majeſtas, nec ejus gubernium ſane habebat; tum quia erat materia intrinſece mala, et grave peccatum involvens ex perverſionis periculo, et ex vilipendio Chriſtianæ dignitatis, ut cum theologorum communi reſolvit Azor. inſt. moral. tom. 1. l. 8. c. 22. q. 2. Laym. l. 2. tom. 1. c. 17. Filliuc. c. 22. n. 118. Angel. verb. *Judæus*, Sanch. in decalog. l. 2. c. 31. ibi: *Dicendum eſt, non excuſari à mortali ea, quæ quaſi continuam converſationem, aut nimiam familiaritatem inducent, ac fidei dignitati derogant.*

XXVI. Gravitatem autem hujus materiæ confirmat gravitas pœnarum à jure canonico inflictarum, quatenus jubent clericum deponi, ac ſæcularem excommunicari, cum Judæo, aut infideli communicantem, c. *Conſtituit*, 17. q. 4.

XXVII. Ut ibidem notant DD. animadvertentes, parvitatem materiæ à gravitate culpæ excuſare poſſe; non tamen in caſu perverſionis periculi (quod quidem in India infallibile eſt quoad vernaculos) neque in caſu famulatus, aut ſervitii familiaris, et frequentis, propter indecentiam, præter illud periculum, et vilipendium nominis, ac dignitatis Chriſtianæ religionis, ut cum Azor. tenet Laym. cit. et Bonac. diſp. 3. q. 6. pu. 6.

XXVIII. Unde, ſicut ſi regia majeſtas ex ordinatione ſua, ac legibus municipalibus, tolleret prohibitiones adulterii, et ſacrilegii abſolute, vel reſpective, in ſuæ regiæ juriſdictionis exercitium, ſibi perſuaſus, quod ſicut eas imponere potuit, eaſdem conſequenter tollere valebat, quia *ejuſdem eſt tollere, cujus eſt ponere:* nec ideo ex eo, quod ablatæ forent de jure regio, cenſerentur etiam ablatæ de jure eccleſiaſtico reſpectu earundem actionum, ab hoc jure adhuc prohibitarum, neque actiones illæ abſolute, aut reſpective licitæ remanerent; ita ſimiliter, ex eo, quod eadem regia majeſtas, aut ejus locumtenentes, reſpectu aliquorum infidelium auferant, aut moderentur legem ſæcularem, ne in geſtatorio ferculo aſportentur; non ideo auferuntur, aut moderantur prohibitiones eccleſiaſticæ, ne à Chriſtianis bajulentur. Eo pari modo, quo, ſicut ex moderatione regiæ ordinationis, permittentis marito impune occiſionem adulteri, et propriæ uxoris in flagranti adulterio repertæ, ordinat. l. 5. tt. 38. § 1. et in principio; non hinc ſequitur, uxoricidium, aut adultericidium, non eſſe peccatum, aut legibus eccleſiaſticis adhuc prohibitum, ut patet ex gl. in c. *Inter hæc*, 33. q. 2. c. *Si vero*, 1. de ſent. excommunic. Cardoſ. verb. *Adulterium.*

XXIX. Hinc autem non prætermittendam, ſed formaliter apponendam ducebam, elegantem, et lepidam reſponſionem præfati illuſtriſſ. epiſcopi Coccinenſis, ad aliam objectionem *mutuæ charitatis*, in ſupplicatione illius primi, et ſimilis recurſus tunc ab ejus patrono appoſitam: reſpondebat igitur præfatus præſul per hæc verba formaliter:

XXX. Si gentiles etiam geſtatoria fercula Chriſtianorum bajularent, ſicut Chriſtiani vehunt paganorum, tolerabilis adhuc foret hæc reciprocatio, ratione mutuæ charitatis præciſæ: verum abſque illa, velle gentilium patronus præſens catholicus, quod cum majori amore proſequantur ungues pedum paganorum, quam vertices capitum Chriſtianorum, quorum religionem patronus ipſe profitetur; non ſolum amor deordinatus eſt, ſed monſtroſus, cum ex legibus naturalis, et bene ordinatæ charitatis, conſtet, quod *plus amat ſe quis in ungue pedis, quam alium in vertice capitis*, ut dixit Bald. conſ. 312. l. 4. et Romanus philoſophus: *Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam; ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream*, &c.

XXXI. Tandem, neque etiam ſubrecurrentibus aliquam uſus, aut conſuetudinis allegationem ſuffragari poſſe, oſtendebam; et, 1. Quia uſus in contrarium ſtabat, ſaltem poſt meæ paſtoralis promulgationem. 2. Quia, ſuppoſita illicitudine materiæ, conſuetudo illa irrationabilis redderetur, et peccatorum quidem nutritiva, proindeque minime tolerabilis, ſed omnino eradicanda, Sanch. de matrimon. l. 7. diſp. 4. n. 14. Soar. de legib. 7. c. 6. n. 14. Giurb. in conſuetud. ſenat. Meſſan. in procem. n. 19. et eſt expreſſa juris diſpoſitio in tot. titulo de *conſuetudine*, ubi, c. *Ad audientiam*, ſic effatur: *Conſuetudo, quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti.*

XXXII. Pariformiter in prima parte decreti, primis duodecim diſtinctionibus, hoc idem declaratur, ſignanter c. *Fruſtra*, d. 8. ibi: *Ratio, et veritas conſuetudini præponendæ ſunt:* et c. *Conſuetud.* ibidem: *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt. Propter quod, relicto errore, ſequamur veritatem.* Ubi gl. inter alias conditiones, ut conſuetudo prævaleat, ſequentes deſignat: *Quod ſit præſcripta: quod in judicio contradictorio obtinuerit: quod res illa ſit præſcriptibilis: quod ſit antiqua, et approbata: quod contineat naturalem æquitatem.* Quæ omnino in contrarium ſtabant in caſu præſenti; qui quidem in contradictorio judicio coronæ hujus ſtatus, adverſus ſimiliter recurrentes judicatus fuerat, non obſtante actuali privilegii poſſeſſione, in qua recurrentes erant, die 8. Octobr. anno 1713. ut ex adjuncta gravaminis ſententia conſtabat.

XXXIII. Deinde ſubjungebam alias expreſſas juris utriuſque diſpoſitiones, c. *Cum teneamur*, de præbend. c. *Si quando*, de reſcript. c. *Cum olim*, de cleric. conjug. ubi gloſſæ: in quibus præcipitur, quod, ſi ex reſcripto, aut mandato principis aliquod ſcandalum ſequatur, aut etiam ex conceſſo ab eo privilegio, omnino excuſationi ſuperſedeatur, et ab ea abſtineatur. Ubi gloſſ. in d. c. *Cum teneamur*, verb. *Si non poteſt*, ſic ait: *Et ſic propter ſcandalum quandoque receditur à jure.* Et pariformiter in jure civili ſancitum eſt; *id ſolum fieri poſſe, quod commode, vel jure fit, etiam ſine ſcandalo*, ff. de verb. ſignificat. l. *Nepos*, de uſu, et habil. l. *Non aliter*, 22. q. 2. et alibi. Scandalum autem grave in executione illius privilegii intercedere, jam ſupra oſtenſum eſt, et adhuc § ſequenti demonſtrabitur.

XXXIV. Denique concludebam, quod, ſuppoſita pacifica poſſeſſione paſtoralis meæ, et illius generali, ac diuturna obſervantia, et jure, quod ordinaria mea, ac

ac delegata juriſdictio habet ad ſimiles prohibitiones, in utroque jure fundatas, inducendas, hujuſce juriſdictionis executionem, ac exercitium *quomodolibet*, *directe*, *aut indirecte impedire*, erat manifeſte incidere in cenſuras can. 14. et 16. bull. Cœnæ Domini, et c. *Gravem*, c. *Noverit*, de ſent. excom. et Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. de quibus videndus Alter. l. 5. diſp. 16. c. 4. Fragoſ. de regim. diſp. 3. § 15. et 16. Palao, diſp. 3. pu. 16. et 17. curſ. moral. Salmantic. tom. 2. de cenſur. bull. Cœn. et alii ibidem.

Sect. III.

Inſinuabantur aliqua damna infallibiliter conſequenda ex præſentis recurſus proviſione, et accuſatæ paſtoralis inobſervantia.

XXXV. Primum erat notæ, murmurationis, graviſque cenſuræ, qua, graviori ſcandalo gentiles ipſi, nos, noſtraque fugillarent; tum in his, quæ ad religionem, juriſdictionem, guberniumque eccleſiaſticum pertinent; tum in eis, quæ attinent ad politicum et judiciale; videntes heri aggravantes à prohibitione cujuſdam epiſcopi gubernatoris, ne pagani à Chriſtianis bajularentur, non obtinuiſſe in recurſu, non obſtante illorum antiqua, et pacifica, quoad hoc ſervitium, poſſeſſione: hodie vero obtinere recurrentes à paſtorali proprii archipræſulis, ſtante poſſeſſione diuturna, ac pacifica pro iſtius paſtoralis obſervantia.

XXXVI. Secundum damnum erat ſuperbiæ, arrogantiæ, jactantiæ, atque gloriæ vanæ, quam pagani ipſi conciperent ex hac victoria, eo quod triumphantes evaſiſſent, non ſolum à ſuperioritate, ac dignitate Chriſtianorum, ſed etiam ab eorum *Patre Magno* (ſic archiepiſcopum nominant) et ab eccleſiaſticis legibus, atque interdictionibus eccleſiaſticis, etiam in materiis fidem noſtram, ac religionem concernentibus: quibus aliud damnum addendum, videlicet contemptus, inſultationis, atque vilipendii perfectionis Chriſtianæ religionis, et totius Chriſtianiſmi; necnon majoris temeritatis, et audaciæ, quam hinc deſumerent ad majora obtinenda pro obſervationibus ſuperſtitionum, ac ſectarum ſuarum, ut ſæpe tentârunt, atque intentârunt, non ſine gravi puritatis, incorruptionis, atque Chriſtianiſmi obſervantiæ jactura.

XXXVII. Tertium erat infallibilis, et neceſſaria ſequela damnorum aliorum, jam ſupra inſinuatorum, præſertim illud expiationum, atque purificationum ſuperſtitioſarum repetitionis: in cujus ponderatione adducebam communem theologorum doctrinam (cum Martin. Delrio de magia, l. 6. c. 11. ſeſſ. 1. q. 2. Laym. l. 4. tr. 10. c. 4. Bonac. diſ. 3. q. 5. pu. 5. Buzemb. l. 7. pu. 1. dub. 5. Soar. Sanch. Dian. Leſſ. Filliuc. curſ. moral. Salmantic. &c.) aſſerentium non licere petere à mago ſolutionem maleficii, quando in illa nova dæmonis invocatio, aut aliqua vana obſervantia, aut ſuperſtitio interveniat: et hinc inferebam conſequenter illicitudinem uſus illius privilegii, ex quo novæ ſuperſtitiones, ac vanæ obſervantiæ, neceſſario erant repetendæ, ac proſequendæ.

XXXVIII. Quartum erat, neceſſaria, et infallibilis cooperatio materialis iſtorum vectorum Chriſtianorum ad actiones intrinſece illicitas, et graviter peccaminoſas, quales erant paganorum vectio, et aſportatio ſaltem uſque ad fanorum oſtia, et forſan uſque ad interiora illorum, pro ſacrificiis idolis offerendis, atque idololatricis ſolemnitatibus, ac proceſſionibus, intereſſendis: bajulationes eorum ad balnea, ac lavacra, ſuperſtitioſa; conductiones pecuniarum, donativorum, atque oblatarum, tum pro ſacrificiis dæmonibus peragendis; tum pro illorum flaminum ſuſtentatione; et tandem materialium aliarum rerum aſportationes pro fanorum ipſorum ſubſiſtentia, reparatione, atque reædificatione; et alia plura.

XXXIX. Deinde, cum in illis ſolemnitatibus, non ſolum fieri ſoleant celebritates nocturnæ proſopopœiarum variarum, induſiatarum pomparum, quas vulgo *Encamiſadas* dicimus, in quibus pagani in palangis aſportati, ſecum ferunt varias idolorum imagines, atque inſignia (imo plures horum gentilium bajulatorum, formam, ac figuram ipſorum idolorum induere, ac ſimulari aſſueſcunt) verum etiam diurnæ proceſſiones, ſeu progreſſiones inſimul fiunt multiplici commeatu, quibus in vehiculis, atque geſtatoriis ferculis, propria idola, et falſa ſimulacra, ſuper humeros vel capita vectorum bajulantur, hæc etiam proculdubio capitibus, et humeris bajulorum Chriſtianorum ſuperimponent; et aliis plurimis turpitudinibus, et graviſſimis illicitudinibus, abominationibus, ac ſpurcitiis cooperabuntur, illarum generis, quæ in ſolemnitate, vulgo *Symô*, ſeu *introitu* ad eorum obſervantias veluti quadrageſimales, in qua quicquid agitur, effatur, canitur, viſitur, attingitur, ſimulatur, aut attentatur, turpitudo eſt; ut noſtrates in ea, quæ prope Cucolinum nuper eſt celebrata, abhorrentes experti ſunt.

XL. Et certam, et communem eſſe dicebam ſuper his, materialibus ſaltem, cooperationibus, theologorum doctrinam, quod *famulus illicite cooperatur peccato domini, etiam per actionem indifferentem, quæ proxime ad illud concurrat*, Bonac. cit. p. 11. n. 26. Azor. tom. 2. p. 2. l. 12. c. ultim. q. 8. Sanch. l. 1. moral. c. 7. n. 21. Buzemb. l. 2. dub. 5. à 3. videantur etiam Cardin. Corell. Fr. Valentin. et alii neoterici ſuper propoſ. 51. damnata ab Innoc. XI. quæ ſic ſe habet: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, et multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti*, &c.

XLI. Quintum damnum, quod ex proviſione recurſus ſequeretur, erat, quod palangarii Chriſtiani bajulare inciperent gentiles tam privilegiatos, quam non privilegiatos, et ipſoſmet fanorum flamines, ſubflamines, et alios delubrorum aliorum ſervos, quando obreptitie ſeſe intromittunt in territorium ſtatus pro ſuis infernalibus miſſionibus, atque idololatricis et ſuperſtitioſis cæremoniis clandeſtine exequendis, quæ paſſim ex S. Officii proceſſibus publice conſtant; inſuper bajulabunt ipſos fanorum exactores, quando fere ſingulis menſibus in terras noſtras introducuntur pro contributionibus, nedum gentilium, verum et quamplurium malorum Chriſtianorum vernaculorum exigendis, atque dæmonis delubris, ac ſolemnitatibus applicandis: et hinc etiam progredientur ad turpiſſimas ſaltatrices, fanorum viles ancillas, non minori ſcandalo, neque minori ſpirituali, ac temporali pernicie, ſuper propria capita aſportandas, et ad diverſa loca, etiam intra ſtatus territorium conducendas.

XLII. Denique infallibile erat periculum perverſionis ipſorum bajulorum, ſeu palangariorum Chriſtianorum, tum ob frequentem converſationem cum heris gentilibus, tum ob aſſiſtentiam et præſentiam idololatricis ſacrificiis, ac ſolemnitatibus, ſuppoſita naturali propenſione iſtius gentis ad idololatriam, ut experientia demonſtrat in ipſiſmet mercatoribus Chriſtianis, qui *Balagâttæ* nundinas frequentant, et in iis, qui provinciarum Salſetanæ, et Bardeſianæ confines, gentilium pagis affines, incolunt, ut quotannis in S. Inquiſitionis proceſſibus dolentes experimur.

XLIII. Pro coronide, omiſſis aliis infallibilium damnorum, atque ſcandalorum rationibus, duo tantum repræſentabam: Primum; ſummæ, et infallibilis veritatis humanatæ aſſertum: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Mat. 16. ex qua inferebam, quod ſi unicum detrimentum ſpirituale totius univerſi prævalet lucro; quomodo convenientia temporalis duorum, aut aliorum gentilium, prævalere poterat tot detrimentis, ac damnis ſpiritualibus contra fidem, religionem, ac Chriſtianam dignitatem, necnon contra propriam conſcientiam, imo et contra proprias ipſiuſmet ſtatus, ac reipublicæ temporales utilitates?

XLIV. Secundo, Repræſentabam doctrinam Olivæ (et aliorum DD. communiter) de for. eccleſ. p. 1: q. 15. n. 45. ibi: *Recurſus non datur ad tribunalia ſæcularia, per viam violentiæ tollendæ, ſeu impediendæ in iis caſibus, in quibus majus inconveniens ſuerit publicum, quod ſemper præponendum eſt utilitati privatæ recurrentium; bonum enim publicum, anteponendum eſt privato*, l. *Actione*, § *Labeo*, § *Pro ſocio*, *l. unica*, § *ultim. cod. Caduc. toll. jur. Sot. de juſt. et jur. Gabr. commun. lib. 3. tt. de non toll. jur. concl.* 2. Cui etiam ſubjungebam ſententiam regis Antigoni, qui etſi paganus, ac infidelis, miniſtro cuidam ſua-

ſuadenti, regibus cuncta honeſta eſſe, ac licita, ſic reſpondit (apud Eraſm. l. 4. apophthegmat.) *Sunt per Jovem barbarorum regibus dumtaxat; at nobis ea dumtaxat honeſta ſunt, ea tantum juſta, quæ ſunt; non enim rex eſt juſti honeſtique regula, ſed honeſti juſtique miniſter.*

XLV. Et ſic præſentem meam reſponſionem, atque allegationem claudebam die 7. Februar. anno 1730. qua quidem in ſenatu regio perlecta, atque ponderata, proviſionem recurrentibus ſimpliciter denegârunt: qui tamen ad ſereniſſimum regem politice recurrentes, tacita veritate, atque eventu hujus juridici recurſus interpellationis, favorabilem epiſtolam à regia majeſtate, per ejus ſecretarium ſtatus, ad me directam, die 13. Martii ann. 1731. ad hoc, ut favorabiliter eis deferrem: cui tamen cum reſcripſiſſem interjectionem, et ſucceſſum duorum prædictorum gravaminum narrans, et hanc meam ſecundo huic recurſui reſponſionem formaliter adjungens, nil amplius, etiam politice, favorabiliter hactenus adepti ſunt; et charta mea paſtoralis in ſua viridi, et interrupta obſervantia uſque ad præſens generaliter conſervatur, ac tuetur.

Charta paſtoralis, qua palangariis Chriſtianis interdicitur, ne infideles bajulent, aut eis in deferenda umbella inſerviant.

XLVI. D. Ignatius à S. Tereſia, &c. Omnibus, et ſingulis, &c. Propter altitudinem præexcelſæ dignitatis orthodoxorum, fidelium, et ob vilitatem contemptibilis dimiſſionis ſorti infidelium, nec non ob ipſammet gravem indecentiam, ac deformitatem cujuſlibet ſervitii perſonarum fidelium erga infideles, et inſuper propter multiplicata pericula, quibus ſubjacet ipſamet frequens converſatio, atque infidelibus promiſcuitas, ſubjecta ſane infallibili perverſionis diſcrimini, et admodum contraria veræ fidei retentioni, bonorumque morum conſervationi, jam in ipſa prima naturali lege, juſſione, ac approbatione, ſegregatus eſt Iſmael filius Agar ancillæ (in quo infidelitatis filii deſignabantur) nedum à ſocietate, et conſortio Iſaac, filii Saræ liberæ, ac fidelis (in quo, juxta patrum explanationem, filii veræ, et orthodoxæ eccleſiæ præfigurabantur) verum et à propriis laribus atque hæreditatibus ejecta eſt ancilla, et filius ejus, ob præfatum perverſionis periculum, et propter quandam affectatam ſuperioritatem, quam ludibrio, ac contemptu, jam filius ancillæ infidelis, ſuper filium liberæ fidelis, ſibi arroganter uſurpabat; cum jam antea angelus Domini ipſi Agar ancillæ, ut humiliaretur ſub manu dominæ ſuæ liberæ, clare juſſiſſet ad deſignandam humiliationem, ac ſervitium, quod infideles fidelibus debent exhibere, non vero è contra: in cujus proſecutionem, et celſioris Chriſtiani nominis ſuperioritatis conſiderationem, ſupremi Pontifices, in jure canonico, ſemper ad periculum illud evitandum, et indecentiam hanc, et vilitatem, penitus eliminandam, providerunt, multipliciter vetantes communicationem, et communionem Chriſtianorum cum infidelibus, et ſtrictius fidelium ſervitium erga infideles perſonas; eas etiam, quæ verum Numen, ut Judæi, colunt, et adorant, ut viſitur in toto titulo *de Judæis, et Saracenis*, c. *Ad hæc*, c. *Etſi Judæos*, c. *Judæi, ſive Saraceni.* Quibus quidem ſacris ſanctionibus conſonantes per omnia ſunt ipſiuſmet juris Cæſarii diſpoſitiones, l. *Judæus*, l. *Nequis Chriſtianam*, l. *Judæus*, tt. 10. cod. *de Judæis*, cum tam extenſa ampliatione, ut etiam eos, nedum proprias nuptias ſecundum ritum ſuum celebrare interdicerent, l. *Nemo*, eod. titulo, verum etiam ipſoſmet à cunctis honoribus, officiis, atque publicis adminiſtrationibus arcerent, l. *Juſſio*, l. *Hac valitura*, eod. titulo, l. *Probatorias*, de diverſ. officiis, quæ quidem etiam à jure canonico eis interdicuntur, can. *Nullo*, diſt. 54. c. *Cum ſit*, c. *Speciali*, de Judæis; quibus decretis generalibus, jus etiam ſpeciale hujus metropolis univerſaliter inhæret in omnibus Goanis conciliis, hactenus habitis, uſque ad quintum excluſive, et expreſſius in primo et quarto in tota actione 2. et 4. quorum decreta ſpecialia, municipalibus etiam legibus ſæcularibus, corroborata reperiuntur, præſertim in his quæ typis mandatæ primo Goano concilio ſynodalibus conſtitutionibus annexo, appenſæ verſantur; in quibus, infidelibus cunctis ob præmiſſa indecentiæ, et periculi motiva, necnon ob retardationem ipſorum infidelium reductionis, omnia reipublicæ officia, honores, ac adminiſtrationes; lavacra; et omnes ritus, et cæremoniæ ſuperſtitionem ſapientes; omnium, et ſingulorum diſtinctivorum eorum ſectarum inſinuatorum publica geſtatio; omnis promiſcuitas, atque domeſtica commoratio, et frequens converſatio cum fidelibus, multipliciter eiſdem infidelibus prohibentur: quas omnes interdictiones pie, et religioſe proſequitur reſcriptum regium ſereniſſimæ majeſtatis actu regnantis, die 15. Martii, anni 1714. expeditum, quo omnem ſolicitudinem, et conatum ad infidelium ipſorum perfectam converſionem commendans, eiſdem eodem fine ſpecialiter vetat, delubrorum in terris infidelium conſtructiones, publicam ſuperſtitioſis ſolemnitatibus aſſiſtentiam, bajulari à Chriſtianis palangariis, aut ab eiſdem pro umbraculo deferendo inſerviri, et alia hujuſcemodi: *Et quoniam*, non obſtante maledictione, et majori excommunicatione, *ipſo facto*, in primo Goano concilio, act. 2. fulminata, adverſus omnes, qui in ritibus ſuis, aut ſuperſtitionibus, moribus infidelibus favent, aut ejuſdem, in favorem fidei, at infidelitatis extinctionem, decretis obveniunt, aliqui pagani paulatim ſolita aſtutia vulpina aliquos honores, et gratias, à quibus etiam legibus ſæcularibus interdicti erant, conſecuti ſunt, et, eas inter, facultatem vehendi in palangis, quin eis concederetur, ut à bajulis Chriſtianis aſportarentur, gratiam injuſte ampliantes, palangarios Chriſtianos conduxerunt, qui eos continuo famulatu, ac ſervitio bajularent, contra vetitum expreſſe in citatis c. *Ad hæc*, et c. *Etſi Judæos*: cui cuidem indecentiæ, et damnis gravioribus ex ea oriundis, cum notoria, ac perniciosa totius juris infractione occurrens zelus illuſtriſſimi domini D. Fr. Petri Paciecii, epiſcopi Coccinenſis, et hujuſce diœceſis, in defuncti archipræſulis defectum, tunc temporis gubernatoris, quadam publica paſtorali charta Chriſtianos palangarios ſub excommunicationis pœna interdixit, ne gentiles bajularent, aut eiſdem pro umbella deferenda inſervirent; à qua prohibitione recurſum ad ſæculare judicium gentiles intentantes, ipſi minime obtinuerunt, et adverſus ipſos in eodem coronæ judicio pronunciatum eſt, die 8. Octobris anni 1713. et quia etiam nunc temporis nobis experientia propria compertum eſt, tum ex denuntiationibus in noſtris viſitationibus acceptis, tum ex ipſorum neophytorum confeſſionibus, majora intercedere ſcandala, pericula, et indecentias, ex illa frequenti communicatione, atque vili ſervitio bajulorum Chriſtianorum erga infideles, ex quo iſti etiam occaſionem arripiunt Chriſtianam dignitatem contemnendi, et ſeipſos Chriſtianis nobiliores reputandi, atque in infidelitate ſua, et vanis obſervantiis, atque idololatricis ſuperſtitionibus, duriori contumacia permanendi; et ulterius conſiderantes nos ſuperioritatem, et excelſiorem nominis, ac religionis Chriſtianæ dignitatem, ob quam præter reliqua præfata motiva, à paritate prohibitionis eccleſiaſticæ, clericos, ob eorum ſtatus ſuperioritatem, ne cadavera fidelium ſæcularium deferant, vetantis, licet exercitium illud pietatis, ac miſericordiæ opus equidem ſit, et defunctus aſportandus ejuſdem religionis Chriſtianæ publicus profeſſor extiterit, et ejus anima in gratia, et amicitia Dei probabiliter diſceſſerit, cujus quidem intuitione forſan in cœlo gaudebit, divinæ gloriæ (utpote Dei filia, ſponſa, et hæres) particeps, et conſors effecta, noviter nos ad conſimilem, et urgentiorem prohibitionem quoad præjactum indecentiſſimum, et perniciosiſſimum ſervitium fortius adſtrictos eſſe agnoſcentes; per præſentem paſtoralem epiſtolam, omnibus, et ſingulis fidelibus, et Chriſtianis ſubditis noſtris, formali præcepto, et ſub pœna majoris excommunicationis latæ ſententiæ, jubemus, ne alicujus infidelis vehiculum, aut palangam, aut ferculum, vel ſellam geſtatoriam bajulet, aut aſportet, neque infideli alicui pro umbella, aut umbraculo deferendo inſerviat, neque etiam infidelem aliquem vehant, ad hoc, ut extra ſtatus territorii limites, in terris infidelium dies ſuos finiat, quod in fraudem religionis noſtræ patrare ſolent, et in impedimentum certum moribundorum infidelium, ſaltem in illa hora,

facilioris ad veram fidem reductionis: et vectoribus ipſis, ſeu palangariis Chriſtianis, ſub infidelium ſervitio degentibus, terminum præciſum, et peremptorium triginta dierum præfigimus, ut ab eo effective exeant, ac diſſolvantur; alias, præmiſſo termino elapſo (qui die 14. currentis menſis Septembris, qua paſtoralis hæc publicanda eſt, computabitur) ſciant, ſe in comminatam cenſuram incurſos declarandos, ſi intra eundem terminum, et ſex alios dies, relevantes rationes non allegaverint; ad quarum allegationem per præſentem etiam omnes, et ſingulos citamus, ac notificamus; et formali etiam præcepto omnibus parochis ſæcularibus, ac regularibus, jubemus, ut, tranſacto præfixo termino, tranſgreſſores ſtatim nobis denuntient, et epiſtolam hanc noſtram paſtoralem, poſt ejus publicationem, in parochiæ libris regiſtrari faciant. Data ſub noſtro ſigno, ac ſigillo, in noſtro pontificali palatio *de Panelim*, die 11. Septembris anni 1728. &c.

Epiſtola regia 1714. *qua idem defenditur, et alia erga fidei propagationem, ac paganorum converſionem providentur, originali idiomate tradita.*

XLVII. D. Joaô por graça de Deos Rey de Portugal, e dos Algarves daquem, e dalem, mar em Africa, ſenhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, V. Rey, e cappitaô geral do eſtado da India, que ſevio oque informaſtes em carta de 10. de Novembro de 1712. como ſe vos havia ordenado, ſobre oque me havia eſcripto *o pae dos Chriſtaôs*, de que ſe vos inviou a copia; e a quem ouviſtes neſſe eſtado por eſcripto, e remeteſtes a eſte reyno a repoſta, que vos havia dado, e ſendo tudo viſto comotreſlado que tambem enviaſtes dos alvaras, e proviſoês paſſadas a favor da propagaçaô da Chriſtandade, e converſaô dos gentios, me pareceo ordenarvos, que ſobre *ſedarem as officios aos cathecumenos, façais obſervar inviolavelmente as minhas ordens*; e como pelas razoês, que o pae dos Chriſtaos tem apontado, ſe moſtra haver grande omiçaô, e abuzo em ſenaô aplicarem todos os meyos conducentes para a converſaô dos gentios meos vaçalos; e que ſendo a principal obrigaçaô dos reys de Portugal tratarem com grande cuydado, que ſe convertam por todos os caminhos mais efficazes, e ſuaves, que ſepoderem excogitar para os reduzir a verdade da lei evangelica, vos recomendo ponhais todo o empenho, e diligencia em que ſe conſiga eſte fim; para oque he precizo façais obſervar inviolavelmente as ordens, que neſte cazo ha em ſeu favor, e particularmente, a que manda que ſejaô providos nos officios, que coſtumaô andar na gente da terra, preferindo os novos convertidos; procedendo para eſſe effeyto informaçaô do pae dos Chriſtaos, no que tem havido grandes abuzos, e deſordens; e para que eſtes ſe evitem, ſe ordena ao chanceler da rellaçaô deſſe eſtado, naô paſſe pela chancelaria ordem alguâ, contraria as que ha a favor dos novamente convertidos; e pelo que reſpeyta aos ritos gentilices, e faculdades que ſe concedem aos gentios: me pareceo dizervos ſedeve coartar a liberdade as provizoês que ſe concedem aos ditos gentios *para andarem em anderes, e trazerem ſombreyros*, e outras ſemilhantes, naô ſendo humas taes peſſoas, cuja authoridade, e poſtos, como ſaô *Deſſaes*, convem politicamente, que ſe diſpenſe com elles neſte particular, e por nenhum modo que os gentios vaçalos vaô aſſiſtir com frequencia, e publicidade as feſtas dos ſeos pagodes a terra firme; e como tambem pelo que informa o p. pae dos Chriſtaôs, me he prezente, que os meos vaçalos gentios edificaô obras publicas aos ſeos idolos; vos ordeno lhas naô permitaês com grandes penas; porque naô convem alem da offenſa, que ſefas a noſſo Senhor em ſe edificarem pagodes a idolos pelos meos vaçalos, que eſtas obras emque elles pertendem perpetuar o ſeu nome as façaô com os cabedaes adquiridos nas minhas terras, e muitas vezes da fazenda real; porem ſo poderaô fazer aſque naô reſpeitem a noſſa religiaô, e ſe prohiba aos officiaes o trabalharem em tais obras, e ſevos recommenda lembreis aos inquizidores procedaô ſeveramente contra aquelles, que por algum modo impedirem à converſaô aos gentios, e que façaô obſervar as leys que ha, ſobre ſetomarem os orphaos para cathecumenos, aſſim e da maneyra que nellas eſta diſpoſto, tirandoſe todo o eſtorvo, que houver para a ſua obſervancia. El Rey noſſo ſenhor o mandou por Joaô Telles da Silva, e o dezembargador Joaô de Souza, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino, pelo impedimento do conde general da armada, prezidente della, e ſe paſſou por duas vias. Miguel de Macedo Ribeyro, a fes em Lixboa a 15. de Março de 1714. O ſecretario Andre Lopes de Laura, a fis eſcrever. Joaô Telles da Silva, Joaô de Souza.

Eadem epiſtola Latine reddita.

D. Joannes, Dei gratia Rex Portugalliæ et Algarbiorum, citra et ultra mare in Africa, dominus Guineæ, &c. Notum vobis facio, prorex, et dux generalis ſtatus Indiani, viſum fuiſſe, quod informâſtis per epiſtolam 10. Novembris 1712. ut vobis ordinatum fuerat, ſuper repræſentatione patris Chriſtianorum, cujus exemplar vobis tranſmiſſum eſt, ſuper quo à vobis in ipſo ſtatu auditus eſt per ſcriptum, quod huic regno remiſiſtis; quibus quidem inſpectis, ſimul cum exemplaribus proviſionum in favorem propagationis fidei, ac paganorum converſionem expeditarum, mihi viſum eſt vobis injungere inviolabilem reſolutionum mearum obſervantiam, ad hoc, ut in officiis catechumeni provideantur. Et quia ob rationes, quas Chriſtianorum pater inſinuavit, reperitur gravem omiſſionem, atque abuſum irrepſiſſe in defectu applicationis omnium mediorum ad converſionem gentilium meorum vaſallorum conducentium, et præcipuum munus regum Portugalliæ ſit magna vigilantia curare, ut omnibus excogitabilibus modis, ac mediis efficacioribus, æque atque ſuavioribus, ad veritatem evangelicæ legis amplectendam reducantur: vobis injungo, ut omnem conatum, atque diligentiam adhibeatis ad finem hunc conſequendum; et, ut facilius obtineatur, inviolabiliter obſervari faciatis diſpoſitiones cunctas, quæ in illius favorem ſuper hac re ordinatæ ſunt; et ſpecialiter eam, quæ jubet præferri neophytos in proviſionibus officiorum, in quibus Indi provideri ſolent, procedente informatione patris Chriſtianorum, in cujus ordinis obſervantia magni abuſus, ac irregularitates irrepſerunt; quæ quidem ut penitus evitentur, cancellario ſenatus ipſius ſtatus præficitur, ut per cancellariam tranſire non permittat ordinem aliquem favorabilibus neophytorum adverſantem. Et pro parte, quæ ritus gentilicos reſpicit, et facultatibus, quæ paganis conceſſæ reperiuntur; mihi viſum eſt reſolvere, coarctandam eſſe libertatem gratiarum præfatis infidelibus conceſſarum, ut poſſint in palangis vehi, et ſub umbraculis procedere, et alias ſimiles; niſi forte tales perſonæ ſint, ob quarum auctoritatem, ac dignitatem, ut ſunt ædiles gentilium, vulgo *Deſſays*, politice conveniat, ut cum eis in hac re præciſe diſpenſetur. Et nullo modo permittendum gentiles, ſtatus vaſallos, frequenter ut pergant ultra limites terrarum ſtatus, ratione publicæ aſſiſtentiæ ſolemnitatibus idolorum ſuorum præſtandæ. Et quia per informationem ejuſdem patris Chriſtianorum mihi præſens eſt, eoſdem vaſallos gentiles eiſdem idolis publica ædificia fabricare; vobis præcipio, ut id eis ſub gravioribus pœnis interdicatis; nam propter offenſam in Deum commiſſam, ſæpe prædicta ædificia in honorem idolorum ſuorum, et in proprii nominis perpetuationem conſtruunt, ex reditibus in terris meis acquiſitis, et ſæpe ex regio meo patrimonio. Et ſolum poterunt illa opera ædificare, quæ religionem non reſpiciunt. Et omnino prohibeatur opificiis in illis ædificationibus operari. Et vobis injungitur inquiſitores apoſtolicos memores facere, ut ſevere procedere adverſus illos, qui quovis modo gentilium converſionem impedierint; et obſervari faciant leges, quæ expeditæ ſunt ſuper orphanis aſſumendis, ut cathechizentur, eo modo, quo in illis diſpoſitum eſt, quocunque obſtaculo earum obſervantiæ ſemoto. Rex dominus hæc juſſit per Joannem Telles da Silva, et doctorem Joſephum de Souza, conſiliarios ſui tribunalis ultramarini, ob impedimentum comitis generalis navalis, præſidis illius; et per duplicem viam expedita eſt. Michael de Macedo Ribeiro eam fecit Ulyſſipone, die 15. Martii 1714. Secretarius Andreas Lopes de Laura. Joannes Telles de Silva, Joannes de Souza.

ALLE-

ALLEGATIO XIX.

In Reſponſione ad Recurſum, à quodam Clerico intentato, ſuper ejus Incarceratione ob Uſurpationem Æris alieni, et Fabricationem ſuppoſitæ Scripturæ ad Debitum palliandum, et ob non Adimpletionem Satisfactionis promiſſæ.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Nulla adhibita reſponſione, recurrens obtinuit; et quare?*
III. *Recurrens accuſatus erat de debito furtivo, et de fabricatione falſæ ſcripturæ.*
IV. *Falſarius incarceratur de jure.*
V. *Ordin. l. 1. tt. 24. § 20. loquitur de obligatione notariorum ſæcularium, non vero judicum eccleſiaſticorum.*
VI. *Quamvis delationes judicum inferiorum fidem non faciunt, epiſcoporum tamen ſimplici teſtimonio fides adhibetur ex utroque jure.*
VII. *Delegato epiſcopali dignitate præfulgenti creditur, etiam non oſtenſis delegationis literis.*
VIII. IX. *Epiſcopus eſt princeps in tota ſua diœceſi; et principis teſtimonium in omni loco fidem meretur.*
X. *Epiſcopi literis creditur, tanquam publico inſtrumento.*
XI. XII. *Judices eccleſiaſtici non adſtringuntur diſpoſitionibus juris civilis, ſed canonici.*
XIII. XIV. *In confeſſum nullæ ſunt judicis partes in condemnando.*
XV. *In materiis involventibus peccatum, debent judices laici judicare ſecundum jus canonicum.*
XVI. *Prælati eccleſiaſtici poſſunt valide, et licite procedere (etiam extra viſitationem) extrajudicialiter per veritatem notam.*
XVII. *Cohæret ordin. reg. ſtante partis confeſſione, etiamſi proceſſus malæ inſtructionis, vel defectuoſus foret.*
XVIII. XIX. *Idem fortius tenent de jure canonico; ſaltem quanda prælati procedunt extrajudicialiter, non ut judices, ſed ut patres, et paſtores.*
XX. *Stylus habendi pro juſtificata recurſus petitione, judice eccleſiaſtico non reſpondente, vel acta non remittente, jam exulavit, et nunquam potuit introduci.*
XXI. XXII. *Sufficit propria rei confeſſio, ut convincatur.*
XXIII. *Actor debet ſequi forum rei.*
XXIV. *Ex eo, quod clericus debitum negat, non ei ſuffragatur privilegium c.* Odoardus.
XXV. *Neque hoc privilegium extenditur ad debita ex delicto, vel quaſi.*
XXVI. *In convenientia gravia reſultantia ex proviſione prætenſa recurſus.*
XXVII. *Illius exitus.*

QUIDAM clericus Indus à Canarina quadam, ejus propinqua, quadringentos xeraphinos credito, ſive mutuo accepit, cum repromiſſione, eos intra bimeſtre cum proventibus ſuis reponendi: quam quidem promiſſionem tranſacto termino cum non adimplêſſet, à creditrice agitatus, ei tradidit ſcripturam quandam ab eo doloſe, ac fraudulenter fabricatam, nomine cujuſdam ipſius creditricis conſanguineæ, qua falſo fatebatur, ſummam præfatam à clerico ipſo recepiſſe, atque prædictæ creditrici ejuſdem ſummæ, ſe debitricem conſtituebat. Cognita autem rei veritate, videlicet quod neque conſanguinea iſta talem pecuniam acceperat, neque ſcripturam illam ſubſcripſerat, aut in ea conſenſerat, ſed à fraudulento clerico falſo fabricatam fuiſſe, libellum contra eum creditrix obtulit coram prædeceſſoris mei vicario generali; quem quidem libellum reus eatenus contrariare moratus fuerat, cauſæ curſum nimis protelans.

Quæ cum reſciviſſem, poſt meum Goanæ huic civitati appulſum, partibus convocatis, et clerico debitum adhuc negante, promittente tamen coram me, poſtquam convictus fuit, illius plenam ſatisfactionem intra certum terminum, hoc etiam elapſo, minime ſolvere curavit: quare ad creditricis inſtantiam in carcerem detruſus, ex eo conventionem cum actrice fecit, ſcripturam ei tradens, qua intra bimeſtre exigitæ ſummæ integram ſolutionem promittebat, dummodo in libertatem, creditricis conſenſu, reponeretur. Quo effecto, nedum debitum non ſolvit, ſed ſcripturæ executioni impedimenta oppoſuit, prætextu quod è carcere celebrata foret: propter quas multiplices ambages, atque implicationes, in carcerem iterum detruſus, ab eo recurſum intentavit.

II. Cum tamen nihil reſpondi, eo quod ex actis rei ſeries, ac veritas ſatis conſtabat; quo non obſtante, recurrenti providerunt, eo quod debiti convictio, et ſolutionis, non ex termino, ſeu atteſtatione notarii, ſed tantum ex delatione mea extrajudiciali in creditricis ſupplicatione conſtabat, et ex aliis minus præcipue fundamentis infra attactis. Primæ tamen rogativæ chartæ ſequentem dedi reſponſionem.

SECT. I.

Et primo, factum enarrans, dicebam, ex eo evidenter colligi, me, nedum violentiam notoriam, ac manifeſtam (à qua dumtaxat ad tribunal regium recurri poterat) verum neque ſimplicem injuſtitiam adverſum recurrentem perpetrâſſe, multiplici ex capite:

III. 1. Quia recurrens, coram me accuſatus, et convictus fuerat, non de debito ſimplici, ſed qualificato; videlicet cum qualificatione furti, atque uſurpationis injuſtæ; necnon de fabricatione falſæ, atque ſuppoſitæ ſcripturæ ad debitum palliandum, atque ſolutionem impediendam.

IV. Et hanc falſitatem ſufficere ad hoc, ut recurrens carceri demandaretur, tenet Antonell. de regim. l. 6. de judic. crimin. c. 26. DD. in c. *Ad audientiam*, c. *Ad falſariam*, de crimine falſ. Et quod eriam depoſitum, aut cautio, debito æquivalens, à me, antequam reus convinceretur, ordinata, in illis circumſtantiis juri canonico, ac civili, conformis fuerit, conſtabat ex c. 2. de *ſequeſtrat.* ub. gl. ex Trident. de reform. ſeſſ. 25. c. 3. Deluc. de emption. diſc. 19. à n. 3. ex l. *Si mandat*, § ultim. ff. *Mandati*: Phœb. l. 1. tt. 9. p. 3. et dec. 54. ex ordin. reg. l. 3. tt. 31. Caldas Per. for. q. 21. l. 2. quod autem ſecundum jus eſt, minime injuſtum accuſari poteſt.

V. Neque officiebat recurrentis objectio ex ordin. l. 1. tt. 24. § 20. Nam citata ordinatio hic loquitur de obligatione notariorum pro terminis, aut atteſtationibus deſcribendis de partium reſponſionibus, aut confeſſionibus in cauſis judicialibus, tum ordinariis, tum ſummariis, ſub pœna nullitatis: non vero agit ibidem de obligatione judicum ad prædictos terminos, aut atteſtationes judiciales, quando extrajudicialiter procedunt, deſcribere jubendum, ita taliter, ut ex hujus diligentiæ omiſſione judicatum annulletur, et judex per illam, notoriam violentiam, aut etiam injuſtitiam partibus infligat; tum quia notoria violentia per actum poſitivum, et non mere negativum, aut omiſſivum, incutitur; tum quia in § immediate præcedenti eadem ordinatio diſponens, *quod quando judex, à notorio requiſitus, ſententias interlocutorias, aut definitivas non ſubſcripſerit, damna partibus ſatisfaciat*; minime deciſum, aut judicatum annullat, aut judicem violentiam, vel injuſtitiam committere declarat.

Cum autem hæc notariorum formalis atteſtatio ordinata ſit, ut de partium confeſſionibus, et judicum deciſionibus, ſufficienter conſtet; ſufficientiſſime id conſtare dicebam ex mea ſcripta delatione, in petitione creditricis in actis conſiſtente.

VI. Quamvis enim judicum inferiorum ſimplices delationes plenam fidem non faciant, Mend. à Caſtr. p. 1. l. 3. c. 19. attamen, deferimenta judicum ſuperiorum characteris epiſcopalis, etiam in foro ſæcu-

lari,

lari, atque reſpectu partium ſæcularium, illam fidem habent, quæ evincitur ex c. *Quicunque*, 11. q. 1. et c. immediato *Omnes itaque*, ibidem, ubi lex Theodoſiana, idem ſtatuens, refertur: ub. gl. in d. c. *Quicunque*, ſic ait: *Notatur quartum, quod unius epiſcopi teſtimonio fides adhibetur. Quintum, quod alii non audiuntur poſt teſtimonium epiſcopi.*

Quæ omnia elegantioribus terminis, et gravioribus circumſtantiis, eod. præcit. c. *Omnes itaque cauſæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur; nec ulterius liceat retractare negotium, quod epiſcoporum ſententia deciderit. Teſtimonium etiam, ab uno licet epiſcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum teſtimonium epiſcopi à qualibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à ſacroſancto homine conſcientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus: hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes.*

VII. Confirmabam præmiſſum aſſertum ex communi doctrina (de qua Per. de man. reg. c. 7. Peg. for. tom. 1. Mend. in prax. p. 1. et 2. Menoch. infr. citand.) aſſerente, judicem delegatum literas ſuæ delegationis oſtendere teneri, alias ei non creditur, et tanquam privatus reputatur, Monacell. p. 3. tt. 1. form. 13. Grat. for. et Deluc. cum aliis, diſc. 3. et 9. de judic. ex gl. in c. *Cum in jur.* de offic. deleg. attamen ab hac generali regula excipiunt *delegatum dignitate epiſcopali, vel archiepiſcopali præfulgentem:* ex c. *Nobiliſſimus*, 97. d. ub. gloſſ. Angel. in l. *Quæcunque*, § *Ad public. in rem act.* Rebuf. tom. 2. de liter. requiſit. Menoch. l. 2. præſumpt. 15. n. 10. Per. de man. reg. c. 7. de conſervator. à fortiori idem aſſerendum de judice ordinario eadem dignitate præfulgente.

VIII. Epiſcopus namque princeps, et pontifex eſt in diœceſi ſua, et in officio, ac dignitate, ſupremi Pontificis frater, Bellarm. l. 1. c. 3. q. 6. DD. in c. *Frater*, 3. q. 1. et c. *Quamvis*, q. 6. Cortiad. dec. 248. Azeved. de præcell. epiſcop. Maſtrill. et alii apud ipſum. Et epiſcopalis dignitas apex eſt, et culmen omnium dignitatum, ex c. *Venerabilis*, de præbend. atque excellentiorum commiſſionum dignior, c. 1. de privileg.

IX. Principis autem teſtimonium in omni loco fidem meretur, et credulitatem. Videatur Scip. de Rubeis in aphoriſm. verb. *Teſtis*, Genuenſ. in prax. q. 680. Andrad. p. 2. § 51. Deluc. de regular. diſc. 208. n. 8. et de emphyt. diſc. 63. n. 3. et c. *Poſt ceſſion.* de probation. ibi: *Cum igitur per literas judicis ordinarii (quibus ſtandum eſt, donec probetur contrarium) nobis conſtiterit*, &c. ub. gl. verb. *Literas:*

X. *Ex hoc videtur, quod literis epiſcopi creditur, tanquam publico inſtrumento.*

XI. Deinde animadvertendum eſſe aiebam ordinationem regiam eſſe quidem jus regium ac civile, cujus diſpoſitionibus nec ego, nec reliqui judices eccleſiaſtici adſtringebamur, ſed ſolummodo regulis juris canonici, aut eccleſiaſtici, ex c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtitut. Antonell. de regim. c. 1. § 7. Ulpian. in prax. c. 44. n. 43. Deluc. de judic. diſc. 34. n. 12. et diſc. 37. n. 30. et tantum ubi defuerit juris canonici diſpoſitio, poterit judex eccleſiaſticus juris civilis diſpoſitioni confirmari; et adhuc in his terminis videatur controverſia DD. apud Peg. ad ord. tom. 8. gl. 1. ad l. 2. tt. 1. n. 20.

XII. Quod procedendo contra recurrentem per capturam, ſuſpenſionem, et præterea, poſtquam ipſe coram me uſurpationem, atque falſæ ſcripturæ fabricationem de plano confeſſus eſt, et ſolutionem intra trimeſtre promittens, neque poſt alios tres eam adimplêſſe comprobatus fuerat, atque convictus, violentiam, etiam ſimplicem, quanto magis qualificatam, notoriam ſcilicet, et manifeſtam, minime interceſſiſſe; facile demonſtrabam:

XIII. Quia, *in confeſſum, nullæ ſunt judicis partes in condemnando*, Mend. in prax. p. 2. l. 3. c. 12. n. 21. P. for. p. 1. c. 1. n. 133. Et, poſita recurrentis confeſſione, optime citra injuriam poteram ei jubere, ut intra terminum ab ipſomet deſignatum ſub ſuſpenſionis, ac diſtrictionis pœna, effective ſolveret, c. *At ſi clerici*, de judic. c. *Cum non ab homine*, eod. tt. eo pari modo, quo ordin. reg. l. 3. tt. 66. § 9. ſuppoſita rei confeſſione, poteſt judex verbaliter, *mandato de ſolvendo*, ſolvere jubere ſub carcerationis pœna, quam quidem, ſi non ſequatur juſſa ſolutio, exequi equidem valebat. Deluc. de credito, diſc. 79. n. 13. et in ſumm. n. 7.

XIV. Quin obviare dignoſcatur ejuſdem ordin. diſpoſitio, l. 3. tt. 24. § 40. ut tam rei confeſſio, quam mandatum judicis per notarium in ſcriptis notetur. Nam, præterquam quod hoc potius de ſolemnitate, quam de neceſſitate, requiri videatur, et hujus diſpoſitionis omiſſio nullum non reddat mandatum, aut judicatum, hanc diſpoſitionem juris regii, ac civilis non tenentur ſtricte ſervare judices eccleſiaſtici, qui ſecundum jus canonicum judicant, ut ſupra oſtenſum remanet.

XV. Imo, ſecundum ejuſdem ordinationis diſpoſitionem, l. 3. tt. 64. in princip. in materiis peccatum involventibus, qualis præſens erat ſurripiationis, atque falſificationis, etiam judices ſæculares conformiter ad jus canonicum debent judicare. Videatur Barb. et Peg. ad eand. ord. et Per. de man. reg.

XVI. Poſſe autem valide, ac licite, prælatos eccleſiaſticos extrajudicialiter procedere, etiam extra viſitationem, abſque forma, et figura judicii, per ſolam veritatem notam ad pœnas ſuſpenſionis ab ordinibus, aut à beneficio, imo ad capturam, conſtat ex doctrina Monacell. p. 3. tt. 2. form. 6. et ex c. *Novit ille*, c. *Cum non ab homine*, de judic. et à paritate ex doctrina Barb. et Deluc. ad Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. Fuſc. de viſit. l. 1. et alii.

XVII. Unde parum, aut nihil, ſuffragari videbatur allegata ordin. l. 3. tt. 24. § 40. quinimo ipſamet regia ordin. l. 3. tt. 63. in principio expreſſe diſponit, quod *judices judicent, ac determinent (etiam quando judicialiter procedunt) per veritatem notam, aut per probationem ex proceſſibus conſtantem, aut per confeſſionem partium, quamvis proceſſus male inſtructus, male ordinatus, aut cum errore foret, aut in illo deficiat aliqua ſolemnitas de judicii ſubſtantia, ex cujus errore, aut defectu, in proceſſu totum judicium, ac ſententia, ex eo proveniens, nulla foret ſecundum jus*, &c.

Accedit Mend. in prax. p. 1. l. 3. c. 20. n. 38. ibi: *Nam ſi præter nullitatem nihil alleget aliud relevans, quod in puncto juris foveat juſtitiam, ſenatus ad id non attendit, ſecundum Valaſc. de jur. emphyt. quæſt. 6. n. 14. et Gam. dec. 32. Nam ſententia ejus proceſſus, in quo non fuit ſervatus juris ordo, non ideo corruit, imo ejus error ſuppleri poteſt, correcto in hoc text. in leg. prolata, c. de interlocut. omni jud. ex ord. l. 3. tt. 63. ibi: Pela verdade ſabida, quibus verbis tollitur ordo judiciarius, ſecundum Bald. in c. 1. § Inveſtitura de nova forma fidel. Rom. concil. 20. Roland. conſ. 7. n. 32. volum. 3.*

XVIII. Et ſi hoc ita ſe habeat, etiam de jure civili municipali reſpectu judicum inferiorum, adhuc quando judicialiter judicant, citra notam injuriæ, aut violentiæ; quomodo idem non valebit reſpectu prælatorum ſuperiorum, ſecundum jus canonicum judicantium, ſaltem quando extrajudicialiter procedunt? præcipue cum prælati eccleſiaſtici uti patres, et paſtores ovium ſuarum, præter procedimentum judiciale, aut extrajudiciale, ut judices, aliud retinent, etiam extrajudiciale, ut patres, vi cujus ex certa ſcientia cauſas plures verbaliter, et vivæ vocis oraculo, abſque figura, et forma judicii decidere poſſunt; quocirca Monacell. p. 3. tt. 2. form. 8. Trid. de reform. ſeſſ. 23. c. 1. et ſeſſ. 24. c. 3. et 10. Deluc. annot. ad id concil. loc. cit.

Sect. II.

Fundamentis recurrentis plane, pleneque ſatisfactis, ad ſententiæ fulciminibus ſimiliter ſatisfacturus ulterius progrediebar; et, quoad primum, quatenus recitabat, *in actorum remiſſione* non adjunctam fuiſſe partem ſupplicationum, in quibus recurrens ſuam intentionem fundabat, ex qua omiſſione recurſum pro juſtificato haberi debere in forma ſtyli, &c.

XIX. Satisfaciebam, 1. Omiſſionem adjungendi illam ſupplicationum partem, non judici, ſed parti ſupplicanti,

plicanti, imputandum ſore; nam petitiones, poſtquam bene, aut male à judicibus deferuntur, non apud ipſos, ſed apud partes ſupplicantes remanent; et in caput iſtarum retundendus erat illius annexionis defectus. Quis non videat hujus fundamenti imbecillimam futilitatem!

XX. Satisfaciebam, 2. Quoad ſecundam partem, ſtylum illum jam à regiis tribunalibus exulâſſe, poſtquam Gabr. Per. de man. reg. regiæ juriſdictionis nervoſior Achilles, contra ipſum ſcripſit, c. 11. n. 7. aſſeverando, non ſolum, *talem ſtylum exterminandum* eſſe; quinimo, *neque potuiſſe introduci.* Quare novus rationabilis ſtylus ab eodem introductus actualiter viget, et praxi univerſaliter ſervatur.

XXI. 2. Fundamento aſſerenti, *recurrentem carceratum fuiſſe pro debito, incipiendo à captura, et bonorum executione, contra regulas juris*, &c. ſatisfaciebam, 1. Oſtendens, non inceptum eſſe à captura, et bonorum executione, ſed à citatione partium, audiendo illas, et recurrentem convincendo etiam propria confeſſione; non enim neceſſum erat *eum ordinarie per ſententiam convincere*, ut in ſententia recurſus affirmabatur; ſed ſufficiebat ad hanc convictionem propria ipſius confeſſio, et ut, ex vi iſtius, debiti ſolutio extrajudicialiter cum pœnarum comminatione eidem præciperetur, ex ord. l. 3. tt. 66. in princ.

XXII. Satisfaciebam, 2. Recurrentem non pro ſimplici debito diſtrictum fuiſſe, ſed pro ſurripiatione, ſcripturæ falſæ confectione, et promiſſionis in re grævi, cum gravi damno propriæ conſcientiæ, non adimpletione.

XXIII. 3. Fundamento aſſeveranti, *Obligationem illius ſcripturæ, ac debiti, eſſe mere ſæcularem, atque regiæ juriſdictioni ſubjectam*, &c. ſatisfaciebam pariter nota illa utriuſque juris vulgaritate: *Actor debet ſequi forum rei:* de qua ordin. reg. l. 3. tt. 5. Mend. in prax. 1. p. c. 3. n. 4. Et quamvis ſcriptura illa confecta fuerit nomine cujuſdam Canarinæ ſæcularis, attamen cum reus, qui illam fabricârat, et pecuniam uſurparât, et ex hac uſurpatione debitum contraxerat, quod ſcripturæ illius fraudulentia obtegere attentabat, clericus quidem foret, ſequitur, quod illius obligatio, reſpective ad reum præſentem, eccleſiaſtico foro ſane competebat.

XXIV. 4. Fundamento autumanti, *Quod, negante recurrente præmiſſum debitum, non poterat adverſum procedi per capturam, et bonorum executionem*, ex c. *Odoardus de ſolutionibus*, &c. reconveniebam, 1. Ex eodemmet c. *Odoard.* quod idcirco, quod debitum negaverat, non ei ſuffragabatur privilegium cit. c. *Oduardus*, ex illius gl. verb. *Recognoſcentem*; ibi: *Recognoſcentem, id eſt, confitentem debita.*

XXV. Convincebam, 2. Ex communi DD. placitu ad idem c. docentium illius privilegium non extendi, neque comprehendere debita ex delicto, ſeu quaſi delicto, Orta. Gonzal. Tell. ad d. c. Barb. ibid. n. 30. Farinac. de carcerib. q. 27. n. 72. Genuenſ. in prax. c. 3. n. 17. Ricciul. p. 1. reſol. 263. n. 1. Delicta autem in debito illo intervenientia, ex eoque reſultantia, ſat oſtenſa erant.

XXVI. Pro ultimo reſponſionis meæ complemento repræſentabam, quod ſi recurrens in ultima palatini ſenatus ſtatus deciſione favorabilem etiam obtineret reſolutionem, et cauſa ad viam ordinariam remitteretur (ut volebant judices recurſus) nunquam tempore ullo creditricem ſatisfactam fore; tum quia, ſi hujus nequam clerici doloſa fraudulentia, patrocinio quamplurium potentium auxiliata, potuit, etiam per viam ſummariam, cauſam hanc per pluſquam decem annorum decurſum ſpatiare; quid extraordinariæ dilationis non efficiet in proceſſu per viam ordinariam? tum etiam, quia, cum debitor recurrens jam annis gravatus incederet, ſi ordinariam in cauſa viam arriperet, prius è præſenti vita arreptus communem et ſummariſſimam cum morte viam ingrederetur, quam et debita ſolveret actrici, et accuſatricem conſcientiam, à tot laqueis, atque peccatorum funibus, quibus conſtringebatur, etiam ſolveret; cum inevitabili periculo rudentibus inferni tradendi, cum angelis peccantibus cruciandi. Et demum proteſtabar, me propriæ conſcientiæ exonerationi ſic plane ſatisfacere; regii autem judices propriæ etiam ipſorum levamini proſpicere curarent, quod juſtum ſibi viſum fuiſſet judicantes.

XXVII. Verum recurrens ipſe, poſt hanc meam reſponſionem oblatam, cum ob notoriam ejus injuſtitiam, ac fraudulentiam extimeſceret, etiam viam ordinariam arripiens, ſententiam ac procedimenta ſibi adverſaria, è carcere ob infirmitatem pro tempore allevatus, quin ultimam aulici ſtatus ſenatus deciſionem expectaret, ad cœnobium Eremitarum D. Auguſtini hujus Goanæ civitatis aufugiens, ibique converſorum cucullam induens, paulo poſt è vivis diſceſſit, abſque ſolutione debiti, et neſcio, ſi apud Deum etiam à noxa hujus culpæ ſolutus.

ALLEGATIO XX.

In Reſponſione ad Recurſum cujuſdam Indi laici detenti ob Dilapidationem Bonorum Eccleſiæ, et Confraternitatum eccleſiaſticarum; et ob doloſam, ac fraudulentam debitæ, et multoties promiſſæ, Solutionis Retardationem.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Libri viſitationis eccleſiaſticæ plene probant.*
III. *Excommunicati ob debita eccleſiæ, non ſuccurruntur per tuitivam, nec per recurſum, etiamſi appellent.*
IV. *Tales debitores reſpondent in judicio eccleſiaſtico, et poſſunt carcerari, et pignorari, procedente judice judicialiter ad formam Concil. Trid.*
V. *Adverſus eos incipi poteſt à captura, et ab executione.*
VI. *Suſpectus de fuga incarceratur.*
VII. *Deciſiones ſummariæ viſitationum habent vim ſententiæ; et hæ fiunt per modum fori pœnitentialis.*
VIII. *Mandatum de carcerando relaxatur, ſi adſit periculum in mora, vel fugæ ſuſpicio.*
IX. *Quinimo fraus, et dolus dignoſcatur.*
X. *A ſola violentia manifeſta, intentatur gravamen.*
XI. *Laicum poſſe à judice eccleſiaſtico capi abſque imploratione brachii ſæcularis, eſt deciſum, et hodie abſque controverſia poſt Trid.*
XII. XIII. *Errant contrarium ſentientes juxta Ciarlin.*
XIV. *Data probabili opinione, pro juriſdictione eccleſiæ eſt judicandum.*
XV. *Suffragantur DD. regnicolæ.*
XVI. *Hæc imploratio eſt actus arbitrarius, et facultativus, non neceſſarius.*
XVII. *Jus civile illam agnoſcit poteſtatem in eccleſiaſticis.*
XVIII. XIX. *Areſtis, et reſcriptis ex adverſo, reſpondetur.*
XX. *Reſcriptum tribunalis ex regia conſultatione, non prævalet alteri ex conſultatione expedito, imo è contra.*
XXI. XXII. *Reſcriptum à rege ſubſcriptum, anterioris contrarii nullam mentionem faciens, præſumitur obreptitium.*
XXIII. *Non derogat regiæ ordinationi.*
XXIV. *Auctoritas judicis eccleſiaſtici eſt in recurſibus attendenda, et conſervanda.*
XXV. *Recurſus finis.*

I. IN viſitationibus eccleſiaſticis à me exhibitis anno 1729. et 1731. in parochiali eccleſiæ dominæ noſtræ de Guadalupe hujus inſulæ Goanæ, repertus eſt quidem Canarinus graviter debitor

eccleſiæ, ac duplici confraternitati eccleſiaſticæ in eadem ſtabilitæ, eo quod utriuſque bona, ac reditus diſſipâſſet, et dilapidâſſet. Quare, cum auditus, et convictus foret, promptam ſatisfactionem tam debitorum, quam damnorum efficaciter promittens, tranſactis viſitationibus, ſemel et iterum nedum promiſſionem executus eſt, verum et variis ſubterfugiis, et doloſis diligentiis, tam propriam, quam aliorum debitorum ſolutionem retardavit, ac impedivit; quinimo fallaces, et æquivocas cautiones ab eccleſiæ, et confraternitatum theſaurariis Canarinis, propria aſtutia, atque inquieta vivacitate, extorſit, aliis fallibiles obligatorias ſcripturas tradens, aliis vero deminutas pignorationes ſubminiſtrans; propter quæ, et alias fraudes, ac technas, poſt ſententiam in eccleſiaſticum carcerem detruſus eſt; a quo et debita ſolvere incipit, et præſentem intentavit recurſum, eo nixus fulcimine, quod foret laicus, et regiæ juriſdictioni adſtrictus.

II. Reſpondebam tamen caſum narrans, et culpas ex viſitationum libris comprobans, qui quidem plene probant, ut ait Monacell. p. 1. tt. 5. form. 2. n. 59. ibi: *Libri, in quibus adnotantur proviſiones, mandata, et decreta viſitationis, plene probant, ut affirmant* Rot. *Coram Dunoſ. Jun. dec.* 61. *n.* 6. *Panimol. dec.* 10. *n.* 12. *et alii plena manu congeſti*, à Romagueir. *ad ſynod. Gerund. l.* 1. *tt.* 1. *c.* 6. *n.* 6. *et tt.* 10. § 3.

III. Et allegabam regiam ordin. l. 2. tt. 8. § 6. et tt. 10. § 3. in qua interdicitur, ne per viam recurſus, aut tuitivarum chartarum protegantur, vel defendantur excommunicati ob debita eccleſiæ, aut alicujus eccleſiaſticæ perſonæ, etiamſi appellationem à tali excommunicatione interpoſuiſſent. Et eadem ordin. l. 2. tt. 8. § 6. ſupponit tales debitores ratione ipſorum debitorum poſſe quidem ab eccleſiaſticis carceribus demandari, de quo Peg. ad eand. ord. tt. 8. n. 11. pag. mihi, 437. citans Fonſce. dec. 143. et 144. n. 6. et 11. et dec. 106. et 127. n. 3. et 10. et alios.

IV. Deinde, eodem l. 2. tt. 1. § 9. diſponit ead. ord. quod laici, qui proprietates eccleſiæ conducunt, aut bona eccleſiæ pertinentia, reſpondeant in judicio eccleſiaſtico, cujus procedimentis ſubjiciantur; et § 13. ejuſdem tit. ſtatuit, *Quod in reliquis caſibus, in quibus concilium dat prælatis facultatem laicos carcerandi, aut pignorandi, formam concilii ejuſdem ſervare debent, non carcerando, aut pignorando, niſi in caſibus, in quibus judicialiter procedunt.* Contra recurrentem autem, judicialiter per libellum proceſſum erat, ut ex actis apparebat. Et conciliarem protendebam diſpoſitionem, ſeſſ. 25. c. 3. de reform. circa judices eccleſiaſticos; ibi: *Sed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam, ſive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et cauſas definire.*

V. Certum autem, et abſque controverſia eſſe dicebam, cauſas debitorum eccleſiæ, aut perſonarum eccleſiaſticarum, ad forum eccleſiaſticum pertinere, ex cit. ordin. Oliv. de for. eccleſ. 3. p. q. 2. Scacc. de judic. 1. p. c. 57. Ridolphin. in prax. p. 2. c. 4. et quod debitores ipſi capi valeant per debita mere civilia, præcipue poſt promiſſionem ſolvendi non adimpletam, expreſſa etiam eſt ejuſdem ordin. diſpoſitio, l. 4. tt. 76. § 2. In qua re poſſe abſolute incipi *per capturam*, aut *executionem perſonalem*, defendit Maldon. ſingul. reſponſion. l. 1. reſpoſt. 1. n. 7. Barb. in remiſſ. ad ordin. eand. ibi: *Nota, quod à captura eſt incipiendum.*

VI. Et, abſolute loquendo, debitor de fuga ſuſpectus, etiam citra malitiam, aut condemnationem per ſententiam definitivam, carcerari poteſt, ex ead. ordin. d. tt. 76. in principio.

VII. Deinde reſolutiones, ac deciſiones ſummariæ in viſitationibus prolatæ, *habent vim ſententiæ.* Fuſc. de viſitat. l. 2. c. 32. Barb. de poteſt. epiſc. p. 3. alleg. 73. et in concil. ſeſſ. 24. c. 10. de reform. et ſeſſ. 7. c. 8. Ciarl. l. 1. c. 65. n. 19. Piaſecus in prax. c. 3. ubi de viſit. ſanctimon. n. 61. ſic dicit: *Viſitatio potius fit per modum fori pœnitentialis, quam contentioſi.*

VIII. Præterquam quod reus formaliter fuerat judicatus, ut ex copia ſententiæ annexæ conſtabat, eo quod fugæ ſuſpectus foret, ipſemet comprobaverat, atque ſuſpicionem confirmârat fugiendo è carcere eccleſiaſtico, à quo eatenus abfuerat. Imo, ut docet Monacell. p. 1. tt. 5. form. 9. n. 32. *Mandatum de carcerando, regulariter loquendo, non debet relaxari ante proceſſum informativum, et niſi præcedant indicia delicti, Nicol. in flaſ. verbo Carcer, n.* 7. *At ſi periculum eſt in mora, et adeſt ſuſpicio fugæ, arbitrarium eſt judici à captura incipere, etiam antequam conſtet de delicto, ut de univerſali conſuetudine teſtatur Raynald. obſervat. crim. tom.* 1. *c.* 2. § 4. *n.* 108. *quod maxime procedit in foro eccleſiaſtico, ſi agatur de crimine incontinentiæ; nam, vigore decreti concil. ſeſſ.* 25. *c.* 6. *et* 14. *de reform. poterit epiſcopus contra eos procedere, etiam incarcerando, quando timetur de fuga, juxta traditam formam in c.* 6. *hujus ſeſſ. abſque monitione, ſine ſtrepitu, et figura judicii, et ſola facti veritate inſpecta* (ſunt verba concil.).

IX. Et in jure expreſſum eſt, quod debitor doloſe, aut fraudulenter procedens, carcerari poteſt, ex l. *Quid poſitum*, cod. de depoſit. l. *Si pignora*, ff. de furt. dolus autem, et multiplicis fraus recurrentis ex libell. juſtitiæ in actis, et ex affectatis, ac duplicatis notabilibus moris per quadriennium, etiam in libello reſpondendo, aperte conſtabat.

X. Ex his tandem inferebam, quod tot juris utriuſque diſpoſitionibus fulcitum præmiſſum procedimentum, minime injuſtum argui poterat, et multo minus notorie violentum, aut ab illo gravamen interponi, cum hoc ſolum intentari valeat à violentia manifeſta, et notoria. Portug. de donat. reg. p. 2. l. 1. c. 31. n. 16. Salgad. de reg. prot. prælud. 5. Per. de man. reg. c. 4. et 7. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. et reliqui DD. communiter.

XI. Ad præcipuum autem recurrentis fundamentum, quod ſcilicet laicus foret, proindeque abſque brachii ſæcularis imploratione capi quidem non poſſe; reſpondebam, eſſe hodie parvi momenti allegationem: quia, licet ante Concil. Trid. in hac materia aliqua foret inter DD. controverſia; attamen poſt Concilii promulgationem, atque acceptationem, fere ceſſavit; ut tenet Ciarlin. contr. for. l. 1. c. 15. an. 50. ubi reſolutionem affert S. Pii V. pro S. Carolo Borromæo epiſcopo Milanenſi, qua, anno 1567. *Reſolvit pro epiſcopo, ut poſſit in cauſis, etiam mixti fori, facere executiones perſonales, et reales, abſque requiſitione, etiam judicis ſæcularis, et pœnis temporalibus punire.*

XII. Qui quidem Ciarlin. adverſus aliquos contrariæ opinionis AA. ſic ait, ibid. n. 51. *Hinc patet quantum erraverint Clar. et Dec. dicentes, non licere judici eccleſiaſtico carcerare, aut temporaliter punire laicos in cauſis mixti fori, niſi hoc ab eccleſiaſtico judice fuerit præſcriptum. Namque id falſum eſt, et non requiritur aliqua præſcriptio, cum jure communi prælatis eccleſiaſticis facultas carcerandi, et temporaliter etiam puniendi laicos competat in cauſis non ſolum ſpiritualibus, ſed etiam mixti fori: et quamvis ante Concilium Tridentinum hæc ſententia habuerit contradictores, tamen hodie res clara eſt, ſtante Concilio Tridentino ſeſſ.* 25. *c.* 3. *de reform.*

XIII. Et n. 54. ibid. procedit ſic dicens: *Nec eſt mirandum, quia epiſcopus dicitur habere diœceſim pro territorio, et poteſt tenere familiam armatam, et laicos etiam carcerare in cauſis ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus, etiam mixti fori. Ita teſtatur Card. Tuſch. ad verb. Immunitas, concluſ.* 59. *n.* 160. *et in verb. Mixti, concluſ.* 293. *n.* 42. *prax. Neap. d. cap.* 13. *ad fin. et plene hoc habetur apud Hier. Gattei. in alleg. collect. pro immunit. eccleſ. fol. mihi,* 329. *ubi ad ſatietatem refert rationes, et auctoritates hujus opinionis, et ſic fuiſſe deciſum à dicta Sacra Congregatione teſtatur.*

XIV. Imo, quod in hac re probabilis opinio in favorem juriſdictionis eccleſiaſticæ circumferatur, aperte ceſſare facit rationem violentiæ, imo et injuſtitiæ, juxta ſtabilita c. 14. et c. 15. et 16. et ut pro illa judicetur, atque in favorem eccleſiæ, et inſuper, ut practice

practice hæc opinio abſolute et omnino contraria evadat, ſecundum tradita cit. c. Quod autem hocmet ſit jus et praxis noſtri regni Luſitaniæ, aſſeverat Per. de man. reg. c. 34. n. 19. ibi: *Verum, ſi verum amamus, et libere philoſophandum eſt, et dicendum plane regiam ordinationem laxando politicæ poteſtatis habenas, ſentire, et permittere prælatis, ut quando judicialiter procedant, ſcilicet extra caſus correctionis, laicos per ſuos proprios miniſtros capere poſſint; cujus rei argumentum efficax eſt, quod cum hoc idem dubium regi Sebaſtiano tum temporis regni clavum moderanti afferretur, ipſe legem protulit anno* 1569. *quam habes infra ad ord. l. 2. tt. 9. § 1. qua ſanxit, ut libera ſit facultas prælatis laicos capiendo in caſibus ad illum forum ſpectantibus, revocatis decretis, concordiis, privilegiis, quæ ſibi competere poſſent, ex quibus clauſulis omne jus à ſe abdicavit, decretaque concilii obſervari juſſit ad unguem, quantumcunque præjudicium politicæ juriſdictioni afferrent.* Et idem aſtruit in tom. deciſionum, dec. 117. n. 11. ibi: *Attento tamen jure regio, aliter ſe res habet, ſecundum quod prælati in caſibus, in quibus cognoſcunt, poſſunt laicos per ſuos proprios miniſtros capere.*

XV. Et n. 12. abſolute declarans, contrariam legem per aliam, à piiſſimo, ac deſideratiſſimo rege Sebaſtiano promulgatam, abrogatam omnino eſſe, concludit: *Libere poſſunt prælati, per ſuos miniſtros, laicos capere, quoties oportuerit.*

Hanc etiam eſſe praxim frequenter, et generaliter obſervatam, teſtantur Valaſc. conſil. 179. Themud. dec. 146. p. 2. ubi adducit caſum judicatum in ſenatu Ulyſſiponenſi in favorem juriſdictionis eccleſiaſticæ, ann. 1640. et p. 3. dec. 255. ubi citat Per. de man. reg. et Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 3. et alium caſum ſimiliter judicatum affert, dicens, *Miniſtri eccleſiaſtici per ſuos officiales, abſque eo, quod ſit neceſſarium invocari auxilium brachii ſæcularis, poſſint laicos incarcerare. Ita ſervat ſtylus obſervatus; et multoties in hoc judicio coronæ fuit judicatum.*

Idem tenent Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. n. 13. et 23. Paz in prax. eccleſ. qui, tom. 2. prælud. 2. n. 56. ita ait: *Et ita in praxi obſervatur in tribunali epiſcopali, nec in hac ſpecie loquuntur, et procedunt leges regiæ.* Et hoc in toto jure ſancitum eſſe pulchre teſtatur Felin. in c. *Irrefragabilis*, § *Cæterum*, n. 5. Aufr. de poteſt. eccleſ. ſup. laic. n. 2. Dom. in c. *Cum epiſcop.* n. 9. Marth. de juriſdict. p. 1. c. 50. et alii apud ipſos. Quinimo et in ipſo jure civili, l. 2. ff. de juriſdict. omn. judic. authent. *Cauſa, quæ fit*, cod. de epiſc. et cleric. per verba infra extenſa.

XVI. Præterea, hanc implorationem, aut requiſitionem brachii ſæcularis eſſe quidem actum facultativum, et arbitrarium, erudite, et nervoſe cum plurimis defendit Ciarlin. contr. for. tom. 1. l. 1. c. 50. n. 44. Aug. Barb. de jur. eccleſ. tom. 1. l. 1. c. 39. § 4. n. 74. et 75. ubi cum Vanguel. in breviar. jur. reſolvit: *Epiſcopum non teneri invocare brachium ſæculare, ſed poſſe.*

XVII. Et hanc poteſtatem, ipſummet jus civile in prælatis eccleſiaſticis agnoſcit nedum ad laicos carcerandos, verum ad officiales ipſos, ac executores judicii ſæcularis in caſibus fori eccleſiaſtici: Auth. cit. *Cauſa quæ fit*, cod. de epiſc. et cleric. ibi: *Executoribus, qui admonitionem facere præſumpſerint, ab ipſis ſanctiſſimis epiſcopis in locis decanicis detruſis, de cætero nullam exactionem facere permittendis.* Conſonat etiam l. 2. ff. de juriſd. omn. judic.

XVIII. Hinc iterum inferebam, quod ſi juxta communem DD. tam extraneorum, quam regnicolarum ſententiam, quoties judex eccleſiaſticus pro ſe opinionem probabilem habet, nec vim, nec violentiam infert; quomodo in ſubjecto meo procedimento illa accuſari poterat, tot utriuſque juris diſpoſitionibus, et tantorum auctoritate doctorum fulcito?

XIX. Ad areſta duo à recurrente ex Peg. tom. 3. fol. mihi, 961. et 104. reſpondebam, illorum caſus, atque materias, eſſe omnino à præſenti diſcrepantes, ut ex illarum collatione deprehendebatur.

XX. Ad epiſtolas regias ab ipſo productas, reſpondebam objiciens, atque offerens regium reſcriptum 12. Aprilis ann. 1726. ſupra tranſcriptum alleg. 17. n. 16. et in ſenatus libris regiſtratum, quo reprobatur, et objurgatur decretum in hoc Goano ſenatu deſumptum, ne laicos, crimine hæreſis excepto, capere poſſem.

XXI. Reſpondebam, 2. Epiſtolam 1729. tribunalis ultramarini ad inſtantiam incolarum Marganenſium, neque eſſe à regia manu ſubſcriptam, ſicut præfatum reſcriptum à me objectum; neque adhuc per conſultationem ad regiam majeſtatem eſſe fabricatam; proindeque minime primæ prævalituræ.

XXII. Quinimo, etiamſi à ſereniſſimo rege ſubſcripta foret, cum prima poſterior erat, et anterioris nullam faciebat mentionem, obreptitia, et ſurreptitia præſumeretur; Deluc. de dot. diſc. 8. et 23. et de regalib. diſc. 4. et 12. et de regular. diſc. 6. et in miſcell. diſc. 4. n. 10.

XXIII. Subjungebam deinde, hancmet ultramarini concilii epiſtolam nullatenus poſſe derogare regiæ ordinationis diſpoſitionibus ſupra citatis; quinimo in ipſamet formaliter *commendatur illius obſervantia, et reliquarum regalium proviſionum defendentium, ne regia ſæcularis juriſdictio à judicibus eccleſiaſticis uſurpetur, neque regii vaſalli violentia notoria ab eiſdem opprimantur.* Et jam ſupra demonſtratum manere dicebam, nec violentiam, imo nec injuſtitiam, nec regiæ juriſdictionis uſurpationem aliquam in præfato proceſſu interceſſiſſe.

XXIV. Et tandem auctoritatem Salg. de reg. prot. 1. p. c. 6. n. 29. pro auctoritate judicis eccleſiaſtici in recurſibus conſervanda, ejuſque juriſdictione coadjuvanda expendebam, quæ etiam per formalia tranſcribitur.

XXV. Finis hujus recurſus fuit, nec finem, neque proviſionem, aut ulteriorem curſum, aut progreſſum etiam pro actorum remiſſione habere; cum enim recurrens, licet profugus, requiſita debita, ob quæ detentus fuerat, plene ſatisfacere curaverit, conſequenter non amplius curavi et ego adverſum illum, etiam pro fuga, animadvertere.

ALLEGATIO XXI.

In Recurſu à quodam Clerico Minoriſta intentato propter ejus Capturam ob atrocia duplicis Concubinatus, et Fictionis Patrimonii cum Interventu falſæ Scripturæ, Crimina; cum aliis Circumſtantiis, Culpas illas notabiliter aggravantibus.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Recurrens, è carcere eccleſiaſtico fugiens, et recurſum intentans, minime obtinuit.*
III. *Neque ſecunda vice in ſuſcitatione recurſus jacentis per biennium.*
IV. *Obtinuit tamen tertia vice, contra expreſſum jus.*
V. *Primo, quia mihi copia non exhibita fuit novi documenti, adjuncti à recurrente, neque pro nova allegatione novæ violentiæ accuſatæ adhibenda.*
VI. *Ex hoc eſſentiali defectu et judicatum nullum, et judices à jure ſuſpecti evaſerunt.*
VII. *Et ex aliis rationibus.*
VIII. *Tria ſunt privilegia clericorum, etiam prima tonſura initiatorum.*
IX. *Non habens requiſita Trident. licet non gaudeat privilegio fori, gaudet duplici alio, videlicet canonis, et immunitatis ab exactionibus laicis.*
X. *In recurrente copulative verificabatur triplex conciliare requiſitum.*

XI. XII. *Novum Concilium Lateranenſe pro privilegio fori dumtaxat, ſpecialem adſcriptionem alicui eccleſiæ requirit.*

XIII. *Confirmatur ex declaratione S. Congregat.*

XIV. *Clericus tonſuratus, ratione ſtatus, ſubjicitur judicio eccleſiaſtico, etiamſi deficiat in aliquo ex dictis requiſitis.*

XV. *Cui etiam ſubjicitur patrimonium, et laici illud donantes.*

XVI. XVII. *Clericus captus à curia ſæculari, debet remitti judici eccleſiaſtico.*

XVIII. *Fictio, et ſimulatio patrimonii de jure, et de facto, pertinet judicio eccleſiaſtico.*

XIX. *Concubinatus pertinet judicio eccleſiaſtico, et prohibetur etiam à jure civili.*

XX. *Caſus mixti fori pertinet etiam ad judicium eccleſiaſticum.*

XXI. *Verbum* Poteſt, *affirmative prolatum, non importat neceſſitatem, ſed liberam facultatem.*

XXII. *Ordinat. reg. l. 2. tt. 1. § 27. recognoſcit aliquos caſus clericorum in minoribus ſoli judici eccleſiaſtico privative ſubjiciendos.*

XXIII. *Pro habitu clericali non attenditur habitus domeſticus, et privatus, ſed publicus.*

XXIV. *Clericus in ſæculari citatus, antequam clericus fieret, in eodem judicio poſtea debet reſpondere; et è contra.*

XXV. *Poteſtas judicis eccleſiaſtici capiendi laicos per proprios officiales, oſtenditur etiam de jure antiquo.*

XXVI. *Privilegium Julii 3. conceſſum regibus Luſitanis procedendi contra clericos minoriſtas, non eſt privativum quoad prælatos eccleſiaſticos.*

XXVII. *Exitus recurſus.*

I. QUIDAM clericus Semi-Indus, vulgo *Mixtiſſus*, quatuor minorum ordinum gradibus inſignitus, denuntiatus de duplici concubinatu, cum circumſtantiis aggravantibus alterum illorum, exercitum cum domeſtica ancilla, à qua aborſum abſque effectu, certa adhibita potatione, procurârat, necnon de alio crimine gravi, fictionis, ſcilicet, aut ſimulationis patrimonii, falſæ cujuſdam ſcripturæ interventu, ut ad majores ordines promoveretur, fabricatæ, etiam delatus, atque utriuſque criminis reus per conſequentem inquiſitionem inventus, ad carcerem pronuntiatus, in illo tandem recluſus eſt.

II. A quo tamen poſt libelli copiam aufugiens, recurſum intentavit ad tribunal regium, ſe laicum, et non eccleſiaſticum eſſe aſſeverans; verum minime obtinuit, *eo quod præſens caſus non erat caſus recurſus*; ut formaliter in illius ſententia, prolata 5. Septembris 1727. exprimebatur.

III. Cui quidem impedimenta objiciens, progreſſus recurſus in decubitu, vulgo, *demortuorio* jacuit, uſque ad annum 1729. in quo occaſione controverſiarum à parochis Franciſcanis excitatarum (de quibus allegationibus ſubſequentibus à 22. ad 31.) hunc etiam demortuum recurſum adverſum me, ut amplius implicarer, non ad petitionem partis, ſed ex proprio marte, aut motu, impie ſuſcitârunt, contra manifeſtam reg. ordinationis diſpoſitionem, l. 3. c. 84. § 14. cui tamen etiam proviſionem denegârunt, ſed cum judicum diſcrepantia, et cum novo fundamento, *quod non conſtaret recurrentem actu carceratum eſſe.*

IV. Cum autem à generali circitore, vel apparitore eccleſiaſtico, quadam die repertus eſſet, ad carcerem ab eo reductus eſt; à quo, ſimplicem carcerarii atteſtationem de actuali diſtrictione actis adjungere jubens, abſque alia diligentia, concluſis actis judici coronæ, proviſionem obtinuit rationibus infra inſinuandis fundatam, die 20. Junii anni 1729. chartis autem rogativis nihil reſpondere volui, ſed reſponſionem, et allegationem meam pro ultima deciſione in aulico ſtatus ſenatu reſervavi, ea ſpe fretus, quod mihi favorabilis foret, ob notoriam proceſſus incurialitatem, et juſtitiæ meæ ſoliditatem, quæ ex ſequentibus apparent firmis redargutionibus.

V. Redarguebam ergo, 1. Proceſſi incurialitatem, atque notoriam injuſtitiam. Nam ex eo quod de nova violentia in nova carceratione recurrens queritabatur, certe vel novam recurſus intentationem agere debebat, vel ſaltem de novo documento, actis noviter adjuncto, quo novam hanc violentiam comprobabat, mihi copia exhibenda erat, atque nova illius documenti, atque actorum inſpectio decernenda, ex reg. ordinat. l. 3. tt. 20. § 22. et 25. Barb. in remiſſ. ad eand. et ex ipſius jur. commun. nota diſpoſitione, l. 1. ff. *de edendo*; Cardoſ. verb. *Inſtrument.* Mend. in prax. 1. p. l. 3. c. 9. n. 2. et p. 2. l. 3. c. 9. Pinheir. de emphyteuſ. p. 2. diſput. 1. ſeſſ. 2. n. 20. præſertim cum judices ipſi ignorarent, an nova diſtrictio, et carceratio, ob præterita crimina, an propter nova, et præteritis poſteriora, executa foret.

VI. Ex cujus copiæ, atque novi documenti exhibitionis defectu, et nullitas proceſſus, atque judicati oriebatur, et judices ipſi mihi reddebantur ſuſpecti, ex clara reg. ordin. diſpoſitione, l. 1. tt. 3. §4. et tt. 5. §4. et 6. *Coſt. de ſtyl. dom. ſupplicat.* annot. 4. n. 8. et 19. ex l. *Non dubium*, cod. de legib. Valaſc. tom. 1. c. 42. Cald. Cabed. et alii. Et notæ, atque gravis cenſuræ adhuc dignum erat, quod judices regii, poſt finalizationem, atque terminationem hujus cauſæ cum impedimentorum rejectione, die 23. Martii, poſt ejuſdem biennalem decubitum, ad novam finalem ſententiam, abſque nova partis inſtantia, aut ſupplicatione, aut alia diligentia, ſed cum ſimplici novi documenti adjunctione, progrederentur.

VII. Præter has incurialitates, atque injuſtitias, ſententia ipſa, noviter prolata, notabiles quidem patiebatur, in ejus motivis, ac fundamentis, æquivocationes; quatenus in illorum expoſitione aſſerebat, *quod, reſpectu recurrentis, non comprobabantur requiſita concilii, ad hoc, ut reputaretur foro eccleſiæ adſtrictus*, &c. in quo ſupponere videtur, quod clerici in minoribus inſtituti prædictis requiſitis carentes, ad forum ſæcularem, *privative* quoad eccleſiaſticum, in omnibus pertinerent, et nullatenus, etiam *cumulative*, foro eccleſiaſtico. Cujus ſuppoſitionis falſitatem, atque gravem ſententiæ ipſius æquivocationem clare oſtendebam: et ——

VIII. 1. Quia tria ſunt minoriſtarum, etiam prima tonſura initiatorum, privilegia: videlicet, privilegium *fori*; privilegium *canonis Siquis*; et privilegium *immunitatis ab exactionibus laicalibus.* Antonell. de privileg. cleric. 1. et ſeqq. ex c. 2. de for. compet. c. *Siquis*, 17. q. 4. gl. in c. unic. *de bigamis*, in 6. verb. *Omni*; Evarard. conſil. 42. et reliqui.

IX. 2. Quia requiſita Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de reform. ſequentia ſunt: *Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat; aut clericalem habitum, et tonſuram deferens, alicui eccleſiæ, ex mandato epiſcopi, inſerviat, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate, de licentia epiſcopi.*

X. Unde clare inſpicitur, 1. Omnia prædicta requiſita, non copulative, ſed aliqua illorum disjunctive prærequiri, ut ex particulis *aut*, et *vel*, in textu conciliari appoſitis, convincitur. 2. Quod requiſita *copulative* ſunt, ut habitum clericalem, *et tonſuram deferens, alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviat.* 3. Quod ſpecialis deſignatio hic prærequiſita, non eſt ſpecialitas *ſervitii*, ut recurrens in impedimentis falſo allegabat, ſed deſignationis eccleſiæ, cui inſervire debeat, ut ex ipſis verbis formaliter liquet: *Alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviat.* Et fatente recurrente, ſe in charta ordinationis eccleſiæ propriæ parochiæ *D. Laurentii* pro ſervitio adſcriptum eſſe, jam retinebat adſcriptionem ſpecialem à Concilio exigitam, et non ſolam generalem, ut ipſe allegabat; adſcriptio namque generalis, ea eſt, quæ implicite in collatione ordinum abſque ſpeciali determinatæ eccleſiæ adſcriptione. Ita Barb. de jur. eccleſ. l. 1. de privileg. clericor. c. 39. Antonell. cit. c. 7. Pignatell. tom. 3. conſ. 7.

XI. Imo, etiam novum Concilium Lateranenſe, ſive Romanum, novam formam in hac re inducens, aut antiquam Concilii Trid. renovans, non exigit ſpecialem deſignationem *ſervitii*, ſed ſpecialem deſignationem *eccleſiæ*, tt. 6. c. 2. *Clericali inſuper tonſura nullus initietur, niſi eodem tempore eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus ſervitio debet ordinari.* Ubi etiam decernit, *quod epiſcopi, adſcriptionem hujuſmodi, etiam à ſuis prædeceſſoribus emiſſam, ſuppleant.* Quod et ego in hac mea diœceſi perfeci.

XII.

XII. 3. Oſtendebam, quod quamvis clericus aliquis minoriſta, hujuſce ſpecialis adſcriptionis defectu, privilegio fori non gaudeat, non ideo conſequenter cætera privilegia canonis *Siquis*, et *immunitatis perſonalis* amittere, ſed adhuc ea retinere, ut convincitur ex eadem reſtrictione conciliari ad fori privilegium dumtaxat: *Is fori privilegio non gaudeat:* Quæ quidem, utpote odioſa, reſtringenda omnino eſt, et non ad reliqua privilegia amplianda, ut terminanter, et communiter reſolvunt D. D. Pignatell. tom. 3. conſ. 7. n. 79. Cirin. contr. for. l. 1. c. 27. et 52. Soar. de legib. l. 8. c. 38. Cortiad. dec. 130. 132. et 133. Deluc. Ventrigl. Petra Squillant. et alii citati ab Antonell. de privileg. cleric. l. 1. c. 2, 3. et 4. et ex DD. Luſitanis eandem reſolutionem tradunt illuſtriſſim. D. Roderic. da Cunha, Themud. p. 2. dec. 113. et 321. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 9, 10. et 11. Frag. p. 3. l. 1. dec. 2. et alii.

XIII. Et confirmatur hæc reſolutio ex quadam S. Congregationis declaratione apud Pignatell. cit. d. conſ. 7. ibi: *S. Congregatio concilii cenſuit, decretum ejuſdem concilii ſeſſ. 23. non ademiſſe clericis non habentibus qualitates, quæ ibidem exprimuntur, niſi privilegium fori, cætera vero remanere in diſpoſitione juris communis.* Ex quibus colligitur, 1. Subjectum minoriſtam adhuc ratione duorum remanentium privilegiorum, *canonis*, ſcilicet, *et immunitatis*, tam active, quam paſſive, eccleſiæ foro *privative* pertinere; cui etiam adhuc ſubdebatur quoad patrimonii ſolemnizationem, et modeſtiæ obſervantiam in geſtatione habitus et tonſuræ competentis, et quoad reliquas ſtatui ipſius convenientes obſervationes, juxta ejuſdem Concil. Trid. decreta, ſeſſ. 14. c. 6. de reform. et concil. Prov. Bracharenſ. p. 2. act. 4. c. 8. Barb. de pot. epiſc. alleg. 9. n. 5.

XIV. Colligitur, 2. Præfatum clericum, in quatuor minoribus gradibus inſtitutum, ratione ſui ſtatus, et generalis adſcriptionis eccleſiæ in charta ordinationis implicitæ, independenter ab ſpeciali adſcriptione, utique eccleſiæ ſervitio adſtrictum ſemper manere, ut præmiſſi D. D. innuunt, et eodem Concilio Trid. ſeſſ. 23. c. 4. et 6. de reform. deducitur: proindeque poterat à me, tanquam ab ejus prælato ordinario, ad illud ſervitium, et reliqua munia ſibi attinentia obeunda uſque ad abſolutam omnium clericalium privilegiorum privationem, ut diſponitur in dicto concilio citat. c. 16. et ſeſſ. 14. c. 6. eodem titulo; et expreſſius in novo Concilio Lateranenſi, tt. 6. c. 2. et in conſt. *Catholicæ eccleſiæ*, Bened. XIII. ac, per conſequens, adhuc pro præmiſſis defectibus in foro ac judicio eccleſiaſtico reſpondere tenebatur.

XV. Colligitur, 3. Quod etiam ſæculares, cuilibet clerico, etiam ſpecialiter non adſcripto, patrimonium donantes, perfecta donatione, ex vi termini, ſeu obligationis ſcriptæ *de non repetendo*, et clericum ipſum donatarium ex vi ſimilis obligationis *de non alienando*, teneri ſane conſequenter pro illa in foro, atque eccleſiaſtico judicio reſpondere, et ſubjectos remanere pœnis à jure canonico contra tranſgreſſores impoſitis, c. *Neminem*, c. *Sanctorum*, 70. diſt. et in conſt. Sixti, *Sanctum, et ſalut.* et Clem. VIII. *Roman. Pontificem.*

XVI. Ex omnibus his præmonſtratis evidenter convincebantur æquivocationes ſententiæ recurſus clauſularum motivarum, quatenus aſſeverabat, *non poſſe in recurrente verificari requiſita concilii, ut conſideraretur foro eccleſiæ ſubjectus*; præſertim, cum, juxta communem doctrinam, de qua Sperell. Ciarlin. et alii apud Monacell. p. 2. tt. 15. form. 8. clericus captus à curia laicali, debet remitti judici eccleſiaſtico, quamvis non habeat requiſita concilii. Et fatente clare recurrente opinionem probabilem pro me in hac re, quoad adſcriptionem implicitam tantum; conſequens erat, de violentia, ſaltem notoria, ac manifeſta, conqueri non poſſe, Per. de man. reg. c. 7. n. 25. Guerr. de recuſation. l. 1. c. 19. n. 18. Oliv. de for. eccleſ. q. 16. n. 12. p. 1.

XVII. Sed adhuc reſtabat clarius, et extenſius redarguenda præcipua, qua ſententia illa laborabat, *æquivocatio* (ne errorem dicerem); quatenus præſupponebat, imo et inſinuabat, recurrentem minoriſtam, ex defectu ſpecialis adſcriptionis, nullatenus, etiam in criminibus mere eccleſiaſticis (qualia erant fictio, et ſimulatio patrimonii atque concubinatus præmiſſus) eccleſiæ foro teneri; quam quidem æquivocationem efficaciter redarguebam ——

XVIII. 1. Quia ſaltem fictio illa, ac ſimulatio patrimonii, tam de jure, quam de facto, eccleſiæ foro, et nullatenus judicio ſæculari pertinebat; leges namque, quibus prædictas culpas puniri jubentur, canonicæ cunctæ ſunt, et nulla mere civilis reperitur; neque in judicio ſæculari adverſum tales criminoſos proceditur, ſed privative tantum in eccleſiaſtico.

XIX. 2. Quia, quoad crimen concubinatus, adeo certum eſt illius punitionem foro eccleſiæ privative attinere, ut Per. de man. reg. c. 34. non ſolum id clare fateatur, ſed ulterius aſſeveret, n. 9. et 12. et 13. in toto jure civili non reperiri pœnam concubinariis impoſitam; quamvis ſibimet contrarius, et ab ipſo aſſerto c. 53. n. 11. et 12. et 13. ubi dicit, quod *concubinatus omni jure reprobatus reperitur*; et contra veritatem loquens, quatenus, ibid. n. 11. aut 13. aſtruit, quod *concubinatus non ſit punibilis aliqua lege civili, vel canonica, niſi inter perſonas eccleſiaſticas.* Nam de jure canonico contrarium conſtat, ex c. *Infames*, 6. q. 1. c. *Nemo blandiatur*, 32. q. 4. c. *Cum ſit generale*, de for. compet. et c. 1. *de filiis natural. ex matrimon.* Jul. Clar. § *Fornicatio*, n. 6. Ulp. in prax. c. 28. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. *de reformat.* et adhuc de jure civili concubinatus interdictus reperitur; ac, per conſequens, ſaltem pœna arbitraria punibilis, per l. final. cod. *Commun.* de ſucceſſ. authent. *de honor. verſ. mulieres*, l. penult. ff. de *concubinat.* et per reg. ordin. etiam numeratur concubinatus inter crimina *mixti fori*, lib. 2. tt. 9. in princip. ibi: *Adulteros, amaſios, concubinarios, lenones*, &c.

XX. Imo, etiam dato, quod concubinatus inter laicos ſolutos (de quibus ordin. lib. 2. tt. 1. § 13.) non foret crimen mere eccleſiaſticum, ſed *fori mixti*, juxta eand. ord. tt. 9. non inde ſequeretur, etiam reſpectu laicorum (et multo minus reſpectu clericorum, etiam minoriſtarum) quod dici poſſet, ut in recurſus ſententia aſſeritur, quod *ratione hujus criminis conſiderari nequirent eccleſiæ foro obligati:* cum certum ſit ex cit. ordin. tt. 9. caſus mixti fori non pertinere ad ſæculare judicium *privative* quoad eccleſiaſticum, ſed *cumulative*; hoc eſt, ad utrumque ſimul cum præventionis loco: et adhuc Per. de man. reg. (eſto ſibi non conſtans) c. 34. n. 22. cum Bobadill. n. 2. c. 17. autumet, concubinatum laicorum in foro eccleſiaſtico primo punitum, poſſe iterum in ſæculari foro puniri.

XXI. Confirmabatur hoc ex doctrina Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 3. n. 64. et ex ead. ordin. lib. 2. tt. 1. § 27. diſponente, quod *clerici minoriſtæ pro gravi aliquo maleficio* (non mere eccleſiaſtico puta, ut rapina, homicidio, &c.) *poterunt citari, et accuſari coram judicibus ſæcularibus . . . dummodo caſus talis ſit, quod in illo juriſdictio ſæcularis locum habeat.* Ubi ex verbo *poterunt*, infertur juriſdictio ſæcularis, non *privative*, ſed *cumulative*, aut *mixte* cum eccleſiaſtica, ex his quæ Peg. ibidem, et ad lib. 1. tt. 62. § 40. ibi: *Verbum* Poteſt, *affirmative prolatum, non inducit neceſſitatem, ſed importat liberam facultatem*, l. *Sæpe*, ff. de offic. præſid. et à paritate juriſdictionis prælatorum non privativa, ſed cumulativa cum proviſoribus capellarum, etiam à laicis, cum bonis profanis inſtitutarum, quoad legata pia, &c. de quibus cit. ordin. eod. tt. 1.

XXII. Pariformiter ex illa limitatione, vel reſtrictione, *Dummodo caſus talis ſit*, &c. inferebam, eandem ordinationem regiam in clericis minoriſtis aliquos caſus recognoſcere à ſolo judice eccleſiaſtico, et minime à ſæcularibus punibiles; qualis impræſentiarum erat fictio, aut ſimulatio patrimonii eccleſiaſtici denunciata, et comprobata, quin obſtaret ejuſdem cit. ordin. diſpoſitio requirentis, *quod clericus in minoribus, ad hoc, ut gaudeat fori privilegio, geſtaret, tempore maleficii, ac diſtrictionis, habitum, et tonſuram clericalem.* Et recurrens aſſerebat, quod à circitore eccleſiaſtico deprehenſus foret in habitu laico.

XXIII. Non obſtabat, aiebam, quia, ſecundum doctrinam Themud. dec. 321. n. 32. in hoc non attenditur habitus domeſticus, et privatus, ſed publicus, quo quiſque extra domum progredi ſolet. Imo chlamys,

vulgo, *granacha*, qua recurrens apprehenſus fuit, præterquam quod ſit veſtis domeſtica, et cameralis, quare Franci eam appellant *robe de chambre*; communis equidem eſt laicis, et clericis, etiam ſacerdotibus, ac regularibus. Et ſi forte recurrens de induſtria, in fraudem apprehenſionis vitandæ, laica veſte uſus erat; ſubintrabant regulæ juris vulgares: *Fraus, et dolus, nemini debent patrocinari*, &c.

XXIV. Imo, à paritate legis regiæ, ordin. lib. 2. tt. 1. § 3. diſponentis, quod clericus in judicio ſæculari citatus antequam clericus fieret, in eodem reſpondeat (quod quidem conforme eſt diſpoſitioni juris canonici, c. *Propoſuiſti*, de for. compet.) ita pariformiter, à contrario ſenſu, clericus minoriſta in judicio eccleſiaſtico citatus, ſi poſtea ad laicalem ſtatum tranſeat, in eodem judicio reſpondere tenetur; ex cit. jurib.

XXV. Ad alias allegationes recurrentis ex eadem ordin. lib. 2. tt. 1. § 13. quatenus conquerebatur, ſe captum fuiſſe antequam prius convinceretur, et abſque brachii ſæcularis imploratione; reſpondebam præter ſuperius dicta allegatione fere præcedenti conſimillima, et quoad poteſtatem judicis eccleſiaſtici capiendi laicos, abſque illa ſæcularis auxilii requiſitione, per proprios officiales, ex jure novo in Trid. ſeſſ. 25. de reform. addebam juris antiqui diſpoſitiones, c. *Attendendum*, 17. q. 4. c. *Fraternitatis*, diſt. 34. c. 2. *De adulter.* c. *Contra idolorum cultores*, c. 2. *De maledic.*

XXVI. Ad privilegium tandem Julii III. concedentis ſereniſſimo regi noſtro Joanni III. facultatem procedendi contra clericos minoriſtas, notorios, et maleficos, et propter crimina atrocia; reſpondebam,

1. Cum Themud. dec. 321. n. 36. hanc facultatem non eſſe *privativam* quoad prælatos, et judices eccleſiaſticos; ſed eſſe *ſubſidiariam, et auxiliativam* eccleſiaſticæ juriſdictionis.

2. Præmiſſam facultatem conceſſam eſſe cum ſequentibus limitationibus; videlicet, adverſum clericum minoriſtam, *qui in habitu clericali incedere non conſueverit; et niſi de criminibus, et delictis primo, et ſecundo per eum perpetratis, debite per judicem eccleſiaſticum punitum, ipſi ſæculares judices repererint*, &c. Imo ex hocmet privilegio conſtat, quod etiam tales minoriſtæ primo ſubjacent judicio, ac punitioni eccleſiaſtici judicis.

XXVII. Hæc tamen nihil profuerunt, quominus in palatino ſtatus ſenatu ultima deciſio in favorem recurrentis prodiret; à qua cum ad ſereniſſimum regem recurrerem per tribunal ultramarinum; per idem tribunal mihi reſcriptum eſt, anno 1730. quod cum actorum copia deſideraretur, ultima deciſio dari non poterat; quænam tamen futura foret, à paritate citat. citatæ ordin. l. 2. tt. 1. § 3. circa clericos, antecedenter ad hunc ſtatum, in judicio ſæculari citatos, in quo poſtea reſpondere debent, ſatis inſinuabatur.

ALLEGATIO XXII.

In Controverſia Juriſdictionis, atque Intromiſſionis regii Proviſoris Capellarum, in quandam Confraternitatem eccleſiaſticam, pro Sumptorum, et Expenſarum Ratione ſumenda, et pro ea, quaſi ſuæ Juriſdictioni plene ſubjecta, abſolute viſitanda.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Duplex recurſus fundamentum.*
III. *Ex titulis demonſtrabatur confraternitas eccleſiaſtica.*
IV. *Sodalitates laicæ, et loca pia erecta auctoritate prælatorum, utique eccleſiaſticæ ſunt.*
V. *Aderant alii tituli ſpeciales.*
VI. *In dubio præſumitur auctoritate epiſcopi erecta confraternitas.*
VII. *Suffragabantur viſitationes ordinarii.*
VIII. *Nec obſtabat cujuſdam proviſoris laici aditio patrimonii immobilis confraternitatis, pro nova emphyteuſi facienda juxta clauſulam teſtamentariam.*
IX. *A caſibus expreſſis ad non expreſſos non fit ampliatio, nec argumentatio.*
X. *Neque etiam officiebat actio ſumendi rationes emphyteutæ pro nova locatione facienda.*
XI. *Neque hoc erat ſumere illas ab officialibus confraternitatis.*
XII. *Ex clauſula teſtamentaria, nova locatio facienda erat ad inſtantiam rectoris parochiæ.*
XIII. *Poſſeſſio titulata cuilibet alteri præfertur; et, defectu proprietatis probato, de poſſeſſione amplius non agitur.*
XIV. *Nil etiam officiebat aliquorum confratrum aditio proviſoriæ ſæcularis, in aliquibus cauſis civilibus confraternitatis.*
XV. *Contra immunitatem, ac juriſdictionem eccleſiaſticam nec poſſeſſio, nec quaſi poſſeſſio, inducitur, nec inducta valet.*
XVI. *Debita eccleſiæ poſſunt in judicio ſæculari ſupplicari citra præjudicium.*
XVII. *Ex ordin. diſpoſitione, erat hæc confraternitas eccleſiaſtica.*
XVIII. *Si ſufficit titulus erectionis ad probandam qualitatem ſodalitatis eccleſiaſticæ, multo magis accedente poſſeſſione, et aliis.*
XIX. *Reſolutio regii concilii ultramarini.*
XX. *Regii miniſtri deſtiterunt à cauſæ progreſſu.*
XXI. *Exemplar regii reſcripti.*

I. PUBLICATA mea eccleſiaſtica, et generali viſitatione anno 1726. pro provincia Bardeſiana, eccleſiarum cujus parochialis adminiſtratio religioſis S. Franciſci de obſervantia precario, et ad nutum amoviibiliter à regio patrono tradita eſt; atque viſitationis ipſius edicto in prima parochiali eccleſiæ Dominæ noſtræ ſub titulo *de Penha de França*, promulgato, et ad valvas eccleſiæ affixo prope finem menſis Januarii ejuſdem anni, ſtatim ad eam eccleſiam die 1. Februarii convolavit regius capellarum proviſor, quandam ejuſdem Deiparæ opulentam confraternitatem, in eadem parochia, auctoritate eccleſiaſtica inſtitutam, plene viſitaturus, et expenſarum rationem accepturus; cujus quidem omnes libros ſecum violenter abſtulit, confratribus (non parocho) reclamantibus, atque in contrarium proteſtantibus, eo animo expreſſo, ut me, hac librorum diverſione, ſaltem indirecte impediret illos inviſere, et ſumptorum rationem à confratribus exigere, atque accipere.

Ultimus autem hujus intruſionis, atque exorbitantis diligentiæ finis fuit, ſecundum excellentiſſimi proregis aſſeverationem, vel viſitationis meæ declinatio, aut totale impedimentum ex parte plurium parochorum, et eorum regularium prælatorum (quem quidem finem eodem fere medio jam in Salſetanæ provinciæ priori viſitatione, aliqui intentârant) vel, ſecundum alios, ex parte regii proviſoris, mea novis curis atque recurſibus moleſta implexio, vel aliqua ſperata utilitas de hac viſitatione ſibi repromiſſa. Et ne, ex parte mei, comminatarum cenſurarum curſus progrederetur, et, ex parte proviſoris, parati jam, ac præmeditati recurſus via arriperetur, medians prorex ipſe, juſſit abſolute regio miniſtro libros reponere, ut à me libere viſitarentur, cum reliquis confraternitati ipſi attinentibus; et à me conſequenter etiam conſecutus eſt, ut à ratione expenſarum ſumenda dumtaxat identidem abſtinerem, donec utrinque regiam majeſtatem recurrentes, regiam ipſius expectaremus reſolutionem. In quo liberrime conveni, eo quod infra biennium ab eadem confraternitate, in ſpeciali illius viſitatione præmiſſam, ac pertenſam rationem pacifice, et citra controverſiam ſumpſeram.

II. In recurſu autem ad ſereniſſimum regem per ultramarinum tribunal, nullum aliud pro ſe fundamentum

mentum allegavit capellarum proviſor, niſi duplex infra eliſum, videlicet clauſulam diſpoſitionis teſtamentariæ, defunctæ *D. Annæ de Azevedo*, teſtatricis, atque donatricis amplorum bonorum immobilium confraternitatis; et exemplum cujuſdam prædeceſſoris ſui proviſoris, qui ad prædium confraternitatis quondam acceſſerat, pro nova illorum bonorum emphyteuſi facienda, juxta clauſulam teſtamentariam.

Pro meæ autem juſtitiæ, atque juriſdictionis expoſitione, atque defenſione, ſequentia adducebam fundamenta:

III. Primum erat ipſius confraternitatis tituli, erectionis ſcilicet, confirmationis, compromiſſi revocationis, et aliarum actionum eccleſiaſticarum; ex quibus conſtabat, 1. Confraternitatem hanc erectam fuiſſe auctoritate illuſtriſſimi hujus diœceſis archiepiſcopi D. Fr. Sebaſtiani à Divo Petro, et ab eo ſpecialiter inſtitutam anno 1626. ut ex formali ac propria confratrum, ad hanc confraternitatem inſtituendam, quæ jungebatur, ſupplicatione convincebatur, et ex formali prælati ibidem delatione in gratiæ, ſeu licentiæ ſupplicatæ conceſſione.

Conſtabat, 2. Ex alia confratrum ſupplicatione, ad novi, aut revocati compromiſſi confirmationem, facta illuſtriſſimo archiepiſcopo D. Fr. Antonio Brandâm anno 1677. (quæ etiam adjungebatur); ubi iterum enarrabatur, *confraternitatem hanc fundatam fuiſſe auctoritate, ac mandato, illuſtriſ. Domini D. Fr. Sebaſtiani à D. Petro*, ad inſtantiam parochi regularis *Fr. Hieronymi ab Hortu.*

IV. Ex quibus titulis evidenter colligebatur qualitas confraternitatis eccleſiaſticæ ſimpliciter. Nam ipſimet AA. regiæ juriſdictionis fortiores propugnatores, minime dubitant, imo et aperte confitentur, confraternitates, etiam à laicis fundatas, eſſe quidem ſocietates eccleſiaſticas, loca pia, atque religioſa, *ſi ſint erectæ auctoritate prælatorum*; et cum hac qualitate ad ipſos prælatos pertinere privative, tam viſitationem, quam rationum redditionem; de quo videndus Per. de man. reg. c. 17. an. 8. Portug. de donat. l. 2. c. 31 n. 47. ex ipſius ordin. regiæ diſpoſitione l. 1. tt. 62. § 43. et ex aliis juribus apud Auguſt. Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 75. n. 17. Imo, in rigidiori opinione illorum DD. qui prærequirunt, quod *auctoritas prælati intercedat in ipſo creationis, vel erectionis actu*, convincebatur præſentem confraternitatem eccleſiaſticam omnino eſſe, ex interventu illius auctoritatis in ipſo erectionis, aut inſtitutionis limine.

V. His titulis erectionis adjiciebantur ſpeciales tituli confirmationis, et approbationis confraterni compromiſſi, ab eodemmet prælato inſtituente factæ, eodem anno 1626. necnon ab ejus præfato ſucceſſore illuſtriſſ. *Brandâm*, in renovatione ejuſdem compromiſſi, anno 1677. in actuali hujus confraternitatis viſitatione præcepta; ex formali confratrum ſupplicatione, atque propriis confirmationis literis annexis liquebat. Quas quidem confirmationis aut approbationis literas ſufficere ad inducendam qualitatem confraternitatis eccleſiaſticæ, et eam, independenter à prælati auctoritate in ipſo actu, aut limine erectionis, eccleſiaſticam abſolute conſtituendam, tenent Valaſc. conſ. 105. n. 5. ad cit. ord. Oliv. p. 3. q. 34. n. 23. Themud. 1. p. dec. 17. n. 3. ubi ſolide impugnat Per. de man. reg. contrarium ſentientem.

VI. Suffragium addebat communis doctrina, quod, in dubio qualitatis inſtitutionis, *Confraternitas præſumitur auctoritate epiſcopi inſtituta*; Peg. ad cit. ordin. l. 1. tt. 62. § *de verbo*, *Fundado por leigos*. Franc. c. 25. n. 65. Panimol. dec. 12. annot. 5. n. 4. præcipue faventibus huic præſumptioni conjecturis in præſenti, quales conjecturæ equidem ſunt, *antiquitas confraternitatis, viſitatio ordinarii, exiſtentia in eccleſia, ſpecialitas altaris, in quo celebretur*, et aliæ ſimiles videndæ apud Monacell. p. 2. dec. 35. Amoſtaz. de cauſ. piis, l. 4. c. 12. Panimol. cit. Barb. d. alleg. 75. Ventrigl. tom. 1. annot. 1. n. 2. Ciarlin. contr. 116. et alii apud ipſos.

VII. Secundum fundamentum deducebatur ab ipſis ordinarii viſitationibus hujuſce confraternitatis, et continuata, atque pacifica antiqua poſſeſſione, quæ ex annexis documentis patebant; ex quibus conſtabat, ann. 1677. viſitatam quoad omnia, ſubjectam confraternitatem fuiſſe, à præfato archipræſule D. Fr. Antonio Brandâm; et ann. 1698. ab illuſtriſſ. D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione; et ann. 1720. à vicario generali hujus diœceſis, Henrico Bravo de Moraes; et ann. 1724. à meipſo. Et inſuper à teſtium quamplurium in prædicta viſitatione, cœpta die 3. Februarii anni 1626. ſpeciali inquiſitione, uniformiter conſtabat, nunquam miniſtrum aliquem ſæcularem confraternitatem viſitaſſe, neque ab ejuſdem officialibus rationum redditionem exigiſſe, aut ſumpſiſſe.

VIII. Et quamvis conſtans etiam foret, quendam miniſtrum ſæcularem, prædeceſſorem præſentis anno 1719. prædium, ſeu patrimonium immobile hujus confraternitatis adiiſſe, ad novam bonorum illorum emphyteuſim faciendam, juxta teſtamentariam clauſulam donatricis *D. Annæ de Azevedo*, qua cavebat, quod *deficiente emphyteuta conditionibus, atque obligationibus impoſitis adimplendis, tunc ad inſtantiam parochi, ab emphyteuſi removeretur à proviſore defunctorum, et ab eo novus alius emphyteuta ſubſtitueretur*; hinc non inferebatur, potuiſſe eundem miniſtrum, vel alium ei loco ſucceſſorem, ab officialibus confraternitatis rationes exigere; tum quia ſunt res omnino diſparatæ, et diverſæ inter ſe *formaliter*, quoad perſonas, aut ſubjecta; tum quia à clauſula illa limitata, et reſtricta, non debebat fieri ampliatio, aut extenſio ad facultatem generalem, præcipue in odium, atque præjudicium ordinariæ juriſdictionis eccleſiaſticæ; tum, denique, quia expreſſio facultatis illius ad unicum actum dumtaxat, novam emphyteuſim faciendi, vulgo, *fazer novo à foramento*, non debet extendi ad diverſam facultatem non expreſſam, *ſumendi rationes ab officialibus confraternitatis*; neque à prima valet argumentum, aut illatio ad ſecundam, ex vulgari axiomate:

IX. *A caſibus expreſſis ad non expreſſos, non valet argumentum, neque ampliatio à reſtrictis ad non reſtricta*, deciſ. Rott. 353. coram Seraphin.

X. Neque officiebat, 1. Quod, ut proviſor alium emphyteutam ſemovere, alium vero ſubſtituere licite poſſet, prius deberet cognoſcere, an prior conditiones, atque ſatisfactiones, juxta præſcriptum teſtamenti donatricis, ac per conſequens etiam rationum reditiones ſumere deberet: Non officiebat, aiebam, 1. Quia diverſiſſimæ ſunt res, actiones, et ſubjecta. Diverſa namque eſt actio locandi prædium confraternitatis, aut ejus patrimonium immobile, in emphyteuſim dandi alicui extraneo ſubjecto, aut novo emphyteutæ, ab actione ſumendi rationes expenſarum confraternitatis officialibus. Deinde diverſiſſima ſunt ſubjecta formaliter, ac materialiter, unicus homo emphyteuta, et aggregatum plurium officialium, qui conſtituunt congregationis confraternæ tribunal.

XI. 2. Quia, ad hoc, ut proviſor poſſit cognoſcere de omiſſione, ac defectu emphyteutæ, non erat neceſſum rationes exigere à ſodalitatis officialibus; ſed ſufficiens foret conditiones ipſas inſpicere, et omiſſionem, aut adimpletionem illarum examinare. Et, dato, quod rationes ſumere deberet, has ab emphyteuta, aut prædii conductore, vel colono, exigerete neretur, de cujus defectibus atque omiſſionibus cognoſcebat; non vero à confraternitatis officialibus, qui neque de jure, neque de facto, ex clauſula teſtamentaria illi ſubjiciebantur, neque ſubdi poterant.

XII. Deinde ex ipſiuſmet clauſulæ teſtamentariæ diſpoſitione, nova emphyteutica locatio facienda eſt à defunctorum proviſore *ad inſtantiam rectoris parochiæ*; quod quidem impræſentiarum è contrario ſtetit; non enim ad alicujus confratris, aut officialis ſupplicationem, etiam ſimplicem, aut verbalem, ſed ex proprio marte prædictus miniſter ſeſe intromiſerat ad confraternitatem viſitandam, ab libros examinandam, ad decreta in eis inſcribenda, et ad rationes ſibi violenter reddendas, necnon, ne mihi in actuali generali viſitatione, ut par erat, redderentur, ad injuſte et ſacrilege impediendum.

XIII. Et, dato, quod adhuc fingeretur, aut allegaretur exemplum alicujus proviſoris intermedii, qui rationes à confraternitatis officialibus, renuentibus, vel conſentientibus exigeret; hoc nunquam juriſdictioni ordinariæ præjudicare valeret, pro qua ſtabat conſtanter

conſtanter prima, et ultima poſſeſſio; et cum hæc ordinariæ juriſdictionis poſſeſſio titulata ſit, utique poſſeſſioni juriſdictionis laicæ, caſu, quo aliqua daretur, præferenda, ac prævalitura foret, ut cum multis eleganter reſolvit Ciarlin. contr. for. l. 2. c. 26. Ludoviſ. dec. 160. et alii. Et, ut idem Ciarlin. docet, l. 3. c. 231. n. 6. cum Grat. Menoch. Farinat. et Poſth. ex variis S. Rottæ deciſionibus, *Probato defectu proprietatis, de poſſeſſione non eſt amplius querendum, aue diſputandum*; ut etiam tenet Reynoſ. obſer. 66. n. 23. Themud. p. 3. dec. 301. n. 26.

XIV. Neque officiebat, 2. Quod aliqui confraternitatis ſodales in aliquibus cauſis civilibus ipſius confraternitatis, in contradictorio judicio proviſoriæ egerint, et ſententias obtinuerint.

Reſpondebam namque, 1. Hoc eveniſſe in illa reſtricta materia, immobilia bona confraternitatis locandi novo emphyteutæ, primo amoto, ſecundum præmiſſam teſtamentariam diſpoſitionem. Reſpondebam, 2. Id etiam actum eſſe circa alias teſtamentarias donationes, aut oblationes confraternitati à teſtatoribus relictas, et circa alias ultimas defunctorum voluntates exequendas.

XV. Reſpondebam, 3. Hunc eſſe regularem, aut irregularem modum generaliter in Indiano ſtatu agendi, coram judicibus incompetentibus ſupplicare. Aſt partium ignorantia, aut incurialitas in ſupplicando, aut agendo, judices eccleſiaſticos præſertim juriſdictione ſua non privat, aut ſpoliat; nam, ut bene reſolvit Pignatell. tom. 6. conſ. 34. *Nec poſſeſſio, nec quaſi poſſeſſio, poteſt induci, neque inducta valet, contra immunitatem, libertatem, ac juriſdictionem eccleſiaſticam*; c. *Cleric.* de judic. authentic. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et cleric. et magiſtrat.

XVI. Præterquam quod debita eccleſiæ, aut perſonarum eccleſiaſticarum, poſſunt citra præjudicium eccleſiaſticæ juriſdictionis in judicio ſæculari ſupplicari, et agi, ex ordinat. l. 1. tt. 62. et l. 2. tt. 1. Peg. ad eand. loc. cit. et, dato, quod non poſſent, et in judicio ſæculari procuratores hujus confraternitatis ea repeterent, nunquam juriſdictio ſæcularis adverſus eccleſiaſticam poſſeſſionem acquirere poſſet, ex textib. ſupra citat. neque contra eam præſcribere: licet enim *præſcriptio contra juriſdictionem regiam permittatur prælatis eccleſiaſticis*, Peg. ad ordin. tom. 8. l. 2. tt. 9. ad § 1. Per. de man. reg. c. 16. n. 14. è converſo tamen, juriſdictio ſæcularis adverſus eccleſiaſticam nunquam præſcribit, Peg. et Per. cit. et alii communiter.

XVII. Denique, juxta ipſammet legis regiæ expreſſam, et abſolutam diſpoſitionem, ordin. l. 1. tt. 62. ſufficit oſtendere, quod confraternitates *erectæ fuerint auctoritate et conſenſu prælatorum, ad hoc, ut privative, tam quoad viſitationem, quam quoad rationum redditionem, et abſolutam in reliquis adminiſtrationem, ac providentiam, eiſdem prælatis pertineant*, quin regii proviſores in eas ſeſe valeant introducere; bene vero in illas, *quæ fundatæ fuerint à laicis ſimpliciter*. id eſt, abſque auctoritate et conſenſu prælatorum eccleſiaſticorum, ex eadem ordin. diſpoſitione, eodem tt. 62.

XVIII. Ex qua concludebam, quod ſi ad judicandas confraternitates eccleſiaſticas ſimpliciter, et in omnibus eccleſiaſticis prælatis pertinentes, ſufficiebant tituli erectionis, probantes interventionem conſenſus prælatorum ipſorum in earum inſtitutionibus; à fortiori, eiſdem titulis accreſcente poſſeſſione pacifica, et continuata tum viſitationum tot prælatorum in præſenti confraternitate, tum exigentiæ rationum, tum etiam judicii ad deciſionis cauſarum civilium ejuſdem confraternitatis (quod et documentis conſtabat) et abſolute quoad reliqua adminiſtrationis judicanda, omnino erat præſens confraternitas eccleſiaſtica ſimpliciter, et quoad omnia, eccleſiaſticæ juriſdictioni privative ſubjecta, excepta novæ locationis, aut emphyteuſis circumſtantia in terminis ſupra expreſſis, atque inter reſtrictos limites clauſulæ teſtamentariæ donatricis.

XIX. Et hæc erat ſummatim juſtitiæ meæ allegatio; qua quidem cum adverſaria proviſoris regii, in concilio ultramarino viſa, ac ponderata, audito, de more, regio procuratore, regia prodiit epiſtola infra extenſa controverſiæ ultimam deciſionem judicio coronæ hujus ſtatus remittens, licet expreſſe fateretur, eam jam per citatæ ordinationis diſpoſitionem, tt. 62. deciſam eſſe.

XX. Et cum in hujuſce regii reſcripti executionem, prædictam allegationem cum competentibus documentis inſtructam eidem coronæ judicio remitterem, nullatenus capellarum proviſor, aut regius procurator, vel eorum ſucceſſores, hujuſce cauſæ progreſſum, atque ultimam deciſionem, hactenus curârunt; et ſic ſub ſilentio, et in decubitu jacet per ſpatium jam fere decem annorum; me quidem ſuper ſubjectam confraternitatem abſolutam juriſdictionem, atque adminiſtrationem, continuata poſſeſſione libere, et abſque contradictione, aut repugnantia alicujus, hactenus exercente; quod ſane evidentiſſimum ſignum eſt, juſtitiæ, atque juriſdictionis meæ, innegabilis evidentiæ.

Regia epiſtola per tribunal ultramarinum die 13. Februar. anni 1728. expedita, originali idiomate deſcripta.

XXI. DOM Joaõ, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, reverendo arcebiſpo primas de Goa, que vendoſe a conta que medeſtes em carta de 16. de Outubro de 1726. ſobre as duvidas que tiveſtes com-o provedor mor dos defunctos, e auzentes Manoel Ferreyra de Lima, por eſte ſe entrometer aquerer vizitar a confraria de N. Senhora de Penha de França da provincia des Bardes, ſem embargo de ſer eccleſiaſtica, e haver dado ſempre contas na quelle Juizo; oque conſtando ao V. Rey deſſe eſtado, mandara ao dicto miniſtro repuzeſſe os livros da dicta confraria, eque de huà eoutra parte ſe ſuſpendeſſe alhe ſemedar conta, eque aſſim devia eu mandar declarar a dicta confraria por eccleſiaſtica, e pertencente ao ordinario o acto de lhe tomar contas, e ſomente ao provedor o acto dos novos a foramentos do palmar, que a meſma confraria deixára D. Anna de Azevedo, na forma do ſeu teſtamento: me pareceo dizervos, que ao V. Rey mando declarar, que a queſtaõ que propondes eſtâ determinada pelo cap. 39. da ord. do reyn. l. 1. tt. 62. e ſõ ſe pode mover duvida no facto, e para a deciſaõ ſer acertada, lhe ordeno, que pelo juis da coroa da rellaçaõ deſſe eſtado, com aſſiſtencia do procurador da coroa, e adjunctos que nomear, ſe determine juſtas as voſſas razões, e do provedor mor dos defunctos. El Rey noſſo ſenhor o mandou por Antonio Rodrigues da Coſta, eo dezembargador, Joze de Carvalho e Abreu, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino, e ſe paſſou por duas vias. Antonio de Souza Pereyra, a fes em Lixboa Occidental em 20. de Fevereyro de 1726. O ſecretario Andre Lopez de Lavra, a fis eſcrever. Antonio Rodrigues da Coſta, Joze de Carvalho Abreu.

Eadem epiſtola Latine reddita.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ et Algarbiorum, &c. Notum vobis facio, reverende archiepiſcope primas Goane, quod, perſpecta informatione, quam mihi dediſti in epiſtola 16. Octobris 1726. ſuper dubiis inter vos et proviſorem majorem defunctorum, et abſentium, motis, ob iſtius introductionem in pertenſione viſitandi confraternitatem Dominæ noſtræ *de Penha de França* provinciæ Bardeſianæ, non obſtante quod eccleſiaſtica erat, et in iſto judicio rationes ſemper reddidiſſet: quod cum proregi ipſius ſtatus conſtaret, eidem miniſtro juſſit, ut prædictæ confraternitatis libros reponeret, et utrinque ſuperſederetur, quouſque me certiorem facerent; et quod conſequenter deberem et ego declarare jubere, præfatam confraternitatem eccleſiaſticam incedere, et ordinario attinentem actum rationes exigendi, et proviſori dumtaxat actum novæ emphyteuſis proprietatis fructiferæ à D. Anna de Azevedo eidem confraternitati donatæ, juxta formalitatem ejuſdem teſtamenti. Viſum mihi eſt vobis reſcribere, quod proregi declarare jubeo, quæſtionem à vobis propoſitam deciſam eſſe in cap. 39. ordinationis regni, l. 1. tt. 62. ut

ſolum

ſolum moveri poteſt dubium in facto. Et ut deciſio rectior, juſtiorque evadat, ei præcipio, quod per judicem coronæ ipſius ſtatus ſenatus, cum duplici adjuncto, ei à ſe deſignato, decernatur cauſa veſtris rationibus, et proviſoris majoris inſpectis. Rex dominus noſter id juſſit, per Antonium Rodrigues da Coſta, et ſenatorem Joſephum de Carvalho e Abreu, conſiliarios concilii ſui ultramarini; et duplicata expedita eſt. Antonius de Souza Pereyra eam fecit, Ulliſſipone Occidental. die vero 20. Februar. 1728. Antonius Rodrigues da Coſta. Joſephus de Carvalho Abreu.

ALLEGATIO XXIII.

In Recurſu à Procuratore generali Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, hujuſce Goanæ Provinciæ S. Thomæ, acerrime interpoſiti ab Executione regii Reſcripti, Parochos regulares ejuſdem Ordinis ab Adminiſtratione parochiali Eccleſiarum Provinciæ Bardeſianæ removere jubentis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *In hac occaſione recurrebant oppreſſores adverſus oppreſſos.*
III. *Proteſtabar pro allegatione juſtitiæ meæ tempore convenienti adhuc adhibenda.*
IV. *Religio S. Franciſci non erat pars in hac cauſa, ſuppoſita renuntiatione generalis capituli Toletani.*
V. *Afferebatur caſus jam judicatus.*
VI. *Ubi finis habet locum, habet etiam legis diſpoſitio.*
VII. *Diſpoſitio generalis, generaliter intelligitur, et comprehendit omnes caſus, etiamſi in uno detur major ratio.*
VIII. *Utilitates regularibus reſultantes ex abrenuntiatione paræciarum.*
IX. *Duo præjudicia infallibilia à P. Acoſta aſſignata.*
X. XI. *Alia à Fraſſ. attacta.*
XII. *Recurſus, ſufficienter non inſtructus, rejicitur.*
XIII. *Senatus ob hunc defectum recurſui non detulit.*
XIV. *Prætermiſit ſenatus chartam rogatoriam pro actorum remiſſione.*
XV. *Promotor impedimenta objecit ſententiæ.*
XVI. XVII. *Ordinarius poteſt recurſui reſpondere uſque ad actorum remiſſionem.*
XVIII. XIX. *Suſpectio judicum, et alia fundamenta.*
XX. *Prætermiſſa charta rogatoria per retrotractionem juſſa eſt expediri.*
XXI. *Regium reſcriptum pro remotione parochorum regularium à paræciis Bardeſianis.*
XXII. *Decretum S. Congregationis, in viſitatione ad limina apoſtolorum.*

I. CUM ob querelam cameræ generalis provinciæ Bardeſianæ, et poſt meam ſuper querelæ motivis informationem, ex ipſis generalis illius provinciæ viſitationis 1726. denuntiationibus decerptam, per ultramarinum tribunal regium reſcriptum infra traditum n. 21. expediretur, mihique pro executione remotionis parochorum regularium, ab illarum eccleſiarum adminiſtratione dirigeretur, notificatis parochis ipſis regularibus per edictum publicum, ut intra terminum viginti dierum, adminiſtrationem parochialem illius provinciæ eccleſiarum in manibus curarum, ſeu coadjutorum illarum à me inſtitutorum, ac approbatorum demitterent, ſupplicârunt regii reſcripti exhibitionem ad impedimenta executioni illius opponenda, et inſimul à notificatione appellationem coram quodam prælato regulari interpoſuerunt, me ſimul indecoroſe recuſantes: cujus quidem recuſationis articulos, cum non procedere declarâſſem, et appellationi quoad devolutivum tantum effectum detuliſſem, eo quod executoris vices dumtaxat gererem, et reſcripti regii copiam, reſolutionis ſolummodo, eâdem forma, qua cameræ generali data eſt, præbere juſſiſſem, ob fundamenta ac rationes ſequenti allegat. propriis locis expenſas, recurſum tandem ad tribunal regium per generalem ordinis procuratorem intentârunt, fundamento multiplici in ſequenti allegatione per ordinem expoſito. Quibus fundamentis cum ſupplicationis recurſus mihi copia exhiberetur, ſtatim nolui ſatisfacere; ſed prius recurrentis, atque ejuſdem recurſus aliquas excluſivas, ac, meo videri, bene fundatas exceptiones objicere duxi; quas quidem ſequenti formalitate oppoſui.

II. Dicebam ergo, hanc fortaſſe primam occaſionem fuiſſe, quâ oppreſſores ad regiam majeſtatem, tanquam ad judicem violentiarum recurrebant, contra tutelam, ac præſidium, quod ipſamet regia majeſtas oppreſſis impendere dignata eſt. Nam, cum notoriæ equidem forent vexationes, ac oppreſſiones, quas Bardeſianæ provinciæ incolæ ſub regularium parochorum adminiſtratione ſupportabant, et notoriæ etiam forent injuriæ, atque offenſæ, quas plures eorum ordinariæ juriſdictioni inferebant, jam ſeſe ſimplici prælati regularis deputatione in illarum eccleſiarum parochialem adminiſtrationem, abſque prævio ordinarii examine ac approbatione, imo multoties abſque hujus aliquali notitia, introducentes, jam eandem juriſdictionem in multis declinantes, imo et uſurpantes, et debitæ ei obedientiæ in plurimis omnino contravenientes, et plura alia contra expreſſas juris, et conſtitutionum apoſtolicarum deciſiones injurioſe perpetrantes; in favorem cujus tandem juriſdictionis, et illorum incolarum, eadem regia majeſtas juſtam, ac ſanctam reſolutionem præfatos parochos removendi ſumere dignata eſt, mihique expreſſe jubere, ut parochias illas clericis ſæcularibus primo traderem, iiſque non ſufficientibus, clericis etiam regularibus, quos ego deputarem; rebus autem ſic ſtantibus, velle procuratorem recurrentem, medio hoc injuſto recurſu, illius juſtæ, regiæque reſolutionis executionem impedire; manifeſte ſane erat, inverſo ordine recurſus, velle, quod regia majeſtas notorios oppreſſores contra oppreſſos palam tueretur, ac protegeret.

III. Deinde, ſuppoſito totali defectu inſtructionis recurſus, in totali convenientium documentorum deſertione, necnon ſuppoſita etiam totali renuntiatione à recurrentis religione in generali capitulo facta, omnino à ſe omne jus, quod habere poterat ad has patronati regii parochias, abdicante, dicebam hic non adhuc locum competentem adeſſe, ad meam ipſius juſtitiam demonſtrandam, quam convenienti tempore adhuc allegare *proteſtabar*, ſed per modum exceptionis dumtaxat, ſequentia inducere requirimenta, aut ſupplicationes.

IV. Supplicabam igitur, 1. Recurrentem, et totam ejus religionem in præſenti recurſu audiendam non fore, et *pro non parte* in hac cauſa declarandam, ſuppoſita præfata abrenuntiatione, ac deſiſtentia, quam univerſa Franciſcana religio, in ſuo capitulo generali Toleti celebrato, anno 1645. aſſiſtentibus procuratoribus omnium provinciarum, ſpontanee, et abſolute fecerat, totius juris, quod religio tota ad has regii patronatus parochias, et ejus doctrinas adminiſtrandas, per verba expreſſiſſima, quas Palafox allegat. 1. et Fraſſ. de patr. reg. tom. 2. adducunt, c. 66. n. 71. ibi: *Quanto a las doctrinas reconoce la religion, le ſerâ mui util, y conveniente dexarlas para eſcuzar graviſſimos daños, que comunmente padece la diſciplina regular, de eſtar los religiozos libres mucho tiempo del retiro y diſciplina conventual . . . y renuncia la religion qualquier derecho, que pueda tener a dichas doctrinas, eſperando ſolo las ordenes de vueſtra mageſtad para ponerlas en devida execucion.*

V. Et ex vi hujus abdicationis, ac deſiſtentia in ſimili controverſia, teſte Fraſſo in judicio contradictorio ibidem, *Declaravit ſupremus ſenatus Indiarum, in judicio legitimo comparere non poſſe regulares ordinis Seraphici*, per verba formalia ſequentis ſententiæ:

tiæ: *Declaraſſe por no parte en eſte pleyto de las doctrinas, la religion de S. Franciſco en virtud dela renunciacion, que de qualquier derecho, que a ellas puede tener, hizo en el capitulo general, que ſe celebro en Toledo.*

VI. Neque objectari poſſe dicebam, præmiſſam deſiſtentiam pro eccleſiis dumtaxat patronatus regii Caſtellæ, non vero Luſitaniæ fuiſſe. Contra namque erat, 1. Quod prædicta abdicatio nomine totius religionis facta fuerit, ut ex illis verbis conſtabat: *Y renuncia la religion.* Contra, 2. Quia in eodem capitulo omnium provinciarum religionis generaliter cuncti prælati, atque procuratores adfuerunt. Contra, 3. Quia motivum illius deſiſtentiæ, atque totalis abrenuntiationis fuit, totius religionis utilitas, atque convenientia; ac per conſequens eadem favorabilis diſpoſitio æque provincias Caſtellæ, atque Portugalliæ comprehendebat: *Nam, ubi finis habet locum, habet etiam locum legis diſpoſitio, cujus mens attendenda eſt, l. Scire leges, ff. de legib. l. Non aliter, eod. titul. Hinc extenſionem comprehenſivam habere locum, et etiam in lege correctoria docui, tom. 1. c. 89. ait Pignatell. tom. 4. c. 114. n. 26.*

VII. Et certum in jure omnino eſt, quod *diſpoſitio generalis generaliter intelligenda eſt; et comprehendit omnes caſus, etiam quod in uno ſit major ratio, quam in alio, l. 1. § Quod autem, ff. de aleat. l. In fraudem, in fin. et ibi Bald. ff. de teſt. milit.*

VIII. Convenientias autem, atque utilitates, quas tota religio univerſaliter, et omnes provinciæ particulariter lucrantur in illa abrenuntiatione, tot, tantæ ſunt, quot, et quanta ſunt damna, ac præjudicia, quæ ex retentione illarum parochiarum eiſdem longe lateque inſequuntur, quas fuſe declarant, ac deplorant, ipſimet DD. regulares, qui de re hac conſcripſerunt, quorum quidem duos dumtaxat producebam.

Primus erat Fr. Bernardinus de Cardenas, ejuſdem ordinis Seraphici, qui in ſuo libello, § 3. ſic ait: *Y ſi por eſſo quiſieren los religioſos dexarlas doctrinas, nunca otro mal les venga a las religiones, pues tantos ſelis recrean de tenerlas. Harto mejor eſtuvieran enſus conventos recogidos, que expueſtos a tantos rieſgos, y peligros contan gran detrimento de la religion.*

IX. Secundus erat pater Joſephus à Coſta, ſocietatis Jesu, qui l. 5. *de procuranda ſalute Indorum*, c. 16. et 19. allegans varia præjudicia, duo tandem infallibilia deſignat, apud Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 16. n. 38. ibi: *Duo manifeſte habent parochiæ Indorum graviſſima incommoda. Unum eſt continentiæ periculum propter parochorum miram ſolicitudinem, ac libertatem, cum perpetua quadam eſca libidinis, et fœminarum aſpectu, colloquiis, rei familiaris uſu. Ad quæ accedit mira ipſarum fœminarum facilitas, &c. Alterum vero non levius, quod ex lucri ſpecie naſcitur, et cupiditatis opinione, ſive vera illa, ſive falſa ſit, omnia parochi ſtudia reſpergit, propemodumque corrumpit.*

X. Et, ut proſequitur Fraſſ. de reg. patron. tom. 2. aliorum DD. regularium placita inſinuans: *Expedire maxime videtur, quod à regularibus doctrinæ auferantur, quod (religioſiſſimi, et docti viri advertunt) religionibus ipſis omnino conveniens, et neceſſarium eſſe aſſerentes, eas adminiſtrationes deſerere, ſæcularibuſque demittere ſacerdotibus, ne vera, à doctrinariis regularibus, ordinum diſciplina obliviſcatur, et deleatur.*

XI. Ex quibus auctoritatibus concludebam, tum propter totalem totius religionis abrenuntiationem, tum propter identitatem eorundem motivorum, ac rationum, ad exemplum areſti ſupra citati ſupremi ſenatus Indiarum Caſtellæ, recurrentem, et ejus religionem, pro non parte in hac cauſa declarari debere, et abſque jure aliquo ad petitorium illius; conſequenterque ſenatum regium de præſenti recurſu nec cognitionem debere aſſumere.

XII. Supplicabam, 2. Quod omnino hoc gravamen, aut recurſus rejiceretur, ac de illo minime cognoſceretur ex alio titulo; videlicet, eo quod inſtructus documento aliquo non apparebat, ſed nudus penitus, et inſtructionis totius deſtitutus introductus fuerat (quod quidem ſufficiens erat de jure, ut in prima propoſitione, ſeu præſentatione, recurſus ſtatim rejiceretur, ex vulgari ſtylo, de quo Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 5. Leit. de jur. Luſit. tr. 1. q. 6.); neque fundamenta recurſus atteſtatione aliqua, aut documento juſtificabantur, ut omnino neceſſarium erat, juxta communem doctrinam cum Per. de man. reg. c. 12. ex n. 8. præſertim deficiente appellatione, quæ præcipuum erat recurſus fundamentum, et ejus intimationis, à recurrente falſo allegatæ, atteſtatione, atque reliquis omnibus, in quibus recurrens violentiam illatam fundabat, omnino deficientibus. Et, ut tenent Salgad. de reg. protect. c. 2. et 8. Valaſc. conſult. 152. Per. de man. reg. cap. 7. n. 5. *Qualitas violentiæ notoriæ prius juſtificari debet, ſicut alia qualitas, quæ eſt fundamentum judicii.*

XIII. Huic ſecundæ ſupplicationi meæ deferens ſenatus, ſententiam protulit die 26. Octobr. anni 1728. *Senatum præſenti recurſui non deferre, eo quod in forma inſtructus non apparebat.* Cui quidem ſententiæ recurrens impedimenta objiciens, et documenta adjungens, illorum copiam mihi ſenatus continuare juſſit die 29. ejuſdem menſis, hanc clauſulam in hac interlocutoria ſententia præter ſtylum addendo, quod *vel cum mea reſponſione, vel ſine illa, acta ſenatui concluſa fierent.*

Et huic etiam interlocutoriæ (formalem reſponſionem recurſui, alterius intervallo, tempore tamen competenti, reſervans) cum alia interlocutoria reſpondi, *ratificans omnia requirimenta, ac proteſtationes in mea præmiſſa reſponſione factas; novam ulterius addens, quod recurrens medium hoc gravaminis, aut recurſus proſequi non debebat, eo quod medium chartæ tuitivæ obtinendæ adierat*; de qua ſupplicatione etiam mihi copia jam erat exhibita: *et quod in his terminis non admittatur alius recurſus, judicatum refert Caſtr. c. 22. ait Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 62.*

XIV. Hac mea interlocutoria reſponſione, factis actis concluſis, expedita fuerunt cum nova illorum procuratori regio inſpectione; et cum iſtius allegatione, iterum actis ſenatui concluſis, prætermittendo ſolitæ rogatoriæ chartæ decretum ad principalia acta à judice eccleſiaſtico, præſenti cauſæ attinentia, remittenda, videlicet ſententiæ recuſationis, rejectionis appellationis, et alia à recurrente allegata; ad finalem ſententiam, in favorem illius, juſto celerius, intempeſtive progreſſi ſunt.

XV. Cui ſententiæ promotor meus etiam impedimenta objecit, quorum præcipua fundamenta erant, 1. Hæc ſtyli præteritio, qui quidem ſtylus, vel eſt lex, vel habet vim legis.

Et adeo irrefragabiliter obſervatur, ut etiam quando judex eccleſiaſticus plene reſpondet, et defenſionem ſuam allegans, plene auditus, nunquam omittitur, et ſemper præcedit charta rogativa ad actorum remiſſionem, ante recurſus ſententiam, Coſta de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. Per. de man. reg. c. 12. n. 6. et ſeqq.

XVI. Secundum fundamentum erat *proteſtatio* in mea prima reſponſione, aut exceptione facta, et in ſecunda repetita, *Juſtitiam meam tempore convenienti allegandi*, quale erat occaſio actorum remiſſionis, ex vi rogatoriæ chartæ, ad ea remittenda ante recurſus ſententiam; de cujus temporis convenientia, et aptitudine ad prædictam allegationem jungendam, et reſponſionem recurſui dandam à judice eccleſiaſtico, expreſſe judicatum reperitur apud Peg. ad ordinat. tom. 8. ad l. 2. tt. 9. § 3. n. 34. pag. 464.

XVII. Tertium erat conſervatio juris mei ad hanc allegationem adhuc jungendam, et ad defenſionem juſtitiæ meæ adhuc præſtandam, et ſuper recurſus materia plene audiendum (nam ex actis ipſis, et ex exceptionibus meis, plane conſtabat, me plene adhuc auditum non fore, et in omnibus proteſtationem eandem emiſiſſe *juſtitiam meam tempore apto allegandi*); et certum de jure eſt, quod *proteſtatio conſervat jus proteſtanti*, l. 4. § 1. ff. *Quibus modis pig. vel hypoth.* l. *Item Labeo*, ff. *Famil. exercit.*

XVIII. Quartum erat ſuſpectio judicum, et nullitas ſententiæ, ac totius proceſſi, quæ oriebatur ex illa ſtyli præteritione, et intempeſtiva, ac feſtinanti ſententiæ prolatione, ex ordinat. reg. l. 1. tt. 5. § 4. et 6. tex. in leg. *Non dubium*, codic. de legibus, Coſta de ſtyl. annot. 4. n. 6. et 19. Valaſc. tom. 1. c. 42.

Cald.

Cald. Cabed. et alii: præſertim, cum ex actis ipſis recurſus conſtaret, tres proceſſus diſtinctos ſuper gravaminis materia verſatos fuiſſe in judicio eccleſiaſtico, et duos tantum à recurrente adjungi, et ipſos deminutos, eo quod deficiebant in eis ſententiæ, & delationes finales, præter vitii ſuſpicionem, eo quod à recurrente ipſo tranſcripta annectebantur; omnino neceſſaria fiebat expeditio chartæ ad originalium actorum remiſſionem.

XIX. Quintum erat præmiſſæ notorie falſæ, quibus recurſus ſententia nitebatur; videlicet, *quod ulterius proceſſum fuerit, recuſatione pendente*; quod regi ireſcripti copia *omnino denegata fuerit*; *quod prædictæ parochiæ approprietatæ erant religioni recurrentis*; et alia hujus furfuris.

Alia impedimentorum fundamenta, nullitatem ſententiæ redarguentia, eo quod judices in cauſa principali eccleſiaſtica ſeſe intromiſerint, ſacrilege judicando juriſdictionem ordinariam illarum parochiarum regio patronatui pertinere, infra notantur, ac confutantur in ſequenti allegat. § 5.

XX. His autem impedimentis detulerunt judices, *ut ſolita charta rogatoria ad actorum remiſſionem expediretur, eo quod ex impedimentis conſtaret, extare tres proceſſus, ſupra hac materia, de quibus nec recurrens, nec prælatus, mentionem fecerat.* Hujus autem interlocutoriæ minus veritas, quoad motivum de induſtria confictum, ad palliandam judicum acceleratione, ſeu inadvertentiam, ex ipſis actis, atque recurrentis allegatione infra eodem § 5. demonſtratur.

Miſſa autem rogativa charta ad actorum tranſmiſſionem, cum eis ſequentem allegationem juſtitiæ meæ remiſi. Hic tamen ſubjungere duxi regium reſcriptum, utpote quod totius litigii fundamentum fuit.

Epiſtola regia per tribunal ultramarinum, die 7. Aprilis anni 1728. expedita, ad removendos parochos regulares ab eccleſiis Bardeſianæ provinciæ.

XXI. D. Joaô, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, da quem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos Dom Ignacio de Sancta Tereza, reverendo arcebiſpo primas da India, que havendo viſto oque informaſtes em carta de 16. de Outubro de 1726. ſobre aquixa que a camara geral de Bardes ſes do eſcandalo, com que vivem os religiozos Franciſcanos parochos da quella provincia, reprezentandome, que pelos depoimentos das teſtemunhas que foraô inquiridas na vizita, que no dicto anno fizeſtes na dita provincia, ſe juſtificava naô ſo a referida queyxa, mas que achareis em varias freguezias, varias propriedades de bens de raîs, uzurpados as fabricas das igrejas, que os parochos os treſpaſſaraô, ea foraraô com licença do ſeu definitorio, eque os provinciaes nomeavaô, e tiravaô os parochos por ſeu arbitrio, ſem vos darem parte, nem volos aprezentarem para terdes noticia do ſeu procedimento, capacidade, e ſciencia, ſendo no norte as extorçoês, que os parochos regulares fazem aos freiguezes para lheſtirarem dinheyro, occaziaô de muitos gentios ſe naô converterem, por naô ficarem ſogeitos atantas multas; pelo que ovoſſo parecera que todas as igrejas que eſtaô cometidas aos regulares ſeentreguem a clerigos, como eſtaô as das ilhas de Goa, ou aomenos tirar aos provinciaes as nomeaçoês dos parochos, eque os arcebiſpos eſcolhaô de toda a religiaô os que acharem ſer mais capazes, precedendo exame; e porque naô ha outro meyo efficâs, para ſe acudir com prompto remedio ao lamentavel eſtado em que ſe achaô as parochias, adminiſtradas pelos regulares, que otirarſe aos ſeus prelados, a faculdade de os a prezentar: me pareceo em comendarvos, por rezoluçaô de 6. do prezente mes e anno, em conſulta do meo conſelho ultramarino, provejaes em primeiro lugar as ditas igrejas, em clerigos ſeculares, da quella vida, e coſtumes, que em tudo ſe hajaô de maneira, que cumpraô com as obrigaçoês do ſeu miniſterio, conforme convem ao ſerviço de Deos, e ao benefficio dos moradores, e povos, a quem houverem de adminiſtrar os ſacramentos, eque emfalta delles, as nomeis nos regulares, em quem ſe encontrarem os requizilos que ſaô neceſſarios para a obrigaçaô do ſeu officio, e que façais reſtituir as igrejas, os bens indèvidamente alheados, pelos meyos competentes; para oque ordeno ao V. Rey deſſe eſtado, de toda a ajuda e favor. El Rey noſſo ſenhor omandou por Antonio Rodrigues da Coſta, e o doutor Joze de Carvalho e Abreu, conſelheyros do ſeu conſelho ultramarino; e ſe paſſou por duas vias. Miguel de Macedo Ribeyro afes em Lixboa Occidental a 7. de Abril de 1728. O ſecretario Andre Lopez de Laura afes eſcrever. Antonio Rodrigues da Coſta, Joze de Carvalho e Abreu.

Eadem epiſtola in Latinum idioma tranſlata.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ, et Algarbiorum, &c. Notum vobis facio, D. Ignati à S. Tereſia, reverende archiepiſcope, Indiæ primas, quod viſa informatione veſtra per epiſtolam 16. Octobr. 1726. ſuper querela cameræ generalis Bardeſianæ de ſcandalo, quo parochi regulares illius provinciæ generaliter vivunt, repræſentando nedum prædictam querelam juſtificari ex delationibus teſtium viſitationis generalis ejuſdem provinciæ, quam eodem anno explêſtis, verum in illa inventa fuiſſe plura bona immobilia, fabricis eccleſiarum uſurpata, eo quod parochi, cum licentia ſui definitoris regularis, ea vel traduxerunt, vel in emphyteuſim dederunt, et quod provinciales prohibitu ſuo parochos in parochias introducebant, et excludebant, abſque notitia veſtra, et abſque prævia præſentatione, ut vobis de idoneitate, ſcientia, ac de bona fama conſtaret: quorum parochorum in provincia ſeptentrionali majores exceſſus, atque vexationes, pro pecunia extorquenda, nota occaſio erat, ut plures gentiles ad noſtram religionem non reducerentur, ne tot mulctis ſubjecti manerent: quapropter veſtrum judicium erat, quod omnes eccleſiæ regularibus commiſſæ, clericis traderentur, ſicut eccleſiæ inſularum Goæ; vel ſaltem quod provincialibus adimatur facultas parochos hos nominandi, et archiepiſcopi ex tota religione eligant, quos, prævio examine, magis idoneos repererint: et quia aliud medium prompto remedio occurrendi lamentabili ſtatui, in quo ſunt parochiæ à regularibus adminiſtratæ, efficacius non adeſt, quam prælatis eorum facultatem eos præſentandi auferre; mihi viſum eſt, per reſolutionem 6. currentis menſis in conſultatione mei ultramarini concilii vobis injungere, ut primo loco prædictas eccleſias provideatis in clericis ſæcularibus, illius vitæ, ac morum, ut in omnibus ſui miniſterii munere exequantur, prout Dei ſervitio, et animarum, quibus ſacramenta adminiſtraturi ſunt, melius oportuerit; et quod reſtitui faciatis eccleſiis, per media competentia, bona immobilia indebite alienata; in ordine ad quem finem proregi ſtatus ordino, ut vobis omne auxilium, ac favorem impendat. Rex dominus noſter hæc juſſit per Antonium Rodrigues da Coſta, et Joſephum Carvalho de Abreu, conſiliarios ſui tribunalis ultramarini; et duplici via expedita eſt. Michael de Macedo Ribeyro eam fecit Ulyſſipone Occidentali, die 7. April. 1728. Secretarius Andreas Lopes de Laura ſcribere fecit. Antonius Rodrigues da Coſta. Joſephus Carvalho de Abreu.

Hic congruenter ſubjungere etiam licebit ſequens —

Decretum, ſive reſponſio S. Congregationis actuali epiſcopo Fluvii Januarii, in viſitatione ad limina apoſtolorum, ann. 1732.

XXII. REgulares Franciſcani, Carmelitani, Benedictini, Jeſuitæ, parœcias in ſeptemdecim Indorum pagis adminiſtrantes independenter ab ordinario, et intra tuæ diœceſis fines, omnino deflectunt à lege in Conc. Trid. c. 11. ſeſſ. 25. et à conſtit. 18. Greg. XV. quæ incipit *Inſcrutabilis:* quocirca iis jubeto, ut ad hanc ipſam legem ſe conforment. Contra renuentes inſurgito, prout de jure, Sac. etiam Congregationis auctoritate.

Vide etiam nuperam bullam 109. *Firmandies*, Benedict. XIV. tom. 1.

ALLE-

ALLEGATIO XXIV.

Quæ eſt ſecunda et principalior in eodem Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *Exordium.*
II. *Privilegii communicatio non extenditur ultra primam conceſſionem.*
III. *In hac re debet ſequi, et amplecti, interpretatio DD. Caſtellanorum.*
IV. *Triplex fundamentum recurrentis ex parte materiæ.*
V. *Paræciæ hæ non ſunt, pleno jure, militiæ Chriſti.*
VI. *Poſt erectionem epiſcopatus inſtitutio auctorizabilis pertinet ad epiſcopum.*
VII. VIII. *Magno magiſtro jus dumtaxat patronatus per bullas Pontificias conceditur; juriſdictio autem ordinaria priori majori Tomarenſi committitur.*
IX. *Poſt erectionem epiſcopatus extincta eſt juriſdictio ordinaria, et quaſi epiſcopalis ordinis, et tranſlata eſt ad epiſcopum.*
X. *Poſt erectionem epiſcopatus Goani, ipſi adſcripta eſt juriſdictio ordinaria epiſcopatus Funchalenſis, reſervato magno magiſtro jure patronatus dumtaxat.*
XI. *Suppreſſa juriſdictione ordinaria ordinis, pro epiſcopatuum erectione, penes illos unice reſidet.*
XII. *Eccleſia non dicitur*, pleno jure, *alicui pertinere, ſi hic non inſtituat etiam quoad curam.*
XIII. XIV. *Confirmatur ex propriis ordinis definitionibus.*
XV. *Et ex conſtitutionibus archiepiſcopatus.*
XVI. *Et ex deciſione tribunalis ordinum.*
XVII. XVIII. *Refutatur aſſertum epiſtolæ ſecretarii regii.*
XIX. *Paræciæ hæ traduntur regularibus precario, et ad nutum amovibiliter.*
XX. *Precaria detentio nullum jus proprietatis tribuit.*
XXI. *Ad removendos parochos ad nutum, nulla requiritur cauſa, ſed ſufficit voluntas committentis.*
XXII. *Præſertim ceſſante cauſa motiva.*
XXIII. *Bulla Pii* V. *non ſuffragatur, niſi ubi datur defectus preſbyterorum ſæcularium.*
XXIV. *Adſunt pro hoc etiam declarationes regiæ.*
XXV. *Quod pro neceſſitate temporis ſtatuitur, ea ceſſante, etiam ceſſat.*
XXVI. *Commiſſæ ſunt hæ parochiæ regularibus cum clauſula eſſentiali* intelligendi linguam Indorum.
XXVII. *Ex hoc defectu, poſſunt ab ordinariis, et eorum viſitationibus removeri.*
XXVIII. *Id firmat lex Hiſpanica.*
XXIX. *Neque excuſantur per adjunctionem coadjutoris regularis linguam callentis.*
XXX. *Hi coadjutores debent ab ordinario approbari.*
XXXI. *Hoc etiam regia ſchedula confirmat.*
XXXII. *Horum coadjutorum deputatio pertinet ad ordinarios.*
XXXIII. *Et nullo modo, nec licite, prælato regulari.*
XXXIV. *Quia prælatus regularis non confert juriſdictionem quoad curam.*
XXXV. *Nec ſuper hoc datur gravamen, appellatio, aut recurſus.*
XXXVI. *Nec privilegiorum prætextu valent ſe regulares defendere adverſus ordinarios.*
XXXVII. *Regia reſcripta pro archiepiſcopo Goano.*
XXXVIII. *Clauſula bullæ Pianæ* ordinariorum licentia minime requiſita, *intelligitur pro præſentatione, non vero pro juriſdictione quoad curam, ex apoſtolicis, et regiis declarationibus, uſque ad n.* XLI.
XLII. *Et eſt expreſſe definitum in Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 11. *de regul.*
XLIII. *Et eſt ſæpe declaratum à S. Rotta.*
XLIV. *Et eſt naturali rationi evidenter conforme.*
XLV. *Quod et extenditur ad beneficia regii patronatus.*
XLVI. *Suffragatur praxis, et regium reſcriptum.*
XLVII. *Inſtitutio ordinarii formaliter eſt juriſdictio ad ſacramenta miniſtranda.*
XLVIII. *Definitur inſtitutio, quæ etiam ſumitur pro inveſtitura.*
XLIX. *Quid ſit inſtitutio* auctorizabilis.
L. *Confirmatur ex regia declaratione.*
LI. *Præſentatum à patrono poteſt ordinarius rejicere, ſi impedimento aliquo laboret.*
LII. *Eſt definitum à Tridentino.*
LIII. *Exordium bullæ Pianæ, clare demonſtrat neceſſitatem licentiæ ordinarii, pro ſacramentorum adminiſtratione.*
LIV. *Confirmatur ex bulla* Ex conqueſtione, *Eug.* III.
LV. LVI. *Contradicente ordinario, etiam in propriis eccleſiis nequeunt regulares prædicare.*
LVII. *Bulla* Inſcrutabili *revocavit omnia privilegia.*
LVIII. *Fuit ſuſpenſa in Hiſpania per aliquod tempus, quoad novum examen regularium, non vero quoad reliqua; et hodie etiam quoad illud non reperiri ſuſpenſam, tenent multi.*
LIX. *Epiſtola regia ex adverſo explicatur.*
LX. *Alia epiſtola in confirmationem.*
LXI. *Reſcriptum S. Congregationis epiſcopo Fluviarienſi.*
LXII. *Sex fundamenta recurſus adverſus procedimentum.*
LXIII. *Rex non cognoſcit de uſurpatione juriſdictionis unius judicis eccleſiaſtici in alterum, ſed de propria.*
LXIV. *Regio decreto cavetur dare partibus exemplar fundamentorum regiarum reſolutionum; ſed danda reſolutio pura.*
LXV. *In proceſſibus extrajudicialibus dari non debet alicui copia, juxta Salgad. et denegata fuerat Ulyſſipone, procuratori recurrentium, copia regiæ epiſtolæ.*
LXVI. *Merus executor non cognoſcit de impedimentis.*
LXVII. *Quæ precario obtinentur, ſine cauſa auferri poſſunt. Poſſunt parochi regulares amovibiles, arbitrio epiſcopi amoveri abſque deductione cauſarum.*
LXVIII. *Facilius poſſunt amoveri regulares, quam ſæculares.*
LXIX. LXX. *Poterat hoc regium reſcriptum expediri per concilium ultramarinum, et non per tribunal ordinum, ſuppoſita conſultatione.*
LXXI. *Eadem juriſdictio, quæ requiritur ad præſentationem beneficii, non requiritur ad remotionem.*
LXXII. *Ejus eſt deſtituere, cujus eſt inſtituere.*
LXXIII. *Sufficiens fuit Salamoni poteſtas œconomica, et politica, ad amovendum Abiathar.*
LXXIV. *Eadem poſſunt reges indirecte removere parochos ſæculares, et regulares.*
LXXV. *Licet conſilium ultramarinum repræſentet regem*, ut regem, *et tribunal ordinum*, ut patronum, *poterat ab illo regium illud reſcriptum expediri.*
LXXVI. *Remoto à beneficio nullus ſupereſt recurſus; et à rege*, ut rege, *non recurritur; aliter vero*, ut prælato *eccleſiaſtico.*
LXXVII. LXXVIII. *Executor in ordine ad finem, poteſt in ordine ad media ſe coadjuvare juriſdictione, quam aliunde habet.*
LXXIX. *Confirmatur ex reg. ord. l.* 2. *tt.* 1. § 22.
LXXX. *Executor in modo procedendi ſervat ſtylum proprium, non vero mandantis.*
LXXXI. *Rex in hoc reſcripto procedebat, nedum per modum* providentiæ, *ſed et* protectionis, ac patrocinii.
LXXXII. *Ordinarius, cujus eſt inſtituere parochos regulares, poteſt eos deſtituere.*
LXXXIII. *Magiſter ordinum retinet juriſdictionem eccleſiaſticam in habitu, non in actu, juxta Peg.*
LXXXIV. *Executor merus, vel mixtus, appellationi non deferens, vim non facit.*

LXXXV. *Ab executione, et ab executore, non appellatur.*
LXXXVI. *Executor non excedit exequendo executoriales contra intruſum, vel condemnatum ad demittendum beneficium.*
LXXXVII. *Defectus præſentis appellationis.*
LXXXVIII. *In proviſionibus, et proceſſibus extrajudicialibus difficile eſt opponere de injuſtitia.*
LXXXIX. *Appellatio et recuſatio æquiparantur.*
XC. *Recuſatio recurrentis, cur frivola, et fruſtratoria.*
XCI. *Recuſationi tacite, aut expreſſe, renuntiari poteſt.*
XCII. *De jure canonico judex recuſatus, poteſt recuſationem frivolam rejicere; et hæc eſt praxis generalis.*
XCIII. *Judices eccleſiaſtici ſecundum jus canonicum, et ſtylum, debent judicare, non vero juxta jus civile.*
XCIV. XCV. *Sufficit praxis, aut opinio probabilis, ad excluſionem recurſus; etiam ex doctrina Per. de man. reg.*
XCVI. *Judex rejiciens recuſationem ejus arbitrio commiſſam, neque de injuſtitia accuſari poteſt.*
XCVII. *Procedens via executiva nequit recuſari.*
XCVIII. *Recuſatio non datur adverſus vim inferentem.*
XCIX. *Ex utroque jure judices ſuſpicionum debent ſemper inclinare pro non procedentia.*
C. *Excipiebantur atteſtationes notariorum regularium.*
CI. *Verba* independenter ab ordinariis, *non reperiuntur in bulla Latina Nicol. V. et præſumuntur adjecta in definitionibus.*
CII. *Loqui de religioſis miſſionaliter miſſis doctrinandi gratia, ex ipſa convincitur.*
CIII. *Ordinaria juriſdictio epiſcopalis, et diœceſana, poſt erectionem epiſcopatuum ordinibus militiæ non pertinet.*
CIV. *In beneficiis ultramarinis inſtituit ordinarius, magiſtro præſentante dumtaxat.*
CV. *Per epiſcopatuum erectionem non amiſit ordo quod antea habebat*, quoad jus præſentandi; *non vero*, quoad juriſdictionem diœceſanam.
CVI. *Non poſſe ſimul via recurſus et tuitivæ uti, qui judicatum referant.*
CVII. *Diſtinctio inutilis inter jus magiſtratus, et jus patronatus.*
CVIII. *Recolitur præcipitantia proceſſus.*
CIX. *Qui* excipit, non conſentit.
CX. *Judices laici ſunt incapaces, etiam ad cognitionem ſummariam per viam facti juriſdictionis ſpecialis.*
CXI. *Debebant judices declarare, ſe in ſententia non loqui de juriſdictione epiſcopali diœceſana.*
CXII. *Sufficit confuſa, et indiſtincta locutio ad hujus declarationis obligationem.*
CXIII. *Injuſta cautela judicum, ne præmiſſis juſtis requirimentis deferre tenerentur, et primam ſententiam ratificarent.*

I. IN hac ſecunda allegatione ratificabam, atque iterabam requirimenta, ac proteſtationes omnes ſuperius factas. Et quia materia, tam in rebus phyſicis, quam in moralibus, ac politicis, ſemper formæ præſupponitur; prius ad confutanda fundamenta recurrentis, quæ materiam cauſæ recurſus reſpiciebant, et poſtea ad ea, quæ formam, ſeu formalitatem procedimenti mei ſpectabant, progrediendum fore dicebam, cum ſequentibus

Præſuppoſitionibus.

II. Videlicet, prima: Quod cum fundamenta ex parte materiæ præſentis cauſæ ſiſtebant in diplomatibus Pontificiis, regibus Caſtellæ erga Indias Occidentales conceſſis, et poſtea regibus Portugalliæ erga hanc Orientalem Indiam communicatis; intelligenda atque interpretanda omnino erat hæc communicatio, eodem modo, eiſdemque clauſulis, et declarationibus, atque illa prima conceſſio ab omnibus intelligitur. Nam privilegii communicatio non ampliatur, neque extenditur ad plus, quam ejus prima conceſſio, neque diverſo modo, aut ſenſu, ab eadem interpretationem patitur; ut videre licet in curſ. moral. Salmantic. tom. 4. tr. 18. c. 1. de communic. privilegior.

III. Secunda: Quod cum non habeamus doctores regnicolas, qui de hac materia, ac privilegiis, ex profeſſo ſcripſerint, ſicut Caſtellani, qui integra, ac multiplicata volumina de hac re ediderunt, ut Fraſſ. de jur. patron. tomos duos; Solorſan. de jur. Indiar. ſimiliter duplicem tomum; Avendan. theſaur. Indic. quinque volumina; illuſtriſſimus Palaſox multiplicia volumina; Montenegr. in itinerar. *de doctrineros*, unicum volumen; et alii, qui in allegatione hac laudabantur; hinc ſequi addebam, horum DD. intelligentias, atque interpretationes à nobis amplexandas fore, eas præſertim, quæ corroboratæ inceſſerint declarationibus apoſtolicis, atque etiam regiis, præcipue trium Philipporum, qui Portugalliam rexerunt, quo tempore magni magiſtri ordinum militarium tam Caſtellæ, quam Portugalliæ nuncupabantur; et per decretum ſereniſſimi regis Joannis IV. in principio regiæ ordinationis tranſcriptum, jubentur obſervari omnia decreta trium præmiſſorum regum, prædeceſſorum ſuorum, quaſi propria, uſque ad diem ejus feliciſſimæ acclamationis, 1. Decembris 1640. His præſuppoſitis exponebam —

SECT. I.

Fundamenta recurrentis ex parte materiæ.

IV. 1. Quod eccleſiæ hæ erant, pleno jure, magiſtratus militiæ Chriſti.

2. Quod collatæ, et appropriatæ erant provinciæ recurrentis.

3. Quod recurrentis religio habebat uſum, quoad ſpiritualem, et parochialem juriſdictionem illarum eccleſiarum, ex conceſſione ſuperioris, qualis eſt Summus Pontifex, et regius patronus, ut magnus magiſter militiæ Chriſti.

Quoad primum fundamentum:

V. Dicebam, falſum omnino erat, eccleſias has, *pleno jure*, eſſe ordinis militiæ Chriſti. Nam, ut ſolide, et magiſtraliter, ut aſſolet, docet Petra, tom. 5. in conſt. 4. Callixti III. ſect. 2. n. 126. pag. mihi, 133. Nulla eccleſia dicitur *pleno jure* alicui pertinere, niſi illi ſubjiciatur quoad temporalia, et ſpiritualia abſolute; tam quoad inſtitutionem *collativam* tituli beneficii; quam quoad inſtitutionem *auctorizabilem*, ſeu *collativam curæ animarum*; ut melius videre in citato Petr. ibidem, n. 122. *Præmittendum eſt, duplicem eſſe inſtitutionem, alteram collativam, auctorizabilem alteram. Prima eſt collatio tituli beneficii, ſeu illius proviſio, cujus eſt ſubjectum ipſum beneficium; ſecunda eſt collatio curæ in populum, quæ exerceri debet ab ipſo beneficiato, cujus ſubjectum eſt ipſa cura animarum, quæ committitur, ut docent gloſſ. in c. un. de capell. monach. in 6. et c. Cum ſatis, de offic. archid.*

VI. Et cum notorium foret, ordinem militiæ jam nunc, poſt erectionem epiſcopatuum, hanc juriſdictionem inſtitutionis auctorizabilis minime retinere; conſequebatur evidenter, eccleſias has *pleno jure* ordini ipſi non ſpectare. Ad illius autem minoris præmiſſæ efficacem probationem, prænotabam, ſeu adnotabam, inductionem ſequentem.

VII. Quod per bullas Pontificias conceſſum eſt ordini militiæ Chriſti jus patronatus harum eccleſiarum, in perſona magni militiæ magiſtri reſidendum; juriſdictionem autem ordinariam illarum, in perſona vicarii, ſeu prioris majoris Thomarenſis conſiſtenda, ut convincitur ex bulla *Dum fidei*, Leon. X. ibi: *Præfatus vicarius de Thomar in eiſdem eccleſiis erectis, et erigendis, omnimodam juriſdictionem eccleſiaſticam, et ſpiritualem, exercere poſſit, ac debeat.*

VIII. Idem convincitur ex bulla *Præexcelſæ* ejuſdem Leonis, confirmatoria bullarum aliarum Nicolai V. Callixti III. et Sixti IV. ubi, § 43. hujuſce decernitur, *quod omnimoda juriſdictio ordinaria*, dominium, et poteſtas in ſpiritualibus dumtaxat, ad militiam et ordinem hujuſmodi ſpectarent. In collectio. bullarum, fol. 40. et 43.

IX. Poſtmodum vero conſequente feliciſſimo rege Emmanuele à ſanctiſſ. P. Leon. X. bullam *Æquum reputamus*, pro erectione epiſcopatus Funchalenſis, ſuppreſſa et extincta eſt juriſdictio ordinaria, et quaſi epiſcopalis, quam ordo illa retinebat in perſona vicarii ſeu prioris Thomarenſis, et tranſlata eſt ad epiſcopum Funchalenſem, ut viſitur ex eadem bulla, § 2. *Vicariam de Thomar apoſtolica auctoritate ſuppreſſerat, et extinxerat:* reſervato dumtaxat dicto regi Emmanueli jure patronatus ibidem.

X. Currente vero tempore, piiſſimus rex Joannes III. à Clemente VII. conſecutus eſt bullam quæ incipit, *Pro excellenti*, pro nova erectione hujus epiſcopatus Goani, cum diſmembratione epiſcopatus Funchalenſis; cui quidem novo epiſcopatui Goano collata, et tranſlata eſt juriſdictio ordinaria, quam in territorio iſto Goano habebat epiſcopatus Funchalenſis, reſervato pariformiter magno ejuſdem ordinis magiſtro jure patronatus, ut convincitur ex verbis cit. bullæ *Æquum reputamus*; ibi: *Jus patronatus eidem Joanni, et pro tempore exiſtenti Portugalliæ regi, perpetuo reſervavit.* Idem exprimitur in altera bulla *Romani Pontificis* ejuſdem Leonis, et in præcitata *Pro excellenti*, Clement. VII. et eadem extinctio, atque tranſlatio, ex regio diplomate ejuſdem Joannis III. et ex alio ſereniſſimi regis Sebaſtiani, prioris confirmatorio, in archivo hujus ſtatus regii patrimonii regiſtrato, ſat aperte conſtabat.

XI. Ex quibus tandem demonſtrabam, quod ſuppreſſa, et extincta juriſdictione ordinaria quaſi epiſcopali, quam ordo militiæ Chriſti habebat, in ordine ad epiſcopatus Funchalenſis, et poſtea ad hujuſce Goani erectionem; jam nunc juriſdictio ordinaria harum parochiarum, non penes magiſtratum militiæ Chriſti, ſed penes archiepiſcopatum Goanorum evidenter reſidebat. Neque aliter eſſe poterat, poſt ipſorum epiſcopatuum erectiones; alias monſtroſa notorietas offenderetur, unius ſcilicet corporis cum duplici capite; quatenus in una, eademque diœceſi, et illius eccleſiis, duplex juriſdictio ordinaria, ac diœceſana reperiretur, alia ordinis militiæ Chriſti, epiſcoporum aut archiepiſcoporum altera.

XII. Hinc inſuper manifeſte concludebatur, eccleſias has hodie non ſpectare, pleno jure, ordini prædicto, eſto adhuc in illas ordo ipſe jus patronatus retineat: nam, ut bene reſolvit Gemin. in c. un. de capell. monachor. junct. gloſſ. n. 7. et 8. apud Petr. ſuperius cit. n. 126. *Nota bene iſtud dictum gloſſæ, quod eccleſia non dicitur pleno jure ad aliquem ſpectare, quando non habet inſtituere etiam ſuper curam, licet habeat inſtituere quoad titulum beneficii, Innocent. in cap. In Lateranenſi, n. 3. et 4. de præbend. et c. Quoniam de privileg. Jo. Andr. in cap. de monachis*, &c.

XIII. Confirmabatur, 1. Quia in definitionibus ordinis Chriſti, p. 3. tt. 15. decernitur, quod *in commendis, quæ pleno jure ſunt ordinis, vicarii, aut parochi, non habeant congruam certam, ac taxatam.* Et tt. 11. præcipitur, quod *beneficia, quæ pleno jure ordini ſpectant, non conferantur, etiam de ſubſtitutione, niſi perſonæ, quæ habitum ordinis gerat:* quæ quidem diſpoſitiones in his eccleſiis, ac beneficiis Goanis, omnino fallunt.

XIV. Deinde tt. 13. aperte aſſeritur, quod *in his vicariis, beneficiis, et commendis nevis, ordo nihil aliud retinet, quam reditus, qui ſeparatus fuit, cum onere providendi miniſtros de congrua ſuſtentatione; et quod in eiſdem nec viſitationem, nec correctionem, nec inſtitutionem ordo ipſe habet, neque in illis inſtituti, aut proviſi, obligationem deferendi habitum ordinis.* Et tt. 12. § 3. eadem p. 3. expreſſe definitur, quod *in proviſione beneficiorum ultramarinorum, magiſter præſentat; inſtitutio autem ad archiepiſcopos et epiſcopos pertinet.*

XV. Confirmabatur, 2. Ex eo, quod ſi eccleſiæ hæ, pleno jure, forent ordinis militiæ Chriſti, nec ſynodales conſtitutiones hujus diœceſis diſponerent, quod ſtatuunt circa viſitationes, rationum redditiones, atque fabricarum expenſas, tt. 39. conſt. 2. et tt. 19. conſt. 1. et 2. et 3. neque ordinarius foret in antiquiſſima poſſeſſione pacifica, ac immemoriali abſolutæ adminiſtrationis illarum; neque in ſuæ juriſdictionis favorem obtineret ſententiam, quam obtinuit adverſus ipſius ordinis, et reliquarum militarium procuratorem in hoc ſenatus judicio regio, anno 1697. quæ habetur inter has alleg. ex vi cujus affectæ et perfectæ ſunt, abſque contradictione alia hucuſque, viſitationes eccleſiaſticæ in eccleſiis provinciæ Salſetanæ, à Jeſuitis tunc, et poſtea per plures annos adminiſtratæ, et in parochiis ſubjectis provinciæ Bardeſianæ à Franciſcanis rectæ, quas quidem viſitationes approbavit regia majeſtas D. Petri II. per epiſtolam propria manu firmatam Martii 1701.

XVI. Confirmabam, 3. Ex caſu judicato apud Themud. p. 2. dec. 182. ibi: *Declaramus . . . quod archiepiſcopus viſitare non poterit ea loca, quæ pleno jure fuerint eorundem, prout ſunt in hoc regno oppida de Neudar, et de Barrancos. Poterit tamen viſitare tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, eas ordinum eccleſias, quæ eorundem pleno jure non fuerint, quamvis per eorum fratres deſerviantur.*

XVII. Et inſuper ex deciſione ipſius tribunalis ordinum, vulgo *Menſæ conſcientiæ*, ann. 1646. apud acta controverſiæ inter procuratorem ordinum, et procuratorem hujus mitræ Goanæ, quæ jungebantur, et apud eundem Themud. dec. eadem, ubi decidebatur, juriſdictionem eccleſiaſticam magiſtratus extinctam et ſuppreſſam eſſe in hiſce partibus ultramarinis, per novam epiſcopatuum erectionem, atque ordinariæ juriſdictionis introductionem; et quod dominis regibus Portugalliæ reſervabatur dumtaxat jus patronatus ad beneficia præſentanda; quæ quidem reſervatio, utpote odioſa ordinariæ juriſdictioni, non ampliari, ſed reſtringi omnino debebat, non obſtante conſuetudine, ac poſſeſſione, quæ allegabatur pro parte menſæ conſcientiæ, quia exempla hæc nullo modo præjudicare poterant juri ac poſſeſſioni epiſcopalis juriſdictionis, &c.

XVIII. Hinc refutabatur, quod in contrarium à recurrente allegabatur ex quadam epiſtola epiſcopi ſecretarii ſtatus, D. Fr. Emmanuelis Pereira ex ordine prædicatorum, inſinuante, archiepiſcopi fundamenta eſſe parvi momenti, &c. Cujus quidem diſpoſitio, præterquam quod contra jus expreſſum ſit, nunquam ad praxim redacta eſt; et juriſdictio ordinaria ſemper in poſſeſſione ſua conſervata eſt. Et ſententia illa in favorem juriſdictionis mitræ Goanæ publice prolata 24. Decembris anni 1697. et obſervari juſſa per regiam epiſtolam 23. Martii anni quidem 1697. et poſtea approbata per aliam, etiam Martii, anni 1701. poſterior quidem fuit epiſtolæ privatæ epiſcopi ſecretarii. Et certum in jure eſt, quod *poſteriora derogant prioribus*, l. *Pacta noviſſima*, cod. de pactis, l. *Si unus*, § *Pactus*, ff. eod. titulo.

Quoad ſecundum fundamentum:

XIX. Dicebam falſum etiam eſſe recurrentis aſſertum, quod *eccleſiæ hæ erant collatæ, et appropriatæ provinciæ ſuæ*; cum certum omnino foret, has eccleſias traditas fuiſſe provinciæ recurrentis *precario, et ad nutum amovibiliter*, ex eadem regia epiſtola Philippi III. à recurrente producta, convincebatur; ibi: *Et quod eos (parochos) removere potero, quoties voluero, quin per hoc alicui ſatisfactioni adſtrictus maneam, neque ipſi jus aliquod habere poterunt ad eaſdem eccleſias retinendum.*

XX. Et ex doctrina Fraſſ. de reg. patron. tom. 2. c. 66. n. 21. ibi: *Item, etiam conſtat, regularibus adminiſtrationem conceſſam veluti precario, ad nutumque regiæ voluntatis amovibilem, ita ut nullum in doctrinis, et beneficiis proprietas, vel perpetuitas valeant acquirere, et pertendere jus:* et n. 23. ibi: *Precaria, vel quaſi detentio, et aſſiſtentia, nullum proprietati, aut poſſeſſioni, tribuit jus, c. 1. de precario, l. 1. cum ſeqq. et cod. eod. tit. c. Si gratioſe, de reſcript. in 6.*

XXI. Et certum etiam eſt ad removendos prædictos parochos ab his eccleſiis neceſſariam non eſſe cauſam aliquam, ſed ſufficere ſolam voluntatem ejus, qui eam illis contulit, vel ejus qui ab illis eos poteſt amovere; tum quia ſunt *ad nutum amovibiles*; tum quia, ut ait Fraſſ. cit. n. 24. *Beneficia, capellaniæ, eſt officia eccleſiaſtica, ad libitum, ſeu ad nutum conceſſa, poſſunt ſine cauſa auferri. Navarr. conſ. 9. de offic. ordin. et conſ. 27. de præbend. Tondut. 1. p. c. 54.*

XXII.

Hæc bulla Piana *Exponi*, et alia *Sanctæ animarum*, Gregor. XIV. aliæque subsequentes, tandem revocatæ sunt anno 1747. à sanctiss. P. Benedict. XIV. die 24. Februari; per nuperam bullam, *Quamvis ad confirmandam.*

XXII. Quod multo fortius urgebat, attenta causa motiva concessionis præmissarum parochiarum, scilicet ob defectum presbyterorum, ut legitur in bulla *Exponi*, S. Pii V. ex adverso citata, et ex aliis etiam laudatis Clem. II. ibi: *Propter presbyterorum defectum*; et Clem. VIII. *Ob penuriam sacerdotum.* Ex quo inferebatur, quod, hoc motivo cessante nunc temporis, in quo non est defectus presbyterorum sæcularium, jam tuta conscientia parochias has licite retinere non possunt, neque ad eas idonei reputari; ut ex duplici S. Congregationis declaratione resolvit Fraff. de reg. patronat. tom. 1. c. 9. n. 9. ibi: *Decisum habemus in terminis bullæ Pii V. exponi concedentis regularibus rectoris officio fungi in partibus Indiarum Occidentalium in locis, ubi parochorum defectus fuerit, non vero ubi ipsorum copia datur, ut S. Congregatio in causa Angelopolitana.*

XXIII. Declarationes autem allegatæ formaliter sic se habent: prima, 1648. *Illam tamen bullam non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus parochorum.* Consimilem aliam affert illustriss. Palafox in sua allegat. n. 14. ibi: *Bullam Pii V. non suffragari, nisi in locis ubi est defectus parochorum.* S. Congreg. ann. 1629.

Secunda declaratio sic ait: *Bulla Pii V. suffragatur regularibus in locis, in quibus est defectus parochorum.* Quibus accedunt plures declarationes regiæ apud eund. Fraff. cit. tom. 2. c. 66. n. 13. ubi aliam affert, anni 1587. ibi: *Porque conviene reducir este negocio a su principio, y que quanto fuere possible, se restitua al comun y recebido uso de la iglesia .... os encargo, que da qui adelante, haviendo clerigos idoneos, y sufficientes, los proveais en los dichos curasgos, y doctrinas, preferindolos alos frayles.*

Et alteram anni 1589. ibidem, n. 9. *Ya sabeis, como conforme alo ordenado y estabelecido por la S. Iglesia Romana, alos clerigos pertenece la administracion de los sanctos sacramentos en la rectoria de las parochias de las iglesias, ayudandose como de coadjutores en el predicar y confessar de los religiozos de las ordenes; y que si enessas partes, por concession apostolica, se han encargado los religiosos de las Mendicantes de doctrinas, y curatos, fue por la falta que havia de los dichos clerigos sacerdotes.*

XXIV. Aliæ declarationes regiæ reperientur apud eundem ibidem, et apud Solorsan. de jur. Indiar. tom. 2. et 3. et apud Pirr. Corrad. l. 6. n. 21. cum quibus concludit Fraff. ibid. n. 17. *Unde manifeste apparet, regularibus in Indiis, ad tempus, sacramentorum administrationem, et animarum curam fuisse permissam, et concreditam, quousque clerici sæculares idonei sunt, secundum mentem S. Congregationis: posse, quod petitur, ad tempus concedi, quoad scilicet episcopo provideret de clerico sæculari.*

XXV. Et n. 59. eod. c. 66. ex variis juribus, ac DD. placitu, sic inquit: *Penuria et defectus sacerdotum sæcularium ad parochiales ecclesias Indiarum induxit regulares: ergo eorum copia, et multitudo perita debet facere religiosos in administratione cessare, c. Priscis, 1. 55. dist. c. Cœnoman. 13. et 56. c. Quod pro necessitate, 1. g. 1. ibi: Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, debet utique cessare pariter, c. Nec tamen, 34. q. 1. l. un. cod. de caduc. tollend. Solorz. c. 16. n. 29. Palafox, alleg. 4. n. 225.*

XXVI. Præterea dicebam, has ecclesias precario commissas fuisse præfatis regularibus, hac essentiali conditione in citata bulla *Exponi* expressa; *Quatenus Indorum linguam intelligant:* quæ quidem clausula, utpote essentialis, formam inducit, gravemque obligationem, Ricc. in prax. dec. 700. Sanch. de matrim. l. 8. disput. 34. Cravet. cons. 802. Tiraquel. de retract. linguar. gl. 8. § 8. Molin. de primogenit. l. 2. c. 15. Cum autem omnes fere parochi præfati linguam Indicam ignorarent, contra ipsasmet etiam leges conciliorum Goanorum, qui eisdem gravem obligationem injungunt eam saltem intra 6 menses addiscendi (quam obligationem ipsemet per meam pastoralem 24. Augusti ann. 1727. renovaveram); sequebatur, quod, in conscientia, parochiales has administrationes non poterant retinere, peccareque lethaliter eas conservando, cum inhabiles et irregulares forent ad has administrationes, ut resolvit Montenegr. itinerar. l. 1. sess. 9. n. 1. ibi: *Los sacerdotes que no saben lengua de los Indios, haviendo otros, que la sepan, peccan mortalmente quando pertenden doctrinas, y quando las acceptan, y asi dise Ugolm. Sayr. Mayol. Graf. Henriq. que son irregulares, si forte notabilem difficultatem in loquendo haberent.*

Et similiter Fraff. tom. 2. c. 53. n. 22. ibi: *Doctrinarii regulares, quemadmodum alii omnes parochi, tenentur Indorum administrandorum linguam vere et sufficienter intelligere. In quo maxime debet esse diœcesanorum cura, et diligentia; ideo eorum conscientiæ et examini hoc omne relictum est.*

XXVII. Et ex hoc unico defectu, posse parochos regulares, ab ordinariis, atque ejus visitatoribus, ab administratione parochiali removeri, expresse cum multis resolvit Fraff. c. 60. n. 40. et c. 65. n. 42. et c. 53. n. 23. ibi: *Imo, si de facto regulares, et alii doctrinis sint assignati, Indorum idioma sua lingua non intelligentes, continuo possunt et debent ab illis excludi, et removeri per episcopos, et eorum visitatores.*

XXVIII. Quod etiam firmat lex illa Hispanica, tt. 10. l. 1. Summ. ibi: *Ningun religioso, entre a bazer officio de cura, sin que primero sea examinado, y approbado por el ordinario, para que satisfaga, si tiene la sufficiencia necessaria, y se sabe la lengua enque ha dedoctrinar; y los que allare en las visitas sin esta parte, los remueva, y si los tales religiozos presentaren indultos para exemptarse, avize ala audiencia del destrito, y elfiscal della, pida loque convenga.*

XXIX. Neque excusantur per adjunctionem alicujus coadjutoris regularis, linguam vernaculam callentis, à regulari prælato deputati: nam, ut ait Montenegr. tr. 10. sess. 7. n. 1. Una, et altera deputatio, nulla omnino erit, et administratio ex ea secuta; quia, ait ipse, *Quando el titulo, y colacion fue nulla por no saber la lengua materna el primer nombrado: el coadjutor assignado, y nombrado por seu provincial, no puede assister alos matremonios, y seran nullos en ambos fueros; lo uno, porque no lepuede dar estar licencia el provincial, por pertencer y a alos obispos; lo otro, porque tanpoco la puede dar el proprietario, cuyo titulo es nullo, como queda provado en la session passada.*

XXX. Et ideo eisdem ordinariis pertinet, ac remitti solet, examen linguæ erga ipsosmet coadjutores, juxta sanctionem sacr. Conc. Trid. sess. 21. c. 6. de reformat. cum quo Fraff. tom. 2. c. 69. n. 39. ita aii: *Coadjutores, et doctrinariorum socios, ab ordinario loci, medio examine, debere esse probatos, non est dubium. Trid. sess. 23. de reformat. c. 1. Peyr. Peliz. Fagund. S. Congreg. declarationis meminit Barb. in sum. coll. 235.*

XXXI. Quam resolutionem confirmat regia alia schedula, seu declaratio, anno 1660. apud eund. ibidem: *Siendo tambien cosa de summo escrupulo, que pongan coadjutores, que sirvan el dicho officio separadamente delos doctrinores, sin approbacion, y examen necessario, y sin colacion del ordinario.*

XXXII. Et, data necessitate, aut convenientia, coadjutores hos nominandi, deputatio utique spectat ad ordinarium, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, ex Trid. cit. sess. 21. c. 6. de reform. ibi: *Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, eisdem illiteratis, et imperitis, si alias honestæ vitæ sint, coadjutores, aut vicarios pro tempore deputare, c. Quoniam, 14. § fin. &c.*

XXXIII. Et nullo modo hæc deputatio, aut etiam nominatio, prælato regulari pertinere potest, neque licita est, ait cit. Fraff. tom. 2. c. 68. n. 30. ibi: *Non licebit prælato regularium parocho regulari illiterato, et imperito, linguamque Indorum non callenti, coadjutorem, et socium assignare, qui parochi officio fungatur, sed loci episcopo, ex Trid.*

XXXIV. Et ratio est, quam adducunt Palafox in defenso. p. 6. n. 76. et in allegat. 4. n. 148. Montenegr. l. 1. tr. 1. sess. 13. n. 9. et sess. 2. n. 28. et cum illis Fraff. cit. c. 68. n. 1. ibi: *Dico ergo, superiorem regularem vacanti doctrinæ, cujus cura ad ejus religionem spectat, non posse per se interinum deputare, qui parochianis valeat interim sacramenta administrare; cum non possit nominando jurisdictionem et potestatem*

ſtatem conferre ad ſacramentorum uſum, et exercitium neceſſarium, ſed totum hoc diœceſano competere.

XXXV. Neque ſuper hac re poteſt dari appellatio ad ſuperiorem, aut gravamen, etiam per viam recurſus ad regia tribunalia, aut querela alia juſta ipſorum regularium, ob eam rationem, quam Salgad. de prot. reg. c. 53. et cum eo adducit Fraſſ. cit. n. 26. ibi: *Quia epiſcopus in hac materia procedit tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ſi contingat partem aliquam appellare, ad Summum Pontificem appellandum, et recurrendum erit, ut omnes advertunt; nec datur ad regia tribunalia recurſus per viam violentiæ.*

XXXVI. Neque privilegiorum ſuorum prætextu adverſus ordinariorum procedimenta ſeſe valent defendere, ut ait idem Fraſſ. c. 53. n. 24. ibi: *Quo in caſu, aut aliis quibuſvis, in quibus diœceſani, et eorum viſitatores, ratione curæ, et adminiſtrationis ſacramentorum, contra regulares doctrinarios procedunt, et juriſdictionem ordinariam exercent, non poſſunt hi ſuis privilegiis, exemptionibus, aut aliis quibuſcunque apoſtolicis indultis, et gratiis uti.*

XXXVII. Denique per regium reſcriptum, ann. 1628. hujuſce ſtatus proregi, D. Franciſco Maſcarenas, declaratur, *Parochos regulares hujus archiepiſcopatus debere examinari, et approbari ab archiepiſcopis quoad peritiam linguæ vernaculæ*; cui conſonat alia regia epiſtola ann. 1620. ex adverſo producta, præcipiens, *quod parochi regulares provinciarum Salſetanæ, ac Bardeſianæ, linguam vernaculam ſciant; et quod archiepiſcopi in viſitationibus ſuper hoc ſpecialem informationem ſumant.* Et quamvis ſereniſſimus Rex D. Petrus II. etiam juſſerit, Indos, ſtatus ſubditos, Luſitanum idioma addiſcere; hoc præceptum, ſeu diſpoſitio, hactenus ad effectum non eſt redacta; et dum eam ignorant, tenentur in idiomate materno conſcientias ſuas in confeſſione ſacramentali aperire, et eadem ratione eorum parochi idem idioma debent prænoſcere.

Quoad tertium fundamentum:

XXXVIII. Prætendebat recurrens, quod ex vi ſimplicis deputationis ſui provincialis, parochi, ab eo nominati, manebant cum omnimoda juriſdictione ordinaria ad parochiandum, atque ſacramenta ovibus meis, ut illarum parochis, et paſtoribus adminiſtranda, independenter ab approbatione, ac præſentatione coram me, pro inſtitutione, ac juriſdictione obtinenda erga parochialem illam adminiſtrationem exercendam. Fundabatur in verbis cit. bullæ *Exponi*, ad inſtantiam Philippi regis Caſtellæ impetratæ, ibi. *Quatenus ipſi religioſi Indorum illarum partium idioma intelligant, de ſuorum ſuperiorum licentia, in eorum capitulis provincialibus obtenta, prædicare, ac confeſſiones audire, ordinariorum locorum, et aliorum quorumcunque licentia minime requiſita, libere et licite valeant.*

XXXIX. Reſpondebam tamen, extra decreta, atque apoſtolicas declarationes, imo et regias, declarantes, clauſulam illam, *ordinariorum licentia minime requiſita*, non appellare ſuper *inſtitutionem*, aut *juriſdictionem* ab ordinario neceſſario obtinendam pro ſacramentis ovibus ejus parochialiter adminiſtrandis; ſed ferire, ac percutere dumtaxat, *nominationem* ac *præſentationem* ad officium parochiale. Cum enim jure communi regulares inhabiles ſint ad parochiandum, et ad beneficia ſæcularia curata obtinendum, ex c. *Quod Dei timorem*, de ſtat. monachor. cap. *Cum pro utilit.* 16. q. 1. Abb. in c. 1. *de capellis monachor.* Rodrig. q. 34. Hurtad. de congr. ſuſtent. l. 5. Barboſ. de jur. eccleſ. l. 2. cap. 4. Solorſ. de jur. Indiar. l. 3. c. 16. et expreſſe decernitur in Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 11. de reform. Quod S. Pius V. per citatam conſtitutionem effecit, fuit adimere regularibus hanc inhabilitatem, ad hoc, ut ad prædicta beneficia nominari poſſent, *ordinariorum licentia minime requiſita*; non vero ad hoc, ut abſque prævia approbatione, ac inſtitutione ordinarii, ejus ovibus ſacramenta paſtoraliter, aut parochialiter, adminiſtrare valerent. Ita Palafox. alleg. 4. a. 2. et 4. Montenegr. l. 1. tr. 1. ſeſſ. 2. cum Abb. in c. *Auctoritate*, de inſtitution. Barb. de pot. epiſc. alleg. 72. ex n. 175. Palacios, et alii apud Fraſſ. tom. 1. c. 9. n. 11. et ſeqq.

XL. Quæ intelligentia, præter laudatorum DD. auctoritatem, evidenter ex regiis declarationibus, ſuperius in reſponſione ad 2. fundamentum extenſis; quibus addenda triplex alia in puncto formaliſſima:

Prima, ann. 1643. apud Fraſſ. cit. n. 11. ibi: *Pues ninguno puede cuidar deſta occupacion de (de curas) chriſtianamente, ſin licencia del obiſpo.*

Secunda, ann. 1569. apud eund. n. 22. *Qualquier prelado delas dichas nueſtras Indias, cada uno enſu dieceſi . . . . en los lugares donde conviniere haver curas, puedan los dichos prelados dar el titulo de cura al clerigo, o beneficiado por nos preſentado, y darle poder deadminiſtrar los ſanctos ſacramentos, y hazer las otras coſas al officio de curas pertenecientes.*

XLI. Tertia, tandem, ann. 1620. apud Avendan. theſaur. Indic. et Solorſan. de jur. Ind. l. 3. c. 17. ibi: *La bulla de S. Pio V. ſolo quita el impedimiento, que tienen los religiozos, para ſer parochos, y curas de almas; por manera, que ſolo habilita ſus perſonas, haziendolos capazes.* Ex quibus concludit Fraſſ. cum Rodrig. et Pelizar. AA. regularibus, tom. 2. c. 53. n. 15. *Ex brevi S. Pii V. conſtat aperte, regulares omnes in Indiis, capaces fuiſſe conſtitutos ad curam perſonarum ſæcularium exercendam, ſublato jam per illud antiquo impedimento, alias à S. Sede adhibito; ſed non feciſſe eos ſtatim parochos, ut bene advertunt Rodrig. tom. 1. qq. reg. q. 33. a. 5. Mirand. in man. tom. 1. q. 43. Peliz. tr. 8. c. 4. Solorſ. l. 3. c. 17.* &c.

XLII. Et punctum hoc expreſſe eſt definitum à Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 4. de regular. c. 11. ibi: *Tam regulares, quam ſæculares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis, quæ ad curam, et ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, et correctioni epiſcopi; nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi ejuſdem* (epiſcopi) *conſenſu, ac prævio examine per eum, aut per ejus vicarium, faciendum.*

XLIII. In cujus confirmationem adducit Solorſan. d. l. 3. c. 17. n. 11. et 18. plures S. Rottæ deciſiones, atque etiam Barboſ. de pot. epiſcop. alleg. 74. et de paroch. c. 2. n. 20. Seller. in Selut. can. c. 118. n. 8. ubi pro eadem reſolut. affert quandam 20. Martii ann. 1621. et Aldan. in compend. can. reſolut. l. 2. tr. 8. n. 38. cum quibus Solorſan. cit. n. 12. ait: *Hoc ſervari debere, non obſtante brevi Pii V. ann. 1577. quo maxime regulares nituntur, ut ſupra retulimus; et ita fuiſſe reſolutum per Sacram Congregationem epiſcoporum ſub die 6. Februarii ann. 1627.*

XLIV. Et n. 16. adducens verba bullæ *Religioſorum*, Clem. VIII. ſuper hac re, ita diſponentis: *Ob penuriam ſacerdotum ſæcularium ex Apoſtolicæ Sedis ſpeciali indulto, deputari ſoleant, qui ab eorum ſuperioribus nominati, ac ab eorum ordinariis, ſeu eorum officialibus approbati prius fuerint*, &c. addit Solorſan. n. 17. *Et ſane hoc naturali, et theologica ratione adeo evidenti ſubnititur, ut ei nullum privilegium, nullum ſubterfugium obſtare poſſe videatur.* Nimirum, nullum prælatum, *tuta conſcientia, poſſe alicui licentiam dare ad parochi officium exercendum inter oves ſibi commiſſas, vel eum approbare, aut miniſtrare permittere*, de cujus prius ſufficientia, et idoneitate, plene inſtructus non fuerit; quod adeo ſtringit Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. et ſeſſ. 25. c. 9. *ut nullam et irritam eſſe dicat collationem, vel inſtitutionem beneficii aliter factam*; ibi: *Ab epiſcopo tamen, juxta alias ſtatuta ab hac ſancta ſynodo, examinentur; alioqui inſtitutio ab inferioribus facta irrita ſit, et inanis.*

XLV. Et n. 18. reſolutionem cum Trident. extendens etiam ad beneficia patronatus regii, inquit: *Et magis in ſpecie agens de beneficiis curatis juris patronatus, ſeſſ. 7. c. 13. ubi nullius privilegii, vel conſuetudinis etiam immemoriabilis, prætextu, vel appellationis remedio, eos ſe tueri poſſe decidit, quominus examen ſubire teneantur, et à locorum ordinariis examinati ſint, et idonei reperti declarentur. Quod in dictis locis innumeri AA. et declarationes S. Congr. confirmant, quas ibidem Marzill. Farinac. Gallemart. et Auguſt. Barboſ. recenſent; ſed pro omnibus ſufficit declaratio Rottæ Rom. dec. 102. p. 1. recent. quam refert Barb. de officio et pot. paroch. n. 20. quæ examen quidem ordinarii, et ei approbationem aperte requirit in beneficiis curatis regularium, quamvis eos liberet*

beret ab oppoſitione in concurſu, per edicta facienda, quæ in aliis curatis ſæcularium requiritur in d. conc. ſeſſ. 24. *cap.* 18.

XLVI. Imo ipſamet regia epiſtola Philippi III. ex adverſo producta expreſſe edocebat, *Se epiſcopo Coccinenſi reſcribere jubere, ut vicariis regularibus prædictarum eccleſiarum facultates neceſſarias, ſibi bene viſas conferat, et eas, quas conferre ſolebat*, &c. Ex qua conſtabat, præter deputationem prælati regularis, indigere parochos regulares facultate ab ordinario obtinenda pro parochiali munere exercendo. Et ex documentis à me exhibitis, ſat clare conſtabat, me, et prædeceſſores meos in poſſeſſione ſtare, præſentationis perſonalis parochorum regularium coram me, pro inſtitutione, et juriſdictione ad parochiandum obtinenda, necnon in poſſeſſione etiam, exhibitionis catalogorum, aut indiculorum nominationum coram me, antequam publicarentur.

XLVII. Confirmabam omnia ſupra tradita, ex eo, quod de jure inſtitutio parochorum ordinariis certo competit, etiam reſpectu eccleſiarum regii patronatus, atque etiam eccleſiarum illarum, quæ pleno jure ſunt ordinum militarium, regiique magiſtratus, ut aperte fatetur Per. de man. reg. c. 55. n. 4. ibi: *Solumque ab ordinario petit inſtitutionem reſpectu parochianorum, quos ordinarius viſitat, tanquam oves.* Hanc autem inſtitutionem formaliter, eſſe juriſdictionem ad ſacramenta miniſtranda, ſive ad animas curandas, ſuperius jam demonſtratum manet cum Petr. § 1. et ulterius ex lexicon definitione:

XLVIII. *Inſtitutio eſt alicujus beneficii verbalis collatio, quomodo accipitur in titulo de inſtitut.* l. 4. decretal. et in 6. *et ſumitur inſtitutio pro inveſtitura*, cap. *Ad hæc*, de offic. archidiac. c. *Cum veniſſent*, de inſtit. vel etiam, ut eam definit Fraſſ. tom. 1. c. 11. n. 47. *Inſtitutio eſt tranſlatio juris non libera à ſuperiore facta, ex qua plenum jus datur inſtituto. Ita Abb. in cap. Auctoritat. et inſtit. an.* 5. *gloſſ. in cap.* 1. *de regularib. jur. in* 6. *Barb. de pot. epiſc. alleg.* 72. *et aliis.*

XLIX. Unde ſequitur, quod per hanc ordinarii inſtitutionem, quam Petra, et alii appellant, *Inſtitutionem auctorizabilem*, confertur parochis juriſdictio ad curam animarum, ſacramentorumque adminiſtrationem, imo et *titulus eccleſiaſticus*, atque *collatio* beneficii; proindeque abſque illa non valent parochi regulares cum ſola deputatione prælati, itidem regularis, nomine regii patroni, munus parochiale exercere, neque, ut tales, ſacramenta miniſtrare; ut ex pluribus regiis ſchedulis reſolvit etiam Fraſſ. de reg. patron. tom. 1. c. 9. n. 9. ibi: *Facultate et juriſdictione per ordinarium indulta deficiente, nemo poteſt regulariter ſacramenta miniſtrare.* Et cap. 32. n. 2. *Inſtitutio ordinarii plenum jus confert præſentato à rege, diciturque titulus eccleſiaſticus.*

L. Quod quidem confirmat regia declaratio ann. 1653. quam etiam affert Avendan. theſaur. Indiar. tt. 17. ex n. 22. ibi: *Y a recebir la inſtituicion y collacion canonica, titulo eccleſiaſtico, y deſpacho de poſſeſſion*, &c. et n. 24. ait Fraſſ. citat. *Si tamen non ſuccedat inſtitutio, illa præſentatio nullum, neque coloratum dat titulum, German. de indult. Gom. de regularib. q.* 53. *Reinoſ. Merend.* &c.

LI. Et quoad illas particulas definitionibus Fraſſi, *Tranſlatio juris non libera*, &c. adnotabam, *inſtitutionem* non ita dici *non liberam*, ut ordinarius in præſentatum à patrono eam teneatur transferre, ſi impedimento aliquo laboret; ſed talem dici reſpectu undiquaque idoneorum; quare Fraſſ. ibid. n. 50. ita limitat: *Niſi aliquid in perſonam objiciatur præſentati, quod legitime valeat inſtitutionem impedire, aut differre; quo caſu recte poterit epiſcopus, vel alius eccleſiaſticus ordinarius, eam ſuſpendere, vel denegare, Ricc. in prax. jur. patron. Salgad. de reg. prot. p.* 3. *c.* 10. *n.* 303. *Sic debet non admitti linguæ imperitus, Solorſ. de jur. Indiar. l.* 3. *cap.* 15. *n.* 86. *Villarroel Gob. eccleſiaſt. p.* 2. *q.* 19. *a.* 3.

LII. Et hoc quidem in Trid. definitum eſt, ſeſſ. 25. c. 4. de reformat. *Ad hoc liceat epiſcopo præſentatos à patronis, ſi idonei non fuerint, repellere.* Et reſolvitur in gl. in cap. *Nullus*, de jur. patron. et cap. *Ex literis*, 7. ibi: *Dummodo alias idoneus ſit.* Ex quibus proſequitur Fraſſ. ibid. n. 56. *Sufficiens videtur impedimentum, ad præſentato inſtitutionem denegandam, ſi non ſit idoneus, et capax.*

LIII. Deinde, ex exordio citatæ bullæ *Exponi*, ut bene notat Solorſ. et Fraſſ. plene colligitur prævia approbatio, et neceſſaria licentia epiſcopi, quatenus ait: *Nullus religioſus abſque epiſcopi licentia verbum Dei prædicare, ac ſæcularium perſonarum confeſſiones audire*, &c. Ex quo concludit Fraſſ. tom. 2. c. 54. n. 19. *Bulla Exponi probat expreſſe, ſine illa (juriſdictione ordinariorum) regulares ad curæ exercitium admitti non poſſe, diœceſano omiſſo.*

LIV. Et ulterius confirmat ex verbis bullæ *Ex conqueſtione*, Eugenii III. ibid. n. 18. et cap. 55. n. 14. *Vos ipſi preſbyteros eligatis, et prædicto archiepiſcopo præſentetis, quibus, ſi idonei fuerint, animarum curam committere debeat, ut de plebis cura ei reſpondeant.*

LV. Præterea ex citatis verbis ejuſdem conſtitutionis *Exponi*, *ordinariorum licentia minime requiſita*, etiam dato, quod præfati regulares non indigerent ordinariorum facultate ad parochiandum, non inde ſequeretur, quod ordinario contradicente, aut repugnante, id efficere poſſent; à paritate diſpoſitionis Concilii Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de reformat. quoad prædicationes regularium in propriis eccleſiis:

LVI. *De licentia ſuorum ſuperiorum, cum præſentatione, et benedictione epiſcoporum* (non autem *cum licentia epiſcoporum*, quæ tantum requiritur, *in eccleſiis, quæ ſuorum ordinum non fuerint; quibus ultra licentiam epiſcopi habere teneantur*, ex eodem Trid. ibidem). Hinc non conſequitur, quod etiam in propriis ordinum eccleſiis, in quibus non requiritur licentia epiſcopi, poſſint, illo repugnante, aut contradicente, prædicare; id namque expreſſe ab eodem concilio interdicitur, ſeſſ. 24. c. 4. *Nullus ſæcularis, ſive regularis etiam in eccleſiis ſuorum ordinum, contradicente epiſcopo, prædicare præſumat.* Quæ interdictio etiam ad Indias extenditur in conſt. *Cum ſicut*, Innocent. X. Videantur Ventrigl. 1. p. annot. 48. Pignatell. tom. 4. conſ. 174. per tot. Panimol. dec. 91. Nicol. in lucubrat. et alii.

LVII. Denique ſubjungebam, quod, etſi præfatæ conſtitutiones revocatæ non ſint, quoad facultatem nominandi parochos regulares pro his eccleſiis Indicis; attamen, quoad parochiandi exercitium abſque prævia approbatione, ac licentia ordinarii, dato, quod hæc facultas eiſdem regularibus in præmiſſis bullis concederetur, omnino revocatæ ſunt per conſtitution. *Inſcrutabili*, Greg. XV. ut aſſerunt Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 17. n. 16. Montenegr. l. 1. tr. 10. ſ. 7. n. 1. Fraſſ. tom. 2. c. 53. n. 27. et alii plures.

LVIII. Conſtitutio prædicta autem *Inſcrutabili*, licet per aliquod annos ſuſpenſa fuerit in Hiſpania, præciſe quoad clauſulam novi examinis regularium ab epiſopo ſucceſſore faciendi, ſuſpenſa minime fuit quoad reliqua, ut ait Fraſſ. c. 66. n. 60. et certum eſſe, quod neque quoad præjactam clauſulam hodie ſuſpenſa ſit, defendit Pignatel. tom. 16. conſ. 95. n. 25. et conſtat manifeſte ex brevibus directis ad epiſcopos Gienenſem, et Cordubenſem in Hiſpania, de quibus Fraſſ. citat. et Pignatell. tom. 4. conſ. 174. n. 17. et convincitur evidenter ex cit. bulla *Cum ſicut*, in cauſa Angelopolitana, ubi § 3. præcipitur obſervantia bullæ *Inſcrutabili*; et declaratur, poſſe ordinarios, in illius virtutem, procedere contra regulares prædicantes, et confeſſiones excipientes, abſque illorum approbatione, et licentia. Et quæſito 3. quo, pro parte Jeſuitarum ſciſcitabatur, an prædicta bulla *Exponi* abſolute derogata erat? S. Congregatio reſpondit: *Agendum cum Sanctiſſimo*, an velit declarare, bullam non eſſe revocatam; *illam tamen non ſuffragari, niſi in locis, ubi eſt defectus parochorum.*

LIX. Ad inſinuationem autem cujuſdam regiæ epiſtolæ Philippi III. ex adverſo productæ, innuentis, *Regulares pro his eccleſiis præſentandos, non indigere examine, et collatione ordinarii, ex indultis apoſtolicis*, cum *jura juribus debent concordari*; reſpondebam, 1. Non requiri prævium examen ordinariorum pro *nominatione*, aut *præſentatione*; neque ejuſdem facultatem pro *collatione tituli*; bene vero pro *collatione curæ, ſeu juriſdictionis* in populum; pro cujus parochialis muneris exercitio requitur etiam prævium exa-

men ordinariorum, juxta regias ejuſdem regis declarationes ſuperius extenſas.

Reſpondebam, 2. Si aliquod ad hoc præceſſerat apoſtolicum indultum, hoc etiam per præfatas conſtitutiones *Inſcrutabili*, et *Cum ſit*, revocatum eſſe, et noviſſime per conſt. *Apoſtolici*, Innoc. XIII. et *In ſupremo*, Benedicti XIII. novo Lateran. concilio annexas.

LX. Et pro coronide adjungebam aliam regiam epiſtolam ejuſdem Philippi III. directam proregi hujuſce ſtatus Ruiſio Laurentio de Tavora, qua ſequentia aſſeverabat, *conſtare parochias, et parochos regulares Indianos*, ſubjectos quidem eſſe ordinariorum juriſdictioni in curæ animarum, et ſacramentorum adminiſtrationi attinentibus, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, atque præſcriptioni, etiam immemoriali, quas allegare poſſint. Et prælatis regularibus (ſocietatis, atque Franciſcanis) *redarguitur graviter contumacia*, qua *in hac re ſe habebant, ita ut cauſam ad tribunal ſenatus Goani ſæculare deferre auderent*, et in illo objecta impedimenta *regularium reciperentur*. Et tandem in eadem epiſtola idem religioſiſſimus rex Philippus III. aſſeverat, ſe ſpecialem bullam à Sanctiſſimo Papa ſupplicâſſe, ad hoc, ut archipræſules Goani quintum Goanum concilium, ſub illuſtriſſimo D. Fr. Alexio Meneſio celebratum, libere executioni mandarent, præſertim quoad punitionem, et procedimenta adverſus parochos regulares, &c.

LXI. Poſt hanc allegationem exhibitam ann. 1728. mihi à quodam ordinum tribunalis miniſtro participata eſt reſolutio S. Congregationis, actuali epiſcopo Fluvii Januarii in Braſilienſi ſtatu, pro paræciis regularibus precario commiſſis directa; quæ ſic recitat: *Regulares Franciſcani, Carmelitani, Benedictini, Jeſuitæ, paræcias in ſeptendecim Indorum pagis adminiſtrantes independenter ab ordinario, et intra tuæ diœceſis fines, omnino deflectunt à lege in Concil. Trident. c.* 11. *ſeſſ.* 25. *et à conſt.* 18. *Greg.* XV. *quæ incipit Inſcrutabili. Quocirca iis jubeto, ut ad hanc ipſam legem ſe conforment. Contra renuentes inſurgito, prout de jure, Sac. et Congregationis auctoritate.*

Sect. II.

Fundamenta recurrentis adverſus procedimentum meum.

LXII. 1. Quod in epiſtolis miſſivis, quas recurrentis provinciali politice ſcripſi, ejus juriſdictionem uſurpavi.

2. Quod notoriam ei violentiam intulerim, non exhibendo propriam regiam epiſtolam, ad impedimenta obreptionis, ac ſurreptionis, ei opponenda.

3. Quod præfata regia epiſtola nullius roboris erat, eo quod expedita foret per concilium ultramarinum, quod erat tribunal incompetens, cum deberet expediri per tribunal ordinum.

4. Quod cum concilium ultramarinum utique foret tribunal mere ſæculare, ego violenter eccleſiaſticum illud reddebam per cenſuras procedendo.

5. Quod violentiam ipſi intulerim procedendo poſt appellationem recurrentis.

6. Similiter, procedendo poſt recuſationem.

Hæc erant illius præcipua fundamenta ex parte formæ. Verum ſuppoſita fundamentorum ex parte materiæ ſeu ſubſtantiæ cauſæ principalis evidenti everſione; facilis remanebat ſimilis conſternatio fundamentorum ex parte formalitatis procedimentorum meorum quoad notorietatem accuſatæ violentiæ excludendam. Quare ——

Quoad primum fundamentum:

LXIII. Dicebam, ex ipſiſmet politicis epiſtolis meis, quas recurrens per exemplar adjungebat, recognoſci, quanta circumſpectione, quanta reverentia, atque religionis recurrentis obſequio, regium reſcriptum executioni tradere curaverim: neque in hoc aliqua juriſdictionis uſurpatio argui, aut excogitari valebat. Et quando hæc intercederet, minime recurrenti competeret via gravaminis, aut recurſus ad regiam majeſtatem; ſiquidem regia majeſtas, et ejus tribunalia, minime cognoſcunt de uſurpatione juriſdictionis unius eccleſiaſtici in alterum; ſed de propriæ regiæ juriſdictionis uſurpatione dumtaxat, ut manifeſte ex ipſa regia ordinatione convincitur, l. 1. tt. 12. § 5. ibi: *Et ſi viderit, quod noſtram juriſdictionem uſurpant*, Per. de man. reg. c. 9. Peg. ad eand. ordin. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 59. et alii.

Quoad ſecundum fundamentum:

LXIV. Facile excludebatur recurrentis argutio, 1. Ex ipſamet regia prohibitione, de qua Per. de man. reg. p. 4. *de reſolutionibus ſuper caſibus gravioribus*; ibi: *Quod partibus dare non poſſint exemplar epiſtolarum regiæ majeſtatis, abſque ejus ordine ſpeciali; et non declarabuntur fundamenta juſſionis regiæ; et ſolummodo parti dicetur pure, ac præciſe, reſolutio quæ decreta eſt. Regia epiſtola* 24. *Novembr.* 1604. *l.* 2. *palatin. ſenat. p.* 203.

LXV. 2. Ex doctrina Salgad. de reg. prot. c. 13. n. 16. p. 2. ibi: *In proceſſibus extrajudicialibus, adhuc actorum in ſcripto, alicui copia dari non debet:* præſertim cum ex ipſius epiſtolæ regiæ originalis exhibitione, et ex illius reſolutionis motivi declaratione, aut publicatione, utique infamia aliqua in recurrentis religionem redundaret.

3. Quia notorium erat, quod, ſupplicante in Ulyſſiponenſi curia procuratore recurrentis provinciæ coram regia majeſtate, copiam, aut inſpectionem hujuſcemet regii reſcripti, ad intentata impedimenta, abſolute ei denegata fuit, et ſibi ordine regio injunctum, ut obſervarent, atque exequerentur hanc concilii ultramarini reſolutionem.

LXVI. 4. Quia cum meri executoris vicibus fungerer in regii reſcripti illius executione, et recurrens illius exhibitionem ad executionem ipſam impediendam poſtulabat, de quibus impedimentis mihi quidem non ſpectabat cognoſcere; utique neque ad proprii originalis reſcripti exhibitionem ipſam tenebar, et ad ſummum per exemplar illius copiam præſtare: quod equidem conforme eſt diſpoſitioni ordinat. reg. l. 3. tt. 87. in princ. et tex. in l. *Qui*, de edend. ubi: *Qui occultat proprium inſtrumentum, dolum non facit, cum non teneatur edere.*

LXVII. 5. Quia religioſi præfati has eccleſias à regio patrono *mere precario* acceperant. Et cum certum ſit, quod, *Quæ precario obtinentur, ſine cauſa auferri poſſunt*; Navarr. conſ. 27. de præbend. et ex regio reſcripto conſtabat religioſos prædictos ab adminiſtratione parochiali harum eccleſiarum ſemotos eſſe, et eorum provinciali facultatem eos deputandi ablatam fuiſſe, minime ad aliquam cauſarum juſtificationem eos admittere tenebar, et multo minus ad impedimenta executioni ipſi objicienda. Cui conſonat declaratio illa S. Congregationis apud Fraſſ. cit. *Monachum curam animarum perſonarum exercentem in eccleſia monaſterio unita poſſe arbitrio epiſcopi removeri abſque eo, quod teneatur cauſas deducere, aut juſtificare*, apud Sel. c. 43. Barb. in Trid. ſeſſ. 21. c. 8. de reformat. et in ſum. dec. 48. n. 7.

LXVIII. Conſonat etiam diſpoſitio c. *Qualiter, et quando*, de accuſation. ibi: *Facilius, et liberius, poſſunt ab adminiſtrationibus regulares amoveri.* Et in terminis caſus præſentis amotionem ſine cauſa aperte tuentur Rodrig. tom. 2. q. 27. a. 1. et 2. Avendan. tt. 17. Lezan. tom. 4. c. 47. Fr. Joſeph. à Sancta Maria apud Barb. vot. dec. 4. n. 46. qui omnes, ultimo dempto, doctores regulares ſunt.

Quoad tertium fundamentum:

LXIX. Dicebam, reſcriptum menſæ conſcientiæ, ſeu tribunalis ordinum, 7. April. præſentis anni 1728. à recurrente productum, in quo aſſerebatur, *prædictum tribunal ſolum competens erat ad negotia ordinum militarium*, &c. non fuiſſe expeditum per conſultationem factam regiæ majeſtati in propria perſona, ut fuerat præſens reſcriptum tribunalis ultramarini à recurrente impugnatum. Deinde diſpoſitio illa tribunalis ordinum erat circa proceſſus judiciales à judicibus mere laicis in equites militares ordinis habitum gerentes, ac profitentes; quæ eſt materia à ſubjecta diverſiſſima. Et in nova lege, typis mandata, 24. Julii, ann. 1713. præcipiebat regia majeſtas, ut omnes ordines, ac reſolutiones à tribunalibus expeditæ, et à duobus illorum miniſtris aſſignatæ, cum declaratione, quod

expeditæ

expeditæ fuerunt ex vi habitæ conſultationis, tanquam propriæ obſerventur.

LXX. Et licet tribunal ordinum ſit regiæ majeſtatis, ut magni ordinum magiſtri, et tribunal ultramarinum ſit ejuſdem, ut regis; attamen, cum expedita reſolutio conſultata quidem foret coram regia majeſtate, in propria perſona, in qua adunatam retinebat utramque dignitatem, ac character, et magni magiſtri, et regis; minime officiebat, aut annullabat præmiſſam reſolutionem, non expediri à competenti ordinum tribunali; juxta doctrinam Larreæ in ſimili caſu: *Ut judex laicus poteſt ex delegatione Pontificis de perſonis eccleſiaſticis cognoſcere ex cap. In ſynodo*, 36. *diſtinct. cap. Valde*, 94. *diſtinct. ex Abbate, Mantic. Decio, Covarr. Navarr. et aliis, tenent Morla in empor. tt. de jur. q.* 22. *ex plurib. Barb. in collect. cap. Præter, n.* 4. *diſt.* 32. *ita iſti judices ex regis delegatione, ut magiſtri, de inobedientia hujus equitis recte cognoſcerent; et quamvis etiam neceſſarium eſſet (quod abſit) in delegatione exprimi, eam regem dare, ut magiſtrum ordinum, nec id aperte expreſſum eſſet; tamen ſemper actus cenſetur factus omni meliori modo, quo poteſt, quamvis ſimpliciter, et indiſtente fiat; Abbas poſt Calderinum in cap. Cum ſuper, de offic. delegat. ubi etiam Decius; et cum poſſet princeps hanc cauſam delegare, ut rex, et ut magiſter ordinis, indubio cenſetur factum, prout fuerit utilius deleganti, ut ex Alex. lib.* 5. *conſil.* 55. *n.* 2. *probavit Thuſc. pract. cit. et concluſ.* 137. *n.* 5. *et adde, quæ notavit in concluſione præcedenti; et ſemper actus intelligendus eſt modo, quo fieri ſoleret, ut ex Bald. Panormit. Menoch. Craveta, et aliis, ego probavi,* 2. *p. dec. Granat.* 55. *præſertim in principe, quem ſemper juſte, et recte, aliquid agere præſumitur, ut pluribus probavit Menoch. l.* 2. *præſumpt.* 10.

Et reſolutioni illæ menſæ conſcientiæ, alias opponebam huic ſtatui expeditas; ſignanter aliam 1. April. 1669. aliam 23. Decembr. 1717. quibus proregi, et cancellario ſenatus cavetur, ne in hoc ſtatu exequantur quælibet quorumlibet tribunalium ordinationes, aut reſolutiones, quæ expeditæ non fuerint per concilium ultramarinum, aut per expediens, aut per ſecretariam ſtatus regni.

LXXI. Addebam ulterius, quod, dato, quod ſola menſa conſcientiæ foret competens tribunal ad ordinum militarium negotia; et conceſſo, quod ad deputationem, aut præſentationem ipſorum parochorum neceſſaria fuerit juriſdictio regii patroni, ut magni ordinum magiſtri; attamen ad eorundem remotionem, atque excluſionem, dicebam ſufficere poteſtatem œconomicam, ac politicam regiæ majeſtatis, ut regis; proindeque competenter expeditam per tribunal ultramarinum, utpote tribunal regis, ut talis; quod aſſertum multipliciter probabam:

1. Quia, abſolute loquendo, eadem juriſdictio, quæ requiritur ad præſentationem beneficiorum patronatus, non requiritur etiam ad privationem, ſeu remotionem, aut deſtitutionem illorum. Nam præſentatos à patrono, cui quidem competit deputatio ad beneficium, poteſt ordinarius, et ejus viſitatores, à beneficiis removere, ſi non idonei, aut indigni reperti fuerint; de quo ſupra § 1. ad fundam. 2. et in terminis cum Altamir. Gonzal. Grat. Murga, reſolvunt Solorſ. de jur. Indiar. l. 3. cap. 15. n. 34. Fraſſ. de patr. reg. tom. 2. cap. 64. n. 49. ibi:

LXXII. *Juris principiis edocemur, ejus eſſe deſtituere, cujus eſt inſtituere, c.* 1. *de capell. monach. inſtituere autem, epiſcopo jure communi competit, c. Cum veniſſ. de inſtitutione, c. fin. de renuntiation. c. In Lateranenſi, de præbend. etiam in eccleſiis regularium, Barb. in cap. Cum et plantare, de privilegiis. Ideo dicitur, quoad hoc, habere intentionem fundatam in ſua diœceſi, c. Regenda,* 10. *q.* 1. *c. Omnes baſilicæ,* 10. *c. Nullus,* 16. *q.* 7. *c. Ex frequentibus de inſtitutione, c. Conquerente, de offic. ordinar. c. Nemo, de conſecrat. d.* 1. &c.

LXXIII. 2. Quia ad removendos præfatos religioſos ab illa adminiſtratione parochiali ob motiva minus idoneitatis, propter ignorantiam linguæ vernaculæ, defectus ſcientiæ, et alia in regio reſcripto expreſſa, non erat neceſſaria regiæ majeſtatis juriſdictio eccleſiaſtica, ut patroni, ſeu ut magni magiſtri ordinum militarium; ſed ſufficiebat poteſtas œconomica, ac politica regis, ut regis; ſicuti regi Salamoni ſufficiens hæc fuit ad amovendum Abiatharem, propter ejus indignitatem, à ſummo ſacerdotio, ut legitur 3 Reg. 2. *Ejecit ergo Salamon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini:* commentantur Tirinus, *Poteſtate temporali, et politica*; et Alapide, *Indirecte exauctorizavit eum.*

LXXIV. Et hac etiam eadem poteſtate œconomica, et politica, poſſunt reges indirecte removere prælatos regulares, et parochos ſæculares, quatenus eos à terminis ſuis egredi jubere poſſunt, ſi ſeditioſi, aut inconfidentes fuerint. Nam, ut concludunt Avendan. de exequend. mandat. 2. p. cap. 6. Solorſan. emblem. 81. Fraſſ. tom. 2. c. 66. n. 40. *Quemadmodum paterfamiliâs, virtute ſuæ œconomicæ poteſtatis, poteſt à propria domo filios male viventes, capellanum, et famulos expellere, ex l. fin. ff. de offic. procurat. ita*, &c.

LXXV. Hinc tandem concludebam, quod licet tribunal ultramarinum regem, ut regem, repræſentet, poterat nihilominus ab eo expediri regius ille ordo ad præfatos parochos removendos, ſicut olim multoties ad eundem finem expeditus fuerat, ut conſtabat ex variis regiis epiſtolis, ſignanter ann. 1605. et 1620. et 1622. et 1696. et 1723. et 1727. Et ultimo dicebam, quod regia majeſtas poſſet, vel non poſſet, regia poteſtate dumtaxat, præmiſſos parochos deſtituere; hoc coram rege ipſo, aut cum ipſo, diſputare deberent; non vero mecum, qui tantum regii reſcripti executoris vices gerebam, et mihi illud ad amuſſim exequi tantum attinebat; in quo nullam injuriam, aut vim, illis inferebam; præſertim cum, ut ex variis juribus, et auctoritatibus, docet Fraſſ. de reg. patr. tom. 2. c. 65. n. 24. et 25. *Remoto à beneficio nullus ſupereſt recurſus.*

LXXVI. Et quamvis à rege, ut prælato eccleſiaſtico, ſeu ut magno magiſtro, poſſit ad illum, ut regem, recurri; non tamen è contra, juxta communem regnicolarum doctrinam; neque etiam à rege, ut tali, ad ſeipſum, ut regem, ut illuſorie recurrens affectare videbatur.

Quoad quartum fundamentum:

LXXVII. Reſpondebam, 1. Quod adhuc procedendo, ut executor regii reſcripti, equidem poteram, in ordine ad finem proviſionis harum eccleſiarum in clericos ſæculares in regio reſcripto expreſſum, uti comminatione cenſurarum in ordine ad medium conducens ad illum finem facilius, et pacatius conſequendum, videlicet in ordine ad prævium excluſionem, ac ſemotionem actualium parochorum, ut relinquentibus parochias in manibus coadjutorum, facile, et citra diſturbia, illas conferrem clericis ſæcularibus, vel regularibus etiam à me deputatis juxta reſcripti regii præſcriptum.

LXXVIII. Quod autem executor, qui nomine alterius procedit in ordine ad finem, poſſit in ordine ad media nomine proprio judicialiter procedere coadjuvando ſe juriſdictione, quam aliunde habet, caſus expreſſus, et terminantiſſimus eſt in gloſſ. in Clem. *Judices*, de offic. deleg. verbo reperirent; ibi: *Poteſt eſſe merus executor, et ſine cauſæ cognitione providere de vacante; et poteſt aſſumere partes judicis inquirendo de prædictis vocatis, et non vocatis.*

LXXIX. Et confirmabam à paritate regiæ ordinationis diſponentis l. 2. tt. 1. § 22. quod clerici minoriſtæ in bello defenſivo teneantur muros civitatis occupare, ac tueri; cujus quidem diſpoſitio, ſi ex majori decentia vicario generali, vel judici alteri eccleſiaſtico, committeretur; quis negaret, poſſe hunc illos per cenſuras cogere ad comparendum coram ſe, ad diſtributiones locorum, et regimenta convenientia ſuſcipiendum? Similiter, ſi regia majeſtas alicui prælato committeret privationem alicujus cujuſlibet arcis, aut civitatis gubernatoris (ut cuidam prædeceſſori meo commiſſa eſt cujuſdam proregis ſemotio) et ille quoad media facilitanda ſeſe propria juriſdictione eccleſiaſtica coadjuvaret, comminatione videlicet cenſurarum, officiales aliquos convocando, vel alia diſponendo ad diſturbia, aut ſeditionem aliquam in populo vitanda; quis vociferari audebit, in hac comminatione vim notoriam

toriam inferre, aut poteſtatem ſæcularem violenter eccleſiaſticam efficere?

LXXX. In confirmationem aſſerti adducebam auctoritatem Card. Deluc. de judic. diſc. 90. n. 37. ibi: *Executor circa modum procedendi, vel in conſummatione executionis, debet ſervare ſtylum proprium, non vero mandantis, aut delegantis*, Buratt. dec. 170.

LXXXI. Reſpondebam, 2. Regiam majeſtatem in hac executione præcepta, non ſolum procedere *per modum providentiæ*, ut parochiæ illæ bene adminiſtrentur; verum etiam *per modum protectionis, defenſionis, ac patrocinii*; ut parochiani à regularibus non vexentur, aut opprimantur, ut ex præſenti epiſtola regia apparebat, et ex alia anni 1726. in qua recapitulabatur formalitas querelæ cameræ generalis Bardeſianæ ann. 1724. adverſus parochos regulares. In executione autem per modum defenſionis, ac tuitionis, poteſt executor *utrumque gladium, et temporalem, et eccleſiaſticum, vibrare, alterum videlicet altero coadjuvando*, ut aperte reſolvitur in cap. *Dilecto*, de ſentent. excom. in 6.

LXXXII. Reſpondebam, 3. Quod, cum certum foret, me juriſdictionem ad inſtituendum parochos à regio patrono deputatos habere, in quo juriſdictionem ſane ſpiritualem exercebam; et certum etiam ſit *ejuſdem eſſe deſtituere, cujus eſt inſtituere*, cap. 1. de capell. monachor. utique poteram eadem juriſdictione eccleſiaſtica et ſpirituali uti in remotione parochorum eorum, à regio patrono prius deputatorum, et poſtea amoveri juſſorum; et pariformiter poterat idem regius patronus mihi committere uſum juriſdictionis ſuæ in ordine ad finem novæ præſentationis, ſeu deputationis clericorum ſæcularium; et in ordine ad media deſtitutionis, ac amotionis antiquorum regularium, quod uterer juriſdictione mea; quod quidem mero executori non implicare, jam ſuperius eſt oſtenſum.

LXXXIII. Reſpondebam, 4. Quod, admiſſa opinione illorum, qui cum Peg. tom. 2. autumant, regiam majeſtatem, ut magnum militiæ Chriſti magiſtrum, habere juriſdictionem eccleſiaſticam *in habitu*, non vero *in actu*; et quod eam *in actu* committere poſſit cuilibet perſonæ eccleſiaſticæ ad eam exercendam, et ea utendam in actu exercito, etiam cum fulminatione cenſurarum, vel ex vi illius commiſſionis, vel eo quod, illa poſita, Summus Pontifex hanc juriſdictionem delegato commiſſario confert; ſuppoſita hac opinione (cujus veritatem, ac ſoliditatem, nunc non diſcutio) poteram, etiam ut merus magni magiſtri executor, per cenſuras procedere ex vi commiſſionis per tribunal ultramarinum, prævia conſultatione, expeditæ, juxta doctrinam Larreæ ſuperius extenſam hoc § 2. ad fundamentum 3.

LXXXIV. Deinde addebam, quod vel ego procederem ut merus executor, vel ut mixtus, minime violentiam qualificatam, manifeſtam ſcilicet, et notoriam recurrenti inferre, neque locum adeſſe recurrenti ad recurrendum, imo neque ad appellandum, juxta doctrinam communem, de qua Salgad. de prot. reg. p. 4. cap. 13. et ſeqq. ibi: *Executor, ſive merus, ſive mixtus, appellationi emiſſæ non deferens, vim non facit, quia ab executore non eſt licita appellatio, l. Ab executore, ff. de appellat. l. Ab executione, c. Quorum appellat. c. Novit, de appellat. c. Quoad conſultat. de re judic.*

Quoad quintum fundamentum:

LXXXV. Dicebam, quod, ſuppoſita recurrentis agnitione, me, ut merum executorem proceſſiſſe, fatentis, conſequenter fateri tenebatur, quod neque ipſe à tali executione appellare poterat, nec ego, ei non deferens, injuriam, aut violentiam commiſerim, ut, præter citatam auctoritatem, tenet alio loco cum communi idem Salg. p. 4. c. 3. n. 31. et ſeqq. ibi: *Communis et indubitata concluſio eſt, quod ab executione non appelletur; et ſi non poteſt appellari ab executione, non poterit etiam ab executore, cum executio, et executor, idem eſt inſeparabile, et indiviſibile . . . . et ideo, ſi via executiva non admittit appellationem, et illam facit tam mixtus, quam merus; ergo à facto utriuſque pariter excludenda eſt, niſi modum excedant. Parlador. Rodrig.* &c.

Et expreſſe decernitur c. *Conſuluit*, et c. *Novit ille*, de appellat. ibi: *Secundum jus ab executoribus appellari non poſſit, niſi forſan modum excedant.* Et adhuc, hoc exceſſu dato, non admittitur appellatio, niſi in devolutivo, ut expreſſe, et formaliter, reſolvit idem Salgad. p. 4. c. 3. n. 35. ibi: *Ab executore modum excedente, appellari, ſed quoad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum*; *Gratian. diſcept. for. tom. 1. c. 146. n. 36. alleg. Cevalh.* in contra com. q. 190. *Gutier. in l. Repetitione, l. Nemo, de legat.*

LXXXVI. Imo, ut ait idem Salgad. p. 4. c. 8. n. 283. et 189. *Executor non excedit exequendo executoriales contra condemnatum ad demittendum beneficium; ſed nec contra intruſum, lite pendente.* Et c. 9. n. 24. ibidem: *Executor non excedit, ſi ſententiam, qua clericus declaratur commiſiſſe delictum, dignum privatione beneficii, ipſo jure exequatur in illius privatione.* Et certum omnino erat, parochos recurrentes per regium reſcriptum (quod quædam virtualis ſententia erat) ut non idoneos, declaratos fore; quinimo, ut tales, jam privatos de facto, aut executive privandos venire.

LXXXVII. Ad appellationem autem coram provinciali ſocietatis Jesu interpoſitam, et mihi non intimatam, neque coram me ratificatam, dicebam præter hos defectus, de quibus ſupra, et Pignatell. tom. 1. c. 163. et tom. 10. conſ. 96. Fagnan. in c. *Sane*, de offic. deleg. Barb. verb. *Dignitas*; utique ſuſpenſivo effectu notorie carere, juxta doctrinam Salg. de prot. reg. p. 1. c. 7. n. 19. ex c. 1. de appellat. cap. *Conſtitut.* eodem titul. proindeque neque recurſui locum patere ex ejus quoad effectum ſuſpenſivum non delatione, juxta Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. per tot. Et hic ſubjungebam doctrinas, et auctoritates, jam ſuperius expoſitas.

LXXXVIII. Tandemque addebam doctrinam ipſius Salg. p. 2. c. 13. n. 16. ibi: *In proviſione beneficiali, et aliis proceſſibus extrajudicialibus, difficile eſt opponere de injuſtitia, nec per viam appellationis, nec alio modo; tum quoniam judex juſtificat actum ſuum, ſive ex actis in ſcripto deductis, ſive non ſcripto, c. In præſentia, de renuntiat. cap. Paſtoral. de cauſ. poſſeſſ. tum etiam quia nec eorum adhuc actorum alicui copia dari debet . . . . quapropter qui proceſſui voluerit contravenire, vel aliter tenetur aliunde de injuſtitia, et gravamine docere, et ex novis actibus, et probationibus, ſuam appellationem juſtificare, Lancelot. de attent. 2. p. cap. 12. limit. 3. a. n. 19.*

Quoad ſextum et ultimum fundamentum:

LXXXIX. Præmittebam, ex communi doctrina, *appellationem, et recuſationem æquiparari*, Guerr. de recuſat. l. 3. cap. 7. n. 18. unde, cum in hac cauſa, vel in procedimento meo, deeſſet materia ad appellationem; conſequenter etiam aberat ad recuſationem; proindeque procedere poteram *appellatione rejecta*, ita ſimiliter *rejecta recuſatione.* Nam *ubi appellatio denegatur, etiam recuſatio non permittitur*, Guerr. de recuſation. l. 3. c. 16. n. 4. Per. in prompt. verb. *Judex.* Thom. Vas, alleg. 70. n. 17. Deinde ——

XC. Reſpondebam, 1. Recuſationem à recurrente objectam, eſſe notorie calumnioſam, fruſtratoriam, ac frivolam; in qua, præter injurioſa dicteria, proteſtabatur recuſans, *ſe in judicibus arbitris nolle conſentire, neque eiſdem acquieſcere, et ſolum judicem velle illuſtriſſimum nuntium Portugalliæ*, &c. qui quidem cum actu abſens à regno foret, manebat præſens recuſatio abſque judice, vel ſaltem graviſſime, et notabiliſſime, quoad progreſſum retardata. Pariformiter declarabat recuſans, *ſe hanc exceptionem opponere ad impediendam viſitationem parochiarum illarum, et parochorum cognitionem, ac correctionem*, contra decreta expreſſa Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. de reform. et alibi; quare recuſatio prædicta omnino veniebat rejicienda.

XCI. Deinde, cum recuſationi tacite, aut expreſſe, renuntiari poſſit, Lancelot. de attent. 2. p. c. 6. Guerr. de recuſat. l. 5. c. 7. Fragroſ. l. 5. diſp. 12. § 7. et recuſans, quamvis in 1. p. libelli aſſeveret, ſe me recuſare; in 2. tamen proteſtabatur, ſe nolle judices arbitros, quos jus ipſum præſcribit, c. *Suſpicionis*, de officio delegat. c. *Cum ſpeciali*, de appellat. et

et Per. de man. reg. male à recuſante in ſui favorem citatus, qui clare p. 1. c. 9. inquit, *recurrendum eſſe ad arbitros*; et aliunde recuſans judicem individualiter deſignabat, qui neque cauſam recuſationis admittere, neque finaliter judicare poterat: ſequebar, quod in hac ſecunda parte libelli tacite intentatæ recuſationi abrenuntiavit.

XCII. Et licet præſens recuſatio per ſententiam meam rejecta foret, certum eſt de jure canonico, et eccleſiaſtico, judicem recuſatum per ſeipſum poſſe recuſationem rejicere, et ſuſpiciones, ſi frivolæ, et calumnioſæ fuerint, Gonzal. Tell. in d. cap. *Cum ſpeciali*, de appellat. n. 5. Farinac. l. 1. conſ. 17. n. 6. tom. 4. Fragoſ. § 7. n. 222. Barb. in cap. citat. n. 5. Sperell. 1. p. dec. 93. Fermoſin. in cap. 4. de for. compet. q. 2. Themud. 2. p. dec. 198. Barb. ad ordin. tt. 21. § 4. n. 2. et alii, cum Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 60.

Et hanc eſſe praxim in cunctis auditoriis eccleſiaſticis regni, à cunctis ſynodalibus conſtitutionibus atque regimentis obſervari juſſum, ſatis conſtabat ex conſtitutione diœceſis Viſeenſis, in regimento pag. 23. ex Bracharenſ. Ulixbonenſ. et noviſſime ex Portugalenſi, ac Bahienſi, ubi in regimento Portugalenſ. conſtitut. tt. 7. § 3. n. 4. diſponitur: *Quod judex recuſatus à parte recuſante juramentum calumniæ ſumat; et ſi jurare renuerit, vel declaraverit, ſe ſuſpiciones objicere animo cauſam dilatandi; judex recuſationem rejiciat, et in cauſa ad ulteriora procedat. Sin autem juret, ſe vere, et bene eas opponere, ſatisfacto cautionis depoſito, et aliis prærequiſitis ſupra declaratis, judex recuſatus non procedat in cauſa . . . et ſuſpiciones judici remittet; ſalvo, ſi notorie frivolæ fuerint; nunc enim eas ſtatim rejicere poterit, et in cauſa procedere.*

XCIII. Et quamvis aliqui DD. civiliſtæ contrariam amplectantur opinionem, certum eſt judices eccleſiaſticos, ſecundum jus canonicum, et multo magis ſecundum praxim ac ſtylum in omnibus auditoriis eccleſiaſticis generaliter ſervatum, judicare teneri; non vero ſecundum jus civile, ex cap. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtitut. Antonell. de regim. c. 1. § 7. Ulp. in prax. c. 44. n. 43: Imo ipſemet cit. Guerr. doctor civiliſta, de recuſation. l. 5. c. 7. n. 20. opinionem hanc eccleſiaſticorum, ut probabilem defendens, atque in eam valde inclinans, expreſſe reſolvit, ab hac rejectione minime patere locum ad recurſum, l. 5. c. 7. n. 20. ibi: *Limitatur primo noſtra reſolutio, quando judex recuſationem rejicit tanquam ex cauſa notorie falſa, et fruſtratoria, ut ex multis docent Lancelot. de attent. 2. p. c. 6. n. 31. quibus adde infinitos, quos citavimus l. 1. cap. 19. et l. 4. c. 1. et de munere judicis orphanorum, tract. 2. l. 8. c. 14.*

Et, n. 29. ibidem, eandem reſolutionem nedum de jure canonico, verum et jure noſtro Luſitano iterum ſuſtentans, ſic ait: *Limitatur, 7. Quando in recuſatione non exprimitur cauſa, vel non legitima ad recuſationem: quia tunc poterit judex, attento jure canonico, et noſtro Luſitano, ad ulteriora procedere, ut late diximus, et probavimus, l. 4. c. 1.*

Cui conſonat Oliv. doctor etiam Luſitanus de foro eccleſ. 1. p. q. 17. n. 60. ibi: *Si autem recuſatio fuerit notorie calumnioſa, vel frivola, poterit indubitanter judex eccleſiaſticus eam rejiciendo, ut calumnioſam, ad ulteriora procedere, quæ ſententia vera eſt, et praxi recepta, quæ procedit ſecundum mentem omnium, licet calumnia recuſantis non ſit expreſſa in tenore recuſationis manifeſte, et notorie frivolæ, ſed ſufficit ex actis aliunde conſtare, ſeu colligi.*

XCIV. Ex quorum DD. probabiliſſima, imo et certa opinione, addita communi praxi, concludebam pro recurſus præſentis excluſione cum doctrina ejuſdem Guerr. de recuſ. l. 1. c. 19. n. 18. ibi: *Ubi de jure quæſtionatum fuerit, an cauſa propoſita ſit legitima, vel frivola, etiamſi judex eam non recipiendo ad ulteriora procedat, non ideo vim facit, ita ut competat recurſus; quia ad impediendum recurſum coronæ, ſufficit, quod judex habeat pro ſe opinionem, quia tunc ceſſat notorietas violentiæ, quæ omnino requiritur.*

XCV. Et cum doctrina Per. de man. reg. et aliorum ab Oliv. laudatorum, p. 1. q. 16. n. 10. ibi: *Prædicta reſolutio ampliatur, ut non ſolum procedat in ſententiis definitivis, latis à judicibus eccleſiaſticis; ſed etiam interlocutoriis ſuper exceptionibus, ſive dilatoriis, ſive peremptoriis, vel ſuper quæſtionibus ordinem judiciis reſpicientibus: nam licet exceptionem injuſte rejiciant, vel alias injuſte prenuntient; neceſſaria erit appellatio, ut gravamen reparari poſſit; nam ad tribunalia regia non patebit recurſus, ut, poſt longam diſputationem, concludit Caſtr. c. 9. n. 25. cum ſeqq. quia violentia non datur, ſed tantum injuſtitia per modum, et ordinem juris, de qua judex ſæcularis cognoſcere non poteſt, vel judicare.*

XCVI. Præterquam quod neque de injuſtitia prædicta rejectio accuſari poterat: Guerr. cit. l. 1. c. 19. n. 17. ibi: *Quando judex frivolas judicat cauſas, quæ judicis arbitrio committuntur, de injuſto argui non poteſt, neque ſyndicatui ſupponi,* Bobadil. l. 5. Larr. dec. 98. Queſ. Pil. &c.

XCVII. Reſpondebam, 2. Quod, me via executiva procedente, minime recuſari poteram; ex ordin. reg. l. 3. tt. 21. § 28. ub. Barb. et Card. verb. *Executor*, Thom. Vas, alleg. 96. n. 10. Bened. Per. in prompt. n. 890. præcipue procedendo prævia regiæ majeſtatis cognitione, atque reſolutione, quæ virtualis ſententia erat; proindeque neque recurſui aditus patebat, ut idem Guerr. cit. l. 2. cap. 60. n. 9. et ſeqq. ibi: *Licet executor, qui prævia ſententia non procedit, recuſari poſſit; tamen judex, cui committitur per literas requiſitorias executio alicujus diligentiæ, ut ſequeſtrum, admiſſio in poſſeſſionem, vel quid ſimile facti, quod nullam penitus cognitionem requiret, non poteſt recuſari, quia executor facti non gravat.*

XCVIII. Reſpondebam, 3. Quod, ſuppoſita recuſantis declaratione, ſe recurſum præſentem, ac recuſationem intentâſſe ad impediendam et regii reſcripti, et viſitationis meæ eccleſiaſticæ executionem, cum perturbatione manifeſta meæ ordinariæ juriſdictionis, atque pacificæ, et antiquæ illius poſſeſſione; certum remanebat neque recuſationem, neque intentatum recurſum locum habere, etiamſi, *vice verſa*, ego eos turbarem, aut impedirem in poſſeſſione ſua, vel ea ipſos ſpoliarem; nam, juxta vulgarem doctrinam, de qua idem Guerr. de recuſat. l. 5. c. 16. n. 23. ibi: *Recuſatio non habet locum adverſus inferentem vim, ſive impeditivam, ſive turbativam, ſive ſpoliativam: quia vim patiens movere poteſt contra vim inferentem remedia poſſeſſoria, ex ordin. l. 3. tt. 77. § 3. de quibus in tt. inſt. de interdictis, et in variis titulis ſatis notis tam in digeſtis, tam in codice, quam in jure canonico.*

XCIX. Denique ponderandam eſſe dicebam diſpoſitionem juris communis, et privati (de quo ordin. reg. l. 3. tt. 21. § 9. Thom. Vas, alleg. 96. n. 36. conſtit. Portualenſ. in regim. n. 14.) ordinantis, ut judices recuſationis, vel in ſententia, vel in rejectione ſuſpicionis articulorum, ſemper inclinent, et vergant ad judicandum, *quod non procedunt*; quia regulariter opponuntur dolo, vel malitia litigantium ad cauſas remorandas, vel ſpatiandas. Et licet recurrens jungebat atteſtationem quandam duorum religioſorum ſuorum certificantium, recurrentem à rejectione illa ſuſpicionum appellâſſe; illius falſitatem, et inattendibilitatem demonſtrabam, de qua infra, § ſequenti.

Et addebam, quod etiamſi legitima appellatio præceſſerit, cum ſuſpiciones notorie frivolæ, et calumnioſæ fuerint, ex rationibus ſuperius attactis; proindeque abſolute rejiciendæ; conſequenter etiam frivola, ac rejicienda veniret illius rejectionis appellatio; præſertim, me non proprio motu, ſed in executionem regii reſcripti procedente, ut formaliter ſancitum eſt in cap. *Novit ille*, de appellatione; ibi: *De ſuſpicione objecta, licet eum merito tibi ſuſpectum non fuiſſe credamus; non tamen, etſi fuiſſet, propter appellationem poſitam, ab eo deſiſtere debuiſſet, ad quod, non proprio motu, ſed noſtro potius præcepto proceſſit.*

Sect. III.

Quoad documenta, et atteſtationes ex adverſo productas.

C. Omnes atteſtationes ex adverſo ſimpliciter excipiebam, et indignas fidei eſſe oſtendebam, eo quod erant duorum ejuſdem ordinis religioſorum, recurrentis

rentis fratrum, qui neque notarii, neque officiales publici erant. Nam, licet regulares poſſint creare proprios notarios ad cauſas proprias, domeſticas, et internas; non tamen ad eas, quæ extra clauſuram proceſſandæ, et percurrendæ ſunt; ut videre eſt in Cardin. Deluc. in Trident. diſc. 22. Imo, dato, quod poſſent, nunquam tamen notarii ſic inſtituti extra clauſuram hoc officium exercere valerent, abſque ordinarii loci approbatione, ex eodem Trid. ſeſſ. 22. c. 10. de reform. Deluc. ad idem d. diſc. 22. Aldret. l. 1. cap. 18. n. 9.

Bullæ autem Pianæ *Demum*, concedenti regularibus prælatis facultatem ad creandos notarios religioſos reſtricte, videlicet, *Qui poſſint mandata, privilegia, et indulta apoſtolica intimare regibus, principibus, ducibus, marchionibus*, &c. reſpondebam conformiter ad ea, quæ jam expoſita manent. Et tandem ſpeciales, ac individuales earundem atteſtationum affectationes, atque notas inveriſimilitudines oſtendebam. Et aliis documentis ex ſupra traditis plene ſatisfaciebam.

Sect. IV.

Fiebat ſatis novis fundamentis à procuratore regio in coadjuvamen recurrentis allegatis.

CI. Primum erat novum gravamen, quod, præter recurrentem, adverſus magiſtratus juriſdictionem ex mea paſtorali, aſſerente, *ordinariam juriſdictionem harum parochiarum archiepiſcopis, et non magno magiſtro, hodie pertinere*; contrarium autem dicebat conſtare ex definitionibus ordinis Chriſti, p. 3. tt. 12. § 4. ubi breve Nicol. V. refertur, *Concedens regibus Portugalliæ, ut in conquiſtas mittere poſſint religioſos, qui audire poſſint confeſſiones illarum partium incolarum independenter ab ordinariis*, &c.

Satisfaciebam, 1. Verba illa, *independenter ab ordinariis*, non reperiri in bulla Latina; proindeque præſumi adjecta pro libitu in definitionibus.

CII. 2. Hoc etiam permiſſo, non loqui de religioſis illis, qui mittuntur eccleſias jam erectas parochiare, ſeu ovibus diœceſanorum ſacramenta parochialiter adminiſtrare (de his enim, nec verbum quidem) ſed loqui de religioſis illis, qui *miſſionaliter* dumtaxat mittuntur, prædicandi, ac doctrinandi gratia, ut gloſſa marginalis, ſeu recapitulatio ejuſdem bullæ declarat, § 16. ibi: *Fit etiam poteſtas mittendi miſſionarios etiam regulares . . . præfati miſſionarii poſſunt omnium ibi confeſſiones audire.*

Quæ quidem intelligentia ex eadem bulla Nicol. V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, convincitur ad § 16. ibi: *Quaſcunque voluntarias perſonas eccleſiaſticas, ſæculares, et regulares, de ſuperiorum ſuorum licentia, ad illa tranſmittere, ipſæque perſonæ mihi quorumcunque in dictis partibus exiſtentibus, confeſſiones audire, illiſque auditis, in omnibus, præterquam Sedi Apoſtol. reſervatis, caſibus, debitam abſolutionem impendere, necnon eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare valeant libere, et licite.* Ubi ex verbis, *voluntarias perſonas*, colligitur loqui de voluntariis miſſionariis; et ex illis, *eccleſiaſticas ſæculares*, colligitur non loqui de parochiis præficiendis; certum namque omnino eſt, clericos ſæculares non poſſe parochiare in aliquo loco, abſque approbatione ac licentia ordinarii loci.

Satisfaciebam, 3. Etiam admiſſa clauſula adjecta, *independenter ab ordinariis*, intelligendam quidem fore conformiter ad explicationes, ac declarationes bullæ Pianæ *Exponi*, de quibus ſupra, § 1. ad fundam. 3. Deinde, fundamentum hoc regii procuratoris extra punctum præſens videri adduci: dato enim, quod poteſtas confeſſiones audiendi in hiſce regionibus regularibus commiſſa foret; punctum præſens non erat *de confeſſione parochianorum*; ſed *de remotione à parochiis*; an ſcilicet ab eis per regiam majeſtatem, ut talem, poſſint citra injuriam amoveri jubere; et à me citra violentiam juſſio hæc exequi, et adimpleri?

CIII. Secundum fundamentum erat, quod ordinaria juriſdictio harum parochiarum, etiam poſt epiſcopatuum erectionem, *plene magiſtratui pertinebat*; ut probare conabatur ex eiſdem ordinis definitionibus, 3. p. tt. 9. et tt. 12. ſed facile ſatisfaciebam; quod ſi per *ordinariam juriſdictionem* volebat hic intelligere in abſtracto, et in confuſo, *quamlibet juriſdictionem perpetuam, et ratione officii*, ſecundum aliquorum definitionem; verum erat, quod magiſtratus hanc juriſdictionem retineret reſtricte, quoad jus beneficia præſentandi, et decimas percipiendi. At ſi per *juriſdictionem ordinariam* accipere intendebat *juriſdictionem epiſcopalem diœceſanam, vel quaſi, et eam quæ reſpicit curam animarum*; falſum omnino erat in hac uſurpatione, quod harum parochiarum ordinaria juriſdictio plene magiſtratui pertineret; quod quidem ex ipſiſmet citatis definitionibus plane evincebatur.

CIV. Nam, eod. tt. 12. § 3. p. 3. ſic definiunt: *Ordo, qui eſt in proviſionibus beneficiorum inſularum, et aliorum locorum ultramarinorum, hic eſt, præſentare magiſter: inſtitutio autem pertinet archiepiſcopis, ac adminiſtratoribus* (epiſcopalibus puta); *et ſic hactenus procedatur.* Et tt. 9. § 5. etiam definitur, *quod in eccleſiis, et capellis, quæ ſunt extra limites, qui pleno jure ordinis ſunt, collatio pertinet ad ordinarium.* Et tt. 11. ac tt. 15. ſimilia definiunt, de quibus § 1. ad fundam. 1.

CV. Ad allegationes alias à procuratore regio, ex eiſdem definitionibus deductas, plene etiam ſatisfaciebam; et quoad definitionem tt. 12. p. 3. declarantem, *Per epiſcopatuum erectiones non amiſiſſe ordinem, quod antea habebat*, reſpondebam, non amiſiſſe quod antea habebat, quoad jus præſentandi, ut ex immediate ſequenti contextu convincitur: *et magiſter præſentat tales prælaturas, dignitates, canonicatus, et reliqua beneficia curata, et ſimplicia:* non vero quod antea habebat, quoad juriſdictionem ordinariam diœceſanam, ſeu quaſi epiſcopalem, quam ordo ipſe habebat ante ejus extinctionem, et epiſcopatuum erectiones; de quo ſuperius § 1. ad fundament. 1.

Quæ quidem extinctio, et ſuppreſſio, præter ibidem tradita, conſtat etiam ex bulla *Romani Pontificis*, Pauli III. confirmatoria erectionis epiſcopatus Funchalenſis, et alterius bullæ Leonis X. de eadem erectione, ibid. et pag. 100. in bullar. collectione: *In quibus epiſcopus nullus, qui ea, quæ erant juriſdictionis epiſcopalis, exerceret, habebatur, excepto vicario oppidi de Thomar . . . vicariam ejuſdem de Thomar Apoſtolica auctoritate ſuppreſſerat, et extinxerat, ac tunc parochialem eccleſiam S. Mariæ in civitate de Funchal erexerat, et inſtituerat.*

Quoad aliam allegationem inſinuantem, *cauſam diſmembrationis juriſdictionis D. prioris Thomarenſis fuiſſe fratrum illorum clauſuram, non vero epiſcopatuum erectiones*; reſpondebam, hanc aſſertionem æquivoco laborare: non enim agebamus *de juriſdictione contentioſa forenſi*, quæ à perſona prioris *ob prædictam clauſuram diſmembrata eſt, et tranſlata ad unum adminiſtratorem, clericum ſæcularem, habitum ordinis gerentem, qui expeditus eam adminiſtrâſſet in locis, qui pleno jure ordinis ſunt*; ut formaliter legitur in eiſdem definitionibus, tt. 9. per totum; ſed impræſentiarum loquebamur *de juriſdictione ordinaria epiſcopali*, ſeu quaſi, quæ ordini ſuppreſſa, et extincta eſt, et archiepiſcopis, atque epiſcopis, in epiſcopatuum erectione, tradita.

CVI. Ad alteram allegationem in favorem recurrentis, ſimul via recurſus, et tuitivæ utentis, *eo quod tenderent ad eundem finem*, ut aiebat regius procurator; reſpondebam, contrarium defenſari ab Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 62. et judicatum adduci à Per. de man. reg. c. 22. in fin. qui quidem, licet affirmet, poſſe partes uno vel altero medio uti; non aſſeverat, poſſe adire utrumque ſimul. Et hinc *ad hominem* redarguebam regium procuratorem, ſecundam meam paſtoralem redarguentem, qua poſt primam notificatoriam parochorum, ad parochias in manibus coadjutorum relinquendas, cavebam, ne religioſus aliquis ejuſdem religionis, in eaſdem, poſt parochorum deſertionem, denuo ſe, ut parochus, introduceret; et dicebam; ſi hæc ſecunda paſtoralis in ordine ad eundem finem, tradendi ſcilicet parochias clericis ſæcularibus tendebat; cur ea, poſt primam, uti mihi non liceret? præſertim cum illa regia providentia reſpiceret parochianorum tuitionem, ac defenſionem, ut ſupra eſt oſtenſum; ex adverſo paſſim obtruderetur, quod *pluribus defenſionibus nemo uti prohibetur*, l. *Nemo*, de except. c. *Nullus*, de reg. jur. in 6.

CVII.

CVII. Et quia audieram, regios judices diſtinctionem aliquam excogitâſſe, et inducere voluiſſe, inter *jus patronatus, et jus magiſtratus*, atque inter regiam majeſtatem, ut patronum, et ſeipſum, *ut magnum magiſtrum*; animadvertebam, jus patronatus harum eccleſiarum ineſſe regiæ majeſtati, *ut magno* ordinis Chriſti *magiſtro*; et hoc jus patronatus dumtaxat magno magiſtro reſervatum fuiſſe in epiſcopatuum erectionibus, ut ex illarum bullis liquido conſtat; proindeque idem eſſe formaliter, *jus patronatus*, atque *jus magiſtratus*, in ordine ad beneficiorum præſentationem. Et nemo ſemiliteratus aſſeverare audebit (ut præmiſſa excogitata diſtinctione pertendi videtur) parochos regulares recipere inſtitutionem, ſeu juriſdictionem ad curam animarum, ſive ad parochiandum, à regia majeſtate, non ut patrono, ſed *ut magno ordinis magiſtro*. Hoc enim manifeſte repugnat juri, rationi, Pontificiis diplomatibus, atque auctoritatibus ſuperius extenſis.

Sect. V.

Quoad ſententiam interlocutoriam, ſuper impedimentis promotoris eccleſiaſtici, pro rogativæ chartæ expeditione ad actorum remiſſionem, et reliquis in impedimentis objectis.

CVIII. Recolenda ſunt præjactorum impedimentorum fundamenta ſuperiori allegat. prælibata; necnoc excuſatio ibidem inſinuata culpabilis omiſſionis, ac injuſtæ præteritionis chartæ rogativæ pro actorum remiſſione ante ſententiam recurſus inviolabiliter, ac neceſſario præmittendæ, atque intempeſtivæ acceleracionis illius ſententiæ feſtinanter prolatæ, antequam plene audirer, ac juſtitiæ meæ allegationem facerem: quas quidem notas, ac defectus palliare præſumebant, inſufficienti, ac frivola, imo minus vera exculpatione, quod nec ego, nec pars recurrens de actis accuſatis mentionem fecerimus: cujus quidem excuſationis minus veritatem, hic ſpeqialiter demonſtrabam ex actis eiſdem.

Ex quibus, et præſertim ex documentis annexis, conſtabat tres diſtinctos proceſſus interceſſiſſe in judicio meo, inibique poſt ſolitum curſum per ſententiam abſolutos fuiſſe; videlicet proceſſus petitæ exhibitionis regii reſcripti originalis ad impedimenta executioni objicienda; atque proceſſus alius recuſationis; et alter appellationum; præter notoriam exemplarium duorum ex illis proceſſibus à recurrente adjunctorum abſque finalibus ſententiis, et aliis delationibus, deminutionem, et vehementem vitii ſuſpicionem, eo quod à parte tranſcripta erant; cui etiam addebatur irrefragabilis ſtyli infractio, et manifeſta adverſatio, non petendo propria, et originalia acta, ſed illorum loco ſuſpecta, ac defectuoſa exemplaria, abſque neceſſitate admittendo; de cujus ſtyli irrefragabili obſervantia videndus Per. de man. reg. c. 12. n. 6. et ſeqq. Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12.

CIX. Nec judices relevabat quædam excogitata ſubtilitas; videlicet, quod *per ſecundam exceptionem à me oppoſitam* ſuperiori allegatione, poſt documentorum copiam mihi exhibitam, *viſus fuerim documenta ipſa approbare, et in eis conſentire.* Non relevabat, inquam; ex ipſa namque exceptione hæc ſubtilitas plane retundebatur. Qui enim excipit, non conſentit; et formaliſſime in illa interlocutoria totum recurſum, et illius proceſſum excipiebam, eo quod recurrens medium tuitivæ chartæ obtinendæ adierat. Qui autem totum excipit, conſequenter ſingulas ipſius totius excipit partes; præſertim ratificando, ac renovando omnes exceptiones, ac proteſtationes in prima mea reſponſione, ſuperiori videlicet allegatione, facta. Si autem ſpecialiter adverſus documenta ipſa, in ſecunda exceptione nil objeci; id conſulto feceram, eo quod adhuc conveniens, ac competens locus ad eam objectionem obtrudendam reſtabat, juxta ſuperius allegata, præced. allegat.

CX. Opponebam tandem, quod etſi impedimentis à promotore meo objectatis delatum foret, jubendo ſolitam chartam ad tranſmiſſionem actorum expedire: attamen nihil omnino delatum eſt quoad recurſus ſententiæ revocationem ab eodem promotore in eiſdem impedimentis ſupplicatam, ob fundamenta, ac rationes ibidem expreſſas; et ſpeciatim ob notoriam, et ſacrilegam nullitatem adjudicandi, in eadem ſententia ordinariam juriſdictionem parochiarum illarum magiſtratui, et non archiepiſcopatui, inſuper denegando mihi pertinere inſtitutionem parochorum eorum, cum manifeſta turbatione, offenſa, uſurpatione, imo et totali everſione juriſdictionis ordinariæ epiſcopalis, ac diœceſanæ; præter aliam notoriam nullitatem ob incompetentiam, atque incapacitatem judicii ſæcularis ad judicandam rem mere eccleſiaſticam, ſpiritualem, qualis erat juriſdictio epiſcopalis diœceſana; præſertim quoad curam animarum, ſeu inſtitutionem, ac ſpiritualem poteſtatem in eas parochis conferendam, pro paſtorali ſacramentorum adminiſtratione: de qua incapacitate, et incompetentia, *etiam ad cognitionem ſummariam per viam facti*, ipſemet Per. de man. reg. c. 24. n. 12, 13. et ſeqq. Valaſc. c. 169. n. 9. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 8. per tot. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 7. n. 4. ex cap. *Cauſam*, de perſcript. Pirringh. in jus can. l. 2. tt. 2. n. 81.

CXI. Quare ratificabam, ac denuo objectabam eadem impedimenta à promotore meo oppoſita, cum omnibus proteſtationibus, ac requirimentis ab illo, et à me in actis recurſus factis; et noviter ſupplicabam ejuſdem ſententiæ revocationem ob eadem fundamenta, ac notorias nullitates, necnon ob notoriam incurſionem cenſurarum bullæ Cœnæ Domini, et aliarum jure latarum (pro quibus proteſtabar); vel ſaltem *(ſalva incompetentia objectata)* quod declararent, expectabam, ſententiam prolatam non loqui de juriſdictione ordinaria epiſcopali, vel quaſi, quæ extincta, ac ſuppreſſa fuerat ordini militiæ Chriſti, ſed de juriſdictione, aut jure in bullis Pontificiis eidem reſervato quoad beneficiorum præſentationem, ac decimarum perceptionem.

CXII. Sufficiebat namque prænotata confuſio præmiſſæ ſententiæ indiſtincte, et confuſe loquentis, ad hoc, ut judices ſæculares ſub cenſuris ad eam ſaltem reformandam, ac declarandam, ad quod à judicibus eccleſiaſticis per eoſdem cogi poterant; pro quo iterum proteſtabar. Barb. dec. apoſtol. collect. 442. n. 7. Nicol. in floſcul. verb. *Laicus*, n. 4. Sperell. dec. 12. n. 39. et 45. Panimol. dec. 31. ex n. 21. Paſſerin. in cap. *Statutum*, n. 59. de hæretic. in 6. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 6. n. 2. et 7. DD. et commun. in cap. *Gravem*, c. *Noverit*, de ſentent. excommunic. et in c. *Quoniam*, de immunit. in 6. et in bull. Cœnæ, can. 14, 15, 16. et 17. Et ſic à me ſubſcriptam hanc allegationem, die 9. Decembr. eiſdem ann. 1728. abſolutam tradidi.

CXIII. Qua tamen non obſtante, ut præmiſſis ſupplicationibus, requirimentis, ac proteſtationibus deferre non tenerentur, vel à non delatione exculparentur, præjactam meam allegationem, jam recurſus actis concorporatam, ut concluſione facta, ſuper ea, et ejus requirimentis, ſententiam ferrent, his prætermiſſis, eam ab actis avellere, ac diſmembrare juſſerunt, et eiſdem tantum per lineam jungi; et ſic primam recurſus ſententiam ratificantes, primam rogatoriam chartam, ex vi illius, per novam ſententiam expedire mandârunt; quin neque præfatis ſupplicationibus attenderint, neque ſuper illis, etiam in excluſionem, aut non delationis excuſationem, verbum quidem protulerint.

ALLEGATIO XXV.

In Reſponſione ad primam et ſecundam Chartam rogativam in eodem Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Impedimenta nullitatis ex actis omnino conſtantis, recipiuntur.*
III. *Recurſus eſt ſtricti juris, et in eo nequit provideri parti ultra petita.*
IV. *Procurator regius nequit eſſe procurator ordinis, ex ejuſdem definitionibus.*
V. *Poſt inceptam executionem non debet dari à mero executore copia reſcripti.*
VI. *Exceptiones regio procuratori oppoſitæ.*
VII. *Et ſententiæ clauſulis præceptivis, quæ rogativæ eſſe deberent.*
VIII. IX. *Ad expeditionem ſecundæ chartæ mira celeritate proceſſum eſt.*
X. XI. *In reſponſione ad ſecundam chartam præcludebatur effugium procuratoris regii.*
XII. *Et* ad hominem *convincebatur ex ipſa ſententia ultra petita.*
XIII. *Paræciæ præſentes non pertinebant in ſolidum archiepiſcopatui, eo quod præſentatio magiſtratui pertineret.*
XIV. *Regium reſcriptum expeditum fuit ex vera informatione; proindeque non comprehendebatur ord. l. 2. tt. 43.*
XV. XVI. *Non detulerunt judices ſupplicationibus, et proteſtationibus factis; et quare?*

I. EXPEDITA prima charta rogativa, ac de ea mihi copia data (non enim aſſentiri volui promotoris mei cogitationi, qua eidem chartæ nova impedimenta in cancellaria, ne ab ea expediretur, objicere præmeditabatur, quod et efficere poterat ſecundum ſtrictum ſtylum, de quo Coſt. de ſtyl. domus ſupplication. annot. 8. et nos infra alleg. et ſolida, ac relevantia fundamenta ad ea noviter objectanda non deerant) reſponſionem, atque brevem allegationem chartæ ipſi exhibitæ, pro impedimentis ſummarie oppoſui.

II. Atque narrata prius ſerie omnium priorum injuſtarum præteritionum, de quibus præcedentibus allegationibus, necnon collectione facta novarum in fine præmiſſæ immediatæ allegationis inſinuatarum; dicebam per modum objectionis, 1. Impedimenta promotoris mei, toti recurſui oppoſita, ac toti ejus proceſſui, ſemel quod erant impedimenta notoriæ nullitatis, ex actis, atque ſententia ipſa probatæ, præter accuſatas præteritiones, et totalis juſtitiæ meæ, ac defenſionis allegationem, pro qua proteſtatus eram, deſtitutionis, atque indirecte inhibitionis; ex ipſa notorie ſacrilega intromiſſione judicum, in judicanda cauſa pure eccleſiaſtica, et puncta mere ſpiritualia, de quibus ſupra, omnino recipienda fore.

III. Dicebam, 2. Recurſum, atque gravamen, juxta vulgarem doctrinam, de qua Mend. in prax. 1. p. Salg. de prot. reg. p. 1. c. 2. Pet. de man. reg. c. 7. et alib. Oliv. de for. eccleſ. q. 17. Oſor. de patron. reg. et alii, eſſe ſtricti juris; neque in illo poteſt extenſio, aut deciſio extendi ultra id, quod pars principaliter aggravans, aut recurrens, allegat; et multo minus ultra petita. Mend. in prax. et alii citat.

Ex ſententia autem recurſus, clare conſtabat, ultra petita, ſeſe extendere ad uſque juriſdictionem diœceſanam, epiſcopalem ſuper has parochias penitus evertendam, atque abolendam.

IV. Dicebam, 3. Quod, cum regius procurator (qui, ut talis, eſſe non poterat procurator ordinum militarium; quippe utrumque officium ſimul in uno ſubjecto adunari, acriter vetatur, in definitionibus ordinis Chriſti militiæ, p. 2. tt. 23. in princip.) pro aſſiſtentia recurrenti, intra cujus terminos præciſe debebat contineri, novum gravamen pro parte magiſtratus de mea ſecunda paſtorali, atque de aliquibus ejus clauſulis novum recurſum interponeret; utique de jure novam illius novi gravaminis mihi exhibitionem, atque copiam præſtare deberent, ſub pœna nullitatis proceſſus, ex vulgaribus.

V. Dicebam, 4. Quod, ſecundum receptam doctrinam, præſertim noſtrorum DD. regnicolarum, quod ex originali reſcripto, aut ſententia, non debetur dari copia, nec fieri exhibitio ad impedimenta obreptionis, ac ſurreptionis, poſt inceptam executionem, præſertim à mero executore, ordin. reg. l. 3. tt. 87. gl. in l. *Qui*, de edend. l. *Nimis*, cod. de teſtib. Peg. for. tom. 1. c. 5. et tom. 2. c. 18. n. 51. Mend. à Caſtr. p. 1. et alii communiter. Quando autem præſens recurſus interjectus fuit, jam incepta erat regii reſcripti executio commiſſa.

VI. Deinde, cum præteritiones prædictæ, et omnes aliæ acceleraciones accuſatæ, injuſtitiæ, ac nullitates ad inſtantiam, vel ad ſuggeſtionem regii procuratoris N. perpetratæ fuerint, hunc ſpecialiter excipiebam; tum eo quod de induſtria in illo officio nulliter, et injuſte conſervaretur, poſt novam deputationem, atque aditionem exercitii officii procuratoris ordinum, notorie incompatibilis cum officio, atque exercitio procuratoris coronæ, ex cit. definit. atque ex ipſa rectæ rationis ordinatione; tum eo quod mihi, meæque juriſdictioni ordinariæ, erat notorie ſuſpectus, et, ut talis, declaratus, redargutus, atque increpatus, per proprias declarationes regias in reſcriptis regalibus ſuperius tranſcriptis.

VII. Excipiebam ſimul aliam incivilem, atque injurioſam, imo et ſacrilegam clauſulam, omnino juri, ſtylo, atque dignitati, immunitati, libertatique eccleſiaſticæ contrarium, in hac prima rogatoria charta formaliter expreſſam, quatenus verbis formaliter præceptivis utebatur, dicendo: *Jubeo, ut expediatur charta rogatoria, per quam mando præfato reverendo archiepiſcopo*, &c. Quæ quidem formalitas præceptiva implicabat cum nomine, aut titulo ipſo, *Chartæ rogatoriæ*; necnon contraria erat, nedum eccleſiaſticæ exemptioni, ac immunitati, verum et generali, atque irrefragabili ſtylo in his recurſus, atque gravaminis proviſionibus, atque expeditionibus; at tandem omnes proteſtationes jam factas, atque ſupplicationes renovans, et ratificans, cum reliquis neceſſariis, novam et expreſſam proteſtationem addens *pro jure* defenſionis juriſdictionis meæ, atque immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ. Et ſic hanc meam allegationem ad primam chartam rogativam abſolvi, ac tradidi die 21. Decembr. ejuſdem anni 1728.

VIII. Quibus tamen nihil proficientibus, et judicantibus judicibus expediri debere ſecundam ſolitam chartam, reformatis formalitatibus præceptivis; ſuppoſitis præmiſſis proteſtationibus, paravi procedimentum aliud in defenſionem adhibere, quod in ſequenti alleg. continetur, dum prima rogatoria charta expediretur. Hic tamen reſponſionem ſecundæ chartæ licebit conjungere, ad confuſionem, ac diſtenſionem evitandam.

IX. Et obſervet obiter prudens lector tum expeditionum celeritatem, tum temporis incongruitatem, atque indecentiam, diebus ſcilicet feſtivis, ac feriatis, quibus, et ſententiæ interlocutoriæ, et expeditiones earum, per cancellariam etiam proferebantur, et exequebantur.

X. Secundæ igitur chartæ ſic, ſummatim præmittendis præmiſſis, reſpondebam. Et quia regius procurator allegationem meam *impertinentem* vocitabat, eo quod, ut ipſe aiebat, in cunctis actis neque diſputabatur, neque involvebatur materia principalis circa pertinentiam juriſdictionis ordinariæ ſuper has parochias, an ſcilicet pertinerent juriſdictioni ordinariæ diœceſanæ archiepiſcopatus, an magiſtratus, an autem religionis recurrentis? ex ipſis actis expreſſe, atque evidenter, hujus aſſerti falſitatem, hujuſque effugii inſubſiſtentiam convincebam.

XI. Et, 1. Ex 1, 2. et 3. fundamento recurrentis ex parte materiæ, de quibus ſupra § 1. alleg. præcedentis.

2. Ex

2. Ex formalitate ipſius recurſus ſententiæ; quatenus judicabat, *Juriſdictionem ordinariam harum parochiarum, et parochorum approbationes, atque inſtitutiones, non epiſcopatui, ſed magiſtratui pertinere; cujus magiſtratus juriſdictio extincta ac ſuppreſſa erat per epiſcopatuum erectiones*, &c.

3. Ex novo gravamine, novoque recurſu ab ipſomet procuratore regio intentato, eo quod in mea 2. paſtorali aſſeveraretur, *parochias iſtas pertinere juriſdictioni ordinariæ archiepiſcopatus.*

XII. Et hinc *ad hominem* arguebam: ſi enim cauſa hæc principalis competentiæ ordinariæ juriſdictionis parochiarum illarum, in totis actis neque diſputata, neque involuta eſt; quomodo judices ſuper eam judicârunt, ac deciderunt? et quomodo eam in ſententia recurſus involverunt, notorie ultra petita judicantes, quatenuus juriſdictionem illam magiſtratui, et non archiepiſcopatui attinere pronuntiârunt? Et quomodo ſuper hac principali materia regius procurator novum gravamen, atque novum recurſum intentavit, ſi materia hæc nec ventilabatur, neque involvebatur in actis?

XIII. Similiter efficaciter convincebam, ac demonſtrabam, minus veri ſenſus extorſionem, qua regius procurator aſſeverabat, regiam epiſtolam ann. 1684. reſcriptam illuſtriſſimo archiepiſcopo hujus diœceſis D. Emmanueli Meneſio, aſſerentem *eccleſias has non pertinere in ſolidum juriſdictioni ordinariæ; eo quod magiſtratus in illis haberet jus patronatus*, ſeu præſentationis beneficiorum: ex qua aſſertione volebat inferre, eccleſias has pleno jure, atque *in ſolidum*, magiſtratui pertinere, &c.

Convincebam, inquam, ex ejuſdem epiſtolæ contextu; ideo namque *in ſolidum* archiepiſcopatui non *pertinebant*; *eo quod magiſtratus habebat in illis jus præſentandi beneficia*; quod quidem ipſi reſervatum eſt, quando per bullas Pontificias juriſdictio ordinaria ordinis, quaſi epiſcopalis, militiæ Chriſti in ipſis eccleſiis extincta, et ſuppreſſa eſt, et archiepiſcopatui, aut epiſcopatui tradita, ut ſuperius oſtenſum eſt: neque epiſtola hæc revocabat, aut derogabat priorem regiam declarationem ſereniſſimi regis Joannis IV. de qua alibi.

XIV. Ad notam, quam ipſe ſugillabat meæ allegationi ordin. l. 2. tt. 87. circa denegationem copiæ ſenſentiæ ad impedimenta opponenda poſt inceptam executionem; dicens, me allegare debuiſſe ordin. l. 2. tt. 43. quæ agit *de chartis per falſam informationem impetratis*; reſpondebam, regium reſcriptum expeditum fuiſſe ex vera informatione, deducta ex libro denuntiationum viſitationis, qui plene probat, et plenam fidem fecit, Monacell. p. 1. tt. 5. form. 2. n. 59. et firmat Rott. coram Dunoſ. Jun. dec. 61. n. 6. Panimol. dec. n. 12. Romaguer. ad ſynod. Ger. l. 1. tt. 1. cap. 6. n. 6. et alii.

Proindeque melius ad rem veniebat mea allegatio, quam inſinuata à doctore procuratore regio.

XV. Deinde, omiſſis variis adverſum me dicteriis, atque ſcommatibus, longe notabile eſſe dicebam, quod regius procurator in allegationibus ſuis præſentibus minutiſſima quæque adeo evolvens, atque everrens, præcipuis meis querelis de præmiſſis injuſtis præteritionibus, præcipitantiis, nullitatibus, incompetentiis, atque accelerationibus, ne verbum quidem eis pro ſatisfactione, aut ſatisfactionis apparentia, apponere curâſſet; forſan, quia nullum, etiam apparenter, appoſitum adinvenerit.

Iterum conquerebar, ac notabam, quod jubentes judices actis recurſus concorporari meam primam allegationem pro exceptione oblatam, eatenus præcipuam allegationem toti recurſui, eiſdem reuniri poſt ejus, contra ſtylum, diſmembrationem, atque avulſionem, etiam bis ſupplicati, et cum proteſtationibus requiſiti, omnino renuerent, et hoc eodem actu, et paſſu, quo allegationem aliam breviorem, qua majorem, et principaliorem prædictam introducebam, eiſdem actus recurſus adunari, atque concorporari juſſerunt.

XVI. Quare eandem præcipuam allegationem denuo ratificans, atque offerens, eandem reunionem ſupplicabam, et eaſdem proteſtationes, ac ſupplicationes ſuperius factas iterando, ac ratificando, hanc ſecundam ſecundæ rogativæ chartæ reſponſionem à me ſubſcriptam tradidi die 5. Januar. novi ann. 1729. cujus quidem ſententia primæ conſimilis fuit.

ALLEGATIO XXVI.

Ia Reſponſione ad Recurſum alium diſtinctum à Judicibus regiis intentatum, ſuper Monitorio meo, ad hoc, ut ſub Pœna Interdicti perſonalis vel retractarent, vel reformarent Clauſulam Sententiæ præfati Recurſus, qua affirmabant Juriſdictionem ordinariam harum Parochiarum, et Parochorum Inſtitutionem, ac Approbationem, non Archiepiſcopatui, ſed Magiſtratui pertinere.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Unicum fundamentum recurſus ſiſtebat in ſingulari auctoritate Gabr. Per.*
III. *Qui cum clauſula juſtificativa procedit, neminem gravat.*
IV. *Judici excedenti ſuam juriſdictionem, ut privato, reſiſti poteſt.*
V. *Varii exceſſus judicum.*
VI. *Exceſſit etiam procurator regius procuratorem ordinis agens.*
VII. VIII. *Effugium præcluſum, ſe non juriſdictionem eccleſiaſticam judicâſſe, ſed regias de illa declarationes.*
IX. *Sufficit quævis offenſa quomodolibet libertatis eccleſiaſticæ ad ſubjiciendum cenſuris à jure.*
X. XI. *Sufficit confuſa, et indiſtincta locutio, ad hoc, ut judices laici in illa materia poſſint cogi ab eccleſiaſtico ad revocationem, vel ad declarationem.*
XII. *Ordinarii habent ſuam intentionem in jure fundatam adverſus omnes ſibi ſubditos.*
XIII. *Unico fundamento recurſus plene ſatisfiebat.*
XIV. *Judex regius non ſubjicitur judici eccleſiaſtico*, dum cognoſcit *præciſe*; *ſecus vero*, dum cognoſcendo lædit, *aut offendit.*
XV. *Judex incompetens per offenſam fit competens.*
XVI. *Per. loquitur de excommunicatione lata à judice eccleſiaſtico in ſæcularem ſine cauſa, et præciſe ob cognitionem, non vero de lata ex cauſa juſta ob exceſſum in cognoſcendo.*
XVII. *Imo loquitur de excommunicatione lata poſt ultimam ſententiam in palatinos ſenatores, non vero de lata in primos judices ob exceſſum.*
XVIII. *Rogativæ regis virtualiter continent præceptum.*
XIX. *Acceleratæ offenſæ adhibenda eſt defenſio non tarda.*
XX. *Exitus utriuſque.*

I. CUM judices regii impedimentis mei promotoris ſuper præteritionibus, ac nullitatibus in eis allegatis, præcipue nullitate, et ſacrilegio judicandi cauſam mere eccleſiaſticam, atque ſpiritualem, cum notoria turbatione, ac offenſa, imo et uſurpatione juriſdictionis ordinariæ diœceſanæ, quatenus eam archiepiſcopatui denegantes, magiſtratui appropriabant, deferre ſemel et iterum noluerint; imo penitus rejecerint; ſuppoſita hujus turbationis, atque offenſæ notorietate, necnon illius non delationis contumacia, utendo jure defenſionis, pro quo ſemper promotor ipſe, et ego proteſtatus eram, ad ejus inſtantiam monitorium edidi, quo ſub cenſura interdicti perſonalis, et ſub pœna declarationis in cen-

ſuras juris, judices admonebam, ut vel clauſulam illam ſacrilegam, et offenſivam juriſdictionis ordinariæ diœceſanæ reformarent intra certum terminum, vel ſalcem declararent, eam non loqui de juriſdictione ordinaria archiepiſcopali, in ordine ad inſtitutionem auctorizabilem parochorum, quæ curam animarum reſpicit, ſed præciſe de jure patronatus, in ordine ad inſtitutionem collativam tituli, ſeu beneficiorum præſentationem. A quo monitorio ſtatim judices regii novum recurſum ad idem coronæ tribunal ſub diverſis judicibus interpoſuerunt, ſimul ab eo coram me appellationem ad S. Sedem interjicientes; in qua, cum aperte inſinuatæ diſtinctionis viam capeſſentes, declararent, ſententiam non loqui de juriſdictione ordinaria epiſcopali quoad inſtitutionem, animarum curam reſpicientem, appellationem recepi; proſequentibus eiſdem intentati curſum recurſus.

II. Fundamentum illius unicum erat, auctoritas videlicet Gabr. Per. de man. reg. cap. 12. n. 11. ibi: *Lata excommunicatio contra judicem regium, dum cognoſcit, nullo modo valida eſt, nec obſervanda, ex defectu cauſæ.* Cui tamen fundamento, et toti recurſui, atque illius admiſſioni, ac progreſſui, reſpondebam ſequenti formalitate. Et—

III. Dicebam imprimis, quod, juxta commune DD. placitum, cum quibus ipſemet Peg. ad ordinat. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. n. 34. *Recurſus non datur contra judices eccleſiaſticos, quando procedunt per monitorias chartas cum clauſula juſtificativa:* nam, ut ait Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 48. *Qui cum hac clauſula procedit, neminem gravat, in quo aliquando vidi erratum per judices regios . . . Unde judices ſæculares, qui prætextu violentiæ in his terminis contra eccleſiaſticum procedunt, cenſuram bullæ Cœnæ non effugient.*

De quo etiam videndus Monacell. p. 2. tt. 15. form. 2. n. 7. et p. 3. tt. 1. form. 38. et Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. Fagn. in cap. *Super eo*, de appellat. et alii paſſim.

IV. Et præter hanc rationem, quæ ſufficiens erat ad excludendum recurſum, aliam etiam, in communi doctrina fundatam, allegabam; videlicet, quod *judici excedenti ſuam juriſdictionem, vel ſine illa procedenti, ut mero privato, reſiſti poteſt.* Pignatell. tom. 1. conſ. 150. n. 11. Peg. forenſ. paſſim; et ad ordin. tom. 3. et 8. frequentiſſime.

V. Quod autem judices regii nedum juriſdictionem ſuam exceſſerint, quinimo abſque illa abſolute proceſſerint, ex ipſis actis ad oculum demonſtrabam; et præſertim ex ipſa ſententia recurſus, qua nulliter, et ſacrilege judicabant, *juriſdictionem ordinariam harum parochiarum, et parochorum inſtitutionem, atque approbationem, quoad animarum curam exercendam, non archiepiſcopatui, ſed magiſtratui pertinere*; expreſſe, et formaliter denegantes, *juriſdictionem ordinariam, quam ordo militiæ Chriſti antea in his parochiis habebat, extinctam, et ſuppreſſam fuiſſe per epiſcopatuum erectiones, in quos ordinaria ea juriſdictio tranſlata eſt, reſervato dumtaxat magno magiſtro jure patronatus*, &c.

Et præter hanc notoriam incompetentiam, imo et incapacitatem judicandi cauſam mere eccleſiaſticam, ac ſpiritualem, etiam notorie exceſſerant, quatenus, ultra limites gravaminis, aut recurſus (qui quidem ſtricti juris eſt, et non poteſt cognoſci præciſe, niſi de vi, aut violentia à recurrentibus expoſita, atque objecta, Per. de man. reg. c. 7. Oliv. et reliqui ſupra cit.) judices præſentes cognitionem adeo ampliârunt, ut ultra terminos reſtrictos gravaminis, in materiam principalis cauſæ ſeſe intromiſerint, eam definiendo, ac judicando; et ultra gravamen à recurrente pro religionis ſuæ parte, novum aliud admiſerunt à procuratore regio, pro parte magiſtratus; et hoc ſimul dijudicârunt, quin ſuper eo ego auditus forem, neque novorum hujuſce novi gravaminis fundamentorum mihi copia ante ſententiam exhiberetur ad meam neceſſariam defenſionem, atque juſtitiam allegandam, contravenientes manifeſte ipſi juri naturali, atque utrique juri poſitivo ſcripto, cap. *Deus omnipotens*, cap. *Sicut*, 2. q. 1. Joan. vii. 51. late Guerr. de diviſ. l. 8. cap. 3.

VI. Ipſeque regius procurator terminos præciſe aſſiſtentiæ recurrenti notorie exceſſerat, quatenus, non contentus intra illius reſtrictos limites in hoc gradu recurſus, de quo regia ordin. l. 1. tt. 12. novum gravamen adinventum introduxit pro parte ordinis militiæ Chriſti, cujus procuratoris vices neque gerebat in hoc gradu, neque in illa præciſa recurrenti adſiſtentia, neque gerere poterat, ex abſoluta et expreſſa ipſius ordinis definitionum prohibitione, p. 2. tt. 23. in princip.

VII. Neque judices regios relevat excogitatum effugium, quo ſe tegere prætextabant, allegantes, ſe non juriſdictionem eccleſiaſticam judicâſſe, ſed tantummodo regias de illa declarationes, judicantes dumtaxat, id ipſum à regia majeſtate declaratum fuiſſe: nam contrarium, 1. Ex ipſamet formalitate ſententiæ convincebatur.

VIII. 2. Ex ipſiſmet citatis regiis declarationibus, tum in epiſtolis, aut reſcriptis allegatis, tum in laudatis definitionibus; in quarum nulla talis declaratio apparebat, neque inveniebatur. Imo in cit. definitionib. q. 3. tt. 12. § 3. expreſſe declarabatur, *In beneficiis ultramarinis pertinere præſentationem magiſtratui; inſtitutionem vero archiepiſcopis, et epiſcopis.* Quod eſt iterum in tt. 9. § 5. et aliis ſupra cit. declaratur. Quibus addebantur expreſſæ, ac formales declarationes ſereniſſimi regis Joannis IV. et ipſius menſæ ordinum ſuperius extenſæ.

IX. Dicebam inſuper, quod, ut detur læſio, aut offenſa juriſdictionis, immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ, cenſuris bullæ Cœnæ, et harum procedimento ſubjecta, ſufficit, quod offenſio, turbatio, præjudicium, aut impedimentum ſit *quomodolibet, directe, aut indirecte, vel expreſſe, conſilio, auxilio, vel favore*; et quod per *ſtatuta aliqua*, ordinationes, aut quævis alia decreta, *ſive in genere, ſive in ſpecie quomodolibet fecerint, aut publicaverint, unde libertas eccleſiaſtica in aliquo læditur, aut deprimitur, aut alias quomodolibet reſtringitur, ſeu quarumcunque eccleſiarum juribus quomodolibet, ut ſupra, præjudicatur*, &c. ut videre eſt in can. 13, 14, 15. et 16. et in DD. qui de cenſur. bullæ Cœnæ agunt ſpeciatim, quales ſunt Bonac. Caſtr. Pal. curſ. moral. Salmant. tr. 10. et reliqui.

X. Non autem negare poterant miniſtri recurrentes, quod ſententia ab eiſdem in generalis procuratoris Franciſcani recurſu prolata, et bis ratificata, ac publicata, ſaltem *tacite, indirecte, et aliquo modo*, offendebat, atque præjudicabat juri, ac ordinariæ juriſdictioni archiepiſcopatus, quatenus vel eam magiſtratui appropriabant, et ab archiepiſcopatu tollebant, vel ſaltem confuſe, et indiſtincte de ea loquentes, eam confundebant cum ordinaria juriſdictione, quam antea ordo in has eccleſias habebat, et hodie in eccleſiis pleno jure ſibi ſubjectis adhuc habet, ac cum jure patronatus, dumtaxat in his parochiis, magiſtratui reſervato; aut cum jure ad inſtitutionem collativam tituli beneficiorum confundebant juriſdictionem inſtitutionis auctorizabilis, aut curæ animarum.

XI. Et ſufficit hæc indiſtincta, et confuſa locutio, ad hoc, ut judices eccleſiaſtici poſſint cogere judices ſæculares ad revocationem, vel ſaltem ad declarationem ſimilium decretorum, aut ſententiarum. Barb. dec. apoſtol. collect. 447. Sperell. dec. 12. Panimol. dec. 31. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 6. n. 2. et 7.

XII. Et certum etiam omnino eſt, ordinarios ſuam intentionem in jure fundatam habere adverſus omnes ſuas oves, et cunctos ſibi ſubditos, etiam regios miniſtros, ac ſenatores aulicos, vel palatinos, et adverſus totum eorum tribunal. Mend. à Caſtr. in prax. p. 1. c. 19. n. 22. ordin. reg. l. 1. tt. 2. et tt. 4. et tt. 36. et l. 3. tt. 21. ubi Barb. et Peg. et Coſt. de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 3. Cortiad. dec. 18. Guerr. l. 2. c. 14. de recuſat. et in hac ſuppoſitione animadvertunt Pignatel. et cum illo Monacell. cit. p. 3. quod ordinarii adverſus tribunalia totalia, potius per cenſuras interdicti, quam majoris excommunicationis procedant.

XIII. Unico tandem, et totali recurrentium fundamento ex Per. de man. reg. cap. 12. n. 11. deducto; videlicet, *Quod lata excommunicatio contra judicem regium, dum cognoſcit, valida non ſit, ex defectu cauſæ*; reſpondebam, 1. Ex ipſiſmet verbis formalibus quidem auctoritatis: loqui de *excommunicatione lata*, non vero de *ferenda*, aut per monitorium *comminata*,

minata, quæ quidem præſentis caſus eſt, in qua non dari gravamen, aut recurſum, jam ſupra oſtenſum remanet: ſimiliter loqui de excommunicatione *lata ab homine*, non vero de *lata à jure, vel à lege*; à cujus declaratione nemo, neque exempti ipſi, immunis eſt; neque privilegium, quo aliqui principes fruuntur, ut nequeant excommunicari, extenditur ad hoc, ut non valeant declarari incurſi in cenſuras à jure. Pignatell. tom. 7. conſ. Deluc. tom. 3. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. Caren. de privileg. inquiſitor. § 13. Gemin. Peyrin. et alii.

XIV. Reſpondebam, 2. et formalius, Ex ipſamet auctoritate, loqui de judice regio, *dum cognoſcit*; non vero, *dum lædit*, aut offendit. Si namque judices regii, qui ſtricte, de gravamine dumtaxat, debent cognoſcere, et ad illud præciſe tollendum ſententiam ſuam debent dirigere; ſi cognitionem, ac ſententiam ad maturam, aut cauſam principalem ampliaverint; et præſertim, ſi punctum, aut circumſtantiam mere eccleſiaſticam, ſimul incompetenter, aut incapaciter judicaverint, vel clauſulam aliquam in ſententia interiſerint, *directe, aut indirecte* offenſivam, turbativam, aut uſurpativam juriſdictionis, libertatis, ac immunitatis eccleſiaſticæ; quis non dicat incurrere in cenſuras juris, ac bullæ Cœnæ, cum vulgare ſit apud DD. *Nullam dari exemptionem adverſus forum turbatæ juriſdictionis?* Deluc. de juriſdictione, diſc. 36. Donat. in prax. regular. 1. p. tr. 13. q. 29. Barb. in c. 1. de officio deleg. Farinac. q. 114. et DD. omn. in 1. *Dilecto*, cap. *Venerabilib.* de ſentent. excommunic. in 6. et qui laudantur ſupra, et in terminis caſus præſentis Fermoſin. in c. 2. de judic. q. 17. n. 5. *Conſiliarius, et vicerex, turbans juriſdictionem epiſcopi, poteſt ab eo excommunicari. Dia. Portocarr.* &c.

XV. Et, ut ait idem Deluc. de juriſdict. diſc. 29. quem ſequitur Petra tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. ſect. unic. *Judex quantumvis incompetens, per injuriam, ſive offenſam, fit competens, quia exemptus, turbando et offendendo judicem incompetentem, dicitur illius juriſdictionem prorogare*; et huc etiam adveniebant doctrinæ ſuperius expreſſæ.

XVI. Reſpondebam, 3. Præjactam auctoritatem Per. loqui de excommunicatione lata à judice eccleſiaſtico in ſæcularem ſine alia cauſa, quam providere recurrenti, de qua dicit, *obſervandam non eſſe, ex defectu cauſæ*; non vero loqui de cenſura lata *ex juſta cauſa diſtincta*; verbi gratia, quando propter offenſam juriſdictionis, aut immunitatis eccleſiaſticæ, judex eccleſiaſticus judicem regium excommunicat, vel excommunicatum declarat, ob notoriam incurſionem cenſurarum à lege, ex incompetenti intromiſſione judicandi cauſam principalem, aut punctum eccleſiaſticum, ut idem Per. aſſerit c. 7. n. 41. Salg. de reg. prot. Oliv. de for. eccleſ. Portug. de donat. et alii paſſim jam ſupra cit.

XVII. Reſpondebam, 4. Eundem Per. in laudata auctoritate, loqui, ut ex ea formaliter liquet, de fulminatione excommunicationis à judice eccleſiaſtico prolatæ, *poſt ultimam ſententiam latam in ſenatu palatii, vel in ipſos palatinos ſenatores, vel in miniſtros ſæculares inferiores*, qui eam exequuntur: non vero loqui de fulminatione, aut declaratione ob exceſſum incompetentiæ, offenſæ, aut ſacrilegii in prima recurſus ſententia commiſſi.

Reſpondebam, 5. Eundem Per. procedere cum falſa ſuppoſitione ibidem expreſſa, quod judices regii procedant *cum ſuperioritate, et ut ſuperiores ad vim tollendam* (de quo Peg. ad ordin. l. 1. tt. 12. § 6. gl. 8. n. 2.); *proindeque*, ait, *implicare contradictionem, quod ſuperiores ſint, et quod impediri valeant, vel excommunicari, ſi eam tollunt, à judice eccleſiaſtico*, quem ſupponit inferiorem. In quo ſibimetipſi manifeſte contrarius et implicatorius eſt idem Per. quatenus cap. 4. per totum aſſeverat, *Judicem regium in violentiis reparandis, non juriſdictionaliter, ſed per viam facti procedere, non ſuperioraliter, aut judicialiter, ut judicem, ſed extrajudicialiter, et ut virum bonum*; cujus chartæ rogativæ, nomine regis expeditæ, *non præceptum, aut ſententiam continent, ſed ſimplicem requiſitionem*, cui eccleſiaſtici judices *ex urbanitate acquieſcere, vel deferre debent*, &c.

XVIII. Deinde ſubjungebam communem doctrinam, quod *rogativæ regis virtualiter continent præceptum:* Pignatell. tom. 1. conſ. 170. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 6. et alibi. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 24. Et aliis minoris notæ objectionibus ſatisfactis; necnon reſervatione, quam recurrentes inſinuabant, hujus defenſivi procedimenti mei, ad executionem ultimæ deciſionis in palatino ſtatus ſenatu ſumenda, refutata hac clara ratione;

XIX. Quod, ſcilicet, *Acceleratæ, et præcipitatæ offenſioni, adhiberi non debebat defenſio tarda, ac fruſtratoria*; hanc allegationem clauſi, et ſubſcriptam tradidi die 21. Decembr. ejuſdem ann. 1728. ſuper qua tamen conformiter ad præcedentem decreverunt.

XX. Et in rei veritate, licet hoc meum procedimentum juſtum quidem, ac licitum fuerat, utpote in defenſionem intentatum; attamen in curia Ulyſſiponenſi regius procurator graviter adverſus illud inſurrexit, et fuit occaſio, ut regia reſolutio infra extenſa mihi non omni ex parte favorabilis prodiret.

ALLEGATIO XXVII.

In Reſponſione ad ſecundum Recurſum interpoſitum ab aliquibus Parochis Franciſcanis extrajudicialiter denuntiatis ob publicas Clericorum aliquorum Percuſſiones intra Eccleſiam, et ob alias Indecentias ſacrilegas; necnon propter Impedimentum Juriſdictionis ordinariæ Exercitii.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Quatuor gravaminis fundamenta.*
III. *Ordinarii denuntiare poſſunt in cenſuras à lege regulares exemptos.*
IV. *Sufficit pro illis opinio vere probabilis; et adeſt verior, et probabilior.*
V. *Sub concernentium curam animarum nomine veniunt etiam actus illi, qui mediate in eam influunt.*
VI. *Declaratio S. Congreg. pro diœceſi Goana.*
VII. *Præſertim procedente epiſcopo, nedum ut ordinario, ſed ut delegato Sed. Apoſtol.*
VIII. *Eadem auctoritate deputat coadjutores parochis regularibus minus idoneis.*
IX. *Ordinarii pro defenſione ſuorum jurium, et eccleſiarum, procedunt extrajudicialiter, non attento quocunque impedimento, appellatione, aut inhibitione.*
X. *Deficiente moderamine inculpatæ tutelæ, adeſt culpa, et poteſt ordinarius procedere ad declarationem cenſuræ can.* Siquis.
XI. *Pro illo notorio exceſſu, duo notabilia ponderantur.*
XII. XIII. *Coadjutores eandem juriſdictionem parochialem cum parochis cumulative exercent; et, ſi deputentur ab ordinariis, minime eam uſurpant.*
XIV. XV. *Quæ clericus exercere poteſt ex licentia parochi, multo magis ex licentia ordinarii.*
XVI. *Quomodo, et quando, ordinarius poſſit revocare in genere licentias prædicandi, et abſolvendi, à prædeceſſore datas regularibus; etiam pro parochis imperitis.*
XVII. *Eſt indubium poſt conſtitutiones noviſſimas Innoc.* XIII. *et Benedict.* XIII.
XVIII. *Extenditur etiam ad approbatos abſque examine.*
XIX. *Hos caſus non comprehendunt declarationes contrariæ S. Congregat. neque epiſcopos Indiarum.*
XX. *Etiam quando approbatio fuit ad placitum, et limitata.*
XXI. *Clauſulæ bull.* Supernæ, *Clem.* X.

XXII. *Caſus judicatus in judicio coronæ.*
XXIII. *Quænam ſcandala ſufficiant conformiter ad cit. bull.* Et inſcrutabili, *Greg.* XV.
XXIV. *Quando prælatus procedit potius,* ut pater, *quam* ut judex, *non admittitur appellatio.*
XXV. *Judex ſuper notorio procedit per modum informationis etiam in cubiculo ſumptæ.*
XXVI. XXVII. *Generalis praxis in ordine ad denuntiationes, etiam contra exemptos.*
XXVIII. *Citatio* ad allegandum, quare, *eſt per modum* urbanitatis, et lenitatis; *et abſque illa poteſt ad declaratoriam deveniri in delicto notorio.*
XXIX. XXX. *De quo ſufficit, ut conſtet ordinario, ut poſſit, etiam exemptos, declarare in cenſuras à lege.*
XXXI. *Appellatio eſt præſidium innocentiæ, non iniquitatis.*
XXXII. *Non datur recurſus à prælato procedente* ut patre, *et non* ut judice.
XXXIII. *Appellatione calumnioſa non obſtante, proceditur ad ulteriora.*
XXXIV. *Monitus, non comparens, ut verus contumax habetur.*
XXXV. *Iis appellationibus non deferendum, quarum remedia ad injuſtitias, ac diſſidia uſurpantur.*
XXXVI. *Epiſcopus, relicta via judiciali, procedit aliquando contra reum extrajudicialiter, ne ei detur anſa appellandi.*
XXXVII. *Quando appellatio caret effectu ſuſpenſivo, non datur gravamen, aut recurſus.*
XXXVIII. *Et, ea non obſtante, proceditur ad declarationem.*
XXXIX. XL. *Propoſitiones aliquorum regularium Galliæ damnatæ Romæ ſub Alexand.* VII.
XLI. Stylus *jus facit, et habetur pro lege.*
XLII. *Judices regii nudum factum dumtaxat violentiæ notoriæ judicant.*
XLIII. *Et minime poſſunt cenſuras nullas declarare, nec, ut tales declarentur, jubere, ſed ut leventur dumtaxat.*
XLIV. *Quando, juxta aliquos, per modum cauſæ.*
XLV. *Quando, pendente appellationis deciſione, debent fixatoriæ tectæ conſervari.*
XLVI. *Diſpoſitio generalis reſtringitur juxta qualitatem rei.*
XLVII. *Qui per alium facit, per ſeipſum cenſetur facere.*
XLVIII. Eadem ſolemnitas, quæ in confectione, requiritur in revocatione actus, *non eſt axioma juris communis, neque abſolute verum.*
XLIX. *Contrarium verius.*
L. *Et ſtylus in contrarium ſtat.*
LI. *Præjactæ rationes regium judicem ſuperſedere fecerunt in proſecutione procedimenti temporalis.*

I. IN executionem regii reſcripti 7. April. 1728. ſupra tranſcripti, notificatis parochis actualibus regularibus provinciæ Bardeſianæ per paſtoralem chartam, die 3. Octobris expeditam, et quinta ejuſdem menſis publicatam, ad parochias intra terminum 20 dierum demittendas in manibus coadjutorum actualium, qui per chartam meam proviſionalem munus illud exercebant, aliqui illorum parochorum, ex vi notificationis illius, parochias deſeruerunt, ſignanter Fr. Damianus à D. Joſepho, Fr. Clemens à S. Irena, et lector Emmanuel à Gratia, et ad conventum Goanum ſeſe collegerunt; quorum quidem deſertas parochias, cum aliqui ejuſdem ordinis regulares, eas recturi, ut parochi, et ut priorum deſertorum ſubſtituti, ſubintrarent, abſque approbatione mea, et quin pro inſtitutione ſuſcipienda mihi præſentarentur, ſecundam monitoriam chartam, die 9. Octobr. edidi, qua intruſos ipſos admonebam, ut mihi, cum licentiis, et approbationibus, quas antea haberent, præſentarentur, eo quod in fraudem executionis regii reſcripti, atque juriſdictionis meæ, intruſionem illam arripuerant.

Et cum eatenus parochi regulares ipſorum curis, ſeu coadjutoribus à me nominatis, omnia parochialia munera libere exercere permiſſi ſunt, hanc notificationem, et præſertim poſtquam auditor criminalis, à generali ordinis procuratore, in eam provinciam adductus, varias diſtrictiones, atque carcerationes intra eaſdem eccleſias, quas in ergaſtula converterant, variarum ſæcularium perſonarum, quæ parochorum regularium conſervationi non favebant, imo et obſiſtebant, exequi cœpit, die 2. Novembr. cœperunt ſimul et parochi ipſi prædictos coadjutores, vi, et violentis percuſſionibus, etiam intra eccleſias ipſas ab adminiſtratione parochiali, imo et ab omnium ſacramentorum miniſterio, atque à ſacroſancto euchariſtiæ ſacrificio deturbare, atque penitus excludere, et inſuper publicationes, atque denuntiationes pro rebus perditis, atque pro matrimoniis, et ordinandis, ſpeciali mandato illis commiſſas, impedire; eos inſuper coram laico auditore civili præfato, accuſantes, quaſi juriſdictionis ſuæ perturbatores. Quare, debita informatione prævia, ad animi mei inſtructionem, ſumpta, notificatis percuſſoribus *ad allegandum, quare,* &c. cum relevantem rationem non allegarent, extrajudicialiter eorum quatuor in cenſuram can. *Siquis, ſuadente,* et can. 16. bullæ Cœnæ, incurſos denuntiavi; et reliquis intruſis, notificationi ad ſe, et licentias ſuas, atque approbationes ad prædicandum, et confeſſiones audiendum non parentibus, neque comparentibus, utramque licentiam revocavi; à quo duplici procedimento meo recurſum ad idem coronæ judicium interpoſuerunt. Cui tamen nil reſpondere curavi, tum ob notorietatem factorum, et inſultorum ſacrilegorum, quæ etiam ex actis prævіæ informationis clare conſtabant, tum ob notum miniſtrorum ſæcularium erga recurrentes favorem, et erga me contradictionem, atque minus bonam animi affectionem. Quare allegationem meam ultimæ deciſioni, in ſtatus aulico ſenatu ſumendæ, reſervavi.

II. Cum autem quatuor præcipue forent gravaminis intentati fundamenta; videlicet, 1. Denuntiatio ipſa; 2. Revocatio licentiarum prædictarum; 3. Incivilitas procedimenti mei; 4. Appellationes extrajudiciales particulares, præter generalem, quas interpoſuiſſe aſſerebant; quadruplici diſtincto § ſic eiſdem ſatisfaciebam.

Sect. I.

Quoad denuntiatoriam.

Arguebant recurrentes, et in ſententia recurſus recitabatur, *Denuntiatoriam meam ex duplici capite nullam quidem fore:* 1. *Ex defectu juriſdictionis in recurrentes, quia exempti erant.* 2. *Ex defectu culpæ ipſorum, quibus liciti erant actus in declaratoria enarrati in defenſionem ſuæ parochialis juriſdictionis, ne à coadjutoribus, abſque parochorum eorum licentia, atque auctoritate, uſurparetur,* &c.

III. Primum principium, ſeu fundamentum, facile elidebatur: nam, etiam in hypotheſi, quod recurrentes non forent parochi, nec ego procederem *auctoritate delegata,* qua proceſſi, ſed *auctoritate ordinaria* dumtaxat, qua etiam proceſſi, ut ex paſtoralibus liquebat; certum equidem erat, ordinarios in cenſuras *à jure, vel à lege,* poſſe denuntiare regulares exemptos, ex praxi generali, et communiſſima reſolutione, quam ex eiſdem DD. regularibus defendunt Tambor. de jur. abbat. tom. 1. diſput. 5. q. 7. et tom. 2. diſp. 14. n. 7. Rodrig. quæſt. regul. tom. 2. q. 63. an. 11. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tt. 39. Pirringh. in jus can. l. 1. tt. 31. Bagnes de dignitate, tr. 12. Bordon. reſ. 6. q. 6. Delben. tom. 2. cap. 14. dubit. 1. Dian. p. 3. tr. 12. reſ. 35. Sanch. tom. 2. conſil. l. 6. cap. 9. Novarin. lucern. regularium verbo *Excommunicat.* et alii; et ex ſæcularibus, Peg. de compet. p. 1. c. 50. n. 50. Confect. in collect. tt. 5. c. 2. n. 53. Themud. dec. 62. 1. p. Et ex DD. modernis eam tenent Petra, in conſtit. 1. Leon. IX. ſect. 2. tom. 1. pag. mihi, 169. et tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. n. 11. p. 231. ubi diſtinctionem affert inter *declaratoriam* rigoroſam, et meram *denuntiatoriam,* cujus auctoritas extenſa remanet ſupr. Eam etiam ſuſtinent Deluc. de juriſd. diſc. 29. n. 2. et diſc. 736. et in miſcellan. diſc. 14. n. 66. Ventrigl. p. 1. annot. 48. Fagn. in cap. *Grave,* de offic. ordin. Pignatell. tom. 7. conſ. 10. et tom. 2. conſ. 21. Barb. de poteſt. epiſcop. p. 3. allegat. 105. et poſt votum deciſ. 125. et l. 3. decret. 45. ubi varias S. Congregationis declarat. adducit. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 45.

n. 45. ubi in ſpecie de denuntiatione regularium exemptorum in cenſuram can. *Siquis*, plures etiam DD. referens ait: *Horum ſententia verior eſt, et in praxi ſequenda; præſertim quando non ſolum factum percuſſionis, ſed etiam de exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ notorium eſt, quia jam à S. Congregat. concil. ſic declaratum fuit decretis per extenſum relatis à Barb.*

IV. Et ſufficere dicebam, mihi adeſſe probabilem opinionem, et multo magis *veriorem, et probabiliorem*, ad hoc, ut neque præſens recurſus admitteretur, nec, à fortiori, recurrentibus in eo provideretur; cum qualitas, ſeu fundamentum ad illum omnino neceſſarium, videlicet, non *injuſtitia, ſed violentia notoria; ac manifeſta*, illa opinione ſuppoſita, penitus ceſſet. Guerr. de recuſat. l. 1. cap. 19. n. 18. Per. de man. reg. 1. p. c. 7. et 8. et 9. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 10. Salg. de reg. prot. p. 1. c. 2. § 3. n. 26. Themud. dec. 161. n. 3.

V. Hic autem ſubjungebam auctoritates, et declarationes ſupra expreſſas in favorem denuntiationum ordinarii contra regulares exemptos, præſcindendo à ratione, aut circumſtantia præſenti, videlicet, quod regulares denuntiandi parochi inſimul forent; in hiſce namque terminis res indubia eſt, quod ſubjacerent ordinariis, tam in iis, quæ munus parochiale concernunt, quam in aliis, Antonell. de regular. cap. 16. Ulp. in prax. c. 42. Fraſſ. tom. cap. 62. Barb. cit. Solorſan. de jur. l. 3. c. 17. et conſtat ex bulla Piana *Expoſit. (ſub quo nomine concernentium curam animarum, et ſacramentorum adminiſtratione, venire actus illos, qui non ſolum immediate eam percutiunt, ſed etiam illos, qui mediate in eam influunt*; docet, cum approbat. S. Congregationis, Deluc. de juriſdict. diſc. 4. n. 5. quam in aliis) extra curam animarum concernentia, ut clarebat ex quadam declaratione S. Congr. ann. 1620. pro hac diœceſi, archiepiſcopo D. Fr. Chriſtophoro de Lixboa; quæ ſic traditur: *Ad 2. Reſp.*

VI. *Poſſe quidem epiſcopos procedere contra regulares exemptos, extra clauſtra degentes, et particularibus eccleſiis ſæcularibus deſervientes, ſi deliquerint in aliis, quam concernentibus curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem.* Videatur alleg. ſupradicta.

VII. Præſertim, procedente me, non *ut ordinario* dumtaxat, ſed etiam *ut delegato* Sedis Apoſtolicæ, ut in denuntiatoria ipſa declarabatur, ſub qua ratione certum eſt, regulares ordinariis ſubjacere, ex Trid. ſeſſ. 13. c. 1. et ſeſſ. 24. c. 10. de ref. et ex c. *de cauſ.* de offic. delegat. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 45. Antonell. de regul. c. 7. Ventrigl. 1. p. annot. 48. et nova inſuper alia ratione, quatenus regulares illi prædictis actionibus, atque inſultis indecentibus et ſacrilegis, violabant atque offendebant ſanctitatem, atque immunitatem eccleſiaſticam perſonalem, ac realem, dum intra eccleſias ipſas, atque intra miſſarum ſolemnia committerentur, ex eodem Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. et ſeſſ. 25. cap. 12. de regular. et in decret. de obſervand. in celebrat. miſſar. Monacell. p. 3. tt. 3. form. 6. tt. 3.

VIII. Et quoad deputationem coadjutorum parochis regularibus minus idoneis, ac impedimentis, ab ordinariis eadem auctoritate delegata faciendam, *quacunque appellatione, aut exemptione remota*, ſatis conſtabat ex decreto ejuſdem Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reformat. c. 6. et ducebatur ex expoſitione DD. ad præcit. bullam Pianam *Exponi*; ad illa verba: *Quatenus Indorum illarum partium linguam intelligant.*

IX. Et præter has rationes, ob longas, lataſque digreſſiones plurimorum, graveſque defectus perſonalis, atque materialis reſidentiæ, potuiſſe quidem, ut ordinarium illarum parochiarum, mearumque ovium paſtorem, pro defectibus illis ſupplendis, coadjutores eiſdem deputare, imo et ad id graviter teneri, atque adſtrictum eſſe demonſtrabam; et quod ordinarii in defenſionem eccleſiarum ſuarum, ſuorumque jurium, ac juriſdictionis, extrajudicialiter, non attento quocunque impedimento, ſive inhibitione, et non obſtante appellatione, valide et licite procedere poſſunt. Monacell. cit. form. 6. tt. 3. p. 3. Tamburin. de jur. abbat. tom. 2. diſp. 14. q. 1.

X. Secundum fundamentum, aut principium tam recurrentium, quam ſententiæ recurſus eis providentis, erat *culpæ defectus, eo quod eis licerent accuſatæ actiones in defenſionem*, &c. etiam facile elidebatur. Nam, juxta commune DD. cum quibus etiam Monacell. cit. p. 3. tt. 1. form. 1. *deficiente moderamine inculpatæ tutelæ*, adeſt culpa, et poteſt ordinarius procedere ad denuntiationem cenſuræ can. *Siquis*, etiam adverſus regulares exemptos, non obſtante prætextu propriæ juriſdictionis defenſionis, ut etiam colligitur ex c. *Olim*, de reſtit. ſpoliator. ub. gl. et cap. *Significaſti*, eod. tt. c. *Si vero*, de homicid. gl. in c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ubi gl. verb. *Sibimet*, allegans aliam gl. d. c. *Olim*, hanc modificationem apponit: *Quocunque modo licitum eſt ſe defendere, dummodo corporalis læſio non inferatur.*

Et cum quatuor denuntiati recurrentes facile poterant ſuam aſſertam juriſdictionem defendere, proteſtationibus, atque ſupplicationibus competentibus, dato, quod coadjutores eis illam turbarent, aut uſurparent; ut reliqui parochi ejuſdem ordinis, ac provinciæ effecerant; certus, et indubius erat exceſſus, ac temeritas prætenſæ defenſionis læſivæ, ac ſacrilegæ, iteratis violentarum manuum injectionibus, tunſionibus, et percuſſionibus atrocibus, etiam intra eccleſiam, necnon immodeſtiſſimis, atque injurioſiſſimis improperiis, in quæ ſimul adverſus coadjutores, necnon et adverſus me ſacrilege debacchabantur, contravenientes illi notiſſimæ ſententiæ: *Eccleſia Dei non eſt defendenda more caſtrorum.*

XI. Hic autem obiter, in illius notorii exceſſus, duo notabilia ponderabam. Primum erat; quod nuper, me procedente gladio meo ſpirituali in defenſionem juriſdictionis meæ adverſus quaſdam ſæculares perſonas, citra corporalem læſionem, ad formam cap. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. iis à tali procedimento ad idem coronæ judicium recurrentibus, prodierit ſententia adverſum me, et in favorem recurrentium, violentam judicans defenſionem meam, atque debitum moderamen excedentem, eo quod uti poteram mediis ſuavioribus, ac moderatioribus: nunc vero, è contra, intercedentibus corporalibus læſionibus, atque offenſionibus iteratis, minime permiſſis, imo à jure prohibitis, et penitus defenſione ſpirituali, uſuque mediorum ſuaviorum, ac moderatiorum deficiente, etiam adverſum me, defenſione pure ſpirituali, à jure permiſſa, et præſcripta, abſque corporali læſione utentem, atque in favorem injuſtorum, ac violentorum offenſorum, pronuntiatum fuerit.

Secundum notabile erat; quod declarante mea publica denuntiatoria recurrentes incurſos in cenſuram can. *Siquis*, ob publicas percuſſiones ſacrilegas, et ſimul in cenſuram can. 16. bullæ Cœnæ, ob turbationem ac impedimentum meæ ordinariæ juriſdictionis, loquente ſæpe ſæpius recurſus ſententia in *juriſdictione parochiali* recurrentium, ne verbo quidem, etiam obiter attingeret *meam ordinariam juriſdictionem*: quæ taciturnitas induſtrioſa videbatur, collimanſque intentioni primi recurſus ſententiæ, juriſdictionem ordinariam ſuper has parochias mihi denegantis, contra expreſſas conſtitutionum apoſtolicarum ſanctiones atque declarationes, tum in bullis epiſcopatuum erectionum, videlicet, *Æquum reputamus*, Pauli III. et *Romani Pontificis*, ejuſdem, *Pro excellenti*, Clem. VII. et in aliis Leon. X. tum in aliis poſterioribus ſuperius citat. allegat.

XII. Præterquam quod curæ, aut coadjutores, neque offendebant, neque turbabant, aut uſurpabant parochialem recurrentium juriſdictionem: 1. Quia coadjutores, ſeu curæ, prælati ordinarii auctoritate deputati, eandem parochialem juriſdictionem *cumulative* cum parochis retinent, ex Trid. ſeſſ. 21. c. 6. de reform. et ex c. *Quoniam*, 14. § fin. de officio ordinarii, Concil. Toletan. 1. Fraſſ. tom. 2. cap. 68. et ex eiſdem conſt. ſynodal. Goan. tt. 3. conſt. 4.

2. Quia adminiſtrationem illam coadjutorialem ſpeciali mandato meo exercebant; et certum eſt me juriſdictionem epiſcopalem immediatam, tum in eccleſiis illis parochialibus, tum in ovibus meis, quibus dirigebantur actiones aliquæ, quas parochi coadjutoribus exercere impedierant, tum denique in ipſiſmet parochis regularibus, ut talibus; et in terminis his

minime poterat argui, neque conſiderari parochialis juriſdictionis uſurpatio, ex eiſdem juribus, et conſtit. Portucalenſib. tt. 3. c. 3. ex ritual. Roman. titul. de *Miniſtro ſacramenti baptiſmi, et ſacram. matrimonii.*

XIII. 3. Quia actiones legendi, aut publicandi monitoria *pro rebus perditis*, vel mandata pro ordinandis (quales erant aliquæ, quas parochi codjutoribus ipſis interdixerunt) vel etiam denuntiationes matrimoniorum, non ſunt actus juriſdictionis parochialis adeo privativi, ut, ſpeciali mandato ſuperioris prælati, aliis nequeant committi. Juriſdictio namque parochialis, eſto privativa ſit quoad inferiores, aut æquales, non ita eſt quoad ſuperiorem. Unde, ſicut, non obſtante quod actiones baptizandi, ac prædicandi, propriæ ſint parochorum, poſſunt à prælato cuilibet ſacerdoti, aut etiam diacono committi. Imo de facto conſtitutiones Goanæ ſynodales ſic, tt. 3. conſt. 4. diſponunt: *Quia juri conforme eſt, quod prior, aut cura eccleſiæ parochialis, et non alius, baptizet, præcipimus, quod nullus clericus, niſi proprius prior, aut cura, baptizet . . . Verum ſi aliquis parochianus juſta de cauſa, vel devotione, aut amicitia voluerit, ab alio ſacerdote, et non à proprio parocho, infantis baptiſmum celebrari, id efficere poterit . . . . et nos, per hanc conſtitutionem, licentiam ad id impertimur.*

XIV. Pariformiter diſcurrendum erat in executione illarum actionum, quæ, quamvis, alias, propriæ fuiſſent parochorum, à me tamen ſpeciali mandato eorum coadjutoribus commiſſa erant; præſertim rituali Romano in titulo *de miniſtro ſacramenti baptiſmi*, ſic edicente: *Legitimus quidem baptiſmi miniſter eſt parochus, vel alius ſacerdos à parocho, vel ab ordinario loci delegatus.* Et in titulo *de ſacramento matrimonii: Meminerit parochus, matrimonia clandeſtina . . . . et quælibet alia, quæ aliter, quam præſente parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius parochi, vel ordinarii licentia*, &c. Idem infra repetitur circa benedictiones ibidem: *Quæ benedictio à nullo alio, quam ab ipſo parocho, ſive ab alio ſacerdote de ipſius parochi, vel ordinarii licentia, fieri debet.*

XV. Ex his ad oculum inferebatur, 1. Minime à coadjutoribus, ſeu curis, uſurpatam fuiſſe juriſdictionem parochialem. 2. Quod ſi in recurſus ſententia judicabantur licitæ, atque inculpabiles, ſacrilegæ percuſſiones graves à recurrentibus intra eccleſiam clericis ſacerdotibus incuſſæ, prætextu quod fuerint in defenſionem propriæ juriſdictionis parochialis illatæ; cur ſimiliter licitum, aut ſaltem validum non dijudicârunt procedimentum meum ſpirituale in defenſionem meæ ordinariæ juriſdictionis juſte, et ſecundum juris regulas, executum, et inſuper in defenſionem immunitatis, ſanctitatis, et reverentiæ Dei eccleſiis debitæ, quæ à recurrentibus ex orationis domibus, in indecentia ergaſtula, atque cloacas, biduo converſæ ſunt?

Sect. II.

Quoad licentiarum revocationem.

XVI. Materiam hanc, ut minus tritam, aliquali majori diſtinctione ducebam percurrendam. Et certum, 1. Eſſe dicebam, prælatum ordinarium poſſe quidem abſolute, et in genere, omnes licentias à prædeceſſore ſuo datas regularibus ad prædicandum, et confeſſiones ſuſcipiendas, licite revocare, quamvis licentiæ ipſæ abſolutæ, et indeterminatæ forent, ac prævio examine datæ; et conſequenter poſſe denuo eos examinare, et, ſi idonei reperti non fuerint, reprobare. Ita Ventrigl. 1. p. annot. 48. n. 35. Campanill. in diverſ. jur. can. rubr. 13. n. 64. Dia. reſol. moral. tom. 4. miſcell. reſol. 200. Novarin. lucern. regul. verb. *Confeſſar.* n. 17. Barb. apoſt. dec. verb. *Regular. quoad confeſſ.* Deluc. *de regular.* diſc. 15. ſupr. et de juriſd. diſc. 32. Pignatell. tom. 4. conſ. 174. per totam. Fraſſ. tom. 2. c. 71. ex bull. S. Pii V. *Roman. Pontificis*, et Urbani VIII. *Alias*, &c. Quam reſolutionem Monacell. p. 1. tt. 5. form. 17. n. 3. extendit etiam ad parochos regulares, *ſi de illorum imperitia aliqua conjectura reſurgat.*

XVII. Quæ quidem 1. reſolutio hodierna die jam dubium non patitur poſt noviſſimas conſtitutiones *Apoſtolici miniſterii* Innocent. XIII. ann. 1723. editam; et *In ſupremo* Sanctiſſimi Benedicti XIII. regnantis 1724. publicatam, qua primam prædeceſſoris ſui confirmans, et amplians adverſum aſſerta aliqua, à DD. aliquibus regularibus publicata, declarat, nullum confeſſorem ſæcularem, aut regularem, poſſe dici *approbatum ab ordinario loci*; ſi à præſente ordinario approbatus non ſit, licet à prædeceſſore approbatus fuerit abſolute; et præſentem ordinarium poſſe revocare licentias ab anteceſſoribus datas; quod quidem quamdiu non fuerit, ſufficere eis, qui approbati fuerint illimitate, et abſolute, licentiam tacitam præſentis ordinarii, *quæ adeſſe cenſeatur, cujuſque præcedens licentia ſeu approbatio duret, et revocata ab eo non fuerit; quo caſu nova, et expreſſa impetranda erit.* Quæ omnia jam per quandam paſtoralem meam 25. Januar. ann. 1727. in tota mea diœceſi omnibus intimata, et notificata fuerunt.

XVIII. Certum, 2. Quod omnes illos regulares, quos epiſcopus abſque examine approbat, poteſt idem epiſcopus, qui eos approbaverat, ſuſpendere, et ad examen revocare, abſque alia cauſa, quam velle eos prævio examine approbare. Ita, cum aliis, Ventrigl. cit. Pignatell. d. conſ. 174. tom. 4. n. 14. Novarin. et Fraſſ. cit. n. 5. Gavant. in manual. verb. *Confeſſar.* Et ita fuiſſe deciſum à S. Congregat. 31. Jul. 1613. affirmant Novarin. Barb. & alii.

XIX. Neque officiebant prohibitiones, quæ allegabantur S. Congregationis, *ne licentiæ audiendi confeſſiones revocentur in genere, ea inconſulta, reſpectu totius monaſterii, aut religionis.* Reſpondebam namque, has prohibitiones non comprehendere duplicem præmiſſum caſum, quando videlicet præſens ordinarius revocat in genere licentias prædeceſſoris, vel licentias à ſeipſo ſine prævio examine datas, Ventrigl. cit. n. 35. Pignatell. n. 27. Fraſſ. tom. 2. c. 71. ſed ſolum comprehendere revocationes in genere, quando ordinarius ſimpliciter, et abſolute, regulares approbavit, *tali præcedente examine*, ait Pignatell. n. 16. *ut teſtimonium approbationis reddatur firmum, ac pene dixerim infallibile.*

Imo talem prohibitionem ad has remotiſſimas partes Indianas non ſeſe extendere, conſtat ex bulla *Cum ſicut*, Innocent. X. tom. 4. bullar. pag. mihi, 286. in reſponſione ad primum dubium à Jeſuitis propoſitum; ibi: Reſpondit, *Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius monaſterii, vel collegii confeſſariis, adimere facultatem audiendi confeſſiones perſonarum ſæcularium, etiam inconſulta Sacra Congregat. epiſcoporum, et regularium negotiis præpoſita; cum decretum ab ea editum ſub die 20. Novembr. 1615. ex intentionis defectu, et convenientia morali, non extendatur ad regiones illas tam longe ab urbe diſſitas.*

XX. Certum, 3. dicebam, Quod quando ordinarii approbant cum licentiis limitatis, vel cum clauſula *ad placitum*, ſeu *ad arbitrium*, vel *quamdiu contrarium non juſſerimus*, aut ſimilibus; poſſunt valide, et licite, regularibus licentias revocare, etiam ad placitum. Ita Fraſſ. patron. reg. tom. 2. c. 71. n. 16. et 17. ex c. *Si gratioſe*, de reſcript. in 6. Campanil. rubr. 12. c. 13. Aldan. l. 1. tt. 13. Sell. c. 31. Barb. collect. 38. n. 17. Torreblanc. cap. 3. n. 10. Ventrigl. annot. 48. n. 35. ibi: *Quando facultas data eſt ad arbitrium*, et beneplacitum, *tunc certum eſt*, etiam poſſe *quandocunque revocari.* Probat etiam Campanil. cit. n. 64. Dian. cit. loc. qui teſtatur, ita declarâſſe Sacr. Congregat. epiſcoporum in una Papienſ. 12. Mart. 1619.

Super quo videndus etiam Card. Deluc. de juriſdictione, diſc. 32. per tot. ubi caſum narrat revocationis in genere licentiarum ad confeſſiones audiendas factæ regularibus ab archiepiſcopo Panormitano, qui per ſeipſum confeſſarios regulares pro monialium monaſteriis eiſdem regularibus ſubjectis deputaverat; quam deputationem prælati regulares eorum, ſibi ex commiſſione archiepiſcopi pertinere ex conſuetudine diſputabant; et, non obſtante, quod cauſa per recurſum Sacr. Congregationi affecta eſſet, *me communicante*; ait Deluca, *Conſilium archiepiſcopo datum, ut non curando religioſorum renuentium ſervitio, neque expectato Sacr. Congregat. oraculo, denegaret eiſdem religioſis facultatem in genere audiendi confeſſiones ſæcularium, ac prædicandi . . . . . libenter arbitrio et diſcretioni archiepiſcopi ſe ſubmiſerunt.*

XXI.

XXI. Ex ſuperius prælibatis colligendum eſſe dicebam, quod cum omnes facultates, ac licentiæ ad prædicandum, et confeſſiones audiendas, fuiſſent recurrentibus, non à me, ſed à prædeceſſoribus meis, impertitæ; abſque alia cauſa poteram pro libitu eas revocare, et multo magis accedentibus cauſis, quæ in paſtorali exprimebantur, quarum aliquæ in conſt. *Superna*, Clem. X. continebantur, videlicet: *Si regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant, aut aliquod delictum committant, per quod rationabili epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendi*, &c.

Et ſubjungebam doctrinam Cardin. Deluc. de regular. diſc. 15. n. 12. ibi: *Quamvis in libito epiſcopi ſit revocare licentias, vel facultates conceſſas regularibus audiendi confeſſiones ſacramentales ſæcularium; neque exinde detur appellatio, vel recurſus, quoniam id ſequi poteſt ex juſtis cauſis ſibi cognitis per extrajudiciales notitias, et informationes, quas patefacere non convenit; attamen, ſi eſſet remotio generalis, puta omnium regularium in genere, ſive omnium profeſſorum illius religionis (quando illi eſſent in numero aliquo conſiderabili) iſta generalitas cuidam livori potius referenda venit.*

XXII. Tandem caſum judicatum in eodemmet coronæ judicio, anno præcedenti 1727. in recurſu à religioſis Franciſcanis reformatis provincia Matris Dei interpoſito, quibus, cum in genere facultates prædicandi, et confeſſiones audiendi revocarem, ob eorum inobedientiam, et ob alias cauſas, quas inter, exprimebatur eadem præmiſſa, quod facultates illæ non à me, ſed ab anteceſſoribus meis, conceſſæ forent; contra eos pronuntiatum eſt; eo quod facultates illæ, atque licentiæ datæ, utpote actus facultativi, nullum jus ipſis tribuebant. Deluc. de juriſdict. diſc. 32. n. 6. Cavaler. dec. 419. et alii apud ipſos. Ac denique animadvertebam, recurrentes, quibus prædictas licentias revocavi, parochos non eſſe; reſpective ad quos afferebam doctrinam Monacell. p. 3. tt. 2. form. 9. n. 8. *Sacerdos non habens curam animarum, qui jure ſuo confeſſiones audire non valet, poteſt ſine ſcripto, et ſine monitione ſuſpendi, quia ſuſpenſio hæc non eſt proprie ſuſpenſio, quæ eſt cenſura, ſed inhibitio, et revocatio conceſſionis jam factæ, Sayr. de cenſur. l. 4. c. 2. n. 18.*

XXIII. Imo conformiter ad bullam *Superna*, Clem. X. et *Inſcrutabili*, Greg. XV. ſufficiebant ſcandala, et doctrinæ erroneæ, quas recurrentes diſſeminabant, juriſdictionem ordinariam illarum eccleſiarum mihi penitus denegantes, et eorum religioni appropriantes, ut eo ipſo, prædicandi munus, et confeſſiones audiendi, eiſdem interdiceretur, Panimol. dec. 91. annot. 1. n. 29. Deluc. de juriſd. diſc. 32. § fin. Monacell. p. 3. tt. 2. form. 9. ubi ait, ſufficere etiam, *ſi regularis doceret opiniones laxas.*

Et huc faciebat declaratio S. Congreg. in una Bononien. 14. Novembr. 1654. apud Criſp. de viſitat. paſtor. p. 3. § 5. n. 5. *An ordinariis locorum facultate ſibi conceſſa à S. Concil. Trid.* ſeſſ. 14. cap. 1. de reform. *liceat ob legitimas cauſas ſuſpendere, etiam extrajudicialiter, clericos, et preſbyteros, ſublata facultate appellandi?* S. Congregatio concilii cenſuit, *Ordinariis, ut ſupra, licere.* Et abſolute Monacell. p. 3. tt. 1. form. 32. n. 3. hanc regulam generalem aſſignat: eſt autem regula, quod in cauſis, in quibus epiſcopus, potius *ut pater*, et paſtor procedit, quam *ut judex*, appellatio non admittitur; et tunc intrat diſpoſitio Trid. de reform. ſeſſ. 24. c. 10.

XXIV. Et conſideratio ſententiæ recurſus, quod, ſcilicet, *revocatio hæc fuerit facta recurrentibus, tanquam pœna ob culpam impoſita*; illius validitatem firmabat, ex doctrina curſ. moral. Salmant. tr. 10. et Soarii Granat. de cenſur. diſput. 3. ſect. 10. n. 3. § *de ſuſpenſione*, ubi ex cap. *Tam literis*, de teſtib. ſic concludit: *Jura ergo, quæ vetant ſuſpenſionem fieri, niſi admonitione præmiſſa, intelliguntur de ſuſpenſione, quæ fertur per modum cenſuræ, non vero quando imponitur per modum ſimplicis pœnæ.*

Sect. III.

Quoad accuſatam procedimenti mei incivilitatem.

XXV. Arguebant recurrentes procedimentum meum incivile quidem fuiſſe, *eo quod ipſi non fuerint citati ad præſentiam depoſitionis teſtium pro informatione interrogatarum; neque notificationes in audientia mea judicialiter accuſatæ cum termino præfixo, ac poſtea rejectæ fuerint*; et tandem, *quod abſque judiciali, atque legitima probatione eos denuntiarem, et gravem excommunicationis pœnam eis impoſuerim*, &c.

Verum hæc fundamenta facili negotio retundebantur: 1. Eo quod recurrentibus non ego, ſed jus ipſum hanc excommunicationis pœnam eis impoſuerit, in can. *Si quis, ſuadente*; et in can. 16. *Bullæ Cœnæ*; et in aliis juris canonici capitibus; et à me extrajudicialiter in illas cenſuras à lege denuntiati dumtaxat fuerunt, propter facta ſacrilega publica, et notoria, de quorum notorietate non erat neceſſum, quod mihi conſtaret per teſtes judiciales, judicialiter reis citatis, interrogatis, ſed ſufficiebat ad id informatio extrajudicialis, et cameralis. Bald. in leg. 1. cod. *Ut quæ*, de offic. advocat. Et cum archidiac. in c. *Cum inter.* extr. de conſuet. Viv. commun. opin. verb. *Notorium*, Soccin. jun. conſil. 65. n. 40. Felin. in cap. *Literis*, de teſtib. Hoſtienſ. in c. 1. de offic. deleg. in 6. Cæphal. conſ. 108. n. 17. ibi: *An aliquid ſit notorium, judex poteſt in cubiculo, etiam parte non citata, ſe informare.*

Accedit Rom. et Jaſ. in l. *Admonendi*, ff. de jur. jurand. n. 232. ibi: *Judex ſuper notorio debet procedere per modum informationis, ut in cap. Bonæ, de poſtul. prælatis, c. Veſtra, de cohabit. cler. et mul. et quod in informatione ſuper fama, vel ſuper notorio, credatur teſtibus non juratis.*

XXVI. Et hæc eſt generalis praxis, atque practicus modus procedendi in judicio eccleſiaſtico, in ordine ad denuntiatorias cenſurarum à jure, præſertim contra exemptos, ut cum Genuenſ. in prax. tenet Fagn. in c. *Non poteſt*, n. 23. et ſeqq. de ſent. et re judicat. Deluc. miſcell. diſc. 14. n. 7. et 8. Pignatell. tom. 6. conſ. 18. et tom. 7. conſ. 10. practicus Monacell. p. 3. form. 45. tt. 1. n. 1. ibi: *Licet in facto certo, et notorio, ex quo reſultat incurſus cenſurarum ipſo jure, ordinarius non debeat contra exemptos proceſſum inſtruere in forma judicii, et formales partes judicis aſſumere; attamen debet examinare teſtes ſuper facto notorio, quo dicitur proceſſus facti ad futuram rei memoriam, ſive ad inſtructionem, et informationem ipſius ordinarii.*

Conſonat Ubert. de citationib. c. 3. n. 10. inquiens: *Judex procedens ex officio, et nemine petente, neque citato, debet habere cauſæ cognitionem; ſed hoc intelligendum non eſt de cognitione judiciali, quæ neceſſario requirit partis citationem, ſed de extrajudiciali informatione, quæ requiritur ad informandum animum judicis*, Petra 10. 1. p. 169. n. 9. *Non cenſetur epiſcopus procedere judicialiter, ſi permittatur proceſſus ad inſtructionem animi ipſius prælati, Deluc. miſcell. d. 14. et de juriſd. d. 47. et 48. Pignatell. tom. 1. conſ. 170. et tom. 6. c. 18. tom. 7. c. 10. Salgad. de prot. prælud. 5.*

XXVII. Ipſeque Monacell. p. 3. tt. 2. formula 6. formam perſcribens proceſſui extrajudiciali contra clericum aleatorem occultum, aut contra alium reum, in caſibus difficilis probationis, ſic ait, n. 5. *Epiſcopus, relicta via judiciali, procedit contra reum ex informata conſcientia extrajudicialiter, et illum punit pro crimine occulto ſibi noto ..... et hoc remedio uti poterit in aliis caſibus difficilis probationis, mali exempli.*

XXVIII. Deinde notoria erat ſententiæ recurſus, et recurrentium æquivocatio, quatenus nullum procedimentum meum declamabant, eo quod ipſi exempti forent; hic autem *judicialem citationem* ad illud prærequirebant, cum ob eandem exemptionem, et *citatio ipſa judicialis*, et totus proceſſus nullus equidem foret, Pignatell. tom. 7. conſil. 10. Vant. de nullit. ex defect. citation. n. 27. et 35. Et hac de cauſa utitur forma illa citationis, aut notificationis extrajudicialis, *ad allegandum, quare*, &c. quam Pignatell. tom. 6. conſ. 18. et Monacell. cit. n. 2. appellant *citationem per modum lenitatis, et urbanitatis.*

Et, cum Bellet. de fav. cleric. tenet Pignatell. tom. 1. conſ. 162. Sperell. dec. 48. Panimol. dec. 96. n. 15. *Quando delictum eſt notorium, et publicum, poteſt ad declaratoriam deveniri, etiam abſque citatione,*

ut

ut probat gloſſ. in cap. *Cum ſit Roman.* in cap. *Rodulphus*, &c. Et hic etiam annectebantur auctoritates Petr. in conſt. 11. Alex. IV. tom. 3. n. 12. et aliæ jam extenſæ.

XXIX. Deinde, ut ordinarii poſſint ad cenſurarum declarationem à lege, etiam adverſus exemptos, procedere, ſufficit, ut ipſis conſtet de delicto, ut patet ex Clem. 1. de privil. ibi: *Excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, quos etiam locorum ordinarii, poſtquam eis conſtiterit, excommunicatos faciant denuntiari:* ſuper qua Clementina ait Monacell. p. 3. form. 45. tt. 1. *Quamvis in facto certo, et notorio, non exigatur ad promulgandas cenſuras monitio, ſeu citatio, adhuc laudabilius eſt, et praxis recepit, ut ante denuntiationem per modum lenitatis, et urbanitatis, excommunicati citentur, ad dicendum, quare non debeant denuntiari excommunicati, vel ad videndum ſe excommunicatos denuntiari.*

Accedunt praxiſtæ Genuenſ. c. 23. Ricciul. et alii moderni citati à Pignatell. tom. 6. conſ. 18. qui ita ait: *Ut autem conſtet de validitate cenſurarum contra hujuſmodi impedientes, utque judex rite, ac recte, proceſſiſſe in illis ferendis dicatur, capi debet informatio impedimenti præſtiti contra exercitium eccleſiæ juriſdictionis; citari delinquentes ad dicendum cauſas, quare non debeant declarari; et præfixo illo termino competenti ad comparendum eorum elapſo, illos declarari, et cedulones affigi mandandum eſt juxta praxim traditam à Genuenſ. Alph. de Leo.*

XXX. Et quamvis Vanguerv. teſtetur, ſe ſæpe vidiſſe in auditoriis eccleſiaſticis Braſilienſibus citationes, vi monitorii factas, in judiciali audientia accuſari; reſpondebam, praxiſtam hunc in citato cap. agere de cauſis civilibus, et de exactione judiciali debitorum eccleſiaſticorum, via monitorii in ordine ad cenſuram ferendam ab homine, et ad illius declarationem: non autem agere de declaratione extrajudiciali cenſurarum à lege, vi ſimplicis notificationis, *ad dicendum, quare*, &c. quæ quidem notificatio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed *ex decentia*, ſeu, ut loquuntur Monacell. et Pignatell. citati, *laudabilius, ac honeſtius.*

Sect. IV.

Quoad appellationes privatas præter generalem primi recurſus, quæ ex adverſo allegabantur.

XXXI. Sciſcitabar, an appellatio, *quæ eſt præſidium innocentiæ, et non iniquitatis* (c. *Cum parat.* de appellationibus, c. *Appellation.* eod. tt. in 6. ub. gl.) poterat recurrentes protegere ad illa ſacrilegia, indecentias, ac enormitates adverſus eccleſias, et eccleſiaſticas perſonas impune committendas; et, an ſi reus appellet in una cauſa, eo ipſo remanet, quaſi ſecuritatis charta obtectus, ne in cauſa, et caſu diverſo proceſſari, et puniri valeat?

XXXII. Deinde ex præjacta S. Congregationis declaratione in una Bonienſi, et generali regula à Monacell. ſuperius inſinuata, de epiſcopo, ut *patre*, et paſtore, et non *ut judice*, appellatione remota procedente, inferebam, neque impræſentiarum locum fuiſſe appellationi, neque etiam conſequenter adeſſe recurſui, ex communi doctrina; de qua Deluc. de regular. diſc. 15. n. 12. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. Peg. ad ordin. tom. 3. Salg. de prot. reg. prælud. 4. et 5. et alii paſſim.

XXXIII. In ſpecie autem, quoad particulares appellationes (nam, quoad generalem, in appellatione ad 1. recurſum ſatis reſponſum erat) ſatisfaciebam, aſſeverando omnes equidem inciviles, et incuriales fuiſſe; quippe quæ epiſtolæ quædam ſimplices miſſivæ fuerunt in reſponſionem notificationis mihi directæ, notorie frivolæ, dilatoriæ, imo et calumnioſæ; quod quidem textibus atque auctoritatibus ſuperius expenſis, exornabam, addens auctoritates Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 10. ibi: *Propter manifeſtam calumniam permittitur, judicem ad ulteriora procedere, non obſtante appellatione, aut recuſatione; ex c. Legitima*, de appellat. in 6. *Alioqui judex extunc in principali negotio procedere non omittat.*

XXXIV. Præterea, cum recurrentes notificati ad allegandum, non comparuerint relevantem rationem allegando, poterant ut veri contumaces declarari, ſecundum doctrinam Genuenſ. in prax. cap. 28. n. 19. ibi: *Si monitus non compareat, tanquam verus contumax habebitur pro confeſſo, et poterit appellare; et judex ad executionem ſuæ declaratoriæ, et excommunicationis denuntiationem, per affixionem cedulonum deveniat.* Cui accedunt Ciarlin. contr. for. tom. 2. c. 147. n. 40. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 2. n. 15.

XXXV. Et ulterius, cum procedimentum meum fuerit *in executionem juris*, denuntiando recurrentes in cenſuras *à jure* incurſos, nequibam illis appellationem ex defectu fundamenti admittere, Gaſparr. inſtit. canon. p. 3. tt. 10. n. 3. ibi: *Cum appellationis fundamentum ſit gravamen, et quidem injuſtum: et jus neminem gravat, c. Conſuluit, de appellat. ubique Abb. n. 3.* Et novo Concil. Lateranenſi, renovante decretum concilii 4. itidem Lateranenſis, diſponit tt. 14. iis non eſſe appellationibus deferendum, quarum remedia, cum ad æquitatis, ac pacis præſidia ſint *inſtituta, ad injuſtitias, ac diſſidia facienda uſurpari videntur.* Quæ equidem pariformiter jubentur in decretis generalibus S. Congregationis ſub Clem. VIII. ann. 1600. renovatis à Sanctiſſimo P. Benedicto XIII. in appendice ad idem Lateranenſ. Concil.

XXXVI. Et communis etiam doctrina eſt, quod *in proceſſibus extrajudicialibus difficile eſt opponi de injuſtitia*, Salgad. de reg. prot. p. 2. c. 13. n. 16. et *quod à talibus proceſſibus non admittitur appellatio, niſi ad ſummum, quoad effectum devolutivum.* Idem Salgad. p. 1. c. 7. n. 19. ex cap. 1. de appellat. c. conſtit. eodem tt. Monacell. p. 3. tit. 2. form. 6. ibi: *Epiſcopus, relicta via judiciali, procedit contra reum ex informata conſcientia extrajudicialiter . . . ne detur ei anſa appellandi, et de nullitate, ſeu injuſtitia, reclamandi ob defectum proceſſus.*

XXXVII. Quando autem appellatio caret effectu ſuſpenſivo, et ſolum habet devolutivum, non datur gravamen, aut recurſus ad tribunalia ſæcularia, *Seſſe*, dec. 114. Per. de man. reg. c. 7. n. 9. et cap. 22. Cevalh. gl. 1. de cogn. per vi viol. et Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. neque à declaratoriis, aut denuntiatoriis in cenſuras *à jure*, abſolute admittitur appellatio, cum judex denuntians, ut juris executor, in eis procedat; cap. *Novit*, de appellat. cap. *Conſuluit*, eodem tit. Gaſparr. tit. 10. n. 30. inſt. can. Sperell. dec. 48. n. 41. et cum mult. Panimol. dec. 96. annot. 2. n. 9. cujus auctoritas per formalia remanet.

XXXVIII. Et expreſſe Lancelot. de attentat. p. 2. cap. 12. ibi: *Declarationem excommunicationis incurſus poſſe fieri, non obſtante appellatione.* Et de Merinis, c. 113. *Nedum declaratio, ſed etiam denuntiatio, poteſt fieri poſt appellationem.*

XXXIX. Ultimo tandem animadvertebam, recurſus ſententiam, in eo, quod judicabat, ac commendabat quoad revocationem licentiarum prædicandi, et confeſſiones audiendi, aliqualiter coincidere videri cum propoſitionibus illis quorundam regularium Gallorum, à ſupremo inquiſitionis tribunali Romæ damnatis ſub Alexandro VII. die 30. Januar. ann. 1659 ſpeciatim cum propoſitione 6. quæ ſic formaliter ſe habet apud Pignatell. tom. 4. conſ. 174. n. 40. *Sexta, Regulares Mendicantes petere poſſunt licite à judicibus ſæcularibus, ut injungant epiſcopis, quatenus ipſis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, et Quadrageſima. Quod ſi renuant facere epiſcopi, decretum judicum ſæcularium tantundem valet, ac ſi permiſſio dictis religioſis conceſſa fuiſſet.*

XL. Denique oſtendebam, judices regios cauſam mere ſpiritualem nulliter, et incompetenter judicâſſe; et implorans beneficium reſtitutionis, ſi opus erat, ſupplicabam revocationem ſententiæ, et conſequentem declarationem, quod rogativæ chartæ male expeditæ fuerant; aliter avocabam, et provocabam, *omni meliori juris via*, cauſam hanc ad regiam præſentiam omnibus cum neceſſariis proteſtationibus, regiam majeſtatem deprecando, ut, ponderatis omnibus circumſtantiis, cauſam hanc per veritatem notam, ſolita æquitate, ac juſtitia, decidere dignaretur. Quænam autem fuerit regia providentia ſuper hac, et reliquis cauſis annexis, atque eandem materiam concernentibus, infra declarabitur.

Hic tamen ſubnectere libet, ad pleniorem notitiam, rationes, quibus promotor eccleſiaſticus ſeſe oppoſuit requi-

requirimento recurrentium, qui poſt ultimæ deciſionis intimationem ſupplicabant, ut cenſuræ levarentur à me per publicam contradeclaratoriam, et non per ſimplicem delationem, aut expeditionem datam in eorum ſupplicationis libello; et quod cenſuræ, in ea fulminatæ, nullæ declararentur, in die feſtivo; et quod, non obſtante appellatione eorum, cedulones non tegerentur, ut ego juſſeram, ſed omnino avellerentur, et dilacerarentur, et alia, de quibus infra, alleg. 30.

XLI. Allegabat igitur promotor, 1. *Quod ſtylus jus facit, et habetur pro lege*, Gratian. tom. 1. c. 191. n. 2. ord. l. 3. tt. 64. Stylus autem in hac re, ſecundum Coſtam de ſtyl. n. 64. eſt, quod in ſupplicatione recurrentis pro cenſurarum levamine, *Judex eccleſiaſticus defert, ſe eum pro abſoluto habere, et quod quilibet parochus, aut confeſſor approbatus eum poſſit abſolvere:* neque in cenſurarum levamine requiritur aliqua ſolemnitas, Peg. ad ordinat. l. 1. tt. 12. gl. 6. n. 6. et tt. 9. § 3. gl. 5. n. 32. ex Zerol. et aliis; ibi: *In camera abſolutio datur abſque ſolemnitatibus, quia non eſt de ſubſtantia, et quibuſcunque verbis concedi poteſt.*

XLII. 2. Quod recurſus ſententia neque judicavit, neque judicare poterat nullitatem cenſurarum fulminatarum, aut declaratarum; ſed nudum factum violentiæ, quando notoria eſt, ac manifeſta; ex Trid. de reformat. ſeſſ. 25. cap. 3. et alibi. Salg. de prot. reg. prælud. 5. 1. p. et cap. 2. per tot. Per. de man. reg. c. 7. et 24. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 8. neque chartæ rogativæ commendabant, quod annullarentur, aut nullæ declararentur cenſuræ, ſed unice, *quod levari juberentur:* quod optime quidem fieri poterat per vicarium generalem diœceſis, qui unum idemque judicium, ac perſonam conſtituit cum prælato diœceſano, c. *Roman.* de appellat. in 6. ubi gl. c. 2. de conſuetud. in 6. gl. in Clem. penult. de reſcript. Pelegr. de offic. vicar. 1. p. ſeſſ. 2. Leo in theſaur. 1. p. c. 10. Solorſ. de jur. Indiar. tom. 2. l. 3. c. 8. n. 3.

XLIII. Neque, ſuppoſitis appellationibus interpoſitis, ac receptis à me, in ſententiæ recurſus executionem poteram cenſuras nullas declarare; præſertim, ſuppoſita etiam qualitate aliquarum earum, ſignanter cenſuræ can. *Siquis*, quæ per ſeipſam eſt declaratoria publici, ac notorii percuſſoris injuſti, de qua Monacell. p. 3. form. 1. tt. 1. et illius judicialis, aut extrajudicialis declaratio eſt omnino excluſiva interpoſitionis, ac proviſionis recurſus, ut viſitur in caſu judicato apud Peg. tom. 8. ad ordinat. tt. 9. § 3. gloſſ. 5. n. 33. et alibi.

XLIV. 3. Quod quamvis citat. Per. c. 7. n. 23. et 24. conſultationem quandam M. Soar. tranſcribens, aſſerat, miniſtros regios poſſe nullas declarare cenſuras *per modum cauſæ*; apponit expreſſe limitationes, quando, ſcilicet, *tam ex probationibus facti, quam ex jure, clarum, certum, et evidens ſit, ſententiam cenſuræ habuiſſe impedimentum irritans, et annullans illam*, &c. Quæ hic adinveniri nequibant, præſertim circa cenſuras can. *Siquis*, et alias à jure latas, ob publicas ſacerdotum intra eccleſias percuſſiones, et ob alia facta notorie ſacrilega. Fit, dato, quod poſſent; certum omnino erat, quod judices impræſentiarum, *nec per modum cauſæ* cenſuras præmiſſas, et earum declarationem nullas directe declarabant. Neque auctoritas Lancelot. de attent. ex adverſo allegata, p. 3. c. 29. n. 16. *quod excommunicatio attentata non dicitur purgari per abſolutionem datam à judice ad quem, niſi intervenerit ſententia*, loquebatur de ſententia declaratoria judicis *à quo*, ſed *ad quem*, ut ex ea liquebat.

XLV. 4. Quod diſpoſitio jubens tutas ſervari declaratorias, affixas, pendente appellationis deciſione, erat ſumme conformis ipſimet juri civili, l. unic. ff. *Nil innovandum*, pendent. appellat. Fagnan. in cap. *Omnipot.* de accuſat. gl. in cap. *Nonne*, 8. q. 4. Pignatell. tom. 2. conſil. 60. n. 23. et inſuper conformior juri canonico, in decretis generalibus Clem. VIII. ann. 1600. edictis, et ampliatis per Urb. VIII. ann. 1626. et noviſſime confirmatis, ac renovatis per Sanctiſſimum Benedictum XIII. regnantem, in ſpeciali congregatione, ejus juſſu facta, ſuper reformatione tribunalium, ann. 1725. ubi ad decretum 12. et 13. Clem. VIII. ſic habetur: *Quoad inſuper cenſuratos mandat Sanctitas ſua, quod reportata abſolutione à cenſuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, ſed tantummodo tegantur, et tecti remaneant, durante termino obtentæ abſolutionis.*

XLVI. 5. Quia recurſus ſententia recurrentibus providit non independenter, ſed omnino dependenter ab appellationibus interpoſitis; imo harum interjectio, et earum non receptio, niſi quoad effectum devolutivum, fuit præcipuum proviſionis fundamentum. Quare in executione, atque adimpletione epiſtolarum rogativarum debebam conformari praxi, quæ de jure canonico in hac re datur, et eam adamuſſim exequi, et ſervare, ex vulgarib. et ex eo, quia *omnis diſpoſitio, quantumvis generalis, reſtringitur ſecundum qualitatem rei, ſuper qua fit; et ſecundum naturam actus, qui agitur*, l. 1. ff. de offic. procurator. Cæſar. l. *Stipulatur*, § *Verum*, ff. de uſur. l. *Semper in ſtipul.* ff. de reg. jur.

XLVII. Neque aliquid ſuffragabatur axioma ex adverſo allegatum: *Per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* 1. Quia etiam, *qui per alium facit, per ſeipſum cenſetur facere*, cap. *Qui per alium*, de regulis jur. in 6. l. 1. § *Dejeciſſe*, ff. de *vi arm.* et conſtituente epiſcopo, atque ejus vicario generali, unum idemque tribunal, ac judicium; quicquid ab hoc fiebat, à meipſo fieri ſentiebatur. 2. Ex ſtylo in contrarium; ord. l. 3. tt. 64. Coſt. de ſtyl. ann. 8.

XLVIII. Stylus autem *facit jus, et habetur pro lege*, Grat. for. tom. 1. c. 191. n. 2. et ita ait lexic. utriuſque jur. *Solemnitatum neceſſitas ex ipſa rerum experientia deprehenditur.* Novell. de donat. propt. nupt. § *Verum*, conſt. 119.

3. Quia proloquium illud, *Eadem ſolemnitas in revocatione actus, quæ in confectione illius, requiritur*, quod ex adverſo adducebatur, non erat aliquod axioma juris communis generalis, ſed doctrina aliquorum DD. particularis ad ſpeciales caſus limitata ſecundum ſtylum, aut juris diſpoſitionem particularem, ut videre eſt in axiom. jur. verb. *Res.*

XLIX. Alias, teſtamentum ſcriptum, requirens in confectione multiplices ſolemnitates juris, revocari non poſſet, niſi per eaſdem, et minime *per laceratione*m, *aut cancellationem*, vel per agnationem civilem, aut poſthumi, vel per adrogationem, aut per alios modos, de quibus Gaſparr. inſt. civil. p. 2. tt. 7. Deluc. var. deciſ. de teſtam. de fideicommiſſ. de ſucceſſion. &c. Gratian. tom. 1. c. 48. et tom. 8. cap. 774.

L. Imo, dato, quod proloquium illud foret axioma, aut regula generalis juris, ſufficiens erat ſtylus, aut conſuetudo in contrarium ad eam derogandam, c. fin. de conſuetud. ad quod Abb. Felin. et reliqui DD. Barboſ. de pot. epiſcop. alleg. 93. n. 29. p. 3. Dia. p. 7. tr. 1. reſolut. 28. Antonell. de regim. l. 1. c. 1. § 2. et præter præmiſſam conſuetudinem, datur alia conſimilis in levamine cenſuræ, c. *Omnis utriuſque ſexus*; et alicujus declaratoriæ dubiæ, aut injuſtæ, aut incurialis, qua, ex praxi Romana, jubetur, quod, *remotis cedulonibus, conſulat unuſquiſque conſcientiæ ſuæ*, Deluc. de juriſdict. diſc. 65. n. 2. et alibi.

LI. Hæ, et aliæ ſimiles rationes allegatæ etiam regio judici, eum ſuperſedere fecerunt in proſecutione procedimenti temporalis, jam ad inſtantiam recurrentium intempeſtive, et celerrime incepti, falſo prætextu, quod rogatoriæ chartæ non erant plene adimpletæ.

Parcat prudens lector hoc additamentum, ea motus conſideratione, quod hæc potius, ut in prologo inſinuavimus, ad prælatorum, juris canonici non profeſſorum, neque in forenſibus verſatorum notitiam, ac levamen, quam ad aliorum inſtructionem ſcribuntur.

ALLEGATIO XXVIII.

In Reſponſione ad tertium Recurſum ſuper eadem Materia ab eiſdem Parochis interpoſitum à nova Notificatione ad Parochias demittendas, poſt Exhibitionem regii Reſcripti, et poſt Rejectionem Impedimentorum ejus Executioni objectorum, factam.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Supplicabam aſſiſtentiam regii procuratoris ordinum.*
III. *Et ex aliis pluribus rationibus.*
IV. *Et ex conformitate regiæ ord. l. 2. tt. 1. § 7.*
V. *Conquerebar de nimia celeritate, et de non expectatione terminorum, etiam mathematice adimpletorum, et de nova formalitate decreti recurſus.*
VI. *Motivum illius quale videbatur.*
VII. *Excipiebam atteſtationes, et exemplaria tranſcripta à notariis ejuſdem ordinis.*
VIII. *Sententia interlocutoria ſenatûs.*
IX. *Contra ſtylum admiſerunt novum recurſum ex nova violentia concorporandum primo, abſque ejus copia, et ante primæ chartæ rogatoriæ expeditionem.*
X. *Gravamina ſunt juris ſtrictiſſimi, et non ampliantur.*
XI. *Detulerunt judices unice requiſitæ aſſiſtentiæ regii procuratoris.*
XII. *Reſponſio formalis ad utrumque recurſum.*
XIII. *Mens regii reſcripti declarabatur.*
XIV. Conceſſa juriſdictione, conceduntur omnia, per quæ pervenitur ad illam.
XV. Habens mandatum ad neceſſaria, etiam illud habere videtur ad utilia.
XVI. *Axioma*, Ejuſdem eſt deſtituere, cujus eſt inſtituere, *oſtenditur ex jure.*
XVII. Lex generaliter loquens, generaliter intelligitur.
XVIII. *Neceſſariam eſſe inſtitutionem ordinarii, etiam pro parochis regularibus, eſt communis.*
XIX. *Regulares per præſentationem patroni ſubjiciuntur ordinario* in actu ſignato; *per approbationem vero, et inſtitutionem ordinarii,* in actu exercito.
XX. *Eſt definitum in bulla* Inſcrutabili.
XXI. *Quæ hodie non eſt ſuſpenſa in Hiſpania.*
XXII. *Et eſt ſæpe declaratum à S. Congregat.*
XXIII. *Concilium ultramarinum eſt tribunal regis,* ut regis, *et ut* magni magiſtri, *pro ſtatu Indiano, uſque ad n.* XXV.
XXVI. *Sufficit ſcandalum, ut recurrentibus non provideatur.*
XXVII. *Hallucinatio recurrentium tempus confundentium.*
XXVIII. *Quod fit ſecundum leges, legitime fit.*
XXIX. *In viſitationibus regularibus, nedum de defectibus ovium, ſed et parochorum inquiritur; et informatio ex viſitationum libro, plene probat.*
XXX. XXXI. *Clauſula* prompto remedio, *quæ id valet, ac* ſine retardatione, *excludit omnia impedimenta, etiam appellationum.*
XXXII. *Suſpicionum articuli debent offerri ſubſcripti ab advocato, et præmiſſa debita cautione; alias rejiciuntur, citra recurſum.*
XXXIII. *A judicibus eccleſiaſticis datur recurſus in caſu notoriæ violentiæ, procedentibus,* ut judicibus, *non vero,* ut executoribus *regii decreti, aut reſcripti.*
XXXIV. *Pendente recurſu, ſi recurrens aliquod denuo attentet, poteſt judex eccleſiaſticus inoffenſus procedimenta proſequi, etiam dato, quod recurſus foret ſuſpenſivus, ex regula compenſativa attentatorum.*
XXXV. *Etiam gravamen à judice ſæculari ad tribunal ſæculare, non eſt de ſe ſuſpenſivum, ſed per accidens.*
XXXVI. *Recurſus eſt remedium ſubſidiarium, et minime ſuſpenſivum juridice.*
XXXVII. *Aſſertio, quod procedimentum judicis eccleſiaſtici poſſit argui de attentato, pendente recurſu, eſt falſa in jure, ſecundum Salgad.*
XXXVIII. *In cauſis gravioribus, requiritur ſpeciale mandatum.*
XXXIX. XL. *Privilegia antiqua regularium in pluribus ſunt revocata per Trident. et per nuperrimas conſtitutiones, quæ citantur.*
XLI. *Senatus ſententia recurrentibus favorabilis.*
XLII. *Impedimenta promotoris in cancellaria juxta ſtylum, tam ſententiæ, quam chartis rogativis; et quare? uſque ad finem.*

I. CUM in ſententia primi recurſus, à procuratore generali obſervantiæ S. Franciſci, intentati, decerneretur, me ei violentiam quidem inferre, quatenus regium reſcriptum originale ei non exhiberetur, atque ſuper impedimentis ei objectandis non exaudiretur; in hujus ſententiæ executionem, exhibito proprio regio reſcripto ad impedimentorum pertenſam oppoſitionem, noluit procurator ipſe, qui exhibitionem ſupplicârat, intra terminum primo, et ſecundo præfixum, impedimenta objicere: quare ab ulteriori oppoſitione per ſententiam interlocutoriam dejectus, et rejectis etiam impedimentis, quibus huic dejectionis ſententiæ ſeſe oppoſuerat, exhibitionis cauſa finaliter judicata, et ſic regii reſcripti executione expedita, noviter notificati ſunt parochi regulares Franciſcani, ad parochias Bardeſianas in manus coadjutorum demittendas intra terminum decem dierum. A qua notificatione tertium præſentem recurſum intentârunt; et, pendente illo, cum novi parochi in nova congregatione, ſeu definitorio intermedio ad eaſdem parochias deputati, etiam notificati forent, ne in eas ſeſe introducerent, parochialis muneris gratia exercendi, tum ob nullitatem deputationis, quam pertendebant, tum ob neceſſitatem præviæ meæ approbationis, atque inſtitutionis, quartum et ultimum recurſum ab hac ſecunda notificatione moderni parochi noviter deputati interpoſuerunt, quem judices incurialiter tertio præfato recurſui adunari juſſerunt, atque eiſdem ipſius actibus, poſt eorum, ſupra ultimam allegationem regii procuratoris, finalem concluſionem concorporari: cui quidem decreto oppoſuit promotor impedimenta, quæ excurrunt à n. 42. et ego poſtea exceptiones, et rationes, quæ incipiunt à n. 3. præmiſſis proteſtationibus, atque ſupplicationibus ſequentibus.

Exhibita igitur mihi actorum hujuſce tertii recurſus copia, non illico ei reſpondi; verum id perficere ſuo tempore, adhuc apto, proteſtans, ſequentes ſupplicationes, ac requirimenta prævia faciebam.

II. 1. Supplicabam, ex eo quod recurrentes in præſenti recurſu juriſdictionem magiſtratus militiæ Chriſti in ſui favorem involverunt, etſi procuratoris ordinum aſſiſtentiam depoſcerent; et inſuper, poſito, quod impugnarent regium reſcriptum, ac illius validitatem, eo quod expeditum per regium tribunal ultramarinum, quod quidem incompetens eſſe oſtendere pertendebant, quia regiam majeſtatem, non ut magnum ordinum magiſtrum, ſed ut regem repræſentabat; ſupplicabam et ego pariformiter aſſiſtentiam procuratoris regii, juxta exemplum in hocmet regio ſenatu ann. 1695. in praxi obſervatum.

Nam in recurſu à procuratore ordinum militarium ab illuſtriſſimo prædeceſſore meo D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione interpoſito, ſuper viſitatione fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum hujus diœceſis, ad hujus inſtantiam decreta eſt ei aſſiſtentia procuratoris coronæ, adverſus procuratorem ordinum, ut ex annexo documento ex propriis actis deducto conſtabat: quam equidem conſimilem aſſiſtentiam fortioribus rationibus, meliorique jure, mihi etiam deberi allegabam.

III. Et,

III. Et, 1. Quia prælatus ille ſuam dumtaxat ordinariam juriſdictionem defenſabat, cui quidem pertinere dicebat fabricarum, et confraternitatum eccleſiaſticarum viſitationem; atque in expeditione inhibitionum, atque notificationum ſuper hac re, ut ordinarius prælatus dumtaxat proceſſerat: ego vero quoad novas notificationes, non ut ordinarius, ſed ut merus executor regii reſcripti procedebam, quod recurrentes affirmabant, et agnoſcebant eſſe regiæ majeſtatis, ut regis.

2. Quia recurrentes præfatum reſcriptum nullum arguebant, eo quod expeditum foret per tribunal regem, *ut regem*, repræſentans, non autem ut magnum militiæ *magiſtrum*. Ego autem validitatem regii ejuſdem reſcripti ſuſtinebam, non obſtante, quod à tribunali, regiam majeſtatem, ut regem præferente, tranſmiſſum foret; cujus etiam tribunalis competentiam ſimul cum defenſione mea oſtendere, ac ſuſtentare pertendebam.

3. Quia recurrentes, in recurſu ſuo magiſtratus juriſdictionem involventes; graviter, ac manifeſte regiæ majeſtatis juriſdictioni, ac regalibus, ut regis, præjudicare conabantur. Ego vero, è contra, ab intentato præjudicio regia regalia, atque juriſdictionem, ſimul cum mea defenſione præſervare ſatagebam.

IV. Quare, perquiſitam aſſiſtentiam à fortiori mihi deberi concludebam; quam ulterius eſſe regiæ ordinationis diſpoſitioni conformem, atque definitionibus ordinis militiæ Chriſti conſonam, demonſtrabam ex eadem ordin. l. 1. tt. 12. § 5. ad quam Peg. et l. 2. tt. 1. § 7. et ex ipſiſmet definitionibus, p. 2. tt. 23.

V. Supplicabam, 2. et conquerebar adverſus ſatis moleſtam ac notam oppreſſionem mihi illatam, in celeritate injuſta, qua à me reſponſiones ad hos, et alios recurſus, ante ſolitum terminum, etiam mathematice adimpletum, exigebantur, imo et extorquebantur, non attentis, præter multiplices, et incompatibiles paſtoralis mei muneris diſtractiones, frequentibus, ac præſentibus, quibus urgebar, febricitationibus: quam equidem oppreſſionem noviter, ac notiſſime aggravabat formalitas præſentis decreti pro recurſus actorum copia mihi exhibenda die 8. Aprilis anni 1729. qua, præter ſtylum, addebatur, *quod acta cum reſponſione mea, aut ſine illa, ſi intra terminum non expediretur, à me effective recuperarentur.*

VI. Cujus novæ adinventæ formalitatis motivum, ac finis eſſe videbatur, nova cautela nuperrime introducta, reſervandi actorum recurſus exemplar tranſcriptum; meque ex impoſſibilitate, ob multiplicem frequentiam, tam moleſtiarum, quam recurſuum ipſorum, reſponſionem cum actis intra terminum, etiam mathematice computatum, non tradente, adverſum me indefenſum, et inauditum, pronuntietur; quod etiam ante effecerant; quin mecum, ſaltem pro reverentia characteri meo, atque attentione multiplicibus muneris mei obligationibus debita, obſervaretur æquitas, atque humanitas cum præfato prædeceſſore meo in recurſu illo practicata: in quo, cum prima copia actorum illius recurſus ei exhiberetur die 24. Novembr. ann. 1695. expectata fuit ejus reſponſio uſque ad diem 17. Decembr. qua illam abſolvit; et tam amplis ſpatiis proceſſum in illo eſt, ut finalis ſententia non niſi poſt biennium, die 23. Decembris ann. 1697. ſuper eo accordata fuit.

Mihi autem die 20. Decembris anni proxime elapſi, in pervigilio D. Thomæ, hujuſce Orientis apoſtoli, tres aut quatuor diſtincti recurſus reſpondendi ſimul traditi fuerant, cum expreſſa commendatione, ut omnes intra præfixum, et anguſtiſſimum trium dierum terminum cum ſingulis allegationibus meis expedirem; quod et effeci, non ſine judicum, et aliorum aliquali admiratione; et ſunt allegationes 25. 26. et 27. quæ ſuperius jam remanent extenſæ.

VII. Ultimo tandem excipiebam atteſtationes, atque exemplaria tranſcripta ab aſſertis notariis ejuſdem ordinis, recurrentium fratribus ob defectus et rationes generales jam expoſitas, et ob ſpeciales deminutionum, atque vitiorum præſentium; et iterum tandem proteſtabar pro allegatione mea recurſui ſuo tempore adjungenda, et pro reliquis neceſſariis. Et ſic terminatas has prævias ſupplicationes, ac requirimenta tradidi die 9. Aprilis ejuſdem anni 1729.

VIII. Quarum quidem cum copia procuratori regio ſimul cum recurſus actis exhiberetur, iſtiuſque allegatione, factis actis concluſis, eiſdem per ſententiam interlocutoriam adunari juſſerunt actus novi, et quarti recurſus identidem interpoſiti à novis parochis regularibus in proximo definitorio intermedio ad eaſdem eccleſias Bardeſianas deputatis ſuper nova notificatione, juſſu meo, eis intimata, ne ſeſe in eaſdem, ut parochi, introducerent, lite principalis recurſus pendente, et quamdiu à me neceſſariam ad parochiandum inſtitutionem obtinerent. Cujus quidem quarti, et novi recurſus, tertio jam conjuncti, ac adunati, et ſententiæ interlocutoriæ, quæ counionem illam ad inſtantiam recurrentium decreverat, cum mihi pro reſponſionibus copia exhiberetur, ultimam reſponſionem meam ſuo tempori reſervans, quod quidem mihi non excurrebat, uſque ad actorum remiſſionem ex vi primæ rogatoriæ chartæ ſecundum ſtylum, de quo Peg. ad ord. l. 2. tt. 9. § 3. n. 34. tom. 8. et iterum pro eadem reſponſionem proteſtans, ſpeciatim proteſtabar, et veluti per modum impedimentorum apponebam adverſum incurialitatem, ac nullitatem tum inſtantiæ recurrentium, tum interlocutoriæ illius jubentis utriuſque diſtincti recurſus coadunationem.

IX. Et, 1. Quia erat contra generalem, et irrefragabilem ſtylum, de quo Coſt. de ſtyl. dom. ſupplicat. n. 8. juxta quem, allegationem regii procuratoris conſequitur immediata expeditio primæ chartæ rogativæ ad actorum principalium tranſmiſſionem, minime vero admiſſio novi, ac diſtincti recurſus prioribus actis concorporandis, ac adunandis.

2. Quia quartus recurſus adunandus, nedum novus, ſed omnino diverſus à tertio erat, tum ex parte materiæ, tum recurrentium; quia materia tertii recurſus erat repetitio primæ notificationis, parochis antiquis facta ad parochias in manus coadjutorum demittendas in regii reſcripti executionem; materia vero quarti hujus recurſus erat diverſa notificatio novis parochis intimata, ne, lite pendente, et abſque inſtitutione mea, in parochias ſeſe intromitterent, parochiale munus executuri: pariformiter recurrentes in tertio recurſu erant parochi antiqui, jam inſtituti; in quarto vero, parochi novelli inſtituendi. Diverſitas autem ſubjectorum, ſtante etiam identitate materiæ, ſufficiens eſt ad dividendam continentiam cauſæ. Barb. ad ord. l. 3. tt. 80.

3. Quia materia novi, et quarti recurſus, præterquam quod nova, et diverſa foret omnino, ſuperveniens erat primæ tertii recurſus, et poſt primam in actis ventilatam, atque agitatam, et jam concluſione facta ad ſententiam expeditionis primæ chartæ rogativæ: et ipſimet recurrentes in ſupplicatione recurſus affirmabant, *quod, de hac nova violentia, novus eis competebat recurſus.* Si autem violentia nova, ac diverſa erat, novam aditionem recurſus fundans; quomodo ab eiſdem, coadunatio antiquo poterat ſupplicari, et à ſenatoribus decerni, ut in eiſdem actis, eademque ſententia, diverſa diverſorum recurrentium gravamina, atque violentiæ in diverſis actis procedentes, ſimul tandem deciderentur, præſertim primæ violentiæ proceſſu adeo ulterioribus paſſibus progrediente, ut ex illius terminis ſuperius enarratis demonſtrabatur?

X. 4. Quia, juxta communem doctrinam, gravamina ſtricti, et ſtrictiſſimi quidem juris ſunt; proindeque non ampliari, ſed reſtringi omnino debebant ad terminos materiarum, ac ſubjectorum in eis expoſitorum. Quare ſupplicabam diſmembrationem quarti recurſus à tertio, et quod quilibet ſeparatim in propriis actibus decurreret, et ſeorſim judicaretur. Et iterum exceptiones, ac proteſtationes factas repetens, ſupplicabam denuo tandem requiſitam jam aſſiſtentiam procuratoris regii.

XI. Cui unice judices detulerunt; et expediri juſſerunt primam rogatoriam chartam ad actorum utrique recurſui attinentium remiſſionem; cum quibus reſponſionem meam huic tertio recurſui remiſi, ea, quæ ſequitur, forma:

Reſponſio

Reſponſio formalis ad tertium et quartum recurſum præfatum.

XII. Primo præmittebam fidelem facti narrationem ſeriatim ductam ab initio controverſiæ; et ſuper ea adnotabam occaſionem, quam regii judices arripuerunt ex ſecunda mea paſtorali, qua etiam in executionem regii reſcripti, ſubſtitutos parochorum notificaveram, ne ſeſe in parochias munus parochiale exercitaturi, abſque mea approbatione, et inſtitutione, introducerent, de qua ſupra, ut proviſionem recurrenti præſtarent, eo fundamento, quod in hac ſecunda paſtorali, non ut merus executor, ſed etiam ut ordinarius proceſſeram: et dicebam, quod quamvis ſecunda prædicta paſtoralis ne in minimo quidem primæ officiebat; *nam utile per inutile non vitiatur*; c. *Utile*, c. *Non debet*, de regul. jur. in 6. occaſio jam aderat in præſentis recurſus materia, in qua nullatenus ut ordinarius, ſed ut merus executor proceſſeram, ad expediendum, qualenam fuerit illius proviſionis motivum; et qualenam fundamentum ad futuram etiam expectatam providentiam aſſumebatur? Deinde ſingulis recurſus fundamentis ſigillatim ſatisfaciebam.

Et primo, aſſerenti regiam majeſtatem mihi nudum dumtaxat miniſterium præſentandi delegaſſe, non vero facultatem commiſiſſe parochos recurrentes privandi, &c. ſatisfaciebam ex formali diſpoſitione, ac contextu regii reſcripti ſupra tranſcripti, ubi non dicit, *Præſentetis*, ſed *Provideatis prædictas eccleſias primo loco in clericis ſæculâribus*, &c.

XIII. Deinde, ſi mens regiæ majeſtatis in præmiſſo erat, non quod ad has parochias præſentarentur, aut providerentur clerici ſæculares *in ſenſu conjuncto* cum regularibus, id eſt, *his conſervatis*; ſed *in ſenſu diviſo*, hoc eſt, *regularibus excluſis*; ſatentibus recurrentibus, mihi delegatam fuiſſe juriſdictionem ad præſentationem, ſeu proviſionem, conſequenter fateri tenebantur, etiam quoad privationem, aut excluſionem delegatam quidem inſuper fore:

XIV. Cum de jure certum ſit, quod, *Conceſſa juriſdictione, ſunt etiam conceſſa omnia, per quæ pervenitur ad illam*, c. *Præterea*, cum ibi notatis, de offic. deleg. Panimol. dec. 17. n. 24. et quod *Quilibet judex* (etiam delegatus, aut executor) *omnia poteſt, quæ ad ſuam juriſdictionem pertinent, et ſine quibus cauſa expediri non poteſt*; l. *Cum quæd.* de juriſdiction. omnium judic. c. *Præterea*, et c. *Prudentiam*, § fin. de offic. deleg.

Manifeſtum autem omnino erat, regium reſcriptum, nec ſimpliciter, nec commode, exequi poſſe abſque illa prævia excluſione. Et ſufficiebat, quod abſque illa privatione utilius, aut commodius, executioni mandari nequiret, ad hoc, ut etiam juriſdictio ad illam conceſſa intelligeretur.

XV. Nam, *Habens mandatum ad neceſſaria, videtur illud etiam habere ad utilia*, Barb. cum Bald. axiom. 166. n. 3. Rendin. in prompt. tom. 1. tt. 100. Narbon. l. 20. gl. 2. tt. 1. n. 13. lib. 4. recopilat.

Neque neceſſaria erat expreſſa, et ſpecialis hujuſce juriſdictionis, aut facultatis, in regia delegatione, ut eleganter ex d. c. *Præterea*, convincitur, verbis ibi: *Hoc tibi auctoritate præſentium innoteſcat, quod poſtquam ei cauſa, licet ſimpliciter, delegatur, ſatis poteſt noſtra auctoritate partes compellere, et etiam contumaces ſeveritate eccleſiaſtica coercere: etiamſi literæ commiſſionis id non contineant, aut partes mandatum noſtrum non habeant, ut accedant: quia ex eo, quod cauſa tibi committitur, ſupra omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem.*

XVI. Secundo fundamento neganti, *ejuſdem eſſe deſtituere, cujus eſt inſtituere*, &c. ſatisfaciebam cum gloſſ. in c. un. de *capellis monachor.* in 6. et c. *Cum ſatis*, de offic. archidiacon. et cum reliquis textibus, atque auctoritatibus ſupra expenſis, et cum expreſſa, ac formali aſſertione ipſarum definitionum ordinis militiæ Chriſti, p. 3. tt. 12. § 3. et tt. 13. et cum regiis, atque apoſtolicis declarationibus cad. cit. alleg. tranſcriptis.

Et hic inverosimilitatis convincebam interpretationem, quam recurrentes apponere pertendebant intelligentiæ ipſarum definitionum diſpoſitionis, cit. § 3. c. 2. p. 3. aſſeverantis, *Inſtitutionem harum eccleſiarum pertinere archiepiſcopis, et epiſcopis.* Quam quidem aſſertionem recurrentes autumabant debere intelligi reſpective ad parochos ſæculares, epiſcoporum ſubditos, non vero reſpectu parochorum regularium exemptorum.

XVII. Convincebam, 1. Quia cum definitio illa lex quidem foret, ſemel quod generaliter, atque indiſtincte loquebatur, generaliter etiam, et ſine diſtinctione debebat intelligi, l. 1. § *Generaliter*, ff. de delegat. præſt. Quod ampliatur, *etiamſi ſit major ratio in uno, quam in alio; et etiam in materia odioſa*, l. 3. ff. de offic. præſid. Cravet. conſ. 118. n. 14. l. *Non diſtinguimus*, ff. de recept. arbitr. c. *Conſuluiſti*, 2. q. 5. c. *Solitæ*, de majorit. et obed. c. *Quia*, 22. de privileg.

XVIII. Convincebam, 2. Quia de hac neceſſaria inſtitutione ordinariorum reſpectu parochorum regularium loquuntur DD. omnes de hac re ſcribentes, ut Fraſſ. de patron. reg. tom. 1. et 2. Avendan. theſaur. Indic. tt. 17. n. 22. Palafox, alleg. 4. a. 2. et 4. Montenegr. l. 1. tr. 1. ſect. 2. Barb. de pot. ep. alleg. 72. n. 175. et ſeqq. et collect. 296. n. 11. Solorſ. de jur. Indiar. l. 3. c. 17. per tot. Palacios, Peyrin. Peliz. Fagund. et alii apud ipſos.

XIX. Convincebam, 3. Quia parochi regulares, *ut parochi*, ſubditi quidem ſunt ordinariorum, et illorum juriſdictioni immediate ſubduntur. Per deputationem namque, aut præſentationem patronorum, ſubjiciuntur ordinariis *in actu ſignato*; per approbationem vero, atque inſtitutionem ordinariorum, eiſdem ſubditi remanent *in actu exercito*. Et hæc immediata ſubjectio prædictorum regularium parochorum *juriſdictioni, viſitationi, et correctioni epiſcopi, in iis, quæ ad curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem pertinent*, expreſſe, et formaliter definita eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 13. et ſeſſ. 21. c. 6. et ſeſſ. 25. de regular. c. 11.

XX. Quod quidem denuo decretum, ac declaratum eſt in conſtit. *Inſcrutabili*, Greg. XV. ibi; § 4. *Decernimus, ſtatuimus, et declaramus, ut deinceps tam regulares, quam ſæculares, quomodolibet exempti, animarum curam* quibuſvis *eccleſiis vel beneficiis, ſive regularibus, ſive ſæcularibus incumbentem exerceant, ſive eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrent, prævia epiſcopi licentia, et approbatione . . . . In his, quæ hujuſmodi curam ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, et correctioni diœceſani epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plene in omnibus ſubjiciantur.*

XXI. Hanc autem bullam non eſſe ſuſpenſam in Hiſpania, demonſtratum eſt ſupra, ex bull. *Cum ſicut*, Innoc. X. § 3. et in reſponſione ad 10. dub. prop. epiſcop. et ad 4. prop. Jeſuitar. et ex aſſeveratione Fagn. in c. *Sane*, 2. de offic. et pot. jud. deleg. n. 17. Pignatell. tom. 10. conſil. 95. n. 25. Fraſſ. D. Hiſpanus, de jur. patronat. tom. 2. c. 67. n. 70. et alii.

XXII. Et hæc eademmet ſubjectio ſæpe declarata eſt à S. Congregatione, tum ſpecialiter in una Goana pro hac diœceſi anno 1620. quæ ſupra ad extenſum tranſcribitur; tum generaliter in una Limana apud Fraſſ. tom. 2. c. 56. Barboſ. in ſumm. collect. 296. n. 11. Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 17. n. 65. ibi: Ad 4. *In regulares curam animarum perſonarum ſæcularium agentes, in his quæ ad dictam curam, et ſacramentorum adminiſtrationem concernunt, epiſcopum eadem auctoritate uti poſſe, quam in parochos ſæculares.*

XXIII. Tertio fundamento inſiſtenti in eo, quod concilium ultramarinum, utpote tribunal ſæculare, et non eccleſiaſticum, magiſtratus mihi delegare non potuiſſet facultatem ad procedendum contra regulares, neque ad cenſuras fulminandas, &c. ſatisfaciebam oſtendendo, prædictum concilium eſſe quidem tribunal, non ſolum regis, ut regis, ſed etiam ut magni magiſtri triplicis ordinis militaris: 1. Quia hujuſce ſtatus proreges conferunt habitus trium ordinum militarium ex vi literarum, ac facultatum ad id efficiendum per præmiſſum ultramarinum tribunal expeditarum. 2. Quia regiæ majeſtati, ut magno prædictorum ordinum magiſtro, pertinent electiones, ac nominationes omnium epiſcoporum harum conquiſtarum ultramarinarum; et conſultationes ad illas,

et

et reliquæ proviſiones, atque expeditiones, per idem tribunal tranſmittuntur. 3. Ex ratione ſuperius attacta. Et ex doctrina Larreæ, alleg. 60. n. 39. et 40. ſupra extenſa.

XXIV. Quarto, Ex variis regiis reſolutionibus productis, præſertim ex duplici ſupr. laudata, ann. 1669. et 1717. quibus cautum eſt, ne in hoc ſtatu exequatur ordo, aut reſolutio aliqua, quæ per dictum concilium ultramarinum, vel per ſecretarium ſtatus regni, expedita non venerit. 4. Quia poteſtati regis, ut regis, competit ab his parochiis removere minus idoneos, et indignos, et ſcandaloſos, atque ſeditioſos; de quo Solorſan. l. 3. de jur. Indiar. c. 15. n. 34. et emblem. 81. n. 49. Fraſſ. tom. 2. c. 64. n. 49. et 66. n. 40. et Avendan. 2. p. c. 6. de exequend. mandat. et nos ſupr. et quoad fulminationem cenſurarum ſatisfaciebam earundem doctrinarum recapitulatione ſupra expenſarum.

XXV. Fundamento circa revocationem facultatum prædicandi, et confeſſiones audiendi; fiebat ſatis cum ſuperius allegatis: quibus addebam, quod cum jam per regium reſcriptum prælatis regularibus recurrentium ablata fuiſſet facultas deputandi, vel præſentandi parochos regulares has parochias adminiſtraturos, minime recurrere poterant ad hanc deputationem, aut præſentationem, vi cujus autumabant, recipere à Summo Pontifice juriſdictionem, ad parochiandum; *nam, ruente fundamento, corruit ædificatum*, l. *Nam origo*, ff. *Quod vi*, cum vulgar.

XXVI. Aſſerto autem recurrentium hic interjecto, videlicet, quod, *ad hoc, ut regium reſcriptum non exequeretur, eſto quod validum foret, ſufficiebat ſcandalum aliquod, quod inde ſequi poterat*, &c. reconveniebam, ſufficere quidem, imo et ſuperabundare tot gravia ſcandala è contrario ſecuta, et ſequenda in tot recurrentium exceſſibus, ac ſacrilegiis, et in tot ſacramentorum adminiſtrationum nullitatibus, atque illicitudinibus, ad hoc, recurſu, imo et cognitio denegaretur, ſecundum communem doctrinam Gabr. commun. opin. l. 3. de non tollend. jur. concl. 2. Cevalh. in prolog. n. 203. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 44. ex l. *Actione*, 65. § *Labeo*, ff. pro ſocio, et ex c. *Scias*, 7. q. 1. et aliis juribus. Salzed. de l. polit. c. 12. n. 87.

XXVII. Quinto fundamento ſiſtenti in regia epiſtola anni 1684. narrante, *tunc non adfuiſſe querelas conſtantes culparum adverſus prædictos parochos regulares*, &c. ex qua conabantur infringere veritatem informationis meæ ann. 1726. datæ, atque minus veritatis eam redarguere, &c. reſpondebam, recurrentes in hac pertenſione egregie, et notorie hallucinari, quatenus teſtimonium illud defectus querelarum, quæ *tunc*, videlicet anno 1684. non coexiſtebant, trahere, imo protrahere, ac raptare conabantur ad tempus præſens, longiſſima diſtantia, ac protractione quadraginta duorum annorum, in excluſionem veritatis querelarum, quæ *nunc*, videlicet anno 1726. aderant, à generali camera Bardeſiana, regiæ majeſtati præſentatæ, et à me ſuper earum veritate, teſtimonio denuntiationum in illius provinciæ nuper viſitatione datarum, informatæ.

Unde notam hallucinationem, ex ipſamet regia epiſtola producta convincebam, quatenus aſſerebat, *tunc non adfuiſſe querelas*; non vero *nunc*; nec quid tale aſſerere poterat de re futura, et contingenti, minime prævisa in tam ampla 42. annorum diſtantia. Quinimo inferebam, quod ſi ex defectu querimoniarum tempore præterito volebant, legitima conſequentia, inferre earundem defectum tempore præſenti; legitima quidem etiam foret illatio veritatis querelarum præſentium, ex anteactarum veritate, quarum vi anno 1696. et poſtea, tempore prædeceſſoris mei, anno, ut reor, 1720. ordine regio juſſi ſunt ab his parochiis removeri ob exceſſus in eis patratos, ob quos etiam Angli ab inſula Bombaim eos eodem anno dejecerunt.

XXVIII. Conſequenti autem objectioni neganti, informationem meam ex denuntiationibus in viſitatione generali datis, atque ex viſitationis ipſius libro deductam, *fuiſſe actum legitimum*, &c. ſatisfaciebam oſtendendo eccleſiaſticas viſitationes, et omne quod in eis inquiritur, ac proceſſatur, eſſe quidem *actus legitimos*, eo quod ſint *ſecundum leges canonicas*, ex Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 3. et ex c. *Irrefragabili*, de offic. ordin. c. *Procurationes*, de cenſib. Fuſc. de viſit. l. 1. c. 4. Franciſc. Leo, in theſaur. c. 16. Barb. de poteſt. ep. p. 3. alleg. 73. Mend. in prax. p. 2. l. 2. c. 3. n. 36.

XXIX. Cum autem hæ viſitationes *generales* ſint, et in eis non ſolum inquiritur de defectibus ovium, verum et parochorum, atque adminiſtratorum, etiamſi parochiæ ſint ordinum militarium, et ſitæ ſint in conventibus regularium, et parochi ipſi regulares exiſtant, juxta diſpoſitiones apoſtolicas in conſtitutionibus Pii V. Greg. XIII. Clem. VIII. ac Greg. XV. apud Quarant. in bullar. tt. de privileg. regul. Barb. in Trid. c. 8. Pignatell. tom. 1. conſ. 306. conſequens erat, quod informatio ex generalis viſitationis libro deſumpta, erat quidem omnino legitima, ac veridica; de cujus veroſimilitate jam ſupr. cum Monacell. actum eſt, qui quidem p. 1. tt. 5. n. 39. expreſſe aſſeverat, et in praxi ſic receptum eſt, quod *viſitationis libri plene probant*. Videatur Monacell.

XXX. Sexto fundamento, Quod ego non poteram judicare impedimenta, regio reſcripto objecta, &c. reſpondebam, 1. Me non judicâſſe impedimenta regio reſcripto objecta, ſiquidem recurrentes, poſt illius reſcripti exhibitionem, intentata impedimenta, neque intra primum, neque intra ſecundum terminum aſſignatum, ea opponere voluerunt: quare à præfixo termino dejecti, in contumaciam, juxta diſpoſitionem regiæ ord. l. 3. tt. 20. § 44. Mend. in prax. p. 1. l. 3. c. 10. n. 2. huic dejectioni tantum impedimenta obtulerunt; quæ quidem, cum relevantia non forent, rejecta ſunt ſecundum juris diſpoſitionem ex eadem ordin. l. 3. tt. 54. et ex his quæ Mend. cit. p. 1. l. 3. c. 3. n. 34.

Reſpondebam, 2. Quod cum regium reſcriptum præciperet, *Prompto remedio occurrere lamentabili ſtatui, in quo erant parochiæ à regularibus adminiſtratæ*; quæ clauſula, *prompto remedio*, æquivalet his, *ſine retardatione, abſque mora*, et ſimilibus; utique excludebat omnem exceptionem, omniaque impedimenta reſcripto objectanda; ut eſt communis praxis, et doctrina, de qua Mend. in prax. 1. p. l. 2. c. 12. § 1. imo et ipſammet appellationem à reſcriptorum executione præmiſſæ clauſulæ excludunt, Mend. cit. l. 2. c. 11. § 5.

XXXI. Reſpondebam, 3. Etiam communem doctrinam eſſe, in jure fundatam, quod de impedimentis executioni oblatis, executor ipſe cognoſcat, eaque finaliter judicet, ex c. *Paſtoral.* de offic. delegat. Covarruv. qq. c. 10. n. 1. Menoch. de arbitr. l. 1. q. 38. n. 3. et eſt text. in l. *Si non cognitio*, cod. *Si contra jus*, vel *utilit. publit.* præſertim quando impedimentorum fundamenta falſa ſunt, ut impræſentiarum; ex l. *Satis*, cod. ad leg. Cornel. de falſ. Minſing. centur. 3. obſervat. 69. Gaylon. l. 1. obſerv. 113. n. 8. Themud. dec. 239. et 233. per tot. Mend. in prax. p. 1. l. 3. c. 21. § 9. Et hoc ipſum mihi in primi recurſus ſententia commendabatur; videlicet, *Quod, ſuſpenſis procedimentis, recurrentes audirem ſuper impedimentis regio reſcripto, et monitorio meo objectandis uſque ad eorum finalem determinationem.* Unde pariformiter, ſicut de impedimentis monitorio meo opponendis, mihi certe cognoſcere, atque judicare attinebat, ita et de impedimentis reſcripto regio objectandis.

XXXII. Ad ea, quæ ulterius circa novam appellationem, novamque recuſationem, à recurrentibus intentatam, ex adverſo allegabatur, plane, pleneque fiebat ſatis, tum ex prædictis, tum ex ſuperius traditis. Et hic ſpecialiter dumtaxat addebam, hanc ultimam recuſationem, præter alios ſubſtantiales defectus, rejectam fuiſſe, eo quod ejus articuli, neque ab advocato ſubſcripti, neque præmiſſa debita cautione oblati fuerunt, ſecundum generalem praxim, et communem opinionem in auditoriis eccleſiaſticis obſervatam. Telleſ. in c. *Cum ſpeciali*, n. 5. de appellat. Farinac. l. 1. conſilio 17. n. 6. tom. 4. Fragoſ. § 7. n. 222. Barb. in c. *Secundo requir.* n. 5. de appell. Sperell. 1. p. dec. 93. Fermoſin. in c. 4. de for. compet. q. 2. Themud. 2. p. dec. 198. Barb. ad ord. tt. 21. § 4. n. 2. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 17. n. 60. Conſt. Portucalenſ. in regim. tt. 7. § 3. n. 4. et reliquæ

liquæ conſt. diœceſan. regni noſtri Portucalenſis. Inclinat et Guerr. de recuſat. l. 5. c. 7. n. 20. et 29. ubi, et lib. 1. c. 19. affirmat, *à tali rejectione non dari recurſum.*

XXXIII. Aliis objectionibus ex adverſo oppoſitis, pariformiter fiebat ſatis ex doctrinis jam ſuperioribus allegationibus inſinuatis. Quibus addebam, quod juxta regiam ordin. l. 1. tt. 9. § 12. et tt. 12. § 5. *Solum debet cognoſci de gravamine intentato à judicibus eccleſiaſticis, quando hi, ut tales, procedunt, regiam juriſdictionem uſurpando, vel manifeſtam, ac notoriam vim, et oppreſſionem regiæ majeſtatis vaſallis inferendo*; minime vero, quando procedunt, ut executores cujuſlibet regii reſcripti, aut decreti ſpecialis, ut impræſentiarum; tunc enim neque regiam juriſdictionem uſurpare, nec gravamen, aut oppreſſionem facere perſpicuum eſt; proindeque ceſſare omnino fundamentum ad recurſum, quod equidem eſt gravamen, ſicut ad appellationem. Seſſe, dec. 114. de inhibit. Cevalh. de cognit. per vi viol. gloſſ. 1. Per. de man. reg. c. 7. et 22. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 30.

Specialis reſponſio ad fundamenta quarti recurſus tertio annecti juſſi.

XXXIV. Ad primum, videlicet, quod, *pendente recurſu, ſuperſedere deberem*, &c. reſpondebam, 1. Dictum quartum recurſum materiam quidem à tertio diverſam, diverſaque ſubjecta reſpicere, ut ſupra oſtenſum eſt. Et, ſi, primo recurſu pendente, ego ſuperſedere debebam; ſane etiam recurrentes ſuperſedere, et abſtinere tenebantur, tum à novorum parochorum deputatione, tum ab iſtorum in parochias nova, et abſoluta introductione. Et cum illi ex parte ſua ſuperſeſſioni defecerunt, et ab ea retroceſſerunt; conſequenter licite poteram et ego procedimenta progredi, etiam dato, et non conceſſo, quod recurſus reſpectu mei ſuſpenſivus foret, ex regula generali compenſativa delictorum, et attentatorum, hinc, inde, Deluc. de judic. diſc. 18. n. 63.

XXXV. Reſpondebam, 2. Quod ſi gravamen, aut recurſus etiam à judice ſæculari interpoſitum ad tribunal itidem ſæculare ſuperius, non eſt ex natura ſua ſuſpenſivum, ſed per accidens dumtaxat, propter actorum remiſſionem, et poſt illam tantum, non antea, ut docet Leit. de jur. Luſitan. tr. de gravam. cum pluribus; Parex. de inſtrum. edict. tt. 2. reſol. 7. n. 6. et 13. Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. c. 1. n. 66. multo minus erit ſuſpenſivum reſpectu judicis eccleſiaſtici, quando ab illo ad ſæculare tribunal recurritur, ex totali defectu juriſdictionis hujuſce tribunalis ſupra eccleſiaſticum judicem, ut expreſſe docet Salgad. de prot. reg. 1. p. c. 7. n. 10. et ſeqq. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 20. n. 3. et cum illis, et aliis, Portug. de donat. reg. p. 2. c. 31. n. 18. ibi:

XXXVI. *Recurſus eſt remedium ſubſidiarium, et non ſuſpendit juriſdictionem judicis eccleſiaſtici; nec ab eo geſta, pendente recurſu, dicuntur attentata:* et n. 17. ibid. cum cod. Salgad. 1. p. c. 2. n. 2. Afflict. dec. 24. Seſſ. n. 54. Cevalh. in procem. Per. de man. reg. c. 4. ſic ait: *Recurſus ad tribunal regium eſt remedium extrajudiciale, et quo judex regiæ coronæ procedit extrajudicialiter, et per viam facti, non vero juriſdictionaliter, quia in eccleſiaſticos nullam princeps ſæcularis habet juriſdictionem, neque ejus miniſtri ſunt judices, vel ſuperiores eccleſiaſticorum.*

Accedit Creſp. de Valdaur. p. 2. obſerv. 118. n. 13. ibi: *Quia, juxta regulas juris communis, pendente recurſu, etiam notificato, non impeditur executio inferioris: et hanc eſſe veriorem, probabiliorem, ſecuriorem, communi uſu, et praxi, uniformique ſenatorum, et advocatorum calculo receptam, et amplexam, probat late Salgad. loquens de recurſibus à judicibus eccleſiaſticis ad tribunalia regia.*

XXXVII. Unde nec de nullitate, nec de attentato, poteſt argui procedimentum judicis eccleſiaſtici, pendente recurſu: et contrariam aſſertionem, aut propoſitionem falſam omnino in jure appellat Salgad. alibi, de libertat. beneficiorum, act. 16. n. 57. *Reſpectu vero juris falſa detegitur dicta propoſitio; nam, etiam ſuppoſita recurſus exiſtentia in ſenatu regio, judex eccleſiaſticus non impeditur interim procedere, nec ejus proceſſus cauſat nullitatem, nec attentata, prout latiſſime poſt longam diſputationem, validiſſimaque fundamenta, probavimus in tract. de reg. protect. 1. p. c. 7.*

XXXVIII. Ad quod aſſeverabant (omiſſis aliis ad appellationem attinentibus, quæ ex traditis ſuperius facile elidebantur) *non fuiſſe neceſſariam ſpecialem commiſſionem, aut mandatum ad appellationem, quam generalis procurator nomine recurrentium interpoſuerat*; reſpondebam cum practica, et trita doctrina, de qua Cardoſ. in prax. verb. *Procurator*, n. 21. et ſeqq. theſaur. diſp. 155. ex c. *Quid agendum*, de procurator. in 6. et ex Clem. *Non poteſt*, de procurator. Themud. dec. 6. n. 9. quod *in cauſis gravioribus* (qualis eſt proceſſus cenſurarum, et privatio beneficiorum, etiam amovibilium) *requiritur ſpeciale mandatum, et non ſufficit generale.*

XXXIX. Ad bullarum Pontificiarum allegationem, atque congeriem in propriæ exemptionis ab ordinariis confirmationem adductarum; reſpondebam cum decretis Concil. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 13. et ſeſſ. 21. c. 6. et ſeſſ. 25. de regular. c. 11. et alibi, de facult. ordinariorum procedendi, ut Sedis Apoſtolicæ delegatorum, ut ſeſſ. ead. 25. de regularibus, et ſeſſ. 5. de reform. c. 2. et ſeſſ. 6. c. 3. et ſeſſ. 21. c. 7. et ſeſſ. 22. de celebrat. miſſar. c. 6. et ſeſſ. 24. c. 10. et 11. necnon cum diſpoſitione conſtitut. *Expoſcit*, S. Pii V. et cum aliis ſuperius citatis.

XL. Nec nova confirmatio Sanctiſſimi P. regnantis Benedict. XIII. erga privilegia mendicantium in bulla, *Summe decet*, aliquid ſuffragabatur, notata reſtrictiva clauſula ibidem expreſſa, *Dummodo Concilii Trid. decretis non adverſentur.* Et inſpectis revocationibus ejuſdem concilii, et aliarum poſteriorum conſtit. per quæ privilegia regularium reducta ſunt ad terminos juris communis, et ejuſdem Trid. Concil. ut per conſtitut. *In principiis*, Pii IV. *Romani*, Pii V. *In tanta*, Gregor. XIII. vi quarum remanent cum ſua juriſdictione antiqua, et primæva, tanquam per remotionem obſtaculi, expedita ſuper exemptos, ut animadvertunt Deluc. de juriſdictione, diſc. 104. n. 1. et diſc. 29. n. 7. et Monacell. p. 1. tt. 6. form. 20. n. 26. Petr. Pignatell. et alii ſupr. cit.

XLI. Hac tamen allegatione non obſtante (quam die 10. Junii ann. 1729. ſubſcriptam, præmiſſas proteſtationes innovando, tradidi) prodiit ſententia ſeratus in favorem recurrentium innixa fundamentis infra in alleg. ſequenti declaratis; et prima charta rogatoria de more expediri juſſa, ejus tranſitui per cancellariam promotor meus ſequentia impedimenta objecit, ſecundum ſtylum, de quo Coſta de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 8. quod quidem ei permiſſi ratione expectationis navium è regno, navigatione intermedia, cum nova providentia advenientium.

Impedimenta promotoris eccleſiaſtici primæ chartæ rogatoriæ in tertio recurſu parochorum regularium Franciſcani ordinis oblata, ne cancellata tranſiret.

XLII. Cum præcipuum fundamentum ſententiæ hujus tertii recurſus erat, quod modi exceſſus in executione interceſſiſſet, in hoc diluendo contrariis fundamentis, ac rationibus, promotor totus erat.

XLIII. Fundamenta igitur impedimentorum oblatorum à promotore eccleſiaſtico hæc erant: 1. Non interveniſſe exceſſum in modo executionis, eo quod, ut ex adverſo conſiderabatur, opponenti impedimenta ſecundus terminus pro beneficio reſtitutionis aſſignaretur eo non præſente, nec illum petente: nam major gratia erat, beneficium, antequam rogaretur, quam poſt rogatum, præſtare. Deinde, cum opponens notificatus, ut intra certum terminum procurationem ſuam actis adjungeret, et effective impedimenta objiceret, notificationi parere noluerit, ſciens ex ſtylo, ab alia termini conceſſione ſe dejiciendum fore, et ad ſummum alium pro beneficio reſtitutionis ſibi aſſignandum; et neque intra ſpatium ſecundi hujus comparuerit termini; ſibi imputaretur, quod in contumaciam ejus impedimenta rejicerentur, et non judici ſic procedenti, juxta diſpoſitionem juris etiam regii ordin. l. 3. tt. 1. § 13. et tt. 20. § 19. et alibi.

2. Quia, poſita notificatione partium, et aſſignatione in audientia termini præfixi, illarum præſentia ad illam dejectionem, ac rejectionem, minime requiritur,

ritur, ex eadem ordinat. l. 3. tt. 2. § 1. et tt. 79. per totum, Phœb. dec. 79. et multo minus ad assignationem novi termini beneficii restitutionis gratia concessi, ordin. d. l. 3. tt. 20. § 19.

3. Quia etiam nequibat considerari excessus in rejectione secundorum impedimentorum, quæ opponens objectavit priorum rejectioni; tum ob futilem illorum materiam, tum quia processum est secundum legem ordinationis, l. 3. tt. 20. § 44. et § cit. 19.

XLIV. 4. Quia neque etiam excessus in modo executionis argui poterat, eo quod impedimenta ab opponente objectata forent *obreptionis, ac surreptionis*; qui quidem defectus in expeditionem regii rescripti considerari non poterant, cum emissum, ac ultimo expeditum foret prævia informatione vera, ac legitima præcedente, et partibus auditis; imo et exhibitione procuratori provinciæ opponentis in curia, consulto denegata, quam quidem ad præfata obreptionis, ac surreptionis impedimenta objectanda prærequirebat. Et in rejectione præsenti præmissorum impedimentorum observatus est generalis stylus, qui in obreptione, et surreptione, attendi solet. Deluc. de regalib. disc. 56. n. 4. et de pensionib. disc. 6. n. 8.

Alia autem impedimentorum fundamenta circa incompetentiam tribunalis, rejectiones recusationum, atque appellationum ex adverso opposita, ex superius dictis satis deprehendentur, et fastidiosum sane erit hic ea repetere.

XLV. Rejectis autem præsentibus promotoris ecclesiastici impedimentis per sententiam senatus; quæ quidem in consequentiam hujus rejectionis, primam rogatoriam chartam expediri cum mandare deberet, et cancellatam per cancellariam transire, secundum stylum; hunc iterum novo saltu præteriens, nova acceleratione injusta, vitiosaque præcipitantia, jussit expresse, *ut secunda rogatoria charta mihi expediretur*, prima neque expedita, ut præmissum est, neque mihi intimata, secundum stylum, ad eam vel exequendam, vel formali responsione, aut allegatione mea satisfaciendam. Quare huic injustæ sententiæ specialia impedimenta obtulit idem promotor, quorum materia, quæ prosequitur, erat.

Impedimenta promotoris novæ senatus sententiæ, quæ jussit secundam chartam rogativam expediri, quin prima per cancellariam expedita transiret, nec mihi intimata foret.

XLVI. Fundabantur hæc impedimenta, 1. In stylo, de quo Costa de styl. dom. supplicat. annot. 8. n. 64. ubi ait, quod *in impedimentis hisce rogatoriis chartis, proceditur in eadem forma, qua in reliquis impedimentis oppositis sententiis, ne per cancellariam transeant.* Formam autem hanc ibidem designat dicens: quod, *non receptis impedimentis, jubetur charta impedita per cancellarium transire, et parti recurrenti tradi*, &c.

2. In dispositione regiæ ordin. l. 3. tt. 87. et 88. et l. 1. de regim. et tt. 9. § 17. et si forte aliquod exemplum in contrarium, de quo non constabat, assignaretur; obstabat vulgaris regula: *Legibus, non exemplis, judicandum.*

XLVII. 3. Quia injustæ, ac inciviles præteritiones, atque acceleraciones, sententiam illam nullam reddebant, ex ordinat. l. 2. tt. 39. in principio; et ecclesiasticum prælatum ab hujus rogativæ chartæ executione absolvebant, tum ob eam nullitatem, tum ob defectum intimationis illustrissimo prælato; ratione cujus necessaria omnino reddebatur ejusdem chartæ per cancellariam transmissio, atque ipsius eidem prælato notificatio; tum quia forsan absque alia replica eam adimpleret, atque exequeretur; tum quia rationes, ac fundamenta fortiora, quam promotor in impedimentis, in responsione sua adversus ejus executionem fortasse alleganda haberet, super quibus omuino exaudiri debebat.

XLVIII. 4. Quia præter has præteritiones nullas, et injustas, continebat eadem sententia aliam notoriam injustitiam, ac nullitatem, quatenus *ultra petita* partis judicabat. Nam, parte impedita supplicante, quod *prima rogatoria charta ad ejus instantiam expedita per cancellariam tandem transiret, et cancellata ei traderetur*; judices regii, non primæ transmissionem petitam, sed secundæ, quæ adhuc non supplicabatur, expeditionem decreverunt, atque judicârunt.

His, et aliis fundamentis tandem rejectis, ad secundæ chartæ rogativæ expeditionem devenerunt, cui etiam etiam idem promotor sequentia impedimenta in cancellaria obtulit.

Impedimenta promotoris ad secundam chartam rogativam in cancellaria, fine supra insinuato, et infra alleg. seq. expressius declarato, oppositа.

XLIX. 1. Quod in recursibus à judicibus ecclesiasticis non poterat procedi ad decretum pro secunda charta rogativa expedienda, quin prima expedita foret per cancellariam, et judici ecclesiastico effectiva intimata, tum ex stylo, de quo Cost. cit. tum ex naturalis, ac positivi juris dispositione, eo quod duplex præmissa charta loco notificationis politicæ succedat; proindeque utriusque intimatio omnino necessaria fiat sub pœna nullitatis processus. Ordin. l. 2. tt. 39. Guerreir. de division. l. 8. c. 3.

L. 2. Quod cum ultima recursus futura decisio in palatino senatu innitenda erat, juxta stylum, in eo quod *duo præmissæ chartæ rogativæ bene expeditæ fuissent; proindeque adimpleri deberent*; posito, quod prima male expedita foret, imo non expedita, neque cancellata transmissa, neque intimata, adeoque nulliter consequenter etiam nulla esset et secundæ chartæ expeditio, prima non absoluta, neque intimata, et futuræ decisionis ultima resolutio, in duplicis præmissæ chartæ bona, ac recta expeditione subsistens.—

LI. 4. Quia præter has præteritiones, ac nullitates, continebat sententia aliam ex parte judicum nullitatem notoriam, eo quod à duplici tantum judicata foret, cum deberet à tribus judicibus conformibus proferri, eo quod esset rigorosa sententia, et non simplex delatio, ex ordin. l. 1. de regim. senat. palat. et tt. 9. § 17. Peg. ad eand. Mend. in prax. p. 2. l. 1. c. 2. defectu cujus, et ex præteritionibus, atque acceleracionibus præmissis, incurrebant judices ipso facto notam ac censuram reg. ordin. l. 1. tt. 5. § 4. et l. *Non dubium*, cod. de legib. Cost. de styl. dom. supplicat. annot. 4. n. 8. et 19.

LII. 5. Hanc notam, atque suspicionem à lege, coadjuvari de facto ab ipsorum judicum excessu, condemnantium advocatum, qui impedimenta subscripserat, in gravi pœna carcerationis per octo dierum spatium, et mulctæ sex millium regalium; præsertim cum advocatus ipse invitus, et coactus ex vi præcepti judicis regii, id jubentis, impedimenta subscripserat, eo quod idem judex noluerit permittere docto opponenti hanc subscriptionem facere, dum eam, ob generalem advocatorum renitentiam, supplicaret, cum nova, atque injusta contraventione ordinat. regiæ, l. 1. tt. 30. § 1.

Et iterum hanc eandem suspicionem judicum coadjuvabat, atque confirmabat expeditio secundæ chartæ in cancellaria, die 20. Augusti cancellandæ, cum sententia illa, vi cujus expedita fuerat, prolata, et publicata foret die immediate præcedenti, 19. ejusdem mensis. Quibus etiam impedimentis judices ne in minimo quidem deferentes diem pro ultima decisione in aulico statu senatu sumenda decreverunt; meque ad intereffandum notificato, allegationem subsequentem misi.

ALLE-

ALLEGATIO XXIX.

Pro ultimo in aulico Status Senatu Deciſione ſuper duplicato eodem Recurſu ſumenda.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti, et oſtenditur motivum ſpeciale impedimentorum retro promotoris.*
II. *Quæ detrimenta ex litibus oriantur?*
III. *Recurſus nullitas triplex.*
IV. *Non admittitur recurſus, niſi à judicibus eccleſiaſticis, ut talibus, procedentibus.*
V. *A judice eccleſiaſtico procedente, ut executore alterius judicis eccleſiaſtici, nequit intentari gravamen.*
VI. *Suffragatur etiam Per. de man. reg.*
VII. *Et Peg. merito declamat contra contrarium ſtylum.*
VIII. *Ratio illa,* Qui exequitur, me lædit, *eſt ſane futilis, et convincitur remiſſive.*
IX. *A fortiori, non admittendus recurſus à prælato, ut executore regis.*
X. *Qui nec regiam juriſdictionem uſurpat, nec oppreſſionem notoriam infert.*
XI. XII. *Si verum foret,* Qui exequitur, me lædit, *poſſet quidem intentari gravamen à curſoribus cedulones affigentibus, et ab aliis executoribus ſimilibus non agentibus nomine proprio.*
XIII. *Nullitas, et injuſtitia, præſentis proceſſus.*
XIV. *Ab executore regis non aditur ſuperior per viam recurſus, ſed gravaminis.*
XV. *Regium reſcriptum expeditum fuerat prævia conſultatione coram rege.*
XVI. *A rege, ut rege, non datur recurſus ad ſeipſum.*
XVII. *Nullitas, et injuſtitia, proviſionis.*
XVIII. *Etiam in invitos beneficium ſervare pulchrum eſt: et quas limitationes patiatur contrarium axioma.*
XIX. XX. *Beneficium ſemper tale eſt, et invito prodeſt, ex Senec.*
XXI. *Promotor juſtitiæ ex æquitate, poteſt etiam ſupplicare, quod parti adverſæ fuerit favorabile.*
XXII. *Ex ordin. omnes termini ſunt peremptorii.*
XXIII. Obreptio *datur, quando introducitur falſum*; ſurreptio *vero, quando tacetur verum.*
XXIV. *Judices eccleſiaſtici tenentur judicare juxta jus canonicum, et ſynodale, non ſecundum civile.*
XXV. *Deficiente proprii juris diſpoſitione, poſſunt conformari diſpoſitioni juris civilis, præſertim municipalis.*
XXVI. *Sententia data pro cauſa vera, et pro cauſa falſa, ſuſtinetur ex cauſa vera.*
XXVII. *Ab executore, etiam modum excedente, non datur appellatio ſuſpenſiva. Et in cauſa executionis judex eccleſiaſticus eam non recipiens, vim non facit; et eſt caſus judicatus.*
XXVIII. *Revocabantur præcipitationes, et incurialitates, progreſſus recurſus.*
XXIX. *Palatium epiſcopale gaudet immunitate: alimenta non poſſunt ſequeſtrari.*
XXX. *Sufficit exceſſus in modo dumtaxat, ut miniſtri ſæculares ſubjaceant cenſuris bullæ Cœnæ.*
XXXI. XXXII. *Epiſcopalis dignitatis honorificantia.*
XXXIII. *Archiepiſcopus, etiam per loca exempta ſuæ provinciæ, poteſt crucem ante ſe deferri facere, et populum benedicere.*
XXXIV. *Primates ſolo nomine differunt à patriarchis.*
XXXV. *Ultima regiæ majeſtatis deciſio.*
XXXVI. *Regium reſcriptum ſuper controverſia paræciarum Bardeſienſium.*
XXXVII. *Aliud reſcriptum ſingulorum dubiorum reſolutorium.*
XXXVIII. *Epiſtola regia per concilium ultramarinum expedita pro remotione aliquorum parochorum regularium.*
XXXIX. *Alia epiſtola per tribunal ordinum provinciali Franciſcano directa.*

I. NON litigandi animo, nec cauſam hanc præciſe protrahendi, promotor eccleſiaſticus, qui probus, ac doctus ſacerdos erat, impedimenta præmiſſa objecit, ac multiplicavit.

II. Non enim ignorabat detrimenta, quæ litium introductio, et proſecutio præbet, de quibus Clem. *Dudum*, de ſepultur. authent. defenſion. civit. in princ. l. *Si quis*, § in civilib. ff. de appellat. neque quod, teſte D. Paulo, epiſcopum oporteat, *non litigioſum* eſſe, et alibi: *Non litigioſos eſſe, ſed modeſtos:* verum cum naves è regno, intermedia navigationis occaſione, proxime adventuræ ſperabantur, in eiſque vel nova ſuper hac re providentia, vel fortior ejuſdem regii reſcripti innovatio, aut ratificatio reſcripti cum fundamento expectabatur; idcirco, me permittente, aduſque expectatarum navium adventum cauſam hanc, citra ultimam aulici ſenatus deciſionem, prudenter detinere, mediis præjactis, in ſe licitis, et ſecundum ſtylum, impedimentis affectavit; præcipue illo, et meipſo, in defenſionem, et veluti reis procedentibus. Verum hiſce rejectis, et navibus non advenientibus, cum juſta de cauſa intereſſe nequiveram, allegationem juſtitiæ meæ in ſcriptis miſi eidem aulico ſtatus ſenatui, die ſtatuta, qua ſequentes rationes repræſentabam.

Et primo dicebam, Cœlum quidem viſum eſſe, admiſſionem, ac proviſionem in præſenti recurſu, illum intentantibus permiſiſſe, ut manifeſtum fieret, me omnibus mediis prudentiæ, ac juſtitiæ, ſuaviter, et efficaciter, regium reſcriptum executioni mandare curâſſe, et omnibus adverſis à miniſtris regiis impeditum fuiſſe; ut ex ſerie, atque fideli facti narratione evincebatur.

III. Sed motivis omiſſis, utpote quæ ſupremo judici, ac judicio reſervabantur, progrediebar ad demonſtrandam incivilitatem, ac nullitatem hujuſce recurſus tum *in admiſſione*, tum *in proceſſu*, tum denique *in proviſione*; cujus quidem ſententiæ fundamenta demum infringebam.

Sect. I.

IV. *In admiſſione* nota erat injuſtitia, ac nullitas; nam, juxta ordinationis regiæ diſpoſitionem, non poteſt intentari, neque intentatus admitti debet recurſus à judicibus eccleſiaſticis, niſi recurrens laicus ſit, et judices eccleſiaſtici, ut tales procedant, ut expreſſum eſt in ordin. l. 1. tt. 12. § 5. ibi: *Quando perſona aliqua gravamen interpoſuerit à judicibus eccleſiaſticis, et fuerit perſona laica*, &c. et § 6. *et quando judices eccleſiaſtici noluerint deſiſtere ab uſurpatione noſtræ juriſdictionis.* Et infra: *Et quando prælati, aut judices eccleſiaſtici noluerint abſtinere à procedimentis contra laicos.* Et eadem ſæpe repetuntur eodem titulo.

Et ſimiliter tt. 9. § 12. *Verum non cognoſcent de gravamine, quod partes intentaverint à judicibus eccleſiaſticis in caſibus, in quibus cognitio eiſdem pertinet.* Et l. 2. tt. 1. § 14. et 19. et tt. 8. et 9. et 10. ſemper loquitur de judicibus eccleſiaſticis, ut talibus procedentibus, ſemperque eos per hæc nomina *judices, aut judicatores* appellat. Unde manifeſtum fit, loqui dumtaxat de judicibus eccleſiaſticis, ut talibus, procedentibus, et non de executoribus meris, procedentibus nomine alterius, præſertim nomine regis, ut talis, et ut illius ordinum executoris.

V. Confirmabam hanc intelligentiam, quia à judice eccleſiaſtico, qui ut merus executor alterius judicis eccleſiaſtici procedit, nequit intentari gravamen, aut recurſus, ut docte, et nervoſe reſolvit, ac defendit Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. n. 44. tom. 3. caſum exponens delationis, ſeu licentiæ, quam vicarius generalis exempti territorii regalis monaſterii S. Crucis Conimbricenſis, canonicorum regularium S. Auguſtini (cujus ſanctæ congregationis, licet indignus, filius profeſſus, et membrum adhuc incedo) dedit

dedit ſententiæ cuidam deprecatæ à metropolitano judicio Bracharenſi emiſſæ: cui quidem ſententiæ, ſibi præſentatæ, vicarius generalis cum ſimplicem hanc delationem innegabilem, juxta ſtylum, inſcriberet, *Exequatur*; vulgo: *Cumpraſſe*; ab hac neceſſaria, et ſimplici executionis, aut adimpletionis inſcriptione, aut licentia, parte gravamen interponente ad coronæ judicium Portucalenſe, inciviliter, atque injuſte, ei proviſum eſt.

Cujus quidem incivilitatis, atque injuſti exceſſus, merito ipſe Pegas, etſi ſæcularis doctor, miratur, et quod judices regii ſolidam, ac relevantem vicarii generalis reſponſionem non attendiſſent; verbis ibi: *Reſpondebat prædictus vicarius, ſe non potuiſſe denegare prædictam licentiam; et nihilominus, ſiquidem ab eo gravamen interponebatur, ut deſiſteret*, &c. *ipſe deſiſtebat, et tollebat, in quantum poterat, cenſuras, et erat paratus ad faciendum quicquid ab aggravante peteretur, et à regio judice juberetur: non tamen eſſe judicem, aut partem, ut poſſit cum eo agi de juſtitia, aut injuſtitia, cenſurarum impoſitarum. Nihilominus proviſio data fuit eodem modo contra eum cum clauſulis conſuetis additis, ac ſi ipſe eſſet judex, qui excommunicationem protuliſſet; ſed ſupradicta conſiderari debent attente propter excommunicationem bullæ Cœnæ Domini, de qua Cardoſ. d. alleg. n. 44. et ſeqq. et ſic reſolutis et conſideratis ſupradictis revertendo ad noſtri tex. commentaria, ſic proſequor*, &c.

VI. Et quamvis Per. de man. reg. c. 7. n. 45. aſſerat, quod ex ſtylo, à mero executore Summi Pontificis poſſit recurri ad judicem coronæ ex capite violentiæ illatæ; attamen tale quid non affirmat, de executore regii mandati, aut reſcripti. Imo etiam de executore ſententiæ Romæ, aut alio judicio eccleſiaſtico latæ, loquens idemmet Per. difficultatem agnoſcit, et rem dubiam eſſe teſtatur, et maximam cautelam commendat; verbis ibidem: *Et non ſine dubio eſt, ideo cum maxima cautela procedi debet examinata violentia, an talis ſit, cui alio modo ſuccurri non poſſit*, &c.

VII. Et merito iterum contra prædictum ſtylum, et exceſſus aliorum, ex auctoritate Per. ſecutos declamat Peg. ibidem dicens: *Prædicti ſtyli, et doctrinæ auctoritate, ita eam ampliant judices regis, ut mirum ſit; jam enim quaſi in proverbium abiit apud ipſos, gravamen ad prædictum judicium recte interponi à quolibet etiam notario, intimante ſententiam, vel clerico ex mandato ſui ſuperioris declarante aliquem excommunicatum.*

VIII. Futilitas autem illius rationis, *Qui exequitur, me lædit*, qua prædictus ſtylus fundatur, infra oſtendetur, n. 11. eo quod non agat nomine proprio, ſed mandantis, et ex abſurdis ex illo falſo proverbio vere conſequentibus.

IX. Ex his merito quidem jure inferebam et ego, quod ſi à judice eccleſiaſtico, procedente, aut deferente, ut executore alterius judicis eccleſiaſtici, non debet admitti recurſus; fortiori ratione, admitti non debebat à judice eccleſiaſtico, non ut judice, ſed ut mero executore reſcripti regiæ majeſtatis, vel ut regis, aut domini temporalis, vel ut magni magiſtri, aut prælati eccleſiaſtici, procedente. Quam quidem rationem ulterius ex cit. ordin. l. 1. tt. 9. et 12. corroborabam, et ex doctrinis Peg. et Barb. ad eandem; ſecundum quas nequit admitti recurſus à judicibus eccleſiaſticis ad ſæculares, niſi quando, vel notorie regiam uſurpant juriſdictionem, vel notoriam vim, aut oppreſſionem regis vaſallis incutiunt.

X. Qui autem ut ſpecialis executor regii mandati procedit, nec regiam juriſdictionem uſurpat, neque oppreſſionem notoriam infert, ut ex terminis claret.

XI. Illud autem aſſertum ex Per. deductam, *Qui exequitur, me lædit*, ſic materialiter intellectum facile rejicitur; quia, alias, ſequeretur, poſſe à curſoribus ipſis, qui cedulones affigunt, ab apparitoribus, ac lictoribus, qui laicos capiunt, et ab aliis infimis judicii eccleſiaſtici executoribus, gravamen interponi, ſiquidem hi immediate reos lædunt; quod Per. non concedet, eo quod non agant nomine proprio, ſed alieno, videlicet judicis mandantis: ergo ſimiliter.

XII. Et hinc patet ratio, cur ab executore excedente notorie et appelletur, et recurratur; quia ſcilicet exceſſum operatur, non nomine mandantis; hic enim nonvult executorem limites executionis tranſgredi; ſed nomine proprio; ideoque exceſſus ipſi proprie adſcribitur, ſicque ab illo recurritur. Sed de hoc alibi.

Sect. II.

XIII. In proceſſu, etiam manifeſta erat nullitas, atque injuſtitia, recurſus, tum ex injuſtitia ipſius admiſſionis, quæ conſequenter nullum reddebat proceſſum; ex l. *Si aut nullum*, cod. de leg. hæred. l. 4. § *Condemnat*, ff. de judic. ex c. *Quod nullum*, et c. *Non præſtat*, 52. de reg. jur. in 6. gl. ultim. in c. *Cum nos*, de his, quæ fiunt à prælat. tum ſpecialiter, quia me procedente, ut executore regis, *ut regis, aut ut domini temporalis*, et non *ut præſulis eccleſiaſtici*; medium occurrendi huic executioni, aut violentiæ, quæ in ea intercederet, non erat medium recurſus, ſed aliud diverſum.

XIV. Nam ab executore regis, aut cujuſlibet tribunalis, aut judicii ſæcularis, non accurritur ad ſuperiorem per viam recurſus, ſicut à judicibus eccleſiaſticis; ſi modum excedat, aut per aliud medium à legibus deſignatum, ord. l. 3. tt. 76. § fin. Mend. in prax. p. 1. et reliqui praxiſtæ regnicolæ.

XV. Præterquam quod, cum judicium coronæ ſit tribunal regium, quod regem quidem præfert, ſed in repræſentatione dumtaxat, non autem in realitate; et cum concilium ultramarinum, per quod præſens regium reſcriptum expeditum eſt, ſit etiam regium tribunal in repræſentatione, et aliunde præfatum regium reſcriptum expeditum foret per conſultationem habitam apud regiam majeſtatem, non in repræſentatione tantum, ſed in realitate, et in propria regia perſona; negatorium, et implicatorium videbatur recurri ab executore illius regii reſcripti, propria et reali conſultatione regia expediti, ad diverſum tribunal, licet regium, in repræſentatione, à quo expeditum non eſt.

XVI. Et quamvis à regia majeſtate, ut magno magiſtro, ſeu prælato eccleſiaſtico, recurri poſſit ad eandem, ut regem, juxta ſuperius dicta, nullum exemplum, nulluſque ſtylus adducebatur, neque adduci poterat, quod à rege, ut rege, ad ſeipſum, ut talem, recurri valeret; neque ab executione cujuſdam regii reſcripti, per conſultationem apud regiam majeſtatem in propria perſona realiter expediti, recurri ad tribunal, quod majeſtatem regiam in repræſentatione dumtaxat præferebat: ex quibus omnibus *proceſſus* incurialitas, atque incivilitas, ſatis deprehendebatur.

XVII. In *proviſione* etiam notoria erat nullitas, atque injuſtitia recurſus, et ejus ſententiæ recurrentibus providentis. 1. Ex rationibus præmiſſis. 2. Ex totali carentia notoriæ injuriæ, violentiæ, aut oppreſſionis adverſum jus naturale illatæ, quæ recurſum fundare, et illius proviſionem licitare poſſet. 3. Quia agnoſcentibus judicibus, et in contextu ſententiæ aperte fatentibus, me ut merum executorem proceſſiſſe, et inſuper confitentibus, non dari appellationem ſuſpenſivam ab executore, etiam mixto, ſed ſolum devolutivam; fundabant proviſionem in non delatione appellationi recurrentium, quoad utrumque effectum; et in exceſſu, quem autumabant interceſſiſſe in modo executionis multiplici fundamento, quæ tandem ſigillatim evertere progrediebar.

Sect. III.

Diluebantur ſingula fundamenta ſententiæ recurſus, ex cogitato exceſſu.

XVIII. Primum erat, me modum quidem exceſſiſſe, *ſecundum terminum ad impedimenta offerenda recurrentibus, reſtitutionis beneficio aſſignando in eorum abſentia, et quin ab eiſdem expoſtularetur.* Sed facile elidebatur, tum ex dictis ſuperius, tum ex auctoritate Senecæ de benefic. l. 2. ibi: *Pulchrum opus eſt, etiam in invitos, nolenteſque, beneficium ſervare.* Et axioma contrarium, *Beneficium non confertur invito* (quod quidem anſam præbuiſſe videbatur præſenti ſententiæ conſiderationi) ſuas patitur vulgares limitationes, et, eas inter, ſequentes: *Quando de publica, vel privata, utilitate agitur*, l. *Non tantum*, 6. ff. de appellat.

Thomaſet. in flor. reg. 151. *et etiam in concernentibus animam*, commun. DD. cum D. Thom. Quare excommunicato invito, valide, et licite, abſolutio confertur. Et certum omnino erat, regium reſcriptum, et procedimenta mea in illius executionem, nedum utilitatem publicam, ac privatam reſpicerç, verum et bonum ſpirituale animarum, in bona, ac recta parochiarum adminiſtratione.

XIX. Imo, etiam dato, quod beneficium invito conferri nequiret, non inde ſequeretur, collationem fuiſſe invalidam, aut etiam injuſtam; et multo minus, quod in ea violentia manifeſta, ac notoria inferreretur, cum beneficium collatum, ſemper foret beneficium, et ſemper proficuum beneficiatis, dicente Seneca ibidem, l. 5. *Beneficium eſt, et invito prodeſt:* præſertim beneficium præſens, quod, utpote reſtitutionis, ut ſententia recurſus recitabat, debitum erat recurrentibus.

XX. Nec ordinatio regia, ex adverſo allegata, l. 3. tt. 20. § 19. ad aſſignationem termini, via reſtitutionis conceſſi, in articulorum dejectione prærequirebat, quod talis terminus ſupplicatus foret à partibus; ſed ſimpliciter ordinat, ut aſſignetur, veluti ex officio, *in caſibus, in quibus de jure reſtitutio conceditur.*

XXI. Præterquam quod prædictus terminus reſtitutionis aſſignatus fuit ad inſtantiam promotoris juſtitiæ; qui, ut ejuſdem procuratoris, poteſt etiam ſupplicare id, quod favorabile fuerit etiam parti adverſæ; eo quod juſtitia, cujus procuratores ipſi promotores incedunt, *in æquitate* conſiſtat; æquitas autem utramque reſpicit partem, ut aliquibus regimentis eccleſiaſticis animadvertitur, et ſignanter in regimine S. Tribunalis Inquiſitionis, tt. *De promotore.* Videatur etiam Oſor. de patronat. reg. reſolut. 24. et 100.

Unde concludebam, ſi exceſſus interceſſerat, equidem *beneficii* fuiſſe, non *injuſtitiæ*; ac per conſequens minime de illo juſte conqueri, aut me laceſſere poterant: *Nam de bono opere nemo lapidatur.*

XXII. Secundum exceſſus fundamentum, deſumptum ex dejectione à termino ad impedimenta offerenda conceſſo, facile etiam rejiciebatur ex diſpoſitione ordinationis regiæ, l. 3. tt. 20. § 19. et 44. jubentis *terminos omnes peremptorios fore*; et, illis tranſactis, dejectionem eandem à novo termino ordinantis. Neque ad rem faciebat, quod dejectio hæc fieret in abſentia recurrentium, poſita notificatione, et perfixi termini aſſignatione, atque publicatione intra terminum unius, et alterius audientiæ; et poſito, quod fieret in publica audientia, etiam præſente ipſorum recurrentium procuratore. Et neque lex jubet, neque praxis, aut ſtylus ſervat, quod hæ aſſignationes, aut dejectiones, in præſentia partium fiant, ſemel quod fiant in publica audientia, ut deducitur ex eadem ordinatione, l. 3. tt. 1. § 13. et tt. 20. § 19. et tt. 2. § 1. et tt. 79. per tot. Phœb. dec. 79.

XXIII. Neque etiam ſuffragabatur qualitas impedimentorum, quod fuerint *obreptionis, ac ſurreptionis, et incompetentia tribunalis*, &c. Nam cum vitium *obreptionis* tunc detur, quando *introducitur falſum*; *ſurreptionis* vero, quando *tacetur verum*; nequibat argui, aut conſiderari tale vitium in informationibus ex generalis viſitationis libro, qui plene probat, deſumptis; et multo minus in reſolutione à regia majeſtate per conſultationem ex vi illarum decreta: præterquam quod provincia recurrentium audita fuerat per procuratorem ſuam in Ulyſſiponenſi curia, et rejecta ab eorundem impedimentorum intento, ut conſtabat ex exemplari ſupplicationis ibidem regiæ majeſtati cum impedimentorum articulis præſentatæ, et inde huc ab eodem procuratore recurrentibus tranſmiſſæ, eiſdem conſulendo, ut regio reſcripto cum effectu parerent.

Et hæc remiſſio eorundem impedimentorum, et illius ſupplicationis, ad illa opponenda, ad idem tribunal ultramarinum à regia majeſtate facta, non obſtante ejuſdem incompetentiæ allegatione, ab eodem procuratore provinciæ recurrentium objecta, confirmabat competentiam ejuſdem tribunalis, quod non ſolum foret regis, ut regis; verum etiam ut magni militiarum magiſtri. Quod ulterius confirmabatur, ex ſuperius notatis.

XXIV. Tertium fundamentum, videlicet, quod diſpoſitio ordinationis, l. 3. tt. 22. circa rejectionem recuſationis defectu depoſiti cautionis, non comprehendebat judices eccleſiaſticos, &c. haud difficulter etiam elidebatur: quia ordinatio erat jus civile, miniſtris ſæcularibus ordinatum; judices autem eccleſiaſtici, non per jus civile, ſed canonicum, regi debebant, et ſecundum illud, et ſpecialiter ſecundum diſpoſitionem conſtitutionum ſynodalium, quæ ſunt jus privatum cujuſlibet diœceſis, judicare. In omnibus regiminibus conſtitutionum diœceſanarum regni Portugalliæ, idem ſtatuitur, quod in regia ordinatione circa rejectionem recuſationis, debita cautione non præſtita, intentatæ, ut videre eſt in regimine conſt. Portucalenſ. tt. 7. § 7. Bahienſ. eod. tt. Viſeenſ. p. 23. in regim. Bracharenſ. et aliarum.

XXV. Imo, quando judicibus eccleſiaſticis deficeret in hac re proprii juris diſpoſitio, poterant quidem, imo deberent ex decentia, ſeſe juris civilis diſpoſitioni conformare, ſpeciatim municipalis, aut nationalis. Antonell. de jurib. clericorum, l. 1. p. 2. c. 22. et de regim. l. 1. c. 1. § 7. Abb. in c. *Eccleſia S. Mariæ*, n. 5. et 14. de conſt. Sperell. dec. 59. et multo melius diſpoſitioni aliarum conſtitutionum diœceſanarum ejuſdem regni; quod quidem communem doctrinam eſſe, tenet Themud. dec. 59. n. 12. et dec. 72. n. 9.

Deinde recuſatio recurrentium, et articuli ſuſpicionum eorum, non ex hoc fundamento dumtaxat rejecti ſunt, quod ſcilicet deficeret depoſitum debitæ cautionis præſtandæ; ſed ex aliis ſimul fundamentis, in ejuſdem rejectionis contextu expreſſis, quæ quidem de induſtria in præſentis recurſus ſententia reticebantur, ſcilicet, quod fuerint manifeſte frivolæ, calumnioſæ, ac dilatoriæ, et quod non venirent ſubſcriptæ per advocatum, nec per notarium judici præſentatæ, &c.

XXVI. Et ad validitatem illius rejectionis ſententiæ ſufficiens erat verificatio unius fundamenti, etiamſi reliqua falſa forent. *Nam ſententia data pro cauſa vera, et pro cauſa falſa, ſuſtinetur ex cauſa vera.* Raynald. obſervat. crim. tom. 4. ſupplem. 1. ad c. 32. n. 34. Ferret. conſ. 262. n. 4.

XXVII. Ultimum tandem fundamentum faciliori negotio refellebatur. Nam agnoſcentibus, et fatentibus judicibus in contextu ſententiæ, non dari appellationem ſuſpenſivam ab executore, etiam mixto (quod quidem communis doctrina erat) *etiamſi executor modum excedat*, Salg. de reg. prot. p. 4. c. 3. n. 31. et 35. Gratian. for. tom. 1. c. 146. n. 36. Cevalh. contr. commun. q. 190. minime providere poterant recurrentibus prætextu violentiæ notoriæ, in non receptione appellationis eorum quoad effectum ſuſpenſivum, ſed quoad devolutivum dumtaxat. Peg. ad ordinat. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. c. 2. n. 692. p. 249. ibi: *Judex eccleſiaſticus non recipiens appellationem quoad utrumque effectum in cauſa executionis, vim non facit, nec violentiam infert*; et ita judicatum refert ann. 1666.

Aliquæ cenſuræ in ſententiæ contextu adverſum procedimentum meum adnotatæ redarguebantur.

XXVIII. Simul cum excogitatis fundamentis exceſſus, in modo executionis, cenſurabant obiter regii judices procedimentum meum, illud acceleratum, ac præcipitatum vocitantes; necnon characterem, ac dignitatem, et juriſdictionem meam minori, quam par erat, reverentia agentes, ac afficientes, ex antiqua, atque non recta adverſum me animi affectione. Et poſt demonſtrationem ex actis, longe tardi, ac moroſi proceſſus mei, in memoriam revocabam præteritas judicum præcipitantias in præmiſſis quatuor recurſibus à primo uſque ad hunc ſupremum ſuis locis notatas, et redargutas; et alias inſuper acceleraciones, et exceſſus irreverentes, tam in modo, quam in ſubſtantia, horum recurſuum occaſione, adverſum me, meamque dignitatem, atque eccleſiaſticam immunitatem, patratos.

XXIX. Igitur in memoriam reducebam intempeſtivam, et incurialem præcipitationem, qua judex coronæ ad temporalitates adverſum me proceſſerat, non ad inſtantiam procuratoris regii, ſed recurrentium;

tium; non pro regiæ juriſdictionis uſurpatione, ſed pro aliquali morula neceſſaria, in levamento comminatarum cenſurarum, in executionem ultimæ deciſionis in primo recurrentium recurſu, cum manifeſta contraventione regiæ ordinationis diſpoſitioni, l. 1. tt. 12. § 6. et tt. 9. § 12. jam palatium meum archiepiſcopale irreverenter, et indecoroſe, per officiales Indos ingredi, ac profanare jubens, qui contra immunitatem, qua domus cujuſvis epiſcopi gaudet (de qua Delbene de immunitat. c. 16. dubit. 9. ſeſſ. 14. ex c. *Conſtituim.* 17. q. 4. Covarruv. l. 2. Vaz. c. 20. quod verum eſt, etiamſi epiſcopus abſens, vel mortuus ſit, Farinac. de immunit. in append. c. 17. n. 270. Azor. tom. 2. l. 9. c. 8. Laym. l. 4. tr. 9. c. 13. Peg. ad ord. l. 2. tt. 5. ad princ. gl. 2. n. 13.) qui audacter illud ingredientes, temere familiares meos laicos intra idem palatium auſi ſunt citare, ne mihi intra, aut extra domum deſervirent, contra quod regiis miniſtris in hoc procedimento animadvertunt ipſi DD. ſæculares, ut idem Per. de man. reg. c. 12. n. 9. in fin. Seſſe de inhibit. c. 8. § 3. Bobadill. et Salgad. infra citand.

Vid. impedimenta promotor. ſup.

Similiter revocabam incurialitatem, qua idem coronæ judex tunc etiam juſſit per edicta publica ſervitores meos externos notificare, ne ſervitio meo incumberent, aut mihi adhærerent, cum ipſi præſentes adeſſent, et in habitatione nota morarentur, et quin præcederet juſtificatio abſentiæ, ab ordin. reg. decreta, l. 3. tt. 1. § 8. et quin publicum edictum de prævia ordinata juſtificatione, ut tenebatur, mentionem faceret: necnon alium ſacrilegum exceſſum, alterius procedimenti temporalis, quod adhuc exiſtebat, in ſequeſtratione mei congiarii ſubſidii pro mea congrua ſuſtentatione; quæ quidem, cum alimenta ſint, ſequeſtrari non poſſunt, neque impediri. Surd. de aliment. tt. 8. privil. 80. n. 4. l. fin. § *Quod ſi ei*, cod. de ordinat. legitim.

Quæ quidem ſequeſtratio ab eodem regio magiſtratu expedita eſt ad inſtantiam procuratoris ordinum; qui poſt finitam, et pacificatam cauſam ſecundi recurſus, ut prædictarum temporalitatum procedimenta renovaret, fingens, quod in aliquibus illius recurſus interlocutoriis ſententiis, ejuſdem regii reſcripti copia etiam exhiberi juberetur (quin in aliqua talis clauſula reperiretur) ſupplicans coram me, tranſacto menſe poſt eam pacificationem ejuſdem regii reſcripti exhibitionem, cum comminatione novi procedimenti temporalis; cum ejus ſupplicationi deferrem, exhibitionem poſtulatam non denegans, ſed declarans, regium reſcriptum ſupplicatum exhibitum jacere in coronæ regiæ judicio, unde expoſtulatam illius exhibitionem habere poterat; tam levi, imo et nullo fundamento, prædictum ſequeſtrum petiit, et obtinuit à judice regio, qui inſuper me notificari juſſit ad amiſſionem prædicti congiarii ſubſidii ad regalem fiſcum, quin in me daretur vel levis umbra ſimplicis culpæ, et multo minus culpæ qualificatæ illius confiſcationis inductivæ, videlicet criminis læſæ majeſtatis, omni juri contraveniendo, imo et ipſi regiæ ordin. l. 2. tt. 13. et l. 1. tt. 12. § 5. et 6. et 7. et tt. 9. § 12. de quo latius infra.

XXX. Et ſane certum erat ſufficere exceſſum, in modo procedimenti temporalis, alias juſti, et competentis, adverſus eccleſiaſticos, ad miniſtros ſæculares cenſuris bullæ Cœnæ ſubjiciendos, ut eiſdem aperte intimant ipſimet DD. laici primæ notæ; ſignanter Seſſe, de inhibition. c. 8. § 3. n. 104. Bobadill. polit. l. 2. c. 18. n. 60. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 2. n. 306. ibi: *In his tamen exequendi modis animadvertant ſenatores, qua juſtificatione procedunt; caveant, ne in cenſuram bullæ labantur, quod facile facere poſſunt; quia quantum materia hæc periculum contineat, nemo ignorat; in illum errorem ne incidant, excedendo legitimos, ac permiſſos nudæ defenſionis modos, cuncta tractantes cum moderamine inculpatæ tutelæ, attento animo, nimia præmeditatione, ac modeſtiſſima conſideratione, quantum gravitas et periculum rei exigit, prout etiam prudenter advertit Seſſe de inhibit. c. 8. § 3. n. 104. Bobadill. in polit. l. 2. c. 18. n. 60.*

Et, omiſſo ſcandalo, quod gentiles harum inſularum graviter ex eorum impedimentorum exceſſibus paſſi ſunt, quos libere Chriſtianis improperare auſi ſunt; notabam tandem irreverentias, indecoroſamque indecentiam, qua regius judex in edicto illo, aliiſque mandatis ſcriptis, expeditionibus, ac notificationibus, me, ac dignitatem meam afficiebat, eam debitis obſequioſis titulis fere penitus denudans, ac privans; quas quidem irreverentias alii ſæculares miniſtri in tantum proſequebantur, contra regias, et acres animadverſiones in eos, quæ continentur in regiis epiſtolis 12. Aprilis ann. 1726. ſupra extenſis, ut et titulum *Illuſtriſſimæ Dominationis* mihi diſputare temere auderent, et *Primatis* nomenclaturam, atque ex ea proveniendi facultatem ſacrum Crucis vexillum in tota mea provincia ante me deferre faciendi, iterum in dubium revocare, atque in fere publicas diſputationes, in conventiculis variis, introducere, et altercare cœperunt, eo animo, nedum ut mihi novas moleſtias inique inferrent, verum etiam, ut et dignitatem meam archiepiſcopalem, ac primatialem, quatenus in me ſubſiſtentem, noviter deprimerent, atque injuſte demitterent.

XXXI. Eos autem pro injuriis iſtis cavendis, ac reparandis, ad juris communis diſpoſitiones, ac locutiones, de quibus aliqua ſupra prælibavimus, necnon ad vulgares modernorum DD. ſæcularium aſſertiones, ac reſolutiones, præſertim poſt decretum Urbani VIII. datum die 10. Jun. ann. 1630. videndum apud Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 4. n. 87. remittebam, prædictos DD. citando, qui erant, præter Barb. Marth. de juriſdict. p. 2. c. 34. Cortiad. dec. 248. n. 9. Queſad. Pil. Alzed. de præcell. epiſcop. et alios infra, et ab ipſo Cortiad. citatos; qui quidem ibidem ſic ait: *Communiter tamen omnes archiepiſcopi appellantur Illuſtriſſimi, et condecorantur titulo Illuſtriſſimæ Dominationis, vulgo* Senhoria Illuſtriſſima, *Boſq. l. 5. c. 53. § 4. Queſad. Pil. contr. forenſ. c. 3. per tot.*

XXXII. Citatus autem Queſad. ibid. refert deciſionem regis Caſtellæ in favorem archiepiſcopi Turritani in regno Sardiniæ jubentis titulum *Illuſtriſſimæ Dominationis illi præbere.* Et n. 11. ipſemet Cortiad. agens de epiſcopis tantum ſic ait: *Epiſcopi de jure vocantur Illuſtres, admodum Illuſtres, Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Sereniſſimi, et Spectabiles, Clariſſimi, Eminentiſſimi, Sanctiſſimi, et aliis titulis condecorantur, de quibus Bobadil. polit. l. 2. c. 17. Queſad. c. 3. Barboſ. de pot. epiſc. p. 1. tt. 1. c. 2. Alzed. Dexart. Barred. Garcia de nobilit.* &c.

Et in fine cit. n. 11. ex generali conſuetudine, et exemplis tribunalis competentiarum, et cancellariæ Cataloniæ, ſic concludit: *Et quod epiſcopi titulo Illuſtriſſimi cohoneſtari debeant, prout indiſtincte quaſi, hiſce temporibus, ſervatur, tradit Navarr. in pegm. 1. collect. 1. Verum tamen eſt, quod in Catalonia in tribunali contentionum, et competentiarum, reverendus cancellarius illuſtrat epiſcopos titulo Illuſtriſſimæ et Reverendiſſimæ Dominationis, ut in regiſtris ſententiarum paſſim legitur.*

XXXIII. Quoad facultatem autem deferendi Crucem archiepiſcopalem per totam provinciam, etiam in locis, et eccleſiis exemptis, mere ex titulo *archiepiſcopi*, adducebam textum in Clem. II. de privil. l. 5. ibi: *Archiepiſcopo, per quævis loca exempta ſuæ provinciæ facienti tranſitum, aut ad eam forſan declinanti, ut Crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, in pontificalibus celebret, &c. quocunque privilegio contrario non obſtante . . . duximus concedendum.*

XXXIV. Dixi *ex titulo archiepiſcopi præciſe*; nam ex titulo *primatis*, amplius mihi à jure privilegium concedi oſtendebam, ex c. *Antiqua*, de privileg. ubi loquens de patriarchis (qui in re idem ſunt *ac primates*, et ſolo nomine differunt, ut ait Gaſparr. inſt. can. tt. 4. c. 13. n. 108. ibi: *Primates, potius nomine, quam re, et dignitate, à patriarchis diſtinguebantur.* Et conſtat ex c. 1. diſt. 80. ibi: *Patriarchas vel primates poſuerunt*, ubi gl. *Idem eſt primas et patriarcha*, et ex c. 1. diſt. 99.) ſic decernit: *Dominicæ Crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in urbe Romana, et ubicunque Summus Pontifex præſens extiterit, vel ejus legatus.*

XXXV. Tandem, cum deciſionem contrariam, ut præcedentes, ab aulico ſtatus ſenatu ſperarem, neceſſarias proteſtationes repetendo, præſentem cauſam ad regiam majeſtatem in propria perſona, omni meliori juris

juris via, provocabam; cujus quidem ultima deciſio ex ſequentibus regiis reſcriptis patebit. Nam, quamvis anno 1730. mihi à ſereniſſimo rege per ordinum tribunal injungeretur, ut nihil uſque ad ultimam ejus reſolutionem innovaretur (quod etiam provinciali S. Franciſci ab eodem injunctum eſt, ſimul cum reprehenſione ob indecoroſa honeſtamenta, quibus, in aliquibus ſupplicationibus, ejus religioſi me affecerunt, ut viſitur ex epiſtola regia infra, n. 39.); attamen duplicia, ſequenti anno, ſequentia deciſiva reſcripta prodierunt.

Regium reſcriptum ſuper controverſiis paræciarum Bardeſienſium à Franciſcanis adminiſtratarum, originali idiomate.

XXXVI. REverendo em Chriſto padre arcebiſpo primas do Oriente, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſaudar, como aquelle, de cujo virtuozo acreſcentamento muito mepraziera: Façovos ſaber, que em quanto naô tomo a ultima rezoluçaô ſobre as controverſias, que ha entre vos eos religiozos da provincia de S. Thome, da ordem de S. Franciſco deſſe eſtado, ſobre parochiarem as igrejas de Bardes: ſou ſervido *interinamente*, alem do que vos recomendei o anno paſſado, recomendarvos agora novamente, que aos religiozos, que eſtaô parochiando as ditas igrejas, *lhes dey juriſdiçaô para o fazer*, eque vagando alguma, deis tambem a juriſdiçaô aoque o prelado regular vos propozer *com certidaô jurada, de que fora examinado, e approvado na ſciencia, e lingoa, pelos examinadores, que da meſma religiaô vos nomeareis*; e vizitando vos, ou voſſos viſitadores as taes igrejas, achando nellas algum parocho culpado, ou ignorante, ou inſciente na lingoa, *o removais, e remetais* para o ſeu prelado regular, para o caſtigar, e mandar enſinar, eo prelado regular *vos proporâ* outro capas, que ſendo examinado, e approvado na forma referida, *lhedareis a juriſdiçaô*; e neſta forma o mando eſcrever ao provincial, e vos recomendo, ea elle apaz, e uniaô. Eſcripta em Lixboa Occidental aos 12. de Abril de 1731 annos. Rey. Duque Eſtribeyro Mor. Para o reverendo arcebiſpo primas.

Idem reſcriptum Latine redditum.

REverende in Chriſto pater, archiepiſcope primas Orientis, Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto, tanquam qui de veſtro ſpirituali profectu longe complacerem. Notum vobis facio, quod quatenus ultimam reſolutionem non decerno ſuper controverſiis agitatis inter vos, et religioſos provinciæ S. Thomæ ordinis D. Franciſci ipſius ſtatus, ſuper adminiſtratione parochiali eccleſiarum provinciæ Bardeſii; dignatus ſum, præter commendata annô præterito, *interim* nunc noviter vobis recommendare, ut religioſis, qui actu ſunt in parochiali adminiſtratione prædictarum eccleſiarum, *juriſdictionem conferatis* illi, quem prælatus regularis vobis propoſuerit cum atteſtatione jurata, quod examinatus, et approbatus fuerit in ſcientia et lingua, per examinatores, quos de eadem religione *vos nominabitis*; et vobis, aut viſitatoribus veſtris, tales eccleſias viſitantibus, et reperientibus in illis parochum aliquem culpa aliqua affectum, aut ignorantem, vel inſcium in lingua, eum *removeatis*, ac prælato ſuo regulari remittatis ad eum puniendum, vel edoceri jubendum; prælatus autem regularis vobis alium idoneum *proponet*, cui examinato, et approbato forma ſupra tradita, *juriſdictionem præbebitis*; et in conformitate hujuſce tenoris provinciali ſcribere jubeo, et vobis, ac illi, pacem et unionem commendo. Scripta in Ulyſſipone Occidua, die 12. Aprilis 1731. Rex. Dux regii ſtabuli major præfectus. Reverendo archiepiſcopo primati.

Regium reſcriptum anni 1732. *reſolutorium ſingulorum controverſiarum punctorum, originali idiomate.*

XXXVII. DOM Joaô, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Como governador, e perpetuo adminiſtrador, que ſou do meſtrado, cavalaria, e ordem de noſſo Senhor Jesu Christo: Faço ſaber avos, reverendo em Chriſto padre arcebiſpo primas de Goa, do eſtado da India, do meu conſelho, que eu hey porbem dizervos, que vi avoſſa carta de 26. de Dezembro de 1730, que me eſcreveſtes pelo meu tribunal da meza da conſciencia, e ordens, eaque tambem me eſcrevio pelo meſmo tribunal, o provincial dos Franciſcanos deſſe eſtado, ſobre as controverſias que tendes comos religiozos que adminiſtraô as igrejas de Bardes, eo mais que meſoy prezente em conſulta do meſmo tribunal, em que foy ovuido o procurador geral das ordens; o que viſto: fui ſervido rezolver, e dizer, que tendovos eu eſcripto em carta minha de 12. de Abril de 1731. que em quanto naô tomava a ultima rezoluçaô ſobre as controverſias que ha entre vos, eos religiozos da provincia de S. Thome, da ordem de S. Franciſco deſſe eſtado, ſobre parochiarem as igrejas de Bardes: fui ſervido *interinamente* alem doque vos recomendey no anno de 1730. recomendarvos o anno paſſado novamente, que os religiozos, que eſtavaô parochiando as ditas igrejas, lhes deſſes juriſdiçaô aoque o prelado regular vos propozeſſe com certidaô jurada deque fora examinado, e approvado, na ſciencia e lingoa pelos examinadores, que da meſma religiaô vos nomeaſſeis, et vizitando vos, ou voſſos vizitadores as taes igrejas, achando nellas algum parocho culpado, ou ignorante, ou inſciente na lingoa, o removeſſeis, remetendoo ao ſeu prelado regular para o caſtigar, ou mandar enſinar; eo prelado regular vos propozeſſe outro capaz, que ſendo examinado, e approvado, na forma referida, lhes deſſes a juriſdiçaô; e neſta forma o mandei eſcrever ao provincial, e vos recomendei, e aelle apas, e uniao: pela referida rezoluçâo eſtaô rezolvidas interinamente quazi todos os pontos, deque trata avoſſa carta, e a do provincial: pois pelo que toca avoſſa, ſaô catorze as queixas, que formais dos ditos religiozos.

Quanto a *primiera*, de que o cappitolo proximo paſſado elegera para parochos de duas freguezias a N. e N. ſem que foſſem confeſſores, actualmente approvados; como pela referida reſoluçaô interina elles naô devem parochiar ſem vos lheſdares juriſdiçaô, precedendo exame, pelos examinadores da meſma religiaô, por vos nomeados; he eſcuzado tratar a queſtaô, ſe pode ſer e leito em parocho, o que actualmente naô he approvado para confeſſor.

A *ſegunda*, que o dito N. he ignorante no moral: como pela referida rezoluçaô interina, podeis remover o parocho Franciſcano, que pela vizita vos conſtar, he ignorante, removendoo, ſeſſa aqueſtaô; eo prelado propora outro na forma da referida rezoluçaô.

Terceira, que o reitor de N. Senhora de Penha de França, neſtes dois annos proximos paſſados, fizera largas auzencias da ſua igreja, como pela referida rezoluçaô interina, podeis, achandoo na vizita culpado, removello, e remetello ao ſeu prelado, paraque eſte o caſtigue, e a abzencia do parocho ſeja grave culpa: ſeſſa tambem aqueſtaô, remetendoo como culpado ao ſeu prelado.

A *quarta*, que o dicto reitor deyxara nas referidas abzencias por ſeu ſubſtituto a N. que naô era approvado; actualmente para confeſſor: como na referida rezoluçaô interina naô pode parochiar, ſem ſer examinado pelos examinadores, que da meſma religiao lhe nomeares, podeis removello, como culpada, e remetello ao ſeu prelado.

A *quinta*, de que privando vos na vizita da igreja de S. Antonio a N. pelo crime de concubinario publico, o diffinitorio, o introduzio na igreja de Guiry: como pela referida rezoluçaô podeis remover ao parocho culpado em vizita, removendoo vos, e remetendoo ao ſeu prelado, eſta dada aprovidencia neceſſaria.

A *ſexta*, deque o diffinitorio introduzio ao dicto padre na igreja de Guirim, ſem conſentimento, mas com contradiçaô voſſa:

E a *ſetima*, que tendo vos privado ao parocho da igreja de Tivim pelas exceſſivas multas, que na adminiſtraçaô da parochia fazia aos ſeus freguezes, o diffinitorio o elegera para reitor da freguezia de Revora: aeſtas duas queixas ſeſatisfas na meſma forma, que na quinta.

A *cytava*

A *oytava*, de que o definitorio novamente eleito, naô ſora praticar com voſſo, ſe tinhaes alguns religiozos, que excluir de parochos, ou que advertir ſobre elles, ſendo que os ſeus anteceſſores naô omitiaô eſta diligencia, me pareceo dizervos, que eſte acto de urbanidade, aque faltou o definitorio, naô indus obrigiçaô de juſtiça; porem ao provincial mando advertir, que o obſerve, pela attençaô, que ſe deve ter com hum prelado primas, muito mais, quando ſetracta de ſe proporem parochos, para as voſſas ovelhas; e avos vos recomendo, uzeis deſta attençaô, com a moderaçaô, e juſtiça devida.

A *nona*, que vendo vos que o provincial omitira a referida diligencia, lhemandareis hum recado pelo voſſo ſecretario para que naô propozeſſe certos religiozos culpados; oque elle naô obſervou, mas ſe elegeraô em parochos: me pareceo dizervos, que nos termos de attençaô faltaraô aoque deviaô o provincial, e diffinitorio; porem nos de juſtiça naô faltaraô; porque deveis, ſegundo a direito, remeterlhes as culpas com ſummario.

A *decima*, de que os religiozos praticaô a opiniaô, deque o religiozo approvado para confeſſar por tempo certo, ſendo nomeado pelo definitorio para parocho, pode confeſſar em quanto for parocho, ainda que exceda o tempo da approvaçaô: como pela rezoluçaô interina, nenhum religiozo deve parochiar, ſem primeiro lhes dares a juriſdiçaô practicandoſe eſta rezoluçaô, he eſcuzado averiguar a queſtaô, que propondes.

A *decima primeira*, que dos nomeados para parochos, alguns foraô para as igrejas, ſem conſentimento e approvaçaô voſſa, como na rezoluçaô interina vos recomendei, que aos que ſe achaſſem parochiando as igrejas, deſſes a juriſdiçaô de parochiar, obſervandoſe a minha rezoluçaô; parochiaraô com juriſdiçaô dada por vos; e ſe depois na vizita, os achares criminozos, os podereis remover.

A *decima ſegunda*, que os religiozos Franciſcanos, ſem ſerem procuradores da ordem de Chriſto impedem no juizo da coroa a conſtituiçaô de novas capellas, ſem licença minha, como adminiſtrador dadicta ordem, e procuraô a demoliçaô das jâ erectas, ſem a dicta licença; ſendo que as conſtituiçoés do arcebiſpado vola rezerva a vos, e vos achais neſſa poſſe: me pareceo dizervos, que pelo que toca ao prejuizo particular de cada parocho, pode cada hum delles ſer parte, eos deveis ouvir, e fazer juſtiça; porem pelo que toca a ordem de Chriſto, naô ſaô partes legitimas eque ſo quando queyraô, podem reprezentar o direito da ordem a o meu V. Rey; porque, como a adminiſtraçaô della eſta unida a coroa, de que elle he V. Rey neſſe eſtado, paraque de a providencia neceſſaria, ou me informe para eu mandar o que for ſervido.

A *decima terceira*, que os parochos de Bardes, levaô aos pobres pelas juſtificaçoês matrimoniaes tres tangas, e o meſmo pelas certidoês das doutrinas, e cazamentos, ſem embargo de que, na voſſa paſtoral ordenais o façaô *gratis*: me pareceo dizervos, que os parochos regulares, ſaô obrigados a obſervar as paſtoraes do prelado ordinario, aſſim como eu mando, que os freires parochos as obſervem nas igrejas das ordens; *e ſe excederem a taxa, cometem culpa*, e conforme a qualidade della, os podeis *remover*.

A *decima quarta*, que os regulares naô ſabem a lingoa da terra: como pela referida reſoluçaô interina, achandoſe na vizita parocho ignorante da lingoa, o podereis remover, e remeter ao prelado, paraque a aprenda, com a dicta rezoluçaô fica ſatisfeyta eſta ultima queixa.

E pelo que reſpeita as queixas, que os religiozos formaraô contra vos:

A *primeira*, de que pertendeis vos ſejaô ſogeitos os parochos regulares plenamente, e naô ſo pelo que reſpeita a aprezentaçaô, confirmaçaô, e collaçaô das igrejas, adminis dos ſacramentos, e cura de almas, mas ainda nos delictos, que reſpeitaô a vida, e coſtumes dos dictos parochos: como pela referida rezoluçaô interina, achando algum parocho culpado, deveis comas culpas remetelo a o ſeu prelado regular, obſervada a dicta rezoluçaô, ficara ceſſando a queixa.

A *ſegunda*, que vos ſem exame judicial, quando vos parece, mandais hum recado a o provincial, dizendolhe, tendes culpas contra alguns religiozos parochos, que o prelado os remova: como pela rezoluçaô interina achando algum parocho culpado, o podeis remover, e remeter a o ſeu prelado com as culpas, devem eſtas ſer remetidas em forma judicial, e naô por ſimplex recado.

A *terceira*, e *quarta*, que facilmente dais licença para ſe erigirem capellas publicas, ainda para Cânarins, e peſſoas vis; eque as dictas capellas ſe erigem, ſem licença minha, como adminiſtrador da ordem de Chriſto; eſta quixa fica ſatisfeita ne decima ſegunda queixa voſſa, contra os religiozos, como determino.

A *quinta*, que conſentis, que nas dictas capellas ſediga miſſa antes da da parochia, eque nellas ſe façaô eſtaçoês e feſtas, e toquem as Ave Marias, e defuntos, ſem attençaô alguma aos parochos: me pareceo dizervos, que ſuppoſto nada diſto ſe deva fazer; e ſe devem obſervar as conſtituiçoês, que o prohibem; com tudo como naô eſta emuzo a obſervancia dellas neſte reino, bem podera ſer que o meſmo ſuceda neſſe eſtado; porem iſto naô tira, que os parochos vos poſſaô requerer a ſua obſervancia, e ſelhes naô deferires, e lhes fizeres força, ou violencia, poderaô recorrer a o juizo da coroa, aonde ſe lhes fara juſtiça.

A *ſexta*, que vos elegeis, e approvais os curas, que haô de ſervir nas igrejas dos regulares: mepareceo dizervos, que a confirmaçaô ſempre deve ſer voſſa; e quanto a eleiçaô, e nomeaçaô, deve ſer daquelles, que eſtiverem empoſſe de eleger, ou nomear aos quaes o juizo da coroa, a que podem recorrer, mandara conſervar.

A *ſeptima*, que os regulares parochos, que antes de oſerem, eſtavaô approvados para confeſſar, por tempo limitado, dais por ſuſpenſos, de confeſſarem acàbada a dicta licença antecedente, poſto que dure, e perſevere o officio de parocho: eſta queixa, eſta ſatisfeita na decima quinta; que me reprezentaſtes contra os religiozos.

A *oytava*, que nomeais meirinhos para ſervirem comos parochos: nos documentos que ſejuntaraô, naô ſe juſtificava quem eſtava de poſſe deſta nomeaçaô, e ſeos parochos atem, no juizo da coroa poderaô requerer a ſua conſervaçaô.

A *nona*, que impedis aos parochos obſervem a diſpoziçaô de hum alvara em forma de ley, feito pelo conde de Alvor, ſendo V. Rey deſſe eſtado, paraque os naturaes falem a lingoa Portugueza, e os parochos neſſa enſinem a doutrina: me pareceo dizervos, que pelo que toca a obſervancia do alvara em comum, naô toca a os religiozos ſerem partes, e o V. Rey o fara obſervar, ſe entender ſer conveniente a ſua obſervancia: e pelo que toca as doutrinas, devem obſervar os voſſos mandados, que juſtamente podereis entender ſer mais facil, que o parocho ſayba a lingoa de terra, em que primeiro deve ſer examinado, de que todos os freguezes, ſendo a major parte rudes, e ruſticos, aprendam a lingoa Portugueza. E neſta forma vos hey por muito recomendado o façais aſſim obſervar.

El Rey noſſo ſenhor o mandou por ſeu eſpecial mandado por Dom Lazaro, conego da ſancta igreja patriarchal, e do ſeu conſelho, e o doutor Alexandre Ferreira, deputados do deſpacho da meza da conſciencia, e ordens. Joze Felix de Souza a fez em Lixboa Occidental a os tres de Abril de 1732. Felicianno Coelho Oldemberga afes eſcrever. Dom Lazaro conego da S. igreja patriarchal, Doutor Alexandre Ferreira.

Por rezoluçaô de S. Mageſtade do primeiro de Março de 1732. em conſulta do tribunal da meza da conſciencia, e ordens, de 4. de Fevereyro do dicto anno, em obſervancia da ley noviſſima de 4. de Julho de 1713.

Idem reſcriptum, Latine tranſcriptum.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ, et Algarbiorum, citra et ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, &c. Ut gubernator, et perpetuus adminiſtrator magiſtratus, equitatus, et ordinis militaris Domini noſtri Jesu Christi, notum vobis facio, reve-

reverende in Chriſto pater, archiepiſcope primas Goane, ſtatus Indiani, concilii mei, me vobis referre placere, quod epiſtolam veſtram 26. Decembris 1730. quam per meum tribunal menſæ conſcientiæ, et ordinum, mihi ſcripſiſtis, inſpexi, et quam per idem tribunal mihi ſcripſit provincialis Franciſcanorum ipſius ſtatus ſuper controverſiis, quas habetis cum religioſis adminiſtrantibus eccleſias Bardeſienſes, et reliquum, quod mihi præſens fuit in conſultatione ejuſdem tribunalis, in qua auditus fuit generalis ordinum procurator: quibus inſpectis dignatus ſum reſolvere, ac vobis dicere, quod cum vobis ſcripſerim per epiſtolam meam 12. Aprilis ann. 1731. quod, dum ultimam reſolutionem non ſumebam ſuper controverſiis, quæ inter vos, et religioſos provinciæ D. Thomæ, ordinis S. Franciſci ſtatus ipſius dantur, ſuper adminiſtratione parochiali eccleſiarum Bardeſienſium; dignatus ſum, præter ea, quæ vobis anno 1730. commendaveram, noviter anno præterito interim commendare, ut religioſis, qui actu dictas eccleſias parochialiter adminiſtrabant, juriſdictionem ad id faciendum conferretis; et quod, vacante aliqua, etiam juriſdictionem ei præberetis, quem prælatus regularis vobis propoſuiſſet, cum atteſtatione jurata, quod examinatus, et approbatus fuerat in ſcientia, et lingua, ab examinatoribus, quos de eadem religione vos deſignaretis; et quod vobis, vel viſitatoribus veſtris, tales eccleſias viſitantibus, et in illis aliquem parochum reperientibus culpatum, aut ignorantem, aut inſcientem in lingua, eum amoveretis, prælato ſuo regulari remittendo, ut eum puniri, vel edoceri juberet, et prælatus regularis vobis alium idoneum proponeret, cui examinato, ac approbato in forma prædicta, juriſdictionem conferretis; et huic tenori conformiter provinciali juſſi reſcribere, et vobis, eique, pacem et unionem ſuaſi: per præmiſſam reſolutionem, reſoluta ſunt interim omnia fere puncta, de quibus et veſtra epiſtola, et provincialis agunt. Nam ex parte, quæ veſtram epiſtolam reſpicit, quatuordecim ſunt querelæ, quas erga præfatos religioſos formatis.

Et, quoad primam, Quod capitulum proxime elapſum in parochos duarum parœciarum elegerat Fr. N. et Fr. N. qui non erant confeſſarii actu approbati: cum per præmiſſam reſolutionem interinam religioſi parochialiter adminiſtrare non debent, quin vos eiſdem juriſdictionem conferatis, prævio examine ab examinatoribus ejuſdem religionis à vobis deputatis: ſuperfluum eſt quæſtionem agere, an poſſit eligi in parochum, qui actu approbatus non eſt ad confeſſiones audiendas.

2. Quod dictus Fr. N. moralem theologiam ignorat: cum per præfatam reſolutionem interinam parochum Franciſcanum removere poſſitis, de quo in viſitatione vobis conſtiterit, ignorantem eſſe: illum removendo ceſſat quæſtio; et prælatus regularis alterum proponet juxta formam relatæ reſolutionis.

3. Quod rector parochiæ dominæ noſtræ *de Penha de França*, in his duobus annis proxime præteritis, latiſſimis abſentiis ab eccleſia longe abfuerit: cum per prædictam reſolutionem interinam poſſitis eum amovere (ſi in viſitatione eum cum culpa inveneritis) et eum prælato ſuo remittere, ut illum puniat, eo quod parochi abſentia culpa gravis ſit: ceſſat etiam quæſtio, eum, ut culpatum, prælato ſuo remittendo.

4. Quod prædictus rector in præmiſſis abſentiis in ſuum ſubſtitutum relinqueret Fr. N. qui non erat actu confeſſor approbatus: cum juxta prædictam reſolutionem interinam parochialiter adminiſtrare non poſſit, quin examinatus ſit ab examinatoribus, quos de eadem religione illi nominaveritis, eum, ut culpatum, amovere poſſitis, et prælato ſuo remittere.

5. Quod Fr. N. à vobis in viſitatione parochiæ S. Antonii ab officio parochiali privatum ob crimen publici concubinatus, definitorium eum introduxerit in parochiam de Guirim: cum per præmiſſam reſolutionem ſemovere poſſitis parochum in viſitatione culpatum, vobis eundem removentibus, et ad prælatum ſuum remittentibus, data eſt neceſſaria providentia.

6. Quod definitorium in eccleſiam de Guirim prædictum patrem introduxerit, abſque conſenſu, imo cum contradictione veſtra: et,

7. Quod Fr. N. à vobis privatum à munere parochiali eccleſiæ *de Tivim* propter exceſſivas mulctas, quibus in adminiſtratione parochiali parochianos ſuos opprimebat, definitorium eum in parochum eccleſiæ *de Revorâ* elegerat: his querelis proviſum remanet eadem forma, ut ad 5.

8. Quod definitorium noviter electum, non à vobis perquiſiſſet, an haberetis aliquos religioſos, quos à parochiali officio excludendos judicaretis, vel aliquid ſuper illis animadvertendum; quæ quidem diligentia nunquam à prædeceſſoribus omiſſa eſt: mihi viſum eſt vobis dicere, quod hic actus urbanitatis, cui definitorium defecit, non inducit obligationem juſtitiæ; provinciali vero animadvertere jubeo, ut eum obſervet in reverentiam debitam uni archipræſuli primati; et fortius, quando agitur de propoſitione parochorum pro ovibus veſtris; et vobis recommendo, ut urbanitate hac cum moderatione, ac juſtitia, utamini.

9. Quod, experta à vobis prædicta omiſſione provincialis, eum per ſecretarium veſtrum animadvertiſſe, ut certos religioſos culpis affectos ad parochos minime proponeret, quod et ille non ſervavit, prædictos eligens in parochos: viſum mihi eſt vobis dicere, quod *in terminis debitæ reverentiæ* defuerunt provincialis, et ejus definitorium; *in terminis* vero juſtitiæ non defuerunt, eo quod, ſecundum jus, debueratis ei culpas mittere cum ſummario.

10. Quod religioſi practicari faciunt opinionem, quod regularis ad confeſſiones audiendas approbatus ad tempus limitatum, ſi à definitorio ad parochum nominetur, poteſt confeſſiones excipere, dum parochus extiterit, etiamſi limitatum approbationis tempus excedat: cum per interinam reſolutionem nullus religioſus parochiale munus exercere poteſt, quin prius illi juriſdictionem conferatis, practicata hac reſolutione, ſuperfluum eſt propoſitam quæſtionem decidere.

11. Quod ex nominatis in parochos, aliqui parochias adierunt abſque veſtro conſenſu, ac approbatione: cum in reſolutione interina vobis commendavi, ut juriſdictionem conferretis eis, qui actu parochias adminiſtrabant, obſervata hac mea reſolutione, conſequitur, quod adminiſtrabunt cum juriſdictione à vobis collata; et ſi poſtea in viſitatione eos criminoſos inveneritis, eos removere poteritis.

12. Quod religioſi Franciſcani, quin procuratores ordinis Chriſti incedant, in coronæ judicio impediunt conſtructionem novarum capellarum abſque mea licentia, ut dicti ordinis adminiſtratore, et ſolicitant jam erectarum demolitionem: cum conſtitutiones ſynodales hanc facultatem vobis dumtaxat reſervant, et hac poſſeſſione ſtatis: mihi vobis dicere viſum eſt, quod pro parte præjudicii particularis cujuſlibet parochi, poteſt quilibet illorum pars eſſe, et eum audire debetis, et juſtitiam ei facere. Verum pro parte, quæ ordinem Chriſti reſpicit, non ſunt partes legitimæ; et ſolummodo, ſi voluerint, poſſunt meo proregi jus ordinis præſens facere; nam cum ejus ordinis adminiſtratio annexa eſt coronæ, cujus ille in ſtatu ipſo prorex incedit, poterit neceſſariam providentiam præbere, vel me informare, ut eam præſtem in eo, quod dignatus fuero.

13. Quod parochi Bardeſienſes, pro juſtificationibus matrimonialibus, pauperibus *tres tangas* extorquent, et totidem pro atteſtationibus doctrinæ, et nuptiarum, non obſtante veſtræ paſtoralis præcepto, ut gratis fiant: mihi viſum eſt vobis dicere, parochos regulares teneri obſervare paſtorales prælati ordinarii, ſicut ego jubeo, ut fratres militares parochi eas obſervent in eccleſiis ordinum; et ſi taxam exceſſerint, culpam committunt, et, juxta illius qualitatem, eos amovere poteritis.

14. Quod regulares linguam vernaculam ignorant: cum per præfatam reſolutionem interinam amovere poteſtis parochum, quem in ea in viſitationibus ignorantem inveneritis, et prælato remittere, ut eam addiſcat: prædicta reſolutione fit ſatis huic ultimæ querelæ.

Pro parte reſpiciente querelas, quas contra vos religioſi formârunt:

1. Quod intentatis, ut vobis plene ſubjecti ſint parochi regulares, non ſolum in ea parte, quæ reſpicit præſentationem, confirmationem, et collationem eccleſiarum,

cleſiarum, atque adminiſtrationem ſacramentorum, et curam animarum ; ſed etiam in delictis, quæ vitam, ac mores prædictorum parochorum reſpiciunt: cum per præmiſſam reſolutionem interinam inventum aliquem parochum culpatum debetis cum culpis ſuo prælato regulari remittere, obſervata hac reſolutione, ceſſabit querela.

2. Quod abſque judiciali examine, cum vobis videtur, jubetis monitum privatum provinciali, quod culpas habetis contra aliquos religioſos parochos, et quod proinde prælatus eos amoveat: cum per eandem reſolutionem interinam, parochum culpatum repertum ſemovere poteſtis, et prælato ſuo cum culpis tranſmittere: debent culpæ in forma judiciali remitti, et non per ſimplex monitum.

3. et 4. Quod facile licentias conceditis ad capellas publicas erigendas, etiam Canarinis, ac perſonis vilibus ; et quod dictæ capellæ abſque mea licentia, ut ordinis Chriſti adminiſtratore, eriguntur: querela hæc ſatisfacta remanet in veſtra querela 12. adverſus religioſos, ut decerno.

5. Quod permittitis, ut in dictis capellis miſſa celebretur ante miſſam parochiæ ; et quod in eis ſtationes fiant, et pulſentur campanulæ ad ſignum ſalutationis angelicæ, et defunctorum, abſque aliqua parochis reverentia: mihi viſum eſt, quod licet horum nil exequi debeat, et conſtitutiones debeant obſervari, quatenus id vetant ; attamen, cum obſervantia hæc, etiam in hoc regno, in uſu non eſt, forſan idem in ſtatu ipſo eveniat ; attamen hoc non tollit, quod parochi earum obſervantiam vobis ſupplicare non valeant ; et ſi ei non detuleritis, et vim ac violentiam intuleritis, poterunt ad judicium coronæ recurrere, ubi eis juſtitia fiet.

6. Quod eligitis, ac approbatis coadjutores, ſeu curas, qui in eccleſiis regularium inſervient : mihi viſum eſt, quod confirmatio ſemper debet veſtra eſſe ; et quoad electionem, aut nominationem illorum debet eſſe ejus, qui in poſſeſſione nominandi, aut eligendi fuerit ; quibus coronæ judex, cui poſſunt recurrere, conſervare mandabit.

7. Quod parochi regulares, qui, antequam tales forent, approbati erant ad confeſſiones audiendas, pro tempore limitato ſuſpenſos habetis à facultate audiendi confeſſiones, finita prædicta licentia antecedente, quamvis duret, ac perſeveret officium parochi: querela hæc ſatisfacta remanet in decima à vobis contra illos repræſentata.

8. Quod nominatis *meirinos*, ſeu *apparitores* eccleſiarum ad parochis inſerviendum : in documentis adjunctis, non juſtificabatur, quis in poſſeſſione hujus nominationis fuerit ; et, ſi parochi eam poſſeſſionem habent, ejus conſervationem in coronæ judicio ſupplicare poterunt.

9. Quod parochos interdicitis obſervantiam cujuſdam diplomatis, in forma legis à comite Alvorenſi, ipſius ſtatus prorege, editi, ut Indi linguam Luſitanam loquantur, et parochi in ea doctrinam edoceant : mihi viſum eſt vobis dicere, quod pro parte, quæ attinet obſervantiæ diplomatis in communi, non pertinet religioſis partes agere ; et prorex id obſervare faciet, ſi ita expedire judicaverit : et pro parte doctrinas reſpiciente, debent ſervare mandata veſtra ; ſecundum quæ juſte poteritis intelligere, facilius eſſe, quod parochus linguam vernaculam ſciat, in qua prius examinari debet, quam quod omnes parochiani, fere rudes, ac ruſtici, linguam Luſitanam addiſcant : et in hac forma vobis valde commendo, ut obſervari faciatis.

Dominus noſter rex ſpeciali mandato ſuo juſſit per D. Laſarum canonicum S. eccleſiæ patriarchalis concilii ſui, et doctorem Alexandrum Ferreira, deputatos expeditionis menſæ conſcientiæ, ac ordinum. Joſephus Felix de Souza fecit Ulyſſipone Occidentali, die 3. Aprilis 1732. Felicianus Coelho Oldemberg. ſcribere fecit. D. Laſarus canonicus S. eccleſiæ patriarchalis. Doctor Alexander Ferreira.

Per reſolutionem majeſtatis ſuæ 1. Martii 1732. in conſultatione tribunalis menſæ conſcientiæ, et ordinum, 4. Februarii prædicti anni, in obſervantiam legis noviſſimæ 4. Julii 1713.

Anno autem præterito cum reſolutione interina expedita per tribunal ordinum, ſeu menſæ conſcientiæ, die 12. Aprilis, dimanavit alia epiſtola regia per concilium ultramarinum eodem die, et anno, emiſſa ſuper amotione aliquorum parochorum regularium in confirmationem doctrinæ meæ, quod ad removendum prædictos parochos ſufficiebat poteſtas œconomica regis, *ut regis* ; et non prærequirebatur eadem, quæ ad præſentandum, videlicet juriſdictio eccleſiaſtica *magni* militiarum *magiſtri*. Epiſtola autem erat formalitatis ſequentis.

Epiſtola regia per tribunal ultramarinum die 12. Aprilis anni 1731. pro remotione aliquorum parochorum regularium ejuſdem provinciæ Bardeſianæ, utroque idiomate.

XXXVIII. DOM Joaõ, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, reverendo arcebiſpo primas de Goa, que havendo viſto o que me reprezentaſtes na carta de 6. de Dezembro de 1729. de que vos conſtava, que os religiozos de S. Franciſco, que parochiavaõ as igrejas de Bardes, faziaõ huã juſtificaçõ perante o ouvidor da quella provincia, produzindo por teſtemunhas os ſeus meſmos criados, e os parentes deſtes, e outros ſeus adherentes, e obrigados, em a qual juſtificavaõ o ſeu bom, e exemplar procedimento, e a voſſa ſuſpeiçaõ, por quererdes executar a minha ordem, para os remover das igrejas, reprezentandome a diſſoluçaõ, e eſcandalo, comque os ditos religiozos vivem na quellas miſſões, os quaes referis na voſſa carta, ſerem N. actual reitor de Revora ; N. reitor de Guirim ; N. reitor de S. Anna de Parra ; N. reitor da freguezia immediata da reitoria de Aldona ; N. que tinha ſido mudado para a freguezia de Nellur ; N. parocho da igreja de Aldona ; N. reitor de Siolim ; cujos religiozos havieis removido de parochos, e depois, na congregaçaõ ou definitorio que fizeraõ, foraõ providos no meſmo officio, conſtando finalmente, naõ ſo a quelles eſcandalos dos meſmos parochos actuaes, mas de outros, que com frequencia vaõ aſſiſtir nas parochias por hoſpedes, em cuja conſideraçaõ, me pareceo dizervos, por rezoluçaõ da data deſſa em conſulta do meu conſelho ultramarino, que a o provincial de S. Franciſco deſſa cidade ordeno remova logo do officio de parocho os que a pontais na voſſa carta, e nomeye outros religiozos exemplares, recomendandolhes voſtenhaõ a obediencia devida, eque obrando o contrario os heide privar das adminiſtrações deſtas igrejas. El Rey noſſo ſenhor o mandou pelos DD. Manoel Fernandes Varges, e Alexandre Metello de Souza e Menezes, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino ; e ſe paſſou por duas vias. Joam Tavares a fes em Lixboa Occidental a 12. de Abril de 1731. O ſecretario Manoel Caetanno Lopez de Laura a fes eſcrever. Manoel Fernandes Varges, Alexandre Metello de Souza e Menezes.

Eadem regia epiſtola Latine tranſcripta.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ, et Algarbiorum, &c. Notum vobis facio, reverende archiepiſcope, primas Goane, quod à me perſpecta repræſentatione veſtra mihi facta, per veſtram epiſtolam 6. Decembris 1729. de juſtificatione, quam, ut vobis conſtabat, faciebant religioſi Franciſcani, qui adminiſtrant parochias Bardeſianas, coram auditore illius provinciæ, ſuper eorum bonis moribus, vitaque exemplari, et veſtra adverſus eos ſuſpectione, propter intentatam executionem regii mei ordinis, quo eos à parœciis illis amoveri juſſi, producentes in teſtes familiares ſuos, et horum conſanguineos, ac affines, et alios ſibi adhærentes, ac adſtrictos ; mihi inſimul vobis repræſentantibus ſcandalum, ac diſſolutionem, qua aliqui prædictorum religioſorum in illis miſſionibus vivunt, quos quidem narratis in epiſtola veſtra, eſſe Fr. N. actualem rectorem parochiæ *de Revora* ; et Fr. N. rectorem *de Guirim* ; et Fr. N. rectorem eccleſiæ S. Annæ *de Parra* ; et Fr. N. rectorem parochiæ immediate *de Aldona* ; et Fr. N. qui tranſlatus erat ad parochiam *de Nellur* ; et Fr. N. parochum

eccleſiæ

eccleſiæ *Aldona*; et Fr. N. rectorem *Syolim*; quos omnes amoveratis ab officio parochiali, et poſtea in definitorio regulari in idem officium proviſi fuerunt; conſtitis, denique, nedum ſcandalis illis eorundem parochorum actualium, verum et aliorum, qui, ut hoſpites, parochias eaſdem frequentant: in conſideratione cujus mihi viſum eſt vobis reſcribere per reſolutionem eadem die inſcriptionis hujus ſumptam in conſultatione mei concilii ultramarini, quod provinciali S. Franciſci civitatis ipſius ordino, ut ſtatim ab officio parochiali amoveat religioſos in epiſtola veſtra deſignatos, et alios exemplares nominet, ciſdem injungens, ut debitam vobis obedientiam ſervent; alias eos ab adminiſtratione harum eccleſiarum privabo. Dominus Rex juſſit per doctores Emmanuelem Fernandum Vargas, et Alexandrum Metellum de Souza et Menezes, conſiliarios ſui ultramarini concilii; et duplicata expedita eſt. Joannes Tavares ſcripſit Ulyſſipone Occidentali, 12. die Aprilis ann. 1731. Secretarius Emmanuel Caetanus Lopez de Laura ſcribere feci. Emmanuel Fernandius Varges, Alexander Metellus de Souza e Menezes.

Epiſtola regia anni 1730. *provinciali Franciſcano directa per ordinum tribunal ſuperſeſſionis ordinativa, et reprehenſiva indecoroſi honeſtamenti aliquarum ejuſdem ſupplicationum irreverentium.*

XXXIX. PRovincial da provincia de S. Thome da ordem de S. Franciſco do eſtado da India, Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. Foime preſente a voſſa petiçaô, memorial, e documentos a ella junctos ſobre a execuçaô, que o arcebiſpo primas quis dar a provizaô de 7. de Abril de 1728. expedida pelo meu conſelho ultramarino, tocante a remoçaô das igrejas, que os voſſos religiozos adminiſtraô em Bardes, e juntamente as cartas, que o arcebiſpo, e V. Rey, me eſcreveraô ſobre eſta materia, e mais documentos, que ſejuntaraô, e repoſta que deu o meu procurador da coroa, conſulta que ſefes pelo meu conſelho ultramarino, que tudo mandei remeter ao meu tribunal da meza da conſciencia, e ordens, por ſer o privativo, para nelle ſetratar do provimento, e mais dependencias, que dizem relaçaô ao padroado das igrejas da India, e todo o ultramar, que me pertence, e ouvido em tudo o procurador geral das ordens, e ſendome outro ſim prezente a conſulta, que ſemeſes pelo dito tribunal, ſui ſervido rezolver, ſenaô innove couſa alguma, na materia da dita provizaô, e conſervandoſe a religiaô no eſtado em que eſtava antes della expedida, ſe ſuſpendeſe na execuçaô della, alhe que eu, commais madura deliberaçaô, mandando examinar, naô ſo os referidos documentos, mas tudo o mais, que em ſemilhantes controverſias ſetem paſſado, rezolva o que julgar mais conveniente a o ſerviço de Deos, e meu, e bem dos meus vaſallos. E vos eſtranho a irreverencia com que vos houveſtes nos requerimentos, que fizeſtos a o arcebiſpo, ſem attençaô a o reſpeito, que ſe deve a ſua dignidade; e vos recomendo, que os religiozos, que adminiſtrarem as ditas igrejas, ſejaô os de mais exemplar vida, e coſtumes; o que aſſim tereis entendido, para o obſervares inviolavelmente. Dada em Lixboa Occidental ao primeiro de Abril de 1730. Rey. O Duque Eſtribeiro mor. Para o provincial da provincia de S. Thome, da ordem de S. Franciſco do eſtado da India.

Eadem regia epiſtola, Latine tranſlata.

PRovincialis provinciæ D. Thomæ ordinis S. Franciſci Indiani ſtatus, Ego Rex ſalutem plurimam vobis mitto. Præſens mihi fuit ſupplicatio veſtra, memoriale, ac documenta annexa ſuper executione, quam archiepiſcopus primas voluit adhibere proviſioni 7. Aprilis 1728. expeditæ per meum ultramarinum concilium, reſpicienti remotionem ab eccleſiis, quas veſtri religioſi adminiſtrant in Bardeſio; et inſimul præſentes mihi fuerunt epiſtolæ ab archiepiſcopo, ac prorege, mihi ſcriptæ, cum documentis adjunctis, et reſponſione, quam meus coronæ procurator dedit, et conſultatio per meum concilium ultramarinum mihi facta; quæ quidem omnia meo tribunali menſæ conſcientiæ, et ordinum, remiſi, utpote privativo ad proviſiones, et reliquas dependentias concernentes patronatum eccleſiarum Indiani ſtatus, et totius ultramarini mihi pertinentem: et iterum mihi præſentata conſultatione per hocmet tribunal facta, dignatus ſum reſolvere, ut nihil innovetur circa materiam prædictæ proviſionis; et conſervata religione in ſtatu, in quo erat ante illius expeditionem, ſuſpendatur executio, quouſque maturius examinatis, nedum relatis documentis, verum et omnibus, quæ in illis controverſiis evenerunt, quod Dei ſervitio, ac meo expedierit, reſolvam. Et vos increpo ob irreverentiam, qua in ſupplicationibus veſtris archiepiſcopum affeciſtis, abſque attentione, atque obſequio ejus dignitati debito; et vobis injungo, ut religioſi prædictas eccleſias adminiſtraturi, ſint vita, ac moribus, exemplariores; quod quidem inviolabiliter obſervabitis. Data Ulyſſipone Occidua, 1. Aprilis 1730.

Poſt hæc prodiit demum 24. Febr. 1747. nupera bulla Sanctiſſ. Benedict. XIV. quamvis ad confirmandum expreſſe revocans B. *Exponi* S. Pii V. et *Quantum animar.* Gregor. XIV. et alias conſimiles, plene ſubjiciens parochos regulares examini et approbationi ordinarii Goani: quæ quidem regio reſcripto juſſa eſt ad unguem obſervari. Et ita tot jurgia pacifice conquieverunt.

ALLEGATIO XXX.

In Gravamine à Procuratore meo ad Senatum interpoſito à Judice deputato ad Juſtificationem requiſitorum de Jure pro tuitiva Charta à Procuratore generali Franciſcano, ſuper Conſervatione ſuorum Religioſorum in eiſdem Parochiis Bardeſianis impetratæ, eo quod deputatus Judex non detulerit Supplicationi juſtæ Exhibitionis Documentorum ab Impetrante allegatorum.

SUMMARIUM.

I. *Series facti proſequitur.*
II. *In juſtificatione chartæ tuitivæ non proceditur ſummarie in Portugallia.*
III. *Non tamen debent formari proceſſus ordinarii, licet debeant partes utriuſque audiri, et admitti teſtes, et documenta.*
IV. *Nec debet omitti productio, et exhibitio documentorum, etiam ſtante proceſſu ſummario.*
V. *Præſertim quoad titulum aſſertæ donationis.*
VI. VII. *Et infallibiliter in poſſeſſione beneficii, vel alterius rei, quæ ſine titulo nequit poſſideri, et interdicto* Uti poſſidetis.
VIII. *Impetrans, faciens mentionem alicujus tituli, tenetur ad illius exhibitionem.*
IX. *Et ſpecialiter quoad emphyteuſim fiſci, et eccleſiæ.*
X. *Cauſa tuitivæ, eſto ſummaria, admittit impedimenta nullitatis, obreptionis, et ſurreptionis.*
XI. *Impedimenta in cancellaria ex defectu requiſitorum ordinationis.*
XII. *In narrativa reperiebatur vitium falſitatis, obreptionis, et ſurreptionis.*
XIII. *Impetrans, nec poſſeſſionem, nec quaſi poſſeſſionem habebat.*
XIV. *Nequit exequi, nec concedi tuitiva cum gravi præjudicio tertii, præſertim irreparabili.*
XV. *Rex non concedit tuitivas contra ſeipſum.*
XVI. *Impetranti defecerant clauſulæ eſſentiales, ſub quibus adminiſtratio parochialis conceſſa fuerat.*

XVII.

XVII. *Conſervatio impetrantis involvebat materiam peccaminoſam, et multiplicia damna.*
XVIII. *Impetrans habebat manifeſtam juris reſiſtentiam.*
XIX. XX. *Impetrans erat ſpoliator, et uſurpater alieni, et poſſeſſor vitioſus, violentus, et intruſus.*
XXI. *Et caſu, quod hæc tuitiva etiam appellativa foret, deficiebat omnino appellatio.*
XXII. *Veris contumacibus denegatur tuitio.*
XXIII. *Impetrans, et ejus religio, nequibat eſſe pars in hac cauſa.*
XXIV. *Hæc impedimenta objecta ulteriorem cauſæ progreſſum omnino ſuſtulerunt.*

I. CUM ſupra mentionem fecimus de medio chartæ tuitivæ impetrandæ, quod ſimul cum medio recurſus adierant recurrentes, quam tandem chartam effective impetrârunt, hic etiam, uberioris notitiæ gratia, ob motivum in prologo inſinuatum, viſum eſt ſpecialem præſentis gravaminis, ſuper eadem interpoſiti, adjungere, et illius curſus, ſeriem proſequi.

Igitur, cum in ſupplicatione chartæ tuitivæ procurator generalis S. Franciſci de obſervantia allegaret, parochias provinciæ Bardeſianæ religioni ſuæ donatas fuiſſe, aſſertæ cujus donationis titulos, ac documenta citabat, in exhibitione libelli illius ſupplicationis petivit procurator meus à judice ad præmiſſarum juſtificationem, pro eadem charta impetranda, deputato, ut accuſatam donationem, titulos, et documenta actis adjungi, et exhiberi impetranti juberet. Cujus requiſitimenti nota juſtitia nil proficiente, minime ei detulit deputatus magiſtratus. A qua injuſtitia gravamen ad ſenatum interpoſuit procurator mitræ, qui ſimul erat promotor juſtitiæ, et meus in hac cauſa ſpecialis procurator.

II. Rationes autem querelæ illati gravaminis, erant ſequentes: 1. Quia, licet in cauſa tuitivæ chartæ impetrandæ ſummarie quidem procedatur (quod videbatur fundamentum fuiſſe illius non delationis) cognoſcendo de poſſeſſione, ac turbatione dumtaxat (quæ tamen materia opinabilis, et diſputabilis eſt inter DD.); attamen in regno Portugalliæ, et in tota ditione ſua ceſſabat controverſia, inſpecta praxi generaliter obſervata, de qua Valaſc. conſ. 79. n. 15. *Cæterum apud nos in hoc Luſitaniæ regno quoad juſtificationem tuitivarum non ſolent judices ſummarie procedere. Et vidi ego longos, et faſtidioſos proceſſus ſuper hoc ad curiam per appellationem deferri.*

III. Qui quidem regnicola doctor, licet ſentiat, quod in juſtificatione tuitivarum formari non debeant *proceſſus ordinarii*; attamen tenet, ac defendit, quod adhuc ſtante proceſſu ſummatio requiſitorum juſtificationis ad chartam tuitivam impetrandam, debent partes utrinque exaudiri, et nedum teſtes, verum et documenta producere; quare n. 16. ibidem ſic proſequitur: *Ad quod ſufficit ſummatim procedere, auditis utrinque partibus in brevi termino, teſtes et jura ſua producentibus, ſine libello, aut ordine judiciario.*

IV. Unde, etiam dato, quod in hac juſtificatione abſque ordine judiciali in proceſſibus ordinariis ſervato, procedi deberet (contrarium cujus in hoc regno praxis ſervat); tamen productio, et exhibitio documentorum, omitti non debebat, utpote quæ optimè cum procedimento, ac proceſſu ſummario compatiuntur ex eodem Valaſc. ſupr. cit.

V. 2. Quia ſaltem reſpectu ad tituli aſſertæ donationis productionem, ac exhibitionem, certa, et infallibilis erat DD. reſolutio, cum Gabriel. Per. de man. reg. c. 20. n. 8. ibi: *Secundus articulus eſt, an requiratur juſtificatio tituli; et videtur abſque dubio, ut titulus comprobandus ſit, antequam tueatur poſſeſſor; in interdicto enim retinendæ, poſſeſſio debet juſtificari ex titulo, ut habet text. in c. Licet cauſa de probat.*

Quam quidem etiam tenet idem Valaſc. cit. conſil. 79. n. 3. Portug. de donat. reg. p. 2. c. 32. n. 36. ibi: *Et quidem apud nos hæc in praxi ſervatur, ord. l. 3. tt. 20. § 22. et 25.*

VI. Et quamvis cit. Per. ſentiat ibidem, n. 9. in interdicto *Uti poſſidetis*, nullam tituli juſtificationem deſiderari; limitat tamen hanc ſuam ſententiam in duplici caſu ibidem, n. 9. videlicet, *In poſſeſſione rei, quæ ſine titulo poſſideri non poteſt, propter juris repugnantiam; et pariter in poſſeſſione beneficii eccleſiaſtici, cujus ſine titulo nulla eſt poſſeſſio.*

VII. Cum autem impræſentiarum eſſemus in materia duplicis caſus excepti, aut limitati, videlicet *beneficii eccleſiaſtici*, licet amovibilis, et manifeſtæ reſiſtentiæ juris regularibus pro eis obtinendis, ac adminiſtrandis, de qua ſuperius, indubium erat, impetrantem præfatum titulum, et reliqua documenta exhibere teneri, ut idem Per. reſolvit ibidem, n. 9. et 10. *Si vero agatur de beneficiali poſſeſſione, aut decimarum, in quibus nulla incipit poſſeſſio, niſi à titulo, talis tuitiva nequeat concedi, niſi illo oſtenſo, ut, conſtito coram judice, cui cauſa committitur, de colore ipſius poſſeſſor tueri valeat*, &c.

VIII. 3. Quia ſemel, quod impetrans, aut quælibet alia pars, in ſupplicatione ſua, aut articulis, mentionem facit documenti alicujus, ad illius exhibitionem tenetur, ex expreſſa ordin. regia, l. 3. tt. 20. § 22. et 25. et ex generali praxi, atque communi praxiſtarum, et reliquorum doctorum reſolutione, ut Barb. ad eandem ordin. § 25. ibi: *Notatur ad hoc, quod ubicunque reus fecerit mentionem in ſuis articulis de aliqua ſcriptura, illam offerre tenetur, ſicut et actor, l. 1. ff. de edendo; alias articuli deleri debent.*

Mendes a Caſtr. in prax. Luſit. p. 1. l. 3. c. 9. n. 2. ibi: *Et ubicunque fuerit mentionem in ſuis articulis de aliqua ſcriptura, illam offerre tenetur, ſicut et actor, l. 1. ff. de edendo, alias articuli delentur ex* reg. ord. l. 3. tt. 20. § 25. Idt p. 2. l. 3. c. 9. n. 1. ibi: *Item, ſi facit mentionem de aliqua inſtrumento, ut illud offerri debeat; alias articulus deleri debet, ordin. l. 3. tt. 20. § 22.*

Accedunt Cardoſ. in prax. verbo *Inſtrumentum*, n. 27. et ſeqq. *Si tamen reus eſſe. uſurus illis privatis inſtrumentis, tunc illa edere tenetur, et ſimul cum libello, aut quacunque exceptione, ſi in illa facit mentionem illorum inſtrumentorum, quibus uſurus eſt.*

IX. Et Pinheyr. de emphyteuſ. p. 2. ſect. 2. diſp. 1. n. 20. ubi poſt generalem reſolutionem quoad omnes, ſpecialiter idem aſſerit quoad emphyteuſim fiſci, et eccleſiæ, ob ſpecialia utriuſque privilegia; ibi: *Tertio, idem ſpecialiter probatur quoad emphyteuſim fiſci, et eccleſiæ; nam fiſco ex ſpeciali privilegio ſunt ab adverſario edenda inſtrumenta, non ſolum emphyteutica, ſed quælibet alia ad illius cauſam pertinentia, l. 2. in princip. verſ. Divus, ff. de jur. fiſci: eedem autem privilegio gaudet eccleſia, et aliæ piæ cauſæ, juxta receptam ſententiam, quam tradunt Panormitanus, et cæteri communiter in cap. 1. de probationibus.*

X. 4. Quia cauſa tuitivæ chartæ, eſto ſummaria ſit, admittit, ac patitur impedimenta nullitatis, obreptionis, ac ſurreptionis, Mend. in prax. l. 2. c. 11. § 1. n. 10. p. 2. Portug. de donat. l. 1. p. 2. c. 32. Quæ quidem impedimenta ſtatim in principio objici debent, ſecundum eorundem DD. ſententiam. Et quocunque loco, et tempore opponuntur, admittuntur; et prius illis eſt deferendum, quam ulterius in cauſa, vel ad diligentiam aliam procedendum. Vanguerve in pract. judiciali, p. 3. c. 7. et alibi.

Hæ erant præcipuæ, et fundamentales impedimentorum rationes: quibus tamen cum ſenatus non deferret, ſed expediri juberet chartam impetratam, illius tranſitui in cancellaria, atque ultimo præmiſſarum illius juſtificationis judicio, ſequentia impedimenta nullitatis idem mitræ procurator oppoſuit.

Impedimenta procuratoris mitræ Goanæ, præfatæ chartæ tuitivæ in cancellaria oppoſita.

XI. 1. Quod in caſu, atque ſupplicatione impetrantis deficiebant omnino requiſita legis ordin. l. 2. tt. 10. per tot. et l. 1. § 116. in regim. ſenat. palat. Quare neque impetrare valebat pertenſam tuitionem, neque illius charta impetrata ei ſuffragari poterat ex eiſdem legibus.

XII. 2. Quod narrativa ad hanc impetrationem, obreptionis, et ſurreptionis, ac totalis falſitatis vitio notorie laboraret; et, ut talis, nulla omnino, et nullius roboris, ac effectus, evaſerat tuitio ex vi illius impetrata, atque conſequenter ejuſdem executio, tum ex jure communi, tum ex regio privato, ord. l. 2. tt. 43. in princip.

XIII. Et, 3. Quod tam impetrans, quam tota ejus provincia nec poſſeſſionem, nec quaſi poſſeſſionem habebat, quæ talis dici valeat, aut quæ regiæ tuitionis, ac manutentionis digna ſit; alias titulum exhibere deberent, quo aſſertam poſſeſſionem fundabant, et vi cujus prædita tuitiva charta impetrata erat.

XIV. 4. Non poſſe concedi, nec exequi chartam tuitivam cum gravi præjudicio tertii; et ſtrictius, ſi præjudicium irreparabile eſt, quale certum erat dari in conceſſione, atque executione tuitionis impetratæ, etiam earundem parochiarum, in quibus impetrantes conſervari pertendebant.

XV. 5. Quia regia majeſtas nec ſolebat, nec poterat tuitivas concedere adverſus ſemetipſum, et adverſus rectum ſuum regimen, ac gubernationem politicam, et œconomicam; quæ quidem inconvenientia ex præſenti conceſſione, atque executione ſequerentur; quatenus vi illius conſervari conabantur in parœciis, uſu mere precario pro tempore conceſſis, parochi regulares ad nutum amovibiles, adverſus expreſſum, et abſolutum ordinem regium, per quem ab adminiſtratione parœciarum illarum, ut minus idonei, et ſcandala præbentes, ſemoveri jubebantur.

XVI. 6. Quod impetrans, et ejus religio, omnino defuerunt eſſentialibus clauſulis, ac conditionibus, ſub quibus earum parochiarum adminiſtratio illis commiſſa fuerat, *precario, et ob defectum ſacerdotum ſæcularium, et dummodo Indorum linguam intelligerent*, &c.

XVII. 7. Quod conſervatio impetrantis, et ejus religioſorum in has parochias, erat materia in ſe involvens plurima lethalia peccata, et plures ſacramentorum nullitates, et alia damna gravia ſpiritualia: quapropter nec regia tuitio, aut manutentio, præſtari eiſdem poterat.

XVIII. 8. Quod impetrantes notoriam, ac manifeſtam reſiſtentiam juris communis, et privati, habebant, præſertim tempore præſenti, ad parœcias illas adminiſtrandas, et retinendas; quæ quidem ſufficiebat ad impediendam tuitivæ chartæ conceſſionem, ac executionem.

XIX. 9. Quod impetrantes ordinariam prælati diœceſani juriſdictionem ſpoliaverant, atque uſurpaverant, ſeſe in parœciarum, et ſacramentorum adminiſtrationem, abſque illius prævia approbatione, atque inſtitutione, intromittentes, univerſo jure novo, et antiquo, in contrarium reclamante.

XX. 10. Quod impetrantibus regia tuitio nec concedi, nec exequi poterat, eo quod nedum uſurpatores, ac ſpoliatores alienæ juriſdictionis exiſterent, verum et poſſeſſores vitioſi, nulli, violenti, et intruſi.

Caſu autem, quod hæc charta tuitiva nedum mere conſervatoria *foret, ſed etiam* appellatoria;

XXI. Opponebat ſpecialiter idem promotor procurator ſequentia impedimenta.

11. Quod impetrantes nullam legitimam appellationem, neque quoad aliquem effectum receptibilem, eatenus interpoſuerant.

XXII. 12. Quod notificati impetrantes ad comparendum, ut allegarent rationes relevantes eos à declaratione comminata cenſurarum à jure intra certum terminum, neque extra illum quidem, aliquid allegârunt: quare, ut veris contumacibus, nec tuitio, nec manutentio regia, præſtari valebat.

XXIII. 13. Quod impetrans, et tota ejus religio, nequibat eſſe pars in hac cauſa ob renuntiationem, ac deſiſtentiam ab omni pertenſione, aut jure ad has regii patronatus parœcias: *quare*, &c.

XXIV. Impedimenta hæc tuitivæ chartæ in cancellaria objecta, hactenus eam retardârunt; neque ultra in cauſa hac via progreſſum eſt; ſed per viam recurſus intentati; cujus quidem finis ultimus ex regiis reſcriptis, ſuperiori allegatione tranſcriptis, notus remanet.

ALLEGATIO XXXI.

In Opinione alteri diſtincto Recurſui à Procuratore Ordinum Militarium ſuper nova Exhibitione ejuſdem regii Reſcripti affectate, et doloſe, ſupplicata.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Cauſam jam pacificatam ſuſcitavit ordinum procurator; et quo fine.*
III. IV. *Ejus iniqua ſupplicatio rejecta à regio judice, ſed admiſſa à ſenatu in gradu gravaminis.*
V. *Sententiæ ſenatus oppoſuit promotor impedimenta materiam notabilem continentia.*
VI. *Sententia recurſus reſtricte ſoli procuratori religionis Franciſcanæ, non vero procuratori ordinum militarium, reſcripti regii exhibitionem decreverat.*
VII. *Solus procurator Franciſcanus exhibitionem ſupplicârat; et procurator ordinum neque compars fuerat in illa cauſa.*
VIII. *Procuratori ordinum militarium, ut procuratori regio (licet nulliter utrumque munus exercenti) allegationis meæ exhibitio de more decreta fuerat, minime vero reſcripti; et multo minus, ut procuratori ordinum.*
IX. *Dato, quod compars fuerit ex aſſiſtentia, eadem exhibitio procuratori Franciſcano, indiviſe procuratori ordinum proderat.*
X. *Ex identitate cauſæ, et conjunctione perſonarum, inferebatur ad hominem per unam exhibitionem utrique plene ſatisfieri, ex eadem citat. ordin. l. 3. tt. 80. § 2.*
XI. *Gravamina, et recurſus, ſunt ſtricti juris; et judex eccleſiaſticus nil amplius tenetur adimplere, quam quod in rogativis ſtricte injungitur.*
XII. *Judex regius, quo melius nullus alius vim propriæ ſententiæ penetrabat, requirimentum ſupplicantis abſolute rejecerat.*
XIII. *Præcipitanti acceleratione etiam in hac re progrediebatur.*
XIV. *Impedimentis, adeo bene fundatis, non obſtantibus, judex regius temporale procedimentum progreſſus notificationem pro congiarii ſubſidii amiſſione, et regio fiſco adjudicatione, expedivit.*
XV. *Cui nova impedimenta promotor, et mitræ procurator, objecit; uſque ad n.* XXII.
1. *Ex impoſſibilitate exhibitionis reſcripti ſupplicati, quod apud acta in regio judicio exhibitum jacebat.*
2. *Quia congrua ſuſtentatio, ut veniens nomine bonorum eccleſiaſticorum, minime ſubjacebat illi notificationi, neque utpote alimenta, ſequeſtrari, et minus confiſcari poterat, præter contraventionem legibus, et ſtylo.*
3. *Quia in ſolo caſu regiæ uſurpatæ juriſdictionis, temporaliter proceditur adverſus prælatos, et ad inſtantiam procuratoris regii dumtaxat.*
4. *Quia concordiæ, ex quibus ordin. reg. deducta eſt, extendi non poterant ultra caſus expreſſos.*
5. *Quia, etiam in caſibus juſtæ ſequeſtrationis fructuum beneficiorum, minime permittit ord. quod regio fiſco adjudicentur.*
6. *Quia juriſdictio magiſtratus, utpote eccleſiaſtica, non veniebat nomine juriſdictionis regiæ.*
7. *Quia cauſa exhibitionis jam pacificata erat cum recurrentis conſenſu, etiam ut aſſiſtentis.*

XXIII. *Ultimo tandem demonſtrabatur nullitas, et exceſſus ſacrilegus hujuſce temporalis procedimenti.*
XXIV. *Hæc impedimenta rejecit judex per ſimplicem delationem, quaſi à parte incompetente oblata.*
XXV. *Nova impedimenta huic rejecta ex incompetentia promotoris, et mitræ procuratoris.*
XXVI. *Areſtum ex Peg. in re diverſa retorquebatur.*
XXVII. *Poteſt promotor impedire chartas rogativas in cancellaria, quamvis non poſſit objicere impedimenta*

menta ſententiæ; et exceptio firmat regulam in contrarium.

XXVIII. *Notificationi adverſus congruam ſuſtentationem mitræ Goanæ taxatam, et procurator mitræ, et promotor juſtitiæ, erant partes competentes ad obſtandum, etiam ratione bonorum eccleſiaſticorum, et alimentorum, &c.*

XXIX. *Militaribus non ſequeſtrantur ſtipendia, eo quod ſint alimenta, etiam pro damno dato, et pro debitis fiſco, niſi in tertia parte.*

XXX. *Bona pertinentia menſæ prælatorum adeo privilegiata ſunt, ut abſque nota judicii in cauſa propria poſſint injuſtos detentores extrajudicialiter cenſuris ferire.*

XXXI. *Sicut procurator ordinum, ita procurator mitræ, et juſtitiæ, poterat competenter ſupplicare quicquid utrique utile foret ex officio, abſque ſpeciali mandato.*

XXXII. *Et confirmatur ad hominem ex ſupplicatione incompetenti procedimenti temporalis præſentis.*

XXXIII. *Sicut principes ſæculares habent procuratorem coronæ, et procuratorem regii patrimonii; ita prælati eccleſiaſtici procuratorem mitræ, et juſtitiæ, qui ex officio utriuſque commodum procurant.*

XXXIV. *Erat caſus in eodem judicio ab eiſdem judicibus judicatus; et* ſemel placens amplius diſplicere nequibat: *et ſaltem per aſſiſtentiam uterque pars legitima judicandus.*

XXXV. XXXVI. *Hæc impedimenta recepta fuerunt à regio judice, qui in temporalitatum progreſſu ſuperſedit; et cum aliquo intervallo ſubſidium integraliter reſtitutum eſt.*

I. CUM in executionem ſecundi recurſus aliquorum parochorum Franciſcani ordinis, mihi eorum procurator generalis ſupplicaret, ut cenſuræ levarentur per publicam contradeclaratoriam meo nomine expeditam, qua denuntiatæ cenſuræ nullæ ſimul declararentur, cum reliquis ſolemnitatibus, et ſuppoſitis appellationibus, eidem deferrem, ut declararet, an ab illis deſiſteret, et cum hac declaratione ſupplicationem ſuam ad terminos rogativarum epiſtolarum reſtringeret (qui quidem erant, *ut ego levare cenſuras juberem*; minime vero per contradeclaratoriam, aut cum enuntiatione earum nullitatis, aliave ſolemnitate) adiens procurator regium coronæ judicem, falſo conquerens, me rogatorias chartas nolle adimplere, et temporale procedimentum requirens, illud à judice intempeſtive, et præcipitanter obtinuit; cui tamen judex ipſe, melius de veritate informatus, et rationibus promotoris eccleſiaſtici inſinuatis, mihi primo, et ipſi ſecundo, directis, paulo poſt ſuperſedit; et cenſuræ oblatæ ſunt à vicario meo generali, juxta ejuſdem promotoris allegationem.

II. Itaque cauſa hac ſic demum pacificata, et jam ad ſilentium redacta, iterum ſuſcitata eſt à procuratore ordinum militarium poſt integrum menſem illius pacificationis, eo animo, ut temporale procedimentum adverſum me renovaretur; nec, ſaltem per aliquod breve temporis ſpatium, me pacifice degere permitterent. Igitur, hoc fine à me ſupplicavit, *ut, in executionem ſententiarum recurſus, ei exhiberi juberem regium reſcriptum.* Cum autem notorium foret, in nulla ſententia, neque in ipſis rogatoriis chartis, talis exhibitio procuratori ordinum recommendaretur, ſed unice recurrenti, procuratori generali videlicet religionis S. Franciſci de obſervantia, et aliunde, etiam notiſſimum, ac manifeſtum erat, regium reſcriptum, in illarum rogativarum executionem, jam recurrenti ipſi exhibitum in coronæ judicio jacere, ſupplicationi procuratoris ordinum militarium detuli, quod, *ſuppoſitis illis notorietatibus, nil medio illo, ſeu motivo, remaneret deferendum.*

III. Ab hac autem ſimplici delatione, et non penitus excluſiva, ſed quod ad medium, aut motivum dumtaxat, videlicet, *in executionem ſententiarum recurſus*, ad regium judicem accurrit, ab eo poſtulans procedimenti temporalis adverſus me proſecutionem. Quam petitionem cum regius judex, ut injuſtam, et falſo nixam fundamento, rejeciſſet, ab eo gravamen ad ſenatum interpoſuit, falſo eodem ſiſtens fundamento unico et totali, quod vim illi notoriam inferebam, ei ſupplicatam denegans exhibitionem, in obſervantiam ſententiarum recurſus; et conſequenter regius judex ad procedimentum occupandarum temporalitatum in continenti devenire nolens, ad quod ſtatim deveniendum erat.

IV. Senatus autem regius, in gravamine interjecto, quoad utramque partem ei providit, judicans per ſententiam eum in mea denegatione gravatum, atque etiam in judicis regii rejectione, non obſtante duplici illa præmiſſa adeo clara, et conſtanti notorietate, ut utriuſque evidentia me ab impugnatione, aut contradictione gravaminis fecerit abſtinere, minime perſuaſus, neque etiam veritus, procuratorem ordinum proviſionem in hoc affectato gravamine obtinere poſſe, præſertim ſuppoſita ipſiuſmet regii judicis rejectione, me tamen fefellit propria minus cauta, et nimis pia opinio.

V. Sententiæ autem gravaminis promulgatæ appoſuit promotor eccleſiaſticus ſequentia impedimenta; quæ quidem, quia ſpeciales tangunt doctrinas, ſcitu dignas, et pro ſimilibus caſibus cavendis à prælatis obſervandas, præſertim ab iis, qui potius, quam juris canonici, ſacræ theologiæ, ut ego ipſe, profeſſores inceſſerint, ad hanc ſpecialem allegationem reducenda, ac reſervanda conſulto duxi.

Præmittebat imprimis promotor expreſſam *proteſtationem* non faciendi actum approbativum renovationis cauſæ recurſus jam finitæ, et extinctæ, et non abrenuntiandi *exceptioni rei judicatæ*; imo, ſalvo ſemper jure defenſionis, nullitatis, et incompetentiæ, ſequentia objectabat.

VI. 1. Me exhibitionem requiſitam ab aggravante non denegâſſe abſolute; ſed limitate, et reſtricte ex medio, ac motivo inſinuato, videlicet *in obſervantiam ſententiarum judicii coronæ*; quæ quidem ſoli recurrenti procuratori generali S. Franciſci ſingulariter talem exhibitionem præberi commendârunt, minime vero procuratori generali ordinum militarium.

VII. 2. Quod ſolus procurator generalis ordinis Franciſcani illam exhibitionem ſingulariter ſupplicârat, minime vero procurator ordinum militarium, niſi nunc proxime, et impræſentiarum, poſt cauſam illam ſupplicatæ exhibitionis finitam, et cauſam ſecundi recurſus pacificatam. Unde, cum ordinum procurator neque pars, aut compars fuerat in petitione exhibitionis, neque etiam in interpoſitione recurſus; conſequenter proviſio ſententiæ recurſus pro requiſita exhibitione præſtanda, non procuratorem ordinum, ſed procuratorem, Franciſcanum dumtaxat, ut ſingulariter recurrentem, et ut unicam in recurſus interpoſitione partem, reſpiciebat.

VIII. 3. Quod quamvis aggravanti, ut regiæ coronæ procuratori (quod quidem munus ex induſtria tunc ſuſtinebat, licet nullitas, et contra proprias ordinis militiæ Chriſti definitiones, p. 3.) duplex inſpectio, aut exhibitio duplicis allegationis meæ per interlocutorias recurſus ſententias decerneretur, hæc, non tanquam procuratori ordinum, ſed quatenus procuratori regio decreta eſt; et non per ſententiam finalem quoad exhibitionem regii reſcripti ad impedimenta eidem objicienda; ſed per ſententias, aut delationes interlocutorias inſpectionum, aut inviſionum allegationis utriuſque partis, ut erga utramque quid ſentiret, ut coronæ regiæ procurator depromeret, juxta diſpoſitionem regiæ ordinat. l. 1. tt. 12. et l. 3. tt. 80.

IX. 4. Quod quamvis ſententia recurſus judicet, *non ſolum recurrenti*, ſed etiam *magiſtratui Chriſti* violentiam illatam fuiſſe (licet, quoad hanc ſecundam formalitatem tenoris ſententiæ, potius videretur *recitatio, quam deciſio)*; attamen ex allegatione ipſius regii procuratoris expreſſe conſtabat, *quod in ſupplicatione eadem recurrentis* (verba illius ſunt) *involvebatur etiam violentia magiſtratui incuſſa.* Unde inferebat promotor; quod conſequenter eadem exhibitio regii reſcripti recurrenti præſtita in ipſius violentiæ ſatisfactionem, erat indiviſe exhibitio præſtita magiſtratui pro parte propriæ iſtius violentiæ, quæ in prima includebatur, atque involvebatur.

X. 5. Ad hominem, ut aiunt; quia, ſecundum aggravantis allegationem in gravaminis præſentis ſupplicatione, *quamvis ipſe, et procurator religionis recurrentis*

rentis forent diverſæ perſonæ; attamen propter conjunctionem, et identitatem cauſæ, unicum corpus, et una eademque res reputabantur; et citabat ordin. lib. 3. tt. 80. ex qua formali aſſertione concludenter inferebat promotor: ergo ob eandem conjunctionem ac identitatem cauſæ, exhibitio, uni facta, alteri etiam præſtita cenſenda erat; proindeque fruſtranea, et ſuperflua erat ſupplicatio ſecundæ exhibitionis à procuratore ordinum facta; præterquam quod ad illam jam nec jus habebat, ſuppoſito conſenſu tum procuratoris regularis recurrentis, tum procuratoris etiam militaris aggravantis, in finalizatione, et pacificatione cauſæ, ex cit. ordin. l. 3. tt. 80. § 2.

XI. 6. Quia gravamina, ac recurſus, ſtricti quidem juris ſunt; nec judicibus eccleſiaſticis amplior obligatio oritur, quam ſtricte adimplendi quod in rogativis chartis injungitur, vel commendatur. Per illas autem, et per ſententiam, unde emanaverant, ſtricte mihi recommendabatur *exhibitio reſcripti regii* ſingulariter procuratori generali Franciſcano (et nulli ulterius) *præbenda*.

XII. 7. Quod nullus alius melius, intenſius, atque extenſius ſciebat, ac penetrabat vim, et ſenſum ſententiæ recurſus, quam judex regius, qui eam tulerat. Qui quidem judex primo à procuratore militari rogatus, ut temporale procedimentum adverſum me proſequeretur, prætextu, quod rogatorias chartas, et recurſus ſententias non adimpleveram, imo contraveniebam in denegatione exhibitionis præmiſſæ; hoc requirimentum abſoluta denegatione rejecit; eo quod in nulla illarum pertenſa exhibitio militari procuratori, nec cumulative commendaretur.

XIII. Denique conquerebatur promotor de præcipitante acceleratione, qua in negotio hoc ruebatur; nam in eadem die, qua præſens ſententia gravaminis lata, et publicata eſt, delata ſunt acta ad judicem regium, à quo gravamen fuerat intentatum; et in eadem die illa expediit, deferens quod ſententia ſenatus exequeretur; et in eadem, quin hæc delatio publicaretur, ulteriores diligentiæ parari cœperunt, præcluſis mediis, et excluſis terminis, à legibus, et ſtylo conceſſis ſupplicanti ad juſtitiam ſuam allegandam, ac defenſionem illius proponendam.

XIV. Hæc tamen impedimenta, licet bene fundata, admiſſa non fuerunt à judicibus; et in continenti judex regius ad inſtantiam procuratoris militiarum me juſſit notificare ad amiſſionem mei congiarii ſubſidii, pro mea congrua ſuſtentatione taxati ad regium fiſcum; et ad proſecutionem procedimentorum temporalium. Quis non videat finis exceſſum ex mediorum exorbitantia? Huic tamen notificationi ſequentia impedimenta promotor eccleſiaſticus, ut talis, et ut mitræ procurator, oppoſuit.

Impedimenta promotoris eccleſiaſtici, etiam ut mitræ procuratoris, notificationi judicis regii ad inſtantiam procuratoris ordinum militarium ad proſecutionem temporalis procedimenti, et ad amiſſionem congiarii ſubſidii ad regium fiſcum.

XV. Fundabantur hæc impedimenta, 1. Quod regium reſcriptum jacebat exhibitum in coronæ judicio in actis pendentis exhibitionis executæ in obſervantiam ſententiarum, et chartarum rogatoriarum ejuſdem judicii. Proindeque, cum neque præfatum reſcriptum, neque acta exhibitionis illius apud me exiſterent, ſed apud notarios coronæ judicii, ubi ex vi rogativæ chartæ ejuſdem tranſmiſſa fuerant, impoſſibilis mihi remanebat ſupplicata exhibitio; et, juxta vulgare axioma, *Ad impoſſibile nemo tenetur*. Unde evidens fiebat, quod neque ad ſupplicatam exhibitionem notificari poteram.

XVI. 2. Quod multo minus ſupplicari, aut decerni poterat poſtulata notificatio, cum comminatione amittendi congiarium ſubſidium ad fiſcum regium, tum ex defectu legis, aut ſtyli, in caſibus recurſus; tum quia dictum ſubſidium, ſeu congrua ſuſtentatio, venit nomine bonorum eccleſiaſticorum, et, ut talis, immunis à judicio, ac juriſdictione ſæculari; tum denique, quia prædicta congrua ſuſtentatio eſt alimenta, quæ quidem impediri, vel ſequeſtrari non poſſunt, et multo minus confiſcari, non intercedente crimine læſæ majeſtatis; præſertim me non habente alios reditus, aut proventus, quibus ali poſſim, de quo infra, n. 28.

XVII. 3. Quia abſolute loquendo, etiam ad alias temporalitates externas, et minus neceſſarias, ac minus privilegiatas, minime procedi poteſt contra prælatos, aut judices eccleſiaſticos, niſi in caſu uſurpatæ juriſdictionis regiæ, quæ impræſentiarum omnino deeſt, juxta præſcriptum ordin. l. 1. tt. 9. § 12. ad quam Barb. et Peg. gloſſ. 5. et gloſſ. 14. n. 2. et ſeqq. et ex ead. ord. l. 1. tt. 12. § 5. neque tale procedimentum abſolute induci poteſt ad inſtantiam procuratoris ordinum militarium, aut alterius partis in recurſu obtinentis, ſed ad inſtantiam dumtaxat procuratoris regiæ coronæ, ex eadem ordinatione, l. 1. tt. 12. et l. 3. tt. 20. § 15. Mend. in prax. p. 2. l. 3. c. 21. n. 317. et l. 2. c. 12. n. 11. Coſt. de ſtyl. ann. 8. n. 64. Per. de man. reg. c. 12. à n. 3. Leitam de jur. Luſit. tr. 1. q. 6.

XVIII. 4. Quia, cum hæ ordinationis regni diſpoſitionis deductæ ſint ex concordiis ſereniſſimorum regum Joannis I. et Sebaſtiani, cum clero Luſitaniæ (Per. de man. reg. c. 12. n. 3.) minime extendi poſſunt ad alios caſus præter expreſſos dictæ regiæ juriſdictionis ſæcularis; in hoc enim caſu dumtaxat habet rex fundatam ſuam juriſdictionem, ac intentionem adverſus prælatos uſurpatores (ord. l. 1. tt. 12. § 5.) quatenus ad formam, et veluti in modum juris repræſaliæ, perſiſtente prælato in notoria uſurpatione regiæ juriſdictionis ſæcularis (id eſt, regis ut regis, non eccleſiaſticæ, ut magni militiarum magiſtri) viciſſim occupat rex ipſe temporalitates prælati, quæ ſunt ſub ejuſdem regis juriſdictione.

XIX. 5. Quod etiam in caſibus ejectionis, proſcriptionis, à regno, de quibus ordin. l. 2. tt. 13. quamvis permittat ſequeſtrari fructus, ac reditus etiam beneficiales reorum, vivorum beneficia impetrantium, minime tamen permittit, quod amittantur, aut amiſſi judicentur ad regium fiſcum; et ſolummodo diſponit, quod reo non tradantur abſque ſpeciali ordine regio; imo adhuc limitat ibidem, *quod hæc diſpoſitio intelligatur dumtaxat in caſibus expreſſis in eadem ordinatione, et quod ejus non fiat extenſio ad alios caſus ultra illam.*

XX. 6. Quod, etiam dato, et non conceſſo, me uſurpâſſe juriſdictionem regis, non ut regis, ſed ut magni magiſtri ordinum militarium, hæc juriſdictio, utpote eccleſiaſtica, et non ſæcularis, non veniebat nomine *juriſdictionis regiæ*, ne per conſequens, neque illius uſurpatio ſubjecta maneret, etiam procedimento abſoluto ad temporalitates exteriores, ac minus privilegiatas, ex eiſdem juribus, et ex doctrin. Gabr. Per. de man. reg. &c.

XXI. 7. Quia cum ego plene planeque ſatisfecerim ſententiis recurſus, et rogativis chartis ex eis promanantibus, eas perfecte adimplendo cum effectiva exhibitione regii reſcripti procuratori generali S. Franciſci, et ſuſpenſione ulterioris procedimenti, quibus prædicta cauſa recurſus pacificata, et finita erat cum partis recurrentis conſenſu, et etiam ipſiuſmet regii procuratoris eidem aſſiſtentis, qui neque ut talis, neque ut procurator militaris, aliquam ſupplicationem, requiſitionem, aut inſtantiam amplius fecerat, aut expoſuerat à die præmiſſæ pacificationis 21. Martii, uſque ad diem 26. Aprilis, qua novam exhibitionem ſibi, ut procurator ordinum militarium à me ſupplicârat, falſa præſuppoſitione, ac prætextu, quod in præmiſſis ſententiis, ac epiſtolis rogativis, eadem exhibitio ſibi etiam decernebatur; minime poterat hæc poſterior notificatio ad procedimentorum temporalium proſecutionem decerni, et exequi, ob notoriam nullitatem ortam ex exceptione rei judicatæ, et ex diſpoſitione ordin. l. 3. tt. 80. § 2.

XXII. 8. Quia, dato, quod ordinum militarium procurator in eadem recurſus cauſa aliquod præjudicium, aut intereſſe haberet, illius exhibitionem, aut inſpectionem debebat ſupplicare in terminis, in quibus reperiebatur, et eam ut *aſſiſtens* proſequi, juxta formam ordinat. l. 3. tt. 20. § 32. Quam quidem cum non ſupplicaret, cenſebatur conſentiens in ipſius cauſæ proceſſu, atque pacificatione, et finalizatione, ex cit. ordin. quæ quidem cauſa effectus rei judicatæ produxit, ac ſortita eſt, tam reſpectu recurrentis principalis,

palis, videlicet, procuratoris Franciſcani, quam reſpectu noviter impedientis procuratoris militaris, quamvis ſecundario ex ea præjudicium reciperet, ſecundum diſpoſitionem ordin. reg. l. 3. tt. 81. et commune DD. placitum ad leg. *Si patrini*, § fin. ad Trebellian. Imo, cum, juxta definitiones ordinis militiæ Chriſti, idem magiſtratus nequeat ſimul utrumque officium et procuratoris coronæ, et ordinum procuratoris exercere, etiam mihi noviter impoſſibilis, et inconferibilis, atque impracticabilis reddebatur regii reſcripti petita exhibitio, etiam caſu, quo apud me adhuc retineretur, et non jam exhibitum foret.

XXIII. 9. Quia, cum præſens procedimentum ad temporalitates utique injuſtum, nullum, exceſſivum, ac violentum foret, ex rationibus ac fundamentis inſinuatis, et ex aliis, quæ promotor adhuc allegare proteſtabatur, ſane ſubjectum remanebat incurſui cenſurarum bullæ Cœnæ Domini, can. 16. et 17. et aliis à jure latis contra occupatores, ac uſurpatores bonorum eccleſiaſticorum, et adverſus moleſtantes, aut vexantes prælatorum familiares, necnon eorundem jura, ac juriſdictiones perturbantes, ac impedientes, &c. Et ſufficiebat, quod procedimentum præmiſſum ad temporalitates *exceſſivum* foret in modo ad hoc, ut præfatis cenſuris obnoxium maneret, juxta communem doctrinam, de qua Salg. de prot. reg. 1. p. c. 2. n. 306. Seſſ. de inhibit. c. 8. § 3. Bobadill. politic. l. 2. c. 18. n. 60. Per. de man. reg. c. 7. n. 44. et alibi.

XXIV. Hæc autem impedimenta à promotore eccleſiaſtico, ut tali, et ut mitræ procuratore, objecta (utrumque enim munus exercebat) rejecit judex regius per ſimplicem delationem, eo fundamento, quod allegata erant à parte minus legitima ad allegandum, et opponendum, in materiis recurſus. Cui quidem rejectioni, ac fundamento illius, ſeſe iterum idem promotor oppoſuit, nova impedimenta ſequenti formalitate objectando.

Impedimenta promotoris juſtitiæ, mitræque procuratoris, rejectioni judicis regii priorum impedimentorum notificationi prædictæ objectorum.

XXV. Objectabat igitur, 1. Quod promotor juſtitiæ eccleſiaſticæ, pars quidem legitima erat ad opponendum, et objiciendum in materiis recurſuum, ac gravaminum à prælatis diœceſanis interpoſitorum, ſeu ab eorum vicariis generalibus, aut ab aliis judicibus, atque ſenatus eccleſiaſtici ſenatoribus; et quod hic foret ſtylus obſervatus, atque praxi ſtabilitus in variis recurſibus, nedum à prælatis hujuſce ſtatus, ſed et regni Portugalliæ intentatis, ut conſtabat ex aliquibus deciſionibus Themud. ſignanter dec. 158. et 254. et 257. ibi: *Præſentato gravamine vicario generali juxta formam ſtyli, ſeu judicis, juſſit, ut promotor reſponderet; qui reſpondit, dicens*, &c. Et hanc eandem praxim ſervari in regno Caſtellæ, teſtatur Cevalh. de violent. q. 22. per tot. Et in hoc ſtatu etiam fuiſſe multoties obſervatam, conſtabat ex variis recurſibus antiquis, et modernis, qui in cartoriis judicis coronæ ad acta redacti reperiebantur.

XXVI. 2. Quia areſtum deductum ex Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. n. 612. ex adverſo allegatum, ſolummodo judicaverat, *ſententias recurſuum à parte illos intentante dumtaxat impediri poſſe, non vero à promotore.* Quod quidem diverſum erat à caſu præſenti; in quo opponens non impedierat *ſententiam, ſed ſimplicem delationem unius ſingularis notificationis: non in cauſa recurſus*, quæ diu finita, ac pacificata erat; ſed in uno temporali procedimento, noviter intentato, ac attentato, ab incompetenti parte, qualis erat ordinum procurator, cui, ut tali, neque data eſt, nec dari juſſa fuit inſpectio, aut copia actorum, ſed ſoli procuratori coronæ, cui de jure ſupplicatio præfati procedimenti competebat, ex ordin. l. 1. tt. 12. § 7. Coſta de ſtyl. annot. 8. ſub n. 64. ſi fundamentum ad illud exigendum daretur, vel in terminis illius executionis cauſa ſtaret, de quo ordin. loc. cit. et tt. 12. § 5. et 6. Barb. et Peg. ad eaſd.

XXVII. 3. Quod cauſa, ſeu ratio, qua promotor juſtitiæ eccleſiaſticæ non admittitur ad impediendas recurſuum ſententias, ea eſt, non quia promotor ad id legitima pars non ſit, neque quod judici eccleſiaſtico in his materiis recurſus impedimenta non permittantur, cum ex ſtylo conſter, permitti impedire chartas rogatorias in cancellaria, Coſt. cit. ſub eodem n. 64. Peg. cit. et alii: ſed tota, et vera ratio eſt, aut potius eſſe videtur, quia cum judex eccleſiaſticus habeat locum ad allegandum, et opponendum, vel in impedimentis chartis rogativis in cancellaria objiciendis, vel in reſponſionibus, quas prædictis chartis adhibuerit, per ſe immediate, aut mediate per ſuum promotorem; hinc eſt, quod impedimenta ſententiis ei non permittuntur. Aſt hinc non ſequitur, quod eidem non permittantur impedimenta ſimplici delationi, aut expeditioni alicui, quæ non fuerit recurſus ſententia, tum *quia odioſa ſunt reſtringenda*; tum quia, *cum exceptio firmet regulam in contrarium*, ex hac exceptione non permiſſionis impedimentorum ſententiis, ſicut firmatur, poſſe illa admitti chartis rogativis, ita firmari debet poſſe admitti cuilibet delationi, proviſioni, aut expeditioni, quæ finalis recurſus ſententiæ non ſit, eſto ſit ſententia interlocutoria; præſertim impræſentiarum, cum promotor, non ſolum, ut talis, ſed ut mitræ, et ejus jurium procurator, impedimenta præſentia objectârit.

XXVIII. 4. Quod cum intentatum procedimentum foret adverſus congiarium ſubſidium, quod unice pro congrua ſuſtentatione habet mitra Goana, cum comminatione amittendi ad regium fiſcum, competebat ſupplicanti, ut ejuſdem mitræ generali procuratori, opponi, et impedimenta objicere præmiſſæ notificationi, et adverſus intentatum ſequeſtrum, atque confiſcatione mallegare, et de jure, ac de facto, dictam congruam ſuſtentationem, utpote bona eccleſiaſtica, et immunia, etiam ut juſtitiæ promotori, defendere, ac vindicare; præſertim eo quod, propter rationem alimentorum prælaticorum, erant bona ſumme privilegiata. Surd. de alim. tt. 8. privil. 80. n. 4. Deluc. de judic. diſc. 3. n. 59. et de aliment. diſc. 1. et 13. ex tex. in l. fin. § *Quod ſi ei*, cod. de ordin. cognition. ubi Salic. n. 4. Barthol. in tr. aliment. Padill. n. 83. Lancelot. de attent. p. 2. c. 4. decl. 4. n. 23. Petra infra cit. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2.

XXIX. 5. Quia etiam ipſiſmet militibus, ducibus, ac reliquis officialibus militaribus, regiæ, ac ſæculari juriſdictioni ſubjectis, etiam pro debitis fiſco regio, atque etiam pro damno dato, nequeunt impediri, aut ſequeſtrari ejus ſtipendia, niſi, quoad ſummum, in tertia parte, eo quod reputentur congrua ſuſtentatio, ex regio diplomate, quod in hujuſce ſtatus ſecretaria ſervatur, et generaliter obſervatur. Minus autem fortiori jure poterit, nedum ſequeſtrari, ſed et confiſcari congrua ſuſtentatio archipræſulis, qui ab ea juriſdictione immunis exiſtit, et conſequenter ejus bona, præſertim privilegiata.

XXX. 6. Quod bona pertinentia ad menſam, et congruam prælatorum eccleſiaſticorum ſuſtentationem, adeo privilegiata ſunt, ut poſſint valide, et licite, per cenſuras ea tueri, recuperari, et expediri facere, violentos detentores, aut occupatores, gladio ſpirituali extrajudicialiter abſque monitione, et tanquam vi repellendo ferire, abſque nota, quod ſibimet jus dicant, aut judices in cauſa propria evadant. Cardin. Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. per tot. Fagn. in c. *Noſtri*, de elect. n. 5. et in c. *Procuration.* de cenſib. n. 32. Ricc. de jur. perſonar. c. 61. Cardin. Deluc. de juriſdict. diſc. 47. et 48. D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 1. ad 4. Butr. in c. *Venerabil.* et eſt tex. in c. 2. de privileg. ubi gloſſ. verb. *Coercere*, c. *Dilecto*, de ſentent. excommunicat. in 6.

Et quod ſequeſtrantes reditus, fructus, *et proventus eccleſiis, et quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis* pertinentes, ſine *Romani Pontificis* expreſſa licentia, in cenſuras reſervatas bullæ Cœnæ incidant, expreſſus caſus, et canon eſt 17. ejuſdem bull.

XXXI. 7. Quod ſicut etiam adverſarius, ut procurator ordinum militarium, poterat petere, et ſupplicare, quicquid ad commodum illorum inſervire poterat, et quicquid faveret juſtitiæ ſereniſſimæ majeſtatis, aut magni prædictorum ordinum magiſtri, aut prælati eccleſiaſtici, abſque alio novo ſpeciali

mandato, commiſſione, aut procuratione præter literas proviſionis officii; ita pariformiter ſupplicans, ut procurator mitræ, ac juſtitiæ eccleſiaſticæ *ex officio*, abſque ulteriori ſpeciali mandato, aut commiſſione, poterat ſupplicare, ac procurare, quicquid in commodum utriuſque foret.

XXXII. 8. Ad hominem, ut aiunt: Quia, non obſtante, quod procedimenti temporalis inſtantia pertineat regio procuratori, ex ordin. l. 1. tt. 12. § 17. Coſt. de ſtyl. dom. ſupplication. ann. 8. n. 64. ſibi perſuaſit regius magiſtratus adverſans potuiſſe, et ſibi licuiſſe, ut procuratori ordinum militarium, illud procedimentum ſupplicare, ac renovare; et ad id proſequendum, etiam à regio ſenatu, admiſſus eſt. Ergo potiori, ac efficaciori jure, atque æquitatis ratione, idem permitti debet procuratori mitræ, atque promotori eccleſiaſticæ juſtitiæ in defenſionem congruæ ſuſtentationis archipræſulis, et illius immunitatis; utraque enim ei de jure pertinet, ex concil. provinc. Bracharenſ. act. 2. c. 8. Paz. in prax. tom. 2. præl. 4. n. 4. Themud. in præfat. 1. p. et aliis.

XXXIII. 9. Quod ſicut principes ſæculares habent unum procuratorem coronæ, et alterum regii fiſci, vel patrimonii, qui quidem, ex officio, poſſunt, tanquam partes legitimæ agere, et ſupplicare quicquid in utriuſque bonum, ac utilitatem ceſſerit; ita prælati eccleſiaſtici, archiepiſcopalis, aut epiſcopalis dignitatis, qui ſane principes ſunt, Themud. p. 3. dec. 148. n. 9. habent unum procuratorem mitræ, et alterum juſtitiæ, qui *ex officio*, tanquam legitimæ partes, poſſunt perquirere, agere, et proſequi quicquid in utriuſque commodum ceſſerit, præſertim *quoad bona menſæ* prælati. Petr. cit. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 5. et 10.

XXXIV. 10. Objectabat ab exemplo, et à caſu judicato nuperrime; nam allegante eodemmet promotore coram eodemmet judice regio has eaſdem rationes identice, in ſimili rejectione impedimentorum objectorum, ſimili procedimento temporali expedito ad inſtantiam religioſorum Franciſcanorum in eiſdemmet actibus; dignatus fuerat regius judex delationem ſuam rejectionis reformare, et ſupplicantem promotorem, tanquam partem legitimam, licet primo rejectam, prætextum minus legitimitatis admittere ad opponendum, inſpectis, et attentatis ſimilibus fundamentis, ac rationibus; quod et impræſentiarum evenire ſperabat ex æquitate, ac juriſprudentia doctiſſimi judicis; nam, præter hanc æquitatem, ſuffragabatur regula: *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poterat*, c. *Quod ſemel*, de regul. jur. in 6. § *Semel cauſ.* inſt. *Quib. ex cauſ.*

XXXV. Denique, ex formalitate delationis ejuſdem rejectionis intentum firmabat, quatenus promotorem ab objiciendo rejiciebat, non quaſi partem abſolute *non legitimam*; ſed quaſi partem *minus legitimam*; arguebat poſſe admitti ad opponendum, tanquam partem *abſolute legitimam*; nam *magis, et minus, non differunt ſpecie*, l. ultim. ff. de fund. inſtr. l. *Sed etſi manente*, ff. de precar. Et ſaltem, ſuppoſito intereſſe pro parte mitræ, aut juſtitiæ, debebat promotor pro utriuſque, utriuſve parte, ſaltem *per aſſiſtentiam*, admitti ad opponendum; quod et ſupplicabat, et fore ſperabat, &c.

XXXVI. Hæc impedimenta, eorum materia bene ponderata, admiſſa tandem fuerunt à judice regio; et in progreſſu temporalitatum, et impedimentorum, ſuperſedit. Sequeſtratio tamen mei congiarii ſubſidii, aliquibus adverſariis agentibus, demorata eſt; et non niſi cum pacificatione, atque ultima tertii, et quarti recurſus finalizatione, expedita eſt; et mihi ejus ſummæ depoſitum integraliter eſt reſtitutum.

ALLEGATIO XXXII.

In Reſponſione Recurſui à quodam Indo ſæculari intentato, eo quod captus foret ob Crimina graviora eccleſiaſtica, et ad Carcerem eccleſiaſticum reductus, à quo, cum Fractione ejus, evaſerat.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Culpa ſubornationis, et inductionis falſorum teſtium, pertinet judicio eccleſiæ.*
III. *Suffragatur cognitionis auctoritas ex ſacrilegio.*
IV. *Atque ex pertinentia judicii.*
V. *Pœnæ falſariis impoſitæ, comprehendunt etiam ſuaſores, et inductores.*
VI. *Ratione turbationis exercitii juriſdictionis eccleſiaſticæ, ejus foro pertinet.*
VII. *Explicatur ordin. l. 2. tt. 1. § 13.*
VIII. *Diſpoſitio conciliaris, et regiæ legis.*
IX. *Jus Cæſareum agnoſcit in prælatis facultatem ad capiendos laicos, etiam executores judicii ſæcularis.*
X. *Judicio, cui ſubduntur culpæ, ſubduntur etiam actus juſtitiæ executivi.*
XI. *Hæc eſt generalis praxis in auditoriis eccleſiaſticis.*
XII. *Interveniente fuga rei, etiam ſine fractura carceris, proceditur ad ſequeſtrum ex ſtylo.*
XIII. *Et multo magis interveniente fractura.*
XIV. *Fundamentum unicum proviſionis reo datæ.*
XV. *Reticebatur ſecunda culpa turbationis juriſdictionis.*
XVI. *Ex hac reticentia arguebatur nullitas ſententiæ, ex defectu plenæ cognitionis.*
XVII. *Culpa turbationis, et impedimenti, habet annexam cenſuram à lege.*
XVIII. *Secunda culpa hæc, ut ſacrilega, foro eccleſiæ competebat.*
XIX. *Rationi ſacrilegii accreſcebat præventio in judicio eccleſiaſtico, et commixtio culpæ ſacrilegæ, jam in judicio eccleſiaſtico cauſa pendente.*
XX. *Hinc, quatenus recurſus ſententia judicabat ſacrilegium illud foro eccleſiæ non pertinere, videbatur nedum injuſta, ſed et ſacrilega.*

I. IN ſecunda viſitatione mea generali provinciæ Salſetanæ, anno 1727. conſpiravit quidam cum aliis adverſus proprium parochum, quem de criminibus gravioribus, et inter ea de homicidio accuſavit teſtes falſos ſubornans, atque inducens, necnon correctionem, ac punitionem aliorum ſociorum ſuorum in viſitatione denuntiatorum effective impediens, et alia plura cum notoria turbatione exercitii juriſdictionis ordinariæ exequens. De quibus ſpeciali facta inquiſitione, præcedente fama publica, pronuntiatus eſt reus, ut è carcere ſe liberaret à culpis ex inquiſitione adverſus eum reſultantibus: quod cum exequeretur, poſtmodum fractis cratibus cujuſdam carceris feneſtræ, abiit, poſt culparum copiam ad libellum datam. Et cum ex ſtylo generali in utroque foro eccleſiaſtico, ac ſæculari, obſervato, ad ſequeſtrationem procederetur, profugus reus præſens gravamen interpoſuit; prætextu, quod neque ille, neque illius culpæ foro eccleſiaſtico attinerent: cui tamen ſequentem reſponſionem dedi; et, caſu enarrato, prænotabam, ipſummet recurrentem adeo agnoviſſe, culpas ejus eccleſiaſtico foro pertinere, ut ex illarum copia ad libellum efformandum oblata, qualitate earum inſpecta, ſtatim è carcere aufugere cum effectu curaverit; neque in gravaminis ſupplicatione alicujus culpæ, ob quam captus fuerit, mentionem aliquam faciebat, ſed cunctas penitus reticebat. Deinde,

II. Quoad primam culpam, videlicet ſubornationis, et teſtium falſorum inductionis, oſtendebam, pertinere foro eccleſiaſtico punitionem illius, etiam in laicis perſonis; 1. Ob qualitatem ſacrilegii, ex c. *Cum ſit generale*, c. *Conqueſtus*, de for. compet. c. *Quiſquis invent.* 17. q. 4. ubi gloſſ. c. 1. de offic. ordin. ub. gl. verb. *Secundum quod*; ibi: *Item crimen uſurarum, ſacrilegii, ſimoniæ, et ſimilia, proprie ſpectant ad eccleſiaſticum judicium; et de his principalibus debent inquirere epiſcopi, et punire, et etiam de quocunque*

quocunque peccato mortali. Accedit c. *Novit ille*, de judic. ub. gl. *Quilibet laicus ratione peccati, et maxime perjurii, vel pacis fractæ, coram judice ecclesiastico convenitur.*

III. Suffragabatur etiam expresse auctoritas Per. de man. reg. c. 53. n. 33. usque 36. et c. 7. n. 42. in fine; ibi: *Qualitas sacrilegii proposita sufficit, ut ille forus* (ecclesiasticus supple) *fiat competens.* Et auctoritas omnium DD. regnicolarum, videlicet Mend. in prax. c. 2. n. 22. p. 1. Card. verb. *Sacrilegium*, n. 15. et verb. *Forus*, Oliv. de for. eccles. p. 2. q. 3. n. 17. et seqq. et dispositio reg. ordin. l. 2. tt. 9. Peg. ad eandem gl. 2. et reliqui omnes.

IV. 2. Ob pertinentiam judicii; nam inductio illa, ac subornatio testium, erat in ordine ad causam, quæ in ecclesiastico judicio pendebat, ex accusatione graviorum illarum parochi culparum: quare tam testes, quam inductores, in ea parte, qua delinquerent, eidem judicio subjecti manebant, ex eisdem juribus, et ratione complicitatis, ac societatis in crimine, gl. in c. *Eos, qui*, dist. 31. Ancharant. consil. 196. n. 4. c. *Quantæ*, de sent. excommun. ub. gl. ad illa verb. *Facientes, et consentientes, in pari pœna plectendos, catholica condemnat auctoritas*, &c.

V. Quod autem pœnæ à legibus falsariis impositæ, comprehendant etiam suasores, ac inductores, patet ex l. 1. ff. de falsar. ordin. l. 5. tt. 45. in princ. thesaur. l. 1. qq. forens. c. 15. Delben. de juram. c. 5. dub. 13. et aliis apud ipsos.

VI. Quoad secundam culpam, impedimenti videlicet, ac turbationis exercitii jurisdictionis ordinariæ, cum illi annexa sit censura à jure in can. 16. bullæ Cœnæ, certum erat, quod ad forum ecclesiasticum pertinebat, ex expressa regiæ ordinationis dispositione, l. 2. tt. 9. § 3. ibi: *Et quoad sacrilegium, atque excommunicationem, in casu, quo ea incursa fuerit, procedetur in judicio ecclesiastico.* Per. cit. de man. reg. Covarr. l. 3. Vaz. c. 3. et alii apud Peg. et Barb. ad eand. ordin.

VII. Ordinatio autem ex adverso allegata, l. 2. tt. 1. § 13. qua recurrens fundabat, non potuisse capi ante sententiam finalem; solummodo locum habebat, quando per denuntiationes simpliciter, in generali visitatione datas, potius paternaliter, quam judicialiter procedebatur; non vero, quando per particularem inquisitionem, et judicialiter, ut impræsentiarum, procedebatur; ut ex formali exceptione prædictæ ordinationis constabat; ibidem: *Nisi in casibus, in quibus judicialiter procedunt.* Et favebat auctoritas Per. de man. reg. c. 53. n. 33. de crim. mixti fori; ibi: *At verò in judicio ecclesiastico contra tales procedi potest, præhabita generali requisitione, vel particulari, ex quo appareat, ipsos publice esse infamatos.*

VIII. Judicialitas autem processus, in casu præsenti, constabat ex attestatione scribæ camerarii; et quod Concilium Trid. in hoc casu facultatem præbeat ad laicos capiendos, et ob culpas præfatas, constabat liquido ex eod. concil. sess. 25. c. 3. de reform. cui accedit can. *Attendendum*, 17. q. 4. c. *Fraternitatis*, d. 34. c. 2. de adult. et expressa erat dispositio cit. ordinationis: *Quod in aliis casibus, præter expressos, in quibus concilium prælatis præbet facultatem ad laicos capiendos, aut pignorandos, id efficere possint, procedendo judicialiter.*

IX. Insuper ostendebam, ipsummet jus Cæsareum agnoscere in prælatis ecclesiasticis facultatem ad capiendos et carcerandos laicos, etiam officiales, et executores judicii sæcularis, in casibus foro ecclesiastico attinentibus, ut patebat ex authent. *Causa quæ fit*, cod. de episcop. et cleric. ibi: *Executoribus, qui admonitionem facere præsumpserint, ab ipsis sanctissimis episcopis, in locis decanicis detrudendis, de cætero nullam exactionem facere permittendis.*

X. Ex his præmissis consequens etiam erat facultas bona reorum sequestrandi: siquidem his, et eorum culpis, judicio ecclesiastico subjectis, consequenter subdebantur actus omnes justitiæ executivi, tanquam illius accessorii; quia, *Concessa jurisdictione, conceduntur omnia necessaria ad eam exercendam, vel exequendam*, c. *Præterea*, de offic. delegat. l. 2. ff. de jurisdict. omn. judic.

XI. Et hanc esse generalem praxim in judicio ecclesiastico in omnibus diœcesibus, tum regni Portugalliæ, tum earum conquistarum, independenter à fuga, et fractione carceris, testatur nuperus praxista Vanguerve, p. 4. c. 24. n. 60. ibi: *Hæc cõfiscatio fit à judice ecclesiastico propter crimina gravia, quæ in foro suo puniri debent, ad satisfactionem mulctarum pecuniarum, in qua rei condemnandi fuerint. Bona autem confiscata non mitræ applicantur (ut coronæ in judicio sæculari) sed secundum dispositionem singularum constitutionum synodalium.*

XII. Interveniente vero fuga rei è carcere, etiam citra fracturam, aut rupturam, stylus generalis est ad sequestrum procedere, saltem ad satisfactionem diligentiarum, et expensarum justitiæ (quæ quidem jam creditrix evasit, supposita delicti probatione) et ad severitatem judicii, ac processus, quando hic in reorum contumaciam prosequatur. Deluc. de cred. disc. 114. n. 8. Pelegrin. in prax. vicar. sect. 2. subs. 6. p. 2. et hanc etiam praxim in judicio sæculari servari testatur idem Vanguerv. p. 2. c. 2. n. 26. et seqq. deductam ex ordinat. l. 5. tt. 126. § 11. quæ quidem in præsenti casu fortius urgebat, præmissis circumstantiis, et atrocitate criminum sacrilegorum suppositis. Antonell. de judicio criminal. c. 26. et 27. l. 1. *Pœna falsi.* ad leg. Cornel. de falsit. l. *Sæcular.* § *Sunt quædam*, ff. de extraordin. crimin. gl. in c. *Rex debet*, 23. q. 5. gl. in c. *Falsidicus*, verb. *Judicii*, de crim. falsi.

XIII. Præterquam quod, cum ex summario testium constaret, reum, ut fugam arriperet, carcerem fregisse, utique comprehensus manebat in pœna sequestrationis, saltem ad damna reparanda, et expensas solvendas, et in reliquis pœnis ordinationis reg. l. 1. tt. 77. Card. verbo *Carcer*, n. 23. Peg. ad eand. ordinat. § 5. et erat tex. in l. *Secund. natur.* ff. de regul. jur. et l. fin. ff. de custod. et exhibit. reorum.

Pro summario culparum non exhibendo, adducebam regium diploma Sebastianum, de quo Per. de man. reg. c. 11. n. 7. et terminabam transcribendo doctrinam Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 6. n. 29.

XIV. His tamen non obstantibus, provisionem reus obtinuit, unico nixam fundamento, quod non demonstraretur culpam subornationis, ac inductionis falsorum testium, à mero laico commissam, pertinere ad forum ecclesiasticum; et addebatur in sententia, quod *sola hæc culpa contra recurrentem resultaret*; et causa reticebatur altera culpa turbationis, ac impedimentì jurisdictionis ordinariæ, de qua, in responsione mea, clara et expressa mentio fiebat, § *Quoad secundam culpam.* Et cum rogatorias chartas non exequerer pro ultima decisione in senatu aulico status capessenda, sequentem allegationem ordinavi, ac remisi.

XV. Allegabam, et notabam omissionem, ac reticentiam prædictæ secundæ culpæ turbationis, atque impedimenti meæ ordinariæ jurisdictionis effective inducti, quæ ex secunda attestatione, actis annexa, justificabatur. Et mirabar, quod, cum hæ duæ diversæ culpæ in eodem contextu æque, sed distincte allegabantur, et exprimebantur, et quælibet illarum sua propria, et singulari attestatione justificabatur, alia, cui ecclesiastica censura annexa, et qualitas sacrilegii identificata erat, penitus reticebatur, atque omittebatur, et altera dumtaxat in sententia enarraretur, cum assertiva affirmatione, hanc *solam adversus recurrentem resultare ex annexa attestatione!*

XVI. Ex qua deminutione, ac reticentia (quæ caute, et ex industria, facta præsumebatur) inferebam insubsistentiam recursus sententiæ, et totius ex ea promanantis, atque secuti; et consequenter rogativarum chartarum adimplendarum absolutionem, ex doctrina Peg. ad ordin. tom. 1. gloss. 85. n. 3. præsertim cum defecerit plena, ac debita hujus culpæ discussio, defectu cujus etiam de jure civili certum erat, quod *sententia sine causæ cognitione non valet*, l. *More*, ff. de jurisdict. Barthol. l. 1. ff. *Postulat.* Et quod *sententia fundata in falsis informationibus est nulla, et sustineri non potest*, l. fin. de legib. l. *Si prætor*, 75. § *Marcell.* ff. de judic. Imola in c. *Cum inter cæter.* de sent. et re judic. Themud. 3. p. q. 8.

XVII. 2. Notandum esse dicebam, quod habente prædicta culpa turbationis, ac impedimenti, annexam censuram majoris excommunicationis à lege, Summoque Pontifici reservatæ in bulla Cœn. can. 16. ad

cujus

cujus effectivam incurſionem ſufficiebat concurſus, etiam *indirectus*, aut *quomodolibet*, ex prædicti canonis tenore; et quod in culpis ſacrilegii cenſuram annexam habentibus, qualis erat præſens, cognitio et proceſſus pertineat ad judicium eccleſiaſticum, ex cit. ordin. l. 2. tt. 9. § 3. ſentent. recurſus in favorem recurrentis prodiret, notorio titulo nullitatis, ex l. 2. cod. de ſent. ex pericul. Peg. ad ordin. l. 1. tt. 1. in princ. gl. 11. n. 5. Hæc, quoad præmiſſam culpam.

XVIII. Quoad aliam vero ſubornationis, atque inductionis teſtium falſorum, certum etiam eſſe dicebam, foro eccleſiæ pertinere, utpote *ſacrilegam*, quemadmodum ipſum perjurium, atque teſtimonium falſum, utique ſacrilegium erat; juxta textum ſuperius cit. *Facientes, et conſentientes, in pari pœna plectendos*, &c. et leges juris civilis ſupra laudatas, ex quibus convincebatur, pœnas falſariis impoſitas, etiam ſuaſores ac inductores comprehendere, ordin. l. 5. tt. 54. in princip. et relig. ſupr. n. 4.

Et addebam, non eſſe neceſſe, quod ſacrilegium ſit qualificatum cum incurſione cenſuræ, ad hoc, ut ad forum eccleſiæ pertineat; ſed ſufficere ſacrilegium ſimplex, eo quod ſit culpa *Fori mixti*, juxta declarationem regiæ ordinationis, l. 2. tt. 9. in princ. ibi: *Ut dubia ceſſent ſuper caſus, et delicta mixti fori, in quibus prælati, et eorum officiales, poſſunt cognoſcere contra laicos, non præventa juriſdictione à juſtitiis noſtris; declaramus, quod dicti caſus ſunt . . . . ſacrilegi, blaſphemi, perjuri, ſimoniaci, et quilibet alii, qui ſecundum jus ſunt mixti fori.*

XIX. Cui quidem rationi *ſacrilegii*, in caſu præſenti, accreſcebat, non ſolum præventio in meo judicio, imo et commiſſio illius culpæ ſacrilegæ in judicio meo, et ſuper cauſa in eodem actu pendente; in quibus circumſtantiis certo certius reddebatur præſens ſacrilegium judicio meo equidem attinere. Card. in prax. verb. *Sacrilegium*, et verb. *Forus*, Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 3. an. 17. et ſufficiebat prima ratio prærentionis, etiam in ſimplici ſacrilegio, Per. de man. reg. c. 53. n. 33. § fin. ibi: *Agnoſcimus ex ſacrilegio ibi, laicos vocari ad judicium eccleſiæ; quod quidem ex eo procedit, quia ſacrilegium eſt mixti fori; ac proinde, cum eccleſia præocupavit citando laicum ad ſuum forum, manet juriſdictio prærenta, ita ut, licet reus ſit laicus, ſubire teneatur judicium eccleſiæ; de jure enim eſt, per ſolam citationem, prærentionem fieri. Cabed. dec.* 142.

XX. Ex his et aliis inferebam, relatam ſententiam, quatenus judicabat præfatam ſacrilegii culpam foro eccleſiæ non pertinere, eſſe nedum injuſtam, nullam, atque invalidam; verum et etiam ſacrilegam, utpote reſtrictivam, depreſſivam, offenſivam, atque impeditivam juriſdictionis ac libertatis eccleſiaſticæ, proindeque ſubjectam cenſuris bullæ Cœnæ, ſignanter, can. 15. et 16. et c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſent. excommunicat. et aliis à jure; pro quibus proteſtabar, et juxta prædictorum textuum formam, ac tenorem, expoſtulabam prædictæ ſententiæ revocationem. Cui tamen requirimento ſenatores non detulerunt.

ALLEGATIO XXXIII.

In Reſponſione ad Recurſum intentatum ab alio regio Magiſtratu, Capellarum Proviſore, præmonito, et poſtea declarato in Cenſuras Juris propter Juriſdictionis Ordinariæ Turbationem, ac Uſurpationem, et aliorum exorbitantium Inſultorum ſacrilegorum Patrationem.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *A declaratoria recurrit judex.*
III. *Confraternitates, et loca pia, relinquuntur viſitationi judicis eccleſiaſtici ex titulis, vel ex poſſeſſione, juxta ordin.*
IV. *In tota diœceſi Goana nulla eſt confraternitas, quæ auctoritate prælatorum in limine erecta non ſit, una excepta* domo Miſericordiæ.
V. *Non erat neceſſum recurrere ad titulos, ſed ad poſſeſſionem pacificam, et immemorialem.*
VI. *Quænam poſſeſſio de jure requiratur?*
VII. *Poſſeſſio* 40 *annorum æquiparatur immemoriali; et* 30 *annorum, cum bona fide, ſufficit ad inducendum dominium.*
VIII. *Inſtitutio confraternitatis præſumitur facta auctoritate epiſcopi, ſi de illa non conſtet.*
IX. *Confraternitas inſtituta per laicos* ſimpliciter, *ſubjicitur judici laico.*
X. *Quomodo intelligatur particula* ſimpliciter?
XI. *Adminiſtratores eccleſiaſtici confraternitatis laicæ ſubjiciuntur ordinariis pro adimplendis legatis.*
XII. *Cenſuræ à lege non indigent alio monitorio, quia* lex ſemper monet.
XIII. *Et recurrens ſpecialiter præmonitus fuerat.*
XIV. *Poſita notorietate delicti, citatur reus* ad allegandum, quare, &c.
XV. *Sufficit, quod capella annexa ſit fabricæ, aut capellæ eccleſiaſticæ, ut eandem naturam ſortiantur, ex regula* annexi, et connexi, &c.
XVI. *Miniſtri laici, nedum declarari poſſunt in cenſuras à lege, ſed et ab homine excommunicari.*
XVII. *Ordin. l. 2. tt. 14. loquitur* de inhibitione, *non* de monitorio, *neque de inhibitione* ex officio, *ſed* ad inſtantiam *partis.*
XVIII. *Nulla datur exemptio adverſus forum turbatæ juriſdictionis.*
XIX. *Appellans, et poſtea delicta committens, excommunicatur.*
XX. *Appellans, pendente appellatione, innovans in præjudicium partis, cenſetur appellationi renuntiare.*
XXI. *Innovatio, et repetitio factorum, cenſuris à lege obnoxiorum, ratificat ac revalidat priorem declarationem, etiamſi ex aliquo cap. nulla fuiſſet.*
XXII. *Appellatio extrajudicialis caret effectu ſuſpenſivo; imo, juxta aliquos, et devolutivo.*
XXIII. *A cenſuris à jure, ſpeciatim ob violentam immunitatem, non admittitur appellatio.*
XXIV. *In fieri conſuetis factum præſumitur, etiamſi non probetur.*
XXV. *Proteſtatio, quod de ſolo poſſeſſorio cognoſceretur; et quare?*
XXVI. *Non obtinuit recurrens, licet ſenator* togatus incederet; nec tamen deſiit ab inceptis, et non obſtante fulminatione cenſuræ interdicti.
XXVII. *Notabilis divinæ juſtitiæ ultio, in multiplicis illius ſacrilegæ executionis notoriam vindictam.*
XXVIII. *Regia epiſtola pro pacificatione controverſiæ iſtius.*

I. ANNO fatali 1731. quidam ſenator regius, diverſus ab altero, de quo alleg. 12. 16. et 17. et 22. vel à ſpiritu diſcordiarum ſuaſus, vel ab alio iniquo, ac vitioſo fine attractus, cepit violenter ſeſe in parochiales eccleſias cum ſuis officialibus laicis introducere, eccleſiaſticas confraternitates, in eiſdem ſtabilitas, imo, et earum fabricas viſitaturus, rationes ab officialibus earum, et à fabricariis ſumpturus, et de earum bonis, ac ſupellectili, etiam ſacra, pro libitu ordinaturus. Et cum fabricarii, atque confratres omnes, et confraternitatum officiales, notificationibus ejus ac mandatis parere renuerint, eo quod confraternitates eccleſiaſticæ forent, et jam in meis proximis viſitationibus rationes mihi reddidiſſent; neque exemplum ullum, etiam antiquiſſimum, agnoſcebatur, quod in has confraternitates ſeſe ſæcularis miniſter introduxiſſet, præter nuperum confraternitatis unitæ, in parochia D. Laurentii ſitæ, D. noſtræ *de Penha de França*, eo quod ditiores forent, de quo prædictis allegat. 12. 16. et 17. ac 22. cepit viciſſim præſens magiſtratus eccleſiarum, et domorum confraternitatum intra illas exiſten-

exiſtentium, portas cum violentia ac ſtrepitu frangere, ſupellectilem illarum, etiam ſacram, laicis depoſitariis; ejus inventario coram ſe facto, in cuſtodiam tradere, renuentes fabricarios, ac theſaurarios, etiam clericos ſacerdotes, ad judicium ſuum citare, proceſſare, ac mulctare, et eorum domos, etiam clericorum ſacerdotum, temere ingrediens, mobilia bona, uſque ad integram mulctarum, ac diligentiarum ſolutionem, ſequeſtrare, et inſuper immobilia aliquorum parochorum, eo quod repugnaverint confraternitatum ſtatuta, et reliquos libros ei tradere, ſimul cum mobilibus in ſequeſtrum diuturnum reducere, et alia plura hujus furturis ſacrilegia, quæ continentur alleg. 16. et 22. patrare libere, ac deſpotice cepit, et perfecit.

Et cum politicam per internuntium, priuſquam juridicam, monitionem charitativam fecerim; me etiam auſus eſt per notorium citare, et poſtea in audientia ſua publica citationem factam accuſare, et me noviter, laico præcone proclamante, in eadem audientia publice citare, ut coram eo perſonaliter comparerem, rationem redditurus, cur confraternitates hæ eccleſiaſticæ forent, quas quidem in prima citatione mihi, regio ſtylo, ac formalitate directa, *bona coronæ vacantia* appellabat. Et quia bis aut ter monitus à me, et à meo vicario generali, noluit reſipiſcere, neque uſurpationem, turbationem, et alias violentas, ac ſacrilegas executiones ſuſpendere, ſed à malo ſemper lapſus in pejus, tandem extrajudicialiter declaratus eſt, et poſtea in cenſuras reaggravatus uſque ad ultimum procedimentum, de quo in allegatione ſubſequenti, et cum magiſtratus ipſius finali exitu infelici, qui in hujuſce fine enuntiatur.

II. Ab illa autem declaratoria ad judicium coronæ præſens gravamen interpoſuit, forſan proviſionem ſibi certo ſperans; ac promittens, eo quod ejuſdem ſenatus miniſter foret, et judices collegas erga me minus bene affectos agnoverat; quæ quidem una ex cauſis temeritatis illius fuiſſe videtur. Recurſus vero fundamentis, dum mihi copia illius exhiberetur, nolui protenus reſpondere, ſed allegationem reſervavi ad occaſionem executionis ſolitæ, ac prævіæ chartæ rogatoriæ pro actorum tranſmiſſione, in cujus reſponſionem ſequentem allegationem miſi. Fundamenta autem recurſus ex reſponſionibus ad ſingula patebunt.

Reſpondebam igitur, primo, ad præmiſſum recurſum, atteſtans, non adeſſe alia acta, quæ ex vi rogativæ chartæ tranſmitterentur, præter monitorias, citatorias, ac declaratorias chartas, quæ jungebantur, quarum juſtitiam in hoc loco, ut convenienti, ex Peg. ad ordin. l. 2. tt. 9. § 3. gl. 5. n. 34. diſtincte breviterque exponerem.

III. Pro qua præmittebam diſpoſitionem regiæ ordinationis, l. 1. tt. 62. § 43. ubi jubet ſæcularibus miniſtris, ut abſque propria intromiſſione relinquant prælatos in poſſeſſione in omnibus viſitandi, ac providendi hoſpitalia, capellas, confraternitates, et loca pia, *Si talis poſſeſſio talis fuerit, ut de jure ſufficiat.* Ubi ordinatio disjunctivę requirit, *vel titulum*, eo quod talia pia loca *fundata fuerint auctoritate prælatorum*; vel, abſque illo titulo, *poſſeſſionem, de jure ſufficientem.*

IV. Et quamvis in toto hoc Goano archiepiſcopatu nulla confraternitas exiſtat (domus Miſericordiæ excepta) quæ auctoritate prælatorum fundata non ſit, etiam *in limine erectionis*, ut vult Per. de man. reg. c. 17. n. 8. ut conſtabat ex authentica atteſtatione primæ notificationis factæ recurrenti; et eadem auctoritate confirmata, quoad ordinationem, et approbationem ſtatutorum, quæ ſunt, quæ dant formam, ac, per conſequens, quæ ſufficiunt ad naturam, et qualitatem confraternitatibus præſtandam, et eas abſolute eccleſiaſticas conſtituendas: Oliva de for. eccleſ. p. 3. q. 34. n. 23. Valaſc. conſ. 105. ad ord. l. 1. tt. 62. § 39. Themud. dec. 17. n. 3. et 11.

V. Attamen dicebam, non eſſe neceſſarium ad titulos recurrere, ſed ſufficere mihi poſſeſſionem certam, pacificam, ac indubitabilem, et per pluſquam centum et octoginta annos continuatam per me, et prædeceſſores meos, ad hoc, ut in terminis regiæ ordinationis, *Proviſores ſæculares, quin in aliquo coguoſcant, aut providcant, mihi libere ea poſſeſſione uti, et in omnibus providere relinquant.* Quæ quidem poſſeſſio in hocmet coronæ judicio confirmata apparebat per ſententiam datam in recurſu procuratoris ordinum, anno 1697. quæ jungebatur, et tranſcripta jacet: quæ autem ſententiæ, et viſitationes, vi illius factæ in provinciis Salſetana, ac Bardeſiana, approbatæ fuerant per regiam epiſtolam, anno 1701. et poſtea per alias epiſtolas 1726.

VI. Quod autem hæc poſſeſſio de jure ſufficiens ſit, imo et ſuperabundans, facile demonſtrabatur ex eo, quod de jure ſufficiens ſit, ut poſſeſſio *ſit juſta*, ad hoc, ut poſſeſſor manuteneatur, Card. verb. *Poſſeſſor*, n. 14. et verb. *Citatio*, n. 29. Valaſc. conſ. 55. n. 1. Larr. dec. 96. n. 7. Hanc vero poſſeſſionem meam *juſtam* quidem eſſe, ac *bonæ fidei*, oſtendebatur ex cit. ſententia, et aliis documentis annexis; ex quibus convincebatur, hanc poſſeſſionem terminos quidem *immemorialis* pertranſire; nam centum et ſexaginta annis, qui referuntur in ea ſententia anno 1697. prolata, adjunctis, qui eatenus excurrerant uſque ad annum 1731. fere perveniebat ad poſſeſſionem ducentorum annorum.

VII. Deinde, juxta ſententiam Per. de Caſtr. dec. 52. n. 3. poſſeſſio quadraginta annorum ſufficit, ut *æquiparetur immemoriali.* Et adhuc poſſeſſio triginta annorum dumtaxat ſufficit, ut juſta, ac bonæ fidei ſit, et ad dominium, ac jus proprietatis inducendum, ordin. l. 4. tt. 79. l. *Sicut*, cod. de præſcript. trigint. vel quadrag. annorum; Menoch. præſumpt. 131. n. 52. Et hæc poſſeſſio memorialis pro titulo, et meliori titulo reputatur, l. 3. § *Auctus aquæ*, ff. de aq. quotid. Gabr. commun. l. 5. tt. de præſumpt. cl. 1. n. 72. et habetur pro privilegio conceſſo ex certa ſcientia, Valaſc. conſ. 141. n. 10. præſertim ſi ſententia aliqua, ut impræſentiarum, confirmetur: quæ quidem titulus adeo legalis incedit, ut, ſecundum jus, pro lege æſtimetur, Gam. dec. 33. n. 2. et dec. 174. et 128. Cabed. dec. 212. n. 1. et alii ibidem.

VIII. Hæc ex ſuperabundantia dicta eſſe animadvertebam; nam, juxta cit. ord. l. 2. tt. 62. § 39. non erat neceſſe ad titulos recurrere, ſed ſufficiebat poſſeſſionem de jure ſufficientem oſtendere. Et, dato, quod neceſſarium foret, ſaltem ad præſumptionem tituli recurrere, adducebam auctoritatem Peg. ad eand. ordinat. *Si non conſtet, quomodo fuit inſtitutio, præſumi auctoritate epiſcopi factas fuiſſe inſtitutiones.* Et adducit etiam pro hac reſolutione Franc. de eccleſ. cathedr. c. 25. n. 65. et 83. et 156. Quibus addebam Gutierr. l. 1. q. 35. conſ. 111. Eug. conſ. 88. ex gl. in Clem. *Quia conting.* Monacell. p. 2. dec. 35. Panimol. dec. 12. ann. 5. n. 14. citans Valaſc. conſ. 103. et Menoch. præſumpt. l. 6. q. 79. n. 3. Quibus accedunt Ciarlin. contr. 116. Ventrigl. ann. 1. n. 2. tom. 1. et alii, quorum auctoritates extenſas reperies.

Diluebantur fundamenta recurrentis, tum quoad materiam principalem, tum adverſus procedimentum meum adducta.

IX. Præcipuum, et unicum fundamentum, quo recurrens aſſerebat, ſuam intentionem fundâſſe ad omnes has confraternitates indiſcriminate viſitandas, et adverſus confratres omnes indiſtincte, temereque procedendum, erat dumtaxat diſpoſitio ordinationis, d. § 39: *Et in his, in quibus oſtenſum non fuerit, fundata fuiſſe auctoritate prælatorum, ſed per laicos ſimpliciter . . . . . et adminiſtratores laici fuerint, cognitio pertinet, quoad omnia, judicibus laicis*, &c.

X. Verum ex eadem particula *per laicos ſimpliciter*, refutabatur, et excludebatur prætenſa intentio. Nam quod conſtituit confraternitates ſæculares, aut laicas, non eſt, eſſe fundatas per laicos, ſed *fundatas per laicos ſimpliciter*; id eſt, *ſine auctoritate, vel conſenſu, prælati eccleſiaſtici*; ut eadem ordin. ibid. d. § 39. declarabat; et abſque approbatione, ac confirmatione ſtatutorum facta per eccleſiaſticum prælatum, quæ ſane dant eſſe, ac formam, confraternitatibus. Themud. dec. 17. n. 3. Valaſc. conſ. 105. n. 5. ex c. *Cura*, c. *Suggeſtum*, c. *Illud*, c. *Quod autem*, de jure patron. et aliis jurib. apud eund. Themud. ibid. n. 11.

XI. Præterquam quod ad illam recurrentis intentionem abſolute excludendam, ab oſtenſione titulorum

independenter, et ad me manutenendum, ſufficiebat mea poſſeſſio, de jure ſufficiens, juxta eandem ordin. cit. Et ſi recurrens, ex eo, quod plures confratres illarum confraternitatum laici forent, volebat, dicendas eſſe laicas abſolute; cur ex eo, quod multi confratres illarum clerici erant, et plures adminiſtratores, ac theſaurarii ſacerdotes incedebant, eaſdem eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjectas non agnoſceret? Saltem quoad expreſſas in regia ordinatione cit. l. 2. tt. 62. §. 40. ibi: *Et quando adminiſtratores clerici fuerint, aut perſonæ eccleſiaſticæ, quamvis hoſpitalia, confraternitates, &c. non ſint fundatæ auctoritate prælatorum, poſſunt prælati eos cogere, quod in omnibus adimpleant, et exequantur defunctorum voluntates; et providere, quomodo bona, ac res talium piorum locorum adminiſtrant.*

XII. Fundamenta autem contra proceſſum meum erant, 1. *Quod proceſſeram abſque monitorio incurialiter.*

Refutabatur, 1. Quia cum cenſuræ forent *à lege*, ſeu *à jure*, non indigebant alio monitorio præter ipſam legem facta prohibentem, ac cenſuras comminantem, aut fulminantem. *Lex* enim *ſemper monet*, c. 1. de conſtit. in 6. l. *Arrian.* cod. de hæretic. Gratian. for. c. 561. n. 4. quæ monitio intelligitur non ſolum, *quoad forum internum*, ſed etiam *quoad externum*, ad hoc, ut declarari poſſint tranſgreſſores, abſque prævia monitione. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. et ſeqq. et reliqui DD. infra cit.

XIII. Refutabatur, 2. Quia, quando prærequiritur diſtinctum monitorium ab ipſa monitione legis, recurrenti facta fuerant diſtincta, ac diverſa, quæ jungebantur, præter monitiones in paſtoralibus incluſas, quæ etiam annectebantur; quinimo ipſemet recurrens in appellationibus adjunctis, et in ſua, fundamento 4. expreſſe fatebatur *admonitum fuiſſe*; et allegabat, non potuiſſe monitum eſſe abſque prævia regiæ majeſtatis licentia, de quo infra, n. 17.

XIV. 3. Quia curialis, ac regularis modus procedendi in declaratione cenſurarum à lege, nullus alius eſt, quam ſuppoſita notorietate, aut certitudine facti, illarum incurſivi, notificari reus *ad allegandum, quare non debeat declarari*, intra certum terminum peremptorium; quo elapſo, et nil allegante reo, vel cauſam non relevantem allegando, ſtatim abſque alia diligentia ad declarationem devenire.

XV. Secundum fundamentum, *Quod non intenderat, aut proceſſerat contra rem aliquam eccleſiaſticam*, refutabatur, 1. Ex mandatis ab ipſo ſubſcriptis, quibus citabantur *omnes adminiſtratores capellarum, et confraternitatum, tam ſæcularium, quam eccleſiaſticarum.* 2. Quia tam adminiſtratores plures, et capellæ, quam omnes prædictæ confraternitates, eccleſiaſticæ erant: et ſufficiebat, quod multæ capellarum illarum annexæ forent fabricis eccleſiarum, et confraternitatibus eccleſiaſticis, ad hoc, ut eandem naturam principalis ſui fortirentur, ac ſequerentur, ſecundum regulas generales: *Acceſſorium ſui principalis naturam ſequitur*, reg. 47. de regul. jur. in 6. c. *Super gratia*, de offic. legat. ibid. et *Annexi, et connexi, idem eſt judicium, etiamſi annexum ſit majoris valoris*, c. *Cum ſingul.* junct. gl. verb. *Annexi*, de præbend. in 6. gl. in c. *Quanto*, de judic. verb. *Annexa.*

XVI. Tertium fundamentum, *Quod cenſuræ proferri non poſſent contra miniſtrum togatum, officium ſuum exercentem*, refutabatur, 1. Quia cenſuræ jam prolatæ erant à jure, vel à lege; neque recurrens in eas declaratus eſt propter officii exercitium, ſed propter exceſſum, et offenſam, atque turbationem, et uſurpationem juriſdictionis ordinariæ, necnon propter læſionem immunitatis, ac libertatis eccleſiaſticæ. 2. Refutabatur ex inſinuatione ordin. reg. l. 1. tt. 12. §. 7. et l. 2. tt. 8. et tt. 9. et 10. et l. 3. tt. 49. et ex doctrina Per. de man. reg. c. 7. n. 41. et ſeqq. Pignatell. tom. 1. conſ. 170. et ex ſuper. traditis alleg. 12. et ſeqq.

XVII. Quartum fundamentum, *Quod monitus eſſe non poterat abſque ſpeciali ordine regiæ majeſtatis, juxta diſpoſitionem regiæ ordinationis, l. 2. tt. 14.* refutabatur: Quia citata ordinatio non loquitur de *monitorio*, ſed de *inhibitoria* proprie dicta; quæ quidem res diverſa erat. Et adhuc de inhibitoriis proprie dictis, non loquitur citata ordinatio de inhibitoriis, quas judices eccleſiaſtici *ex officio* expediunt; ſed de illis, quas expedire jubent ad inſtantiam partis; ut convincitur ex eadem ordin. ibidem: *Mandamus, quod perſona aliqua, in cujus favorem inhibitoria impetrata fuerit*, &c. Videatur Per. dec. 58. n. 22. Themud. cit.

XVIII. Quintum fundamentum, *Quod turbator incederem immunitatis ſæcularis.* Fatebar plane, eatenus me nunquam audiiſſe, aut vidiſſe conjunctionem illorum duorum terminorum, aut extremorum, *immunitatis ſæcularis.* Et cum notorium erat, recurrentum fuiſſe, qui prius turbârat, et actu perturbabat immunitatem eccleſiaſticam, procedere adverſus illum in defenſionem, etiam de facto, abſque ordine, vel figura judicii; nulla turbatio erat illius, quam recurrens appellabat, *immunitatem ſæcularem*; etiamſi recurrens immunis æque foret, atque exemptus; nam, *Nulla datur exemptio adverſus forum turbatæ juriſdictionis*, Deluc. de juriſd. diſc. 736. n. 3. et diſc. 29. n. 4. et 47. n. 21. Pignatell. tom. 4. conſ. 128. Petra in conſt. 1. Leon. IX. tom. 1. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 41, 42. et alii ſupra alleg. 11.

Ultimum, et præcipuum fundamentum, *Quod appellationem interpoſuerat coram P. provinciali Societatis Jeſu*, facillimo negotio refutabatur:

XIX. 1. Quia, dato, et non conceſſo, quod appellatio illa extrajudicialis in ſubjecta materia effectum quidem ſuſpenſivum haberet quoad declaratoriam in foro externo; cum appellans poſt eam iteraverat, et proſecutus fuerat eadem facta, et alia duriora turbativa, et offenſiva juriſdictionis atque immunitatis eccleſiaſticæ: certe appellatio, quæ reſpiciebat facta præterita, et declaratoriam ſuper illa caſuram, minime extendi poterat ad futura inſulta, et ad declaratoriam novam, illorum reſpectivam; præſertim cum ex jure notum fuerit, quod *Appellans, et poſtea delicta committens, excommunicatur*; ex c. *Præterea*, 1. de appellat. ibi: *Eos appellatio non debet in ſua iniquitate tueri, quominus eorum exceſſus cenſura puniantur.*

XX. 2. Ex doctrina Scacc. de appellat. q. 17. limit. 2. n. 83. ibi: *Quando appellans, pendente ſua appellatione, innovat in præjudicium ſui adverſarii, cenſetur appellationi renuntiâſſe, Franch. in c. 42. An ſit, n. 2.*

XXI. 3. Ex communi doctrina aſtruente, quod, licet declaratio foret nulla ex aliquo capite, iteratio, ac repetitio, ſeu innovatio factorum cenſuris à jure obnoxiorum, priorem declarationem ratificabant, ac revalidabant, quin neceſſaria fieret ejus nova repetitio, Cardin. Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 15. Deluc. Sperell. dec. 170. n. 31. tom. 1. Pignatell. conſ. 170. n. 31. tom. 1. et aliis citatis ſupr. allegat. 11. cum Panimol. dec. 96. n. 18. referentibus declarationem S. Congr. 19. Jun. 1619. ibid. traditam, de anno 1619. 18. Julii; ibi: *Nullitatem cenſurarum non attendi, quando, quod factum eſt, ſi factum non eſſet, denuo fieri deberet.*

XXII. 4. Quia appellatio extrajudicialis caret effectu ſuſpenſivo, Peg. for. p. 2. c. 15. n. 197. Velaſq. de privileg. q. 11. n. 47. Barb. in c. *Pervenit*, de appellat. n. 5. Salgad. de reg. prot. multos allegans, 1. p. c. 7. n. 9. imo neque effectum devolutivum habet, Scacc. de appellat. q. 17. n. 39. limit. 22. cum Lancelot. de attent. p. 2. c. 12. adducens Rot. deciſionem 2. alias 49. de dol. et contumac.

XXIII. 5. Refutabatur: Quia à cenſuris à jure, ſpeciatim à *cenſuris latis ob violatam immunitatem, ac juriſdictionem eccleſiaſticam; non datur, neque admittitur, appellatio ſuſpenſiva declaratoriæ illarum.* Ita Pignatell. tom. 9. conſ. 51. Panimol. dec. 96. annot. 4. n. 9. Sperell. dec. 78. n. 41. et alii apud ipſos: cujus auctoritates jacent per formalia alleg. 15. et ſeqq.

XXIV. Ultimo tandem, in excluſionem ultimæ rationis recurrentis, quod, *eſſe confraternitatem eccleſiaſticam*, quid de facto erat; *et factum non præſumitur niſi probetur*; ſatisfaciebam cum generali, et vulgari limitatione ejuſdem axiomatis, *Limita in fieri conſuetis*; et cum doctrina Coſtæ de fact. ſcient. inſpect.

inſpect. 13. n. 5. extenſa ſupr. alleg. 15. Et hæc conſuetudo in hac diœceſi, et tota India Orientali, adeo univerſalis eſt, ut nulla confraternitas in hac diœceſi exiſtat, quæ eccleſiaſtica non ſit, auctoritate prælatorum in limine erectionis fundata.

XXV. Denique inſiſtebam in proteſtatione, quod de ſolo *poſſeſſorio* cognoſceretur; tum quia hoc ad meam juſtitiam, meamque manutentionem, quam et ſupplicabam, ſufficiebat; tum quia judicium hoc incompetens omnino erat ad cognitionem, ac deciſionem *proprietatis*, ut in allegata, et annexa ſententia 1697. agnoſcebatur, et fatebatur; et reſolvunt Per. de man. reg. c. 27. per tot. et ſignanter n. 12. et 14. et c. 17. n. 12. ordin. l. 2. tt. 1. § 6. DD. ad illam; et alii plures.

XXVI. In hoc gravamine recurrens, licet magiſtratus regius incederet, minime obtinuit, eo quod exceſſus, atque inſultus, et illorum innovatio, et actualis permanentia ac proſecutio adeo notoria et exorbitans evaſerat, ut etiam ejus collegæ judices ei providere erubuerint. Nec tamen deſtitit ab inceptis; ſed illa renovans ac proſequens me tandem coegit ad generale interdictum procedere, tum ob præſentia facta, tum ob aſſertæ conſervatoriæ, de qua alleg. ſequenti, procedimenta, et graviora inde reſultantia.

Unam tamen notitiam ad cautelam, et exemplum aliorum, ut alieno periculo, ac ſupplicio caveant, et ſapiant, hic non prætermittam; quinimo eam omittere, non citra conſcientiæ ſcrupulum æſtimo, cum maxime reverentiam cenſurarum ex alia parte commendet, et earum contemptum ex alia nervoſe redarguat, ac condemnet.

XXVII. Eſt igitur caſus, et notitia, quod cum ſubjectus magiſtratus regius, neque cenſurarum, etiam reaggravatarum, timore perterritus, neque infauſto ſui ipſius recurſus eventu retardatus, in graviores ſacrilegas violentias indies prorueret, ad eum exceſſum, atque temeritatis extremum uſque devenit, ut cenſuras publice contemnens, inutilis ſuæ appellationis prætextu, veluti firmo præſidio tectus, nedum communicationi fidelium in profanis, ſed et in ſacris ſeſe introducere publice cœpit: et ſolemni die feſtivitatis S. Franciſci Xaverii, hujus Orientalis plagæ apoſtoli, cum comitatu proregis in domum profeſſorum ſanctiſſimi nominis Jeſu hujuſce urbis Goanæ, ubi præfati divi reliquiæ aſſervantur, ſolemnitati eidem publice aſtiturus ſe intromiſit; et quamvis aliqui religioſi, et plures ſæculares, eccleſiam ad ejuſdem declarati conſpectum deſeruerunt, alii vero ad ſuperiores eccleſiæ tribunas convolârunt, aliis autem ad concionem dumtaxat eccleſiam occupantibus, ipſe tamen cum prorege aduſque ſolemnitatis, ac ſolemnis ſacrificii finem in eccleſia palam permanſit. Sed paulo poſt in ſanitate corporali ita cœpit elangueſcere, commarcere, atque contabeſcere, ut jam ſequenti anno 1732. menſe Octobris, appellante portui huic Goano prorege comite Sandomilenſe, Petro Maſcaregnas, declaratus magiſtratus talem exhalabat fœtorem, ut à nemine patienter toleraretur, imo perquam difficillime et greſſum et linguam movebat, voceſque tardiloque, et præpedite promebat, impeditus à duplici nervoſo ligamine ſub lingua utrinque orto, veluti multiplicia cenſurarum ligamina, quibus adhuc ſaltem tenebatur, ad oculum demonſtrante.

Contigit autem, ut occaſione adventus ſolemnitatis Natalitiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ad inſtantiam moderni proregis cenſuras levarem, tam locales, quam perſonales, fulminatas adverſus præfatum magiſtratum, et illuſtriſſimum Malacenſem epiſcopum, aſſertum conſervatorem Societatis Jeſu, de quo allegat. ſequenti; quod quidem cenſurarum levamen per publicam chartam meam paſtoralem, valvis eccleſiarum affixam, promulgatum eſt, die primi hujus Orientis apoſtoli, divi inquam Romæ apoſtoli ſolemnitati dicata, 21. Decembris; ſequenti autem die prædictus illuſtriſſimus conſervator aliam chartam edidit, ſuarum etiam cenſurarum levatoriam, cum expreſſa tamen reſtrictione cenſurarum dumtaxat ab ipſo non reſervatarum, eo quod Summo Pontifici caute, quas adverſum me publicârat, reſervaverat, ne ab eis unquam, caſu quo me ligarent, niſi per ipſum Romanum Pontificem expediri poſſem. Coactus tamen à prorege aliam ſecundam chartam abſque reſtrictione, aut reſervatione aliqua, ad meæ imitationem, ſequenti die 23. Decembris, licet invitus, edidit. Currente autem dierum circulo, eadem die 23. Decembris, anno ſequenti 1733. illuſtriſſimus Malacenſis in collegio Societatis Jeſu, intra triduum ægrotationis, inſperato occubuit, licet ſacramentis eccleſiaſticis munitus, et cum reliquis notatis infra, alleg. 34. et ſeqq. quem poſtea infra biennium ſecutus eſt cenſuratus magiſtratus, eadem ſolemnitatis S. Franciſci Xaverii, 3. Decembris; nam in aurora illius diei, cum à quodam ejus collega, etiam ſenatore regio, invitaretur, ut in eandem profeſſorum domum, ejuſdem divi ſolemnitati aſſiſturus progrederetur, ſurgens è lectulo, et vix aliquibus greſſibus tardis ac brevibus per cubiculum deambulatis, ſubito concidens expiravit, ſacramentis eccleſiaſticis, et omni ſocietate humana, etiam domeſticorum famulorum, privatus; à quibus paulo poſt inventus eſt jacens ſupinus, aperto ore, vermibus pleno, et lingua deformiter protenſa. Non enim permiſit D. Xaverius, ut ſolemnitati ſuæ nunc intereſſet, qui eodem die biennio retro, eam præſentia ſua ſacrilega cenſuratus profanârat; et ſic divina juſtitia ulciſcente, ac diſponente, ut qui in ſacris, et profanis, communioni fidelium ſeſe temere, ac ſacrilege, in vita intromiſerat, omni communione tam ſacra, quam humana, penitus deſtitutus, è vivis abiret.

Providentia autem, quam ſereniſſimus rex per tribunal ultramarinum ſuper præmiſſis dedit, fuit quæ ſequitur; ex qua implicite etiam colligitur validitas ac licitudo meæ per cenſuras defenſionis, adverſus præfatum regium magiſtratum.

Epiſtola regia anni 1733.

XXVIII. DOM Joaõ, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, reverendo arcebiſpo primas da India, que havendo viſto avoſſa carta de 16. de Janeiro, do anno paſſado, ſobre os exceſſos que cometera o dezembargador N. ſervindo de provedor mor dos defuntos, e auzentes, tomando contas as confrarias, e fabricas das igrejas, contra aminha ordem de 12. de Abril de 1726. pela qual fui ſervido recomendar, que ſobre a controverſia, que ſemoveo, a reſpeito de pertencer, ou nam a o vizitador eccleziaſtico, o tomar contas as meſmas confrarias, ſe naõ innovaſſe couſa alguma, lhe final reſoluçaõ minha, por cujo procedimento uzaſtes de cenſuras contra o meſmo dezembargador; e por quanto neſta occaziaõ, ordeno a o V. Rey deſſe eſtado, faça obſervar a dita ordem: ſou ſervido recomendarvos por rezoluçaõ de 13. deſte preſente mes, e anno, em conſulta do meo conſelho ultramarino, levanteis as ditas cenſuras, porter mandado obſervar a ſuſpençam que tinha decretado no dicto anno de 1726. El Rey noſſo ſenhor o mandou, pelos DD. Manoel Fernandes Varges, e Alexandre Metello de Souza e Menezes, conſelheiros do ſeo conſelho ultramarino; e ſe paſſou por duas vias. Joaõ Tavares a ſes em Lixboa Occidental a 16. de Abril de 1733. O ſecretario Manoel Caetanno Lopez de Laure a fes eſcrever. Manoel Fernandes Varges, Alexandre Metello de Souza e Menezes.

Eadem epiſtola Latine reddita.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ, et Algarbiorum, &c. Notum facio vobis, reverende archiepiſcope, primas Indiane, quod, perſpecta epiſtola veſtra 16. Januarii anni præteriti, ſuper exceſſibus commiſſis à magiſtratu N. pro tempore proviſore defunctorum, atque abſentium, qui rationes exigere à confraternitatibus, et fabricis eccleſiarum attentavit, contra expreſſum ordinem meum 12. Aprilis 1726. quo dignatus ſum præcipere, ut ſuper excitata controverſia, an viſitatori eccleſiaſtico pertineret ab eiſdem confraternitatibus rationes exigere, nil innovaretur uſque ad meam reſolutionem finalem; ob quod ejuſdem magiſtratus procedimentum, adverſus eum cenſuras fulminâſtis; et quia præſenti occaſione ipſius ſtatus proregi injungo, ut præfatum ordinem obſervari faciat; dignatus ſum vobis commendare, per reſolu-

reſolutionem die 13. hujus præſentis menſis, et anni, in conſultatione mei concilii ultramarini ſumptam, ut cenſuras levetis, eo quod ſuſpenſionem anno 1726. decretam, obſervare nunc jubeo. Rex dominus noſter hæc juſſit per DD. Emmanuelem Ferdinandium Vargeſium, et Alexandrum Metellum de Souza e Menezes, conſiliarios concilii ſui ultramarini; et duplicata expedita eſt. Joannes Tavareſius Ulyſſipone Occidua fecit die 16. Aprilis 1733. Secretarius Emmanuel Caetanus Lopez de Laure ſcribere fecit. Emmanuel Fernandes Varges, Alexander Metellus de Souza e Menezes.

ALLEGATIO XXXIV.

In Controverſia clamoroſa, ac famigerata, aſſertæ Conſervatoriæ religioſorum NN. et Procedimentorum reciproce ex eadem reſultantium.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Opportuna impedimenta oppoſuit promotor patenti conſervatoris.*
III. *Cenſuras conſervatoris, de facto prolatas, annullavit ordinarius.*
IV. *Cavilloſa nullitate reſervavit cenſuras ſuas conſervator.*
V. *Motivum politicum proregis in favorem conſervatoriæ.*
VI. *Duplex libellus pro validitate conſervatoriæ, et adverſum procedimenta ordinarii.*
VII. *Tertius libellus promotoris adverſus duplicem præfatum.*
VIII. *Narrativa facti in duplici præmiſſo libello in plurimis deficiebat à veritate.*
IX. *Et multa aſſeverabantur in bullam* Cum ſicut, *Innoc.* XII. Apoſtoli ei, *Innoc.* XIII. In ſupremo, *Bened.* XIII.
X. XI. *Induſtrioſæ mutilationes, ac ſurreptiones ſecundi libelli* Judicii theologici-legalis *intitulati.*
XII. *Nullitates deputationis conſervatoriæ in adverſo libello promotoris,* Judicium verum *nuncupato, plene demonſtrantur ex nullitate materiæ.*
XIII. *Conſervatores regularium nequeunt procedere, niſi pro violentiis notoriis.*
XIV. *Declaratio* 1. *S. Congr. in cauſa Angelopolitana.*
XV. *Procedimentum vicarii foranei fuerat juris ordine ſervato, et in executionem Concil. Trid. et conſtitutionum apoſtolicarum; proindeque minime violentum, aut injuſtum.*
XVI. *Confirmatur etiam ex declaratione* 8. *S. Congr. in eadem cauſa.*
XVII. *Conſervatores eligi non poſſunt, neque electi procedere valent in cauſis dubiis, et altam indaginem requirentibus.*
XVIII. *Verba B.* Cum ſicut, *Innoc.* X.
XIX. *Nullitas deputationis ex ampliatione* ad cauſas tam activas, quam paſſivas.
XX. *Breve Greg.* XIII. *pro Jeſuitis ad utraſque cauſas, revocatum fuit ab eo d. Pontifice, et à Gregorio* XV. *in B.* Sanctiſſimus.
XXI. *Et declaratum eſt in cauſa Angelopolitana declar.* 7. *ad inſtantiam eorundem Jeſuitarum.*
XXII. *Declaratio, ex adverſo objecta, loquitur de cauſis paſſivis dumtaxat.*
XXIII. *Clauſulæ generales non intelliguntur generaliter, quando proferuntur ſpecifice, et determinate.*
XXIV. *Privilegia Mendicantium confirmata ſunt à Benedict.* XIII. *cum clauſula,* Dummodo Conc. Trid. decretis non adverſentur.
XXV. *Evincitur ex alia conſt.* In ſupremo *ejuſdem Bened.*
XXVI. XXVII. *Reſtrictio illa* Dummodo, &c. *appellat, non ſolum ſuper duo immediata decreta cardinalium, ſed ſuper omnes conſt. Pontificias præmiſſas.*
XXVIII. *Abſurda et contrarietates ex adverſa intelligentia.*
XXIX. *Conſimilis reſtrictio apponitur in* 4 *bullis nuperrimis ejuſdem Bened. et aliorum.*
XXX. *Quæ à jure communi exorbitant, non ſunt trahenda ad conſequentia; nec, in generali communicatione privilegiorum, intelliguntur conceſſa.*
XXXI. *Regulares in foro conſcientiæ uti non poſſunt privilegiis à Concil. Trid. etiam implicite, revocatis; neque hæc intelliguntur innovata, poſita reſtrictione illa* Dummodo, &c.
XXXII. *Regulares gaudentes privilegiis per ſolam communicationem, eis uti nequeunt, quoties ſunt tertio præjudicialia.*
XXXIII. XXXIV. *Aliquæ ex confirmatis bullis continent privilegia Tridentin. non oppoſita.*
XXXV. *Gratia confirmationis non redditur illuſoria per illam reſtrictionem; et quare?*
XXXVI. *Sæpe conceditur per privilegium, quod ex jure communi licitum eſt; et cur?*
XXXVII. *Clauſula,* Sicque, et non aliter, &c. *non interdicit interpretationem grammaticalem, neque etiam judicialem, quoad caſum non comprehenſum.*
XXXVIII. *Sed ſolam interpretationem auctoritativam; et* aliter definere, *non vero* conformiter.
XXXIX. *Confirmatur quoad conſervatores ex bull.* In ſupremo, *ejuſd. Bened.* XIII.
XL. *Minus legitima fuit deputatio ex non reſtrictione ad quinquennium.*
XLI. *Hæc limitatio videtur inductiva formæ.*
XLII. *Verba bull. Gregor.* Durante quinquennio, *intelliguntur limitativa quoad durationem, et quoad deputationem.*
XLIII. *Excuſationes* Judicioſi *confutatæ.*
XLIV. *Minus etiam legitima videtur, ex ſola ſubſcriptione P. provincialis.*
XLV. *Quod omnes tangit, et ab omnibus debet approbari.*
XLVI. *Nulla fuit deputatio in perſonam notorie ſuſpectam.*
XLVII. *In judice ſuſpecto deficit juſtitia, et veritas.*
XLVIII. *Sufficiebat præcedens recuſatio adhuc pendens, ut talis conſervator individualiter eligi non poſſet.*
XLIX. *Fuit etiam minus legitima ex aliis titulis.*
L. *Diſpoſitio bullæ Gregor. quoad terminum electionis infra ſex menſes.*
LI. *Ordinarii non tenentur fidem adhibere allegatis privilegiis regularium, quin infra exhibeantur.*
LII. *Debebant inſerere in literis deputationis privilegium, vi cujus expediebantur.*
LIII. *Conſervatores nequeunt ſubdelegare: et ſpeciale ad id privilegium tenentur exhibere coram ordinario.*
LIV. *Exemptio non competit regularibus de jure communi.*
LV. *Unica nullitas in proceſſu conſervatoris, ſufficientiſſima foret ad cuncta invalidandum.*
LVI. *Fuit notorie nullus ex erectione tribunalis, et creatione proprii, et ſpecialis notarii.*
LVII. *Facultas ad eligendum notarium, non eſt ad illum creandum.*
LVIII. *Declarationes, et doctrinæ, pro hoc puncto.*
LIX. Aſſumere, *non eſt* creare.
LX. *Licet poſſit citationes per nuntios, aut notarios, exercere, non tamen eos poteſt creare.*
LXI. *Explicatur c.* Quoniam, *de probation.*
LXII. *Conceſſa juriſdictione, non conceduntur ea, quæ expreſſe, et ſpecialiter, ſunt prohibita.*
LXIII. *Prohibitum una via, non cenſetur alia permiſſum.*
LXIV. *C.* Præterea, *loquitur de judice delegato abſolute, non de delegato reſtricte, puta conſervatore, qui nec judex eſt.*
LXV. *Deſcriptioni tribunalis materialis præfertur definitio tribunalis formalis ex Scotto.*
LXVI. *Auctoritates adductæ loquuntur de aſſumendo notarium habentem jam facultatem ſcribendi, non vero de illo creando.*

LXVII.

LXVII. *Inquisitores non poterant creare notarios, usque ad tempus Pii* IV.

LXVIII. *In justificationibus pro chartis tuitivis, ministri commissarii notarios non creant, neque cancellarii academiarum Conimbricensis et Eborensis in recusationibus earum conservatorum; sed assumunt notarios jam creatos.*

LXIX. *Regula* commissa qualibet causa, *&c. restringitur in conservatore apostolico ob expressas sui muneris restrictiones.*

LXX. *Convincitur ex casu judicato in altera ejusdem religionis conservatoria, et ex aliis.*

LXXI. *Aliud privilegium speciale pro notario deputando, erat in defectum omnium notariorum approbatorum.*

LXXII. *Fuit nullum, et violentum, procedimentum conservatoris speciatim, eo quod statim cœperit per fulminationem censurarum adversus ordinarium.*

LXXIII. *Confirmatur excessus ille de jure.*

LXXIV. *Quando datur contumacia.*

LXXV. *C.* 2. *de officio deleg. in* 6. *loquitur de conservatoribus immediate à Sede Apost. electis.*

LXXVI. *Excessus comprobatur ex B. Gregor.*

LXXVII. *Jus ordinarii est certum, ac legitimum, et melius, quam conservatoris; proindeque potest conservatorem notificare inhibendo, quod è contra nequit conservator.*

LXXVIII. *Conciliaris determinatio super controversiæ competentia, non extenditur ad notorium excessum, et usurpationem jurisdictionis ordinarii.*

LXXIX. *Ordinarius, quando inhibuit conservatorem, simul cum monuit, ac citavit.*

LXXX. *Conservator limites jurisdictionis suæ excedens, ipso facto incurrit suspensionem à jure. Citatio, et monitio, non est de substantia excommunicationis.*

LXXXI. *Nullum etiam fuit procedimentum conservatoris, quia incursus, et declaratus in censuras à lege, nequibat exercere jurisdictionem spiritualem.*

LXXXII. *Ordinariis locorum pertinet institutio notariorum, imo etiam apostolicorum necessaria approbatio.*

LXXXIII. *Notarii, ab ipsomet Summo Pontifice immediate creati, nequeunt exercere absque prævia titulerum exhibitione coram ordinario loci, et approbatione.*

LXXXIV. LXXXV. *Probabilis opinio DD. non excusat ab incursu censurarum saltem pro foro externo.*

LXXXVI. *Adducitur notabilis casus judicatus.*

LXXXVII. *Privilegium eligendi conservatorem non suffragatur regularibus, data negligentia immemoriali.*

LXXXVIII. *Nil proficit opinio DD. adversus legem, neque DD. regularium in propria causa.*

LXXXIX. *Conservator ante exhibitionem suæ deputationis nullam jurisdictionem exercere potest; cum delegati jurisdictio pendeat ex præsentatione rescripti.*

XC. *Exempti, et forenses, turbantes jurrisdictionem ordinarii, eidem subduntur.*

XCI. *Potest ordinarius quemlibet conservatorem punire, quoties excedit, et in munere suo delinquit, in territorio ejusdem.*

XCII. *Etiam judex sæcularis eum inhibere potest de facto,* malo nodo malum cuneum adaptans.

XCIII. *Metropolitani habent jurisdictionem immediatam in suffraganeos, et, in oves istorum, tantum mediatam.*

XCIV. *Solicitudo totius provinciæ metropolitano committitur.*

XCV. *Poterat ordinarius præsentem conservatorem statim inhibere, suspendere, et suspensum declarare.*

XCVI. *Quilibet judex potest imponere* ab homine, *eandem pœnam jam impositam* à jure.

XCVII. *Graviter delinquens in officio, meretur saltem pœna suspensionis puniri.*

XCVIII. *Quid sit* inhibitio?

XCIX. *Notorie incursus in censuram à lege, potest in eam declarari, non præmissa citatione, aut monitione.* In notoriis, non servare ordinem juris, juris ordo est.

C. *Ad mere* inhibendum, *non est necessaria prævia citatio, aut notificatio.*

CI. *Quando excessus conservatoris est dolosus, et datur periculum in mora, vel timetur scandalum, potest ordinarius statim procedere absque prævia citatione, ac monitione.*

CII. *Prudentia fuit, imo et necessitas, conservatorem prævenire, juxta doctrinam plurimorum.*

CIII. Fraudem fraude repellere licet.

CIV. *Conservator declaratus fuit in censuras const. Gregor. et cap. fin. de offic. deleg. in* 6. *quod expresse comprehendit episcopos.*

CV. *Datur eadem legis dispositio, ubi datur eadem ratio finis; et lex per se primo disponens de personis, comprehendit omnes.*

CVI. *Citatum c.* Periculosum, *de sent. excommunic. in* 6. *retorquetur.*

CVII. *Non loquitur de suspensione ab officio conservatoris, quæ est mera* pœna, *sed de suspensione ordinum, vel muneris episcopalis, quæ est vera* censura.

CVIII. *Bonacina ex adverso cit. non loquitur* assertive, *sed* opinative, *et dubie; et ordinario sufficit opinio probabilis ad valide procedendum.*

CIX. *Pro superiori semper præsumendum est, pro quo et jura semper presumunt.*

CX. *Post concilium potest episcopus, etiam delegatum punire, si delinquat in ejus territorio, cum per delictum fiat minor.*

CXI. *Dato, quod conservator episcopus non posset declarari in suspensionem illam* à jure, *posset tamen ab ordinario inhiberi, et suspendi* ab homine, *ob excessus; et censura lata ex causa falsa, et ex causa vera, tenet ex causa vera.*

CXII. *Etiam potest declarari, et excommunicari de facto,* vim vi repellendo.

CXIII. *Imo exemptus, et non subditus, extrajudialiter sine figura judicii.*

CXIV. *Transgrediens sui officii cancellos, ut privatus est habendus: et delinquens in aliena diœcesi, non consideratur ut episcopus, sed ut privata persona.*

CXV. *Censuræ à lege secum ferunt propriam monitionem, et executionem, cum* lex semper moneat: *attamen judex potest reum iterum monere;* et qui potest magis, potest et minus in eodem genere.

CXVI. *Excommunicatio lata sine citatione, valet; non tamen ejus declaratoria, nisi sit super notorio. Et quod judex ecclesiasticus sine citatione procedere debeat, quando procedit extrajudicialiter in defensionem; et quod contrarium sit error; qui dicant?*

CXVII. *Notantur notoriæ aliquæ inverosimilitudines Judicioſi.*

CXVIII. Narrativa non faciunt jus.

CXIX. *Inhibitio, sive justa, sive injusta, etiam in dubio, semper obtemperanda est.*

CXX. *Ordinarius in hoc casu processit etiam, ut delegatus Sedis Apostolicæ, et ut major conservatore.*

CXXI. *Confirmatur ex bull. confirmatoria Concil. Trid. et ex variis ejusdem decretis.*

CXXII. *Unus delegatus potest adversus alium procedere, et alius alio esse major.*

CXXIII. *Jurisdictio ordinarii,* ut delegati, *est major, et melior, jurisdictione conservatoris.*

CXXIV. *Sufficit, quod excessus conservatoris sit dubius, et quod in causis dubiis procedat, ut ab ordinario animadverti possit.*

CXXV. *Non acquiritur possessio absque patientia, et minus cum resistentia superioris.*

CXXVI. *Subjectio clerici ordinario, vel est ratione originis, vel beneficii, vel ratione domicilii.*

CXXVII. *Formalitas urbanior expediendi chartam deputationis conservatoriæ.*

CXXVIII. *Materia hæc magis juristis, quam theologis pertinet.*

CXXIX. *In præsenti DD. regulares erant suspecti.*

CXXX. *Omnes propriam causam tuebantur.*

CXXXI. *Oves tenebantur sequi vocem sui pastoris, cujus jurisdictio erit anterior, certa, et cum legitima, et pacifica possessione non disputata.*

CXXXII. *Eam etiam sequi tenebantur regulares diœcesani.*

CXXXIII. *Auxilium brachii ſæcularis inique adhibitum fuit conſervatori, contra expreſſam ordin. l.* 2. *tt.* 8. § 6.

CXXXIV. *Partes, ad quarum inſtantiam conſervator excedens procedit, etiam incurrunt cenſuram majoris excommunicationis reſervatæ.*

CXXXV. *Sufficiebat unica nullitas ex uno principio ſolido, ut omnia procedimenta conſervatoris invalida forent, et haberentur pro infectis.*

CXXXVI. *Obſequioſa obedientia regularium erga epiſcopos.*

CXXXVII. *Concluſio allegationis promotoris in hoc ſuo* Vero Judicio *ſuper* Theologico-juridico.

I. EODEM fatali anno 1731. menſe Auguſti, controverſia ſuper conſervatoria RR. PP. NN. ſuſcitata eſt: cujus tamen facti ſpeciem hic exponere licebit eadem formalitate, qua illam Sacræ Congregationi pro deciſione dubiorum infra, alleg. 37. expoſitorum, in tertia perſona præmiſi; quæ ſic narrabat:

Cum in provinciali congregatione religioſorum S. Franciſci de Obſervantia provinciæ S. Thomæ hujus Indici ſtatus, duo fratres ſacerdotes adoleſcentuli, et rudimentis theologiæ moralis ne ſufficienter quidem inſtructi, idiomatiſque vernaculi penitus ignari, et actuali juriſdictione, atque approbatione pro confeſſionibus ſacramentalibus ſuſcipiendis inſuper carentes, in parochos amovibiles duarum parochiarum provinciæ Septentrionalis, Franciſcano ordini precario commiſſarum, deputati fuiſſent; et cum abſque præſentatione, et collatione neceſſariæ juriſdictionis ab archiepiſcopo, ut illius oves curare, et paſcere, et munus parochiale exercere poſſent, omnino obtinendæ, ſeſe in dictas parochias, atque parochiale exercitium introducerent; vicarii foranei civitatis Baſſaim, et arcis Tanna (in quorum territoriis parochiæ illæ ſitæ erant) agnita incivilitate, et nullitate deputationis, atque infuſionis, quinimo ex notificatione ad præſentandas coram illis neceſſarias audiendi confeſſiones facultates, recognito etiam actualis juriſdictionis, et approbationis ad confeſſiones percipiendas, et parochiale munus exercendum, defectu; neque illorum commiſſarius, et provincialis, inſtanter rogati, alios approbatos pro iſtis deputare voluiſſent; illis vicarii foranei inhibuerunt, ut à parochiali munere abſtinerent, quoaduſque actualem approbationem ab archiepiſcopo, vel ab ipſis vicariis, ejus commiſſione, pro confeſſionibus audiendis, et munere parochiali exequendo, obtinerent; inſimul eos populo, tanquam non legitimos parochos, denuntiantes; huic una etiam injungentes, ut ſacramenta pœnitentiæ, et quæ proprii parochi præſentiam requirunt, qualia ſunt matrimonium, et communio paſchalis, in duplici vicina parochia, religioſis ſocietatis ſimiliter commiſſa, et ratificarent, et adimplerent: quod et ipſi parochi Jeſuitæ libenter et alacriter exequi cœperunt, et pluribus diebus proſecuti ſunt, et Franciſcanus parochus territorii Baſſaim ab officio deſtitit.

Attamen hujus facti notitia menſe Julio ejuſdem anni 1730. accepta, cum provincialis ſocietatis (jam è vivis, et abſque ſacramentis, extrema tantum unctione excepta, tres menſes poſt illud, repentino fluxu ſanguinis ſublatus) viſitatori ſuo in ipſa Septentrionali provincia degenti, opera et diligentia duorum ſubditorum ſuorum, qui in viſitationibus eccleſiaſticis, proxime in hac Goana urbe factis, ſe delatos autumabant (quorum unus paulo poſt etiam è vita, ſimili ſorte, conſimilique ſubitanea morte, deceſſit) et aliorum æmulorum præſulis induſtria, expreſſe juſſit, ut parochos ipſos Jeſuitas formaliter prohiberet, ne juſſa vicariorum foraneorum ſuper hac re exequerentur, quinimo parochianos duorum non legitimorum ordinis Franciſcani parochorum, pro ſacramentis ſuſcipiendis ipſiſmet parochis remitterent: quæ quidem ab ipſo viſitatore, ut provincialis præceperat, adimpleta ſunt; et vicarium foraneum arcis Tanna de novo præcepto, à ſe, parocho Jeſuitæ illius territorio directo, ne in præfata materia ipſi obediret, certiorem fecit.

Quod cum iſte reſciviſſet, et viſitatorem Jeſuitam nedum in materia ſubjecta, verum et in aliis, munus parochiale, et ſacramentorum adminiſtrationem concernentibus, ſibi ordinariam juriſdictionem non modo lædere, et turbare, ſed et manifeſte uſurpare experimento compertus fuiſſet, viſitatori per nuntium notum fecit, ut ab hac notoria perturbatione, et uſurpatione deſiſteret; alias adverſus illum juxta commiſſionem ſibi factam, per formalem notificationem, cum clauſula juſtificativa *ad allegandum quare*, &c. et uſque ad denuntiationem cenſurarum juris extrajudicialiter, et *vim vi repellendo*, ſe crederet proceſſurum. Qua inſinuatione verbaliter tantum facta, viſitator à perturbatione deſtitit; ſicque inter illum, et foraneum vicarium, amicabili pace res tandem compoſita eſt.

Hujus pacificationis notitia, finiente Julio, ad hanc civitatem perveniente, ſuppreſſis epiſtolis metropolitanum de illa certiorantibus, inito conſilio inter præfatos patres, et alios archiepiſcopi hoſtes notiſſimos, et inter proregem ipſum, qui amplam manum huic negotio adhibebat (fine infra declarato) et reverendiſſimum Malacenſem epiſcopum N. archiepiſcopi ſuffraganeum, hunc in conſervatorem ſocietatis deputavit illius provincialis: deputationem hanc reverendiſſimus Malacenſis, utpote innixam præditis ſuppoſitis injuriis, et violentiis, quas ipſe poſtea, ut notorias, et manifeſtas, publice exaggeravit in una paſtorali, et ſcriptis annexis lubentiſſime, hilarique animo illico acceptavit, non obſtante, quod metropolitano ſuo notiſſime ſuſpectus erat, et, ut talis, paulo ante in duplici conſervatoria eremitarum S. Auguſtini, et reformatorum S. Franciſci, ab archiepiſcopo recuſatus fuerat, cujus recuſationis cauſa actu adhuc pendebat, eo quod aſſertus conſervator eatenus arbitrum ſuum, pro recuſationis deciſione, nominare unquam voluit. Præterea ipſæ deputationis literæ multis ſcatebant defectibus ſubſtantialibus, præcipue (ut majores taceam) in illis expreſſionibus; quod prædictum conſervatorem, *Ad cauſas tam activas, quam paſſivas, et ad omnes alias tam motas, quam movendas*, in quibus *ſive ut rei, ſive ut actores, reſpondere poſſent, eligebant, et cum poteſtate ſubdelegandi, vel ſubſtituendi alium judicem conſervatorem, ſemel, bis, aut quoties neceſſarium fuerit, pro omnibus cauſis occurrentibus, vel pro aliqua parte alicujus eccleſiæ*, &c. Et inſuper, à tergo ipſius deputationis chartæ, et ante illius coram ordinario exhibitionem, ipſemet electus conſervator propriis characteribus, et ſubſcriptione, tribunal erigebat, cum formali proprii et privati notarii creatione in perſonam cujuſdam clerici Canarini *ſecretarii* ſui, metropolitanique ſubditi, originis, et patrimonii titulo, qui et talem creationem propria ſignatura ibidem acceptabat, ut ex illius exemplari clare liquebat.

II. Cui quidem chartæ, ſeu patenti, cum prædictis, et aliis defectibus die 1. Auguſti exhibitæ in camera archiepiſcopali, ſtatim promotor fiſcalis curiæ archiepiſcopi opportuna impedimenta oppoſuit; et cum daretur periculum in mora, et experientia conſtaret, conſervatorem minime ignoranter hoc feciſſe, ſed ſcienter, et jam bis ob id redargutum, et convictum in ſimilium impedimentorum judiciali receptione, in duplici memorata conſervatoria; quinimo, et ipſum de facto, ac præcipitanter, procedere ſolere, ut in præfata eremitarum conſervatoria, qua et vicarium generalem archiepiſcopatus ex abrupto, ac de facto, excommunicavit, prætextu, quod conſervatoriam ſuam juriſdictionem conſimilibus impedimentis, et recuſatione, impedire prætendebat; et ſequenti die præcipitantius ipſummet archiepiſcopum ab officio, et beneficio, de facto privavit, abſque ulla prævia monitione, citatione, aut notificatione, falſum, et injuſtum prætexens; eſſe ſcilicet notorium, quod vicarius generalis, in rebus gravioribus, ipſum archiepiſcopum conſulebat (quod quidem, etiamſi verum foret, nec ipſi archiepiſcopo in culpam verti, neque conſervatori anſam tam rapida, acceleratæque procedimenta præbere poſſet): has autem excommunicationis, et privationis chartas adverſus utrumque intra ipſam primatialis ſedis eccleſiam, dum ſacra peragerentur, armata manu publicari, et affigi fecit; et ſimilia procedimenta, ac temeritates, nunc etiam morali certitudine ſperabantur; et aliunde exceſſus conſervatorius, et uſurpatio ac perturbatio juriſdictionis ordinariæ per dictam tribunalis erectionem, et proprii notarii creationem ante literarum exhibitionem, jam ſatis ſuperque notoria

notoria erat, in quibus circumstantiis videbatur locum habere doctrina practici Monacell. p. 3. tt. 1. form. 52. n. 27. et 28. die sequenti archiepiscopus conservatorem inhibuit, et extrajudicialiter suspendit, ac suspensum declaravit; pariter declarationem in juris censuras eminando, si ulterius procedere præsumeret, adhuc mitius agens archiepiscopus, quam quod cit. Monacell. consulit; videlicet, *Quod conservatorem illico in illis circumstantiis excommunicet, et in censuras juris vim vi repellendo declaret.*

III. Conservator autem die 4. Augusti archiepiscopum etiam de facto excommunicavit, et anathematizavit, quasi suæ conservatoriæ jurisdictionis impedientem; quas quidem censuras die immediate sequenti archiepiscopus publice annullavit, et conservatorem ipsum in juris censuras declaravit. Et sic conservator multipliciter processit adversus archiepiscopum censuras aggravando, et reaggravando, et ab officio deponendo, et alias denuo fulminando, jam adversus totum capitulum, omnesque primatialis sedis beneficiatos, et specialiter adversus archidiaconum ejusdem, qui simul erat commissarius apostolicus bullæ Cruciatæ, eo quod archiepiscopum depositum, et censuratum, ut ipse jusserat, non agnoscerent, neque cum illo communicare desisterent; ob quam communicationem adversus alias personas privatas, tum sæculares, tum regulares, processit, eos excommunicatos declarans; inter quos P. D. Carolum Josephum Fideli, præpositum clericorum regularium, et eorundem in Indiis apostolicorum præfectum, et ejus subditum D. Albertum Caetanum de Figueiredo, eosque publice in majoris excommunicationis censuram declaravit, et patrem vicarium generalem Dominicanorum, magistrum Fr. Simonem à Divo Thoma, hodie administratorem spiritualem Mosambiqueum, ejusque subditum, et magistrum Fr. Joannem à Sancto Josepho, vicarium parochiæ S. Crucis, in hac insula Goana, ob communicationem cum archiepiscopo in ordinandorum examinibus, insuper in prædictis officiis, videlicet primum à generali vicaria, et prælatura, secundum ab officio, et beneficio parochiali, privavit, et privatos denuntiavit; quas etiam censuras, et declarationes, die immediate sequenti, sicut et alias, nullas declaravit metropolitanus: quæ quidem prædictorum injusta privatio, et declaratio à conservatore temere fulminata, occasio certe fuit formalis schismatis, et divisionis, in tota hac Dominicana provincia, dure introducti, novum vicarium generalem pro depositio, aliquibus paucis nulliter, de conservatoris mandato, eligentibus; majori vero, et saniori parte, antiquo adhærentibus; contra quem cum conservator, armata militari manu, monasterium D. Dominici jam obsidendo, et monasterii fores jam frangere incipiendo, procedere aggrederetur, vicarius generalis, cum tota sua communitate, monasterium deserens, processionaliter Sanctissimæ Eucharistiæ tabernaculo clypeatus, ad ecclesiam cathedralem sese recepit, et in ejus pontificali domo pluribus mensibus omnes contutati sunt.

Præterea in religiosissimum sanctimonialium D. Monicæ, ordinariæ archiepiscopi jurisdictioni subditarum, monasterium, etiam conservatoriæ suæ iniquas operationes conservator introduxit, aliquas illius religiosas excommunicans, alias vero, ut superioriſſam, et conventus proviſoriſſam, consimilis per literas cum archiepiscopo, earum prælato, communicationis prætextu, et admissionis cujusdam archiepiscopalis annullatoriæ, adversus conservatoris comminatoriam monialibus ipsis directam, ne archiepiscopo obedirent, aut cum illo communicarent, neque illum, ut prælatum, recognoscerent (quam quidem aliquæ earum sanctimonialium à valvis ecclesiæ, cui affixa erat, removeri fecerunt) additaque militari custodia toti monasterio, ne ad archiepiscopum possent, etiam per literas, recurrere, ne vel illius ad ipsos aliquod præceptum, ordoque emitti, majorem illius communitatis partem, adversus proprii prælati obedientiam, sublevari effecit.

IV. Denique probabili timore perculsus conservator, ne adventu navium, quæ sperabantur, et jam desiderabantur, à Lusitania, nova sæcularis gubernii provisio succederet, quod tandem gubernium novum ad levandas censuras conservatorem ipsum compelleret; ut id redderet impossibile, aut saltem difficile, die 15. Octobris, pastoralem aliam publicari fecit, qua pro reaggravatione, censuras omnes à se contra metropolitanum suum fulminatas, Summo Pontifici reservabat, et alias denuo adversus participantes aliquos aggravabat. Neque archiepiscopi denique in gubernium sæculare cum effectu successione (quam ipse verebatur) censuras aliquas levare voluit; quinimo ad instantiam novi proregis, et ad archiepiscopi exemplum, qui occasione solemnitatum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, censuras omnes à se promulgatas benigne levârat, conservator in suarum censurarum levamine, expresse reservatas, excepit die 23. Decembris, anni 1732. Quam quidem restrictionem per aliam pastoralem sequenti die publicatam emendavit, et ad ejusdem proregis insistentiam, licet imperfecte, correxit; et tandem præsenti anno 1733. ipsamet die 23. Decembris, in collegio Goano Societatis Jesu, conservator febricitatione trium tandem dierum è vivis sublatus est; et sequenti die 24. ejusdem mensis in ecclesia S. Dominici, pontificalibus vestibus ex incuria fere destitutus, est tumulatus; sic divina Providentia ordinante, aut permittente, ut qui eas metropolitano suo reluctante, in ejus territorio, non semel in vita, pro ordinibus illicite conferendis, induerat; in morte, et funere ejusdem privatus incederet, cum nullatenus cum metropolitano suo debitam reconciliationem quæreret, quin ob id iste minime retardaretur, quominus competentibus funeralibus obsequiis illius funus honorare jusserit; et licet postea evulgatum sit, hanc reconciliationem aliquibus patribus ejusdem collegii commendâsse, hi tamen hactenus eam ne in minimo quidem executi sunt.

V. Finis autem, ac motivum politicum, ex parte proregis, in hoc negotio, majori conatu solicite promovendo (ut quamplurimis sanæ mentis, ac circumspectis viris visum fuerit) hoc sane erat; quia cum prorex nimium pertimesceret populi clamorem, et aliquam forsan commotionem propter hostilem invasionem Marastarum, totam septentrionalem provinciam infestantium, et propter amissionem arcis *Mombacæ* in Africa, et dissipationis procellosæ totius classis, inde revertentis, totali cum naufragio prætoriæ navis, sexaginta sex tormentis æneis munitæ, et plusquam 400 viris, totoque nobilitatis Goanæ flore stipatæ, quin unus tantum evaderet, ut subversionis modum nuntiaret, quarum infelicitatum infausta notitia eisdem fere diebus proxime advenerat, hoc timore perculsus rumorem istum altero sopire, vel confundere pertendens, conservatoriæ strepitum animabat, et adaugebat, ut novo, ac minus infausto rumore hoc, ut sibi persuaserat, clamorem illum popularem, quam pertimebat, vel declinare. vel obtegere valeret; et ut, adveniente occasione regno scribendi, omnes intenti conservatoriæ, et illius actuum narrationi, illarum infelicitatum notitiam oblivisscerentur: his finis, et hic etiam hujus facti fidelis, licet solito latioris, necessariæ narrationis, finis.

Sect. I.

Tituli, et intentio utriusque libelli ex adverso, et promotoris ecclesiastici responsio ad utrumque.

VI. Adversus autem præfatum procedimentum meum duplex libellus publicatus est, alius ab illustrissimo ipso Malacensi episcopo, cui titulus inerat, *Manifestum Ostensionis Episcopi Malacensis*, &c. ab eodem subscriptus, et editus die 11. Augusti ejusdem anni 1731. alter vero anonymus, sub titulo, *Judicium Theologico-legale*, à quodam eremita Augustiniano confectus, circulatus est die 17. ejusdem mensis Augusti: quorum libellorum duplex præcipua intentio erat, 1. Validitatem ac licitudinem electionis asserti conservatoris, istiusque procedimentorum, stabilire. 2. Censurarum ex adverso in defensionem fulminatarum, aut comminatarum, validitatem infirmare, ac nullitatem protendere.

Et quia utriusque libelli auctores in plurimis tum in facti narrativa, tum in reliquis, à veritate nimis aberrabant, prodiit tandem nomine promotoris mei, die

die 30. ejuſdem menſis, tertius libellus apologeticus, utrumque præmiſſum redarguens, et validitatem ac licitudinem procedimentorum meorum pariter demonſtrans, ſub titulo ac formalitate ſequenti:

Judicium Verum,
Super *Manifeſto* Illuſtriſſimi D. Malacenſis,
Et ſuper *Judicio Theologico-legali,*
Admodum RR. PP. NN.
Subſcripto à quodam Anonymo
Judicioſo Auctore, ſeipſum vocitante
Magis Zelotypum Boni ſpiritualis Populi,
Super Validitate, aut Invaliditate, Conſervatoriæ
Præfatorum admodum RR. PP.
In Perſona prædicti Illuſtriſſimi Præſulis,
Ac ſuper mutuis Procedimentis, quæ
ex illa reciproce reſultârunt.
Univerſali Cenſuræ illud offert
Promotor Juſtitiæ Eccleſiaſticæ
Hujus Archiepiſcopatus,
Die 30. *Auguſti anni* 1731.

Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico. Qui autem judicat me, Dominus eſt. Ad Cor. 4.

EXORDIUM.

Dicebat promotor, qua ſequitur, forma:

VII. Paucis abhinc diebus, cum aliquo intervallo, ad manus meas duplex pervenit libellus, alius inſcriptus *Manifeſtum*, &c. ab illuſtriſſimo domino D. Fr. Emmanuele à S. Antonio, epiſcopo Malacenſi, ſubſcriptus: alter vero titulatus, *Judicium Theologico-legale*, ab admodum RR. PP. ſocietatis hujus provinciæ Goanæ editum, et à quodam regulari diverſæ religionis profeſſio ordinatum; uterque ſuper materia *conſervatoriæ*, infra declaratæ: et quia uterque in plurimis ſubſtantialiter à veritate deviant, præſertim in facti ſerie, atque narratione; operæ pretium duxi, priuſquam juridicis ponderationum, ac rationum utriuſque fundamentis ſatisfaciam, veram ac individualem facti narrativam præmittere, omnino abſtinens in toto hoc *judicio*, vel *apologia*, à retorquendis, aut objectandis dicteriis, ac improperiis, quibus primus libellus ſcatet, inhærendo D. Auguſtini conſilio, *Ratio cum ratione confligat*, l. 1. de utilitat. credend. Nam ubi rationum arma ſuperabundant, aut ſuppetunt, vitium ſane, atque ignavia eſt ad alia paſſionum, aut maledicentiæ, et iracundiæ arma furibunde accurrere. Quinimo recurſus ad hæc, totalem illarum carentiam, ac deſtitutionem, arguere ſolet.

Præmiſſa igitur vera facti ſpecie, ut ſuperius ſubſtantialiter jacet, ad utriuſque libelli, primo inveroſimilitudines, ac ſurreptiones, mutilationes, et alios defectus demonſtrandos, poſtmodum vero ad ſingulas conſervatoriæ nullitates convincendas, et veritatem contrariam ſtabiliendam, ſequenti formalitate promotor ulterius procedebat.

DEMONSTRATIO I.

Inveroſimilitudinum manifeſti editi, et ſubſcripti ab illuſtriſſimo domino Malacenſi.

VIII. Factum præmiſſum, in ſuo *Manifeſto*, illuſtriſſimus dominus Malacenſis enarrans, in plurimis reali deficit veritati:

1. Aſſerendo, *Illuſtriſſimum dominum archipræſulem actu manifeſtam injuriam ac violentiam inferre RR. PP. NN. mediis duobus vicariis foraneis, quos clericulos* appellat; cum rei veritate conſtet, actualem controverſiam, non cum duobus, ſed cum unico tantum motam eſſe; et, quos *clericulos* vocitat, eſſe duos ſacerdotes graves, honeſtos, et cum primis nobiles, ſcilicet *Dominum Rodericum de Norogna*, primæ nobilitatis, canonicum hujus primatialis ſedis Goanæ, vicariumque foraneum diſtricti civitatis Baſſaimæ; atque licentiatum *Georgium de Almeida Coutinho*, non inferioris nobilitatis, priorem, et vicarium foraneum arcis Tanna.

2. Deviat à veritate aſſeverando, *præfatos vicarios foraneos voluiſſe oves, et parochias, uſurpare religioſis Franciſcanis*, &c. cum reapſe ex nota veritate, et fideli ſuperiori narrativa facti, contrarium evincatur, ſicut et reliquæ minus veræ, quas hic admiſcet, circumſtantiæ.

3. Quatenus affirmat *R. P. provincialem ſocietatis non potuiſſe has magnas violentias aliquo medio vitare; quapropter ad conſervatoris electionem in ejus perſonam recurriſſe*, &c. cum ex ſuperiori narrativa, et ex ipſa facti notorietate, perſpicuum ſit medium facile, ac ſuave, ab illuſtriſſimo archipræſule oblatum, præter medium ordinarium, ac naturale recurſus à prædicto vicario foraneo ad eundem diœceſanum archipræſulem; et minime conſiderari poſſe *violentiam, aut injuriam* aliquam parochis Jeſuitis illatam, in ratificatione, aut adminiſtratione ſacramenti matrimonii parochianorum alterius eccleſiæ ejuſdem territorii, quam quidem coram ipſis libenter, imo et utiliter, parochi Jeſuitæ per aliquot menſes amplexati ſunt.

4. A realitate veritatis aberrat, fingens, *Se ab illuſtriſſimo ordinario inhibitum, ac ſuſpenſum fuiſſe, abſque alia cauſa, quam exhibitionis chartæ electionis ſuæ; quam penes cameram ſuam illuſtriſſimus archipræſul relinquere juſſit; ideoque in privationem ab officio, et à juriſdictione, incurſerat*, &c. cum ex ipſis publicis, ac publicatis paſtoralibus conſtet, illuſtriſſimum aſſertum conſervatorem inhibitum fuiſſe ob exceſſum creationis proprii notarii, et ob alias nullitates; et ex bulla Gregoriana *Sanctiſſimus*, aperto convincitur, et exhibitio illa chartæ deputationis, aut electionis conſervatoris, et dimiſſio apud acta curiæ ordinariorum, § 7. ibi: *Ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum, infra tempus hujuſmodi, penes acta curiæ ordinariorum exhibere, et dimittere teneantur.* Et in hujuſce executione decreti minime poterat illuſtriſſimus ordinarius injuriam committere, et ob id in cenſuram aliquam incidere, cum notum ex jure ſit, quod *juris executio non habet injuriam*, l. *Nullus*, ff. de reg. jur.

Miſſas facio, brevitatis ergo, plures alias inveroſimilitudines, et minus veras narrationes, ac aſſertiones, ſicut et illas ampliſſimas, quod *Deputatio parochorum regularium à proprio prælato regulari ſecum defert approbationem, ac juriſdictionem ad confeſſiones audiendas, et ad oves ordinariorum curandas:* et quod *regularis approbatus ab ordinario, cum limitatione temporis, manet in perpetuum approbatus*, &c.

IX. Nam oppoſitum primæ aſſertionis ſatis ſuperque oſtenſum eſt in reſponſionibus ad recurſus à parochis Franciſcanis intentatos, anno 1728. et proxime à ſereniſſimo rege deciſum ſperatur. Et contrarium ſecundæ expreſſe convincitur ex bulla *Cum ſicut*, Innoc. XII. anno 1700. edita; et ex noviſſimis conſtitutionibus *Apoſtolici* Innoc. XIII. ann. 1724. et *In ſupremo* Bened. XIII. ann. 1725. promulgatis, quas cum ſuis definitionibus in hac diœceſi per ſpecialem paſtoralem illuſtriſſimus archipræſul publicare fecit ann. 1726. Et eas curioſus reperiet in appendice ad novum Concilium Lateranenſe. Poſt hæc exarata prodiit noviſſima conſtitutio *Ad militantis eccleſiæ* Bened. XIV. ann. 1742. promulgata, qua multa huc attinentia, et notabilia, continentur.

DEMONSTRATIO II.

Mutilationum, ſurreptionum, inveroſimilitudinum, ac minus veritatum Judicii Theologico-legalis.

X. Jam in præterita cauſa conſervatoriæ eremitarum Auguſtinianorum, auctor hujus libelli alium conſimilem edens, ut oſtenderet, prædictos eremitas non incurriſſe cenſuram can. 16. bull. Cœnæ, mutilabat particulam ejuſdem can. *Aut alias impediunt*; et omittebat ex induſtria præcedentes: *Quomodolibet directe, vel indirecte*, &c. et ſolum exprimebat clauſulam ſubſequentem: *Carcerando, vel moleſtando eorum agentes*, &c. et hinc inferebat, religioſos illos cenſuram prædicti canonis non incurriſſe, eo quod non impedierint, *carcerando*, vel *moleſtando*, ſuppreſſa particula conſequenti, *aut alias.* Conſimilique induſtria alias auctoritates Concil. Trid. truncaverat, et aperte mutilaverat.

Hac

Hac eadem cautela, eodemque artificio, in hoc præſenti libello eundem proſequens ſtylum, verba paſtoralis inhibitoriæ, et per annum ſuſpenſoriæ ab illuſtriſſimo archipræſule in illuſtriſſimum conſervatorem fulminatæ; videlicet, *Prævenienter annullamus, et nullum, ac nullius roboris et effectus declaramus, quicquid facere, operari, aut procedere, prædicto anno durante, attentaverint; et caſu, quo procedere audeat, itidem declaramus incurrere in cenſuram majoris excommunicationis, Sanctitati ſuæ reſervatæ, partes, ad cujus inſtantiam proceſſerit, ut in præfato concilio, ac bulla Gregoriana, et prædicto cap. ultim. de offic. deleg. expreſſum eſt; et per hanc eos notificamus, ac citamus*, &c. Idem auctor induſtrie mutilavit verba limitativa, *prædicto anno durante*; et quæ ſubſequentur, *et caſu, quo procedere audeat*, &c. aduſque verba *notificamus, ac citamus* excluſive, penitus expunxit, ſequentibus finibus, ac motivis, ut ex contextu libelli deprehenditur.

XI. 1. Quia truncando clauſulam limitativam, *prædicto anno durante*; melius colorabat quod ſuadere conatur, illuſtriſſimum archipræſulem abſolute, et non limitate, voluiſſe impedire conſervatoris deputationem, ejuſdemque juriſdictionis exercitium.

2. Quia mutilando verba conditionalia monitoria, *et caſu, quo procedere audeat, item declaramus*, &c. colorabat ſuaſionem, quod illuſtriſſimus archipræſul proceſſit adverſus illuſtriſſimum conſervatorem abſque prævia monitione, citatione, aut notificatione, ut aperte conqueritur in fine ſuæ narrativæ, et in ponderatione 3.

3. Ad exculpandum accelerationem procedimenti aſſerti conſervatoris, et ad ſtatuendum, quod provocatus proceſſit.

4. Quia ſupprimendo verba declaratoria incurſionis partium, ad quarum inſtantiam conſervator procederet, ſopitam reddit cognitionem, quam ſuſcitari nonvult in populo, cui libellum ſuum dicat, effectivi hujus cenſuræ incurſus; et ut omnes aſſentiantur abſoluto aſſerto ſuo, quo concludit, neminem, *præter illuſtriſſimum archipræſulem, effective excommunicatum eſſe.*

Omitto alia artificia, mutilationes, ſurreptiones, et alia vitia ſubſtantialia caute, et induſtrie inducta, quarum aliqua, etiam contra producentem, forſan infra retorquebimus; et hic obiter adnotamus dumtaxat, parum in juſtitia ſua fidere videri, qui, ut eam in medium proferat, narrativas falſificare, textus truncare, auctoritates mutilare, et reliqua ſubſtantialia, vitioſa ſurreptione, ac taciturnitate ſupprimere cogitur. Deinde ad reſolutiones juridicas gradum faciamus.

Sect. I.

Nullitates præſentis deputationis, vel electionis.

Prima Reſolutio.

XII. In caſu præſenti nulla utique eſt electio illuſtriſſimi aſſerti conſervatoris, et conſequenter nulla, ac intentata ſunt cuncta procedimenta in vim illius arrepta, ex totali materiæ defectu, et incapacitate.

Probatur, 1. Quia materia, ſupra quam cadit, et quam reſpicit prædicta electio, et intentata procedimenta ex vi illius, non eſt excommunicatio aliqua, vel cenſura alia inflicta, ut ex adverſo rumore ſpargitur; ſed ſimplex inſinuatio notificationis, vel ad ſummum ſimplex ipſa notificatio *ad allegandum*, ordinata à R. vicario foraneo Tannaenſi adverſus R. viſitatorem ſocietatis, ob impedimentum, turbationem, ac uſurpationem ſuæ ordinariæ juriſdictionis, quam viſitator iſte eidem vicario foraneo inducebat. *Atqui*, etiamſi talis inſinuatio, aut notificatio *ad allegandum*, formale monitorium foret cum ſimili clauſula juſtificativa, vel citatio aliqua cujuſlibet judicis ordinarii cum clauſula juſtificativa *ad allegandum, quare*, &c. minime vim, gravamen, aut violentiam inducit; proindeque penitus recurſum, etiam ad tribunalia ſæcularia, excludit; Peg. ad ordin. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. n. 34. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 48. Monacell. p. 2. tt. 15. form. 2. n. 7. et p. 3. tt. 1. form. 38. Fagn. in c. *Super eo*, de appellat. Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. ergo, &c.

XIII. Deinde, conſervatores regularium ſolummodo procedere poſſunt in cauſis, aut materiis violentiarum, et injuriarum notoriarum, atque manifeſtarum; Cirin. nex. utr. juriſd. c. 6. n. 17. Ventrigl. annot. 27. p. 1. Per. de man. reg. c. 7. Themud. dec. 52. et 53. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 17. et p. 1. in append. n. 5. Pignatell. tom. 10. conſ. 96. Deluc. de regular. diſc. 1. et de juriſdict. diſc. 49. et 101. Cevalh. de viol. tom. 5. q. 11. Mend. in prax. p. 1. l. 2. c. 3. § 2. n. 19. ubi plures citat; et convincitur ex c. ult. de offic. delegat. in 6. innovato in bulla *Sanctiſſimus*, Greg. XV. § 12. et ex aliis juribus, ac declarationibus S. Congregat. præſertim in cauſa Angelopolitana.

Ergo per legitimam conſequentiam ſequitur eſſe nullam in præſenti caſu prædictam electionem, ſeu deputationem, ex totali defectu materiæ, et ex incapacitate ejuſdem, ut etiam reſolvitur in citata conſtit. *Sanctiſſimus*, et in c. ultim. de offic. delegat. in 6. ibi: *Quicquid autem contra præmiſſa, vel eorum aliquod, attentari contigerit, omnino decernimus irritum, et inane.*

XIV. Prob. 2. Evidenter ex declarationibus S. Congregationis in cauſa Angelopolitana, præſertim ex declarat. 1. ad inſtantiam illuſtriſſimi Palafox, apud Cherub. tom. 4. in bull. *Cum ſicut*, Innoc. X. et apud Monacell. p. 1. in appendic. ad bull. Greg. XV. n. 9. ibi: *Primo: An in caſu, quo epiſcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à regularibus obſervari, et executioni demandari, regulares quicunque, etiam Societatis Jeſu, ſub prætextu, quod hujuſmodi præcepta infringant ſua privilegia, poſſint eligere conſervatores? Congregatio reſpondit, Si epiſcopus præcipiat regularibus, etiam Societatis Jeſu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini obſervent, ac exequantur, illis caſibus, in quibus per ipſum concilium, vel conſtitutiones apoſtolicas, regulares exempti ſubjiciuntur juriſdictioni, et correctioni epiſcopi; minime licere ipſis regularibus ob eam cauſam conſervatores eligere.*

Et ex declaratione 2. apud eund. Cherub. et Monacell. cit. ibi: *Secundo: An, quando ordinarius procedit juris ordine ſervato adverſus regulares prædictos, in caſibus, in quibus per concil. vel conſtitutiones apoſtolicas, ipſi ſubjiciuntur, poſſint conſervatores judices aſſignare? Ut ad proximum, Non poſſe.*

XV. *Sed ſic eſt*, quod procedimentum vicarii foranei fuit *juris ordine ſervato*, notificando, imo et monendo, in executionem decretorum Sacr. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de regularib. c. 11. ubi decernit, quod *regulares curam animarum exercentes ſubſint immediate, in iis, quæ ad dictam curam, et ſacramentorum adminiſtrationem, pertinent, juriſdictioni, viſitationi, et correctioni epiſcopi*, &c. Et ſubjicit eos prævio examini atque approbationi epiſcopi; ibidem: *Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac prævio examine, per eum, aut ejus vicarium, faciendo*, &c.

Deinde, fuit etiam in executionem conſtituti *Inſcrutabili*, Greg. XV. conſtitut. *Oneroſa*, Clementis VIII. pro miſſionariis hujuſce Indiæ Orientalis, et inſularum Japonenſium; et conſtit. *Ex conqueſtione*, Eugenii III. in quibus decernitur, ac jubetur, eadem ſubjectio parochorum regularium ordinario, *in iis, quæ ad curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem, pertinent:* quam quidem juriſdictionem prædictus R. P. viſitator ſocietatis ſibi arrogare præſumpſit, parocho regulari, ſibi ſubdito, *ut regulari*, mandata expediens, *ut parocho*, contra expreſſa mandata præfati R. vicarii foranei, qui quidem ordinarius eſt, et ſuperior prædicti parochi regularis, quatenus parochi: propter quæ viſitator ipſe eidem vicario foraneo ſubjectus manſit, ob impedimentum, ac turbationem ejus juriſdictionis, Deluc. de juriſdictione, diſc. 736. n. 3. et diſc. 29. n. 4. et diſc. 47. et 48. Donat. tom. 1. p. 2. tra. 13. q. 29. Tambur. in decalog. l. 4. c. 1. alter Tambur. de jur. abb. tom. 1. et 2. ex c. *Dilecto*, c. *Venerabil.* de ſent. excom. in 6. et ſufficiebat, quod impedimentum foret *quemodolibet*, ex can. 16. bullæ Cœnæ.

Ergo juxta præmiſſas declarationes materia præſens omnino incapax, et aliena erat à prædicta judicis conſervatoris electione, tum quia erat materia executio-

nis decretorum Concilii Trident. et conſtitutionum apoſtolicarum, in qua regulares ſubduntur ordinariis; tum quia vicarius foraneus proceſſerat *juris ordine ſervato*, notificando, vel etiam monendo; ac per conſequens nulla fuerunt manifeſte, et electio ipſa conſervatoris, et procedimenta omnia ex vi illius ſecuta.

XVI. Confirmatur ex declarat. 8. in eadem cauſa Angelopolitana ad inſtantiam RR. PP. Jeſuitarum, pro injuriis, et violentiis, non quomodocunque, ſed manifeſtis; ibi: 8. *An conſervatores ſocietatis vicarios generales epiſcoporum auctoritate apoſtolica per ſententias, cenſuras, et pœnas eccleſiaſticas, compellere poſſint virtute bullæ Gregor.* XIII.? *Poſſe à manifeſtis injuriis, vel violentiis, eos compeſcere.*

XVII. Prob. 3. Quia conſervatores nequeunt à regularibus eligi, neque electi valent iſti procedere in materiis dubiis, et altam indaginem requirentibus. Pignatell. tom. 8. conſ. 33. Petra tom. 4. in conſt. 10. Eugen. IV. Cirin. nex. utr. juriſd. c. 6. n. 19. Per. de man. reg. c. 7. Mend. et reliqui omnes ſupra citati, ex cit. conſt. Greg. XV. et c. ult. de offic. delegat. in 6. ibi: *Decernimus*, ut ſi de aliis, quam de *manifeſtis injuriis, et violentiis*, ſcienter ſe intromiſerint; ſeu ad alia, quæ *judicialem indaginem exigunt*, ſuam extenderint poteſtatem; *eo ipſo per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi. Pars vero, quæ hoc fieri procurabit, ſententiam excommunicationis incurrat: à qua non poſſit abſolvi, niſi ei, quem ſic fatigavit indebite, primo ſatisfaciat integraliter expenſis.*

Atqui, an prædictus viſitator poterat, aut poſſit *valide*, aut *licite*, parocho regulari præceptum aliquod imponere contra expreſſum mandatum aut præceptum vicarii foranei in rebus curam animarum, et ſacramentorum adminiſtrationem, reſpicientibus, dato, quod reſolutio negativa certa et indubia non ſit, negari non poteſt, quod ſaltem ſit dubia, et altam ac judicialem indagationem requirens: ergo non dabatur materia ſufficiens tum ad electionem, tum ad procedimenta judicis conſervatoris, et ex illius defectu utraque nulla evaſerunt.

XVIII. Et in ulteriorem confirmationem addam formalia verba cit. bullæ *Cum ſicut*, Innoc. X. annullantis tum electiones, tum procedimenta judicum conſervatorum; tum eo, quod cauſa non foret violentiarum notoriarum, ac manifeſtarum; tum eo, quod epiſcopus in executionem decretorum Concilii Trident. proceſſerat. Verba ſunt quæ ſequuntur: *Nec ob eam cauſam licuiſſe dictis religioſis, quaſi à manifeſtis injuriis, et violentiis, eligere conſervatores, eoſque, ut præfertur, electos in epiſcopum, et vicarium generalem, indebite, et nulliter excommunicationem fulminâſſe.* Et hæ ſane ſufficiebant ad materiam præſentis controverſiæ evincendam.

Secunda Reſolutio.

XIX. Fuit etiam manifeſte nulla prædicta conſervatoris deputatio ob ampliationem ad cauſas, in quibus deputantes non ſolum *rei*, ſed etiam *actores* fuerint, ut convincitur ex formalibus verbis in deputationis charta expreſſis, *ſive ut rei, ſive ut actores.*

Probatur evidenter, 1. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de reform. ibi: *In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos conſervatores judices in judicium trahere minime liceat*; et ex d. bull. Gregoriana, *Sanctiſſimus*, § 9. ibi: *Ita ut memorati conſervatores in cauſis, in quibus regulares, et alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantum, in quibus rei extiterint.*

XX. Et quamvis RR. PP. Jeſuitæ per breve Gregor. XIII. *Æquum reputamus*, poterant conſervatorem eligere ad cauſas, in quibus tam *rei*, quam *actores* forent; attamen (præter revocationes Pii IV. et Pii V. et ejuſdem Gregor. XIII. in bull. *In tanta*, quæ eſt nona, et citatæ *Æquum reputamus*, et aliorum Pontificum, qui privilegia omnium regularium ad terminos juris communis, et Concilii Trident. reduxerunt) illud privilegium Gregor. XIII. expreſſe revocatum eſt per præſentem conſt. *Sanctiſſimus*, Greg. XV. ut clare reſolvunt Monacell. p. 1. in append. ad dict. bull. n. 1. ibi: *Revocata in ea parte, et cauſis, in quibus ſunt actores.* Donat. q. 1. tr. 17. de conſervator. Cirin. cit. n. 18. Deluc. de regular. diſc. 51. et 52. et de juriſdict. diſc. 49. et conſtat formaliter ex ipſa bulla *Sanctiſſimus*, § 2. *Revocavit, ac nullas, et invalidas decrevit omnes, et quaſcunque judicum conſervatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes . . . . quibuſcunque conventibus, congregationibus, ordinibus, monaſteriis, hoſpitalibus, cujuſvis ordinis, etiam Mendicantium, ſeu inſtituti, vel ſocietatis*, &c.

XXI. Quod quidem confirmatur ex declaratione 7. in cauſa Angelopolitana ad inſtantiam eorundem RR. PP. apud Cherubin. et Monacell. cit. p. 1. ibi: 7. *An facultates eligendi conſervatores conceſſæ ſocietati à Gregor.* XIII. *ſuffragentur in illis locis, in quibus non adſunt judices ſynodales? Reſpondit: Ubi non ſunt judices ſynodales, privilegium Gregor.* XIII. *ſuffragari, quoad hoc, ut ſocietas non teneatur ex illis eligere conſervatores, dummodo tamen in reliquis ſervetur forma conſtitutionis Gregor.* XV. *hac de re edita.*

Ex qua clauſula conditionali limitativa, *dummodo in reliquis*, conſequitur, quod, excepta facultate eligendi judicem conſervatorem, qui non ſit ex ſynodalibus, in reliquis reſtricti manent ad terminos, ac formam, dictæ bullæ *Sanctiſſim.* videlicet, quod non extendatur ad cauſas, in quibus actores fuerint. Deinde, cum in præfata bulla invalidantur, ac nullæ declarantur, omnes electiones, ac deputationes, aliter factæ, et reliqua ex eis ſecuta, per hæc verba, § 3. *Si quæ literæ aliter expediantur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda, nullius ſint roboris, vel momenti*; ſequitur, quod tam electio, quam procedimenta omnia ex ea ſecuta, ex hac nova ratione, nulla omnino evaſerunt.

XXII. Neque obſtat declaratio S. Congregationis ann. 1624. ab illuſtriſſimo manifeſtante ex adverſo objecta, quæ eſt ejus præcipuum fundamentum; videlicet, *Ejuſmodi verbis minime ſublatam eſſe facultatem, quam habent conſervatores defendendi regulares à manifeſtis injuriis, ac violentiis.* Reſpondeo namque, cum Cardin. Deluc. de regular. diſc. 1. et 51. et 52. et de juriſdiction. diſc. 4. et 49. citatam declarationem loqui de cauſis *paſſivis*, et non de *activis*; quod ex eadem convincitur, eo quod agat de *injuriis, et violentiis*, regularibus inflictis; per quod oſtenditur, regulares in his, reos quidem eſſe, quia eas patiuntur; minime actores, quia eas non incutiunt: hic enim ratio *actores*, non debet deſumi à querela, ſeu recurſu regularium ad conſervatorem; ſed à materia ipſius recurſus, aut querelæ. Videatur Deluc. ſupr. cit.

XXIII. Minus etiam in hoc puncto relevare poteſt *Judicioſum*, auctorem ſecundi libelli, ratio ab eo allegata; videlicet, *Quod clauſulæ generales intelligi debent reſtrictæ ad ſpeciales in jure expreſſas.* Huic namque rationi etiam reſpondeo, id dumtaxat intelligendum eſſe, quando clauſulæ illæ prolatæ fuerint vere *generaliter*, id eſt, in genere indifferenti, ut ad quamlibet ſpecierum particularium contrahatur; non vero quando proferuntur *ſpecifice*, et jam determinatæ, atque contractæ ad ſpeciem, aut differentiam oppoſitam illi, ad quam reſtringi, aut contrahi intenditur.

Unde, ſi in literis deputationis atteſtaretur, deputantes eligere conſervatorem *ad omnes cauſas generaliter*; poterat quidem intelligi, eum ad cauſas paſſivas dumtaxat eligere, vel ad eas tantum, in quibus electores ipſi rei extiterint, ſecundum expreſſam, et ſpecialem juris diſpoſitionem. At vero, atteſtantibus ipſiſmet deputationis literis *ſpecifice*, conſervatorem eligere ad cauſas *tam activas, quam paſſivas*, in quibus *ſive ut rei, ſive ut actores ſteterint*; velle, quod ſpecies, ſive differentia, *rei*, reſtringatur ad ſpeciem, ſive differentiam, *actores*; idem eſt, ac velle, quod differentia *irrationale* contrahi poſſit ad contrariam *rationale*, vel ad ſpeciem *homo*. Nam quemadmodum terminus *animal* indifferens eſt, ut contrahatur ad differentiam *rationale*, aut *irrationale*; ita terminus *cauſa*, ut contrahatur ad differentiam *activam*, aut *paſſivam*. Verum ſicut *animal*, reſtrictum ad unam illarum differentiarum, nequit contrahi ad aliam contrariam; ita genus *cauſa*, reſtrictum ad *paſſivam*, contrahi non valet ad *activam* oppoſitam.

XXIV.

XXIV. Neque officit, quod privilegia Mendicantium noviter confirmata reperiantur à Benedicto XIII. per bullam *Summe decet*, ex adverſo allegatam. Reſpondetur namque, hanc confirmationem habere quidem expreſſam clauſulam limitativam, *Dummodo ejuſmodi literæ, et declarationes Concilii Trident. decretis non adverſentur*; ut videre eſt in eadem bull. § *Una*. Hæc autem limitatio, atque reſtrictio, non ſolum reſpicit, et appellat ſuper declarationes ibidem factas, ſed ſuper omnes bullas, aut literas apoſtolicas anteriores, quas ibi explicite, et implicite confirmat. Cum autem expreſſe ſit contra Concilii Trident. decreta, extendi juriſdictionem conſervatorum ad cauſas, in quibus electores ejus *actores* fuerint, ſeſſ. 14. c. 5. de reform. ſequitur, quod hæc nova prædictorum privilegiorum confirmatio nil in hoc puncto eis ſuffragetur.

XXV. Corroboratur hæc evidentia ex diſpoſitione alterius conſtitutionis, *In ſupremo*, ejuſdem Bened. XIII. confirmatoria alterius Innoc. XIII. quæ incipit *Apoſtolici*; in qua idem Benedictus, § 26. confirmat ac renovat conſtitutiones Innoc. IV. Alex. IV. Bonifac. VIII. Gregor. XV. et alias, necnon decreta Concilii Trident. ſuper hac eadem materia *conſervatorum*, cum ampliſſimis clauſulis derogatoriis, ut in ea videre eſt, ſignanter § 6. in verbis infra tranſcribendis.

XXVI. Nec ulterius obeſt ſubtilitas illa, qua aliqui regulares, à quodam ſæculari civiliſta ſuggeſti, aſſerere conati ſunt, reſtrictionem illam, *Dummodo ejuſmodi literæ, et declarationes*, &c. appellare, et percutere ſolummodo duo decreta, aut duas declarationes cardinalium dumtaxat, reſtrictioni eidem mediatas, et anteriores, quæ jam (ut ipſi effutiunt) ſuam propriam reſtrictionem habent in § antecedenti: *Dummodo earum exiſtentia legitime et valide comprobetur*. Hæc ſubtilitas excogitata: verum ——

Convincitur, et falſæ arguitur, hæc ſubtilis interpretatio bullæ Summe decet.

XXVII. 1. Quia, ſi ſecunda reſtrictio ſolum appellaret ſuper decreta, aut declarationes eminentiſſimorum cardinalium, et non ſuper literas, et conſtitutiones apoſtolicas mediatas anteriores, ſic enuntiaret; *Dummodo ejuſmodi declarationes, et decreta*: et non diceret; *Dummodo ejuſmodi literæ, et declarationes*. Et ex eadem bulla convincitur, appellari ibidem *literas apoſtolicas*, bullas, et conſtitutiones Summorum Pontificum; et non declarationes, aut decreta, ſive reſcripta eminentiſſimorum cardinalium Sacrarum Congregationum.

2. Ex inductione bullarum, ſeu conſtitutionum, in hac præſenti *Summe decet* expreſſe, et implicite, confirmatarum: nam in hac præſenti bulla confirmat Sanctitas ſua 112 bullas, ſeu conſtitutiones prædeceſſorum ſuorum, in bullario Romano, et aliis exiſtentium, quas ibidem vocat *literas apoſtolicas*; quas inter expreſſe ingreditur bulla, *Etſi Mendicantium*. Præter iſtas confirmat etiam expreſſe quatuor bullas noviſſimas ab eodemmet Benedicto XIII. eiſdem Mendicantibus conceſſas, confirmatorias aliarum prædeceſſorum ſuorum, ut viſitur in ead. bulla, § 2. in fin. ubi referuntur prædictæ bullæ confirmatæ.

Deinde in § ſequenti, *Quare*, confirmat implicite *alias quaſcunque apoſtolicas literas quomodocunque editas, atque vulgatas, dummodo earum exiſtentia legitime et valide comprobetur*. Ubi recognoſcitur, hanc reſtrictionem, *dummodo earum exiſtentia*, &c. reſpicere, et cadere ſuper has literas apoſtolicas, quas Sanctitas ſua hic implicite, et non expreſſe, confirmet, eo quod de earum exiſtentia certe non conſtet; et ideo requirit illius validam, et legitimam comprobationem; non tamen reſpicere, nec appellare ſuper illas 112 bullas memoratas prædeceſſorum ſuorum, quas expreſſe confirmat; eo quod de harum exiſtentia non dubitetur, utpote in bullario Romano contentarum, in quo tamen non reperiuntur aliæ Mendicantibus conceſſæ, quæ apud Rodrig. Donat. Dian. Salmanticenſ. et alios, inveniuntur.

XXVIII. 3. Quia aliter ſequeretur, bullam *Summe decet* confirmare abſolute, et quoad omnia, conſtitutionem *Etſi Mendicantium*, de cujus exiſtentia non dubitatur, etiam in iis, quæ ſacri Concilii Trid. decretis adverſantur: quod quidem abſurdum eſſe, clare dignoſcitur ex ipſiuſmet Concilii Trident. decretis, ex bullis *Inſcrutabili*, Gregor. XV. *Apoſtolici*, Innoc. XIII. *In ſupremo*, ejuſdem Bened. XIII. et ex ſtatutis, atque ab eodem decretis in nupero Concilio Lateranenſi, et à Clement. VIII. ibidem, et ab aliis alibi; et tandem ex illa expreſſa limitatione, ac reſtictione in eadem conſtitutione *Summe decet: Dummodo ſacri Concilii Trident. decretis non aſſerventur*.

Alias ſibimet ipſi contraria, et aperte adverſans hæc bulla equidem foret; et inſuper adverſaretur etiam decretis ab eodem Pontifice in novo Concilio Lateranenſi, quorum diſpoſitioni, ac obſervantiæ, remittit privilegia Mendicantium quoad ordinationes extra tempora, ut conſtat ex eadem bulla *Summe decet*, § *Quare*; ibi: *Ut nuper à nobis in Concilio Lateranenſi, et per congregationem particularem decretum eſt*. Et expreſſe in eodem Concilio Lateranenſi ſuper hac eadem materia conſervatorum, renovat idem Pontifex Benedict. XIII. decreta Concilii Trident. et diſpoſitiones bullæ Gregor. XV. et aliorum Pontificum, in præfata conſtitutione *In ſupremo*, eidem Lateranenſi Concilio inſerta, in quo omnino etiam videndi ſunt tt. 21. et 22. et 23. ſuper aliqua Mendicantium privilegia, contenta in bulla cit. *Etſi Mendicantium*.

XXIX. 4. Quia in ipſiſmet quatuor bullis nuperrimis, et propriis ipſiuſmet Bened. XIII. in præſenti *Summe decet*, ab eodem confirmatis, quæ etiam confirmatoriæ ſunt aliarum prædeceſſorum ejus, ſimiles opponuntur expreſſe clauſulæ reſtrictivæ, ac limitativæ: *Quatenus Concilii Trident. decretis non adverſentur*; appellando ſuper eadem privilegia, quæ confirmat: ergo idem dicendum de præſenti conſtitutione *Summe decet*. Et hic etiam adnotare oportet, quod Pius IV. Pius V. Gregor. XIII. et alii, qui privilegia regularium ad terminos juris communis, et ſpecialiter Concilii Trident. reduxerunt, alia plura privilegia eiſdem regularibus confirmantes, in omnibus confirmationibus ſimilibus clauſulis reſtrictivis utuntur, ut videre eſt apud Donat. p. 2. tr. 17. q. 3. *de conſervatorib.* et in eiſdem bullis confirmatoriis.

XXX. 5. Quia cum Benedictus XIII. in ſubjecta bulla *Summe decet*, confirmet etiam privilegia, quæ minores habent via communicationis cum cæteris regularibus, et noviter ea illis communicet, ſi reſtrictio illa, *Dummodo Concilii Trident.* &c. non caderet ſuper omnes bullas, et ſuper omnia privilegia, quæ hic confirmat, ſequeretur, poſſe religioſos minores gaudere et uti omnibus privilegiis ſpecialibus, ſpeciali nota dignis, quæ exorbitant à jure communi, et opponuntur, ac adverſantur decretis Concilii Trident. quæ quidem reperiuntur aliis religioſis conceſſa; qualia ſunt, privilegium utendi mitra, et baculo, et conſecrandi patenas, calices, ac altaria portalia, quod abbates Benedictini retinent; et privilegium ordines minores ſuis ſubditis conferendi, quo gaudent abbates, et priores generales canonicorum regularium; et privilegium recitandi officium Paſchale, uſque ad Pentecoſten, quod habent Dominicani; et alia hujuſmodi; quod nemo concedet, neque ipſe etiam illuſtriſſimus aſſertus conſervator, de hac re conſultus, concedere auſus eſt. Imo foret contra generalem torrentem DD. Petra, tom. 5. in conſt. 10. Sixti IV. n. 16. et in conſt. 6. Urban. IV. n. 28. Fagn. in c. *Cauſam*, de reſcript. tom. 1. Pignatell. tom. 10. conſ. 1. à n. 32. et alii apud Deluc. de diſc. diſc. 38. n. 3. et 16. et de regular. diſc. 33. n. 14. et adeſt regula 28. de reg. jur. in 6. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*.

XXXI. Deinde, eſt etiam communis theologorum doctrina, quod regulares, neque in foro conſcientiæ uti poſſunt privilegiis etiam *implicite dumtaxat*, à ſacro Concilio Tridentin. revocatis, de quo P. Viva in prop. 36. Alex. III. n. 11. Cardin. Petra, tom. 5. in conſt. 6. et 15. Sixt. IV. et in conſt. 7. Pii II. Pellicion. c. 99. et alii apud illos. Nec talia privilegia, ſemel quod eis appoſita fuit clauſula, *Dummodo decretis Concilii Trident. non adverſentur*, poſſunt dici, aut reputari innovata, et confirmata per alias bullas, aut confirmationes poſteriores, ut expreſſe contra aliquos regulares antiquos reſolvit idem Viva, cit. n. 11. in fin. ibi: *Neque dici poteſt, quod hujuſmodi privilegia*

per

per innovationem, et confirmationem privilegiorum, reſtricta ſint Mendicantibus; nam in iis confirmationibus addi ſolet clauſula illa; Dummodo decretis Tridentini non adverſentur: ergo per confirmationes privilegiorum non cenſentur reſtricta, atque adeo neque iis poſſunt Mendicantes uti in foro conſcientiæ, quicquid in contrarium docuerit Rodrig. cum Mirand. et Portel.

XXXII. Præterea eſt etiam doctrina certa, et communis apud Monacell. p. 2. tt. 13. form. 4. n. 34. et ſeqq. et tt. 14. n. 14. form. 1. quod *regulares, qui gaudent privilegiis Sedis Apoſtolicæ per ſolam communicationem, illis uti non poſſunt, quoties ſunt tertio præjudicialia*, ex variis S. Congregationis deciſionibus ibidem utroque loco cit. Accedit etiam Donat. in prax. regular. tom. 1. p. 1. tr. 7. de communicat. privileg. q. 14. n. 10. Deluc. de paroch. diſc. 38. n. 3. et 16. et alibi.

Effugium quoddam præcluditur.

XXXIII. Audivi regularem quendam pro confirmatione privilegiorum Concilio Tridentino adverſantium, ex vi præſentis bullæ *Summe decet*, ſic ratiocinantem; videlicet, Quod plures ex bullis per præſentem confirmatis, aliam gratiam, aut privilegium non continebant, niſi Tridentino oppoſitum; ac per conſequens, ſi cum hac reſtrictione, *Dummodo Concil. Trident.* &c. confirmarentur; ſequeretur, quod confirmatio fruſtratoria, ac illuſoria redderetur; nil enim remaneret, quod confirmaret.

XXXIV. Sed contra, 1. Quia non deſignabat, ut debebat, quales forent hæ bullæ, quas autumabat nullum aliud privilegium continere, niſi Concilio Tridentino oppoſitum. Deinde hæc ratio aſſignatæ ſequelæ illius, non militat in quinque bullis D. Pii V. inter quas ingreditur bulla *Etſi Mendicantium*, neque in aliis Pii IV. Sixti V. Gregor. XIII. et aliis, quas potui examinare: omnes namque potens non fuit, utpote quæ alia privilegia, præter Tridentino adverſantia, indulgent.

Contra, 2. Quia unum ex motivis hujuſce ſupplicatæ confirmationis, ut ex eadem colligitur, fuit, quia de aliquibus dubitabatur, an exiſtebant, anve penitus revocatæ erant per præmiſſam reductionem ad terminos juris communis, et Concilii Tridentini; et certum omnino eſt, idem non eſſe formaliter, *revocationem totalem*, atque *reductionem partialem*, aut etiam *totalem* cujuſlibet bullæ ad terminos prædictos. Et ad ſalvandam tum gratiam præfatæ confirmationis, tum etiam præmiſſam reſtrictionem, ſufficiebat equidem hæc non revocationis declaratio, vel res aliqua, etſi minima, quæ adhuc reſtaret, ac ſubſiſteret, ut communiter docent DD. cum Cardin. Petra, cit. tom. 5. in conſt. 10. Sixt. IV. et conſt. 7. Pii II. Fagn. in c. *Cauſam, quæ*, de reſcript. n. 24. et 26.

XXXV. Contra, 3. Quia Sanctitas ſua, quando ſimiles bullæ pro confirmatione ſibi proponuntur, non decidit, nec reſolvit, an Concilio Tridentino opponantur, necne? ſed confirmat *ſimpliciter* quod ſibi proponitur cum ordinaria clauſula, *Dummodo Concilii Trident. decretis non adverſentur*. Et, dato, quod aliqua privilegia *in totum* Trident. Concilio opponantur, ſufficit, quod alia ex confirmatis, ſaltem *totaliter*, non adverſentur, ad hoc, ut gratia confirmationis illuſoria non reddatur. Quemadmodum gratia abſolutionis, et eadem confeſſio ſacramentalis illuſoria, aut fruſtratoria non redditur, ſi pœnitens cum pluribus ſcrupulis impertinentibus, quæ peccata non ſunt, ſimul confeſſus fuerit unum, aut duplex, quod peccatum, ſaltem leve, extiterit. Et in modo diſcurrendi ſuper hac materia videant reverendiſſimi deputantes diſcurſum proprii *Caducei Sinici* ſuper reſolutionibus Clem. IX. et Clem. XI. circa ritus Sinicos, § 3. et 4. et 5. per tot.

XXXVI. Contra, 4. Quia etiam in c. 1. de reſcriptis, conceditur cuilibet perſonæ privilegium, ut in cauſis eccleſiaſticis appellare poſſit; quod quidem jam ex jure communi omnibus licitum, et conceſſum reperiebatur: et tamen DD. hanc gratiam à nota *illuſoriæ*, aut *fruſtratoriæ* abſolvunt, aſſerentes, eſſe confirmationem illius, quod jam à jure communi conceſſum erat. Gaſparr. inſtit. can. p. 3. tt. 10. ergo ſimiliter, proportione ſervata, de hac confirmatoria diſcurrendum eſt. Super quo videatur Cardin. Petra, tom. 3. in conſt. 4. Innoc. IV. et tom. 2. in conſt. 6. Honor. III. ubi in 57. ex c. *Cum olim*, de privileg. et c. *Quia*, de procurat. ſic ait: *Conſtat ſæpe, Summos Pontifices concedere illud idem, quod competebat jure communi . . . . Conceditur autem de novo privilegium privilegiato pluribus ex cauſis, etiam præciſa neceſſitate:* 1. *Ad compeſcendos privilegii contradictores, et ut liberius privilegiati jure ſuo utantur:* 2. *Ad juris ſui comprobationem:* 3. *Ad ſcrupulos removendos:* 4. *Ad diſſenſionem ſedandam*, &c.

XXXVII. Neque officit, quod in dicta confirmatoria bulla, *Summe decet*, interdicitur illuſtriſſimis ordinariis, et aliis quibuſlibet judicibus, præter Summum Pontificem, poſſe privilegia regularium interpretari. Reſpondetur namque, 1. Prohibitionem ſic formaliter eſſe: *Sicque, et non alias, per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos . . . . judicari et definiri volumus.* Ubi inſpicitur, non interdici abſolute, *ſed alias, aut aliter judicari:* imo ex particula illa, *Sicque volumus judicari*, ſatis colligitur ordinarios, ac delegatos, poſſe definire, ac judicare *conformiter* ad bullæ tenorem, *et non aliter*, modo infra declarando. Neque clauſula hæc ſpecialis eſt, ſed generalis pro reliquis bullis, ac conſtitutionibus, in quibus *aliter judicari, vel interpretari*, prohibetur.

Reſp. 2. Cum communi et ſatis trita doctrina, quod per ſimiles clauſulas nec prohibetur interpretatio *literalis, materialis, et grammaticalis*; Petra, tom. 3. in conſt. 12. Clem. IV. n. 6. Fagn. in c. *Cum veniſſent*, de judic. et alii paſſim; nec interpretatio *doctrinalis*, quam facere poteſt quilibet doctor, aut bullæ expoſitor, et ipſimet prælati regulares, quibus conceſſa eſt, Petra ibid. n. 22. Fagn. ibid. Rodrig. q. 11. a. 4. neque etiam interdicitur interpretatio *judicialis*, quam facere poſſunt judices ordinarii, ac delegati, de clauſulis claris, imo etiam de dubiis, *quoad deciſionem caſus non comprehenſi*, præſertim in loco à curia diſtante, Deluca de juriſdict. diſc. 8. et de regularib. 74. Mareſc. var. l. 2. c. 37. n. 29. Petra cit. n. 15. plures Rottæ deciſiones, et duplicem modernam anni 1706. adducens.

XXXVIII. Unde ſola prohibetur interpretatio *auctoritativa*, quæ ſpecialis eſt Summi Pontificis, aut Sacræ Congregationis, ab eo ad id deputatæ, Petra cit. n. 6. Paſſerin. l. 3. q. 189. Tambur. de jur. abbat. tom. 1. diſp. 15. et eſt text. expreſſus in c. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6. quod privilegia tam perſonarum religioſarum, quam ſæcularium, *exhibeantur coram ordinariis*; et perſcribitur forma ibidem, qua de illis cognoſcere debent. Et ex eiſdem bullis gratioſis, aut privilegiativis, ſatis colligitur, quia quod ordinariis prohibetur, eſt expreſſe, aliter *definire, aut judicare*; non vero *ſic*, ſeu *conformiter* ad gratiam, et ejus declarationem.

XXXIX. Denique in alia conſtitntione, *In ſupremo*, ejuſdem Bened. XIII. confirmativa alterius *Apoſtolici*, Innoc. XIII. nupero Concilio Lateranenſi anno 1725. celebrato, annexis, § 6. ſic habetur: *Quo vero ad conſervatores judices, inviolate cuſtodienda erit norma præſcripta in conſtitutionibus Innoc. IV. Alex. IV. Bonif. VIII. Greg. XV. aliorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum hac de re editis, necnon in decretis Concilii Trident. ſub pœnis ibid. contentis, quas præſenti noſtra conſtitutione innovamus, et confirmamus.*

Et § 27. ponit ampliſſimas, et ſpecialiſſimas derogatorias, cum ſpecialibus clauſulis irritantibus, etiam pro ſocietate Jeſu: *Etiam non obſtantibus* (ait) *quæ prædictus Innocentius prædeceſſor in literis ſuis præ incertis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.* Et credibile non fit in proximitate hujuſce duplicis bullæ, quod Summus Pontifex Benedict. XIII. ſibimet contrarius, intra duplicis anni ſpatium, eſſe voluiſſet, confirmans, et amplians, per bullam *Summe decet*, id ipſum, quod per bullam *In ſupremo* adeo nervoſe reſtrixerat.

Adeatur præterea Fr. Jacintus Donatus Dominicanus, in hocmet titulo de *conſervatoribus*, tr. 17. q. 3. n. 4. ubi de Summo Pontifice Gregor. XIII. ſic ait: *Prædictus dominus Papa* (Gregorius XIII.) *fuit vigilantiſſimus*

gilantissimus custos Concilii Tridentini, ad cujus terminos reduxit privilegia nobis concessa à Pio V. *et alia confirmavit, cum illa clausula, Dummodo non sint contraria, vel adversentur sacris canonibus, et decretis Concilii Tridentini,* &c.

Tertia Resolutio.

XL. Nulla etiam, aut saltem minus legitima fuit prædicta deputatio, eo quod absoluta fuerit, et non restricta ad *quinquennium* expressum in præfata bulla Gregoriana, *Durante quinquennio*; et insuper in Concil. Trid. d. sess. 14. c. 5. de reform. *Nemo etiam similium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere poterit:* ubi particula *poterit*, non solum illicitudinem, sed etiam invaliditatem adversariæ dispositionis ostendit, ut expresse declarat Gavanto in manual. prælator. verb. *Conservator*, n. 3. *Literarum conservatoriarum beneficium non valet ultra quinquennium, ex Trid. ibid. sess.* 14. *c.* 5.

Et ideo formularium Romanum Monacell. p. 3. tt. 1. form. 50. adducens formam generalem, qua regulares omnes conservatorem debent eligere, expressam limitationem *quinquennii* per hæc verba apponit: *Transferentis in eum plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem similibus conservatoribus de jure, vel de consuetudine competentem, per quinquennium tantum duraturam.*

Eandem limitationem exprimit Donatus, A. regularis, in formula, quam etiam affert, tom. 1. prax. regul. p. 2. tr. 17. q. 32. ibi: *Per quinquennium tantum duraturam:* qui loquens de aliis formulis, quas Peyrinis, Novarinus, et Portellius designant, eas non approbans, sic ait: *Tu vero, qui brevitati studes, hac utere, et non errabis.* Et eandem expressam limitationem quinquennialem adducunt alii AA. etiam regulares.

Accedit Almeida, D. sæcularis, *de numero quinario*, ubi, p. 1. alleg. 6. n. 5. et 6. ita inquit: *Ampliores illæ clausulæ de stylo hodierno . . . . trahi ad ea, quæ de jure reperiebantur denegata, ut nemo similium literarum beneficio ultra quinquennium possit gaudere*; et § antecedenti, sic ait: *Imo prædictæ clausulæ ampliss imæ reduci debent ad terminos d. c.* 1. *final. ita ut literæ conservatoriæ non intelligantur ampliatæ.*

XLI. Ex quo clare convinci videtur, dictam limitationem conciliarem *ultra quinquennium*, et Gregorianam, *Durante quinquennio*, apponi hic, ut formæ inductivam; et cum ex jure certum sit, quod, *Omissa forma legis, corruit actus*; ex regul. *Quæ contra*, de regul. jur. in 6. et ex c. *Quia propter*, de elect. et ex l. *Tradition.* cod. de pact. consequens est nullitas, aut illegitimitas, literarum illius deputationis conservatoriæ ampliori forma expeditarum.

Hic autem adnotandum venit, quod quando Sacra Congregatio per seipsam deputat aliquam dignitatem, aut canonicum ecclesiæ cathedralis, aut metropolitanæ in Sardinia insula, in conservatorem collegii RR. PP. Societatis Jesu, eum deputare solet eadem clausula expressa ad *quinquennium*, ut asseverat Cardin. Deluc. de jurisdict. disc. 49. n. 1. ibi: *Consuevit Sedes Apostolica ad quinquennium aliquem canonicum cathedralis, vel metropolitanæ, deputare in judicem generalem per verba præcisa*, &c.

Imo etiam citatus Fr. Laurentius Peyrin. in suo formulario, p. 3. c. 20. n. 2. sic ait: *Noto*, 2. *Quod illa clausula pro futuro dumtaxat quinquennio, significat*, &c. *Unde consulo, ut semper dicta clausula in conservatoriis apponatur.*

XLII. Unde, cum verba bullæ Gregorianæ, *Durante quinquennio*, nedum intelligi debeant *limitative quoad remotionem*, verum etiam *limitative quoad deputationem, aut nominationem*, juxta praxim, et generalem acceptionem, et ipsam conciliarem dispositionem, quæ est inductiva formæ, secundum præmissa; sequitur, quod, annullante prædicta bulla Gregoriana deputationes, aut monitiones, *aliter expeditas*; et loquente concilio ipso per verba invaliditatem denotantia, juxta explicationem Gavant. *Non possit*; *non valet*; sequitur, inquam, quod præsens nominatio absoluta, absque forma illa, aut restrictione quinquennali invalida utique fuit. Quod quidem confirmari potest ex præfata constitutione, *In supremo*, Bened. XIII. quæ innovat, *et inviolate* jubet observari decreta prædicti concilii, et constitutiones *hac de re editas.*

XLIII. Neque RR. PP. deputantibus suffragari videntur excusationes *à Judicioso* coloratæ; prima, Quod præsens nominatio transcripta fuerat ex alia, quam affert Portel. verb. *Conservatores.* Secunda, Quod exemplar aliarum in hac re expeditarum secuti sint. Redarguitur enim prima excusatio, ex eo quod Portellius sit A. antiquatus, et doctor theologus, et in praxi, ac forensibus terminis, ac rebus, non sufficienter instructus. Et in his materiis præferendi utique sunt doctores juristæ theologis, ut docent Cardin. Deluc. de usur. disc. 36. de jurisd. disc. 52. de matrim. disc. 3. et 5. n. 12. Themud. d. 273. n. 15. Gratian. p. 4. c. 12. et p. 9. c. 14. Sperell. dec. 129. n. 28. adducens illam notabilem Rottæ decisionem in controversia validitatis censuræ c. *Non solum*, de regularib. in 6. ob professionem cujusdam monialis ante completum probationis annum; ibi: *Rotta determinavit, dictas moniales incidisse in censuram d. c.* Non solum, *quia poterant et debebant consulere canonistas potius, quam theologos.*

Secunda autem excusatio etiam redarguitur ex eo, quod duo exemplaria, quæ RR. PP. Jesuitæ imitati sunt, fuerunt duo præcedentes deputationes, alia PP. Eremitarum Augustinianorum; alterum vero PP. Reformatorum Franciscanorum provinciæ Matris Dei; utraque in personam ejusdem illustrissimi præsulis Malacensis facta: quas quidem ob ipsummet defectum, et ob alias nullitates substantiales, per sententiam finalem in judicio contradictorio, ut promotor justitiæ, annullari feci; et utriusque sententia in publica audientia ecclesiastica hujus civitatis Goanæ publicatæ sunt; prima prolata die 10. Martii, et edita die 11. ejusdem mensis ann. 1730. Secunda vero lata die 24. et publicata die 29. ejusdem mensis et anni. Neque partes utrique sententiæ impedimenta objecerunt, neque ab eis appellârunt, aut aliqualiter recurrerunt ob notoriam et claram justitiam utriusque, ut ex actis in Pontificia hac camera asservatis constabit; et sic hoc transiit in rem judicatam.

Quarta Resolutio.

XLIV. Fuit invalida, aut saltem minus legitima, eadem deputatio, eo quod facta et subscripta fuerit singulariter ab admodum R. P. Henrico Pereira, provinciali societatis hujus provinciæ Goanæ, cum deberet etiam facta et subscripta esse à reliquis patribus concilii sui. Est expressa resolutio Cirin. nex. utr. jurisd. c. 6. n. 22. ibi: *Data vero electione juxta formam dictæ Gregor.* XV. *constitutionis cum consensu capitularis ordinis . . . nec amoveri possit, nisi cum causa legitima, et in capitulis provincialibus mutentur: Piasec. p.* 2. *c.* 3. *n.* 43. *Panimol. dec.* 84. *n.* 3. &c.

Et Monacell. cit. p. 3. d. form. 50. aperte dicit, debere fieri electionem et subscriptionem à prælato, et reliquis ejus consiliariis, in hanc formam: *Nos infrascripti PP. monasterii N. in unum capitulariter congregati, ut juris et moris est . . . eligimus, deputamus, nominamus, et constituimus*, &c. *In quorum fidem subscribimus manu propria in conventu N. Ego Fr. N. prior eligo, ut supra. Ego Fr. N. magister sacr. theologiæ eligo, ut supra*; et sequuntur aliorum subscriptiones.

Hanc eandem eligendi formam affert Donat. cit. q. 32. et alii laudati à Cirin. d. c. 6. n. 22. qui cum Piasec. et Panimol. asserit, quod etiam non mutantur nisi *in capitulis provincialibus:* et Peyrin. etiam in formula sua, c. 20. n. 9. expresse ponit hanc solemnitatem; ibi: *In suo provinciali capitulo, in conventu N. celebrato*, &c.

XLV. Et quamvis religio societatis non habeat capitulum provinciale, aut definitorium, habet concilium, quod eisdem æquivalet; proindeque in concilio suo debebat hæc electio fieri, ex reg. 29. de regul. jur. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari:* ubi gloss. *Aut competit, ut singulis, aut ut collegio, ut notatur per Barthol. et Innoc.* &c. De quo videatur etiam Pelizar. d. *Societatis*, qui man. regul. tom. 2. tr. 8. c. 8. sess. 4. n. 86. sic ait: *Quia puto hujusmodi electionem, cum sit res gravissima, non esse faciendam à prælato sine consortio monasterii: quamvis revera*

revera id non præſcribatur; ſiquis vero cupit videre formam creandi conſervatorem, conſulat Portell. ſupra: et quidem, quod requiratur conſenſus capituli, expreſſe docet Bordonus, tom. 2. reſolut. 95. n. 16. et inde probat, quod conſervator eligitur favore totius monaſterii; et alioqui, Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.

Quinta Reſolutio.

XLVI. Fuit etiam nulla præfata deputatio conſervatoris, eo quod facta fuerit in perſonam illuſtriſſimi D. Fr. N. qui quidem notorie ſuſpectus erat, et male affectus erga illuſtriſſimum archipræſulem, metropolitanum ſuum; ob quam notorietatem jam in ſimili electione Franciſcanorum Reformatorum recuſatus fuerat; quæ recuſatio adhuc actu pendet, eo quod illuſtriſſimus recuſatus hactenus ad arbitri ſui nominationem devenire recuſat, ac detrectat.

Probatur igitur reſolutio ex bulla Gregoriana *Sanctiſſimus*, § 12. ibi: *Judicem non ſuſpectum:* et ex Trid. c. 5. ſeſſ. 14. de reform. ibi: *Quodſi in iis caſibus, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conſervator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur . . . nequaquam in cauſa procedatur*, &c.

Ubi notari debent verba illa, *Suſpectus eſſe dicatur*; quæ denotant, ſufficere ad ſuſpendendum conſervatoris procedimentum, verbalem allegationem ejus ſuſpicionis; quod quidem eſſe juri communi conforme, conſtat præter Trident. cit. ex c. *Si contra*, c. *Judex*, de offic. deleg. ubi Barb. et reliq. DD. et ex ord. reg. l. 3. tt. 21. § 4. Peg. ad eand. Valenſuel. conſ. 43. n. 170. Giurb. conſil. 9. n. 3. Lancel. de attent. p. 2. c. 6. Guerr. de recuſation. l. 5. c. 7. n. 7. Mend. in prax. Fragoſ. et alii apud illos. Quod autem judices conſervatores recuſari poſſint, eſt communis doctrina cum Mend. in prax. p. 1. l. 2. c. 12. n. 7. et p. 2. l. 2. c. 3. et 7. Monacell. p. 1. n. 6. in append. ad bull. Gregorian. Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 106. n. 32. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 13. Donat. cit. tr. 17. q. 44. Per. de man. reg. c. 4. Pignatell. conſ. cit. Deluc. de regular. diſc. 1. et de juriſdict. diſc. 49. et in annot. ad Concil. Trident. cit. c. 5.

XLVII. Et certum etiam de jure eſt, quod *in judice ſuſpecto deficit juſtitia, judicium, et veritas.* Guerr. de recuſat. l. 1. c. 1. n. 3. cum Deluc. prax. judicial. c. 13. Guaſad. Pilo, controv. c. 37. n. 6. Et quod *periculoſum eſt coram ſuſpecto judice litigare; et quodammodo naturale eſt ſuſpectorum judicum inſidias declinare*, c. *Quod ſuſpecti*, 3. q. 5. ubi gl. et denique, quod habere in judicium quemlibet hominem ſuſpectum, *eſt habere lupum pro paſtore, homicidam pro medico, tyrannum pro defenſore*, Scacc. de re judic. gl. 1. q. 1. n. 250. Roman. conſil. 13. n. 35. Guerr. cit. n. 5. ex quo clare ſequitur, nullam fuiſſe prædictam deputationem, ex l. *Apertiſſimi*, 16. codic. de judic. et nulla omnia procedimenta illuſtriſſimi conſervatoris electi, præſertim poſt illam recuſationem, à me intentatam, quæ adhuc pendet. Deluc. de judic. diſc. 13. n. 31. et reliqui DD. citati.

Notorietas autem hujus ſuſpicionis manifeſte liquet ex injurioſis epiſtolis ab illuſtriſſimo recuſato ad ſuum illuſtriſſimum archipræſulem metropolitanum directis, quas, etiam antequam ad manus illuſtriſſimi metropolitani devenirent, jam illuſtriſſimus recuſatus publicari fecerat; et ex duplici libello famoſo, ac ſatirico, ad valvas aliquarum eccleſiarum, et palatii archiepiſcopalis, affixo, ab illuſtriſſimo Malacenſi dictato, et alio à quodam familiari ſuo, nomine *Antonio da Silva*, alio vero à ſervo ſuo *Antonio de Moraes* conſcripto, ut juſtificatum teſtibus, ex ſcientia, reperitur; et evidentius ex propria ipſius charta fixatoria diei 18. currentis menſis Auguſti, in qua in plura improperia adverſus illuſtriſſimum metropolitanum ſuum debacchatur, eum multipliciter *injuſtum* vocitans, et quod ejus injuſtitiæ, ac violentiæ, maris arenas numero excederent, et alia hujus furfuris ſcommata: omitto alia. Quæ quidem ſufficientia eſſe ad recuſationem colligere quiſque poterit ex traditis per Guerr. cit. l. 1. c. 4. n. 12. uſque 21. Cardoſ. in prax. verb. *Recuſatio*, Menoch. l. 5. præſumpt. 43. Barb. ad ord. l. 3. tt. 21. n. 33. Farinac. in fragm. verb. *Judex*, Maſtrill. dec. 151. n. 49. p. 2. Barb. in c. 2. requir. 41. n. 8. Fontanell. Fermoſin. et alii.

Nec illuſtriſſimum manifeſtantem relevat, quod allegat; *Suſpiciones*, videlicet, *prius per arbitros dedendas fore*; et, *In conſervatoria pro violentiis manifeſtis intervenire non poſſe ſuſpicionem, aut recuſationem*, &c. Non relevat, inquam; nam ſecundum aſſertum ex dictis ſuperius ſatis convincitur. Primum autem etiam evincitur ex ſupra inſinuata notorietate recuſationis ejuſdem illuſtriſſimi *manifeſtantis*, in conſervatoria Reformatorum, quæ ad acta redacta, et juxta ſtylum articulata, adhuc pendet, ob induſtrioſam repugnantiam, atque moram vitioſam, qua, non obſtantibus crebris contrariis ad inſtantiam meam notificationibus, idem illuſtriſſimus electus hactenus ſuum arbitrum, ſaltem ad exemplum illuſtriſſimi archipræſulis, qui ſuum jam deputaverat, nominare obluctatur.

XLVIII. Et ſufficiebat præcedens hæc recuſatio, adhuc pendens, ad hoc, ut illuſtriſſimus Malacenſis noviter in idem conſervatoris officium à RR. PP. ſocietatis eligi non poſſet, neque ad aliquid procedere, tum ex cit. c. Concil. Trident. atque bull. Gregoriana; tum ex eo, quod rationes ſuſpicionis ac recuſationis generales erant, et ad omnes cauſas; Guerr. cit. l. 2. c. 8. et l. 5. c. 7. et l. 3. c. 16. n. 28. et l. 4. c. 1. et ſeqq. et adeſt tex. in c. *Cum ſpeciali*, de appellat. et in l. *Apertiſſime*, de judic. c. 2. ex quibus, et aliis juribus, cit. Guerr. d. l. 3. c. 16. n. 28. et 29. ſic ait: *Non ſufficit, quod quis recuſatus ſit in aliqua cauſa, ut in cæteris omnibus recuſari valeat, niſi cauſa ex ſua natura generalis ſit quoad omnes, prout inimicitia, aut ſimilis . . . ex generalibus regulis dictantibus, quod generalis cauſa omnes comprehendit*, de qua Barb. ax. 40. et 197.

Sexta Reſolutio.

XLIX. Nulla etiam fuit, minuſque legitima, ac defectuoſa præmiſſa nominatio, ſeu deputatio, ex aliis pluribus titulis, ac fundamentis.

1. Quia RR. nominantes debebant certam facere poſſeſſionem, in qua erant in hoc ſtatu, et in hac ſua Goana provincia, conſervatorem eligendi, et quo tempore facta fuerit ultima eorum electio, ut conſtaret, an nova hæc intentata electio illis quidem, an ordinario loci pertineret, ex communi doctrina, de qua cit. Donat. d. tr. 17. de conſervat. q. 33. ex Trident. ſeſſ. 7. c. 14. de reform. Cirin. nex. utr. juriſd. c. 6. n. 21. ibi: *Negligentibus autem regularibus ſuum conſervatorem eligere, ex Greg. XV. conſt. ordinarius eccleſiaſticus ſubintrat epiſcopus ex Trident. ſeſſ. 7. c. 14. de reform. Leſan. ſum. tt. 2. c. 10. n. 58. Antonel. de regul. l. 7. c. 2. n. 13. Imo ex centenaria et immemorabili negligentia non eligendi, quamvis facultas hæc eligendi non præſcribatur . . . . attamen ex curſu tantorum annorum, impoſſibilitas oritur eligendi: merito perperam allegatur apoſtolicum privilegium, inſinuat Deluc. de regul. diſc. 51. n. 11. et 12.*

Verba autem Concil. Trident. hac de re d. ſeſſ. 7. c. 14. ſunt ſequentia: *Quomodolibet exempti, etiamſi certum judicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, ſi ipſum judicem non habuerint, coram locorum ordinariis conveniri.*

Et deciſum habetur in famigerata cauſa Angelopolitana, dub. 6. ibi: *An regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia teſtamentorum executores, poſſint conveniri coram ordinario, ſi conſervatores non nominaverint intra tempus habile ab ordinario conſcriptum?* Reſp. *Regulares in cauſis præfatis coram ordinario loci eſſe conveniendos, ſi ad præſcriptum conſt. Greg. XV. conſervatores non elegerint, ipſumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipſius ordinarii non exhibuerint.*

L. Quod quidem confirmari poteſt ex diſpoſitione bullæ Gregorian. *Sanctiſſimus*, § 6. et 7. *Intra ſex menſes à die publicationis hujus conſtitutionis, inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere conſervatores; ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis, documentum infra tempus hujuſmodi penes acta curiæ ordinariorum exhibere, et demittere teneantur; alioquin, eo termino elapſo, quamdiu conſervatores*, ſecundum formam præſentis

sentis constitutionis, *non elegerint, coram eisdem ordinariis conveniantur.*

Juncta annullatoria ibidem, § 3. si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujusmodi, omniaque exinde sequenda, nullius sint roboris, vel momenti. Quo super, ait Panimol. dec. 84. cum Piasec. p. 2. c. 3. *Regulares omnes sibi conservatores eligere debent, eorumque nomina intra mensem locorum ordinariis indicare tenentur; alioquin coram ipsis ordinariis conveniri possunt, ut decisum refert Piasec. Barb. in Trid.*

LI. 2. Quia dato, quod RR. PP. deputantes habeant privilegium conservatorem eligendi, non obstante illa negligentia, aut omissione; sane privilegium illud illustrissimo ordinario præsentare debebant, vel proprium foret, vel participatum dumtaxat, ut terminanter resolvunt Pignatell. tom. 10. conf. 95. et 96. et Monacell. cit. p. 1. et 3. tit. 1. form. 44. n. 6. et reliqui DD. infra cit. in fin. Et quamvis asseverent, se prædictum privilegium habere, eis non creditur, quamdiu illud in forma authentica non exhibuerint, Monacell. cit. p. 3. et decisum reperitur à Sacr. Congregatione in eadem causa Angelopolitana, anno 1648. dubit. 3. *An regularibus, etiam Societ. Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant episcopo in executione decretorum juris communis,* Concil. Trid. et Constitutionum Apostol. ordinarii, debent ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? respondit, *Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.*

LII. 3. Quia in literis deputationis inserere debeant privilegium, cujus virtute electionem illam, seu nominationem faciebant; juxta doctrinam Mend. in prax. p. 1. l. 2. c. 3. n. 4. Peg. for. c. 18. Deluc. de judic. disc. 3. et 9. Per. de man. reg. c. 7. *de conservator.* Monacel. p. 3. tt. 1. form. 13. n. 7. ex c. *Cum injur.* de offic. delegat. ibi: *Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus fueris, exequi non cogeris, quod mandatur*; et cap. *Porro,* de privileg. ibi: *Quod totum ex inspectione privilegiorum plenius advertere potest; et secundum quod inveneris, ita observes:* et ex c. *Cum personæ,* de privileg. in 6. infra cit. de quo etiam Monacell. p. 3. f. 44. n. 6. ait: *Regularibus privilegium, nisi illud exhibeant, non est credendum; quia non tenetur ordinarius tali suppositioni, et assertioni, fidem adhibere.*

LIII. 4. Quia dubio, et non parvo, carere non videtur ampliſſima facultas, quam RR. deputantes in deputationis literis electo conservatori præbent *ad subdelegandum semel, bis, vel quoties opus fuerit,* &c. cum ex jure communi sit certum, *conservatorem non posse subdelegare,* c. fin. de offic. delegat. in 6. ibi: *Vices suas nulli alii committere possunt.* Quod quidem caput innovatur per bull. Gregorian. Monacell. cit. p. 1. n. 3. Deluc. de regul. disc. 1. n. 33. Nicol. lucubr. l. 1. tt. 29. n. 13. except. 3. et reliq. DD. supr. cit. Et quando post hanc revocationem novam d. bull. Gregorian. expressum privilegium obtinuissent ad illam, cum ampliſſima præfata amplitudine, deputationem, illud utique coram ordinario exhibere tenebantur, ex d. c. *Cum personæ,* de privileg. in 6. ibi: *Statuimus, ut hi, qui se asserant per privilegia, seu indulgentias Sedis Apostolicæ, exemptos; à locorum ordinariis requisiti, hujusmodi privilegia, vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis ordinariis loco congruo et securo . . . . ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere, necnon de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur . . . Quod si tali privilegio, et præscriptione, asserant se munitos; privilegium quidem ipsum exhibeant,* &c.

Videatur etiam caput final. d. tt. de privileg. ubi Monach. n. 2. Gemin. n. 2. et refert decisum 13. Decembr. 1615. Burrat. dec. 140. et probat text. in c. *Porro,* 7. de privileg. ubi Abb. n. 1. Decius, et omn. DD. cum Menoch. præsumpt. 14. n. 15. (De nullitate autem, et illicitudine acceptationis illustrissimi electi, infra, § sequenti, resolut. 4. agetur).

LIV. Etsi fortasse hic in exclusionem supra traditæ doctrinæ cum Bordon. allegatur, *Privilegia regularium inserta esse in corpore juris*; proindeque ad illorum exhibitionem minime eos teneri; respondebo, cum Pignatell. tom. 10. conf. 94. n. 38. *Bordonus vero dicens, exemptionem competere regularibus de jure communi, quia eorum privilegia inserta sunt in jure communi, hallucinatur: nam licet privilegia inserta in juris corpore faciant jus commune, quoad nominatos, ut voluit Jo. Andor. in c.* Ex, *p. 1. n. 3. de decim. quem sequitur Fagn. in c.* His, qui, *n. 35. de major. et obed. id tamen non procedit, quando privilegium est insertum in corpore juris per modum privilegii, ut declarat dec. in c. in secunda lect. n. 12. de const. Jacob. Niger. in repet. l.* Diem functo, *n. 17. de offic. assert.*

Missos facio alios defectus brevitatis ergo, qui adhuc demonstrari poterant. Unum tamen hic non prætermittam, importunitatis, scilicet, atque intempestivitatis hujus festinantis recursus ad conservatoris deputationem; cum bona ratio, justitia, et æquitas postulabat, quod in casu alicujus justæ querelæ adversus R. vicarium foraneum Tannaensem, prius ad dominum archipræsulem, utpote illius immediatum superiorem, recurrerent pro satisfactione debita; et casu, quo non juste, et favorabiliter eis deferret, et in non favorabili delatione novam vim, aut violentiam notoriam, ac manifestam, eisdem incuteret, tunc medium cujuslibet alterius recursus, vel ad conservatorem, vel ad regios judices, adhuc late eis restabat.

Sect. II.

Nullitates ex parte processus illustrissimi asserti conservatoris.

LV. Demonstrata nullitate electionis, et procedimentorum illustrissimi asserti conservatoris ex vi illius, ob totalem defectum, et incapacitatem materiæ; restat nunc etiam ostendere nullitatem illius processi in se formaliter, ex totali defectu, atque excessu notorio jurisdictionis, tum in privati, ac proprii notarii creatione, tum in repentina censurarum fulminatione adversus illustrissimum metropolitanum suum, tum in reliquis, de quibus per singulares resolutiones agetur. Hic tamen obiter animadverto, sufficientissimum quidem fuisse, ut unica nullitas, tum in deputatione, tum in procedimento illustrissimi conservatoris intercessisset, ad hoc, ut omnia, quæ operatus est, et quæ adhuc procedere attentaverit, nulla omnino, ac nullius roboris, et effectus, reapse reddantur, quin necessarium sit recurrere ad axioma: *Singula quæ non prosunt, multa collecta juvant.*

Prima Resolutio.

LVI. Nullus notorie, ac excessivus fuit processus illustrissimi asserti conservatoris ob erectionem tribunalis, et creationem proprii notarii in persona cujusvis clerici Indi, familiaris sui; ut inspicitur ex ipsa charta deputationis, in qua à retro, propria manu, ac subscriptione, illustrissimus deputatus sic inscribit: *Et pro notario nominamus P. Blasium à Silva.*

Probatur, 1. Resolutio ex Concil. Trid. c. 5. de reform. sess. 14. *Non liceat quoque conservatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum.* Et si posset notarium creare, posset utique tribunal erigere; ad constituendum namque tribunal sufficit judex cum notario, aut scriba judicii sui, ut observat Pignatell. conf. 35. n. 4. tom. 2. citans Nicolaum lucubrat. l. 1. tt. 19. § 38. et alios (de quo infra latius); et ita concludit idem Pignatell. ex verbis ejusdem Concil. Trid. ibid. n. 4. *Exclusa facultate erigendi tribunal, sequitur, quod conservator uti debeat notario, et officialibus curiæ episcopalis, ut resolvit Sacr. Congreg. episcoporum, et regul. in Vicentin.* 10. *Jan.* 1605.

Super qua ejusdem concilii prohibitione etiam Gavanta ita ait, verb. *Conservatores,* n. 17. *Nullum habeant proprium tribunal.* Et quia verificaretur, quod proprium tribunal erigeret, si proprium notarium creare, aut instituere posset, addit idem Gavant. ibid. n. 33. *Notarios sibi sumant, curiæ tantum episcopalis.* Similiter Cirin. nex. utr. jurisdict. c. 6. n. 36. ait: *Neque valent tribunal erigere . . . . . imo tenentur ascisere notarium episcopi.* Quæ veritas decisa reperitur in una Faventina, anno 1667. apud Deluc. de jurisdict. disc. 14. n. 14. Monacell. p. 1. in append.

ad

ad d. bullam Gregorian. n. 1. Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 106. n. 51. ubi ait: *Poteſt conſervator aſſumere ſibi alium notarium habentem facultatem ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis.*

Idem aſſerit Peyrin. male ex adverſo allegatus, qui tom. 3. c. 20. ad 4. loquens in caſu, quo conſervator ab epiſcopo inhibetur, ne utatur aliis notariis, niſi epiſcopalibus; ſic ait: *Conſervator, non obſtante inhibitione epiſcopi, poteſt aſſumere alium notarium habentem facultatem acta ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis, juxta dicta ad primum.*

Ubi aperte inſpicitur, notarium à conſervatore aſſumendum, aut eligendum, debere eſſe vel curiæ epiſcopalis, vel in ea approbatum, *atque habentem facultatem ſcribendi in cauſis epiſcopalibus.*

LVII. Neque facultas conceſſa conſervatori *ad eligendum notarium*, eſt facultas, aut poteſtas, *ad illum creandum*; ſicut facultas conceſſa pœnitenti per bullam Cruciatæ *Ad eligendum confeſſarium*, non eſt facultas ad creandum, aut inſtituendum confeſſarium; neque ad juriſdictionem, aut approbationem ad confitendum eidem conferendam; ſed ad unum ex jam approbatis ſeligendum. Et ex ipſis terminis liquet manifeſte, *eligere* non eſſe idem atque *creare*. Et ſane nullus auctor deſignabitur (neque ex adverſo laudatur) qui, etiam ut probabile, terminanter aſſeveret, conſervatorem poſſe *creare*, *aut inſtituere notarium proprium*; licet aliqui aſſignentur, qui concedant, poſſe *eligere*, *ſeu aſſumere notarium ſibi bene viſum*, *ſeu ad libitum*, ut Peyrin. d. c. 20. Pelizar. ſeſſ. 4. n. 113. et alii apud Cirin. cit. d. c. 6.

Quæ quidem facultas optime ſalvatur, aſſumentibus conſervatoribus notarios apoſtolicos, aut alios à curia epiſcopali approbatos, et habentes facultatem in ea ſcribendi; et ita præter citatos tenent Cardin. Deluc. de juriſdict. diſc. 4. n. 2. et 14. Monacell. 1. p. in append. ad bull. Gregorian. XV. Petr. tom. 4. in conſt. 10. Eugen. IV. et deciſum refertur ab eod. Deluc. in cauſa conſervatoris religioſis Hieroſolymit. ibid. d. n. 14. *Demum, quoad quintum et ultimum quæſitum, an hujuſmodi conſervatores habere poſſint tribunal erectum cum formali deputatione notarii*, &c. *plana erat negativa, ob expreſſam, et literalem deciſionem S. Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *Ac admittunt omnes, etiam ipſe Moneta . . . . unde difficultas ſolum fuit quoad notarium aſſumendum, an ſcilicet teneretur aſſumere illum fori epiſcopalis, vel poſſet pro libito aſſumere quemcunque ſibi bene viſum.*

Et referens controverſiam utrinque, qua alii ſuſtentabant, notarium neceſſario debere eſſe ex actualibus curiæ epiſcopalis, juxta opinionem Gavanti; aliis vero defendentibus, ſufficere, quod eſſet ex approbatis in ea; tradit reſolutionem Sac. Congregationis per hæc verba, ſub n. 2. ibid.

LVIII. *Ad quintum, quoad tribunal, negative; quo vero ad notarium, poſſe ad ſui libitum aſſumere.* Quin reſtringeret ad actuales curiæ epiſcopalis.

LIX. Ubi notandum verbum *aſſumere*; quod idem eſt atque *eligere*, non vero *creare*, *aut inſtituere*. Et ulterius adnotandum eſt, conſervatores Hieroſolymitanos habere ampliora privilegia præ cæteris, et, ut inquiunt Deluc. et Monacell. cit. *Judices ordinarii dicuntur*. Et tamen deciſio, quoad notarium, fuit quæ ſupra declaratur. Et auctoritas Peyrin. ex adverſo allegata, *quod, in defectum notarii eccleſiaſtici, poſſit conſervator uti notariis ſæcularibus*; et citatio c. *Quoniam, de probationibus*, diſponentis, quod in defectum quorumlibet notariorum approbatorum poſſit conſervator *eligere duos viros idoneos*; confirmant reſolutionem noſtram, tum quia poteſt *eligere*, *ſeu aſſumere*; non vero *creare*, aut *inſtituere*; tum quia etiam id poteſt *in defectum aliorum*; non vero abſolute, et ſimpliciter.

Solvuntur fundamenta contraria, et adverſus auctorem convertuntur.

Judicioſo ſane minime ſuffragatur, 1. Allegatio, c. *Statutum*, de reſcriptis, § *Notarium:* ibi namque minime ſtatuitur, aut etiam inſinuatur, quod notarium creet, aut etiam eligat; ſed quod excedentis in exigendo ſalarium refrænet; ibi: *Notarium vero, vel notarios, in cauſa ſibi commiſſa ſcribentes (qui, ut plurimum, in exigendo ſalarium metas rationis excedunt) ut ad ipſius ſpectat officium, prudenter refrænet.*

Et quamvis gloſſ. verb. *Notarius*, dicat, *Nota, plures notarios aſſumi ad ſcribendum in una cauſa, cum hoc non reperiatur prohibitum*, et hic ſit conceſſum; jam ſupra oſtenſum remanet, *aſſumere*, non eſſe *creare*. Præterquam quod, hoc cap. *Statutum*, agitur de *delegato abſolute*, et non de delegato reſtricto, qualis eſt *conſervator*.

LX. Similiter nil ei ſuffragatur, 2. Allegatio, c. ultim. de offic. deleg. in 6. quod proprium eſt de conſervatoribus: quamvis ibi dicatur, *Vices ſuas, citationibus, ſententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alias valeat exercere, nulli alii committere poſſit*, &c. præterquam quod ibi loquatur de denuntiationibus, ac citationibus extrajudicialibus, quæ per *nuntium* fieri poſſunt, ut explicat Panorm. infra cit. non hinc ſequitur, quod nuntii, aut notarii ipſi, per quos prædicta exercere poteſt, valeant ab ipſo delegato creari, aut inſtitui; non enim dicit, *per alios à ſe creatos valeat exercere*; ſed ſimpliciter, *per alios valeat exercere:* quod quidem optime ſalvatur in quolibet notario jam approbato, *habente facultatem acta ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis*; ut dicit Peyrin. ex adverſo allegatus. Quinimo ex limitatione illa *citationibus*, &c. ſequitur, quod conſervator alia notarii officio attinentia, præter excepta, committere non valeat.

LXI. 3. Ad c. *Quoniam, de probationib.* § *Statuim.* jam ſupra obiter reſponſum eſt, et hic extenſius iterum reſpondebo, eo quod reſponſio hæc ad alia capita ex adverſo citata inſerviat. Reſpondeo igitur, hoc præſens cap. *Quoniam*, loqui de judice delegato *reſtricto*, videlicet, de *conſervatore*, ut ex ejuſdem verbis convincitur; ibi: *Tam in ordinario judicio, quam in extraordinario, judex ſemper adhibeat, aut publicam perſonam, ſi poteſt habere, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant.*

Ubi videtur loqui de judice tam *ordinario* quam *delegato* extrajudicialiter procedente; et ſolum in caſu, quo non poſſit habere publicam perſonam, ad acta ſcribenda, jubet *adhibere duos viros idoneos. Adhibere* autem etiam non eſſe *creare*, perſpicuum eſt. Imo, ſi unicum notarium delegatus, ſeu conſervator, poſſet creare, ſuperfluum foret *adhibere duos*. Et ideo jubetur *duos viros idoneos adhibere*, eo quod unicum notarium inſtituere, aut creare non poſſit.

LXII. 4. Ad proloquium, *Conceſſa juriſdictione, conceduntur omnia, ſine quibus illa exerceri non poteſt*; deductum ex c. *Præterea*, de officio delegat. reſpondeo, 1. Quod conſervator optime quidem juriſdictionem ſuam exercere poteſt, quin proprium erigat tribunal, et quin proprium notarium creet, aut inſtituat; ſed aſſumendo quemlibet notarium approbatum, *habentem facultatem ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis*, ut omnes DD. loquuntur. Reſpondeo, 2. Illud generale axioma intelligendum eſſe cum generali limitatione, ac exceptione, *quoad ea, quæ ſunt expreſſe, et ſpecialiter prohibita*, ut ex alio vulgari axiomate evincitur: *Conceſſum, ſeu permiſſum, non cenſetur, quod à jure expreſſe prohibetur*, Menoch. conſ. 1111. n. 1. et præſumpt. 16. l. 6. Barb. dict. 288. et, *Prohibitum illud dicitur, quod lege expreſſe prohibetur*. Barb. ibid. n. 3. ex leg. *Necnon*, 28. ibi: *Sed ſi lex non prohibeat*, juncta gl. ff. *Ex quib. cauſ.* et ex regul. etiam generali: *In prohibitis valet argumentum: non invenitur permiſſum: ergo cenſetur prohibitum.* Ita Petr. Barb. ad l. *Cum prætor*, 12. § 1. ff. de judic. ex l. *Gallus:* et ibi notat Alex. n. 2. Baldus, in l. *Nulla*, cod. de jure dot. *Et diſpoſitio generalis non comprehendit caſum ſpecialiter definitum*, l. *Doli*, ff. de verbor. oblig. c. *Cum dilect.* de donat. et tandem ex alia vulgari regula: *In conceſſione generali non intelliguntur conceſſa ea, quæ, ſi expreſſe peterentur, denegarentur:* et multo minus *ea, quæ jam ſunt expreſſe denegata*. Vid. Petr. tom. 5. ſupr. cit. et alibi.

LXIII. Cum autem ſpecialiter et expreſſe prohibitum à jure ſit, poſſe conſervatorem tribunal erigere, aut notarium creare, ex Trid. d. c. 5. ſeſſ. 14. ſequitur, in illa generali conceſſione, aut permiſſione, permiſſum, aut conceſſum, non intelligi, quod in hac ſpeciali prohibitione interdictum eſt: præſertim

ſtante

ſtante generali regula, *Prohibitum una via, non cenſetur alia permiſſum*, l. *Quo dictum*, ff. de *pactis*, c. *Cum quod unica via*, 84. de regul. jur. in 6. Deinde, cum conſervatoriæ, et illarum facultates, ſint ordinariæ juriſdictioni odioſæ, utique reſtringendæ ſunt, et minime ampliandæ, c. *Odia*, 15. de regul. jur. in 6. Monacell. Cirin. et DD. omnes cit. Et ideo Gregor. Lop. in gl. ad leg. Caſtell. 3. p. tt. 18. ibi: *Notarii deputati ad ſcribendum acta judicum ordinariorum, debent ſcribere acta judicum delegatorum.*

LXIV. 5. Ad cit. c. *Præterea*, reſpondetur; loqui de judice delegato abſolute; non vero de *delegato conſervatore*, qui eſt delegatus *nimis reſtrictus*: nam quamvis omnis conſervator ſit judex delegatus; non tamen omnis delegatus eſt, vel eſſe poteſt conſervator. Quilibet enim regularis, vel clericus in minoribus, poteſt eſſe delegatus Papæ; at eligendus vero in conſervatorem debet eſſe *dignitas*, vel ſaltem *canonicus eccleſiæ cathedralis*, non tamen collegiatæ; et inde ſeorſum. De quo Barb. de pot. ep. alleg. 106. n. 6. et ſeqq. et in c. *Statutum*, 11. de reſcript. in 6. Deinde delegatus *abſolute*, præſertim ſi ſit *delegatus ad univerſitatem cauſarum*, poteſt tribunal erigere, notarios creare, ſubdelegare, &c. Delegatus vero reſtricte, nempe *conſervator*, nil horum poteſt efficere, neque etiam *vices ſuas alteri committere*, *citationibus*, *ſententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis*; ex cit. c. ult. quod adhuc reſtricte intellige de citationibus ac denuntiationibus *extrajudicialibus*, quæ fieri poſſunt per *nuntium*, et non niſi *nudum miniſterium* continent; ut ſupr. dictum eſt, et tenet Abb. in c. cit. *Paſtoral.* § *Item cum. Quia citatio*, ait, *quatenus exercetur per nuntium, non eſt actus juriſdictionis, ſed nudum miniſterium*; *articulum enim non juriſdictionalem poteſt quilibet judex committere.* Et hæc reſponſio etiam inſervit ad alia cap. ex adverſo allegata. Videatur etiam Bertachin. in reportor. verb. *Notarius*; ubi ait, quod *notarius poteſt creari à principe*, non vero à *delegato illius.*

LXV. 6. Definitioni Iſidori à *Judicioſo* allegatæ, quod, ſcilicet, *tribunal eſt locus ſublimis, et editus, in quo conſidentes magiſtratus judicant*; et interpretationi additæ à Judicioſo, *hoc quidem eſſe quod à Tridentino conſervatoribus interdicitur*; videlicet, *quod non habeant locum publicum, ac ſublimem, editum ad audientiam, et ad jus dicendum*, &c. reſpondetur, 1. Definitionem, ſeu potius explicationem illam, eſſe deſcriptionem quidem tribunalis materialis, non vero formalis, de quo loquitur Tridentinum; et futile, atque inutile eſſe aſſeverare, Tridentinum hanc ſolam erectionem tribunalis materialis conſervatoribus prohibere, non vero tribunalis formalis, quæ conſiſtit in creatione, aut inſtitutione notarii, curſorum, &c. præſertim, cum, ut verificetur, quod *Judex ſedeat pro tribunali*, non eſt neceſſe, quod ſedeat in throno, aut loco ſublimi, ut Pilatus; ſed ſatis eſt, quod in foro, aut in portis civitatis, cum notario ſuo, ut ſenatores antiqui, ad faciliorem partium expeditionem, de quibus Salamon Proverb. 31. *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.*

Reſpond. 2. Opponendo illi Iſidori deſcriptioni, veram, et propriorem tribunalis definitionem Alexand. Scotti, in vocabul. utriuſque jur. verb. *Tribunal*; ubi cum aliis DD. ſic ait: *Tribunal, ſecundum Azor. in ſum. cod. de jur. omn. jud. eſt locus, ubi judex pro tribunali ſedet, qui alias forus vocatur, extr. de verb. ſignific. Forus*; *et eſt gloſſ. in c.* 1. *de re judic. l.* 6.

LXVI. 7. Explicationi, quam Judicioſus in hac ſecunda ponderatione præbet auctoritati Peyrin. quæ ſic ſe habet; *Ad* 4. *dico*, 1. *Quod conſervator, non obſtante inhibitione epiſcopi, poteſt aſſumere ſibi alium notarium, habentem facultatem ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis*, &c. reſpondetur, Eſſe quidem contra producentem, tum in verbo illo *aſſumere*; tum in reliquis clauſulis, *habentem facultatem*, &c. tum denique in eo, quod ex Peyrin. ſupponit, et aſſerit ibidem Judicioſus, *Conſervatorem debere pro notario habendo prius recurrere ad præſulem eccleſiaſticum, vel ad ſæcularem*; *et ſi denegetur ab utroque, poſſe conſervatorem utrumque excommunicare, ut ſuæ Juriſdictionis impeditores*, &c.

Quod autem *aſſumere*, non ſit *creare*; et *aſſumptio* notarii ſit hic quid diſtinctum ab ejus *creatione*, imo et illam jam ſupponens; præter ſuperius dicta, ſpecialiter demonſtratur ex doctrin. Panorm. ad Clem. c. 1. de hæretic. n. 23. ibi: *Notarius aſſumptus ad officium, in quo notariatum exercere debet, non debet jurare de illo fideliter exequendo, cum juramentum in creatione præſtitum ſufficere debeat:* et ex doctrin. Bertachin. verb. *Notarius*, cum Bald. de fid. inſtrum. colum. 1. *Notarius à judice creari non poteſt, qui quamvis poſſit deputare ad aliquod officium perſonas, ſi non ſint alii ex publico deputati, tamen notarios non facit eos, qui non ſunt.* Et cohæret diſpoſitio ordin. regiæ, declarans, *creare notarios, tabelliones, &c. eſſe ex primis regalibus, et non judicibus, neque dominis terrarum, ſed ſoli regi competens, l.* 2. *tt.* 45. § 15.

LXVII. 8. Ad confirmationem, quam adducit, deductam, ut ait, *ex praxi regni noſtri, et externorum, quod commiſſa qualibet cauſa extraordinaria cuilibet miniſtro, ipſe notarium nominat, ſi eo uti opus ſit*; reſpondeo, 1. In contrarium ſtetiſſe praxim inquiſitorum, licet ſint ſpeciales Papæ delegati ad omnes cauſas fidem, ac bonos mores, generaliter concernentes; de quibus ait Catena de officio inquiſitor. p. 1. tt. 12. n. 1. *Licet olim inquiſitores minime poſſent notarios creare, ut ex Emeyr.* 3. *p. q.* 18. *ubi, quod antiquitus tenebantur inquiſitores uti opera notariorum epiſcopi*; *attamen ex privilegio Pii* IV. *poſſunt unum, vel plures notarios ſibi eligere.*

Ubi verbum *eligere* ſumitur reſtricte ad electionem *creativam*, ad quam per præſuppoſitum verbum *creare* contrahitur; et non accipitur abſolute pro electione, creationem excludente, vel ſupponente; ut melius convincitur ex ipſa formali Hymerici auctoritate d. 3. p. q. 18. ibi: *Utrum inquiſitor poſſit ſibi notarium creare? Reſpondemus, quod non, nec de jure communi, nec privato; nec in privilegiis inquiſitorum de hoc aliquid reperitur. Habeat ergo notarios publicos epiſcoporum, locorum, vel dominorum temporalium illarum terrarum, vel regnorum, in quibus officium eſt ſibi commiſſum, qui proceſſus conficiant, et alia, quæ ad negotia fidei pertinent, exequantur; vel petat à domino noſtro Papa, creari ſibi tres, vel quatuor, quos ſibi nominaverit in notarios; quod ſibi non negabitur, qui auctoritate apoſtolica, in partibus inquiſitori traditis, negotia fidei exequatur; dummodo hoc tolerent dicti domini temporales, qui male libenter communiter faciunt: quare tutius eſt, cum notariis epiſcoporum locorum, vel dominorum temporalium illarum terrarum, vel regnorum, quod proceſſus fidei conſcribantur.*

LXVIII. Reſpondeo, 2. Contrariam praxim ſervari etiam in ſæculari judicio, in commiſſionibus juſtificationum præmiſſarum ad chartas tuitivas impetrandas juxta formam ordinationis regiæ, l. 2. tt. 8. et tt. 10. de quo ſupr. in quibus, et in earum proceſſibus, miniſtri commiſſarii notarium non inſtituunt, ſed utuntur, et, uti debent, quolibet cujuſlibet judicii notario jam inſtituto, et approbato; de quo videatur Peg. ad eandem ordinationem. Vangherv. in prax. p. 1. c. 73. et p. 4. c. 29. Mend. à Caſtro, p. 2. l. 2. c. 11. Et pariformiter, in recuſationibus conſervatorum academiarum Conimbricenſis, et Eborenſis, coram illarum cancellariis, in quibus aſſumunt notarios judicii ſæcularis jam creatos, et approbatos: et in aliis pluribus cauſis, ac proceſſibus.

LXIX. Reſpondeo, 3. Generalitatem illam, *Commiſſa qualibet cauſa*, &c. limitari, ac reſtringi in miniſtro conſervatore apoſtolico, ob expreſſas ſuæ juriſdictionis reſtrictiones, et ob ſpecialem juris interdictionem ad tribunal erigendum, et proprium notarium creandum, ex cit. Trid. et bulla Gregorian. et ex reliquis juribus ſupra allegatis.

LXX. Et contraria praxis in regno Luſitaniæ, imo et in hocmet ſtatu Indiano, convincitur ex conſervatoria provinciæ Malabaricæ Societatis Jeſu, erecta in perſona illuſtriſſimi epiſcopi Cranganorenſis, religioſi ejuſdem ſocietatis, tunc Coccinenſi civitate degentis, adverſus capitulum ejuſdem cathedralis Coccinenſis *ſede vacante*, abhinc ſupra centum annorum; in qua, eo quod electus conſervator proprium notarium inſtituerit, et ob notoriam ſuſpicionem, atque alios defectus, conſervator ipſe inhibitus, et ſuſpenſus fuit ab eodem capitulo, quod quidem, utpote ordinarius loci, adverſus eam alias proceſſit: et ex conſer-

vatoria nupera monachorum Tibanenſium D. Benedicti in archiepiſcopatu Bracharenſi, in perſona illuſtriſſimi epiſcopi Tudenſis regni Gallæciæ, erecta adverſus illuſtriſſimum dominum D. Rodericum Mouram Telleſium, archiepiſcopum Bracharenſem, à quo deputatus conſervator deſignationem notarii poſtulavit, et hoc ab illuſtriſſimo archipræſule aſſignato, cauſa tandem non eſt proſecuta, eo quod religioſi illi religioſe, ac libenter, juſtæ illuſtriſſimi archipræſulis diſpoſitioni paruerunt.

Denique, convincitur etiam ex cauſis à Deluc. enarratis, loco cit. de juriſdict. diſc. 4. et 49. de regular. diſc. 1. et 51. et 52. et alibi, et apud Pignatell. cit. tom. 2. et 10. Cirin. d. c. 6. et ex contradictionibus, ac reſolutionibus ibidem expreſſis; ex quibus, quatenus aſſerunt, *conſervatorem debere aſſumere notarium curiæ epiſcopalis, vel in ea approbatum*, evincitur praxis in contrarium: et obſervet prudens lector, quod in tot textuum, atque auctoritatum accumulata congerie, ac profuſione, ex adverſo allegatarum, nuſquam invenire, aut detegere potuerunt aliquam, quæ aſſeveraret, conſervatorem poſſe *creare*, aut *inſtituere* notarium; ſed, ad ſummum, *poſſe aſſumere ſibi bene viſum.*

LXXI. Aſt, quia noviter audio, allegari ab aliquibus (non tamen à duplicis præmiſſi libelli auctore) adeſſe bullam quandam ſpeciali ejuſdem Gregorii XIII. expeditam anno 1579. pro hac India Orientali, poſt aliam generalem 1572. qua conceditur Jeſuitis, poſſe in his partibus eligere in conſervatorem quamlibet perſonam eccleſiaſticam, etiamſi in dignitate eccleſiaſtica conſtituta non ſit; qui quidem ſic electus conſervator notarium deputare, aut conſtituere valeat: reſpondeo, 1. Hanc bullam debere exhiberi in forma authentica; et quamdiu ita non exhibetur, ei non creditur. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. et ſeqq. Reſp. 2. Quod præter poſteriores revocationes harum, et ſimilium privilegiorum per bullam *Sanctiſſimi*, Greg. XV. hocmet privilegium noſtram præmiſſam reſolutionem confirmare; gratia enim, quam concedit, eſt tantum *in defectum notariorum apoſtolicorum, aut ordinariorum*, ut ex verbis illius liquet: *qui conſervatores clericos, ſeu laicos notarios, ſibi in defectum aliorum apoſtolica, vel alia legitima auctoritate notariorum, conſtituere, et deputare valeant.*

Denique, quia illuſtriſſimus conſervator, nedum ægre fert, verum et nimium excandeſcit, atque in ſuo libello graviter, et indecoroſe invehitur adverſus illuſtriſſimum archipræſulem, metropolitanum ſuum, eo quod in paſtoralibus ſuis aſſereret, *eum ſuæ aſſertæ juriſdictionis limites exceſſiſſe*; liceat, debita cum reverentia, ei ob oculos offerre colluſtrandam diſpoſitionem c. ultim. de offic. delegat. in 6. *Conſervatores limites ſibi traditæ poteſtatis frequenter excedunt*; et bullæ Gregorianæ: *Ne ob malitioſam potentium ſuggeſtionem . . . . per judices aliquos minus interdum idoneos in conſervatores deputatos eſſe*, &c. qua de re Monacell. p. 3. form. 48. ait: *Ad removenda crebra diſſidia, quæ oriebantur inter ordinarios, et conſervatores regularium; multifarie Summi Pontifices providere ſtuduerunt, ſed incaſſum: quia abuſus juriſdictionis talium delegatorum, quos recenſet Fagn. in c.* Si clericus, *n.* 38. *et pluribus ſeqq. de for. comp. adhuc vigent; quare ordinarius, ſi ad reprimendos eorum exceſſus cogatur ad cenſuras procedere, poterit uti declaratoria ſequenti*, &c.

Secunda Reſolutio.

LXXII. Fuit nullum, ac noviter exceſſivum procedimentum præfati aſſerti conſervatoris, non ſolum eo quod, ut talis, proceſſerit, poſtquam ipſo jure ſuſpenſus erat, et pro tali declaratus, ob exceſſum creationis notarii, et alias prænotatas nullitates; ſed ſpeciatim, eo quod ſtatim per fulminationem ultimarum cenſurarum proceſſit adverſus illuſtriſſimum archipræſulem, metropolitanum ſuum; cum ad prædictum exceſſum inducendum ſufficeret, quod conſervatoris proceſſus foret illico cum comminatione cenſurarum, nedum adverſus prælatum ordinarium, ſed adverſus ejus vicarium generalem, aut miniſtrum alium curiæ epiſcopalis, quæ expreſſe, et formaliter tenet Monacell. p. 3. form. 48. tt. 1. n. 5. in ſummario; ibi: *Conſervator exequi faciens citationem cum comminatione cenſurarum contra curiam epiſcopi, dicitur exceſſiſſe ſuas facultates.*

Et ibidem in corpore, § *Exequi feciſſe*, ſic ait: *Hoc enim ſufficit dici valeat, quod conſervator in ſuis facultatibus exceſſerit, et pœnam ſuſpenſionis ab officio incurrerit: quia cum executio citationis ſit actus juriſdictionis contentioſæ, et de judiciali proceſſu, Fagn. in c.* Conqueſti, *n.* 55. *de feriis, lædit juriſdictionem ordinarii: et facta cum comminatione cenſurarum infert injuriam, et gravamen irreparabile, ut mederi non poſſit, niſi per appellationem, Fagn. in c.* Super eo, *il. 2. n.* 47. *de appellat. niſi illico ex ignorantia, et inadvertentia, id eveniſſe conſtaret; alias ſcienter feciſſe præſumitur, ut in terminis advertit Bonacin. de excom. extra bullam Cœn. diſput. 2. quæſt. 2. punct.* 35. *n.* 11.

Super quo exceſſu etiam Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 1. n. 67. ita inquit: *Cum conſervatoribus privilegiorum* regularium, quæſtiones pariter ordinarii locorum frequentes habere ſolent, eo quia hujuſmodi conſervatores *opinantes pene omnimodam apoſtolicam auctoritatem habere*, fimbrias nimium dilatare ſolent, atque præſertim valde faciles eſſe *ad cenſuras* comminandas, *imo etiam* de facto *proferendas, contra ipſos ordinarios, vel eorum vicarios, et officiales, ſed male: quamvis etenim apoſtolici delegati*, vel *commiſſarii* ſint; *eorum tamen poteſtas nimium coarctata eſt.*

LXXIII. Et confirmatur, 1. Prædictus exceſſus, ex diſpoſitione c. 2. de offic. delegat in 6. *Ita quod (eis quadam condigna reverentia ſupportatis) ingreſſus primo ipſius eccleſiæ, vel ſacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab officio ſuſpendatur, et ſubſequenter aggravetur cenſura eccleſiaſtica contra eos.*

Et ex epiſtola D. Clementis ad Jacobum, fratrem Dom. tom. 1. conciliorum, pag. 287. *Epiſcopi, ſi exorbitaverint, ab iſtis non ſunt reprehendendi, vel arguendi, ſed ſupportandi, niſi in fide erraverint.* Et ſi hac modeſtia, et attenta reverentia, cum quolibet epiſcopo agendum, multò æquius, ac fortius, cum archiepiſcopo primate; cum ex jure conſtet, quod *primas et patriarcha ſolo nomine differunt*; gloſſ. in c. *Urbes*, diſt. 80. et in c. 1. diſt. 94. Gaſparr. 1. p. tt. 4. cap. 3. n. 108. de quo ſupr.

LXXIV. Neque obeſt clauſula immediata ejuſdem citat. cap. 2. *Niſi forte aliter ſuaſerit nimia contumaciæ protervitas.* Non officit; quia, cum *contumacia* à contemnendo derivetur, ut ait Alex. Scot. verb. *Contumacia*, qui eandem ſic definit; *Contumacia eſt contra judicem, vel prælatum, commiſſa inobedientia*; non poteſt dici de ſubdito aliquo inferiori, quod contumax ſit, aut quod contumaciam committat, quin præcedat ſuperioris præceptum, monitio, citatio, aut notificatio iterata, ut in caſibus ab eodem Alexandro Scott. figuratis; et melius in lexico utriuſque juris, verb. *Contumacia*; ibi: *Contumax eſt, qui tribus edictis propoſitis, vel uno pro tribus, quod peremptorium appellatur, literis avocatus, vel denuntiationibus conventus, præſentiam ſui facere contemnit, ſi modo ad juriſdictionem ejus, ad quem vocatur, pertineat.*

Unde, cum illuſtriſſimus conſervator hic nullam juriſdictionem ſuper illuſtriſſimum ſuum archipræſulem haberet, tum ex nullitatibus deputationis, tum ex exceſſibus procedimentorum, vi quorum etiam aliquam præhaberet juriſdictionem, eam utique amiſerat per ſuſpenſionem à jure, in bulla Gregorian. § 11. fulminatam; ibi: *Si quomodolibet ſuos limites exceſſerit, per annum ab officio conſervatoris ſint ſuſpenſi*; junctis aliis clauſulis ejuſdem bullæ deputationum, et procedimentorum, aliter factorum annullatoriis, § 3. ſequitur, quod nulla contumacia, ex parte illuſtriſſimi archipræſulis, interceſſiſſe conſiderari poteſt, præſertim omnino ex alia parte deficiente etiam ſimplici monitione, aut notificatione.

LXXV. Deinde cit. c. 2. de offic. deleg. in 6. correctum fuit per Concilium Trident. ſeſſ. 14. de reform. Et præterea hæc ipſiſſima illius diſpoſitio loquitur de conſervatoribus *immediate à Sede Apoſtolica electis*, non vero de electis immediate à regularibus ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, ut bene advertit Pignatell. tom. 1. conſ. 165. n. 7. ibi: *Deinde reſp. Textum procedere in conſervatoribus immediate electis à Sede Apo-*

Apostolica, ut ibi notat gl. Postremo resp. Textum, quatenus illi locus esset, declarari per Concil. Trident. videlicet, illum non procedere in causis controversæ jurisdictionis inter ordinarium, et ipsos conservatores.

LXXVI. Confirmatur, 2. Prædictus excessus, ex dispositione ejusdem bull. Gregorian. § 10. et ex d. c. 5. ejusd. Trid. sess. 14. de reform. *Si qua vero inter judices conservatores, et locorum ordinarios, controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur.* Notetur particula illa negativa, *nequaquam*, quæ ex doctrina philosophorum, et juristarum, *negat omnia*. Et supposita controversia competentiæ jurisdictionis in notarii creatione, quam illustrissimus conservator sibi arrogare contendebat, utique absque alio procedimento, ad arbitrorum medium devenire debebat; et nullus fuit processus, et progressus ulterior.

LXXVII. Dicet fortasse illustrissimus conservator, quod etiam illustrissimus archipræsul adversus eum processit statim inhibendo, ac suspendendo, seu suspensum declarando, absque prævia monitione, ac citatione, proindeque cum excessu dispositionis conciliaris, et constitutionis Gregorianæ, ac per consequens cum invaliditate. Responsio huic argumento, aut instantiæ, uberius, et ex professo, adhibetur § sequenti, resolutione 4. ubi plene agetur de validitate, ac licitudine procedimenti illustrissimi ordinarii. Interim, et velut obiter ——

Respondeo, 1. Quod ex praxi, quando ordinarius notificat conservatorem ad electionem arbitrorum, statim illum inhibet, ne ulterius procedat, sub pœna nullitatis, et declarationis incursus in pœnam prædictæ constitutionis, eo quod jus anterius ordinarii sit certum, legitimum, atque indubium, ut visitur ex formula 52. practici Monacell. p. 3. tt. 1. ibi: *Intimetur N. conservatori asserto monasterii N. &c. et interim sibi inhibetur, ne in dicta causa nil innovet, sub pœna in d. constitutione contenta.*

At vero, quando conservator notificat ordinarium ad similem electionem, non inhibet, neque inhibere potest, sed procedere debet per simplicem notificationem, ob rationem ab eodem Monacell. allegatam ibidem, n. 11. *Hac eadem formula uti poterit conservator; quando ipse curiam episcopalem in electione prævenit; absque tamen inhibitione, quia in casu dubio, et controverso, conservator nullam habet præsumptionem boni juris, sicut habet ordinarius, qui jus, et potestatem habet legitimam cognoscendi de omnibus causis.*

LXXVIII. Respondeo, 2. Determinationem conciliarem, et prædictæ constitutionis Gregorianæ, esse, 1. *Cum controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit*; ut, verbi gratia, in casu causarum decimarum equitum militiæ Christi, an ejus conservatori, an ordinario, cognitio earum competat, de quo Themud. dec. 262. non vero quando conservator cum notorio excessu, notoriaque ordinariæ jurisdictionis usurpatione procedit, ut in casu præsenti. 2. Esse, quando præsupponitur, electionem, aut deputationem conservatoris, validam quidem fuisse; et dubium supervenit, sistens dumtaxat in jurisdictionis competentia; non vero quando deputatio notorie nulla fuit, et conservator notorie suspectus, et jurisdictione manifeste destitutus incedit; tunc enim arbitrorum decisio necessaria minime fit ad causæ resolutionem, *quæ per se patet, et probatione non indiget*, ex c. *Manifesta*, 2. q. 1.

LXXIX. Respondeo, 3. Quod illustrissimus ordinarius, quando illustrissimum conservatorem inhibuit, simul eum notificavit, ac admonuit, cum peremptorii termini assignatione, cum sic comminans, *quod si, non obstante inhibitione, et suspensione incursa, sese ad ulterius procedendum animâsset, eum notificabat, atque citabat, et reliquos omnes cooperatores, ad allegandum, intra præcisum, ac peremptorium terminum trium dierum, rationes, quæ eosdem relevarent à declaratione incursionis in competentes censuras juris, ob prædictam jurisdictionis ordinariæ usurpationem, turbationem*, &c. Ex quo ostenditur, illustrissimum archipræsulem non solum valide, ac licite, sed *servato juris ordine*, processisse: non ita vero illustrissimum conservatorem, qui absque prævia aliqua monitione, ac notificatione, statim de facto, pro more suo, illustrissimum archipræsulem excommunicavit.

Quod quidem, etiam de facto, et nimia præcipitatione, paulo ante effecerat inc onservatoria Eremitarum Augustinianorum: in qua cum tota querela electorum fisteret in singulari procedimento vicarii generalis archiepiscopatus; et nullam partem in processu illo illustrissimo archipræsule habente, ut certum patefecit, et omnes agnoverant; illustrissimus conservator, falso quodam prætextu, quod prædictus vicarius generalis de rebus gravioribus illustrissimum archiepiscopum consulebat, quod et notorium, inverosimilius esse dicebat, ex abrupto, de facto, ac præcipitanter, nulla prævia monitionis, citationis, aut notificationis, etiam umbra quidem, statim ab officio ac beneficio suspendit, et suspensum declaravit, et insuper non servata graduatione in cit. c. 2. de offic. deleg. ordinata.

LXXX. Respondeo, 4. Conservatores, si limites suæ jurisdictionis excesserint, *ipso facto* incurrere in suspensionem à jure latam, in cit. c. final. de offic. delegat. in 6. et in prædicta bulla Gregorian. ordinarios autem non incurrere similem suspensionem à jure *ipso facto*, ob procedimentum adversus conservatorem in territorio suo excedentem; nullibi enim talis suspensio comminata, aut fulminata existit. Deinde, *cum citatio, et monitio, non sit de substantia excommunicationis*, gl. in c. *Statuimus*, de sent. excom. in 6. Soar. de censur. disp. 3. et 5. Monacell. 3. p. form. tt. 1. form. 16. n. 3. potest ordinarius in territorio suo, valide quidem, adversus conservatorem procedere, non præmissa monitione, ac citatione; Fermosin. in c. *Consuluit*, de appellat. n. 14. Unde, supposita jurisdictione immediati illustrissimi metropolitani in personam conservatoris, utpote talis, et in territorio ordinarii excedentis, ex gl. in c. *Ex liter.* de offic. delegat. Cirin. d. cap. 6. n. 30. Mend. in prax. p. 2. c. 3. n. 9. et utpote suffraganei ejusdem, ex c. 1. de offic. ordin. sequitur, quod *tenebat excommunicatio, sive lata fuerit ex falsa causa, sive ex non legitima, aut mala intentione, vel ex invidia*; *dummodo potestas fuerit in excommunicatore*, ut ait Baiard. ad Clar. 2. p. q. 78. n. 38.

Tertia Resolutio.

LXXXI. Nullus etiam fuit processus illustrissimi asserti conservatoris, quia, cum incurrerat nedum pœnam suspensionis ab officio, ob excessum creationis notarii proprii, et particularis, ex cit. constit. Gregorianæ, verum etiam in censuram majoris excommunicationis latæ in can. 16. et 17. bull. Cœnæ, ob usurpationem jurisdictionis ordinariæ in prædicta creatione; in quam declaratus fuit; sane minime poterat jurisdictionem spiritualem per fulminationem censurarum, vel alio modo exercere, quia ea privatus erat per censuræ illius incursionem: et hic est unus ex notis effectibus majoris excommunicationis.

Resolutio est certa, et de mente omnium DD. asserentium, *Excommunicatum non toleratum privari omni usu jurisdictionis spiritualis*; *ideoque omnia ab eo gesta invalida esse*; de quo vide Gasparr. inst. can. p. 4. tt. 3. n. 28. Monacell. p. 3. in prælud. n. 29. de effect. excom. ex c. *Audivimus*, 24. q. 1. c. *Ad probandum*, de sent. et re judic. c. 1. de *supplend. neglig. prælat.* c. *Is, cui*, de offic. deleg. in 6. c. 1. de offic. vicar. in 6. et sic transiit in proverbium: *Excommunicatus excommunicare non potest*, ex d. can. *Audivimus*.

Unde, cum resolutio potius supponenda, quam probanda est, ad fundamentum illius probationum dumtaxat gradum facio; videlicet, quod in illa notarii creatione usurpata fuerit ordinaria jurisdictio, cum incursu censurarum bull. Cœnæ.

LXXXII. Et probatur; quia ordinariis locorum de jure pertinet nedum institutio, et nominatio notariorum; verum et illorum, etiam apostolicorum, in suis territoriis approbatio, sine qua nullus omnino notarius, etiam apostolicus, officium suum exercere potest. Ex Trident. sess. 22. c. 10. de reform. et ex c. 1. de offic. ordin. c. *Cum episcop.* eodem tt. in 6. Gavant. verb. *Notarius*, Barb. de pot. episc. p. 3. et in c. *Quoniam*, de probationibus; Monacell. 1. p. Farinac. et alii, quos

quos refert Piaſec. in prax. p. 2. c. 4. Fagn. in c. *Sicut te*, ne cleric. vel monach. Bertachin. verb. *Notarius.*

LXXXIII. Quod adeo certum eſt, ut neque notarii apoſtolici, ab ipſomet Summo Pontifice immediate creati, poſſunt in qualibet diœceſi officium ſuum exercere abſque prævia titulorum creationis ſuæ coram ordinario exhibitione, ex Trid. loc. cit. Barb. ad illud Salgad. de reg. prot. p. 3. c. 8. et quin præcedat examen, et approbatio ejuſdem ordinarii ſuper qualitate perſonæ, ſcientia, ſufficientia, idoneitate, &c. et quin approbationis chartam authenticam ab ordinario ipſo obtineant; Deluc. ad Concil. Trident. cit. concil. provinc. Bracharenſ. act. 5. de judic. deleg. Leo in theſaur. p. 2. c. 2. Sylveſtr. verb. *Tabellio.* Neque aliquis horum notariorum poteſt cujuſlibet judicis apoſtolici (nuntiaturæ, aut legatiæ ſtabilitæ exceptis) diligentiam in ſcriptis exequi, abſque beneplacito, etiam in ſcriptis obtento, vulgo *Cumpraſſe*, ordinarii loci. Themud. dec. 266. n. 17. conſtit. Portucalenſ. tt. 19. in regim. Quod et ſervare debent in precatoriis aliorum ordinariorum, metropolitani exceptis; Carleval de judic. tt. 1. diſp. 2. n. 28. ex leg. *Omnes*, 31. § *Executor.* cod. de epiſcop. l. 2. cod. de offic. præfect. Unde per illam proprii notarii creationem, ac expeditionem, utique uſurpavit illuſtriſſimus conſervator illuſtriſſimo archipræſuli ſuam ordinariam juriſdictionem, cum effectivo incurſu cenſurarum bull. Cœnæ, d. can. 16. ad quem ſufficit, quod uſurpatio, et impedimentum, aut turbatio, ſit *quomodolibet*, *directe*, *vel indirecte*, *aut alias*; ut ex ipſo formaliter liquet.

LXXXIV. Nec relevat, quod illuſtriſſimus conſervator, et cum illo Judicioſus, in ſuis ſubjectis libellis aſſeverant, adeſſe illis probabilem opinionem doctorum, quæ ſufficiens eſt ad juriſdictionem in hoc caſu conferendam, ac per conſequens ad reddendum validum, ac licitum proceſſum ex vi illius. Reſpondeo namque, 1. Nullam probabilitatem, neque intrinſecam, neque extrinſecam, in contrarium adeſſe; alias aſſignetur doctor aliquis claſſicus aſſeverans, *conſervatorem poſſe creare, aut inſtituere notarium*; vel textum, aut ſolidum fundamentum, idem expreſſe ſuadens.

LXXXV. Reſpondeo, 2. Cum Sperell. dec. 105. et 129. Pignatell. tom. 9. conſ. 189. n. 16. Deluc. de tot. diſc. 34. et alibi Monacell. p. 3. form. 10. n. 16. quod opinio probabilis DD. ſaltem in for. externo, non excuſat ab incurſione cenſurarum à lege; ita cum reliquis Sperell. cit. d. dec. 129. n. 28. ibi: *Nec quidem à cenſuris, vel pœna à jure lata, excuſat probabilis opinio DD. ſecus ſentientium; qua de re habemus egregiam dec. Rottæ penes Mochedan. dec. 3. de ſent. excom.* &c.

LXXXVI. Et confirmatur ex caſu ſupra inſinuato monialium illarum Dominicani ordinis, quæ opinione D. Antonini, Paludani, Sylveſtr. et aliorum DD. theologorum ſuffultæ ad regularem poſſeſſionem admiſerunt novitiam quandam, ante probationis annum perfecte completum; et non obſtante allegatione prædictæ opinionis DD. theologorum primæ notæ, in propriam defenſionem, atque excuſationem, declaratæ fuerunt incurſæ in cenſuram c. *Non ſolum de regular.* in 6. à ſacra Rotta in declaratione ſupra tranſcripta, quam ibidem affert Sperell. et quamvis deciſiones Rottæ non excedant vim magiſtralis ſententiæ, ut ait Lother. de re beneficiar. tom. 1. in appar. n. 38. *Nihilominus* (addit ibidem, n. 80. et 83.) vix excuſari poteſt *à maxima arrogantia judex, qui in judicando deflecteret ab opinione tantorum PP. ſuæ prudentiæ innixus, contra reſ. in c. Ne innitaris, de conſt. non ſecus, ac qui ſolus ſentiret contra plurium opinionem, cui poteſt dici, Væ ſoli, ut in propoſito Tiraquel. ad l. Si unquam . . . . At ubi ipſa exempla vertuntur circa juris dubii interpretationem, ut gl. in l. Nemo, de judic. de ſent. Menoch. de præſumpt. l. 1. q. 1. n. 20. tunc non ſolum rationem, verum etiam gravitatem judicantium ſuſcipere debet, et ſuum (ut ita loquar) captivare intellectum; nec ſibi tantum tribuere, ut ſolus credat melius ſentire, quam plures ſimul DD. celeberrimi, qui ſunt ſplendor et lucerna totius juris, et quaſi radii ſolis*, &c.

Quarta Reſolutio.

LXXXVII. Non ſolum nullum fuit, ac illegitimum, procedimentum illuſtriſſimi conſervatoris ob notarii creationem, ſed etiam ob acceptationem electionis, ac deputationis ejus in conſervatorem, quamdiu ei non conſtaret de poſſeſſione legitima electorum, et hujuſce privilegii eligendi conſervatorem. Probatur reſolutio; quia, ut ſuperius oſtenſum eſt, § 1. reſol. 6. ex doctrina Cirini, et aliorum, negligentibus regularibus conſervatorem eligere infra terminum præſcriptum ſex menſium, et data negligentia immemoriali, aut centenaria, abſque poſſeſſione, et uſu memoriali hujus privilegii, nil ſuffragari poteſt electoribus, ut conſtat ex Trident. c. 7. ſeſſ. 14. de reform. et ex conſt. Gregorian. § 6. *Infra ſex menſes à die publicationis . . . . debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere conſervatores.* Et § 7. *Alioquin, eo termino elapſo, quamdiu conſervatores, ſecundum formam prædictæ conſtitution. non elegerint, coram eiſdem ordinariis conveniantur.*

Hæc autem verba, *quamdiu non elegerint*, ponderans Fr. Jacintus Donat. cum Ceſped. de exempt. regular. ait, q. 33. tr. 17. de conſervator. *Non dicit, quamdiu penes acta curiæ documentorum electionis non demiſerint, coram eiſdem ordinariis conveniantur, ut bene advertit Ceſped. tr. de exempt. regular. c. 22. dub. 3. n. 6.*

LXXXVIII. Neque obeſt, quod aliqui DD. regulares, illa omiſſione non obſtante, adhuc eiſdem concedant facultatem eligendi conſervatorem. Non obeſt: reſpondetur namque, 1. Nil proficere opinionem aliquorum DD. adverſus legem, ac textus expreſſos. Deluc. de fidei commiſſ. diſc. 10. et de dot. diſc. 34. Sperelli dec. 105. et 129. Pignatell. tom. 9. conſ. 189. n. 87. Reſp. 2. Regulares in his, et ſimilibus punctis, in quibus propriam cauſam agunt, ac tuentur, non eſſe teſtes idoneos, neque audiendos, Monacell. p. 3. tt. 1. form. 6. n. 14. Deluc. in miſcell. diſc. 16. n. 12. et de juriſd. diſc. 29. n. 6. præſertim in rebus, quæ cedunt in præjudicium tertii, Deluc. de regalib. diſc. 147. n. 2. et de benefic. diſc. 52. n. 16. et diſc. 65. n. 9. et de paroch. diſc. 38. Monacell. p. 2. tt. 13. form. 4. Donat. 1. p. tr. 2. tt. 2. q. 14. In hac autem re, et caſu præſenti, dari præjudicium juriſdictionis etiam delegatæ, ordinariorum, conſtat ex Concilio Trid. d. ſeſſ. 7. c. 14. de reform. ibi: *Si ipſum judicem* (conſervatorem) *non habuerint, coram locorum ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa ſede delegatis, conveniri*, &c.

Quinta Reſolutio.

LXXXIX. Dato, et non conceſſo, quod illuſtriſſimus aſſertus conſervator poſſet prædictam nominationem acceptare, et hæc valida foret; imo etiam dato, quod conſervator juriſdictionem haberet ad creandum notarium privatum; nunquam id poſſet efficere, neque tali juriſdictione uti ante exhibitionem literarum deputationis coram illuſtriſſimo loci ordinario. Proindeque in creatione illa notarii privati in tergo prædictarum literarum, ante earum exhibitionem, exceſſit juriſdictionem ſuam, et incurrit ipſo facto ſuſpenſionem ab officio; et nulla fuit anticipata illa creatio, utpote facta ſine juriſdictione; et nullum conſequenter, quicquid poſt illam agere, et attentare auſus eſt.

Probatur facile reſolutio; quia, juxta communem doctrinam, etiam ex adverſo recognitam, et aſſentitam, juriſdictio conſervatoris nec conceditur, nec expeditur, niſi per prædictam exhibitionem coram ordinario, ex jurib. citat. et ex conſtit. noviſſime Bened. XIII. *In ſupremo*, § 26. ibi: *Quia juriſdictio delegati pendet ex præſentatione reſcripti:* et ex doctrin. Bald. in l. 1. cod. *Ut liter.* et Decii in c. *Super eodem*, de appellat. ibi: *Ante præſentationem* reſcripti, *juriſdictio nullo modo conceditur*; quia intentio Summi Pontificis ſuſpenditur, donec fiat *præſentatio* literarum, ſecundum Nald. in d. l. *Mandatum*, arg. l. *Qui abſent.* ff. et ſic agitur de conferendo juriſdictionem, quam *privati dare non poſſunt.*

Cohærent omnes DD. moderni ſuper Gregorianam bullam *Sanctiſſimus* ſcribentes ad § 7. Et etiam Gratian. for. tom. 1. c. 170. n. 20. ibi: *Delegatus non recipit*

recipit exercitium jurisdictionis, nisi à tempore præsentatæ, receptæ commissionis c. Pastoral. de rescript. Rott. dec. 6. n. 2. de offic. delegat. Bald. in l. Fals. cod. de furt. Vide etiam Barb. in d. c. Pastoral. 12. de rescript. Flamin. et alios.

Videat prudens lector, quomodo cum tot excessibus, ac defectibus substantialibus, poterat esse validus, ac licitus, processus illustrissimi asserti conservatoris; etsi ex adverso valida, et licita erat quælibet eidem, ut privato, resistentia, juxta communem doctrinam, de qua Donat. cit. tr. 17. q. 42. ibi: *Conservator transgrediens sui officii cancellos, habendus est tanquam privatus, Navarr. in c. Cum conting. de rescript. Cochior. de exempt. p. 1. q. 39. Peyrin. tom. 3. n. 26. Barb. alleg. 106. n. 37.* Adhæret etiam Cirin. d. c. 6. n. 30. ibi: *Et si aliquid injustum exequi voluerit, ei resistere posset ordinarius.* Farin. ibid. gl. in c. *Ex liter. de offic. deleg. Gig. cons. 163. Delaurent. d. c. 4. n. 33. Aufrer. cap. Tolos. dec. 424.* et infra sub n. 31. sic ait: *Et si episcopi loci ordinarii jurisdictionem implicaverit conservator iste; itidem ab episcopo plectatur, et censurarum mucrone feriatur,* Sess. d. c. 1. § 1. n. 30. Nam ut privatus reputandus est tunc conservator, Menoch. præsumpt. 67. n. 13. et 16. l. 2. Navarr. in d. c. *Cum conting.* remed. 4. de rescript.

Sect. III.

Validitas, ac licitudo, omnium procedimentorum illustrissimi, ac reverendissimi archipræsulis.

Prima Resolutio.

XC. Exempti, ac forenses, quando turbant, aut offendunt jurisdictionem ordinariorum, eisdem subduntur, et eorum prorogant jurisdictionem. Est resolutio certa de jure, ex c. *Dilecto,* c. *Venerabil.* de sent. excom. in 6. c. *Ex liter.* c. *de causis,* de offic. deleg. Farinac. q. 14. Carrith. disc. 2. Barb. ad c. 1. de offic. deleg. Donat. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. Thom. Tamburin. de jur. abbat. tom. 1. et 2. Ascan. Tambur. in decalog. l. 1. c. 1. Frass. Deluc. Petr. Pignatell. Monacell. et alii infr. cit. et supra allegat. 11.

Prob. 1. Resolutio; quia, ut ait Cardin. Deluc. *Nulla datur exemptio adversus forum turbatæ jurisdictionis,* de jurisd. disc. 736. n. 3. Prob. 2. Quia eademmet turbatio, ac offensa, subjicit exemptum judici, cujus jurisdictionem læsit; et de incompetenti, illum reddit competentem, atque ejus prorogat jurisdictionem. Idem Deluc. de jurisd. disc. 29. n. 4. et disc. 47. n. 48. ubi resolutionem ampliat, *etiamsi turbantes haberent aliquas probabiles prætensiones.* Accedit Cardin. Petr. tom. 1. in const. 1. Leon. IX. Pignatell. tom. 4. cons. 128. et alibi, Monacell. p. 3. tt. 1. in auctoritatibus laudatis, et transcriptis superius, alleg. 11.

Unde, etiam præcisa ratione subjectionis immediatæ illustrissimi conservatoris, ut suffraganei, illustrissimo archipræsuli, et ejus ministris, et independenter à qualibet alia ratione, sufficiebat hæc turbatio, offensa, et usurpatio jurisdictionis ordinariæ illustrissimi archiepiscopi in præmissa creatione notarii, et aliis supra discussis, ad hoc, ut illustrissimum conservatorem subjiceret procedimentis illustrissimi ordinarii, et ut ab hoc valide, ac licite, suspendi, interdici, excommunicari, ac declarari posset. Videantur dict. allegat. 11. et seqq.

Secunda Resolutio.

XCI. Etiam præcisa ratione turbationis, aut offensæ, ordinariæ jurisdictionis, potest quilibet ordinarius quemvis conservatorem punire, quoties hic limites ac terminos suæ jurisdictionis excedit, et quoties in ea delinquit in territorio ejusdem ordinarii. Est etiam expressa resolutio omnium DD. nedum pro quolibet delegato, speciatim, et expresse, pro *delegato conservatore*; et ex adverso agnoscitur, et fatetur, præsentem casum esse unum ex exceptis in c. *Pastoralis* de rescriptis, juxta gloss. ibid. verb. *Jurisdictionem,* ad quod Barb. cum Flamin. tenet etiam Petr. Caball. res. crim. tom. 1. cas. 52. Cirin. d. c. 6. n. 30. Jacob. de Laur. de judic. suspect. c. 4. n. 33. Farin. fragm. p. 2. n. 937. Mend. in prax. p. 2. c. 3. n. 9. Barb. alleg. 106. n. 37. Peliz. sect. 4. tr. 8. c. 8. Per. de man. reg. c. 7. n. 6. ubi ait: *Extra dubium est, quod si conservator excedat, loci ordinarius illum punire potest, quia delinquit in ejus territorio, c. 2. de officio delegat. ipsiusque censuras nullas declarare, quando ita expediat, c.* Solicitudinem, *de appellation.* &c.

XCII. Et eandem resolutionem ampliant Navarr. in c. *Cum conting.* de rescript. remed. 4. Covarruv. q. 35. Sess. de inhibit. c. 8. § 5. Cochier. p. 1. q. 39. n. 34. et alii apud Cirin. cit. n. 31. quod etiam conservatorem excedentem judex sæcularis inhibere potest. Nam, ut cum Cochier. inquit Cirin. ibidem: *Malo nolo malum cuneum esse adaptandum.* Unde cum subjectus illustrissimus conservator multipliciter excesserit, ut superius remanet ostensum, extra dubium est, ut ait Per. cit. quod illustrissimus ordinarius loci per se, vel per ministros suos, valide, ac licite, vera et indubia jurisdictione adversus eum procedere poterat. Vide Themud. dec. 53. n. 11. et dec. 206. et 262.

Tertia Resolutio.

XCIII. Quamvis metropolitani in oves suffraganeorum non habeant jurisdictionem immediatam, sed mediatam, media scilicet appellatione, aut recursu, ex can. *Nullus,* can. *Conquestus,* q. q. 3. cap. *Pastoralis,* de offic. ordinat. et c. 1. eod. tt. in 6. exceptis casibus, quos Gasparr. designat, inst. can. p. 1. tt. 4. c. 4. quales sunt delictorum notoriorum, et concernentes utilitatem, ac statum totius provinciæ, ex c. 1. § *Notoria,* de censibus; attamen in personas suffraganeorum habent jurisdictionem ordinariam immediatam in omnibus casibus, in ordine ad munia sua exequenda. Gasparr. cit. n. 110. ibi: *Archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes episcopos, seu suffraganeos provinciæ non exemptos, cum potestate eosdem compellendi etiam per censuras ecclesiasticas ad propria munia subeunda, ad text. in can. 1, 2, 3. et 9. q. 3. et in c.* Pastoralis prope initium, *de offic. judic. ordin. Lancelot. Conrad. in templ. omn. judic. l. 2. c. 4.* Genuens. *in prax. c. 7. n. 7.* Late Peg. de *compet. inter archiepisc. et p. 1. c. 47. n. 26. et 27: exceptis tantum causis criminalibus gravioribus, et ob quas mereantur episcopi depositionem ab officio; quorum cognitionem solus Papa sibi reservavit in Concil. Trident. sess. 24. c. 5. de reformat.*

Et eandem jurisdictionem immediatam habet vicarius generalis metropolitani in personas suffraganeorum, etiam ad eos censuris compellendos in metropolitani absentia, vel in præsentia ex speciali commissione. Gasparr. cit. n. 112. ibi: *Advertendum tamen, quod si archiepiscopus sit in provincia, vel ab illa multum non distet, nequeat ejus vicarius generalis procedere per censuras ecclesiasticas contra episcopum suffraganeum, per text. in c. 1. § Officiales, de offic. judic. ordin. in 6. idque ob reverentiam dignitatis episcopalis. Quod secus dicendum venit in specialiter delegato ab archiepiscopo ad procedendum contra episcopum subditum; hic enim utique contra illum procedere poterit, ad mentem Joann. And. in d. c. 1. n. 4. in fin. et Ventrigl. in prax. episc. p. 2. annot. 14. § 1. n. 39.*

XCIV. Unde hac nova, et generali ratione poterat illustrissimus archipræsul, ut metropolitanus, adversus illustrissimum conservatorem, ut suffraganeum, ob excessus, et delicta commissa in conservatoris officio, in provincia, aut territorio metropolitico; *nam solicitudo totius provinciæ metropolitano commissa est*; ex d. can. 1. et d. c. *Pastoral.* ub. gl. et c. fin. *de fil. presbyter.* Ex vi cujus metropolitano competit providere, et punire excessus suffraganei in ejus provincia, nedum ut ordinarii, sed ut delegati, commissos. Abbat. et Felin. ad cc. cit. Imo quilibet ordinarius, nec metropoliticum jus habens, nec alia via superior conservatoris, adversus hunc procedere potest ob excessum, ac delictum in ejus territorio patratum. Cirin. d. c. 6. n. 30. cum Farin. cit. n. 977. ex gl. in d. c. ex liter. de offic. deleg.

Unde, si ratione subjectionis territorii potest ordinarius procedere adversus conservatorem non subjectum ratione personæ, si delinquat; à fortiori, propter subjectionem personæ conservatoris, ut suffraganei, poterit in eundem animadvertere, nedum

quando ut ordinarius, ſed et quando ut delegatus excedit. Et ſicut validum eſt argumentum *de re ad locum*, l. penult. ff. de juſt. et jur. *et de perſona ad rem*, l. *Qui furore*, ff. de ſtat. hom. ita validum eſt argumentum *de re ad perſonam*, Eſcob. de rat. comp. 15. Surd. conſ. 262. Thuſc. concl. 502. et in caſu præſenti valet etiam argumentum *de loco ad perſonam*, præſertim ad perſonam ſubditam, ac ſuffraganeam, ex cit. jurib.

Hinc adverſus Judicioſum concluditur, hanc rationem ſubjectionis præſentis aſſerti conſervatoris, ut ſuffraganei, non eſſe adeo *infelix præſidium*, ut ipſe egarrit; ut etiam non deſumatur ex gl. in d. c. *Paſtoralis*, verb. *Exceptis*; ibi: *Metropolitanus eſt judex ordinarius totius provinciæ: quia ejus gerit ſolicitudinem*; ubi DD. communiter.

Quarta Reſolutio.

XCV. Poterat illuſtriſſimus archipræſul adverſus illuſtriſſimum conſervatorem procedere forma, qua proceſſit, ſtatim *inhibendo*, *ſuſpendendo*, et ſuſpenſum *declarando*. Reſolutio eſt tripartita. Et probatur prima pars: quia, etiam quando electio conſervatoris valida ac legitima eſt, et conſervator eſt in actuali poſſeſſione illius, et dubium ſolum eſt ſuper competentia juriſdictionis in aliquo particulari caſu; poteſt ordinarius ſtatim conſervatorem inhibere abſque prævia citatione, aut monitione, ne ulterius procedat, quouſque aut à procedimento deſiſtat, aut competentiam per arbitros judicari patiatur. Ita practicus Monacell. p. 3. form. 52. ibi: *Intimetur N.: aſſerto conſervatori . . . . et interim ſibi inhibetur, ne in dicta cauſa nil innovet, ſub pœna in d. conſtitutione contenta, inſtante promotore fiſcali*, &c. Ergo, potiori jure, quando electio vel nulla fuit, vel ſaltem eſt dubia quoad validitatem et legitimitatem, et conſervator non eſt in poſſeſſione illius, neque exercitii juriſdictionis ſuæ.

XCVI. Secunda pars probatur: 1. Quia judex cuilibet reo poteſt *ab homine* imponere eandem pœnam, quæ *à jure* impoſita eſt, ex c. *de cauſis*, de offic. deleg. § *Illis*; ibi: *Si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna in canonibus exprimatur, eandem infligas*, Antonell. de judic. criminal. l. 6. c. 5. Deluc. eod. tt. et paſſim DD. tt. *de pœnis*. Et cum à jure conſervatori ſuos limites excedenti imponatur *pœna ſuſpenſionis ab officio per annum*, in cit. bull. Gregorian. et c. ultim. de offic. deleg. ſequitur, quod eandem poteſt imponere ordinarius cuilibet conſervatori in ejus territorio excedenti, aut delinquenti, juxta ſuperius tradita reſol. 2. hoc § 2.

XCVII. Prob. 2. eadem ſecunda pars: Quia omnis excedens, aut graviter in officio ſuo delinquens, meretur puniri pœna privationis, vel ſaltem temporalis ſuſpenſionis ab eodem officio, ut deducitur ex c. *Provida*, 47. de election. in 6. ibi: *Ut in eo, in quo peccaverunt, puniantur per annum*, Donat. d. tr. 17. q. 42. n. 2. Cum autem conſervator per præfatos notorios exceſſus ſubjectus remanſerit punitioni ſui illuſtriſſimi ordinarii; poterat ſane hic in eum animadvertere, et illum corrigere eadem pœna ſuſpenſionis ab homine, ex d. c. *de cauſis*, de offic. deleg.

XCVIII. Prob. 3. eadem ſecunda pars: Quia ſi ordinarius poteſt ſtatim conſervatorem inhibere in dubio competentiæ juriſdictionis, aut validitatis, vel legitimitatis electionis; poteſt etiam eum illico ſuſpendere; tum quia inhibitio illa jam quodammodo ſuſpenſio eſt; nam, juxta definitionem Bonac. tom. 3. de cenſur. diſp. 1. q. 14. pu. 1. n. 11. *Inhibitio eſt mandatum ſuperioris, quo prohibet, ne aliquid faciat, aut cœptum proſequatur*: quod proſequitur Seſſ. de inhibitione, c. 10. § 2. n. 12. *Idque procedit, ſive inhibitio ſit juſta, ſive injuſta; nam in dubio ſemper timenda, atque obtemperanda eſt*; tum quia nil ſpeciale radiat in contrarium vetans ſuſpenſionem, ceſſa inhibitione.

XCIX. Tertia pars probatur: Quia qui notorie incurrit cenſuram, aut pœnam à lege inflictam, poteſt ſtatim in eam incurſus declarari, non præmiſſa citatione, aut monitione, aliove juris ordine. Eſt communis doctrina, deducta ex c. *Ad noſtram*, 3. de jur. jurand. c. *Manifeſta*, 2. q. 1. ibi: *In notoriis non ſervare ordinem juris, juris ordo eſt*. Eam tenent Deluc. in miſcellan. diſc. 14. et alibi. Monacell. p. 3. form. 45. Fermoſin. in c. *Conſuluit*, de appellat. n. 4. Petr. tom. 3. in conſt. Alex. IV. n. 12. ubi refert multoties deciſum. Pignatell. conſ. 170. citans Soares diſp. 3. § 8. n. 14. et tom. 6. conſ. 18. n. 49. et 50. citans Genuenſ. et Ciarlin. c. 148. n. 4. ubi abſolute affirmat, *Neminem dicere, quod in declaratoria ſit neceſſaria citatio perſonalis; idemque tradunt Bellet. Maſſerat. Rott. dec.* 48. &c.

Accedit Panimol. alios etiam citans dec. 46. ubi ſic ait: *Quando delictum eſt notorium, et publicum, poteſt ad declaratoriam deveniri, etiam abſque citatione, ut probat gloſſ. in c.* Cum ſit Romana, *Felin. in c.* Rodulphus, &c. Videantur reliquæ hæc de re auctoritates extenſæ alleg. 11. et alleg. 13. et aliis. Unde, cum notoria fuit creatio proprii notarii ab illuſtriſſimo conſervatore, in eadem charta ſuæ deputationis à tergo, et non per ignorantiam, ſed præſumptive, ut infra oſtendetur, n. 102. conſequens erat, quod poterat ſtatim declarari ſuſpenſus ob notorium exceſſum abſque alia prævia diligentia, ſecundum formulam Monacell. infra cit.

Refutantur fundamenta in contrarium.

C. Contra præmiſſam reſolutionem nil officit, 1. Quod ex adverſo utroque libello allegatur; videlicet, quod illuſtriſſimus archipræſul ad valide inhibendum, ſuſpendendum, et ſuſpenſum declarandum illuſtriſſimum conſervatorem, prius debebat eum notificare, ac citare, et dubium per arbitros in forma juris decidere facere, &c.

Reſpondeo, 1. Jam ſupra oſtenſum eſſe, ad mere inhibendum, non eſſe neceſſariam prævium citationem, aut notificationem; imo ſecundum praxim, ac ſtylum, quando conſervatores notificantur ad decidendum per arbitros dubium competentiæ, ſtatim inhibentur, ex cit. formula Monacell. *p. 3. form.* 52.

CI. Reſpondeo, 2. Quod quamvis ad declarandum conſervatorem ſuſpenſum, aut incurſum in pœna ſuſpenſionis à jure, poſſit ordinarius præmittere monitionem, aut citationem *ad dicendum, quare non debeat declarari ſuſpenſus*, quando exceſſus eſt dubius, et conſervator certus, ex cit. Monacell. attamen quando exceſſus fuerit notorius (licet conſervator ſit certus, ac legitimus) et detur periculum in mora, vel timeatur aliquod ſcandalum; poteſt ordinarius ſtatim procedere abſque prævia citatione, ac monitione. Eſt expreſſa doctrina Paſſerin. quem citat et ſequitur Monacell. p. 3. d. form. 52. n. 28. ibi: *Hæc autem monitio ſemper præmittenda erit, quando exceſſus non ſit notorius, ut in caſu formulæ, vel periculum non ſit in mora, aut ſcandalum timeatur; in his enim caſibus poterit omitti*; *Paſſerin. in d. c. fin. n.* 196.

Quod, à fortiori, militat in præſenti caſu, in quo, præter manifeſtas conſervatoris electionis nullitates, vel incertitudinem ſaltem juriſdictionis ejus, et præter notorietatem ejuſdem exceſſuum, ſuſpicionis, ac recuſationis, dabatur in mora multipliciter periculum, ac ſcandalum.

1. Intentum illuſtriſſimi conſervatoris, quod de more ſuo erat, præſentata charta deputationis ſuæ, ſtatim ſequenti die procedere adverſus illuſtriſſimum archipræſulem, et vicarium foraneum Tannaenſem (adverſum quem etiam proceſſit); quem quidem procedendi modum præcipitem ipſe obſervârat in conſervatoria Eremitarum Auguſtinianorum, in qua, in eodem inſtanti morali, quo literas ſuas per ſecretarium ſuum exhibuit, citare fecit R. vicarium generalem archiepiſcopatus cum comminatione cenſurarum; quod facere non poterat, ut ſupra demonſtratum eſt. Et ita neceſſe quidem fiebat eum prævenire.

2. Quia, licet illuſtriſſimus ordinarius conſervatorem præſentem tantum inhiberet; vel notificaret, aut citaret *ad allegandum*, termino peremptorio præfixo; conſervator ipſe confeſtim exequeretur, quod et nunc effecit, et de facto in continenti illuſtriſſimum archipræſulem excommunicaret, prætextu, quod media illa inhibitione, aut citatione, uſum juriſdictionis ſuæ vel impediebat, vel impedire, ac turbare præſumebat; et nedum excommunicaret, ſed anathematizaret, *vim vi repellendo*, ut nunc de facto in declaratoria ſua obſervavit, atque executus eſt.

3. Quia,

3. Quia, etiamsi illustrissimus conservator adversus illustrissimum archipræsulem procederet prævia citatione, ac monitione, has quidem tam arcto et angusto termino præmitteret, ut sui etiam est moris, et nunc etiam effecit (nullum namque terminum impræsentiarum assignavit) ut quando illustrissimus archipræsul eum vicissim notificare aut citare vellet, priusquam id exequeretur, jam se excommunicatum, et anathematizatum experiretur, et populus anceps, ac dubius hæreret, an conservatoris censuræ per illam præventionem tenerent, et procedimenta ordinarii, ex defectu similis præventionis, invalida redderentur?

Quod quidem ab experientia comprobatur, ac confirmatur: nam in illa conservatoria Augustinianorum, cum omnia procedimenta forent vicarii generalis archiepiscopatus, quoad intentatam reclamationem, de qua infra alleg. 55. nedum subjectus conservator ausus fuit hunc præcipitanter, et fere repente, excommunicatum declarare, sed etiam illustrissimum archipræsulem, metropolitanum suum, die immediate sequenti, de facto, ac præcipitantius, nulla prævia, vel simplicis notificationis umbra, aut alterius diligentiæ, confestim ab officio ac beneficio suspendit, contra omne jus, et contra specialiter decreta, c. 2. de offic. deleg. in 6. falsa, ac apparenti techna, quod præfatus vicarius generalis causas graviores cum illustrissimo archipræsule conferebat; et hæc omnia prædictus conservator perpetravit prius inhibitus, ac suspensus ab eodem vicario generali ob similem excessum creandi proprium notarium, et procedendi adversus illum statim cum comminatione censurarum, et ob alios, de quibus infra: et cum hac experientia anteriori, quid moderatius sperari nunc poterat ab eodem conservatore, præsertim cum jam de illa præventione cautus, et moraliter certus procedebat?

CII. Unde prudentia fuit, imo et necessitas, illum prævenire, et anterius manus ejus circumveniendo ligare, ad scandala, atque erronea judicia, quæ vulgus, et minus prudentes, necnon minus bene affecti efformarent, in casu contrariæ ex parte conservatoris præventionis, evitanda, ac impedienda. Et hanc eandem præventionem, atque antevertens procedimentum, consulunt Donat. d. tr. 17. q. 42. Ventrigl. in prax. p. 1. annot. 21. n. 10. Pignatell. tom. 2. conf. 24. n. 8. Barb. de episc. alleg. 106. n. 37. et alii, cum quibus Monacell. p. 3. d. form. 52. n. 27. sic ait: *Ordinarius non solum conservatorem in pœnam const. incursum potest denuntiare, sed ulterius, si excessus esset dolosus, et præsumptuosus, eum tanquam usurpatorem jurisdictionis ordinariæ, in censuram bull. Cœnæ proclamare deberet, Donat. Pignatell. Ventrigl. vel etiam iterum excommunicare, cum ratione offensæ fiat subditus, Barb. Donat. et sic, juxta excessus circumstantias, manus aggravanda est.*

Auctoritas Donat. per formalia n. 5. et 6. sic se tenet: *Conservatores, si excedant terminos potestatis traditæ in præjudicium jurisdictionis diœcesani, sive loci ordinarii, incurrunt in excommunicationem bull. Cœnæ, can. 17. Thesaur. cit. loc. n. 4. &c. ac proinde ordinarii offensi poterunt suam jurisdictionem contra prædictos censuris tueri, c.* Dilecto, *de sent. excom. in 6. c. ex parte 1. de verb. signific.*

CIII. Et, posito, quod excessus illi, procedimenta, ac conatus subjecti conservatoris, nedum præsumptuosi, sed et dolosi, ac fraudulenti utique fuerint, valde consentaneum, ac conveniens, et perutile fuit, eum prævenire, et opportune circumvenire, juxta regulam, *Fraudem fraude repellere, vel circumvenire licet*, ex gl. in c. *Cupientes*, verb. *Malignantium* . . . . . de elect. in 6. et in c. *Dominus Deus*, 32. q. 2. l. *Cum pater*, § *Titio*, ff. de legat. 2. et, ut Naso cecinit de art. am. l. 3.

Fallere fallentem, fraudemque repellere fraude,
Exemploque licet ludere quemque suo.

Et juxta Bald. consil. 142. ad finem lib. 2. Catil. verb. *Fallere. Fraudans alium, ne fraudetur ipse, non calumnia, sed prudentia dicitur.* Quod et aliis terminis, diversoque idiomate, Hispanicum adagium profert: *Del diestro al diestro, qual mas presto.* Mitto alia.

Nil, 2. officit, quod Judiciosus affectat, illustrissimum conservatorem non incurrisse suspensionem illam officii *à jure*; eo quod constitutio Gregoriana *Sanctissimus*, illam imponens, non exprimit episcopos, ut necessarium erat; quod et confirmat ex c. *Quia periculosum*, de sent. excom. in 6. et ex auctoritate Bonac. super hac eadem suspensione ab officio, tr. de censur. in particul. disp. 2. q. 2. pu. 4. n. 3. sed hæc ratio æqualiter Judicioſum premit, et adversus illum postea suum ipsius revibrabo argumentum. Interim ——

CIV. Respondeo, 1. Illustrissimum archipræsulem, non solum declarasse illustrissimum conservatorem incursum in suspensionem comminatam, aut fulminatam in d. constitutione Gregoriana, sed etiam in c. ultimo de offic. deleg. in 6. (quod quidem Judicioſus ex industria tacet, ac mutilat) et cum in d. c. fit expressa mentio episcoporum per verba illa, *Nisi episcopi, et eorum superiores, aut abbates*, &c. sequitur, quod, quando præfatis, quos in conservatores declarat eligi posse, comminatur prædictam suspensionis pœnam, æque comprehendit conservatores tam episcopos, quam non episcopos, observat Donat. d. tr. 17. et in hac conformitate dicta constitutio Gregoriana expresse renovat, ac confirmat dispositiones d. cap. ultim. § 2. *Nisi non solum habeant qualitates descriptas in constit. Bonifac.* VIII. *&c.* Et § 11. *Per annum ab officio suspensi sint, juxta formam ejusdem constit. Bonifac.* VIII. *quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti constitutioni non adversantur, innovavit, et innovat.* Et cum in d. constit. Bonifacii fiat expressa mentio episcoporum; sequitur, quod, in hac expressa renovatione illius, mediate eadem illorum expressio fiat.

Respondeo, 2. Quod sicut Pignatell. tom. 6. consil. 18. n. 6. et tom. 2. conf. 62. n. 8. cum Ugolin. Alter. Edvard. et eodem Bonac. docet, quod per relativum *Qui*, in can. 15. et 16. et 17. bull. Cœnæ, expressum, et per adjectivum *Omnes*, can. 11. expositum, eo quod sint universalia, sufficienter intelligi insinuatæ, atque expressæ omnes personæ publicæ, et particulares, ecclesiasticæ, ac sæculares, cujuslibet status, dignitatis, ac conditionis, *excepto Summo Pontifice*, argum. l. *Julian.* ff. de legib. 3. et cap. *Si Romanor.* § *Dicendo*, 19. d. &c. ita pariformiter, per verba, *Si qui conservatores*, eo quod sint universalia, debent intelligi expressi episcopi; præsertim, cum hi in d. cap. ultim. expressentur, quod quidem in d. constitutione Gregor. aperte innovatur. V. Monet. et alios.

CV. Confirmatur efficaciter: Quia finis, ac motivum prædictæ suspensionis à jure impositæ, fuit repressio, ac cohibitio conservatorum, ob frequentes eorum excessus, ut in d. cap. ultim. et in d. constitutione Gregorian. expresse enarratur: atqui excessus hos patrare possunt conservatores tam episcopi, quam non episcopi; imo illi facilius, atque efficacius, et inoffensius, præ istis, ob majorem potentiam, ac dignitatem: ergo utrosque æque comprehendere suspensio illa fulminata censenda est, juxta regulam vulgarem: *Ubi datur eadem ratio finis, datur eadem legis dispositio*, l. *Regula*, ff. de jur. et fact. gl. in l. *Ancill.* cod. de fruct. Pignatell. tom. 4. conf. 174. ibi: *Quando lex non disponit per se primo personis, sed de aliqua materia, comprehendit omnes personas, in quibus locum habet illa materia; nam ratione materiæ, trahuntur ad subjectionem respectu legis, quia in ipsis est casus legis.*

CVI. Ad cit. c. *Quia periculosum*; respondetur, 1. Illud retorquendo: Si enim Summus Pontifex, ut ait Judicioſus, ne episcopi in ministerio suo impediantur, nec partes in recursu ad illos retardentur, vult, ut censuras eos impedientes incurrant, absque eorum expressa mentione; quomodo illustrissimus conservator adversus illustrissimum archipræsulem, metropolitanum suum, illico. ex abrupto per censuras ultimas adeo injuste processit, eum de facto excommunicando, anathematizando? &c.

CVII. Respond. 2. Non loqui cit. c. ultim. de censura suspensionis ab officio, quæ est *mera pœna*, in quam episcopus conservator potest incidere per excessum muneris conservatoris; sed loqui de censura suspensionis ordinum, aut officii sacerdotalis, aut etiam episcopalis (præter interdicti censuram) in quas declarat non incurrere episcopos, sine expressa dignitatis

corum

eorum mentione. Unde ſicut regularis exemptus, qui per privilegium exemptionis ſuæ, non ſubditur ordinario loci; attamen per acceptationem nuncupationis, aut muneris teſtamentarii alicujus ſubditi ordinarii, eidem ſubjectus remanet quoad reddendas rationes, et quoad alia procedimenta, ac pœnas ſtatutas, Ricciol. in prax. p. 5. Barb. de epiſc. alleg. 82. Gav. verb. *Regular.* Perring. l. 1. tt. 31. Franc. de eccleſ. c. 25. Amoſtaz. de cauſ. pi. p. 2. l. 5. c. 7. Raynald. pract. crim. ſupplem. 4. ad cap. 32. n. 30. Monacell. p. 3. tt. 2. form. 10. n. 9. ita ſimiliter epiſcopus, qui per privilegium dignitatis ſuæ non ſubditur cenſuris juris, in quibus expreſſa mentio epiſcoporum non fit; attamen ex eo quod munus conſervatoris acceptavit, ſubjectus remanet pœnis, ac cenſuris conſervatoribus excedentibus à jure impoſitis; etiam dato, et non conceſſo, quod in prædicto cap. ultim. et conſt. Gregorian. expreſſa mentio, ſaltem mediate, epiſcoporum non fiat.

CVIII. Ad auctoritatem Bonacin. ex eadem reſpond. videlicet non loqui *aſſertive abſolute*; ſed *opinative*, ac *dubie*; et ideo dicit, *reſpondendum videtur.* Ut autem ordinarius valide, ac licite procedere poſſit, ſufficit illi, ut pro ſe habeat opinionem probabilem, præcipue ſi in jure fundetur, ac communi DD. auctoritate, ut impræſentiarum, præſertim DD. modernorum, qui poſt bull. Gregorian. et ſuper ea ſcripſerunt, ut Deluc. cit. Cirin. d. c. 6. Monett. de conſervator. c. 7. q. 12. Panimol. dec. 84. Fagnan. in c. *Si clericus*, de for. compet. Cardin. Petr. Pignatell. cit. et alii.

Et cum illuſtriſſimus archipræſul proceſſerit, ut ſuperior, adverſus illuſtriſſimum conſervatorem, non ſolum ut ordinarius, ac metropolitanus, ſed etiam ut delegatus, ratione exceſſuum conſervatoris contra decreta juris communis, Concilii Tridentini, ac conſtitutionum apoſtolicarum, commiſſorum, in ordine ad quorum obſervantiam, ordinarii poſſunt procedere, etiam ut Sedis Apoſtolicæ delegati, de quo infra; conſequens eſt, illuſtriſſimum archipræſulem, nedum opinionem, ſed et juris præſumptionem pro ſe habere, etiam dato, quod aliqua opinio in contrarium circumferretur.

CIX. Nam pro ſuperiore ſemper præſumendum eſt, pro quo ſemper jura præſumunt. Vide curſ. moral. Salmantic. tom. 4. Buſemb. et cum illo Lacroix de conſcient. l. 1. n. 432. Et hic maxime notandum eſt cum Monacell. p. 3. form. 52. n. 23. quod quamvis aliqui putaverint per ſuſpenſionem illam *ab officio* illimitate in d. c. ultim. et bull. Gregorian. conſervatori impoſitam, non ſolum ſuſpenſionem ab officio conſervatoris, ſed etiam ab officio ordinum, conſervatorem excedentem incurrere; *Hodie tamen*, inquit Monacelli, *jure novo attento in d. conſt. Gregoriana* XV. *ab officio tantum conſervatoris ſuſpenſus remanet*, Paſſerin. in d. c. fin. n. 39. Quare auctoritas DD. modernorum poſt dictam bullam ſcribentium, præferenda eſt auctoritati antiquorum, eam præcedentium. Et quamvis Bonacin. poſt illam ſcripſit, ſecutus eſt Soar. Granat. qui eam præceſſit.

CX. Quoad poteſtatem autem ordinarii ad excommunicandum, ac declarandum incurſum in juris cenſuras quemlibet epiſcopum, etiam delegatum Sedis Apoſtolicæ, vide Pignatell. tom. 10. conſ. 126. n. 28. in fin. ibi: *Ideoque poſt concilium poteſt epiſcopus ab epiſcopo puniri, quando committit crimen in aliena diœceſi, ut per Grat. diſceptat.* 393. *n.* 2. *et ſeqq. Poteſtas enim epiſcopi in propria diœceſi talis eſt, ut poſſit etiam punire delegatum Papæ in ea delinquentem, ut per Genuenſ. in pr. archiepiſc. c.* 38. *n.* 5. *in addit. Cum tamen delegatus æſtimetur major quocunque ordinario, c. Sanc. de offic. deleg. Oſtienſ. et Galfred. in tt. de offic. deleg. Imol. conſ.* 150. *n.* 31. *ea quidem ratione, quia ob delictum efficitur minor, ac perſona privata; arg. can. duo* 96. *diſt. Innoc. in d. c. Cum inferior, de major. et obedient. prout etiam epiſcopus delinquens in aliena diœceſi, non conſideratur, ut epiſcopus, ſed ut privata perſona: Grat. ibidem, n.* 1. *et poteſt, ut talis, puniri, ac etiam excommunicari, ex ſupra dictis.*

CXI. Reſpondeo, 3. Quod dominus archipræſul non ſoltum dominum conſervatorem ſuſpenſum declaravit, ſed ſimul illum inhibuit, ac ſuſpendit. Et, dato, quod dominum conſervatorem non poſſet declarare incurſum in ſuſpenſionem *à jure*, in d. c. ultim. et conſtitutione latam, ex defectu illius expreſſionis; attamen certum remanebat, quod eum ab homine ſuſpendere poſſet ob exceſſus, ſuppoſita ſubjectione conſervatoris ex vi illorum illuſtriſſimo ordinario, et ob alias rationes ſuperius attactas; tum quia *Utile per inutile non vitiatur*, l. *Eos*, 20. ubi gl. v. *De ſuperfluo*, cod. de uſur. tum quia *Sententia prolata ex cauſa falſa, et ex cauſa vera, tenet ex cauſa vera.* Raynald. pract. crim. tom. 4. ſuppl. 1. ad c. 32. n. 34. Ferret. conſ. 262. n. 4.

Bene equidem, et æque conſuleretur, ac provideretur juriſdictioni ordinariorum, ſi in territoriis eorum volentibus epiſcopis conſervatoribus procedere contra ordinarios non ſolum per cenſuras *ab homine*, ſed etiam per declarationem cenſurarum *à lege*; ordinarii, è converſo, adverſus illos procedere nequirent, etiam quando in eorum territoriis excedunt, aut delinquunt, atque etiam in defenſionem, ſaltem per declarationem pœnarum, ac cenſurarum *à jure* pro præfatis exceſſibus eiſdem impoſitis! Quænam foret hæc juris, ac Sedis Apoſtolicæ providentia? præſertim utroque, in d. c. ultim. et conſtit. Gregorian. nervoſe conquerente; et cum eiſdem, cunctis fere doctoribus, de frequentibus judicum conſervatorum exceſſibus, ac temeritatibus, conclamantibus?

CXII. Forſan replicabit adhuc Judicioſus, aut quiſquam pro illo; Adhuc liberam remanere ordinariis facultatem epiſcopos conſervatores reprimendi, ac puniendi per cenſuras *ab homine*, eos inhibendo, ſuſpendendo, ae excommunicando, *vim vi repellendo*, conformiter ad veram doctrinam, quam idem Judicioſus nunc amplectitur; non autem eos declarando in juris cenſuras, in quibus non exprimuntur. Sed contra, 1. Quod hoc etiam modo illuſtriſſimus archipræſul contra dominum conſervatorem proceſſit, ut ex illius paſtoralibus convincitur. Et ſi dominus conſervator, ex vi declarationis in cenſuras *à jure*, nec ſuſpenſus, nec excommunicatus reputatur; utique talis æſtimabitur, atque judicabitur in utroque foro, ex vi hujus ſuſpenſionis, atque excommunicationis *ab homine*; ac per conſequens jam reapſe habemus præfatum conſervatorem inhibitum, atque ligatum ad procedendum, contra Judicioſi prætenſionem.

CXIII. Contra, 2. Quia ſi ordinarius poteſt *vim vi repellendo* excommunicare conſervatorem epiſcopum, et etiam delegatum apoſtolicum, non obſtante utriuſque dignitate, ut ſupra eſt probatum, et ſupponit Judicioſus; etiam eodem procedimento defenſivo, ac extrajudiciali, utrumque declarare in cenſuras à jure incurſum, non obſtante qualibet exemptione, ac privilegio, Cardin. Per. cum Deluc. Pignatell. et aliis, in conſt. 1. Leon. IX. tom. 1. n. 109. ſeſſ. 2. ibi: *Deveniendo ad membrum diſtinctionis; utrum ſcilicet poſſit procedere prælatus contra non ſubditum ad declarationem cenſurarum juris, ſi tamen fiat ſine figura judicii, et per modum executionis, et vim vi repellendo, prout hodie ſolet fieri . . . . . quam opinionem affirmative docent Deluc. Pignatell. plures adducens reſolutiones Sacr. Congr.* &c.

CXIV. Quod quidem ampliatur in epiſcopo conſervatore; qui quidem, *tranſgrediens ſui officii cancellos, habendus eſt tanquam privatus*, ut ait Donat. ſupra cit. cum Navarr. Cochier. et Peyrin. tom. 3. non obſtante ejus dignitate, ac exemptione, excommunicari, et declarari in cenſuras à jure utique poteſt, quaſi non foret epiſcopus, ſed perſona privata, ut ait Pignatell. cit. tom. 10. d. conſ. 126. *Delinquens in aliena diœceſi, non conſideratur, ut epiſcopus, ſed ut privata perſona; et poteſt, ut talis, puniri, ac etiam excommunicari.*

Reſpondeo, denique, idem argumentum *ad hominem* contra Judicioſum retorquendo: nam ſi epiſcopi nequeunt declarari, nec juris cenſuras incurrunt, quando de illis expreſſa mentio non fit; ſequitur, quod neque illuſtriſſimus archipræſul incurrit in cenſuram ſuſpenſionis ab officio latam in c. *Cum æterni*, de ſent. et re judic. in qua eum incurſum facere prætendit Judicioſus; neque in cenſuram c. *Cum medicinalis*, de ſent. excommunic. in 6. neque in comminatis

minatis in privilegiis regularium contra impedientes; neque in cens. can. 17. bullæ Cœn. contra usurpatores alienæ jurisdictionis ecclesiasticæ; neque in reliquas, quæ ex adverso, tum in libellis, tum in nullis fixatoriis allegantur: in nulla harum quippe fit expressa mentio dignitatis episcopalis. Et ex hac eadem ratione neque dominus conservator censuram aliquam contraheret, ex non acceptatione talis conservatoriæ deputationis (quod ipse passim evocitat): nam in comminatione illius pœnarum contra non acceptantes, non exprimuntur conservatores episcopi.

Quinta Resolutio.

CXV. Poterat illustrissimus archipræsul procedere forma, qua in prima pastorali processit, non solum conditionaliter comminando declarationem in censuras bullæ Cœnæ, quando assertus conservator ausus foret procedere post inhibitionem; sed etiam statim eum declarare in dictas censuras incursum absque prævia citatione, aut monitione, supposita notorietate prædictorum excessuum, et turbationis, ac jurisdictionis ordinariæ: resolutio est bipartita.

Probatur prima pars: Quia, quamvis censuræ *à lege*, sive *à jure*, secum ferant propriam monitionem; nam *lex semper monet*, c. 1. de const. in 6. l. *Arriani*, cod. de hæretic. l. ultim. cod. *Quæ sit long.* l. *Servus*, cod. de pœnis, Grat. for. c. 561. n. 4. attamen certum est, judicem ecclesiasticum, licet possit ad declaratoriam illico procedere, posse etiam eam adversus reos comminari dumtaxat, casu, quo à materia, censurarum incursui subjecta, minime desistant, aut in ea perseverent, ac prosequantur: quia *Qui potest magis, potest et minus in eodem genere*; l. *Non debet*; ff. de reg. jur. auct. *Multo magis*, cod. de sacros. eccles. reg. 53. de regul. jur. in 6.

CXVI. Probatur secunda pars, ex dictis superius resol. 1. hujus § 3. et ex doctrina Cardin. Deluc. in miscellan. disc. 14. ubi cum Panormit. supra citat. ait, quod *Excommunicatio lata sine citatione, et sine monitione, valet, sed non ejus declaratoria, nisi sit super notorio.* Et ibidem, n. 8. ait, *Non solum procedi potest sine citatione extrajudicialiter, et in defensionem; quinimo aliqui volunt, quod ita procedi debeat, quodque alias sit error: quasi quod citatio probet, fuisse intentatam viam judicialem.* Idem statuit de judic. discept. 9. et de jurisd. locis citatis, et transcriptis supra alleg. 11. et seqq. ubi etiam late transcribuntur auctoritates Cardin. Petr. Pignatell. Monacell. Panimol. et aliorum, quæ ibidem reperientur; et ideo illis hic supersedemus. Quod confirmatur ex ipsamet admissione, ac approbatione hujus doctrinæ ex adverso, deductæ ex c. *Dilecto*, de sent. excom. in 6. c. *Venerabil.* eod. tt. l. *Ut vim*, ff. de just. et jur. l. 1. et toto tt. *de vi, et vi armat.*

CXVII. Non omittendum tamen duco, duo, vel tria hic specialiter notanda. Primum est, notoria falsitas, qua Judiciosus asseverat, illustrissimum archipræsulem processisse absque ulla citatione, aut monitione; cum ex prima pastorali charta manifeste constet, illustrissimum ordinarium, dominum conservatorem admonuisse, et comminatum ei fuisse declarationem in censuras à jure, per verba, quæ Judiciosus caute, ac dolose truncat: *Et casu, quo procedere audeat, itidem declaramus incurrere in censuram majoris excommunicationis*, &c. *Et per hanc eos notificamus, ac citamus*, &c.

Secundum est notoria alia inverisimilitudo, qua similiter affirmat, illustrissimum archipræsulem in hac eadem prima pastorali statim dominum conservatorem excommunicatum declarâsse; cum ex ipsamet constet, eundem suspensum dumtaxat per annum declarâsse ab officio conservatoris; et solummodo declarationem majoris excommunicationis conditionaliter ei comminatum fuisse, casu, quo ulterius procedere auderet.

CXVIII. Et quamvis in narrativa facti dicatur, conservatorem per excessus illos subjectum manere incursui censurarum bullæ Cœnæ; hæc est mera narrativa, et non formalis declaratio; et juxta vulgare, *Narrativa non faciunt jus*, c. *Ex literis*, de fid. instrum. Tiraquel. in l. *Si unquam*, cod. de revoc. donat. et hic est styl. in notificationibus, aut citationibus *ad allegandum*, quæ præcedunt formalem declarationem, narrari factum, et allegari subjectum esse incursui talis vel talis censuræ; et ideo, quia reus est in terminis in illam, declarandi, *Citetur N. ad allegandum, quare non debeat declarari incursus*, &c. ut passim invenitur in formulario Monacell. p. 3. per tot.

Tertium est, quod, cum illustrissimus ordinarius hac prima saltem monitione pro trina processerit, et dominus conservator ex abrupto, et præcipitanter, absque umbra etiam citationis, ac notificationis, repentinum procedimentum aggressus fuerit; reprobet Judiciosus adeo exaggeranter procedimentum domini archipræsulis, ex defectu ordinis juris; et tam acri tenacitate approbet processum domini conservatoris, quasi validum, et licitum; non animadvertens, quod in hoc suo implicatorio judicio, *In quo judicat alium, seipsum condemnat!*

Et si Judiciosus conservatorem suum excusat, eo quod processerit *vim vi repellendo*; *et in defensionem*; cur non idem judicium faciet de simili procedimento defensivo illustrissimi archipræsulis, quod in omnibus pastoralibus suis exprimebatur? Et si exculpans gravissimum defectum domini conservatoris in non servata graduatione c. 2. de offic. deleg. in 6. eo quod graduatio illa, ut ipse autumabat, non sit de essentia, quod et ex gl. ibid. verb. *aliter* probat; cur non idem sentiet, atque affirmabit, de censuris illustrissimi ordinarii, præsertim intercedente necessitate, atque urgentibus causis supra ponderatis, et præcedente una saltem monitione, ac citatione relata, et attestante eadem glossa, *Quod si judex, non servata forma hujus decreti, statim excommunicet, vel suspendat episcopum, vel superiorem, tenet tamen sententia?*

CXIX. Cui favet auctoritas Sesse, specialiter pro inhibitione imposita domino conservatori, c. 10. § 2. de inhibitione, n. 12. ibi: *Inhibitio, sive justa, sive injusta, etiam in dubio, semper obtemperanda est.* Et auctoritas Baiard. ad Clar. pro excommunicatione, 2. p. q. 78. n. 38. *Excommunicatio, sive lata fuerit ex falsa causa, sive ex non legitima, tenet*, &c. Cujus formalia verba habentur sup. allegat. 11.

Sexta et ultima Resolutio.

CXX. Poterat illustrissimus archipræsul procedere adversus dominum conservatorem modo, quo processit, et cum vera jurisdictione, ac superioritate super illum, etiamsi conservator foret verus judex delegatus, eo quod illustrissimus ordinarius in hoc casu processit etiam, ut delegatus Sedis Apostolicæ, et conservatore equidem major.

Probatur facile resolutio: Quia ordinarii, *ratione officii*, sunt executores juris communis, et constitutionum apostolicarum, et specialiter decretorum Sacri Concilii Tridentini, saltem respectu subditorum (quod aliqui ampliant, etiam respectu exemptorum) nedum ut ordinarii, sed ut delegati Sedis Apostolicæ, ut tenent Tamburin. de jur. abbat. tom. 3. disp. 15. n. 45. Franc. in pastor. p. 2. q. 1. Barb. et Peg. de compet. p. 1. c. 48. n. 24. usque 26. ubi sic ait: *Et quamvis dicti textus loquantur in judicibus delegatis, attamen dicta facultas in illis concessa comprehendit archiepiscopos, aut episcopos, qui in hoc casu sunt ut delegati Sedis Apostolicæ quoad executionem decretorum Concilii Tridentini, in quibus fundantur . . . et etiam quando non est delegatus à Sede Apostolica, sed solum archiepiscopus ordinarius; Coron. d. c. 2. n. 7. et licet inferioribus sit hoc prohibitum, et contra episcopum procedere per suspensionem, interdicta, et censuras; ex c. 1. de offic. ordin. attamen secus est in archiepiscopo; auctoritas enim archiepiscopi eo extenditur, ut possit suspendere, interdicere, et excommunicare episcopum, c.* Quia Pontific. *de offic. deleg. c. 1. de offic. ordin. in* 6.

CXXI. Confirmatur ex bulla confirmatoria d. Concilii Trident. et ex pluribus ipsius expressis decretis, signanter c. 2. sess. 5. c. 2. et 3. sess. 6. c. 8. sess. 21. c. 10. sess. 24. c. 9. sess. 25. de reform. et sess. 21. in decret. de celebrat. missar. et ex variis bullis, ac constitutionibus posterioribus apud AA. cit. et ex novo Concil. Lateran. in appendice, &c.

Et cum dominus conſervator verus ſubditus, ut ſuffraganeus incedat illuſtriſſimi archipræſulis, imo et ejus vicarii generalis, ut ſupra probatum remanet, n. 90. et procedimentum illuſtriſſimi archiepiſcopi foret in executionem decretorum ejuſdem Concilii Trid. c. 5. ſeſſ. 14. et c. 14. ſeſſ. 7. in hocmet conſervatorum negotio, et ſuper materia, ac fundamento erectionis præſentis conſervatoriæ, videlicet, ſubjectione parochorum regularium ordinario, in iis, quæ ad parochiale officium, animarum curam, et ſacramentorum adminiſtrationem pertinent; ſequitur quod corruit totum, et totale fundamentum aſſertæ, ac prætenſæ juriſdictionis, ac ſuperioritatis domini conſervatoris ſuper illuſtriſſimum metropolitanum ſuum; quinimo, hanc juriſdictionem, ac ſuperioritatem certam, et anteriorem, totam ſe habere ex parte illuſtriſſimi archipræſulis, ut veri, et majoris delegati Sanctitatis ſuæ ſuper dominum conſervatorem.

CXXII. Et certum eſt, unum delegatum adverſus alium procedere poſſe: de quo videatur Donat. d. tr. 17. q. 34. et 35. Rodrig. tom. 1. q. 65. a. 15. Mirand. in man. prælator. q. 17. a. 12. Portel. dub. regular. verb. *Conſervator*, n. 15. et etiam certum eſt, unum delegatum altero majorem eſſe poſſe, et conſtat ex variis capitibus in utroque titulo de judic. delegat. ſignanter in 6. c. 4. 8. et aliis.

CXXIII. Quod autem juriſdictio illuſtriſſimi ordinarii, ut delegati, ſit major, et melior, quam juriſdictio domini conſervatoris, multipliciter probatur: 1. Quia eſt antiquior; et, juxta regulam vulgarem, *Potior eſt jure, qui prior eſt tempore*; regul. 54. de reg. jur. in 6. 2. Quia eſt delegatio *à jure*, et ratione officii, et univerſalior, ad plura genera, ac ſpecies cauſarum, tam activarum, quam paſſivarum, et perpetua, ac ordinarie inamovibilis. 3. Quia ordinarius, etiam ut delegatus *à jure*, poteſt erigere, et erectum habet tribunal, et valet alia plura perficere, quæ nequeunt delegati conſervatores. Ergo ordinarius eſt major, et magis legitimus delegatus, quam conſervator, cui etiam favet diſpoſitio text. in c. *Quoniam apoſtolica*, de offic. delegat.

Et confirmatur ex aperta doctrina Pignatell. 2. conſ. 24. n. 4. et 5. ibi: *Tenendum tamen eſt, conſervatorem hujuſmodi ſubjacere ordinario. . . . . Neque obſtat, quod ſit delegatus, atque adeo major ordinario: 1. Quia ordinarius ipſe in hoc eſt etiam delegatus.*

CXXIV. Denique animadvertendum eſt, ſufficere, quod exceſſus domini conſervatoris dubius foret, et non clarus, ac notorius, ad hoc, ut illuſtriſſimus archipræſul adverſus eum, vel ut delegatus, vel etiam ut ordinarius, procedere poſſet, etiam dato, quod ejus electio, ac deputatio legitima foret, ac valida; et ipſe certus, ac legitimus conſervator incederet, ex ſolida, et clara doctrina Monacell. p. 3. form. 52. n. 24. ibi: *Quæ pœna, ſicut et alia excommunicationis, quoad partem procurantem, cum ſint latæ ſententiæ, rite poſſunt ab ordinario denuntiari; et non ſolum in caſibus, in quibus clarum eſt, conſervatores juriſdictionem non habere; ſed etiam in aliis cauſis dubiis, et requirentibus altiorem indaginem, in quibus ſe ingerere non poſſunt, ut advertit Pirrhing. in jus can. lib. 1. tt. 29. n. 209. et 211. imo cognoſcendo de injuria ſimplici, quam conſervator non defendit, ſed qualificatam tantum, hoc eſt, notoriam, Ricc. archiep. Neap. 258. n. 9. et ſeqq. p. 2. Don. loc. ſup. cit. q. 8. n. 24.*

Sect. IV.

Fit ſatis, ex ſuperabundantia, aliquibus notis, atque objectis ex adverſo.

Dico, *ex ſuperabundantia:* ſatis enim abundat quod oſtenſum eſt. Non tamen æquum eſt, ut nota aliqua ex adverſo abſque ſatisfactione tranſeat. Igitur:

Allegationi ex adverſo, aſſertum creatum notarium, *eſſe in poſſeſſione hujus officii*; reſpondetur, quod binæ ejuſdem creationi in ſimili conſervatoria Eremitarum Auguſtinianorum, et reformatorum Franciſcanorum, de quibus infra alleg. 55. et 56. ſtatim creatio, ſeu deputatio contradicta fuit à me, ut promotore juſtitiæ, et per ſententiam in hoc judicio annullata, ut ex actis conſtat; et in his terminis non datur poſſeſſio: 1. Quia eſt turbida, violenta, et non pacifica. 2. Propter manifeſtam juris reſiſtentiam.

CXXV. 3. Eo quod acquiſita fuerit auctoritate propria, et abſque patientia, imo cum poſitiva reſiſtentia legitimi ſuperioris. 4. Ob dictam annullatoriam ſententiam in judicio contradictorio prolatam, et non appellatam. Videatur Ciarlin. l. 1. c. 2. et 105. et 107. Afflict. dec. 394. Grat. for. tom. 3. c. 542. Poſth. obſervat. 49. ex l. *Quamvis*, 17. de reb. auctorit. jud. poſſid.

CXXVI. Allegationi autem, quod *prædictus clericus notarius non eſt ſubditus hujus diœceſis; quia clericus ordinatus eſt in inſula Timorenſi*; reſpond. cum Cardin. Petr. in conſt. 1. Urb. II. ſeſſ. 2. Paſſerin. de offic. delegat. in 6. c. *Rogation.* de conſecr. d. 3. c. 3. hanc ſubjectionem, vel eſſe *ratione originis*, vel *ratione beneficii*, vel *ratione domicilii:* et certum omnino eſt, præfatum clericum, *ratione originis*, ſubditum eſſe hujuſce diœceſis, utpote oriundum ex parochia Sancoallenſi provinciæ Salſetanæ, et ſubditum etiam fuiſſe *ratione domicilii:* et quamvis ad Timorenſem inſulam diverteret, ubi ordinatus fuit; attamen, cum reverſus eſt ad idem domicilium, in quo erat ſubditus iſtius diœceſis, eandem ſubjectionem antiquam ſortitus eſt; quia *Quælibet res facile reducitur ad ſuam primam, et antiquam naturam, c. Ab exordio, diſt. 35. l. Si unus*, § *Pactis*, ff. *de pactis.* Bordon. reſ. 7. de exempt. Ciarlin. l. 1. c. 3. n. 17. Raynald. tom. 4. ſuppl.

Querimoniæ injuſtæ domini conſervatoris, qua in fixatoria ſua die 16. currentis menſis edita, de illuſtriſſimo archipræſule conqueritur, quod in paſtoralibus ſuis minus reverenter eum afficiat; reſpondeo, vice verſa, rem in contrarium ſe habere, et ex utriuſque paſtoralium collatione notorie veritas hæc deprehendetur. Et ſane miror, quod illuſtriſſimus conſervator, contra naturalis ſui genii, et gentis Indianæ innatam propenſionem, pacate, et abſque querela, acceptaverit literas deputationis ſuæ in conſervatoris officium à R. P. provinciali Societatis Jeſu conditam, qua provincialis præfatus ſibi primum locum uſurpavit, nedum nomenclaturam ſuam illuſtriſſimi conſervatoris nomini præferens, ſed et literis majuſculis in capite chartæ, et ſeparato titulo præponens ſequenti forma: *P. Henricus Pereyra à Societate Jeſu, præpoſitus provincialis*, &c. Et inferiori loco, primæ lineæ initio, minuſculis characteribus: *Illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo domino, D. fratri Emmanueli à Divo Antonio, epiſcopo Timorenſi*, &c.

CXXVII. Contra formam urbaniorem, et politiorem à regularibus generaliter obſervatam, quam etiam affert Donat. cit. tr. de conſervator. ibi:

Illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo D. N. epiſcopo, &c.
Salutem in Domino ſempiternam.
P. N. è Societate Jeſu, præpoſitus provincialis, &c.

Sect. V.

Aliquæ advertentiæ ſuper eadem materia præſenti.

CXXVIII. Prima: Quod, præterquam quod materia hæc magis juriſtis, quam theologis pertineat, utpote præcipue fundata potius in regulis juris canonici, quam in principiis theologicis, et potius, ac principaliter, forum externum quam internum reſpiciens; ſententiæ, ac judicia contraria regularium magiſtrorum, in præſenti caſu, ſunt notorie ſuſpecta, et inattendibilia.

CXXIX. 1. Quia ſententiam, ac judicium ſuum tulerunt, non audita utraque parte, ſed inſpecta allegatione dumtaxat RR. PP. Jeſuitarum, et eorum aſſerti conſervatoris.

2. Ob rationes claras, quas exponunt Monacell. p. 3. tt. 3. in appendic. decret. Clem. VIII. pro can. regular. form. 6. pag. mihi, 315. et p. 1. tt. 6. Pignatell. tom. 2. conſ. 126. Deluc. in miſcell. diſc. 16. n. 12. et de juriſdict. diſc. 29. quæ quidem rationes ſiſtunt in connaturali oppoſitione, infeſtione, atque adverſitate regularium jutiſdictioni ordinariæ, cui de jure communi ſubditi ſunt, et per privilegia ſolum, non quoad omnia, exempti, et in tuitione proprii intereſſe.

CXXX.

CXXX. 3. Quia impræſentiarum fere omnes cauſam propriam defendunt; Jeſuitæ, propriam conſervatoriam; Eremitæ Auguſtiniani, et Franciſcani reformati, alias proprias conſimiles præcedentes, erectas in perſona ejuſdem illuſtriſſimi epiſcopi, quem etiam Franciſcani obſervantes in proprium conſervatorem deputârunt, licet literæ deputationis hactenus non ſint exhibitæ. Et idem illuſtriſſimus epiſcopus in ſuis paſtoralibus ſe appellat *conſervatorem quatuor ordinum Mendicantium*; et in alia moderniori, licet minus vere, *omnium ordinum Mendicantium:* recolantur auctoritates ſuperius extenſæ alleg. 11.

CXXXI. Secunda advertentia: Quod oves illuſtriſſimi archipræſulis, et ſubditi omnes, tenentur obedire, et ſequi vocem ſui legitimi paſtoris: 1. Quia juriſdictio illuſtriſſimi ordinarii erat certa, et anterior, et cum poſſeſſione legitima, ac pacifica, et non diſputata, cum fundamento certo, atque infallibili intentionis ſuæ in jure communi, &c. quæ omnia deficiunt impræſentiarum in juriſdictione conſervatoria. Et juxta Menoch. conſ. 100. n. 10. *Delegatus pro ſe præſumptionem non habet, quoad ſuæ juriſdictionis fundamentum.*

2. Quia nec dominus rex per electionem, neque Summus Pontifex per confirmationem, alium prælatum ordinarium huic archiepiſcopatui de præſenti deſignârunt, niſi illuſtriſſimum, ac reverendiſſimum dominum, D. Ignatium à S. Tereſia, actualem archipræſulem; et de jure divino debent oves, non voces mercenariorum, ſed paſtoris ſui ordinarii audire, et proſequi; Joan. x. Heb. xiii. 17. Imo et de jure humano ejuſdem atteſtationi, ac aſſeverationi, fides adhibenda eſt, et ex c. *Poſt ceſſion.* de probat. ibi: *Per literas judicis ordinarii, quibus ſtandum eſt, donec probetur contrarium.*

CXXXII. Tertia advertentia: Quod etiam regulares debebant ſequi, et amplecti vocem præſulis diœceſani; tum quia eſt diœceſanus eorum, ratione domicilii conventuum ſuorum, Petr. tom. 1. in conſt. 1. Urb. II. et 1. Paſchal. f. 341. et 353. tum quia eſt eorum ſuperior quoad aliqua, non ſolum, ut delegatus, ſed ut ordinarius, de quo Ventrigl. 1. p. ann. 48. Barb. de pot. ep. alleg. 105. Antonell. de regim. l. 7. c. 13. et ſeqq. tum etiam quia eſt judex competens in exceſſibus eorum conſervatorum, et in annullandis eorum cenſuris; ex dictis ſupr. § 3. Per. de man. reg. c. 7. et alii apud ipſum. Et in facti contingentia in ſimili controverſia juriſdictionis competentiæ, aut præeminentiæ inter illuſtriſſimum archipræſulem Ulixbonenſem, et illuſtriſſimum collectorem (et videtur fuiſſe illam, quæ occaſionem dedit Peg. tomum ſuum de competent. ſcribendi) omnes religiones vocem illuſtriſſimi archiepiſcopi ſecutæ ſunt, non obſtante præeminentia illuſtriſſimi collectoris, legati à latere, et judicis delegati Sanctitatis ſuæ ad univerſitatem cauſarum, exceptis Dominicanis, et canonicis regularibus S. Vincentii; his quidem, quia habent territorium cum juriſdictione ordinaria exemptum, et inſuffraganeum archiepiſcopo Ulixbonenſi, ſed immediate ſubjectum Sedi Apoſtolicæ; quare, alia ratione juridica præciſa, politice partes delegati apoſtoli ſecuti ſunt. Motivum ſequelæ Dominicanorum ignoro.

CXXXIII. Quarta advertentia: Quod æque ſuſpectum, atque intempeſtivum eſt auxilium brachii ſæcularis aſſerto conſervatori præſtiti, contra expreſſam ordinationis legem, l. 2. tt. 8. § 6. Per. de man. reg. c. 52. Et reciproca ſocietas, qua mutuo manus adhibent conſervatoria ſocietatis, et procedimentum temporale ſenatus regii, eo fine, ac motivo, in quodam anonymo libello, nuper edito, expreſſo aſſerente: *Congruum, atque bonæ ſtatus rationi conſonum eſſe, proregem permittere, quod gladio eccleſiæ, regis vires adjungerentur, ad archiepiſcopum terminis debitæ obedientiæ reducendum*, &c. Notetur illa reciproca conjunctio, et illa nomenclatura, *gladii eccleſiæ*, adhibita gladio, aut juriſdictioni conſervatoris dumtaxat; quaſi juriſdictio archiepiſcopalis certiori, ac fortiori jure *gladius eccleſiæ* non foret.

CXXXIV. Ultima advertentia: Quod nedum illuſtriſſimus aſſertus conſervator in cenſuras juris ſupra declaratas, ob proprios exceſſus præfatos incurrit; ſed et partes, ad quarum inſtantiam proceſſit, cenſuram majoris excommunicationis Sanctitati ſuæ reſervatam incurrerunt, ex d. bull. Gregor. et cit. c. fin. de delegat. in 6. (cui effectivæ incurſioni ſufficit, quod cauſa ſit dubia, Monacell. p. 3. tt. 1. form. 52. n. 24.); et inſuper in cenſuras bullæ Cœnæ can. 16. adverſus omnes *dantes auxilium, conſilium, patrocinium, ac favorem, fulminatas*, inciderunt.

CXXXV. Denique, ut agnoſceretur nullitas et invaliditas omnium ex adverſo procedimentorum, ſufficiebat, ut oſtenderetur ex unico ſolido principio, ea contra jus facta fuiſſe, ex reg. jur. 64. in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique haberi pro infectis.* Et multo fortius ex tot, tamque ſolidis juris principiis.

CXXXVI. Et hic pro coronide ſubjungam verba Monacell. p. 3. tt. 3. n. 20. ibi: *Regulares erga epiſcopos debent eſſe obſequioſi, et obedientes, non ſolum quia jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut dicunt Cardin. Deluc. de regul. dec. 1. n. 21. et dec. 64. n. 15. Paſſer. dec. ſtat. hom. 103. q. 189. art. 10. in ſp. 10. n. 798. et declaravit Sacr. Congr. epiſ. in Forolivien. 6. Martii 1692. ſed etiam, quia in pluribus eiſdem ſunt ſubjecti, ut vidimus ſupra: et in tom. 1. tt. 6. ad not. ad form. 20. an. 9. ad 28. et demum quia epiſcopi dicuntur ſanctiſſimi, Chriſti legati exiſtunt, ſpirituales ſunt patres, Papæ fratres, et columnæ eccleſiæ, ut habetur in Clem. 1. § Nec ſuper, de pœn.*

Necnon auctoritatem Arſdekim inſignis miſſionarii Hiberni, et non infimæ notæ theologi venerabilis Societatis Jeſu, qui tom. 1. p. 2. tr. 1. c. 3. q. 25. ſic ait: *Quam vero graviter univerſim delinquant, qui debitam epiſcopis obſervantiam violare præſumunt, conſtat aperte ex conſtitutione 26. l. X. quæ incipit, Dum intra; et ſic pergit: Eoſdem inſuper fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, ut eoſdem epiſcopos loco ſanctorum apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, et noſtra, et Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, et convenienti obſervantia, venerentur. Ex quibus verbis gravis delicti pœnam colligit Peyrinus in dictam conſtitutionem*, § 24. n. 44.

CXXXVII. Et hac duplici auctoritate ultimam manum huic *Vero Judicio* ſuper *Theologico-juridico* impono, hodierna die 29. Auguſti, dicata martyrio illius inſignis prædicatoris, ac præcurſoris veritatis; concludens verbis illis judicioſis ſupremi Judicis, auctoriſque veritatis: *Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquiſtis me.* Jerem. ii. 29.

ALLEGATIO XXXV.

Quæ eſt Secunda Promotoris in eadem Controverſia, adverſus tertium alium Libellum ejuſdem, Judicium Verum, *de variis Falſitatibus falſo arguentem.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries proſequitur.*
II. *Duplex finis novi libelli* Collatoris.
III. *Huic novam promotor objecit apologiam inſcriptam:* Condemnatio juſta, *&c.*
IV. *Stultus tacens, ſapiens reputatur.*
V. *Cardin. Deluca merito deplorat facilitatem theologorum, præſertim regularium, in judicandis injuſte cenſuris eccleſiaſtici, etiam Sedis Apoſtolici.*
VI. *Cenſuram can. 16. bullæ Cœnæ, incurrunt impedientes, tam auctoritate publica, quam privata.*
VII. *Nequit deputari conſervator adverſus epiſcopum præcipientem regularibus obſervantiam decretorum Concil. Trid. vel procedentem juris ordine ſervato.*
VIII. *Exemplum duplicis conſervatoriæ ejuſdem religionis erectæ ob cauſam certam, et determinatam.*
IX. *Adducitur decretum Trident.*

X. *Re-*

X. *Regularibus revocata ſunt privilegia eligendi conſervatores pro cauſis activis, ſeu in quibus* actores *fuerint.*

XI. XII. *Et reſtricta ſunt ad cauſas mere paſſivas, in quibus* rei *fuerint, injurias patiendo.*

XIII. *Suſpicio, quæ obſtat procedimento, multo melius et electioni, argumento à majori ad minus.*

XIV. *Auctoritas Donat. et Cirin. pro negligentia regularium omittentium eligere conſervatorem intra terminum.*

XV. Aſſumere, *aut* eligere *notarium, non idem eſt, atque* creare; *ſicut neque* eligere *confeſſarium, aut epiſcopum.*

XVI. *Cancer. loquitur de judice ſæculari ordinario, habente* merum imperium.

XVII. *Molina loquitur de delegato non reſtricto, ſed abſoluto, qui poteſt nuntium pro nudo miniſterio deputare.*

XVIII. *Panorm. non loquitur* aſſertive, *ſed* relative; *et aperte contrarium ſequitur cum* Innocentio.

XIX. *In confirmationem tranſcribitur Land. de ſyndicat.*

XX. *C.* 2. de offic. deleg. *in* 6. *loquitur de conſervatoribus dumtaxat à Sede Apoſtolica immediate electis, ſecundum Pignatell. qui et tranſcribitur.*

XXI. *Citatio partis non eſt neceſſaria ad inhibitionem legitime faciendam.*

XXII. *Datur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna.*

XXIII. *In dubio juriſdictionis conſervatoris, ſemper contra illam judicandum eſt.*

XXIV. *Aſſertum illud,* Unius D. opinio reddit cauſam dubiam, et tranſigibilem, *non intelligitur de DD. ſcribentibus per conſultationes, quorum auctoritas ſemper eſt ſuſpecta.*

XXV. *Conſervatores dati ad tollend. injurias, ſæpe ſolent eas inferre.*

XXVI. *Brachii ſæcularis auxilium juſte denegatum eſt à regio ſenatu.*

XXVII. *Ad arbitrium citatus, injuſte conſervator noluit acquieſcere, ad quod à prorege compelli poterat ex officio.*

XXVIII. *Theologi in conſilio conſervatori faventes, erant ipſæmet principales, aut partiales partes in cauſa; proindeque de jure inattendibiles.*

XXIX. *Duo decreta regia adverſus frequentes exceſſus conſervatorum pro Indiis Hiſpaniæ.*

XXX. *Apologetica damnationis clauſula.*

I. CUM ob evidentiam præmiſſæ allegationis promotoris, quamplures eorum, qui vel de validitate hujus conſervatoriæ, et conſervatoris procedimentorum, dubii hærebant, vel in eam inclinabant, adverſus illam ſeſe declarare cœperint; ad hunc effectum divertendum, vel ſaltem ejus progreſſum retardandum, quidam Jeſuita, qui adminiſtrator erat regii xenodochii, et proregi etiam gratus, atque ejuſdem in pluribus conſultor, libellum alterum publicavit, ſub hoc titulo: *Manifeſtatio falſitatum Judicii Veri, adverſus Theologicum-legale editi, ad lucem meridianam, à quodam curioſo, utriuſque collatore, detectarum,* &c.

II. Cujus præcipuus ſcopus erat oſtendere, prædictum promotorem non fuiſſe *Judicii* illius auctorem; et falſitatis taxare aliquas citationes, errore calami, vel commutatas, vel leviter vitiatas, ut aliam Trid. ſeſſ. 14. c. 7. pro ſeſſ. 7. c. 14. aliam Pignatell. conſult. 35. pro 25. aliam ejuſdem tom. 2. conſ. 12. pro 21. et ſimiles alias hujus furfuris. Secundus autem finis erat variis dicteriis, ſcommatibus, atque ineptiis, auditorum mentes vel à vero judicio retrahere, vel blandiendo ſopire.

III. Huic libello, pauciſſimos intra dies, nomine ejuſdem promotoris, alter adæquatus in refutationem objectus eſt, titulo ſequenti: *Condemnatio juſta falſæ, ac injuſtæ manifeſtationis, falſo nuncupatæ, falſitatem Judicii Veri, quod adverſus Theologicum-legale univerſali cenſuræ obtulit promotor juſtitiæ eccleſiaſticæ,* &c. et ſub themate, *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum,* Pſ. 108. exordium contexebat promotor, dicens; quod, ſicut poſtquam reus in judicio convictus eſt, regulariter ſequitur ejus juſta condemnatio, quibuſlibet frivolis impedimentis non obſtantibus; ſic pariformiter, poſtquam *in Judicio Vero, Theologicum-legale* convictum evaſit, etiam hujus juſta, et ultima ſequeretur damnatio, non obſtantibus his injuſtæ *manifeſtationis* affectatis impedimentis, quibus *curioſus collator* eam incaſſum impedire, aut retardare conatus erat, tum in privata prudentum, ac doctorum juriſprudentia, tum in publica hujuſce apologiæ; qua collator, nedum *Judicium Theologicum-legale* noviter, cum judicatur, condemnatum exire videret, ſed et ſe, et *manifeſtationem* ſuam ex propriis verbis, ac rationibus, inſimul damnatum experiretur, juxta illud Job. 25. *Condemnabit te os tuum*; unaque mendacia, ac falſitates, quas *Judicio Vero* impingere contendebat, in proprium caput retorqueri, atque infeliciter converti, dolens reperiret, juxta illud, Dan. 13. *Recte mentitus es in caput tuum*; et Eſth. 9. 25. *Ut malum, quod cogitaverat, reverteretur in caput ejus.*

IV. Igitur aſſerebat collator, *Se etiam voluiſſe judicium ſuum de hoc ſecundo judicio facere, ut ſtultus non reputaretur.* Reſpondebat promotor, debuiſſe potius, ut non reputaretur ſtultus, omnino tacere, et labia ſua comprimere, juxta Sapientis conſilia: *Stultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur; et, ſi compreſſerit labia ſua, intelligens*; Prov. 17. *Sapientes abſcondunt ſcientiam; os autem ſtulti confuſioni proximum eſt*; Prov. 10.

V. Proſequebatur collator affirmans, *Judicium Theologicum judicatum jam fuiſſe à potioribus theologis, qui illud examinârant.* Sed contra, 1. Adverſabatur promotor, quod, ut in *Judicio Vero* demonſtratum eſt, omnes hi theologi approbantes, ſunt partes in eadem cauſa; et, ut ſuſpecti, minime poterant ſuffragium addere, aut judicium interponere in materia. Contra, 2. Quia cum judicaverint, una parte inaudita, in hocmet manifeſtabant proprii judicii ſuſpicionem, infirmitatem, atque incredulitatem. Contra, 3. Quia adverſus horum regularium theologorum facilitatem in ſimilibus cenſurarum factis judicandis, merito deplorat, ac deteſtatur Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 100. n. 11. inquiens: *Iſtud vero eſt unum ex majoribus inconvenientibus, quæ in catholica eccleſia dignoſcuntur, quoniam occaſione cenſurarum, quæ proferantur contra perſonas particulares, vel reſpective contra civitates, vel capitula, aliaque corpora univerſalia, quando potentia laicalis de facto aſſiſtat, adeo ut non ſit practicabilis temporalis coercio cum pœnis perſonalibus, vel realibus, ad obſervantiam cenſurarum, theologi, et præſertim regulares, cum eorum formalitatibus, vel generalibus propoſitionibus, male tamen applicatis, licitum reddunt, quinimo conſulunt, earum publicum contemptum, in cujus ipſi ſunt primi, ut ſæcularibus exemplum præbeant, ut in currenti ſæculo, noſtraque ætate, etiam in cenſuris per ipſum Summum Pontificem, praxis non ſemel docuit, cum magno bonorum catholicorum ſcandalo, et hæreticorum ſubſannatione, ſub hoc prætextu injuſtitiæ, vel nullitatis, ita ſcipſos conſtituendo judices,* &c.

VI. Prætendebat ulterius collator exculpare mutilationem Judicioſi, *aut alias impediunt,* in can. 16. bullæ Cœnæ, circumferens doctrinam Caſtr. Pal. de cenſur. diſp. 3. pu. 17. ad d. can. 16. n. 4. aſſerens, cenſuram hanc incurrere dumtaxat, *auctoritate publica, ac ſæculari, impedientes.* Reſpondebat promotor, præterquam quod hoc effugium mutilationem non excuſabat, objiciens communiorem, et verjorem modernorum doctorum ſententiam cum Bonac. Navarr. Filiuc. Graff. et Monacell. p. 3. tt. 1. form. 13. contrarium tenentium; quibus accedit Pignatell. tom. 6. conſ. 18. n. 6. ibi: *Neque ſolum per eandem particulam Qui, comprehenduntur auctoritate agentes, ſed etiam privati, ſeu privata vi impedientes; tum ex ejus generalitate, tum ex praxi, de qua teſtatur P. Theſaur. de pœn. eccleſ. verb. Juriſdictio, c.* 5. § *Amplia. tum quia alioquin poſſent ſequi multa abſurda, et facillime violari, ac deludi juriſdictio eccleſiaſtica; nam principes, ac barones, aliique magiſtratus laici, poſſunt ſupponere perſonas privatas, et facere ab illis impedire exercitium juriſdictionis eccleſiaſticæ, ita ut vix unquam daretur caſus, quo poſſent puniri illius violatores; tum quia eſt ſententia communior, quam tuetur Ugolin. de cenſ. in d. can.* 16. *bullæ Cœnæ* § 1. *et*

et tradunt Navarr. in man. c. 27. n. 68. et 70. Alter de cens. l. 5. c. 2. disp. 27. Soar. eod. tt. disp. 21. sess. 2. n. 94. Filiuc. tr. 16. c. 10. q. 9. n. 266. et q. 10. n. 267. Bonac. de censur. disp. 1. 9. 17. prin. 1. n. 7. art. eod. arg. l. 3. ep. 17. n. 8. qui minus recte pro contraria opinione allegantur, Thom. Delben. de immunitate ecclesiæ, tom. 1. c. 3. dubit. 10. sect. 2. n. 11. et dub. 11. sect. 2. Alphons. de Leo. de censur. resolut. 4. lit. I. V. impedientes.

VII. Negare conabatur collator, *Ad eligendum conservatorem necessariam non esse causam certam injuriæ manifestæ*; et addebat, *neque textum, neque auctorem, tale quid asserentem adduci posse.* Sed contra, 1. Retorquebat promotor, id jam in *Judicio Vero* ostensum, ex decisionibus in causa Angelopolitana; ubi, dubitatione 1.

An in casu, quo episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Trident. ab regularibus observari, &c. Resp. *Minime licere ob eam causam conservatores eligere.*

Et dub. 2. ibi:

An quando ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus regulares prædictos, in casibus, in quibus per concilium, vel constitutiones Apostolicas, regulares ipsi subjiciuntur, possint conservatores judices assignare? ut ad proximum, Non posse.

VIII. Contra, 2. Quia conservatoria, quam provincia Malabarica Societatis Jesu erexit in persona domini episcopi *da Serra*, etiam Jesuitæ, de qua in *Judicio Vero*, fuit ob causam certam, ac determinatam, ob percussionem, videlicet, P. Ferdinandi Lopesii, ejusdem societatis, inflictam à capitaneo Petro Soario; similiter conservatoria, quam hæc provincia Goana ejusdem societatis deputavit, atque instituit adversus licentiatum *Emmanuelem de Abreu Mozinho*, clericum, ac senatorem regium sæcularis senatus, fuit semper causa, et casu certo, domus scilicet novitiorum insulæ *de Chorâm*, de quo in *Judicio Vero*; et pariformes sunt aliæ conservatoriarum erectiones, de quibus agit Cardin. Deluc. ibid. citatus, signanter de regularibus, disc. 1. et 51. et alib.

IX. Contra, 3. Quia Concilium Trid. expresse id definit sess. 14. c. 5. de reformat. *Cum nonnulli, qui sub prætextu, quod super bonis, et rebus, ac juribus suis, diversæ eis injuriæ, ac molestiæ inferantur, certos judices per literas conservatorias deputari obtinent, qui illos à molestiis, et injuriis hujusmodi tueantur, ac defendant, et in possessione, seu quasi bonorum, rerum, ac jurium suorum manuteneant, et conservent, nec super illis eos molestari permittant.* Recolatur etiam decretum regis Castellæ in fine hujusce allegat. extensum, n. 29.

X. Conabatur insuper collator ostendere quoad *causas passivas*, de quibus loquitur *Judicium Verum*, et Card. Deluc. posse conservatores tueri regulares, non excludere causas, in quibus regulares *actores* fuerint: cum enim eas deducere debeant in judicio conservatorio, in quo necessario debet adesse *actor*, et *reus*; jam regulares per provocationem *actores* remanent. Sed controvertebat promotor, 1. (hunc discurrendi modum pariter admirans) jam ex bull. Gregorian. et ex Trid. d. sess. 14. c. 5. demonstratam fuisse hujusce facultatis expressam revocationem: quam etiam ostendunt idem Deluc. de regula, disc. 51. et 52. et de jurisd. disc. 49. et practicus Monacell. in append. ad d. bull. p. 1. n. 1. ibi: *Conservatores tamen religionis Societatis Jesu, et Hierosolymitanæ, quæ habent indulta ampliora, nec revocata, nisi in ea parte, et causis, in quibus sunt actores.*

XI. Contra, 2. Quia si denominatio *causarum activarum*, sive in quibus regulares actores extiterint, desumenda foret *à provocatione*, aut *à recursu* eorum ad conservatorem per querelam, cujus actores existunt; et non desumeretur aliunde; superfluum utique, et illusorium omnino evaderet privilegium illud antiquum, et ejusdem nova revocatio; et restrictio ad *causas* mere *passivas*, eas scilicet, in quibus regulares vere injuriam, ac violentiam notoriam patiuntur; cum, in illo sensu, nulla daretur causa, etiam istarum violentiarum, in quibus regulares per provocationem, recursum, aut querelam, actores non extiterint. Deinde Concil. Trid. sess. 14. c. 5. de reformat. aperte demonstrat, *reum* (non *actorem*) esse, qui conservatorem eligit; et *actorem* incedere, qui violentiam, aut injuriam notoriam infert, et reus existit in querela; ibi: *Si in causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur*, &c.

XII. Contra, 3. Quia idem Cardin. Deluc. agens de illo privilegio, quondam ipsismet conservatoribus societatis concesso, expresse sic tradit, disc. 1. de regularibus, n. 33. *Id autem rationabiliter Gregorii* XV. *constitutio moderata est, ut in causis passivis, in quibus ipsi regulares rei existant, id procedant, non autem in activis, in quibus sint actores.* Et dist. 52. eod. tt. n. 11. sic: *Illi vero* (conservatores) *istius societatis sunt etiam judices omnium causarum passivarum, ex insinuatis disc. præcedentis, et d. disc. 49. de jurisd.*

XIII. Asseverabat præterea collator, quod, *quamvis conservator suspectus judicatus foret illustrissimo archipræsuli, non posset quidem adversus illum procedere; optime tamen posset adversus eundem eligi in conservatorem.* Sed contra, 1. Refragabatur promotor, quia si suspicio illa procedimento quidem obstaret, stante validitate electionis conservatoris; multo melius electioni ipsi, aut deputationi obsisteret, ex argum. *à majori ad minus*, auct. *Multo magis*, cod. de sacros. eccles. c. *Si ergo*, 8. q. 1. et ex argum. *à majoritate*, vel *paritate rationis*, Surd. cons. 383. n. 14. et ex reg. 84. de reg. jur. in 6. *Cum quod una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, l. *Quod dictum*, ff. *de pactis*, l. *Cum hi*, § *Si cum*, ff. *de transact.* Et *prohibitum una via, non censetur alia permissum*, l. *Athletas*, § *Ait præt.* ff. de infamib. et confirmatur exemplo prohibitionis *alienationis* absque solemnitatibus, quæ etiam extenditur ad *contractum*, et aliorum.

XIV. Negabat aperte collator auctoritatem Donat. tr. 17. q. 33. asserentis, ex omissione regularium in conservatore intra terminum eligendo, coram ordinariis conveniendos, et eam cum notoria, et notabili mutilatione transcribebat. Sed contra, ex fideli ejusdem transcriptione convincebatur à promotore, ejus verba, post bull. Greg. formalitatem, § 2. per extensum sic tradente: *Per quæ bene vides, quod Summus Pontifex distinguit electionem conservatoris à demissione documenti electionis penes acta curiæ, quod confirmat verbis subsequentibus; ibi: Alioquin, eo termino elapso, quamdiu conservatores secundum formam præsentis constitutionis non elegerint, coram eisdem ordinariis conveniantur; non dicit, quamdiu penes acta curiæ documentum electionis non demiserint, coram eisdem ordinariis conveniantur, ut bene advertit Cespedes, tract. de exempt. reg. c. 22. dub. 3. n. 6. ergo, cum in casu posito nullus error reperiatur in forma electionis, regulares conveniendi sunt coram conservatore sibi electo, non autem coram episcopo loci ordinario.*

Videatur etiam Cirinus, nex. utr. jurisd. d. c. 6. n. 21. et Sacr. Congregationis responsionem in causa Angelopolitana, dub. 6. ibi: *Respondit, Regulares in causis præfatis coram ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum const. Greg. XV. conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum, intra præfinitum tempus, in actis curiæ ipsius ordinarii non exhibuerint.*

XV. Quoad notarii per conservatorum creationem, nova tenacitate contendit collator, idem esse *assumere*, atque *creare*: et sicut eligere episcopos, est *creare episcopos*; ita eligere notarium, esse creare notarium; *et eligere conservatorem, est creare conservatorem.* Sed contra, 1. Ne fastidiosus videretur promotor iterando in Judicio Vero stabilita, breviter recolebat, quod *eligere confessorem*, non sit *creare confessorem*: ergo pariformiter. Contra, 2. Quia *eligere episcopos*, vel electio fiat à populo, ut olim, vel à regibus, ut nunc temporis, non est *creare episcopos*; solus enim Summus Pontifex, supposita electione illa, eos creat, ut in Breviario Romano, in illorum vitis passim reperiet: *Fecit ordinationes tot mense N. quibus creavit episcopos tot*, &c. Contra, 3. Quia, etsi regulares eligant, ac nominent conservatores; attamen horum creatio in re, atque jurisdictionis communicatio, immediate in eosdem dimanat, illa electione supposita, à Sede Apostolica; ut etiam insinuat Peyrin. ex adverso allegatus, ad eandem bullam, n. 32. ibi: *Conservatores sic electos*

electos non poſſunt regulares per quinquennium amovere; ſtatim enim ac electi ſunt, cenſentur ab Apoſtolica Sede deputati.

XVI. Ad auctoritatem Cancerii var. p. 2. de juriſd. c. 2. n. 60. ibi: *Habens alicubi juriſdictionem civilem, poteſt creare, ſeu deputare, notarium, ſeu curialem*; qua collator maxime intentum ſuum confirmare autumabat; reſpondebat promotor, Loqui de judice ſæculari ordinario, ut innuit particula, *juriſdictionem civilem*, habente annexum *merum imperium*, de quo hic agit Cancerius, ut evincitur ex n. 47. et 54. ibi: *Quæ pertineant ad merum imperium:* cui utique pertinet facultas creandi notarios, et ſcribas, de quo infra. Et de eodem loquitur etiam l. 2. ff. de juriſd. omn. judic. quam ibidem citat collator, ut ex ejuſdem rubrica inſpicitur: *Juriſdictio dividitur in imperium, et juriſdictionem; et imperium dividitur in merum, et mixtum.*

XVII. Pariformiter ad auctoritatem etiam Molinæ de juſt. et jur. tom. 6. tr. 5. diſp. 26. à collatore etiam ibidem traditam; *Delegatus poteſt creare nuntium, per quem citet*, &c. reſpondebat promotor, 1. Loqui non de delegato reſtricto, nempe *conſervatore*; ſed de delegato abſolute. 2. Loqui de citationibus *per nuntium*, quæ continent *nudum miniſterium*, ut in *Judicio Vero*, cum Abb. in c. *Paſtoral.* § *Item cum*, oſtenſum eſt.

Reſpondebat, 3. Molinam ſibimetipſi contrarium eſſe nequire, qui eod. tr. 5. diſp. 6. contrarium ſic firmat: *Sex gradus meri imperii diſtinguunt; primum, quem appellant maximum.* Ejus gradus eſt poteſtas condendi legem, quæ rempublicam obliget; quod ſoli *ſupremæ poteſtati laicæ, ac eccleſiaſticæ convenit. Eſt etiam poteſtas cudendi monetam, et in Summo Pontifice poteſtas convocandi univerſale concilium . . . Eſt præterea poteſtas inſtituendi tabelliones, et alios miniſtros publicos.*

Et diſp. 9. n. 5. agens de legato, cujus facultates ampliores, ac potentiores ſunt, quam judicis delegati, ſic ait: *Legatus, ex ſuo munere, ea exercere poteſt, quæ poteſt Summus Pontifex, exceptis iis, quæ Summo Pontifici reſervata ſunt, ut paulo antea, et copioſius, diſp. 6. dictum eſt.*

Unde Molin. cit. diſp. 26. et reliqui AA. quatenus delegato judici concedunt facultatem creandi notarium, vel loquuntur de delegato illo, cui ex vi majoris ſuæ delegationis competit exercitium ordinariæ juriſdictionis ut *legatis à latere*, ex c. 2. de offic. legati, in 6. Cirin. nex. utr. juriſd. c. 5. n. 22. vel de illo, qui, ex vi ſuæ ſpecialis delegationis, ſpecialem hanc facultatem accepit. V. Robert. Honig. l. 1. tt. 31. de offic. jud. ordin. § 2. in diſtinctione juriſdictionis contentioſæ, et voluntariæ, ac tt. 29. de pot. jud. deleg.

XVIII. Panorm. autem, à collatore etiam laudatus, ad c. *Præterea*, de offic. delegat. non loquitur *aſſertive* (aiebat promotor) ſed tantum *relative*, referens auctoritatem Baldi, *Dicit Baldus*, &c. Deinde loquitur de delegato abſolute, non vero de delegato conſervatore. Quinimo Panorm. ibidem, etiam erga delegatum abſolute, opinionem contrariam ſtatuit cum Innocent. ibi: *Sed contrarium tenet Innocentius.* Et ſimiliter in ſequenti c. *Significâſti*; ibi: *Ut plurimum contingit, quod delegatus mandat ordinario executionem, quia ipſe non habet officiales.*

Imo etiam Bald. ad 4. cod. *de fide inſtrument.* eandem contrariam opinionem expreſſe profitetur, ibid. *Si autem per legem, vel conſuetudinem loci, vel auctoritatem jus ſtatuentis ſuper tali officio, nulli ſunt deputati; tunc judex, qui negotio præeſt, deberet ad hoc deputare perſonas idoneas: ubi pondera, quod per hoc non poteſt creare novam auctoritatem publicam, nec facere tabellionem eum, qui non eſt, ut notat Innoc. extra. de fide inſtrumentorum, c. Cum p. tabellio, ſicut ordinarius non facit ordinarium: ſed ex tabellionibus creatis poteſt aſſumere ſibi, quem placet.*

XIX. Denique in excluſionem aliarum auctoritatum tranſcribebat promotor aſſertum Landim. de ſyndicat. tr. 1. c. 8. n. 1. et 3. *Notarius pro ſyndicatu ad aſſumendum reſidentiam judicis ſyndicati, et officialium ejus, duobus modis poteſt nominari, ſcilicet vel à rege, vel à judice ſyndicante, ſi rex non nominet: ut tradit curiæ Philip. 4. p. del Juiſio crimin. tt. de reſidentia, § 1. n. 13. Bovadilla, 1. p. ſuæ politicæ, c. 6. § 1. n. 2. de poteſt. reg. non poteſt dubitari: de poteſtate judicis ſyndicatoris major erat dubitatio, ſi hoc ſibi non eſſet datum in commiſſione ſua; ſed adhuc de hoc non dubites ſecundum doctores relatos ſupra . . . ſed nominatio judicis ſyndicantis non debet eſſe tam abſoluta, ita ut poſſit nominare in notarium quamlibet perſonam; quia tenetur ad id nominare notarium publicum à ſereniſſimo rege noſtro, vel ejus miniſtris, antea approbatum, qui ad hoc miniſterium ſit habilis, et expertus, et ad occulta et ſecreta inquiſitionis fidelis, et capax, ne illa extra tempus partibus aperiat: et ita etiam tradiderunt Bovadilla, d. § 1. n. 2. curia Philip. d. § 1. n. 13.*

XX. Proſequebatur collator probare prætendens validitatem procedimenti conſervatoris per cenſuras ultimas adverſus nedum miniſtros, aut curiam epiſcopalem, ſed averſus ipſummet archipræſulem, metropolitanum ſuum. Et quia negabat aſſertum Pignatelli docentis, poteſtatem ſuppoſitam in c. 2. de officio delegati, in 6. intelligi duntaxat *de conſervatoribus immediate electis à Sede Apoſtolica* (ut etiam expreſſe eodem c. ſtatuitur: *A judicibus, vel conſervatoribus à Sede Apoſtolica deputatis*); auctoritatem illius fraudulenter mutilans, et violenter contorquens, hanc per extenſum tranſcriptam retorquebat promotor ex eod. Pignatell. tom. 5. conſ. 165. n. 7. ibi: *Neque huic reſponſioni obſtat c. 2. de offic. deleg. ubi quod conſervatores poſſunt procedere ad ſuſpenſionem, et cenſuras eccleſiaſticas contra epiſcopos protervos, et culpabiles. Nam, primo, reſpondetur, Textum illum procedere, quando conſervatores ſunt in pari dignitate epiſcopali, ut ex litera ipſius textus liquido conſtat. Deinde, reſpondetur, Textum procedere in conſervatores à Sede Apoſtolica immediate electos, ut ibi notat gloſſa. Poſtremo, reſpondetur, Textum, quatenus illi locus eſſet, declarari per Concil. Trid. videlicet, illum non procedere in cauſis controverſiæ juriſdictionis inter ordinarium, et ipſos conſervatores. Nam tunc omnis competentia debet à Summo Pontifice declarari, ſolo judice competente in epiſcopis.*

XXI. Ulterius procedebat collator, afferens, *Ad inhibitionem debere præcedere citationem, et cauſæ cognitionem; et pariter negans, delegatum conſervatorem juriſdictionem non recipere, niſi poſt exhibitionem literarum ſuarum.* Sed contraveniebat, 1. Promotor, contrarium demonſtrans ex praxi generali eccleſiaſtica, de qua practicus Monacell. p. 3. tt. 5. form. 52. et noviter ex praxi ſæculari municipali regni Luſitaniæ, de qua inſignis praxiſta Mend. à Caſtr. p. 2. l. 2. c. 11. n. 33. ibi: *Citatio partis non eſt neceſſaria ad inhibitionem legitime faciendam.* Contraveniebat, 2. tranſcribens auctoritatem Fraſi (quam addebat auctoritatibus Decii, et Gratian. in Judicio Vero extenſis) ſic de reg. patron. p. 2. c. 79. n. 31. reſolventis: *Nec habet interim delegatus ullus, ante exhibitionem literarum, juriſdictionis exercitium, cap. Super eo, de appellat. c. Cum injur. de offic. jud. deleg. ub. Barb. n. 21. Valenſ. conſ. 125. an. 12. ubi n. 13. docet, quod ſi ante, ad præſentationem literarum delegati, ordinarius procedat, et juriſdictionem præoccupet, valent geſta ab ordinario, ex Felin. in c. Cæterum, de reſcriptis, Decius in c. Ut debitus, de appellat. Marant. in ſpecul. 4. p. d. 16. n. 8. et facit optime bull. Gregorian. XV. § 7.*

XXII. Inficiabatur conſequenter collator, *Nullam eſſe ſuſpenſionem, quæ pura pœna ſit, ut prætendebat promotor de ſuſpenſione, qua illuſtriſſimus archipræſul adverſus conſervatorem proceſſerat, et quæ comminatur in bulla Gregoriana; ſed omnem ſuſpenſionem rigoroſam cenſuram eſſe*, &c. Objiciebat promotor Fel. pot. exam. confeſſar. tt. de cenſur. n. 4394. ſic tradentem: *Alia ſuſpenſio eſt pœnalis, quæ fertur in punitionem et vindictam delicti commiſſis; et hæc non eſt cenſura, ſed pœna.*

Denique pro coronide hujus refutatoriæ allegationis ſequentes apponebat promotor circa hanc materiam neceſſarias—

Reflectiones.

XXIII. Primam: Quod, in dubio juriſdictionis conſervatoris, ſemper contra illam judicari debet, Fraſ. de

de reg. patr. p. 2. c. 79. n. 55. ibi: *In dubio ſemper dicendum eſt, conſervatorem non habere juriſdictionem, Acc. de Ripol. var. c. 1. n. 70.* &c. Et juxta doctrinam Cardin. Deluc. de fideicommiſſ. diſ. 140. ſub n. 4. *Unius etiam doctoris opinio, et auctoritas, reddit cauſam dubiam, et tranſigibilem.*

XXIV. Quod tamen intelligendum non eſt de auctoritate DD. illorum, qui per conſultationes ſcribunt, aut ſcripſerunt; hi namque conſultores, cum ſemper propendant, ac nimis vergant, in favorem partium eos conſulentium, auctoritatem ſuam notorie ſuſpectam, atque inattendibilem reddunt. Idem Deluc. de dot. diſc. 166. n. 37. de don. diſc. 19. n. 10. de cred. diſc. 154. n. 3. diſc. 53. et 127. Ubi etiam in ſeipſum, quatenus *conſultorem*, eandem ſuſpicionem impingit, abſolute concludens ibid. *Conſulentium auctoritas ſuſpecta eſt, et non attendenda.*

XXV. Secundam: Quod, ut cum plurimis doctoribus tenet Fraſſ. d. c. 79. n. 37. *Conſervatores, dati ad tollendas injurias, ſolent eas inferre:* ut etiam cavetur in bull. Gregorian. et Innoc. X. in cauſ. Angelopolitan. et in c. 2. et fin. de deleg. in 6. ibi: *Limites ſibi traditæ poteſtatis, quos frequenter excedunt*; et tenet Cirin. nex. utr. jur. c. 6. n. 30. et ſeqq. et Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 7. 11. et 27. Et quam graviter ac deformiter impræſentiarum illuſtriſſimus ſubjectus conſervator hanc notam effective incurrerit, ſat patebat ex dictis, tum in facti ſerie, tum in *Judicio Vero*, præſertim in violentis, atque exorbitantibus procedimentis adverſus fratres ſuos RR. religioſos Dominicanos, et adverſus RR. PP. miſſionarios apoſtolicos, præfectum ſcilicet, et aliquos ejus ſubditos clericos regulares domus Divinæ Providentiæ; et deteſtabilius adverſus moniales conventus S. Monicæ, ordinario Goano ſubjectas, ut et obedientes à debita prælato ſuo ordinario obedientia deterreret, et rebelles in ſuæ ſcandaloſæ, contra eam, rebellionis contumacia conſervaret.

XXVI. Tertiam: Quod, notorietate atque evidentia horum juriſdictionis exceſſuum ſubjecti illuſtriſſimi aſſerti conſervatoris ſuppoſita (etiam dato, quod veram juriſdictionem habuiſſet) minime poterant theologi, ac juriſtæ, in concilio habito apud excellentiſſimum proregem, die 7. currentis menſis Octobris, deliberare pro validitate cenſurarum ab eodem præcipitanter, violenter, atque nulliter fulminatarum (etiam dato, quod præfati conſultores juriſdictionem, aut facultatem haberent ad judicandum, aut deliberandum ſuper materiis iſtis); et multo minus poterant etiam conſulere debitum præſtandi auxilium brachii ſæcularis, et amplam manum armatam eidem conſervatori ad executiones ſuas violentas peragendas, adhuc eo illam ſæculari gubernio non ſupplicante, cum manifeſta reſiſtentia ordinationis regiæ lib. 2. tt. 8. § 6. in qua fundatus regius ipſe ſenatus, coram eodemmet rectore prorege, nemine diſcrepante, auxilium prædictum eidem conſervatori expreſſe, et abſolute denegaverat: quam quidem amplam indulgentiam, utroque jure, et regiis decretis (de quibus infra) aperte reclamantibus, ponderans mature promotor, præſenti caſui adaptabat mirantem illam notiſſimam notam can. 8. d. 22. *Submittitur Ignatius minorum, inferiorum, et ſubjectorum deliberationibus, è contra canonibus præcipientibus.*

XXVII. Quartam: Quod proponens illuſtriſſimus archipræſul eidem excellentiſſimo proregi, et illuſtriſſimo conſervatori, juſtam, et competentem deciſionem per arbitros faciendam, juxta decretum S. Concil. Trid. de reformat. non obſtante, quod archipræſulis juriſdictio certa extaret, conſervatoris autem, ſaltem dubia, impræſentiarum, neque prorex ipſe, neque conſervator, etiam ad arbitrium citatus, illi acquieſcere voluerunt, neque in tali medio juſto, præciſo, ac juridico convenire (quod quidem poſtea à ſereniſſimo rege approbatum fuit, atque juſſum utrinque adimpleri, ut infra, in allegatione ſubſequente, ex regio ipſo reſcripto dignoſcetur); cum prorex idem ex officio juſte, ac valide, eundem conſervatorem cogere, ac compellere poſſet ad propoſitum arbitrium ex communi doctrina, de qua Mend. à Caſtr. in prax. p. 2. c. 3. n. 9. Cirin. nex. utr. jur. d. c. 6. n. 30. Barb. de ep. alleg. 106. n. 37. et alii. Ex qua quidem utriuſque tenaci, ac irrationabili renitentia, optime colligebatur, imo patefiebat, pro qua parte ratio, ac juſtitia extabat.

XXVIII. Quintam: Quod conſilium illud theologorum regularium (qui omnes erant ipſæmet partes principales, vel partiales, et principaliter motrices, atque actrices in cauſa, in qua omnes ſpeciale habebant intereſſe, et aliqui illorum nominatim cenſurati, ac declarati ab illuſtriſſimo archipræſule) notorie ſuſpectum, injuſtum, et penitus inefficax, atque inattendibile reddebatur, tum ex circumſtantiis prædictis, tum ex eo, quod ſuffragium, ac deliberationem dederunt, non audita utraque parte, ſed unica tantum; qui quidem defectus, ut ſubſtantialis, atque eſſentialis, judicium iſtud, ac deliberationes illorum conſultorum, utique noviter injuſtas, atque nullas, et inattendibiles prodebat, ex ipſomet jure, ac lumine naturali, necnon ex jure ſcripto, de quo gloſſ. in Clem. *Sæpe*, verb. *Ad id*, de verbor. ſignific. Decius in c. *Conſuluit*, n. 65. de offic. deleg. Gabr. commun. concl. tt. de cit. c. l. 1. n. 300. Capyc. dec. 1. n. 35. Caval. dec. 376. n. 1.

XXIX. Sextam, denique: Quod ob frequentiſſimos exceſſus, et ſcandaloſas exorbitantias judicum conſervatorum, extare plura decreta regia in conquiſtis, præſertim regni Caſtellæ, illorum deputationes, ac electiones, niſi ſub certa conditione prohibentia, ſignanter quando eliguntur adverſus archiepiſcopos, atque epiſcopos, quorum alia exemplaria affert Fraſ. de reg. patron. p. 2. d. c. 80. n. 28. et unum tantum eorum tranſcribebat promotor, quod quidem tenoris ſequentis eſt:

El Rey. Mis virreis, preſidentes, y oidores de las audiencias de mis Indias Occidentales, a quien toca examinar, y approbar las cauſas, que las religiones proponen, para poder nombrar jues conſervador, uſando de la facultad, que pretenden eſtarlesconcedida, por ſus privilegios y bullas, y ſiendo tan conveniente al ſervicio de Dios, y mio el mirar con particular cuidado, y attencion, por la decencia, decoro, y authoridad, que ſe debe atan venerable dignidad como la delos arçobiſpos, y obiſpos, por el privilegio, que el derecho canonico, y los concilios dan a los que eſtan conſagrados, haziendolos immediatos al Summo Pontifice, y haviendoſe conferido ſobre illo por los demi conſejo de las Indias, y conſultandoſeme he reſuelto ordenaros, y mandaros (como por la preſente, os ordeno y mando) acada uno de voſotros en vueſtro deſtricto, y juriſdicion, que de a qui adelante por ninguno modo conſintais, que los religioſos de las ordenes de eſſas provincias, en virtud de quales quiera privilegios, o bullas conſervatorias, nombren ſemejantes juezes contra las perſonas de los arçobiſpos, y obiſpos; y ſupueſto que para poder uzar de dicha facultad, es preciſo que primero prezenten los motivos, y cauſas, que les obliga al nombramiento de dichos juezes, para que por voſotros, viſtas, y examinadas las approbeis, ſiempre vendra a eſtar en vueſtra mano el impedir el uſo, y procedimientos de los dichos conſervadores contra las perſonas de los arçobiſpos, y obiſpos, y a ſy eſtareis con la vigilancia, y attencion, que fio de vueſtra prudencia, para no dar lugar a los inconvenientes, y eſcandalos, que de algunos annos a eſta parte ſe han experimentado, tolerando mis audiencias el abuſo de dichos conſervadores, que han paſſado no ſolo a proceder contra las perſonas de los obiſpos, ſino a deponerlos de ſu dignidad. Y en el complimiento de eſſa orden pondreis todo cuidado, para que no pueda haver ninguna contravencion en ſu obſervancia.

Fecha, &c.

Per aliam regiam ſchedulam (ait idem Fraſ. ibid.) 5. Martii 1651. D. comiti de Alva de Aliſte, Mexicano proregi, miſſam, juſſum fuerat, auxilium epiſcopis impertiendum eſſe à proregibus, quoties de obſervando regio jure patronatus à regularibus egerint, nec permittendum, eo caſu, illos conſervatores judices eligere; ibi: *Y en raſon deſto, deis el auxilio alos obiſpos, para que ſe cumplan ſus mandatos, y que, ſi ſobre ello las religiones quiſieren valerſe del remedio de conſervadores, no deis lugar a ello, por no ſer eſte de los caſos de conſervatorias.*

XXX. Tandem *hanc juſtam condemnationem falſæ, atque injuſtæ collateris illius manifeſtationis*, die 11. Octo-

Octobris ejuſdem anni 1731. abſolvebat promotor; quam ſicut, velut in baſi in quodam verſiculo, Pſalm. 108. fundaverat: ſic demum pro coronide, altero verſiculo, Pſalm. 73. occludebat; Deum ſic, ut promotor juſtitiæ eccleſiaſticæ, pro ejuſdem cauſæ defenſione ſuppliciter deprecans: *Exurge, Deus; judica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Pſ.* 73. 23.

ALLEGATIO XXXVI.

Super eadem Conſervatoria, necnon ſuper Validitate, aut Invaliditate omnium, illius prætextu, à ſubjecto Conſervatore inflictarum Cenſuraram, edita à religioſiſſimo, ac ſapientiſſimo P.D. Carolo Joſeph. Fideli, Miſſionario Apoſtolico, et Domus Clericorum regularium Divinæ Providentiæ digniſſimo quidem Præfecto.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries proſequitur.*
II. *Titulus et prologus* Diſcurſus diſſolutivi *nodi cenſurarum.*
III. *Qui judex ordinarius, vel delegatus?*
IV. *Quid merum, et mixtum imperium?*
V. *Quid judex datus, vel delegatus?*
VI. *Quid juriſdictio ſpecialis, quid univerſalis?*
VII. *Quid juriſdictio data, quid delegata?*
VIII. *Quid judex mandatarius?*
IX. *Conſervator non eſt proprie judex.*
X. *Aliter de conſervatoribus immediate à Summo Pontifice datis univerſaliter.*
XI. *Duas perſonas gerit conſervator.*
XII. *Differentiæ conſervatoris à reliquis judicibus.*
XIII. *Differentiæ ex parte effectuum.*
XIV. *In delegato diſtinguitur* officium *à* poteſtate.
XV. *Ex acceptatione reſcripti aliqualiter ſuſpecti, dubia reſultat juriſdictio in conſervatore.*
XVI. *Regulares nequeunt eligere conſervatorem in iis cauſis, quibus ſubduntur epiſcopis, et non niſi juxta conſt. Gregorianam.*
XVII. *Nulla fuit deputatio conſervatoris pro omnibus cauſis motis, et movendis, activis et paſſivis.*
XVIII. *Conſervatores, etiam legitimi, poſſunt recuſari.*
XIX. *Soli principi ſuperiorem non agnoſcenti, competit notarium inſtituere.*
XX. *Eſt unum de regalibus inhærens oſſibus principis, et non poteſt abdicari.*
XXI. *Quibus judicibus per leges municipales concedatur notarium inſtituere?*
XXII. *Quid de jure civili?*
XXIII. *Delegatus conſervator nequit vicarium ſubſtituere: ergo neque notarium creare.*
XXIV. *Argumenta in contrarium,*
XXV. *Facillime ſoluta.*
XXVI. *Conſervatori nunquam conceditur merum, et mixtum imperium; licet concederetur pleniſſima juriſdictio, delegatis mandatariis ad univerſitatem cauſarum, committi ſolita.*
XXVII. *Nec ſuffragari ei poteſt præſcriptio, aut conſuetudo aliqua.*
XXVIII. *Conſervator, licet expreſſam haberet facultatem creandi notarium, ea uti non poſſet ante literarum ſuarum, coram ordinario, exhibitionem.*
XXIX. *Nec ſuffragatur diſtinctio juriſdictionis contentioſæ, et voluntariæ, neque exemplum legatorum à latere.*
XXX. *Quibus judicibus competat examen reſcripti judicis delegati.*
XXXI. *Poteſt ab ordinario inhiberi conſervator defectuoſus.*
XXXII. *Adhuc efficaciori remedio poterat conſervator coerceri.*
XXXIII. *Judices eccleſiaſtici tenentur exequi pœnas certas à jure ſtatutas.*
XXXIV. *Poterat ordinarius præſentem conſervatorem licite, et valide, in cenſuras à jure latas, declarare judicialiter.*
XXXV. *Id etiam poterat extrajudicialiter, et* vim vi repellendo, tanquam pars.
XXXVI. *Prudentiſſime, et moderatiſſime, proceſſit inhibendo, et ſuſpendendo dumtaxat eum, excommunicationis præviæ monitione.*
XXXVII. *Experta conſervatoris contumacia, valide, et juſte, et omni ex parte legitime, eum tandem excommunicavit.*
XXXVIII. *Judicium de cenſuris à conſervatore ex abrupto prolatis.*
XXXIX. *Nulliter proceſſit ex defectu ordinis.*
XL. *Et ex defectu cauſæ, ſeu materiæ.*
XLI. *Atque ex defectu juriſdictionis.*
XLII. *Judex conſervator, procedens contra ordinarium ſola juriſdictione probabili, nulliter procedit, et graviter peccat.*
XLIII. *Et multo magis procedendo ſpiritualiter, et temporaliter armata manu, adverſus omnes, cum ordinario ſuo participantes.*
XLIV. *Omnes prædictæ cenſuræ, nullæ quidem, injuſtæ, perturbativæ, et errorem intolerabilem ſapientes, evaſerunt.*
XLV. *In conflictu plurium opinionum probabilium, qui probabiliſſimam ſequitur, habet ignorantiam invincibilem de valore præcepti, et cenſuræ annexæ; et non eſt contumax, aut inobediens.*
XLVI. *Subſumuntur omnia præmiſſa, et clauditur diſcurſus.*

I. EDITA tandem in lucem ſecunda hac præmiſſa promotoris allegatione, adverſarii omnes omnino tacuerunt. Sed cum ob auctoritatem proregis, atque potentiam partium intereſſe habentium, quamplures ſeſe pro veritate declarare, ejuſque partes inſequi pertimeſcerent, et conſervatoris violenta procedimenta, armata manu, adeo dure, direque proſequerentur, ut et perſonalem diſtrictionem mei vicarii generalis, et archidiaconi mei, qui inſuper bullæ Cruciatæ commiſſarius apoſtolicus incedebat, et aliunde regius capellarum proviſor parochiales eccleſias vi invadebat, confraternitates eccleſiaſticas in eis ſtabilitas viſitaturus, atque rationem de illarum bonis, fores confringens, clericos mulctans, atque laicos conſodales perſonaliter, atque realiter exequens, ut alleg. 33. fuſius enarratur; et alia execrabiliora molirentur; coactus ſum interdictum eccleſiaſticum, licet invitus, die 2. Novembris, eccleſiaſticis matutinis officiis, ac rogationibus finitis, in defenſionem publicare: in cujus obſervantiam cum regulares ipſi dividerentur, patribus Dominicanis, et præfatis clericis regularibus, atque patribus congregationis Oratorii illud ſervantibus, reliquis vero conſervatoris partes ſequentibus, decrevit præfatus P. præfectus pro veritate publice in arenam deſcendere; quod et perfecit, ingreſſo jam anno ſequenti 1732. eo, quo ſequitur, titulo, ac forma formaliſſima:

NODUM
Cenſurarum omnium ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Malacenſi,
Sub prætextu Conſervatoriæ RR. PP. Societatis
Inflictarum,
Diſcurſu
Theologico, Canonico, Morali,
Diſſolutum,
Sub Auſpiciis Sereniſſimi Luſitaniæ Regis
JOANNIS V.
Defæcatæ Theologorum, et Juriſtarum trutinæ
Propriæ, et communi ſtudentes Tranquillitati,
Humiliter exhibent
Clerici regulares, vulgo *Theatini*, Miſſionarii Apoſtolici;
Et Apoſtolicus, licet indignus,
In Orientalibus eorundem Miſſionibus
PRÆFECTUS,
Goæ, Die vigeſima quinta Januarii
Anno Domini MDCCXXXII.

Sere-

Sereniſſime REX,

II. PLenam periculi aleam aggredimur: nam de inextricabili controverſæ juriſdictionis nodo, inter illuſtriſſimum archiepiſcopum Goanum, Indiarum primatem, et illuſtriſſimum epiſcopum Malacenſem, ab illuſtriſſima Societatis Jeſu familia in conſervatorem electum, imperiti atramenti ſtillis judicium noſtrum exarare contendimus. Hærebat nodus iſte, pluſquam Gordius, in hac celeberrima Aſiæ metropoli; et ex ejus ſolutione pendere ſpirituale juriſdictionis imperium, fama proclamabat. In arenam deſcenderunt non pauci primi ſubſellii magiſtri, atque doctrinæ ſacræ profeſſores: ſed quia lis hæc non minus videbatur ſolubilis theologorum ſtudio, quam timenda judicio, tantum abeſt, ut nodum ſolverint, quin potius repetitis conſultationum involucris uſque ad deſperationem proxima colligârint. Quid ageremus nos inter gigantes puſilli, qui theologicas facultates, ſcholaſticam ſcilicet, canonicam, atque moralem, vix à limine ſalutavimus? Inſpectis innumeris, quîs materia hæc obnoxia ſeſe exhibebat, quæſtionum mæandris, ne hiſcere quidem audebamus: terrebat enim Alciati, aliorumque juriſperitorum aſſertum: *Neminem, ſcilicet, in juriſdictionum pelago verſatum eſſe, qui naufragium non fecerit.* Clamabant attamen jura non bene deducta, doctorum auctoritates alio contortæ, verborum ſignificationes falſo interpretatæ, et tandem ſolidiſſima fundamenta à promotore eccleſiaſtico in lucem edita, ſed immerito repudiata, et injuſte deſpecta: cumque populi utilitas, conſcientiarum tranquillitas, Sanctæ Sedis obedientiæ, Sereniſſimæ Majeſtatis tuæ obſequium, aliique plurimi tituli cordis auribus perſonantes, animum noſtrum enixe agitarent, eorundem ſtimulos reſpuere minime potuimus. Hinc opinionem noſtram (quam toto cœlo diverſam nonnulli falſo proclamabant) modeſtis diu, privatiſque hiatibus plus agendo, quam loquendo indicantes; ubi tandem repetitis ictibus laceſſeret nos arbitrata, et arbitraria illuſtriſſimi conſervatoris juriſdictio, aperte jam explicare, juſtitiæque vexillum ſequi non recuſavimus; et à Spiritu Sancto edocti adeſſe tempus tacendi, et tempus loquendi, ſecretiora juris penetralia pervadentes, præfatum nodum tenui hac, et abortiva elucubratione diſſolvimus. Hæc ſunt, Sereniſſime Rex, ingenua ſilentii, ſimulque declarationis noſtræ argumenta; ſed qui ſumus, qui audeamus ſiſtere nos, atque hoc noſtrum tam exiguum opus, pedibus Celſiſſimæ Majeſtatis tuæ? Anceps revera nos cura torquebat: hinc enim quærebamus labori noſtro patronum principem, qui regali magnitudine ſua nomen illi faceret, ac ſecuritatem: hinc ſimul nobis ipſis temeritatis notam metuebamus: quid igitur inter hunc timorem, eamque cupiditatem, ageremus? Id ipſum, quod impavidi facimus. Accedimus ad te, Potentiſſime Rex, tanquam ad fontem totius juriſdictionis, quæ à te in omnes imperii tui judices derivatur, ut ſi præfatum nodum adhuc minime ſolutum dijudices, gladio tuæ ſupremæ juriſdictionis, velut alter Alexander, abrumpas, et reſcindas. Sic noſtris obſecundâmus votis, et notam temeritatis evadimus. Neque enim nobis de tua tutela cenſemus deſperandum; quia benigniſſimus es, et omnia in his ditionibus, nedum ſæculari, ut rex, verum etiam ſpirituali, ut ſupremus militaris Chriſti religionis magiſter, moderaris imperio: neque de nimia noſtra confidentia nobis timendum putamus, quia juſta, et ad promovendam reipublicæ hujus tranquillitatem ordinata. Excipe igitur, Clementiſſime Rex, ad multorum ſolatium, ad veritatis dilucidationem, ad juſtitiæ gloriam, opuſculum hoc parvitatis noſtræ monimentum, noſtræque perpetuæ atque addictiſſimæ ſervitutis teſtimonium. Vale.

DISCURSUS PRÆLIMINARIS.

De quidditate, diſtinctione, et differentia judicis tum ordinarii, tum delegati, atque conſervatoris.

UT conſervatorum materia, de qua, ut ait gloſſa in cap. *Statuimus*, de offic. et poteſt. jud. delegati, in 6. parum, aut nihil, per jura antiqua habebamus, quæque in cap. 1, 2. et ult. eadem tit. exarata majori, qua fieri poteſt, claritate, enucleetur, et omnes removeantur difficultates, quæ circa eorum juriſdictionem, et poteſtatem, ex mala, aut perturbata jurium intelligentia oriri poſſunt, operæ pretium eſt ſcire prius, quis et quotuplex ſit judex tum ordinarius, tum delegatus, et inveſtigare differentiam, quæ eſt inter ipſos, et conſervatores.

CAP. I.

Quis, et quotuplex ſit judex, tum ordinarius, tum delegatus.

III. ORdinarius judex ille dicitur, qui eſt creatus à principe, Papa, ſc. imperatore, vel rege, vel ab alio ſuperiore poteſtatem habente concedendi ordinariam juriſdictionem, ut præſit jure proprio univerſali juriſdictioni alicujus civitatis, provinciæ, vel territorii: cumque omnis juriſdictio plenaria ſit radicata in principe, ut notat Bartolus in leg. 1. cap. fin. ff. de juriſd. omn. jud. et ab ipſo principe profluant omnes dignitates, et officia, ſicut rivuli à ſuo fonte, ut ait Ang. in rub. ff. eodem; hinc plures reperiuntur gradus judicum ordinariorum, quorum aliqui ſuperilluſtres, alii illuſtres, quidam ſpectabiles, quidam clariſſimi, et quidam infimi nuncupantur, ut refert ſpec. ibi, col. 1. et 2. juxta majorem, vel minorem originalis, quæ in principe eſt, juriſdictionis participationem.

IV. Iſta juriſdictio originalis, prout attinet ad forum externum, dividitur in *imperium*, et *ſimplicem juriſdictionem*; et facta diviſione imperii in *merum*, et *mixtum*, quodlibet ex iſtis membris ſubdividitur in ſex gradus; maximum, ſc. majorem, magnum, parvum, minorem, et minimum: quilibet ex his gradibus ſpeciali circumſcribitur auctoritatis ſphæra: cumque merum imperium differat à mixto, quoniam hoc privatam, illud vero publicam reſpiciat utilitatem; juriſdictio autem ſimplex ab utroque differat, quia iſta mercenario, illa vero nobili expediuntur officio, ut in confeſſo eſt apud omnes juriſtas; hinc oriuntur admirabiles illæ judicum ordinariorum hierarchiæ, quæ in eccleſiaſtica republica per totum orbem à Summo Pontifice, ordinariorum ordinario, derivantur, cardinalium, ſc. in titulis ſui cardinalatus, legatorum in provinciis ſibi commiſſis, patriarcharum, atque primatum, etiam reſpectu archiepiſcoporum, et epiſcoporum, qui ſunt in ſuo patriarchatu, et primatu, metropolitanorum etiam reſpectu ſuorum ſuffraganeorum epiſcoporum in omnes ſuæ diœceſis ſubditos, tam clericos, quam ſæculares, etiam principes, vicariorum generalium, abbatum, denique prælatorum omnium, tum ſæcularium, tum regularium, aliorumque ſubalternorum officialium uſque ad notarios, et judices chartularios, ex quibus ultimis Gratianus, Mend. et late Pereg. tract. var. l. 1. tt. de juriſd. ordin. et deleg. n. 50. et ſeq. probant ordinariam juriſdictionem poſſe etiam abſque territorio ſubſiſtere.

V. Judex delegatus is dicitur, cui à principe, vel ab ordinario, vel etiam ab aliquo delegato principis, cauſa committitur, vices gerens delegantis, et proprium nihil habens, l. 1. § *Qui mand.* 1. ff. *de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio.* Cum autem delegatus nullam habeat juriſdictionem ratione proprii officii, ſed uſum dumtaxat juriſdictionis ſibi ſpeciali delegantis conceſſione commiſſæ, ut eſt d. l. *Qui mand.* et l. *Etſi prætor*, 3. ff. eod. tt. hinc ſequitur, juriſdictionem delegatam juxta menſuram conceſſionis generaliter dividi in ſpecialem, et univerſalem, Lonig. l. 1. decr. de officio, et poteſt. judic. deleg. n. 2.

VI. Juriſdictio ſpecialis eſt, quando vel una, vel plures cauſæ determinatæ cognoſcendæ, vel adjudicandæ committuntur. Univerſalis vero dicitur, quando alicui committitur univerſitas cauſarum, etiamſi fiat reſtrictio ad certum locum, familiam, aut tempus; Sanch. l. 3. de matrim. Cum autem modus delegandi diverſus ſit, juxta cauſarum, vel clauſularum diverſitatem, hinc utraque juriſdictio delegata, tam ſpecialis, quam univerſalis, ſubdividitur in datam, delegatam in ſpecie, et mandatam.

VII. Juriſdictio data eſt, cum alicui committitur nuda cognoſcendi, aut judicandi poteſtas, quomodo olim prætores propriam notionem dumtaxat judici pedaneo delegabant, integra coercitione, et exe-

cutione ſibi reſervata, quod de jure etiam canonico fieri poteſt per cap. 18. et 27. § *Verum*, de offic. et pot. jud. deleg. Juriſdictio delegata in ſpecie ea dicitur, cum alicui committitur tantum ſimplex juriſdictio, cognitio, ſc. cauſæ cum aliqua coercitione, ſed non cum omnimoda, et perfecta exequendi poteſtate, Lonig. l. citat. Mandatam denique appellant, quando alicui ſive in una, ſive in pluribus cauſis committitur integra juriſdictio, ita ut intelligatur conceſſum principaliter mixtum imperium cum omnimoda poteſtate exequendi: ſententiam ſuffragatur l. 1. § *An autem*, 4. ff. de ſuſpec. tutor. ubi ſic: *Mandata juriſdictione, officium ad eum totum juriſdicendi tranſit:* et cap. ſuper quæſt. 27. § *Porro*, de offic. et pot. deleg. ubi nominatim diſtinguitur, an tota, vel non tota juriſdictio ſit alteri conceſſa.

VIII. Ex præmiſſa delegatæ juriſdictionis anatome facile deducitur, qui ſunt judices dati, qui delegati, qui mandatarii. Datis enim nuda committitur notio, ſeu cognitio cauſæ, reſervata deleganti integra coercitione, aut executione; delegatis in ſpecie, præter cauſæ cognitionem, et judicandi poteſtatem, committitur etiam aliqua coercitio, et illa imperfecta exequendi poteſtas, quæ compatitur cum ſimplici juriſdictione: hinc eſt, quod tam à dato ad dantem, quam à delegato ad delegantem, datur appellatio ex d. cap. 27. § *Porro*, de offic. et pot. deleg. junct. c. 7. *Eodem*, in 6. et l. un. cod. *Qui pro ſua juriſdictione*, abſque periculo appellandi ab eodem ad eundem, utpote ad eum, cujus eſt juriſdictio, quod ex cap. 2. de conſ. in 6. et cap. 3. de appellation. in 6. repugnat. Mandatariis tandem integra committitur juriſdictio cum plena poteſtate exequendi ſententiam; propterea à mandatario ad mandantem non datur appellatio, ex l. 1. ff. *Quis à quo appelletur:* ne propter identitatem juriſdictionis, quæ in utroque eſt, ſaltem reſpectu illius caſus, ab eodem ad eundem appelletur, Lonig. loc. cit. n. 31.

CAP. II.

Quis, et quotuplex ſit conſervator, et in quo differat à judice, tum ordinario, tum delegato.

SECT. I.

Exponitur ſeries conſervatorum.

IX. CUM conſervator, juxta diſpoſitionem juris in cap. 1. et ff. de offic. et pot. jud. deleg. in 6. ſive datus ſit, ut aliquos tueatur contra eos, qui eorum infringunt privilegia; ſive latius, ut illos defendat ab injuriis, et offenſis, ſecundum Hoſt. et Innoc. in nullo dictorum caſuum judicialem habeat juriſdictionem; et in cap. 2. eodem titul. ex verbis ibi, *à judicibus, vel conſervatoribus*, ſecernantur judices à conſervatoribus; recte infert gloſſ. ibid. per appellationem judicis non apprehendi conſervatores, quod notandum proponit pro intelligentia jurium loquentium *de judicibus*; nec immerito, quia revera, quemadmodum inrer legatos, qui à Sancta Sede mittuntur ad aliquid cum aliquo principe tractandum abſque juriſdictione aliqua, legati quidem ſunt Apoſtolicæ Sedis, non tamen *judices*, ut bene ait Molina de juriſdictione, tract. 5. diſp. 9. n. 1. ſic conſervator nudam conſervatoris perſonam gerens, dici nequit *judex*, ſed *vir potens*, et *auxiliator aſſiſtens parti*, ut ſe tueatur à manifeſtis injuriis, et violentiis; juxta terminos textus in l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. Peg. tract. de comp. 1. p. cap. 50. n. 40. Cirin. nex. rerum eccleſ. juriſd. cap. 6. n. 22. Deluc. n. 3. p. 1. de juriſd. et for. comp. diſc. 49. n. 5. ubi ait, *Cum eodem ſenſu procedi per ſacrum Concilium Trid. ſeſſ. 14. de reform. cap. 5. et per Rot. in Cravov. dec. 184. p. 11. rec. n. 20. et ſeq.*

Quia tamen ex novis deinde privilegiis, et indultis, nedum ante Concil. Trid. verum etiam poſtea, variis religionibus à Sede Apoſtolica conceſſis, adeo excrevit conſervatorum facultas, ut tanquam delegati ad univerſitatem cauſarum ordinaria etiam viderentur fulciri juriſdictione, hinc in aliquorum opinione etiam nunc duæ circumferuntur conſervatorum ſpecies: una eorum, quibus, ſtricta ratione juris, juxta dictum cap. 1. et ultimum de officio delegat. in 6. expreſſe inhibetur *aſſumere partes judicum*, reſtricta eorum poteſtate ad compeſcendas ſolum manifeſtas injurias, et violentias: altera eorum, qui ex privilegiis ampliorem conſequuntur juriſdictionem, et tanquam judices ordinarii ſalutantur.

X. Huic ſententiæ libenter ſubſcriberem, ſi ſermo fieret de iis conſervatoribus, qui quandoque à Summo Pontifice immediate dantur, quoties ipſis committatur univerſitas negotiorum, vel in commiſſione nulla ſit ex iis clauſulis, quæ delegatam indicant juriſdictionem, ut ſunt, *Proccdas auctoritate noſtra*, vel *appellatione remota*, vel *auctoritate apoſtolica, committimus, et demandamus*, juxta ea, quæ docet Bart. in leg. mor. 5. col. 2. V. *Juxta hoc*, ff. de juriſd. omn. jud. et communiter DD. in cap. *Licet*, 12. de offic. ordinarii. Cæterum, cum per conſtitutionem 9. Greg. XV. quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, moderata fuerint antiqua religionum omnium, etiam militarium, privilegia, ex quibus in omnibus quibuſcunque cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, ac mixtis, in iis etiam, in quibus auctores, vel conventi rei fuerint, ſuos ſibi conſervatores eligere poterant, qui in iis etiam, quæ judicialem requirerent indaginem, procederent, et, appellatione poſtpoſita, contradictores compeſcere poſſent, ut in conſtit. Greg. XIII. quæ incipit *Æquum reputamus*, in favorem Societatis Jeſu conceſſa; cumque ex prædicta Greg. XV. conſt. præſcripta jam omnibus ſit, quæ nunc in conſervatorum electione ſervanda ſit forma; nullus eorum amplius ordinaria gaudet juriſdictione, ut communiter eſt DD. omnium ſententia; et, ſiquæ ſunt ex dictis privilegiis, quæ adhuc in ſuo robore permaneant, non aliter poſſunt eiſdem conſervatoribus competere, quam ex titulo delegationis.

XI. Propterea, ut bene Deluc. l. cit. n. 7. in perſona materiali conſervatoris hujuſmodi, ex dictis privilegiis electi, duæ concurrunt perſonæ formales, una, ſc. ſimplicis conſervatoris extrajudicialiter, et ſummarie procedens, tanquam pars, vel partis auxiliator ad defenſionem, juxta diſpoſitionem juris communis: altera vero contra, vel præter juris diſpoſitionem, ex privilegio procedens tanquam judex delegatus, juxta conſil. Corn. 15. l. 3. et alios, de quibus apud Bald. dec. 239. n. 2. et in hoc ſenſu tum Conc. Trid. ſeſſ. 14. de reform. cap. 5. tum dicta conſt. Greg. XV. vocant ipſos *Judices conſervatores*.

Sed qui judices? Datine, delegati ſimpliciter, an mandatarii?

Pro reſponſione recolenda ſunt, quæ ſupra diximus, et quæ in § ſequent. dicemus; ex his enim facile poterit deduci in iis cauſis, in quibus juxta limitationes prædictas conſtitutionis Gregorianæ conceditur conſervatoribus aſſumere partes judicis, non alia poſſe fulciri juriſdictione, quam delegata in ſpecie, quæ valde limitata eſt, utpote quæ ſphæram ſimplicis juriſdictionis non tranſcendit; et circa ea principaliter occupatur, quæ mercenario judicis expediuntur officio.

SECT. II.

Exponuntur nonnullæ differentiæ, quæ intercedunt inter judicem conſervatorem, et alios judices, tum ordinarios, tum delegatos.

XII. Ex innumeris differentiis, queis in jure conſervatoris, et cujuſcunque delegati juriſdictio coarctatur, relate ad judicem ordinarium, prima eſt, quia ordinarius dicitur habere juriſdictionem favorabilem, delegatus vero odioſam, gloſſ. in cap. *In verbo proceſſ.* prope finem, de reſcript. in 6. et gloſſ. pen. in Clem. final. de officio ordinarii. Cumque delegata juriſdictio deroget ordinariæ, c. *Studuiſti*, 2. de offic. legat. et cap. 11. de offic. deleg. debet reſtringi pro conſervanda juriſdictione ordinaria. Hinc, 2. Differunt, quia delegatus citans debet citare cum inſerto tenore ſuæ delegationis, ut ex c. *Cum in jure*, 31. et ibi Abb. et Fel. de off. deleg. ordinario autem ſufficit, quod mandet nuntio, ut aliquem citet ſolo verbo, ut in c. *Cum dilecti*; ibi: *Viva voce*, &c. de dolo, et contum. propter eandem rationem. 3. Differunt, quia juriſdictio ordinarii poteſt prorogari, l. *Si convenerit*, 18. ff. de juriſd. omn. jud. minime vero delegata;

gata; non enim potest cognoscere delegatus, nisi inter personas contentas in rescripto declaratorio C. P. et G. 4. de off. del. 4. Differunt, quia delegatus non potest absolvere ab observatione judicii ante litem contestatam, nec præceptum definitum facere. Secus in ordinario, Bald. in l. *Si reus*, 73. in 1. lect. in fin. col. ff. de procur. 5. Quia processus contumaciæ punitivus per delegatum factus contra citatum non comparentem, si vere ille non erat delegatus, non valet, etiamsi fuisset dubium; secus, si fiat per ordinarium, licet non sit vere ordinarius, dummodo possit esse, quia bene valet; ita Abb. in cap. præt. 22. col. pen. de dil.

His tamen et aliis hujusmodi omissis differentiis, quas usque ad 40 recenset Marant. spec. aur. p. 4. tt. jud. 5. dist. ut appareat, quam restricta sit conservatoris jurisdictio etiam relate ad alios judices delegatos mandatarios, sive speciales, sive universales, nonnullas hic non inutiliter exponam earum, quæ inter illos intercedunt, differentias, reducendo eas ad sua principia.

Differt ergo, primo, judex conservator à supradictis delegatis, inspecta causa efficiente; quia hi, si à principe sint instituti ex privilegio juris, causam sibi commissam in totum, vel in parte, alteri possunt committere, juxta c. *Past.* de off. deleg. minime vero conservator, nisi hoc expresse illi concedatur, Barb. de offic. et potest. ep. Ipsi enim tantum conceditur delegare posse quicquid jurisdictionalem non continet articulum, ut sunt citationes, et sententiarum promulgationes; gloss. 1. cap. ultim. de offic. deleg. in 6. ubi vers. *Nulli*, asserit *hoc, et alia plurima specialiter à jure constitui circa conservatores ad eorum potestatem restringendam, ut, quanto minus fieri possit, ordinariæ afferat præjudicium jurisdictioni.*

Ex parte subjecti differunt, 2. Quia judex mandatarius esse potest, nedum quilibet canonicus cujuslibet ecclesiæ cathedralis, verum etiam quilibet subditus respectu sui superioris, et etiam respectu illius, qui delegatus ejusdem sit in alia causa, quæ omnia prohibentur in conservatore, ut inferunt communiter DD. ex cap. ult. de off. deleg. in 6.

Ex parte objecti, seu materia delegatæ jurisdictionis, differunt, 3. Quia mandatario omnia delegari possunt, quæ specialiter à jure reservata non sunt; et sic nedum causæ ad simplicem jurisdictionem pertinentes, verum etiam causæ mixti, vel meri imperii, tum sæcularis, quæ scilicet criminalem et integram coercitionem concernunt, ex cap. ultim. de cler. vel monach. in 6. tum ecclesiastici, potestas scilicet ad publicam utilitatem excommunicandi, deponendi, degradandi, incarcerandi, indefinite demandari possunt, Pan. in cap. 10. n. 4. de offic. ordin. et conservatori vero hodie per Concil. Trident. sess. 14. de reformatione, cap. 5. interdicitur cognitio cujuslibet causæ criminalis, et mixtæ, Barb. loco citato, n. 17. et in civilibus permittitur solum cognoscere, quando personæ, quibus concessæ sunt literæ conservatoriæ, rei fuerint, non actores; quod ita ampliavit Greg. XV. in supradicta constitutione, ut, exceptis casibus injuriarum, et violentiarum, juxta declarationem Sacr. Congregation. quam refert Barb. loc. citat. circa finem, extendatur etiam ad conservatores regularium, ita ut generalis illa concessio, quam habent hi in suis privilegiis, cognoscendi de quibuscunque causis, interpretanda modo sit cum hac clausula; dummodo tamen sint injuriæ, et violentiæ, non quæcunque, sed notoriæ, et manifestæ, Barb. loc. citat. n. 18. et 40. ubi citat Valasc. qui cons. 141. n. 8. et 9. testatur se ita vidisse practicari in conservatoria fratrum Prædicatorum amplissimis verbis referta. Ex eodem titulo differunt, quia neque judex delegatus, etiamsi se ingerat in his, quæ non sunt suæ jurisdictionis, neque ad hoc ipsum suadentes afficiantur pœna in prædicto capite ult. de officio deleg. in 6. constituta, secus est de conservatore; hic enim limites suæ potestatis vel minimum culpabiliter excedens, per annum suspenditur ab officio; suadentes vero illi, aut id ipsum procurantes, saltem effectu secuto, incidunt in sententiam excommunicationis, ex dict. cap. ult.

Ex parte formæ, differunt, 4. Et quidem tot mediis, quot sunt respectu conservatoris clausulæ limitativæ loci, temporis, personarum, aliarumque hujusmodi circumstantiarum, quas omnes nimis longum esset recensere.

Ex parte causæ finalis, differunt, 5. Quia finis jurisdictionis delegatæ est administratio justitiæ in causis delegatis, ne ipsa, si ordinarius aliis negotiis destrictus causæ cognitioni incumbere nequeat, differatur, vel penitus negligatur: at finis præcipuus conservatoriæ est charitas; inducta enim fuit ad propulsandas injurias, et violentias manifestas: idcirco conservatores à regularibus electi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tenentur acceptare; dummodo tamen ipsis ante omnia appareat injuriam, seu violentiam, revera fuisse manifestam, et notoriam: non enim Pontifex præcipit, aut jurisdictionem delegat conservatoribus electis, nisi super injuriis, aut violentiis, taliter qualificatis; ideoque, de hujusmodi qualitate, et notorietate, constare debet electis, ut se, vel ad acceptandum, vel ad procedendum, teneri dijudicent. Propter hanc eandem rationem in eo differunt, quia simplex negatio probabilis injuriæ illatæ incompetentem faciat conservatorem etiam legitime electum, gloss. in d. cap. 1. de offic. deleg. Cancer. Vaz. res. p. 3. cap. 10. de content. jurisd. n. 39. Hinc, licet ex dict. cap. 1. V. *Judicialem indaginem*, de offic. deleg. in 6. interdicatur solum conservatori plenaria illa lata, et ordinaria causarum cognitio, quæ cum strepitu in rebus dubiis passim adhiberi solet, ut notat gloss. in dict. cap. 1. Monet. et alii; secus autem illa judicialis, et moderata inquisitio, sine qua conservatoriæ finis, et usus, nequit consequi, ut docent Inn. in d. cap. 1. n. 1. et 4. tamen, quia potest dari injuria simplex minime qualificata, pro qua certum est, non competere conservatori jurisdictionem, ut ex Joann. monach. et aliis, in d. c. 1. docet Valens. cons. 84. n. 7. hinc, si, adhibita prædicta inquisitione, non appareat negationem esse evidenter falsam, et injuriam esse revera notoriam, se incompetentem declarare tenetur conservator, ut fere omnes fatentur DD. innixi auct. præd. Inn. cujus expositio aliis omnibus præferenda est, cum nullus alius melius interpretari possit illum textum, cujus ipse fuit auctor, c. *Significt*, 18. § *Et quidem*, ff. de homic. l. *Ex fact.* 43. in princ. ff. de vulgar.

XIII. Nedum respectu causarum, verum etiam ex parte effectuum, insignes occurrunt differentiæ inter conservatorem, et delegatum mandatarium. Primo, enim, Licet utrique cum jurisdictione delegata omnia ea intelligantur concessa, quæ ad executionem commissi muneris necessario creduntur pertinere; tamen cum hæc omnia intelligenda sint ad mensuram jurisdictionis sibi principaliter delegatæ, maxime quoad hoc etiam adesse debet inter utrumque discrimen; hinc videmus, 1. A mandatario ad mandantem non dari appellationem, ne propter identitatem jurisdictionis ad eodem ad eundem appelletur, quod diximus repugnare ex c. 2. de cons. in 6. à conservatore vero ab delegantem, licet non admittitur appellatio, nisi quoad effectum devolutivam, quando procedit, ut conservator, circa violentias notorias notorietate juris, et facti; tamen bene conceditur, etiam quoad effectum suspensivum, quando aliam induendo personam procedit ut judex, ut sæpe declaratum est in Sac. Congregat. test. Card. Deluc. l. 3. p. 1. de jurisdict. disc. 49. n. 17. et aliis pluribus DD. 2. Certum est judici mandatario concessam esse facultatem erigendi tribunal, et judicialiter procedendi, quoad judici conservatori expresse interdicitur, Trid. loc. cit. in quo videtur æquiparari judici pedaneo. 3. Quia, orta contentione inter ordinarium, et delegatum mandatarium apostolicum, non recurritur ad electionem arbitrorum, sed ipse mandatarius, quemadmodum alius quilibet judex, qui conservator non sit, cognoscit, an sua sit jurisdictio, necne, Innoc. in c. *Past.* n. 7. et ibi F. n. 4. ita quidem, ut ordinarius, jussus sententiam illius exequi, obsequi cogatur, etiamsi sciat sententiam esse contra jus litigatoris latam, ex cap. 11. eodem tt. At vero, cum competentia est inter ordinarium ipsum, et judicem conservatorem, neque hic cognoscere, an sua sit jurisdictio, sed ad electionem arbitrorum cogitur recurrere, Trid. lex, cit. Greg. XV. in allegat. constitutione; imo, attenta eadem decisione Conc. Trid. formam recusandi conservatores præscri-

præſcribentis propter juſtam cauſam, poterit ab ipſo ordinario recuſari, ut fere omnes affirmant DD. cum etiam in notoriis judex ſuſpectus facile poſſit reum gravare, Fraſſ. de reg. patron. in d. cap. 80. n. 4. ubi citat Tamb. Barb. et alios plurimos; cumque hodie conſervatores, ut ait Pigmat. conſ. can. tom. 3. conſ. 24. n. 8. excedentes limites ſuæ juriſdictionis in præjudicium juriſdictionis ordinarii excommunicationem latam in bulla Cœnæ Domini incurrant, ut ex cap. *Dilect.* de ſententia excommunicationis in 6. taliter excedentes à locorum ordinariis, etiam cenſuris puniri poſſint, Fraſſ. loc. cit. cap. 78. à n. 36. ubi citat Bon. Frat. Hyacint. Donat. Leſan. Gavant. et Ceval. clare ſequitur, ordinarium parere minime poſſe conſervatori procedenti quomodolibet contra jus ipſius; quinimo debere illum, tanquam hominem privatum, et ſibi ſubditum, inhibere, cenſurarum mucrone ferire, et in excommunicationem prædictam incurſum declarare, ut definitum eſt in Congr. conc. die 17. Sept. 1667. in una Favent. teſt. Pign. conſ. cit. in fine.

Aliæ multæ ſunt, quæ inter conſervatores, et alios judices delegatos, aſſignari poſſent, differentiæ: verum ex prædictis ſatis ſuperque deducitur, quod ab initio dicebam, conſervatorem, ſcilicet, attenta juris reſtricti diſpoſitione, non eſſe judicem, niſi ad ſummum datum; conſervatorem vero, prout regularium privilegiis ſuffultum, inter judices delegatos apoſtolicos inferiorem ſibi locum vendicare, ſola ſimplici donari juriſdictione, quæ non nobili, ſed mercenario expeditur officio, eamque tot, tantiſque evaneſcendi periculis obnoxiam eſſe, ut, niſi ſumma adhibeatur prudentia, atque vigilantia, vix poterit hujuſmodi conſervator ullam ex cauſis ſibi commiſſis feliciter, et ſine ſcandalo, expedire, ut ipſa docet experientia: ſæpe enim, ut ait Fraſſ. cit. cap. 78. n. 36. ex Cevall. *Judices iſti, qui dantur ad tollendam vim, violentiam, et injurias, ſolent inferre*, &c. non alia ſane ratione, niſi quia, ut ait Del. in miſc. d. 1. n. 67. *Opinantes pæne omnimodam apoſtolicam habere auctoritatem, fimbrias nimium dilatare ſolent; quamvis etenim apoſtolici delegati ſint, eorum tamen poteſtas nimium coarctare eſt.*

Discursus principalis *de officio et poteſtate judicis conſervatoris.*

XIV. IN quolibet delegato diſtinguitur officium à poteſtate; illud enim refertur ad ea, quæ delegatus, ut talis, facere debet; poteſtas vero ad illa, quæ facere poteſt virtute juriſdictionis ſibi commiſſæ: quapropter, cum ad officium conſervatoris judicis ſpectet, receptis literis commiſſionis, juriſdictionem acceptare, ex cap. *Super eo*, 12. de appellat. jurare ſe in cauſa proceſſurum, ſecundum veritatem, ſacrorumque canonum ſtatuta, ex leg. *Rem.* 14. cod. de jud. deinde literas delegationis coram judice ordinario exhibere, et demittere, ex cap. *Cum in jure*, de officio deleg. et ex conſt. Greg. XV. tumque copia facta partibus, et eas citare, et jubere coram ſe comparere, ex cap. *Præt.* de offic. deleg. formam ſuæ delegationis adamuſſim ſervare, ex cap. *Ven.* 37. et idem juris ordini inſiſtendo, et rationabiles exceptiones admittendum, ex capite *Cauſam*, de reſcriptis, et 13. de offic. deleg. cumque, juriſdictione demandata, ea omnia conceſſa intelligantur, quæ neceſſaria ſunt, ut recte poſſit ſuum munus exercere, ex cap. 5. et 7. eodem, ut eſt officiales aſſumere, partes citare, contumaces coercere, &c. ex his omnibus aliqua ſunt enucleanda, ut facilius poſſimus aſſequi veritatem circa ea dubia, quæ omnium animos tam acriter exagitant in præſenti controverſia inter illuſtriſſimum et reverendiſſimum archiepiſcopum primatem Goanum, et illuſtriſſimum epiſcopum Malacenſem, ab illuſtriſſima Societatis Jeſu religione in conſervatorem electum: unde ſit

CAP. I.

An, et quando, electus in judicem conſervatorem, acceptando literas commiſſionis, juriſdictionem conſequitur?

SUppoſita electione undiquaque legitima judicis conſervatoris, recipit hic ſine dubio à Romano Pontifice juriſdictionem, ſemel ac authenticum commiſſionis reſcriptum acceptet, et jurejurando profiteatur, ſe proceſſurum ſecundum veritatem, ſacrorumque canonum ſtatuta, juxta præmiſſa ex c. *Super eo*, de appellat. Verum, quia ad formam hujuſmodi reſcripti, quod non ab ipſo Pontifice immediate, ſed ab ipſis regularibus expeditum ſupponitur, plura nunc deſiderantur, quæ ſi deficiant, tanquam irritum, et quoad omnia inane reputatur in ſæpe laudabili Greg. XV. conſt. 9. ubique terrarum, atque etiam in regno Luſitaniæ recepta, ut ſæpe teſtatur Pegas, præcipue in comment. ad ord. Peg. lib. 1. tt. 35. § 8. n. 72. et 154. et neminem excipiente, ut pluries declaratum eſt in cauſa Romana, præcipue in Congr. ſpecialiter deputata ab Innoc. X. anno 1648. in cauſa Angelopolit.

XV. Ubi ad quintum quæſitum reſpondit, *Hujuſmodi conſtitutionem declarationibus, ut prætenditur, editis æque afficere religioſos Societatis Jeſu, ad aliorum ordinum, et conſervatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos, non obſtantibus quibuſvis privilegiis; quippe quæ omnia ſunt redacta ad terminos ipſius conſtitutionis*; manifeſte ſequitur, ex acceptatione reſcripti de aliqua nullitate ſuſpecti, non niſi dubiam derivari in electo conſervatore juriſdictionem, ideoque nullam: cum enim hæc odioſa ſit, proptereaque reſtringenda, de ea formaliter debet conſtare, ex d. c. *Cum in jure*, 21. de officio deleg. et in dubio ſemper dicendum eſt eam minime conſervatori competere, ut ait Fraſſ. in reg. patr. in d. c. 79. n. 53. ubi citat Acaſſium de Rippol. var. cap. 1. n. 70. et alios.

Ut autem ab hac generali doctrina ad præſentem caſum in particulari deſcendamus ex pluribus fundamentis, ex quibus illuſtriſſimus et reverendiſſimus dominus archiepiſcopus et primas Goanus nullam declaravit conſervatoriam illuſtriſſimi epiſcopi Malacenſis; ea præcipue, quæ deducuntur *ex qualitate materiæ*, et ex ſuſpicione ſubjecti deputati, tantam præ ſe ferunt veritatis apparentiam, ut vix in dubium revocari poſſit ea, quæ ex ipſis eruitur, probabilitas.

XVI. Enimvero (ut ab illa incipiamus) quamvis, non obſtante prædicta conſtitutione Greg. XV. adhuc ſuffragetur regularibus facultas deputandi conſervatores in iis locis, in quibus non adſunt judices ſynodales, ut declaravit laudata Congr. Card. in cauſ. Angel. cujus omnes reſolutiones ipſe Inn. X. qui eam deputaverat ſuo brevi, in forma ſpecifica probavit; tamen ibidem in reſponſione ad primum, ſecundum, ſextum, et infra ad ſeptimum, definitum etiam eſt, non poſſe *regulares conſervatorem eligere in iis cauſis, in quibus per conſtitutiones apoſtolicas ſubjiciuntur juriſdictioni, et correctioni epiſcopi; neque in eiſdem, quando epiſcopus adverſus eos procedit juris ordine ſervato*; neque in aliis plurimis, in quibus poſſet utique procedere eorum conſervator, ſi juxta præſcriptum prædictæ conſtitutionis Greg. ex ſynodalibus judicibus, et intra tempus habile ab ordinario præſcriptum, fuiſſet nominatus: in iis vero cauſis, et locis, in quibus permiſſum adhuc illis eſt conſervatores eligere, etiamſi ſynodales non ſint, *teneri quoad reliqua ſervare formam conſtitutionis prædictæ Greg.* Cum autem hæc aperte decernat, *conſervatores in cauſis, in quibus regulares fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habere*; facultatem vero ipſos defendendi ab injuriis, et violentiis, non aliter ipſis competere, quam juxta formam præſcriptam in c. 1. et ultim. de offic. deleg. in 6. quando, ſc. injuriæ, et violentiæ, quæ de facto inferuntur, notoriæ ſunt, et manifeſtæ, quod idem eſt ac puram gerere conſervatoris perſonam, ut cenſuit Cong. Conc. Trid. interpretum in declaratione dubii ſuper iiſdemmet conſtitutionis Greg. verbis exorti reſpondens, *per eam minime ſublatam eſſe facultatem defendendi à manifeſtis injuriis, et violentiis, dummodo ſervent formam præſcriptam in conſtitutione* Inn. IV. et Bonif. VIII. relatis in c. fin. de offic. deleg. in 6. ſatis aperte evincitur in iis cauſis, in quibus regulares contra ordinarium actorum partem exercent, non poſſe conſervatorem eligere eum electum, neque juriſdictionem proprietalem, nec etiam facultatem apoſtolicam ipſos defendendi, obtinere, niſi de facto notoria ſit violentia, quæ ipſis regularibus infertur ab ordinario, et certa eorundem in iiſdem cauſis exemptio ab iſtius juriſdictione.

XVII.

XVII. Quæ cum ita ſint, quis in præſenti dubitare non incipiat de realitate juriſdictionis, quam ex acceptatione prædictæ conſervatoriæ certo à Summo Pontifice ſibi pollicetur illuſtriſſimus Malacenſis, ſi diligenter attendat, hinc illius tenore conſervatorem inſtitui pro omnibus cauſis motis, et movendis, in quibus patres ſocietatis reſpondere teneantur, *ſive ut rei, ſive ut actores*; illinc non aliam hactenus contra prædictos regulares intentatam fuiſſe cauſam, quam penes vicarios quoſdam foraneos provinciæ vulgo *Norte*, et quidem juris ordine ſervato in defenſionem ſuæ ordinariæ juriſdictionis, et abſque ulla ex iis violentiis, et injuriis, quas illuſtriſſimus Malacenſis, tanquam notorias, et manifeſtas, falſo exaggeravit, ut jam omnibus demonſtravit notiſſima facti evidentia?

Nimia hac prædicti præſulis in definiendis injuriis hujuſmodi proclivitate, et in iis propugnandis tenacitate, attenta maxime notorietate eorum omnium, quæ illuſtriſſimus, et reverendiſſimus archiepiſcopus Goanus in ſuo tractatu modeſtiſſime congerit ad demonſtrandam juſtitiam recuſationis, jam olim à ſe in ſimili controverſia contra ipſum in forma juris propoſitæ, et adhuc in judicio eccleſiaſtico pendentis, ſatis ſuperque evincitur, illuſtriſſimum Malacenſem male, etiam ſibi, blandiri de ea juriſdictione, quam per acceptationem prædictæ conſervatoriæ ab Apoſtolica Sede ſibi auſpicatus eſt.

XVIII. Nam, nedum certum eſt, conſervatores etiam legitime deputatos recuſari poſſe, ut omnes fere DD. inferunt ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi ſic: *Quodſi in iis caſibus, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conſervator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur; nequaquam in cauſa procedatur*, &c. Et hoc quidem ob eas omnes cauſas, ex quibus alius quilibet judex, ſive ordinarius, ſive delegatus, ut ſuſpectus allegari poteſt, tum ante litis conteſtationem, tum etiam poſtea, ſi ſuſpicionum cauſæ de novo emerſerint, juxta l. *De ætat.* § *Ex cauſa*, ff. de ventr. inſpec. Gal. 1. obſerv. 33. n. 11. verum etiam (quod valde notandum eſt) jure ſpeciali ſancitum eſt, quoad conſervatores cauſas prædictas ſuſpicionis taliter eorum perſonas fugillare, ut eos omnino inhabiles reddant ad ſubeundum conſervatoris officium, etiamſi *de facto per exceptionem juridicam non opponantur*; ut evincitur, tum ex bull. Greg. ſæpe citata, ubi § 12. expreſſe conceditur facultas petendi judicem non ſuſpectum, tum clarius ex conſtitutione Bonif. VIII. relata in ſupradicto cap. final. quam ipſemet Greg. XV. in dicta bulla, § 11. in omnibus, quæ ſuæ conſtitutioni non adverſantur, innovavit. Ex illa enim Azorius, inſt. moral. p. 2. l. 5. cap. 34. q. 5. Ludov. Mir. in mandat. prælat. tom. 2. q. 47. art. 3. concluſ. un. et DD. communiter, ut ait Barb. de offic. et pot. epiſc. p. 3. alleg. 106. n. 6. præter alias differentias, quas inferunt adeſſe inter alios judices delegatos, et conſervatores, has etiam adducunt: 1. ſc. *Quia illius, qui eſt judex delegatus alicujus, poteſt et ille alter eſſe judex delegatus in alia cauſa, ſalvo jure recuſationis.* 2. *Quia, ſalvo eodem recuſationis jure, poteſt quis ſibi ſubditum impetrare delegatum; neutrum autem tolerari in conſervatore, etiamſi ſibi hujuſmodi non opponatur exceptio.* Cum autem gloſſ. in dict. c. ult. circa finem aſſerat, hoc ideo decerni, quia mutua defenſio eſt juris ſuſpecta, propter identitatem rationis; inferendum eſt, cauſam ſuſpicionis in jure fundatam, non ſolum impedire conſervatorem jam legitime inſtitutum, ne ſua utatur juriſdictione, ſi fuerit rite propoſita, verum etiam ipſius perſonam taliter dirimere, ut et electionem, et acceptationem invalidam reddat, præcipue ſi ea notoria ſit, et ex natura ſua generalis, prout eſt *inimicitia*, etiamſi capitalis non ſit, Philip. in cap. poſtr. 36. col. 9. verſ. 3. de appellat. juxta ea, quæ communiter docent juriſtæ in c. *Suſpic.* 39. de offic. deleg. et in cap. 36. 41. et 61. de appellat. cum Guetr. l. 3. cap. 16. n. 28. et 29. Deluc. de judic. diſc. 3. n. 31. et aliis; tunc enim, cum nequeat præſumi, electores, aut electum, laborare probabili ignorantia, ut ex cap. *Innotuit*; et ibi gloſſ. in Vigor. de electis; et cap. *Cum in cunctis*, eodem tt. neque illis ſuffragari poteſt regula illa deſumpta ex cap. *Præſumitur*, de regul. juris, in 6. ea enim non habet locum in iis, quæ notoria ſunt, aut quæ ſcire et inveſtigare tenemur, juxta cap. 3. de reg. jur. in 6. præcipue, ſi ſermo ſit de conſtitutionibus apoſtolicis, quæ inſerta ſunt in corpore juris, Rott. dec. 48. n. 18. p. 8. et DD. communiter.

CAP. II.

An, ſuppoſita legitima inſtitutione conſervatoris, poſſit hic, vi juriſdictionis ſibi commiſſæ, notarium immediate creare?

SECT. I.

Fundamenta ſententiæ negativæ enucleantur.

XIX. QUIA de jure gentium in ore duorum, vel trium, ſtat omne verbum, cap. *Novit*, 28. de jud. l. *Ubi*, n. 12. ff. de teſt. et princeps hujus ſæculi ſine juſta cauſa nequit illi detrahere, Felin. in cap. *Quæ in eccleſ.* 7. Col. ii. 10. et ſeq. de conſtitut. De jure etiam communi, tum canonico, tum civili, inductum eſt, actorum magiſtrum in quolibet judicio debere quidem eſſe *notarium* à principe inſtitutum; ubi vera non eſt copia notariorum, poſſe *adhibere duos probos idoneos viros, eorumque fidem æquiparari fidei tabellionis*, Marant. in ſpecul. aur. p. 2. de actor. edict. num. 24. ut eſt tex. in cap. *Quoniam contr.* § *Statuimus*, 11. de probat. ubi ſic: *Tam in ordinario, quam in extraordinario judicio judex ſemper adhibeat aut publicam perſonam, ſi poteſt habere, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicis acta ſubſcribant.* Ex quo DD. communiter inferunt, quod ſicut per ly *Adhibeat*, prout refertur ad *duos viros idoneos*, non datur judici facultas eos inſtituendi notarios, qui non ſunt, Bald. in l. 4. cod. de fid. inſtr. n. marg. 4. ſed ſolum conformiter ad jus gentium æquiparatur fides duorum teſtium, ſeu ſcriptorum fidei publicæ notarii; ita, prout refertur ad *publicam perſonam*, jam à principe mediate, vel immediate, inſtitutam, firmatur diſpoſitio juris communis dictantis ſoli principi, qui ſuperiorem non habet, competere jus inſtituendi notarios, tabelliones, et alios quoſcunque juſtitiæ officiales, cap. 1. et 2. *Cum p. tabel.* de fid. inſtr. ubi Inn. n. 1. v. *Nobis autem videtur*, Jaſon. in l. *Imper.* n. 28. ff. de juriſdict. omnium judicum, Oldrad. conſ. 75. Boer. dec. 50. n. 16. Solorſ. t. 2. l. 5. c. un. n. 70. Horat. Mont. de regal. verb. *Poteſt. conſtituendorum magiſtratuum*, n. 8. p. 134. et alii innumeri DD. utriuſque juris, quibus ſubſcribit Portug. de donat. reg. l. 2. cap. 13. ubi, n. 1. citat ordinationem Luſitanam, lib. 2. tt. 26. § 1. et Barb. in eandem ordinat. et in tt. 45. § 10. n. 2. ejuſdem.

XX. Præcipua, et fundamentalis prædictæ diſpoſitionis ratio deſumitur ex ipſamet natura ſupremæ juriſdictionis, quam populus in erectione principatus tranſtulit in ipſum principem, l. 2. de conſt. princ. nihil apud ſe poteſtatis, aut imperii reſervando, juxta l. 2. § *Cum placuiſſet*, § *De origine juris*, et l. 1. § *Enim lege*, cod. de veteris jur. enucl. Suprema ſiquidem hæc juriſdictio, quæ eſt veluti forma ſubſtantialis principalis majeſtatis, taliter eſt affixa perſonæ principis, ut neque expreſſe, neque tacite, poſſit ab ipſo principe abdicari, et aliis inferioribus concedi, ut diſertiſſime probat Portug. loco cit. c. 8. n. 3. ex cap. *Cum Marthæ*, de celebr. miſſarum, citans pro ſe Bart. Bald. Valaſc. Canc. Solorſ. et alios ſine numero. Cum vero ad illius conſervationem in omnibus conceſſionibus, ſeu donationibus, queis ab ipſo principe, tanquam à fonte, omnis juriſdictio in alios judices derivatur, ſemper reſervata præſumantur ea omnia, quæ pertinent ad primum, et ſupremum gradum tum meri, tum mixti imperii; et nihil eorum conceſſum reputetur, etiamſi generaliſſimis verbis largiatur alicui plena juriſdictio civilis, et criminalis, niſi aliquid eorundem in particulari expreſſe declaretur, tumque id ſolum, quod ſufficienter fuerit expreſſum, ut colligitur ex cap. *Quod tranſlatio*, de offic. legat. et ex l. 2. Luſit. ord. tt. 26. Molin. de juriſdict. tract. 5. diſp. 6. n. 3. Portug. loc. cit. et alii DD. communiter, evidenter ſequitur, officia publica notarii, tabellionis, cæterorumque juſtitiæ officialium, taliter hærere oſſibus principis, prout loquitur Portug. loc. cit. ut eorum dominium non tranſeat in conceſſionarium;

ceſſionarium; proindeque jus eos inſtituendi, eſſe unum de regalibus majoribus ad ſupremum pertinens imperium, æque, ac illud condendi leges, congregandi univerſale concilium, cudendi monetam, imponendi tributa, et alia plurima hujuſmodi faciendi, quæ princeps, ſive ſæcularis, ſive eccleſiaſticus, ſibi ſemper reſervat, ut ſibi ſolum, ratione ſuæ ſupremæ poteſtatis, conveniant, Mol. loc. cit. et alii communiter, et ſupra omnes Inn. in dict. cap. *Cum p. tab.* de fid. inſtr. ubi hanc rationem fundamentalem eruens ex ipſis naturæ viſceribus ſic argumentatur: *Certum eſt, quod contra jus eſt officium tabellionis, quatenus chartæ animalis mortui ſine alio adminiculo creditur: ſed contra jus nulli venire licet ſua auctoritate, ſeu potius temeritate propria, niſi principi, qui ſupra jus eſt*, ex l. *Princeps*, ff. de leg. et cap. *Propoſuit*, de conceſſ. præbend. ergo, ſicut diximus, cum de diſpenſat. et in tit. *Qui filii ſint legitim. quæ eſt contra jus*, cap. *Dilect.* de temp. ord. non *licere reſtituere infamem, nec legitimare illegitimos, nec arrogare, niſi principi, et paucis aliis, quibus eſt ſpecialiter conceſſum; ſunt enim hujuſmodi quaſi contra naturam, et miraculoſa, de infame facere bonæ famæ, de illegitimo legitimum*, &c. ita de tabellionibus, ex cap. *De tabellionibus*, per totum, et authent. de tabel. *Dicendum eſt, quod nunquam alius, quam Papa, vel imperator, poſſit eos facere.*

Hæc ſola ſufficerent pro demonſtratione concluſionis negativæ, quam libentiſſime amplector pro reſolutione propoſitæ quæſtionis. Cum enim in ſæpe laudata conſtitut. Bonif. VIII. relata in c. fin. § *Circa munera*, de offic. et poteſt. jud. del. in 6. (quam in omnibus confirmavit Greg. XV. in ſupra citat. bulla conſervatoria) conſervatores in eo ſpeciatim æquiparentur cæteris judicibus delegatis, ut circa notarios ea omnia obſervent, quæ jam antea ſtatuta fuerant in cap. *Statuta*, de reſcript. in 6. ut ibidem notat gloſſ. verb. *Edita*, necnon illa, quæ de jure communi præſcripta ſunt in d. cap. *Quoniam contra*, de prob. ut innuit gloſſ. communiter recepta in dict. cap. *Statutum*, de reſcript. § *Notarium*; ſatis evidenter videtur deciſum, conſervatorem judicem non poſſe notarium, aut aliam perſonam publicam, creando inſtituere, aut inſtituendo creare, bene vero unam, aut plures ex jam legitime inſtitutis, ſi habeantur, vel, ſi deſint, duos viros probos et idoneos eligere, nominare, aſſumere, aut deputare; ad omnia enim hæc dumtaxat extendi poteſt legitima interpretatio illius verbi *Adhibeat*, quo utitur Pontifex in dicta definitione.

XXI. His tamen non obſtantibus, ſive per legem aliquam municipalem, ſive per privilegium ſpeciale principis, ſive etiam per conſuetudinem, aut per ſcriptionem pluribus judicibus, tum ordinariis, tum delegatis, conceſſum eſt de facto, poſſe notarios, alioſque juſtitiæ officiales inſtituere, quinimo de mandato judicis poſſe quempiam judicii acta conſcribere, etiamſi publicus notarius non ſit, deducitur ex Bald. in l. *Comparat.* 20. col. 3. verſ. *Quæritur inde forenſ.* cod. de fid. inſtr. et pluribus in locis conſuetudine, vel errore populi, notarium putativum tolerari in judicio, et coram eo partes litigare ſine aliqua contradictione teſtatur Marant. in ſpec. aur. p. 6. *de actorum editione.*

De his omnibus fuſe tractant AA. juxta municipales diverſorum regnorum conſtitutiones; breviſſime vero, ſed dilucide, Inn. in d. cap. *Cum p. tabel.* referens n. 1. ſententiam eorum, qui dicunt, eos judices poſſe notarios creare, quibus conceſſum eſt inſtituendi judicem ordinarium, vel legitimandi illegitimum, vel alia hujuſmodi faciendi cum mero, et mixto imperio; eamque videtur approbare, dummodo tamen concurrat ſimul lex aliqua ſpecialis, aut privilegium principis, aut talis conſuetudo, quæ tacitum ſaltem principis conceſſum involvat; quia, ut ibidem concludit, *Quod princeps ſuperior approbat, ipſe facere videtur*, cod. de veter. jur. enucl.

XXII. Quicquid tamen ſit de jure civili circa notarium putativum, qui de mandato judicis acta conſcribat, an, ſc. plenam hæc mereantur fidem, ſemel ac partes mutuo conſenſu ſua coram illo jura produxerint; quod certum juxta Marant. l. ſupra cit. n. 26. propter ea, quæ cumulat Jaſon. in l. *Qua quiſque*, edit. 2. col. 3. et 4. ff. de edend. de jure canonico certum eſt, non poſſe hoc verificari, quia expreſſe opponitur prædictæ conſtitutioni, cap. 11. de probat. generaliter præcipienti, quod quando judex uno utitur actorum magiſtro, debet hic eſſe perſona publica; et, in defectu ipſius, non niſi duo idonei viri privati poſſint ab ipſo adhiberi. Ex quo etiam infertur, nec poſſe conſervatorem pro actorum magiſtro aſſumere eum, qui, tolerante populo, vel conſuetudine alicujus loci, judicii acta conſcribat: communis enim error non poteſt facere notarium eum, qui non eſt, Jaſon. 111. l. *Barb.* de offic. præt. col. 12. et licet ex Inn. loc. citat. ſervanda ſit conſuetudo, qua alicubi creditur ſcripturis notariorum hujuſmodi, iique nominari etiam poſſint notarii, quia in notas redigunt ea, quæ coram ipſis aguntur, vel etiam tabelliones, quatenus in tabellis ſcribunt, tamen cum ibidem ſubdat, minime illis competere *poteſtatem, et officium publicum, quod tabellionibus à legibus datur, carent illa prærogativa, quæ ſimpliciter requiritur à jure, ut quiſque eorum ſolus poſſit à judice conſervatore deputari.*

Neque quid eruitur in favorem ipſius conſervatoris ex dicta eorum opinione, qui credunt poſſe judicem notarium inſtituere, ſemel ac poſſit ordinarium judicem ſibi ſubſtituere; quinimo, cum ex prænotatis ſupra conſervator judex delegatus ſit, non ordinarius, ut communiſſima eſt DD. opinio, quam in præſenti caſu ipſimet electores illuſtriſſimi Malacenſis amplexi ſunt, cum *illuſtriſſimam dominationem ſuam judicem conſervatorem nominaverint cum poteſtate ſubdelegandi*, quæ delegatum ſupponit, utpote correlativum ipſius, ut patet ex ipſis literis authenticis illuſtriſſimo ac reverendiſſimo archiepiſcopo Goano exhibitis, quarum forma in præſenti conſideranda eſt, cum in ea fundanda ſit conſervatoris juriſdictio; et aliunde, cum ex communiori juriſtarum opinione competat notario ordinaria juriſdictio voluntaria inter partes conſentientes, Petr. Barb. ad l. 1. ff. de jud. art. 1. n. 178. ubi cit. Paulum Caſtrienſ. Corn. Alciat. et alios; quia, ſc. in actibus voluntariis ſuam poſſunt interponere auctoritatem, et tanquam judices ordinarii condemnare volentes, ut ſolvant id, de quo conventum eſt, Paul. Caſtr. conſ. 84. n. 4. l. 1. et alii, quos citat, et ſequitur Barb. loc. cit. n. 178. hæc enim, atque illa præcipue auctoritas, qua donantur, authenticandi, et perpetuandi fidem publicam actorum, aliaque omnia peragendi ad ſui miniſterium pertinentia, certo illis competunt de jure communi, et ratione ſui officii . . . . attenta prædicta opinione, hoc poteſt affirmari argumentum ſatis efficax.

XXIII. Delegatus conſervator nequit ordinarium judicem inſtituere, ſeu, quod idem eſt, ſui vicarium ſubſtituere: ergo neque notarium creare.

Antecedens conſtat; quia de jure canonico, exceptis epiſcopis quoad ſuos vicarios tantum generales, ut notat Abb. in c. *Tua*, et in c. *Rem.* 3. de appellat. in 6. et habetur in c. *Licet*, 2. de offic. vicarii, in 6. (ii enim habent juriſdictionem ordinariam à lege, ſemel ac ab epiſcopis electi ſunt; et lex in l. 2. cod. de offic. ejus, qui vic. alter. gerit, col. 4. circa finem, quod quidem de jure civili in aliquibus regnis extenditur etiam ad duces, marchiones, comites, aut barones, qui in ſua baronia mero, et mixto gaudent imperio, Marant. ſpec. aur. p. 4. tt. judic. diſt. n. 10.); quoad alios tamen judices inferiores à principe, qui non habent merum, et mixtum imperium, pro judicato eſt, eos non poſſe ſubſtituere ſibi vicarium, quia hoc expreſſe prohibetur per jus commune, ex novel. conſtit. 128. § *Ad hoc prohibemus*, 4. niſi aliquis eorum creatus ſit à principe ordinarius, cum expreſſa poteſtate ſubſtituendi alium, qui ordinarius ſit, quia tunc videtur ſubſtitutus auctoritate principis, Marant. loc. cit. n. 12. et 18.

XXIV. His ſuppoſitis, facile manifeſtatur veritas illius antecedentis; conſervator enim neque judex eſt ordinarius, ſed delegatus; neque habet merum, et mixtum imperium, ſed ſimplicem juriſdictionem; neque eſt inſtitutus à Pontifice cum expreſſa facultate alium judicem ordinarium ſibi ſubrogandi; quinimo nec ſubdelegare poteſt vices ſuas, citationibus, et ſententiarum denuntiationibus, dumtaxat exceptis: conſequentia

ſequentia deſcendit cum morali evidentia; æque enim deſideratur in creatore notarii ordinaria juriſdictio, merum, et mixtum imperium cum facultate expreſſa ipſius principis, ut dignoſcatur principis eſſe ordinariam illam juriſdictionem, ſeu poteſtatem, qua pollet notarius, conſcribendi acta, et alia hujuſmodi peragendi jure proprio, et ratione ſui officii, eamque ab ipſo principe, tanquam à fonte omnis juriſdictionis ordinariæ, mediate, vel immediate, in ipſum derivari, Portug. de donat. regiis, l. 2. c. 12. Marant. loc. cit. et c. 1. § *Jud.* de pac. firma juſſibus feudorum, ubi gloſſ. et Bald. et gloſſ. in cap. *Ne prælat. vices ſuas*, &c.

Hæc omnia confirmantur ex ſæpe citata conſtitut. Bonif. VIII. in c. ultimo de offic. et poteſt. del. in 6. Si enim ibi Pontifex præſcribit conſervatoribus, ut circa munera, notarios, &c. ea omnia obſervent, quæ decreta ſunt in cap. *Statutum*, de reſcriptis, in 6. et in cap. *Quoniam*, de probat. ut ex gloſſ. ibid. deduximus; cur poſtea illic adeo earum coarctavit auctoritatem, ut ex iis actionibus ad officium notarii pertinentibus, quas in hoc ultimo cap. ſingillatim enumerat, *citationes* dumtaxat, et ſententiarum *denuntiationes*, quæ vere juriſdictionales non ſunt, ſed nudum continent miniſterium, Abb. in cap. *Paſt.* § *Item cum*, poſſe aliis committere indulſerit, non alia certe ratione, niſi quia ea deſtituuntur juriſdictione ſpeciali ordinaria, et voluntaria, quæ requiritur ad inſtituendam perſonam publicam, ut jure ſuo, et ratione officii, judicis acta fideliter conſcribat, teſtes recipiat, recuſationes admittat, &c. ideoque quoad hæc omnia jubentur adhibere aut notarium jam à principe, ſaltem mediate, inſtitutum, ſi habere poſſunt; vel duos viros idoneos, quorum fidem privatam lex communis jam æquiparavit fidei tabellionis publici?

Sect. II.

Exponuntur argumenta in contrarium.

XXV. Adverſus ea omnia, quæ diximus in antecedenti §, plurima adducuntur, quæ videntur probare hoc jus inſtituendi notarium, competere conſervatoribus ex variis titulis, deſumptis ab eminentia ſuæ dignitatis et juriſdictionis, à pluribus ſtatutis ſpecialibus, à privilegiis in jure expreſſis, et tandem à conſuetudine, vel præſcriptione.

1. Enim, attenta dignitate, conſervator, ut delegatus Pontificis, major eſt quocunque ordinario, cap. *Sane quia*, 2. de offic. deleg. cap. *Paſtor*, 11. § *Præterea*, de officio ordinarii: ita quidem, ut juſſus ordinarius ſententiam illius exequi, cogatur obſequi, etiamſi ſciat eſſe injuſtam, ex dicto cap. *Paſt.* quod ex Abbat. in cap. *Studuiſti*, 2. de offic. legati, extenduntur etiam ad legatum Sedis Apoſtolicæ, utpote ordinarium, ita ut neque hic queat reſiſtere violenter delegato principis præcipienti, vel volenti exequi ſententiam ſuam; ſed debeat precibus apud eum inſtare, ut reſcribatur principi, ſi ſententia appareat injuſta, ut eſt caſus expreſſus in cap. *Si quando*, 8. cod. de officio del. et in c. 24. de reſcript. ex quibus omnibus videtur, poſſe inferri, quod ſi ordinario competit facultas inſtituendi notarium, à fortiori competere debeat conſervatori juriſdictionem ſupra ordinarium habenti.

2. Attenta ejus juriſdictione, videtur habere merum, et mixtum imperium; poteſt enim exequi ſententiam ſuam, et impedientes ſuam juriſdictionem excommunicare, ut notat gloſſ. in l. *Si quis miſſus*, 3. ff. *Ne vis fiat ei*; et etiam eruitur ex ipſo cap. *Paſtor*, 11. ubi Abb. in 3. notand. de offic. ord. Bart. et DD. in l. à DD. Pio XV. in princ. ff. *de re judic.* quinimo poteſt brachium ſæculare implorare, ut etiam manu militari, et armata, ſententiam exequatur; Abb. in cap. *Signific.* 6. col. fin. ubi etiam Fel. de offic. deleg.

3. Attentis ſtatutis ſpecialibus, facultas prædicta videtur poſſe deduci ex cap. *Præterea*, de offic. et poteſt. jud. del. ubi loquendo de delegato à ſe inſtituto, ait Pontifex, *Satis poteſt noſtra auctoritate*; et infra, *plenariam recipit poteſtatem.* 2. Ex cap. *Statutum*, § *Notarium*, de reſcript. in 6. 3. Ex cap. *Quon. contra*, § *Statuimus*, de probat. 4. Ex cap. fin. de offic. et poteſt. jud. deleg. v. *Circa munera*, et v. *Vices quoque.* 5. Ex cap. *Paſtoral.* de offic. deleg. ubi citationis officium poteſt cuilibet diſcretione prævia demandare. 6. Ex c. *Sane*, c. *Paſtor*, et cap. *Suſp.* de officio deleg. ubi confirmatur quod in l. 2. ff. de juriſdictione omn. jud. et alibi ſtatutum eſt de jure communi, ſc. *Quod, conceſſa juriſdictione, conceduntur omnia, ſine quibus illa exerceri non poteſt.* Ex his enim omnibus DD. innumeri adjunctis deciſionibus Sacr. Congreg. inferunt, conſervatores poſſe, quoties his opus habent, aſſumere ſibi bene viſos, ut expreſſe Deluc. diſc. 4. n. 2. et ex illo Monac. in form. quia, ſc. mente concedentis, *veniunt omnia media, nedum ſimpliciter neceſſaria, verum etiam magis congruentia ad finem conſequendum.* Per. de man. reg. p. 1. præl. 2. graviſſimos pro ſe citat AA. pro quibus omnibus videntur ſufficere tum auctoritas Cancerii, p. 2. c. 2. de jur. omn. judic. ubi n. 6. ait—*Habens alicubi juriſdictionem civilem, poteſt creare, ſeu deputare notarium, ſeu curialem, hoc eſt, actorum judicialium ſcribam, quem ipſe voluerit*; ex cap. *Stat.* § *Notarium*, de reſcript. in 6. docet Emmanuel de Monte Oliveti in ſua practica reg. *de la inquiſ.* fol. 72. ubi dicit, notarios particulares, et temporales, ſecus generales, et perpetuos, creare poſſe, nedum à quolibet judice habente juriſdictionem ordinariam, ſed etiam à quolibet delegato, et in ſpecie à viſitatoribus religionum, Abb. in cap. *Cum p. tabel.* de fid. inſtr. et ibi Felin. q. 10. tum ea, quæ ex c. *Romana*, § *Si clerico*, in 6.

4. Hoc idem deducitur, attentis privilegiis in favorem conſervatorum hujuſmodi à Sancta Sede conceſſis, tum ſubdelegandi alium judicem, ut colligitur ex bull. Greg. XIII. *Æquum reputamus*, et Greg. XV. tum etiam creandi notarium in defectu alterius jam legitime inſtituti, ut patet ex alia bulla Greg. XIII. *Inſuper emin nti*, pro Indiarum terris in favorem Societatis Jeſu.

5. Denique idem probari poteſt ex titulo conſuetudinis, aut præſcriptionis, qua, teſte Canc. l. cit. n. 68. inductum eſt, quemlibet judicem, habentem alicubi unam aut alteram ex diverſis juriſdictionis ſpeciebus, poſſe actus juriſdictionis alterius ſpeciei exercere, ex quo etiam tit. cit. Emmanuel. à Monte Oliveti, loc. cit. lit. *B.* deducit, hoc jus in ſpecie creandi notarios competere nunc viſitatoribus, et aliis judicibus delegatis.

Sect. III.

Solutione prædictorum roboratur concluſio præmiſſa.

Inopem me hic facit dicendi copia; breviori tamen, qua fieri poterit, calamo, ſingula ſupradicta perſtringam.

XXVI. Quod primum, majoritas conſervatoris, utpote delegati Pontificis, non eſt reſpectu firmitatis; firmior enim eſt in omnibus ordinarii juriſdictio, ut ait Alex. et communiter DD. in rub. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd. archid. in c. *Si quis epiſ.* 2. q. 6. et Felinus in d. c. *Sane quia*, 2. de offic. deleg. ſed tantum reſpectu dignitatis, quatenus vicem delegantis gerit, ac Pontificis perſonam repræſentat; atque hoc etiam dumtaxat reſpectu negotii ſibi ſpecialiter commiſſi, ut omnes DD. inferunt ex juribus in contrarium productis. Licet autem per delegationem cenſeatur ablata ordinario poteſtas procedendi in cauſa conſervatori demandata, non tamen cenſetur abdicata facultas defendendi ſe, atque etiam ſubditum, à violentia ſibi inferenda. Hinc, licet vera ſint, quæ in argumento adducuntur, ſi ſententia delegati ſit injuſta, quia contra jus litigationis (ex quo non oritur nullitas) et, hoc non appellante, tranſivit jam in rem judicatam, in quo ſenſu loquuntur textus citati, et Abb. ibid. tamen, ſi ſententia fuerit injuſta, quia contra jus publicum, proindeque ipſo jure nulla, nedum ordinarius judex, verum etiam quilibet privatus, poterit indiſtincte, et *impune* reſiſtere, ut ad evidentiam probat Marant. qq. l. diſp. 1. an. 14. ſed quicquid ſit de hoc, male infertur ex præſumpta hac majoritate conſervatoris ſupra ordinarium facultas, quia hic jure ſpeciali donatur creandi notarium: *Quod enim alicui gratioſe conceditur, trahi non debet*

ab

ab aliis in exemplum, cap. 74. de regul. jur. in 6. et communiter juriſperiti in leg. *Non tantum*, ff. de re jud. *Gratiæ enim ſæpe uni, non alteri, conceduntur; et quæ à jure communi exorbitant, nunquam ſunt ad conſequentiam trahenda*, cap. 28. eodem.

Quoad ſecundum, jam ex prænotatis ſupra conſtat, merum, et mixtum imperium eas omnes cauſas complecti, quæ nobili expediuntur officio; ſimplicem vero juriſdictionem ad illas tantum extendi, quæ expediuntur officio judicis mercenario. Pro cujus intelligentia nobile officium DD. illud appellant, quod per ſe ſtat, hoc eſt, quod non ligatur actioni partis litigantis, ſed mera juris auctoritate exercetur, etiamſi nulla proponatur actio. Officium vero judicis mercenarii vocant, quod non exercetur, niſi ad partis inſtantiam habentis actionem in jure fundatam; propterea ita, et taliter, deſervit actioni tum proponendæ, ut in citationibus, &c. tum terminandæ, ut cum condemnatur in uſuris fructibus, &c. tum exequendæ ea, ſc. omnia, quæ ſpectant ad executionem, ut, ſi nulla moveatur actio, judicium nequeat inchoari, imo nec cœptum continuari, ſi partes mutuo conſenſu à lite deſiſtant, aut tranſigant, l. *Ædil.* 25. § 8. ff. de ædil. edict. Panorm. in c. 2. de offic. in 6. Bart. in l. 6. imper.

Hoc ſuppoſito, et bene inſpectis ex una parte iis omnibus, quæ pertinent ad omnes, et ſingulos gradus, tum meri, tum mixti imperii, tum ſimplicis juriſdictionis; et ex alia iis omnibus, quæ ex ſupradictis à jure ſtatuta ſunt circa materiam, et poteſtatem conſervatoris; facile erit definire non aliam ipſi principaliter eſſe juriſdictionem, quam ſimplicem; et omnia peragere, ut diximus, officio judicis mercenario; neque contra urget poteſtas, quæ donatur, excommunicandi, aut nonnulla alia faciendi ad merum, aut mixtum imperium pertinentia; nam una, aut alia ex hujuſmodi facultatibus ſpecialiter conceſſa, non probat juriſdictionem principaliter demandatam eſſe meri, et mixti imperii, quia ea reputantur tanquam quid cohærens juriſdictioni principaliter commiſſæ, et ad illius faciliorem executionem conceſſa, ut ait Barb. l. *Cum præt.* § fin. ff. de jud. n. 487. præcipue, quia plurima ſunt, quæ per diverſum reſpectum pertinent ad imperium, et ad ſimplicem juriſdictionem, prout eſt, ex. gr. tortura, quæ, ſi fiat ad pœnam, vel in criminalibus ad effectum eruendi veritatem, propter bonum publicum, pertinet ad merum imperium; illata vero in civilibus propter utilitatem privatam, quia, ſc. teſtes vacillant, eſt ſimplicis juriſdictionis. Ita etiam excommunicatio, ſi ex publica cauſa infligatur, eſt meri imperii; lata vero ad inſtantiam partis, eſt ſimplicis juriſdictionis, Panorm. ex cap. *Contingat*, de for. compet. gloſſ. in rubr. ff. de juriſdict. omn. jud. et DD. communiter.

Quod additur de jure, quo judex ſæcularis præcipitur impertiri brachium conſervatori petenti, verum eſt, ſed commune cuicunque judici delegato, etiam minimo, ut tenet Paris in tract. ſynd. in verb. *Sic brachium*, et habetur textus cum gloſſ. in cap. *Nec licuit*, 17. diſt. dummodo tamen, ut ait Oldrad. conſ. 89. circa finem, tunc invocetur, quando eccleſiaſticus judex prius fecerit quicquid potuit, et debuit, et non habeat ultra quid faciat; quia prædicta jura, et in ſpecie cap. *Cum non ab homine*, 10. de jud. ſemper dicunt, *ſi neceſſe, ſi opus fuerit*; ſi autem ex abrupto imploretur, non ſervato juris ordine, ut ſæpe fit ab hujuſmodi delegatis, ut ait Abb. in cap. *Quon.* 14. de offic. ord. in fin. vel caſus, ſuper quo invocatur, appareat injuſtus, non tenetur ſæcularis judex brachium impertiri; quinimo poteſt impune non parere, Oldrad. loc. citat. Marant. diſp. 1. n. 26. et Ang. in conſ. 231. ubi dicit; *Poſſe tunc judicem ſæcularem cognoſcere de nullitate ſententiæ, et ipſam non exequi*; *et, ſi appellatum ſit, etiam impune reſiſtere*; Inn. et Abb. in cap. *Si quando*, 8. ubi etiam Felin. de officio deleg. et Joan. Andr. in c. *Perniciosam*, 1. et ibi etiam Abb. in pen. col. de offic. ord. quæ omnia præcipue verificari debent in regno Luſitaniæ, ubi ex l. 1. ord. tt. 6. § 19. et l. 2. tt. 8. non conceditur prædictum auxilium, niſi à ſupremo ſenatu, inſpecto proceſſu, iiſque omnibus, quæ ad illum juxta juris ordinem requiruntur, rite perpenſis.

Dato tamen, et nunquam conceſſo, quod conſervatori concederetur pleniſſima illa, et omnimoda juriſdictio, quæ de facto committitur delegatis mandatariis, ad univerſitatem cauſarum deputatis, et ex qua Bart. loc. cit. ex leg. *Si in aliquam*, § *Cum pleniſſimam*, de offic. proconſ. et ex gloſſ. in Clem. 1. verb. *Omnimoda*, de for. comp. infert concedi illis merum, et mixtum imperium; quinimo dato, et non conceſſo, quod eſſet ordinaria ejus juriſdictio æque ac illa, qua gaudent legati à latere; quid inde? Si neque hi notarium creare poſſent, niſi expreſſe ipſis concederetur à jure, omnia poſſe in provincia ſibi decreta, quæ Summus Pontifex de potentia ordinaria ubique facere ſolet, Lonig. tt. 30. de offic. leg. § 6. n. 13. et cap. 3. et 4. ejuſdem tituli; et alii communiter; neque illis hoc idem permiſſum eſt, niſi expreſſe declaretur in ſuis reſcriptis, ſeu brevibus, ut videre eſt in uno eorundem, quod incipit, *Speculatores domus Iſrael*, ubi Clem. IX. epiſcopis Heliopolitano, et metropolitano, vicariis apoſtolicis ad univerſitatem cauſarum, in quibuſdam Sinarum regnis, et provincia, à Sancta Sede delegans inter alias plurimas, et extraordinarias, quas ibi recenſet, facultates, hanc quoque ibi, *Sex notarios apoſtolicos creandi, et inſtituendi*, impertitur.

Ex hactenus dictis facilis eſt interpretatio eorum omnium jurium, quæ n. 3. cumulantur; nam, exceptis cap. 1, 2. et ultimo de offic. et pot. jud. deleg. in 6. quæ conſervatorum materiam adæquate comprehendunt, juxta Trid. conſt. 9. Greg. XV. et declarationem Cong. Concil. ſupra citatas, alia omnia, quæ offeruntur, ſtatuta, intelligenda ſunt de delegatis mandatariis, aliiſque hujuſmodi, omnimodam habentibus juriſdictionem; ſecus de delegatis; adeo quoad omnia reſtrictis, ut ſunt conſervatores: ſed omiſſa etiam hac diſtinctione, quia de omnibus in præſenti currit eadem ratio:

Ad primum ex cap. *Præterea* deſumptum propter illa verba, *Satis poteſt noſtra auctoritate*, et *plenariam recipit poteſtatem*; ſiquid probaret, nimis probaret; probaret enim, Pontificem ſibi nihil reſervâſſe, et ſupremam poſſe abdicare poteſtatem, quod ex prænotatis ſupra falſiſſimum eſt; generalis enim conceſſio non comprehendit ea, quæ ſunt in ſpecie prohibita, neque ea, quæ difficiliter concedi ſolent, Cravet. conſ. 200. n. 6. et conſ. 387. n. 13. et conſ. 8. de reg. juris, qua ait; *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*, juxta l. *In obſcur.* ff. eodem.

Ad ſecundum deſumptum ex c. *Statutum*, de reſcript. in 6. dico, nihil aliud ex eo poſſe deduci in caſu præſenti conſervatoris, quam quod ibidem notat gloſſ. v. *Officium*, ſc. quod ſi ſcriptura facienda à notario extrajudicialis ſit (ut eſſe debet, ordinarie loquendo, quæcunque fit à notario conſervatoris) recurrendum eſt ad ordinarium loci, vel ad conſylem, tabellionem, ut juxta meritum cauſæ, conditionem perſonæ, et conſuetudinem loci, congruum illi præſcribatur ſalarium.

Quoad reliquos textus, qui videntur fundari in illo axiomate deſumpto ex l. 2. ff. de juriſdiction. omn. jud. reſponſio patet ex ſupradictis; quibus addo Bart. ſic eam legem interpretantem: *Cui juriſdictio eſt delegata, omnia mandari videntur, ſine quibus ipſa expediri non poteſt; dum tamen ea non ſint majoris juriſdictionis, quam quæ principaliter demandatur*; et clarius infra: *Dum tamen ſint ejuſdem ſpeciei, de juriſdictione; ſecus, ſi eſſent alterius ſpeciei, et de mero, et mixto imperio; nam tunc non videntur mandata.*

Ad id autem, quod additur de pluribus DD. qui conformiter ad repetitas Sacræ Congregationis deciſiones dicunt, poſſe conſervatores notarios, quoties his opus habent, aſſumere ſibi bene viſos, veriſſimum eſt; ſed quid inde? Nunquid *aſſumere, eligere*, et *deputare*, idem ſunt ac *inſtituere*, aut *creare?* Contrarium ad evidentiam demonſtrat ipſa verborum etymologia, quam jurium interpretes inveſtigare debent, priuſquam ad rerum manifeſtationem progrediantur; quia in materiis juridicis, etiam quæſtiones de nomine ſæpe ſunt maximi momenti, et ab eorum legitima interpretatione frequenter pendent reſolutiones graviſſimæ, Lonig. in tt. de verb. *Signification.* § 3.

Braun.

Braun. in ſua juriſprud. p. 1. cap. 1. § 1. n. 1. Jacob. Wex. de ſponſ. p. 1. § 1. neque contra hoc aliquid evincitur ex adducta Cancerii auctoritate; etenim, ſi nomine notarii, ſeu ſcribæ, intelligit perſonam privatam, quæ de mandato judicis poſſit acta conſcribere, quod ex ſupradictis toleratur pluribus in locis, de jure civili, et ipſe auctor videtur innuere infra, n. 63. dicens, *Creationem illius non eſſe actum juriſdictionalem*, cum talis inſtitutio non ſit revera *creatio*, quia remanet, ſicut antea, privata perſona, abuſive illic utitur verbo *Creare*; quod ſatis declaratur per ſubſequens verbum, ſeu *deputare*. Si vero dicatur loqui de perſona publica, jam ex dictis conſtat, eam ſive generalem, ſive particularem, creari non poſſe, niſi à principe, vel ab eo, cui talis facultas competat ex aliquo ex ſupradictis titulis: cum igitur Canc. ibi, n. 53. dicat, *Habentibus mixtum imperium competere omnimodam juriſdictionem civilem*; et n. 67. *Habentibus ſimplicem juriſdictionem, modicam tantum juriſdictionem civilem concedi*; et n. 61. *Deputationem notarii eſſe illius ſpeciei juriſdictionis, cujus eſt cauſa, in qua fit deputatio, dicendo, n. 6. judicem habentem alicubi juriſdictionem civilem, poſſe creare, ſeu deputare notarium*; ſub hac diſtinctione videtur affirmare, omnibus quidem hujuſmodi judicibus ordinariis competere ſuum habere notarium, ita tamen, ut, attenta conſuetudine regni Cataloniæ (juxta quam ſe loqui profitetur ab initio, n. 4.) judices ordinarii, habentes mixtum imperium cum omnimoda juriſdictione civili, poſſint illum creare; ii vero, quibus tantum competit juriſdictio ſimplex, et modica coercitio in cauſis, in quibus ordo judiciarius non obſervatur, poſſint ſolum deputare, ſeu ex jam inſtitutis unum pro alio, pro ſuo libito, aſſumere. Sed quicquid ſit de mente hujus auctoris;

XXVII. Præveniendo ea, quæ ultimo loco opponuntur ex titulo conſuetudinis, atque præſcriptionis, quicquid ſit de jure civili; ut conſuetudo deroget juri ſcripto canonico, debet eſſe legitime præſcripta, cap. fin. de conſuet. et cap. 3. eod. in 6. ideoque præter conditiones, quæ requiruntur ad legitimandam conſuetudinem, ea etiam deſiderantur, quæ requiruntur ad præſcribendum contra jura Pontificia, quæ omnia, cum in caſu deficiant, ut patebit conſideranti ea omnia, quæ ſapientiſſime congerit illuſtriſſimus, ac reverendiſſimus primas Goanus in ſuo tractatu, et præcipue varias, quæ ſuper hoc emanârunt, declarationes Sacrarum Congregationum, ex quibus DD. hoc unum inferunt, conſervatorem non amplius teneri, ſicuti olim, aſciſcere notarium fori epiſcopalis, ſed poſſe pro libito aſſumere quemcunque ſibi bene viſum, nihil ex hoc capite poterit evinci.

Ad auctoritatem patris Emmanuelis de Monte Oliveto, et ad textus, in quibus ipſe fundatur, hoc unum addo, petendo, an ejus doctrina extendatur ad conſervatorem, ut judicem ordinarium; vel ad illum, ut delegatum? Si primum, quare Greg. XIII. in bulla conſervatoria, *In ſupereminenti*, dat hanc facultatem creandi notarium dumtaxat, in defectu alterius jam à legitima poteſtate inſtituti? Si ſecundum, oportet exhibere privilegium, quo expreſſe illis committatur à Pontifice talis facultas, quemadmodum exhibere illud poſſunt generales religionum ad probandam eam, quam habent creandi notarium, eandemque communicandi ſuis viſitatoribus, aliiſque delegatis: juriſdictio enim, quæ, licet ex privilegio competat, non perſonæ, ſed dignitati annexa eſt, et ex officio exercetur, ordinaria eſt, non delegata, et in futurum prælatum cum dignitate tranſit; ideoque poteſt delegari, Lonig. de offic. et poteſt. jud. deleg. § 5. n. 20. et cap. 15. et fin. de offic. ord. Sancheſ. l. 2. de matr. diſ. 40. n. 14. Gonſal. in d. c. f. n. 4. et 5. Duard. &c.

Quoad quartum; Dato etiam, quod facultas ſubdelegandi, aut inſtituendi alium judicem delegatum, eſſet major, quam facultas creandi notarium, non ideo ex conceſſione illius privilegii argui poſſet conceſſio iſtius; non enim ſuffragatur in caſu illa regula juris, *Cui licet quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus*, ex cap. 53. de reg. jur. in 6. quia ad veritatem illius, quæ fundatur in alia dicente, *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*, c. 31. cod. plures deſiderantur conditiones; quarum prima eſt, ſi aliter non conſtet de voluntate diſponentis, ex l. *A nulla*, ex l. *Ab omn.* ff. de legation. Secunda eſt, ſi diverſitas non ſit in ſpeciebus; cui enim, ex. gr. conceditur merum imperium, quod eſt plus, non videtur conceſſa cognitio cauſarum civilium, licet ſit quid minus, ex l. *Minus*, ff. de jud. quia, ſc. non ſe habet ad modum inconcludentis, et incluſi, quod neceſſarium eſt ad verificandum dictas regulas: cum igitur facultas creandi notarium ſit talis naturæ, ut ſemper reſervata præſumatur, quoties à principe expreſſe non conceditur, et inſuper non includatur modo dicto in facultate ſubdelegandi (judex enim neque poteſt concedere notario, et per ipſum exercere, quod ſibi proprium eſt, quemadmodum agit delegando, aut ſubdelegando; neque habet ipſe poſſe exercere quod proprium eſt notarii, ut certum eſt); evidenter ſequitur, privilegium hoc non poſſe ex conceſſione illius deduci.

Pari lance diſcurrendum eſt de privilegio à Greg. XIII. in cit. bull. *In ſupereminenti*, conceſſo ſub his terminis; ibi: *Clericos, ſeu laicos, in notarios ſibi in defectu aliorum, apoſtolica vel alia legitima auctoritatibus, notariorum, conſtituere et deputare valeant:* imo, ex hoc evidenter deducitur, quod deſiderari poterat pro coronide iſtius concluſionis, ſeu controverſiæ: quod ſic oſtendo: 1. Quia dictum privilegium inconcuſſam relinquit generalem illam juris diſpoſitionem, qua conſervator ex c. *Quon.* de probat. præcipitur adhibere perſonam publicam, jam à legitima auctoritate inſtitutam; et in eo ſolum derogat huic conſtitutioni, quod non teneatur duos viros idoneos aſſumere, ſed poſſit notarium creando adhibere. 2. Quia ex hoc privilegio evidenter probatur non alium de facto adeſſe titulum in jure ſcripto fundatum, ex quo talis facultas poſſit conſervatori adjudicari: ſi enim adeſſet, aut fruſtra concederetur dictum privilegium, aut per hæc cenſeretur ablata ea, quæ ex dicto titulo præſumpto concederetur, facultas creandi notarium, etiamſi alii haberi poſſent ab alia legitima auctoritate inſtituti, quia ſolum in defectu ipſorum poſſet nunc conſervator notarium inſtituere, ſeu creare.

CAP. III.

An judex conſervator, expreſſam habens facultatem creandi notarium, poſſit ea uti, antequam ſuam probet juriſdictionem literis commiſſionis coram ordinario exhibitis.

XXVIII. IN omnibus officiis, et dignitatibus, quæ annexam habent juriſdictionem, ſolo dumtaxat excepto Pontifice, qui ſtatim, ac canonice electus eſt, plenam, et expeditam recipit juriſdictionem, ut in confeſſo eſt apud omnes, de jure communi actualis requiritur poſſeſſionis apprehenſio, ut eorum adipiſcatur miniſterium, ut ex cap. *Statuimus*, de major. et obed. deducit Solorſ. de Ind. gubern. l. 4. cap. 4. n. 36. Illa enim præciſa, non habet jus quæſitum in officio, idem loc. cit. cap. 11. n. 21. ex Caſtill. et Vincent. de Trang. ſed ad ſummum, in habitu, juriſdictionem, ſc. ſine effectu juriſdictionis, ut gloſſ. in l. *Privatorum*, cod. de juriſdictione; et Bart. in leg. *Ex uno*, 43. ff. de milit. teſtam. cum autem dicta poſſeſſio dari nequeat electo, niſi hic proviſionis ſuæ titulum originalem, aut ejus tranſumptum authenticum præſentaverit, ut docet textus, et gloſſ. in l. fin. de conſul. l. 12. ibi, *Præſentatis titulis*, Abb. in cap. *In noſtra*, de reſcript. ubi ait, quod licet gratia epiſcopatus ex ſolo verbo *Fiat* Pontificis perficiatur, male tamen faciet capitulum illum recipiendo in prælatum, niſi oſtendat titulum, ſeu literas ſuæ dignitatis, Fel. Rebuf. Boer. quos citat, et ſequitur Solorſ. loc. citat. cap. 4. n. 38. manifeſte ſequitur nihil prodeſſe poſſe reſcriptum, quoad exercitium juriſdictionis receptæ, ſine præſentatione, ut idem docet cap. 11. n. 20. ex Bald. Hipp. et aliis, quia, ſc. intentio Summi Pontificis ſuſpenditur, donec fiat præſentatio literarum.

Si hæc vera ſunt quoad omnes judices ordinarios, potiore jure procedunt in judice delegato, cap. *Paſt.* de reſcriptis, Bald. in l. *Falſ.* cod. de furt. ſed præcipue in conſervatoribus, qui non habent juriſdictionem in jure expreſſam, ut ait Gonſal. in cap. *Cum*

in jure, 31. de offic. et poteſt. jud. deleg. 3. n. hi enim ſpecialiter jubentur ante omnia ſuam probare juriſdictionem literis commiſſionis coram ordinario exhibitis, ex capite *Cum conting.* 24. de reſcript. cap. 2. *de dilat.* c. *Cum à nobis*, 28. de teſtibus, et aliis pluribus, quos citat Gonſal. loc. citato, n. 1. juncta conſt. 9. Greg. XV. § 7. et bulla noviſſima Benedicti XIII. *In ſupremo*, § 26. cum enim in quolibet territorio præſumptio ſit pro ordinario, cap. *Sicut*, de re judicata; nullus alius ibi creditur judex, niſi probetur; partim quia ceſſat præſumptio poteſtatis, quæ hujuſmodi conſervatoribus diverſimode concedi ſolet; partim quia conſervatorem eſſe, cum hac, vel illa facultate, aliquid facti eſt, quod homini à natura non ineſt, ſed poteſt uni, vel alteri competere; ideoque non præſumitur, niſi probetur; l. *Quæcunque*, 13. § ultimo, ff. de public. Menoch. l. 2. de præſumpt, præſumpt. 14. Mantica de conject. tt. n. 14.

Itaque, cum notarii inſtitutio ſit actus juriſdictionalis, et quidem perfectiſſimus, vi cujus in hominem privatum derivatur à principe poteſtas publica perpetuandi fidem actorum ex officio, manifeſte ſequitur, non poſſe conſervatorem in talem actum irrumpere ante præſentationem ſuarum literarum, etiamſi per illas, aut aliter, talem poſſet probare facultatem.

XXIX. Neque dicas, prædicta ſolum verificari de actibus juriſdictionis contentioſæ, ſecus autem de his, quæ ſunt juriſdictionis voluntariæ, prout eſt creatio notarii; ſiquidem voluntaria juriſdictio hoc ſpeciale habet, quod nedum extra territorium valide, et quandoque licite prorogari poſſit, Arg. l. 36. § 1. ff. de adopt. et l. 2. ff. de offic. proconſ. et cap. *Novit*, de officio legat. verum etiam exerceri ante præſentationem literarum, ut patet ex legatis à latere, qui etiam ante ingreſſum provinciæ ſibi deputatæ, ubique poſſunt notarios apoſtolicos creare, Cirin. cap. 5. n. 22. ubi citat Rott. Roman. recenſ. dec. 69. coram Cocc. p. 4.

Nam quod aſſeritur de prorogat. voluntariæ juriſdictionis, procedit in judice ordinario, qui jam habet jus quæſitum in officio, et circa illos actus juriſdictionis voluntariæ, qui illi competunt de jure communi; ſecus autem, ſi ſermo ſit de judice delegato, non adhuc ad exercitium ſuæ juriſdictionis expedito, Bart. l. *Si is, qui*, n. 8. in fin. de uſuc. ut ibi expendit Ruy. n. 28. aut ſi agatur de facultate, quæ de jur. communi præſumitur reſervata principi, Barb. ad l. 1. ff. de jud. art. 1. n. 198. ex cap. *Statutus*, de præb. in 6. tunc enim ſuccedit regula, *quod, in reſervatis principi, non admittitur prorogatio abſque principis licentia*, Barb. ibid. n. 202. ex c. *Per venerab.* § *Inſuper*, qui filii ſint legit. Ruy. conſ. 66. n. 3. et 8. l. 2.

Neque quid urget exemplum legatorum à latere; hi enim ordinariam habent juriſdictionem in jure fundatam, cap. 2. de officio legat. in 6. ubi cum in omnibus æquiparentur proconſulibus, ibi ad inſtar proconſulum ordinarios reputantes, ſicuti hi ſtatim ac ab urbe egreſſi ſunt, expeditam habent juriſdictionem voluntariam ex l. *Vero*, et ſeq. ff. de offic. proconſ. ita illis hoc idem competit, ut bene not. Alt. et Duard. in can. 12. bullæ Cœnæ; ita tamen ut in provincia ſibi decreta, ſi cardinales non ſint, neque contentioſam, neque voluntariam exercere permittantur, niſi poſt literarum exhibitionem; imo quoad creationem magiſtratus, aut officialium, neque, facta dicta exhibitione literarum, poſſe hoc ubique peragere, contradicente epiſcopo, aut archiepiſcopo, ut deciſum teſtatur Peg. de compet. p. 2. c. 120. quia licet judices ſint ordinarii, et quandoque majorem habeant poteſtatem, quam ipſi ordinarii epiſcopi, et archiepiſcopi; non ſunt tamen naturales, ſed odioſi, et ſuperinducti, in præjudicium ordinariorum, Garc. de benef. 5. p. c. 3. n. 9. Gonſ. in dict. cap. 31. de offic. et poteſtate jud. del. n. 5. proindeque ipſi etiam literas ſuæ legationis prius, et ante omnia, exhibere tenentur, ut communis eſt DD. opinio; ſi vero cardinales ſint, quamvis probabilior ſententia doceat, eos ob eminentiam cardinalitiæ dignitatis non alia indigere probatione, ut immediate poſſint in provincia ſibi decreta exercere ea, quæ de jure communi legatis hujuſmodi ſunt conceſſa, tamen ſi illis extraordinaria quædam ſint à Summo Pontifice ſpecialiter commiſſa, quoad hæc, neque ipſis fides eſt adhibenda, donec talem commiſſionem legitime probaverint, maxime ſi involvatur præjudicium tertii; nam quoad illa omnia, quæ, etiam reſpectu legatorum, ſibi reſervat Pontifex ad oſtenſionem ſuæ ſupremæ poteſtatis, ceſſat præſumptio legationis eo ipſo, quod ordinarie concedi non ſoleant, Lonig. leg. § 3. n. 5. Fagn. ad cap. *Cum in jure*, de officio del. n. 42. et 45. et DD. communiter.

Cum ergo conſervator ex dictis adeo diſtet à poteſtate et dignitate legatorum hujuſmodi, et in hypotheſi, quod haberet facultatem creandi notarium, non illi competeret de jure communi, ſed ex privilegio, quod quidem præjudiciale eſſet, tum ordinario habenti ex jure ſpeciali jus privativum erigendi tribunal in ſuo territorio, et inſtituendi officia ad illud pertinentia, ut certum eſt ex Trid. Rignat. et aliis pluribus DD. tum etiam notariis ab ipſo ordinario jam in curia inſtitutis; his enim neque princeps per legem generalem jus quæſitum auferre poteſt, Salg. de protect. reg. p. 3. c. 10. n. 92. et ideo unum, aut alterum, ſupra determinatum eorum numerum creando, tenetur ipſe princeps detrimentum, quod ex eo aliis officialibus provenit, reſarcire, Portug. de donat. reg. lib. 2. cap. 13. n. 9. ex c. fin. de jurejur. et leg. *Nam et Servius*, 22. ubi gloſſ. et DD. ff. de negot. geſt. ſatis aperte evincitur, nullam irritamque eſſe creationem notarii, ſicut et alia omnia per conſervatorem geſta ante literarum præſentationem, neque per hanc exinde poſſe illa convalidari, Cir. cap. 25. n. 95. ex Lap. alleg. 81. n. 6. Trid. de Sen. in conſ. 24. et Ventrigl. prax. annot. 38. § unic. de delegat. App. t. 1. n. 1.

Ex hactenus dictis in hoc, et ſuperioribus paragraphis circa caſum præſentis controverſiæ, inferendum eſt cum morali evidentia, illuſtriſſimum Malacenſem (ſuppoſita etiam undiquaque legitima in conſervatorem deputatione) juriſdictionis ſibi à Sancta Sede delegatæ cancellos pluries prætervolâſſe, proindeque inſanabiliter peccâſſe, tum quoad ſubſtantiam, uſurpando nempe ſibi facultatem creandi notarium, quæ, attento jure communi, ſoli principi reſervata eſt; de jure vero ſpeciali, ſoli ordinario præſumitur conceſſa; tum quoad modum, illam, ſc. exercendo ante præſcriptam literarum præſentationem, et inſuper præcipiendo patri Blaſio à Sylva, ut contra repetita mandata illuſtriſſimi ac reverendiſſimi archiepiſcopi Goani, cui ille, ſaltem titulo originis, atque beneficii, ſeu patrimonii, ſubjectus eſt, officium notarii ſibi creditum exequeretur, prout conſtat ex ipſiſmet literis dein præſentatis, ubi illuſtriſſimus Malacenſis poſt acceptationem conſervatorii muneris, prædicta omnia ſic exprimit: *Pro notario nominamus patrem Blaſium à Sylva ſecretarium noſtrum, cui præcipimus fideliter ſub Sancti Evangelii juramento officium ſibi creditum peragere. Goa, die prima Auguſti anni Domini* 1731. *Fr. Emmanuel à Sancto Antonio, epiſcopus Malac.*

CAP. IV.

An, facta exhibitione reſcripti conſervatorii, de ſupradictis nullitatibus, et exceſſibus, notorie ſuſpecti, poſſit ordinarius illius impediendo executionem, illico conſervatorem inhibere, ab officio ſuſpendere, aliaſque cenſuras monendo comminari, atque etiam infligere.

XXX. LIteras quaſcunque apoſtolicas, ſive gratiam, ſive juſtitiam continentes, necnon inſcripta Pontificia à quocunque Sedis Apoſtolicæ legato, vel delegato, principi, aut magiſtratui ſæculari exhibita, non poſſe ab hoc auctoritate propria laicali (præciſo ſpeciali et expreſſo Papæ privilegio) quomodolibet impediri, ne publicentur, referantur, aut executioni mandentur, neque cum dubitatur de eorum ſurreptione, aut falſitate, aut gravamine, tanquam certum, et communiori doctorum calculo firmatum ſuppono, ex can. 13. et 14. in bulla Cœnæ Domini: quanquam enim (de his ultimis ſpeciatim loquendo) legati, aut delegati, non prius juriſdictione ſua uti incipere queant, quam legationis ſuæ, ſuarumque facultatum codicillos apud præſidem provinciæ ſibi decretæ publice intimaverint (nunquam enim, ut ſupra diximus, Apoſtolicæ Sedis

Sedis moris fuit abſque ſignatis apicibus undecunque legationem ſuſcipere, cap. *Nobiliſſ.* 97. diſt. cap. *Lectis*, 63. diſt. l. *Prohibitum*, c. *de jur. fiſc.* l. 10. ubi Bart. et DD. communiter); hæc tamen literarum exhibitio non præſcribitur facienda magiſtratui ſæculari, tanquam judici, ita ut poſſit hic, cum ambigitur, cognoſcere, aut earum executionem impedire, Duard. comment. in bulla Cœnæ Domini, l. 2. in can. 13. q. 5. n. 5. Ant. de Souſ. diſp. 75. Filiuc. Reginal. Peſant. Acoſt. et Bonac. de leg. diſp. 1. quæſt. 14. punct. 2. n. 19. et 20. (hoc enim ſolum illi permittitur, quando, ſi ſuum illæ ſortiantur effectum, periculum ſit in mora gravis damni, et non pateat aditus ad judicem eccleſiaſticum, Bonac. loc. cit. n. 21. Ant. de Souſ. diſp. 76. n. 2. Duard. loc. cit. et alii); ſed ſolum ut poſſit excipere apud competentem judicem eccleſiaſticum, epiſcopum, ſc. archiepiſcopum, primatem, aut nuntium apoſtolicum, juxta diverſitatem circumſtantiarum, vel etiam coram eo, juris ordine ſervato, ad Romanum Pontificem appellare, et ſupplices illi libellos offerre; tuncque interim judex ille eccleſiaſticus impedire poteſt, ne literæ apoſtolicæ executioni demandentur, Duard. loc. cit. ubi circa finem addit, non ideo prohiberi principes, aut magiſtratus ſæculares examinare reſcripta apoſtolica, ſibi exhibita, ſed ſolum ne interdicant, aut quovis titulo retardent eorum executionem; proindeque licere adhuc ipſis ſubſcribere *Placet*, *Fiat*, *Exequatur*, ut major auctoritas, et facilior fides, illis à populo adhibeatur, Alt. diſp. 14. cap. 2. col. 3. verſ. not. 2. Ant. de Souſ. loc. cit. n. 2. Bonac. diſp. 1. q. 14. p. 2. n. 25. et 26. ubi citat Abb. et Alex.

Ad judices ergo eccleſiaſticos pertinet examinare, diſcutere, atque etiam impedire, et ſequeſtrare, ſi opus ſit, reſcripta etiam apoſtolica, illa, ſcilicet, quæ immediate ab ipſo Pontifice expediuntur, cum dubitatur de aliqua ſubſcriptione, nullitate, aut gravamine, ex cap. *Conſtitutis*, de reſcript. Panorm. in cap. *de cæt.* extra, eodem tt. Peg. de comp. p. 1. cap. 43. an. 5. uſque in fin. ubi alios plures textus allegat, et DD. Quare, cum conſervatores ex dictis expeditum non habeant juriſdictionis exercitium, niſi purificata conditione, qua jubentur ſuas literas exhibere ordinario, eorumque literæ, utpote quæ ab ipſo Pontifice immediate non expediuntur, revera apoſtolicæ non ſint; proindeque majoribus obnoxiæ ſint fallendi periculis propter revocationem, et irritationem earum omnium, quæ antiquitus in vim privilegiorum fiebant, conſtit. 9. Greg. XV. facta dicta exhibitione ad ipſum ordinarium tanquam judicem ſimul, et partem (quia, ſc. ſaltem indirecte, ſemper illi opponuntur, et derogant) ſpectat eas medullitus pervadere, et non aliter expediendo ſubſcribere, ut mos eſt, *Compleatur*, aut *Regiſtretur*, niſi certo conſtet, eas minime adverſari prædictæ conſtitutioni Greg. aliiſque canonicis ſanctionibus.

His ſuppoſitis, quid agere poterat, aut debuit, illuſtriſſimus ac reverendiſſimus archiepiſcopus Goanus, cum, inſpectis literis ab illuſtriſſimo Malacenſi ſibi exhibitis, de realitate dictarum omnium, aliarumque nullitatum, atque exceſſuum, potuit adeo rationabiliter ſuſpicari?

XXXI. Cum diſtinctione procedendum eſt: ſi enim non alii occurrunt defectus præter illos, quos illuſtriſſimus dominus deduxit ex parte materiæ, aut formæ ſupradicti reſcripti ob bonum pacis, et in obſequium illuſtriſſimæ, atque adeo benemeritæ Societatis Jeſu, optimum fuiſſet eorum aliquos diſſimulare benigne, ut moderaretur reſcriptum in iis, quæ de jure canonico deſiderantur pro certo ejuſdem valore; minime tamen poterat reſpuere eum, quem ſupra expendimus, ne anſam præberet omnibus credendi veras fuiſſe injurias et violentias illas, quæ, tanquam notoriæ, et manifeſtæ, ſibi falſo imputabantur; cumque illuſtriſſimus conſervator electus in examine hujus qualitatis, quæ à jure requiritur in cauſis ſibi demandatis, non ſatis attente proceſſerit, valide ſine dubio illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus potuit illum inhibere, ut ſiqua juriſdictio illi adhuc ex illa electione probabiliter derivaretur, ſuſpenſa remaneret, et nullam ſibi afferre poſſet detrimentum.

Hoc eodem ſaltem remedio indigebat altera ex demonſtratis nullitatibus deſumpta ex titulo ſuſpicionis. Nam, ſi illuſtriſſima dominatio ſua benignitate ducta conſenſiſſet in executionem dictarum literarum, videretur renuntiaſſe recuſationi jam olim contra ipſum electum formiter propoſitæ, et adhuc in judicio pendenti, Abb. in cap. *Intr. monaſterium*, 20. in 3. not. de ſent. et re judicat. Alex. in l. *Quia poterat*, 4. ff. ad Trebell. quos cit. et ſequitur Marant. ſpec. aur. p. 4. diſt. 16. n. 4. et p. 6. de appellat. n. 76. ſicque prorogâſſet ſuam juriſdictionem, et nequiret eum amplius repudiare, Lonig. l. 2. tt. 25. de exceptione, n. 15. Bart. in l. 19. cap. de probat. Panorm. in cap. 12. de except. n. 12. Cum vero ſuper ea recuſatione nondum adhuc pronuntiatum ſit ex defectu arbitri, aut arbitratoris, quem illuſtriſſimus recuſatus hactenus noluit nominare, ſi denuo ex eodem titulo exceptus fuiſſet, ſe nulliter exceptum, et recuſatum pronuntiaſſet, ut ſæpe publice teſtatus eſt, et tanquam judex in propria cauſa, ut modo fecit, licet etiam ſuſpenſus cum majori perturbationum periculo proceſſit, quod tamen nemini permiſſum eſt circa exceptiones, quæ ſtatum, aut perſonam judicis concernunt, Bart. in l. *Quidam*, n. 7. ff. de re judic. et præcipue ſuper cauſis ſuſpicionum, ex cap. 49. de offic. delegat. ubi gloſſ. cap. 2. eod. in 6. quia, ſc. ſuper iliis ſolum ſuperior, aut arbitri definire poſſunt, Lonig. tt. de ap. p. 2. § 6. Gail. l. 1. obſerv. 34. et Panorm. in cap. ſuper literis, 20. n. 10. de reſcript.

XXXII. Aliud ergo remedium magis efficax requirebatur, ut illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus ſuæ conſuleret incolumitati: neque quoad hoc punctum, attentis circumſtantiis, ſuavius adinveniri poterat prædicta inhibitione; hæc enim, præterquam quod inducta eſt à lege ad juriſdictionem, et jura, et ad pacem præſertim conſervandam, ut ait Duard. in can. 13. bullæ Cœnæ Domini, q. 1. n. 3. etiam judici laico à jure permiſſa eſt, quando nempe conſervator illius juriſdictionem impedire tentaverit, Cirin. cap. 6. n. 31. ex l. *Conſulta*, cap. *de teſtam.* plurimos citans DD. et inter eos Navar. Covar. Seſſ. Choler. quinimo, ſi immoderate excedat, contra ipſum procedere poteſt ſæculare imperium, uſque ad pignorum capturam, et fructuum ſequeſtrationem, Choler. de juriſdict. ordin. in exempt. p. 1. q. 39. n. 34. ubi citat Caſſaneum, et Wenſebec.

Ex hac eadem doctrina infertur, quid tandem dicendum ſit inſpectis exceſſibus, queis illuſtriſſimus Malacenſis notarium creando, nedum quoad ſubſtantiam, verum etiam quoad modum, ſuæ juriſdictionis lares pertranſiit, non inconſiderate, ſed ſcienter, imo pluries, et juridice contradicente illuſtriſſimo archiepiſcopo, quod ſolum (aliis omnibus præciſis) irritam, contumacem, et notorie injurioſam redderat prædictam creationem, ut ſatis evincitur ex ſupradicta declaratione, qua, teſtantibus Tondut. et Franceſ. ut refert Peg. de compet. p. 2. cap. 120. deciſum eſt, nullam fuiſſe creationem unius officii, atque protonotariorum factam ab illuſtriſſimo nuntio Luſitaniæ, in epiſcopatu Portuenſi, anno 1671. quia, ſc. (ni fallor) neque legatus à latere, aut miſſus in provincia ſibi deputata, talem poteſt exercere juriſdictionem voluntariam, niſi ubi ſuum erexerit tribunal, vel ubi perſonaliter fuerit, non contradicente ordinario.

Inſpectis itaque prædictis exceſſibus, necnon iis, qui exinde ſequuntur, effectibus, perturbandi, ſc. juriſdictionem ordinariam, lædendi jus quæſitum officialium, jam ab ipſo ordinario loci legitime inſtitutorum, et, quod majus eſt, irridendi inhibitionem à judice competente jam ſibi ſuper hoc ipſum canonice factam; hoc enim agens judex inferior, qualis eſt, tum quilibet delegatus delinquens reſpectu cujuſcunque ordinarii, quia *exemptus turbando, et offendendo judicem competentem, dicitur illius juriſdictionem prorogare*, Deluc. de juriſdict. diſcurſ. 29. n. 4. tum quilibet ſuffraganeus reſpectu ſui metropolitani, præcipue ſi hic fuerit primas, qui ſolo nomine differt à patriarcha, Lonig. titul. 31. § 4. n. 1. de offic. jud. ordin. Azor. et alii, adverſarium ſimul, *et judicem ſuperiorem offendit, et gravius peccat*, Seſſe de inhibit. cap. 44. n. 11. *Quia inhibitio, ſive juſta, ſive injuſta, ſemper timenda, et obedienda eſt*, Ciarlin. forenſ. tom. 2. cap. 125. Lancelot. Salg. Otthobom. Merlin. Caval. et

et alii, quos citat, et ſequitur Peg. loc. citato, c. 56. n. 4. manifeſte evincitur, ſolam inhibitionem, quæ fuerat ſatis, attentis nullitabus ſupra recenſitis, non fuiſſe ſatis in caſu præſenti pro reſarciendis tam notoriis damnis, et pro evitandis majoribus, quæ, experientia magiſtra, certo timebantur futura.

Ecquid enim? Nunquid omnia hæc impune præterire poterat illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus Goanus? Clamant jura in contrarium; ubique ſtrepebant intus timores, foris pugnæ; et extra dubium eſt, quod, ſi conſervator excedat (etiamſi exceſſus minime offendat perſonam, aut juriſdictionem ordinarii) illum punire poteſt ordinarius loci, quia delinquit in ejus territorio, Per. de man. regia, c. 7. n. 6. ex cap. 2. de offic. deleg. Cirin. cap. 6. n. 30. ubi alios plurimos citat AA. clariſſimos: qua ergo pœna puniendus erat, qui ſui judicis, qua ordinarii, qua etiam delegati, juriſdictionem, majeſtatem, et præcepta (ut cætera ſileam, quæ perſonam afficiunt) tam notorie læſerat?

XXXIII. *Tenentur judices eccleſiaſtici, ſi criminalibus certæ pœnæ à jure, vel à conſuetudine, ſtatutæ ſunt, eas ſequi*; neque poſſunt de via ordinaria recedere, Lonig. tt. 37. § 5. n. 4. cap. *de cauſis*, 4. de offic. deleg. cap. 1. de conſt. cap. 1. de ſent. et re judicata, niſi occurrant cauſæ rationabiles eas moderandi, quas prolixe exponit Julius Clar. 5. ſentent. § final. quæſt. 60. et Tiraquel. in tract. de pœnis temperandis. Certum autem eſt conſervatori culpabiliter excedenti limites ſuæ juriſdictionis, impoſitam eſſe à jure pœnam ſuſpenſionis ab officio per annum, cap. ult. de offic. deleg. et conſt. 9. Greg. XV. Si vero exceſſus ſit uſurpativus, aut perturbativus eccleſiaſticæ juriſdictionis ordinarii, ſubjicitur excommunicationi à jure latæ in bulla Cœnæ Domini, can. 17. atque etiam in can. 14. ſi dictus exceſſus involvat poſitivum contemptum inhibitoriæ à judice eccleſiaſtico competente illatæ; nam docet Duard. in eundem can. quæſt. 13. concluſione 3. n. 10. nedum illam pœnam afficere impedientes executionem literarum apoſtolicarum, verum etiam impedientes executionem literarum aliorum judicum eccleſiaſticorum, etiamſi hi apoſtolici non ſint; certum autem eſt in dicto canone, et antecedenti, recenſeri inter prædictas literas, etiam inhibitorias; ibi: *Inhibitiones, aut alias literas*, &c.

Cum ergo illuſtriſſimus Malacenſis exercendo prædicta ante literarum exhibitionem juriſdictionis ſuæ cancellos prætergreſſus ſit, cum acceptando literas conſervatorias de nullitate ſuſpectas, contemnendo recuſationem legitime contra ſe præpoſitam, et adhuc in judicio pendentem, præcipiendo patri Blaſio à Sylva, ut, contra repetita ſui judicis ordinarii præcepta, officium ſibi creditum exequeretur, juriſdictionem illuſtriſſimi præſulis Goani verbo, ſcripto, et facto, impediverit, offenderit, atque perturbaverit; cum denique creando, ut ſupra, prædictum notarium, ſibi uſurpaverit juriſdictionem eccleſiaſticam, non qualemcunque, quod tamen ſufficeret ad contrahendam excommunicationem dicti canonis 17. ut tenent Soar. Ugol. et Duard. loc. citato, 1. concluſ. n. 13. ſed perfectiſſimam, ad primum meri gradum imperii pertinentem; proindeque de jure communi ad ſupremam, et principalem Pontificis poteſtatem reſervatam, et de jure ſpeciali quibuſdam dumtaxat, et ordinariis præcipue locorum privative conceſſam, ut abunde ſupra demonſtratum eſt, cum morali, ni fallor, evidentia:

Concludendum eſt,

XXXIV. 1. Illuſtriſſimum ac reverendiſſimum primatem, ſupradictis omnibus ſimpliciter inſpectis, potuiſſe ſine dubio declarare illuſtriſſimum conſervatorem electum incurſum in prædictas cenſuras à jure latas, imo etiam novo earundem mucrone à ſe, tanquam à judice facto, ipſum iterato ferire.

XXXV. 2. Attenta notorietate prædictorum exceſſuum, potuiſſe modo dicto, *vim vi repellendo*, illum ex abrupto punire.

XXXVI. 3. Prudentiſſime de facto temperâſſe hujuſmodi pœnas, ipſum dumtaxat inhibendo, ac ſuſpendendo, excommunicationem vero monitionibus præviis comminando.

XXXVII. 4. Denique, inſpecta ipſius contumacia, juſte, et valide, et ex omni parte legitime, ipſum excommunicâſſe.

Ne nimium protrahatur diſcurſus, non immoror, ut par eſſet, in exponendis omnibus et ſingulis prædictarum concluſionum partibus; quod enim ad fundandam juriſdictionem illuſtriſſimi præſulis Goani deſiderari poterat à jure, jam ex hactenus dictis manifeſte deducitur; et ſiquæ ſunt ex adductis in contrarium argumentis, quæ earum veritatem infirmare viderentur, jam abunde confutata ſunt in eruditiſſimo, ac ſæpe laudato tractatu ſub nomine promotoris eccleſiaſtici edito: unum tamen aut alterum ex fundamentis ibi propoſitis indicando potius, quam enucleando, breviſſime hic proſequar. Hinc——

Quoad primam concluſionem, noto, Epiſcopalem dignitatem, aut Pontificiam delegationem ſuppoſitam minime obſtare, quominus illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Goanus poſſet illuſtriſſimum conſervatorem electum cenſuris coercere: licet enim inferioribus prohibitum ſit contra epiſcopum ita procedere, Andrad. ex cap. 1. § fin. de offic. ord. ſecus tamen eſt in archiepiſcopo, Peg. de compoſition. p. 1. cap. 47. n. 26. ex cap. *Quia Pontificalis*, 2. de offic. et poteſtate jud. deleg. in 6. licet enim hic, et alii hujuſmodi textus loquantur de judicibus delegatis, dicta tamen facultas comprehendit archiepiſcopos, et epiſcopos, qui delegati ſunt Sedis Apoſtolicæ, quoad executionem Concilii Trid. aliarumque canonicarum ſanctionum, Tamb. de jur. abb. tom. 3. diſput. 5. q. 11. n. 45. Franceſ. in paſt. regul. p. 2. q. 1. n. 5. et ſeqq. Peg. loc. citat. n. 14. *Ideoque auctoritas archiepiſcopi eo extenditur, ut poſſit ſuſpendere, interdicere, et excommunicare epiſcopum*, Coron. de poteſt. ad dignitatem epiſcopalem, tract. 1. cap. 2. n. 7. ex dict. cap. 1. de offic. ordin. cap. *Venerab.* ubi Abb. de ſent. excommunication. Hoſt. in cap. *Grav.* de præbend. et cap. 2. de offic. vicar. in 6. Abb. in cap. *Non poteſt*, n. 8. de ſentent. et re jud. quinimo Joan. Bertach. quem citat, et ſequitur Peg. loc. citat. addit etiam vicarium archiepiſcopi poſſe ſuſpendere, interdicere, excommunicare ſuffraganeum, *de epiſcopo*, p. 7. l. 4. tt. de vicario epiſcop. q. 10. *Quia, ſcilicet, epiſcopus in aliena diœceſi delinquens non conſideratur, ut epiſcopus, ſed ut privata perſona*, Pignat. tom. 10. conſ. 126. n. 28. in fin. *Poteſtas autem epiſcopi in propria diœceſi talis eſt, ut poſſit etiam punire delegatum Papæ in ea delinquentem . . . ac etiam excommunicare*, idem Pign. loc. citat. ex Grat. Genuen. et Archid.

Quoad ſecundam, ſuppono, citationem eſſe de ordine judiciario, quia ab ipſa incipit lis, Clem. 2. *ut lite pend. nihil innov.* propterea eam minime neceſſariam eſſe, quando agitur extrajudicialiter, ut cum Inn. tradit Abb. quod autem judex eccleſiaſticus extrajudicialiter agere poſſit, non quidem, ut judex, ſed ut pars pro defenſione maxime ſuæ juriſdictionis, hoc habet, nedum à jure poſitivo humano, verum etiam ab ipſo jure naturali tribuente cuique poſſe jus ſuum defendere contra contradictores, et vim vi repellere. Hinc Innocentius, ut tutius, et felicius agerent epiſcopi, eos conſuluit, ut in pluribus caſibus extrajudicialiter agerent: quod etiam inculcat Card. Deluc. de judic. diſc. 9. et in miſcel. diſc. 14. n. 8. Potuit ergo illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus in caſu præſenti extrajudicialiter procedere contra illuſtriſſimum Malacenſem, eo vel maxime, quia prædicti exceſſus, nedum erant notorii notorietate facti, ita ut non poſſint ulla tergiverſatione celari (quod videtur ſufficere: *Si enim notorium ſit, quod judex ratione publici officii injuriam ab aliquo paſſus fuerit . . . . poteſt ſine alio juris proceſſu in continenti illum punire*, Delben. de immun. eccleſ. tt. 2. &c.) verum etiam notorietate juris, quæ omnem adimit reo excuſationem ſe defendendi, juxta ſenſum extravaganti *Ad evitanda*, Mart. V. quam exornat Solorſ. Laur. Petrus Anton. de Petr. qui citat gloſſam, et alios, et ſupra omnes Abb. in cap. *Veſtra*, de cohabitatione cler. et mulier. dicens, *Ubicunque factum ita eſt notorium, quod certum eſt abſenti nullam competere defenſionem, tunc non eſt neceſſaria citatio; quia illa fit, ut reus ſe defendat; et ſic intelligo textum in cap.* Cum olim, *de re judicat.*

et

et in cap. Cum veniſſent, *de jud.* addit idem, *licere non ſolum per modum defenſionis, ſed etiam proprie judicium exercendo, ubi cauſa eſt tam manifeſta, ut neque indigeat examinari*; quod idem docet Mercer. quem citat, et ſequitur Dian. tom. 5. tract. 1. reſ. 2. quibus omnibus in præſenti caſu ſubſcribendum eſt: omnes enim prædicti exceſſus jam in duabus conſervatoriis RR. religioſorum Sancti Auguſtini, et Reformatorum, eodem modo perpetrati per ſententiam legitimam judicis competentis, per inhibitorias, ſc. et declaratorias illuſtriſſimi archiepiſcopi, jam facti fuerant notorii notorietate juris; et aliunde eadem notorietate omnibus conſtare debebat, iiſdem exceſſibus annexas eſſe prædictas cenſuras à jure latas, eaſque extendi ad omnes conſervatores, etiam epiſcopali charactere inſignitos, ſuæ juriſdictionis confinia excedentes, et quomodolibet auctoritative impedientes, uſurpantes, aut perturbantes juriſdictionem eccleſiaſticam, Caſtropal. t. 6. diſp. 1. p. 5. Quid ergo, quæſo, deficere poterat ad valorem prædictarum cenſurarum, ſi illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus, facto ſummario proceſſu, pro informatione ſuæ juriſdictionis impeditæ, turbatæ, et uſurpatæ, omnes ſimul aut declarando, aut infligendo extrajudicialiter proceſſiſſet?

Reſpondebitur fortaſſe, defecturum moderamen inculpatæ tutelæ præſcriptum à jure, juxta formam cap. 2. de offic. deleg. in 6. vi cujus pluribus aliis DD. Genue. loc. cit. cap. 70. aſſerit, archiepiſcopum, vel ejus vicarium, coercendo ſuffraganeos epiſcopos, debere, 1. Illis prohibere ingreſſum eccleſiæ, vel ſacerdotale miniſterium interdicere, dein ſuſpendere, poſtea cenſurarum mucrone ferire, ut refert Pegas de comp. 1. p. cap. 47. circa finem: inſuper, quoad declaratoriam ſuſpenſionis à jure latæ, nullum hæc ſortita fuiſſet effectum, quia in cap. *Quia periculoſ.* de ſententia excommunicationis, in 6. excipiuntur epiſcopi, quoad ſuſpenſionem à jure latam, niſi expreſſe nominentur; quod minime verificatur in conſtitutione Gregoriana: ſed hæc, et alia hujuſmodi, præventa fuere ab illuſtriſſimo domino archiepiſcopo. Unde——

Quoad tertiam ex ſupradictis concluſionibus, ſuppono, ad veritatem illius principii juris naturalis, et poſitivi, præbentis cuique jus defendendi, vim vi repellendo, tria requiri; actualem, ſc. vim, aut invaſionem ex parte aggreſſoris; alias non erit defenſio vi eum repellere; ſed aut aggreſſio, ſi fiat ante; aut vindicta, ſi fiat poſt; ex leg. 3. ff. de vi, et vi armata, et cap. *Si vero*, 1. de ſentent. excommunicationis. 2. Vis illa, ſeu invaſio aggreſſoris, debet eſſe manifeſte injurioſa, ita ut vere damnum inferat. 3. Demum, requiritur, quod niſus, quo aggreſſor repellitur, procedat juxta generalem regulam moderaminis inculpatæ tutelæ, ita ut damnum illud nequeat cum minori malo alia via declinari. Primam, et ſecundam ex his conditionibus purificatas jam eſſe in præſenti, clare evincitur ex ſupradictis. Tertia autem per ea, quæ in contrarium ſupra adducuntur, fit manifeſta; nam, cum ex una parte, ſua non deſtituatur probabilitate ſententia Bonacinæ, et aliorum, qni exceptionem epiſcoporum relatam in cap. *Quia perniciosum*, extendunt etiam ad conſervatorem epiſcopum, et ex alia videretur præciſa aliqua coercitio, quæ vim exceſſuum, actualium, ſc. et futurorum imminentium, *quos jure poſſumus impedire, retundere, atque præcavere*; Dian. loc. cit. ex Inn. IV. in cap. *Dilecto*, de ſentent. excommunicationis, in 6. non alia certe ſuavior poterat excogitari illa, qua de facto illuſtriſſimus ac reverendiſſimus archiepiſcopus uſus eſt, in continenti illuſtriſſimum Malacenſem ſuſpendendo per annum ab officio conſervatoris.

Neque de hoc poterat juſte conqueri illuſtriſſimus Malacenſis; *damnum enim, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare*, cap. 87. de regul. jur. in 6. l. *Quod quis ex culp.* ff. eodem; quinimo ſe gratum debuerat exhibere benignitati, qua illuſtriſſimus præſul Goanus ſic repellendo viſus eſt ſupponere, quod, non obſtantibus nullitatibus ex literis deductis, adhuc probabiliter potuit juriſdictionem obtinere (*multa enim facta tenent, quæ tamen fieri prohibentur*) ejuſque exercitium ſolum ſuſpendit, ut uſquedum de illa, ejuſque extenſione, formiter conſtâſſet, jura propria ſartatecta conſervaret; quæ omnia probant non defuiſſe moderamen præſcriptum in dicta leg. 2. de officio deleg. in 6. præcipue quia ſuſpenſio ab officio conſervatoris valde benignior pœna eſt, quam ſuſpenſio à miniſterio ſacerdotali, et ab officio ſimpliciter: nam ſuſpenſus ab officio abſolute privatur omni actione clerico propria, cujuſmodi ſunt actus juriſdictionis eccleſiaſticæ, et omne exercitium ordinis clericalis, quod omne importat abſoluta illa ſuſpenſio, quæ in dict. cap. imponitur; ſuſpenſus vero ab officio determinato, prohibetur ſolum eas obire functiones, quæ illi dumtaxat officio conveniunt, Lonig. in tt. 39. p. 3. § 8. de ſentent. excommunicationis.

Quarta tandem, et ultima concluſio evidenter deſcendit ex ſupradictis; nam, ſi potuit illuſtriſſimus præſul Goanus valide cenſuris coercere in continenti illuſtriſſimum Malacenſem, ut ſuam indemnem ſervaret juriſdictionem, à fortiori, præmiſſis à ſe monitionibus; illumque minime parentem, aut appellantem, aut aliter juridice excipientem, quinimo pertinaciter, et violenter reſiſtentem, valide potuit, juſte voluit, neceſſario debuit: ergo vere, et realiter, excommunicavit. Hic enim vere locum habet regula illa juris, *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*; ex cap. 43. de regul. jur. in 6. quia ſine eo, quod eſt minus, ad id, quod eſt plus, pervenire non poteſt: imo, dato etiam, et non conceſſo, quod ſupradicta ſuſpenſio ab officio ex defectu citationis fuiſſet nulla, adhuc valida eſſet ſententia excommunicationis poſtea fulminata; *nullus enim pluribus uti defenſionibus prohibetur*, ex cap. 10. de regul. juris, in 6. et vulgare eſt, *utile non poſſe per inutile vitiari*, cap. 26. eod. præcipue ſi inutile non pertineat ad ſubſtantiam actus, et ab ipſo actu ſeparatum ſit, Bald. et Fagn. in Maſſana, de election.

His omnibus obſtare videtur excommunicatio antecedenter inflicta ab illuſtriſſimo Malacenſi ſub prætextu violentiæ ſibi illatæ ab illuſtriſſimo præſule Goano, ipſum ex abrupto ſuſpendente. *Tamen ſi non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum*, ex cap. 52. de regul. jur. in 6. quæ enim contra jus fiunt, utique debent pro infectis haberi, cap. 64. eodem, et DD. in leg. *Jubemus*, cod. de ſacram. eccleſ. præcipue ſi fiant, nedum contra legem prohibentem, verum etiam irritantem, ut iidem interpretantur; qua ratione ipſa teſtimonia recepta à judice alias competente, non citato adverſario, ſunt ipſo jure nulla, ex l. *Si quando*, cod. de teſt. quo pacto obſtare non poteſt prædicta conſervatoris electi declaratoria? Verum, quia hæc declaratoria nodus ille eſt, quem multi diſceptando colligârunt potius, quam ſolverint, ne dicam petra ſcandali, in quam irrumpendo plurima literatorum ingenia infeliciter naufragârunt, accuratiori calamo enucleanda eſt: unde ſit ——

Discursus finalis,

De cenſurarum ſententiis à judice conſervatore prolatis.

XXXVIII. FInalem appello præſentem diſcurſum, nedum quia finem imponit abortivæ huic, proindeque indigeſtæ diſſertationi, verum etiam, quia in eo tangenda ſunt nonnulla ex his fundamentis, quæ fuſiori calamo non multis abhinc annis in obſequium illuſtriſſimæ ſocietatis congeſta fuere, ſtudio præcipue unius ex religioſis tunc temporis degentis in hac exigua Theatinorum familia, qui et nomine, et omine, finali conſultatione cauſam reverendi patris Antonii de Betancurt, communi meliorum judicio, felicius abſolvit. Sit itaque——

CAP. I.

Num conſervator probabiliter talis, et ab ordinario cum probabili ſolum effectu ſuſpenſus, poſſit valide, et juſte, ordinarium ipſum ex abrupto excommunicare?

Sect. I.

Nonnulla præmittuntur, notanda.

NEC verbum hic faciendum erat de cenſuris, queis illuſtriſſimus Malacenſis omnes fere illuſtriores populi, clerique tum ſæcularis, tum regularis, utriuſque

uſque ſexus, metropolis iſtius Goanæ cultores, qua expreſſe, et nominatim, qua tacite, et ſuppreſſo nomine, irretiri arbitratus eſt. Si enim ex hactenus dictis in ſuperiori decurſu nullam in literarum acceptatione adeptus eſt juriſdictionem propter defectum reſcripti probabiliter nullius; ſi etiam, ſuppoſita validitate reſcripti, juriſdictio, quæ ex illo derivaretur, impedita remanebat, uſquedum formiter probaretur in curia eccleſiaſtica, et, jubente ordinario loci, in actis ejuſdem inſereretur; ſi, etiam dato, quod præſumpta juriſdictio independenter à dicta probatione foret expedita, adhuc non poſſet illam exercere propter ſuſpenſionem à jure latam contra excedentes limites ſuæ juriſdictionis, vel ſaltem propter ſententiam inhibitoriam, ac ſuſpenſoriam à judice competente valide, et juſte prolatam; ſi, dato etiam, quod hæc eadem ſententia quoad ſuſpenſionem fuiſſet invalida ex defectu citationis, adhuc valida erat quoad inhibitionem, atque hæc ſufficiebat ad intentum, juxta illam regulam, *Utile non debet per inutile vitiari*, quæ extendi debet ad ſententiam conflatam ex diverſis capitibus, quorum unum utile ſit, alterum vero inutile, ex cap. *Dilect.* de præbend. et l. *Unoquoque*, ff. de re judic. quia ſemper accipienda eſt interpretatio, *ut actus valeat potius, quam non valeat*, ex leg. *Quoties*, ff. de re dubit. et ex c. *Abb.* de verb. ſignif. præcipue, ſi unum eſt ſeparabile ab alio, ut eſt in caſu inhibitio à ſuſpenſione; tandem, ſi etiam, ſuppoſita nullitate inhibitionis prædictæ, propter defectum alicujus ex requiſitis ad illam in cap. *Romana*, de appell. in 6. penitus interdictum remanſit talis juriſdictionis exercitium per ſententiam excommunicationis, juſte, valide, et in forma juris, contra ipſum exinde prolatæ; quid dicendum ſupereſt de omnibus ſupradictis cenſurarum ſententiis à dicto illuſtriſſimo Malacenſi pronuntiatis? Non aliud certe, quam nullas omnino fuiſſe, tam in foro interno, quam externo: *Nulla enim in jure major nullitas, quam defectus poteſtatis; et quod ultra poteſtatem fit, nulliter fit*; Giurb. dec. 96. n. 10. Boer. dec. 299. proindeque jam diſſolutum eſſe nodum illum, qui tam ſtricte omnium animos agitavit; opinionem vero eorum, qui eum colligârunt, vera, et ſolida deſtitui probabilitate, tum juris, tum facti; et conſequenter omnino improbabilem eſſe, utpote innixam motivis fallibilibus, quibus opponuntur motiva omnia ſupradicta in facto, et in jure fundata.

Verum, ne videamur præcipuam illam effugere difficultatem, quæ in præſenti controverſia videtur oriri ex declaratoria, qua illuſtriſſimus Malacenſis excommunicationem ſibi ab illuſtriſſimo archiepiſcopo comminatam præveniendo, ipſum ex abrupto excommunicavit: ut locus detur quæſtioni, iterum gratis concedendum eſt, contra omnia ſuperius exarata fundamenta, probabiliter validam fuiſſe deputationem prædicti conſervatoris, ejuſque juriſdictionem probabiliter impeditam minime eſſe, neque per defectum expeditionis in curia, neque per recuſationem antecedenter propoſitam, adhuc in judicio pendentem, et noviter ſaltem implicite intimatam, neque demum per ſuſpenſionem extrajudicialiter illatam; proindeque potuiſſe probabiliter exercere ea omnia, quæ ad ſuum ſpectant officium cum juriſdictione probabili, non probabilitate tenui, et umbratili; hæc enim minime poteſt illum ſuffragare, ut certum eſt; ſed vera, et ſolida, innixa, ſc. fundamento gravi, tum abſolute, tum comparative ad motiva in contrarium, ſive fundamentum hoc grave ſit ab intrinſeco, ſive ab extrinſeca DD. auctoritate, adeo ut, expectatis omnibus, experiatur intellectus vi quadam inclinari, ac quodammodo rapi ad aſſenſum, eo fere modo, quo experientia ipſa diſcernimus onus aliquod eſſe grave, quando experimur ab illo nos valde premi. Hæc enim omnia requiruntur, ut ſuppono ex communi theologorum opinione, ad veram, et ſolidam probabilitatem (quæ tamen, an, omnibus hinc inde bene penſatis, pro fundanda juriſdictione prædicta, concedi vere poſſit, necne, illuſtriſſimo conſervatori electo, affirmare non audeo, quia, ut paſſim aſſerunt DD. præcipue Lacroix, l. 1. n. 150. de probabilitate intrinſeca, fundata, ſc. in rationibus gravibus, quæ ipſi rei inſunt, quemadmodum etiam de probabilitate extrinſeca opinionis juridicæ, cujus AA. non ſint notorie omni exceptione majores, non niſi doctiſſimi, ac verſatiſſimi in utroque jure ferre poſſunt judicium): gratis itaque, et ad abundantiam conceſſa prædicta probabilitate ex parte illuſtriſſimi conſervatoris, videndum nunc ſupereſt, an illam juriſdictionem valide exercuerit in prædictis cenſurarum ſententiis. Pro quo—

Supponendum ſimul eſt, quod licet, facta dicta hypotheſi, præſcindenda modo ſit illa moralis certitudo, et evidentia, quæ ex præjactis fundamentis videtur probari ex parte illuſtriſſimi præſulis Goani; tamen adhuc pro illo ſupponenda eſt talis ſaltem probabilitas, quæ intra fines probabilitatis principem ſibi vendicet locum; ita ut, licet debeamus illam concipere, ut deſtitutam rationibus inducentibus vi ſua neceſſitatem aſſenſus, ideoque ut ſubjectam levi formidini, ne res aliter ſit, quam judicatum eſt, tamen revera excludat illam incertitudinem, et periculum proximum errandi, quod imbibitur in opinione ſimpliciter probabili juxta ea, quæ docent theologi, et moraliſtæ, de opinione, inter probabiles, probabiliſſima.

Sect. II.

Exponitur ſententia negativa.

XXXIX. Ex ipſamet hypotheſi ſupradicta, vi cujus in præſenti ſupponenda eſt in illuſtriſſimo conſervatore probabilis juriſdictio, et minime impedita per ſuſpenſionem antecedenter inflictam, deducitur, excommunicationem illius fuiſſe nullam ex defectu ordinis, ſeu formæ; ex defectu cauſæ, ſeu materiæ; et tandem ex defectu juriſdictionis.

Si enim (ut ordinate ab ordine, et forma, incipiamus) nulla ſupponenda eſt ſuſpenſio extrajudicialiter lata ab illuſtriſſimo præſule Goano, etiamſi tam formiter in jure fundata fuerit illius juriſdictio, ejuſque poſſeſſio—etiamſi tam notoria, et certa eſſent damna, quæ ex prædictis exceſſibus illuſtriſſimi Malacenſis illi proveniebant, quæque etiam imminebant—etiamſi nulla alia illi ſupereſſet via, aut medium ex iis, quæ à jure præſcribebantur, ſuavius talem declinandi jacturam, aut periculum—etiamſi evidenter ipſi conſtaret, nullam ſupereſſe aggreſſori executionem ſe defendendi, ut ſupra probavimus—quomodo nunc valida dici poterit repentina illuſtriſſimi Malacenſis ſententia, ſi hæc omnia ad valorem extrajudicialis excommunicationis eſſentialiter requiſita penitus deſeecerint? Notorium quidem erat factum, ſuſpenſio, ſc. ab officio cum comminatione excommunicationis: *ſed notoriumne* erat notorietate juris gravamen, quod ex ipſa dicitur oriri? evidenſne erat, nullum ſupereſſe, aut motivum ſe juſtificandi ex parte judicis ſuſpendentis, aut medium ſuavius ſe defendendi ex parte ſuſpenſi? Tot ille poterat producere argumenta, quot de facto produxit, quotque nos ſupra expendimus, et adhuc expendenda ſuperſunt, in ſui defenſionem: hic vero vel proteſtando, vel appellando, vel deveniendo ad arbitrorum electionem, poterat præſumptam violentiam cum debito moderamine declinare: hæc enim ſunt remedia, quæ à jure omnibus conceduntur, cap. *Suggeſtum*, 14. de appell. et conſervatori præſcribuntur, ut ſæpe diximus, ad relevanda gravamina ſibi à judicibus ordinariis illata, quando illa oriuntur à competentia in materia juriſdictionis; ubi autem eſt remedium ordinarium, ceſſat extraordinarium, l. *In cauſa*, 16. ff. de minorib. maxime ſi extraordinarium ſit contra jus, ut notat Abb. in cap. *Ex parte*, 11. col. pen. de reſcrip. ſicut eſt in præſenti reſiſtere de facto ultimis cenſuris judici competenti procedenti cum probabiliſſima, ſaltem ut ſupponimus, opinione. Hoc enim nedum eſt contra jus commune prohibens cuique jus ſibi dicere propria auctoritate, l. *Extat*, 13. ff. *Quod met. cauſa*, et l. *Si quis in tantam*, 7. cod. *Unde vi*; verum etiam contra jus ſpeciale hoc ipſum conſervatori, ut judici, prohibens in iis etiam circumſtantiis, in quibus aliis judicibus tum ordinariis, tum delegatis, à jure permiſſum eſt, ut ſupra prænotavimus in diſcurſu præliminari cap. 2. § 2. circa finem, ver. *At vero cum competentia*, &c.

Neque dicatur iiſdem remediis debuiſſe uti illuſtriſſimum archiepiſcopum, ſi ſe gravatum ſenſerat ab illuſtriſſimo Malacenſi, et ſic nulla orta fuiſſet controverſia: ſi ergo potuit ille recurrere ad reſiſtentiam facti

facti utendo remedio violento suspensionis, et comminando excommunicationem vim vi repellendo, potuit et illustrissimus Malacensis recurrere ad remedium excommunicationis.

Hæc, et alia hujusmodi argumenta, quæ tantam præ se ferunt in verbis apparentiam, ex supradictis bene perpensis, facili negotio solvuntur, et penitus evanescunt. Nam illa remedia generalia inducta sunt à jure ad reparandum gravamen illatum per judicem, ut judicem; secus, si judex procedat ut privatus extra officium sibi commissum, vel usurpando alienam jurisdictionem, vel suam nulliter, aut injuste exercendo, vel post appellationem, recusationem, aut aliud simile impedimentum suspensivum, quia tunc per modum defensionis sibi resistitur, sicuti cuilibet privato, ut pluribus argumentis desumptis ex jure divino, naturali, et humano, ad evidentiam probat Marant. specul. aur. quæstionum legal. disp. 1. à n. 16. usque ad finem. Cum ergo illustrissimus Malacensis, excedendo limites suæ jurisdictionis modo supradicto, non processerit jurisdictione sibi commissa, proindeque non ut judex, sed ut homo privatus; illustrissimus vero archiepiscopus illum suspendendo processerit, ut judex tum ordinarius, tum delegatus; evidenter sequitur, hunc exequendo legis auctoritatem per modum defensionis necessariæ, potuisse, et debuisse illi resistere, sicuti cuilibet privato, ut notat Cardin. in Clement. 2. § *Notarii*, *de hæred.* ubi dicitur prælatum ordinarium posse etiam amovere inquisitorem datum à Papa, teste Marant. loc. supra citat. illustrissimum vero Malacensem, non obstante præsuppositа probabilitate, non potuisse valide uti, nisi uno ex prædictis remediis, proindeque excommunicando illustrissimum primatem insanabiliter peccâsse.

Neque respondeatur, suppositа prædicta probabilitate de nullitate suspensionis, si non ut judicem, saltem ut partem, potuisse illustrissimum conservatorem modo dicto prævenire excommunicationem sibi ab illustrissimo ordinario comminatam, eo modo, quo cuilibet permissum est à jure naturali occidere invasorem, qui stricto pugione vult vitam adimere: nam argumentum hoc, quod est Achilles illustrissimi Malacensis, nullius est roboris, ut patebit consideranti conditiones, quas supra expendimus in probatione tertiæ conclusionis in discursu præcedenti, cap. 4. pro intelligenda veritate illius principii juris naturalis, et positivi, tribuentis cuique jus vim vi repellendi; ex iis enim infertur, quod si solum probabile sit malum injuste inferri ab aggressore, vel esto malum sit, quod inferatur, ex. gr. à Titio, et aliunde possim illud declinare cum minori invadentis damno eum lædendo, debitum jam inculpatæ tutelæ moderamen excederem: excessus enim est ab ipso jure naturali prohibitus pro malo, quod me volente, et juste, infertur; vel si injuste, quod solum probabiliter infertur ab aliquo, quodque facile declinare possum; velle eum lædere læsione gravi, et certa.

Jus enim certum, quod unusquisque habet, ne lædatur, nequit tolli per jus incertum alterius; sed qui judicat solum probabiliter sibi injuste inferri malum ab alio, non habet nisi jus probabile, adeo incertum, ad inferendum illi damnum: ergo qui sic judicat, non potest illi grave damnum inferre; præcipue, si aliter absque illius damno possit se incolumem servare; quod omne patet in paritate allata: nam, si malum, quod mihi ab invasore stricto ense intentatur, evidens est, atque evidens simul, me aliter non posse illud declinare, possum sine dubio me defendere defensione etiam occisiva: si tamen occidam, aut percutiam gladio, quem possum cohibere baculo, aut fugiendo declinare, quis non videat excessum? Card. in prop. 13. ex damn. ab Inn. XI. et Viva in prop. 17. damn. ab Alex. VII. Cum igitur declaratoria ab illustrissimo archiepiscopo monendo comminata fuerit evidenter justa, utpote ab ipso jure imposita contra usurpatores, atque perturbatores ecclesiasticæ jurisdictionis; illustrissimus vero Malacensis potuerit illam facile evadere utendo aliquo ex prædictis remediis sibi à jure præscriptis; quis poterit ab excessu excusare sententiam, qua vulnere irreparabili jurisdictionem, famam, aliaque innumera jura, tum spiritualia, tum temporalia, certo pertinentia illustrissimo primati, labefactare, lacessere, atque omnino adimere intentavit?

XL. Non leviora profecto sunt rationum pondera, queis, attenta etiam causa materiali, nullitas prædictæ sententiæ manifestatur. Nam in confesso est apud omnes theologos, materiam, supra quam cadit censura, debere esse actionem externam moraliter malam, sive ab intrinseco; qualis est, quæ adversatur præceptis positivis, præcipue ecclesiasticis; et dicitur mala, quia prohibita: unde sequitur, in materia censurarum illam sententiam esse notorie nullam, et intolerabilem errorem continere, ut dicitur in cap. *Solet*, de sentent. excommunication. in 6. quæ fertur à judice non habente justam causam, aut indicante causam notorie injustam, et viduatam quacunque culpa, Tabien. Panorm. Bestol. Palud. et Ant. à Spirit. Sanct. de cens. in communi tractat. 12. disp. 1. sect. 10. n. 113. aut contra aliquem annullantem hujusmodi censuras, id. loco citat. cum Sair. lib. 1. c. 16. n. 32. Cum autem hæc omnia adumussim verificentur in præsenti; nam causa, quam indicat prædicta sententia illustrissimi Malacensis, inhibitoria, sc. suspensoria, et comminatoria, antecedenter lata ab illustrissimo præsule Goano, destituebatur omni culpa morali, et minime adversabatur juri divino, aut canonico; quinimo fuit valde conformis eorundem jurium statutis, atque etiam juramento fidelitatis, quo quilibet episcopus, aut archiepiscopus, jurejurando profitetur, se, inter alia, indemnitatem ecclesiasticæ jurisdictionis servaturum, cap. *Sign.* de elect. ubi Barb. et Fermos. can. de civit. Siriacus dist. 28. et cap. 4. de jur. jurand. clare evincitur, sententiam illustrissimi Malacensis fuisse etiam notorie nullam ex parte materiæ; *quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet*, Greg. relat. in cap. 2. de const. et, ut ibidem addit glossa, *Quod legitime factum est, pœnam non meretur*, ex leg. *Giracus*, cod. de adult. hinc docemur satius esse absolvere nocentem, quam innocentem condemnare, quia nocens, si semel evaserit, poterit iterum puniri; innocens vero, si semel damnatus fuerit, amplius revocari non potest, fitque illius damnum irreparabile.

Respondebitur fortasse, hæc eadem retorqueri posse, et quidem fortius, in suspensoriam, atque comminatoriam illustrissimi præsulis Goani: si enim sola citatio, quia jurisdictionalis, offendit, atque perturbat officium cujuscunque judicis, Altim. de nullit. sentent. tt. 1. et quilibet judex suam potest defendere jurisdictionem, etiam pœnali judicio, l. unic. in princip. ff. *Si quis judici non obtemp.* ibi: *Suæque dignitatis tuendæ, et decoris causa*; cur illa dicenda non erunt materia sufficiens excommunicationis, quæ Pontificiam delegationem, qua fungitur illustrissimus conservator, et jurisdictionem delegati, impediendo offendit atque perturbat?

Sed hæc, et aliæ hujusmodi difficultates minime refragantur: nam præ oculis semper habendum est discrimen, quod intercedit inter injuriam, quæ irrogatur judici, qua tali, publica, sc. fungenti auctoritate, et eam, quæ infertur judici, tanquam privatæ personæ. Primo casu certum est, judicem posse vindicare injuriam sibi irrogatam, cap. *Guilizar.* 23. p. 4. cap. *Tuæ, ut lite contest.* cap. *Si quis ab ea*, 2. quæstione 7. cap. *Venerabil.* de elect. cap. *Roman.* de pœnis, in 6. et Clem. 1. de for. competenti; et in hoc eodem sensu procedit textus clarissimus in cap. *Quia quæsitum est*, 1. de offic. et potest. judic. deleg. ubi elegantissime Gonz. n. 35. et 21. quo sensu etiam conservator expeditam habens suam jurisdictionem, contumaces, atque delinquentes circa justum, et actualem usum suæ publicæ auctoritatis, coercere potest, et debet. In secundo vero casu, cum tantum, sc. datur privata persona, non ipse judex, sed ejus superior adeundus est, ne unus et idem sit accusator, et judex, cap. 1. 4. quæst. 4. et nequis in propria causa jus sibi dicat, juxta tex. in cap. *Inter querel.* 27. 23. quæstione, &c. Illustrant discrimen hoc Narb. Petr. Greg. et Gazin. eoque supposito, omnimode evanescit prædicta difficultas juxta supradicta in responsione ad primum, ex argumentis in hoc eodem § expositis, ad quem, brevitatis gratia, lectorem remitto.

XLI. Tan-

XLI. Tandem prædicta omnia coronant ſimul, et viciſſim indigent coronari ab iis, quæ adhuc dicenda ſuperſunt, pro demonſtranda nullitate prædictæ ſententiæ ex defectu cauſæ efficientis proximæ, ſeu juriſdictionis; quæ niſi certo probetur, nunquam poterit ſuſtineri validus actus, etiamſi cætera omnia concurrant, quæ ad ipſius cauſas intrinſecas, formalem, ſc. et materialem, requiruntur; quia ubi non datur juriſdictio, actus nullum præſtat effectum, cap. *Ut animarum*, de conſtit. in 6. et l. ultim. ff. de juriſd. omnium judicum. Hanc autem juriſdictionem defeciſſe in caſu illuſtriſſimo conſervatori, etiam facta prædicta hypotheſi, ſic oſtendo argumento, ni fallor, evidenti.

XLII. Judex conſervator ex omni parte legitime inſtitutus, et habens juriſdictionem certam, et expeditam, ſi procedat contra ordinarium juriſdictione ſolum probabili, nulliter, et ſine juriſdictione, procedit: ergo, à fortiori, conſervator, qui non ſit niſi probabiliter talis. Conſequentia eſt evidens. Hic enim procedens, ut ſupra, juriſdictione probabili, procederet cum juriſdictione tantum probabiliter probabili; proindeque, ſuppoſita veritate antecedentis, ex duplice capite ſine juriſdictione procederet, juxta ea, quæ docent DD. et ſubtiliſſime Viva in prop. tertiam damn. ab Inn. XI. n. 9. et ſeqq. de opinione probabiliter probabili, quæ vere non eſt abſolute probabilis, quemadmodum non eſt certa opinio certo probabilis.

Pro intelligentia primi antecedentis, recolenda ſunt, quæ ſparſim indigitavimus in diſcurſu hujus tractatus; nempe, et præcipue, juriſdictionem conſervatoris, utpote odioſam, non poſſe prorogari ultra cauſas ſibi certo delegatas, neque per ſe extendi, niſi ad partes, ſeu perſonas in ipſo reſcripto deſignatas; per accidens tamen poſſe etiam procedere contra contradictores exemptos, aut delinquentes circa ſuum miniſterium publicum, atque etiam contra ordinarios quoſcunque judices, ſive ſæculares, ſive eccleſiaſticos, violenter, et injuſte impedientes uſum ſuæ juriſdictionis, in iis tamen cauſis dumtaxat, quæ ſibi ſpecialiter demandatæ ſunt, et in quibus ordinario ablata eſt facultas procedendi. Hoc ſuppoſito:

Diſcurro ſic: Judex conſervator undiquaque expeditus, ut ſupra, ſi procedat contra ordinarium juriſdictione probabili, procedit extra fines ſuæ juriſdictionis: ſi enim ſic procedendo adhuc contineretur intra ſuæ poteſtatis cancellos, procederet cum juriſdictione certa, non autem probabili, ut ſupponitur: ergo ſine juriſdictione procedit. Probatur antecedens: conſervator procedens in cauſa, in qua certo non eſt ablata ordinario facultas procedendi, non procedit in cauſa ſibi certo, et ſpecialiter demandata: atqui procedens contra ordinarium juriſdictione ſolum probabili, non procedit in cauſa, in qua certo ſit ablata ordinario facultas procedendi; probabilitas enim eſſentialiter ſupponit probabilitatem ex oppoſito; et, habita probabilitate, etiam æquali, ex utraque parte res fit neceſſario dubia; et in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ex cap. 65. de reg. jur. in 6. et ex leg. *In pari*, ff. de reg. jur. præcipue ſi ſermo ſit, nedum de poſſeſſione facti, verum etiam de poſſeſſione juris; quia tunc poſſeſſio eſt jus certum, cui derogare non poteſt jus probabile: nam, contra legitimam poſſeſſionem non prævalet, niſi certitudo, ut ſuppono, ex communi theologorum, et juriſtarum opinione: ergo, &c.

Roboratur concluſio confirmatione ineluctabili: judex conſervator procedens, aut injuſte, aut cum opinione ſolum probabili contra ſibi ſubditum habentem pro ſe opinionem probabiliſſimam, nulliter, et ſine juriſdictione procedit. Ergo, à fortiori; ſi ſic procedat contra ordinarium exemptum. Conſequentia eſt evidens: juriſdictio enim non eſt niſi in ſubditos; et ubi non eſt ſubjectio, ibi neque adeſſe poteſt reſpective juriſdictio: hæc enim ſunt correlativa, et unum ſine alio eſſe non poteſt: evidens etiam eſt, ſaltem moraliter, prima pars antecedentis; nam quilibet judex dicitur miniſter Dei in terris cap. *Non ſolum*, 27. et cap. *Qui malos*, 29. 23. quæſtione 5. quatenus ejus judicium cenſetur prodire de ore Dei, cap. *Ut noſtrum*, 16. de appellat. et cap. *Ut noſtrum prodeat*, 1. extravag. de eccleſ. bon. Paul. de Caſtr. in conſ. 38. in 1. volumine. Cum autem de ore Dei egredi nequeat, niſi juſtitia, et veritas, juxta illud Pſalmi 24. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, et veritas*; bene infert Caſſiodor. lib. 3. epiſt. 18. tamdiu judicem eſſe judicem, quamdiu juſtus putatur; proindeque judex injuſte procedens, non eſt revera judex, neque miniſter Dei, aut principis, ſed homo privatus, quacunque viduatus juriſdictione, cap. *Juſt.* 2. 23. q. 2. et gloſſ. in cap. *Cum æterni*, 1. verſ. *Judex*, de re judicata, in 6.

Probanda remanet ſecunda pars ſupradicti antecedentis; nempe, quod conſervator certo legitimus cum opinione tantum probabili procedens contra ſibi ſubditum, habentem pro ſe opinionem probabiliſſimam, nulliter, et ſine juriſdictione, procedat: pro quo ſupponendum eſt, opinionem eorum doctorum, qui cum noſtro patre Diana, tt. 5. tr. 1. de excom. reſol. 31. aſſerunt, quod quando judex ſequendo opinionem probabilem aliquem excommunicavit, revera hic in utroque foro ligetur, certo probabilem eſſe in praxi, ſi, prout ibidem innuit laudatus doctor, ex Joanne Præpoſito, et Candidus, diſp. 22. art. 13. d. 9. et 10. talis judex ſit in poſſeſſione ferendi cenſuras, et opinio illius ſit probabilior, vel æque probabilis ac opinio ſubditi: ſi tamen ſubditi opinio fuerit probabiliſſima, tanquam certum puto, neminem prædictorum doctorum contrarium aſſerere dubitaturum; præcipue, quia ipſi etiam probabilem dicunt communiorem ſententiam eorum, qui, etiam ſuppoſita æquali probabilitate ex utraque parte, generaliter affirmant, eum ſubditum minime ligari, neque in foro fori, neque in foro poli; quia, ſc. in eo caſu reus tantum in opinione judicis eſſet reus, ſecus autem in opinione ſubditi: quicquid tamen ſit de prima ex dictis opinionibus; certum eſt, eam ſolum procedere poſſe in judice ordinario, aut delegato, illimitatam *habente juriſdictionem*; ſecus autem in conſervatore, qui tam tenui donatur coercitione: cum enim hic ex dictis procedere nequeat, niſi in cauſis qualificatis notoria, et manifeſta violentia, aut injuria; clare evincitur, non poſſe ſibi ſubditum cenſuris coercere, niſi prius evidenter, certo, et notorie, conſtet de illius contumacia, proindeque cum juriſdictione omnino certa. Hoc ſuppoſito, ſic argumentum abſolvo:

Judex ordinarius, licet ampliſſimam habeat coercitionem, nulliter procedit, quando cum opinione ſimpliciter probabili procedit contra ſubditum, *habentem* pro ſe opinionem probabiliſſimam: ergo idem dicendum de judice conſervatore: ergo, à fortiori, de conſervatore, qui procedat contra exemptum: ergo multo magis de conſervatore, qui non ſit, niſi probabiliter talis. Subſumamus modo ſupradicta omnia: atqui illuſtriſſimus Malacenſis in facta hypotheſi ad ſummum probabiliter dici poteſt legitimus conſervator; et, hoc non obſtante, proceſſit contra illuſtriſſimum primatem in cauſa ſibi nullatenus delegata; proceſſit ſententia ex defectu materiæ, et formæ, notorie injuſta; proceſſit contra exemptum, habentem pro ſe juriſdictionem ſaltem probabiliſſimam: ergo à primo ad ultimum evidenter conſtat ex innumeris titulis, nulliter, et abſque juriſdictione, proceſſiſſe.

CAP. ULTIMUM.

Num conſervator probabiliter talis poſſit juſte, et valide, cenſuris, aliiſque pœnis ordinariis atque arbitrariis, etiam armata manu militari à judice ſæculari implorata, atque impetrata, participantes quomodocunque cum ordinario, à ſe modo ſupradicto excommunicato, coercere?

XLIII. ARdua profecto eſt, vaſtiſſima, et plena periculo materia in hoc titulo indicata: ſed quoniam præ anguſtia temporis, quam arctiorem reddit imminens jam Europææ navis diſceſſus, impoſſibile eſt omnia ea ſingillatim attingere calamo, quæ oculis lugere potius, quam intueri neceſſe fuit in præſenti controverſia; omiſſis itaque pro nunc illis omnibus, quæ à præſcripta nobis cenſurarum materia exorbitant, circa hanc aliqua ſupradictis addenda ſunt, ut vel umbra ſuſpicionis in contrarium, quam adhuc fovere videtur nimia quorundam erga illuſtriſſimum Mala-

Malacensem propensio, prorsus removeatur, et dissipetur.

Insistendo igitur in supradicta hypothesi omnino gratis præfixa, ut quæstio præsens ventilari possit, alia itidem hypothesis ad abundantiam facienda est contra superius exarata fundamenta: excommunicationem, sc. latam ab illustrissimo primate Goano, post declaratoriam illustrissimi Malacensis, reliquisse rem in tali dubietate, ut detur locus judicandi utrumque prælatum propria adhuc fulciri jurisdictione; illustrissimum Goanum probabilissima; illustrissimum vero Malacensem probabili. Si enim supponamus excommunicationem prædictam revera fuisse validam, ut demonstratum est supra, jam actum est de censuris omnibus ab illustrissimo Malacensi pronuntiatis juxta evidentem inductionem, quam ab initio finalis istius discursus exposuimus.

Sic itaque declarato statu præsentis quæstionis, recta methodus postularet, ut secernerentur censuræ latæ contra personas, sive sæculares, sive ecclesiasticas, exemptas à jurisdictione conservatoris, subjectas vero illustrissimo præsuli Goano, ab illis, quæ pronuntiatæ fuerunt contra regulares ab utrisque prælatis exemptos; et circa hoc ultimum exponenda hic essent specialia fundamenta, et privilegia exarata in præallegata consultatione satis notoria, edita jam ab indicato religioso hujus familiæ in causa R. patris Betancurt, vi quorum regulares omnes, et præcipue missionarii apostolici, eorum præfecti à Sancta Sede immediate constituti, et singularibus favoribus donati, taliter eximuntur, exceptis excipiendis, à jurisdictione cujuslibet delegati apostolici, quacunque dignitate, etiam eminentissima, suffulti, ut neque in casibus exceptis coerceri possint censuris, idque cum clausulis irritantibus quamcunque sententiam, etiamsi eorum exemptio, utpote notoria, non fuerit allegata. Verum quia hæc notissima sunt, et in casu præsenti non aliter necessaria, nisi ad manifestandam gravitatem offensæ, quæ ex prædictis censuris in ipsummet supremum ecclesiæ legislatorem redundat ex sententia excommunicationis contra me, aliumque ex meis religiosis, à dicto illustrissimo Malacensi prolata, eo quod officium examinatoris nobis ab illustrissimo archiepiscopo jam olim benigne creditum, urgente ordinandorum necessitate, semel, et non alio, quam Pharisaico paucorum scandalo, exercuerimus, libenter omitto, et sub una conclusione omnes comprehendo.

XLIV. Dico, censuras omnes ab illustrissimo Malacensi fulminatas contra participantes cum illustrissimo, ac reverendissimo præsule Goano, fuisse nullas, injustas, perturbativas humanæ libertatis, et errorem sapientes intolerabilem.

Præter argumenta jam in superiori capite expensa, quæ fere omnia, mutatis terminis, possent huic etiam conclusioni coaptari, alii etiam adessent tituli particulares, ex quibus prædictarum fere omnium censurarum nullitas posset demonstrari; et præcipue attentis defectibus citationis adhibitæ: 1. Quia delegatis judicibus, ut ait Lonig. l. 2. decr. t. 3. n. 68. de citation. ubi citat Marant. in spec. p. 6. de citationib. n. 39. minime permissum est citare per edictum generale, seu citationem non canonicam; hoc enim, de jure communi, soli ordinario competit, Bart. in extravag. *Ad reprimendam*, in vers. *Per edictum*. 2. Quia, etiam supposito, quoad hoc, privilegio expresso, non possunt eo uti in iis casibus, in quibus, si canonica monitio sit omissa, censura est ipso jure invalida; unus autem ex his casibus est, quando judex pronuntiat excommunicationem contra participantes cum excommunicatis à seipso, non præmissa canonica monitione, ut definitum est in cap. *Constitutione*, et cap. *Statutum*, de sent. excom. in 6. Ant. à Spiritu Sancto de cens. in communi, tract. 12. disp. 1. sect. 7. n. 78. 3. Quia soli citari possunt, præcipue modo dicto, qui jurisdictioni citantis certo subjecti sunt, Lonig. loc. cit. n. 78. Cum enim citatio prædicta non canonica contineat generale præceptum, afficere non potest, nisi subditos, neque exempti fiunt subditi per transgressionem talis præcepti, si per sententiam publicam, seu legitimi ordinarii, ad minus dubia reddatur præcipientis jurisdictio, et legitima ferendi censuras possessio. Sicuti enim, quando datur dubium, an institutio judicis valida fuerit; possessio stat pro libertate subditi, et judex non est in possessione suæ jurisdictionis, Vasq. 1, 2. disp. 62. à n. 44. Less. l. 2. cap. 12. dubit. 9. et cum aliis pluribus Hurtad. tract. 3. cap. 1. tom. 3. n. 22. quos citat, et sequitur Ant. à Spirit. Sanct. loc. cit. sect. 9. n. 107. ita, à fortiori, quando tale dubium fiat notorium notorietate juris per sententiam judicis competentis. 4. Denique, quia, delegato judici, cujus delegatio non est ab ipso jure generaliter facta, sicuti est in episcopis ordinariis respectu privilegiatorum in casibus à jure expressis, ex Trid. sess. 5. de reform. nemo credere, consequenter se subjicere, aut parere tenetur, nisi facta exhibitione mandati, aut authenticæ ejusdem copiæ, ex cap. *Prætor*, de offic. deleg. ut citatus ei se possit conformare, vel legitimas exceptiones proponere, cap. 3. de offic. deleg. l. 1. de mandatis principum; quia delegatio, ut alibi diximus, utpote quid facti, non præsumitur, adeoque probari debet; proindeque in hypothesi, quod tale mandatum, seu rescriptum, nedum minime fuerit exhibitum, sed neque poterat exhiberi, quia à judice competente juste detentum, et juridice impeditum, non præsumitur bene fundata ejus jurisdictio, quia non est formiter probata: sed his, et aliis hujusmodi omissis, brevitatis gratia;

Probatur conclusio unico argumento, omnes, et singulas illius partes complectente. Judex conservator neminem potest coercere censuris, nisi supposita notoria, et manifesta contumacia, violentia, aut injuria, sibi tanquam judici lata: atqui, etiam facta prædicta hypothesi, nemo eorum, qui sive in humanis, sive in divinis, communicârunt cum illustrissimo archiepiscopo Goano, talis delicti reus fuit, aut esse potuit: ergo, &c. Prima propositio est certa; quia potestas coercendi censuris partes contumaces, aut impedientes usum jurisdictionis, est quid accessorium, quod convenit judicibus delegatis, ut bene notat Gons. in l. 1. decretorum, tt. 29. n. 18. de off. et potest. jud. deleg. ex tacita delegantis voluntate, ne illusoria reddatur ipsius jurisdictio. Cumque hæc in conservatoribus non extendatur, ut certum est, nisi ad causas qualificatas notoriis, et manifestis injuriis, et violentiis, clare sequitur, illam ab ipso judice exerceri non posse, semel ac injuria, aut violentia, quæ præsumitur illata, non sit illata conservatori, ut judici, vel possit sufficienter excusari.

Secunda propositio non indigeret probatione, quia, si revera illa communicatio cum illustrissimo præsule Goano fuisset ita notorie, et manifeste, injuriosa illustrissimo Malacensi, ut nulla sufficiente defensione posset justificari, jam hic non probabiliter, et incerte, sed notorie, evidenter, et certo, reputaretur in possessione suæ jurisdictionis. Cum ergo in facta hypothesi cum probabilitate tantum, et incertitudine, credatur judex conservator, et minime impeditus pro definienda malitia, aut indifferentia prædictæ participationis cum illustrissimo archiepiscopo, examinandum prius est, ut docent DD. Sanches in select. disp. 35. n. 37. ut notat Dian. tom. 5. tr. 1. de excomm. res. 3. n. 9. an probabilitas, et incertitudo prædicta oriatur ex circumstantiarum dubietate, an vero ab opinione; et in utroque casu ostenditur, neminem eorum, qui communicârunt cum illustrissimo archiepiscopo, irrogâsse injuriam illustrissimo conservatori, ut judici. Si enim incertitudo prædicta oriatur à dubietate circumstantiarum (ut revera est in casu, præcisis omnibus supradictis hypothesibus) pro eo stat certa jurisdictio, pro quo stat certa possessio: in dubiis enim melior est conditio possidentis; cum ex una parte possessio staret pro illustrissimo archiepiscopo primate, et jus incertum, et dubium, illustrissimi Malacensis, non posset illi derogare; ex alia vero parte, ut diximus supra, quando datur dubium, an institutio judicis, præcipue delegati, fuerit valida, vel expedita illius jurisdictio, possessio stat pro libertate subditorum, et judex ille non est in possessione suæ jurisdictionis; clare sequitur, prædictam communicationem cum illustrissimo primate non fuisse, nec potuisse esse, injuriosam illustrissimo Malacensi; quia in iis circumstantiis nemo se huic tanquam judici subjicere tenebatur, quinimo neque licite poterat, quia gravem, notoriam, et evidentem injuriam irrogâsset illustrissimo archiepiscopo;

piſcopo; nam extra dubium eſt notorie offendere judicem proprium certum, qui alieno judici incerto, et dubio, paret cum damno, et præjudicio illius: nam quilibet judex ordinarius eccleſiaſticus, qualis eſt epiſcopus, aut archiepiſcopus, eſt fideijuſſor ratione ſuæ poteſtatis, et vigilantiæ, totius diœceſis, ut variis juribus, et auctoritatibus, exornat Coron. de pot. epiſcop. tr. 3. cap. 25. et 26. et ſeq. in ſua diœceſi omnia poteſt, quæ poteſt Papa in toto orbe, exceptis reſervatis, Fagn. in cap. 1. de offic. ord. n. 28. et ſeq. pag. 428. et in cap. *Dilect.* n. 26. de tempore ordin. n. 16. pag. 199. Solorſ. de jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 10. n. 31. Hinc, cum omnes etiam exempti (exceptis excipiendis) ſubjiciantur illius correctioni, et punitioni, Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 11. de regul. et ſeſſ. 21. cap. 8. de reformat. et cap. *Cum epiſcopus*, de offic. ord. in 6. cap. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6. et, ut ſæpe declaravit Sacra Congregatio Concilii, teſte Barb. in apoſtol. deciſ. collectan. 439. verbo *Juriſd.* n. 6. Barb. de poteſt. epiſcop. Tamb. Coron. Deluc. et alii innumeri, omnes obedientiam debitam præſtare tenentur ejus edictis paſtoralibus, et in ſuis eccleſiis publicare cenſuras ab eo emanatas, Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 12. et ab eo excommunicatos evitare, cap. *Cum et plantare*, § *Excom.* de privilegiis, et ibi Abb. n. 10. cap. *Epiſcopum*, eod. in 6. cap. *Ii, qui*, de ſentent. excommunication. et interdicta ab eo promulgata ſervare, nedum quando ſervantur à matrice eccleſia, ut certum eſt, quia revocata ſunt quoad omnia in contrarium privilegia, quibuſdam religioſis, et præcipue militaribus Sancti Joannis Hieroſolymitani ab Alex. III. Urb. III. et Clem. III. &c. olim conceſſa; verum etiam probabiliter, quando ipſa eccleſia matrix malitioſe, et pernotorium exceſſum non ſervat, ut ait gloſſ. in Clem. 1. de ſent. excom. verb. *Obſervare:* ubi; *Nota, quia non obſervando non dicit, quod ſe conforment*; et circa finem; ibi: *Exceſſus, ex. gr. clericorum matricis eccleſiæ non dabit religioſis materiam delinquendi*; quia omnia præcipue verificantur, quando ordinarius prædictis cenſuris, quæ ſunt arma ipſius eccleſiæ, utitur in defenſionem ſuæ juriſdictionis, ab alio, etiam probabiliter uſurpatæ, et ut evitetur major ejuſdem perturbatio præcautione neceſſaria, Peg. de compoſ. p. 1. cap. 41. et 44. n. 36. ubi citat Molin. Dian. Albert. Salzed. et alios: *Eccleſia enim magis in ſuæ juriſdictionis, quam in bonorum turbatione turbatur*, Sperell. deciſ. 160.

Si vero dicamus incertitudinem illam prædictam oriri ab opinione, cum in facta hypotheſi ſaltem opinio probabiliſſima ſupponenda ſit ex parte illuſtriſſimi præſulis Goani quoad omnia, quæ geſſit; illuſtriſſimo vero conſervatori ſimplex concedatur probabilitas quoad legitimitatem ſuæ inſtitutionis, quæ tamen probabile etiam fundamentum præbeat ſuſpicandi cenſuras ab illuſtriſſimo archiepiſcopo contra ipſum latas fuiſſe quidem juſtas, et validas, ex parte ferentis, ſed minime ligâſſe illuſtriſſimum conſervatorem, juxta ea, quæ probabiliter innuit Spinol. relatus à Dian. loc. citat. n. 7. quis non videat, talem adhuc eſſe etiam ſolidam præſumptionem in favorem illuſtriſſimi præſulis Goani, ut nedum ejus ſubditis, verum exemptis, licitum fuerit, imo rationi, tranquillitati, et ſaluti animarum magis conſentaneum, illius ſequi opinionem, ut ſic evitarentur omnia illa mala, quæ obtemperantibus pluribus illuſtriſſimo Malacenſi de facto ſecuta ſunt, et adhuc timentur ſecutura? Nonne omnia jura, et DD. omnes, clamant, liberum eſſe cuique (exceptis excipiendis) ex duabus opinionibus, etiam æqualiter probabilibus, unam præ alia pro libito amplecti? Quo ergo jure illuſtriſſimus Malacenſis humanam libertatem poterat ſuis adeo coarctare præceptis, atque cenſuris, ut omnes, etiam exempti à ſua juriſdictione, cum periculo proximo errandi contra juſtitiam, charitatem, aliaſque virtutes, opinionem ſuam (etiamſi revera fuiſſet probabilis) amplecti cogerentur, relicta probabiliſſima, quæ ad minus ſupponenda eſt, ex parte illuſtriſſimi archiepiſcopi? Notentur ſequentia.

XLV. 1. Qui in conflictu plurium opinionum probabilium (præcipue in materia juridica difficili demonſtrabili) probabiliſſimam ſequitur, habet ignorantiam invincibilem de valore præcepti, et cenſuræ annexæ: neque enim poteſt, aut debet, amplius certiorari, quia taliter ignorat veritatem rei, ut forte abſolute nequeat aſſequi illius evidentiam, taliter autem quieſcit in fundamentis illius opinionis, ut non teneatur ad ulteriora progredi, ut veritatem, quam inaſſequibilem concipit, inveniat.

2. Qui modo dicto opinionem probabiliſſimam ſequens, non obtemperat præceptis delegati judicis, non eſt contumax, neque inobediens eccleſiæ, cum ſit quaſi moraliter certus, tunc tale præceptum non obligare; debitum enim parendi, etiam in ſubdito, non eſt, quando in delegato, aut judice, non eſt, ſaltem moraliter, certum, jus præcipiendi; aut quando id, quod prohibet, moraliter certum eſt poſſe fieri ſine peccato; tunc enim, ſicuti excuſatur à culpa, ita etiam à pœna, juxta illam regul. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, cap. *Cognoſcentes*, de conſtit.

3. Tandem, ut alia omittam, concurrentibus duobus judicibus, ſeu ſuperioribus, quorum unus ordinariam favorabilem, et certam habeat juriſdictionem, alter vero probabilem, et odioſam, illi ſine dubio parendum eſt. Ergo, etiam concurrentibus duobus judicibus, quorum unus ſit ordinarius, et in re controverſa habeat juriſdictionem probabiliſſimam, alter vero delegatus reſtrictus cum juriſdictione tantum probabili, primo obtemperandum eſt: ſicuti enim in primo caſu obtemperans judici incerto, certam irrogat injuriam ſuo legitimo, et certo ſuperiori; ita in ſecundo caſu obtemperans judici delegato, qui probabiliſſime non eſt ſuus judex, infert probabiliſſimam injuriam ſuo judici ordinario, quia ſe eximit à juriſdictione probabiliſſima ſui judicis certi, ut ſubjiciatur juriſdictioni ſolum probabili alterius judicis, qui probabiliſſime ſuus judex non eſt.

XLVI. His ſuppoſitis, tanquam veris, et certis, ſubſumamus omnia ſic: atqui nullus judex conſervator poteſt valide, et juſte, procedere cenſuris, 1. Contra exemptos, habentes ignorantiam invincibilem de valore ſuorum præceptorum, atque cenſurarum: commune enim eſt omnium jurium, et DD. axioma, quod *ignorantia invincibilis præcepti validi, et cenſuræ annexæ, excuſat etiam ſubditum à præcepto, et cenſura.* 2. Contra exemptos, qui non ſunt notorie notorietate juris contumaces, et inobedientes eccleſiæ. 3. Contra exemptos nolentes parere præceptis inducentibus ad inferendam notoriam injuriam alteri, præcipue ordinario, aut ad promovendum ſcandalum puſillorum, perturbationem reipublicæ, communitatum ſchiſmata, et animarum perniciem; in his enim circumſtantiis, etiam ſuperiori certo, defuit jus præcipiendi; et nemo tenetur illi parere, imo poteſt quilibet impune reſiſtere; neque enim *propter ſcandalum* (Phariſaicum) *evitandum, veritas eſt omittenda*, ex cap. 2. de reg. jur. *quia ſi de veritate ſcandalum ſumitur, utique permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* D. Greg. lib. 1. in Ezech. tom. 7. quia bonæ res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem, Tertul. de veland. virg. cap. 3. ergo à primo ad ultimum cenſuræ omnes ab illuſtriſſimo conſervatore fulminatæ contra participantes cum illuſtriſſimo archiepiſcopo Goano, nullæ omnino ſunt, injuſtæ, perturbativæ humanæ libertatis, et errore intolerabili deturpatæ.

Si hæc ita ſunt, non obſtantibus prædictis hypotheſibus, quid, quæſo, dicendum ſupereſt ſimpliciter inſpectis hinc inde fundamentis, in ſuperiori diſcurſu principali diſcuſſis? Si ſolidiora non ſuppetant mihi prorſus ignota pro illuſtriſſimo Malacenſi, non alia (ni fallor) expectanda eſt ſuper hoc definitio à ſupremo controverſiarum eccleſiaſticarum judice, quam quæ apparet jam olim lata anno 1648. die 16. April. in brevi Sanctiſſimi domini noſtri Inn. X. quod affert Leſ. conſ. 40. n. 110. et noſter Ventricel. de miſſion. apoſt. tom. 4. de privileg. reg. q. 91. ſuper differentiis ortis; ibi: *Inter venerabilem fratrem Joannem epiſcopum Angelopolitanum .... et dilectos filios clericos regulares Societatis Jeſu:* ubi in fine ſic concluditur: *Nec ob eam cauſam licuiſſe dictis religioſis, quaſi à manifeſtis injuriis, et violentiis, eligere conſervatores, eoſque, ut præfertur, electos in epiſcopum, ejuſque vicarium generalem indebite, ac nulliter, excommunicationem fulminâſſe:* an autem in caſu detur identitas materiæ,

teriæ, et, hoc ſuppoſito, ſupradicta definitio mereatur ampliari ad omnes alias excommunicationes, et cenſuras, de quibus hactenus locuti ſumus, meliori judicio decidendum relinquo.

Laudes hujuſce diſcurſus.

SIC ſapientiſſimus conſulens, præfatus ſcilicet reverendiſſimus P. præfectus, allegationem ſuam abſolvebat, et nodum illum aggreſſum cenſurarum omnium conſervatoris, acutiſſima ſuæ mentis acie, Alexandro felicior, uſque ad ultimam ſtricturam facile ſolvebat. Et ſane opuſculum hoc, nedum Goæ, ſed et Romæ, et Ulyſſipone, generalem plauſum, atque acclamationem promeruit obtinere: quinimo et ſereniſſimus monarcha Luſitanus, ſub cujus auſpiciis hoc opus editum eſt, dum per manus ejus primi miniſtri, eminentiſſimi videlicet cardinalis *da Motta*, eidem offerretur; illud dignatus eſt libenter admittere, et complacenter approbare; et eminentia ſua in epiſtola auctori reſcripta, et opus, et opificem honorificentiſſimis terminis æqualiter laudans, expreſſe addit, *Quod juſte gloriari deberet, eo quod aperte pro veritate pugnare animoſe deliberârit.*

Et Romæ oblatum S. Congregationi de Propaganda Fide, quamvis eminentiſſimus, ac ſapientiſſimus cardinalis Petra, hujuſce præfectus, judicaverit, remittendum fore ad tribunal S. Congregationis epiſcoporum, et regularium; attamen opus, et illius doctrinæ ſoliditatem, atque bene eviſceratam deductionem inſpiciens, illud pariter laudans, dignum æque adjudicavit, ut ſaltem illius exemplar apud archivum ejuſdem S. Congregationis relinqueretur, atque aſſervaretur, et non niſi poſt hujuſce tranſumptum, conſcriptum, competenti tribunali demandaretur: ubi etiam conſimile judicium de opuſculo hoc efformatum eſt, atteſtantibus pleriſque tum extraneorum, tum ejuſdem religionis, auctoris conſodalium epiſtolis, necnon et proprii ipſius magiſtri, canonici juris profeſſoris, laudibus juſte illud extollentibus, ut egomet in aliquorum literis, è Roma, et aliunde, huc miſſis, oculariter expertus ſum.

Porro judicium ſereniſſimi regis Portugalliæ ſuper controverſia, in duplici, aut triplici reſcripto per tribunal menſæ ordinum expeditum die 15. Aprilis ann. 1733. hoc tandem fuit: Primo, Ut ego, et epiſcopus conſervator, ad arbitros deveniremus, juxta decretum S. Concilii Trident. ſupra attactum. Secundo, Interdictum à me promulgatum, debere quidem obſervari ab omnibus eccleſiis, etiam patronatus regii, et à capella Domus Miſericordiæ, quamvis ſub immediata regia protectione perſiſtentis, ut in regio ſcripto continetur, infra; per quod implicite inſinuat, ac firmat validitatem illius procedimenti, à quo procurator ordinum recurſum intentârat, ut allegat. 37. inſpicietur, prout melius dignoſcetur ex ipſa dicti ſecundi regii reſcripti tranſcripta formalitate; et tertii alterius ejuſdem dici, ac anni, pro inobſervantia Franciſcanorum ejuſdem interdicti, et exceſſibus parochorum regularium ejuſdem ordinis in tota Bardeſiana provincia ex vi inobſervantiæ illius, cum notoria injuria, atque offenſa juriſdictionis ordinariæ, refractarie commiſſorum: quæ quidem reſcripta patrio idiomate ſic recitabant (primum quære infra, allegat. 38.).

Secundum reſcriptum regium pro obſervantia interdicti generalis, vernaculo idiomate proregi directum.

COnde de Sandomil, V. Rey, e capitaô geral do eſtado da India, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſaudar, como aquelles que amo. Foy por min viſta a conta, que me deo o arcebiſpo primas deſſe eſtado, em carta ſua de 5. de Janeyro, do anno paſſado, em que me reprezentou, que publicado o interdicto geral, de que me fes mençaô, procurando o V. Rey voſſo anteceſſor, que os regulares o naô obſervaſſem, o naô podera conſequir dos religiozos da Divina Providencia, e dos PP. da Congregaçaô do Oratorio, nem da Caza da Miſericordia, ſem embargo da carta poſitiva, que a eſta eſcreveo para a dicta inobſervancia, fundado na izençaô, que dizia ter a dicta Caza da juriſdicçam ordinaria; e vendo que o povo, e as parochias o obſervaçaô, fazer com o procurador da coroa, que dizia ſer tambem das ordens, interpoſeſſe, como tal, hum recurſo da fulminaçaô do dicto interdicto, por ſerem eſtas igrejas do meu padroado, a quem ſomente pertencia interdictalas; à viſta do que, fui ſervido rezolver, que as igrejas do padroado das ordens militares, ainda unidas as meſmas ordens com pleno direyto (com tanto, que nam ſeja com juriſdicçaô no clero, e povo, que he o modo por que com pleno direyto ſe acham unidas à ordem de Chriſto) todas as parochias do ultramar, eſtaô obrigadas a obſervar o interdicto geral, poſto pelo ordinario; como porem, os autos proceſſados no juizo da coroa deſſe eſtado, nam vieraô, nem conſta os fundamentos, que os miniſtros tiveraô paro darem provimento no meſmo recurſo, ſe naô pode tomar reſoluçaô, e devem ſeguir as partes os meyos ordinarios do recurſo. Eſcritta em Lixboa Occidental, aos 15. de Abril de 1733 annos. Rey. Para o Conde de Sandomil, V. Rey, e capitam geral do eſtado da India. Duque Eſtribeiro mor.

Tertium reſcriptum, eidem ſimiliter directum.

COnde de Sandomil, V. Rey, e capitam geral do eſtado da India, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſauder, como aquelle que amo. O arcebiſpo primas deſſe eſtado, me deu conta em carta de 17. de Dezembro de 1731. reprezentandome, que vendoſe precizado a publicar hum interdicto geral, por cauſa dos exceſſos, e violencias do biſpo de Malaca, aſſerto conſervador da companhia, e do provedor mor das cappellas, o provincial de S. Franciſco da provincia de S. Thome, ſe animou a paſſar ordem, para que os parochos regulares da provincia de Bardes, nam obſervaſſem o ditto interdicto, e antes obſervaſſem emtudo, o que lhes mandaſſe o ditto biſpo conſervador, uſurpandoſelhe por eſte meyo a ſua juriſdicçaô, conſtituindoſe ordinario da quellas igrejas, fazendo, e ſentenciando as juſtificaçoes per ſy meſmos, eos cazamentos, ſem mandado do juizo, raſgando os que delle ſelhe remettiam, e os deſpachos do meſmo arcebiſpo, e do ſeu provizor e vigario geral, cometendo outras deſordens comformal ſoblevaçaô, chegando a diſpençar em alguns impedimentos, nam ſo impedientes, mas dirimentes do matrimonio: mandando fazer todos os baptiſmos, no dia oytavo, contra o decretado, e ordenado na paſtoral, alterando outras mais diſpoziçoes da ditta paſtoral, ſendo notavel a falta de alguns dos parochos da eſſencial reſidencia, que muitos, o mais do tempo, aſſiſtem fora das igrejas, eſpecialmente Fr. N. por ſer juntamente procurador geral da religiam, e reitor da freguezia de Parra, e a major parte do tempo por aſſiſtir em Goa as incumbencias do primeiro officio, deyxa de aſſiſtir na parochia, e de exercitar as obrigaçoes do ſegundo: o que tudo por min viſto; ſou ſervido dizervos, que achando ſer verdade o que o arcebiſpo refere, eſtranheis ſeveramente ao provincial de S. Franciſco o que obrou, eo advertireis do que devia uzar, pois a patente que paſſou, ainda ſuppoſtes as contendas da juriſdicçam entre o arcebiſpo, e biſpo de Malaca, que ſe dis ſer conſervador da companhia, he incivil, e injurioza à juriſdicçam ordinaria, que a mitra de Goa tem nos povos de Bardes, a qual no cazo de o arcebiſpo ſeachar legitimamente impedido de a exercitar per ſy, e ſeus miniſtros, nam paſſava ao biſpo conſervador, nem aos parochos, mas ao biſpo de Cochim, e em ſua falta ao cabbido; e fareis obſervar aminha reſoluçao interina em carta de 12. de Abril de 1731. repetida por provizaô de 3. do ditto mes, do anno paſſado, de 1732. Eſcritta em Lixboa Occidental, aos 15. de Abril de 1733 annos. Rey. Para o Conde de Sandomil, V. Rey, e capitam geral do eſtado da India. Duque Eſtribeiro mor.

Duplex præmiſſum reſcriptum, Latine redditum.

Secundum.

COmes Sandomilenſis, prorex, et dux generalis ſtatus Indiani, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis mitto, tanquam illi, quem diligo. A me inſpecta fuit repræſentatio, quam mihi fecit archiepiſcopus primas ipſius ſtatus, in epiſtola diei 5. Januarii, exponens, quod, publicato generali interdicto, de quo mihi alibi narraverat, prorex predeceſſor veſter,

ſter, ſolicitans à regularibus, ut illud non ſervarent, id nullatenus conſequi potuit à religioſis Divinæ Providentiæ, et à PP. Congregationis Oratorii, necnon à Domo Miſericordiæ, nil proficiente epiſtola poſitiva, quam ad hanc inobſervantiam Domui ipſi conſcripſit, exemptionis prætextu, quam Domum illam à juriſdictione ordinaria habere dicebat. Imo prorex ipſe conſpiciens generalem obſervantiam populi, atque parœciarum, procuratori coronæ (quem ſimul et ordinum militarium procuratorem eſſe dicebat) ſuaſit, ut, velut talis, à fulminatione interdicti recurſum interponeret, eo nixus fundamento, quod parœciæ iſtæ regii mei patronatus extabant, et mihi ſoli eas interdicto ſubjicere pertinebat.—Quare dignatus ſum reſolvere, quod eccleſiæ patronatus ordinum militarium, etiam ipſis ordinibus pleno jure unitæ (dummodo tales non ſint cum juriſdictione in populo, et in clero; hic nämque modus eſt, quo ordini Chriſti pleno jure unita reperiuntur) omnes parochiæ ultramarinæ tenentur ſervare interdictum generale ab ordinario impoſitum. At cum acta, in coronæ judicio ipſius ſtatus proceſſata, huc non tranſmitterentur, neque nota ſint fundamenta, quibus miniſtri recurſui providerunt, non poteſt ultima reſolutio dari, et debent partes recurſus ordinaria media ſequi. Scripta Ulyſſipone Occidua, die 15. April. 1733. Rex. Comiti Sandomilenſi, proregi, et capitaneo generali Indiani ſtatus. Dux regii Stabularii præfectus major.

Tertium reſcriptum.

COmes Sandomilenſis, prorex, et capitaneus generalis Indiani ſtatus, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto, veluti ei, quem amo. Archiepiſcopus primas ipſius ſtatus, per epiſtolam ſuam diei 17. Decembris anni 1731. mihi præſens fecit, quod cum generale interdictum publicare cogeretur ob exceſſus, ac violentias, tum epiſcopi Malacenſis, aſſerti conſervatoris ſocietatis, tum proviſoris majoris capellarum; provincialis Sancti Franciſci, provinciæ D. Thomæ, animoſe ſcriptum ordinem direxit parochis regularibus provinciæ Bardeſianæ, ut prædictum interdictum minime obſervarent, imo et conſervatoris mandata adamuſſim exequerentur, cum notoria uſurpatione ordinariæ juriſdictionis, ſeſe eiſdem parochis illarum eccleſiarum ordinarios conſtituentibus, quatenus juſtificationes matrimoniales, et alias, per ſe, et coram ſe faciebant, et matrimonia abſque ordine, aut mandato judicii ordinarii celebrantes, reſcindentes quæ ab eodem archiepiſcopo, atque ejus vicario generali, eiſdem dirigebantur, et alia hujus furſuris facinora patrantes, cum formali rebellione, ita ut etiam auderent in aliquibus impedimentis, nedum impedientibus, verum et dirimentibus matrimonia, diſpenſare; jubentes inſuper baptiſmos omnes octava die, contra paſtoralis præceptum, celebrare, cum notabili præterea aliarum ejuſdem paſtoralis diſpoſitionum turbatione, et notabiliori defectu eſſentialis reſidentiæ in aliquibus parochorum eorum, quorum plures majoris temporis ſpatio extra parochias degunt, ut Fr. N. qui ſimul generalis procuratoris religionis, et rectoris parochiæ *de Parra*, munus exercet; et toto fere tempore Goæ adſtans, primi officii negotiis addictus, negligit ſecundi obligationes adimplere: quæ omnia equidem à me conſpecta, dignatus ſum vobis reſcribere, quatenus verum eſſe, quod archiepiſcopus refert, reperientes, ſevere provincialem S. Franciſci increpabitis, quæ operatus eſt eidem exprobrans, et quæ ſervare debebat animadvertens. Nam ordinem, quem expedivit, etiam ſuppoſitis controverſiis juriſdictionis inter archiepiſcopum, et epiſcopum Malacenſem, qui conſervator ſocietatis dicitur, incivilis quidem, et injurioſus ordinariæ juriſdictioni, quam Goana mitra in populos Bardeſianos retinet; et caſu, quo archiepiſcopus legitime impeditus foret, eam juriſdictionem exercendi, neque epiſcopo conſervatori, neque parochis ea devolvebatur, ſed Coccinenſi epiſcopo, et, ejus defectu, capitulo Goanæ Sedis; et obſervari omnino efficietis meam reſolutionem interinam in epiſtola 12. Aprilis 1731. expeditam, atque iteratam per literas proviſionales diei 3. ejuſdem menſis, ann. 1733. Rex. Comiti Sandomilenſi, prorégi, et capitaneo generali Indiæ ſtatus. Dux Stabularii regii præfectus major.

Aliud reſcriptum per tribunal ultramarinum ſuper violentis intruſionibus proviſoris regii, et ſuper cenſuris in eum latis, habetur per extenſum infra, alleg. 39. n. fin. ubi etiam primum præmemoratum reſcriptum per formalia tranſcribitur.

ALLEGATIO MULTIPLEX XXXVII.

In Propoſitione Dubiorum ſuper eadem Conſervatoria S. Congregationi cum ſingulis competentibus Allegationibus pro Deciſione expoſitorum.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*

Dub. 1. et Alleg. *Super electione conſervatoris etiam* ad cauſas activas.

Dub. 2. et Alleg. *Super valore antiquorum privilegiorum regularium, ſaltem poſt nuperam confirmationem Bened.* XIII. *per bull.* Summe decet.

Dub. 3. *Super facultatem eligendi conſervatorem, quoties opus fuerit, cum facultate ſubdelegandi, et ſubſtituendi.*

Dub. 4. *Super electionem conſervatoris pro violentiis dubiis, et quæ ſolum timeantur futuræ.*

Dub. 5. *Super electione conſervatoris ſuſpecti.*

Dub. 6. *Super creatione notarii proprii à conſervatore inſtituendi.*

Dub. 7. *An adhuc vigeat tale privilegium ſpeciale, et in reliquis regularibus communicetur per ſolam generalem communicationem.*

Dub. 8. *Super conſervatoris juriſdictionem ante exhibitionem ſuæ deputationis coram ordinario.*

Dub. 9. *An literæ deputationis nullitate laborantes, exhibitæ coram ordinario, ſubjiciantur conſequenter impedimentis promotoris, vel aliarum partium intereſſe habentium.*

Dub. 10. *An, lite impedimentorum pendente, poſſit conſervator procedere ex vi prædictæ deputationis.*

Dub. 11. *Super exceſſu conſervatoris creando notarium proprium in ipſis deputationis literis ante earum exhibitionem.*

Dub. 12. *An ordinarius, poſita notoria uſurpatione, vel exceſſu conſervatoris, poſſit extrajudicialiter, vim vi repellendo, illum inhibere, ſuſpendere, excommunicare, et declarare.*

Dub. 13. *Super incurſu conſervatoris in pœnam ſuſpenſionis, ſi ſe ingerat in cauſis dubiis, et altiorem indaginem requirentibus.*

Dub. 14. *Super exceſſu conſervatoris facientis exequi citationem cum comminatione cenſurarum contra curiam epiſcopi.*

Dub. 15. *An ſufficiat conſervatori rite electo probabilitas, vel requiratur certitudo practice ad valide procedendum.*

Dub. 16. *An c. 2. de offic. deleg. in 6. loquatur tantum de conſervatoribus à Sede Apoſtolica immediate electis.*

Dub. 17. *Super reſervatione cenſurarum Sedi Apoſtolicæ de induſtria à conſervatore facta.*

Dub. 18. *Super procedimentis conſervatoris, probabiliter talis, adverſus privilegiatos de facto, ſuper violentia à ſe tantum declarata.*

Dub. 19. *Super juriſdictionem vicariorum foraneorum in parochos regulares, et ad nutum amovibiles.*

Dub. 20. *Super eadem juriſdictione in ſuperiores regulares præfatorum parochorum, ſi eam turbent, aut impediant.*

Dub. 21. *An inferant violentiam, ſi procedant adverſus tales ſuperiores per notificationem cum clauſula juſtificativa.*

II. *Dubiorum deciſio deſiderata.*

I. TANTO,

I. TANTO, talique nixu, et conatu, hujuſce conſervatoriæ electores eam proſequi, et ſuper ea ultimas competentes, ac ſibi favorabiles deciſiones ſolicitare decreverunt, ut eodem anno 1732. ingrediente, hinc ad Ulyſſiponem navigare, indeque Romam tranſmeare ſuaſerint P. N. Jeſuitam Florentinum, ſed infelici eventu; nam poſtquam Florentiæ morti proximum ſeſe experiretur, febricitans adhuc Romam proficiſcens, et ibi commiſſionis ſuæ executionem adhæſive præparans, præceptum formale accepit à reverendiſſimo ſuo P. præpoſito generali, de qualitate, et circumſtantiis conſervatoriæ melius, ac verius, certiore facto, ut omnino de illa reticeret, et ne verbum quidem, aut diligentiam ullam ſuper ea proſequeretur. Quare cor ejus gravi triſtitia ob hanc interdictionem occupante, ut eſt evulgatum, et hectica febricula ſuccreſcente, ab ea correptus eſt in pervigilio (ut fama fuit) patriarchæ ſui D. Ignatii Loyolani; qua die, anno anteriori 1731. occaſione feſtivitatis ejuſdem in domo profeſſorum Goana, præmeditata conſervatoria coram prorege, et prætenſo conſervatore, aliquibus miniſtris regiis adhibitis, ſtabilita eſt, ut ſupr. alleg. in facti ſpecie editum eſt: qua quidem nunc etiam præmiſſa, S. Congregationi epiſcoporum, et regularium, ſequentia dubia decidenda proponere etiam curavi.

Dubium I.

An privilegium olim à Greg. XIII. patribus Societatis conceſſum per bull. 1. *Æquum reputamus*, pro electione judicis conſervatoris ad cauſas, *tam activas, quam paſſivas*, adhuc conſiſtat?

Allegatio *ad* I.

Privilegium illud in dicta bulla prima expreſſum anno 1572. conceſſum, ſimilia conceſſa regularibus, reductum eſt ad terminos juris communis, et Concilii Tridentini, ab eodem Greg. XIII. anno 1573. per bullam *In tanta*; et poſtea expreſſe revocatum per bullam *Sanctiſſimus*, Greg. XV. § 2. et 3. et 9. et declaratum eſt in cauſa Angelopolitana, loco infra cit. et ita tenent Monacel. p. 1. in appendic. ad dictam bullam, n. 1. Deluc. de regular. diſc. 51. et 52. de juriſdict. d. 49. Donat. q. 1. tr. 17. de conſervat. Cirin. nex. utr. jur. c. 6. n. 18. et de facto iterum nuper revocatum eſſe, conſtat ex bullis infra cit. Innoc. XIII. et Bened. XIII.

Dubium II.

An ſaltem regulares ipſi in vim dicti privilegii Greg. XIII. adhuc etiam poſt bullam *Sanctiſſimus*, Greg. XV. et noviſſimas *Apoſtolici*, Innoc. XIII. et *In ſupremo*, Bened. XIII. poſſint valide eligere judices conſervatores pro omnibus cauſis, in quibus ipſimet regulares tam rei, quam actores fuerint, ſaltem poſt nuperrimam privilegiorum Mendicantium confirmationem per bullas *Summi decet*, et *Pretioſus*, ejuſdem Benedicti XIII. factam?

Allegatio *ad* II.

Reſolutio negativa quoad utramque partem evincitur ex cit. bulla *Sanctiſſimus*, § 9. ex Trident. ſeſſ. 14. c. 5. de reform. ex declarat. 7. ad inſtantiam patrum Societatis in cauſa Angelopolit. ap. Cherub. tom. 4. in bulla *Cum ſicut*, Innoc. X. et apud Monacell. p. 1. in append. ad d. bull. *Sanctiſſim.* n. 15. et ex reliquis DD. Deluc. de regular. et de juriſdict. l. cit. ſupr. Donat. Cirin. ſupr. cit. et tandem ex dicta bulla *In ſupremo*, Bened. XIII. confirmata alterius *Apoſtolici*, Innoc. XIII. § 6. et 17. apud novum Concilium Lateran. in append. et confirmatur ex revocationibus et reductionibus ſupra allegatis ad 1. laudatis.

Neque obeſt nupera confirmatio Bened. XIII. in literis citatis, tum ob expreſſam inibi reſtrictionem, *Dummodo Concilii Tridentini decretis non adverſentur*; tum ob noviſſimam reductionem Sanctiſſimi domini noſtri Clem. XII. in bulla *Romanus Pontifex*, 3. Calend. Aprilis, anno 1732. editam.

Dubium III.

An regulares prædicti poſſint hodie, poſt præjactas reductiones, et revocationes, eligere conſervatorem, cum facultate in literis electionis expreſſa, *Semel, bis, aut quoties opus fuerit ſubdelegandi, aut ſubſtituendi alium judicem conſervatorem*, abſque novo, et ſpeciali privilegio?

Allegatio *ad* III.

Negativa reſolutio patet ex c. fin. de offic. deleg. in 6. renovata à dicta bulla *Sanctiſſimus*, § 11. et noviſſimis relatis Innoc. XIII. et Bened. XIII. et tandem Sanctiſſimi domini noſtri *Romanus Pontifex*, anno 1732. editam; et eam tenent Monacell. cit. 1. p. n. 3. Deluc. diſc. 1. de regular. n. 33. Nicol. lucubr. l. 1. tt. 29. n. 13. except. 3. et relig. DD. unde, ſi aliqui ex dictis regularibus aliquod privilegium cum tali facultate olim habuerunt, jam nunc temporis, præcipue poſt publicationem dictæ nuperæ bullæ *Romanus Pontifex*, vel novo privilegio, vel ſaltem nova ſpeciali confirmatione, indigere videntur.

Neque obeſt conſt. Greg. XV. § 2. *Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati:* loquitur enim, non de ſubrogatis vi juris communis, ſed ex vi ſpecialis privilegii, Cirin. d. c. 6. n. 27.

Dubium IV.

An regulares prædicti in cauſis, in quibus rei extiterint, et ubi non fuerint judices ſynodales, poſſint eligere conſervatorem contra ordinarios locorum, nedum ut ſe tueantur ab eorundem injuriis, atque violentiis præſentibus notoriis, atque manifeſtis, verum etiam quando prædictæ injuriæ, aut violentiæ, dubiæ dumtaxat ſunt, aut ſolum timentur futuræ?

Allegatio *ad* IV.

Reſolutio negativa conſtare videtur ex c. fin. de offic. deleg. in 6. et ex d. bulla Greg. *Sanctiſſim.* et ex declarationibus in cauſ. Angelopolit. apud Tondut. de præv. p. 3. reſolut. 3. et Monacell. p. 1. in append. n. 7. et 15. et p. 3. form. 50. n. 7. Donat. cit. q. 14. Deluc. cit. de regular. et de juriſdict. Lacroix. theolog. moral. l. 6. p. 2. n. marg. 1592. ubi ex Monigart. et ex ſynodo Colon. hanc inter cæteras Sacræ Congregationis refert: *Patres non poſſunt eligere conſervatores ex vi privilegiorum, ſi epiſcopus urgeat obſervationem decretorum Tridentini in iis, in quibus per Tridentinum, vel Papam, exempti ſubjiciuntur epiſcopi juriſdictioni, et correctioni.* Et tandem ex brevi ab eodem Innoc. X. ann. 1648. die 16. Aprilis edito, à Verriulli de miſſion. apoſt. diſp. 4. de privil. regul. q. 91. relato; ubi ſic concluditur: *Nec ob eam cauſam licuiſſe dictis religioſis, quaſi à manifeſtis injuriis, et violentiis, eligere conſervatores, eoſque, ut præfertur, electos, in epiſcopum, ejuſque vicarium generalem, indebite, ac nulliter, excommunicationem fulminâſſe.*

Ex quibus omnibus ſatis evidenter infertur conſervatorem, qui ex judicibus ſynodalibus intra tempus ab ordinario præſcriptum electus non ſit, nedum nulliter procedere, verum etiam nulliter eligi, quoties injuriæ et violentiæ notoriæ minime ſunt atque præſentes.

Dubium V.

An præfati regulares contra ordinarium, notariam illis violentiam actu inferentem, poſſint valide, et licite, eligere conſervatorem, qui reipſa ſuſpectus ſit ordinario, et, ut talis, jam ab eo recuſatus ſit?

Allegatio *ad* V.

Pro reſolutione negativa (præter ea, quæ de jure communi extant, c. *Si contra*, c. *Judex*, de offic. deleg.) facit expreſſe dict. bull. Gregor. § 12. *Judicem non ſuſpectum*; et d. c. fin. de offic. deleg. in 6. et Trid. ſupr. cit. Accedit Monacell. 1. p. in append. ad d. bull. Greg. n. 6. Barb. de epiſc. alleg. 106. n. 32. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 13. Donat. tr. 17. q. 44. Deluc. cit. Pignatell. tom. 4. conſ. 192. et alibi: ex conſtitutione enim Bonifacii VIII. relata in prædicto c. fin. quam Gregor. XV. in d. bulla innovavit, ſpeciali jure ſancitum eſt, quoad conſervatores, cauſam ſuſpicionis in jure fundatam, taliter eorum perſonas fugillare, atque ditimere, ut omnino inhabiles reddantur ad ſubeundum conſervatoris officium, etiamſi

etiamſi de facto per exceptionem juridicam non opponantur; ut recte inferunt Azor. inſt. mor. p. 2. l. 5. c. 34. q. 5. Ludovic. Mirand. in manual. præfat. 2. q. 47. art. 3. concl. unic. et DD. communiter, ut ait Barb. de offic. et poteſt. epiſc. p. 3. alleg. 106. n. 6.

Dubium VI.

An conſervator, à præfatis regularibus rite electus, nedum poſſit aſſumere notarium aliquem, apoſtolica jam, aut alia legitima auctoritate deputatum, vel, in defectum eorundem, *eligere ſibi duos viros idoneos*, juxta præſcriptum in c. *Quoniam*, de probat. § *Statuimus*; ſed adhuc ſuppoſita notariorum copia, poſſit etiam ſibi notarium creando inſtituere?

Allegatio *ad* VI.

Reſolutio negativa clare eruitur ex illo privilegio à Gregor. XIII. in bull. *In ſupereminenti*, conſervatoribus PP. Societatis Jeſus ſpecialiter conceſſo; ibi: *Clericos, ſeu laicos, in notarios, ſibi, in defectu aliorum, apoſtolica, vel alia auctoritate legitima deputatorum, conſtituere, et deputare valeant.* Hoc enim privilegium inconcuſſam relinquit generalem illam juris diſpoſitionem, qua conſervator, ex dicto c. *Quoniam*, de prob. præcipitur adhibere notarium legitima jam auctoritate inſtitutum, ſi adſit; et in ea ſolum derogat prædictæ conſtitutioni, quod, deficiente copia notariorum, non teneatur adhibere duos viros idoneos, quorum fides, ex jure gentium, æquiparatur fidei tabellionis; ſed poſſit unam, aut plures privatas perſonas in notarios publicos per veram creationem ſibi conſtituere. Hinc facta hypotheſi, quod adhuc vigeat privilegium hoc, adeo exorbitans à jure communi, in defectu aliorum, ſive eccleſiaſticorum, ſive laicorum; manifeſte ſequitur, nullum de facto eſſe titulum in jure ſcripto fundatum, ex quo conſervatori regularium, etiam Societis Jeſu, adjudicari poſſit facultas creandi notarium, ubi alios legitime creatos ſibi poſſit eligere, aſſumere, aut deputare. Evincitur eadem reſolutio ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Non liceat quoque conſervatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum.* Quod quidem falleret, ſi poſſit proprium notarium creare; Pignat. tom. 2. conſ. 35. n. 4. alios laudans, et refert deciſum in una Vicentina 10. Januar. 1605. Accedit Gavant. cit. n. 17. Cirin. d. c. 6. n. 36. Monacell. in d. append. n. 1. Deluc. de juriſdict. d. 4. n. 14. Barb. ad alleg. 106. n. 51. Cardin. Petr. tom. 4. in conſtit. 10. Eugenii IV. et alib. ib.

Confirmatur ex vulgari ratione, quod creare notarios, et tabelliones, ſit de primis regalibus, competens tantum ſupremis principibus, illiuſque oſſibus (ut loquitur Portugal de donat. l. 2. c. 8. et 13.) adeo inhærens, ut ab illis abdicari non poſſit, et ſemper cenſetur reſervatum, et nunquam per clauſulas generales tranſlatum (ſecus per ſpeciales) ex c. *Quod tranſlatio*, Molin. de juriſd. tr. 5. diſput. 6. n. 3. Innoc. in c. *Cum P. tabell.* de fid. inſtrum. Betachin. cum Bald. de fid. inſtrum. col. 1.

Neque obeſt, 1. Axioma deductum ex c. *Præterea*, de offic. deleg. *Conceſſa juriſdictione, concedenda omnia*, &c. Reſpondetur namque, conſervatorem optime quidem poſſe ſuam juriſdictionem exercere, aſſumendo unum ex notariis jam approbatis, vel, in defectum, *duos viros idoneos.* Neque obeſt, 2. Donat. et Deluc. cit. ex deciſione in una *Faventina* aſſerentes, poſſe conſervatores *eligere*, ſeu *aſſumere*, notarium ſibi bene viſum. Reſpondetur enim, hoc intelligi debere de jam approbatis, non vero de prima eorum inſtitutione, ſeu creatione; *eligere* autem, et *aſſumere*, non eſſe creare, ex terminis liquet, et ex Panorm. ad d. Clem. de hæretic. c. 1. n. 23.

Quoad aliam vero partem, circa electionem duorum virorum idoneorum in defectum notariorum approbatorum, reſolutio affirmativa patet ex d. c. *Quoniam*, de probat. § *Statuim.* et ex DD. ibid. et ex allegat. ſequenti.

Dubium VII.

An adhuc ſubſiſtat prædictum privilegium conſervatoris PP. Societatis, creandi ſibi notarium in defectum aliorum legitima jam auctoritate deputatorum? et, facta hypotheſi, quod adhuc vigeat, an etiam competat conſervatoribus cæterorum regularium ex vi generalis dumtaxat privilegiorum communicationis?

Allegatio *ad* VII.

Dubium videtur, an tale privilegium adhuc ſubſiſtat: nam quamvis novum compendium privilegiorum Societatis anno 1730. noviter typis mandatum, verbo *Conſervatores*, § 2. adhuc conſiſtere innuat, in vim bullæ *In ſupereminenti*; attamen, cum non ſolum per bullam præfatam Greg. XV. ſed et per poſteriores citatas Innoc. XIII. et Bened. XIII. (quibus etiam inhæret bulla noviſſima *Romanus Pontifex*, Sanctiſſimi domini noſtri Clementis XII.) omnia regularium privilegia in hac materia redacta ſunt ad terminos juris communis, et Concilii Tridentini, et reliquarum Conſtitutionum Apoſtolicarum; et conciliaris diſpoſitio ſuper hac re ſit, quæ in ſuperiori allegatione exprimitur; hinc deduci videtur, tale privilegium nunc temporis jam non conſiſtere.

Confirmatur hoc judicium ex eo, quod in prædicta bulla, *In ſupereminenti*, etiam concedebatur eiſdem PP. Societatis eligere, in defectum aliorum, quemlibet clericum, etiam in minoribus conſtitutum. Et tamen, quia hoc privilegium eſt contra jus commune, conſtitutionem, videlicet, Bonifac. VIII. renovatam in d. bulla *Sanctiſſim.* § 2. cum clauſulis irritantibus, § 3. et 4. cenſetur hodie redactum ad hos juris communis terminos; quapropter dictum novum compendium ne verbum quidem de hoc ſecundo privilegio effatur: ergo ſimiliter cenſendum videtur de primo privilegio creandi notarium, redactum eſſe ad terminos d. c. *Quoniam*, de probat. § *Statuimus.*

Quoad ſecundam vero partem, in hypotheſi, quod adhuc conſiſtat, certa videtur reſolutio negativa ex regula juris 29. in 6. *Quæ à jure communi exorbitant*, &c. et ex communi doctrina aſtruente, *Privilegia ſpecialia, ſpeciali nota digna, non cenſeri communicata per ſolam generalem communicationem*, Cardin. Petra, tom. 5. in conſt. 10. Xyſti IV. n. 16. p. 143. et in conſt. 6. Urb. IV. p. 325. n. 2. Fagn. in c. *Cauſam de reſcript.* tom. 1. Deluc. de paroch. d. 38. n. 3. et 16. de regular. d. 33. n. 14. Pignatell. tom. 10. c. 1. n. 32. et ſeqq. et etiam ex generali aſſerto, *Quod regulares, qui gaudent privilegiis Sedis Apoſtolicæ per ſolam generalem communicationem, illis uti non poſſunt, quoties ſunt tertio præjudicialia*, Monacell. p. 2. tt. 13. form. 4. ex n. 34. et tt. 14. n. 14. ex var. declarat. Sacræ Congreg. ibid. Donat. tom. 1. p. 1. tr. 7. q. 14. n. 10. Deluc. de paroch. diſcept. 28. n. 3. et 16.

Dubium VIII.

An conſervator rite electus, antequam ſuæ deputationis literas coram ordinario exhibeat, poſſit aliquam exercere juriſdictionem?

Allegatio *ad* VIII.

Negative reſolvendum videtur ex bulla noviſſima Bened. XIII. *In ſupremo*, § 26. *Quia juriſdictio delegati pendet ex præſentatione reſcripti*; et ex c. *Cum conting.* 24. de reſcript. de dilat. c. *Cum à nob.* de teſtib. et expreſſiſſime tenet Fraſſ. de reg. patron. p. 2. c. 79. n. 31. ibi: *Nec habet interim delegatus ullus ante exhibitionem literarum juriſdictionis exercitium*, c. *Super eo*, de appellat. c. *Cum injur.* de offic. jud. deleg. ubi Barb. n. 21. Valenſ. conſ. 125. à n. 12. ubi n. 13. dicit, *Quod ſi ante ad præſentationem literarum delegati ordinarius procedat, et juriſdictionem præocupet, valent geſta ab ordinario*; ex Felin. in c. *Cæterum*, de *reſcriptis.* Decius in c. *Ut debitus*, de appellat. Marant. in ſpecul. 4. p. 16. n. 8. et facit optime bull. Greg. XV. § 7. Bald. in l. 1. c. *Ut liter.* Decius in c. *Super eodem*, de appellat. Gonſal. in c. *Cum injur.* de offic. delegat. n. 3. et cæter. Cum enim in quolibet territorio præſumptio ſtet pro ordinario, c. *Sicut*, de re judicata, nullus alius ibi creditur judex, niſi probetur, c. *Paſtor*, de reſcriptis, Bald. in l. falſ. cod. de furt. Gonſal. ubi modo.

Deinde, eſſe conſervatorem taliter, vel taliter, eſt qualitas, et quid facti; quæ neceſſario probari debet; alias non præſumitur; l. *Quæcunque*, 13. § ult. ff. de

de publicat. Menoch. l. 6. præſumpt. 14. Mantic. de conjectur. tt. 1. n. 14. et in cauſa Angelopolitan. dubit. 13. reſponſum eſt, *Conſervatores utique teneri exhibere coram ordinario authenticum electionis documentum ante exercitium ſuæ juriſdictionis, ſub pœna nullitatis actuum.*

Dubium IX.

An literæ electionis, ſeu deputationis conſervatoris nulliter electi, vel quia ſuſpectus eſt, vel quia electus eſt ad cauſas tam activas, quam paſſivas, vel quia creavit in ipſis literis notarium proprium, vel aliis ſubſtantialibus defectibus; ſemel quod coram ordinario exhibeantur, ſubjiciantur conſequenter impedimentis à promotore fiſcali, vel aliis partibus intereſſatis opponendis, ſi illa opponere velint?

Allegatio *ad* IX.

Ex ipſo termino, *Exhibere*, in bulla Gregorian. § 7. expreſſo, deducitur reſolutio affirmativa: *Exhibere* namque (ut in lexic. utriuſque juris habetur, et ap. Alex. Scot.) *eſt rem in publicum deducere, ſeu oſtendere, ut copiam habeat adverſarius rem ſuam tangendi, et eam ſic viſam, ſi ſua ſibi videtur, vendicandi.* De hoc ff. ad *exhibend.* l. 2. de lib. hom. ex bib. l. 3. § *Ait præt.* Deducitur etiam reſolutio affirmativa ex c. *Conſtitutis*, de reſcript. Panormit. in c. *De cæt.* eod. tt. Peg. de compet. p. 1. c. 33. Deducitur tandem ex Trid. d. c. 5. ſeſſ. 14. et c. fin. de offic. deleg. in 6. et ex reliquis in alleg. ad 6. allegatis.

Dubium X.

An, lite ſeu cognitione talium juſtorum impedimentorum pendente, poſſit conſervator procedere ex vi deputationis prædictæ per comminationem, vel fulminationem cenſurarum?

Allegatio *ad* X.

Videtur negative reſolvendum ex traditis in immediata alleg. ad nonum, et ex Abb. in c. 1. et in c. de *cæter.* de *reſcriptis*, et ex communi doctrina de impedimentis reſcriptorum expeditorum contra jus, aut concilium, &c. de qua Peg. de competent. p. 1. c. 43. n. 5. Mend. à Caſtr. l. 2. c. 3. in append. de impedim. adverſ. reſcript. et alii.

Dubium XI.

An præfatus conſervator creans ſibi notarium privatum in ipſis ſuæ deputationis literis, et ante illarum exhibitionem, cenſendus ſit excedere ſuas facultates, et per hoc maneat ſubjectus competentibus procedimentis ordinarii, in cujus territorio delinquit?

Allegatio *ad* XI.

Affirmativa reſolutio evincitur ex ſupra traditis in alleg. ad 7. et 8. et extra dubium dicit Per. de man. reg. c. 7. n. 6. et eſt caſus except. in c. *Paſtoral.* de offic. jud. ordin. ubi gloſſ. verb. *Exceptis*, Petr. Caball. reſolut. crim. tom. 1. ceſ. 52. Farin. fragm. p. 2. n. 973. et Cirin. nex. utriuſque jur. d. c. 6. n. 30. qui cum Navarr. in c. *Cum conting.* de reſcript. Seſſe de inhibit. c. 8. § 5. Covarr. q. 33. Cochier. p. 1. q. 25. n. 31. ampliant, ut talis conſervator excedens poſſit inhiberi etiam à judice ſæculari; nam, *malo nodo malum cuneum eſſe adaptandum*, ait Cochier. Et judici delegato, ſuæ deputationis cancellos tranſgredienti, ut privato, poſſe reſiſti, omnia jura clamant.

Dubium XII.

An, poſito, quod exceſſus conſervatoris ſit notorius, et notoria etiam perturbatio, et uſurpatio juriſdictionis ordinariæ, poſſit ordinarius ipſe extrajudicialiter contra conſervatorem, etiamſi ſit epiſcopus, procedere per ſpeciem defenſionis, et vim vi repellendo, non ſolum illum inhibendo, ſed et ſuſpendendo, excommunicando, et declarando illum incurſum in juris cenſuras competentes?

Allegatio *ad* XII.

Poſito, quod epiſcopus poſſit eſſe conſervator, ex c. fin. de offic. deleg. in 6. et ex Trident. cit. minime illius dignitas obſtat, ſi notorie excedat, vel turbet, aut uſurpet juriſdictionem ordinarii, quominus ab hoc prædictis procedimentis puniri, et coerceri non valeat. Et, quoad *inhibitionem*, patet ex Monacell. p. 3. d. form. 52. Quoad *ſuſpenſionem* autem, liquet ex eo, quod eadem pœna, à jure impoſita, poteſt etiam ab homine infligi, c. *De cauſis*, de offic. delegat. § *Illis*; à jure autem imponitur pœna ſuſpenſionis ab officio conſervatori excedenti, ut in alleg. ad 11. 13. et 14. Quoad excommunicationem extrajudicialem per ſpeciem defenſionis, conſtat ex c. *Dilecto*, c. *Venerabilib.* de ſent. excommunic. in 6. Deluc. de juriſdict. d. 29. n. 4. et d. 47. n. 48. et d. 736. n. 3. *Quia nulla datur exemptio adverſus forum turbatæ juriſdictionis*, Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. 11. Leon. IX. n. 69. f. 2. Pignat. tom. 4. conſ. 128. et infra. Quoad vero *declarationem* in cenſuras juris, etiam extrajudicialiter in defenſionem, patet ex Monacell. cit. ex Card. Petr. cit. in d. conſt. 11. Leon. IX. f. 2. per tot. et ſignanter, n. 69. Pignat. tom. 1. c. 170. et 128. Deluc. de jur. d. 47. et 48.

Deinde ordinarius in ſua diœceſi poteſt etiam punire delegatum Papæ in ea delinquentem, et eum excommunicare, Pignat. tom. 10. c. 136. n. 22. multo magis archiepiſcopus, epiſcoporum, Peg. de competent. p. 1. c. 47. præcipue, ſi hic ſit ſuffraganeus, et archiepiſcopus procedat, etiam ut delegatus, videlicet in executionem Concil. Trident. et Conſtitutionum Apoſtolic. ex bull. ejuſdem Concil. confirmatoria, Tambur. de jur. Abbat. tom. 3. diſp. 5. q. 11. n. 45. Franc. in paſtor. p. 2. q. 1. Gaſparr. inſt. can. tr. 4. p. 1. c. 4. n. 10. et tandem cuilibet delegato, taliter excedenti, tali defenſione extrajudiciali reſiſti poſſe, generalis doctrina eſt, ex eiſdem juribus.

Dubium XIII.

An non ſolum in caſibus, in quibus notorium eſt, conſervatorem non habere juriſdictionem, ſed etiam in aliis cauſis dubiis, et requirentibus altiorem indaginem, in quibus ſe ingerere non poteſt, incurrat conſervator ipſe, ſi procedat, in pœnam ſuſpenſionis ab officio, et pars, ad cujus inſtantiam procedit, in pœnam excommunicationis, in quibus reſpective declarari poſſint?

Allegatio *ad* XIII.

Reſolutionem affirmativam, quoad utramque partem, tenet Monacell. d. form. 52. p. 3. n. 23. et conſtat manifeſte ex bull. Gregor. *Sanctiſſ.* § 11. et ex c. fin. de offic. deleg. in 6. et ex doctoribus communiter.

Dubium XIV.

An conſervator prædictorum regularium, ſi ſcienter exequi faciat citationem cum comminatione cenſurarum contra curiam epiſcopi, dicatur excedere ſuas facultates, et inferre gravamen juriſdictioni ordinarii, eamque lædere; et propterea incurrat pœnam ſuſpenſionis ab officio?

Allegatio *ad* XIV.

Monacell. loc. cit. form. 48. n. 5. identicis terminis affirmativam tenet reſolutionem; quia, ait, *Cum executio citationis ſit actus juriſdictionis contentioſæ, et de judiciali proceſſu, Fagn. in c. Conqueſti, n. 55. de Fer. lædit juriſdictionem ordinarii; et, facta cum comminatione cenſurarum, infert gravamen, et gravamen irreparabile, ut mederi non poſſit, niſi per appellationem*, Fagn. in c. *Super eo*, 2. n. 47. de appellat. Bonacin. de excom. extr. bull. Cœn. d. 2. q. 2. pu. 15. n. 11.

Dubium XV.

An conſervatori à prædictis regularibus rite electo, ut poſſit valide, et licite, procedere contra quoſlibet, ſufficiat tantum probabilitas, vel potius requiratur certitudo practica ſuæ juriſdictionis?

Allegatio *ad* XV.

Requiri omnino practicam certitudinem conſtat ex dictis alleg. ad quartum: ſi enim conſervator nequit procedere in cauſis dubiis, ſed tantum ſuper violentiis notoriis, et manifeſtis, ſuper quibus, ut talibus, ſummarie ſit pronuntiatum, Per. de man. reg. cap. 7. n. 5.

n. 5. et plures alii DD. ibid. (quod penitus defuit in caſu præſentis controverſiæ) conſequens eſt, quod non cum ſola probabilitate, quæ dubium non excludit, ſed cum practica certitudine ſuæ juriſdictionis, fundata in notorietate violentiæ, et ut talis judicatæ, procedere poſſit. Et confirmatur ex Trid. d. c. 5. ſ. 14. et ex d. bull. Greg. § 10. jubentibus per particulam negativam, quod *nequaquam* conſervator procedat in dubio, ſeu controverſia competentiæ juriſdictionis cum ordinario, donec per arbitros judicetur.

Dubium XVI.

An diſpoſitio textus in cap. 2. de offic. deleg. in 6. loquatur de conſervatoribus dumtaxat à Sede Apoſtolica immediate electis; et an declarata ſit per Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. de reformat. videlicet, eam non procedere in cauſis controverſiæ juriſdictionis inter ordinarium, et ipſos conſervatores?

Allegatio *ad* XVI.

Affirmativam reſolutionem, quoad utramque partem, defendit Pignatel. tom. 1. c. 165. n. 2. et convincitur ex ipſo c. verb. *Illis: A conſervatoribus à Sede Apoſtolica deputatis*, ex gl. ibid. Quoad ſecundam partem, deducitur ex Trid. cit. loc. loquente per particulam negativam, *In cauſa nequaquam procedatur*; et ex dict. bulla *Sanctiſſ.* § 10.

Dubium XVII.

An conſervator à prædictis regularibus electus, in caſu notoriæ violentiæ, procedens contra ordinarium, non ſervata forma diſpoſitionis prædicti capitis 2. poſſit cenſuras, à ſe contra illum fulminatas, Summo Pontifici de induſtria reſervare, ut, ceſſante materia violentiæ, vel ab illa deſiſtente ordinario, maneat prædictis cenſuris irretitus, et impeditus, præcipue in tanta diſtantia, et cum tam notabili difficultate ad Sedem Apoſtolicam recurſus?

Allegatio *ad* XVII.

Videtur, abſolute non poſſe, quia, licet judex eccleſiaſticus *ordinario jure*, non delegato, procedens, poſſit ſuam juriſdictionem ſuperiori adſtringere, aut reſervare, in aliquo caſu, citra injuriam tertii, ut deducitur ex Monacell. tt. 1. form. 14. n. 9. attamen cum conſervator proprie non ſit judex, ſed tantum *vir potens*, Cirin. nex. d. c. 6. n. 22. Deluc. de juriſd. d. 49. et deducitur ex c. 2. de offic. deleg. in 6. ibi: *A judicibus*, vel *conſervatoribus*; ubi Hoſt. et Innoc. neque procedat *jure ordinario*, *ſed delegato* reſtricte; et illi non ſit collata juriſdictio niſi pro notoria violentia tollenda, Fraſſ. de reg. patr. p. 2. c. 79. n. 31. ceſſante violentia, per ordinarii ſaltem deſiſtentiam, videtur etiam ceſſaſſe conſervatoris juriſdictionem. Neque in dict. c. 2. etiam in caſu proterviæ, et contumaciæ epiſcopi notorie violenti, datur, aut inſinuatur, talis facultas cenſuras inibi expreſſas reſervandi, neque præſumitur à Summo Pontifice conceſſa; imo repugnat fini et menti Trident. d. c. 5. ſeſſ. 14. et bullæ Gregor. et modeſtiæ, ſeu moderationi, conſervatoris decretæ in d. c. 2. et cum conſervator, utpote delegatus, agat nomine delegantis, non reſervante delegante cenſuras, neque expreſſe concedente conſervatori juriſdictionem ad eas reſervandas, utique abſolute cenſendus eſt tali poteſtate carere.

Deinde conſervator in quæſiti hypotheſi, doloſe, et fraudulenter, et iniquo fine, cenſuras reſervavit, non in ædificationem, ſed in ruinam, et deſtructionem ſpiritualem; ac per conſequens, abſque aliqua poteſtate, ex illo Pauli, 2 Cor. xiii. 10. et ex vulgari axiom. *Fraus, et dolus, nemini debet patrocinari*, c. *Sedes*, c. *Ex tenore, de reſcript.* c. 2. *de dolo*, et reliq. Neque Summo Pontifici talis reſervatio acceptabilis interpretabitur: imo conſervator in tali reſervatione injuriam inferre cenſendus videtur, ut perſæpe aſſolent; Fraſſ. cit. loc. n. 37.

Dubium XVIII.

An conſervator, probabiliter talis dumtaxat, poſſit abſque prævia canonica monitione cenſuris procedere contra ſæculares, et regulares, etiam adverſus illos, qui ſpeciali titulo Sedi Apoſtolicæ addicti ſunt, et hos inſuper ab officiis regularibus intra ordinem ſuſpendendo, vel privando, prætextu, quod communicent cum ordinario in caſu probabilis tantum violentiæ à ſe declarato?

Allegatio *ad* XVIII.

Ex ſupradictis etiam videtur deduci reſolutio negativa: juriſdictio namque conſervatoris (etiamſi ſit certa, et non mere probabilis, ut in quæſiti hypotheſi) eſt nimis reſtricta, Deluc. de regularibus, d. 1. de juriſdict. d. 49. et data pro violentia tollenda dumtaxat, Cirin. et Fraſſ. cit. et nequit ultra proprios cancellos exire. Et ultra proprios lares certe tranſiliret, ſi intra clauſtra regularia ſeſe introduceret, regulares prælatos participantes cum ordinario, à ſe cenſurato, ſuſpendendo, et privando ab officiis, et prælaturis regularibus, vel alias eos puniendo (ut in facti contingentia præſens conſervator effecit): nam, præterquam quod omnia hæc pertineant ad juriſdictionem regularem, cujuſlibet religionis propriam et privativam, qua conſervator caret; certum omnino eſt, judici delegato (et multo minus delegato conſervatori) minime permiſſum eſſe citare per edictum generale, ſeu per citationem non canonicam; hoc enim, de jure communi, ſoli ordinario competit, Bartol. in extrav. *ad reprimendum*, verb. *Per edictum*, Konig. l. 2. decretal. tt. 3. de citat. n. 68. Marant. in ſpec. p. 6. n. 39. Deinde, citatio non canonica, cum contineat generale præceptum, nequit afficere niſi illos, qui vere, et certo, ſunt ſubditi judicis citantis, Konig. cit. n. 78. tales autem non ſunt regulares reſpectu conſervatoris, et multo minus, in caſu probabilitatis, ut ſupra demonſtratum eſt. Et quoad illos, qui immediate, et ſpeciali titulo Sedi Apoſtolicæ addicti ſunt, ut commiſſarius bullæ Cruciatæ, et præfecti apoſtolici miſſionum, negativa reſolutio deducitur ex c. 3. *Cum Matthæus*, extrav. com. tt. *De hæreticis*.

Dubium XIX.

An poſſint ordinarii, vel eorum vicarii foranei, parochos regulares etiam ad nutum amovibiles, ſi eis non obediant in his, quæ ad animarum curam, et ſacramentorum adminiſtrationem, pertinent, vel eorum ordinariam juriſdictionem turbent, cenſuras comminari, et per eaſdem contra illos procedere?

Allegatio *ad* XIX.

Expreſſa eſt Concilii Trid. diſpoſitio, ſeſſ. 25. de regular. c. 11. decernens, ut *regulares, curam animarum exercentes, ſubſint immediate, in his, quæ ad dictam curam, et ſacramentorum adminiſtrationem, pertinent, juriſdictioni, viſitationi, et correctioni epiſcopi:* cui diſpoſitioni inhærent bullæ *Inſcrutabili*, Greg. XV. *Oneroſa*, Clem. VIII. *Ex conqueſtione*, Eugen. III. ex quibus reſolutio affirmativa deducitur. Quam confirmant declarationes in cauſa Angelopolitana ap. Cherub. tom. 4. bulla *Cum ſicut*, Innoc. X. quæſito 1. et 2. et ap. Monacell. p. 1. in append. ad bullam *Sanctiſſimus*, n. 9. declarantes, *Minime regulares, etiam Societatis Jeſu, in caſibus illorum decretorum poſſe ſibi conſervatores eligere:* ergo multo minus electi conſervatores procedere; cum in ſubſtantiali executione illorum decretorum, et conſtitutionum, minime poſſit, ne umbra quidem injuriæ, aut violentiæ, conſiderari; nam qui jure ſuo utitur, nemini injuriam facit, ff. de regul. jur.

Dubium XX.

An etiam ſimiliter procedere poſſit contra ipſorum parochorum ſuperiores regulares, juris ordine ſervato, ſi ipſis parochis regularibus, ut ordinariis, vel eorum vicariis in prædictis rebus curam, et ſacramentorum adminiſtrationem, concernentibus, non obediant, ſed potius ipſis ſuperioribus regularibus obtemperent, cum notoria turbatione, impedimento, et uſurpatione ordinariæ juriſdictionis?

Allegatio *ad* XX.

Etiam affirmativa reſolutio ex ſuperius dictis deduci videtur, et ex certa, et vulgari doctrina, quod exemptus

emptus regularis turbans, aut impediens juriſdictionem ordinarii, fit illi ſubditus, Deluc. de juriſd. d. 136. n. 3. et d. 29. n. 4. et dec. 47. et 48. Donat. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. Tambur. de jur. abbat. tom. 1. et 2. ex c. *Dilecto*, c. *Venerabili*, de ſent. excom. in 6. Ventrigl. de juriſdict. annot. 48. Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. 11. Leon. IX. ſeſſ. 2. Pignat. tom. 1. conſ. 128. Monacell. p. 3. et ſufficit, quod *quomodolibet impediat*, *directe*, *vel indirecte*, ad hoc, ut incurrat, et poſſit denuntiari incurſus, in cenſura bull. Cœnæ, can. 16.

Dubium XXI.

An ordinarius contra præfatos ſuperiores illius juriſdictionem uſurpantes, vel turbantes, procedens per notificationem cum clauſula juſtificativa ad *allegandum*, *quare non debeant declarari in juris cenſuras competentes*, inferat violentiam, aut gravamen, vi cujus præfati regulares poſſint eligere conſervatorem?

Allegatio *ad* XXI.

Negativa reſolutio deducitur ex Pignatel. tom. 2. conſ. 60. n. 22. Oliva de for. eccleſiæ, p. 1. q. 16. n. 48. Monacell. p. 2. tt. 15. form. n. 7. qui refert deciſum in una Tropian. 16. Mart. 1619. et in Neocaſtran. 22. Febr. 1620. et p. 3. tt. 1. form. 38. n. 1. cum Fagn. in c. *Super eo*, 2. n. 50. de appell. Abb. in c. *Ex parte*, 2. de verb. ſignificat. qui omnes aperte negant, dari gravamen, aut violentiam, in tali procedimento cum clauſula præfata; quod etiam certum videtur in cognitione per viam violentiæ apud miniſtros ſæculares, Peg. ad ordinat. reg. Luſitan. l. 1. tt. 9. § 12. n. 34. cum Oliv. cit. qui ibid. ait: *Nam*, ut aſſerit Abb. n. 8. *qui cum hac clauſula procedit*, *neminem gravat*; *in quo aliquando vidi erratum per judices regios*, &c.

II. Dubiis iſtis adhuc ultima deciſio deſideratur, quæ opportuno loco adhuc adjungetur, ſi opportune advenerit.

ALLEGATIO XXXVIII.

In Recurſu à Procuratore regio Coronæ, aut Ordinum, interjecto ſuper Interdicti generalis Fulminatione ob violentos Exceſſus præfati Conſervatoris, et Proviſoris majoris Capellarum.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Paræciæ Goanæ poſt epiſcopatus erectionem non ſunt pleno jure ſubjectæ ordini militiæ Chriſti, quia reſpectu illarum non inſtituit quoad curam.*
III. *Per epiſcopatuum erectionem non amiſit ordo, quod antea habebat in eccleſiis illis, quoad jus patronatus.*
IV. *Per bullas erectionis vicaria Thomarenſis ſuppreſſa, et extincta fuit, reſervato jure præſentandi.*
V. *Privilegia apoſtolica, ex adverſo prolata, requiritur de eccleſiis pleno jure ordini ſubjectis.*
VI. *Loquuntur etiam de prælatis procedentibus, ut ordinariis, non ut delegatis, quoad facultatem excommunicandi.*
VII. *Et conceſſa fuerunt ante Conc. Trid. per quod revocantur.*
VIII. *Favet ſpecialis declaratio S. Congr. pro Militenſibus.*
IX. *Non tamen eas eccleſias comprehendit Concilium, quoad proviſionem per concurſum.*
X. *Etiam pleno jure ſubjectæ, non ſunt exemptæ ab obſervantia interdicti, et cenſurarum ordinarii.*
XI. *Sententia, feſtinanter lata, eſt nulla.*
XII. *Judex deferens juxta generalem ſtylum, non infert violentiam.*
XIII. *Sufficit, quod violentia ſit dubia, ut excludatur locus recurſui.*
XIV. *Terminus trium dierum reputatur breve, et breviſſimum 24 horarum. Et terminus* in continenti, *habet latitudinem, quæ ex ordin.* &c.
XV. *Ad fundandum recurſum ex notabili negligentia in deferendo appellationi juſtitiæ, prærequiruntur 3 inſtantiæ.*
XVI. *In fulminatione cenſurarum non uſurpatur regia juriſdictio.*
XVII. *Imo nec juriſdictio eccleſiaſtica regis,* ut magni magiſtri.
XVIII. *Juriſdictio regularium potius eſt in perſonas, quam in loca.*
XIX. *Sola uſurpatio regiæ juriſdictionis ſæcularis, non vero regularis, fundat recurſum.*
XX. *Non ſufficit privilegia allegare, ſed exhiberi debent integraliter.*
XXI. *Regia obligatio pro protegendis, ac promovendis decretis Concilii Trid. et ſacrorum canonum.*
XXII. *Recurſus exhibitio in propriis actibus, non in tranſumptu, exhiberi debet.*

Allegatio præſens opportune poſt chartam, pro actorum remiſſione, etiam tranſmiſſa eſt; cujus effectus ex ſeq. allegat. patet.

I. PERSUASUS à prorege regius coronæ procurator, qui ſimul ſe etiam procuratorem ordinum militarium vocitabat, cum manifeſta implicantia, atque ipſorum ordinum definitionibus reſiſtentia, 2. p. tt. 23. ut à fulminatione interdicti ob exceſſus, atque violentias, tum aſſerti conſervatoris, tum regii capellarum proviſoris, publicati, de quibus ſupr. alleg. 33. 34. et ſeqq. et ſuperiori duplici reſcripto regio agitur; cum proregis politica in hoc maxime inniteretur, et fere totaliter ſiſteret, ut rumore harum tam conſervatoris, quam proviſoris, violentiarum, et obſtrepentium procedimentorum, ex eis neceſſario conſequendorum, rumorem, quem longe pertimeſcebat ob invaſionem, atque infeſtationem Maraſtarum in totam provinciam ſeptemtrionalem, atque ob demiſſionem arcis Mombazæ, necnon totius claſſis navalis procelloſam diſſipationem, et totale navis prætoriæ, et omnium eam munientium, nemine ſuperſtite, conſummatum naufragium, vel penitus ſopiret, vel aliqualiter faceret obmuteſcere, et addictis omnibus ad rumores, et eventus conſervatoriæ, et proceſſuum proviſoris, Portugalliæ regno tranſcribendos, atque enarrandos, conſequenter aliarum infelicitatum lamentabiles eventus referre, vel omitterent, vel oblivi ſcerentur (ut ſupra in facti ſerie allegat. cit. inſinuatum remanet) rumores illi, atque ſtrepitus, ut eo fine adaugerentur, atque multiplicarentur, recurſum tandem à publicatione præfati interdicti procurator ille ordinum, aut coronæ, ad ſenatum regium effective intentavit, multiplici fundamento, infra exponendo, atque ſatisfiendo, enixum. Cujus quidem cum mihi de more copia præberetur;

II. Reſpondebam, Certum quidem eſſe, quod hæ Goanæ paræciæ, et eccleſiæ, olim *pleno jure* ordini militiæ Chriſti, et ejus ordinariæ juriſdictioni, pertinuiſſe, antequam in conquiſtis iſtis epiſcopatus, et archiepiſcopatus erigerentur. Verum, poſt eorum erectionem, falſum omnino erat aſſerere, eccleſias illas adhuc eidem ordini, aut illius magiſtratui, *pleno jure* attinere: nam, ut bene animadvertit Cardin. Petr. tom. 5. in conſt. 4. Calliſt. III. ſeſſ. 2. n. 126. pag. mihi, 133. cum Gemin. ex gl. in c. unic. capel. monachor. *Eccleſia non dicitur pleno jure ad aliquem ſpectare*, *quando non habet inſtituere etiam ſuper curam*, *licet habeat inſtituere quod titulum beneficii.* Et hic ſubjungebam reliquas auctoritates, atque rationes, jam alleg. 23. § 1. expreſſas; quas omnes, ne faſtidioſus fiam, hic conſulto omitto. Hinc autem gradum

dum faciebam ad plene fiendum ſatis ſingulis ex adverſo fundamentis objectis:

Primo fundamento:

III. Ex ordinis definitionibus adintegrato, quatenus definiunt, p. 3. tt. 12. *Inſulas, et conquiſtas ultramarinas, pleno jure, in ſpirituali juriſdictione ordini pertinere: et quamvis in eiſdem archiepiſcopatus, et epiſcopatus, erecti fuiſſent, non amiſiſſe ordinem quod antea habebat; et magiſtrum præſentare omnia beneficia*, &c.

Satisfaciebam plane ex eadem definitione; quæ in prima parte loquitur de conquiſtarum ſtatu ante epiſcopatuum erectiones; in ſecunda, vero, de ſtatu poſt erectiones illas, ut ex re ipſamet deprehenditur. Et quamvis de hoc ſecundo ſtatu aſſerat, *ordinem non amiſiſſe quod antea habebat*; intelligenda eſt reſtricte, *quoad jus patronatus*, quod antea habebat, et nunc etiam retinet per iſtius unicam reſervationem, ut evincitur ex contextu: *Et magiſter præſentat tales prælaturas, dignitates, et omnia beneficia*, &c.

IV. Hanc autem intelligentiam confirmabam, 1. Ex bull. ipſarum erectionum; ſignanter, ex bull. *Dum fidei*, et *Præexcelſæ*, Leon. X. confirmatoriis aliarum Nicol. V. Calliſt. III. et Xyſt. IV. in quibus ad epiſcopatuum illorum erectiones, ordinaria ordinis juriſdictio expreſſe ſuppreſſa, atque extincta fuit, ut verbis ibidem: *Vicariam de Thomar apoſtolica auctoritate ſuppreſſerat, atque extinxerat.* 2. Quia, cum inſtitutio quoad curam in quibuſvis eccleſiis pertineat earum ordinario, ſequitur, quod juriſdictio ordinaria harum regii patronatus eccleſiarum, non penes ordinem, ſed penes epiſcopum territorii illarum reſidere, juxta ejuſdem ordinis definitiones, 3. p. tt. 12. § 3. ubi ſtatuunt, *Magiſtrum præſentare quidem beneficia; horum autem inſtitutionem ſpectare archiepiſcopis, atque adminiſtratoribus diœceſanis*, &c. Et tt. 9. § 5. quid conſimile definiunt per verba tranſcripta in cit. alleg. 23. § 4. ubi per extenſum hæc, et alia, inſpicere licebit.

Secundo fundamento,

V. Ex eiſdem definitionibus inſtaurato, quatenus referunt, p. 4. tt. 1. privilegia Honor. III. Clem. IV. Innocent. III. et IV. *Ordini templi conceſſa, ne prælati excommunicarent perſonas ipſius ordinis, nec ejus eccleſias interdicto ſubjicerent, eo quod exemptæ erant ab ordinaria prælatorum ipſorum juriſdictione, et Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectæ*, &c. formaliter ex ipſamet definitione ſatisfaciebam, dicens, 1. Ex contextu, et ex fundamentali, aut cauſali ratione, evidenter colligi, loqui de eccleſiis, quæ *pleno jure* ſunt ordinis, in quibus nec ordinaria ordinis juriſdictio ſuppreſſa, aut extincta fuit, neque diœceſana per erectionem epiſcopatuum adhuc ingreſſa eſt.

VI. 2. Loqui de prælatis *juriſdictione ordinaria* mere, et præciſe procedentibus, non vero de procedentibus *juriſdictione* à Sede Apoſtolica *delegata*, quomodo ego proceſſeram in fulminatione accuſati interdicti; cui quidem delegatæ juriſdictioni ipſæ eccleſiæ immediate ſubduntur in præfatis conſtitutionibus.

VII. 3. Citatas bullas, atque conſtitutiones, expeditas fuiſſe ante S. Concilii Trid. ſanctiones, atque publicationem. Quæ quidem novo jure circa cenſurarum ordinariorum obſervantiam ſic decernunt, ſeſſ. 25. de regular. c. 12. *Cenſuræ, et interdicta, nedum à Sede Apoſtolica, ſed etiam ab ordinariis promulgata, mandante epiſcopo, à regularibus in eorum eccleſiis publicentur, atque obſerventur. Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſervandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, ſerventur.*

VIII. Videatur etiam Cortiad. dec. 130. n. 10. Sperell. dec. 21. n. 51. Barb. de ep. alleg. 105. n. 14. Themud. dec. 252. *Scutum equitum milit.* et alii. Et favet declaratio illa S. Congregationis ap. Barb. ad Trident. ſeſſ. 6. c. 13. de reform. ibi: *An milites Hieroſolymitani comprehendantur decretis Concil. Trid. etiam ubi de eis non fit expreſſa mentio? Reſp. Congr. Comprehendi, niſi ſpecialiter privilegiis poſt Concilium muniantur.*

IX. Neque obſtare dicebam, quod eædem definitiones aſſerunt, p. 3. tt. 11. § 2. quod *Concilium Trid. non habet locum in eccleſiis ordinis:* ibi enim loquuntur reſtricte ad conciliarem diſpoſitionem, ſeſſ. 24. c. 18. de reform. circa *proviſionem eccleſiarum patronatuum ſæcularium per concurſum; eò quòd ordinis patronatus ſit eccleſiaſticus*; ut ibidem citatæ definitiones exprimunt; non vero loquuntur de præcitata diſpoſitione circa cenſurarum obſervantiam, etiam à regularibus exemptis præſtandam, de qua ipſimet regulares AA. neoterici, ut P. Corell. et Cientruenig. 5. p. tr. 15. confer. 25. n. 1394. et curſus moral. Salmantic. tr. 10. de cenſur. c. 4. pu. 3. n. 30. ibi: *Excipiuntur religioſi, qui tenentur obſervare interdictum, etiamſi nullum ſit, ex quocunque capite nullitas proveniat, ſi ſervetur à matrice, vel ab eccleſia cathedrali, ut conſtat ex Clement. 1. de ſent. excommun. ubi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipitur religioſis obſervare interdictum, etiamſi nullum ſit, quod ab eccleſia matrice ſervatur.*

X. Ubi maxime notandum, quod jus pro regula obſervantiæ interdicti regularibus non præſcribit illius validitatem, ſed *obſervantiam cathedralis*, aut matricis, aut *mandatum epiſcopi*. Unde, ſi equites ipſi ordinis Hieroſolymitani *non ſunt exempti à juriſdictione epiſcopi, et ab illo poſſunt puniri*, Sperell. dec. 2. n. 97. Pignatell. tom. 9. conſ. 52. n. 15. et, re mature diſcuſſa, declaravit S. Congregatio in Panorm. ap. Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 43. n. 154. dato, et non conceſſo, quod hæ regii patronatus eccleſiæ, etiam in ſtatu præſenti, fuiſſent juriſdictionis ordinis Militiæ Chriſti, et non diœceſanorum, utique exemptæ minime forent ab obſervantia cenſurarum, atque interdictorum ordinarii illarum territorii, à qua neque ipſimet regulares exempti ullam habent exemptionem; et multo minus, quando ordinarius procedit, ut delegatus Sedis Apoſtolicæ. Cortiad. d. dec. 130. Sperell. cit. dec. 21. et 38. Ricc. dec. 100. et 233. Ciarlin. p. 1. contr. 50. et alii apud eoſd. Quinimo etiam pro parochialibus eccleſiis ejuſdem ordinis, *pleno jure*, ei ſpectantibus, videatur S. Congregationis declaratio apud Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 43. n. 137. et alleg. 74. Tambur. de jur. abb. tom. 3. diſp. 5. q. 11. Themud. dec. 20. et 72. Peg. de compet. c. 160. ex n. 5. Sperell. tom. 1. dec. 2. et alii.

Reliquis fundamentis,

XI. In violentia ſiſtentibus, et primo, et præcipuo aſſerenti, *delationem meam recurrentis ſupplicationi, qua poſtulabat declarationem nullitatis ſententiæ, ac fulminationis interdicti*, fore debuiſſe inſtantaneam; et conſequenter conquerenti, *me per aliquas horas ei deferre dilatâſſe*, &c. plane etiam reſpondebam, hactenus mihi obviam non fuiſſe obligationem inſinuatam deferendi partibus *in inſtanti*; præſertim petente recurrente declarationem nullitatis unius ſententiæ adverſus alteram, et paſſim legibus ipſis conclamantibus, *ſententiam repentine, et feſtinanter latam, eſſe nullam*, l. 2. cod. de ſent. ex peric. Peg. ad ordin. l. 1. tt. 1. in princ. gl. 30. n. 5. Ciriac. contr. 498. n. 7. Et ex fide S. paginæ conſtante, eundem juſtum Judicem Unigenito ſuo dilecto, etiam *tertio oranti, eundem ſermonem dicenti*, in materia adeo gravi, ut redemptionis generis humani, ſuper levamine generalis interdicti, quod primi hominis peccatum cœleſtis templi oſtia duriſſime clauſerat, non niſi poſt tres diſcontinuas horas, atque totidem ejuſdem petitionis iterationes, detuliſſe:

XII. Neque judex, qui ſecundum generalem ſtylum defert, violentiam, aut etiam injuriam committit, Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. et 17. Peg. tom. 3. ad ordin. tt. 9. § 12. gl. 15. Per. de man. reg. cap. 4. Seſſ. in ep. ad reg. n. 89.

XIII. Et, dato, quod aliqua mora culpabilis intercederet in accuſata delationis dilatione, ad plurimum aliquid injuſtitiæ argueret, minime vero violentiæ manifeſtæ, atque notoriæ, de qua dumtaxat à judicibus eccleſiaſticis ad regios recurri poteſt, Per. de man. reg. c. 7. et 4. n. 4. Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 2. § 4. Peg. cit. tom. 3. ad tt. 9. § 12. d. gl. 15. Sufficit, quod violentia dubia ſit, et cum opinione utrinque probabili, ut ceſſet recurſui locus, Per. dict. c. 7. Themud. d. 161. n. 26. Seſſe in ep. n. 89. et dec. 114. Gabr. commun. l. 5. cl. 2.

XIV.

XIV. Deinde ex ipſemet reg. ordinat. ſpatium trium dierum reputatur tempus breve, et viginti quatuor horarum, breviſſimum: imo terminus ipſe, *in continenti*, habet latitudinem apud eandem ordinat. ac DD. declaratam; ord. l. 4. tt. 58. § 2. et lib. 3. tt. 13. et 74. Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 22. Per. de man. reg. c. 4. Valaſc. conſ. 88.

XV. Ad fundandum autem recurſum ob notabilem moram, ac negligentiam, judicis ordinarii in non deferendo juſtæ ab ipſa mora, ac negligentia, appellationi, neceſſe omnino eſt, quod poſt eandem moram, atque ab ea appellationem, tres admonitiones, aut inſtantiæ, præcedant, Portug. de donat. reg. p. 2. l. 1. c. 31. n. 36. ibi: *Iterum datur recurſus, ſi ordinarius non detulit appellationi interpoſitæ à negligentia decidendi cauſam, quando ter monitus eam non decidit, gl. in c. 2. ad final. de appellat. in* 6. *et in c. ad aur. de Simon. et cum aliis Salgad.* 2. *p. c.* 17. *n.* 31.

XVI. Alteri fundamento, quod *in fulminatione præfati interdicti regiam regiæ majeſtatis juriſdictionem uſurpaveram*; aperte fatebar, me penitus ignorare, majeſtatis regiæ juriſdictioni, *ut regis*, ſpectare quidem eccleſias magiſtratus interdicto ſupponere, cum liquido conſtet, eum ſolum interdictare poſſe, qui poteſt excommunicare, c. *Pervenit*, de exceſſib. prælator. c. *Quanto*, de his quæ fiunt; et cum juriſdictioni regiæ, utpote ſæculari, competere nequeat cenſurarum fulminatio, quæ ſoli eccleſiaſticæ juriſdictioni privative ſpectat.

XVII. Imo neque juriſdictioni eccleſiaſticæ regulari ſereniſſimi regis, ut magni militiarum magiſtri, attinere valet eccleſias ordinum, etiam *pleno jure* ſibi ſubjectas, eccleſiaſtico interdicto ſupponere, cum hoc unice juriſdictioni epiſcopali diœceſanæ, in cujus territorio eccleſiæ ipſæ ſitæ ſunt, conſtanter pertinere dignoſcatur, Caſtr. Pal. de interdict. pu. 1. Leand. diſp. 1. et 2. Caſp. tr. 25. diſp. 4. ſ. 1. Monacell. p. 3. tt. 4. form. 6.

XVIII. *Tum quia regularium juriſdictio potius eſt in perſonas, quam in loca*; *tum quia talis poteſtas eis ablata eſt*, curſ. moral. Salmantic. tr. 10. de cenſur. c. 4. p. 2. n. 20. minime in fulminatione illa regiæ juriſdictionis uſurpatio excogitari valebat; et multo minus fundamentum ad recurſum.

XIX. Nam uſurpatio, ad recurſum anſam præbens, non eſt uſurpatio regiæ juriſdictionis, eccleſiaſticæ, aut regularis, ſed regiæ juriſdictionis ſæcularis, ex ordin. l. 1. tt. 9. et 10. § 5. et 6. Peg. ad illam ibid. gl. 15. ad dict. tt. 9.

Deinde reſponſionem ſic denique concludebam, quod, *Si violentia notoria, et manifeſta eſt illa, quæ nulla poteſt probabili tergiverſatione celari* (c. *Ex parte*, de verb. ſignif. c. ultim. de cohabit. cler. et mul. ub. gl. et in c. 1. de offic. deleg. in 6. verb. *Conſervator*, Donat. in pr. regular. tr. 17. p. 2. q. 8. n. 10. Menoch. Tuſc. et alii apud ipſum); quomodo, pugnantibus pro juſtitia mea tot, tamque probabilibus, imo evidentibus rationibus, et addita pacifica, conſtanti, et immemoriali poſſeſſione prædeceſſorum meorum, etiam capituli mei, ſede vacante, anno 1685. per meipſum continuata anno 1723. occaſione nullius, et ſacrilegi regii ſenatus decreti, quomodo, inquam, vel umbra quidem, etiam ſimplicis violentiæ, objectari, aut ſerio opponi poſſet?

XX. Et hic demum adnotabam, non ſufficere privilegia allegare, ſed omnino debuiſſe exhiberi. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 44. et eſt text. expreſſus in c. *Cum perſonæ*, de privil. in 6. ibi: *Ipſis ordinariis in loco congruo, et ſecuro oſtendere, ac ad legendum integraliter exhibere.*

Tandem recurrebam et ego ad regiam majeſtatem de tot, tantiſque iteratis, et crebris tum conſervatoris, tum regii proviſoris notoriis violentiis, hunc inſimul excipiens utpote notorie excommunicatum vitandum, et ſpecialiter interdictum, et ob hæc, ut notorie ſuſpectum, ne ut judex præſentem recurſum judicaturus decerneretur, aut admitteretur. Et inſuper modeſte conquerebar de hac nova violentia, tot præcedentibus impie ſuperaddita, qua mihi, vel à brachio ſcutum protectionis avellere, vel à manu gladium juſtæ defenſionis, adverſus tot ſacrilegas, et inauditas violentias interpoſitum, atque rotatum, dire conabatur detrudere.

XXI. Et regiam denique obligationem de obſervantia Sacri Conc. Trident. decretorum protegenda, ac promovenda, in memoriam revocabam, ex l. fin. cod. de Summ. Trinit. et authent. *Quomodo oportet*, collat. 1. Mend. à Caſtr. p. 2. l. 2. c. 3. n. 28. Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 6. n. 29. et ex ipſomet conciliari decret. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. ibi: *Quibus dicitur regiam poteſtatem ad hoc inter cætera eſſe inſtitutam, ut ſanctorum patrum decreta ſaluberrima executioni demandari faciat, et inviolabiliter obſervari*, &c.

XXII. Et ſic allegationem meam cum proteſtationibus abſolvebam die 12. Novembr. ann. Domini 1731. Quam tamen, ut à me ſenatui, aut coronæ regiæ judici tranſmitteretur, quærere ex induſtria neglexerunt, eo quod caute, non in propriis actibus, ſed in eorum tranſumptu, contra ſtylum (de quo Coſt. de ſtyl. domus ſupplication. ann. 8. n. 64.) mihi copia præberi juſſerant. Et quamvis ad inſtantiam promotoris mei per novum decretum poſterius, primum reformantes, in actibus propriis mihi recurſus inſpectionem continuari juberent, hoc etiam ſecundum decretum exequi neglexerunt, et, recurſus notario atteſtante, me intra ſolitum terminum reſponſionem non tradidiſſe, acta confeſtim concluſa fieri mandârunt (Videat prudens lector quas, et quam multiplices cavillas, humani animi, minus bene affecti, tenebricoſa paſſio pariat!). Clauſis actibus, ſolitam rogativam chartam pro remiſſione actorum in judicio eccleſiaſtico proceſſatorum, expediri juſſerunt. Et, cum adhuc opportunum tempus foret juſtitiæ meæ allegationem etiam tranſmittendi; Peg. ad ordinat. tom. 8. l. 2. tt. 9. § 3. n. 34. p. 464. ſupra ſcriptum, proteſtationes innovans, remiſi, die 21. ejuſdem menſis Novembris, et anni 1731. Quonam autem effectu, et ſequenti alleg. conſtabit.

ALLEGATIO XXXIX.

Ad primam Chartam rogatoriam, ac proviſionalem Sententiam in Recurſu, præcedenti Allegatione diſcuſſo.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur facti ſeries.*

II. *Excipiebatur quidam ex conjudicibus ob cenſuras notorias, vi quarum officium judicis ſubire nequibat, imo etiam citra partis inſtantiam à judicio repellendus erat.*

III. *Inſuper cum notoria nullitate judex evaſerat in cauſa propria.*

IV. *Ex ſtylo in charta rogatoria infertur allegatio regii procuratoris, quæ in præſenti caute prætermiſſa eſt.*

V. *Offerebatur nuperum regium reſcriptum ſuper juriſdictione in parochos regulares, et parœcias ab eis adminiſtratas.*

VI. *Earum ſubjectio quoad cenſurarum, et præſertim interdicti obſervantiam.*

VII. VIII. *Duplex declaratio S. Congreg. in Militenſes.*

IX. *Alter caſus adverſus eoſdem judicatus ſub Clem.* XI.

X. *Res tota efficaci argumento convincebatur.*

XI. *Bullarum confirmatio non alterat, neque ampliat confirmatum; et, ſi hoc nullum fuerit, etiam illa nulla erit.*

XII.

XII. *Rex, ut magnus magiſter, delegavit archiepiſcopis Goanis jus præſentandi.*
XIII. *Notoria non indigent probatione.*
XIV. *Poſt Trid. epiſcopi, ſe ſolis, abſque capitulorum conſenſu, valide, et licite, eccleſias interdicto ſupponunt.*
XV. *Poſteriora derogant prioribus.*
XVI. *Judex ex æquitate poteſt defectus allegationum partium, præſertim reorum, ſupplere.*
XVII. *Eventus præſentis allegationis, et totius recurſus.*
XVIII. *Reſcriptum regium tranſcriptum.*
XIX. *Aliud tribunalis ultramarini.*

I. NIHIL omnino tot proteſtationibus, atque evidentiis, ſuperiori allegatione expoſitis, proficientibus, aut officientibus, cum adhuc naves è regno expectatæ deſiderarentur, ac jam fere deſperarentur ob elapſum opportunæ ad navigandi occaſionis jamjam expirantem (advenit una quaſi miraculoſe die 29. ejuſdem menſis Novembris); et prorex tanquam certam jam reputabat ſuam ipſius adhuc per annum in India permanentiam; regii judices illi, et proprii animi conatui, complacere ſtudentes, recurrenti providerunt, in eis innixi fundamentis, quæ infra diſtincta redarguuntur. Et in rogativæ epiſtolæ, ab eiſdem conſequenter ad me directæ, reſponſione, ſequentia obtuli, menſe Decembr. jam ingreſſo, et poſt præfatæ navis è Luſitania prodigioſum adventum.

II. Primo proteſtabar ob manifeſtas ſententiæ recurſus nullitates, tum eo quod in illo judex extitiſſet, regius præfatus capellarum proviſor, excommunicatus notorius, ac vitandus, à die 27. Julii, qua, *juris ordine ſervato*, publice in eccleſiis declaratus fuit in cenſuras *à jure, et ab homine*, quin eatenus proviſionem in recurſu, quem ſtatim à declaratione ipſa interpoſuit, obtinuiſſet (neque poſtea obtinuit); quæ quidem præfatum miniſtrum penitus impediebat ad omnem communicationem forenſem, et multo magis ad partes judicis aſſumendum ob carentiam juriſdictionis, et ob certam illium exercitii incapacitatem, Monacell. p. 3. in prælud. n. 31. ad 34. quare independenter à partis requiſitione debet excommunicatus publicus à judicio repelli ex officio, ordin. reg. l. 3. tt. 49. § 4. Peg. ad eand. Per. de man. reg. Monacell. cit. d. n. 34. tum quia prædictus miniſter judex utique evaſit in eadem cauſa, in qua pars, et reus quidem inceſſerat.

III. Nam præter ſpecialem cauſam, quam violentiis ſacrilegis ſuis fulminationi præfati interdicti ſuperabunde dederat, in ipſiſmet individuis fulminatoriis chartis ipſius interdicti generalis localis, cui eccleſiæ illæ ſubjiciebantur, imponebatur ſimul, eodem contextu, interdictum perſonale ſpeciale in perſona ejuſdem regii miniſtri; et reaggravabantur etiam præmiſſæ cenſuræ à jure, et ab homine, in quibus prius nominatim fuerat declaratus; et ſic judex evaſit in eadem cauſa, qua pars, et reus præextiterat, et actu incedebat, eaſdem violentias durius, diriuſque, actualiter proſequens; et judicii illius notoria, et inſanabilis nullitas, manifeſte evincitur ex l. 1. cod. *Nequis in ſua cauſ.* l. *Qui juriſdict.* ff. de juriſd. omn. jud. ord. l. 1. tt. 24. Tiraquel. in l. *Si unquam*, à n. 58. Mend. in prax. l. 1. c. 2. n. 144.

IV. 2. Proteſtabar incurialitatem, ac defectum, contra ſtylum de induſtria obreptum, non inferendi in præſenti charta rogatoria reſponſionem, vel allegationem, regii coronæ procuratoris; tum ut illius neceſſaria copia, atque notitia, mihi præberetur; tum ut illius novis fundamentis plene ſatisfacere poſſem; præſertim novis, et diſtinctis documentis allegationem ſuam ipſo inſtruente, de quibus neceſſario mihi nova copia, et inſpectio, continuari debebatur, ex ordin. reg. l. 3. tt. 20. Mend. in prax. p. 1. Barb. et Peg. ad eand. ordin. et alii paſſim.

V. 3. Ratificabam omnia fundamenta, atque rationes, pro mea juſtitia, ſuperiori alleg. expreſſa; et noviter in eorum confirmationem offerebam regium reſcriptum, die 12. April. ejuſdem anni, eademque navi, atque occaſione, nuperrime adventum, mihi à ſereniſſimo rege, ut magno militiarum magiſtro, directum, atque propria regia manu firmatum, et per ipſummet ordinum tribunal, ſeu menſam conſcientiæ, ſub hujuſce etiam præſidis ſignatura expeditum; quo clare reſolvebat, mihi ſpectare harum eccleſiarum, quamvis regii patronatus ordinis incederent, ordinariam juriſdictionem; et ipſoſmet parochos regulares, etiam ad nutum amovibiles, ut parochialiter eas adminiſtrare valerent, competentem ad id juriſdictionem à me ſuſcipere debere, ut in eodem reſcripto videre eſt. Quæ quidem omnia, ut impedimenta præſentis recurſus ſententiæ, ac progreſſui, obtrudebam; et ut ne ad decretum ſecundæ rogativæ chartæ tranſmittendæ, neque ad ejus expeditionem deveniretur, ſed curſus recurſus omnino ſuſpenderetur.

VI. Ulterius, ex ſuperabundantia, et in uberiorem juſtitiæ evidentiam, præter exempla omnium eccleſiarum, aliis patronatibus, tum ſæcularibus, tum regularibus, pertinentium, ſubjungebam concludentes auctoritates Cardin. Petræ, pro facultate epiſcoporum eccleſias ordinis militaris Hieroſolymitani eccleſiaſtico interdicto ſupponendi, non obſtantibus multiplicibus ejuſdem ordinis privilegiis ab Anaſtaſio IV. in bull. *Chriſtianæ fidei*, ab aliis alibi conceſſis, tom. 2. in cit. conſt. Sic ait idem Petr. etiam quoad interdictum ſpeciale, aut particulare, ſeſſ. 3. n. 13. pag. mihi, 68. ibi: *Quoad tertium privilegium conceſſum hujuſmodi militibus, ut non poſſint interdici eorum eccleſiæ, neque ipſi excommunicari, quicquid ſit de interdicto perſonali in ipſos milites, et alios regulares, ac de excommunicatione, de quibus in alio commentario erit ſermo, ſtricte agendo de interdicto ſuarum eccleſiarum, dico, quod poterit epiſcopus quandoque eccleſias iſtorum militum, aliorumque regularium, interdicto ſubjicere, etiam particulari; nam de generali jam ſupra diximus.*

VII. Et quoad interdictum generale locale ſic ibidem ait, n. 3. *Sacrum Concil. Tridentinum, ſeſſ. 25. de regular. c. 12. ſtatuit, ut regulares cenſuras à Sede Apoſtolica, et ordinariis, promulgatas ſervent in eorum eccleſiis.* Et c. fin. ead. ſeſſ. *Subjunxit decreta omnia de regularibus emanata inviolabiliter ſervari, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, etiam ampliſſimis, facta etiam ſpecifica mentione privilegiorum hujuſmodi militiæ Hieroſolymitanæ; proinde inconcuſſa eſt regula, quod teneantur ejuſmodi interdicta ſervare omnes regulares, ut docent Navarr. in man. c. 27. Barb. Garc. Pal. Pignatell. Bellet. Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 29. n. 8. ubi præciſe de iſtis militibus faciunt mentionem; et noviſſime declaravit Sacr. Congregatio in Cæſarauguſt. interd. 11. Jun. 1695.*

VIII. Quæſita autem, et reſponſiones Sacr. Congregationis in cit. deciſ. 1695. ſunt ſequentia, ap. eund. Petr. cit. ſub cod. n. 3.

Primo: An, ſtante interdicto generali locali; milites Hieroſolymitani tenentur illud obſervare in eorum eccleſiis exemptis? Secundo, An obſter conſuetudo immemorabilis in contrarium?

Reſpondit: Ad primum, *Affirmative*; ad ſecundum, *Negative.*

IX. Quod quidem confirmabatur ex alio caſu nuperrime ſub Sanctiſſimo P. Clem. II. judicato in favorem juriſdictionis diœceſanæ ordinariæ adverſus Militenſes, ſuper obſervantia alterius generalis interdicti, à qua eccleſias ſuas, utpote exemptas, Militenſes ipſi immunes reddere conabantur; et in contradictorio judicio pro epiſcopo deciſum fuit, fundamento decreti conciliaris d. ſeſſ. 25. c. fin. ubi, ut bene advertit Card. Petr. cit. ſupr. d. n. 3. *Fit etiam ſpecifica mentio privilegiorum per hujuſmodi Militiæ Hieroſolymitanæ*, per verba ibid. d. c. fin. ſic expreſſa: *Etiamſi illæ ſub gubernio militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, vivant, et quocunque nomine appellentur, ſub quacunque regula, vel conſtitutionibus*, &c.

X. Denique rem totam hoc efficaci argumento convincebam; videlicet, quod, non obſtante, quod ſedes mea archiepiſcopalis ſit etiam eccleſia regii patronatus ordinis Militiæ Chriſti, nemo inficiari poterat (et ex adverſo plane fatebatur) me in illam veram, et expeditam juriſdictionem eccleſiaſticam habere, ad hoc, ut illam eccleſiaſtico interdicto valide, et licite, ſubjicerem, utpote *ſponſam meam*, ac *ſedem meam archiepiſcopalem, meæque nedum epiſcopalis, verum et metropoliticæ, ac primatialis juriſdictionis baſim, ac thronum*;

thronum; eo fere modo, quo maritus jurisdictionem temporalem habet in consortem carnalem: ergo pariformiter, non obstante, quod hæ ecclesiæ Goanæ sint ejusdem regii patronatus, utique poterunt valide, et licite, à me, earum ordinario diœcesano prælato, eidem ecclesiastico interdicto supponi.

XI. Neque aliud officiebant; aut proficiebant, bullæ Jul. III. et Greg. XIII. in recursus sententia laudatæ. Prima namque, præterquàm quod expedita fuit ante Conc. Tridentini decreta, quod dumtaxat efficit, atque indulget, est unio magistratuum Militiæ Christi, et S. Jacobi Avisensis, regiæ coronæ in perpetuum, *etiamsi* (serenissimus rex Portugalliæ) *habitum, per fratres milites gestari solitum, nunquam susciperet, neque professionem, per eos emitti solitam, emitteret*, ut in contextu exprimitur: et nil omnino disponit circa jurisdictionis ordinariæ diœcesanæ eisdem magistratibus reunionem, quam ordinariam jurisdictionem Militiis illis suppressam, atque extinctam fuisse ad episcopatuum erectiones, præced. alleg. n. 2. ostendi. Secunda autem bulla Gregor. XIII. etsi Tridentino posterior, nil aliud efficit, aut decernit, quam confirmationem citatæ 1. bullæ Julianæ, et ad amplius extendi non valet; cum certum sit omnino, quod *bullæ, aliarum confirmatoriæ, non alterant, neque extendunt confirmatum*. Cardin. Deluca de feud. disc. 60. n. 11. de regul. disc. 172. ex n. 8. de præmin. disc. 40. n. 5. de testam. dec. 56. n. 6. de benef. d. 139. n. 4. Imo nulla erit *confirmatio, si actus confirmatus fuerit nullus*, id. de benefic. d. 92. n. 8. Et *valida intelligitur facta sine tertii præjudicio*, id. de præmin. d. 40. n. 6.

XII. Alteri etiam sententiæ recursus fundamento, quatenus, scilicet, recitabat, *mihi prodesse non posse allegatam possessionem has ecclesias interdicendi, pacifice per me, ac per prædecessores meos, continuatam, quia prædicti actus* (hæc illius erat causalis) *erant mere facultatis, ac delegationis tacitæ, vel expressæ per regiam majestatem, atque ejus ministros concessam*, &c. satisfaciebam, et reconveniebam: quod non solum totus iste archiepiscopatus erat ejusdem ordinis Christi, et regii illius patronatus; verum etiam quod regia majestas, velut magister Militiarum illarum, mihi delegâsset patronalem suam jurisdictionem, ad hoc, ut ejus nomine cuncta beneficia, et curata, et simplicia, decanatu primatialis sedis excepto, providere possem. Ex qua notorietate, atque evidentia, sequens argumentum *ad hominem*, ut inquiunt, evidenter conficiebam. Nam, si, juxta hoc sententiæ fundamentum, soli sereniſſimo regi, ex jure patronatus, spectat ecclesias has singulariter interdicere, vel mihi ex ejus tacita, aut expressa delegatione; cur idem non mihi licebit ex ejusdem patronatus juris expressa, certa, atque notoria delegatione?

XIII. Et certe mihi constabat, ex unius conjudicum sincera narratione, omnes equidem plane fassos fuisse duplicis præmissi argumenti efficacem, et convincentem demonstrationem, et totalem sufficientis responsionis carentiam. Et quamvis allegata possessio, utpote manifesta, ac notoria, probatione non indigeret, ex c. *Manifesta*, 2. q. 1. gl. in Clem. *Appellanti*, de appell. gl. in l. *Emptorem*, de *actionibus*; attamen ex superabundantia documenta illam edocentia multipliciter subjungebam.

XIV. Alteri fundamentali rationi in sententia eadem insinuatæ; quod, videlicet, *Interdictum hoc absque jurisdictione fulminaveram*; respondebam, quod si terminus ille *absque jurisdictione* appellabat supra jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, jam contrarium convincenter demonstratum erat. Sin autem appellabat supra defectum consensus capituli mei, ut in recursus supplicatione (licet omnimoda juris, rationum, et auctoritatum allegatione penitus denudata) insinuatum fuerat; plane, pleneque etiam satisfaciebam, præter notoriam itidem possessionem, cum communi doctrina, de qua curs. moral. Salmantic. tom. 2. tr. 10. de censur. c. 6. pu. 2. n. 19. ibi: *Causa efficiens interdicti, seu qui habet potestatem illud ferendi, sunt omnes illi, de quibus diximus, cap. 1. punct. 3. habere potestatem ferendi censuras. Sed notandum est, primo, Quod licet episcopi, et alii prælati sub se capitulum habentes, non possint interdicto locali, aut personali, clericos ligare absque consensu ejusdem capituli, attento rigore juris, quod habetur in cap. 1. de excessibus prælatorum, cap.* Quanto, *de iis, quæ fiunt à prælatis, absque consensu capituli, et cap.* Cum in cunctis, *de iis, quæ sunt à majori parte capituli; at, consuetudine legitime introducta, prædicta jura abrogata sunt: et sic absolute possunt, absque consensu capituli, tam laicos, quam clericos, generaliter, et specialiter, interdicere: ut testatur gloss. in dict. cap. 1. verb.* Capituli, *de excessibus prælatorum, et ibi Panormitan. Cornej. disp. 3. de interdict. in fin. Ugolin. tab. 5. c. 1. n. 20. § 1. Pal. disp. 5. punct. 3. n. 2. Soar. disp. 36. sect. 1. n. 6. Sair. l. 5. c. 10. N. Anton. in direct. confessor. hic sect. 2. Cohæret Mend. à Castr. in pr. p. 2. l. 2. cap. 1. sub n. 5. Et quamvis olim episcopus nil grave facere poterat sine capitulo, nisi in tribus casibus, ut notavit Joann. Andr. in rubric. de his, quæ fiunt à prælatis; tamen hodie episcopi fere omnia jura capitulorum præscripserunt, et minora negotia potest prælatus explicare sine consensu capituli sui, Abb. in cap.* Novit, *de iis, quæ fiunt à prælat. sine consens. capituli, Greg. in l. 9. tt. 14. p. 1. verb.* Privilegio. *Et in quibus causis episcopus habet potestatem dispensandi, ponit text. in l. 63. tt. 15. p. 1. ubi Gregor. ponit concordatas de jur. communi.*

Deinde notorium erat, quod capitulum ipsum nedum consenserat, verum et perfecte observabat prædictum generale interdictum à me fulminatum; imo et solicitatum ab asserto conservatore ad illius inobservantiam, fortiter solicitationem retudit, et formaliter in scriptis adversus illum protestatum est; et etiam recurrente ab eodem capitulo eandem inobservantiam, in libello supplicante eundem defectum capitularis consensus allegantem, ei capitulum non detulit, sed, ut meam delationem expectaret, remisit.

XV. Tandem regiis epistolis, in sententia recursus laudatis, opponebam regium nuperum rescriptum præfatum (quod adjungebam); cui quidem, utpote expedito post plenam causæ discussionem, et veluti laudatis posteriori, unice standum erat ex vulgari axiomate, *Posteriora derogant prioribus*, l. *Sed posterioris*, ff. de legib. l. *Pacta novissima*, cod. de pactis, cum vulgarib.

XVI. Pro coronide demum obtrudebam, quod, si judices, saltem ex æquitate, poterant, et debebant, defectus allegationum partium supplere, ex l. 1. cod. *Quæ desunt advocatis*, præsertim reorum, quibus jus favere jubet, toto titulo de judic. Deluc. de credit. disc. 137. n. 5. et de benefic. disc. 15. n. 8. supplementum tantorum doctissimorum et æquissimorum judicum, huic meæ allegationi, merito sperabam: et eam conclusione hac absolutam dedi, die 12. Decembr. ejusd. ann. 1731.

XVII. Eventus ultimus hujusce allegationis, atque recursus, fuit, quod illius evidentia judices convicti, et aliunde proregis ideis pariter diffisi, ex insperata, sed opportuna, navis ab Ulyssipone adventatione, quæ Goano huic portui die 29. Novembris, post molestam, variamque navigationem, mirabiliter appulerat, cum regiis efficacibus ordinibus, ut prorex sæculare gubernium personis in successionibus, simul advenientibus, statim aperiendis traderet; recursus progressui omnino supersederunt, nec ad secundam rogativam epistolam expediendam, neque ad ultimum super eo decretum sumendum devenerunt: de quibus omnibus cum regiam majestatem certiorem facerem, prodiit per ordinum tribunal, quoad interdicti observantiam, rescriptum 2. successori proregi missum, quod alibi remanet transcriptum, et aliud super eadem re mihi pariter directum, quod infra, utroque idiomate, per formalia fideliter traditur.

Rescriptum regium super præsenti recursu, et interdicti generalis observantia, mihi directum.

XVIII. REverendo em Christo P. arcebispo de Goa, primas do Oriente, amigo. Eu el Rey vos emvio muito saudar, como a quelle, de cujo virtuoso acrescentamento muito me prazeria. Por min foi vista a conta, que medestes em carta vossa, de 5. de Janeyro do anno passado, em que me representastes, que publicado o interdicto geral, de que me fizestes mensam, procurando o V. Rey que foy desse estado N. que os regulares o nam observassem, o nam podera conseguir dos religiosos da Divina Providencia, e dos PP. da Congregaçam do Oratorio, nem da Caza

da Miſericordia, ſem embargo da carta poſitiva, que a eſta eſcreveo para a dita inobſervancia, fundado na izençaô, que dizia ter a dita Caza, da juriſdicçam ordinaria, e vendo que o povo, eas parochias o obſervaçaô, fizera como procurador da coroa, que dizia ſer tambem das ordens, interpuzeſe, como tal, hum recurſo da fulminaçaô do dicto interdicto, por ſerem eſſas igrejas do meo padroado, a quem ſomente pertencia interdictalas: o que viſto, *fui ſervido reſolver*, que as igrejas do padroado das ordens militares, ainda unidas as meſmas ordens com pleno direito (com tanto que naô ſeja com juriſdicçam no clero, e povo, que he o modo porque com pleno direito ſe acham unidas a ordem de Chriſto) todas as parochias do ultramar eſtaô obrigadas a obſervar o interdicto geral poſto pelo ordinario: como porem os autos proceſſados no juizo da coroa deſſe eſtado, nam vieram, nem conſta os fundamentos que os miniſtros tiveram, para darem provimento no meſmo recurſo, ſe nam pode tomar rezoluçam, e devem ſeguir as partes os meyos ordinarios do recurſo. Eſcripta em Lixboa Occidental, aos 15. de Abril de 1733. Rey. Duque Eſtribeyro mor. Para o reverendo em Chriſto P. arcebiſpo primas de Goa.

Idem reſcriptum, Latine redditum.

REverende in Chriſto pater archiepiſcope Goane, Orientis primas, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto, veluti ei, de cujus virtutis augmento valde complacerem. A me inſpecta fuit narratio, quam mihi per epiſtolam veſtram 15. Januarii anni præteriti feciſtis, qua me certiorem reddidiſtis, quod generali interdicto, de quo agebatis, promulgato, prorex præteritus ipſius ſtatus N. ſolicitans, ne à regularibus ſervaretur, minime id obtinuit à religioſis Divinæ Providentiæ, et à PP. Congregationis Oratorii, atque à domu Sodalitatis Miſericordiæ, non obſtante poſitiva epiſtola, quam huic ad prætenſam inobſervantiam ſcripſit, eam à juriſdictione ordinaria immunem prætexens. Quinimo generalem populi, et parochiarum omnium, obſervantiam prorex experiens, procuratorem regium, qui pariter procuratorem ordinum ſe vocitabat, induxit, ut hoc titulo, ob interdicti promulgationem, gravamen intentaret, prætextu, quod hæ omnes parochiæ regio meo patronatui ſpectabant, mihique eaſdem interdicere privative competebat. Quibus omnibus perſpectis, reſolvere *decrevi*, quod eccleſiæ patronatus ordinum militarium, quamvis ipſis ordinibus pleno jure unitæ (dummodo non ſit cum juriſdictione in clero, et in populo, qui quidem modus eſt, quo pleno jure ordini Chriſti unitæ inveniuntur) omnes ultramarinæ parœciæ interdictum generale ab ordinario impoſitum obſervare tenentur. Verum cum proceſſata in ipſo judicio coronæ acta non advenirent, et ignorentur fundamenta, quibus miniſtri proviſionem in hoc recurſu dederunt, nequit ultima deciſio ſumi; et partes ordinarium curſum recurſus proſequi debent. Scriptum Ulixbonæ Occidentalis, die 15. Aprilis 1733. Rex. Dux major Præfectus ſtabularii regii. R. in Chriſto P. archiepiſcopo primati Goano.

Aliud reſcriptum per tribunal ultramarinum ſuper proviſoris violentiis, et cenſurarum in eum procedimento.

XIX. DOM Joaô, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, reverendo arcebiſpo, primas da India, que havendo viſto a voſſa carta de 16. de Janeiro do anno paſſado, ſobre os exceſſos que comettera o dezembargador N. ſervindo de provedor mor dos defuntos, e abzentes, tomando contas as confrarias, e fabricas das igrejas, contra a minha ordem de 12. de Abril de 1726. pela qual fui ſervido recomendar, que ſobre a controverſia, que ſemoveo a reſpeito de pertencer, ou naô a o vizitador eccleſiaſtico o tomar as contas as meſmas confrarias, ſe naô innovaſſe cauſa alguma, lhe final reſoluçaô minha, por cujo procedimento uzaſtes das cenſuras contra o dicto dezembargador, e por quanto neſta occaziaô ordeno a o V. Rey deſſe eſtado, faça obſervar a dicta ordem: ſou ſervido recomendarvos, por rezoluçaô de 13. deſte preſente mes, e anno, em conſulta do meo conſelho ultramarino, levanteis as ditas cenſuras, por ter mandado obſervar a ſuſpençaô, que tinha decretado no dicto anno de 1726. El Rey noſſo ſenhor o ordenou pelos DD. Manoel Fernandes Varges, e Alexandre Metello, e Menezes, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino; e ſe paſſou por duas vias. Joaô Tavares a ſes em Lixboa Occidental a 16. de Abril de 1733. O ſecretario Manoel Caetano Lopez de Laure a ſes eſcrever. Manoel Fernandes Varges. Alexandre Metelo de Souza e Menezes.

Idem reſcriptum, Latine verſum.

D. Joannes, Dei gratia, &c. Notum vobis facio, reverende archiepiſcope, primas Indiane, quod, me inſpiciente epiſtolam veſtram 16. Januarii anni præteriti, ſuper exceſſibus à ſenatore N. patratis, qui munus proviſoris defunctorum et abſentium inſerviens, rationes confraternitatum et fabricarum eccleſiarum, extorquebat, contra meum expreſſum mandatum 12. Aprilis 1726. per quod dignatus ſum jubere, quod, ſuper controverſia mota reſpectu competentiæ rationum prædictarum confraternitatum, nihil innovaretur aduſque meam finalem reſolutionem, vi cujus procedimenti, remedio cenſurarum adverſus præfatum ſenatorem uſi eſtis: et quia in hac præſenti occaſione ipſius ſtatus proregi ordino, ut præmiſſum mandatum obſervari faciat: dignatus ſum *vobis* commendare per reſolutionem 13. præſentis menſis, et anni, in conſultatione mei concilii ultramarini, ut latas cenſuras levetis, eo quod præcipio obſervari ſuſpenſionem, quam decreveram in prædicto anno 1726. Rex dominus noſter hæc juſſit per DD. Emmanuelem Fernandium Vargeſium, et Alexandrum Metellum de Souza Menezes, conſiliarios ſui concilii ultramarini; et duplicate expeditum eſt. Joannes Tavareſius hanc fecit Ulyſſipone Occidua, die 16. Aprilis 1733. Secretarius Emmanuel Caetanus Lopeſius de Laure ſcribere fecit. Emmanuel Fernandes Varges. Alexander Metellus de Souza e Menezes.

ALLEGATIO XL.

In Gravamine à Notario quodam Coronæ Judicii, ad idem Judicium intentato, ab extrajudiciali Fulminatione Cenſurarum in eum, ob Turbationem ordinariæ Juriſdictionis, necnon ob eccleſiaſticæ Immunitatis Offenſionem, et alios Exceſſus ſacrilegos, in Promotione atque Executione præjactæ Conſervatoriæ commiſſos.

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *Declaratio in cenſuram excom. majoris propter participationem, prærequirit de ſubſtantia monitionem individualem.*
III. *Quid de participatione in crimine damnato, remiſſive.*
IV. *Triplex fundamentum recurſus notarii ſæcularis, declarati ob inſultum ſacrilegum.*
V. *Excipiebatur iterum judex declaratus.*
VI. *Recurrens præmonitus fuerat implicite.*
VII. *Monitio, aut citatio, non requiritur in cenſuris latis in continenti extrajudicialiter in defenſionem.*
VIII. *Hoc procedimentum extrajudiciale poteſt fieri per excommunicationem, vel per declarationem in cenſuras à lege.*
IX. *Ab illo non patet recurſus; et quare?*
X. *Ratio* à priori *de licitudine defenſionis cuivis privato.*
XI. *Qualitas notarii ſæcularis, aut publici officialis, non reddebat recurrentem immunem à fulminatione cenſurarum.*

XII.

XII. XIII. *Neque etiam qualitas magiſtratus regii.*
XIV. XV. *Tranſcribitur Per. de man. reg. et Pignatelli.*
XVI. *Appellatio, poſt declaratoriam interpoſita, non retrotrahitur.*
XVII. *Declaratio cenſuræ incurſæ poteſt fieri non obſtante appellatione.*
XVIII. *Nullitas, aut validitas, cenſurarum nullius principis ſæcularis, etiam indirecte, ſubjicitur cognitioni.*
XIX. XX. *Recurſus ultimus eventus, remiſſive.*

I. DIE 9. Auguſti ejuſdem anni 1731. dum in primatiali eccleſia veſperæ inſignis martyris Chriſti Divi Laurentii ſolemniter peragerentur, tumultuoſe, et obſtrepenter eandem eccleſiam ingreſſus, et aggreſſus eſt aſſertus notarius illuſtriſſimi aſſerti conſervatoris præmiſſi, pluribus militiæ, ac juſtitiæ officialibus, et militibus armatis ſtipatus, atque duobus inſuper regularibus aſſociatus, pro publicanda charta præmiſſarum cenſurarum ejuſdem conſervatoris aggravatoria, et comminatoria aliarum, intra eandem eccleſiam promulgandarum, adverſus ipſoſmet ejuſdem primatialis ſedis canonicos, ac reliquos beneficiatos, et omnes alios fideles.

II. Quos omnes, non præmiſſa neceſſaria monitione individuali, aut *nominatim* (quæ in hoc caſu de ſubſtantia eſt, de quo Monacell. p. 3. tt. 1. form. 16. n. 3.) minus recte declarabat in cenſuram majoris excommunicationis incurſos, ob communicationem mecum in ſacris, et profanis.

III. Etiamſi participatio *in crimine damnato* non fuiſſet, adverſus expreſſam diſpoſitionem c. *Statuimus*, de ſent. excom. in 6. ubi gloſſ. verb. *Nota unum caſum*; et c. *Quod in dubiis*, de ſent. excom. verb. *Commoniti.*

Et cum quidam canonicus ejuſdem primatialis, inſultum præventurus, eccleſiæ fores occludere vellet, à ſubjecto notario ſæculari bipennis, è manibus cujuſdam militaris doryphori ab ipſo arrepta, ad canonici pectora temere porrecta fuit, ut eum à præmeditato impedimento juſto, injuſte ac violenter arceret, atque impediret. Et inſuper eum clericus quidam, in minoribus inſignitus, è manibus aſſerti notarii conſervatoriæ chartam, quam actu intra eccleſiam legebat, et reliquas omnes, quas aliis locis publicis affigendas reſervabat, dexterrime auferret, idem ſæcularis notarius in minoriſtam ipſum immodeſte, atque aggreſſivo auſu invectus, per mediam eccleſiam, et prope ejus miniſtros veſpertinum officium divinum ſolemniter actu peragentes, et ſacris veſtibus paratos, celeri atque præcipitanti curſu, capite irreverenter tecto, inſecutus atque perſecutus eſt. Quare, cum jam antea competentes cenſuræ à jure, et ab homine, in omnes et ſingulos conſervatori prædicto faventes, vel cooperantes, vel conſilium, auxilium, aut patrocinium dantes, comminatæ fuiſſent, in eaſdem, et reliquas ſacrilegis his inſultibus convenientes, notarius ipſe coronæ judicii tandem extrajudicialiter declaratus, ad idem judicium recurſum interjecit ſequentibus ſiſtentem fundamentis.

IV. 1. Quod excommunicatus quidem fuerat abſque prævia monitione, atque citatione. 2. Quod, utpote notarii ſæcularis judicii, punitio cujuſlibet ejus delicti regiis miniſtris attinebat. 3. Quod ejus appellatio, quatriduo poſt ipſius declarationem interpoſita, utique retrotrahi debebat, quaſi ante declarationem interjecta fuiſſet.

V. Priuſquam tamen triplici huic fundamento diſtincte facerem ſatis, *excipere* perneceſſarium duxi ſenatorem regium, capellanum proviſorem excommunicatum vitandum, et à me declaratum in competentes juris cenſuras (de quo ſupr. alleg. 33. et ſeqq.) ne in præſenti recurſu judicis officio fungeretur; cum certo certius omnino ſit in utroque judicio, quod, ut tenet Monacell. p. 3. in prælud. n. 34. *Nullus excommunicatus poteſt eſſe judex, tabellio, advocatus, ſeu procurator, actor, aut teſtis, etiamſi ſit toleratus, aut occultus; ſemper enim, quantum in ſe eſt, debet vitare communionem aliorum, cum per Concil. Conſtant. relatum à Navarr. in man. c. 27. n. 34. excommunicato tolerato, nullus fiat favor, Monacell. p. 3. in prælud. n. 34.*

Quoad primum fundamentum:

VI. Dicebam, recurrentem fuiſſe quidem præmonitum implicite in fulminatoria cenſurarum adverſus illuſtriſſimum aſſertum conſervatorem, publicata die 5. ejuſdem menſis Auguſti, quæ ſimul monitoria, et comminatoria erat adverſus omnes illius fautores, auxiliatores, concurſores, cooperatores, &c. et, dato, quod recurrens nullatenus præmonitus, ac citatus foret, defectus iſti minime obſtarent, quominus recurrens procedimento extrajudiciali, *et vim vi repellendo*, excommunicatus, imo et declaratus foret in competentes cenſuras à lege, ſuppoſita notorietate facti ſacrilegi, offenſivi, atque injurioſi ſanctitati, et immunitati eccleſiæ, necnon turbativi, atque impeditivi juriſdictionis ordinariæ exercitii.

VII. Et in executione hujuſce extrajudicialis procedimenti per excommunicationem, aut declarationem in cenſuras à jure, *vim vi repellendo* (de qua Cardin. Petra, tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſeſſ. 2. n. infra citando) certum etiam erat, non requiri citationem, nec monitionem, præſertim ſi cenſuræ ferantur in continenti, ut impræſentiarum: quam quidem reſolutionem, utpote certam, et communem, defendunt Cardin. Deluc. in miſcellan. diſc. 14. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 45. cum Fermoſin. in c. *Conſuluit*, n. 14. Cæſ. de Panimol. dec. 46. ubi plurimos citat, et Pignatell. tom. 1. conſ. 170. n. 9. cum Campanill. rubr. 12. Ventrigl. 1. p. annot. 48. et hunc eſſe verum, et proprium modum taliter procedendi in caſibus ſimilibus, ait Deluc. de juriſdict. diſc. 9. ibi: *Superior eccleſiaſticus, nulla prævia citatione, nulloque ordine judiciario ſervato, procedat ad cenſuras contra uſurpatores, vel turbatores de facto, tanquam per ſpeciem defenſionis, vim vi repellendo.*

Et pariformiter cit. Cæſ. de Panimol. d. dec. 46. n. 16. et reſolutionem hanc expreſſam eſſe in cap. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. c. 2. de privileg. c. *Venerabilib.* de cenſib. c. *Procuration.* et ſeqq. cod. tt. ex quibus concludit Cardin. Petra, cit. n. 3. *In hac cenſurarum inflictione ad formam dictorum jurium non requiri monitionem, citationem, aut ordinem judiciarium, non obſtante can.* Nemo, 2. *q.* 1. *et c.* Sacro: *cum hi textus intelligi debeant, ſi actus fiat judicialis; ſecus in extrajudiciali*, &c. ut latius videbitur in eadem auctoritate, et in præmiſſis formaliter tranſcriptis allegat. 11. et allegat. ſeqq. atque etiam in Pignatell. abſolute aſſeverante cum Genuenſ. et Ciarlin. c. 148. n. 14. tom. 6. conſ. 18. n. 49. *Neminem dicere, quod in declaratoria ſit neceſſaria citatio perſonalis.* Et citat etiam ibidem Maſſarat. Bellet. Rottam, dec. 49. et alios ead. allegat. late citat.

VIII. Quod quidem procedimentum extrajudiciale *in defenſionem*, ſeu *in violentiarum repulſionem*, non ſolum poſſe fieri *per excommunicationem de facto*, ſed etiam per declarationem *in excommunicationes, et cenſuras à lege*, ſive *à jure*, etiam contra exemptos, ſolide docet, ac tuetur ſolidiſſimus Card. Petra, cit. tom. 1. in d. conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 109. pag. mihi, 182. ibi: *Deveniendo ad membrum diſtinctionis, utrum, ſcilicet, poſſit procedere prælatus contra non ſubditum ad declarationem cenſurarum juris, ſi tamen fiat ſine figura judicii, et per modum executionis, et vim vi repellendo, prout hodie ſolet fieri . . . quam opinionem affirmative docent Deluc. Pignatell. plures adducens reſolutiones Sacr. Congr.* &c.

IX. Hinc conſequens eſſe dicebam, minime poſſe recurſum intentari, aut admitti ab hoc procedimento extrajudiciali, *vim vi repellendo*; eo quod prælati in eo, non *ut judices*, ſed *ut partes* procedunt per ſpeciem defenſionis; et gravamen, aut recurſus, non *à parte*, ſed *à judice* dumtaxat, et ut tali procedente, interponitur, atque permittitur, ex ipſiſſima regiæ ordinationis, atque municipalis juris regni diſpoſitione expreſſa, ordinatio, l. 1. tt. 9. § 12. et l. 4. tt. 58. § 2. Per. de man. reg. c. 6. n. 2. et ex l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. et c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. unde Tamburin. de jur. abbat. ſic concludit, tom. 2. diſp. 14. q. 3. *Epiſcopi poſſunt proprias perſonas, ac bona et jura ſuarum eccleſiarum, per cenſuras extrajudicialiter, et nullo juris ordine ſervato, defendere, oppugnantes, et vim ac moleſtiam inferentes, excommunicando,*

nicando, c. Dilect. *c.* Venerabil. *unde prælatus extrajudicialiter procedens nequit ut ſuſpectus recuſari; tum quia non tanquam judex, ſed tanquam pars procedit, et ſuſpicio in judicem, non in partem cadit, Butr. in c.* Cum veniſſent; *tum etiam, quia in hoc caſu non admittitur pars ad appellandum, Panormit. cap.* Venerabil. &c.

X. Rationem autem à priori tradit regia ordinat. d. lib. 4. tt. 58. § 2. et conformiter Cardin. Petr. tom. 1. in cit. conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. videlicet, *Sicut cuicunque privato licitum eſt armis temporalibus tueri propria bona contra invaſores, et injuriam, ac vim ſibi illatam coercere, ita hoc item permittitur prælato gladio ſpirituali,* &c. ut videre licebit in ejuſdem auctoritatis formalibus verbis latius tranſcriptis d. allegat. 11. et ſeqq.

Quoad ſecundum fundamentum:

XI. Dicebam, qualitatem notarii ſæcularis judicii in recurrente, non inducere in eum immunitatem à judicio eccleſiaſtico in rebus huic ſpectantibus, quales ſunt materiæ cenſurarum, ſacrilegia, &c. ex ipſa regia ordinatione, l. 1. tt. 12. et l. 2. tt. 9. et 10. et l. 3. tt. 49. et alibi, Per. de man. reg. c. 7. ſub n. 42. præſertim cum declaratio incurſionis cenſurarum à lege, vel ab homine, minime (neque etiam indirecte) ad judices ſæculares pertineat, ſed unice, ac privative, ad eccleſiaſticos, ex cit. ordinat. l. 1. tt. 12. et cæt.

XII. Quod autem ratio publici reipublicæ officialis, etiam recurrentem non eximat à fulminatione judiciali, aut extrajudiciali, per cenſuras eccleſiaſticas, aperte convincitur ex eadem ordinat. d. l. 1. tt. 12. § 7. et l. 2. tt. 8. de ſuppoſitione expreſſa, quam ibidem d. l. 1. tt. 12. facit, de ſubjectione ipſorum etiam ſenatorum cenſuris eccleſiaſticis ab homine, ſeu ab eccleſiaſtico judice infligendis, etiam in caſu probabilitatis, ipſiſmet ſenatoribus favorabilis, quem ibidem configurat ita diſponens, d. § 7. *Et quando judices eccleſiaſtici per cenſuras proceſſerint adverſus noſtros ſenatores, ac juſtitias, eo quod detentum aliquem ab eccleſia extraxerint, ſeu extrahi mandaverint, procuratori actorum noſtræ coronæ attinet, juriſdictionem noſtram curare, ac defendere,* &c.

XIII. Et quamvis recurrens à ſuperiore ſuo juſſus fuiſſet ad præſentiam præſtandam facto publicationis cenſurarum aſſerti conſervatoris, et ad fidem de illa portandam; minime eidem licerent exceſſus ſacrilegi præfati, ab eodem intra eccleſiam ipſam liberrime, et irreverenter patrati; neque judex, aut miniſter aliquis ſæcularis juriſdictionem aliquam in eccleſiam, etiam materialiter ſumptam, retinet, aut exercere poteſt, nec etiam ad jubendum milites, atque doryphoros armatos in eam introducere, vel aliquid irreverenter ibidem attentare, ex l. ultim. ff. de juriſd. omn. judic. Marth. de juriſdict. p. 1. c. 51. Cardoſ. verb. *Judex*, Barb. in l. 1. ff. de judic. Grat. cap. 665. n. 10. Sperell. dec. 49. et alii apud ipſos.

XIV. Quinimo etiam de magiſtratibus regiis in actibus propriæ juriſdictionis, ſi ex aliquo incidenti, aut exceſſu, excommunicantur à judice eccleſiaſtico, obſervare ſolent, ac debent, quod reſolvunt Themud. dec. 8. n. 2. et Per. de man. reg. c. 7. n. 41. ibi: *Non omittendum duxi caſum, qui quotidie ingenia ſenatorum torquet; an poſſit per viam violentiæ providere regio magiſtratui, qui dum à clerico factis, et convitiis impeditur, ne publicam juriſdictionem exerceat, eumque per familiam capere juſſit, et ob hoc factum excommunicatus fuit, ejuſque miniſtri, quod manus violentas in clericum injecerint; et videtur, hoc caſu, nulli patere aditum ad regium tribunal; nam clerici, ratione delicti, non fiunt de foro judicis ſæcularis.*

XV. Et numeris ſubſequentibus plene ſatisfacit objectionibus in contrarium, plane affirmans, nedum magiſtratum, verum et principem valide ac juſte excommunicari, atque declarari quidem poſſe à judice eccleſiaſtico, præſertim in defenſionem juriſdictionis ſuæ procedente: prout etiam reſolvit Pignatell. tom. 1. conſt. 170. aliqua concernentia addens; ibi: *Declaratoria incurſus principis, ſeu magiſtratus in cenſuras per epiſcopum latas, præſumitur de jure valida, et juſta, taliſque probatur, præcipue dum apparet lata vim vi repellendo pro defenſione ſuæ juriſdictionis, et immunitatis eccleſiaſticæ; hujuſmodi namque juriſdictionem princeps, ſeu magiſtratus uſurpat, dum literis, ſive hortatoriis, ſive minatoriis, mandat epiſcopo, vel ejus vicario, ut cenſuras ab eis latas pro defenſione jurium epiſcopalium contra miniſtros curiæ ſæcularis, alioſve, revocent; quod repugnat Tridentino, ſeſſ. 25. de reformat. bullæ Cœn.* &c.

Quoad tertium fundamentum:

XVI. Facilius plane ſatisfaciebam, oſtendens impoſſibilitatem retrotractionibus appellationis pertenſæ, quæ ex actis, et atteſtationibus ipſiuſmet conſtabat, quod interpoſita fuiſſet quatriduo poſt illius declarationem in cenſuras competentes in pluribus eccleſiis publicatam. Neque apud DD. vel umbra quidem inſinuatæ retrotractionis invenitur. Cui quidem appellationi etiam obſtabat, quoad effectum ſaltem ſuſpenſivum, eſſe extrajudicialiter præpoſitam, juxta doctrinam Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 7. n. 19. et ergà cenſuras in defenſionem prolatas, de quo Pignatell. tom. 9. conſ. 51. et Panimol. dec. 96. n. 10. annot. 2. quorum auctoritates tranſcribuntur alleg. 23. et ſeqq.

XVII. Et adeſt expreſſa reſolutio in c. *Paſtoral.* de appell. § *Verum.* Unde cum Lancelot. Meirin. et aliis, ſic concludit Fontanell. dec. 314. n. 24. *In materia excommunicationis declarationem ejus incurſus poſſe fieri, non obſtante appellatione, prout multis tradit Lancel. de attent. p. 2. cap. 12. nedum declaratio, ſed etiam denuntiatio poteſt fieri poſt appellationem, de qua Meirin. cap.* 113.

XVIII. Præterquam quod, cum recurrens in appellatione illa in unico hoc ſiſteret fundamento, quod officialis publicus incederet, utique appellatio ea ſane frivola evadebat; ad hoc enim ſufficit, quod cauſa, aut motivum appellationis ſit minus legitimum, Scacc. de appellat. q. 2. n. 48. Deinde appellatio à judice ut tali procedente, non autem procedente ut parte, admittitur, Tambur. de jur. abbat. tom. 2. dec. 14. q. 3. cum Panormit. in c. *Venerabilib.* &c.

XIX. Denique accumulationi, quam addebat de cenſuris ab aſſerto conſervatore editis, etiam faciebam ſatis, oſtendens (præter earum nullitatis notorietatem) nulli ſæculari principi, judici, ac judicio, attinere hujuſce materiæ cognitionem, ex ipſamet regia ordinatione, lib. 3. tt. 49. § 6. Barb. et Peg. ad eandem etiam *indirecte*, vel per *incidentiam*, ex cap. 2. de judic. c. 2. de major. et obed. c. *Cum contingit*, de arbitr. c. *Cauſa*, de perſcript. can. *Princeps*, 26. q. 3. Cevalh. de cognit. per viam viol. gl. 6. n. 133. et in prolog. n. 43. ibi: *Directe, nec indirecte, reges, et principes ſuperiores, nec principaliter, nec acceſſorie, in cauſis eccleſiaſticis cognoſcunt; vel quæſtio ſit de jure, vel de facto*, ut idemmet Cevalh. commun. tom. 1. q. 403. ibi: *Imo, quod, ſive ſit quæſtio facti, ſive juris, judex ſæcularis eſt incapax ad cognoſcendum de cauſa eccleſiaſtica.*

XX. Et cum competentibus pro hac re, et pro reliquis *proteſtationibus*, allegationi præſenti manum ultimam impoſui, et judicio coronæ regiæ eam remiſi die 14. ejuſdem menſis Auguſti ejuſdem anni 1731. Ultimus autem præſentis recurſus eventus ex ſequenti allegatione conſtabit.

ALLE-

ALLEGATIO XLI.

Pro non Adimpletione primæ Chartæ Rogativæ in ſuperiori Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *Series facti proſequitur.*
II. *Proteſtatio pro nullitate totius recurſus ex admiſſione excommunicati vitandi in judicem.*
III. *Ultima deciſio totius recurſus in menſa palatina debet ſumi per tres conjudices diſtinctos.*
IV. *Judex in cauſa propria nulliter judicat.*
V. *Procedimentum extrajudiciale vim vi repellendo, nedum pro facto notorio permanenti, ſed et pro tranſeunte haberi poteſt.*
VI. *Judex eccleſiaſticus poteſt procedere extrajudicialiter ob injuriam tranſeuntem notoriam, illatam ratione officii.*
VII. *Injuriatus poteſt injuriam alia propulſare, cum injuria per aliam compenſetur.*
VIII. *Ad inducendum notorium ſufficit ſcientia decem hominum.*
IX. *In declaratoria non eſt neceſſaria citatio perſonalis.*
X. *In notoriis, et publicis, poteſt ad declarationem cenſurarum deveniri abſque citatione.*
XI. *Defectus citationis ad ſummum redderet hoc procedimentum illicitum, non vero invalidum.*
XII. *Fructus hujus allegationis, et finis totius recurſus.*

I. NON obſtante ſpeciali proteſtatione in ſuperioris allegationis initio facta, ne proviſor capellarum in recurſu illo ut judex admitteretur, utpote qui excommunicatus vitandus notorie incedebat, ad judicium tamen admiſſus fuit, qui cum conjudice recurrenti providerunt, fundamentis infra inſinuatis innixi. Et cum pro recurſus ſententia adimplenda prima charta rogatoria expediretur, ſequentem eidem reſponſionem, et totius recurſus progreſſui objeci.

II. Proteſtabar, primo, notoriam nullitatem illius proviſoris vitandi in judicem admiſſionis, et totius recurſus progreſſus, ac ſententiæ, et hinc ſequendorum, caſu, quo ſententia à ſuffragio prædicti excepti penderet.

III. Secundo, proteſtabar etiam pro nullitate ultimi decreti, aut finalis deciſionis totius recurſus, in palatina menſa ſtatus ſumenda, caſu quo per minus, quam tres diſtinctos conjudices, decerneretur, contra ſtylum; de quo Coſta de ſtyl. dom. ſupplic. annot. 6. ſub n. 64. et contra expreſſam reg. ord. diſpoſitionem, l. 1. tt. 9. et 12.

IV. Neque ad ſupplendum hunc ternarium numerum pro ultima deciſione conjudicum admitti licebit, aut valebit, aliquis eorum, qui judices in prima recurſus ſententia, aut in progreſſu illius, extiterant; quia aliter, cum in hac ultima cognitione, et prima ſententia, et totus recurſus progreſſus examinetur, et ſuper eis pronuntietur, ex cit. ordin. atque ſtylo, de quo etiam Peg. ad cand. tom. 3. qui taliter admitteretur, ſane in cauſa propria judex evaderet, proindeque illicite, ac nulliter, l. *Julian.* ff. de judicio, l. *Quis juriſd.* ff. de juriſd. omn. judic. l. unic. cod. *Nequis in ſua cauſa*, ordin. lib. 3. tt. 24. ubi Barb. et Peg. Guerr. de recuſat. l. 1. c. 8. n. 8.

V. Deinde, fundamentis recurſus ſententiæ (quæ, etſi fatebatur licitudinem procedimenti extrajudicialis per cenſuras *vim vi repellendo*, attamen autumabat, id ſolum licere in *facto notorio permanente*, non vero in *tranſeunte*; et in illo adhuc debere præcedere citationem perſonalem, et non ſufficere generalem, quæ ex præcedenti monitorio conſtabat; imo debere etiam præcedere ſummarium teſtium ſuper notorio; et in his ſuppoſitionibus procedere doctrinas à me allegatas, &c.) plene, planeque ſatisfaciebam, contrarium ex doctrinis ipſis convincenter demonſtrando.

Et, primo, ex laudato Cardin. Petra in conſt. 1. l. 9. ſeſſ. 2. n. 13. pag. mihi, 176. ubi, poſtquam aſſerit, quod *dicta promulgatio cenſurarum per viam tuitionis ita eſt permiſſa, ut in continenti tantum fieri valeat . . . . Quod eſt generale in omni tuitione permiſſa vim vi repellendo*, per text. in l. 3. § *Cum igitur*, ff. de vi, et vi arm. &c. ſtatim ibidem addit: *At prædicta ſunt intelligenda cum diſtinctione . . . . aut enim injuria fuit in perſonam, et tunc debet deveniri ad cenſuras ſtatim, et in continenti, et flagranti adhuc maleficio, et ita procedunt ſuperius dicta; vel injuria fuit in rem, et poterit quidem infligi pœna excommunicationis, donec fuerit purgata. Ancharanus in cit. cap.* Dilecto, *n. 2. verſ. 7. Nota et optime* Rott. in cit. dec. 122. n. 14. *Ratio eſt, quia prima injuria verſatur circa factum, quod tranſit, et non permanet; ſecunda vero circa factum permanens: unde, cum, in hoc caſu, injuria continuo irrogetur, continuo etiam datur facultas eam propulſandi, ut etiam ſentire videtur Cardin. Deluc.* diſc. 48. n. 16. et 17. *de juriſd. et præſertim, ſi non fuerint intermedii actus judiciales.*

VI. 2. Ex Antonello de regiment. l. 1. c. 13. § 3. ubi reſolvit poſſe judicem eccleſiaſticum procedere extrajudicialiter ob injuriam tranſeuntem, *ſi ſit notoria, et illata ratione officii*; ex c. *Romana*, de pœnit. in 6. *Quia, cum in notoriis non requiratur cauſæ cognitio*, c. *de manifeſt.* 1. *q.* 2. c. *Cum ſit Romana*, de appellation. *non poſſunt dici judices in cauſa propria, ſed potius juris executores*, Gail. l. 3. obſerv. 39. Triviſ. dec. 10. n. 34. Ricc. in pr. dec. 138. p. 1. et paulo poſt ſub n. 12. ibidem addit idem Antonell. *Hinc infert Ferr. qq. mor. p. 1. q. 87. n. 4. quod poteſt judex eccleſiaſticus punire laicos, qui coram ipſo aliquam irreverentiam committunt: et tunc punire debet in continenti ſine alia accuſatione, et juris ordine prætermiſſo, ut dicit Ricc. loc. cit. quemadmodum judex ſine proceſſu, et cauſæ cognitione, procedere poteſt contra filios obſequia parentibus non præſtantes*, 1. *Nec quiſquam*, § *de plano, ubi Bart. ff. de offic. proconſ. ita etiam poteſt prælatus punire ſuum ſubditum pro propria injuria, modo id faciat extra judicium, animo corrigendi, juxta gloſſ. in cap.* Et qui emendat. *diſt.* 45. *Græff. d. p. 2. lib. 3. c. 4. n. 5.*

VII. 3. Ex Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 47. n. 4. et 48. n. 9. et 16. cum Ricc. de jur. perſonar. l. 4. c. 61. n. 36. ad 39. ubi refert deciſum per Sacr. Congreg. ann. 1619. et ex Pignatell. tom. 9. conſ. 56. ubi licitam aſtruit repulſam injuriæ tranſeuntis in continenti à quodam prælato habitam adverſus ſubditum coram eo tecto capite irreverenter pertranſeuntem: quarum auctoritatum formalia verba alibi tranſcribuntur; et ex Themud. dec. 336. n. 14. ubi DD. plures adducens, ſic ait: *Injuriatus poteſt injuriam per aliam propulſare, quia injuria alia injuria compenſatur*, Plac. epitom. de dilect. l. 1. c. 1. n. 21. et plura areſta alibi adducit, et etiam Peg. ad ordination. l. 2. tt. 9. § 3. gl. 5. n. 32. et 33.

VIII. Quoad notorietatem autem facti, etiam convincenter demonſtrabam ex doctrina cit. Panimol. dec. 96. annot. 1. n. 22. Ad inducendum notorium, ſufficere ſcientiam etiam non populi, ſed viciniæ, vel decem hominum, c. *Cum dilectus*, de purgat. l. *Prætor*, ff. de vi. Bald. in l. *Si vero*, ff. *Qui ſatisdari*, et ex Soccin. jun. conſ. 65. n. 40. Felin. in cap. *Literis*, de teſtib. Cæſal. conſ. 108. n. 17. ibi: *An aliquid ſit notorium, judex poteſt in cubiculo, etiam parte non citata, ſe informare*; et ex Jaſ. in leg. *Admonendi*, ff. de jur. jurand. n. 232, 233. ubi docet: *Quod judex ſuper notorio debet procedere per modum informationis*, ut notat in cap. *Bonæ*, de poteſt. prælat. et in cap. *Veſtra*, de cohabit. cleric. et mulier. Et quod *in informatione ſuper fama, et ſuper notorio, credatur teſtibus non juratis.*

IX. Quoad citationem autem perſonalem, eo quod recurrens poterat negare delictum, ut de facto negabat; etiam plene ſatisfaciebam, 1. Ex doctrina Pignatell.

gnatell. tom. 6. conſ. 18. n. 4. et ex Ciarlin. cum Genuenſ. c. 148. aſſerentibus, neminem dicere, quod in declaratoria ſit neceſſaria citatio perſonalis; ut etiam tradunt Bellet. Maſſarat. Rott. dec. 48. &c. quorum verba alibi tranſcribuntur.

X. Satisfaciebam, 2. Ex notorietate delicti, quod quidem, utpote factum notorium, et publicum, minime à recurrente denegari poterat; et prout tale, ad declaratoriam cenſurarum ejuſdem deveniri equidem poterat abſque citatione, ut probat gloſſ. in cap. *Cum ſit Romana*, de appellat. Felin. in cap. *Rodulphus*, ſub n. 41. et alii apud Cæſar. de Panimol. cit. dec. 96. n. 15. cujus verba per extenſum alibi reperies.

XI. Denique adnotabam, defectum citationis perſonalis in hoc procedimento, ad ſummum, illud quidem injuſtum redderet, non tamen invalidum, juxta doctrinam Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 14. et Monacell. p. 3. form. 45. qui cum Fermoſin. in *Conſuluit*, de appellat. n. 14. docent, excommunicationem latam ſine citatione, et ſine monitione, tenere; ſed non ejus declaratoriam, *niſi ſit ſuper notorio*: et, in hac conſideratione, minime potuiſſe patere locum interjectioni, atque progreſſui recurſus, qui quidem certe non datur, ad tribunalia ſæcularia, quoties eccleſiaſticus valide, licet injuſte, procedat; Peg. ad ordinat. tom. 3. gloſſ. 16. n. 30. cum Oliv. de for. eccleſ. q. 16. n. 41.

XII. Hæc autem allegatio, cum expedita à me tandem foret, recurrens proprium cenſurarum incurſum agnoſcens, et confitens, à progreſſu recurſus deſtitit; imo et abſolutionem cenſurarum, ſimul cum venia delicti, à me religioſe poſtulavit, et obtinuit; et judices ipſi, ac regius procurator, ulteriori cauſæ proceſſui etiam ſuperſederunt. Quo fine, ignoro; et fortaſſis ille foret, vel privata recurrentis ſupplicatio, vel ſimilis, ob delicti notorietatem, cenſurarum realis incurſionis clara recognitio.

Poſt me tandem ab India in hanc Algarbienſem diœceſim deceſſum per epiſtolas Goanæ civitatis anno proximo 1743. tranſmiſſas, notitiam certam accepi, quod præfatus notarius, nomine *Petrus Alexander Serram*, præmiſſum exceptum miniſtrum in ſorte ac morte ſubſequens, ſubito, et abſque ſacramentis, è vivis deceſſit.

ALLEGATIO XLII.

In Gravamine intentato à Procuratore generali Societatis Jeſu Provinciæ Goanæ ſuper Viſitatione Capellæ cujuſdam ruralis Inſulæ Racciolenſis, et Fabricæ Eccleſiæ parochialis Majordanæ, ejuſdem Provinciæ Adminiſtrationi de facto attinentis.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Proteſtabar, ne ageretur, niſi de poſſeſſorio, vel quaſi.*
III. *A perſona vicarii generalis, in facto ipſius, recurri debet, non ab epiſcopo, non obſtante identitate juriſdictionis, quæ non efficit identitatem perſonarum.*
IV. *Poſſeſſio viſitandi fabricas harum eccleſiarum, tota, et totaliter, erat penes mitram Goanam.*
V. *Eadem poſſeſſio pacifice continuata erat uſque ad annum præſentem.*
VI. *Etiam in actuali viſitatione.*
VII. *Adminiſtrator regularis citationi vicarii generalis aliam propria manu ſignatam, publice cum exceſſu contrapoſuit.*
VIII. *Duplex materia in ea contenta.*
IX. *Prælati regulares nequeunt declaratorias propriorum ſubditorum ad fores eccleſiarum propriarum affigere, neque has interdicto eccleſiaſtico ſubjicere.*
X. *Regulares exempti, avellentes declaratorias ordinariorum, cenſuris juris innodantur, et ſubjacent ipſorum ordinariorum punitioni.*
XI. *Etiam ab eiſdem declarari poſſunt in cenſurarum can.* Siquis, *non obſtante propria exemptione.*
XII. *Poſſeſſio* 40 *annorum æquiparatur immemoriali: et* 30 *annorum inducit titulum, et habetur pro privilegio ex certa ſcientia.*
XIII. *Ex bullis erectionis epiſcopatus conſtat, juriſdictionem ordinariam ordinis extinctam fuiſſe, reſervato jure patronatus dumtaxat.*
XIV. XV. *Suffragatur declaratio tribunalis ordinum, et conſtitutionum ſynodalium diſpoſitio.*
XVI. *Et Concil. Trid. decretum.*
XVII. *Neque officiebat diſpoſitio definitionum ordinis, deputans viſitatores proprios pro eccleſiis pleno jure ſibi ſubjectis.*
XVIII. *Recurrebam etiam ad regem, ut me ex proprio munere in poſſeſſione mea conſervaret.*
XIX. *Non patet recurſus à judice* vim vi repellendo *extrajudicialiter procedente.*
XX. *Repulſa illa eſt licita, nedum in propriæ perſonæ, ſed et bonorum defenſionem.*
XXI. *Poteſt procedi extrajudicialiter per monitionem, aut notificationem* ad allegandum, quare, *&c.*
XXII. *Et etiam per declarationem, aut denuntiationem in cenſuras à lege.*
XXIII. XXIV. *Tranſcribitur c.* Dilecto.
XXV. XXVI. *Extrajudiciale procedimentum*, vim vi repellendo, *poteſt fieri, vel ſtatim excommunicando de facto, vel declarando, aut denuntiando violentos turbatores.*
XXVII. *Hoc procedimentum fortius urget in actibus viſitationis, de quo adeſt poſſeſſio, aut conſuetudo.*
XXVIII. *Regularis adminiſtrans fabricam eccleſiæ, vel munus teſtamentarii, aut executoris alicujus operis pii, ſubjicitur judici ordinario, cui cognitio illius executionis competit.*
XXIX. *Nec ab hoc procedimento datur recurſus.*
XXX. *Ordinarius etiam erat in poſſeſſione viſitationis hujus capellæ ruralis.*
XXXI. *Injuſtum impedimentum prælati regularis.*
XXXII. *Si* vincam vincentem te; à fortiori, vincam te.
XXXIII. *Epiſcopus impeditus poteſt eccleſiæ fores frangere pro viſitatione expedienda.*
XXXIV. *Caſus judicati videndi.*
XXXV. XXXVI. *Capellæ pertinentes regularibus, ſeparatæ à clauſtris, etiam campeſtres, viſitantur ab epiſcopo.*
XXXVII. *Jus viſitandi nunquam præſcribit, etiamſi prælatis facultativa ſit actualis alicujus capellæ viſitatio.*
XXXVIII. *Sub generali privilegio exemptionis non cadit exemptio à viſitatione.*
XXXIX. *Jus hoc viſitandi ordinariis deducitur ex multiplici jure, et ex Trid.*
XL. *Eccleſiæ regulares poſſunt etiam ab ordinariis viſitari, ſi in eis indecentiæ, aut abuſus admittantur.*
XLI. *Bullæ exemptionis præcedentes Tridentinum, in eo, quoad præmiſſa, revocatæ ſunt, et poſt illud per alias poſteriores.*
XLII. *Caſus judicatus in auditorio Goano.*
XLIII. Judicium *quoddam, à recurrentibus allegatum, loquebatur de capellis intra clauſtra regularium, de quibus etiam loquitur* Compend. Privil. Societatis.
XLIV. *Confirmatur ex* Compend. Indico, *et ex duplici declaratione in cauſa Angelopolit.*
XLV. *Appellationibus extrajudicialibus ſatisfiebat, remiſſive.*
XLVI. *Sententia ſenatus prodiit contra recurrentes.*

I. CUM anno 1734. in viſitatione generali, quæ numero tertia quidem extitit, provinciæ Salſetanæ, Goanæ inſulæ auſtralis, viſitare intenderem et capellam publicam ruralem, in inſula collegii Racciolenſis (quam in duplici viſitatione præcedenti

cedenti anni 1722. et anni 1728. formaliter viſitaveram) et libros expenſarum fabricæ eccleſiæ parochialis Majordanæ, adminiſtratæ à quodam regulari, ejuſdem collegii incola (quos etiam in utraque illa præcedenti viſitatione pariformiter viſitaveram, et, quod notabilius eſt, poſt nuperrimam, et abſolutam in viſitatione præſenti eorundem librorum fabricæ parochialis eccleſiæ Aſſolonenſis, in fundo ejuſdem religionis ſitæ, et ab alio ejuſdem collegii ſubdito regulari adminiſtratæ, facilem, et incontroverſam appræſentationem, atque expeditionem, in duplici præfata præcedenti viſitatione etiam exercitam) prædicti collegii rector regularis, et præmiſſus Majordanæ fabricæ adminiſtrator, ſeſe intentatæ viſitationi utriuſque, aut viſitationis continuationi, injuſte, injurioſeque, mediis infra expreſſis oppoſuerunt. Quare, cum vicarius meus generalis competenter de jure, et de facto, procederet, *vim vi repellendo*, modo infra expoſito, non ab illo, ſed à me, recurſum inciviliter intentârunt ad regium tribunal; cui quidem non ſtatim reſponſionem dedi, ſed eam reſervavi remittendam, cum tranſmiſſione actorum ex vi primæ rogatoriæ chartæ ad eam exequendam, ſecundum ſtylum, et reſolutionem, de qua Peg. ad ordin. l. 2. tt. 9. § 3. gl. 5. n. 34. tom. 8.

II. Igitur proteſtabar imprimis, in illa juſtitiæ meæ, aut mei generalis vicarii allegatione, ne in hoc coronæ judicio ageretur, aut cognoſceretur, niſi de *mero poſſeſſorio*, aut *quaſi poſſeſſorio*; et minime de jure proprietatis admitteretur ventilatio, aut cognitio; tum quia poſſeſſio illa ſufficiebat ad meæ juriſdictionis, ac juſtitiæ firmitatem; tum quia præſens judicium incompetens quidem erat ad illud proprietatis jus cognoſcendum, ut aperte agnoſcebatur, ac expreſſe fatebatur in ſententia in hocmet judicio anno 1697. quam adjungebam inter alia convenientia documenta, et eſt quæ alibi per extenſum remanet; et inſimul proteſtabar, à me erga jus ipſum proprietatis alleganda, id ex ſuperabundantia, et ubertatis, claritatiſque gratia, non vero ratione cognitionis, aut deciſionis, equidem effici, et uſurpari debere.

III. Et prætermittens præſentis recurſus incurialitatem notoriam adnotare, quo, cum procedimenta per citatorias, et declaratorias chartas, quibus præſens gravamen interponitur, et reliqua fere omnia forent vicarii generalis archiepiſcopatus, gravamen ipſum, quaſi procedimenta illa mea forent, à me ipſo intentaretur, ea mihi appropriare affectando, prætextoſa præventione illa à recurrente conficta, quod à me directa fuiſſent; cum ſubjectorum diverſitas, etiam identitate juriſdictionis ſuppoſita, non à me, ſed ab illo, utpote effective procedente, et procedimentorum auctore, præſentis recurſus interjectionem plane ſuadebat, ex triviali ſtylo paſſim reperto in hiſce gravaminibus apud DD. regnicolas, ut Peg. tom. 3. et 8. per tot. et Themud. tom. 1. 2. et 3. Portug. de donat. reg. tom. 2. et alios; gradum tandem faciebam ad materiam duorum factorum, à quibus recurrebatur, ſingillatim exponendam.

Sect. I.

Quoad fabricarum viſitationem:

IV. Dicebam, et narrabam, materiam à ſuo exordio, claritatis ergo, deducens, quod excellentiſſimus comes Villæ Viridis, quondam prorex hujuſce ſtatus, Salſetanas eccleſias, et earum fabricas, quaſi locumtenens magni Chriſti Militiæ magiſtri, viſitare pertendens, eo quod eccleſiæ illæ magiſtratus ipſius patronatui ſpectabant; ſtatim illuſtriſſimus archipræſul D. Fr. Auguſtinus ab Annuntiatione per inhibitoriam cum cenſurarum comminatione proceſſit; à qua ordinum procuratore gravamen interjiciente, diſcuſſa acriter cauſa utrinque, prodiit tandem ſententia finalis in favorem mitræ Goanæ (pro qua etiam per aſſiſtentiam illius procuratori egerat regius procurator) poſſeſſionem, aut quaſi poſſeſſionem centum et ſexaginta annorum, quoad viſitationem earundem eccleſiarum, et fabricarum, eidem mitræ adjudicans; ut in eadem ſententia d. alleg. inſpicere licebit: ex vi cujus, et antiquæ poſſeſſionis, ac juris ſui, præfatus archipræſul omnes illas eccleſias, et earum fabricas, et inſuper reliquas cunctas Bardeſianæ provinciæ, effective, et pacifice, plene viſitavit. De qua ſententia, atque executione illius, cum prædictus archipræſul majeſtatem ſereniſſimi regis Petri II. certiorem faciens, approbationem obtinuit, atque ſpecialem continuationis, aut proſecutionis in reliquis eccleſiis commendationem, per regium reſcriptum, quod jungebatur, expeditum 12. Martii anni 1701. cum aliud 23. Martii 1697. ab eadem regia majeſtate præſul idem accepiſſet, ut ſententia, quæ in eadem cauſa pendente proferretur in favorem cujuſvis partis, executioni indubie demandaretur *citra appellationem, aut recurſum* ad ſuperius quodlibet tribunal:

V. Eandem poſſeſſionem, pacifice etiam, recurrentes continuârunt decano, hujuſce archiepiſcopatus generali vicario *Henrico Bravo de Moraes*, dum in eiſdem provinciis, et eccleſiis, generalem viſitationem plene exerceret anno 1618. et 1620. et mihi denique in prima generali viſitatione ann. 1722. qua omnes eccleſias Salſetanæ provinciæ, quas regulares iidem adminiſtrabant, et omnes illarum fabricas, citra controverſiam viſitavi, et nominatim fabricam eccleſiæ parochialis Majordanæ (de qua unice impræſentiarum controverſum eſt) ſub parocho illius P. *Henrico Pereyra*, qui ejus fabricæ libros perſonaliter mihi præſentaverat, ut ex annexis conſtabat documentis. Deinde in ſecunda viſitatione generali, anno 1728. quam in eccleſiis eiſdem perfeci, poſt deſertionem adminiſtrationis parochialis illarum (non vero adminiſtrationis fabricarum parœciarum Aſſolonenſis, et prædictæ Majordanæ, quas hactenus retinuerunt) à recurrentibus factam, mihi fabricæ utriuſque libri à P. *Simone da Silveyra*, fabricario primæ, et à P. *Joſeph. Barboſa*, fabricario ſecundæ, mihi pacifice præſentati fuerunt; quos quidem formaliter viſitans competentibus decretis expedivi, et propria manu ſignavi, ut etiam ex documentis conſtabat.

VI. Tandem in ejuſdem poſſeſſionis continuationem, atque executionem, in hacmet proxima tertia viſitatione, P. *Joſephus Boteglius* Aſſolonenſis fabricæ adminiſtrator, non obſtante, quod parœcia illa, et fabrica illius, in fundo, aut pago, dominii temporalis religionis ſuæ ſita foret, rationarios libros, tam collectarum, quam expenſarum ejuſdem fabricæ, mihi viſitandos, et expediendos expoſuit per illius parœciæ coadjutorem, in proxima parochia Cucolinenſi, addens, ſe hoc facere expreſſo mandato ſui patris provincialis, ut etiam edocebatur. Et ſolummodo hoc jus, atque continuata poſſeſſio, ab unico P. *Joanne Borgia*, Majordanæ fabricæ adminiſtratore, dumtaxat mihi diſputatum eſt, conſilio P. rectoris Racciolenſis, contra ſimile expreſſum mandatum ejuſdem provincialis, quod clare faſſus eſt habuiſſe, ex reſultantia conſultationis cum deputatis conſiliariis ordinis in domo profeſſorum Goana, ſuper hac re habita; ſed quia provincialis eidem, ut ſupplicârat, tranſmittere renuerat omnium conſulentium ſcripta ſuffragia, illius mandati executionem ſubterfugiens, præfato rectori præſentandos fabricæ libros remiſit, ut proregi, tanquam magni magiſtri locumtenenti, præſentes facere juberet: quæ etiam omnia ex iſtius fabricarii reſponſione ad citatoriam chartam vicarii generalis, juridice, et authentice, conſtabant.

VII. Huic inſuper notarii atteſtationi ſubjungebam chartam aliam, ad formam paſtoralis deſcriptam, ab ipſoque P. Joanne Borgia propria manu obſignatam, et ejus nomine ad omnes fideles directam, quam proprii famuli amanuenſis recognitis characteribus exaratam, tribus continuis diebus ejus notificationi, aut citationi, immediatis disjunctive ad valvas eccleſiæ parochialis, et aliis publicis locis, affigi fecit; et ipſe propria manu, ultima die, quæ Dominica erat, coram innumerabili populo, qui intra eandem eccleſiam ſacro adſtiturus erat, ad ejus fores palam affixit; quam quidem fixatoriam cum parochus avelleret, fabricarius ipſe poſt eum, ſclopeta, quæ per mediam eccleſiam à famulo, ſibi clamoroſe exigenti publice, et coram eadem multitudine delata eſt, obarmatus immodeſte cucurrit; ut ex documentis, et teſtium ſummario, convincebatur.

VIII. Illius autem fixatoriæ chartæ materia, et intentum duplex erat: 1. Seſe omnino à comminatis cenſuris à jure, et ab homine, immunem publicare,

ob

ob notoriam regularem exemptionem: 2. Arguere temeritatis, et inſubſiſtentiæ, notificationem vicarii generalis ſibi factam; et inſuper me et illum in cenſuras incurſos pronuntiare, ob armorum eccleſiaſticorum abuſum, præparatum ad denuntiandos in cenſuras juris incurſos regulares, Summo Pontifici immediatos, &c.

IX. Et cum notorius foret novus cenſurarum à lege incurſus à fabricario prædicto, non ſolum ob impedimentum, et turbationem juriſdictionis ordinariæ, ſed etiam ob formalem ejuſdem uſurpationem per hanc publicam chartam, cum præmiſſis expreſſionibus, omnibus fidelibus directam, et ad valvas parochialis eccleſiæ ter disjunctive, et iterato, affixæ (quæ quidem publicatio, et affixio conſimilis, etiam ad fores propriarum eccleſiarum, ipſiſmet prælatis regularibus, etiam pro ſuis ſubditis, interdicta certe eſt, ſicut et proprias eccleſias interdicto ſubjacere, et in eiſdem indulgentias, etiam fidelibus conceſſas, publicare, eo quod regularium juriſdictio, non localis, ſed perſonalis tantummodo eſt, de quo Ventrigl. annot. 48. 1. p. ubi plures citat, Monacell. p. 1. tt. 6. form. 20. n. 34. et erat caſus in hac diœceſi adverſus Franciſcanum provincialem de Obſervantia); idcirco, ſuppoſita prædicta notorietate, et adhibitis adhuc conveni-entibus diligentiis, et nova ad allegandum notificatione, extrajudicialiter ab eodem vicario generali præmiſſus fabricarius excommunicatus, et competenter declaratus fuerat, per chartam, quæ etiam annectebatur.

X. Quæ quidem declaratoria, dum à parocho principali januæ parochialis eccleſiæ affigeretur, ab eodem fabricario manu propria violenter avulſa eſt, cum nova cenſuræ, in eadem declaratoria charta fulminatæ, incurſione, non obſtante ejuſdem regulari exemptione, juxta vulgarem DD. reſolutionem, cum Ricc. prax. for. eccleſ. p. 4. reſol. 23. ubi declaratum refertur à S. Congr. in una Cuſentin. 18. Decembr. 1699. et aliis apud Monacell. p. 3. tt. 1. form. 32. n. 19. et 20. ibi: *Licet regulares ſint exempti à juriſdictione epiſcopi, et non comprehendantur in ejus edictis, hic tamen ratione offenſæ juriſdictionis poſſunt puniri, etiam cenſuris: unde, ſi aliquis regularis amoveret, aut laceraret cedulones, incurreret excommunicationem contra amoventes et lacerantes fulminatam, præſertim* (prout hic) *quando nominatim exprimuntur, ut ſine difficultate admittit Donat. de regim. tom. 1. p. 2. tract. 13. de exempt. religioſ. quæſt. 29. per tot. qui eſt teſtis contra regulares omni exceptione major.*

XI. Aliam cenſuram à jure oſtendebam, ex alio teſtium ſummario, incurſam fuiſſe ab eodem regulari fabricario, ob gravem, et publicam percuſſionem prædicti parochi, quem, ob prædictæ declaratoriæ affixionem, enormiter in capite fuſte percuſſit; ex qua, ejus non obſtante regulari immunitate, convenienter declarari ab ordinario in cenſuram can. *Siquis*, valide et licite poterat, minime hinc inde opinione officiente, de quo Monacell. p. 3. tt. 1. form. 1. n. 45. ibi: *Alii autem, et melius (inter quos non deſunt regulares) abſolute firmant, quod ſi delictum, quod habet annexam excommunicationem inflictam à jure, ſit certum, et notorium, in quo nulla requiritur citatio, Leo theſ. for. eccleſ. p. 3. c. 7. n. 110. et alii ſupra allegati in* § Hanc vero, *recte poſſit epiſcopus publice denuntiare excommunicatos regulares exemptos ad hoc, ut à ſubditis evitentur; quia denuntiatio, circumſcripta citatione, non eſt actus juriſdictionis, cum pœna denuntiata à jure jam ſit inducta; et denuntiatio nihil addat: ita ex regularibus tenent Tambur. de jur. abbat. tom. 1. diſp. 15. quæſt. 7. n. 38. Nicol. lucubr. can. l. 5. tt. 39. de ſent. excommunic. n. 29. ubi decreta Sacr. Congr. refert Pirhing. in jus can. l. 1. tt. 31. n. 115. et ex noſtris Ricc. prax. rer. for. eccleſ. p. 2. reſol. 210. n. 4. Barb. de offic. et poteſt. epiſc. alleg. 105. n. 73. Genuenſ. in prax. cap. mihi, 57. n. 1. Piaſe. prax. p. 2. c. 3. art. 6. de viſit. regular. n. 78. ver.* Ad extremum, *Fagn. in c.* Grave, *n. 75. de offic. ordin. et in cap.* Non poteſt, *à n. 15. ad 25. de ſent. et re judic. Ventrig. prax. p. 1. annot. 48. n. 134. ibique Carol. Ant. Deluc. poſt n. 5. Cardin. Deluc. in miſcellan. diſc. 14. n. 6. et 7. et de juriſd. diſc. 29. n. 2. et 3. Panimol. dec. 84. ad not. 1. n. 65. Pignatell. conſ. 10. à n. 1. ad 6. tom. 7. et conſult. 52. n. 6. et ſeqq. tom. 9. et horum ſententia verior eſt, et in praxi ſequenda.*

XII. Ex præmiſſis omnibus concludebam certitudinem, ac firmitatem poſſeſſionis meæ ordinariæ juriſdictionis; et addebam, quod ſi poſſeſſio quadraginta annorum immemoriali æquiparatur, Per. de Caſtr. dec. 52. n. 3. pertingente hujuſce mitræ in hac re poſſeſſione ducentos fere annos, præcedentibus ſententiam illam, ſubſequentibus ſuperadditis, utique immemorialis reapſe formaliter evadebat. Præterea, ſi poſſeſſio triginta annorum in alterius tituli defectum, illum inducebat, imo et dominium, atque jus proprietatis, ex ordinat. reg. tt. 79. l. *Sicuti*, codic. de præſcript. trigint. vel quadragint. annor. Menoch. præſumpt. 131. n. 32. et 53. cum al. plurim. et præſertim immemorialis poſſeſſio, quæ pro meliori titulo reputatur, l. 3. § *Ductus aquæ quotid.* Gabr. commun. l. 5. tt. de præſumpt. cl. 1. n. 72. et habetur etiam *pro privilegio conceſſo ex certa ſcientia*, Valaſc. conſ. 145. n. 10. præter ipſiuſmet ſententiæ judicii coronæ titulum, qui quidem legalis adeo eſt, ut legi ipſi æquiparetur, Gam. dec. 33. n. 2. et dec. 174. n. 10. et ex profeſſo dec. 228. per tot. quem ſequitur Cabed. dec. 212. n. 1. quænam alia juſtior, et potior poſſeſſio deſiderari, aut excogitari poſſet; præcipue ſtante notorie pro præſenti, præter allegatos titulos, ipſomet formali, et validiſſimo juri proprietatis titulo, infra compendioſe inſinuando?

Quoad jus ipſum proprietatis:

XIII. Sub factis, et iteratis proteſtationibus, notabam celerrimam, et inconſideratam præcipitationem, qua recurrentes in medium proferre, et aſſeverare adacti ſunt, archipræſules hujus diœceſis, non aliam juriſdictionem in fabricas eccleſiaſticas illius retinere, quam mere delegatam à magno Militiæ Chriſti magiſtro, turpiter obliviſcentes *libellum*, ſeu compendium, quod ſub titulo *Bullarum Collectio*, ipſimet Ulyſſipone typis mandari effecerunt, anno 1707. quo compendio continentur bullæ Leonis X. et alia Pauli III. incipiens, *Æquum reputamus*; ubi § 2. declaratur ſuppreſſa, atque extincta juriſdictio ordinaria, ab eodem Leone ipſi ordini Militiæ Chriſti conceſſa in perſona vicarii, aut majoris prioris Thomarenſis; ibi: *Vicariam de Thomar apoſtolica auctoritate ſuppreſſerat, et extinxerat*; cum reſervatione dumtaxat juris patronatus ipſimet ordini pro beneficiorum præſentatione, poſt epiſcopatuum in hiſce ultramarinis, atque orientalibus regionibus, erectiones. Quod etiam convincitur ex bulla *Pro excellenti*, Clem. VII. et aliis ibidem; necnon ex regia declaratione, ac diplomate religioſiſſimi regis Joannis III. confirmato à piiſſimo regio Sebaſtiano, illius nepote; et ex aliis laudatis alleg.

XIV. Quibus addenda alia declaratio menſæ, ſeu tribunalis ipſorum ordinum militarium ann. 1646. et caſus ab eodem judicatus apud Themud. p. 2. dec. 186. ibi: *Declaramus . . . quod archiepiſcopus viſitare non poterit ea loca, quæ pleno jure fuerint eorundem ordinum, prout ſunt in hoc regno oppida de Noudar, et de Barrancos. Poterit tamen viſitare tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, eas ordinum eccleſias, quæ eorundem pleno jure non fuerint, quamvis per eorum fratres deſerviantur.*

XV. Et pariformiter diſpoſitio ſynodalium hujuſce Goanæ diœceſis conſtitutionum, tt. 19. conſt. 1. et 2. et 3. et tt. 39. conſt. 2. ubi expreſſe declarat, prælato ordinario hujus archiepiſcopatus, et ejus miniſtris, *pertinere, rationes ſumere miſſarum, et expenſarum fabricarum, et inventariorum rerum omnium eccleſiarum, necnon viſitare ædificia, et reliqua omnia.* Quibus conſonant etiam militaris illius ordinis conſtitutiones, aut definitiones, p. 3. tt. 9. et tt. 12. § 3. quæ tranſcriptæ remanent: et ſubjungebam jura, et doctrinas laudatas in cit. alleg. et declarationem regii reſcripti, 12. Aprilis anni 1731. per ipſum ordinum tribunal expeditum, quod habetur cit. alleg. et aliorum ſubſequentium, per formalia traditorum.

XVI. Et tandem annectebam diſpoſitionem Sacr. Concil. Trident. (cujus regiæ majeſtates executores, ac protectores equidem ſunt, ex bulla Pauli IV. ejuſ-

dem

dem confirmatoria) quod quidem concilium, ſeſſ. 22. de reform. c. 9. ſic decernit: *Adminiſtratores, tam eccleſiaſtici, quam laici, fabricæ cujuſvis eccleſiæ, etiam cathedralis, hoſpitalis, confraternitatis, eleemoſynæ, montis pietatis, et quorumcunque piorum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis ordinario; conſuetudinibus, et privilegiis quibuſcunque in contrarium ſublatis.*

XVII. Quin aliquid officeret interpretatio ex adverſo, deſumpta ex ipſamet concilii limitatione; ibidem: *Niſi ſecus forte in inſtitutione, et ordinatione talis eccleſiæ, ſeu fabricæ, expreſſe cautum eſſet:* nam quamvis definitiones ordinis illius, tt. 32. jubeant *deputare viſitatores pro eccleſiis ordinis*; id dumtaxat ſtatuunt pro eccleſiis illis, quæ *pleno jure* ordinis ſunt, ut ſunt in Portugallia oppida *Noudar*, et *Barrancos*; prout ex ipſiſmet definitionibus, locis præcitatis, et ex reliquis ſupra allegatis, evincitur. Quod equidem extendendum non eſt ad has parœcias ultramarinas, quæ pleno jure ordini non ſpectant, ut cum Cardin. Petr. tom. 5. in conſt. 4. Calixt. III. ſeſſ. 2. n. 126. pag. mihi, 133. firmatum remanet, cit. alleg.

XVIII. Ex præmiſſis *recurrebam* et ego ad regiam majeſtatem, ut me in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione mea, adeo bene fundata, ac titulata, conſervare dignaretur, ut Sacri Concilii Trident. executor, et ultramarinorum præſulum ſpecialis protector, et inſuper ex proprio regio munere, quod expreſſe conſtabat ex deciſione illa regii concilii Caſtellæ in favorem juriſdictionis epiſcopi Cartagenæ in Indiis Occidentalibus, approbata ab Innoc. XI. die 24. Januarii 1687. ut aſſerit Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. 2. *Cum ex venerabil.* Leon. IX. ſect. 1. n. 80. pag. mihi, 240. n. 79. et evincebatur etiam ex regia ordinat. l. 2. tt. 8. § 5. et 7. et tt. 19. et l. 4. tt. 58. et l. 3. tt. 78. § 3. Per. de man. reg. in prælud. 1. ex n. 6. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 1. prælud. 1. 2. et 3. Paz de tenut. et alii apud ipſos, et apud eund. Per. de man. reg. c. 24. n. 2. et 3.

XIX. Conſequenter etiam ſupplicabam, ne de hoc recurſu, aut gravamine, cognitio uſurparetur: cum certum omnino foret, non patere gravamen ad tribunalia ſæcularia, niſi à judice eccleſiaſtico, *ut tali*, procedente, non vero à judice eccleſiaſtico procedente, *ut parte*, in propriam defenſionem, atque juriſdictionis ſuæ, *vim vi repellendo*, ut ex ipſa regia ordin. ſatis clare, et naturaliter evincebatur, l. 1. tt. 9. § 12. et l. 4. tt. 58. § 2. Barb. ad eand. in § 1. et tenet Per. de man. reg. c. 6. n. 2. et licitum ſane eſt, et ipſomet jure naturali permiſſum, illatam vim injuſtam, alia vi juſte repellere, l. *Ut vim*, ff. de juſt. et jur. lib. 1. et tot. titulo *de vi*, ff. l. *Scientia*, l. *Is qui aggreſſor*, et l. *Siquis percuſſus*.

XX. Quæ quidem intelliguntur de licita repulſa, nedum in propriæ perſonæ, verum et propriorum bonorum, ac juriſdictionis defenſionem, l. *Furem*, 9. ff. ad l. *Corneliam*, de ſicar. c. *Dilecto*, c. *Si vero*, de ſent. excommunic. in 6.

Aſt quia recurrentes, injuſta ſubſannatione, atque irriſione, hoc procedimentum extrajudiciale, *vim vi repellendo*, critice taxabant, et indigna nota, ſibimet contrarii, ſugillabant; cum paulo anterius in nupera aſſerta conſervatoria (de qua alibi) idem procedimentum, licet inſubſiſtenter extortum, et fundamento penitus deſtitutum, complacenter eiſdem arriſerit; operæ eiſdem pretium duxi aliqua pro validitate, ac licitudine utriuſque procedimenti mei vicarii generalis hic ſpecialiter prælibare: igitur —

Quoad procedimenta extrajudicialia vicarii generalis:

XXI. Dicebam, duplex quidem fuiſſe id procedimentum extrajudiciale; 1. Monitoriæ, ſive citatoriæ cum clauſula juſtificativa *ad allegandum, quare*, &c. 2. Fulminatoriæ, ſeu declaratoriæ, *vim vi repellendo*. De primo procedimento, etiamſi judiciale foret, conſtans omnino erat, ex doctrina Fagnan. in c. *Super eo*, de appellat. Monacell. p. 2. tt. 15. form. 2. n. 7. et p. 3. tt. 1. form. 38. Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 22. imo ex DD. regnicolis cum Oliv. et Peg. infra cit. non dari abſolute gravamen in præjacto procedimento, vel judiciali, vel extrajudiciali, neque de eo patere recurſum, ut aperte Peg. ad ordinat. tom. 3. l. 1. tt. 9. § 12. n. 34. ibi: *Recurſus non datur contra judices eccleſiaſticos, quando procedunt per monitorias chartas cum clauſula juſtificativa.* Et rationem affert Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. ibi: *Qui cum hac clauſula procedit, neminem gravat . . . unde judices ſæculares, qui prætextu violentiæ in his terminis contra eccleſiaſticum procedunt, cenſuras bull. Cœnæ non effugient.*

XXII. Secundum procedimentum fuit extrajudicialis declaratoriæ *vim vi repellendo*, deductum ex c. *Venerabilib.* c. *Dilecto*, de ſent. excommun. in 6. et aliis citatis à Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Leon. IX. ſect. 2. n. 1. pag. mihi, 174. et à Monacell. p. 3. form. 45. et p. 1. tt. 12. form. 15. Ventrigl. p. 1. annot. 48. et ſæpe ſæpius ejus licitudo, ac validitas, à Sacr. Congr. definita, ac declarata eſt, apud Cardin. Petr. cit. et tom. 3. in conſt. 11. Alex. IV. n. 10. 12. et ſeqq. pag. 231. Deluca de judic. diſc. 9. et de juriſdict. diſc. 29. et 47. et diſc. 736. n. 3. et in miſcell. diſc. 14. n. 8.

XXIII. Et quia notabilia ſunt verba cit. c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. illa compendioſe ſic tranſcripta reddebam: *Cum omnes leges, omniaque jura, vim vi repellere, cunctiſque ſeſe defenſare permittant; licuit utique ipſi decano . . . contra illius violentiam injuriamque ſe tueri: et quoniam adverſus ejus nimiam poteſtatem ſufficiens temporalis defenſio ſibi forte non aderat, potuit ſe etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo eccleſiaſtico, defenſare . . . ſicque utrumque quodammodo gladium, et temporalem et eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare, maxime, quia hi duo gladii conſueverunt (exigente neceſſitate) ſibi adinvicem ſuffragari*, &c.

XXIV. Quem quidem textum, et ejus diſpoſitionem, atque approbationem etiam inſervire dicebam pro alio procedimento circa januam capellæ ruralis, vi aperiri juſſam, de quo infra, n. 30. ex quibus equidem textibus, ac doctrinis, certo conſtabat antiquitas, validitas, firmitas, et praxis extrajudicialis procedimenti uſus, etiam ſimul utroque gladio, ſpirituali, ſcilicet, ac temporali, *vim vi repellendo*, adverſus criticam recurrentium cenſuram adverſantem, et retortam; cujus inſuper injuſtitiam demonſtrabam ex expreſſa doctrina D. Thom. 2. 2. q. q. 108. a. 1. ad 4. Innoc. in c. *Venerabil.* de cenſib. n. 4. et 5. et quamplurium AA. regularium, ut Thom. Tambur. in decalog. l. 4. c. 1. Aſcan. Tambur. de jur. abbat. tom. 1. et 2. Donat. prax. regular. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 29. et alii.

XXV. Hoc autem extrajudiciale procedimentum, vim vi repellendi, dupliciter etiam fieri poſſe oſtendebam: 1. Statim de facto excommunicando abſque prævia citatione, vel monitione, et abſque ordine aliquo judiciali, ut ex Cardin. Petr. ex Monacelli et Cardin. Deluc. cit. loco, et ſignanter de judic. diſc. 9. et ex Cæſ. de Panimoll. dec. 96. n. 16. clare evincebatur in auctoritatibus alibi extenſis.

XXVI. Secundus autem modus idem extrajudiciale procedimentum exercendi, eſt de facto declarando, aut denuntiando in competentes juris cenſuras incurſos violentos turbatores, impeditores, uſurpatores, aut offenſores ordinariæ juriſdictionis, juxta præſcriptum can. 16. et 17. bull. Cœnæ, Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. et ſeſſ. 22. de reform. c. *Siquis preſbyt.* de reb. eccleſ. præmittendo dumtaxat citationem, aut notificationem *ad allegandum, quare*, &c. de quo Cardin. Petr. cit. d. tom. 1. n. 20. et 22. et formalius n. 69. § *Deveniendo*; ibi: *Ut, ſcilicet, poſſit procedere prælatus contra non ſubditum ad declarationem cenſurarum juris, ſi tamen fiat ſine figura judicii, et per modum executionis, et vim vi repellendo, prout hodie ſolet fieri poſt iſtas cenſuras.*

XXVII. Quod quidem procedimentum extrajudiciale fortius urget in actibus generalis viſitationis, ad quam dicebam non eſſe neceſſe, quod prælatus viſitans præhaberet expreſſum jus ad viſitandam rem, quæ impediri, aut turbari prætenditur; ſed ſufficere poſſeſſionem, vel uſum, aut conſuetudinem eam viſitandi, ut practicus Monacell. aſſeverat, p. 1. tt. 12. form. 15. n. 1. et 2. verbis infra, n. 33. § 2. tranſcribendis.

XXVIII. Qua poſita, regularis ſubjectus fabricæ libros tradere viſitandos recuſare, atque præpedire non poterat;

poterat; neque illius religioſa immunitas à præfato competenti procedimento eum excuſabat, poſito, quod muneri et oneri eccleſiaſtici fabricarii ſeſe ſubjecerit, Monacell. p. 1. tt. 5. form. 2. n. 2. quemadmodum religioſus munus, et onus teſtamentarii, aut executoris alicujus operis pii ſubiens, tenetur reſpondere coram judice ordinario eccleſiaſtico, vel ſæculari, cui executionis illius cognitio ſpectat, et competentibus illius ſubjacet procedimentis, id. Monacell. p. 3. tt. 2. form. 10. n. 9. ibi: *Advertendum tamen eſt, quod ſi aliquis particularis religioſus, tanquam executor teſtamentarius, ſeu fiduciarius, ex officio illi commiſſo (et quod de licentia ſuperioris poteſt licite exequi et exercere) deberet aliquod opus pium, vel onus miſſarum adimplere, ſeu adimpleri facere; tunc eum ordinarius poſſet compellere ad ſibi rationem reddendam de executione, et adimplemento oneris injuncti, et punire, quatenus ſe male geſſiſſe inveniret, ut communiter tradunt Ricc. p. 5. dub. 5. Barb. verb.* Regular. *n.* 60. *Grac. Jun. l. 2. def. 1. cap. 7. n. 20. Perinch. l. 1. tt. 11. n. 112. Franceſ. c. 25. n. 120. Amoſtaz. p. 2. l. 5. cap. n. 20. Raynal. ſuppl. 4. ad cap. 32. n. 30. ibi: Quod propter hanc cauſam regulares poſſint etiam cenſuris conſtringi; et idem dicit Div. Thom. p. 2. reſol. 210. lim. 18. quod procedit etiam, ſi teſtator rationem ab eo exigit prohibuiſſe, ut probant DD. p. 1. in append. ad conſt.* Inſcrutabili, *Greg.* XV. *n.* 3. *pag.* 308.

XXIX. Hinc noviter inferebam, minime ab hoc procedimento recurri poſſe, tum ex rationibus datis, tum quia in illo judex eccleſiaſticus ut merus juris executor procedit, ut eſt tritum apud DD. Petr. cit. tom. 1. d. n. 22. Per. de man. reg. c. 4. n. 4. et c. 7. n. 5. Peg. ad ordin. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 14. n. 44. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. n. 42. ibi: *Quando judex eccleſiaſticus ex officio (præcipiente, ſeu ordinante lege, et tanquam ipſius executor) procedit, etiam non citata parte, violentiam non facit, nec ei reſiſti poteſt, ac per conſequens nec dari recurſus ad tribunalia regia.*

Quoad capellæ ruralis viſitationem:

XXX. Dicebam, atque etiam narrabam, meæ etiam juriſdictioni utique poſſeſſionem adeſſe hanc ruralem capellam inſulæ Racciolenſis per me, ac prædeceſſores meos, certe, ac pacifice viſitandi, ex ipſius primordiali in capellam converſione, aut erectione. Nam in initio fuerat quædam ruralis ſpecula, ſive vigile epiſcopium, tribus arcubus conſiſtens; quorum duos collaterales arcus occludens quidam Racciolenſis collegii laicus, nomine *Petrus da Silva*, et anteriorem arcum apertum relinquens, et cratibus, atque fulcris diſtinguens, auctoritate ordinarii intercedente, in capellam pro ruſticani populi commoditate convertit. Qui quidem populus inſufficientiam, ac minus decentiam primæ capellæ obſervans, novam aliam, à fundamentis, forma, qua nunc exiſtit, propriis expenſis, de ejuſdem ordinarii licentia erexit, et ornamentis, annuiſque reditibus pro illis ſubſiſtentia, atque competenti ornatu, ditavit; quorum redituum depoſitum actum in ipſo Racciolenſi collegio aſſervatur; et hæc fortaſſis cauſa, atque motivum extitit, repugnantiæ rectoris collegii meæ præſenti viſitationi ejuſdem capellæ, non obſtante notoria mea poſſeſſione in duplici præcedenti viſitatione ann. 1722. quando regulares Jeſuitæ Salſetanas has parœcias adminiſtrabant, et ann. 1728. poſt illius adminiſtrationis deſiſtentiam, à ſereniſſimo rege reprobatam, et poſſeſſione etiam prædeceſſorum meorum in anteactis viſitationibus, ſignanter ann. 1718. quæ omnia ex adjuncta juſtificatione, atque veroſimilibus atteſtationibus, juridice conſtabant.

XXXI. Ad impedimenta ergo de facto hanc præſentem ejuſdem capellæ tertiam viſitationem, rector collegii Racciolenſis, cujus dominii eſt illius inſulæ ruralis fundus, arreptis, et ſecum delatis clavibus capellæ illius, impedimento etiam fuit, ne ruſticani accolæ die prima, et tertia, atque etiam ſecunda, quæ Dominica erat menſis Maii ejuſdem anni 1734. eccleſiaſtico præcepto intereſſendi ſacro facerent ſatis, ob capellæ recluſionem, qua prædictis diebus, etſi de præcepto, et aliis ſubſequentibus, incruenti ſacrificii euchariſtici celebratio penitus ceſſaverat, et præfato impedimento violenter atque irreligioſe interdicta fuerat.

Cum autem, præmiſſa à vicario meo generali monitoria, aut citatoria charta cum clauſula juſtificativa *ad allegandum*; rector ipſe ne quidem conſenſerat, neque convenerat in arbitrio à prorege etiam approbato, ut die 9. ejuſdem menſis adventura, quæ etiam Dominica erat, fores capellæ pro populo ſacrum audituro aperirentur; et hac occaſione ego ipſe, qui eodem mane prope capellam tranſiturus eram, obiter eam ingrediens, quaſi orationem inibi peracturus, eandem pro viſitata haberem; parochus ſæcularis eccleſiæ Racciolenſis (cui capella ipſa in tantum ſubjiciebatur, ut et deputatio capellani illius privativa foret ejuſdem parochi, et omnes actiones, ac functiones parochiales ipſe ſolus exerceret) cum me die ipſa comitaretur, et fores capellæ ſibi ſubditæ die Dominica clauſas reperiret, et populum pro miſſa conclamantem exaudiret, duos bajulos juſſit januam ſacriſtiæ impulſu non gravi (tenuis namque erat) aperire; quam ingrediens, et intus capellæ ipſius fores aperiens, expeditæ meæ illius viſitationi aditum patefecit; et ornamenta, ac paramenta convenientia è parochiali eccleſia faciens adduci, proprium capellanum in eadem populo ſacrum facere mandavit, quod et pacifice peractum eſt; quod etiam convenientibus teſtificationibus edocebatur.

XXXII. Hinc inferebam, quod ſi parochus, mihi ſubditus, ob jus, atque juriſdictionem, quam in illam, etiam ſibi ſubjectam, capellam habebat, citra injuriam alterius poterat in eam prædicta exercere; potiori jure et ego, ex vulgari axiomate, *Si vincam vincentem te, à fortiori vincam te*; l. *Æquiſſimum*, ff. de Tertul. c. *Auctoritate*, de conceſſion. præbend. et nedum ex adjunctis documentis, verum et ex propria recurrentium confeſſione, conſtabat, *hanc capellam ruralem in totum plene parocho ſæculari, ejuſque juriſdictioni ſubjectam, utpote capellam ruſticanam, unice ad populi commoditatem fundatam* (erant formalia verba recurrentium in cauſa alterius publicæ capellæ, in eccleſiaſtico judicio etiam actu pendente).

XXXIII. Pro validitate autem procedimenti effringere portas jubendi, et impedientes, ac turbantes de facto excommunicandi, annectebam expreſſam, ſolidamque doctrinam practici Monacelli, p. 1. tt. 12. cit. form. 15. n. 1. et 2. ibi: *Quoties epiſcopus impeditur, quin viſitet loca, quæ de jure, vel conſuetudine, poteſt viſitare, puta quia viſitandi, habita notitia habendæ viſitationis, oſtia loci viſitandi claudunt, aut alio modo ſeſe violenter opponunt, poteſt non ſolum januas frangere, ſed vim vi repellendo inobedientes, et opponentes illico excommunicare, abſque alia judiciali monitione*; Campanil. in diverſ. jur. can. rubr. 12. cap. 13. n. 59. et ſeqq. quem ſequuntur Ventrigl. prax. rer. notabil. par. 1. ad not. 48. § unic. n. 88. Rainald. obſervat. crim. ſupplem. ad cap. 32. ſupplem. 3. n. 119. et ita pro validitate cenſurarum reſpondit Sacr. Congr. Concilii in una Vicen. juris viſitandi 26. Septembris 1699. et 16. Januarii 1700.

Et idem dicas procedere in cenſura interdicti, quoties honor, obſequium, vel res tradi et concedi ſolita, publice, et injurioſe, epiſcopo denegetur. Eadem Sacr. Congreg. in alia Venaphana interdicti 26. *Januarii* 1697.

Panimol. autem cum Barb. in Trident. ſeſſ. 7. c. 7. de reformat. et alleg. 74, 75. de ep. Ciarlin. contr. for. 1. p. c. 65. Tambur. de jur. abbatiſſar. diſp. 17. Genuenſ. Puteol. Franc. et aliis, reſolutionem illam ampliat ad ipſas etiam eccleſias regularium exemptas, in caſibus illis, in quibus ab ordinariis viſitari poſſunt, ut videre eſt apud Panimol. cit. dec. 84. annot. 1. n. 17. ibi: *Licere epiſcopo frangere oſtia, et vim facere, ſi, dum ingredi vellent monaſteria regularium exempta, regulares renuant, oſtia claudendo, ita ut epiſcopus poſſit eoſdem excommunicare, etiam non adhibitis monitionibus.*

XXXIV. Videndus etiam caſus ædilis apud Peg. ad ordinat. tom. 8. p. 463. n. 32. et alius caſus etiam judicatus apud Themud. et videndi etiam DD. ipſi regulares, cum Peyrin. p. 3. privileg. c. 2. et Donat. d. tr. 13. p. 1. q. 69. per tot. et alii, qui requirunt dumtaxat monitionem aliquam, quæ præcedat excommunicationem, et oſtiorum fractionem, ut ex verbis

Peyrin.

Peyrin. à Dónat. ibidem relatis, evincitur, d. q. 69. n. 10. ibi: *Hinc infert Peyrin. quod monitio prærequiritur, etiamſi epiſcopus velit procedere per oſtiorum fractionem; tum quia eſſe poteſt, ut regulares, tali monitione territi, pareant, ut ſine ſcandalo, et rumore, ut inter religioſos decet; tum etiam, quia, ſi monitio requiritur ante excommunionem, quæ eſt gladius ſpiritualis, et formidabiliſſimus; quare non requiretur ante uſum gladii temporalis, qui majorem rumorem, et ſcandalum, quandoque excitat?*

XXXV. Neque officere addebam, etiamſi recurrentes, vel regulares alii, impræſentiarum haberent pro ſe rationes aliquas probabiles; nam, juxta Deluc. de juriſdict. diſc. 47. n. 22. et diſc. 48. n. 7. et 9. *Epiſcopus, etiam recuſatus, poteſt procedere ad cenſuras, etiam contra non ſubditos turbantes eum in poſſeſſione, etiamſi turbantes haberent aliquas probabiles prætenſiones.* Imo ipſamet qualitas capellæ publicæ ruralis, à clauſtris regularibus ſeparatæ, quantumvis eorum dominio ſpectantis, eam novo titulo juriſdictioni ac viſitationi meæ ſubjiciebat, Monacell. p. 1. tt. 5. form. 2. n. 5. ibi: *Oratoria publica, quæ habent requiſita eccleſiæ, viſitantur ab epiſcopo, etiamſi ſint de pertinentiis regularium, dummodo ſeparata ſint à clauſtris, et etiam campeſtria, Nicol. in floſc. verb.* Viſit. *amplia* 4. *verſ.* Poſſe vero, *Fagn. in cap.* Cum dilectus, *n.* 43. *et* 46. *de relig. dom. et bis nuper declaravit Sacr. Congr. Concilii in Cæſenaten.* 23. *Septembris* 1690. *et in Cortonen.* 20. *Aprilis* 1697.

XXXVI. Adverſus autem rationem, qua recurrentes maxime fidebant, effutientes, hanc allegatam poſſeſſionem meam *eſſe actum facultativum*; notabam imprimis notam confuſionem, atque fluctuantem adverſariorum vacillantiam, et implicantiam: nam, ut poſſeſſionem denegarent, inutiliter autumabant, has viſitationes, utpote actus facultativos, poſſeſſionem non conferre. Ut autem viſitationem unius præſentis capellæ mihi de facto impedirent, notoria inconſtantia, contrariam futilem rationem uſurpârunt, aſtruentes, me, ex unius ſolius viſitatione, poſſeſſionem, atque jus ad reliquas viſitandas utique acquiſiturum.

XXXVII. Deinde directe reſpondebam, quod quamvis facultativum ſit ordinariis prælatis, neceſſitate ſecluſa, aliquam capellam viſitare omittere; Deluc. de regularib. diſc. 7. n. 7. attamen patronis, adminiſtratoribus, ac fabricariis, facultativum ſane non eſt, poſſe ordinariis prælatis viſitationem eam quomodolibet interdicere; tum quia *jus viſitandi nunquam præſcribi poteſt*, Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 1. Card. Albit. n. 91. ex c. *Cum ex offic.* de præſcript. c. *Venerabilib.* n. 23. de cenſib. neque conſuetudo in contrarium toleratur, aut valet, c. *Nos conſuetudo*, 12. diſt. Innoc. d. c. *Venerabil.* Fagn. ibid. n. 23. tum quia, ubi adeſt exemptionis privilegium, certa, et communis eſt doctrina, de qua idem Deluc. de juriſd. diſc. 40. n. 6. et diſc. 41. n. 13. ibi:

XXXVIII. *Sub generali privilegio exemptionis non cadit exemptio à viſitatione, ex deductis per Lether. de benef. l.* 1. *q.* 25. *n.* 25. *Barb. de ep. olleg.* 74 *n.* 6. *Roxas, dec.* 219. *Paſqualig. alios colliges centur.* 1. *q.* 89. *n.* 5. *et* 6. *et etiamſi ſit facta mentio viſitationis, adhuc tamen exemptio non extenditur ad redditionem rationum non expreſſam. Expreſſe Fagn. in cap.* Xenodochiis, *de relig. domib. n.* 8. *ubi in fine dicit, ita fuiſſe declaratum à Sac. Congr. et videtur doctrina vera, et rationabilis.*

XXXIX. Jus autem, quod ordinarii prælati habent ad has capellas, etiam regularibus ſubjectas, viſitandas, expreſſum eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 8. et ſeſſ. 24. c. 3. et ſeſſ. 25. c. 8. de reform. Clem. *Quia conting.* de religioſ. domib. c. *Conquerente*, de offic. ordin. c. *Decretum*, 10. q. 1. c. *Ad hæc*, c. *Cum olim*, c. *In xenodoch.* de religioſ. dom. c. *Cum dilect.* eod. tt. c. *Quid monachor.* c. *de monach.* cum aliis 18. q. 2. et quia religio Hieroſolymitana in hac ſpecialia retinet privilegia, plures bullas Summi Pontifices edidere, ſignanter D. Pius V. Greg. XIII. Clem. VIII. Greg. XIV. et tandem Greg. XV. videndas apud Guarant. de privileg. regular. in bullar. quibus declarant, poſſe ordinarios ordinis eccleſias, quibus cura imminet animarum, et pariformiter ejuſdem capellas extra clauſtra, vel domeſticos parietes exiſtentes, viſitare, contraria privilegia quæcunque ad terminos S. Concil. Trid. reducendo. De quo videndus etiam Donat. A. regularis, p. 1. tr. 13. q. 72. et 73. Gavant. verb. *Viſitatio*, et alii.

XL. Hinc etiam conſequens equidem erat, quod, licet ſubjecta capella eandem exemptionem, atque eccleſiæ regularium, retineret, poſſet ſane à me viſitari ob indecentias, et abuſus, qui ſatis conſtabant ex adjunctis epiſtolis parochi, imo et rectoris Racciolenſis, atque alterius ejuſdem incolæ regularis; cum certum omnino ſit, regularium eccleſias ob indecentias, atque abuſus in eiſdem admiſſos, aut præmiſſos, ſubjacere ordinariorum viſitationi, et correctioni, et poſſe ab his interdicto eccleſiaſtico ſupponi, Monacell. p. 3. tt. 3. form. 6. n. 7. Deluc. de regular. diſc. 1. Ventrigl. 1. p. annot. 48. ex Trid. decr. de celebrat. miſſar. Pignatell. tom. 3. conſ. 57. n. 25. et ſeqq. Ciarlin. contr. for. et alii. Nam *monaſteria, et eccleſiæ regularium, non ſunt plene, et omnino, exemptæ à juriſdictione ordinarii.*

Allegationibus ex adverſo,

XLI. Facile etiam reſpondebam, oſtendens bullas exemptionis citatas, quæ Concil. Trident. publicationem præceſſerant, ut bulla Pauli III. nil equidem proficere, cum in variis ejuſdem concilii decretis revocentur, et ſpecialiter in finali bulla Pauli IV. concilii ipſius confirmatoria, ut bene obſervat Card. Deluc. de juriſdict. diſc. 42. n. 5. quæ autem Concilii ipſius publicationi poſterius ſunt, ut citatæ bullæ Greg. XIII. formaliter, in hac, et aliis materiis, revocatæ quidem fuerunt, et ad ejuſdem Concilii, ac juris canonici terminos redactæ à Gregor. XV. per bullam *Cum alias*; et à Clem. VIII. per bull. *Quoniam*, et ab Urban. VIII. per bull. *Romanus Pontifex:* et noviſſime cuncta privilegia Mendicantium, cæterorumque regularium à Benedicto XIII. renovata, pariformiter redacta ſunt ad ejuſdem Concilii, ac juris communis terminos à beatiſſimo P. Clem. XII. actu regnante, per nuperrimam bullam *Romanus Pontifex*, anni 1730. editam, et in hac etiam diœceſi publicatam anno ſequenti.

XLII. Et pro hac re adeſſe caſum in hoc auditorio eccleſiaſtico judicatum anno 1728. in favorem vicarii eccleſiæ parochialis S. Petri de Panelim, in cauſa agitata à recurrentibus pro prætenſa exemptione capellæ publicæ, *Dominæ noſtræ Agoniſantium* nuncupatæ, religioni recurrentium à ſenatore Joſepho Silvio de Gouvea legatæ, cujus ſententia etiam annectebatur, pariter demonſtrabam.

XLIII. Deinde auctoritatibus allegatis in quodam judicio theologico, à recurrentibus gravaminis ſupplicationi adjuncto, ſimiliter reſpondebam, loqui de capellis intra clauſtra regularium, vel intra domeſticos parietes exiſtentibus, ut in hac inſula Goana capellæ habitationis, ſeu reſidentiæ ruſticanæ Moulanæ, et Combarjuanæ; ut convincebatur ex ipſomet *compendio privilegiorum ſocietatis*, verb. *Oratoria*, præmiſſum privilegium Greg. XIII. referente; ibi: *Datur facultas, ut in oratoriis, et capellis, quæ provinciales ſocietatis per ſeipſos in domibus, collegiis, et aliis locis, ubi aliqui ſocietatis reſidebunt, approbaverint, et ad divinum cultum dumtaxat deputaverint, miſſæ, et alia*, &c. Gregor. XIII. pag. 145. Et ſtatim immediate ſubjungit animadverſionem ſequentem: *Non utentur provinciales hac facultate, niſi in locis remotis ab oppidis, in quibus ordinarii exiſtunt.*

XLIV. Novum autem *Compendium Indicum* eorundem privilegiorum, nuper, anno ſcilicet 1730. Romæ poſt Romanum, aut novum Lateranenſe Concilium, typis deditum, ne verbum quidem de hoc privilegio fecit. Unde inferendum, nil novi, præter ſupra tradita, in hac re adeſſe, aut circumferri. Imo in bulla *Cum ſicut*, Innoc. X. in cauſa Angelopolitana, reſpondetur dub. 15. *An prædia ruſtica, metallorum fodinæ, ſacchari opificinæ, à regularibus ſocietatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ domus ſæculares, in quibus videlicet unus, vel duo regulares tantum commorantur, gaudeat privilegio collegiorum ſeu conventuum?* Reſpondit, *Non gaudere.*

Et

Et dubit. 17. *Utrum regulares etiam patres Jeſuitæ in ſuis prædiis, opificinis, aliiſque ſuis domibus ſæcularibus ſitis intra limites parochialium ad ſe non ſpectantium, poſſint adminiſtrare ſacramentum baptiſmatis ſolemnis, matrimonii, extremæ unctionis, et euchariſtiæ in feſto Paſchatis, famulis, mercenariis, ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſæcularibus, abſque ordinarii, vel parochi licentia?* Reſpondit, *Non poſſe.*

XLV. Allegationi tandem appellationum extrajudicialium coram probis viris interpoſitarum, reſponſionem, et objectionem adhibebam ei conſimilem, quæ extenſa remanet alibi: quam equidem hic, ne extenſior fiam, conſulto omitto; et inſuper pro coronide garrulis advocati ex adverſo dicteriis, à reſponſione directa me prorſus abſtinere dicebam, etſi manſuetiſſimi Davidis regio oraculo tectum: *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*, Pſ. 118.

XLVI. Et hanc meam reſponſionem, abſolutam die 27. Junii ejuſdem anni 1734. cum actis æque tranſmiſſam, recurſus actis ſenatui regio concluſis, menſe Auguſti ejuſdem anni prodiit finalis ſententia adverſus recurrentes, et in favorem meæ ordinariæ juriſdictionis poſſeſſionis; et recurrentes hactenus tacuerunt.

ALLEGATIO XLIII.

In Controverſia, atque Paſtorali Charta ſuper Immunitatis eccleſiaſticæ ab Exactionibus laicis Exemptione, edita Ann. 1728.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Principiis mali obſtandum.*
III. *Definitio* tributi *traditur.*
IV. *Tranſcribitur can.* 18. *bullæ Cœnæ contra collectantes eccleſias, et eccleſiaſticas perſonas.*
V. *Citantur reliquæ juris canonici ſanctiones.*
VI. *Et diſpoſitiones juris civilis.*
VII. *Utraſque confirmavit, et ratificavit, Urban.* VIII. *in conſt.* Rom. Pontifex.
VIII. *Charta paſtorali, his juribus ſtabilita, publicata, deſtitit prorex ab inceptis.*
IX. *Invaſionis Maraſtarum occaſione, iterum eccleſiaſticos collectare, convocatis tribus ſtatus ordinibus, affectavit, ſed incaſſum.*
X. *Regium reſcriptum ſuper hoc negotio expeditum.*

I. CUM præclariſſimus rex Portugalliæ Joannes V. initis ſponſalibus inter ſereniſſimum principem Braſilienſem Joſephum, regni hæredem, et ſereniſſimam principiſſam Aſturianam, Mariam Victoriam, regum Caſtellæ filiam, pro futuris nuptiis ab hujuſce Indiani incolis ſtatus, quoddam rationabile donativum voluntarium exegiſſet; prorex, qui tunc temporis hunc ſtatum regebat, exactionem prætenſam ad clerum ſæcularem, ac regularem, contra mentem regiam, cupiens extendere, mihi ſuper hac re ſcripſit: qua quidem epiſtola, et regio diplomate à me cum meo primatiali capitulo ponderato, convenerunt omnes, nemine diſcrepante, regiam mentem equidem non eſſe clericos collectare, ſed incolas ſtatus ſæculares dumtaxat (quæ intelligentia poſtmodum à ſereniſſimo rege ratificata, et approbata fuit); attamen permittendum clericis ſingulariter, ut quilibet pro libitu, ea, qua rationabiliter poſſet, ſumma concurreret. Cujus quidem reſolutionis per capituli ſecretarium prorex ipſe certior factus, præmiſſa circulariter duplici duorum doctorum ſæcularium conſultatione, qua aſſeverabant, proregem ipſum juriſdictionem quidem habere ad ſummam, qua quilibet eccleſiaſticus ad prætenſum donativum concurrere deberet, ſe ſolo taxandam, et à ſe ſolo colligendam, præſertim ſi taxa fieret in fructibus prædialibus, atque patrimonialibus eccleſiarum, et eccleſiaſticorum; et ulterius, neque ob eam taxationem, quæ ratione fructuum eccleſiis, et perſonis eccleſiaſticis, à ſæculari imponenda erat, prætenſum donativum ratione tributi inducere, aut ſortiri, ſed omnino remanere in pura, ac ſimplici meri donativi ratione; imo eccleſiaſticos omnes ad donativum exactum concurrere quidem teneri, ſecundum ſæcularis gubernii taxam; cœpit prorex projectum hoc executioni violenter mandare, incipiens à numeratione omnium arborum fructiferarum eccleſiaſticorum et eccleſiarum, etiam intra ſepta monaſteriorum, et prædia, ac fundos, eccleſiarum parochialium, muris circumdatos, exiſtentium, à ſæcularibus officialibus ruſticanis exercita, atque in ſæculares pagorum catalogos deſcripta, cum comminatione ruſticanos colonos clericorum, et eccleſiarum renuentium, adſtringendi, et ſæcularibus carceribus mancipandi.

II. Cujus notoriarum enormitatum, et luxatarum deordinationum torrenti, ne, mora, in longum nimis excreſcerent, occurrere volens in ipſis primordiis, illo trito agitatus arphoriſmo; *Principiis obſta, ſero medicina paratur*; paſtoralem chartam edidi, tum in immunitatis eccleſiaſticæ defenſionem, atque indemnitatem; tum in præmiſſarum enormium turbationum remoram, atque retardationem, ex utriuſque juris diſpoſitionibus ibidem allegatis.

III. In ea igitur paſtorali charta, exordio facto, atque illius motivo relato, in reputationem duplicis libelli conſultivi ex adverſo circulariter ſparſi, allegabam imprimis ipſam *tributi* communem definitionem ex Beyerling, *Theatr. vit. hum.* et ex aliis deductam; videlicet, *Tributum eſt penſio, quæ ſubditis ſolvenda imponitur juxta cujuſque facultates, præſertim prædiales, ad dignitatem principis, vel communia impendia ſuſtinenda:* ex quibus definitionis terminis formalibus clare convincebatur, prætenſum donativum veri et rigoroſi tributi rationem ſortiri, eo quod foret *impenſio impoſita juxta cujuſvis prædiales facultates ad dignitatem principis*, &c.

IV. Deinde diſpoſitiones utriuſque juris pro immunitate eccleſiaſtica per ſumma capitum inſinuabam, tenorem can. 18. bullæ Cœnæ Domini imprimis tranſcribens, qui ſic ſe tenet: *Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, et alia onera clericis, prælatis, et aliis perſonis eccleſiaſticis, ac eorum, et eccleſiarum, monaſteriorum, et aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, et proventibus hujuſmodi, abſque ſimili Romani Pontificis, ſpeciali, et expreſſa licentia, imponunt, et diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, et concedentibus, recipiunt; necnon, qui per ſe, vel alios, directe, vel indirecte, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare, non verentur, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, ſeu principes, duces, comites, barones, et alii potentatus quicunque, etiam regnis, provinciis, civitatibus, et terris quoquomodo præſidentes, conſiliarii, et ſenatores, aut quavis etiam pontificiali dignitate inſigniti; innovantes decreta ſuper his per ſacros canones, tam in Lateranenſi noviſſime celebrato, quam conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris, et pœnis in eis contentis.*

V. Conſequenter allegans reliquas juris canonici ſanctiones, quæ ab eodem can. renovantur, videlicet, c. *Quoniam*, de cenſib. in 6. et c. *Neminem*, et *Adverſus*, de immunit. Clementin. *Præſenti*, de cenſ. et c. *Innovamus*, de cenſib. et c. *Quia nonnulli*, de immunit. in 6. c. *Convenior*, c. *In qualibet*, c. *Secundum canonicam*, 23. q. 8. et alia;

VI. Subjungebam etiam juris civilis diſpoſitiones, præſertim in cod. toto titulo *de ſacroſancta eccleſia*, et tit. *de epiſcop. et clericis*, et in authentic. eodem tit. nempe, l. *Placet*, l. *Privilegia*, l. *Caſſa et irrita*, l. *Sancimus*, 22. cod. de ſacroſ. eccleſ. l. *Juxta ſanctorum*, l. *Omnis*, cod. de epiſc. ad cleric. authent. *Item nonnulla*, et *Preſbyteros*, eodem tit. in quibus imperatores *Fredericus*, *Valentinianus*, *Valens*, *et Gratianus*,

tianus, abrogârunt omnes leges civiles, quæ adverſus immunitatem clericorum, etiam in minoribus inſignitorum, aliquid diſponebant, aut inſinuabant; ut melius videre erat in ipſis legibus per formalia; præſertim, d. l. *Caſſa, et irrita*; ibi: *Caſſa, et irrita eſſe denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia ſtatuta, et conſuetudines contra libertatem eccleſiæ, ejuſque perſonas inductas, adverſus canonicas, et imperiales ſanctiones, et ea de capitularibus penitus aboleri mandat nova conſtitutio; et de cætero ſimilia attentata in ipſo jure nulla eſſe decernit. Si quid contra fiat, pœnæ, quæ ſtatutæ ſunt, imminebunt. Sed ſi per annum hujus novellæ conſtitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum, per totum noſtrum imperium, impune ab omnibus occupentur.*

Et d. l. *Preſbyteros*; ibi: *Preſbyteros, diaconos, ſubdiaconos, atque exorciſtas, et lectores, oſtiarios, et acolythos etiam, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus.*

Et d. cit. l. *Item nulla*, eod. titul. ibi: *Item nulla communitas, vel perſona publica, vel privata, collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias eccleſiis, vel aliis piis locis, aut eccleſiaſticis perſonis imponere, aut invadere eccleſiaſtica bona præſumant: quod ſi fecerint, et requiſiti ab eccleſia, vel imperio, emendare contempſerint, triplum refundant, et nihilominus bona imperiali banno ſubjaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur.*

VII. Quas quidem ſanctiones beatiſſimus P. Urb. VIII. ratificans, et confirmans, nervoſe proſecutus eſt in bulla 159. quæ incipit *Romanus Pontifex*, die 5. Jun. 1641. expedita, ubi ſic, § 3. *Declaramus omnia, et ſingula acta, decreta, ſtatuta, indulta, conceſſiones, ordinationes, declarationes, concordias, et pacta, etiam nomine ejuſdem Sedis Apoſtolicæ inita, venditioneſque, et alienationes officiorum, aliorumque ejuſdem Sedis, eccleſiarumve inferiorum jurium, et quaſcunque alias diſpoſitiones, quocunque nomine nuncupata, eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque eccleſiæ, ſeu quibuſcunque aliis eccleſiis, ſeu locis piis, ac perſonis eccleſiaſticis, ſeu juriſdictioni, vel immunitati, aut libertati eccleſiaſticæ quomodolibet præjudicialia, et præjudiciales, à quibuſcunque legatis, etiam de latere, etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, nuntiis, ſeu aliis miniſtris apoſtolicis, etiam per modum edicti, declarationis, conſtitutionis, pragmaticæ, reformationis, ac alias quomodolibet, etiam cum clauſula, ſalvo, vel reſervato Sedis Apoſtolicæ beneplacito, vel fortaſſe etiam cum intentione data, vel promiſſione etiam facta, illud ab hac Sancta Sede, ſeu à Romano Pontifice, aut etiam à nobis impetrandi, etiam cum prætenſa illarum executione, et obſervantia quantumlibet longiſſima, ac aliis inde quomodolibet ſecutis quibuſcunque, etiam in favorem, ſeu intuitu, vel contemplatione imperatoris, regum, aliorumque principum, etiam ſupremorum .... ex quacunque ratione, occaſione, vel cauſa, quantumlibet pia, publica, favorabili, ſeu privilegiata, etiam tranſactionis, vel concordiæ, ſeu belli, treguæ, vel pacis etiam univerſalis, et ad majus malum, vel ſcandalum, ut aſſeritur, evitandum, ſeu ex aliis rationibus, et cauſis, etiam omnibus inſimul concurrentibus, ac alias individuam expreſſionem requirentibus, &c.* prout melius in ipſa bulla formaliter inſpicietur.

VIII. Hac autem paſtorali charta, die 8. Septembr. ann. 1728. expedita, et ſequenti die promulgata, prorex ipſe, juſto timore perculſus, ſeſe à prædictarum diligentiarum re traxit, rem urbico ſenatui committens: à quo cum epiſtolam quandam politicam ſuper hac re acceperim, competenter reſcripſi, adjuncta formaliter prædicta paſtorali charta: qua ponderata, ſenatus ipſe etiam inceptis diligentiis ſuperſedit, et facta informatione circa præmiſſa ſereniſſimo regi, et concilio, ejus juſſu, Ulyſſipone ſuper hoc negotio habito, procedimentum meum ſubſtantialiter approbatum fuit, et proregi per ſecretarium regium ita renuntiatum, et quod regia mens ſereniſſimæ majeſtatis aliena penitus fuerit de eccleſiaſticis impræſentiarum collectandis.

IX. Poſtmodum vero, anno 1730. invadentibus infidelibus Maraſtis totam ſeptentrionalem provinciam, et bellum proſequi (quod neque ex parte ſtatus ſufficienter juſtum, neque mere defenſivum, ſed in primordiis offenſivum fuerat) iterum eccleſiaſticos tributare, et collectare prorex idem affectans, et hujus gratia tres ordines ſtatus in aulam regiam convocans, cum concilio illi forte non intereſſem, et mea ſententia per brevem epiſtolam pro excluſiva inſinuatorum fundamentorum laconica prælibatione expoſita, et coram omnibus conſiliariis, ſimul cum aliis votis ſuffragantibus, perlecta, et ab eccleſiaſticis, præſertim regularibus, amplexata, præmeditatæ cleri contributioni ſuperſeſſum eſt. De quo facta informatione anno ſequenti ſereniſſimo regi, à prorege eodem, cum notoria utriuſque caſus confuſione, prodiit per tribunal eccleſiaſticum conſcientiæ menſæ ſequens regium reſcriptum.

Reſcriptum regium, ann. 1733. ſuper contributione eccleſiaſticorum ad bella, urgente neceſſitate, &c.

X. REverendo em Chriſto padre arcebiſpo, primas da India, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſaudar. O V. Rey N. por carta de 16. de Janeyro de 1732. me fes prezente, que por ſer precizo continuarſe a guerra do norte, cujas deſpezas, no tempo prezente, naõ podiam ſupprir por ſy as rendas do eſtado, fizera a proporta, de que me remeteu a copia, ao conſelho de eſtado, e depois convocara a junta dos tres eſtados, e que aſſentando a junta dar o donativo de que ſe neceſſitava para a quella deſpeza, vos oppozeſtes a ſua execuçaõ, por paſtoraes, e cartas eſcriptas a elle V. Rey, e ao ſenado da camara, de que rezultara nam terem contribuido os eccleziaſticos, excepto os PP. da Companhia, etendo conſideraçam ao refferido, eoque por carta de 10. do dito mes, e anno, tambem me reprezentaſtes ſobre os motivos da voſſa oppoſiçam: me pareceo dizervos, que ainda que no prezente cazo nam deſtes o voſſo conſentimento por ſe nam juſtificarem as cauzas para ſe impor o tributo ao clero, e ſer neceſſario para iſſo beneplacito apoſtolico, com tudo deveis advertir, que nos cazos que occurrerem de neceſſidade notoriamente graves, e urgentes, poſto que nam ſeja extrema, havendo impoſſibilidade para o recurſo a Se Apoſtolica, e perigo na dilaçam, e concorrendo juntamente as circunſtancias, de nam baſtarem as rendas commuas do eſtado, nem poderem os vaſſalos ſeculares por ſy ſo ſoportar, ſem grave detrimento, novos tributos, e faltarem outros meyos promptos para o remedio, nam deveis eximirvos de contribuir para a defenſa do meſmo eſtado, por ſer neſtes termos de direyto natural a obrigaçam de concorrerem os eccleziaſticos, comos ſeculares, principalmente quando o interece he commun a huns, e a outros, e a guerra contra inficis, dirigida a libertar as igrejas, chriſtandade, e fazendas dos meſmos eccleziaſticos de ſuas hoſtelidades; e neſta forma o deveis practicar, obſervandoſe, quanto ao modo da contribuiçam, o que eſta diſporto por direyto. Lixboa Occidental, 17. de Abril de 1733. Rey. Duque Eſtribeyro mor. Carta paro o reverendo arcebiſpo de Goa.

Idem regium reſcriptum, Latine redditam.

REverende in Chriſto P. archiepiſcope primas Indiane, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto. Prorex NN. per epiſtolam ſuam 16. Januarii 1732. mihi præſens fecit, quod cum in ſeptentrionali provincia bellum proſequi neceſſum fuiſſet, cujus expenſas impræſentiarum ſupplere non poterat ſe ſola gaza regia, propoſitione ſtatus conſiliariis fecerat (cujus exemplar mihi tranſmiſit); et poſtmodum trium ordinum regni concilium congregârat; quo cum conveniretur, quoddam neceſſarium donativum ad belli expenſas contribuere; hujuſce executioni vos oppoſuiſtis, per epiſtolas, et paſtorales chartas proregi ipſi, et urbano ſenatui directos, ex quo reſultavit defectus eccleſiaſticorum concurſus, patribus Societatis Jeſu demptis. Et matura habita conſideratione ſuper relata narratione, et ſuper informatione veſtra, quam mihi per epiſtolam veſtram, diei 10. ejuſdem anni, et menſis, ſuper motivis repugnantiæ veſtræ direxiſtis, mihi viſum eſt vobis dicere, quod quamvis in caſu præſenti aſſenſum veſtrum non dediſtis, eo quod non juſtificarentur cauſæ ad tributum clero imponendum neceſ-

neceſſariæ, et ad id beneplacitum apoſtolicum prærequireretur; attamen animadvertere debetis, quod in caſibus neceſſitatis, notorie gravibus, et urgentibus occurrentibus, licet neceſſitas extrema non ſit, data impoſſibilitate ad recurſum ad Sedem Apoſtolicam, et grave periculum in mora, et concurrentibus ſimul circumſtantiis inſufficientiæ redituum ſtatus communium, et impotentiæ ſæcularium vaſallorum, ad ſupportandum, ſe ſolis, abſque gravi detrimento, novorum tributorum exactionem, et defectus totalis aliorum remediorum, ac mediorum promptorum, vos à contributione ad ſtatus defenſionem eximere non debetis, cum in terminis præfatis de jure naturæ ſit obligatio concurſus eccleſiaſticorum cum ſæcularibus, præſertim quando utriſque commune eſt intereſſe, et bellum adverſus infideles, ad libertandas Chriſtianitatis eccleſias, et bona eccleſiaſticorum ab eorum hoſtilitatibus, dirigitur. Et in hac forma ſervare debetis, practicando, quoad contributionis modum, quæ à jure diſpoſita ſunt. Datum Ulyſſipone Occidua, die 17. April. 1733. Rex. Dux Præfectus major regii ſtabuli.

ALLEGATIO XLIV.

Super Exemptione, vel Subjectione Miniſtrorum, atque Patentatorum, ſancti Officii ordinariæ Juriſdictioni.

SUMMARIUM.

I. *Species facti proponitur.*
II. *Reſolutio favorabilis tribunalis inquiſitionis.*
III. *Breve Urban.* IV. *ad ſolos inquiſitores, et quatuor eorum notarios, reſtringitur.*
IV. *Et non eſt extendendum ad reliquos, ex ipſius formalibus verbis, ac motivo.*
V. *Eſt inhibitivum judicum delegatorum dumtaxat, non vero ordinariorum.*
VI. *Neque debet ampliari ad deputatos, qui inquiſitores non ſunt.*
VII. *Eſt pro ſola fulminatione cenſurarum, non vero etiam pro declaratione, aut denuntiatione extrajudiciali.*
VIII. *Ex ratione motiva infertur, privilegium illud non extendi ad judices deputatos, qui ſolis ſententiis finalibus interrupte interſunt.*
IX. *Suffragatur doctrina Cardin. Petræ, atque etiam Zanard.*
X. *Carenna ampliat privilegium ad officiales, et miniſtros intimos, pro expeditione ſancti officii miniſterii maxime neceſſarios.*
XI. *Probabilem tamen dicit opinionem negantem extenſionem privilegii ad declarationem, aut denuntiationem cenſurarum.*
XII. *Confirmatur ex alia doctrina Cardin. Petr.*
XIII. *Patentati ſancti officii poſſunt viſitari, et puniri ab epiſcopo; et adeſt declaratio Sacr. Congr. in Meliten.*
XIV. *Comprobatur ex communi doctrina, et ex alia declaratione pro inquiſitoribus regni Portugalliæ.*
XV. *Quomodo inquiſitor poſſit revocare cenſuras à delegatis fulminatas contra præmiſſum privilegium.*
XVI. *Non tamen cenſuras, aut declarationes ordinariorum contra officiales, in caſibus, in quibus eorum juriſdictioni ſubduntur.*
XVII. *Rationabilis modificatio doctrinæ Petræ, quando ſcilicet non datur periculum in mora, et in caſibus citra præjudicium, turbationem, aut impedimentum, juriſdictionis ordinariorum.*
XVIII. *Nupera conſultatio ſpecifica Romæ facta.*
XIX. *Epiſtola D. Inquiſitoris generalis Portugalliæ ſuper hac re.*

FACTI SPECIES.

I. DUO parochi regulares duplicis diſtincti ordinis, ad nutum amovibiles, quorum alter tribunalis S. officii commiſſarius, alter vero judex ejuſdem deputatus incedebat, à me extrajudicialiter declarati in cenſuras juris ob notoriam turbationem, impedimentum, atque uſurpationem meæ ordinariæ juriſdictionis, ad præfatum tribunal recurrerunt, veluti ejuſdem miniſtri, ut illius interventione, vel auxilio, à declaratoria diſſolverentur, et primis præterea, ut ab eodem tribunali precatoria charta mihi dirigeretur, ut ad idem culpæ, quas in viſitatione generali adverſum ſemetipſum denuntiatas ſuſpicabatur, effective remitterentur. Cui tamen chartæ *avocatoria* titulatæ, non acquievi, neque alteri politicæ ab excellentiſſimo prorege mihi ad eandem remiſſionem, in præmiſſi precatorii executionem urbane emiſſæ, eo quod culpæ illæ, in viſitatione delatæ, non pertinebant tribunali S. Inquiſitionis, utpote meri morum defectus, exuti à qualitatibus, quæ eos inquiſitoribus apoſtolicis, judicibus ſane adverſus hæreticam pravitatem delegatis, privative, vel cumulative de jure ſubjiciunt.

II. Et cum hujuſce procedimenti tribunalis eminentiſſimum cardinalem *da Cunba*, generalem inquiſitorem, certiorem redderem, in confirmationem, ſaltem partialem, dictaminis, ac juſtitiæ meæ epiſtolam accepi infra tranſcriptam n. 19.

III. Quoad alterum vero regularem, qui judex deputatus verſabatur, quamvis tribunal noluit eodem medio chartam precatoriam mittendi uti, attamen privatim mihi ſuadere conabantur, judices deputatos eodem privilegio Urb. IV. gaudere videri, atque in eo implicite comprehenſos, non obſtante quod expreſſe ad ſolos inquiſitores, et eorum quatuor notarios, dirigeretur. Huic tamen intelligentiæ, et tribunalis intentioni—

IV. Refragabar, 1. Ex ipſis formalibus verbis, ac ratione motivæ ejuſdem bullæ Urbanæ; videlicet, *Ne inquiſitioni negotium contra damnatam hæreſin prudentiæ veſtræ commiſſum impediri (quod abſit) propter aliquorum eſcutiam, vel etiam retardari contingat; vobis auctoritate præſentium indulgemus, ut nullus Sedis Apoſtolicæ delegatus, vel ſubdelegatus ab eo conſervator, aut etiam executor à Sede Apoſtolica deputatus eadem, ſeu etiam deputandus, in vos, vel quatuor notarios, ſive ſcriptores noſtros, ſuper his vobis fideliter obſequentes, quamdiu in proſecutione hujuſmodi negotii vos ipſi fueritis, poſſit excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam promulgare, abſque ſpeciali mandato prædictæ Sedis, faciente plenam, et expreſſam de hac indulgentia mentionem: decernentes irritum, et inane, ſi ſecus fuerit attentatum:* prout tranſcribitur ab Eymeric. p. 3. direct. q. 21. Petr. tom. 3. in hanc ipſam conſt. quæ eſt 4. Urban. IV.

V. Ex quo formali verborum contextu recte ſane inferebam, 1. Hanc prohibitionem dirigi dumtaxat, *Sedis Apoſtolicæ delegatis, ſubdelegatis, aut executoribus*; quæ quidem, utpote odioſa ordinariæ juriſdictioni, extendi non debet ordinariis locorum; ex vulgari regula, *Odioſa ſunt reſtringenda.*

VI. Inferebam, 2. conſimiliter, Hanc diſpoſitionem eſſe tantummodo pro ſolis *inquiſitoribus, et eorum quatuor notariis, vel ſcriptoribus, quamdiu in hujuſmodi negotii, aut officii miniſterio proſecuti fuerint*; atque adeo, ex eadem regula, non debere ampliari ad deputatos, qui neque inquiſitores, neque notarii extant.

VII. Inferebam, 3. Conſequenter, eſſe pariformiter, ne inquiſitores, et eorum quatuor notarii, *excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut interdicti ſententia fulminentur*; non vero eſſe, ne in juris cenſuras incurſi declarentur, aut denuntientur, præſertim extrajudicialiter; quod quidem, etiam adverſus inquiſitores ipſos, fieri poſſe valide, et licite, tenent expreſſe DD. infra cit.

VIII. Inferebam, 4. Ex ratione motiva, *Ne inquiſitionis negotium impediri, aut retardari contingat*; privilegium illud non extendi ad judices deputatos, qui finalibus dumtaxat ſententiis in tribunali interrupte interſunt, atque in eiſdem tantum ſuffragantur, neque

neque ſunt miniſtri intimi, neque in prædicto tribunali continui, ut inquiſitores, et eorum notarii; atque adeo abſque unius, vel alterius deputati aſſiſtentia, ſine ullo impedimento, ac retardatione, poteſt quidem commodiſſime S. Inquiſitionis negotium proſequi, atque expediri: non ita vero abſque inquiſitoribus, qui expediti omnino debent eſſe aſſidue, tum pro ordinariis negotiis exequendis, tum etiam pro abſolutionibus, etiam privatim dandis, vel committendis pro caſibus hæreſis, tum pro reliquis omnibus facile expediendis: quod ulterius confirmabam ex doctrina Carennæ, p. 1. de apoſt. inquiſit. tt. 15. § 13. infra tranſcribenda.

IX. Refragabar; 2. Ex clara doctrina Cardin. Petr. cit. in d. conſtit. n. 3. ubi ſic diſcurrit: *Sane, etſi certum ſit, ipſos inquiſitores excommunicari, vel aliis cenſuris ſubjici non poſſe; jure tamen dubitari poteſt, an in caſu facti publici, ſive notorii, poſſint declarari incidiſſe in excommunicationem à jure latam. Et affirmative reſpondet Carenna cit.* § 13. *n.* 90. *ductus ratione à ſimili, regularium ſcilicet exemptorum, qui, licet excommunicari ab ordinario non poſſint, poſſunt tamen declarari incidiſſe in excommunicationem, juxta ea, quæ late dixi ſupra ad conſt.* 11. *Alexand.* IV. *ſect. unica.*

Et quamvis ibidem afferat opinionem Zanard. c. 6. q. 46. et aliorum, qui, inſpectis verbis privilegii, *vel etiam retardari contingat*, dicunt probabile eſſe, extendi etiam ad declarationem excommunicationis, ſaltem inconſulta Sede Apoſtolica, aut ſuprema Inquiſitione, ſine cujus conſultatione prævia non expedit inquiſitores declarare, etiamſi ſummo jure declarari poſſent excommunicati; attamen hæc opinio, et ejus probabilitas, ſiſtit in ipſis inquiſitoribus; et non ſeſe extendit ad deputatos, commiſſarios, vel alios officiales. Et hinc——

X. Refragabar, 3. Ex doctrina cit. Carennæ, p. 1. de apoſtol. inquiſit. tt. 5. § 13. qui referens opinionem Zanardi, n. 90. immediate ſubjungit, n. 91. *An autem hoc privilegium comprehendat miniſtros ſancti officii, Penna, ubi ſupra, arbitratur, quod ſic: ego conſtanter idem affirmo, ſaltem quoad advocatum fiſcalem, quia eſt miniſter intimus, et neceſſarius S. officii, et ſine quo cauſæ S. officii non expediuntur: unde, cum in eo militet eadem, imo, et major ratio, quam in ſimplici notorio, et conſtitutio ſit favorabilis, dicendum eſt, in caſu noſtro, militare omnes regulas, quas pro legum extenſione conſiderare ſolent doctores, de quibus apud Farin. in fragm. crimin.* 1. *p. poſt tractat. de furt. in verbo* Extenſio, *n.* 50. *Oſaſch. deciſ. Pedem.* 22. *n.* 8. *et* 9.

XI. Imo, de prædicta opinione Zanardi, ſic, n. 89. loquens: *Zanard. in ſumm. ulterius ampliat, ut neque inquiſitores poſſint declarari incidiſſe in excommunicationem papalem*; immediate ſequenti n. 90. ſuperaddit probabilitatem opinionis contrariæ, inquiens; *Quamvis in contrarium urgere videatur doctrina Zabarellæ, Gemin. Imolæ, Felini, Gambar, et Henriques apud Genuenſ. in praxi archiepiſcopali Neapolitana, c.* 59. *n.* 1. *qui volunt religioſos exemptos habentes privilegium à Sede Apoſtolica, quod non poſſint excommunicari ab epiſcopis, poſſe ab eiſdem epiſcopis declarari incidiſſe in excommunicationem papalem: et ibi ait Genuenſ. ita curiam archiepiſcopalem Neapolitanam decidiſſe; et idem, Genuenſi non relato, tenuit Peyrin. ad privilegia Minimorum, tom.* 1. *conſt.* 2. *Xyſti* IV. § 10. *n.* 13.

XII. Confirmabam, 1. Ex doctrina cit. Cardin. Petr. n. 8. ibi: *Quamvis ſuprema Inquiſitio die* 3. *et* 11. *Febr.* 1609. *reſolverit, quod, non obſtante præſenti conſtitutione, excommunicari poſſint inſervientes S. officio ob non ſolutionem penſionum, ut refert Pignatell. tom.* 8. *conſult.* 129. *n.* 6. *ubi alias reſolutiones ſupremi illius tribunalis, quoad hujuſmodi cauſas, refert, quæ ſane reſolutio intelligenda non eſt de inquiſitore, et notariis in hac conſtitutione exemptis; ſed de aliis miniſtris neceſſariis quidem, ſed non adeo, uti ſunt inquiſitores, et notarii, et illi, licet de vigore, utpote non expreſſe comprehenſi in præſenti conſtitutione, excommunicari poſſint; tamen ex quadam, ut dicebam, congruentia, expediens eſſet, ut in caſuum contingentia conſulatur ſuprema Inquiſitio; alioqui miniſtri neceſſarii non ſolum ſunt inquiſitores, et notarii, ſed etiam fiſcalis, cuſtos carcerum, ſatellites, ſive birruarii, et ballivi, ſive curſores, ut ex Simanch. de cathol. inſtit. c.* 41. *n.* 39. *aſſerit Card. Albit. de inconſtant. in fid. c.* 28. *n.* 35.

XIII. 2. Ex doctrina Monacell p. 3. tt. 1. form. 39. (attento, quod culpæ illæ partialiter viſitationis forent, et morum); ibi, n. 3. *Prædicto autem gladio ſpirituali poterit epiſcopus viſitator uti, etiam contra patentatos tribunalis S. officii, qui in his, quæ concernunt diſciplinam eccleſiaſticam, et morum correctionem, non ſunt exempti; ſed poſſunt, et debent, viſitari, prout S. Congregr. ſub die* 16. *Januarii* 1672. *reſcripſit epiſcopo Meliten. quam reſolutionem refert D. Raynald. obſervat. crim. ſupplem. ad cap.* 1. *ſupplem.* 3. *n.* 127.

XIV. Refragabar, 4. Ex conſultatione facta Romæ ſuper dubio 39. et 41. à me Sacræ Congregationi pro deciſione oblato, reperienda in allegat. 70. dub. 38. et ex DD. placitu ibi laudatorum; inter quos videndus omnino Pignatell. tom. 8. conſ. 129. ubi agit, etiam ſpecialiter, de miniſtris ſancti officii regni Portugalliæ; et n. 6. præter præcitatam declarationem (de qua etiam Petr. cit.) aliam conſimilem adducit, die 13. Januarii 1676. *Ubi negative reſpondit juxta primam opinionem, ea præſertim mota ratione, quia conſultores non ſunt miniſtri neceſſarii adeo, ut ſine ipſis officium S. Inquiſitionis exerceri non poſſit; ſecus autem dicendum de inquiſitoribus, et notariis, ſine quibus dictum officium exerceri nequit; et ideo iſtorum tantum, et non aliorum miniſtrorum, qui non ſunt adeo neceſſarii, conſideratio habita fuit à Summis Pontificibus in dicto privilegio, quod proinde non eſt ad alios extendendum.*

XV. An autem inquiſitor poterit ſibi jus dicere, et revocare cenſuras promulgatas *à delegatis apoſtolicis?* reſpondet Pignatell. ibid. n. 8. *Ad* 3. *Affirmative, quia inquiſitores tantum juriſdictionem habent in ordine ad cauſas tum criminales, tum civiles ſuorum officialium privative; et alii judices non poſſunt ſe intromittere in illis judicandis, ut per Roy. ſing.* 181. *Param. de orig. S. Inquiſ. l.* 3. *qu.* 6. *n.* 26. *Simanch. de cath. inſt. tit.* 41. *rubr. de miniſtr. n.* 19. *et ſeqq. Farinac. qu.* 186. *n.* 38. *Jo. de Hevia in cur. Philip. p.* 3. § 1. *n.* 19. *Narbon. in recopil. l.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *gloſſ.* 1. *et ſeqq. ac aliis communiter. Et etiam declaravit eadem S. Congregatio ſancti officii dict. die* 13. *Januarii* 1676.

XVI. Quod tamen intellige quoad cenſuras à delegatis apoſtolicis fulminatas, et contra præmiſſum privilegium, et in cauſis, in quibus nullum jus, aut juriſdictionem habent in familiares ſancti officii, in quibus iſti privative inquiſitoribus dumtaxat ſubjiciuntur, et minime judicibus delegatis; non ita vero intelligendum eſt quoad declarationem cenſurarum à lege, facta à judicibus ordinariis, tum ex contextu, et ex non ampliatione privilegii ad ordinarios; tum quia quoad hanc declarationem, et quoad alia plura, familiares, et patentati ſancti officii ſunt veri ſubditi ordinarii loci, et ejus juriſdictioni certe ſubjecti, juxta præmiſſa, et juxta doctrinam conſultationis ſuper dub. 38, 39. et 41. infr. alleg. magna 70. omnino colluſtrandis.

XVII. Pariformiter doctrina illa Petr. cit. aſſerentis, *quod, quamvis ſummo jure declarari poſſent excommunicati, non expedit abſque prævia conſultatione Sedis Apoſtolicæ, vel ſupremæ Inquiſitionis*; cum modificatione, ac competenti diſtinctione accipienda eſt; videlicet, quod procedat in declaratione cenſurarum illarum, quæ non devolvunt materiam ordinariis ipſis, et eorum juriſdictioni præjudicialem, et quæ non patitur periculum in mora; non vero quoad illas, quæ deferunt, vel ſupponunt materiam ordinariæ juriſdictioni præjudicialem, verbi gratia, impedimentum, turbationem, aut uſurpationem notoriam illius, cum facto permanente, et cum gravi periculo in mora.

XVIII. In quibus terminis de plano currit doctrina in cit. conſultatione ad dub. 37, 38, 39. et 41. ubi in favorem ordinariæ juriſdictionis ſolide conſulitur à famoſo cauſidico Laurentio Bondacca; cujus nervoſas rationes, ac fundamenta ibidem expenſa reperies. An vero ordinarius poſſit procedere adverſus inquiſitores, vel è contra? vide Eymeric. q. 27. et 30.

Pegn.

Pegn. ibid. Solorſ. de jur. Ind. l. 3. c. 27. Villaroel. p. 1. q. 5. a. 4. Azor. l. 8. c. 18. et alios, de quib. infr. alleg. 85. &c.

Epiſtola eminentiſſimi generalis inquiſitoris Portugalliæ.

XIX. O Precatorio que ſe paſou primeira, a ſegunda ves, nam pode chamarſe *avocatoria*; porque eſta conthem termos, e palavras differentes, e reſpeita miniſtros inferiores, o que ſe nam podia conſiderar em V. illuſtriſſima, e delles meſmos ſe conhece, como V. illuſtriſſima poderia reparar, ſerem *precatorios*; e ſe nelles havia alguma palavra, que diceſſe *avocatoria*, ſeria deſcuido da palavra, ou da margem, viſto oque ſe continha no texto dos dictos precatorios, aque ſo ſehavia attender: E V. illuſtriſſima por reſpeito do tribunal de que he miniſtro, devia reſponder ao primeiro, quando nam foſſe mais que odizer, ſe achava maltratado: e para ſe paſſar eſte precatorio havia nos inquiſidores fundamento porque ſam juizes de todos os miniſtros e officiaês eccleziaſticos, como V. illuſtriſſima podever no noſſo regimento, ſe for ao ſancto officio.

Se porem ſam comprehendidos nas palavras *miniſtros, e officiaês eccleziaſticos*, os commiſſarios he queſtaô a que naô faltaô fundamentos por huma, e outra parte; ea mais ſeguida he, que naô ſam comprehendidos; e aſſim que para eſtes, era mais ſeguro nam ſe paſſar precatorio, por nam entrar o S. officio em queſtam dubia; mas naô ſepode chamar error, por naô eſtarem de todo deſtituidos de razam, e ſo o ſera da qui por diante, em que ordeno, que quanto aos comiſſarios ſenam paſſe precatorio: nam poſſo porem achar rezaô a V. illuſtriſſima, em ſe queixar a Roma deſte particular, ſendo tanto mais facil eſcreverme, como agora ſes.

Eu nam poſſo a conſelhar a V. illuſtriſſima, que nam caſtigue culpas, que nam viſite as ſuas igrejas, que nam doutrine aos parochos e ovelhas, e o de mais que V. illuſtriſſima ſabera muito bem fazer; porem que uſe ſempre de modo, e ſuavidade; porque aſſim emendara mais, e emcima ficaraô obrigados; digo iſto pelo que tenho experimentado em infinitas occazioês; e ſervir quero ſempre a V. illuſtriſſima com grande vontade. Deos goarde a V. illuſtriſſima; Lixboa Occidental, 4. de Abril, de 1724. Muito ſervidor de V. illuſtriſſima, N. Cardeal da Cunha.

Eadem epiſtola, Latine tranſlata.

PRecatorium, quod bis expeditum eſt, nequit *avocatoria* nuncupari; hæc namque diverſos continet terminos, diverſaque verba, inferiores miniſtros reſpicientia, quæ quidem ratio in illuſtriſſima D. veſtra conſiderari non valet; et ex terminis illis, ſi recte reflecteretur, optime agnoſceretur, eſſe reipſa chartam *precatoriam*, non vero *avocatoriam*; etſi in aliquo verbo *avocatoria* exprimeretur, oblivioni, aut incuriæ tribuendum erat, poſito, quod textus (cui attendendum dumtaxat) aliud innueret. Et illuſtriſſima D. veſtra, in obſequium tribunalis, cujus etiam miniſter incedit, reſpondere quidem debebat, ſaltem actualem moleſtiam ſignificans. Et, ut inquiſitores tale precatorium expedirent, fundamentum aliquod habebant, quatenus omnium miniſtrorum, atque officialium ſuorum judices incedunt; ut ex S. officii regimento conſtabit.

An vero in verbis *Miniſtri, et officiales eccleſiaſtici*, comprehendantur etiam *commiſſarii?* quæſtio eſt, cui utrinque fundamenta non deſunt. Opinio magis trita in praxi, eſt negativa; et ad eam cohærenter, ſecurius quidem foret reſpectu commiſſariorum precatorium minime tranſmitti, ut vitaretur nota tribunalis ſancti officiis, in quæſtionem dubiam ingredientis; nunquam tamen error dici poteſt talis intentio, ob rationis non deſtitutionem; et ſolum talis erit hinc in futurum, ob expreſſum ordinem, quo cavere jubeo, ne in poſterum pro commiſſariis precatorium expediatur. Nec approbo, quod illuſtriſſima D. veſtra de hoc Romam conquereretur, cum facilius foret mihi ſuper hoc ſcribere, ut nunc fecit.

Ego ſane conſulere nequeo, quod illuſtriſſima D. veſtra culpas non puniat, eccleſias non viſitet, parochos et oves non inſtruat, et alia, quæ illuſtriſſima D. veſtra bene quidem efficere ſciet, non exequatur: attamen bonus modus, et ſuavitas magis emendant, et ſubditos plus addictos relinquunt; quæ quidem longa experientia infinitarum occaſionum me edocuit. Et ſemper illuſtriſſimæ D. veſtræ grata voluntate obſequia præſtare volo. Deus Opt. Max. incolumem ſervet illuſtriſſimam D. veſtram. *Ulyſſipone Occidua*, 4. April. 1724.

Per hoc reſcriptum exculpatur, ac amanuenſis errori imputatur titulus *avocatoriæ*; qui quidem in ſecundo precatorio jam moderabatur, et modificabatur reſtrictiori titulo *avocatoria precatoria*. Et quamvis eminentiſſimus dominus inquiſitor generalis has vocatorias pro commiſſariis in poſterum vetaverit, pro deputatis, et aliis miniſtris, nil decernit; et rem reliquit intra juris communis terminos, ſecundum quod culpæ, quæ in morum defectibus mere conſiſtunt, et nil contra fidem, aut religionem continent, an avocari, aut deprecari poſſint ab ordinariis, et tribunali fidei remitti debeant; præter ſuperius laudatos doctores infra alleg. maxima 70. dub. 38. et ſeqq. reperietur; et aliqualiter etiam alleg. 85.

LIBER

LIBER QUARTUS.

SEQUUNTUR

ALLEGATIONES aliquæ, Juſtitiæ meæ Promotoris, in Controverſiis, ac Recurſibus aliquibus à me, et à Senatoribus meis, intentatis:

NECNON

Aliæ iſtorum, ac Vicarii mei generalis, Judiciſque reſiduorum RESPONSIONES, numerico Ordine cœpto, ſucceſſive conſequentes:

QUIBUS ACCREVERUNT

Aliæ poſtmodum in ALGARBIENSI Diœceſi datæ.

ALLEGATIO XLV.

In Reſponſione Procuratoris Mitræ meæ primatialis ad Recurſum intentatum à quodam nobili Laico ſuper Rejectione Exceptionis declinatoriæ Fori eccleſiaſtici, in Cauſa, in hoc Judicio agitata, ſuper Reivindicatione Spolii cujuſdam hujuſce Diœceſis Archipræſulis defuncti, à Recurrente injuſte occupati, ac detenti.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Judex eccleſiaſticus non adſtringitur recurſui reſpondere.*
III. IV. *De ſtylo in aliquibus diœceſibus jubet promotori juſtitiæ pro ea allegationem texere.*
V. *Favet doctrina Per. de man. reg.*
VI. *Deſtructo fundamento notorietatis violentiæ, corruit ædificatum, et in ea fundatum.*
VII. *Pro bonis jure dominii pertinentibus foro eccleſiæ, in eo convenitur laicus.*
VIII. *Bona acquiſita intuitu eccleſiæ ab' epiſcopo defuncto, pertinent eccleſiæ; et epiſcopi regularis ante conſecrationem, pertinent ejuſdem religioni.*
IX. *Mortuo epiſcopo ſuccedit eccleſia, vel menſa epiſcopalis.*
X. *Clericis, non vero epiſcopis, permittitur de jure teſtari de bonis intuitu eccleſiæ acquiſitis.*
XI. *Hæres epiſcopi pro præfatis bonis, eſt eccleſia.*
XII. *Ubi conſtat, rem eſſe eccleſiæ, judex eccleſiaſticus eſt indubie competens.*
XIII. *Sufficit, quod res ſit eccleſiæ quoad dominium utile, ut laicus poſſeſſor coram judice eccleſiaſtico conveniatur.*
XIV. *Etiam in caſu, quo laicus neget, rem eſſe eccleſiæ, ſi intercedat violentia, aut circumſtantia furti.*
XV. *Ampliatur etiam ad caſum injuſtæ occupationis.*
XVI. *Non negare, et fateri, idem ſunt in jure.*
XVII. *Quæſtio fabricæ eccleſiæ, ex quacunque cauſa actum ſit, pertinet ad judicium eccleſiæ.*
XVIII. *Exitus hujuſce allegationis, ac progreſſus recurſus.*

I. DECEDENTE è vivis celeri morte, et abſque ulla ultima diſpoſitione, illuſtriſſimo D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione, hujuſce Goanæ diœceſis archipræſule, anno 1713. in ſuo palatio rurali, totam eccleſiæ ſupellectilem, quam apud ſe habebat, et totum ejus ſpolium, eccleſiæ ipſi pertinens, celeriori feſtinatione occupavit, et abſcondit, domina quædam, illius prælati nupta nepoti, de facto, et paulo poſt præſulis deceſſum uxor recurrentis, quæ apud præſulem ipſum in eodem palatio tunc morabatur. Quare primatialis mitræ procuratore, via libelli, in eccleſiaſtico judicio præfata bona recuperare, aut reivindicare agente, curavit pariter reus recurrens variis moroſis interlocutoriis curſum cauſæ retardare, atque ſimul cum bonis detinere; et quin actionem conteſtaretur, vel libello adverſaretur, aut reſponderet, exceptionem tandem fori declinatoriam oppoſuit; eo prætextu, quod, cum laicus foret, in ſæculari judicio utique conveniri deberet. Quæ quidem exceptio cum à vicario generali archiepiſcopatus rejiceretur, ab eo gravamen ad ſenatum eccleſiaſticum interponens, jam poſt meam in hoc Indiano ſtatu conſiſtentiam, nullatenus obtinuit, neque in gravamine ipſo, neque in impedimentis illius ſententiæ objectis; quare ad tribunal regium præſentem recurſum intentavit.

II. Cujus quidem cum de more copia in actis ſenatoribus eccleſiaſticis daretur, decreverunt hi reſponſionem propriam non ordinare, neque eam proprio nomine offerre (de quo infr. c. 37.) ſed ſtyli forma ſæpe ſæpius in hac diœceſi obſervata, ſignanter in recurſu illo famigerato, ab eodem præſule interpoſito anno 1697.——

III. Quo ſuper prodiit celebris illa ſententia, quæ tranſcripta remanet alibi, ubi pro parte juriſdictionis, atque juſtitiæ mitræ Goanæ, reperitur formalis reſponſio, et allegatio ab ejuſdem mitræ procuratore ordinata, et ejus nomine oblata, atque ab eodem ſubſcripta (et in aliis pluribus, in quibus reperiuntur formales reſponſiones à promotore juſtitiæ oblatæ in gravaminibus ad tribunal regium à prælatis hujus diœceſis, et ab ejus vicariis generalibus, aut ſenatoribus eccleſiaſticis, intentatis) eidem procuratori reſponſionem texere juſſerunt.

IV. Qui quidem ſtylus etiam praxi receptus eſt in aliis regni diœceſibus, et ſignanter in Eborenſi, de quo Themud. dec. 158. 254. et 257. Accedit Cevalh. de viol. q. 22.

V. Et eſt frequentior in judicio nuntiaturæ, ſeu legatiæ, ut audio, necnon conformis notabili doctrinæ

Gabr. Per. de man. reg. etiam parti, contra quam ſupplicatur, actorum copiam præmittentis, et ab eo inſinuatus approbatus, atque acriter ſuſtentatus, necnon nervoſe, et juſte defenſus, c. 11. n. 8. ibi: *Sextum notabile eſt circa copiam proceſſus partibus dandam, quod ſolet regius procurator inſtare, ne parti, contra quam ſupplicatur ad regium tribunal, copia detur actorum, eo fundamento, quod in cauſa ſupplicationis ſolus ſupplicans, judexque, à quo ſupplicatur, audiri debet, quia dum judicis culpa arguitur, ipſe pro ſua juriſdictione audiri debet*, arg. tex. in c. *Venerabilib. de ſent. excom. l.* 6. *quia ipſius intereſt defendere cauſam ſuam: ſed hæc traditio eſt exterminanda ab eo judicio, in quo ex bono et æquo proceditur, et ſæpiſſime ſupplicatur à collectore, vel alio judice eccleſiaſtico, qui acta non mittunt, et nuda manet partis petitio, quam haberi poſſe pro juſtificata, ut ſtylus obſervat, quam abſonum ſit, jam ſupra oſtendimus; et partibus, et juſtitiæ cauſa ſummopere conſulitur, ſi partes audiantur, quia cauſam inſtruunt, et juſtitiam aperiunt, laborem levat judici, et in tempore occurrunt, ne poſt vulneratam cauſam per impedimenta admittantur; inſuper, ſi procuratori regio datur actorum copia, quia intereſt regiam juriſdictionem tueri; quomodo neganda eſt parti adverſæ? contra reg.* Non licet, *de reg. jur. l.* 6. *Exulet igitur talis ſtylus, et partibus actorum fiat copia, ut plene de jure ſuo doceant, quibus nocere poterit judicis, à quo ſupplicatur, vel imperitia, ſi non perfecte reſpondeat, vel contumacia, ſi acta non remittat; nec poteſt fieri argumentum à ſupplicationibus ad ſenatum, quarum non fit copia partibus, quia in illis ſemper acta adjunguntur, ſemper judex reſpondet; quod non ita eſt in his gravaminibus, de quibus agimus.*

VI. Igitur allegabat mitræ procurator, et ſolide quidem, quod cum ſola violentia manifeſta, et notoria, fundare poterat intentionem recurſus, ſemel, quod ipſe de jure hoc fundamentum clare elideret, conſequenter fruſtratorium, et ſupervacaneum recurſum hunc fore evinceret, ex vulgari axiomate: *Deſtructo fundamento, corruit ædificatum*, l. *Nam origo*, ff. *Quod vi aut clam.* l. *Egit eum*, ff. de except. rei judic. cap. *Cum Paulus*, 1. q. 1. cum vulgar.

VII. Illud autem fundamentum hac efficaci proſternebat ratione: non enim negabat recurrens, imo agnoſcebat, bona illa, jure dominii, eccleſiæ pertinere; tum quia partem non exiguam ex illa ſupellectili, videlicet, vaſa argentea, veſtes, et ornamenta ſacra, atque alia utenſilia, erant propria ipſius matricis eccleſiæ primatialis; tum quia reliquum ipſius prælati ſpolium, utpote acquiſitum ex proventibus eccleſiæ, atque hujus intuitu, eccleſiæ ipſi certo pertinebat; tum denique, quia etiam acquiſita ante ejus conſecrationem, non ipſi prælato, ſed ejus religioni, videlicet, regulari militiæ ordinis Chriſti, in qua regularem vitam profeſſus fuerat, jure dominii, certiſſime attinebant, ut ex c. 1. de teſtam. ibi:

VIII. *Hortamur ergo, ut ſolicite hoc diſcutias, et quicquid ipſum habuiſſe patuerit, à qualibet perſona detineri, nullatenus patiaris, niſi hoc ſolum, quod cum, ante epiſcopatus ordinem, proprium habuiſſe conſtiterit; quicquid vero eccleſiæ ante ipſius conſecrationem fuiſſe cognoveris, vel in epiſcopatus ordinem prædictum epiſcopum acquiſiviſſe, in ejuſdem eccleſiæ dominio conſervetur.*

IX. Idem ſtatuitur in Clem. *Statutum*, de elect. ex qua Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 31. n. 8. ſic ait: *Quæ bona ad eccleſiam, futurumque prælatum, pertinent; mortuo enim epiſcopo, eccleſia ipſius, ſive menſa epiſcopalis, ſuccedit, tex. in cap.* 1. *de teſtam. reſervanturque bona, et fructus, futuro ſucceſſori.*

X. Et quamvis clericis de jure permittatur de bonis intuitu eccleſiæ acquiſitis teſtari, hoc tamen epiſcopis denegatur, ut reſolvit Innoc. in d. c. 1. de teſtam. n. 5. et cum illo Oliv. cit. n. 9. ibi: *Et licet, de conſuetudine antiquiſſima, jus teſtandi de bonis ex reditibus eccleſiaſticis acquiſitis, clericis inferioribus tribuatur, ut ſupra notavimus; epiſcopus tamen non tribuitur; ac per conſequens teſtari non poſſunt de prædictis bonis, nec de aliquibus ſuarum eccleſiarum fructibus.*

XI. Et n. 13. ibidem ſic ulterius concludit: *Præterea dico, quod epiſcopi, ſuppoſito, quod non poſſint teſtari de bonis, et pecunia acquiſitis ex reditibus epiſcopatus, in his non habent hæreditatem, nec hæredem, quia iſtiuſmodi bona remanent penes ipſam eccleſiam, ut dominam, reſervata ſucceſſori, non tanquam hæredi, ſed tanquam ſucceſſori in eccleſia, quod eſt veriſſimum, docet Innocent. in cap.* Cum in offic. *n.* 5. &c.

XII. Ex his autem concludenter inferebat procurator, quod, demonſtrato, ac ſtabilito, bona illa, jure dominii, eccleſiæ pertinere, indubitabile, atque evidens remanere competentiam fori eccleſiaſtici, ad hoc, ut ipſe, tanquam actor, à recurrente, ut reo, recuperare, aut reivindicare poſſet, non obſtante, quod reus laicus foret, et ſæculari foro in aliis ſubjectus: quod quidem comprobabat ex communi DD. placitu ad tex. in cap. *Si clericus*, de for. compet. Barb. ad ord. l. 1. tt. 2. et in c. *Cum ſit*, de for. compet. et in terminis Valaſc. de jur. emphyt. n. 14. ibi: *Nam ubi conſtat, rem eſſe eccleſiæ, abſque dubio eccleſiaſticus eſt competens, ſecundum commune, ex Innoc. c.* Cunctis, 7. *n.* 2. *de for. compet. et infra ibi:*

XIII. Et ſufficere dicebat, ex ordinat. reg. l. 2. tt. 1. § 6. quod *eccleſia in libello allegaret, rem litigatam non ſolum quoad dominium directum, ſed etiam quoad utile, eccleſiæ pertinere, eo quod ipſi concorporata fuiſſet, eſto à laico actu poſſideretur vi, vel ſine titulo, aut titulo, juxta jus canonicum, nullo, in his caſibus, cognitionem pertinere judicio eccleſiaſtico, in quo laicus reſpondere tenetur.*

XIV. Quam reſolutionem ex eadem ordin. ampliat Per. de man. reg. etiam ad caſum, quo laicus neget, rem eſſe eccleſiæ, c. 27. n. 12. ibi: *Unus tamen eſt caſus, in quo laicus, etiamſi neget, remittendus non eſt ad ſuum judicium; quando, ſcilicet, eccleſia in libello proponat qualitates violentiæ, vel furti, ut ex eadem ordin. colligitur,* § 6. *tunc enim reivindicatio tranſit in ſacrilegium, ratione cujus ille forus eſt omnino competens, et, non obſtante negatione rei, ibi cauſa diſcuti debet, ex Innoc. in dict. cap.* Cum ſit generale, *in principio, ubi Hoſtiens, et alii.*

XV. Et terminos præcitatæ legis regiæ intelligendos quidem fore etiam extra caſum præciſæ vis, aut violentiæ, et in caſu injuſtæ occupationis dumtaxat, expreſſe tenet idem Gabr. Per. cit. n. 14. ibi: *Sed quidem licet, ut ſupra diximus in d.* § 2. *clericus trahi non poſſit ad judicium ſæculare, niſi pro vi præciſa, tamen diverſum eſt reſpectu ſæcularis, qui trahitur ad forum eccleſiæ: ratio eſt, quia in hac lege non exprimitur illud verbum,* força, *id eſt, vis, in ſenſu violentiæ præciſæ, ſed in ſenſu violentiæ, ex qua detur injuſta occupatio rei eccleſiæ, ex qua ſacrilegium reſultet, ratione cujus, in foro, epiſcopi forum ſortiatur: cum ergo ex quacunque occupatione injuſta ſacrilegium reſultet, ut ſupra dixi, ad illud ſolum attendimus.*

XVI. Ergo (proſequebatur procurator inferendo) cum recurrens fateretur, aut ſaltem non negaret (quod in jure idem eſt, ex tex. in l. *Si ſine*, cod. ad Velleſan.) requiſita bona eſſe eccleſiæ, et illi pertinentia, quomodo eccleſiaſticum forum declinare poterat, aut in rejectione hujuſce declinatoriæ exceptionis, quomodo violentia, etiam ſimplex, conſiderari poteſt, adverſus communiſſimam, et inconcuſſam omnium doctorum ſententiam, imo adverſus ipſius juris regii expreſſiſſimam legem? eod. l. 2. tt. 1. § 10. ibi: *Excepto, ſi laicus confiteatur, rem eſſe eccleſiæ; tunc enim cognitio judici eccleſiaſtico pertinet.*

XVII. Eandem fori competentiam quoad alia bona à procuratore in libello expreſſa, et à reo recuperanda, aut reivindicanda; videlicet, notabilem pecuniæ ſummam, pluſquam duodeviginti mille xerafinorum cum proventibus, fabricæ eccleſiæ ipſius primatialis attinentium, et alia mobilia; oſtendebat, et comprobabat ex citata ordinat. regia, et ex eodem Per. de man. reg. qui ex eadem, c. 17. n. 12. ita ait: *Verum lex regia aperte contrarium decidit, ſimpliciter agnoſcens fabricæ quæſtionem judicis eccleſiaſtici eſſe, ex quacunque cauſa actum ſit, in quo favorem eccleſiæ libertatis proſequitur.*

XVIII. Hujus allegationis, ac reſponſionis evidentia, recurſus curſum penitus detinuit, ac omnino ſuſpendit, neque in illo ulterius proſecutum eſt; ſed hactenus ſilet, ac jacet, ut aiunt, *de mortuario.*

ALLE-

ALLEGATIO XLVI.

Ab eccleſiaſtico Promotore facta in Recurſu à ſæcularibus Notariis intentato ſuper Deputationibus, atque novis Notariorum eccleſiaſticorum Inſtitutionibus pro approbandis Teſtamentis decedentium in Menſibus, juxta novam Concordatæ Legem, Judicio eccleſiaſtico attinentibus.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Acta recurſus juſſi tradi promotori pro allegatione juſtitiæ meæ efformanda, quam ratificatam obtuli reſponſione.*
III. *Ex lege concordiæ notarii utriuſque judicii alternatim debent teſtamenta conficere.*
IV. *Conſonat juris communis diſpoſitio, ex quo judex cauſæ præparatæ eſt judex præparantis.*
V. *Ratione connexitatis, et dependentiæ, qui non eſt judex, talis evadit.*
VI. *Diſpoſitiones reg. ordin. per hanc legem poſteriorem derogata manent.*
VII. *Quod non valet modo, quo fit, valet meliori modo, quo poteſt.*
VIII. *Utilitates ex hac nova providentia reſultantes.*
IX. *Obtinuerunt recurrentes ob anteriorem poſſeſſionem.*
X. *Legis concordiæ formalitas.*
XI. *Caſus judicati ex vi illius in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis adverſus proviſores laicos.*

I. CUM ad mei promotoris judicii inſtantiam, ob novæ legis concordiæ, quæ infra extenditur, diſpoſitionem, et propter gravem damnorum, et cæterorum incommodorum, inferius inſinuatorum, reſultantiam, notarios aliquos eccleſiaſticos, pro diſtrictionibus inſularum Goanarum, necnon provinciarum Salſetanæ, et Bardeſianæ, inſtituerem, ut facilius, et commodius, teſtamenta decedentium in menſibus judicio eccleſiaſtico, ſecundum dictæ concordiæ legem, pertinentibus approbarentur: ab hac nova inſtitutione, notarii judicii ſæcularis, regiæ juriſdictionis uſurpationis prætextu, et proprii præjudicii motivo, gravamen ad coronæ judicium interpoſuerunt.

II. Cujus cum mihi, juxta ſtylum, copia exhiberetur, acta ipſa tradi juſſi eidem meo promotori, ſecundum ſtylum ſæpe ſæpius, etiam in hac Goana diœceſi, in ſimilibus recurſibus obſervatum, practicatum et in aliis Portugalliæ, de quo Themud. 3. p. dec. 257. n. 3. et 6. et alibi; et Per. de man. reg. c. 11. n. 8. necnon Cevalh. de viol. q. 22. ad hoc, ut juſtitiæ meæ allegationem contexeret; quam tandem, à me ratificatam, in regio tribunali offerendam remiſi.

III. Allegabat igitur promotor pro validitate, ac licitudine præfatæ inſtitutionis, 1. Præmiſſæ concordiæ legis diſpoſitionem, infr. n. 10. tranſcriptæ, et apud Themud. p. 3. dec. 750. qua jubetur, ut utriuſque judicii notarii alternatim, in menſibus competentibus teſtamenta conficiant; exempli gratia, notarii eccleſiaſtici, teſtamenta decedentium menſe Januarii; notarii vero ſæculares teſtamenta obeuntium menſe Februarii; et ſic deinceps, alterna ſucceſſione.

IV. 2. Juris communis conſonam diſpoſitionem; ſecundum quod, *Judex cauſæ præparatæ eſt judex cauſæ præparantis:* Farinac. in prax. crim. q. 8. n. 144. ex l. *Ordinarii*, cod. de reivindicat. ubi Bald. Barboſ. in l. *Hæres abſens*, n. 184. ff. de jud. Themud. p. 1. dec. 18. n. 12.

V. Publicatio autem, et reductio teſtamenti ad formam publicam, certe præparatoria erat alterius actionis, rationes ejuſdem teſtamenti ſumendi: ob quarum connexionem etiam, idem evadebat utriuſque judicium, adeo, ut, *ratione connexitatis, et dependentiæ, ille, qui non eſt judex, etiam efficitur judex*, l. 3. § *Judicio*, ff. de contr. act. tut. gl. 1. *Connexa*, in c. *Quanto*, de judic.

VI. Neque aliquid officere dicebat ordinationis regiæ diſpoſitiones ex adverſo objectas, ordin. l. 1. tt. 87. § 7. et l. 2. tt. 45. § 15. et tt. 26. § 1. Nam hæ, et reliquæ anteriores leges, atque diſpoſitiones, per hanc poſteriorem concordiæ legem, utique revocatæ manent, atque derogatæ, ſecundum vulgare axioma: *Poſteriora prioribus derogant*, l. *Pacta noviſſ.* cod. de pact. l. *De quibus*, in fin. ubi gl. Cardoſ. in prax. verb. *Lex*; ibi: *Lex nova revocat priorem, quamvis de illa mentionem non faciat:* et juxta Sabell. ſumm. diverſ. tr. § *Lex*, n. 22. *Lex, vel ſtatutum prædeceſſoris indiſtincte loquens, declaratur et modificatur per legem poſteriorem loquentem cum diſtinctione; et qui utitur lege præcedente, debet uti cum declarationibus et limitationibus in poſteriori contentis, ut bene probat Bich. dec.* 288. *n.* 9. *et ſeqq.*

VII. Deinde ad ordinationes ex adverſo citatas reſpondebat; et, quoad 1. Ex l. 1. tt. 7. dicebat, eam loqui dumtaxat de creatione notariorum ſæcularium generaliter; non vero de inſtitutione reſtricta notariorum eccleſiaſticorum pro teſtamentis alternativæ ſuæ approbandis. Et, dato, quod hæc novorum notariorum eccleſiaſticorum inſtitutio non valeret quoad eorum creationem, valeret ſaltem quoad teſtamentorum approbationem; tum quia de hac lex regia nil loquitur; tum quia *quod non valet eo modo, qui fit, valet meliori modo, quo poteſt*; l. *Quoties*, de reb. dub. tum denique, quia (ſuppoſitis veris incommodis atque detrimentis ex contraria diſpoſitione reſultantibus) *diſpoſitio ex cauſa vera, et falſa, tenet ex cauſa vera*, l. *Si prætor*, ff. de jud. Raynald. obſ. crim. tom. 4. ſuppl.

Quoad 2. Ex lib. 2. tt. 45. reſpondebat, eam declarare dumtaxat, *eſſe jus regium creare notarios, ſcribas*, &c. et minime pertinens etiam terrarum dominis ſæcularibus, *habentibus privilegium ad electionem, vel nominationem notariorum in terris dominorum ſuorum*, ut expreſſe dicitur ibidem, § 7. nullatenus vero comprehendere inſtitutionem notariorum eccleſiaſticorum, à prælatis ordinariis creandorum, ſuper quorum jus, ac poteſtatem, nullam juriſdictionem retinent principes ſæculares, ex c. *Eccleſia S. Mariæ*, de conſtit. c. *Non minus*, c. *Adverſus*, de immunitate, Concil. Trident. ſeſſ. 23. de reform. c. 6.

Quoad 3. Ex eod. l. 2. tt. 26. etiam ex eadem convincebat, loqui de eodem jure regio ad *prætores, auditores, judices, et apparitores ſæculares* pro foro ſæculari inſtituendos, minime vero pro eccleſiaſtico. In quo etiam ſenſu loquitur Portug. de donat. reg. ex adverſo allegatus, l. 1. c. 13. § 1. ubi agit de dominio donatariorum regi inferiorum. Quinimo, dato, quod hæ ordinationes etiam inſtitutionem notariorum eccleſiaſticorum comprehenderent, eiſdem penitus derogatum foret per poſteriorem concordiæ novæ legem promulgatam, atque ſtabilitam, ut ſuperius remanet oſtenſum.

VIII. Adducebat ſubinde commoda, atque convenientiſſimas utilitates ex hac nova providentia redundantes, et detrimenta, atque incommoda non parva ex contraria reſultantia; quippe ex defectu totali horum notariorum, et ex gravi difficultate conducendi notarios, ac tabelliones ſæculares, remanent teſtamenta ipſa abſque ſolemnitatibus de jure neceſſariis, et abſque convenienti approbatione; et conſequenter hæredes expoſiti manent majoribus expenſis, ac gravioribus litibus, et jurgiis; imo et ipſorum defunctorum animæ infallibili, atque generali ipſorum ultimarum voluntatum in hac India adimpletionis, atque perfectæ executionis omiſſioni; et propriorum ſuffragiorum, ac reliquorum piorum legatorum carentiæ certe ſubjiciuntur; ut ipſimet coronæ tribunali conſtans erat ex multiplicibus recurſibus in hac re à judicibus eccleſiaſticis, ob juſta, et opportuna in ſimiles omiſſos procedimenta; interjectis.

IX. Factis autem concluſis actis cum præmiſſa allegatione ratificata die 8. Martii 1730. paulo poſt prodiit

diit ſententia in favorem tabellionum ſæcularium ob præcedentem poſſeſſionem. Lex autem novæ alternativæ concordiæ, eſt ſubſtantialiter quæ ſubſequitur, quam extenſe tranſcribit Themud. 3. p. dec. 350.

Legis concordiæ formalitas.

X. D. *Philippus, Dei gratia, rex Portugalliæ,* &c. [Narrata concordia notariorum ſæcularium, et eccleſiaſticorum, et epiſtola ſanctiſſimi P. Gregor. XV. expedita 26. Junii 1621. per eminentiſſimum Cardinalem Ludovicum, illius confirmativa, et ſententia apoſtolica ſuper eadem prolata à collectore Portugalliæ Vincentio, epiſcop. Albeg. die 20. April. 1622.] *Ratum habeo, et præcipio, ut deinceps præmiſſa concordia, atque alternativa, ſervetur eo modo, quo in ea continetur, et ulterius minime utatur ordine hactenus ſervato in ſumendis rationibus prædictorum teſtamentorum,* &c. Subſtantia autem concordiæ inibi inſertæ hæc eſt; videlicet, *Quod rationes teſtamentorum in hac civitate, et terminis ejuſdem, et ultra mare decedentium in menſe Januarii, executiones, et reliquæ ipſorum teſtamentorum dependentiæ, judicio, ac juriſdictioni eccleſiaſticæ pertineant; et decedentium in menſe Februarii, judicio, ac juriſdictioni ſæculari; et deinceps alternatim, ſex menſes uni juriſdictioni, et alii ſex alteri in quolibet anno . . . . et rationes, quæ in alia forma ſumptæ fuerint, nullæ ſint; et quod legatarii antea, vel poſtea, legata ſua ſupplicare volentes, coram judice, cui teſtamentum, ordine prædicto, attinuerit, conveniant; et aliter proceſſatum nullum foret, et notarius contrarium faciens, amittat ſalarium, et pro damno ſatisfiendo teneatur: et in dubio obitus decedentis die ultima cujuſvis menſis, an ſcilicet ante punctum mediatæ noctis, an poſt illud evenerit; per teſtamentarios, jurejurando adſtrictos, decidatur; et, caſu, quo de illo non recordentur, per promotores utriuſque judicii convenientes in judicio, in quo dubium excitatum eſt, remota appellatione, et gravamine, terminetur; et pariformiter quodlibet aliud dubium . . . . et quod in quolibet judicio liber regiſtri teſtamentorum adeſſet, in quo catalogus teſtamentorum cuilibet ex vi hujus concordiæ pertinentium,* &c. Et ſubinde mulctam centum aureorum cuilibet notario aliter ſcribenti imponit, executionem cuilibet judicio ad electionem partium ſubjiciens. Quæ quidem lex extenſius, et formaliter, apud cit. Themud. videnda expedita eſt 3. Novembr. 1622.

XI. *Qua quidem non obſtante,* ait Themud. d. dec. 350. n. 7. *Proviſores capellarum, inducti per ſuos tabelliones, non verentur ſaltem mittere in meſſes alienas ſine metu pœnarum concordatæ, qui multoties aſſumunt cognitionem capellarum teſtamentorum menſium eccleſiaſticorum ad eas formandas, contra quos varie ſunt latæ ſententiæ in judicio ſæculari, quarum aliquas tranſcribit ibidem.*

ALLEGATIO XLVII.

Ejuſdem Promotoris Judicii eccleſiaſtici in Controverſia, et ſuper Charta demiſſoria à Provinciali Reformatorum D. Franciſci Provinciæ hujuſce Goanæ, à Matre Dei *dictæ cuidam ſæculari Clerico Minoriſtæ expedita, prætextu Status Donati laicalis intra Clauſtrum degentis, pro Ordinibus in aliena Diœceſi ſuſcipiendis.*

SUMMARIUM.

I. *Species facti proponitur.*
II. *Prælati regulares poſſunt demiſſorias concedere ſubdito regulari reſtricte ad proprium diœceſanum.*
III. *Contraria privilegia ſunt ſæpe revocata.*
IV. *In caſu abſentiæ diœceſani, vel nullas ordinationes habituri, ad quemlibet alium epiſcopum cum onere teſtificationis abſentiæ,* &c.
V. *Hoc decretum comprehendit omnes et ſingulos regulares, quantumvis exemptos.*
VI. *Excipiuntur regulares ſocietatis per ſpeciale privilegium incommunicabile.*
VII. *Ex parte demiſſi requiruntur duo, nempe, quod ſubditus ſit, et quod regularis ſit.*
VIII. IX. *Aliter pœnas ſuſpenſionis, et alias incurrit; et, ſi miniſtret, ſit irregularis.*
X. *Caſus notabilis deciſus.*
XI. *Comprehendit etiam oblatos, ſolemnia vota non emittentes.*
XII. *Reus ſubjectus, neque diſtinctivum novitiorum habitum geſtabat.*
XIII. *Novitii, et donati, gaudent privilegio fori, et aliis,* ut eccleſiaſtici, *non vero,* ut ordinarii.
XIV. XV. *Reus erat verus ſubditus ordinarii quoad ordines, et quoad alia.*
XVI. *Novitii non ſunt ſubditi prælati regularis, niſi quoad ea, quæ ſpectant ad probationem.*
XVII. *Et poſſunt confiteri cuilibet confeſſario ab ordinario approbato, etiam invito ſuperiore regulari.*
XVIII. *Privilegia exorbitantia à jure communi, non debent large ſumi.*
XIX. *Uſus in contrarium damnatur à S. Congregatione.*
XX. *In diœceſi Goana, conſuetudo in contrarium ſtabat.*
XXI. *Subjectus reus certe incurrerat pœnas ſuſpenſionis, et irregularitatis in conſt. Pii* II. *contra male promotos.*
XXII. *Factum contra legem, infectum reputatur.*
XXIII. *Regulares, à proprio epiſcopo reprobati, non poſſunt ad alios mitti pro ordinibus ſuſcipiendis.*
XXIV. XXV. *Aliæ pœnæ à jure incurſæ.*
XXVI. *Quas, et diſpoſitionem conciliarem, S. Pius* V. *in conſt.* Roman. Pontif. *ad omnes regulares extendit.*
XXVII. *Pœnæ etiam epiſcopis contrafacientibus.*
XXVIII. *Nec etiam ſuffragabatur, quod reus ordinatus fuerit ad titulum religioſæ paupertatis.*
XXIX. *Neque etiam opinio aliquorum doctorum, quia hæc non excuſat à cenſura, et pœna à lege lata.*
XXX. *Ordinarius poteſt interdicto ſubjicere eccleſias regularium contravenientium decretis generalibus S. Congreg.*
XXXI. *Ultima ſententia in hac cauſa.*
XXXII. *Regium reſcriptum ſuper ea.*

I. QUIDAM clericus in minoribus conſtitutus, vel examinatorum exactionem pertimeſcens, vel ut commodius, aut facilius, ad ſacros ordines promoveri poſſet, in conventu Matris Dei reformatorum D. Franciſci, titulo donati, ſe recipiens, et religionis tunicam, laicis donatis competentem, induens, ab illius domus prælato demiſſorias cunctis ordinibus ſacris ab illuſtriſſimo archiepiſcopo Angamalenſe, ſuffraganeo meo, ſpecialiter ſuſcipiendis, eidemque præſuli ſpecialiter directas, adeptus eſt; et ex vi demiſſoriarum omnes gradus præfatorum ordinum ab eodem diœceſano conſecutus, me minime impedito, quinimo actualiter expedito, et cunctos ordinum gradus omnibus regularibus, actu, et frequentiſſime, etiam extra tempora conferente, hujus provinciæ alumnis dumtaxat exceptis, qui examina, etiam coram me ſolo, privatim ſubeunda, pro ordinibus ſuſcipiendis, imo et pro approbationibus ad confeſſariorum, et prædicatorum munera exercenda, vel verecundia, vel dedignatione fugiebant: et malo hoc exemplo præfati donati illicitæ ordinationis, minoriſtæ alii ſæculares Indi, eandem religionem in eodem miniſterio ſervituri, ingredi ſuadebantur, ſpe conſimilis ordinationis facile conſequendæ.

Cum ergo minoriſta ille (qui prius patrimonium ſuum, pro ſacris ordinibus recipiendis, in judicio meo, et coram vicario meo generali, ſolemniter, ut clericus ſæcularis, celebrârat) ad monaſterium ſacris ordinibus, etiam preſbyterio, condecoratus

ratus regrederetur, quin ad me aliquem recurſum capeſſeret, aut aliquam ſupplicationem humiliter (ut alius ejuſdem familiæ donatus olim coram quodam prædeceſſore meo obſervârat) dirigeret, primam miſſam publice celebravit, et eandem celebrationem deinceps tranquillus proſecutus eſt. Ob quæ citatus ad allegandum, quare non deberet in competentibus juris cenſuris, ac pœnis declarari, ob inordinatam illam, et injuriam, atque illicitam ordinationem, antiquo juri, et novo, omnimode adverſantem, præſertim generali decreto S. Congregationis ſub Clem. VIII. edito; in defenſionem ſuam regularia privilegia inutiliter allegavit, quorum data copia promotori juſtitiæ, ſequentem allegationem contraverſum adjunxit.

II. Dicebat igitur promotor, certum quidem eſſe, prælatos regulares exemptos poſſe demiſſorias equidem concedere ſuis ſubditis, itidem regularibus, non abſolute, et generaliter ad quemlibet diœceſanum, ſed reſtricte, ac determinate, ad diœceſanum proprium, id eſt, ad eum epiſcopum, aut archiepiſcopum, in cujus diœceſi ſitum eſt monaſterium illius prælati regularis, atque ejus ſubditorum, qui ordinari prætendunt.

III. Privilegia autem in contrarium revocata fuiſſe à Leone X. in Concil. Lateranenſi, conſt. 22. et à Trid. ſeſſ. 7. c. 11. de reform. et ſeſſ. 23. c. 8. et noviſſime à Clem. VIII. ſeu, ejus juſſu, à S. ejuſdem Concil. Congregat. quæ generali decreto, 15. Martii 1596. expedito, declarat, *Superiores regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis, ordines ſuſcipere voluerit, literas demiſſorias concedere, ad epiſcopum tamen diœceſanum, nempe illius monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is regularis poſitus fuerit.*

IV. Et in caſu dumtaxat, quo *diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel ſedes epiſcopalis vacaret, ad quemcunque alium epiſcopum; dummodo ipſi regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem demiſſoriarum*; et cum onere in eiſdem demiſſoriis teſtificandi abſentiam, vel impedimentum proprii diœceſani prælati, ſub pœna privationis vocis activæ, ac paſſivæ, et adminiſtrationis officii, aut dignitatis ipſis regularibus prælatis contrafacientibus, ut videre eſt apud Guarant. verbo *Ordo*; et apud Barb. de pot. epiſc. p. 2. alleg. 7. Novar. lucern. regul. comment. 107. Panimol. dec. 14. annot. 2. n. 81. et dec. 70. et 139.

V. Certum, 2. Eſſe dicebat, hoc decretum, ſive legem, comprehendere quidem omnes et ſingulos regulares, quantumvis exemptos, ut ex variis ejuſdem Sacr. Congregat. deciſ. conſtat, ſignanter ex una generali pro univerſis regularibus Mendicantibus, ac non Mendicantibus, ann. 1675. ex alia 1708. pro monachis Carthuſianis, et ex aliis 1589. et 1596. pro regularibus Hiſpaniæ, et 1697. pro omnibus regularibus indiſcriminatim, et pluribus ex aliis videndis apud Cardin. Petr. tom. 4. in conſt. 3. Bonifac. IX. *Sacroſancta*, p. 362. et ultra; et tom. ad conſt. Urban. II. *Cum univerſi*, ſect. 2. pag. 236.

VI. Excipiuntur autem dumtaxat regulares Societatis Jeſu, ob peculiare privilegium, in quo non participant reliquæ religiones, ob ſpecialem clauſulam incommunicabilitatis inibi repertam, ut inſpici licebit apud Monacell. tom. 2. tt. 13. form. 4. n. 33.

VII. Ex his præmiſſis relatis, conſequenter hanc infallibilem conſequentiam erui dicebat; ſcilicet, prælatum regularem minoriſtæ, ſeu donati præfati, neque ad proprium diœceſanum literas demiſſorias ei præbere potuiſſe, eo quod non foret ſibi *ſubditus regularis*, id eſt, profeſſus, tribus votis eſſentialibus emiſſis, adhuc dato, quod vere *ſibi ſubditus foret*: nam præmiſſum jus duo hæc copulative prærequirit: *ſuo ſubdito, itidem regulari.*

VIII. Et, dato, quod ei ratione ſubjectionis, et quatenus ſibi ſubdito, demiſſorias dare voluiſſet, utique ad proprium diœceſanum dirigendæ forent, ex actuali, et omnimodo defectu notorio ſingularis præmemorati impedimenti, et inactionis ſingulorum ordinum celebrationis.

IX. Et cum præterea reus permiſſionem meam minime præhaberet, quippe qui invitus, et notorie eram repugnans his demiſſionibus, atque ordinationibus; conſequens etiam erat, reum ordinatum incurſam habere cenſuram ſuſpenſionis à ſuſceptorum ordinum exercitio, necnon irregularitatis, ob illorum exercitationem, ac celebrationem, cum illa ſuſpenſione, à jure incurſa, ut habetur in citata declaratione S. Congregat. de ann. 1618. t. 58. pag. 58. *Regulares, invito epiſcopo diœceſano, ab alio ordinati, ſunt ſuſpenſi, et, ſi miniſtraverint, irregulares; et ordinans, ſuſpenſus per ann. à collatione ordinum.*

X. Idem tenet Card. Petr. cit. tom. 4. n. 12. et 15. Paſſerin. q. 189. Monacell. cit. et alii plures; et caſum referunt, de quodam donato profeſſo cum votis privatis ordinis D. Benedicti, ordinati in minoribus à proprio abbate, et demiſſo ad epiſcopum non diœceſanum, devoluto negotio ad Sacram Congregat. oraculum prodiit 14. Maii 1689. forma à cit. Petr. tom. 1. in conſt. unic. Urban. II. ſeſſ. 2. ſub n. 21. pag. mihi, 338. tranſcripta: 1. *An ordines minores fratri Carolo de Vincentia fuerint valide collati ab abbate, qui frater erat oblatus S. Benedicti cum votis privatis, et collatione bonorum, cum reſervatione uſufructus, ac geſtans habitum regularem intra monaſterium degens? Secundo, An licite? Tertio, An dictus frater Carolus ordines ſacros licite receperit ab epiſcopo Rhegienſi? Quarto, An ſuper hujuſmodi illicita ordinatione, et irregularitate contracta tam ex aſcenſu ad ordines ſacros, quam ex miniſtratione in ipſis ordinibus, non obſtante antecedente ſuſpenſione; ſit cum oratore diſpenſandum?* Sacr. Congreg. Concil. *cenſuit, ad primam, Affirmative; quia agebatur de abbate habente facultatem ordinandi; et ſic ſtante impreſſione characteris, ordinatio fuit valida: ad ſecundum, Negative: ad tertium, Negative: et ad quartum, Eſſe diſpenſandum.*

XI. Unde, etiam dato, quod reus minoriſta, rigoroſus donatus foret, ut ipſe autumat, et regularem profeſſionem cum votis privatis emitteret; non idcirco verus regularis, aut religioſus evaderet, quoties vota ſolemnia non emitteret, ex eſſentiali defectu ſolemnis profeſſionis, ut tenet Lezan. tom. 1. moral. p. 2. c. 8. Petr. cit. tom. 1. n. 21. ibi: *Sed quid de oblatis dicendum? Negative teneo, quoad illos, qui emittunt vota ſolemnia in religione; nam iſti, qui non vovent, etſi habitum geſtent regularem, degant in clauſtris, et ſub obedientia ſuperioris maneant, nequeunt dici viri regulares, deficiente eſſentiali requiſito, ſolemnis profeſſionis.*

XII. Deinde reus (proſequebatur) in ſignum, atque atteſtationem, quod regularis non ſit, neque religioſus, etiam novitius verſetur, non defert diſtinctivum religioſorum religionis ſuæ, etiam novitiis conceſſum, nempe *capuccium*, eo quod ſint in via ad profeſſionem regularem. Et hinc argumentum fortius urgebat: Si enim novitiis, defectu profeſſionis religioſæ, prælati regulares demiſſorias dare non valent, imo etiam privilegium habentes ad minores ordines ſubditis ſuis conferendum, ut abbates Benedictini, eos nequeunt conferre novitiis, ex defectu qualitatis eſſendi *regulares*, deficiente ſolemni profeſſione, quamvis *ſubditi* ſint novitii ipſi; ut aſſerunt Ugolin. de offic. epiſc. p. 2. c. 25. Azor. moral. p. 1. l. 12. c. 2. q. 10. Barb. de pot. epiſc. p. 2. alleg. 7. potiori ratione nec reo, qui adhuc novitius non erat, ejus prælatus regularis demiſſorias concedere valebat, ex cit. DD.

XIII. Nec referebat, quod novitii, ac donati, fori privilegio gauderent, et quibuſdam aliis privilegiis propriis regularium. Nam, ut perbelle ibidem cit. Petr. reſpondit: *Hujuſmodi privilegia obtinent, non ratione qualitatis regularis, quam non habent ante profeſſionem ſolemnem, ſed ratione qualitatis eccleſiaſticæ, ex dedicatione ſuarum perſonarum eccleſiæ.*

XIV. Præterea reus, quamvis ſubditus prælati regularis, etiam verus, et religioſus ſubditus erat ordinarii diœceſani, nedum *quoad ordines*, ſed etiam *quoad alia*, Averſ. et Lacr. ad Buzemb. infr. cit. proindeque ſubjicitur etiam legibus, ac pœnis in ſynodalibus conſtitutionibus impoſitis, quoad jejunia, feſtorum obſervationes, caſuum reſervationes, cenſuras, et alia; ut videre eſt communiter apud DD. quos citant, et amplectuntur Averſ. q. 17. ſeſſ. 1. Lacr. in Buſemb. l. 6. p. 2. n. 1665.

XV. Et notorium eſſe addebat, quod eminentiſſimus Cardinalis de Noailles, actualis archipræſul Pariſienſis,

riſienſis, pro confeſſione novitiorum regularium in diœceſi ſua, deſignâſſet confeſſarios ſæculares ab eodem ſpecialiter approbatos, eo quod rigoroſi ſubditi non forent regularis prælati.

XVI. Incontroverſum namque eſt, quod *Novitii non ſunt ſubjecti prælatis regularibus, niſi quoad illa, quæ ſpectant ad probationem*; Caſtr. Pal. p. 14. n. 6. diſp. 1. de ſtat. relig. Sanch. in decalog. l. 6. c. 10. Barb. cit. Henric. Rodrig. et alii apud curſ. moral. Salmant. tom. 4. tr. 15.

XVII. Qui quidem ibi, pu. 6. n. 90. et 91. concedunt, poſſe novitios cuilibet confeſſario, ab ordinario approbato, ſacramentaliter confiteri, *etiam inſcio, vel invito, prælato monaſterii*; et pariformiter gaudere poſſe privilegiis bullæ Cruciatæ; videlicet, eligendi confeſſarium, abſolvendi à reſervatis, comedendi ova, ac lacticinia, &c.

XVIII. Nec etiam referebat, quod donati aliquo modo *membra religionis* dicantur. Nam, ut ſolita ſoliditate docet Cardin. Petr. *In hac materia agitur de privilegio à jure exorbitante, et reſtringente juriſdictionem epiſcoporum, quorum judicio tantum reſervata eſt juriſdictio ordinandi, et non debent verba large ſumi*, Petr. tom. 1. n. 21. ex Concil. Trid. c. 10. de reform. et ex cit. decret. Clem. VIII.

Neque etiam reo ſuffragaretur uſus, aut conſuetudo aliqua, quæ in illius favorem allegari poſſet, quoad punctum concedendarum demiſſoriarum à regulari prælato, ad alienum diœceſanum, etiam dato, quod reus verus regularis foret.

XIX. Nam S. Congregatio 20. Jul. 1675. hunc uſum, ab aliquibus regularibus allegatum, expreſſe damnavit; et inſuper declaravit, *Servandam eſſe declarationem ſub Clem.* VIII. *et merito: cum enim decreta apoſtolica obligent in foro conſcientiæ*, Fagn. c. *Siquis*, de regular. Monacell. tom. 2. in append. dec. 14. p. mihi, 295. et tt. 16. form. 2. n. 18. poſita contraria illorum declaratione, jam uſus deinceps abuſus reputatur, et minime allegabilis, aut ſuffragabilis, Monacell. p. 2. tt. 13. form. 4.

XX. Imo, in hac diœceſi, conſuetudinem in contrarium ſtare conſtans erat, ex exemplis quamplurium regularium, qui, ſede vacante, à capitulo Goano demiſſorias ad vicinos epiſcopos, pro ordinibus ab iſtis ſuſcipiendis detulerunt, ut ex camerali regiſtro edocebatur. Et erat conſuetudo iſta conformis declarationi Greg. XIII. apud Gallem. *Regulares ſuſcipiant ordines ab epiſcopis, in quorum diœceſi ſunt monaſteria, in quibus degunt; vel ab eis demiſſorias accipiant.*

XXI. Et quidam donatus Dominicanus nuperrime ordinatus fuerat, qui in hoc judicio Goano, et camera pontificali, patrimonium ſuum, et cæteras diligentias, veluti quilibet alius clericus ſæcularis, pro ſacris ordinibus à me ſuſcipiendis, ſolemnizaverat. Et quamvis ſub prædeceſſore meo, illuſtriſſimo domino D. Fr. Auguſtino ab Annuntiatione, donatus alter, ejuſdem familiæ, ac religionis rei, ab alieno epiſcopo, cum ſimilibus demiſſoriis provincialis ſui, ordinatus fuerat, minime ordinibus ſuſceptis uſus erat, quoad proprio diœceſano ſe humiliter ſubjiciens, ut ab eo diſpenſationem ſuſpenſionis, atque irregularitatis, quas equidem ſe incurriſſe agnoſcebat, et fatebatur; à quo tamen non niſi pro celebratione intra religionis clauſtra, poſt multiplices preces, et interceſſiones, obtinuit: quod ſane exemplum adverſus reum militat.

XXII. Hinc concludebat, ſubjectum reum certe incurriſſe cenſuras ſuſpenſionis, et irregularitatis, in bull. 7. Pii II. *Cum ſacror.* tom. 1. contra male ad ordines promotos expreſſas. Nam quamvis demiſſorias ſecum aſportaverit, cum hæ omnino nullæ forent ex notorio poteſtatis, ac juriſdictionis defectu, ut tenet Petr. cit. tom. 1. et 4. Monacell. p. 2. et ex bull. *Romanus Pontifex*, infr. cit. ſatis aperte conſtat; reputantur quaſi non forent, et reus tanquam abſque demiſſoriis abſolute ordinatus, ex vulgar. axiomate: *Factum contra legem, infectum reputatur à lege*, c. *Quæ contra*, de regul. jur. in 6. l. *Non dubium*, cod. de leg. *Nulla, et non facta, parificantur*, c. *Proven.* de fil. preſbyter. *Et nullum quod eſt, nihil eſt*, l. 4. § *Condemnat.* ff. de re judic. Et in jure idem eſt, *actum non eſſe, ac nullum eſſe*, Pignatell. de conſ. 77. tom. 5. n. 43.

XXIII. Denique inſervire dicebat ad caſum præſentem, declarationem alteram S. Congregat. pro diœceſi Granatenſi in Hiſpania die 14. Martii 1620. data apud cit. Petr. tom. 4. ad conſt. 7. Gregor. XI. n. 6. ibi: *Regulares, ab archiepiſcopo reprobatos, non poſſe à ſuis ſuperioribus ad alios epiſcopos mitti pro ordinibus ſuſcipiendis; quinimo epiſcopum ordinantem à collatione ordinum, et ordinatos à ſuſceptorum executione, quamdiu archiepiſcopo expedire videbitur, eſſe ſuſpenſos.*

XXIV. Præter hanc ſuſpenſionem, atque irregularitatem, ex dictis principiis, addebat promotor, reum etiam conſimilem pœnam, ac cenſuram incurriſſe, can. *Neminem*, can. *Sanctorum*, d. 7. contentam; eo quod ſine titulo ordinatus foret, Monacell. tom. 2. tt. 13. form. 3. n. 4. et tom. 3. tt. 2. form. 2.

XXV. Quas pœnas renovavit S. Concil. Tridentinum de reform. ſeſſ. 12. cap. 2. de quo Pignatell. tom. 5. conſ. 73. n. 40. Nicol. in lucubr. l. 1. tt. 11. ubi varias declarationes, ac decreta S. Congregationis adducit.

XXVI. Quas etiam pœnas, et conciliarem diſpoſitionem, S. Pius V. extendit ad omnes regulares in bulla *Romanus Pontifex*; ibi: *Prædictum decretum ad omnes et ſingulos, etiam cujuſcunque ordinis clericos religioſos, ſive ſæculares, more religioſorum viventes in communi, non profeſſos, harum ſerie extendimus, et ampliamus.*

XXVII. Ubi etiam archiepiſcopos, et epiſcopos, contrafacientibus, ſuſpenſione per annum conferendi ordines afficit, et promotiones factas nullas et irritas, promotoſque ſuſpenſos, et, ſi miniſtraverint, irregulares, omnibuſque gratiis, clericis conceſſis, privatos declarat. Et cum aliunde ex documento annexo conſtaret, patrimonium rei fictitium, vel ſaltem deminutum fore, id ſufficere dicebat, ad hoc, ut reputaretur cum titulo *ficto*, vel *ſine illo*, *abſolute* ordinatus, Nicol. cit. Monacell. tom. 3. tt. 2. form. 2. n. 2. et tom. 2. ubi ſupr. Pignatell. tom. 5. conſ. 77. n. 15. ac per conſequens, ut judicaretur incurſus in dictas ſuſpenſionis, ac irregularitatis cenſuras, ex multiplici declaratione S. Congregat. apud Pignatell. cit. n. 15. et 31. Guarant. in ſumm. verb. *Ordo*, Pirringl. l. 1. Paſſerin. et alii.

XXVIII. Et quamvis reus etiam allegaret, ſe potius, quam patrimonii, *ad titulum religioſæ paupertatis* ordinatum fuiſſe; id etiam ei minime ſuffragabatur, defectu ſolemnis profeſſionis; ex vi cujus, etiam novitii, juxta communem doctrinam, ordinari nequibant ad titulum paupertatis religioſæ, cum ab eo ſtatu reſilire poterant, et ad ſæculum redire, ubi competens patrimonium præhabere debent, ad decentem, et congruam ſuſtentationem ſufficiens, *quin cogantur mendicare.* Et hæc motiva ratio fuerat, cur S. Pius V. vetuit ordinari novitios ante ſolemnem profeſſionem, *niſi aliunde haberent titulum*, Averſ. q. 3. ſect. 10. Delben. de immun. c. 12. diſp. 3. ſect. 8. Barb. de alleg. 7. n. 31. Pignatell. tom. 5. d. conſt. 8.

XXIX. Tandem reum etiam non excuſare dicebat opinionem paucorum aliquorum AA. regularium: tum quia, ut cauſam propriam defendentium, non erant teſtes idonei, Monacell. tom. 3. tt. 3. form. 6. Deluc. in miſcellan. diſc. 16. Pignatell. tom. 2. conſ. 12. tum quia *opinio doctorum non excuſat à cenſura, vel à pœna, à lege lata.* Sperell. dec. 129. n. 28. Pignatell. tom. 9. conſ. 189. Monacell. tom. 3. form. 10. n. 16.

XXX. Et conſequenter requirebat convenientem rei declaratoriam, et quod eidem interdiceretur ſuſceptorum ordinum exercitium, quoad diſpenſationis competentis obtentum; et quod auctoritate, etiam delegata à S. Concil. Tridentino ordinariis commiſſa, prohiberentur religioſi illius provinciæ, ne reum, etiam in religionis eccleſiis, ad celebrandum admitterent, ſub pœna eas eccleſiaſtico interdicto ſupponendi; eo quod, *Si regulares contrairent decretis generalibus S. Congregationis rituum, poſſunt ab ordinario eorum eccleſiæ interdici, ait Monacell. tom. 3. tt. 3. form. 6. ee tom. 2. tt. 13. form. 2.* quod quidem effici deberet, nedum ad juſtitiæ ſatisfaciendum, verum etiam ut mali effectus ex tam malo exemplo conſequi incipientes, necnon conventiones iniquæ, quæ ex adjuncta

juncta conſtabant atteſtatione, retardarentur: quare ſententia proferenda, ut in parochiali eccleſia rei, poſtquam huic intimata fuiſſet, et in ejus conventu publicaretur, convenienter etiam expetebat.

XXXI. Sententiæ autem adverſus reum prolatæ, humillime ipſe (qui poſt primam citationem à celebratione abſtinuerat) reverenter paruit, et à cenſuris excommunicationis abſolutionem obtinuit; et poſt aliquot annos, multis adjectis interceſſoribus, multiplicique addita prece, etiam diſpenſationem ab irregularitatibus incurſis, atque à ſuſpenſionibus à me clementer eſt adeptus. Et cum regiam majeſtatem de exceſſu illo certiorem facerem competentibus documentis, ne malum hoc, ut cancer, ſerperet in futurum, et ut proinde omnes ei aditus præcluderentur, prodiit ſequens regium reſcriptum, exaratum die 28. Martii 1728.

RESCRIPTO.

XXXII. D. Joam, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, daquem e dalem mar em Africa, ſenhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, reverendo arcebiſpo, primas de Goa, que vendoſe a conta, que medeſtes, em carta de 17. de Outubro de 1726. a cerca de que tendovos recomendado ordenaſſeis ſomente o preciſo numero declerigos, e que foſſem ſugeitos capazes: o provincial dos reformados da Madre de Deos deſſe eſtado, por modo extraordinario adinitte para donatos alguns minoriſtas reprovados nos exames; e ao depois de algum tempo de aſſiſtencia na religiam com habito de leigos, ſem profiçam, nem ſerem noviços, lhe paſſa demiſſorias, para nos biſpados vezinhos ſe ordenarem de todas as ordens, alem de outros exceſſos de juridiçam, como o deſobrigarem alguns parochianos das freguezias ſem licença voſſa, nem dos parochos: benzerem ornamentos para fora da religiaô, e practicarem a opiniam, de que o approvado em Macaô, pode confeſſar neſſe arcebiſpado, onde nunca faſſe approvado, de que ſeſeguem graves inconvenientes: me pareceo dizervos, que ao provincial dos reformados da Madre de Deos, mando recomendar, naô receba nos ſeus conventos ſeculares, para como titulo de donatos, lhes paſſar demiſſorias para ſe ordenarem, e que ſe abſtenha de ſemelhantes procedimentos; porque do contrario, mandarey ter com elle o procedimento, que cabe no meu real poder; e noque reſpeita a omais, como eſta eſte negotio pendente de appellaçôes, naô ſe pode tomar reſoluçam alguma. El Rey noſſo ſenhor o mandou, por Antonio Rodrigues da Coſta, e o doutor Jozeph de Carvalho e Abreu, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino. Antonio de Souza Pereyra a fes em Lixboa Occidental, em 28. de Março de 1728. O ſecretario Andre Lopes de Laure a fes eſcrever. Antonio Rodrigues da Coſta, Jozeph de Carvalho, e Abreu.

Idem reſcriptum, Latine tranſlatum.

D. Joannes, Dei gratia, Portugalliæ, et Algarbiorum Rex, &c. Notum vobis facio, reverende archiepiſcope, primas Goane, quod viſa informatione epiſtolæ veſtræ 17. Octobr. 1726. ſuper recommendatione à me vobis facta pro præciſo numero clericorum aptorum ordinandorum, qua me certiorem feciſtis, quod provincialis reformatorum provinciæ à Matre Dei, ſtatus ipſius, extraordinario modo admitteret ad miniſterium donatorum minoriſtas, in examinibus ordinandorum reprobatos, et poſt aliquod tempus aſſiſtentiæ in religione in habitu laicorum, quin profeſſionem emittant, imo et quin novitiatum ingrediantur, eiſdem demiſſorias præbet ad alienos, et vicinos diœceſanos, ut cunctis ſacris ordinibus initientur, præter alios juriſdictionis exceſſus, quales ſunt, aliquibus parochianis parochiarum ſæcularium, ſacram euchariſtiam adminiſtrare, præcepti paſchalis adimpletione, abſque licentia veſtra, et propriorum parochorum, et ornamenta etiam pro extraneis eccleſiis benedicere, et praxi innovare opinionem damnatam, quod confeſſor Macaonenſi diœceſi, verbi gratia, approbatus, poſſit confeſſiones excipere in ipſa diœceſi Goana, ubi nunquam approbatus fuerat, ex quo graviſſima conſequuntur inconvenientia; mihi viſum eſt certiorem vos reddere, quod præfato reformatorum provinciali injungere jubeo, ut in ſuis conventibus non recipiat ſæculares ad hoc, ut donatorum titulo eis demiſſorias præbeat, ut ordinentur; aliter adverſus eum illud procedimentum adjungam, quod in regia mea capitur poteſtate. Et quoad alia, cum pendeant appellationes, nequit reſolutio aliqua adhiberi. Rex D. N. id juſſit per conſiliarios concilii ultramarini Antonium Roderigium Coſtium, et doctorem Joſephum de Abreu e Carvalho. Antonius Soſius Pererius eam fecit Ulyſſipone Occidua, die 28. Martii 1728. Secretarius Andreas Lopeſius de Laure eam ſcribere fecit. Antonius Rodrigues da Coſta, Joſephus de Abreu de Carvalho.

ALLEGATIO XLVIII.

Ejuſdem Juſtitiæ Promotoris ſuper duplici Appellatione à præfatæ Reformatorum Provinciæ Procuratore interpoſita à Sententia in præmiſſa Cauſa ſubjecti Donati prolata, et à Perturbatione Poſſeſſionis, quam effutiebat, Privilegiorum ſuæ Religionis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries proſequitur.*
II. *Appellatio extrajudicialis caret effectu ſuſpenſivo, et non aperit locum recurſui.*
III. *Regulares nullatenus, quam à proprio diœceſano, ad ordines promoveri poſſunt.*
IV. *Favent decreta Concil Trid.*
V. *Contraria privilegia revocata ſunt.*
VI. *Nequit quoad hoc dari appellatio.*
VII. *Prælati ordinarii procedunt ut executores Trid. appellatione remota, etiam invocato auxilio brachii ſæcularis.*
VIII. *Clauſula* appellatione remota, *nedum de frivola, ſed de quolibet alia intelligitur.*
IX. *Confirmatur ex quadam declaratione in cauſa Angelopelitan.*
X. *Ab executoribus non datur appellatio; et ut tales procedunt prælati in declaratione cenſurarum à lege.*
XI. *Ab eo, quod quis facere tenetur, non datur appellatio, nec ligat manus judicis.*
XII. *Neque à denuntiatione ſuſpenſionis contra ordinatum cum titulo ficto.*
XIII. *Eſt communis doctorum doctrina.*
XIV. *Opinio doctorum, licet excuſare poſſit ab incurſu cenſurarum in foro interno, non tamen in externo, ubi non ignorantia juris, ſed facti, excuſat.*
XV. *Quoad forum internum, cum theologis; quoad externum vero, cum juriſtis, potius judicandum.*
XVI. *Appellans in eodem carcere debet manere, quoad judex ad quem deliberet.*
XVII. *Bullæ ex adverſo allegatæ reſtricte loquebantur.*
XVIII. *Pius* IV. *per conſtitutionem* In principiis, *omnia privilegia regularium ad terminos juris communis, et Concil. Trid. reduxit.*
XIX. *Admonitio compendii privilegiorum Jeſuitarum.*
XX. *Appellans tenebatur allegare privilegia in forma, et termino conſueto exhibere.*
XXI. *Non tenetur ordinarius adhibere fidem privilegio regularium ſuppoſito, et non integraliter exhibito.*
XXII. *Privilegium apoſtolicum, non niſi per ſcripturam probatur; et de jure tenetur quis illud exhibere.*
XXIII. *Privilegia regularium non ſunt corpori juris concorporata; et, cum ſint ordinariæ juriſdictioni præjudicialia, exhiberi debent.*
XXIV. *Pro foro externo certa eſt obligatio ea exhibendi.*

XXV.

XXV. *Privilegium eſt quid facti; et non præſumitur, niſi probetur per ſcripturam.*

XXVI. *Non poterat deferri alleganti abſque integrali privilegiorum exhibitione.*

XXVII. *Appellatio à declaratione cenſurarum, nullum habet locum, nec effectum ſuſpenſivum in procedimento* in defenſionem *uſurpatæ juriſdictionis ordinariæ.*

XXVIII. *Tranſcribitur diſpoſitio novi Concilii Lateranenſis.*

XXIX. *Et decretum Clem.* VIII. *ibi laudatum.*

XXX. *Opinio doctorum nil ſuffragatur, ubi adeſt conſtitutio papalis in contrarium.*

I. PROLATA, et publicata ſententia adverſus ſubjectum donatum male promotum ad ſacros ordines, juxta ſuperius præcedenti allegatione expreſſa, et ex vi illius notificatus *ad allegandum* provincialis demiſſor, tum ob demiſſoriam illam, tum ob aliam juriſdictionis ordinariæ uſurpativa, ac turbativa, de quibus in regio reſcripto alleg. præced. n. 32. agitur: generalis prædictorum reformatorum procurator duplicem interpoſuit appellationem, aliam à ſententia prolata, alteram vero ab excogitata ſuæ religionis privilegiorum turbatione. Quarum facta copia juſtitiæ promotori, prætermittens quod utraque appellatio videretur ſeorſim, et disjuncte proponenda, ob disjunctionem, ac diverſitatem cauſarum, et aliis defectibus, atque incurialitatibus liberaliter indulgens, ſuper utraque ſequentem edebat allegationem.

II. Et, quoad 1. appellationem à ſententia lata, denuo afferens, ac ratificans omnia, quæ præcedenti obtruderat allegatione, præſertim diſpoſita in bulla *Romanus Pontifex* S. Pii V. præcitata, dicebat, præſentem appellationem omnino frivolam, ac inattendibilem eſſe; 1. Eo quod foret extrajudicialis, et à procedimento extrajudiciali; à ſententia autem extrajudicialiter prolata, non admittitur appellatio quoad effectum ullum, Barb. ad ord. lib. 3. tt. 78. Peg. for. c. 15. n. 209. Salgad. de reg. prot. p. 1. c. 2. n. 261. neque à talis appellationis non receptione, ſive à non delatione, etiam quoad effectum devolutivum, nequit patere aditus ad recurſum ad tribunalia ſæcularia, Salgad. ibid. dicebat, quod *quando appellatio extrajudicialiter proponitur, hoc caret effectu ſuſpenſivo.* Id. Salgad. p. 1. cap. 7. n. 19. ex c. 1. de appellat.

III. 2. Quia, juxta decreta apoſtolica, et revocationem Leon. X. *Regulares nullatenus ab alio, quam à diœceſano epiſcopo, ad ordines promoveri debent.* Et ex decreto Gregor. XIII. *Regulares ſuſcipiant ordines ab epiſcopis, in quorum diœceſi ſunt monaſteria, in quibus degunt, vel ab eis demiſſorias accipiant.*

IV. Et ex decretis S. Concilii Trident. ſeſſ. 7. de reform. c. 11. *Facultas de promovendo à quocunque, non ſuffragetur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam.* Et ſeſſ. 23. c. 8. *Unuſquiſque autem à proprio epiſcopo ordinetur; quod ſiquis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, aut privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus, permittatur,* &c. Et ſeſſ. 14. c. 2. *Nemo epiſcoporum, etiamſi in loco nullius diœceſis, etiam exempto, vigore cujuſvis privilegii, alterius ſubditum, abſque ſui prælati expreſſo conſenſu, ordinare valeat.*

V. Ubi Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. Urb. XI. ſic concludit: *His providis ordinationibus, credi poteſt fuiſſe abrogatas quaſcunque facultates ante concilium conceſſas regularibus, ut plures exiſtimârunt,* apud Van Spen. in jur. eccleſ. p. 2. tt. 9. c. 2. et alios.

VI. Ex quibus demonſtrabatur minime potuiſſe in præſenti caſu appellationem intercedere, ut ex bull. Pii IV. ejuſdem Tridentini confirmatoria in fine convincebatur; ibi: *In virtute S. obedientiæ univerſis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, &c. ut eadem decreta, et ſtatuta in eccleſiis ſuis, civitatibus, et diœceſibus, in judicio, et extra judicium, diligenter obſervent, et à ſubditis quiſque ſuis inviolabiliter faciant obſervari; contradictores quoſlibet, et contumaces, per ſententias, cenſuras, et pœnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo,* &c.

VII. Ubi tria expreſſe oſtendebantur: 1. Quod ordinarii prælati executores incedunt S. Concilii Trid. decretorum, ad quorum obſervantiam inducèndam per cenſuras, et alias pœnas, adſtringuntur. 2. Quod in hac executione *judicialiter*, vel *extrajudicialiter*, procedere poſſunt *in judicio*, et *extra judicium*. 3. Quod utroque modo procedere valent *appellatione remota*; imo, *invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.* Unde, cum ſententia appellata lata fuerit in obſervantiam præmiſſarum conciliarium decretorum, conſequens ſane erat, ex clauſulis expreſſis, *appellatione remota*, vel *non obſtante appellatione*, appellationem ab illa neutrum effectum ſortiri, Per. de man. reg. c. 7. n. 14. Peg. for. p. 1. c. 15. Salgad. cit.

VIII. Quod quidem, nedum de appellatione frivola, ſed de qualibet alia, intelligendum eſt, ex c. *Paſtoral.* de appellat. Leoncil. dec. 31. Gaſparr. inſt. can. p. 3. tt. 10. n. 45. Et, poſito illo conciliari præcepto, atque decretis, ſicut ex parte judicis juſta quidem remaneret illa interjectæ appellationi non delatio, ita, ex parte rei, injuſta ſane evaderet appellatio ipſa; et certum etiam erat, quod appellationi injuſtæ non ſit deferendum; Scacc. de appellationibus, q. 2. et ſeqq. et quod *appellatio regulariter non datur, niſi quando conſtat de injuſtitia,* Sac. Congregat. 31. Aug. 1626. Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 14. Ciarlin. Felin. et alii.

IX. Confirmabat, quia propoſito dubio ſuper prohibitione appellationis in bull. Gregor. XIV. adverſus violatores immunitatis, ac juriſdictionis eccleſiaſticæ; *An appellatio prohibita in conſt. Gregor.* XIV. *intelligatur tantummodo de appellatione frivola?* S. Congregat. reſpondit: *Appellatio in bulla Gregoriana, inteligitur indiſtincte prohibita,* Pignatell. tom. 9. conſ. 49. n. 22. Et merito, cum appellationes frivolæ, ex ipſis formaliter, et ex propria *inattendibilitate*, rejiciendæ veniant. Alias, inquit Gaſparr. cit. *dicta clauſula eſſet omnino fruſtratoria, cum certum in jure ſit, hujuſmodi appellationibus nunquam fore à judice deferendum, per text. in c.* Cum appellation. *hoc titul. in* 6.

X. Ulterius, ex multiplici alio fundamento hujuſce appellationis inattendibilitatem oſtendebat: et, 1. Ex declaratione cenſurarum, ac pœnarum à lege inflictarum, in qua prælatus procedit, ut juris executor, proindeque citra quamlibet appellationem receptibilem, Sperell. dec. 59. Ancharan. ex c. *Paſtoral.* c. *Conſuluit*, c. *Novi*, de appellat. ibi: *Cum ſecundum jus ab executoribus appellari non poſſit*, Fermoſin. Valaſc. et alii apud Peg. forenſ. p. 1. c. 15. n. 196.

XI. 2. Quia ſubjectus donatus tenebatur abſtinere à ſuſceptorum ordinum exercitio, ex ſuſpenſione, ac irregularitate, incurſis vi malæ promotionis, et fictionis patrimonii. Et à ſententia illarum cenſurarum declaratoria, illorumque ordinum exercitium, ſecundum juris præſcriptum, vetante, minime appellari poteſt: nam certum etiam eſt, quod *appellatio non detur ab eo, quod quis facere tenetur, nec ligat manus judicis,* Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſect. 2. n. 12. ex c. *Significavit*, de cenſib.

XII. Et quod *appellatio non datur à denuntiatione ſuſpenſionis latæ contra ordinatum cum titulo ficto,* Monacell. tom. 3. form. 3. tt. 2. Pignatell. tom. 5. conſ. 77. n. 16. Paſſerin. et al. ibid.

3. Quia reus conſenſit in ſuſpenſione ſtatim in prima citatione *ad allegandum.* Et ſententia novam non ei infligit ſuſpenſionem; unde frivola, et inadmiſſibilis reddebatur appellatio ab ea, *ex executione jam reipſa poſita*, c. *Comparat.* c. *Appellation.* in 6. Scacc. q. 2. n. 48. de appellat.

XIII. 4. Ex communi DD. ſententia denegante appellationem à denuntiatione prædictarum cenſurarum; Ventrigl. annot. 48. 1. p. n. 29. Monacell. tom. 3. tt. 2. form. 2. n. 9. ibi: *A denuntiatione hujus cenſuræ nulla datur appellatio ſuſpenſiva,* Pignatell. conſ. 77. n. 16, 17. tr. 5. ex d. bull. Rom. Pontif. et tandem, quia in præmiſſo procedimento ego ipſe in defenſionem juriſdictionis meæ uſurpatæ, et à provinciali ordinandum præfatum demittente, et à prælato eum ordinante, proceſſeram, ex decreto Gregor. XIII. et Sacr. Congregat. 1618. et 1620. in proceſſu

ceſſu allegatis, et in ſententia ipſa laudatis: à prælato autem taliter, et præſertim extrajudicialiter procedente, non admittitur appellatio, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum, Tambur. de jur. abbat. tom. 2. d. 14. q. 2. Panimol. dec. 96. ann. 2. Deluc. de judic. diſc. 9. et in miſcellan. diſc. 14. Sperell. Pignatell. et alii apud Petr. tom. 1. et 3. et apud Monacell.

XIV. Neque appellanti ulla DD. extrinſeca probabilitas in contrarium poterat ſuffragari; tum ex dictis præced. alleg. tum quia, quamvis in foro interno eum opinio ea à culpa excuſaret, non ita in foro externo, ut refert deciſum Sperell. dec. 129. n. 28. Pignatell. tom. 9. conſil. 189. Monacell. tom. 3. tt. 2. form. 10. n. 16. et tt. 1. form. 43. n. 3. ibi: *Si autem regulares, Clementinæ violatores, ad ſe excuſandum dicerent prædicta ſacramenta infirmis ſæcularibus miniſtrâſſe ignoranter bona fide, et ſub credulitate ſuorum privilegiorum (quicquid ſit dicendum in foro conſcientiæ) hæc excuſatio in foro externo non admittitur; quia ignorantia facti, et non juris, excuſat, c.* Ignorantia, *de regul. jur. in* 6.

XV. Unde, cum Cardin. Deluc. tenendum eſſe dicebat de juriſdict. diſc. 52. n. 8. quod in materiis *de fide, ac de moribus*, quoad forum internum, cum theologis ſentiendum; quoad forum vero externum, cum juriſtis potius, quam cum theologis, ut patebat ex declaratione S. Congregat. apud cit. Sperell. et has alleg. etſi pro foro externo admitteretur bona fides, recta intentio, æquus animus, atque intellectuales præciſiones, et diſtinctiones, quas pro interno foro theologi admittunt, et cum quibus pro eodem foro poli. diſcurrunt, *omnium jurium diſpoſitio ſemper illuſa maneret.*

XVI. Quapropter denique requirebat promotor, ut præſens appellatio quoad nullum effectum reciperetur, tum ex præmiſſis; tum quia appellans errore manifeſto laborare videbatur, quod hac appellatione ſaltem quoad ſuſpenſivum recepta, eo ipſe appellatus expeditus maneret ad ordinum ſuſpenſorum exercitium; quod quidem abſurdum facile evincebatur, ex eo quod appellationis receptio nec foret ſuſpenſionis abſolutio, nec irregularitatis incurſæ diſpenſatio, nec deminutionis patrimonii ſuppletio: *Imo de jure appellans in eodem carcere permanebit quoaduſque judex, ad quem appellatum eſt, viſis actibus, et cauſa cognita, aliter decreverit*, Pignatell. tom. 2. conſ. 60. n. 23. ex declarat. S. Congr. 13. Octobr. 1600. noviſſime Concil. Rom. in append.

XVII. Quoad aliam vero appellationem, privilegiis religionis innixam, dicebat idem promotor, quod cum citata bulla Nicol. V. et aliæ à procuratore allegatæ in bullario non reperiuntur; et præter in contrarium declarationes ipſimet DD. regulares, ac Mendicantes, de illis reſtricte, ac limitate loquerentur, ut Laym. de cit. bull. Nicol. V. *Iis nimirum, qui antea in ſua parochia præcepto de paſchali communioni ſatisfecerunt, vel poſtea ſatisfacturi ſunt:* et alii ad caſus neceſſitatis, et intercedente parochorum conſenſu, vel ordinariorum abſentia, reſtringant; ut Pal. p. 4. tr. 21. diſp. un. pu. 19. de ſacram. Lacro. ad Buſemb. l. 6. p. 1. Lug. Filiuc. et Pignatell. tom. 4. conſ. 199. &c. et alteri, etiam Franciſcani, conſulant, ut hoc privilegium ad praxim non reducatur, Torreſill. 1. p. et Fel. Pot. de matrimon. cum Dian. ex adverſo non recte allegatus, qui ait: *Sed ego conſulerem, ut regulares talem ſententiam in praxim non deducant.*

XVIII. Et aliunde Pius IV. in bull. *In principiis*, omnia privilegia regularium ad terminos juris communis, et Trid. Concilii reduxit, quod ſeſſ. 24. de reform. decernit, quod à ſolo parocho licite ſacramenta ſuſcipiant: Portel. tom. 1. verb. *Sacrament. adminiſtr.* et ulterius in ipſomet compendio privilegiorum Mendicantium ſimilibus reſtrictionibus loquitur, ut videre eſt fol. 114. *in manuali minorum*, verb. *Confeſſ.* 149. et 150. in ſupplem. fol. 58. conceſſ. 160.

XIX. Et in compendio privilegiorum Jeſuitarum, quod quidem primi compendii tranſumptum eſt, verb. *Euchariſtia*, expreſſe dicitur: etiam dicto die reſurrectionis, ſed tunc non niſi accedente rectoris parochialis, aut diœceſani licentia: hinc, præter propriam obligationem, tenetur appellans privilegia, de quibus agit in hac diſtincta appellatione, in forma, et in termino conſueto exhibere, ad hoc, ut, illis inſpectis, juſte ac juridice eidem deferreretur.

XX. Et ita patebat juxta communem doctrinam, de qua Monacell. tom. 3. tt. 1. form. 4. et 44. n. 7. et form. 45. n. 6. ibi terminanter: *Sicuti nec eis ſuffragetur privilegium ſpeciale ſuppoſitum, ſed non productum; quia non tenetur ordinarius tali ſuppoſitioni, et aſſertioni, fidem adhibere; ut jam declaravit Summus Pontifex Innoc. X. in cauſa Angelopolitana 14. Maii 1648. ad 3. dubium, in quo proponebatur . . . an regularibus etiam Societatis Jeſu, aſſerentibus, ſe habere privilegia, quominus obediant epiſcopo in executionem decretorum juris communis Concilii Tridentini, et Conſtitutionum Apoſtolicarum, ordinarii debeant ipſis adhibere fidem abſque exhibitione hujuſmodi privilegiorum? reſpondit: Ordinarios non teneri hujuſmodi aſſertioni fidem adhibere abſque integrali privilegiorum exhibitione.* Et ſuper hoc videndam requirebat expreſſam c. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6.

XXI. Ergo ſuper duplici præmiſſa appellatione lata ſententia juxta ſubjunctam allegationem, atque iteratam promotoris petitionem, ſequentia eidem ſententiæ impedimenta procurator generalis objecit; quorum fundamenta conſequenter promotor nova ſubſequenti redargutione ſingulariter rejecit.

Allegatio conſequens promotoris ſuper impedimentis appellationis ſententiæ à generali procuratore objectis.

XXII. 1. Igitur fundamentum impedientis, ſcilicet, quod nemo tenetur oſtendere, vel exhibere titulum poſſeſſionis ſuæ, præſertim ſi in jure expreſſo fundetur; redarguebat promotor, quod cum jus, ab impediente pertenſum, fundaretur in privilegio, nedum à jure communi exorbitante, ſed adverſum ipſummet jus commune, tenebatur utique de jure illud exhibere, ex c. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6. et abſque exhibitione illius nequit ſuam intentionem probare; quia privilegium apoſtolicum non niſi per ſcripturam probari poteſt. Abb. in c. *Auditis*, n. 3. de reſt. ſpoliat. Alex. in l. *Cert. conditio*, § *Quoniam*, n. 5. ff. *Si cert. petitio.* Et ad probationem gratiæ ſunt neceſſariæ literæ, cum ſine iis gratia non probetur; Bald. in l. *Human.* in fin. cod. de legib. Felin. in c. *Cum te*, de reſcript. Rott. dec. 27. in nov. et dec. 645. p. 1. recent. et DD. omn. in rubr. de conſtitut.

XXIII. Quin refragaretur allegatio, quod dictum privilegium ſit *corpori juris concorporatum*; nullibi enim reperitur, neque in triplici juris can. volumine, neque in concilio aliquo generali, aut provinciali; et, dato, quod exiſteret, cum ordinariæ juriſdictioni adverſetur, non ſufficit illud allegare; ſed neceſſarium eſt illud exhibere, et quidem validum, atque ad præſcribendum ſufficiens, ex cit. c. *Cum perſonæ*, § *Nos volentes*, et § final. de privilegiis, in 6. ub. Monach. n. 1. *Et ſi privilegium*, Gemin. n. 2. et ſic in decreto 13. Decembr. 1615. de quo Burrat. dec. 140. aperte jubetur; et quod authentice, et in legali forma, exhibeatur, habetur in c. *Porro*, de privileg. ub. Abb. n. 1. ibi: *Privilegium oſtendi et inſpici oportere, ac proinde alleganti non eſſe credendum: ibi Decius, et reliqui omnes, qui variis in locis ſcripſerunt, privilegium non præſumi, ſed ab eo, qui allegat, probandum eſſe, ut proſequitur Fuſc. de viſit. l. 2. c. 18. n. 3. et c. 20. n. 6. Menoch. de præſumpt. l. 6. præſumpt. 14. n. 15. Maſcard. de probat. concluſ.* 1200. *n.* 36. *Tuſc. tom. 6. l. P. concluſ.* 762.

XXIV. Quod quidem pro foro externo ut certum, et infallibile, ex cit. cap. tenet Barb. Cabed. Tambur. Caſtr. Pal. et cum illis Nogueir. de bull. Cruciat. diſp. 6. ſeſſ. 1. n. 5. ibi: *Sine controverſia eſt, ſcripturam requiri pro foro externo, quia alia non invenitur ſolida privilegii probatio; nec enim alleganti privilegium creditur, niſi ſcriptura inſpiciatur.*

XXV. Et ratio eſt, quia privilegium eſt *quid facti*, et ideo neceſſario probari debet ex tenore ipſius, quin ſufficiat allegatio, aut præſumptio illius; ex tex. in l. *Quæcunque*, § 1. ff. de public. in rem act. l. *Si mancipium*, cod. de collat. cum aliis citat. ab Alph. collect. 719. Et merito illud ſic probari debere, notat gloſſ. in cap. *Cum ord.* 6. de reſcript. in fin. præ-

 ſertim

ſertim cum ſit tertio præjudiciale, et ordinariæ juriſdictioni oppoſitum, ejuſdemque reſtrictivum, ac depreſſivum; Felin. in cap. *Sicut dignum.*

Et regula ex adverſo laudata, quod *poſſeſſor non teneatur præſentare ſuæ poſſeſſionis titulum*, limitatur in materiar pæjudiciali juriſdictionis ſpiritualis, imo, et in quolibet poſſeſſorio, ut communis tenet ſententia, ſive poſſeſſorium ſit *adipiſcendæ*, ſive *retinendæ*, ſive *recuperandæ*, ut cum infinitis reſolvit Sperell. tom. 1. dec. 8. n. 22. et optime concludit Gratian. for. c. 238. n. 4. et 6. et 98. ibi: *Et de quocunque poſſeſſorio rei ſpiritualis agatur, ſemper probandus eſſet titulus ſaltem coloratus.*

XXVI. Et ex prædictis concludebat promotor, non poſſe impedienti deferri, abſque integrali, et authentica allegatorum privilegiorum exhibitione, ut, præter laudatos, cenſuerat Rot. ap. Mantic. dec. 206. n. 6. et perbelle Alciat. in c. 8. *Cum acceſſiſſent*, q. 1. n. 20. et 21. poſt Abb. et Alex. et ſic deciſum à Leone X. apud Monacelli, tom. 3. tt. 1. form. 44. n. 7. et Pignatell. tom. 5. et nuperrime à ſanctiſſimo patre Bened. XIII. actu in eccleſia Dei regnante, per bullam *In ſupremo*, confirmatoria alterius *Apoſtolici* Innoc. XIII. in appendic. novi Concilii Lateran. ſive Romani.

XXVII. Secundum impedientis fundamentum, quod, ſcilicet, ejus appellatio calumniam non contineret; ſed juri eſſe conformem, proindeque in utroque effectu receptibilem; redarguebat promotor, quod cum ſubjectus donatus male promotus reapſe, et cum effectu, incurriſſet ſuſpenſionem, et irregularitatem præcitatam, quibus pœnis effective ſe ſubjecerit ſtatim atque notificatus fuerat, *ad allegandum, quare*; et ſententia illarum incurſionis declarativa nil amplius aliud effecerat, nec novam aliam pœnam ei inflixerat; minime locum haberet appellatio interjecta, egregie Sperell. cit. tom. 1. dec. 48. n. 42. et multo minus, cum procedimentum foret in defenſionem, ob uſurpatam, atque turbatam ordinariam meam juriſdictionem, commun. DD. in c. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. Butr. et reliq. in cap. *Cum veniſſet*, n. 10. et ad ſummum poſſe recipi dicebat, quoad effectum devolutivum dumtaxat, ex DD. cit. ap. Peg. for. c. 15. n. 66. Fermoſin. in c. 43. *Novit*, q. 1. de appellat. n. 19. Gonſal. ad regul. 8. Cancel. gloſſ. 9. in annot. n. 220. et ſic judicatum refert annot. 1588. ubi etiam expreſſe aſſerit abſolute, quod *talis appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, ſed devolutivum tantum.*

XXVIII. Et noviſſime novum concilium Romanum, aut Lateran. tt. 21. c. 2. ibi: *In ſuis vero ſubditis ad ordinationes dimittendis, ſuperiores regulares decretorum fel. rec. Clementis* VIII. *ſervent ad unguem, ſub ipſis, in decreto eodem expreſſis, officii, et dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, et paſſivæ, privationis pœnis, aliiſque Summorum Pontificum arbitrio reſervatis. De cætero, nequem ſuperiorum excuſet illius ignorantia decreti, illud hic ad verbum ſubjungendum decernimus, et vulgandum, quæ etiam ab epiſcopis*, &c.

XXIX. Et decretum ibidem laudatum Clem. VIII. ſubjungebat denique per formalia tranſcriptum ex ipſomet concilio ibidem:

De mandato ſanctiſſ. D. N. Clem. divina providentia Pap. VIII. *tenore præſentium, mandatur omnibus et ſingulis quorumcunque regularium ſuperioribus, ut de cætero obſervent, et obſervari faciant, ea, quæ in decreto Sacr. Congregationis Concilii Trident. continentur; cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, ſuperiores regulares poſſe ſuo ſubdito, itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis, ordines ſuſcipere voluerit, literas demiſſorias concedere, ad epiſcopum tamen diœceſanum, nempe illius monaſterii, in cujus familia ab eis, ad quos pertinet, regularis poſitus fuerit; et ſi diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcunque alium epiſcopum; dum tamen ab eo epiſcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; et dum ipſi regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem demiſſoriarum in id tempus, quo epiſcopus diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes: verum, cum à ſuperioribus regularibus, epiſcopo diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, literæ demiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ diœceſani epiſcopi, vel ornationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, et paſſivæ privationem, ac alias, arbitrio ejuſdem ſanctiſſimi D. N. Papæ reſervatarum, pœnas incurrent. In quorum fidem*, &c. *Datum Romæ, die* 15. *menſis Martii* 1596.

XXX. Et denique certum eſt, quod opinio DD. nil ſuffragatur, ubi adeſt conſtitutio Papæ in contrarium, Sperell. dec. 105. Monacell. tom. 3. form. 12. tt. 1. n. 20.

ALLEGATIO XLIX.

Ejuſdem Promotoris eccleſiaſtici ſuper Reſponſione, ac Rationibus à præfato Provinciali Reformatorum oblatis in propriam Defenſionem, ac Notificationem, ex vi utriuſque Sententiæ Executionis, ſibi perſonaliter factam; et ad allegandum, quare, *&c. ſuper Uſurpatione, ac Turbatione ordinariæ Juriſdictionis; et ad exhibendum.*

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Monaſteria regularium ſunt plenarie exempta à juriſdictione ordinariorum.*
III. *Sed ſunt ſubdita quoad aliqua, et ſunt* loca de diœceſi, *quia intra ejus limites.*
IV. *Gl. in Clem. de for. compet. loquitur de prælatis habentibus territorium ſæculare, quaſi epiſcopale, exemptum.*
V. *Tranſcribitur c.* Abbates, *de privileg. in* 6.
VI. *Ratio fundamentalis, eo quod hæc monaſteria ſunt intra diœceſim.*
VII. *Ordinarii, in eccleſiis regularium aliquam pontificalem actionem peracturi, poſſunt eos compellere, ut ſibi balduchinum erigant, et reliquos honores, proprio diœceſano debitos, exhibeant.*
VIII. *Nequeunt etiam regulares in ſuis eccleſiis S. euchariſtiam pro viatico, nec extremam unctionem laicis hoſpitibus, etiam tertiariis, adminiſtrare.*
IX. *Neque etiam in eiſdem eccleſiis poſſunt S. euchariſtiam publice exponere abſque ordinariorum licentia, vel permiſſione.*
X. *Neque etiam in eiſdem concionem habere abſque eorundem licentia, vel benedictione.*
XI. *Neque niſi unicum cymbalum, aut campanam.*
XII. *Regularium juriſdictio eſt perſonalis, et non localis.*
XIII. *Tenentur in ſuis eccleſiis ſervare interdicta ordinarii; neque illa in ſolemnioribus feſtivitatibus ſuſpendere, aut interrumpere poſſunt.*
XIV. *Illorum etiam eccleſiæ ſubduntur ordinariis quoad indecentias, et celebrationem miſſarum horis competentibus.*
XV. *In eiſdem tenentur regulares canonicis cathedralibus diœceſanis præcedentiam cedere.*
XVI. *In eorum monaſteriis hoſpites et famuli degentes adſtringuntur legibus et præceptis diœceſanorum.*
XVII. *In reliquis caſibus eadem ſubjectio regularium, etiam quoad perſonas.*
XVIII. *Quoad ordines, ſubjecti quidem ſunt ratione domicilii.*
XIX. *Decretum Clem.* VIII. *omnes regulares indiſtincte afficit.*
XX. *Aliquorum opinio refutata.*
XXI. *Speciale privilegium Jeſuitarum eſt reliquis religionibus incommunicabile.*
XXII. *Ad conſuetudinem præſcriptivam, debet intercedere ſcientia, et patientia Pontificis.*
XXIII. *Falſa aliquorum interpretatio.*

XXIV. *Decretum Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 10. *loquitur de abbatibus habentibus juriſdictionem epiſcopalem, vel quaſi, cum territorio, et quoad locum.*

XXV. *Præcitata decreta S. Congreg. obligant in foro conſcientiæ.*

XXVI. XXVII. *Uſurpatio juriſdictionis ordinariæ, in hac re, eſt graviter culpabilis.*

XXVIII. *Diana, licet referat opiniones aliquorum ſcribentium pro licitudine regularium, in adminiſtranda S. euchariſtia laicis tempore paſchali, contrariam tamen conſulit ſequendam.*

XXIX. *Privilegia ſpeciali nota digna non communicantur per ſolam generalem comunicationem.*

XXX. *Neque in jure communi exorbitant, et involvunt præjudicium aliorum.*

XXXI. *Caſtr. Pal. et alii DD. loquuntur de adminiſtratione euchariſtiæ extra Paſcha.*

XXXII. *Et in Paſchate, accedente conſenſu rectoris eccleſiæ parochialis, et in caſu neceſſitatis.*

XXXIII. *Certa eſt, quoad hoc, privilegiorum revocatio regularibus.*

XXXIV. *Declaratio S. Congregation. in cauſa Angelopolitana.*

XXXV. *Nequeunt regulares ad praxim trahere opinionem damnatam ab Innoc.* XII. *in bulla* Cum ſicut.

XXXVI. *Inſtantia ultima promotoris pro declaratione in cenſuras juris; et finalis deciſio.*

I. REJECTIS impedimentis, de quibus præcedenti allegat. et notificato provinciali prædicto, tum ad exhibitionem privilegiorum ab eodem allegatorum, tum *ad allegandum, quare*, &c. ſuper turbatione, et uſurpatione multiplici, de qua et in regio reſcripto, et infra, diſtincte agitur, multa allegavit pro propria, atque monaſteriorum ſuorum, omniumque illorum incolarum, imo et ſubjecti donati, quam pertendebat, exemptione; necnon pro objectarum uſurpationum inculpabili innocentia: quæ omnia promotor idem ſequenti redarguit allegatione.

II. Dicebat igitur promotor, fruſtra laborare allegantem in exemptione ſubjecti donati, ratione domicilii, comprobanda, aſſerendo, regularium monaſteria eſſe *veluti inſulas* à diœceſi ſegregatas, atque exemptas, et in confirmationem adducendo gl. in Clem. un. de for. comp. ſed minus recte, atque inutiliter; nam in *mari magno* illius gloſſæ tales *inſulæ* minime reperiebantur, aut detegebantur. Imo in eadem, verb. *Aut earum*, contrarium præ oculis objiciebatur, et cunctis obiter obveniebat, quatenus ibidem, agens de juriſdictione, quam exercere poſſunt epiſcopi in locis non ſubditis, et alienis, eandem poteſtatem, à fortiori ratione, extendit ad loca exempta propriæ diœceſis; ibi: *Nam ſi hæc conſtitutio dat ſibi licentiam ſedendi in loco non ſubdito diœceſis alterius, fortius in non ſubdito ſuæ diœceſis, qui etiam, quoad aliqua, ſubditus eſt, ut in prædict. decret. ſecund. in fin. de privileg. et tunc per hanc literam ſedere non poterit in alia diœceſi.*

III. Ubi aperte oſtendit, loca exempta, ut monaſteria regularium, licet non ſint ſubdita *ſimpliciter* ordinariis diœceſanis, eſſe tamen ſubdita quoad aliqua, et eſſe loca *de diœceſi*, ſeu intra diœceſis limites conſiſtentia, Pignatell. Barb. et alii infra citati; quod ulterius confirmabat ex Clem. 2. de privileg. ibi: *Archiepiſcopo, per quævis loca exempta ſuæ provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, ut crucem ante ſe libere portare faciat, benedicat populo, divina officia privatim, vel publice, ibidem audiat, et etiam in pontificalibus celebret, et faciat in ſua præſentia ſine pontificalibus celebrari (quovis privilegio contrario non obſtante) ſacro approbante concilio, præſentis conſtitutionis ſerie duximus concedendum.*

IV. Et quamvis in præcit. gl. de for. compet. verb. *Habentibus*, tradatur, *Habent quandoque inferiores in loca, vel in perſonas, juriſdictionem epiſcopalem, vel quaſi*; loquitur ibidem de abbatibus, et prælatis ſæcularibus, necnon de regularibus illis, qui habent territorium ſæculare, quaſi epiſcopale, exemptum, ut abbates generales Ciſtertienſes Alcobatiæ, et priores generales canonicorum regularium congregationis S. Crucis Collimbrienſis, et aliqui ejuſdem congregationis priores locales, ut Grijoenſis in diœceſi Portucalenſi, Reflorienſis in Bracharenſi, S. Vincentii in Ulixbonenſi Orientali in regno Portugalliæ; et alii ejuſdem religionis canonicæ prælati in Gallia, et alibi.

V. Et hac de cauſa laudata gl. in d. Clem. de for. compet. cit. ibidem, cap. *Abbates*, de privileg. in 6. ubi ſic decernitur: *Abbates, quos Apoſtolica Sedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali privilegio inſignivit, in eccleſiis, quæ ad eos pertinent pleno jure, quando in eis divina officia celebrant, paſſim poſt miſſarum ſolemnia, et veſpertinas, ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum elargiri: alibi aut publice, aut per vias, civitates, caſtra, et villas, populis et plebibus benedictionem facere, vel impertiri non valeant; niſi hoc eis expreſſo apoſtolico privilegio ſit conceſſum: nec eis licitum ſit aliis, quam monaſteriorum ſuorum converſis, et qui ad illa convolaverint, et in quos eccleſiaſticam, et quaſi epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonſuram; niſi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis indulto.*

VI. Rationem fundamentalem præmiſſorum eam eſſe dicebat, quod regularium monaſteria exempta, *quamvis non ſunt diœceſis, ſunt tamen in diœceſi, et intra diœceſim*, Pignatell. tom. 4. conſ. 106. n. 4. et adhuc ſunt *de diœceſi*, juxta gl. cit. de for. compet. ac proinde non ſunt totaliter, ac plene exempta, ſed in multis juriſdictioni diœceſanorum epiſcoporum ſubjecta, ut bene notat Pignatell. tom. 3. conſ. 33. ibi: *Regularium monaſteria, et eccleſiæ, non ſunt plene exempta.*

VII. Quare, præter functiones prædictas, poſſunt cogere regulares exemptos, ut in ſuis eccleſiis, ſibi cum cappa adſtanti, aut aliquam pontificalem actionem peragenti, baldachinum erigant, et reliqua obſequia, atque honores, proprio diœceſano debita, exhibeant, Pignatell. tom. 7. conſ. 44. Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 105. per tot.

VIII. Et ex eadem ratione addebat, non poſſe regulares, 1. In ſuis eccleſiis, atque monaſteriis, ſacram euchariſtiam, pro viatico, vel extremam unctionem, laicis hoſpitalibus, etiam tertiariis, inibi infirmantibus, ac moribundis; ſed hæc proprio parocho, in cujus paroeciæ limitibus ſita fuerint monaſteria, ſeu eccleſiæ illæ, reſervabantur, Lavor. tt. 2. c. 11. n. 154. ex variis S. Congreg. declarationibus, Antonell. de judic. l. 1. c. 12. n. 22.

IX. 2. In ſuis eccleſiis ſanctiſſimam euchariſtiam non poſſe publice exponere, abſque ordinariorum licentia, Monacell. tom. 1. tt. 6. form. 20. n. 1. ubi ſæpiſſime refert deciſum, ſignanter 25. Octobr. 1602. et 27. Maii 1603. et 18. Maii 1698. Pignatell. tom. 5. conſ. 51. Ventrigl. p. 1. annot. 8. quam reſolutionem abſolute quamplures DD. regulares amplectuntur, ut Lantuſch. verb. *Euchariſtia*, Nicol. in floſcul. n. 23.

X. Neque etiam poſſe in propriis eccleſiis concionem ad populum habere, *abſque licentia, vel ſaltem benedictione epiſcopi*, ex certis Concilii Trid. decretis tenet Pignatell. tom. 3. conſ. 33. Barboſ. alleg. cit. et Ventrigl. d. annot. 48. p. 1.

XI. Non poſſe, 3. Abſque ordinariorum licentia in eiſdem eccleſiis niſi unicum cymbalum, aut campanam retinere, extravag. *Quia cunctos*, de offic. cuſtod. Themud. dec. 62. Barb. de ep. alleg. 50. n. 55. p. 3. neque proprias eccleſias eccleſiaſtico interdicto ſubjacere, Monacell. cit. loc. Deluc. de juriſdict. diſc. 99.

XII. *Quia regularium juriſdictio eſt perſonalis, non autem localis*; S. Congregat. 21. Jun. 1697.

XIII. Et ordinariorum interdicta in ſuis eccleſiis tenentur regulares perfecte, et abſolute obſervare, quin illud in feſtivitatibus, aut ſolemnitatibus ordinis etiam principalioribus, ſuſpendere, aut interrumpere valeant, Pignatell. tom. 8. conſ. 53. Ventrigl. d. annot. 48. Cardin. Petra, tom. 1. pag. mihi, 463. in conſt.

XIV. Et inſuper eiſdem ordinariis eædem regularium ſubjiciuntur eccleſiæ quoad miſſarum celebrationem horis convenientibus, et quoad indecentias tum in

in eccleſiis ipſis, tum in ſacrificio euchariſtico, evitandas, Monacell. tom. 1. tt. 6. form. 20. n. 23. et tom. 3.

XV. In quibus præterea eccleſiis tenentur regulares canonicis cathedralibus diœceſanis præcedentiam cedere; et, ſi ſecus fecerint, ordinariorum competentibus procedimentis ſubjiciuntur; Pignatell. tom. 3. conſ. 18.

XVI. Deinde leges, et præcepta diœceſanorum prælatorum, et ſynodalium conſtitutionum, laicos omnes, nedum hoſpites, verum et famulos regularium in eorum monaſteriis degentes, adſtringere oſtendebat quoad reſervationes, jejunia, feſtiva præcepta, et alia, ex Trident. ſeſſ. 25. de regularib. c. 12. Monacell. cit. tom. 1. n. 8. Ventrigl. 1. p. annot. 48. ex quibus omnibus concludebat, *monaſteria regularium non eſſe omnino exempta à juriſdictione epiſcoporum, ſed in pluribus illi ſubjecta, ac ſubdita.*

XVII. Quam etiam ſubjectionem in infinitis caſibus ipſaſmet regularium exemptorum perſonas perſtringere, demonſtrabat, ex Barboſ. de poteſt. epiſc. alleg. 105. per tot. ex Pignatell. tom. 8. conſ. 43. n. 99. ex Ventrigl. d. annot. 48. per tot. ex Monacell. cit. tom. 1. et tom. 3. tt. 3. form. 4. et ex aliis ab eiſdem laudatis. Et hinc facile convincebat, neque monaſteria præfata eſſe veluti *inſulas in medio maris immunes*, cum neque in ipſo *mari magno* privilegiorum Mendicantium, et cæterorum regularium, talium inſularum immunitas appareret; neque perſonæ ipſorum regularium talium monaſteriorum incolarum, ab ampliſſimo ordinariorum juriſdictionis ambitu plene immunes, atque intactæ evadebant.

XVIII. Proſequebatur ulterius, certum omnino eſſe, quoad ordines, ſubditos omnino epiſcopi diœceſani regulares omnes evadere ratione domicilii; eo quod illorum monaſteria intra diœceſim retinent, ut aperte fatetur Paſſerinus, D. regularis, de offic. jud. delegat. in 6. et Cardin. Petr. tom. 1. in conſt. 1. Urb. II. ſeſſ. 2. n. 8. ibi: *Regulares fiunt ſubditi epiſcopo diœceſano ratione domicilii; quia degunt in monaſterio intus diœceſim. Regulares enim dicuntur illius loci, in quo monaſterium adeſt*, c. Rogation. *de conſecr. d.* 3. *c.* 3. § Religioſ. *de temp. ordin. in* 6. *Paſſerin. &c. Cum enim quis poſſit ordinari ab epiſcopo originis, vel beneficii, vel domicilii, et regulares originem amittant per profeſſionem, qua moriuntur ſæculo, et ſint incapaces beneficii, merito tantum fuit ſubditi epiſcopo domicilii.*

XIX. Quæ fortius urgere dicebat in ſubjecto donato laico, qui nedum regularis, etiam novitius, ſed mere ſæcularis, regulari licet tunica prætextatus, de quo recolenda jam tradita.

XX. Et hinc etiam refutabat interpretationem Sanches, et aliorum DD. regularium autumantium, decretum Clem. VIII. omnes regulares tam Mendicantes, quam non Mendicantes, indiſcriminatim comprehendens, debere intelligi de regularibus non exemptis, ſed ſubditis præſulibus diœceſanis; quam interpretationem etiam Claudio Lacroix, in Buſemb. allegans appropriare injuſte conabatur: nam quamvis Lacro. cit. l. 6. p. 2. n. 2236. referat interpretationem Sanch. et aliorum, eam non amplectitur, ſed opinionem averſæ, dicens: *Averſa ſupra recte concludit, ſtandum decretis illis eſſe, niſi conſtet de privilegio, vel contraria conſuetudine, quæ præſcripſerit.*

XXI. Et, Jeſuitis exceptis, qui ſpecialiſſimum in hac re privilegium habent, et cæteris religionibus incommunicabile, ut ait Monacell. tom. 2. tt. 13. form. 4. nulla alia religio poſt præmiſſum Clementinum decretum conſimili gaudet privilegio, neque conſuetudinem, aut uſum ab eadem S. Congregatione die 20. Jul. 1675. abuſus ſit declaratus, Card. Petr. cit. tom. 1. in d. conſtit. 1. Anaſt. f. 2.

XXII. Et, ut daretur conſuetudo, quæ præſcribere poſſet, deberet intercedere *ſcientia, et patientia Pontificis*, non eſt vulgare apud DD. videndos c. 22. et alibi apud nos. Hæc autem patientia adhuc non interceſſit, imo contradictio, et ordinatio in contrarium.

XXIII. Falſitatem autem illius interpretationis Sancii, Gobati, et aliorum apud Lacro. cit. efficaciter refutabat ex evidenti notorietate, quod hodie omnes regulares, ſaltem per privilegiorum communicationem, exempti ſunt à juriſdictione epiſcoporum; et quod certe tales ſint Carthuſiani, Benedictini, et reliqui Mendicantes, et non Mendicantes Hiſpaniæ, qui quidem à Sacr. Congregat. ſæpe ſæpius declarati ſunt comprehenſi in præjacto decreto ſub Clem. VIII. etiam nuperrime in declarationibus de annis 1697. apud Petr. cit. et noviſſime à novo Concilio Romano, ſeu Lateranenſi, tt. 21. de regularib. declaratur, præfatum decretum omnes regulares abſolute comprehendere, et ab omnibus *ad unguem obſervandum.*

XXIV. Interpretationem allegantis aſſerentis, *decretum S. Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 10. *non comprehendere abbates exemptos, habentes juriſdictionem quaſi epiſcopalem*; etiam refutabat, demonſtrans, concilium ibidem loqui de juriſdictione *epiſcopali*, vel *quaſi*, quam habent abbates, et alii prælati, de quibus ſupr. n. 4. *quoad locum, cum territorio ſæculari*; et non de juriſdictione quaſi epiſcopali, quam retinent prælati regulares, ſimpliciter, *ut regulares*, quoad perſonas dumtaxat, et non quoad locum, ſive territorium, Pignatell. ſupra cit. tom. 3. et 7. Deluc. de juriſd. diſc. 99. ex declarationibus S. Congregationis ibidem: et tandem ratificabat, ac recolebat, quæ ſuperiori duplici allegatione, quoad hoc punctum, expoſita fuerant, et præſertim declarationem S. Congreg. 14. Martii 1620. apud Petr. cit. tom. 4. in conſt. 7. Greg. XI. n. 6. p. mihi, 310.

XXV. Et concludebat, præcitata Sac. Congregationis generalia decreta, etiam in foro conſcientiæ obligare, Fagn. in c. *Siquis*, de regular. Monacell. tom. 2. in append. diſc. 14. et allegantem ordinariam juriſdictionem in demiſſoriarum illarum expeditione uſurpâſſe.

XXVI. Quam quidem uſurpationem in hac re, et graviter culpabilem adeſſe, docet Pignatell. tom. 3. conſ. 11. 44. et Themud. dec. 62. n. 27. et 32. et ſat aperte conſtat ex c. *Cum et plantare*, § *Quod autem*, de privileg. c. *Dilectus*, de pœnis, et aliis eodem tt. et ex can. *Pervenit*, 16. q. 1.

XXVII. Quoad aliam uſurpationem ab allegante patratam, in diſtributione S. euchariſtiæ parochianis parœciæ D. Annæ de Parra provinciæ Bardeſianæ pro paſchalis præcepti adimpletionis expeditione abſque permiſſione, aut conſenſu, imo cum repugnantia proprii parochi, qui propterea parochianos eoſdem in excommunicationis cenſuram à lege latam declaravit incurſos; imprimis oſtendebat promotor, allegantem etiam incurriſſe ſimilem cenſuram fulminatam in Clem. 1. de privileg. Monacell. tom. 3. tt. 3. tt. 1. form. 42. Ventrigl. p. 1. annot. 48.

XXVIII. Quin eum relevare poſſet quod ex Dian. allegabat, tr. 14. de celebrat. miſſarum, reſol. 73. Nam, quamvis ibid. opinionem aliquorum DD. regularium referat, eam non ſequitur; imo concludit: *Sed ego conſulerem, ut regulares in tali caſu faveant parochis, et talem ſententiam in praxim non reducant.*

XXIX. Neque etiam privilegium laudatum Nicol. V. ibidem, relevabat allegantem; cum conſtaret, prædictum privilegium ſpeciale quidem fuiſſe ad unicum monaſterium, vel, ad ſummum, ad unicum ordinem directum; quod equidem non ſufficit ad hoc, ut reliquis religionibus communicetur, neque ut cæteræ illius participes efficiantur, etiamſi participationis privilegio gaudeant; cum privilegium illud ſit *ſpeciali nota dignum, et tertio præjudiciale.*

XXX. Certum autem in jure eſſe dicebat, quod *regulares per communicationis viam nequeunt uti illis privilegiis, quæ ſunt ſpeciali nota digna*, Cardin. Petr. tom. 2. in conſt. Anaſt. IV. ſeſſ. 3. n. 11. et multo minus in privilegiis illis, *quæ ſunt contra jus commune, et involvunt præjudicium aliorum, et à jure communi exorbitant*, Monacell. tom. 3. tt. 1. form. 43. n. 6. et tom. 2. tt. 13. form. 4. n. 33. Pignatell. 104. conſ. 199. Petr. tom. 1. in conſt. Urb. II. ſeſſ. 2. n. 21.

XXXI. Et tandem Caſtr. Pal. et Laym. (DD. regulares) in puncto reſtricte loquuntur extra caſum præcepti Paſchatis adimpletionis, Laym. l. 5. tr. 4. c. 7. n. 4. ibi: *Regulares Mendicantes ex privilegio Nicolai V. Franciſcanis conceſſo, toto paſchali tempore, excepto Dominico die Reſurrectionis S. euchariſtiam miniſtrare poſſunt; iis nimirum, qui antea in ſua paro-*

chia

chia præcepto de paſchali communione ſatisfecerunt, vel poſtea ſatisfacturi ſunt.

XXXII. Eadem reſtrictione, addita etiam *neceſſitatis caſus*, loquuntur Caſtr. Pal. p. 4. tr. 21. d. un. pu. 19. de ſacram. Buſemb. et cum eo Lacr. p. 1. tt. 6. Lug. Filiuc. et alii DD. regulares etiam Mendicantes, et Franciſcani, ut Torreſill. p. 1. Fel. Pot. de ſacram. matrim. Corell. tom. 3. tr. 9. conſer. 5. Averſ. Dicaſtrill. Sporer, et alii. Imo ipſummet *compendium* privilegiorum Mendicantium, pag. 114. et in ſupplem. p. 58. et *compend.* privilegior. Jeſuitarum, verb. *Euchariſtia*, eaſdem apponunt reſtrictiones; et expreſſe addunt, *Et etiam dicto die Reſurrectionis; ſed tunc, non niſi accedente rectoris parochialis, aut diœceſani licentia.* Quare Pignatell. loquens de ſimili privilegio à S. Pio V. adinſtar alterius à Paulo III. et Xyſto IV. conceſſo, ſic ait tom. 4. conſ. 199. *Extra hos vero caſus neceſſitatis, nequeunt regulares hujuſmodi ſacramenta miniſtrare.*

XXXIII. Et in hoc ſenſu accipiendum erat, quod referebatur ab allegante in Portugallia judicatum, ſi verum erat, relatum; nam in contrarium ſtabat certa revocatio, et reductio privilegiorum regularium ad terminos Concilii Trid. per bull. *In principiis*, Pii IV. et per bull. *In tanta*, Gregor. XIII. et expreſſum ejuſdem Concilii adducebatur decretum, ſeſſ. 24. c. 3. de reform. quod, *A ſolo parocho licite ſacramenta ſuſcipiant*, Pignatell. tom. 1. conſ. 306. Antonel. c. 12. de privileg. Deluc. de juriſd. diſc. 99. Cardin. Petr. cit. tom. 2. in conſtit. d.

XXXIV. Et, quoad allegata privilegia, adducebat etiam declarationem Innoc. X. 14. Maii 1648. in cauſ. Angelopolit. ap. Monacell. p. 2. tt. 1. form. 4. et 44. et apud Fagn. tom. 1. in c. *Ex parte*, de offic. delegat. n. 56. et 59. et Tondut. de prævem. p. 3. c. 3. ibi; dub. 3. *An regularibus, etiam Societatis Jeſu, aſſerentibus, ſe habere privilegia, quominus obediant epiſcopo in executionem decretorum juris communis, Concilii Trid. et Conſtitutionum Apoſtolicarum, ordinarii debeant ipſis adhibere fidem abſque exhibitione hujuſmodi privilegiorum? reſpondit, Ordinarios non teneri hujuſmodi aſſertioni fidem adhibere abſque integrali privilegiorum exhibitione: et iterum regulares teneri hujuſmodi privilegia epiſcopo exhibere, ſi eis uti voluerint. Vid. Fagn. ibidem.*

XXXV. Et addebat, quod quamvis R. allegans politice, ac juridice, notificatus bis, aut ter, ad exhibenda privilegia, ſuæ religioni, poſt bullam *Cum ſicut*, Innoc. XII. conceſſa, ſi quæ haberet, vi quorum ejus religioſi, qui in hac diœceſi nunquam approbati fuerint, in eadem, virtute bullæ Cruciatæ, excipere poſſent ſacramentales confeſſiones, et inſuper ad exhibendas licentias coram me, etiam prædeceſſorum meorum, quas ejuſdem ſubditi, vel religio haberet, etiam notificatus, nedum eas eatenus minime exhibuerat, quinimo nec verbum quidem ſuper hoc puncto allegabat, aut reſpondebat, reſpondens fuſiſſime quoad alia: et unice apponebat, quod ipſe *executor quidem erat bullarum Pontificiarum, ac decretorum canonicorum, cum omni juriſdictione ordinaria, ac neceſſaria*, &c. clare convincebatur, tum quod prædictis privilegiis, ac licentiis, carere præſumeretur, tum quod ordinariam juriſdictionem jam pro confeſſariis religionis ſuæ laicis deſignandis, jam pro juris canonici, et Pontificiorum decretorum executione, ſibimet arrogare affectaret; cui quidem juriſdictioni privative præmiſſa ſpectant, ex bull. Pii IV. Concil. Trid. confirmatoria, et ex c. *Nulli fas*, 25. q. 1. Raynald. pr. crim. tom. 4. ſuppl. 5. ad c. 5. n. 428. Barb. de pot. ep. Antonell. de regim. et alii plures. Quod quidem confirmabatur ex eo, quod allegans nullum eatenus ſubditum ſuum pro confeſſionibus audiendis mihi expoſuerat, cum plurimos pro verbo Dei diſſeminando præſentaſſet, et ex relatione aliquorum ejuſdem religionis alumnorum, qui actualem praxim illius opinionis in præcit. bull. *Cum ſicut*, Innoc. XII. inter ipſos proſequi atteſtabantur.

XXXVI. Ex his, et præmiſſis, requirebat denique promotor, ut, meliori juris via, adverſus allegantem procederetur ad declaratoriam competentium cenſurarum à jure inflictarum, videlicet in Clem. 1. de privileg. in bull. Cœn. can. 6. in cit. c. *Cum et plantare*, § ultim. de privileg. et in c. *Pervenit*, 16. q. 1. in Concilio Chalcedon. de qua Pignatell. d. conſ. 44. n. 16. tom. 7. niſi forte, attenta benignitate, et clementia, quam allegans expreſſe implorabat, et inconſideratione, atque inadvertentia, qua citra malitiam, aut pravam intentionem, in his proceſſerat, ut palam proteſtabatur, indulgentius, *ex ſpeciali gratia*, poſt latam ſententiam, declaratoriæ publicatio ſuſpenderetur, et interim ejus confeſſario facultas committeretur, ut ille à præfatis cenſuris privatim abſolveretur; qua tamen gratia perfrui non deberet, ſi ſententiæ promulgatæ ſubjici reluctaret. Quod quidem, juxta promotoris juſtam inſinuationem, reapſe effectum eſt.

ALLEGATIO L.

Ejuſdem Promotoris in Supplicatione cujuſdam Miniſtri regii ad Conſervatorem Ordinum Militarium, utpote Militiæ Chriſti Equitis, recurrentis à Notificatione, Auctoritate ordinaria ſibi facta ad allegandum, quare, *&c. in notoria Incurſione Cenſurarum Juris, propter manifeſtam Offenſionem Immunitatis eccleſiaſticæ, violentamque Turbationem, ac Uſurpationem Juriſdictionis ordinariæ, de quibus ſupr. alleg.* IV. *et ſeqq.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*

II. *Fruſtra auxilium eccleſiæ invocant, qui in eam committunt.*

III. *Ad fundandum judicium conſervatorium, non ſufficit violentia ſimplex; ſed præcquiritur omnino qualificata, nempe notoria.*

IV. *Idem declaratur in definitionibus ordinis Militiæ Chriſti.*

V. *Conſervator cognoſcens de injuria ſimplici, limites ſuæ juriſdictionis excedit, et incurrit ſuſpenſionem ab officio, et ſubjicitur punitioni ordinarii.*

VI. *Ordinarius, habens pro ſe opinionem probabilem, nullam violentiam committit, neque dat locum recurſui.*

VII. *Recurrens fundabatur in materia ad ſummum pure opinativa.*

VIII. *Equites militares, Hieroſolymitanis exceptis, veri religioſi non ſunt, nec ſtricte perſonæ eccleſiaſticæ.*

IX. X. *Adducitur communis doctrina, et multiplex deciſio.*

XI. *Nec veri religioſi ex defectu votorum ſubſtantialium, nec ſtrictæ perſonæ eccleſiaſticæ, ex defectu ordinum dicuntur.*

XII. *Pereſius, doctor Luſitanus, fatetur in communi uſu laicos reputari, licet in probabili opinione veri religioſi ſint.*

XIII. *Qui eos veros religioſos in eodem dicunt, loquuntur de iis, qui regulariter, et collegialiter vivunt, ut fratres Palmelenſes, et Aviſienſes, et alii.*

XIV. *Exemptio equitum Florentinorum S. Stephani eſt valde dubia, et controverſa.*

XV. *Præfati equites inſtituti ſunt in ſtatu ſæculari, et in eo poterat à Summo Pontifice exemptio eiſdem concedi.*

XVI. *Equites Hieroſolymitani, licet veri religioſi, ſi extra clauſtra degunt, poſſunt viſitari, et puniri, ab ordinario, tanquam delegato.*

XVII. *Et comprehenduntur in decretis Trident.*

XVIII. *Quod, à fortiori, etiam dicendum de reliquis, quibus communicata ſunt privilegia Hieroſolymitanorum.*

XIX. *In hac materia exemptionis, ſtandum eſt conſuetudini.*

XX. *Exemptio equitum militarium in præſenti ſtatu intelligenda tantum eſt privative quoad juriſdictionem laicam.*
XXI. *Etiamſi recurrens foret religioſus exemptus, ſubdebatur de facto ordinario ex turbatione, uſurpatione, et offenſa juriſdictionis illius.*
XXII. *Sententia conſervatoris.*
XXIII. *Regium reſcriptum ſuper principali cauſa.*

I. CUM regius miniſter, de quo allegat. 4, 5, et 6. citatus fuiſſet *ad allegandum, quare*, ob ſacrilegia, ac violentias immunitatis eccleſiaſticæ læſivas, atque ipſius eccleſiæ ſanctitatis offenſivas, necnon ordinariæ juriſdictionis turbativas, et uſurpativas, de quibus prædictis allegationibus actum eſt; et aliunde cum ordinis Militiæ Chriſti eques ſimul incederet, quemadmodum ad tribunal regium, ut regius miniſter, ab ea citatione, vel notificatione, recurſum intentârat; pariformiter ut eques militaris ad judicem conſervatorem militarium ordinum, ab eadem, quaſi notorie violenta, recurrit; cujus quidem allegationis cum copia exhiberetur juſtitiæ meæ promotori eam exquirenti, ſequentem allegationem pro hac, adverſus actoris rationes, ac querelam, de violentia manifeſta, ac notoria, contra propriam, quam fabulabatur, exemptionem, affirmatas, objecit duplici fini intento, ea, quæ ſequitur, formalitate, plene planeque faciens ſatis.

II. Dicebat igitur promotor, fruſtra recurrentem actorem ab eccleſiaſtico judicio militarium ordinum conſervatorio, pro reputato æſtimato gravamine tollendo, providentiam intentare, atque ſupplicare; tum quia *fruſtra auxilium eccleſiæ invocant, qui in eam committunt*; c. *Ubi*, de immunit. c. *Bonæ*, de elect. l. *Auxilium*, § *In delict.* ff. *de minoribus*, Ricc. in pr. dec. 291. n. 2. Barb. axiom. 139. n. 21. tum etiam ſpecialius, quia in contrario procedimento adverſus eum, et complices, ob violentias, atque indecentias ſacrilegas, juris cenſuris notorie obnoxias (quæ in narratione facti ſupponebantur, et referuntur d. alleg. 403. et etiam in adjuncta citatoria *ad allegandum* enarrabantur) ne umbra quidem injuriæ, aut violentiæ ſimplicis, et multo minus qualificatæ, manifeſtæ videlicet, ac notoriæ, adinveniebatur; quinimo multiplices violentias, et injurias ſacrilegas, notorie penes actorem, et ipſius multipliciter ſacrilæſivam executionem, penes ſeſe habere, quibus juſtum, ac neceſſarium procedimentum, à quo recurrebat, provocaverat. Pro quo—

III. Præmittebat, certum in jure eſſe, 1. Ad fundandum judicium conſervatorium apoſtolicum, non ſufficere violentiam, aut injuriam ſimplicem, ſed omnino prærequiri qualificatam, puta *notariam*, ac *manifeſtam*, Monacell. 3. p. tt. 1. form. 52. n. 25. Ricc. dec. 258. n. 9. et ſeqq. Donat. in pr. regul. tom. 1. p. 2. tr. 17. de *conſervatorib.* q. 8. n. 24. Per. de man. reg. c. 7. n. 2. ibi: *Circa conſervatores eccleſiaſticos monaſteriorum, religionum, et militarium, quibus ſolum cognoſcendi facultas data eſt, de violentiis notoriis, et manifeſtis, ut c. 1. et fin. de offic. delegat. in 6. Trid. ſeſſ. 7. c. 14. et l. 14. c. 5.*

IV. Idem declaratur in ipſiſmet ordinis Militiæ Chriſti definitionibus, p. 3. tt. 2. in princ. ibi: *Per ſpecialem bullam Sedis Apoſt. ordini noſtro, et reliquis hujus regni, conceſſum eſt, ut magiſter nominare poſſet unum conſervatorem, qui cognoſcat de oppreſſionibus, et injuriis, ac violentiis notoriis, ordini factis*, &c.

V. Et ſi conſervator de injuria ſimplici, et non manifeſta, vel de dubia cognoſcat, limites juriſdictionis ſuæ tranſgreditur, et ob id incurrit ſuſpenſionem ab officio, et procedimentis convenientibus judicis ordinarii eccleſiaſtici, imo et principis ſæcularis, ſubjicitur, Per. loc. cit. Monacell. ubi ſupr. ex n. 17. uſque 27. qui rationem exponit n. 26. ibi: *Cum enim conſervatoriæ ſint odioſæ, et reſtringendæ, injuria, de qua loquitur tex. in d. c. fin. non ſumitur large, hoc eſt, pro omni eo, quod in jure fit, et damnum cauſat regularibus, ſed ſtricte, proprie, et ſpecifice, pro injuriis, quæ fiunt violentia, aut contumelia, ſcilicet per vim aliquid auferendo, oppreſſione expellendo*, &c.

VI. Certum eſſe, 2. Quod quoties judex eccleſiaſticus habet pro ſe opinionem probabilem, in qua ſuam intentionem, ac procedimentum fundet, neque injuriam, neque violentiam, ſaltem notoriam, committit, neque anſam recurſui ad tribunalia ſæcularia præbet, ut communis docet ſententia DD. cum Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 15. ann. 34. et q. 16. n. 40. Guerr. de recuſ. lib. 1. c. 19. n. 19. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gl. 15. Gabr. commun. l. 5. cl. 2. Seſſ. in ep. n. 89. et dec. 114. Per. de man. reg. c. 4. n. 7. Gutierr. Cenad. et aliis pluribus, ap. Salg. de reg. prot. p. 1. c. 2. § 4. n. 20. Themud. dec. 161. n. 3. Illa namque probabilitas facit, ut judex eccleſiaſticus valide et licite procedat, et cum juriſdictione practice certa, curſ. moral. Salmantic. tom. 4. tr. 15. c. 16. pu. 6. n. 65. Sanch. in ſumm. l. 6. c. 3. Ovied. Martin. Prad. et alii, cum quibus Cardin. in prop. 1. Innoc. XI. diſp. 2. c. 6. et etiam quoties judex valide, licet illicite, aut injuſte, procedit, certum itidem eſſe, dicebat, non violentiam, ſaltem notoriam, ac manifeſtam, ſed injuſtitiam dumtaxat committere, Oliv. cit. q. 16. ann. 2. cum reliquis DD. ſuperius laudatis, et Menoch. recuper. c. 8. tom. 8. Abb. in c. *Conquer.* de reſt. ſpoliat. et in c. *Præſentiar.* 7. q. 1.

VII. Ex his duabus certis præmiſſis, certiſſimam conſequentem deducebat concluſionem; videlicet, quod cum omnia ab actore in favorem propriæ pertenſæ exemptionis accumulata, materia pure opinativa equidem forent; ſtante ex adverſo opinione ſaltem probabili, per legitimam, et rigoroſam conſequentiam certo certius ſequebatur, et convincebatur, in accuſato proceſſu minime violentiam, ſaltem notoriam, interceſſiſſe, proindeque neque fundamentum recurſui ad judicium conſervatorium adeſſe. Quod et præterea multiplici fundamento demonſtrabat.

VIII. Et, 1. Quia communiſſima, probabilior, et vera opinio eſt, quod, equitibus Hieroſolymitanis exceptis, reliqui militares equites *non ſint veri religioſi*, nec ſtricte perſonæ eccleſiaſticæ (*de equitibus ſæcularibus loquor, demptis pronunc clericis, qui in communi et regulariter vivunt, in conventu Tomarenſi in villa Nabantia prope Leyriam*). Hanc reſolutionem tenent cum infinitis Card. Petr. infr. cit. et Cardin. Deluc. de jur. diſc. 92. qui contrarium opinantes redarguit, ſic concludens, *Nihilominus ex communi ſenſu antiquorum canoniſtarum, ac etiam moralium, excepta Militia S. Joannis Hieroſolymitani, quam indubitatum eſt eſſe veram religionem, omnino verior, magiſque recepta eſt opinio, quam tenet Rota, et curia Rom. in contrarium, ut ap. Seraphin. dec. 597. caſ. de Graf. dec. 1. de probat. Durand. dec. 97. et 308. Poſth. de manut. dec. 326. Thom. dotis, 11. Febr. 1647. coram Bich. quæ omnes deciſiones lequuntur de dictis tribus Militiis S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, et Alcantara.*

IX. Et Cardin. Petr. in conſt. 5. Alex. III. qui ordinem S. Jacobi *de Spatha* approbavit, varias in hac materia opiniones referens, probabiliorem, et veriorem amplectitur tandem, ſeſſ. unic. n. 1. et ſeqq. tom. 2. per hæc formalia verba: *Videtur dubitandum, An iſti milites ſint religioſi? Nam de fratribus capellanis conventualibus non eſt dubium, ut alibi dicam; et triplex opinio in hoc reperitur. Alii enim dicunt eſſe veros religioſos, Dia, Motta, &c. alii vero dicunt eſſe religioſos non ſimpliciter, et abſolute, ſed cum addito, nempe militares, Rodrig. Garc. &c.* Alii tandem dicunt, non eſſe veram religionem, ſed largo modo, et improprie, Carluc. Garc. Barb. Azor. Graf. et al. ap. Sperell. Deluc. Sanfelic. Capon. Fagn. c. *A nobis*, de bigam. Bordon. Bonac. &c. et eſt ſæpe deciſum. Itaque opinio non ſolum eſt verior, ſed etiam receptior, ac innititur rationibus pluribus, &c.

X. Et tom. 4. in conſt. 1. Innoc. VI. n. 60. agens de ordinibus militaribus Alcantaræ, et Calatravæ (quorum privilegia ordini Militiæ Chriſti Luſitaniæ communicata fuerunt) necnon de militari ordine S. Stephani, et aliis omnibus militaribus, adhuc eiſdem denegat rationem *perſonarum eccleſiaſticarum ſtricte*; ibi, n. 60. pag. mihi, 239.

XI. *Si vero agatur de præfatis Militiæ (Calatravæ, Alcantaræ, S. Stephani) aliiſque, et ſi non ſoleant dici perſonæ religioſæ, quia non profitentur tria vota ſubſtantialia, ut dixi tom. 2. et 3. tamen nec ſtricte dici poſſunt*

poſſunt perſonæ eccleſiaſticæ, cum non habeant ordines: verum eſt eſſe perſonas eccleſiaſticas aliquo modo, quia auctoritate apoſtolica redacti fuerunt in cœtum eccleſiaſticum, et ſic exempti ſunt à foro laicali.

XII. Imo ipſemet Laurentius Pereſius Carvaglius, doctor Luſitanus, qui adeo large, ac favorabiliter pro omnium horum ordinum, præſertim ordinis Militiæ Chriſti privilegiis, ſcripſerat, clare agnoſcit, ac fatetur, contrariam opinionem, non certam, ſed probabilem tantum, aut, ad ſummum, probabiliſſimam circumferri; enucl. 2. n. 3. et enucl. 3. n. 402. ubi expreſſe etiam ait: *Equites laici in communi uſu ſæculares reputantur, quamvis in probabiliſſima opinione ſint vere religioſi, ac proinde eccleſiaſtici; tamen, quatenus conjugati, ſæcularitatem ſapiunt.*

XIII. Unde doctores affirmantes, prædictos equites veros religioſos incedere, vel de illis loquuntur juxta priſtinum ſtatum, quo in communi, et cum triplici voto eſſentiali vivebant, vel de iis tantum, qui in præſenti ſtatu ſimiliter regulariter vivunt, ut religioſi Tomarenſes, et fratres Palmelenſes, ut tenet Cardin. Petr. ſupr. cit. tom. 2. ibi: *De capellanis fratribus non eſt dubium.* Imo de Hieroſolymitanis laicis, non clericis, negant plures DD. eſſe *proprie*, et *ſtricte* religioſos, ſed *large* dumtaxat, apud Sperell. dec. 2. n. 2. ibi: *Quod equites Hieroſolymitani, non proprie, et ſimpliciter, ſed dumtaxat late ſumpto vocabulo, dicantur religioſe, tradunt Panormit. in rubric. de regim. n. 4. quem ſequuti ſunt Angel. Sylveſtr. Amot. Mandoſ. Bellet. Rott. var. dec. Cum itaque can.* Siquis, *loquitur de cler. et monacho, et contineat privilegium, intelligendus eſt de veris religioſis juxta termini proprietatem, et non de religioſis improprie, et lato ſumpto vocabulo, c.* Privilegia, 3. *et cum concord.*

Rationes autem denegationis illius quamplurimæ ſunt, apud cit. Petr. videndæ d. tom. 2. n. 4. quarum præcipuas exponit ibidem: *Cum autem eis non vitatur conjugium, non eſt cur inter religioſos annumerentur ... Ita paupertatem non ſervant, quia poſſunt teſtari, ac diſponere, contractus ineunt,* &c. *Prout etiam obedientia non eſt monachalis, et ſtricta, ſed quædam ſubordinatio M. magiſtro in ordine ad militiam; nam utpote uxorati debent uxoribus propriis adhærere, gl. in can.* Siquis pecun. 9.

XIV. Neque adverſum præmiſſa refragabatur bulla Pii IV. concedens equitibus D. Stephani Florentiæ (qui neque eccleſiaſtici, neque religioſi ſunt) exemptionem ab ordinaria epiſcoporum juriſdictione, ut videre eſt apud Deluc. de juriſd. diſc. 92. quod quidem etiam videtur colligi ex bull. Martin. V. Innoc. VIII. et Eugen. IV. apud Per. de man. reg. c. 55. n. 4. Reſpondebat namque, 1. Exemptionem equitum S. Stephani Florentinorum ab ordinaria eccleſiaſtica juriſdictione eſſe valde dubiam, et controverſam, ob clauſulam in cit. bulla expreſſam, *Sine alicujus præjudicio*; ut bene idem Deluc. notat ibid. n. 4.

XV. Reſpond. 2. Præfatos equites D. Stephani à primæva ſua creatione inſtitutos fuiſſe in ſtatu ſæculari, quo nunc etiam conſervantur; et in eo poterat quidem Summ. Pontifex eam exceptionem eiſdem concedere, et ipſi ea etiam gaudere in ſtatu præſenti, quo adhuc à primitivo non exciderunt: quæ ratio non militat erga reliquos equites ſubjectos, qui ab ſtatu eccleſiaſtico, et regulari, cum triplici voto eſſentiali in communi viventes, deciderunt ad ſtatum ſæcularem, viventes extra clauſtra, et privatim in ſæculo, ut videre licebat ex ipſiſmet definitionibus ordinis Milit. Chriſti, p. 3. tt. 6. proindeque nil mirum, quod antiqua amitterent privilegia, quæ ipſis ut religioſis, et ut eccleſiaſticis, in communi, atque intra clauſtra viventibus, conceſſa fuerunt.

XVI. Quod quidem ex præcitatis bull. evidenter convincebatur apud cit. Per. de man. reg. videlicet ex bull. Martin. V. *Nullum in vos, aut aliquem veſtrum, aut conventus, monaſteria, loca, perſonas,* &c. ex Eugen. IV. ubi de præſentibus, et futuris monaſteriis loquens, ait, *Priores, rectores, monachos, converſos, capellanos,* &c. et ex Alex. III. *Eccleſia illa plena gaudeat libertate, nec aliqua per epiſcopos decimarum, aut alterius rei, exactione graventur,* &c. et ex declaratione, ſive explicatione ejuſdem bullæ Alexandrinæ facta ab Innoc. IV. apud Sperell. dec. 2. n. 97. verbis infra tranſcribendis: et de ipſiſmet equitibus Hieroſolymitanis, qui veri religioſi citra controverſiam ſunt, *extra clauſtra degentibus*, verum eſt quod tradit Cortiad. dec. 130. n. 10. *Equites S. Joannis Hieroſolymitani, extra clauſtra degentes, poſſunt viſitari, puniri, et corrigi, ab ordinario, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato, Trid. ſ. 2. de reform. c. 3. Ricc. dec. 223. et dec. 100. Sperell. dec. 21. n. 51. Barb. de ep. p. 3. alleg. 105. n. 14. et de jur. eccleſ. l. 1. c. 43. n. 115. etiamſi extra clauſtra degant de licentia ſuorum ſuperiorum, Ricc. ſuper Ciarl. contr. c. 50. l. 1. Sperell. dec. 28. n. 18. et al.*

XVII. Quod ulterius confirmabant ex illa Sac. Congregationis declaratione ad Concil. Trid. ſeſſ. 6. de reform. p. 3. in prætermiſſ. et apud Barboſ. ibid. *An milites Hieroſolymitani comprehendantur decretis Concil. etiam ubi de eis non fit expreſſa mentio?* Reſp. Congregatio, *Comprehendi, niſi ſpecialiter privilegiis poſt Concilium muniantur.*

XVIII. A fortiori, autem, idem tenendum de aliis equitibus, quibus communicata fuerunt eadem privilegia, et qui veri religioſi non incedunt, et ſpecialiter de equitibus S. Jacobi de Spatha in Luſitania, et Alcantaræ, atque Calatravæ in Caſtella, reſolvunt cit. Sperell. Barboſ. et cum plurimis Pignatell. multiplicem deciſionem referendo, tom. 9. conſ. 51. n. 15. *Equites S. Jacobi non ſunt exempti à juriſdictione epiſcopi, et poſſunt ab illo puniri, Sperell. dec. 2. n. 97. et re mature diſcuſſa declaravit S. Greg. Concilii in Panorm. apud Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 43. n. 154.*

XIX. Et, ut tenent Card. Petr. ſuperius cit. tom. 2. cum Sperell. dec. 21. n. 51. Navarr. conſ. 11. de regular. l. 3. Rodrig. q. 3. a. 3. *In hac materia exemptionis equitum prædictorum, ſtandum eſt conſuetudini.* Quæ quidem in Portugallia ſtat, et ſtetit ſemper pro juriſdictione ordinaria epiſcoporum, imo et parochorum, ut teſtatur Themud. p. 3. dec. 252. per totam; ibi: *Parochus poteſt declarare excommunicatos equites Militiæ Chriſti, et alios privilegiatos, non confitentes, nec communicantes; et declarando vim non facit.*

XX. Exemptio autem, et fori privilegium equitum ſæcularium in ſtatu præſenti in ſæculo viventium, intelligendum tantummodo eſt, privative *quoad judicem laicum*, qui etiam eques militaris ejuſdem ordinis non fuerit; non vero *privative quoad judicem eccleſiaſticum ordinarium*; ut ex ipſiſmet definitionibus ordinis Chriſti colligitur, p. 3. tt. 3. § 1. ibi: *Hæc judicis equitum juriſdictio eccleſiaſtica equidem eſt; et nullus ſæcularis judex in eam ſeſe valet intromittere .... Quare definimus, quod equidem judex cognoſcat de omnibus cauſis criminalibus, in quibus commendatarii, et equites, rei extiterint .... Item nec judex aliquis ſæcularis adſtringere poterit commendatarium, aut equitem aliquem hujus ordinis, niſi in flagranti delicto.* Idem pariformiter declaratur, ac definitur, ibid. § 2. immediate præcedenti, et tt. 6. ejuſd. p. 3. Quod quidem proſequitur Petr. cit. et Sperell. d. dec. 2. n. 97. ibi: *Et quod equites, etiam ab antiquiſſimo tempore, ſubjecti eſſent foro eccleſiaſtico, patet ex tex. in c. 1. diverſ. ſigni, in 6. quo loco, Innoc.* IV. *declarat illa verba bullæ Alexandri* III. In ſpeciales eccleſiæ Romanæ filios vos recipimus; *per quæ inquit, dictos milites non eſſe exemptos à juriſdictione diœceſani.* Videndus etiam Cirin. nex. eccl. juriſd. c. 4. n. 47.

XXI. Attamen, etiam dato præfati equites veri fuiſſent religioſi, et retinuiſſent veram, et rigoroſam, prout cæteri religioſi, ab ordinaria juriſdictione exemptionem, adhuc demonſtrabat, 2. Recurrentis ſubjectionem in caſu præſenti eidem juriſdictioni ordinariæ, ex duplici alio fundamento. Et, 1. Eo quod facta, in recurrentis adjuncta citatoria accuſata, certo ſubjecta forent incurſioni cenſurarum à lege, videlicet bullæ Cœnæ, can. 15. et aliis, præjactis allegationibus 12. et ſeqq. et 33. expreſſis. 2. Ex fundamentis ibidem late expenſis, et ſæpe ſæpius in aliis præcedentibus allegationibus; ſignanter, alleg. 11. et 16. et ſeqq. et 33.

XXII. Hac igitur præſenti promotoris mei allegatione factis actis concluſis judici conſervatori ordinum, ſententiam tulit: *Quod, cum demonſtraretur, accuſatam violentiam ſaltem notoriam, et manifeſtam non eſſe, nequibat recurrens à judicio conſervatorio ſuccurri, ſed magnum*

magnum magiſtrum pro alia providentia adiret. Ad quem tamen, cum actorum, et ſuper his prædictæ ſententiæ latæ copia, noviter recurriſſet, minime obtinuit. Et ſuper principalis cauſa ſequens regium prodiit reſcriptum.

Regium reſcriptum ſuper reſtitutione ſacræ imaginis pueruli Jesu, *paræciæ* Colluanæ *Salſetanæ.*

XXIII. DOM Joam, por graça de Deos, Rey de Portugal, e dos Algarves, da quem e dalem mar em Africa, Senhor de Guiné, &c. Faço ſaber avos, V. Rey, e capitam geral do eſtado da India, que os gancâres, e mais povos das quatro aldeas, *Collua*, *Sernabatim*, *Vanelim*, *e Gançaulim*, freguezia de N. Senhora das Merces da provincia de Salſete, meſizeram prezente, que ſendo vigario da igreja dos ſupplicantes o padre *Bento Ferreira* da Companhia de Jeſus, collocâra nella huma imagem do menino Jesus, concorrendo os ſupplicantes com todas as deſpezas neceſſarias, nam ſo para a feſta da ſua collocaçam, ſenam tambem para os ornamentos ricos, para com mais deſcencia ſe celebrar o culto divino; e como adicta ſagrada imagem, obrava muitos millagres, ſe fora aumentando o ſeu cofre, feito por elles, que chegava ater paſſante de vinte mil xerafins; e como os padres da Companhia largaſſem as freguezias de Salſete, com a occaziam da vizita do arcebiſpo primas de Goa, antes de ſe recolher o vigario delles ſupplicantes, o P. *Joſeph de Figueiredo*, vindo o P. reitor do collegio de Rachol para a igreja dos ſupplicantes, aos 11. do mes de Septembro do anno paſſado, levara na meſma noite a dita imagem com todo o ſeu precioſo, e recorrendo os ſupplicantes ao P. provincial da Companhia, pedindolhe lha reſtituiſſe, lhes nam deferio antes declarou por ſeu deſpacho, ſer a dita imagem da religiam da Companhia; e que recorrendo avos, lhe mandareis uzaſſem dos meyos ordinarios; por tanto recurriam a minha piedade para ſerem reſtituidos da dita imagem, e do mais que pertencia aos ſupplicantes, aſſim do cofre, como dos ornamentos, que fizeram para celebridade do culto divino; e attendendo que a poſſe dos ſupplicantes eſta bem fundada, como tambem do eſpolio, aſſim da certidam, que junctaram do parocho, como da repoſta do provincial: ſou ſervido ordenarvos por rezoluçam de 16. deſte prezente mes e anno, em conſulta do meu conſelho ultramarino, mandeis logo fazer eſta reſtituiçam aos ſupplicantes, ſem embargo de quaes quer embargos, ou impedimentos, ficando ſalvo o direyto a Companhia, ſe otiver. El Rey noſſo ſenhor o mandou por Joam Telles da Silva, e Antonio Rodrigues da Coſta, conſelheiros do ſeu conſelho ultramarino; e ſe paſſou por duas vias. Joam Tavares a fes em Lixboa Occidental a 18. de Abril de 1724. O ſecretario Andre Lopes de Laure a fes eſcrever. Joam Telles da Silva, Antonio Rodrigues da Coſta. Segunda via.

Idem reſcriptum, Latine redditum.

D. Joannes, Dei gratia, Rex Portugalliæ, et Algarbiorum, &c. Notum vobis facio, prorex, et capitaneus generalis Indiani ſtatus, quod *ganecâres*, ſive diſtributores ruſticani, et reliqui populus quatuor pagorum, ſcilicet, Colluani, Sernabatimi, Vanelimi, et Ganſaulimi, paræciæ Dominæ noſtræ *à Mercedibus* provinciæ Salſetanæ, mihi ſupplicantes præſentârunt, quod vicariam illius parochiæ agens P. Benedictus Ferteira Societatis Jeſu, in ea imaginem quandam pueruli Jesu collocaverit, oratoribus eiſdem ad omnes neceſſarias expenſas concurrentibus, nedum ſolemnitatis collocationis ipſius, verum et ad omnia paramenta, atque ſupellectilem pretioſam, ut decentius, ac pompoſius, divinus cultus exhiberetur: et cum eadem ſacra imago plura ederet miracula, indies cum devotione fidelium creſcere adeo cœpit redituum theſaurus, ab ipſis oratoribus ordinatus, ut fundus ejus pluſquam viginti mille xerafinos excederet: cum autem patres Societatis paræcias Salſetanas demitterent, prætextu viſitationis ab archiepiſcopo primate Goano in eis factæ, P. *Joſephus de Figueiredo*, vicarius parochiæ ſupplicantium, antequam eam deſereret, et rector collegii Racciolenſis eidem parochiæ adveniens, die undecima menſis Septembris anni præteriti, eandem imaginem cum omni theſauro ſuo, et pretioſa ſupellectili, ad præfatum collegium, noctu, clandeſtine tranſportârunt: et oratoribus repetentibus à parte provinciali Societatis prædictæ imaginis reſtitutionem, eis non detulit; imo per propriam ſignaturam declaravit, imaginem illam eſſe religionis Societatis; et eiſdem oratoribus ad vos poſtmodum recurrentibus, eis detuliſtis, ut media, ac remedia ordinaria inſequerentur. Quare ad regiam pietatem meam demum nunc recurrebant, ut prædictæ imaginis, et totius theſauri, ac ſupellectilis ſuæ poſſeſſioni reſtituerentur. Igitur, perſpecta et attenta oratorum poſſeſſione bene fundata, et ſpolii juſtificatione, tum ex parochi atteſtatione, tum ex ipſius provincialis reſponſione, dignatus ſum vobis reſcribere per reſolutionem, ac conſultationem mei concilii ultramarini, diei 16. præſentis menſis et anni, ut ſtatim jubeatis hanc reſtitutionem oratoribus facere, quibuſlibet impedimentis non obſtantibus, reſervato jure Societati, ſi quod habuerit. Rex dominus noſter id juſſit per Joannem Telleſium Silvium, et Joannem Roderigium Coſtium conſiliarios concilii ſui ultramarini; et duplicato expeditum eſt. Joannes Tavareſius fecit Ulyſſipone Occidua, 18. April. 1724. Secretarius Andreas Lopeſius Laureus ſcribere feci. Joannes Telles da Silva. Antonius Rodrigues da Coſta.

ALLEGATIO LI.

Vicarii generalis Archiepiſcopatus in Reſponſione ad Recurſum à quodam Laico interpoſitum, à Citatione ad exhibendum, in eum, ejuſdem generalis Vicarii Delatione ad Inſtantiam Partium expedita, ob Fabricationem falſi Teſtamenti ab ipſo, et à quodam Clerico, ejus Socio, in Dammum tertii peractam.

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *Juxta alternativam cognitio teſtamenti, et punitio falſitatis illius, judicio eccleſiaſtico pertinebat.*
III. *Judex eccleſiaſticus, ante annum et diem, nequit cogere laicos ad teſtamentorum exhibitionem; limitatur vero, quando partes eum adeunt pro legato, debito, ac præjudicio aliquo.*
IV. *Et pro validitate judicis eccleſiaſtici adſunt caſus judicati.*
V. *Judex principalis eſt etiam judex incidentis, et acceſſorii.*
VI. *Idem viſitur in cauſa acceſſoria ſalarii.*
VII. *Ratione complicitatis, poteſt culpa laici judicio eccleſiaſtico pertinere.*
VIII. *Non datur violentia, neque injuſtitia, in denegatione copiæ expeditionis ad exhibitionem, præſertim dolo intercedente.*
IX. *Ex praxi, et lege concordiæ alternativæ conſtat, cognitionem de omnibus pertinentiis, ac dependentiis, pertinere eidem judicio, cui pertinet cognitio teſtamenti.*
X. *Aliter non ſervaretur æqualitas.*
XI. *Recurſus, utpote remedium extraordinarium, nequit intentari, niſi mediis ordinariis prius exhauſtis.*
XII. *Et ad illum excludendum, ſufficit probabilis opinionis aſſiſtentia.*

I. CUM quædam vidua morti propinqua, et à propria mente, ac judicio, jam alienata foret, quidam laicus, ejus propinquus, complice quodam clerico Indo, nomine moribundæ, falſum

ſum teſtamentum, in notorium damnum hæredum, fabricârunt; et tabellione, ſeu notario conducto approbârunt. De quo hæredes ipſi certiores facti, poſt viduæ menſe Maii deceſſum, et præſcientes eam, marito ſuo vivente, ſimul cum illo, ex mutuo conſenſu, validum teſtamentum celebrâſſe, cui quidem novum fictum penitus adverſabatur, judicem eccleſiaſticum adierunt, pro exhibitione confecti teſtamenti competenter fieri jubenda, ad ejus nullitatem, ac falſitatem legitime comprobandam, tum ratione competentiæ menſis, juxta alternativam concordiam, de qua ſupr. tum ratione complicitatis clerici in ſacris initiati. A cujus exhibitionis notificatione delata, laicus recurſum intentavit; et vicarius generalis illius fundamentis ſequentem allegationem in reſponſionem oppoſuit.

II. Allegabat igitur, 1. Et cognitionem prædicti teſtamenti, et punitionem falſitatis illius, utique judicio ſuo, ſecundum novæ legis alternativæ diſpoſitionem, extra dubium attinere, præſertim ſuppoſita partium præjudicatarum inſtantia.

III. Nam, quamvis, regulariter loquendo, judex eccleſiaſticus ante annum, et diem tranſactum, nequeat laicos cogere ad teſtamentorum exhibitionem pro rationibus reddendis, ſecundum diſpoſitionem ordin. l. 1. tt. 62. § 4. (quod erat unum ex fundamentis recurrentis) attamen hæc diſpoſitio limitatur, quando partes judicem adeunt ratione alicujus legati, debiti, præjudicii, aut alicujus alterius intereſſe, ut conſtat ex diſpoſitione expreſſa c. *Si hæredes*, de teſtam. ubi Panorm. Greg. Lop. Covarruv. Telles, et Barb. in l. *Nulli*, n. 23. de teſtam. Pinheyr. de teſtam. in append. reſ. 3. § 2. Oliveir. de muner. proviſ. c. 1. § 8. n. 37. Valenſ. conſ. 20. n. 21. et hanc eſſe praxim in toto regno Luſitaniæ, et ejus conquiſtis ultramarinis, conſtat ex conſtitutionibus diœceſanis utrarumque, ſignanter ex Bahienſibus, et Portucalenſibus, l. 4. tt. 10. conſt. 9.

IV. Et proceſſum validum, ac licitum, judicis eccleſiaſtici ad inſtantiam partis adverſus laicos, interveniente teſtamenti, aut alicujus ejus clauſulæ, partiali falſificatione, judicatum refert Themud. in caſu dec. 251. expoſito, ubi ait, *Judex eccleſiaſticus reſiduorum poteſt punire laicos delinquentes in teſtamentis.* Et potiori, ac validiori ratione, idem dicendum, intercedente totali falſificatione, atque confictione, ut impræſentiarum.

V. Neque referebat, quod teſtamentum illius citati, ac judicati caſus apud Themud. ubi modo, jam in ſuo judicio exhibitum erat. Reſpondebatur namque huic ſcrupulo, quod in præſenti caſu, cum, juxta diſpoſitionem alternativæ, ſubjectum teſtamentum eccleſiaſtico judicio ſpectaret, utique illud exhiberi jubere poterat, ad inſtantiam hæredum, ante annum tranſactum, ad hoc, ut falſitas ab illis denuntiata diſcuteretur, et de illa, ut eccleſiaſtico judicio pertinente, plene cognoſceretur: judex namque *principalis*, eſt etiam judex *incidentis*, et *acceſſorii*, ut graviter, et nervoſe, regius procurator Thomas Pinheyro de Veyga apud eundem Themud. cad. dec. 251. allegârat, n. 9. ibi: *Nam, cum, juxta concordiam, executio teſtamenti illius foro eccleſiaſtico pertineret, ejuſdem falſificatio etiam illi ſpectaret ex incidenti, et ex principali*, l. *Nullum*, cod. de teſtib. l. *Qui falſo*, ff. de teſtam. licet cauſa ſit criminalis, et contra laicos, Julius Clar. § fin. q. 38. n. 13. Cabed. dec. 77. ord. l. 1. tt. 48. § 10. et l. 3. tt. 45. § 10. et tt. 63. § 1. et l. 5. tt. 117.

VI. Videndus etiam idem Themud. dec. 259. n. 8. ubi de procedimento judicis eccleſiaſtici adverſus laicos, ratione alterius teſtamenti, quamvis diverſa foret quæſtio, ſuper ſalario videlicet, ſic ait, d. n. 8. *Cauſa, de qua gravamen interponitur, eſt acceſſoria cauſæ principali, ac per conſequens pertinet ad idem judicium, et ſeparari non poteſt una ab altera; reg. acceſſorium de reg. jur. in* 6. *et quamvis alias judex ſit incompetens ad cognoſcendum de aliqua cauſa principaliter, poteſt de illa incidenter cognoſcere, ut dixi, dec.* 34. &c.

VII. Deinde, cum recurrens complicem clericum in ſacris inſtitutum haberet, ratione complicitatis, ac ſocietatis, pertinebat etiam culpa recurrentis, ſicut et complicis, ad eccleſiaſticum forum, ut vulgare eſt apud DD. in c. *Eos, qui*, ubi gloſſ. dec. 32. Abb. in cap. *Cum ſit generale*, de for. compet. Ancharan. conſ. 196. Decian. tom. 1. crimin. l. 4. c. 26. et l. 6. c. 21.

VIII. Ex præmiſſis deducebat vicarius generalis, minime violentiam recurrenti inflixiſſe, tum in exhibitione falſi teſtamenti decreta, tum in denegatione copiæ expeditionis ad dictam exhibitionem adeptæ, quatenus exhibitionem non exequeretur, ex communi et vulgari doctrina in omnibus actionibus ad exhibendum, præſertim in eis, in quibus *dolus*, *falſitas*, aut *fictio*, intervenit, gl. in l. apud *Celſum*, verb. *Dejiciend.* ff. de doli exception. et § *Præterea*, verb. *In perſon. inſt.* de actionib. et reg. 1. ff. ad exhibend. et l. 1. § *Ait præt.* ff. de lib. hom. exhibend. l. 2. § *Injectio*, ff. *Quemadmodum teſtament. aper.* et ex ipſamet ordin. reg. l. 2. tt. 33. § 33. qua etiam actione poſſe uti in cauſa, et libello reivindicationis, ad moras vitandas ſuper ſcripturæ exhibitione, tenet praxiſta Vanguerv. p. 4. c. 18. n. 149.

IX. Quod autem legis alternativæ diſpoſitio, nedum circa teſtamentorum rationes reddendas, ſed etiam circa illorum fabricationem, executiones, et reliquas pertinentias, aut dependentias à notariis eccleſiaſticis, et in eccleſiaſtico judicio perficiendas, verſatur, conſtat ex praxi apud Themud. cit. dec. 251. et allegatione regii procuratoris ibidem, de pertinentia *per incidens, aut per principales, etiam in cauſa criminali contra laicos*; et ex eadem lege concordiæ, apud eundem Themud. dec. 350. et ſuperius; et ex doctrina regnicol. AA. ut Guerr. de inventar. tract. 1. l. 4. c. 6. n. 25. ibi: *Suppoſita concordia, quam in regno habemus, dicendum eſt, quod ſi teſtamenta juxta illam debeant exequi ab eccleſiaſtico, coram illo eſt inventarium faciendum, et reddenda ratio; ſi vero eorum executio, ſecundum concordiam, ad judices ſæculares pertineat, coram ipſis eſt inventarium faciendum, et ratio reddenda; aliter æqualitas, et concordia, non potuiſſet ſervari*, &c.

X. Cui accedit Oliveir. de muner. proviſ. c. 2. § 15. n. 50. ibi: *Data concordia, non potuiſſet æqualitas ſervari, ſi executores menſis ſæcularis (ſi clerici proponerentur) rationem reddere deberent coram eccleſiaſtico de teſtamento ſæculari contingenter.*

Quod et confirmabatur ex doctrina Peg. de majorat. t. 1. cap. 5. n. 215. tenentis, *Proviſorem ſæcularem judicem competentem quidem non eſſe ad cognoſcendum de capella, aut majoratu inſtituto à decedentibus in menſibus, ſecundum alternativam, eccleſiaſtico judicio competentibus.* Quod et ulterius ſtatuit ad ordin. l. 1. tt. 50. ad rubr. c. 50. n. 209. et 219. quas quidem inter pertinentias annumerari debere teſtamentorum publicationes ex generali praxi in toto regno Portugalliæ, et ejuſdem ultramarinis ditionibus, tenet, et teſtatur, praxiſta Vanguerv. p. 4. c. 5. n. 108. et, ut ait Themud. d. dec. 350. n. 27. *Ad officium judicis reſiduorum pertinet cognitio ultimarum voluntatum, et eas executioni mandare in eis, quæ pertinent ad l.* Juliam, de reſiduis, *l.* 2. *l.* 4. *ff. ad l.* Jul.

XI. Denique, dato, et non conceſſo, quod in qualibet, aut in utraque duplici præfata delatione interlocutoria, gravamen aliquod, aut violentia recurrenti incuteretur (proſequebatur vicarius generalis) debebat ille citra dubium media ordinaria adhibere, vel illuſtriſſimum archipræſulem adiens, vel ad ſenatum eccleſiaſticum, via gravaminis recurrere; non autem ad judicium ſæculare, quo quidem recurſus remedium extraordinarium, et ſubſidiarium incedit, proindeque minime intentandum, niſi remediis ordinariis, in judicio *à quo*, prius completis, et exhauſtis, Portug. de donation. 2. p. cap. 31. Salgad. de reg. prot. præl. 5. Barb. axiom. verb. *Remedium*, n. 1. Moraes de execut. inſtrumentor. l. 2. c. 20. n. 82. Ord. reg. l. 2. tt. 41. § 2. id. regulam generalem eſſe affirmans, et pariter denegationem abſolutam conceſſionis remedii extraordinarii ordinariis habenti firmans.

XII. Et tandem ad excludendam violentiam, atque recurſum præſentem, ſufficere dicebat aſſiſtentiam ſibi probabilis opinionis, ex Per. de man. reg. c. 7. et 8. et 9. ex Guerr. de recuſat. l. 1. cap. 19. ex Salg. de prot. reg. p. 1. c. 2. § 3. n. 26. et ex aliis apud Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 16. n. 10.

Quænam autem ſententia ſenatus hanc allegationem ſubſecuta fuerit, non recte recordor; mihi tamen veroſimilius videtur, recurrentem non obtinuiſſe.

ALLEGATIO LII.

Ejuſdem Vicarii generalis, ut Judicis Reſiduorum, in Recurſu à Fœmina quadam Inda intentato, in Cauſa Teſtamenti Genitoris ipſius, cujus illa Hæres erat, ex Denegatione Copiæ Mandati Sequeſtrationis, ad Impedimenta, veluti tertia præjudicata, objicienda, ex Fundamentis inferius inſinuatis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Hæres, vel ſucceſſor, non poteſt dici* tertius *in cauſa.*
III. *Data negligentia judicis ſæcularis, poteſt judex eccleſiaſticus eam ſupplere, etiam quoad teſtamentorum executionem.*
IV. *Executio teſtamentaria eſt mixti fori.*
V. *Juri ſuo videtur renuntiare, qui illo, cum poteſt, non utitur.*
VI. *Executio ultimarum voluntatum citius eſt adimplenda.*
VII. *Etiam judex ſæcularis quoad hoc poteſt ſupplere negligentiam judicis eccleſiaſtici, juxta aliquos.*
VIII. *Neque obeſt damnum privatum alterius juriſdictionis, contra damnum publicum.*
IX. *Lex concordiæ, vel reputetur privilegium, vel contractum, eſt ſtricti juris.*
X. *Sententia eſt nulla ex defectu citationis partium, præjudicium, aut intereſſe habentium.*
XI. *Non erat neceſſaria juſtificatio prævia ad ſequeſtrum, ex evidentia longiſſimæ moræ culpabilis, et deteriorationis bonorum.*
XII. *Ex qua recurrens non obtinuit.*

I. DECEDENTE è vivis quodam Indo Chriſtiano provinciæ Salſetanæ, et negligentibus teſtamentariis pias defuncti voluntates ultimas, piaque legata, per ſpatium fere 38 annorum, ut iſtius gentis mos eſt, adimplere, ad inſtantiam parochorum, et aliorum in piis illis legatis, ac diſpoſitionibus, intereſſe habentibus, proceſſit reſiduorum judex eccleſiaſticus ad bonorum ſequeſtrationem, pro piarum illarum voluntatum executione perfecte, et prompte proſequenda: à qua diligentia copiam ſupplicante quadam ejuſdem defuncti teſtatoris filia, et hærede, ad impedimenta *tertiæ præjudicatæ* ſequeſtrici objicienda, atque ab eodem judice eccleſiaſtico denegata, ab hujus denegatione recurſum interpoſuit, altero inſuper nixum fundamento, quod jam judex reſiduorum ſæcularis, de hoc teſtamento cognoverat. Quorum data copia judici reſiduorum eccleſiaſtico, ſequentem adhibuit reſponſionem.

II. Præmittebat imprimis recurrentem, poſito, et conſtituto ex ipſius confeſſione, quod filia et hæres teſtatoris incedebat, minime poſſe dici *tertiam*: conſtans namque de jure eſt, quod tertius non dicatur, nec dici poteſt, is, qui vel hæres, vel ſucceſſor eſt illius, adverſus quem *active*, vel *paſſive*, competit jus exequendi ex aſſe, vel ex parte; ſed ille dumtaxat, qui aliquo titulo ſingulari, ut emptionis, venditionis, donationis, nominationis, vel ſimilibus aliis, retinuit. Ita Carleval de judic. tt. 3. diſp. 21. n. 1. cur. Philip. 2. p. § 11. n. 1. Olea de ceſſ. jur. tt. 1. q. 1. n. 35. Peg. for. tom. 1. cap. 5. n. 7. pag. mihi, 537. col. 1. cum autem recurrens improprie denominaretur *tertia*, et ſic minime ſequeſtrum, aut executionem impedire poſſet, ex Gratian. for. dec. 15. n. 9. Scacc. de judic. lib. 3. c. 62. n. 24. et de appellat. q. 17. lim. 6. membr. 4. n. 72. Parlad. rer. quotidian. l. 2. p. 4. cap. fin. § 5. n. 2. idcirco juſte, et citra injuriam, copiam, et inſpectionem ad impedimenta ſequeſtrationi objectanda denegavit.

III. Neque etiam referebat fundamentorum aliud de præcedenti cognitione proviſoris ſæcularis. Certum namque etiam in jure eſt, quod, data negligentia judicis ſæcularis, poſſit epiſcopus illam ſupplere, teſtamenta ſuæ executioni mandando.

IV. Eo quod teſtamentorum executio ſit mixti fori, et ad utrumque judicem pertineat, ut docent Barboſ. in l. *Nulli*, 28. cod. de epiſc. et cleric. n. 21. et 36. Barboſ. de offic. et pot. ep. alleg. 82. n. 13. et de jur. eccleſ. lib. 3. cap. 27. n. 30. Valaſc. conſ. 105. n. 61. quam reſolutionem ulterius multiplici ratione confirmabat.

V. 1. Quia juri ſuo videtur renuntiare, qui, cum poteſt, illo non utatur, Barb. in l. *Alia*, § *Elegan-ter*, ff. ſolut. matr. n. 11. *Et negligentia, ex ſua natura, juriſdictionis eſt devolutiva*, ex tex. expreſſo in cap. *Cum ſimus*, 3. caſu 9. q. 3. Barb. in cap. *Paſtoralis*, 11. de offic. ordinarii, n. 8.

VI. 2. Quia executio ultimarum voluntatum non eſt fraudanda, nec differenda; imo in tantum citius eſt adimplenda, ut omnes, qui mortuorum oblationes retinent, et eas eccleſiæ elargiri tardant, debent tanquam infideles ab eccleſia, et à communione fidelium expelli, ut inquit Concil. Valent. Lar. de capellan. l. 1. c. 14. fere per totum, Carpio, l. 4. cap. 3. ubi à n. 13. multis exemplis demonſtrat, executores negligentes graviter à Deo fuiſſe punitos.

VII. 3. Quia etiam judex ſæcularis poteſt ſupplere negligentiam judicis eccleſiaſtici, ut docent Villalob. verb. *Eccleſia*, n. 2. et 3. Molin. de juſt. et jur. diſp. 31. concluſ. 4. Dian. tract. 2. p. 1. reſolut. 7.

VIII. 4. Tandem; Quia ex eo non potuiſſet unus judex alterius negligentiam ſupplere, quia damnum gereret alterius juriſdictionis, cui, virtute concordiæ, executio pertinebat: quæ ratio non ſufficit, quia iſtud damnum eſt privatum, et publicum, quod ex tardatione executionis teſtamentorum communi bono reſultat; et in concurſu damni particularis, et publici, ſemper prævalet utilitas publica privatæ, ex cap. *Bene*, de poſtulatione prælat. cap. *Mutationes*, 7. q. 1. l. *Sancimus*, 10. cod. de ſacroſancta eccleſ. ubi Barb. n. 4.

IX. Nec adverſum hoc obſtabat lex concordiæ, de qua ſupr. alleg. 51. nam vel hæc reputetur privilegium, vel contractus, ſemper eſt ſtrictiſſimi juris, Salgad. p. 4. cap. 10. n. 101. et ſuper hoc vidend. Cortiad. ſimilem concordiam referens, ubi plures DD. citat, dec. 8. n. 1. et 2. et dec. 28. n. 4. uſque 27. *Unde cum in dicto contractu, ſive privilegio, non ſit proviſus caſus negligentiæ ad illum, nec ut privilegium, nec ut contractum, concordia extendenda non eſt; imo talis caſus omiſſus in diſpoſitione juris communis, debet manere, juxta regulam generalem, quod caſus omiſſus in quacunque diſpoſitione manet ſub regulis juris communis, Phœb. dec. 126. n. 36. et 37. Cabed. 1. p. dec. 42. n. 8. Valaſc. conſ. 103. n. 9. Thom. Vas alleg. 72. n. 48. Per. dec. 92. n. 6.*

X. Neque etiam obſtabat ſententia reformationis diviſionum, ſive inter hæredes dividendorum, quæ ex adverſo allegabatur: nam, cum ad eam non citatæ fuiſſent partes, præjudicium vel intereſſe habentes, ex hoc eſſentiali defectu, utique nulla reddita eſt, Valenſ. tom. 1. conſ. 6. n. 46. et conſ. 20. n. 14. *Eo quod citari debet quiſquis, ubicunque lædi poteſt*, ex juribus ibidem citatis; præſertim cum in ſententia reformationis illius doloſe curatum fuiſſet bona caute deminuere, ad ſatisfactionem legatorum piorum impediendam, in certum præjudicium parochorum S. Thomæ, et D. Jacobi, qui quidem ob illud præjudicium citari, et exaudiri debebant. Duen. regul. 335. verſ. *Amplia*, 1. Barb. in report. utriuſq; jur. verb. *Citatio*.

XI. Denique neque etiam obſtare defectum, à recurrente allegatum, juſtificationis prærequiſitorum ad ſequeſtri procedimentum, oſtendebat pro coronide generalis vicarius; ex eo, quia certitudo obligationis legata pia adimplendi, et exequendi, præter recurrentis con-

confessionem coram ipso vicario factam, satis constabat ex ipsomet solemni defuncti testamento, et culpabilis testamentariorum omissio ex longissima mora triginta et octo annorum, et ex præsenti repugnantia, atque effugiis, et digressionibus. Deterioratio autem bonorum nedum constabat ex ipsa divisionum reformatione, verum et ex speciali examine ab ipsomet vicario generali facto.

XII. Ex quorum evidentia recurrens expectatam provisionem non obtinuit.

ALLEGATIO LIII.

In Responsione ad Recursum ab alio Laico interjectum à Procedimento Judicis Residuorum ecclesiastici adversus eum per Capturam personalem, et Sequestrum realem, ob longam Moram, et Omissionem in Executione Testamenti cujusdam Clerici, cujus Recurrens secundus Testamentarius designatus erat; et ob Desistentiam primi Testamentarii, etiam Clerici, primus et unicus evaserat; atque ob non Paritionem Citationi ad Bona defuncti Testatoris exhibenda.

SUMMARIUM.

I. *Facti series.*
II. *Recurrens profugus è carcere recursum intentavit, duplici fundamento nixus.*
III. *Transacto anno, ac die, potest judex competens testamentarios ad legatorum testamenti expletionem compellere.*
IV. *Judex ecclesiasticus est competens inter laicos pro legatis piis.*
V. *Et potest eos cogere etiam per capturam.*
VI. *Neque tenetur brachii sæcularis auxilium quærere.*
VII. *Testamentarii, ut bonorum administratores, depositariis æquiparantur.*
VIII. *Piorum legatorum executio est mixti fori; et prævalet prævention.*
IX. *Remedia extraordinaria non debent adhiberi, nisi exhaustis ordinariis.*
X. *Huic etiam remedio extraordinario recurrens abrenuntiâsse videbatur, tum ex fuga, tum ex nova intrusione in possessionem bonorum sequestratorum.*

I. QUODAM clerico in Salsetana provincia diem obeunte suum, in mense, juxta alternativam, ecclesiastico judicio attinente, et testamentarios instituente, primo alium clericum propinquum, et recurrentem, etiam propinquum, secundo loco, propriamque animam in hæredem destinante, cum expressione quamplurium piorum legatorum à testamentariis exequendorum; primus testamentarius ab hoc munere destitit: cui quidem desistentiæ, et ejus acceptioni, recurrens in ecclesiastico judicio impedimenta objecit: in quo receptis, et desistentia per sententiam revocata, et primo testamentario acceptationis terminum, ad instantiam recurrentis, coacte faciente; is vicissim ab ecclesiastico judice obtinuit, ut recurrens citaretur, tanquam secundus testamentarius, ad bonorum defuncti sibi, veluti primo testamentario, perfectam traditionem, pro legatis piis adimplendis, faciendam, et rationes ecclesiastico judici reddendas. Quare recurrens amicabiliter cum primo ipso testamentario confœderatus, in desistentia consensit, et per terminum judicialem scriptum testamentarium acceptavit, sese insimul legatorum adimpletione, et testamenti reddendis rationibus adstringens: quæ quidem cum per quinquennium non explesset, requirentibus legatariis vicarium generalem archiepiscopatus, et illorum supplicationi oppositis à recurrente impedimentis in ejus judicio, versante causa, convenerunt omnes in deputatione unius judicis commissarii ad litem hanc absolute dirimendam; et unanimiter elegerunt senatorem meum, *Raphaelem Laurentium Duraës*, à Collimbriensi academia in jure canonico laureatum, tunc judicem residuorum, postmodum vero vicarium generalem ejusdem metropolis; coram quo factis à recurrente variis actibus approbativis, cum eandem moram protraheret, citatus tandem ad bona defuncti, quorum inventarium ab eodem ecclesiastico judice factum fuerat, et citationi non obtemperans, ad instantiam legatariorum in ecclesiasticum carcerem detrusus est.

II. A quo aufugiens præsentem recursum interposuit, duplici nixum fundamento, videlicet, ex adstrictione prædicta, cum foret laicus, et ex consequente bonorum defuncti sequestratione, licet ad instantiam partium facta, ex probabili dilapidationis timore.

III. Allegabat tamen residuorum judex, quod nullatenus violentiam recurrenti incussisset; quia, cum legata, secundum ipsammet regiæ ord. legem, l. 1. tt. 62. § 2. intra annum diemque adimpleri debeant, ita taliter, ut, prædicto termino elapso, possit judex competens testamentarios ad legatorum expletionem compellere, et cogere, eadem ord. d. § 2. et 4. et, hoc etiam valere judicem ecclesiasticum, utpote competentem ad executionem piorum legatorum, nemo erat, qui dubitaret, ex cap. *Si hæredes*, 6. de testam. Cevall. comm. q. 374. n. 8. Azeved. in l. 7. tt. 4. l. 5. recopilat. l. 5. Dian. p. 8. tr. 5. resol. 52. in princ. Villalob. in sum. p. 2. tr. 30. dif. 26. n. 20. Sanch. 4. consil. c. 1. dub. 54. n. 8.

IV. *Judex enim ecclesiasticus est competens etiam inter laicos pro legatis piis, gloss. in c.* Relatum, *de testam. ubi Covarr. in fin.* Est etiam text. in l. *Hæreditas*, § *Si defuncto*, ff. de repet. hæred. *ubi notant Barth. et Bald. Tiraq. de pia caus. privileg.* 149. *Giurb. et Laud. p.* 3. *imput.* 1. 9. *Themud. p.* 1. *dec.* 82. *n.* 11. *et dec.* 98. *n.* 11.

V. Ex his sequebatur, posse utique recurrentem cogere, non obstante, quod laicus incederet, ad executionem, atque adimpletionem piorum legatorum à testatore ordinatorum, supposita spontanea acceptatione recurrentis testamentarii muneris, ut ad longum prosequitur Spin. de testam. gloss. 28. n. 20. Barb. de univ. jur. eccles. l. 3. c. 27. n. 30. Amostaz. de caus. pis, tom. 1. l. 1. c. 12. n. 17. et consequenter posse eundem capere, et ecclesiastico carceri amandare, quoad exequeretur satisfactionem:

VI. Cum de jure certum foret, quod *judex ecclesiasticus, in causis ad suum forum pertinentibus, laicos capere possit per suos ministros absque invocatione auxilii brachii sæcularis, juxta terminos Concilii Trid. sess. 25. de reform. c. 3. quod quidem indubium est post legem Sebastianam*, ut post longam puncti discussionem resolvit tandem Gabr. Per. dec. n. 11. et seqq. Themud. p. 2. dec. 146. et p. 3. dec. 225. n. 2. et 3.

VII. Quod ulterius comprobatur, ex eo, quod testamentarii, ut meri bonorum testatorum administratores, depositariis æquiparantur, Grat. for. c. 665. n. 1. et 15. et seqq. Salgad. cum plurimis in Laber. creditor. p. 1. c. 13. § 1. n. 21. et seqq. et incontroversum est, quod depositarii citati, aut notificati, ad bona retenta exhibenda, si non pareant, capi, et adstringi possint, ex ord. reg. l. 4. tt. 49. § 1. et tt. 76. § 5. Peg. for. c. 3. n. 95. et seqq. et in specie Salgad. cit. n. 22. et cap. 41. n. 12. et seqq.

VIII. Et si forsan objiceretur legatorum piorum executionem esse quidem mixti fori, proindeque locum dari jurisdictionis prævention; ex hacmet formali ratione concludebat residuorum judex, sibi equidem spectare hujusce testamenti, eorumque legatorum executionem, ob certam prævention, et competentiam judicii ecclesiastici, etiam ex nova alternativæ lege: imo sufficere pro se opinionem probabilem ad recursus remedium extraordinarium excludendum, Salg. de reg. prot. p. 1. c. 2. § 3. n. 26. Per. de man. reg. c. 22. n. 5. et cum plurimis Portug. de donat. p. 2. c. 31. n. 27.

IX.

IX. Præſertim cum remedia ordinaria adhuc non exhauſerat, neque etiam intentaverat; prius enim remedia ordinaria, quam extraordinarium recurſus, inſumi debent, Cevall. de cognit. per vi viol. in proœm. n. 210. Soar. Granat. adverſ. reg. Angl. l. 4. cap. 34. n. 33. Per. de man. reg. c. 4. per tot. Salg. 2. c. 1. n. 39. et c. 12. n. 19. et 30. Valaſc. conſ. 45. n. 5. Portug. cit. n. 27. et n. 31. et eſt proloquium commune deductum ex l. *In cauſa*, 17. ff. de muror. Barb. axiom. verb. *Remedium*, n. 62. ord. l. 3. tt. 41. § 2. Moraes de execut. inſtrum. l. 2. c. 20. n. 82.

X. Denique exponebat, recurrentem etiam huic extraordinario remedio abrenuntiaſſe, cum propria auctoritate gravamentuli (dato, quod aliquod ei foret incuſſum) tum è carcere aufugiens, tum in novam poſſeſſionem, ſive antiquæ continuationem, bonorum ſequeſtratorum ſeſe introducens; et, ob ſimiles recurſus doloſos, recurrentes in hocmet judicio coronæ puniendos fore, tandem edocebat ex Themud. p. 3. dec. 251. n. 4. et dec. 253. et ex aliis.

ALLEGATIO LIV.

Ejuſdem Reſiduorum Judicis eccleſiaſtici ad primam Chartam rogativam in præmiſſo Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *Teſtator deciſit menſe judicio eccleſiaſtico competente.*
II. *Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*
III. *Subrogatum ſapit naturam ejus, cujus loco ſubrogatur.*
IV. *Poterat procedi contra recurrentem, eo quod fuerit nominatus à teſtatore in ſecundum teſtamentarium cum clerico.*
V. *Ubi judicium cœpit, ibi finiri debet.*
VI. *Eccleſiaſticus adſtringitur ad reddendam rationem in judicio ſæculari per liberam acceptationem teſtamentariam.*
VII. *Similiter ſæculares ad eandem rationem in judicio eccleſiaſtico reddendam.*
VIII. *Quod fortius urget eum, qui poſt acceptationem varios actus approbativos exercuit.*
IX. *Laici poſſunt prorogare juriſdictionem judicis eccleſiaſtici.*
X. *Laicus teſtamentarius monetur ab epiſcopo ad adimplenda legata; et ſufficit monitio verbalis.*
XI. *Teſtamentarii ſunt meri adminiſtratores, et veluti depoſitarii bonorum illorum.*
XII. *Quando alicui licet plus, licet etiam minus.*
XIII. *Captus pro debito, ſi non ſolvit, poteſt urgeri cum executione reali.*
XIV. *In executivis ſemper permittitur variatio de re ad perſonam, et contra.*
XV. *Et pro illis ſufficit monitio verbalis.*
XVI. *Teſtamentarii æquiparantur depoſitariis, et eidem judicio æquiparatorum ſubjiciuntur.*
XVII. *Pro defectu proceſſus, ad ſuperiorem judicem eccleſiaſticum recurritur, non ad ſæculare judicium.*
XVIII. *Laicus poteſt capi à judice eccleſiaſtico abſque auxilio ſæculari ex conſuetudine.*
XIX. *Et ex diplomate regis Sebaſtiani, à Themudo graviter ponderati.*
XX. *Et eſt ſæpe deciſum.*
XXI. *Recurrentis intentio erat in damnum etiam propriæ conſcientiæ; et, in dubio, pro juriſdictione eccleſiæ judicandum.*

Expedita de more prima charta rogatoria, et judici reſiduorum præſentata, in excuſationem illius executionis ſequentem eidem adjecit allegationem.

I. OPPONEBAT igitur, 1. Teſtatorem decediſſe menſe Januarii, judicio eccleſiaſtico alterne competente, juxta novam concordiæ legem, apud Themud. dec. 350. quam quidem, loco prævention is ab ordin. lib. 1. tt. 62. § 4. decretæ, ſubintrâſſe oſtendebat.

II. Et cum utraque lex, tam nova, quam vetus, indiſtincte loquebatur de legatis, tum piis, tum profanis, et pariformiter de teſtamentariis, ac legatariis, tum laicis, tum eccleſiaſticis, *non diſtinguente lege, neque nobis liceret conſequenter inter utroſque diſtinguere*, Surd. conſ. 51. n. 7. et conſ. 182. n. 15. Gam. dec. 105. n. 2. Eſcob. de ratiocin. c. 18. n. 47. Flamin. de reſignat. tom. 2. l. 12. q. 5. n. 22.

III. Et multo minus in concordia illa, loco prævention is in ordin. reg. cit. diſpoſitæ, ſubrogata, cum *ſubrogatum ſapiat naturam ejus, cujus loco ſubrogatur*, Tiraquell. de jur. primog. q. 40. n 43. Surd. dec. 35. n. 9. et dec. 306. n. 5. Eſcob. cit. c. 15. n. 2. Gonſal. ad reg. cancellar. gl. 5. § 9. n. 99. Et poſſe teſtamentarios laicos cogi à judice eccleſiaſtico, ut competente, ad teſtamentorum executionem, etiam poſt alternativam, tenent, et probant Oliveir. de munere proviſ. c. 2. § 15. n. 50. Guerr. de invent. l. 4. c. 6. n. 25. Peg. de majorat. tom. 1. c. 5. n. 317. et 318.

IV. Et hinc clare deducebat, potuiſſe adverſus recurrentem, modo præmiſſo, procedere; necnon ob aliam etiam claram rationem, videlicet, ex eo, quod recurrens nominatus fuerit à teſtatore in ſecundum teſtamentarium, ſimul cum clerico in primum deſtinato; proindeque judicio eccleſiaſtico ſane ſubjacebat, ut, etiam poſt concordiam, tenebat Peg. ad ordin. l. 1. tt. 50. ad rubr. c. 5. per tot. et ſignanter n. 209. et 218. et 219. præſertim cum recurrens ſe eidem judicio noviter ſubjecerit poſt inventarium factum à primo teſtamentario clerico, et poſt inceptam in eodem rationum redditionem.

V. De jure autem ſtabilitum eſt, quod *ubi judicium cœpit, ibi finiri debet*; l. *Ubi cœptum*, ff. de judic. Surd. conſ. 57. n. 2. et conſ. 222. n. 11. Card. in prax. verb. *Lis*, n. 35. Ricc. in prax. dec. 596. n. 3. Valaſc. conſ. 136. n. 2. et per novam obligationem ab ipſo in eodem judicio ſubſtrictam, qua ſeſe adſtrinxit ad rationes in eodem reddendas.

VI. Sicut per ſimilem acceptationem et obligationem eccleſiaſtici, et regulares magis privilegiati, quam recurrens, etiam ſæculari judicio manent adſtricti, Muños de ratiocin. c. 7. n. 8. et ſeqq. Fermoſin. de judic. in cap. *Qualiter*, q. 7. n. 8. Barb. de jur. eccleſ. l. 1. c. 39. § 2. n. 126. Ricc. de public. judic. q. 40. n. 7. Cancer. Var. c. 7. n. 159. Giurb. obſ. 3. n. 26. Cortiad. dec. 227. Capyc. Larr. conſ. 103. Monacell.

VII. Quod à pari tenendum eſt de ſæcularibus eandem acceptationem in judicio eccleſiaſtico facientibus, vi cujus eidem judicio ſubjiciuntur, et valent ab eccleſiaſtico judice compelli, Rovit. dec. 38. n. 8. et 9. Pilo dec. 11. n. 112. Cabed. dec. 80. et 81. Altimar. de nullit. tom. 8. rubr. 2. et 3. q. 1. ſect. 1. n. 1276. et terminantiſſime Amoſtaz. de cauſ. pi. tom. 2. l. 6. c. 5. n. 24. et 26. et tom. 1. l. 1. c. 12. n. 17. ubi ſic tenet: *Intra id tempus, ſi negligens fuerit executor, et nec legata pia adimpleat, poterit ab epiſcopo compelli ad eorum adimplementum, d. c.* Nos quidem, 3. c. Joannes, 14. *de teſtam. l.* Nulli, 28. *cod. de epiſcop. et cleric. quod non ſolum intelligas, quando executores clerici ſunt, ſed etiam quando ſæculares.*

VIII. Quæ doctrina fortius urgebat, ac premebat recurrentem, qui poſt eam acceptationem plures actus approbativos libenter in eodem judicio fecerat, ſufficientiſſimos ad judicium prorogandum, caſu, quo incompetens foret, præſertim ex libera, et ſubſcripta ab eo obligatione prædictum judicium non declinandi, ex tex. in l. *Sed etſi ſuſceptt*, ff. de judic. l. ultim. cod. de except. Alex. in 2. n. 17. Jaſon. n. 39. ff. *Si-*

ff. *Siquis in jus voc.* Menoch. l. 2. præſumpt. 19. n. 6. cum multis, Carleval. de judic. tt. 1. diſp. 2. n. 998.

IX. Opponebat, 2. Conſtantem etiam eſſe opinionem, imo et veriorem, ex c. *Significâſti*, de for. compet. laicos quidem poſſe prorogare judicis eccleſiaſtici juriſdictionem ; ibi DD. communiter cum Abb. n. 14. et cum Bartol. et Bald. in l. 1. § *Poſt operis*, ff. de appellat. et eam communem dicit Curt. in l. 2. n. 6. ff. de jud. abb. in cap. *Cauſam, quæ*, ubi Felin. n. 1. de re jud. Peres in l. 6. tt. 1. l. 3. Azeved. lib. 4. tt. 1. p. 11. n. 16. Barb. de judic. lib. 1. art. 3. n. 133. Cacher. dec. 78. n. 1. et 2. Viv. dec. 125. n. 2. Aufr. de pot. eccleſ. ſup. laic. n. 25. Natt. conſ. 413. n. 4. tom. 2. et pro illa judicatum refert Themud. in judic. coronæ Ulixbonenſ. dec. 100. et fin. dec. 253. n. 3. et 4.

X. Pro licitudine autem, ac validitate procedimenti præhabiti adverſus recurrentem, ſuppoſita iſtius voluntaria teſtamentariæ acceptatione, non obſtante quod laicus incederet, faciebat diſpoſitio ordin. l. 1. tt. 62. § 2. et doctrina expreſſa Valaſc. conſ. 105. n. 61. et Molin. de juſt. et jure, tr. 2. diſp. 150. et aliorum ap. Barb. in remiſſ. ad ordin. d. tt. 62. § 4. et diſpoſitio auct. *de eccleſiaſt. titulis*, § *Siquis autem :* ubi moneri jubet ab epiſcopo teſtamentarium omittentem legata adimplere ad bonorum, et rerum legatarum exhibitionem ; quæ quidem monitio ſufficit, quod ſit verbalis ab ipſo judice, vel per epiſtolam, aut per nuntium ; ut tenet Molin. diſp. 251. § 2. Sanch. l. 4. opuſc. c. 1. dub. 56. n. 3.

XI. Teſtamentarii autem non niſi adminiſtratores meri, et veluti depoſitarii bonorum illorum evadunt, ut ſuperius cum Gratian. Salgad. et Peg. For. oſtenſum remanet. Cum autem recurrens per quinquennium legata exequi neglexerit, quod ex actis conſtabat, et nihil proficerent præmiſſæ admonitiones ad bonorum exhibitionem reddendam, licitus deducebatur proceſſus ad capturam rei, et ad bonorum illorum ſequeſtrationem.

XII. Nam, *quando alicui licet plus, licet etiam minus*, l. *Non debet*, ff. de reg. jur. in 6. auct. *Multo magis*, cod. de ſacroſ. eccleſ. cap. *Cui licet*, 53. de regul. jur. in 6. Farinac. in prax. p. 4. conſ. 60. n. 109. Surd. dec. 268. n. 20. Pereir. de nominat. emphyteuſ. q. 21. n. 65. V. Pinheir. in append. de teſtam. ſect. 1. § 5. n. 49.

XIII. Deinde captus pro debito, ſi non ſolvat, poteſt urgeri cum executione reali, Poſth. de ſub haſt. inſp. 27. n. 20. Rott. dec. 623. n. 4. Cor. Merlin. dec. 53. n. 12. et dec. 122. n. 16. et dec. 161. n. 24. p. 6. recent. et aliis apud Salgad. Laber. credit. dec. 122. n. 16. et dec. 161. n. 24. ibi :

XIV. *In executivis ſemper eſt permiſſa variatio de re ad perſonam, et de perſona ad rem, et de re ad rem*, ex theorica Bartholi communiter recepta in l. *Conſentaneum*, n. 17. cod. *Quando, et quomodo jud.* Gratian. c. 593. n. 6. Cancer. var. reſ. p. 1. c. 17. n. 49.

XV. Neque obeſſe videbatur, quod ad procedimentum hoc prærequireretur monitionis, aut notificationis factæ recurrenti accuſatio formalis in audientia : cum, juxta prædicta, ſufficeret quod verbaliter tantum à judice fieret, ſuperflua erat accuſatio illius in audientia publica ; tum quia in audientia, vel in judicio, notificationes verbales, aut per epiſtolam, accuſari non ſoleant ; tum quia etiam citationes formales factæ depoſitariis ad depoſitum exhibendum, etiam in ſæculari judicio, tranſacto termino, abſque ulla prævia in audientia accuſatione, exequi ſolent cum reorum captura :

XVI. Quod quidem locum habere in teſtamentariis, eo quod meri depoſitarii reputentur ; et depoſitariis æquiparentur ; nam *de æquiparatis idem debet fieri judicium*, Roland. conſ. 27. n. 2. et 5. l. 1. Gabr. conſ. 21. n. 3. et ſeq. l. 1. Cephal. conſ. 257. n. 17. et ultra ; Menoch. de arbitr. caſ. 88. n. 8. Ricc. dec. 223. n. 4. p. 2. Surd. conſ. 384. n. 22. Barb. axiom. 14. n. 1. et 2.

XVII. Deinde, iſtius accuſationis defectus, quando talis foret, utique erat defectus proceſſus, de quo recurrens ad ſuperiorem eccleſiaſticum judicis ipſius gravamen, vel recurſum interponere deberet, et minime ad ſæculare tribunal, Per. de man. reg. c. 9. n. 3. et, juxta regiam ordinat. apud noſtrates, defectus, aut error proceſſus, non attenditur, ſemel quod de veritate conſtet, et per hanc agnitam judicare jubetur, ordin. lib. 3. tt. 63. in princ. Quæ diſpoſitio fortius urget in eccleſiaſtico judicio, ubi conſcientias humanas expurgare, exonerare, atque ſedare ſpectat, Guid. Pap. dec. 292. n. 1. Aug. Barb. collect. ad l. *In contractib.* n. 12. *de except. non numer. pecun.*

XVIII. Neque etiam obſtare dicebat, quod recurrens abſque auxilio ſæcularis brachii captus fuiſſet ; tum ex conſuetudine generali, immemorialique in hac diœceſi, et reliquis Portugalliæ, teſte Themud. dec. 98. n. 16. et conſtat ex ipſiſmet ſingularibus conſtitutionibus diœceſanis ; quam conſuetudinem admittit ordin. reg. l. 2. tt. 9. § 1. quæ quidem conſuetudo prævalida eſt et ad infringendam legem in contrarium, caſu quo daretur, vel ad eam interpretandam, titulum conſtituendum, atque juriſdictionem conferendam, ut docet M. Soar. deleg. lib. 7. c. 18. n. 11. Leſſ. de juſt. et jur. l. 6. c. 6. n. 45. Filiuc. tom. 2. tr. 21. cap. ultim. n. 429. Peregr. de jur. fiſc. l. 1. n. 65. Barb. in l. *Quominus*, n. 30. ff. de fluminib. Valaſc. conſ. 105. n. fin. Gabr. Per. dec. 117. n. 9.

XIX. Et, ſuppoſito Sebaſtiano diplomate ann. 1569. res indubia erat, ſuperaddito validiſſimo argumento à Themud. dec. 98. n. 20. dilemmatice objecto, ſuper eadem Sebaſtiana proviſione, quæ vel mera declaratio conciliaris diſpoſitionis Tridentinæ foret ; vel ut regia donatio, aut conceſſio, noviter eccleſiæ facta, acciperetur ; utique omnino irrevocabilis remaneret, ex doctrin. Soar. M. contra reg. Angl. c. 30. n. 6. Gabr. Per. dec. 117. n. 40. et ex aliis apud cit. Themud. neceſſario videndis.

XX. Ex quo etiam pro ſe allegabat caſum ibidem judicatum relatum, quatenus ex allegatione ipſiuſmet regii procuratoris conſtabat ibidem, n. 39. *Poſſe quidem judicem eccleſiaſticum cogere ad reſpondendum in ſuo judicio laicos quidem, non hæredes, ſed teſtamentarios dumtaxat.* Et ex formalibus verbis illius recurſus ſententiæ ; ibi : *Et quod ad executionem, atque adimpletionem legatorum, pro bono animæ prædictæ defunctæ ordinatorum, teſtamentarios nominatos, qui bona defunctæ vendiderant, coegiſſet, et ipſi apud eum reſpondiſſent, ut tenebantur, ſecundum ſtyli formam ; per decretum, et ſententiam ſtabilitam*, &c.

XXI. Et tandem, recurrentis intentionem eſſe in damnum propriæ, et alienæ animæ, teſtatoris videlicet, atque notorium tertiorum præjudicium, proindeque contra jus publicum, clare oſtendebat ; *publice* enim intereſt ſupremas morientium voluntates exitum habere, et in id omni ſtudio magiſtratus invigilare ; l. *Vel negare*, ff. *Quemadmod. teſtam.* l. 1. cod. de ſacroſ. eccleſ. Plin. jun. l. 2. ep. 16. et l. 4. ep. 10. Tiraq. Mainard. et plures alii relati à Valenſ. conſ. 124. n. 24. tom. 2. Solorſ. de jur. Ind. l. 3. c. 3. ex n. 65. et c 6. n. 65. et lib. 4. c. 7. n. 2. Guerr. de invent. lib. 4. c. 7. n. 129. Et ultimo, quod, *in dubio, in favorem eccleſiæ, et ejus juriſdictionis, judicandum*, Soar. contr. reg. Angl. l. 4. cap. 34. n. 33. Cevalh. de cogn. per vi viol. toll. p. 1. gl. 1. n. 34. Mart. de jur. p. 2. c. 6. n. 6. et p. 4. caſ. 164. n. 1. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. n. 34. et 35. et q. 12. n. 39. Utrum vero, poſt duplicis rogativæ chartæ expeditionem, et præſentis allegationis objectationem, ad ultimum in ſtatus palatino ſenatu decretum ſumendum, deventum fuerit, non recordor ; et veroſimilius mihi videtur, non deventum fuiſſe, quinimo in hac allegatione curſum recurſus ſubſtitiſſe.

ALLEGATIO LV.

Promotoris ecclesiastici in Controversia Reclamationis regularis Professionis cujusdam Fratris Eremitarum D. Augustini intra Quinquennium.

SUMMARIUM.

I. *Facti series.*
II. *Reclamans obtinuit à suis capitularibus, ut judices competentes adiret.*
III. *Objecit impedimenta instantiæ prælatorum regularium pro denuntiatione censurarum populo.*
IV. *Non deferentes ejus supplicationi pro congruis alimentis, de facto ad sententiam expulsionis processerunt.*
V. *Procedimentum vicarii generalis vicissim ob impedimentum jurisdictionis.*
VI. *Conservatoris deputati procedimentum multipliciter excessivum de facto, non probata, neque judicata notorietate violentiæ.*
VII. *Judicium quoddam, quo nixus conservator processit, refutavit promotor.*
VIII. *Solus provincialis illegitime deputationis literas subscripsit.*
IX. *Publicus excommunicatus, saltem quoad forum externum, utraque voce, et omni jurisdictionis exercitio est privatus.*
X. *Deputatio etiam illegitime absoluta erat, et non restricta ad quinquennium.*
XI. *Conservator regularium pro tota provincia debet eligi saltem à toto capitulo provinciali, et pro quolibet conventu à prælato conventuali cum consiliariis suis.*
XII. *Privilegium societatis eligendi conservatores ultra judices synodales, et transacto termino, est speciale.*
XIII. *Alii regulares vel simile privilegium, vel hujusmodi participationis, debent exhibere coram ordinario.*
XIV. *Dispositio B. Gregorianæ super excessibus conservatorum.*
XV. *Suffragantur DD. scribentes post illam.*
XVI. *Conservator non potest tribunal erigere, neque specialem notarium creare.*
XVII. *Si utrum efficiat, excedit, et usurpat ordinarii jurisdictionem, et ejus punitioni subditur.*
XVIII. *Ante exercitium alicujus actus jurisdictionis, debet coram ordinario deputationis literas exhibere.*
XIX. *Verba* exhibere, *et* demittere, *innuunt subjectionem impedimentis.*
XX. *Conservator excedit, si medium arbitrorum rejiciat, et incipiat à citatione ministri curiæ episcopalis cum comminatione censurarum.*
XXI. *Nequit conservator procedere ut judex in eadem causa, in qua vices partis egerat.*
XXII. *Nequit etiam procedere, nisi violentia plene probata, et judicata, eo plane modo, quo in coronæ regio judicio.*
XXIII. *Validitas electionis illius, altiorem indaginem requirebat.*
XXIV. *Ejus jurisdictio non extenditur ad injurias non manifestas, nec requirentes altam indagationem.*
XXV. *Non est notorium, quando ordinarius se solo non posset inquirere testes ad instantiam reclamantis ad perpetuam rei memoriam.*
XXVI. *Ordinarius, ut talis, et non ut delegatus, intrat conjudicium reclamationis professionis.*
XXVII. *Est plurimorum DD. assertum.*
XXVIII. *In casu nullitatis professionis ex defectu ætatis, judicat solus ordinarius, eo quod dubium potius in jure, quam in facto sistat.*
XXIX. *Antiquitus jure ordinario, et non delegato, reclamationis cognitio ordinariis locorum utique pertinebat.*
XXX. *Concilium Trident. noluit prælatum regularem se solo hanc causam judicâsse, quia erat judex suspectus.*
XXXI. *Quando causa committitur duobus,* ut delegatis, *unus sine alio judicare nequit; non ita vero, quando committitur,* ut ordinariis.
XXXII. *Confirmatur ex eodem Concilio Trident.*
XXXIII. *Laudatur Fagnan. appositè.*
XXXIV. *Juxta aliquos, in hoc conjudicio prælatus regularis* ut delegatus, *episcopus autem* ut ordinarius *procedit cumulative, adinstar ordinarii, et inquisitoris.*
XXXV. *Validitas duplicis procedimenti vicarii generalis adversus conservatorem, et prælatos regulares.*
XXXVI. *Conservator quomodolibet excedens incidit in suspensionem officii à jure.*
XXXVII. *Et subjicitur punitioni ordinarii loci, in cujus territorio delinquit.*
XXXVIII. *Et à fortiori, si in aliquo turbet, aut lædat ordinarii jurisdictionem, usque ad n.* LVI.

I. E Collegio Eremitarum Divi Augustini hujus civitatis Goanæ aufugiens *Fr. Philippus ab Apræsentatione*, in eadem religione solemniter, licet coacte professus (ut ipse coram aliquibus ejusdem familiæ religosis declarârat) ad australes oras, ab episcopo alieno in sacris ordinibus illegitime initiandus discessit, eo quod in examine Goæ, pro eisdem suscipiendis, adito, non fuerat approbatus. Quibus pro voto institutus regrediens, et ad paternam domum divertens, bis à me supplicavit admissionem ad nullitatem suæ professionis probandam, juxta Concilium Trid. decretum, eo quod intra quinquennium, ibidem præfixum, consisteret. Cui tamen non detuli, motivum allegatum, minus verum reputans, tum ex egressu ipso suscipiendorum ordinum gratia pure arrepto, tum ad declinandam expulsionis sententiam, quam à prælato regulari prominentem pertimescebat.

II. Certior tamen factus ab illius provinciali de prævia coactionis protestatione prædicta, et de delatione capituli generalis anni 1729. in alia supplicantis petitione pro propria professione annullanda, cui capitulares PP. detulerunt, ut *judices competentes adiret*, imo rogatus insuper ab eodem provinciali, supplicationem reclamantis admisi, et causam meo generali vicario commisi.

III. Et postmodum prælatis ejusdem religionis à me denuntiationem reclamantis ad populum, ob contractam ex apostasia excommunicationem, supplicantibus, et ut eundem sub eadem pœna notificare juberem, ad hoc, ut ad religionem sese reciperet, etiam in ordine ad reclamationis causam peragendam; et tandem ut adversus omnes, etiam regulares, in apostasia cum faventes per censuras procederem; opposuit actor ipse huic requirimento opportuna impedimenta; quorum quidem duos tantum articulos recepi, videlicet ex præventione in causa, et ex litis pendentia coram generali vicario; à quo jam reclamans, generali procuratore notificato, expeditionem obtinuerat pro testibus ad perpetuam rei memoriam ad illius instantiam inquirendis.

IV. Prælati autem regulares, quos actor reclamans jam tunc recusaverat, et appellationes ab eis interposuerat, cum reclamationis causam, et sententiam super ea impedire deliberaverant, et novam supplicationem reclamantis pro alimentis congruis, durante lite, contribuendis, et minime ab eis interim molestia aliqua afficiendi, declinare affectantes, ad sententiam expulsoriam de facto processerunt, quam statim reclamanti intimaverunt, et vicario generali copiam remiserunt.

V. Qui tamen ex ejusdem terminis, ac formalitate deprehendens, prolatam fuisse de industria ad reclamationis causæ progressum, sententiamque finalem, et exercitium ordinariæ jurisdictionis impediendum, atque perturbandum, præsertim quoad notificationes ipsismet prælatis, ejusdem generalis vicarii jussu factis, de non vexando, aut molestando reclamante, reclamationis lite pendente; processit vicissim vicarius generalis ad declarationem ipsorum prælatorum tum in censuras juris competentes, tum in comminatas ab

homine.

homine in notificationibus præmiſſis. Quare ad deputationem conſervatoriæ in perſona illuſtriſſimi Malacenſis feſtinârunt, cum defectibus ſubſtantialibus infra expreſſis.

VI. Qui quidem deputatus conſervator, qui prius violentia coram ipſo probarctur, ſed eam probatam, atque judicatam reputans in quodam ſuper ea theologico judicio, à quodam ejuſdem Eremiticæ familiæ religioſo ſibi præſentato, etiam de facto, et cum exceſſibus, atque notoriis tranſgreſſionibus inferius exponendis, vicarium generalem per proprium et ſpecialem, à ſeipſo creatum, notarium, intra ipſammet eccleſiam primatialem, plurimis ſervis armatis, et quatuordecim Eremitis ſtipatum, excommunicatum declaravit, et meipſum ſequenti die ab officio, ac beneficio, etiam ex abrûptò denuntiavit ibidem (prætextu quod notorium foret meum vicarium meipſum de gravioribus cauſis conſulere) per eundem notarium majori, tum ſervorum, tum religioſorum armatorum ſatellitio circumſeptum; qui quidem religioſi adverſus canonicos, et clericos, politice eos ſuadentes, ne intra eccleſiam Dei facinora illa perpetrare deliberarent, armis mere offenſivis, et etiam à ſæcularibus legibus interdictis, ſacrilege, et cum effectu inſurrexerunt.

VII. Illud autem theologicum judicium, ampliatum etiam ad præſentia utrinque procedimenta, et publicum effectum, ſequenti allegatione pleniſſime refutavit promotor, defectus, ac nullitates ex adverſo, et licitudinem, ac validitatem, proceſſuum judicis ordinarii, ſingulariter ſic oſtendens:

Sect. I.

Nullitates, at defectus, ex parte deputationis conſervatoris.

VIII. Prima erat, Quia unici electores fuerunt, vel ſolus provincialis (qui ſolus chartam deputationis die 15. Februarii ann. 1730. ſubſcripſerat) vel ſimul prior conventualis, qui triduo ante electionem publice denuntiati fuerant excommunicati vitando ab eodemmet vicario generali.

IX. Et certum eſt, quod publicus excommunicatus, ſaltem quoad externum forum privatur voce activa, et paſſiva eligendi, et totius uſus, atque exercitii juriſdictionis ſpiritualis, et eccleſiaſticæ, cap. *Cum audivimus*, 24. q. 1. c. *Poſtulâſti*, de cler. excom. c. *Si is, cui*, de offic. deleg. et c. 1. de offic. vicar. in 6. Gonſal. ad reg. 8. gl. 58. Buſemb. l. 7. c. 2. dub. 3. § 7. Monacell. 3. p. in prælud. § 4. Pignatell. tom. 9. conſ. 160.

X. Secunda, Quia electio, et deputatio prædicta erat illimitata, et non reſtricta ad quinquennium, ſecundum expreſſum Trid. decretum, ſeſſ. 14. c. 5. de reform. et expreſſam diſpoſitionem bullæ *Sanctiſſimus*, Gregor. XV. quare nulla utique evaſit ex eodem Concilio, et bull. Gregor. § 3. ibi: *Siquæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda, nullius ſint roboris, vel momenti*, Gav. verbo *Conſervatores*. Et electores præjacti ſuſpenſionem vocis activæ, et paſſivæ, Papæ reſervatam incurrerunt, ex cit. bullæ in expreſſa clauſula, § 4. *Qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam, eligere . . . auſi fuerint, regulares quidem voce activa, et paſſiva, ſint ipſo jure privati . . . reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ coerceantur: et prædictorum omnium conventus, monaſteria, perſonæ, ac bona, careant conſervatore ad annum*, &c.

XI. Tertia, Quia conſervator deputatus tantummodo fuerat ab uno, vel duplici prælato ſupradicto dumtaxat, cum eligi, et reputari debuiſſet à toto definitorio, vel capitulo provinciali, ſi electus fuiſſet pro tota provincia; vel ſaltem à prælato conventuali ſimul cum conſiliariis, aut deputatis ſuis, ſi fuiſſet pro unica domo, aut conventu, electus, ex generali ſtylo, Cirin. nex. utr. juriſd. c. 6. Piaſec. p. 2. c. 13. n. 3. Panimol. dec. 84. c. 6. n. 22. citans Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 49.

XII. Quibus duplex alia non deſpicienda ſuperaddebatur ratio; videlicet, prima, Quod electio fieri deberet ante, et non poſt controverſiam, ut deduci videtur ex cit. bull. Gregor. § 6. Secunda autem, quod, ſemel quod electio facta non fuit ex judicibus ſynodalibus *infra ſex menſes* ibidem taxatos, debebant ordinario præſentare privilegium, et uſum illius ad conſervatorem, illo termino tranſacto, adhuc eligendum, Deluc. de regular. diſc. 51. Pignatell. tom. 10. conſ. 95. et 96. et Monacell. infra cit.

XIII. Nam, quamvis declaratum ſit à Sacr. Congr. ann. 1648. *Jeſuitas*, virtute bull. Gregor. XIII. ubi adfuerint judices ſynodales, poſſe alios in conſervatores eligere, *dummodo in reliquis ſervetur form. conſtit. Greg.* XV. attamen debebant ſubjecti electores, vel ſimile privilegium, vel conſimilis participationis præſentare, juxta præcit. AA. et deciſum reperitur à Sacr. Congr. ſub Innoc. X. ann. 1648. ordinarios non teneri hujuſmodi aſſertioni fidem adhibere, abſque integrali privilegiorum exhibitione. V. Monacell. 1. p. in append. ad d. bull. Gregor. n. 14. et p. 3.

Sect. II.

Defectus, ac nullitates, ex parte procedimentorum illuſtriſſimi nominati conſervatoris.

XIV. In præfata Gregor. bull. § 11. ſequentia diſponuntur: *Quod, ſiqui conſervatores, ſive in hac parte, ſive alias quomodolibet, ſuos limites exceſſerint, per annum ab officio conſervatoris hujuſmodi ſuſpenſi ſint; et pars, quæ hoc fieri procuraverit, ſententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius conſtitutionis ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris, quæ incipit*, Hac conſtitutione; *quam Sanctitas ſua in omnibus, quæ præſenti conſtitutioni non adverſantur, innovavit, et innovat.*

XV. Idem reſolvunt omnes DD. poſt prædictam bullam hac de re tractantes, videndi apud Cardin. Petr. tom. 4. in conſt. 10. Eugen. IV. n. 11. Monacell. p. 1. in d. append. et p. 3. tit. 1. form. 48. n. 23. Deluc. cit. de juriſd. et de regular. Paſſerin. cum reliquis DD. in c. fin. de offic. deleg. in 6. quod autem impræſentiarum illuſtriſſimus conſervator, etiam dato, quod ejus deputatio valida foret, facultates ſuas notorie exceſſerit, demonſtrabatur ——

XVI. 1. Quia tribunal erexerat proprium, et ſpecialem pro hac cauſa notarium creando, ut ex ipſa formali creatione, à tergo ſuæ deputationis chartæ, propria manu exarata, et proprio ſigno munita, et ex formali ipſius creati notarii acceptatione pariformiter proprio ſigno, et characteribus, facta eadem die, ante illius chartæ præſentationem, ſeu exhibitionem coram ordinario, conſtabat manifeſte: cum, juxta Gavant. verb. *Conſervatores*, notarium ſibi ſumere deberet, *curiæ tantum epiſcopalis*; *habentem*, ſcilicet, jam antecedenter, *facultatem acta ſcribendi in cauſis eccleſiaſticis*, ut declarat Barb. p. 3. de ep. alleg. 106. n. 51. et docent Pignatell. tom. 2. conſ. 35. et tom. 4. conſ. 162. citans inter alios Nicol. lucubr. l. 1. tit. 19. § 8. et quandam S. Congr. declarationem in Vicentin. 10. Januar. 1605. et deducitur clare ex Trid. cit. c. 5. ſeſſ. 14. de reform. et ex alia ejuſdem S. Congr. declaratione apud Cardin. Deluca de juriſdict. diſc. 4. n. 14. et Monacell. p. 1. in append. n. 1. Cardin. Petr. loc. cit.

XVII. Unde in prædicta creatione notarii ſpecialis in aliena diœceſi, nedum proprios cancellos tranſgreſſus fuerat aſſertus conſervator, verum et ordinariam uſurpaverat juriſdictionem, cum notoria incurſione in cenſuram can. 17. bullæ Cœnæ, de quo Monacell. cit. p. 3.

XVIII. 2. Quia conſervator, etiam validus, et legitimus, antequam juriſdictionis commiſſæ ullum exerceat actum, debet prius coram ordinario deputationis ſuæ literas exhibere; ex cit. bull. Greg. § 7. ibi: ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi penes acta curiæ *ordinariorum exhibere, et demittere* teneantur; alioquin, eo termino elapſo, quamdiu conſervatores ſecundum formam præſentis conſtitutionis non elegerint, coram *eiſdem ordinariis conveniantur.*

XIX. Verba autem illa *exhibere*, et *demittere*, indicant ſubjectionem deputationis illius curiæ ordinarii pro illius validitate examinanda, et pro impedimentis partium præjudicium, aut intereſſe habentium objectandis,

ctandis, ac dirimendis, Themud. dec. 260. n. 20. Monacell. cit. p. 3. form. 48. Aſſertus autem conſervator, ante illam omnino exhibitionem aſſertam, ſuam exercuit juriſdictionem, tum notarium proprium, et ſpecialem creando, tum citationem vicario generali decernens, et expediens die 1. Maii, cum comminatione cenſurarum, quam quidem notarius ipſe vix mihi electionis chartam præfatam præſentaverat, antequam legi à me poterat, ſtatim immediate tranſiit ad citationem vicario generali in eodem meo palatio intimandam, abſque copia, aut præſentatione illius citationis ordinis, aut decreti, quæ quidem ex prædicti conſervatoris inſtructione ſic exequi per firmatam propriam atteſtationem libere proteſtatus eſt.

XX. 3. Quia conſervator objectis mediis juris, et præſertim deveniendi ad arbitros, ex Trid. d. cit. c. 3. et ex cit. bull. Gregor. § 10. et 11. cœpit ſuæ aſſertæ juriſdictionis exercitium à citatione miniſtri curiæ archiepiſcopalis, quam quidem exequi fecit cum comminatione cenſurarum; proindeque exceſſive, et nulliter, et cum incurſione cenſuræ, ſuſpenſionis ab officio, et reliquarum à jure, de quibus Monacell. p. 3. tt. 1. form. 48. n. 5. et form. 52. n. 27. cum Donat. q. 42. n. 5. Pignatell. tom. 2. conſ. 24. n. 8. Ventrigl. p. 1. annot. 27. et Paſſerin. in cap. fin. de offic. delegat. n. 196. Deluc. miſcell. diſc. 1. n. 67.

XXI. 4. Quia illuſtriſſimus aſſertus conſervator in hac cauſa ſe partem effecerat in quadam ſupplicatione à ſeipſo ſubſcripta, qua à dicto vicario generali ad me recurrebat, ob præfatæ declaratoriæ gravamen, quaſi duorum illorum prælatorum procuratorem ſe conſtituens; proindeque partes judicis aſſumere jam nequibat in eadem cauſa, in qua vices partis obierat, ex l. *Julian.* 2. ff. de judic. l. *Qui juriſd.* ff. de juriſd. omn. jud. et contrarium ſervans exceſſerat, et ſuſpenſionem ab officio certe incurrerat.

XXII. 5. Quia præfatus conſervator non niſi coram eo prius plene probata manifeſta violentia, atque ab eo pro tali judicata, procedere poterat; Deluc. de juriſd. diſc. 49. et de regular. diſc. 1. n. 33. Mend. in prax. l. 2. c. 3. n. 26. Barb. de ep. alleg. 106. n. 18. et poſt talem ſententiam ab eo ſuper prædicta manifeſta violentia latam, tunc virtute illius poſſet procedere pro *tollenda violentia*, eadem forma, atque in coronæ judicio pro violentiis notoriis, à judicibus eccleſiaſticis illatis, reparandis, atque tollendis. In præſenti autem caſu, nec probatio violentiæ illius præceſſit, nec judicium de illa, neque medium aliquod juris prævium, neque diligentia alia præter nullam deputationem præmiſſam, et præſentationem aſſerto conſervatori judicii illius privati à quodam ejuſdem reorum religionis coordinati, et ab aliquibus etiam regularibus externis, in hac conſervatoria intereſſatis, ſubſcripti.

XXIII. 6. Quia validitas electionis illius (etiam dato, quod notorie infirma, et illegitima non foret) ſaltem altiorem indaginem requirebat, et cognitionem judicialem (de quo infra) tum ob memoratos defectus, tum ob expreſſam Gregorianæ bullæ contraventionem; proindeque illuſtriſſimus conſervator illi annuendo, atque electoribus aſſentiendo, et ſtatim de facto procedendo, indubie facultates ſuas exceſſerat, et conſequenter ſuſpenſionem ab officio contraxerat. Quibus addendus (dicebat promotor) ſcandaloſus exceſſus procedendi de facto adverſus metropolitanum ſuum ad ſuſpenſionem ab officio, et beneficio, affectatis, et commentitiis fundamentis ſuppoſitæ notorietatis prædictæ conſultationis vicarii generalis, quin prius illa notorietas probaretur, neque qualitas illius ſufficienter probari poſſet.

Sect. III.

Nullitates ex materiæ defectu.

XXIV. Præmittebat promotor, certum omnino eſſe, conſervatorem nullatenus procedere poſſe, niſi in caſibus violentiæ notoriæ, et manifeſtæ, ex cap. 1. et ultim. de offic. deleg. in 6. ibi: *Ut à manifeſtis injuriis, et violentiis tueantur*; quod et ſub pœna nullitatis ratificatur in d. bull. Gregor. et d. cap. ultim. de offic. deleg. in fin. ubi etiam decernitur, ut, *Si de aliis, quam de manifeſtis injuriis, et violentiis, ſcienter ſe intromiſerint* (conſervatores) *ſeu ad alia, quæ judicialem indagationem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo, per unum annum ab officio ſint ſuſpenſi*, &c. Ubi ad oculum cernitur, conſervatorem ſuam poteſtatem extendentem ad ea, quæ judicialem indagationem requirunt, utique ſuas facultates eo ipſo excedere, et idcirco ab officio, ipſo facto, ſuſpendi, et partes id fieri procurantes excommunicationis ſententiam incurrere.

XXV. Quod autem impræſentiarum, ſuppoſita doctrina Cardin. Deluc. de regular. diſc. 45. n. 4. et 5. docentis, teſtes ad reclamationem, et reliquos actus præparatorios ad illam, imo et ipſammet reclamationem, effici, et exhiberi quidem poſſe coram utrolibet conjudicum *ſolitarie*, dummodo ſententia ab utroque *ſimultanee*, aut conjunctim proferatur; ſuppoſita etiam doctrina Gaſparr. inſt. can. p. 1. tt. ultim. n. 53. tenentis, allegationem cauſarum ad reclamationem, vel ad annullatoriam profeſſionis ſufficienter deduci diſjunctive, vel *coram ſuperiore* regulari, vel *coram ordinario* (de quo § ſequenti); imo ſuppoſita praxi communi, de qua Themud. dec. 56. et dec. 278. et Vanguerv. p. 4. cap. 14. per tot. poteratne ordinarius admittere reclamantis ſupplicationem ad teſtes, ad perpetuam rei memoriam, juxta ordin. reg. diſpoſitionem, lib. 3. tt. 55. § 7. citatis religionis prælatis inquirendas; præſertim additis aliis hypotheſibus, appellationis ſcilicet, et recuſationis prædictorum prælatorum, et aſſenſus capituli pro recurſu ad competentes judices; et tandem ſuppoſito, quod prælati ſeſe partes adverſus reclamantem, coram ordinario recurrendo, exhiberent; an, ſcilicet, in illis ſuppoſitionibus poterat quidem ordinarius ſe ſolo ad inſtantiam reclamantis inquirere teſtes illos ad perpetuam rei memoriam, prædictis prælatis citatis, imo ad præparationem cauſæ reclamationis ab eo, et regulari prælato judicandæ? Dato, quod evidens, et notorium non ſit, quod poſſet, etiam evidens, et notorium non eſt, quod non poſſet, ſed omnino dubium, et opinabile, proindeque judicialem exigens indaginem; et conſequenter extra limites conſervatoriæ facultatis penitus ſeſe habens: ergo, &c.

XXVI. Hic animadvertendum ducebat promotor, quod quamvis aliqui putarent, cauſæ præſentis conjudicium, tam ordinario, quam prælato regulari, non ut judicibus ordinariis, ſed ut delegatis pertinere; contrarium tamen convincebatur, 1. Ex Trid. d. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi ne verbum quidem, quod judicium delegatum, et non ordinarium ſapiat, ſicuti paſſim præbet, quando aliquid prælatis, ut delegatis, committit, ut videre eſt ſeſſ. 5. de reform. c. 1. et 2. ſeſſ. 6. c. 2. et 3. et ſeſſ. 13. c. 5. et alibi.

XXVII. 2. Ex doctrina Cyrin. nex. utr. jur. cap. 6. n. 129. Antonell. de regim. l. 7. cap. 11. n. 7. Barb. de ep. et aliorum aſſerentium, quod quando monaſterium unitum eſt epiſcopatui, vel ſubjectum juriſdictioni epiſcopi, tunc reclamationis judicium ſoli prælato ordinario, ut tali, pertinet; et pariformiter, quando dubium ſuper profeſſionis validitate provenit ex defectu libertatis: quo caſu uterque prælatus ordinarius, et regularis, non ut delegati, ſed ut ordinarii judices judicium ſubeunt.

XXVIII. Quod ulterius probatur in primo caſu nullitatis ex ætatis defectu, ubi ordinarius, ut talis, ſolus judicium perficit, eo quod tunc dubium potius in jure, quam in facto ſiſtat. Et cum in defectu ætatis ad regularem profeſſionem requiſitæ, et conſequenter in defectu validitatis iſtius, reclamans *de jure* eſt ſubditus ordinario, idcirco tunc is ſolitarie, ut talis, cauſam illam judicat, ex cap. *Siquis*, de regular. Fagn. ad illud, n. 40. et cap. *Cum virum*, n. 15. et eodem tit. In ſecundo autem caſu libertatis defectus, cum dubium potius in facto, quam in jure conſiſtat, videlicet, an reclamans ſpontanee profeſſionem emiſerit, et in hypotheſi illius libertatis ſubditus certe incedit regulari prælato, qui illius judex quidem ordinarius extat; ideo in hoc dubio intrat uterque ſimul ad conjudicium, non ut judices delegati, ſed ut ordinarii quidem, reſpective circa diverſos ſtatus, vel reclamantis, vel ad diverſas habitudines voluntatis illius liberæ, aut coactæ.

XXIX. 3. Quia de jure antiquo cauſa hæc reclamationis, et illius cognitio, ordinariis locorum, jure ordi-

ordinario, et non delegato, utique pertinebat, ut colligitur ex cap. *Perlatum*, de his quæ vi metuve fiunt, c. *Cum ſimus*, de *regular.* et ex doctrina Valentiæ, et Gonſ. Tell. in d. c. *Cum ſimus*, Fagn. in c. *Nullus*, regular. n. 27. et 29. et 31. et ſeqq. et cap. *Statuimus*, c. *Significatum*, c. *Cum virum*, et aliis eod. tit. Concil. Medenſ. tom. 3. concilior. p. 2. ſeſſ. 2. c. 59. in quibus decernitur, pertinere hanc cauſam jure ordinario locorum ordinariis, ut talibus.

XXX. 4. Quia, ut tenet Fagn. cit. in d. cap. *Perlatum*, et d. cap. *Nullus*, n. 32. et ſeqq. ratio, cur Trid. Concilium decrevit, prælatum regularem, non ſolitarie, ſed ſimul cum ordinario, cauſam reclamationis judicâſſe, ea non fuit, quod prælatus regularis, ut proprius reclamantis ordinarius, eam judicare non poſſet, ſed quia erat judex ſuſpectus, ob religionis ejuſdem intereſſe, quæ utique pars in hac cauſa incederet; et ideo conjunxit ordinarium prælatum, utpote inſuſpectum, ad illud conjudicium; ex quo noviter colligitur qualitas judicis ordinarii, et non delegati, utriuſque.

XXXI. Hinc reſpondebat promotor ad jura ex adverſo allegata, videlicet, c. *Cauſam*, c. *Prudentiam*, de offic. judic. delegat. quibus diſponitur, quod quando cauſa duobus, vel tribus committitur, unus ſine alio eam judicare non poſſit. Reſpondebat igitur, verum quidem hoc eſſe, quando cauſa committitur duobus, ut *delegatis*; ut ex titulo ipſorum capitum, *de officio*, ſcilicet, *judic. deleg.* convincebatur; non ita vero, quando duobus, ut *judicibus ordinariis*, committitur, ut patebat ex gl. in d. c. *Cauſam*, verb. *Solummodo*. Deinde jura præcitata loquebantur de ſententia proferenda, ibidem: *Sententia non tenet*; non vero de actibus præparatoriis, de quibus præſens erat quæſtio. Imo, in cit. cap. *Prudentiam*, diſponitur, quod uno ex conjudicibus impedito, reliqui procedere poſſint. Quod ulterius confirmabat ex doctrina Valent. lib. 3. tr. 2. c. 11. de ſent. pronunt. n. 11. et 12. ibi: *Si pares numero ſententiæ judicum pro utraque parte ſint, benigniori ſententiæ ſtandum erit; et ideo in liberalibus judiciis pro libertate; in criminalibus autem pro reo pronuntiata ſententia prævalebit*, l. *Si pars*, 10. ff. de inoffic. teſtib. *Nec obſtat l.* Duo judices, 28. hoc tt. *Loquitur enim ibi conſultus de judicibus datis, non de ordinariis*. Vide etiam Raynald. obſerv. crimin.

XXXII. Ultimo tandem idem aſſumptum confirmabat ex decreto Concilii Trident. ſeſſ. 24. de reformatione, c. 20. *Cauſæ omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia eorum ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur*. Unde, committente eodem præſentis cauſæ cognitionem in prima inſtantia utrique ſimul prælato regulari, et diœceſano, cenſendum eſt, eam eiſdem ut judicibus ordinariis, et non ut delegatis, committere. Et ita ſentiunt Sanch. in decalog. l. 4. c. 18. Navarr. et alii laudati ad Fagn. loc. cit. et eleganter Gonſal. Tell. ex generali doctrina in cap. *Non licet*, de offic. jud. ordin. ibi: *Judex ordinarius, cui cauſa committitur, cujus cognitio ad ipſum jure communi ſpectabat, non ideo efficitur delegatus, ſed tantum ejus juriſdictio, ex citat. cap.* Significaſti, 4. *de corpor. vitiatis*, c. Cum aliquibus, *et reſcript. in* 6. *l.* Sæpe, 8. *ff.* Præſid.

XXXIII. Et melius, atque ſpecialius, n. 5. ibidem: quando cauſa committitur judici, cui jure ordinario ejus cognitio competebat; ſed privilegiis exempta erat ab ejus juriſdictione; tunc per novam delegationem excitatur priſtina juriſdictio; et judex non delegatus, ſed ordinarius manet exemplis Clem. 1. de teſtam. Clem. 1. de ſepultur. Trid. de reform. c. 6. et 7. ſeſſ. 5. *Facile enim quælibet res redit ad ſuam naturam*, l. *Sine fine*, 20. ff. *Depoſiti*. Unde, cum, jure communi, quilibet ordinarius haberet fundatam juriſdictionem in monachos propriæ diœceſis, c. *Abbates*, c. *Monaſteria*, 18. q. 2. ideo per *novam delegationem excitatur antiqua juriſdictio, et ordinario jure corrigit epiſcopus exceſſus regularium*.

XXXIV. Et denique, ſe non ignorare, addebat promotor, aliquos DD. cum Tuſc. Anton. Fabr. Rubin. et aliis apud Ricc. collect. 1365. p. 4. in hypotheſi, quod hæc cauſa de jure antiquo *proprie, et divisive*, ordinario pertineret, et quod de jure novo eidem ſolummodo conjudicatura prælati regularis adderetur, abſolute tenent, ordinarium loci in hoc conjudicio, ut judicem quidem ordinarium, prælatum vero regularem, ut delegatum intrare, ea pari forma, qua inquiſitores, ut judices delegati in cauſis hæreſis procedunt, cumulative cum ordinario, ex nova additione *de jure ſpeciali*, procedente ordinario, ut tali, in eiſdem cauſis, quæ *de jure communi* ordinario ipſi *privative* pertinent, ut videre licet in Carenn. 1. p. tt. 4. et 5. Pegn. in direct. 3. p. com. 32. Param. l. 1. et 2. et aliis: attamen, ex hoc tantum ſequi dicebat, quod, ſicut ordinarius vocatur ab inquiſitoribus ad ſententias finales dumtaxat, non vero ad proceſſum inſtruendum, ita diſcurrendum fore videretur de prælato regulari pro cauſæ reclamationis deciſione (licet contrarium infra ſtabiliatur); et quod, renuente uno ex conjudicibus prius requiſito ad conjudicium, poſſet ab altero valide ſententia ferri, ſicut de ordinario, et judicibus delegatis in cauſis fidei, diſcurrit Souſa, in aphoriſmo, l. 3. n. 8. Eymeric. 3. p. q. 48. Farinac. Pegn. et alii.

Sect. IV.

Validitas proceſſus vicarii generalis.

XXXV. Duo procedimenta habuit vicarius generalis in hac re, unum adverſus conſervatoriam in perſona illuſtriſſimi epiſcopi Malacenſis deputatam; aliud vero adverſus prælatos regulares prædictos, ratione turbationis, et impedimenti ordinariæ juriſdictionis, quam per attentatam expulſoriam de facto, ſuppoſita prima illorum notificatione ad præparationem cauſæ reclamationis, et aliis hypotheſibus ſuperius notatis, injuſte perturbare, et impedire conabantur, ne ad finalem illius cauſæ ſententiam deveniretur, imo ne in illa etiam ulterius progrederetur.

Quoad primum procedimentum, ſuppoſita nullitate notoria deputationis conſervatoriæ, et ſuppoſitis notoriis exceſſibus conſervatoris prænotatis, nemo prudens etiam dubitare cum fundamento poſſet (aiebat promotor) de validitate procedimenti vicarii generalis in aſſertum conſervatorem, jam illum inhibendo, jam ſuſpenſo declarando, jam cenſuras, et earum aggravationem comminando pari juſſu, quo conſervator procedimenta ſua provocativa progrediebatur, et reaggravabat.

XXXVI. Nam indubium, 1. Eſſe dicebat, ad ſuſpenſionem illam incurrendam, ſufficere quidem, quod conſervator, etiam legitimus, *quomodolibet excederet*, ut declaratur in cit. bull. Gregor. et d. c. ultim. *Hac conſtitutione*, de offic. delegat. in 6. quod equidem eſt *conſtitutio Bonifac.* III. in d. bull. Gregor. citata.

XXXVII. Indubium, 2. Quod, quoties conſervator facultates ſuas quomodolibet exceſſerit, ſubjicitur punitioni ordinarii loci, in cujus territorio delinquit, ex capite 1. de officio ordinarii in 6. et quod ordinarius poſſit nullas declarare conſervatoris cenſuras, c. *Solicitudinem*, de appellat. Themud. dec. 260. n. 26. et dec. 43. et 44. et 53. et 54. Cevall. p. 4. q. 897. n. 7. 69. Monet. de judic. conſerv. c. 9. n. 93. et alii apud eoſdem.

XXXVIII. Indubium, 3. Poſſe à fortiori ordinarium punire, ac procedere adverſus conſervatorem, quoties hic lædit, turbat, aut uſurpat juriſdictionem ipſius ordinarii; per illam namque offenſam, remanet conſervator ordinario ſubjectus, etiamſi aliunde ſubjectionem non haberet; et valet ordinarius extrajudicialiter conſervatorem, vel excommunicare, vel in cenſuras juris incurſum declarare, vel eaſdem aggravare, ac reaggravare, prout expreſſe ſuſtinent Deluc. citat. Monacell. 3. p. tr. 1. form. 48. n. 5. Ventrigl. 1. p. ann. 27. Cirin. nex. utriuſque jur. c. 6. n. 30.

XXXIX. Neque referebat eminentia dignitatis epiſcopalis impræſentiarum; nam præter ſubjectionem ratione offenſæ, retinebat conſervator aliam ſubjectionem ratione ſuffraganei ejuſdem archiepiſcopi, cujus ille vicarius judex ordinarius, et generalis evaſerat, præſertim intercedente ſpeciali archipræſulis commiſſione; Gaſparr. inſt. can. 1. p. tt. 4. c. 4. n. 112. ibi: *Advertendum tamen, quod ſi archiepiſcopus ſit in provincia, vel ab illa multum non diſtet, nequeat ejus vi-*

carius generalis procedere per cenſuras eccleſiaſticas contra epiſcopum ſuffraganeum, per text. in cap. 1. § Officiales, *de offic. judic. ordin. in* 6. *idque ob reverentiam dignitatis epiſcopalis. Quod ſecus dicendum venit in ſpecialiter delegato ab archiepiſcopo ad procedendum contra epiſcopum ſubditum; hic enim utique contra illum procedere poterit, ad mentem Joan. Andr. in d. c.* 1. *n.* 4. *in fin. et Ventrigl. in prax. epiſcop. p.* 2. *annot.* 14. § 1. *n.* 39.

XL. Quoad ſecundum procedimentum ejuſdem vicarii generalis, etiam non obſtare dicebat ejus validitati, ac licitudini, exemptionem regularis prælatorum illorum, et cumulationem conjudicialis utrius; tum quia ex praxi, etiam de jure novo prælati regulares reclamantis debent ab ordinario citari ad principium, et progreſſum cauſarum reclamationis, Themud. dec. 56. n. 1. et 16. et dec. 278. n. 17. Vanguerv. 4. p. c. 14. n. 21. etiam cum comminatione excommunicationis pœnæ, ne reclamantem interim moleſtiis afficiant, Vanguerv. pract. judic. d. cap. 14. n. 21.

XLI. Tum quia reclamantis religio pro ſuo peculiari præjudicio, aut intereſſe, omnino citanda eſt, Monacell. p. 3. tt. 1. form. 35. n. 5. Panimol. dec. 29. annot. 2. n. 1. Themud. dec. 56. et 88. Paſſerin. tom. 3. p. 189. a. 10. n. 485. contra Donat. adducens declarationem S. Congreg. ann. 1697. Cirin. nex. utr. jur. c. 6. n. 133. impugnans Panimol. negantem neceſſitatem citationis pro conſanguineis, dec. 29. annot. 1. n. 1.

XLII. Et quamvis Concil. Trident. decernat, quod reclamans, *Cauſas, quas prætendit, deducat coram ſuperiore ſuo, et ordinario*; id tamen accipiendum eſt de allegatione, judiciali proceſſu, et finali cauſæ ſententia, Deluc. de regularibus, diſc. 45. n. 5. ibi: *Dicta juriſdictio cumulativa recte procedit in ordine ad cognitionem cauſæ principalis, et ne unus ſine altero proceſſum facere poſſit, atque ſententiam ſuper nullitate proferre; cum receptiſſimum ſit, ut conjunctim, non autem disjunctim, procedere debeant.*

XLIII. Unde, juxta eundem Cardin. Deluc. Barb. Dian. et alios ab iſto citatos, ipſamet reclamatio, et juſtificatio voluntatis reclamantis extrajudicialiter fieri poteſt coram amicis, vel aliis teſtibus; aut etiam *judicialiter coram uno ex conjudicibus*; et ſic referunt deciſum in una Ulixbonenſi anno 1646. *Coram Arguelles*; et conſequenter fieri etiam poteſt disjunctim, aut ſeorſim actorum præparatio, et teſtium ad perpetuam rei memoriam interrogatio, ante proceſſus inſtructionem, pro meliori certitudine, ac juſtificatione animi reclamantis, ut addit id. Deluc. ibidem: *Nimium autem refert, ut ea* (reclamatio, ſive animi declaratio) *fiat coram uno ex dictis judicibus in forma judiciali, ut ita obtineatur major certitudo actus, atque excludantur illæ affectatæ, ac minus veræ probationes, quæ ad complacentiam per conjunctos, vel amicos, fieri ſolent, ut non ſemel ſum expertus.*

XLIV. Ubi, 1. Animadvertendum eſſe dicebat cum Monacell. loc. cit. quod, non obſtante citatione religionis, ut partis, vel illius prælatus regularis, pro parte ſuæ religionis, poſſit iſte, imo et debeat, conjudicaturam ſubintrare; quia, licet citetur *nomine religionis*, conjudicium ſubit *nomine proprio*.

2. Quod licet ex citatis Themud. areſtis, præſertim n. 17. d. dec. 278. videatur deduci, prælatum regularem ad ſententiam finalem dumtaxat, non autem ad proceſſus inſtructionem, et cauſarum reclamationis deductionem vocari, et admitti; contrarium tamen verius eſt, et conformius conciliari diſpoſitioni, et communi DD. ſenſui; et confirmari poteſt ex verbis ipſius Themud. d. dec. 278. n. 5. ibi: *Hanc nullitatem actor deduxit coram ordinario, et ſuo prælato, locumtenenti magni magiſtri in hoc regno, ad quod fuit citatus.*

XLV. 3. Animadvertendum, minime audiendam, aut amplectendam eſſe praxim Vanguerv. cit. quatenus à ſolo prælato ordinario proceſſus inſtructionem, et finalizationem, etiam per ſententiam finalem cauſæ faciendam innuit; et multo minus grammaticalem conſtructionem, et intelligentiam, quam conciliari adhibet decreto: *Coram ſuperiore ſuo, et ordinario*, &c.

XLVI. Contrarium tamen, quoad præparationem, et inſtructionem proceſſus, faciendam coram ſolo ordinario in hacmet cauſa, in gradu appellationis, in nuntiatura judicatum eſt ann. 1736. de quo infra, n. 56.

4. Ex curiali ſtylo, cauſam hanc debere proponi per libellum, Themud. d. dec. 56. n. 6. quamvis in pract. Vanguerv. cit. ſupplicatio prima reclamantis cum cauſarum allegatione pro libello accipitur. Cardin. autem Deluc. diſc. 41. n. 6. et 8. de regularibus, aſſerit, variam quidem eſſe praxim religionum, et judiciorum, in cauſis iſtis reclamationis.

XLVII. 5. Quod ſententia finalis ferri poſſit, vel à ſenatu eccleſiaſtico ſimul cum regulari prælato, vel ab epiſcopo, aut ejus vicario generali ſimul cum eodem prælato regulari, conformiter ad ea, quæ cit. Vanguerv. n. 7. et Themud. d. dec. 56. et 278. Qui quidem regularis prælatus, non religionis totius, ſed conventualis, videlicet illius monaſterii, in quo fuerit reclamans, eſſe debet; Panimol. dec. 29. n. 42. et annot. 1. n. 9. ubi ſic ſæpe refert deciſum.

6. Denique, quod ſi vota, aut ſuffragia, paria fuerint; verbi gratia, ſi vicarius generalis pro reclamante ſuffragium dederit, prælatus autem regularis contra illum; et ſimiliter in æqualitate parium votorum deciſivorum ſenatorum; prævalebit ſuffragium, et pars illa, quæ reo favorabilis fuerit, juxta juris communis diſpoſitionem, citat. l. *Si pari*, 10. ff. de inoffic. teſt. et ex doctrina præjacta Valent. § 3. et ex ea vulgari ratione, quod cauſa hæc favorabilis ſit, eo quod ſit cauſa libertatis, et reſtitutionis ad illam, et occaſionis ad apoſtaſias vitandæ; proindeque pro benigniori parte ſemper judicandum; et, indubio, in favorem nullitatis; Deluc. de regularibus, dec. 43. n. 13. et 41. n. 2. Themud. et reliqui DD. citati. Reliquas minoris momenti obſervationes, ex prædictis facile deducendas dicebat.

XLVIII. Adnotabat tamen pro uberiori rei, et controverſiæ notitia, 1. Quod cum ex adverſo fateretur, ordinarium habere in reclamantem juriſdictionem *principaliter, et directe*, quatenus iſte de jure, et de facto, illi ſubjicitur pro reclamationis cauſa, et validitate, aut nullitate profeſſionis ſuæ judicanda; conſequenter fateri deberet, eandem juriſdictionem *acceſſorie, et indirecte*, habere in religionem, quatenus hæc, ut pars intereſſe habens in eadem cauſa, citari debebat, etiam independenter à ſubjectione de facto, qua illius prælati in ordinarii judicio ſeſe partes actrices adverſus reclamantem ediderant. Nam, *Conceſſa juriſdictione, conceditur omne illud, ſine quo commode fieri, ſive exequi nequit*, l. 2. de juriſd. omn. jud. c. *Præterea*, de offic. delegat. Præterquam certiſſimum de jur. ſit, ordinarios ſuam intentionem fundatam habere de jure communi adverſus omnes clericos ſæculares, et regulares ſuæ diœceſis, Donat. in pr. tom. 1. tr. 13. q. 6. et 11. Rodrig. tom. 2. q. 63. n. 14. Bordon. reſ. 7. q. 1. et de jur. antiquo privative eiſdem pertinere ſimiles reclamationis cauſas connaturalitate judicii, de quo ſupra; et de jure etiam novo, jam ad eas habere tribunal erectum.

XLIX. Et *quælibet res facile tranſit ad ſuum primum naturæ ſtatum*, c. *Ab exordio*, d. 73. l. *Si unus*, ff. de pactis. Raynald. obſervat. criminal. tom. 4. ſuppl. 5. ad c. 1. n. 24. Themud. Gonſal. Tell. in c. *Non licet*, de offic. jud. ordin. Ciarlin. l. 1. c. 50. n. 17. ex l. *In tanta*, de rer. diviſion. Bordon. reſ. 7. de exempt.

L. 2. Annotabat, proceſſum regularium prælatorum adverſus reclamantem, incivilem, attentatum, nullum, intempeſtivum, ac violentum quidem fuiſſe, ei expulſoriam de facto ſententiam finaliter intimantes, qua eum incorrigibilem de jure injuſte judicabant, non præmiſſis tribus prævis ſententiis, aut monitionibus, in decreto Urban. VIII. ann. 1624. expreſſis, et prærequiſitis, et non præcedentibus tribus punitionibus ibidem formaliter expreſſis, *Ter monitus, et punitus*; inſuper et in eadem ſententia erronee declarantes, *eam proferre, non obſtante appellatione reclamantis, eo quod illam tulerint in exercitium correctionis prælativæ, à qua appellatio non datur*, &c. Quaſi præfatæ correctionis, quæ tranſiens eſt, poterat eſſe ea abſoluta expulſoria permanens in perpetuum; et aliunde, quaſi in terminis ipſis formaliter implicatorium non foret, quod expulſoria totalis, titulo incorrigibilitatis juri-

juridicæ dumtaxat adhibenda, pro correctionis exercitio de facto uſurparetur.

SECT. V.

LI. Ex præmiſſis allegationem ſuam pro validitate, et licitudine proceſſus vicarii generalis denique claudebat promotor, non obſtante auctoritate expreſſa Portellii, ex adverſo objectæ, tom. 2. reſp. moral. caſ. 14. ad 2. cui adhuc faciebat ſatis, dicens, Portellium, utpote A. regularem, et mere theologum, loqui abſque ſufficienti praxis, ac fori notitia; et nil mirum, quod in hac re cum aliis erraret, de quo paſſim conqueritur Cardin. Deluc. de uſur. diſc. 1. n. 6. et 12. et diſc. 3. n. 7. et diſc. 5. n. 12. Themud. diſc. 273. n. 15. Grat. 4. p. c. 12. n. 35. et p. 9. c. 5. n. 14. Sperell. dec. 129. n. 28. Fagn. Monacell. et alii, qui nedum DD. juriſtæ incedunt, ſed et theologi.

LII. Et præter ſuſpicionem certam DD. regularium adverſus juriſdictionem ordinariam in hac, et ſimilibus materiis, in quibus minime attendendos dicit Deluc. de dot. diſc. 166. n. 77. de juriſd. diſc. 29. n. 7. et miſcellan. diſc. 16. n. 12. Pignatell. tom. 2. conſ. 12. n. 6. Monacell. p. 3. tt. 3. form. 6. n. 14. et alibi, ubi de Portellii reſ. ead. dubit. regular. verb. *Profeſſi*, cum Pignatell. tom. 9. conſ. 181. n. 25. ait, loqui de ordinario, elapſo quinquennio, reclamantem ſolitarie audiente; proferebat promotor praxim, et ſtylum in contrarium, ſaltem pro actibus præparatoriis; quem quidem ſtylum ſufficientem dicebat ad juriſdictionem conferendam, caſu, quo aliunde non haberetur; Gratian. tom. 1. c. 154. n. 18. imo *et ſtylus facit jus, et habetur pro lege*, Gratian. ibid. ordin. reg. l. 1. tt. 3. § 64.

LIII. Neque practicam, aut opinionem Vanguerv. in hoc puncto, ſingularem eſſe, ut ex adverſo taxabatur, oſtendebat ex doctrina illuſtriſſimi D. Roderici à Cugna in decret. d. 25. c. 1. et ex areſtis, et caſibus de regno Portugalliæ judicatis, de quibus DD. cit. ſignanter Themud. d. dec. 56. et 278. neque etiam referebat Concil. Trid. diſpoſitio, loco citat. *Quodſi antea habitum ſponte demiſerit, nullatenus ad allegandum admittatur*, &c. ibi enim non loqui de prima citatione, aut de præparatoriis ad cauſam, ſed de allegatione ad finalem ſententiam, vel de proceſſu judiciali, tenet Deluc. diſc. 45. de regular. et ſic ſufficienter ſalvatur altera Conciliaris diſpoſitio, quod *cauſas deducat coram ſuperiore, et ordinario*; Antonell. de regim. p. 1. tt. ultim. n. 53. et denique textum, ac gloſſam, c. *Prudentiam*, § *Adjecimus*, ex adverſo critice objectatam, aptius, et congruentius convertebat: *Graviſſime ſit arguendus, imo et puniendus, eo quod mandatum exequi ſubterfugiat, aut contemnat.*

LIV. Et ſane poſt hujus allegationis evulgationem, inſinuante prorege, et ſtatus ſecretario interveniente, cenſurati prælati prædicti, coram utroque proteſtantes, ſeſe nunquam intentionem habuiſſe impediendi exercitium ordinarii juriſdictionis, neque conjudicium in caſu, neque hujus per finalem ſententiam terminationem, et ad eam proſequendam ſerio paratos eſſe; imo coram ſecretario ſtatus acta ſententiæ expulſoriæ adverſus reclamantem exhibentes, ex quibus ſatis conſtabat antevertentia hujus cauſæ initii, priuſquam reclamationis cauſa arrepta, aut intenta foret, et de omnibus præmiſſis per formalem atteſtationem ipſomet ſecretario ſtatus vicarium generalem certiorem faciente; ab iſto præfati prælati benigne aſſecuti ſunt cenſurarum levamen, et cedulonum, per aliam publicam affixatoriam chartam, remotionem.

LV. Conſimilis autem cenſurarum, à conſervatore inflictarum, publica levatio ſuperflua judicata fuit, tum ex notoria invaliditate deputationis illius, manifeſtiſque procedimentorum exceſſibus; tum quia omnes cenſuræ ab illo comminatæ, aut promulgatæ, *in continenti* ab ipſomet vicario generali annullatæ, et irritæ, nulliuſque roboris, aut effectus, publice declaratæ fuerant.

LVI. Poſtmodum vero deferente ipſo reclamante hancmet cauſam, via appellationis, ad nuntiaturam noſtri regni Portugalliæ, favorabilem ſententiam obtinuit menſe Maii anni Domini 1636. qua expreſſe decernitur, 1. Actus præparatorios faciendos eſſe coram ordinario ſolitarie. 2. Cauſam non neceſſario per viam libelli proponendam fore, ſed quomodolibet. 3. A ſolo ordinario finaliter judicandam in illis circumſtantiis. Et, ſuppoſita notoria ſuſpectione prælatorum regularium, 4. Horum prælatorum cenſuras, et ſententiam expulſionis in reclamantem, fuiſſe nullas, et attentatas. 5. Profeſſionem à reclamante emiſſam fuiſſe nullam, et violentam; proindeque eum liberum à votis declarabat, &c. Vide alia concernentia hanc materiam nullitatis profeſſionis in Urſaya in miſcell. p. 2. dec. 9. et to. 1. d. 2. et to. 2. diſc. 9. p. 2. et to. 3. et 4. diſc. 1. et to. 5. diſc. 12. et 17. et to. 6. diſc. 4. p. 1. et diſc. 8. p. 2. et to. 8. diſc. 20. p. 1. et 2. et to. 9. diſc. 1. p. 2.

ALLEGATIO LVI.

Ejuſdem Promotoris eccleſiaſtici in alia immediate intentata Conſervatoria à Reformatis S. Franciſci Provinciæ à Matre Dei *nuncupatæ, in Perſona ejuſdem illuſtriſſimi Malacenſis Epiſcopi, ob Revocationem Licentiarum prædicandi, et Confeſſiones audiendi, eiſdem intimata.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Impedimenta promotoris ex non exhibitione privilegiorum.*
III. *Ex illegitimitate deputationis.*
IV. *Ex exceſſibus conſervatoris.*
V. *Ex incurſu cenſurarum, etiam quoad electores.*
VI. *Ex totali defectu materiæ, et ex iniquitate finium.*
VII. *Alia exceptio, via recuſationis, cum ſpecialibus articulis, qui numerantur.*
VIII. *Suffragabantur ex procedimentis violentis, atque attentatis, de facto, &c.*
IX. *Reſponſio conſervatoris objectis articulis.*
X. *De jure canonico ad judicem recuſandum, non requiritur actualis pendentia cauſæ, ſicut de jure civili municipali.*
XI. *De jure canonico recuſationis exceptio ante litis ingreſſum opponi debet.*
XII. *Noluit conſervator deſignare arbitrum ſuum; et recuſationis articulos futili fundamento rejecit.*
XIII. *Conſervator, per ſolam intimationem ſuſpicionum, inhibitus, et ſuſpenſus remanebat.*
XIV. *Aliam ſuſpenſionem à jure ob notoriam cancellorum tranſgreſſionem incurrerat.*
XV. *Conſervatores, in caſibus notoriarum violentiarum (quibus dumtaxat procedere valent) adhuc recuſari poſſunt.*
XVI. *Libellus vere famoſus, à conſervatore publicatus, rationes ſuſpicionum vehementer confirmabat.*
XVII. *Conſervator vim infert, ſi requiſitus arbitrum ſuum nolit deputare, nec parti, ad cujus inſtantiam procedit, jubere, ut deputet.*
XVIII. *Et noviter excedit, ac delinquit in officio ſuo.*
XIX. *Subjicitur, per exceſſus, etiam vicario generali ordinarii loci.*
XX. *Gravitas ſcrupuli in non deſignando arbitrum ſuum.*
XXI. *Semel quod articuli ſuſpicionum ſint conſervatori intimati, et ab eo perlecti, ſuperflua eſt ulterior exhibitio.*
XXII. *Doctrina Guerr. et Molin. hoc docentium.*
XXIII. *Conſervator, per recuſationis intimationem jam inhibitus, nequit, ut judex, articulorum copiam parti dari jubere.*
XXIV. *Electores cauſam principalem ceſſare prudenter fecerunt, revocationi parentes.*

I. CUM

I. CUM juſtis de cauſis, in allegatione 55. inſinuatis, facultates prædicandi, et confeſſiones ſacramentales in mea diœceſi audiendi, religioſis reformatis S. Franciſci hujus Indianæ provinciæ *à Matre Dei*, in genere revocarem, non obſtante, quod, in recurſu ab hac revocatione ad ſæculare coronæ regiæ judicium interpoſito, minime obtinuiſſent, ad conſervatoriæ deputationem, in perſonam ejuſdem illuſtriſſimi epiſcopi Malacenſis, menſe nondum perfecte tranſacto poſt conſervatoriæ Eremitarum Auguſtinianorum erectionem, immediate tandem devenerunt. Et, ut in deputationis charta defectus in litis illius præcedentis Auguſtinianorum deputationis repertos, et à promotore in exhibitione objectos, aliqualiter emendarent, de electione, vel ſaltem conſenſu capituli privati, ſeu definitorii, mentionem faciebant, ſequentibus verbis formaliter: *Dominationem veſtram illuſtriſſimam, meo cum definitorio, uno ore judicem conſervatorem, ac protectorem eligimus*, &c. Et à ſolo provinciali ſubſcriptam, et à tergo acceptione formali ejuſdem conſervatoris propria manu, et cum ſimili proprii, et ſpecialis notarii creatione, firmatam, in mea archiepiſcopali camera patentem prædictam exhibuerunt: cui quidem ob prænotatos defectus, et ob alios inferius in impedimentis inſinuandos, ſequentia impedimenta nullitatis, obreptionis, et ſurreptionis, necnon inhibitionis, exceſſus, &c. objecit.

Impedimenta promotoris.

II. 1. Quod RR. electores, quamvis exhibuerint electionis conſervatoris chartam, adhuc tamen non exhibuerant, ut tenebantur, privilegia, quibus actualiter fruerentur ad conſervatorem eligendum, neque poſſeſſionem, et uſum talium privilegiorum ultra terminos expreſſos in bulla Gregor. XV. edocuerant.

III. 2. Quod præſentis deputationis literæ utique erant expreſſe contra formam prædictæ bullæ, ideoque nullæ, ſignanter inter alia, eo quod foret abſoluta, et illimitata, et ad quinquennium non reſtricta.

3. Quia erat à provinciali dumtaxat ſubſcripta, cum deberet ſubſcribi etiam ab omnibus et ſingulis definitoribus; quorum mentio, in eo reperta, ſuppoſitionis, et commenti ſuperadditi convincebatur, tum ex defectu omnium et ſingulorum definitoriorum ſubſcriptionis, tum ex rectæ Latinitatis vitio, dicentis ſingulariter, *Meo cum definitorio*; in eodem contextu, et conceptu, quo pluraliter recitabat, *Eligimus, et nominamus*, &c.

IV. 4. Quod, etiam dato, quod deputatio illa valida foret, et aſſertus conſervator legitime electus, et legitimam, ac veram juriſdictionem, ex vi deputationis illius, capiens; eam citra dubium amiſſam habere, et ſuſpenſionem ab officio per annum pariter incurſam, ob notorios juriſdictionis exceſſus, tum in uſu illius ante deputationis chartæ exhibitionem; tum ex propria, et ſpeciali notarii creatione in eadem charta à tergo facta.

5. Quod conſervatoribus expreſſe interdictum eſt tribunal erigere, et ſpecialem notarium creare, aut inſtituere, et uti debeant notariis ab ordinario approbatis, in territorio, ubi exiſtunt, et procedere parant; alias ipſo facto incurrunt cenſuras in prædicta bulla expreſſas, et in c. ult. de offic. deleg. in 6.

V. 6. Quod nedum conſervator prædictus, ſed et partes, ad quorum inſtantiam procederet, excommunicationis cenſuram reſervatam ex dictis juribus ſane incurrerunt.

7. Quod tam aſſertus conſervator, quam ab eo inſtitutus notarius, per illius creationem, et hujuſce formalem dicti officii acceptationem, ab eo etiam à tergo patentis ſubſcriptam, cenſuras bullæ Cœnæ, et alias juris contraxiſſent, adverſus turbatores, et uſurpatores quomodolibet juriſdictionis ordinariæ fulminatas.

VI. 8. Quod nulla etiam reddebatur hæc conſervatoria deputatio ex totali defectu materiæ ſufficientis, et ex impiis atque perniciosiſſimis finibus, ad quæ collimabat, atque tendebat; cum non niſi in notoriis, ac manifeſtis violentiis, ſive injuriis, recurſus conſervatorius intentari poterat, et minime in materiis dubiis, vel judicialem, et altiorem indaginem requirentibus, &c.

VII. His impedimentis in Pontificali camera conſervatoris deputationi objectis, et ad acta annexis (quæ poſtea recepta fuerunt, ea pari forma, qua priora primæ Auguſtinianorum conſervatoriæ impedimenta) aliam exceptionem in perſonam prædicti illuſtriſſimi conſervatoris, via recuſationis, idem promotor ſimul intentavit, recuſationis, ſive ſuſpicionum articulos per ſpecialem procuratorem ſibi rite præſentans; pariterque arbitrorum judicium, proprium ſtatim deſignans, requiſivit. Qui quidem articuli ſubſtantialiter ſequentes erant.

Suſpicionis, ſive recuſationis articuli à promotore præſentati.

Primus erat: Quod prædictus illuſtriſſimus recuſatus ſeſe male affectum erga metropolitanum ſuum, et ejus vicarium generalem, ſæpe publicaret; eo quod iſte adverſus ſecretarium ejuſdem recuſati in quadam cauſa, vicarii ipſius judicio attinente, juſtam ſententiam tulerit, nil curans perſuaſiones, et quoddam judicium ab ipſomet recuſato deſcriptum, et proprio ſigno firmatum, quod actibus annecti fecerat, ut juxta illius deliberationem, et inſtructionem, vicarius generalis in favorem prædicti ſecretarii ejus ſententiam finaliter proferret.

Secundus: Adverſus metropolitanum ſuum pariformiter ſeſe ſæpe querulum, et male affectum, minuſque recte de eo ſentientem, publice declaraverat, ex eo, quod metropolitanus ei primos honores in aliquibus eccleſiis, proprio diœceſano dumtaxat debitos et competentes, affectanti, non detulit, atque ſororem præfati ſecretarii in conventu ſanctimonialium D. Monicæ, ordinario ſubjectam, introduci pro religioſo velo ſuſcipiendo, juſta de cauſa, prætendentem diſtulit.

Tertius: Quod duplici hoc inſufficienti motivo agitatus, in privatis epiſtolis, et publicis libellis famoſis adverſus utrumque, nimio indecore, atque infamia declamabat; et præterea ipſummet promotorem, ac reliquos archiepiſcopalis curiæ miniſtros, ultimis improperiis, ac ſumme infamibus ignominiis, debacchabatur.

Quartus: Quod illuſtriſſimus recuſatus debitæ fidelitati metropolitano ſuo, ejuſque dignitati, palam contraveniens, privatam epiſtolam, ſibi ab eodem metropolitano miſſam, regulari cuidam ejuſdem metropolitani notorie infenſo, et inimico manifeſto, infide tradiderat, ut eam ſubjecto primæ diſtinctionis palam faceret, eo iniquo, ac pernicioſo fine perſonam illam cum primis diſtinctam alliciendi, effectiveque attrahendi, ad præmeditatam conſpirationem formalis ſchiſmatis in archidiœceſi inducendi.

VIII. Ultimus, tandem, erant omnes exceſſivi proceſſus, et violenta, ac injuſta procedimenta publica de facto adverſus utrumque attentata, et proſecuta (de quibus alleg. præcedenti); quæ denuo iterum, novorum diſturbiorum, ac præmeditati, et præoptati ſchiſmatis intentu, tribus diebus dumtaxat, inter præmiſſæ conſervatoriæ pacificationem, et turbidam præſentis, atque injuſtam erectionem intermediis, ſuſcitabantur, atque inſtaurabantur; et alia ejuſdem furfuris, quæ exequi parabantur.

Denique ad calcem articulorum præmiſſorum competentibus proteſtationibus requirebat promotor, quod per arbitros recuſatio finaliter judicaretur; et ex parte ſua proprium arbitrum, individualiter expreſſum, objiciens, tandem perquirebat, ut illuſtriſſimus recuſatus, vel ejus electores, pariformiter ſuum, intra triduum, peremptorie deſignaret; *alias*, &c.

IX. Qui quidem recuſationis articuli aſſerto conſervatori à quodam procuratore, ſpeciale mandatum habente, coram notario eccleſiaſtico præſentati, et ſingulariter perlecti; reſpondit conſervator: *Articulos recuſationis eſſe quidem intempeſtivos, eo quod ipſe adhuc actu non procederet; et nolle arbitrum effective nominare*; ſuperaddens coram utroque, *ſe potuiſſe ordines regularibus conferre, in ipſa metropolitani ſui diœceſi, eoque invito; et cum effectu eos illis modo collaturum, non obſtante ſpeciali, ſuper hac re, notificatione metropolitani ejuſdem ad inſtantiam ipſius promotoris, ſibi expreſſe intimata.*

X. Fundabatur illuſtriſſimus recuſatus, ad articulos recuſationis pro *intempeſtivis* reputandos, *eo quod actu adhuc*

adhuc non procederet; in diſpoſitione ordinationis regiæ, l. 3. tt. 21. § 3. ubi præcipit, quod *non intimetur recuſatio judici alicui, niſi in cauſa declarata, et quæ actu pendeat in judicio*: ubi etiam Barb. in remiſſ. et Thom. Vas alleg. 96. n. 4.

Quæ quamvis ita ſe haberent de jure civili municipali, aliter tamen res ſe habet de jure canonico inferiùs expoſito. Imo, etiam de jure civili, et municipali, ſufficiens videbatur ad actualis proceſſus verificationem, et ad actualem cauſæ iſtius pendentiam, exercitium juriſdictionis electi conſervatoris per proprii et ſpecialis notarii creationem, cum notoria ordinariæ juriſdictionis turbatione, atque uſurpatione, ante literarum ſuarum exhibitionem, et promotoris oppoſitio, atque objectio adverſans pro nullitate creationis illius, et pro prædicta uſurpatione, cenſuris à lege obnoxia, &c.

XI. Quod autem de jure canonico ante litis pendentiam, et actualem judicis proceſſum, imo ante litis ingreſſum, recuſationis exceptio opponi valeat, aperte conſtabat ex c. *Inter monaſterium*, de ſent. et re judicat. ibi: *Ante litis ingreſſum opponere debuiſſent*. Conſonat c. *Paſtoralis*, de except. c. *Siquis epiſcoporum*, 3. q. 6. ubi gl. verb. *Exceptio*, et alia: et, ut ait Themud. dec. 198. n. 13. *In hac materia recuſationum non arctantur judices eccleſiaſtici juris civilis ſequi diſpoſitionem.*

XII. His fortaſſe doctrinis commotus prædictus recuſatus conſervator, dum à promotore eodem pro arbitro ſuo nominando, et pro notificandis electoribus, ad conſimilem deſignationem, ſalvo jure nullitatis, edendam, bis duplici diſtincta ſupplicatione inſtaretur, inſtantiam excluſiva delatione, propria manu formata, ac firmata, rejecit, diverſam cauſam conſequentem ibidem formaliter exprimens; conſervatores ſcilicet, *Utpote in caſibus violentiarum notariarum dumtaxat procedentes, minime poſſe, ut ſuſpectos, recuſari; addens inſuper, ſe hoc jam in publico libello, metropolitano ſuo directo, publicum, et certum edidiſſe.* Neque tamen hoc novum ad hanc, veluti ſacram ancoram, confugium profuit; promotor namque novam introducens ſupplicationem, nova abbreviata allegatione contrariam certam convincebat reſolutionem.

XIII. Allegabat igitur, 1. Illuſtriſſimum aſſertum conſervatorem per ipſammet recuſationis, aut ſuſpectionum intimationem, ſeu, ut vulgo dicitur, *acerbationem*, ipſo jure inhibitum, atque ſuſpenſum, et ſine aliqua ad procedendum juriſdictione (caſu, quo eam haberet) remanere, ut eſt tritum apud DD. Guerr. de recuſ. l. 5. c. 7. per tot. et l. 1. c. 19. n. 1. et 4. Per. de man. reg. c. 9. ex n. 29. Portug. de donat. 1. p. c. 31. n. 24. Trag. de regiment p. 2. l. 5. diſp. 12. n. 220. Mendes in prax. l. 2. c. 7. Lancelot. de attent. p. 2. c. 6.

XIV. Et præter hanc ſuſpenſionem aliam à jure allegabat incurſam ab eodem conſervatore, propter notorios exceſſus, et propriorum cancellorum tranſgreſſionem manifeſtam, in proprii notarii ſpeciali creatione, atque tribunalis erectione, contra expreſſa Sacr. Concil. Trid. decreta, ſeſſ. 14. c. 5. de reform. et multiplices S. Congregationis declarationes: Gavant. in man. verb. *Conſervator*, Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 106. n. 51. p. 3. Pignatell. tom. 2. conſ. 35. ex n. 8. Cardin. Deluc. de juriſd. diſc. 4. n. 14. Nicol. Iucubr. l. 1. tt. 19. § 28. et contra expreſſam etiam diſpoſitionem bullæ *Sanctiſſim.* Greg. XV.

XV. Allegabat, 2. Inutilem eſſe excuſationem à conſervatore in illa ſupplicationis præmiſſæ delatione inſinuatam; videlicet, *Conſervatores recuſari non poſſe, utpote non niſi in caſibus violentiarum notoriarum procedentes*: cum certo certius foret, non niſi in prædictis caſibus procedere valere; et, ut taliter procedentes, recuſari quidem poſſe, et, ut ſuſpectos, declinari, ex eodem Tridentino d. c. 5. ſeſſ. 14. et ex eadem bull. Gregor. necnon ex c. 4. et 5. et ult. de offic. deleg. in 6. Barb. ad ead. cap. Per. dec. 118. n. 15. et de man. reg. p. 1. c. 7. Card. verb. *Conſervator*, n. 3. Themud. dec. 260. n. 18. et dec. 270. n. 4. Bened. Per. academ. l. 7. d. 2. q. 8. Monacell. 1. p. in append. ad d. bull. Gregor. n. 6.

XVI. Allegabat, 3. Ejuſdem farinæ, et futiliora, eſſe cuncta à conſervatore ipſo ex adverſo adducta in prædicto tractatu, ſeu libello vere famoſo, et immodeſto; qui quidem ad nil aliud inſerviebat, quam ad ſuſpectionum notorietatem confirmandam, atque juſtificandam, ex novis, quibus abunde ſcatebat, improperiis, et injurioſis, infamibuſque calumniis, indignis ſano characteris utriuſque termini, *à quo*, ſcilicet, et *ad quem*; ſive ſubjecti eas concipientis, et parturientis; atque objecti, cui eas jaculabatur, metropolitani ſcilicet ſui, et cunctorum iſtius ordinariorum miniſtrorum. Ex quibus materiam ad recuſationem, et ſuſpectiones objectandas, ſatis ſuperque redundare etiam oſtendebat, et ſuperius oſtenſum remanet.

XVII. Allegabat, 4. Præfatum conſervatorem vim quidem facere, et violentiam notoriam inferre, quatenus arbitrum ſuum, ſuppoſita ex adverſo individuali nominatione, ſimiliter non deſignabat, vel ſaltem ſtricte non jubebat, ut pars, ad cujus inſtantiam procedere decreverat, eum effective deputaret; juxta communem doctrinam, de qua Guerr. de recuſ. l. 5. c. 12. n. 38. Per. de man. reg. cap. 9. n. 33. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. n. 533. et 537. et 600. et 708. et 724.

XVIII. Et noviter excedere manifeſte, graviterque delinquere in ſuo aſſerto officio, tum neceſſaria juris media, ac remedia non ſervando, imo et contemnendo, ex c. 4. et 5. et ultimo de offic. deleg. in 6. et ex cit. bull. Gregor. tum decreta Sacri Concilii Trid. et in præcitata bulla perſcripta, proterve tranſgrediendo.

XIX. Quare gravi punitioni ordinarii, in cujus territorio delinquebat, indubie noviter ſubjacere probabat, ex Themud. dec. 54. n. 1. et dec. 260. n. 26. Valaſc. conſ. 152. n. 2. Per. de man. reg. c. 7. n. 6. Monacell. tom. 3. form. 50. et 51. præter ſubjectionem notoriam, quam antea jam retinebat, etiam vicario generali archiepiſcopatus, ut ſuffraganeus illius, ex can. 1, 2, 3. et 9. q. 3. et ex c. *Paſtoralis*, de offic. ordin. Genuenſ. in prax. c. 7. n. 7. Ventrigl. p. 2. annot. 14. § 1. n. 39. Joan. Andr. in c. de offic. ordin. in 6. n. 4. Gaſparr. inſt. can. p. 1. tt. 4. n. 112.

XX. Quam quidem obligationem gravius urgere præfatum conſervatorem, ad hominem demonſtrabat, quippe qui ſæpe ſæpius proteſtatus fuerat, ſe hiſce deputationibus conſervatoriis annuiſſe, gravi preſſum ſcrupulo, ſuppoſito ſanctitatis ſuæ gravi pro acceptatione præcepto: ex qua proteſtatione per retorſionem inferebat promotor, graviori ſcrupulo ſuccumbere, arbitrum ſuum libere nec deputans, nec parti ſaltem, ut deſignaret, præcipiens, ſuppoſita gravitate materiæ, et graviorum juris diſpoſitionum, ac præceptorum, ſub graviſſimarum pœnarum incurſu, id ſtatuentium; imo ſuppoſitis non minus gravibus exceſſibus, ac violentiis, necnon ordinariæ juriſdictionis turbationibus, atque uſurpationibus notoriis, ab ipſo ſcandaloſe, pernicioſeque, tot aggravantibus circumſtantiis, patratis.

XXI. His commotus illuſtriſſimus conſervator huic promotoris detulit repræſentationi; *Ut ſupplicans ſuſpectionum articulos, et arbitri nominationem adjungeret, ut eidem, prout de jure, deferret.* Replicavit tamen promotor; quod quando ſuſpectiones ipſi conſervatori intimatæ fuerunt ab illius procuratore, illarum articuli deſcripti ſingulariter ſimul ipſimet præſentati fuerunt, et ab eodem diſtincte perlecti; et cum ab eodemmet admiſſi non fuiſſent, ſuperflua videbatur poſterior hæc adjunctio.

XXII. Præſertim cum recuſatio reipſa jam foret intimata, ſecundum doctrinam Guerr. l. 5. c. 11. n. 1. et 8. et Molin. de juſt. et jur. tr. 5. d. 23. n. 8. ibi: *Si vero judex recuſationem non admittat, contendens cauſam vel falſam eſſe, vel inſufficientem, ut recuſetur, tunc, ut Panormitan. n. ultim. cit. ait, quia recuſans neque tenetur probationes ipſi judici offerre, neque quicquam aliud facere, quam ſpectare, ut judex compellat eligere arbitros, ſane ad judicem ſpectat cogere litigantes, ut arbitrum, aut arbitros eligant; vel, ſi ipſe ex officio procedat . . . cogere debet recuſantem, ut arbitrum unum eligat, ut judex ipſe eligere alterum, qui de ea ſuſpicionis cauſa judicent.* Et huic replicæ detulit conſervator, jubens illius copiam dari generalibus procuratoribus Eremitarum, et Reformatorum.

XXIII. Cui etiam delationi iterum replicavit promotor, allegans, ipſummet conſervatorem per ipſammet recuſationis legitimam intimationem, præter alia, jam inhibitum, ſuſpenſum, et abſque juriſdictione remanſiſſe; proindeque non poſſe, ut judicem, copiam partibus exhiberi jubere; et multo minus procuratori Eremitarum, quorum cauſa jam extincta, et pacificata erat; quinimo ex his circumflexis delationibus, ac dilationibus, omni juri adverſantibus, noviter et inique præſentis conſervatoriæ fines detegebantur, et notorietas fundamentorum intimatarum ſuſpectionum roborabatur, et convincebatur: huic inſtantiæ alia circulari expeditione reſpondit, quod poterat ſupplicans ad Sedem Apoſtolicam appellare.

XXIV. Ulterioribus autem inſtantiis, ac diligentiis, ſuperſedit promotor, eo quod reformati electores, aliorum regularium prudentum interventu, meæ facultatum revocationi paruerunt, cujus materia continetur in allegat. 55.

Cauſa tamen præſentis recuſationis pendens remanſit, nedum quoad ſupervenientem novam deputationem conſervatoriæ Jeſuitarum, de qua alleg. 34. et 35. et 36. verum uſque ad obitum præfati illuſtriſſimi conſervatoris, et ulterius hactenus; quamvis ſuper ea Sedis Apoſtolicæ, ad quam recurri, judicium expectatur.

ALLEGATIO LVII.

Ejuſdem Promotoris ſuper Ordinibus ab illuſtriſſimo Epiſcopo Malacenſi, Conſervatore aſſerto, aliquibus Regularibus illicite collatis, tempore turbidæ, ac tumultuoſæ ejus duplicis Conſervatoriæ ultimæ, durante.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Duo puncta, atque inſpectiones principales reſponſionis conſervatoris.*
III. *Indubium eſt, poſt decretum Clem.* VIII. *regulares prælatos non poſſe demittere ſuos ſubditos regulares cuilibet epiſcopo pro ordinibus ſuſcipiendis.*
IV. *Clementinum hoc decretum omnes quidem regulares exemptos afficit præter Jeſuitas.*
V. *Contraria privilegia ſunt multipliciter revocata.*
VI. *Bulla* Etſi Mendicantium *fuit revocata ab ejuſdem A. quoad approbationem ad confeſſiones, et prædicationem abſque examine.*
VII. *Poſtea fuit redacta, quoad omnia, ad terminos juris communis, et Conc. Trid. à Greg.* XIII. *per bullam* In tanta.
VIII. *Hæc ratio etiam inſervit ad allegationem bullarum Bened.* XIII.
IX. *Quinam ſit proprius regularium epiſcopus.*
X. *An privilegium illud Gregor.* XIII. *pro Jeſuitis ſit revocatum à Clem.* VIII.
XI. *Quid ex compendio Indico colligatur.*
XII. *Privilegia ſpeciali nota digna, et à jure communi exorbitantia, non communicantur per generalem communicationem.*
XIII. *Etiam ſtante privilegio, non poteſt quilibet antiſtes admittere regulares ad ordines in aliena diœceſi, abſque beneplacito diœceſani.*
XIV. *Decretum S. Concilii Trident.*
XV. *Eſt deciſum, etiam quoad loca exempta.*
XVI. *Extenditur etiam ad loca exempta regularium cum territorio, et jure epiſcopali.*
XVII. *Confirmatur ex intelligentia ipſiuſmet conſervatoris.*
XVIII. *Conventus regularium, intra diœceſim conſiſtentes, non ſunt plene exempti.*
XIX. *Privilegia Sed. Apoſtolicæ quis, et quomodo, poſſit interpretari.*
XX. *Sola interpretatio auctoritativa prohibetur.*
XXI. *Reſtrictiones bullarum Bened.* XIII.
XXII. *Acceſſorium ſequitur principale; et ejuſdem naturæ ſunt, actum eſſe revocatum, atque eſſe reſolutum.*
XXIII. *Expreſſe prohibetur in Trident. cuilibet epiſcopo pontificalia exercere in aliena diœceſi abſque ordinarii loci expreſſa licentia.*
XXIV. *Odioſorum non fit ampliatio, ſed reſtrictio.*
XXV. *Sententia finalis vicarii generalis.*
XXVI. *Non paruit conſervator, et noviter adverſus illum proceſſum eſt.*
XXVII. XXVIII. *Quemadmodum S. Pius potuit declarare Concilium Trident. non comprehendere regulares ſpecialia privilegia habentes, ita ejus ſucceſſor Gregor.* XIII. *potuit eadem privilegia ad terminos juris communis reducere.*
XXIX. *Privilegium dictæ bullæ,* Etſi Mendicantium, *fuit pro ſolis regularibus habentibus ſpeciale privilegium.*
XXX. *Privilegia dictæ bull. non intelliguntur revalidata per nuperas bullas Benedictinas.*
XXXI. *Non poſſe epiſcopum in loco exempto alienæ diœceſis ordines conferre, ex Trident. refertur deciſum.*
XXXII. *Declaratus fuit etiam conſervator in pœnas cap.* Pervenit, *et aliis,* 7. *q.* 1.
XXXIII. *Sententia finalis vicarii generalis.*
XXXIV. XXXV. *Duplex S. Congregationi propoſitum.*

I. INTER alios, quos illuſtriſſimus Malacenſis epiſcopus præfatus, aſſertus aliquorum regularium conſervator, conſervatoriæ ſuæ decurſu, notorios perpetravit exceſſus, notabilior ſane, et forſan ſcandaloſior fuit, multiplicata ordinum celebratio in aliquibus religioſis conventibus, ubi iterato plures regulares tum ad minores, tum ad ſacros ordines, me invito, imo et poſitive reluctante, et ipſum pro facto illo ſpecialiter inhibente, privatim promovit. De quo certior factus vicarius meus generalis ad inſtantiam promotoris illum notificare juſſit ad vel privilegium ſpeciale certo termino peremptorio præſentandum, vel rationes allegandas, quæ ipſum à declaratione cenſurarum adverſus turbatores et uſurpatores ordinariæ juriſdictionis, et aliarum pœnarum in hac re à jure inflictarum, excuſarent. Cui notificationi reſpondit conſervator ipſe in ſcriptis propria manu firmatis, allegans bullam, *Etſi Mendicantium*, S. Pii V. quam noviter à Benedicto XIII. in bullis *Pretioſus*, pro *Dominicanis*, et *Summe decet*, pro reliquis Mendicantibus, confirmatam fore dicebat. Cui allegationi, et alteri aliquorum regularium, pro parte iſtorum, ipſi annexæ, promotor idem in actis ſequentem objecit.

II. Dicebat igitur promotor, duo puncta principalia, vel duas principales inſpectiones, devolvere duplicem reſponſionem illuſtriſſimi allegantis. Primam eſſe: *An in diœceſi illuſtriſſimi archipræſulis, præſente hoc, ac expedito ad ordines etiam regularibus conferendos, poterant quidem regulares prælati demiſſorias reverendiſſimo alleganti pro ſuis ſubditis ab eodem ordinandis derigere?* Secundum vero eſſe: *An, dato, quod poſſent, poſſet itidem reverendiſſimus reus prædictos ordines conferre, vel aliam pontificalem actionem in aliena diœceſi ſolemniter exercere abſque prævia licentia, et beneplacito, illuſtriſſimi diœceſani, etiam in eccleſiis regularium intra diœceſim conſiſtentibus?*

Quoad primam inſpectionem:

III. Aſſerebat promotor, 1. Indubium quidem eſſe reſolutionem negativam poſt decretum Clem. VIII. et poſt poſteriores S. Congregationis declarationes, ſuperius laudatas; imo et poſt ipſius Bened. XIII. in novo Concilio Lateranenſi, ſive Romano, Clementini decreti innovationem expreſſam, tit. 21. c. 2. ubi ad unguem à cunctis ſuperioribus regularibus ſervandam præcipit, ſub pœnis ibidem expreſſis, ut formaliter in ipſo conciliari, et Clementino decreto, ad extenſum tranſcripto.

IV.

IV. Aſſerebat, 2. Clementinum illud decretum, regulares omnes, quantumvis exemptos, afficere, ut conſtans erat ex multiplici S. Congregationis declaratione de ann. 1675. 1708. 1589. et 1596. ac 1597. apud Cardin. Petr. tom. 4. in conſt. 3. Bonifac. IX. *Sacroſanctæ*, pag. mihi, 362. et tom. 1. in conſt. Urban. II. *Cum univerſi*, ſect. 2. pag. ſimiliter, 236. Imo ſpeciali privilegio quoad hoc Jeſuitis conceſſo, reliquos regulares, etiam Mendicantes, communicationis via participare non poſſe, ob ſpecialem incommunicabilitatis clauſulam, conſequenter aſſerebat ex Monacell. tom. 2. tt. 13. form. 4. n. 33.

V. Quod quidem Clementinum decretum, à nupero Concilio Romano, ſive Lateranenſi, renovatum, fundatum equidem eſſe in jure communi, tum novo, tum antiquo, oſtendebat ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. c. 11. de reformat. et ſeſſ. 14. c. 2. et ſeſſ. 23. c. 8. et ex aliis decretis anterioribus, ſignanter ex expreſſa aliquorum privilegiorum in contrarium, facta à Leone X. in Concil. Lateran. conſt. 22. et apud cit. Card. Petr. tom. 1. in conſt. in d. conſtit. Urban. et poſterius in decret. Greg. XIII. apud cit. Petr. et Van. Spem, un. jur. eccleſ. p. 2. tt. 9. c. 2. et eandem prohibitionem Concilii Trident. ſeſſ. 12. et 14. c. 2. de ref. pro clericis ſæcularibus, ampliatam fuiſſe ad omnes regulares à S. Pio V. in bull. *Romanus Pontifex*, etiam demonſtrabat ex formalibus verbis ejuſdem; et alia proſequebatur conformiter ad ea, quæ extenſa jam remanent ſuperius.

VI. Nec alleganti ſuffragari dicebat bullam citatam, *Etſi Mendicantium*; eo quod iſta ob eodem S. Pio V. ejuſdem auctore, per aliam poſteriorem, quæ incipit *Romani*, 133. revocata fuerat, quod ea, quæ ordinariorum juriſdictioni, tam quoad prædicationes, quam quoad confeſſiones, abſque prævio examine, ac approbatione eorundem ordinariorum, ſuſcipiendas, præjudicabant.

VII. Et poſterius Gregor. XIII. in conſt. 9. *In tanta*, privilegia in præfata bull. *Etſi Mendicantium* conceſſa, ad terminos juris communis, et Concil. Trid. reduxit; *Ita quod ea tantum perſiſtunt indulta, quæ ante hujuſmodi bullas habebant Mendicantes, et Concilio Trid. non adverſantur*; ut in ſummaria declaratione, initio d. bullæ 41. in bullario, tom. 2. enarratur; quam quidem reductionem ad terminos ſacrorum canonum, et juris communis, anterius à Pio IV. factam, dicit Donat. prax. regular. tr. 13. q. 3. *de conſervatoribus*, n. 4.

VIII. Et hanc reſponſionem inſervire dicebat ad allegatas bullas *Pretioſus*, et *Summe decet*, Benedict. XIII. in quibus confirmatur cit. bull. *Etſi Mendicantium*, et aliæ, cum hac expreſſa clauſula reſtrictiva: *Dummodo ejuſmodi literæ, et declarationes, Concilii Trid. decretis non adverſentur.* Unde, cum per has nuperas bullas Benedictinas non intelliguntur renovata pro Mendicantibus privilegia eiſdem, in bulla *Etſi Mendicantium*, conceſſa, quoad prædicationes, et confeſſiones abſque ordinariorum approbatione audiendas, quia, quoad hæc, opponuntur decretis Concilii Tridentini; ita pariformiter nec privilegium ibidem, quoad ordines à quocunque antiſtite ultra diœceſanum ſuſcipiendos, conceſſum; cum etiam expreſſe ejuſdem S. Concilii Trid. decretis adverſetur, d. ſeſſ. 7. c. 11. et ſeſſ. 23. c. 8. ubi ſtatuitur, *quod unuſquiſque* à proprio *epiſcopo ordinetur*; et ulterius ſubſtantialiter, quid ſimile in poſteriori Clementino decreto prædicto decernitur.

IX. Proprium autem regularium epiſcopum conſequenter aſſerebat eſſe diœceſanum, in cujus diœceſi ſitum eſt monaſterium ordinandi, ex Paſſerino, doctore regulari, de offic. et poteſt. jud. deleg. in 6. apud Petr. cit. tom. 1. in conſt. Urban. II. ſeſſ. 2. n. 8. cujus verba formaliter tranſcribuntur ſupra.

X. Neque etiam alleganti ſuffragari proſequebatur privilegium præcitatum Gregor. XIII. pro Jeſuitis, tum ob expreſſam incommunicabilitatis clauſulam, tum quia etiam hoc Gregorianum privilegium pro eiſdem Jeſuitis videtur revocatum à Clement. VIII. et à Bened. XIII. in nupero Lateran. Concilio, in cit. decret. c. 2. tt. 21. quod quidem confirmari videbatur ulterius ex novo compendio privilegiorum ſocietatis, poſt d. Rom. Concilium ann. 1730. typis mandato; ubi, verbo *Ordines*, traditur, *Deciſum, et declaratum fuiſſe in Concilio Romano ſub Bened.* XIII. *poſſe Jeſuitas ſacris initiari extra tempora, virtute ſuorum privilegiorum*: nil omnino, ne verbo quidem, etiam remiſſive dicitur declaratum pro alio privilegio, quoad ordines à quocunque antiſtite ſuſcipiendos.

XI. Et quamvis dictum compendium circa hoc affirmative loqui videatur, *etiam poſt decretum Clem.* VIII. cum ſuper eo nullam etiam adducat declarationem, ſuſpecta remanebat ejus auctoritas juxta communem doctrinam, de qua Cardin. Deluc. in miſcell. diſcept. 16. et alibi Pignatell. tom. 2. conſ. 21. Monacell. p. 3. tt. 3. form. 6.

XII. Verum, omiſſa pronunc diſcuſſione hac, ex alia firmiori, et generaliori ratione aſſerebat inſuper, pro illius Gregoriani privilegii incommunicabilitate, *privilegia ſpeciali nota digna, et à jure communi exorbitantia, non cenſeri communicata per ſolam generalem communicationem, ſed ſpeciali et ſpecifica indigere*, Fagn. in c. *Cauſam*, de reſcript. tom. 1. Petr. tom. 1. in conſt. 6. Urban. IV. n. 28. Deluc. de paroch. diſc. 38. n. 3. et 16. et de regularib. diſc. 34. n. 14. Pignatell. tom. 10. conſ. 1. n. 32. et facit regula juris 29. in 6. et tenet etiam Donat. D. regul. et alii apud Monacell. p. 2. tt. 13. form. 4. à n. 34. et tt. 14. n. 14. ubi refert deciſum, *regulares, per ſolam communicationem, privilegiis gaudentes, non poſſe illis uti, quatenus tertio ſunt præjudicialia.* Pro quo videnda etiam, quæ ſuperius expenduntur alleg. 34, 35. et ſeqq.

Quoad ſecundam inſpectionem:

XIII. Dicebat etiam, quod, adhuc permiſſo, quod prælati regulares ſubditis ſuis demiſſorias dare valerent pro ordinibus à quocunque antiſtite ſuſcipiendis, minime antiſtes requiſitus, expoſitos regulares ad prætenſos ordines promovere poſſet in aliena diœceſi, etiam in loco exempto, videlicet in conventu regulari intra diœceſim conſtante, abſque conſenſu, et beneplacito proprii diœceſani; tum ex eo, quod cum prærequiſitos ordines intra pontificalia conferre deberet; certum erat, nullum epiſcopum in aliena diœceſi, ſine ordinarii loci licentia, in pontificalibus celebrare poſſe, ex Trid. d. ſeſſ. 2. c. 11. de reform. ub. Barb. n. 2. cum Valaſc. tom. 1. alleg. 5. n. 52. Piaſec. in prax. p. 1. c. 1. n. 12. Campanill. rubr. 9. c. 7. n. 4. et ſeſſ. 14. c. 2. eod. tit. de reformat.

XIV. Tum ex ejuſdem Conc. Trident. ſanctione expreſſiori, et ampliori, eod. tit. ſeſſ. 6. c. 5. ibi: *Nulli epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, et in perſonis eidem ordinario ſubjectis tantum: ſi ſecus factum fuerit, epiſcopus ab exercitio pontificalium, et ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.*

XV. Ubi Barb. n. 7. cum aliis quamplurimis, ſic tenet: *Facultatem habens à Papa promovendi à quocunque epiſcopo, non poteſt promoveri ab epiſcopo in aliena diœceſi ſine licentia epiſcopi illius diœceſis, Per. c. 11. ſeſſ. 7.* Quod intelligendum, et extendendum etiam ad loca exempta, docet ibidem, n. 10. Epiſcopus alienus volens conferre ordines in loco exempto, non ſolum debet habere licentiam ſuperioris loci exempti, ſed etiam illius epiſcopi, intra cujus fines locus exemptus eſt conſtitutus, ut referunt deciſum Armendanha, d. l. 7. de epiſc. n. 55. Aloys Ricc. in prax. rerum for. eccleſ. poſt reſolutionem 495. in notab. de mater. epiſcopi, Galet. in margarita caſuum conſcientiæ, verb. *Epiſcopus*, pag. 100. colum. 2. et ipſemet, d. alleg. 6. n. 12.

XVI. Et n. 15. extendit etiam ad locum exemptum, ubi prælatus regularis juriſdictionem quaſi epiſcopalem, cum territorio, et juribus epiſcopalibus, retinuerit, ut in Luſitania abbates generales Ciſtertienſes, et aliqui prælati congregationis canonicorum regularium Sanctæ Crucis Conimbricenſis; ibi: *Commendatarius abbas exiſtens intra fines alicujus diœceſis etiam exemptæ, et habentis jura quaſi epiſcopalia, non poteſt vocare quem maluerit epiſcopum pro miniſtrando ſacramento confirmationis ſuis populis, niſi de conſenſu, et licentia, in cujus diœceſis fines præpoſitura exiſtit*; *ita refert deciſum in una Veronen. Aldam. d. tt. 8. n. 11.*

XVII.

XVII. Confirmabat ex ſententia, et ſenſu ipſiuſmet illuſtriſſimi rei, qui rogatus pro matrimonii ſacramento in parochia Ribandarenſi hujus inſulæ Goanæ adminiſtrando, reſpondit, ſe non poſſe in illa adminiſtratione uti mitra, et baculo, eo quod in aliena diœceſi reperiretur; et ſola ſtola, et pluviali, tanquam quilibet ſimplex ſacerdos, indutus, ei celebrationi interfuit. Et pariformiter rogatus ad cymbali ſolemnem benedictionem in eccleſia miſſionariorum apoſtolicorum Divinæ Providentiæ hujus civitatis Goanæ, eandem excuſationem adhibuit, quatenus certior factus ab illorum præpoſito, obſervantiſſimo P. D. Carolo Joſepho Fideli, de facultate à me ſibi ad id commiſſa, acquievit. Et idem obſervatus fuerat cum prædeceſſore meo, à quo præviam licentiam obtinuerat, pro duobus regularibus Auguſtinianis privatim ad ordines à ſe promovendis. Pro quo videndus etiam Cardin. Deluc. in annot. ad Concil. Trid. d. cap. 5. ſeſſ. 6. et c. 11. ſeſſ. 7. et c. 8. ſeſſ. 23. de reform.

XVIII. Conventus autem regularium, intra ordinariorum diœceſes conſiſtentium, non eſſe abſolute, et plene exemptos, jam ſupra ex Pignatell. tom. 3. conſ. 33. et tom. 4. conſ. 106. n. 4. et tom. 7. conſ. 44. ex Barb. de ep. alleg. 105. ex Cardin. Petr. et aliis, ſatis oſtenſum eſt. Ex quibus tandem concludebat promotor, quod, etiam admiſſa licitudine demiſſoriarum à prælatis regularibus ad illuſtriſſimum allegantem directarum, nunquam iſte illorum ſubditos ad ordines promovere poſſet, neque ullam aliam actionem in pontificalibus exercere, ſine expreſſa proprii diœceſani facultate; et contrafacientem ſubjectum quidem remanſiſſe cenſuris, ac pœnis in S. Concil. Trid. d. c. 5. ſeſſ. 6. de reform. et aliis præcitatis juribus fulminatis.

XIX. Allegationem autem ex adverſo objectatam, quod *nemo, præter Summum Pontificem, privilegia regularium poterat interpretari*, retundebat promotor, primo, Prohibitionem eam eſſe dumtaxat; *Sicque, et non alias, per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, judicare, et definire voluimus*: ut formaliter habetur in citatis bullis *Pretioſus*, et *Summe decet*; quæ clauſula generalis quidem eſt pro omnibus literis apoſtolicis; et ex illa confirmatur, quod judices ordinarii, et delegati, quamvis *non aliter*, attamen *conformiter* ad bullarum tenorem, poſſe quidem judicare, et definire, ſenſu infra expoſito.

XX. Reſpondebat, 2. Per clauſulam illam, vel ſimilem aliam, non prohiberi quidem interpretationem doctrinalem, neque etiam grammaticalem, de qua Cardin. Petr. tom. 3. in conſt. 12. Clem. IV. n. 6. uſque 22. Fagn. in cap. *Cum veniſſent*, de judiciis, Rodrig. q. 11. a. 4. neque etiam interpretationem judicialem, quam equidem facere poſſunt judices ordinarii, ac delegati, *quoad deciſionem caſus non comprehenſi*, et quoad clauſulas claras, imo et dubias, præſertim in locis à curia Romana longe diſſitis; Deluc. de juriſd. diſc. 8. et de regular. diſc. 74. Mariſcot. Var. l. 2. c. 37. n. 29. Petr. cit. n. 15. et multipliciter ſic referunt deciſum à S. Congregatione, et nuperrime dupliciter anno 1706. unde ſola prohibetur interpretatio *auctoritativa*, quæ eſt propria, et privativa Summi Pontificis, et S. Congregationis ab eo ad hujuſmodi interpretationes ſpecialiter deputatæ, Petr. cit. n. 6. Paſſerin. l. 3. q. 189. Tamburin. de jur. abbat. tom. 1. diſp. 15. et adeſt tex. expreſſus in c. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6. pro exhibitione privilegiorum, tam religioſarum, quam ſæcularium perſonarum coram locorum ordinariis, de quo latius ſupr. alleg. 11, 12. et alleg. 34. et aliis.

XXI. Ad aliam inſuper allegationem ex adverſo efformatam ex reſtrictione bullæ *Pretioſus, quatenus tamen Concil. Trid. decretis non adverſentur*, §77. juncta ſequenti limitatione ibidem; *Niſi forte in ipſis bullis, adhuc et in præſentem eadem conſtitutione, reperiretur derogatio aliqua*; ex qua limitatione inferre conabatur, bullam *Etſi Mendicantium*, quoad privilegium regularium à quocunque antiſtite ordinandorum, adhuc vigere; eo quod pro illo in dicta bulla expreſſa Tridentini derogatio reperiatur; reſpondebat promotor, clauſulam illam, *Niſi forte in ipſis*, &c. loqui dumtaxat de derogatione, quæ actu perſiſtat, et actualiter vigeat. Cum autem privilegium illud ordinationis regularium à quocunque antiſtite, in bulla *Etſi Mendicantium*, expreſſum ſtatim immediate, et ſucceſſive, ab eodemmet S. Pio V. illius bullæ auctore, revocatum fuerit, et ſucceſſive à Gregorio XIII. et poſtea à Clem. VIII. et nuperrime tandem ab ipſomet Bened. XIII. in Concil. Romano, loc. citat. hinc conſequitur, quod actualiter non perſiſtente, neque vigente privilegio illo poſt prædictas revocationes, neque etiam actu præſiſtat, aut vigeat derogatio illa Tridentini in bulla *Etſi Mendicantium* reperta, quæ eſt conſequens et acceſſoria præmiſſo privilegio, et in illo fundata.

XXII. Tum quia *Acceſſorium ſequitur principale*; *et, ruente fundamento, corruit ædificatum*; tum quia *Ejuſdem naturæ eſt, actum eſſe revocatum, ac eſſe reſolutum*, Grat. for. l. 1. cap. 168. n. 4. unde pariformiter diſcurrendum de privilegio iſto ordinationis, ſicut de duplici alio prædicationis, et confeſſionum auditionis, contento in eadem bull. *Etſi Mendicantium*.

XXIII. Quinimo ſuperaddebat promotor, quod, etiam dato, quod adhuc vigeret privilegium bullæ *Etſi Mendicantium*, pro ordinibus regularium à quocunque antiſtite ſuſcipiendis, per quod derogatum fuit prohibitioni Tridentini de reform. ſeſſ. 23. c. 8. cum tamen alia diſtincta remaneat prohibitio ejuſdem Trid. c. 5. ſeſſ. 6. de reform. ubi efficaciter interdicitur cuilibet epiſcopo, *Cujuſlibet privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia*; *et in perſonis eidem ordinario ſubjectis tantum*; cui quidem diſtincto decreto, atque prohibitioni, neque in cit. bulla *Etſi Mendicantium*, nec alia alicubi derogatum eſt; neque valeat extenſio derogationis primæ prohibitionis quoad ordines à proprio diœceſano ſuſcipiendos, ad diverſiſſimam materiam, diverſimode, diverſoque decreto diſtincte interdictam quoad uſum pontificalium in aliena diœceſi, proprio ordinario invito; tum quia odioſorum non debet fieri ampliatio, ſed reſtrictio, ex vulgari axiom. tum ex allegatis alibi.

XXIV. Idcirco adhuc illuſtriſſimus reus ſubjaceret prohibitioni hujus diſtincti decreti conciliaris, d. c. 5. ſeſſ. 6. et pœnis ſuſpenſionis in eo, tam ordinanti ipſi, quam ab eo ordinatis inflictis, in quibus, et reliquis à jure ſuperius allegatis, requirebat tandem promotor, ut per finalem ſententiam declararentur incurſi.

XXV. Et ad requiſitum conformiter, clauſis actibus, et neceſſariis diligentiis præmiſſis, prodiit tandem ſententia vicarii generalis archiepiſcopatus, die 21. Maii 1732. in audientia publicata, qua præfatus illuſtriſſimus ordinator declarabatur incurſus in cenſuram ſuſpenſionis ab uſu pontificalium per annum, et in cenſuras excommunicationis majoris, et alias pœnas competentes in bulla Cœnæ Domini, et aliis Tridentini Concilii, atque juris communis decretis contentas; et prælati regulares demiſſores, eorumque ſubditi illicite demiſſi, et ordinati, in competentes pœnas, atque cenſuras in prædicto Clementino decreto, et Concilio Romano, c. 2. tt. 21. expreſſas, fuerunt denuntiati.

XXVI. Quibus tamen non obſtantibus, et notoria irregularitate ab illuſtriſſimo ordinante ex illicitæ celebrationis illius repetitione incurſa, proſecuti ſunt, et prælati regulares iidem ipſimet illuſtriſſimo epiſcopo, adhuc poſt ſententiæ illius declaratoriæ publicationem (à qua nullus appellationem aliquam interpoſuit) eaſdem demiſſorias, ſicut antea dirigere, et illarum virtute illuſtriſſimus epiſcopus præfatus expoſitos ſubditos eorum ordines iterum promovere. Quare denuo ad novum competens procedimentum iterum pariformiter notificatus ad inſtantiam promotoris, reſpondit per quandam veluti paſtoralem chartam meo vicario generali directam, allegans in ea propriam indefenſionem, atque excuſationem, quæ in ſubſequenti promotoris confutatione præcontinentur.

Secunda ejuſdem promotoris allegatio in ſecundo procedimento adverſus eundem illuſtriſſimum Malacenſem, conſervatorem aſſertum, ob repetitionem ejuſdem injuſtæ ordinariæ juriſdictionis in collatione ordinum aliena in diœceſi, proprio diœceſano invito.

XXVII. Allegationi igitur ab illuſtriſſimo reo præfato, in propriam excuſationem editæ, objiciebat promotor, fruſtra laborare in eiſdem rationibus pro nova incur-

incurſionis pœnarum et cenſurarum à lege excuſatione iterandis: quæ quidem, ſicuti à prima declaratoria non exemerunt, ita neque à ſecunda relevare poterant.

XXVIII. Nam in prima primi procedimenti controverſa allegatione ſatis ſuperque oſtenderat, bullam productam *Etſi Mendicantium*, ab eodem ejuſdem auctore, S. Pio V. et poſtea à Greg. XIII. ad terminos juris communis, et Concil. Trid. decretorum, redactam fuiſſe. Et nunc noviter ſuperaddebat, quod ſicut S. Pius V. explicare potuit (ut effecit) quod decretum ejuſdem Concilii, ſeſſ. 23. c. 8. de reform. non comprehendebat regulares exemptos, ſpecialia privilegia habentes, ut à quocunque antiſtite ordinarentur; ita ſimiliter ejus ſucceſſor, videlicet Greg. XIII. parem habuit poteſtatem, ad reducendum (ut reduxit) omnia privilegia regularium in d. bull. *Etſi Mendicantium* contenta, ad juris communis, et ejuſdem Concilii Trid. terminos; ita ut deinceps regulares in generali diſpoſitione illorum conciliarium decretorum comprehenderentur, ut de facto includi, et comprehendi declaravit per reductoriam poſteriorem bullam *In tanta*, 9. ut ex illa patebat, et ex declaratione initio d. bullæ *Etſi Mendicantium* appoſita.

XXIX. Præterquam quod animadvertendum eſſe dicebat, privilegium hoc d. bullæ *Etſi Mendicantium*, fuiſſe dumtaxat *pro regularibus habentibus ſpeciale privilegium Sedis Apoſtolicæ, ut à quocunque antiſtite ordinarentur*; proindeque, ſuppoſita poſteriori revocatione, ſeu reductione Gregoriana per cit. bullam *In tanta*, debuiſſe hoc privilegium, ut hodie vigeret, nedum poſt Sacrum Concilium Trid. conceſſum eſſe, verum et cum expreſſa illius poſterioris bullæ *In tanta* derogatione, in quibus terminis formaliter ſolis regularibus Societatis Jeſu, et cum expreſſa clauſula incommunicabilitatis, conceſſum reperitur, de quo ſuperius, n. 10.

XXX. Unde, ſicut privilegia bullæ *Etſi mendicantium*, pro regularium prædicatione, et confeſſionibus audiendis, abſque prævio examine, et approbatione ordinariorum, non intelliguntur revalidata per nuperas bullas Benedictinas *Pretioſus*, et *Summe decet*, eo quod fuiſſent reducta ad terminos juris communis ab eodem S. Pio V. per bullam ſpecialem *Romani*, et à Gregor. XIII. per cit. bull. *In tanta*, et ab aliis poſterius; ita ſimiliter ſentiendum eſt de privilegio illo quoad ſuſceptionem ordinum à quocunque antiſtite catholico.

XXXI. Præterea, ut jam ſupra inſinuatum remanet, adhuc reſtabat alia contraventio illuſtriſſimi rei, decreto S. Concilii Trid. d. c. 5. ſeſſ. 6. de reform. et ob eam ſubjectio pœnis ibidem fulminatis ob collationem, ſcilicet, ordinum in aliena diœceſi, etiam in loco exempto, de quo Barb. in d. Concil. et referunt deciſum, ultra ipſum, Armend. l. 7. de epiſc. n. 55. Ricc. in prax. reſol. 495. et alii apud eundem cit. Barb. ſeſſ. 7. c. 11. et ſeſſ. 14. c. 2. de reform. Neque etiam eidem illuſtriſſimo ſuffragari dicebat caſum allatum de quodam regulari ab ipſo tunc temporis ordinato, quem ego ipſe permiſeram, ut non vitaretur, durante curſu præſentis cauſæ agitatæ: nam præter hanc rationem cauſæ verſantis, aderat alia ſolidiſſima, ex eo, quod cenſura incurſa à taliter ordinatis, non foret cenſura excommunicationis, ſed ſuſpenſionis tantùm, ex Trid. d. c. 5. ſeſſ. 6. et ex cit. decreto Clem. VIII. et Concil. Rom. cap. 2. tt. 21.

XXXII. Et quia per quandam monitoriam, et comminatoriam chartam diſtinctam, idem illuſtriſſimus reus à me juſſus fuerat ad diœceſim ſuam remeare, à qua per decennium, inſufficienti motivo quoad moram, abfuerat, cui quidem chartæ ipſi intimatæ die 25. Aprilis 1732. atque poſitivæ gubernii ſæcularis, in corroborationem illius, duplicatæ inſtantiæ, ipſe minime paruerat; imo ad inſtantias illas, et illarum executionem declinandas, inſperato latitaverat; ob quæ die 30. Maii declaratus fuerat incurſus in pœnas c. *Pervenit*, et aliis tota cauſa 7. q. 1. et Concil. Trid. ſeſſ. 6. et ſeſſ. 29. c. 1. de reform. innovatis in novo Concil. Rom. tt. 17. c. 2. et expreſſis in conſt. *De ſalute*, Pii IV. *In ſuprema* ejuſdem, *Sancta Synodus*, Urban. VIII. et aliis, poſt aliam declaratoriam in cenſuras à lege, publicatam die 21. ejuſdem menſis, abſque reſipiſcentia, vel moderatione etiam aliqua ex parte ipſius rei: perquirebat tandem promotor, ut majori cum rigore adverſus illum denuo procederetur, et ad aggravatoriam ac reaggravatoriam præmiſſarum cenſurarum, et irregularitatis, ſignanter ob illicitas celebrationes poſt primas ſuſpenſionis et excommunicationis cenſurarum declarationes; et quod prælati regulares incompetenter ſubditos ſuos demittentes, denuntiati etiam forent in pœnas decretorum Clem. VIII. et Bened. XIII. incurſi; et ſubditi ipſi illegitime ordinati, ſuſpenſi ab ordinum ſuſceptorum exercitio, et qui eos exercuiſſent poſt præfatam ſuſpenſionem incurſam, irregulares denuntiati, reſervato eidem promotori jure adverſus quemlibet illorum ſingulariter requirendi.

XXXIII. Prodiit tandem ſententia vicarii generalis conformiter ad promotoris inſtantias; ſed publicæ declaratoriarum per cedulones affixioni, ſuperſeſſum eſt in obſequium adventus, et interceſſionis novi proregis, comitis Sandomilenſis, excellentiſſimi ſcilicet Petri Maſcarenhas de Carvalho: porro pro ultima ſuper prædictis deciſione ad Sacram Congregationem recurri cum ſubjectorum dubiorum expoſitione, quorum finalis reſolutio adhuc deſideratur.

DUBIA *S. Congregationi pro competenti deciſione expoſita.*

XXXIV. Dub. 1. An declaratio bullæ Pianæ *Etſi Mendicantium*, § 7. moleſt. 7. declarans, diſpoſitionem Concilii Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform. locum non habere in regularibus, quominus hi à quolibet antiſtite ſacros ordines ubilibet recipere poſſint, extendatur etiam ad ejuſdem Concilii decreta ſeſſ. 6. c. 5. et ſeſſ. 14. c. 2. de reform. Ubi cavetur, quod nulli epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœceſi, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia?

XXXV. Dub. 2. An gratia, ſeu privilegium, in tali declaratione Piana in favorem regularium contentum, redactum fuerit ad terminos juris communis, et prædicti Concilii Trident. et poſſit cenſeri renovatum per nuperas Bened. XIII. bullas *Summe decet*, et *Pretioſus*; vel potius ad prædictos terminos juris communis, et ejuſdem Concilii nuperrime redactum per bullam Sanctiſſimi D. noſtri Clem. XII. *Romanus Pontifex*, 3. Kal. April. ann. 1731. edictam?

ALLEGATIO LVIII.

Ejuſdem Promotoris in Recurſu à Reformatis Franciſcanis Provinciæ Indianæ à Matre Dei *nuncupatæ, à Revocatione Licentiarum prædicandi, et Confeſſiones audiendi* in genere, *ad ſæculare Judicium interpoſito.*

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Recurſus abſque debita inſtructione, et cum narrativa intricata interpoſitus, rejicitur.*
III. *Recurſus ſuccedit loco gravaminis per petitionem, et hujuſce naturam, et qualitates participat.*
IV. *Deficientibus actis, et aliis requiſitis, non poteſt judex ſuperior cognoſcere de gravamine, ſed illud rejicere debet.*
V. *In præſenti recurſu non dabantur acta, neque juſtificatio aliqua.*
VI. *Pro juſtitia revocationis proferebantur jura expreſſa.*

VII. *Et diſpoſitio Concil. Trid.*
VIII. *Et expreſſa deciſio in cauſa Angelopolit. pro revocatione generali confeſſariis, et prædicatoribus regularibus in Indiis.*
IX. *Pro hujus revocationis licitudine aderat cauſa ſatis gravis, notoria, et ſufficiens.*
X. *Quæ corroborabatur ex aſſertis à prælato regulari, et proprio ſigno firmatis.*
XI. *Et confirmabatur ex doctrina Cardin. Deluca.*
XII. *Omnes facultates à prædeceſſoribus diœceſanis datæ fuerant* ad placitum.
XIII. *Bulla* Etſi Mendicantium *revocata fuit, quoad hæc, ab eodem Pontifice, et ab aliis poſterius.*
XIV. *Ne in minimo quidem obtinuerunt recurrentes: quare medium aliud violentius temere aggreſſi ſunt, de quo remiſſive.*
XV. *Præceptum ſpeciale in regula D. Franciſci fratribus prædicatoribus impoſitum.*

I. JUSTIS quidem de cauſis, et ſatis notis, ac notoriis, infra in promotoris allegatione ſat indicatis, cum per publicam paſtoralem chartam nil privatis, politiciſque epiſtolis, atque mitiſſimis, et modeſtiſſimis ſuaſionibus, atque propoſitionibus proficientibus; prædicandi, et confeſſiones ſuſcipiendi facultates in genere religioſis reformatis præmiſſis, tandem revocarem; appellationem ab hac revocatione, et ab ulterioribus procedimentis, confeſtim interponentes, ab iſtius etiam receptionis quoad effectum ſuſpenſivum denegatione, gravamen ad ſæculare coronæ judicium conſequenter interjecerunt; ſed inutiliter, ut ex illius finali exitu deprehendetur. Quorum quidem recurſus ſupplicationis in acta redactæ, cum mihi ex ſtylo copia exhiberetur, ex eodem ſæpe ſæpius in hoc coronæ judicio pro ſimilibus recurſibus praxi obſervato (de qua etiam Themud. dec. 158. 254. 257. et Cevall. de viol. q. 22.) detuli, ut promotor judicii mei pro meæ juſtitiæ defenſione allegationem de more texeret: in qua quidem promotor ipſe—

II. Allegabat, 1. Præſentem recurſum nedum à veritate penitus alienum, ſed et à neceſſaria inſtructione omnino nudum, et ſpoliatum incedere, et inſuper cum narrativa manifeſte turbida, intricata, inveroſimili, et partim implicatoria: quare non ſolum non admittendus, quinimo ſtatim repellendus veniebat. Per. de man. reg. c. 7. n. 5. Salg. de reg. prot. 1. p. c. 2. n. 68. Leyt. de jur. Luſit. tr. 1. q. 6. ex n. 51. et 86.

III. Præſertim, cum recurſus, loco gravaminis, per petitionem ſuccedat, et hujuſce naturam, atque qualitates participet (Lancelot. de attent. p. 2. c. 19. n. 4. et 17. Scacc. de appellat. q. 19. remed. 3. n. 33.) certum omnino eſt, ait Leit. cit. n. 52. quod, *In ſecundo caſu*, videlicet, *ſi ſtatim poſt interlocutoriam, ſive decretum, aut factum, de quo agitur, gravamen interponatur, plura ſequentur inconvenientia, et non minimæ implicationes, et confuſiones; nam, cum, in hac ſpecie, acta ulla formata non ſint, nec deducta, aut allegata, illa, quæ pro gravato, vel adverſario faciunt, quibuſnam actis eſt petitio adjungenda? Quænamve acta ſunt deferenda ad ſuperiorem? vel ex quibus juſtificandum gravamen?*

IV. Et infra, n. 86. ſic ait: *Deficiente quolibet ex dictis requiſitis, non poterit judex ſuperior cognoſcere de gravamine, ſed illud rejicere debebit, ut exprimitur in ordinationibus ſupra citatis pro quolibet ex dictis requiſitis, ſalva ſemper cauſa legitimi impedimenti, vel reſtitutionis; quibus intervenientibus, juris regulæ obſervandæ erunt, et accipienda cognitio, etiamſi deficiat aliquod ex dictis requiſitis; et ſane in ipſis gravaminibus per inſtrumentum, impedimenti mentionem fecit legiſlator noſter, lib. 3. 47. § fin.*

V. Unde, cum præſens recurſus neceſſaria inſtructione penitus deſtitutus incedebat, neque aliunde inſtrui poterat, defectu totali actorum, quæ nec reſtabant, nec abſolute extabant, ut adjungi poterant, et ſola nuda charta paſtoralis revocatoria proferebatur; certo certius erat, dicebat promotor, de hujuſmodi recurſu, juxta præmiſſas doctrinas, et praxim generalem, quod cognoſci minime poterat, et ita demum requirebat.

VI. Deinde, pro juſtitia ipſius revocationis in genere, in medium proferebat diſpoſitiones bullæ *Cum ſicut*, Innoc. XII. anno 1700. editæ, qua damnat opinionem aſſerentem, confeſſarium regularem in una diœceſi approbatum, poſſe in alia, ubi nunquam fuerat approbatus, eligi virtute bullæ Cruciatæ, ad confeſſiones ſacramentales audiendas; quas quidem confeſſiones ibidem nullas, et invalidas, et confeſſarios ipſo jure ſuſpenſos declarat, eo quod non ſint *ab ordinario loci* approbati, juxta Sacr. Conc. Trid. ſanctiones, etiamſi pœnitentes quondam ſubditi fuerint ordinarii illius, à quo præmiſſi confeſſores approbati fuerant; ut melius, et expreſſius, videre licebit in præfata bulla apud Lacr. et alios DD. modernos.

Ulterius allegabat etiam diſpoſitionem bullæ Benedict. XIII. *In ſupremo*, edita anno 1724. confirmatoria alterius Innoc. XIII. *Apoſtolici miniſterii*, anno 1723. promulgatæ, in quibus uterque Summus Pontifex damnans opinionem aliquorum DD. Hiſpanorum, apologiæ fratris Gabrielis de Noboa inſiſtentium, *Declarat ſacerdotes tam ſæculares, quam regulares, ab epiſcopis obtinentes licentiam audiendi confeſſiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus perſonarum, vel quoad tempus, non poſſe pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare extra terminum limitationis præſcriptum, quocunque privilegio, etiam in vim bullæ Cruciatæ, competenter nullatenus ſuffragatur*; et inſuper declarat Benedictus XIII. *Prædictis ſacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus, et confeſſiones excipiendas, vel ex vi bullæ Cruciatæ, vel ex quocunque alio privilegio electis, ſuffragari minime etiam poſſe, quod approbati alias fuerint ab epiſcopo illo, qui aliquando fuerit ordinarius loci, in quo confeſſiones audiendæ ſint . . . . ſed neceſſariam omnino eſſe illius, qui actualiter, et pro tempore, ordinariam juriſdictionem in ea diœceſi exerceat, approbationem*, &c. Prout videre eſt in utraque præfata bulla in appendice ad novum Concilium Roman. ſeu Lateranenſe, et in continuat. bullar. magn. Rom. p. 3. quas quidem bullas, ſeu apoſtolicas conſtitutiones, ego ipſe die vigeſima quinta Januarii anni 1727. in tota hac mea diœceſi publicari feceram, et obſervari præceperam.

VII. Allegabat inſuper, diſpoſitiones præmiſſarum conſtitutionum eſſe quidem omnino conformes conſtitutioni Xyſti IV. dictæ *Mare magnum*, ibi: *Ab eodem epiſcopo, quia approbavit*, &c. et aliis, de quo videndus etiam curſ. moral. Salmantic. tom. 3. tract. 18. c. 2. pu. 1. et c. 4. pu. 2. § 5. n. 112. præter conſonantiam maximam Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 4.

VIII. Et præterea expreſſam in cauſa Angelopolitana deciſionem, ubi in primo dubio pro parte Jeſuitarum expoſito, in bulla *Cum ſicut*, Innoc. X. tom. 4. apud bullarium Cherubin. *An epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum monaſterium, vel collegium, ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere? reſpondit, Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius monaſterii, vel collegii, confeſſariis adimere facultatem audiendi confeſſiones perſonarum ſæcularium, etiamſi inconſulta Sacra Congreg. epiſcoporum, et regularium negotiis præpoſita, tum decretum ab ea editum ſub die 20. Novembr. 1615. ex intentionis defectu, et convenientia morali, non extendatur ad regiones illas, tam longe ab urbe diſſitas. Verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, et animarum pernicie, contingere poteſt, abſtinendum eſſe epiſcopis, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa, ſuper quo Sacr. Congreg. illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas.*

IX. Pro gravitate autem, et ſufficientia cauſæ ad preſentem revocationem in genere, inducebat promotor ſatis notoriam inter præfatos regulares practicam utriuſque opinionis præmiſſæ ab Innoc. X. et XIII. et Bened. XIII. damnatæ; et apertam, ac publicam aliquorum ipſorum regularium aſſeverationem id ipſum confirmantem, necnon evidentiam ſat manifeſtam illius diſcriminationis, qua provincialis eorum mihi plures ſubditos pro verbi Dei diſſeminatione exponens, nullum omnino catenus pro ſacramentalibus confeſſionibus excipiendis præſentârat; quinimo, politice, et juridice monitus, ut mihi ſubditorum ſuorum licentias, à me, vel à prædeceſſoribus adeptas pro utroque

munere

munere exercendo præſentaret, etſi libenter præſentaturum promiſerat, caute promiſſa non adimplevit, quod et capitulo, ſede vacante, etiam pro licentiis à prælato modo defuncto conceſſis, denegari, et refragari non poteſt, ut tenet Caſnedi in criſ. theolog. diſp. 30. ſect. 2. per tot. et ſeſſ. 3. et 4. Fr. Valent. in compilat. mor. declarat. decr. Innoc. XII. Cardin. diſſ. 2. n. 384. Edvard. de Oliv. compend. bull. c. 14. n. 268. Nogueir. diſp. 14. ex n. 20. Moya, Lumb. Bard. Hores, et alii apud ipſos.

X. His ſuperaddebat propriam ipſius provincialis reſponſionem, propria manu firmatam, ad me directam, qua aperte negabat me prædictam licentiarum præſentationem, aut quorumcunque privilegiorum exigere, aut monere poſſe, contra expreſſam diſpoſitionem c. *Cum perſonæ*, de privileg. in 6. c. *Porro*, de privileg. c. *Contingit*, de fid. inſtrument. et aliorum contra declarationem Innoc. X. in cauſa Angelopolitan. et inſuper libellum publicum, à quodam ejuſdem familiæ religioſo confectum, et ab eodem provinciali editum, atque ſparſum, quo temere autumabat, ſe utique valide, ac licite poſſe ſubditos ſuos, etiam minoribus ordinibus, et adhuc prima tonſura non initiatos, ad concionandum populo in monaſteriis ſuis abſque mea etiam benedictione admittere, et pro extraneis eccleſiis abſque mea prævia licentia, juxta privilegiorum ſuorum tenorem, deputare, contra expreſſa Concilii Trident. decreta, et edictum Clem. XI. ann. 1705. expeditum, et etiam contra propriæ regulæ Seraphicæ præceptum, c. 9. et c. *Excommunicatus*, de hæretic. § *Quia diſpoſitionem*; et alia hujus furfuris; ratificans iterum quæ jam refutata remanent, et alia abſurda ex iis, quæ à ſupremo tribunali S. Romanæ Inquiſitionis generalis, approbante Alex. VII. ann. 1659. damnata reperiuntur apud bullarium Cherubin. tom. 5. p. 197. præſertim dubit. 13. et 14.

XI. Ex quibus omnibus, et ſingulis, evidenter concludebat promotor pro ſufficientia, imo et ſuperabundantia gravitatis cauſæ, ac motivorum ad utramque revocationem in genere, quod et pulchre exornabat, ac confirmabat, expreſſa, ac identica doctrina Cardin. Deluc. de juriſd. diſcept. 32. n. 10. § *Habita*; ibi: *Me communicante, pluribus ſuperioribus diverſarum religionum in urbe exiſtentibus, conſilium archiepiſcopo datum, ut non curando religioſorum renuentium ſervitium, neque ſpectato Sacr. Congregationis oraculo, denegaret eiſdem religioſis facultatem in genere audiendi confeſſiones ſæcularium, ac prædicandi, tanquam voluntarie declaratis inhabilibus ad hujuſmodi, præſertim pœnitentiæ ſacramenti miniſterium, libenter, arbitrio, et diſcretioni archiepiſcopi ſe ſubmiſerunt.*

XII. Præſertim, cum notorie conſtaret, omnes approbationes, ac licentias, à prædeceſſoribus meis præfatis regularibus datas, fuiſſe quidem *ad placitum*, et abſque prævio examine, quibus terminis manifeſte intrabant diſpoſitio bullæ *Superna*, Clem. X. *Inſcrutabili*, Greg. XV. *Romani Pontificiis*, Pii V. *In tanta*, Gregor. XIII. et decret. Urb. VIII. alias 1629. et Sacr. Congregation. 1630. præter nuperas præmiſſarum bullarum Innoc. XIII. ac Bened. XIII. diſpoſitiones; et etiam notorium, et generali ſugillatione notatum foret, materias quamplurium ſermonum eſſe penitus declinantes, imo et adverſantes commendationibus Conciliorum *Conſtantienſis*, *Lateranenſ. Tridentin.* et noviſſimi *Romani*, ſeu *Lateranenſis*, necnon monitorio Innoc. XI. incipienti, *A pluribus.*

XIII. Neque his officere, aut illis proficere poſſe proſequebatur, bullam *Etſi Mendicantium*, S. Pii V. hanc enim, aperte conſtabat ex argumento ejuſdem bullæ in bullario Romano, revocatam fuiſſe ab eodem Pontifice per bullam poſteriorem, 75. *Romani Pontificis*, quoad ea, quæ examen, et approbationem regularium ab ordinariis reſpiciunt, ſicut pariter per Pium IV. per bull. *In principis*, 94. et per Gregor. XIII. per d. bull. *In tanta*, et per Clem. VIII. per bull. *Quæcunque*, redacta fuere privilegia regularium, in hac materia, et aliis, ad terminos juris communis, et Concilii Tridentini, ut ibidem expreſſe continetur; quo ſuper videndus Pignatell. tom. 6. conſ. 1. n. 7.

XIV. His, et aliis fulcimentis roborante, atque exornante promotore ipſo meæ chartæ paſtoralis revocatoriæ, nedum validitatem, ſed et juſtitiam, ac licitudinem, perſpecta, ac recte ponderata à regiis ſenatoribus in coronæ judicio ejuſdem allegatione, recurrentibus ne in minimo quidem deferre judicârunt, et pro gravaminis abſoluta excluſione prodiit tandem decretum. Et regulares prædicti, hoc medio ſibi juſte præcluſo, aliud violentius, atque injuſtius, temere aggreſſi ſunt, conſervatorem illicite, atque invalide deputantes, et ad eum inutiliter æque, atque injuſte recurrentes, de quo alleg. præced. 56. donec ab aliis prudentioribus regularibus animadverſi, atque ſaniori conſilio inſtructi, revocationi tandem parentes acquieverunt.

XV. Et, ut clarius tum hujuſce obedientiæ obligatio, tum adverſæ inobedientiæ illicitudo, in regularibus iſtis ſpecialiter innoteſcat, hic ſubmittere licebit ſpecialem ſuper ea Beati P. Franciſci diſpoſitionem in regula c. 9. *de prædicatoribus*, ibi: *Fratres non prædicent in epiſcopatu alicujus epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi à miniſtro generali hujus fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus; et ab eo ſibi officium prædicationis conceſſum.*

Moneo quoque, et exhortor itidem fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata et caſta eorum eloquia, ad utilitatem, et ædificationem populi; annuntiando eis vitia, et virtutes, pœnam, et gloriam, cum brevitate ſermonis, quia verbum breviatum fecit Dominus ſuper terram.

Et in teſtamento ſic jubet: *Præcipio firmiter per obedientiam fratribus univerſis, ut ubicunque ſint, non audeant petere aliquam literam in curia Romana, per ſe, vel per interpoſitam perſonam; neque pro eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum*, &c.

ALLEGATIO LIX.

Ejuſdem Juſtitiæ Promotoris, ſuper prætenſa Exemptione cujuſdam Canonici capitularis hujuſce Sedis Primatialis Goanæ à Juriſdictione Vicarii generalis Diœceſis abſque Conjudicibus de Corpore Capituli, prætextu quod Capitulum Goanum privilegio Capitulorum exemptorum gauderet, ad Mentem Concil: Trid. ſeſſ. 25. c. 6. de Reformat.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Fundamentum rei, ut non proceſſaretur ſine conjudicibus.*
III. *Conciliare decretum lequitur de capitulis exemptis dumtaxat.*
IV. *Nec prodiit in gratiam capitulorum aliquid de novo illis concedens; quinimo denuo juriſdictionem conceſſit epiſcopis in capitula exempta, quam antea non habebant.*
V. *Comprehendit ea dumtaxat capitula, quæ ſpecialem gratiam exemptionis habebant.*
VI. *Celebris deciſio in favorem archiepiſcopi Neapolitani.*
VII. *Conſtitutiones ſynodales Goanæ hanc juriſdictionem vicario generali in omnes perſonas tribuunt.*
VIII. *Epiſcopus habet fundatam ſuam intentionem adverſus omnes ſacerdotes, tam ſæculares, quam regulares; et privilegium non præſumitur, niſi probetur.*
IX. *Semper pro juriſdictione epiſcopi ſtandum, donec contrarium probetur.*

X. *Inefficax erat poſſeſſio allegata.*
XI. *Poſſeſſio electionis conjudicum non fuit continuata.*
XII. *Poſſeſſio non acquiritur ex actu clandeſtino, nec ſine ſcientia, ac patientia prælati.*
XIII. *Unius contradictio ſufficit, ad non acquirendam quaſi poſſeſſionem.*
XIV. *Privilegia inſerta in corpore juris, includuntur per modum privilegii.*
XV. *Inſtrumentum, ſive terminus corporis delicti, requiritur dumtaxat in delictis relinquentibus veſtigia.*
XVI. *Sequeſtratio, aut depoſitum bonorum, eſt frequens in judicio eccleſiaſtico in cauſis criminalibus.*
XVII. *Reus ad ſæculare judicium recurrens, non obtinuit, etiam non adhibita reſponſione generalis vicarii, aut promotoris juſtitiæ.*

I. MANUS quidem violentas publice in choro meæ primatialis ſedis, et me præſente, quodam canonico capitulari in alium, à quo provocatum fuiſſe dicebat, temere injiciente, et à meo vicario generali utroque ad competentem diſtrictionem perſonalem pronuntiato, atque ad allegandum, *quare declarari non deberent* in cenſuram can. *Siquis ſuadente*, pariter notificatis, canonicus offenſus humiliter, atque religioſe, tum notificationi, tum capturæ indubius paruit; et per finalem ſententiam in præcitatam cenſuram declaratus, et temporanei pœna exilii, atque certo pondere cereo pro offenſa, atque injuria eccleſiæ, præter mulctam pro ſacrilegio perſonali in ſynodalibus conſtitutionibus taxatam, denique damnatus eſt.

II. Canonicus vero offenſor, utpote genii turbulenti, et majoris ſceleris reus, male ſuaſus, capturam, arrepta fuga, declinans, aſſeverationem, et abſolutionem ad cautelam, pro competenti defenſione alleganda poſtulans, impedimenta objecit, tum proceſſui, atque inquiſitioni ſuper facto, etſi notorio, inſtructæ, tum procedimentis quibuſlibet, etiam declarationis in cenſuram à jure, intentatis, prætextu, quod, utpote capitularis canonicus cathedralis, et primatialis ſedis, proceſſari non poterat abſque conjudicibus de corpore capituli, juxta decretum Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 6.

III. Adverſabatur promotor cum rei veritate aſſeverans, conciliare illud decretum loqui de capitulis exemptis dumtaxat, ut ex argumento præcitati capitis, et ex decreto Pauli III. ibid. allegato, liquebat; et expreſſe tenent Barb. ad d. c. et Card. Deluc. annot. ad d. Concil. unde conſtat, et apud omnes DD. in confeſſo eſt, hujuſce decreti diſpoſitionem, non cathedrali, *qua cathedrali, ſed qua exemptæ*, competere, ut reſolvit Deluc. annot. ad Concil. Trid. d. c. 6. n. 2. ibi: *Opinantur aliqui, quod in gratiam capitulorum, et capitularium, iſtud conciliare decretum prodierit, quaſi quod ita capitulum cathedralis à reliquo clero contradiſtinctum, ac ſingularizatum ſit, ſed male; quoniam potius id capitulorum jura, et privilegia reſtrixit, atque epiſcopis conceſſit id, quod non habebant.*

Idem docent Barb. ad d. Concil. n. 3. et 4. et referunt deciſum Ricc. p. 4. collect. 751. Rerol. in prax. p. 1. verb. *Capitulum*, § 8. Seraph. dec. 493. n. 1. Armend. in addit. ad recop. leg. Navarr. l. 1. tt. 17. q. 7. de epiſcop. n. 93. Saraiva, citans eund. Barb. tr. de canon. c. 28. n. 3. et de pot. ep. p. 3. alleg. 73. n. 5. et alii paſſim; et videndus etiam Pignatell. tom. 4. concil. 164. n. 2. in fin. ubi citat Vener. in exam. l. 4. c. 25.

IV. Ubi animadvertendum eſſe dicebat cum Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 24. n. 3. ibi: *Dicebam, quod iſtud decretum non prodiit in gratiam capitulorum, vel capitularium, ut eis aliquid de novo concederetur, quod prius non competeret (ut aliqui male opinantur); ſed ita diſpoſitum eſt cum præſuppoſito, quod ageretur de capitulis exemptis à juriſdictione epiſcoporum, qui nullatenus in cauſis capitularium ſe ingerere poſſent, ſed illæ cognoſci deberent per Apoſtolicos delegatos, vel per alios in ipſo exemptionis privilegio deputatos: id autem à Concilio moderatum fuit, concedendo, ſcilicet, epiſcopis, ſaltem jure delegato, iſtam cognitionem, ſeu juriſdictionem, quam prius non habebant, eodem modo, quo in concernentibus curam animarum, et pleriſque aliis pluries enuntiatis, hoc eodem titul. et in altero de regularibus, ac altero de juriſdict. conceſſit ſupra regulares, alioſque exemptos. Noluit autem Concilium hanc juriſdictionem libere ſoli epiſcopo concedere, ſed cum hac moderatione, ut procedere deberet, una cum adjunctis, ab ipſo capitulo deputandis, juxta formam ibi præſcriptam, ut etiam advertitur d. ſeſſ. 23. de can. et cap.*

V. Et ad hæc conformiter conſequens eſſe dicebat, hoc conciliare decretum comprehendere ea dumtaxat capitula, quæ ante illud ſpeciale privilegium exemptionis habebant, ut aperte idem Deluc. ibid. n. 4. *Et conſequentur cum certo præſuppoſito, quod agamus de capitulis exemptis, et non alias; et cum in non exemptis procedat regula juris communis ſuper juriſdictione, quam epiſcopus habet in omnes clericos ſuæ diœceſis; atque ita fere ab initio publicationis Concilii declaratum fuerit per S. Congregationem, quæ pro ejuſdem Concilii obſervantia ſub eodem Pio* IV. *paulo poſt publicationem, deindeque pro ejuſdem interpretatione à Xyſto* V. *deputata fuit, ut patet ex antiquis declarationibus uſque ab anno* 1580. relatis per Roſ. apud Seraph. dec. 493. et 497. cum aliis apud Lother. de benefic. l. 1. q. 25. n. 62. Barb. de canonic. c. 28. n. 2. et in collect. ad iſtudmet decretum; *Taliſque eſt notoria praxis pœne generalis totius Italiæ, in qua nimium rarus eſt uſus capitulorum exemptorum, ſicuti è converſo eſt frequens ultra montes.*

VI. Videndam etiam ibid. n. 5. dicebat, celebrem deciſionem S. Congregationis in favorem archiepiſcopi Neapolitani, in caſu, plurimis circumſtantiis, præſenti ſimillimo: cui addendam expreſſam ejuſdem conciliaris decreti cautelam; ibid. *Hæc autem omnia et ſingula iis eccleſiis locum non habeant, in quibus epiſcopi, aut eorum vicarii, ex conſtitutionibus, vel privilegiis, aut conſuetudinibus, ſive concordiis, ſeu quocunque alio jure majore, habeant poteſtatem, auctoritatem, ac juriſdictionem, quam præſenti decreto ſit comprehenſum, quibus ſancta ſynodus derogare non intendit.*

Videndus etiam Joſeph. de Proſper. de territ. ſepar. in appendic. dec. 9. ubi affert notabilem deciſionem pro epiſcopo Tarraconenſi adverſus capitulum, non obſtante privilegio, quod capitulum habebat eligendo conjudices ipſos; ubi n. 7. ſic ait: *Neque obſtat, quod epiſcopus ex diſpoſitione Sac. Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 6. de reformat. cum quo concordat etiam jus commune in cap.* Epiſcopus, 15. *q. 7. in cauſ. criminal. cum capitularis teneatur procedere cum adjunctis per capitulum electis, ut teſtantur Saraiva de juriſdict. adjunct. q. 1. Solorſ. de juriſd. Indiar. l. 3. cap. 14. an. 57. Pignat. conſult. 164. tom. 4. Rub. in addit. ad dec. 27. n. 1. et ſeq. p. 3. rec. Rott. cor. Mantic. dec. 202. et 207. et in rec. dec. 105. p. 1. et dec. 254. p. 19. tum quia Sacrum Concilium loquitur ſolum de capitulis exemptis, non autem de omnino ſubjectis ordinariæ juriſdictioni, quale eſt capitulum Tarraconenſe; tum etiam, quia illius decretum emanavit potius ad favorem epiſcoporum, quam capitulorum; nam capitulis non exemptis hujuſmodi adjunctorum deputationem minime conceſſit; et, vice verſa, epiſcopis voluit aliquo modo reſtituere juriſdictionem, quam ob exemptionis privilegia amiſerant, relicta dumtaxat capitulis exemptis adjunctorum electione, ut conſtat ex eodem Concilio Trid. d. cap. 6. in fine; et obſervant Lotter. de re benef. l. 1. q. 25. n. 62. Grat. diſcept. for. cap. 892. n. 26. Barb. in collect. ad concil. dict. c. 6. n. 3. et de can. et dignit. c. 28. n. 2. Tondut. qu. benefic. c. 61. ſub n. 2. Fagn. in cap.* Irrefragabili, § Exceſſus, *n. 10. de offic. ordinar. et in cap.* Qualiter, et quando, *n. 15. de accuſat. Solorſ. de jur. Indiar. lib. 3. c. 14. n. 60. et 66. Vener. in examin. epiſc. l. 4. c. 27. n. 1. et 4. Nicol. elucubrat. canonic. lib. 3. tt. 39. n. 4. verſ. 8. ampliat Cardin. Deluc. in miſcell. eccleſ. diſc. 24. n. 3. et in annot. ad Concil. Trid. diſc. 44. n. 3. et 4. et de canonic. et dignit. diſc. 23. n. 8. Pignat. conſult. 164. n. 2. tt. 4. Rott. cor. Achill. de Graffiſ. dec. 2. de offic. ordinar. et in dec. 743. n. 6. p. 1. et dec. 321. p. 2. diverſ. ubi refert delarationem Sacr. Congregationis Concilii, et cor. Seraphin. dec. 493. n. 1. et dec. 497. per totam.* Vide etiam Monacell. p. 2. dec. 43.

Et

Et etiam deciſionem adverſus capitulum Giennenſe apud Scarfanton. ad Cecuper. 1. p. dec. 34. n. 1. *Pro quarta vice reſponderunt domini, reverendiſſimum epiſcopum Giennenſ. non teneri, in cognoſcendis cauſis criminalibus capitularium, procedere cum adjunctis, ad præſcriptum Sac. Concil. Trid. in cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de reformat. ex ea præcipue moti ratione, quia recitatum concilii decretum non indulget privilegium adjunctorum omnibus quibuſcunque capitulis, ſed iis tantum, quæ ante illius publicationem ab ordinarii juriſdictione reperiebantur exempta.*

VII. Et conformes aliæ Rottæ deciſiones, p. 1. diverſ. dec. 743. et ap. Seraphin. dec. 493. et præſertim ſpecialem conſtitutionum ſynodalium diſpoſitionem, tt. 13. 15. 31. et expreſſius tt. 35. conſtitutione 1. de *generali vicario*, cui quidem ſolitarie omnem juriſdictionem adverſus omnes tum eccleſiaſticos beneficiatos, vel non beneficiatos, tum ſæculares, in omnibus caſibus criminalibus, et civilibus, tam ad petitionem partis, quam ex officio, indiſcriminatim tribuunt: quod quidem reſpective ad capitulares ejuſdem primatialis Goanæ duplici caſu non antiquato confirmabat.

VIII. Cum autem certiſſimum in jure foret, epiſcodum habere fundatam intentionem, et juris aſſiſtentiam, *ſuper omnes ſacerdotes ſæculares, et regulares, ſuæ diœceſis*, ut ait Donat. prax. regular. tom. 1. tr. 1. q. 6. et 11. quam quidem etiam ad canonicos regulares extendunt Cornei. conſ. 193. n. 4. l. 2. Hoſtienſ. et Panorm. in cap. *Cauſam*, 1. de judic. Ricc. in prax. Var. c. 42. et 325. Farin. tom. 1. dec. 444. et 248. qui refert deciſionem Rott. in una Montis Regal. coram Coccin. recentior. 1. p. dec. 69. et inſuper certo etiam certius ſit *exemptionem*, utpote qualitatem, *non præſumi, niſi probetur*: Veral. dec. 328. n. 2. l. 1. Lancelot. dec. 361. n. 3. in recollect. civ. Farinac. et ſpeciatim Deluc. in d. c. 6. Trid. n. 4. ibi: *Igiturque privilegium non præſumitur, ſed ab allegante probandum eſt; ſin minus, fundata eſt epiſcopi intentio ſuper ejus plena, et ordinaria juriſdictione, ut in facti contingentia occaſio dedit diſputare in hac Sacra Congregatione.*

IX. Ex duplici præmiſſa certitudine certiſſimam etiam concluſionem eliciebat; videlicet, *Semper pro juriſdictione epiſcopi ſtandum, donec contrarium probetur*: Roland. conſ. 89. n. 35. volum. 2. Seraph. dec. 149. n. 1. quod quidem procedit, etiam in caſu, quo epiſcopus non ſit in poſſeſſione ſubjectionis illius, qui adverſus eum exemptionem allegat: Franc. in cap. *Cum perſonæ*, § *Si vero*, de privileg. in 6. notabil. 2. Anchar. et alii ibidem, Rott. dec. 145. n. 6. p. 2. diverſ. Ricc. in prax. reſolut. c. 45. lim. 5. et dec. 211. p. 1. Saraiv. terminanter, in tr. de juriſd. adjunct. q. 11. n. 14. ubi pro hac parte plura congerit argumenta.

X. Nec impedienti ſuffragari aliquid dicebat *quaſi poſſeſſionem*, pro parte capituli Goani inſinuatam, quoad duplicis conjudicis ex corpore ejuſdem capituli factam, tempore illuſtriſſimi D. Fr. Petri Paivii, epiſcopi Coccinenſis, et Goani archiepiſcopatus, per obitum illuſtriſſimi domini archiepiſcopi D. Fr. Auguſtini ab Annuntiatione, apoſtolici gubernatoris, qui in prædictam electionem conſenſerat: reſpondebat namque, 1. Præmiſſum illuſtriſſimum gubernatorem, proregis interventu, licet invitum, conſenſiſſe in duplicis adjuncti nominationem de corpore capituli, ad ordinariam totius diœceſis gubernationem, ob objectam debilitatem, atque ſenilem ipſius gubernatoris gravitatem: quod quidem exemplum impræſentiarum ad nihilum inſerviebat, præſertim pro proprii archipræſulis expedita juriſdictione.

XI. 2. Reſpondebat, Illam quaſi poſſeſſionem, dato, quod talis fuiſſet, illius electionis (non vero actualis conjudicii, quod quidem nunquam praxi redditum, aut exercitum fuit) continuatam non fuiſſe per annos ſubſequentes, imo notorie interruptam reperiri per undeviginti annos ſucceſſive continuos, ut ex eorum inductione liquebat.

XII. Nec tandem ſuffragari proſequebatur alia quaſi poſſeſſio ejuſdem capituli, duplici anno immediato, conſimilem judicum capitularium electionem, me inſcio, imo abſque notitia quamplurium capitularium, clandeſtine celebrantis; tum quia *poſſeſſio non acquiritur ex actu clandeſtino*, Ruin. conſ. 5. n. 14. l. 4. Afflict. dec. 394. n. 6. Ciarlin. l. 1. c. 105. n. 34. tum quia *quaſi poſſeſſio acquiri non poteſt abſque ſcientia, et patientia epiſcopi*, ex l. 2. de ſervitutibus, c. *Cum eccleſia*, ibi Rip. de cauſ. poſſ. Salgad. de reg. prot. p. 3. c. 8. n. 16. ex leg. pen. ff. de ſervis, Ciarl. d. c. 105. n. 31. Alex. in l. *Sciendum*, ff. de verbor. obligat.

XIII. Deinde auctoritate conſtabat prædictam ſecundam conjudicum electionem proteſtatam quidem fuiſſe à quodam ejuſdem capituli concanonico, tanquam juri, et juriſdictioni ordinariæ adverſativam; et certum etiam erat, quod *ſufficit unius contradictio, ut quaſi poſſeſſio non acquiratur*: Gonſal. de menſib. gl. 45. § 2. n. 32. et 33. Barb. verb. *Juriſdictio*. Et præſertim cum vicarius ipſemet generalis, nedum ut canonicus, verum et ut vicarius generalis in actu ipſiuſmet electionis pro juriſdictione ſua etiam aperte proteſtatus fuiſſet; quæ quidem proteſtatio jus proteſtantis, ne pereat, conſervat, l. 4. § 1. ub. Bald. ff. quib. mod. Pign. Phœb. dec. 148. ex n. 13. p. 2.

XIV. Denique animadvertebat, quod, quamvis illud privilegium conciliare includeretur in d. decreto Trid. cap. 6. quod quidem jus commune eſt; attamen includebatur reſpectu capitulorum exemptorum, quæ antea privilegium exemptionis habebant; non vero reſpectu omnium capitulorum cathedralium. Deinde includebatur *per modum privilegii, et quoad nominatos*, conformiter ad ea, quæ Pignatell. tom. 10. conſult. 94. n. 38. ibi: *Licet privilegia inſerta in corpore juris faciant jus commune quoad nominatos, ut voluit Jo. And. in cap.* Ex parte, 1. *n.* 3. *de decim. quem ſequitur Fagn. in c.* His, qui de major. et obed. *id tamen non procedit, quando privilegium eſt inſertum in corpore juris per modum privilegii, ut declarat Dec. in c. in 2. lect. de conſt. Jacob. Neger in report. l.* Diem functo, *n.* 17. *de offic. aſſert.*

XV. Aliud minoris momenti fundamentum; videlicet, quod ad inquiſitionem non præceſſiſſet inſtrumentum confici, ſive terminus corporis delicti, quod omnino requirunt criminaliſtæ civiliſtæ, videndi apud Julium Clarum recept. lib. 5. § fin. q. 4. facile elidebatur ex doctrina ejuſd. Jul. Clar. ibid. n. 3. ubi ait, hoc requiſitum locum dumtaxat habere, in delictis *relinquentibus veſtigia*, veluti homicidio, incendio, amputatione membri, et ſimilibus; non vero in reliquis præmiſſa veſtigia non relinquentibus. De quo etiam Farinac. in pract. tom. 1. q. 2. de inquiſ. n. 1. 6. et 13. Leit. de jur. Luſ. tom. 1. tr. 3. q. 3. n. 3. Deinde judices eccleſiaſtici non adſtringuntur diſpoſitionibus juris civilis, ſed canonici tantum, Silveſtr. verb. *Lex*, Abb. et Cler. in cap. *Eccleſ. S. Mariæ*, de conſt. Antonell. de regim. l. 1. c. 1. § 7. Gaſparr. tt. procem. inſt. can. n. 49.

XVI. Hæc, et alia fundamenta adverſus reum promotore allegante, vicarius generalis illius impedimenta rejecit: à qua rejectione reus inordinate, et intempeſtive, ad ſæculare coronæ judicium recurſum intentavit, novam, præter laudatas, injuſtitiam, et violentiam interceſſiſſe arguens in ſequeſtratione, aut depoſito illius bonorum mobilium, ordine vicarii generalis executo. Sed hæc etiam vana arguitio facile retundebatur ex generali praxi, et ſtylo, in judicio eccleſiaſtico ſervata, de qua Vang. Cabral. p. 4. c. 4. n. 25. ubi dicit, eſſe certum in jure, et praxi in judicio eccleſiaſtico, ſolere ſequeſtrari fructus eccleſiaſticorum criminoſorum, tum in pœnam delictorum, tum ad expenſarum ſatisfactionem, ex DD. ad cap. *Clericorum*, de vit. et honeſt. cleric. c. *Quia frater*, Trid. ſeſſ. 23. col. de reform. Barb. in cap. *Divina*, de privileg. in extravag. &c.

XVII. Et quamvis neque vicarius generalis, neque promotor juſtitiæ, aliquid reſponſionis recurſui addiſſent præter actorum copiam, his à ſenatoribus regiis perſpectis, recurrenti ne in minimo quidem detulerunt, etiam in impedimentis, quæ primæ rejectionis ſententiæ objecit. Quare diœceſim Goanam tranſfuga evacuavit.

ALLEGATIO LX.

In Reſponſione Judicis Reſiduorum eccleſiaſtici ad Precatorium ſæcularis Proviſoris defunctorum ſuper Inventariis conficiendis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Olim controverſum fuit, cuinam judicio competeret inventarii confectio, et teſtamentorum rationes.*
III. *Eadem controverſia vertebatur erga teſtamenta ad pias cauſas.*
IV. *Hæ tamen controverſiæ in Portugallia pacificatæ ſunt per novam legem* concordiæ.
V. *Lex generaliter loquens, generaliter intelligitur, etiamſi ſit in uno major ratio.*
VI. *Confectio inventarii illi judicio pertinet, cui pertinet teſtamenti executio.*
VII. *Inventarium eſt* deſcriptio bonorum, quæ teſtamentario traduntur; *et ſupplet vices codicis accepti.*
VIII. *Unde ubi rationes teſtamentorum ſumuntur, inventarium confici debet.*
IX. *Alias ſequitur abſurdum diviſionis continentiæ cauſæ.*
X. *In connexis, et dependentibus, per poſſeſſionem unius, conſervatur poſſeſſio alterius.*
XI. *Judex competens ad cognoſcendum de aliqua cauſa, eſt etiam competens ad cognoſcendum de connexis, ac dependentibus.*
XII. *Huic allegationi non attendens proviſor ſæcularis ſuaſit notariis, ut novam viam recurſus arriperent; de qua alleg. ſeq.*

I. CUM judex eccleſiaſticus reſiduorum hujus Goanæ diœceſis in judicio ſuo fabrefacere juſſiſſet inventarium quorundam è vivis decedentium in menſibus ſuæ alternativæ, et cum qualitatibus ſupra, allegat. 58. expreſſis, precatorium ei remiſit judex ſæcularis reſiduorum, contendens tam confectionem prædictorum inventariorum, quam teſtamentorum rationum redditionem, judicio quidem ſuo privative pertinere. Cui equidem precatorio judex eccleſiaſticus ſequentem dedit reſponſionem:

II. Dicebat igitur, fuiſſe quidem olim controverſiæ punctum, cuinam judicio, et inventariorum confectiones, à teſtamentariis eccleſiaſticis faciendæ, et teſtamentorum rationes attinerent? affirmantibus aliquibus pertinere quidem judicio eccleſiaſtico, cum Carp. de execut. l. 3. cap. 10. n. 38. Moſtaſ. de cauſ. piis, l. 1. cap. 12. n. 32. Dian. p. 8. tr. 15. reſol. 42. et aliis plurimis ap. Oliv. de for. eccleſ. p. 3. q. 34. n. 31. aliis vero judicio ſæculari competere, cum Per. de man reg. cap. 16. n. 19. Mend. in prax. l. 1. cap. 1. tt. 12. p. 1. et aliis, quos refert, et non ſequitur Pinh. cir. de teſtam. p. 2. in append. diſput. unic. ſect. 3. § 8.

III. Pariformiter, controverſum idem fuiſſe etiam circa teſtamenta ad pias cauſas, qualia ſunt ea, in quibus anima hæres inſtituitur, ex authent. *Ut cum*, de appellat. cognoſc. § *Si unus de prædictis*, Tiraq. de præſect. n. 13. Valaſc. conſc. 145. n. 5. Ciarl. contr. for. c. 5. n. 9. Moſt. cit. tom. 1. cap. 1. n. 30. et pro utraque parte opinionem circumlatam fuiſſe, aliis plerumque pro eccleſiaſtico, aliis paucioribus pro ſæculari reſolventibus, ut videre licebit apud Pinh. cit. ad d. ſect. 3. § 10. ex n. 251. ubi etiam aſſeverat, in hoc quidem caſu, adeſſe locum præventioni.

IV. Attamen jam in hoc Portugalliæ regno omnes hæ controverſiæ ſedatæ, et pacificatæ ſunt, ex vi novæ legis concordiæ, quam affert Themud. 3. p. dec. 350. ibidem circumſpiciendæ; quæ quidem lex omnia teſtamenta, tam ad cauſas pias, quam profanas, tam hæredum, ac teſtamentariorum eccleſiaſticorum, quam ſæcularium complectitur; eſt enim lex generalis, generaliter loquens, proindeque generaliter intelligenda, ut eſt vulgare in jure, l. *de depretio*, 10. ff. de public. in rem action. l. *In fraudem*, 16. § ultim. ff. de teſtam. milit. l. 1. § *Generaliter*, ff. de legat. præſt. l. 1. § *Quod autem*, ff. de aleator. l. fin. in fin. ubi Angel. cod. de dot. promiſſ. cap. *Solitæ*, § fin. extr. de major. et obed. Surd. conſ. 271. n. 28. Valaſc. conſ. 113. n. 21. Aloyſ. Ricc. in prax. rerum fori eccleſ.

V. Quod ſane ampliatur, *etiamſi ſit major ratio in uno, quam in alio*, l. 3. ff. de offic. præſid. Vicent. Fuſar. de ſubſtitut. quæſt. 394. n. 56. et 57. imo *etiam in materia odioſa*, Cravet. conſil. 118. n. 14. Vincent. Carot. ſingul. 224.

VI. Hinc clare inferebat, quod ſicut executio teſtamentorum decedentium in menſibus alternativæ eccleſiaſtici, judicio eccleſiaſtico haud dubie attinet; ita confectio inventariorum; et pariformiter judicio ſæculari executio teſtamentorum, et fabricatio inventariorum obeuntium in menſibus alternativæ ſæcularis, ut in terminis bene reſolvit Oliveir. de muner. proviſor. p. 1. cap. 2. § 15. n. 50.

VII. Neque obſtare poſſet, proſequebatur, poſſeſſio allegata pro parte judicis ſæcularis, etiam reſpectu defunctorum in menſibus alternativæ eccleſiaſtici. Nam *inventarium* nil aliud eſt, quam *deſcriptio bonorum, quæ teſtamentario traduntur*; et vices ſupplet libelli, ſive codicis accepti, ut in illis debita deminutio fiat expenſarum illarum, quas teſtamentarius fecerit in executionem, et adimpletionem legatorum à defuncto ordinatorum, ut recte obſervat Pinheyro cit. d. § 10. n. 230.

VIII. Cum autem in eccleſiaſtico judicio, rationes horum teſtamentorum, in menſibus alternativæ ſuæ decedentium, ſemper citra dubium ſumuntur, dici nequit, quod in eodem judicio inventarium confici non valeat, ſeu, quod idem eſt, codex accepti, vel bonorum deſcriptio, non efformetur, vi cujus et rationes ſumi debent, et ſine quo, rationum redditio, neque ratio, neque redditio foret, cum ſine accepti et expenſi chirographis, ſeu codicibus, nec rationes reddi, nec ſumi valent, neque tales dici poſſunt, ex Scobar de ratiocin. c. 2. n. 5. Valeron. de tranſact. tt. 3. q. 4. n. 40. et 41. Peg. for. tom. 1. c. 3. n. 728.

IX. Deinde ſequeretur abſurdum diviſionis continentiæ cauſæ, remanente inventario, et codice accepti in ſæculari judicio, et deducendo ad eccleſiaſticum expenſarum rationes, quo quidem lex maxime abhorret, ut optime exornat Scobar de ratiocin. c. 21. n. 14. et 15. Cravet. conſ. 275. n. 13. v. 3. eo quod receptum, et exitum talem inter ſe connexitatem contrahunt, et continent, ut minime ſeparari, ac dividi poſſint. Noguer. alleg. 33. n. 32. cum plurimis, Peg. cit. d. c. 3. n. 738. et 739. et 744.

X. Ex his concludebat, quod, cum judex eccleſiaſticus eſſet in poſſeſſione ſumendi rationes in teſtamentis alternativæ ſuæ, conſequenter eam habere deberet, et in illa manuteneri quoad inventariorum confectionem; cum in *connexis, et dependentibus, per poſſeſſionem unius, conſervatur poſſeſſio alterius, et per conſervationem poſſeſſionis in parte, conſervatur in toto*, Bart. in l. 1. § *Siquis hoc interdicto*, ff. de itiner. prut. Mareſcot. 10. Var. cap. 11. an. 31. Caſtill. de tert. cap. 133. n. 3. Salgad. de reg. protect. p. 3. cap. 10. n. 98.

XI. Et denique hanc veritatem certam, et indubiam eſſe dicebat ex vulgari regula de connexis, quæ docet, *Judicem competentem ad cognoſcendum de aliqua cauſa, eſſici etiam competentem ad cognoſcendum de connexis, et dependentibus à tali cauſa, ex tex. in l.* Siquis ex argentariis, *ff. de edendo*, Clem. *Diſpendioſ.* de judic. Caſtill. contr. jur. l. 5. p. 7. c. 169. n. 15. Grat. for. c. 851. Themud. p. 3. dec. 350. n. 20. et idem ſtatuitur in præjacta lege concordiæ, videnda apud cit. Themud.

XII. Huic allegationi, etſi evidenti, non acquievit judex ſæcularis reſiduorum; ſed aliam viam tentans, ſuaſit notariis judicii ſui, ut recurſum ſuper hujuſce precatorii non adimpletione interponerent ad coronæ judicium, ut fecerunt, de quo allegat. ſequenti.

ALLE-

ALLEGATIO LXI.

In Responsione ad Recursum à Notariis Judicii Residuorum sæcularis interpositum à Judice Residuorum Ecclesiastici de non exequendo Precatorium retro, super Inventariorum Confectione in Testamentis Alternativæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

I. *Prosequitur series facti.*
II. *Recursus supplicatio subscribi debet à notario, ex stylo.*
III. *Stylus formam inducit.*
IV. *Unus officialis nequit gerere illa, quæ ad alium spectant.*
V. *Quando judex deprecatus alterius precatorium non exequitur, medium est recurrere ad superiorem deprecati.*
VI. *Spoliatus debet uti remedio spolii, non vero recursus.*
VII. *Injuste, et illegitime recurrentes, à judicibus regiis puniuntur.*
VIII. *Ex allegatione recurrentium recursus inattendibilitas inferebatur.*
IX. *Inventaria ad partitiones bonorum ei judicio pertinent, cui attinet partitio; et judex residuorum, sive provisor defunctorum, ea avocare nequit.*
X. *Inventaria ad reddendas rationes pertinent illi judicio, cui pertinet testamentorum executio, eo quod succedant loco codicis accepti.*
XI. *Independenter à lege concordiæ, melior opinio erat, executiones testamentorum esse mixti fori.*
XII. *Et communis sine controversia in testamentis ad causas pias.*
XIII. *Et etiam in illis, in quibus legata profana disponuntur ex vi qualitatis executionis ultimæ voluntatis.*
XIV. *Et secundum hanc sententiam procedit dispositio ordinationis reg. l. 2. tt. 62. et tt. 9.*
XV. *Unde indubia remanet resolutio pertinentiæ inventarii eidem judicio, cui pertinet rationum redditio.*
XVI. *Provisor sæcularis est incompetens cognoscendi de majoratu, atque de capella instituta in testamento ex alternativa, judicio ecclesiastico pertinente.*
XVII. *Huic etiam judicio pertinet inventarium testamenti, quo clericus testamentarius à defuncto laico instituit, ex ratione qualificata personæ, juxta aliquos.*
XVIII. *In ecclesiastico judicio Goano possessio semper stetit pro conficiendis inventariis testamentorum alternativæ mensium ecclesiasticorum.*
XIX. *Licet aliqua in sæculari judicio violenter fabricata fuissent.*
XX. *Usus et possessio destruitur per unicum actum.*
XXI. *Nec prodest possessio cum notorio defectu in proprietate.*
XXII. *Nec quælibet præjudicare potest ecclesiæ.*
XXIII. *In juribus negativis non acquiritur possessio absque prohibitione ex una parte, et acquiescentia ex alia.*
XXIV. *Ex nova documentorum productione, nova copia judici ecclesiastico decreta fuit, cui sequens allegatio adhibita est.*

I. SUGGESTIONE judicis residuorum sæcularis, qui objectioni judicis ecclesiastici precatorio suo minime annuerat, ejusdem judicii notarii sæculares recursum ad regium coronæ judicium intentârunt; cujus libelli copia cum judici ecclesiastico exhiberetur, sequentem adjecit responsionem.

II. Dicebat igitur, primo, præsentem recursum à limine præsentis judicii omnino repellendum fore: 1. Quia non à notario aliquo, sed à propriis recurrentibus subscriptum reperiebatur, absque aliqua prævia licentia, contra notorium, et generaliter praxi servatum stylum; qui quidem, ut lex, attenditur, ita ut actum contra illum non valeat, ex l. *Aliquando*, cod. de injur. § ultim. inst. de satisd. Alex. cons. 58. n. 80. lib. 7. *Siquidem.*

III. Deinde stylus etiam formam inducit, ut dicit Bald. in l. 1. in fin. cod. quæ sit long. consuetud. Parif. cons. 44. col. fin. l. 1. Grat. forens. tom. 4. cap. 745. n. 22. usque n. 25.

IV. Neque recurrentibus jus aliquod conferre poterat qualitas notariatus judicii sæcularis; nam munus notariorum solummodo validitatem poterit præstare eis actibus, atque actionibus proprio muneri attinentibus, minime vero illis, quæ advocatorum officio pertinent: *Cum unus officialis non possit gerere illa, quæ ad alium spectant, quin gesta vitio nullitatis corruant*; et probat ord. l. 1. tt. 24. § 5. et est text. in l. *In fraudem*, § *Quoties*, in verb. *Manu commentariensis*, ff. de jur. fisc. Bald. l. 1. cod. de sportul. Peg. tom. 1. ad ord. l. 1. tt. 2. § 4. gloss. 18. n. 4.

V. 2. Quia quando judex aliquis precatorium alterius non exequitur; medium illum compellendi ad exequendum, est superiorem deprecati pro adimpletione jubenda adire, ut disponitur in cap. *Nullus*, de jur. patronat.; Bartol. in l. à D. Pio, § *Sententiam Romæ*, n. 5. ff. de re judic. Grat. discept. forens. cap. 146. n. 1. et seqq. cum aliis, Mend. in prax. p. 2. l. 3. cap. 21. n. 143. et, omisso hoc medio ordinario, à jure præscripto, nullatenus statim ex abrupto remedium extraordinarium recursus arripere valebant, ut est vulgare ap. Barb. axiom. verb. *Remedium*, n. 52. Moraes de execution. instrum. l. 2. cap. 20. n. 82. ord. reg. l. 3. tt. 41. § 2. et ibi Barb. in remission.

VI. 3. Quia totale fundamentum, quo recurrentes nituntur, possessionis conficiendi inventaria, à qua se spoliatos conclamant, etiam recurrentes cogebat, non ad recursus, sed ad spolii remedium, de quo ordinat. reg. l. 3. tt. 48. quod quidem locum habet, etiam adversus ecclesiasticos, ita alia ord. disponente, l. 2. tt. 1. § 2. et tenet Peg. for. tom. 2. cap. 11. n. 173. taliter, ut etiam in hoc casu interdicatur remedium ordinarium appellationis, ex eadem appellation. l. 3. tt. 78. § 3.

VII. Et tandem allegabat, recurrentes puniendos fore, eo quod injuste, atque illegitime, præsentem recursum intentarent, ex Themud. p. 3. dec. 151. n. 4. et seqq. et dec. 153. per tot. Donat. in prax. regular. tr. 7. q. 15. n. 4.

VIII. Deinde recursum istum ex meritis causæ nec etiam provisionem mereri, ex ipsamet formali recurrentium confessione, liquido constare dicebat: nam recurrentes in recursus supplicatione, fol. 3. et judex deprecans in precatorio suo, fol. 6. aperte fatebantur, tum subjecta inventaria esse bonorum defunctorum in mensibus alternativæ judicii ecclesiastici decedentium; tum et proprias animas in hæredes instituentium; et in uno ex testamentis ipsis, clerico quodam sacerdote, in testamentarium specialiter deputato; ex quibus, citra controversiam, consequebatur, inventaria prædicta judicis ecclesiastici confectioni subjacere.

IX. Alia enim sunt inventaria, quæ fabricantur ad partitiones bonorum inter hæredes institutos, vel ab intestato succedentes, de quibus Guerr. de invent. l. 1. cap. 1. n. 10. Valasc. de partit. c. 8. n. 2. et seqq. et certum omnino est, judicem residuorum sæcularem, aut provisorem defunctorum, inventaria hæc judicio suo avocare non posse, utpote qui respectu illorum judex incompetens est, ex Peg. tom. 14. in addit. ad l. 1. ordin. tt. 2. § 28. n. 79. Fragos. de regim. reip. p. 1. l. 6. disp. 15. § 2. n. 24. Paiv. in orphan. cap. 11. n. 59. Guerr. de invent. l. 4. cap. 14. n. 67. *Quia inventarium ad id judicium pertinet, cui competit partitiones facere; hæc autem, à provisoribus factæ, nullæ sunt.*

X. Alia autem inventaria sunt, quæ fiunt ob causam reddendæ rationis, quibus quidem adstringuntur omnes administratores bonorum alienorum, quos inter speciatim numerantur testamentarii, seu testamentorum executores, de quibus Pinheir. in append. ad tract. de testam. disp. unic. s. 3. § 10. n. 230. Guerr. de

de invent. l. 4. c. 6. n. 4. Hæc autem inventaria pertinere judici illi, cui teſtamenta exequi, et teſtamentariorum rationes ſumere competit, eo quod præmiſſa inventaria codicis accepti vices ſuppleant, citra dubium eſt; Pinheir. cit. n. 230. cujus verba per extenſa tranſcripta remanent alleg. 1. n. 5. Conſonat etiam Peg. for. tom. 1. cap. 3. n. 728. et 738. uſque 744.

XI. Præterea aſſeverabat, quod, etiam à lege concordiæ præſcindendo, et pure in terminis juris communis, melior, et communior opinio erat, quod hæ executiones teſtamentariæ eſſent mixti fori, in quibus dabatur locus præventioni, ex cap. *Tua nos*, 17. cap. *Joannes*, 19. de teſtam. Tirag. privil. 149. Mart. de juriſd. 2. p. caſ. 10. n. 12. Bovadill. in polit. lib. 2. cap. 17. n. 104. Gutierr. pract. lib. 1. quæſt. 48. n. 2. et 3. Caſtill. l. 8. controverſ. cap. 6. n. 9. Molin. de juſt. tract. 2. diſp. 250. n. 1.

XII. Quæ quidem opinio procedens de plano citra controverſiam in teſtamentis *ad cauſas pias*, qualia ſunt ea, in quibus anima hæres inſtituitur, ex his quæ Molin. diſput. 134. Sanch. lib. 1. de matrimon. diſp. 4. n. 9. Covarruv. in cap. *Relatum*, 1. n. 2. de teſtam. Mantic. de conjectur. l. 6. tt. 3. n. 22. cum aliis; Pinh. de teſtam. diſp. 2. ſect. 9. § 1. per tot.

XIII. Æque etiam pariformiter procedit in teſtamentis illis, in quibus legata profana diſponuntur ex vi qualitatis executionis voluntatis ultimæ; executiones enim ultimarum voluntatum, etiam in profanis, cauſæ piæ cenſentur, et ſunt fori mixti, ut cum plurimis aſſerit Moſtaz. tom. 1. l. 1. cap. 18. n. 29. ib. *Quod neceſſario admittimus in illa probabili ſententia aſſerente, executionem teſtamenti, etiam in profanis, cauſam piam cenſeri, et ad epiſcopum pertinere, ſicut ad ſæcularem ejus executionem, l. penultim.* § Illo, *cod. de neceſſ. ſervit. hæred. Gutierr. in l.* Nemo poteſt, *ff. de alleg.* 1. *n.* 309. Molin. diſt. tract. 2. diſp. 250. in princip. Vela diſſert. 14. n. 46. Azeved. conſ. 20. n. 1. Barb. diſt. cap. 27. n. 24. et de offic. epiſcop. 3. p. alleg. 82. n. 15. Dian. 8. p. tract. 5. reſolut. 4. &c.

XIV. Et juxta hanc ſententiam proceſſit diſpoſitio noſtræ ordinationis regiæ, dans etiam locum præventioni, ut videre eſt, l. 2. tt. 62. § 4. et 42. et l. 2. tt. 9. § 2. et apud Guerr. de invent. l. 4. cap. 14. n. 61. et ſeqq. Pinheir. de teſtam. diſc. unic. ſect. 3. § 10. n. 251. Aſt, quia circa realitatem, ac veritatem præventionis ipſius, varia oriebantur jurgia, ac diſſidia inter judices, ac notarios reſiduorum eccleſiaſticos, et ſæculares, ad perfectam utrorumque pacificationem adinventa, atque ſtabilita fuit lex concordiæ per menſium alternativam, de qua Themud. p. 3. dec. 349.

XV. Unde indubium remanet, pertinere inventaria eidem judicio, cui rationum redditio pertinet, et eccleſiaſtico ſingillatim in menſibus ſuæ alternativæ, ut expreſſe tenet Guerr. de inventar. l. 4. c. 6. n. 25. Oliveir. de muner. proviſor. c. 2. c. 15. n. 50.

XVI. Et confirmatur ex his, quæ Peg. de major. tom. 1. cap. 5. n. 315. ad 318. ubi dicit, Proviſorem ſæcularem eſſe judicem incompetentem ad cognoſcendum de majoratu, ſeu de capella inſtituta in teſtamento decedentis in menſe alternativæ eccleſiaſtici.

XVII. Unde, cum ſubjecta inventaria forent citra dubium perſonarum decedentium in menſibus judicio eccleſiaſtico, ſecundum alternationem, competentibus, pro illorum validitate, ac licitudine, pronuntiandum denique erat; præſertim pro illius, in quo clericus ſacerdos teſtamentarius inſtituebatur, etiam caſu, quo teſtator inſtituens in menſe alternativæ ſæcularis occumberet, ex ea clara, et evidenti ratione qualificativa perſonæ clerici, qui quidem certo et notorie exemptus eſt à juriſdictione ſæculari, cui ſane exemptioni lex concordiæ nil derogat, ut cum Solorſan. de jur. Ind. tom. 2. l. 4. cap. 7. n. 26. Bobadill. in politic. lib. 2. cap. 17. n. 93. et cap. 18. n. 138. et 184. Mart. de juriſd. 4. p. cent. 2. caſ. 66. n. 177. et 148. tenet latiſſime Peg. tom. 4. ad ordin. l. 1. n. 50. ad rubr. cap. 5. per tot.

XVIII. Et tranſcripta auctoritate Peg. prax. cit. quæ extenſa remanet alleg. 1. n. 8. ad retundendam aſſertam poſſeſſionem recurrentium, convertebatur tandem judex eccleſiaſticus reſpondens, et oſtendens, 1. Ex multiplici documento, ſemper in eccleſiaſtico judicio fabricata fuiſſe inventaria tum ſæcularium decedentium in menſibus alternativæ eccleſiaſticæ; proindeque poſſeſſionem allegatam nunquam adeſſe potuiſſe judici ſæculari, *Cum poſſeſſio non poſſit dari penes duos in ſolidum*, Valaſc. de part. c. 6. n. 1. et Maſcard. de probat. tom. 3. cl. 1188. n. 10. Gratian. for. l. 4. cap. 700. n. 47. Themud. 2. p. dec. 134. n. 11.

XIX. 2. Oſtendebat aliqua inventaria judicio eccleſiaſtico pertinentia, ſi in ſæculari fabricata fuerunt, violenter quidem, et exterſive, confecta fuiſſe; et hanc poſſeſſionem, neque talem dici poſſe, neque ex illa jus aliquod recurrentibus favorabile oriri, ex leg. *Nemo ambig.* ff. de acquirend. poſſeſſion. l. fin. *Sed etſi lege*, § *Ante*, ff. *Petit. hæred.* Peg. forenſ. cap. 11. pag. 864. column. 1. verſ. *Et certum eſt.*

XX. 3. Quia, etiam dato, quod recurrentes fuerint antecedenter in poſſeſſione aliqua prædicta inventaria conficiendi, hæc poſſeſſio, imo et uſus, perſiſtere non poſſet, poſt tot actus adverſus illum in judicio eccleſiaſtico poſtea facta; cum per unicum actum et illa poſſeſſio, et uſus, deſtrueretur; Fontanell. tom. 2. dec. 337. n. 21. et 22. Surd. conſ. 303. n. 23. et 29. Peg. for. tom. 2. cap. 14. pag. 997. col. 1. Addit. ad Rein. obſerv. 65. an. 37. verſ. *Quæres*, in fin. Pignatell. tom. 4. conſult. 8. ubi Paſcucc. in compend. tom. 1. de immunit. eccleſ. p. 273. col. 2.

XXI. 4. Quia recurrentes notorium defectum in proprietate patiuntur; quare nec poſſeſſores dici valent, nec allegata poſſeſſio eis prodeſſe, cap. *Cum dilectus*, de cauſ. poſſeſſ. Dec. conſ. 126. n. 3. et conſ. 127. 1. Lambert. l. 2. p. 1. q. 3. art. 6. n. 4. verſ. *Tertius caſus*, Garc. de benefic. 5. p. c. 4. an. 4. et 5. Gonſal. ad reg. 8. Chancel. gl. 45. § 2. n. 43. Reinoſ. obſer. 66. n. 22. Themud. p. 3. dec. 302. n. 26.

XXII. Demum, quamvis allegata poſſeſſiu, quælibet illa foret, minime eccleſiæ juri præjudicare poſſet, c. *Clerici*, cap. *Qualiter*, de judic. Per. dec. 118. n. 3. et fin. recurrentes non probant, neque probaer poterant, eſſe in poſſeſſione impediendi judici eccleſiaſtico confectionem horum inventariorum, aut ea, poſtquam confecta fuerunt, judicio ſæculari avocandi.

XXIII. Nam aliter, ſi recurrentium poſſeſſio in jure mere negativo fundaretur, ad nil valeret; cum *in juribus negativis non acquiratur poſſeſſio abſque prohibitione ex una parte, et abſque acquieſcentia ex alia*, reg. de compet. cap. 160. n. 20. Barb. in collect. ad l. 10. Cod. de ſervitutib. urban. n. 10. Larr. alleg. 16. n. 23. Menoch. de arbitr. caſ. 160. n. 10. Grat. for. tom. 3. c. 564. n. 52. et cap. 450. n. 12. Portug. de donat. p. 3. cap. 39. n. 16. et n. 24. et ſeqq. Peg. tom. 9. ad ordin. l. 2. tt. 27. § 1. gloſſ. 3. n. 10.

XXIV. Hac reſponſione, factis actis concluſis, cum recurrentes nova documenta eiſdem ſuperadderent, de his nova copia judici eccleſiaſtico decreta eſt, cui addidit etiam ſequentem reſponſionem.

ALLE-

ALLEGATIO LXII.

Ejusdem Judicis ecclesiastici in nova Copia novorum Documentorum à Recurrentibus eidem Recursui adhibitorum.

SUMMARIUM.

I. *Proscquitur series facti.*
II. *Ex primo documento producto, constabat inventaria non pertinere judicio auditoris causarum civilium, sed provisoris defunctorum.*
III. *Non reperiebatur judicatum, nec reperiri poterat contra dispositionem alternativæ.*
IV. *DD. ante illam scribentes, fidem non faciunt.*
V. *Nec standum doctrinis generalibus, sed specialibus.*
VI. *Unius D. decisio in specie, etiam sine lege, omnem dubitationem tollit.*
VII. *Arestum Peg. non reprobat documenta judicis ecclesiastici adjuncta ante sententiam recursus, sed post eam.*
VIII. *Actus semper tribuitur mandanti.*
IX. *Lex concordiæ comprehendit omnes dependentias testamentorum.*
X. *Ubi adest titulus, retinetur per usum partis universum jus quoad quaslibet species sub eo contentas.*
XI. *Habens concessionem ab habente jus concedendi, per exercitium unius actus, retinet exercitium in omnibus.*
XII. *Sufficit adipisci possessionem unius pro toto.*
XIII. *Clericus testamentarius adhuc retinet suam notoriam exemptionem.*
XIV. *Pluribus casibus judicatis suam justitiam judex ecclesiasticus confirmabat.*
XV. *Quibus omnibus inspectis, recurrentes non obtinuerunt.*

I. ADHIBITIS à recurrentibus novis documentis ad allegatam possessionem comprobandam, et decreta nova illorum copia eidem judici ecclesiastico, ut de jure expediri debebat, sequentem superaddidit allegationem.

II. Dicebat igitur, duo documenta denuo producta nil recurrentibus suffragari. Non primum, ex quo constabat, judicatum fuisse in hoc senatu Goano, inventaria bonorum defunctorum, proprias animas hæredes instituentium, pertinere, quidem, non judicio auditoris generalis causarum civilium, sed proprii defunctorum provisoris: quod equidem etiam verum esse fatebatur, quando eorum decessus in mensibus alternativæ judicis sæcularis eveniat.

III. Sed superaddebat, quando in mensibus alternativæ judicis ecclesiastici occumbere contingeret, tunc eidem judicio utique pertinere; neque contrarium judicatum reperiebatur, nec reperiri poterat, supposita concordiæ lege, de qua Guerr. de inventar. l. 4. c. 5. n. 25. ibi: *Sed, suppositа concordia, quam in hoc regno habemus, dicendum est, quod si testamenta, juxta illam, debeant exequi ab ecclesiastico, coram illo est inventarium faciendum, et ratio reddenda.*

IV. Unde DD. qui ante dictam concordiam scripserunt, minime in hac re fidem faciunt, et multo minus doctrinæ generales ex adverso allegatæ; cum DD. et doctrinam habeamus in specie, ut ait Gratian. forens. tom. 2. c. 335. per tot. n. 19. ibi: *Cum adducantur per supradictos DD. et habeamus auctoritatem in specie Bald. fundatam ratione, ut dictum; ideo non habemus recurrere ad generalia, cum sint faciliora, sed ad singularia, tanquam magis vera, licet difficiliora, secundum Philosoph. 2. ethicor. de quo per Aretin. cons. B. n. 1. in fin. et cons. 121. n. 10. et cons. 208. n. 2. l. 1. cum etiam sit respondendum de jure per speciales decisiones, non per regulas generales, more pauperum DD. ut dicit Felin. in cap. 1. col. 6. post med. vers. et ista nota, ut scias, n. 6. in fine de præscript. Vincent. de Franch. dec. 266. n 3. Martin. Monter. in respons. pro uxoris avita, p. 3. n. 154. quod est post dec. 45.*

V. Et n. 22. et 23. sic prosequitur: *Imo non est standum istis generalibus, quæ non sunt apicicatoria, neque concludunt subtilibus viris, sed grossis, ut docet Aretin. cons. 106. in præsenti dubitatione, col. 4. post medium, vers.* Venio ad tertium, *n. 6. in fin. cum theoricæ generales non illuminent intellectum practicum, qui debet esse de rebus generalibus, et tractatui quodammodo subjacentibus, Bald. in cap.* Cum accessissent, *col. penultim. in princip. vers.* Modo prosequor, *n. 21. de const. Card. Mantic. de tacitis, et ambig. convent. l. 4. tt. 1. n. 1. Nam alias in singulis ambiguum superest, Monter. in d. respons. n. 155. ubi etiam dicit, quod decisio DD. in specie habet vim legis, quamvis sine auctoritate loquatur, si non adsit contradictor, Jason. in l. penultim. cod. de pact. Rim. Jun. cons. 669. n. 160. Mariar. in epit. de fid. com. p. 2. q. 8. n. 3.*

VI. Hanc etiam resolutionem tenet Menoch. cons. 73. vers. *Revocantur*; ibi: *Non enim est hæsitandum, quin vera sit Didaci sententia, cum decisio doctoris in terminis, etiamsi sine lege fit, omnem dubitationem tollat, ut scriptum reliquit Gom. Hispan. in* § Atque, *n. 14. inst. de act.* &c. Cui quidem superaddebat copiosissima documenta, ex quibus evidenter ostendebat, esse in possessione antiqua, et hactenus continuata, conficiendi inventaria, etiam personarum sæcularium, in mensibus alternativæ ecclesiasticæ obeuntium.

VII. Deinde refutabat rationem, qua recurrentes probare nitebantur, judicem ecclesiasticum non potuisse responsioni suæ documenta præfata adjungere, auctoritatem Peg. male intellectam circumferentes, de alternativis beneficiorum, pag. 112. n. 220. ibi namque Peg. cit. et arestum ab eo transcriptum, non loquuntur de documentis primæ responsioni ante recursus sententiam annexis; sed de superadditis responsioni ad primam chartam rogatoriam post primam sententiam recursus, ut videre est ibidem, an. 210.

VIII. Neque referebat, quod talia documenta ad instantiam promotoris conjungerentur; semel enim quod ex judicis mandato jungerentur, eidem judici adnexio illa tribuenda est; nam *actus semper tribuitur mandanti*, l. *Item*, § *Decuriones*, ff. *Quod cujusque universit. nom.* cap. *Super literis*, de rescript. cap. *Cum aliquibus*, eodem tit. in n. 6. Surd. de aliment. tt. 8. privil. 56. n. 88. et privil. 65. n. 47. et dec. 292. n. 9. Card. Tench. tom. 1. lit. A. concluf. 144. Mat. Anton. var. lib. 3. resol. 19. n. 15.

IX. Prætera verba illa legis concordiæ, *e suas dependencias*, apud Themud. p. 3. dec. 350. etiam inventaria ipsa comprehendunt, ut expresse tenent Guerr. cit. Oliveir. de muner. provis. § 2. c. 15. n. 50. et confirmatur à paritate institutionum capellarum, et majoratuum, Peg. de majorat. tom. 1. c. 5. ex n. 315. et comprehendere etiam testamentorum publicationem, tenet praxista Vanguerv. p. 4. cap. 5. n. 108. et cognoscere de falsitate, seu falsificatione testamentorum, docet Themud. p. 3. dec. 251.

X. Et sufficiebat, quod judex ecclesiasticus foret in possessione unius ex præmissis dependentiis, ad hoc, ut eam retineret respectu reliquarum; quia *in iis, in quibus adest titulus, per usum partis retinetur universum jus quoad quaslibet species sub eo contentas*; ut late probant Tamburin. Molin. Surd. Fontanell. Cancer. Xamar. Ramon. quos refert Cortiad. 5. p. dec. 253. n. 63. pag. 28. Posth. de manut. observ. 73. 112. et seqq. et alii, quos refert Peg. in ordin. l. 2. tt. 27. § 1. n. 79. et seqq. pag. 254. Et idem tenet Franc. var. c. 7. per tot. Nocol. Neal. cons. 78. pag. 142. ex tex. in l. *Quemadmodum servi amittant.* et ex l. *Si stillicid.* § 11. ff. eod. tit. l. *Una est via*, ff. de servit. rusticor. præd. et ex l. *Ii, qui usumfructum*, ff. *Quib. mod.*

XI. Et tandem, quod habens concessionem ab eo, qui habet jus concedendi; per usum et exercitium unius actus, retineat et conservet usum et exercitium in omnibus aliis, tradit Barthol. in l. 1. § *Siquis hoc*

interdicto, n. 1. ff. *de itiner.* actuque privat Paul. de Caſtr. in l. *Imperium*, n. 6. ff. *Juriſdict. omnium jud.* Abb. in cap. *Cum olim*, n. 6. de præſcript. Felin. in cap. *Auditis*, n. 8. eod. titulo, Ang. in l. *Una eſt via*, ff. *de ſervit. ruſticor. prædior.* Addit. ad Capell. Toloſ. dec. 324. verſ. Et eide Antonel. de Butr. in cap. final. colum. 3. *de cauſ. poſſeſſ. et propriet.* Caſtr. conſ. 179. n. 4. ad fin. l. 7. Crav. conſ. 124. n. 15. Gabr. concluſ. 2. n. 20. *de præſcriptionib. incorporalib.*

XII. Nam *ſufficit adipiſci poſſeſſionem unius rei pro toto*, Barthol. in l. 3. ſub re 5. in fin. et ibi Alexand. 22. et Jaſon. n. 34. de acquirend. poſſeſſ. Menoch. conſ. 36. n. 32.

XIII. Denique pro competentia alterius inventarii, cujus inſtitutus teſtamentarius clericus ſacerdos erat, ſpeciali jam inſinuatæ ſuperaddebat rationem fundatam in notoria clerici exemptione, ex Peg. tom. 4. ad ordin. lib. 1. tt. 50. ad rubr. cap. 50. per totum. Neque obſtare dicebat ſchedulæ regiæ pro regno Caſtellæ, ex Solorſan. de jur. Indiar. tom. 2. cap. 7. l. 4. n. 32. objectæ: tum ex regnorum, tum ex ipſarummet ſchedularum diverſitate.

XIV. Et demum allegationem ſuam vicariis caſibus in hocmet coronæ judicio in favorem eccleſiaſticæ juriſdictionis finaliter judicatis abſolvebat.

XV. Qua, factis actis concluſis, adverſus recurrentes judices regii tandem judicārunt.

ALLEGATIO LXIII.

Judicis Reſiduorum eccleſiaſtici, in Recurſu ab Officialibus Domus Miſericordiæ Goanæ intentato de non Executione Chartæ precatorii Judicis Domus illius pro Remiſſione Bonorum, et Teſtamenti cujuſdam Canonici Primatialis Sedis Goanæ ab inteſtato decedentis, cum Hæredibus, ut allegabatur, in Regno Portugalliæ.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*

II. *Inventarium, ac depoſitum bonorum eccleſiaſtici defuncti ab inteſtato, pertinet eidem judicio, quamdiu hæredes laici habilitati non ſunt, neque hæreditatem adeunt.*

III. *Hæreditas jacens repræſentat perſonam defuncti, et perſonalibus illius privilegiis gaudet.*

IV. *Defunctus deceſſerat debitor eccleſiæ; quare bonorum cuſtodia, etiam addita hæreditate, eccleſiaſtico judicio pertinebat, quoad mandata de ſolvendo, examinatis debitis, expedirentur.*

V. *Hæreditas defuncti eccleſiaſtici, eſt partim eccleſiaſtica, virtute conſtitutionis.*

VI. *Reſcripta, quæ habet Domus Miſericordiæ, ſunt pro bonis defunctorum laicorum, non pro clericorum beneficiatorum.*

VII. *Conſuetudo allegata debebat probari in judicio eccleſiaſtico.*

VIII. *Sicut in eodem debent habilitari hæredes ab inteſtati hæreditatem prætendentes.*

IX. *Conſuetudo non probatur per unicum actum.*

X. *Imo frequentium, et uniformium interruptio, per unicum probatur.*

XI. *Quamplures actus comprobantur pro poſſeſſione juriſdictionis eccleſiaſticæ.*

XII. *Minime poteſt allegari conſuetudo, quæ nota variatione practicata eſt.*

XIII. *Aliud exemplum non docebat, clericum fore debitorem eccleſiæ.*

XIV. *Sicut neque diſpoſitio ſpecialis pro capellanis navium Indicæ curſitationis, oſtendebat, eos beneficiatos fore.*

XV. *Neque etiam domus recurrens docebat de mandato ſpeciali procurationis allegatæ.*

XVI. *Imo impoſſibile erat tale mandatum.*

XVII. *Nec hæredes hæreditatem adire poterant indeterminati, et abſque habilitatione.*

XVIII. *Domus recurrens minime obtinuit.*

I. EVivis decedente ab inteſtato, in hac Goana urbe hujuſce primatialis ſedis, cantore majore, cum hæredibus, ut aſſerebatur, in regno Portugalliæ, ad inſtantiam confratrum S. Domus Miſericordiæ, judex illius precatoriam chartam judici eccleſiaſtico direxit, pro remiſſione bonorum defuncti ad eandem domum, juxta iſtius, quæ allegabantur, privilegia, in regiis decretis, pro ſimili conſimilium defunctorum remiſſione, fundata: cui quidem precatorio cum judex eccleſiaſticus haud annueret ex fundamentis infra expreſſis, recurſum ad regium coronæ judicium præfati confratres intentārunt, quibus quidem judex eccleſiaſticus ſic reſponſum dedit:

Reſponſio judicis eccleſiaſtici ad precatorium judicis ſæcularis.

II. Precatoriam hanc chartam exequi nequeo duplici ratione: 1. Quia R. cantor major defunctus, de cujus bonis agitur, obiit ab inteſtato, ut S. Domus Miſericordiæ in libello ſupplicationis ſuæ plane fatetur; hæredes autem, quos allegat, in regno Portugalliæ defunctum habere, adhuc ſeſe haud habilitārunt, neque hæreditatem acceptārunt; adeoque certum remanet tam inventarium, quam depoſitum, ſive cuſtodiam bonorum defuncti, judicio eccleſiaſtico privative pertinere, Themud. p. 1. dec. 18. an. 4. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 31. n. 25. Portug. de don. reg. tom. 1. p. 2. l. 1. c. 31. n. 52. Peg. ad ord. l. 2. tt. 1. § 14. gl. 16. n. 60. Per. de man. reg. c. 16. n. 21.

III. Et hujus rationis ratio notiſſima ea eſt, quia *hæreditas jacens perſonam defuncti repræſentat, et omnibus perſonalibus privilegiis illius gaudet*, ut aſſerunt præcitat. DD. ibidem, quibus addendi Barb. in l. 19. n. 200. ff. *de jud.* Narbon. in l. 61. gl. 2. an. 17. tt. 4. l. 2. recopilat. Salgad. Labyrinth. p. 1. c. 2. an. 48. Mart. de juriſd. caſ. 122. n. 15. Carlev. *de judic.* tit. 1. diſp. 2. n. 322.

IV. Secunda ratio eſt, Quia defunctus capitularis dignitas hujuſce primatialis ſedis inceſſit, atque ejuſdem redituum exactoris, quorum quidem, et capellarum adminiſtrationis rationem adhuc non reddidit, nec debita, ac penſiones primatiali eccleſiæ ſatisfecit; quibus terminis, quantumvis hæredes habeat, et hi hæreditatem jam adiviſſent, inventarii, et bonorum cuſtodia judicio eccleſiaſtico pertinet privative, ut ab eodem, debitis examinatis, mandata de ſolvendo expediantur, atque exequantur, ut in ſynodalibus conſtitutionibus aperte cavetur, tt. 25. conſt. un. et tt. 35. conſt. 1. § 17.

V. Cum enim olim beneficiati teſtari non poterant de bonis eccleſiæ intuitu acquiſitis, et per conſtitutiones diœceſanas id ipſis permiſſum fuit ob poſteriorem conſuetudinem paulatim introductam; ex earundem conſtitutionum declarationibus decidendi veniunt caſus inventarii, et cuſtodiæ bonorum beneficiatorum, quippe quæ prædictæ conſuetudinis interpretativæ quidem ſunt, ut optime reſolvunt Oliv. de for. eccleſ. p. 2. q. 31. n. 36. Themud. p. 2. dec. 150. per tot. Per. de man. reg. c. 16. n. 29. et ſeqq. et ſpecialius, n. 32. ubi dicit, quod *quando agitur de hæreditate clerici ab inteſtato decedentis, qui bona reliquit patrimonialia cum aliis intuitu eccleſiæ acquiſitis; cum hæreditas partim eccleſiaſtica ſit*, quia *virtute conſtitutionis ſemis illius ad eccleſiam ſpectat, ſi in ea hæreditate laicus legatum habet; vel ſi in patrimonialibus prætendat ab inteſtato ſuccedere, eo caſu tenetur judicem eccleſiaſticum adire*, ſeque habilem coram eo probare: *ratio eſt, quia cum utraque hæreditas mixta ſit, magis dignum trahit ad ſe minus dignum, ex gloſſ. fin. in c. unico, de jure patron. l. 6. Covarr. practicar. cap. 36. n. 5. argum.* 1. Si communem, *ff.* Quemadmodum ſervi amittantur.

VI. Neque adverſus hanc duplicem ſolidam rationem allegari poſſunt ex adverſo privilegia, aut regia reſcripta, quæ ſancta Domus Miſericordiæ habere dicit pro traditione bonorum defunctorum illorum, qui hæredes abſentes in regno retinent. Nam horum privile-

vilegiorum, aut reſcriptorum diſpoſitio intelligi debet pro bonis defunctorum laicorum; non ita vero pro bonis clericorum beneficiatorum; quia regia majeſtas, ut princeps ſæcularis, neque vult, neque poteſt, præjudicium afferre juriſdictioni prælatorum eccleſiaſticorum, quæ eiſdem competit de jure, ut videre eſt in pluribus concordiis adductis à Per. de man. reg. p. 1. in fin. n. 76. 83. 87. et aliis.

Hæ ſunt rationes mihi præſentes ad præſentem precatoriam chartam non exequendam. Goæ, &c.

Reſponſio ejuſdem ad recurſum.

A non adimpletione præmiſſæ chartæ, recurſum interpoſuit eadem ſancta Domus; cui quidem pro ſufficienti reſponſione judex eccleſiaſticus, eandem, quam precatorio objecerat, adhibuit, ſequentia ſuperaddens ſuper conſuetudine in libello recurſus à recurrente noviter allegata. Pro qua——

VII. Dicebat judex eccleſiaſticus, dato, quod vera, et realis foret prætenſa conſuetudo, eam recurrens in judicio eccleſiaſtico probare debuiſſet, cum requiſitis omnibus ad conſuetudinem inducendam neceſſariis, qualia ſunt repetitio actuum uniformium, tempore legitimo continuatorum, cum conſenſu expreſſo, vel tacito principis, cujus legi per prædictam conſuetudinem fit præjudicium, ut cum Joann. Rebell. et aliis, tradit Bonacin. tom. 2. diſp. 1. q. 1. pu. ult. § 3. per tot.

VIII. Cum enim, jacente hæreditate clerici, præſertim beneficiati, inventarium, et bonorum cuſtodia abſque controverſia judicio eccleſiaſtico pertineat; et hæredes ab inteſtati hæreditatem prætendentes ad illius traditionem in eccleſiaſtico judicio habilitari debeant, Per. de man. reg. c. 16. n. 32. Themud. dec. 150. pariformiter perſonæ juriſdictionem ex conſuetudine prætendentes ad præfati clerici inventarium faciendum, et ejus bona cuſtodienda, eandem conſuetudinem in eodem judicio probare debent, ex vulgaribus juris reg. Et dum non probant, habet juriſdictio eccleſiaſtica ordinaria juris aſſiſtentiam, ex qua id ipſi competit; quo jure minime privari debet ex ſola ſimplici conſuetudinis allegatione.

IX. Præterea recurrens, pro allegata conſuetudine probanda, unicam producebat atteſtationem ingreſſus bonorum parochi, aut prioris parœciæ Dominæ noſtræ à Roſario hujus civitatis ab inteſtato decedentis: quod quidem ſingulare exemplum nihil omnino probabat: 1. Quia ad introducendam conſuetudinem non ſufficit unicus actus, ſed neceſſaria prorſus eſt plurimorum repetitio, et frequentia, Soar. de leg. l. 7. cap. 12. Bonac. cit. n. 12. et omnes debent eſſe uniformes.

X. Nam, probata interruptione per unicum actum in contrarium, corruit conſuetudo, quamvis in ſui favorem repetitionem mille actuum præcedentium haberent, Rott. Ludoviſ. dec. 162. n. 9. Surd. conſ. 303. n. 23. et 27. Valenſ. conſ. 34. n. 169. Fontanell. tom. 2. dec. 337. n. 21. et 22. Vid. etiam tradita cap. 21, 22, et 23.

XI. In præſenti autem caſu, ac materia, quamplurimos actus, et exempla in contrarium ex adjunctis atteſtationibus oſtendebat judex eccleſiaſticus, ex quibus conſtabat, illuſtriſſimi hujuſce diœceſis archiepiſcopi primatis D. Fr. Antonii Brandam, monachi Ciſtercienſis, R. doctoris Emmanuelis Almeida à Sanctis, ejuſdem archiepiſcopatus in ſpiritualibus, ac temporalibus, vicarii generalis, R. canonici Joſeph. Ribeyro; R. prioris collegiatæ Roſarii Dominici de Moraes; P. Salvatoris Almeida, et aliorum, ab inteſtato obeuntium cum hæredibus in regno Portugalliæ, quorum omnium inventaria, cuſtodia, et licitatio bonorum in eccleſiaſtico judicio peracta ſunt.

XII. Et minime allegari poteſt conſuetudo in re, quæ nota variatione practicata, ac ſervata eſt; Fontanell. ſupr. n. 13. et tom. 1. de pact. nupt. clauſ. 4. gl. 18. p. 1. n. 168.

XIII. 2. Quia, ex atteſtatione à recurrente producta, minime conſtabat, ſubjectum parochum debitorem exceſſiſſe eccleſiæ parochiali, cujus prior extiterat, ut conſtabat de majori cantore præfato eccleſiæ primatiali notorio debitore; præterquam quod prior accuſatus haud inceſſerat parochus confirmatus, vel collatus, ſed ſubſtituens dumtaxat, ut ex alia adjuncta atteſtatione liquefiebat.

XIV. Et quoad traditiones bonorum aliorum clericorum, navium Indicæ curſitationis capellanorum, in mari, atque in ipſa actuali navigatione decedentium, à recurrente allegatas, reſpondebat, hoc ſpeciali regimine, ducibus ipſarum navium tradito, ita diſponi ſolere; et ulterius, non conſtare hos clericos capellanos, beneficiatos incedere, ut ſubjectus primatialis ſedis cantor.

XV. Ultimæ tandem recurrentis domus allegationi, ſe abſentium procuratricem evadere contendentis, atque adeo, ut talem, adire poſſe hæreditatem præfati cantoris defuncti, ejus hæredum nomine; reſpondebat, 1. Recurrentem non docere de mandato talis procurationis; ſed generalem monitionem, ſeu commendationem regiam pro ſimplici traditione bonorum defunctorum, hæredes in regno habentium.

XVI. 2. Quia impoſſibile, atque impracticabile erat tale generale mandatum, abſque facultate et conſenſu ipſorum conſtituentium, in re conventionali, et juris gentium, in quo ſupremi principes diſpenſare non ſolent, nec quandoque valent, ut per ſe notum eſt.

XVII. 3. Quia, etiam dato, quod recurrens ſpeciale mandatum, aut procurationem matris, et aliorum hæredum, qui inducebantur, prædicti cantoris defuncti, haberet, nullatenus hæreditatem ipſam adire poterat, ignorans an mater illa, et reliqui hæredes ſuperſtites extarent, et quin prius in eccleſiaſtico judicio habilitarentur: quæ quidem habilitatio peragi non poterat incerta, atque indeterminata abſque expreſſione nominum hæredum, quibus hæreditas competens eſſe aſſeritur.

XVIII. Utraque præmiſſa reſponſione à regiis ſenatoribus viſa, recurrens non obtinuit.

ALLEGATIO LXIV.

Promotoris eccleſiaſtici adverſus novas Conditiones, ac Permiſſiones datas à Tribunali Concilii Patrimonii regii hujus Status, Publicano Conductori Beti, ſeu Tabaci *fumici ſorbilis, Libertatis, atque Immunitatis Eccleſiaſticæ notorie læſivas.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Facultas conceſſa adverſabatur libertati eccleſiaſticæ, et regiæ ordin.*
III. *Quæ non perſonarum capturam, ſed rerum ſubtractarum amiſſionem imponit.*
IV. *Et in clericos in fragranti repertos, non inſtrumentum culpæ, ab officialibus laicis formandum, ſed illorum præſentationem dumtaxat proprio ſuperiori.*
V. *Miniſtri laici, inquirentes directe de clerico, nulliter procedunt, et cum offenſa immunitatis eccleſiaſticæ.*
VI. *Inſtrumentum illud, non civiliter, ſed criminaliter formandum convincebatur.*
VII. *Ordinatio diſponit, clericos pro vectigalibus poſſe conveniri coram judice laico, proceſſu quidem civili, et à citatione incipiente; non vero criminali, et incipiente ab executione.*
VIII. *Clauſulæ aliæ facultatis conceſſæ, quod ex ſola ſuſpicione poſſent officiales procedere ad inquiſitionem, implicabat cum qualitate* in fragranti, *et cum diſpoſitione ipſiuſmet ordin.*
IX. *Quæ vetat capi clericos, non actu repertos maleficia patrantes, capturæ digna.*
X. *Implicabat etiam cum facultate conceſſa, quoad auxilium præſtandum ab officialibus eccleſiaſticis.*

XI.

XI. *Facultas illa erat nova, et inaudita, contraria poſſeſſioni juriſdictionis eccleſiaſticæ.*
XII. *Et contra mentem regiæ ordinat. quæ in omnibus juriſdictioni illi favere intendit.*
XIII. *Et adverſabatur pluribus ſacris canonibus, et bullæ Cœnæ.*
XIV. *Aſportatio rei contra pragmatica ad proprium uſum, à clericis facta, nullum delictum eſt, juxta aliquos.*
XV. *Adverſabatur inſuper Concil. Trid. et bullæ Cœnæ, ex impedimento, et uſurpatione juriſdictionis ordinariæ.*
XVI. *Nec recurri poterat ad concordiam Dionyſianam, quam facultas illa notorie excedebat.*
XVII. *Læditur immunitas, quando laicus perquirit loca eccleſiæ, rectoris, preſbyteri, et clerici.*
XVIII. *Pragmaticæ laicæ, etiam in utilitatem publicam, non comprehendunt clericos.*
XIX. *DD. aſſerentes, comprehendi* quoad vim directivam, *redarguuntur ab aliis.*
XX. *Contra generalitatem pragmaticarum adſtant plures S. Congregat. declarationes.*
XXI. *Talia generalia decreta quoad clericos, ſunt nulla jure ipſo.*
XXII. *Conſpirant etiam DD. tenentes comprehenſionem quoad vim directivam.*
XXIII. *Auctoritates ſuffragantes.*
XXIV. *Favendum ſemper eſt opinioni immunitati eccleſiaſticæ favorabiliori.*
XXV. *Principes ſæculares tenentur eccleſiam, et eccleſiaſticos protegere.*
XXVI. *Tranſcribitur Paſcucc.*
XXVII. *Finis controverſiæ.*

I. CONDUCENTE quodam gentile Goano proventus regii patrimonii ex vectigalibus ſuper beto, ſeu *tabaco fumico* ſorbili impoſitis exigendas, cum novis conditionibus, ſeu facultatibus, à tribunali concilii gazæ regiæ, facile, et inadvertenter conceſſis, inter eas ſequentem nulliter, et ſacrilege indulſerunt; videlicet, *Quod prædictus publicanus, ex ſola ſuſpicione diverſionis beti fumici à clericis, aut religioſis, et retentionis illius apud eoſdem, libere, ac licite, poſſet ingredi domos, et cubicula prædictorum cum officialibus ſæcularibus pro inveſtigatione, et apprehenſione in fragranti facienda; et utriuſque facto inſtrumento, per illud adverſus tranſgreſſores procederetur, juxta formam conditionum conductionis præmiſſi proventus, aut vectigalis, ad quod illuſtriſſimus archipræſul, et ejuſdem R. vicarius generalis, omne auxilium, et favorem præſtarent*, &c.

II. Huic novæ, et nunquam antea conceſſæ facultati ſeſe totis viribus oppoſuit promotor eccleſiaſticus, illam multipliciter nullam, eccleſiaſticæ libertatis læſivam, imo et ſibi, et ipſimet regiæ ordinationi multiformiter implicatoriam accuſans, et ſimul demonſtrans.

III. Et, 1. Ex eadem regia ordinatione, l. 2. t. 1. § 29. ubi diſponit, *Poſſe à juſtitiis ſæcularibus capi clericos, qui reperti fuerint actu talia maleficia perpetrantes, pro quibus de jure capi deberent*; oſtendebat, beti, aut alterius generis vetiti diverſionem, à jure impoſitam, non habere perſonarum capturam, ſed tantummodo rerum ſubtractarum apprehenſionem, et amiſſionem; ordin. cit. Peg. ad eand. tom. 8. gloſſ. 19. Gabr. Per. de man. reg. cap. 38. n. 14.

IV. 2. Ex ejuſdem diſpoſitione ibid. oſtendebat etiam adverſus præfatos clericos, in fragranti maleficio repertos, minime regiam ipſam legem ordinare, aut permittere, ut directe inſtrumentum culpæ, etiam illorum ſuperioribus eccleſiaſticis præſentandum, formetur.

V. Et notorium erat, judices laicos, directe et nominatim inquirentes, aut culpæ inſtrumentum formantes adverſus clericos, et eccleſiaſticam immunitatem lædere, et nulliter procedere, ut paſſim conſtabat ex ſententiis frequenter prolatis in menſa ſecundæ, et tertiæ inſtantiæ in hocmet ſtatu, in favorem equitum trium ordinum militarium, cohærenter ad definitiones ordinis Militiæ Chriſti, p. 3. tt. 6. et tt. 7.

VI. Quod autem inſtrumentum illud culpæ, et apprehenſionis, fabricandum non foret, ut adverſus clericos, aut religioſos tranſgreſſores procederetur mere civiliter, ſed criminaliter, ex formalitate conceſſæ facultatis, ac conditionis, clare evincebatur, et ex particula illa, *in fragranti delicto*; necnon ex mente, atque intelligentia cit. ordin. ubi per verbum, *maleficia*, in fragranti commiſſa, non mere civilia, ſed criminalia intelligi, ſecundum communem explicationem DD. ſignanter Peg. ad eandem ord. § 29. n. 1. et ſeqq. Per. de man. reg. cap. 43.

VII. Quamvis enim cit. ordinat. § 19. diſponat, clericos pro vectigalium, et aliorum jurium debito, poſſe apud judices laicos civiliter citari, ac conveniri; loquitur de proceſſu mere civili, et incipiente *à citatione*; non vero de proceſſu criminali, et *ab executione* incipiente. Unde Peg. ad eand. ordin. cit. gl. 21. n. 20. ſic tradit: *Limita textum noſtrum, ut non procedat, niſi tantum quando contra clericos agitur civiliter ad ſolutionem tributorum; ſecus, ſi agatur criminaliter ad pœnas incurſas ob non ſoluta tributa, vel alias ſimiles, ut patet ex noſtro textu*; ibi: Se civilmente forem demandados. *Et notat Caſtr. d. cap. 38. n. 15.*

VIII. 3. Oſtendebat, clauſulam illam præmiſſæ facultatis, aut conditionis; quod, ſcilicet, *Ex ſola ſuſpicione poſſent officiales laici ingredi domos et cubicula clericorum, ac religioſorum, pro indagatione, atque apprehenſione facienda*; eſſe implicatoriam qualitati delicti in fragranti patrati, et præterea eſſe quidem ordinationi ipſi multipliciter implicabilem: 1. Quia qualitas delicti, in fragranti commiſſi, ſolum reperitur, ac verificatur in hac re, quando clericus apprehenditur actu ſubtrahens, aut divertens merces vetitas, vel tam proximus actui ipſi diverſionis, ut moraliter pro eodem ſubtractionis delicto æſtimetur, ut innuit verbum ipſum *fragrans*, quaſi delictum adhuc olens; et tenet Peg. ad cit. ord. gl. 29. n. 21.

Formalitas autem, et extenſio conditionis, ſeu facultatis præmiſſæ, comprehendit, et extenditur etiam ad fumeum betum retentum ab eccleſiaſticis in propriis domibus ac cubiculis, etiamſi anterius abhinc multis menſibus, ab ipſis, vel etiam à laicis, aut à quibuſvis aliis, facta fuiſſet actualis ſubtractio, ac diverſio; quod quidem manifeſte eſt contra expreſſam cit. ord. mentem, ac diſpoſitionem.

IX. 4. Quia cit. reg. ordin. § 29. expreſſe cavet, *Ne juſtitiæ ſæculares capiant clericos, quos talia maleficia, capturæ digna, actu committentes non repererint, niſi eorum prælatorum mandato*; ad quam Peg. cit. gl. 31. n. 10. ſic ait: *Sed non poſſunt capi poſt delictum commiſſum, niſi præcedente mandato ſui prælati; tunc enim licite opprehenduntur ex noſtro textu*; *ibi:* E naô poderam prender os que naô acharem comettendo os maleficios, ſalvo por mandado dos ſeus prelados, que os mandem prender, cap. *Ut famæ*, de ſent. excom. et ibi: gl. verb. *De mandato*, *Farinac. d. q. 8. n. 121. Souza. d. q. 22. n. 2. et 3.*

X. 5. Quia auxilium, quod præmiſſa facultas requirebat præſtandum à prælato, vel ab ejus vicario generali, implicabat etiam, quod non mediis propriis officialibus, eccleſiaſticis videlicet, ſed ab alienis, puta laicis, præberetur, ex ipſamet formali ratione *auxilii*, et conſtitutionis executoris meri, vel mixti, Gabr. Per. de man. reg. c. 52. n. 8. et ſeqq. Vid. dict. prælud. 4.

XI. Et tandem, quia hæc conditio, ac facultas permiſſa, nova omnino erat, et inaudita; et omnes clerici, ac religioſi hujuſce diœceſis, hactenus in pacifica poſſeſſione permanebant immunitatis ab hac invaſione, atque inveſtigatione, et multo magis, ne per laicos fieret (quorum quidem impotentiam, et incapacitatem agnoſcebant miniſtri in exordio conceſſionis præmiſſæ facultatis):

XII. Et ordinaria juriſdictio Goana, etiam in pacifica, et minime diſcontinua, poſſeſſione conſervabatur hoc auxilium præſtandi, et has diligentias exequi jubendi per proprios officiales eccleſiaſticos, quibus quidem præjudicari non poterat, contra expreſſam intentionem, ac proteſtationem regiam in ipſamet ordin. l. 2. tit. 5. in princ. et tit. 11. et tt. 18. § 5. ubi aperte

aperte proteſtatur, *ſuæ intentionis eſſe favere, in quantum potuerit, eccleſiis, et perſonis eccleſiaſticis.*

XIII. Poſt implicantias regiæ ordinationi, oſtendebat promotor implicantiam juri canonico, in præmiſſa ac permiſſa facultate: nam imprimis adverſabatur c. *Noverit*, c. *Gravem*, de ſentent. excom. et cap. 15. bullæ Cœn. adverſus omnes, *qui directe, vel indirecte, perſonas eccleſiaſticas ad ſæcularia tribunalia trahunt, vel trahi faciunt—necnon, qui ſtatuta, vel decreta immunitatis eccleſiaſticæ quomodolibet læſiva, vel reſtrictiva ordinant.* Hæc autem nova conditio, aut facultas publicano conceſſa, adhuc contra diſpoſitionem regiæ ordinationis cit. libertatem eccleſiaſticam nimis deprimebat, ac reſtringebat; præmiſſa namque ordinatio permittit apprehenſionem clericorum in ſolo caſu actualis, et fragrantis maleficii qualificati, videlicet, quod à jure capturam mereatur; et minime jubet inſtrumentum facere, et culpam formare contra clericos; præjacta vero facultas id jubet, et extenditur ad caſum non actualis, nec fragrantis ſubtractionis, ut oſtenſum eſt, ad delictum, quod neque à jure pœnam capturæ impoſitam habet, imo, reſpectu clerici, neque delictum eſt.

XIV. Nam, juxta doctrinam plurimorum DD. aſportatio beti ad proprium uſum clericorum, etiam pragmaticas, et cum ſubtractione vectigalibus, nullum delictum eſt, Deluc. de regal. diſc. 53, 54. et 61. Pignatell. et cum eo Paſcuc. de immunit. tom. 1. pag. mihi, 282. unde, ſi delictum non eſt, neque fragrans eſt, neque apprehenſioni, aut pœnæ ulli ſubjectum, Menoch. de arbitr. l. 6. ca. 166. Per. de man. reg. c. 43. n. 7. Vid. etiam Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 15. an. 26. et ſeqq.

XV. Deinde etiam adverſabatur Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. de reform. et can. 16. bullæ Cœnæ, quatenus indirecte ſaltem impediebat judices ordinarios, ne ſua juriſdictione, in cujus pacifica, et continuata poſſeſſione erant, libere fungerentur, executionem prætenſam per proprios officiales eccleſiaſticos exercentes, ſed ad illam per officiales laicos exequendam reſtringentes. Imo etiam can. 17. ejuſdem bullæ adverſatur facultas illa, quatenus in ea miniſtri laici eccleſiaſticam juriſdictionem notorie uſurpabant, jubentes directe inquirere, indagare, inſtrumentum facere, et culpam formare adverſus clericos, ac religioſos beti diverſores, ut in eos criminaliter animadverteretur, ac procederetur.

XVI. Neque in hoc recurri poterat ad concordiam regis Dionyſii, ex qua regiæ ordinat. diſpoſitio deſumpta eſt: nam eam excedere non poterant regii concilii miniſtri, neque eam ampliare ad caſus ulteriores diverſiſſimos, et extraneos; et diverſum quidem eſt, reperiri caſualiter clericum in actuali maleficio; atque à laicis inquiri, inveſtigari, et indagari, nedum in domibus, et in cubiculis, ſed et indecoroſius in propriis perſonis; et hujuſce indagationis, atque utriuſque illius capturæ gratia, domos eccleſiæ, atque eccleſiaſticarum perſonarum, eadem immunitate, atque exemptione gaudentes, libere ingredi, imo et invadi, cum certa illius læſione, et infallibili cenſurarum juris incurſione, ut tenet Sperell. dec. 49. n. 16. ibi:

XVII. *Læditur immunitas, quando laicus perquirit loca eccleſiæ, rectoris, preſbyteri, et clerici*; Dian. p. 5. reſol. 6. n. 8. et p. 6. reſol. 4. n. 59. Paſc. cit. et alii ap. ipſ.

XVIII. Neque ſtatuta, decreta, aut pragmaticæ laicæ, quamvis in utilitate publica fundatæ, clericos comprehendunt, ex notorio defectu juriſdictionis, etiam ad proceſſum civilem, ut communiter tenent DD. cum Archaran. immunit. in 6.

XIX. Et quamvis aliqui DD. aſſeruerint, comprehendere eos *quoad vim directivam*; horum tamen opinionem redarguit, ac nervoſe reprobat Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 35. n. 8. contrariam ſtatuens, et objectis omnibus plene ſatisfaciens, primæ notæ, ac famoſiorum DD. copia ſtabilitam, videlicet Navar. Soar. Azor. Bellarm. Surd. Salz. Mart. Et iterum q. 3. n. 28. impugnans Per. c. 38. n. 14.

XX. Et contra generalitatem illarum pragmaticarum, aut decretorum ſæcularium, extant quamplures S. Congregat. declaration. videndæ apud Pignatell. tom. 1. conſ. 34. et apud ejuſdem compilatorem Paſcuc. tom. 1. p. 233. ſignanter in una Novarienſ. 27. Nov. 1654. et in una Neapolit. 24. Jul. 1652. ibi: *Poſt maturam diſcuſſionem, facto verbo cum ſanctiſſimo domino noſtro, declaravit, ac declarat, omnes et ſingulas prædictas pragmaticas, necnon quaſcunque alias ordinationes ſuper prædictas emanatas, et publicatas, non comprehendiſſe, neque comprehendere, et non potuiſſe, nec poſſe comprehendere eccleſias, monaſteria, loca pia, nec perſonas eccleſiaſticas.*

XXI. Et præfata generalia decreta, à laicis edita, eſſe quoad clericos ipſo jure nulla, atque eorum immunitatis læſiva, tenent expreſſe Cavalc. l. 3. dec. 33. n. 16. Plot. conſ. 93. n. 2. Albin. cap. *Quæ in eccleſiarum*, notab. 2. Aug. Barb. in cap. *Eccleſiæ S. Mariæ*, n. 5. de conſt. quod declaratum fuit in ſynodo Romano tertia, can. 1. relatum in cap. *Bene quidem*, diſt. 96. et in ſynod. Romana quarta, cujus refertur, in can. *In omnibus*, 16. q. 2. et decretum in Concil. general. ſub Innoc. III. cap. 44. relatum in cap. *Cum laicis*, de bon. eccleſ. non alienand. et multoties deciſum à Sacr. Cong. immunitatis, principaliter in una Novarienſ. 27. Nov. 1654. et in una Neapolit. 24. Jul. 1652. ſupra extenſa.

XXII. Conſpirant etiam in hac nullitate, ipſo jure, ipſimet DD. tenentes, has pragmaticas generales, bono publico conſulentes, non niſi quoad vim directivam clericos ligare, ut Cevall. de violent. in proœm. n. 8. et ſeqq. Salg. de reg. prot. p. 1. cap. 2. n. 66. et 67. Deluc. in miſcellan. diſc. 8. n. 4. et 5. Menoch. conſ. 800. n. 33. et melius conſ. 101. per tot. et ſpecialiter n. 22. ibi: *Satis perſpicuum eſt ex ſuperioribus, edictum immediate diſponens de re exempta, puta de perſona clerici, vel bonis eccleſiarum, nullum eſſe defectu poteſtatis, qui ſanari non poteſt ex qualitate cauſæ.*

XXIII. Subjungebat terminantem auctoritatem cit. Paſcuc. ad Pignatell. pag. 323. col. 2. ibi: *Atque hinc capientes, vel retinentes res hujuſmodi ab eccleſiaſticis extractas, incidunt in cenſuras contra lædentes, et violantes immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam, inflictas in cap.* Adverſus, *de immunit. eccleſiaſt. in cap. 1. et 3. eod. tit. in 6. in cap.* Quanquam de cenſib. *in 6. in Sacr. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. de reformat. et in bulla Cœna Domini, quarum abſolutio eſt Summo Pontifici reſervata, de qua abſolutione Alter. de tenſ. diſp. 22. l. 5. cap. 2. adeoque indigent abſolutione ſimpliciter, non autem ad cautelam, cum conſtet excommunicationem fulminatam eſſe juſtam, et validam, per text. in cap.* Cum deſideres, *ibique Abb. n. 5. de ſentent. excommunicat. cap.* Quod indubio in principio, *et cap.* Sacris, *eod. titul. et alii.*

XXIV. Denique, etiam in conflictu diverſarum, et oppoſitarum opinionum, allegabat, ſemper eccleſiæ favendum fore, et opinionem eccleſiæ immunitati, atque ejus juriſdictioni favorabiliorem amplectendam, Delben. de immunit. tom. 2. c. 16. dub. 37. n. 27. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 25 n. 14. et ſeqq. Franc. Mar. obſerv. for. tom. 1. n. 10. Themud. 3. p. dec. 306. n. 8. et 9.

XXV. Et regiæ majeſtati tandem exponebat munus ipſum ſæcularium principum protegendi eccleſiam, et eccleſiaſticos, et eos ab inſultationibus, et quibuſvis aliis adverſantibus, tuendi, ex cap. *Boni principes*, 96. diſt. cap. *Tributum*, c. *Principes*, 23. q. 8. c. *Ab imperatorib.* 23. q. 3. Salgad. de reg. protect. p. 1. c. 1. prælud. 2. n. 71. et 72.

XXVI. Nec deferendum expoſitioni, ac ſupplicationi publicani, prætextu fraudum eccleſiaſticorum vitandarum, ſecundum doctrinam cit. Paſcuc. pag. 232. ibi: *Multo minus ponenda eſt vis omnis in aſſertis fraudibus eccleſiaſticorum. Nam, primo, id præſumi non debet de viris eccleſiaſticis; ideoque non videtur hac in re quidquam ſtatuendum, priuſquam fraus doceatur, cum remedia non ſunt adhibenda, ubi morbus non eſt; nec eſt ſtatuendum ſimplici aſſertioni laicorum in re, quæ habet contra præſumptionem; unde, ex poſſibilitate committendi fraudes, non poteſt, neque debet, auferri facultas, et uſus rerum, quæ alias debentur eccleſiaſticis. Secundum quod, ſi eccleſiaſtici in hoc deliquerint, habent laici eorum judicem ordinarium, qui poteſt jus ſuum dicere, et delinquentes clericos punire, ut reſpondit Rott. &c. Tertio caſu, quo etiam*

fraudes committerentur, non eſt dandus aſſiſtens laicus: tum quia tractu temporis poſſit tranſire in exemplum; tum quia indirecte daretur occaſio deſtruendi furnum, &c.

XXVII. Finis iſtius controverſiæ fuit, ut interim, dum agebatur, publicani filius celeri morbo correptus exceſſerit, quem paucis diebus ſimiliter ſecutus eſt pater; et ſucceſſores, atque reliqui pagani, tali timore, clericos turbandi, perculſi evaſerunt, ut nullus cauſam proſequi, aut denuo excitare, hactenus auſus ſit; et omnes ſe, auxilii mei pro libitu diſpoſitioni, libenter ſubmiſerunt.

ALLEGATIO LXV.

In Recurſu à Judice eccleſiaſtico Reſiduorum interpoſito ex Denegatione Copiæ Actorum cuidam, ut tertio Poſſeſſori, Impedimenta opponere volenti.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Non debet denegari copia tertio volenti probare dominium.*
III. *Tertius dicitur, qui non eſt hæres.*
IV. *Ut aliquis tertius ſit, debet habere bona ex titulo aliquo ſingulari.*
V. *Tertius etiam non eſt, qui in cauſa ſequeſtrationis, ut pars, inceſſit.*
VI. *Cum recurrens tertius reipſa non foret, non fuit injuſta copiæ denegatio; adeoque juſte in coronæ judicio ei proviſio etiam denegata fuit.*

I. OB longam, turpemque moram (quæ frequentiſſima eſt apud hos Aſiaticos) exequendi, ac ſatisfaciendi legata, et pias diſpoſitiones teſtamenti cujuſdam laici, in menſe alternativæ eccleſiaſticæ decedentis, jubente judice reſiduorum ſequeſtrare bona defuncti ad illarum piarum diſpoſitionum, ac legatorum plenam ſatisfactionem exequendam, filius defuncti, hæres, ut talis, ſeſe ſequeſtro, et ulteriori proceſſui oppoſuit, actorum, et mandati ſequeſtri exhibitionem, et copiam petens, ad impedimenta tertii poſſeſſoris objicienda, et juſtitiam ſibi aſſiſtentem plene allegandam; et ab exhibitionis denegatione recurſum interpoſuit, cui judex eccleſiaſticus breviter, et concludenter reſpondit.

II. Fatebatur imprimis, certum quidem in jure eſſe, non debere denegari copiam tertio volenti probare dominium, ſeu poſſeſſionem in re executa, aut ſequeſtrata, ut reſtituatur, ſi ipſe neque citatus, neque plene auditus, aut convictus fuerat: attamen limitabat hanc juris diſpoſitionem, dummodo talis opponens, prædictam copiam poſtulans, vere et reapſe *tertius* foret, ex expreſſa regiæ ordin. diſpoſitione, l. 3. tt. 86. § 17. et ex cap. *Cum ſuper*, ff. eod. tit. junct. gl. ibi, verb. *Fiat*, ad quam Bart. n. 6. et ex commun. ſententia DD. regnicolarum, Cabed. 1. p. ar. 66. Phœb. 1. p. ar. 25. Valaſc. p. 1. conſ. 55. n. 1. Souz. de Maced. dec. 61. n. 1. verſ. *Tertius non citatus.*

III. Recurſus autem in ipſamet ſupplicatione ſua aperte fatebatur, ſe eſſe filium, et hæredem defuncti; quæ quidem confeſſio plene probabat ex ordinatione, l. 3. tt. 53. § 9. Phœb. dec. 56. n. 6. Reynoſ. obſerv. fin. n. 1. Gabr. Per. dec. 32. n. 12. Peg. for. c. 1. n. 130. et c. 9. n. 579. Quare *tertius* dici non poterat; de jure namque hæres, vel ſucceſſor, tertius non eſt, neque talis dicitur; Peg. reſol. for. noviſſ. c. 5. n. 7. ibi: *Quia tertius dicitur, qui non eſt hæres*, vel ſucceſſor ex aſſe, vel ex parte illius, cui principaliter jus exequendi active, vel paſſive competit, l. *Quædam*, § fin. ff. de edend. l. *Hæreditatem*, ff. *Mandat.* Parlador. d. § 5. n. 2. Guſman. *de evict. q.* 11. *n.* 35.

IV. Præterea recurrens bona defuncti non habebat ex titulo aliquo ſingulari, veluti emptionis, donationis, et ſimilium; quod quidem requiſitum etiam ibid. exprimit Peg. cit. n. 358. *Quare tertius poſſeſſor noſtris in terminis accipitur ille, qui non eſt hæres, vel ſucceſſor illius*, contra quem jus executivum principaliter competit ex aſſe, vel ex parte juſta; ſed ejus bona habuit titulo aliquo ſingulari, velut exemptionis, nominationis, donationis, et ſimilium; Carleval. de jud. tit. 3. diſp. 11. n. 1. Cur. Philip. 2. p. § 11. n. 1. Siguenc. de clauſ. lib. cap. 32. n. 13. Pichard. *manud. ad prax. 2. p. præcep. 2. n. 6. Virg. et Guſman. apud Olea de ceſſ. jur. tit. 1. q. 1. n. 55.*

V. Superaddebat ulterius, recurrentem in judicio ſuo plene, planeque, auditum fuiſſe, et in cauſa ſequeſtrationis partem inceſſiſſe; atque adeo jam *tertius*, ex hac nova ratione, appellari non poterat in eadem cauſa, in qua pars extiterat, neque hoc titulo impedimenta ſequeſtro objicere valebat, Grat. dec. 15. n. 9. Scacc. de jud. l. 3. cap. 62. n. 24. et de appellat. q. 17. lim. 6. memb. 4. n. 72. Peg. cit. cap. 5. n. 7. et ſeqq. ubi judicatum refert.

VI. Cum autem recurrens reipſa *tertius* non foret, minime injuſtitia, et multo minus violentia, illi irrogata eſt in denegatione copiæ petitæ ad impedimenta objicienda, ut tertius poſſeſſor. Et ex allegatis rationibus proviſio in coronæ judicio ei etiam juſte denegata eſt. Vid. ſupr. allegat. quæ materialiter cum præſenti identica eſt.

ALLEGATIO LXVI.

Cujuſdam Miniſtri mei in Controverſia ſuper Extractione Idolorum quorundam, extra Status Territorium conſervatorum, ab Incolis Aſſolonenſibus Provinciæ Salſetanæ; quibus quamplures ipſorum, et ex reliquis Ovibus meis, pervertebantur apud illa idololatrantes.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Licita eſt, ſecundum ſe, idolorum remotio, ac demolitio.*
III. *Patet ex S. pagina.*
IV. *Etiam licita fuit in præſentibus circumſtantiis.*
V. *Idola erant dominii illa amoventium.*
VI. *Poterant citra cujuſvis injuriam, imo tenebantur, removere lapides illos offenſionis, atque ſcandali.*
VII. *Pro licitudine ex parte paſtoris, ſtabat auctoritas Barboſæ, et aliorum.*
VIII. *Epiſcopi graviter obligantur conſulere bono, ac ſaluti, animarum ſibi creditarum.*
IX. *Locus, ubi idola aſſervabantur, erat ſubjectus juriſdictioni ſpirituali prælati.*
X. *Sicut ratione populi ſubditi, ita ratione loci, tenebatur præſul ſpiritualiter procedere.*
XI. *Epiſcopus in ſua diœceſi eandem habet juriſdictionem temporalem, atque Papa in toto orbe.*
XII. *Principes ſæculares poſſunt vi armorum cogere infideles extrancos, ne fidei propagationem in ſuis dominiis impediant.*
XIII. *Imo licite poſſunt, et tenentur, ipſis bellum inferre ob bonum ſpirituale fidelium.*
XIV. *Nullibi legitur, auxilium brachii ſæcularis impertiendum judici eccleſiaſtico, fore de neceſſitate, ſed ex indulgentia.*

XV.

XV. *Ex jure constat, implorari posse pro libitu,* et si necesse fuerit.
XVI. *Transcribitur Monacell.*
XVII. *Episcopi aliqui carent familia armata, non ex defectu jurisdictionis, sed vel ex paupertate, vel ex alio impedimento.*
XVIII. *Executio facienda erat ex proprio marte ab ipsis idolorum illorum dominium habentibus.*
XIX. *Locus, ubi asservabantur, erat indefensus, desertus, et contiguus limitibus status.*
XX. *Quæ stulta sunt mundi, prudentiora sunt apud Deum.*
XXI. *Exempla quamplurimorum sanctorum, et virorum apostolicorum.*

I. IN prima Salsetanæ provinciæ visitatione, anno 1722. feliciter peracta, parochianos parœciæ Dominæ nostræ à Martyribus, pagi *Assolona*, et duplicis alterius conjuncti, *Vellim*, et *Ambellim* nuncupatorum, ejusdem parœciæ, temporali dominio Jesuitarum subjectorum, idololatria late infectos generaliter inveni, occasione propinquitatis cum terra continenti, ac contigua infidelium, et conservationis in ea cujusdam rustici, brevisque fani, seu delubri eorundem pagorum, et singulorum eorundem incolarum propriorum idolorum, ad quæ frequente nocturno tempore confluebant oracula obtenturi, et remedia pro præsentibus necessitatibus, et auspicia bona pro futuris deprecaturi. Qui quidem, et eorum parochus Jesuita, qui insimul administrator temporalis proventuum villæ, et pagorum incedebat, de remedio agentes (quod etiam à tribunali S. officii visitationem supplicantes perquisiverant) convenerunt illa propria ipsorum idola à loco, ubi ab eisdem asservabantur, publice asportare, et ea ad pedes meos projicere, in detestationis testimonium, ut hac publica demonstratione favorabilius sibi S. officii tribunal experirentur. Et, meo simplici permissu obtento, rem perfecerunt, non sine multiplici otiosorum criticorum nota (quibus India maxime abundat) etiam adversus illius facti, respectu mei permissus, licitudinem. Pro qua tamen quidam minister meus convenientem apologiam scripsit, cujus substantiam hic adnectere licebit, eo quod præsentia potius ad notitiam, quam ad doctrinam inscribantur.

II. Allegabat, primo, et ostendebat, licitam quidem esse, secundum se, idolorum remotionem, demolitionem, atque abolitionem, imo et laudabilem, atque famosam; vi cujus tot martyres, ac apostolici viri, celebres in toto orbe, atque in universa ecclesia commendabiles evaserunt, utpote illius præcepti, et commendationis divinæ toto Levitico, ac Deuteronomio sæpissime iteratæ, exacti zelotypique observatores; præsertim Deut. xii. 2.

III. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, et confringite statuas, lucos igne comburite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.* Quo quidem maxime ipsum Christum, omnium Ducem, æmulati sunt, qui, teste Joanne, *In hoc apparuit Filius hominis, ut dissolvat opera diaboli*, 1 Joann. iii. de quo etiam Lambert. de canonis. lib. 3. c. 17.

IV. Hanc autem actionem licitam secundum se, hic et nunc, et mihi, et populis illis, licitam, imo et obligatoriam, demonstrare multipliciter pergebat. Et quoad hos parochianos certa erat licitudo, et obligatio, removendi, extirpandi, atque penitus abolendi, petras illas scandali, et lapides offensionis ipsorum, quorum conservationis, atque proximitatis occasione in illas offendebant, ac prorsus pervertebantur, totaliter à fide deficientes, ex scitissimis regulis theologiæ positivæ, ac moralis, occasiones, atque pericula scandali, omnino, etiam cum proprio temporali nocumento, vitandi et evellendi, juxta illud Matt. v. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te,* &c. et illud Ecclesiast. xvii. *Relinque peccata — et minue offendicula.* et illud Isa. lvii. 14. *Auferte offendicula de via populi mei.* Vid. D. Thom. 2. 2. q. 45. a. 1.

V. Neque refragabatur, quod lapides illi, seu idola, erant extra terminos, ac limites ditionis Statûs, dominiique Lusitani, atque jam intra limites (exiguo licet intervallo unius sulci dumtaxat) infidelium, ubi parochiani illi fideles nullum dominium, ac jurisdictionem habebant. Respondebatur enim cum rei veritate, quod tam idola illa, quam delubra rustica, quibus asservabantur, pertinebant temporali dominio illorum pagorum incolarum Christianorum ex expresso permissu, et donatione ipsorum infidelium districti illius dominorum, ob lucrum, atque utilitatem temporalem, quam ipsi, et ipsorum botti, seu flamines, ex Christianorum confluentia capiebant.

VI. Atque adeo, citra cujusvis injuriam, poterant, imo tenebantur idola illa, et lapides offensionis, in quibus verum dominium habebant, removere, atque penitus abolire; ex notis principiis juris; videlicet, *Res ubicunque est, sui domini est.*

Rei suæ quilibet est moderator, et actor, etiam ad dissipandum, et in mari projiciendum, l. In re mandata, *cod.* Mandat. *l.* Sed si lege, *ff.* Consuluit, *ff. de pet. hæred. Menoch. l.* 4. *præsumpt.* 83. *n.* 8.

VII. Pro licitudine autem, et obligatione ex parte mei, præmittebat auctoritatem Barbos. de potest. ep. p. 1. tt. 13. c. 2. n. 47. ibi: Non obstat, quod hujusmodi episcopi, principum, et infidelis populi in multis provinciis contumacia, nequeunt episcopatûs administrare, quia vadunt multi laici, et sacerdotes ad illos; sed prudentia opus est, et charitate, ac zelo animarum; quanquam denique nihil pulchrius, sit, nihil Christiano pastori optabilius, quam pro Christo, et sibi credito grege, mortem oppetere: *sed non omnes capere verbum hoc fateor; quare non sunt hæc loca, et dignitates, omnibus, ac citra delectum, impertiendæ.*

VIII. Ad quod cohærenter subjungebat Prov. xxiv. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses:* necnon obligationem gravem, quam habent omnes episcopi, consulendi bono ac saluti animarum sibi creditarum, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii temporalis principum, ex c. *Maximianus*, 23. q. 3. ubi, ex Aug. ep. 50. ad Bonifac. sic habetur: *Maximianus episcopus Vagiensis auxilium petiit ab imperatore Christiano contra hostes ecclesiæ, non tam sui ulciscendi causa, quam tuendæ ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.* Ubi gloss. verb. *Negligentia*: nam quilibet tenetur defendere jus suum, c. *Antepenul.* 64. dist. l. *Illud*, de pet. hæred.

IX. Hinc nedum pro licitudine, sed et pro obligatione quoad me controversiam decidebat ex multiplici fundamento: 1. Quia, supposita obligatione gravi ex parte illarum ovium mearum, ad removenda, et penitus abolenda idola illa, in quibus verum dominium habebant, consequenter tenebar et ego, ut earum pastor, ad illas cogendum omnibus possibilibus mediis ad illam remotionem, atque extinctionem perficiendam; præsertim cum locus, ubi illæ petræ scandali asservabantur, foret jurisdictioni meæ spirituali subjectus, utpote intra limites meæ amplæ diœcesis consistens.

X. Unde, sicut ratione populi subditi, ita et ratione loci, tenebar illi spiritualiter in re adeo gravi, et gravissime providere, etiam jurisdictionaliter, ex c. *Cum episcopus in sua nota diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere; dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto per se, vel per alium, possit pro tribunali sedere; causas ad ecclesiasticum forum expectantes audire; personas ecclesiasticas (cum earum excessus exigerint) capere, ac carceri deputare; necnon et cætera, quæ ad ipsius spectant officium, libere exercere.*

XI. 2. Quia episcopi eandem habent auctoritatem, atque jurisdictionem temporalem, in suis diœcesibus, quam Papa habet in toto orbe, ut tenet Victor. cum plurimis DD. citatis, de pot. Pap. p. 1. rel. 2. n. 29. Aug. Barb. videnda. tom. 1. de jur. eccles. l. 1. c. 8. n. 20. et seqq. et melius l. eodem, c. 39. § 4. n. 49. et seqq. ergo tam ratione personarum, quam loci, poteram jurisdictionaliter, imo et tenebar tam spiritualiter, quam et temporaliter, de remedio providere, illam remotionem, atque exinanitionem totalem jubendo, promovendo, atque prosequendo.

XII. 3. Quia principes sæculares possunt, etiam vi armorum, cogere infideles extraneos, et suæ ditioni minime

minime ſubjectos, ne fidei propagationem in terris dominii ipſorum infidelium impediant, ut cum D. Thom. docet Victor. p. 2. de Indis, relect. 5. n. 12. (vid. etiam ſupr. prælud. 5.)

XIII. Imo poſſunt licite, nedum movere bellum adverſus prædictos infideles ob bonum fidelium ſpirituale, verum et ad id tenentur ſub mortali aliquando, v. g. adverſus hæreticos, hæreſibus rempublicam probabiliter contaminaturos, ut expreſſe tenet Schiar. tom. 1. Theolog. Bell. l. 1. dif. 29. n. 8. et ſeqq. cum Victor. de jur. belli, relect. 6. n. 33. Molin. tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 107. Suar. diſp. 13. de bell. ſect. 4. n. 8. et alii apud Schiar. cit. potiori jure poteram et ego, atque tenebar in loco, et quoad perſonas utrique juriſdictioni meæ ſubjectas.

XIV. 4. Quia, quamvis poteram petere à prorege auxilium brachii ſæcularis, et manus militaris, ad rem facilius, et abſque nota, perpetrandam, ad id non tenebar: 1. Quia non erat neceſſarium; et nullibi legitur, auxilium brachii ſæcularis, impertiendum judici eccleſiaſtico, fore de neceſſitate, quaſi abſque illo judex eccleſiaſticus adverſus laicos, ſaltem temporaliter, procedere non poſſet; ſed eſſe dumtaxat in ſubſidium, et ex indulgentia, et pro libitu illorum, ſi ſibi expedire videbitur, et ſi neceſſarium fuerit in ſubſidium, et adjuvamen, quando propriæ vires, et proprii executores, ſufficientes non ſint.

XV. Ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de refor. ibi: *Si expedire videbitur*; et ſeſſ. 24. c. 8. et ſeſſ. 25. c. 5. ibi: *Invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis*; c. *Quoniam*, de offic. ord. ibi: *Si neceſſe fuerit*, c. fin. de exceſſ. prælat. c. *Periculoſo*, eod. tit. ibi: *Si opus fuerit*; c. *Statuimus*, de ſtat. reg. prælat. ibi: *Si neceſſe fuerit*: unde Barb. de jur. eccleſ. l. 1. tit. 1. c. 39. § 4. n. 35. Quocirca, ait, *Si epiſcopus ex propria ordinaria cognoſcit cauſas, etiam contra laicos, per bonorum apprehenſionem, et perſonarum diſtrictionem, neceſſarium ſit fateri, quod habeant familiam armatam, per quam prædicta exequi valeant; nam, conceſſo fine, cenſentur media conceſſa—pervenitur ad finem .... quod ultra expreſſa verba Concilii ibi—per ſuos proprios executores—cujus auctoritate tolluntur obſtacula contrariæ opinioni, voluit Barb. in l.* Nam ſalute, § Ait enim, *ff. de off. præf. vigil.*

XVI. Et Monacell. form. 15. p. 1. tit. 1. n. 1. et 2. ibi: *Quod epiſcopus poſſit retinere familiam armatam, et ſatellites, eſt propoſitio inter DD. noſtros communiter recepta, quia in ſua diœceſi dicitur princeps, et habere merum, et mixtum imperium, ut poſt gloſſ. in cap.* Siquis, 2. *quæſt.* 7. *in Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *docent Huſch. liter.—E—concluſ.* 253. *per tot. et concluſ.* 59. *n.* 16. *lit. I. Barboſ. de offic. et poteſt. epiſc. alleg.* 107. *n.* 2. *et ſeqq. Ciarl. contr.* 50. *num.* 25. *Sperell. deciſ.* 4. *n.* 7. *et* 8. *et dec.* 124. *num.* 14. *Nicol. lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39. *poſt n.* 109. *ampl.* 7. *Conciol. reſolut. crim. verb.* Epiſcopus, *reſol.* 2. *Sacr. Congr. epiſc. in civitatis Caſtell.* 14. *Aprilis* 1615. *in reſponſione ad tertium dubium.*

XVII. Et quanquam quamplures epiſcopi careant lictoribus, et familia armata, hoc evenit, non quia talem juriſdictionem non habeant, ſed vel ſunt pauperes, vel alia cauſa impediuntur; et cum ſit actus facultativus, aliquando, etiam aliis prudentialibus reſpectibus, hac facultate uti nolunt, brachiumque ſæculare implorant in ſubſidium, non autem neceſſitate, ut inquiunt Sperell. et Ciarlin. locis citatis; quorum primus laudat ad evitanda inconvenientia, quod epiſcopus carens lictoribus deputet ſuis literis patentibus unum, vel plures ſatellites curiæ laicæ, *prout ipſe ita ſæpe practicâſſe teſtatur in dicta deciſione* 124. *n.* 67.

XVIII. 2. Quia hæc actio, ſive executio, erat propria ipſorum incolarum Aſſolonenſium, ex proprio marte, et ex mutua conventione inter ipſos arrepta, et à me tantum pure permiſſa, tum in propriæ ipſorum perverſionis deteſtationem, atque ſatisfactionem publicam, tum ut, hoc medio, propitiatius, atque favorabilius, ſibi in hac cauſa benignum S. officii tribunal experirentur. Ipſis autem, ut propriis actoribus, atque executoribus, non mihi, attinebat, præfatum auxilium, ſi neceſſarium fuiſſet, perquirere.

XIX. 3. Quia locus, ubi idola illa aſſervabantur, erat adeo proximus et contiguus ſtatus limitibus, ut unico ſulco ab his divideretur; et tam propinquus villæ ipſi Aſſolonenſi, ut unius horæ ſpatio per otium rem perficere, et inoffenſe recedere poterant, ut et reipſa effectum eſt. Et quamvis aliqui illorum armati proceſſerunt, armis quidem eiſdem, quibus mihi ſatellitium, et militarem cuſtodiam exhibebant, id non neceſſitas, ſed mera cautela fuit, ob nuperam pacis rupturam inter regem Sundæ, illarum terrarum dominum, et ſtatum, quæ tamen fere ſedata erat; neque à loco illo commorabatur gens aliqua infidelium vel armata, vel inermis, quæ aliquem, etiam levem, timorem incutere poſſet, cum locus ipſe prorſus deſertum foret, et accolis penitus carens.

XX. 4. Quia, etiam dato, quod aliquod in executione illa periculum intercederet, hoc minime facinus illud injuſtitiæ, et illicitudinis arguere poterat, ſed, ad ſummum, minus cautelæ, prudentiæ, aut providentiæ. Adverſus quam quidem notam, vel taxationem, objiciebat illud 1 Cor. i. *Quæ ſtulta ſunt mundi, hæc prudentiora ſunt apud Deum*; et illud, Luc. xvi. *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt in generatione ſua filiis lucis.*

XXI. Et denique, quod ſimiles notæ ac ſugillationes improperatæ ſunt adverſus ſanctos, et apoſtolicos viros idolorum demolitores, et adverſus omnes, qui illos in hoc ſancto, et collaudabili miniſterio, ex Deut. cit. adjuvabant, et imitabantur, ut inſpicere licebit in vita ipſius hujuſce Orientis apoſtoli 2. S. Franciſci Xaverii, à P. Lucena deſcripta, et in reliquis, tum hujus Aſiæ, tum Africæ, et Americæ, conquiſtarum; et in eis evangelicæ prædicationis, ac fidei catholicæ propagationis chronicis, atque hiſtoriis, quibus curioſos remittebat: et, ſi tandem pro laudabili, imo et obligatoria executione illa, aliquis forſan moleſtiam, aut contumelium aliquam pati, aut ſubire cogeretur, de ea plurimum gaudendum, et ſibi maxime congratulandum fore oſtendebat exemplo apoſtolorum, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, Act. v. Vid. alia plurima facta ap. cit. Lambertin. l. 3. c. 17. ex n. 5.

ALLEGATIO LXVII.

Vicarii generalis in Recurſu à quodam Laico interjecto, ob Notificationem ſibi factam ad ocularem Inſpectionem, atque Examen in caſu ſacrilegæ Uſurpationis, atque Profanationis Atrii cujuſdam parochialis Eccleſiæ.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Notoria erat ſacri atrii profanatio, et uſurpatio per novam profanæ ſcalæ conſtructionem, atque adeo cenſurarum juris incurſio.*
III. *Auctoritas Bonacinæ, et aliorum.*
IV. *Sacrilegium definitur; et, habens annexam cenſuram, judicio eccleſiæ privative pertinet.*
V. *Caſus judicati in favorem eccleſiæ.*
VI. *Laudatur Oliv. de for. eccleſ.*
VII. *Ratione rei, quis forum ſortitur.*
VIII. *Auctoritas Themud. ex adverſo, procedebat in caſu longe diverſo.*
IX. *Caſus ille erat ſuper ſervitutem profanam, ædilitio judicio pertinens; præſens vero ſuper fundum atrii eccleſiæ ſacrilege uſurpati.*
X. *Reliqui DD. ex adverſo citati, etiam non loquuntur in caſu ſacrilegii cum cenſura annexa.*
XI. *Synodalium conſtitutionum ſpecialis prohibitio.*

XII. *Nequeunt citari perſonæ eccleſiaſticæ coram judice laico, etiam in rebus ædilitiis.*

XIII. *Sententia in judicio coronæ procedit contra recurrentem; et hic propriis expenſis fabricam demoliri fecit.*

I. FABRICANTE quodam cive Goano domui propriæ habitationis contiguum podium, ſive ſolarium, ſuper atrium contiguæ etiam eccleſiæ parochialis S. Alexii, hujus Goanæ civitatis, confeſtim propria auctoritate, abſque alia prævia licentia, ab ipſo podio ſcalam magnam lapideam in atrium illud dejecit, qua et magna ipſius atrii pars uſurpabatur, et ingreſſus, atque egreſſus facilis, ex eccleſia non leviter impediebatur, necnon ipſius eccleſiæ faciei, ſive frontis pulchritudo fœde deturpabatur. Et cum privatim, atque extrajudicialiter monitus, ut ſcalam demoliri faceret, et atrium eccleſiæ ad priſtinum ſtatum reſtitueret, minime acquieſcens, ad inſtantiam promotoris eccleſiaſtici citatus ad oculare examen, ſive inſpectionem novæ fabricæ faciendam, gravamen ad coronæ judicium interpoſuit, iis nixus fundamentis, quæ ex adverſa vicarii generalis reſponſione conjiciuntur.

II. Dicebat igitur vicarius generalis, certam, ac omnibus notoriam eſſe et ſcalæ illius conſtructionem, et eccleſiæ ſacri atrii profanationem, atque uſurpationem; quod quidem factum, utpote notorium, ac permanens, probatione alia ulterius non indigebat, Cardoſ. in prax. verb. *Factum*, n. 12. atque adeo, certam conſequenter, ac infallibilem eſſe incurſionem cenſurarum à lege civili, Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 11. ad quod Barb. et de pot. ep. p. 3. alleg. 50. n. 20. Frag. de regim. 2. p. diſp. 3. pu. 18. c. *Siquis preſbyt.* de reb. eccleſ. non alien. c. *Hoc conſultiſſimo*, eod. titul. in 6. bull. Cœn. can. 17. ad quam Caſtr. Pal. de cenſur. diſp. 3. pu. 18. Alter. de cenſur. l. 5. diſp. 18. c. *Ad hæc*, de religioſ. domib. et aliis juribus in ſequenti auctoritate Bonacin. citatis.

III. Bonacin. ergo, tom. 3. de cenſur. diſp. 1. q. 18. pu. 4. ſic tradit: *Bonorum eccleſiaſticorum invaſio, et uſurpatio, non ſolum in bulla Cœnæ vetita eſt; verum etiam jure communi, pluribus in locis, ut in Concil. Truburienſ. cap.* 17. *c.* Aurel. 3. *cap.* 22. *et conc.* 5. *cap.* 15. *in Conc. Pariſienſ.* 1. c. 1. *Mugutin. cap.* 6. *et* 11. *Vormaten. cap.* 75. *Aquiſgranen. cap.* 88. *Lateran. ſub Leon.* X. *ſeſſ.* 9. *et* 10. *cap.* Præcidet ſequentib. 12. *q.* 2. *c.* Attendendum eſt, 17. *q.* 4. *c.* Conqueſtus, *de for. compet. et cap. generali de elect. in* 6. *c.* Unico, *de injur. et damn. in* 6. *in quibus teſtibus prohibetur uſurpatio juriſdictionis eccleſiaſticæ jurium, et bonorum, tam mobilium, quam immobilium, eccleſiis applicatorum, etiamſi eccleſia vacet.* Sed inſtar omnium acceſſit decretum Conc. Trid. ſect. 22. c. 11. et ultim. ubi ſtrictiſſime *cavetur, ne alicujus eccleſiæ, vel beneficii, vel loci pii bona*, &c.

IV. Cum ergo ſacrilegii definitio, à Cardoſ. in prax. verb. *Sacrilegium*, inducta, ea erat, n. 1. *Rei ſacræ violatio, ſeu ejuſdem uſurpatio*; clarum remanebat, hanc violationem, atque uſurpationem loci ſacri, utpote ſacrilegam, cui aliunde annexa erat juris cenſura, pertinere ad judicium eccleſiæ privative, et non ad laicum judicium ædilium (quod erat præcipuum fundamentum recurrentis) ex ipſa ordin. regia, l. 2. tt. 9. § 3. ibi: *Et quoad ſacrilegium, et excommunicationem incurſam, in judicio eccleſiaſtico agetur*; ad quam Barb. n. 4. *Nota, quod judex eccleſiaſticus aget ad condemnationem pœnæ impoſitæ pro iſto ſacrilegio cum excommunicatione, de qua pœna habetur in conſtitutione archiepiſc. Brachar. tt.* 23. § 2. *et Portuc. ep. tt.* 27. § 1. *et Conimbr. tt.* 37.

V. Conformis etiam erat doctrina Peg. ad eand. et caſus judicati, ac deciſi apud eundem, tom. 3. cit. tit. 9. § 12. n. 204. et n. 226. et cohærens etiam erat alterius ordin. diſpoſitio, l. 2. tt. 1. § 10. et pro totali excluſione præſentis gravaminis, imo et cognitionis illius, allegabat notam aliam, atque famoſam ejuſdem reg. ordin. diſpoſitionem, lib. 1. tit. 9. § 12. ubi expreſſe jubet judicibus regiis, *quod non cognoſcant de gravamine, quod partes intentaverint à judicibus eccleſiaſticis, in iis caſibus, quorum cognitio ipſis attinet.*

VI. Pro hac autem pertinentia privative, allegabat auctoritatem Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 10. an. 1. et quod eccleſiæ parochialis atrium erat locus ſacer, divino cultui ſpecialiter dicatus, ſpeciali benedictione, quod etiam erat eccleſiæ cœmeterium, et ut res eccleſiaſtica, vel eccleſiaſticæ annexa, omnino exemptus erat à juriſdictione, atque poteſtate laica, et ſoli juriſdictioni eccleſiæ privative ſubjectus; ex cit. Oliv. n. 27. et q. 9. n. 1.

VII. Deinde, cum *ratione rei quis ſortiatur forum*, Sabell. in ſum. diverſ. tract. § *Forum*, n. 1. certum etiam evadebat, quod atrium eccleſiæ, cum foret territorium eccleſiaſticum, juriſdictioni etiam eccleſiaſticæ, illius ſacrilegæ uſurpationis, atque profanationis, et excommunicationis annexæ cognitio, privative competebat.

VIII. Hinc gradum faciebat ad faciendum ſatis allegationibus ex adverſo objectis: et, 1. Quoad primam, ex Themud. 4. p. dec. 63. decerptam, ex Cabed. 1. p. dec. 152. n. fin. ex qua recurrens deducere affectabat cognitionem præſentis cauſæ, et pertenſæ diligentiæ, ad ædiles quidem pertinere, juxta diſpoſitionem regiæ ordinationis, l. 1. tit. 68. § 22. reſpondebat, caſum, quem ibidem cit. Themud. n. 18. afferebat, eſſe toto cœlo à præſenti diverſum: 1. Quia erat ſuper opere à clerico, vel eccleſia, fabricato in loco profano, cum præjudicio, et uſurpatione publicarum ſervitutum, ut patebat ex verbis citatis, Themud. ib. n. 5. *Operis à clerico, vel eccleſia, fabricati in præjudicium populi, aut alicujus privati*; et n. 10. ibi: *Ut ſunt non uſurpare ſervitutes publicas, nec privatas.* Noſter autem caſus præſens erat, vice verſa, de opere fabricato à laico in fundo eccleſiæ, vel loci ſacri, cum præjudicio, atque uſurpatione illius.

IX. 2. Quia caſus ille Themudi, ſuper ſervitutem profanam unius feneſtræ denuo apertæ, et ſuper atria communia; præſens vero caſus erat ſuper fundum, et ſitum atrii eccleſiæ ſacrilege uſurpati, ac profanati, ut ex ſpecie illius conſpicitur. Quare nil mirum, quod in primo caſu, ædilis judex competens exiſteret, juxta cit. ord. et concordias à recurrente allegatas: in præſenti vero, in quo devolvitur ſacrilegium cum annexa excommunicatione, nemo, niſi eccleſiaſticus, judex competens ineſſe poterat, ex expreſſa ipſiuſmet regiæ ordin. juſſione, l. 2. tt. 9. § 3.

X. Quoad ſecundam vero allegationem, ex doctrinis Bobad. tom. 1. cap. 18. n. 133. Avend. et aliorum DD. Hiſpanorum, reſpondebat uno verbo, non loqui in terminis ſacrilegii, cum cenſura annexa, ſed vel caſus pure profani, vel, ad ſummum, fori mixti; et in hac etiam conſideratione, etiam dato, quod pertenſa diligentia, et examen, foret caſus mixti fori, certe hic, et nunc, eccleſiaſtico judicio indubie pertineret, ob præventionem, ex ipſiuſmet regiæ legis notiſſima diſpoſitione, cit. l. 2. tt. 9.

XI. Deinde ſubjungebat claram ſynodalium conſtitutionum diſpoſitionem, tt. 20. conſt. 1. ubi præcipiunt, ac ſub ſtatutis pœnis prohibent, quod *nulla perſona, cujuſvis ſtatus, aut conditionis, uſurpet, vel uſurpari conſentiat eccleſiaſticam juriſdictionem, vel bona cujuſvis eccleſiæ per ſe, vel per alium, nec citet, aut conveniat ſimiliter perſonam aliquam eccleſiaſticam, coram judice laico, etiam coram ædilibus, in ipſis rebus ædilitio pertinentibus*, &c.

XII. Et concludebat, quod, ſi, juxta prædictam legem, nequeunt citari perſonæ eccleſiaſticæ coram judice laico, etiam in rebus ædilii, quæ profanæ ſunt; quomodo liceret, aut valeret agere coram ædilibus de uſurpatione, ac profanatione ſacrilega loci ſacri, vel de formali ſacrilegio cum excommunicatione annexa, contra regiæ etiam legis præſcriptum, cit. ordin. l. 2. tt. 9. § 3.?

XIII. His vicarii generalis attentis rationibus à regiis judicibus, recurrens non obtinuit; et ſtatim abſque replica fabricam demoliri fecit, et atrium eccleſiæ ad priſtinum ſtatum reduxit.

ALLEGATIO LXVIII.

Vicarii generalis in Recurſu cujuſdam Theſaurarii Confraternitatis eccleſiaſticæ, aggravantis à Monitione ad ſolvenda Debita Confraternitati ipſi, et à non Receptione Appellationis intermiſſæ.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Unicum fundamentum recurrentis.*
III. *Non datur appellatio à ſententia lata contra debitorem, vel defraudatorem eccleſiæ.*
IV. *Imo, pendente appellatione, poteſt talis ſententia executioni mandari.*
V. *Appellationi illi, ut frivolæ, et fruſtratoriæ, non eſt deferendum.*
VI. *In notoriis appellatio regulariter non habet effectum ſuſpenſivum.*
VII. *Ordin. reg. vetat dari tuitivas appellatorias excommunicatis ob debita eccleſiæ.*
VIII. *Recurrenti non eſt illata violentia, neque in monitione, neque in non delatione appellationi.*
IX. *Sub hac allegatione recurſus conticuit.*

I. QUIDAM laicus, confrater, et theſaurarius ſodalitatis Dominæ noſtræ ſub titulo *de Penha de França*, in eccleſia parochiali ejuſdem tituli in provincia Bardeſiana conſiſtentis, ordinariæ juriſdictioni (cujus etiam auctoritate erecta fuerat) per omnia ſubjectæ, qui etiam verſabatur ſyndicus parochi Franciſcani amovibilis ejuſdem parœciæ, cum ab eodem parocho, et aliis conſodalibus in redditione rationum deprehenſus foret debitor confraternitati in gravi ſumma ſexcentorum xeraphinorum, debitum, ac defraudationem de plano confitens, ſeſe præfatæ quantitatis debitorem per ſpecialem obligationem juridicam conſtituit; cujus quidem ſatisfactionem cum longe retardaret, ad inſtantiam ſodalitatis procuratoris monitus à vicario generali impedimenta monitioni objecit.

II. Quibus quidem rejectis, et à rejectione appellans, atque ad ſenatum eccleſiaſticum gravamen interponens à non receptione appellationis in utroque effectu, cum in hoc non obtineret, ad regium tribunal tandem recurrit, eo generali nixus fundamento præcipuo, quod omnis appellatio ſpecialiter à jure non prohibita in utroque effectu recipi debet.

III. Reſpondebat tamen vicarius generalis, 1. Illam generalem regulam limitari in ſententia lata contra ſimilem debitorem, ac defraudatorem, talem repertum in ſyndicatu, ut recurrentem, ex doctrina communi, de qua Marant. p. 6. act. 2. n. 204. ibi: *Vigeſimo, Limita non procedere in ſententia lata contra officialem in ſyndicatu, quia non ſuſpenditur per appellationem.*

IV. Imo, pendente appellatione, poteſt talis ſententia adverſus talem officialem condemnatum libere executioni mandari, ut expreſſe tenet Lancelot. p. 2. c. 12. lim. 20. n. 1. et 2. ibi: *Vigeſima huic proxima limitatio ſic, ut procedat regula in appellatione interpoſita per officialem in ſyndicatu condemnatum, quia, ea pendente, fit executio.*

V. 2. Quia appellatio illa utique frivola notorie erat, fruſtratoria, calumnioſa, et doloſa, eo malitioſo fine interjecta, ad debitam ſolutionem, vel in longum protrahendam, vel nunquam exequendam, neque fomento, aut umbra aliqua juſtitiæ innixa; cui proinde minime deferendum erat, ex generali DD. convenio, ſignanter Scacc. de appellat. q. 2. n. 48. et ſeqq. et q. 17. limit. 36. n. 1. Lancelot. p. 2. c. 12. limit. 6. à n. 1.

VI. 3. Quia notoria quidem erat defraudatio, debitum, et obligatio juridica à recurrente ſpontanee, ac libere facta ad realem ſolutionem intra certum, ac limitatum temporis ſpatium jam longe tranſactum: in notoriis autem non admittitur appellatio quoad effectum ſuſpenſivum, ex Lancelot. et aliis, eod. cap. 12. lim. 9. à n. 1. ibi: *In hac limitatione poteſt poni regula, quod in notoriis regulariter appellatio non operetur effectum ſuſpenſivum, ſed tantum devolutivum: propterea, pendente hujuſmodi appellatione, poteſt judex à quo ad executionem procedere.*

VII. 4. Allegabat diſpoſitionem ordin. reg. l. 2. tt. 10. § 3. ubi cavetur, *Minime concedi chartas tuitivas appellatorias excommunicatis ob debita eccleſiis, et eccleſiaſticis perſonis, capitulis, &c.* Et multo magis nondum declaratis excommunicatis, ſed monitis tantum, argumento *à majori ad minus*, l. *In ſuis*, ff. de liber. et poſth.

VIII. Quare concludebat, ſe minime violentiam recurrenti irrogâſſe, tum in monitione, tum in denegatione appellationis ſuſpenſivæ; et multo minus violentiam manifeſtam, et notoriam, qualis dumtaxat recurſum ad tribunalia ſæcularia licitabat, ex communi doctrina, et lege ipſa regia, lib. 1. tt. 9. § 12.

IX. Hujus autem recurſus progreſſus, cum fere ſimul cum alio, de quo alleg. 1. intentaretur, cum ipſo pariter abſque finali deciſione conticuit.

ALLEGATIO LXIX.

Promotoris eccleſiaſtici pro Denegatione Publicationis Teſtium Clerico Reo, Actrice Juſtitia, in Cauſa Defectuum moralium graviorum.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Diſpoſitio c. finalis de hæretic. in 6. cujus motivum eſt periculum probabile damni gravis.*
III. *Idem etiam licebat in cauſa bonos mores concernente.*
IV. *Ubi adeſt eadem ratio, adeſt eadem juris diſpoſitio.*
V. VI. *Etiam in publicatione teſtium adeſt periculum.*
VII. *Publicatio teſtium non ſervatur in cauſis regularium, et aliis.*
VIII. *Neque etiam in viſitationibus, abſque nullitatis vitio.*
IX. *Suffragatur doctrina plurium DD.*
X. *Stylus rationabilis legitimus prævalet legi, et adverſus illam legitime præſcribit.*
XI. *Trina monitio requiritur à Trid. pro excommunicatione infligenda concubinariis, non pro reliquis pœnis.*
XII. *DD. Luſitani, qui hanc ſententiam tenent.*
XIII. *Culpa ſimplex lenocinii, de jure civili, præter infamiam, pœna capitali punitur.*
XIV. *Sententia data pro cauſa vera, et falſa, tenet ex cauſa vera.*
XV. *Ad inquiſitionem faciendam ſufficit infamia præcedens, et non requiritur inſtrumentum de corpore delicti.*
XVI. *Imo ad inquiſitionem ſpecialem, non prærequiritur infamia in caſibus denuntiabilibus.*
XVII. *Ac proinde nec probatio corporis delicti.*
XVIII. *Quibus impedimentis non obſtantibus, ſententia confirmata eſt.*

I. EST ſtylus ſpecialis immemorialis in hoc auditorio eccleſiaſtico Goano in cauſis criminalibus, in quibus actrix eſt juſtitia, non publicare reis teſtes, adverſus ipſos deponentes, ſed permittere dumtaxat excipere, quos ſuſpectos habet, et ſibi adverſantes præſumit, forſan ob certam moleſtiam,

leſtiam, vexationes, et alia incommoda, teſtibus ipſis evitanda, alias ex naturali, ac execrabili Indorum horum nimia ad vindictam propenſione illos inſecutura. Cum autem clericus Indus de ſcandaloſa incontinentia, atque inſuper de crimine lenocinii ex denuntiatione inquiſitus, et captus, verſante cauſa, poſtulans ſibi teſtes publicari ad contradictiones objectandas, et non obtinens, in prælibati ſtyli obſervantiam, expectata ſententia, hanc, inter alias, præcipuam nullitatem in impedimentis objecit. Adverſus quam tamen allegavit promotor ſequentia (quæ quidem ob ſpecialitatem ſtyli illius hic ſubnectere licebit):

II. 1. Certam, et notam diſpoſitionem juris canonici, c. fin. de hæretic. in 6. ibi: *Jubemus tamen, quod ſi accuſatoribus, vel teſtibus in cauſa hæreſis intervenientibus, ſeu deponentibus (propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur) videant epiſcopus, vel inquiſitores, grave periculum imminere, ſi contingat fieri publicationem nominum eorundem; ipſorum nomina non publice, ſed ſecreto*, &c. *Ceſſante vero periculo ſupradicto, accuſatorum, et teſtium nomina (prout in aliis fit judiciis) publicentur.*

Ubi duo maxime adnotanda dicebat, 1. Motivum denegationis publicationis teſtium in cit. cap. *Non eſſe privilegium cauſæ*, ſed periculum grave probabilis damni teſtibus, vel accuſatoribus ipſis inſecuturi. 2. Quod nedum vetat publicari nomina teſtium, ſed et accuſatorum, prædicto periculo imminente, quin diſtinguat inter teſtes denuntiantes, vel inquiſitas.

III. Hinc à ſimili inferebat, quod ſi illud licebat in cauſis hæreſis, non ob ſpecialem qualitatem cauſæ, ſed ob probabile periculum damni, abſque præjudicio validitatis proceſſus, ac ſententiæ, necnon naturalis defenſionis rei; pariformiter in cauſis bonos mores concernentibus (quæ non minus privilegiatæ incedunt, atque cauſæ fidei, ex Trident. ſeſſ. 23. et 24. de reformat. c. 8.) idemmet licitum fore reputandum abſque ſimili præjudicio, ac nota, ex identitate rationis, ex regula vulgari:

IV. *Ubi adeſt eadem ratio, debet eſſe eadem juris diſpoſitio*; l. *Illud*, ff. ad l. *Aquil.* l. *Quidem*, ff. *de edend.* &c.

V. Confirmabat hanc rationem ex eo, quod, citato c. *jubetur publicari nomina teſtium, et accuſatorum, ceſſante periculo ſupradicto, prout et aliis judiciis fit*: et tamen neque inquiſitores, neque epiſcopus, in cauſis hæreſis inquirentes, aut procedentes, unquam reo ulli publicationem teſtium fieri mandant:

VI. Quia quamvis nec ſemper detur *grave periculum damni, propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur*; attamen ſemper periculum adeſt retardationis teſtium deponentium, et minus libertatis, ac ſecuritatis in denuntiando, quæ denegationem illam honeſtant, ac omnimode licitam reddunt, abſque nora, vel periculo nullitatis, vel injuſtitiæ: ergo ſimiliter, &c.

VII. Allegabat, 2. Generalem praxim juſtam, ac licitam, nedum S. Officii tribunalium (de qua Pal. diſp. 8. pu. 15. § 8. Penna, Farinac. et alii apud ipſum) verum et omnium regularium, conſtantem ex nota etiam ac trita diſpoſitione, c. *Qualiter aliquando*, de accuſation. ibi: *Non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei publicanda . . . . Hunc tamen ordinem contra regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum.*

VIII. Similiter et praxim conſuetam in viſitationibus eccleſiaſticis, in quibus non exhibentur reis nomina teſtium deponentium, ſive denuntiantium, ſed dumtaxat ſummarium culparum, ut conſtat ex Fuſc. de viſitation. l. 1. c. 4. et ſeqq. Barb. de poteſt. ep. p. 3. alleg. 73. Fr. Felician. ep. de viſit. l. 2. abſque ſuſpicione aliqua taxati vitii nullitatis, et injuſtitiæ, aut invaliditatis proceſſus; quod et ad alias cauſas extra viſitationem extendit Pelegrin. cum Joan. Mon. et aliis ex c. 1. de accuſat. in 6. pract. crim. p. 4. ſeſſ. 2. n. 68. ibi: *Joan. Monach. et alii in d. c. 1. de accuſation. in* 6. *obſervant*; quod *quando ordo juris eſt de ſubſtantia, ſi à parte petantur capitula, tunc poterit appellare, ſi non concedantur: ſed proceſſus non redditur nullus.*

IX. Idem defendit Marſil. in rubr. de probat. controv. crimin. artic. 220. ibi: *Publicatio nominum teſtium non eſt ita rei defenſioni neceſſaria, et circa illius omiſſionem facilius diſpenſari poteſt.* Quod ulterius confirmatur doctrina Marant. p. 6. an. 8. et ſeqq.

X. Unde, ſuppoſita legitimitate prælibati ſtyli immemorialis, rationabilis, et in ipſo jure ſolide fundati, pro illo tandem deferendum dicebat, etiamſi legi alicui poſitivæ repugnaret, cum ſtylus, et conſuetudo rationabilis immemorialis, et legitime introducta, et illi prævaleat, et adverſus illam legitime præſcribat, ut aperte probat, c. fin. de conſuetud. et ibi gloſſ. verb. *Rationabilis*, et verb. *Legitime.*

XI. Aliud nullitatis fundamentum objecerat reus, ex defectu trinæ monitionis pro clericis concubinariis, deductum ex diſpoſitione S. Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 14. de reform.

Cui tamen reſpondit promotor, trinam monitionem requiri quidem ex cit. Trid. pro excommunicationis cenſura infligenda, non pro reliquis pœnis à jure permiſſis, vel ſtatutis; quod et communi doctrina confirmabat, ex Dian. p. 1. tr. 1. reſ. 10. Vulp. in praxi, c. 28. n. 9. Ricc. in prax. p. 1. reſ. 330. Antonel. de judic. l. 6. c. 29. n. 4. ibi: *Obſervant tamen DD. quod poteſt ordinarius pœnis pecuniariis, et aliis à jure communi, vel ſtatuto ſynodali inflictis, concubinarios punire; ita Bellet. et alii; et tunc non requiritur trina monitio, quia hæc tantum requiritur, quando ordinarius intendit ad ſententiam excommunicationis procedere, ut declaravit Sac. Congreg. teſt. Dian.* &c.

XII. Ex DD. Luſitanis eandem ſententiam tuentur Thom. Vas, alleg. 34. n. 11. Per. de man. reg. c. 24. n. 16. Fragoſ. de regim. diſp. 4. § 14. Barb. in Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de reform. ibi: *Concubinarius poſſet puniri pœna pecuniaria ante trinam monitionem, quia Concilium ſolum poſuit illum ordinem quoad excommunicationem ferendam pro contumacia in illo crimine; et per hoc non ſuſtulit alias pœnas contra adulteros, et concubinarios, inflictas.*

XIII. Deinde ſuperaddebat, præter hanc culpam, teneri reum alia deformiori, nempe lenocinii, cum multiplici circumſtantia aggravante; quæ quidem culpa, etiam ſimpliciter concepta, ex jure civili, præter infamiam, pœna capitali plectitur, auct. de lenoc. l. *Si lenones*, cod. de epiſc. et ex jur. canon. pœna fuſtigationis, et aliis, c. *Diſcretion.* de eo qui cogn. conſang. c. *In archiep.* de raptor. c. *Præterea*, de cleric. percuſſ. unde ad validitatem ſententiæ prolatæ, ſufficiebat, quod hæc culpa vera foret, etiamſi immediate præſignata falſa fuiſſet.

XIV. Nam, *Sententia data pro cauſa vera, et cauſa falſa, ſuſtinetur ex cauſa vera*; Raynald. tom. 4. ſupplem. 1. ad c. 32. p. 435. n. 34. cum Ferret. conſil. 26. n. 4.

XV. Ad aliud fundamentum nullitatis, quod reus etiam excogitaverat, eo quod teſtes inquiſiti fuiſſent, quin prius conſtaret de corpore delicti; reſpondebat promotor ex hodierna praxi generali, tam de jure communi, quam de privato, etiam regio, ord. l. 1. tt. 65. § 31. et 32. ad quam Peg. et Barboſ. pro quo etiam videnda. Leyt. de jur. Luſitan. tom. 1. tr. 3. de inquiſit. q. 3. n. 3. et 7. Mend. in prax. 1. l. 5. c. 3. Pax in prax. p. 5. tom. 1. c. 1. Farin. tom. 1. de inquiſition. q. 1. n. 1. Secundum quam ſufficit ad inquiſitionem efformandam infamia præcedens, vel denuntiatio, aut informatio ſufficiens, etiam extrajudicialis, cum inquiſitio nihil aliud ſit, ex cit. DD. quam *Summaria informationum aſſumptio.*

XVI. Imo ad inquiſitionem, etiam ſpecialem, non prærequiritur infamia in caſibus denuntiabilibus, de quibus Farinac. tom. 1. tit. 1. q. 9. à n. 11. quales erant caſus denuntiationum præſentium.

XVII. Unde inquiſitio non prærequirit probationem delicti corporis, quæ neceſſario præcedat, Leyt. cit. n. 8. et 9.

XVIII. Quare nil confirmationi ſententiæ prolatæ obſtabat, quæ quidem reapſe confirmata eſt.

ALLE-

ALLEGATIO MAGNA LXX.

Multiplicem continens Allegationem, in Conſultatione Romæ facta, ſuper variis Dubiis Numero 41. ſacris Congregationibus pro Deciſione expoſitis.

SUMMARIUM.

I. *Præmittitur occaſio præmiſſæ conſultationis.*
II. *Exordium iſtius.*
III. Dub. 1. *Super directa ſubjectione parochorum regularium ordinariis.*
Dub. 2. *Super eadem ſubjectione in illis defectibus, quibus de jure redduntur indigni adminiſtratione parochiali.*
Dub. 3. *Super eadem ſubjectione quoad cenſuras, ſi impediant cognitionem ſuper præmiſſis.*
Dub. 4. *Super eadem ſubjectione aliorum regularium turbantium, aut impedientium eandem ordinarii juriſdictionem.*
Dub. 5. *Super neceſſitate citationis pro validitate cenſurarum in præmiſſis caſibus extrajudicialiter.*
Dub. 6. *Super denuntiatione regularium in cenſura juris.*
Dub. 7. *Super excommunicatione de facto* vim vi repellendo, *et contra regulares, abſque monitione, aut citatione.*
Dub. 8. *Super procedimento in regulares celebrantes in particularibus oratoriis, renuente ordinario.*
Dub. 9. *Super privilegiis clericorum in minoribus, etiam non deferentium habitum, et tonſuram, et beneficium non habentium.*
Dub. 10. *Super privilegio canonis eorundem, et exemptionis à laicalibus oneribus.*
Dub. 11. *Super exemptione deſcribendi in milites ſtipendiarios.*
Dub. 12. *Super comminatione incarcerationis à miniſtris laicis, in caſibus, quibus de clericis poſſunt cognoſcere.*
Dub. 13. *Super ordinatione ſubditorum ab alio, quam à proprio epiſcopo.*
Dub. 14. *Super incurſu pœnarum ab ordinante, et ordinatis.*
Dub. 15. *Super tolerantia, et conceſſione indultorum audiendi ſacrum in propriis domibus.*
Dub. 16. *Super ingreſſu regularium in monaſterium monialium occaſione funeris.*
Dub. 17. *Super ingreſſu regularium pro miſſa celebranda.*
Dub. 18. *Super poteſtate ordinarii pro carcerandis laicis, abſque auxilio brachii ſæcularis, de jure communi.*
Dub. 19. *Super eadem poteſtate ex Concil. Trid.*
Dub. 20. *An præmiſſa procedant tam in cauſis civilibus, quam criminalibus?*
Dub. 21. *Super ſtatuto vetanti capturas à judice eccleſiaſtico abſque ſæculari auxilio faciendas.*
Dub. 22. *Super nullitate ſtatuti laici ordinantis viſitationes confraternitatum, et piorum locorum, laicis de jure pertinere.*
Dub. 23. *Super incurſu cenſurarum juris tam ab auctoribus, quam ab executoribus talium ſtatutorum.*
Dub. 24. *An ad eas evitandas ſufficiat illa ſuſpendere, vel ad abolenda omnino teneantur?*
Dub. 25. *Super cognitione ordinarii de cauſis admiſſionis, ejectionis, electionis confratrum habentium ſtatuta ab ordinario approbata.*
Dub. 26. *Super privilegio fori integræ familiæ archiepiſcopi.*
Dub. 27. *Si carcerentur, an ſub cenſuris excarcerari facere poſſit archiepiſcopus?*
Dub. 28. *Super obligatione regularium, etiam ſocietatis, nominandi in canone prælatum diœceſanum.*
Dub. 29. *Super procedimento cenſurarum in contrafacientes.*
Dub. 30. *Super præferentia epiſcopi, in collectis, principibus ſæcularibus.*
Dub. 31. *Super honoribus deferendis à regularibus ordinario parato in eorum eccleſiis.*
Dub. 32. *Super cenſuris ferendis in renuentes.*
Dub. 33. *Super thurificatione ſæcularis per ſubdiaconum paratum.*
Dub. 34. *Super præferentiæ venia ordinario petenda, etiam coram prorege.*
Dub. 35. *Super conſuetudine in contrarium.*
Dub. 36. *Super receptione proregis accedentis ad eccleſiam.*
Dub. 37. *Super precatoriis chartis tribunalis inquiſitionis pro remittendis culpis ſuorum miniſtrorum.*
Dub. 38. *Super denuntiatione impedientium juriſdictionem ordinarii, non obſtante, quod ſint miniſtri S. Officii.*
Dub. 39. *Super procedimento cenſurarum in alios patentatos Sancti Officii.*
Dub. 40. *Super procedimento cenſurarum, earum effectu ſuſpenſo manente, pro ſervitio tribunalis, et expedito quoad alios.*
Dub. 41. *An præmiſſæ cenſuræ ordinarii poſſint ab inquiſitoribus annullari?*
IV. *Uberiori calamo reſervabantur ſingula dubia in propoſitione cauſæ exponenda.*
V. *Deſideratur, et expectatur finalis deciſio.*

I. CUM tot controverſiis, altercationibus, ac diſſidiis, quæ ex præcedentibus allegationibus ſat dignoſcuntur, frequenter, ac dure agitarer, pro cunctarum deciſione ſequentia dubia ſacris Congregationibus eminentiſſimorum DD. Cardinalium Romam tranſmiſi; pro quorum deciſione, deſignato in Ponentem eminentiſſimo D. Cardinale Petra, prudentiſſime, ac convenienter juſſit ipſe ſuper ſingulis ſpecialem conſultationem fieri, ad faciliorem, et connaturaliorem pro omnibus finalem reſolutionem prodeundam. Et habito jam ſupplemento, ſeu facultate, quam ſapientiſſimus conſulens, et famoſus advocatus Laurentius Bondacca infra in exordio inſinuat, à ſanctiſſimo P. Clem. XI. ſupplicandam, ob poſterius ſuborta diſſidia inter Romanam curiam, et Luſitanam, progreſſus cauſæ hactenus demoratus eſt, cujus tamen ulteriorem proceſſum, et finalem reſolutionem, adhuc expecto. Et interim conſultationem ſuper ſingulis dubiis factam, eo modo, quo contexta eſt (cum ſimplex tantum conſultatio incedat) hic pro ulteriori notitia ſingulariter ſubjungam, deciſiones ſuper ſingulis, aut aliquibus eorum, ſi opportune advenerint, adhuc annexurus.

CONSULTATIO

Super dubiis tranſmiſſis pro deciſione ad Romanam curiam, ab illuſtriſſimo, et reverendiſſimo archiepiſcopo Goano in Indiis Orientalibus.

II. Reverendiſſimus Goanus antiſtes, percitus laudabili zelo ſui paſtoralis officii, tam ad tuendam proprii muneris juriſdictionem, quam ad undique conſulendum gregi ſibi commiſſo, juxta monitum ſacroſanctæ Trid. ſynodus *in cap. 17. et 20. ſeſſ. 25. de reformat.*—plura tranſmiſit dubia decidenda ab excellentiſſimis, et reverendiſſimis dominis S. R. E. Cardinalibus: cumque hæc omnia ad ſecretariam ſtatus pervenirent, eadem remiſit tam documenta, quam epiſtolas, ad Sacram Congregationem epiſcoporum, et regularium, quæ deputavit in Ponentem *eminentiſſimum dominum cardinalem Petra.*

Priuſquam autem prædicta dubia ſubjiciantur examini plenæ Sacræ Congregationi; oportet animadvertere, non ſolum ad eorundem dubiorum relevantiam et ſubſtantiam, ſed et quoque ad ipſam cauſæ methodum, per quam ſcilicet viam ſit proſequenda: et, principium ſumendo ab hac parte, non levis occurrit dubitandi

dubitandi occaſio, an ſacra congregatio epiſcoporum, et regularium, valeat decidere tot tantaſque controverſias, quæ partim ad illud tribunal ſpectant, partim vero ad ſacram congregationem Concilii, partim ad alteram ſacrorum rituum, partim ad illam immunitatis eccleſiaſticæ, et partim demum ad Sanctiſſimam Inquiſitionem? Quamvis enim ſecretaria ſtatus horum omnium examen commiſerit ſacræ congregationi epiſcoporum, nihilominus, vel hæc ipſa congregatio in propoſitione tot dubiorum judicium ſolummodo proferret ſuper dubiis ad ſuum tribunal pertinentibus, cætera remittendo ad eorum peculiare tribunal, vel quatenus tribunal omnia dubia decideret, poſſent in poſterum produci novæ lites, ad inſtantiam illorum, qui vulnus à reſolutione reciperent, et qui omnes adhiberent conatus ad hoc, ut cauſa denuo committeretur ſuis particularibus judicibus; unde non ſolum infructuoſe tempus tereretur, ſed et notabiles expenſæ projicerentur; remiſſio autem facta à ſecretaria ſtatus minime deprehenditur ſufficiens ad reddendum competens tribunal ſacræ congregationis epiſcoporum, et regularium, etiam pro agnoſcendis controverſiis ad alia tribunalia ſpectantibus; eoque magis, dum ipſa ſecretaria ſtatus credere potuit, haſce inſtantias reverendiſſimi antiſtitis Goani eſſe in omnibus, et per omnia, ſpectantes ad eandem ſacram congregationem epiſcoporum, et regularium.

In hujuſmodi ergo circumſtantiis, pro mei ingenii tenuitate, conſulerem, ſupplicandum fore Sanctiſſimum Pontificem, quatenus omnia capita tot tantarumque inſpectionum, quamvis ad diverſa tribunalia ſpectantium, ſoli congregationi epiſcoporum, et regularium, committere dignaretur, vel potius ad eaſdem controverſias decidendas particularem congregationem plurium eminentiſſimorum PP. ſeligeret. Ita namque conſultum erit validitati rerum judicandarum, et non amplius ambigemus de infructuoſa cauſæ propoſitione, ex eo quia tribunal, ut ſupra deputandum, erit in univerſum judex competens ad decidendas tot tantaſque ſeparatas controverſias.

Tranſitum modo faciendo ad particulare examen dubiorum, cenſui unumquodque eorum ſingulariter perpendere, et illius relevantiam, tam in extrinſeco verborum ſonitu, ſive in cortice, quam in virtute intrinſeca, ſive ſubſtantia, rigoroſe recognoſcere ad hoc, ut in propoſitione cauſæ non veniant obviam novæ difficultates, ſed antecedenter ſint præcognitæ ad effectum inveniendi faciliorem modum illas penitus ſubvertendi, et eliminandi: in iſto autem examine, primo loco, anteponam dubium ipſum originale à reverendiſſimo archiepiſcopo tranſmiſſum; ſecundo (quatenus tale dubium, à principali tranſmiſſum, non ſit conforme praxi Romanæ curiæ) recenſebo dubium, quod juxta ſtylum proponi poterit. Tertio, demonſtrabo fundamenta petitionis; et, quarto, demum, indicabo difficultates, et oppoſitiones, quæ ex adverſo promoveri poſſent.

Primum Dubium,

Tranſmiſſum à reverendiſſimo archiepiſcopo Goano.

III. An parochi regulares, cujuſcunque religionis ſint, extra clauſtra monaſterii, parochias, etiam patronatus regii, adminiſtrantes, et in parochialibus ædibus viventes, ac commorantes, ſubjaceant directæ cognitioni ordinarii, non ſolum quoad munus parochiale concernentia, ſed etiam quoad alia?

Simile dubium, quamvis videatur ſuperflua verborum ſtructura, compoſitum, attamen, quia res eſt de judicio in Romana urbe ferendo, et exequendo in Indiis, hinc credimus, quod eminentiſſimi votantes ſuperfluitati parcent: verum in fine talis dubii, ubi expoſtulatur, an parochi ſubjaceant directæ cognitioni ordinarii —*etiam quoad alia*—addendum ſupereſt —et, *ad quænam*, Sacra Congregatio debet explicare—*ad quæ alia*—extendatur juriſdictio ordinarii ultra concernentia parochialitatem; unde componenda videtur poſtrema pars dubii ſequenti forma—*non ſolum quoad munus parochiale concernentia, ſed etiam quoad alia, et quatenus, affirmative ad quæ?*

Sub iſto itaque dubio diſceptatur, an reverendiſſimus ordinarius habeat directam juriſdictionem in parochos regulares, cujuſcunque ordinis ſint, et quamvis adminiſtrent parochias regii patronatus, non ſolum quoad ea, quæ parochialitatem concernunt, ſed etiam quoad alia?

Sacrum Concil. Trid. in ſeſſ. 25. cap. 11. de regular. taliter decernit—*In monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quam ſæculares hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis, quæ ad dictam curam, et ſacramentorum adminiſtrationem, pertinent, juriſdictioni, viſitationi, et correctioni epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita*—Et cum Concilium Tridentinum in loco allegato unice locutum fuerit de regularibus exercentibus curam animarum perſonarum ſæcularium monaſteriis incumbentem, poſtmodum, teſte Fagnan. in c. *Grave*, de offic. ordinar. n. 37. ſupervenit conſtitutio Gregor. XV. de exemptorum privilegiis. Ubi ampliata extitit juriſdictio ordinarii ſuper exemptis, tam ſæcularibus, quam regularibus, etiam aliquod ſacramentum adminiſtrantibus; et generaliter ſubjecti fuerunt omnes parochi, ſive ſæculares, ſive regulares, ſive exempti, ſive non exempti, plene in omnibus viſitationi, et correctioni epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati: integer ſiquidem diœceſis grex eſt commiſſus ordinario, ad quem, tanquam ad primum paſtorem, pertinere debet inſpicere, an inferiores paſtores ſuis ovibus bene divina pabula miniſtrent, et ſic principaliter in ratione paſſiva, perſonarum, ſcilicet, epiſcopo commiſſarum, cui ſacramenta miniſtrantur.

Atque ideo ſanctiſſimus Pius in conſtitutione, quæ incipit—*Expoſcit*, ſub die 22. Septembris, anni 1571. decrevit, quod epiſcopi in iis, quæ concernunt curam animarum, exercitam à regularibus, haberent juriſdictionem ſuper dictis regularibus, etiamſi ſint ordinis Hieroſolymitani; et id ipſum firmant Laurent. de Franch. in controverſ. tam inter ep. et regular. quæſt. 6. n. 6. Marcell. Vulp. in prax. judiciar. for. eccleſiæ, cap. 42. ſub n. 7. ubi teſtatur conſtitutionem S. Pii V. fuiſſe confirmatam à Gregor. XIII. in ſua conſtitutione edita die 7. Januarii anni 1584. incipiente—*Conſuevit Sedes*; et roboratam cum altera conſtitutione Clem. VIII. quæ incipit—*Paſtoris æterni*, ſub datum 20. Junii 1592.

Et in univerſum, quod omnes parochi, ſive ſæculares, ſive regulares, ſubjecti ſunt, quoad curam, directæ juriſdictioni ordinarii, non obſtantibus conſuetudinibus, exemptionibus, indultis, privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, ſancivit Gregorius XV. in dicta ſua conſtitutione, quæ incipit—*Inſcrutabili*—prodita ſub die 5. Februarii anni 1622. et relata per Tambur. in tract. de jur. abbat. diſp. 15. quæſt. 7. fol. 143. tom. 1.

Quod infallibiliter procedit etiam adverſus parochos, adminiſtrantes parochias juris patronatus regii: nam jus patronatus regium nulla perfruitur exemptione, in ordine ad juriſdictionem ordinarii procedentis, tanquam delegati apoſtolici, in cognoſcenda, et examinanda parochialitate; et de facto prærogativæ juris patronatus regii, relatæ à Cabed. in opuſculo *de patronatibus regiæ coronæ*, impreſſo poſt ſecundum tomum ſuarum deciſionum, reſpiciunt ipſum patronatum, quod, ſcilicet, expers ſit à præſumpta uſurpatione, quæ urget contra cæteros patronatus laicos, quodque de eo in proviſionibus debeat fieri expreſſa mentio; ſed nihil habent agere cum perſona ipſius parochi, qui, reſpectu adminiſtrationis ſacramentorum, et parochiæ, eſt infallibiliter ſubjectus directæ cognitioni ordinarii, ut expreſſe firmat Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 11. de reformat. ibi: *Ipſis ordinariis, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, plene in omnibus, et quoad capellanos regios juxta conſtit. Innoc.* III. *quæ incipit*—Cum capellæ ſubjecti exiſtant—Et multum ſtringit caſus dicti text. in cap. *Cum capellæ*, de privilegiis; ubi agebatur, quod capella ducis Burgundiæ erat exempta ab ordinario per ſpecialia privilegia Sedis Apoſtolicæ; cum autem nonnulli ex canonicis dictæ capellæ adminiſtrarent inſimul parochias, orta fuit quæſtio, an in ordine ad parochias exemptio ſuffragaret? Innoc. III. in allegato text. reſpondit, quod non—ibi—*In quantum ratione parochialium eccleſiarum, vel alias*

juriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur, officii tui debitum in eoſdem libere proſequaris. Fagnan. in d. cap. *Cum capella*—Dixi, *excepta viſitatione*; quia d. cap. 11. habet locum extra viſitationem tantum; unde capellæ regiæ, earumque capellani, quantumcunque gaudeant prærogativa exemptionis, poterunt nihilominus viſitari ab epiſcopo loci, ex decretis cap. 4. ſeſſ. 6. et cap. 6. ſeſſ. 25. ut Sacra Congregatio alias declaravit: nam cum quidam ſacerdos regius capellanus vocatus ad judicium coram ordinario loci poſtulâſſet, ſe remitti ad capellanum majorem, ſub prætextu exemptionis, de qua habetur in Concilio, cap. 11. ſeſſ. 24. Sacra Congregatio cenſuit, cap. 6. ſeſſ. 25. et cap. 4. ſeſſ. 4. *Comprehendere capellas regias, etiamſi in privilegiis eſſet dictum, ut non poſſent viſitari ab ordinariis*; quia cum dictum cap. 6. deroget etiam fundationi, et immemorabili, cenſetur derogare iſtius privilegiis: non obſtat, quod privilegia regia non cenſeantur ſublata, niſi in ſpecie dicatur, quia fallit in lege generali, et quando Concilium voluit exprimere, *expreſſit*—Et conſonat practicus Monacell. formul. legal. practic. tom. 2. tt. 13. n. 35. fol. mihi, 58. In examine hujus primi dubii videndum remanet—*An ordinarius habeat juriſdictionem ſuper hujuſmodi parochis, ultra illam reſpicientem parochialitatem? Atque ideo recenſeo capita, ſuper quibus ſe extendere valet juriſdictio ordinarii.*

Capita autem, quorum reſpectu regulares, etiam exempti, et privilegiati, ſunt ſubjecti juriſdictioni ordinarii, referuntur fere ab omnibus canoniſtis materiam pertractantibus, et harmonice convenientibus.

Barboſa in tractatu de officio, et poteſt. epiſcopi, allegat. 105. enumerat quinquaginta duos caſus, incipiendo à n. 14. uſque ad finem dictæ allegationis 105. nimirum ſi regularis exemptus extra monaſterium vagando delinquat: nam epiſcopus illum tali pacto punire poteſt, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; imo tametſi degat in monaſterio, id ipſum epiſcopo permiſſum eſt, quoties delicta ſint notoria, et ſuperior regularis non puniat intra tempus ab eodem epiſcopo præfigendum, ut expreſſe decrevit Concilium Tridentinum in ſeſſ. 25. cap. 14. de regular. atque Clem. VIII. injunxit pœnam ſuſpenſionis adverſus ſuperiores negligentes punire proprios ſubditos taliter delinquentes, ut videre eſt in conſtit. publicata die 18. Martii anni 1596. quæ incipit—*Suſcepti muneris*: ulterius, ſi regulares degendo extra monaſterium debita favore miſerabilium perſonarum contrahant, ut diſponit Concil. Trid. ſeſſ. 7. de reformat. cap. 14. poteſt inſuper ordinarius eiſdem regularibus inhibere, ne libros imprimere faciant, quod ſacram ſcripturam legant, quod abſque ipſius ordinarii licentia in alienis eccleſiis prædicare nequeant, rurſus ſubjecti, quoad cultum dierum feſtorum, quoad interveniendum in proceſſionibus, in cauſa hæreſis: et in ſubſtantia juriſdictio ordinarii ſuper regularibus exemptis conſiſtit in tribus capitibus, *in jure reverentiali, ex lege diœceſana, in exercitio omnium eorum, quæ ſunt ordinis epiſcopalis; et ubi ordinarius procedit tanquam delegatus apoſtolicus*, prout colligitur ex caſibus relatis à Barboſ. loco ſuperius allegato, cum quo conſonat Marcell. Vulp. in prax. for. judicial. c. 42. et nonnullos caſus continet dicta bulla Gregor. XV. quæ incipit—*Inſcrutabili*—relata à Tamburin. in tractat. de jur. abbatum, diſp. 15. quæſt. 7. fol. mihi, 143. et notat Cirin. nex. rer. eccleſiaſtic. juriſdiction. cap. 6. n. 162. fol. mihi, 494.

Secundum Dubium,
Quod diſputandum proponitur, eſt,

An prædicti parochi regulares ſubjaceant directæ cognitioni ordinarii ſuper illis morum defectibus, propter quos iidem parochi de jure redduntur indigni, ac removibiles ab adminiſtratione parochiali?

Affirmative reſpondendum ſpero; quia circa mores ſive ſæcularium, ſive regularium, quantumvis privilegiatorum, et exemptorum, habet epiſcopus intentionem fundatam in Concilio Trid. taliter diſponente in ſeſſ. 6. cap. 3. ubi de clerico ſæculari privilegiato in ſeſſ. 13. cap. 1. ubi generice favore ordinarii talis facultas decernitur in ſeſſ. 14. cap. 4. de reformat. et pluribus recollectis auctoritatibus firmat Cirin. nex. rer. eccleſ. juriſdict. c. 6. n. 190. ibi: *Cæterum epiſcopus loci ordinarius cunctos clericos, tam regulares, quam ſæculares, in viſitatione circa mores corrigit, ac objurgat, ſi deliquerint; eos viſitat, nullo alio privilegio ſuffragante.* Et quoties eſt admixta cura, in nihilum refragatur exemptio, argumento text. in Clementina *Religioſi*, de privilegiis, ubi religioſi exempti, ſacramenta adminiſtrantes ſine parochorum licentia, poſſunt ab ordinariis denuntiari excommunicati: Imol. ad repetitionem dicti text. ſub n. 3. ita inquit—*Nota bene, taliter excommunicatos poſſe per ordinarios denuntiari, non obſtante privilegio exemptionis*—Unde, poſita in ordinario hac facultate corrigendi, ac puniendi exemptos quoad mores, et poſita etiam juriſdictione in eodem ordinario ſupra regulares quantumvis exemptos quoad ea, quæ reſpiciunt curam animarum ipſis commiſſam, perneceſſe conſequimur, quod valet ordinarius cognoſcere ſuper illis morum defectibus, qui reddunt indignos parochos adminiſtrationis parochiæ; ſuper quo puncto circumferimus pulcherrimam auctoritatem Cardin. Deluc. in tract. de juriſdict. diſc. 4. ſub n. 6. ibi: *Sub nomine autem concernentium curam animarum, et adminiſtrationem ſacramentorum, dicebam, et Sacra Congregatio rationabiliter admiſit, venire non ſolum illos actus, qui præciſe, ac immediate id percutiunt, ſed etiam alios, qui in idem mediate influerent circa vitam et mores ejuſdem curati, et quæ ſcandalum populo præbere poſſent, dum iſta quoque ipſam curam concernere dicuntur, ne qui ſibi commiſſas oves corrigere debet, eaſque ad meliorem frugem redigere, ita ſcandalum, vel peccandi occaſionem præbeat: ſi enim epiſcopus viſitare poteſt ea, quæ à dicta adminiſtratione dependent, et in eam influunt, multo magis ea, quæ concernunt vitam et mores, utpote magis proxime in id influentia: ſi enim curatus concubinam teneret, vel cum ſcortis publice converſaretur, aut in tripudiis interveniret, ſeu publice, et ſcandaloſe luderet, tabernas frequentaret, ſeu armatus, aut parum decenter veſtitus, ſive de tempore bacchanali perſonatus incederet, nemo dicet, id non præjudicare exercitio curæ animarum, et adminiſtrationi ſacramentorum, ratione ſcandali exinde reſultantis.*—Idem auctor ſubjungit, Sacram Congregationem Concilii pluries decreviſſe, *poſſe omnes exemptos ab epiſcopo corrigi, quoad concernentia cultum divinum, ac indecentiam ſervitii eccleſiæ.*

Fortius vero, dum ſermo eſt de illis morum defectibus, qui reddunt parochum indignum adminiſtrationis ſuæ curæ: nam depoſitio parochi, tanquam res graviſſima, ſpectat ad ordinarium, cui iidem parochi ratione curæ ſubjecti ſunt, Abbas in cap. *Cum contingat*, de for. compet. cap. *de gradat.* de pœn. in 6. Joannes de Lagnan. in cap. *Ne in agro*, de ſtat. monachor. unde perneceſſe idem ordinarius debet cognoſcere de ſimilibus defectibus, qui debent aperire viam depoſitioni ejuſdem parochi.

Diſputare ſucceſſive exoptat noſter reverendiſſimus antiſtes ſequens——

Dubium III.

An hujuſmodi parochi regulares, quomodolibet impedientes ordinarii cognitionem ſuper præmiſſis, valeant ab eodem ordinario cenſuris innodari?

Certum eſt in jure canonico, quod in his caſibus poteſt ordinarius excommunicare ſimiles perſonas ad text. in Clementina *Attendentes*, de ſtat. monachorum, in fine; ibi—*Siqui vero viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeu aliquo præmiſſorum (niſi moniti reſipiſcant) ipſo facto excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros, privilegiis, ſtatutis, et conſuetudinibus quibuſcunque in contrarium minime valituris*—ibique Barboſ. n. 6. et tradunt Moyſ. Ricc. in prax. aurea, reſolut. 210. Lauret. de Franch. in controverſ. tam inter epiſcopos, et regulares, quæſt. 6. Paris de reſignat. benef. l. 3. quæſt. 11. ex n. 8. Tuſch. pract. concl. lit. E, concl. 244. et ſeqq. Eraſmus à Cochier de juriſdict. ordinar. in exemptos, tom. 1. p. 2. quæſt. 45. per tot. Genuenſ. in prax. cap. 11. et cap. 56. n. 6. alioſque, quos congerit Cirin. in nex. juriſdiction. eccleſ. cap. 6. n. 41. ibi—*Modo vero noſtro inſequendo inſtitutum circa imperium in regulares, cæteroſque exemptos, inquirimus: exempti, etſi epiſcopi loci ordi-*

ordinarii jurisdictionem turbaverint, eique, suisque curiæ officialibus suum exercentibus munus injuriam intulerint, offensi imperium prorogant, eumque competentem declarant, ejusque imperio subjiciuntur. Quod perficere valeant episcopi itidem per censurarum declarationem—et tradunt Sbrosc. de vicar. episc. lib. 2. cap. 191. n. 13. Chartar. dec. 72. n. 100. Cardin. Deluc. in tract. de jurisdict. disc. 29. n. 3. ibi—*Præterea, ubi etiam ageretur de censuris, aliisque pœnis ab ipso archiepiscopo, et sic ab homine ratione delicti illatis, adhuc tamen jurisdictionis incompetentia prætendi non potesat, dum delictum consistebat in injuria ipsa archiepiscopo illata suæ jurisdictionis turbatione, ob quam judex, cujus majestas læsa fuit, quantumvis alias incompetens, fit competens; quia exemptus ita turbando, et offendendo judicem incompetentem, dicitur illius jurisdictionem prorogare*—Sperell. dec. 86. n. 5. et 6. Et quod episcopus possit quoscunque regulares exemptos declarare incursos in censuris ob notorium delictum, firmat Barbos. vot. 125. n. 42. lib. 3. ubi refert plures resolutiones congregat. Concilii.

Et ratio potestatis ferendi censuras, etiam in exemptos, residet in eo, quod in casibus, in quibus exemptus subjacet directæ cognitioni, et jurisdictioni ordinarii, non amplius dijudicatur exemptus, sed consideratur, tanquam subditus: unde statutum est, quod ordinarius valet excommunicare, et punire omnes regulares, quantumvis exemptos, ubi exercere valet super eisdem propriam jurisdictionem, Henriq. in sum. l. 7. c. 25. § 7. Francisc. Leo in thesaur. f. eccles. p. 1. c. 8. prope n. 19. Genuens. in prax. archiep. c. 59. vers. *Aliud est dubium.* Mend. à Castr. in prax. Lusitan. l. 2. c. 1. n. 5. Antonin. var. resol. p. 2. c. 35. Zerol. in prax. episcopi, p. 2. verb. *Excommunicationis causa materialis*, § 4. Lazar. in pract. q. canonic. tit. de blasphem. quæst. 10. n. 55. Novar. in lucern. regularium, verb. *Excommunicare*, in princip. Cardin. Deluc. in miscell. eccles. disc. 15. n. 8. ibi—*Data jurisdictione præcipiendi, censeatur data etiam jurisdictio puniendi inobedientes.*

IV.

Subsequitur alterum dubium transmissum à reverendissimo archiepiscopo.

An similes censuras possit ordinarius proferre contra quoscunque regulares quomodocunque exemptos, suam jurisdictionem super ipsis juridice exercendam, turbantes, et impedientes?

Pro istius dubii affirmativa resolutione urgent antedicta fundamenta; quorum præcipuum est, quod non habet amplius locum exemptio, ubi revivisit jurisdictio: exemptio sane est privilegium devians à jure communi; quo inspecto, ordinarius habet fundatam intentionem adversus omnes ecclesiasticos, sive sæculares, sive regulares, ut advertunt Cened. pract. et quæst. can. lib. 1. quæst. 26. n. 1. Campanill. in diverf. jur. à n. 26. rub. 12. cap. 13. n. 1. et per consequens, eo ipso, quod ordinarius reassumit suum jus in aliquibus actibus super exemptos, tale jus plenarie valet exercere, ne alias sequatur absurdum, quod eodem tempore subsistat exemptio, et non subsistat; quod est penitus impracticabile, tanquam contradictorium, Monacell. form. legal. pract. tit. 1. for. 45. n. 11. tom. 3. ib. *Eo enim ipso, quod regulares a Concil. seu Constitutionibus Apostolicis, in aliquibus subduntur episcopis, nulla amplius circa ea remanet exemptio, quæ eos liberet à censuris, dum modus non restringitur compellendi; sed per remotionem obstaculi censetur, eisdem episcopis restituta plenaria antiqua, et habitualis, seu nativa jurisdictio, sicut in cæteros de populo*, Card. Deluc. miscell. eccles. disc. 15. n. 8. Et advertunt Genuens. in prax. archiepisc. cap. 59. n. 9. Leo in thesaur. for. eccles. c. 8. n. 19. Campanill. in diverf. jur. can. rubr. 12. cap. 16. n. 42. Gibalin. de facr. jur. disquis. 4. quæst. 3. sub n. 7. vers. *Poterit*; et ita declaratum fuisse per Sacram Congregationem Concilii die 7. Februarii 1633. testatur Lezana in summa, tom. 3. verb. *Exemptio regularium*, tract. 3.

Quinimo tali pacto ordinarius offensus in sua jurisdictione potius declarat censuras incursas per regulares exemptos taliter attentantes; non autem excommunicat in modum, ut ordinarius taliter procedens non dicatur rigorose exercere suam jurisdictionem, sed explicare illam censuram jam contra exemptum ipso jure emanatam, ut ultra alias rationes sub præcedenti dubio congestas considerant Farin. q. 114. n. 66. et seqq. Cardin. Deluc. tract. de jurisd. discurs. 47. et 48. et in adnot. ad Sacr. Conc. Trid. disc. 43. n. 12. nam denuntiatio ex se, circumscripta citatione, non est actus jurisdictionis; ideoque qui non potest judicare, potest tamen declarare, secundum Cardinalem in Clementina fin. in 6. quæst. de præcit. et remiss. Felin. et post eum Fagnan. in cap. *Non potest*, de sent. et re judic. n. 14.

Cum supposito favorabilis resolutionis super præcensito dubio transit archiepiscopus ad alterum dubium,

V.

An in prædictis casibus, supposita notorietate, vel publicitate facti, requiratur citatio pro validitate censurarum, sive ordinarius procedat judicialiter, sive extrajudicialiter?

Plurimi DD. volunt, quod citatio omnino requiratur, etiamsi factum, pro quo censura ferri vult, sit notorium; nemo enim pro quocunque facto, quamvis notorio, condemnari valet sine citatione, et monitione; imo à sententia judicis declarantis factum esse notorium, appellatio competit; nam potest dari casus, quod judex male declaraverit, cum quibus rationibus pertransit Marcell. Vulp. in prax. for. eccles. c. 1. n. 27. ubi omnino exigit citationem, seu monitionem; et regulare est, quod requiratur trina monitio patiens intervallum aliquot dierum inter unam, et alteram, vel saltem unica monitio valens pro tribus, cap. *Per constitutionem*, de sent. excommunication. in 6. cap. *Sacro*, extrav. eodem. Barb. op. omnia, tom. 1. in tract. de cens. in communi, disp. 1. quæst. 1. punct. 8. n. 1.

Verum quoties factum est undique notorium, verior opinio est, quod monitio tantum ex abundanti, et ad melius esse practicetur, non autem requiratur de rigore: et ratio ea est, quia notorietas delicti satis monet, et censuræ in his casibus prolatæ sunt validæ; et firmant Sayr. de censur. c. 11. n. 24. Monacell. formular. legal. pract. tom. 1. p. 17. n. 4. et pag. mihi, 269. et refert hanc sententiam tenere, tam Sacram Congregationem Concilii, quarum Congregationum rescripta refert, et sequitur Fagnan. qui distinguit casum publicum à casu notorio, in quo nullimode requiri testatur citationem, ut in cap. *Non potest*, n. 21. de sent. et re judicat. ibi—*Hoc tamen non habet locum, si factum ipsum sit notorium; neque enim est citandus, cui notorium est defensionem non competere*—et n. 25. firmat, quod satis erit, ut de facto notorio constet episcopo per extrajudicialem informationem.

Successive exponitur,

VI.

An, attenta simili notorietate facti, possit ordinarius extrajudicialiter denuntiare incursos in censuras juris quoscunque regulares quomodolibet exemptos?

Urgent pro affirmativa resolutione hujusmodi dubii superius recensita fundamenta; et id ipsum testantur mox allegatæ auctoritates, nimirum Fagnan. in d. cap. *Non potest*, n. 20. et 25. de sent. et re judic. Monacell. in loc. superius alleg. pag. mihi, 270.

Alterum dubium à reverendissimo principali transmissum est,

VII.

An ordinarius vim vi repellendo possit tam sæculares, quam regulares, illius jurisdictionem, vel ecclesiasticam immunitatem turbantes, de facto, et absque ulla citatione, vel monitione, excommunicare?

Videtur tale dubium favore ordinarii resolvendum: nam sacri canones id ordinario impertiuntur, quod, scilicet, quatenus sua jurisdictio turbetur, valeat uti gladio ecclesiastico vim vi repellendo, ita tanquam pars extrajudicialiter propulsando injuriam sibi illatam,

juxta

juxta textum in cap. *Dilecto*, de ſent. excom. in 6. ubi Innocentius, canoniſtarum pater, n. 2. ſic fatur— *Naturalis tamen defenſio pro ſe, et aliis, bene poteſt exercere etiam in homines alterius juriſdictionis* — Quam Innoc. traditionem ſequuntur Ancharan. n. 1. Joan. Andreas, n. 2. Geminian. n. 10. et ſeqq. et communiter docent Barb. in d. cap. n. 5. de cenſur. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 11. de regular. Genuen. in prax. c. mihi, n. 2. ubi dat formulam decreti ſcribendam à notario, Ciarl. in d. controverſ. l. 1. c. 65. n. 12. Tambur. de jur. abbat. diſp. 17. quæſt. 3. n. 4. Fagnan. in cap. *Procurationes*, de cenſur. à n. 29. ad 35. et per tot. et hoc caſu tenet excommunicatio abſque ulla cauſæ cognitione, ſive monitione, Cardin. Deluc. miſcell. diſc. 15. n. 9. verſ. ultim. Graf. dec. aurea, p. 2. in appendic. l. 3. c. 1. n. 42. eminentiſſimus Petra ad Conſtit. Apoſtolic. tom. 1. ad conſt. prim. Leonis IX. ſect. 2. n. 1. et pluribus ſeqq.

Viva autem ratio, quam adducunt præfati DD. ea eſt, quod ſicuti cuicunque privato, exiſtenti in poſſeſſione alicujus rei, licitum eſt armis temporalibus, ſe, propriaque jura tueri contra invaſores propriorum bonorum, prætendentium illa occupare, hoc modo injuriam, ac vim ſibi illatam vi æquali repellendo, et coercendo; ita eodem modo, imo potiori jure, idem permittitur epiſcopis, et prælatis, mediante ſpirituali gladio cenſurarum, ut concordant adducti in dec. 122. n. 1. et ſeqq. part. 15. rec. idque etiam admittit D. Thomas 2. dec. quæſt. 108. 169. n. 9. tom. 1.

Cohærenter ad prædicta, proponitur diſputandum præſens dubium,

VIII.

An poſſit ordinarius procedere contra præfatos regulares in particularibus oratoriis, renuente ordinario, celebrantes, vel in domibus particularibus altare celebraturi erigentes prætextu privilegiorum, vel conſiſtentiæ in actuali miſſionis loco?

Reſolutio hujus dubii dependet ab eo, an ordinarius impedire valeat celebrationes miſſarum in hujuſmodi particularibus oratoriis? Nam ſi ſubſiſtit prohibitio, certum eſt, quod, quatenus eadem prohibitio ſpernatur, ordinarius ferre valet cenſuras ex ſuperius relatis fundamentis; quod, ſcilicet, ubi exercere valet juriſdictionem, non habet locum exemptio, neque urgent privilegia, ſed omnia ſilent è conſpectu vigentis juriſdictionis.

Contextus tamen dubii à reverendiſſimo archiepiſcopo tranſmiſſi nobis demonſtrat, quod celebratio miſſarum in oratoriis particularibus ſequi valeat, vel ſub fundamento privilegiorum, vel occaſione miſſionum: in primo caſu, ſi adſunt privilegia permittentia regularibus celebrationem miſſarum in hujuſmodi oratoriis, fas eſſet primum, et ante omnia, talia privilegia examinare, atque rurſus illa de medio tollere, recurrendo ad Sanctam Sedem, et demonſtrando juſtam cauſam, ob quam eadem privilegia de medio tollenda forent; alias, ſi id non peragetur, erit impoſſibile obtinere facultatem procedendi contra regulares celebrantes in particularibus oratoriis virtute ſuorum privilegiorum; in ſecundo autem caſu difficilius eminentiſſimi cardinales hanc facultatem impertientur, ratione boni publici profluentis à miſſionibus, maxime in adeo remotis partibus, propterea quod eſſem in ſenſu, vel non anteponere tale dubium, vel ſaltem illud moderari cum additione juſtæ cauſæ; nimirum —*An liceat ordinario procedere contra præfatos regulares celebrantes in particularibus oratoriis, vel in domibus particularibus altare pro effectu celebrationis erigentes, non obſtante prohibitione ex juſta cauſa, per eundem ordinarium facta, abſque eo quod allegari valeant privilegia, vel actus miſſionis?*

Tranſeundo ad aliud dubium, illud tranſmiſſum hac forma fuit:

IX.

An clerici tam conſtituti in minoribus ordinibus, vel initiati prima-tonſura, quam ſacris inſigniti, gaudeant privilegio fori, etiamſi habitum, et tonſuram non deferant, vel eccleſiaſticum beneficium non habeant; et quatenus negative?

An ſit ſervanda conſuetudo?

Reſpectu primæ partis hujuſmodi dubii, videtur ita diſtinguendum: vel agitur de ſimplicibus clericis ſacros ordines adhuc non aſcenſis; et in iis procedit opinio negativa; quod, ſcilicet, iidem clerici gaudere nequeant privilegio fori, niſi beneficium eccleſiaſticum habeant, aut clericalem habitum, et tonſuram deferentes alicui eccleſiæ inſerviant, ita diſponente Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. vel agitur de clericis in ſacris conſtitutis; et iſti gaudent privilegio fori, etiamſi non incedant in habitu, et tonſura, vel beneficium non habeant, ut diſtinguendo tradit Bellet. diſq. clerical. tit. de favor. clericorum perſon. § 8. n. 7. Antonell. de jur. clericor. l. 1. p. 1. cap. 4. n. 1. et 2.

Sub alterum dubium ſuper conſuetudine fundatum, obnoxium eſt negativæ reſolutioni, attenta clariſſima diſpoſitione conciliari in d. ſeſſ. 23. c. 6. de reformat. ibi—*Minime, quoad hoc, privilegio, vel conſuetudine etiam immemorabili ſuffragante.*

Succedit alterum dubium:

X.

An ad effectum, ut clericus, ſive in minoribus ordinibus, ſive in ſacris conſtitutus, gaudeat privilegio canonis, et exemptionis ab oneribus laicalibus, debeat habere requiſita Concilii Tridentini?

Reſpectu privilegii canonis, conveniunt doctores, non eſſe neceſſarium concurſum requiſitorum Concilii Tridentini in ſeſſ. 23. de reformat. c. 6. ea ratione, quia Concilium ibi loquitur de privilegio fori, ut colligitur ex ipſo text. conciliari—ibi—*Is etiam fori privilegio non gaudeat*—Unde retinet privilegium, tametſi eccleſiæ non inſerviat, vel non verſetur in aliqua univerſitate, vel ſeminario clericorum, Rodrigues in ſummario, cap. 8. n. 17. Garc. de benef. p. 2. Pilaja deciſ. 11. n. 11. l. 1. tom. 1. Squillant. de privileg. clericor. cap. 6. n. 11. Dian. reſolut. mor. p. 1. tract. 2. reſolut. 36. et 37. requiritur tamen, quod clericus deferat habitum, et tonſuram; nam ſi longo tempore clericalem habitum demiſerit, vel brevi quidem tempore, ſed præceſſerint trinæ monitiones factæ ab ordinario pro reaſſumptione ejuſdem habitus, et, his non obſtantibus, clericus renuerit habitum reaſſumere, in utroque ex prædictis caſibus canonis privilegium non intrat; ut reſpectu primæ concluſionis; quod, ſcilicet, ſi longo tempore clericus habitum et tonſuram demiſerit, tali pacto reputetur ut laicus, et amittat privilegium canonis, et fori, abſque alia monitione, Suar. de cenſ. diſp. 22. ſect. 1. n. 11. Coninch. de ſacrament. diſp. 14. dub. 15. n. 163. Bonacin. de leg. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. § 4. n. 15. et reſpectu ſecundæ concluſionis, quando præceſſerunt trinæ monitiones, firmant Navarr. in manual. cap. 27. n. 80. Pilaja dec. 11. n. 15. Jordan. de re benefic. lib. 10. tit. 37. n. 24. et 27. Ludovic. Roman. Singul. 719. qui advertunt non ſufficere unicam monitionem adhibitam pro tribus, niſi fieret in ſynodo; quia tunc monitio habet vim conſtitutionis; et conſtitutio tanquam lex præſumitur loqui ſemper, et admonere, ut perbelle advertit Antonell. de jur. et oner. clericor. cap. 3. n. 118.

Iidem clerici, quamvis non habentes requiſita Concilii Trident. in d. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6. ſunt immunes à gabellis, aliiſque exactionibus laicalibus, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, teſt. Comitol. in reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 20. qualis exemptio inducta fuit à jure communi in cap. *Non minus*, cap. *Adverſus*, de immunitate eccleſ. cap. *Quanquam*, de cenſ. in 6. Covarr. pract. quæſt. cap. 31. n. 9. Ricc. in ſynopſi, verbo *Clericus quoad exemptiones*, n. 7. ubi recenſet quatuor reſcripta Sacræ Congregationis immunitatis eccleſiaſticæ, Garz. de benefic. p. 2. cap. 3. n. 5. Leo in theſaur. for. eccleſ. cap. 38. n. 123. Ricc. in prax. for. eccleſ. p. 4. reſolut. 459. Dian. reſolut. moral. p. 4. tract. 1. reſolut. 32. qui omnes firmant clericos etiam primæ tonſuræ eſſe exemptos à gabellis, vectigalibus, aliiſque oneribus, etiam quoad bona propria, ſive acquiſita ex teſtamento, ſive emptione, ſive ex donatione, ſive ex alio quovis titulo; nam onera corruunt ſtatim, ac bona

bona perveniunt ad clericum, cujus perſonæ diſtinctæ conditio facit mutare conditionem rei. Abb. in c. *Ex literis*, n. 12. de vit. et honeſt. clericor. Ber. conſ. 31. n. 15. et ſeqq. lib. 1. Barb. in cap. *Non minus*, n. 4. de immunit. eccleſ. et in tract. de officiis, et poteſt. epiſc. p. 2. alleg. 19. n. 91. hæc tamen, quæ indubitanter procedunt quoad cætera onera, non habent profecto locum in oneribus certis perpetuis, et invariabilibus, et impoſitis ſuper bonis propter bona; nam clericus tenetur indiſpenſabiliter ad ſatisfactionem hujuſmodi onerum cæterorum, et invariabilium impoſitorum ſuper bonis propter bona, ut, relato ſenſu omnium doctorum, firmat Antonell. in tract. de jur. et oner. clericor. p. 1. c. 21. n. 18.

Dubitat reverendiſſimus archiepiſcopus,

XI.

An clerici ad effectum non patiendi eorum deſcriptionem, et projectionem in milites mercenarios, debeant habere requiſita Concilii Tridentini, vel ſaltem incedere in habitu, et tonſura?

Cenſerem quoad effectum evitandi deſcriptionem, et projectionem in milites mercenarios, non requiratur concurſus requiſitorum volitorum à Concilio Tridentino in cap. 6. ſeſſ. 23. de reform.

Defectus ſiquidem hujuſmodi requiſitorum ſolummodo tollit privilegium fori, ut colligitur ex eodem textu conciliari; nam de cætero in omnibus aliis actibus habetur tanquam clericus, quouſque ab homine, vel à jure, privatus non fuerit; unde expers eſt à legibus, ſtatutis, et juriſdictione laicorum, teſte Pignatell. conſ. canon. 2. per totum tom. 4. et per conſequens non poteſt deſcribi, et projici in milites mercenarios, quia ad hunc effectum remanet adhuc clericus, et, tanquam talis, non poteſt cogi ire ad bellum, niſi exigenti, et præciſa neceſſitate, idem Pignatell. conſ. 466. tom. 1. ubi refert, quod Sacra Congregatio taliter decidit in una Caſalen. die 28. Auguſti anno 1635. et Riccius in ſynopſi, verbo *Miles*, n. 4. teſtatur, quod Sacra Congregatio in una Peruſina 11. Septembris 1646. reſponderit, *Colonos menſæ epiſcopalis non poſſe in milites deſcribi, niſi aliter Sanctiſſimus juſſerit.*

Exoptat reverendiſſimus archiepiſcopus diſputare ſequens dubium:

XII.

An in caſibus, in quibus permiſſum eſt miniſtris laicis judicare ſupra clericos, tam in minoribus, quam in ſacris ordinibus conſtitutos, liceat eiſdem minari pœnam carcerationis, quam tamen exequi non poſſunt?

Crederem negative reſpondendum: quamvis enim valeat laicus cognoſcere aliquas cauſas clericorum, e. g. ſi clericus fuiſſet factus, ſequeſter vel depoſitarius per judicem laicum; in his enim ſimilibus caſibus admittimus, quod laicus poſſit procedere, et cauſas cognoſcere, ut tenent Bald. in leg. *Acceptam*, n. 4. cod. de uſurp. Afflict. dec. 24. n. 30. Marant. de ordin. judic. p. 4. diſtinct. 11. n. 62. Scacc. de judic. l. 1. cap. 11. n. 96. Cancer. var. p. 1. cap. 7. n. 179. et late alios refert p. 3. cap. 8. n. 100. ubi teſtatur, ita ter conſuluiſſe; Portaleſ. § *Clericus*, n. 51. Gutierr. de tut. p. 3. cap. 1. n. 9. in fin. Fontanell. dec. 309. n. 19. p. 2.

Attamen prohibitum eſt eidem laico executionem ſui judicati decernere; ſed tunc intrat judex eccleſiaſticus, qui præbet auxilium ad effectum exequendi judicatum judicis laici, ut videre eſt penes Cevall. de cognit. per viam violent. p. 2. quæſt. 76. an. 16. Mart. de juriſdict. p. 4. caſ. 104. n. 8. et 9. et caſ. 24. n. 4. et 5. Fermoſin. in cap. *Qualiter*, quæſt. 7. à n. 8. de judic. Hermoſil. ad Gregor. Lopeſ. tom. 1. fol. 191. n. 8. Vela diſc. 45. à n. 63. ad 85. tom 2. de Marin. reſolut. cap. 54. n. 8. Delbene de immunit. eccleſ. tom. 2. cap. 9. dubit. 21. in fin. Dian. reſolut. moral. p. 1. tract. 2. reſolut. 21. in fine, et in ſum. p. 2. verb. *Judex laicus*, n. 23. Panimoll. dec. 14. annot. 13. et propterea non poteſt judex laicus mandata relaxare, eoque minus pœnam carceris minari, ut tenent Cap. Latr. conſ. 103. ſub n. 32. ibi—*Quod poſſit judex laicus pro computorum redditione civiliter agere contra clericum cum debitorem declarando, licet non ad eum cogendum ad ſolvendum.*

Fortius vero, dum comminatio carceris reſpicit perſonam clerici, quæ ſemper debet remanere ſalva, et expers à manibus judicis laici, quamvis ſuper ejuſdem clerici bonis, per hypotheſim valeret exequi judicatum judicis laici, ut conſtanter firmant Gutierr. de gabell. quæſt. 94. n. 7. Alexan. Ambroſ. de immunit. eccleſ. cap. 20. n. 59. Carol. de Graf. de clericat. effect. 1. n. 726. et effect. 2. n. 125. Squillant. de privileg. cleric. cap. 7. n. 106. Pereir. de inſtrum. edit. tom. 2. tit. 6. reſ. 9. 2. 73. 77. Vela differt. 49. n. 91. tom. 2. Barb. in cap. *Cæterum*, n. 4. verſ. *Limita*, de judic. Fontanell. dec. 341. n. 28. p. 2.

Dubitat reverendiſſimus archiepiſcopus,

XIII.

An proprio tantum ordinario liceat ordinare ſibi ſubditos, ſive potius cuicunque epiſcopo, etiam abſque teſtimonialibus proprii ordinarii?

Innocentius XII. in ſua conſtit. quæ incipit, *Speculatores domus Iſrael*, recenſita in ſuo parvo bullario, fol. mihi, 179. ſub § *Hinc eſt*, taliter decernit—*Nulli epiſcopo, ſeu cujuſvis loci ordinario, tametſi cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi, ratione originis, ſeu domicilii, &c. legitime contracti, non ſubditum, ad clericalem tonſuram promovere, cujuſvis beneficii eccleſiaſtici, ei ſtatim, ac tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi*, &c. Præterea clericum, qui legitime jam à proprio epiſcopo ad eandem clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores ordines, promotus fuerit, non poſſe ab alio epiſcopo, ratione ac titulo cujuſcunque beneficii in illius diœceſi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, niſi ante eorundem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii epiſcopi tam originis, quam domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, et vita, ſibi concedi obtinuerit, eaſque epiſcopo ordinanti in actis illius curiæ conſervandas exhibuerit.

Poſita affirmativa reſolutione hujuſmodi dubii, diſputatur ſubinde,

XIV.

An tam ordinantes ſibi non ſubditos, quam ordinati, incurrant cenſuras?

Præfata conſtitutio Innocentiana, in § *Ita vero*, imponit pœnam, videlicet, adverſus ordinantem ſibi non ſubditum, eum ſuſpendendo à collatione ordinum per annum; et adverſus ordinatum infligit ipſo jure pœnam ſuſpenſionis non remittendam, niſi placuerit proprio ordinario; quinimo reſervat arbitrio Sanctæ Sedis inflictionem graviorum pœnarum, propterea quod poterit efflagitari facultas etiam fulminandi cenſuras ad effectum, ut majoris pœnæ formidine perterriti non audeant amplius immittere falcem in meſſem alienam.

Supponit reverendiſſimus archiepiſcopus reportare poſſe ſuper antecedente dubio favorabile reſponſum: propterea ſubjungit,

An facultas abſolvendi ab eiſdem cenſuris ſpectet ad proprium ordinarium?

Ita crederem, fore decernendum: nam ordinario permiſſum eſt ſtatuere aliquos caſus ſibi reſervatos, ut tenent relati per Fagundes in quinque eccleſiæ præcepta, p. 1. l. 8. cap. 1. n. 8. unde virtute reſervationis aliarum graviorum pœnarum in præfata Innocentiana conſtitutione oppoſitæ videtur permittenda in manibus ordinarii abſolutio reſervationis à præfatis cenſuris, quod eo libentius ordinariis locorum permittitur, ad hoc, ut melius contravenientes corrigi valeant, et acriori metu correpti facilius arceantur à contraventione, ut firmat Sotus, in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. Jacob. de Graffis in aureis deciſion. p. 1. l. 1. cap. 13. n. 71.

Diſputatur,

XV.

An ſint toleranda indulta audiendi ſacrum in propriis domibus, et ſimilia ſint de novo concedenda?

Videtur quod ſimilia indulta audiendi ſacrum in propriis domibus etiam in diebus feſtivis, eſſent de medio tollenda, et alia denuo penitus deneganda, ex mente Concilii Trid. in ſeſſ. 22. in decret. de ſer. et vit. in celebratione miſſarum, ubi injungit epiſcopis, ne patiantur in privatis domibus celebrari, et pluries reſcripſit ſacra rituum congregatio, teſte Ricciardello in Lyceo eccleſiaſt. cap. 18. § 1. n. 34. ubi refert reſolutionem dictæ Sacræ Congregationis editam ſub die 5. Januarii anni 1602. in hæc verba—*In ſacellis, in quibus celebrandi facultas conceſſa fuit, in poſterum abſtineatur; neque in iis amplius, niſi ægritudinis cauſa, et tunc cum facultate ad uſum, et tempus præſcriptum celebratur*—eodemque loco teſtatur, Sacram Congregationem ſub die 11. Decembris anni 1601. taliter ſcripſiſſe ad archiepiſcopum Bonaniæ—Ne facultatem celebrandi in privatis domibus tam intra, quam extra civitatem impertiatur—Barb. ad Sacrum Concil. cap. *de celebratione miſſarum*, ubi conſimile decretum recenſet, et ſub die 10. Martii 1615. eadem Sacra Congregatio Concilii juſſu Pauli V. decrevit, hujuſmodi facultatem eſſe ademptam cuicunque epiſcopo, teſte Pignatell. conſt. 98. n. 33. tom. 6.

Attamen, cum in Indiis vigeat hæc conſuetudo, quod fœminæ, quæ ob virorum exceſſivam zelotypiam nunquam è domo exeunt, habent ſimilia indulta audiendi ſacrum in propria domo, taliter quod ſi talia abolirentur indulta, potius huic ſacrificio eædem fœminæ non interverirent; unde vel maxima produceretur confuſio, vel majora ſcandala evenirent; hæc circumſtantia, quæ Sacræ Congregationi reticeri non debet, ne reſolutio ſubjaceat notæ ſubreptionis, multum influet in ſuadendum contrarium reſcriptum.

Subſequitur,

XVI.

An liceat religioſis ingredi in monaſterium occaſione funeris monialium defunctarum, et tumulationis earundem; et an, et quomodo, ſit providendum?

Sacra Congregatio Concilii de anno 1593. decrevit, quod ſi tumulantur cadavera monialium intra clauſuram, et id peragendum venit, vel ab eiſdem monialibus, vel à duobus operariis approbandis ab ordinario; ſi vero tumulatio fieri ſoleat in eccleſia exteriori, et tali pacto cadavera deferuntur à monialibus uſque ad januam clauſuræ, et ibi à regularibus recipiantur ad effectum faciendi funus, et tumulandi, ut de dicta reſolutione Sacræ Congregationis Concilii teſtatur Ricciardell. Lyc. eccleſiaſt. c. 7. n. 24.

Verum P. Caſſian. à S. Elia in ſua arbore, in verbo —*Clauſura*, firmat, quod ſi aderit conſuetudo ingrediendi monaſteria pro tumulandis monialium cadaveribus, erit obſervanda, et introducendi tot religioſi, quot eſſent ad opus neceſſarii; ſed advertit ſufficere ſex, et recenſet Porcell. in dub. regular. verbo *Clauſura monialium*, n. 11.

Ego tamen crederem, quod eminentiſſimi cardinales amplexuri erunt reſolutionem, ut ſupra captam à Sacra Congregatione Concilii de anno 1588. quæ facit legem ubique ſervandam, ut advertit Nicolius in floſculis, verbo *Congregatio*, n. 2. et 4. eoque magis, dum idem reverendiſſimus archiepiſcopus exaggerat inconvenientia, ut plurimum oriri ſolita ex iſtis ingreſſibus religoſorum in clauſura monialium; et ſicuti nemo melius, quam proprius paſtor, cognoſcit oves ſuas, ita ejus inſinuationibus benignas aures præbebunt prudentiſſimi judices.

Conſecutive ad iſtud dubium, diſputari efflagitatur et alterum:

XVII.

An liceat religioſis ingredi monaſteria monialium ad effectum celebrandi miſſas in capellis interioribus eorundem monaſteriorum, aliaſque ſacras functiones peragendi, ſive potius permittendum unice ſit ſacrificium miſſæ pro infimis in diebus feſtivis?

Adeſt conſtitutio Alexandri VII. prodita 13. kalendas Novembris anni 1644. quæ incipit—*Felici ſacrarum virginum ſtatui*, &c. ubi tantum permittitur ingreſſus bis in anno ſuperiori regulari occaſione viſitationis, et confeſſario pro miniſtrando ſacramento euchariſtiæ, pœnitentiæ, et extremæ unctionis: præciſivæ ab his nemini datum eſt ingredi monaſteria, niſi diligentia epiſcopi, vel vicarii generalis ad hoc habentis ſpeciale mandatum procuræ, ut advertit Pelizar. in tract. de monial. cap. 5. ſect. 3. quæſt. 31. n. 140.

Si ergo reverendiſſimus Goanus antiſtes ſuadet, non eſſe tolerandum regularium ingreſſum, quia eveniunt ſcandala, tale conſilium proprii ordinarii tendens ad evitanda mala videtur omnino amplectendum.

Sequitur aliud dubium:

XVIII.

An, inſpecto jure communi, liceat ordinario per medium ſuorum officialium carceribus mancipari facere laicos, tam in delictis reſpicientibus forum eccleſiaſticum, quam in delictis mixti fori, abſque auxilio brachii ſæcularis?

Indubium eſt, quod laici ſortiuntur forum canonicum, et ab eccleſiaſtico judice puniri poſſunt, quoties committunt communia crimina, vel eccleſiaſtica, ſive ratione perſonæ offenſæ, ſive ratione loci, ſive ratione rei, ſive ratione pœnæ; ita enim ſuadent pontificii juris elementa, ut in can. *Contra idolorum*, et ibi gloſſ. 26. quæſt. 5. et in can. *Attendendum*, 16. quæſt. 4. et in cap. 2. de adulter. in quibus juribus habetur epiſcopum poſſe laicos capere, et corporaliter coercere; et facit alter textus in cap. *Siquis contumax*, et in cap. ſequenti, 17. quæſt. 4. ubi violans eccleſiæ immunitatem punitur ab epiſcopo in noningentis ſolidis, aliiſque pœnis arbitrariis afficitur, ut ubi advertit gloſſ. et Turrecremata, Hoſtienſ. in ſum. tit. de immunitat. eccleſ. § *Quæ ſit pœna violant.* in princip. Abb. in cap. penult. in fine de immunit. eccleſ. Villagut. dec. 29. n. 70. quæ jura reaſſumendo Sperell. in dec. 4. n. 7. et ſeqq. ita loquitur—Et quod epiſcopus habeat forum, et territorium per totam diœceſim, ideoque omnes intra illam delinquentes puniri poſſint, &c. Et epiſcopus habeat territorium, et conſequenter tenere poſſit familiam armatam; et quod epiſcopi contra laicos ad capturam perſonarum procedere poſſint; probatur de jure antiquo, in cap. *Contra idolorum*, &c. et expreſſius de jure verius eſſe teſtatur Genuenſ. in prax. archiepiſcopi, 13. n. 4. &c. Et ita poſt multas rationes concluſum fuiſſe coram S. M. Pii V. ad favorem S. Caroli teſtatur—quicquid in contrarium firment Bobadill. de politic. caſ. 2. c. 17. n. 167. lit. F—et alii ſuſpecti defenſores laicalis juriſdictionis, quos omnes confutat Cirin. nex. rer. eccleſiaſ. c. 3. n. 56. Et ratio ea eſt, quia judex eccleſiaſticus indubitanter judex in præmiſſis caſibus contra laicum, atque adeo acquiſiviſſe dicitur integram juriſdictionem, ut inquiunt Decian. tom. 1. tract. crim. l. 4. n. 1. Farinac. de inquiſit. quæſt. 7. n. 52. et 54. Scacc. de judic. l. 1. cap. 12. n. 52. et 67. Thæaur. dec. 90. ſub n. 6. Maſtrill. dec. 210. n. 3.

Inſuper dubitatur,

XIX.

An, inſpecta diſpoſitione Sacr. Concilii Tridentini in cap. 3. ſeſſ. 25. de reformat. liceat ordinario per medium ſuorum officialium carcerari facere laicos in ſupradictis caſibus abſque auxilio brachii ſæcularis?

Ratio dubitandi in reverendiſſimum archiepiſcopum excitatur à textu conciliari in loco allegato, ubi taliter exprimitur—*In cauſis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus eccleſiaſticis, cujuſcunque dignitatis exiſtant*, &c. *ut abſtineant*, &c. *Sed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias*, &c. *ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios, vel alienos executores faciendam*—Unde dubitatur, an illa verba, *per ſuos, vel alienos executores*, intelligi debeant *diſtributive*, taliter ut verba *per ſuos* referantur ad perſonas eccleſiaſticas, verba vero *per alienos* ad perſonas laicas, ita congrua congruis referendo, ſive potius *conjunctive* in modum, ut valeat ordinarius carcerari facere laicos, tam per ſuos, quam per alienos executores; et propterea in ejus arbitrio conſiſtat alterutrum facere, et, quatenus placeat,

ceat, imploret brachii sæcularis præsidium, quod judex sæcularis requisitus ab ecclesiastico omnino præstare tenetur, alias censuris compelli potest, Panimol. dec. eccles. 12. ad not. 3. n. 49. et 50.

Ulterius, si in examine præcedentis dubii jam firmavimus, quod, inspecto jure communi, permissum est judici ecclesiastico carcerari facere laicos per suos proprios ministros, ut materiam altius reassumendo firmat Sperell. in laudata dec. 4. n. 7. et seqq. inde consequimur, quod Concilium Trident. se conformare voluit cum dispositione juris communis, quam nullo modo alterat, propterea quod remaneat firmum, et immotum, quod judex ecclesiasticus valet carcerari facere laicos per medium suorum ministrorum.

Inspecto autem, et funditus examinato textu Concilii in allegato cap. 3. sess. 25. de reform. recognoscitur, quod illa verba, *per suos, vel alienos*, sunt facultative adjecta respectu judicis ecclesiastici, quia aliquando potest dari casus, quod non habeat promptam militiam ad capiendum reum, unde oportet implorare auxilium brachii sæcularis; vel quod reus sit persona potens, quem sua malitia pertimescat; vel quod demum aliæ urgeant circumstantiæ, quæ suadeant implorare præsidium brachii sæcularis: hæc, et similia fundamenta habuerunt profecto sapientissimi PP. qui tanto Concilio præfuerunt, et in quorum mentibus impossibile est, quod ceciderit cogitatio deminuendi potestatem ecclesiasticam, quam totis viribus conati fuerunt sustinere, ut patet percurrendo universa capita prædicti Concilii, quod etiam suadetur ab indole, et natura alternativæ, quæ adjecta præsumitur in favorem personæ, quæ primario, et principaliter considerata fuit, et ad excitandum illius arbitrium, adnotata per Felin. in cap. *Inter cætera*, sub n. 16. extrav. de rescript. Albert. Fulg. de Castrens. in l. *Quamvis*, ff. de pignorat. action. Vivius, dec. 485. ad fin. l. 3. Grat. discept. forens. cap. 164. n. 10. et seqq.

Hisce constabilitis, quæritur,

XX.

An præmissa procedant tam causis civilibus, quam criminalibus, et ultra delictum hæresis, in omnibus aliis delictis mixti fori?

Concilium Tridentinum in d. cap. 3. sess. 26. de reformat. supponit pro indubitato, quod ecclesiasticus valeat procedere tam in causis civilibus, quam criminalibus; ibi—*Causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit à censuris abstinendum*—Quod etiam pro indubitato supponitur ab omnibus doctoribus, ut videre est penes Panimol. ipsumque Panimol. in dec. 17. ad not. 2. n. 1. et 2. ibi—*Delicta, quæ ab utroque jure civili et canonico puniuntur, et prohibentur, sunt mixti fori*, &c. *Ac proinde laici sortiuntur forum canonicum, et ab ecclesiastico judice puniri possunt, quoties committant crimina communia, vel ecclesiastica.*

Pari felicitate demonstratur, quod hæc facultas in judice ecclesiastico respiciat non solum causas hæresis, sed etiam omnes alias causas mixti fori, ut exemplificat Panimol. in dec. alleg. ubi plures recenset casus; si, nimirum, laicus offenderet clericum; si delinqueret in ecclesia; si raperet sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro; si copulam haberet cum moniali; et similia; atque insequenti adnotatione plures alios casus mixti fori enumerat, super quibus valet ordinarius judicium suum proferre, videlicet incestum, perjurium, lenocinium, et alia. Quia vero adsunt plurima decreta facta à ministris regiis prohibentia, ne laicus carcerari valeat de mandato judicis ecclesiastici sine auxilio, et interpositione brachii sæcularis, ideo fas esse videtur disputare sequens dubium,

XXI.

An statuta, seu decreta laicalia prohibentia capturam laicorum judicibus ecclesiasticis absque auxilio, seu requisitione brachii sæcularis, imo demandantia relaxationem eorundem laicorum absque hujusmodi requisitis carceratorum, sint nulla?

Similia statuta, veluti emanata contra libertatem ecclesiasticam, sunt nulla, dum tollunt id, quod judici ecclesiastico tam jus commune, quam Concilium Tridentinum concedit, ut superius demonstravimus; unde non ligant, sed veniunt omnino de medio tollenda, cap. *Cum terra*, de elect. Dian. resolut. moral. p. 5. tract. 1. de immunit. eccles. resol. 24. in fin. Mart. Antonin. var. resol. l. 1. resolut. 48. n. 24. Bellet. disquisit. cler. tt. de favor. cleric. person. § 2. n. 26. Mart. de jurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 72. Pignatell. cons. canon. 153. n. 24. et seqq.

Subsequitur examen similis dubii:

XXII.

An similiter sit nullum decretum laicale demandans, quod visitatio confraternitatum, aliorumque locorum piorum, tam quoad ornamenta sacra, quam etiam quoad pia relicta, de jure spectet ad laicos, et solum de æquitate ad ecclesiasticos?

Præmittendum venit, quod S. Concilium Tridentinum in sess. 7. de reform. cap. 15. injungit ordinariis, quod, non obstante quacunque exemptione, curent, quod hospitalia à suis administratoribus fideliter gubernentur, in hoc innovando quod disposuerat Concilium Viennense in Clement. *Quia contingit*, de religios. domibus; ibi—*Ordinariis locorum injungimus, ut etiamsi pia loca prædicta exemptionis privilegio munita consistant, per seipsos, vel alios, impleant omnia præmissa, et singula, et rectores eosdem utique non exemptos vero, et alios privilegiatos applicare ad id auctoritate compellant*—Et consonant alia capita ejusdem Concilii in cap. 8. et 9. sess. 22. de reform. et pariter in cap. 8. sess. 25. de reform. Quinimo ordinarii tenentur ad hoc ex præcepto, ut notat gloss. in Clem. *Quia contingit*, verbo *Injungimus*, de religios. domibus; ibi—*Injungimus*, non dicit *permittimus*: per hoc patet, quod ordinarii ad hoc tenentur ex præcepto—Monacell. in formul. leg. pract. tom. 1. tit. 5. n. 5. et seqq. fol. mihi, 92. ubi refert rescripta Sacræ Congregationis Concilii, ex quibus determinatum favore ordinarii remansit, quod idem valeat visitare omnes confraternitates, tametsi fundatas in solo religionis Hierosolymitanæ, et alias quomodolibet exemptas; tale ergo decretum lædens jurisdictionem ecclesiasticam, cæteroquin de jure competentem, est in radice nullum, ut in antecedentis dubii examine demonstravimus.

Supposita favorabili decisione hujusmodi dubiorum, exponitur,

XXIII.

An tam auctores talium decretorum, quam satagentes eorum executionem, incurrant ipso jure excommunicationem in bulla Cœnæ, et alias censuras; et quatenus affirmative?

XXIV.

An ad dictas censuras evitandas sufficiat suspendere eadem decreta, sive potius necesse sit illa penitus abolere?

Bullæ Cœnæ relata à Bonacin. oper. omn. tom. 3. disp. 1. quæst. 16. fol. mihi, 81. taliter disponit—*Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovismodo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ac quarumcunque ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.*

Jam antecedenter demonstravimus, quod allegata laicalia statuta lædunt libertatem ecclesiasticam, dum prohibetur ordinario libera facultas visitandi hospitalia, et alia loca pia, atque exequendi sua mandata contra laicos in casibus, in quibus permissum est eidem judici ecclesiastico exercere propriam jurisdictionem; et per consequens certum est, quod qui similia statuta facit, ordinat, publicat, vel utitur, afficitur excommunicatione bullæ Cœnæ, ut cum relatis Ugolino, Suares, Duard. et aliis, firmat Bonacin. oper. omn. tom. 3. disp. 1. quæst. 16. § 2. punct. 2. n. 40. f. 100.

Supereſt

Supereſt modo recenſere perſonas, quæ tali excommunicatione afficiuntur. Bonacin. ſequendo alios doctores in præfato loco, punct. 3. unica propoſit. à n. 1. et ſeqq. enumerat ſequentes perſonas; nimirum principes, judices, magiſtratus, communitates, conſules, rectores, conſiliarios, dummodo cum eorum ſuffragio, aut ſimili modo, concurrerint ad condenda talia ſtatuta, ſeu decreta, ſenatores, et ſcribentes, quatenus conſiliarii munere fungantur: unde ex prædictis videtur affirmative reſolvendum dubium, in quo diſputatur—*An tam auctores talium decretorum, quam ſatagentes eorum executionem, incurrant ipſo jure excommunicationem in bulla Cœnæ, aliaſque cenſuras*—Nam ultra bullam Cœnæ inferentem excommunicationem, adſunt textus canonici id ipſum præſcribentes in cap. *Gravem*, de ſent. excommunicat. in cap. *Noverit*, eodem, et cap. *Eos, qui*, de immunit. eccleſ. in 6.

Simile affirmative reſponſum expectat ſubalternum dubium continens—*An ad dictas cenſuras evitandas ſufficiat ſuſpendere eadem decreta, ſive potius neceſſe ſit illas abolere?*

Quamvis enim Bonacin. in d. loco, n. 10. quærens—*An magiſtratus, vel rectores civitatis, ſcientes ſervari ſtatutum, vel decretum contra libertatem eccleſiaſticam, nec impedientes, excommunicatione impoſita à bulla Cœnæ afficiantur*—et collecta manu aliorum doctorum, reſpondeat negative, ea adjecta ratione, quod bulla Cœnæ in hoc caſu infert excommunicationem ob poſitivam actionem, atque ideo nequeat incurri ob omiſſionem:

Attamen, ultra quod contrariam opinionem ſectantur Navar. in cap. 17. n. 129. Reginald. lib. 9. cap. 23. ut teſtatur ipſe Bonacina—ceſſat in univerſum neceſſitas diſputandi, quia habemus binos ſacros canones inferentes excommunicationem contra eos, qui abolere non faciunt ſtatuta læſiva juriſdictionis eccleſiaſticæ.

Profecto in cap. *Gravem*, de ſent. excommunic. Honorius XIII. mandavit excommunicari officiales locorum, in quibus ſunt ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem, niſi ea deleri fecerint, in § *Ideoque*; ibi—*Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus in conſiliarios, et officiales civitatis ipſius, niſi ſtatuta ipſa de capitularibus ſuis deleri fecerint, et idonee, ſicut exigit res, caveri, quod ſimilia de cætero non debeant attentare*—Notando, quod excommunicatio inducta ab hoc textu eſt ipſo jure lata, ut notat gloſſ. in dict. cap. verbo *Promulgare procures*, et Alter in diſp. 16. cap. 4. ſub fin. verſ. *Eadem excommunicatio*, et Bonac. opera omn. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 16. ſect. 2. punct. 4. n. 3. ubi explicat illa verba—*Excommunicationis ſententiam promulgare procures*—Quod, ſcilicet, Papa intellexerit dicere—*Procura promulgari, ſeu denuntiari excommunicatos.*

Secundus textus canonicus eſt famigeratum cap. *Noverit*, de ſent. excommunicat. ubi idem Papa Honorius taliter reſcribit—*Excommunicamus omnes, qui de cætero ſervari fecerunt ſtatuta, edicta, et conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem: niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri.*

Diſputari ulterius debet,

XXV.

An ad judicem eccleſiaſticum privative ſpectet cognoſcere cauſas admiſſionis, ſive ejectionis confratrum, electionis ſuperiorum, aliorumque officialium quoad confraternitates habentes ſtatuta ab ordinario approbata?

Quoties confraternitas dijudicari debet, tanquam corpus eccleſiaſticum, dubitare nullo modo poſſumus, quin eccleſiaſticus ſit judex privativus, quoad recenſitas cauſas: ſimiles autem confraternitates ad pium opus inſtitutæ, habentes ſtatuta ab epiſcopo confirmata, dijudicantur ſemper eccleſiaſticæ, ut advertit Nicolius in floſculis, verbo *Confraternitas*, ſub n. 2. verſ. *Secus ſit*, Rott. Cor. Cero, dec. 226. n. 32. in modum, ut ordinarius poteſt intervenire in congregationibus; et quatenus non ſequatur electio novorum officialium, valet idem ordinarius imponere confratribus pœnas, aliaque peragere enumerata ab eodem Nicolio in dict. verbo *Confraternitas*, n. 6. et ſeqq. ea reddita ratione, quia ordinarius ſuper confraternitatibus habet plenariam juriſdictionem, etiam extra viſitationem; et refert reſolutionem Sacræ Congregationis Concilii die 12. Januarii anno 1629. in reſponſione ad Sanctiſſimum; et multum confert conſtitutio Clem. VIII: quæ incipit—*Quæcunque à Sede*, relata in bullar. tom. 3. in ordine Lat. 115. ut teſtatur Matucc. official. cur. eccleſiaſt. cap. 114. n. 2. ubi emergit, quod à Summo Pontifice fuerunt conſimiles confraternitates ſuppoſitæ juriſdictioni ordinarii.

E converſo itaque juriſdictionem habere non poterit in hujuſmodi cauſis judex laicus, tum quia dictæ confraternitates conſiderantur ut corpus eccleſiaſticum; tum etiam quia per decreta Sacrarum Congregationum, et per papales conſtitutiones, fuerunt ſubjectæ auctoritati eccleſiæ. Unde laici juriſdictio conquieſcit.

Succeſſive dubitandum venit,

XXVI.

An integra familia archiepiſcopi compoſita ex referendariis ſcriptoribus, famulis, aliiſque officialibus habentibus patentes, et certa mercede conductis, gaudeat privilegio fori?

Affirmativum reſponſum ſuadet pontificius textus in cap. fin. § *Petiit*, de offic. archidiac. ibi—*Specialibus ipſius archiepiſcopi, et hominum, ac familiæ ſuæ cauſis dumtaxat exceptis*—Et hoc firmant omnes canoniſtæ dictum textum repetentes, ut teſtatur Abb. Panormitanus ibidem, n. 6. gloſſ. in cap. *Clericum*, verſ. *Idem dico de ſervientibus, et mancip. clericor.* 11. quæſt. 1. gloſſ. in cap. *Eos*, verſ. *Ad hoc*, 32. diſt. ibi—*Ad hoc poteſt dici, quod cum ſit de familia ſacerdotis, eſt de foro eccleſiæ*, gloſſ. in cap. *Generaliter*, § *Juxta in verba mancipia*, 16. quæſt. 1. quas gloſſas habere locum in familia epiſcopi, teſtatur Fagnan. in cap. *Nullus*, de for. compet. n. 23. ibi—*Tertio, gaudet foro privilegii familia epiſcopi*, &c. et de communi opinione teſtantur Abb. &c. quam etiam ſervat curia Fermoſin. in cap. *Eccleſia S. Mariæ*, 10. quæſt. 41. n. 32. de conſt. Nicolius in floſculis, verbo *Familiares*, ante numer. 1. Solorſ. de jur. Indiar. tom. 2. l. 3. cap. 8. Narbon. l. 20. gloſſ. 1. n. 27. et gloſſ. 22. n. 4. tit. 1. et tit. 4. recop. Galup. in prax. p. 1. cap. 6. à n. 27. Panimol. pauſinom. ſeu *idea ſedandi jurgia forenſ.* conſt. 39. n. 3. ubi refert plenam manum doctorum, et binas reſolutiones Sacræ Congregationis epiſcoporum, et regularium, Burg. de modo procedendi ex abrupto, tom. 1. quæſt. 65. n. 81. Layner ad Gom. tom. 3. cap. 20. n. 7. verſ. *Item familiares*, Guaſin. defenſ. reorum, 20. cap. 9. n. 23, 24. Gambacur. de immunit. eccleſ. l. 7. cap. 11. n. 9. Thor. compend. dec. p. 1. verb. *Familia epiſcoporum*, Genuenſ. in prax. curiæ archiepiſc. cap. 9. n. 4. qui refert, ita deciſum fuiſſe in regno Neapolitano; Giurb. conſ. 70. n. 20. et conſ. 88. in fin. ubi bis deciſum recenſet; Dian. reſolut. moralium, p. 5. tract. 1. c. 1. et part. 6. tract. 2. reſolut. 1. cum ſeqq. Cortiad. dec. 8. n. 2. tom. 3. Gratian. dec. March. 292. et diſcept. forenſ. c. 340. et cap. 341. Fontanell. dec. 336. tom. 2. per tot. qui ita deciſum refert favore fiſci curiæ archiepiſcopalis Tarracon. Franceſ. Urryttigoyſti de compet. juriſdictione, quæſt. 43. n. 27. et 28. Cened. in quæſt. canon. quæſt. 4. n. 26. Pignatell. conſ. canon. 82. tom. 1. ubi reprobat contrarium ſentientes, et ſub n. 5. teſtatur taliter decidiſſe Sacram Congregationem epiſcoporum tempore Pontificis Pauli V.

Poſito, quod antecedens dubium affirmative reſolvatur, examini ſubjicere volumus,

XXVII.

An, quatenus præfatæ perſonæ de mandato judicis laici carcerentur, liceat judici eccleſiaſtico illos excarcerari facere per medium cenſurarum?

Præmitto pro faciliori hujuſmodi dubii reſolutione, quod omnes illæ perſonæ dicuntur eccleſiaſticæ, quæ ſub laicorum genere non comprehenduntur, et privilegio

legio fori gaudent, cap. *Duo ſunt genera hominum*, in quæſt. 1. Sayr. de cenſ. l. 3. cap. 19. n. 7. Duard. in bulla Cœnæ, quæſt. 3. n. 1. Navarr. in manual. cap. 24. n. 79. Si autem trahendo ad tribunal laicum gaudentes privilegio fori incurruntur cenſuræ, ergo judex eccleſiaſticus valet ſub pœna cenſurarum excarcerari facere ſuos familiares indebite carceratos de mandato judicis eccleſiaſtici: volumus autem ſuſtinere, quod judex laicus incurrat excommunicationem in bulla Cœnæ, quia firmat Bonacin. oper. omn. diſp. 1. quæſt. 16. ſect. 1. punct. 3. ſub n. 7. verſ. addunt, quod judices laici carcerari facientes familiares epiſcoporum non incurrant talem excommunicationem in bulla Cœnæ; bene vero pro excarceratione patentati, et illius remiſſione ad judicem eccleſiaſticum, minari poteſt excommunicatio; nam eo ipſo, quod laico innoteſcit qualitas eccleſiaſtica, ſi ſtatim eccleſiaſticum non demittat, incidit in excommunicationem, ut, cæteris relatis, firmat Sperell. dec. eccleſ. 17. n. 22.

Tranſeundum modo eſt ad alia dubia cæremonialia; videlicet,

XXVIII.

An regulares, quantumvis exempti, ac privilegiati, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, etiam Societatis Jeſu, teneantur non modo in canone, ſed etiam in collectis, prælatum ordinarium loci, et minime proprium ſuperiorem regularem, etiam ordinariam juriſdictionem habentem, nominare?

V. etiam Dian. Co-ordin. l. 2. t. 1. reſ. 194. § 1. de celebr. miſſ. et Rodrig. in ſum. tom. 4. c. 11. n. 13. Villalob. p. 1. tr. 8. dif. 31. n. 3.

Pignatell. in conſ. 297. tom. 1. promovit hanc præciſam quæſtionem, eamque reſolvit favore epiſcopi, teſtando ulterius, quod ſacra congregatio Concilii conſulta à nuntio Hiſpaniarum ita reſpondit:

Suppoſita reſolutione affirmativa, diſputatur,

XXIX.

An, ſi contrafaciant, poſſit ordinarius cenſuris, et aliis pœnis, in eos procedere juxta facultatem Tridentini?

Cenſeo, quod ſic; nam, ſubſiſtente, quod regulares peccarent, ſi omitterent, in canone, et collectis miſſarum, commemorationem pro ordinario eccleſiæ, quod ſit locus cenſuris, quarum relaxatio concedi ſolet pro abſtergendo actu peccaminoſo, ut admittunt omnes canoniſtæ, et theologi, cenſurarum materiam pertractantes.

Dubitatur,

XXX.

An tollenda ſit poſtpoſitio epiſcopi poſt regem, et reginam, in collectis, prout etiam ſit toleranda conjunctio proregis cum exercitu ſuo ultimo loco?

Ex miſſali Romano clariſſime patet, quod tam in collectis, quam in canone, præferatur ordinarius ipſi principi ſæculari: unde eo minus ſubſiſtere poteſt conjunctio proregis cum exercitu ſuo; quod conſonum videtur diſpoſitioni juris, qua cavetur, quod ordinarius præferatur in omnibus principi ſæculari, c. *Solitæ*, de majorat. et obedient. et ibi Joann. Andreas, necnon Hoſtienſ. col. 4. ſuper verbo *Juxta ſcabellum*, et in verbo *Siniſtra*, et in verb. *Venerabilem*, Bellarner. n. 7. Chaſſan. in catalog. flor. mund. 4. p. conſ. 25. Leonius in theſaur. for. eccleſ. p. 1. cap. 1. n. 28. ſuper quo adverſus ordinarios conniventes, valde increpat Concil. Trident. in ſeſſ. 25. cap. 17. de reform. verum cum in propoſito dubio ſupponatur conſuetudo poſtpoſitionis epiſcopi poſt regem, et reginam, atque etiam conjunctio proregis cum exercitu ſuo, valde dubito, quod,

Licet tale dubium favore hujus reverendiſſimi archiepiſcopi in Romana curia reſolvatur, quod tamen in partibus executioni minime demandabitur; et propterea conſiderandum prudenter venit, an idem dubium ſit publicandum, et deciſioni EE. PP. ſupponendum.

XXXI.

An in miſſis ſolemnibus, præſente proprio ordinario parato cum capa, vel aliquam pontificalem actionem exercente, regulares, quantumcunque exempti, privilegiati, vel non privilegiati, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, teneantur conſuetos honores eidem ordinario præbere, tam in baldachini erectione, quam in benedictionibus, thurificationibus, deoſculatione miſſalis poſt evangelium, captione benevolentiæ in concione?

Præmitto, quod Concilium Viennenſe ſub Clem. V. relatum in Clem. XI. de privilegiis, concedit epiſcopis, et archiepiſcopis, ut, etiam in locis exemptis, poſſint populo benedicere, divina officia privatim, vel publice audire, et in pontificalibus celebrare, quovis privilegio non obſtante: et indubitatum eſt, quod in eccleſiis regularium poteſt epiſcopus celebrare abſque licentia, quia non celebrat tanquam ſimplex ſacerdos, ſed tanquam ordinarius; et propterea poteſt celebrare cum ornamentis pontificalibus, quæ ſunt annexa cum perſona, cui inſunt tanquam cum ſuo principali, teſte Panimoll. conſ. 45. n. 17. tom. 7.

Hoc poſito, habemus, quod ſacra congregatio epiſcoporum, et regularium, de anno 1603. facto verbo cum Clemente VIII. eo temporis Summo Pontifice, per legem generalem decrevit, quod ordinarii locorum poſſint intereſſe in quibuſcunque regularium eccleſiis induti pontificalibus paramentis cum mitra, vel ſola capa, vel pontificalia exercere, ſive iſti regulares ſint Mendicantes, ſive non Mendicantes; monachi etiam Caſſinienſes, clerici preſbyteri, et cujuſvis alterius ordinis, religionis, militiæ, ſocietatis, aut congregationis, et iſti regulares quomodolibet exempti, tenentur baldachorium attollere in loco ad ſolium epiſcopi conſtituendum opportuno, et congruo; eiſque id facere negligentibus, ſeu renuentibus (ſunt verba reſcripti) *Liceat eiſdem epiſcopis illud aſportari, et in quacunque exempta eccleſia ſupra epiſcopale ſolium, ſeu pontificale faldiſtorium erigere facere, atque ſub eo ſedere, et ſtare, quemadmodum in propriis, et cathedralibus eorum eccleſiis ſedere, et ſtare ſolent*—Quale decretum genericum refert Peyrin. in privileg. minim. tom. p. conſtit. 26. Leonis X. § 24. n. 25. et reaſſumit Pignatell. conſ. 45. n. 20. tom. 7.

Sicuti ergo ordinarius in his circumſtantiis facit figuram ſuperioris, non eſt dubium, quin etiam ultra baldachini erectionem cæteri honores eidem debeantur in benedictione, thurificatione, deoſculatione miſſalis poſt evangelium, et captione benevolentiæ in canone.

Subjungit reverendiſſimus archiepiſcopus,

XXXII.

An, ſi prædicti regulares renuant, poſſit epiſcopus cenſuris, et aliis pœnis, eoſdem regulares ad id cogere?

Præfata ſacra congregatio epiſcoporum, et regularium, in laudato decreto generali, ut ſupra edito, ſubjunxit—*Siqui vero regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, et mandato inobedientes, et contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem epiſcopis ad id per cenſuras, et pœnas eccleſiaſticas, et hujus decreti virtute cogi, et compelli poſſe, aliiſque pœnis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, arbitrio Summi Romani Pontificis ſubjacere, et obnoxios fore*—Et quod ſemper in hiſce caſibus poſſit epiſcopus cenſuras adhibere adverſus regulares inobedientes, teſtatur Pignatell. in laudat. conſt. 45. n. 20.

Anteponitur in dubio,

XXXIII.

An tolerari debeat abuſus thurificandi per ſubdiaconum paratum ſive ſæcularem, ſive regularem, præſidentes confraternitatum, proviſores, alioſque confratres menſæ Miſericordiæ, id fieri debeat ab acolytho?

Cæremoniale epiſcoporum approbatum à Clemente VIII. l. 1. cap. 23. præſcribit modum thurificandi epiſcopos, et alios præbentes aſſiſtentiam veſperis, vel miſſæ; quoad veſperas, decernit, quod epiſcopus illas ſolemniter celebrans thurificatur à primo preſbytero aſſiſtente parato, qui poſtmodum dat thuribulum in manibus ſubdiaconi,

diaconi, vel alicujus acolythi, vel alias, &c. qui thurificat reliquos omnes de choro. In miſſa vero, cum epiſcopus eſt apud altare, thurificatur ſemper à diacono evangelii parato; cum vero eſt apud ſedem, videlicet finito evangelio, thurificatur à prædicto preſbytero aſſiſtente pluviali parato, &c. Sed, ſi celebret apud faldiſtorium, puta præſente legato, vel metropolitano, thurificatur ab eodem diacono, qui et alios de choro thurificat: deinde dat thuribulum in manu alicujus acolythi, qui primo ipſum diaconum, à quo recipit thuribulum, mox alios, ſiqui in choro ſuperſunt, et reliquum populum thurificat. Quod ſi adeſſet legatus, rex, aut princeps magnus, nihilominus eædem perſonæ ipſos thurificarent, quas diximus epiſcopum celebrantem thurificare: ergo allegatus textus Concilii præ ſe fert, quod à miniſtro parato, qui thurificat ordinarium, non aliæ perſonæ thurificari debeant, quam legatus, rex, aut princeps magnus; unde tolerandum non venit, quod ſubdiaconus paratus, qui thurificat ordinarium, thurificet quoque præſidentes, proviſores, et confratres menſæ Miſericordiæ; ſed hi omnes debent eſſe contenti recipere thurificationes ab acolytho; quod tamen non militabit reſpectu proregis, quia debet conſiderari tanquam princeps magnus; et propterea, juxta diſpoſita in eodem cæremoniali, qualificatam thurificationem promeretur; ad quem effectum, ut melius cadant noſtræ prætenſiones, taliter componerem idem dubium.

Adverto, quod obſervantia, ſiqua probaretur à dictis præſidentibus, et aliis confratribus in recipiendis thurificationibus à ſubdiacono parato, in nihilum relevavaret, ea ratione, quia Clemens VIII. confirmator cæremonialis epiſcoporum, expreſſe derogavit quibuſcunque conſuetudinibus contrariis cæremoniis, ordinatur in eodem cæremoniali, teſte Rott. in deciſ. 647. n. 11. et ſeqq.

Dubium XXXIV.

An, præſente proprio epiſcopo in eccleſia, debeant concionatores veniam à ſolo ordinario captare, ſive etiam proregi, et quatenus affirmative; an eadem venia à prorege capi debeat primo, vel ſecundo loco?

Si loquimur de prioritate veniæ, iſta videtur primo loco petenda ordinario, cum ſit effectus præcedentiæ, qua ordinarius obtinet ſuper ipſum ſæcularem principem abſolutum: honor namque præcedentiæ debetur digniori, quando concurrit cum minus digno: ſi enim actio conſiſtit in ſedendo, honor eſt exhibendus in ſede, gloſſ. in cap. *Statuimus*, de majorit. et obed. Bald. in l. *Decernimus*, cod. de ſacroſ. eccleſ. ubi ait —*In ſedendo honor conſiſtit, quod dignior à dextris, inferior à ſiniſtris ſedere debet*—Anon. in cap. *Solitæ*, de majorit. et obed. ibi—*Prælati ſunt ponendi ad dextram, ſæculares ad ſiniſtram, ratione præeminentiæ*—Si actio conſiſtat in ambulando, dignitas ambulare debebit ad dextram, Butr. in d. c. *Solitæ*, n. 20. verſ. *Nota pro Imol.* ibi n. 11. verſ. Et ſic etiam, ſi conſiſtit in loquendo, et dignior prius loqui debet, Eccleſiaſtic. xxxii. ibi: *Loquere, major natu: decet enim te*—Si in ſententia dicenda, votumque ſuum reddendo, et dignior præfertur, Præpoſitus in cap. *Epiſcopus*, 17. diſt. col. 2. Si in conſulendo, et ſenioris eſt officium, *Roman. ſingul.* 81. Si in ſubſcribendo, et prius ſubſcribit ille, qui majori eſt præditus dignitate, Rott. dec. 322. n. 6. p. 6. recen.

Crederem propterea, urgente conſuetudine, quod venia petatur etiam à prorege, quod talis conſuetudo poſſit ſuſtineri; nec reperii auctorem contrarium ſentientem, vel decretum adverſans: attamen, ſi conſuetudo eſſet, quod venia primo loco proregi peteretur, hæc conſuetudo reprobanda veniret; cuilibet enim exhiberi debet honor, ſecundum quod fert dignitas, et gradus cujuſque, quod nedum dictat ratio decentiæ, ſed etiam jubet juſtitiæ rectitudo, ut advertunt Leonell. de præcedent. homini, quæſt. 1. art. 18. et quæſt. 3. art. 4. prope finem; et eadem quæſtio art. 8. Chaſſan. in catal. glor. mund. p. 1. conſid. 1. et propterea diſputari poterit, reſpectu hujus puncti, ſubſequens dubium,

XXXV.

An obſtet aſſerta conſuetudo?

XXXVI.

An, aſſiſtente archiepiſcopo parato, vel non parato, miſſæ ſolemni, vel officiis divinis, ſimul cum proprio capitulo, et poſtea accedente prorege, debeat capitulum, quod cum prælato unum corpus efficit, hoc deſerto, proregem ad januam eccleſiæ receſturum deſcendere; et an aliqui tantùm de capitulo, et quot?

Indubium videtur non licere integro capitulo deferre ſuum archiepiſcopum pro excipiendo prorege, quia eſſet ſeparare membra à capite, et ſic lacerare corpus, et tenderet in dedecus archiepiſcopalis miniſterii tali pacto penitus derelicti: attamen ſi conſuetudo obtineat, quod proreges per canonicos excipiantur, poterunt deputari duo, aut tres, prout arbitrabuntur eminentiſſimi judices.

XXXVII.

An tribunal ſanctiſſimæ inquiſitionis poſſit mittere chartam precatoriam, vel advocatoriam culparum ipſi tribunali non attinentium pro ſuis miniſtris, vel officialibus religioſis, vel ſæcularibus aſſiſtentibus, vel non aſſiſtentibus?

Certum eſt, quod officiales ſancti officii gaudent privilegio fori, tam active, quam paſſive, prout ſunt vicarius, notarius, fiſcalis, baroncellus, cuſtos carcerum, et ſimiles neceſſarii miniſtri, ut notat Pignatell. conſ. canon. 94. tom. 8. et tale privilegium conceſſum dicitur ob publicam utilitatem in modum, ut iidem miniſtri nequeant hujuſmodi privilegio renuntiare, ut advertit idem Pignatell. in antecedente conſult. 90. tom. 8.

Quod procedit indiſtincte in omnibus cauſis cujuſcunque ſpeciei: nam, quamvis Urbanus VIII. de voto tribunalis ſancti officii mandaverit ſcribi omnibus inquiſitoribus, ut in cauſis familiarium, et officialium ſancti officii, ad illud tamen non ſpectantibus, tam civilibus, quam criminalibus, active, et paſſive, nullo modo ſe ingererent relinquendo illarum cognitionem judicibus ordinariis, et competentibus, ſolumque incumbendo cauſis competentibus ad S. fidem, aut ab ea dependentibus, ſive in cauſis officialium quomodolibet delinquentium in officio; attamen, teſte eodem Pignatell. in conſ. 83. n. 4. d. tom. 80. hujuſmodi decretum effectum non habuit, ſed cum ſanctiſſime omnes cauſæ fuerunt examinatæ ab ipſo tribunali ſancti officii, prout de facto in fortioribus terminis allegat Pignatell. exemplum notarii in d. conſult. 90. unde valde dubito, quod tale dubium reſolvatur in favorem tribunalis ſanctiſſimæ inquiſitionis.

Succeſſive dubitatur,

XXXVIII.

An ordinarius poſſit declarare, vel denuntiare aliquem regularem, vel ſæcularem, incurſum in cenſuras bullæ Cœnæ, aut alias in jure latas, propter impedimentum exercitio illius juriſdictionis poſitum, aut quid ſimile, non obſtante, quod impediens ſit commiſſarius, miniſter, aut officialis ſancti officii?

Pro reſolutione hujuſmodi dubii favore ordinarii urgent plurima rationum momenta, quæ in examine 4. dubii recenſita fuerunt: nam, eo ipſo, quod ordinarius valet ſuam juriſdictionem exercere in particularibus cauſis ſuper exemptis, et iſti exempti turbant ſuam juriſdictionem jam indubitanter in dictis caſibus competentem, ordinarius valet denuntiare iſtos exemptos incurſos in cenſuras latas à jure, vel à bulla Cœnæ, ex ea ratione, quod, quamvis non valeat exerceri juriſdictio, valet tamen fieri denuntiatio; quia explicatur id, quod de jure ineſt in modum, ut factum ordinarii in nulla habeatur conſideratione reſpectu juriſdictionis, quæ in ſimili, et mera denuntiatione, ſeu declaratione, non dicitur exerceri.

Qui enim turbat juriſdictionem eccleſiaſticam, illico proprio facto efficitur de foro eccleſiæ; et poteſt punire non ſolum privatas perſonas, ſed et publicas habentes dignitatem, ac juriſdictionem; et quamvis judex, cujus turbata eſt juriſdictio, nullum penitus in turbantem haberet jus, ut relatis Ancharana, Decio, Innocentio, et

et Hoſtienſe, firmat Sperell. deciſ. eccleſiaſt. 160. n. 34. et 35.

XXXIX.

An liceat ordinario procedere per cenſuras, et alias pœnas, contra cæteros patentatos ſancti officii, qui tamen non ſint miniſtri, et officiales gaudentes privilegio fori, quatenus turbent, uſurpent, inhibeant, aut quomodocunque impediant ejuſdem ordinarii juriſdictionem?

Taliter itaque componerem iſtud dubium reſpiciendo alios patentatos, qui non gaudeant privilegio fori active, et paſſive; nam de illis jam loquitur antecedens dubium; quod propterea non videtur duplicandum, ſive reiterandum, ſed reſtringendum ad alios patentatos, qui non gaudent illo particulari privilegio fori tam active, quam paſſive; prout ſunt vicarius, notarius, fiſcalis, baroncellus, cuſtos carcerum, et alii neceſſarii ad notata per Pignatell. in laudata conſult. 94. tom. 8.

Si ergo in hoc ſecundo dubio agitur de meris patentatis, non autem de miniſtris neceſſariis, jam patet, quod, reſpectu hujuſmodi patentatorum, tanquam non gaudentium privilegio fori, nec active, nec paſſive, eſt firma, et immota in ordinario totalis juriſdictio; proinde ad omnes, et ſingulos effectus exercenda.

In caſu autem, quod purpurati PP. contrarium deciderent, quodque determinarent, ordinarium non poſſe ſimiles cenſuras proferre, ex quo alias officialis excommunicatus non poſſet participare cum aliis officialibus, unde reſtantes tribunalis confunderentur, hinc principalis reverendiſſimus exoptat diſputare conſequens dubium,

XL.

An ſaltem poſſit ordinarius in præmiſſis caſibus procedere cum clauſula, quod cenſura maneat ſuſpenſa quoad communicationem cum reliquis comminiſtris in ordine ad ſacrum tribunal attinentia, manente expedita quoad alios, et alia?

Hactenus non reperi doctores, qui firment cenſuras in parte ſuſtineri, et in parte non; et cenſuratum cum uno genere perſonarum communicare poſſe, cum altero non; prout etiam unum negotium peragere poſſe, altera non; ideoque cenſerem prætermittere examen hujuſmodi dubii, niſi aliter fuerit à ſeniori concilio judicatum.

Dubitat demum reverendiſſimus archiepiſcopus,

XLI.

An, ſi utrovis modo ordinarius procedat, poſſint inquiſitores annullare dictas cenſuras, prætextu, quod valeant procedere contra impedientes rectum ſancti officii miniſterium, aut prætextu privilegii Urbani IV.

Tale dubium venit favore ordinarii reſolvendum. Ratio eſt clariſſima: ſi enim ex ſuperius connotatis conſtat, quod ordinarius valet in hujuſmodi cauſis procedere, et proinde denuntiare excommunicatos tam neceſſarios miniſtros, quam cæteros patentatos indebite turbantes illius juriſdictionem, inde fit, quod talis denuntiatio, tanquam valida, et juſta, non poteſt declarari nulla; nec ordinarius talia peragendo dicitur impedire rectum ſancti officii miniſterium, quia non immittit falcem in cauſas fidei, ſed tantum ſuo jure utitur contra illos, qui ſub prætextu privilegii non debent alterius juriſdictionem turbare, eoque minus offendere ordinarium peragentem id, quod, inſpecto quocunque jure, complere debet.

IV. Expoſita in examine cujuſcunque dubii ſatis eſſe videntur pro dignoſcenda ejuſdem dubii proprietate, et relevantia; nam, de cætero, in propoſitione cauſæ magis diffuſe explanabitur fundamentum uniuſcujuſque dubii, et uberiori calamo recenſebuntur auctoritates tam doctorum, quam tribunalium.

Et ita conſulerem.

LAURENTIUS BONDAVA.

V. Sic abſolvebatur conſultatio præmiſſa, ab eminentiſſimo cardinale Porunte juſſa, et à ſapientiſſimo juriſconſulto præfato ordinata; cujus tamen, et ſingulorum dubiorum finalis deciſio adhuc deſideratur. Promittitur tamen adhuc ſubjungenda, ſi opportune pervenerit.

ALLEGATIO LXXI.

In Recurſu Judicis Orphanorum Oppidi Alcoutim Algarbienſis Diœceſis à Vicario generali declarati in cenſuram Canonis Siquis ſuadente, *&c.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries narratur.*
II. *Sententia recurſus officiales agnoſcens incurſos in cenſuram can. conſequenter etiam debebat agnoſcere mandantem, et ratificantem diſtrictionem ſacrilegam.*
III. Ratihabitio retrotrahitur, et æquiparatur mandato; et conſentientes, et facientes, in eadem ſunt pœna.
IV. *Qui potuit prohibere percuſſionem, et non prohibuit, contrahit cenſuram can.*
V. *Miniſtri regii, et alii judices ſæculares, nec indirecte, aut incidenter poſſunt cognoſcere de quæſtione ſpirituali.*
VI. *Eſt etiam praxis Caſtellæ, et Galliæ, et definita in Concil. Lugdun.*
VII. *Eximius Soar. non recte adducitur ad caſum præſentem.*
VIII. *Dato, quod declaratoria notorie injuſta foret, non tamen violenta.*
IX. *Poteſt dari injuria, quæ non ſit violentia.*
X. *Recurſus eſt remedium extraordinarium, et ſubſidiarium; et nequit intentari in mediis ordinariis exhauſtis.*
XI. *Quod ex utriuſque definitione confirmatur.*
XII. *In declaratoria cenſurarum, etiam contra laicos, non datur regiæ juriſdictionis uſurpatio.*
XIII. *Laici, ſemel, quod baptizati ſint, ſunt immediate ſubditi eccleſiæ, et illius cenſuris à jure ſubjecti.*
XIV. *Clauſula ſententiæ recurſus, rogans nullam declarari cenſuram, erat nulla, exorbitans, et ſacrilega.*
XV. *Neque circa hoc aliqua circumfertur concordia; et, ſi daretur, foret contra ſacros canones, et contra ipſammet pontificiam confirmationem.*
XVI. *Areſtum ædilis ap. Peg. erat toto cœlo diverſum.*
XVII. *Extorſio miniſtrorum Henrici* II. *regis Angliæ à S. Thoma Cantuarienſi, fuit, ut cenſuras nullas declararet.*
XVIII. *In illa clauſula notoria violentia irrogabatur eccleſiaſticæ juriſdictioni, à qua ipſi viciſſim recurſus competebat.*
XIX. *Poſt ſecundæ chartæ tranſmiſſionem, recurrens celeri morte præventus, palatini ſenatus ultimam deciſionem evaſit.*

I. JUDEX laicus orphanorum, qui ſimul judex erat teloniarius terreſtris portii Alcoutimi hujus Algarbiorum regni (me jam in illo exiſtente) officialibus ſuis ordinavit, ut ſacriſtam paroeciæ illius oppidi caperent, etiamſi ſuperpelliceo veſtitus in actu aliquo eccleſiaſtico actu incederet, non tamen intra eccleſiam, vel parochialem domum, neque ſi extra illam crucem proceſſionaliter deferret, ob culpam quandam, judicio ſuo attinentem, cujus reum eſſe dicebant. Quem quidem ſacriſtam, etſi laicum, cum officiales ipſi ab adminiſtratione extremæ unctionis cuidam moribundo ſuper mulam ſimul cum parocho

inſi-

inſidentem regreſſum invenirent, mulam ſiſtentes, et eidem manus injicientes, ut eum tenerent, non obſtante ſacri olei ampulla, quam manu portabat, ſeſe cum parocho ſacriſta fortiter amplexante, utrumque ad terram violenter, et ſacrilege, officiales detruſerunt. Quam quidem capturam præfatis circumſtantiis veſtitam judex ipſe approbans, et ratificans, ſacriſtam in laico carcere recluſit. Notificati autem ad extrajudicialiter *allegandum, quare*, &c. poſt competentem captam informationem, cum nil allegarent, declarati tandem fuerunt primo executores officiales, et poſtmodum judex mandans, et ratificans. Qui quidem exemplum officialium abſolutionem à cenſura ſupplici-ter deprecantium non ſequens, à declaratoria recurſum ad coronæ judicium Ulixbonenſe interpoſuit. Cujus ſupplicationis libelli facta copia meo vicario generali, nil reſpondit, æſtimans ſane, ſufficientiſſimam quidem fore promotoris allegationem in actis extenſam ad rem convincendam, et ipſius juſtitiam demonſtrandam. Diverſiſſimus tamen eventus evaſit, in proviſione recurrentis ſequenti fundamento innixæ; quod, ſcilicet, *approbaret, aut ratificaret capturam tantum, quæ quidem factum erat diſtinctum à violentia ſacrilega, qua ipſa affecta erat.* Et tandem incurialiter commendabatur in proviſionali decreto, quod *cenſura nulla declararetur.*

II. Epiſtolæ igitur primæ rogativæ reſpondit generalis vicarius, quod, poſito, quod ſententia recurſus agnoſcebat officiales executores incurſos, ac ligatos cenſura canonis *Siquis*, ex captura, quam violentam, ac ſacrilegam fatebatur; implicite eadem ligatum agnoſcere, et fateri debebat recurrentem expreſſe eam mandantem in quolibet actu, et caſu, dempto unice deportandi crucem proceſſionaliter, et poſtea individualem capturam illam, præmiſſis circumſtantiis veſtitam, expreſſe ratificantem, ac ſi præſens illam non impediens, cum poſſet, tacite approbare videretur, ſecundum doctrinam Delben. de immunit. d. 3. Pignatell. tom. 1. conſ. 135. n. 1. *Contra mandantes, vel ratum habentes, ſive illi conſentientes, vel auctoritatem præſtantes, ac demum illum non impedientes, et probibentes, quando id facere poſſunt, cap. de ſent. excommun.*

Ad quem quidem realem incurſum prædictæ cenſuræ ratificatio tacita ſufficeret; Pignatell. cit. n. 2. *Ratificatio ſufficiens eſt, ſive ſit expreſſe, ſive tacita, ex factis ſubſecutis, vel aliis conjecturis reſultans, l.* Paulus, *ff.* Rem ratam hab. *Farinac. q.* 86. *n.* 36. *et q.* 134. *n.* 11.

III. Cui ſuffragatur regul. 10. de regul. jur. in 6. quæ etiam eſt juris Cæſarei, l. *Hoc jure*, eodem titulo, *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato, non eſt dubium, comparari.* Imo *ex tolerantia illius reſultat delicti ratificatio*; Pareſ. conſ. 74. n. 22. Menoch. præſumption. 27. n. 12. l. 5. Farin. q. 24. n. 42. et q. 134. n. 76. ubi dicit, *hanc eſſe communiter receptam.*

Et ſecundum diſpoſitiones juris can. c. *Quantæ*, de ſentent. excommun. pro hujuſcemet cenſuræ reali incurſu ſancitur: *Facientes, et conſentientes, impari pœna plectendos, catholica condemnat auctoritas. Delinquentibus favere interpretantur, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare; et qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet, l.* Si non fuerit; *ub. gl. ff. de jur. jurand.*

Conſimile quid diſponitur reſpectu faventium, et conſulentium quomodolibet *directe, vel indirecte, aut alias conſilio, auxilio, vel favore*, &c. ut in can. 15. et 16. bullæ Cœn. c. *Mulieres*, de ſent. excom. c. *Conqueſt.* eod. tit. in 6. cit. can. *Siquis*, 27. q. 4. et pluribus aliis, et lex reg. municipalis expreſſe ordinat, l. 3. tt. 64. in princip. *ubi peccatum intervenerit, ſecundum jus canonicum judicari.* Quod etiam ad præſens coronæ judicium abſolute nuperus extendit Oſor. de patron. reſ. 40. n. 11. *Judices coronæ debent judicare ſecundum leges canonicas.* Quibus cohærens opinio omnium DD. theologorum, et canoniſtarum, nemine diſcrepante, cenſuram hanc *effectu ſecuto contrahere docet, non ſolum mandantes, et conſulentes, ſed etiam ratam habentes percuſſionem*, Leo theſaur. p. 3. c. 4. n. 45. Barb. in d. can. *Siquis*, n. 30. et ſeqq. Monacell. p. 3. tt. 1. form. 2. n. 2.

IV. Ubi addit: *Qui potuit prohibere percuſſionem, et non prohibuit; quod procedit, non ſolum in eo, qui habet poteſtatem, et juriſdictionem in verberantem, ut ſunt judices, ac gubernatores, ac præfecti, ſed etiam in eo, qui doloſe non prohibet, ut communiter tradunt Graff. Belet. et Barb. in d. cap.* Siquis.

Et juxta allegationem Delben. cit. ſeſſ. 11. et 16. cum Dicaſtill. d. 3. n. 994. *Si percuſſio fiat nomine alicujus, vel in ipſius gratiam, et iſte poſtea ratificet, incurrit excommunicationem.*

Et ad hominem (ut aiunt) redarguebat: quod ſi in officialibus executoribus factum illud prædictæ diſtinctionis non fuit penitus diſtinctum, aut ſeparatum à violentia, vi cujus cenſuram reipſa incurrerunt, quamvis eorum animus, et intentio, non ad clericum, ſed ad laicum dumtaxat per ſe dirigeretur, quamvis per accidens cum ſacerdote amplexatum; æqualiter, et pariformiter diſcurrendum eſt de ratificatione, ac ratihabitione individuali illius facti reipſa à violentia inſeparati. *Et factum executoris reputatur factum judicis*; Soccin. conſil. 144. Cravet. conſ. 202. n. 36. Coſt. inſp. 41.

V. An autem ſufficiens fuerit illa ratihabitio ad realem illius cenſuræ incurſionem, ac declarationem, quæſtio eſt de materia pure ſpirituali, foro eccleſiaſtico, et minime ſæculari attinente, aut etiam regiis coronæ miniſtris, etiam indirecte, aut incidenter ſubjecta, ex cap. *Quicunque*, de ſent. excommun. in 6. c. *Decernimus*, c. *Quanto*, de judic. Oliv. de for. eccleſ. q. 24. n. 2. Per. de man. reg. c. 7. n. 22. et eſt expreſſe interdictum in Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. verbis, *Nefas autem ſit*, &c. à cit. Per. tranſcriptis, adverſus quem Oliv. cap. 24. n. 9. ſic ait: *Unde minus bene loquitur Caſtr. d. c. 7. n. 22. dum ait, quod per viam cauſæ, et facti ſimplicis declarationis poteſt declarari excommunicatio nulla, et præcipi, ut tolleretur; nam hoc confunditur ex eo, quia, qui tantum declarat, non præcipit; ſi vero præcipiat, jam non eſt per modum cauſæ declarare; multum enim differt declaratio à præcepto.*

VI. Iſtamet etiam eſt praxis regni Caſtellæ, de qua Cevall. de violent. gl. 6. ex n. 111. imo et etiam Galliæ (ubi minus, quam Luſitaniæ, immunitati eccleſiaſticæ indulgetur) ut conſtat ex definitione Concil. Lugdun. præſente Gregor. IV. et rege Philippo III. teſte Petro de Marca de concord. ſacerd. et imper. l. 4. c. 19. n. 3. ibi: *In quo, nemine diſcrepante, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda graviter interdictum eſt, nequis judex eccleſiaſticus cogat cenſuras tollere, vel alias gravet in perſonis, ac bonis.*

Nec miniſtros regios relevat proteſtatio, hoc quidem, non per viam *præcepti*, ſed *rogationis*, per chartas ſcilicet rogativas. Nam, ut bene probat Pignatell. tom. 6. conſ. 13. n. 27. et 28. *Tenor illarum rogativarum imputat juſſionem, habeturque inſtar injuriarum; et per conſequens ei parendum eſſet. Principum enim preces importunæ minæ ſunt, c.* Petitio, *de jur. jur. c.* Quapropter, *de elect. Idem, non. gl. in l. 1. v.* Quemadmodum, *ff.* Quod juſſu, *&c. Præſertim quia hæ literæ hortatoriæ ſcriptæ ſunt nomine officii, et dignitatis; ex quo cap. tam eas ſcribens, quam recurrens ad principem ſcribentem innodantur excommunicatione bullæ in Cœna Domini, quamvis ſint hortatoriæ, videlicet non comminantes, neque præcipientes, quia non ſunt ſimpliciter amicabiles, ſed aliquo modo compulſivæ, ut proinde dici poſſit interpoſitam fuiſſe auctoritatem principis, aut judicis laici, ex quo ſatis eccleſiaſticæ juriſdictioni irrogatur injuria.*

VII. Nec etiam ad caſum præſentem favorabiliter adduci poteſt doctrina eximii Soar. à cit. Per. n. 22. tranſcripta. Nam ibidem doctor iſte, *cujus fama ſidera pulſat*, limitate, et reſtrictiſſime arctat, ad rarum caſum *clarum, certum, et evidentem, et minime dubium impedimenti irritantis, aut annullantis cenſuram*; verbis ibi: *Ut autem judex talem ſententiam juſte, et ſine ſcrupulo ferat, opertet, ut tam ex probationibus facti, quam ex jure, clarum, certum, et evidens ſit ſententiam cenſuræ fuiſſe non ſolum injuſtam, ſed etiam habuiſſe impedimentum irritans, et annullans illam; quia in dubio potius debet favere validitati actus, et juris ſuperioris, pro quo ſemper præſumitur.*

Etſi

Etſi *Notorium* (ex c. ultim. de cohabit. cleric. et mulier.) *eſt illud, quod per evidentiam rei tergiverſatione aliqua tegi non poteſt*; ubi gl. *Tergiverſatione*, id eſt, *diſſimulatione*; et, juxta Donat. prax. q. 49. tr. 13. et Guerr. de recuſat. l. 4. c. 8. n. 88. *Notorium eſt illud, quod non poteſt ulla tergiverſatione celari*; ſeu eſt illud, quod omnibus immediate evidenter apparet; idque non poteſt dici notorium, ubi cadet error, ſeu dubitatio; Bart. in l. *Omnes*, cod. de agricul. et cenſur. ponderetur, an in præſenti caſu ſufficiens adſit fundamentum tam *ex jure*, quam *ex facto*, ad veram tergiverſationem pro declaratoriæ accuſata violentia, præſertim ex ipſomet ſententiæ judicio pro incurſu officialium executorum, extenſo ad mandantem, et ratificantem; et cohærenter ad doctrinam cit. Per. cap. 7. n. 11. *Oportet, oppreſſionem, ſeu violentiam, eſſe notoriam, patentem, quæ celari nequeat, aut effici dubia*: et ibidem, n. 2. *Nec ſufficiet probabile judicium, vel inniti aliquorum DD. auctoritate, eo caſu dari violentiam aſſerentium, niſi certum ſit, illam dari; et nullam opinionem in contrarium probabilem eſſe.*

VIII. Imo, dato, et non conceſſo, quod declaratoria injuſta quidem notorie foret, non tamen notorie violenta; minime de illa pateret recurſus; tum quia ſola violentia qualificata, nempe notoria, non tamen ſimplex violentia, illum fundat; Per. cit. c. 7. n. 2. et 23. Portug. de donat. reg. tom. 2. c. 31. Guerr. cit. et alii paſſim; tum quia, quamvis omnis violentia ſit injuſtitia, non tamen è contra omnis injuſtitia eſt violentia. Nam violentia, cum definiatur, *vi illata oppreſſio*, ſuperaddit rationem et oppreſſionis, ex c. *Siquis ſponſam*, 27. q. 2. lexic. verb. *Violavit*; vis autem eſt *neceſſitas* impoſita contrariæ voluntatis, majoriſque rei impetus, qui repelli non poteſt, ex leg. 2. ff. *Quod metus cauſ.* Oppreſſio autem definitur, *Externa prævalentia viribus, ſuccumbentem mobiliter gravans*: vel commutatis terminis; *Mobilis prævalentia viribus ſuccumbentem externe gravans*; ut deducitur ex lexic. verb. *Oppreſſio*; de quo ſupr. cap. 14. et 17. n. 7. et alibi.

IX. Unde poteſt dari injuria, quæ violentia non ſit, et quæ citra limites violentiæ continuatur, ex cap. *Contingit*, 36. de ſent. excommunic. et ſecundum ſtabilita, c. 14, 15. et 17. et ſeqq; cum autem recurrens injuſtitiam declaratoriæ (dato, quod injuſta foret) via, ac remedio appellationis utique, et convenienter repellere poſſet, ac deberet; conſequens erat, quod in ea nec ratio vis conſiderari poterat, cum non foret *actio irrepellibilis*; ſed commodiſſime repellibilis.

X. Ex alio notiſſimo, frequenti, ac ſolidiſſimo fundamento, evacuatur admiſſio præſentis recurſus, eo quod recurſus ſit remedium *extraordinarium*, et *ſubſidiarium*, quod non niſi mediis, ac remediis ordinariis exhauſtis, intentari poteſt, ut ſolide ac netvoſe tuentur Portug. de donat. reg. p. 2. l. 1. c. 31. n. 18. Salg. de prot. reg. 1. p. c. 7. ex n. 10. Heyr. Leo. d. 2. n. 34. Poſth. de manut. obſ. 6. à n. 26. Seſſ. in ep. ad reg. n. 87. Caldero. tom. 3. dec. 132. n. 9. Coſt. de remed. ſubſid. rem. 22. n. 4. Altim. de nullit. tom. 1. dub. 1. q. 9.

XI. Quod quidem efficaciter confirmatur, 1. Nedum ex propria natura remedii ſubſidiarii, ac extraordinarii; quod equidem definitur, *quod in ſubſidium dumtaxat alterius, et non niſi mediis ordinariis exhauſtis, adhiberi poteſt*; Ubert. de citation. c. 4. n. 31. et reliqui ſupr. cit. verum et evidentius ex ipſa concordia regis Joannis I. cum clero ap. cit. Per. art. 58. pag. mihi, 393. ibi: *Nullo ergo colore rex ſe intromittit ad reparandam injuſtitiam, quæ reparari poteſt medio ordinario appellationis.*

Confirmatur, 2. Ex propria recurſus definitione ex Abb. in cap. ex liter. de reſtit. in integr. Reyf. de appellat. tit. 28. §. 1. *Recurſus eſt ſupplicatio per modum confugii; ſupplicatio autem ſtricte et proprie eſt quædam precum porrectio facta principi, ut ex quadam benignitate ſupplicantem adverſus ſententiam, contra quam non competit remedium ordinarium.*

SECT. III.

Quoad regiæ juriſdictionis uſurpationem:

XII. In declaratoria cenſurarum, etiam contra laicos; notorium eſt non dari regiæ ſæcularis juriſdictionis uſurpationem: nam, quamvis Coſt. de ſtyl. dom. ſupplicat. annot. 8. n. 61. eam judicatam tradat, in caſu ibidem figurato ob ſimile procedimentum cujuſdam conſervatoris adverſus laicum in re profana, qualis eſt locatio domus; ab hac materia ſæculari, et laicali, ut bene notat Oliv. cit. q. 16. non debet fieri extenſio ad materiam ſpiritualem cenſurarum à lege, ratione cujus laici ipſi immediate eccleſiæ, et juriſdictioni eccleſiaſticæ ſubjecti ſunt, ſemel quod baptizati ſint, et uſum rationis habeant; et in hac materia ſpirituali minime regiæ ſæculari materialiter, vel formaliter, ſubditi ſunt. *Et à diverſis non fit illatio*; neque *à diverſa fit extenſio, niſi cum eiſdem qualitatibus*; l. *Sed ſi manente*, ff. *de precario.*

Unde recurrenti providendum non erat ſub hoc prætextu realis juriſdictionis laicæ uſurpationis; et diverſa quidem forma, ac formalitate, utendum foret, ut recte concludit Oliv. cit. q. 16. *Debet ergo variari formula ſecundum varietatem materiarum*; de quo etiam ſuperius, c. 32. n. 36. cum per ſe notum ſit, in hoc procedimento declarationis cenſurarum nec formaliter, nec materialiter, vel ſubjective, datur regiæ juriſdictionis uſurpatio. Non formaliter, quia ſæcularis princeps caret juriſdictione ſpirituali, qualis eſt juriſdictio infligendi cenſuras, vel in eas declarandi.

XIII. Non materialiter, vel ſubjective; quia laici Chriſtiani, ſubjecta cenſurarum, in rebus ſpiritualibus, ſunt immediate ſubditi juriſdictioni, quemadmodum in rebus temporalibus immediate ſubjecti laicæ: et de hac individuali cenſura, can. *Siquis*, ait Monacell. p. 3. form. 1. n. 1. *Perſonæ, quæ ſubjiciuntur can.* Siquis, *ſunt viri, et mulieres, etiam impuberes, et inferiores, clerici, laici, et religioſi . . . dummodo ſint baptizati, et habeant uſum rationis, et peccare mortaliter poſſint, Barb. in d. can. et Donat. in prax. tom. 4. tr. 5. q. 12. n. 22.*

Unde evidens remanebat, ex carentia regiæ juriſdictionis uſurpationis, et violentiæ claræ, patentis, et notoriæ, minime providendum fore recurrenti, etiamſi declaratoria in terminis certæ, et notoriæ injuſtitiæ, citra violentiam remaneret; quia rex non cognoſcit de injuſtitia, inquit Per. de man. reg. cit. cap. 7. et in concord. reg. Joann. I. a. 58. p. 393.

SECT. IV.

Quoad clauſulam cenſuræ nullitatem declarationum flagitantem:

XIV. Clauſula hæc, exceſſiva, atque exorbitans, contra generalem ſtylum, regni leges, et concordias, necnon adverſus ſacros canones, et generalem, tritamque omnium regnicolarum doctrinam, apparebat. Nam ſtylus, quem Coſt. cit. de ſtyl. annot. 8. n. 61. tradit, eſt, quod *judex eccleſiaſticus ulterius cum cenſuris non procedat, et quod levet, vel tollat fulminatas.* Et ſtylus formalis ad hoc levamen expeditionis, ſequens eſt: quo *cenſuratum pro abſoluto habet*; *et quilibet parochus, vel confeſſarius approbatus, eum abſolvere poſſit.*

XV. Neque ſuper hoc aliqua circumfertur concordantia; et, ſi aliqua adeſſet, nullius roboris equidem foret, eo quod approbatio Sanctitatis ſuæ reſtricta expreſſe reperitur apud cit. Per. concord. 40. regis Dionyſii, pag. 347. *Placet regi, quod malæ conſuetudines tollantur, et bonæ ſerventur*; *et faciet obſervari*; *et ſi aliquid fuit ordinatum de conſenſu prælatorum*; *dummodo ſit canonicum, et rationale, contra libertatem.*

Et concordia hæc, ſi daretur, totaliter et expreſſe ſane foret contra ſacros canones, et eccleſiaſticam libertatem, cap. *Quoniam*, de immunitatibus, quicunque, de ſent. excommun. ibid. cap. *Novit*, c. *Cum deſideres*, c. *Gravem*, de ſent. excom. c. *Rogo*, cum ſeqq. 11. q. 3. et clare, atque aperte adverſus Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de reform. verbis ibi: *Nefas autem ſit ſæculari cuilibet magiſtratui*, &c. Imo bulla confirmatoria Gregor. XIII. à piiſſimo rege Sebaſtiano impetrata, ann. 1574. de qua cit. Per. c. 6. n. 16. hanc limitativam clauſulam expreſſam retinet; *Dummodo Sacri Concilii decretis non contradicant.* Concilium autem hoc, Tridentinum equidem eſt, decem retro annis, nempe, 1564. publicatum, et admiſſum.

XVI. Et quamvis Peg. ad ordin. tom. 8. tit. 9. § 7. gl. 5. n. 32. areſt. afferat cujuſdam ædilis declarati ob juſtam, et defenſivam percuſſionem cujuſdam monachi Benedictini, illum in juriſdictionis ſuæ exercitio perturbantis; præterquam *quod legibus, non exemplis, judicandum*; caſus iſte erat toto cœlo diverſus, imo, et contrapoſitus: nam in eo monachus Benedictinus fuit, qui violentiam fecit officiali laico, à quo in defenſionem percuſſus eſt: in noſtro vero caſu, officiales laici fuerunt, qui violentiam fecerunt, et percuſſerunt detrudendo, ac dejiciendo à mula ſubſtrata ſacriſtam, et parochum, non in defenſionem, ſed cum offenſione, ac læſione immunitatis perſonalis eccleſiaſticæ, cum ſubſecuta ratihabitione recurrentis erga violentiam ipſam ſacrilegam, et cenſuris à lege ſuppoſitam. *Diverſorum autem diverſum eſt judicium*, l. *Inter ſtipulat.* ff. de verbor. obligat. *Etiamſi diverſitas ſit in ſola ratione*, Menoch. conſ. 106. Grat. for. tom. 5. c. 859. n. 20.

XVII. Et extorſio, quam juſſu regis Angliæ, Henrici II. miniſtri laici à S. Thoma Cantuarienſi effecerunt, fuit, ut nullas cenſuras declararet, ſed ut cenſuratos dumtaxat abſolveret, ut ſcribit Polydorus Virgil. Gulielm. Neubrig. Stapleton. de reb. geſtis D. Thomæ; ibi: *Abſolve, quos excommunicâſti, et ſuſpendiſti à ſuo officio: quibus vir S. intrepide reſpondit: Nulla ab eis exhibita eſt ſatisfactio. Itaque non abſolvam.*

XVIII. Denique, ſuppoſito, quod notata clauſula à jure communi exorbitaret, necnon à legibus, concordiis, à generali ſtylo; præterquam quod erat injurioſa, et expreſſe adverſans juri canonico (concludebat vicarius generalis) eſſe manifeſtam, ac notoriam violentiam, quæ illi, et eccleſiaſticæ juriſdictioni, inferebatur, in injuſta et invalida coactione ad nullam cenſuram declarandam, à qua quidem violentia etiam recurſus eidem vicario competebat, quem effective tandem ad regiam majeſtatem, *omni meliori via*, interponebat, ut regia majeſtas illum ab hac notoria, et clara oppreſſione, vel in hacmet inſtantia, vel in ſuperiori aulici ſenatus illum levare dignetur, oppreſſioni etiam huic occurrendo, et eccleſiaſticæ juriſdictionis ſuperioritati, ac auctoritati proſpiciendo, juxta doctrinam Salgad. de prot. reg. p. 1. c. 6. n. 29. et aliorum.

XIX. Non obſtante clara hujuſce allegationis evidentia, ad expeditionem ſecundæ chartæ regii magiſtratus proceſſerunt; cui generalis vicarius non obtemperans, notificatus fuit per chartam ſecretarii ſtatus, ut intra viginti dies in aulico ſenatu compareret, finali decreto in illo ſuper cauſa hac ſumendo adſtiturus. Quam tamen comparitionem fruſtravit repentinus fere interitus recurrentis, qui illico poſt notificationem illam maligno morbo lethali correptus intra quinque dies ſuos finiit, ſacramentis tamen eccleſiæ munitus, cum qua ſe reconciliavit, à recurſu deſiſtens, et abſolutionem cenſurarum à me humiliter ſupplicans, cum deſcripta, et firmata ab ipſo proteſtatione competentem ſatisfactionem mihi, et eccleſiæ, præſtandi; ut omnes veritatem illius fidelis oraculi mente retineant, *Longe eſſe vias Domini à viis hominum, et judicia Dei à judiciis noſtris; judicia enim Dei pondus, et pondus, et abyſſus multa*, &c.

ALLEGATIO FAMOSA LXXII.

Super Annullatoria Bullæ Pontificiæ, vi Reſignationis jam expiratæ, nulliter expeditæ, et intruſi ſummaria, et prompta Amotione, ex vi Sententiæ in Judicio contradictorio Romæ latæ, et Partibus acriter allegantibus, bis confirmatæ, et poſtmodum in hac Algarbienſi Diœceſi bis executæ.

SUMMARIUM.

I. *Introductio cauſæ, et allegatio pro prælecto Franciſco Monteiro Caſtelbranco.*
II. *Summarium documentorum hujus allegationis.*
III. *Introductio, et allegatio pro nulliter proviſo Antonio Edvardo de Almeida.*
IV. *Summarium documentorum pro hac allegatione.*
V. *Suſtentatio pro nulliter proviſo.*
VI. *Suſtentatio pro prælecto.*
VII. *Cauſæ deciſio.*

SACRA
CONGREGATIONE
Particulari
A SANCTISSIMO
DEPUTATA,
Sive Eminentiſſimo, et Reverendiſſimo D. Card.
ALDROVANDO
PRO-DATARIO
Necnon RR. PP. DD.
Lana, Pacca, Amadorio, Nigrono, Juſtiniano Subdatario, et Illuſtriſſimo D. BIANCINO, per Obitum
Pharaonen. Parochialis,
PRO
Rev. D. FRANCISCO MONTEIRO CASTELBRANCO
CONTRA
Rev. D. ANTONIUM DUARTE de ALMEYDA
1743.

I. PHARAONEN. PAROCHIALIS.

Eminentiſſime et Reverendiſſime DOMINE,

1. DUM bon. mem. ſacerdos Emmanuel Pereyra Torres obtinebat prioratum, ſeu eccleſiam parochialem Beatæ Mariæ Conceptionis oppidi de Villanova de Portimao diœceſis Pharaonen. ac in illius poſſeſſione à pluribus annis reperiebatur, mala affectus valetudine, renuntiare decrevit ad favorem rev. D. Antonii Duarte de Almeyda adverſarii, conditione tamen ſibi reſervandi duas ex tribus partibus fructuum dictæ parœciæ nomine penſionis, partim ad ſui favorem, partim vero ad commodum D. Vincentiæ Michaelæ da Silva, ſororis ipſius reſignantis, et monialis profeſſæ in conventu S. Dionyſii de Olivellas patriarchatus Liſbonen. Ideoque ſub die 25. Auguſti præteriti anni 1742. procuratores conſtituti tam à reſignante, quam à reſignatario, devenerunt in civitate Pharaonen. ad ſtipulationem publici inſtrumenti, quo expreſſis fructibus certis in ducatis 24, et una cum incertis in ducatis 207, ab iiſque detractis ducat. 14, pro quadam penſione bancaria, liquido remanebant iiſdem fructus in ducat. 192. 12.½.

2. Ex hiſce igitur ducat. 192. 12.½ conſtabilita extitit à præfatis procuratoribus favore reſignantis penſio annua in duabus tertiis partibus, ſcilicet in ducat. 128, remanentibus favore reſignatarii pro tertia parte ducat. 64. 12½, hoc inſuper adjecto, ut ex dictis duabus tertiis nomine penſionis reſervandis favore reſignantis, annua penſio ſexdecim ducatorum reſervaretur pariter favore præfatæ monialis ejus ſororis, adjecta clauſula—*Et non alias, aliter, nec alio modo*—ac demum pro effectu reſignationis, et conventionis habitæ ad effectum expediendi conſuetas literas apoſtolicas, præſtandique neceſſarios conſenſus, procuratores conſtituerunt hic in curia æquis, et ſimultaneis facultatibus, DD. commendatorem Emmanuelem de Gama, et Michaelem Lopez Roſa, ut recognoſcere ſupplicamus ex integro tenore dicti inſtrumenti, et mandati reſpective, quod damus in *ſummario*, *num.* 1.

3. Contra formam iſtius mandati requirentis ſimultaneam operam utriuſque procuratoris, ſolus Michael Lopez Roſa aſſuetam peregit præſentatam ſub die 20. Octobris 1742. expreſſis fructibus in ducatis 80, cum incertis 243, et cum reſervatione penſionis, prout in

in mandato in ducat. 128, et ut latius ex eadem præſentata ex adverſo dan. quæ tamen nullum prorſus habuit effectum; nam, quemadmodum noviſſima apparuit eminentiſſimo domino, et officialibus datariæ, reſervatio penſionis eccleſiaſticæ favore mulieris, et monialis prædictæ, ita rejecta conditione reſervationis iſtius ratæ penſionis, agnovit ipſemet procurator, quod ex deficientia conſenſus ſub iſta conditione reſignationi præſtiti, et cum clauſula—*Non alias, aliter, nec alio modo*—devenire nequibat ad expeditionem, præſertim quia ab expreſſione fructuum, ut ſupra facta, non remanebant pro rectore ducat. 114, et 1 tert. juxta notiſſima concordata cum regno Portugalliæ; ideoque cum novo conſenſu ſanativo deficientium conditionum, tam ex parte reſignantis, quam reſignatarii, opus eſſet, res infecta remanſit, nulliuſque roboris et momenti præſentata, ut ſupra facta.

4. Deque emerſis difficultatibus certioratus in partibus ipſe reſignans, reſcripſit ſub datum 15. Decembris 1742. concludens ſua in epiſtola—*Quanto alla penſione delli ducati* 16, *à favore di mia ſorella, gradirò come hò detto, che ſi conſeguiſca la grazia, mà quando non ſi poſſa averò patienza*—utque latius ex particula dictæ epiſtolæ alias ex adverſo data eminentiſſimo domino, quamque nos ipſi damus in *ſummario*, *num.* 2. Iſtiuſmodi epiſtola reſponſiva huc pervenire non valuit, niſi circa finem ſubſequentis menſis Januarii anni 1743. tempore quo jam obierat reſignans, qui diem ſuum clauſit extremum 15. ejuſdem menſis Januarii, ut ex fide obitus, *ſummario*, *num.* 3. unde præcognito obitu prædicto per reverendiſſimum epiſcopum Pharaonen. quodque interim nulla effectuata extiterat reſignatio, utens jure ſuo, concurſum convocavit ſub die 12. Februarii ſubſequentis; in eoque prævio rigoroſo examine, ab examinatoribus ſynodalibus magis idoneus, et habilis repertus fuit ſacerdos Franciſcus Monteyro Caſtelbranco principalis, et uti talis eminentiſſimo domino renuntiatus per aſſuetas ejuſdem reverendiſſimi epiſcopi literas, quas damus in *ſummario*, *num.* 4. licetque concurſus præfatus huc pervenire nequierit intra quadrimeſtre præſcriptum à nota conſtitutione *la* 33. Sancti Pii V. ex variis impedimentis prælaudati reverendiſſimi epiſcopi, præſertim viſitationis, malæque valetudinis, ut ex ejus epiſtola, de qua in *ſummario*, *num.* 5. adhuc intra terminum idem concutſus tranſmiſſus extitit, ſub datum nempe 6. Maii proxime præteriti, ut in *ſummario mox citato*, *num.* 4.

5. Interim, et ſecutò jam obitu reſignantis, reſignatarius præfatus, ac ſi res eſſet adhuc integra, et reſignans non obiiſſet, aliud peregit procuræ mandatum duobus diebus poſt obitum, ſcilicet die 17. dicti menſis Januarii, iterum nominans præfatos DD. procuratores, et eorum quemlibet in ſolidum cum ſequentibus facultatibus—*Poſſino uſare della procura, che ſù fatta alli* 5. *giorni del meſe di Agoſto dell'anno paſſato* 1742. *ratificando in tutto le facoltà in eſſa menzionate ſopra la rinuncia, che aveva fatto il rev. Emanuele Pereyra Torres, &c. con penſione, quali frutti certi di detto priorato rende ogn'anno* 80 *ducati di oro di Camera, e coll'incerti un'anno per l'altro non eccedono il valore di* 242 *ducati, e Giulii cinque, ò in quello, che ſara notato il detto priorato nella Dataria, tutto* ſub beneplacito Sanctiſſimi, et Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo, *e potranno li detti ſignori preſtare in nome di eſſo coſtituente li conſenſi, che richieſti gli ſaranno, et impetrare queſta grazia,* ANCHE CHE SIA MORTO IL DETTO REV. PRIORE EMANUELE PEREYRA TORRES, *per nuova grazia, ò per quella via, che meglio li parerà* —et ut latius reſultat in *ſum. num.* 6.

6. Vigore igitur iſtius mandati undique nullius, et inſubſiſtentis, ac præ ſe ferentis certiſſimam notitiam obitus reſignantis, D. Michael Lopez Roſa, renuente D. commendatore de Gama, altero procuratore conſtituto, ullam facere expeditionem, proceſſit ad expediendas literas apoſtolicas, alterando etiam expreſſionem valoris fructuum, factam in primo mandato procuræ in ducatis una cum incertis 207, liquidis tamen remanentibus ducatis 192. 12. $\frac{1}{2}$, quæque ſumma adaucta fuit uſque ad annuam ſummam ducatorum 243, excedendo in ducatis 50. valorem ab ipſis partibus alias explicatum, idque, ut aliquem nanciſceretur colorem, reſervatio penſionis in ducatis 128, in fraudem conciliaris diſpoſitionis, dictorumque concordatorum Portugalliæ; unde poſtmodum conſenſus licet præſtitus extiterit ſub die 5. Martii 1743. prout eminentiſſimus dominus informari poterit ab officiali, ſeu notario conſenſuum, adhuc perperam retrotractus extitit ad diem 20. Octobr. 1742. ſicque ſubſtantiata remanſit expeditio literarum apoſtolicarum ad partes etiam tranſmiſſarum.

7. Dum hæc agebantur, ex impedimentis præfatis, concurſus ad favorem R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco principalis præſentari non valuit in Dataria ante diem 25. tranſacti menſis Junii, ut ex annotatione in officio D. præfecti datarum, et confeſtim relaxari nequivit ob difficultatem ſubortam ſuper præſtatione cædulæ bancariæ liberæ, vel eventitiæ; qua tandem præſtita per D. Franciſcum de Argenuellier, illico prodiit noſtra ſupplicatio pro præelecto in concurſu, et juxta etiam conſtitutionem S. Pii Papæ V. in qua facta extitit mentio de nullitate proviſionis ex adverſo reportatæ, utque melius recognoſcere ſupplicamus in *ſummario*, *num.* 7. è contra pars adverſa ſibimetipſi optime conſcia de omnimoda invaliditate præfatæ reſignationis, ſuæque præcedentis expeditionis, ſub apparenti ſpecie cumulationis alterius tituli, aliam porrexit ſupplicationem poſteriorem in tempore, in qua pariter enarrata reſignatione in ſui perſonam, petiit novam proviſionem juxta præfatam conſtitutionem S. Pii V. *ſummario*, *num.* 8. exindeque ſuborta controverſia coram eminentiſſimo domino ſuper laceratione, *Nihil tranſeat appoſit.* et relaxatione reſpective noſtræ ſupplicationis, retenta ſubſequenti ſupplicatione porrecta pro parte D. adverſarii, dignatus fuit idem eminentiſſimus D. pluries auditis partibus tam in voce, quam in ſcriptis, iterata interponere decreta, etiam cum clauſula, *Et amplius*, pro retentione contrariæ ſupplicationis, et relaxatione alterius ſupplicationis noſtri principalis, ut in *ſummario*, *num.* 9. Non acquieſcens tamen pars adverſa, obtinuit ex oraculo Sanctiſſimi adſciri præſentem congregationem ad omnimodam controverſiæ definitionem; unde ſupplicare contingit ad præſens non ſolum pro executione decretorum ab eminentiſſimo domino fact. quæ adhuc firma remanent, ſed pro reportatione etiam dictæ bullæ ſuper approbatione reſignationis, prout ex infra ſubnectendis, à præclara tanti tribunalis juſtitia exaudiri confidimus.

8. Incipiendo enim ab inſtantia ſuper reportatione literarum apoſtolicarum ex adverſo vigore aſſertæ reſignationis expedit. ad præſens non dubitatur, nec dubitari valet, quin de tempore conſenſus vere præſtiti per D. Michaelem Lopez Roſa, adfuerit certiſſima notitia obitus reſignantis, non ſolum ex quo à die 15. Januarii, quo obiit reſignans, *ut ex ſummario citat. num.* 3. ad diem 5. Martii ſubſequentis, quo verus præſtitus fuit conſenſus, jam eſſe debebat notitia ejuſdem obitus in urbe, quo literæ perveniunt ſolo ſpatio dierum 38; ſed etiam ex quo in aperto ponit, mandatum procuræ, ut ſupra factum per ipſum renuntiatarium, et relatum in *ſummario cit. num.* 6. ubi quemadmodum enuntiatur mors ſecuta duobus diebus antea, ita perneceſſe certus de illa evadere debuit D. Michael Lopez Roſa, alter ex procuratoribus conſtitutis; unde quicquid ſit de conſenſu præſtito à procuratore nullam habente certam notitiam obitus reſignantis, quando tamen, prout hic, verificatur notitia iſta, ceſſatque bona fides, abſque nullitate apertiſſima, et quidem dolo infecta, præſtari nequit conſenſus.

9. Prout diſtinguendo ſtylum Datariæ circa retrotractionem conſenſus, et antedatam in hujuſcemodi gratiis concedendam, ratiocinatur *Card. Deluc. de benefic. diſc.* 42. *num.* 6. ibi—*Et quamvis Dataria ſoleat de ſtylo in hujuſmodi coadjutoriis apponere antedatam, attamen id videtur honeſtum, et ſuſtentabile in eo ſolo caſu, in quo procuratores tam coadjutoris, quam coadjuti in curia, vivant in bona fide, ac juſta credulitate, quod res eſſet integra, opinando, quod uterque viveret, ſed pro quadam cautela hujuſcemodi ſtylus inolevit ex rationabili motivo reddendi tutum coadjutorem exiſtentem ultra montes, ſtante magna diſtantia, et notabili*

tabili impenſa, quam pro hujuſmodi coadjutoriis facere oportet, ſemper tamen cum dicto præſuppoſito bonæ fidei, ac ſinceritatis, ita ut militet dicta ratio, quæ hunc ſtylum juſtificet; ſecus autem poſthabitam notitiam, ac in ſtatu malæ fidei, quoniam tunc eſt decipere Datariæ officiales, qui cum dicto præſuppoſito bonæ fidei, et non alias, d. ſtylum ad praxim deducere ſolent.

10. Et cohærenter ad relatum ſenſum Cardinalis de Luca, ita teſtatur judicatum fuiſſe in hoc ſupremo tribunali *Piton. diſcept.* 330. *num.* 25. *tom.* 4. ibi—*Obſervando inſuper, quod procurator, nulla habita notitia, &c. bona fide, et ſincere, conſenſum præſtitit; quod videtur reddere actum validum, ut in exemplo extenſionis conſenſus, qui poſt obitum conſtituentis fieri poteſt per procuratorem in coadjutoriis, et reſignationibus ultra montes, ubi ponitur antedata per duos menſes ante, quando procurator ſincere, et bona fide, conſenſum præſtet, nondum habita notitia de obitu coadjuti, ſeu reſignantis; ſecus, quando mala fide, poſt habitam notitiam obitus, procurator conſenſum præſtitiſſet, ſoluta etiam componenda, quæ in coadjutoriis de ſtylo ſolvi conſuevit, una cum extenſione conſenſus, et poſtea ponitur data cum antedata; in his enim terminis actus remaneret nullus, et tali caſu Dataria reſtituere ſolet componendam ſolutam, ut, me ſcribente, judicatum fuit ab eminentiſſimo pro-datario in Eiſletten coadjutoriæ de menſe Februarii* 1709.

11. Auctoritates igitur, quæ in contrarium afferri ſolent ad probandum, quod procurator habens procuræ mandatum, poſt jam præſentatam ſupplicationem, etiamſi ſuperveniat notitia obitus reſignantis, præſtare valeat conſenſum, illumque retrahi facere ad diem præſentatæ ſupplicationis, non concernunt caſum iſtum, in quo notitia obitus reſignantis certa ſit, et de cætero indigent criterio illo, quod adhibent, ſignanter *Rott. coram Merlin. deciſ.* 281. *et coram Emerix, deciſ.* 1149. Non ſolum enim attendendam non eſſe ad hunc effectum ſimplicem præſentatam, ſed ſupplicationem ipſam ſignatam, niſi datata ſit, firmat *Rott. coram Merlin. citat. deciſ.* 281. *à num.* 6. *ad* 14. concludens *ſub num.* 15.—*Nec ſuffragatur ſtylus allegatus, quod, ſcilicet, præſtetur conſenſus per procuratorem, etiam poſt obitum reſignantis, quia ſtylus hujuſmodi procedit, quando ante mortem reſignantis, non ſolum fuit porrecta, et ſignata ſupplicatio, ſed etiam datata, &c. et ſemper intrat motivum, quod gratia cenſetur, et dicitur ea die ſignata, ſub qua fuit datata, nec admittitur probatio in contrarium; et diſſonum eſſet, quod opponeretur in data certa dies, et tamen illa non attenderetur, et ita liceret partibus redarguere datarium, quod minus candide officium ſuum exercuerit; de cujus tamen integritate adeo Pontifex confidit, ut illius organum dicatur, et contra illum non admittuntur articuli.*

12. Indeque *Rotta coram Emerix jun. cit. deciſ.* 1149. *num.* 4. reſpondit eiſdem contrariis auctoritatibus, affirmans, illas procedere juxta varios antiquatos ſtylos, quando ſupplicatio non tantum ſignata, ſed etiam datata erat in vita reſignantis, quibus ceſſantibus, gratia ipſa remanet imperfecta, ſubdens *ſub num.* 7.—*Quapropter iſtæ conſtitutiones, et doctrinæ, non poſſunt applicari ad hodiernum ſtylum Datariæ, juxta quem recipitur in Cancellaria, ſeu Camera, per notarium conſenſus, iſque adnotatur à tergo ſupplicationis ſignatæ, priuſquam ipſa ſupplicatio datetur; quia ſicut antiquitus gratia ante datam non dicebatur perfecta, ita hodie perfecta non dicitur ante iſtum conſenſum, à quo ſimul, et à data, tanquam cauſa formali, recipit perfectionem*; reſpondet deinde ſubalternæ cuicunque difficultati, et ſignanter, quod hodierna præſentata reſpondeat antiquæ parvæ datæ, et propoſitionem impugnat, atque declarat, concludens *ſub num.* 13.—*Hodierna vero præſentata, tanquam actus mere præparatorius nihil commune habens cum ſubſtantia gratiæ, nullum habet annexum conſenſum, ad quem poſſit fieri retrotractio, cum ex noviſſimo ſtylo fuerit ſublata varietas conſenſuum.*

13. Inapplicabilitas itaque auctoritatum in contrarium citari ſolitarum, ex his evadit apertiſſima; firmumque remanet, quod concurrente in caſu ſola præſentata ſub die 20. Octobris, ad illam certo certius fieri non valuit retrotractio conſenſus præſtiti die 5. Martii præteriti; veritas tamen eſt, quod præmiſſa difficultas in contrarium fieri ſolita, nulla indiget diſceptatione per apices juris facienda; nam factum ſupra relatum illam prorſus abſolvit, quoties animadvertatur, omnino deficere terminos habiles ad quamcunque retrotractionem conſenſus faciendam, ex quo præſentata, ut ſupra facta ſub die 20. Octobris 1742. ineffectuata remanſit; et quia noluit admitti rata penſionis ad favorem memoratæ monialis, et ex quo fructatus beneficii perperam expreſſus fuerat abſque eo, quod remanere poſſent pro rectore ducati 114. juxta prænominata concordata Portugalliæ; unde D. procurator neceſſe habuit reportare novum conſenſum à reſignante explicatum in ſua epiſtola reſponſiva, de qua *in ſummario citato, num.* 2. iſteque conſenſus ſemper novus, & independens dicitur, quoties ſine illo actus perfici non poterat, ut explicant *Bald. in leg.* Multum intereſt, *n.* 25. ibique *Salicet. n.* 17. *cod.* Siquis alteri, *&c. Alberic. de Roſat. in l.* 2. *n.* 4. *ff. de procurator. Rott. coram Molini dec.* 1217. *n.* 15. *tom.* 5.

14. Proindeque, ſi conſenſus non prius operari poterat, quam à die expreſſionis factæ in dicta epiſtola, perneceſſe conſequitur, ut antecedens præſentata prorſus inoperativa remanſerit, nec ad illam, utpote amplius non conſiderabilem, ulla fieri potuerit retrotractio. Idque melius etiam declarat mandatum procuræ, ut ſupra factum ab ipſo reſignatario poſt obitum reſignantis, in quo, licet affectate nimis, facultas concedatur expediendi, et conſenſus neceſſarios præſtandi ad formam alterius mandati procuræ primo loco exarati; actus tamen in ſui ſubſtantia præ ſe fert veritatem illam, ut abſque novo iſto conſenſu, nullatenus fieri potuerit expeditio; recurritque eadem regula mox relata, quod, ſcilicet, novus conſenſus operetur exnunc, non autem extunc, perpenſis præſertim ejuſdem mandati verbis, id ipſum indigitantibus, et ſignanter—*preſtare i conſenzi, che richieſti gli ſaranno, ed impetrare queſta grazia, anche che ſia morto il detto N. priore,* &c. *per nuova grazia,* &c. quæ ſane verba quemadmodum præ ſe ferunt in litera præſtationem novi conſenſus, novamque gratiam, ita nulla haberi poterat relatio ad præſentatam illam, cui ex confeſſione ipſius mandantis deficiebat neceſſarius conſenſus; non enim à mandato, ſed ab effectuatione mandati, et à conſenſu effective præſtito, dimetiendam eſſe gratiæ perfectionem ad hunc præciſum effectum retrotractionis conſenſus, firmat, aliis relatis, *Piton. diſcept.* 6. *à n.* 26. *ad ſeqq. tom.* 1.

15. Vis tamen eſt, quod mandatum procuræ, ut ſupra factum poſtremo loco à ſupradicto renuntiatario, non ſolum operari non valuit ullam retrotractionem conſenſus, ſed nec quidem conſiderabile redditur in linea aptivitatis propriæ, et ad inducendum conſenſum validum, utcunque verificabilem: perſpectiſſimum namque eſt, ut primus conſenſus præſtitus fuerit à renuntiatario cohærenter ad reſervationem penſionis pro duabus ex tribus partibus fructuum, quorum rata reſervari debebat ipſi renuntianti, alia vero rata favore monialis ejus ſororis. Mutata exinde fuit conditio iſta, quia non admiſſa per Pontificem rata penſionis ad favorem præfatæ monialis reſervandæ, contentus extitit præfatus renuntians, ut integræ duæ tertiæ partes ſibi reſervarentur, prout ex epiſtola reſponſiva, de qua *in ſummario citato, num.* 2. et tamen hujuſcemodi mutationi, novum non præſtitit conſenſum renuntiatarius; imo in ſecundo mandato per ipſum tantum exarato, et de quo ſuperius verba fecimus, habetur ſolummodo relatio ad primum mandatum, nulla prorſus mentione habita de dictæ conditionis mutatione, licet apprime neceſſaria fuiſſet, non ſolum quia pactum quodlibet contractum informans indiget explicito conſenſu ad *text. in l.* 1. § Et eſt pactio, *ff. de pact.* ſed etiam ex quo mutatio perſonæ mutat omnino ſubſtantiam conditionis, quæ melior, aut deterior fieri valet, ab ætate, habitu perſonali, complexionis vireſcentia, cæteriſque perſonalem ſervitutem concomitare debentibus; unde dubium eſſe non valet, quin mutatio perſonæ reſervatariæ novum et explicitum requireret conſenſum.

16. Qui tamen in caſu nullatenus interveniit, ut ſuperius demonſtravimus; nec dicatur, hujuſmodi conſenſum,

ſenſum, ſi non expreſſum, ſaltem tacitum intervenire potuiſſe; ubi enim, prout hic, ut mox demonſtravimus, requiritur conſenſus expreſſus, tacitus profecto non ſufficit ad actum convalidandum, ut in individuo firmavit *Rotta coram Peutinger. deciſ.* 92. *num.* 15. *et dec.* 132. *num.* 3. *et coram Ottobon. deciſ.* 11. *num.* 22. et hæc ſane exuberarent ad oſtendendam invaliditatem inconſultæ expeditionis ex adverſo factæ; ad exuberantiam tamen ſubnectimus, quod conſenſus ex adverſo præſtitus deficit etiam intrinſece, et juxta ipſius actus quidditatem; etenim procuræ mandatum tam à reſignante, quam à reſignatario factum ſub die 25. Auguſti 1742. præ ſe ferebat fructus parochialis in annuis ducatis 207, ſeu verius 192. 12.$\frac{1}{2}$, detracta penſione duc. 14. 05. ex hoc igitur fructatu ab ipſis contrahentibus expreſſo reſervanda erat annua penſio duarum ex tribus partibus favore reſignantis, ſicque ad formam expliciti mandati fieri debebat expreſſio valoris, ſeu fructatus per dominum Lopez Roſa, procuratorem.

17. Et tamen ipſe, notabiliter excedendo fines mandati, expreſſit una cum incertis in ducatis 243, ut ſic jure ſuo Cerebrino ſalvaret congruam pro rectore, quæ alias, juxta reſervationem ipſam, ſalva non fuiſſet. Nequit ideo expeditio à nullitate ſalvari, quia procurator ad præſtandum conſenſum, quemadmodum excedere nequit fines mandati, ita excedendo ſignanter in expreſſione valoris, reſignatio nulla remanet, et jus, atque poſſeſſio nunquam à reſignante ipſo abdicatur, ut firmant *Roſa de execut. litterar. apoſtolic. part. prima, cap.* 14. *num.* 17. *et* 26. *Rott. coram Peutinger. deciſ.* 92. *num.* 3. *et coram Celſo, deciſ.* 172. *num.* 52. Nullatenus animadverſa ſimili expreſſione fructatus facta in mandato procuræ exarato per reſignatarium poſt obitum reſignantis; id enim potius comprobat ejuſdem reſignationis nullitatem ex hoc capite, non obſcure apparente condititia colluſione inter reſignatarium, et procuratorem, ut ſic malam, et exceſſivam expreſſionem jam factam, pro viribus ſalvarent, inutiliter tamen; nam importantia primi mandati, illiuſque forma alterari nequicrat, vel immutari, abſque novo conſenſu alterius mandantis, ſive reſignantis, juxta vulgatam regulam *text. in leg.* Nihil tam naturale, *ff.* de regul. jur.

18. Hujuſcemodi nullitati comes etiam accedit alia æque valida nullitas deprompta ex conditione in eodem mandato appoſita ſuper reſervatione ratæ penſionis favore dictæ monialis, quæve reſervatio volita fuit enixe, et cum clauſula *non alias, aliter, nec alio modo*, dum tamen eadem conditione ineffectuata ob non admiſſionem dictæ reſervationis, adhuc expeditio feliciter peracta extitit, etiamſi pactum, ſeu conditio verificata non extitiſſet contra notiſſimas regulas, diſertiſſimis noſtris judicibus inutiliter repetendas, quæve declinari nequeunt ex adverſo ſub prætextu novi conſenſus contenti in præcitata epiſtola reſponſiva reſignantis; illa namque operativa non erat, ſi non accedebat ſimultaneus, et correſpectivus reſignatarii conſenſus, novaque illius acceptatio, quæ de cætero operari poterat exnunc, non autem extunc, et à die porrectæ ſupplicationis, ut ſupra latius diſſeruimus. Eoque minus in adimplementum iſtius conditionis ſalvari queit ex adverſo ſub prætextu, quod iſtiuſmodi conditio, veluti impoſſibilis de jure, vitietur, et non vitiet, ſitque in facultate Papæ illam non admittere.

19. Quando enim verſamur in contractibus, eorum firmitatem à conſenſu contrahentium dimetientibus, conſenſus profecto dividi nequit; ſed tanquam conditioni annexus, conditione deficiente, deficiat conſenſus ipſe, neceſſe eſt, ad *text. in leg.* Aliquando, *ff.* de condit. et demonſtrat. *leg.* Neceſſariis, *ff.* de periculi et commod. rei vendit. *Rott. coram Celſo, deciſ.* 142. *num.* 7. *et in Recen. deciſ.* 172. *num.* 64. *part.* 6. unde à regulis hiſce principem nunquam deviaſſe cenſendum eſt, ut ipſi ſæculares principes, profeſſi fuerunt, præſertim *in leg.* Digna vox, *ff.* de legib. et conſtitut. princip. multoque fortius pontifices eorum æquitate præſtantiores; unde vel auctoritates contrariæ ſequuntur caſum communiter reprobatum, aut intelligendæ ſunt de illis conditionibus fere turpibus, et impoſſibilitatem facti continentibus, ne alias facilitter admittamus abſurdum illud abſurdiſſimum, ut ſcilicet quis abſque culpa propria, et citra ſuam voluntatem, privari debeat beneficio rite, recteque ab eodem poſſeſſo.

20. Nec minoris ponderis eſt altera nullitas deducta ex ipſa forma præſtiti conſenſus: in primo enim mandato procuræ inito tam per reſignantem, quam reſignatarium, duo conſtituti fuerunt procuratores, dominus nempe commendator Emmanuel de Gama, et D. Michael Lopez Roſa, non quidem cum facultatibus cuilibet illorum in ſolidum tributis, ſed ſimultaneis, et uniſone explendis; et tamen actus ab uno tantum geſtus extitit, ſcilicet à D. Lopez Roſa, nulliter equidem, et citra ipſius mandati importantiam, quin iſta nullitas evitari queat ex adverſo ſub animadverſione illorum verborum in d. mandato procuræ content.—*Tutto quello, che li detti ſignori ſuoi procuratori, e ſuſtabiliti, e ciaſcheduno di eſſi*—ac ſi verba iſta disjungerent facultates, dum tamen copulant, et intelliguntur de quolibet ipſorum inſimul cum alio conceſſas facultates explicante; cæterum difficultatem abſolvit ſubſequens mandatum procuræ à reſignatario confectum poſt obitum reſignantis; ipſe namque bene advertens deficientiam executionis primi mandati, in utendo ſingulariter facultatibus non uni tantum, ſed utrique procuratori conceſſis, renovavit mandatum procuræ, et cuilibet in ſolidum exequendi facultatem impartitus fuit; id quod neceſſarium non extitiſſet, ſi in primo mandato id ipſum contentum fuiſſet, dum in hoc ſecundo mandato ad primum relatio habita fuit, ut benigne animadvertere rogamus.

21. Comperta igitur ex his omnibus nullitate expeditionis ex adverſo factæ vigore aſſertæ renuntiationis, primæ noſtræ inſtantiæ pars, pro reportatione bullæ, ſeu literarum apoſtolicarum in contrarium expedit. jure optimo procedere videtur; hincque gradum faciendo ad ſecundam partem ejuſdem noſtræ inſtantiæ, ſcilicet ad relaxationem ſupplicationis porrectæ pro parte R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco, et retentione reſpective alterius ſucceſſive ſupplicationis exhibitæ à R. D. adverſario; quoties enim, ut in facto demonſtravimus à die 20. Octobris 1742. ad diem 15. Januarii 1743. quo obiit reſignans, nulla effectuata extiterat reſignatio, pro qua conſenſus, licet nulliter præſtitus extitit de menſe Martii 1743. potuit, debuitque interim reverendiſſimus epiſcopus Pharaonen. cui per obitum reſignantis quæſitum fuerat jus, cuilibet ordinario competens, devenire ad convocationem concurſus, quem coegit, ut diximus ſub die 12. Februarii 1743.

22. Id itaque exuberaret, ut gratia unice concedenda foret, et relaxanda favore rev. D. principalis, tanquam præelecti in concurſu, jure optimo, et abſque ullo prorſus impedimento per dictum reverendiſſimum epiſcopum convocato, ex quo beneficium per mortem dicti rectoris, cujus reſignatio, ut diximus, nondum ad eſſe ſuum perducta extiterat, non per reſignationem, ſed per obitum vacavit ad terminos *text. in cap.* Suſceptum, *de reſcript. in* 6. et hæc eſt vacatio, vera, et propria, quæ provenit ex natura rei; mors enim omnia ſolvit, § Deinceps, *authen. de nupt. Rott. deciſ.* 71. *num.* 5. *et* 6. *par.* 8. *rec.* unde ſubalternat juſtiſſima noſtra propoſitio, quod verificata, ut ſupra, vacatione per obitum, ſemper præferri debeat in aſſecutione beneficii, ille, ad cujus favorem prodiit præelectio in concurſu; et renuntiatio, ſucceſſive architectata, et conficta, nullatenus attendi debet, veluti nulla, ut latius ſupra demonſtravimus, aut ſaltem tanquam obreptitia, et ſubreptitia, ut in propoſito firmant *text. in cap.* Cum noſtris, *de conceſſio. præben. Rott. dec.* 8. *per tot. deciſ.* 9. *num.* 12. *coram Falconer. de reſcript.*

23. Hincque depromitur alia potiſſima noſtræ inſtantiæ pars pro relaxatione ſupplicationis porrectæ ex parte rev. D. principalis pro præelecto in concurſu; ejus namque ſupplicatio fulcitur validiſſimo titulo dictæ præelectionis, prorſus diverſo à contrario prætenſo titulo reſignationis; adeoque ratio non eſt, cur illius relaxatio præpediri debeat; nullatenus relevante oppoſitione in contrarium fieri ſolita ſuper lapſu quadrimeſtris præſcripti à nota conſtitutione S. Pii V. Primo enim non credimus eandem conſtitutionem in caſu locum ſibi vindicare poſſe; diſponit namque quoad parochiales, quarum collatio ſpectat ad Sanctam Sedem, *ſub* § 4.—*Illarum etiam, quarum collationes*

nobis, et d. Sedi, generaliter vel ſpecialiter, et ex quavis cauſa reſervatæ, ſeu affectæ exiſtunt, aut alias ex indulto Sedis Apoſtolicæ competunt, ad quas, occurrente illarum vacatione, epiſcopi, et archiepiſcopi præfati perſonas per examen, concurſu mutuo habito, juxta dicti Concilii Tridentini formam, approbatas, et magis idoneas, non elegerint, aut electas nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, aut iis, ad quos collatio ſpectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor menſium ſpatium aliæ illius vacationis non ſignificaverint.

24. Iſti igitur ſunt caſus, in quibus ordinarius, ejuſque præelectus cadit à commodo, jureque concurſus, ac omnimoda diſpoſitio S. Sedi reſervatur ad præſcriptum dictæ conſtitutionis; et tamen primo caſui, convocationi ſcilicet concurſus intra præfinitum tempus, dubium non eſt, quin reverendiſſimus epiſcopus ſatisfecerit, concurſum convocando ſub die 12. Februarii nondum elapſo menſe à die vacationis ſecutæ 15. Januarii; et omiſſo etiam, an disjunctiva conſtitutionis concepta per dictionem *aut*, diſpoſitionem ipſam alternet, ita ut unum ex alternatis verificari ſufficiat ad tradita per *Soccin. jun. conſ.* 50. *lib.* 4. *num.* 3, 4. *et* 11. *Altograd. conſil.* 49. *num.* 39. *lib. primo*, *Magon. deciſ. Florent.* 143. *num.* 2. *et* 6. certiſſimum redditur, quod ſatisfeciſſe videatur ordinarius etiam alteri parti ejuſdem conſtitutionis, tranſmittendo ſcilicet concurſum die 6. Maii, et per octo dies, antequam laberetur quadrimeſtre; verbum enim *ſignificaverit* optime verificari poteſt, et aptari ſcriptioni ipſius epiſtolæ, à qua pendet ſignificatio, et notitia S. Sedi porrigenda; notitia enim ex parte ordinarii ſe tenet à data epiſtolæ intra præfinitum tempus conſcribendæ; memorataque conſtitutio, tanquam pœnalis, & juris communis correctoria, non ſe extendit ultra literam textus; nullamque patitur extenſionem ad caſum non expreſſum, etiam concurrente eadem, vel majori ratione, ut tradunt communiter ſcribentes in cap. *Si apoſtolica, de præbend. in* 6. relat. per *Rott. deciſ.* 566. *n.* 9. *et* 10. *par.* 19. *Rec. tom.* 2.

25. Nulla itaque imputari valet præſcripti temporis tranſgreſſio reverendiſſimo epiſcopo, etiam conſiderata litera conſtitutionis Pianæ. Si vero animadvertamus, ut par eſt, locorum longinquitatem, et difficultatem recipiendi literas, præſertim hyemali tempore, ceſſat prorſus quæcunque difficultas; et non immerito in Dataria ſtylus receptus eſt non attendendi præciſe tempus prænarratæ conſtitutionis in parochialibus regni Portugalliæ, ut memorari dignabitur eminentiſſimus dominus. Licetque pars adverſa alias tradiderit elenchum quendam expeditionum factarum juxta conſtitutionem in regno præfato; quas tamen ex dictis expeditionibus comperire datum fuit, utpote moderniores, et aſcendentes ad numerum 7. omnes conceptæ apparent pro approbato in concurſu, ſeu aliis diverſiſſimis titulis, nulla habita mentione conſtitutionis, ut oſtendimus in *ſummario, num.* 10. quibus ſi addamus impedimenta ejuſdem reverendiſſimi epiſcopi, de quibus ipſemet teſtatur ſua in epiſtola, de qua in *ſummario citato, num.* 5. referens malam valetudinem interceſſam, et viſitationem, quam interim explere debuit, tempus eidem currere non valuit, utpote impedito, juxta regulam vulgatam, de qua *text. in leg.* Quibus diebus, *ff. de condit. et demonſtrat. cap.* Quia diverſitatem, *de conceſſ. præbend. et cap. fin. de election. Barboſ. axiom.* 116. *num.* 1. *Card. Deluc. de jure patron. diſc.* 47. *num.* 8. *in fin.*

26. Animadverſo præſertim, quod tempore convocationis concurſus, et poſtea etiam, vigebat rumor dictæ renuntiationis, et an effectuata dici poſſet, necne, iſtaque pariter retardavit tranſmiſſionem concurſus, donec reverendiſſimus epiſcopus de veritate facti, deque inſubſiſtentia ejuſdem renuntiationis, contrariæque expeditionis, certior evaſit; ideoque etiam ex iſta mora culpoſa pro parte adverſarii impeditus remanſit curſus quadrimeſtris, ut in propoſito notant *Vivian. de jure patron. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 26. *Rott. deciſ.* 94. *num.* 10. *cor. Gregor.* Quæ tamen dicta ſint, ut morem geramus erga partem adverſam, et ad oſtendendum, quod noſtra gratia pro præelecto in concurſu ſtat de per ſe, et etiam independens eſſe poteſt à Piana conſtitutione; cæterum veritas conſtantiſſima eſt, quod noſtra ſupplicatio anterior in tempore præ ſe fert utrumque titulum, tam ſcilicet pro præelecto in concurſu, quam juxta conſtitutionem, ut recognoſcere ſupplicamus ex tenore ejuſdem ſupplicationis *relat. in ſummario citat. num.* 7. unde eadem noſtra ſupplicatio omnino præferenda eſt alteri ſucceſſive porrectæ pro parte R. D. adverſarii ex eodem titulo vacationis juxta conſtitutionem, quia ex ſtylo Datariæ ſemper præferendus eſt ille, qui prævenit in ſupplicatione, ut teſtantur *Amaiden. de ſtylo Datar. cap.* 15. § 15. *num.* 38. *et ſeq. Mandoſ. conſ.* 16. *num.* 18. *et* 22. *Rott. in Barchinonen. beneficii* 20. *Martii* 1713. *coram eminentiſſimo domino.*

27. Nec alias res ſe habere poteſt, quia in ſupplicatione per nos porrecta, et à quocunque præelecto in concurſu porrigenda, perneceſſe exprimi debet, prout expreſſus fuit, dies obitus rectoris, concurſus convocati, et præelectionis factæ, idque juſtificandum eſt fide obitus, ipſoque concurſu; unde Datariæ officiales compertum habere debent tempus vacationis, et notitiæ habitæ per S. Sedem; ac in conſequens, an locum ſibi vindicet, necne, ſæpe dicta conſtitutio; ideoque ſubalternat dilemma, quod, ſcilicet, aut apoſita extitit vacatio juxta conſtitutionem, vel non: in primo caſu verſamur extra difficultatem ob gratiæ præventionem; in ſecundo, titulus ejuſdem vacationis juxta conſtitutionem non redditur amplius allegabilis, quoties Dataria ipſa, non obſtante notitia temporis, et eorum, quæ mox retulimus, admiſit ſupplicationem, et gratiam pro præelecto; nec pars adverſa vel unum caſum afferre poterit, quo admiſſa ſit impetratio juxta conſtitutionem, quando jam comparuerit præelectus in concurſu, cum exhibitione ejuſdem concurſus, et literarum ordinarii; imo exinde proditus eſt ſtylus officialis apponendi de per ſe in ſupplicatione ejuſdem præelecti, verba illa *juxta conſtitutionem*, quando deprehendatur ex integro rei contextu lapſum tempus in eadem conſtitutione præfinitum.

28. Et hæc dicta ſint ad examinandam contrariam difficultatem in linea aptivitatis propriæ, cum de cætero, ut diximus, verſemur extra difficultatem; quia noſtra ſupplicatio continet etiam vocationem juxta memoratam conſtitutionem; illiuſque relaxatio proinde nullatenus retardari valet, prout omnino retineri promeretur contraria ſupplicatio; quia continet eundem titulum prædictæ vacationis juxta conſtitutionem; certoque certius ex eodem titulo duæ ſupplicationes non ſignantur; ſemperque præferenda eſt anterior in tempore, juxta regulam ſuperius comprobatam; quæve in caſu immenſum obtinet robur, non ſolum ex anterioritate, ſed potioritate etiam noſtræ gratiæ, ad quam expetendam comparet præelectus in concurſu, judicio examinatorum ſynodalium, cæteriſque requiſitis præpollens, certe non comparandus cum ſimplici impetratore gratiæ piſcatoriæ adverſus deſignatum ordinarii judicio, conciliari diſpoſitione, cæteriſque apoſtolicis conſtitutionibus, ſuffulto.

29. Quæve ſi gravia ſunt in judicio, à quolibet ordinario præſtando, graviora ſane redduntur, reſpectu habito ad ſolidiſſimum criterium à tanto antiſtite adhibitum; modernus namque reverendiſſimus epiſcopus Pharaonen. numeris omnibus inſignitur, ſuæque dignitati perſonalibus reſpondet qualitatibus, utpote præclaro munere archiepiſcopatus Goenſis jam perfunctus, et primatiatus Orientis, quo relevantiſſima catholicæ fidei, ſanctæque Apoſtolicæ Sedi exhibuit ſervitia, tantaque præditus rerum experientia, Chriſtianis dogmatibus uniformi, ut modo invictiſſimi Portugalliæ regis actualis, et ſtatus conſiliarius exiſtat, ipſiuſque judicium proinde in præelectione R. D. principalis non levem promeretur exiſtimationem. Quibus denique patet reſponſio quibuſcunque motivis ex adverſo peti ſolitis ab inſubſiſtenti æquitate protracta ad caſum expeditionis factæ, ac impendii, paſſi vigore dictæ renuntiationis: nam quando, ut ſuperius late demonſtravimus, renuntiatio non niſi per anfractus rerum diſſidentium, et veritati nullatenus cohærentium, ad effectum perducta fuit; æquitas forſan denuo alleganda ad ſuſtentationem actus, illico ſuum perdit nomen, aliudque acquirit à juſtitia diſſonum; juſtitiaque ipſa ſuadet, ut pœna amiſſionis expenſarum teneat auctores ejuſdem culpæ perperam proceſſos ad expediendum vigore renuntiationis tot deficientiis infectæ, et nequaquam plauſibilis.

Quare, &c.

PLACIDUS MAROTTUS.

II. SUMMARIUM.

Num. 1. *Instrumentum publicum mandati procuræ in personam DD. equitis Emmanuelis de Gama, et Michaelis Lopez Rosa, æquis facultatibus confect. per resignantem, et resignatarium.*

In nomine Domini, Amen.

SAppiano tutti quelli, che questo publico istromento di facoltà, e procura bastante per via di rassegna vederanno, che essendo alli 25. di Agosto del 1742. in questa città di Faro, nelle case della solita residenza del reverendo signor canonico Marco de Siabra Netto, dove si trovava presente da una parte, come procuratore del reverendo sacerdote Antonio Duarte de Almeida naturale di Monchique di questo vescovato dell'Algarve, e dall'altra il reverendo beneficiato Emanuelle Ribeiro Girao, come procuratore del reverendo Emanuelle Pereira Torres priore della chiesa parochiale di Nostra Signora della Concezzione di Villanova de Portimao di questo vescovato dell'Algarve, persone conosciute da me notaro delle quali dò mia fede essere le medeme qui nominate, e subito per il detto signor beneficiato Emanuelle Ribeiro Girao fu detto a me notaro in presenza delli testimoni in appresso nominati, e sottoscritti, che il suo constituente il reverendo priore Emanuelle Pereira Torres si ritrovava in possesso era più di 21 anno di un priorato di concorso della chiesa parochiale di Nostra Signora della Concezzione di Villanova di Portimao per bolle apostoliche di sua Santità libera, et essente di qualsivoglia penzione, e solamente tiene di pensione bancaria quatordici ducati d'oro di camera, e 5 giuli della medema moneta, quali frutti certi del detto priorato non eccedono in ciaschedun' anno il valore di 24 duc. d'oro di camera, che con l'incerti un'anno per l'altro non eccedono in ciaschedun'anno 207 duc. d'oro di camera, che tirata la detta pensione della sopradetta somma restano liquidi 192 duc. d'oro di camera, e 12 giuli e mezzo della detta moneta, e che per patire gravi, e rigorose malatie di Gotta che l'impossibilitano, dico di Gotta per la quale stà mesi in letto, et ha 61 anno di età, per la qual causa non puole accudire alli pesi, et oblighi del detto priorato *cum cura animarum*, e molto meno all'officio di parocho come è obligato, e come conviene al servizio di Dio, e della medesima chiesa, come anche per altre giuste, e ragionevoli cause, che à ciò lo movono, e per la grande esperienza, che tiene della virtu, scienza, e sufficienza, et altre qualità, che concorrono nella persona del reverendo sacerdote Antonio Duarte de Almeida di età di 49 anni compiti, et esaminato, et approvato sinodalmente per tre esaminatori sinodali nella forma del sagro Concilio Tridentino, e che per intendere, che con tal buon ministro resterà la chiesa più ben servita, e che in tutto sodisfarà alli pesi, et oblighi del detto priorato come conviene al servizio di Dio, et officio di parocho, dice che esso in nome del detto suo constituente il reverendo priore Emmanuelle Pereira Torres faceva come in effetto subito fece rassegna del detto priorato nelle mani di sua Santità à favore, e nella persona del detto reverendo sacerdote Antonio de Almeida, dico il sacerdote Antonio Duarte de Almeida, con le clausule, e condizioni seguenti, che delli 192 duc. d'oro di camera e 12. giuli delli frutti certi, et incerti del detto priorato resterà pagando il detto reverendo rasegnato Antonio Duarte de Almeida due terzi per il medesimo rasegnante Emanuelle Pereira Torres, che fanno 128 ducati d'oro di camera restando per il reverendo rasegnato Antonio Duarte de Almeida un terzo che sono 64 duc. d'oro di camera, e 12 giuli e mezo della medesima moneta, et anche di più che nelli due terzi, che restano per esso rasegnante vuole si riservi una pensione di 16 ducati d'oro di camera ciaschedun'anno à favore di sua sorella la signora Vincenza Michela da Sylva religiosa professa dell'ordine Cistercience nel convento di S. Denis de Olivellas patriarchato di Lisbona per congrua, e sostento in quanto sarà viva, e per sua morte vachi la detta pensione annua, avendolo così per bene sua Santità, *et non alias, aliter, nec alio modo,* e sarà altresì obligato il detto rasegnatario à spedire a sue spese tanto la bolla di grazia, come quella di pensione delli due terzi di 128 duc. d'oro di camera, senza si spenda cosa alcuna per conto d'esso rasegnante, e solamente questo sarà obligato, a pagare la bolla di pensione di sua sorella la signora Vincenza Michela da Sylva religiosa professa delli sedici ducati d'oro di camera di pensione sopra espressi, e con tutte le sopradette condizioni disse il medesimo reverendo signor rasegnante Emanuelle Pereira Torres faceva rasegna del detto suo priorato *sub beneplacito Sanctissimi, et Sanctæ Sedis Apostolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo,* solamente à favore, e nella persona del detto reverendo signor sacerdote Antonio Duarte de Almeida, e subito per il detto reverendo signor canonico Marco de Siabra Netto, come procuratore del detto signor reverendo sacerdote Antonio Duarte de Almeida in presenza di me notaro, e delli testimoni appresso nominati, e sottoscritti, che esso in nome del suo constituente accettava la detta rasegna del detto priorato, e si obligava per sua libera volontà à pagare puntualmente le dette pensioni di sopra espresse, e mai in alcun'tempo andare contro esse in tutto o in parte per quanto nel terzo del rendimento del detto priorato di 64 duc. d'oro di camera e 12 giuli e mezzo della medesima moneta che gli resta, tiene entrata bastante per potersi mantanere secondo la sua qualità con molt'altri beni, che tiene patrimoniali, e che si ritrova liberi di suo patrimonio, et accioche tenga valido fine, e finalmente tutto quello in questa procura, si contiene, e dichiara, differo essi signori procuratori delli RR. signori rasegnante, e rasegnatario Emanuelle Pereira Torres, e Antonio Duarte de Almeida, che nella miglior forma, e via che in jus abbia luogo, e come sarà più fermo, e valido facevano, creavano, constituivano, e solennemente deputavano per loro certi legitimi, e bastanti procuratori li signori Michele Lopes Rosa, e commendatore Emanuelle de Gama residenti nella curia Romana assenti, come se fossero presenti con libera, e generale amministrazione di sustabilire questa in uno, e molti procuratori, e revocarli parendogli, e l'officio di essa riassumere, e della medesima tornare ad usare *toties quoties*, e daranno li consensi, che gli saranno richiesti, e saranno tutto il di più che sarà necessario per la spedizione delle bolle per il che gli danno tutte le facoltà in jure necessarie, tutto *sub beneplacito Sanctissimi, et Sanctæ Sedis Apostolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo,* e tutto quello per li detti signori suoi procuratori, e sostabiliti, e ciascheduno di essi sarà fatto consentito, e terminato l'averanno per fermo, e valido, tutto sub hipotheca obligazione *omnium bonorum suorum*, e li libera dal peso della satisfazione, e per così volerlo li dd. procuratori in nome de loro constituenti per virtù delle procure, che mi presentorono, e restono in potere di me notaro, qual tenore *de verbo ad verbum*, e il seguente Emanuelle Pereira Torres priore nella chiesa matrice di Villanova da Portimao vescovato dell' Algarve sotto il titolo di Nostra Signora della Concezione per la presente da me fatta, e sottoscritta faccio mio certo, et in tutto bastante procuratore con tutte le mie facoltà in jure necessarie il molto reverendo signor beneficiato Emanuelle Ribeiro Girao abitante nella città di Faro accioche in mio nome, come se io presente fosse, possa rinunziare, e sottoscrivere la procura di rinuncia che faccio del sopradetto mio priorato nelle mani di sua Santità, e del suo eminentissimo signor Cardinal Datario à favore del molto reverendo signor sacerdote Antonio Duarte de Almeida, *non alias, aliter, nec alio modo*, con dichiarazione però, che il costo tanto nella bolla di provista come di riserva di pensione à favore di esso rasegnante sarà per conto di detto signor di sopra menzionato, e solamente quello di pensione a favore della sorella del sudetto rasegnante Vincenza Michela da Sylva religiosa professa nel convento di S. Denis de Olivellas dell' ordine Cistercience di Lisbona, sarà pertanto di esso rasegnante, et in questa forma potrà il detto signor mio procuratore sottoscrivere le procure, e sustabilire questa in uno, o molti procuratori, e porre nelle procure tutte le clausule dello stile, che gli pareranno convenienti, e tutto quello per il detto signore sarà fatto nella forma sopradette l'averò per fermo, e valido—

Villa-

Villanova 21. Agoſto 1742. Il priore Emanuelle Pereira Torres—Il ſacerdote Antonio Duarte de Almeida abitante nel luogo di Monchique di queſto veſcovato dell'Algarve, per la preſente da me fatta, e ſottoſcritta faccio mio certo, et in tutto baſtante procuratore, con tutte le mie facoltà in jure neceſſarie il molto reverendo ſignor canonico Marco Siabra Netto abitante nella città di Faro, accioche per me, et in mio nome, come ſe io preſente foſſe poſſa accettare, et ſottoſcrivere le procure della renuncia, che in me vuol fare il reverendo priore Emanuelle Pereira Torres del ſuo priorato, che tiene nella matrice di Villanova de Portimaò, convendo ſua Santità, o ſuo eminentiſſimo ſignor Cardinale Datario in tal renuncia a mio favore colla riſerva dichiarata nella medeſima procura eſſendo tutto a beneplacito di ſua Santità, e dichiaro però, che il coſta della bolla di renuncia, tanto di riſerva di penſione come di proviſta a favore del detto ſignor raſſegnante, in quanto alla riſerva della penſione del detto reverendo ſignor raſſegnante Emanuelle Pereira Torres ſaranno ſpedite a mie ſpeſe, e quelle di penſione a favore della ſignora Vincenza Michaela de Sylva, ſorella del detto reverendo ſig. raſſegnante, e religioſa profeſſa dell'ordine di San Denis Ciſtercienſe nel convento di Olivellas, farà a coſto del ſudetto raſſegnante, ſe così lo permetterà ſua Santità, et in queſta forma potrà il detto mio procuratore ſottoſcrivere le procure, e ſtabilire queſta in uno, o molti procuratori, e porre nelle procure le clauſole dello ſtile, che gli pareranno convenienti, e tutto quello ſarà fatto per il detto ſignore nella forma ſopradetta l'averò per fermo, e valido; Villanova 21. Agoſto 1742.—Il ſacerdote Antonio Duarte de Almeida—E non ſi conteneva altro nelle dette procure, che reſtano in mio potere, et archivio, e certifico, e dò mia fede eſſere delli proprii per averli veduti ſcrivere molte volte, alle quali in tutto mi riferiſco; in fede di che richieſero a me Pietro Gomes Santos de Figueredo beneficiato capitulare in queſta Santa Sede, e publico notaro apoſtolico di ſua Santità approvato nella curia Romana, et in queſto veſcovato nella forma del ſagro Concilio Tridentino, e per l'ordinario di queſto veſcovato dell'Argarve, che queſta procura gli ſcriveſſi nel mio libro delle notizie, e di eſſa gli paſſaſſe l'iſtromenti neceſſarii, et io ſopradetto notaro l'accettai, e ſtipolai in nome degl'aſſenti, alli quali *quomodolibet in futurum* toccar poſſa ſtando al tutto preſenti per teſtimonii il ſignor Giuſeppe de Souza, et il ſignor Teodoro Netto de Miranda, che tutti ſottoſcriſſero con il procuratore del raſſegnante, e procuratore del raſſegnatorio, et io il beneficiato Pietro Gomes Santos de Figueredo notaro apoſtolico, che lo ſcriſſi—Il procuratore del reſſegnante il beneficiato Emanuelle Ribeiro Giraò—Il procuratore del raſſegnatario il canonico Marco Sinara Netto—Il ſacerdote Giuſeppe de Souza—Il ſacerdote Teodoro de Miranda Netto—E non ſi conteneva altro nella detta procura, che quì fece copiare bene, e fedelmente ſenza coſa, che faccia dubbio dal proprio libro delle note, che reſta in mio potere, et archivio, al quale mi riferiſco, et in fede, e teſtimonio di verità mi ſottoſcriſſi delle mie ſottoſcrizioni publica, e privata, de quali uſo, in Faro alli 4. di Settembre 1742.

Et io il beneficiato Pietro Gomes Santos de Figueredo publico notaro apoſtolico, che lo feci ſcrivere, e ſortoſcriſſi.

Rogatus, et requiſitus, &c.

Pietro Gomes Santos de Figueredo.

In fede di verità ✠ Pietro Gomes Santos de Figueredo.

Præſentem copiam ex ſuo originali fideliter extractam, et cum eo de verbo ad verbum collationatam, concordare inveni, et atteſtor; et inſuper fidem facio præſtitum fuiſſe conſenſum à D. Michaele Lopes Roſa procuratore, &c. ſub die 20. Octobris 1742. In quorum, &c. hac die 6. Julii 1743.

Ægidius Franciſcus Godin, cancellariæ apoſtolicæ notarius deputatus.

Loco ✠ ſigilli.

Num. 2. *Epiſtola reſignantis ſuper aſſerta penſione reſervanda favore ſororis monialis.*

Copia di particola di lettera tradotta in Italiana in data delli 14. Decembre 1742. del quondam Emanuelle Pereira Torres, priore della chieſa parochiale priorato nuncupata di Noſtra Sign. della Concezzione di Villanova di Portimao, Pharaonen. diœceſis.

OSſervo quanto V. S. auviſa all'amico in ordine al dubbio, che verteva ſopra la penſione, che voleva riſervare di ſedici ducati di oro a favore di una ſorella ſignora Vincenza Michaela de Sylva impoſto ne'duoi terzi della mia riſerva, nel che averei avuto piacere, poteſſe conſervare tal grazia ad effetto, che aveſſi la conſolazione di reſtare à queſta povera religioſa alla mia morte queſta congrua. Ma quando però non poteſſe conſeguirſi nella ſudetta forma, potea V. S. ſeguitare à ſpedire la renunzia per tutto il reſto, che ſi eſprimena nella procura; giacchè nell' altra parte intendevo non vi poteſſe cadere il dubbio alcuno. Il che ſuppoſto poteva pure conſeguirſi la grazia della rinunzia, *et in quanto alla penſione delli ducati* 16, *a favore di mia ſorella, graderò come hò detto, che ſi conſeguiſca la grazia, ma quando non ſi poſſa averò pazienza*, quia ad impoſſibilia nemo tenetur.

Num. 3. *Fides obitus reſignantis.*

PIetro Gomes Santos de Figueredo quartanario capitolare nella Santa Sede di queſta citta, e notaro apoſtolico di ſua Santità, approvato nella forma del ſagro Concilio Tridentino in queſto veſcovato per l'ordinario, &c. Certifico, e fo fede, che il reverendo Emanuelle Pereira Torres, priore della chieſa matrice di Noſtra Signora della Concezzione de Villanova, è paſſato da queſta all'altra vita, e fu un'ora doppo la mezza notte del giorno 15. di Gennaro di queſto preſente anno del 1743. In fede, o teſtimonio della verità paſſai la preſente, che ſottoſcriſſi col mio ſegno publico, e privato, di che uſo, in Faro alli 17. Gennaro 1743.

Pietro Gomes Santos de Figueredo.

In fede della verità.

Loco ✠ ſigilli.

Pietro Gomes Santos de Figueredo.

Num. 4. *Literæ per reverendiſſimum epiſcopum Pharaonen. eminentiſſimo D. conſcriptæ ſuper præleCtione in concurſu R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco principalis.*

Dominus Ignatius à S. Thereſa, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia, archiepiſcopus, epiſcopus Algarbienſis L. &c.

EMinentiſſimo, et reverendiſſimo domino, ſanctiſſimi domini noſtri Benedicti, divina providentia Papæ XIV. prodatario, et quibuſcunque præſentes literas inſpecturis, lecturis, ſeu viſuris, ſignificamus, et atteſtamur, vacante die decima quinta menſis Januarii, præſentis anni, parochiali eccleſia nuncupata ſub invocatione Beatæ Mariæ à Conceptione, oppidi vulgo Villanova de Portimao, hujus Algarbienſis diœceſis, per obitum Emmanuelis Pereira Torros, preſbyteri, fuiſſe per curiam noſtram, mediantibus editalibus juta formam, et præſcriptum ſac. Concilii Tridentin. et conſtitutionis felic. recordationis Pii Papæ V. vocatos omnes de ſic vacante eccleſia provideri volentes, quatenus intra terminum viginti dierum comparerent in eadem curia ad faciendum deſcribi, et annotari nomina ipſorum; et cum eodem termino multi compariuiſſent, tandem iiſdem deſcriptis legitime vocatis, et citatis ſub die duodecima menſis Februarii, ejuſdem anni, coram nobis, rigoroſo prævio examine per tres examinatores ſynodales, virtute diplomatis apoſtolici deputatos, factam fuiſſe experientiam de ſcientia et ſufficientia ſingulorum deſcriptorum, ac demum ſervatis de jure ſervandis per dictos tres examinatores in eodem rigoroſo conſeſſu ſynodaliter examinatum fuiſſe repertum, habitum, et exiſtimatum idoneum vita, moribus, ætate, ſcientia, et aliis à jure requi-

requiſitis ad obtinendam à Sede Apoſtolica dictam parochialem eccleſiam Franciſcum Monteyro Caſtelbranco ſacerdotem hujuſmet diœceſis, et tanquam habilem, et idoneum approbatum, et ſucceſſive à nobis poſt examen, et approbationem prædictam, fuiſſe magis idoneum reputatum, et judicatum, et ut talem pro obtinenda dicta parochiali Sedi Apoſtolicæ proponendum, et approbandum, prout proponimus, et approbamus: et ipſe nullum attinet beneficium. In quorum fidem præſentes literas ſub ſigno et ſigillo noſtris munitas fieri juſſimus. Datum in hac civitate Pharaonenſi, die ſexta Maii, anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio.

Et ego Joannes Peſſana è Coſta, preſbyter, cameræ ſecretarius, eas ſubſcripſi.

Loco ✠ ſigilli.

Archiepiſcopus epiſcopus Algarbienſis—Gramaxo.

Num. 5. *Epiſtola reverendiſſimi epiſcopi Pharaonen. ſuper impedimentis viſitationis, et malæ valetudinis.*

Copia di lettera di monſignor veſcovo Pharaonen. olim arciveſcovo di Goa, primate dell'Oriente, conſigliere di ſtato della maeſtà del rè di Portogallo, ſcritta al ſignor cavalier Gama, che ſi eſibì originalmente nelle mani dell'eminentiſſimo e reverendiſſimo ſignor cardinal prodatario: in data de'3. di Maggio, di queſt'anno.

Capitolo della lettera de'3. Maggio.

INtorno allo raſſegna della chieſa parochiale, e priorato di Noſtra Signora della Concezzione di Villanova de Portomao del raſſegnante Emanuelle Pereira Torres, già defonto alli 15. Gennaro, e raſſegnatario Antonio Duarte de Almeida, che ho avuto notizia eſſerſi ſpedita in coteſta curia alli 8. di Marzo, mi maraviglio molto, che chi la fece ſpedire in virtù della ſeconda procura gia con la notizia di eſſer morto il raſſegnante non faceſſe ſcrupolo ſopra la certa, notoria nullità di dare il conſenſo à nome del defonto già con la certezza della ſua morte, et anche non meno verità nell'eſpreſſione de frutti certi et incerti, come meglio apparirà dalla ſupplica, et eſpoſizione dell'preeletto nel concorſo che intendo fu rimeſſa à V. S. per eſſerſi mandata per via del beneficiato Pietro Gomes Santos de Figueredo, oltre di altre nullità, e vizii delli quali ho notizia, uno de qual dicono eſſer quello della data della ſeconda procura.

Io deſideravo ſcrivere all'eminentiſſimo ſignor cardinale prodatario l'eminentiſſimo Aldrovandi rappreſentandogli queſte nullità, e chiedendogli riverentemente faccia ſpedire con brevità le bolle dell'preeletto nel concorſo il ſacerdote Franceſco Monteyro, li dicui documenti ſono già ſtati ſpediti da Faro, ma l'impedimenti della viſita, et alcuna malatia di certe febricole attuali, che mi ſono ſopravenute, m'impediſcono far queſta diligenza, e pertanto ſupplico V. S. che à nome mio gli rappreſenti il tutto nella miglior forma, che gli parerà.

Num. 6. *Inſtrumentum publicum mandati procuræ poſt obitum reſignantis per reſignatarium confect. in perſonam eorundem DD. equitis Emmanuelis de Gama, et Michaelis Lopes Roſa.*

In nomine Domini, Amen.

SAppiano quanti queſto publico iſtromento, e facoltà vedranno, comen ell'anno della Natività di noſtro Signore Geſù Chriſto dell' 1743 anni, eſſendo alli 17. de Gennaro di detto anno in queſta città di Faro nella caſa dimorata da me notaro apoſtolico avanti nominato eſſendo ivi preſente il reverendo ſacerdote Antonio Duarte de Almeida, e confeſſore approvato naturale, e dimorante nel luogo de monchique di queſto veſcovato di Algarve, perſona ben conoſciuta da me notaro, e dalli teſtimonii avanti nominati fò fede eſſere il medemo, e ſubito da eſſo mi fu detto in preſenza delli teſtimonii avanti nominati, e ſottoſcritti, che nella migliore forma del jus, come fuſſe più fermo e valido, faceva, creava, e coſtituiva, come con effetto ſubito fece, creò, e coſtitui, e ſolennemente deputò per ſuoi certi, legitimi, e baſtanti procuratori, e nunzii generali con tanto, che la ſpecialità non deroghi la generalità, ne per il contrario, li ſignori Michel Lopes Roſa, e commendatori Emanuele de Gama, reſidenti nella curia Romana aſſenti, come ſe foſſero preſenti, che ſaranno li eſibitori, ò eſibitore della preſente, di tal maniera, che non ſia meglio la condizione del primo occupante, ne deteriore à quelli ſuſſeguenti, accioche ambedue, e ciaſcheduno in ſolidum, poſſino uſare della procura, che fu fatta alla cinque giorni del meſe di Agoſto, dell'anno paſſato del 1742 anni, ratificando in tutto le facoltà in eſſa menzionate, ſopra la rinuncia, che aveva fatto il reverendo Emanuelle Pereira Torres, priore della chieſa matrice di Noſtra Signora della Concezzione di Villanova, con penzione, quali frutti certi di detto priorato rende ogn'anno ottanta ducati di oro di camera, e coll'incerti un'anno per l'altro, non eccedono il valore di 242 ducati, e 5 giulii, ò in quello, che ſarà notato il detto priorato nella Dataria, tutto *ſub beneplacito Sanctiſſimi, et S. Sedis Apoſtolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo*, e potranno li detti ſignori preſtare in nome di eſſo coſtituente li conſenſi, che richieſti gli ſaranno, et impetrare queſta grazia anche che ſia morto il detto reverendo prior Emanuelle Pereira Torres, per nuova grazia, ò per quella via, che meglio gli parerà, che per tutto gli da tutte le ſue facoltà, et unitamente potranno ſuſtituire queſta nella perſona, che gli parerà per poterſi ſubito inſtituire nel detto priorato in Roma, e potranno li detti ſignori ſuſtituire queſta in uno, e più procuratori le facoltà di queſta procura, e parendogli rivocarli, e di eſſa tornare ad uſare, *toties quoties*, e tutto quello, che per li detti ſignori ſuoi procuratori, e ſuſtituiti, foſſe fatto, acconſentito, e terminato, ò ciaſcheduno di eſſi haverà per fermo, e valido, tutto *ſub beneplacito Sanctiſſimi, et S. Sedis Apoſtolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo*, e libera dal peſo della ſodisfazione, e giureranno nell'anima di eſſo coſtituente, non interviene, ne ſperino intervenire in ſimonia alcuna, e per così lo volere, e ricercare, chieſe à me Pietro Gomes Santos de Figueredo quartanario capitolare in queſta S. Sede, e notaro publico apoſtolico per la curia Romana degl'approvati dall'ordinario queſt'iſtromento gli ſcriveſſi, e di eſſo gli paſſaſſi dal mio protocollo l'iſtrumenti neceſſarii, e io ſopradetto notaro lo accettai e ſtipolai in nome degl'aſſenti *à quali quomodolibet in futurum* toccar poſſa, ſtando al tutto preſenti per teſtimonii il reverendo Emanuelle de Oliveyra da Roxa, teſoriere maggiore della S. Sede, et il reverendo canonico Marco de Seabra Netto, che la ſottoſcriſſero con il detto coſtituente il ſacerdote Antonio Duarte de Almeida, et il beneficiato Pietro Gomes Santos de Figueredo, notaro apoſtolico, che lo ſcriſſi—*rogatus, et requiſitus*—Il ſacerdote Antonio Duarte de Almeida—Emanuelle d'Oliveyra de Roxa—Marco de Seabra Netto—Hon ſi contiene altro nella detta procura, che io ſopradetto Pietro Gomes Santos de Figueredo, publico notaro apoſtolico, approvato nella forma del ſagro Concilio Tridentino per l'ordinario di queſta città di Faro, et in eſſa reſidente, qui copiai bene, e fedelmente, ſenza coſa, che dubbio faccia dal mio protocollo, nel quale ſtà regiſtrata la medema procura, al quale mi riporto; in fede di che, e teſtimonio della verità, queſto autentico paſſai, e lo ſottoſcriſſi col mio ſegno privato, e collazionai con il publico coſtumati che tali ſono. Faro, 17. Gennaro 1743. Rogatus, et requiſitus.

Pietro Gomes Santos de Figueredo—In fede della verità.

Loco ✠ ſigilli.

Pietro Gomes Santos de Figueredo.

Num. 7. *Summarium primæ ſupplicationis tam pro approbato in concurſu, quam juxta conſtitutionem exhibitæ pro parte R. D. principalis.*

CUM parochialis, &c. extra Romanam curiam de menſe Januarii proxime præteriti defuncti, aut alias certo alio modo ad præſens, licet quidam Antonius Duarte de Almeida, aſſertus preſbyter de paro-

chiali eccleſia prædicta apoſtolica auctoritate nulliter proviſus, illam indebite aſſequi prætendat, ſeu jam forſan indebite detineat occupatam; illiuſque collatio, proviſio, et omnimoda alia diſpoſitio, juxta conſtitutionem Pii Papæ V. S. V. prædeceſſoris ſuper modo et forma providendi de ſimilibus eccleſiis, dum pro tempore vacant, S. V. et Sedi Apoſtolicæ, ac vice reſervata exiſtat, &c.

Num. 8. *Summarium contrariæ ſupplicationis juxta conſtitutionem poſterioris in tempore.*

PArochialis prioratus nuncupat. forſan per obitum de Januario vacans, et juxta conſtitutionem Pii Papæ V. reſervata 80, cum incertis 243 ducat. licet quidam aſſertus clericus, ſeu preſbyter, illam prætextu collationis ſibi tanquam in concurſu approbato ab ordinario nulliter factæ indebite detineat occupatam pro Antonio Duarte de Almeida preſbytero in dicta parochiali, vel ad illam ex proviſione apoſtolica ſibi alias de eadem parochiali tunc per reſignationem ultimi illius poſſeſſoris, dum viveret, in manibus S. V. factam, et per eandem S. V. admiſſa vacante per dictam S. V. facta jus habente, ſeu habere prætendente, ſine præjudicio dicti juris, forſan obtinet dua, vel tria, &c.

Num. 9. *Decreta ab eminentiſſimo D. emanata in contradictorio partium ad favorem R. D. principalis.*

FIdem facio per præſentes ego R. C. A. ſecretarius, et cancellarius infraſcriptus, qualiter unus ex ſanctiſſimi domini noſtri Papæ curſor retulit in ſcriptis, ſe die 31. Julii 1743. pro parte, et ad inſtantiam, reverendi domini Franciſci Monteyro Caſtellobranco principalis, ſive, &c. in cauſa Pharaonen. parochialis de Villanova de Portimao Domi dimiſſa copia citâſſe coram eminentiſſimo et reverendiſſimo domino cardinali prodatario dominum Petrum Clementini ex adverſo procuratorem aſſertum reverendi domini Antonii Duarte de Almeida ex adverſo principalis ad comparendum coram eminentiſſimo domino die craſtina, hora ſolita congregationis, necnon ad videndum mandari lacerari nihil tranſeat ex adverſo appoſito, illudque declarari non afficere ad effectum impediendi relaxationem ſupplicationis, et expeditionem bullæ reſpective ad favorem inſtantis, unicoque contextu mandari reportari bullas ex adverſo impeditas, necnon retinere ſupplicationem ultimo loco pariter ex adverſo datam ad effectum, et decretum ad dictam diem, et horam; die vero 2. Auguſti, et hora ſolita audientiæ adventis, relatione facta, comparuit dominus Placidus Marotti procurator; petiit ut ſupra; extunc eminentiſſimus dominus habuit terminum, procuratore ex adverſo præſente, &c. et alias latius, prout in actis mei, ad quos, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, hac die 3. Auguſti 1743.

Ita eſt. Felix Antonius Paulettus R. C. A. ſecretarius.

Fidem facio per præſentes ego R. C. Apoſtolicæ ſecretarius, et cancellarius infraſcriptus, qualiter unus ex ſanctiſſimi D. N. PP. curſoribus retulit in ſcriptis, ſe die 9. Auguſti 1743. pro parte, et ad inſtantiam, R. D. Antonii Duarte de Almeyda principalis, ſive, &c. in cauſa Pharaonen. Domi dimiſſa copia citâſſe coram eminentiſſimo et reverendiſſimo D. cardinali prodatario D. Placidum Marotti ex adverſo procuratorem aſſ. R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco ex adverſo principalis ad comparendum coram eminentiſſimo domino die Lunæ, hora ſolita audientiæ, necnon videndum aperiri terminum pro ſervato debitum, ac relaxari ſupplicationem, juxta conſtitutionem, et cum præſervatione jurium præcedentis reſignationis ad favorem inſtantis ſignatæ, et reſpective retineri utramque aſſertam ſupplicationem ſignatam ad aſſertum favorem domini adverſarii citati tam ex titulo prætenſæ præelectionis obtentæ in concurſu, quam etiam ex alio titulo prætenſæ vocationis ſecutæ per obitum, attenta ſuppoſita nullitate antedictæ reſignationis, et pro hujuſmodi effectu lacerari nihil tranſeat pro parte dicti inſtantis, et decretum, &c. ad primam diem; die vero 13. ejuſdem menſis, et hora ſolita audientiæ adventis, relatione facta, comparuit D. Petrus Clementini procurator petiit; et ſuperſederi per octo, procuratore ex adverſo præſente, et alias latius, prout in actis mei, &c. ad quæ, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die 14. Auguſti 1743.

Ita eſt. F. A. Paolettus reverendæ cameræ apoſtolicæ ſecretarius.

Fidem facio per præſentes ego R. C. A. ſecretarius, et cancellarius infraſcriptus, qualiter unus ex ſanctiſſimi domini noſtri PP. curſoribus retulit in ſcriptis, ſe die 20. Auguſti 1743. pro parte, et ad inſtantiam, R. D. Antonii Duarte de Almeida principalis, ſive, &c. Domi dimiſſa copia citâſſe coram eminentiſſimo et reverendiſſimo domino cardinali prodatario in cauſa Pharaonen. parochialis dominum Placidum Marotti ex adverſo proc. aſſertum R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco aſſerti præelecti in concurſu ex adverſo principales ad comparendum coram eminentiſſimo domino die Jovis, hora ſolita audientiæ, necnon videndum prævia repoſitione à quocunque præjudiciali decreto ex adverſo nulliter, et indebite extorto, relaxari ſupplicationem juxta conſtitutionem S. Pii PP. V. ſerum præſervatione jurium præcedentis reſignationis ad favorem domini inſtantis ſignatam, et reſpective retineri utramque aſſertam ſupplicationem ſignatam ad prætenſum favorem domini adverſarii, tam in titulo prætenſæ præelectionis in concurſu, quam etiam ex alio titulo prætenſæ vacationis ſecutæ per obitum ob ſuppoſitam nullitatem antedictæ reſignationis, et pro hujuſmodi effectu mandari lacerari nihil tranſeat ex adverſo nulliter, et indebite appoſitum, ac reſpective ſervari nihil tranſeat appoſitum pro parte D. inſtantis, et decretum, &c. ad dictam diem, et horam; die vero 22. ejuſdem menſis, et hora ſolita audientiæ adventis, relatione facta, comparuit D. Petrus Clementinus procurator; petiit; extunc eminentiſſimus D. mandavit retineri ſupplicationem inſtantis, ac relaxari aliam ſupplicationem ob nullitatem reſignationis, et præelecto in concurſu favore Franciſci Monteyro Caſtelbranco, niſi infra octo, et amplius procuratore ex adverſo præſente, et alias latius, prout in actis mei, &c. ad quæ, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, hac die præfata 22. menſis Auguſti 1743.

Ita eſt. Pro domino Felice Antonio Paoletti R. C. A. ſecretarius.

Cæſar Rodolphus conſecretarius.

Fidem facio per præſentes ego R. C. A. ſecretarius, et cancellarius infraſcriptus, qualiter unus ex ſanctiſſimi domini noſtri PP. curſoribus retulit in ſcriptis, ſe die ſecunda Septembris 1743. pro parte, et ad inſtantiam, reverendi domini Franciſci Monteyro Caſtelbranco principalis, ſive, &c. in cauſa Pharaonen. hora 13. cum dimidia, perſonaliter citâſſe coram eminentiſſimo et reverendiſſimo D. cardinali prodatario D. Petrum Clementini ex adverſo procuratorem aſſertum R. D. Antonii Duarte de Almeyda ex adverſo principalis ad comparendum coram eminentiſſimo domino hac mane, hora ſolita audientiæ, ſeu congregationis, necnon videndum in executionem decretorum factorum favore reverendi D. inſtantis pro relaxatione ſupplicationis, et expeditionis reſpective juxta conſtitutionem, &c. et retentione reſpective ſupplicationis datæ pro parte dicti adverſarii porrectæ mandari pro nunc pariter in majorem explicationem eorundem decretorum inhiberi ad ſtatim in forma, &c. ne audeat quicquam in partibus innovare ſuper executione prætenſæ bullæ vigore reſignationis factæ, ut prætenditur per quondam Emmanuelem Pereyra Torres, et decretum, &c. ad dictam diem, et horam; die vero prædicta ſecunda menſis Septembris, et hora ſolita audientiæ adventis, relatione facta, comparuit dominus Placidus Marotti procurator; petiit, et obtinuit, ut ſupra, procuratore ex adverſo præſente, et alias latius, prout in actis mei, &c. ad quæ, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, hac die 6. Septembris 1743.

Ita eſt. Felix Antonius Paolettus R. C. A. ſecretarius, &c.

Fidem facio per præſentes ego rev. Cameræ Apoſtolicæ ſecretarius, et cancellarius infraſcriptus, qualiter

qualiter unus ex sanctissimi domini nostri PP. cursoribus retulit in scriptis, se die 6. Septembris 1743. pro parte, et ad instantiam, R. D. Antonii Duarte de Almeida principalis, sive, &c. in causa Pharaonen. parochialis Domi dimissa copia citâsse coram eminentissimo et reverendissimo domino cardinali prodatario D. Placidum Marotti ex adverso procuratorem assertum reverendi domini Francisci Monteyro Castelbranco ex adverso principalis ad comparendum coram eminentissimo domino die crastina, hora solita audientiæ, necnon dicendum contra memorialem cum rescripto Sanctissimi, et in illius sequelam videndum prævia repositione à quibuscunque contrariis præjudicialibus decretis ex adverso nulliter, et indebite extortis deputari congregationem particularem eminentissimo domino bene visam cum prælatis adjunctis ad effectum examinandi, et decidendi omnia hinc inde deducta respectu parochialis, de qua agitur, et interim videndum sibi inhiberi in forma, ne sub pœnis, &c. audeat quicquam innovare, &c. et decretum, &c. ad primam diem. Die vero septima ejusdem mensis, et hora solita audientiæ adventis, relatione facta, comparuit D. Petrus Clementini procurator; petiit, ut supra; extunc eminentissimus et reverendissimus dominus stetit in decretis, et in executionem rescripti Sanctissimi deputavit in causa, de qua agitur, congregationem particularem, nempe eminentiæ suæ, ac illustrissimorum et reverendissimorum DD. Lana, Pacca, Lami, et Negroni, ac Justiniani subdatarii, et illustrissimi D. Petri Biancini præfecti officii vacationum per obitum, necnon destinavit propositionem hujusmodi causæ pro die vigesima secunda currentis mensis Septembris, et interim inhiberi, procuratore ex adverso præsente, &c. et alias latius, prout in actis mei, &c. ad quæ, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, prædicta die 7. Septembris 1743.

Ita est. Felix Antonius Paulettus R. C. A. secretarius.

Num. 10. *Series impetrationum, quæ falso ex adverso relaxatæ supponuntur juxta constitutionem.*

De anno 1739.

PArochialis S. Francisci oppidi de Macanza bonæ Mariæ pro Emanuele Rodriquez Teyxeira *questa si ritrova spedita* ob litem, seu litis pendentiam, *come dal sommario del tenor sequente, cavato dal registro di questa spedizione.*

Vicaria perpetua parochialis S. Pauli oppidi de Macanz. bonæ Mariæ nominationis, seu collationis prioris, et canonicorum prioralium monasterii S. Salvatoris de Griyo Portugalen. congregationis canonicorum regularium S. Crucis Colibrien. civitatis, vel diœcesis, per obitum Emanuelis Riquez canonico 24, cum incertis 100 ducat. super qua lis inter priorem, et canonicos regulares prædictos, ac capitulum cathedralis post vacationem orta pendet indecisa pro Emanuele Rodriquez Teyxeira presbytero cum commissione viciniori attenta lite 13. Martii 1739.

De anno 1740.

Parochialis S. Jacobi Pharaonen. oppidi Malsensis pro Alvaro Nobre Rua, e questa spedizione si trova fatta pro approbato in concursu, come dalla copia del sommario cavato dalli registri della Dataria.

Parochialis prioratus nuncupat. S. Jacobi oppidi civitatis nuncupat. Balsensis per obitum Joannis Camalho da Cunha 24. et 95. &c. pro Alvaro Nobre Rua approbato in concursu 27. Augusti 1740.

De anno 1740.

Portugalen. parochialis S. Joannis de Canellas Comarca da Feyra pro Dominico Lopes Nogueira — Questa chiesa vacò in Gennaro 1740. e come trovò morto il Papa, e la sede vescovile era anche vacante, et uno l'impetrò pretendendo, che il concorso fosse nullo, e l'altro come provisto da un certo priore, che sono casi del tutto diversi, et ecco li casi delle suppliche cavati dalli registri di Dataria.

Parochialis abbatia nuncupat. S. Joannis de Canellas da Comarcha da Feyra præsentationis ecclesiæ, de qua per obitum Benedicti Homem de Afonceca per vicarium capitularem nulliter oratori provisum fuit 240. et 315. &c. pro Dominico Lopes Nogueira 3. Septembris 1740.—Pensiones palatinæ una 20. et altera 30. &c.

Parochialis abbatia nuncupat. S. Joannis de Canellas toparchiæ de Feyra nominationis capituli, et prioris dignitatis principalis collegiatæ insignis Cedofeite dictæ diœcesis alternatim per turnum juxta concordiam inter eos initam per obitum Benedicti Homem de Afonceca priore in prætenso turno nominan. existente 240. cum incertis 315. &c. pro Dominico Ribeyro à prætenso priore turnario nominato, licet Dominicus Lopes Noguera à capitulo in turno exercere prætendente nulliter nominatus illam indebite assequi prætendat, lite subinde super jure conferendi dictam parochialem inter oratorem, et promotorem fiscalem post vacationem introducta pendente 28. Septembris 1740.

De anno 1741.

Parochialis in collegiata oppidi de Sylvas Pharaonen. pro Josepho da Sylva Barriga — Questa chiesa fù spedita pro approbato in concursu, come appariſce dal sommario della supplica, cavato dai libri di Dataria del tenor seguente — Parochialis prioratus nuncupat. in collegiata oppidi civitatis de Sylves per obitum Josephi Pacheco solares 60, et 100 duc. pro Josepho da Sylva Barriga approvato, &c. cum decreto vacationis simplicis in dicta collegiata obtenti 20. Aprilis 1741.

De anno 1741.

Parochialis S. Petri de Serzedello pro Melchiore Peregra de Castro — Questa supplica fù fatta pro approbato in concursu, non ostante la pretenzione, che avevano certe monache, che gli fosse unita, et il sommario della supplica, e del tenor seguente parochialis abbatia nuncupat. S. Petri de Serzedello per obitum Antonii de Sylva 226. et jul. 5. cum incertis 248 duc. pro Melchiore Pereira de Castro in concursu approbato, licet moniales monasterii S. Benedicti de Vairao Portugalen. diœcesis dictam parochialem eidem monasterio unitam existere, et ad illam nominare prætendant, seu jam forsan nulliter alium nominaverint 10. Aprilis 1741. Pensio 100 duc. in eventum pacificæ possessionis.

De anno 1741.

Parochialis S. Petri curiæ Elven. pro Emanuele de Bastos.—Questa chiesa vacò per obitum, e come tale fù conferito dalla Dataria per esser beneficio di poca rendita, et esser solito conferirsi dalla Dataria senza concorso, come appariſce dal sommario della supplica ricavato dai libri di Dataria del tenor seguente—Parochialis prioratus nuncupat. S. Petri civitatis Elven. per obitum Joannis Solteiro 40, et 120 duc. pro Emanuele de Bastos ad curam animarum approbato 5. Septembris 1742.

SACRA
CONGREGATIONE
PARTICULARI
Eminentissimo, et Reverendissimo D. Card.
ALDROVANDO
PRO-DATARIO
Necnon RR. PP. DD.
Lana, Pacca, Lami, Nigrono, et Justiniano Subdatario, et Illustrissimo D. BIANCINO, per Obitum
Pharaonen. Parochialis,
PRO
Revmo. D. ANTONIO DUARTE de ALMEIDA,
CONTRA
Rev. D. FRANCISCUM MONTEYRO CASTELBIANCO.

Restrictus facti, et juris, cum summario adnexo pro Congregatione habenda die Dominico 22. Septembris 1743.

III. PHARAONEN. PAROCHIALIS.

Eminentissime et Reverendissime DOMINE,

1. SAcerdos Emmanuel Pereira Torres resignare exoptans parochialem ecclesiam Beatæ Mariæ Conceptionis Oppidi de Villanova diœcesis Pharaonen.

nen. quam pacifice poſſidebat favore ſacerdotis don Antonii Duarte de Almeida principalis noſtri, ſub reſervatione certæ annuæ penſionis, tam ipſe, quam futurus reſignatarius ſpeciale mandatum procuræ dederunt die 25. *Auguſti præteriti anni* 1742. dominis Michaeli Lopez Rotta, et commendatario Emmanueli de Gama, reſidentibus in urbe, cum facultate ſubſtituendi, et cum libera, &c ut literas apoſtolicas ſuper reſignatione hujuſmodi expedirent, *ſummario, num.* 1. geminaſque conditiones in eodem mandato addiderunt, unam, videlicet, quod de fructibus parochiæ, quos in ducatis 193 expreſſerunt, duæ ex tribus partibus ipſi reſignanti loco penſionis reſervarentur, *dicto num.* 1. *lit.* A. et alteram, quod portio ipſius penſionis ſic, ut ſupra, reſervandæ, cederet in commodum, et ad vitam, cujuſdam monialis ſororis ejuſdem reſignantis — *avendolo così per bene ſua Santità, et non alias, aliter, nec alio modo — dicto num.* 1. *litt.* B *et* C, quinimo tàm reſignationem facere, quam has conditiones adjicere, ſemel iterumque profeſſi fuerunt, — *ſub beneplacito Sanctiſſimi, et Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo — dicto ſummario, n.* 1. *litt.* D. E. *et* F. promiſeruntque habere ratum — *tutto quello per li detti ſignori procuratori, e ſoſtituiti,* E CIASCUNO DI ESSI, *ſarà fatto, conſentito, e terminato — dicto ſummario, n.* 1. *lit.* G.

2. Et quia idem reſignans præviderat, quod dicta ſecunda conditio addita in favorem ſuæ ſororis, ſub reſervatione beneplaciti apoſtolici, tanquam exorbitans, et inſolita, effectum difficillime habere potuiſſet, hinc per familiarem epiſtolam ſcriptam *die* 14. *Decembris*, ita ſignificavit prædicto D. Lopez Roſa, ibi — *In quanto alla penſione delli ducati* 16, *à favore della mia ſorella, gradirò, come hò detto, che ſi conſeguiſca la grazia; mà quando non ſi poſſa, aurò patienza, quia ad impoſſibile nemo tenetur* — et iterum ibi — *Aurei avuto piacere, ſe poteſſe conſeguirſi tal grazia, ad effetto, che aveſſi la conſolazione di reſtare à queſta povera religioſa alla mia morte queſta congrua; mà quando però non poteſſe conſeguirſi nella ſudetta forma, poteva V. S. ſeguitare à ſpedire la renuncia per tutto il reſto, che ſi eſprimeva nella procura* — ut latius *in ſummario, num.* 2.

3. Attento itaque, quod hæc conditio præ ſe ferebat rem inſolitam, exorbitantem, et nunquàm admiſſibilem, ex inconcuſſo ſtylo Datariæ, ac ſe uniformando, D. Lopez Roſa, procurator voluntati tam tacitæ, quam expreſſæ reſignantis, ſic, ut ſupra, ſibi panditæ, ſignari, et datari curavit ſupplicationem reſignationis ſub *die* 20. *menſis Octobris*, in arce Gandulphi; et deinde expediri deſuper fecit literas apoſtolicas cum reſervatione integræ penſionis ducatorum 128, pro ſolo reſignante, et cum aſſueta clauſula — *Dummodo centum remaneant pro rectore — Summario, num.* 3.

4. Defuncto reſignante de menſe *Januarii*, qui eſt apoſtolicus, *currentis anni* 1743. reverendiſſimus epiſcopus Pharaonenſis, veluti cui literæ reſignationis nondum præſentatæ fuerant, exiſtimans, parochiam vacâſſe per ejus obitum, non ſolum indixit, et convocavit concurſum, ſed etiam reverendum D. Franciſcum Monteyro Caſtelbianco adverſarium, qui in eo, ut fertur, præelectus fuerat, illico, et de facto, intruſit in poſſeſſionem eccleſiæ, abſque eo, quod prius expectaret collationem Sanctæ Sedis, ad quam, ſub ſuppoſito, quod eccleſia vacâſſet per obitum reſignantis, indubie ſpectabat ejus proviſio, ut tranſit ſine controverſia inter partes; ac ſuperventis deinde literis reſignationis domino principali, eas nulliter, et injuſte executioni demandare renuit, ita ut coactus fuerit dictus dominus principalis, pro executione, recurrere ad reverendiſſimum nuntium apoſtolicum, coram quo, tanquam uno ex executoribus inibi deputatis, acta pendent.

5. Quamviſque ſatis tutus videretur idem D. principalis hoc ſolo cæteroquin validiſſimo, et incriticabili titulo reſignationis, pro aſſecutione parochialis, videns nihilominus, reverendiſſimum epiſcopum peccâſſe contra formam præſcriptam in celebri *conſtitutione la* 33. *S. Pii* V. ſignanter in omittendo *ſignificare* Sanctæ Sedi intrà terminum quatuor menſium à die vacationis, quis præelectus fuerat in concurſu, ut inibi præſcribitur; hinc, ut jura juribus adderet, titulóſque cumularet, ac ad effectum repellendi quemcunque injuſtum, et malevolum contradictorem, ſignari fecit ſub die 21. *menſis Junii proxime præteriti*, ad cautelam, et ſine præjudicio juris jam ſibi quæſiti vigore præcedentis reſignationis, novam ſupplicationem *juxta dictam conſtitutionem Sancti Pii* V. *ut in ſumm. num.* 4.

6. Porrexerat interea D. adverſarius ſuam primam ſupplicationem *pro approbato, et præelecto in concurſu*, quæ ſignata fuit ſub *die* 25. *præcedentis menſis Junii, ut in ſummario, num.* 5. et in eadem die 25. *Junii* fuerunt exhibitæ in Dataria literæ teſtimoniales reverendiſſimi epiſcopi ſuper ejus præelectione, *ut in ſummario, n.* 6. ſed agnoſcens deinde ejus omnimodam inſubſiſtentiam, ob non tranſmiſſas, et reſpective non exhibitas in Dataria dictas literas teſtimoniales epiſcopi intra terminum quatuor menſium à die vacationis pro forma præfinitum in dicta bulla Piana, aliam novam ſupplicationem ſignari fecit *ſub die* 26. *menſis Julii*, atque iſta poſt jam datatam dictam noſtram ſupplicationem *juxta conſtitutionem*, vi cujus petit proviſionem parochiæ *uti vacatæ per obitum, ob nullitatem noſtræ reſignationis, tanquam expeditæ contra formam mandati procuræ*, et una ſimul *pro præelecto in concurſu, ut in ſumm. num.* 7.

7. Et licet, poſt diverſa contradictoria inter partes deſuper habita, placuerit eminentiſſimo domino per ſuum decretum decernere retentionem noſtræ ſupplicanis, et reſpective relaxationem hujus poſtremæ adverſarii, *ob nullitatem reſignationis, et pro præelecto in concurſu*, ut in *ſummario, n.* 8. habito nihilominus per D. principalem recurſu ad Sanctiſſimum, eoque remiſſo ad eundem eminentiſſimum prodatarium, deputata fuit ab eminentia ſua hæc ſacra et ſelectiſſima congregatio particularis, ut in *ſummario, num.* 9. coram qua cum de viribus unius, vel alterius ex his ſupplicationibus hinc inde porrectis, et ſignatis, hodie diſputari contingat, abſque ulla heſitatione confidit D. principalis, retinendam fore illam adverſarii, ac relaxandam ſuam, *juxta conſtitutionem*, prout nos ejus nomine humiliter ſupplicamus.

8. Cum enim contraria ſupplicatio unice fundetur in aſſerta nullitate noſtræ reſignationis, et reſpective in vacatione parochialis per obitum reſignantis, prout in eadem nullitate fundatur quoque proviſio *pro præelecto in concurſu*; eo ipſo, ac manifeſte conſtat de validitate reſignationis, irrita remanet, ac omnino rejicienda, et retinenda venit eadem ſupplicatio, ex juribus vulgatis: et quamvis Dataria non ſit judex impetrantium, nec ſoleat aſſumere hujuſmodi quæſtiones, ſed eas examinandas remittat judicibus executoribus; id tamen eſt verum, quando res non eſt adhuc integra, ſed jam expeditæ fuiſſent bullæ Apoſtolicæ; ſecus vero, quando res, prout in præſenti, eſt adhuc in fieri, et quæritur, an relaxanda, vel retinenda ſit ſupplicatio impetrationis; tunc enim, ſi extrajudicialiter, et ſummarie agnoſcit omnimodam inſubſiſtentiam ſupplicationis, quodque per eam velit dari injuſta, et calumnioſa vexatio antecedenter proviſo, recte ſolet, juxta ejus laudabilem ſtylum, illam rejicere, ſeu retinere; maxime, quando per eam moleſtari intenderetur alius ſuus proviſus apoſtolicus, qualis eſt D. principalis, ut egregie obſervat, et de eodem ſtylo teſtatur *Amayd. de ſtyl. Datar. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 44. ibi — *Quia Dataria non ſignat ſupplicationes calumnioſas: et licet datarius non ſit judex impetrantium, ante tamen impetrationem extrajudicialiter ſe informat de narratis in ſupplicatione; quæ ſi aperte falſa, et calumnioſa repererit, non ſolum poteſt, ſed ſolet, ſupplicationem rejicere* — Et inferius — *num.* 67. ibi — *Ubi concurrit hæc probatio, Dataria non admittit impetrantem; ſi vero probationes diſputationem admittunt, tunc utique Dataria admittit impetrationem, quia non poteſt dici calumnioſa, attento quod coram executore eſt juſtificanda*; IN CLARIS AUTEM INIQUUM ESSET CALUMNIOSA IMPETRATIONE ALIQUEM MOLESTARE.

9. Injuſta porro, et calumnioſa ictu oculi detegitur contraria impetratio, *ob nullitatem reſignationis tanquam expeditæ contra formam mandati procuræ*, ut exponitur in ejus ſupplicatione, de qua *in noſtro ſummario*,

mario, num. 7. cum, ex supra expositis in relatione facti, et clarius ex visura mandati procuræ, ejusque combinatione cum literis resignationis, ad oculum pateat, in nihilo omissum, vel excessum fuisse contra legem datam in mandato, et adversus voluntatem mandantium.

10. Minime refragantibus tribus exceptionibus, seu prætensis excessibus ex adverso exaggeratis in congregatione Datariæ; una, nimirum, quod prætermissa fuisset reservatio pensionis favore monialis alias volitæ, et præscriptæ in dicto mandato procuræ; altera, quod valor expressus fuisset in literis resignationis ultra summam enuntiatam in eodem mandato procuræ; et tertia, quod consensus præstitus fuisset à solo domino Lopez de Rosa uno ex procuratoribus, quando non ipse solus, sed etiam D. commendator de Gama constituti fuerant procuratores sine clausula *in solidum* ad præstandum hujusmodi consensum.

11. Prima namque corruit in jure, et in facto. In jure quidem: cum enim dicta conditio super reservatione pensionis favore monialis sit impossibilis, aut saltem nunquam admissibilis à Sancta Sede, prout rejecta fuit à Papa in casu, de quo agitur, recte ea omitti potuit à procuratore in expeditione resignationis; nec ejus omissio vitiat resignationis actum, quamvis adjecta fuisset cam clausula—*et non alias, aliter*—quia auctoritas Papæ similibus conditionibus, et cautelis, non ligatur; et resignans semper præsumitur, licita et possibilia velle, atque ab illicitis et impossibilibus recedere, et respective voluntati Summi Pontificis, ac dispositioni juris, se uniformare, ut in his præcisis terminis firmant de communi, et receptissima sententia, *Rebuff. in prax. ad regul. de publican. resignat. gloss.* 4. *versic.* Quæro; ibi—*Si aliquis constituit procuratorem ad regnandum in favore Titii, retenta villa, justitia, et tali molendino,* NON ALITER, NEC ALIAS; *Papa confert, non retenta justitia, vel sub restrictione, si non excedat mediam partem, an valeat talis resignatio? Breviter respondeo, valere; nam hoc relinquitur beneplacito Papæ, cui non placet hoc reservare: ergo pars non potest conqueri, quia contractus do, ut facias, non ligat superiorem in beneficialibus*—*Amayd. de styl. Datar. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 49. ibi—*Quando mandatum ad resignandum continet aliquid non solitum concedi, si illud fuerit cassum à datario, hoc est, denegatum à Pontifice; nihilominus resignatio sustinetur*—et in iisdem terminis concordant *Paris de resignat. lib.* 9. *quæst.* 17. *num.* 19. *et consil.* 15. *num.* 14. *et seq. lib.* 2. *Gonsal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 12. *num.* 86. *et seq. Lotter. de re benef. lib.* 3. *quæst.* 16. *sub num.* 38. et constanter *Sac. Rotta cor. Verall. decis.* 89. *num.* 3. *par.* 3. ibi—*Dubitatum fuit, an resignatio valuerit, ex quo non videbatur servata forma mandati; et fuit tentum, quod resignatio valuit, et quod erat servata forma mandati, quia clausula transferendi tanquam impossibilis, et quæ solet omnibus denegari, videbatur pro non apposita in mandato*—et, funditus examinata materia, respondit eadem *Rotta in recent. decis.* 360. *num.* 14. *et seq. par.* 10. *et decis.* 313. *num.* 8. *et seq. part.* 11. ubi alii concordantes.

12. Corruit itidem in facto; quoniam hanc conditionem idemmet resignans apposuit sub illa salutari clausula, *Si, et quatenus, Sanctissimo placuerit,* ut in *summario, num.* 1. *lit.* C. ibi—*Avendolo così per bene sua Santità, et non alias, aliter, nec alio modo*—et iterum infra tam hanc, quam cæteras alias conditiones, adjecisse protestatur—*sub beneplacito Sanctissimi, Sanctæ Sedis Apostolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo*—*dicto summario, num.* 1. *lit.* D. *et lit.* F. clariusque id explicavit in sua epistola familiari, declarans nimirum, quod, si nequivisset pensio pro dicta moniali reservari, in reliquis perficeretur injuncta resignatio, ut *dicto summario, num.* 2. quoties enim resignans omnia submittit beneplácito Sanctissimi, deficit penitus præcitatum objectum circa excessum mandati, non obstante dicta alia clausula, *non alias, aliter, nec alio modo,* veluti quæ etiam interpretatur, quatenus Sanctissimo placeret, ut in individuo est magistralis decisio *la* 10. *cor. Cæsar. de Grass. de præben.* et egregie prosequitur *dicta decisio* 360. *num.* 17. *et seq. part.* 10. *recen.* ibi—*Non obstat clausula non alias, aliter, nec alio modo, apposita in fine mandati procuræ, quæ removere videtur consensum, casu, quo conditiones impletæ non fuissent; quia cum, post appositas conditiones, additum fuerit, Si ita Sanctissimo placuerit, argui debet, resignantem tunc demum voluisse implementum casu, quo Sanctissimo placuerit, et non alias. Unde, dum Papa noluit, censetur et resignantem noluisse; et ita licet procurator consenserit absque his conditionibus: ex hoc tamen non deficit consensus in mandante, quia dum illas conditiones voluit, quatenus Sanctissimo placuerit, eo ipso, quod Pontifex, eas delendo, noluit admittere, censetur etiam illas noluisse mandantem, quia præd. verba,* Si Sanctissimo placuerit, *ad antecedentia omnia non stant resolutive, sed conditionaliter: nec intrat replicatio, quod dicta clausula non alias, aliter, nec alio modo, referri debeat ad conditiones appositas, non autem ad beneplacitum Sanctissimi; quia, cum stet apposita post requisitum dictum beneplacitum, magis ad illud referri debet, quam ad alia magis remota; alias autem superflua fuisset reservatio beneplaciti, si non aliter, quam modo expresso, resignatio fieri debuisset*—totidemque verbis repetit eadem *Rott. in dicta decis.* 313. *num.* 8. *et seq. part.* 11.

13. Levioriisque momenti est secunda exceptio circa prætensum excessum in valore; quippe quia, cum expressio valoris, facta in mandato procuræ in ducatis 192 auri de camera, missa fuerit ad illum unicum præcipuum effectum, ut pensio reservaretur favore resignantis in illorum duobus tertiis, id est, in ducatis 128, ut in *dicto summario, num.* 1. *litt.* A. *et* B. eo ipso, ac adimpletus remansit hic præcipuus finis, et intentus resignantis, dum de facto in literis resignationis in ea summa ducatorum 128 reservata fuit pensio ad ejus favorem, adimpleviisse dicitur procurator fines mandati, quamvis expressio valoris in majori summa ducatorum 243 expleta fuisset in literis ejus resignationis, cum hic excessus nullum præjudicium intulerit, nec inferre potuerit resignanti, ut pariter in individuo respondit *Rotta in recen. decis.* 100. *sub num.* 1. *et seq. part.* 11. et egregie *coram Molin. decis.* 84. *num.* 8. *et seq. tom.* 1. ibi—*Neque obstat, quod in his literis procuratores Josephi, exprimendo valorem in ducatis* 400, *per non excessum, fines mandati excesserint, dum resignans mandavit fructus exprimendos esse in ducatis, &c. quoniam, ultra plures responsiones adductas ab informantibus removentes hujusmodi excessum, dominis ea placuit, quod cum hujusmodi excessus* NULLUM INFERAT PRÆJUDICIUM RESIGNANTI, *&c. ob id non vitiatur gratia, Rotta, &c.*—Maxime, quia idem resignans præsuppositi in dicto suo mandato procuræ, parochiam plus reddere, ultra dictos ducatos 192 auri de camera, ut in *d. summ. n.* 1. *lit.* B. ibi—*et anche di più*—

14. Quod si diceretur, resignatario, detracta pensione in ducatis 128 auri de camera, non remansisse suam congruam conciliarem, vel congruam statutam in concordatis Portugalliæ; hæc exceptio non respiceret formam mandati, neque ejus prætensum excessum, et ex quo solo capite porrecta fuit contraria supplicatio, ut in *summario dicto, num.* 7. sed spectat ad executionem gratiæ resignationis examinanda ab ejus executore, an revera adimpleta remaneat illa consueta clausula adjecta in eisdem literis—*Dummodo ex fructibus dictæ parochialis resignatæ centum ducati liberi illius rectori annuatim remaneant*—*dicto summario, num.* 3. ut in specie respondit *Rotta in recen. decis.* 548. *num.* 6. *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 187. *num.* 10, 11. *et* 35. *part.* 11. *et decis.* 130. *n.* 1. *part.* 18. Huic de cætero inspectioni hodie locus esse amplius nequit, stante obitu resignationis, et parochiali effecta libera ab onere pensionis impositæ; et multo minus eadem exceptio proponibilis est ab adversario, veluti qui restrixit, ut dicebamus, suam impetrationem ad nullitatem resignationis, ob non servatam formam mandati procuræ, ut punctualiter firmant *Ros. de execut. liter. apostolic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. *Lotter. de re benefic. lib.* 5. *quæst.* 8. *num.* 61. *et seq. Piton. discept. eccles.* 12. *num.* 30. *Rotta coram Molin. decis.* 845. *num.* 4. *et* 5. et post alios concordantes plene in *Vincen. Camerariæ*, 28. *Junii labentis anni* 1743. *coram eminentissimo D. Cardinali Tanario.*

15. Majorique insubsistentia laborat tertia postrema exceptio circa consensum præstitum ab uno tantum ex duobus procuratoribus: etsi enim in mandato pro-

curæ deficiat illa clauſula *in ſolidum*; quia tamen mandantes promiſerunt, habere ratum totum id, quod ab eis, vel ab altero ex eis, factum geſtumve fuerit, *ut de ſumm. num.* 1. *lit.* G.—ibi—*E tutto quello per li d. ſignori ſuoi procuratori*; *e ſoſtituiti*, E CIASCHEDUNO DI ESSI *ſarà fatto, conſentito, e terminato, l'auranno per fermo, e valido*, hæc clauſula operatur illud idem, ac illa *ſolidalis*, redditque validam reſignationem factam ab uno tantum ex procuratoribus, juxta punctualem et famigeratam *deciſ. Putei la* 98. *per tot.* et ſignanter, *num.* 1. ibi—*Garzias conſtituit duos procuratores ad reſignandum quoddam beneficium in favorem ſui nepotis, reſervatis ſibi fructibus, et regreſſu, et non poſuerat clauſulam—et quemlibet eorum in ſolidum—Tamen in mandato erat clauſula—Promittens habere ratum, et gratum, quicquid ab eis, ſeu altero eorum, factum geſtumve fuerit—Reſignatio facta fuit per unum ex iſtis procuratoribus: dubitavi ego,* 3. *Januarii* 1548. *an reſignatio valeret, et impetratio facta per Didacum Veſqua per obitum reſignantis*; *et fuit reſolutum, quod talis reſignatio valeret*—Et de mente *Rottæ* probat quoque in puncto *Pariſ. de reſignat. lib.* 9. *quæſt.* 3. *num.* 22. *et ſeq.*

16. Illa alia exceptio pariter ex adverſo propoſita in congregatione Datariæ, quod videlicet conſenſus formalis extenſus fuerit in cancellaria, *die* 5. *Martii*, quo certa, aut veroſimilis eſſe poterat in urbe notitia ſecuti obitus reſignantis, ultra quod non pertinet ad expoſitum caput impetrationis, id eſt, *ad exceſſum mandati procuræ*; atque ideo non eſt ullo modo proponibilis ab adverſario, juxta abſolutum principium, de quo *Rotta in d. Vicen. Cameraria* 21. *Junii labentis anni* 1743. *cor. eminentiſſimo D. Tanario*, eſt irrelevantior cæteris aliis, ex illa certiſſima theorica, cum qua vivimus in curia; quod nimirum recte poſſit procurator præſtare conſenſum formalem, ſeu illum extendere, etiam poſt habitam certam ſcientiam ſecuti obitus reſignantis, quoties, prout in caſu, ſupplicatio jam ſignata, et datata fuit, eo vivente, juxta notorias declarationes factas à ſa. mem. Alexandro VI. et Leone X. per extenſum relat. à *Pariſ. de reſign. lib.* 9. *quæſt.* 24. *num.* 14. *et ſeq.* et communiter firmant *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 23. *num.* 24. *ac quæſt.* 25. *num.* 49. *et ſeq. Cochier ad reg.* 44. *Cancel. num.* 12. *Roſa de execut. liter. apoſtol. cap.* 15. *n.* 65. plene *Piton. diſcept. eccleſ.* 5. *num.* 1. *et ſeqq.* et conſtanter *Rotta, ut coram Caſſador. dec.* 1. *et* 3. *de renuntiat. cor. Manzaned. dec.* 490. *num.* 15. *et ſeqq. in rec. dec.* 303. *num.* 6. *part.* 4. *tom.* 2. *et deciſ.* 112. *num.* 36. *part.* 16.

17. Poſita itaque adeo clara, patenti, penituſque incriticabili validitate reſignationis, rejicienda omnino venit contraria impetratio, ob illam æquitatem, quam, ut ſupra præmiſimus, ſervare ſolet ipſa quoque Dataria, ne detur injuſta et calumnioſa vexatio per iſtas ſubdolas et malitioſas impetrationes, præcipue contra eum, qui fuerat antecedenter proviſus ab eadem Dataria, qualis eſt dominus principalis, qui cum magna impenſa expedivit bullas reſignationis: verum, data, per falſam, et nunquam admiſſibilem hypotheſim, nullitate reſignationis, quodque parochialis vacâſſet per obitum reſignantis, et deſcendendo ad examen ſupplicationum hinc inde porrectarum, abſque ulla dubietate relaxanda venit illa, quam, ad cautelam, et ut jura juribus adderet, porrexit D. principalis *juxta conſtitutionem*, quæque, licet ſit incompatibilis cum ejus primævo titulo reſignationis, recte tamen petitur, paſſimque admittitur à Dataria, ad finem evitandi contradictores de facto, abſque eo, quod per expeditionem ſecundæ gratiæ receſſum in minimo videatur à prima, ut ſolide poſt alios probat *Piton. diſcept. eccleſ.* 127. *num.* 23. *et ſeqq.* et ſæpe reſpondit *Rotta, ut cor. Caprar. dec.* 75. *num.* 7. *in Hiſpalen. Cappellaniæ*, 29. *Novembris* 1726. § De non jure, *coram eminentiſſimo D. Card. Calcagnino in Barchinonen. beneficii* 13. *Maii* 1729. § Altera vero, *cor. bo. mem. de valentibus, et in Compoſtellana parochialis de Caldelas*, 28. *Decembris ejuſdem anni*, § Minuſque, *coram eminentiſſimo D. Card. Creſcentio.*

18. In parochialibus enim, quæ vacant per obitum, diſponit celebris conſtitutio, *In conferendis, S. Pii* V. *inter ſuas la* 33. quod ſi eæ vacarent in menſibus ordinarii, teneantur epiſcopi, prævio concurſu habendo ad formam concilii, illas conferre *intra ſex menſes* præelectis in eo, alias libere devolvantur ad Sanctam Sedem; ſi vero vacarent in menſibus apoſtolicis, aut alias eſſent quomodolibet reſervatæ, vel affectæ Sanctæ Sedi, iidem teneantur indicere, et habere concurſum, et deinde *ſignificare* Summo Pontifici intra terminum *quatuor menſium* à die vacationis, quis præelectus fuiſſet in eo; alias, hujuſmodi *ſignificatione* non facta intra hunc terminum quatuor menſium, collatio devolvatur, ſeu ſpectet *ad liberam* diſpoſitionem Papæ, ut ibi—*Ac illarum etiam parochialium, quarum collationes nobis, et dictæ Sedi, generaliter, vel ſpecialiter, et ex quavis cauſa, reſervatæ, ſeu affectæ exiſtunt, ad quas occurrendæ illarum vacationi epiſcopi, et archiepiſcopi, perſonas per examen, concurſu mutuo habito, juxta dicti Concilii Tridentini formam, approbatas, et magis idoneas non elegerunt*, AUT ELECTAS, *nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, pro collatione obtinenda*, INFRA QUATUOR MENSIUM SPATIUM A DIE ILLIUS VACATIONIS NON SIGNIFICAVERINT, *&c. collationem, proviſionem, ac omnimodam diſpoſitionem, nobis, et ipſi Sedi, reſervamus*—

19. Cum vero parochialis, de qua agitur, vacaverit die 15. *menſis Januarii labentis anni*, atque ideo in menſe apoſtolico, hæcque vacatio ſtatim devenerit ad notitiam reverendiſſimi epiſcopi, veluti qui confeſtim publicavit edicta, ut intra terminum 20 dierum comparerent ad ſe ſubjiciendum examini omnes concurrere volentes, ut liquet ex ejus literis ſignificatoriis ex adverſo productis, *ſummario, num.* 6. cumque è converſo iſtæ ſuæ literæ ſignificatoriæ ſuper præelectione D. adverſarii præſentatæ, et exhibitæ non fuerint in Dataria intra dictum terminum quatuor menſium præſcriptum in bulla Piana, ſed ſub *die* 25. *Junii*, atque ideo poſt quadraginta dies elapſi ejuſdem termini, ut *in ſummario, dicto num.* 6. ergo reſervatio parochialis ex hac conſtitutione Piana, juxta quam concepta fuit noſtra ſupplicatio, eſt clara, et inevitabilis, ſicuti in his ſpecialibus terminis non factæ ſignificationis Sanctæ Sedi intra quatuor menſes, conſentanee ad eandem conſtitutionem, firmant *Barboſ. de paroch. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 150. *et de offic. et poteſt. epiſc. par.* 3. *allegat.* 58. *num.* 3. *et ſeq. Pariſ. de reſignat. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 107. *Garz. de benefic. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 3. *et ſeq. Monacell. formul. legal. par.* 1. *tit.* 5. *form.* 13. *n.* 2. *et Rotta deciſ.* 481. *per tot. par.* 1. *diverſ.* cum aliis inferius allegandis.

20. Perperamque opponetur, ut audivimus, quod dilatio concurſus, et reſpective tranſmiſſionis *ſignificatoriæ*, evenerit ex culpa D. principalis, tanquam inſiſtentis coram epiſcopo, ut expectarentur bullæ ſuæ reſignationis; cum falſitas iſtius ſuppoſiti detegatur ex tenore prædictarum literarum teſtimonialium epiſcopi; quippe ex quibus habetur, quod ſtatim ſecuta vacatione parochialis die 15. *Januarii*, epiſcopus publicaverit edicta cum termino 20 dierum ad comparendum, et ſubjiciendum examini, quodque ſub die 12. ſequentis menſis Februarii factus, et abſolutus fuerit concurſus, et in eo præelectus dominus adverſarius, *ut dicto ſummario, num.* 6. unde abſque ulla mora adimpleta fuerunt omnia præſcripta à Sac. Concilio Tridentino; quodque poſt abſolutum concurſum, adhuc ſupererant tres menſes, et ultra, *ad ſignificandam* S. Sedi præelectionem adverſarii.

21. Prout male in dubium revocabitur, an conſtitutio Piana habeat locum quoad parochiales regni Portugalliæ, vel an lapſus termini quadrimeſtris ſit adeo ſtricte, et rigoroſe attendendus, ut decurſus paucorum dierum, quot interceſſerunt in caſu, de quo agitur, in exhibendo *ſignificatoriam* epiſcopi, jus tribuat illas impetrandi juxta eandem conſtitutionem.

22. Ea etenim edita fuit per viam legis univerſalis, ac pro bono publico eccleſiæ, et diſciplinæ eccleſiaſticæ, necnon pro feliciori progreſſu, et obſervantia decretorum Concilii Tridentini; unde obligat, obligareque debet, omnia loca orbis catholici, atque ita etiam regnum Portugalliæ, ubi indubitanter viget Concilium Tridentinum, imo ubi prius fuit injuncta à ſereniſſimo tunc rege Sebaſtiano illius exacta et inviolabilis obſervantia, ut teſtatur *Card. Pallavic. in hiſtor. Concil. Trident. lib.* 24. *cap.* 9. *num.* 15. et agendo de hac, cæteriſque aliis conſtitutionibus apoſtolicis

ſtoljcis editis per viam legis univerſalis, notant *Fagn. in cap.* Canonum ſtatuta, *num.* 55. *et ſeq. et in cap.* Quoniam, *num.* 47. *et ſeq. de conſtit. Fermoſin. in cap.* Eccleſia Sanctæ Mariæ, *num.* 19. *et ſeq. eodem tit.* paſſimque alii ſcribentes; etiamſi per figuratam hypotheſim hactenus ibi ſervata non fuiſſet, vel adeſſet ejus non uſus, ut pariter ſine contradictore tradunt doctores apud *Monacell. formul. legal. par.* 2. *tit.* 15. *formul.* 15. *num.* 6. *Card. Petr. ad conſtit.* 19. *Xyſti* IV. *num.* 18. *et Rotta coram Lancett. deciſ.* 1190. *n.* 13. *et dec.* 1217. *num.* 9. *deciſ.* 1272. *n.* 9. *et deciſ.* 1319. *num.* 18. *et coram Kaunitz deciſ.* 12. *num.* 2. *et ſeq.* At hanc conſtitutionem Pianam eſſe inibi in viridi obſervantia, probat inconcuſſus ſtylus Datariæ, admittendi, et relaxandi in dicto regno hujuſmodi impetrationes juxta eandem conſtitutionem Pianam, ut oſtendit longa illarum ſeries relata *in noſtro ſummario, num.* 10—Et de ejus obſervantia in conterminis regnis Hiſpaniarum, teſtatur *Rotta in Compoſtellana parochialium* 19. *Januarii, et* 18. *Junii* 1728. *coram bo. mem. Ratto, et* 6. *Decembris ejuſdem anni coram reverendiſſimo domino Card. Creſcentio.*

23. Si inibi ſervatur, et ſervanda eſt conſtitutio Piana in tota ſui diſpoſitione, rigide quoque, et ad unguem, attendi debet lapſus quadrimeſtris inibi præfinitus, ad ſignificandos S. Sedi præelectos in concurſu, ob decretum irritans, et clauſulam *ſublata* in ea ſuperaddita, quæque omnem facultatem, et arbitrium adimunt, deviandi ab eodem termino, illumque protrahendi, etiam quoad unam ſolam diem, ita ut in ipſo momento, quo expirat, et labitur ultima dies ejuſdem termini, intret reſervatio ſpecialis inibi præſcripta ad liberam diſpoſitionem Papæ, prout paſſim inſpicimus in quocunque alio termino præfato ſive à jure, ſive à conſtitutionibus apoſtolicis, ad præſentandum, conferendum, vel eligendum, ſub pœna devolutionis, quæ ſtatim inducitur in ipſo momento expirati termini, à die habitæ notitiæ vacationis; ſicuti poſt innumeros concordan. tradunt communiter, et ſine contradictore, *Fagn. in cap.* Quia propter, *num.* 68. *de elect. Garz. de benefic. par.* 7. *cap.* 4. *num.* 84. *Corrad. in prax. diſpenſ. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 17. *et ſeq. Ventrigl. in prax. part.* 2. *annot.* 6. § 2. *num.* 4. *Panimoll. deciſ.* 89. *annot.* 1. *num.* 35. *Scarfant. ad Ceocoper. lucubr. canon. tom.* 2. *lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 23. *et Rotta coram Molin. deciſ.* 934. *n.* 16. *et deciſ.* 1244. *num.* 12. *et in Cracovien. canonicatus* 29. *Martii currentis anni* 1743. § 3. *et* 28. *Junii ejuſdem anni,* § 4. *coram R. P. D. de Vais*; et de ſimili impetratione juxta conſtitutionem, ob lapſum termini quadrimeſtris ad ſignificandum, reſpondit eadem *Rotta* agens de regnis Hiſpaniarum in *una Toletana parochialis deciſ.* 481. *per tot. par.* 1. *diverſ.*

24. Pari indubietate, qua relaxari debet noſtra ſupplicatio *juxta conſtitutionem*, retinenda venit altera ſupplicatio porrecta à D. adverſario tam in ea parte, qua petitur parochialis *pro approbato, ſeu præelecto in concurſu*, quam in alia, qua petitur *per obitum reſignantis, ob nullitatem reſignationis*, quamvis prior ejus ſupplicatio *pro præelecto* ſignata fuiſſet ante noſtram, id eſt, ſub *die* 25. *Junii*; ſive quia ab hac priori ſupplicatione receſſit tum idem adverſarius per porrectionem alterius complexivæ utriuſque capitis, de qua in *noſtro ſummario, num.* 7. tum eminentiſſimus D. prodatarius, veluti qui hanc tantum poſteriorem ſupplicationem relaxandam eſſe decrevit, ut *in dicto ſummario, num.* 8. quæque tamen cum ſignata fuiſſet poſt noſtram ſupplicationem juxta conſtitutionem, ut patet ex illarum combinatione, *ſummar. num.* 4. *et* 7. in hoc conflictu præferenda omnino foret noſtra, tanquam prior in data, juxta regulam *text. in cap.* Duobus, *de reſcript. in* 6. *et in cap.* Si à Sede, *de præben. in* 6. de qua poſt alios *Rotta in Mediolanen. Cappellaniæ*, 9. *Decembris* 1740. § Fundamentum, *coram R. P. D. Canilliach. in Tricaricen. canteratus*, 25. *Junii* 1742. § Proviſio, *coram R. P. D. Molino, et in Colonien. beneficii*, 14. *Januarii labentis anni* 1743. § 3. *cor. reverendiſſimo Nunez.*

25. Sive, et fortius, quia, agendo de eadem priori ſupplicatione datata ante noſtram, cum exploratiſſimi juris ſit, gratiam *pro præelecto in concurſu* ſupponere veluti per neceſſariiſſimum antecedens, jam ſervatam fuiſſe in omnibus formam præſcriptam à Concilio Tridentino, et à ſæpedicta conſtitutione Piana, quodque jus certum ſaltem ad rem acquiſitum fuiſſet ipſi præelecto, ita ut Papa quaſi ex juſtitia ei teneatur conferre parochialem, neque eum præterire valeat, et alteri conferre, prout de mente Sac. Congregationis Concilii, cujus decretum referunt, notant communiter *Fagn. in cap.* Illa, *num.* 33. Ne Sed. vacan. *Pariſ. de reſign. lib.* 8. *quæſt.* 9. *num.* 103. *et ſeq. Gonſal. ad reg.* 8. *cancell. gloſſ.* 6. *num.* 111. *et Garz. de benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 153. *Ventrigl. in prax. part.* 2. *annot.* 5. § 2. *num.* 36. *et ſeq. Pax Jordan. lucubr. canon. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 45. *et Pitor. diſcept. eccleſ.* 31. *ſub num.* 7. *tom.* 1.

26. Dum conſtat, non fuiſſe in præſenti ſervatam hanc formam præfinitam in bulla Piana, ob non præſentatam à præelecto Summo Pontifici, intra terminum quatuor menſium à die vacationis, fidem, ſeu teſtimoniales epiſcopi ſuper ſua approbatione, et præelectione, in concurſu, nequit amplius eſſe locus huic gratiæ, et collationi *pro præelecto*; cum ipſe, ob hunc defectum, ſtatim ceciderit à ſua præelectione, ac ab omni jure ſibi inde quæſito ad parochialem, ſtatimque evanuerit illa ſua ſupplicatio pro præelecto, et confeſtim parochialis remanſit ſubjecta liberæ diſpoſitioni Papæ, qui poterat, prout fecit, illam alteri libere, et juxta conſtitutionem Pianam, conferre, ut conſentanee ad eandem conſtitutionem in puncto proſequuntur *Pax Jordan. d. lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 94. ibi—*Limita, quando electus ab epiſcopo ad parochialem, uti magis idoneus, non præſentat Summo Pontifici fidem epiſcopi ſuæ approbationis, et præelectionis, inter quatuor menſes à die habitæ notitiæ vacationis numerandos*, QUIA CADIT A SUA PRÆELECTIONE, ET COLLATIO LIBERA PERTINET AD PAPAM—totidemque verbis *Gonſal. ad reg.* 8. *cancell. d. gloſſ.* 6. *num.* 131. ubi, ob non tranſmiſſas, nec exhibitas literas ſignificatorias intra terminum quatuor menſium, ſtatim ceſſet concurſus, ac ceſſet per conſequens omne jus inde quæſitum præelecto, *Barboſ. de paroch. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 150. et pro indubitato præſuppoſuit *Rotta in d. deciſ.* 481. *per tot. part.* 1. *diverſ.*

27. Maxime, quando Papa jam admiſit, et ſignavit ſupplicationem impetrationis ab altero porrectam ex hoc prævio capite non ſervatæ formæ bullæ Pianæ; nam tunc nequit amplius ex ſua poteſtate ordinaria, aut ſaltem nunquam ſolet recovalidari, ſeu reviviſcere facere illud primævum jus præelecti, quod ob non adimpletam dictam legem datam in conſtitutione, ſtatim, et in ipſo momento expirati termini, amiſerat; cum id tenderet in præjudicium juris interea quæſiti impetratori, et quod Papa nunquam tollere intendit, neque ſolet, juxta abſolutum principium, de quo plene *Roſ. de execut. liter. apoſt. cap.* 4. *num.* 112. *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 47. *nu.* 69. *Tondut. quæſt. benef. cap.* 112. *fere per tot. Piton. diſcept. eccleſ.* 28. *ſub num.* 13. *Rotta in recent. deciſ.* 255. *num.* 14. *part.* 19. *coram Duran. deciſ.* 78. *num.* 23. *coram Roxaſ. deciſ.* 336. *num.* 14. *coram Buratt. deciſ.* 516. *num.* 6. *coram Emer. jun. dec.* 1247. *ſub num.* 3. *et coram Falcon. deciſ.* 5. *num.* 22. *de benefic. et deciſ.* 28. *num.* 3. *et deciſ.* 61. *num.* 15. *de jure patr.*

28. Multoque minus intrare, et relaxari poteſt eadem contraria ſupplicatio in illa alia parte, qua petitur, ſeu impetratur parochialis per *obitum reſignantis, ob nullitatem reſignationis*; quippe quia, cum hæc gratia fundetur in eodem titulo, reſpective in eadem vacatione, in quibus fundata eſt noſtra gratia *juxta conſtitutionem*, id eſt, in prætenſa nullitate præcedentis reſignationis, et conſequenter in vacatione parochialis per obitum reſignantis, ut in puncto, quod parochialis, ob non ſervatam formam conſtitutionis Pianæ, vacare dicatur, *ut prius*, per obitum poſſeſſoris ad liberam diſpoſitionem Papæ, ac ſi nullus deſuper requireretur concurſus, probat *Gonſal. ad regul.* 8. *cancell. d. gloſſ.* 6. *num.* 133. nullo modo ea poteſt indulgeri, et expediri, præexiſtente alia jam conceſſa ex eodem capite vacationis; cum nequeat, aut non ſoleat, Dataria Apoſtolica duas diſtinctas gratias ex eodem titulo, ſeu ex eadem vacatione per obitum unius poſſeſſoris, concedere, juxta inconcuſſam praxim, et theoricam; de quibus *Amayd. de ſtyl. Datar. lib. primo, cap.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 67. *Rotta*

in recent. deciſ. 197. *nu.* 1. *et ſeq. part.* 2. et alibi paſſim.

29. Unde, ſi prius conceſſit, et ſignavit noſtram ſupplicationem *juxta conſtitutionem* fundatam, ſeu præſupponentem, ut dicebamus, vacationem parochialis per obitum reſignantis, non poteſt nunc concedere, et relaxare hanc aliam poſteriorem gratiam adverſarii ex eadem vacatione, *juxta text. in cap.* Duobus, *de reſcript. in* 6. *et regul.* 17. *cancell. de concurren. in Dat.* et communiter notant *Card. Deluc. de jure patr. diſc.* 42. *nu.* 2. *et diſc.* 72. *num.* 6. *Piton. de contr. patron. alleg.* 22. *num.* 39. *et Rotta coram Dunoz. jun. deciſ.* 983. *num.* 4. *coram Emer. jun. deciſ.* 469. *num.* 1. *et in Urgellen. Cappellaniæ*, 29. *Aprilis* 1720. § In conflictu, *cor. bon. mem. Foſcaro.*

30. Ultra præmiſſa, quæ plana, et ineluctabilia eſſe videntur, urget etiam aliud ſolidiſſimum fundamentum, pro omnimode retinenda contraria ſupplicatione, conſiſtens nimirum in manifeſta intruſione adverſarii; ut enim ſupra tetigimus in expoſitione facti, poſtquam reverendiſſimus epiſcopus indixit, et convocavit concurſum, et in eo præelegit D. adverſarium, ſtatim, et nondum ſuperventa, nec expetita proviſione Sanctæ Sedis, eum de facto immiſit, ſeu verius intruſit, in poſſeſſionem parochialis; quemadmodum pro certo ſupponitur in facto: neque id unquam in tot contradictoriis habitis in Dataria impugnatum fuit à parte adverſa; ac eruitur etiam ex epiſtola familiari ſcripta à D. principali ad D. Lopez de Roſa, *ſummario, num.* 11. poteritque, quatenus opus eſſet, et neceſſarium putaretur, id plenius comprobari authenticis documentis exquirendis à partibus.

31. Sicuti autem nulla, et intruſiva fuit poſſeſſio iſta, ex quocunque capite, vel prætextu, ea capta fuiſſet ab adverſario, ſive uti collatario epiſcopi, ſive uti œconomo proviſionali appoſito, ſeu apponen. ex præſcripto Concilii in *d. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ſive uti vicario, vel commendatario temporali, ſive uti adminiſtratore parochialis vacantis, ſive ex quocunque alio figurabili titulo, vel prætextu, juxta expreſſam *decretal. in cap.* Avaritiæ, de elect. in 6. aliaſque auctoritates mox infra allegan. etiamſi per hypotheſim nullos fructus percepiſſet, ſibique appropriâſſet; cum vitium intruſionis contrahatur etiam abſque ulla perceptione fructuum, juxta communem, et receptiſſimam concluſionem; de qua *Gomes in regul. de triennal. quæſt.* 47. *num.* 2. *Rebuff. ad regul. de ſubrogan. gloſſ.* 4. *num.* 4. *et Rotta coram Peutinger. deciſ.* 87. *numer.* 21. *coram Bich. deciſ.* 455. *num.* 9. *coram Dunozzett. jun. deciſ.* 352. *num.* 12. *et in Colonien. canonicatus ſancti Andreæ* 12. *Junii* 1719. § *final. coram bon. mem. Cerro*; ibi—*Vitium intruſionis ſtatim contractum dicitur ex ſolo materiali actu poſſeſſionis, quam ille capere auſus fuit; nec inquirendum eſt, an fructus fuerint, necne, percepti.*

32. Ita in odium, et pœnam hujus nullius, et intruſivæ poſſeſſionis, ipſe cecidit ab omni et quocunque jure, quod acquiſitum deſuper ſibi fuerat ex dicta approbatione, et præelectione in concurſu; effectuſque fuit penitus indignus, et inhabilis ad eandem parochialem obtinendam à Sancta Sede, tam ex hoc capite præelectionis in concurſu, quam ex quocunque alio, quo peteret provideri, cum inhabilitas intruſi ſit perpetua, generalis, et irremiſſibilis, ſignanter ſuper eodem beneficio, in quod ſe intruſit, ut definitur in eadem *decretal. in cap.* Avaritiæ, *in fin.* eſtque celebris *conſtitut.* 34. *ſan. mem. Julii* 3. et communiter, ac ſine contradictore, firmant *Pariſ. conſ.* 47. *num.* 47. *lib.* 4. *Rebuff. in prax. benefic. in regul. de ſubrogan. gloſſ.* 4. *num.* 2. *et ſeq. Engel. in jus canon. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 4. et conſtanter *Sac. Rotta, ut in recent. deciſ.* 287. *num.* 1. *et ſeq. part.* 6. *coram Bich. deciſ.* 455. *num.* 1. *coram Otthobon. deciſ.* 120. *num.* 8. *coram Lancett. deciſ.* 412. *num.* 8. *et* 19. *et deciſ.* 448. *num.* 8. *tom.* 2. et pleniſſime *in d. Colonien. canonicatus S. Andreæ coram bo. me. Cerro*, § Cum enim, *cum plur. ſeq.*

33. Hinc frivola, et inepta prorſus eſſet ea excuſatio, quam pars adverſa deduceret ex eadem ſupradicta epiſtola familiari D. principalis; quod, nimirum, hæc immiſſio in parochialem fuerit *interina, et proviſionalis*, quouſque expedirentur bullæ apoſtolicæ pro præelecto; ut ibi—*Il che tutto fù eſeguito in tempo che monſignor veſcovo aveva già poſto in poſſeſſo il mal proviſto nel concorſo ſenza le ſolite* BOLLE APOSTOLICHE DICENDO, *che prendeva quella proviſione fin'a tanto che poteſſero ſpedirſi, et arrivaſſero le bolle del concorſo.*

34. Quoniam, ex mente ſacrorum canonum, et ſignanter *dictæ decretal. in cap.* Avaritiæ, *de elect. in* 6. et prædictæ *conſtitut.* 34. *Julii* III. vitium intruſionis contrahitur, ex quocunque capite, titulo, vel prætextu, quis ſe immittat in poſſeſſionem parochialis ante bullas apoſtolicas, etiam ex titulo proviſionali, et interino, imo etiam ex illo titulo proviſionali alias favorabili, et approbato à Concilio *in dicta ſeſſ.* 24. *cap.* 18. uti nempe œconomus interinus, ſeu vicarius, et adminiſtrator proviſionalis, et temporalis; ut, generalibus omiſſis, ſic in individuo reſolvit Sac. Congregatio Concilii *in una Placentina de anno* 1593. cujus decreta per extenſum referuntur à *Garz. de benefic. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 20. *et ſeq.* ubi, cum ex parte epiſcopi tranſmiſſa, et propoſita fuerint ſequentia dubia his verbis; ibi—*Epiſcopus Placentinus, habito concurſu, ex dignis digniorem elegit; ſupplicatur pro parte ejuſdem epiſcopi, ſequentia declarari; primo, Si poteſt in dicta parochiali conſtitui vicarius, qui uti dignior ad parochialem nominatus eſt; ſecundo, Si poteſt magis idoneus in commendam temporalem dictam parochialem habere; tertio, Si, virtute mandati epiſcopi, poteſt, antequam ſit facta ei à Papa collatio, capere poſſeſſionem parochialis; quarto, Si dignior ante confirmationem poteſt fructibus parochialis gaudere ſub prætextu rectoris commendatarii, ſeu vicarii; quinto, Si facit contra formam Concilii, agendo aliquid ex ſupradictis, tam epiſcopus mandans, quam dignior obediens; ſexto, Si faciendo contra Concilium, an amittat aliquod jus, ſi forte ei competebat, ex nominatione, ex eo, quod ante confirmationem ſe immiſcuit in adminiſtratione parochialis:*

35. Sac. Congregatio ita reſpondit apud *eundem Garz. loc. cit.* ibi—*Ad primum, Congregatio Concilii cenſuit, ſtatim habita notitia vacationis parochialis, debere epiſcopum conſtituere vicarium idoneum; et ſic non eſſe expectandum tempus, quod dignior ad ipſi parochiali præficiendum nominatus ſit: ad ſecundum, Minime poſſe: ad tertium, Pariter non poſſe: ad quartum, Ante collationem non poſſe fructus percipere: ad quintum, Facere contra Concilii decretum: ad ſextum,* PROVISUM APOSTOLICUM APPREHENDENTEM POSSESSIONEM BENEFICII LITERIS NON EXPEDITIS, EX JULII III. CONSTITUTIONE AMITTERE BENEFICIUM, SIVE JUS AD ILLUD HABENS; AC AD ALIUD OBTINENDUM DE CÆTERO INHABILEM EFFICI.

36. Imo eſſet nulla, vitioſa, & inexequibilis ipſamet proviſio apoſtolica, quatenus idem præelectus eam obtinuiſſet poſt ſuam intruſionem, ut in puncto probat poſt alios concordantes *Garz. de benefic. d. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 30. *et ſeq.* et reſpondit *Rotta coram Lancett. dicta dec.* 412. *et* 448. *num.* 8. *tom.* 2. *et in dicta Colonien. canonicatus S. Andreæ*, 12. *Junii* 1719. § *final. coram bon. mem. Cerro.* Unde, ſi nulla, et inexequibilis foret gratia, quatenus jam de facto conceſſa fuiſſet adverſario, et ab eo expedita, multo magis ei deneganda venit, dum non adhuc eſt conceſſa, et expedita; et longe fortius in concurſu domini principalis, qui nititur duplici titulo æque apoſtolico, uno reſignationis jam expeditæ cum magna impenſa, et altero *juxta conſtitutionem* aliis magnis ſumptibus expedien. quique propterea majoribus favoribus proſequi promeretur, quam adverſarius nullum adhuc habens titulum, et proviſionem à Sancta Sede, ſed qui imo contra eam peccavit, ſe intrudendo in poſſeſſionem parochialis ante petitionem, et reportationem collationis apoſtolicæ.

Quare, &c.

NICOLAUS CUCCOVILLUS Adv.
PETRUS DE CLEMENTINIS.

IV.

IV. SUMMARIUM.

Num. 1. *Mandatum, cujus vigore facta fuit resignatio parochialis.*

In nomine Domini, Amen.

SAppiano tutti quelli, che questo publico istromento di facoltà, e procura bastante per via di rassegna vederanno, che essendo *alli* 25. *di Agosto del* 1742. in questa città di Faro, nella casa della solita residenza del reverendo signor canonico Marco de Siabrametto, dove si trovava presente da una parte, come procuratore del reverendo sacerdote Antonio Duarte di Almeida naturale di monchique di questo vescovato dell'Algarve, e dall'altra il reverendo beneficiato Emanuelle Ribeiro Girao, come procuratore del reverendo Emanuelle Pereira Torres, priore della chiesa parochiale di Nostra Signora della Concezzione di Villanova di Portimas di questo vescovato dell'Algarve, persone conosciute da me notaro, delle quali dò mia fede essere le medesime quì nominate, e subito per il signor beneficiato Emanuelle Ribeiro Girao fù detto a me notaro in presenza delli testimoni in appresso nominati, e sottoscritti, che il suo costituente il reverendo priore Emanuelle Pereira Torres si ritrovava in possesso con più di 21 anno di un priorato di concorso della chiesa parochiale di Nostra Signora della Concezzione di Villanova di Portimas per bolle apostoliche di sua Santità libera, et esente di qualunque pensione, e solamente di pensione bancaria 14 ducati d'oro di camera, e cinque giuli della medema moneta, quali frutti certi del detto priorato non eccedono in ciaschedun'anno il valore di 24 ducati d'oro di camera, che con l'incerti un'anno per l'altro non eccedono in ciaschedun'anno 207 ducati d'oro di camera, che tirata la detta pensione della sopradetta somma, restano liquidi 192 d'oro di camera, e dodici giuli, e mezzo della detta moneta, e che per patire gravi e rigorose malattie di Gotta, che l'impossibilitavano dico di Gotta, per le quali stà mesi in letto, et ha 61 anni di età, per la qual causa non puole accudire alli pesi, et oblighi del detto priorato *cum cura animarum*, e molto meno all'officio di parocho, come è obligato, e come conviene al servizio di Dio, e della medesima chiesa, come anche per altre giuste, e ragionevoli cause, che a ciò lo movono, e per la grande esperienza, che tiene della virtù, scienza, e sufficienza, et altre qualità, che concorrono nella persona del detto reverendo sacerdote Antonio Duarte di Almeida di età di 49 anni compiti, et esaminato, et approvato sinodalmente per tre esaminatori sinodali nella forma del sagro Concilio Tridentino, e che per intendere, che con tal buon ministro resterà la chiesa più ben servita, e che in tutto sodisfarà alli pesi, et oblighi del detto priorato, come conviene al servizio di Dio, et officio di parocho, dice che esso in nome del detto suo costituente il reverendo priore Emanuelle Pereira Torres faceva, come in effetto subito fece rassegna del detto priorato nelle mani di sua Santità à favore, e nella persona del detto reverendo sacerdote Antonio de Almeida, dico il sacerdote Antonio Duarte de Almeida, *con le clausole, e condizioni seguenti*, che delli 192 ducati d'oro di camera, e dodici giuli delli frutti certi et incerti del detto priorato, resterà pagando il detto reverendo rassegnato Antonio Duarte de Almeida due terzi per il medesimo rassegnante Emanuelle Pereira Torres, che fanno 128 ducati d'oro di camera, restando per il reverendo rassegnato Antonio Duarte de Almeida un terzo, che sono 64 ducati d'oro di camera, e 12 giuli, e mezzo della medesima moneta, *et anche di più*, che nelli due terzi, che restano per esso rassegnante, vuole si riservi una pensione di 16 ducati d'oro di camera ciaschedun'anno à favore di sua sorella la signora Vincenza Michaela da Sylva, religiosa professa dell'ordine Cistercience nel convento di S. Denis de Olivellas patriarcato di Lisbona per congrua, e sostento in quanto sarà viva, e per sua morte vachi la detta pensione annua, *avendolo così per bene sua Santità, et non alias, aliter, nec alio modo*, e sarà altresì obligato il detto rassegnatario a spedire a sue spese tanto la bolla di grazia, come quella di pensione delli due terzi di 128 ducati d'oro di camera, senza si spenda cosa alcuna per conto di esso rassegnante, e solamente questo sarà obligato a pagare la bolla di pensione di sua sorella la signora Vincenza Michaela da Sylva, religiosa professa, delli 16 ducati d'oro di camera di pensione di sopra espressi, *e con tutte le sopradette condizioni* disse il medesimo reverendo signor rassegnante Emanuelle Pereira Torres faceva rassegna del suo priorato, *sub beneplacito Sanctissimi, et Sanctæ Sedis Apostolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo*, solamente à favore, e nella persona del detto reverendo signor sacerdote Antonio Duarte de Almeida, e subito per il reverendo signor canonico Marco de Siabrametto, come procuratore del detto signor reverendo sacerdote Antonio Duarte de Almeida, in presenza di me notaro, e delli testimoni appresso nominati, e sottoscritti, che esso in nome del suo costituente accettava la detta rassegna del detto priorato, e si obligava per sua libera volontà à pagar puntualmente le dette pensioni di sopra espresse, e mai in alcun tempo andare contro esse in tutto, ò in parte, per quanto nel terzo del rendimento del detto priorato di 64 ducati d'oro di camera e 12 giuli e mezzo della medesima moneta, che gli resta, tiene entrata bastante per potersi mantenere secondo la sua qualità con molti altri beni, che tiene patrimoniali, e che si ritrova liberi di suo patrimonio, et acciocchè tenga valido fine, e finalmente, tutto quello in questa procura si contiene, e dichiara, dissero essi signori procuratori delli reverendi signori rassegnante, e rassegnatario Emanuelle Pereira Torres, e Antonio Duarte de Almeida, che nella miglior forma, e via, che in jus abbia luogo, e come sarà più fermo, e valido, facevano, *creavano, costituivano, e solennemente deputavano per loro certi, legitimi, e bastanti procuratori li signori Michele Lopez Rosa, e commendatore Emanuelle de Gama residenti nella curia Romana*, come se fossero presenti, *con libera*, e generale amministrazione di sustabilire questa in uno, e molti procuratori, e revocarli parendogli, e l'officio di essa riassumere, e della medesima tornare ad usare *toties quoties*, e daranno li consensi, che gli saranno richiesti, e saranno tutto il di più, che sarà necessario per la spedizione delle bolle, per il che gli danno tutte le facoltà in jure necessarie, *tutto sub beneplacito Sanctissimi, et Sanctæ Sedis Apostolicæ, et non alias, aliter, nec alio modo*, e tutto quello per li detti signori suoi procuratori, e sostabiliti, E CIASCHEDUNO DI ESSI, sarà fatto, consentito, e terminato, l'averanno per fermo, e valido. Tutto sub hypotheca, *obligatione omnium bonorum*, e li libera dal peso della satisfazione, e per così volerlo li detti procuratori in nome de'loro costituenti per virtù delle procuratore, che mi presentorono, e restano in potere di me notaro.

A Prima conditio adjecta à resignante super reservatione pensionis pro seipso.

B Secunda conditio pro reservatione certæ ratæ dictæ pensionis ad commodum sororis ipsius resignantis.

C Sub reservatione tamen beneplaciti apostolici, et non alias, aliter, nec alio modo.

D Utraque imo conditio apposita fuit sub reservatione beneplaciti, et non alias, aliter, nec alio modo.

E Constitutio duorum procuratorum cum libera, et cum facultate substituendi.

F Nova reservatio beneplaciti apostolici.

G Promissio servandi id, quod fuit ab uno ex procuratoribus constitutis, aut substitutis.

Num. 2. *Particula epistolæ, in qua resignans consensit non attendi reservationem pensionis desideratam ad favorem sororis, si illa per Sanctissimum non fuisset admissa.*

Copia di particola di lettera tradotta in Italiana in data delli 14. Decembre 1742. del quondam Emanuel Pereira Torres, priore della chiesa parochiale priorato nuncupata di Nostra Signora della Concezzione di Villanova di Portinau, Pharaonen. diœc. &c.

OSservo quanto V. S. auvisa all'amico in ordine al dubbio, che verteva, sopra la pensione, che voleva riservare di 16 ducati d'oro, a favore di mia sorella signora Vincenza Michaela da Sylva imposto ne'duoi terzi della mia riserva, nel che *aurei avuto piacere si potesse conseguire tal grazia ad effetto, che avessi la consolazione di restare a questa povera religiosa alla mia morte questa congrua; ma quando però non potesse conseguirsi nella sudetta forma, poteva V. S. seguitare a spedire la renunzia per tutto il resto, che si esprimeva nella procura*, giacchè nell'altra parte intendevo non vi potesse cader dubbio alcuno; il che supposto poteva pure conseguirsi la grazia della renunzia, *et in quante alla pensione delli ducati* 16, *a favore di mia sorella, graderò come hò detto, che si conseguisca la grazia; ma, quando non si possa, aurò pazienza*, quia ad impossibilia nemo tenetur.

Num. 3. *Supplicatio illico ſignata, et datata, cum reſervatione integræ penſionis ad favorem ſolius reſignantis.*

PHARAONEN.

EMmanuel Pereira Torres, preſbyter, reſignat parochialem prioratum nuncupatam, à pluribus annis obtentam, 80, cum incertis 243 ducat. ad favorem Antonii Duarte de Almeida, preſbyteri, 50 annorum, *cum reſervatione penſionis* 128 *ducat. pro dicto Emmanuele*, ac cum decreto expenſarum, necnon derogatione conſtitutionis Benedicti XIII. de non gravando penſionibus parochiales; et dummodo ex fructibus dictæ parochialis reſignatæ centum ducat. liberi rectori annuatim remaneant, &c. Subdatum in arce Gandulphi Albanen. diœceſis, 20. Octobris 1742.

Num. 4. *Nova ſupplicatio ſignata ad favorem D. principalis juxta conſtitutionem, ut accumularet titulos, et arceret injuſtum contradictorem, cum reſervatione juris jam quæſiti vigore reſignationis.*

PHARAONEN.

Exhibit. 21. Julii 1743.

BEATISSIME PATER,

CUM parochialis eccleſiæ prioratus nuncupat. Noſtræ Dominæ à Conceptione nuncupat. Villænovæ de Portimao Pharaonen. diœceſis, forſan per obitum quondam Emmanuelis Pereira Torres, illius, dum viveret, ultimi poſſeſſoris, extra Romanam curiam de menſe Januarii proxime præterito defuncti, aut alias certo alio modo vacaverit, et forſan vacet ad præſens; omnimodaque illius diſpoſitio, juxta conſtitutionem S. Pii V. Sanctitatis veſtræ prædeceſſoris, ſuper modo et forma providendi de ſimilibus eccleſiis, dum pro tempore vacant, editam, Sanctitati veſtræ, et Sedi Apoſtolicæ, hac vice reſervatæ, expreſſe mandat; licet quidam aſſertus clericus, ſeu preſbyter, dictam parochialem eccleſiam, prætextu collationis ſibi de illa, ut præfertur, vacante, tanquam in concurſu ſuper ea ad formam Concilii Tridentini, ut aſſeritur, habito, examinato, et idoneo reperto, ab ordinario loci, nulliter factæ, indebite detineat occupatam; ſupplicat, &c. orator Antonius Duarte de Almeida, preſbyter Pharaonen. ſeu alterius civitatis, vel diœceſis, qui in dicta parochiali eccleſia, vel ad illam ex proviſione ſibi alias de illa tunc per liberam reſignationem dicti Emmanuelis, dum in humanis ageret, in manibus Sanctitatis veſtræ ſponte factam, et per eandem Sanctitatem veſtram admiſſam, vacante per dictam S. V. apoſtolica auctoritate facta, jus habeat, ſeu habere prætendit, quatenus ampliorem ſibi gratiam facien. parochialem eccleſiam prædictam, cujus, et illi forſan annexorum fructus, &c. 80, una vero cum incertis 243 ducatorum auri de camera, &c. non excedunt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem, vel aliam liberam reſignationem dicti defuncti, vel cujuſvis alterius de illa in dicta curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, et teſtibus, ſponte factam, aut conſtitutionem, &c. Execrabilis, vel aſſecutionem, &c. vacet, etiamſi devolut. et affect. ſpecialiter, vel alia ex quavis cauſa in literis etiam diſpoſitive exprimenda generaliter reſervat. &c. cujus litis ſtatus, &c. exiſtat eidem oratori, ſine præjudicio juris ſibi in dicta parochiali eccleſia, vel ad illam jam aliunde, ut præfertur, quæſiti, ſed jura juribus addendo, et antiqua conſervando conferre, et de illa etiam providere dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis, &c.

Num. 5. *Supplicatio pro approbato in concurſu nulliter, et injuſte, ex adverſo data longe poſt expiratum quadrimeſtre.*

PHARAONEN.

Exhibit. 25. Junii 1743.

BEATISSIME PATER,

CUM parochialis eccleſia S. Mariæ à Conceptione, oppidi vulgo Villanova de Portimão Pharaonen. diœceſis, per obitum quondam Emmanuelis Pereira Torres, illius, dum viveret, ultimi poſſeſſoris, extra Romanam curiam de menſe Januario proxime præterito defuncti, aut alias certo alio modo vacaverit, et vacet ad præſens; licet quidam Antonius Duarte de Almeida, aſſertus preſbyter de parochiali eccleſia prædicta, apoſtolica auctoritate nulliter proviſus, illam indebite detineat occupatam; illiuſque collatio, proviſio, et omnimoda alia diſpoſitio, juxta conſtitutionem Pii Papæ V. Sanctitatis veſtræ prædeceſſoris, ſuper modo et forma providendis de ſimilibus eccleſiis, dum pro tempore vacant, Sanctitati veſtræ, et Sedi Apoſtolicæ, hac vice reſervatæ, exiſtat; ſupplicat, &c. orator Franciſcus Monteyro Caſtelbranco, preſbyter Pharaonen. diœceſis, quatenus ſpecialem ſibi gratiam facien. parochialem eccleſiam prædictam, cujus, et illi forſan annexorum fructus, &c. 24, una vero cum incertis 170 ducatorum auri de camera non excedunt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem dicti defuncti, vel cujuſvis alterius de illa in dicta curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, et teſtibus, ſponte factam, aut conſtitutionem, &c. Execrabilis, vel aſſecutionem, &c. vacet, etiamſi devolutam, affectam ſpecialiter, vel alias ex quavis cauſa in literis etiam diſpoſitive exprimenda, generaliter reſervatam, &c. cujus litis ſtatus, &c. exiſtat, eidem oratori conferre, et de illa etiam providere dignemini de gratia ſpeciali; non obſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis, &c. Et cum abſolutione, &c. pro eodem oratore, qui per examinatores in ſynodo diœceſana, juxta formam Concilii Tridentini deputatos, ſervata forma Concilii hujuſmodi, in concurſu aliorum examinatus, et magis idoneus reputatus, teſtimonio ordinarii de vita, moribus, et idoneitate commendatur, cum gratificatione, &c. In literis, &c.

Num. 6. *Literæ teſtimoniales reverendiſſimi epiſcopi ſuper aſſerta præelectione D. adverſarii exhibitæ in Dataria poſt* 40 *dies ab elapſo quadrimeſtre.*

Die 25. Junii 1743.

DOminus Ignatius à Sancta Thereſia, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia, archiepiſcopus epiſcopus Algarbienſis L. &c. eminentiſſimo et reverendiſſimo domino Sanctiſſimi domini noſtri BENEDICTI divina providentia Papæ XIV. prodatario, et quibuſcunque præſentes literas inſpecturis, ſeu viſuris, ſignificamus, et atteſtamur, vacante die decima quinta menſis Januarii præſentis anni, parochiali eccleſia nuncupata ſub invocatione Beatæ Mariæ à Conceptione, oppidi vulgo Villanova de Portimao, hujus Algarbienſis diœceſis per obitum Emmanuelis Pereira Torres, preſbyteri, fuiſſe per curiam noſtram, mediantibus edictalibus juxta formam et præſcriptum ſacri Concilii Tridentini, et conſtitutionis felic. record. Pii Papæ V. vocatos omnes de ſic vacante eccleſia, provideri volentes, quatenus intra terminum viginti dierum comparerent in eadem curia ad faciendum deſcribi, et annotari nomina ipſorum; et cum in eodem termino multi comparuiſſent, tandem iiſdem deſcriptis, legitime vocatis, et citatis *ſub die duodecima menſis Februarii ejuſdem anni*, coram nobis, rigoroſo prævio examine per tres examinatores ſynodales, virtute diplomatis apoſtolici deputatos, factam fuiſſe experientiam de ſcientia et ſufficientia ſingulorum deſcriptorum, ac demum ſervatis de jure ſervandis, per dictos tres examinatores in eodem rigoroſo concurſu ſynodaliter examinatum fuiſſe repertum, habitum, et exiſtimatum idoneum vita, moribus, ætate, ſcientia, et aliis à jure requiſitis ad obtinendam à Sede Apoſtolica dictam parochialem eccleſiam, Franciſcum Monteyro Caſtelbranco, ſacerdotem hujuſmet diœceſis, et tanquam habilem, et idoneum approbatum, et ſucceſſive à nobis poſt examen, et approbationem prædictam, fuiſſe magis idoneum reputatum, et judicatum, et, ut talem, pro obtinenda dicta parochiali Sedi Apoſtolicæ proponendum, et approbandum, prout proponimus, et approbamus: et ipſe nullum obtinet beneficium. In quorum fidem præſentes literas ſub ſigno et ſigillo noſtris munitas fieri juſſimus. Datum in hac civitate Pha-

Pharaonensi, die sexta mensis Maii, anno incarnationis Dominicæ 1743.

Et ego Joannes Pessana è Costa, presbyter, cameræ secretarius, eas subscripsi.

Archiepiscopus episcopus Algarbiensis.

Loco ✠ sigilli.

Die 25. Junii 1743.

D. D. Laurensius Masius Franciscus Ghabers, et Franciscus Josimi, per similitudinem recognoverunt. Sequitur legalitas in forma, &c.

Num. 7. *Postrema supplicatio certo modo exhibita à D. adversario, neglecta antecedenti supplicatione, quam pro approbato signari curaverat.*

PHARAONEN.

Exhibita 26. Julii 1743.

BEATISSIME PATER,

CUM parochialis ecclesia S. Mariæ à Conceptione, oppidi vulgo *de Villanova* de Portimao Pharaonen. diœcesis, de qua alias, tunc per liberam resignationem quondam tunc in humanis agentis Emmanuelis Pereira Torres de illa, quam tunc obtinebat, in manibus Sanctitatis vestræ sponte factam, et per eandem S. V. admissam vacan. cuidam Antonio Duarte de Almeida, asserto presbytero, apostolica auctoritate provisam, seu provideri mandatum fuit, ex eo, quod dictus Antonius resignationem hujusmodi contra formam mandati procuræ nulliter expedivit, ob nullitatem resignationis hujusmodi, seu per obitum dicti Emmanuelis illius, dum viveret, ultimi possessoris, extra Romanam curiam de mense Januarii proxime præterito defuncti, aut alias certo alio modo vacaverit, et vacet, ad præsens supplicat, &c. orator Franciscus Monteyro Castelbranco, presbyter Pharaonen. diœcesis, quatenus specialem sibi gratiam facien. parochialem ecclesiam prædictam, cujus, et illi forsan annexorum fructus, &c. 80, una vero cum incertis 190 ducat. auri de camera, &c. non excedunt, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti defuncti, vel cujusvis alterius de illa in dicta curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, et testibus, sponte fact. aut constitutionem, &c. Execrabilis, vel assecutionem, &c. vacet etiamsi devolut. affect. specialiter, vel alias ex quavis causa in literis etiam dispositive exprimenda generaliter refert, litique, cujus lit. status, &c. extant, eidem oratori conferre, et de illa etiam providere dignemini de gratia speciali; non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione, &c. pro eodem oratore, qui per examinatores in synodo diœcesana juxta formam Concilii Tridentini deputatos, servata forma Concilii hujusmodi in concursu examinatus, et magis idoneus repertus, testimonio ordinarii de vita, et moribus, et idoneitate commendatur cum gratificatione, &c. In literis, &c.

Num. 8. *Decretum eminentissimi D. prodatarii pro retentione supplicationis D. principalis, et pro relaxatione ultimæ contrariæ supplicationis.*

Die 22. Augusti 1743.

Eminentissimo et reverendissimo D. Card. prodatario —Paulettus.

PHARAONEN. PAROCHIALIS.

CItetur D. Placidus Marotti ex adverso procurator assertus rev. D. Francisci Monteyro Castelbranco asserti præclecti in concursu ex adverso principalis, ad comparendum coram eminentissimo domino die Jovis, hora solita audientiæ, necnon videndum, prævia repositione à quocunque contrario præjudiciali decreto ex adverso nulliter, et indebite extorto, relaxari supplicationem, juxta constitutionem S. Pii V. et cum præservatione jurium præcedentis resignationis ad favorem infrascripti D. instantis signatam, et respective retineri utramque assertam supplicationem signatam ad prætensum favorem D. adversarii, tam ex titulo prætensæ præelectionis in concursu, quam etiam ex alio titulo prætensæ vacationis secutæ per obitum, ob suppositam nullitatem antedictæ resignationis, et pro hujusmodi effectu mandari lacerari nihil transeat ex adverso nulliter, et indebite appositum, ac servari respective nihil transeat appositum pro parte infrascripti D. instantis, et decretum, &c. ad dictam diem. Instante rev. D. Antonio Duarte de Almeida principali, sive, &c.

Relatione facta, comparuit D. Petrus de Clementinis procurator; petiit, ut supra.

Extunc eminentissimus et reverendissimus dominus mandavit retineri supplicationem instantis, et relaxari aliam supplicationem ob nullitatem resignationis, et pro præelecto in concursu favore Francisci Monteyro Castelbranco, nisi infra octo, et amplius procuratore præsente, &c.

Num. 9. *Ultimum decretum ejusdem eminentissimi D. prodatarii pro deputatione congregationis particularis.*

Die 7. Septembris 1743.

Eminentissimo ac reverendissimo D. Cardinali prodatario.

PHARAONEN. PAROCHIALIS.

CItetur D. Placidus Marotti ex adverso procurator assertus rev. D. Francisci Monteyro Castelbranco ex adverso principalis, ad comparendum coram eminentissimo domino die crastina, hora solita audientiæ; necnon dicendum contra memoriale cum rescripto Sanctissimi, et in illius sequelam videndum prævia repositione à quibuscunque contrariis præjudicialibus decretis ex adverso nulliter, et indebite extortis, deputari congregationem particularem eminentissimo D. benevisam cum prælatis adjunctis ad effectum examinandi et decidendi omnia hinc inde deducta respectu parochialis, de qua agitur; et interim sibi *inhiberi* in forma, ne sub pœnis, &c. audeat quicquam innovare, &c. et decretum, &c. ad primam diem. Instante rev. D. Antonio Duart. de Almeida principali, sive, &c.

Relatione facta, comparuit D. Petrus de Clementinis procurator; petiit, ut supra.

Extunc eminentissimus et reverendissimus dominus stetit in decretis; et, in executionem rescripti Sanctissimi, deputavit in causa, de qua agitur, congregationem particularem, nempe eminentiæ suæ, ac illustrissimorum et reverendissimorum DD. Lana, Pacca, Lami, et Nigroni, ac Justiniani subdatarii, et illustrissimi domini Petri Biancini, præfecti officii vacationum per obitum, necnon destinavit propositionem causæ hujusmodi pro die 22. currentis mensis Septembris; et interim inhibuit, procuratore præsente.

Num. 10. *Series impetrationum parochialium Portugalliæ, juxta constitutionem expedit. in Dataria.*

De anno 1716.

Ulixbonen. parochialis Purificationis Beatæ Mariæ Virginis loci de Aloentre pro Emmanuele Leytam.

Ejusdem parochialis S. Stephani de Alphama pro Joanne Pereira de Carvalho.

De anno 1718.

Bracharen. parochialis SS. Cosmæ, et Damiani oppidi de Valle pro Ægidio Ozorio.

Ejusdem parochialis S. Martini oppidi de Rio Mao pro Dominico Carvalho de Aranio.

Ejusdem parochialis S. Mametis oppidi de Canichada pro Antonio Luis.

Ejusdem parochialis S. Vincentii de Fornellos pro Felice Machado de Andrade.

Elven. una ex duabus vicariis curatis cathedralis, pro Francisco Pais Leytan.

De anno 1719.

Pharaonen. parochialis S. Salvatoris loci Aleotin. pro Josepho Pacheco Soares.

De anno 1720.

Bracharen. parochialis, seu vicaria S. Eulaliæ de Villar. de Mouros Comarca de Valenza pro Francisco Alvarez Delgado.

De

De anno 1722.

Portugallen. parochialis S. Joannis de Cannellas pro Benedicto Homes de Fonſeca.

De anno 1739.

Colimbrien. vicariæ parochialis S. Pauli oppidi de Macans Donnæ Mariæ pro Emanuele Rodriguez Teixeira.

De anno 1740.

Pharaonen. parochialis S. Jacobi oppidi Malcenſis pro Alvaro Nobre Rua.

Portugallen. parochialis S. Joannis de Canellas Comarea de Feyra pro Dominico Lopez Angueyra.

De anno 1741.

Pharaonen. parochialis in Collegiata oppidi de Sylvas pro Joſepho da Sylva Barriga.

Bracharen. parochialis S. Petri de Ceuze della pro Melchiore Pereira de Caſtro.

Elven. parochialis S. Petri civitatis Elven. pro Emanuele de Baſtos.

Num. 11. *Probatur intruſio D. adverſarii in poſſeſſione parochialis, de qua agitur.*

Sig. Lopez Roſa—Faro, 28. Maggio 1743.

SAranno venti, e più giorni, che ò ſcritto a V. S. dicendoli, che reſtavano in mio potere le bolle, doppo di che ritornai a ſcrivere per via di amico di Liſbona, da cui ne meno ò ſaputo ſe gli foſſe ſtata inviata detta mia, et adeſſo rinovo l'inſtanza per fargli ſapere, che ſubito gionte le bolle immediatamente le ò traſmeſſe a Liſbona, ad effetto, che monſignor nunzio gli daſſe l'eſſecuzione, *il che tutto fu eſeguito in tempo, che monſignor veſcovo, aveva già poſto in poſſeſſo della mia chieſa, il mal proviſto nel concorſo ſenza le ſolite bolle apoſtoliche*, dicendo che prendeva quella proviſione fino a tanto, che poteſſero ſpedirſi, et arrivaſſero le bolle del concorſo, avendo fatto ſignificare a tutti i preti del ſervizio della chieſa per ordine del vicario generale ad effetto, che non aveſſero, mai acconſentito, che il proviſto apoſtolico prendeſſe il poſſeſſo, non aver fatto premunire il ſagreſtano, acciò che non daſſe le chiavi della chieſa ad alcuno, e perciò mi determinai di andare a parlare al veſcovo, che ſi ritrovava in viſita a Caſtromarino, dove gionto mi laſciai perſuadere a dargli in proprie mani il mandato *de capienda poſſeſſione* per volerlo vedere con ſuo commodo; mà il ſudetto veſcovo lo traſmiſſe ſubito alla città di Faro al vicario generale, accioche daſſa viſta al promotore del mandato, e bolla apoſtolica, e unitamente al proviſto del concorſo, il quale ſe ne venne ſubito con iſtanze di obrettione, e ſubrettione, che ſi ritrovano in atti, e ſi darà viſta al promotore, che non sò quello vorrà riſpondere, per il che ò determinato portarmi a Liſbona ad agire in queſto particolare, ſupplicandola di prendere tutto il penſiere di queſta cauſa, acciòche non ſi paſſi bolla al mal proviſto nel concorſo, e di tutto quello anderà ſuccedendo ne verrò auviſando a V. S. giacchè di queſte ſimili controverſie ne è cauſa il ſig. Gamma, che ſtante l'eſſere agente di monſignor veſcovo, a cui ſcriſſe, doppo la morte del prior Torres richiedendogli notizia dello ſtato della renunzia, a cui a riſpoſto ciocchè volſe, e di ſuo capriccio, con avergli ancora inſinuato, che la bolla fu ſpedita alli 8. di Marzo doppo la morte del priore, e che non potea eſſer valida, avendogli ſignificato quello, che più gli piacque, non ſapendo con qual coſcienza poſſa ciò farſi, tanto più che io avevo nominato in procura doppo di lei il detto ſig. Gamma, perſuadendomi eſſere ſuo amico, e che per tale me lo aveva figurato il benefiziato Pietro Gomes de Figueredo, che mi ingannò a fine di non far ſeguire queſta renunzia, che il zelo di V. S. foſſe in buon'ordine. Dio li ajuti, e dia a V. S. quella ſalute, che gli deſidero, e reſto

Molto ſervitore di V. S.

ANTONIO DUARTE DE ALMEIDA.

SACRA
CONGREGATIONE
PARTICULARI
Eminentiſſimo, et Reverendiſſimo D. Card.
ALDROVANDO
PRO-DATARIO
Necnon RR. PP. DD.
Lana, Pacca, Lami, Nigrono, et Juſtiniano Subdatario, ac Illuſtriſſimo D. BIANCINO, per Obitum
Pharaonen. Parochialis,
PRO
Revmo. D. ANTONIO DUARTE de ALMEIDA,
CONTRA
Rev. D. FRANCISCUM MONTEYRO CASTELBIANCO.

Reſtrictus reſponſionis facti, et juris, cum ſummario adnexo.

V. PHARAONEN. PAROCHIALIS.

Eminentiſſime et Reverendiſſime DOMINE,

1. NON obſtantibus deductis, ſeu refricatis in contraria informatione, et quibus jam alias fuit præventive, et abunde reſponſum in noſtro reſtrictu, relaxanda omnino videtur noſtra ſupplicatio *juxta conſtitutionem*, et retinenda altera partis adverſæ *pro præelecto in concurſu, et ob nullitatem reſignationis, tanquam expeditæ contra formam mandati.*

2. Mirum profecto eſt, quod D. ex adverſo ſcribens tam prolixe ſe extendat in exaggerando nullitatem reſignationis, ex eo, quod conſenſus formalis extenſus fuerit in cancellaria poſt obitum reſignantis, et poſt habitam de eo notitiam à procuratore, conſarcinando ad id varias auctoritates; cum hoc eſſet iterum involvere mundum, et alterare inconcuſſum ſtylum, cum quo hodie vivimus in hujuſmodi gratiis expediendis: inconcuſſus quippe ſtylus hodie eſt, quod, ſi in vita reſignantis jam fuerit ſignata ſupplicatio, ejuſque tergo adnotatus dies, qui dicitur *præſentata*, et ſub quo deinde ponitur parva data, quemadmodum ita factum fuiſſe in caſu, de quo agitur, id eſt, ſignatam ſupplicationem cum adnotatione ejus *præſentatæ* ſub die 20. *Octobris*, dum adhuc vivebat reſignans, admittitur *in contraria informatione*, § 13. recte poſſit expediri, ſeu extendi formalis conſenſus in cancellaria, poſt habitam certam notitiam obitus reſignantis, juxta punctuales auctoritates adductas in *noſtro reſtrictu*, § 16. et egregie referendo hiſtoriam ſuper varia introductione, et reſpective mutatione ſtylorum Datariæ, ac perſiſtendo in ultimo, qui nunc viget, firmat *Piton. diſcept. eccleſ.* 5. *num. primo, et ſeq. tom. primo*, ubi ſub *num.* 11. ita concludit, ibi— *Hoc firmato, dicebam, quod ſupplicatio, eo ipſo, quod habebat ſignaturam, continebat gratiam perfectam; et licet careret parva data, tamen quia ſecundum hodiernum ſtylum hæc fuit immutata circa tempus, dum apponitur poſt conſenſum formalem extenſum in libris cameræ, ſeu cancellariæ, ſufficiebat, quod ſupplicatio eſſet datata alio modo æquipollenti, quod nempe haberet diem, qui oſtenderet tempus conceſſæ gratiæ in vita reſignantis; unde cum à tergo ſupplicationis adeſſet dies, qui dicitur præſentata, ſub quo ponitur deinde parva data, propterea iſte dies præſentatæ ſufficiebat ad hunc effectum, cum æquipolleret antiquæ parvæ datæ, quæ apponebatur eodem tempore correctæ, et præſentatæ ſupplicationis; et conſequenter in caſu præſenti gratia eſt valida, quotieſcunque apparet de die illius, ſive iſte dies ex præſentata, ſeu ex parva data deducatur.*

3. Et cum hac eadem certa, et nunquam amplius diſputabili theorica procedit nunc S. Rottæ auditorium, quicquid varie ſenſerit in præteritum, quod nimirum ſignata, *et præſentata* ſupplicatione in vita reſignantis, valida ſit gratia, quamvis formalis conſenſus præſtetur, et extendatur in cancellaria poſt certam notitiam obitus reſignantis, ut, cæteris aliis prætermiſſis, ſic deciſum fuit *in Seguntina archidiaconatus*, 11. *Junii* 1725. § *Neque obſtare*, coram bo. mem. Gentilott. et in individuo, ad effectum irritandi concurſum, factum per obitum reſignantis, ac reſpective, pro-

proviſionem factam prælecto in eo, pro validitate præcedentis reſignationis reſpondit eadem *Rotta in Tridentina parochialis*, 4. *Aprilis* 1729. § Inutiliter, *coram R. P. D. Millino*; ibi—*Inutiliter quoque firmitatem literarum labefactare contendebat Ludovicus, proponendo, conſenſum fuiſſe à procuratore nulliter, ac perperam interpoſitum, poſteaquam mandatum morte mandantis fuerat extinctum; aſſerta enim præſtatio conſenſus poſt obitum mandantis carebat præſidio legitimæ probationis, &c. Veruntamen, quatenus etiam admittendum eſſet, conſenſum præſtitum fuiſſe, mandante jam mortuo, non exinde tamen perperam adjectus reputaretur: cum enim à die* 8. *menſis Octobris, juſſu, et mandato Caroli tunc in humanis agentis,* PROCURATOR PRÆSENTASSET SUPPLICATIONEM, *ut ſupra fuit demonſtratum, poterat utique ipſe, virtute mandati ſolemnis poſtea recepti, ac, vivo etiam Carolo, acceptati, conſenſum interponere in complementum negotii ſuſcepti, non obſtante ſupervento obitu ejuſdem Caroli.*

4. Indubitantius, quia ſub eadem die 20. Octobris, qua ſignata, *et præſentata* fuit ſupplicatio reſignationis, præſtitus fuit à procuratore conſenſus, qui dicitur *parvus*, apud D Gudin notarium conſenſuum, ut eſt indubitatum, et liquet ex ejus actis; concurrente autem præſtatione iſtius *parvi conſenſus* in vita reſignantis, nemo eſt, qui dubitat de validitate, et perfectione gratiæ reſignationis, quamvis formalis conſenſus deinde præſtetur, ſeu extendatur poſt obitum ejuſdem reſignantis, veluti qui ſemper retrotrahitur ad dictam primam diem *præſentatæ*, paucique conſenſus; ut in his terminis, et ſine contradictore, notant *Gratian. diſcept. foren. cap.* 191. *n.* 3. *Lotter. de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 16. *ſub num.* 29. *Tondut. quæſt. benef. par. prima, cap.* 26. *ſub num.* 19. *Piton. d. diſcept. eccleſ.* 5. *num.* 14. *tom. primo*, et expreſſe admiſit *Rotta in ex adverſo citata deciſ.* 1149. *cor. Emer. jun. n.* 8. *et ſeqq.*

5. Hinc inutiliter eadem pars adverſa exaggerat tractatus, qui interceſſerant inter reſignantem, et ejus procuratorem, ſuper moderatione, ſeu ademptione impoſitionis penſionis favore monialis, juxta epiſtolam ab illo ſcriptam, ac relatam in utroque *ſumm. n.* 2. necnon aliud mandatum procuræ datum à reſignatario poſt obitum reſignantis, de quo in contrario *ſumm. num.* 6.

6. Quoniam iſti diſcurſus, et ſignanter novum mandatum reſignatarii, non alio tendunt, nec tendere poſſunt, quam ad ſuadendam notitiam obitus reſignantis apud ejus procuratorem, antequam præſtaret, ſeu extenderet formalem conſenſum in cancellaria, et expediret bullas apoſtolicas; ſed (præterquam quod ſcientia iſta nec certe adfuit, nec eſſe potuit apud D. Lopez, tempore, quo renovavit formalem conſenſum) nil inde deduci poteſt ad prætenſam nullitatem reſignationis; cum omnes auctoritates, et deciſiones ſuperius adductæ, et innumeræ aliæ, quæ adduci poſſent, loquantur in terminis, quod procurator ante extenſionem conſenſus habuiſſet certam notitiam de obitu reſignantis; et unanimiter reſolvunt pro validitate reſignationis, dummodo ſupplicatio ſignata, et præſentata fuiſſet tempore habili ante ejus obitum.

7. Epiſtola reſignantis ſcripta die 14. Decembris 1742. non ſtat loco novi et diſtincti mandati cum derogatione antecedentis; ſed ſtat relative, et conſentanee ad ejus præcedens mandatum, atque cum clariori voluntate mandantis approbativa rejectionis penſionis favore monialis, veluti quam voluerat in d. ejus antecedenti mandato ſub clauſula ſalutari, *ſi, et quatenus, placuiſſet Summo Pontifici*, ut liquet ex noſtro *ſumm. num. primo, et* 2.

8. Mandatum vero procuræ datum à reſignatario poſt obitum reſignantis ad dominum commendatarium de Gama, et exhibitum *in contrario ſummario, num.* 6. dat quidem huic parti motivum juſte condolendi de prævaricatione procuratoris, qui nunc acerrime ſuſtinet cauſam contra eundem mandantem, et favore D. adverſarii; ſed nullum vel minimum argumentum ſubminiſtrat ad prætenſam nullitatem gratiæ reſignationis; cum illud ſit mandatum generale vel ad perficiendum negotium reſignationis, quatenus termini eſſent habiles, vel ad petendam quamcunque aliam gratiam à Summo Pontifice ſuper eadem parochiali, ut videre eſt in dicto *ſummario partis, num.* 6.

9. Verum hæc dicta ſint ad exuberantiam; cum quæſtio late examinata in contraria informatione circa bonam, vel malam fidem procuratoris in præſtando, et extendendo conſenſum poſt obitum reſignantis diſcutienda ad ſummum foret, ubi res, ſeu reſignatio, eſſet adhuc in fieri, ubi nempe nondum expeditæ fuiſſent ejus bullæ apoſtolicæ, ita ut penderet adhuc à mero arbitrio Papæ, ſeu datarii, relaxare, vel retractare gratiam reſignationis; et in his terminis loquuntur de facto auctoritates ex adverſo laudatæ, id eſt, *Card. Deluc. de benef. diſc.* 42. *Piton. diſcept. eccleſ.* 130. *num.* 25. *tom.* 4. *et Rotta in Aſtoricen. theſaurariæ cor. Emer. jun. inter ſuas deciſ.* 1149. ubi agebatur de voto expoſtulato à congregatione Datariæ, an admittenda eſſet extenſio conſenſus, et reſpective relaxanda gratia reſignationis; et de eodem caſu loquuntur *Card. Deluc. et Piton.* id eſt, quando non adhuc expeditæ fuerant bullæ apoſtolicæ.

10. At ubi jam expeditæ ſunt literæ apoſtolicæ reſignationis, cum retrotractione conſenſus ad diem ſignatæ, et præſentatæ ſupplicationis, ut ſunt termini præſentis caſus, tunc non eſt, neque eſſe poteſt, amplius locus huic examini ſuper valore, vel nullitate reſignationis; cum in hoc caſu eſſet redarguere nedum datarium, verum etiam Summum Pontificem, de antidata, cujus de cætero appoſitio eſt in ejus mero arbitrio; quod nemini amplius eſt datum, imo turpe eſſet, id in diſcrimen revocari, ut in individuo, ſic diſtinguendo caſus, concludunt idemmet *Card. Deluc. in ex adverſo allegat. diſc.* 42. *de benefic. num.* 7. *et* 8. ubi, poſt expenſam aſſertam malam fidem procuratoris, ita ſe explicat; ibi—*Recte iſta procedebant theorice, ſeu in abſtracto: dicebam tamen, difficultatem forte* INSUPERABILEM *conſiſtere in applicatione ad concretum, ſuper juſtificatione, ſcilicet, hujuſmodi præſuppoſitæ antidatæ, quæ videtur quodammodo improbabilis, quoniam adverſas geſta per datarium, ob officii excellentiam, non admittuntur articuli, neque probationes; fortius vero, ubi proceſſum quoque fuit* AD EXPEDITIONEM LITERARUM, *quoniam tunc eſſet redarguere nedum datarium, verum etiam ipſum Papam; quod admittendum non eſt—Piton. d. diſcept. eccleſ.* 5. *num.* 44. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 23. *num.* 21. 24. *et ſeq.* et in iiſdem terminis ſe declaravit *S. Rotta* in DD. ex adverſo laudat. *dec.* 281. *num.* 15. *et* 16. *coram Merlin. et deciſ.* 1149. *num.* 23. *et* 24. *coram Emerix jun.* et pariter in individuo, pro rejectione cujuſcunque vel minimi dubii in contrarium, quoties jam expedita fuerat gratia reſignationis ſub data patente in vita reſignantis, funditus reſpondit eadem *Rotta in dicta Tridentina parochialis*, 4. *Aprilis* 1729. § Inutiliter, *cor. R. P. D. Millino.*

11. Eliſa penitus, et radicitus, iſta prima exceptione, ſuper qua totus eſſe videtur dominus ex adverſo ſcribens; jam quoad alias tres (ſuper quibus ipſe agnoſcens earum omnimodam irrelevantiam, ſicco pede pertranſit) circa nempe prætermiſſam reſervationem penſionis favore monialis circa valorem expreſſum ultra ſummam enuntiatam in mandato procuræ, et circa conſenſum præſtitum ab uno tantum ex duobus procuratoribus, late, et præventive, reſponſum fuit *in noſtro reſtrictu*, § 11. *et ſeq.* cui nil remanet addendum, cum nil quicquam adducatur in contraria informatione, quod ulteriorem reſponſionem promereatur.

12. Solumque circa ſecundam, id eſt, circa expreſſionem valoris, illam ut aliam æque ſolidam reſponſionem ſubnectimus; quod, videlicet, in mandato procuræ valor expoſitus fuit *per aſcenſum* in ducatis 192 auri de camera, abſque ulla taxationis reſtrictiva, imo cum ſuppoſito majoris quantitatis, ut ibi —*et anche di più*—in ſupplicatione è converſo fuit à procuratore expreſſus valor *per non exceſſum* in ducatis 243: unde in his circumſtantiis procurator non dicitur in hac parte exceſſiſſe fines mandati, cum expreſſio *per aſcenſum* facta à mandante non excludat majorem quantitatem, et expreſſio *per non exceſſum* facta à procuratore includat illam minorem ſummam expreſſam à mandante; ut individuo ſic ad hoc objectum reſpondit *Rotta in deciſ.* 313. *num.* 5. *et ſeq.*

par. 11. *rec.* ibi—*Tamen ex eo nullus potuit argui exceſſus, ſiquidem in mandato valor beneficii in ſcutis* 160 *expreſſus fuit per aſcenſum, non autem per exceſſum, abſque ulla taxationis reſtrictiva, quo caſu major quantitas non excluditur, nec opponitur expreſſioni factæ in ſupplicatione in ducatis* 180 *auri de camera per non exceſſum; cum verum ſit, beneficium* 100 *ducat. non excedere* 1000; *et in qualibet etiam modica non exceſſus verificatur.*

13. Et præveniendo iterum illud objectum, quatenus fieret, quod nimirum non ſoleat congregatio Datariæ aſſumere partes judicis, in examinando valorem, et ſubſiſtentiam reſignationis, ſed id remittat judicibus executoribus impetrationum; ſolidiſſima eſt præventiva reſponſio data in noſtro *reſtrictu*, § 8. hoc nempe eſſe verum, ubi res non eſſet adhuc integra, ſed expedita fuiſſet bulla impetrationis; ſecus vero, quando res, prout in caſu, eſt adhuc in fieri, et quæritur, an retinenda, vel relaxanda ſit ſupplicatio impetrationis, ob nullitatem præcedentis reſignationis; tunc enim, ſi ſummarie agnoſcit iſtius validitatem, et inſubſiſtentiam impetrationis, nunquam relaxare ſolet hujuſmodi impetrationes, ne detur injuſta, et calumnioſa vexatio ſuo antecedenti proviſo, quemadmodum de inconcuſſo ſtylo Datariæ teſtatur *Amayd. lib.* 1. *cap.* 15. § 15. *num.* 44. Cum igitur clara, et evidentiſſima ſit in præſenti validitas, et ſubſiſtentia noſtræ reſignationis, et reſpective irrelevantes, penituſque calumnioſæ omnes et ſingulæ exceptiones adverſus eam appoſitæ, ita ut ceſſare videatur omne principium de ea dubitandi, non poteſt, neque debet relaxari contraria ſupplicatio impetrationis, ne detur D. principali adeo injuſta, et calumnioſa vexatio.

14. At data per falſam hypotheſim dubietate validitatis dictæ reſignationis, et deſcendendo ad ſecundam partem noſtri aſſumpti, abſque ulla hæſitatione relaxanda venit ad omne pejus noſtra ſupplicatio *juxta conſtitutionem*, et retinenda altera partis adverſæ—*per obitum ob nullitatem reſignationis, ac pro præelecto in concurſu.*

15. De juſtitia, et ſubſiſtentia noſtræ ſupplicationis, nulli dubium ineſſe poteſt, prout de facto non dubitatur in contraria informatione, veluti quæ admittens, hic intrare diſpoſitionem ejuſdem conſtitutionis Pianæ, atque eidem expreſſe adhærens, tota ſe fundat in ſuppoſita anterioritate ſuæ ſupplicationis pariter, ut ipſa ſupponit, porrectæ *juxta eandem conſtitutionem.*

16. Loquendo idcirco de iſta ſupplicatione partis adverſæ; imprimis fruſtra ipſa inniti contendit primæ ſupplicationi ſignatæ ſub die 25. *Junii* ante noſtram, cum ab ea receſſerit, aliamque porrexerit, poſt jam ſignatam dictam noſtram ſupplicationem, *ut in ſummario, num.* 7. et hanc poſteriorem ſupplicationem de facto relaxandam fore, decrevit eminentiſſimus D. cardinalis prodatarius, *ut in dicto ſumm. num.* 8. et præventive advertimus *in noſtro reſtrictu*, § 24.

17. Verum, ubi adhuc locus eſſe poſſet, diſſerendi de dicta anteriori ſupplicatione adverſarii, perperam aſſerit dominus ex adverſo ſcribens in ſua informatione, § 26. quod iſta ſupplicatio præ ſe ferat duplicem diſtinctum titulum, unum *pro approbato in concurſu*, et alium *juxta conſtitutionem*, quatenus ſervata non fuiſſet forma præſcripta in eadem conſtitutione Piana, eodem modo, quo concepta et porrecta fuit noſtra poſterior ſupplicatio.

18. Quoniam tenor ejuſdem contrariæ ſupplicationis tam in corpore, quam in ſummariolo, ad oculum indigitat, gratiam fuiſſe petitam ex primo tantum capite, id eſt, *pro approbato in concurſu*, ut, ſupplendo mutilatum *ſummarium* partis, patet ex corpore dictæ ſupplicationis relatæ *in noſtro ſummario, num.* 5. ibi—*Pro eodem oratore, qui per examinatores in ſynodo diœceſana juxta formam Concilii Tridentini deputatos, ſervata forma Concilii hujuſmodi, in concurſu aliorum examinatus, et magis idoneus reputatus, &c.*—et in ejus ſummariolo, quod datur *in præſenti ſumm additionali, n.* 1. ibi—*Pro Franciſco Monteyro Caſtelbranco preſbytero in concurſu approbato, &c.*

19. Neque facit, quod in corpore ejuſdem ſupplicationis addita fuiſſent illa verba—*juxta conſtitutionem Pii Papæ* V.—Nam, cum duas partes contineat iſta conſtitutio S. Pii V. primam *ex reſervato pro approbato, et præelecto in concurſu*, et aliam *de libero*, id eſt, quod parochialis ſpectaret ad liberam diſpoſitionem Papæ, et Sanctæ Sedis, etiam pro non examinatis, et approbatis in concurſu, vel in caſu, quo per epiſcopum habitus non fuiſſet concurſus, neque in eo præelectus magis dignus, vel in alio caſu, quo, facto concurſu, ab eodem ſignificata non fuiſſet ad Sanctam Sedem, intra terminum quatuor menſium à die vacationis, præelectio magis digni; verba illa adjecta in corpore dictæ ſupplicationis—*juxta conſtitutionem Pii Papæ* V.—referenda ſunt ad priorem partem ejuſdem conſtitutionis, quod, videlicet, collatio, et proviſio parochialis, tanquam vacatæ in menſe apoſtolico, ſpectabat ad Sanctam Sedem, quodque eadem conferenda erat adverſario tanquam approbato, et præelecto in concurſu, prout in hoc ſenſu adjecta inibi apparent, *ut in noſtro ſummario, num.* 5. *et in ſummario partis, num.* 7. nullatenus vero ad ſecundam partem ejuſdem conſtitutionis; nam, quando confertur juxta hanc ſecundam partem, non adjiciuntur illa verba, quæ appoſita fuerunt in dicta contraria ſupplicatione—*pro approbato in concurſu*—cum Papa in hoc caſu non teneatur amplius ſervare formam, et ordinem concurſus, ut patet ex diverſa formula adjecta in noſtra ſupplicatione *juxta conſtitutionem*, et in illa partis adverſæ, *ut in contrario ſumm. n.* 7. *et* 8. *et in noſtro, n.* 4. *et* 5.

20. Etiam de facto in ſummariolo ejuſdem contrariæ ſupplicationis non fuerunt adjecta illa verba *juxta conſtitutionem*, ſed ſimpliciter fuit dictum *pro approbato in concurſu, ut in præſenti ſummario additionali, num. primo*, ad ita indicandum, juxta inconcuſſum ſtylum Datariæ, quod Papa ſervare intendebat ordinem præhabiti concurſus, et parochialem ex juſtitia conferre præelecto in eo, juxta primam partem dictæ conſtitutionis; exploratiſſimi autem juris eſt, quod in hujuſmodi, et aliis ſimilibus gratiis apoſtolicis, non attendatur corpus ſupplicationis, ſed ejus tantum ſummariolum, ut ſine contradictore tradunt *Pariſ. de reſig. lib.* 8. *quæſt.* 7. *num.* 19. *Amayd. de ſtyl. Dat. lib. primo, cap.* 32. *num.* 6. *et ſeq. et ſub num.* 10. *Corrad. in prax. diſpenſ. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 20. *Card. Deluc. de regal. diſc.* 201. *num.* 10. *Roſa de execut. liter. apoſtol. part.* 1. *cap. primo num.* 2. *et ſeq. et Rotta coram Molin. deciſ.* 714. *num.* 10. *tom.* 3. *et in Milevitana penſionis*, 23. *Januarii* 1699. § At vero, *coram clar. mem. Card. de la Tremoille.*

21. Infeliciorique conatu contendit eadem pars adverſa, ſibique cæteroquin varia, et inconſtans in defendendo, non intrare in præſenti dictam conſtitutionem Pianam, ſeu ſecundam ejus partem, ob jam datas, et ſcriptas ab epiſcopo intra terminum quadrimeſtris ſuas literas ſignificatorias, licet exhibitas extra terminum in Dataria, quaſi quod hic terminus fuiſſet præfinitus à Sancto Pio V. reſpectu tantum epiſcopi ſignificare, ſeu ſcribere debentis intra eundem terminum, non autem, ut intra dictum terminum perveniat ſignificatio, et notitia ad Datariam; maxime in locis longinquis, ſicuti diſcurrit contraria informatio, § 24. *et ſeq.*

22. Etenim diſcurſus iſte eſt mere idealis, penituſque inſubſiſtens, atque expreſſe repugnans tum literæ, et fini ejuſdem conſtitutionis, tum unanimi, et conſtanti ſenſui doctorum; præcipuus enim finis conſtitutionis, præfiniendi hunc certum terminum *ad ſignificandum*, fuit, ut quam citius parochiales providerentur de eorum rectoribus, et ne eæ diu in ſuſpenſo manerent, in maximum animarum periculum, ut habetur *in ejus paragrapho proœmiali*; qui quidem finis in irritum cederet, ſi ſignificatio ultra dictum tempus protraheretur, diuque differretur fieri collatio, et proviſio à S. Sede.

23. Ob idque unanimiter doctores firmârunt, in ſequendo literam et mentem ejuſdem conſtitutionis, quod terminus quatuor menſium, in ea præſcriptus, ſtet, non tàm reſpectu epiſcoporum ſignificare, et ſcribere debentium, quam ut ſignificatio ipſa intra eundem terminum perveniat ad Datariam, et in ejus actis exhibeatur per præelectos in concurſu, ad hoc, ut quam citius fieri poſſit collatio, et proviſio parochialium, quodque hac ſignificatione non perducta nec præſentata à præelectis Summo Pontifici, aut ejus datario,

datario, intra hunc præfinitum terminum quatuor menſium, intret libera reſervatio *juxta conſtitutionem*, uſ in his terminis notant ſignanter *Pax Ford. lucubr. can. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 94. ibi—*Limita, quando electus ab epiſcopo ad parochialem, uti magis idoneus* NON PRÆSENTAT SUMMO PONTIFICI FIDEM EPISCOPI SUÆ APPROBATIONIS, ET PRÆELECTIONIS INTRA QUATUOR MENSES A DIE HABITÆ NOTITIÆ VACATIONIS NUMERANDOS, *quia cadit à ſua præelectione, et collatio libera pertinet ad Papam*—totidemque verbis *Gonſal. ad reg.* 8. *cancell.-gloſſ.* 6. *ſub num.* 130. *et* 131. ubi quod hic terminus quatuor menſium eſt præſcriptus ipſis præelectis, ad hoc, ut intra illum exhibere debeant ſignificatoriam epiſcopi ſuper illorum præelectione, *Pariſ. de reſignat. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 107. *Barboſ. de paroch. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 150. *et de epiſcop. alleg.* 58. *num.* 3. *et ſeq. et Rotta deciſ.* 481. *per tot. par.* 1. *diverſ.* Abſque eo, quod à domino ex adverſo ſcribente allegetur, vel allegari poſſit ullus doctor in contrarium.

24. Hæcque theorica indiſtincte procedit, etiam quoad loca, et regna longinqua, veluti pro quibus etiam edita fuit conſtitutio Piana per viam legis univerſalis, et pro quibus quoque valde congruus reputatus fuit, et reputatur idem terminus quatuor menſium ad ſignificandam præelectionem, ſtante quod concurſus intra decem, vel viginti dies à die vacationis parochialis abſolvi poteſt, et abſolvendus eſt ex decreto Concilii *in ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* et de ſervando hunc terminum etiam in locis longinquis, id eſt, in regnis Hiſpaniarum, reſpondit *Rott. in d. deciſ.* 48. *par.* 1. *diverſ.*

25. Et quamvis idem terminus non currat legitime impeditis; hoc tamen impedimentum ab extra non juſtificatur in caſu, de quo agitur, imo non eſt juſtificabile, ſtante quod ex ipſis literis ſignificatoriis reverendiſſimi epiſcopi Pharaonen. datis *in contrario ſumm. num.* 4. habetur, concurſum fuiſſe abſolutum *die* 12. *menſis Februarii*, quodque, pro tranſmittenda, et exhibenda in Dataria ſignificatione præelectionis, adhuc ſupererant tres menſes, et decem dies, quando ad hunc effectum exuberant 45, vel ad ſummum 50 dies, ut liquet ex *præſenti ſumm. addit. num.* 2. nec adverſarius juſtificat, prout juſtificare teneretur, interceſſiſſe in hoc intermedio tempore aliquam extraneam, et extraordinariam cauſam, ſeu impedimentum, quod retardare valuiſſet perventum hujuſmodi ſignificatoriæ.

26. Nimiſque frivolæ, et affectatæ ſunt excuſationes adductæ in *contraria informatione*, § 25. *et* 26. vel mala ſcilicet valetudo epiſcopi, vel ejus abſentia à loco parochialis, occaſione viſitandi diœceſim, vel rumor, qui invaluerat præexiſtentis reſignationis; cum eæ conſiderabiles eſſent, ubi in cauſa fuiſſent non facti concurſus; ſed cum, iis non obſtantibus, concurſus ſtatim indictus, et abſolutus fuerit intra 20 dies poſt obitum reſignantis; id eſt, ſub *die* 12. *Februarii* 1742. nulla amplius erat figurabilis cauſa, nec ullum allegabile impedimentum, quominus ſtatim epiſcopus ipſe, quamvis exiſtens in viſitatione, vel ſuus vicarius generalis, in eodem menſe Februarii ſcriberet, atque tranſmitteret literas ſignificatorias ad Datariam, ut conſideranti patet.

27. Ad comprobandum, quod conſtitutio Piana in hac parte vigeat quoque in regno Portugalliæ, dedimus nos *in noſtro ſummario*, *num.* 10. ſeriem plurium impetrationum expeditarum juxta *conſtitutionem*; contra quas perperam opponit *contraria informatio*, § 25. eas conceptas fuiſſe *pro approbato in concurſu*, vel ex aliis diverſis titulis, ut ex ſuo *ſumm. num.* 10. ſive quia eæ, quæ dantur in hoc *ſummario partis*, percutiunt dumtaxat poſtrema exempla; ſed non plura alia anteriora enumerata in *dicto noſtro ſumm. num.* 10. ſive etiam quia contrarium *ſummarium* detegitur alteratum, et mutilate extenſum, ex fide D. ſubſtituti, de qua in *præſenti ſumm. addit. num.* 3. quippe ex qua habetur, prædictas impetrationes nullatenus factas fuiſſe *pro approbato in concurſu*, ut male ſibi figurat D. ex adverſo ſcribens, *ſed juxta conſtitutionem*; ſolumque inibi dicitur, quod impetratores *erant approbati ad curam animarum*; longe autem diverſum eſt, eſſe eſſe *approbatum ad curam animarum, ac approbatum, et præelectum in concurſu*, ut notum eſt ſapientiſſimis patribus.

28. Neque demum obſiſtit, quod in dicta prima ſupplicatione adverſarii expreſſus fuiſſet dies obitus rectoris, ex quo recte concipere poterat eminentiſſimus prodatarius, an collatio facienda foret juxta primam partem conſtitutionis, id eſt, *pro approbato in concurſu*, vel juxta ſecundam partem, id eſt, *juxta conſtitutionem*; inde inferendo pars adverſa, in § 27. illud dilemma, vel quod nimirum eadem ſupplicatio data, et ſignata fuerit juxta ſecundam partem, vel quatenus data, et ſignata fuiſſet juxta primam, adhuc ſubſiſtere debeat, non obſtante lapſu termini, veluti qui jam notus erat, eſſeque debeat eminentiſſimo prodatario ob expreſſum diem obitus rectoris.

29. Nam hoc ratiocinium, et reſpective dilemma, corruit in ſuppoſito, ob rotundum factum partis adverſæ, quæ dictam ſuam ſupplicationem porrexit juxta primam partem conſtitutionis, id eſt, *pro approbatu in concurſu*, et ex hoc unico capite ea ſignata extitit, ut liquet ex ejus ſummariolo, de quo in *præſenti ſumm. addit. num.* 1. ſicque ruit prior pars dilemmatis: corruit etiam ſecunda, quia, licet in ſupplicatione expreſſus fuerit dies obitus rectoris, *ſubticitus tamen fuit dies exhibitæ ſignificatoriæ epiſcopi*; nec propterea ex tenore ejuſdem ſupplicationis concipere poterat eminentiſſimus prodatarius, quod ſignificatoria exhibita fuerat longe poſt expiratum terminum quatuor menſium; et conſequenter ceſſat ejus præſumpta voluntas, quod concedere voluiſſet gratiam *pro approbato in concurſu*, non obſtante hoc lapſu termini; cum ad hujuſmodi odioſum effectum opporteret juſtificari, quod Papa, ſeu ejus eminentiſſimus prodatarius, habuiſſet certam ſcientiam hujus lapſus termini, quod amplius non intrabat gratia pro *approbato in concurſu*; quodque, non obſtante defectu hujuſmodi, adhuc gratiam concedere voluiſſet cum derogatione conſtitutionis Pianæ, quæ de cætero deficiebat in eadem ſupplicatione; et neceſſarium fuiſſet, ut ea expreſſe apponeretur, ut communiter notant *Gonſal. ad reg.* 8. *cancell. gloſſ.* 36. *num.* 63. *Piton. de contr. patron. alleg.* 95. *num.* 21. *et Rotta in rec. dec.* 407. *num.* 6. *part.* 3. *et dec.* 54. *num.* 31. *par.* 13. et in individuo ſic ad hoc objectum repoſitum in expreſſione diei obitus rectoris reſpondit eadem *Rotta in Colonien. paſtoratus*, 4. *Decembris* 1697. § Procedendo, *cor. cl. me. Card. Priolo*, et latius *in Colonien. parochialis*, 9. *Maii* 1732. § Quandoquidem, *et ſeq. ac per tot. coram eminentiſſimo D. Card. Calcagnino.*

Quare, &c.

NICOLAUS CUCCOVILLUS Adv.

PETRUS DE CLEMENTINIS.

SUMMARIUM ADDITIONALE.

Num. 1. *Summarium primæ contrariæ ſupplicationis reſtrictum ad ſolum titulum aſſertæ præelectionis habitæ in concurſu.*

PHARAONEN.

PArochialis per obitum de Januario proxime præterito vacans 80, cum incertis 160, ſcilicet pro Franciſco Monteyro Caſtelbianco preſbytero in *concurſu approbato*, licet quidam aſſertus preſbyter de illa apoſtolica auctoritate nulliter proviſus illam indubite aſſequi prætendat, ſeu jam forſan indebite detineat occupatam.

Num. 2. *Teſtes probantes, quod teſtimoniales diœceſis Pharaonen. regulariter venire ſolent ad urbem intra quinquaginta circiter dies.*

NOI ſottoſcritti facciamo piena, ad indubitata fede a chiunque ſpetta, anche mediante il noſtro giuramento, qualmente le lettere, che provengono dal regno dell'Argarve Pharaonen. diœceſis, ordinariamente conſumava di tempo per venire à Roma fino à giorni quarantacinque in cinquanta, ſecundo le circoſtanze de tempi, che incontrano i corrieri ordinarii,

rii, che paſſano, et in fede la preſente, &c. queſto di 17. Settembre 1743.

Emanuelle de Moura Bravo V. Boa, &c.
Marius de Villegas Vilhena.

Num. 3. *Officialis Datariæ teſtatur expeditiones à nobis indicatas, datas fuiſſe juxta conſtitutionem; evincitque inſubſtentiam eorum, quæ dantur in contrario* ſumm. num. 10.

EGO, infraſcriptus officii vacationum per obitum Datariæ Apoſtolicæ ſubſtitutus, teſtor, qualiter in libris intitulat. *Per obitum*, in dicto officio exiſten. et in quibus omnes et ſingulæ collationes beneficiorum regiſtrantur, reperiuntur infraſcriptæ partitæ, videlicet—De anno 1739.—Colimbrien.—Vicaria perpetua parochialis S. Pauli oppidi de Macans Donnæ Mariæ Colimbrien. diœceſis nominationis, ſeu collationis nonnullorum patronorum eccleſiaſticorum per obitum Emmanuelis Henriques canonico extra de reſervato, ſede epiſcopali vacante, vacans, *et juxta conſtitutionem S. Pii* V. *reſervata* 24, cum incertis 100 duc. ſuper qua lis inter priorem, et canonicos regulares monaſterii S. Salvatoris de Gryo Portugalen. congregationis canonicorum regularium S. Crucis Colimbrien. civitatis, vel diœceſis, et capitulum eccleſiæ Colimbrien. poſt vacationem orta pendet indeciſa pro Emmanuele Teixeira preſbytero ad curam animarum approbato cum commiſſione viciniori, attenta lite—Item de anno 1740.—Pharaonen.—Parochialis prioratus nuncupata S. Jacobi oppidi civitatis nuncupat. Balſenſis Pharaonen. diœceſis per obitum Joannis Carvalho da Cuna extra de Martio proximo præterito, ſede epiſcopali vacan. vacans, *et juxta conſtitutionem reſervata* 24, cum incertis 95 duc. pro Alvaro Nobre Rua preſbytero *approbato ad curam animarum* — Item eodem anno—Portugalen.—Parochialis abbatia nuncupata S. Joannis de Canellas toparchiæ de Feira Portugalen. diœceſis nominationis capituli, et prioris collegiatæ Cedofeitæ dictæ diœceſis per turnum per obitum Benedicti Homen de Afonceca extra de Januario vacans, *et juxta conſtitutionem S. Pii* V. *reſervata* 240, cum incertis 315 duc. pro Dominico Ribeiro preſbytero nomini baccalaureo confeſſario à priore prætenſo tùrnario nominato, licet quidam Dominicus Lopes Nugueira aſſertus preſbyter à capitulo præfato in turno exiſtere prætendente nulliter nominatus illam inhibite aſſequi prætendat, lite ſubinde inter oratorem ex una, et promotorem fiſcalem ſuper jure conferendi dictam parochialem poſt vacationem mota indeciſa pendente—Item de anno 1741.—Pharaonen.—Parochialis prioratus nuncupata in collegiata civitatis nuncupat. de Sylvas Pharaonen. diœceſis per obitum Joſephi Pacheco Soares extra, *à quatuor menſibus, et ultra*, ſede epiſcopali tunc vacante, vacans, *et juxta conſtitutionem S. Pii reſervata* 60, cum incertis 100 duc. pro Joſepho da Sylva Barriga preſbytero *ad curam animarum approbato*, cum decreto vacationis ſimplicis in dicta collegiata cum onere coadjuvandi parochum obtenti—Item eodem anno—Bracharen.—Parochialis abbatia nuncupat. S. Petri de Cerze dello Bracharen. diœceſis per obitum Antonii da Sylva extra, à ſex menſibus, et ultra, ſede archiepiſcopali vacante, vacans, *et juxta conſtitutionem S. Pii* V. *reſervata* 226 duc. et jul. 15, cum incertis 248 duc. pro Melchiore Pereira de Caſtro clerico, in concurſu approbato, licet moniales cujuſdam monaſterii dictam parochialem eidem monaſterio unitam exiſtere, et ad illam nominare prætendant, cum decreto, quod ſi unio dictæ parochialis favore ſupradicti monaſterii prorogetur, illa morator reſignare, ſeu cedere non poſſit, niſi favore ejuſdem monaſterii. Cum penſione eventitia 100 ſcut. ut in libro penſionum—Item eodem anno—Elven.—Parochialis prioratus nuncupat. S. Petri civitatis Elven. per obitum Joannis Solteiro extra *à quatuor menſibus, et ultra, vacans, et juxta conſtitutionem reſervata* 40, cum incertis 120 duc. pro Emmanuele de Baſtos preſbytero ad curam animarum, necnon ad confeſſiones approbato—Quod quidem teſtimonium ad hoc, ut ubique fidem faciat, propria manu ſubſcripſi, ſigilloque eminentiſſimi et reverendiſſimi domini Cardinalis Aldrovandi Sanctiſſimi D. N. D. Benedicti Papæ XIV. feliciter regnantis, prodatarii, de ejus mandato munivi, hac die 18. Septembris 1743.

Dominicus Bonomi ſubſtitutus, ut ſupra.

Loco ✠ ſigni.

VI. Pharaonen. Parochialis.

Eminentiſſime et Reverendiſſime Domine,

1. REſervatis iis, quæ à facto in contrario reſtrictu expoſito nominatim forent expungenda, ad merita præſentis reſponſionis, tuto repetimus, ſupplicationem porrectam pro parte R. D. Franciſci Monteyro Caſtelbranco principalis, tanquam æquiſſimam, juſtam, et juribus parochialibus cohærentem, omnino fore relaxandam, retenta alia ſupplicatione exhibita ex parte adverſarii, ad formam decretorum per eminentiſſimum dominum alias fact. æquivocare enim videtur contrarius reſtrictus in ea parte, in qua proponit ideatam calumnioſam qualitatem dictæ noſtræ ſupplicationis, quam vocat impetrationem, exinde deducendo ſtylum Datariæ in retinendis hujuſcemodi ſupplicationibus; eidem namque noſtræ ſupplicationi perperam impingitur nomen, quod congruit ſupplicationi contrariæ: nam ſi advertatur, ut par eſt, ad perſpectiſſimum conciliare jus demandans in proviſione parochialium, indictionem concurſus, et collationem præelectis in eodem concurſu, utpote dignioribus, faciendam, quibus ſane qualitatibus præpollet R. D. principalis, noſtra profecto ſupplicatio dicitur gratia principalis eidem Conciliari diſpoſitioni conſona, non autem impetratio, minus juſte ex adverſo deprompta à reſignatione undique nulla, multiplicibuſque defectibus inſubſiſtenti, in contrarium reportata; data etenim d. reſignationis nullitate, jus, et beneficii poſſeſſio nunquam abdicata dicitur à reſignante, idemque beneficium non per reſignationem, ſed per obitum vacat, ut advertunt *Pariſ. de reſignat. lib. primo, quæſt.* 3. *num.* 8. *Rott. poſt poſth. de manuten. dec.* 354. *num.* 5. *et in recent. dec.* 635. *num.* 8. *et* 9. *part.* 3.

2. Vacante itaque per obitum parochiali, illico exinde conſequitur noſtræ gratiæ ſoliditas pro præelecto in concurſu: unde ſtricte reſpondendo contrariis illis propoſitionibus, quibus renuntiatio ipſa ſuſtineri contenditur, profecto potiſſima ejuſdem renuntiationis nullitas ſiſtens in conſenſu perperam præſtito poſt certiſſimam notitiam obitus reſignantis, non tollitur ex auctoritatibus ex adverſo citatis ad probandum, quod fieri debeat retrotractio ad diem præſentatæ, dum vivebat reſignans; ultra enim quod eædem auctoritates locum ſibi non vindicant, quando, prout hic, aderat in procuratore certitudo obitus reſignantis, deficiebatque bona fides quæcunque, ut in noſtra informatione probavimus à § 9. ad 10. verificata tamen, per falſam hypotheſim, etiam bona fide in d. procuratore, nulla fieri poterat retrotractio ad diem præſentatæ, nullam præ ſe ferentis certitudinem conſenſus, ut late probavimus, enucleando modernum Datariæ ſtylum in eadem noſtra informatione, § 11. et 12. additis quoque effectivis demonſtrationibus omnimodæ deficientiæ primævi conſenſus ejuſdem reſignantis elici ex mandato procuræ, ab ipſo unica vice exarato, quove prodiit præſentata; nam quoties opus fuit explicata epiſtola ejuſdem reſignantis, non ſcripta motu ſuo, ut ſupponit factum in contrario reſtrictu enarratum, ſed reſponſiva difficultatibus emerſis in conceſſione prætenſæ gratiæ, à procuratore notificatis, alioque conſenſu licet inutiliter præſtito à reſignatario, pariter opus fuit, conſequens neceſſarium fit, ut iſtiuſmodi conſenſus operari non valuerint extunc, à die ſcilicet præſentatæ, ad quam fieri potuerit retrotractio, ſed exnunc, et à tempore præſtationis eorundem conſenſuum, ut in individuo eſt *gloſſ. fin. in cap. penult. de ſupplend. negligent. prælator.* aliaque jura relata per *Mandoſ. in regul.* 22. *cap.* 19. *num.* 3. ibi—*Accedit, quod conſenſus in beneficialibus requiſitus, poſtea præſtitus, facit, ut valeat actus, prout exnunc, non autem prout extunc.*

3. Hæc igitur nullitas, prorſus inevitabilis, exuberaret ad oſtendendum contrariæ reſignationis nullitatem; et ſuperfluum videri poſſet de aliis deficientiis

ultro

ultro diſceptationem inſtituere: æquo tamen jure ſubſiſtunt etiam aliæ nullitates, et præſertim illa deprompta ex inadimplemento mandati in ea parte, in qua mandans volebat reſervationem ratæ penſionis, favore ejus ſororis monialis, cum clauſula—*Non alias, aliter, nec alio modo*—quæve clauſula fruſtra aptari vult beneplacito apoſtolico, quando informat totam periodum, et conſenſum reſignationi præſtitum modificat; quemadmodum namque mandans reſignationi conſentit ſub hac præciſa lege, et conditione, et non alias, unde nil humanæ fidei, et honeſtati, magis congruum eſt, quam pacta ſervare, ut inquit *Vulpian. in leg.* 1. *ff. de pact.* ita poſſibile non eſt, ut Pontifex abſoluta ſua poteſtate, et abſque urgentiſſima cauſa, voluerit pactum diſſolvere contra ea, quæ communiter advertunt *canoniſtæ in cap.* 1. *de probation. et Felin. in cap.* Quæ in eccleſiarum, *de conſtitution.* Veritas tamen eſt nos loqui de ſubjecto non ſupponente: nam licet contraria opinio forſan ſit verior, ut refert ipſe *Pariſius* in contrarium citatus *de reſignat. beneficior. quæſt.* 17. *num.* 19. inquiens—*Quo caſu, ſi fructus non reſervantur, reſignatio eſt nulla ex defectu conſenſus, ut fuit reſolutum in una Zamoren. parochialis, cor. R. P. D. Giptio, die* 28. *Maii* 1586.

4. Quando tamen etiam procedendum foret cum opinione contraria, ut ſcilicet valeat procurator conſenſum præſtare, etiam non admiſſis à Papa ipſius reſignationis conditionibus, procurator exponere debet eaſdem conditiones Pontifici in ſupplicatione, ut probat ipſemet *Lotter. de re benefic.* pariter in contrarium citatus, *lib.* 3. *quæſt.* 17. *ſub num.* 38. ibi—*Modo executus fuerit mandatum, porrigendo ſupplicationem ruditer conceptam ſub illa conditione*—ultraque expreſſionem in ſupplicatione faciendam tenetur etiam idem procurator omnes adhibere diligentias pro approbatione conditionis, ut probat *Pariſ. loco ſuperius citat. ſub num.* 22. ibi—*Si vero nullam diligentiam fecit, tunc reſignatio eſt nulla ex defectu poteſtatis procuratoris:* et rurſus, *num.* 23.—*Fuit reſolutum reſignationem nullam, quia exceſſit fines mandati; nam non conſtabat de diligentia facta pro reſervatione fructuum obtinenda.* In quibus caſibus nos adamuſſim verſamur: in ſupplicatione enim porrecta per dictum dominum procuratorem, et legenda *in contrario ſummario, num.* 3. nec minima facta conſpicitur mentio de dicta conditione, nec aliæ juſtificantur diligentiæ adhibitæ ad illam obtinendam: unde impoſſibile propemodum redditur, quod Papa noluerit admittere conditionem eidem non expreſſam, ut benigne animadvertere rogamus.

5. Hincque patet reſponſio ad aliam ſubalternam contrariam difficultatem, quod nempe facta mentione in mandato procuræ de beneplacito apoſtolico, cenſeatur reſignans eidem beneplacito alligatus, ita ut eadem voluerit, quæ Pontifici admittere libuerit: nam quando, prout ſuperius demonſtravimus, volitæ conditiones expreſſæ non conficiuntur Pontifici, eadem recurrit ratio mox expenſa; ejuſque non admiſſio certo certius trahi non valet ad ignorata. Quod vero attinet ad malam valoris expreſſionem, illam vitiare gratiam reſignationis, firmavimus in noſtra informatione, § 17. *et ſeq.* quæve nullitas fruſtra evitari contenditur ex adverſo ſub prætextu, quod majoris valoris expreſſio nullum intulerit præjudicium reſignanti, quoniam inapplicabilitas auctoritatum ex adverſo in propoſito citat. reipſa reſultat, imo ex ratione in contrarium adducta, ut ſcilicet præjudicium non verificetur, ex quo reſignans obierit, et rectoria conſtituta reperiatur in ſtatu libertatis; idipſum enim contrariam inficit propoſitionem: nam pars adverſa, cui optime innoteſcebat reſignantis obitus, poterat ampliſſimam reſervare penſionem cum cerebrina valoris expreſſione, utpote verſans in perſpicua certitudine, quod penſio hæc ſolvenda non erat, utpote collata in caſum impoſſibilem, ſtante prædicto reſignantis obitu, dum de cætero, ſi ipſe reſignans vixiſſet, advertiſſet certe ad maximum reſignatarii præjudicium, cui longe minuebatur congrua conciliaris, et concordatorum Portugalliæ: utcunque tamen res ſe habeat, valoris expreſſio facta contra formam mandati, importat patentem ejuſdem mandati exceſſum; implicat defectum conſenſus; et poſtquam quæſitum eſt jus D. principali, ille rite recteque potuit, et poteſt, opponere nullitatem præfatam, potiſſima illa ratione, quam tuentur auctoritates in eadem noſtræ informatione citatæ ſub § 17. quod, ſcilicet, ob malam valoris expreſſionem, reſignatio nulla remanſerit, et jus, atque poſſeſſio nunquam à reſignante abdicata remanſerit.

6. Subſiſtit etiam alia nullitas deſumpta ex intrinſeca qualitate mandati procuræ, quo procuratores ſimultanee deputati extiterunt tam D. Lopez Roſa, quam D. commendator de Gama; unde nequierat unus tantum conſenſum præſtare, non obſtante animadverſione ex adverſo facta in illis verbis—*E ciaſcheduno di eſſi*; ac ſi exinde colligatur, disjunctas fuiſſe facultates, et cuilibet ex procuratoribus ſolidaliter tributas: ultra enim quam quod argumentum diſcretivæ jam ſatis ſuperque indigitat, quid ſenſerint partes in primo mandato procuræ, dum in ſecundo facto per reſignatarium clariſſime explicatæ noſcuntur claritates ſolidales, ſignum ſane evidentiſſimum, id non comprehendi in primo mandato; pauliſper tamen ſubſiſtendum eſt ſuper vera intelligentia dicti verbi—*E ciaſcheduno*—correſpondentis Latino verbo—*Unuſquiſque*—quæ dictio eſt univerſalis, ut *Cicer. pro Font.*—*Movetur eo tempore, quo unuſquiſque noſtrum, cum in eum locum productus eſt*; ſicque non disjungit, ſed univerſitatem ipſam copulat, præſertim ſi inhærent certæ denominationi, ſeu nomini; unde *Boccac. in Philocop. lib.* 5.—*Manifeſta coſa è, che ciaſcun vomo ne ſuoi ſonni veggia mirabili coſe, impoſſibili, e ſtrane: et Petr. par.* 1. 82.—*E coſi auvien, che l'animo ciaſcuna—Sua paſſion ſotto il contrario manto—Ricopre con la viſta or chiara, or bruna*—Quibus ſane patet, verbum prædictum, licet uni applicabile, copulare tamen univerſa nomina, quibus addicitur; idemque eſt, ac ſi in caſu dictum fuiſſet, unumquemque ex ipſis ſimul, ac juxta mandati formam.

7. Unde patet inapplicabilitas *deciſ. Put. la* 98. in contrarium citat. quæque diverſiſſima eſt, utpote conſiderans verba illa—*Et gratum quicquid ab eis, ſeu altero eorum, factum geſtumve fuerit*—quæ erat disjunctiva clariſſima, id quod nullatenus congruit, nec aptatur noſtro caſui; firmumque proinde remanet inadimplementum mandati per unum tantum ex procuratoribus, citra impartitas facultates, ad effectum perducti. Iſtaque omnia concernentia clariſſimam invaliditatem factæ expeditionis juxta reſignationem, bene agnoſcit contrarius reſtrictus, ubi admiſſa, licet per modum hypotheſis, ejuſdem reſignationis nullitate, digreditur *ſub* § 19. ac ideatam contrariam impetrationem, ſeu ſupplicationem cumulativam alterius, licet diverſi, et contrarii tituli *juxta* conſtitutionem. In hac tamen parte, gradum primo loco ſiſtere debemus in illa facti circumſtantia in contrarium animadverſa, quod, ſcilicet, rev. epiſcopus Pharaonen. de vacatione, per obitum ſecuta ſub die 15. Januarii, illico notitiam habuerit, convocaveritque concurſum, quibus perſtringitur ipſum quadrimeſtre in Piana conſtitutione præfixum. Vacata namque parochiali ſub dicta die 15. Januarii, nemo parti adverſæ revelavit, a quo tempore ſupervenerit vacationis notitia eidem reverendiſſimo epiſcopo; et ad ſummum ejuſdem notitiæ certitudo haberi poterit à die publicati edicti pro concurſus convocatione; cumque coactus extiterit die 12. Februarii, ſupputatis 20 diebus antea pro tempore de more præfixis, notitia ſupervenire non potuit, niſi die 23. Januarii, et in conſequens terminari quadrimeſtre ſub die 23. Maii; cum certiſſima ſit propoſitio, ut tempus hujuſmodi currat non à die vacationis, ſed à die notitiæ, ad *text. in cap.* Quia diverſitatem, *de conceſſ. præbend.* aliaque jura relat. per *Rott. ex adverſo cit. dec.* 481. *n.* 1. *par.* 1. *diverſ.*

8. Hac igitur retenta veritate facti, non videtur dici poſſe, quod parochialis, de qua agitur, unquam reſervata fuerit Sanctæ Sedi juxta conſtitutionem Pianam; quia, ut in noſtra etiam informatione notavimus, concurſus convocatus extitit intra tempus habile, et acta tranſmiſſa fuerunt ſub datum die 6. Maii, et ſic per decem et ſeptem dies, antequam laberetur quadrimeſtre. Vel igitur attendamus literam conſtitutionis, aut ſpiritum, et rationem illius, nil videtur imputari poſſe prælaudato reverendiſſimo epiſcopo, ſuoque præelecto in concurſu; verbum enim *Significaverit*, quo uſa fuit conſtitutio præfata, æque con-

gruit notitiæ effective ſuperventæ, ac ſcriptioni epiſtolæ ad illam porrigendam, ut *Cicer. ad Attic. lib.* 1. —*Ac ne illud mirere, cum ego antea tibi ſignificarem per literas, me ſperare, illam in noſtra poteſtate fore*— Adeoque epiſtola ſignificatoria intra tempus ſcripta, dataque, conſequens exinde eſt, ut quod attinet ad epiſcopum, jam ille intra tempus concurſum ſignificaverit Sanctæ Sedi; quod autem extra terminum huc ſupervenerit concurſus, exhibituſque extiterit in Dataria die 25. Junii, non alterat profecto notitiam ipſam, ſi conſideretur, ut par eſt, quod epiſtola è civitate Pharaonen. Liſbonam prius tranſmittenda, exinde tranſvehenda erat ad urbem, tanta in locorum longinquitate, et notiſſima itineris difficultate, ut mirum non ſit, quod huc pervenerit tempore præfato, dum tamen, juxta literam conſtitutionis, exuberare videtur ſcriptio ejuſdem epiſtolæ intra tempus.

9. Fortius, ſi attendamus mentem, et ſpiritum ejuſdem conſtitutionis proditæ in odium epiſcopi negligentis ſignificare concurſum coactum, et præelectionem in illo ſecutam, ut tradunt *Franc. in cap.* Statutum, *de præben. in* 6. *Garz. de benefic. part.* 10. *cap.* 2. *num.* 16. adeoque, ſi in caſu, ut vidimus, in nihilo fuit negligens reverendiſſimus epiſcopus, tam, ſcilicet, in convocatione concurſus, quam in conſcribendis literis ſignificatoriis, ante quadrimeſtris decurſum, nequit in conſequens eidem objici reſervatio exigens pro fundamento negligentiam, in caſu nullatenus verificatam, aut verificabilem; etiamſi dicat pars adverſa potuiſſe eandem literam conſcribi paulo poſt diem 12. Februarii, qua concurſus convocatus extitit; cauſa enim potiſſima ſecutæ retardationis fuit eadem pars adverſa, quæ continuo muſſitabat ſuper reſignatione ab ipſa reportata; cumque hæc pervenerint ad aures præfati reverendiſſimi epiſcopi, debuit ipſe perneceſſe informari de qualitatibus ejuſdem renuntiationis, et an rite recteque eadem facta extitiſſet, ut pandit ejus epiſtola, quam dedimus in *ſummario informationis, num.* 5. ſcripta ſub die 3. Maii, ſicque in tempore proximo adſcriptionem alterius epiſtolæ ſignificatoriæ, poſtquam ſe informaverat de qualitatibus omnibus peractæ reſignationis, quodque tempus certiſſime ſupputandum eſſet à quadrimeſtri, quoties pendebat controverſia ſuper jure ipſo convocandi concurſum, ut probant *Federic. de ſen. conſ.* 232. *Lambertin. de jure patr. par.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 2. *Garzias de benefic. par.* 10. *cap.* 2. *num.* 19.

10. Quibus ſi addamus impedimenta perſonalia ejuſdem reverendiſſimi epiſcopi, præſertim ex contingentia viſitationis, et malæ valetudinis, quæ ipſemet refert in dicta ſua epiſtola, apertiſſimum redditur, quod eidem tempus currere non valuit, utpote impedito, prout in ſimili, de ſemeſtri conceſſo ad conferenda beneficia ſunt textus expreſſi in cap. *Quia diverſitatem, de conceſſ. præbend. et in cap. fin. de electionibus, et in Clementin. unic. de ſupplen. negligen. prælator.* res tamen tranſit abſque controverſia, quando, prout hic, agitur de parochialibus regni Portugalliæ, in quibus receptiſſimus eſt Datariæ ſtylus conſtans ejuſdem Datariæ officialibus, non attendendi dictum tempus quadrimeſtre in præfata Piana conſtitutione præſcriptum, vel ob longinquitatem locorum, et navigationis difficultatem, aut quacunque alia ratione, quæve conſuetudo, aut ſtylus, fruſtra ex adverſo impugnatur ratione petita à regulis generalibus præſcribentibus obſervationem canonum, legumque conciliarium in toto Chriſtiano orbe. Conſuetudo enim eſt quid facti, non juris; et ſemel admiſſa, ac obſervata in magiſtratu, ſeu tribunali ipſius principis, fruſtra revocatur in dubium; iſteque non eſt primus caſus admittendi contrarias conſuetudines, extendendo tempus adverſus conſtitutiones apoſtolicas, præſertim ſuper publica reſignatione beneficiorum, et extenſione conſenſuum, quoad beneficia exiſtentia ultra montes, ut teſtatur *Pariſ. de reſignat. benefic. lib.* 8. *quæſt.* 8. *num.* 137.

11. Quibus prænotatis, etiamſi per negatam hypotheſim dici poſſet, quod in caſu locum ſibi vindicaret ſæpedicta Piana conſtitutio, adhuc verſamur penitus penituſque extra difficultatem ex adverſo propoſitam; quia noſtra ſupplicatio anterior in data, præſentataque ſub die 25. Junii, continet etiam in litera reſervationem juxta conſtitutionem; hocque ſignato titulo petita fuit, ut recognoſcere ſupplicamus ex lectura dictæ ſupplicationis relatæ in ipſomet *contrario ſummario, num.* 5. quibus in terminis theoriæ omnes ex adverſo relatæ ad probandum, quod ex uno, eodemque titulo non ſolet Dataria binas gratias diverſis concedere perſonis, quodque ſemper attendatur, et relaxetur ſupplicatio anterior in data, omnes profecto noſtrum propugnant aſſumptum, quia ex eodem titulo, ſcilicet juxta conſtitutionem, relaxari nequit noſtra ſupplicatio, aliaque ſimilis D. adverſarii; ſed ſupplicatio ex parte principalis porrecta, et anterior in data, unice juxta contrarias auctoritates relaxari promeretur. Id quod optime prænoſcens contrarius reſtrictus, ut difficultatem evitet, non quidem à jure, ſed à facto provenientem, ſupponit primam noſtram ſupplicationem derelictam fuiſſe per ſecundam, in qua à prima receſſum fuerit; ſed ultra quam quod prætenſus iſte receſſus nullatenus verificatur, iidemque ſunt tituli primæ, et ſecundæ ſupplicationis.

12. Adhuc tamen ad memoriam revocare ſupplicamus notiſſimam illam regulam, qua cautum habemus, ut quouſque non ſit regiſtrata, et auſcultata ſupplicatio, reſidet ſemper in facultate ipſius ſupplicantis, ex pluribus ſupplicationibus unam ſeligere, reformare, minuere, augere, cæteraque ſibi bene viſa peragere, prout teſtantur *Pariſ. de reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 24. *nu.* 7. *Sarnen. in reg. de jur. quæſit. quæſt.* 20. *in fin. Gonſal. gloſſ.* 15. § 2. *num.* 33. *Garz. de benefic. part.* 4. *cap.* 2. *n.* 16. cæteriſque relatis per *Roſ. de execut. lit. apoſtol. part. prima, cap. primo a num.* 62. *ad ſeqq.* adeoque, ad tramites iſtius notiſſimæ regulæ, dubium non eſt, quin uti valeamus, prout utimur, prima ſupplicatione porrecta die 25. Junii, nullatenus curata ſecunda ſupplicatione, quæ remanet poſterior alteri ſupplicationi partis adverſæ. Cæterum inauditum eſt, ut quando, prout in caſu, adeſt præelectus in concurſu, ipſaque acta concurſus, ſeu litera ſignificatoria exhibita reperitur, et admiſſa, exaudiri ſubinde queat, vel admitti alia ſupplicatio adverſus præelectum in eodem concurſu, ratione ſane convincentiſſima: nam eatenus impetrationes admittuntur, quatenus præjudicata non remaneat S. Sedes à collatore ordinario, qui forſan aut conferat beneficia reſervata, vel affecta, vel differat proviſionem adeo urgentem eccleſiarum parochialium; ſed quando, prout in caſu, præelectus ipſe comparet, exhibetque concurſum, et provideri petit à Dataria, cui competit pro illa vice collatio, tunc certo certius ejus jura non fraudantur, non differtur proviſio eccleſiæ parochialis, nullaque concurrit ratio, cur admitti debeat gratia piſcatoria, ſeu impetratio; præſertim in caſu, quo jam præſtita reperitur noſtra cædula bancaria, ut teſtari poterit illuſtriſſimus D. per obitum.

13. Omittimus ideo alias parare reſponſiones cæteris contrariis objectionibus unice pendentibus à prædicto inſubſiſtenti facti principio, quod nempe contraria ſupplicatio juxta conſtitutionem concepta ſit anterior in data, quando, ut reſultat ex ipſomet contrario *ſummario*, noſtra ſupplicatio eſt anterior fere per menſem, continetque eundem titulum *juxta conſtitutionem*, et ulterius qualificatur inſigni illa prærogativa præelectionis in concurſu, adeo æſtimabili in conferendis parochialibus ad præſcriptum Concilii Tridentini, ipſiuſque conſtitutionis S. Pii V. ulteriuſque à lectura ejuſdem ſupplicationis profligatæ remanent difficultates in contrario reſtrictu ſubalternantes ſuper prætenſa noſtra reſtrictione ad defectum mandati procuræ, et ſimilia: ultra enim quod auctoritates in contrarium citatæ loquuntur in caſu, quo literæ apoſtolicæ ſint expeditæ ſub certo determinatoque titulo, contra illarum tenorem non alternando, id quod non procedit in ſimplici ſupplicatione, quæ, ut ſupra probavimus, ante illius regiſtrationem, et auſcultationem, poteſt ſemper corrigi, mutari, et ſuppleri; advertendum tamen eſt, quod in prima noſtra ſupplicatione, quæ unice ad præſens attendi debet, enarratur nullitas ejuſdem contrariæ reſignationis, quæ in conſequens proponitur ex quocunque capite, nec promeretur reſtrictionem illam ex adverſo implctam.

14. Quin ullam promereantur animadverſionem ea, quæ ſubnectuntur in contrario reſtrictu circa prætenſam

ſam principalis intruſionem, unde ipſe à toto genere cecidérit à jure ſuo: contraria namque aſſertio revera eſt ſomnium vigilantis: et væ D. principali, ſi ejus cauſa decidenda foret voto ipſius adverſarii, et literis ab eo ſcriptis! Poterat itaque propoſitiones ſibi bene viſas ſuo defenſori conſcribere; non tamen illi credendum eſt ad jura vulgatiſſima, et inutiliter recenſenda; fortius, quia in ipſa ſua aſſertione, quatenus etiam vera ſit epiſtola, quam non vidimus in actis productam, mendax deprehenditur, dum ſupponit, principalem reperiri in actuali poſſeſſione dictæ eccleſiæ parochialis vigore præelectionis in concurſu; illicoque ſubnectit habuiſſe in mandatis pro parte reverendiſſimi epiſcopi preſbyteros ejuſdem terræ, ſeu oppidi de Villanova de Portimao, et ædituum dictæ eccleſiæ, ne poſſeſſionem daret, aut permitteret domino adverſario; ſignum ſane evidentiſſimum, principalem in decantata poſſeſſione non exiſtere, quia tali caſu non ædituus, neque preſbyteri, ſed ipſe ſuam tutâſſet poſſeſſionem. In propoſito tamen intruſionis, dignentur advertere ad aſſertionem multo notabiliorem, quam facit reverendiſſimus epiſcopus fide digniſſimus in ſua epiſtola relata *in præſenti ſummario, in calce, num. unico*, quave elicitur adverſarium vere et realiter ſe intruſiſſe in poſſeſſionem, quodque pejus eſt, officio judicis ſæcularis; dum tamen, ut ipſemet fatetur in ſua epiſtola, lis erat ſub judice; et admiſſus fuerat D. principalis ad contradicendum; et hæc eſt vera intruſio, non ſolum ex actu nullo, pro cujus reſciſſione, ſeu declaratione, præſens verſatur inſtantia, ſed turbativo etiam eccleſiaſticæ juriſdictionis; unde auctoritates omnes in contrario reſtrictu citatæ adverſus prætenſum intruſum, contra partem adverſam, et quidem majoritate rationis, retorquentur.

15. Demum, ex quo epiſtola prædicta per dominum adverſarium conſcripta aliquam continere videtur conqueſtionem contra illuſtriſſimum dominum commendatarium Emmanuelem de Gama, ac ſi ipſe deficiens in demandato ſimultaneo munere procuratoris, noluiſſet conſenſum præſtare, ſuſtinens potius partes reverendiſſimi epiſcopi, cujus negotia curat hic in urbe, hinc neceſſarium duximus apud ſacrum ſpectabilemque hunc confeſſum rei veritatem explodere, quod nempe ſtatim ac eidem D. commendatori in comperto fuit obitus reſignantis, abſtinuit, ut debebat, ab ulla peragenda expeditione; hancque ſuam juſtiſſimam determinationem non ſolum ore tenus ſignificavit D. Lopez Roſa, ſed ulterius ſcripſit eidem adverſario in partibus; refutatoque procuratoris munere, mirum profecto non eſt, ut ſuas peregerit partes, prout tenebatur, cum reverendiſſimo epiſcopo: unde an redargui mereatur, necne, quiſque juſtitiæ obſecundans ſecum reputare valet: vel enim ejus renuentia conſideranda eſt in linea juſtitiæ; et juſtitia adamuſſim expoſtulabat, ut actui palliato manus et operam non admoveret: aut in linea amicitiæ; ac defendi poterat iiſdem verbis, quibus P. Rutilius Rufus adverſus amicum rogantem uſus fuit.

Quare, &c. PLACIDUS MAROTTUS.

SUMMARIUM.

Num. unico. *Copia di capitolo di lettera di monſignor veſcovo Pharaonen. ſcritta al ſignor commendatore Emanuelle Gama in data delli 8. Luglio 1743. tradotto dalla lingua Portugheſa nell' Italiana.*

INtorno alla raſſegna della chieſa di Villa Nova, già hò ſcritto a V. S. largamente nelli corrieri precedenti. Il raſſegnatario hà preſo poſſeſſo violentemente, eſſendoſi prevalſo del braccio ſecolare, ſtando pendenti le oppoſizioni del preeletto in concorſo al mandato de capienda poſſeſſione. Queſto è partito per Liſbona per appellarſi da una tal procedura, e ſpera di eſſer proveduto nel ſuo ricorſo, e frattanto verrà l'annullatoria, che ſpera da coteſta corte, &c.

Di V. S. Illuſtriſſima

Devotiſſimo Servitore,

I. Arciveſcovo veſcovo dell'Algarve.

VII. Deciſio tandem prodiit in favorem præelecti, cui nova bulla expedita eſt; et evenit quod ex ſequenti allegat. ſat deprehenditur.

ALLEGATIO LXXIII.

In Recurſu ab Executione Bullæ Præelecti.

SUMMARIUM.

I. *Proſequitur ſeries facti.*
II. *Cauſa hæc plene diſcuſſa, ac deciſa erat in curia.*
III. *Recurrens ex gravi vitio ſurreptionis ſubſtantialis, etiam ab hoc extrajudiciali judicio debebat repelli.*
IV. *Recurrens ſibimet contrarius præelecti bullam* nullam *accuſabat, quam quidem in clauſula ſibi favorabilem,* Salvis juribus, *validam prætendebat.*
V. *Ab executore, ſive mero, ſive mixto, modum non excedente, non admittitur appellatio ſuſpenſiva.*
VI. *Etiam independenter à clauſula,* Appellatione remota.
VII. *Quæ non de appellatione* frivola *dumtaxat, ſed etiam de* legitima *intelligitur.*
VIII. IX. *Ratio appellationis extrajudicialis, et defectus declarationis judicis* ad quem, *etiam effectum ſuſpenſivum excludebant.*
X. *Suppoſitis ſententiis illis de nullitate reſignationis, poterat executor de facto privare intruſum citra exceſſum, aut injuſtitiam.*
XI. *Imo, et abſque citatione, aut alio juris ordine, ſuppoſita notorietate juris et facti nullitatis.*
XII. *In facto notorio poteſt procedi ſine citatione.*
XIII. *Utraque illa notorietas ſufficiebat ad omnem violentiæ arguitionem evacuandam.*
XIV. *Clauſula,* amoto exinde, *per ſemetipſam formaliter excludebat appellationem ſuſpenſivam.*
XV. *Potiori jure, in caſu præſenti, ex ſpirituali parochianorum præjudicio, et nullitate ſacramentorum inſequenda.*
XVI. *Nec referebat clauſula* Salvis juribus.
XVII. *Quoad gratiam annullatam nil clauſula ipſa ſalvabat, aut reſervabat.*
XVIII. *Imo clauſula ea in bulla gratioſa.*
XIX. *Et per clauſulam* Omnibus anteferri.
XX. *Reſiſtentia juris, ſuppoſita ſententia, excludebat recurſum.*
XXI. *Uno verbo ſatisfiebat doctrinis ex adverſo.*
XXII. *Intruſus eſt manutenendus, quando abſolute auditus non fuit, et reſcriptum non eſt manu Pontificis ſignatum; ſecus aliter.*
XXIII. *Violentia, qua de facto recurrens, pendentibus impedimentis, et vi brachii ſæcularis, in poſſeſſionem ſeſe intruſerat, de facto revocanda veniebat.*
XXIV. *Non dabatur violentia notoria, à qua ſola patet recurſus.*
XXV. *Imo ex damnis ſpiritualibus tolerabilis erat quævis juris ordinis omiſſio.*
XXVI. *Præelectus in concurſu, juxta Trid. Concil. ſanctiones, protegendus erat à ſereniſſimo rege, ut ejuſdem Concilii expreſſo protectore.*

I. NOTIFICATUS intruſus ad comparendum coram executore ex vi clauſulæ *Vocatis vocandis*, et ab eo interrogatus, an aliud jus ad parœciæ illius adminiſtrationem haberet, præter jus ex reſignatione annullata ortum, et ex bulla vi illius expedita; et ipſo reſpondente, nullum jus habere, oſtenſa illi nova bulla præelecti, ut deliberaretur abſque judiciali ſtrepitu, juſto conſcientiæ ſcrupulo agitante, atque ſtimulante, ab intruſione, quam nova bulla palam declarabat, deſiſtere; ſupplicavit per libellum ſcriptum copiam ſibi bullæ iſtius exhiberi, cui executor detulit, ſine præjudicio executionis:

tionis: à quo deferimento appellans, et recepta appellatione in effectu devolutivo dumtaxat, gravamen ad regium coronæ judicium Ulixbonenſe interpoſuit: cujus recurſus ſupplicationis cum copia judici executori exhiberetur, ſequentem reſponſionem adjecit executor, illi allegationes, et totum proceſſum Romæ agitatum, et typis mandatum annectens, miſſo jam præelecto in poſſeſſionem eccleſiæ, amoto intruſo per ſententiam extrajudicialiter, illius præfata declaratione ſuppoſita, de non aſſiſtentia alterius juris præter illud reſignationis, nullius jam declaratæ; juxta formalitatem proceſſus, aut procedimenti ex ipſamet curia inſinuatam.

Responsio *ad* Recursum.

II. Igitur recurſus libello reſpondit judex executor, dicens, factum præſentis recurſus plene diſcuſſum Romanæ curiæ in judicio contradictorio reperiri, *partibus acriter allegantibus, et pluries pleniſſime auditis in voce, et in ſcriptis*, et triplici ſententia finaliter deciſum, et una illius per viam reviſionis, in ſpeciali congregatione à Sanctitate ſua, *vivæ vocis oraculo*, ad totam cauſam, ſententias, ac dubitationes emerſas plene examinandas, ſpecialiter deputata, et expreſſiſſime, ac ſpecialiſſime ad ultimam expeditionem novæ bullæ, quam recurrens, *via impetrationis*, ſibi ſolicitabat, poſt annullatoriam primæ virtute reſignationis nulliter expeditæ, ut aperte conſtabat ex annexis allegationibus, etiam procuratorum recurrentis, Romæ typis mandatis: qui quidem, procuratoris ſpeciali mandato, recurrentis ſecundam bullam, *via impetrationis*, ideo conſequi curârunt; quia palam agnoverant, primam, *via reſignationis* obtentam, nulliter quidem evaſiſſe; alias fruſtra ſecundam quærerent, ſi prima valida foret.

III. Et notabilius erat, quod recurrens gravi ſurreptionis vitio, nedum has eſſentiales circumſtantias tacere, et eas, quæ in præelecti bulla exprimuntur; videlicet, *Amoto exinde dicto Antonio, et quolibet alio illicito detentore . . . . appellatione poſtpoſita, non obſtantibus*, &c. et reliquis clauſulis præferentiæ abſolutæ præelecti, *quem omnibus anteferri jubet*, &c. verum et notorias obreptiones, ne animoſas falſitates diceret; tam ſerio, ac regio tribunali non reformidaret exponere, quales erant, concurſum ad proviſionem hujus beneficiis publicatum fuiſſe, actu curante recurrente præmiſſarum probationem, collationem, et poſſeſſionem illius, &c. cum conſtaret ex documentis annexis, edicta ad concurſum publicata fuiſſe die 18. Januarii, triduum poſt obitum prioris reſignantis, et concurſum conſummatum die 12. Februarii; et recurrentem bullam ſuam præſentâſſe excellentiſſimo præſuli die 20. Maii, quibus die 21. promotor juſtitiæ impedimenta nullitatis, et vitii noti obreptionis, et ſurreptionis objecit; ex quibus et aliis manifeſtis falſitatibus dicebat, recurrentem à judicio repellendum: *Nam falſum allegans, cadit à cauſa, et à judicio repellitur, ex leg.* In fraudem, § Quoties, 1. *ff. de jur. fiſci, l.* 1. *in princ. de falſ. gl. V.* Sup. liter. *de reſcript. Farin. de falſ. q.* 150. *n.* 97. *Mend. in prax.* 1. *p. lib.* 3. *c.* 19. *n.* 37. *Cardoſ. verb.* Falſar. *Deluc. de judic. diſc.* 26.

Quod, potiori jure, in hoc etiam extrajudiciali coronæ judicio militare debebat, eo quod in illo *de bono et æquo, et per notam veritatem* judicatur, Per. de man. reg. c. 4. et 11. Seſſ. in ep. ad reg. Cevall. de viol. in prolog. Et *fruſtra auxilium legis invocat*, qui *committit in legem*, l. *Auxilium*, § *In delictis*, ff. de minor. l. *Sancimus*, cod. de judic. quas iterum recurrentis obreptiones, ac minus veritates, ex fideli caſus ex ſummariis Romæ prælo datis noviter convincebat. Quæ omnia, utpote ex actis conſtantia, ac deprompta, rem notoriam, ac evidentem efficiebant: nam, ut tenet Barb. axiom. 8. n. 1. *Acta faciunt rem notoriam, l. fin. cod. de re judic. c.* Ex inſinuat. *de appellat.* 1. Cum olim, *de verbor. ſignific.*

Sect. I.

Quoad merita recurſus:

IV. Notabat excuſator, recurrentem ſæpe ſæpius præelecti bullam *nullam*, et *indebite expeditam*, vocitare; cum eodem contextu, eodemque greſſu, ac progreſſu, validam agnoſcit quoad clauſulam ſibi favorabilem, *Salvis juribus* (quamvis eam vitioſe amplians, de quo infra); ex qua inæqualitate efficax, et convincens argumentum *ad hominem*, ut aiunt, in eum detorquebatur, et allegabatur regula notiſſima: *Æquitas, et æqualitas, utrique parti in judicio ſervatur*, reg. *Non licet*, 32. de reg. jur. in 6. Oſor. reſ. 24. n. 5. et *quod quis in ſe approbat, non poteſt in alio reprobare*, l. *In aren.* cod. de inofficioſ. teſtam. c. *Cum eccleſiaſticæ*, de except.

V. Querelæ autem, quod ejuſdem appellationem in ſolo devolutivo executor receperit, ſatisfaciebat iſte cum expreſſa doctrina Salgad. de prot. reg. p. 4. c. 3. an. 13. *Executor ſive merus, ſive mixtus, appellationi emiſſæ non deferens, vim non facit; quia ab executore non eſt licita appellatio*, l. Ab executore, *ff. de appellat. l.* Ab executione, *eod.* Quorum in appellatione, *c.* Novit, *de appellat. c.* Quoad conſult. *de re judic.*

Et n. 35. ibid. *Ab executore modum excedente appellari, ſed quoad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum*, Grat. *diſcept. for.* 20. 1. *c.* 146. *n.* 36. *allegat. Cevall. in contra com. q.* 190. *Gutierr. in l.* Repetitione, *l.* Nemo delegat.

VI. Quas quidem auctoritates intellige etiam independenter à clauſula *Appellatione poſtpoſita*, vel remota; his namque intervenientibus, conſtans omnino eſt, appellationem effectu ſuſpenſivo penitus carere; et executorem, ſive *merum*, ſive *mixtum*, non obſtante appellatione, abſque injuria, gravamine, aut violentia, poſſe quidem ad executionem procedere, quin ex eo ſternatur via ad recurſum apud regios magiſtratus: Oliv. de for. eccleſia. 1. p. q. 17. n. 27. Salgad. de prot. reg. p. 3. Seſſ. in ep. ad reg. n. 92. Cevall. de viol. gl. 1. et 6. 9. et 15. Marant. de ordin. judic. p. 6. n. 248. Lancelot. de attent. p. 2. c. 12. n. 12. Themud. 3. p. q. 10. n. 8. et quin in eo attentatum committatur, quod revocationem mereatur. Barboſ. clauſ. 9. de clauſ. verſ. freq. n. 8. *Clauſula* Appellatione remota *operatur, ne attentata revocentur per viam attentatorum; quia, licet, appellatione pendente, nil poſſit innovari, toto tt. ff.* Nil innovari; *hoc tamen fallit, ſi eſt cauſa commiſſa appellatione remota.*

VII. Quæ inſuper clauſula non intelligitur de appellatione *frivola* dumtaxat; hæc enim de ſe indeferibilis eſt; ſed *de legitima*, ut cum Oliv. Leoncill. Ferrar. et aliis, noviſſime ſuſtinet Gaſparr. inſt. can. tt. 10. n. 45. ibi: *Alias enim dicta clauſula eſſet omnino fruſtratoria, ſi prohiberet tantum appellationes frivolas, et illegitimas; cum certum in jure ſit, hujuſmodi appellationibus nunquam à judice fore deferendum, c.* Cum appellationibus, *hoc tt.*

VIII. Nova alia ratio præter præmiſſas facit, quod hæc appellatio effectu ſuſpenſivo careat, eo quod hæc appellatio extrajudicialis foret, et extrajudicialiter propoſita, ut cum multis Salgad. cit. p. 1. c. 7. n. 19. *Appellatio, quando extrajudicialiter proponitur, hoc caret effectu ſuſpenſivo, ita ut judex licite pronuntiet in cauſa, ex c.* 1. *de appellat. c.* Conſtitutus, *et aliis.*

IX. Præterea totalis defectus declarationis judicis, *ad quem* ipſamet appellatio interponebatur, eam nullam reddebat de jure canonico, quicquid ſit de Cæſareo: Pelegrin. prax. vicar. p. 3. ſeſſ. 1. n. 91. *Abb. tamen in cap.* Inter cæt. *de appellat. et Franc. in cap.* Dilecti, 3. *q.* 16. *limitant de jure canonico aliter ſervandum, licet de jure civili procedat ſententia Bart. et Bald.*

X. Imo, ſuppoſitis ſententiis conformibus de nullitate reſignationis, atque bullæ ex vi illius expeditæ, necnon declaratione expreſſa *intruſi* (quo nomine proviſus per eam in ſecunda bulla præelecti in concurſu palam nuncupatur) poteſt ipſo jure executor de facto privare intruſum citra injuſtitiam, aut exceſſum injurioſum, idem Salg. p. 4. c. 9. n. 74. *Executor non excedit, ſi ſententiam, qua clericus declaratur commiſiſſe delictum dignum privatione beneficii, ipſo jure exequatur in illius privatione, b. cap.* 9. *n.* 74.

XI. Pariformiter, ſuppoſita notorietate nullitatis reſignationis et proviſionis recurrentis, ſaltem poſt ultimam ſententiam, quæ appellata non fuit, vi cujus nullitas

nullitas ipſa notoria remanſit notorietate *juris, et facti*; poterat quidem executor abſque citatione, et alio juris ordine procedere, juxta ſanctionem c. *De manifeſta*, 2. q. 1. *In notoriis non ſervare ordinem juris, juris ordo eſt.* Cui conſonat c. *Ad noſtram*, 21. de jur. jurand. et cap. *Bonæ memor.* 23. de elect. *Porro exceſſus notorius examinatione non indiget; et pro his, quæ à judice ſunt acta, præſumitur, quod omnia rite fuerint celebrata, quamvis, et quod citati non fuerint, non poſſet de facili comprobari.*

XII. Et, juxta communem doctrinam, unus ex caſibus, in quibus poteſt ſine citatione procedi, utique *factum notorium eſt*, Deluc. in miſcellan. diſc. 14. Panimol. dec. 16. Monacell. p. 3. form. 45. tit. 1. gl. in c. *Cum ſit Roman.* de appellat. Pignatell. tom. 6. conſ. 108. Maſcard. cl. 1105. cum Farin. p. 2. de teſt. q. 21. et expreſſe Oliv. de for. eccleſ. q. 16. n. 33. ſpecifice in hac materia privationis beneficii ſententia præcedente, quin ideo via recurſui aperiatur; et, ea ſuppoſita ſententia, communiſſima, et trita eſt DD. opinio, poſſe quidem judicem, vel executorem, non præmiſſa citatione, *etiam violenter*, ad executionem procedere, Salgado cit. p. 4. cap. 5. n. 8. *Omnium fere DD. prævaluit opinio, ac magis communiter recepta obtinuit apud omnes; ut, ſcilicet, quando fit executio executorialium ſuper eademmet re, ſuper qua fuit pronuntiatum, ſententiaque lata, et ex ea executoriales, et per eundem judicem, ſive ejus executorem, facta executio, ut tunc nec requiratur, nec ſit neceſſaria citatio, ſed directa executio facienda ejecto condemnato de poſſeſſione, et violenter, et in ea mittendus victor.*

Quod fortius urgebat in caſu præſenti, quo recurrens citatus fuerat, ut ipſe palam fatebatur, et de actibus edocebatur; et bullæ præelecti in concurſu copia illi exhibita fuerat ſine executionis præjudicio; et ſibi imputandum erat, quod ea copia uti nollet, neque contra illam aliquid allegare, niſi jus reſignationis, et propriæ bullæ ex vi illius expeditæ; quæ cum jam per triplicem ſententiam nulla, poſt plenam Romæ diſcuſſionem cauſæ, et recurrens *intruſus*, declaratæ erant, nil aliud remanebat, niſi ſtatim ad præelecti bullæ executionem progredi, præſertim inſtante expreſſa illius bullæ clauſula, *Amoto exinde dicto Antonio*, &c.

XIII. Et quamvis in præelecti bulla exequenda non exprimeretur clauſula alia, *Appellatione poſtpoſita*; ſufficiebat illa juris, et facti, tam reſignationis, quam recurrentis proviſionis nullitatis notorietas, ad omnem violentiæ arguitionem in illius appellationis denegatione excludendam. Salg. cit. p. 3. c. 14. n. 54. *Pro coronide firmo, regulariter negans appellationem in notoriis, vim non facere; enimvero poteſt juſte judex, ea non obſtante, ad ſuæ ſententiæ executionem devenire, tex. eſt in cap.* Cum ſit Romana, § *fin. ubi gl. Joann. Andr. et doctores de appellat. in* 6. *tex. in cap.* Pervenit, *&c. Conſuluit et l.* 1. *eodem tt. tex. in cap.* Roman. *et ibi gl. et DD. de appell. in* 6. *et in cap.* Cum ſpeciali, § Porro, *de appellat. gl.* 1. *Lancel. de attent. c.* 12. *l.* 9.

XIV. Altera vero clauſula, *Amoto exinde*, per ſemetipſam formaliter excludebat omnem appellationem ſuſpenſivam: nam cauſæ, celeritatem requirentes, qualis erat præſens, tum ex ſua natura, tum ex clauſula *Amoto exinde*, quæ idem valet, atque *amoto illico*, ſeu *in continenti*, aut *ex eo ipſo die*, l. 1. cod. de præſcript. long. temp. l. 8. cod. ad leg. Jul. majeſt. et aliis, appellationem ſuſpenſivam prorſus excludunt, Deluc. de canonic. diſc. 25. n. 6. Salgad. cit. p. 3. c. 1. n. 70. cum Lancel. ex l. *Nulla*, ff. de appellat. et in his cauſis *celeritatem* requirentibus minime ad coronam regiam competere recurſum, judicatum refert cit. Salgad. p. 2. c. 10. n. 48. favet Deluc. cit. n. 6. ex regula, quod *omnia, quæ celeritatem deſiderant, et* ſine irreparabili *præjudicio moram, ſeu dilationem non patiuntur, appellationem ſuſpenſivam non admittant*, Bald. in l. unic. cod. *Si de momenti poſſeſſ.* Scacc. de appellat. l. 6. q. 17. et, ut docet cit. Salg. p. 4. c. 5. n. 2. *Magis acceleratum eſt judicium executivum, quam ſimplex ſummarium.*

XV. Eo vel maxime in caſu præſenti, quo, præter particulare præjudicium præelecti, intercedebat generale, et ſpirituale parochianorum, conſcientiæ recurrentis, in bulla præelecti *nulliter proviſi, et indebiti detentoris* declarati, nullitatis ſacramentorum, matrimonii præſertim adminiſtrationis, &c. Imo poterat illico de facto ſpoliari abſque injuſtitia, et multo magis abſque violentia recurſabili, et ſine ſpe reſtitutionis, ex nota doctrina Franc. *de intruſis*, q. 30. n. 4. et q. 25. n. 5. *Intruſus privari debet taliter, quod ſi de facto ſpolietur, talis intruſus reſtitui non valeat.*

Præſertim cum intruſus excellentiſſimo archipræſuli palam proteſtatus fuiſſet, ſe cum conſcientiæ ſcrupulo parœciam retinere nolle; et, juxta cit. Franc. q. 30. n. 4. intruſus fur eſt, et latro; et ideo privari debet re iniqua: et q. 51. n. 20. *Poſſeſſor non eſt amovendus à ſua poſſeſſione, quin prius procedat cauſæ cognitio, etiamſi nullum habeat colorem poſſidendi.*

XVI. Nec clauſula *Salvis juribus*, qua recurrens fundatur, eodem contextu, quo bullam hanc aperte *nullam, et male expeditam* appellat, ei ſuffragatur; jura enim reſervata, non ſunt jura ipſius bullæ nullius, in annullata reſignatione fundatæ: nam, ut adverſus illam in allegatione, verſante cauſa, producebatur, *Data dictæ reſignationis nullitate, jus, et poſſeſſio beneficii nunquam abdicata dicitur à reſignante; idemque beneficium, non per reſignationem, ſed per obitum vacat, ut advertunt Pariſ. de reſignatione, l.* 1. *q.* 3. *n.* 8. &c.

Et de hac clauſula, *Salvis juribus*, ait Barb. clauſ. 94. *Clauſula* Salvis juribus *non operatur reſervationem, quoad expreſſa in gratiis principum, ſed tantum quoad omiſſa.*

XVII. Ex quo clare conſequitur, clauſulam nil reſervare, aut reſalvare quoad gratiam annullatam, à poſſeſſione cujus intruſum *exinde*, ſeu *in continenti, amoveri jubet*; ſed alia jura diſtincta quoad fructus, expenſas, &c. ſecundum praxim, et ſtylum in ſimilibus remotionibus obſervatum. Quorum quidem diſputatio, aut diſcuſſio, amotionem non ſuſpenderet, ſuppoſita plena cauſæ diſcuſſione, ac ſententia Romæ prolata: nam, ut tenet Barboſ. cit. clauſ. 7. n. 7. *Executorem mixtum facit clauſula* Amoto, *&c. oppoſita in literis beneficialibus, quando nulla res judicata proceſſit, nec fuit negotium diſcuſſum; ita poſt Abb. Felin. Lancelot. Gonſ. Monet.* &c. Cui cohæret Gaſparr. inſt. can. p. 1. tit. 18. de execution. executor. n. 26. *Merus executor eſt ille, qui nequit aſſumere partes judicis . . . . vel quia committens executori, cognoverit prius plene de juribus partium, vel demum quia literæ expeditæ fuerint in forma gratioſa, quarum executor plerumque ſolet eſſe merus, Ubert. de citat. c.* 2. *n.* 27. *Gonſ. n.* 157. *Rott. cor. Merlin. dec.* 141. *n.* 11.

XVIII. Imo de ipſa clauſula, *Salvis juribus*, in bulla gratioſa, ait cit. Barb. n. 26. *Item reſtringenda ſunt, quando hæc clauſula appoſita eſt in literis beneficialibus, et gratia eſt juſtificata legitime, et literæ non ſunt expeditæ ſub intruſione; tunc enim non retardaretur executio literarum apoſtolicarum: ita poſt Ferret. conſ.* 7. *n.* 12. *in fin. et n.* 13. *docent Gonſ. ubi ſupra, n.* 237. *et Monet. d. cap.* 11. *n.* 467. *ubi etiam poſt capita q. dec.* 180. *Lancel. d. c.* 4. *n.* 275. *cum ſeqq. Gonſ. d. loco, n.* 268.

XIX. Et per clauſulam *Omnibus anteferri*, in eadem bulla expreſſam, inquit præfatus Barboſa, clauſ. 8. n. 9. *Clauſulæ* anteferri *tertius effectus eſt; ut per illam ſublatum cenſeatur omne jus ad rem quoviſmodo quæſitum, c. pen. de præbend. in* 6.

Et n. 8. præcedenti ibidem: *Secundus effectus eſt; ut per eam tollantur omnes reſervationes, et expectativæ, tam generales, quam ſpeciales: nam licet expectanti deberetur beneficium, tamen Papa vult, ut impetrans præferatur, Monet. Rebuf. Ricc.* &c.

XX. Denique concludebat, quod, ſuppoſita ſententia declaratoria nullitatis reſignationis, et bullæ illius virtute expeditæ, cum jus jam recurrenti non aſſiſtebat, ſed potius reſiſtebat, et aderat præelecto, currebat de plano doctrina Oliv. de for. eccleſ. q. 16. n. 33. *Recurſus non datur ad tribunalia regia contra judicem eccleſiaſticum, qui privat poſſeſſione in executionem ſententiæ latæ, inaudita parte, ſi jus reſiſtat recurrenti, et aſſiſtat adverſario.*

SECT. II.

Doctrinis ex adverſo adductis—

XXI. Uno verbo reſpondebat, 1. Judex executor, omnes loqui in terminis auctoritatis Franc. de intruſis, ſuperius extenſæ; quod, ſcilicet, intruſus non amoveatur, quin præcedat cauſæ cognitio, quæ quidem plene præceſſerat. Proindeque doctrinæ allatæ, ut diverſum caſum à præſenti reſpicientes, diverſum etiam pro præſenti judicium inculcabant, ex l. *Inter ſtipulantem*, § *Sacram*, de verbor. ſignificat. et ex vulgaribus.

Reſpondebat, 2. Etiam loqui, quando executio non committitur *Appellatione remota*, neque aliis clauſulis *Anteferri*, &c. nec *in forma gratioſa*, &c. et *diverſitatem juris induit rationis diverſitas*, l. *Convention.* ff. de pactis, l. 3. § *Genera*, ff. de acquir. poſſeſſ. Et reſpect. alterius clauſulæ, *Salvis juribus*, eſto adhuc cognitio cauſæ non præceſſerat; attamen pleniſſime præhabita erat reſpectu amotionis intruſi recurrentis, et mittendi in poſſeſſionem *exinde*, ſive *in continenti*, præelecti. Et quamvis Per. de man reg. c. 21. n. 25. inclinet in opinionem, quod *poſſeſſor appellans ſit manutenendus à principe*, contra communem opinionem, quam n. 24. inſinuârat, videlicet, quod *quoties in reſcripto apponitur clauſula* Appellatione remota, *nec appellatio ſuſpenſiva admittitur*, *nec manutentio regia via tuitivæ*; attamen eodem numero 5. reſtringitur ad caſum, quo non præceſſit cauſæ diſcuſſio; *quia intruſio non eſt verificata*, *ſed verificanda* ex diſcuſſione cauſæ, et juris; quo caſu executor non *poteſt illum expellere*, *niſi legitime auditum*, *neque eum ſpoliare*; et hoc caſu operabitur effectum ſuſpenſivum, ex Lancelot. de attent. 2. p. c. 13. à n. 69.

XXII. Et infra ibidem, in hypotheſi, quod intruſus abſolute auditus non fuerit, neque reſcriptum manu Pontificis ſit ſignatum, ita ait: *In eo caſu videtur*, *quod cauſa debet pertinere ad loci ordinarium*, *quia non alibi poteſt talis poſſeſſor conveniri*, *ex Concil. ſeſſ. 24. de reform. c. 20. niſi reſcriptum ſit manu Pontificis ſignatum*, &c.

Quæ quidem non militant in caſu præſenti, quo recurrens plene auditus, et ejus cauſa plene diſcuſſa, et triplici ſententia terminata, et cum bulla expedita nomine Summi Pontificis, *illum intruſum*, et iniquum detentorem palam nominante, et præelectum in concurſu præcedente, et omnibus anteferri, appellatione poſtpoſita, jubente, &c.

XXIII. Imo, ſuppoſita violentia, qua recurrens *de facto* ſeſe in parœciam illam introduxit, brachii ſæcularis auxilio munitus, obreptionis, ac ſubreptionis, ſubſtantialibus impedimentis in nuntiatura pendentibus; poterat nunc equidem etiam *de facto* excludi; et præelectus introduci in poſſeſſionem licite, et valide; tum quia *facta de facto ſunt revocanda*; tum quia *de facto vim vi repellere licet*, ex c. *Dilecto*, de ſentent. excom. in 6. c. *Venerabil.* eod. Petr. tom. 3. in conſt. 1. Leon. XI. ſeſſ. 3. n. 15. et ſpecialiter, *quando agitur de facto permanenti*. Petr. cit. cum Pignatell. tom. 1. conſ. 170. n. 31. Panimol. dec. 96. n. 18. et alii.

Neque in his terminis adeſt aliqua juris prohibitio, hoc procedimentum *de facto* ſpecialiter vetans; imo quamplures diſpoſitiones id confirmant etiam juris Cæſarei municipalis, lib. 4. ord. tit. 58. ad quam Barb. Peg. et alii DD. et, dato, quod aliqua intercederet prohibitio, cum recurrens in ſubſtantia veniebat *amovendus*, parum referret, quod fuerit male amotus quoad *modum*; tum quia *multa fieri prohibentur*, *quæ tamen facta tenent*; tum quia, *ſuppoſita permanentia*, cum tractu ſucceſſivo in illicita, et injuſta detentione, non attenditur nullitas procedimenti (caſu, quod nullum foret) *quoties quod factum eſt*, *ſi factum non eſſet*, *denuo fieri deberet ob factum notorium*, *ac permanens*, ut ſæpe deciſum reperitur à S. Congregatione; ſignanter die 16. Jul. 1619. ap. cit. Petr. Pignatell. Sperell. Deluc. de juriſd. et alios.

XXIV. Pro coronide concludebat, quamvis, in modo executionis bullæ præſentis, aliquis ſolemnitatis defectus, imo et aliqua injuſtitia, etiam notoria, intercederet; minime locum ad recurſum patere, cum certo certius ſit, *regem non cognoſcere de injuſtitia*, *ſed de violentia notoria*, Per. de man. reg. c. 7. et ad concord. reg. Joann. I. art. 58. et alibi. Quæ omnes præmiſſæ rationes, actis Romæ proceſſatis, rem notoriam utique efficiebant, et nedum ſufficientiſſimam, verum et efficacem ad offuſcandam, et tergiverſandam notorietatem accuſatæ injuſtitiæ, imo et violentiæ, caſu, quo hæc interveniret, ſecundum definitionem *notorii*, ex c. *A nobis*, de cohabit. cleric. et mulier. . . . . *Notorium eſt illud*, *quod per evidentiam rei tergiverſatione aliqua tegi non poteſt*: ubi gloſſ. *Tergiverſatione*, id eſt, *diſſimulatione*.

Et juxta Donat. in prax. q. 49. Guerr. de recuſat. l. 4. c. 8. n. 88. *Notorium eſt illud*, *quod non poteſt ulla tergiverſatione celari*; *ſeu eſt illud*, *quod omnibus immediate evidenter apparet*; *idque non poteſt dici notorium*, *ubi cadit error*, *ſeu dubitatio*; *Bart. in l.* Omnes, *cod. de agricol. et cenſ.*

XXV. Quinimo ex damnis ſpiritualibus nullitatis, ac illicitudinis adminiſtrationis ſacramentorum, ex conſervatione intruſi recurrentis in parochiali beneficio, quamlibet juris ordinis omiſſionem, aut præteritionem, tolerabilem, atque inattendibilem reddit: nam *juris apices non debent attendi*, *ubi agitur de ſalute animæ*, *Tiraquell. privileg.* 164. *piæ cauſ. Cevall. contra communem q.* 71. *et fit extenſio ex identitate rationis*, *gl. verb.* Apoſtolic. *l.* Omnes, *cod. de ter. etiam in pœnalibus*, *et odioſis*, *Barb. axiom.* 26. *n.* 3. *et* 4.

Reliquas graviſſimas, atque ſcrupuloſiſſimas conſequentias, ex proviſione recurrentis infallibiliter emergendas, relinquebat judex executor comprehenſivo regiæ majeſtatis, et ejuſdem regii tribunalis magiſtratuum judicio, obtrudens ſatis tritam doctrinam Oliv. de for. eccleſ. q. 15. n. 44. *Non datur recurſus ad tribunalia ſæcularia contra eccleſiaſticos*, *prætextu violentiæ*, *quoties majus inconveniens ex eo procederet*, *l.* Actione 65. § *Labeo*, ff. *Pro ſocio*; *D. Thom.* 22. *q.* 39. *c.* 2. *ad* 3.

XXVI. Denique, cum ſereniſſimus rex ſpecialis protector, et executor S. Concilii Trident. decretorum incedat, ex bulla ejuſdem Concilii confirmatoria, et c. 6. et 20. ſeſſ. 25. de reform. et conformiter ipſius Concilii decretis convocatio concurſus, et præelecti proviſio facta fuiſſet, et utraque bona, licita, ac valida, Romæ, in contradictorio judicio, ter judicata; ſupplicabat, 1. Executor, ut regia majeſtas proviſionem, ac poſſeſſionem præelecti efficacem facere dignaretur. 2. Ut, ſuppoſitis ſubſtantialibus falſitatibus à recurrente audacter, et irreverenter obtruſis, à judicio, ut merebatur, repelleretur; Mend. à Caſtr. in prax. 1. p. l. 3. c. 19. n. 37. et tandem pro ultima Sanctitatis ſuæ reſolutione *proteſtabatur*.

Qua non obſtante allegatione, recurrens intruſus obtinuit, etiam in ultimo decreto ſenatus aulici, et reſtitutus fuit adminiſtrationi eccleſiæ, à qua per bullam præelecti amotus erat, cum competentibus proteſtationibus, et opportuna cautela pro ſacramento matrimonii, vel ne illi, ut parochus, præſentiam adhiberet; vel, ſi adhiberet, coram coadjutore parochiali ratificaretur. Et de novo cœpta, et agitata præelecti brevis executione, in ejus curſu lente proſecutum eſt, eo fine, qui in immediata allegatione innuitur.

ALLE-

ALLEGATIO LXXIV.

Proſequitur Cauſa.

SUMMARIUM.

I. *Cauſæ proſecutionis notitia.*
II. *Cauſæ affectatarum moroſitatum.*

I. AGITATA denuo, ſive noviter cœpta, bullæ præelecti executione, omnes conatus intruſi in hoc nixi ſunt, ut cauſæ progreſſum retardaret, imo penitus impediret, variis, et incivilibus ſupplicationibus, ac proteſtationibus. Præelectus autem etiam curſum, ac progreſſum cauſæ lente promovebat, ſpe extraordinariæ Sanctitatis ſuæ providentiæ; qui quidem nuntio ſuo, Ulyſſipone conſiſtenti, per eminentiſſimi Cardinalis Gentili, à ſecretis Sanctitatis ſuæ, epiſtolam commendare dignatus eſt, ut ſuper hac cauſa ſereniſſimo regi ſpecialem faceret repræſentationem, ad hoc, ut effective intruſus amoveretur, et præelectus in eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem mitteretur. Renuit tamen prudentiſſimus collector id præſens facere auguſtiſſimo regi, ordinariis mediis non adimpletis, judicum coronæ, et aliorum regiorum magiſtratus gravem diſplicentiam, imo et excandeſcentiam veritus; et huic timori conformiter Summo Pontifici reſcripſit; promiſit tamen præelecti procuratori agenti, ſe in omnibus favorabilem pro poſſe exhibiturum.

II. Aſt, uſque ad præſentem diem 12. Maii 1748. intruſus tot cavillis, atque recurſibus iniquis, cauſæ progreſſum ita demoratum retinet, ut ne paſſum quidem ulterius excurrere valuerit: quare finis illius notitia hic dari nequit, ſed alio reſervatur.

ALLEGATIO LXXV.

Ad Chartam ſecundam rogativam in Recurſu Semicanonicorum hujus Sedis Algarbienſis, et pro ultimo Decreto ſumendo.

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *Sereniſſimus rex erat competens pro his controverſiis extrajudicialiter reſolvendis, tanquam Concil. Trident. executor, ex eodem Conc, multipliciter.*
III. *Et competens fuerat ad illum primus recurſus; quod et ex S. Scriptura, et jure can. comprobatur.*
IV. *Evidens erat, etiam de facto, hæc regiæ majeſtatis œconomica, et paterna extrajudicialis competentia.*
V. *Prælati ordinarii etiam ſunt executores Concilii Tridentini, et cæremon. Roman.*
VI. *Independenter à formali præcepto, expreſſe in cæremon. Roman. reformato per Bened. XIII. conſtans erat DD. opinio, cæremoniale Roman. obligare ſub gravi peccato.*
VII. *Procedens in executionem decretorum illorum, nullam violentiam, aut injuſtitiam committit.*
VIII. *In quo tantummodo dabatur poſſeſſio titulata ſemicanonicorum.*
IX. *Semicanonici ex jure municipali* medii canonici *appellandi ſunt, et non* canonici in dimidia præbenda.
X. *Nec jus ſuffragandi, nec nuncupatio canonicorum, facit veros canonicos.*
XI. *Confirmabatur ex 4 quartenariis etiam vocem habentibus in capitulo.*
XII. *Nec ſuffragabatur exemplum aliquarum bullarum reſignationum.*
XIII. *Nec exemplum aliquarum cathedralium medios canonicos ſimpliciter ex inſtitutione, et canonicos cum media præbenda ex accidenti habentium.*
XIV. *Sex medii canonici Sylvenſes, vel Pharenſes, ſunt tales ex ipſa eccleſiæ fundatione, et inſtitutione.*
XV. *Neque ſuffragabatur tolerantia aliquorum prælatorum, aut canonicorum.*
XVI. *Tolerantia non eſt patientia.*
XVII. *Poſſeſſio habens juris reſiſtentiam, non manutenetur.*
XVIII. *Recurrentium appellatio erat inattendibilis; et illi abſque peccato deferri non poſſet.*
XIX. *Ex certis ſcandalis, ac diſturbiis, veniebat rejiciendus recurſus.*
XX. *Addebatur ſuperveniens conditio capituli §§ 12. et 14. epiſtolæ paſtoralis typis mandatæ.*
XXI. *Sententia revocatoria alterius, quæ recurrentibus providerat.*
XXII. *Impedimenta huic ſententiæ, et decretum illius revocans.*
XXIII. *Cautela pro reviſione impetranda in hypotheſi favorabilis recurrentibus deciſionis.*

I. POST meam hac civitate Pharenſi conſiſtentiam, et meo publico, ac ſolemni ingreſſu peracto die Dominica, 19. Novembris anni 1741. cum in ſequenti Dominica, prima Adventus, capitulum meum ad palatium pontificale collegialiter accederet, me cum capa ſolemni miſſæ, et ſacræ concioni aſtiturum, ut de more aſſociaret, vocaliter ordinavi ſex ſemicanonicis, ne in circulos ad miſſam ſeſe cum canonicis introducerent, ut, paucis abhinc annis, propria auctoritate facere conſueverant, *ſalvo eorum jure*, ſi quod habebant: cui quidem vocali inſinuationi abſque proteſtatione aliqua illico paruerunt. Poſtea vero, paucis tranſactis diebus, à quodam canonico ſeditioſi, et inquieti genii, eorum directore, ſuaſi ſemicanonici, allegationem quandam, ab eodem pro ſuo jure confectam, mihi præſentârunt, illud in poſſeſſione fundantes, et ſpecialiter in voce, quam in capitulo pro capitularibus electionibus, et reliquis negotiis ex conſuetudine, ac expreſſa ſtatutorum diſpoſitione, habebant; vi cujus ſeſe canonicis æquiparari, et eorum præeminentiis gaudere, et etiam *canonicorum in dimidia præbenda* nuncupatione diſtingui affectabant. Adverſus hanc allegationem altera pro parte canonicorum inſimul mihi oblata fuit à magiſtrali canonico ordinata: et utramque, à litibus abhorrens, ſereniſſimo regi per ſuum ſtatus ſecretarium, extrajudicialiter, et œconomice convenientem providentiam, competenter quidem, ut ſæpe ſolitus eſt, adhibituro, remiſi; de quo ſemicanonicos certiores reddidi. Qui tamen, præcluſa via appellationis ad eminentiſſimum nuntium ex ſuperiori inſinuatione, viam recurſus ad regium coronæ Ulixbonenſe tribunal arripuerunt: et, cum copia eorundem libelli mihi exhiberetur, nil aliud reſpondi, niſi, quod *cauſa hæc competenter affecta erat ſereniſſimo regi; pro cujus regia reſolutione, quam expectabam, proteſtabar*. Qua quidem proteſtatione non obſtante, recurrentibus providerunt, fundamentis in ſubjecta allegatione expreſſis nixi. Et primæ rogativæ chartæ expeditæ, præmiſſæ conſimilem proteſtationem pro reſponſione adjeci. Secundæ vero, formaliter, ſequenti allegatione reſpondi.

SECT. I.

Pro regia competentia.

II. Et imprimis pro regiæ majeſtatis competenti ad hanc pertenſam reſolutionem auctoritate dicebam, ſereniſſimos reges, præter certam ſuam œconomicam, eſſe quidem certos executores competentes decretorum S. Concilii Trident. ex ipſius Concilii bulla confirmatoria *Benedictus Deus*; ubi ſic: *Ipſum vero cariſſimum filium noſtrum imperatorem electum, cæteroſque reges,*

reges, ac principes Chriſtianos monentes obteſtamur, ut Sedis quoque Apoſtolicæ reverentia ad ejuſdem Concilii exequenda, et obſervanda decreta, &c.

Et inſuper ex aliis ejuſdem Concilii decretis, c. 6. et c. 20. ſeſſ. 25. de reform. præſertim quoad præſervationem honoris, ac reverentiæ characteri, ac dignitati epiſcopali debitæ, ut d. cap. 6. *Epiſcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt; eiſque in choro, et in capitulo, in proceſſionibus, et aliis actibus publicis, ſit prima ſedes.* Et in cit. c. 20. intitulato, *Quæ ſunt juris eccleſiaſtici, principibus ſæcularibus commendantur,* ſic diſponit: *Adeoque ea in re quiſque officium ſuum ſedulo præſtet; quo cultus divinus devote exerceri, et prælati, cæterique clerici in reſidentiis, et officiis ſuis, quieti, et ſine impedimentis, cum fructu, et ædificatione populi, permanere valeant.*

Et c. 22. de regular. d. ſeſſ. 25. *Hortatur etiam S. Synodus omnes reges, principes, reſpublicas, et magiſtratus, et in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit; ut velint prædictis epiſcopis, abbatibus, ac generalibus, et cæteris præfectis in ſuperius contentæ reformationis executione, ſuum auxilium, et auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.*

III. Ex quibus expreſſis diſpoſitionibus, conſequi dicebam, regiam majeſtatem competentem quidem fore pro his eccleſiaſticis obſervantiis reſolvendis, atque exequi faciendis; adeoque meum ad eam in præſenti caſu recurſum minime *incurialem, aut irregularem* evaſiſſe, ut in ſententia recurſus recitabatur; cum etiam certo certius foret, poſſe itidem *competenter* ad eandem majeſtatem, quaſi patrem reipublicæ, pro iſtius pace, ac tranquillitate inducenda, œconomice et politice proviſuram; qua quidem œconomica et politica poteſtate uſus eſt rex Salomon in remotione Abiathar, 3. Reg. ii. 27. *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini.* Tirin. *Poteſtate temporali, et politica.* Alapid. *Indirecte exauctoravit.*

Pro quo etiam facit c. *Duo iſta,* q. 4. gl. Jo. Andr. in c. *Venerabilem,* de elect. D. Thom. de regim. princip. l. 1. c. 14. et juris civ. diſpoſitiones tot. tit. de ſacroſ. eccleſ. de ſanctiſſim. epiſcop. et cleric. de epiſcop. audient. &c.

IV. Et ſignanter in hiſce materiis eccleſiaſticis, liturgicis, et cæremonialibus, evidens erat competentia regiæ majeſtatis œconomica, paternalis, et extrajudicialis de facto, ex variis reſolutionibus regiis, ſuper præcedentia epiſcoporum, et capituli in eccleſia, in concurſu gubernatorum arcium Africæ, inſularum, et aliarum partium ultramarinarum, et in cæremoniis eccleſiaſticis quoad crucis adorationem, cinerum acceptionem, et alia hujuſmodi, juxta præſcriptum cæremonialis Romani, ut conſtabat ex libris regiſtri epiſtolarum annorum 1584. 1588. 1599. et in aliis felici tempore majeſtatis regnantis pro Indiano ſtatu contra iniquam proregis pertenſionem, quod in ejus præſentia epiſcopale baldachinum demitteretur, et quod concionatores ſacri ab ipſo prius veniam dicendi captarent, et alia hujuſcemodi, ut ex regiis epiſtolis ipſis edocebatur. *Et ab actu ad potentiam valet argumentatio.*

Et mihi in hoc meo competenti recurſu ad regiam majeſtatem, valde notabilem, ac ponderabilem duplicem rationem ſuffragari dicebam: primam, Quod prius ego ad ſereniſſimum regem recurrerim, antecedenter ad recurrentes ipſos, cum favorabiliori juris aſſiſtentia ex regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure:* ſecundam, Quod recurrerim ad regiam majeſtatem in propria perſona realiter, non autem in repræſentatione per aliquod ejuſdem tribunal; et certum omnino eſt, prævalere regiam repræſentationem in perſona propria cuilibet alteri repræſentationi per quodlibet regium tribunal; de quo Larr. alleg. 60. per tot.

V. His accedebat, quod prælati ordinarii ejuſdem Concilii decretorum executores incedunt ex cit. bull. *Benedictus D.* ibi: *Mandamus autem, in virtute S. obedientiæ, et ſub pœnis à ſacris canonibus conſtitutis, aliiſque gravioribus etiam privationis arbitrio noſtro infligendis, univerſis et ſingulis venerabilibus fratribus noſtris patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, et aliis quibuſvis eccleſiarum prælatis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, et dignitatis ſint, etiamſi cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem decreta, et ſtatuta, in eccleſiis ſuis, civitatibus, et diœceſibus, in judicio, et extra judicium, diligenter obſervent, et à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant obſervari.*

Et itidem executores Romani cæremon. diſpoſitionum, ex bull. Clem. VIII. *Cum noviſſime*; et ex bull. Innoc. X. *Quanquam alias*; et noviſſime, ac expreſſiſſime, ex bull. *Licet alias,* Benedicti XIII. univerſali eccleſiæ, pro infallibili obſervantia, præceptive propoſita: *Cæremoniale epiſcoporum hujuſmodi à nobis, ut præmittitur, recognitum, et emendatum, perpetuo confirmamus, et approbamus; illudque in univerſali eccleſia ab omnibus et ſingulis perſonis, ad quas ſpectat, et in futurum ſpectabit, perpetuo obſervandum eſſe, in virtute ſanctæ obedientiæ, præcipimus, et mandamus.*

VI. Et ab iſto præcepto independenter conſtans erat antecedens omnium DD. placitum, *Quod cæremoniale Romanum ſub mortali obligabat,* Bonacin. de legib. diſp. 1. q. 1. pu. 7. § 4. Luc. de Andrad. in Theoſeb. illuſtr. l. 7. Soar. de legib. d. 17. c. 6. et in cit. bull. d. Benedict. XIII. annullat ac revocat omnes conſuetudines, ſtatuta, etiam juramento, ac apoſtolica auctoritate, firmata, &c. *Non obſtantibus præmiſſis, ac apoſtolicis, et univerſalibus, provincialibuſque, et ſynodalibus conciliis, edictis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, et ordinationibus, necnon quarumvis eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quavis firmitate, roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apoſtolicis quibuſvis eccleſiis, vel perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innovatis.*

VII. Ex quibus manifeſte conſequebatur, me potuiſſe quidem procedere in executionem conciliarium, ac cæremonialium decretorum illorum, nullam injuſtitiam, et multo minus violentiam recurrentibus irrogâſſe: nam, ſecundum Salgad. de reg. prot. p. 4. c. 3. n. 13. *Executor, ſive merus, ſive mixtus, appellationi commiſſæ non deferens, vim non facit, quia ab executore non eſt licita appellatio, l.* Ab executore, *ff. de appellat. l.* Ab executione, *c.* Quorum appellat. *c.* Novit, *de appellat. c.* Quod conſult. *diſc.* Re judic.

Neque à meo executivo proceſſu appellare quidem valide, aut licite potuiſſe; quia, *Si non poteſt appellari ab executione, non poteſt et ab executore, cum executio, et executor, idem eſt inſeparate, et indiviſibile... Et hoc facit tam mixtus, quam merus executor, Salgad. cit. p. 4. c. 3. n. 31.*

Præſertim, ac ſpecialiter, præmiſſa Benedictina ſpecifica, ac individuali revocatione ſuppoſita, et gravi illius generali præcepto ad decretorum illorum obſervantiam, graviter, et ſimpliciter obligante; ex c. *Conſuluit,* de appellationibus: *Non convenit, ut pro hujuſmodi appellationibus ab obſervantia decreti debeas abſtinere. Vid. Fagn. in d. cap.*

Pro poſſeſſione:

VIII. Dicebam, poſſeſſionem *titulatam,* quam recurſus ſententia in recurrentibus agnoſcebat, in duplici re dumtaxat verſari; videlicet, in triplici ductu ad thurificationes, et in almutiis, ſive cucullis, intus colore purpura prætextis, deferendis; ut ex productis documentis aperte clarebat. Et in hac duplici poſſeſſione, ne in minimo quidem recurrentibus attactum eſt. Et ſolummodo in introductione ad circulos in miſſa, atque genuflexionibus coram prælato in eccleſia, et extra, ordinata illis fuit obſervantia decretorum Concilii, et cæremonialis Roman. reformati, *ſalvo eorum jure,* ſi quod haberent, ob ſcandala graviſſima, ac diſturbia pernicioſiſſima, quæ ex illa injuſta ſemicanonicorum adeo enormiter ingraveſcebant, ut ex ſequentibus caſibus conjicere licebit.

IX. Nam quamvis notoria ſit conſtans diſpoſitio primordialium ſtatutorum Sylvenſium, ſemicanonicos, hac expreſſa nuncupatione *medios canonicos* nominans, ac diſtinguens, ut § 38. *Quia in fundatione ipſius eccleſiæ fuerunt inſtitutæ viginti et ſex præbendæ, ſcilicet,*

cet, viginti duæ pro canonicis, et dignitatibus, et tres in ſex medios canonicatus, et unam in quatuor quartenarios. Et infra, *Sex medii canonici*, &c.

Et pariformiter in decretis viſitationum capituli, atque in conſtitutionibus ſynodalibus, lib. 3. c. 94. et c. 97. et 101. atque l. 4. c. 62. et alibi paſſim (quæ quidem conſtitutiones, et decreta, quorum obſervantiam omnes beneficiati cathedralis collati expreſſe jurant, formaliter jubent cæremonialis Rom. diſpoſitiones obſervari, l. 3. c. 32. 59. 99. et lib. 4. c. 62.); attamen quidam ſemicanonicus cholericus, cum in aula ipſa capitulari ſe hac nomenclatura in quodam ſupplici libello cujuſdam canonici appellari audiviſſet, temerarium, et fere ſacrilegum auſum attentavit, quamvis opportune ab aliis detentus non perfecerit, quod ex documentis ſatis conſtabat; ex quibus alia quamplura graviſſima diſturbia intra et extra eccleſiam, etiam in publicis proceſſionibus, imo et graves ſcandaloſæque irreverentiæ publicæ in prælatum, etiam intra eccleſiam, imo et intra miſſarum, et pontificalium ſolemnia patratæ evincebantur. Et jam quatuor quartenarii conſimiles præeminentias et æqualitates cum canonicis, et *canonicos in quarta portione*, ſimiliter vocitari ad ſemicanonicorum paritatem, velo levato adeo impudenter affectabant; ut et coram Sanctitate ſua in ſpeciali ſupplicatione, minus vera, hæc exponere auſi ſunt, ut ex S. Congregationis reſcripto pro informatione capitulo meo audito, mihi directo, convincebatur.

X. Duplex autem fundamentum injuſtæ pertenſionis ſuæ, videlicet, *jus ſuffragandi in capitulo*, et titulus *canonici in dimidia præbenda*, in aliquibus reſignationum bullis repertis, nil illis ſuffragabatur. Non primum; nam *habere vocem in capitulo non facit canonicum, cum de conſuetudine etiam ſimplices preſbyteri id poſſint obtinere, deciſum refert Deluc. in una Barenſi, et in alia Hiſpalenſi, et in Traſonenſi, et Calceatenſi, Deluc. de canonic. diſc.* 19. *n.* 7. *et diſc.* 20. *n.* 4. *et ſeqq.*

Non ſecundum; nam *nuncupatio canonicorum non facit veros canonicos, idem Deluc. ibidem, diſc.* 19. *n.* 6. *ubi deciſum refert in una Placentina*, 22. *Jun.* 1636. *et aliis.*

XI. Quæ quidem efficaciter confirmabantur ex ipſis quatuor *quartenariis*, ſive *beneficiatis cantoribus*, ut in capitulari regimento vocitantur, qui, quamvis habeant etiam jus ſuffragandi in capitulo, nec *canonici in quarta portione* hactenus appellabantur, neque præeminentiis, aut prærogativis canonicorum gaudere curabant; quinimo, nedum prælato, verum et canonicis ipſis in actionibus, ac functionibus eccleſiaſticis pro cineribus, palmis, atque cereis diſtribuendis genuflectebant, juxta Rom. cæremonialis præſcriptum.

XII. Nec exemplum bullarum aliquarum reſignationum, in quibus ſemicanonicus aliquis titulo *canonici in dimidia præbenda* condecoratur, aliquid efficaciter convincebat; nam cum bullæ exarentur, conformiter ad expoſitionem, ſive ſupplicationem, cum in hac titulus ille exprimeretur, eadem conformitate deſcriptus devenit in exarata bulla. Et ex plurimis bullis modernis, etiam reſignantium, ac reſignatariorum adhuc viventium, titulus *ſemicanonici*, et *medii canonici*, quæ jungebantur, exprimebatur; imo et ex nuperrimo documento patefiebat, me in duplici atteſtatione pro duplici reſignatione ſemicanonicali titulum *ſemicanonici exprimente*, Romæ hoc titulo *canonicum in dimidia præbenda* adulteratam apparuiſſe.

XIII. Exemplum autem aliarum cathedralium *medios canonicos* ſimpliciter habentium, et alios diverſæ hierarchiæ, *canonicos in dimidia præbenda* nuncupatos, ad quorum paritatem ſimili nomenclatura condecorari affectabant, erat contra producentes. Quippe qui *medii canonici* ſimpliciter, tales erant ab ipſa cathedralis, et capituli primæva inſtitutione; canonici vero in dimidia præbenda ex primæva inſtitutione fuerant canonici præbendati; et poſtea ex accidenti manſerunt cum dimidia præbenda dumtaxat, ut in ſede Conimbrienſi; eo quod ad melius, ac expeditius chori, et eccleſiæ ſervitium, convenerunt, ut tres integræ præbendæ, v. g. dividerentur in ſex medias præbendas, conſervata nomenclatura, ac titulo canonicorum in dimidia præbenda; et de his loquitur Cardoſ. in prax. infr. cit. in cap. *Vacante*, de præbend.

XIV. At ſex medii canonici ſedis cathedralis Sylvenſis, aut Pharenſis, non ſunt tales ex *accidenti*, ſed ex ipſa primæva inſtitutione, et veluti eſſentialiter, ut conſtat ex libro viſitationum capitularium, et ex ipſis Sylvenſibus ſtatutis, adhuc in capitulari archivo aſſervatis, ſacram antiquitatem redolentibus, ubi § 38. ſic recitant: *Quia in fundatione ipſius eccleſiæ*, 26 *præbendæ . . . . et tres in ſex medios canonicos*, &c. ut ſuperius tranſcribitur.

Imo cit. Cardoſ. in prax. verb. *Canonicus*, ex c. *Vacante*, de præbend. adhuc de primis canonicis cum dimidia præbenda, ſic effatur: *Adverte tamen, quod dimidii præbendati non ſunt vere canonici, ſed potius portionarii, manſionarii, et aſſiſſii, ut cum multis docet Infelix in rubr. de conceſſione præbend.* 2. *p. n.* 123.

XV. Neque inſuper aliquorum capitularium, etiam hujuſcemet cathedralis tolerantia, aut alicujus etiam præſulis in aliqua ex pertenſis præminentiis recurrentibus ſuffragari valet, ſemel quod ab aliquibus contradicta fuerit, ut de facto ſemper fuit, et ex ipſomet præſenti recurſu convincebatur; nam, *ſicut in corporalibus, non acquiritur poſſeſſio ſine ſcientia, et patientia prælati, et capituli; et ad acquirendam quaſi poſſeſſionem contra plures requiritur omnium patientia, alias contradictio unius faceret, ut quaſi poſſeſſio non acquiratur, Salgad. de regia prot. p.* 3. *c.* 8. *n.* 16. *et Barb. in report. verb.* Juriſdictio.

XVI. Nec *tolerantia eſt patientia*, nec ſuffragatur quæ non eſt approbativa, ut cum Salgad. Barboſa, et Oliva de for. eccleſ. 1. p. q. 12. et q. 15. n. 11. *Ex hac tolerantia non præſumitur conſenſus Summi Pontificis; cum, ſi non contradiceret, id faceret ex cauſa vitandi majoris mali; non vero approbative; quo caſu tolerantia nullum jus tribuit, nec excuſat, ut per Abbat. in ſpecie in capite clerici, n.* 6. *de judiciis, Surd. conſ.* 301. *n.* 58. *ubi alios citat, et* 396. *n.* 33. *Aſorium A. Auguſt. Barb. ita Oliv. de for. eccleſ. p.* 1. *q.* 12. *et q.* 15. *n.* 11.

XVII. Imo et *poſſeſſio habens manifeſtam juris reſiſtentiam, non attenditur, neque manutenetur, Poſth. obſerv.* 44. *Deluc. de alienat. diſc.* 18. *n.* 13.

Nec de tali poſſeſſione erat amplius curandum, ſuppoſito conſtanti defectu tituli, vel proprietatis, quæ ex ipſiſmet Sylvenſibus ſtatutis, decretis viſitationum, et conſtitutionibus ſynodalibus, conſtabat, juxta doctrinam Gratian. Ciarl. contr. for. l. 3. c. 23. n. 6. citans Monach. Poſth. Farinac. et plures Rott. deciſiones; cui addebatur conſtans omnium doctorum opinio (ſuppoſito gravi præcepto cæremonialis Rom. pro ejus obſervantia) aſſerentium, *ab eo, quod quis facere tenetur, non dari appellationem*, Scacc. de appellat. q. 2. Pelegr. in prax. vicar. p. 7. ſeſſ. 3. ex c. *Significe.* de cenſ. Fagn. in c. *Conſuluit*, de appellat.

XVIII. Quare recurrentium appellatio, nedum frivola, atque inattendibilis erat, quinimo, ſi illi deferem, lethaliter et ipſe peccarem, Fagn. in c. *Ad noſtram*, de appellat. Salgad. de prot. reg. p. 3. c. 6. n. 42. Scacc. cit. q. 2. n. 10. *Et ſi rex non cognoſcit de injuſtitia*, ſed tantum *de violentia notoria*, Per. de man. reg. c. 4. 7. et 9. n. 25. et in concord. 58. Joan. I. et notorium eſt illud, *quod nulla poteſt tergiverſatione celari*, c. *de manifeſta*, 2. q. 1. ubi gl. *Tergiverſatione*, id eſt, *ſimulatione*; vel ſaltem *quod nulla probabili tergiverſatione celari poteſt*, gloſſ. in c. *Statuimus*, de officio delegat. in 6. v. *Conſervator*; tot ſolidis rationibus, ac probabilitatibus, viderint judices regii, an notorietas violentiæ, de qua recurrentes ſupplicabant, ſufficienter palliata, atque offuſcata remaneret, cum *ſufficiat epiſcopo pro juriſdictione ſua offuſcare probationes capituli*, Scarfant. p. 1. dec. 32. n. 27. cum Spad. et Rott. deciſ. et reo offuſcare probationes *actoris*; Deluc. de judic. diſc. 2. n. 44. præſertim in judicio, in quo de *bono et æquo* judicatur, Per. cit. Et certum ſit, *quod multa dicuntur notoria, quæ non ſunt*, c. *Conſuluit*, de appellat. et caſus juris obſcuri, et intricati, celat notorietatem, Cevall. de viol. q. fin. Seſſe de inhibit. in prolog. et c. 8. Oliv. de for. eccleſ. q. 25. n. 35.

XIX. Denique ex certis ſcandalis, ac diſturbiis jam cœptis, et ex proviſione infallibiliter conſequendis, certa, et infallibilis veniebat recurſus excluſio, præſertim in judicio *de bono et æquo* judicante, ex doctrina Peg. tom. 3. et Oliv. cit. q. 15. n. 44. *Recurſus non datur prætextu violentiæ tollendæ, quoties majus inconveniens ex eo procederet*, Peg. *tom.* 3. *cum Oliv. q.* 15. *n.* 44. *ex l.* Actione, 65. § Labeo, *ff.* Pro ſocia, *l. unic.* § *ultim. cod.* Caduc. toll. *ubi gloſſ.*

Attento ſpecialiter uno ex finibus principalibus recurſus, nempe, *Ne pax publica turbetur, et reſpectus detrimentum patiatur*, Salgad. prælud. 3. n. 178. et ne auctoritas ſuperioris eccleſiaſtici vilipendatur, ſed indemnis conſervetur, Salgad. p. 1. c. 6. n. 29. cujus auctoritatis, et eidem debiti honoris, ac reverentiæ, ſereniſſimi reges protectores ſpeciales incedunt, et auguſtiſſimus reges Luſitani, ſpeciales, atque expreſſi patroni, ac protectores omnium regni ſui cathedralium, Per. de man. reg. c. 22. et 26. Cabed. de patron. c. 37. Barb. de pot. ep. p. 1. alleg. 57. Oſor. reſ. 49. n. 1. novus titulus competentis mei anterioris ad regiam majeſtatem, hac de re, juſti recurſus, quem denuo omni meliori juris via iterum intentabam, prioremque ratificabam, pro regia finali, et perſonali reſolutione expreſſa *proteſtans*.

XX. Superaddebam tandem, quod ex publicatione meæ generalis epiſtolæ paſtoralis, typis mandatæ, ſubortum fuerat, ſuper cujus § 12. et 14. circa vitam et honeſtatem clericorum etiam beneficiatorum cathedralium, juxta Concilii Trid. præſcriptum, et conſtitutionum ſynodalium (de quo infr.) capitulo meo, ſive aliquo ex illius membris, nomine totius collegii mihi reſcribente, minori, quam par erat, reverentia, et majori, quam decebat, arrogantia; me, nedum titulo *patris, ac domini*, ab eccleſia, etiam publice, et ſolemniter, mihi præſtito, ſed ne ſimplici adhuc præſulis, aut paſtoris, aut alterius ſuperioritatem inſinuante, ſed infimo æqualitatem indicante, *fratris primogeniti* diſtinguebant, dicente Cecoper. in bibliothec. canonicor. l. 3. n. 97. *Canonici tenentur inſervire epiſcopo, qui eſt eorum dominus, et caput principale.*

Et pro coronide ſupplicabam, quod ſaltem in ultima recurſus deciſione ſuperſederetur, quoad Sanctitas ſua competentes deciſiones dare dignaretur ſuper dubiis, ſemicanonicorum pertenſiones concernentibus, in mea *ad limina* viſitatione eodem tempore proxime expoſitis, pro qua ultima deciſione etiam proteſtabar.

Et clauſa mea hac allegatione, die 8. Martii anni Domini 1744. factis cum illa actis concluſis, prodiit ſententia ab eiſdem regiis judicibus, primam formaliter et expreſſe revocans ſequenti formalitate:

Sententia primæ revocatoria.

XXI. *Cohærent in ſenatu*, &c. *inſpecto, quod cum reſponſione R. archiepiſcopi Algarbienſis accrevit, revocant primam ſententiam, et in præſenti recurſu proviſionem denegant. Ulyſſipone*, 19. *Novembris* 1744. *Preto, Meyrelles, Siqueira, cum rubrica regii procuratoris.*

XXII. Huic ſententiæ impedimenta objecerunt, quæ fundabantur in poſſeſſione, quam juſtificatam allegabant, tum nomenclaturæ canonicorum, tum declarationis ejuſdem habitus, tum thurificationis eiſdem ductibus (tacendo tamen omnino diverſitatem ſtallorum in choro, et non admiſſionis ad eadem munia canonicorum, et dignitatum, quoad officia aſſiſtentium prælato, diaconi, aut ſubdiaconi ejuſdem celebrantis, imo et eidem inſerviendi miniſtrorum de libro, vel de ferula in pontificalibus actionibus, vel ad officium hebdomadarii etiam ordinarii; et, quod notabilius eſt, etiam non admiſſionis ad celebrandum, etiam private, in ſacello majori, et ad alia, quæ in ſubſequenti allegatione recenſentur): et tandem prætendebant, ſeſe non comprehenſos in novo cæremoniali per ſanctiſſimum Benedictum XIII. reformatum, cujus quidem diſpoſitionem, eandem eſſe dicebant, atque cæremonialis Urbani, et Clem. VIII. Quibuſcum impedimentis, factis actibus eidem tribunali concluſis, prodiit decretum immediatam ſententiam revocans, et in prima ſubſiſtens, et jubens atteſtationem recurrentibus præberi, ad ſupplicationem pro finali in ſenatu aulico, ſecundum ſtylum, deciſione.

XXIII. Pro qua, in hypotheſi, quod recurrentibus favorabilis prodiret, rogativas chartas jubens adimplere, ſequentem paraveram allegationem pro reviſione, ex ſpeciali gratia impetranda: quam tamen non expectans, meliori capto conſilio, antecedenter ad finalis deciſionis prolationem, imo et ad vocationis per ſecretarii epiſtolam, ad ei intereſſendum, intimationem, ad ſereniſſimum regem recurſum habui, totius cauſæ in quodam extraordinario concilio, quamplurimis exemplis fretus, reviſionem ſupplicans, fundamentis ſequenti allegatione expoſitis, et ultimam, ac ſtabilem cauſæ deciſivam conquieſcentiam.

ALLEGATIO LXXVI.

Pro Reviſione in eodem Recurſu, in Hypotheſi, quod aulici Senatus Deciſio favorabilis foret Recurrentibus.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Medii canonici Sylvenſes, vel Pharenſes, non* canonici *in dimidia præbenda, ſed ſimpliciter medii canonici, de jure, et de facto, nuncupari debent.*
III. *Reviſio in caſu præſenti per gratiam ſpecialem concedenda veniebat.*
IV. *Sufficit cauſa probabilis ad hanc conceſſionem.*
V. *Et cauſa gravis.*
VI. *Et, prima vice denegata, conceditur inſuper ex cauſa juſta.*
VII. *Præſertim in judicio de bono et æquo.*
VIII. *Areſtum pro ſuſpenſione executionis ultimi decreti, quatenus non reſolvebatur, an pars decidens admittendus foret cum impedimentis.*
IX. *Opinio contra aliquod principium certum, eſt etiam certo falſa, et improbabilis.*
X. *Sereniſſimus rex Portugalliæ, ut patronus et protector eccleſiarum cathedralium regni, erat competens pro ultima reſolutione.*
XI. *Juſtificatio poſſeſſionis ſine partis citatione, eſt nulla, et facta per teſtes intereſſe habentes.*
XII. *Actus urbani, et mere facultativi, nullum jus, et nullam poſſeſſionem tribuunt.*
XIII. *Eos defectus patiebatur introductio in circulos, imo et expreſſam revocationem per cærem. Rom. reformatum à Benedicto* XIII.
XIV. *Favorabilis recurſus, ſententiam primam expreſſe revocans, detinuit hujuſce reviſionis ſupplicationem, et conceſſionem.*
XV. *Quid inde tandem proſecutum fuerit.*

I. CUM et ſententia ſuper mea ſecundæ chartæ reſponſione, imo, et ipſum decretum palatini ſenatus, pro ultima præcedentis recurſus deciſione, caſu, quod mea præcedens reſponſio non attenderetur, contingens quidem foret; et prudenter timerem, quod mihi forſan favorabile non prodiret, etſi tam notoria juſtitia mihi in illo aſſiſteret; prævenienti cautela, allegationem pro reviſione mihi concedenda (in illa hypotheſi) ſequenti formalitate efformaveram; quam quidem hic exponere haud injucundum, imo et fini à me præcipue intento ſane congruum erit.

II. Igitur facto narrato, et oſtenſo, notorium, et evidens eſſe, ſemicanonicos non eſſe *canonicos*, tum ex titulo, et appellatione ſtatutorum Sylvenſium, necnon conſtitutionum ſynodalium, et propriarum viſitationum capituli decretorum (quibus accedere poterant

rant inſcriptiones, ſeu epitaphia ſepulcrorum aliquorum ejuſdem Sylvenſis eccleſiæ, hoc eodemmet titulo *medii canonici* eorum cadavera diſtinguentium; ſignanter in quodam ad ſeptentrionale latus conſiſtente, ubi ſic legitur: *Hic jacet Joannes Themudus, medius canonicus. Obiit ann.* 1500.); tum quia ex ordine ſedendi, et ex diverſis muniis, diverſe diſtinguantur *prærogativæ*, gloſſ. in cap. *Cum tua*, de conſuetudin. in 6. Cecoper. l. 1. n. 96. Scarfant. ad illum, l. 2. q. 530. medios autem canonicos diverſam quidem hierarchiam à canonicis, et dignitatibus, conſtituere, notorium omnibus, et ſatis evidens, atque manifeſtum erat, ex ordine ſedendi in diverſo ac inferiori ſtallo, et ex diverſiſſimis muniis; nullus enim ſemicanonicus admittebatur ad officium hebdomadarii exercendum, neque etiam ad privatim majori in ſacello celebrandum, neque ad munus aſſiſtentium, aut diaconi, vel ſubdiaconi, prælato celebrante, imo neque eidem de ferula, aut de libro, in pontificalibus inſerviendi, &c. ut in allegationibus pro dubiis ſequentibus fuſius exponitur; pro competentia, et opportunitate prioris mei, et antecedentis recurſus ad regiam majeſtatem in propria perſona, allegabam ea, quæ ex Concilio Trid. ex S. Pagina, et ex juris ſanctionibus, indicantur in allegatione præcedenti; et tandem—

Pro reviſione concedenda:

III. Allegabam imprimis ſpecialia exempla reviſionum, etiam poſt ultimum ſenatus aulici finale decretum, per ſpecialem gratiam conceſſarum tum mihi, in ſtatu Indiano adhuc exiſtenti in duplici recurſu cum formali, et ultimo decreto ſenatus aulici Goani ſtatus, de quibus alibi; et duplici alio, à doctiſſimo et integerrimo Aloiſio Barnabo, auditore nuntiaturæ, ab aliquibus meæ canonicæ congregationis religioſis interpoſito; et in altero à ſapientiſſimo, et obſervantiſſimo epiſcopo Tagaſtenſi, Ulixbonenſis archiepiſcopatus proviſore, de quo infra: et denique ſupplicabam, quod *per ſpecialem gratiam* regia majeſtas, quemadmodum in illis exemplis juſſit per viam reviſionis totam cauſam, *et controverſa dubia, per notam veritatem decidere*, defectu quolibet, aut incurialitate, quæ in proceſſibus forte irrepſerat, minime attento, et interim executionem aulici ſenatus finalium decretorum in totum ſuſpendere; ita conformi providentia impræſentiarum proſpicere dignaretur, ob inſtantes rationes ſequentes:

IV. Nam ſi ad hanc gratiam obtinendam ſufficiebat cauſa probabilis, ex doctrina practici Mend. à Caſtro, l. 3. c. 20. n. 15. cum Cabed. dec. 12. l. 1. *Non poterit eam concedere, niſi ex probabili cauſa*; in præſenti, nedum *probabilis*, verum et *certa*, et *evidens*, qualis erat *competentia* regiæ poteſtatis, ac juriſdictionis majeſtatis regiæ pro illius obſervantiis cæremonialibus, ac liturgicis, et *curialitatis* etiam mei competentis, ac tempeſtivi recurſus ad eandem regiam majeſtatem in propria regali perſona, quas quidem competentias ſententia recurſus negabat (et erat primum et præcipuum illius fundamentum); et ego evidenter de jure, ac de facto, probabam, ex Trid. c. 20. ac 6. ſeſſ. 25. de reform. et ex reliquis in præced. alleg. adductis.

V. Deinde, ſi ad hanc gratiam *ſpecialiſſime* concedendam, prærequiritur *gravitas cauſæ*, ex nupera doctrina Sylvæ ad ordin. l. 3. tt. 95. ad princip. n. 8. in reviſione *ex gratia ſpecialiſſima* ſupremo principi reſervata, ob ſuam regiam ſuperioritatem, quam princeps indulgere poteſt, inſpecta cauſæ gravitate, contra reſoluta, et deciſa, in quo ſenſu, et à ſententia lata à ſupremo principe reviſionem ſupplicare licet, Pereyr. de reviſion. c. 27. n. 13. et de reſolutis in ſenatu aulico agit, c. 100. per tot.

Gravitas autem præſentis cauſæ demonſtrabatur, ex eo, quod involvebat regiæ poteſtatis, ac juriſdictionis *competentiam*; cujus quidem notoria, ac notabilis gravitas patefiebat ex Juſtin. § 1. in *proœm.* inſtit. et l. 1. et ſeqq. de juriſd. omn. judic. et ex eo, quod reſpiciebat honorem, reverentiam, decentiam, ac decorem epiſcopali dignitati, eccleſiæque ſanctitati debitum, necnon perfectioni, tranquillitati, ac decentiæ divini cultus, divinorumque officiorum, imo et fidelium ædificationem, ſpiritualem fructum, et augmentum, diſciplinæ eccleſiaſticæ obſervantiam, pacem, et tranquillitatem publicam, ſcandalorum, atque diſturbiorum, diviſionum, diſcordiarum, et aliorum graviſſimorum malorum ceſſationem, atque in poſterum præſervationem, concernebat, atque inducebat; quæ omnia ex annexis documentis palam fiebant.

VI. Imo, ut hæc gratia reviſionis, etiam poſtquam prima vice denegata fuiſſet, ut abſolute, et effective, concedatur, ſufficit *cauſa juſta*, ex doctrina cit. Sylv. ad § 9. n. 2. *Ex juſta cauſa poteſt princeps concedere aliam reviſionem*, prima denegata, Cabed. dec. 12. n. 8. et 26. Valaſc. conſ. 51. n. 49. qui ibidem ad § 7. n. 1. et 4. ait: Communiter tamen ſolet princeps noſter diſpenſare in hac prohibitione noſtri textus, indulgendo ſupplicantibus, ut novis documentis utantur in gradu reviſionis, Mend. d. n. 7. Barb. l. 12. Per. d. cap. 83. n. 21.

VII. Et faciebat quod animadvertit Per. de man. reg. c. 11. n. 8. In hoc judicio, in quo *de bono et æquo judicatur, partibus, et juſtitiæ cauſæ, ſummoperè conſulitur, ſi partes audiantur, quia cauſam inſtruunt, et juſtitiam aperiunt, laborem levant judici, et in tempore occurrunt, ne per vulneratam cauſam, impedimenta admittantur.*

VIII. Et favebat areſtum ap. Oſor. de reg. patr. reſol. 24. n. 7. quo etiam adhuc poſt ultimam palatini ſenatus deciſionem finalem favorabilem cuidam coronæ donatario adverſum rectorem collegii Conimbricenſis, *quatenus non reſolvebatur, an admittendus, et audiendus eſſet cum ſuis impedimentis*; juſſum fuit ſuperſederi in ultimi decreti executione. Et quamvis cit. D. conceſſionem hanc non approbet, attamen, n. 11. cum Valaſc. conſ. 157. n. 30. reſolvit, quod, *intercedente cauſa gravi, vel maxima*, concedi ſoleat *pendente cauſa*; quæ etiam *pendere* impræſentiarum dici poterat in hoc judicio ſubſidiario, extrajudiciali, ac extraordinario, et non finali principalis cauſæ, in quo via recurſus (quem ego, priuſquam recurrentes, intentaveram meliori modo, et prævalentiori via) in quo de bono et æquo judicatur, præſertim anterioris mei recurſus, qui adhuc ſubſiſtebat proteſtationibus factis, ac ſæpe ſæpius repetitis, in omnibus copiis, ſeu inſpectionibus, mihi ad allegandum exhibitis; nam certum omnino eſt, qnod *proteſtatio conſervat jus proteſtanti*, l. 4. § 1. ff. *Quib. mod. pign.* gl. in l. *Item Labeo*, verb. *Pure famil.*

IX. Quare, ſi juxta doctrinam Lacroix ad Buſemb. lib. 1. n. 160. *Opinio contra aliquod principium certum, eſt certo falſa, et improbabilis*; cum primum et præcipuum illius ſententiæ recurſus fundamentum, huic certo principio *competentiæ* regiæ majeſtatis ad hanc controverſiam dirimendam incederet, ſereniſſimus rex, ut Sacri Concilii Trid. executor, velut reip. *pater*, vel poteſtate ſua *politica*, et *æconomica* procederet; certa remanebat (debita cum reverentia loquendo) illius fundamenti incertitudo, atque inſubſiſtentia, quæ quidem illud ſternebat, ac facilitabat ad prætenſam gratiam obtinendam.

X. Hæc autem competentia ulterius ex duplici illa jam ſuperiori attacta ratione oſtendebatur: 1. Quod ſereniſſimi reges Luſitani ſpeciales patroni ac protectores omnium cathedralium eccleſiarum procedant, Per. de man. reg. c. 22. et 26. Cabed. de patron. c. 37. Acunha ad c. *Cum epiſcop.* d. 23. n. 18. Barb. de pot. ep. l. 1. alleg. 57. Oſor. cit. reſolut. 49. 2. Quod recurſus generaliter (et ſpecialiter anterior à me inteſtatus, qui adhuc pendebat) collimaret ad pacis publicæ conſervationem, necnon reverentiæ, et decoris eccleſiæ Dei, et ejus præſulibus debiti, atque ad diſturbiorum, ac turbationum præſervationem, ſecundum doctrinam Salgad. de prot. reg. prælud. 3. n. 178: *Maxime, cum hæc conſuetudo fundata ſit in jure naturali, divino, poſitivo, canonico, et civili, ne pax publica turbetur, et reſpublica detrimentum patiatur*, &c.

XI. Adverſus fundamentum alterum poſſeſſionis, quæ *titulata* aſſerebatur, refricabatur, quod in præcedenti allegatione attactum eſt; et addebatur, 1. Notorius defectus juſtificationis factæ *ſine partis citatione*, proindeque nulliter, et inattendibiliter, ex c. *Quoniam*, de probat. gl. in rubr. cod. *De in jus vocand.* § fin. ord. l. 3. tit. 63. § 5. Card. in prax. verb. *Citatio.*

Adde-

Addebatur, 2. Quod plures teſtium erant partes intereſſantes, eo quod erant vel reſignantes, vel reſignatarii eorundem ſemicanonicatuum; atque adeo nil concludenter probabant, Cardoſ. cit. verb. *Teſtis*, Deluc. de judic. diſcord. 22. et 32. quibus addebantur notorii defectus *tituli*, manifeſtæ *reſiſtentiæ* juris, et alii ſuperius indicati, necnon rationes ibidem expreſſæ, et infra in ſequentibus ad concernentia dubia allegationibus ſingillatim expenſæ.

XII. Et inſuper oſtendebatur, quod ſi forte prælatus aliquis, majoris honoris gratia, in atteſtatione pro aliqua ſemicanonicatus reſignatione, aliquem medium canonicum titulo *canonici* ſimpliciter voluit condecorare; actus iſte, utpote mere facultativus, nullum jus, nullamque poſſeſſionem recurrentibus tribuebat, ex ſatis notiſſima generalique doctrina, quod in his, quæ fieri ſolent jure facultativo, vel ex voluntate adverſarii, nullum jus quæritur agenti, nec ulla poſſeſſio, vel quaſi, quæ ſit attendenda, non obſtante lapſu temporis etiam immemorialis, Ciarlin. l. 3. c. 231. n. 24. cum Abb. in cap. *Abbate*, n. 9. de verb. ſignific. et in c. *Quod tranſlat.* n. 4. de offic. delegat. *Et actus meræ voluntatis, juris neceſſitatem excludit*, gloſſ. in cap. *Cum eccleſia Sutrina*, de cauſ. poſſeſſi, et propr. gloſſ. in l. *Solent*, § fin. de offic. proconſ. ubi DD.

XIII. Eoſdem defectus patiebatur poſſeſſio introductionis in circulos, quæ tamen ulterius revocabatur ſpecialiter, et ſpecifice, per novum cæremoniale à Benedict. XIII. reformatum, et per bullam *Licet alias*, ejuſdem confirmatoriam, de qua præcedenti allegatione, cujus et ego expreſſus et ſpecialis executor incedebam, &c.

XIV. Ex quibus, et ex aliis fundamentis jam ſuperiori allegatione præmiſſis pro reviſione gratioſa cum ſuſpenſione in palatini decreti executione inſtantiſſima ſupplicabam, cum proteſtationibus competentibus: qua tamen uti opus non fuit, neque pro diviſione aulici ſenatus recurſus ſubivit, ex mihi favorabili ſecunda ſenatus ſententia primæ formaliter revocatoria, ſuperius extenſa. Qua tamen, ex impedimentis retro inſinuatis, etiam revocata, ad ſupplicationem extraordinariæ reviſionis à ſereniſſimo rege mihi gratioſe concedendæ, præventer convolavi.

XV. Hactenus tamen uſque ad menſem Maium præſentis anni 1748. nil progreſſum in hac cauſa eſt; quare ultimum illius eventum exponere non poſſumus.

ALLEGATIO CONCERNENS LXXVII.

Multiplicem continens Allegationem ad ſingula Dubia ſuper præmiſſis S. Congregationi in Viſitatione ad Limina *propoſita.*

SUMMARIUM.

I. Dub. *An ſex medii canonici Pharenſes debeant nuncupari* canonici in dimidia præbenda, *an potius* ſemicanonici? Alleg. *pro ſecunda nuncupatione cum excluſione primæ.*

II. *An ſaltem ratione vocis in capitulo ſint vere canonici, et tales appellandi?* Alleg. *pro negativa.*

III. *An ſaltem per talem nuncupationem in aliquibus atteſtationibus, et bullis reſignationum?* Alleg. *pro negativa.*

IV. *An ſaltem ſemicanonici deberent nuncupari* canonici in dimidia præbenda, *gauderent privilegiis canonicorum; videlicet, prælatum circulando, eidem non genuflectendo,* &c.? Alleg. *pro negativa.*

V. *An decreta Conciliaria Trid. pro vita et honeſtate clericorum beneficiatorum, comprehendat omnes etiam cathedrales beneficiatos, etiam canonicos, et dignitates?* Alleg. *pro affirmativa.*

VI. *An allegatio illius comprehenſionis facta ab epiſcopo in publico edicto, ſit nulla, aut injuſta, aut ſaltem injurioſa alicui ex comprehenſis?* Alleg. *pro negativa.*

VII. *An diſpoſitio conciliaris, ſeſſ. 25. c. 6. de reformat. ſit generalis pro omnibus cathedralibus abſolute, an ſpecialis pro ſolis exemptis?* Alleg. *pro ſolis exemptis.*

VIII. *An electio inefficax conjudicum capitularium poſſit in aliquo officere juri, et poſſeſſioni epiſcoporum Algarbienſium viſitandi, et corrigendi ſe ſolis omnes capitulares?* Alleg. *pro negativa.*

IX. *An electio illa ex errore inducta, et ob id aliquando interrupta, continuanda ſit, an emittenda?*

X. *Exemplar ſupplicationis ad Sanctiſſimum pro præmiſſorum dubiorum, de jure, deciſione, cum compendioſa allegatione ſingulis reſpectiva.*

Eodem ordine, eademque formalitate, qua ſequentia dubitamina, pro reſolutione ſuper præmiſſis, S. Congregationi oblata ſunt, concernenter hic annectuntur.

Sect. I.

Pro prætenſionibus ſemicanonicorum S. Sedis Algarbienſis:

I. Dubium.

I. AN ſex medii canonici cathedralis Algarbienſis, qui ex ipſius eccleſiæ inſtitutione hac nomenclatura, *ſex medii canonici*, in viſitationum decretis, et ſynodalibus inſtitutionibus, nuncupantur, appellari debeant canonici in dimidia præbenda? an potius *ſemicanonici*, vel *medii canonici?*

Allegatio.

Pro ſecunda nuncupatione, cum excluſione primæ, ſtat, 1. Nuncupatio ſtatutorum Sylvenſium, decreta, et conſtitutiones ſupra cit. § 2. et quod non ſint ſemicanonici cum dimidia præbenda *ex accidenti* primæ inſtitutioni poſterius adveniente, ut ſunt illi Conimbricenſis ſedis, et alii, de quibus loquitur Cardoſ. verb. *Canonicus*; ſed ſunt tales ex ipſa fundatione, aut primæ eccleſiæ inſtitutione, juxta præcitata ſtatuta, § 2. et de his ait idem Cardoſ. *Adverte tamen, quod dimidii præbendati non ſunt veri canonici, ſed potius portionarii, manſionarii, et aſſiſſii.*

Neque obſtat, quod præcitata ſtatuta *authentica* non extent: contra enim eſt, primo; Quia, ſi ſtatuta authentica non circumferantur ex fortuita Anglorum invaſione præmemorata, certe authentica ſunt viſitationum decreta, et inſtitutionum ſynodalium, id ipſum enarrantia, et eodem nomine eos appellantia.

Contra, 2. Quia hæc ſtatuta Sylvenſia antiqua, quæ extant, et per continuatam traditionem ſecretariorum capituli circumferuntur, et in quibus decreta viſitationum, et conſtitutionum ſynodalium fundantur, robur accipiunt ex obſervantia, etiamſi informia extarent, Card. Deluc. de teſt. diſcord. 26. n. 11. et 12. et diſc. 66. n. 8. et 9. Stat, 2. Pro ſecunda nuncupatione, cum excluſione primæ; quia *canonicus in dimidia præbenda, dicitur ille*, qui aliquando integram præbendam ex prima inſtitutione tenuit; vel ſaltem, qui, ex ipſa inſtitutione, tali nomenclatura condecoratus eſt, juxta præmiſſa, et juxta doctrinam Cardoſ. cit. *Medii autem canonici* ſedis Pharenſis, nec integram præbendam unquam tenuerunt, neque ex inſtitutione, vel in fundatione eccleſiæ, tali nomine diſtincti ſunt; ſed tantum medii canonici, vel ſemicanonici appellantur. Deinde implicare videtur canonicus cum dimidia præbenda in ipſa fundatione, vel inſtitutione: tum quia nomine *canonicatus* ſæpe accipitur præbenda, et è contra, Cecoper. bibliothec. l. 1. n. 78. Scarf. ad illum, *Si autem ſunt medii præbendati; ergo et medii canonici*; tum quia in canonicatu, cum duo jura decurrant,

currant, et *canoniæ*, et *præbendæ*; Cecoper. ibid. *et canonia ſit jus ad præbendam*, idem ibid. videtur implicare, quod, cum jure ad dimidiam præbendam dumtaxat, ſtet integra, et abſoluta *canonia* ex ipſius inſtitutione; atque adeo quod ſit *canonicus* dimidius præbendatus: quod et contra, ex c. *Relatum*, de præbend. dignum eſt, ut poſtquam Mag. Jo. in eccleſia ſua canonicus eſt inſtitutus; ut debeat præbendæ integritate gaudere, et c. *Dilectus*, 14. ibidem.

Stat, 3. Efficaciter: Quia, quamvis ex fundatione ipſius eccleſiæ una præbenda in quatuor quartanarios diviſa foret, et hi ſimul cum mediis canonicis vocem habeant in capitulo; non tamen unquam appellati ſunt *canonici*, etiam cum addito, nempe in quarta portione. Ergo,

4. Etiam efficaciter: Quia ſemicanonici Pharenſis eccleſiæ habent diverſum ſtallum inferiorem in choro, et diverſa munia à canonicis; nullus enim ſemicanonicus officium hebdomadarii exercet, neque diaconi, aut ſubdiaconi, quando prælatus celebrat ſolemniter, neque etiam diaconorum eidem aſſiſtentium, etiam non celebranti; neque ad celebrandum in majori ſacello admittuntur, &c. de quo ſupra, § 2. Canonia autem eſt *quædam peculiaris prærogativa, ex qua quis conſequitur receptionem in fratrem, ſtallum in choro, locum in circuitu*, &c. *jus ad præbendam*, Cecoper. l. 1. n. 80. Scarfant. ad illum, l. 1. tit. 6. n. 4. Deinde ex ordine ſedendi, et ex diverſis muniis, diverſæ diſtinguuntur prærogativæ, gl. in cap. *Cum tua*, de conſuet. in 6. Lother. de re benef. l. 2. q. 530. n. 45. et elicitur ex cæremon. Rom. l. 3. ſeſſ. 2. c. 1. Cecoper. l. 1. n. 96.

2. Dubium.

II. An, ſaltem ratione vocis in capitulo, ſemicanonici ſint vere canonici, et tales appellari debeant?

Allegatio.

Pro reſolutione negativa faciunt, 1. Deciſiones S. Congregationis à Cardin. Deluc. in una Barenſ. et in alia Hiſpalenſ. et in Traſonenſ. et in Calceatenſ. Deluc. de canonic. diſc. 19. n. 7. et diſc. 20. n. 4. et ſeqq. ibi: *Habere vocem in capitulo non facit canonicum, cum de conſuetudine etiam ſimplices preſbyteri id poſſint obtinere.*

2. Quia quamvis canonici ſupranumerarii, licet careant *præbenda*, ſint vere canonici; quia illam habent in potentia, Cecoper. l. 1. n. 179. Scarfant. ad illum; attamen ſemicanonici Pharenſes, cum ex ipſa fundatione, atque prima inſtitutione, medii canonici ſint, cum dimidia præbenda, neque actu, neque potentia, præbendam habent.

3. Quia ſi vox illa, ſive jus ſuffragandi, ſufficeret, etiam *quatuor quartanarii* eandem vocem habentes, et veri canonici forent, et tales appellantur; ſed non ſunt, neque appellantur, eſto de proximo hanc vocitationem conſequi effectum: ergo.

Si dicant (ut aliquis dixit) quod tres præbendæ in ſex medios canonicos diviſæ fuerunt; proindeque ſi tres canonici ſingillatim, ſeu quilibet ex tribus illis, integram præbendam haberet, *canonicus præbendatus* utique diceretur ante diviſionem, et poſt illam factam eodem nomine vocandus ſit; controvertetur, 1. Quia nunquam tres illæ præbendæ indiviſæ ſteterunt, ſed illico diviſæ in ſex ſemipræbendas, vel ſemicanonicatus, ex ipſa fundatione eccleſiæ. Controvertetur, ſecundo, Quia eadem ratio militaret in præbenda illa diviſa in quatuor portionarios, ſive quartanarios; et etiam in præbenda duplici in decem capellanos diſtributa; et tamen neutri illorum dicuntur in *quarta*, vel in *decima* portione *canonici*.

3. Dubium.

III. An ſemicanonici per nuncupationem canonicorum in bullis reſignationum, vel in aliquorum atteſtationibus prælatorum, maneant veri canonici?

Allegatio.

Etiam pro negativa faciunt aliæ deciſiones apud citatum Deluc. ibid. *Nuncupatio canonicorum non facit veros canonicos*, Deluc. de canon. diſc. 19. n. 6. in una Placentina, 2. Julii 1636. et aliis.

Deinde narrativa non facit jus; proinde neque recitationes gratiarum reſcriptorum, narrativæ ſe confirmantium, aut eam referentium; ex vulgaribus de *relato*, et *referente*; et ex eo, *quod relatio reſtringitur, ac limitatur ad id, quod in relato reipſa continetur, et non amplius*, Decian. conſ. 63. Seſſ. dec. 127. et 128. et 187. præſertim ſi narrativa diverſificetur notabiliter à prælati atteſtationibus, ut ſæpe accidit, quibus quidem atteſtationibus gratia potius confirmari congruit.

Neque actus facultativi honoris, aut condecoraminis prælatorum erga ſemicanonicos in atteſtationibus, aut informationibus ſuis, eos *canonicos* ſimpliciter vocitantium, jus aliquod, aut poſſeſſionem aliquam, vel quaſi poſſeſſionem, in eos conferunt; imo neque in illa poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione, manutentionem, non obſtante lapſu temporis etiam immemorabilis, ut per Innoc. in cap. *Cum eccleſ. Sutrina*, n. 5. de cauſ. poſſeſſ. Abb. in cap. *Abbat.* n. 8. de verb. ſignificat. et in c. *Quoad tranſlat.* n. 4. de offic. deleg. Dec. conſ. 75. n. 6. Surd. Beltr. Poſth. et alii, ap. Ciarl, l. 3. c. 231. n. 24. et ſeqq. Themud. dec. 124. n. 7.

4. Dubium.

IV. An, dato, quod ſemicanonici appellarentur canonici in dimidia præbenda, gaudere deberent privilegiis canonicorum, prælato non genuflectendo, vel in circulis miſſæ cum præbendatis ſeſe immiſcendo?

Allegatio.

Stabilitis præmiſſis deciſionibus apud Cardin. Deluc. cit. videlicet quod nuncupatio canonicorum non faciat veros canonicos, certa videtur reſolutio negativa; quia, deficiente fundamento illarum præeminentiarum, nempe canonicatus veri, et realis, conſequenter et præeminentiæ in illo fundatæ deficiunt; ex vulgaribus: *Ruente fundamento, corruit ædificatum.*

Et ulterius corroboratur, 1. Ex eo, quod, quamvis canonici collegiatæ ſimpliciter appellantur *canonici*, Cecoper. bibliot. l. 1. n. 57. Scarfant. ad illum, tom. 1. Barboſ. de canon. c. 1. et collegium iſtud *capitulum* ſimpliciter nuncupetur, ex eiſdem, et ex cap. *Cum liceat*, de præſcript. Joann. Andr. in c. *Niſi eſſem*, n. 3. de præbend. attamen epiſcopo benedicenti, vel cereos, cineres, aut palmas diſtribuenti, in cathedrali genuflectunt, neque cum canonicis cathedralis etiam in propria collegiata, prælatum in miſſa circulis ambientibus, ſeſe intromittunt, ut cum multis tenet Samuel. lib. 1. conſil. 2. n. 20. Cecoper. l. 1. et 3. Gav. verb. *Canonic.*

Corroboratur, 2. Quia de facto quatuor portionarii, ejuſdem eccleſiæ, eandem vocem habentes in capitulo, non ob eam cum prælato concapitulares æſtimantur, et de facto geneflectunt, etiam ad canonicos, et dignitates, et cum illis in circulis ad miſſam non ſe immiſcent; tum, denique, quia etiam ex conſuetudine ad ſimplices preſbyteros hæc vox poteſt pertinere abſque illarum præeminentiarum uſu, juxta deciſiones apud Deluc. de canonic. diſc. 19. n. 7. et diſc. 20. n. 4. et ſeqq.

5. Dubium.

V. An decreta S. Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. et ſeſſ. 22. c. 1. de reform. et conſtitutiones ſynodales in illorum executionem *pro vita, et honeſtate* clericorum editæ, comprehendant omnes beneficiatos, etiam cathedralis eccleſiæ, et ſemicanonicos, canonicos, et dignitates?

Allegatio.

Expreſſa eſt reſolutio cit. Concil. ſeſſ. 14. 6. de reform. pro parte affirmativa exprimens ibidem omnes eccleſiaſticas perſonas, quantumcunque exemptas, quæ, aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque obtinuerint, ſi, poſtquam ab epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, *honeſtum habitum clericalem illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipſius epiſcopi ordinationem, et mandatum*, &c. *Conſonat cap.* 1. ſeſſ. 22. eod. tit. ubique, *pro vita, exemplo, et honeſtate* clericorum, qui ſe divino miniſterio dedicârunt, tanquam

in ſortem Domini vocati, nedum inferiores, ſed et cathedralium beneficiatos, canonicos, et dignitates, ex identitate rationis comprehendere, nemo dubitat, ex vulgari axiom. *Ratio ubi eſt eadem, debet eadem eſſe juris diſpoſitio; amplia; etiam in lege pœnali*, l. *Illud*, ff. ad l. *Aquil.* Cardoſ. in prax. verb. *Lex*, et verb. *Pœna.*

Et inſuper ſuadetur ex cit. ſeſſ. 22. c. 1. necnon ex ſeſſ. 25. c. 1. de reform. ubique de *modeſtia, honeſtate, continentia, humilitate*, &c. pro epiſcopis ſtatuuntur, *etiam ad S. Romanæ eccleſiæ cardinales pertinere expreſſe decernuntur*; et, fortiori jure, in aliis de vita, et honeſtate clericorum in ſacris, vel *beneficiatorum* decretis comprehenſi neceſſario intelligi debent eſſe canonici, et dignitates cathedralium; ex regula, *Si vincam vincentem te, à fortiori vincam te*, &c.

6. Dubium.

VI. An declaratio illius comprehenſionis facta ab epiſcopo in publico edicto, ſive paſtorali charta, pro generali reformatione, ſit nulla, aut injuſta, aut ſaltem ſemicanonicis ipſis, canonicis, vel dignitatibus, injurioſa?

Allegatio.

Reſolutionem negativam ſuadent præcitata verba laudati Concilii: *Poſteaquam ab epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint*, &c. *juxta ipſius epiſcopi ordinationem, et mandatum*, &c. Et inſuper declaratio ejuſdem Concilii, cit. ſeſſ. c. 1. pro eminentiſſimis cardinalibus quoad eandem honeſtatem, et alibi; et tritum axioma, *Juris executio non habet injuriam*; præſuppoſito, quod epiſcopi decretorum juris communis, et præſertim S. Concil. Trid. ſint expreſſi executores, ex eodem Concilii ſeſſ. 25. de regul. c. 2. et 22. ibidem, et ex bull. Pian. ejuſdem Concilii confirmatoria, et ex cap. *Nulli fas*, 25. q. 1. Raynald. obſervat. crim. tom. 4. ſpl. 5. ad cap. 5. n. 28.

Sect. II.

Pro pertenſionibus eorundem, et canonicorum, quoad conjudices capitulares, ſimul cum prælato canonicorum cauſas judicaturos.

Dubium 1.

VII. An diſpoſitio S. Concilii Tridentini, ſeſſ. 25. de reformat. c. 6. ſit generalis pro omnibus cathedralibus abſolute, an pro exemptis dumtaxat, præſupponendo, et non conferendo ipſam exemptionem?

Allegatio.

Eſſe ſpecialem et reſtrictam pro cathedralibus exemptis dumtaxat, quæ ſpeciale privilegium exemptionis ante ipſam conciliarem diſpoſitionem jam habebant, quod quidem privilegium præſupponit, et non per ſe confert; imo decretum illud conciliare eſſe potius epiſcopis, quam capitulis favorabile, tenent expreſſe, et referunt pluries deciſum Card. Deluc. in dict. Concil. n. 4. et in miſcell. diſc. 24. n. 3. Joſeph. de Proſper. de territ. p. 1. dec. 3. in append. n. 8. ubi notabilem deciſionem affert pro epiſcopo Tarraconenſe adverſus capitulum, non obſtante privilegio, quod capitulum habebat, eligendi præfatos conjudices; et Barb. expreſſe tenet, decretum hoc conciliare non comprehendere eccleſiam *qua cathedralem*, ſed *qua exemptam*. Accedit Scarfant. ad Cecoper. p. 1. dec. 34. per tot. ubi deciſum refert adverſus capitulum Gienenſe, n. 2. Neque obeſt, quod capitulum Pharenſe ſit in uſu hos conjudices eligendi per decurſum, licet interruptum, decem et octo annorum. Non obeſt, inquam, ex rationibus ſequenti dubio appoſitis.

Dubium 2.

VIII. An juri, et poſſeſſioni, qua ſunt præſules Algarbienſes, ſe ſolis viſitandi, et corrigendi capitulares, poſſit in aliquo officere, aut præjudicare electio iſta capituli, duos in conjudices, aut in meros aſſiſtentes pro capitularium cauſis cum prælato judicandis?

Allegatio.

In nihilo officere patet, 1. Quia uſus iſte fuit inductus ex errore, quo quidam capitularis ſibi perſuaſerat (ut aliis evenit, teſte Deluc. cit. in miſcell. diſc. 24. n 1.) decretum conciliare exemptionem conferre omnibus cathedralibus abſolute, et non illam præſupponere pro exemptis dumtaxat; de quo errore poſt biennium animadverſus, ab eiſdem electionibus abſtinuit, uſum illum ſic interrumpens, quod eſt notorium in hac civitate; *et factum ex ignorantia, aut errore, factum non dicitur*, l. *Mater*, de inoffic. teſtam. l. *Neque ignorans*, cod. de donat.

2. Quia conjudices illi electi nunquam ad exercitium conjudicii illius ſimul cum prælato devenerunt, et prælato ſe ſolo ſemper adverſus canonicos proceſſit, alios in carcere ſuo, alios vero in fortalitiis hujus civitatis detinere faciens, etiam paucis abhinc annis, quod et notoriiſſimum eſt.

3. Quia decretum illud conciliare, et ſuppoſitum privilegium, præcipue, et primario, reſpicit viſitationem, ut ex cit. cap. 6. ſeſſ. 25. de reform. liquet; et omnes prædeceſſores mei (imo et ego proxime) capitulum ſe ſolis abſque adjunctorum conſortio viſitârunt; et hæc ſola ratio (in aliarum defectum) ſufficeret, ut dicit cit. Scarfant. dec. 34. n. 2. ad capituli pertenſionem penitus excludendam, et juriſdictionem epiſcopi manutenendam, ac firmandam, etiamſi capitulum ſpeciale ſtatutum pro electionibus illis faciendis haberet, et epiſcopus illa ſtatuta jurâſſet obſervare, cit. de Proſper. n. 16.

Dubium 3.

IX. An electio iſta inefficax, ex errore inducta, et ob id aliquando interrupta, quamvis poſtea continuata, ſit retinenda, an potius omittenda?

Allegatio.

Certum omnino eſt, nullum eſſe, quod nullum producit effectum, et confirmari, aut ratificari non poſſe; et pariformiter nulla, et non facta parificari, et inſuper facta ex errore, aut ignorantia, pro infectis haberi, ex vulgarib. Cum autem electio iſta nullum unquam habuit effectum, aut ad praxim, ſive exercitium conjudicii, redacta eſt, et ad nihil aliud actu inſerviat, niſi ad inobedientiam, et relaxationem capitularium fovendam, vel inducendam, in delictorum affectata impunitate, atque cum maxima eccleſiaſticæ diſciplinæ pernicie, ac perverſitate; omnino omittenda, atque abroganda venire videtur, ex mente ipſiuſmet S. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 6. de reform.

Cætera ſupplebunt ſapientiſſimi, eminentiſſimi, æquiſſimi judices.

Attamen, cum reſcriptum ſuper præmiſſis acciperem per eminentiſſimum Cardin. Valenti, à ſecretis ſanctiſſimi domini noſtri Benedicti XIV. quod contra morem, inſtitutumque Sedis Apoſtolicæ, hoc eſſe compertum eſt, has cauſas per ſimilium dubiorum propoſitionem decidere; uſum eſt ſequenti ſupplicatione—

Beatiſſime Pater,

X. POST expletam ſacrorum liminum viſitationem, ac relatum ſuæ diœceſeos ſtatum S. Congregationis Concilii, exponit humiliter S. V. Ignatius à S. Tereſia archiepiſcopus Algarbienſis, in ſua cathedrali eccleſia Pharenſi, uſque ab erectione, et fundatione, ac unione antiquæ eccleſiæ cathedralis Sylvenſis, ſeptem conſtitutas reperiri dignitates ita graduatas; primam, ſcilicet, decanum; ſecundam, archidiaconum Pharenſem, pro epiſcopali baculo deputatum; tertiam, cantorem maximum; quartam, theſaurarium majorem; quintam, magiſtrum ſcholæ; ſextam, archidiaconum Balſenſem, ſive Tavirenſem; ſeptimam, archidiaconum Lacobricenſem, vulgo *de Lagos*, quibus ſubalternant quatuor ſupra decem canonici, integra gaudentes præbenda, ſex medii canonici cum dimidia præbenda, ex ipſa cathedralis eccleſiæ Sylvenſis inſtitutione, quatuor beneficiarii quartanarii, *capitulares* dicti, quia jure ſuffragii, ſive voce gaudent in capitulo ex conſuetudine, ultra ſex beneficiatos cantores, in ſexta unius præbendæ ſingulari portione inter ipſos diſtributæ, unumque parochum ex ſemicanonicis; cujus quidem ſemicanonicatui animarum cura annexa eſt; eidemque pro coadjutore, ſive annuo curione,

curione, unus ex capellanis collatitiis, ſive choriſtis, adjungitur; et tandem ſex pueri pro chori ſervitio, quos inter ſemicanonicatus unius reditus dividuntur.

Ex hac hierarchica inſignis hujus capituli ſituatione non ſolum eccleſiæ decus, ſed quamplurimi reſultarent ſpirituales profectus, ni ſemicanonicorum, et quartanariorum ambitus omnia, peſſimumque in modum, non ſine ſcandalo miſceret; ex illa namque voce, qua in capitulo gaudent, ex conſuetudine, non adeo neceſſaria, et rationabili, veluti ex infecta radice, mali pullulantur, atque enaſcuntur fructus, imo zizaniæ ſuprema S. V. paterna cura omnino extirpandæ, atque evellendæ; ipſi enim ſex medii canonici, et quartanarii, ſeu beneficiati capitulares, inter ſe colligati, electiones capitulares pro libitu, aut proprio commodo, et plerumque ſine debito delectu, minus dignis appropriant; et ex illa voce, quam in capitulo habent, non tantum ſe canonicos in dimidia præbenda appellari affectant, verum etiam canonicorum præbendatorum præeminentias uſurpare conantur: licetque ex ipſa inſtitutione diverſum ordinem à canonicis conſtituant, ideoque in diverſo, atque inferiori ſtallo ſedeant in choro, diverſaque obeant munia, neque hebdomadarii officium abſolute peragunt, nec diaconi, aut ſubdiaconi, quando prælatus ſolemniter celebrat; et alia hujuſmodi.

Adhuc non verentur cum eiſdem canonicis ſeſe in circulis miſſarum ſolemnium, quibus cum capa paratus aſſiſtat orator, intermiſcere, nec dignitatibus ad benedictionem in evangelio ſolemniter cantando, receptionem cinerum, palmarum, cereorum, recurrentibus ſolemnitatibus, genuflectendo, ipſique oratori perſonaliter, et pontificaliter celebranti in cantu confeſſionis pro indulgentiis in miſſa publicandis verbis, *Et tibi, pater, et te, pater*, omnino genuflectere publice et ſcandaloſe recuſant; imo vix caput inclinant, et minori etiam capitis demiſſione, quam canonici, et dignitates. Qualia exinde oriantur ſcandala, quæ controverſiæ, quodve murmur in capitulo, ſecum reputare valeat Sanctiſſimus Pater, recogitando etiam, quod licet orator lenientia omnia adhibuerit remedia, paternaſque admonitiones quamplurimas ad inſtantiam quoque dignitatum, et canonicorum, adhuc non aliud profecit, quam inflare ſemicanonicorum, et quartanariorum audaciam, coſque adigere ad interponendas, parandaſque appellationes ad regium coronæ tribunal.

Obſtringitur itaque orator in hiſce duriſſimis circumſtantiis, pacis et unitatis ſui capituli interverſivis, implorare ſupremam S. V. auctoritatem, ut dignetur declarare, individuos præfatos non canonicos in media præbenda, ſed *ſemicanonicos* appellari debere; imo ad funditus evellendas omnium perturbationum radices, quia prætendunt ultra iidem ſemicanonici, et quartanarii, ut ſalubres monitiones, præſertim pro vita, et honeſtate clericorum, per oratorem ordinatæ in paſtorali epiſtola non comprehendant beneficiatos, canonicos, et dignitates, ſeu ſemicanonicos, et quartanarios cathedralis eccleſiæ, ulteriuſque diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini, *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 6. quoad deputationem adjunctorum, abſolute comprehendere cathedrales omnes, eaque gaudere præcipue capitulum Pharaonenſe definire, juſſiones ejuſdem paſtoralis epiſtolæ vi ſua comprehendere capitulares omnes, ac ſupra expreſſam conciliarem diſpoſitionem in materia adjunctorum prælaudato capitulo applicabilem non fore. Semicanonicos enim, aut medios canonicos, non autem canonicos in dimidia præbenda appellari debere individuos præfatos, vix dubium eſſe valet; hac namque ſimplici qualitate pollent in ipſa inſtitutione, ut clare conjicitur ex ſtatutis Sylvenſibus in primæva eccleſiæ inſtitutione ordinatis, taliterque conceptis: *Quia in fundatione ipſius eccleſiæ fuerunt inſtitutæ viginti et ſex præbendæ; ſcilicet, viginti duo pro canonicis, et dignitatibus, et tres in ſex medios canonicos, et unam in quatuor quartanarios; et quia, ex abſentia multorum beneficiatorum hujuſmodi numeri, caret dicta eccleſia ſuffragio miniſtrorum (ſex medii canonici).* Eodemque nomine paſſim in dictis ſtatutis nuncupantur, necnon in conſtitutionibus ſynodalibus, *lib.* 3. *c.* 96, 97. 100, 101. *et lib.* 4. *cap.* 62. prout in decretis viſitationum *D. Ferdinandi Martini Maſcaregnas*, editis anno 1068. pro regimine dictæ eccleſiæ cathedralis, ſicque nuncupantur *decret.* 2. *Alias tredecim præbendas tenent tredecim canonici, et ſex medii canonici, habent tres ſinguli dimidiam præbendam, et decem quatuor quartanarii*; adeoque hujuſcemodi nomenclatura, et fundatione ipſa, et primævis legibus capitulis proficiſcens, clariſſime ſuadet, non canonicos in media præbenda, ſed ſemicanonicos appellari debere. Etymon itaque, et ſemicanonicorum qualitas, jam ſatis ſuperque à nomine ipſo demonſtratur; ipſaque media præbendâ cuilibet ex illis aſſignata, canonicam ipſam, integrumque canonici titulum, adeo ab ipſis affectatum, minuere videtur; notum namque eſt Urbanum XI. in Concilio Claramontano, can. 9. et Arnulphum epiſcopum Loxorienſem, epiſtola ad Alexandrum Papam, præbendam canonicam ad demonſtrationem ipſius canoniæ uſurpare, et convertibilitatem quandam inter præbendam, et canoniam ipſam oſtendunt *text. in cap.* Relatum, *et cap.* Dilectus, 1. *de præbend.* Unde tantum abeſt, ut, ex quo polleant præfati individui media præbenda, dici valeant canonici abſolute tales in dimidia præbenda, quod imo realis iſta participatio præbendæ non integræ, improprie, et titulum ipſum, et facultates à præbenda dimitiendo, non canonicos, ſed dimidios canonicos nuncupari omnino debere *ad omnes juris effectus.*

Licetque, jure communi inſpecto, quid diſtinctum à præbenda conſiderari valeat *canonia*, quæ eſt jus habendi ſedem in choro, et vocem in capitulo, proveniens ex electione, ſeu receptione in fratrem, *cap. in Geneſ. ubi gl. verbo* Vel quaſi, *de election.* adhuc non deſinit oſtendere impropriatio illa nuncupationis, ut iſti dici non valeant, niſi medii canonici, ut Rott. dec. 633. n. 14. et 15. p. 4. rec. tom. 3. quodque plus eſt, nomini adamuſſim reſpondet qualitas, et rei ſubſtantia, quia ſemicanonici Pharenſis eccleſiæ à canonicis ipſis diverſiſſimi ſunt, et, ut ſuperius expoſuimus, obeunt diverſa à canonicis munia, et ultra ſtallum inferiorem in choro, hebdomadarii officium non exercent, neque diaconi, aut ſubdiaconi, quando prælatus celebrat ſolemniter, nec diaconorum eidem aſſiſtentium, etiam non celebranti, minuſque ad celebrandum in majori ſacello admittuntur; ideoque nulla uniformitas verificatur, quæ tribuere valeat veram canoniam, ſed potius ex diverſo ſedendi ordine, diverſiſque muniis, diverſimode nuncupari, haberique debent, *ut gloſſ. in cap.* Cum tua, *de conſuetudine in* 6. *Lotter. de re beneficiar. l.* 2. *cap.* 350. *n.* 45.

Quin ad illis tribuendam veram canonicalem qualitatem, vel in minimo juvet animadverſio vocis, qua pollent in capitulo: nam, ultra quam quod vox iſta ſemper cum quartanariis condictitia, uniceque præordinata ad privata eorum commoda, promeretur præcipuam S. V. animadverſionem, ut recta eccleſiaſtica diſciplina, et charitativa unio, profligatis ſcandalis, et inconvenientiis quibuſcunque, præfato capitulo reddatur; compertiſſimum tamen eſt, ſolam competentiam vocis in capitulo non facere quenquam canonicum, cum de conſuetudine etiam ſimplices preſbyteri id obtinere valeant, ut referendo plures reſolutiones Sac. Congregationis, *Cardin. Deluc. de canonic. diſc.* 19. *n.* 7. *et diſc.* 20. *n.* 4. id, quod in noſtro capitulo experimento probatur: nam jure ſuffragandi pariter ex conſuetudine gaudent quatuor quartanarii; et tamen non ſunt, neque appellantur canonici, licet nuper à ſemicanonicis ipſis ſubmoti, qualitatem aliquam majorem, et ipſi affectent; idque etiamſi ſtudioſe curaverint iidem medii canonici in aliquibus bullis apoſtolicis reſignationum, vel atteſtationibus prælatorum, canonici nuncupari in dimidia præbenda; vulgata namque eſt regula hujuſcemodi enuntiativas nullam adſtruere probationem, quando principaliter dubitatur de enuntiato.

Ultra quam quod ſtudioſe nimis, ut innuimus, iſtiuſmodi enuntiativæ ad efformandum inane jus procuratæ extiterunt, nullamque de ſui natura prærogativam, aut poſſeſſionem, vel quaſi, tribuere declarat *text. in cap.* Cum eccleſia Sutrina, *de cauſ. poſſeſſ. Abb. in cap.* Quoad tranſlationem, *n.* 4. *de offic. delegat.* Et canonicorum nuncupationem nunquam facere veros canonicos, late tradit *Cardin. Deluc. de canonic. cit. diſc.* 19. *n.* 6. ideoque concludendum,

non

non canonicos in media præbenda, ſed ſemicanonicos appellari debere, quia tales ſunt ex ipſa fundatione, tales multipliciter in ſtatutis, conſtitutionibus ſynodalibus, et decretis viſitationum, nuncupati fuerunt; nec nomen diſcordat à rei ſubſtantia, et ab ipſorum qualitatibus vere dimidiatis, veriſque canonicis nullatenus cohærentibus. Sed, dato etiam, quod ſemicanonici iſti appellarentur canonici in dimidia præbenda, non tamen gaudere deberent canonicorum prærogativis, induendo qualitates illas, de quibus ſuperius verba fecimus; et ſignanter prælato non genuflectendo, vel in circulis miſſæ cum præbendatis ſeſe immiſcendo.

Obſervantia namque noſtri capituli, vicem obtinens legis capitularis, facit jus, nec profecto interverti debet. Quumque uſurpari pertendatur contra vetuſtiſſimam conſuetudinem controverſa prærogativa ex ſola voce, quam habent in capitulo; ſupra vidimus illam nullum tribuere jus, ex deductis *per Cardin. Deluc. de canonic. diſc.* 19. *n.* 7. *et* 20. *n.* 4. *et ſeqq.* exemplo quartanariorum voce in capitulo æque pollentium, non tamen veluti concapitulares exiſtimat; et de facto genuflectunt etiam ad canonicos, et dignitates, nec uſurpare curant cæteras prærogativas, veris canonicis debitas. Hincque patet, quam reperiantur animo elati noſtri ſemicanonici, ſpirituque contradictionis agitati reſiſtere etiam voluerunt ſatis provido, et juſtiſſimo oratoris zelo, quo in ſua paſtorali epiſtola præcipue eccleſiaſticis omnibus certam inculcavit habitus decentiam, vitæ, et honeſtati clericorum neceſſariiſſimam; et tamen refractarii iſti, pluribus etiam diſſeminatis inconſultis ſcriptis, prætenſionem extulerunt, canonicos, et capitulares, non comprehendi, illiſque potius paternam oratoris monitionem injurioſam quodammodo reddi.

Et tamen exemplo pernicioſiſſima eſt hujuſcemodi prætenſio, omnibus juris regulis adverſans; canonicos enim appellatione clericorum in hiſce contineri firmant *text. in cap.* Cum in cunctis, § Clerici, *de elect. cap.* Cum clerici, *de verbor. ſignificat. cap.* Per exceptionem, *de privileg. in* 6. prout clariſſima eſt lex Sacri Concilii Tridentini, præſertim ſeſſ. 14. cap. 6. de reform. taliter expreſſa—*Omnes eccleſiaſticas perſonas, quantumcunque exemptas, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem, illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipſius epiſcopi ordinationem, et mandatum,* quibus conſonat *cap.* 1. *ſeſſ.* 22. *eodem titulo.*

Igitur non ſolum comprehenduntur capitulares omnes ſub hujuſcemodi providiſſima ordinatione, ſed nulli prorſus illata extitit injuria, ut regulare eſt in quacunque juris executione, prout adamuſſim epiſcopi decretorum juris communis, et præſertim Sacri Concil. Tridentini, ſunt expreſſi executores, *canon.* Nulli fas, 25. *quæſt.* 1. *et ex eodem Concilio, ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 21. *et* 22. Non diſſimilis eſt contraria prætenſio ſuper electione conjudicum capitularium, ſimul cum prælato canonicorum cauſas judicare debentium; clara namque eſt litera Sacri Concilii Tridentini, *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 6. loquens; ſcilicet, tantummodo de cathedralibus exemptis, quæve ſpeciale privilegium exemptionis habebant ante ipſam conciliarem diſpoſitionem, non autem de capitulis ordinariæ epiſcopi juriſdictioni ſubjectis, ut eſt capitulum Pharenſe.

Veritatem hanc fere apud omnes doctores de materia tractantes compertiſſimam, non evitant capitulares ſub prætextu, quod idem capitulum Pharenſe ſit in uſu hos conjudices eligendi per temporis decurſum, licet interruptum, decem et octo annorum: nam, ultra quam quod prætenſus iſte uſus ex errore promanavit, quo capitularis quidam ſibi perſuaſit (ut aliis eveniſſe teſtatur Cardin. Deluc. in miſcell. diſc. 24. n. 1.) decretum conciliare indiſcriminatim prærogativam hanc conferre omnibus cathedralibus; et errore poſt biennium animadverſo, ab eiſdem electionibus abſtinuit; unde ſubalternat juris diſpoſitio, quod factum ex ignorantia, aut errore, factum non dicitur, *l.* Mater, *ff.* de inoffic. teſtam. *l.* Neque ignorans, *cap.* de donat. Adhuc præcavendum, quod conjudices illi electi nunquam ad exercitium conjudices ſimul cum prælato devenerunt; imo prælatus per ſe ſemper adverſus canonicos proceſſit; et alios in carcere ſuo, alios vero in fortalitiis civitatis Pharenſis detinere faciens, etiam paucis abhinc annis, quod eſt notoriiſſimum. Quumque decretum illud conciliare primario reſpiciat viſitationes, attamen omnes prædeceſſores oratoris, et orator ipſe nuper capitulum per ſe abſque ullis adjunctis, viſitârunt; adeoque non ſolum prætenſa obſervantia, utpote interrupta, non concluderet in linea aptivitatis proprie, ſed imo contraria hæc obſervantia juncta cum clariſſima juris aſſiſtentia operaretur libertatem prælati in quocunque judicio, ut *Scarfanton. dec.* 34. *n.* 2. *Rott. penes Proſp. de territor. ſeparat. dec.* 9. *fere per tot.*

Dignabitur ideo S. V. ne incidat orator in ullam contraventionem bullæ S. M. Julii III. de cauſ. non avocan. declarare *indubium jus* ſuper prætenſis omnibus oratori aſſiſtens, ut ſic ejus labores ſui gregis ſpirituali regimini, ſuæque eccleſiæ decori, et tranquillitati aſſiduo intenti fructuoſi eſſe valeant. Et ideo, &c.

His itaque in Romana curia verſantibus reſcripta eſt mihi à S. Congregatione ſequens epiſtola, die 2. Julii 1746. in reſponſione meæ *ad ſacra limina* viſitationi; qua, licet laudibus à me haud æque pro meritis, ſola duo dubia, ibidem expreſſa, reſolvunt, reliqua ad ſpecialem plenam congregationem reſervando, formalitate, quæ ſequitur:

Perilluſtri et reverendiſſimo domino, uti fratri, epiſcopo Pharaonenſi, &c.

Vide infr. in fine alleg. 149.

ALLEGATIO LXXVIII.

Apologetica ſuper Contradictione Capituli Pharenſis adverſus § 12. *et* 14. *meæ Paſtoralis impreſſæ Anno* 1743. *et editæ ingreſſo jam Anno* 1744.

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *Subſtantia reſcripti mei fuſæ capituli Pharenſis epiſtolæ.*
III. *Decretum Tridentini, ſeſſ.* 14. *c.* 6. *de reformat. comprehendit omnes canonicos, ac dignitates.*
IV. *Ubi eſt eadem ratio, debet eſſe eadem juris diſpoſitio.*
V. *Nulla bona diſparitas aſſignari poterat à capitularibus de dignitatum comprehenſione in decreto non celebrandi cum annulo, et non comprehenſione in reformatione habitus,* &c.
VI. *Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi ſtatuta condere abſque conſilio capituli.*
VII. *Licet epiſcopus, et canonici unum corpus efficiant, epiſcopus tamen eſt caput illorum.*
VIII. *Actus facultativi nil juris, aut poſſeſſionis, conferunt.*
IX. *Rejiciebatur, ut injurioſum, medium à capitulo propoſitum.*
X. *Ab executione decretorum Concilii Trident. non datur appellatio ſuſpenſiva.*
XI. *Epiſtola eminentiſſimi Cardinalis* Valenti *à ſecretis ſanctiſſimi P. Benedicti* XIV. *reſoluteria dubiorum.*
XII. *Clauſulæ aliquæ hujus reſcripti ponderabiles.*
XIII. *Epiſtolarum principum nemo tenetur exhibitionem facere abſque ſpeciali mandato.*

I. FI-

I. FINITA personaliter mea generali visitatione totius hujusce Pharensis diœcesis, totum hoc Algarbiorum regnum comprehendentis; et in illius executionem, generali mea edita charta pastorali, cum § 12. et 14. aliqua super vita, et honestate clericorum ordinarem, quibus sacri Concilii Tridentini, et constitutionum synodalium expressionibus inhærens declarabam, decreta illa omnes quidem beneficiatos, etiam canonicos, et dignitates, necnon protonotarios apostolicos comprehendere; adversus hanc extensionem, quasi canonicali dignitati, ac præeminentiæ injuriosam, nomine capituli mei, uno efficacius promovente, diffusissima epistola (de qua fit mentio alleg. 75.) minori, quam par erat, reverentia, ab eodem promotore dictata, mihi tandem oblata est, insubsistentibus nixa fundamentis, quæ ex breviori, et competenti responsione mea facile dignoscentur.

II. Rescripsi enim possibili brevitate dicens, pastoralem meam novam legem non condere, neque imponere, sed jam impositas, ac stabilitas in sacro Concilio Trid. sess. 14. cap. 6. de reformat. et in constitutionibus synodalibus, l. 3. cap. 1. unice declarare: qui autem, quod de jure inest, declarat, haud innovat, l. *Adeo*, § *Cum quibus*, ff. de acquir. rer. dom. c. *In parochia*, 16. q. 1. gl. in c. 2. de rescript. et quamvis citatæ constitutiones verbis, *Clericos sacrorum ordinum, et beneficiatos*, inter illos non expresserunt *canonicos, et dignitates*; ideo fuit, quia minime necessaria fiebat talis specialis, sive individualis expressio, semel quod dispositio constitutionum ipsarum foret in ejusdem Concilii Tridentini executionem, ut in cit. cap. 1. aperte enuntiatur; et Concilium ipsum cit. cap. 6. dignitates, canonicos, vel personatus exprimeret, verbis sequentibus:

III. *Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem, et mandatum, non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, et reditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem beneficiorum hujusmodi, coerceri possint, et debeant.*

Et sess. 25. cap. 1. ibidem, proprio nomine exprimens eminentissimos cardinales, declarat, comprehendi in dispositionibus vitæ, et honestatis episcoporum moderativis: *Non solum jubet, ut episcopi modesta supellectili, et mensa, ac frugali victu, contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ei domo, caveant, nequid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum . . . quæ vero de episcopis dicta sunt, ea non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentes, pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. E. cardinales pertinere decernit*, &c.

Ex materia autem contenta sess. 22. c. 1. ejusdem Concil. ibid. quam constitutiones synodales prosequebantur c. 26. et 27. evidens fiebat ad *hominem* etiam canonicorum, et dignitatum, verbo *Clericos sacrorum ordinum, et beneficiatos*. Nec credendum, et minus asseverandum foret, leges has in his prohibitionibus mores, et honestatem respicientibus, solos extraneos beneficiatos, non vero cathedralium, comprehendere voluisse: et sane contradictio hæc indecorosa quidem capitulo evadebat.

IV. Hinc etiam convincebatur, non posse dici *odiosam, aut pœnalem*, declarationem illam contradictam, quemadmodum talis non foret respectu canonicorum regularium (erat exemplum ex adverso objectatum, citando Valens. 1. p. c. 43.) dispositio in materia votorum essentialium, *monachos*, non *qua monachos*, sed *qua religiosos*, arctans; quæ quidem etiam canonicos regulares, non *qua canonicos*, sed *qua religiosos*, ex eadem rationis identitate comprehenderet. *Nam ratio ubi est eadem, debet esse eadem juris dispositio*, l. *Illud*, cod. de sacrof. eccles. § *Pari ratione: amplia, etiam in lege pœnali*, Cardos. in prax. verbo *Lex*, Menoch. de præsumpt. l. 5. pr. 33. n. 18.

V. Neque bonam, veram, aut concludentem disparitatem adhibendam dicebam, cur capitulum tacuerat, et nil reclamaverat ad antecedentem publicationem generalium decretorum visitationis generalis, imo et particularis sedis cathedralis, in quibus pro decentia, ac reverentia sacratissimi sacrificii eucharistici expresse cavebam, ne sacerdos aliquis, etiam doctor, aut protonotarius apostolicus, aut canonicus cathedralis, annulo uteretur in missa, secundum declarationem S. rit. Congregationis 1623. ap. Gavant. v. *Annulus*; ibi: *Annulus in missa prohibetur protonotariis non participantibus, et doctoribus, et canonicis cathedralium, in quibus dignitates intellige* (Nota comprehensionem, etiam in materia odiosa): et solum nunc non taceret, et ardenter adeo ac irreverenter reclamaret in materia honestatis vitæ, ac morum? Quod quidem capitulo ipsi indecorosum, et indecens sane esse inspiciebatur.

VI. Sed, dato, quod hæc declaratio, vel dispositio, nova quidem lex foret, certum erat in jure, et apud omnes DD. cum Abb. in cap. *Consuetudinis*, de consuetud. episcopum posse in sua diœcesi statuta condere absque consilio capituli cathedralis, quia jurisdictionem, quam habet, acceptam refert à Pontifice, non à capitulo, Gasparr. inst. canon. in proœm. n. 17. Antonell. de regim. l. 1. c. 1. Busemb. et ex reliq. DD. ex cap. *Ut animarum*, de const. in 6. c. 1. § 5. de privileg. eccles. Sperell. dec. 14. n. 21. Ricc. Barb. Genuens. Frederic. &c. sicut capitulum eadem potest condere extra synodum absque consilio cleri, *sede vacante*, juxta DD. citatos.

VII. Et quamvis certum foret, quod objiciebatur, capitula cum suis episcopis unum corpus efficere, sicut eminentissimi cardinales cum Summo Pontifice, cujus *fratres* appellabantur (sicut appellantur episcopi) pariformiter certum etiam esse dicebam, quod, sicut per id eminentissimi cardinales non desinebant subditos esse Summi Pontificis, et illum ut patrem agnoscere, et revereri; ita capitulares non desinebant subditos esse episcoporum suorum: licet namque respectu reliqui cleri forent *capitulum*, sive *capita*; respectu tamen episcoporum erant *membra*, ut ex Abb. in cit. cap. tenet Gasparr. cit. n. 18. *Episcopi, et canonici, constituunt unum corpus, cujus ille est caput, hi membra*; de qua veritate addebam, neminem unquam dubitasse, sed paucos aliquos præsentis capituli, vi cujus, adhuc in subjecta epistola meipsum, non nomine *patris, aut domini*, quo me ecclesia, etiam in publicis actionibus, solemniter distinguit, sed insulso, atque inepto nomine *fratris primogeniti*, minus reverenter designabant, antiquo et affectato exemptionis insinuandæ inefficaci conatu.

VIII. Jusjurandum, quo se obstrictos allegabant, ad proprias præeminentias defendendas, etiam in memoria adducebat, quod æque præstabant ad visitationum, et regiminum decreta observanda, quæ fere omnia his, et similibus iniquis conatibus, semicanonici præsertim, quotidie frangebant, quarum infractionum breve scholium indigitabatur. Neque exempla laudata aliorum præsulum, dato, quod vera notitia foret (nam, re examinata, vera non erat) mihi pro norma, aut regula mearum actionum non inservire debebant, sed illa voluntas, approbatio Dei; cui sane contradictam pastoralis meæ dispositionem ne in minimo quidem displicere recte credebam. Et casu, quo in præfata pastorali mea aliquis minus urbanitatis, vel politicæ defectus adinveniretur; hic eam certe nec invalidam redderet, ex vulgaribus, quod *actus urbani, et facultativi, nil juris conferunt, aut possessionis*, ex c. *Cum eccles. Sutrina*, n. 5. de caus. possess. Abb. in abbate, n. 9. de verb. signific. et in cap. *Quoad translat.* n. 4. de offic. delegat. Surd. cons. 127. dec. cons. 75. Belor. ad Ludovis. 162. Posth. de manut. observat. 53. Ciarl. l. 3. c. 231. n. 24.

IX. Denique absolute rejiciebam, ac reprobabam medium, quod exquirebant, indecorosum, et impracticabile delendi, quæ in duplici illo §§ continebantur; et pro illo proponebam justum, et competens recursus utrinque ad Sanctitatem suam, ut extrajudicialiter decidere, vel declarare dignaretur, an pastoralis meæ comprehensio, omnium beneficiatorum, etiam cathedralis, in aliquo invalida, vel injusta, vel saltem capitulo ipsi injuriosa foret? Reliquis autem in

epiſtola illa contradictoria à capitulo meo objectatis, ut ſuperfluis, et omnino à caſu præſenti alienis, reſpondere omiſi, ſicut et ad aliquorum dicteriorum ineptias retundendas conſulto abſtinui.

X. Medium à me propoſitum minime amplectens capitulum meum à duplici controverſo ſegmento paſtoralis præfatæ ad nuntiaturam appellavit; cui appellationi in ſuſpenſivo nullatenus detuli, tum eo quod erat appellatio à decretis viſitationis generalis, et ex illa reſultantibus, tum quia erat ab executione decretorum S. Concilii Tridentini, et ob alias rationes contentas in bulla noviſſima *Ad militantis eccleſiæ* ſanctiſſimi D. N. Clementis XIV. regnantis. Ad quem ipſummet capitulum recurſum fuit, nedum adverſus præſignatum § 12. et 14. ſed et varias gloſſas, ac notas ſugillativas aliorum ſegmentorum, et in illis contentorum, cenſorie obtrudens. Ex quo recurſu promanavit oraculum ſanctiſſimi domini noſtri Clementis XIV. pereminentiſſimi cardinalis Vicenti à ſecretis mihi participatum in-ſequenti reſcripto—

Epiſtola eminentiſſimi cardinalis ſecretarii.

Illuſtriſſimo et Reverendiſſimo SIGNORE,

XI. *DOPO di aver eſpreſſa a V. illuſtriſſima nell'ingionta lettera Latina la mente, e i ſenſi di nueſtro ſignore ſopra i punti della lettera ſua paſtorale, debbo in queſta ſignificarle riſpetto à quello dell'appellazione interpoſta dal capitulo della cathedrale a codeſta nunziatura, dai capi 12. et 14. della medeſſima ſua paſtorale, che ſiccome ſua Beatitudine ſcorge contener queſti materie tutte, da cui non elecito di appellarſi, ne deve ammeterſi l'appellazione, ſecondo tutte le diſpozioni canoniche, coſi le inſinua la Santita ſua di far cittare in detto tribunale per mezzo del ſuo promotore fiſcale, por la revoca di quei decreti, che ſono ſtati fatti da monſenor nunzio, in ſeguito dell'ammeſſa appellazione; e ſendoſi gia ſopra di cio dati allo ſteſſo miniſtro apoſtolico gli ordini opportuni: e qui godendo di poter ratificare a V. S. illuſtriſſima la mia diſtinta ſtima, le bacio le mani. Roma 19. Giúgno 1744. De V. illuſtriſſima ſervitore,*

C. VALENTI.

XII. In hoc reſcripto ponderanda eſt clauſula univerſalis, *ſecundum omnes diſpoſitiones canonicas:* quæ quidem hac formalitate exarata eſt, ut comprehenderet nedum diſpoſitiones decretorum ſacri Concilii Trident. ſed et poſterius Clem. VIII. Urb. VIII. et Bened. XIII. in appendice ad novum Concil. Lateranenſe, ſed et noviſſimam ſanctiſſimi domini N. Bened. XIV. actu regnantis, incipientem *Ad militantis eccleſiæ*, qua cuncta præmiſſa confirmantur, et innovantur; quæ quidem, § *Inhærentes*, ita præcipit, ac diſponit: *Diſtricte præcipimus, et mandamus, ne deinceps ab executione decretorum dicti ſac. Concilii Tridentini in omnibus illis cauſis, et negotiis, in quibus executio hujuſmodi epiſcopis, et locorum ordinariis, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatis, ab eodem ſacro Concilio, vel dictis apoſtolicis conſtitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacunque poſtpoſita, commiſſa eſt, appellatio aliqua in tribunalibus prædictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales, vel ſpeciales cum commiſſione inſerta, monitoria, et alia hujuſmodi, per quæ dictorum decretorum executio retardetur, aut proceſſus ad ulteriora in eadem executione ſuſpendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.*

Itaque à quibuſcunque mandatis, prohibitionibus, proviſionibus, et ſtatutis, tam in viſitatione, quam extra, pro divino cultu conſervando, et augendo, et præſertim circa ea, quæ obſervanda, et evitanda ſunt in celebratione miſſæ, aut alio quovis modo reſpiciunt executionem decreti ſac. Concilii, ſeſſ. 21. de reform. cap. 8. et ſeſſ. 22. in decret. de obſervand. et evit. in celebrat. miſſ.

XIII. Præmiſſi reſcripti copia authentica, et hujuſce bullæ allegatio pro impedimento ad progreſſum appellationis à capitulo objecta eſt, ad hoc, ut perpetuum ſilentium in cauſa præfigi mandaretur. Et cum pro parte capituli requireretur exhibitio proprii reſcripti, ſeu epiſtolæ, necnon alterius Latino idiomate conſcriptæ, de qua prior mentionem facit; pro mea parte allegatum eſt, 1. Non teneri exhibitionem facere de epiſtolis principum abſque ſpeciali eorum mandato, Peg. ad regim. ſenat. palat. cap. 100. n. 4. et ſi dubitetur de principis voluntate, ad eum eſt recurrendum, Marchezan. de commiſſ. p. 1. tt. appellat. ab executor. § 1. n. 46.

2. Quia non apparebat finis juſtus, aut verus, ad talem exhibitionem, neque ex parte judicis, neque ex parte appellantium. Non ex p. primi, quia excellentiſſimus nuntius, et ejus auditor, de hac epiſtola optimam, ac certam notitiam præhabebat, et inſuper de gerendis apprime erat inſtructus, ut ex ipſamet conſtabat: non ex parte appellantium; nam à me ejuſdemmet epiſtolæ copia ipſiſmet capitulariter congregatis in aula capitulari emiſſa erat: non ex alio juſto motivo, niſi cauſam injuſte protelandi, vel demorandi, &c.

Epiſtolæ autem Latinæ exhibitio minus facilis, ac practicabilis fiebat, tum ex materia ipſius, tum quia non erat, ut ipſi opinabantur, ordo ipſe, aut inſtructio excellentiſſimo nuntio pro revocatione illius appellationis inſinuata. Sed erat quoddam paternale conſilium, atque inſinuatio, pro nova paſtorali identica quoad eaſdem materias, ſed quoad formalitatem præciſis calumniæ, et ſugillationum anſis, aliqualiter diverſificata, de qua in ſubſequenti allegatione.

ALLEGATIO LXXIX.

Vindicativa Notarum, ac Sugillationum, aliis ejuſdem Paſtoralis Capitibus impoſitarum.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſeries.*
II. *Subſtantia meæ Pontificio reſcripto reſponſionis.*
III. *Satisfactio primæ notæ ſuper concionatorum imprudentia in declamando adverſus publicam, prætextu hypocriſis, virtutis profeſſionem.*
IV. *Non fuit animus meus vetare declamationes adverſus hypocriſim, quæ in paſtorali ipſum* vitium *agnoſcitur, ſed exempla alia, quæ laudantur, imitari.*
V. *Satisfactio notæ ſuper diſpoſitione erga communionem quotidianam.*
VI. *Et notæ, quod uni culpæ duplex pœna injungebatur.*
VII. *Similiter et notæ ſuper diſpoſitione in injuſtos advocatos.*
VIII. *Non eſt ſuperfluum concedere per particulare privilegium, quod jam à jure communi conceſſum eſt: neque*
IX. *Res ex ſe leves, ex gravitate finis, atque circumſtantiarum, poſſunt ſub gravi præcepto interdici.*
X. *Multa prohibentur directive, et non rigoroſe præceptive.*
XI. *Unde colligatur gravitas præcepti à legiſlatore intenta.*
XII. *Conſtitutiones diœceſanæ Portugalliæ comminationibus cenſurarum abundant.*
XIII. *Sacriſtianatus ſive theſauriatus parœciarum amovibiles, non eſſe beneficia, ſed officia, eſt communis opinio, et caſus ſæpiſſime judicatus.*
XIV. *Concluſio vindicationis.*

I. UNUM ex arbitriis à præfato capitulari meo omnium prædictarum contradictionum motore præcipuo ad enervandam præmiſſam meam paſtoralem electum, hoc fuit, adverſus aliqua ipſius capita varia coram Sanctiſſimo objicere, medio domini nuntii Portugalliæ, ut à S. ſua provide corrigerentur, ut affectabat; vi cujus objectionis prodiit reſcriptum per eminentiſſimum Cardinalem Valenti à ſecretis Sanctiſſimi P. quo ſummatim enuntiabantur ſequentia; videlicet, Quod, &c.—

II.

II. Quo tempore à Pontifice Maximo poſtulaveram, ut paſtoralis epiſtola mea apoſtolica auctoritate confirmaretur, literæ ad illum à meo capitulo datæ ſunt, quibus poſtulatum ab illis vehementer erat, ut quod à me ſcriptum fuerat, 4. 6. et 26. capitulis, auctoritate apoſtolica emendaretur. Quarum quidem objectionum, et aliarum, quæ ſcrupulum aliquem inducere poterant, mihi per eminentiſſimum Cardinalem Valenti, à ſecretis ſanctiſſimi D. N. Clem. IV. notitia participata, et ſimul, ejus nomine, hoc paternum conſilium inſinuans, *Videri quidem ejus judicio prudenter, et ſalva prorſus mea dignitate, atque fama, facturum me, ſi novam mea ſponte paſtoralem epiſtolam emitterem, in qua me ad omnia conformarem, quæ mihi à Pontifice Maximo hiſce literis, pro paterna ſua voluntate, communicanda mandavit*, &c.

Cui competenter reſcripſi Sanctitati ſuæ, poſt ſacrorum pedum devotiſſimam deoſculationem, immortales gratias rependens ob paternalem, ac opportunam providentiam, qua per ſeipſum controverſam aliquorum capitularium meorum appellationem capitibus 12. et 14. paſtoralis meæ, typis mandatæ, decidere dignatus fuerat: necnon honorificam, et candidam inſinuationem prudentiſſimi, et æquiſſimi arbitrii, ſuperius attacti, *ut minus æquis judiciis, et rumoribus hominum, anſam omnem præciderem, et nullum calumniæ locum relinquerem* (verba formalia erant ipſiuſmet Pontificiæ inſinuationis); quæ omnia quidem et ſingula hilariter adimplere me incipere dicebam, quod et tandem effeci in nova paſtoralis epiſtolæ publicatione, quæ etiam prælo tradita eſt (de qua infra n. 3.) et ne in decretis paſtoralis meæ epiſtolæ fundamento, aut exemplo, deſtitutus proceſſiſſe videretur, breviter, ſingulis objectis ſingulares ſatisfactiones reverenter adhibebam.

III. Et, 1. Notæ § 4. quo concionatores imprudentes, qui prætextu hypocriſis vitii, adverſus publicam virtutis profeſſionem ex dæmonis inſtigatione, graviter, et ſcandaloſe invehuntur, reprobabam: in eodem plane ſenſu ea tradidiſſe dicebam, quo S. ſua in eadem epiſtola recte eadem uſurpabat, ut ibidem enuntiabatur: *Adduci minime poteſt Pontifex Max. ut credat, eam tibi, docto præſertim, et integerrimo præſuli, mentem fuiſſe, ut ſacris concionatoribus hoc vetares, ne contra vitium hypocriſis in concionibus inveherentur: ſed potius fuiſſe tibi propoſitum, ut cum alia frequentiora magis, et popularia per diœceſim vitia graſſarentur, admirari te quidem valde, quod, cæteris prætermiſſis, ſacri oratores in unum vitium hypocriſis omnes curas, atque omnes eloquentiæ nervos intendant, quod ipſum vitium præpoſtere, atque vitioſe inſectantur, cum ejus nomine, atque prætextu, profeſſionem virtutis ipſam traducunt, atque inſectantur, magno animarum periculo, quæ publica à profeſſione virtutis, ad quam tenentur, falſa opinione alienantur*, &c.

Aſt quia proſequebatur inſinuans, explicatione opus eſſe et dilucida, et accurata, quæ nullum calumniæ locum relinqueret; id ipſum profecturus proteſtans (quod et in nova paſtoralis, § 6. perfeci) omnibus concionatoribus commendans, quod in S. Concil. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. et Lateran. cap. 10. tit. 1. et in monitor. *A pluribus*, Innoc. XI. univerſis injungitur.

IV. Et inſuper declarans, meam in præfata illa redargutione mentem non fuiſſe vetare declamationes adverſus hypocriſim, quæ in ipſo contextu *vitium* agnoſcitur, et appellatur; ſed quod illius palliatione, ac prætextu, impie et inique exagitari prætendebatur in eodem ſenſu à Sanctitate ſua ſupra expoſito. Et ad exemplum illuſtriſſimi Yepes in vita meæ Seraphicæ Tereſiæ, occaſione impudentis, atque imprudentis cujuſdam evangelici concionatoris publice è ſuggeſtu declamantis, eamque *malam fœminam, petram ſcandali, vagabundam, energumenam, pythoniſſam*, appellantis; ut narrat Agapet. in ejuſdem paneg. ad quod Yepes cit. *Que eſta es la laſtima deſtos tiempos, que haviendo tantos ſcandalos en las republicas, tantas abominaciones, y offenſas de Dios en las calles, y plaças, diſſimulan eſtas con un dañoſo ſilencio los predicadores, y convierten ſus ſermones a niñerias, y impertinencias*, &c.

Et ad exemplum etiam chronicarum Societ. Jeſu regni Luſitaniæ (A. P. Telleſio) redarguentium conſimilem prætextatam imprudentiam aliquorum concionatorum aperte, ac libere declamantium adverſus ſancta exercitia publica virtutis, quæ venerabilis Societas Jeſu, et ſanctiſſimus ejuſdem patriarcha Ignatius de Loyola invexerat, ita ut etiam ad tribunal Fidei ea denuntiata deferrent; de quo etiam P. Bernard. in Floreſt. p. 2. et ad exemplum aliorum DD. ac EE. ſignanter ſuper illud Iſa. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras*: et Mat. xxiii. 24. *Docentes doctrinas hominum, culicem abigentes, et camelum deglutientes*: et 2 Tim. iv. *Ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus*, &c. et ad exemplum illorum tandem, qui redarguunt eos, qui, ſpecie zeli, zizania hypocriſis evellere affectantes, triticum virtutis, zizaniis inoffenſis, radicitus evellunt.

V. Pro decretis autem § 5. et 6. circa communionem quotidianam, quamvis S. ſuæ judicium foret ſequens; *Epiſtola quidem tua et religionem teſtatur, et egregiam voluntatem tuam*; cum ibi tradita jubebat reducere ad terminos S. Congregationis concilii decreti ſub Innoc. XI. anno 1679. editi, de quo Felix Pot. Corell. in pract. Lacr. 1. p. l. 6. n. 665. Monacell. 2. p. tit. 13. effective reduxi, eſto mens mea fuiſſet inhærendo ſynodalium decretis, et quamplurium DD. judicio, Salmantic. Fr. ab Annunt. et aliorum, ne ex una parte reverentia, ac devotio huic tremendo ſacrificio debita, frequentia et aſſiduitate vileſceret, ut in Germania jam eveniſſe reperitur ap. Bloſ. de ſign. eccleſ. lib. 9. c. 15. Taulevum, et alios. Ad quam frequentiam, ab aliquibus nimis facilem redditam, non ſufficit exemplum ſacerdotum quotidie celebrantes abſque conſcientia gravis ſceleris, tum quia eam quotidianam frequentiam in his cohoneſtat ratio officii, vi cujus ſunt ſpeciales interpellatores, ac interceſſores inter Deum, et homines, hoc propitiatorio ſacrificio mediante, Trident. ſeſſ. 22. c. 6. de ſacrific. miſſ. Barufald. ad rit. Rom. tr. 23. n. 25. quæ quidem rationes omnino in laicis deficiunt; imo et pro fœminis religioſis, ut ſacræ euchariſtiæ eis quotidiana refectio permittatur, cum hac modificatione, *ſi puritate mentis eniteant, et fervore ſpiritus incaluerint*: licet ad mentem ejuſdem ſacr. Concilii concludat; *Ut nemo à ſacro convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur.*

VI. Notæ vero, quod uni culpæ, duplex pœna, alia ſpiritualis, alia brevis mulctæ temporalis imponeretur; præter juris utriuſque ipſius diſpoſitionem, l. *Regular*, ff. de pœn. c. *Attendend.* 17. q. 4. ub. gloſſ. verbo *Duplex*, in cap. *At ſi clerici*; opponebam conſtantem ſtylum, et conſuetudinem omnium diœceſanarum conſtitutionum regni Portugalliæ, et ejus conquiſtarum, necnon ſimilium actualium prælatorum paſtoralium epiſtolarum, imo et ipſiuſmet tribunalis nuntiaturæ, ut ex famoſa fixatoria nuperrima (quam producebam) auditoris *dela Ciaya*, qua cum pœna ſpirituali majoris excommunicationis ipſo facto ſimul imponebatur mulcta pecuniaria non minus, quam quingentorum aureorum. Quo tamen ſtylo non obſtante, pauciſſimas, et leviſſimas meæ paſtoralis mulctas, ad pœnam ſpiritualem dumtaxat, populorum levamini conſulens reduxi, et ex majori juri communi conformitati, l. *Senatus*, ff. de accuſat. l. *Qui de crimine*, cod. eod. tit.

VII. Notam vero aliam indebite taxantem, me pro advocatis injuſtis cauſas juſtitiam non certo probabilem habentes defendentibus, peccatum pronuntiare, quod ſua natura notorium, ac grave peccatum erat; convenienter vindicabam ex certa, quem præhabebam, ſcientia, advocatos aliquos (ut ab eiſdem non ſemel audivi) hac futili ratione ſeſe à gravi peccati noxa excuſare prætendere, videlicet *quod non judicant, ſed tantum allegant*; et, ad hoc, opus non eſſe præhabere certitudinem, ſaltem probabilitatis juſtitiæ, ſed ſufficere, quod rationum allegandarum expoſitiones, imo et ſubtilitates, eam vel probabiliter, vel apparenter ſaltem probabilem innuere faciant: cum in contrarium, ſi non probabilior, ſecurior tamen circumferatur opinio primæ notæ DD. videlicet, Selv. Val. Arr. tom. 3. d. 14. Burgh. Eliz. et aliorum ap. Lacr. l. 4. n. 1507. nervoſe ſuſtinentium, advocatos non poſſe innoxios cauſas minus probabiles

babiles patrocinari, eo quod directe intendant judices ſententiam pro jure minus probabili, et quod hoc practice probabiliori juri (quod præſciunt) præferatur; quæ quidem illicita plane ſunt.

VIII. Deinde, ſicut ſuperfluum non eſt concedere per particulare privilegium, quod jam à communi jure conceſſum eſt, de quo Card. Petr. to. 2. in conſt. 6. Honor. 3. n. 57. ex cap. *Cum olim*, 14. de privileg. c. *Quia in cauſ.* 7. de procurator. Azor. p. 1. l. 5. c. 23. Salg. Laber. p. 2. c. 17. neque quo de jur. communi expreſſe prohibetur, à privato etiam interdici, ex praxi generali prælatorum, legibus municipalibus vetantium, quæ à jure communi prohibentur, et ex doctrina Soares, Pal. &c. de legibus; vel eandem pœnam alicui culpæ ab homine imponi, quæ jam à jure eidem infligitur, cap. *de cauſis*, de officio delegat. § *Illis*, et aliis jurib. ita mihi ſuperfluum non apparuit, quod naturali, vel poſitivo jure communi peccatum dignoſcebatur, per legem municipalem, talem declarare, præſertim aliquorum advocatorum aliqua practice in contrarium ignorantia, vel malitia intercedente; quod inſuper, et multiplici lege poſitiva, atque Pontificiis conſtitutionibus ex utroque jure, qaamplurima naturali lumine per ſe nota, per legem ſcriptam ſæpe declarantibus, confirmari poſſe videtur. Et illa tandem paſtoralis meæ formalis declaratio, apud DD. moraleſ cum Sayro, l. 10. cap. 23. n. 18. ſic formaliter reperitur: *Non poteſt abſolvi, qui paratus eſt, quaſvis cauſas defendendas ſuſcipere*; quam quidem in paſtorali me proſequi, vitium non fore putavi.

Quare in nova paſtorali hæc omnia expreſſius interdixi, ſuperaddens ex doctrina Navarr. Silveſt. Sayr. Cujac. Trull. Filiuc. Sanch. cum D. Rom. 2. 2. quæſt. 712. et aliorum apud Buſemb. et Lacr. ad illum, p. 1. l. 4. dubit. 3. n. 1506. et ſeq. ſufficere ad gravis ſceleris contractionem, atque damnorum compenſationem, reſtitutioniſque obligationem, ſi advocatus defendat articulum juſtum cauſæ injuſtæ, ut ſic adverſarium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet Trullench. l. 8. c. 5. d. 3. ex Cay. Sayr. &c. Et ſicut judex nequit judicare ſecundum opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, juxta damnationem propoſ. 26. Alex. VII.

Ita advocatos non poſſe patrocinari cauſam minus probabilem, præſertim, ſi certi ſint, oppoſitum eſſe probabilius, ut ſecurius, imo ut probabilius, tuentur Arr. tom. 3. tit. 24. ſeſſ. 5. Elizald. l. 7. q. 6. § 7. Burgh. cum Sylv. Val. et alii; quia directe intenderent, ut judex ſecundum jus minus probabile judicaret, præſertim quando crederent, et ſperarent, ſe in patrocinio evicturos. Vid. Lacr. cit. n. 1507. Et confirmatur efficaciter: quia ſi privatus graviter peccaret, efficaciter deſiderando, conſulendo, ac ſolicitando ſententiam à judice pro juſtitia minus probabili alicujus partis, eo quod foret cauſa efficax realis peccati illius judicis, ſententiam dantis pro jure minus probabili, contra Pontificiam damnationem; multo magis advocatus patrocinando, ratiocinando, &c.

Et adverſus nimiam facilitatem injuſtam, qua advocati aliqui appellationes notorie frivolas, et fruſtratorias, cum gravi damno, ac præjudicio partium, et cauſarum ipſarum, imo et propriæ cujuſlibet conſcientiæ, vel conſulebant, vel interponebant, formale præceptum, cum comminatione formalis cenſuræ, pronuntiabam, jubens deinceps in auditoriis mihi ſubjectis ſervari ad unguem pro appellationibus negandis, vel concedendis; quod decretum reperitur per ſanctiſſimos PP. Clem. VIII. Urban. VIII. et Benedict. XIII. cum declarationibus ad novum Concilium Lateranenſe appenſis, et noviſſime per ſanctiſſimum Benedict. XIV. actu regnantem, in nuperrima conſtit. *Ad militantis eccleſiæ*, 3. calend. April. anni Domini 1742. expedita, ubi ejus obſervantiam omnibus *diſtricte præcipit, et mandat*, cum ſequenti declaratione, § *Volumus*, in fine: *Volumus, præcipimus, et mandamus, quod ab archiepiſcopis, patriarchis, ſeu primatibus, aliiſque judicibus eccleſiaſticis, etiam noſtris, et Sedis Apoſtolicæ nuntiis, vel de latere legatis, etiam S. R. E. cardinalibus, atque etiam cameræ noſtræ generali auditore, ſignaturæ juſtitiæ præfecto, cæteriſque judicibus Romanæ curiæ, eorumque vicariis, et officialibus, citationes generales, vel ſpeciales, cum commiſſione inſerta, monitoria, et alia hujuſmodi cum inhibitione, per quam executio decretorum, mandatorum, et proviſionum hujuſmodi retardetur, ſuſpendatur, aut impediatur, minime concedantur; et quatenus nunc, aut in poſterum conceſſa fuerint, nullatenus inhibeant; atque ab epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis, impune ſperni poſſint, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut ſtylo concedendi inhibitiones in cauſis prædictis, tametſi temporarias, penitus excluſis.*

IX. Alteram vero cenſuram, quod res, in ſe leves, videbantur à me vetari graviter, et per modum præcepti, quæ per modum conſilii dumtaxat prohibenda videbantur; etiam facili negotio vindicabam ex communi doctrina Salmantic. tom. 4. tr. 15. c. 6. pu. 9. Soar. l. 3. c. 25. Cajet. in ſumma, Seſſ. Laym. Buſemb. de legib. dub. 4. ad illum, n. 656. et ſeqq. et aliorum edocentium, res in ſe leves, ex gravitate finis, atque circumſtantiarum, poſſe quidem ſub præcepto gravi interdici; ut, v. g. ne mulieres extra eccleſiam, et extra confeſſionarium convenienter ſeparatum, et non niſi à confeſſariis, ſæcularibus, vel regularibus, quadraginta annorum ætatem attingentibus, ad ſacramentalem confeſſionem admittantur, et alia hujuſcemodi.

X. Et multa quidem prohibentur, ac mandantur expreſſe, quæ tamen non exinde intelliguntur vetari per modum rigoroſi præcepti, ſed per modum directionis, et conſilii, imo et majoris decentiæ, ut frequenter patet in præceptis cæremonialibus, in rubricis eccleſiaſticis, et aliis pro præviis ad ſacram euchariſtiam conficiendam, ſumendam, atque adminiſtrandam, diſpoſitionibus dignoſcitur. Imo etiam de ipſis rigoroſis præceptis inquit cit. Lacr. n. 657. *Verba præceptiva non ſemper indicant præceptum perfectum obligans ſub mortali, uti recte Leſſ. in auct. verbo* Religioſus, *cap. 4. n. 8. Sâ, et alii ap. Caſtropal. d. p. 9. n. 4. et verbum* Debent *quandoque tantum importat decentiam, aut melius eſſe*, &c.

XI. Unde ex gravitate materiæ, et circumſtantiarum, et ex ipſa formalitate præcepti, et finis à legiſlatore intenti, colligitur illius graviter, vel leviter obligandi intentio. Et impræſentiarum ex defectu pœnæ, vel cenſuræ annexæ, in pluribus ex præceptis notatis, colligi ſane poterat defectus intentionis ſub gravi culpa obligandi; ex doctrina Buſemb. cit. et aliorum ap. ipſum, dub. 4. § 5. *Potiſſima ſigna, ex quibus colligi poteſt, an lex obliget ſub gravi culpa, ſunt hæc:* 1. *Si materia ſit gravis, et non conſtet in contrarium de voluntate præcipientis: unde Caj. in ſum. ver.* Cler. *docet, clericos tantum peccare venialiter, dum, contra præcepta juris poſitivi, aves et canes ſequuntur ad venandum.* 2. *Si verba magnam vim habent, ut jubemus, interdicimus in virtute S. obedientiæ; vel vi voti, aut juramenti; vel graviter mandamus, &c.* 3. *Si pœna magna adjiciatur, ut excommunicationis, depoſitionis, maledictionis æternæ, exilii perpetui, mortis.* 4. *Si ita fert uſus, et conſuetudo, inter peritos, et timoratos; quia conſuetudo eſt optima legum interpres, ut patet in l. jejunii eccleſiaſtici, et abſtinentiæ à carnibus; item communionis annuæ, quas graviter obligare probat hic Tolet. Lay. c. 14. n. 4. Bon. p. 7. § 4.*

XII. Pariformiter conſimilem aliam notam multiplicitatis cenſurarum, quibus tanquam extremis remediis parcius utendum videtur, exemplo etiam reliquarum paſtoralium Portugalliæ præſulum coloneſtatur, necnon omnium ejuſdem diœceſanarum conſtitutionum, quæ adeo ſpecialibus majoris excommunicationis cenſuris abundant, ut in conſtitutionibus Portucallenſibus, correctionibus, et communi calculo doctioribus, utpote à doctiſſimo epiſcopo Tagaſtenſe, illuſtriſſimo Emmanuele Sylvio Frances, elaboratis, decem ſupra centum majores privatæ excommunicationes numerentur; et hujuſce diœceſis Pliarenſis ſynodalibus conſtitutionibus ultra octoginta ſpeciales inveniuntur: ſtatuta autem, ſeu regimina capitularia, tot, tantiſque majoris anathematis ſcatent cenſuris, ut in capitulari viſitatione, eas numero, et qualitate minuere provide curaverim.

Et

Et ſane experientia horum Portugalliæ regnorum, ejuſque conquiſtarum, nos ſatis edocet, ſi eccleſiaſtica decreta ſimplici, etſi formali, præcepto, et non cenſura aliqua roborata promulgentur; inefficacia prorſus evadere, et incaſſum exequi regulariter mandari.

XIII. Demum declarationem illam § 26. juri conformem, qua annualis theſaurariatus, ſive ſacriſtianatus parœciarum, non eſſe beneficia, ſed officia amovibilia, alia certa, veraque declaratione excuſabam, ſincere aſſeverans, per id, neque ultimum Sedis Apoſtolicæ judicium, neque juris punctum me definire intendiſſe; ſed quod juri conforme, communique DD. opinioni, et judicatis caſibus cohærens invenitur, tradere; de quo videndus Garc. de benefic. p. 1. cap. 2. pu. 93. Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 57. Oſor. de patr. reg. reſ. 74. n. 4. Ricc. in prax. reſolut. 151. Gonſ. ad reg. 8. gl. 2. et gl. 5. n. 7. ad licitudinem autem legis ex parte prælati, ſufficere probabilem opinionem DD. nedum probabilis, verum et communis opinio eſt, cum D. Thoma, D. Bernard. D. Bonavent. Sanch. in decalog. l. 6. c. 3. n. 6. Cardin. Criſ. 2. d. 2. Soar. Molin. Mend. Laym. Caſtr. Pal. Buſemb. l. 1. Lacr. ad illum, n. 433. et alii.

Hæ erant præcipue vindiciæ meæ epiſtolæ paſtoralis decretorum, critica fugillatione à quodam capitulari meo notatorum, et nomine totius capituli, minus vere, Sanctitati ſuæ oblatorum: cui etiam per manus eminentiſſimi Cardinalis Valenti, digniſſimi ſui ſecretarii ſtatus, præſentes facere curavi; et pro coronide eidem eminentiſſimo domino eloquium dirigens, ſic proſequebar: *Ah! eminentiſſime, et mihi valde colendiſſime domine, quantum vereor, et quaſi futuri præſcius jam prævenienter doleo, ne ad illorum exemplum leve et ſuave jugum Domini reliqui ſubditi confringere nitantur, eidemque colla ſubjicere, ac ſervire recalcitrando recuſent; et, pecorum more, præcedentium veſtigia ſequentes (ut Seneca deplorat) pergentes, non quo eundum, ſed quo itur, alienis pereant exemplis! et quæ ab initio eorum prædeceſſores Sylvenſi civitate, jam ſacrilege patrârunt; à patre diabolo nunc etiam ſuggerente, ejus deſideria iterum velint perficere!*

XIV. Et tandem concludebam, hæc ſuavi Dei Opt. Max. providentiæ relinquens, qui fauſte cuncta diſponeret, meque denique convertens ad generalem aliam, ſecundum Beatitudinis ſuæ paternum prudenſque conſilium, epiſtolam paſtoralem elaborandam, indulgentiam pro diffuſa, quamvis mihi neceſſaria æſtimata, extenſione benevole impertiendam expoſtulans; et inſimul, ut quicquid in ea minus bene ordinatum, minuſve juris principiis cohærens repertum fuiſſet, indulgentius relevaretur; quippe quod in ſolitaria, atque deſerta eremo, ab omni commercio, et humana ſocietate aliena, inter moleſta matutini, veſpertinique quotidiani balneorum remedii impedimenta, interruptionibus, ac diſtractionibus variis, totalique codicum ſuffragii, ſupremæque manus adhibitione confectum demum, vel infectum erat.

Finis harum controverſiarum dabitur infra.

APPENDUNTUR

Aliquæ doctiſſimæ, etſi breves, compendioſæ tamen

ALLEGATIONES

ILLUSTRISSIMI DD.

EMMANUELIS DA SYLVA FRANCES,

Epiſcopi Tagaſtenſis, quondam Portucalenſis Epiſcopatus Vicarii Generalis, et poſtmodum Primatialis Bracharenſis Archiepiſcopatus Proviſoris, et ejuſdem Civitatis Seminarii Rectoris, ac demum Orientalis Sedis Olixbonenſis Vicarii Generalis in ſpiritualibus,

IN

RESPONSIONIBUS

AD

Varios ab eo Recurſus intentatos, et Conſultationibus aliquibus, per formalia.

Cum præcipuus hujuſce laboris ſcopus ſit prælatorum levamen, et eorum laboris evitatio in facili inſtructione exemplari pro reſponſionibus, juxta materiarum varietatem variis recurſibus adhibendis; non abs re erit, neque ab utilitate alienum, ſequentes doctiſſimas allegationes hic per formalia verba aliena verſione ſubjungere, ut etiam lector illarum reſponſionum formalitatis, ſecundum ſtylum, noviter hic inſtructus incedat.

ALLEGATIO LXXXI.

In Reſponſione ad Chartam rogatoriam expeditam à Coronæ Judicio, in Recurſu cujuſdam Laici, ob Punitionem à Judice eccleſiaſtico pro Extractione cujuſdam detenti, è Manibus eccleſiaſticorum Officialium avulſi, illi infligendam, neque ab eccleſiaſtico Judice ſuſpenſam, ſed perſecutam etiam poſt Chartam rogativam, quam illuſtriſſimus Judex non adimplevit.

SUMMARIUM.

I. *Qui extrahit detentum de manibus juſtitiæ eccleſiaſticæ, turbat et offendit ejus juriſdictionem.*
II. *Debet puniri à judice, cujus mandato reus detinebatur.*
III. *Etiamſi detractor ſit laicus, et judex eccleſiaſticus.*
IV. *In illius punitione judex eccleſiaſticus vim non facit.*
V. *Reſpondetur diſpoſitioni ordinationis regiæ, l. 2. tit. 9. § 4.*
VI. *Lex reg. non poteſt minuere juriſdictionem eccleſiaſticam.*
VII. *Punitio extractionis in hoc caſu videtur eſſe mixti fori, juxta aliquos DD.*
VIII. *Contrariam opinionem tenent alii.*
IX. *In hoc caſu nulla circumfertur concordia.*

RESPONSIO.

DOMINE,

I. EXTRAHERE detentum aliquem è manibus juſtitiæ eccleſiaſticæ, nihil aliud eſt, quam certo, et efficere offendere, ac turbare eccleſiaſticam juriſdictionem, tot. tit. *Nequis eum, qui in jus vocatur, vi exigat*; et tot. tit. *de eo, per quem factum intrat*, &c. ubi DD. Themud. 3. p. dec. 266. n. 20.

II. Unde qui talem detentum extrahit, puniri debet à judice, cujus juriſdictionem turbat, Menoch. conſ. 130. n. 82. Themud. ubi ſupr.

III. Etiamſi turbator, ac offenſor laicus ſit, et judex offenſus eccleſiaſticus, cap. *Olim*, ubi gloſſ. et DD. *de injuriis*, cap. *de pœnis*, in 6. cap. *Dilecto*, de ſent. excom. eod. lib. Cortiad. tom. 3. dec. 167. n. 4. Bobadil. in politic. l. 2. c. 17. n. 87. Genouenſ. in prax. cap. 10. Farin. l. 2. conſ. 134. n. 3. Tondut. de prævent. quæſt. 2. cap. 46. n. 8. Paſſerin. ad text. in d. cap. 1. *de pœnis*, in 6. n. 2. Larrea, dec. 1. n. 13.

Quare reus laicus, vel quilibet alius exemptus, qui detentum detrahit de manibus officialium, aut miniſtrorum eccleſiaſticorum, puniri debet ab eccleſiæ judicio, Cortiad. et Genouenſ. ſupr. Themud. dec. 263. n. 23. Oliv. de for. eccleſ. p. 2. c. 23. n. 5. Cyaloa de for. comp. cap. 37. n. 51. Farin. in prax. 1. p. q. 30. n. 94. Amendol. ad Franch. dec. 147. n. 1. et dec. 442. n. 5.

IV. Et judex eccleſiaſticus, talem perturbatorem puniens, vim non facit, neque violentiam committit, reſolvit Cevall. de cognit. per viam violentiæ, quæſt. 100. per tot.

V. Neque contra præmiſſa obſtat diſpoſitio ordinationis reg. lib. 2. tit. 9. § 4.

VI. Nam, præterquam quod lex regia juriſdictionem eccleſiaſticam minuere, aut deprimere non valet, neque, quod illi à jure competit, tollere, cap. *Placuit*, 16. q. 7. lex *Privilegia*, cod. de SS. eccleſ. authent. *Caſa Leuren.* ad jus canon. l. 1. tit. 2. quæſt. 110. n. 1. Oliv. de for. eccleſ. d. quæſt. 23. n. 5. verſ. *Non obſtat*; minime de catholico monarcha præſumi poteſt, voluiſſe per eam legem juriſdictionem eccleſiaſticam deprimere; præſertim, quando in ea proteſtatur, velle diſpoſitione hac juriſdictioni eccleſiaſticæ favorem, et auxilium obſequioſum præſtare.

VII.

VII. Unde, ad summum dici potest, ordinationem regiam, in illa dispositione, voluisse dumtaxat constituere culpam hanc inter casus *mixti fori*; et ideo eam inter reliquos casus mixti collocavit, atque comprehendit, ut bene notavit Oliv. supr. n. 5. vers. 3. opinioni inhærens aliquorum DD. qui idem astruunt.

VIII. Ast verum quidem est, quod neque casus hic sit mixti fori, sed privativus judici ecclesiastico, ut cum Farinac. cons. 134. per tot. resolvit Themud. dec. 263. n. 21. et sæpe declaravit Sacr. Congr. Immunitatis apud Petrum Ant. Ricc. synops. decret. Sacr. Congr. verb. *Causarum cognitio quoad exemptos*, n. 13. *Causæ homicidii*; et n. 14. *Caus. rixæ*.

IX. Neque in hac re invenitur aut circumfertur concordia aliqua, qua hæc legis regiæ dispositio sustineri possit. Igitur ex præmissis doctrinis satis demonstratum habeo, me absque gravi jurisdictionis ecclesiasticæ offensa, et conscientiæ meæ scrupulo, exequi, et adimplere non posse præsentem chartam rogatoriam. Attamen regia majestas vestra, quid sibi æquius visum fuerit, jubere dignabitur, &c.

ALLEGATIO LXXXII.

In Responsione ad Gravamen ab Auditore, et Procuratore Oppidi de Azurara, Diœcesis Portucalensis, intentatum ab Executione cujusdam Decreti Visitationis à Parocho Observantiæ mandati.

Nota, quod hanc responsionem A. ordinavit, dum vicarii generalis præfatæ diœcesis munus exerceret; ex quo confirmantur asserta c. 13, 14. et 25. ac seqq.

SUMMARIUM.

I. *Gravamen ad judicium coronæ habet locum dumtaxat in casibus vis oppressionis, et violentiæ notoriæ.*
II. *Episcopus potestatem habet conficiendi statuta, et constitutiones in sua diœcesi.*
III. *Episcopo competit regimen sui episcopatus, et rerum ecclesiasticarum illius.*
IV. *Majus signum jurisdictionis, est potestas constituendi leges, et statuta.*
V. *Episcopus habet potestatem corrigendi suos subditos ecclesiasticos.*
VI. *Remedium extraordinarium habet tantum locum, ubi defuit ordinarium.*
VII. *Ut recursus ad coronam detur, non sufficit quale-quale gravamen parti illatum à judice; sed requiritur, quod denegetur appellatio admissibilis interposita ad superiorem.*
VIII. *Jus tertii non licet allegari.*
IX. *Ab executore mero non datur gravamen.*
X. *A judice deprecato exequente precatorium, non datur appellatio.*
XI. *A parocho exequente mandatum sui superioris, non licet interponi gravamen.*
XII. *Limitatur, quando non potest interponi ab ipso superiore.*

Domine,

EX plurimis fundamentis deneganda est provisio huic gravamini ad hoc judicium interposito per auditorem, et procuratorem oppidi de Azurara; imo veniunt ipsi AA. reprehendendi; eo quod intendunt assequi auxilium, ac regiam protectionem in casu, quo jus illud non permittit, turbando indebite jurisdictionem ecclesiasticam, et in censuras incurrendo bullæ Cœnæ.

I. Primo, Quia dubium est, non dari gravamen ad hoc judicium coronæ, nisi quando committitur vis notoria, oppressio, et violentia, ordin. l. 1. tit. 9. § 12. et lib. 2. tit. 1. § 13. Explicat Gabr. Per. de man. reg. 1. p. cap. 7. n. 2. Barb. in 2. votor. vot. 48. n. 6. cum seqq. Oliv. de for. eccles. 1. p. quæst. 15. n. 34. Mend. à Castr. 2. p. l. 1. cap. 2. n. 53. Gasin. de defens. reor. defens. 1. n. 10. Quæ quidem oppressio, et violentia notoria, cum non fuisset illata recurrentibus, non est locus gravamini ab ipsis interposito.

2. Quia gravamen à recurrentibus interpositum consistit in eo, quod parochus executioni mandaverit quoddam visitationis decretum, quo illustrissimus episcopus hujus diœcesis disposuit, parochos non debere admittere ad officia, et emolumenta defunctorum, nisi clericos approbatos, et habilitatos ad confessiones audiendas.

II. Quæ dispositio, utpote valde concernens justitiæ, et bono animarum proficua, cum non possit dici injusta, consequenter in ejus ordinatione nullam violentiam commisit illustrissimus præsul, qui gaudet potestate condendi decreta, et constitutiones in tota sua diœcesi, cap. 2. de const. cap. *Catholic.* 11. distinct. ubi gloss. et doct. de major. et obed. Barb. de pot. ep. cap. 2. in compend. 2. p. n. 49. et hoc disponit etiam const. episcopat. tit. 43. const. 1. Themud. dec. 50. n. 34.

III. Ipsi enim competit regimen sui episcopatus, et rerum ecclesiasticarum illius, cap. *Siquid*, cap. *Decret.* cap. *Regend.* cap. *Quicunque*, 10. quæst. 1. Barb. de potest. episcop. in dict. compend. n. 46.

IV. Adeo, ut potestas leges et statuta condendi sit signum jurisdictionis, Oliv. de for. eccles. p. 1. quæst. 29. n. 2.

V. Maxime quando obligant ecclesiasticos subditos suæ jurisdictionis, in quos habet superioritatem eos corrigendi, cap. *In memor.* 19. dist. cap. in singul. de stat. monachor. Barbos. de potest. episc. dict. compend. n. 55.

3. Quia, quando recurrentes sese gravatos in prædicto decreto sentirent, habebant remedium appellationis, et impedimentorum.

VI. Atque adeo non poterant juvari remedio extraordinario recursus; quod non permittitur, dum patet ordinarium, ex text. in caus. 17. ff. de minorib. l. *Quidem*, ff. de edend. ordin. l. 3. tt. 44. § 2. et ibi gloss. n. 2. Scacc. de jud. 1. p. cap. 51. n. 28.

VII. Ac proinde, ut sit locus interpositioni gravaminis ad hoc judicium coronæ, non satis est, quod judex gravet quomodocunque; sed adhuc opus est, quod ab eo appelletur; et judex appellationi, aliunde receptibili, non deferat; tum enim denegatio appellationis aperit viam gravamini, ut ex ordinat. docet Pereyr. in illis verbis: *E sendo de receber*, p. 1. cap. 22. n. 12. et 13. Salg. de reg. protect. p. 2. n. 43. et seqq. Oliv. 1. p. q. 17. n. 59.

4. Quia per dictum decretum non est censendum, illatum fuisse gravamen aliquod recurrentibus; non enim prohibita fuit ipsis præsentatio, seu nominatio capellanorum ad missarum celebrationem; sed, quod jubet illustrissimus episcopus, est tantum, quod parochus non vocet clericos ad assistentiam, seu functionem officiorum, perceptionemque emolumentorum, nisi habilitatos ad confessiones; quod videtur non offendere, nec tollere jus recurrentium.

VIII. Et, si aliquod gravamen potuisset in hoc dari, respiceret ipsosmet capellanos, et hi tantummodo poterant illud interponere; nullatenus vero recurrentes, quibus non licet jus tertii allegare, ut probat text. in leg. *Loci corpus*, § *Competit*, ff. *Si servitus vendicatur*, l. *Si alienam*, ff. *Solut. matrim.* Cabed. 1. p. dec. 63. n. 1. Surd. dec. 108. n. 2. tex. in leg. *Uti frui*, ff. *Si ususfructus petatur*, Scacc. de jud. 2. p. cap. 7. n. 405.

IX. 5. Quia, dato, et non concesso, quod aliquod gravamen illatum fuisset recurrentibus, illud interponi non debebat à parocho, quia est executor merus; maxime cum adest in hac diœcesi illustrissimus episcopus,

ſcopus, et ejus vicarius generalis, in cujus præſentia à mero executore non datur gravamen ad coronam, cum in illo nequeat conſiderari violentia, juxta text. expreſſ. in l. *Executor :* et hæc reſolutio indubitabilis videtur; quia, *Qui exequitur, non eſt qui gravat, niſi qui jubet exequi.*

X. Et ideo non datur appellatio à judice requiſito exequente literas executorias; ſed debet appellari à judice requirente, quia iſte, et non ille, gravat, Rebuff. 2. p. tit. de liter. executor. requiſ. gl. 3. n. 10. late Salgad. d. 1. p. c. 4. n. 6. et 7. Scacc. de appell. q. 13. lim. 10. n. 3. et 4. Et hoc eſt, quod ſupponit noſtr. ord. l. 1. tit. 12. § 5. ubi ſemper loquitur cum judicibus eccleſiaſticis, et non cum illorum executoribus; ibi: *Notificarà aos juizes eccleziaſticos, que reſpondaô*, et in § 6. ibi: *E quando os juizes eccleziaſticos*, &c.

Qua de cauſa, recurſus, et gravamen ſemper eſt interponendum à judice, et non ab executore, in quo cadere non poteſt conſideratio violentiæ, in quantum peragit, quod ſuperior ſibi præcipit ſub pœnis et cenſuris.

XI. Et quando in hac hypotheſi fieret aliquod gravamen recurrentibus, debebant illud à vicario generali hujus epiſcopatus interponere, qui repræſentat perſonam illuſtriſſimi epiſcopi abſentis, et non à parocho, mero executore juſſionum illius.

XII. Et quamvis Gabr. Per. de man. reg. 1. p. cap. 7. ſub n. 85. introduxit hujuſmodi gravamina ab executoribus, loquitur tamen de executoribus, qui adimplent mandata judicum, quibus non datur recurſus facilis; et non de judicibus, qui in hoc regno præſunt, ut ab eodem Per. colligitur. Ex quibus omnibus venit concludendum, quod, non obſtantibus, quæ à recurrentibus allegantur, gravamini, ſit valde objurganda interpoſitio illius in caſu, quo locum non habet.

ALLEGATIO LXXXIII.

In Reſponſione ad Gravamen à Proviſore, et Confratribus Domus Miſericordiæ Civitatis Portuenſis, interpoſitum à non Receptione Appellationis, et ob Timorem Cenſurarum, quarum Promulgationem metuebant mereri.

SUMMARIUM.

I. *Appellatio interpoſita à gravamine non illato, non eſt admittenda.*
II. *Appellatio conceditur propter gravamen.*
III. *Dum judex non infert gravamen, non eſt locus appellationi.*
IV. *Etiam quando interponitur appellatio* ex nunc pro tunc.
V. *Eodem modo, quando appellatio interponitur conditionaliter, ſecuto gravamine, neceſſe eſt interpoſitio novæ appellationis.*
VI. *Non eſt receptibilis appellatio à ſententia legali.*

Domine,

Proviſor, cæterique confratres Miſericordiæ, interpoſuerunt à me appellationem, quæ reperitur in actis appenſis, ob timorem, ut aiunt, cenſurarum, quas me laturum metuebant; eo quod abſque mea licentia volebant exponere diviniſſimum ſacramentum die 2. Julii, quæ eſt feſtivitatis Beatæ Mariæ Virginis; quam appellationem non recepi per decretum; et de hac non receptione intentârunt gravamen ad coronam, in quo videretur, non mereri proviſionem.

I. Quia hæc ipſorum appellatio in terminis præſentibus verificatur, à gravamine non illato interpoſita, quæ de jure admiſſibilis non eſt, ut cum pluribus tenet Salgad. de reg. protect. 2. p. c. 2. n. 3. Scacc. de appell. q. 5. art. 2. n. 101. Ruginell. de appell. § 2. c. 3. n. 407.

II. Cum enim appellatio in jure permittatur, et concedatur propter gravamen, cap. *Ut debitus honor*, 59. de appellationibus:

III. Ubi judex non infert gravamen, non datur locus appellationi; ac proinde non eſt illa interponenda à futuro gravamine, Scacc. dict. quæſt. 5. n. 101. Salgad. dict. c. 2. n. 6.

IV. Nec ad hoc, ut prædicta appellatio admittatur, conducit, interpoſitam eſſe à recurrentibus cum clauſula, *ex nunc pro tunc:* quia nec illa poteſt operari, quod appellatio talis ſit receptibilis, dum non adeſt gravamen illatum, Scacc. d. quæſt. 5. n. 10. Salgad. dict. c. 2. n. 41.

V. Et multo minus reddit eam receptibilem edictum, quod juſſi affigi poſt interpoſitam appellationem; quia prohibet clericis ſæcularibus, et regularibus, expoſitionem ſacramenti in eccleſia domus Miſericordiæ in prædicto die viſitationis B. Mariæ, necnon in quolibet alio die præter expreſſos in edicto, non obſtante licentia mea in ſcriptis, vel non conſtituta aliqua alia alterius legitimi ſuperioris: quia, dato, et non conceſſo, quod aliquod gravamen inferrem per tale edictum, hoc gravamen, poſtea ſecutum, non potuit operari, ut reviviſceret, et robur acciperet prædicta appellatio; imo neceſſe erat, quod interponeretur nova appellatio, ut bene cum doctiſſimis fundamentis reſolvit Salgad. dict. cap. 2. n. 25, 26. et 28. Scacc. dict. quæſt. 5. n. 108.

Præterquam, quod dicta appellatio, interpoſita poſt edictum affixum, receptibilis non erat, ſed frivola, cum jus reſiſtat recurrentibus, ut non poſſit eis, utpote laicis, jus ſpirituale competere; et aſſiſtat prælatis, quatenus non oſtenditur privilegium apoſtolicum domui Miſericordiæ exemptionem indulgens.

VI. Et, data ſimilis reſiſtentia juris reſpectu recurrentium, non erat eorum appellatio receptibilis, Larr. p. 2. dec. 57. n. 14. et 32. Salg. de reg. protect. 3. p. c. 6. n. 22.

Nec quod allegatur, illud, ſcilicet, quod per actus apparentes comminatus fueram, tam in epiſtolis, quam coram aliquibus perſonis, me contra recurrentes proceſſurum, ſi ſacram euchariſtiam exponerent, eſt fundamentum aliqua ſubſiſtentia veſtitum; quia nec per epiſtolas, nec contra perſonam aliquam, protuli talem comminationem: quod quidem ex eo magis probatur, imo et quod intentio nunquam fuerit talis; quia in prædicto edicto affixo comminatio cenſurarum, et pœnarum, quæ continetur, non eſt contra perſonas recurrentium. Unde ex omnibus expoſitis rationibus, prædicta appellatio erat, in terminis præſentibus, notorie frivola; ac proinde judicandum venit, pro excluſione violentiæ, ut bene reſolvit Salgad. d. c. 2. n. 20. Attamen regia majeſtas veſtra, &c.

ALLEGATIO LXXXIV.

In Reſponſione ad Gravamen intentatum à Remotione Depoſiti cujuſdam Mulieris, facti in quodam Collegio, Cauſæ Sponſalium.

SUMMARIUM.

I. *Mulier contendens ſuper ſponſalibus depoſitanda eſt in domo honeſta.*
II. *Hoc depoſitum pendet ab arbitrio judicis cauſæ.*
III. *In hoc caſu debet decerni depoſitum potius in domo particulari, quam in monaſterio, vel in collegio mulierum.*
IV. *Reſpondetur ad cap.* Cum locum, *de ſponſalibus.*

Domine,

Domine,

I. JURI conſentaneum eſt, quod, dum diſceptatur in cauſa ſponſalium, cuſtodienda ſit puella in domo honeſta, ex cap. *Cum locum*, de ſponſalibus; et ibi Gonſal. n. 2. Barb. ad eund. text. n. 1. et 4. Tondut. quæſt. benef. tom. 1. cap. 55. n. 6.

II. Et an hoc depoſitum debeat fieri in monaſterio, ſeu collegio, domove particulari; pendet ab arbitrio judicis cauſæ, cap. *Ex tranſmiſſa*, de reſt. ſpoliat. Gutierr. de matr. 37. n. 2. Tondut. dict. cap. 55. n. 13. Rott. coram Burat. in deſc. 684. Altim. de nullit. tom. 4. rubr. 1. p. 2. quæſt. 21. n. 188.

III. Ac proinde eſt in arbitrio illius, poſſe removere depoſitum, quoties adeſt juſta cauſa ad remotionem, ſecundum obſervantiam, quæ in uſu eſt; maxime, quia depoſitum in hoc caſu magis approbatum à DD. eſt, quod in domo privata, quam in monaſterio, ſeu conventu, vel collegio, juxta notata per Gutierr. c. 37. n. 2. ibi: *Cum experientia, quæ eſt rerum magiſtra, doceat, in monaſterio monialium hæc recte fieri non poſſe, ob varias monialium perſuaſiones, ac inquietationes.*

Et cum mihi, ut judici cauſæ, removere depoſitum liceret maxime à collegio ad domum honeſtam, in qua melius fit depoſitum, non commiſi attentatum.

IV. Nec contrarium probat text. in cap. *Cum locum*, de ſponſalibus, ut intenditur ex adverſo ſuadere; quia ſolum jubet, quod mulier deponatur uſque ad deciſionem cauſæ, non vero, quod maneat ſemper in eodem depoſito; nec diſpoſitio illius textus eſſet juſta, quando, ſcilicet, interdiceret mutationem depoſiti: nam, reperto poſteà inconvenienti, cogeret ſuſtinere, quod non liceret. Unde, remotiones ſemper arbitrarias fuiſſe judicibus, ultra citatos, tenet Rotta apud Card. Capr. tom. 2. dec. 25. n. 1. et 2. Quare videtur, quod gravamen aliquod non intulerim. Attamen, &c.

ALLEGATIO LXXXV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à non Receptione Appellationis, quoad Effectum ſuſpenſivum, in Cauſa Revocationis cujuſdam attentati.

SUMMARIUM.

I. *In cauſa attentati proceditur ſummarie.*
II. *Idem procedit reſpectu revocationis ad hoc, ut non ſit recipienda appellatio ſuſpenſiva.*
III. *In tali caſu non datur recurſus ad coronam.*

I. NULLUM fundamentum huic adeſt recurſui, qui forſan interpoſitus fuit per patronum recurrentis abſque ſufficienti notitia illius; quia, cum ſit miniſter tot literis præditus, ignorare nequit, Bonad. de renunt. lib. 1. cap. 6. n. 3. Laurent. Urſil. in exam. apum, tom. 2. concl. 160. n. 255. Cevall. de cogn. per viam viol. q. 81. n. 4.

II. Unde ſequitur, quod à ſententia revocatoria attentati non datur appellatio ſuſpenſiva, Rott. renunt. p. 11. dec. 52. n. 14. Paſſerin. ad tex. in cap. *Non ſolum*, 7. de appellat. n. 33. Lancel. de attent. p. 3. c. 28. n. 12. Cardin. Deluc. de jud. dec. 18. n. 58. et bene probat noſtra ordin. lib. 3. tt. 78. § 3.

III. Et cum à renovatione attentati non detur appellatio quoad effectum ſuſpenſivum, à non receptione illius, non poteſt dari recurſus ad coronæ judicium, Salg. de reg. prot. 2. p. cap. 11. n. 40. judicatum tradit Peg. ad ordin. lib. 1. tt. 9. § 12. n. 580. Quapropter gravamen non intuli. Attamen, &c.

ALLEGATIO LXXXVI.

In Reſponſione ad Gravamen intentatum à non Receptione Appellationis interpoſitæ ob Dignationem Copiæ cujuſdam Diplomatis Secretarii Status Pontificii, in qua commiſſa erat Executio Electionis Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Claræ, Oppidi de Santarem.

SUMMARIUM.

I. *Copia non eſt concedenda diplomatum principum, abſque eorum mandato ſpeciali.*
II. *Data dubietate in juſſione principis, ad ipſum tantum eſt recurrendum, ut declaretur; minime vero ad executorem juſſionis.*
III. *Non infert gravamen merus executor legis, nec fit locus appellationi ab illo.*

Domine,

SANCTITAS ſua, per diploma ſui ſecretarii ſtatus, Cardinalis Pauluci, mihi præcipit, quod in futura electione abbatiſſæ monaſterii Sanctæ Claræ, oppidi *de Santarem*, curem, ut eligatur in abbatiſſam illa, quæ habeat requiſita contenta in cap. 11. ſtatutorum illius monaſterii, ita ut electionem aliter factam declarem irritam, et nullam, et quod idem ſervetur in alia ſimili electioni.

I. Hoc eſt, in ſumma, quod continetur in præfato diplomate; in quo neſcio quæ ſubreptio reperiatur ad hoc, ut debeat concedi copia; imo meritiſſime tenebar eam non concedere, appellatione contempta; quia ſimilium diplomatum principum nequit permitti copia abſque eorum ſpeciali mandato, Peg. tom. 7. ad regim. ſenat. palat. cap. 100. n. 47.

II. Cum enim voluntas Papæ, aut principis, foret dubia, ad eum foret recurrendum, Marchaſan. de comitiis, p. 1. tit. de commiſſ. appellat. ab execut. § 1. n. 46. ibi: *Alias, ſi voluntas Papæ, ſeu principis, dubia foret, ad eum provocare poterit*; minime vero ad me, qui merus executor ſum juſſionum illius; ac proinde, nec à me appellatio interponi poterat, ſicut reſolvit ipſe Marcheſan. dict. § 1. n. 43. ibi: *Cum ipſe non gravat, ſed mandantis juſſio, vel executio; et in conſequens à committente executionem iſto caſu, non ab executore, provocandum erit; hocque in caſu oblatio probationis gravaminum appellationum juſtificari coram committente, non coram exequente, cum nequit gravaminis probationes ſumere, Abb. in cap.* Super, *q. 11. et 12. de legat.*

III. Eo maxime, quia mandatum ſuæ Sanctitatis non continet amplius, quam quod exequar diſpoſitionem cap. 11. ſtatutorum monaſterii in electione; quo caſu reputabar merus executor legis monaſterii; ac proinde non poteram gravamen inferre, Gratian. for. tom. 2. cap. 232. n. 21. Salg. de reg. prot. 3. p. c. 5. n. 13. Et cum ſolummodo mihi committatur, eſſe executorem legis, in quo non datur gravamen, nec eſt locus appellationi, Salgad. dict. cap. 5. n. 11, et 12. Grat. dict. cap. 232. n. 19. et ſeqq. Mariſcot. lib. 2. c. 77. n. 11. Ex quibus manifeſte demonſtratur, me non teneri concedere recurrentibus copiam diplomatis Sanctitatis ſuæ, nec in illo poſſe dari obreptionem, aut locum appellationi à denegatione copiæ: ſi vero recurrentes volebant tantum ſcire, vel nota habere, qua memoratum diploma continebat; in paſtoralibus, quæ expediri præcepi, ut ſecundum tenorem illorum fieret electio, inſerta reperitur copia illius. Quapropter, mihi videtur, non intuliſſe gravamen. Attamen veſtra regia majeſtas, &c.

ALLEGATIO LXXXVII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à non Receptione Appellationis in utroque Effectu in Cauſa Alimentorum futurorum.

SUMMARIUM.

I. *A ſententia alimentorum futurorum recipienda eſt appellatio in effectu devolutivo tantum.*
II. *Qui denegat alimenta, prohibet, ne appellatus cauſam defendat.*
III. *In materia alimentorum poteſt dari compenſatio.*
IV. *Alimenta futura dilationem non patiuntur aliquam.*

DOMINE,

I. INJUSTE conqueritur in hoc judicio recurrens, quod ei non receperim appellationem in utroque effectu; cum enim cauſa ſit alimentorum, et horum, qui erant adhuc futuri, nequibam eam admittere, niſi in effectu tantum devolutivo, quemadmodum eam admiſi, Salg. de reg. prot. p. 2. cap. 5. n. 83. et 3. p. c. 1. n. 1. Cab. 1. p. dec. 66. n. 7. Lar. in l. *Si quis à liber.* § *Si vel pariens*, 5. de liber. agnoſcend. à n. 26. Zachar. de ſalar. 3. p. c. 107. n. 4. Bozius de alim. c. 19. n. 9.

II. Quia inter alia privilegia alimentorum, unum eſt, quod appellans non audiatur, antequam ea ſolvat, ex ea ratione, quia denegans alimenta, prohibet, quominus appellatus cauſam defendat; quam non poteſt tueri, ſi interea alitus non fuerit, Surd. de aliment. tit. 8. privil. 96. n. 11. Proindeque à non receptione appellationis in hoc caſu; quoad utrumque effectum, non fit recurſus ad hoc judicium, tradit Peg. ad ordin. lib. 1. tit. 9. § 12. n. 675.

Nec aliter convincitur ex exceptione ſpolii, quæ talis reperitur, ut recurrens nec auſus fuerit allegare, ſeu articulare in ea, bona aliqua caſalis, quæ ipſius uxor ſecum deferret, nec probavit aliquid; ex quo deprehenditur, fuiſſe appoſitam calumnioſe talem exceptionem: quod non contigit in caſu Cevalh. quia in illo, ultra quam quod uxor fuit adultera, detulerat ſecum in auro, et argento, pluſquam duo millia aureorum, qui ſufficiebant ad ſe alendam, pendente litigio; et in hoc caſu non teneretur maritus præſtare alimenta uxori.

III. Quia, cum illa habebat, unde ſe aleret, poterat compenſationem facere cum bonis, quæ ipſa poſſidebat, Berſan. de comp. c. 2. q. 3. n. 4.

IV. Quod non poteſt habere locum reſpectu perſonæ non habentis, unde ſe alat; quia alimenta futura non ſuſtinent dilationem, l. 2. ff. de fer. Bozius de alim. c. 19. n. fin. Surd. de alim. tit. 8. privil. 53. n. 7. Berſ. dict. q. 7. n. 2. et nullo prætextu poteſt vitari ſolutio alimentorum abſque eo, quod alimenta debens, habeatur, ſeu dicatur, occiſor illius, cui ea debet, l. *Necare*, ff. de liber. agnoſc. Berſ. dict. q. 7. n. 3. Ex quibus videtur me non intuliſſe gravamen. Attamen, &c.

ALLEGATIO LXXXVIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Denegatione Appellationis à Decreto, ſeu Sententia interlocutoria.

SUMMARIUM.

I. *A reſervatione articuli requirentis cognitionem ante definitivam, recipienda eſt appellatio.*
II. *Aliter, quando non continet materiam reſpicientem merita cauſæ.*
III. *Libelli, qui continent materiam veterem, ſeu calumnioſam, reſervandi ſunt, ut cognoſcantur in tempore definitivæ, quin detur locus interponendæ appellationi à tali reſervatione.*

DOMINE,

I. LIBELLUS appellatorius recurrentis non continet materiam, quæ ex natura ſua, et ordine, requirat cognitionem ante cauſam principalem, cum non involvat quæſtionem præjudicialem, quæ non debeat reſervari ad definitivam, ita ut, ſi reſervetur, recipienda ſit appellatio ob perverſionem ordinis proceſſus, Salgad. de reg. protect. p. 2. c. 18. n. 6. et 7. Carenſ. reſ. 97. n. 7.

II. Sed continet materiam, quæ reſpicit merita cauſæ, cujus cognitio eſt reſervanda ad definitivam, Caren. dict. reſ. 99. n. 8. ibi: *Tertia regula, quod aut exceptio reſpicit ordinem, et tunc non eſt reſervanda; aut reſpicit merita cauſæ, et tunc eſt reſervanda*, Abb. in cap. 1. de ordin. cognit. n. 11. verſ. *Subjicio*, Surd. conſ. 252. n. 4. quia cum tunc merita cauſæ requirant cognitionem, etiam exceptionis reſpicientis ad illa, tunc tantum de illa cognoſcitur; maxime ſimiles libelli, ſeu articuli, ordinarie continent, aut materiam veterem, aut calumnioſam, et dilatoriam, propter quod reſervanda eſt ad definitivam, licet aliunde appareat præjudicialis.

III. Nec à tali reſervatione poteſt admitti appellatio, Hontalb. de jur. ſuperven. q. 5. n. 154. ibi: *Eo in puncto, quod ſi contra exceptiones adſit juris præſumptio, poſſit judex juſte reſervare exceptionem, etiamſi præjudicialis ſit, ad eam diſcutiendam cum negotio principali, ita ut à tali reſervatione non poſſit appellari*, Salgad. dict. cap. 18. n. 53. Oſtienſ. et Felin. per tex. in cap. *Nullus*, de præſumpt. Et, quando hoc ita non eſſet, ſatis foret, eſſe decretum interlocutorium, cujus damnum erat reparabile, ut locus non eſſet appellationi, ſeu recurſui. Attamen, &c.

ALLEGATIO LXXXIX.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Denegatione Appellationis ſuſpenſivæ in Caſu cujuſdam tertii opponentis.

SUMMARIUM.

I. *Oppoſitio intentata in quacunque cauſa affectate et calumnioſe, non debet recipi.*
II. *Etſi appellatur à non receptione oppoſitionis affectatæ, et calumnioſæ; recipienda eſt appellatio tantum in effectu devolutivo, et non ſuſpenſivo.*

DOMINE,

I. EX actis evidenter pateſcit, quod recurrens non eſt tertius, ſed reus inſimul cum ſuo canonico *Antonio Simpliciano de Carvalho*, qui in hac cauſa procuratorem conſtituit; et nunc videns eam in terminis faciendæ executionis in ſuum capitularem, accedit in favorem illius cum hac affectata oppo-

oppoſitione; quæ non eſt admittenda, cum ſit ſimilis illarum, de quibus loquitur Seſſitin. de tert. venient. ad cauſ. in prælud. n. 30. ibi: *Si tertius deducat pro ſuo intereſſe cauſam, quæ videatur judici affectate, et calumnioſe propoſita, tunc, cum cenſeatur per malitiam, et meram calumniam, ſeu colluſionem, ad proceſſum veniſſe, animo illum impediendi, et intricandi, nullo modo ſit admittendus, quia præſumitur veniſſe ad cauſam, ut faveret litiganti,* Covarr. pract. c. 16. n. 12. et ibi Faria, n. 8. ubi plures refert, Carleval de judic. tom. 2. n. 16. Parlad. rer. quotid. l. 2. c. fin. p. 11. n. 60. Capyc. Latr. dec. 164. n. 6. cum ſeqq. et in terminis terminantibus deciſum teſtatur Franc. Marc. in parlam. Delfin. 1. p. dec. 76. n. 5. ibi: *Quia ad iſtud reſpondetur, quod hoc verum, niſi tale jus ſit connexum cum jure ſpoliantis, ita quod non poſſit opponi per tertium, quin inferat commodum ſpolianti; quia iſto caſu non admitteetur tertius ad impediendam reſtitutionem.*

II. Et cum in his terminis verificetur affectata oppoſitio recurrentis, ejus appellatio non poteſt obtinere effectum ſuſpenſivum, nec retardare executionem, Scacc. de appell. q. 17. limit. 6. membr. 4. n. 87. ibi: *Limita, 1. igitur, ut non procedat, quando appellatio, ſeu oppoſitio tertii præſumeretur calumnioſa; quia tunc ejus appellatio, et oppoſitio, non retardat executionem,* Gutierr. pract. lib. 1. q. 118. n. 2. Salg. de reg. protect. 4. p. cap. 8. n. 73. Quibus viſis, non mihi videtur illatum fuiſſe gravamen recurrenti. Attamen, &c.

ALLEGATIO XC.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à quodam intruſo, et cum Intruſione proviſo, ob falſam Cauſam; qui, ea cognita, juſſus eſt excludi.

SUMMARIUM.

I. *Poſſeſſor beneficii non eſt excludendus inauditus.*
II. *Gratia ob falſam cauſam conceſſa eſt nulla, et non producit effectum.*
III. *Intruſus in quodcunque beneficium, cui adeſt proprietarius, non eſt manutenendus.*
IV. *Jus tertii non admittitur ad hoc, ut poſſit obtinere per illud.*
V. *Intruſus non facit fructus ſuos.*

Domine,

I. CUM pater *Emmanuel Pegado da Coſta* inſerviret curato de Louricuſra ex vi decreti reverendi capituli, dum non deciderentur exceptiones oppoſitæ in cancellaria, quæ adhuc pendent ſuper præſentationes prædicti curati, recurrens illud à me petiit, narrans eſſe vacans; et hac falſa narrativa obtinuit proviſionem, et ſe intrulit in ipſum curatum, inaudito, et incitato proviſo, et actuali poſſeſſore illius, contra omne jus, cap. *Licet*, de præbend. in 6. Argel. de legitim. contract. q. 4. art. 3. n. 59. Roſ. de execut. 1. p. c. 8. n. 21. Franceſ. de intruſ. q. 52. n. 7.

II. Qua de cauſa ſupplicavit mihi prædictus *Pegado*, ut eum expelli præciperem, ob nullitatem chartæ, ſeu proviſionis; ex eo, quod, cum obtenta fuiſſet per narrationem falſam vacaturæ curati, quod non erat vacans, afficiebatur nullitate evidenti, quæ eſt malignantis naturæ, vitians immediate gratiam, ut, cum multis, Gob. tom. 2. conſult. 50. n. 17. et 18.

Ac proinde nequibat producere effectum nec pro recurrente, nec contra recurſum, ut reſolvit idem Gob. dict. conſult. 50. n. 19. quaſi non fuiſſet conceſſa, Cyriac. contr. 32. n. 16. Surd. dec. 51. n. 14. Gob. n. 19. nec recurſus actualis poſſeſſor amoveri poterat à poſſeſſione abſque cognitione cauſæ, quamvis nullam habuiſſet ad poſſidendum, Franceſ. de intruſ. q. 51. n. 2. ibi: *Poſſeſſor non eſt amovendus à ſua poſſeſſione, quin præcedat cauſæ cognitio, etiamſi nullum habeat colorem poſſidendi,* Rott. apud Gregor. XV. dec. 105. n. 20. ibi: *Quia nunquam poſſeſſor, ſive habeat colorem poſſidendi, ſive non, eſt à ſua poſſeſſione amovendus ſine cauſæ cognitione.*

III. Quo inſpecto, cum recurrens reperiebatur notorie intruſus in prædictum curatum, et recurſus expulſus fuiſſet à poſſeſſione inauditus, poteram, et tenebar, privare illum curato, in quod eum nulliter introduxeram, ut tenet Franceſ. de intruſ. q. 30. n. 4. ibi: *Quia intruſus, fur eſt, et latro; et ideo privari debet re, in qua ſe intruſit.* Et non poteſt reſtitui, cum ſit notoria ex ipſis documentis, in quibus ſe fundat talis intruſio, Franceſ. de intruſ. q. 25. n. 5. ibi: *Taliter, quod ſi de facto ſpolietur, talis intruſus reſtitui non valet.*

IV. Et quæſt. 51. n. 21. idem reſolvit. Nec eum relevat à notoria intruſione immiſſio poſſeſſionis captæ ex vi meæ nullius proviſionis, ſeu chartæ, per quam ſpoliavit alium à poſſeſſione curati, in quo inveniebatur, Franceſ. de intruſ. quæſt. 21. Nec curatum erat vacans, ut perſuadere intendit recurrens ad effugiendam ſubreptionem; quia exceptiones cancellariæ adhuc pendent; et decretum poſſeſſoris fuit, ut inſerviret, dum illæ deciderentur: et patroni non præſentârunt prope feſtum S. Joannis, quibus competebat oſtendere, et docere de jure novæ præſentationis, quo non poteſt tueri recurrens, utpote jure tertii, quo non valet privari notorius intruſus, Franceſ. de intruſ. q. 66. n. 24.

V. Nec ei intuli vim, et violentiam, in compulſione ad reſtituendos fructus; cum enim intruſus eſſet, non poterat illos facere ſuos, cap. *Gravis*, de reſtitut. ſpoliat. Franceſ. de intruſ. q. 59. n. 2. Et ad hoc nec requirebatur, præcedere liquidationem; quia ſatis erat reſtituere illos, quos diceret percepiſſe, quod tantummodo ab eo petebatur. Nec ipſi ſuffragatur dicere, quod proceſſiſſem abſque juriſdictione; quia proceſſi, ut proviſor, et, qua talis, fungebar juriſdictione interim, dum recipiebantur memoratæ exceptiones; et illis dumtaxat receptis, et reddita cauſa ordinaria, locus erat, ut deberem eas ad judicium vicarii remittere, ut eſt practica paſſim ſervata. Quibus poſitis, videtur me violentiam non intuliſſe. Attamen, &c.

ALLEGATIO XCI.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à non Receptione cujuſdam Exceptionis declinatoriæ intentatæ ad Judicium ſæculare.

SUMMARIUM.

I. *Gravamina ad judicium coronæ ſunt prohibita per bullam Cœnæ.*
II. *Limitatur in caſu notoriæ oppreſſionis, violentiæ, aut denegationis juris naturalis.*
III. *Rerum pertinentium ad eccleſiam directe, ſeu indirecte, cognitio competit privative judicio eccleſiaſtico.*
IV. *Qui jure ſuo utitur, et procedit judicialiter, non committit violentiam.*
V. *Remedium extraordinarium habet locum dumtaxat poſt intentatum ordinarium.*
VI. *Recurſus ad coronam eſt remedium extraordinarium.*
VII. *Appellatio eſt remedium ordinarium.*

Domine,

DOMINE,

I. RECURSUS ad gravamen ad hoc judicium coronæ prohibentur per bullam Cœnæ in canon. 14. et per Concil. Trid. Seſſ. de reformat. 25. cap. 3. cap. *Qualiter, et quando*, 17. de judic. & quamplurimas conſtitutiones Pontificum, relatas per Auguſt. Barb. de univerſo jure eccleſ. l. 1. cap. 30. § 3. n. 131. et lib. 2. votor. vot. 48. per tot. Guazin. de defenſ. reor. defenſ. 1. cap. 28. n. 1. cum ſeqq. Farinac. conſ. 26. n. 1. et conſ. 28. n. 1.

II. Et quamvis illi admittantur juxta ordinat. lib. 1. tt. 9. § 12. ex concordantiis initis inter prælatos, et reges, et à Sede Apoſt. confirmatis, tunc tantum locum obtinent, quando committitur notoria oppreſſio, violentia, aut privatio juris naturalis, vel perturbatio juriſdictionis regalis, ordin. d. § 12. explicat Gabr. Per. de man. reg. p. 1. c. 7. n. 2. Mend. à Caſtr. 2. p. c. 2. n. 53. Guaz. ſupr. cap. 28. n. 10. Quo ſuppoſito, nullo fundamento fulcitur gravamen interpoſitum à recurrente, quia nullam violentiam ei intuli ob non receptionem exceptionis declinatoriæ ipſius.

III. Cum enim deduceret in libello tales qualitates, ut concluderent res, de quibus ageret, eſſe eccleſiæ, non ſolum quoad dominium directum, ſed etiam utile; conſequens erat, ſimilem cauſam privative pertinere ad judicium eccleſiaſticum, ordin. l. 2. titul. 1. § 6. verſ. *Porem*, Per. de man. reg. 2. p. cap. 23. n. 8. et cap. 28. per tot. Unde non commiſi violentiam aliquam in rejectione exceptionis illius.

IV. Certo enim certius eſt, eam non committere, qui jure ſuo utitur, et judicialiter procedit, l. *Non videtur*, de regul. jur. Themud. 1. p. dec. 13. n. 21.

Præterquam quod, quando recurrens ſe reputaret gravatum ex prædicto decreto, debebat imprimis uti remedio appellationis; minime illico ad gravamen coronæ convolare, Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 17. n. 59.

V. Quia recurrendum non eſt ad remedium extraordinarium,

VI. Quale eſt gravamen ad coronam; cum adeſt remedium ordinarium,

VII. Quale eſt appellatio, ordin. l. 3. tit. 41. § 2. Scacc. de jud. p. 1. cap. 51. n. 28. Menoch. remed. 15. n. 22. Pinel. de reſcind. vend. p. 3. cap. 1. n. 19. Quibus viſis, judicandum denique eſt, me non intuliſſe vim, aut violentiam. Attamen, &c.

ALLEGATIO XCII.

In Reſponſione ad Gravamen intentatum ob Receptionem Appellationis ab Interlocutoria.

SUMMARIUM.

I. *A reſervatione articuli requirentis cognitionem ante definitivam, debet admitti appellatio.*
II. *Contrarium procedit, quando contineat materiam reſpicientem merita cauſæ.*
III. *Libelli continentes materiam veterem, aut calumnioſam, reſervandi ſunt, ut cognoſcantur, et terminentur, in definitiva, abſque eo, quod detur locus appellationi à reſervatione.*

DOMINE,

I. LIBELLUS appellatorius recurrentis non continet materiam, quæ ex natura ſua, et ordine, exigat cognitionem anteriorem, priuſquam cognoſcatur de cauſa principali: non enim continet materiam præjudicialem, quæ non debeat reſervari ad definitivam, et à reſervatione præmiſſa ſit appellatio ob præventionem ordinis proceſſus, Salgad. de reg. protect. p. 2. c. 18. n. 6. et 7. Caren. reſ. 99. n. 7.

II. Sed continet materiam reſpicientem merita cauſæ, cujus cognitio reſervanda venit ad finalem deciſionem, Caren. n. 8. ibi: *Tertia regula eſt, quod aut exceptio reſpicit ordinem proceſſus, et tunc non eſt reſervanda; aut reſpicit merita cauſæ, et tunc eſt reſervanda*, Abb. in cap. 1. de ordin. cognit. n. 11. verſ. *Subjiciat*, Surd. conſ. 252. n. 4.

Quia tunc, cum merita cauſæ examinantur, et reperitur requiri cognitionem prædictæ materiæ, ſolet illa haberi.

III. Ordinarie enim ſimiles articuli continent materiam veterem, aut aliam calumnioſam ad protelandum negotium; quo caſu reſervanda eſt ad definitivam, licet foret præjudicialis, quin à tali reſervatione appellatio poſſet interponi, Hontalb. de jur. ſuperven. q. 5. n. 154. ibi: *Eo in puncto, quod ſi contra exceptiones adſit juris præſumptio, poſſit judex juſte reſervare exceptionem, etiamſi præjudicialis ſit, ad eam diſcutiendam cum negotio principali, ita ut à tali reſervatione non poſſit appellari*, Salgad. d. cap. 18. n. 53. Oſtienſ. et Felin. per tex. in cap. *Nullus*, de præſumpt. et quando hoc ita non eſſet, ſatis erat decretum eſſe interlocutorium, cujus damnum erat reparabile, ut non daretur locus appellationi, nec gravamini huic. Attamen, &c.

ALLEGATIO XCIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitam ob non Receptionem Appellationis in Effectu ſuſpenſivo in tertii opponentis Caſu.

SUMMARIUM.

I. *Oppoſitio prætenſa in quacunque re, affectata, et calumnioſa, non eſt admittenda.*
II. *Si appelletur à non receptione oppoſitionis affectatæ, et calumnioſæ in quacunque cauſa, talis appellatio venit tantummodo recipienda in effectu devolutivo, minime vero in ſuſpenſivo.*

DOMINE,

EX actis evidenter conſtat, recurrentem non eſſe tertium, ſed reum inſimul cum canonico *Antonio Simpliciano de Carvalho*, qui eum conſtituit procuratorem in hac cauſa.

I. Et cum ipſe nunc videns eam deventam ad terminos executionis, accedat affectate ad favendum ſuo capitulari cum oppoſitione præſenti, protinus rejicienda venit, cum ſit qualitatis, de qua loquitur Sertin. de tert. venient. ad cauſ. in prælud. n. 30. ibi: *Si tertius deducat pro ſuo intereſſe cauſam, quæ judici videatur affectate, et calumnioſe propoſita, tunc, cum cenſeatur per malitiam, et meram calumniam, ſeu colluſionem, ad proceſſum veniſſe animo illum impediendi, et intricandi, nullo modo ſit admittendus, quia præſumitur venire ad cauſam, ut faveret litiganti.*

Cov. practicar. cap. 16. n. 2. et ibi Farin. n. 8. plures refert Carlev. de judic. tom. 2. n. 16. Parlador. rer. quotidian. lib. 2. c. fin. p. 11. n. 60. Capyc. Latr. dec. 164. n. 6. cum ſeqq. et in terminis terminantibus deciſum tradit Franciſc. Marc. in parlam. Delfin. 1. p. dec. 76. n. 5. ibi: *Quia ad iſtud reſpondetur, quod hoc verum, niſi tale jus ſit connexum cum jure ſpoliantis, ita quod non poteſt opponi per tertium, quin inferat commodum ſpolianti; quia iſto caſu non admittitur tertius ad impediendum reſtitutionem.*

II. Et cum in his terminis verificetur, affectatam eſſe oppoſitionem recurrentis, appellatio ejus nequit habere effectum ſuſpenſivum, nec retardare executionem, Scacc. de appellat. q. 17. lim. 6. membr. 4. n. 87. ibi: *Limita, 1. igitur, ut non procedat, quando appellatio, ſeu oppoſitio tertii, præſumeretur calumnioſa; quia tunc ejus appellatio, et oppoſitio, non retardat executionem*, Gutier. pract. l. 1. q. 110. n. 2. Salg. de reg. protect. 4. p. cap. 8. n. 73. Quibus inſpectis, mihi videtur me non intuliſſe gravamen. Attamen, &c.

ALLE-

ALLEGATIO XCIV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum contra quendam Executorem regii Patrimonii, qui quendam Religioſum compellebat ſolvere Gabellam ex Emptione cujuſdam Domus.

SUMMARIUM.

I. *Gabella non debetur ex re, quam religioſus, aut perſona eccleſiaſtica, emit ad uſum proprium.*
II. *Recurſus ad coronam eſt remedium ſubſidiarium, cui datur locus dumtaxat, quando non ſupereſt aliud remedium.*
III. *Cauſa violationis immunitatis eccleſiaſticæ pertinet privative ad judicium eccleſiaſticum.*
IV. *Procedimenta eccleſiaſtica habenda ſunt contra omnem, qui violaverit immunitatem eccleſiaſticam.*

DOMINE,

I. CUM recurrens compelleret P. Fr. *Ludovicum à Sancta Tereſia*, Carmelitanum diſcalceatum, gabellam ſolvere ex quodam prædio, quod de licentia ſui prælati empſit ad ſublevandas neceſſitates proprias, necnon adimplendam obligationem, qua tenebatur emere ſtabilia pro fundo cujuſdam capellæ inſtitutæ in ſuo conventu Carmelitano, exemptionem à ſolutione gabellæ, juxta ordin. l. 2. tit. 11. § 1. Oliv. de for. eccleſ. l. 1. quæſt. 38. n. 40. Cabed. 2. p. areſt. 46. Barb. de jur. eccleſ. l. 1. cap. 39. n. 23.

Prædictus P. à me monitorium ſupplicavit contra recurrentem ad allegandas rationes, quare non deberet denuntiari excommunicatus, et violator immunitatis eccleſiaſticæ; et cum illud expediri juberem, recurrens copiam illius petiit: qua habita, obtulit quandam exceptionem declinatoriam, de qua juſſit dari copiam partibus: et in his terminis cauſa invenitur, in quibus nullo fundamento videtur hic recurſus fulciri; quia cum recurrens uſus foret medio obtinendi copiam, non poteſt implorare hoc aliud extraordinarium, ſimul duo media accumulans.

II. Medium enim recurſus eſt ſubſidiarium, in defectum alterius remedii, permiſſum, Calder. tom. 3. dec. 132. n. 9. Coſt. de remed. ſubſid. remed. 22. n. 4. verſ. 2.

Et quamvis non inficior, quod cauſæ jurium regalium pertinent ad quæſtorem, ignorabam, quod coram illo cauſa illa moveretur.

III. Nec hæc cauſa violationis immunitatis competit ad prædictum judicium, ſed privative ad hoc ſolum eccleſiaſticum, ex text. in cap. *Cum pro cauſa*, de ſent. excommun. Urſaya diſcept. eccleſ. tom. 2. p. 1. diſcept. 19. à n. 7. cum ſeqq. Pax Jordan. lucubr. tom. 2. l. 11. tt. 13. n. 294. cum ſeqq. Ricc. in ſynopſ. verb. *Epiſcopus, quoad immunitatem*, n. 2. Adhuc, quando proceditur in defenſionem regularium, ut pluries declaratum refert Ricc. in dict. ſynopſ. verb. *Epiſcopus, quoad regulares*, n. 1.

IV. Et quod non tantum contra recurrentem, ſed etiam contra quæſtorem tenear procedere, ſi immunitatem violaverint, notat Ricc. dict. verb. *Epiſcopus, quoad immunitatem*, n. 34. ubi ſic declaratum refert à Sacra Congregatione. Nixus his rationibus, et hac privativa huic juriſdictione, juſſi moneri recurrentem, cui tunc ſolum, quando oſtenderet, religioſum debere gabellam ſolvere; et, hoc non obſtante, procederem adverſus illum per declaratoriam, competeret præſens recurſus. Attamen, &c.

ALLEGATIO XCV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Conceſſione Copiæ cujuſdam Diplomatis Sacræ Congregationis Concilii abſque Præjudicio Notificationis.

SUMMARIUM.

I. *Non datur delegatio, ubi datur excitatio juriſdictionis.*
II. *Capitulares tenentur ordinari in ſacris.*
III. *Idem intelligendum de coadjutoribus illorum.*
IV. *Ad exercitium canonicatus præciſe requiritur ordo ſacer in genere.*
V. *Beneficium habens annexam conditionem recipiendi ordines ſacros, amittitur, ſi illi non recipiantur in ætate competenti.*
VI. *Non datur ſubreptio in materia conſiſtente in jure.*
VII. *Cultus divinus eſt valde favorabilis in jure.*
VIII. *Ex tolerantia non inducitur conſuetudo.*
IX. *Præſcriptio, aut conſuetudo, non datur in præjudicium eccleſiæ.*

DOMINE,

VIRTUTE cujuſdam diplomatis Sacræ Congregationis Concilii, jubentis procedi adverſus capitulares ſanctæ eccleſiæ metropolitanæ Uliſbonenſis Orientalis, qui non eſſent in ordinibus ſacris conſtituti, juxta Clem. *Ut ii, de ætate, et qualitate*; fuit citatus recurrens ſub pœnis in ipſa comminatis, ordinari curaret proximis temporibus in ordinibus ſacris, aut intra decem dies oſtenderet diſpenſationes Sedis Apoſtolicæ, vel cauſam approbatam ex jure, quæ eum ab hac obligatione relevaret: recurrens copiam petivit prædictæ citationis, ſeu notificationis ad allegandas exceptiones obreptionis, et ſubreptionis; et quia juſſi eam concedi, ſine præjudicio notificationis, hunc interponit recurſum.

I. Sed abſque fundamento juridico; quia, licet denominet tales exceptiones *obreptionis, et ſubreptionis*, utrumque ab illis abeſt, ex eo, quod *obreptio, et ſubreptio*, non poteſt opponi diplomati Sacræ Congregationis præcipientis procedi adverſus recurrentem, ſicut de jure tenebar, in quo non datur delegatio, ſed tantum excitatio juriſdictionis ordinariæ, Roſ. conſ. 48. n. 17, 18. et 25.

II. Eo maxime, quia præcipit, quod recurrens de jure tenetur facere, nempe ordines recipere ſacros, quos capitulares omnes debent habere, ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. et ibi Barboſ. n. 40. et ſeqq. Paſſer. de elect. cap. 23. q. 32. n. 419. Rott. recent. p. 15. dec. 44. n. 1. et p. 10. dec. 205. n. 9. Grat. for. cap. 591. n. 5. Cardin. Deluc. de benefic. diſc. 95. n. 16. verſ. *Ita vero*, Roſ. de executorib. 1. p. c. 6. n. 296. et 297. et ex ipſis ſtatutis, et conſtitutionibus archiepiſcopatus, l. 3. tit. 11. decret. 2. § 1.

III. Nec poteſt recurrens ſe eximere ab hac obligatione, eo quod ſit *coadjutor*; quia etiam coadjutoribus præcipitur habere ordinem ſacrum juxta Gratian. d. c. 591. nec etiam ex eo, quod in prædicta ſancta eccleſia metropolitana non extat diſtributio ordinis, poteſt ſe defendere pro ordinibus non obtinendis, dum illa non extiterit: reſpondetur enim, quod ejus canonicatus habet onus celebrandæ miſſæ in certis hebdomadis, in quibus, juxta conſtitutionem, diſtribuitur ordo preſbyteratus: et inſuper eſt advertendum, quod Concilium Tridentinum continet duos actus, alterum annexationis ordinum ſacrorum in genere, qui ſtatim ſequitur ex vi prædicti decreti; alterum vero annexationis certi ordinis in ſpecie, juxta diſtributionem epiſcopi, vel archiepiſcopi, quam ſperat de futuro.

IV. Ex quo ſequitur, quod, licet ante hanc diſtributionem archiepiſcopi nequeat dici diſtributus cuilibet

libet canonicatui magis unus, quam alius ordo ſacer; attamen cenſendum eſt, quod in his terminis jam illis eſt annexus ordo ſacer in genere, ut ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii decidit Rott. recent. p. 10. d. dec. 205. n. 9. cui declarationi nixus, quam tenet pro magiſtrali, reſolvit idem Cardin. Deluc. de benefic. diſc. 95. n. 15. verſ. *Iſta vero.*

V. Præterea etiam per ſuas bullas tenetur recurrens ſe conſtituere in ſacris, quia quando beneficium habet certum ordinem annexum, illæ continent ſemper clauſulam, quod prædictus ordo recipiatur in primis temporibus poſt ætatem completam; et, non recepto, beneficium amittatur, Roſ. de execution. 1. p. cap. 6. n. 290. Pirrh. in prax. diſpenſ. l. 4. c. 2. n. 30. et 31. Amiden. l. 1. cap. 16. §. 1. n. 37. et 38.

VI. Et cum quod jubetur per prædictum diploma, nihil aliud ſit niſi executio illius, quod recurrens tenetur, juxta omnia jura, et ſub pœnis, quæ jure inveniuntur impoſitæ in Clementin. *Ut ii, de ætate, et qualitate*; et poſt innovatæ in Tridentino, ſeſſ. 22. de reformat. c. 4. liquet, non eſſe hanc materiam ſubjectam ſubreptioni, quæ non cadit in iis, quæ in jure conſiſtunt, Rott. recent. p. 1. dec. 466. n. 2. et p. 19. dec. 536. n. 5. Gonſal. ad reg. 8. § 4. proœm. n. 83. et 84. Loter. de re benefic. l. 3. q. 4. n. 21.

VII. Et negato, quod aliqua poſſet conſiderari, conſiſtens in occultatione alicujus rei, quæ recurrentem deobligaret ab onere ordinandi in ſacris, ipſi, ut illam oſtenderet, conceſſi terminum decendii, competentem quidem attenta qualitate materiæ, et neceſſitate, quam prædicta ſancta eccleſia metropolitana habet, capitularium preſbyterorum, attento numero quamplurimorum in minoribus, qui illi inſerviunt, alii ſine ætate competenti, et alii cum illa, quin velint ordinari in ſacris cum præjudicio gravi cultus divini, qui in jure eſt admodum favorabilis; Pignatell. tom. 6. conſ. 95. n. 1. Lancelot. de attent. appellat. pendent. 2. p. c. 12. limit. 18. n. 8.

VIII. Nec ei poteſt ſuffragari aſſerta conſuetudo, quam ait vigere in prædicta ſancta eccleſia metropolitana in admittendis plurimis canonicis laicis per multos annos; quia hoc non eſſet, niſi ad ſummum mera tolerantia, ex qua non inducitur conſuetudo; præſertim quia hæc taciturnitas prælatorum datur ſæpiſſime, ut per eam vitentur mala majora; et nec ideo cenſentur approbare, et conſenſum præbere tali tolerantiæ, Rott. in annot. ad dec. 28. n. 44.

IX. Et inſuper non admittitur conſuetudo in præjudicium eccleſiæ, Pignatell. tom. 1. conſ. 90. n. 7. Quibus perſpectis, me non intuliſſe gravamen recurrenti, judicandum venit. Attamen V. R. Maj. &c.

ALLEGATIO XCVI.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Proceſſu Cenſurarum adverſus quendam Miniſtrum, qui Clericum carceravit ſine Auctoritate.

SUMMARIUM.

I. *Miniſter ſæcularis non ſolum eſt incompetens, ſed etiam incapax cognoſcendi de clerico.*
II. *Si cognoſcat contra clericum, procedendum eſt adverſus eum per cenſuras.*
III. *Miniſter laicus non poteſt capere clericum; et, ſi aliter fecerit, incurrit pœnam excommunicationis.*
IV. *Contra miniſtrum laicum, impedientem eccleſiaſticam juriſdictionem, procedi poteſt per cenſuras.*
V. *Perturbans juriſdictionem eccleſiæ efficitur fori illius.*
VI. *Miniſter laicus poteſt capere clericum in flagranti, quando vult committere aliquod delictum, remittendus vero intra terminum viginti quatuor horarum.*
VII. *Captura in flagranti dicitur fieri, quando non devenitur ad aliquem actum extraneum in crimine notorio.*
VIII. *Judex eccleſiaſticus vim non facit, procedendo per declaratoriam cenſurarum, quæ fuerunt promulgatæ in executionem ſententiæ, nec appellatio in hoc caſu habet ſuſpenſionem.*
IX. *Appellatio interpoſita poſt ſententiam, à qua non fuit appellatum tempore debito, non ſuſpendit, licet interponatur ad Summum Pontificem.*

Domine,

QUANQUAM recurrens diffuſe, et cum largiſſima extenſione, loquatur in ſua ſupplicatione, attamen in ſuam defenſionem nihil concludit, quo probetur violentiam ei fuiſſe illatam, aut excuſetur ab exceſſibus, quibus cum ſcandalo, in juriſdictionis eccleſiaſticæ, et miniſtrorum eccleſiæ offenſionem, ſe geſſit; et cum illius totus conatus ſit doctrinas colorare, quæ ad hunc caſum non concludunt, breviſſime oſtendam in terminis terminantibus, bene cenſuratum incedere, et non dari locum huic recurſui.

I. Fatetur recurrens, quod, cum quidam clericus accederet ad auditorium, in quo ille, ut judex partibus cum quædam irreverentia dicebat, in ſcriptis continentibus ignominias in perſonam ſuam, juſſit eum ſiſtere coram ſe, requiſiviſſeque ab illo de tali ſcriptura, ac voluiſſe deferre ei juramentum, et confeciſſet terminum ad procedendum adverſus illum, non obſtante, quod nedum eſſet incompetens, ſed etiam incapax cognoſcendi de clerico, cap. *At ſi clerici*, de judic. cap. *Adverſus*, § *Quia vero*, de excommunic. cap. *Sæculares*, de for. compet. in 6. authent. *Statuimus*, cod. de epiſcop. et cleric. Raynald. obſervat. crimin. cap. 2. tom. 1.

II. Et ſatis erat, ut procederem adverſus illum per cenſuras, ut eſt deciſio expreſſa text. in dict. cap. *Sæculares*, de for. compet. in 6. Paſſer. ad illum, n. 3. et ibi Barb. n. 1.

III. Enimvero ad amplius pervenit exceſſus illius, quia fatetur etiam recurrens, quod carceravit clericum, et eum detinuit in captura pluſquam viginti et quatuor horas; quod recurrens, ut judex laicus, nequibat facere; et, cum feciſſet, incurrit excommunicationem, cap. *Si vero*, 1. de ſent. excommunicat. bullæ Cœnæ Domini, verſ. *Excommunicatio*, 11. Oliv. de for. eccleſ. 2. p. quæſt. 22. n. 1. Peg. ad ordin. lib. 2. tit. 1. § 29. n. 3.

IV. Et adhuc ad majora devenit talis exceſſus recurrentis; quia cum quidam miniſter eccleſiaſticus voluiſſet cognoſcere de exceſſibus relatis, fatetur ipſe, quod juſſerit ei oſtendere præceptum, aut proviſionem regiam, quam haberet, ut cognoſceret de illo, impedivitque exercitium juriſdictionis illius; quod ſufficiens fuit, ut poſſet procedi contra recurrentem per cenſuras, cap. *Dilecto*, de ſent. excommunicat. in 6. ubi Barb. n. 8. Cortiad. tom. 1. dec. 26. n. 14.

V. Laici ſiquidem, turbantes juriſdictionem eccleſiaſticam, fiunt de foro illius, cap. *Cum olim*; ubi DD. Cortiad. dec. 27. n. 26. Barboſ. ſupr. n. 7.

VI. Et reſponſio D. Thomæ Pinheyro da Veyga, quam recurrens conatur adducere in controverſiam, eſt in terminis valde diſcrepantibus; nempe quando clericus captus fuit in flagranti, veniendo ad occidendum cum ſclopeta onuſta, et cane levato, et poſtquam judex ictus fuit tribus punctis, adhuc arripiendo arma in ſuam defenſionem, qui caſus eſt valde diverſus; quia judex laicus jure ipſo poterat eum capere, Per. de man. reg. 1. p. c. 7. n. 4. Peg. ad ord. l. 2. tt. 1. § 25. n. 4. ubi plures refert.

VII. Nos vero non ſumus in captura facta in flagranti, nec in remiſſione clerici intra ſpatium viginti quatuor horarum; quia, ut carceratio dicatur facta in flagranti delicto, opus eſt, quod non interveniat actus aliquis extraneus in crimine notorio, quod nulla tergiverſatione celari poteſt, Per. de man. reg. 2. p. cap. 43. n. 7. Oliv. de for. eccleſ. q. 22. 2. p. n. 21. quod non verificatur in captura facta à recurrente, quia percipiendo conduci clericum ad domum ſuam, et faciendo illi interrogationes ſuper aſſertis ignominiis,

niis, curando inſuper deferri ei juramentum, et poſt hoc procedere ad capturam ; non extitit illa in flagranti, et facta in actu ignominiæ, quanquam adhuc in hoc nequibat illum capere ; ideoque juſte fuit cenſuratus, quin poſſit implorare hunc recurſum, ut in terminis ſimilibus judicatum tradit Per. de man. reg. 1. p. c. 7. n. 41.

Et cum hoc ſatis eſſet, quippe quod et conſtabat ex ipſa confeſſione recurrentis, ut non eſſet locus recurſui, adhuc minime poterat ei ſuffragari propter alios exceſſus, qui probati extiterunt in judicio deprecanti, citato recurrente cum termino competenti, et ſervatis aliis terminis judicialibus, cum lata fuiſſet ſententia finalis, per quam judicatus fuit recurrens incurſus in excommunicationem bullæ Cœnæ reſervatam Sanctæ Sedi, et condemnatus in 20000 millibus regalibus ad expenſas ; à qua ſententia non appellavit ; ſed tranſacta in rem judicatam, expedita fuit declaratoria, quæ publicata fuit in illo archiepiſcopatu.

VIII. Nec appellatio *ante omnia*, qua defenditur, poteſt ei inſervire ; quia, præterquam quod non appareret de ea, quando appareret adhuc, non eum eximebat à declaratione excommunicationis, quam incurreret, ex quo illa trahit ſecum executionem cap. *Paſtoralis*, § *Verum*, de appellat. Cevall. de cognit. per viam viol. q. 35. n. 1. Gonſ. ad d. § *Verum*, n. 3.

IX. Et in hac materia immunitatis eccleſ. quamvis ſit interpoſita ad Summum Pontificem, non ſuſpendit, ut noviter declaratum eſſe à Sacr. Congr. refert Fatolill. n. de immunit. tom. 1. p. 5. ſeſſ. 53. n. 5. et 6. itaque nulla facta eſt violentia recurrenti in procedimento adverſus illum habito ; nec minus poſſum eam ego inferre in præcipiendo denuntiari illam ipſam declaratoriam, quæ in prædicto archiepiſcopatu fuerat publicata, ut fideles ex ignorantia non communicarent cum excommunicato, qualis habetur recurrens. Attamen V. R. M. &c.

ALLEGATIO XCVII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Proceſſu Cenſurarum in Materia Alimentorum.

SUMMARIUM.

I. *Cauſa alimentorum requirit majorem celeritatem.*

II. *Quando proceditur per cenſuras, ut ſolvantur alimenta, non datur locus recurſui ad coronam.*

Domine,

OMNI exactioni prætenſæ ab uxore recurrentis ſuorum alimentorum, ſe opponi recurrens cum tot obſtaculis, ut volens ipſa, menſe Septembris 1724. quo tempore jam ei debita erant 287300 regalia, facta liquidatione prædictorum alimentorum ; quæ ei non erant ſoluta à Junio 1723. recurrens hanc poſtulationem taliter implicavit, et diſtulit, quod adhuc uxor ejus debita alimenta non potuit conſequi ; et jam hic eſt ſecundus recurſus, ſuper hiſcemet alimentis. Et cum recurrens ſe videret in terminis expeditionis diplomatis adverſus participantes, poſtquam illud impedivit in cancellaria, et retardavit ejus effectum per multos menſes, qui tranſacti fuerunt, dum exceptiones deciderentur, devenit ad oblationem redituum bonorum caſalis pro ſatisfactione talium alimentorum, ut per hoc medium illam poſſet impedire, ut jam antea fuerat cum exceptionibus tertii, aut cum aliis conſignationibus, ſeu exactionibus, quas antecedenter jam feciſſet.

Ad quorum tot, et tam plurium præpedimentorum, quibus recurrens retardavit, non tantum hanc, ſed etiam alias ſimiles exactiones, non videtur eſſe in terminis gravaminis ; quia ſi bona caſalis ſunt expedita, et libera, non deerit, qui ſuper illis offerat ei mutuum, quo poſſit ſolvere prædicta alimenta ; ideoque non bene vult cum oblatione prædictorum bonorum impedire, et differre amplius præfatam ſolutionem, quæ debet eſſe prompta in materia alimentorum.

I. Quorum cauſa requirit majorem celeritatem, cum nemo poſſit ſine illis vivere, Themud. 1. p. dec. 30. n. 4. ac proinde tenebar eum cogere ad talem ſolutionem per cenſuras.

II. In quo non facio violentiam, nec locum habet recurſus ad hoc judicium, ut judicatum tradit Peg. ad ordin. tom. 3. l. 1. tit. 9. § 12. n. 585. Attamen V. R. M. &c.

ALLEGATIO XCVIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum in eadem Materia, ut ſupra.

SUMMARIUM.

I. *Alimenta debent ſolvi anticipate.*

II. *Alimenta non patiuntur moram in ſolutione.*

III. *Qui tenetur ad alimenta, et ea negat, reputatur in jure pro homicida.*

IV. *Qui conſumit bona ſua in expenſis ſuperfluis, et luxibus, et ob id reducitur ad paupertatem, non eſt dignus commiſeratione.*

V. *Contemptus cenſurarum eſt de foro eccleſiaſtico, et judex eccleſiaſticus habet juriſdictionem capiendi laicos.*

Domine,

I. CUM recurrens teneatur ſolvere ſuæ uxori anticipate alimenta, quæ ei arbitrata fuerunt ſingulis menſibus, ex leg. fin. de liber. agnoſc. l. 1. in fin. cod. *Quand. dies*, Calvin. de æquit. lib. 2. cap. 167. n. 127. Defranch. dic. 155. n. 3. Fontanel. de pact. nupt. clauſ. 6. gloſſ. 2. n. 63. aliter ſe habuit, ita ut non detur medium aliquod, quod non intentaret ad impediendam exactionem illorum, quod valde notum eſt huic judicio coronæ, ad quod multoties fuerunt traducta acta per gravamina, in quibus ei denegata fuit proviſio ; et nunc inſpicitur ex eiſdem actis, quæ in ipſo judicio inveniuntur, ut recurrens fatetur, quin animadverteretur, quod

II. Alimenta non patiuntur moram in ſolutione, Mel. in obſervat. ad Caſtill. de aliment. cap. 4. n. 3.

III. Et quod maritus denegans alimenta reputatur necare uxorem, ex tex. in lege *Quod ſi nollit*, § *Emancip.* ff. de ædi. Surd. de alim. cap. 4. q. 5. n. 9. Calvin. de æquitat. l. 3. c. 294. n. 6.

IV. Et cum debeat uxori ſuæ pluſquam 30000 ex alimentis victis, et bona, quorum dominus erat, diſſipaſſet in expenſis ſuperfluis, et luxibus inutilibus, caſu quo inveniatur pauper, non eſt digna commiſeratione ejus paupertas, Baptiſt. Pont. de aliment. cap. 4. n. 5.

Nec liberat eum dicere, quod offert bona ad executionem ; quia cum cenſuratus eſſet per annum, et amplius, et non curavit ſolvere ſaltem partem debiti ; oblatio ſua tendit ad ſe liberandum à cenſuris, et ad implicandam alimentatam cum dilationibus, ut non exigat aliquid, et expendat quod non habet ; ſicut ex experientia, quæ ex actis deprehenditur, colligi poteſt : et non fuerunt ſimiles proviſiones impertitæ in caſibus allegatis ex Peg. ſed ſumus in terminis aliorum, de quibus loquitur Oliv. de for. eccleſ. l. 2. q. 5. n. 13. *ubi colligit.*

Præter-

Præterquam quod recurrens gravamen interpoſuit ad relationem, ubi ei denegata fuit proviſio, et ab illa recurrit ad hoc judicium; et in his terminis nequit intentare à me hæc gravamina, ſed tantummodo obtinebit locum gravamen à juſſione capiendi eum, ut decrevi; quam capturam jam ei conceſſi in homagio, vulgo de *homenagem.*

V. Sed nec hoc gravamen procedit, quia licet poſſem capere eum per officiales eccleſiaſticos ob contemptum cenſurarum, quod eſt crimen mere eccleſiaſticum, in quo citra dubium habeo juriſdictionem capiendi laicos, Peg. tom. 8: ad ordin. lib. 2. tit. 8. § 3. n. 1. Per. d. 117. n. 8. Ol. de for. eccleſ. q. 3. n. 11. Themud. dec. 267. Menoch. de juriſdict. l. 3. cap. 22. § *Quartus caſ.* Cyrin. in nex. eccleſiaſt. juriſdict. cap. 3. n. 36. imploravi auxilium brachii ſæcularis; et ad illud, quod non fuit obſervata forma, ut ait in conceſſione illius, reſpondetur, ſervatam fuiſſe conſuetudinem, et praxim, in hac materia, de qua Phœb. dec. 124. n. 19. Ex quibus non intuli gravamen recurrenti. Attamen V. R. M. &c.

ALLEGATIO XCIX.

In Reſponſione ad Gravamen à Denegatione Copiæ petitæ poſt Inhibitionem Judicis delegati, et poſtquam is habuit ſe pro inhibito.

SUMMARIUM.

I. *Inhibitoriæ, ſive juſtæ, ſive injuſtæ, ſemper timendæ ſunt.*
II. *Cognitio virium inhibitionis non competit ad judicem inferiorem.*
III. *Quodcunque agitur poſt inhibitionem, eſt attentatum.*
IV. *Quod procedit, quamvis judex inhibens careat juriſdictione, dum de hoc non conſtat.*
V. *Decidens in aliqua poſtulatione, poſtquam judex ſe habuit pro inhibito, facit vim.*
VI. *Judex inhibitus non debet cognoſcere de exceptionibus oppoſitis adverſus inhibitoriam; ſed debet eas remittere ad judicem inhibentem.*

Domine,

VICARIUS generalis civitatis de Elvas, judex apoſtolicus, in quadam cauſa attentati, in qua judex extiti inter recurrentem, et vicarium generalem Leirienſem, juſſit expediri compulſoriam, ut acta ei remitterem; et inhibitoriam, ut me haberem pro inhibito in ipſa cauſa.

I. Et cum inhibitoriæ, ſive juſtæ, ſive injuſtæ, omnino ſint timendæ, Mandoſ. de inhibit. q. 20. n. 2. Rott. coram Alex. VIII. d. 108. n. 2. et coram Coccin. dec. 252. n. 2.

II. Nec ad judicem inferiorem competat cognitio virium inhibitionis, ut evitetur, quod ſub hoc prætextu ſequatur in obedientia, et contemptus inhibitionum, Rott. coram Alex. VIII. d. dec. 108. n. 3. et 4. volens evitare proceſſum cenſurarum, quæ naſcuntur ex non adimplemento inhibitoriarum, habui me pro inhibito, quin permitterem partibus copiam inhibitoriæ, ut multoties practicatur.

In his terminis obtulit mihi recurrens quandam poſtulationem, ut ei concederem copiam, quam jam ei nequibam impertire abſque attentato:

III. Quia quicquid agitur poſt inhibitionem, attentatum cenſetur, cap. *Non ſolum*, de appellat. in 6. ubi Paſſerin. n. 27. Rott. coram Alex. VIII. dec. 93. n. 5. et coram Zach. de obligat. Camer. dec. 87. n. 1. et coram Gregor. XV. dec. 435. n. 1.

IV. Licet judex inhibens careat juriſdictione, dummodo de defectu illius non conſtat, Ridolph. in prax. 3. p. cap. 5. n. 270. ibi: *Etiamſi judex, qui inhibuit, careat juriſdictione, donec id conſtet*, Rott. coram Cavaler. dec. 544. n. 3. ibi: *Quod inhibitio cauſet attentata, etiamſi judex careat juriſdictione, ſaltem donec non conſtet clare, quod careat juriſdictione.*

Quapropter poſtulationi non detuli per decretum, quod in ipſa apparet; et in hoc adeo recurrenti vim non feci, nec violentiam.

V. Ut ſi poſtquam me dedi pro inhibito, intromitterer, ut cognoſcerem, tunc vere vim committebam, ut judicatum tradit Peg. ad ordin. lib. 1. tt. 9. § 12. n. 532. nec, licet ei concederem copiam, poteram eum eximere ab obligatione ſe ſiſtendi coram judice inhibente:

VI. Quia, quamvis ipſe obtuliſſet exceptiones, de eis jam nequibam cognoſcere; ſed tenebar remittere ad judicem inhibentem, Peg. ad ordin. ſupr. n. 607. Quibus viſis, non intuli gravamen. Attamen, &c.

ALLEGATIO C.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Subſtatoria, quæ juſſu fuit expediri à Judice, tanquam delegato.

SUMMARIUM.

I. *Judices apoſtolici poſſunt expedire ſubſtatorias ad tempus, etiam ante acta tranſportata.*
II. *Appellatio ſuſpenſiva non admittitur in rebus celeritatem requirentibus.*
III. *A ſubſtatoria ad tempus non datur appellatio, nec recurſus.*

Domine,

FUNDAMENTUM hujus recurſus intentati à recurrente conſiſtit in eo, quod ei intuli vim, et violentiam notoriam, in expeditione chartæ ſubſtatoriæ, quam juſſi, ut per duos menſes ſubſtaretur in executione, quam proſequitur contra capitulum de *Ourem*, virtute trium ſententiarum conformium, quas aſſerit aſſecutum fuiſſe adverſus eum, de qua conformitate adhuc litigatur, me judice delegato, et ſubrogato, loco epiſcopi Elvenſis, tertii abſentis. Attamen nec vim, nec violentiam notoriam, feci recurrenti:

I. Quia certum eſt, quod judices apoſtolici poſſunt expedire prædictas ſubſtatorias ad tempus, etiam ante acta tranſportata, ut ex illis ſe informentur ſuper expeditione, aut abſtentione inhibitoriæ, ut eſt practica inviolabiliter ſervata, Mend. à Caſtr. p. 2. c. 11. n. 24. et ita declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione tradit Monacell. in formul. legal. pract. tom. 2. tit. 15. form. 2. n. 8.

Nec violentia poteſt conſiſtere in eo, quod conceſſi ei copiam petitam ad appellandum, poſt executionem mei decreti; quia, cum hæc appellatio nunquam poterat habere effectum ſuſpenſivum, ob id, quod capitulum premebatur executione, et exigebatur celeritas in ſuſpenſione illius;

II. Quo caſu nequibat appellatio eſſe ſuſpenſiva, ut regulariter non datur in negotiis requirentibus celeritatem; ſicut cum multis reſolvit Cardin. Deluc. de canon. diſc. 25. n. 6. Salg. de reg. protect. 3. p. c. 1. n. 70. jure poteram jubere exequi decretum ante copiam conceſſam.

III. Atque in omni caſu ab hac ſubſtatoria ad tempus non datur appellatio ſuſpenſiva, nec recurſus ad coronam; ut judicatum tradit ex ſtylo Salgad. dict. 2. p. c. 10. n. 48. Quibus viſis, vim non feci, nec violentiam. Attamen V. R. M. &c.

ALLE-

ALLEGATIO CI.

In Responsione ad Gravamen interpositum à non Receptione Appellationis in Effectu suspensivo in Causa Exactionis Pensionis.

SUMMARIUM.

I. *Executio nullo prætextu potest impediri post tres sententias conformes; quod procedit etiam in sententiis interlocutoriis.*

II. *Recepta appellatione in effectu devolutivo, ubi dantur tres sententiæ conformes, non fit locus recursui.*

III. *Appellationi suspensivæ non datur locus, cum interponitur in executione sententiæ super pensionibus; nec judex, eam denegando, violentiam facit.*

IV. *Juxta naturam causæ principalis regulantur in jure alia incidentia et emergentia illius.*

V. *Ordinatio regni observanda est in judicio ecclesiastico, quoad respicientia ordinem judicialem.*

Dominè,

POSTQUAM procurator recurrentis excogitavit cautelas plures, quam quas adducit Cepola, cautel. 76. ut deferri possint litigia per longum tempus, et reiterari appellationes (nam per illas consecutus est, quod quædam causa pensionis, et super exceptione spolii habente naturam summariam, et executivam, perduraret tot annos, quot ex actis cernitur, proposita quadam exceptione incompetentiæ, in qua prolatæ fuerunt tres sententiæ conformes) non se tenuit, quin convolaret ad subterfugium, quod pro cautela ponit idem Cepola, n. 2. nempe arguendi, ut *nullam*, sententiam, quæ prolata fuit super prædicta exceptione incompetentiæ, non advertendo, quod ipse auctor asserit, hanc cautelam non prodesse ad impediendam executionem:

I. Quia, post tres sententias conformes, debent illæ exequi, quamvis possit allegari nullitas, ut est expressa dispositio Clem. 1. de sent. et re jud. quæ venit, ut impediret similes calumnias, Barb. ad dict. Clem. n. 2. Cald. forens. l. 2. cap. 36. n. 7. Grat. for. cap. 42. n. 1. Cevall. commun. controv. q. 808. n. 98. quæ Clementina procedit etiam in sententiis interlocutoriis, ut ait gloss. verb. *Sententias*; ibi: *Non dicit definitivas, sicut parte proxima; per quod patet etiam in interlocutoriis, quarum facienda sit executio, locum habere, quod hic dicitur, et quo jure petatur earum executio.*

II. Hoc fundamento, jure, et DD. valde fulcito, sufficiens erat, ut non reciperetur appellatio recurrentis, nisi in effectu devolutivo; ac per consequens non haberet locum gravamen ad coronam, ut resolvit Salgado de regia protectione, p. 3. c. 16. n. 19. et 24. vers. *Cognitio igitur.*

III. Sed præterea, cum hæc causa sit super pensione reservata, virtute renuntiationis in canonicatu, quem recurrens habet in ecclesia metropolitana Ulyssiponensi Orientali per bullas Pontificias, à sententia prolata ab executionibus in simili casu non datur appellatio suspensiva; nec in denegatione illius committitur violentia, ex doctrina Salgad. de reg. prot. 3. p. c. 3. n. 5.

Nec recurri potest ad illud, quod sententia appellata non est adhuc definitiva, sed interlocutoria super nullitate tertiæ sententiæ prolatæ in exceptione incompetentiæ; quia cum simus in causa, quæ non habet appellationem suspensivam à sententia finali, nec eam habere debet ab interlocutoria data in incidentibus.

IV. Nam in causa, quæ natura sua est summaria, omnes articuli et termini sunt summarii, et ejusdem naturæ causæ principalis, solent esse incidentia, et emergentia, Clem. *Dispendiosam*, de jud. cum pluribus, Salgad. de reg. protect. 2. p. c. 6. n. 24. Cevall. de cognit. per viam violent. quæst. 39. n. 9. et ex hoc fundamento judex, denegans appellationem ab interlocutoria, violentiam non facit, ex Salg. d. c. 6. n. 14. ibi: *Hacque quæstione, vim nullam judicem committere, si noluerit deferre appellationi emissæ à sententia interlocutoria, vel à gravamine incidenti ante definitivam sententiam, à qua prohibita esset appellatio.* Et n. 42. et 93. Scacc. de appellat. q. 17. limit. 6. membr. 6. n. 36. et seqq. ubi dicit hanc opinionem servari in praxi.

Et inordinatio processus est affectata, et calumniose allegata; quia tertia sententia, quæ arguitur, ut falsa, et nulla, utpote prolata à judice post intimationem suspectionis, fuit prolata post tempus finitum, intra quod tenebantur arbitri suspectionem judicare, quod non fecerunt; ac proinde prædicta sententia, post tale tempus lata, fuit valida, ex ordin. lib. 3. tit. 21. § 21.

V. Quæ ordinatio observatur, sicut observari debet, quoad respicientia ordinem processus, in judicio ecclesiastico, Themud. 1. p. dec. 72. n. 7. et jam ab hac inordinatione affectata gravamen emisit recurrens ad hoc judicium coronæ, ubi non obtinuit; atque sufficiens erat, quod allegaret hanc affectatam nullitatem tertiæ sententiæ, ut appellatio non mereretur effectum suspensivum, ut supra manet probatum. Igitur non videtur, vim intulisse recurrenti. Attamen, &c.

ALLEGATIO CII.

In Responsione ad Gravamen interpositum à Rejectione Appellationis intimatæ ob Cognitionem non admissam super Impedimento oppositis Sententiis Desertionis Appellationis.

SUMMARIUM.

I. *Jurisdictio judicis delegati expirat post prolationem sententiæ finalis.*

II. *Appellatio interposita à desertione appellationis, non est receptibilis, licet non expiraret jurisdictio delegati.*

ABSQUE aliquo fundamento interponitur præsens recursus: cum enim citatus esset recurrens ad desertionem appellationis; et quia non apparuit in judicio ad allegandam rationem, quare non deberetur judicari deserta, fuisset pronuntiata desertio; recurrens se opposuit tali pronuntiationi cum impedimentis: et cum hæc non reciperentur, appellavit tempore, quo nec cognoscere poteram de impedimentis, nec deferri appellationi:

I. Ex eo, quia, cum essem judex delegatus post prolatam sententiam, qua appellationem defertam judicavi, jurisdictio mea expirata fuit, ex l. *Judex*, 53. de re judicat. c. *Literis*, 9. cap. *Venerabilis*, 36. de offic. et potest. judic. delegat. Rott. recent. c. 18. tom. 1. dec. 391. n. 2. et apud Cavaler. dec. 347. n. 2.

Siquidem delegatus, sive bene, sive male judicâsset, non potest mutare sententiam jam datam, Carol. Anton. Deluc. de confident. hæred. cap. 57. n. 9.

II. Sed, dato, et non concesso, quod jurisdictio non esset expirata, adhuc appellatio non esset receptibilis, ut interposita à desertione appellationis, ex l. fin. § *Illud*, cod. de appellat. cap. *Personas*, cap. *Romana*, de appellation. et ex dispositione horum textuum tenet hanc opinionem, uti probabiliorem, Parlador. rer. quotidian. c. fin. lib. 2. p. 1. § 1. n. 11. Salg. de reg. prot. 3. p. c. 18. à n. 86. et seqq. Igitur mihi non videtur irrogâsse vim. Attamen, &c.

ALLEGATIO CIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à non Receptione Appellationis ſuſpenſivæ in Caſu Collationis Beneficii extrajudicialiter factæ.

SUMMARIUM.

I. *Capellaniæ ſæculares non obligant recitare horas canonicas in choro.*

II. *Capellania eccleſiaſtica, ſecluſa prohibitione in contrarium, eſt ſufficiens, ut in illa conſtituatur patrimonium, habito conſenſu patroni, ſeu ejus locumtenentis.*

III. *Appellatio interpoſita in caſu collati beneficii extrajudicialiter abſque contradictore, recipienda in effectu devolutivo tantum.*

DOMINE,

I. ABSQUE fundamento interponunt recurrentes præſens gravamen, quia capellania contentionis non eſt fæcularis, ſed eccleſiaſtica; quia ex ſua inſtitutione habet obligationem recitandi horas canonicas in choro: quod non eſt compatibile cum capellania fæculari, Palao. tom. 1. tract. 13. diſp. 1. punct. 6. n. 5. ibi: *Secundo, infertur, capellanias laicas non obligare ad horarum recitationem,* Gonſal. de regul. 8. cancellar. gloſſ. 5. n. 5.

II. Et cum hæc capellania ſit eccleſiaſtica, et non extet prohibitio de aliquo, non ordinando titulo illius, manet admiſſibilis pro patrimonio, conſentiente, ut conſentit, majori parte menſæ Miſericordiæ, quæ eam præſentat, Zerol. in prax. 1. p. verb. *Patronatus,* dubit. 15. Gonſal. d. gloſſ. 5. n. 58. In his enim terminis reputatur illa, ut beneficium eccleſiaſticum, Cevalh. commun. controverſ. . . . . n. 28. Antonel. de regim. eccleſ. lib. 2. cap. 2. n. 7.

III. Ac proinde nec appellatio debebat habere, niſi effectum devolutivum, in quo eam recepi, Moſtaſ. de cauſ. piis, lib. 3. cap. 14. ibi: *Imprimis, quando capellania, ſeu beneficium, etiam ſimplex, confertur, ſeu inſtituitur extrajudicialiter, et abſque aliquo contradictore, præmiſſis omnibus diligentiis: et tunc appellatio, ſi poſtea ab aliquo interponatur, non ſuſpendit executionem; quin potius inſtitutio, ſeu collatio, ſtatim executioni mandatur,* Salgad. de reg. prot. 1. p. cap. 13. n. 187. ibi: *Prima ſit concluſio, ſi in proviſione quorumcunque beneficiorum ſimplicium, puta collatione, electione, præſentatione, inſtitutione, ſeu confirmatione, proceditur, ſui primæva natura retenta, hoc eſt, extrajudicialiter; appellationi ab his actibus, tanquam extrajudicialibus, commiſſæ ab aliquo, judex non deferens, ſed, ea non obſtante, ad executionem, et poſſeſſionis traditionem, deveniens, vim non facit, quam probant DD. ſuperius citati,* Cevalh. de cognit. per viam violent. quæſt. 24. n. 23. et ſeqq. Tondut. quæſt. beneficiar. tom. 1. quæſt. 7. et cum collatio, quam feci, fuiſſet facta extrajudicialiter, juſte non recepi appellationem niſi in effectu devolutivo; in quo mihi non videtur violentiam feciſſe. Attamen, &c.

ALLEGATIO CIV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum ab Executionis Continuatione, pendente Recurſu ad Coronam.

SUMMARIUM.

I. *Judex eccleſiaſticus poteſt procedere abſque nullitate, aut attentato, non obſtante interpoſitione recurſus ad judicium coronæ.*

II. *Quodlibet gravamen, ad quodcunque judicium interpoſitum, non producit effectum ſuſpenſivum in judice à quo.*

III. *Differentia inter appellationes, et gravamina, ſeu recurſus, eſt in eo, quod illæ ſuſpendant, hæc vero minime.*

IV. *Si interpoſitio recurſus, aut gravaminis ad ſuperiorem, ſuſpenſionem executionis operaretur, non parva abſurda ſequerentur.*

V. *Poſt intimationem recurſus, ſuſpenſa non manet juriſdictio judicis eccleſiaſtici de jure, ſed tantum de facto.*

VI. *Urbanitas tunc tantum eſt practicanda, quando non eſt contra juſtitiam.*

DOMINE,

RECURRUNT, et jam quarto, Majeſtati veſtræ moniales S. Claræ hujus civitatis Orientalis in hac ipſa cauſa, cum fundamento, quod non ſuſpendit executionem executionis illius, pendente tertio recurſu, non advertentes uſque, quod hi recurſus non ſuſpendant, neque cauſam, quam habeo, ad eam ſuſpenſionem non admittendam.

I. Dicere autem, quod recurſus ad hoc judicium coronæ ſuſpendant, eſt propoſitio falſa, ſiquidem, pendente recurſu, poteſt judex eccleſiaſticus procedere, quin ejus procedimentum operetur nullitatem, ſeu attentatum, Salgad. de libert. beneficior. act. 16. n. 57. ibi: *Reſpectu vero juris, falſa detegitur dicta propoſitio: nam, etiam ſuppoſita recurſus exiſtentia in ſenatu regio, judex eccleſiaſticus non impeditur interim procedere; nec ejus proceſſus cauſat nullitatem, nec attentatum, prout latiſſime, poſt longam diſputationem, validiſſimoque fundamento probavimus in tract. de reg. protect. 1. p. c. 7.* Portug. de donat. l. 1. p. 2. cap. 31. n. 18. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 20. n. 3. Peg. ad ord. lib. 1. tit. 9. § 12. cap. 1. n. 66. Parex. de inſtr. edit. tit. 2. reſol. 7. n. 36.

II. Quod adeo procedit, ut etiam in recurſibus interpoſitis à judice inferiori ad ſuperiorem, habentem juriſdictionem ſuper illum, verior ſententia, et conformis regulis juris communis, eſt, quod non ſuſpendunt, Creſp. de Valdaur. p. 1. obſerv. 118. n. 13. ibi: *Quia, juxta regulas juris communis, pendente recurſu etiam notificato, non impeditur executio inferioris: et hanc eſſe veriorem, probabiliorem, ſecuriorem, communi uſu, et praxi, uniformique ſenatorum et advocatorum calculo receptam, et amplexam, probat late Salgad. de recurſibus à judicibus eccleſiaſticis ad tribunalia regia.*

III. Et hoc eſt, quod ex aliis diſcrimen, quod datur inter appellationes, et recurſus, ſive gravamina, ut cum multis tenet Creſp. dict. obſervat. 118.

IV. Præterquam quod, ſi ſufficeret notificatio recurſus ad impediendam executionem, ſequeretur quoddam inevitabile abſurdum; quod, licet male, adeo experitur, nempe, cauſarum deferendarum, atque protelandarum, cum recurſibus, et frivolis, necnon alia abſurda, quæ catholice conſiderat Creſp. dict. obſerv. 118. à n. 15. et ſeqq. omnino videndus.

V. Unde certum eſt, quod ob notificationem recurſus, non manet juriſdictio judicis eccleſiaſtici de jure ſuſpenſa, ſed tantum de facto impeditur exercitium illius; quia, cum acta veniant ad hoc judicium, abſque illis non poteſt procedi in cauſa, Parex. de inſtr. edit. dict. tit. 2. ref. 7. n. 6. ibi: *Quod, licet de jure non ſit judicis eccleſiaſtici ſuſpenſa juriſdictio, tamen de facto in hac ſpecie impeditum eſt ejus exercitium; quia, deficientibus actis, et abſentibus, non poteſt procedere in cauſa, nec partibus juſtitiam miniſtrare.*

VI. Quando vero dicatur, quod, licet de jure non debet judex eccleſiaſticus ſuperſedere, non inficiatur, quod

quod ita erit, et ita practicatum, quando urbanitas id exigit; ſed non in caſu præſenti, quo interponitur ſecundus recurſus ab eo ipſo, in quo denegata fuit proviſio; quia in his terminis major urbanitas, et obſequium veſtræ Majeſtati erit proſequi in juſtitia miniſtranda, ut bene recognovit Creſp. d. obſerv. 118. n. 18. in fin. ibi: *Apud nos enim urbanius agit, et magis ſuperioris intentioni conſentanee operatur, ſi, dum ſuperior non prohibet, juſtitiam partibus ſine mora miniſtret.* Ob iſtas rationes non intuli gravamen recurrentibus. Attamen, &c.

ALLEGATIO CV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à non Receptione Appellationis ſuſpenſivæ à Sententia Rejectionis Impedimentorum in Cauſa Penſionis.

SUMMARIUM.

I. *In penſionibus, quot ſunt anni, qui debentur, tot ſunt actiones competentes.*

II. *In penſionibus annuis, ut detur præſcriptio, computatur tempus à principio cujuſque anni obligationis.*

III. *Appellatio interpoſita ſuper unum articulum ſeparatum, non ſuſpendit in aliis articulis, ſi ſimul ab illis non appelletur.*

IV. *Gratiæ Pontificiæ æquiparantur ultimis voluntatibus.*

V. *Impedimenta calumnioſa, ad finem deferendi executionem oblata, rejicienda ſunt, etiam officio judicis.*

VI. *Compenſatio non habet locum in penſionibus beneficiariis.*

VII. *A ſententia lata in cauſa penſionis conceſſæ pro alimentis penſionariis, non datur appellatio ſuſpenſiva.*

DOMINE,

INTERPONIT à me ad Majeſtatem veſtram ſecundum recurſum abbas Emmanuel Teyxeira da Coſta: etſi in primo judicatum fuit in hoc judicio, nullam vim, aut violentiam ei illatam à me fuiſſe, illud ipſum judicandum venit in hoc ſecundo; ſiquidem querela ejus tota conſiſtit in eo, quod, oblatis impedimentis in actis principalibus, fol. 1. quibus deducebatur, quod per hoc judicium juſſum erat doctori Hyacintho Roballo Freyre ſubdelegato, ut reciperet appellationem in utroque effectu, et recepta illa ab eo, qui etiam præcedente inhibitoria legatiæ, habuerat ſe pro inhibito, non poterat ipſe poſtea recipere deſiſtentiam cauſæ, et habere ſe pro ſuſpecto.

Sed, præterquam quod jam in primo gravamine reſpondi ad hanc querelam, et oſtendi cavillationem, qua recurrens uſus fuit ad obtinendam proviſionem in recurſu, quam non conſequeretur, ſi veritatem exponeret, et viſa fuiſſet bulla cum ſuis clauſulis, juſtificationeque poſtea juncta; animadvertendum venit, quod ſumus in cauſa omnimode diverſa ab illa, quæ proceſſata fuit coram prædicto ſubdelegato; quia tunc exequebatur penſio victa in natali anni 1719. et nunc prætendit penſionarius exequi penſiones decurſas in natali annorum 720, 721. ac proinde ſumus in alia cauſa, aliaque actione.

I. In penſionibus enim annuis, quot ſunt anni, tot ſunt actiones, Gig. de penſ. q. 83. n. 4. ibi: *Sic, quot ſunt anni, tot ſunt actiones*, Cevall. communen. contra commun. q. 167. n. 10. ibi: *Quot ſunt anni, tot ſunt præſtationes, ut dicimus de legato annuo; et per conſequens tot naſcuntur actiones.*

II. Ideoque in his penſionibus annuis, ſive procedant ex contractu, ſive ex ultima voluntate, ut detur præſcriptio, non eſt computandum tempus à principio obligationis, ſed à principio cujuſque anni, Carleval. de judic. tit. 13. diſp. 4. n. 18. Tondut. de penſion. c. 36. n. 11. Gail. obſerv. 79. n. 10. Aylon. ad Gom. tom. 2. c. 11. n. 46. Cevall. quæſt. 569. n. 4. et 5.

Et cum in unoquoque anno producatur nova actio; et quando penſionarius ſe obligavit recurrenti pro penſione decurſa in natali anni 1719. nondum ei nata erat actio pro annis futuris, ut tenet Gig. dict. q. 83. Carlev. d. diſp. 4. n. 18. in his terminis eſt omnimode diverſa hæc actio, et cauſa, à penſionario mota contra recurrentem, ab illa, quam coram judice ſub delegato propoſuit; ideoque appellatio interpoſita in prima non poteſt ei prodeſſe in hac, nec curſum illius ſuſpendere, Barb. ad tex. in cap. *Ad hæc*, 6. de appell. n. 4. ibi:

III. *Collige ex tex. quod appellatio interpoſita ſuper uno articulo ſeparato non ſuſpendit juriſdictionem judicis à quo in aliis articulis ſeparatis, nec eam devolvit, quemadmodum præpoſita in una cauſa ſuſpendere non poteſt*, Salg. de reg. protect. 3. p. cap. 15. n. 10.

Nec convincit quod dicit recurrens, quod obligatio harum penſionum eſt una tantum; quia naſcitur ex contractu; et quod, quamvis in quolibet anno competat nova *actio*, ſemper tamen naſcitur illa ex unica obligatione. Nam, cum, præterquam quod contrarium manet demonſtratum, eſt inſuper notandum, quod penſiones beneficiorum, et eccleſiarum, non dependent à voluntate partium, ſed Pontificis, aut alterius ſuperioris, quia eas reſervat, quemadmodum legatum dependet à voluntate teſtatoris, quæ illud diſponit; ideoque, quod militat in legatis, militat etiam in penſionibus:

IV. Siquidem gratiæ Pontificiæ æquiparantur ultimis voluntatibus, Gig. d. q. 83. n. 9. et 10.

Et cum hæc eſſet materia impedimentorum recurrentis, oſtenditur evidenter, illam eſſe calumnioſam, ad finem differendi, et impediendi ſolutionem penſionis oblatam, utpote quæ talis erat rejicienda, ut reſolvit Barb. de penſ. 1. p. q. 7. n. 14.

V. Judices enim tenentur obviam ire calumniis partium, et rejicere exceptiones dilatorias, Barb. d. quæſt. 7. n. 15.

VI. Nec prædicta impedimenta receptibilia efficiebat aſſertio recurrentis, quod habebat materiam compenſationis; quia abſque dubio eſt, quod illa non habet locum in penſionibus reſervatis ad alimenta penſionarii, Berſan. de compenſ. c. 2. q. 8. n. 3. et 12. Ciarlin. for. cap. 36. n. 26.

VII. Nec, ultimo, violentia conſiſtere poteſt in recipienda appellatione in effectu devolutivo à rejectione impedimentorum; quia, cum ſimus in cauſa penſionis conceſſæ ad alimenta penſionarii, ut cernitur ex bulla, in hoc caſu non datur appellatio ſuſpenſiva, Salgad. de reg. protect. 3. p. c. 13. n. 1. ibi: *Quando penſio reſervatur pro alimentis, et pro vitæ humanæ ſuſtentatione, quoque modo proceſſus in eis fulminatur, ſine executive, ſive ſummarie tantum, appellatio non admittitur*, Laur. de benef. p. 3. ſeſſ. 1. c. 4. § 8. q. 589. Ventrigl. in prax. tom. 2. annot. 11. § 2. n. 72. Gig. de penſ. q. 5. n. 3. Ex quibus, et aliis, clare oſtenditur, me violentiam non intuliſſe recurrenti. Attamen, &c.

ALLE-

ALLEGATIO CVI.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum per quaſdem Moniales à Denegatione Copiæ petitæ per Supplicationem ſimplicem, abſque Productione Licentiæ, cum ſimul vellent offerre Exceptiones, ut tertiæ Dominæ.

SUMMARIUM.

I. *Non parcendum cavillationibus.*
II. *Moniales non poſſunt per ſe habere dominium in bonis, nec poſſeſſionem illorum.*
III. *Moniales nequeunt comparere in judicio abſque licentia ſui ſuperioris.*
IV. *Tertius, veniens ad judicium ad excipiendum cum cauſa affectata, non eſt admittendus.*
V. *Tertius, qui in continenti non offert jus ſuum probatum in exceptionibus, non impedit executionem.*

RECURSUS ad coronam, introducti ad evitandas oppreſſiones vaſallorum Majeſtatis veſtræ; propter malitiam, et dolum, quo partes eos intentant (de qua malitia conqueritur Summus Pontifex Innoc. III. in cap. *Finem litibus*, de dolo, et contumacia) necnon propter defectum timori Dei, et cenſurarum, quo cauſidici eis utuntur, tranſierunt in majorem occaſionem oppreſſionum; quia abſque conſcientiæ remorſu, interponuntur recurſus, non alio fine, quam cauſas reddendi immortales: ſiquidem, quamvis eis denegetur proviſio in illas, conſequuntur tamen finem eas differendi; quod evidenter cernitur in hujus contentionis cauſa, in qua hic eſt jam tertius recurſus; in duobus autem præcedentibus non obtinuerunt recurrentes proviſionem; et majori cum ratione debet illa denegari in hoc, cum ſit idem, ac ſecundus, in quo non obtinuerunt.

I. Imo providendum eſt de remedio ſimilibus cavillationibus; quia malitiis hominum non eſt indulgendum, tex. in l. *In fundo*, § *Conſtituimus*, ff. de reivendic. Gail. l. 2. obſerv. 70. à n. 20.

Secundus autem recurſus interpoſitus à recurrentibus conſtitit in eo, quod recurrentes fuerunt admiſſæ cum impedimentis, quæ intentabant, ut tertiæ dominæ, et poſſeſſoriſſæ: et eſt idem cum hoc nunc interpoſito. Sententia, quæ exequitur, lata fuit contra recurrentium conventum, qui tantum poterat eſſe dominus domuum, et contentionis, non vero recurrentes:

II. Quæ, ut regulares, per ſe nequeunt habere bona, nec poſſeſſionem illorum, cum hoc ſit contra votum paupertatis, Tambur. de jur. abbat. diſp. 8. quæſt. 4. n. 5. et quiſ. 5. n. 1. Quomodo ergo admitti poſſunt, ut tertiæ dominæ, et poſſeſſoriſſæ? Etſi abbatiſſa recurſum interponit, quomodo poteſt eſſe tertia, ſi contra illam, et conventum, lata fuit ſententia, quæ exequitur? Præterquam quod, ut poſſent admitti, ut tertiæ dominæ, et poſſeſſoriſſæ, ad impediendam executionem ſententiæ obtentæ contra monaſterium, quando adhuc judicari poſſent ut tertiæ, debebant eſſe perſonæ habiles; quales non ſunt moniales.

III. Quæ non poſſunt comparere in judicio abſque licentia ſuorum prælatorum, Schitit. de tert. venient. ad cauſ. in prælud. n. 55. quam non oſtenderunt recurrentes: unde cognita malitia, qua per ſupplicationem ſimplicem (quæ nec fuit ſignata, nec aſſociata procuratione, nec licentia ad litigandum) copiam petierunt; quod veroſimiliter apparebat provenire ab ipſa abbatiſſa, contra quam ſententia exequebatur; tenebar non admittere recurrentes, neque iis copiam concedere, Schitit. in d. prælud. n. 30. ibi:

IV. *Sexto, Ampliatur, etſi tertius deducat, prorſus pro ſuo intereſſe, cauſam, quæ judici videatur affectate et calumnioſe propoſita, tunc, cum cenſeatur per malitiam, et meram calumniam, ſeu colluſionem, ad proceſſum veniſſe animo illum impediendi, et intricandi, nullo modo ſit admittendus.*

Quod in præſenti caſu majori ratione procedit; quia uſæ fuerunt recurrentes cautela petendi talem copiam, cum adhuc acta eſſent in hoc judicio coronæ, illico poſt ſcientiam denegatæ proviſionis.

V. Et præcipue, quia nec oſtenderunt in continenti, nec ſe ad oſtendendum obtulerunt, jus ſuum, ut tenebantur, Giurb. dec. 62. n. 2. ibi: *Quod ſi tertius ſe dominum, et poſſeſſorem non oſtendat in promptu, ſed terminum ad probandum petat, et in oppoſitionibus ita articulat, practicamus tunc, non impediri executionem, tum ex eo, quod tertius non venit paratus; tum etiam, quia alias eſſet dare materiam eludendi executionem, et dilatandi jura creditorum.* Quibus conſideratis, manifeſta redditur calumnia præſentis recurſus. Attamen, &c.

ALLEGATIO CVII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum ab Inhibitoria expedita ad Judicem ſæcularem, ut non cognoſceret de Cauſa Perſonæ eccleſiaſticæ cognitæ pro tali.

SUMMARIUM.

I. *Beneficiarius non poteſt regulariter conveniri in judicio ſæculari.*
II. *Nec conſenſum præſtare, ut conveniatur, nec privilegio cedere.*
III. *Nullus eſt totus proceſſus factus contra eccleſiaſticos per judicem ſæcularem.*
IV. *Ad hoc, ut poſſit expediri inhibitoria per judicem eccleſiaſticum, ſufficit, quod detur notorietas de perſona eccleſiaſtica; quo caſu nec eſt neceſſe, quod ea poſtuletur.*
V. *Reſpondetur ad ordinat. lib. 2. tit. 14.*
VI. *Judex eccleſiaſticus poteſt uti cenſuris contra ſæcularem, qui non habuerit ſe pro inhibito, in caſu quo jure eum poterat inhibere.*

DOMINE,

IN judicio ſæculari executionem proſequuntur recurrentes contra Mametem de Sampayo, qui notorie eſt cognitus ut beneficiarius eccleſiæ S. Mariæ de *Obidos*, et tunc judex legatiæ; et propterea demandatus fuit in hoc judicio eccleſiaſtico in quamplurimis cauſis; et in ipſo ſecutus eſt etiam quandam aliam cum ſuo procuratore ſuper ratiociniis exactionum beneficii: et recte:

I. Quia beneficiarius gaudet privilegio fori, et nequit conveniri in judicio ſæculari, cum pluribus, Barb. de poteſt. epiſc. 2. p. alleg. 12. n. 6. Antonell. de jurib. clericor. lib. 1. cap. 4. n. 4.

II. Licet conſentiat in illo cum juramento, quia eſt privilegium conceſſum ſtatui eccleſiaſtico, cap. *Si diligenti*, de for. compet. ubi Gonſal. n. 9. Antonell. d. lib. 1. p. 1. cap. 1. n. 3.

III. Qua de cauſa adeo eſt incapax judex ſæcularis cognoſcendi de clericis, ut ſit nullus totus proceſſus factus contra illos, quippe qui eſt formatus à judice non habente juriſdictionem, nec poteſtatem in clericos, cap. *Sæculares*, cap. *Si diligenti*, de for. competenti, Fatolill. de immunit. tom. 1. p. 4. tract. 4. n. 4.

IV. Nec neceſſe erat, quod prædictus beneficiarius mihi oſtenderet documenta, nec poſtulationem offerret, ſicut obtulit ut juberem expediri inhibitoriam;

riam; quia ſatis erat, quod ſcirem illum eſſe beneficiarium, ut adhuc, ipſo contradicente, eam expedirem, cum non ſolum agatur de intereſſe beneficiarii, ſed etiam ſtatus eccleſiaſtici, Barb. ad tex. in cap. *Si judex laicus*, de ſent. excom. lib. 6. Fatolill. ſupra, p. 4. tract. 4. n. 5.

Nec ſatisfacit, quod recurrentes dicunt, ſcilicet, quod inhibitoriæ non obedierint, ex prohibitione ordin. lib. 2. tit. 14.

V. Reſpondetur enim, ordinationem prohibere inhibitorias caſu, quo judex non poteſt inhiberi, non vero quando juſte expediuntur:

VI. Quia in hoc caſu remittenda eſt cauſa; alias poteſt procedi per cenſuras, ut reſolvit Pereyr. de man. reg. cap. 62. n. 14. Themud. 1. p. dec. 8. n. 6. *Et quando inhibitoria eſt injuſta, dumtaxat, datur locus recurſui ad hoc judicium*, Pereir. dict. cap. 62. n. 14. Themud. dict. dec. 8. n. 3.

Nec recurrentes eximi poſſunt ex eo, quod cauſa ſit cenſualis, quæ pertinet ad ſæcularem, juxta doctrinam Noguerol. citati: hoc enim procedit, quando cenſus nulliter alienatur in clerico, ut fraus fiat creditori; quia tunc fingitur, rem eſſe in poteſtate alienantis. Et adhuc in hoc caſu contrarium ſequitur Rodrigueſ. de annot. reddit. lib. 2. q. 9. n. 59. aſſerens, falſam, et periculoſam opinionem Noguerol. et quod contra illam fuiſſet judicatum; et merito, quia offendit immunitatem eccleſiaſticam. Ad quorum conſpectum, nullum gravamen intuli. Attamen, &c.

ALLEGATIO CVIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Decreto, per quod juſſum fuit egredi à Monaſterio Sanctæ Monicæ quandam Fœminam ſæcularem, quæ in illo quandam injuriam gravem irrogaverat.

SUMMARIUM.

I. *Injurians facto, vel verbo, perſonas eccleſiaſticas, puniri poteſt in utroque judicio, eccleſiaſtico, ſcilicet, aut ſæculari.*

II. *Prælato regulari demittente gubernium perſonarum eccleſiaſticarum ſuæ juriſdictionis, devolvitur illa ad ordinarium, dum Sede Apoſtolica non providet ſuper eo.*

III. *Quod procedit etiam, cum juriſdictio maneat in ſede vacante.*

IV. *Data negligentia prælati regularis circa correctionem ſubditorum, ſubditarumve, poteſt intrare juriſdictio ordinarii.*

V. *Vicarius capitularis habet omnimodam juriſdictionem capituli eum eligentis, etiam in illis rebus, quæ mandato ſpeciali indigent.*

VI. *Monaſteria religioſarum inſtituta non fuerunt ad ſerviendum ſæcularibus pro propriis eorum convenientiis.*

VII. *In monaſteriis monialium admittendæ ſunt tantum virgines honeſtæ, et pacificæ.*

Domine,

ASSERIT recurrens, vim et violentiam me intuliſſe, cum juberem eam egredi à monaſterio S. Monicæ, in quo ſe receperat; quia acceſſerat ad cellulam cujuſdam monialis, quandam quærens novitiam, ut fuſte eam, quem gerebat, percuteret, et injuria afficeret utramque, eas publice infecti ſanguinis appellans; adjungens, quod nec ratione perſonæ recurrentis, nec ratione loci, habebam juriſdictionem in eam; et, prout ſic, incivilis fuit modus, quo proceſſi. Sed nullo fundamento fulcitur querimonia illius: nam, ſuppoſito, quod recurrens ſit ſæcularis, et præſcindendo ab eo, quod deveniſſet ad ſacrilegium, abſque dubio eſt, quod ſaltem adfuit quædam injuria atrox illata, nedum religioſæ, et novitiæ, ſed etiam conventui; et in hoc caſu poterat recurrens puniri in judicio eccleſiaſtico, ex ordinat. lib. 2. tit. 9. § 3. auth. *Item nulla*, cod. de epiſc. et cleric. Thom. Valaſc. alleg. 55. n. 2. ibi:

I. *Primus, in quo permittitur clericis, religioſis, beneficiatis, accuſare poſſe eos, qui ſibi injuriam fecerunt facto, vel verbo, coram judice ſæculari, vel eccleſiaſtico*, Per. de man. reg. c. 53. n. 33.

Etiam ratione loci, dubitari nequit, quod poteram exercere juriſdictionem in monaſterio exempto ab ordinaria; quia ſatis notorium eſt, quod provincialis S. Auguſtini illud demiſit à ſua juriſdictione, quin eam cogerent ad admittendum plurimæ inſtantiæ, quæ præceſſerunt, fundatæ in eo, quod non poterat illud derelinquere abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ; et de facto exiſtit prædictum monaſterium abſque prælato regulari, et moniales abſque ſacramentis, nec miniſtro, qui eis ſacramenta adminiſtraſſet.

II. Et cum non deberent eſſe ſine gubernio, dum recurreretur ad Sedem Apoſtolicam, intrare poteſt juriſdictio capituli, ſede vacante, ut reſolvit Levr. de vicar. epiſcop. tract. 3. q. 2. et q. 503. ibi: *Dicendum, inſtante neceſſitate, quæ dilationem, aut recurſum ad Sedem Apoſtolicam non patiatur, poſſe, quoad exemptos, tam in negotio viſitationis, quam alio, de quo agitur, procedi à capitulo, ſede vacante, &c. et quidem juriſdictione ordinaria, quia, in caſibus urgentis neceſſitatis, intrat juriſdictio ordinaria capituli.*

III. Et optime, q. 504. Barb. de canon. cap. 42. n. 107. Fermoſin. de pot. capit. q. 22. n. 6. Et ratio, quare capitulum poteſt regere moniales exemptas, eſt, quia non debent extare abſque prælato, qui eas gubernet, et ad quem accedant in caſibus neceſſitatis, dum Sedes Apoſtolica non providet. Fermoſin. dict. quæſt. 22. n. 7. ibi: *Quia monaſteria hæc non debent eſſe abſque prælato, ad quem in caſu neceſſitatis confugiant, Levren. d. q. 50.*

IV. Et, à fortiori, intrare debet juriſdictio ordinarii, quando exempti penitus carent prælato, ſiquidem ipſa intrat adhuc dato prælato; cum, ſcilicet, eſt negligens, ex tex. in cap. *Quanto*, de offic. judic. ord. et ibi Gonſal. n. 5. et 6. Levren. in l. 1. decretal. tit. 10. q. 443. Anaclet. ad eund. tex. § 3. n. 42. Berton. de neglig. p. 2. art. 1. n. 6.

V. Stanteque capitulo, ſede vacante, prælato prædicti monaſterii, ex eo, quod prælatus regularis penitus ſe exemit à regimine illius, et nullum prælatum ſubſtituit, mihi competiit hæc prælatura, non ſolum ex commiſſione expreſſa capituli, ſed etiam quia capitulum me conſtituit ſuum vicarium capitularem; et eo ipſo cenſetur mihi conceſſiſſe omnimodam juriſdictionem, auctoritatemque ſuam, etiam in illis rebus, quæ indigent ſpeciali facultate, et mandato, Clericat. de juriſdict. diſc. 2. n. 29. Gutier. canon. cap. 11. n. 10. Rott. 4. p. tom. 3. dec. 270. n. 34. Garc. de benefic. cap. 7. n. 28. Levren. de vicar. tract. 3. cap. 4. q. 566. n. 2.

Nec admiſſibilis eſt aſſertio, nempe, quod efficiebar prælatus ad effectum tantum concedendi confeſſarios monialibus prædicti monaſterii; quia in reliquis eſſent abſque prælato, contra id quod ſupra manet oſtenſum: ac proinde abbatiſſæ non obedirent, ad chorum non accederent, non confiterentur, niſi quando eis libuiſſet, patrarentque quot exceſſus eis occurriſſent; quin, qui eos corrigeret, extaret; quod quidem manifeſte cernitur abſurdum evidens eſſe.

VI. *Neque* (ait Fagn. ad cap. *Præterea*, de converſ. conjugator. n. 18.) *monialium monaſteria inſtituta ſunt, ut ſæcularium commoditatibus, ſeu indigentiis, inſerviant.*

Multo minus inſervire debent, ut in illis commoretur aliqua ſæcularis, quæ valde inſolenter, et ſcandaloſe, proceſſit adverſus prædictam novitiam, ejus magiſtram; maxime, cum ſit publicum, quod ipſamet recurrens propter conſimilem exceſſum jam ejecta fuerit ex monaſterio de *Olivellas*:

VII. Attentoque jure, quo non debent admitti in monaſteriis monialium, niſi virgines honeſtæ, et pacificæ, ut eſt diſpoſitio Concil. Florent. c. 11. n. 8. et docet Petra, tom. 3. ad conſt. 12. Innoc. IV. n. 9. non vero fæculares, iraſcibiles, qualis eſt recurrens, quam propterea non expediebat conſervari in monaſterio, ſicut in allo jam non fuerat conſervata: ideoque notificata fuit, ut egrederetur, ut egreſſa eſt, quin uteretur mediis ordinariis, judicialibuſque. Igitur, non intuli gravamen recurrenti. Attamen, &c.

ALLEGATIO CIX.

In Reſponſione ad Chartam rogatoriam ſuper eodem Caſu.

SUMMARIUM.

I. *Monaſteria, et communitates acephalæ, quæ non habent ſuperiorem, qui eas gubernent, non ſunt admittendæ.*
II. *Monaſteria omnia, de jure communi, ſubjecta erant ordinariis.*
III. *Monaſterium, cui deeſt prælatus regularis, aut is illud demittit à ſuo gubernio, regi debet ab ordinario, dum Sedes Apoſtolica non providet.*
IV. *Capitulum, ſede vacante, ſuccedit in juriſdictione ordinaria prælati.*
V. *In vicarium capitularem, poſtquam eſt electus, transfertur omnis juriſdictio ordinaria, etiam reſpectu illorum, quæ indigent ſpeciali mandato, quin poſſint reſtringi, aut limitari.*
VI. *Reſpondetur illationi minus conformi, quæ poterat colligi ex deciſione 22. Themud.*
VII. *Reſpondetur obſervationi, quæ videtur vigere in hoc regno reſpectu prædictæ juriſdictionis vicarii capitularis.*
VIII. *Sæcularis ingrediens monaſterium ad tempus, ut hoſpes, et extranea, retinet domicilium antiquum in ordine ad juriſdictionem.*
IX. *Epiſcopus punire poteſt delictum ſui ſubditi, licet ſit commiſſum in loco exempto.*
X. *Sufficit, quod aliquis habeat juriſdictionem impropriam, ut providere poſſit de remedio regulari.*
XI. *Adducuntur qualitates, quæ intervenire debent, ut viduæ poſſint admitti, ut vitam agant in clauſula.*
XII. *Quando per medium ſuave poteſt concipi correptio delinquentis, illo utendum eſt.*
XIII. *Ad correctionem prælativam, et denuntiationem evangelicam, non prærequiritur forma, figurave judiciaria.*
XIV. *Procedi debet abſque ſtrepitu judiciali, quando agitur de vitandis peccatis, et ſcandalis.*
XV. *Devitatio ſcandalorum, inquietationumque, in religioſis, eſt materia ſpiritualis, de qua non competit recurſus ad coronam.*
XVI. *Ut vitetur omnis turbatio, et inquietatio in obſervantia regulari, plurima ſtatuerunt Pontifices.*
XVII. *In dubio ſemper præſumendum eſt pro prælato, eumque precedere cauſa juſta, ſcireque plura, quæ non convenit efficere publica.*
XVIII. *Sæculares, quæ manent ad tempus intra clauſuram educandæ, non contrahunt novum domicilium, reputanturque ut hoſpites, et peregrinæ.*
XIX. *Recurſus eſt remedium ſubſidiarium, qui non habet locum, niſi quando deficit ordinarium.*

Domine,

NISI fortes intercederent rationes, propter quas nec quietudini, et tranquillitati ſpirituali monaſterii, imo neque ipſius expulſæ conveniat reingreſſus illius in ipſummet monaſterium, neceſſarius non foret hic recurſus, ut omnibus mediis curarem eam reſtituere. Aſt, cum tales inſtent rationes, et incommoda gravia, cogor exponere Majeſtati veſtræ in hoc judicio, quod uti debeat omnibus mediis licitis ad non præſtandum meum concurſum turbationi ſpirituali, cæteriſque exceſſibus ſecuturis in monaſterio ex introductione recurrentis in illud, ſimulque demonſtrare, quod meo procedimento non ei intuli violentiam, imo proceſſi cum juriſdictione fundata in reſolutionibus juris.

I. Eſt indubitabile, quod non ſunt admittenda monaſteria, et communitates *acephalæ*, abſque prælato, qui eas gubernet, Cochier. de juriſd. ord. in exempt. tom. 1. q. 3. n. 16. in fin. et p. 4. q. 109. n. 8. Cardin. Deluc. de regular. diſcord. 24. n. 10. Abſurdum enim eſſet, ſi admitterentur, Cardin. Deluc. ſupr. diſc. 50. n. 9. Suppoſito igitur, quod moniales monaſterii Sanctæ Monicæ, poſtquam fuerunt derelictæ à ſuo prælato regulari, et mediis omnibus poſſibilibus, quibus uſæ fuerunt, illum non potuerunt movere ad reaſſumendum ſuum regimen, debebant habere prælatum, qui eas regeret, dum ad Sedem Apoſtolicam recurrebant, certe interim futurus erat prælatus, reverendum capitulum, ſede vacante, per ſuum vicarium capitularem, ut eſt de jure: et ſic determinatum fuit per capitulum in quadam congregatione ſuper hoc puncto habita.

Et ratio eſt, quia aut monaſterium, non obſtante demiſſione prælati regularis, utpote quæ non erat legitima ob defectum auctoritatis apoſtolicæ, putaretur ſubjectum regularibus; et in hoc caſu, cum illi nolent uti exemptione, nec exercere regimen prædicti monaſterii, ſupplere deberet defectum, et negligentiam illorum, prælatus, cui prædictæ moniales ſubjicerentur ante exemptionem.

II. Et cum omnia monaſteria, de jure communi, ſubjecta fuerunt ordinariis, tex. in cap. penult. de religioſ. domib. gloſſ. in cap. *Conquerente*, verb. *Juriſdictionem*, de offic. ord. cum pluribus, Fraſſ. de jur. patronat. Indiar. tom. 2. cap. 57. n. 2. Rott. recent. p. 5. tom. 2. dec. 546. Calder. p. 3. dec. 149. n. 2. et 3. ordinarius loci talis monaſterii, nempe reverendum capitulum, et ejus vicarius capitularis, prælaturam illius aſſumpſit, dum Sanctitas ſua non providet de prælato.

III. Aut ob prædictam demiſſionem haberetur, ut jam immediate ſubjectum ad Sedem Apoſtolicam; et etiam in hoc caſu, dum illa ei non præbuerit prælatum, regendum foret ab ipſo ordinario, ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. de regular. cap. 9. ut delegato Sedis Apoſtolicæ.

IV. In cujus juriſdictione ſuccedit capitulum, ſede vacante, Ventrigl. in prax. 2. p. cap. 15. n. 19. Tambur. de jur. abbatiſſ. q. 2. diſp. 23. § ultim. Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 47. Barboſ. de canonic. cap. 42. n. 107. et de jur. eccleſ. cap. 22. n. 107. Molin. de juſt. et jur. tract. 5. tom. 6. diſp. 11. n. 8. ante fin. Levren. de vicar. tract. 6. cap. 2. q. 504. et ratio, in qua fundantur hi DD. conſiſtit in eo, quod monaſteria non poſſunt eſſe ſine præſule, qui ea gubernet.

V. Unde ſequitur, quod cum juriſdictio, qua prælati regulares fungebantur in prædictum monaſterium, tranſiſſet in capitulum, ſede vacante; et illud, dum Sanctitas ſua ei non deſignaret prælatum, ejus prælaturam aſſecutum fuiſſet; ego obtinui actuale exercitium gubernii illius; non ſolum, quia capitulum mihi commiſit; ſed etiam, quia eram vicarius capitularis; et, ut in talem, in me tranſlata fuit omnis juriſdictio, etiam reſpectu eorum, quæ indigent ſpeciali facultate, et mandato, quin poſt electionem vicarii capitularis poſſet talis juriſdictio pati aliquam reſtrictionem, ſeu limitationem, Monacell. formular. legal. pract. tom. 3. tit. 1. form. 41. n. 8. ibi: *Et eſt hodiè indubitatum, quia non poſſit capitulum (reſiſtentibus decretis Sacræ Congregationis) facultatem vicario reſtringere, et ſibi aliqua reſervare, ſed plenam juriſdictionem in eum transferre teneatur.*

Cardin. Deluc. ad Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. diſc. 32. n 30. ibi: *Dummodo tamen (ut alias inſinuatum eſt) id agat per vicarium ab eo deputatum ad præſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis; ideoque non poteſt id ſibi reſervare, ac per ſeipſum capitulariter, ſeu per aliquos canonicos, ad id deputatos, hujuſmodi*

modi actum explicare, juxta hujus Sacræ Congregationis declarationes. Sic declaratum refert à Sac. Congregatione Piton. 30. Maii 1602. in conſt. pro vicar. n. 136. ibi: *In praxi tamen ſervatur, quod quotieſcunque eligitur vicarius capitularis à capitulo, datur illi omnis facultas, quam capitulum habet; et dari poteſt, etiam in his, quæ ſpeciale mandatum requirunt.*

Et n. 18. adducit quandam declarationem 26. Jul. 1593. juxta quam non poteſt capitulum reſtringere juriſdictionem vicario, Levren. de vicar. tract. 3. q. 566. n. 2. Fermoſ. de ſede vacant. tract. 1. q. 9. n. 3. et optime Clericat. tract. de juriſdict. diſc. 2. per tot. ad cujus conſpectum videtur ſublata omnis dubitatio, quæ in hac materia poterat oriri; eo maxime, quia pro hac veriori reſolutione judicatum tradit Monacell. formular. legal. practic. tom. 1. tit. 1. form. 2. n. 16. ibi: *Non enim poteſt capitulum in deputatione vicarii, ſeu literis patentibus, aliquid ſibi reſervare, aut poteſtatem electi quartare, ſeu reſtringere; et ſi de facto, conditione, aut modificatione aliqua, vicarium eligeret, poſſit iſte, reſtrictionibus non obſtantibus, munus ſuum libere exercere uſque ad adventum novi epiſcopi, prout paſſim ſolet reſcribere ſacr. congreg. epiſcop. Et egomet obtinui pro domino archidiacono Dominico Cania, electo vicario capitulari Venuſino, vero, probo, doctrinaque ornato, 14. Novembr. 1698.*

VI. Nec Themud. dec. allegata in elegantiſſima reſponſione D. procuratoris coronæ loquitur in noſtro caſu, quia agit de alio valde diverſo; nempe, ſi vicarius generalis, an proviſor, cogniturus erat de quodam brevi extra tempora? Et ait, quod poterat vicarius generalis cognoſcere, non obſtante exiſtentia vicarii generalis, qui aderat etiam in oppido *Santarem*, ea ratione, quia in prædictum vicarium generalem tranſlata fuerat plena juriſdictio capituli, quod ſic declaratum fuerat per Sacr. Congreg. Concil. et ſe remittit ad ſuam dec. 25. ubi, n. 31. dicit quod ſequitur; ibi: *Tandem notandum eſt, per electionem vicarii per capitulum, ſede vacante, omnimodam juriſdictionem ſpiritualem, et temporalem, tranſire in vicarium, niſi in ipſa commiſſione aliquid fuerit limitatum, ut videri poteſt per Garc. ann. 23. cum ſeqq. Guarant. ubi ſupra, n. 4. Giurb. conſ. 74. ubi reſolvit, vicarium capituli poſſe omnia ſpecialia, ac etiam exilia condemnare, et remittere.*

Et ipſe Themud. citat etiam Garc. pro noſtra opinione; et de facto, n. 28. ita loquitur, et idem confirmat, n. 29. et pro hacce opinione ſtat etiam Cardin. Deluc. diſc. 5. de paroch. n. 4. allegatus in prædicta reſponſione D. procuratoris coronæ, cujus verba non tranſcribo, ut brevitati conſulam.

VII. Nec obſervantia hujus regni, ad quam D. procurator coronæ confugit, admittenda eſt; quia, licet capitula aliquos actus juriſdictionales exerceant, hoc ita eſt, vel, quia illos ſibi reſervant, valuerunt in proviſionibus (quod, juxta meliorem opinionem, licet non poſſent facere, attamen controverſum eſſe non inficior); quæ tamen controverſia ceſſat in mea proviſione, in qua non adeſt reſervatus alicujus actus; vel quia vicarii capitulares nolunt contendere ſuper punctis juriſdictionis cum capitulo, quod eos elegit; certe etenim, ſi controverteretur de hoc puncto, judicaretur ipſummet, quod deciſum tradit Monacell. ſupr. cit. et jam reſolutum fuit à peritiſſimis officialibus Datariæ, in concurſibus habitis pro valde longa vacatura ſediam cathedralium hujus regni, quæ orta fuit anno 1640. et permanſit uſque 1675. qui concurſus recogniti fuerunt pro nullis, eo quod capitula eos induxerunt, atque expedierunt literas teſtimoniales, licet propter motiva prudentialia, et quamplurimas lites vitandas ex æquitate, l. *Barbarius*, non fuiſſent de facto annullati, ſicut teſtatur Cardin. Deluc. diſc. 5. de paroch. n. 1. et 2. et adducit Clericat. d. diſc. 2. n. 32. reſolvitque Rott. recent. p. 2. dec. 632. n. 4.

At vero, quamvis juriſdictio mea fundata non eſſet in jure, ut eam exercere poſſem in prædictum monaſterium, adhuc procedere valebam adverſus recurrentem:

VIII. Quia certum eſt, quod illa, antequam ingrederetur monaſterium, domicilium habebat in hac civitate, et archiepiſcopatu, quod non perdidit per ingreſſum in clauſuram, cum in illa exiſteret, ut hoſpes, et extranea, Clericat. diſc. forenſ. diſcord. 39. n. 2.

IX. Quod non operatur ceſſationem juriſdictionis, quam in ipſum habebant prælati ante ingreſſum in monaſterium, Clericat. dict. diſc. 39. n. 3. Cardin. Deluc. de præemin. diſcord. 37. n. 6. Et cum adhuc eſſet ſubdita ſæcularis in illis caſibus, in quibus ſubjiciebatur eccleſiaſtico, is procedere poterat adverſus eam, quamvis exiſteret in loco exempto, Antonell. de regim. eccleſ. lib. 6. c. 2. n. 2. et de loc. legal. cap. 13. n. 4. ibi: *Ex quo infertur, quod ſubditi epiſcopi, qui intra monaſterium religioſorum delinquunt, poſſunt ab eodem epiſcopo puniri; hæc enim monaſteria exempta non ſunt, niſi præciſe quantum ad religioſorum perſonas.*

Cochier. de juriſd. ord. in exempt. tom. 1. p. 4. q. 109. n. 2. ibi: *Primo, Ordinarium poſſe inquirere, et cognoſcere de delicto ſui ſubditi commiſſo in loco exempto, Pontifici immediate ſubjecto*, Clericat. de regular. diſc. 48. n. 5. Ricc. in prax. p. 4. reſol. 107. n. 1. Piton. dec. ad regular. tom. 1. n. 1077. Et quod in hoc caſu recurrens ſubjecta eſſet, adhuc cum ſuiſſet ſæcularis, juriſdictionis meæ, eſt diſpoſitio bullæ 18. Gregor. XV. § 4. ibi: *Ad hæc tam regulares, quam ſæculares hujuſmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus, tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum, ab epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, et quando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant.*

X. Et quanquam non haberem veram juriſdictionem in prædictum monaſterium, ſatis erat impropria, et œconomica, ad hoc, ut per medium diſciplinæ domeſticæ, quam habent omnes communitates, et collegia, poſſem abſque ſtrepitu, et figura judiciali, per modum correctionis domeſticæ, jubere recurrentem egredi ex prædicto monaſterio propter exceſſum commiſſum, et injuriam in omnes moniales ex offenſione habitus, et ſtatus illarum. Et, ſi hæc juriſdictio impropria competit adhuc communitatibus, quæ proprium non habent, ut deciſum refert à Rott. poſt tom. 2. Scarphant. dec. 52. n. 7. quanto magis debet illa competere illi, qui per tot fundamenta habet juriſdictionem ad procedendum?

Nec obſtat, quod recurrens exiſtebat, virtute brevis à me judicati, quod adhuc ſpiratum non erat; ac proinde non eam poteram expellere inauditam, et abſque judiciali proceſſu; ſiquidem certum eſt, quod breve ei non poterat prodeſſe, quia egreſſa eſt è monaſterio abſque licentia, et non allegata cauſa, quam ad egrediendum haberet, quod ei interdictum erat in ſententia, ſicut etiam geſtare habitus immodeſtos, quibus utebatur: neque tale breve præſtabat ei libertatem committendi exceſſus adverſus religioſas, cum eſſet hoſpes ſæcularis; et ſane nec ego habebam recurrentis cognitionem, quam nunc habeo:

XI. Siquidem, ſi eam haberem, agnoſcerem quidem recurrentem non eſſe viduarum illarum, quæ fruuntur qualitatibus requiſitis ad ſimiles licentias, juxta deciſum apud Barboſ. de pot. epiſc. 3. p. alleg. 102. n. 67. Pirrh. in prax. diſp. l. 5. c. 15. n. 25. verſ. *Viduis*, Donat. in prax. regul. p. 4. tract. 5. q. 28. n. 1.

XII. Neque opus erat, quod recurrens judicialiter audiretur: quia ſæpe proceſſus judicialis conveniens non eſt, nedum inter regulares, ſed etiam inter laicos; quando, ſcilicet, alio medio ſuavi correctio conſequi poteſt, Roſar. tom. 3. l. 2. cap. 4. punct. 5. n. 8. juxta finem; ibi: *Putarem tamen apud religioſos conveniens non eſſe ſequi hanc viam juridicam, cum alio modo ſuaviori obtineri poſſit emendatio delinquentis; imo neque eſſet conveniens inter laicos.*

XIII. Et cum finis, quo proceſſi, eſſet tranquillitas monialium, et evitatio turbationis in ſpiritualibus, peccatorumque ſcandala, quod ſequeretur, ſi recurrens maneret in monaſterio; hac de cauſa non proceſſi ad punitionem judicialem, ſed per modum correctionis prælativæ, et denuntiationis evangelicæ, ad quam non requiritur forma, et figura judicialis, cum ſufficiat procedi ſola veritate inſpecta, nullo formato proceſſu,

proceſſu, ut declaratum refert Sac. Congr. 6. Octobr. 1508. Piton. dec. pro regular. tom. 1. n. 1104. Zipei. in jur. Pontif. nov. l. 5. ut de accuſ. n. 9. Fermoſ. ad tex. in cap. *Novit*, 13. de judic. q. 55. n. 1.

XIV. Datiſque peccatis ſcandaloſis, poteram procedere hoc modo contra recurrentem, licet ſit laica; ut tenet Per. de man. reg. l. 1. c. 9. n. 25. Fermoſ. ad tex. in cap. *Novit*, 13. de jud. q. 4. n. 33. et q. 8. Salzed. de leg. politic. l. 1. c. 12. n. 10.

XV. Et per hoc dici non poteſt, quod immiſi manum in temporalibus monaſterii, ſed tantum in ſpiritualibus; quia hæc materia vitandi ſcandala, et turbationes, in ſanctimonialibus, directe reſpicit ſpirituale, ut reſolvit Salzed. ſupra, n. 11. in qua nec etiam datur locus recurſui ad coronam, d. Salzed. ſupra, n. 87.

XVI. Eo maxime ſumme curant Pontifices removere omne, quod turbare poteſt tranquillitatem obſervantiarum regularem, et cauſare ſcandala in monaſteriis ſanctimonialium, ut eſt deciſio Rott. noviſſima coram Card. Caprar. tom. 2. dec. 534. n. 7. ibi: *Quod etiam multum fuit cordi Summis Pontificibus, quia ad removenda ea omnia, quæ ſanctimonialium religioſam quietem et regularem obſervantiam perturbare, et impedimenti, ac ſcandali eſſe poſſent, plurima ſanxerunt.* Et coram Manteſſ. ad theatr. Cardin. Deluc. tom. 3. l. 4. dec. 4. n. 7.

XVII. Et de me ſemper eſt præſumendum, violentiam non fuiſſe, ſed juſta de cauſa proceſſiſſe per hoc medium correctionis; quia vulgariter prælati multa efficiunt, quæ non ſunt publica, aut publicari non debent, Cardin. Deluc. de pœnit, diſc. 21. ſeſſ. 3. n. 67. ibi: *Quando epiſcopus revocat licentias, et approbationes, an intercedat de facto cauſa ſufficiens? In quo dubio id ſolum dicere poſſumus, præſumendum in dubio eſſe pro prælato, qui multa novit, quæ latent ſubditos*, Franc. in paſtor. regul. l. 2. q. 19. n. 9.

Minus neceſſe erat medium judiciale, ut juberem è monaſterio recurrentem egredi, propter breve, quod habebat; quin ſimilia brevia nihil aliud ſunt, niſi quædam indulgentiæ, quæ diſpenſant in prohibitione ingrediendi monaſteria, et concedunt ſæcularibus, ut poſſint permanere in illis; minimeque obligant ſanctimoniales conſervare illas virtute illorum ingredientes, ſi adſit cauſa, ob quam non conveniat:

XVIII. Quia hæ ſæculares, educandæ ad tempus exiſtentes in clauſura, ſunt in illa hoſpites, quæ non contrahunt domicilium, Clericat. diſc. for. diſc. 39. n. 2. ibi: *Quæ puellæ ingredientes monaſterium, ut in eo educentur ad tempus, ubi ſtare tanquam hoſpites, et peregrinæ; et per conſequens non acquirunt domicilium*, Pignatell. tom. 7. conſ. 63. n. 5. Et durum eſſet, quod hoſpes veniret ad domum meam ad me exprobrandum, et neceſſe mihi fuiſſet quidam proceſſus judicialis ad illum ejiciendum; ridiculumque eſſet, quod prælati indigerent proceſſibus judicialibus ad expellendas perſonas illas, quas experirentur conſervari in monaſteriis minime expedire.

Præterquam quod; recurrens præcedentibus informationibus neceſſariis, quibus inventum fuit non convenire conſervationem illius in monaſterio, quæ ei denegata jam erat in alio, notificata fuit, ut egrederetur, ſicut illico egreſſa eſt, quin uteretur mediis judicialibus, quibus oſtendere debebat, non eſſe legitimos hos terminos expellendi eam: ſi autem recurrens uti noluit prædictis mediis, qui erant ordinarii, quomodo dari poteſt violentia, cum ego non negaverim, nec illa eos intentavit? tunc enim ſolum, quando ſcilicet eos denegaſſem, locus eſſet huic recurſui: nec ſcio, quod judices teneantur partes invitas ad judicium provocare, aut conſilium eis præbere, ut utantur mediis à jure permiſſis: intereſt illorum poſtulationes tantum expedire; et cum hæ omitterentur, quam violentiam poteſt judex facere nolenti eis uti? Eo vel maxime, quia recurrens, in ſupplicatione, quam mihi obtulit, petiit admitti iterum in clauſura, tranſacto uno menſe poſt ſuum egreſſum, et poſtquam meum decretum tranſiit in rem judicatam; per illud enim juſſi egredi recurrentem ſpatio viginti et quatuor horarum, quas paſſa eſt decurrere, quin poſtularet; imo volenter omiſit media, ſibi permiſſa; ac per conſequens ea ego non ei denegavi, nec violentiam intuli.

XIX. Ultimo, cum recurrens haberet prædicta media ordinaria, quibus uti noluit, confugit ad hunc recurſum, qui eſt remedium ſubſidiarium, quod tantum habet locum, quando deeſt ordinarium, Calder. p. 3. dec. 132. Coſt. de remed. ſubſidiar. remed. 22. n. 4. verſ. ſecundo. Et, datis mediis ordinariis, non licet uti extraordinariis; propter quod abſque offendiculo juriſdictionis meæ nequeo hanc chartam complere. Et ſi, his non obſtantibus, judicatum fuerit, quod non habebam juriſdictionem ad expellendam recurrentem; quomodo, in eodem tempore, poterit reſolvi, me juriſdictionem habere ad compellendas moniales, ut eam recipiant, cum certum ſit, quod abſque coactione recepturæ non ſint? Attamen, &c.

ALLEGATIO CX.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Denegatione Appellationis poſt tres Sententias conformes.

SUMMARIUM.

I. *Appellatio non admittitur poſt tres ſententias conformes.*
II. *Nec eſt neceſſe, quod ſucceſſive ſint prolatæ.*
III. *Non infertur vis, aut violentia, in deneganda appellatione poſt tres ſententias conformes.*
IV. *Exceptiones oppoſitæ poſt tres ſententias conformes non ſunt admittendæ.*
V. *Limitatur, ſi nullitatem contineant ex ipſis actis probatam.*
VI. *Vicarius conſtitutus in parte diœceſis, non reputatur foraneus, ſed vicarius generalis reſpectu faciendi inſtantiam.*

Domine,

I. JURIS concluſio eſt indubitabilis, quod non admittitur appellatio à tribus ſententiis conformibus, l. unic. cod. *Ne liceat teſt. prov.* Scacc. de appellat. q. 7. limit. 1. n. 6. ibi: *Quare is, qui fuit per tres ſententias conformes condemnatus, non poteſt ulterius per viam appellationis audiri*; Salgad. de reg. protect. 3. p. c. 16. n. 2. ibi: *Generale enim eſt, ut à tertia ſententia, ſive definitiva, ſive interlocutoria, habent alias duas præcedentes conformes, appellatio denegetur.*

In cauſa hujus recurſus inveniuntur tres ſententiæ conformes: prima auditoris inſulæ S. Michaelis, judicis primæ inſtantiæ, in actis principalibus à fol. 5. altera doctoris Joſeph. Velho de Azeredo, judicis apoſtolici, fol. 92. tertia mea, quæ utramque confirmavit, fol. 119.

II. Et non intereſt, quod non forent tres ſententiæ ſucceſſive conformes; et quod mediaret quædam ſenatus patriarchalis, revocatoriæ ſecundæ auditoris prædictæ inſulæ; quia ſive ſententiæ ſint ſucceſſive conformes, ſive diviſim prolatæ, ſemper ab illis non datur appellatio, Salg. d. c. 16. n. 8.

III. Et cum recurrens voluiſſet, quod deferretur appellationi interpoſitæ à tribus ſententiis conformibus, nullam violentiam ei intuli in non admiſſione, Salg. d. cap. 16. n. 6. ibi: *Ut tertiæ appellationi per aliquem interpoſitæ in cauſa principali, vel incidenti articulo, et gravamine qualificato, et alias appellabili juxta Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 20 judex eccleſiaſticus non deferens, nullam violentiam feciſſe declarabitur.*

IV. Nec etiam violentia poteſt conſiderari in eo, quod non recepi exceptiones oppoſitas ſententiæ meæ; quia poſt tres conformes non admittuntur exceptiones, licet ſint nullitatis, tex. in Clem. 1. de re judicat. Salg. d. cap. 16. n. 19.

V.

V. Et tantum receptibiles essent, quando nullitas probaretur ex ipsis actis, Card. in prax. verb. *Sententia*, n. 60. Ciarlin. controv. for. p. 1. c. 49. n. 9. quod non verificabatur de exceptionibus recurrentis.

Minus fundamenti offert assertio, quod sententia auditoris insulæ non facit instantiam; quia contrarium recognovit vicarius generalis Angræ, qui jussit admitti appellationem ad metropolim; quod ita non esset, si sententia prædicti auditoris instantiam non feciſſet.

VI. Et merito; quia similes vicarii generales, licet sint constituti in parte diœcesis, non reputantur foranei, sed vicarii generales, à quorum sententia datur appellatio, ut in similibus casibus resolvit Card. in prax. verb. *Causa*, n. 18. ad med. Quibus verificatur me non feciſſe gravamen. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXI.

In Responsione ad Gravamen interpositum à non Admissione Subdelegationis in Causa matrimoniali Divortii, et à Rejectione Impedimentorum, et à non Remissione illorum ad Judicium delegatum.

SUMMARIUM.

I. *Executio trium sententiarum conformium impediri potest exceptionibus nullitatis probatæ ex ipsis actis.*
II. *In causa matrimoniali divortii non potest dari subdelegatio.*
III. *Subdelegatus debet habere easdem qualitates judicis subdelegantis.*
IV. *Causæ matrimoniales non subdelegantur in curia, nisi episcopis, eorumve vicariis generalibus.*
V. *Judex verbaliter recusatus ut suspectus, sive, ut vulgo dicitur*, averbatus, *si proferat sententiam, antequam suspiciones judicentur, nulliter procedit, et judicatum non sortitur effectum.*
VI. *Delegati jurisdictio expiratur post prolatam sententiam.*

Domine,

I. DUBITARI non potest, quod executio trium sententiarum conformium impediri valet exceptione nullitatis ex ipsis actis apparentis, Cardos. in praxi, verbo *Sententia*, n. 60. Barb. in Clem. 1. de sent. et re judicat. n. 5. Marches. de commiss. 2. p. c. 1. n. 31. Ciarl. contr. for. 1. p. cap. 49. n. 9.

II. In exceptionibus à recurrente oppositis tribus sententiis conformibus proponebatur nullitas defectus jurisdictionis in judiciis tertiæ instantiæ, cum esset subdelegatus in causa matrimoniali divortii, quæ subdelegabilis non est, ex Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 20. et ibi: Barb. n. 47. et de pot. episc. alleg. 84. n. 8. ibi: *Si matrimoniales controversiæ à Romano Pontifice cuiquam delegentur, non poterit is delegatus, etiam episcopus, causam subdelegare.* Covas de sponsalib. p. 2. c. 8. § 12. Sbros. de offic. vicar. lib. 2. q. 43. in princ. Ricc. in prax. p. 4. resolut. 270. n. 6. Antonell. de regim. eccles. lib. 5. cap. 9. n. 7. Altimar. de nullit. tom. 2. rubr. 10. q. 4. n. 24.

III. Et etiamsi hæc causa esset subdelegabilis, nunquam subdelegari poterat in judice, in quo fuit subdelegata; quia subdelegatus debet habere easdem qualitates, quas subdelegans habet, cap. *Statutum*, § *In nullo*, de rescript. in 6. et ibi Passer. n. 206. Zipay in respons. jur. canon. l. 1. ad tit. de offic. jud. deleg. resp. 2. n. 1.

IV. Et cum causæ matrimoniales non subdelegantur nisi episcopis, aut eorum vicariis generalibus, quæ qualitates non reperiuntur in subdelegato, nulla fuit subdelegatio, utpote facta in eo, qui nec est episcopus, nec vicarius generalis, ut judicatum tenet Peg. ad ord. lib. tit. 9. § 12. n. 665. tom. 3.

V. Et quamvis sententia non appareret nulla ex ipsis actibus, ex alio principio esset etiam nulla; quia judex post verbaliter propositus, ut suspectus *vulgo averbado de suspeito*, antequam suspiciones judicatæ fuissent, imo pendentibus illis, protulit sententiam, quæ ideo etiam fuit nulla, ex ordin. l. 3. tit. 21. § 4. Guerr. de recus. lib. 5. c. 7. n. 12. Fragos. de regim. 1. p. lib. 5. disp. 12. n. 220. § *Quibus accedit*. Ex quibus sat constat, non fuisse illatam violentiam in admissione exceptionum, multoque minus in non remittendo illas ad judicem tertiæ sententiæ:

VI. Quia, cum esset delegatus post prolatam sententiam finalem, expirata erat jurisdictio illius. Ridolfin. in praxi, 1. part. cap. 18. n. 532. Rott. apud Cavaler. dec. 347. n. 2. Ac proinde gravamen non feci. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXII.

In Responsione ad Gravamen interpositum à non Receptione Appellationis intentatæ post transactos Terminos primi, et secundi fatalis.

SUMMARIUM.

I. *Qui in termino assignato ad aliquid faciendum, illud non facit, postea non est admittendus.*
II. *A sententia desertionis appellationis non datur appellatio.*

Domine,

RECURRENTIBUS assignati fuerunt tres menses primi fatalis, et alius mensis cum dimidio secundi ad rescriptum curandum: illud autem non obtulerunt intra terminum assignatum; sed præsentârunt tantum quandam attestationem notarii, sive bancarii; ex qua solum constat, quod illud petierunt, non vero quod illud impetrâssent, nec quod in curia fuisset impeditum, aut dubitatum:

I. Et cum recurrentes paterentur labi fatalia, quæ eis assignata fuerunt, ut præsentarent rescriptum, et tempus fuit plusquam sufficiens, ut illud consequi possent, jam non amplius in hac materia sunt audiendæ, nec agendo, nec excipiendo, Salgado de reg. protect. 3. p. c. 18. n. 97.

II. Ideoque appellationem à decreto, quo judicavi aliam pro deserta, et non secuta, juste non recepi; cum, in hoc casu, ei non sit locus, Salg. d. cap. 18. n. 86. Parlador. rer. quotid. lib. 2. cap. fin. 1. p. § 1. n. 11. et sic judicatum refert Peg. ad ord. lib. 1. tit. 9. § 12. n. 551. tom. 3. Quare gravamen minime intuli. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Poſitione in Concurſu juſſo formari ſuper Eccleſiam S. Romani de Moris, quæ eſt Collegii Dominæ Gratiarum Conimbricenſis.

SUMMARIUM.

I. *Eccleſiæ patronatus eccleſiaſtici ſemper ponendæ ſunt in concurſu; et ex dignioribus eligere debet patronus.*
II. *Idem procedit reſpectu eccleſiarum, quas ſereniſſimus rex providet, tanquam magiſter magnus ordinum militarium.*
III. *Proviſio facta abſque concurſu redditur invalida, et collatio nulla.*
IV. *Diſpoſitio Concil. Trid. eſt arbitraria epiſcopis.*
V. *Quod pendet ab arbitrio, non poteſt argui de violentia.*
VI. *Affixio edicti eſt de ſubſtantia, et forma concurſus eccleſiarum parochialium.*
VII. *Idem etiam ſtatuit Concilium Bracharenſe.*

DOMINE,

RECURRUNT ad hoc judicium coronæ rector, et alii religioſi collegii Deiparæ gratiarum civitatis Conimbricenſis, cum fundamento, quod violentiam, oppreſſionemque notoriam, fecerim; eo quod juſſerim in concurſu poni eccleſiam ſancti Romani *de Moris* hujus epiſcopatus, cujus patronus eſt prædictum collegium.

I. Sed neſcio quomodo poteſt dari violentia in obſervantia diſpoſitionis Concilii Trident. juxta quod, necnon quamplurimas declarationes Sacræ Congregationis, conſtitutioneſque apoſtolicas, eccleſiæ patronatus eccleſiaſtici, etiam in quatuor menſibus patronorum, provideri debent in concurſu, admiſſis pro oppoſitoribus, nedum præſentatis à patronis, ſed etiam aliis volentibus opponi, qui habeant qualitates neceſſarias, ut ex approbatis eligant patroni digniorem, Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 16. verſ. *Porro*, et verſ. *Parato examine*.

II. Et taliter comprehenduntur ſub hac diſpoſitione Concilii, et Pontificia, omnes eccleſiæ patronatus eccleſiaſtici; ut domini reges hujus regni cum vellent, quod Sacra Congregatio declararet, hunc modum providendi per concurſum, non eſſe obſervandum in eccleſiis, quas præſentabat, ut magiſter magnus ordinum militarium, reſolutum fuit ab ea, *debere provideri per concurſum juxta ſacrum Concil. Trid.* ob eam rationem, quia talis patronatus eſt eccleſiaſticus: ita declaratum refert Garc. de benef. p. 9. cap. 2. § 2. n. 263.

III. Et hæc forma concurſus eſt adeo præciſa in proviſione omnium eccleſiarum patronatus eccleſiaſtici, ut proviſio aliter facta reddatur invalida, collatio- que nulla, Trid. ſeſſ. 24. c. 16. verſ. *Alias*, conſt. Pii V. Barb. ad Concil. d. cap. 18. n. 158. Salg. de reg. prot. 3. p. c. 9. n. 81. et ſeqq. declaratum refert Garc. d. p. 9. c. 2. § 2. n. 262. Pirrh. in prax. benef. cap. 3. lib. 3. verſ. *Quo vero*, Merl. dec. 148. n. 8.

Et hæc eadem forma providendi per concurſum eccleſias patronatus eccleſiaſtici, etiam in menſibus, in quibus eas præſentant patroni, obſervatur, et obſervata fuit ſemper in hoc epiſcopatu, tam tempore illuſtriſſimi epiſcopi actualis, quam ejus prædeceſſorum, necnon ſedium vacantium, ut cernitur ex certitudine ſcribæ camerarii, quæ juncta extat, et practicata etiam fuit cum ipſis recurrentibus in eccleſia Sancti Coſmæ de *Beſteyros*, quæ eſt præſentationis ejuſdem collegii, in proviſione ultima facta ab eodem P. rectore recurrente, qui, licet hoc gravamen interpoſuit ad coronam à poſitione in concurſu, deſtitit ab illo; et convenit, quod conferretur præſentatus ab illo, qui fuit unicus oppoſitor in concurſu facto per edictum, juxta Sacr. Concilium Trident.

IV. Nec recurri poteſt ad illud, quod Sacr. Concil. Trid. non obligat affigi neceſſario edictum, ſed committit arbitrio epiſcoporum; ibi: *Etſi epiſcopo, aut ſynodo provinciali, pro religionis more, videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari.*

Quia adhuc habito pro arbitrario epiſcopo prædicto edicto, nullam violentiam inferebat epiſcopus in eo ponendo, quando ei videretur neceſſarium, maxime data hujuſmodi conſuetudine in hoc epiſcopatu:

V. Siquidem quicquid eſt arbitrarium, nequit argui de violentia, Menoch. de arbitris, l. 1. q. 70. n. 7.

VI. Præterquam quod quamplurimi doctores reſolvunt, eſſe de ſubſtantia, et forma concurſus eccleſiarum parochialium, poni edictum, Lel. Zach. de republic. eccleſ. cap. 28. de paroch. n. 6. Ricc. in prax. 1. p. reſol. 375. Zerol. verb. *Parochia*, § 2. cum quibus Barb. ad Concil. ſeſſ. 24. cap. 18. n. 66. et de pot. epiſcop. alleg. 60. n. 43. Et dubium non eſt ſaltem tunc eſſe de ſubſtantia concurſus poſitio edicti, quando ita ſtatuit Concilium provinciale, Barb. d. cap. 18. n. 66. in fin. Pirrh. in praxi benefic. l. 3. c. 3. verſ. *Et quod illud.*

VII. Et Concilium provinciale Bracharenſe jubet, quod eccleſiæ patronatus eccleſiaſtici provideantur per concurſum, poſito edicto; ac proinde jam in hoc epiſcopatu fit de ſubſtantia poſitio talis edicti. Quibus ſtantibus, gravamen non feci. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXIV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitam ab Innovatione facta in Conſtitutionibus noviſſimis Epiſcopatus Portucalenſis de Materia Decimarum, Primitiarum, &c.

SUMMARIUM.

I. *Epiſcopi habent poteſtatem conficiendi in ſynodo conſtitutiones ſynodales, impoſitis in illis pœnis juri canonico non contrariis.*
II. *Ad ſynodum non eſt neceſſe vocari laicos.*
III. *Conſtitutiones ſynodales obligant omnes ſubditos intra epiſcopatum vitam agentes.*
IV. *Nec eſt neceſſe conſenſus, aut approbatio populi.*
V. *Poſſeſſio, aut conſuetudo contraria ſtabilito in conſtitutionibus, quoties non oſtenditur judicata in petitorio per tres ſententias conformes, non prodeſt ad illudendam conſtitutionem prælati.*
VI. *Gravamen debet juſtificari ex actis, quæ deferuntur à judicio eccleſiaſtico; et non poſſunt adjungi documenta in judicio ſæculari.*
VII. *In judicio ſæculari non poteſt cognoſci de cauſis mere eccleſiaſticis.*
VIII. *Perſonæ eccleſiaſticæ regulariter non ſunt vocandæ, aut citandæ, ad judicium ſæculare.*
IX. *Teſtes intereſſe habentes in cauſa, non ſunt idonei.*
X. *Conſtitutiones ſynodales, et noviſſimæ Portuenſes, jubent obſervari ſemper conſuetudines.*
XI. *Non eſt valida conſuetudo, ex qua poteſt reſultare peccatum.*
XII. *Nec quando eſt contra eccleſiam.*
XIII. *Epiſcopis competit jubere fieri ſuffragia pro animabus defunctorum, cum deficit diſpoſitio teſtamentaria.*
XIV. *Epiſcopis, tanquam patribus ſpiritualibus, competit habere curam animarum.*
XV. *Epiſcoporum eſt taxam imponere in ſynodo pro ſtipendiis miſſarum.*
XVI. *Præmium debet correſpondere laberi.*
XVII. *Ut gravamen ad coronam locum habeat, debet adeſſe oppreſſio notoria.*

DOMINE,

DOMINE,

PAROCHIANI ecclesiæ S. Mariæ *de Vaneâ* gravamen interposuerunt ad hoc judicium coronæ, ut apparet ex termino gravaminis, deducendo rationes querelæ à fol. 2. iterumque illud interponendo fol. 7. à novissimis constitutionibus hujus episcopatus, quæ promulgatæ fuerant in prædicta parochia, cum prætextu, quod in ipsis innovatur super materia decimarum, primitiarum, oblationum, adversus consuetudinem prædictæ parochiæ; et quod, vigore prædictarum constitionum, accipiuntur pro quolibet officio bis centum regalia ærea, sive duo julii, vulgo *dous toſtões*; quod etiam percipiunt cæteri clerici præter duos argenteos, vulgo *quatro vintens* pro itinere; et quod, nolentibus aliquibus recurrentium solvere hanc eleemosynam, eos debito non admittendo ad officia divina: quod gravamen videtur non habere fundamentum ex dicendis.

I. Siquidem indubitabile est episcopos potestatem habere conficiendi in synodo constitutiones synodales, pœnis in ipsis impositis, quæ non sunt contrariæ juri canonico, tex. in cap. *Ut animarum*; ubi gloss. verb. *Statuto*, de constitutionib. l. 2. c. 2. de majorat. et obed. Ciarl. contr. for. l. 1. c. 61. n. 1. Dian. tom. 6. tract. 1. resol. 18. § 16.

II. Quin ad talem synodum vocari debeant laici, Ricc. in prax. 3. p. resol. 140.

III. Quæ constitutiones obligant omnes subditos existentes, vitamque agentes intra diœceses; Barb. ad tex. in cap. 1. de nov. oper. nuntiat. n. 6. Seraphin. dec. 812. n. 2.

IV. Quin necesse sit acceptatio, consensus, seu approbatio populi, ut obligent, Gibalin. de scient. canonic. tom. 2. l. 7. cap. 2. q. 1. n. 1. Fragos. de regim. reipubl. 1. p. l. 1. disp. 3. § 4. n. 258. vers. *Verior tamen*, Faria in addit. ad Covas, l. 2. c. 16. n. 56. Fagnan. ad tex. in cap. *Treugas*, de treug. et pac. n. 48. Sperell. 1. p. dec. 15. n. 23. et 36. cum seqq.

V. Quo posito, cum episcopi habeant hanc potestatem legislativam à jure concessam, quæ practicatur in omnibus archiepiscopatibus hujus regni, cæterorumque, et habeant suam intentionem fundatam in jure ad conficiendas prædictas constitutiones; non sufficit allegari à recurrentibus possessionem, consuetudinemque in contrarium; opus enim erat, illam ostendi judicatam in petitorio per tres sententias conformes; et interea manuteneri debet prælatus ob assistentiam tantum juris, quam habet, Cardin. Deluc. de just. disc. 1. n. 13. Farin. tom. 3. dec. 273. n. 3. Posth. de manut. observ. 49. n. 19. Plane recurrentes nullum titulum habent, quo probatur consuetudo, sive possessio.

VI. Et gravamen, violentiaque, justificari oportet ex actis, quæ transvehuntur à judicio ecclesiastico, non vero ex probationibus, et documentis postea junctis in judicio sæculari, optime Salzed. de leg. politic. l. 1. c. 7. § 1. n. 74. et 90. Salgad. de reg. protect. 1. p. c. 2. n. 120.

VII. Nec tales justificationes possunt debentque admitti in judicio sæculari; quia, cum sint de materia mere ecclesiastica, videlicet, decimis, primitiis, oblationibus, juribus parochialibus, et processionibus; non potest de illis assumi cognitio in judicio sæculari, cap. *Quanto*, de judicio, cap. *Tuam*, de ordin. cognit. cap. *Causam*, qui filii sint legit. cum pluribus, Telles ad tex. in c. 1. de judic. n. 5. Delben. de parlament. cap. 1. dubit. 14. à n. 1. cum seqq. sed agi debent ante judices ecclesiasticos, cap. *Decernimus*, de jud. c. 1. in fin. de consanguinit. et affinit. Delben. dict. dubitat. 14. n. 13.

VIII. Multoque minus possunt citari parochi ad talem justificationem, et ad judicium ecclesiasticum; quia jure prohibitum est, vocari, citarique ad illud clericos, cæterasque personas ecclesiasticas, cap. *Inolita*, cap. *Placuit*, cap. *Clericum nullus*, 11. q. 1. c. *Si diligenti*, vers. *Cum igitur*, de for. competent. Fagnan. in cap. *Nullus*, de for. compet. n. 1. cum sequentib. Oliv. de for. eccles. 1. p. q. 12.

IX. Ex quo apparet, esse scrupulosum admittere similes justificationes, citarique parochos ad illas, maxime non admissis illis ad contestandum, et probandum contrarium, et admissis pro testibus ipsis parochianis, qui sunt partes, vel aliis diversarum parochiarum, qui omnes eandem causam habent; ac proinde non sunt testes idonei de jure, Farin. de opposit. contr. personar. test. q. 60. à n. 41. Et non debet judicari, nec decidi gravamen ex probatione supervenienti, nec documentis noviter ostensis in judicio sæculari, sed ex facto, et documentis junctis in judicio ecclesiastico, ut supra ostenditur.

Præterquam quod; violentia, quam recurrentes dicunt esse sibi illatam, est imaginaria, et non existens, quia nunquam illis petitæ fuerunt decimæ, nec primitiæ pluſquam consuetæ; neque ad me attinet eas exigere, sed ad conductorem commendæ.

X. Minimeque constitutio, quam promulgavi, impedit illis consuetudines; imo eas jubet servari, ut, quoad decimas, cernitur lib. 2. tit. 4. const. 1. vers. 2. et, quoad primitias, d. tit. 4. const. 9. in princ. atque, respectu decimarum personalium, d. tit. 4. const. 6.

Neque etiam violentia infertur jubendo, quod non extrahatur panis ex agro, nec alia, quin prius certioretur conductor, ut disponitur in const. 4. § 3. dict. tit. 4. quia hæc dispositio est conformis juri, et resolutioni DD. qui citantur in margine dict. § 3. n. 2. nec contraria consuetudo observanda est, ut vitentur occasiones occultandi, furandique decimas ecclesiis, ut decisum adducit Ricc. etiam citatus in margine dict. § 3. n. 1.

XI. Imo talis consuetudo, utpote præbens occasionem peccato furti, tanquam nutritiva illius, non est valida, ut tenet Barb. ad tex. in cap. 10. de consuetudin. n. 2. Vell. differt. 35. n. 25. Card. in prax. verb. *Consuetudo*, n. 19. Ricc. in prax. 4. p. resol. 378. n. 3. Sperell. dec. 37. n. 50.

XII. Nec est valida etiam contra ecclesiam, Salg. de reg. prot. 1. p. cap. 1. n. 35.

Minus illa infertur in prædicta constitutione, dum jubentur fieri exequia pro filiis familias habentibus, vel non habentibus legitimam, et pro personis majoribus ab intestato decedentibus:

XIII. Quia dubitari non potest, quod episcopis incumbit taxare arbitrio boni viri, quid debeat expendi pro animabus illorum, attentis qualitate personarum, quantitate hæreditatis, et numero hæredum, ut resolvunt DD. citati ad marginem constitutionis, l. 4. tit. 11. const. 6. § 1. n. 5. et ita jam dispositum erat in constitutione antiqua, tit. 24. const. 3. quod observatum semper fuit à tempore immemoriali in toto hoc episcopatu; quod etiam practicatum semper fuit, respectu filiorum familias, decedentium relictis legitimis, sicut disponebatur in const. dict. tit. 24. const. 3.

Quoad vero morientes sine illis, ex const. dict. tit. 11. const. 6. vers. 2. cernitur, quod non jubet pluſquam quod recitetur una missa, corpore præsente, et unum officium trium lectionum ex obligatione, quæ sunt valde limitata suffragia: et videtur, quod, quemadmodum patres obligari possunt alimenta præstare filiis in vita, ita etiam possunt obligari suffragia eis facere post mortem; non debet enim extare anima pejoris conditionis, quam corpus.

XIV. Et quis potest cogere ad hæc suffragia pro animabus, quando non datur dispositio testamentaria, nisi prælati ecclesiastici, qui sunt patres spirituales illarum? Cardin. Deluc. de testam. disc. 24. n. 7. Ricc. in prax. 4. p. resol. 78. n. 5. Genuens. in prax. c. 78. n. 8. Illis siquidem incumbit cura ipsarum, Cardin. Deluc. de testam. dict. 24. n. 7. et eodem modo, quo curam habent illarum in vita, tenentur etiam eam habere in morte, curando, ut fiant pro illis aliqua suffragia ad levamen pœnarum purgatorii. Quod adeo ita procedit, ut, procuratore coronæ vestræ majestatis se cum dubiis huic dispositioni opponente, ob rationes, et fundamenta, quæ allegavit, visum fuit senatui palatino, quod inoffense decurreret; eo vel maxime, quia recurrentes non ostendunt, nec possunt ostendere, quod processissem adversus illos pro observatione dictarum constitutionum ultra consuetudinem, quæ de hac materia existit in hac parochia.

Multo minus violentiam intuli recurrentibus respectu eleemosynæ taxatæ pro officiis, et missa; quia non coegi

coegi eos ad illam, nec vitavi aliquem ob non ſolutionem illius, juxta conſtitutiones; nec illis extorſum fuit aliquid pro itinere, ut minus vere aſſeritur; neque violentia conſiſtere poteſt in publicatione prædictæ conſtitutionis, qua dicta eleemoſyna taxatur:

XV. Quia epiſcoporum eſt ſimili eleemoſynæ taxam imponere in ſynodo, ut probatur ex DD. allegatis ad marginem prædictæ conſtitutionis, l. 2. tit. 1. conſt. 5. n. 2. et ipſa ord. regni, l. 1. tit. 62. § 57. jubet, quod in hac materia ſtetur pro diſpoſitione conſtitutionis epiſcopatus.

Et prædicta eleemoſyna bis centum regalium pro officio, et miſſa, non continet exceſſum; ſed eſt moderata pro temporibus præſentibus, quibus omnium rerum pretium longe excrevit:

XVI. Etſi præmium correſpondere debet labori, Cyriac. contr. 67. n. 18. valde limitata eſſe videtur eleemoſyna bis centum regalium æreorum pro quodam officio, et miſſa. Et eſt valde notandum, quod cum aucta ſint ſalaria in omnibus officiis; quin in hoc ulla inveniatur vexatio populorum, eam tamtummodo velint recurrentes arguere, atque adinveniri in exiguo adeo augmento, quod datur in aliquibus parochiis reſpectu eleemoſynarum officiorum, cum in majori parte diœceſis ſolvantur jam bis centum regalia ærea, imo et plus in aliquibus parœciis: et etiam eſt animadvertendum, quod aucta fuit eleemoſyna, ut æqualiter attendatur, miniſtri eccleſiæ ne manerent fraudati ſua congrua, et ut ne expenſis exceſſivis populi vexarentur; quamobrem deminutus fuit numerus clericorum, cum antea ſolitum foret fieri officia per decem clericos; conſtitut. l. 4. tit. 11. verſ. 7. *Non obligat niſi ad quinque.*

XVII. Itaque nullum fundamentum continet præſens recurſus; quia nullam violentiam, nec oppreſſionem intuli recurrentibus, ut manet demonſtratum; et abſque illa non eſt locus recurſui, Pereir. de man. reg. 1. p. cap. 7. n. 2. Ex quo inſpicitur, non eſſe dandam proviſionem recurrentibus. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXV.

In Reſponſione ad Chartam rogatoriam Coronæ, qua dubitata fuit Adimpletio Proviſionis datæ in quodam Recurſu.

SUMMARIUM.

I. *In penſionibus annuis tot ſunt actiones, quot ſunt termini ſolutionum.*
II. *Sententia prolata pro ſolutione unius anni, pro ſequentibus non præjudicat.*
III. *Appellatio interpoſita in cauſa diverſa, non poteſt ſuſpendere reſpectu alterius cauſæ.*
IV. *Penſionarius, qui aſſertione jurata ſe adſtringit ad juſtificandum aliquam qualitatem, aut requiſitum eſſentiale ſuper renuntiatione beneficii, tenetur ad illud.*
V. *Sententia prolata ex fundamento notorie falſo, eſt ipſo jure nulla.*
VI. *Et ſufficit, quod error conſtet notorie ex actis.*

Domine,

NEQUEO non exprimere Majeſt. veſtræ, quod abſque gravi, et præjudiciali offenſione juris partis, adverſus quam proviſio data fuit, non poſſum mihi habere perſuaſum, quod chartam rogatoriam exequi debeam; quia, quoad primam ſententiam, ipſe recurrens recognovit ineſſe notoriam æquivocationem; ſiquidem, præterquam quod non fuit recepta appellatio in utroque effectu à rejectione exceptionis declinatoriæ, intentatus fuit ab illo primus recurſus, in quo non obtinuit proviſionem ex rationibus, quas expendi in reſponſione ad illum data; et hoc quidem fundamento impedimenta objecit, volens oſtendere violentiam conſiſtere in eo, quod non expediretur appellatio recepta per ſententiam hujus judicii à doctore Jacinto Robalo Freire, non obſtante, quod ille cognoſcere voluerit de cauſa; et quod interpoſita appellatio non fuit admiſſa in utroque effectu. Et in hac etiam parte ſine ratione conqueritur; quia illa appellatio prodeſſe quidem poterat cauſæ illi, quæ eſt jam finita per deſiſtentiam penſionarii, qui deſtitit ab illa, ex actis penſionibus uſque tunc decurſis.

I. Nos vero ſumus in penſionibus annorum ſubſequentium, actioneque diverſa, quia in penſionibus annuis tot ſunt actiones, quot ſunt termini ſolutionum, Cæſareg. de commerc. tom. 2. diſc. 82. n. 32. ibi: *Quia tot ſunt actiones, quot ſunt termini ſolutionum*; Rott. recentior. p. 7. dec. 21. n. 19. ibi: *Quod cum agatur de præſtationibus annuis, et ſic de obligationibus ſucceſſivis; quo caſu, tot cenſentur obligationes, quot ſunt anni, et præſtationes ſucceſſivæ.*

Et in reſponſione primi gravaminis (quæ peto ut adjungatur, et videatur) cum aliis quamplurimis DD. ſatis oſtendi.

II. Ideoque ſententia lata pro una ſolutione non præjudicat aliis, Salg. de reg. prot. 4. p. cap. 7. n. 144. ibi: *Si vero tot ſunt obligationes, quot ſunt anni, ſententia lata pro prima pagha, et præſtatione, non pareret plenum præjudicium pro ſequentibus.*

III. Ac proinde appellatio interpoſita in illa cauſa, quæ juſſa fuit recipi, nequit præjudicium parere in hac, quæ eſt totaliter diverſa, ex cap. *Ad hæc*, de appellation. Deluc. ad Gratian. cap. 152. n. 14. Fontanel. dec. 126. n. 7. et 8. Optime Salg. de reg. prot. 3. p. c. 15. n. 10. ibi: *Quemadmodum interpoſita in una cauſa diverſa, in alia diverſa ſuſpendere non poteſt.*

Ergo illa appellatio juſſa recipi in illa cauſa, diverſa ab hac, cum ſit ſuper penſionibus aliorum annorum non decurſorum, nequit ſuſpendere curſum hujus cauſæ; eo vel maxime, quia talis appellatio juſſa fuit recipi ex eo, quia recurrens expoſuit in illa, doctorem Jacintum Robalum, non juſtificata bulla, in qua inveniebatur clauſula--*dummodo centum remaneant*—proceſſiſſe per cenſuras adverſus illum. Bulla autem juſtificata fuit, ut conſtat ex appenſo, et præmiſſæ judicatæ pro probatis; et cum tum juncta non fuit bulla, licet tranſumptum illius inſertum eſſet in monitorio, viſa non fuit alia clauſula, ex qua cernitur, quod recurrens narravit, et juramento firmavit Sanctitati ſuæ, eſſe plene informatum de reditibus hujus eccleſiæ, et illam eſſe non ſolum capacem, ſed capaciſſimam penſionis ipſi impoſitæ; et ſumpſit in ſe onus juſtificandi prædictum valorem, quoties opus fuiſſet, tam in petitorio, quam in poſſeſſorio; exemitque, et liberavit penſionarium à prædicta juſtificatione, renuntiando quamlibet exceptionem ſibi competentem, adverſus dictam penſionem; ut expreſſum invenitur in bulla ibi: *Per dictum Emmanuelem*, &c.

IV. Qua aſſertione jurata viſa, nullam obligationem habebat penſionarius, juſtificandi reditus eccleſiæ; Calder. tom. 1. reſolut. 26. n. 14. Rott. recent. p. 8. dec. 25. n. 19. et p. 19. dec. 372. n. 2. Cardin. Deluc. de penſ. ad ornat. an conſt. Innoc. XI. cap. 6. n. 15. idem Deluc. de benef. diſc. 90. n. 48. Rott. coram Pamphil. dec. 438. n. 4. et 5. optime Lotter. de re beneficiar. lib. 1. q. 48. n. 49. et 50. ut diffuſe oſtendi, in reſponſione ad aliud gravamen, quo recurrens expoſuit hanc materiam, et non obtinuit.

Etſi proviſio illi data fuit in alio, interpoſito à primo judice apoſtolico; ideo fuit, quia recurrens non ſolum occultavit juſtificationem bullæ, ad quam penſionarius non tenebatur, virtute clauſulæ, quam expreſſit, et uſus eſt in prædicta bulla, ſed etiam narravit falſo, mentionem faciens bullæ, quam aiebat juſtificandam eſſe per penſionarium ratione clauſulæ—*dummodo centum*—atque abſque iſta falſa expoſitione credibile non eſt, quod miniſtri prædictis literis, et rectitudine, proviſionem illi dediſſent.

V. Et cum hoc fundamentum in ſententia conſideratum, ad hoc, ut juberetur recipi appellationem, fuiſſet notorie falſum, reddita illa eſt nulla, cum pluribus, Altimar. de nullitat. tom. 2. rubric. 13. q. 6. n. 1. ibi: *Idem eſſet, ſi ſententia eſſet lata ex cauſa*

notorie

notorie falsa; nam et tunc esset ipso jure nulla, Scacc. de sent. et re judic. glos. 14. q. 32. n. 45. Hippolyt. de Marcil. de banit. verbo *Sententia*, § 4. n. 89.

VI. Et cum ex hiscemet actis videtur evidenter, et clare pateścit error, quo prolata fuit sententia, qua jussa fuit recipi appellatio parti ob dolum, et falsitatem recurrentis, prædicta sententia nulla fuit, Hippolyt. de Marcil. d. verb. *Sententia*, § 4. n. 112. ibi: *Sententia est nulla, quando error apparet ex actis.* Idem tenet Bart. in leg. 1. ff. *quæ sentent. sine appellat. rescind.* et cum prædicta sententia nulliter lata fuit ob falsam expositionem; siquidem, si in hoc judicio constaret, quod ex actis cernitur; recipienda non esset in utroque effectu appellatio in causa pensionis reservatæ ad alimenta, in qua illa non datur, Salgad. de reg. prot. 2. p. c. 13. n. 6. Levren. de benef. tom. 3. q. 589. n. 5. Ventrigl. in prax. tom. 2. an. 11. § 2. n. 72. Chartam reformandam venisse videtur. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXVI.

In Responsione ad Gravamen Coronæ circa eandem Materiam.

SUMMARIUM.

I. *Delegatus, quotiescunque subdelegaverit aliquam causam, et subdelegatus cæperit habere cognitionem de illa, jam non potest amplius ad illam redire.*
II. *Concurrentibus pluribus delegatis, et illo, qui cæpit habere cognitionem, ab illa abstinente ex aliqua causa justa, recurri potest ad alium.*
III. *In pensionibus tot sunt debita, quot anni.*
IV. *Tot sunt anni, quot actiones.*
V. *Tot sunt præscriptiones, quot anni.*
VI. *Pensionarius non tenetur justificare valorem fructuum beneficii, quando pensionator ad illum se obligat.*
VII. *Confessio facta in precibus, vel supplicatione à recurrentibus, facit plenam probationem adversus illos.*
VIII. *Sententia obtenta ex causa notorie falsa, est ipso jure nulla.*
IX. *In executione bullarum apostolicarum, non datur appellatio suspensiva.*
X. *Idem procedit in executione bullæ pensionis ad alimenta.*
XI. *Privilegiata quadam causa, censentur privilegiata omnia incidentia illius.*
XII. *Prohibita appellatione ab aliqua sententia lata in judicio, censentur etiam illa prohibita in omni termino, per quem devenitur ad prædictam sententiam.*
XIII. *Idem procedit in causis, quæ natura sua requirunt celeritatem.*
XIV. *Causa alimentorum requirit celeritatem.*
XV. *A sententia lata in materia alimentorum, tam definitiva, quam interlocutoria, non datur appellatio suspensiva.*
XVI. *A rejectione exceptionis incompetentiæ, non datur appellatio, juxta opinionem probabilem.*

Domine,

RECURRIT ad Majest. vestr. abbas Aroensis Emanuel Teyxeira à Costa petitione gravaminis, in qua ejus patronus, nedum fuse, sed large loquitur; et, nimis loquendo, adeo extra terminos negotii procedit, ut mihi sit opus diffusione ad ostendendum evidenter, non intulisse violentiam recurrenti, sed processisse juste, et recte, ut semper consuevi.

Quia hucusque rejecit tantum exceptionem recurrentis, quatenus respiciebat incompetentiam, et defectum meæ jurisdictionis, in quo juste operatus sum: quamvis enim illustrissimus thesaurarius major sanctæ ecclesiæ patriarchalis, primus judex bullæ recursi, subdelegâsset doctorem Jacintum Robalum Freire, et hic assumeret cognitionem de causa; cum vero ipse declaravit, quod nolebat amplius esse judex delegatus; privatus extitit jurisdictione in prædicta causa, quam alteri commiserat omnimode; et amplius nequit eam reassumere, Tond. de prævent. 2. p. c. 3. n. 4. ibi:

I. *Quando constat, quod, mediante subdelegatione, delegatus funditus à se abdicavit jurisdictionem contentiosam, utpote quia causam subdelegavit, nempe tam in cognoscendo, quam in judicando, seu sententiam proferendo, quam etiam in exequendo; et tunc, si judex subdelegatus cæpit cognoscere, et uti sua jurisdictione, delegatus non potest amplius in illa causa se intromittere, quia jam suo officio functus est.*

II. Itaque, cum in bulla sint alii judices, et unus esset illustrissimus decanus sanctæ ecclesiæ patriarchalis, recursus patebat ad illum, qui poterat me subdelegare, ut de facto subdelegavit, sicut incontroversum est inter DD. fundantes se in dispositione tex. in cap. *Cum plures*, de officio delegat. in 6. Ubert. de cit. p. 6. *de justific. et execut. liter. apostolicar.* fol. mihi, 144. col. 1. in fin. *Plures executores quando sunt dati in literis, si unus prævenit, alii non se intromittunt, nisi quando ille, vel infirmitate, vel alia justa causa, impediretur, aut si nollet, vel malitiose procedere recusaret*, Ros. de executor. p. 2. c. 4. n. 14. Salg. de retent. bullar. 1. p. c. 10. § unic. in 6. Card. in prax. verb. *Rescriptum*, n. 32.

Nec opus erat, quod primus subdelegatus juramentum adhibuisset se suspectum habendum, vel suspectus fuisset, vel non, cùm recusavit esse judex, vel sponte, vel malitiose (quod tamen præsumendum non est de tanto ministro); et hoc sufficiens erat, ut sese intromitteret secundus delegatus. Nec obstat recurrentem dicere, quod ego, cum sim subrogatus loco D. Jacinti Robali Freire, non possum habere majorem, quam ille, jurisdictionem; et ipse ex duplici fundamento jam non habebat jurisdictionem; tum, scilicet, quia causa appellata erat, et appellatio recepta; tum quia recursus destiterat ab illa. Ast animadvertere debebat recurrens, quod doctrinæ, ad quas confugit, non militant in judicibus executoribus pensionum; quia hi sunt executores pro singulis annis, pensionum debitarum, et non solutarum; et quanquam, quoad illas tunc petitas, processisset alter judex, et ego fuissem subrogatus, hoc non obstat ad hoc, ut mea subrogatio locum teneat respectu pensionum annorum subsequentium: et an prædicta appellatio, et desistentia impediat, peti ulteriores pensiones, quæ decurrerunt? quæstio est, quam adhuc non judicavi; sed jussi prosequi causam coram me in suis terminis secundum jus: etsi prædicta appellatio, et desistentia, debet obstare pensionibus annorum, qui postulati non fuerunt, investigandum adhuc est:

III. Quia cum in pensionibus tot sint debita, quot anni, l. *Cum notissimi*, cod. de præscript. 30 vel 40 annor. Berton. de neglig. p. 2. art. 33. n. 11.

IV. Et sic quot sunt anni, tot actiones, Gig. de pension. q. 83. n. 4.

V. Et quot sunt præscriptiones, tot anni, Tond. de pension. c. 36. n. 11. Clericat. de pension. discord. 18. an. 17. Gig. d. q. 83. n. 12. Salg. de reg. prot. 2. p. c. 7. n. 70.

Minus obstat dicere recurrentem, quod ad procedendum cum jurisdictione, justificandæ erant præmissæ, quia bulla continebat clausulam—*dummodo centum remaneant*—et quia D. Jacintus Robalus processit absque tali justificatione, provisio illi data est in recursu super hoc interposito. Quare nescio quo fundamento recurrens, ejusque patronus, ausi fuerunt ad hanc materiam in hoc judicio allegandam, cum pateat in appenso valde justificatas esse præmissas bullas, judicatasque, visa clausula, et cautela, quæ reperitur in bulla pensionis, in qua recurrens narravit, juramentoque firmavit coram Sanctitate sua, se esse plene informatum de valore redituum ecclesiæ, illosque esse non tantum capaces, sed capacissimos pensionis 600 terunciorum, seu regalium æreorum; et suscepit in se onus justificandi prædictum valorem, quotiescunque opus fuisset, tam in petitorio, quam in possessorio;

atque exemit, et liberavit penſionarium ab hujuſmodi juſtificatione, renuntiavitque cuicunque exceptioni, quæ potuiſſet opponi adverſus prædictam penſionem, ut expreſſum invenitur in dicta bulla; ibi: *Prædictum Emmanuelem, qui de vero annuo valore fructuum, reddituum, et proventuum dictæ parochialis eccleſiæ, ſicut, ut præfertur, expreſſo ſe eſſe bene edoctum, et informatum, illoſque dictæ penſionis capaces, imo capaciſſimos exiſtere, medio juramento firmavit, et firmat, onus atque valorem hujuſmodi juſtificandi, quotieſcunque fuerit, tam in petitorio, quam in poſſeſſorio, et quovis alio judicio, in ſe ſuſcipit; teque ab onere juſtificationis hujuſmodi eximit, et liberat; et cuicunque exceptioni quantumvis juridice, et legitime erroneæ confeſſionis, et petitioni reclamationis juramenti prædicti, expreſſe renuntiat.*

Et ob prædictam cautelam, qua uſus eſt recurrens, nullam obligationem habebat penſionarius juſtificandi valorem fructuum prædictæ eccleſiæ, cum recurrens eum exemiſſet, et onus in ſe ſuſcepiſſet dictæ juſtificationis, Calder. tom. 1. reſol. 26. n. 14. ibi: *Vel quando rector, vel titularis, aſſeruit in ſupplicatione gratiæ, ſe eſſe informatum de valore fructuum, renuntiando verificationis valoris, et ſumendo in ſe onus probandi; quia tunc ſpectat ad rectorem probare valorem fructuum, et non ad penſionarium.*

Et n. 46. Rott. recent. p. 8. d. 25. n. 2. et p. 19. dec. 372. n. 3. ibi: *Quo caſu dubium non eſt penſionarium relevari ab onere probandi valorem, prædictæ clauſulæ juſtificationem, quæ ſufficienter inducitur ex ampliſſima confeſſione valoris facta à rectore, qui ſuſcepit in ſe onus probandi, renuntiando cuicunque exceptioni, et verificationi valoris, conſentiente atque approbante Pontifice.*

Cardin. Deluc. de penſ. ad ornat. conſt. Innoc. XI. c. 16. n. 5. ibi: *Se aſſerendo informatum de valore, et de capacitate, et per conſequens de purificatione, aſſumendo in ſe onus probandi contrarium; quoniam tunc penſionarius agenti pro executione obligationis nulla ex præmiſſis difficultatibus obſtat; et per conſequens, licet iſte conſenſus, et obligatio, reſpective non tollat titulari facultatem probandi incapacitatem, nihilominus non retardetur proceſſus executivus, donec de re judicata, vel tres conformes, finem habeat proceſſus ordinarius.* Ita Deluc. de penſ. diſc. 6. n. 3. et de benef. diſc. 90. n. 48. Rott. coram Pamphil. d. 488. n. 4. et 5. Lotter. de re benef. lib. 8. q. 48. n. 45. et 50.

Nec prodeſt recurrenti gravamen hujus judicii; quia in illo proviſio data fuit ex eo, quia adjuncta non fuerit bulla; nec judex, à quo interpoſitum fuit, in ſua reſponſione mentionem fecit de cautela, quæ in illa continetur; et cum prædicta clauſula—*dummodo centum*—ex natura ſua faciat gratiam conditionalem, extante bulla in forma ordinaria, deberet penſionarius prius juſtificare ſuam gratiam, Calder. d. reſol. 36. n. 11. Mareſcot. var. c. 1. n. 70. Cardin. Deluc. ad bull. Innoc. d. c. 16. n. 2. Et hoc extitit fundamentum, ex quo proviſio data fuit recurrenti in hoc judicio, ut cernitur ex ſententia.

VI. At vero ſumus in caſu valde diverſo; quia, cum, antequam uteretur cautela clauſulæ, et confeſſionis, quam hæc bulla continet, rari erant caſus, in quibus hujuſmodi penſiones conditionales effectum conſequebantur; ideo in uſum prodiit cautela, ut in ſupplicationibus confiterentur titulares, informatos eſſe de reditibus eccleſiarum, et id juramento firmáſſent ſuſcipiendi in ſe onus probandi valorem, quod totum invenitur in hac bulla penſionis.

VII. Ac proinde prædicta confeſſio, à recurrente emiſſa in ſupplicatione, facit contra ipſum plenam probationem, addit. ad Pamphil. d. dec. 488. n. 8. Cardin. Deluc. de benefic. diſc. 90. n. 39. Et ſi hoc examinaretur in hoc judicio, non poſſent miniſtri tot literis, et rectitudine præditi, quales fuerunt dictæ ſententiæ, proviſionem dare recurrenti, qui doloſe ſe geſſit occultando clauſulam bullæ, et cautelam modernam, narrandoque falſo, prædictam bullam eſſe qualitatis, quam penſionarius prius juſtificare debebat, ob prædictam clauſulam—*dummodo centum*—

VIII. Et cum obtineret hanc ſententiam ex cauſa falſa, reddita eſt illa ipſo jure nulla, Altim. de nullit. rubr. 19. q. 6. n. 1. Scacc. de ſent. et re judic. gloſſ. 14. q. 32. n. 45.

Minus poteſt conſiſtere violentia in non receptione appellationis interpoſitæ à rejectione exceptionis nuncupatæ *incompetentiæ*.

IX. Cum igitur, de executione bullarum apoſtolicarum, appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, Garc. de benef. p. 6. c. 2. n. 140. Roſ. de executor. 1. p. c. 10. n. 5. Salgad. de reg. prot. 2. p. c. 3. n. 6.

X. Maxime, cum exequitur bull. penſionis conceſſæ ad alimenta, ut cernitur ex bulla, qua de agitur; ibi: *Et commodius ſuſtentari valeas*: quia in hoc etiam caſu non datur appellatio ſuſpenſiva, Salgad. d. c. 3. n. 1. ibi: *Quando penſio reſervatur pro alimentis, et pro vitæ humanæ ſuſtentatione, quoquomodo in eis proceſſus fulminetur, ſive executive, ſive ſummarie tantum, appellatio non admittetur, quemadmodum in cauſa alimentorum.*

Et quanquam controverſum ſit in jure, an quando appellatio prohibetur à jure, vel ſtatuto, intelligatur prohibitio de ſententia definitiva, deve interlocutoria?

XI. Attamen melior opinio eſt, quod, *Privilegiata una cauſa, cenſentur privilegiata omnia ejus incidentia, et emergentia*; quia hæc aſſumunt naturam ex cauſa principali, cum Bart. in extravag. *ad reprimendum*, verb. *Summarie*, Dec. in cap. *Paſtoralis*, n. 4. de appellat. Deluc. ad Grat. c. 76. n. 9.

XII. Ac proinde, *prohibita appellatione à ſententia lata in judicio, cenſetur prohibita in omni illo, per quod devenitur ad prædictam ſententiam*, Deluc. dict. cap. 76. n. 9. Salg. de reg. prot. 2. p. c. 6. n. 19. cum ſeqq.

XIII. Et hoc indubitanter obtinet locum in cauſis, quæ natura ſua exigunt celeritatem, Deluc. ad Franch. tom. 2. dec. 408. n. 3. ibi: *Quod ubi eſt eadem ratio prohibendi appellationem ab interlocutoria, quæ eſt indefinitiva, veluti cum princeps celerem expeditionem cauſæ deſiderat; et tunc, prohibita appellatione in una, cenſeatur in alia prohibita.*

XIV. Cumque hæc cauſa verſetur circa penſionem conceſſam pro alimentis, et, qua talis, celerem expeditionem requiret; quia *venter non patitur dilationem*, Salg. de reg. prot. 3. p. c. 1. n. 1.

XV. Ideo, ſicut à ſententia definitiva non datur appellatio ſuſpenſiva, ita etiam ab interlocutoria, Salg. d. c. 1. n. 46. ibi: *In alimentis non dari appellationem ſuſpenſivam, extende, ut multo fortius procedat in interlocutoria; quando prohibetur appellatio à cauſa principali quoad ſuſpenſivum tantum, pariter cenſetur prohibita ab interlocutoria, ſicut à definitiva.*

XVI. Et licet recurrens limitari velit hanc concluſionem in exceptione incompetentiæ, attamen, ultra quam quod eſt opinio valde probabilis, quod, *quando judex pronuntiat ſe competentem, non datur appellatio*; quia gravamen eſt reparabile in definitiva, ut innuit Scacc. q. 17. limit. 6. membr. 7. n. 48. exceptio recurrentis eſt ſolum *incompetentiæ* nomine tantum, quia ex ventre bullæ conſtat delegatio illuſtriſſimi judicis delegantis, qui eam in me ſubdelegavit; quod poterat abſque dubio facere juxta reſolutiones incontroverſas DD. quæ ſupra manent expenſæ: etſi in ſimilibus exceptionibus, quas advocati nimium fingere callent, admitti deberet appellatio in utroque effectu, omnes fruſtrarentur, et penſionarii in omni vita privarentur exactione; quia non deeſſet advocatus, qui non affectaret aliquam exceptionem incompetentiæ, ſive veram, ſive falſam, ut in præſenti caſu, in quo recepta appellatione in utroque effectu, prius vita penſionarii finiret, quam proferantur tres ſententiæ conformes, ut expertum eſt in cauſa epiſcopi Leirienſis cum canonico Simpliciano de Carvalho, in qua decurrerunt quindecim anni, antequam darentur tres ſententiæ conformes, in ſimili exceptione; et habens epiſcopus omnes has in ſuum favorem, per tot annos non exigit penſionem.

Ad cujus conſpectum ponderati debet in hoc judicio coronæ materia exceptionis, et damnum, quod ſequitur ex receptione hujuſmodi appellationis; quia recurrenti, quando eccleſia ſit incapax ſimilis penſionis, non obſtantibus omnibus cautelis prædictæ bullæ, præbet jus, et DD. alia media, quibus poſſit habere ſuam congruam, quæ et practicantur in curia Romana, ut tradit Fatinel. de Fatinel. reſp. 51. an. 18. Ex quibus gravamen non feci. Attamen, &c.

ALLE-

ALLEGATIO CXVII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum ab Abſtinentia Cognitionis in Exceptione Suſpectionis oppoſitæ Subdelegato.

SUMMARIUM.

I. *Judex delegans poteſt cognoſcere de ſuſpectione oppoſita ſubdelegato, ſi ſubdelegavit cum poteſtate reaſſumendi, et ejus ſubdelegatus nondum protulit ſententiam definitivam.*

II. *Judex delegans, qui reſervat aliquam cognitionem cauſæ, quam ſubdelegavit, poteſt cognoſcere de actu reſervato, antequam ſubdelegatus proferat ſententiam definitivam; quia tunc conſervat in ſe juriſdictionem.*

III. *Expedito actu à ſubdelegato, ceſſat juriſdictio in delegante.*

IV. *Per ſententiam definitivam datam à ſubdelegato, expirat ejus juriſdictio, ſicut etiam delegantis.*

V. *Judex delegatus, poſtquam protulit ſententiam definitivam, eam non poteſt revocare, neque mutare, quamvis nulliter eam protuliſſet.*

VI. *Delegans poteſtatem habet intra annum exequendi ſententiam, non vero agnoſcendi de exceptionibus illi oppoſitis, juxta meliorem opinionem.*

VII. *Deciſiones Rottæ legum auctoritatem habent, ut per illas judicetur.*

VIII. *Delegatus, qui non remittit arbitris ſuſpiciones oppoſitas ſuo ſubdelegato, et vult cognoſcere de illis, facit violentiam; et eſt caſus recurſus.*

Domine,

POSTQUAM doctor Joſephus Rodericus Lealius, in quo ſubdelegavi reſcriptum apoſtolicum, de quo agitur, cum poteſtate reaſſumendi, protulit ſententiam definitivam in cauſa in favorem recurrentis; illius pars adverſa exceptionibus eam impedivit, et poſt hoc ut ſuſpectum ſubdelegatum recuſavit; et quia cognoſcere nolui de his ſuſpicionibus, interponit recurrens hoc gravamen, ſed nullo, ut videtur, fundamento.

I. Siquidem, quanquam judex delegans poſſit cognoſcere de ſuſpectione oppoſita ſubdelegato ſuo, et de appellatione ab illo interpoſita, quando ſubdelegavit *cum poteſtate reaſſumendi*, ut reſolvunt DD. allegati in petitione gravaminis; hoc procedit tantum, quando nondum eſt prolata ſententia definitiva in cauſa, ſive quando nondum eſt expeditus à ſubdelegato actus reſervatus à delegante, Barb. ad tex. in c. *Si delegatus*, 7. de offic. judic. delegat. in 6. n. 17. ibi: *Quoties delegatus aliquid dimidii cauſæ, veluti litis conteſtationem, aut aliud ſibi retinuit; tunc enim aſſerunt, ad ipſum eſſe appellandum; dummodo tamen appelletur, antequam actus illi per delegatum ſint expediti; ſecus, ſi poſtea; quia tunc non ipſe, ſed prius delegans provocabitur: et ratio eſt, quia, ut ad delegantem valeat appellari, requiritur reſervatio juriſdictionis juxta hunc textum; hæc autem ſolum datur, quouſque actus illi expediuntur; poſtea omnino ceſſat*, Gonſal. ad tex. in cap. *Super quæſtion.* 27. de offic. judic. delegat. n. 9. fol. 702. col. 1. ad medium.

II. Et ratio, cur delegans poteſt cognoſcere de actu reſervato, antequam ille expediatur, aut proferatur ſententia definitiva, ea eſt; quia, non prolata ſententia definitiva, conſervatur adhuc juriſdictio in delegante, qui eam ſubdelegavit *cum poteſtate reaſſumendi*, Scacc. de appellationibus, q. 8. n. 35. verſ. *Ratio etiam*, ſicut etiam non expedito actu reſervato.

III. Illo quippe expedito, jam ceſſat juriſdictio in delegante, ut bene dicit Barb. ſupr.

IV. Similiter, lata ſententia definitiva, expirat juriſdictio ejus, ut ait ipſe Scacc. d. n. 35. verſ. *Ratio etiam*; et eſt concluſio accepta à DD. Ridolphin. in prax. 1. p. c. 13. n. 582. Roſ. de executor. c. 9. n. 24. Rott. apud Cavaler. dec. 347. n. 2.

V. Itaque delegatus, poſtquam protulit ſententiam definitivam, eam non poteſt revocare, neque mutare, Cardin. Anton. Deluc. de confident. hæred. c. 57. n. 9. licet eam nulliter protuliſſet, ut judicavit Rott. recent. p. 18. tom. 1. dec. 391. an. 1.

VI. Nec habet locum illa aſſertio, nempe quod delegans habet juriſdictionem exequendi ſuam ſententiam intra annum; ac proinde habet etiam cognoſcendi de exceptionibus; quia, licet hoc ſequatur Carleval allegatus, contrarium tenet Gutierr. canonicar. l. 2. cap. 2. n. 40. cum Paul. de Caſtr. et Altim. allegat. rubric. 10. tom. 2. q. 17. n. 20. ſe retractavit ab illo, quod dicit in loco citato in ſupplicatione gravaminis; quia ſequitur opinionem Paul. de Caſtr. et Gutierr. qui dicunt conſervari tantum in delegato juriſdictionem reſpectu executionis faciendæ, non vero revocandæ ſententiæ; ibi: *Delegati juriſdictio, poſtquam protulit ſententiam, durat tantum reſpectu executionis faciendæ.*

Et citat pro hac opinione Hond. conſ. 27. n. 45. vol. 2. Tuſc. concluſ. 440. n. 10. lit. I. et cum pro hac opinione judicatum extet in Rott. d. dec. 391. cum ejus reſolutione me conformare debebam:

VII. Cum deciſiones Rottæ ſint tantæ auctoritatis, ut generaliter habeantur pro legibus, Altim. de nullit. rubr. 16. q. 214. n. 40. Samminiat. contr. 47. n. 47. Calder. tom. 1. reſolut. 42. n. 49.

VIII. Quod maxime procedit, quia in hoc judicio judicatum extat in ſimili caſu, quod delegatus vim facit, ſi cognoſcit, et non remittit ad arbitros ſuſpectiones ſuo ſubdelegato oppoſitas, ut videre eſt apud Peg. tom. 3. ad ordinat. l. 3. tit. 9. § 12. n. 568. Quare gravamen non intuli. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXVIII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à quodam Provinciali ſuperiore regulari Monaſterii Sanctæ Monicæ; cui juſſum fuit, ut Conſenſum præſtaret, aut Rationes redderet, ſub Pœna Excommunicationis, cur noluerit annuere Executioni cujuſdam Bullæ à quadam Moniali obtentæ.

SUMMARIUM.

I. *Sanctimoniales non ſolum poſſunt egredi è clauſura cum licentia ſui prælati ordinarii in tribus caſibus declaratis in bulla Pii V. ſed etiam in aliis quamplurimis, cum licentia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.*

II. *Prælato recuſante licentiam concedere egrediendi è clauſura alicui moniali habenti licentiam Sedis Apoſtolicæ, quando deficit cauſa juſta eam denegandi, poteſt talis monialis egredi abſque incurſu pœnæ.*

III. *Certitudinibus, ſeu teſtimoniis juratis medicorum in materia ſuæ profeſſionis, omnimodo credendum eſt.*

Domine,

FUNDAMENTUM, quo interponitur hoc gravamen, conſiſtit in eo, quod obtenta à Matre Tereſia Michaela, moniali monaſterii Sanctæ Monicæ, quadam bulla ab illuſtriſſimo nuntio; ut egrediens è clauſura poſſet mederi in domo parentum ſuorum, nolenteque ejus patre provinciali recurrente ſuum conſenſum ad egreſſum præbere, juſſi expediri mandatum ſub pœna excommunicationis, ut aut annueret bullæ, aut redderet rationes, quare dubitaret tali egreſſui conſentire: in quo dicit, me uſurpaſſe ejus juriſdictionem, eique intuliſſe vim notoriam,

riam, et violentiam, quia conſenſus eſt quid pertinens ei, ac liber; ac proinde non poteſt cogi ad eum præbendum: quod tamen abſque dubio eſt error manifeſtus.

I. Siquidem bulla Pii V. in qua recurrens fundatur, ut licentia ſit pertinens ad illum, reſtrinxit caſus, in quibus ſanctimoniales poſſent egredi è clauſura cum licentia ſuorum prælatorum, approbata ab ordinario: qui caſus, licet ſint tres, utputa, incendii, infirmitatis lepræ, et epidemiæ; attamen non tollit, quod præter hos caſus poſſint etiam in aliis egredi cum licentia Sedis Apoſtolicæ, ut bene notavit Pirrh. Eorrad. in prax. diſpenſat. cap. 15. n. 5. et ſeqq. quales ſunt eundi ad balnea, et alii adducti ab ipſo Pirrh. ex quibus eſt hic noſter, licet ſit infirmitatis, quæ non eſt epidemia, et ad medendum in domo parentum, juxta Navarr. in commentar. in cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. commentar. 4. n. 49. Gutierr. canonicar. l. 1. c. 14. n. 9. Et, ſi provincialis recurrens recognoſcit, quod caſus, de quo agitur, non ſit ex tribus bullæ Pii V. cur conqueritur, eſſe illi uſurpatam juriſdictionem in prima inſtantia, ſi in hoc caſu eam non habeat, et tantum poterat prædicta monialis exire de licentia Sedis Apoſtolicæ?

II. Dicere, quod conſenſus eſt liber, et commiſſus conſcientiæ ſuæ, eſt contra quod firmant doctores; ſcilicet, quod ſi prælatus renuit injuſte dare licentiam, et cauſa, quam habet monialis, eſt manifeſta, poteſt recurrere ad Sedem Apoſtolicam, ſi forte detur locus recurrendi; aliter, illo non dato, poteſt exire à clauſura abſque tali licentia, quin incurrat pœnam aliquam, Donat. in prax. tom. 4. q. 5. n. 11. et 12. Sanch. in decalog. lib. 6. c. 15. n. 62. Gabalin. de clauſ. monial. diſquiſit. 1. c. 5. § 5. conſ. 8. Quomodo ergo eſt libera patri provinciali conceſſio licentiæ, et quomodo eſt arbitraria, et commiſſa conſcientiæ ſuæ? Et ſi detur aliquis provincialis, qui de conſcientia non curaret, monialis vitam perderet; ideoque aſſerunt DD. quod in hoc caſu poteſt exire licite: ergo neque eſt libera patri provinciali prædicta licentia.

III. Et, ſi verum eſt, quod poterat recurrere nuntio, qui habet poteſtatem Pontificiam in hoc regno, hic, ultra quod conceſſit prædictum breve ex certitudinibus juratis medicorum, qui atteſtârunt periculum prædictæ monialis, et illis credendum eſt, juxta notata Ricc. tom. 4. reſol. 194. n. 14. mihi etiam commiſit omnem juriſdictionem ſuam, ut procederem, prout de jure: quo ſtante, quam violentiam feci recurrenti, jubendo ſub pœna excommunicationis, ut aut ſuum conſenſum præſtaret, aut rationes redderet, ob quas illum denegaret, illis ut viſis judicarem, an prædictum breve dandum eſſet executioni? Et, cum recurrens copiam petiiſſet ad impediendum notificationem cum exceptionibus, ipſi eam juſſi dari; in quibus terminis nequibat uti hoc gravamine, cum prius intentâſſet medium habendi copiam; quia non poteſt ſimul uti duobus mediis, nec, habens ordinarium, recurrere ac extraordinarium hujus recurſus.

Nec eum defendit diploma, quod adjungit; quia illius finis pertenſus tendit, ut non exeant moniales cum cauſis affectatis, neque abutantur licentiis, cum quibus exeunt in relaxationem religionis; atque ex illo non infertur, neque credibile eſt ex zelo catholico dominorum regum hujus regni, vellent impedire recurſum ad Sedem Apoſtolicam, et januam claudere in caſibus licitis, et jure permiſſis. Quibus inſpectis, gravamen non feci. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXIX.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Judice Executore cujuſdam Reſcripti, qui non recepit Appellationem in Effectu ſuſpenſivo.

SUMMARIUM.

I. *Reſcripta, ſeu brevia ſuæ Sanctitatis, habent executionem paratam.*

II. *Appellatio interpoſita à judice executore, non habet effectum ſuſpenſivum; et judex, eam non recipiendo, vim non facit.*

III. *Appellatio ſuſpenſiva non admittitur à ſententia, qua aliquis eſt privatus, aut ſuſpenſus ab officio, ſeu loco.*

IV. *Quod maxime procedit, quando ſententia eſt privationis officii triennalis.*

DOMINE,

I. ABSQUE dubio eſt, quod in hoc caſu proceſſi tanquam judex executor reſcripti commiſſarii generalis nationalis conceſſi à ſua Sanctitate patri Fr. Dominico à Plagis; quod reſcriptum habet executionem paratam, cap. *Siquando*, cap. *Literis*, de reſcript. cum multis, Ridolphin. in prax. 2. p. c. 8. n. 54. Roſ. de executor. 1. p. cap. 2. n. 68.

II. Ideoque appellatio non poterat habere effectum ſuſpenſivum; quia, licet dicatur, quod propter oppoſitionem ei factam à patre Fr. Franciſco à Spiritu Sancto, evaſi executor mixtus, nihilominus, neque ad hoc datur appellatio ſuſpenſiva non excedendo modum, ut clare non exceſſi; ac proinde, non recipiendo eam, vim illi non intuli, ob quam poſſet habere locum hoc gravamen, Salgad. de reg. prot. p. 4. c. 3. n. 15. ibi: *Hinc eſt, quod neuter executor, à quo appellationis emiſſæ ab eo negat illationem, vim facit, quoniam vulgare eſt, ut ab executore non ſit licita.*

III. Neque etiam propter qualitatem cauſæ locus erat appellationi ſuſpenſivæ; quia verſatur circa electionem, et deputationem officii commiſſarii generalis triennalis, et remotionem exiſtentis, in qua cauſa appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, Peg. forenſ. c. 15. n. 168. ibi: *Quadrageſimus tertius caſus eſt in ſententia, qua quis ſuſpenditur, privaturve officio, vel in ſententia nominationis, muneris, aut electionis illius, à qua, ſi interponatur appellatio, non admittitur ſuſpenſiva.*

Salgad. de reg. protect. 3. p. c. 8. n. 2. Barb. vot. 4. n. 62. et ſeq. Oter. de officialib. c. 2. n. 12. Roginel. de appell. gloſſ. 7. c. 7. n. 26. Tondut. quæſt. benef. 3. p. cap. 125. n. 29. Ridolphin. in prax. 1. p. c. 13. n. 103.

IV. Maxime, cum officium ſit triennale, quod quidem certe finiret, priuſquam appellatio decideretur; in quibus terminis nunquam poterat dari effectus ſuſpenſivus, tex. in cap. final. de judic. Cabed. 2. p. dec. 48. n. 16. ibi: *Nota, quod contra electum poteſt excipi, ne admittatur ad officium, ad quod electus eſt; et appellari à tali electione, l.* Reus, § 1. *ff.* De muner. *Et, ſi exceptio malitioſe opponatur, ut interim tempus regiminis labatur, admittenda non eſt.*

Quia, ſi admitteretur, interim decurret tempus triennii, cujus major pars tranſacta erat, et ſententia maneret illuſoria, Oter. de official. c. 11. n. 9. ibi: *Secundum quod, ſi appellatio quoad utrumque effectum admitteretur, annus interim laberetur, et ſententia, quæ poſtea proferretur, illuſoria eſſet*, Gutierr. conſ. 31. n. 28. et ſeq. præcipue 31. et ex hac ratione in materiis, quæ tempore finiuntur, non admittitur appellatio ſuſpenſiva, l. *Conſtitutiones*, l. fin. ff. *Quando appellat.* Oter. dict. c. 11. n. 7. et 8. Fermoſ. ad tex. in cap. *Fieri*, de judic. quæſt. 8. n. 10. Gutierr. d. conſ. 31. n. 29. Et hæc fuit ratio, ob quam non recepi appellationem; ac proinde nec gravamen intuli. Attamen, &c.

ALLE-

ALLEGATIO CXX.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à quodam intruſo in Beneficio, quo expulſus fuit, petendo Copiam ad allegandum, quæ juſſa illi fuit dari in Actis ſeparatis.

SUMMARIUM.

I. *Quando datur poſſeſſio violenta, tunc poteſt vis vi repelli.*
II. *Quando petitur copia alicujus actus, qui jam ſortitus eſt effectum, debet illa concedi in proceſſu ſeparato.*

DOMINE,

RECURRENS jam aliud intentavit gravamen cum fundamento, quod illo in poſſeſſione beneficii contentionis exiſtente, et inaudito, juſſum fuerit expediri mandatum de capienda poſſeſſione à Sede Apoſtolica proviſo; et cum oſtenſum fuiſſet, quod recurrens fuiſſet citatus, antequam poſſeſſio caperetur à proviſo, et reſponſionem præſtaret notario, ſe dubium non haberet, ut alter in poſſeſſionem immitteretur, decretum fuit contra recurrentem in ſenatu palatino. Videns autem, quod per hoc medium non poterat conſervari in beneficio, in quo erat intruſus, petiit copiam ad oſtendendum, ſcilicet, quod ex poſſeſſione, quam proviſus à Sede Apoſtolica ceperat, eum expulſerat in continenti vim vi repellendo; et quia juſſi eam dari in proceſſu ſeparato, interpoſuit hoc gravamen.

I. Sed nullo fundamento; quia repulſio vis in continenti non poteſt habere locum in hoc caſu, in quo recurrens conſenſum præſtitit in capienda poſſeſſione; ſiquidem tunc tantum vis vi repelli poteſt, quando proviſus apoſtolicus violenter ſe immittit in poſſeſſionem, Peg. for. cap. 5. n. 69. verſ. *Poſſeſſor*, fol. mihi, 429.

II. Et cum proviſus à ſua Sanctitate eſſet in poſſeſſione, et habuiſſet decretum ſenatus palatini in ſui favorem, copia prædicta concedi debebat in proceſſu ſeparato, ex his, de quibus Mend. in prax. 1. p. l. 3. c. 21. Peg. forenſ. dict. cap. 5. n. 174.

Neque aliquid faciunt documenta noviter juncta; quia tuitiva juncta fuit primo gravamini, et, illa non obſtante, emanavit decretum contra recurrentem circa ſecuritatem notarii, priuſquam quod cavilloſe petita fuit recurrente nomine notarii à ſenatu relationis, conſequens cum dexteritate ſupplicationum, et decretum habita ab illo, ut ei concederetur talis ſecuritas, inſciente ipſo notario; crimen illius non infringebat fidem ipſius, quia oportebat, quod in officio notariatus defuiſſet veritate; certitudines tabellionum, et juſtificatio probabunt, vim repulſam fuiſſe in continenti; ſed minime probant recurrentem conſenſum non præſtitiſſe poſſeſſioni, adeptæ à proviſo apoſtolico; quia ex ipſa certitudine apparet, quod tabelliones erant in eccleſia; et quod actum fuit inter recurrentem, et notarium, fuit in choro, de quo non poterant dare fidem; ideoque in hac parte eorum certitudo præſumitur falſa; quod amplius pateſcit ex eo, quod non adjunxit eam primo gravamini, volens oſtendere, quod poſſeſſio lata fuiſſet incitato illo: ex quo concluditur dexteritas, qua intentat hoc ſecundum gravamen; ac proinde, quod nullum ei illatum fuit. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXXI.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum ab Edicto, quo prohibitus fuit Laicis Uſus Sellæ reclinatoriæ in Eccleſia.

SUMMARIUM.

I. *Recurſus habet tantum locum, quando datur oppreſſio, violentia notoria, ſeu denegatio juris naturalis.*
II. *Necnon quando* per viam ordinariam *aliquis ſuccurri non poteſt.*
III. *Laici non poſſunt præſcribere jus ſedendi in eccleſia, maxime in ſedibus reclinatoriis.*
IV. *Data mala fide, nulla datur præſcriptio.*
V. *Laici non poſſunt uti ſedilibus rubris in eccleſiis.*
VI. *Reſpondetur Hermoſill. in prolog. p. 5. n. 112. et Gratian. cap. 210. n. 14.*
VII. *Reſpectu ſedilium in locis licitis datur locus poſſeſſioni, et præſcriptioni.*

DOMINE,

I. NON obſtante, quod ex adverſo allegatur, nequit cognoſci de hoc gravamine; ſiquidem à mandatis, et decretis extrajudicalibus, prout in præſenti, nequit interponi recurſus, quin prius recurrentes oſtendant oppreſſionem, ſeu violentiam, et juris præjudicium, quod recipiunt coram judice, à quo gravamen interponunt, cum hoc ſit medium juris in hoc caſu, ordin. l. 3. tit. 76. verſ. *Porrò*, tradit Leit. de jur. Luſ. tract. 1. q. 6. n. 64. cum ſeq. et n. 85.

Quod confirmatur; quia, ut locum habeat gravamen ex manifeſta, vel notoria violentia, et oppreſſione, duo extrema requiruntur: primum, Quod magis de facto, quam de jure procedatur:

II. Secundum, Quod via ordinaria appellationis, alteriuſve remedii, conquerenti ſuccurri nequeat, ut tradit Creſp. de Valdaur. obſerv. 4. n. 157. ad fin. Portug. tom. 1. c. 31. n. 13. Et eſt pract. et ſtylus obſervatus in hoc judicio non cognoſcendi de gravamine, quando recurrentes habent medium juris, quo uti poſſunt in judicio eccleſiaſtico. Et cum in caſu præſenti recurrentibus non deſunt media juris, quibus poterant, et poſſunt uti, impediendo prius cum exceptionibus decretum, ſeu edictum, quo prohibentur ſellæ reclinatoriæ in eccleſiis, cognitio aſſumi non debet de gravamine interpoſito; et inſuper, quia prædictum decretum, ſeu edictum, eſt conforme conſtitutioni, et diſpoſitioni juris, et cæremonialis; cum, juxta illud, non ſit licitum uti ſellis reclinatoriis in eccleſiis, ut oſtenſum fuit in reſponſione: ac, per conſequens, admiſſo, quod proceſſus in hoc caſu conformis eſt diſpoſitioni juris, et conſtitutionis, dici non poteſt, quod fuit illi de facto, tanquam à privato, ut locus ſit gravamini; ac proinde nec de eo cognoſci debet, cum deſint duo extrema neceſſaria.

III. Nec recurrentes habent poſſeſſionem aliquam, ut conſiderari poſſit ſpolium, et violentia; quia laici non poſſunt præſcribere jus ſedendi in eccleſia, maxime in ſellis reclinatoriis, Themud. 1. p. dec. 51. n. 7. et 2. p. dec. 208. n. 2. et 3. p. dec. 279. n. 11. cum eis directe reſiſtat prohibitio juris, ut optime tradit Poſth. de manut. obſervat. 44. n. 20. et 21. ibi: *Ubi enim manifeſte reſiſtit jus, ſeu admodum vehemens juris præſumptio, non dicitur poſſeſſio, ſeu quaſi, ſed potius iniqua occupatio, quæ nihil occupatori prodeſt; et illa dicitur improba, et non manutenibilis poſſeſſio, quæ eſt contra prohibitionem ſtatuti.*

IV. Et etiam, cum hoc jus ſit incorporale, ſemper conſideratur in recurrentibus mala fides, quæ eis impedit præſcriptionem non oſtendendo titulum legitimum, Maſcard. de probat. concl. 1720. n. 15. 20. 22. et 26. Et cum recurrentes non oſtendant titulum aliquem, neque illum habeant, præter licentiam conceſſam in diplomate, quod eſt temporale, revocabile, et non poteſt præjudicium parere, tempore aliquo, futuro ſucceſſori, et inſuper nec recurrentes poterant

mutare hunc titulum, ex quo eorum aſſerta poſſeſſio initium ſumpſit, non datur notoria violentia, aut oppreſſio, ſicut neceſſe erat, ut locus eſſet gravamini.

V. Sufficiens etiam erat eſſe ſedilia rubra, ut recurrentes illis uti non poſſent, Barboſ. in ſum. Apoſtolicar. collect. 666. n. 12. videndus etiam n. 11. 13, 14, et 15. et laicorum loca, et ſcamna moderari poſſunt arbitrio epiſcopi, Auguſt. Barboſ. de canonic. cap. 34. n. 12. in fin.

VI. Neque obſtat allegatio adducta ex Hermoſil. in prolog. p. 5. gloſſ. 2. n. 112. et 113. Reſpondetur enim, reſolutionem ejus procedere in terminis diverſis, ſiquidem prædictus doctor, aliique ab illo citati, agunt tantummodo de præcedentia, quam debent habere dignitates, et aliæ perſonæ, in ſedilibus, et locis, tam in ſynodo, quam in curiis, eccleſiis, proceſſionibus, actibuſque publicis; et hæc eſt materia, quæ diſputatur in d. gloſſ. 2. n. 1. cum ſeqq. et in ipſis terminis loquitur Gratian. for. cap. 210. n. 40. nulluſque horum DD. nec alii ab eis citati, loquuntur de ſellis reclinatoriis, vulgo, *cadeyras de eſpaldas*; nec dicunt, quod illæ ſint, vel non ſint, licitæ in eccleſiis, ſicut ſcamna; et de præcedentia habenda in ſedilibus licitis, ſcripſit Hermoſill. aliique ab eo laudati.

VII. Et cum aliud ſit habere aliquod ſedile licitum, et in certo loco eccleſiæ, ſicut jus permittit, et aliud ſedere in ſellis reclinatoriis, quas jus reprobat, et prohibet reſpectu ſedilium, et locorum licitorum (quas decretum quidem, à quo gravamen interponitur, non prohibet) poterit dari locus poſſeſſioni, et præſcriptioni; quia poteſt epiſcopus concedere licentiam ad illa; et hi ſunt termini, in quibus intelligendus venit Themud. 2. p. dec. 34. n. 9. et 10. ſecus vero in illicitis, et prohibitis, quales ſunt ſellæ reclinatoriæ. Ex quibus conſpicitur gravaminis excluſio. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXXII.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum à Receptione Appellationis in Effectu devolutivo dumtaxat, emiſſæ à Rejectione Impedimentorum Obreptionis, et Subreptionis, oppoſitorum quibuſdam Bullis.

SUMMARIUM.

I. *In exceptionibus obreptionis, et ſubreptionis, pro impedimentis quibuſvis bullis, ſeu reſcriptis, appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, niſi quando tales exceptiones ſunt deductæ ex eiſdemmet bullis.*

II. *Exceptiones obreptionis, et ſubreptionis, ut impediant executionem, debent continere materiam concludentiſſimam, quæ probari poſſit in continenti.*

III. *Exceptiones obreptionis, et ſubreptionis, quarum materia nequit probari in continenti, non operantur ſuſpenſionem executionis; et earum cognitio debet reſervari ad viam ordinariam.*

IV. *Ad executionem bullarum apoſtolicarum procedi*tur adinſtar edicti, *legis fin. cod. de edict. Div. Adrian.*

V. *Appellatio ab executione bullarum Apoſtolicarum non poteſt facere, quod executio retardetur.*

VI. *Exceptiones, ſeu impedimenta oppoſita ſcripturæ publicæ, quando non ſunt probata in termino legis, licet contineant materiam, quæ probata relevet, debet judex recipere, et condemnare reum exequendo ſuam ſententiam, non obſtante appellatione, aut gravamine.*

VII. *Bullæ Apoſtolicæ habent executionem paratam.*

VIII. *Appellatio à judice delegato Sedis Apoſtolicæ, datur tantum ad Pontificem delegantem.*

IX. *Et in tali caſu neque illa datur ad nuntium.*

X. *Deciſum per decreta lata in ſenatu palatino, debet ſequi; et judicandum juxta illa.*

Domine,

NON poſſum abſque ſcrupulo M. V. non exponere rationes, quæ adhuc mihi offeruntur ad credendum, non feciſſe violentiam recurrenti vicecomiti *Pontis de Lima* in eo, quod ſuam recepiſſem appellationem in effectu devolutivo tantum, ut, ad conſpectum illarum, M. V. quod ſibi viſum fuerit juſtum, jubere dignetur.

I. Prima eſt; quia in exceptionibus recurrentis non opponebatur adverſus prædictas bullas *obreptio, et ſubreptio*, quæ conſtaret ex viſceribus earumdemmet bullarum, ut prædictæ exceptiones reciperentur, ſuſpenſa executione; et, ut appellatio interpoſita haberet effectum ſuſpenſivum, oportebat, quod exceptio oppoſita adverſus illas eſſet hujuſmodi qualitatis, Ameden. de ſtyl. Datar. l. 1. cap. 5. q. 3. n. 98. Ridolphin. in praxi, 2. p. cap. 8. n. 114.

II. Et quanquam prædictæ exceptiones eſſent obreptionis, et ſubreptionis; hoc non erat ſufficiens, ut impedirent executionem bullarum apoſtolicarum, et appellatio haberet effectum ſuſpenſivum; quia debebat etiam illarum materia eſſe qualitatis, quæ fuiſſet probata concludentiſſime in continenti, Mantic. dec. 71. n. 9. et alii; cum quibus Peg. forenſ. cap. 15. n. 147. in fin. ibi: *Quod exceptio ad infringendam proviſionem apoſtolicam debet eſſe concludentiſſima, in continenti probata; alias, dum exceptio eſt dubia, executionem retardare non debet.*

Ridolphin. d. 2. p. c. 8. n. 114. Faria de Covarr. practic. c. 16. n. 9. Themud. 3. p. dec. 40. n. 45. Salg. de reg. protect. p. 4. cap. 7. n. 14. Roſ. de executor. 2. p. c. 15. n. 33.

III. Et recurrens non offert ſe ad probandas in continenti, Salg. d. c. 7. n. 54. quia, ſi obreptio, et ſubreptio oppoſita prædictis bullis non fuerit probabilis in continenti, ſed indiguerit altiori diſſertatione, non impeditur executio bullarum Apoſtolicarum, quæ interim exequi debent, reſervata cognitione obreptionis, et ſubreptionis ad viam ordinariam, Themud. 3. p. q. 10. n. 45. Durand. 1. p. dec. 60. n. 24.

Nec etiam recurrens ſeſe offerebat ad probandam in continenti materiam illorum, nec erat illa probabilis in continenti, ut aſſerebat; quia deducebat, ſe eſſe patronum eccleſiæ S. Pelagii oppidi *dos Arcos*; ideoque eam renuntiari abſque licentia ſua non poſſe; cum ex ipſiſmet actis conſtabat, quod ultimus ſtatus eſſet renuntiandæ, nulla præcedente licentia illius, et ultima proviſio facta eſſet per concurſum; et quod recurrente à ſententia appellante, illa confirmata fuiſſet ab uno judice delegato in epiſcopatu Lamecenſi; et acta penderent per quatuordecim annos in legatia, quin recurrens curet ea expediri; ex quibus jus patronatus recurrentis erat in dubio; quod quidem, ſi fuiſſet clarum, et evidens, tunc tantum poſſet executionem prædictarum bullarum impedire.

IV. Secunda ratio eſt; quia in executione bullarum Apoſtolicarum proceditur *adinſtar edicti*, l. fin. cod. de edict. Div. Adrian. tollend. Ridolphin. in prax. 2. p. c. 8. n. 53. et *adinſtar* obligationis cameralis.

V. In quibus remediis, licet procedatur cum citatione partium, (quæ non requiritur in executione bullarum, non dato poſſeſſore in beneficio) nihilominus non retardatur, nec retardari poteſt executio ſub prætextu appellationis, Menoch. de adipiſcend. remed. 6. n. 35. Amiden. ſupr. lib. 1. cap. 3. n. 33.

VI. Imo ex noſtra ordinatione, cum reus conventus ex ſcriptura publica ſe opponit cum impedimentis, ſi ea non probat in termino decem dierum, quem lex illi permittit, et talis ſint materiæ, quæ, ſi probata fuerit, relevabit à condemnatione, judex ea recipere debet, et condemnare reum, ut ſolvat, et ſententiam ſuam exequi facere, non obſtante appellatione, aut gravamine, ordin. lib. 3. tit. 25. in princ. § *E naõ provando*; cum pluribus, Peg. for. cap. 11. n. 9. Quia executio ſcripturæ publicæ, quæ eam habet paratam, retardari non debet propter exceptiones, quæ altiorem indaginem requirunt.

VII.

VII. Et eodem modo proceditur in executione bullarum Apoſtolicarum, quæ ſimiliter habent executionem paratam, Themud. dict. q. 10. n. 13. Ridolphin. d. 2. p. cap. 8. n. 14. ubi plures, Durand. 1. p. dict. dec. 60. n. 48.

Tertia ratio eſt; quia appellatio interpoſita à recurrente, fuit ad tribunal legatiæ:

VIII. Et cum interpoſita eſſet à me, tanquam delegato Sedis Apoſtolicæ, debebat eſſe ad Summum Pontificem delegantem, cap. *Siquis quæſtion.* § *Porro*, de officio judicis delegat. cap. *Dilecti*, de appellationib. l. 1. et ultim. ff. *Quia*, et *à quo*, l. *Præcipimus*, 32. § *Hæc ſi appellatio*, cod. de appellat. Narbon. de appellat. vicar. ad epiſcop. p. 1: n. 34. Valenzuel. conſ. 194. n. 3. Salgad. de ſupplicat. ad Sanctiſſ. c. 24. n. 14. Scacc. de appellat. c. 3. n. 14. Cevall. de cognit. per viam violentiæ, 2. p. q. 15. n. 1.

IX. Ideoque non erat locus appellationi ad nuntium, ut reſolvit Reinoſ. obſervat. 60. n. 1. Fagnan. ad tex. in cap. *Studuiſti*, n. 28. de officio delegat.

X. Et ita decretum in ſenatu palatino; pro quo ſtandum, et judicandum eſt in hoc judicio coronæ, Barboſ. ad tex. in cap. *In cauſis*, 19. n. 3. de ſentent: et re judic. Arias de Meſ. l. 3. c. 46. n. 6. Ad quorum conſpectum feci, &c.

ALLEGATIO CXXIII.

In Reſponſione ad Chartam rogatoriam Judicii Coronæ, quæ adimpleta non fuit;

SUMMARIUM.

I. *Ad ordinarium loci pertinet prima inſtantia.*
II. *Ex appellatione interpoſita ab ordinario ad metropolim, reſultat confeſſio tacitæ primæ inſtantiæ.*
III. *Epiſcopi in diverſis partibus ſuæ diœceſis poſſunt conſtituere vicarios generales, quando illa eſt magnæ diſtantiæ.*
IV. *A ſententiis vicariorum generalium non datur appellatio ad epiſcopum.*
V. *A ſententiis interlocutoriis vicarii generalis admittitur appellatio ad epiſcopum.*

Domine,

I. HAUD omittere valeo regiæ Majeſtati veſtræ rationem exponere, qua nixus hanc chartam adimplere dubito; quia, ſcilicet, certe, ut mihi videtur, in hoc caſu tres ſententiæ conformes: ſiquidem, ſi ſententiæ auditoris de *Ponte Delgada* inſtantiam non conſtituerat, nec recurrens ab ea conſtitueret, ſtatim ad metropolim appellaret, ſed ad vicarium generalem *de Angra*; nec hic demitteret cognitionem cauſæ, jubendo recipi appellationem ad metropolim; quia non inſtantiam ſententia auditoris faciente, neceſſario in illo epiſcopatu alia ſententia dari debebat à vicario generali; eo quod ille ordinarius privandus non erat prima inſtantia, quæ ei competit, juxta Sacr. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 20. et reſolutionem DD. Cardin. Deluc. ad dict. Conc. n. 6. et de juriſdict. diſc. 68. n. 2. et 11.

II. Ergo, cum recurrens appellaſſet ad metropolim, et vicarius generalis juſſiſſet eam recipi ad ipſam, optime recognitum fuit, ſententiam auditoris feciſſe, ſive conſtituiſſe inſtantiam, et quidem primam; et conſequenter tacita emanavit confeſſio illius, Clericat. de juriſd. diſc. 48. n. 8.

III. Nec implicat, quod, dato vicario generali in civitate de Angra, non poſſit ille conſtitui etiam in *Ponte Delgada*; quia epiſcopi, præcipue ſi diœceſis ſit extenſa, poſſunt conſtituere in partibus illius diverſis plurimos vicarios generales, optime Pelegrin. in prax: vicarial. 1. p. ſeſſ. 2. ſubſect. 5. n. 10. Levt. de vicar. epiſc. cap. 1. q. 32. Cardoſ. in prax. verb. *Cauſa*, n. 16. et de facto in hoc regno cernitur hoc practicatum in variis epiſcopatibus, ut eſt notum, et conſtat ex eodem Cardoſ. n. 18. et hanc quidem juriſdictionem, quam habent ſimiles vicarii generales, habet auditor de *Ponte Delgada*, ut oſtenſum manet.

IV. Hac de cauſa à ſententiis vicariorum non datur appellatio ad epiſcopum; quia ad hunc appellari non poteſt ab illis, cap. 1. et 2. de conſt. in 6. cap. *Romana*, de appellat. in 6. Pelegrin. in d. ſubſect. 5. n. 17.

V. Contra quod non facit, quod conſideratur, ſcilicet, reperiri appellationem ab auditore de *Ponte Delgada*, ad vicarium generalem de *Angra*; quia reſpondetur, quod illa appellatio eſt à quadam ſententia interlocutoria circa receptionem appellationis in utroque effectu: et non eſt mirum, quod in ſententiis interlocutoriis admitteretur appellatio à vicario generali ad epiſcopum, Scacc. de appellation. q. 7. n. 73. ibi: *Reſtringe*, 1. *Ut non procedat, quando appellatur ab interlocutoria; quia tunc poteſt appellari à vicario generali ad epiſcopum*, Narb. de appellat. à vicar. ad epiſc. 1. p. n. 175. ibi: *Primum tunc demum devicario ad epiſcopum provocatio impedietur, quoties à ſententia definitiva appellari contigerit; non vero ab interlocutoria; quia tunc nihil impedit, quominus ad epiſcopum appellatio per viam recurſus à gravamine interponatur.*

Quibus omnibus perſpectis, et attento etiam decreto ſenatus palatini, lato in quodam gravamine interpoſito à vicario generali de *Santarem*, erga efficientiam inſtantiæ, circa quod determinatum fuit, illius ſententiam facere inſtantiam, idem judicandum venit in hoc gravamine, ex eo quod iſte auditor habeat etiam eandem juriſdictionem, ut oſtenſum fuit, reformata charta. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXXIV.

In Reſponſione ad Gravamen interpoſitum ab Expeditione cujuſdam Precatorii Monitorii contra Judicem Relatorem Cauſæ cujuſdam Rei, quo requirebatur, ut ſuperſederet in illa, et remitteret Acta ad agendum de Immunitate.

SUMMARIUM.

I. *Delinquentes confugientes ad locum ſacrum, ut ex illo extrahi poſſint, debent fieri acta de immunitate, etiam in caſibus, in quibus illa non gaudent.*
II. *Precatoria judicis eccleſiaſtici, quibus petitur remiſſio actorum ad immunitatem, de ſtylo generali continent clauſulam cenſurarum.*
III. *Extrahentes delinquentes ab eccleſiis contra formam juris, et eos illis non reſtituentes, incurrunt pœnam excommunicationis.*
IV. *Judex eccleſiaſticus vim non facit procedendo per cenſuras contra judicem ſæcularem, qui non remittit acta, et delinquentem ab eccleſia extractum, ad agendam immunitatem.*
V. *Reſpondetur ad illud, quod ſupponi poteſt ex ordinatione, lib. 2. tit. 5. § 7.*
VI. *Acta immunitatis facta inter judicem eccleſiaſticum, et ſæcularem, non generant præjudicium, ut delinquens poſſit poſtea uti articulis immunitatis.*
VII. *Nec quando delinquens renuntiat immunitati; quia non poteſt ei renuntiare.*
VIII. *Quilibet poteſt favore eccleſiæ, aut delinquentis, pro immunitate poſtulare.*
IX. *Judex ex officio ſuo, et parte non petente, poteſt facere immunitatem.*
X. *Immunitas eſt cauſa pia.*

Domine;

DOMINE,

I. HIC miſer reus D. Rochus Aſſenſus, præterquam quod ductus fuit inſidioſe (cum ſcandalo totius civitatis iſtius) ad eccleſiam cathedralem ſub prætextu concedendæ ei veniæ coram ſanctiſſimo ſacramento, ſed vere, ut juſtitiæ officialibus traderetur, fuit etiam extractus à loco ſacro contra formam diſpoſitam in ordin. lib. 2. tit. 5. § 7. quæ præcipit, quod delinquentes, etiam in caſibus, in quibus immunitate non gaudent, non deducantur à loco ſacro, ſine prævia diligentia ſummaria, qua examinetur, an gaudeant, vel non, tali immunitate? jubendo inſimul, quod aliter non extrahantur ab eccleſia: quæ ord. eſt conformis juri canonico, et communi reſolutioni DD.

Cum autem prædictus reus, poſtquam extractus fuit, plus temporis ſtetit in Domo Puritatis, vulgo *na Caza do Segredo*; et cum eſſet alienigena, non haberet qui pro illo poſtularet; non potuit ſupplicare, ut immunitas ſibi fieret, niſi quando jam factum fuit ſummarium quinque dierum; quo tempore precatorium poſtulavit contra recurrentem judicem relatorem; quod quidem juſſi expediri in forma monitorii, ut quando illud non adimpleret, novem horis, quas pro termino ei aſſignavi, tranſactis, procederetur per cenſuras.

II. In quo ei violentiam non feci; quia hic eſt ſtylus juri conformis, de quo teſtantur Matheu. de re crim. contr. 7. n. 47. ibi: *Quia literæ judicis eccleſiaſtici habeant ex generali ſtylo clauſulam oppoſitionis pœnæ cenſurarum.*

III. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 27. n. 25. Jus enim canonicum comminatur pœnam excommunicationis extrahentibus delinquentes ab eccleſiis, eoſque illis non reſtituentibus, cap. *Noverit*, de ſent. excommunic. cap. *Sicut antiquitas*, cap. *Frater*, cap. *Definivit*, cap. *Miror*, cap. *Quiſquis*, cap. *Siquis contumax*, 17. q. 4. Delben. de immunit. cap. 16. dubitat. 25. n. 9. Farin. de immunit. c. 20. n. 312. Nec dici poteſt, terminum comminationis fuiſſe brevem; quia cum reo delinquenti factum fuiſſet ſummarium quinque dierum, tempus horarum erat ſufficiens, ut remitterentur acta, et fieret immunitas.

Præterquam quod, ſi recurrens declararet, quando ei notificatum fuit precatorium, ſe non dubitare acta remittere ad correctorem, ſive præſidem, ad immunitatem faciendam, non ſolum ei conceſſiſſem plures horas, ſed etiam dies.

IV. Attamen, cum ſcopus præcipuus ſit ad ſententiam procedere cum tanta immunitatis eccleſiæ offenſione, ideo precatorium monitorium non adimplevit, et uſus eſt hoc recurſu, qui minime habet locum in hoc caſu, ut reſolvit Barb. in prax. exigend. penſ. q. 8. n. 42. et ſeqq. Farin. de immunit. q. 22. n. 372. verſ. *Ne facias*, Parlador. rer. quotid. different. 76. § 1. n. 4. Cevall. de cognit. per viam violent. q. 101. n. 5. ibi: *Et judex eccleſiaſticus non facit vim procedendo contra judicem ſæcularem, extrahendo occiſorem, cum debeat fieri immunitas.*

V. Nec recurrens rationem habet in eo, quod dicit, ſcilicet, quod jam non dantur termini, in quibus debet fieri immunitas juxta diſpoſitionem ordinationis dict. § 7. et quod poſſent tantum offerri articuli immunitatis ex § 9. ipſius ord. quia reſpondetur, quod ex dicta ord. non ſequitur concluſio, quam recurrens infert, ut non poſſit fieri immunitas in forma petita in dicto precatorio monitorio; prædicta enim ordinatio adeo eſt in favorem eccleſiæ, ut etiam reſoluto per cognitionem ſummariam, quod eccleſia non favet delinquenti, adhuc poſt hoc diſponit, quod *poſſit carceratus offerre articulos immunitatis*; et hoc non eſt dicere, quod, non habita cognitione ſummaria immunitatis, tempore, quo acta ſint in ſenatu, tantum datur locus offerendi articulos pro delinquente.

VI. Quia eccleſiæ offenſio facta in extractione rei, quolibet tempore habili reparari poteſt; et ei ſatisfieri debet, illo, à quo fuit ſpoliata, integraliter reſtituto: ac proinde ſemper debet fieri ſummaria diſquiſitio immunitatis; et, illa facta, liberum erit delinquenti articulis immunitatis, quod ita colligitur ex reſolutis à Peg. ad ord. dict. lib. 2. tit. 5. § 9. gloſſ. 11. n. 2. Pereir. de reviſion. cap. 100. n. 6.

VII. Nec, nolle carceratum eam fieri, eccleſiæ parere poteſt præjudicium; quia immunitati nec expreſſe renuntiari poteſt à delinquente, Delben. de immunit. cap. 16. dubit. 33. n. 8. Demarin. verſ. 180. per tot.

VIII. Nec quod poſtulata à carcerato, et non à promotore fiſcali, aliquid intereſt; quia certum eſt, quod quilibet de populo eam poſtulare poterat favore eccleſiæ, et delinquentis, Tiraq. de privil. piæ cauſ. privil. 151.

IX. Imo, nemine petente, poteſt eam judex facere, Tiraq. privil. 142. Oton. Phelipp. de offic. jud. p. 1. concluſ. 6. § 1. Oliv. dict. q. 27. n. 37.

X. Quia cauſa non ſolum eccleſiæ, ſed etiam carcerati, eſt pia, Paz. in prax. 5. p. tom. 1. c. 3. § 3. n. 182. Quare gravamen non intuli. Attamen, &c.

ALLEGATIO CXXV.

Sive Conſilium præſtitum in Conſultatione circa Immunitatem factam Rocho Aſſenſo capto in Atrio Eccleſiæ metropolitanæ Olyſſipponenſis, An. 1714. propter Homicidium Petri Ampuero.

SUMMARIUM.

I. *Licet crimen ſit ex exceptis, ſi illud non fuerit probatum concludenter, captus ob illud in ſacro, gaudet immunitate.*

II. *Acta facta poſt indebitam extractionem rei à loco ſacro, ſunt irrita; et omnia reponi debent in priſtino ſtatu.*

III. *In homicidio non proditorio gaudet reus immunitate.*

IV. *Proditorium homicidium non dicitur, niſi committatur ſub colore amicitiæ.*

V. *Homicidium commiſſum ab inimico, non eſt proditorium.*

VI. *Licet ſit commiſſum à tergo.*

VII. *Licet ex ord. lib. 2. tit. 5. § 4. ſatis ſit, quod committatur homicidium ex animo, ut occiſor non gaudeat immunitate; attamen, ſecundum bullam Gregor. XIV. requiritur etiam, quod committatur proditorie.*

VIII. *Reſpondetur prædictæ ordination. lib. 2. tit. 5. § 4.*

IX. *Leges ſæculares non poſſunt diſponere in materia immunitatis, nec eam reſtringere ad caſus pauciores, quam jus canonicum.*

X. *Gabr. Pereir. refutatur, quatenus vult defendere prædictam ord. ex concordantiis.*

XI. *Principes et miniſtri ſæculares nequeunt non obſervare prædictam bullam Gregorianam ſub prætextu non acceptationis illius in regno.*

XII. *Et multo minus ſub prætextu conſuetudinis in contrarium.*

XIII. *Ductus ad eccleſiam, vel ſponte in ea comparens ad aliquid agendum, non poteſt ab illa extrahi.*

I. REO D. Rocho Aſſenſo in atrio eccleſiæ cathedralis hujus civitatis propter homicidium commiſſum in D. Petrum Ampuero, ſuffragari immunitatem eccleſiaſticam indubitabile videtur; quia quando reus captus fuit in loco ſacro, adhuc contra illum non erat probata mors legaliter, ſed tantum per quædam indicia levia, quæ non poterant concludere, illum eſſe homicidam; et, non data probatione in contrarium, gaudet reus immunitate, licet crimen ſit exceptum, ut præter diſpoſitionem bullæ Gregorianæ, § *Quoque delinquentes*; ibi; *An ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſerint*; indicatum tradit Phœb. 1. p. areſt. 162. Oliv. de for. eccleſ. q. 17. n. 23. Farin. lib. 1. conſ. 76. n. 3. Ciarlin. lib. 1. cap. 10. n. 61.

II.

II. Et quamvis per interrogatoria, reo facta poſt capturam, probetur illum eſſe homicidam; attamen hæc probatio irrita evaſit, et nullius vigoris; quia poſt rei extractionem indebitam ab eccleſia, nequit judex ſæcularis facere in illum aliquem actum judicialem, qui non ſit nullus, et reponi non debeat in ſtatu, in quo inveniebatur ante capturam, Peg. ad ordin. lib. 2. tit. 5. § 9. n. 30. Delben. de immunitat. cap. 16. dubit. 34. Farin. de immunit. cap. 2. n. 56. Ciarlin. l. 2. cap. 162. n. 12. ac proinde nulla extitit confeſſio rei, Ciarlin. dict. c. 162. n. 12. Sperell. dec. 48. n. 64.

III. Dato tamen, et non conceſſo, quod contra reum legitime probatum extitiſſet homicidium, adhuc in eo caſu deberet ille gaudere immunitate eccleſiæ, quia tale homicidium non fuit proditorium, pro quo tantum non juvat immunitas, juxta bullam Gregorii XIV. quæ incipit, *Cum alias*, apud bullarium, tom. 2. ibi: *Aut qui proditorie proximum ſuum occiderit*; Farin. de immunit. cap. 7. n. 11. et 13. et lib. 2. conſilior. conſil. 168. n. 68. Ciarl. controv. for. lib. 2. cap. 151. n. 19. Delben. de immunit. c. 16. dubit. 20. ſect. 7. à n. 1. Jul. Capon. tom. 4. diſcept. 253. n. 17.

IV. Quod prædictum homicidium non fuiſſet proditorium, oſtenditur; quia, ut detur homicidium proditorium, neceſſe eſt, quod committatur ſub colore amicitiæ; proditor enim dicitur proprie, *qui aliud gerit in opere, aliud in corde*, Bartol. in l. *Reſpiciendum*, § *Delinquunt*, ff. de pœn. Delben. de immunit. dict. c. 16. dubit. 20. ſect. 5. n. 2. Ciarl. dict. c. 151. n. 19. Grat. for. c. 380. n. 39. Guiſarel. dec. 16. n. 6. Optime Peg. ad ord. lib. 2. tit. 5. § 4. n. 18. tom. 8. Sperell. dec. 23. à n. 6. et ſeqq. Farin. dec. 713. n. 15. et 16. Deluc. n. 1. Giurb. conſ. 20. n. 13.

V. Et conſtat, quod reus non ſolum non erat amicus defuncti, ſed erat illius inimicus capitalis; quia defunctus illi impoſuit falſum crimen latrocinii, de quo innocentem ſe oſtendit; et poſtea nolebat ei ſolvere ſuum ſalarium, arguendo ipſum falſo de proditione: in quibus terminis, licet eum occidiſſet, nequit ſimile homicidium judicari proditorium, Bart. in l. *Reſpiciendum*, ff. de pœn. Peg. ad ord. lib. 2. tit. 5. § 4. n. 18. Clar. in § *Homicidium*, Delben. de immunit. p. poſterior, cap. 16. dub. 20. ſect. 5. per tot. Sperell. dec. 23. per tot. Ciarl. lib. 2. cap. 151. n. 23. Frances Paſtoral. regular. p. 3. vot. 6. n. 6. Gratian. for. cap. 380. n. 39. Giurb. conſ. 20. n. 12. et conſ. 60. n. 4. et 5. et conſ. 100. n. 7. Capon. diſcept. 253. n. 17. Cabal. de omn. gener. homicid. n. 395.

VI. Quod procedit, licet eum occidiſſet a tergo, et ſclopo, Deluc. ad Franch. dec. 713. n. 4. Grat. dict. cap. 380. n. 38. Capon. dict. diſcept. 253. n. 17. verſ. *Reſpondeo*; Paz in prax. p. 5. cap. 3. § 3. n. 116. et 117. Peg. dict. § 4. n. 18. Farin. de immunit. cap. 9. n. 114. Covarr. var. lib. 2. cap. 20. n. 7. verſ. *Tandem his*; Giurb. conſ. 100. n. 8. Quæ opinio, ultra quod ſit communis, probata extat à Pontifice Clem. VIII. die 6. Februar. anno 1597. ut refert Januenſ. in prax. epiſcoporum Neapolit. c. 76. Farin. d. c. 9. n. 143. ad med. Giurb. conſ. 100. n. 9. Peg. dict. § 4. n. 17. ubi plures refert.

VII. Et quamvis dicatur, quod prædictum homicidium, licet non fuiſſet proditorium, fuit ſaltem deliberatum ex induſtria, ac *de propoſito*, ut aiunt, ac proinde non juvatur ex immunitate, juxta ord. lib. 2. tit. 5. § 4. attamen reſpondetur, quod non ſolum juxta bullam Gregorii XIV. ſed etiam ſecundum jus canonicum, non ſufficit eſſe homicidium deliberatum, et ex animo commiſſum, ut non detur locus immunitati; ſed neceſſe etiam eſt, eſſe proditorium; et ſic DD. intelligunt verba text. in cap. 1. de homicid. videlicet, *per induſtriam, et per inſidias*, Farin. dict. conſ. 168. n. 68. ibi: *Quatenus verba*, per induſtriam, et per inſidias, *exponuntur per proditionem*, Covarr. var. lib. 2. cap. 20. n. 7. verſ. *Tandem his*; Boer. dec. 109. n. 5. Menoch. de arb. caſ. 361. n. 27. Franch. dec. 713. n. 18. cum plurib. Sperell. dict. dec. 23. n. 18. Gonſal. ad tex. in cap. 1. de homicid. n. 2. Giurb. conſ. 100. n. 10. Ideoque DD. communiter reſolvunt, quod homicida, qui homicidium committit deliberate, et ex animo, gaudet immunitate eccleſiaſtica, Cevall. commun. contra commun. q. 684. n. 2. Faria ad Covarr. var. lib. 2. c. 20. n. 77. Fagnan. ad tex. in cap. *Inter alia*, à n. 45. et ſeqq. Paz in prax. d. cap. 3. § 3. n. 131. Giurb. conſ. 10. ſub n. 19. et conſ. 100. n. 18. Guazin. de defenſ. reor. defenſ. 1. c. 37. n. 69. verſ. *Quæ ampliatio*; Farin. de immunitate, cap. 7. n. 111. Delben. de immunit. c. 16. dubit. 20. ſect. 7. n. 1. Ciarlin. contr. for. lib. 2. d. cap. 151. n. 9.

VIII. Nec obſtat ord. in dict. § 4. quia hæc fuit nova recopilatio ord. antiquæ, et nihil amplius fecit, quàm tranſcribere ab illa diſpoſitum in lib. 2. tit. 4. § 3. ſcilicet, *Quod quiſquis ex animo, aut inſidioſe, commiſiſſet aliquod delictum grave, licet ad eccleſiam confugiſſet, ab illa defenſus*: quæ ord. antiqua certum eſt quod copiata fuit ante bullam Gregor. XIV. et in tempore, quo controverſa erat intelligentia cap. 1. de homicid. ac proinde quæſtionabile de jure communi; *An homicidium deliberate, et ex animo, commiſſum, gauderet immunitate eccleſiaſtica?* Peg. ad dict. ord. § 4. n. 23. et 30. in qua quæſtione prædicta ord. ſecuta fuit tunc opinionem negativam, quæ jam nequit prævalere poſt prædictam bullam, ut bene recognovit Peg. ad dict. § 4. n. 3. ibi: *Deinde reſpondemus, quod, licet contraria ſententia antiquitus communis eſſet; hodie tamen jam ab aula receſſit, et recedere debet poſt publicam bullam Gregor. XIV. poſt quam omnes tenent, homicidam deliberatum ex propoſito, et præmeditatum, gaudere beneficio immunitatis, niſi ſimul probetur proditio.* Et quamvis nova ordinatio edita fuit in lucem quatuor annis poſt bullam Gregorian. attamen, cum ad recopilationem, et prælum, neceſſe erant aliqui anni, indubitabile redditur, quod prædicta diſpoſitio ordin. antiquæ ideo remanſit, quia nondum nota erat bulla, cum ordinarie notitia non perveniat ad partes ultramontanas, niſi tranſacto longo tempore; ſiquidem veriſimile non eſt, quod prædicta lex conſervaret diſpoſitionem contrariam bullæ, et juri canonico per illam explicato, quam non poterat facere in hac materia, in eodem tempore, quo, in fine § ejuſdem in alio caſu, jubet, quod in illo gaudeatur immunitate eccleſiaſtica, *Cum ita ſtatutum ſit per jus canonicum.* Et ita debet conciliari hæc ordinatio, ut intelligatur, non diſpoſuiſſe nulliter; leges enim ſemper interpretandæ ſunt, ut minus lædant jus commune, cum Valenzuel. et Caſſan. Roſ. conſ. 48. n. 31.

Et, dato, quod prædicta ord. diſpoſuiſſet contra bullam Gregorianam, in hoc caſu attendibilis non erat ejus diſpoſitio; quia in materia immunitatis eccleſiaſticæ ſolum ſequendum eſt jus canonicum, et non civile, quando unum contrarium eſt alii, Farin. de immunitate, n. 27. ibi: *Ut in materia immunitatis eccleſiaſticæ jus canonicum, et non civile, ſervandum eſt, quando unum alteri contradicit*, ubi plures refert, Sperell. dec. 59. n. 32. Covar. var. l. 2. cap. 20. n. 3. et ibi Faria, n. 24. Barb. de exigend. penſ. q. 8. n. 50. Cevall. de cognit. per viam violent. q. 5. n. 12. et 13.

IX. Quia aut prædicta immunitas proveniat à jure divino, ut quædam opinio tenet, aut à jure poſitivo eccleſiaſtico, ut altera ſequitur, ſemper veritas eſt, quod nullo modo circa illam diſponere poſſunt leges ſæculares, nec eam reſtringere ad pauciores caſus, quam à jure canonico ſunt ſtatuti, Peg. ad dict. § 4. à n. 32. et ſeqq. Fagnan. ad tex. in cap. *Interalia*, de immunit. eccleſ. n. 38. Gonſal. ad tex. in cap. 1. de homicid. n. 2. in fin. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. q. 27. n. 18. Farin. de immunit. n. 25. et 26.

X. Et attendibilis non eſt defenſio prætenſa prædictæ ord. fundata in concordantiis factis inter dominos reges hujus regni, et clerum, et confirmatis auctoritate apoſtolica; quia juſte admiratur Oliv. de for. eccleſ. q. 26. n. 39. quod quidam auctor tam eximius, qualis eſt Gabriel Pereir. velit defendere ordinationes ex concordantiis, quæ nihil loquuntur in materia diſpoſitionum prædictæ ordinationis; ſiquidem, viſis concordantiis, non invenietur fundamentum aliquod ad diſpoſitionem dictæ ordinationis: ergo male defendi poteſt ex concordantiis, quæ non reperiuntur inter illas, quæ à prædicto auctore adducuntur in lib. 1. de man. reg. et cum bulla Gregoriana excipiat tantum *homicidium proditorium*, ut reſpectu illius non

juvetur immunitate, extendi non poteſt ad alios caſus, licet ſimiles; tum quia exceptio fit à Pontifice per modum formæ; ibi: *Ad unam tantum formam reducimus*: ac proinde nec augeri poteſt, nec minui; tum quia dictio *tantum*, qua Pontifex utitur, excludit omne aliud, quod in illa non invenitur expreſſum; et ex aliis quamplurimis rationibus, quas docte, et diffuſe congerit cum multis DD. Giurb. conſ. 60. à n. 10. et ſeqq.

Nec recurri poteſt ad illud, quod bulla Gregoriana non invenitur practicata in hoc regno; ac proinde non poteſt in eo vim aliquam obtinere; quia reſpondetur cum communi opinione DD. quod dicta bulla eſt jus notorium, et univerſale ſtatutum à Pontifice, ad quem tantum pertinet declarare jus divinum.

XI. Ideoque non eximuntur principes, et miniſtri ſæculares, ſub prætextu illo, *quod non ſit illa recepta*, Peg. § 4. n. 34. Ciarlin. lib. 2. cap. 151. n. 10.

XII. Multo minus recurri poteſt ad conſuetudinem contrariam non ſervatæ immunitatis in homicidio deliberate, et ex propoſito commiſſo; quia, data etiam tali conſuetudine, ſequenda eſt opinio pro immunitate ſtans; omnis enim conſuetudo præjudicialis eccleſiæ, et immunitati, eſt nulla, Fagnan. ad tex. in cap. *Inter alia*, de immunit. n. 50. cum plurib. Delben. cap. 16. dub. 6. n. 22. imo magis dicitur *abuſus*, et *corruptela*, quam *conſuetudo*, Fagnan. ſupra, n. 94. Farin. de immunit. n. 14. et 95.

Et, quoad me, indubitabilius eſt juvari debere immunitate reum noſtrum, ob modum, quo ductus eſt ad eccleſiam, et captus in illa; ſiquidem toto huic populo eſt notum, et probatur ex ſummario formato ad inſtantiam doctoris promotoris hujus judicii, quod à duobus Caſtellanis proditorie ductus ad cathedralem hujus civitatis ſub prætextu fœderis ineundi cum altero eorum, ejus inimico, coram ſanctiſſimo ſacramento, cum aliter nollet confidere illi, niſi juramento promiſiſſet non occidere eum: et hac proditione inſidioſa duxerunt eum ad dictam eccleſiam, monita parte, et factis ſignis officialibus juſtitiæ, ut eum caperent, quod alias non conſequerentur; confugerat enim ad locum, qui nonnunquam plus reverentiæ ſolet obtinere, quam ipſa eccleſia: et ſi proditio efficit, quod non ſuffragetur immunitas eccleſiæ; quomodo prævalere poteſt illa ad hoc, ut reus capiatur in eccleſia, ubi ductus fuit, ut probatur, proditorie ad capiendum, in tam gravem offenſionem, et injuriam illius, quando, ut immunitati ſit locus, ſufficiat, ductum eſſe reum ad eccleſiam, ut ibi peragatur aliquis actus? Fagnan. ad tex. in cap. *Inter alia*, de immunit. n. 91.

XIII. Unde ſiquis ductus ad eccleſiam, vel ad palatium epiſcopi, vel ſponte ibi comparens ad ſubjiciendum ſe examini, vel ſe defendendum, diceret, Ego nolo hinc exire, ſed volo frui eccleſiæ immunitate, utique extrahi non poſſet invitus.

Unde ſequitur, quod multo magis frui debet immunitate, qui ductus fuit ad eccleſiam proditorie, et ex propoſito, ut ibi caperetur. Denique, ſi certum eſt, quod reus, qui violenter, et doloſe extractus fuit ab eccleſia, ut extra illam capiatur, gaudet in hoc caſu immunitate eccleſiæ, ut reſolvit Frances de compet. q. 94. n. 6. et communiter DD. ergo etiam, ſi violenter, et doloſe, ductus fuerit ad eccleſiam, ut ibi capiatur, ut contigit noſtro reo, debet gaudere immunitate, quia in utroque caſu fit irreverentia eccleſiæ. Itaque ob iſtius omnes rationes cenſeo, quod reus gaudet immunitate eccleſiæ, et ibi debet manere. Ulyſſipon. Oriental. Mart. 10. 1714.

ALLEGATIO CXXVI.

In Recurſu interpoſito à Rejectione cujuſdam Exceptionis Rei judicatæ in Materia Venditionis ſimoniacæ, et nullius, Juris Patronatus.

SUMMARIUM.

I. *Jus patronatus eſt invendibile.*
II. *Si vendatur principaliter, venditio eſt nulla, et ſimoniaca.*
III. *Limitatur, quando acceſſorie fuerit facta venditio patronatus; ſi, ſcilicet, fuerit annexus majoratui, aut capellæ venditæ.*
IV. *Ad judicium eccleſiaſticum pertinet cognoſcere, an venditio patronatus fuerit ſimoniaca, cum ſit cauſa mere eccleſiaſtica.*

DOMINE,

I. JUS patronatus principaliter eſt invendibile, cap. *de jur. patronat.* et ibi Gonſal. n. 2. Barb. n. 1. Oliv. de for. eccleſ. 1. p. cap. 7. n. 27. Fargna de jur. patron. 2. p. can. 13. addit. ad Rott. recentior. p. 9. dec. 46. n. 1.

II. Et, ſi vendatur principaliter, eſt nulla, et ſimoniaca venditio, Vivian. de jur. patronat. p. 1. l. 4. cap. 1. n. 7. ibi: *Si in venditione ſpecificaretur, et exprimeretur jus patronatus, eſſet contractus ſimoniacus, et nulla venditio.*

Rotta recentior. p. 9. addit. ad dec. 46. n. 21. Lambertin. de jur. patronat. lib. 1. 2. p. q. 5. n. 1. et 2. Grat. for. cap. 110. Cardin. Deluc. de jur. patron. diſc. 56. n. 18.

III. Et ſolum quando patronatus eſt annexus proprietati, majoratui, aut capellæ, vendita illa, acceſſorie vendi poteſt jus patronatus, nulla facta mentione venditionis patronatus, dict. addit. ad Rott. dec. 46. n. 22. ibi: *In tantum jus patronatus tranſit cum re vendita, in quantum nihil derogatur in emptione; quod ſine dubio ceſſat, dum principaliter, ſeu per copulam, exprimitur jus patronatus.*

Vivian. de jur. patronat. dict. cap. 1. n. 11. Pirrh. Corrad. in prax. benefic. lib. 4. cap. 5. n. 42. et 43. Lambertin. lib. 1. artic. 2. et 5. q. princip. 2. p. n. 18. ibi: *Sed ego indiſtincte teneo, nullo modo jus patronatus tranſire in emptorem univerſitatis, ſi exprimatur.*

IV. Et cum in actu ſubhaſtationis principaliter venditum fuiſſet jus patronatus capellæ, nulla, et ſimoniaca extitit ſubhaſtatio; ideoque rite eam judicavi pro tali; ad judicium enim eccleſiaſticum privative pertinebat judicare, an in prædicta ſubhaſtatione ſimonia invéniretur, cum hæc materia ſit mere eccleſiaſtica, cum pluribus, Cortiad. tom. 3. dec. 181. à n. 9. Angel. de delict. 1. p. cap. 119. n. 4. Quod adeo recognovit recurrens, ut cum judicaretur pro non probata exceptione, quam in judicio patriarchatus allegavit, rei judicatæ non intentavit hoc gravamen, ſed appellavit à ſententia; et nunc, in tertia inſtantia, utitur illo abſque ullo fundamento. Quapropter gravamen ei non feci. Attamen, &c.

ALLE-

ALLEGATIO CXXVII.

In Consultatione pro Causa quadam Majoratus, juxta quod Consilium ex Partium Conventione judicatum est; ab eodem A. Latino Idiomate tradita.

SUMMARIUM.

I. *Status causæ.*
II. *Emphyteusis ecclesiastica regulariter non est transitoria ad extraneos.*
III. IV. *Emphyteusis transitoria non est utilis ecclesiæ.*

I. IN hac causa emphyteutica, quæ magni ponderis esse non dubitamus tum ratione quæstionis, quæ est de apicibus, tum ratione emphyteusis, de qua agitur, cum sit magni valoris, in qua, in hac tertia instantia, duo luminaria magna juris scripsere, unum in confirmatione sententiæ primæ instantiæ, alterum pro confirmatione sententiæ secundæ; cogimur judicium nostrum proferre: quis pacem ponet inter hos doctissimos dissidentes? Manu diligentissima discutienda sunt, quæ impræsentiarum veniunt resolvenda, et circumspectione magna attendenda, quæ tam docte, et argute, pro utraque parte dissidentes conjudices propugnant. Ancipites diu fuimus, cui adhærendum; at quamvis dominus assessor jurisprudentiæ præclarissimum lumen, egregie, ac elaboratissime, materiam pertractet, cum sua resolutione noster intellectus tranquille quiescere non valet; imo aculei conscientiam pungunt, ut cum domino auditore, ingenii, et doctrinæ præstantia nunquam satis laudando, conveniamus; sed quia ipse facem posuit quæstionibus, nos spicas recolligendo post terga diligentissimi messoris, breviter veritatem indagabimus.

II. Indubium est, nos versari in emphyteusi ecclesiastica, quæ regulariter non est transitoria ad extraneos, § *Emphyteusim*, in authent. de non alienand. Coccin. tom. 4. decis. 1888. n. 3. Samaniat. contr. 52. et 16. cum plurib. Rocc. disp. 66. n. 8. Capyc. Latr. decis. 70. n. 80. et in dubio talis judicari debet, dum aperte ex verborum, et clausurarum prægnantia, ac aliis circumstantiis, non constat de diversa partium voluntate, Vella differt. 15. n. 35. Peg. 3. for. cap. 28. n. 14.

Attentis investituris, à quibus emphyteusis recipit formam, l. 1. 2. et 3. cod. de jur. emphyt. Capyc. Latr. dict. dec. 70. n. 25. aperte demonstratur, nos versari in emphyteusi de pacto, et providentia: licet enim non implicet, emphyteusim esse ecclesiasticam, et tamen esse mere hæreditariam, ut, adductis pluribus decisionibus, resolvit Cardin. Deluc. de jur. emphyt. disc. 32. n. 4. attamen in præsenti casu contrarium manifeste patet: nam investitura, fol. 133. facta, canonico Ludovico Annes de Loureyro, in qua fortiter se firmat auctor, sic se habet:

> *Encartamos nos todos juntos novamente ao dicto Luis Annes da dicta possessao de villachan do monte, com dous cazaes em* Cornhes, *e hum em* Roytar, *que sam da pertençaô da dicta possessam para elle, e duas pessoas depois delle, nomeando elle dicto Luis Annes em sua vida, ou à hora de sua morte, ea segunda nomeara a terceira.*

Ultra quod dictæ investituræ fides vacillat ob defectus, de quibus in perorationibus, fol. 330. et 331. sufficientes ad hoc, ut ipsæ investituræ auctoritas admittatur, clare constet non esse primam investituram, sed renovationem: unde præcessisse primum titulum, est indubitabile; et cum non appareat, et emphyteusis sit ecclesiastica familiaris, seu de providentia, reputari debet, quæ est regularis natura emphyteusis ecclesiasticæ, Fragos. de regimin. 3. p. l. 6. disp. 9. § 19. n. 1. Valasc. dec. 175. n. 6. quia accipi debet emphyteusis eo modo, ut citius, quam fieri possit, ad ecclesiam redeat, Fragos. d. § 19. n. 1. in fin. et in dubio emphyteusis ecclesiastica non præsumitur hæreditaria, Covar. var. lib. 2. cap. 18. vers. 8. Fulgin. de controvers. emphyteus. quæst. 1. n. 7.

III. Siquidem emphyteusis transiens ad extraneos, non potest esse utilis ecclesiæ, Ciarlin. p. 1. controv. 8. n. 17. Ricc. tom. 1. resolut. 10. n. 1. versicul. *Limita*; et emphyteusis debet stricte intelligi, tum ob naturam stipulationis, l. *Quicquid astringendæ*, 99. ff. de verbor. obligatione; tum ecclesiæ favore, Faria ad Covar. cap. 17. n. 8. propterea fit semper restrictio ad terminos habiles, nec extranei comprehendantur, Ciarlin. l. 1. contr. 6. n. 25. Insuper, cum in dict. investitura investitus fuisset canonicus Ludovicus Annes, non habens liberos, quamvis magis antiqua fuisset concessa pro liberis, et nepotibus, nunquam talis forma investituræ factæ, clerico poterat adaptari; ideo verificari debeat eo modo, quod potuit.

Nos versari in emphyteusi de pacto, et providentia, clarius demonstratur ex investitura facta Ludovico Annes de Loureyro seniori anno 1499. quæ reperitur in processu, fol. 357. cum qua cætera concordant, in qua sunt hæc verba:

> *Dizemos que nos praz de lhe innovar as dictas possessoes hora novamente para elles, e duas pessoas depois delles; a saber para hum seu filho, ou filha, neto, ou neta, de entre ambos; e naô havendo a hy filho, nem filha, nem neto, nem neta, para duas pessoas de pois delles, a saber, que opostremeyro nomeara a segunda, ea segunda nomeara a terceira.*

IV. Concessionem factam pro filiis, et nepotibus, efficere emphyteusim de pacto, et providentia, concorditer decernunt DD. ita Rocc. resolut. jur. vol. 1. cap. 63. et 64. Fulgin. de contract. emphyteus. q. 1. n. 16. quod potest aliquod dubium excitare, est potestas nominandi data investitis in defectu filiorum, et nepotum; attamen hæc potestas non mutat naturam emphyteusis; semper remanet de pacto, et providentia familiaris; ultra DD. adductos à sapientissimo auditore, in suo doctissimo voto, vers. *Objectum*, resolvunt Peg. 3. for. cap. 28. n. 429. in fine, et 727. et 985. Barb. vot. 65. n. 25. Marinis, l. 1. resol. cap. 305. n. 7. Bichius dec. 483. n. 11. et 12. quia facultas nominandi deficientibus filiis, et nepotibus, intelligitur in personis de generatione, et non in extraneis, Peg. dict. cap. 28. 987. et 2. for. cap. 10. n. 75.

Nec talis facultas potest influere, ut emphyteusis sit liberæ nominationis, et transitoria ad extraneos; alias daretur in eadem investitura nimis exorbitans contrarietas, et repugnantia, dum, in una parte, denegaretur transitus in quoscunque extraneos; in alia parte, et in continenti, admitteretur transitus in extraneos; quæ repugnantia nullatenus est ferenda, Rott. coram Merlin. transcript. à Marin. d. tom. 1. resolut. cap. 305. n. 7. Peg. d. cap. 28. n. 986. Pacion. de locat. cap. 53. n. 79. Decius conf. 500. n. 6.

Nec urget investitura magis antiqua facta canonico Ludovico Annes de Loureyro, de qua dict. fol. 133. concessa pro se, et duobus personis successive nominandis, ex qua natura emphyteusis transitoriæ ad extraneos arguit actor, quam formam in revocationibus subsequentibus firmat, non posse mutari, vel alterari, quia nullius subsistentiæ videtur: respondetur namque non solum ex his, quæ diximus in principio hujus deliberationis, sed etiam, quod natura emphyteusis certe potest mutari, et alterari in renovationibus, quando dominus directus, et ille, qui accipit renovationem, consentiunt, si non sit in præjudicium ecclesiæ, Pinheir. de emphyteus. disp. 7. sect. 4. n. 65. Peg. dict. cap. 28. n. 992. Mant. de tacit. l. 23. cap. 2. n. 22. Pacion. de locat. d. cap. 53. n. 105. Bicchius, dec. 617. à n. 11. et seqq. Samaniat. dict. controv. 3. n. 28. Rocc. disp. jur. cap. 67. n. 43. Cald. de renovat. q. 3. n. 20. Et, dato, quod possit considerari alteratio, et mutatio in subsequentibus investituris, est utilis ecclesiæ, cum ipsius interest pauciores esse investitos, Samaniat. dict. controv. 3. n. 28. Rocc. cap. 65. n. 18.

In

In contrarium non faciunt auctoritates adductæ in petitionibus actoris à fol. 487. quia procedunt in receſſione, et mutatione in præjudicium eccleſiæ; videlicet, ſi erat conceſſa ad tres vitas, non poteſt ſine beneplacito apoſtolico, et aliis ſolemnitatibus, concedi ad plures; vel, ſi conſueverat dari tantum perſonis alicujus familiæ, non poteſt concedi pro extraneis; et talis alteratio, et mutatio eccleſiæ præjudicialis non poteſt fieri in renovationibus; ſecus, quando eſt eccleſiæ utilis, ut cum pluribus reſolvit Pacion. d. cap. 53. n. 105.

Ideo, quin attendatur inveſtitura facta anno 1564. Ludovico de Loureyro juniori, de qua in proceſſu, f. 145. in qua facultas nominandi reſtringitur ad unum de familia, quam inveſtituram actor nervoſe conatur avertere, tam ex revocatione clauſulæ additæ, poſtea ſubſecuta, quam ex alteratione inveſtiturarum præcedentium, ſemper inſpectis aliis inveſtituris, emphyteuſis remanet intranſmiſſibilis ad extraneos, ut manet probatum.

Attamen nobis videtur, ut jam diximus, dictam veſtituram ab aliis non diſcordare; nec illam enervare poſſunt objectiones actoris; quia revocatio ſubſecuta, dato, ſed non conceſſo, quod fuiſſet juridica, quod totaliter negamus, non poterat præjudicium generari juri quæſito familiæ, nec ipſius damnum retrotrahi, Urſeol. conſult. forenſ. cap. 92. n. 13. Durant. dec. 463. n. 7. nec apparet nova conceſſio priori reclamatæ contraria.

Nec in dicta inveſtitura reperitur alteratio, ſeu mutatio inveſtituræ præcedentis factæ Ludovico ſeniori, ſiquidem inſiſtimus in eo, quod emphyteuſis in antecedenti inveſtitura jam erat ex pacto, et providentia; ac ſic reſtrictio nominationis ad unum de familia fuit tantummodo declaratio anteactæ inveſtituræ ad radicitus extirpandam aliquorum doctorum diſcordantem opinionem; et non eſt novum, quod in ſimilibus emphyteuticis conceſſionibus, etiam eccleſiaſticis, talis declaratio ponatur ad vitandas lites, quæ oriri poſſunt, cum pluribus, Samaniat. controv. 3. n. 31. et 32. Sed, dato, et non conceſſo, quod talis reſtrictio eſſet vere mutatio, cum reſultaret in utilitatem eccleſiæ, fieri poterat conſentientibus partibus; ut ſupra manet probatum, et firmatum.

Nec tandem obſtat facultas nominandi in defectu filiorum, prout ſibi placuerit, data in renovatione facta Emmanueli Machado, ſeu de Figueyredo Machado, anno 1680. de qua in actis, fol. 65. ſiquidem dicta renovatio fuit nulla, ex eo, quia fuit extraneo de emphyteuſi familiæ, Duran. dec. 431. n. 6. et eo ipſo, quod facta fuit extraneo per capitulum, ſtatim acquiſitum fuit jus prælationis proximioribus ad hoc, ut dicatur ipſis debita inveſtitura, cum eiſdem pactis conventis in antiqua inveſtitura, et juxta illius formam, et non alio modo, Dunoſet. Sevirior. dec. 453. n. 6. et 7.

Demum ad tranſitum de una familia in aliam ad ſubſtationem pro debito cujuſdam emphyteutæ, denique ad facultatem alienandi, præcedente conſenſu domini directi, ita docte, ac formiter, reſpondetur à ſapientiſſimo domino auditore in ſuo aureo voto, quod nihil occurrat addendum: unde, cum liquido conſtet actorem eſſe extraneum, reumque ex familia Laureana, in qua poſtquam ingreſſa eſt emphyteuſis, de qua agitur, non fuit egreſſa ad extraneos per ſpatium annorum aptum ad præſcribendum, ideo cum doctiſſimo domino auditore convenimus in renovatione ſententiæ ſenatus Bracharenſis, et confirmatione ſententiæ primæ inſtantiæ, Ulyſſipone, 4. Septembris 1713.

Aliud Judicium ejuſdem,

In arbitrio juriſdictionis in judicem capitularem Sedis Ulixbonenſis, et judicem Apoſtolicum,

Ad validitatem cujuſcunque reſcripti requiritur expreſſio judicis, à quo appellatur, cap. *Ex literis*, de dolo, et contumac. cap. *Inter monaſterium*, juxta notat. ibi per Hoſtient. column. 4. poſt medium, tenet etiam cum Abbat. Felin. in cap. *Super literis*, de reſcript. n. 12. Menoch. de arbitr. lib. 2. controv. 3. caſ. 202. n. 34. Roſa de executoribus, p. 2. cap. 2. n. 18. Levren. ad jus canonic. lib. 1. tit. 3. de reſcript. quæſt. 275. n. 1. in fin. Quintilian. Mandoſ. in formul. commiſſ. 9. fol. mihi, 57. in fine column. 2. et præ omnibus Marcheſan. de commiſſ. 1. p. cap. 5. n. 40. fol. mihi, 198.

In impetratione reſcripti, de quo agitur, non ſolum deeſt expreſſio judicis, à quo, ſed falſo fuit expoſitum, appellatum fuiſſe à tribunali curiæ archiepiſcopalis Ulyſſiponenſis Orientalis, quod vulgo dicitur *rellaçaõ*, cum appellatio fuiſſet interpoſita à judice capituli cathedralis Orientalis diverſo à curia epiſcopali; et cum falſo fuiſſet narratum in ſubſtantialibus, manet reſcriptum nullum, cap. *Super literis*, de reſcriptis; et ibi Gonſal. n. 4. Anaclet. ad jus Pontificis, lib. 1. tt. 3. § 7. n. 154. Marcheſan. de commiſſ. p. 3. cap. 3. § 3. n. 42. fol. mihi, 238. Barb. ad tex. in dict. cap. *Super liter.* n. 1. et ſeqq. Fermoſin. ad eundem tex. q. 1. n. 65. Roſ. de executor. 1. p. cap. 6. n. 68. Levren. ad jus canonic. lib. 1. tit. 3. quæſt. 305. n. 1.

Unde reſultat, quod inhibitio emanata virtute reſcripti nullius, quamvis ſit rottalis, cui debetur major reverentia à judice, à quo ſperni poſſit, Laurent. Urſell. in examin. apum, tom. 2. concl. 168. n. 48. Rott. apud Marcheſan. de commiſſ. p. 3. fol. mihi, 43. n. 3. et, à fortiori, potuit ſperni hæc nulla inhibitio, Rotta apud Bich. tom. 2. dec. 448. n. 14. nec contra judicem à quo, ex cap. *Contraventionis* ejuſdem inhibitoriæ nullius ex defectu juriſdictionis, fieri poterat excommunicationis ſententia, Bichi dict. deciſ. 448. n. 15. Rott. recentior. p. 4. dec. 625. n. 4. optima deciſ. Rottæ, 1. p. dec. 218. n. 1. et ſic judicamus, Ulyſſipone Orientali, 8. Auguſti 1725.

Aliud ejuſdem Judicium,

Super rejectione exceptionis rei judicatæ in materia venditionis nullius, ac ſimoniacæ, cujuſdam patronatus.

Summarium.

1. *Jus patronatus invendibile eſt.*
2. *Venditio patronatus principaliter, venditio nulla eſt, et ſimoniaca.*
3. *Limitatur, quando acceſſorie facta eſt venditio patronatus; eo quod annexus erat majoratui, vel capellæ.*
4. *Judicio eccleſiaſtico pertinet cognitio venditionis ſimoniacæ, tanquam cauſæ mere eccleſiaſticæ.*

1. Jus patronatus principaliter invendibile eſt, c. *de jure*, de jur. patron. et ibi Gonſal. n. 2. Barb. n. 1. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. c. 7. n. 21. Fargn. de jur. patr. p. 2. can. 13. addit. ad Rott. recent. p. 9. dec. 46.

2. Et venditio juris patronatus principaliter, nulla eſt, et ſimoniaca, Vivian. de jur. patronat. p. 1. l. 4. c. 1. n. 7. ibi: *Si in venditione ſpecificaretur, et exprimeretur jus patronatus, eſſet contractus ſimoniacus, et nulla venditio*, Rott. recent. p. 9. addit. ad dec. 46. n. 21. Lambert. de jur. patron. lib. 1. p. 2. q. 5. n. 1. et 2. Grat. for. c. 110. n. 10. Cardin. Deluc. de jur. patr. diſc. 56. n. 18.

3. Et ſolummodo, quando patronatus annexus eſt proprietati alicui, vel majoratui, aut capellæ vendibili, ac vendita principaliter, poteſt acceſſorie jus patronatus etiam vendi, dummodo non fiat mentio, quod jus patronatus venundetur, d. addit. ad Rott. dec. 46. n. 22. ibi: *In tantum*, jus patronatus tranſit cum re vendita, in quantum nil de eo agitur in emptione; quod ſine dubio ceſſat, dum principaliter, ſeu per copulam, exprimitur jus patronatus.

Accedunt Vivian. de jur. patronat. d. cap. 1. Pirrh. Corrad. prax. benefic. l. 4. c. 4. n. 42. et 43. Lambertin. lib. 1. a. 20. q. 5. p. 2. n. 18. ibi: *Sed ego indiſtincte teneo, nullo modo jus patronatus tranſit in emptorem univerſitatis, ſi exprimatur.*

4. Unde, cum in præſenti caſu, quod in ipſo licitationis, aut ſubhaſtationis, actu fuit jus patronatus capellæ, nulla, et ſimoniaca remanſit venditio; atque ejuſdem cognitio eccleſiaſtico judicio competens, cum pluribus, Cortiad. tom. 3. dec. 181. à n. 9. Angel. de delict. p. 1. c. 119. 4. et alii.

ALLE-

ALLEGATIO CXXVIII.

Sive Conſilium in Conſultatione ſuper Auxilio implorato à R. P. Fr. Antonio à Purificatione, Viſitatore, ac Reformatore Provinciæ Obſervantis Sancti Franciſci, et Regni Portugalliæ.

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *In denegatione libera exhibitionis reſcripti, vis infertur.*
III. *Etiam quando gratia conceditur ex motu proprio:*
IV. *Denegata exhibitione delegationis, nequit delegatus ad cenſuras procedere.*
V. *Eſt neceſſaria exhibitio partibus intereſſatis, ut de juriſdictione, et fundamento intentionis delegati ſibi conſtaret.*
VI. *Delegatus procedens, non obſtante appellatione à denegatione exhibitionis literarum ſuæ delegationis, nulliter procedit, et attentat.*
VII. *Et multo magis, ſi recuſatus fuerat.*
VIII. *Deinde delegatus iſte reus verſabatur in judicio ordinarii ob uſurpationem ordinariæ juriſdictionis, et incurſionem cenſurarum juris.*
IX. *Publicus excommunicatus toleratus, inſtante parte, debet à judicio repelli.*
X. *Rationes minuentes, ac partim excuſantes, monialium exceſſus.*
XI. *Monialis illegitima nequit eligi in abbatiſſam abſque diſpoſitione Apoſtolica.*
XII. *Neque ordinarius, neque ſuperiores regulares, abſque diſpenſatione Apoſtolica, poſſunt moniales ab uno in aliud monaſterium tranſmutare, etiam ſeditionis, vel incorrigibilitatis motivo.*

I. ADMODUM R. P. Fr. Antonius à Purificatione, viſitator ac reformator religioſorum Divi Franciſci, provinciæ Portugalliæ, auxilium petit ad extrahendas, ac tranſmittendas moniales aliquas ſeditioſas, ſeditioniſque motrices, à conventu S. Claræ Ulixbonenſis, et ad juſtitiæ ſæcularis miniſtros in eundem conventum introducendos ad effectum eas, quas oportuerit, capiendi, eo quod non ſint ſufficientia media, ac remedia cenſurarum, quibus uſus eſt, ad eas debitæ obedientiæ ſubjiciendas, atque ad abſtinendum ab exceſſibus contumaciæ ab eiſdem perpetratis; prætendens inſuper, procedimentum ab ipſo in eaſdem rebelles habitum, rectum quidem, ac juridicum inceſſiſſe.

Aſt, præterquam quod impracticabile, ſecundum jus, omnino ſit quod petit, etiamſi jus ipſum ei abſolute non reſiſteret, videtur impræſentiarum à terminis imploratum auxilium concedendi longe quidem aberrare; quippe quia, ut auxiliaretur, equidem juſta, ac juridica eſſe debebant procedimenta, quibus adverſus inobedientes uſus eſt, Fontanell. tom. 2. dec. 354. n. 14. Cortiad. tom. 4. dec. 232. n. 55. Calder. p. 3. dec. 108. n. 17. et minime nulla, atque invalida, qualia evaſerunt reformatoris procedimenta, Oliv. de for. eccleſ. 2. p. cap. 25. n. 9. Et quamvis ex documentis oblatis probare intendat, omnia procedimenta illa juſta ac juridica fuiſſe, attamen eadem minus juſta, et valde violenta per omnia, juxta juris diſpoſitiones, extitiſſe, clare deprehenduntur.

II. 1. Ex denegatione libera exhibitionis reſcripti, aut literarum deputationis commiſſarii generalis, qua certe monialibus ipſis vim ac violentiam intulit, ut judicatum refert Peg. ad ord. lib. 2. tit. 43. ad princip. gloſſ. 2. n. 26. ibi: *Et ad hunc effectum opponendi tales exceptiones ſubreptionis, et obreptionis, ſolet et poteſt præjudicatus petere judici executori proprii reſcripti copiam, qui tenetur eam concedere, ut decidat, et reſolvat, an dictum reſcriptum ſit ſubreptitium; et, ſi eam negaverit, poteſt pars gravamen interponere ad ſenatum, ubi proviſio conceditur, ut judicatum fuit:* et ad ord. tom. 7. ad regim. ſenat. palat. c. 100. n. 3. Fontanell. tom. 2. dec. 154. n. 2. Gonſal. ad tex. in cap. *Cum jureperit.* 31. n. 6. de officio judicis deleg.

III. Quod etiam locum habet, quando gratia conceſſa eſt *ex motu proprio, et certa ſcientia:* nam etiam in gratiis his ex motu proprio conceſſis, admittitur obreptionis, ac ſurreptionis oppoſitio, Larr. alleg. 91. n. 3. Peg. d. lib. 2. tit. 47. ad princip. gloſſ. 2. n. 3. Barb. de clauſ. cl. 79. n. 21. et 22. cum plurib. Rott. rec. p. 2. dec. 656. n. 4.

IV. Quæ quidem delegationis exhibitio, petente parte, adeo neceſſaria eſt, ut ſi delegatus, ea denegata, ad cenſuras procedat, ut proceſſit reformator, eæ penitus nullæ evadent, Barboſ. cum Navarr. et Sayr. ad tex. in dict. cap. *Cum jureperitus*, 31. n. 5. ibi: *Excommunicatio lata à delegato, qui copiam ſuæ delegationis petenti non dedit, eſt nulla, Oliv. de for. eccleſia. 2. p. c. 25. n. 28. Per. de man. reg. 1. p. c. 7. n. 3. verſ.* Unde non ſolita.

V. Et jure merito præfatæ moniales poterant velle ſcire, atque examinare, an commiſſarius generalis, qui literas reformatori, vi quarum iſte proceſſit, expediri fecit, haberet poteſtatem à Summo Pontifice commiſſam ad derogandum expreſſæ juris diſpoſitioni in c. *Indemnitatibus*, 43. de elect. in 6. in Concil. Trident. ſeſſ. 25. de regular. c. 6. et 7. atque in bullis Pontificiis Innoc. IV. et Bonifac. IV. ex quibus, c. 4. regulæ harum monialium Clariſſarum, eformatum eſt, quod ſtatuitur, abbatiſſam eligendam quidem per ſuffragia monialium, Tambur. de jur. abbatiſſar. diſp. 28. q. 1. n. 2. et inſuper, an de facto capiti illi derogaret: nam abſque revocatione hac literæ illæ effectum ſuum poterant ſortiri, Fagn. ad tex. in cap. *Cæterum*, n. 26. et in cap. *Nonnulli*, n. 34. de deſcript. Roſ. de executor. p. 1. c. 5. n. 180. ubi plures refert, Salgad. de ſupplic. ad Sanctiſſ. 2. p. c. 1. n. 59. et 60.

VI. 2. Quia moniales iſtæ appellârant à denegatione petitæ exhibitionis, et ab omni futuro gravamine, coram probo viro, quam quidem appellationem poſtea coram reformatore ipſo ratificârunt: quo non obſtante, iſte ad cenſuras aduſque interdictum proceſſit, cum notorio attentato, ac nullitate, ex cap. *Dilecti*, 52. de appellat. et tenent DD. communiter, Salgad. de reg. prot. p. 2. c. 5. n. 18. ibi: *Tertia limitatio erit, ut licita ſit appellatio, quoties emittitur à præcepto facto ſub pœna excommunicationis; quia ab hujuſmodi præcepto poteſt appellari judicialiter, et extrajudicialiter; et appellatio ſuſpendit in tantum, quod ſi judex excommunicaret, aut declararet, excommunicatio eſſet nulla.*

Scacc. de appellat. q. 17. limit. 22. n. 55. Rottar. theolog. mor. regul. lib. 2. c. 2. n. 12. et 14. Lacr. ad Buſemb. de cenſ. lib. 7. n. 109. Caſtr. alleg. canon. 6. n. 65. et ſeqq. Sanch. conſil. l. 3. c. un. dub. 32. n. 224. 228. et 233.

VII. Præterquam quod, cum reformator ipſe recuſatus fuiſſet à monialibus præfatis; et ab arbitris ab utriſque electis, jam judicatum foret, *quod ſuſpectiones precedent*, etiamſi procedimenta illius juridica, et minus repugnantia forent; abſque finali deciſione recuſationis, nequibat reformator in hac re aliqualiter procedere, ex ordin. lib. 3. tit. 21. §. 4. Quare, etiam aliis præcitatis, et adeo bene fundatis rationibus deficientibus, ex hac poſtrema imploratum auxilium intempeſtivum inſuper redderetur.

VIII. 3. Denique; Quia prædictus reformator actu reus extitit in hoc judicio ordinario ad inſtantiam juſtitiæ promotoris, qui eum declarari requirit in competentes juris cenſuras propter ordinariæ juriſdictionis uſurpationem, eo quod auſus fuiſſet monaſterium illud D. Claræ hujuſce diœceſis interdicto eccleſiaſtico locali ſubjacere, clericis inſuper ſæcularibus excommunicationis pœnam in illo comminando; quapropter incurſus reperitur in cenſuram bullæ Cœnæ, can. 17. de qua Fragoſ. de regim. reip. tom. 2. p. 2. lib. 1.

§ 17. Pal. de cenſur. tom. 1. lib. 5. diſp. 16. c. 5. Cochier. in vindic. lib. eccleſ. c. 28. n. 6. Quare, aliis etiam rationibus, ac fundamentis deficientibus, ex hac ſola imploratum auxilium equidem venit denegandum.

IX. Nam, ſicut publicus excommunicatus toleratus, qualis reformator incedit, ſeſe in judicium ingerens ab eo, parte etiam non inſtante, repelli poteſt, ſicut et vitandus neceſſario debet repelli, cum pluribus, Caldero d. dec. 107. n. 3. ibi: *Imo, ſi excommunicatus toleratus ſe ingerere velit in judicio, ſi de ejus excommunicatione publice conſtet, poteſt à judicio repelli: ſi autem vitandus ſit, non ſolum poteſt, ſed debet repelli, vel à parte, vel ab ipſo judice ex officio*; Anacletus in theol. moral. tr. 13. q. 2. n. 32. potiori jure repelli debet reus reformator ab implorato auxilii favore.

X. Ex omnibus ſupra traditis, reſultare videtur, reformatoris procedimenta non juſtificata exiſtere adverſus moniales ſubjectas; quarum quidem exceſſus, licet patrati, reprehenſibiles incedant; excuſantur tamen aliqualiter ex minus prudentia, minorique patientia ſexus fœminei; præſertim vias omnes audientiæ ſuper deputationis validitate illis præcludente reformatore; quinimo et monaſterii locutoria eiſdem præfigi jubente, ne advocatos conſulerent, et cum propriis procuratoribus colloquerentur, in quo expreſſam violentiam ipſis irrogatam fuiſſe, judicatum refert Caldero d. dec. 167. n. 26. ibi: *Concluſum fuit, quod moniales fuerunt oppreſſæ ob denegatam eis audientiam cum ſuis advocatis et procuratoribus.*

XI. Præſertim, cum omnibus illis notorium foret, monialem in dictis reformatoris literis in abbatiſſam monaſterii deſignatam illegitimam eſſe, proindeque inhabilem ad prædictum officium abſque legitima diſpenſatione, Pirr. Corrad. in prax. diſp. lib. 6. c. 1. n. 52. ibi: *Cum non poſſit abbatiſſa eligi monialis, quæ eſt illegitima, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; alias enim electio eſt de jure communi irrita*, Barb. de poteſt. epiſc. alleg. 100. n. 13. Tamburin. de jur. abbatiſſ. diſp. 28. quæſt. 11. n. prim. Donat. in prax. tom. 4. tract. 7. quæſt. 37. n. 9. Urſell. in examine apum, verb. *Abbatiſſa*, à n. 9. Franciſc. Marc. tom. 2. dec. 1352. n. 2.

XII. Verum, etiam dato, quod reformatoris proceſſus, non adeo violentus, quinimo juridicus evaderet, minime unquam ſupplicatum auxilium reformatori concedi poterat ad moniales ex monaſterio extrahendas, et inobedientiæ, ac ſeditionis motrices, contumaceſque, in monaſteria alia tranſmittendas; hoc enim prælatis ordinariis, atque regularibus, abſque Sedis Apoſtolicæ prævio conſultu, interdicitur, Pittonius ad conſt. Pontif. tom. 2. de regular. n. 1438. ibi: *Nec locorum ordinarii, nec ſuperiores regulares, poſſunt aliquam monialem ſibi ſubjectam ex uno monaſterio ad aliud tranſmittere, etiam ex cauſa ſeditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati: incorgibiles enim ejici non poſſunt, neque transferri, inconſulta Sede Apoſtolica, ut reſolvit Sac. Congregat. epiſcoporum, et regularium*; Tambur. de jur. abbatiſſ. diſp. 21. q. 3. n. 4. et q. 4. n. 2. Paſcuc. compend. ad Pignatell. part. 2. tit. de monial. § *Hic non datur*; Monacell. tom. 2. tt. 13. form. 5. n. 16. Donat. prax. regul. tom. 1. tr. 5. q. 28. n. 8. Barb. ſumm. apoſt. dec. 512. n. 5. Reviol. de jur. perſonar. l. 8. c. 5. n. 10. Antonell. de regim. l. 7. c. 7. n. 5. § *Obſerva tamen*; Garc. polit. regul. tom. 2. tr. 13. diff. 1, dub. 3. n. 7. Zerol. prax. 2. p. verb. *Moniales*, § 12. Cirin. nex. rer. c. 6. n. 120. Cardin. Deluc. de regularib. d. 1. n. 151.

Et quamvis in favorem reformatoris DD. aliqui allegentur, hæc opinio ſequi non debet; opponitur namque bullæ S. Pii V. quæ incipit *Decori*; in qua monialibus egreſſus à clauſura in triplici caſu dumtaxat permittitur; videlicet, *Magni incendii, infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*; et inſuper adverſus opinionem illam pugnant variæ S. Congregationis declarationes relatæ à DD. præcitatis; nec opinio illa praxi recipitur, ut teſtantur Zerol. verb. *Moniales*, § 12. Cleric. de regul. diſc. 30. n. 70. Donat. tom. 4. tr. 4. q. 16. n. 4.

Etſi apud Fontanell. dec. 354. n. 13. durum, extraneum, atque mirabile viſum fuit, quod quidam ordinis Benedictini reformator auxilium implorâſſet ad religioſos quoſdam ab uno ad aliud monaſterium tranſferendos abſque illorum citatione, atque audientia; et merito petitum auxilium denegari debere decretum eſt: quanto magis in noſtro caſu pro fœminis, perpetuam clauſuram profitentibus?

Denique etiam denegari debet auxilium petitum ad introductionem officialium pro monialibus, capturam merentibus, conſtringendis: id enim vetitum reperitur à S. Congregatione per quandam declarationem 13. Jun. 1637. de qua Carol. Peregrin. prax. vicar. p. 4. ſect. 8. n. 44. ibi: *Sed quæritur, an monialis delinquens in monaſterio carcerari poſſit per ſatellites in monaſterium introductos?* Reſpondetur, *Negative; non enim introducendi ſunt ſatellites, et birruarii, ad monaſteria pro carcerandis monialibus in auctiori loco; ſed hoc fieri debet per eaſdem moniales; et, ſi facere neglexerint, tunc poſſunt introduci ſervientes curiæ eccleſiaſticæ, comitati tamen ad aliquibus ſacerdotibus ex ſenioribus cleri; et ſimiliter in caſibus et delictis atrociſſimis*, Sacra Congregatio epiſcopor. in una Interabnenſi, 13. Junii 1637.

ALLEGATIO CXXIX.

Sive CONSULTATIO, *in favorem Clericorum in Diœceſi Patriarchali Ulixbonæ Orientalis oriundorum, et in Archiepiſcopatu Ulixbonenſi Orientali ordinatorum ad Titulum Capellaniarum, in quas in eodem Archiepiſcopatu collati fuerant: qua, præfatos Clericos legitime ordinatos eſſe, neque in Suſpenſionis, aut Irregularitatis Cenſuras incurſos, oſtenditur.*

SUMMARIUM.

I. *Clerici originarii civitatis, ratione originis, ſubjacent pro ordinibus ordinario illius.*
II. *Clericus, ratione beneficii, poteſt legitime ordinari ab epiſcopo loci beneficii.*
III. *Capellaniæ collativæ ſunt beneficium.*
IV. *Reperiebantur omnes conditiones ad capellaniam collativam requiſitæ.*
V. *Et quæ requiruntur ad beneficium eccleſiaſticum.*
VI. *Capellaniæ laicales poſſunt ab ordinario in beneficium erigi; et quando.*
VII. *Capellania, ex natura ſua non collativa, poteſt decurſu temporis mutari in beneficium.*
VIII. *Sufficit ultimus capellaniæ ſtatus, ut beneficium reputetur.*

I. MINIME negari, aut dubitari poteſt, quod præmiſſi clerici, ordinati, originem ſuam in hac civitate, et archiepiſcopatu Ulixbonenſi, habebant, ante illius in *Occidentalem*, atque *Orientalem*, diviſionem; atque adeo, utpote originarii, illius Ulixbonenſi archiepiſcopo, ratione originis, ſubjecti exiſtebant, Paſſerin. c. *Cum nullus*, 3. de tempor. ordin. art. 1. n. 7. proindeque, utpote illius diœceſis originarii, admiſſi fuerant, ante præfatam diviſionem, ad ordines ſuſcipiendos, diligentiis de genere, et reliquis in eadem diœceſi perfectis, ex vi quarum minores ordines etiam ante diviſionem effective ſuſceperunt; et præſentati à patronis capellarum collativarum, in eodem archiepiſcopatu conſiſtentium, præviis ordinariis diligentiis de vita, et moribus, in diſtrictu ſedis patriarchalis confectis, ordinati ſunt in

ſacris

ſacris in diſtrictu archiepiſcopatus, ſive ſedis Orientalis, legitime, et abſque ullo ſuſpenſionis, vel irregularitatis, incurſu.

II. Nam certa de jure reſolutio eſt, ſubditum, ratione beneficii, ordinari quidem poſſe legitime ab epiſcopo loci beneficii, ex tex. in c. *Cum nullus*, 3. de tempor. ordinat. in 6. ubi Fermoſin. q. 6. n. 1. Barb. n. 5. Paſſerin. n. 2. Tond. q. benef. 2. p. c. 5. § 4. n. 8. Marin. tom. 2. reſolut. 153. n. 3. Nam, ratione beneficii, fit ſubditus epiſcopi diœceſis illius, in qua beneficium retinet, Tond. d. c. 7. n. 8. Paſſerin. ad d. c. *Cum nullus*, a. 3. n. 53. Fermoſin. d. q. 6. n. 1. et hoc inſuper, quamvis beneficium perſonalem reſidentiam non requiret, Tond. cit. Campanil. c. 8. n. 12. cum plur. Barb. de ep. 2. p. alleg. 4. n. 2. Thom. Vaz. alleg. 5. n. 30. et 31. Ricc. prax. 1. p. reſolut. 270. n. 2. et etiam quamvis beneficium ſit tenue, Fermoſin. ad tex. in c. *Qui ad tranſlation.* de tempor. ord. q. 6. n. 10. Paſſer. d. a. 3. n. 55. dummodo ordinandus pacifice beneficium poſſideat, et hoc ſufficiens ſit ad congruam ſuſtentationem, ſecundum taxam ſynodalium conſtitutionum, ut deciſum refert à S. Congregatione 27. Maii 1713. Franc. Fargna de jur. patr. tom. 3. p. 6. can. 22. caſ. 1. n. 4. et 5.

III. Capellaniæ autem collativæ, ad quarum titulum prædicti clerici ordinati reperiuntur, ſunt beneficia eccleſiaſtica; ab ordinario enim loci, prævia patronorum præſentatione (qui eam collationem ſimul ſupplicabant) collatæ ſunt, c. 1. de regul. jur. in 6. c. *Nullus*, 16. q. 7. Garc. de benefic. 1. p. c. 2. n. 95. Cleric. de benef. diſc. 7. et 15. n. 8. Pirrh. prax. l. 1. c. 6. n. 285. Tond. p. 2. c. 1. § 3. n. 2. Optime Fargna de jur. patr. p. 2. 4. caſ. 3. n. 10. Quapropter concluſio ſtabilita, et incontroverſa eſt inter DD. quod *capellaniæ collativæ* eccleſiaſtica beneficia reputentur, ac judicentur, Salzed. ad Bern. Dias prax. crim. c. 18. n. 9. Hontalb. de jur. ſuper q. 22. § 10. n. 25. Moſtac. de cauſ. piis, l. 3. c. 3. n. 1. Scop. ad Fabr. l. 1. tt. 2. expl. 27. Barb. de ep. p. 3. alleg. 57. n. 143. Monacell. in addit. ad tom. 3. fol. 228. Paſſer. ad cit. tex. cap. *Cum nullus*, q. 1. a. 3. 59. Gratian. for. tom. 2. cap. 397. n. 63.

Et ſpeciatim, quod hæ capellaniæ inſtitutæ ad quotidianam ſacri celebrationem in aliqua eccleſia, vel altari, ſint beneficia, probat gl. in Clement. 2. verb. *Beneficium*, ad 5. reſp. de decim. et reſolvit Zerol. prax. 1. p. verb. *Beneficium*, q. 18. ibi: 18. *Capellaniæ, ut in aliquibus altaribus miſſæ celebrentur, veniunt appellatione beneficii.*

Cum autem capellaniæ collativæ beneficia ſint, conſequitur, quod in eam collatus ordinari poſſit ab epiſcopo loci, ubi beneficium ſitum eſt; et hæc communis eſt DD. reſolutio, Gonſ. ad tex. in cap. *Quoad tranſlationem*, de temp. ordin. n. 7. ibi: *Tertius epiſcopus proprius quoad ordines recipiendos dicitur ille, in cujus diœceſi quis beneficium poſſidet, ſeu obtinet; quæ doctrina ampliatur, ut procedat, ſive beneficium ſit parochiale, ſive ſimplex, ſive capellania.*

Paſſerin. ad dict. cap. *Cum nullus*, a. 3. n. 59. ibi: *Ampliatur, 4. in capellania perpetua, quæ, cum ſubditur in titulum, et ſit vere beneficium eccleſiaſticum, facit capellanum ſubjectum epiſcopo quoad ordines.*

Amoſtaz. de cauſ. piis, tom. 1. l. 3. c. 3. n. 10. ibi: *Inſuper ad titulum capellaniæ valet quis ſacris ordinibus initiari; et, ratione illius, poteſt ordinari ab epiſcopo, ubi ſita eſt; licet alias ſit capellanus forenſis; quia, ratione capellaniæ collativæ, fit ſubditus illius.*

Barb. de pot. ep. p. 2. alleg. 4. n. 48. Capon. for. tom. 2. diſc. 108. n. 10. et 11. Monacell. in ſupplem. ad tom. 3. fol. 228. n. 9. Gob. de ſacram. ord. tr. 8. ſ. 2. c. 7. n. 310. Dian. tom. 2. tr. 5. reſol. 48. § 2. Leand. de ſacram. tom. 2. tr. 6. dec. 9. q. 17. Salmantic. tr. 8. de ordin. tom. 1. pu. 4. n. 68. Ventrigl. prax. 1. p. ann. 23. § 1. n. 18.

IV. Nec negari poteſt, has capellanias eſſe quidem *collativas*, cum omnia requiſita capellaniam collativam conſtituentia in eiſdem optime concurrant: qualia ſunt, 1. *Continere jus ſpirituale*, quale equidem celebratio miſſæ: 2. *Non poſſe laico conferri, ſed clerico*: 3. *Non poſſe conferri, niſi à perſonis eccleſiaſticis*: 4. *Non conferri cum pacto, aut conditione, rei temporalis*; quæ eſt conditio requiſita, ut capellania collativa exiſtat, ut cum Rotta reſolvit Paſqual. de ſacrif. nov. leg. tom. 2. q. 1117. n. 2.

V. Et non ſolum præjactæ conditiones in ſubjectis capellaniis concurrunt, ſed reliquæ omnes, quas DD. requirunt ad eccleſiaſticum beneficium conſtituendum, de quibus Fargna de jur. patr. cit. Capon. caſ. 4. cit. diſc. 4. caſ. 3. à n. 11. Pirrh. l. 1. c. 2. uſque 6. Gonſal. ad reg. 8. gl. 5. n. 6. et ſeqq. Panimol. p. 1. dec. 21. à n. 16. et ſatis ſuperque eſt deciſio Rott. in caſu penitus identico apud Pamphil. dec. 87. ibi: *Ideo, omiſſis aliis, domini pro nunc firmârunt capellaniam, de qua agitur, eſſe beneficium eccleſiaſticum, moti ex eo, quod iſta capellania fuit erecta ex præcepto Martini Lopes de Salzedo teſtatoris, qui in ſuo teſtamento mandavit inſtitui duas capellanias in eccleſia majori oppidi de Conſtantina pro miſſis celebrandis; quæ, cum propterea dicantur habere annexum onus celebrationis miſſarum, et ſic onus ſpirituale, utique videntur judicandæ eccleſiaſtica beneficia, ut per Ægid. in c.* Super hoc, *n. 21. verſ.* Et quia habet, *de renuntiat. Gemin. conſ. 39. in fin. Barb. in Clementina*, Cauſam, § Quod ſi forſan, *n. 30. de elect. Abbas conſ. 47. n. 1. verſ.* Tertium conſideratur, *p. 2. Felin. in cap.* In noſtra, *n. 9. verſ. de tert. de reſcript. Caz. de Graſſ. dec. 13. n. 6. de præbend. Et facit, quod capella ad ſerviendum Deo fundata præſumitur beneficium eccleſiaſticum, ut inquit Rebuff. in prax. tit.* Quid ſit, et quot mod. dicatur benefic. *n. 8. in fin. concurrente præſertim, quod ex diſpoſitione teſtatoris ad iſtas capellanias debent nominari, ac præſentari capellani, qui eis debeant inſervire, adeo quod aliis, quam clericis, conferri non poſſunt; quod eſt unum ex ſignis beneficii eccleſiaſtici, cap.* Cum adeo, *de reſcript. cap. 2. de inſtit. Abb. dict. conſ. 47. n. 1. verſ.* Secundum attenditur; *Felin. in dict. c.* In noſtra, *n. 9. verſ.* De ſecundo. *Attento ulterius, quod iſta nominatio, ſeu præſentatio, non eſt temporalis, ſed perpetua, ut colligitur ex edicto ordinarii in ſummar. n. 2. et talis in dubio præſumitur, cap.* Si conſtiterit, *et ibi not. omnes, præcipue Abb. et Felin. in 1. not. de accuſat. quod eſt proprium beneficium eccleſiaſticorum, Ægid. in d. cap.* Super hoc, *n. 23. verſ.* Quia perpetua eſt, *de renuntiat. Gemin. conſ. 89. in fin. Abb. 47. n. 1. verſ.* Item quia perpetuum; *Felin. in d. cap.* In noſtra, *n. 9. verſ.* Item quod detur in perpetuum; *Caz. de Graſſ. d. dec. 13. n. 7. de præbend.—Prædictis etiam accedit, quod pro iſtis capellaniis fuit conſtituta certa dos, ex cujus conſtitutione dicuntur erectæ in titulum beneficii eccleſiaſtici; ut notatur in cap. fin. de cenſ. et tradit Dec. conſ. 135. ſub n. 2. verſ.* Et ideo nobis ſufficit; *maxime, quod iſta dos in totum datur illarum capellanis abſque aliqua conditione extrinſeca, vel deminutione, ſeu commodo temporali ad utilitatem patronorum; ex quo facilius debent cenſeri beneficia eccleſiaſtica, de quorum natura eſt, ut pure, et ſimpliciter dentur, cap. fin. de pact. Anchar. in reg. benef. n. 5. de reg. jur. in 6. Abb. d. conſ. 47. n. 4. verſ.* Quarto conſideratur; *Felin. in d. cap.* In noſtra, *n. 9. verſ.* De quart. *Gigas de penſ. quæſt. 80. n. 8.—Multum etiam movit dominos nominatio, ſeu præſentatio facta per patronos de perſona Auguſtini coram ordinario Hiſpalen. ab eo petentes, ipſum inſtitui, ſeu, ut ipſi dicunt, illi fieri titulum neceſſarium; quod non cadit niſi in beneficiis eccleſiaſticis perpetuis, et collativis, juxta not. in cap.* Auctoritate, *de juſt. et per Lambertin. de jur. patron. l. 2. p. 3. q. 1. art. 1. Fuit etiam conſideratum, quod in præſenti caſu nulla concurrunt ſigna, quæ arguant capellanias eſſe potius piam inſtitutionem, quam beneficia eccleſiaſtica, ut in illa Hiſpalen. jur. patron. 16. Junii 1586. coram Robuſterio, et aliis, quæ potuiſſent allegari; et ita deciſum*, &c.

Et, ſi objiciatur, has capellanias eſſe mere laicales, eo quod ſine ordinarii auctoritate fundatæ fuerint, proindeque non eſſe beneficia eccleſiaſtica; reſpondetur, omnes has capellanias fundatas fuiſſe ſimpliciter, abſque ulla mentione interventionis, vel non interventionis, auctoritatis ordinarii in ultimis voluntatibus, aut per contractus, quorum quidem effectus non niſi poſt obitum inſtitutorum reſultaturi eſſent, et abſque prohibitione, quod in collativas capellanias erigerentur;

tur; ac proinde judicari debet, prædictos inſtitutores in illis capellaniis beneficium eccleſiaſticum fundare voluiſſe, Levren. de benefic. tom. 1. c. 3. q. 89. Moſtaz. cit. l. 3. c. 2. n. 11. Cleric. de benefic. diſc. 66. n. 20. Garc. de benef. p. 1. c. 2. n. 108. Panimol. d. dec. 21. n. 13. Antonell. de regimine, l. 2. c. 2. n. 7. Cevall. commun. q. 282. n. 28.

VI. Præterquam quod, quamvis à principio prædictæ capellaniæ forent laicæ, cum in earum inſtitutionibus non reperiantur verba eccleſiaſtici beneficii naturæ repugnantia, optime quidem poterant ab ordinario in beneficium, et collativas capellanias, erigi, Lacroix ad Buſemb. l. 4. de benef. dub. 1. q. 41. n. 235. Levren. de benefic. tom. 1. c. 3. q. 89. Lotter. de benefic. l. 1. q. 5. n. 63. ibi: *Ex his igitur infertur, quod ſi epiſcopus, ſciens ſtatum rei, conferat aliquod altare, vel capellam jam fundatam, vel ordinatam per aliquem fundatorem, ſatis dicitur illud, vel illam, in eccleſiaſticum beneficium collativum inſtituiſſe.*

Et ſufficit, quod hæ capellaniæ collatæ ſint, ad hoc, ut amittant naturam ac rationem legatorum ſimplicium, quam habebant, et induant naturam beneficiorum, ſeu capellarum collativarum, patronis conſentientibus, et multo melius eiſdem præſentantibus, Rott. recent. p. 14. dec. 249. n. 6. ibi: *Attenta præſertim declaratione facta ab ordinario in erectione, ſeu prima inſtitutione, quod controverſi beneficii collatio, proviſio, ſeu inſtitutio, pleno jure ad ipſum ſpectet, et pertineat, quæ uti emanata, ſcientibus, et præſentibus, et acceptantibus patronis, ſimplex legatum miſſarum, et pertenſam qualitatem amobilitatis ad libitum excludit,* Fargn. de jur. patr. p. 2. can. 4. caſ. 3. n. 9. Bordon. de legat. c. 6. n. 38. et capellaniæ hæ, quæ ex ſua primæva inſtitutione abſque auctoritate ordinarii fundatæ ſunt, poſtea non contradicente teſtatoris, aut inſtitutoris voluntate, ſi erectæ ſint in beneficium, per collationem, ſcilicet, aut inſtitutionem canonicam, ſunt ſufficiens titulus ad ordinationem, Salzed. d. c. 18. n. 19. Bordon. cit. c. 12. n. 10. Barb. de jur. eccleſ. l. 3. c. 5. n. 22. et 24. Ventrigl. prax. tom. 1. annot. 42. n. 4.

VII. Et ratio eſt, quia capellania, quæ ex origine ſua non erat collativa, neque beneficium, progreſſu temporis poteſt optime tranſire, ac mutari ex ſimplici legato in beneficium, Lara de capellan. l. 2. c. 1. n. 51. et adhuc, quando ex ipſis inſtitutionis verbis oſtenderetur, capellaniam profanam eſſe; et dubitaretur, an erecta fuerit auctoritate ordinarii, necne? ſufficeret, ut bis, aut ter, collata fuiſſet, ad hoc, ut ſemper collativa, et beneficium eccleſiaſticum, judicaretur, Rott. recent. p. 18. tom. 1. dec. 48. n. 18. ibi: *Quod ſi dubitatur, an capellania, quæ ex verbis fundationis videtur profana, conſtructa fuerit cum conſenſu ordinarii; ſi tamen ter, aut bis, collata fuerit, ſemper collativa, et eccleſiaſtica judicatur.*

Et quod in qualibet alia capellania, quæ præſumptionem non habet, quod fuerit profana ex inſtitutione ſua, ſufficiat habere unicam collationem dumtaxat, ad hoc, ut beneficium judicetur eccleſiaſticum, reſolutio communis eſt, cum Pirrh. l. 1. c. 2. n. 59. ibi: *Semper in dubio, ſi appareat de una collatione ordinarii, talis capellania cenſetur beneficium.* Garcia de benef. d. c. 2. n. 111. Barb. cit. lib. 3. c. 15. n. 12. Levren. de benef. l. 1. c. 3. q. 87. Vivian. de jur. patr. p. 1. c. 1. n. 133. In dubio namque ſemper capellania præſumitur eccleſiaſticum, Rott. recent. p. 6. dec. 13. n. 8. 10. et 11. Barb. d. c. 5. n. 2. Gonſ. ad reg. 8. gl. 5. n. 5. Lar. de capellan. l. 2. c. 1. n. 59. Levren. de benef. l. 1. c. 3. quæſt. 89.

Et in præſenti caſu ſtatus collativus harum capellaniarum non reperitur conſtitutus per unum, aut duplicem actum collativum dumtaxat, ſed per longiſſimi temporis poſſeſſionem eſſendi ab ordinario collatæ, in qua quidem poſſeſſione ordinarius ipſe conſervari debet, ac manuteneri, Rott. recent. p. 6. dec. 13. n. 18. ibi: *Suffragatur enim proviſio, quaſi poſſeſſio collatoris cum bona fide conferendi; in qua quaſi poſſeſſione eſt confovendus; nec attenditur præcedens ſtatus contrarius, quatenus adeſſet; quia collatio interim ſpectat ad poſſeſſionem, tanquam fructus juris conferendi.*

VIII. Et plene ſufficit hic ultimus harum capellaniarum ſtatus, quod, ſcilicet, ab ordinario fuerint collatæ, ut beneficia eccleſiaſtica reputentur, Rott. d. dec. 13. n. 31. et 32. Bordon. de legat. c. 12. n. 6. Lotter. de benef. l. 1. c. 5. n. 68. Levren. d. c. 3. q. 87. Nam, ut qualitas beneficii cognoſcatur, ultimus illius ſtatus attendi equidem debet, Rott. ap. Fargna, poſt 6. p. tom. 3. n. 2. Rott. cor. Durand. dec. 234. n. 6. et recent. tom. 1. dec. 154. n. 3. et 4. Idem ultimus ſtatus attendi etiam debet, ut capellania beneficium judicetur eccleſiaſticum, Bordon. de legat. c. 13. n. 6. Rott. recent. p. 13. dec. 2. n. 13.

Præſentes autem capellaniæ adeo beneficia eccleſiaſtica reputantur, ut ſemper nuntii apoſtolici, et ipſemet Sanctiſſimus actu regnans, beatiſſimus, ſcilicet, Innocentius XIII. dum hujus regni Portugalliæ nuntiatura fungeretur, in interſtitiis temporariis diſpenſarunt proviſos in capellanias præfatas, ad hoc, ut extra tempora ordinari poſſent, cum nuntii apoſtolici diſpenſare nequeant, niſi cum arctatis alicui eccleſiaſtico beneficio, Lacr. ad Buſemb. tom. 7. lib. 6. p. 2. n. 2298. Gob. de ſacr. ordin. tr. 7. n. 455. Leon. theſaur. 1. p. c. 2. n. 21. Et quod notabilius eſt, quod idem in hocmet patriarchatu recognoſci, et obſervari inſpicitur ex quamplurimis, qui in ſimiles capellanias collati in ipſo reperiuntur; non enim ad earum collationem procedi poterat, ſi beneficia eccleſiaſtica eſſe non judicarentur.

Nec præſumi ſane poteſt, quod exponentes doloſe præſentationem, aut collationem harum capellaniarum, quærerent, ad ſubjectionem proprii ordinarii declinandam; certum namque eſt, finem earum ſolicitationis non alium fuiſſe, niſi titulum ad ordines ſacros, in defectum patrimonii, prohibendi; quod quidem eis licitum eſſe, manifeſtum eſt, vel reſpectu illius ordinati fuiſſent, vel non; Fermoſin. ad tex. in cap. *Quod tranſlat.* temp. ordin. d. q. 6. n. 3. ibi: *Notandum eſt, quod ſufficit, ordinari ab eo epiſcopo, in quo ordinandus habet beneficium, ſive reſpectu illius ordinem ſuſceperit, ſive non.*

Neque etiam conſiderari poteſt fraus aliqua ex parte epiſcopi ordinantis, in earum capellaniarum collatione illis conferenda, ad illos ſibi ſubjiciendos ad illarum titulum eos ordinando: nam lex abſoluta omnibus epiſcopis permittit quemlibet ſuarum diœceſium beneficiatum; et præſertim cum nullus epiſcopus, per ſe loquendo, jus habet ad hoc, ut ſubditi ejus, ne alterius epiſcopi ſubditi efficiantur, etiamſi hoc intuitu ab illius diœceſi diſcederent: quare nulla injuria ordinario ſuo irrogat ſubditus, qui ab ejus diœceſi aufugit, hoc fine, ut illius ſubjectionem declinet, atque in aliena diœceſi beneficii collationem perquirat; optime Paſſerin. ad tex. in c. *Cum nullus*, de temp. ord. in 6. a. 3. n. 70. Fermoſ. ad cit. c. *Quoad tranſlat.* d. q. 6. n. 20. et ſeqq.

Præſertim, cum conſtet, præfatos clericos beneficium in hoc archiepiſcopatu non quæſiviſſe, eo quod in patriarchatu criminoſi extiterant, neque ad examen, aut judicium proprii ordinarii vitandum, cum præcederent omnes diligentiæ competentes, in eodem patriarchatu expeditæ, videlicet, teſtimonii immunitatis à delicto, vulgo, *folha corrida*, et de vita, ac moribus, et de publicandis; atque ex ipſamet conjunctione, aut unione civitatis Ulixbonenſis Occidentalis cum Orientali, notorium fiebat, clericos hos non venire in diœceſi beneficii ordinationem ſolicitare, alicujus impedimenti, aut inhabilitatis cauſa; verum ex eo, quod jam antea in hocmet archiepiſcopatu ad ordines admiſſi fuerant, et in minoribus gradibus jam initiati reperiebantur, et in prædictas capellanias præſentati; quæ quidem illis ad titulum ordinationis in ſacris omnino neceſſaria erant. Et quamvis aliqui horum ordinandorum in diſtrictu archiepiſcopali non reſideret, ſufficiebat reſidentia beneficii ipſius, ad hoc, ut abſque fraude in illo ordinari libere poſſet ab epiſcopo beneficii, quamvis per id non eximeretur ab epiſcopo originis, aut domicilii, Barb. de ep. p. 2. alleg. 4. n. 46. Panimol. p. 2. dec. 139. ibi: *Quinimo ad hunc effectum non requiritur, ut beneficium ſit*

ſit cum onere reſidentiæ; nec quod beneficiatus in loco, aut diœceſi, ubi reperitur beneficium, reſideat; et quamvis non eximatur à juriſdictione proprii epiſcopi originis, ſeu domicilii, Barb. de poteſt. epiſc. 2. p. alleg. 4. n. 146.

Nec tandem, ex parte horum ordinandorum, conſiderari etiam poteſt, quod ad archiepiſcopalem diſtrictum divertiſſent, ad declinandum patriarchalem; non enim poſt deciſionem, ſed longe ante illam, ad prætenſos ordines admiſſi erant cum præmiſſis diligentiis jam finaliter judicatis, in quibus in archiepiſcopatu eodem ad reliquos progredi debebant, cum eiſdem in præfatis terminis minime liceret variare diœceſim, et ad patriarchalem tranſgredi pro reliquis ſacris ordinibus ſuſcipiendis, ut tenent Cleric. theor. de ſacris ordin. c. 128. n. 97. ibi: *Reſpondeo, canoniſtas communiter negare; nam omnes docent in hoc caſu, facta ſemel electione, non eſſe licitum ad aliam accedere. Ita Guarant, Piaſec. Barb. Ricc. et alii, quos allegat, et ſequitur Antonell. de regim. milit. eccleſ. lib. 2. c. 1. n. 2. et 3. Cæterum noviſſime Jacobus Pignatell. jur. conſ. Roman. in ſuis conſult. canon. tom. 1. conſult. 38. ſuſtinet opinionem affirmativam, quam amplexam fuiſſe teſtatur Sacram Congregationem, 27. Februarii 1666. quæ reſpondit, variationem de uno epiſcopo ad alium ſolitam, dummodo non ſit in fraudem; et ſic etiam declaraverit in una Venetiar. die 28. Novembris 1633. Sed hodie ſervanda eſt bulla SS. Innocent. XII. et ita declarationes ad nihilum valent*, Ricc. in prax. p. 1. reſolut. 276. n. 4 Joſ. de Proſp. de territ. ſepar. q. 23. n. 3. Antonell. d. c. 1. n. 2. ibi: *Verum electo ſemel uno epiſcopo, ſive domicilii, ſive beneficii, vel originis, non poteſt clericus pro recipiendis aliis ordinibus ad alios epiſcopos accedere; quia variatio in ordinibus, quemadmodum in beneficialibus, prohibetur, Joſeph. de Proſper. de territor. ſeparat. quæſt. 23. n. 3.*

Et cum prædicti clerici admiſſi fuerant in hoc archiepiſcopatu, utpote illius originarii ante diviſionem diœceſis in archiepiſcopalem, et patriarchalem, non ex hoc titulo initiationis tantum, et obligationis progrediendi ad reliquos ordines in eodem archiepiſcopatu, ſed et inſuper ex titulo beneficii eccleſiaſtici in eodem diſtrictu conſiſtentis, ex prædictis, videlicet, capellaniis, in qua collati inveniebantur, indubium omnino remanet, quod legitime, et canonice, ad ſacros ordines in eodem promoti fuerunt.

Imo, dato, et non conceſſo, quod non legitime forent ordinati, indubium etiam eſt, quod bona fides, et ignorantia ex illo duplici titulo reſultans, eos omnino excuſaret ab incurſu ſuſpenſionis, atque irregularitatis ex celebratione cum ſuſpenſione illa reſultantis, ut communiter tenent DD. cum Alter. de cenſur. tom. 2. diſp. 9. c. 6. lit. C. col. 1. ibi: *Quia ſic ordinatus bona fide celebrans non efficeretur irregularis; quia non eſt ſuſpenſus: et hanc opinionem cenſeo eſſe veram; quia hæc ſuſpenſio imponitur à jure in pœnam ejus, qui hoc modo ordines ſuſcepit; ſed qui bona fide id fecerit, credens talem epiſcopum habere facultatem ordinandi, vel literas dimiſſorias, quas habet, eſſe ſufficientes, non erit reus alicujus culpæ, ideo neque pœna dignus*, Pal. p. 6. de cenſur. diſp. 4. pu. 1. § 1. n. 4. ibi: *Quare, ſi ex aliquo capite à culpa mortali excuſetur, vel quia ignoravit probabiliter talem epiſcopum carere poteſtate ordinandi, vel literas dimiſſorias inſufficientes eſſe, ab hac cenſura et pœna excuſabitur.*

Cleric. erolh. c. 128. q. 26. Mathcuc. offic. cur. c. 35. § unic. n. 11. Barb. ad Conc. Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 3. n. 8. et de ep. alleg. 16. n. 17. Pignat. tom. 9. conſ. 189. n. 24. et ſeqq. Phelipin. de proviſ. ignor. c. 4. pr. 15. n. 143. et alii; ex quibus evidenter demonſtratur, et legitima, atque canonica ſubjectorum clericorum ordinatio, et totalis eorundem à ſuſpenſionis ac irregularitatis pœnis cenſuriſque immunitas.

ALLEGATIO CXXX.

Apologetica in præcedentis Conſultationis Tuitionem.

SUMMARIUM.

I. *Facti narratio.*
II. *Superfluitas verborum cenſurarum.*
III. *Retunduntur rationes objectæ: et,* 1. Ex erectione.
IV. 2. *Requiſitum* ex dote.
V. *Satisfit objectioni de non adminiſtratione bonorum à capellaniis ipſis.*
VI. *Et alteri ex defectu devolutionis capellarum ordinario.*
VII. *Ex defectu obſervantiæ c.* Admonet, *de renunt.*
VIII. *Fit ſatis deciſionibus ex adverſo objectis.*
IX. *Et obtruſioni ex adverſo ex defectu poteſtatis.*
X. *Et defectui requiſiti collationis à perſona eccleſiaſtica.*
XI. *Et objectioni ex defectu pacti.*
XII. *Diſpoſitio inſtitutoris.*
XIII. *Sufficiebat obſervantia erigendi has capellanias in beneficia.*
XIV. *Duplex acceptatio lata, et ſtricta, verbi* Collationis.
XV. *Satisfit objectioni, quod collationes non mutant naturam beneficiorum.*
XVI. *Qualitas beneficii probatur ex ultimo ſtatu.*
XVII. *Omnes 5 qualitates à DD. aſſignatæ ad rationem beneficii, reperiebantur in his capellaniis.*
XVIII. *Pro excluſione incurſus cenſurarum.*
XIX. *Pro excluſione fraudis objectæ.*
XX. *Concluſio adverſus contradictorem, oſtendens, non deſignante inſtitutore, pertinere ordinario locum miſſis celebrandis deſignare.*

I. CUM illuſtriſſimus, ac ſapientiſſ. conſulens in favorem præmiſſorum ordinatorum præcedentem ederet conſultationem ex adverſo, nomine patriarchatus ſolicitatoris, diffuſiſſima alia objecta eſt, qua præfatos clericos illegitime ordinatos eſſe prætendebatur ex multiplici fundamento, ac rationibus, quas quidem ſapientiſſimus conſulens ſolidiſſima hac apologia efficaciter retudit.

II. Atque imprimis ſuperfluam contradictoris prolixitatem cenſurans ex verbis Carol. Ant. Deluc. de lin. legal. l. 2. a. 82. n. 3. v. *Prolixe*; ibi; *Quæ copioſæ ſcripturæ pro majori parte ſuperfluitatibus plenæ ſunt, illaudabiles, cum ingenia perſpicacia, et clara ponant, et reſpective capiant veritatem in paucis*; gradum faciebat ad plene rationibus ex adverſo objectatis ſatisfaciendum.

III. Et adverſus primam rationem objectam, ex primo capellaniæ collativæ requiſito, *erectione*, ſcilicet; reponebat, quod ſi per id contradictor inſinuare volebat, non poſſe dari capellaniam collativam, quæ quin ab ipſius exordio ſtatim erectio intercederet; hoc plane contra ſatis tritam DD. erat reſolutionem, aſſerentium, quod quamvis ab initio auctoritate ordinarii erectæ forent, attamen poſtmodum, inſtitutoris non contradicente voluntate, erigi quidem optime poſſunt, Carol. de Alex. obſ. ad cap. Latr. obſ. 94. n. 12. Moſtaz. de cauſ. pi. l. 2. c. 7. n. 17. optime Fargna de jur. patr. p. 1. can. 6. caſ. 2. à n. 3. et p. 2. c. 27. caſ. 17. n. 3. ben. Rott. diverſor. p. 3. dec. 1121. n. 1. Fragoſ. de regim. reip. 2. l. 10. diſp. 21. § 4. n. 20. ibi: *An capellania, à principio erecta ſine auctoritate ordinarii, poſſit poſtea erigi in beneficium per ordinarium? Reſpondeo affirmative, ſi non repugnet voluntas fundatoris, Carol. de Alex. obſervat. ad conſult. cap. Latr. obſervat. 94. n. 12. Moſtaz. de cauſ. piis, lib. 2. cap. 7. n. 17. optime Fargn. de jur. patr. p. 1. canon. 6. caſ. 2. n. 3. et ſeqq. et p. 2. can. 27. caſ. 17. n. 3. ben Rotta diverſor. p. 3. dec. 1121. n. 1. et 2.*

Sin autem inſinuare volebat, adhuc poſt inſtitutionum in ſubjectis capellaniis *erectionem* defeciſſe, ex defectu requiſitorum à Pirrho, et reliquis DD. à contradictore laudatis, deſignatorum; ex eiſdem agnoſcere debebat, dari equidem erectionem *expreſſam, et tacitam*, Lotter. de benefic. lib. 1. q. 5. à n. 61. ibi: *Verum circa cauſam hanc efficientem occurrit difficultas, an ſit neceſſaria juſtificatio auctoritatis expreſſe, vel ſufficiat tacite? Et ſane Ægid. in præcit. c.* Super hoc, *ex n.* 18. *de renuntiat. concludit, ſufficere juſtificationem tacite, quæ, videlicet, eliciatur ex actibus, qui non poſſunt cadere in aliis, quam in beneficiis eccleſiaſticis, et ſcienter, non autem ignoranter geſtis*, Fargn. cit. can. 6. caſ. 2. n. 14. Deluc. de jur. patr. diſc. 27. n. 5. quæ quidem *tacita* erectio tunc datur, quando ordinarius capellaniæ collationem, aut inſtitutionem, ut beneficii, facit, Lotter. cit. q. 5. n. 63. ibi: *Ex his igitur infertur, quod ſi epiſcopus, ſciens ſtatum rei, conferat aliquod altare, vel capellam jam fundatam, vel ordinatam, per aliquem fundatorem, ſatis dicetur illud, aut illam, in eccleſiaſticum beneficium collativum inſtituiſſe; et poſt longam diſputationem Rottam decidiſſe ſcribit Ægid. in dict. cap.* Super hoc, *n.* 19. *verſ.* Hanc opinionem, *de renunt. actus enim conferendi in titulum perpetuum non poteſt cadere, niſi in beneficio eccleſiaſtico.* Quod autem ſufficiat ordinarii collatio, aut inſtitutio, citra contradictionem fundatoris, aut patroni, communis reſolutio eſt, Salzed. prax. c. 18. n. 9. ibi: *Illud vero defendi poteſt; quod licet in primæva capellaniæ fundatione non intervenerit ordinarii auctoritas, ſi tamen, non reluctante fundatoris voluntate, poſtea capellania in eccleſiaſticum beneficium fuerit erecta, nempe per collationem, et canonicam inſtitutionem, fundatoris conſanguineus, vel alius, qui ad eam vocatus eſt, ejus nomine, et titulo, poteſt ordinari*, Barb. de jur. eccleſ. l. 3. c. 5. n. 23. ibi: *Si tamen, non reluctante fundatoris voluntate, poſtea capellania in eccleſiaſticum beneficium fuerit erecta, nempe per collationem, et canonicam inſtitutionem*, &c. Garc. de benef. p. 1. c. 2. § 1. n. 108. ibi: *Si tamen, reluctante fundatoris voluntate, capellania in eccleſiaſticum beneficium fuerit erecta, nempe per collationem, aut canonicam inſtitutionem*, &c. Ventrigl. tom. 1. ann. 42. n. 4. ibi: *Poteſt quis ad illius titulum promoveri, dummodo fundata ſit auctoritate ordinarii, vel ſaltem ſolita ſit conferri in titulum beneficii, non contradicente fundatore, per collationem, et canonicam inſtitutionem*, Bordon. de legat. pi. c. 12. n. 10. Gonſ. ad reg. 8. gl. 5. n. 53. et 54. ibi: *Vel ſaltem quando conſtaret de aliqua collatione, vel inſtitutione facta ab ordinario de tali capellania debitum effectum ſortita; quia tali caſu per neceſſarium antecedens cenſebitur approbare fundationem, et præviam auctoritatem interponere ad ſimilitudinem traditionis poſſeſſionis de beneficio facta ab habente poteſtatem conferendi; nam ſola emiſſio in poſſeſſionem continet in ſe per antecedens neceſſarium canonicam collationem.*

Et ſufficere capellaniam reperiri in ſtatu *collativæ*, ut beneficium eccleſiaſticum reputetur, tenent Cortiad. tom. 3. dec. 129. n. 20. ibi: *Quia talis capellanus proprie beneficium eccleſiaſticum habere dicitur, et capellania in titulum perpetuum collata auctoritate Apoſtolica, vel ordinaria, beneficium eccleſiaſticum judicatur*, Delben. de immunit. l. 1. cap. 4. dubit. 3. n. 6. Gutierr. de gabell. q. 91. n. 14. ex c. *Cum de benefic.* de præbend. Rott. ap. Coccin. dec. 910. n. 10.

IV. 2. Secundi requiſiti eſſentialis, *dotis*, videlicet, defectui, ex adverſo objecto, reponebat, 2. ſapientiſſ. apologiſta, Neceſſarium non eſſe, quod prædium in poſſeſſionem beneficiati tranſiret, ad hoc, ut beneficium detur eccleſiaſticum; ſed ſufficere, quod in prædio aſſignentur fructus illius in dotem certam, et perpetuam, ejuſdem beneficii, ut reſolvit Lotter. l. 1. q. 3. n. 16. ibi: *Neque tamen minus dicitur fundus eccleſiaſticus annuus reditus in dotem beneficii aſſignatus, ſi ex certo fundo debeatur.*

Adeo, ut adhuc in vicariorum perpetuorum congruam ſuſtentationem, quæ quidem, juxta S. Conc. Trid. ſeſſ. 7. de ref. c. 7. *certa* eſſe debet, ſufficit, ut ea in re certa aſſignetur; et neceſſum non eſt, quod hæc res tranſeat in dominium vicarii, ut tenet id. Lotter. d. q. 3. n. 19. n. 20. ibi: *Idem prorſus accidit in aſſignatione congruæ pro vicaria perpetua, quæ debet fieri ſuper res certas, ut determinat Conc. ſeſſ. 7. c. 7. de reformat. et tamen illo ipſa res non abdicatur, neque transfertur, etiamſi fiat ejus aſſignatio.* Et n. 22. ibi: *Sat enim eſt, congruam hanc deberi ex fundo illo aſſignato; ſeu demonſtrato, ut neque hic caſus adverſetur ſupradictæ definitioni.* In tantum, quod, ut capellaniæ, nedum legata pia, ſed ut collativæ, et beneficia eccleſiaſtica judicentur, ſufficiunt in dotem reditus ſimplices, quoties ordinarii erectionem, et inſtitutionem habeant, Rott. recent. q. 14. dec. 249. n. 3. ap. Jo. Emerix. dec. 98. n. 3. ibi: *Quod non verſemur in ſimplici legato miſſarum, aperte denotant erectio, et conſtitutio ordinarii, per quas legatum efficitur beneficium eccleſiaſticum, tametſi teſtator aſſignaſſet ſimplices reditus pro celebratione miſſarum.*

Nec contrarium convincitur ex doctrinis Piton. alleg. 34. de jur. patr. n. 20. ibi namque deficiebat *dotis* aſſignatio; quæ ſane qualitas eſſentialis eſt ad beneficium eccleſiaſticum conſtituendum; et alleg. 49. n. 9. et 10. (quæ etiam ex adverſo citabatur) quod ibi reſolutum eſt, *dotis* deſignationem ſecum trahere ſpiritualitatem bonorum, pro quo diverſos recitat AA. qui reſolvunt dumtaxat, dotis certæ et perpetuæ deſignationem eſſentialiter neceſſariam fore, ad beneficium eccleſiaſticum conſtituendum; quod equidem eſt, quod Piton. ſtatuere loco citato voluit; debet enim intelligi juxta mentem DD. ab eo ibidem laudatorum, Roman. conſ. 211. n. 5. Delben. de immun. c. 10. dub. 16. n. 33. Torr. de pact. l. 1. c. 6. n. 21. Franc. var. c. 16. n. 190. Imo, dato, quod præcit. Piton. reſolutio foret ea, quæ ex adverſo prætenditur, minime prævaleret adverſus id, quod in contrarium à S. Rott. deciſum oſtenſum eſt, cujus deciſiones tanta apud omnes nationes auctoritate pollent, ut eas pro legibus omnes accipiant, Altim. de nullit. rubr. 10. q. 214. n. 40. Saminiat. contr. 47. n. 47.

Adverſus autem additamentum ex adverſo, quo, ſcilicet, adeo certum eſt, quod dominium harum capellaniarum bonorum ad eccleſiam non tranſeat, ut bona ea collectari poſſint, et de facto collectentur, et, deficientibus adminiſtratoribus, regiæ coronæ devolvantur; quod quidem ita haud eveniret, ſi capellaniæ illæ forent beneficia eccleſiaſtica, &c. reſpondebat, bona illa collectari quidem poſſe, eo quod remanerent bona laicalia; non enim dominium illorum tranſferebatur in eccleſiam, ſed dotis dumtaxat in eorundem reditibus inſtitutæ, et deſignatæ (quocum onere ad quemlibet tranſit adminiſtratorem); proindeque ſola pars illa redituum dotem reſpiciens collectari nequibat, Moſtaz. de cauſ. pi. l. 2. c. 7. n. 11. Neque ex hoc ſequitur, quod capellania illa taliter collectabilis ſit *ſimplex legatum*, et non capellania collativa: nam ſi bonorum illorum dominium ad eccleſiam tranſiret, vel ſimplex miſſarum legatum forent, vel capellania collativa minime collectari valerent, Paſqual. de ſacrif. nov. leg. q. 1036. n. 7. Moſtaz. dict. cap. 7. n. 12.

V. 3. Objectationi alteri, quod, ſcilicet, bona illa à capellanis non adminiſtrarentur, ſed à perſonis aliis, ex quorum manibus capellani recipiebant, quod in miſſarum eleemoſynam conſignatum erat, &c. reſpondebat cum deciſione Rott. recent. p. 18. tom. 1. dec. 48. n. 17. ibi: *Conſideratio autem, quod fructus dentur abbati, et monachis, ut provideatur capellano, indubio quidem argumentum præſtare poteſt, ut capellania dicatur legatum cum adminiſtratione bonorum, ac deputatione ſimplicis ſacerdotis cum certo ſtipendio annuo; ſecus autem, quando concurrunt alia ſigna, eccleſiaſtici beneficii pariter reputantur.*

Nec contrarium convincebatur ex doctrina Piton. alleg. 31. n. 3. et alleg. 87. n. 11. ibi namque ſolum loquitur, quando beneficium, aut capellania, fundatur in bonis ipſis, non vero in reditibus ſimpliciter; imo præcitatus A. ibi fatetur, capellanias illas eſſe quidem eccleſiaſticas ex certa dotis conſignatione; ex defectu cujus etiam Fargn. ex adverſo etiam citatus, p. 2. can. 21. caſ. 1. n. 7. negat capellaniam beneficii eccleſiaſtici rationem ſortiri, non vero ex defectu tranſlationis dominii.

VI. 4. Adverſus rationem ulterius ex adverſo objectatam, ex defectu devolutionis harum capellania-

rum

rum ordinario in omissione præsentationis patroni intra terminum mensium à jure præscriptorum, Trid. sess. 24. de ref. c. 18. respondebat, 1. Negando assumptum, videlicet, quod hæ capellaniæ ordinario non devolvebantur; quod et experientia ipsa confirmabat. Resp. 2. Devolutionem ipsam non esse de essentia beneficii, ut visebatur in ordinibus regii patronatus beneficiis; imo in reliquis licite quidem possunt omnes institutores beneficiorum in erectione illorum, cum ordinarii licentia, cavere, quod, in ab ipsis noviter instituto beneficio, non detur devolutio, Fargn. de jur. patr. p. 2. c. 27. cas. 3. n. 13. et si devolutio, beneficii naturæ foret essentialis, talis conditio non admitti posset, cum nulla conditio, beneficii essentiæ contraria, admitti valeat, Petr. tom. 1. ad const. un. Calixt. II. sess. 2. n. 111. Cleric. de benef. disc. 28. n. 8. Rott. cor. Pamphil. dec. 54. n. 8.

VII. 5. Defectui observantiæ solemnitatis c. *Admonet*, de renunt. non servatæ in demissionibus harum capellaniarum ab eatum retentoribus, ex adverso objecto, qua ex inobservantia inferre conabatur præfatas capellanias beneficia ecclesiastica non esse; respondebat, 1. Conquerens, nullum lapidem evasisse, etiam minus veritate firmatum, quem contradictor, ad præsentium ordinandorum legitimitatem demoliendam, non commovisset. Resp. 2. Negando factum objectum; cuncta namque harum capellaniarum demissiones factæ fuerunt servata forma cit. c. *Admonet*, interveniente, scilicet, ordinarii prælati, per suum ecclesiastici senatus tribunal, auctoritate ad renuntiationem effectuandam, ex quo qualitas beneficii ecclesiastici dignoscitur, Fargn. cit. p. 5. c. 9. cas. 2. n. 3.

Et in exclusionem alterius objectionis, quod, scilicet, capellaniæ præmissæ nil *seminario* solvebant, ut tenerentur, si beneficia ecclesiastica extarent; respondebat, 1. Non solvere de facto, sed solvere teneri, si ad id astringerentur; defectus autem hujusce actualis constrictionis provenibat, vel ex eo, quod earum dos erat missarum stipendium, vel quod institutæ fuerant post ecclesiarum, ac beneficiorum taxationem. Resp. 2. Solius hujus solutionis defectum minime sufficere, ut præmissæ capellaniæ, reliquis essentialibus concurrentibus requisitis, beneficia ecclesiastica non judicentur, juxta inferius ostendenda.

VIII. 6. Quibusdam decisionibus, et allegationibus ex adverso objectis, satisfaciebat, 1. Dec. 101. Amat. Dunozet. et aliam Mantiss. ad lib. 13. ap. Deluc. dec. 5. agere tantummodo de capellaniis laicalibus, quas institutores expresse noluerunt ecclesiasticas instituere; decisio enim Dunozet. cit. quam etiam affert Donat. Ant. de Marin. lib. 1. c. 35. à n. 2. et ejus additionator, Car. Ant. Deluc. melior. 36. et de lin. leg. a. 24. n. 40. agit de quadam capellania, cujus institutor capellano facultatem concesserat ad successorem sibi nominandum, et quod sic continuaretur: hæc autem capellania juris repugnantiam habet rationi beneficii ecclesiastici; cum de jure nec episcopus, nec beneficiatus aliquis, potest sibi in beneficio successorem eligere, c. *Cum beneficio*, cum duob. seqq. caus. 8. q. 1. Lotter. de benef. l. 1. q. 3. n. 38. Deluc. ad Marin. d. mel. 36. n. 5. et delin. leg. d. n. 40. Successio etenim in beneficiis non admittitur, c. 1. *De conceff. præbend.* Trid. de ref. sess. 25. c. 7. Rott. recent. p. 2. dec. 778. n. 2. Decisio autem Mantiss. procedit in capellania certam dotem non habente, et quæ, præter alios essentiales defectus, collata fuerit minori 14 annorum, contra decr. Trid. de reform. sess. 23. c. 6. Vivian. de jur. patr. l. 6. c. 16. n. 7. Deluc. de jur. patr. disc. 20. n. 3.

Instantiæ autem contradictoris, videlicet, quod ministri ecclesiastici has capellanias non conferunt, *ut beneficia*, sed *ut patrimonia*, ad firmiorem securitatem, quod quidem ex Themud. dec. 189. probare intendebat; reponebat sapientiss. apologista, Themud. cit. loc. non agere de qualitate simplicis legati, aut capellaniæ ecclesiasticæ, aut sæcularis; sed tantum agere de qualitate, vel summa reditus legati sufficiente ad patrimonium. Et certum omnino est, institutionem, aut præsentationem patronorum, qualis præsens est, non admitti, nisi in beneficiis collativis, c. *Auctoritate*, de instit. Pit. de jur. patr. alleg. 31. n. 18. ibi: *Institutio ad præsentationem non datur, nisi in beneficiis collativis*, Farg. cit. p. 1. c. 6. cas. 3. n. 2. Neque talis institutio, aut collatio, requiritur in capellaniis, quæ simplex legatum sunt, Mantiss. ad Cardin. Deluc. d. lib. 13. dec. 5. n. 3. ibi: *Quia, cum ex his, quæ inde circumferebantur, dicta capellania visa fuerit potius simplex legatum pium cum onere missarum, non autem beneficium ecclesiasticum, opus non erat Francho institutionem ab ordinario reportare.*

Nam in capellaniis laicis, ut resolvit Gonz. ad reg. 8. gl. 5. n. 35. *Neque episcopus habet in talibus capellaniis jus instituendi, seu destituendi*; et multo minus in terminis, quibus collatio necessaria non foret, si capellaniæ beneficia non extarent, ut resolvit Rott. ap. Mantiss. d. l. 13. d. 16. n. 14. ibi: *Nam in hujusmodi capellaniis laicalibus non est à sacr. canonibus statutum tempus, neque est necessaria præsentatio coram ordinario habente facultatem instituendi; sed plenum jus illas administrandi confertur per solam nominationem, seu deputationem factam à patronis, quibus ex lege fundatricis competit jus nominandi; nec ordinarius habet in eis jus instituendi, seu destituendi.*

Et cum subjectæ capellaniæ conferantur ordinandis per institutionem canonicam, per impositionem pili, præcedente fidei protestatione, et juramento, ad formam c. *Ego enim*; certum remanet, quod *ut beneficium*, et non mere *ut patrimonium*, conferantur, Cleric. de benef. disc. 7. n. 8. ibi: *Cumque capellania, de qua agitur, conferatur per institutionem ordinarii, prævia patronorum præsentatione; negari non potest, eam esse beneficium ecclesiasticum.*

Nec talis institutio necessaria erat, ad hoc, ut in patrimonium designarentur, cum ad id sola sufficeret donatio patronorum, durante vita ordinandorum, ad patrimoniorum securitatem, Scoppa ad Tabr. l. 1. expl. 27. n. 20.

IX. 7. Obtrusioni ex adverso, quod præsentes collationes à provisoribus, sive vicariis generalibus in spiritualibus, non sufficiebant ad capellanias in beneficia erigendas, ex defectu potestatis; respondebat ex Rott. ap. Pamphil. dec. 396. n. 8. et ap. Mantiss. ad Cardin. Deluc. l. 13. dec. 47. n. 10. ibi: *Minus efficit altera nullitatis exceptio ex eo petita, quod fundatio confirmata fuerit à vicario generali, qui absque speciali episcopi mandato tali potestate non pollet, cum erectio beneficii, ex qua resultat juris patronatus reservatio, non nisi ad habentem jura episcopalia spectet, Rott. dec. 99. n. 9. et dec. 111. n. 1. et 2. coram Royas. Etenim responderunt DD. præsumendum esse vicarium habuisse requisitum mandatum episcopi.*

X. 8. Pro alio requisito essentiali beneficii, quod, scilicet, conferri deberet à persona ecclesiastica; subjectæ autem capellaniæ quandoque à patronis laicis collatæ fuerant; reponebat sapientiss. apologista doctrinam Pallad. de benef. tr. 13. disp. 1. p. 6. n. 2. ibi: *Quod si constet, aliquando ordinarium contulisse, aliquando patronum absque ordinario, reputandæ sunt ecclesiasticæ; tum quia in casu dubio ecclesiæ favendum est; tum quia credi non debet ordinarium interposuisse auctoritatem suam, nisi id licite facere posset, velut fundatione, vel ex patronorum consensu*, Mostaz. de caus. pi. l. 3. c. 2. n. 19. et 20. ibi: ergo, contrariis observantiis existentibus, censenda est capellania ecclesiastica; provisiones namque contrariæ patronorum, provisionibus ordinariorum obviantes, furtivæ judicantur, quamdiu non probetur, fuisse factas cum ipsorum ordinariorum scientia, Mostaz. cit. n. 20. ibi: *Quod si patroni aliquando sua auctoritate capellania investierint absque episcopo, clam et furtive id fuisse; et probare debent factum esse sciente ordinario.*

XI. 9. Adversum objectum aliud ex defectu pacti in conferentia beneficii ecclesiastici secundum decreta adducta à Piton. de jur. patr. alleg. 67. n. 34. respondebat, defectum pacti in beneficiis ecclesiasticis esse quidem de essentia (alias celatio simoniaca evadet); in laicalibus vero capellaniis, esse de honestate dumtaxat; et hoc tantum est, quod ex allegatis decretis convincitur.

Ulterius contrarium assertum, ex voluntate institutoris, refutabat ex expressa doctrina Pal. tr. 13. de beneficiis, disp. 1. p. 6. n. 3. Panimoll. dec. 21. n. 13.

n. 13. et 24. Cevall. commun. q. 282. n. 28. Piton. d. alleg. 47. n. 18. ibi: *Tertio, Quod nunquam requiſiverit conſenſum ordinarii, nihil concludit, ſeu potius non excludit eccleſiaſticitatem capellaniæ, quando alia concurrunt ſigna eccleſiaſticitatis, et agitur de fundatione relicta per ultimam voluntatem; hoc enim caſu, cum actus ſit in fieri, habendo oculos ad tempus poſt mortem teſtatoris, quo capellania effectuari debet, teſtator non præſumitur voluiſſe excludere, quoties erigi mandavit capellaniam ad certum altare, ubi non ſolet fieri erectio, niſi prævia auctoritate ſuperioris; nec ſufficit omiſſam fuiſſe mentionem conſenſus ordinarii ad excludendam qualitatem eccleſiaſticam; ſed requiritur ejus poſſeſſiva excluſio, Pàlao. tract. 13. de benef. diſp. 1. punct. 6. n. 3. Panimol. dec. 21. n. 13. et 24. Cevall. comm. contr. commun. q. 282. n. 28.*

XII. Si autem inſtitutor diſponeret, quod adminiſtratores in capellaniis à ſeipſis erectis nominâſſent; hæc inſtitutio, ſecundum à jure ſtatuta, in ſubjecta materia accipienda foret, ex doctrina Piton. d. alleg. 87. n. 19. ibi: *Verum omnia prædicta non prohibent, erigi poſſe capellanias in titulum collativum, et beneficialem, ſi executores teſtamenti declarent, mentem teſtatoris talem fuiſſe, vel quod ejus voluntas non ſit contraria huic erectioni.*

Talis namque erectio magis ac melius inſtitutoris voluntati accommodatur, ut melius bona conſerventur in perpetuam capellaniam erectæ, Piton. d. alleg. 87. n. 20. Garc. de benefic. p. 1. c. 2. n. 108. Panimol. d. 21. n. 24. Moſtaz. d. l. 3. c. 2. n. 11. et 12.

Repugnantiam autem ulterius ex adverſo allegatam, ut capellaniæ præmiſſæ beneficia evaderent, ex eo, quod inſtitutores onus miſſarum dumtaxat in eis curârunt, nullam *beneficii* mentionem facientes, quod quidem ex deciſione 1717. coram Lancel. ap. Piton. d. alleg. 49. n. 32. probare nitebatur; diluebat, 1. Quod cit. deciſio, non in objecta conjectura, ſed in aliis diverſiſſimis, apud ipſam videndis, fundabatur. 2. Quia, adhuc non conſtante de teſtatoris voluntate, onus miſſarum ordinatarum poteſt ab epiſcopo in beneficium erigi; per hoc enim non contra voluntatem teſtatoris operatur, ſed in melius illa erigitur, et firmatur, Moſtaz. cit. l. 2. c. 7. n. 17. ibi: *Si vero memoria miſſarum, ſeu anniverſarium exequendum ſit poſt mortem teſtatoris, verum non conſtet de voluntate illius, ſi non repugnet, erigi poterit in beneficium ab epiſcopo; iſtud vero non eſt agere contra ejus voluntatem, ſed memoriam miſſarum in melius erigi.*

XIII. Et pro ſubjectis capellaniis ſufficiebat obſervantia erigendi eas in beneficia, ad hoc, ut ipſa legata, ſive miſſarum onera, in capellanias collativas inſtitui poſſent, Paſqualig. de ſacrif. q. 1043. n. 1. Alph. de Leon. de offic. capellan. q. 5. ſeſſ. 11. n. 171. præſertim cum inſtitutores hoc onus perpetuarum miſſarum nomine *capellaniæ* deſignare ſoleant: vocabulum autem *capellania*, ex natura ſua, beneficium eccleſiaſticum ſonat, Piton. cit. n. 5. ibi: *Vocabulum quippe capellaniæ, de ſui natura, ſonat beneficium eccleſiaſticum, et excludit qualitatem laicalem.*

Moſtaz. d. l. 3. c. 2. n. 11. ibi: *Et probatur; nam quoties apponitur verbum capellaniæ, ex vi illius verbi intelligitur capellania eccleſiaſtica, à cujus ſignificatione recedendum non eſt*, Rott. recent. p. 19. dec. 335. n. 24. Ac proinde ſufficit, quod inſtitutores in ultima voluntatis diſpoſitione ſuæ dicant, *ſe capellaniam inſtituere*, ut ex verbis ipſis judicetur, ſe ad illius erectionem, in beneficium eccleſiaſticum, ordinarii auctoritatem petiiſſe, Panimol. dec. 21. n. 13. Piton. d. alleg. 49. n. 6. *Et præciſe, quod ſufficiat, fundatorem in ultima ejus voluntate inſtituiſſe capellaniam, ut ex tali denominatione capellaniæ cenſeatur auctoritatem ordinarii requiſiviſſe.*

Præterquam, non ſolos fundatores, *patronos* nuncupari, ut ex adverſo effutiebatur, ſed inſuper eos, qui in jus patronatus ſuccedunt, vocabular. utriuſque juris, verb. *Patronus*; ibi: *Patronus, ſecundum canones, dicitur ille, qui habet jus præſentandi aliquem ad beneficium eccleſiaſticum.* Imo, quod capella laicalis, de conſenſu patroni, ſine contradictione voluntatis inſtitutoris, Moſtaz. cit. l. 3. cap. 2. n. 25. ibi: *Deinde capellania laicalis, ex conſenſu patronorum, poteſt erigi in beneficium eccleſiaſticum, quoties voluntati fundatoris, prout diximus in anniverſariis, l. 2. c. 7. à n. 15. erectio illa non repugnaret.*

Pal. d. tr. 13. diſp. 1. pu. 6. n. 13. Gonſ. ad reg. 8. gloſſ. 5. n. 58. Et pro ſolo conſenſu patroni pugnat doctrina citat. Piton. alleg. 24. n. 33. *Eo ipſo, quod patronus præſentavit, vita durante, ſufficienter declaravit poſſe præſentatum ad titulum capellaniæ ordinari, dum conſenſus patroni requiritur ad effectum, ne ordinatus removeatur, eo quod, accedente, poteſt quis ordinari ad titulum hujus capellaniæ.* Et infra, verſ. *Ego puto*, ſic ait; *Si tamen patronatus eſſet hæreditarium*; *nam alias non poſſet epiſcopus ordinare, etiam accedente conſenſu patronorum.* Quod etiam tradunt Bordon. de legat. c. 6. n. 37. Moſtaz. cit. l. 3. c. 1. n. 1.

XIV. 10. Intentum contradictoris, quod collatio, et inſtitutio, non reſpiciebat beneficium eccleſiaſticum dumtaxat; nam *etiam collatio habetur pro donatione*; quod probare intendebat ex Gonſ. ad reg. 8. gl. 4. procem. n. 53. in c. *Poſtulâſti*, de conceſſ. præbend. n. 5. refellebat cum diſtinctione: ſic enim verbum *Collationem* latiſſime uſurpabat; poterat ejus intentum aliquem locum habere; ſin autem ſtricte, ut impræſentiarum, debebat uſurpari, pro rigoroſa collatione, et inſtitutione beneficii, patroni coram ordinario, præcedente præſentatione, et præſentato ipſo genuflexo coram ordinario fidei profeſſionem emittente, et juramentum præſtante, juxta præſcriptum c. *Ego autem*, de jur. jurand. et poſtea prælato ordinario, vel ejus vicario, proviſum ipſum, ſive præſentatum, inſtituente cum teſtibus, et teſtimonio, ſive inſtrumento authentico hujuſce ſolemnitatis; hæc ſola eſt propria, ſtricta, et rigoroſa inſtitutio beneficiorum, quam affert Vivian. de jur. patr. lib. 13. c. 4.

Quare collatio hæc alteri collationi, aut inſtitutioni, quæ canonica et beneficialis non ſit, adaptari nequit; neque inſuper illa rigoroſa collatio reputari poteſt *ſimplex emiſſio* in poſſeſſionem capellaniæ: cum enim ſubjectæ capellaniæ præſentatæ ſint à patronis, juxta expreſſam, aut tacitam, voluntatem teſtatorum, minime hæc inſtitutio ſimplex in poſſeſſionem emiſſio dici debet, Rott. recent. p. 18. dec. 48. n. 7. et 8. ibi: *Et hæc inſtitutio non poteſt impropriari pro ſimplici emiſſione in poſſeſſionem; quia teſtator voluit præcedere factum præſentationis capellaniarum, et ſubſequi inſtitutionem capituli; quæ propterea verificari non poteſt, niſi in vera inſtitutione canonica.*

XV. Rationi autem ſuperadditæ, quod, ſcilicet, collationes non mutant naturam beneficiorum; et probationi adductæ ex Rott. recent. dec. 263. n. 4. et 320. n. 4. ſatisfaciebat, oſtendens deciſiones adductas procedere in caſu diverſiſſimo; nempe in quadam permutatione quarundam præpoſitarum ab epiſcopo collatarum, quæ tamen ſpiritualitatem annexam non habebant, nec certam dotem; imo, ſecundum propria ſtatuta, præpoſituræ illæ quamplures circumſtantias alias, beneficio eccleſiaſtico eſſentialiter repugnantes, habebant, apud cit. Rott. videndas.

XVI. 11. Objecta pariformiter refutabat oſtendens, ut probetur qualitas, et natura beneficii, ultimo illius ſtatui attendi debere, cap. *Cum de beneficiis*, de præbend. in 6. Rott. ap. Coccin. dec. 844. n. 16. et dec. 910. n. 10. et adeo, ut ſolus ultimus ſufficiat ad collationem, aut inſtitutionem, bona fide factam, ſuſtentandam, ac manutenendam, etiamſi de poſſeſſione, aut ſtatu anteriori contrario, conſtet, Mantiſſ. ad Cardin. Deluc. l. 13. dec. 34. n. 4. ibi: *Secus autem, ſi agitur de pertinentia collationis, vel quaſi poſſeſſione eligendi, ſeu præſentandi juxta cenſuram tex. in cap.* Conſultat. *de jur. patr. quia tunc ſola quaſi poſſeſſio, et ultimus ſtatus, ſufficit ad ſuſtinendam collationem, ſeu proviſionem, bona fide factam, etiamſi conſtet de anteriori poſſeſſione contraria, vel de actu anteriori adverſativo legitimo præſcripto.*

Pariformiter aliud objectum ex diſpenſationibus nuntiaturæ petitum, quas quidem contradictor concedi dicebat hac tacita conditione, *ſi preces veritate nitantur*; ex quo inferre volebat, quod ex diſpenſationibus illuſtriſſimi nuntii Portugalliæ pro præſentibus ordinandis, ut extra tempora, et interſtitiorum

termino

termino non adimpleto, ordinari poſſent (quod equidem pro ſolis beneficio arctatis facere poteſt) non inferebatur, præfatas capellanias beneficia eſſe, &c. cum diſtinctione etiam rejiciebat, admittens conditionalem illam in gratiis *non in forma gratioſa conceſſis*, quæ equidem non niſi prævia juſtificatione conceduntur, Rott. recent. p. 15. dec. 160. n. 4. Roſ. de executor. 1. p. addit. ad c. 7. n. 10. non ita verò in gratiis *in forma gratioſa conceſſis*; hæ namque, non præmiſſa juſtificatione, executioni mandantur, Roſ. cit. n. 11. et ſuperadditum, quod abſque diſpenſatione illa, reapſe valida, et oratoribus contracta, ut abſurdum refutabat conſequenter, ex contraventione manifeſta conſtitutioni Pii II. incipienti, *cum ex ſacrorum*, Pax Jord. tom. 1. l. 3. tit. 6. n. 400. Ventrigl. prax. ann. 44. n. 18.

XVII. 12. Denique ex doctrina Piton. cit. alleg. 31. n. 8. ibi: *Præmiſſa enim vulgata theorica Abbat. conſ. 47. lib. 2. quod, nempè, ut conſtituatur beneficium eccleſiaſticum, quinque debent concurrere: 1. ſcilicet, Erectio auctoritate ordinaria: 2. Quod habeat aliquid ſpiritualitatis annexum: 3. Quod ſit conferendum clerico: 4. Quod conferri non poſſit, niſi ab eccleſiaſtica perſona: et, 5. Quod ſit perfectum, Pirrh. Conrad. prax. benef. l. 1. n. 12.* ibi: *Primum eſt, Quod beneficium ſit epiſcopali auctoritate fundatum: Secundum, Quod habeat aliquid ſpiritualitatis annexum: Tertium, Quod conferatur ab eccleſiaſtica perſona: Quartum, Quod conferatur clerico: Quintum, Quod ſit perpetuum. Quare, ſi unum tantummodo ex prædictis requiſitis deficiat, profectò beneficium eccleſiaſticum dici non poteſt; ſed omnia ſimul requiſita prædicta concurrere debent: ubi enim plura requiruntur ad eſſentiam formalem alicujus rei, uno deficiente, nihil dicitur actum*, Gonſal. ad reg. 8. gloſſ 5. n. 7. et ſeqq. Rodoer. addit. ad Marſt. c. 36. à n. 1. Vivian. de jur. patr. l. 1. cap. 1. à n. 61. Demonſtrabat omnes illas quinque qualitates eſſentiales ad beneficii rationem (quas etiam Piton. cit. n. 18. ſufficere fatetur) reperiri in capellaniis ſubjectis: *Prima*, videlicet, *Qualitas erectionis* (et in aliqua illarum illico in prima ipſius inſtitutione) ex conſenſu patronorum, citra contradictionem voluntatis teſtatoris.

Secunda etiam, *Spiritualitatis annexæ*, reperiebatur in certo onere miſſarum, pro quo Piton. d. alleg. 49. n. 18. ibi: *Sexto, Famulatur onus ſpirituale miſſarum, alterum requiſitum beneficii eccleſiaſtici, quod unitum cum erectione, deſignatione altaris, denominatione capellaniæ, et conſtitutione dotis, ſine dubio efficiunt infallibilem, et univocam ſubſtantiam capellaniæ in titulum collativæ.*

Rott. recent. p. 4. dec. 571. n. 1. Panimol. dec. 21. n. 23. Pamphil. dec. 87. n. 1. quæ quidem ad noſtrum caſum terminantiſſima eſt; nec neceſſarium eſt onus precum divini officii, ut ex adverſo prætenditur; ſed ſufficit disjunctive, vel onus miſſarum, vel precum; Rodoer. d. c. 36. n. 4. ibi: *Quarto, Quod habeat annexum aliquid ſpirituale, ut miſſam celebrare, vel divinum officium recitare.*

Tertia inſuper qualitas, Quod, ſcilicet, à clericis conferantur, etiam in his collationibus, clericis in minoribus inſignitis ad titulum patrimonii collatis, reperiebatur.

Quarta præterea, Quod ab *eccleſiaſtica perſona conferantur*, etiam inſpiciebatur, eo quod ab ordinario per inſtitutionem canonicam collata erant.

Quinta, denique, Quod *in perpetuum*, et cum dote certa, aliæ ſexaginta, aliæ quinquaginta mille regalium, conferatur; quæ quidem qualitates ſubſtantiales potius, quam aliæ, attendendæ ſunt, ex doctrina Piton. cit. alleg. 33. n. 33. ibi: *Ad dignoſcendum naturam beneficii attendendæ ſunt potius qualitates ſubſtantiales, et eſſentiales, quæ ad illud conſtituendum debent concurrere, ut dictum eſt*, Mantiſſ. ad Cardin. Deluc. l. 13. dec. 5. n. 18. ibi: *Sane, cum ad dignoſcendam naturam beneficii attendi debeat eſſentia, et qualitas ſubſtantialis, quæ requiritur ad illius conſtitutionem.*

Et ſolummodo, quando beneficium *deficit in eſſentialibus*, non intrat diſpoſitio c. *Cum nullus*, ut ad illius titulum quis ordinari poſſit, Ventrigl. prax. ann. 23. § 1. n. 12. p. 1. ibi: *Si ergo beneficium deficit in eſſentialibus, non numeretur nomen beneficii; et conſequenter in eo non militat diſpoſitio præſentis cap.* Cum nullus, *loquens ſimpliciter de beneficio; quæ intelligenda eſt definitio juxta formam juris; et habens ſuas partes eſſentiales.*

Præſertim, cum reliquæ qualitates beneficii in ſubjectis capellaniis etiam reperiuntur; videlicet, illarum *inſtitutio* per vocabulum *Capellania*, et cum deſignatione *certi altaris*, ex quibus inſtitutio veri, et eccleſiaſtici beneficii colligitur, Piton. d. alleg. 49. n. 2. ibi: *Erectio ordinata ad certum altare manifeſtiſſime demonſtrat voluntatem erectionem capellaniæ eccleſiaſticæ, et verum beneficium collativum.* Et infra ibidem: *Quod ſolum erigi dicitur ad altare ſub invocatione alicujus ſancti, non autem legatum pium cum onere miſſarum, cui omnino repugnat erectio facienda in certo altari.* Et n. 19. cum Moſtaz. d. l. 3. c. 2. n. 8. ibi: *Unde colligo, ſimiles capellanias dicentes, ut ad titulum illarum quis ordinetur, eccleſiaſticas eſſe; quia certum eſt titulum, ad quem quis debet ordinari, debere eſſe beneficium, aut capellaniam eccleſiaſticam.*

Et dicta diſpoſitio c. *Cum nullus*, adeo locum habere in caſu noſtro dignoſcitur, ut etiam ſubditus alienus habens capellaniam eccleſiaſticam ad nutum amovibilem, quamvis non ad illius titulum, attamen ad titulum patrimonii ordinari poſſit, Antonell. de jur. cleric. l. 1. p. 3. c. 32. n. 4. Garc. de benef. p. 2. c. 4. n. 3. Pirth. prax. l. 4. c. 5. n. 37. cum quibus Antonell. ſupr. ibi: *Reſpondeo, Quod non ſolum poteſt ordinari ab epiſcopo, in cujus diœceſi habet beneficium, ſed etiam ab alio, de ejus licentia; nam dimiſſoriæ ritè, et rectè, concedi poſſunt ab ordinario beneficii, c.* Cum nullus, *ubi DD. de tempor. ordinat. in 6. quod procedit, etiamſi poſſideret in diœceſi capellaniam ad nutum amovibilem, dummodo inſtituta fuerit auctoritate epiſcopi: quia caſu verè eſt beneficium.* Et ibidem: *Notandum tamen eſt, quod clericus non poteſt ad titulum talis capellaniæ ordinari; quia titulus ad hujuſmodi effectum debet eſſe perpetuus, ex Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 2. ſed illius ratione poterit promoveri ad alium titulum, velut ad titulum ſufficientis patrimonii.*

XVIII. 13. Tandem in excluſionem incurſus cenſurarum, quas contradictor, epiſcopum ordinantem ex ignorantia, imo et ex fraude, ac dolo, effectivè contraxiſſe; temere vocitabat; rejiciebat imprimis auctoritatem Pignatell. à contradictore in confirmationem adductam, tom. 9. conſ. 189. n. 88. ex diverſitate longiſſima caſus, qui erat, unius quidem beneficiati, ad titulum beneficii in diœceſi epiſcopi ordinantis conſiſtentis, ſed abſque inſtitutione, et poſſeſſione illius, juxta quandam *erroneam opinionem* Panimol. dec. 139. generaliter reprobatam; et in noſtro caſu non verſamur in opinione, ſed in veritate certa ab omnibus DD. ſtabilita, et in Rott. finaliter judicata, cit. dec. 87. Pamphil.

Deinde, juxta communem DD. opinionem, etiam in his, quæ judex ſcire tenetur, poſſe dari ignorantiam invincibilem, palam oſtendebat ex doctrina Paſſerin. cum multis ad c. *Cum ut animarum*, de conſt. a. 12. n. 142. ibi: *Communior tamen ſententia affirmat, poſſe dari ignorantiam invincibilem etiam eorum, quæ ad cujuſcunque ſtatum et officium pertinent.*

Præſertim, ſi ignorantia fuerit juris dubii, Rott. ap. Coccin. tom. 2. dec. 1181. n. 5. et ſufficere ignorantiam probabilem ad excuſandum epiſcopum, ſubditum alienum ordinantem, cum Navarr. Ricc. et aliis, reſolvit Cappon. diſc. 108. n. 38.

XIX. In excluſionem vero fraudis objectatæ, proferebat ſapientiſſ. apologiſta doctrinam Moſtaz. cit. l. 3. c. 3. n. 14. ibi: *Ergo ex ſola capellania, aut beneficio tenui, rectè ſubditus eſt illius; et conſequenter ordinari valet abſque dimiſſoriis proprii epiſcopi*, Cappon. d. diſc. 108. n. 8. Ventrigl. p. 1. ann. 23. n. 10. Garc. de benef. p. 2. c. 4. n. 9. Barb. ad Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 8. n. 22. Diana. coord. tom. 2. tr. 5. reſ. 50. § 2. et adhuc pro beneficio tenui ſic tradunt Antonell. de loc. legali, l. 1. c. 6. n. 30. et 31. Pax Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 83. et 84. Deluc. ad Marin. tom. 1. mel. 220. n. 1. ibi: *Siquis in diverſis diœceſibus poſſideret beneficia ab unoquoque illarum antiſtite, promoveri poterit ad ordines, etiamſi in una diœceſi alterum ex dictis bene-*

beneficiis ſit ſimplex, vel tenue, et in alia diœceſi ſit pingue, vel cum onere reſidentiæ, Antonell. de loc legal. lib. 1. *c.* 6. *n.* 30. *et* 31. *Pax Jordan. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 83. *et* 84.

Nec contrarium probabat Barb. ex adverſo allegatus de poteſt. epiſcopi, alleg. 4. n. 45. qui ibidem de *beneficio tenuiſſimo* dumtaxat loquitur; tenuiſſimum autem beneficium eſt, quod tantum quatuor ducatos aureos, ſive *cruciatos*, habeat pro reditu, Antonell. de jur. clericor. l. 1. p. 3. c. 31. n. 7. Nec pariformiter Fagn. in c. *Omnis*, de pœnit. et remiſſ. Panimoll. tom. 9. conſ. 189. n. 90. Ventrigl. tom. 1. ann. 23. § 1. n. 11. qui omnes loquuntur de quærentibus beneficium per fraudem notoriam, vel quia à proprio epiſcopo rejectus eſt, vel rejici timet ratione imperitiæ, vel ex alio defectu.

Imo, adhuc in caſu obtinentis beneficium per fraudem, ad hoc, ut ad titulum illius ordinetur, contrariam opinionem ſolidis fundamentis tenent Dia. d. tract. 5. reſolut. 54. cum Bard. in ſelect. l. 3. q. 3. ibi: *Sed, ut verum fatear, ratio iſta apud me vim non facit; quia jure ſuo utens, nequaquam fraudem committere videtur, ut habemus in reg. jur.* 56. *et colligitur ex l.* Quod, *et ex l.* Flavia, § Plane, *ff. de liber. homin. exhib. nam bona, et mala intentio, quamvis faciat ad fugiendum, vel patrandum peccatum, nequit tamen irritare actum externum, ſi aliunde actus ille in jure ſuſtinetur; quia intentio eſt actus occultus, et internus; et ideo, ſi actus externus non eſt contra juſtitiam, &c.* Et ibid. *Proinde, ſi lex canonica ſtatuit, epiſcopum illius loci, in quo eſt beneficium in ordine ad hunc effectum promovendi, eſſe legitimum, et proprium; et cum unicuique liberum ſit inſtituere beneficia eccleſiaſtica in quacunque diœceſi; non video, cur intentio illa occulta fugiendi juriſdictionem epiſcopi domicilii poſſit tollere juriſdictionem ab epiſcopo beneficii ea intentione fundati, et illicitam reddere promiſſionem factam ab epiſcopo beneficii.*

Idem tenent Leand. de ſacram. tom. 2. tr. 6. d. 8. q. 19. ibi: *Sed æque probabiliter reſpondeo, Poſſe epiſcopum dictum clericum, cui beneficium contulit, licite ordinare; quia jus ſolum requirit, quod quis beneficium legitime obtineat, ut, ratione illius, ad ordines promoveri poſſit: nec diſtinguit, quo fine, aut ratione, quis illud obtineat: ergo nec nos diſtinguere debemus. Nequid obſtat fundamentum contrarium; dicendum enim nullo modo in fraudem legis facere, qui utitur jure ſuo. Fermoſin.* &c.

Fermoſin. ad tex. in c. *Quoad tranſlat.* 11. de temp. ordin. q. 6. n. 22. ibi: *Dicens, ut poſſit epiſcopus conferendo beneficium ei, qui alias ejus ſubditus non eſt, valide ordinare, nec facere fraudem legi, qui utitur jure ſuo.* Martin. de S. Joſeph. monit. confeſſ. l. 1. tr. 4. de ord. n. 10. Paſſerin. ad d. c. *Cum nullus*, tit. 3. n. 70. Torreſil. exem. tr. 1. q. 6. ſect. 3. 75. et ſufficiebat probabilis opinio tantorum DD. ad excuſandum ordinantem, atque ordinatos, ab effectivo cenſurarum incurſu. Atque tandem, ad omnem dubitationis rationem excludendam, ſufficiebat diſpoſitio bullæ *Speculatores* Innoc. XII. permittens ordinationem in aliena diœceſi ad titulum beneficii cum congrua ſufficienti; pro quo literæ teſtimoniales dumtaxat de vita et moribus requiruntur, ut de habilitate conſtet ordinandi, Ventrigl. 1. p. ann. 23. § 1. n. 19.

Imo ſufficiebat earundem literalium teſtimonialium juſtificatio per documenta æquivalentia eundem effectum, ac propriæ prudentiæ, ut per illas præcitatæ conſtitutionis requiſito fieret ſatis, l. *Siquis mihi bona*, § *Siquis mandav.* ff. de acquir. hæredit. l. fin. § fin. *Mandati*, l. *Gallus*, § *Siqui tantum*, ff. de liber. et poſth. Rott. diverſ. 1. p. dec. 267. n. 6. Mantiſſ. ad Deluc. l. 6. ſup. conflict. leg. dec. 3. n. 7. Quinimo, etiam dato, quod prædictæ literæ furtivæ forent; non per id cum illis ordinati incurrebant pœnas ordinatorum abſque literis, Ventrigl. p. 1. ann. 23. § 2. n. 35. Et ſufficiens erat, quod ipſi ordinati prædictas literas ſufficientes reputarent, Pal. de cenſur. d. 4. pu. 10. n. 4.

XX. Ultimo, concludebat adverſus contradictorem, et præſentem apologiam claudebat, oſtendens, non deſignante inſtitutore locum miſſis capellaniæ peragendis, pertinere ad ordinarium deſignationem, Fragoſ. de regimentis, p. 2. l. 10. d. 21. § 4. n. 34. et in loco ab ordinario aſſignato, judicari debere capellaniam erectam, Lotter. de re benefic. l. 1. q. 13. n. 127. Rott. dec. 9. de præbend. in antiq. et, ne ulterius cum nimiæ diffuſionis nota progrederetur, proferebat tandem ſententiam Xyſti philoſophi: *Brevis ſit in ſermonibus ſapiens; indicium imperitiæ ſit longa narratio.*

LIBER

LIBER QUINTUS.

Proferuntur variæ ALLEGATIONES Miſcellaneæ in variis Controverſiis, atque Conſultationibus, apud A. excitatis.

ALLEGATIO CXXXI.

Liturgica, ſive Cæremonialis in Controverſia Præcedentiæ cum Prorege Goano in Eccleſia.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Ordo de jure cæremoniali ad recipiendum principem magnæ potentiæ.*
III. *Diſtinctio inter proceſſiones ordinarias, et extraordinarias.*
IV. *Conſonat ordo thurificandi principem magnæ potentiæ, qui ſuperiorem non agnoſcit.*
V. *Proregi in India in primo acceſſu fit receptio ex conſuetudine, quaſi principi ſupremo.*
VI. *Hoc indebitum obſequium perperam, et injuſte, proreges aliqui ampliare affectârunt.*
VII. *Diſtinctio ex cæremoniali inter primam receptionem, et alias.*
VIII. *Tres differentiæ inter utraſque receptiones.*
IX. *Alter injuſtus proregum conatus.*
X. *Injuſtior, et deteſtabilior aliquorum ſæcularium domus Miſericordiæ proviſorum.*
XI. *Aliqua graviora damna ex præſulum condeſcendentia conſecuta.*
XII. *Superbus conatus proregum:*
XIII. *Ad ſimilitudinem imperatorum Græcorum, etiam intra eccleſiam.*
XIV. *Exempla aliqua præſentis archiepiſcopi ideæ ſuffragantia.*
XV. *Fundamenta archiepiſcopi ex praxi, et conſuetudine.*
XVI. *Ex ipſomet cæremon. Romano.*
XVII. XVIII. *Duplex confirmatio ex principali ſubjecto actionis, et ex ipſo ſtylo Goanæ diœceſis.*
XIX. *Fundamentum aliud ex damnis emergentibus.*
XX. *Et ex graviſſimis indecentiis.*
XXI. *Corroborantur ex generalibus juris diſpoſitionibus.*
XXII. *Quanta eſt inter ſolem, et lunam, tanta inter Pontifices, et reges, differentia.*
XXIII. *Conciliaris diſpoſitio Tridentina, et Lateranenſis.*
XXIV. *Suffragatur jus civile apud Pignatell.*
XXV. *Dubium, et conſultatio S. Congregationi propoſita.*
XXVI. *Deciſio S. Congregationis pro eccleſia Seguntina.*
XXVII. *Stylus de facto eccleſiæ Goanæ pro venia in concionibus captanda.*
XXVIII. XXIX. *Quid de jure inſit ex dubio, et conſultatione formali, deprehenditur infr.*
XXX. *Deciſio S. Congr. in una Forolivienſi.*
XXXI. *In materia præcedentiarum, S. Congregationis deciſionibus eſt omnino deferendum.*
XXXII. *Deciſio Caroli V. in hac controverſia in favorem archipræſulis Neapolitani.*
XXXIII. *Conſuetudo in contrarium, in hac materia, nequit præjudicare præeminentiæ prælatorum eccleſiaſticorum.*
XXXIV. *Conſuetudo, ut minor præferatur majori, eſt irrationabilis.*
XXXV. *Epiſcopus in propria diœceſi, qui omnes præcedit, à nemine (neque etiam à metropolitano) niſi à Summo Pontifice, aut ejus legato, pro concione veniam captat. Et Summus Pontifex à nemine abſolute, neque ab ipſo imperatore, ſi adeſſit.*
XXXVI. *Conſtantinus imperat. in Concilio Nicæno, ſedit, et ſubſcripſit, poſt epiſcopos.*
XXXVII. *Sedes dominorum temporalium in eccleſia debet collocari extra preſbyterium, et cum totali inferioritate, reſpectu ſedis epiſcopi.*
XXXVIII. *Laudatur pietas, ac religio, auguſtiſſimi monarchæ Joannis V.*
XXXIX. *Remedia inſinuata pro conciliatione juris utriuſque partis.*
XL. *Inter moleſtas anguſtias, ad eas vitandas, poſſe videtur introduci uſus captandi veniam cruci archiepiſcopali ad latus altaris manifeſtæ, et qua ſalutatione.*
XLI. *Hoc arbitrium nec jure, nec exemplo, deſtituitur.*
XLII. *Effectus ex hac providentia conſequendus ex prudentia Philippi Prudentis.*
XLIII. *Regia reſcripta ſuper hac controverſia.*
XLIV. *Diplomata regia ſuper præcedentia epiſcoporum privative quoad gubernatores Africæ, et Americæ.*

I. MOS eſt antiquus in ſede primatiali Goana, adveniente neo-prorege, et in publico ſolemni ingreſſu prima vice ad primatialem eccleſiam, pro debitis Deo gratiis perſolvendis, greſſum dirigente, ut archiepiſcopus pluviali mitraque paratus eum ad januam eccleſiæ aſperſurus recipiat, et ad lævam ſuam proregem congradientem ad altare majus ducat, orationes ibidem juxta præſcriptum pontificalis Rom. titulo, *De receptione principis magnæ potentiæ*, decantaturus, et poſtremo populum ſolemniter benedicturus. In aliis vero occaſionibus, ac functionibus eccleſiaſticis, quibus proreges primatialem eccleſiam adibant, ut ultimo anni die pro publica, ac ſolemni gratiarum actione, atque ſanctiſſimi Corporis Chriſti feſto, proceſſioneque ſolemni, et Dominicis Quadrageſimæ ſacris concionibus adſtituri, aliiſve actionibus, nunquam archiepiſcopi nec parati, nec non parati, eos recipiebant; ſed aliquidumtaxat de corpore capituli, in ſuo habitu canonicali, abſque alia cæremonia, præterquam aquæ benedictæ aſperſionis.

Cum autem, occaſione ſolemnis gratiarum actionis in eadem primatiali eccleſia à ſenatu urbico Goano pro felici natalitio ſereniſſimæ infantis principiſſæ Braſilienſis peragendæ anno 1736. prorex actualis eidem ſolemni actioni adfuturus, et Turcam quendam ab archiepiſcopo, ſacro baptiſmatis fonte, intra miſſarum ſolemnia abluendum patrocinare, ac de fonte levare cogitâſſet, voluit conſequenter, ut archiepiſcopus ſolemniter, ac ſacris veſtibus pro miſſa pontificaliter celebranda paratus, eum ad januam eccleſiæ eodem ritu, quo in primo ſolemni ingreſſu, recipere dignaretur, æſtimans hunc honorem ſibi ex proregis charactere debitum, quemadmodum regi ipſi perſonaliter, et publice, in eccleſia patriarchali Ulixbonenſe, ſacris actionibus adſtituro, exhibebatur; ſuperaddens eum, nonniſi, ne regiæ, quam ipſe repræſentabat, auctoritati derogari in aliquo videretur, id affectare; inſimulque ſuadens archiepiſcopo, ut una cum eo hac de re ſereniſſimum, ac religioſiſſimum regem Joannem V. ſigillatim conſulerent; cui tandem ultimo de conſul-

conſultatione arbitrio archiepiſcopus annuit, minime primo de nova ſolemni réc ptione intentatæ prætenſioni aſſentiens, niſi cum modificatione inferius exprimenda, tum ex ſtylo, atque ex jure ipſo cæremoniali, tum ob varia graviaque inde reſultantia inconvenientia.

Quæ omnia ſereniſſimo regi per tribunal eccleſiaſticum menſæ ordinum faciens præſentia, atque exponens, poſt veram, ſummariamque, facti narrationem:

Sect. I.

II. Dicebat archiepiſcopus, de jure cæremoniali expreſſam adeſſe diſpoſitionem pontificalis Romani, 3. p. titulo, *Ordo ad recipiendum proceſſionaliter perſonas inſignes*; et, dato, quod etiam prætendatur comprehendi proregem nomine *principis magnæ potentiæ*, de quo idem pontificale, p. 3. tt. 3. ibi; *Ordo ad recipiendum proceſſionaliter principem magnæ potentiæ*; attamen obſtare videtur, 1. Explicatio DD. ſuper pontificali Rom. ſcribentium, ut Bauldr. p. 2. c. 19. in fin. ibi: *Cum autem magnus princeps, aut principiſſa, loci domini, ſuperiorem non habentes in locis ſuæ ditionis, ad eccleſiam pervenerint*, &c. Prorex autem in India nec eſt dominus loci, nec ſuperiorem non habens, cum ſuperiorem habeat, et agnoſcat ſereniſſimum regem, qui loci dominus eſt, et cujus nomine Indiam moderatur.

III. Accedit Byſſus diſtinguens inter proceſſiones ordinarias, et extraordinarias; verb. *Proceſſio*, aſſerit cum Durando, de iſtis, § 2. n. 221. *Secundi generis ſunt illæ, quæ vel fiunt deſiderio principis loci, vel juſſu epiſcopi, Durand. loc. ſup. cit.* ubi, nomine *principis loci*, videtur eadem acceptione, qua Bauldr. uſurpare principem dominum loci, qui ſuperiorem non habet, nec agnoſcit.

IV. Obſtare videtur, 2. Diſpoſitio conformis cæremonialis Rom. 1. p. c. 23. de *ordine thurificandi*; ibi: *Quo vero ad laicos, dominus loci, princeps magnus, non cognoſcens ſuperiorem.* Et c. 24 ibi: *Legatus autem, aut princeps ſupremus* (ad quæ Bauldr. cit.): et titul. *de aſperſione aquæ benedictæ*, c 8. p. 2. ibi: *Si adſit aliquis princeps, non habens ſuperiorem, aut principiſſa, in loco ſuæ juriſdictionis temporalis.*

V. Quibus tamen diſpoſitionibus non obſtantibus, neque quod prorex in India non ſit *princeps ſupremus, ſuperiorem non cognoſcens*, vicarii apoſtolici, qui auctoritate Pontificia primi Goanam diœceſim, antequam in illa proprii epiſcopi extarent, gubernârunt, de facto conſueverunt, in primo ſolemni ingreſſu publico proregis, cum ad januam eccleſiæ primatialis parati recipere, aſpergere, et ad majorem capellam (prorege ad lævam vicarii inſimul gradiente) proceſſionaliter conducere, ibique reliqua perſolvere, quæ citi. titulo cæremonialis continentur.

VI. Ex hoc tamen obſequio, et ſingulari occaſione, perperam, et injuſte, aliqui proreges, veluti à paritate, archiepiſcopos cogere affectârunt ad conſimilem receptionem, quoties in aliis occaſionibus ad eccleſiam, non proceſſionaliter, et ſolemniter, ſed quaſi particulariter, aut private, vel concionibus adſtituri, vel proceſſiones conſociaturi, accedebant; ſed inefficaciter; tum quia ex ipſo cæremoniali *ordo* ille eſt *ad recipiendum proceſſionaliter principem*; non vero ad receptionem etiam non ſolemnem, neque proceſſionalem; tum quia, à paritate, ipſimet epiſcopi, et archiepiſcopi, dempta prima vice, qua proceſſionaliter, et ſolemniter, in eorum ſolemni ingreſſu, in cathedrali recipiuntur, in reliquis occaſionibus extra viſitationem eccleſiaſticam generalem, non eiſdem cæremoniis, ac formalibus ſolemnitatibus, proſequuntur, ſed ſimplici comitatu vel totius capituli, ſi deferant capam conſiſtorialem, vel aliquorum dumtaxat canonicorum, ſi non deferant, juxta S. Congregationis declarationes, de quibus Gav. Andrad. et alii

VII. Tum, denique, ex diſtinctione ipſiuſmet pontificalis, ac cæremonialis Romani quoad utrumque modum recipiendi etiam principes ſæculares: nam in primo ſic ait, loc. cit. *Clerus proceſſionaliter ei obviam venit . . . genuflexus oſculatur crucem, quæ per prælatum ſibi porrigitur.* In ſecundo vero, quamvis ſupponat principes ipſos ſæpe in eccleſia divinis officiis adſtantes, ut 1. p. c. 13. 23. et 24. et 2. p. c. 18. ac 25. nil ſimile, neque conſimili formalitate receptionem decernit; ſed Bauldr. dumtaxat, 2. p. c. 19. ſic tradit: *Cum autem magnus princeps, aut principiſſa, loci domini, ſuperiorem non habentes in locis ſuæ ditionis, ad eccleſiam accedunt, miſſam, aut officium divinum audituri, ſuperior illius eccleſiæ, ſive rector, præpoſitus, aut parochus, cotta indutus, cum aliquo ſic indutо, vas aquæ benedictæ habente, adſtantibus quoque aliis de clero, eum excipiet, et oſtium eccleſiæ ingredientem, factis opportunis inclinationibus, aſperget*, &c.

VIII. Ubi, in hoc ſecundo modo receptionis non ſolemnis, et veluti privati reſpective ad primum ſolemnem, tres quidem differentiæ adnotari debent: 1. Quod non ſit *proceſſionalis*. 2. Quod non ſit facta cum baldachino, crucis deoſculatione, antiphonis, verſiculis, orationibus, et aliis ſolemnitatibus, quibus receptio primo modo perficitur. 3. Quod, declarante cæremoniali, miniſtrum primæ receptionis eſſe quidem prælatum civitatis, vel territorii; ibid. *Ad aliquam urbem, vel oppidum, venit . . . per prælatum porrigitur . . . prælatus vero aſcendit*; et expreſſius in fine; *Prælatus, ſi ſit archiepiſcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et benedicit*, &c. minime actionem ſecundæ receptionis epiſcopo, vel prælato urbis, aut oppidi, committit, ſed parocho, aut ſuperiori illius eccleſiæ particularis ſimpliciter, cui princeps, aut principiſſa divinis officiis adſtitura accedit; ibi: *Superior illius eccleſiæ, ſive rector, aut parochus*, &c.

IX. Et notabilius quidem eſt, quod quando proreges in India ſimul proviſoris domus Miſericordiæ miniſterium exercent, et feria 5. majoris hebdomadæ proceſſionem ejuſdem domus comitantur, cum qua primatialem eccleſiam ingrediuntur, exoptant, imo et ſuggerunt (ſed præſenti tempore incaſſum) neduni, quod et chorus, et pſalmodia interrumpatur, et taceat, quoad proceſſio ipſa cathedralem eccleſiam ingrediatur, et egrediatur, verum et quod archiepiſcopus ipſe, deſerto choro, ad januam eccleſiæ deſcendat, proceſſionem ſodalitatis Miſericordiæ, et ipſum proregem proviſorem recepturus, et aſſociaturus, cum non ut prorex, ſed ut proviſor in ea actione ſane incedat, contra manifeſtum jus, et rectum rationis ordinem, alleg. 70. dub. 34. ad 36. extenſum.

X. Deteſtabilius autem, et turpius quidem, eſt, quod proviſores aliqui ejuſdem domus, meri ſæculares, et nullo charactere prorogentiæ, aut gubernii ſæcularis, etiam præteriti, condecorati, ad eandem receptionem, atque aſſociationem, archiepiſcopos ipſos cogere affectârunt; quinimo etiam in propria eccleſia cathedrali præcedentiam indubiam eiſdem diſputantes, in ea ipſa actuali concomitatione intra eccleſiam, archiepiſcopos præcedere volebant, eos una ſimul ſecum, ad lævam tamen, deferentes; inaudita temeritas, rationi ipſi, et multiplici juri, adverſa! de quo alleg. 70.

Nec referebat unum, vel aliud, quod ex adverſo allegabatur, exemplum alicujus præteriti archiepiſcopi, qui cum uno proroge anteacto aliquando conſimilis receptionis obſequium, vel dependentiæ alicujus, vel majoris mali vitandi cauſa, arbitrarie exercuiſſet: nam, præterquam quod *actus arbitrarii*, et facultativi, nec juriſdictionem, nec poſſeſſionem inducunt, c. *Cum eccleſia Sutrina*, Dec. conſ. 75. Ciarl. l. 3. c. 231. n. 24. *Legibus, non exemplis, judicandum*, l. *Sed licet*, ff. de offic. præſid. l. *Nemo*, cod. de ſent. et interloc. omn. jud. c. 1. de poſtul. prælator. Surd. conſ. 34. Menoch. conſ. 996. Thomaſet. reg. 110.

XI. Et ex hacmet ipſa condeſcendentia non minora, ſed multo graviora damna pullulârunt. Ex ea namque, de malo in pejus ruendo, tranſierunt proreges ad impiam pertenſionem archiepiſcopalem dignitatem in omnibus minuendam, demittendam, ac vilipendendam, propriæque auctoritati viceregiæ ſubmittendam, cum hujuſce irrationabili, et irreligioſa ſuper illam elevatione, atque extollentia, ſacrilege ſolicitantes, jam ut baldachinum archiepiſcoporum, etiam in eorum eccleſia cathedrali, vel ſede primatiali, ad præſentiam prorogis demitteretur, vel deprimeretur, imo totaliter amoveretur; jam, quod in menſa ordinum pro cauſis eccleſiaſticis equitum triplicis ordinis militaris tertia inſtantia decidendis, et pari-

pariformiter in conciliis pro rebus ſtatus diſponendis, quibus archiepiſcopi ex conſuetudine, imo ex jure ipſo, allegat. magna, 70. dub. 34, 35, 36. et alibi laudato, una ſimul cum proregibus in eadem linea, licet ad ſiniſtram, ſub eodem baldachino conſedere ſolent, non intra, ſed penitus extra baldachinum, et remotius, imo poſterius ad ſedem viceregiam aſſiderent; jam alia plura in archiepiſcopalis dignitatis depreſſionem ſæpe machinantes, ut colligitur ex ipſiſmet regiis reſcriptis, 10. Januar. 1708. 13. Februar. et 27. Mart. 1709. infra tranſcriptis, n. 42. et ſeqq. et ex aliis, alleg. 70.

XII. Similiter prorex alter, dum concionator quidam regularis ordinis prædicatorum in concurſu proregis cum archiepiſcopo in eccleſia Goana D. noſtræ de Monte Carmello, die et feſtivitate S. Tereſiæ, veniam in concione à ſolo archiepiſcopo captaret; id adeo ægre prorex tulit, ut capiti galerum ſtatim vigoroſe infigens, toto concionis tempore torva facie, vultuque iracundo ac fævo, perſiſtens, poſtmodum totam Dominicanam communitatem, etiam dum pro religioſa ſatisfactione tribuenda eum ſupplex et humilis adiret, dure direque affecit, et increpavit:

XIII. Æmulante in hoc aliqualiter Indiano prorege, Græcorum imperatorum genium, de quibus, cum antea non eis intra preſbyterii crates ingredi liceret, paulatim ſeſe ita intromiſerunt, ut Gonſal. Tell. in c. 1. de vit. et honeſt. clericorum ſic enarret, n. 13. *Sed eo pervenit Græcorum imperatorum ſuperbia, ut cancellos eccleſiæ penetrare, et cum preſbyteriis ſedere, et offerre ambirent. Nec eorum ambitio huc ſiſtebat; ſed plura etiam epiſcopalia munera uſurpabant . . . . Imo et titulo ſancti ſalutabantur.*

Hæc omnia præſens, et ſubjectus prorex ponderaverat; et prudenter ac juſte rationabilem, et bene fundatam, archiepiſcopi repugnantiam fatebatur; præſertim objecto duplici nuperrimi Lateranenſis Concilii decreto, tt. 16. c. 1. et 2. (quod quidem prorex ipſe circumſpecta attentione perlegit) ubi decernitur pro epiſcopalis dignitatis honore, et celſitudine, quod infra tranſcribitur, n. 23.

XIV. Quibus quidem decretalibus diſpoſitionibus maxime ſuffragabantur aliqua exempla in ſpecie, tum proregis alterius, qui cum illuſtriſſimo archiepiſcopo Goano D. Emmanuele Souſio Meneſio in eadem cathedrali infantem à ſacro baptiſmatis fonte levaturus concurrens, neque ab eo conſimilem receptionem exegit, neque ullam præcedentiæ, imo et qualitatis prætenſionem objecit; nam cum archiepiſcopo parato cathedra ad fontem baptiſmalem adhiberetur pro actionibus in pontificali Rom. tit. *De baptiſmo adultorum*, peragendis; prorex nec cathedram ſibi etiam permiſit afferri, nec ullo modo, etiam ſedente archiepiſcopo, conſedit, ſed ſemper pedibus ſtans functioni illi, quoad perageretur, religioſe adſtitit; tum etiam immediate præcedentis proregis, qui cum præſenti archiepiſcopo ſæpe in aliquibus functionibus eccleſiaſticis, jam conſecrationis epiſcoporum, jam ſolemnis gratiarum actionis, tum annalium pro beneficiis ipſo anno acceptis, tum regalium pro regiis principum noſtrorum natalitiis, et regum noſtrorum victoriis, et triumphis aliquibus feliciter partis, nil aliud ab archiepiſcopo efflagitavit, quam quod ſacris jam veſtibus indutus foret, cum ipſe ad eccleſiam perveniret, neque aliam aſſociationem, niſi aliquorum canonicorum, à reliquis in habitu canonicali ſejunctorum (uno ex his, etiam non parato, aquæ benedictæ aſperſionem faciente) expoſtulavit.

Attamen, cum ſubjectus prorex, etſi pondera rationum pro parte archipræſulis agnoſcens, ſæpe proteſtaretur, eum nil aliud vereri, quam quod ſereniſſimus rex Luſitanus hanc ipſius annuitionem, aut acquieſcentiam, quaſi aliqualiter regiæ auctoritati (quam ipſe præferebat) diſſonam æſtimaret; et illius fundamenta inſiſtentiæ ad duo dumtaxat redigebantur; videlicet, alterum à paritate primæ ſolemnis receptionis in primo proregum ingreſſu, et adventu; alterum vero à paritate regiæ reſolutionis pro venia in concionibus proregi captanda; operæ pretium erit, quicquid de jure, ac de facto, huic duplici puncto inſit, ſingillatim exponere.

Sect. II.

Quoad primum punctum, ac fundamentum, à paritate primæ ſolemnis receptionis.

XV. Allegabat pro ſe archiepiſcopus ſolidas ſequentes rationes: primam; Quod quamvis prorex non veniat nomine *principis magnæ potentiæ, ſuperiorem non habentis*; attamen de facto dabatur conſuetudo, et praxis generalis, omnium fere anteactorum archipræſulum Goanorum, qui proreges, in primo ſolemni ingreſſu, juxta præſcriptam formam cæremonialis Romani ſuſceperunt. Conſuetudinem autem generalem inducere privilegium, ex jure ipſo conſtat, c. *Cum contingat*, de for. compet. ub. gloſſ. verb. *Conſuetud.*

Hæc autem conſuetudo, et uſus, ne quidem particularis, alicujus archiepiſcopi parati, aderat, nec adducebatur pro receptione ſecundo modo pertenſa ab aliquo archiepiſcopo exercita: neque hæc amplianda erat ad terminos primæ receptionis; tum quia præter legem, imo et contra legem, incedebat; et quæ exorbitant à jure, vel à lege, non ampliantur ad caſus non expreſſos, neque identicos, ex reg. *Quæ à jure*, 28. de reg. jur. in 6. ub. gl. Card. Petr. to. 5. in c. 10. X, ſt. IV. n. 16. tum quia erat odioſa, et legi, et dignitati archiepiſcopali, et oneroſa, ac gravoſa, ipſi muneri prælativo. Odia autem, et gravamina, potius reſtringenda, quam amplianda ſunt, l. *Odia.*

XVI. Secundam: Quod etiam in terminis diſpoſitionis Rom. cæremonialis, pontificaliſve, erga *principes magnæ potentiæ, non habentes ſuperiorem*, receptio eorum, ultra primam ſolemnem, non competit prælato diœceſis, aut territorii, ſicut prima ſolemnis, ſed vel parocho, aut ſuperiori privato illius privatæ eccleſiæ, in qua receptio fit (quemadmodum, in eccleſia primatiali Goana, ſecundæ receptiones proregum ipſorum, aut ſtatus gubernatorum, ex ſtylo pertinent decano, qui ex regimine capituli, c. *De decano*, parochus incedit eccleſiæ cathedralis; et illi, ut tali, incumbit cura animarum ipſius privatæ paroeciæ); ut ſupra oſtenſum eſt ex ipſiſmet cæremoniali ac pontificali citatis, 1. et 2. p. et ex Bauldr. p. 2. c. 19. et adnotatis ſuperius, n. 3.

XVII. Confirmabat hanc rationem, 1. Eo quod, in primo caſu primæ receptionis ſolemnis, actio, ſive functio, fit principaliter pro ipſo prorege, et in ordine ad illum, ſive intuitu illius, aut reſpective ad ipſum principaliter; et ipſe in illa actione principalem figuram, aut ſubjectum agit, quatenus debitas grates Deo ſolemniter perſoluturus pro ipſius felici promotione, atque eventu, eccleſiam ſimul cum populo, et nobilibus, proceſſionaliter adit. In caſu vero ſecundæ receptionis, in quo actio fit diverſiſſimo motivo, neque prorex partem in ea habet, ut principalis figura, neque præcipuum agit ſubjectum; cum adſit mere ut aſſiſtens, non vero ut agens, aut exercens præcipuus.

XVIII. Confirmabat, 2. Ex ſtylo ipſiuſmet eccleſiæ primatialis. Nam, quando proreges, ultra primum ſolemnem ingreſſum, eccleſiam illam adeunt divinis officiis, vel eccleſiaſticis functionibus, aut concionibus adſtituri, neque à prælato recipiuntur, nec præmiſſa crucis deoſculatione, neque etiam à capitulo cum pallio, ſed ſimpliciter ab aliquibus canonicis in habitu canonicali, non collegialiter, ſed diſparate, præmiſſa aquæ luſtralis à digniore illorum aſperſione, à quibus etiam abſque cantu, aut alia formalitate, ducitur ad ſacellum, ſive locum pro functioni aſſiſtentia ſibi deſtinatum; quod equidem quater in diſtinctis actionibus cum prorege præcedente *Joanne Saldagna Gamio* practicatum fuerat; quinimo iſtemet, anno 1727, eandem eccleſiam pro gratiarum actione ſolemni ob arcis Mombazæ facilem recuperationem ſolemni pompa, nobilique ac multiplici concurſu, adiens, ſolemni ſacrificio miſſæ, feſtivæque concioni publice adſtiturus, triumphalemque proceſſionem in fine miſſæ publico comitatu aſſociaturus, non niſi à canonicis, tradita formalitate receptus eſt.

XIX. Tertiam: Quod infallibilia erant emergentia damna, et graviſſima inconvenientia, ſæpe ſæpius ex ſimilibus condeſcendentiis exorta, et experta ſignanter cum quodam nupero prorege, cui cum indebite

bite poſt finem evangelii poſt prælatum fieret etiam thurificatio, graviter objurgavit prælatum quendam regularem, eo quod recte, et juxta cæremonialis regulas, non niſi poſt offertorium in miſſa ſolemni ei thurificationem exhiberi juſſit.

XX. Quartam: Ex graviſſima ſane indecentia: nam, ſicut graviter quidem indecens foret, ſi ſacerdos aliquis, etiam in miſſa privata, ex altari, poſt illam cœptam, principem aliquem recepturus deſcenderet; potiori ratione, multo indecentius æſtimabitur, archipræſulem, pontificaliter paratum pro tertia, et immediate conſequenti miſſa ſolemni pontificaliter peragenda poſt ipſam horam tertiæ, pontificali pompa ſolemniter cœptam, proregem ad eccleſiæ januam recepturus deſcenderet, ut prorex affectabat: nam, juxta vulgare illud axioma, *Præcedentia influunt magis in ſequentia.*

Quæ quidem indecentia non reperiri videbatur in hoc, quod præſul ipſe, finita tertia, et ante miſſæ inchoationem, præintonatis antiphonis, et pſalmis pro baptiſmo Turcæ adulti præficiendo, juxta rubricas Romani pontificalis, tt. 12. *De baptiſmo adultorum*, ipſum Turcam catechumenum cum prorege, jam à canonicis prædicta formalitate receptos, et ad ſacellum ſanctiſſimi ſacramenti ductos, ibique coram diviniſſimo orantes genuflexos, archiepiſcopus à majori ſacello ad ipſum cum reliquis miniſtris pontificaliter paratis deſcendens denuo reciperet, et catechumenum ipſum ad lævam ſumens, et à prorege, ut illius patrino, aſſociatum ad ejuſdem dextram, ita ut catechumenus medius incederet inter archiepiſcopum ad ejus dextram, et proregem ad ejus ſiniſtram (quam quidem formalitatem archiepiſcopus præmeditabatur) ad ſacrum fontem pro baptiſmo tandem ſolemniter peragendo duceret.

XXI. Omnes hæ, et aliæ (quas brevitatis ergo miſſas facimus) rationes aliis non minus ſolidis corroborantur ex ipſis generalibus juris deductis diſpoſitionibus; et—

1. Ex c. *Solitæ benignitatis*, de majorat. et obed. quo Papa Clem. III. ad imperatorem Conſtantinum, et ib. Joan. Andr. Hoſtienſ. col. 4 verb. *Scabellum*, et verb. *Siniſtra*, et verb. *Venerabilem*; Bellarm. n. 7. Chaſan. in catal. flor. mund. 4 p. conſ. 25. Leoni. in theſaur. for. eccleſ. p. 1. c. 1. n. 28. cavet præferentiam epiſcopalis dignitatis regiæ, vel imperatoriæ; ſuperaddens ibi: *Quanta eſt inter ſolem, et lunam, tanta inter pontifices, et reges, differentia cognoſcatur.*

Et præterea, c. *Omnes principes*, eod. tit. apud Gregor. et per Bonifac. in extravag. *Unam ſanctam*, eod. tit. et apud Pignatell. tom. 1. conſ. 7. n. 7. Gonſal. Tell. in dd. cap. *Solitæ*, et ſequentia. Qui quidem DD. dum hanc præferentiam etiam extra eccleſiam aſtruunt; potiori jure, intra eccleſiam, atque in actionibus, ac functionibus eccleſiaſticis.

XXII. Cohærent can. *Duo ſunt quippe*, diſt. 96. et ibi Gonſal. Tell. ubi Gelaſius P. imperatori Anaſtaſio ſic effatur: *Honor, et ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares.*

Et ſubſequentes canones ejuſdem diſt. videlicet, can. *Quis dubitet*, c. *Si imperator*, can. *Nunquam*, ead. diſt. 96. c. *Valentinianus*, 93. d. c. *Epiſcopus in eccleſiis*, 95. d. et al.

XXIII. 2. Ex decreto S. Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 17. de reform. ubi graviter docet, atque objurgat epiſcopos aliquos, *qui ſui ſtatus obliti pontificiam dignitatem non leviter dehoneſtant, quatenus cum regum miniſtris, baronibus, aliiſque conſimilibus dynaſtis, ita ſe gerant, ut omnino in epiſtolis, et earum ſubſcriptione, formulis nunquam utantur inferioribus. Atque ſive intra, ſive extra eccleſiam, cum omnibus, uti patres et paſtores, ſe habeant; et ſupra omnes, veluti ſuperiores, locum ſibi ſervent digniorem.* Illiſque expreſſe jubet, ac præcipit, *ut ab hujuſmodi in poſterum ſe abſtineant; mandans eiſdem, ut tam in eccleſia, quam foris, ſuum gradum, et ordinem, præ oculis habentes, ubique ſe patres et paſtores eſſe meminerint; reliquis vero tam principibus, quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia, proſequantur.*

Quod quidem decretum, nuperum Lateranenſe Concilium innovans, tit. 16. c. 1. et 2. ſic ait: *Sui præterea gradus altitudinis, ſummique honoris, ac dignitatis memores, ad infima quæque ſe non objiciant, nimium potiſſime ſæcularium conjuctudine, ac familiaritate deprimentes . . . qui cum regum miniſtris, baronibus, aliiſque conſimilibus dynaſtis, ita ſe gerant, ut omnino in epiſtolis, et earum ſubſcriptione, formulis nunquam utantur inferioribus. Atque ſive intra, ſive extra eccleſiam, cum omnibus, uti patres et paſtores, ſe habeant; et ſupra omnes, veluti ſuperiores, locum ſibi ſervent digniorem.*

XXIV. 3. Ex doctrina Pignatell. tom. 1. conſ. 7. an. 1. ibi: *Quamobrem epiſcopum debere præcedere quoſcunque etiam principes ſæculares in ſua eccleſia, et diœceſi, certi juris eſt, ex notat. in cap. 1. de præb. et per Felin. in rubr. de major. et obed. Abb. in c.* Cum Vintonienſis, *de elect.. et in c.* Venerabilis, *de præb. et in c.* Dilectus, *de conceſſ. præb. Jaſ. in l.* Imperium, *ff. de juriſdict. omn. jud. (et decernit S. Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 17. de ref.)*

Cui quidem diſpoſitioni ſuffragatur etiam jus civile, l. *Nullus, qui nexu*, cod. de decurionibus, l. 16. et l. ad *ſimilitudinem*, cod. de epiſcop. Jaſ. in l. 1. col. 4. ff. *De offic. ej. cui mand.* ibique purpurat. et cæt. ap. Pignatell. ibid. et Bertachin. de epiſcop. l. 1. et l. 4. p. 1. Et in eccleſia nullus eſt ordo major epiſcopali, ut graviter ac vere dixit gl. in proœm. ad 6. verb. *Epiſcopus*; et in c. *Quanquam*, 2. q. 7. ait Pignatell. ibid. n. 1.

XXV. Denique, eodem præſente archiepiſcopo ſequens dubium S. Congregationi proponente; videlicet, *An, aſſiſtente archiepiſcopo parato, vel non parato, miſſæ ſolemni, vel officiis divinis, ſimul cum proprio capitulo, et poſtea accedente prorege, debeat capitulum, quod cum prælato unum corpus efficit, hoc deſerto, proregem ad januam eccleſiæ recepturum deſcendere, et an aliqui tantum de capitulo, et quot?*

Subſecuta eſt ſequens conſultatio pro S. Congregationis deciſione, à famoſo advocato Bondaca, ſub eminentiſſimo Cardinali Petra Ponente, in hunc modum:

CONSULTATIO.

Indubium videtur non licere integro capitulo deſerere ſuum archiepiſcopum pro excipiendo prorege; quia eſſet ſeparare membra à capite, et ſic lacerare corpus; et tenderet in dedecus archiepiſcopalis miniſterii tali pacto penitus derelicti: attamen, ſi conſuetudo obtineat, quod proreges per canonicos excipiantur, poterunt deputari duo, aut tres, prout arbitrabuntur eminentiſſimi judices.

XXVI. Altera S. Congregationis Concilii deciſio pro diœceſi Seguntina videri poteſt ap. Pignatell. tom. 1. conſ. 9. ubi circa dominos aliquos temporales, jus patronatus in aliquibus eccleſiis habentes, et honores, epiſcopis exhiberi ſolitos, ambientes, ſic, 25. Aug. 1587. epiſcopo Seguntino reſpondit: *Quare Congregatio ad amplitudinem tuam ſcribendum cenſuit, non ſolum non decere, ut actus hujuſmodi coram dominis ipſis ullo modo fiant, ſed ne coram quoque principe ſæculari fieri debere; imo vero nec eccleſiaſticis prælatis, epiſcopo minoribus, id tribuendum eſſe, cum ſoli epiſcopo in ſua diœceſi hæc conveniant, et debeantur.*

SECT. III.

Quoad ſecundum punctum, ac fundamentum veriæ captandæ in concionibus.

XXVII. Quod circa hanc rem de facto in Goana diœceſi verſabatur, erat; quod in concurſu proregis cum archiepiſcopo in eccleſia ſacris concionibus adfuturis, concionatores vel à ſolo archiepiſcopo, præſertim, ſi hic paratus erat, vel ab eo una ſimul cum prorege, benevolentiam captabant ſub hac formalitate, *Illuſtriſſimi domini*, vel, *Excellentiſſimi principes*, ut præſens archiepiſcopus, ex veridicis teſtimoniis, ab eo Ulyſſiponenſi curiæ tranſmiſſis anno 1723. ſat conſtans fecit, et fideli traditione adhuc etiam conſtat.

Aſt

Aſt cum archipræſul quidam in obſequium proregis, ejuſdem concioni intereſſentis, elogium commendatitium, antequam concionem inciperet, imo et antequam ſe præſignaret, pro concione habenda è ſuggeſtu efformaret, eo quod ſibi gratiſſimus foret, prorex ipſe obſequium hoc, licet facultativum, tanquam veniæ, ſive benevolentiæ pro concione peragenda captionem reputans, poſtea ſereniſſimo regi atteſtari non dubitavit, de conſuetudine veniæ proregi in concurſu archiepiſcopi captandæ; vi cujus informationis prodiit regium reſcriptum, infra, n. 44. extenſum; ex quo clare etiam conſtat recurſus ſolitarius proregis ad regem, minime archiepiſcopo tunc recurrente, aut pro ſe aliquid allegante, et minime audito; ſi enim plene auditus foret, alia ſane diverſiſſima reſolutio prodiret.

XXVIII. Quod autem de jure ineſt, ſatis in ſequenti dubio S. Congregationi expoſito, et conſultatione ſuper eo, eminentiſſimo Cardinali Petra Ponente, habita, licet ad ultimam deciſionem, adhuc ob cauſam allegat. 70. expreſſam, non perveniente.

DUBIUM,

An, præſente archiepiſcopo in eccleſia, debeant concionatores veniam à ſolo ordinario captare, ſive etiam à prorege, et quatenus affirmative, an eadem venia a prorege capi debeat primo, vel ſecundo loco?

CONSULTATIO.

XXIX. Si loquimur de prioritate veniæ, iſta videtur primo loco petenda ordinario, cum ſit effectus præcedentiæ, quam ordinarius obtinet ſuper ipſum ſæcularem principem abſolutum: honor namque præcedentiæ debetur digniori, quando concurrit cum minus digno: ſi enim actio conſiſtit in ſedendo, honor eſt exhibendus in ſede, gloſſ. in cap. *Statuimus*, de majorit. et obed. Bald. in l. *Decernimus*, cod. de ſacroſanct. eccleſ. ubi ait—*In ſedendo honor conſiſtit, quod dignior à dextris, inferior à ſiniſtris, ſedere debet*—Anon. in cap. *Solitæ*, de major. et obed. ibi—Prælati ſunt ponendi ad dextram, ſæculares ad ſiniſtram, ratione præeminentiæ—Si actio conſiſtat in ambulando, dignitas major ambulare debebit ad dextram, Butr. in d. cap. *Solitæ*, n. 20. verſ. Nota pro Imol. ibi, n. 11. verſ. Et ſic etiam; ſi conſiſtit in loquendo, et dignior prius loqui debet, Eccleſ. xxxii. ibi—*Loquere, major natu; decet enim te*—Si in ſententia dicenda, votumque ſuum reddendo, et dignior præfertur, Præpoſitus in cap. *Epiſcopus*, 17. diſt. col. 2. Si in conſulendo, et ſenioris eſt officium, Rom. ſingul. 81. Si in ſubſcribendo, et prius ſubſcribet ille, qui majori eſt præditus dignitate, Rott. dec. 322. n. 6. par. 6. recent.

Crederem propterea, quod, urgente conſuetudine, quod venia petatur etiam à prorege, talis conſuetudo poſſit ſuſtineri; nec reperi auctorem contrarium ſentientem, vel decretum adverſans: attamen, *ſi conſuetudo eſſet, quod venia primo loco proregi peteretur*, hæc conſuetudo reprobanda veniret; cuilibet enim exhiberi debet honor, ſecundum quod fertur dignitas, et gradus cujuſque; quod nedum dictat ratio decentiæ, ſed etiam jubet juſtitiæ rectitudo, ut advertunt Leonel. de præcedent. homini, quæſt. 1. art. 18. et quæſt. 3. art. 4. propoſ. fin. et eadem quæſtio artic. 8. Chaſſan. in catal. glor. mund. p. 1. conſid. 1. hæc conſulens.

XXX. Favet etiam S. Congregationis deciſio in una Forolivienſi ann. 1656. ap. Deluc. de præeminent. p. 2. diſc. 23. ubi orta controverſia inter capitulum, et magiſtratum Forolivienſem, ſuper triplici dubio circa præcedentiam, aut præeminentiam; videlicet, 1. *Cuinam venia in concionibus captanda foret?* 2. *Cuinam deberetur præcedentia inter ſingulos de utroque corpore, ſeu collegio, reſpective?* 3. Circa *præcedentiam inter aliquos ex canonicis, et ejuſdem civitatis poteſtates? Et in omnibus* (proſequitur Deluc. n. 2.) *de anno* 1656. *pro capitulo, et canonicis, reſpective reſponſum fuit*; ut latius apud eundem continetur.

XXXI. Unde, ſi in concurſu canonicorum, ac magiſtratuum, *collegialiter*, venia capitulo *privative* quoad magiſtratum captanda eſt; imo præcedentia, ac præeminentia *ſingulariter*, canonicis debetur; pariformiter dicendum, ac judicandum, de prælato diœceſano cum prorege concurrente in eccleſia, atque functionibus eccleſiaſticis. Nam, ut ait idem Deluc. ibid. n. 4. *Declarationibus S. Congregationis rituum in hac materia præcedentiarum, ſeu præeminentiarum, omnino deferendum eſſe; frequenter dicit Rott. præſertim in Averſ. Jun. et 3. Jul.* 1606. *coram ſacrat. quæ in propoſita reputatur originaria magiſtralis, et frequenter, ut deciſ.* 214. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *n.* 6. *&c. ap. Celſ. dec.* 6. *n.* 12. *et dec.* 60. *n.* 4. *ap. Othobon. dec.* 46. *n.* 16. *et dec.* 20. *n.* 12.

XXXII. Quod quidem roboratur ex reſolutione Caroli V. imperatoris hanc controverſiam inter archiepiſcopum, et proregem Neapolitanum, in favorem archipræſulis, decidentis, jubentiſque concionatori in quadam, cui intererat, ſolemnitate, ut veniam pro concione facienda, non ab ipſo imperatore, ſed ab archiepiſcopo parato captaret, hanc juſtam ac prudentem rationem adjiciens: *Archiepiſcopus enim, in eccleſia, major me abſque dubio incedit.* Qua etiam nixus ſereniſſimus rex Philip. et Aldephonſ. VI. regia reſcripta infra tradita, n. 42. Africanis gubernatoribus direxerunt.

XXXIII. Nec conſuetudo in contrarium hac in re prævalere poteſt. Nam, cum certum ſit tam de jure, quam de facto, archipræſulem eccleſiaſticum digniorem quidem perſonam evadere prorege ſæculari, præſertim in eccleſia, atque eccleſiaſticis actionibus, ex cit. c. *Solitæ*, et relig. de majorit. et obed. et c. *Duo ſunt*, diſt. 96. et ipſa miſſæ collecta, ubi epiſcopus ſane regi, et imperatori præfertur; conſequens omnino eſt, conſuetudinem quamlibet in contrarium, abuſum indubie reputari debere. Nam conſuetudo, tribuens præcedentiam minus dignis, reputatur corruptela, ex deductis per Gregor. dec. 310. n. 5. et addend. ad eum dec. 124. et paſſim Deluc. de præemin. diſc. 16. n. 11. et diſc. 18. n. 5. et diſc. 24. n. 5. et diſc. 30. n. 14.

XXXIV. Neque conſuetudo illa, caſu, quo circumferretur, præſcribere valeret contra epiſcopalem dignitatem in favorem viceregiæ; *Nam conſuetudo, ut minor præferatur majore, vel poſterior antiquiori, eſt irrationabilis, et impræſcriptibilis*; Fagn. in c. *Cum certum*, de major. et obed. tom. 1. n. 17. quæ tamen conſuetudo, aut uſus aliquis in contrarium pro poſſeſſione proregis Indiani contra archipræſulem Goanum, nullatenus allegari poteſt, cum notorium et evidens omnino ſit, archiepiſcopos omnes poſt regium illud reſcriptum, n. 44. nunquam, et nuſquam, cum proregibus concurriſſe in actione aliqua eccleſiaſtica, qua concio habenda erat, niſi mirabili euchariſtiæ ſacramento, cui venia captari deberet, manifeſto. Imo ab anno 1735. proreges et gubernatores ſemper declinârunt concurrentiam cum prælatis ad conciones, non obſtante præfato regio reſcripto: quod equidem ſatis firmat, veritatem et rationem pro archiepiſcopo extare.

Unde, ſi, juxta jura præmiſſa, concionator in diœceſi præſulis ordinarii, ab eo ubique, etiam *privative* quoad proregem, benevolentiam capere debet; potiori jure intra eccleſiam ipſius cathedralem, et prælato ipſo parato, aut celebrante, ex vulgaribus regulis juris: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis* (de quo etiam philoſophi); et, *Si vincam vincentem te, à fortiori, vincam te.*

XXXV. Præſertim, cum epiſcopus in propria eccleſia, aut diœceſi, à nemine, niſi à ſolo Summo Pontifice, aut ejus legatis (non autem, etiam à metropolitano) benevolentiam pro concione habenda petere, aut capere minime teneatur, ex cærem. Rom. c. 22. p. 1. et alib. ad quod Bauldr. 1. p. c. 10. et 5. p. c. 8. art. 3. et epiſcopus in propria diœceſi reputatur Pontifex, omniumque ſuperior; et ideo omnes præcedit, quamvis ordine, vel dignitate majores, Deluc. de præemin. diſc. 16. n. 3. cum Chaſſan. catalog. glor. mund. p. 4. c. 22. Barb. de jur. eccleſ. c. 13. n. 11. Quemadmodum Summus Pontifex prædicans à nemine, neque etiam ab imperatore, ſi adſit, veniam captat, ex cærem. Pap. ex inſinuata ratione præeminentiæ, et præcedentiæ omnibus.

Quare Conſtantinus imperator in Concilio Nicæno nonnili poſt epiſcopos conſedit, et ſubſcripſit, ut teſtatur Chaſſan. cit. Arſdek. de concil. generalib. hiſtor.

hiſtor. trip. l. 2. c. 5. Pignatell. et alii. Et confirmatur à paritate benedictionis à concionatore pro ingreſſu concionis petitæ, de qua ſic effatur Bauldr. p. 1. c. 10. § 20. *Regulariter concionator à nemine petere debet benedictionem, niſi ab epiſcopo ſolo, aut eo ſuperiore, in qualibet concione; et ſatis id innuit cæremon. ep. l. 2. cap. 18. et 19. nam illo capite præcipit, ut ſermocinaturus petat benedictionem ab epiſcopo præſente, et cap. 19. ſequenti præcipit, ut non petatur, quia tunc abſens eſt. Ideoque non videtur introducenda conſuetudo, ut hujuſmodi benedictio petatur à quoquam, niſi ab epiſcopo.*

XXXVI. Neque obeſt Pignatell. conſ. 7. tom. 1. n. 12. Non enim ibi loquitur de primis honoribus debitis epiſcopis ratione privativæ præeminentiæ, et præcedentiæ reliquis, ſed de aliis, in quorum poſſeſſione ſunt domini temporales, ut n. 16. conſ. 19. ibi: *Solum autem permittitur, quod ſedes laicorum in eccleſia collocari poſſit, ac debeat, extra preſbyterium; quodque, dum præſertim audiunt ſacras conciones ſimul cum epiſcopo, debeat eſſe apud epiſcopum, quæ non ſit major, vel pulchrior, ſede ipſius epiſcopi, ut declaravit S. rituum Congregatio in una Ceruſin. die 3. Octobris 1615. Exigitur autem, quod ſit uno ſaltem gradu humiliori, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non ſit oppoſita ſedi epiſcopali, ut de ſede abbatis habentis uſum mitræ cenſuit eadem S. rituum Congregatio in una Alexandrina S. Petri in Broglio die 7. Februarii 1604. idque de jure. Quia dignitas principis laici, excepta dignitate epiſcopi, cui debetur honor, præcedentia, et reverentia, eſt major qualibet alia, ita ut ipſe quoque in culmine ſedere debeat, et poſt epiſcopum præcedere omnibus aliis, ex diſpoſitione textus in d. cap.* Solitæ, *cum aliis deductis per Altograd. d. conſt. 1. num. 31. 33. et ſeqq. ac præcipue n. 40.*

XXXVII. Omnes haſce religioſas ac decentes moderationes, pie religioſeque obſervatas à regia Chriſtianiſſimaque pietate noſtri ſereniſſimi ac magnifici regis Joannis V. cum generali plauſu et conclamatione, nedum domeſticorum, verum et extraneorum, mirifice conſpicimus, et ſingulariter miramur: dignas equidem quæ et ab omnibus gubernatoribus, ac moderatoribus conquiſtarum, libenter æmularentur, atque amplecterentur, ne hi in varias ac moleſtas vexationes, atque objurgationes abirent, quibus ſæpe ſæpius eccleſiaſticos dure direque impetunt, dum indebitos, etiam regibus ipſis, honores, in eccleſia ſibi expetunt, imo et ſibi deberi effutiunt, etiam poſt regias deciſiones infra tranſcriptas.

Hæc quidem ſummatim ſunt, quæ mihi obiter de jure, et de facto, quoad utrumque punctum, obveniunt. Et quamvis ultimæ ſecundi, pro venia in concione captanda, deciſioni aliqualiter obeſſe videatur regia reſolutio jam prælabita, atque infra, n. 44. tranſcripta; attamen ſequentia remedia ac temperamenta adhiberi adhuc poterant, prout archiepiſcopus reverenter ſuppliciterque inſinuabat.

XXXVIII. Primum erat, Finalis deciſio, ac reſolutio S. Congregationis ex regia permiſſione ſuper dubio, et conſultatione ſupra poſita, n. 29. præſertim cum regia reſolutio infra, n. 44. potius videatur interina, quam finalis, et deciſiva, tum ob qualitatem materiæ, tum ob defectum totalem inauditæ partis intereſſatæ, videlicet, archiepiſcopi ipſius, ut ex reſcripti formalitate colligitur.

Secundum: Quod promiſcue archiepiſcopo, et proregi (non prius proregi præ archipræſule) benevolentia ſimul capiatur, juxta placitum, et formalitatem conſultationis præmiſſæ, n. 29.

XXXIX. Tertium: Quod ſi aliquid obſit in contrarium duplici præmiſſo arbitrio, ſaltem jubere, quod ſicut concionibus habitis feria ſexta in Paraſceve, vel pro doloroſo Virginis martyrio, vel pro Domini corporis funere, ac ſepulcro, vel pro alia conſimili commemoratione poſt detectam S. crucem, ab hac concionatores veniam captant, dicentes: *O crux, ave, ſpes unica!* &c. pariformiter in concurſu proregis cum archiepiſcopo concionatores à cruce archiepiſcopali, quæ in dignitatis archiepiſcopalis inſigne manifeſta aderit, et archiepiſcopos per omnia ſuæ provinciæ loca patens præcedere ſolet, ex Clementin. *Archiepiſcopo*, de privileg. veniam pro concione facienda petere teneantur, ſalutatione illa; *O crux, ave, ſpes unica!* vel illa; *O crux ſplendidior cunctis aſtris!* vel illa; *O crux pretioſa, et admirabile ſignum!* vel alia bene viſa.

XL. Hoc arbitrium nec jure caret, nec rationabilitate, et exemplo; præſertim prænotato Romano cæremon. tit. *Ordo ad recipiendum proceſſionaliter imperatorem*; ubi ſic: *Si vero legatus apoſtolicus imperatorem reciperet, aut cum eo urbem intraret, vel alias ſecum iret, aut equitaret, ille, qui gladium imperatori præfert, et alius crucem legati portans, ſimul ire debent. Crux legati, quia debetur ei latria, erit à dextris, et gladius imperatoris à ſiniſtris.*

Addito ibidem Bauldr. commento, 2. p. c. 19. § 1. ſub fin. ib. *Idem videtur dicendum de cruce archiepiſcopali*: quod quidem ſuadet identitas rationis, et debiti cultus latriæ pro cruce tum legati, tum archiepiſcopi. Exemplo etiam illud firmatur arbitrium, ex providentia P. Eugenii in concurſu atque competentia imperatoris Orientalis, et Occidentalis, de qua Pignatell. tom. 5. conſ. 12. n. 70. ibi: *Modus vero alius inter Eugenium Pontificem, et Jo. imperatorem Conſtantinopolitanum, Ferrariæ, an. 1458. obſervatus fuit. Cum enim in illo conventu Orientalis imperator ſummi loci decus ad ſe pertinere contenderet, neque id concederet Pontifex, ſed magis contra ſui eum eſſe debere juris inſtaret; convenit, ut primus, et ſupremus bonos haberetur codici evangelico; collocato eo in ara maxima: ejus dextram adſideret Pontifex, ſiniſtram Jo. Biſantius imperator. Et quoniam Occidentalis imperatoris etiam ratio habenda erat, placuit ei ſellam imperialem poni juxta Pontificem maximum, ſequentibus deinde eo latere dextro conſeſſibus cardinalium, archiepiſcoporum, epiſcoporum Latinorum, è regione vero Germani Cæſaris conſidere juſſus prope imperatorem ſuum Conſtantinopolitanus patriarcha; atque ita deinceps patriarchæ, epiſcopi, et prælati,* Modices, lib. 2. c. 11. *pandect. triumph.*

XLI. Hæc autem conſimilis regia providentia pro concionatoribus in concurſu proregis cum archiepiſcopo, quod concionatores vel veniam captent ſoli archiepiſcopo *privative* quoad proregem, vel à primo, et ſecundo, *conjunctive*, vel ſaltem cruci archiepiſcopali *ſolitarie*, valde infringeret et infirmaret injuſtam prætenſionem proregum affectantium, quod etiam archiepiſcopi, eorum prælati, ac ſuperiores, concionantes coram proregibus, ab ipſis benevolentiam petant.

Hanc autem providentiam pro Indiis maxime neceſſariam agnovit prudentia regis Philippi II. eligens de induſtria pro diœceſi Goana virtutem ac nobilitatem conſpicuam illuſtriſſimi DD. Alexii Meneſii ad ſuperbum deſpectum nobilium Indianorum, etiam in archipræſules ſuos, retundendum, cum epiſcopos ipſos imperator Conſtantinus in Nicæna ſynodo Deos ſalutaverit, dicens: *Vos Dii eſtis, à vero Deo conſtituti. Ite, et inter vos cauſas veſtras diſcutite; quia dignum non eſt, ut nos judicemus Deos*; can. *Sacerdotibus*, 11. q. 2. Et ſacerdotes etiam regius pſaltes *Deos* appellaverit, Pſ. lxxxi. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum.*

Hæc autem allegatio, die 20. Decembr. ann. 1735. abſoluta, irreſoluta hactenus manſit ex defectu totali recurſus, et informationis proregis, qui variis digreſſionibus diſtractus, ad regem ſuper hac re, ut cum archiepiſcopo paciſcebatur, ex oblivione, ut præſumitur, recurrere omiſit. Vide tamen Antonell. de regim. l. 3. c. 18. ubi, licet, n. 6. dicat, quod in materia præcedentiæ attenditur conſuetudo locorum; attamen, n. 12. ait; Non valet conſuetudo præbens locum digniorem inferiori, ex c. *Cum inferior*, de major. et obed. Ricc. in prax. reſ. 563. et 568.

Regium Reſcriptum.

Carta real de 10. de Janeiro de 1708. ſobre o lugar tocante ao arcebiſpo no conſelho do eſtado.

XLII. RE verendo em Chriſto padre arcebiſpo, primas da India, amigo. Eu el Rey vos envio muito ſaudar. Vioſe a voſſa carta de 12. de Janeiro do anno paſſado, em que vos queixaes de caetano de Mello de Caſtro ſendo V. Rey deſſe eſtado vos tirar o lugar, que ſempre vos fora dado nos conſelhos de eſtado em que tinheis aſſiſtido. E parece

ome

ome dizervos, que ao V. Rey D. Rodrigo da Coſta ſe ordena vos conſerve em o lugar, que ſempre tiveſtes, por ſer aſſim conveniente ao meo ſerviço, e a dignidade, que occupais. Eſcrita em Liſboa, a 10. de Janeiro de 1708. Rey. Para o reverendo arcebiſpo primas da India.

Idem regium reſcriptum 10. *Januarii* 1708. *Latine redditum.*

REverende in Chriſto P. archiepiſcope primas, amice. Ego rex ſalutem plurimam vobis mitto. Viſa eſt epiſtola veſtra 12. Januarii anni præteriti, qua conquerebamini de prorege Caetano de Mello de Caſtro, qui vos privârat debito ac ſolito loco, quo in ſtatus conciliis conſedere conſueveratis. Et vobis reſcribere duxi, proregi D. Roderico Coſtio ordinatum eſſe, quod vos conſervet in loco, quem ſemper obtinuiſtis, eo quod ita expediat et ſervitio meo, et dignitati, quam tenetis. Scriptum Ulyſſipone, die 10. Januar. 1708. Rex. Reverendo archiepiſcopo Indiæ primati.

Secundum Regium Rescriptum.

Segunda carta real de 27. de Março de 1709. *ſobre o meſmo, com mais clareza.*

XLIII. REverendo em Chriſto padre arcebiſpo, primas da India, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſaudar, como aquelle, de cujo virtuozo acreſcentamento muito me prazaria. Vi a voſſa carta de 12. de Janeiro de 1707. em que me daes conta de o V. Rey, que foi deſte eſtado Caetano de Mello de Caſtro haver innovado o lugar, que a vos, e a voſſos anteceſſores, ſe deo ſempre em conſelho de eſtado à mam eſquerda do V. Rey na meſma linha debaixo do docel, paſſando-o fora delle a hum lado do bofete, o que aceitaſtes ſem repugnancia preferindo o ſerviço de Deos, e meo, a eſta injuſta novidade. Ao V. Rey actual ordeno vos conſerve, e a voſſos ſucceſſores no lugar, que ſe practicou atheaqui a ſeu lado eſquerdo, e vos agradeço muito a moderaçam, e prudencia, com que vos houveſtes, que foi muy propria do voſſo zelo, e do acérto, com que em tudo vos portaes. Eſcrita em Liſboa, 27. de Março de 1709. Rey. Para o arcebiſpo primas da India.

Idem regium reſcriptum 27. *Martii* 1709. *Latine tranſcriptum.*

REverende in Chriſto P. archiepiſcope primas, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto; utpote qui de virtuoſa veſtra profectione plurimum congauderem. Epiſtolam veſtram 12. Januar. 1707. qua mihi exponebatis innovationem loci vobis, et prædeceſſoribus veſtris, in conciliis ſtatus perpetuo conceſſi, quam quidem prorex præteritus Caetanus de Mello et Caſtro infecerat, ad latus menſæ cathedram veſtram removeri faciens, quæ tamen ad ſiniſtram proregis in eadem linea ſub eodem baldachino collocari ſemper conſueverat, cui quidem injuſtæ innovationi tunc non repugnâſti, Dei, et meum ſervitium illi præferens, attenter perlegi: et actuali proregi jubeo, ut et vos, et ſucceſſores veſtros, conſervet in loco hactenus ſervato, videlicet, ad illius latus ſiniſtrum: vobiſque gratifico moderationem, et prudentiam, qua vos portâſtis, quæ valde propria, et conformis fuit zelo, et rectitudini, qua in omnibus ſemper agitis. Scriptum Ulyſſipone, 27. Martii 1709. Rex. Archiepiſcopo primati Indiæ.

Tertium Regium Rescriptum.

Terceira carta real de 13. *de Fevereiro de* 1709. *ſobre a venia, e o abatimento do docel.*

XLIV. REverendo em Chriſto padre arcebiſpo, primas da India, amigo. Eu el Rey vos emvio muito ſaudar, como aquelle, de cujo virtuozo acreſcentamento muito me prazaria. Havendo viſto a repreſentaçam, que de novo me fes o V. Rey deſſe eſtado D. Rodrigo da Coſta ſobre aduvida, em que ſe achava por falta de noticia do eſtyllo, que antecedentemente ſe obſervava neſſe eſtado nas prociſſoes da Paſchoa, e Corpo de Deos, em que os V. Reys aſſiſtem juntamente com voſco na ſe acerca de tomarem os prelados a venia aos V. Reys, e ſe abater o voſſo docel. Fui ſervido rezolver, que a venia ſe deve tomar ao V. Rey, por me conſtar ſer eſte o eſtyllo; poremque ſe naô deve abater o voſſo docel; de que me pareceo avizarvos para o terdes aſſim entendido, e ao V. Rey ſe declara o meſmo. Eſcrita em Liſboa, a 13. de Fevereiro de 1709. Rey. Para o arcebiſpo primas da India. Miguel Carlos

Idem reſcriptum 13. *Februar.* 1709. *Latino idiomate verſum.*

REverende in Chriſto P. archiepiſcope, primas, amice. Ego Rex ſalutem plurimam vobis exopto, utpote qui de virtuoſa veſtra profectione plurimum congauderem. Viſa nupera expoſitione ab ipſius ſtatus prorege D. Roderico Coſtio noviter facta ſuper dubio ſtyli antea obſervati (cujus quidem plena carebat notitia) in proceſſionibus Paſchæ, et Corporis Chriſti, in quibus proreges una cum archiepiſcopis in eccleſia primatiali ſolent concurrere, circa veniam in concionibus prælatis captandam, et illorum baldachino demittendo; dignatus ſum reſcribere, quod venia captetur proregi, eo quod hunc ſtylum fore mihi conſtat. Baldachinum veſtrum vero minime deprimatur: quod quidem vobis notum facere habui (et proregi idemmet declaratur) ut meam percipiatis reſolutionem. Scriptum Ulyſſipone, 13. Februar. 1709. Rex, &c.

Provizam ſobre a preeminencia dos aſſentos dos governadores dos lugares de Africa, ilhas dos Aſſores, e mais partes ultramarinas nas igrejas das ditas partes de 1588.

EU el Rey faço ſaber aos que eſte meo alvara virem, que querendo eu dar ordem conveniente, e neceſſaria paraque ceſſem as duvidas, que ſou informado, que os capitaens, e governadores dos lugares de Africa, ilhas dos Aſſores, da Madeira, e S. Thome, e Cabo Verde, e mais partes ultramarinas, movem aos ſenhores biſpos ſobre a precedencia dos aſſentos nas igrejas, e ceremonias aos officios divinos; mandei ver a materia na meza de conciencia e ordens pelos deputados della, e outros letrados, que para eſte effeito ſe juntaram, aos quaes pareceo, que os ditos capitaens, e governadores ſe podem ſentar dentro das capellas mores, emquanto ſe celebrarem os officios divinos, e iſto da parte da epiſtola, e que eſtando os biſpos prezentes ſe lhe fizeſſem conforme o ceremonial Romano todas as ceremonias ſem deminuiçam, eſtando aſſentados no ſeu lugar da parte do evangelho pela ſua dignidade, e lhe ſer devido na igreja toda a reverencia, e reſpeito, e que as que ſe podem fazer aos capitaens, e governadores, como he darſelhe agua benta, incenſo, e pas, lhas façam os miniſtros depois de feitas eſtas, e as mais aos mais biſpos, antes de ſe fazerem ao cabbido; e que em quarta feira de Cinza, e em ſexta feira ſanta a adoraçam da crus, va o cabbido, e mais peſſoas eccleziaſticas tomar Cinza, e adorar a crus primeiro que os capitaens, e governadores por ſer conforme ao dito ceremonial, e o que ſe uza, e deve ſer, e naô haver niſto duvida; e que quando os biſpos forem auzentes, ſe lhe façam as ditas ceremonias de agua benta, incenſo, e pas aos ditos capitaens, e governadores primeiro que ao cabbido, aſſim como ſe lhes haviaô fazer ſendo os biſpos prezentes; e vendo eu o dito parecer, conformando-me com elle, aſſentei ſer ſerviço de Deos, e meo, cumprirſe em todo, como nelle ſe conthem; e paraque eſta determinaçaô, e aſſento ſeja a todos notorio, e fique em lembrança para ſempre, mandey paſſar eſta provizam, pela qual mando a todos os capitaens, e governadores das ditas partes, que guardem, e cumpram inteiramente ſem duvida, nem embargo algum o dito parecer, e aſſento, e que conforme a elle ſe procedam nas cauzas nelle declaradas, ſem duvida, mudança, nem interpoziçam alguma, porque aſſim o hey por bem para ſerviço de Deos, e meu, ainda-que em alguma das ditas partes eſteja outra couza em coſtume. Encomendo aos biſpos das ditas partes, que aſſim o cumpram, e guardem, e eſta ſe regiſtrara nos livros da meza da conciencia, e ordens, e os traſlados della authenticos no dos cabbidos de todas

as ſes, a que tocarem, de que ſe paſſaram certidoens nas coſtas delles. E hey por bem, que eſta valha tenha força, e vigor, como ſe foſſe carta feita em meu nome por mim aſſignada, e paſſada por minha chancellaria, ſem embargo da ordenaçam do 2. livr. tit. 20. que dis, que as couzas, cujo effeito houverem de durar mais de hum anno paſſem por cartas, e paſſando por alvaras nam valham, e valera outroſi poſto que nam paſſe pela chancellaria ſem embargo da ordenaçam do 2. livro em contrario. Duarte Correa a fes em Liſboa, a 30. de Junho de 1588. E eu Lopo Soares a fes eſcrever. Rey.

Idem diploma regium anni 1588. *ſuper prætenſa præcedentia gubernatorum Africæ, et aliarum partium ultramarinarum, quoad ſedes, et alias cæremonias in eccleſia.*

EGO Rex univerſis præſens diploma inſpecturis notum facio, quod volens convenienter, ac neceſſario providere ſuper ceſſatione controverſiarum, quas duces, ac gubernatores Africæ, inſularum Accipitrum, Materiæ, S. Thomæ, Promontorii Viridis, et aliarum partium tranſmarinarum, dominis epiſcopis movent, ſuper præcedentia in eccleſiis, quoad ſedes, et cæremonias ad officia divina; examinari hanc materiam juſſi in tribunali ordinum ab illius deputatis, et aliis literatis, ad id ſpecialiter congregatis: quibus viſum eſt præfatos duces, et gubernatores, poſſe ſedere intra ſacella majora ad lævam, ſeu ex parte epiſtolæ, durante divinorum officiorum celebratione; et, præſentibus epiſcopis, exhibeantur his omnes cæremoniæ, et reverentiæ, abſque deminutione, juxta cæremonialis Romani diſpoſitionem, ita ut ſedeant in ſede ſua ad dextram, ſive ex latere evangelii, ob ſuam dignitatem, et eo quod in eccleſia eiſdem epiſcopis omnis reverentia, atque obſequium debitum ſit. Ducibus autem, et gubernatoribus, obſequia aquæ benedictæ, incenſi, ac pacis, exhibeantur à miniſtris poſt epiſcopos, ante capitulum. Feria autem quarta Cinerum, et feria ſexta majoris hebdomadæ, ad crucis adorationem, præcedat capitulum, et reliquæ perſonæ eccleſiaſticæ, duces ipſos, ac gubernatores, juxta indubiam cæremonialis diſpoſitionem. Abſentibus autem epiſcopis, præcedant duces, et gubernatores, capitulum, in cæremoniis aquæ benedictæ, incenſi, et pacis, ſicut præcedere deberent, epiſcopis præſentibus. Cui quidem arbitrio me conformans, eo quod cedat in Dei ſervitium; decrevi, ut in totum adimpleatur; et ad perpetuam rei memoriam hoc diploma expediri juſſi, quo cunctis ducibus, ac gubernatoribus competentibus præcipio, ut illud formaliter obſervent, et ſecundum illud procedant abſque ulla dubitatione, mutatione, atque interpretatione, quamvis in loco aliquo aliud uſu ſervetur. Et epiſcopis illarum partium injungo, ut ita ſervari faciant: et hoc diploma in libris menſæ ordinum, et capitulorum omnium cathedralium, quibus attinuerit, regiſtrabitur; quod et validum erit, non obſtantibus ordinationum diſpoſitionibus in contrarium. Edvardus Correa ſcripſi Ulyſſipone, 30. Junii 1588. Lupus Suarius ſcribere feci. Rex.

Sobre a preeminencia dos aſſentos dos capitaens mores, e biſpos, nas igrejas, de 1664.

EU el Rey faço ſaber aos que eſte alvara virem, que querendo eu dar ordem conveniente, e neceſſaria paraque ceſſem as duvidas, que ſou informado, que os capitaens, e gouvernadores do eſtado do Brazil movem aos biſpos do dito eſtado ſobre a precedencia dos aſſentos das igrejas, e ceremonias aos officios divinos: hey por bem, conformando me com a diſpoſicam do ceremonial novo, que o biſpo do eſtado do Brazil, governador, e mais capitaens do dito eſtado guardem em todo a forma do alvara, que he paſſado ſobre as duvidas, que os capitaens, e governadores dos lugares de Africa, ilhas dos Aſſores, da Madeira, S. Thomæ, e Cabo Verde, moveram aos biſpos das ditas partes ſobre a precedencia dos aſſentos das igrejas, e ceremonias dos officios divinos; pelo que encomendo muito aos governadores, que hora ſam, e ao diante forem dos ditos eſtados, e do Brazil, e mais peſſoas, a que tocar cumpram inteiramente o dito alvara, por ſer juſto, que os prelados tenham em ſuas igrejas as preeminencias, que lhes ſam devidas, e eſte quero que valha tenha força, e vigor, como ſe foſſe carta feita em meo nome por mim aſſignada, e paſſada pela chancellaria, poſto que por ella nam paſſe ſem embargo de qualquer regimento, ou ordenaçam contraria em contrario. Bento de Magelhaes a fes em Liſboa, a 4. de Dezembro de 1664 annos. Fernam Marcos Botelho a fes eſcrever. Rey.

Super eadem præcedentia majorum capitaneorum, et epiſcoporum Americæ, in eccleſiis, anni 1664.

UNiverſis præſens diploma inſpecturis ego Rex notum facio, quod volens convenientem ac neceſſariam adhibere providentiam, ut penitus conquieſcant dubitationes, quas duces, et gubernatores ſtatus Braſilienſis epiſcopis movent ſuper præcedentia in eccleſiis, quoad ſedilia, et reliquas cæremonias pro divinis officiis, placet mihi, conformiter ad nuperi cæremonialis diſpoſitionem, quod epiſcopus ſtatus Braſilienſis, gubernator, et reliqui capitanei ejuſdem ſtatus, ſervent in totum formam diplomatis expediti ſuper dubiis à ducibus, et gubernatoribus locorum Africæ, inſularum Accipitrum, Materiæ, et S. Thomæ, et Promontorii Viridis, motis in epiſcopos illarum partium ſuper præcedentia ſedium in eccleſiis, et cæremoniarum in officiis divinis: quapropter jubeo gubernatoribus præſentibus, et futuris Braſilienſibus, et reliquis perſonis, quibus incubuerit, quod integre exequantur prædictum diploma, eo quod juſtum ſit, quod prælati in propriis eccleſiis habeant præeminentias debitas; et volo, ut hoc diploma omne validum robur, atque valorem habeat, ac ſi à me exaratum, ſignatum, et in cancellaria mea ſigillatum foret, non obſtantibus quolibet regimine, aut ordinatione in contrarium. Benedictus Magellaneus fecit Ulyſſipone, 4. Decembris 1664. Fernandus Marcus Boteglius ſcribere fecit. Rex.

Has tandem controverſias anno 1744. amicabiliter compoſuerunt excellentiſſimi domini D. Fr. Laurentius à S. Maria archiepiſcopus Goanus, et marchio Caſtelli novi prorex Indiani ſtatus, in pontificali celebratione die S. Franciſci Xaverii in domo profeſſorum: ubi ad concionem coram utroque habitam, concionator utrique ſimul benevolentiam dicendi captavit, dicens, *Excellentiſſimi principes*; prout ſupra inſinuatum remanet: et ſic deinceps incontroverſe obſervabitur.

ALLEGATIO, ſive CONSULTATIO CXXXII.

Super Obligatione denuntiandi Inquiſitoribus Uſum cujuſdam Maleficii.

SUMMARIUM.

I. *Proponitur caſus præſentis conſultationis.*
II. *Unde oriatur obligatio denuntiandi.*
III. *S. Inquiſitioni non denuntiantur, niſi malefici rebus ſacris in maleficiis utentes.*
IV. *Eſt caſus deciſus pro archiepiſcopo Ulixbonenſi in controverſia cum Tribunali Inquiſitionis.*
V. *Soli empſalmi hæreſim ſapientes manifeſte, in quibus utitur rebus ſacris, inquiſitoribus denuntiantur.*
VI. *Quid hic intelligatur per* res ſacras.
VII. *Pactum expreſſum cum dæmone ſapit hæreſim manifeſte, etiam in rebus, quas dæmon naturaliter efficere poteſt, juxta aliquos; ſed contrarium eſt probabilius.*

VIII.

VIII. *Secus, ſi dæmon invocetur ad futura contingentia revelanda, vel ad alia propria divinæ virtutis efficienda.*
IX. *Quid pactum expreſſum, quid implicitum ſit, juxta aliquos?*
X. *Potior eſt Delrii explicatio.*
XI. *Aliud eſt maleficia facere, aliud illis jam factis uti.*
XII. *Nomine maleficii comprehenditur omnis ſuperſtitionis ſpecies.*
XIII. *Juvenis caſus conſultationis denuntiandus erat, ex maleficii propria efficientia, licet ex pacto implicito.*
XIV. *Poteſt tamen excuſari ex aliquibus intervenientibus circumſtantiis.*
XV. *Et etiam alii ex communi errore, et aliis circumſtantiis.*
XVI. *DD. faventes excuſationem in caſu præſenti.*
XVII. *Doctrina Antonell.*

CASUS.

I. QUIDAM juvenis duodeviginti annorum, plus, minuſve, audiens quædam verba S. paginæ, ad decubitum prolata, virtutem quidem habere ad faciendum è ſomno vigilare eadem hora, qua proferens intendebat, ea hac intentione pronuntiavit, effectu tamen minime ſecuto. Quod cum proferens animadverteret, ſuſpicans ſequendi effectus defectum ex hoc provenire, quod ſecum numiſma benedictum crucis S. Benedicti adverſus maleficia ſecum ſemper portaret, illud à ſe penitus abſtulit; et in prolatione præfatorum verborum eadem intentione, effectu ſemper ſecuto, proſecutus eſt. *Quæritur* an denuntiandus?

Huic quæſito, dum in Colimbrienſi academia fuiſſem conſultus, ſequentes dedi reſolutiones. Et—

II. 1. Præſupponebam totam, ac totalem in hac re denuntiandi obligationem provenire ex præcepto, in S. officii edicto, contento, per hæc formalia verba: *Si ſciverint, vel audiverint, perſonam aliquam maleficia facere, male utendo ad hunc finem rebus ſacris, expreſſum, aut implicitum pactum cum diabolo habentem, eum adorando, vel invocando.* Et hinc,

III. 2. Præſupponebam, quod quamvis S. Inquiſitionis Tribunal cognoſcere poſſit, ac punire maleficia abſque interventione ſacrarum rerum perpetrantes (de quo Valle de incant. ſeſſ. 3. c. 3. Dia. verb. *Inquiſitor.*) attamen ſuæ mentis præcepto conſtringere non eſt denuntiare, niſi maleficos *maleficia facientes, rebus ſacris ad hunc finem male utendo*; ut innuunt verba formalia, quæ copulativa quidem ſunt, et non disjunctiva; et conjungunt, ſive copulant abuſum, aut applicationem rerum ſacrarum cum maleficiorum uſu: etſi in edicto Cremonæ ap. Caren. p. 2. tit. 9. jubeatur denuntiari *quamlibet incantationem, vel ſuperſtitionem, maxime cum rerum ſacrarum abuſu.* Et hinc—

Facile reſolvitur generice, ex vi iſtius præcepti ſolummodo obligationem adeſſe illos dumtaxat denuntiandi, qui *maleficia faciunt ſimul rebus ſacris ad finem illum abutendo*; ut ex ipſo formali præcepto liquet.

IV. Et ratio, cur ſolos hos comprehendere vult edictum illud, hæc eſt (ex cit. Vall. in præfation. ad c. 1.); quod ann. 1613. verſante cauſa inter archiepiſcopum Ulixbonenſem, et S. Inquiſitionis Tribunal, ſuper competentia de jure cognitionis empſalmorum; delata cauſa ad Sum. Pontif. Paulum V. ſic reſpondit: *Servetur jus commune.* Quod quidem in c. *Accuſatus*, de hæret. in 6. § *Sane*, ſic decernit: *Sane, cum negotium fidei (quod ſumme privilegiatum exiſtit) per occupationes alias non debeat impediri; peſtis inquiſitores hæreticæ à S. apoſtolica deputati de divinationibus, aut ſortilegiis, niſi hæreſim ſapiant manifeſte, intromittere ſe non debent, neque punire talia exercentes, ſed eos relinquere ſuis judicibus puniendos.* Vide etiam Pignatell. conſ. noviſſ. 49.

V. Et hinc conſequitur ſolos empſalmos *ſapientes hæreſim manifeſte*, ad inquiſitores competere; non tamen illos, in quibus rebus ſacris non abutitur; hi namque non ſapiunt hæreſim manifeſte, ut tenent Vall. cit. Dia. verb. *Inquiſitor.* Delrio de magia, et alii *cum cit. Pignatell.* dummodo in illis pactum expreſſum cum dæmone non interveniat, de quo Pignatell. conſ. noviſſ. 49. et 139.

VI. Deinde, pro ſpecifica ſubjecti caſus deciſione, notabam adhuc, 1. *Pro rebus ſacris*, hic etiam intelligi ipſa verba ſacra, ut verſus Pſalmorum, et alia Scripturæ ſacræ verba, ſanctiſſima Jeſu, et Mariæ nomina, et alia ſimilia: atque adeo empſalmos hac ratione ſapere hæreſim manifeſte. Ita Vall. cit. ſeſſ. 3. c. 5. n. 37. Pignatell. d. conſ. 49. et 52. eſto probabile putem hic pro *rebus* ſacris non intelligi *verba*, ſed *res* ſtricte ex odioſitate prohibitionis, et ex intentione reſervandi atrociora, Tambor. Antonell. crim. c. 21. cum Vulp. et aliis.

VII. Notabam, 2. Pactum expreſſum cum dæmone ſapere hæreſim manifeſte, etiam in illis rebus, quas dæmon ipſe naturaliter patrare quit, juxta DD. aliquos, quos refert, ac ſequitur Vall. cit. quamvis melior, et probabilior ſit theologorum opinio, quam cum juriſtis aliquibus amplectuntur Soar. Granat. et alii apud Delrio de mag. l. 5. ſeſſ. 15. tenentes, quod dæmonem invocare, aut cum illo expreſſe paciſci ad illas res præciſe, quas ille, citra fidei contraventionem, patrare valet (nullo adorationis genere intercedente) non ſapit hæreſim manifeſte, ſed occulte dumtaxat.

VIII. Aliud eſt, ſi dæmon invocetur, aut cum illo paciſcatur ad futurorum contingentium revelationem, vel ad alia, propria divinæ poteſtatis, patranda, aut perficienda; tunc enim manifeſtus hæreſeos ſapor intervenit, ob errorem, quem hæ intellectu præſupponunt; nam in intellectu hæreſis conſiſtit: eſt enim error intellectus in fide cum pertinacia. Ita Delrio cum magiſt. et aliis citatis.

IX. Notabam, 3. Variare DD. in explicando, quid pactum expreſſum, vel explicitum; quid implicitum, ſeu tacitum ſit? Pro quo Vall. d. ſ. 3. c. 5. n. 18. inquit: *Pactum expreſſum eſſe, quando dæmones expreſſe invocantur ad aliquem effectum; tacitum autem, quando dæmones ingerunt ſe operibus vanis.* Buſemb. autem, l. 3. tr. 1. dub. 2. ait, quod *expreſſe cenſetur invocare, ſeu convenire, et pactum facere cum dæmone, qui vel verbis invocat, vel facto aliquid uſurpat, per quod ſcit, aut putat, dæmonem cooperari. Is vero tacite paciſcitur, qui vanis, et naturaliter improportionatis utitur ad aliquid cognoſcendum, vel efficiendum.* Unde ſecundum AA. horum explicationem ſubjectus caſus denuntiandus quidem veniret, ex pacto expreſſo, quod in illo interceſſit; nam illius patratror ſciens, et volens, effectum ſecutum intentavit, et conſecutus eſt.

X. Attamen melior, et probabilior videtur Martini Delrio explicatio, qui l. 2. q. 4. concl. 3. aſſerit, *Pactum expreſſum* eſſe illud, *quod expreſſe fit cum ipſo dæmone, vel immediate per ipſum paciſcentem, dæmone viſibiliter apparente, vel per ſcriptum, aut vicarium magum*: pactum vero *tacitum* tunc dari, *quando quis ſciens, ac volens, ſuperſtitioſis utitur ſignis, quibus uti ſolent magi*; *vel quando ignorans magicis utitur ſignis, neſciens eſſe mala, et à dæmone inſtituta*: et hinc deducitur, in caſu ſubjecto non pactum expreſſum, ſed implicitum dumtaxat, irrepſiſſe, proindeque minime denuntiandum.

XI. Notabam, 4. Aliud eſſe *maleficia facere*, aliud *maleficiis* jam factis præciſe *uti*. Illi maleficia faciunt, qui verbo, opere, aut ſcripto, aliquid efficiunt, quo pactum implicitum, vel explicitum, cum dæmone, aut invocatio tacita, aut expreſſa, illius ineſt, ut in verbis formalibus edicti continetur, et ex præjactis aperte colligitur. Illi autem maleficiis mere utuntur, qui nil earum perpetrant, ſed mere portant, aut applicant res, vel ſigna jam facta abſque nova ſuperſtitione additionis verborum, vel actionum, ut viſitur in deferentibus chartas alliciativas, ſeu philtra ad amorem conciliandum, vel burſas obſtitivas, ſeu impeditivas vulnerationis ferreæ, vel alia ſimilia. Qui quidem hoc titulo meri uſus, et nullius efficientiæ, à denuntiatione excuſari videntur.

XII. Denique notabam nomine *maleficii* comprehendi omnem ſpeciem ſuperſtitionis, qualis eſt *empſalmus*, aut *incantatio*: definitur enim, *Benedictio, vel imprecatio, ex certa verborum, præſertim ſacrorum, formula ad aliquem effectum improportionatum confecta.* Ita Valle cit. vel, ut melius definit Diana, *Structura verborum*

verborum metro, vel ſoluta oratione, compoſita ad effectus miros et ſupernaturales edendos. Et hinc ex prænotatis, ac præpoſitis, pullulant pro ſubjecto caſu ſequentes, quas dedi, reſolutiones.

XIII. Prima reſolutio: *Secundum ſe* præmiſſus caſus denuntiandus venit. Probatur; quia illius auctor, ſive patrator, non præciſe, aut mere, uſus fuit maleficio; ſed vere, et realiter, fecit maleficium, verba ſacra proferens, et pacto ſaltem implicito utens cum dæmonis ſaltem tacita invocatione, adeo ſciens, et volens, quod dæmon ipſe ſeſe in effectum illum introduceret, ut à ſe omnino abjecit numiſma benedictum, quod effectum illum impedire poterat.

Neque obeſt, quod juvenis ille non fuit, qui cum dæmone pactum illud iniit, ſed qui illo dumtaxat uſus fuit. Reſpondetur enim, quod ſi non fecit pactum, fecit tamen maleficium, verba ſacra proferens animo effectus ſecuturi; et quamvis quoad pactum dicatur, quod tantum uſus fuerit, quoad maleficium, verum eſt, quod illud fecerit, vel patraverit, quatenus ex ſeipſo determinate, et ſcienter, poſuit requiſita ad effectum ſuperſtitioſum ſequendum; quæ omnia ex dictis colliguntur.

XIV. Secunda reſolutio: Si morali certitudine conſtet, juvenem illum vere emendatum eſſe, et crimen occultum fuerit, præſertim ſi in illo aliqua ignorantia illius deformitatis proceſſit; probabile eſt, non debere denuntiari ex probabili opinione, quam amplectuntur Fagund. in decalog. l. 1. c. 26. n. 23. citans Sot. Rojas, Menchac. et alios videndos apud Fel. Pot. de denuntiation. n. 278. qui tenent etiam hæreticum formalem poſſe non denuntiari, quando certe, vel (ut Fagund. vult) certiſſime, de ejuſdem emendatione conſtat. Ergo, potiori jure, in crimine hæreſim ſapiente, dumtaxat, eodem modo diſcurri poteſt.

XV. Tertia reſolutio: Suppoſito communi errore vulgi in his rebus ſuperſtitioſis eas pro gravi peccato minime reputantis, quando illas patrantes pactum non inierunt, ſed jam facto mere uſi ſunt; et præſuppoſita minori ætate juvenis caſus præſentis, ex qua optime arguitur, ſe cum ſimili errore proceſſiſſe; ſi moralis detur certitudo, quod monitus reſipiſcat, et infallibiliter emendetur; cum terminus præfixus ad denuntiandum ſit triginta dierum in edicto Luſitano, et in Caſtellano ſex dierum, poterit intra præfatum terminum moneri, atque animadverti, de gravitate illius criminis, et ab illo perfecte emendatus, cum emendationis certitudine, à denuntiatione probabiliter liberari ex præmiſſa probabilitate. Quæ ulterius corroboratur ex doctrina Felic. Pot. n. 712. alios DD. citantis, et plures rationes allegantis pro excuſatione denuntiantis, etiam formalis hæretici, et aliorum reorum in criminibus ad Tribunal S. Officii pertinentibus, *quando firmiter ſperatur emendatio.* Ergo multo melius, quando jam certo obtinetur; præſertim faventibus in caſu præmiſſo circumſtantiis delicti qualitatis, atque ſubjecti, quibus quidem Peyrin. et Fagund. cit. dicunt, maxime attendendum.

XVI. Et in hoc caſu ceſſare quidem obligationem denuntiandi præter citatos DD. tenent expreſſe Canus Sylveſt. Lopes Ledeſma, Reginald. Portel. Joan. de la Crus, et alii apud Dian. p. 4. tr. 4. reſ. 2. quibus accedunt Molfeſius, Homobonus, Leander Delrio, diſq. magic. l. 5. ſect. 4. n. 6.

XVII. Hoc erat meum judicium ſub c. in collegio D. P. Auguſtini canonicorum regularium ann. 1719. cui quidem nunc addenda auctoritas Anton. l. 6. crim. c. 21. n. 1. *Etiam inquiſitores cognoſcunt de ſortilegiis, et divinationibus, etiamſi hæreſim non ſapiant, ut notant Leo, Vulp. Barb. alleg.* 51. *non tamen privative quoad epiſcopos, qui poſſunt hujuſmodi cauſas, niſi ſapiant manifeſte hæreſim, cognoſcere, juxta tex. in d. c.* Accuſatus, § Sane; *et declaravit S. Congregatio Rom. et univerſalis Inquiſitionis, die* 21. *Decembr. ut refert Diana, p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 179.

Et infr. n. 3. *Etiamſi in ipſis ſortilegiis miſceatur oleum ſanctum, aqua candelæ, rami olivarum, aut aliæ res benedictæ; quia adhuc hujuſmodi ſortilegia hæreticalia non ſunt, ſi hæc agens non habeat errorem contra fidem, ut d. Vulp. loc. cit.*

ALLEGATIO, ſive CONSULTATIO CXXXIII.

Super eadem Obligatione denuntiandi Peccatum Sodomiticum eiſdem Inquiſitoribus in Luſitania.

SUMMARIUM.

I. *Species facti, ſeu caſus.*
II. *Ad rigoroſam ſodomiam requiritur nedum identitas ſexus, ſed et contranaturalitas vaſis.*
III. *Coitus duorum maſculorum inter coxendices pertinet ad mollitiem, et non ad ſodomiam.*
IV. *Etiam ſtante definitione ſodomiæ,* coitus inter perſonas ejuſdem ſexus, *illa non foret denuntiabilis, eo quod non foret ex horroroſioribus.*
V. *Neque etiam ſubjiceretur pœnis eccleſiaſticis, et ſæcularibus.*
VI. *Confirmatur ex praxi, et ex ipſo Inquiſitionis edicto.*
VII. *Et ex communi DD. intelligentia.*
VIII. *Ratio cur Tribunal Inquiſitionis noluit obligare ſub præcepto ad hanc denuntiationem.*
IX. *Quamvis non adſit obligatio præceptiva, adeſt certe directiva.*
X. *Neque obeſt formalitas edicti.*
XI. *Probabilius eſt, edictum quoad hoc continere præceptum.*
XII. *Hæc cognitio privativa Tribunalis Inquiſitionis conſtat ex bull. Greg.* XIII.

I. FABIUS certo ſciens, duos maſculos carnaliter commiſceri, ſeſe in concubitu polluentes, et ſeminantes inter crura, et coxendices, ſed non in vaſe præpoſtero; et cum etiam ſciret, ſodomiam definiri, *Congreſſus, aut coitus inter perſonas ejuſdem ſexus*; et S. Tribunalis Inquiſitionis edictum jubet peccatum ſodomiæ denuntiari; quærit, An teneatur præfatos delinquentes inquiſitoribus denuntiare?

II. Reſpondeo, 1. *Negative.* Prob. 1. Quia etſi aliqui, cum D. Thoma, 2. 2. q. 134. a. 11. ſodomiam ſic definiant; *Coitus inter duos, non ſervato debito ſexu*; attamen plures alii ſuperaddunt ſequentem parculam, *In vaſe præpoſtero, ſeu non naturali:* ut addit Souza in aphoriſm. cum Cayetan. quamvis Thomiſtæ incedant. Unde Fel. Pot. de denunt. n. 2171. et Dia. in ſumm. verb. *Sodomia*, eam ita definiunt; *Actus libidinoſus conſummatus inter maſculos in vaſe non naturali, ſeu præpoſtero.* Proindeque ad propriam, et rigoroſam ſodomiam expreſſe requirunt, nedum identitatem ſexus, verum et innaturalitatem, ſeu contranaturalitatem vaſis.

III. Et hinc præter præcitatos DD. reſolvunt Mend. Maſtr. Bonac. de matrimon. q. 4. pu. 10. n. 15. et probabile tradit Bened. Per. in ſumm. to. 2. ſub n. 853. quod copula, ſive pollutio duorum maſculorum inter crura, coxendices, brachia, mammillas, et ſimilia, ad ſpeciem mollitiei reducitur; ac per conſequens, nec eſſe propriam ſodomiam, nec denuntiandam. Et certe à denuntiatione illam excuſant expreſſe cit. Souz. in *aphoriſm.* et Fr. Antonius à Spir. S. in director. regular.

IV. 2. Quia, etiam ſtando in terminis primæ definitionis Thomiſticæ, eſto illa commixtio foret ſodomia propria, utique non foret ſodomia magis ſtricta, et rigoroſa; hæc namque tantummodo reperitur *in vaſe præpoſtero*, eo quod dupliciter deficiat, videlicet non ſervando diverſitatem ſexus, neque naturalitatem viæ. Cum autem inquiſitores non cognoſcant, niſi de criminibus atrocioribus, et horroroſioribus, *quæ ſapiunt hæreſim manifeſte*, ut cum plurimis tenet Valle de incant. et probatur ex tex. in c. *Accuſatus*, § *Sane*, de hæretic. et prædicta copula inter crura, quamvis ſodo-

ſodomitica, juxta primam definitionem, non ſit ex enormioribus, atque horroroſioribus, neque ſapiat hæreſim *manifeſte*, imo neque *implicite*; hinc fit, quod ad ſacrum tribunal non denuntianda veniat.

V. Confirmatur, 1. Quia ipſimet DD. aſſerentes, prædictum congreſſum, ſeu concubitum, eſſe propriam ſodomiam; attamen communiter aſſeverant non manere ſubjectam pœnis eccleſiaſticis, et ſæcularibus adverſus ſodomitas fulminatis; ut videre eſt in curſu mor. Salmantic. to. 3. Benedict. Per. ſup. cit. à Sp. S. et aliis; eo quod Pontifices, ac principes ſæculares, non intendant prædictis pœnis ſubjicere quamlibet ſodomiam, ſed magis enormem, ac horroroſam. Ergo, à pari, bulla, per quam Gregor. XIII. inquiſitoribus Portugalliæ cognitionem ſodomiæ commiſit, imo et ipſummet Inquiſitionis edictum, non niſi horroroſiorem ſodomiam, qualis eſt præpoſtera, comprehendere intendunt, ut etiam verba ipſius edicti, illius peccati expreſſiva, oſtendunt, illud *peccatum nefandum*, et *abominabile*, aperte appellantia.

VI. Confirmatur, 2. Ex praxi, et uſu univerſali, tam in denuntiationibus, quam in cognitione.

3. Quia edictum ipſum nullum formale præceptum imponit, neque formalem aliquam cenſuram comminatur ad ſimiles denuntiationes, etiam ſtrictioris ſodomiæ, faciendas, ut aperte ex ipſo Inquiſitionis edicto evincitur, ubi, poſtquam in virtute S. obedientiæ, et ſub pœna excommunicationis, præcipit denuntiare reliquas culpas ipſimet tribunali attinentes, et poſt clauſulatam hujuſce præcepti formalitatem, abſque aliqua formalitate nova præcepti, aut cenſuræ, diſponit ſimpliciter ſic: *Et ita denuntiabunt, ſi ſciunt aliquam perſonam, vel perſonas, commiſiſſe nefandum et abominabile peccatum ſodomiæ.* Ex quo clare colligi videtur, hanc eſſe meram diſpoſitionem, atque directionem tribunalis, non vero formale præceptum; non enim formaliter dicit, quod ſub eodem præcepto, aut cenſura impoſita, prædictum peccatum nefandum denuntient.

VII. Confirmatur inſuper ex communi DD. intelligentia, qui propter differentiam, ac diverſitatem terminorum, quamvis affirment, omnes culpas denuntiandas cadere ſub præcepto edicti, attamen quoad culpam ſodomiæ aperte negant cadere ſub cenſura in ipſo edicto comminata, ut videre eſt in P. Cayeir. opuſcul. bullæ, Fr. Emman. à Silv. Fr. Ant. à Spir. S. in director. regul. Vall. de incant. cit. et alii. Ergo, à pari, ob eandem diverſitatem terminorum etiam dicendum eſt, nec cadere ſub illius præcepto; quamvis cit. Vall. de incant. ſeſſ. 3. c. 4. expreſſe negans obſervationem denuntiandi tale peccatum ex vi cenſuræ, eam affirmet ex vi præcepti, ſub quo putat contineri.

VIII. Ratio autem, cur ſacrum tribunal noluit obligare ſub cenſura, aut ſub præcepto, hanc denuntiationem, ea eſt; quia, ut notat cit. Cayeir. et reliqui AA. ſodomia eſt mixti fori, cujus cognitio tam ſæculari, quam eccleſiaſtico judicio attinet. Pontifex autem, et rex, non abſtulerunt à judicibus ſæcularibus antiquam poteſtatem, ac juriſdictionem cognoſcendi de hoc delicto, quando illud ex ampliatione inquiſitoribus commiſerunt. Et quamvis hoc delictum in his terminis inquiſitoribus pertineat *privative quoad alios judices eccleſiaſticos*, non tamen *privative quoad judices ſæculares*; ſed cumulative, ex antiqua non ablata juriſdictione, ut ait Vall. cit. et ideo liberum reliquerunt denuntiatoribus, ut illud ſubjicerent judicibus, quibus maluiſſent, videlicet, vel ſæcularibus, vel inquiſitoribus, quin eos ad denuntiationem iſtis faciendam ſub præcepto, aut formali cenſura, cogerent.

IX. Attamen verum eſt, quod ex vi iſtius diſpoſitionis directivæ, quamvis non præceptivæ, ſemper adeſt obligatio illud peccatum denuntiandi, ſicut adeſt, obſervandi rubricas, et decreta mere directiva eccleſiaſtica. Hæc tamen obligatio non inducit peccatum grave præciſe, quantum eſt ex vi præcepti, aut directionis; ſed quantum eſt ex vi ſcandali, aut charitatis in tanto malo vitando: imo cit. Vall. clare dicit, ſi crimen denuntiatum ſit coram ſæculari, non adeſſe obligationem illud inquiſitoribus denuntiare.

X. Dices, verba illa edicti, *Et ita denuntiabunt*, &c. denotant, tribunal voluiſſe hanc denuntiandi obligationem ſub præcepto, aut cenſura comprehendere, et hunc ſenſum facere, *et ita*, atque *ita*, et eodem *modo*. Sed contra, 1. Quod præcitati DD. hoc modo ea non intelligunt quoad obligationem cenſuræ: ergo neque quoad obligationem præcepti. Contra, 2. Quia particula illa, *et ita*, idem valet atque *itaque*, quæ forſan eſt, quæ reperitur in bulla Latina; et qui eam tranſcripſit, particulam illam pro *et ita* uſurpavit, cum pro *tandem*, aut *denique*, eam aptiſſime etiam, et fortaſſe rectius, accipere poſſet.

XI. Hoc tamen diſcurrendi modo non improbabili minime obſtante, probabilius judico cum citato Vall. de incant. in illo Inquiſitionis edicto adeſſe formale præceptum denuntiandi tale peccatum, quod et ex tribunalis interpretatione etiam conſtat; alias finis, à tribunali intentus, irritus et eluſorius redderetur, ſi talis culpæ denuntiationem liberam denuntiatoribus relinqueret. Et cum aliunde denuntiatores præceptum non habeant illam judicibus ſæcularibus denuntiandi; quid fructus ab hac diſpoſitione directiva caperet tribunal S. Inquiſitionis, ſi eam abſque præcepti gravis onere induceret?

XII. Nota tamen, quod quamvis illuſtriſſimus D. Rodericus à Cugna cit. à Vall. ibid. dubitet de cognitione privativa tribunalis Inquiſitionis quoad reliquos judices eccleſiaſticos; attamen, ex bulla Gregor. XIII. id aperte colligitur, quatenus diſponit, poſſe inquiſitores ad ſe advocare reos eccleſiaſticos, quamvis à ſuis judicibus incarceratos; de quo Vall. cit. ſ. 3. c. 1. n. 14. ubi rationes harum differentiarum large invenientur. Sed de hoc privilegio, infr. demonſtrabitur, non abſolute, ſed ex cauſa, non tribunali, ſed generali inquiſitori dumtaxat fuiſſe conceſſum.

Hic erat meus ſenſus ſub C. Collimbriæ in collegio canonicorum regularium, die 21. Jan. 1720.

ALLEGATIO, ſive CONSULTATIO CXXXIV.

Super Obligatione denuntiandi Inquiſitoribus quandam Propoſitionem circa Veritatem realis Præſentiæ Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

I. *Proponitur caſus.*
II. *Quamvis fide certum ſit, omnem hoſtiam, rite conſecratam, vere continere corpus Chriſti, non eſt tamen fide certum, hanc numero hoſtiam eſſe rite conſecratam.*
III. *Qui de ſecunda veritate dubitaret, non foret hæreticus; et quare?*
IV. *Non obſtat formalitas edicti.*
V. *Non comprehendit caſum de dubitatione ob defectum, et incapacitatem miniſtri.*

I. CELEBRANTE quodam ſacerdote imperito, de cujus ignorantia dubitabant aliqui, an intentionem ad validitatem ſacrificii requiſitam efformare, necnon formam modo debito proferre ſciret, et ulterius verborum ſignificationem percipere (præter morum, atque pravæ conſcientiæ defectum) quidam ex intereſſentibus illius ſacro hanc propoſitionem protulit: *Domine, ſi tu inibi es, ego te adoro; ſed de illo dubito ob ſubjecti incapacitatem ex defectu ſcientiæ.* Animadverſus autem à circumſtantibus, de propoſitionis illius offenſione; reſpondit, ſe minime dubitare de reali Chriſti præſentia in ſacro-

ſancto euchariſtiæ ſacramento; ſed dubitabat de requiſitis ex parte ſubjecti, ſeu miniſtri, eo quod talis ſubjectus incapax omnino incederet defectu ſcientiæ. Quæritur: *An denuntiandus proferens?*

II. Reſpondebam negative: Non enim proferens ille de reali præſentia Chriſti in hoſtia rite conſecrata dubitabat: verum dumtaxat dubitabat hic, et nunc, de capacitate talis miniſtri, ex notorio ſcientiæ defectu, ad intentionem requiſitam eliciendam ad ſacramenti validitatem, ex vi cujus hæc numero hoſtia conſecrata in effectu non evaderet. Et, majoris claritatis ergo, ſupponebam adhuc, 1. Quod quamvis fide certum ſit, omnem hoſtiam rite conſecratam continere vere, et realiter, corpus Chriſti Domini; attamen non eſt de fide, hanc numero hoſtiam eſſe rite conſecratam; poterat enim aliquod eſſentiale requiſitum deficere, videlicet debita miniſtri intentio.

III. Supponebam, 2. Quod quamvis certe denuntiandus foret, et hæreticus reputandus, qui abſque fundamento dubitaret, an hæc numero hoſtia conſecrata corpus Chriſti realiter contineret; eo quod hæc concluſio deducatur ex una præmiſſa de fide; videlicet, *Omnis hoſtia rite conſecrata continet corpus Chriſti realiter*; et ex alia moraliter certa; nempe, *Hæc numero hoſtia eſt rite conſecrata* (nam ex carentia fundamenti ad hanc veritatem in dubium vertendi, externe apud omnes moraliter hæc præmiſſa ſecunda evadebat); et ex vi utriuſque concluſio illa de fide; ergo hæc numero hoſtia continet corpus Chriſti; nam ex una præmiſſa de fide, et alia moraliter certa, ſequitur concluſio de fide, ut docent Platelius, Viva, et alii.

Attamen, quamvis, in hoc caſu, proferens, aut dubitans de illa veritate realis Chriſti præſentiæ in illa hoſtia individualiter, ut hæreticus, vel ſaltem, ut de hæreſi ſuſpectus æſtimaretur, cum illius dubitatio, aut negatio, non caderet ſupra ſecundam præmiſſam moraliter certam, ſed ſupra primam, quæ eſt de fide; hujuſce tamen rigori cenſuræ non ſubjaceret, dato ſufficiente fundamento ad dubitandum de veritate ſecundæ præmiſſæ, cujus objectum eſt quid de facto, et fallibile ex variis defectibus poſſibilibus ex parte miniſtri, jam defectu debitæ intentionis, jam prolationis formæ, &c. ut in caſu præſenti; proindeque minime denuntiandus, ut in terminis identicis, reſolvunt Fr. Joann. Bapt. Capucinus Bitterenſ. apud Torreſil. in fin. propugnac. orthodox. fid. n. 6. et ſeqq.

IV. Neque obſtare dicebam, quod in S. Inquiſitionis edicto jubeatur, *denuntiari omnem illum, qui negaverit realem Chriſti præſentiam in euchariſtiæ ſacramento:* unde ſequi videtur, omnem dubitationem in hac materia denuntiationi quidem ſubjectam remanere.

Reſp. namque, ipſummet edictum optime ſe declarare, dicens, quod denuntiandus ſit, qui dubitaverit de reali præſentia Chriſti in ſacramento euchariſtiæ: ubi expreſſe patet, loqui de illo, qui vel dubitat de veritate myſterii, vel de reali præſentia Chriſti in illo abſolute, vel non permanenter, ſed tamen in uſu, uti effutiunt Lutherani, ſeu in ſigno, ut obloquuntur Calviniſtæ, de quo vid. Arſdekim. p. 1.

V. Non tamen comprehendit noſtrum caſum, aut alium ſimilem, quo ob defectum, et incapacitatem hujuſce talis miniſtri, prudenter dubitatur, an ſciat efformare requiſitam intentionem ad valide conſecrandum; ex vi cujus ignorantiæ practicæ ſacramentum invalidum hic, et nunc, reddatur.

Hæc conſulebam ſub cenſura in collegio canonicorum regularium, menſe Maii 1719.

ALLEGATIO, ſive CONSULTATIO CXXXV.

In Materia Beatificationis Sanctorum.

SUMMARIUM.

I. *Proponitur caſus.*
II. *Sanctus beatificatus dumtaxat, poteſt abſolute* Sanctus *nuncupari, eo quod deceſſerit in gratia.*
III. *Omnis forma, in ſubjecto capaci, facit ſuum effectum formalem; et gratia eſt formalis ſanctitas.*
IV. *Etiam in opinione tenente,* beatificationem *eſſe permiſſionem, ut nomen et cultus* Beati *beatificato tribuantur.*
V. *Nomen* Beatus *concreſcit ex beatitudine, et ſubjecto.*
VI. *Confirmatur ex hymnis eccleſiaſticis.*
VII. *Et ex eadem nomenclatura animabus ſanctis in purgatorio detentis.*
VIII. *Et ex concionatoribus evangelicis.*
IX. *Et ex variis locis S. Paginæ.*
X. *Neque per hoc S. Congregationis decretis adverſatur.*
XI. *Implicat in terminis, Beatum eſſe in purgatorio.*
XII. *Propoſitio contrarium affirmans, ad minus, temeraria, et ſcandaloſa haberetur.*
XIII. *Conſimilem propoſitionem, ut temerariam, damnant aliqui DD. qui laudantur.*

I. QUIDAM concionator regularis in Aſia, dum de Beata Ritta de Caſſia, coram ordinario illius diœceſis, concionem haberet ad populum, ipſammet Beatam Rittam *Sanctam* abſolute appellavit. Et ab illuſtriſſimo ordinario publice animadverſus, ut nomine *Beatæ* dumtaxat, non vero *Sanctæ*, eam vocitaret, eo quod nondum canonizata, ſed tantum beatificata incederet, juxta diſpoſitionem decretorum S. Congregationis, occaſionem dedit, ut ſchiſma inter populum exoriretur, ſuperaddentibus aliquibus, qui negativam tuebantur, hanc frivolam rationem; videlicet, quod, quamvis beatificata, poterat adhuc in purgatorio detineri. Et hujus occaſione——

Quærebatur, 1. An Beata Ritta publice *Sancta* appellari poterat, abſque contraventione Sacræ Congregationis decretis?

2. An ſanum et catholicum foret affirmare B. Rittam adhuc in purgatorio detineri poſſe?

Ad primum ergo quæſitum,

II. Reſpondi, B. Rittæ poſſe quidem nomenclaturam *Sanctæ* adoptari, abſque offenſione decretorum S. Congregationis, de quibus Platelius, Bordonus, Pignatell. infra citati, et alii plures.

1. Quia, etiam procedendo in rigidiori opinione illorum, qui aſſerunt, quod *in canonizatione* definitur, talem Sanctum canonizatum in cœlo quidem eſſe receptum, ut conſtat ex bulla canonizationis S. Franciſci de Paula; ibi: *Decernimus, et definimus, eſſe receptum in gloria*; et quod *beatificatio* conſequenter nil aliud ſit, quam *quædam declaratio, quod Beatus ipſe in gratia deceſſit*; ut conſtat ex bullis beatificationis Sanctorum, in quibus conceditur, quod in die obitus ejuſdem, loco miſſæ de *requiem*, eidem miſſa cum officio *Beati* decantari poſſit; attamen adhuc, in hac ſtrictiori opinione, Beato ipſi nomenclatura *Sancti* publice adſcribi poteſt.

III. Probatur aſſumptum, 1. Quia omnis forma in ſubjecto apto facit ſuum formalem effectum, ut philoſophi edocent; et experientia firmat in *albedine*, quæ, in pariete poſita, *album* reddit; in *calore*, qui, in aquam introductus, eam efficit *calidam*: et in *luce*, quæ, per aerem diffuſa, illum reddit *lucidum*. *Atqui* gratia eſt forma, vel formalis ſanctitas, ut aſſerunt theologi cum D. Thoma, et D. Parente Auguſtino; *Gratia eſt formalis ſanctitas*: ergo poſita in ſuo ſubjecto apto, quale eſt anima, eam *ſanctam* efficiet, ac denominabit. *Atqui*, ſecundum hanc opinionem, in beatificatione definitur, vel ſaltem declaratur, talem Beatum in gratia deceſſiſſe: ergo idem eſt, atque declarare *Sanctum* obiiſſe; ac per conſequens *Sanctus* appellari poteſt.

IV. Probatur, 2. (in communiori opinione tenente, beatificationem nil aliud eſſe, quam *permiſſionem quandam, ut Beato titulus iſte adaptari poſſit, et miſſa cum competenti officio ei celebrari*; probatur inquam)

V. 1. Quia nomina concreta ſuam ſignificationem deſumunt à ſuis abſtractis; v. g. *Sapiens* à ſapientia; et idem valet, atque *habens ſapientiam: Sanctus* à ſanctitate, et idem valet, atque *habens ſanctitatem:* ergo pariformiter nomen *Beatus*, quod quidem concreſcit, et ſuam ſignificationem deſumit à *beatitudine*, quæ eſt abſtractum concreti *Beatus*, idem valebit atque *habens beatitudinem, ſeu gaudens beatitudine*, quæ quidem in viſione Dei conſiſtit. Ergo ſemel quod Summus Pontifex alicui titulum *Beati* permittit, ante formalem canonizationem, virtualiter declarat, in cœlo ineſſe, atque viſione Dei, in qua formalis beatitudo conſiſtit, equidem gaudere.

VI. Confirmatur, 1. Ex alia permiſſione, ſive conceſſione miſſæ celebrationis, et officii recitationis, in quibus eccleſia infallibiliter tum in hymnis, tum in orationibus, et aliis, confert Beato nomenclaturam *Sancti*, ut in hymno confeſſorum; *Quo Sanctus hic de corpore:* et in collecta miſſæ eorundem; *In tuorum commemorationem Sanctorum*, &c.

VII. Confirmatur, 2. Efficaciter ex eadem contraria vulgi ratione. Nam, dato, et non conceſſo, quod anima Beati adhuc in purgatorio detineri poſſet; hinc non ſequitur, quod illi nominatio *Sancti* adhiberi nequeat; 1. Quia, cum foret in gratia, foret abſolute ſancta, eo quod gratia ſit formalis ſanctitas. 2. Quia animæ in purgatorio detentæ *animæ ſanctæ* ab omnibus ſimpliciter appellantur. 3. Quia ex hiſtoria S. Paſchaſii diaconi conſtat, ejus dalmaticam miracula plura edidiſſe, inter quæ mortui reſurrectio enarratur; et tamen ejus anima adhuc in purgatorio detenta erat, ex omiſſione quadam inveſtigandi, et perquirendi veritatem ſuper intruſione Antipapæ Laurentii, de quo Sur. die 31. Maii.

VIII. Confirmatur, 3. Quia ipſimet concionatores ſacri, in concionibus ſuis pro beatificationibus Beatorum habitis, eoſdem Sanctos abſolute Beatos ſalutare conſueverunt; cujus quidem denominationis teſtis ocularis egomet ipſe evaſi in civitate mea Portucalenſi, in beatificatione noſtræ *Sanctæ Joannæ principiſſæ*; et poſtea etiam in beatificationibus ſanctarum infantium Lorvanenſium, *Sanciæ*, et *Tereſiæ*, reginæ Legionenſis, et aliarum.

IX. Ultimo tandem confirmatur ex variis locis S. Scripturæ; videlicet, 1 Maccab. vii. 17. ubi militibus à ducibus Demetrii inſidioſe occiſis, nomen *Sanctorum* adhibetur; *Carnes Sanctorum ſuorum, et ſanguinem ipſorum effuderunt*; quorum tamen animæ in limbo adhuc retardabantur. Et Sap. ii. 22. animæ ipſorum ſanctæ ſimpliciter appellantur; *honorem animarum ſanctarum.* Rom. i. 7. *Dilectis Dei vocatis Sanctis.* 1 Pet. ii. 9. *Regale ſacerdotium, gens ſancta.* Et de D. Bonaventura dixit D. Thomas; *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare.* Et D. Tereſia à Jeſu, D. Petrum de Alcantara *Sanctum* vocitavit, &c.

Denique eſt fidei articulus; *Chriſtum D.* ad limbum deſcendiſſe, et inde *ſanctorum PP.* adventum ejuſdem expectantium, animas eruiſſe: ergo, &c.

X. Secunda vero pars, videlicet quod per hoc decretis S. Congregationis non adverſetur, probatur: quia decreta ipſa vetant dumtaxat, quod nulli Beato titulus *Sancti abſolute* tribuatur, quatenus titulus *Sancti* præſupponit formalem, ac finalem definitionem, cum adſcriptione Sanctorum catalogo, et cultus ad univerſalem eccleſiam extenſione, &c. ſed qui titulum *Sancti* non in hoc ſenſu, ſed in aliquo alio ex prædictis contulerit, ne in minimo quidem prohibitioni decretorum illorum adverſatur: ergo.

Poſt hæc diſcuſſa incidi in tom. 2. de canonizat. eminentiſſimi Card. Lambertin. nunc Beatiſſimi P. Benedict. XIV. ub. c. 24. n. 111. ſuper beatificatione Sanctarum reginarum noſtrarum Tereſiæ, et Sanciæ, tenet ab eis, et à reliquis, denominationem, ſive appellationem *Sanctarum* auferri non poſſe, ſi *ab immemoriali* ſic fuerunt appellatæ. Et deciſiones affert S. Congregationis pro hujus appellationis retentione, etiam quoad alios.

Ad ſecundum quæſitum,

XI. Reſpondi facile: et, 1. Implicare in terminis, eſſe Beatum, et in purgatorio detineri. Nam *Beatus* ex ſuo formali conceptu eſt, qui habet beatitudinem, ſeu qui tenet viſionem beatificam, quæ ex ſe utique eſt totius pœnæ excluſiva, proindeque etiam pœnæ purgatorii.

XII. Reſpondi, 2. Quod, poſito, quod *beatificatio* ſit virtualis, et implicita quædam definitio, quod *Beatus* in cœlo exiſtat, et expreſſa quædam declaratio, quod ſit *beatificatus* (quod equidem habere non poteſt, niſi reipſa viſionem beatificam poſſideat, et clara Dei intuitione perfruatur); et conſequenter, quod beatificatus, ut talis, et ut Dei comprehenſor, publice venerari poſſit per cultum publicum, officium, miſſam, &c. ſequitur infallibiliter, quod propoſitio affirmans, *B. Rittam* (vel alium quemlibet Beatum) *in purgatorio adhuc eſſe*, vel adhuc eſſe potuiſſe, ad minus, cenſuram propoſitionis temerariæ, et ſcandaloſæ, equidem dignam evadere; non ſolum propter quod in ſe formaliter continet, ſed ulterius, propter quod innuit, ac inſinuat; videlicet, quod Summus Pontifex errare poſſit in Sanctorum ſaltem beatificationibus.

XIII. Conſimilem autem propoſitionem, ut temerariam, et ſcandaloſam, damnant Pignatell. conſ. noviſſ. tom. 1. c. 51. Dian. d. reſol. 27. tom. 9. tr. 5. ubi aſſerit, poſſe talia proferentem à S. Inquiſitionis tribunali puniri. Et Platelii tr. de fide, c. 1. § 4. n. 149. ita reſolvit:

> *Quia tamen iſta Pontificis conceſſio eſt implicita definitio, non poteſt abſque temeritate aſſeri, beatificatum non eſſe in cœlo, aut Pontificem poſſe errare in beatificando.*

Videndum, ſuperaddebam, etiam Bordon. oper. poſth. de miracul. Sanctor. medit. 34. n. 26. ubi contrariam opinionem abſolute *errorem* appellat, inquiens, *Contraria opinio, ſeu potius error*; et videndum etiam Pignatell. ub. ſupr. et alios apud ipſos. Et hoc fuit meum judicium Goæ, 8. Novembr. 1728.

ALLEGATIO CXXXVI.

Super Reiteratione Sacramenti Baptiſmatis ſub Conditione, quam aliqui etiam appellant Rebaptizationem, *Inquiſitoribus denuntiata.*

SUMMARIUM.

I. *Species facti.*
II. *Energumena, baptiſmo indigens, cur, illo adhibito, liberata non fuit?*
III. *Oppoſitio cujuſdam adverſarii.*
IV. *Fundamenta ipſius, uſque ad n.* VI.
VII. *Proſternebantur fundamenta ex jure can.*
VIII. *Objectum c.* Veniens *loquitur de rebaptizatione formali, qualis non eſt quæ datur* ſub conditione.
IX. *Confirmatio ex DD.*
X. *Qui taliter rebaptizat, non incurrit irregularitatem, ex DD. TT.*
XI. *Error hæreticorum eſt circa rebaptizationem formalem, et abſolutam,* omnium, qui ſunt de eccleſia Romana.
XII. *Epiſcopus de jure divino, et communi primævo, poteſt in ſua diœceſi, quicquid poteſt Pontifex in univerſo orbe.*
XIII. *Ex rit. Rom. epiſcopus eſt proprius miniſter, et judex competens hujus ſacramenti.*
XIV. *Suborta aliqua controverſia circa illius ſimilem iterationem, ad epiſcopum eſt recurrendum.*
XV. *Denuntiationes, inutiles, et incompetentes videbantur.*
XVI. *Adminiſtrationes illæ conditionales de mandato epiſcopi, nec hæreſis, nec ſuperſtitionis ſuſpectæ reddebantur.*

XVII.

XVII. *Quæ ſufficiant ad rebaptizationem ſub conditione.*
XVIII. *Neceſſaria reddebatur ſecunda reiteratio ex defectu voluntario debitæ intentionis; imo toties reiteraretur, quoties ille defectus intercederet.*
XIX. *Nec referebat atteſtatio parochi de intentione habita conficiendi ſacramentum.*
XX. *Defectus poterat provenire ex alio capite præter intentionem.*
XXI. *Suffragabantur varii caſus moderni, uſque ad n.* XXVI.
XXVII. *S. Congregationis cohærens declaratio.*
XXVIII. *Qualis redacta eſt diligentia S. officii.*
XXIX. *Qualis detur experientia baptiſmatum à miniſtris inexpertis adminiſtratorum.*
XXX. *Quid practice tenendum ſecurius, uſque ad n.* XLVIII.

I. DUM primam hujuſce diœceſis Algarbienſis generalem viſitationem anno 1742. arriperem, inter aliquas fœminas à dæmone vexatas, unam religioſam, et duas laicas adoleſcentulas, et alteram uxoratam inveni. Quarum certæ, et expertæ dæmonis obſeſſionis, imo et poſſeſſionis cauſam, juxta eccleſiæ, et catholicorum DD. præſcriptum indagatus, prudenti, ac probabili judicio, nedum proprio, ſed et alieno peritorum, atque expertorum virorum, defectum aliquem in ſacramenti baptiſmatis adminiſtratione irrepſiſſe reperimus, tum ex parte miniſtri in aliqua illarum ex nimia celeritate, perturbatione, confuſione, imo et illius ineptia; tum ex totali defectu deſcriptionis, et authenticæ atteſtationis ipſius ſacramenti in parochialis eccleſiæ catalogo in altera; tum, denique, reſpectu alterius (præterquam quod qui deſcriptionem fecerat in catalogo, erat diverſus ab eo, qui baptiſmum adminiſtrârat, et non de facto proprio, ſed de alieno, et non præſentialiter atteſtabatur) ex nimia expreſſa, ac reluctante clamoroſa reſiſtentia, quam poſſeſſa ſemper edebat ad lectionem ſuper illam evangelii; *Euntes in mundum univerſum*, &c. ad illa verba; *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*, &c. ad quæ energumena ſemper obſtrepens, et contremiſcens, torva facie, geſtibus averſivis, ac voce horriſona conclamare ſolebat; *Non ipſum, non ipſum, non ipſum:* quam quidem reluctantiam ad aliorum evangeliorum, de baptiſmo non loquentium, taliter haud prodebat: quinimo, etiam extra evangelicam lectionem quodcunque verbum de fonte, aut ſacramento baptiſmatis loquens, torvo vultu, et averſis auribus, obluctanter audiebat. Alia præterea accedebant adminicula, tum externa, tum interna, ex ipſarum energumenarum ſincera declaratione atteſtantium, ſibimet ſæpe in mentem vehementer obvenire, ſeſe non rite baptizatas incedere; et aliquas voces internas de hoc inſuper audire; et una earum (religioſa videlicet) in capitulo coram communitate ſua palam confeſſa eſt, non ſemel ſibimet quandam Deiparæ miraculoſam imaginem, quæ in choro illius conventus aſſervatur, diſtincta, claraque voce allocutam eſſe, ſacri baptiſmatis neceſſitatem ei patefacientem, inſimulque, ut illius iterationem ſolicitaret, præcipientem; de quo tamen ob adverſantes dæmonis manifeſtas ſuggeſtiones, et nocivas comminationes, minime curare auſa eſt: quas quidem averſantes internas retractiones aliæ in ſeipſis frequenter expertas eſſe fatebantur.

II. His, et aliis prudentibus, ac ſufficientiſſimis motivis iterum private baptizari ſub conditione à me juſſæ, omnes, divina opitulante miſericordia, perfecte liberatæ ſunt, unica excepta, eo quod dæmonis efficacibus minis terrefacta, ejuſdem ſuaſioni disjunctivæ, ut vel rebaptizationem non admitteret, vel ſaltem debitam intentionem ad validam ſacramenti receptionem non adhiberet, meticuloſe annuit, intentionem non adjungens, ut poſtea reſipiſcens palam coram eadem communitate ſua faſſa eſt (quod etiam dæmon per os alterius energumenæ clare manifeſtavit); et veniam ſupplicans, atque inſtantiſſime remedium validæ baptiſmi repetitionis expoſcens cum fervoroſis, ac lacrymoſis feriis proteſtationibus faciendi quod in ſe erat pro debita intentione adhibenda; per dies plures probata, atque crebris Deo devotarum animarum orationibus adjuta, baptiſmum tandem fructuoſe, et effective quoad poſſeſſionis (non vero obſeſſionis) perfectam libertatem conſecuta eſt.

III. Quibus tamen notis, et notoriis effectibus non obſtantibus, quidam eccleſiaſticus (quo zelo, ipſe ſcit, eſto non pauci non bonum fuiſſe ſuſpicentur) has *rebaptizationes*, ut ipſe vocitabat, tribunali Inquiſitionis Portugalliæ denuntiari fecit, atteſtationem unius illarum miniſtri adjungens de intentione, quam habuiſſe teſtificabatur, ſacramentum conficiendi; quaſi de ſola intentione ejus penderet validitas, vel ipſe faſſurus eſſet, intentionem non habuiſſe, caſu, quo eam non habuerit; et in hoc, ſe partem efficiens, et non ſimplicem denuntiatorem, propriam etiam intentionem non rectam oſtendit; et ulterius in eo, quod denuntiationem ſuam aduſque ſupremum fidei tribunal ad Romanam curiam deferri effecit, cenſuram quandam ex proprio marte elaboratam ſubjungens, quam tamen paucis ſibi confidentibus, quos ut diſcipulos poſt ſe abducere ſatagebat, private, et quaſi in occulto, velut lucem abhorrens, participavit.

IV. Fundamenta vero illius cenſuræ, revelata ab aliquibus illorum, ſibi adhærentium, ſequentia erant:

Primum: Diſpoſitio c. *Veniens*, ult. de preſbyt. non baptiz. ub. Innoc. III. *De illo, qui natus eſt de Chriſtianis parentibus, et inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.*

V. Secundum erat pœna irregularitatis, et aliæ adverſus rebaptizantes, et rebaptizatos, ſtabilitæ, nedum in jure civili, l. 2. cod. *Ne ſanctum baptiſm. reit.* verum et in jure can. c. *Confirmand.* d. 50. c. *Qui bis*, c. *In eos*, de conſecrat. d. 4. c. *Qui in qualib.* q. 7. c. *Afros*, d. 98. c. 2. de apoſtol. qui textus, ait Pignatell. conſ. nov. 115. *loquitur de acolytho, qui miniſtravit ſacerdoti rebaptizanti.*

VI. Tertium poterat ſuperaddi fundamentum ex errore illorum hæreticorum, qui aſſerebant, *omnes in Romana eccleſia baptizatos rebaptizari debere.* Cujus erroris auctor primus fuit Donatus Afer, ann. 306. quem ſecuti ſunt Armenii, et Anabaptiſtæ, originem trahentes à Petro Brunſſiano, ann. 1558. quæ quidem hæreſis damnata eſt in Conc. Florentino ſub Eugen. IV. ann. 1438. in decreto de unione Armeniorum, de quo vid. Arſdek. p. 2. in *notitia generali*, verb. *Baptiſmus.*

VII. Verum facillimo negotio præmiſſa fundamenta diluebantur. Et primum, 1. Proſternebatur ex oppoſitis diſpoſitionibus c. *Si nulla*, 113. de conſecr. ubi Leo P. ſic ſtatuit: *Non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Et cit. c. ult. de preſb. non bapt. Idem Innoc. III. ſic ſancit: *Non intelligitur vetitum, quod ambigitur eſſe factum.* Vid. Lacr. ad Buzemb. l. 6. n. 123. et etiam c. *Placuit*, de conſecr. et c. *Cum ita*, eod. diſt. 4.

VIII. 2. Quia cit. c. *Veniens* loquitur citra caſum prudentis dubii in contrarium, et erga excluſionem rebaptizationis formaliter, et abſolute, non vero de conditionali, quæ non eſt formaliter *rebaptizatio*, ut inquit Pignatell. conſ. nov. 115. et ratio ipſa demonſtrat. Nam rebaptizare *ſub conditione*, non eſt formaliter rebaptizare; cum miniſter, ſi baptiſmus reipſa ſit valide collatus, reipſa illum iterare non intendat abſolute, ſed conditionate, videlicet, caſu, quo validus non fuerit, et reapſe non exiſtat. Unde Barufald. ad rit. Rom. tit. 12. n. 71. *In dubio tutior pars eſt eligenda. Ita in hoc caſu, cum clare non conſtet de baptiſmo collato, et probabiliter, ſive cum aliquo fundamento rationabili, dubitetur, melius eſt baptizare ſub conditione, quia, cum conditio nil ponat in eſſe, non renovat baptiſmum, quando jam collatum ſit.* Ita reſponſum fuit per S. Congr. Concil. in una Neapolit. quæ infra habetur, n. 16.

IX. 3. Ex doctrina cit. Lacr. n. 310. ubi, poſt verba cit. c. *Veniens*, ſic ait: *Si tamen alia occurrerent, quæ præſumptionem contrariam facerent, aut tollerent certitudinem moralem, uti ſi infeſtaretur à dæmone, nec ſciretur cauſa alia, peteretque inſtanter repeti in ſe baptiſmum, rebaptizari deberet ſub conditione,*

tione, Gob. tit. 2. *à n.* 383. et ex doctrina A. à Sp. S. conſ. 114. n. 15. ubi affert caſum mulieris rebaptizatæ ſub conditione, ex ſola anxietate ſcrupulorum; et n. 23. concludit: *Quoties dubium eſt de valore ſacramenti, ex quocunque capite dubium oriatur, debet quiſpiam ſub conditione rebaptizari.* Qui etiam, n. 11, ait: *Ut quis rebaptizetur ſub conditione, ſufficit, quod detur ſuſpicio, vel formido, de probabilitate baptiſmi.*

X. Secundum autem fundamentum de irregularitate incurſa facile etiam diluebatur ex doctrina Pignatell. cit. conſ. nov. 115. ibi: *Sed an incurrat ille, qui rebaptizat temere ſub conditione, etiam mente concepta, id eſt, ſine dubio probabili, ſive etiam ſi fuerit negligens ad inquirendum, an ille, quem rebaptizat, fuerit prius baptizatus? communis ſententia canoniſtarum affirmat, ut teſtatur Salzedo ad Diaz. cap.* 15. *et tenet Sayrus, l.* 7. *cap.* 8. *n.* 23. *Majol. l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. *Cucchus, l.* 5. *inſtit. t.* 2. *n.* 142. *et* 143. *Negat vero communior ſententia theologorum: quia iſte non intendit rebaptizare, neque formaliter rebaptizat.* Idem tenent, et docent Pal. Con. Soar. Navarr. Avil. Salmant. tr. 10. de cenſ. cap. 8. pu. 5. n. 61.

XI. Tertium tandem fundamentum nil adverſus nos concludebat: 1. Quia agit de rebaptizatione abſoluta, et formali, non vero de conditionata tantum. 2. Quia error, et hæreſis illa verſabatur circa *omnes, qui ſunt de eccleſia Romana*; eo quod in hac eccleſia nulliter, ut ipſa effutiebatur, baptizati erant; nos vero de aliquibus tantum, non ex illo capite, ſed ex defectu aliquo ſubſtantiali, non ex parte eccleſiæ, ſed ex parte miniſtri contingenter proveniente.

XII. Præterea, epiſcopus de jure communi primævo in ſua diœceſi idem poteſt, quod Summus Pontifex in univerſo orbe, exceptis, quæ à Papa ſpecialiter reſervantur, c. *Ad hominem*, de auctor. et uſ. pal. Pelag. de planct. eccleſ. l. 1, c. 50. Soar. de leg. l. 6. c. 14. Peg. forenſ. c. 13. n. 5. Sanch. de matr. l. 5. d. 61. Et epiſcopus vocatur *pontifex*, c. *Pontifices*, q. 1. c. *Meſſan.* de elect. c. *Quia periculoſ.* de ſent. excom. in 6. et *maximus pontifex*, c. *Cleros*, c. *Pontifex*, d. 21. et *ſummus ſacerdos*, c. 1. de ſacr. un. c. ult. 33. q. 1. *princeps eccleſiæ*, gloſſ. in c. *Eccleſ.* 35. diſt. et *columna eccleſiæ*, et alia ap. Peg. de comp. in. opuſc. n. 23.

XIII. Deinde certum erat ex rit. Rom. et ex Cleric. dec. 35. de bapt. ordinarios, ſive epiſcopos, eſſe proprios, et competentes iſtius ſacramenti miniſtros, et competentes judices circa illius controverſias de facto, quoad iteratam ſub conditione adminiſtrationem, ut colligitur ex cit. rit. tit. de baptiſmo adultorum; ibi: *Ubi vero debita forma, et materia ſervata eſt, omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter epiſcopo videatur.* De quo etiam Barufald. ad d. rit. et Abreu de parocho, ita ut hæc ſit expreſſa doctrina Pignatell. conſ. nov. 36. *In hæreticis ſponte comparentibus, non S. Officium, ſed ordinarius, ſupplet defectus baptiſmi.*

XIV. Et certe, ſi inter DD. aliqua ſuborta fuiſſet controverſia, an in tali, vel tali, prudenti dubitatione de alicujus baptiſmatis valida collatione, repetendum foret ſub conditione, necne? et DD. ipſi inter ſe æque dividerentur, in oppoſitas opiniones abeuntes; proculdubio epiſcopus adiretur pro opportuna illius controverſiæ de facto deciſione, utpote illius competens judex, ut tenent DD. ſignanter Abreu cit. l. 2. c. 13. et l. 9. ſeſſ. 13. Pignat. cit. Eymeric. p. 2. Caren. p. 1. et alii; et ut conſtat ex rit. Rom. de *miniſtr. baptiſm.* ibi: *Legitimus quidem baptiſmi miniſter eſt parochus* (ſubintellige *in ſua parochia*, et ordinarius *in tota diœceſi*) *vel alius ſacerdos à parocho, vel ab ordinario loci delegatus.* Ergo, ſi ordinarius eſt delegans miniſtrum, et miniſterium, ita et modum taliter, vel taliter; cum hac tamen differentia; quod epiſcopus delegat, ut principalis, parochus vero, ut vicarius epiſcopi; et non eadem amplitudine.

XV. Et hinc videbatur, incompetentes, et inutiles quidem fuiſſe denuntiationes illas in inquiſitorum fidei tribunalibus oblatas, ſemel quod notorium foret, rebaptizationes illas de mandato epiſcopi, et non abſolute, ſed conditionaliter tantum, adhibitas fuiſſe; tum, 1. Quia inquiſitores judices quidem ſunt adverſus hæreſim tantum, atque hæreſim ſapientes, ex cit. DD. ſignanter Pignatell. conſ. 202. to. 2. Tum, 2. Ex doctrina Barufald. ad rit. Rom. tit. 6. de miniſtr. bapt. n. 1. *Epiſcopas ipſo jure habet ordinariam poteſtatem quoſlibet in ſua diœceſi baptizandi . . . epiſcopus enim eſt ſummus ſacerdos in propria diœceſi:* et clarius explicat Barb. de paroch. c. 9. dicens: *Officium baptizandi per ſe primo convenit epiſcopo.* Et n. 4. proſequitur Baruf. *Epiſcopo ſuccedit parochus, qui in actu curæ animarum gerit vices epiſcopi in propria eccleſia.* Barb. cit. &c. Unde adminiſtrationes illæ conditionales, et de mandato epiſcopi factæ, nec hæreſeos, nec ſuperſtitionis, adhuc ſuſpectæ reddebantur.

XVI. Tum, 3. Quia etiamſi temere, et ſine prudenti ac ſufficienti fundamento, vel motivo, adhiberentur; culpa hæc ſub imprudentiæ tantum nota comprehenſa videbatur; atque adeo citra delationem tribunali fidei, quod de hæreſi dumtaxat, et hæreſim ſapientibus, ut ſuperſtitione, &c. cognoſcit, Pignat. conſ. in principio. Unde ipſemet Pignat. cit. conſ. nov. 115. etiam pro pœna irregularitatis incurrenda ſic cum pluribus concludit: *Requiritur tamen ad dictam irregularitatem malitia gravis, ſcilicet, mortalis peccati. Unde ignorantia inculpata excuſat, Suares diſp.* 31. *ſect.* 6. § Sed quid. *Non autem incurritur in foro conſcientiæ ab eo, qui ficte, ac ſine intentione rebaptizandi, exterius rebaptizat; neque ab eo, qui rebaptizat ſub conditione, etiam mente concepta, neque ille, qui ſolum repetit ſolemnitates baptiſmi, non vero baptiſmi ſubſtantiam.*

XVII. Et Lacr. cit. n. 130. § 12. ſic reſolvit: *Si quis, ut ſe liberet moleſto ſcrupulo, repetat ita formam ſub conditione, putant Lean. Tamb. Gob. t.* 7. *n.* 173. *Sporer. n.* 99. *peccaturum tantum venialiter; quia quando ſic agit anxie ex metu, ne offendat Deum, non videtur gravem irreverentiam inferre ſacramento, ſed tantum levem ex imprudentia; poſſuntque multi ſic repetentes excuſari ab omni peccato, inquit Gob. n.* 172. *tum quia ſæpe non apprehendunt inanitatem ſui ſcrupuli; tum quia ſunt perplexi, timentque adhuc magis peccare, ſi non repetant; et quia non habent tempus examinandi abſque ſuo rubore, vel aliorum tædio, putant potius faciendam repetitionem; minus quippe malum eſt repetere, quando eſt repetendum, uti recte Gorm. de pœn. p.* 2. *n.* 219. *et ſecundum dicta n.* 123. *non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis: tenentur tamen antecedenter ſibi formare judicium, quod opus non ſit repetere; et illo ſtandum eſt poſtea, contempto omni timore.*

Neque obeſſe poterat, 1. Quod aliqua ex ipſis rebaptizatis novam dæmonis invaſionem poſt reiterationem baptiſmi paſſa ſit, proindeque videatur à poſſeſſione dæmonis perfecte non fuiſſe liberatam. Contra ramque eſt veritas de fide ex Luc. xi. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine . . . tunc vadit, et aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, et ingreſſi habitant ibi.* Matth. xii. 45. *Et intrantes habitant ibi.*

XVIII. Neque obſtat, 2. Iteratio illa ſecunda ejuſdem baptiſmi religioſæ illi bis repetiti: quia neceſſaria reddebatur ex defectu voluntario debitæ et ſeriæ intentionis ſacramentum recipiendi, ob violentam et meticuloſam dæmonis diſtortionem: quinimo, ſi hæc ſucceſſive reiteraretur, conſequenter ſucceſſive etiam, prudenter, ac neceſſario, baptiſmum ipſum reiterari deberet, ex doctrina ejuſdem cit. Lacr. n. 127. § 6. *Si ſæpe occurrat nova cauſa prudenter dubitandi de valore ſacramenti, jam ſæpius collati, poteſt, et, ſecundum ſupradicta, debet, ſucceſſive ſæpius iterari ſub conditione, Stephan. et Gobat. n.* 252. Cui etiam ſuffragatur à Sp. S. cit. conſ. 114. *Imo, ſi ipſamet etiam ſecunda vice poſt collatum baptiſma, ſi ad majorem ſui animi ſecuritatem in eodem actu peteret, ut ſibi iterum ſub conditione repeteretur; cur id non fieret, præmiſſis circumſtantiis ſuppoſitis?*

XIX. Nec etiam referebat, 3. Atteſtatio parochi fidem facientis, ſe in præmemorato illo baptiſmo intentionem habuiſſe ſacramentum conficiendi: 1. Quia contrarium nunquam in ſui damnum, et odium, atteſtaretur. 2. Quia poterat deficere, ut ſæpe, et regulariter deficiebat in præviis exorciſmis ad adminiſtrationem baptiſmatis rite adhibendis, ex eccleſiæ præſcripto: qui quidem defectus ſufficiens eſt ad dæmonis obſidentis, vel poſſidentis, ſubintroitionem, ut

plures docent, ſignanter Barufald. Remig. et alii. Deinde nec ſemper liber baptizatorum, nec fides parochi, facit plenam fidem, ſi aliquis error intercedat. A Sp. S. cit. conſ. n. 28.

XX. 4. Quia naturalis, et vitioſa celeritas, ac præcipitantia pronuntiationis verbalis illius miniſtri (præter naturalem ineptitudinem) in prolatione formæ; *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; aliqua ſubſtantiali ſyncopa fortaſſe claudicaret, aliquam perſonam, v. g. *Filii*, vel aliquod verbum ſubſtantiale, vel etiam conjunctiones *et, et*, in quibus deſignatur diſtinctio perſonarum (juxta opinionem Conrad. Vivald. Reginald. Averſ. et aliorum, cum Comitol. l. 1. q. 7.) omiſſiva mutilatione, vel ſubtractione, propter præcipitantem celeritatem ſubticendo, qua quidem iſte talis adeo laborabat, ut multi prudentes proprios infantulos ab ipſo baptizari renuebant.

XXI. Quare etiam de baptiſmis ab obſtetricibus, vel laicis adminiſtratis, communis eſt doctrina (imo et omnium ſynodalium conſtitutionum diſpoſitio) ap. cit. Lacr. n. 317. et Arſdek. tom. 2. p. 2. tr. 4. c. 7. § 3. n. 7. *Et ſi obſtetrix, poſtea interrogata, oſtendat ſe callere formam et ritum baptizandi, poteſt tamen prudenter dubitari, an ex acceleratione, aut turbatione animi inter ſtrepitus, et clamores parentum domeſticorum, in ipſo baptizandi actu errorem aliquem admiſerit, qualis aliquando interveniſſe hiſtoriæ non paucæ teſtantur. Et eidem ordinarie dicendum videtur, quando infantes ab aliis laicis, ſive viris, ſive fœminis, in ſimili caſu domi baptizantur; cum res tanti momenti magnam exigat cautelam, ac ſecuritatem. Dixi, ordinarie; quia non aſſentior illis, qui id univerſaliter requirunt. Inveniuntur enim viri laici in hoc non minus docti, et periti, quam ſint aliqui clerici, et ſacerdotes.*

XXII. Suffragabantur varii caſus in Portugallia, et ejus conquiſtis, eventi, præter eos, quos affert Quintanad. à Sp. S. Marim. et alii. Primus erat, cujuſdam parochi eccleſiæ de *Arcuzello* diœceſis Portucallenſis, prope famoſum monaſterium S. Salvatoris *Grijoenſis*, canonicorum regularium S. Auguſtini, ubi regularem profeſſionem ann. 1699. emiſi; qui quidem parochus nomine *Antonius Lobo de Azurara*, ex modernis Chriſtianis deſcendens, et ab inquiſitoribus deprehenſus, fere quinquaginta retro annis, ſponte confeſſus eſt, in omnibus baptiſmis à ſe miniſtratis (primo excepto) quoad parochus inceſſit, nunquam ſacramenti conficiendi intentionem habuiſſe. Quare parochiæ catalogis examinatis, ſolus primus ille à parocho ipſo baptizatus, è vivis ſublatus inventus eſt. Reliqui autem, qui adhuc ſuperſtites erant, iterum baptizati ſunt. De quo adhuc teſtes oculares præfato anno in illa parochia exiſtebant. Quid ſimile patravit clericus alter *Antonius Fernandes*, etiam Judæus, ex hoc Algarbiorum regno oriundus, ex pago *Paderne*, coadjutor parœciæ *Alcariæ Rubiæ*, Eborenſ. diœceſis, qui abhinc quinque luſtris è vivis deceſſit; cum conſimili baptiſmi iteratione. Et per annos proximos felici Portugalliæ inſtaurationi, parochus alter proximæ parœciæ *Oſſonobæ*, vulgo *Eſtoy*, à Judæis etiam oriundus, ab Inquiſitione captus, repoſuit ſe nunquam ſacrum baptiſma cum debita intentione adminiſtraſſe; quare omnes ſuperſtites rebaptizati ſunt. Mitto alium parochum Braſilienſem, et alios aliarum regionum conſimilibus defectibus, et natalium, et intentionis rectæ, laborantes.

XXIII. Secundus erat cujuſdam monialis Ulixbonenſis, quæ cum P. magiſtro emerito *Fr. Antonio ab Expectatione* obſervantiæ S. Franciſci, provinciæ Portugalliæ (qui abhinc duobus annis è vita diſceſſit) in confeſſione aperuiſſet, ſe frequentibus, ac vehementibus dæmonis ſuggeſtionibus agitari, ut cum quadam D. N. Jeſu Chriſti pulchra imagine actiones libidinoſas exerceret; juſſa à prudenti confeſſario ſub conditione rebaptizari (ignoro, ſi aliud fundamentum ad defectum baptiſmi præſumendum habuit) à ſuggeſtionibus illis, tentationibus, ac turpibus repræſentationibus, perfecte liberata eſt.

XXIV. Tertius erat cujuſdam ancillæ Æthiopiſſæ Portucalenſis, quæ remedio baptiſmi ſub conditione adhibiti, omnino libera et immunis evaſit à variis dæmonis infeſtationibus, ac vexationibus, quibus frequenter moleſtabatur, eo quod prudenter æſtimatum fuit, in baptiſmo generali in regno Angollæ ipſi, et pluribus aliis, ſimultanee adminiſtrato, defectum aliquem vel totalem, vel partialem, ſubſtantialem, internire potuiſſe.

Huic affines etiam ſunt alii ap. cit. à Sp. S. n. 15. et ſeqq. et ap. Quintanad. de muliere illa ex ſola ſcrupuloſa anxietate rebaptizata, quamvis ex libro parœciæ de baptiſmo conſtaret, et de quodam P. Societ. Jeſu: *Nam ſcrupuli illi, et anxietates cordis, dubium aliquod arguebant, et reputati ſunt inſpirationes Spiritus Sancti*, inquiunt DD. citati. Et ap. Sandoval, in hiſtor. polit. qua de muliere Hiſpana, conſilio S. Raymundi de Pennafort, rebaptizata ex nauſea ad euchariſticam communionem, agit.

XXV. Quartus erat, alterius monialis monaſterii S. Monicæ Goanæ civitatis in India Orientali, dum illius metropolis, ac monaſterii prælaturam, licet indigne, agerem: cui quidem varios terrores, et nocturna terriculamenta patienti, frequentibus ſcrupulis, atque mentalibus repræſentationibua, ſe non rite baptizatam incedere; examinato parochiali catalogo baptiſmatum deſcriptionum, et comperto, quod à *daya*, ſive obſtetrice, ob periculum eminens baptizata fuiſſet, iterum ſub conditione à generali confeſſario baptizari permiſſa, in actuali formæ prolatione, et facies ejus claro, et roſeo colore palam reſplenduit (ut confeſſarius, et reliquæ moniales, mihi teſtificati ſunt); et exinde à moleſtis illis terroribus, curis, et ſcrupulis, abſoluta requievit.

XXVI. Conſimilis huic fuit cujuſdam filiæ excellentiſſimi comitis de Unham, 15 annorum, hujuſce regni Algarbiorum gubernatoris, à quodam regulari, docto quidem, ſed inexperto, baptizatæ cum notabili disjunctione formæ prolationis ab ablutionis actionibus, quæ poſtea varios terrores perpeſſa cum continuis ſcrupulis, atque mentali agitatione, ſe rite non eſſe baptizatam, examinata obſtetrice, quæ baptiſmo adſtiterat, et præmiſſa veritate reperta, iterum ſub conditione baptizata eſt à P. Antonio Ferreiro, priore S. Mariæ Lacobrigenſis, vulgo *de Lagos* (qui mihi hæc retulit) eodem nomine *Mariæ Tereſiæ*, quo antea baptizata fuerat, anno 1730. cum approbatione ejuſdemmet regularis primo defectuoſe baptizantis.

XXVII. Mitto alia. Unum tamen modernum ſubjungam de quodam tonſore diœceſis Bracharenſis, *Joſepho da Motta* nuncupato, parœciæ *Lufrei*, diſtricti Valentiæ, qui, proprii baptiſmatis deſcriptionem in parochiali catalogo non inveniens, hoc unico fundamento auctoritate ſereniſſimi prælati, et ordine illuſtriſſimi epiſcopi coadjutoris, atque archipræſulis proviſoris, die 4. Octobr. anni 1744. juſſus eſt iterum ſub conditione baptizari clauſis januis, ut ex teſtimonio authentico, mihi remiſſo, aperte conſtat. Plures alios caſus vide ap. Gobat. tr. 2. à n. 151. Marim. tr. 19. à n. 140. et præſertim notabilem caſum 15.

XXVIII. Et cohærenter ſequentem S. Congregat. declarationem ap. cit. Barufald. tit. 12. n. 73. ubi reſponſum tradit per S. Congregat. Concil. in una Neapolit. *Matrimonii, die 1. Septembris 1714. ubi dubio, an attenta difficultate inveniendi fidem baptiſmi, annuendum fuiſſet, ut quædam mulier ſacramento matrimonii copularetur?* reſp. *Eſſe baptizandam ſub conditione, et ſecreto: ac deinde procedi poſſe ad contractum matrimonii ſer. ſer. ex Urſaya, diſc. eccl. tom. 1. p. 1. d. 10. n. 68. per illa verba, Si nihil aliud impediat, intelligi debet, ſi ſit inſtructus, ſi petat baptizari, ſi voluntarie accedat, et ſi careat aliis quibuſcunque impedimentis, quæ obſtant baptiſmo.*

XXIX. Tandem certum omnino eſt, tribunal S. Officii, quamvis ex primis illarum baptiſmatum reiterationum denuntiationibus (forſan, qua auctoritate, aut ordinatione, adhibita fuiſſent, induſtrie tacentibus) ſecretam informationem, plurimis circumſpectis cautelis, capere juſſiſſet, reperiens tamen, proprii auctoritate ordinarii adminiſtrata fuiſſe, et cum præfato experimentali effectu, in omnibus ſecuto, ab ulterioribus diligentiis prorſus abſtinuit, ut mihi ex ſcientia certa revelatum eſt. Quinimo in facultate poſtea aliquibus delegata ad abjurationes aliquorum ſectariorum adultorum pro eccleſiæ Romanæ reunione, et ſacramenti baptiſmi conditionali reiteratione, ſumendas, novis cautelis pro examinandis, et præcavendis defectibus,

ctibus, qui à miniſtro hæretico, nedum ex parte intentionis, verum et ex parte formæ, vel etiam materiæ, irrepſiſſe poterant, uſum fuit.

Vide tamen alleg. 149. ubi narratur contrarius eventus ex ſuſcitatione hujuſmet controverſiæ poſt quadriennium, et qua de cauſa.

XXX. Experientia etiam compertum habeo, ſacramenta aliqua baptiſmatis adminiſtrata ab aliquibus regularibus, et ab aliis ſacerdotibus practice inexpertis, iterum ſub conditione revalidata fuiſſe; unus namque illius miniſter, quamvis in ſacra theologia laureatus incederet, defectu, non ſcientiæ, ſed practicæ experientiæ, pro forma, non *Ego te baptizo*, ſed *Ego volo te baptizare*, protulit; et animadverſus, eam ratificare debita formalitate, tenaciter noluit; et eadem tenacitate illius validitatem ſuſtinere cœpit; quare parochus revalidavit baptiſmum private. Alter, ex non uſu ac perturbatione, pro *Te baptizo*, dixit, *Te abſolvo*, &c. Et alii alia vel perverterunt, vel omiſerunt ex inculpabili turbatione. Pro quo vid. notabilem doctrinam Quintanad. tr. 1. ſing. 1. n. 7. à Sp. S. cit. conſ. fin. 114. n. 8. et Abreno infr. cit. alleg. 149.

XXXI. Ex dictis tamen pro vexatis practice tenendum, et inſequendum vellem, quod, quamvis Gob. ap. Lacr. cit. ſupr. n. 9. et alii, dicant, ſufficere ad alicujus licitam rebaptizationem aliquam dæmonis infeſtationem, et quod illam patiens baptiſmum inſtanter peteret, neque ulla alia ſciatur cauſa infeſtationis; attamen aliis adminiculis ulterioribus, ut practice repetatur baptiſmus prudenter, opus eſſe æſtimo, qualia ſunt, quæ ſuperius attacta, et inſinuata manent: nec ſufficere ſe ſola ſimpliciter declarationem dæmonis per os energumeni, ſive energumenæ, præſertim ſi ſit ſpontanea manifeſtatio, et non ex vi præcepti exorciſtici extorta; quia dæmon eſt pater mendacii, licet quandoque ex divina permiſſione, vel ordinatione, vel ex aliis cauſis, ſibi bene viſis, verum fateri ſoleat, ut ſæpe exorciſtæ experimento nôrunt. Pro quo vid. Brognol. de malef. et in manual. Mengo in flagel. et fuſt. dæmon. et cit. Barufald. Arbiol. et alios.

XXXII. Unum tandem adhuc ſubjungere refert, ad vulgarem illam notam vel penitus excludendam, vel ſaltem retundendam; videlicet paucos reperiri maſculos vexatos, fœminas vero innumeras. Quæ tamen nota facile laceſſitur ex communi DD. aſſerto, qui varias rationes huic objectioni opponunt, et hic efficaciores ſeligemus. Prima eſt ea ipſa, qua *ſerpens ille callidior, et antiquus*, Gen. iii. non Adamum, ſed fœminam Evam decipiendum impetiit, quippe qui eam noverat ex ſexu imbecilliori, deceptioni præ Adamo, qui non eſt ſeductus (1. Timot. ii.) magis obnoxiam.

XXXIII. Secunda: Ex majori odio adverſus mulieres, præſertim virgines, quam adverſus viros, ob illud Gen. iii. 15. *Inimicitias ponam inter te, et mulierem; ipſa conteret caput tuum, et tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Quod quidem odium, et invidiam, jam Lucifer, et angeli ejus conceperant adverſus mulierem in ipſo mundi exordio, prope ipſorum angelorum creationem, quando eiſdem ineffabile incarnationis myſterium, in ſigno illo magno, Apoc. xii. revelatum, atque in imagine propoſitum eſt, ut ſcribit Ven. Mat. *Maria à Jeſu*, in ſua mirabili *myſtica civitate Dei*, p. 1. et videtur inſinuatum in Pſ. cix. *Ex utero ante Luciferum genui te*, uſurpatis in proptio ſenſu ſingulis præmiſſis verbis: *Quare draco perſecutus eſt mulierem . . . et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam trahi faceret à flumine*, &c. *et abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus.* V. myſt. civ. Dei, p. 1. n. 131. et p. 2. n. 317.

XXXIV. Tertia: Quia fœminæ ſunt humidioris complexionis, et lymphatici humoris abundantiores, plurimis morbis obnoxiæ præ viris, præſertim uterinis affectionibus, quæ valde cum dæmoniacis vexationibus æquivocantur, atque confunduntur, teſte Riverio, Curvo, Zacuto Luſitano, et aliis, et ap. Fr. Bernardin. Chriſt. pract. medic. tr. 1. de melanchol. obſerv. 47.

XXXV. Quarta: Quia fœmineus ſexus devotior Deo eſt, et advirtutis profeſſionem proclivior: quare, cum Deus omnes nos ad divinam unionem, ac tranſformationem, vocet (*Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum: Sint unum, ſicut et nos*); et Chriſtus Dominus dicat; *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis eſt*; idcirco, ſicut ſapiens artifex, tradit opificibus ſuis infimis lignum ſcalpro vexationis erudiendum, atque dolandum, ut in eo, ſic diſpoſito, poſtea divinæ ſuæ imaginis delineamenta, ac perfectam effigiem, exprimat, atque inducat, de quo Eſquerr. lucern. myſt. t. 6. c. 4.

XXXVI. Quinta: Quia *non eſt ira ſuper iram mulieris*, Eccli. xxv. 21. Cum autem mulieres ex furentiori iracundia in ſeipſas, in filios, famulos, et domeſticos, imprecari ſoleant, et, ut ait Senec. ep. 31. *Exaudiunt quoque dii execrationes parentum*; hac de cauſa frequentius dæmonibus ſubjiciuntur.

XXXVII. Sexta: Quia mulieres ſunt vehementiores, efficaciores, obſtinatiores, et obcæcatiores in affectionibus, atque appetitibus ſuis perſequendis: proindeque facilius dant locum diabolo, ut eas obſideat: vid. Eſquerr. lucern. myſt. tr. 6.

XXXVIII. Septima: Quia, cum ſint fragiliores, ex miſericordia Deus eiſdem has vexationes frequentius permittit, ne in graviora carnis peccata facile labantur; et quandoque ad peccata aliqua carnalia vindicanda (*Sunt* namque *ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt*, Eccli. xxxix. 33.): et aliquando à divina juſtitia traditur dæmoni corpus temporaliter cruciandum, ne ſpiritus in æternum tradatur, ut deducitur ex illo Pauli, 1 Cor. v. *Judicavi tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.*

XXXIX. Octava: Quia ſexus muliebris magis commovet ad charitativam commiſerationem, compaſſionem, et ad alios bonos ac pios virtutum, bonarumque affectionum, effectus; proindeque inſtrumenta ſunt aptiora ad Dei gloriam, laudem, reverentiam, timorem, et ad alias pias affectiones excitandas, quæ quidem ſæpe ſunt finis, ſpecialeque harum permiſſionum motivum, Monacell. 3. p. ex Delrio, et al.

XL. Nona: Quia *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*; ideoque fortitudinem ſuperbi principis hujus mundi ſolet humiliare, atque confundere, permittendo, ut infirmæ mulieres, ab eo prius vexatæ, atque obſeſſæ, poſtea ab eodem glorioſe triumphent, Pignatell. conſ. nov. 70. et conſ. can. 108. et 110. to. 4.

XLI. Decima: Quia plures ſunt de ſexu fœmineo, quæ ſeſe dæmonum ſervitio dicant per pactum explicitum, vel implicitum, quam de maſculino; quare plures reperiuntur mulieres ſagæ, ſtriges, lamiæ, maleficæ, veneficæ, pythoniſſæ, præ hominibus magis; ideoque ex conformi juſtitiæ æquitate Deus ipſe plures fœminas à dæmone obſideri permittit.

XLII. Undecima: Experientia conſtat plures mulieres, illecebris dæmonum ac libidinis allectas, dæmonibus ſuccumbere; quod quidem non legitur facile de homine incubo, et dæmona ſuccubante, de quo Delrio de magia, l. 2. q. 15. ideo facile à dæmonibus incubis poſſidentur.

XLIII. Duodecima: Mulieres naturaliter ſunt magis vanæ, quam homines, et inanis gloriæ magis cupidæ, et vanitatis vento facilius rapiuntur. Et cum aliunde ſint magis Deo devotæ; quolibet initiali virtutum mediocri exercitio, cupiunt omnibus ſanctæ apparere, et ab omnibus tales reputari; quapropter facillime divinas revelationes appetunt, ecſtaſes, ſuſpenſiones, &c. et in pœnam, Deo permittente, à dæmonibus hallucinantur, atque obſidentur.

Huic rationi affinis eſt illa, quia mulieres naturaliter ſunt magis timidæ; timor autem eſt una ex proximioribus diſpoſitionibus ad obſeſſiones dæmonum; præſertim, ſi timor, ac trepidatio, conjungatur cum parva fiducia, ac confidentia in Deum, ut tenent Brogn. et Pignatell. infr. cit.

XLIV. Decima tertia: Mulieres in ſcientia ſuperantur ab hominibus, quod et ipſæ nôrunt: et cum naturaliter homines in hoc excellere non poſſunt; eos ſupernaturaliter, vel præternaturaliter, anteferre affectant, incerta, et occulta ſapientiæ divinæ, vel ſecretiora naturæ arcana, penetrare deſiderantes. Unde, ſicut diabolus Evæ (non Adamo) hac naturali inclinatione obſervata, ſuggeſſit, *Eritis ſicut dii, ſcientes*, et utrumque ſubvertit, *jumentis inſipientibus* utrumque *comparatum*, ac ſimilem *efficiens*: ita pariformiter, &c.

XLV.

XLV. Decima quarta: Minor prudentia muliebris, minor cautela, maturitas, et circumſpectio, necnon major curioſitas, novitatum appetentia, et aliæ pravæ affectiones, eas aptiores reddunt ad frequentiorem dæmoniacam deceptionem, atque obſeſſionem: quo ſuper videndus Eſquerr. lucern. myſt. tr. 6. cui annecti poteſt, quod Pignat. conſ. nov. 70. videndus, et alibi to. 4. c. 108. 110. inſinuat, quod *cum mulieres ſint magis timidæ, et apprehenſivæ, ex timore, et apprehenſione hujuſce mali, ſæpe permittente Deo, à dæmone obſidentur*; timor enim eſt una ex diſpoſitionibus proximioribus ad has dæmoniacas obſeſſiones, ut ſupr. inſinuavimus; de quo Pignat. conſ. nov. 202.

XLVI. Decima quinta: *Dæmon eſt ſimia Dei*, hujus opera, inverſo ordine, æmulans. Unde, ſicut paſſim in S. Pagina legimus fuiſſe in lege ſcripta innumeros prophetas maſculos, ita ut, velut greges virorum prophetarum, ſuper quos inſiliebat ſpiritus Domini, numerarentur tempore Saul, et Eliſei, 1 Reg. x. 10. et 4 Reg. ii. 3. et 5. et 7. fœminarum vero pauciſſimæ ſpiritu prophetiæ afflatæ inveniantur, videlicet, *Holda* uxor Sellum, *Maria* ſoror Moyſis, *Anna* mater Samuelis, *Debora*, et *Anna* filia Phanuel; ita, è converſo, in lege gratiæ, plures mulieres à ſpiritibus immundis hallucinatæ, et obſeſſæ, ob majorem ſexus debilitatem, ac infirmitatem, reperiuntur, quam homines.

XLVII. Decima ſexta, quæ mihi fere currente calamo occurrit, et generalis pro utroque ſexu, ea eſt, quæ Ezechiam, teſte Euſeb. ap. Alap. 4 Reg. xviii. compulit *comburere libros Salomonis de natura plantarum, et de curatione omnium morborum, tractantes, eo quod populus ob id nihili faceret à Deo petere curationes.* Unde, cum fide certum ſit apud miniſtros eccleſiæ reſidere poteſtatem morbos pellendi, juxta illud Marc. xvi. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt:* et illud Jacob. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros eccleſiæ, et orent ſuper eum .... et oratio fidei ſalvabit infirmum, et alleviabit illum Dominus*; et hæc poteſtas adeo in oblivione eſt, ut pauciſſimi ad illam nunc temporis recurrant; ad eam revocandam in memoriam, ac venerationem, tot vexationes impræſentiarum providus Deus ipſe permittit. Quare hodierno tempore jam in tota diœceſi Uliſbonenſi mos eſt in quolibet morbo, vel ægritudine, ad remedia eccleſiæ recurrere. Huic affinis eſt providentia illa, qua Deus Mauris, et aliis infidelibus, cognitionem dedit tot plantarum curativarum, quam fidelibus non permittit, ut ad eum, et ad divos, pro ſanitate recurrant.

XLVIII. Et quia opuſculus iſte notitiæ, et inſtructioni judicum eccleſiaſticorum conſulit ad varia pro futuris caſibus præcavenda, ſubjungere hic libet doctrinam conſentaneam Martini Delrio de *magia*, l. 2. q. 15. pro fœminis involuntarie dæmonibus ſuccumbentibus; videlicet, *Poſſe dæmones efficere, ut virgo mente et corpore permanens, non tamen ſine virili ſemine, concipiat. Probatur; Quia poteſt virgini dormienti, et ignaræ, aliunde ſuſceptum verum, et fœcundum ſemen, ſine congreſſu carnali, hymene, aliiſve clauſtris virginitatis incorruptis, infundere. Ut autem in partu virginitas conſervetur, hoc dæmon nequit. Cum enim ad hoc vera corporum penetratio requiratur, quæ virtuti divinæ reſervatur, id ſine ſpeciali miraculo fieri non poteſt. Propterea, cum Calviniſtæ negant hoc ſeptum virginalis in partu Chriſti Domini clauſum manſiſſe; præcipuam certe miraculi, et veræ virginitatis, prærogativam tollunt. Exemplum quoque de Bambergenſi puella, quod recitat Niderius, caute legendum eſt, et de mentis tantum virginitate accipiendum; carnis enim integritatem amiſerat per eandem copulam, qua conceperat. Nec à viro mulier cognoſci poteſt, ſine virginitatis jactura; nec imprægnari, niſi cognoſcatur. Scio quid multi ſcriptores narrent de variis, quæ conceperint dumtaxat ex ſemine, quod in balneo, in quo illæ lotæ, prius fuerat effuſum; ſed non credo: et video id etiam negari ab Andrea Laurentio, quia neque virtus attractiva matricis tam à ſe longe queat vim exſerere; neque aqua ſolertiam habet, quam dæmon, ſpirituum evaporationem prohibendi; et ſemen illud, ſi fœcundum fuiſſet, fundum aquæ petiiſſet, non ſupernatáſſet.*

Denique adnotandum, regreſſum dæmonis in poſſeſſum, ſive novam poſſeſſionem ejuſdem corporis, non eſſe ſignum, quod primo ab illo vere non exierit; cum ex evangelio conſtet, quod *immundus ſpiritus vere exiens ab homine*, et per aliquod tempus *ambulans per loca arida, dicens, Revertar in domum meam*, unde *exierat*, et *adducens ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*, noviter omnes vere ingreſſi *habitant ibi, et fiunt noviſſima poſſeſſi illius pejora prioribus.* Vide Brogn. Baruf. Pignat. et omnino vitam S. Franciſci Saleſii l. 6. c. 20. n. 107. ubi legitur, quod in una viſitatione pluſquam 800 energumenos invenerit, ac liberaverit.

ALLEGATIO CXXXVII.

Sive CONSULTATIO CENSORIA,

Super Libello Dæmon violentus *religioſiſſimi ac ſap. P. Fr.* Aldefonſi dos Praſeres, *ex Monacho Benedictino, Franciſcani Obſervantis, atque Apoſtolici Miſſionarii* de Varatojo.

SUMMARIUM.

I. *Facti eventus.*
II. *Qualis dæmonis poteſtas, et quales deluſiones facere poſſunt.*
III. *Ex homine incubo, et dæmona ſuccuba, vera proles non enaſcitur, bene vero è contra.*
IV. *Exempla realium vexationum dæmonis.*
V. *Poteſtas dæmonis ſuper corpus, non ſuper animam patientis eſt.*
VI. *Poteſt dæmon aliquem citra peccatum ita vexare, ut eum cooperari violenter cogat actioni turpi; et quomodo.*
VII. *Argumentum à paritate.*
VIII. *Conſonant juris can. ſanctiones.*
IX. *Explicantur textus objecti.*
X. *Non coincidit hæc doctrina cum Molinoſia.*
XI. *Ut propoſitio copulata damnetur ſimpliciter, ſufficit, quod in una particula falſa ſit.*
XII. *Super quam particulam cadat damnatio peccati philoſophici Alex.* VIII.
XIII. *Propoſitio* 42. *Molinoſii.*
XIV. *Plurimis rationibus oſtenditur, non poſſe dari caſum violentiæ dæmoniacæ inter duas perſonas in ea propoſitione figuratum.*
XV. *Reſpondetur objectionibus.*
XVI. *Unum dæmonem ſuperiorem à corpore poſſeſſo alium inferiorem expellere ſæpe accidit.*
XVII. *Laus hujus ſingularis quæſtionis.*
XVIII. *Laudes D. Michaelis potentiſſimi dæmonum debellatoris.*

I. NOBILISSIMUS pariter, ac religioſiſſimus P. *Fr. Aldefonſus dos Praſeres*, in ſæculo *Aldefonſus Franciſcus Furtado de Caſtro Rio, e Mendoza*, ubi poſt literarum tyrocinium ſæcularis militiæ ordine regio caſtra ſecutus, nondum ſeptimum ætatis annum adimplens in eadem majoris, ſeu generalis ſtructoris exercitus munus exercens, ad nobiliorem, et altiorem ſpiritualem militiam à Rege regum evocatus, ſæculo valediceus maxima cum ædificatione, etiam nobilium militarium, eſt ingreſſus anno 1713. quo per pluſquam tredecim annos commoratus in bona tum literarum, tum virtutum converſatione, qua theologicæ facultatis curſum emenſus in alma Colimbrienſi academia; ardenti, quo flagrabat, deſiderio proximis in apoſtolici miſſionarii miniſterio, quod jam in Benedictina religione exercere cœperat, inſerviendi, ac proficiendi, ad Franciſcanum ordinem, et ſeminarium miſſionariorum de *Varatojo*

ex

ex apoſtolico indulto ſe contulit anno Domini 1726. ut expeditius miſſionibus, et proximorum ſaluti, totus incumberet. Qui in angelico illo miniſterio conſummatus, in brevi multa tempora explens, aureum ſpiritualem libellum duplici tomo diviſum edidit ſub titulo *Maximæ ſpirituales*; quo etiam ob neceſſitatem tunc verſantem, de vexatis à violentis dæmonibus, ſolide, modeſte, prudenterque agebat: tomum alium ſub titulo *Conſultationes ſpirituales*, anno 1745. in lucem dedit, quo eadem materia refricatur: cui tamen puræ, veræ, et inoffenſæ doctrinæ, ſolaribus radiis clariori, aliquæ de more leves nubeculæ, ſive ad modicum parentes vapores, ſeſe objectantes eum adegerunt, ut mature in lucem prodere, et generali cenſuræ apologiam quandam ab illuſtriſſimo ac excellentiſſimo epiſcopo Viſienſi D. Julio Franciſco Oliverio, titulo *Dæmon violentus*, ſubjicere decrevit. Quod quidem jam ultima manu abſolutum, et plurium doctiſſimorum virorum judicio jam ſubditum, mihi tandem, doctorum minimo, quaſi abortivo, ab Indiana longiſſima navigatione Portugalliæ appulſo, ipſummet libellum pro mea cenſura addenda, honorifice offerre dignatus eſt: cui et ego viciſſim ex amicitiæ et gratitudinis debito libentiſſime ſatisfaciens, ſequens judicium ſub omnium cenſura tradidi.

JUDICIUM.

Job xli. II. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ* (Jobo atteſtante) *dæmonis comparetur poteſtati*: multa enim vere mira patrare valet, nullum tamen verum miraculum, Exod. vii. 11. ſed apparentia dumtaxat, qualia fuere, quæ magi in Ægypto, ope dæmonis, per *incantationes Ægyptiacas, et arcana quædam*, perfecerunt; et quæ paſſim per fallaces deluſiones, ac præſtigia, ubique dæmon ipſe perpetrat, jam objecta commutans, et una pro aliis clam ſupponens; jam ſpecies, vel medium, quo diffunduntur, interturbans, quemadmodum remus infra aquam, vi illius turbationis, curvus, vel fractus apparet; jam proprias objecti ſpecies detinens, et alienas potentiæ ſubminiſtrans, vel in phantaſia exiſtentes (ut in febricitantibus, aut delirantibus, experitur) perturbans, vel eas à phantaſia ad organum ſenſus deſcendere faciens, qualiter Abulenſis in apparentibus Ægyptiorum miraculis accidiſſe putat; jam tandem activa paſſivis proportionate applicans, vel qualitates aliquas mere naturales ita complicans, aut commiſcens, ut ex earum artificioſa conjunctione effectus miri, humanæ tamen potentiæ non ſimpliciter ſuperiores, aut impoſſibiles, edantur; de quo Delrius de magia, q. 8. l. 2. Valle de incantationib. Petrus Tyræus de *locis infeſtis*, Abulenſ. in Mat. Raphael de la Torre, et alii, quos relatos proſecutus ſum in meo theologico tr. *de republica dæmonum*, diſp. 2. ſect. 1.

Et quamvis hoc etiam modo aliquoties evenire potuiſſe actiones illas turpes dæmonis coactione à patienti in ſeipſum per deluſionem illatas, ut prudenter, tam in ſingulari controverſa quæſtione, quam in doctiſſimis ſuper ea præmiſſis cenſuris, quaſi certum præſupponatur; attamen certo certius etiam eſt, quandoque vere, et realiter, expertas ac perpeſſas fuiſſe extra omnem deluſionis, ac deceptionis, tum internæ, tum externæ, præſtigiatricem fallaciam, jam in energumenis à dæmone poſſeſſis, vel obſeſſis; jam in mente compotibus à dæmone incubo, vel ſuccubo, violenter oppreſſis; jam etiam in dæmones adhærentes, vulgo *arrimadiços*, patientibus; jam denique in realiter ſuſtinentibus dæmones *tranſeuntes*, à quibus, velut *à ſagitta* Pſ. xc. *volante in die* tranſeunter impetuntur, vel *negotio per-* Job iv. 15. *ambulante in tenebris à timoribus nocturnis agitantur*, quales expertus eſt Jobi amicus Eliphaz Themanites, cum *in horrore viſionis nocturnæ ſpiritus, eo præſente, tranſiret, inhorruerunt pili carnis ejus*, &c. vel etiam in illis, qui in varios *dæmonii meridiani incurſus* incidentes, multiformiter, multoque plus deformiter vexantur, etiam dæmonis ſuccubitu, aut incubitu.

III. Et quamvis ex homine incubo, et dæmona ſuccuba, realiter vera proles enaſci nequeat, ut ex antiquis Ægyptiis probat Martin. Delrio, lib. 2. q. 15. attamen contraverſum ex dæmone incubo, et fœmina ſuccubante, vera proles progigni, et naſci realiter valet, ut de generatione Martini Lutheri, Merlinii Angli, et Xacæ Japonis, communiter aſſeritur, et poſſibilem demonſtrat illuſtriſſimus auctor, eſto, juxta commune DD. placitum, talis generatio dici nequeat proprie generatio reſpectu dæmonis, qui tamen non operatur *in ſimilitudinem naturæ*, neque proles genita dici proprie filia ejuſdem, cum non ſit à principio *intrinſeco conjuncto*, ſed extrinſeco, neque *per aliquid à ſe deciſum*, ſed aliunde extractum, juxta commune DD. ex Ariſtotelica definitione aſſertum.

IV. Illam autem realem veritatem expreſſe comprobant, et fide dignarum hiſtoriarum fidelis et ſincera enarratio, et ſapientiorum piorumque DD. prudens aſſertio, necnon ipſiuſmet ſacræ paginæ, ac naturalis rationis efficax ſuaſio: et me perlegiſſe memini in vita *venerabilis D. Mariæ Vellæ*, monialis Ciſtercienſis, per multum tempus, ſeptem aut quinque dæmones viſibiliter, ac realiter, ſecum amplexatos, ſibique corporaliter adhærentes, multiformi cum vexatione fœda, ac turpi, ſuſtinuiſſe; prætèrea, quæ de eadem tradit Arbiol. arg. 39. et apud illum Gonſab. Manriq. et alii. Mihique ſæpe enarravit reverendiſſimus P. D. Bernardinus ab Angelis, primus præſentis meæ canonicæ congregationis illuſtris reformationis illuſtriſſimus generalis, vir virtute, prudentia, atque in perdifficili directionis animarum magiſterio defæcata experientia conſpicuus, de quadam religioſa fœmina, orationi dedita, virtutumque, ac perfectionis ſequelæ apprime addicta, quæ ipſius monitu quamvis decubitura utramque manum, et brachia, ad lectuli crates fortiter alligari caute faciebat; ſe poſtea dæmonis miniſterio, ac violentia, realiter ſolutam, ac pollutam, ipſamet cooperante, reperiebat: et ab aliis doctis, ac piis religioſis huncmet frequentem eventum, et effectum, in perſonis aliis vere ſpiritualibus, eorum ſpirituali directioni ultro ſubjectis, non ſemel didici: quæ ſane cum fallacibus tantum illuſionibus, ac præſtigiis, conſtare nequeunt, ſed cum reali, ac ſolida veritate, atque experientia; de quo DD. in ſingulari quæſtione, ac cenſuris præjactis, ſpecifice laudati.

V. Hanc tamen dæmonis poteſtatem ex ipſo Jobi teſtimonio *ſuper terram*, ſive ſuper terrenum corpus, non vero *ſuper cælum*, ſive animam juſti (quæ Dei ſedes eſt) et ſuper cœleſtem ejus libertatem incedere, clare dignoſcitur. Nam cum juſtorum animæ in manu Dei ſint, dæmonis imperio non ita ſubjacent (ait M. P. Auguſtinus) ut in eas aliquam efficaciam Deus ipſe diabolo permittat, niſi ſalvo earum libero arbitrio, et nonniſi providens, quod *faciet cum tentatione proventum*; quod equidem ulterius ex ipſo divino effatu ad Satanam, ipſius Jobi exercitatorem, *Veruntamen* Job ii. 6. *animam illius ſerva*, comprobatur; quatenus nedum poteſtatem in animam Jobi ejus anticuſtodi diabolo permiſit, verum, et in angelum cuſtodem, et illius animæ, ac libertatis ſervatorem, eum inſimul conſtituit.

VI. Ex quo conſequitur, poſſe quidem dæmonem ex divina permiſſione ita aliquem vexare, ut illum citra peccatum violenter cooperari actioni turpi, à dæmone ipſo principali promotæ, cogat; quemadmodum obſeſſos ad blaſphemias execrandas, innocenter proferendas, etiam adverſariorum aſſenſu, compellit.

Quod et ultra ſatis derivatur ex illis energumenis, Marc. i. *Diſcerpens eum ſpiritus*: et v. *Concidens ſe lapidibus*: et ix. 22. *Et frequenter eum in ignem, et in aquas miſit, ut eum perderet*: et 26. *Multum diſcerpens eum*: et Matth. xvii. 15. *Male patitur*, et *ſæpe cadit in ignem, et crebro in aquam*: necnon ex tex. 2 Cor. xii. (in diverſiſſimo tamen ſenſu, quo Molinus) *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Ubi, juxta P. Segneri interpretationem, tametſi Satanas apoſtolum hiſce ſtimulis carnis indeliberatis, ſive violentis colaphizationibus, quoad libertatis conſenſum non lædebat, attamen cum rubore, et injuria, vexabat, lacerabat, dehoneſtabat, et ignominioſe afficiebat, ſeu, uno verbo, *colaphizabat*, ſed non *ſupplantabat*. Mann. die 17. Nov.

Conſpirat etiam eccleſiæ ſenſus in hymno:

Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Ex quo deducitur poſſibilitas hujuſce vexationis indeliberatæ citra conſenſum animæ, quæ à dæmone in

corpus quidem, cum iſtius, non animæ, pollutione, induci poteſt: quod et in vigilia, ex diligentia dæmonis, corpus, non animum lædentis, contingere etiam quit.

Hæc, et alia hujuſce propria inſtituti prælibaveram, proſecutus fueram in præfato illo theologico tractatu, primæ notæ DD. veſtigiis inhærens, quæ anno 1712. in publicis theſibus, typis traditis, in Conimbricenſi collegio ſapientiæ palam ſuſtinui; quas etiam ſapientiſſimo ac religioſiſſimo P. magiſtro Sebaſtiano Rybeiro, congregationis oratorii eximio decori, ex titulo veræ amicitiæ, qua animus meus, atque ſpecialis devotio mea erga illum, obſtricta erat, cum obtuliſſem, mihi viciſſim reſcripſit, ſe à me in hac idea præventum comperiſſe: jam enim mente delineârat in lucem prodere theſes quaſdam theologicas ſub hac inſcriptione; *Dæmon Academicus:* quibus plurimæ ejuſdem argumenti veritates dilucidarentur. Conſequenterque anno 1714. mihi remiſit concluſiones *de gratia*, prioribus prætermiſſis (qua cauſa ignoro); de quibus agit ſapientiſſimus atque excellentiſſimus auctor, c. 1.

Poſtmodum vero anno 1737. ad manus meas pervenit dictus libellus aureus ſub titulo, *Maximas ſpirituaes* (alius poſtea pluſquam aureus ejuſdem, ſub titulo, *Conſultas ſpirituaes*, editus eſt) præfati præclariſſimi, religioſiſſimi, ac doctiſſimi P. Fr. Aldefonſi *dos Praſeres*, mihi jamdudum fideliſſima, atque omni ex parte deſideratiſſima amicitia conjunctiſſimi; ex cujus ſolida, hac de re, doctrina, à doctiſſimis viris approbata, in præmiſſis veritatibus firmatus, et noviter conſolidatus ſteti.

Vid. Buſemb. l. 3. tr. 4. dub. 4. n. 5. Lacr. ad illum, Carden. in prop.

VII. Nam, poſito, quod liceat ſecundum ſe exercitium licitæ actionis libere adhibitæ, ex qua prævidetur, carnis ſtimulos, cum commotione efficaci ſpirituum ſenſualium, animæ citra conſenſum, conſequendos, quin ex hac communi doctrina aliquid indecentiæ, aut periculi formalis peccati imputabilitas tam reſpectu Dei permittentis, quam hominis libere exercentis, oriatur; cur idem reformidabimus admittere involuntariis actionibus turpibus à dæmone violenter illatis, et à Deo providenter permiſſis? Quocirca notabilis eſt doctrina ſpecialis venerabilis P. Emmanuelis Bernardes in niveo libello, *Arma caſtitatis:* de quo unus ex ejus doctis cenſoribus in dubium vertit, *an clariora arma caſtitatis, an caſtitas armorum incedat*; ubi (notentur clauſulæ ſigillatim) ſic ait: *Et ſi corpus operetur ut tale, anagrammatice verſum* (porcus); *nil turbetur, aut contriſtetur, ſemel quod voluntarium non adhibuerit aſſenſum. Et ſi dubitet, aut intelligat illum adhibuiſſe, contritionem eliciat, et in munere ſuo proſequatur. Et ſi abſque ſcandalo, aut nota, tunc confeſſarium commode adire non poſſit, in aliam horam illius peccati certi, aut dubii, confeſſionem reſervet.*

Bernard. atm. caſt. perg. 34. n. 13.

VIII. Conſonant juris canonici ſanctiones, can. *Itaque*, 32. q. 5. ibi: *Itaque ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluet, ſi aliena erit. Si autem polluet, non erit aliena. Sed cum pudicitia ſit virtus animi, comitemque habeat fortitudinem, potius quælibet mala tolerare decernat, quam malo conſentire.* Et can. *Magis*; ibidem: *Magis timeamus, ne ſenſu interiore corrupto, pereat caſtitas fidei, quam ne fœminæ conſtuprentur violenter in carne: quia violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur; quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione toleratur, quod alius operatur.*

De violata pudicitia quis dubitavit, quin ea ſit in animo conſtituta? quandoquidem virtus eſt; unde à violento ſtupratore, nec ipſa pudicitia eripi poteſt: corpus mulieris, non vis maculat, ſed voluntas.

1 Cor. x. 13. IX. Nec objectus textus ſcripturiſticus; *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*; aliquid in contrarium efficaciter convincit, cum loquatur de tentatione illa efficaciter inferente malum conſequens peccati formalis, de qua oratio Dominica; *Ne nos inducas in tentationem*; *ſed libera nos à malo*; et de potentia phyſica, vel etiam morali, auxiliis gratiæ ſupernaturalibus, et efficacibus corroboratæ, vi quorum tentatione formaliter non ſuccumbat. De qua proclamabat apoſtolus; *Omnia poſſum in eo, qui me comfortat*; etſi præmemorato contextui præmitteret ibidem; *Qui ſe exiſtimat ſtare* (propria virtute fidens) *videat, ne cadat* (in pœnam inanis fiduciæ): *Deus namque præſumentes de ſe, et de ſua virtute gloriantes, humiliat.*

Philip. iv. 13.

1 Cor. x. 12.

Judith vi. 14.

Vel aliter præjactum textum cum convenienti diſtinctione ſic explica: *Supra id, quod poteſtis*, libere, et efficaci coactione dæmonis directe trahentis voluntatem ad peccatum formale, concedo; *ſupra id, quod poteſtis*, neceſſario dæmone violenter membra, atque potentias neceſſarias, ad peccatum materiale impellendo, nego; hoc namque modo poteſt Deus permittere nos tentari à dæmone ſupra poſſe, citra tamen libertatis humanæ præjudicium, atque formalis peccati inquinamentum.

Imo ex contextu ſubſequente; *Sed facict cum tentatione proventum*; aperte demonſtratur nedum animæ à Satana carnalibus ſtimulis colaphizatæ, tentationi non ſuccumbentis, victoria, ſed et promeritum augmentum gratiæ, et hujus ſufficientia, atque efficacia ad triumphandum cum humanæ infirmitatis, ac virtutis conſummata perfectione; quatenus ait; *Sufficit tibi, Paule, gratia mea*; *nam virtus in infirmitate perficitur*: quod quidem unum ex motivis hujuſce permiſſionis ex parte Dei incedere poteſt, ſicut et aliud ibidem præinſertum, ne *magnitudo revelationum*, aut beneficiorum aliorum, *extollat* animam.

1 Cor. x. 13.

2 Cor. xii.

X. Præmiſſam autem doctrinam cum ſpurciſſimis Michaelis Molinoſii dogmatibus non coincidere, ex utriuſque collatione clare deprehenditur: non enim turpes illas actiones à Deo directe, et immediate volitas poſitive inſinuat (ut Molinoſius, p. 41. *Deus permittit, et vult*); ſed pure permiſſas aſtruit; *non ad transformationem*, quam *veram* Molinoſius falſo mendoſeque appellabat, in vitioſiſſima quidem animæ, et libertatis otioſitate, et mendoſa, ac turpi potentiarum annihilatione; imo earum in carnali, atque ſenſuali delectatione deliberato conſenſu, et temeraria quiete, atque affectata tranquillitate (ut in prop. 47.) quaſi mediis ad illam veram ſuam transformationem neceſſariis, qua *Moliniſtæ ab adoleſcentia ſua in fæcibus ſuis defixi requieſcentes, in tranſmigrationem, aut tranſformationem ſuam non abeunt*; ſed ad alios fines honeſtos, et ſanctos, v. g. ad extollentiam vitandam; ad virtutem perficiendam (ut 2 ad Cor. xii.); in peccatorum anteactæ vitæ pœnam, et vindictam, ut 1 Cor. v. 5. *Judicavi tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit.*

Ser. 48. 11.

Cui cohæret, quod de B. Fr. Gilio Dominicano legitur; eum, videlicet, in præteritæ vitæ peccatorum carnalium vindictam, varias à dæmone ſenſuales vexationes, ac colaphizationes moleſtiſſimas, citra conſenſum, per ſeptem annos ſuſtinuiſſe; non denique à Deo excitatas, ut primo, et principali *motore*, aut *volitore*, ut Molinoſius, prop. 41. et aliis, inſinuat; ſed à dæmone, ex ſimplici Dei permiſſu, principaliter commotas, et illatas, &c.

XI. Et ut propoſitio hæc copulata, *Deus permittit, et vult*, ſimpliciter damnaretur, ſufficiens foret, quod in illa particula *vult* dumtaxat falſa incederat (quod equidem commune eſt omnibus propoſitionibus copulativis, à Summis Pontificibus ſimpliciter explosis): non enim eſt neceſſe, ut recte oſtendit excellentiſſimus, illuſtriſſimus, ac reverendiſſimus auctor, ut damnatio cadat ſuper omnes clauſulas, aut particulas, in ea contentas, ſed ſuper aliquam, quæ à veritate aberret; ut viſitur in damnatione Alexandr. VIII. condemnante, ut temerariam, ac ſcandaloſam, propoſitionem circa peccatum philoſophicum; ibi: *Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.*

XII. Ubi non damnatur, ut aliqui ſuſpicantur, ſententia, aſſerens poſſe dari ad breve tempus ignorantiam Dei invincibilem, quam tenent Victoria, Zumel, Granadus, Soarius, Arriaga, Recupitus, Platelius, Viva, et alii.

Cum enim propoſitio illa damnetur etiam *ut temeraria*; et *temerarium* ſit illud, *quod abſque ſufficienti fundamento opponitur communi DD. tenenti*; et communis doctrina pro illa ignorantia Dei ad breve tempus evidenti nitebatur fundamento; videlicet, quod homo ad inſtans rationis expeditæ perveniens, nonniſi

niſi per diſcurſum hanc inviſibilis Dei cognitionem ex viſibilibus elicere valeret, juxta illud; *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* et illud, *A magnitudine ſpeciei, et creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri:* diſcurſus vero cum ſit *mentalis curſus ex una cognitione ad aliam*, neceſſario prærequirit præcedentes apprehenſiones, non ſimplices, et veluti ſtupidas, ſed reflexivas, et aliqualiter ponderativas objectorum, quæ viam ſternant, ac mentem diſponant, ad judicii actus competentes efformandos, et ex iis ad actus diſcurſus, et ad ultimam concluſionem evidentem pro exiſtentia Dei ex evidentibus præmiſſis inferenda; quæ ſane nonniſi aliquo, etſi brevi temporis intervallo, ab hominibus gravi ignorantia preſſis, tardoque corde, ac mente donatis, perfici poſſunt: imo, etiamſi expeditioris mentis forent, in proponendo per apprehenſionem, aſſumendo per judicium, concludendo per diſcurſum, aliquot diſtincta temporis inſtantia inſumere deberent; hinc fit, quod ſententia illa communis pro ignorantia invincibili Dei ad breve tempus, utpote ſolido nixa fundamento, ut temeraria in proſcriptione iſtius propoſitionis implicite condemnata non ſit.

Rom. i. Sap. xiii.

Deinde non damnatur etiam, juxta aliquos, quod peccatum illud ignorantis Deum invincibiliter ſit *philoſophicum* tantum, et non *theologicum*; vel etiam quod actualis inconſideratio excuſet à peccato formali. Unde ſolum damnatio, inquiunt, cadit ſupra particulam illam, *Non eſt offenſa Dei:* nam, ſaltem materialiter, peccatum philoſophicum eſt offenſa Dei; vel, juxta aliquos, ad ſummum cadit ſupra ſecundam partem disjunctivæ illius; vel *de Deo actu non cogitat*, eo quod ad peccatum formale, et theologicum, ſufficiat habitualis, ſeu virtualis Dei cogitatio; quod quidem pariformiter adaptandum eſt copulativæ illi Molinoſii; *permittit, et vult.* Licet in hac etiam ulterius particula ſubſequens, *etiam non arreptitiis*, damnationi ſubjici videatur; ſemel enim quod dæmon manus, aut membra, alicujus patientis arripiat, iſte talis arreptitius evadit, ut animadvertit Arbiol.

XIII. Propoſitionis tamen Molinææ ſubſequentis, quæ eſt 42. *Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris, et fœminæ; et ex parte utriuſque ſequatur actus*; explicationem damnationis ab excellentiſſimo et ſapientiſſimo A. ex ubertate, aut ſuperabundantia, adductam; videlicet, quod ſimpliciter damnetur quoad particulam, ſeu modificationem hujuſmodi dumtaxat in eodem ſenſu præcedentis propoſitionis; nempe, quoad à Deo nedum pure *permiſſæ*, ſed et directe *volitæ* ſint; non vero quoad primum, et principale aſſertum primæ clauſulæ, *Poteſt dari caſus*, quoad poſſibilitatem moralem, et practicam (quicquid ſit de ſpeculativa metaphyſica, vel phyſica) merito, et prudenter, admittere renuiſſe religioſiſſimum P. Fr. Aldephonſum dos Praſeres, cum eo conveniens, circumſpecte ſentio:

XIV. 1. Ex graviſſimis inconvenientibus, de quibus Arbiol. l. 5. c. 7. et gravioribus ſcandalis, atque effrænatæ debacchationis turpiſſimarum mutuis impudicitiarum occaſionibus inde reſultantibus, et ex aliis, quæ conſideranti facile occurrent, quæ quidem præjactam propoſitionem, ſaltem ut ſcandaloſam, facile damnabilem reddunt. Nam, ſub palliato dæmoniacæ violentiæ prætextu, levato velo, ſpurciſſimæ ſenſualitatum, et ſcandaloſorum congreſſuum effrænis colluvies abſque ullo limite reciproce intrabit, et graſſabitur: et lata, ſpatioſaque via aperietur ad excuſandas in vita *excuſationes in peccatis*, et adducendas animas poſt mortem in æternum ignem gehennæ, quam infernalis ignis luxuriæ jam in hac vita prævenienter ſuccenſerat; exclamante D. Hieronymo; *O infernalis ignis luxuriæ! . . . cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna!*

2. Quia ad admittendam de facto practicam poſſibilitatem primarum turpium violentiarum ejuſdem in ſemetipſum coactione dæmonis exercitarum, nos cogit, et ſat communis auctoritas, et ſæpe ſæpius comperta experientia; quæ omnia ceſſant in poſſibilitate practica ſecundarum violentiarum inter diverſas perſonas ejuſdem, vel diverſi ſexus; v. g. inter marem et fœminam: pro illa namque neque experientia de facto, neque auctoritas aliqua ſacra, aut profana circumfertur, quæ ad eandem poſſibilitatem practicam pariformiter admittendam nos impellat; ut è converſo arguit Arbiol. rat. 47.

3. Quia ex totali prorſus defectu hujus divinæ permiſſionis hactenus omnino ignoratæ, et ex aliis prænotatis quamplurimis ſcandalis, atque inconvenientiis, videtur ſatis inferri, et indecentia, ac impoſſibilitas moralis (quicquid ſit de metaphyſica, aut phyſica) reſpectu Dei, illius permiſſionis practice in hoc rerum ordine exercendæ, cum impoſſibile morale illud dicatur, quod, *ſpectato aliquo rerum ordine, raro aut nunquam accidit:* de quo Bordon. in tribun. Fel. Pot. in denuntiationibus.

4. Ex cautelis, atque circumſpectionibus prudenter in quæſtione ſingulari, ac doctiſſimis cenſuris hic commendatis (quas et ego libenter admitto, et promoveo) ab eodemmet Job, qui exordium dedit, ibidem inſinuatis: *Quis revelabit faciem indumenti ejus? Portas vultus ejus quis aperiet? Halitus ejus prunas ardere facit. Membra carnium ejus cohærentia ſibi*, &c. et ab Apoſtolo, *altitudines Satanæ* præcavere monente; *qui, transfigurans ſe in angelum lucis, lucem tenebras ponere, et tenebras lucem, ſolet.*

Job xli. Apoc. ii. 2 Cor. xi. Iſa. v. 20.

Si ergo ſumma cautela procedendum in aſtruenda poſſibilitate practica primarum violentiarum; quanta opus erit in inſinuanda ſecunda, etiam ſpeculative, ob nota inconvenientia, et alia, quæ facile cogitanti obvenient?

XV. Neque hinc conſequuntur objectiones, quæ ex adverſo, à paritate, in nos retorqueri poſſe, ponderat ſapientiſſimus A. Omnibus namque uno verbo plene ſatisfieri puto; videlicet (omiſſa ratione indecentiæ) ad primas actiones ſolitarias admittendas nos experientiam, et auctoritatem cogere; ad ſecundas vero neutram.

Et quamvis in Scriptura legatur, *Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, et vulnerati, effugerent de domo illa*; ex quo infertur, idem duobus energumenis mutuo ſe diſcerpentibus, ex permiſſione Dei, accidere poſſe; cum tamen ſint ſpiritus, qui *ad vindictam creati ſunt*, et poſſit eis Deus ipſe, abſque ulla indecentia, ut in præſenti, ad juſtum ſupplicium utrinque uti; nullum ex permiſſione hac, ſicut ex illa, inconveniens pullulare conſideratur. Act. xix. 16.

XVI. Imo multoties accidiſſe conſtat, dæmones poſſidentes ſeſe mutuo à corporibus poſſeſſis expuliſſe: et præſertim dæmonem ſuperiorem, inferiorem dæmonem, cum iſtius poſitiva reſiſtentia, violenter propulſaſſe, oſtendi in laudato meo theologico tract. et colligitur ex Alap. in Matth. xii. 26. quin officiat illud; *Satanas Satanam non ejicit.*

Aliis ex reliquis Molinæis propoſitionibus objectis, et aliunde objiciendis in controverſa ſingulari quæſtione, excellentiſſimus ac reverendiſſimus controverſor ſatis ſuperque ſingulares adhibet ſolutiones: imo et facile, ac feliciter, in adverſarios objecta tela retorquet. Quare illius retunſionibus aliquid addere, aut apponere, ſuperfluum omnino reputo; et ulterius progredi non licet, tum quia feſtinanti calamo, et convenientibus codicibus deſtitutus, hanc qualemqualem cenſuram, forſan extenſius licito, ac ſolito, ob materiæ gravitatem, ac neceſſitatem, exaravi; tum quia multiplicia, ſibique mutuo implexa, imo et moleſta negotia, alio mentis attentionem multimode diſtractam contorquent.

XVII. Pro coronide tamen in ſingularis hujuſce controverſæ quæſtionis, et illius ſolidæ, claræ, elegantis, ac dilucidæ diſcuſſionis laudem, non ſingularem, et licet merito debitam, tamen imparem, ſuperaddere licebit. In ea ſcilicet veritatis amatores, ad veritatis firmam ac præclaram tuitionem, *Turrem illam Davidicam cum propugnaculis ædificatam habere, ex qua mille clypei pendent, quaſi omnis armatura fortium* clypeata in hac tuitione, utpote mere defenſiva, quamvis multiplicata, ut millenarius numerus inſinuat, in multimodæ probabilitatis multiplicibus, quibus ſolidatur, ac fulcitur, firmiſſimis et prorſus inconcuſſis fundamentis, et omnino conſiſtat: quin per id tuitio illa *defenſiva*, quatenus in adverſarios violentiarum dæmonis non violentos, ſed connaturales, et rationabiles impugnatores, veluti ſagitta in ſagittarium naturaliter

raliter retorta, neceſſario retunditur, deſinat eſſe tuitio, innocenter etiam *offenſiva*, juxta illud; *Violenta ſagitta mea abſque ullo peccato:* nam *ſagitta ejus, quaſi viri fortis, non revertitur vacua:* quatenus *ſagittam et ſcutum arripuens, et veritatem ut ſcutum*, ne à contrariis telis impetatur, tuendo *circumdat*, et oppugnationes adverſas, ne prævaleant, ut ſagitta laceſſita transfigit; et dum omnes nos tam ad clypeatam veri defenſionem, quam ad acutam falſi retorſionem, tot multiplicibus argumentis, totque claris, ac evidentibus rationibus, *acuere ſagittas, et implere pharetras*, luculenter edocet, ne fideles vel *quaſi per caliginem judicent, vel quaſi in tenebris ambulantes* deerrent, ſed *per ſemitam juſtorum*, quæ *quaſi lux ſplendens procedit, et creſcit uſque ad perfectum diem*; quaſi *ſagittæ ſalutis Domini rectæ, et certæ, ad locum certum deſtinatæ*; et quaſi *emiſſiones fulgurum à bene curvato arcu inſilientes directe* progrediantur *in luce ſagittarum ſuarum, et in ſplendore fulgurantis haſtæ ſuæ euntes*; quoad in vero termino ſalutis perfecte quieſcentes, lumini *fidei* ſuccedente *lumine gloriæ, gloriam Domini*, quam *per ſpeculum, et ænigmate viderunt in via, in patria demum revelata facie ſpeculantes, in eandem imaginem à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu, vere transformentur*. Ita ſentio, et cenſeo ſub C. Ulyſſipone Orientali in regali monaſterio Divi Vincentii, 15. Julii anni 1741. J. archiepiſcopus, epiſcopus Algarbienſis.

Job. xxxiv. Jer. l. 9. Id. vi. 23. Pſ. xc. Jer. li. 11. Job. iv. Joan. viii. Prov. iv. 18. 4 Reg. xiii. Sap. v. Habac. iii. Pſ. xxxv. 10. 1 Cor. xiii. 2 Cor. iii. 18.

Et quia de toto meo præcitato tract. *De republica dæmonum* publicas theſes decerptas anno 1712. publice in Conimbricenſi academia ſuſtentavi, quas quidem potentiſſimo dæmonum debellatori Michaeli archangelo dicaveram, licebit hic ſubjungere epiſtolam ipſam dedicatoriam ad majorem Dei gloriam, ipſiuſque potentiſſimi principis laudem, et devotionis in eum excitationem, necnon in adverſarii Luciferi, et affeclarum ejus, majorem execrationem, ac confuſionem.

XVIII. Supremo Angelorum PRIMICERIO,
Potenti Dæmonum DEBELLATORI,
Triumphantis,
ac Militantis Eccleſiæ
Maximo PRINCIPI,
D. MICHAELI:

Qui, dum, (1) quis ſicut Deus eſſet? imperioſe quæreret,
Eum, (2) qui ſicut Deus eſſe injurioſe quæſierat,
A ſummo, (3) ſupra quod voluit conſcendere,
(4) Ad infimum, à quo haud valebit aſcendere, detruſit:
Atque rebelles, dum caderent, dejiciens, (5) fideles, ne caderent, detinuit;
Ut ſic defenſor, ac offenſor, protector, ac projector,
Bellator, ac debellator, pariter evaderet.
Imo, dum Marte communi, proprio ex Marte, bonos à malis ſuadendo ſejunxit,
(6) Utramque Palladis, ac Minervæ lauream, doctor, et ductor, in ſeipſo conjunxit.
Utque triumphum perfecte conſummaret,
Non jam victor tantum, ſed vinctor, dum (7) Satanam ligat, quem vicit, vinxit;
Imperans, ut inter ignitos carbones erraret in caligine plenus (8) nequitia,
Qui inter ignitos lapides erravit in luce (9) plenus ſapientia.
Nec immerito Luciferum (melius dicas Noctiferum)
Antea (10) mane ortum, jam vero nocte tortum,
Tali ſuperbum ſupplex affecit ſupplicio:
Congruit namque, ut qui, velut Lucifer, lucem colere debens, lucem deſeruit,
Luciſugus lumen non videns, quamvis ignem experiens,
Noctem, quam ſemel horrere noluit, ſemper horreat:
Ubi fumum ignemque hauriat (11) rabidus in æternum,
Qui fumos igneſque evomuerat (12) invidus ab initio
(Diſcant viatores cautius per viam, non ſemper perviam, incedere,
Cum etiam cœleſtibus, in via, tot ſceleſtia fuerint invia).
At ſane quo Lucifer infelix, eo felicior Michael,
Dum illius, (13) quam habens tenere non valuit, coronam tenuit;
Illi quippe Lucifer locum ceſſit, cum cadens, (14) quin ſederet, à loco diſceſſit.
Ipſi ergo Supremo Principi,
Cujus (15) mirabile nomen, permirabile numen, ſupramirabile omen,
Cœlum plaudit, ſolum paret, centrum pavet,
D. O. et C. &c.

Poſt hæc coordinata vidi in bell. theolog. R. P. Didaci Gonzal. Matth. ſequentes propoſitiones damnatas ab Inquiſitione Navarræ:

Primam: *Deus in præſenti providentia dæmonibus permittit, ut violentiam inferant aliquibus animabus ſanctis ad actiones externas intrinſece malas, ut per hoc medium earum ſenſum paſſive purget, et eas ad transformationem cum Deo diſponat.*

Quintam: *Dicere, quod Deus, in præſenti providentia, unquam diabolo permittit, quod creaturam tentet, mediis actionibus turpibus violentis, ut hæc, media poſitiva reſiſtentia ipſis tentationibus, et medio legitimo certamine, cum majori ſpirituali proventu ex tentatione evadat; eſt propoſitio temeraria, et erronea.*

Qua tamen propoſitione quinta non obſtante, pro certamine primo, et baſi fundamentali ſui theologici belli, ponit præfatus A. ſequens aſſertum: Deum non permittere de facto, nec permittere poſſe, in hac providentia, diabolo violentias inferre creaturæ, advertente ratione, circa actus externos de ſe malos, active ſe gerente creatura in ipſos.

Quomodo autem, et quo fœdere hæc inter ſe conveniant, vel paciſcenda ſunt? alii dijudicent; non enim nobis licet in eiſdem exponendis, ac conformandis, immorari; indigent namque altiori, ac dilatiori indagine, et ponderatione: et lectori ſufficiat pro ampliori notitia eas hic prælibare; qui tamen notatis terminis, ac intentionibus finalibus earum ſingillatim, facile cujuſlibet ſenſum, ac damnationis intentionem deprehendet.

(1) Sophron. in encom. angel. (2) Ezek. xxviii. 2. (3) Iſ. xiv. 13. et 15. (4) 2 Pet. ii. (5) Vid. Euſeb. t. 3. c. 9. (6) Idem ibid. (7) Apoc. xx. 2. (8) Ezek. xxviii. 16. (9) Ibid. 12. (10) Iſ. xiv. (11) Apoc. xii. 12. (12) Joan. viii. (13) Apoc. iii. 11. (14) Iſai. xiv. 13. (15) Judic. xiii. 18.

ALLEGATIO APOLOGETICA CXXXVIII.

Super famoſa Denuntiatione cujuſdam Propoſitionis concionatoriæ.

SUMMARIUM.

I. *Facti eventus.*
II. *Varii S. Paginæ textus pro veritate propoſitionis.*
III. *Aliqui ex jure canonico.*
IV. *Ex SS, PP. et expoſitoribus.*
V. *Ex ſacris exemplis.*
VI. *Ex concionatoribus evangelicis, et aliis ſcriptoribus catholicis.*
VII. *Ex expreſſa B. Virginis Mariæ doctrina ad Ven. Matr.* de Agreda.
VIII. *Ex reſtrictione ipſius propoſitionis, conformiter ad conſimilia S. Paginæ loca.*
IX. *Retunduntur objectiones; et oſtenditur, propoſitionem non coincidere cum Baianis, et aliis hæreticis.*
X. *Propoſitio habens prædicatum, et ſubjectum, formaliter et materialiter diverſum atque alia habet, non eſt cum illa identica.*
XI. Abominatio *latius patet quam* peccatum.
XII. *Kemniſius, et Lutherus, nullam bonitatem moralem agnoſcunt in operibus extra fidem.*
XIII. *Objectiones ex ſequelis abſurdis infirmatæ.*
XIV. *Retorquentur ex multiplici aſſerto catholico.*
XV. *Ex prædicatione Chriſti crucifixi pro Sinica miſſione.*
XVI. *Ex doctrina D. Aug. et Thomæ docentium, prædeſtinationem eſſe ante abſolutam meritorum præviſionem.*
XVII. *Directe reſpondetur ad ſequelas objectas.*
XVIII. *Diſcurſus concionis loquebatur de actibus externis, non de internis; neque actus contritionis realiter præcedit gratiam, et eſt ſimul in eodem inſtanti reali cum gratia.*
XIX. *Neque ſermo erat de bonis operibus bonitatem ex opere operato, ſed ex opere operantis habentibus.*
XX. *Retorquebatur in producentem propria ipſius cenſura.*
XXI. *Refutabantur alii ſuperadditi libelli multiplices.*
XXII. *Inquiſitores nequeunt inquirere contra epiſcopos abſque ſpeciali commiſſione; et qualiter epiſcopi damnari poſſunt.*
XXIII. *Veri ſenſus, in quibus ſalvaretur propoſitio affirmans opera bona facta ſine charitate nihil valere, et nil prodeſſe.*
XXIV. *Breve Pontificium S. Domini N. Clem.* XII. *ſuper propoſitione vitiata.*
XXV. *Epiſtola huic brevi replicatoria.*
XXVI. *Epiſtola alia, et memoriale pro brevi informatione eminentiſſimo cardinali S. Rom. Inquiſitionis præfecto.*
XXVII. *Secundum breve ejuſdem S. Domini N. denuntiatarum propoſitionum realium approbativum.*
XXVIII. *Epiſtola gratificatoria eidem S. Domino N.*
XXIX. *Altera eminentiſſimo cardinali Ottoboni Congreg. S. Officii præfecto.*
XXX. *Ponderantur aliquæ clauſulæ brevis iſtius.*

I. IN Goana primatiali eccleſia, dum ad populum anno 1725. de more ſacram haberem concionem ſuper modo bona opera exequendi, de bonis operibus in peccato peractis hanc ſanam, et catholicam propoſitionem protuli: *Quid de talibus operibus dici poterit, niſi quod de illis dicit ipſemet Deus; videlicet, quod quamvis in ſe bona, ſunt tamen illi abominatio, nauſeæ, tædii, atque faſtidii, imo et odii cauſa, ratione ſubjecti?*

Hujuſce prolationis notitia, quidam eccleſiaſticus, qui conſimilem aliam religioſiſſimi P. *Michaelis de Amaral* ſocietatis Jeſu, dum viſitatoris provinciæ Indianæ munus, eadem Goana civitate, ageret, jam antea Inquiſitionis Tribunali amaro zelo denuntiari fecerat: hanc novam, non obſtante notoria proferentis exemptione, ſublimique characterе (an eodem, vel conſimili zelo, alii viderint) ad idem tribunal fecit deferre, eam ſubſtantialiter adulterina mutilatione vitiando; truncavit namque iniqua induſtria clauſulas, ſive particulas, *in ſe bona*; et *ratione ſubjecti:* et cum ejus denuntiatio à tribunali (cujus ipſe deputatus incedebat) tum ob conſtantem contrariam veritatem, et catholicum, ſanumque ſenſum, tum etiam ob notoriam exemptionem proferentis, rejiceretur; libellum cenſorium edidit adverſus propoſitionis ſanitatem, ac veritatem, ut aliquos in eundem ſenſum, atque conſpirationem, poſt ſe adduceret, ut ſic ſaltem ſcandalum, ac rumorem, in audientibus ortum fuiſſe verificaret. Cui tamen cenſuræ ſtatim adæquata apologia objecta apparuit, quam quidem ampliantes ſubſcripſerunt omnes cunctarum religionum Indianarum magiſtri: in qua tamen denuntiator novos ſcrupulos, nova ſuſpectæ doctrinæ motiva, adinveniri confingens, in ſuoſque libellos, atque cenſuras, adverſus illam prodens, rem ad tribunal Inquiſitionis Ulixbonenſis cum cenſuris ſuis (ſeſe partem ſimul, et judicem inſinuans) et poſtea ad ſupremum Romanæ generalis deferri effecit; ex quo tandem promanavit judicium in duplici bulla Pontificia infra expreſſum. In illa autem apologia ——

SECT. I.

Pro veritate, et ſanitate propoſitionis;

II. Adducebantur multiplices textus tum S. Paginæ, tum SS. PP. et catholicorum DD. receptæ auctoritates, naturales rationes, exempla, ſimilitudines, et alia comprobationum fulcimina, et ornamenta. Et quidem ex S. Pagina illud Prov. xv. 9. *Victimæ impiorum abominabiles:* et ibid. xv. 31. *Longe eſt Dominus ab impiis, et orationes juſtorum exaudiet:* xxviii. 9. Qui *declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis:* ubi Alap. et verſ. Hebr. et Syr. *Erit abominatio:* et Iſ. i. 13. *Ne offeratis ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi,* &c. ad quod Alap. et Tirin. ſocietatis DD. ſignanter v. 11. ſic exponunt: *Quia licet in ſe bonæ ſint, et à me præceptæ, tamen, quod à vobis offerantur, mihi diſplicent* (et ſupra, *mihi nauſeam pariunt*); *quia vos impuro corde, plenoque peccatis, ea offertis.* Et Lyra: *Quaſi diceret, Talis oblatio vobis non valet, ſed magis nocet, eo quod polluti peccatis ad loca ſancta acceditis.* Et illud Galat. iii. *Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum:* ubi Alap. *Maledictus, execrabilis*; verſ. Græc. *Maledictio, execratio.* Vid. ap. Segneri Chriſt. inſtr. p. 3. diſc. 14. c. 16. Marchant. et alii.

Similiter illud Eccli. xxxiv. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec in multitudine ſacrificiorum propitiabitur:* juncto text. in c. *In gravibus,* 39. 7. *Neque in omnipotentis Dei judicio quid, ſed à quo detur, inſpicitur. Ex qua re patenter oſtenditur, quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt.* Et pulchre Iſa. *Univerſæ juſtitiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ:* quod idem eſt formaliter, atque *abominabiles,* juxta illud Eſth. xiv. 16. *Deteſter, et abominer illud, quaſi pannum menſtruatæ:* ubi Alap. utrobique. Accedit Iſ. lix. 6. *Opera eorum opera inutilia,* juxta explicationes P. Segneri in man. anim. die 27. Martii, et in Chriſt. inſtr. p. 3. d. 14. n. 18. et in ferm. 23. Quadr. § 7. et P. Alap. ib. et ſuper text. Malach. ii. 3. *Ecce ego projiciam vobis brachium, et diſpergam ſuper vultus veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.*

Conſonat Eccli. xv. 9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris:* ubi Alap. et Segner. in man. die 7. Jul. et Prov. xxvi. 7. *Indecens eſt in ore ſtultorum* (id eſt, peccatorum) *parabola:* et xvii. 7. *Non decent ſtultum verba compoſita.* Ad quæ Chryſoſt. hom. *Cum preſbyter,* tom. 5. *Sicut in coronis non ſatis eſt, flores eſſe puros, niſi pura ſit et manus eos contexens; ſic et ſacris hymnis oportet, non verba tantum eſſe pia, ſed et animum hymno concinentem.*

Pariformiter Apoc. iii. 16. *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo,* explicans Alcaz. et Alap. cum D. Ambr. Gregor. Anſelm. Bernard. et aliis, de juſtis tepide operantibus, ita inquiunt: 3. *Vomitus hic ſignificat, Deum execrari tepidos, ſicut execramur id, quod os evomit . . .* 5. *Non ait, ex ſtomacho, ſed ex ore; quia tepidi ita diſplicent Deo, ut in ſtomachum eos non admittat; et ſtatim ut eos in ore ſenſerit, evomat, et expuat, ac tandem deturbet in æternum ſupplicium.* Quod quidem, potiori jure, adaptabitur bonis operibus peccatorum in peccato factis.

III. Ex jure can. conſonat etiam canon *Scriptum eſt,* 14. *q.* 5. *Abominatio facta eſt Deo eleemoſyna facta de rapina, ſimonia, vel uſura.* Et c. *Tua nos,* de cler. ægrot. *Dicimus, quod pro ſcandalo, et abominatione populi adminiſtrationis, debet officio removeri.* Vide lexic. et Alex. Scot. verb. *Abominatio:* ubi aſſerunt, rem in ſe bonam, ut excommunicationem, interdictum, et alia, recte appellari *abominationem,* ratione alicujus vitii adjuncti, aut vitioſæ alicujus circumſtantiæ, vel ratione ſubjecti vitio affecti.

Sect. II.

Ex ſacris PP. et expoſitoribus.

IV. Adducebatur, præter jam citatos, D. Anſelm. apud Alap. *Sine charitate nihil, licet excellens, prodeſt; cum charitate omnia, licet vilia, proſunt, fiuntque aurea, et divina.* Quod cohæret D. P. Auguſtino, ſerm. 323. tom. 9. *Tanta eſt charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera; ſi adſit, habentur omnia.* Quod quidem procedit, vel in opinione realiter charitatem à gratia habituali cum Scotiſtis non diſtinguente (quæ videtur eſſe ejuſdem Auguſtini dicentis, *Charitas eſt veriſſima, et pleniſſima juſtitia*); vel charitatem à gratia realiter non diſtinguente, ſed inſeparabilem cum Thomiſtis fatente; in eodem plane ſenſu, quo Apoſtolus, 1 Cor. xiii. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum; nihil mihi prodeſt,* &c.

Et formaliſſime Abulenſ. in Matth. xxv. q. 341. *Opera facta in mortali ſunt mortua; id eſt, quando fiunt, non ſunt meritoria vitæ æternæ: cum ergo non fuerit prædictum opus à principio meritorium, nunquam poterit poſtea effici meritorium; atque ideo mirum non eſt, quod anima peccatrix, et quæ ab illa, dum in ſtatu peccati eſt, fiunt opera, Deo ſint abominabilia.*

Quod ex Manſi, tom. 4. ad illud Levit. vi. *Anima, quæ peccaverit, et ipſa morietur*; confirmabatur à paritate cadaveris, quod quidem mortuum eſt, et omnia ex illo manantia mortua ſunt; et à paritate alicujus cibi ſapidiſſimi, ac delicatiſſimi, aut epularum alliciativarum, earum avido in diſco tamen immundo, aut veneno illito, oblatarum. Nam ait Manſi cit. *Verum quidem eſt, quod ſacrificia, communiones, orationes, jejunia, aliaque virtutis, et perfectionis opera, velut pretioſæ quædam ſint epulæ, quibus Salvator noſter certo quodam modo libenter veſcitur* (Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis); *at vero, ſi ſub hoc ſpirituali cibo peccati mortalis toxicum abſconditum fuerit, utique opus illud, quantumvis ſanctum, à ſe abjiciet, et abominabitur:* nunquid enim guſtari poteſt, quod guſtatum mortem affert? *ut Job inquit.*

Pariformiter Hug. in illud Pſ. xlix. *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas?* &c. *Oſtendit,* inquit Hug. *à quibus ſacrificium nonvult Deus, ſcilicet à peccatoribus. Superdixerat,* Immola Deo ſacrificium laudis: *ſed quia hoſtia oblata à peccatore non eſt accepta Deo, ne peccator hoc ſibi præcipi credat, dicit,* Peccatori autem, &c.

Præmiſſus P. Alap. aliis pluribus locis præter citatos, ſignanter in Iſ. i. *Incenſum abominatio,* &c. ita ait: *Quod thymiama, licet in ſe aromaticum eſſet, et gratum naribus, tamen ex eo quod ex ſordidis impiorum manibus fœtorem contrahebat, grave aliquid, et putidum, Dei naribus aſpirabat.*

Et in Prov. xxviii. 9. *Oratio ejus erit execrabilis,* ſic exemplificat: *Sicut aroma in ſe odoratum male olet, ſi in ſtercore, cloaca, aut ſimeto, ponatur, eo quod ejus tetro odore inficiatur; ſic pariter oratio, licet in ſe odorata, et grata Deo, tamen quia ex corde peccatis putido, quod ſuos concupiſcentiæ fœtores exhalat, promanat, hinc ejus putoribus maculatur, maleque olet coram Deo; bene autem olet, ſi ex corde puro, et virtutibus fragrante, eliciatur.*

In quem etiam textum Iſ. Alvar. de Pace, doctor etiam ſocietatis, de vita ſpirit. lib. 4. p. 3. c. 3. *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos; cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt; quoniam manus peccatorum ſanguine, id eſt, peccatis, et iniquitatibus, plenæ ſunt, quibus iterum Chriſti ſanguinem fundunt.* Ulteriores notabiles auctoritates traduntur infra in duplici epiſtola, et memoriali annexo ſanctiſſimo Domino noſtro, et S. Congregationi, directis.

V. Confirmabatur hoc ex illo exemplo apud Segner. Chriſtian. inſtr. p. 3. d. 14. n. 18. Marchant. Andrad. in Patrocin. tit. 6. § 12. quo refertur apparitio Dominæ noſtræ offerentis devoto cuidam ſuo peccatori poma pulcherrima, ſuaviſſima, ac gratiſſima, ſuper immundum catinum; et devotum ipſum ad comedendum invitantis. Cui cum ipſe renuens reſponderet, poma quidem in ſe optima, et gratiſſima fore; aſt paropſidis immunditiam ei nauſeam faſtidioſam, et abominabilem parere; concludit beatiſſima Virgo, ſic ſe habere apud illam pulchra devotionis poma, in immundo ejus cordis catino oblata.

Sect. III.

Ex concionatoribus evangelicis, et aliis ſcriptoribus ſpiritualibus aſceticis, et moralibus.

VI. Famoſus P. Vieira regum concionator, et concionatorum facile princeps, ſerm. 6. roſar. tom. 1. n. 231. ubi dicit, *Quod boni et juſti offerunt, quamvis caro aduſta ſit, bene olet Deo; quod autem mali offerunt, quamvis incenſum ſit, et thymiama, male Deo olet. Ita in roſario, quamvis globuli odoriferi ſint calambuci, et quod per illos recitatur odoriferæ roſæ ſint, ſi qui recitat malus ſit, Deo bene olere, aut gratum eſſe, minime poteſt.* Et ſerm. 10. n. 381. ibidem ſic ait: *Quamvis thymiama hoc pretioſius, et ſuavius, ac magis odoriferum fuerit, quod divina ſapientia invenire potuit; attamen ſi manibus vitiis, ac peccatis infectis, offeratur, nullo modo* (nota malignantem negativam) *Deo acceptum, aut gratum evadet, ſed odioſum, ac abominabile, quia manus offerentis olebit.*

Conſentit P. Segner. etiam ſocietatis famigeratus concionator, et ſcriptor, hujus ſæculi, vere *ſecundus Paulus,* in Chriſt. inſtr. 2. p. diſc. 13. § 2. n. 9. qui *de bonis operibus in peccato factis,* cum D. Thom. 3. p. q. 89. a. 6. illa *abominabilia appellat,* tangens textum *incenſum abominatio,* &c. et illud Eccleſiaſtici xxi. *Dentes leonis, dentes ejus,* &c. aſſimilat peccatum morſui leonis, cujus dentes animal, in quod prenderunt, adeo inficiunt, ut nullum aliud animal carnem illam ex fœtore, et male olenti halitu, attingere valet. Et in man. die 7. Jun. ſuper illud Eccleſiaſtici xv. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris,* ait, quod *laus oris peccatoris immunda eſt, et Deo ingrata, et abominabilis.*

Quid ſimile recitant P. Stella de mund. vanit. p. 3. c. 47. ſuper text. Paul. 1 Cor. xiii. P. D. Laur. Scup: pugn. ſpirit. 1. p. c. 59. Fr. Ludovic. Granat. in ſymb. fid. q. 3. tr. 1. c. 4. P. Aldefonſ. Rotterig. etiam ſociet. in exercit. tr. 5. c. 7. attingens tex. *Ne offeratis ſacrificium fruſtra*; Fr. Petr. Amorig. in inſtr. peccator. c. 6. ubi ſuper tex. *Victimæ impiorum abominabiles Deo; vota autem juſtorum placabilia,* Prov. xv. expreſſe dicit, quod ſacrificia, et bona opera, in ſe bona, et amabilia, attamen à Deo non acceptantur, ſed reprobantur, non *ratione ſui,* ſed *ob manum infectam offerentis.* Et c. 32. ſuper Matth. xxiii. 25. *Væ vobis, qui mundatis quod de foris eſt!* proſequitur; *Munda prius quod intus eſt, id eſt, cor; et totum mundum erit, et mihi* (nempe Deo) *acceptum; aliter, totum abominor,* &c.

Videatur etiam Lohn. verb. *Abſtinentia*; ubi ſic tradit: *Qui jejunat, ſimulque peccat, dæmon eſt, diabolus eſt. S. Eligius, et Iſidorus, id his paribus verbis affirmant: Qui à cibis abſtinent, et prave agunt, dæmones imitantur, quibus eſca non eſt, et nequitia ſemper eſt.*

VII.

VII. Pro coronide adducebatur auctoritas ipſiuſmet Deiparæ Virginis Mariæ in doctrina meliori ejus deſcriptrici in myſt. civit. Dei directa, p. 2. n. 572. ubi de operibus remiſſis, quæ in ſe bona ſunt, adhuc à juſtis tepide exercita, ait: *Opera remiſſa, aut mortua, ſacrificium acceptabile oculis Dei non ſunt.* Ubi nota diſtinctionem inter *opera remiſſa*, quæ, licet in gratia, non tamen cum intentione æquali auxilio, aut habitui illa imperanti; et *opera mortua*, quæ, ſcilicet, quamvis ſupernaturalia, attamen in peccato fiunt. Vide in nota 14. aut explicatione huic doctrinæ ibidem appoſita, opinionem mag. Bannes, qui 2. 2. q. 24. a. 6. aſſerit, *Opera remiſſa, etſi ſupernaturalia, atque in gratia facta, nullum tamen præmium ſupernaturale, ſed accidentale tantum mereri.*

Et ibid. n. 594. conſimilem doctrinam eadem dulciſſima Deipara eidem diſcipulæ ſuæ præſtat, docens; *Deum quidem maxime complacere in operibus virtutum cum fervore peractis, ab iiſque alliciri; ab operibus autem virtutum tepide, et negligenter exercitis, oculos, et vultum, quaſi exoſum, avertere.*

Sect. IV.

Oſtendebatur veritas, et ſanitas, propoſitionis ex reſtrictione illa; Sunt abominatio Deo; *ſeu reſpectu Dei, et comparative ad eum; et non abſolute.*

VIII. Oſtendebatur, 1. Ex Hugonis expoſitione in illud Job iv. *Hominis juſtitia comparata divinæ injuſtitia eſt.* Cui conſonat doctrina, et explicatio P. Segner. in man. die 27. Mart. Textus autem præcitatus Job iv. 17. ſic ſe tenet: *Nunquid homo comparatione Dei juſtificabitur? Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, et in angelis ſuis reperit pravitatem:* ub. gloſſ. interlin. *Hæc de omnibus generaliter dici poſſunt.*

2. Ex eodem Job xv. 14. *Quid eſt homo, ut immaculatus ſit, et ut juſtus appareat natus de muliere? Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus.*

3. Ex eod. xxii. 2. *Nunquid Deo poteſt comparari homo? Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris; aut quid ei confert, ſi immaculata fuerit vita tua?*

Et 4. Etiam ex eod. xxv. 4. *Nunquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Quo ſuper videatur cit. myſt. civ. Dei, p. 2. lib. 5. c. 1. P. Bernardes, med. 19. tom. 1. exercit. pun. 2. et tandem de Gregor. qui in illud Job, *Non juſtificabitur homo compoſitus Deo*; ſic ait, Dom. 2. Sept. lect. 1. noct. 2. in breviar. *Omne meritum virtutis noſtræ, vitium eſſe oſtendit.*

Et ratio eſt, quia Deus per eſſentiam eſt ipſamet bonitas, ſanctitas, et perfectio, juxta illud; *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, Luc. xviii. Unde, ſicut, eo quod Deus ſolus ſit eſſentialiter exiſtens, ſeu Ens per eſſentiam, juxta illud; *Ego ſum qui ſum*, Exod. iii. omnia entia creata, quæ contingenter exiſtunt, vere dicuntur eſſe, quaſi non ſint, vel quaſi non entia; *Omnes quaſi non ſint, ſic ſunt coram te*, Iſa. xl. *Subſtantia mea tanquam nihilum coram te*, Pſ. xxxviii. ita proportionaliter, omnes virtutes, et perfectiones morales creaturarum, comparative ad perfectionem, et ſanctitatem divinam, in ſenſu vero, et *vitia*, et *injuſtitiæ*, et *abominabiles, quaſi pannus menſtruatæ*, et *immunditiæ*, dici poſſunt.

Sect. V.

Retundebantur, et diluebantur objectiones adverſæ.

IX. Prima objectio, quod accuſata propoſitio coincidebat cum Baiana 35. *Omne quod agit peccator, et ſervus peccati, peccatum eſt:* et 40. ejuſdem; *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Et poterat etiam objici Janſenius, et Sinnichius, idem docentes ap. Lacr. l. 2. de infidelit. Sed contra retundebatur: quia quoties propoſitiones habent ſubjecta, et prædicata, formaliter ac materialiter diverſa, nequeunt dici identicæ, aut formaliter ac materialiter coincidentes. Diverſitas autem formalis ac materialis, ex parte prædicati ac ſubjecti utriuſque, manifeſte claret ex conferentia mutua utriuſque.

X. Nam ſubjectum propoſitionis accuſatæ hoc eſt; *Bona opera in peccato facta, quamvis in ſe bona:* prædicatum vero iſtud; *Sunt abominatio Deo ratione ſubjecti.* Ubi ex parte ſubjecti agnoſcitur, et fatetur bonitas moralis intrinſeca in talibus operibus *in ſe bonis:* in utraque autem Baiana propoſitione ex parte ſubjecti non agnoſcitur bonitas aliqua moralis intrinſeca in operibus peccatoris, ut ex terminis illarum liquet; in prima; *Omne quod agit peccator:* in ſecunda; *In omnibus ſuis actibus peccator.*

Ex parte autem prædicati in propoſitione accuſata ponitur *abominatio Deo*, non ratione ſui, *ſed ratione ſubjecti* peccato affecti. In utraque autem propoſitione Baii ponitur; in prima, *Peccatum eſt*; in ſecunda, *Servitus dominantis, ſeu peccaminoſæ concupiſcentiæ* in ſe, et ratione ſui, ſeu actus formalis, non vero ratione ſubjecti tantum. Quod autem *abominatio* non ſit formaliter idem atque peccatum, ſed latius pateat, evidenter convincebatur ex illa veritate de fide, Prov. xxviii. 9. *Oratio ejus* (nempe impii) *erit execrabilis.* Verſ. Hebr. *Oratio ipſius erit abominatio.* Septuag. *Orationem ſuam abominabilem facit.* Syr. *Erit abominatio.* Quod quidem prædicatum *abominatio*, ſi foret idem formaliter atque peccatum; vel propoſitio 59. Queſnel. damnata, *Oratio impiorum eſt novum peccatum*, vera foret, et minime damnabilis: vel falſa foret propoſitio illa fidelis, Prov. *Oratio impii erit execrabilis, vel abominatio.*

XI. Unde *abominatio* latius patet, quam *peccatum*, ſicut *animal* latius patet, quam *homo*; et quamvis quandoque ſumatur ſtricte pro abominatione peccaminoſa, ut illam uſurpârunt aliqui hæretici, multoties ſumitur pro re in ſe bona, et abominabili ratione ſubjecti, peccato infecti, vel alicujus circumſtantiæ vitioſæ, ut in cit. c. *Tua nos*, de cleric. ægrot. et in c. *Scriptum eſt*, 14. q. 5. de *eleemoſyna*, quæ in ſe bona eſt, *facta de rapina, vel ſimonia.* Et ap. Alex. Scot. *abominatio* dicitur *excommunicatio*, in ſe bona, et in locis S. Paginæ ſuperius extenſis, n. 2.

Quod et ulterius confirmabatur ex Calepino, et Beyerlinch. verb. *Abominatio*; ibi: *Abominatio idem eſt, quod deteſtatio.* Dicitur autem à voce *ab*, et *ominor*, quaſi *pro malo omine habeo. Ponitur plerumque pro re abominabili*, &c. Idem reperitur in aliis vocabulariis, ubi *abominatio* ſumitur pro re ingrata, et deteſtabili, vel intrinſece, et ratione ſui, ut peccatum; vel extrinſece, et ratione alicujus connotati, ut eleemoſyna facta de uſura, aut ſimonia.

XII. Secunda objectio ex Luthero; *Opera extra fidem, ſub peccato, et maledicto ſunt*; et ex Kemniſio, et aliis hæreticis damnatis in Concil. Trident. ſeſſ. de juſtif. *Opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri*; convincebatur pariformiter, tum quia in illis operibus extra fidem nulla bonitas moralis intrinſeca agnoſcebatur; tum quia abſolute aſſeverabantur eſſe vere peccata: quod propoſitio denuntiata non aſſerit.

XIII. Tertia objectio conflabatur ex variis ſequelis abſurdis ex veritate propoſitionis denuntiatæ. 1. Error, qui præſertim in ruſticis, reſultare poſſet, ſibi perſuadentibus, melius quidem fore bona opera non facere, quam illa facere in peccato, ſeu facere abominationes. 2. Quod actus contritionis præcedens gratiam, et ſupponens peccatum, poſſet quidem dici abominatio Deo. 3. Quod S. ſacrificium miſſæ, et reliqua eccleſiæ ſacramenta, in peccato recepta, vel celebrata, aut adminiſtrata, poſſent dici abominatio, cum ſint in ſe ſanctiſſima, et Deo gratiſſima ex opere operato; quæ omnia equidem abſurda intolerabilia agnoſcuntur.

XIV. Sed contra, retundebatur objectio: et ad primam: 1. Quia etiam ex contrario aſſerto, quod bona opera, in peccato facta, non ſunt Deo abominatio, ſemperque prodeſſe, ac proficere peccatoribus, poſſunt hi (idiotæ præſertim) erronee æſtimare, prodeſſe ad juſtificationem, gratiam, et gloriam condigne promerendam. Contra, 2. Quia ex veritate propoſitionis accuſatæ, et recte explanatæ, poſſunt peccatores animari, et efficaciter niti ad bona illa opera fructuoſe, et in gratia perficiendum. Contra, 3. Quia hoc ipſummet inconveniens ſequi poteſt ex citata doctrina B. Virginis Mariæ in myſt. civ. Dei, quod melius foret opera virtutis abſolute non efficere, quam illa facere remiſſe, tepide, aut negligenter. Contra, 4. Quia

4. Quia etiam prædicatio Chriſti Domini crucifixi, *Judæis quidem* fuit *ſcandalum, gentibus autem ſtultitia*; imo nunc temporis, anno 1645. S. Congregatio vetuit miſſionariis Sinenſibus prædicare Chriſtum, niſi *crucifixum*; non obſtante miſſionis retardatione, aut everſione, quam ex hoc ſequi, miſſionarii aſſeverabant, de quo Verricel. lib. 1. de fide, q. 7. ſeſſ. 2.

XV. Et de hac miſſionariorum minus æqua, ne dicam iniqua, diſſimulatione, ad Summum Pontificem Innoc. X. jam vener. præſul, illuſtriſſimus Palafox, per hæc verba graviter dolens conqueſtus fuerat, in ejus diffuſa epiſtola, n. 148. et 153. *Hoc, P. ſanctiſſime, funeſtiſſimum, et inauſpicatiſſimum illi eccleſiæ (quamvis non infallibile) ſignum exiſtimo. Vereor enim, ne quia ignoratur, aut non divulgatur ſatis crux Redemptoris, ideo ignoretur crux perſecutionis; et ea de cauſa eccleſia illa Chinica martyres non peperit, quia de vero Verbi Dei homine, Redemptoriſque noſtri ſanguine, nondum fuerit gravidata; et diabolus tolerat, quia nondum Dominus ſuperat; et Belial reticet, quia ſuos filios videt potius deceptos, quam captos; illuſos, quam illuſtratos; et magis perverſos, quam converſos. Silet diabolus, quia nondum Dominus loquitur; et gladio perſecutionis ſuos non defendit, quia gladius propagationis eos non offendit; et adverſarium ſe Satan non manifeſtat, quia adverſarios fidei propagatores non ſentit. Imo, ſi modo eos eccleſia vellet iterum docere, et veris fidei regulis inſtruere, ſe deceptos eſſe clamabunt Chinæ, et repugnabunt; et non jejunantem religionem, aut fidem pœnitentem, perorantem, naturæ horridam, carni inimicam, cruci, morti, periculis deſtinatam, non Salvatorem crucifixum ipſis expoſuiſſe magiſtros Jeſuitas (quod gentibus ſtultitia, Judæis ſcandalum eſſe videtur); non hominem Deum flagellatum, conſputum, contemptum, vulneribus ſacris confoſſum, et in cruce pendentem, et mortuum, eos amplexos eſſe proteſtabuntur; ſed Salvatorem ſolummodo pulchrum, glorioſum, formoſum (ſicut ipſum Jeſuitæ Chinico habitu depingunt); et legem, vitamque ſuavem, lætam, lenem, placidam, tranquillam: hiſque erroribus, ignorantiiſque, ſpretis myſteriis paſſionis, crucis, et tribulationis, lumen, et victoria contemnitur reſurrectionis, et in dubium vertitur triumphus aſcenſionis; et tandem, contempta cruce mortificationis, via recta contemnitur redemptionis, et ſalvationis.*

XVI. Contra, 5. Quia ex doctrina D. Thomæ cum D. P. Auguſtino docentis prædeſtinationem noſtram jam decretam eſſe ante omnem abſolutam meritorum præviſionem, ſequitur, et ſæpius ſecutus eſt, error multorum, de quibus Beyerlinch. et reliqui DD. tr. de prædeſtin. ſic ratiocinantibus: Aut jam ſum prædeſtinatus, vel non: ſi non ſum; quantumvis bona opera exerceam, non ſalvabor. Si vero ſum; quantumvis mala perpetrem, ſalvus ero. Et tamen ab ea doctrina non deſiſtitur, eo quod vera reputetur: ergo pariformiter.

Contra, 6. Quia ex publica S. Officii punitione, atque animadverſione in confeſſarios ſolicitantes, et in hypocritas, ſequitur confirmatio hæreticorum in ſuo errore, quod confeſſio ſacramentalis ſoli Deo exhibenda ſit; et in catholicis retractio quamplurium à publica virtutis, vitæque devotæ profeſſione. Et ex dogmate fideli eccleſiæ Romanæ, quod fides ſine operibus mortua ſit, et non ſufficiat ad ſalutem conſequendam, ſecutæ ſunt calamitates plures, bella, incendia, civitatum depopulationes, templorum everſiones, ſacrorum profanationes, virginum oppreſſiones, et alia, quæ Theodoro Bezæ objecit fortiter, et ſuaviter, D. Franciſci Saleſii placidiſſima ſapientia. Conſimilia argumenta in aliis quamplurimis malis ſequelis per accidens ex puris veritatibus, et rebus aliis in ſe bonis, et juſtis, effici poſſunt.

XVII. Directe igitur ad primam ſequelam objectionis reſpondebatur cum diſtinctione: Melius fore non facere, quam facere ea opera bona, quæ eſſentialiter ſtatum gratiæ prærequirunt, ut adminiſtrationem, ac receptionem ſacramentorum, concedo: opera bona externa, quæ talem ſtatum non requirunt, ut eleemoſynas, jejunia, deprecationes, &c. nego. Quia vel ex ſe, vel ex Dei miſericordia, impetrant auxilia, diſponunt, ſaltem remote, ad egreſſum ab ſtatu peccaminoſo, et merentur dona illa, quæ congerit Manſi, in reſponſione huic identico argumento, tom. 4. tr. 77. diſc. 12.

Pariformiter conſimilis diſtinctio adhibenda eſt inſinuatæ ſequelæ probationis; videlicet, Melius eſt non facere, quam facile abominationes, quæ tales ſint intrinſece, et eſſentialiter, et cum peccato recurrentes, concedo; quæ tales ſint tantum extrinſece, et denominative, ratione ſubjecti, vel alicujus vitioſæ circumſtantiæ, nego. Diſtinctionis veritas ſat patet ex dictis.

Unde, ſicut D. P. Auguſtinus, argumento à Semipelagianis objecto adverſus S. doctoris doctrinas, tunc temporis novas reputatas; *Quid opus fuit hujuſmodi diſputationis inſerto tot minus intelligentium corda turbari?* reſpondit S. doctor, l. 2. de bono perſeverant. c. 16. *Cavendum eſt, ne, dum timemus, tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio. Dicatur ergo verum, maxime, ubi aliqua quæſtio, ut dicatur, impellit; et capiant, qui poſſunt, ne forte, cum tacetur propter eos qui capere non poſſunt, non ſolum veritate fraudentur, ſed etiam falſitate capiantur.* Ita, &c.

XVIII. Ad ſecundam ſequelam reſpond. 1. Diſcurſum concionis non loqui de actibus internis peccati deſtructivis, deteſtativis, ac retractativis; ſed tantummodo de operibus bonis externis per manus figuratis. Reſp. 2. Actum contritionis non fieri quidem in peccato, ſed in gratia; eo quod in eodem inſtanti reali efficientiæ illius actus, coexiſtit gratia, et deſtruitur peccatum. Nec actus contritionis præcedit gratiam realiter, ſeu prioritate reali, ſed ſolum diſpoſitive prioritate naturæ in genere diſpoſitionis, ut explicant philoſophi, et theologi, de diſpoſitionibus cauſæ formalis.

XIX. Ad tertiam ſequelam reſp. Etiam non eſſe ſermonem de illis bonis operibus bonitatem ſuam ex opere operato habentibus, ut ſacramenta eccleſiæ, et S. ſacrificium miſſæ; ſed de habentibus bonitatem ex opere operantis dumtaxat, ut eleemoſynæ, jejunia, &c. Imo, etiam primis bonis operibus, conſimilis ſuperiori diſtinctio adhiberi poterat; videlicet, Poſſunt dici abominatio, objective, et ex opere operato, nego; formaliter, et ex opere operantis, concedo. Vel alio modo: Sunt Deo abominatio formaliter, et ratione ſui, nego; ſubjective, et ratione peccati, ſubdiſtinguo: in ſenſu compoſito cum peccato, et reduplicative, concedo; in ſenſu diviſo, et ſpecificative, nego. Sic de euchariſtia canit eccleſia, quod *mors eſt malis* (conjuncta cum peccato) et *vita bonis* (ab illo diviſa): et P. Viv. in prop. 59. Queſnel. *Victimæ impiorum abominabiles Domino* (quæ à Prov. xv. deſumpta eſt) ſic ait: *Illæ dumtaxat victimæ impiorum ſunt abominabiles Domino, quæ ſunt impiorum, qua talium* (En reduplicatio!); *ſeu quæ procedunt ex pravo affectu, ac intentione, atque adeo cum ſcelere* (En conjunctio cum vitio, aut peccato!).

XX. Et hic opportune, et appoſite, retorquebatur in producentem cenſorem propria ipſius cenſura, denuntiatæ propoſitioni inique impacta. Nam, cum, juxta doctrinam Panormi in ſcrin. doctrinar. c. 7. ex n. 4. *Propoſitio oppoſita alteri propoſitioni, explicite, et in terminis propriis appoſitæ, ac in ſenſu literali intentæ in Sacra Scriptura, eſt hæretica*; et in S. Pagina in ſenſu literali proprio, et explicito contineatur, quod *victimæ impiorum ſint abominabiles Domino*; et quod *oratio impii ſit execrabilis*, ſeu *abominatio*; et quod *univerſæ juſtitiæ noſtræ ſint abominabiles, quaſi pannus menſtruatæ*; et alia ſimilia; videat, ac judicet quis prudens, an propoſitio, illis propoſitionibus fidelibus, atque adeo eſſentialiter veris, immediata oppoſita, et contraria; videlicet, bona opera peccatoris, ſive in peccato facta, non ſunt Deo abominatio, aut abominabilia; ſit reputanda, ac reprobanda, ut hæretica, vel hæreſim ſapiens, necne.

Sect. VI.

Refutatio aliorum acceſſoriorum multiplicium libellorum à cenſore iniquo, in hujuſce apologiæ convincentem efficaciam evadendam, et ſuam (ut æſtimabat) cenſuram, inefficaciter adauctorum.

XXI. Præmiſſæ apologiæ evidentia, et efficacia, convictus cenſor injuſtus, ne manus dare videretur, libellos

libellos varios adverſus illam, et pro cenſura ſua inique ſuſtinenda, ſucceſſive multiplicavit ad numerum ſeptenarium (non tamen impræſentiarum *perfectionis* numerum; quamvis enim *multiplicavit gentem, ſed non magnificavit lætitiam)*; quos omnes ſtylo concionatorio, non ſcholaſtico, aut polemico, ut ex materia congruebat, ſermonum more deſcriptos, ſua propria ſubſcriptione firmabat, ac confirmabat, ut hic etiam illud verificaretur; *Firmaverunt ſibi ſermonem nequam:* quos quidem ad Indianam Chriſtianitatem edocendam, ac doctrinandam *(alios docens, ſeipſum non docens)* dirigere vocitabat, atque in ſtatera juſta veræ credulitatis ponere, ac appendere (quaſi non fuerint *mendaces filii hominum in ſtateris)*; et ipſemet appenſus in ſtatera inventus eſt minus habens. Nam quamplurima minuens, ac mutilans, et in varia indecentia dicteria debacchatus, *in verbis ſuis ſtateram non faciens*, propriam *ſtateram*, ut *doloſam abominationem eſſe* demonſtravit, et ſeipſum *in his ſtudiis ſuis abominabilem* effecit.

Totus, et totalis ejus conatus erat, et propoſitionem hæreticam, et proferentem, quamvis non formaliter hæreticum, hæreſis tamen ſuſpectum reddere, et tribunali Inquiſitionis ſubjiciendum ſuadere.

XXII. Cui tamen controverſe objectabatur c. *Inquiſitores*, de hæret. in 6. *Inquiſitores . . . de hujuſmodi crimine inquirere contra epiſcopos nequeunt, aut ejus prætextu procedere contra eos, niſi in literis commiſſionis apoſtolicæ, quod hoc poſſint, contineatur expreſſe.*

Ubi gloſſ. verb., *Apoſtolicæ*; ibi: *Iſti inquiſitores non poterunt inquirere, etiam ut inſtructam remittant cauſam*; c. *Conſtituimus*, de appel. *quia non ſolum definitio, ſed proceſſus, et inquiſitio ex typis interdicta.* De quo etiam Eymeric. p. 3. c. 17. et Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. de reform. Et ulteriori ejuſdem, quam inſinuabat, intentioni, objiciebatur etiam c. *Nullam*, 2. q. 4. *Nullam damnationem epiſcorum eſſe cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum epiſcoporum, aut certe probata ſententia per ſeptuaginta duos teſtes idoneos, qui tales ſint, qui accuſare poſſint.*

Et inſuper c. *Qualiter, et quando*, de accuſationib. *Diligentius tamen eſt obſervandum in prælatis; qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam; et quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio ſuo teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, ſuſpendere, ligare; frequenter odium multorum incurrunt, et inſidias patiuntur: et ideo SS. PP. provide ſtatuerunt, ut accuſatio prælatorum non facile admittatur, ne, concuſſis columnis, corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur.*

Adverſus autem ejuſdem maledicentias in memoriam illi trahebatur Pontificalis Rom. in epiſcoporum conſecratione ſolemnis imprecatio: *Qui maledixerit ei, ſit ille maledictus; et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur.* Et fulminationes Clem. *Religioſi*, de privileg. in 6. *Quibus etiam in virtute S. obedientiæ, et ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis eccleſiarum prælatis detrahant.* Necnon bull. *Dum intra*, Leon. X. *Eoſdem inſuper fratres in virtute S. obedientiæ monemus, ut eoſdem epiſcopos loco ſanctorum apoſtolorum ſubrogatos pro debita, et noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congrua honore, et convenienti obſervantia, venerentur.* Et alia hujuſmodi. Vide Arſdekin. theolog. trip. tom. 2. p. 2. tr. 1. q. 25. in fin.

XXIII. Falſo impingebat cenſor proferenti, ſe in ſua illa apologia aſſeverare, opera bona in peccato, vel ſine charitate facta, *nihil valere*, et *ad nihil prodeſſe*, &c. occaſione allatæ, et explicatæ auctoritatis D. parentis Aug. et D. Anſelm. ſupr. § 2. extenſæ. Sed falſitas ex dictis, et ex utraque auctoritate, facile convincebatur. Et ulterius redarguebatur ex vero ſenſu, quo illa aſſertio ſalvari poſſet, dato, quod formalitate illa prolata foret: et primus ſenſus verus, et catholicus, foret idem, quo D. Paulus 1. ad Cor. xiii. protulit: *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam . . . et ſi habuero prophetiam, et omnem ſcientiam, et omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, &c.

Secundus ſenſus foret, quo idem D. P. Auguſtinus, non diſtinguens realiter charitatem à gratia habituali (quæ eſt etiam opinio Scotiſtarum) et D. Anſelm. cit. aſſerunt, ſine charitate, vel ſine gratia habituali, nulla bona opera valere, aut prodeſſe ad gratiam condigne promerendam. Quam veritatem unanimiter omnes DD. ſcholaſtici tradunt, tr. de *charitate.* Vide Soar. Granat. Vaſq. Arr. Platell. Viv. et omnes alios DD. ſocietatis.

Tertius ſenſus foret Thomiſtarum docentium bona opera, etiam ſupernaturalia, facta abſque actuali, vel ſaltem virtuali imperio, aut relatione charitatis, nil valere, aut proficere ad meritum condignum præmii entitative ſupernaturalis: et huic opinioni videtur valde ſuffragari duplicem expoſitam auctoritatem D. P. Aug. et D. Anſelm. ſupra, n. 4. Videantur etiam DD. ſcholaſtici Thomiſtæ cum Cayet. Joann. à D. Thom. Godoii, Gonet, Salmantic. Complutanc. Polanc. et alii.

Quartus ſenſus foret Alap. in Paul. 1 Cor. xiii. ubi: *Nihil proſunt bona opera peccatori, niſi ſequatur charitas. Diſpoſitio enim, qua diſpoſitio* (nota reduplicationem) *fruſtra eſt, et nihil, niſi ſequatur forma, ad quam diſponit.* Et hoc in opinione tenente, charitatem eſſe puram diſpoſitionem ad gratiam, licet ab illa inſeparatam, ut communiter docent DD. medii, Vaſqueſio, et illius ſectatoribus, demptis, qui charitatem eſſe etiam formam formaliter ſanctificantem atuumant.

Quintus ſenſus eſt ejuſdem Alap. ad eundem textum Apoſtoli de operibus in ſe *materialiter* bonis, ſed *formaliter* vitiatis ex aliquo malo fine, motivo, aut circumſtantia; v. g. *Sive id faciat quis* (ait Alap.) *ob inanem gloriam, ut fecit Peregrinus, qui ob immortale nomen ſibi comparandum in certaminibus Olympicis ſe in rogum comburendum injecit, ut teſtis eſt oculatus Lucianus in Peregrino; ſive etiam quis ſe igni tradat ob fidem Chriſti, ſimul tamen ſervando odium proximi, aut voluntatem peccandi mortaliter: quod martyrium eſt materiale, non formale; tum enim eſt ſine charitate, et nihil prodeſt. Ita D. Tho. Anſelm. Theodor.* Quare idem Alap. in illud Iſai. lxiv. 6. *Univerſæ juſtitiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ*, ſic exponit: *Adde, 3. Etſi per juſtitias acciperemus hic bona opera, et actus juſtitiæ, nihil hic haberent hæretici. Nam Iſaias tunc exponendus eſſet, quod loquitur de iis non diviſim, ſed collective ſumptis; q. d. Hi Judæi ſua bona opera variis ſceleribus contaminârunt; quocirca, tota eorum vita eſt inquinata; omnes eorum actus collective ſumpti ſunt immixti, et ſpurcati multis peccatorum maculis, perinde ac pannus menſtruatæ variis menſtrui maculis inficitur, licet inde pars aliqua ejuſdem panni munda relinquatur. Denique S. Macarius hom. 20. et ex eo Delrio adag. 808. Omnia, inquit, et ſanctorum opera bona, et juſtitiæ, ſi præſcindantur à gratia Dei, et accipiantur, ut procedentia tantum ex naturæ lapſæ libero, ſed vitiato arbitrio, omnes indigni ſunt oculis Dei, et reputantur, ut pannus menſtruatæ; opera enim ex operante æſtimat Deus. Hic autem operans eſt homo lapſus, vitiatus, concupiſcens, et peccator.*

Hic ſubnectere licebit doctrinam Roncagl: tr. 6. moral. theolog. c. 6. pro praxi quoad excluſionem abſolutam ſimilium denuntiationum cujuſvis concionatoris, reg. 3. *Secundo, Non ſunt denuntiandi concionatores aliquam propoſitionem hæreticalem proferentes; non poteſt enim prudenter præſumi ex animo dixiſſe, ſed ex incuria, aut inconſideratione, vel etiam ex ignorantia; non pauci enim ex iis, qui toti ſunt in concionibus conficiendis, ſcientiarum ſtudium negligunt*, &c. Quæ tamen doctrina, licet pro caſu præſenti ex diverſis circumſtantiis non inſerviat; attamen alicui pro futuris proficiet; omnium namque utilitati præſentem laborem noſtrum dirigimus, ac dicamus.

SECT. VII.

Progreſſus, et eventus, delationis præmiſſæ propoſitionis mutilatæ.

Cum acerrimæ delatoris diligentiæ nil apud tribunal fidei Goanum, cujus ipſe etiam miniſter erat, denique

profuiſſent, mutilatam propoſitionem jam S. Inquiſitionis tribunali Ulixbonenſi delatam, ad ſupremæ S. et generalis Inquiſitionis Romanum tribunal, ſuſpectam quandam adjungens ſcandali ſecuti affectatam juſtificationem, à ſeipſo ſolicitatam, deferri curavit; ex qua diligentia cum plene auditus adhuc non forem, ſequens promanavit breve Pontificium.

Primum Breve Pontificium,

Super vitiatæ propoſitionis, et ſcandali aſſerti, affectata denuntiatione.

XXIV. Breve hoc, nomine ſanctiſſimi D. noſtri Clementis XII. exarati, et ab illuſtriſſimo archiepiſcopo Emiſſeno, brevium ad principes ſecretario, ſubſcriptum, incipiens, *Inter moleſtas curas*, &c. propoſitionem mutilatam, et vitiatam, ea formalitate, qua infra ponitur, referens, quamvis in aliquo ſenſu catholico ſalvari non negabat, attamen propter ſcandalum, quod ex ea ſecutum aſſerebatur, eo collimat, ut, ad illius ceſſationem, propoſitionem rite corrigerem, et explicarem. Quæ tamen propoſitio corrigenda, cum non mea, ſed omnino aliena foret, et hac ratione non mihi moleſta, ſed grata, nedum ipſius correctio, et explicatio, verum et illius formalis retractatio, ut in ſubjuncta replicatione mea S. ſuæ plane proteſtor; attamen huic Pontificio judicio, in veritatis, atque innocentiæ meæ obſequium, me coactum, et in conſcientia graviter obligatum reſcribere ſentiens; in hunc modum tandem reſcripſi.

ALLEGATIO CXXXIX.

Sive Epiſtola præmiſſo Brevi replicatoria, *cum brevi Informatione, ac Allegatione, in Memoriali annexo.*

Beatissime Pater,

XXV. SAtagentis, ſoliciti, in tribulatione poſiti, atque in exercitatione ſua à voce inimici contriſtati, et conturbati, verba quidem commiſeranda, et condolenda, clementiſſime Clemens, clementer, imo et patienter, digneris, quæſo, exaudire: oro namque multa patiens, de malo liberari deſiderans, et ne in malum, quod in bonum ſenſum protuli, malorum opera et induſtria diſtortum, vendicari valeat, et uſurpari. Ex ſacro namque S. veſtræ diplomate (quod ea, qua decet, animi cordiſque reverentia, utroque poplite flexo, venerabundus accepi, et obſequentiſſimus perlegi) propoſitionem meam catholicam, et ſanam, in vero et catholico ſenſu (ut æſtimo) à me prolatam, ab inimicis notorie mutilatam, adulteratam, ac vitiatam, et in pravum tandem ſenſum diſtractam, atque contortam fuiſſe, ſatis perſpicuum eſt.

Et quia mihi conjecturaliter habeo perſuaſum S. veſtræ præſentem, aut præſentatam non eſſe occaſionem, quam ſibi adverſarii mei uſurpârunt, ut tot, tantoſque conatus, animoſitates, et auſus, adverſus me inique adhiberent, quorum aliquæ in duplici annexa apologia in defenſionem ſanitatis propoſitionis meæ edita aliqualiter prælibantur; et propterea etiam dubito, an eminentiſſimus dominus cardinalis da Cunha, inquiſitor generalis coronæ Luſitanæ, S. veſtræ, vel ſacræ, ſupremæque S. Officii congregationi, integraliter remiſerit varia documenta ſuper hac re, à me hinc illi tranſmiſſa; videlicet, duplicem præfatam apologiam, atteſtationes juratas circa formalitatem meæ enuntiationis, doctiſſimaſque pro illa famoſiorum hujuſce ſtatus theologorum cenſuras, quorum plures erant, et actualiter ſunt, S. Officii miniſtri; hinc eſt, P. Beatiſſime, quod in obſequium veritatis, et innocentiæ meæ, imo in ſinceræ S. veſtræ voluntatis, quæ non niſi veritate nititur, obſervantiam, præjacta documenta, aliquibus de novo addltis, benignis S. veſtræ oculis exponenda iterum mittere, et illius occaſionis exordium, ac progreſſum, paucis abſolvere, operæ pretium duxi; obiter S. veſtræ in totalem calumniarum adverſariorum meorum excluſionem, ſimul repræſentans, minime male affectum erga S. Inquiſitionis tribunal, aut de illius rectitudine minus bene ſentientem, ſuſpicari adhuc poſſe, qui ſeipſum, et ſenſum ſuum, atque pro illo defenſiones, hilariter et libenter ei ſubjicit.

Cum igitur paſtoralis mei muneris onera, humeris ipſis angelicis inſupportabilia, diligenter exequi ſtudens, à generali viſitatione pro reformatione ampliſſimi gregis mihi commiſſi incipiens, cunctorum fere contradictionem, inſectationem, malevolentiam, et odia tandem incurri, præcipue duorum Jeſuitarum N. et N. quos generalis eorum præpoſitus *Michael Angelus Tamborinus*, in epiſtola ſua adjuncta, *filios adulterinos ſocietatis* expreſſe nuncupat; qui quidem, ut reverebantur, in viſitatione provinciæ Salſetanæ, ſe indirecte delatos reputantes, tot diſturbia adverſum me, meamque juriſdictionem, quinimo et adverſus eccleſiaſticam libertatem, immunitatemque, tot offenſiones, notoriaſque injurias excitaverunt, ut his à ſereniſſimo, piiſſimoque rege Luſitano, et ab eodem præpoſito generali, recognitis, æque juſteque ab hoc ſtatu excedere juſſi ſint. Cujus præcepti accepta notitia, ipſi, ipſorumque aſſeclæ (qui neque pauci, neque debiles erant, et adhuc ſunt) taliter in me exarſerunt, talemque perſecutionum tempeſtatem undique commoverunt, ut apud proregem, regioſque magiſtratus, et ipſum S. Inquiſitionis tribunal, me ſimul circumvenire, et irretiri, minime deſtiterint.

Quibus tamen non confractus, neque converſus in die belli, ſed in eo fortis effectus, me tanquam murum pro domo Dei eorum conatibus intrepide opponens, exercitium meorum munerum pro viribus proſequens, cum undique mihi moleſti, ac infenſi inſidiarentur; meque per omnia inique obſervantes mortificare quærerent, ſicut jam antea mores meos multis impoſturis infamare contenderant, ita nunc adverſus utramque fidem meam cœleſti Regi, terrenoque debitam, aliqua inveſtigare, et indagare, quorum me reum poſſent arguere, non pepercerunt; et, veluti calcaneo inſidiantes, laqueolos et offendicula tendere cœperunt, ut me ſaltem capere in ſermone, et ſuſpectum in fide, declamare poſſent; quod tandem effecerunt occaſione catholicæ propoſitionis privatim, et poſtea publice in concione enuntiatæ, non formalibus terminis, quibus in venerabili S. veſtræ diplomate deſcribitur, ſed his, qui in concione ipſa, § 3. formaliter exprimuntur, nempe (loquendo de bonis operibus in peccato exercitis per contrapoſitionem ad bona opera facta in gratia):

> Quid poteſt dici *de talibus bonis operibus (in peccato exercitis puta)* quamvis in ſe bonis, *niſi quod de illis ipſemet Deus dicit; videlicet, eſſe illi abominationem, occaſionem tædii, ac faſtidii, imo et odii*, ratione ſubjecti?

Propoſitionem autem hanc non eſſe formaliter, neque materialiter, identicam cum propoſitione delata, imo fuiſſe à delatore dupliciter mutilatam, et multipliciter falſificatam, ex utriuſque comparatione clare conſtabit; et ſemel quod ad ſenſum S. Paginæ ſeſe reſtringit, et in eodem proferatur, quo Deus Opt. Max. de talibus operibus in Scripturis loquitur; ab omni offenſionis, aut ſcandali, labe deterſam omnino videri, et connexo memoriali, et aliis documentis, ſatis apparebit; ex quibus etiam fines et motiva harum, et aliarum quamplurium tribulationum, et diligentiarum, ſufficienter innoteſcent.

Scandalum vero, quod adverſarii mei exaggerant inde pullulâſſe, reapſe fictitium, et commentitium eſt, et ab adverſariis meis induſtrius ſimulatum; etſi aliquale (potius ex eorum cenſuris, ac declamationibus, quam ex propoſitionis aſſerto) ortum eſt; id jam prorſus extinxit, atque exanimatum reddidit, concio alia poſtea anno 1730. è ſuggeſtu eodem à me publice habita, quæ cum reliquis jungitur documentis. Quinimo, cum in ipſa prima accuſata concione, exercitium bonorum operum, etiam extra ſtatum gratiæ,

tiæ, ovibus meis enixe ſuadendo, ſanctam, et ſaluberrimam S. veſtræ admonitionem aperte jam adimpleverim, ſatis ſuperque dignoſci tunc etiam poterat, quo ſenſu propoſitionem prædictam pronuntiaverim. Cum enim inter varia variarum virtutum objecta plurima ſint, quæ non ſunt eſſentialiter honeſta, eo quia poſſunt bene, vel male appeti; opera vero illa, quorum objecta bona, et honeſta, nec bene, nec honeſte appetuntur, materialiter tantum bona ſint, et revera moraliter mala, ideoque ſuaderi minime poſſint, utpote peccaminoſa, debuerant ſane omnes ex prædicta ſuaſione bonorum operum inferre, me certo agnoſcere in operibus bonis bene, et honeſte, à peccatoribus exercitis, veram et moralem bonitatem, eamque publice profiteri: ſicque omnibus obvius eſſe poterat legitimus prædictæ propoſitionis ſenſus à me intentus; qui certe, attentis omnibus ibidem, et in memoriali annexo, expoſitis, alius eſſe non poterat, quam iſte; opera nempe materialiter tantum bona, et ex pravo fine, aut aliter inhoneſte à peccatoribus facta, abſolute, et ſimpliciter, abominabilia eſſe, atque inutilia, utpote mortifera, atque intrinſeca peccati labe conſpurcata; opera vero bona, bene, et honeſte, ut oportet, et licita, eſſe quidem in ſe abſolute et materialiter bona, indirecte ſalutaria, Deo grata, et ad laudem imputabilia, ideoque ab omnibus exercenda; facta tamen comparatione eorundem cum iis, quæ fiunt ab homine juſto, eorumque effectibus, dici poſſe quodammodo reſpective abominabilia, atque inutilia, non quidem per ſe, et præciſive conſiderata, ſed per accidens, et collective ſumpta, cum tali ſuppoſito peccati labe infecto. Opera enim juſti moraliter bona, utpote viva, reddunt ipſum hominem magis et magis gratum Deo; ab ipſa enim dignitate ſuppoſiti, cui uniuntur, vim habent merendi augmentum gratiæ et gloriæ. Opera vero moraliter bona extra ſtatum gratiæ exercita, utpote mortua, ipſum peccatorem, jam abominabilem in ſe, reddere nequeunt Deo gratum; et, ab indignitate ipſius ſuppoſiti, cui conjunguntur, inepta ad promerendum fiunt: ſicque de ejuſmodi operibus ita conſideratis dici poſſe mihi videbatur illud idem, quod de iiſdem operibus bonis, et honeſtis, ab infideli elicitis, ait Apoſtolus ad Hebr. xi. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* quod verum eſt, ſi intelligatur ibi loqui de perſona, vel de opere ad vitam æternam minime conducente, ut exponit Viva in propoſit. 8. ab Alexandr. proſcriptam. In hoc enim eodem ſenſu auctor illius celeberrimi opuſculi, cui titulus compendium totius theologiæ veritatis, l. 5. cap. 5. cap. 16. loquens de virtutibus omnibus (excepta charitate) et comparans virtutes peccatoris informes cum virtutibus formatis hominis in gratia conſtituti, ait, virtutes informes eſſe ſicuti colores in tenebris, carbones extinctos, ramos aridos, alas mortuas, aurum obſcuratum, et gemmas converſas in ſilices: è converſo, virtutes formatas eſſe ſicuti colores in luce, viſibiles quidem, et aſpectui complacentes, carbones ardentes, ramos virentes, alas viventes, ac volantes, aurum fulgens, et gemmas vas aureum decorantes.

Judicium itaque, et improbationem S. veſtræ, atque eminentiſſimorum generalium S. R. E. inquiſitorum ſuper propoſitione, non mea, ſed aliena, de bonis operibus indiſcriminatim, et abſque ulla modificatione prolata, prout jacet in terminis, queis S. veſtræ expoſita eſt, libentiſſime amplector; et in eodem ſenſu eam etiam improbo, atque rejicio; paratiſſimus quidem quicquid erga propriam mei propoſitionem S. veſtra cenſuerit, libentius, et obſervantius, executurus et adimpleturus.

Fateor quidem, Beatiſſime Pater, facilius, et gratius mihi equidem fore (ſecundum hominem dico) alienam propoſitionem, quam propriam corrigere, et emendare, ut S. veſtra mihi injungere dignatur. Perpendens tamen, quod ſeria S. veſtræ voluntas in ſuis reſcriptis, etiam juſtitiæ, hæc ſit, ut minimè, ſi veritate non conſiſtant, exequantur; et pro hac omnia jura clament; et inſuper me coram S. veſtra hactenus plene auditum non eſſe; hinc de veritate præjacta prius S. veſtram ſuppliciter informare omnino neceſſe habui, cum nova ex parte obtemperantiſſimi animi mei proteſtatione, fideliſſime, et gratiſſime exequendi quicquid S. veſtra taliter obſervare decreverit. Et hoc ipſum jam in epiſtolis meis eminentiſſimo domino cardinali da Cunha obteſtatus ſum; me, ſcilicet, libenter obſecuturum quodquod à S. Congregatione *finaliter*, id eſt, *finali judicio*, me plene audito, deciſum foret.

Supereſt tandem, Beatiſſime P. coram clementia tua, flexis genibus, inſtantiſſime deprecari, ut benignis oculis cauſam meam aſpicere digneris; et rationes ſcandali, et inconvenientiæ, et reliqua in annexo memoriali inſinuatas, ſolita prudentia, atque circumſpectione, et propriæ clementiæ, ac pietatis obſervantia, quæ tam multipliciter afflicto afflictionem addere vetat, ne mature dedigneris ponderare. Meque tandem rectiſſimo, et æquiſſimo S. veſtræ judicio, poſt devotiſſimam ſacrorum pedum deoſculationem, ex toto corde ſubmitto. Goæ, die 25. Novembr. 1733.

BEATISSIME PATER,

Poſt ſacrorum pedum devotiſſimam, atque gratiſſimam deoſculationem,

IGNATIUS Archiepiſcopus Goanus,
Primas Orientis.

EPISTOLA ALIA,

Eminentiſſimo domino, domino meo cardinali mihi colendiſſimo, S. Rom. Inquiſitionis præfecto.

EMINENTISSIME DOMINE,

XXVI. EA, qua par eſt, animi mei reverentia, ac devotione, venerabiles ſanctiſſimi domini noſtri literas die 25. Novemb. anni 1732. exaratas, et ab illuſtriſſimo ac reverendiſſimo archiepiſcopo Emiſſeno ſubſcriptas, accepi; et obſequentiſſimus, quod in eis mihi injungitur, confeſtim exequerer, niſi propoſitionem inibi deſcriptam, non meam, ſed alienam, vel meam adulteratam, atque mutilatam, et ſubſtantialiter vitiatam, atque in pravum ſenſum diſtractam, agnoſcerem. Quare ob hanc, et alias in adjuncto memoriali, et reliquis documentis, quorum plura jam à me Romam tranſmiſſa ſunt, et apud Emmanuelem Sylveira da Gama, e Caſtro, canonicum S. Laurentii in Damaſo reperientur, eminentiæ veſtræ, et adjunctam aliam epiſtolam ſanctiſſimo domino noſtro reſcribere perneceſſe duxi. Et tandem eminentiæ V. propriam, erga me clientem ſuum, benignitatem, favorabilemque attentionem implorare, et me totum obſequiis ſuis denique devovere. Goæ, 27. Novemb. anno 1733.

Eminentiæ veſtræ addictiſſimus, et obſequentiſſimus cliens.

MEMORIALE, ſeu brevis INFORMATIO,

Eminentiſſimis DD. dominis meis S. R. E. cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus inquiſitoribus, ſuper utraque propoſitione conflicta, et vera, archiepiſcopi Goani Ignatii à S. Tereſia ſingulariter offerendum.

POſtquam archiepiſcopus Goanus D. Ignatius à S. Tereſia Indicis his oris die 25. Septembris anni 1721. appulit, ſtatim eccleſiaſtici ſui regiminis habenas ſuſcipiens, totum ſe dedit ad ſuarum ovium, et eccleſiarum ſibi commiſſarum, reformationem reparationemque, media eccleſiaſtica generali viſitatione, promovendam: quam quidem primo in civitate Goana incipiens, poſtmodum in Salſetana provincia, parochorum regularium ſocietatis JESU curiæ precario tunc commiſſa, omnium fere religioſorum Jeſuitarum invitatione, ſuaſione, ac precibus (etſi aliquibus paucis reluctantibus, impedimentaque meditantibus) proſecutus eſt.

Aſt cum duo patres ex illis, qui viſitationem, eo quod eam verebantur, renuebant, videlicet N. et N. cum ſeſe in illa indirecte denuntiatos fuiſſe ſuſpicarentur, et talium forent morum, genii, ac ingenii, quales generalis eorum præpoſitus, Michael Angelus Tamborinus, in triplici epiſtola palam deſcribit, eos *filios adulterinos ſocietatis* manifeſte appellans, nil inauſum reliquerunt, quod adverſus præfatum archiepiſcopum verbis, et factis, propriis et alienis conatibus commovere non ſatagerent; ita ut non tantum cum prorege, regiis magiſtratibus, et cum ipſo S. Inquiſitionis tribunali (cujus alter deputatus, commiſſa-

rius

rius alter evaſerat) et cum aliis religionibus, moleſtiſſime eum involverent; verum et variis injuriis, læſionibus, ac depreſſionibus immunitatis, libertatiſque eccleſiaſticæ, atque notoriis ordinariæ juriſdictionis turbationibus, et uſurpationibus, dure direque perturbare, ac aſſidue moleſtare, non deſtiterint: quibus tamen offenſionibus archiepiſcopus intrepide ſe, tanquam murum pro domo Dei, opponere pariter non intermittens, explicatu haud facile eſt, quantum laboris, amaritudinum, et anguſtiarum, paſſus ſit. Inſuper opinioni, famæ, ac nomini, imo et corporali vitæ hujus præſulis per ſe, et per alios, taliter inſidiati ſunt, ut aliorum ejuſdem ſocietatis, vere religioſorum, conſilio, antidotis præventus incederet: et tandem tot alia, tantaque diſturbia, diſſidia, perturbationes, vindictas, oppreſſiones, et alia hujus furfuris nocumenta in republica adeo multipliciter commoverunt, ut, veritate à ſereniſſimo rege Luſitano, et eorum præpoſito generali, radicitus cognita, pari animo, parique conſilio, tot mala ſemina, ſeu peſſima zizania, tamque ſpinoſas radices, radicitus etiam evellere, ac penitus eradicare, et quam longiſſime projicere, efficaciter decreverint, ut ex epiſtola regia, n. 8. et aliis laudatis, clariſſime conſtat.

Sed ecce nova novarum inquietudinum occaſio! En noviter verificatum divinum illud oraculum! *Expectavimus pacem, et ecce turbatio!* Prædicti namque patres, exterminii dolore ac rubore pariter perculſi, eo quod quas temporales utilitates cum amore retinebant, cum dolore, ac dedecore, effective dimittere cogebantur; novas ſenſibiliorum laborum, ac moleſtiarum vias adinvenerunt; et quem jam famoſis, publiciſque libellis corruptum moribus inique proclamaverant, ſuſpectum demum in fide iniquius declamare cœperunt.

Cum enim optime noverant eminentiſſimum cardinalem da Cunha, generalem inquiſitorem in tota corona Luſitana (cui P. N. acceptiſſimus erat) ægre tuliſſe duorum horum S. Officii miniſtrorum exterminium, et alterius tertii Fr. N. Dominicani, ejuſdem tribunalis deputati, ab eminentiſſimo domino cardinali Pipia, tunc totius ordinis generali magiſtro, et ab ejus ſucceſſore Fr. Thoma Ripol, ob parem cauſam, pariter à regionibus iſtis egredi juſſi, ut ex utriuſque epiſtola conſpicitur; propoſitionem catholicam, et ſanam, ab archiepiſcopo privatim enuntiatam, et à ſeipſis mutilatam, ac vitiatam, eidem eminentiſſimo domino, animo non recto, denuntiârunt: vi cujus denuntiationis dominus generalis inquiſitor archiepiſcopo epiſtolam ſcripſit, adulteratam propoſitionem, jam per duplicem cenſorem (qui ambo intra annum celeri, et fere ſubitanea morte deceſſerunt, ut in epiſtola traditur) ipſius juſſu qualificatam ſimul mittens; quod quidem abſque ſpeciali commiſſione exequi non potuiſſe videtur, etiam ut inſtructam cauſam remitteret, ex c. *Inquiſitores*, de hæret. in 6. c. *Conſtituim.* de appellat. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. Eymeric. p. 3. c. 17. et hæc fortaſſe illius cautela fuit, qua ordinem ad ipſas cenſuras utrique expeditum non ſubſcripſit, ut ex eis, n. 10. convincitur.

Epiſtolæ huic late reſcripſit archiepiſcopus, plane pleneque oſtendens enuntiationis ſuæ falſificationem, et adulterationem, atque bonum, verumque illius ſenſum in malum impie detortum. Et quia adverſus eandem propoſitionem è ſuggeſtu prolatam, idem P. N. noviter illam falſificando, ac vitiando cenſuram, n. 2. variis, noviſque vitiis, atque mutilationibus, cui alias ejuſdem furfuris, ineptas prorſus, et ſatiricas adjunxit; et pro parte archiepiſcopi duplex apologia, n. 3. et 4. evulgata erat; has ſimul cum plurimis juratis atteſtationibus, etiam notariorum S. Officii (quarum aliquæ conſtant n. 5.) circa formalitatem, veritatemque illius propoſitionis, inſimul cum variis doctiſſimis pro illa cenſuris famoſiorum totius Indiani ſtatus theologorum à n. 6. ipſamque formalem concionem, n. 1. eidem eminentiſſimo domino remiſit. Quibus non obſtantibus, eminentiſſimus dominus progreſſum, et inſtantias epiſtolarum ſuarum fortius iteravit. Cui quidem progreſſui præfatos patres, jam Luſitaniæ appulſos, totos ſeſe applicâſſe, ex utrius epiſtola, notum fiet.

Pater ergo N. ubi Ulyſſiponi applicuit, ſtatim quaſdam cenſuras, à ſe elaboratas, ſuper illam archiepiſcopi enuntiationem à ſe etiam falſificatam, et ſuper alias ex duplici illa apologia ſimili vitio, atque falſificatione, à ſe ipſo decerptas, ac diſtortas, in tribunali S. Inquiſitionis introduxit, ſe judicem, et cenſorem privatum conſtituens in eadem cauſa, qua ſe partem, et denuntiatorem publicum proclamârat: quæ omnia cum quadam manifeſte ſuſpecta juſtificatione, et aliis cenſuris, ipſi ſupremæ S. Officii Sacræ Congregationi Romæ tranſmiſſa fuiſſe traditur, et narratur in epiſtola.

Ignorat tamen penitus archiepiſcopus, an una cum illis, quæ adverſus ejus enuntiationem ſcripta, et juſtificata fuerunt, remiſſa etiam fuerint, ſaltem integraliter, ea, quæ in ejuſdem favorem fuerunt publicata; videlicet, præjactæ atteſtationes; prima apologia habens pro titulo *Cenſura verdadeira*, et ſecunda *Reprovaçam do exame*; judicia, ſeu cenſuræ favorabiles theologorum; imo et retractio magiſtri Fr. Emmanuelis de Azevedo Auguſtiniani, unius ex novis cenſoribus, qui juſſu eminentiſſimi inquiſitoris generalis adulteratam propoſitionem archiepiſcopi qualificaverat, et pro hæretica habendam cenſuerat: viſis tamen duabus favorabilibus apologiis, propriam cenſuram in ſcriptis retractavit, ut in epiſtola exprimitur. Et in defectum, ſeu deminutionem omnium prædictorum documentorum, neceſſario remittendorum (quorum plura apud Emmanuelem da Silveyra da Gama, e Caſtro, canonicum S. Laurentii in Damaſo, Romæ reperientur) alia addita, et huic memoriali annexa iterum mittit archiepiſcopus, humiliter deprecans eminentiſſimos judices, ut ſolita prudentia præponderent, quid inde præſumptionis in favorem archiepiſcopi, et ſuſpectionis adverſus contraria, ſuboriatur; et num præſul iſte in hac cauſa, ſaltem plene, auditum fuiſſe, ſit æſtimandus? et tandem an dici, vel ſuſpicari quidem poſſit (ut manifeſta adverſariorum calumnia ſuadere curabat) minus bene affectus erga tam ſanctum, rectumque S. Inquiſitionis tribunal, qui ſeipſum, ſuique animi ſenſum, et arbitrium, ſuique denique ſenſus defenſiones, ſincera adeo, hilarique voluntate, lubens eidem ſubjecit?

Ad punctum vero formalitatis utriuſque propoſitionis deveniendo, illa, quæ à delatore conficta, et falſificata fuit, formaliſſime hæc eſt, ut noviter tranſcribitur:

Opera eorum, qui peccati mortalis labe infecti ſunt, Omnipotenti Deo abominationes eſſe.

Propoſitio autem archiepiſcopi loquentis de bonis operibus in peccato exercitis per contrapoſitionem ad ea, quæ in gratia, et cum imperio, ac unione charitatis fiunt, ut ex concione ipſa, n. 1. § 4. et ex atteſtationibus, n. 5. patefit (quod et jurejurando, ſi opus ſit, archiepiſcopus obfirmat) formaliſſime hæc eſt:

> Quid poteſt dici de talibus bonis operibus (in peccato exercitis) *quamvis in ſe bonis*, niſi quod de illis ipſemet Deus dicit; videlicet, eſſe illi abominationem, occaſionem nauſeæ, tædii, et faſtidii, *ratione ſubjecti?*

Hanc autem veram propoſitionem præſulis (etiam poſt vitiatoris denuntiationem) et primam pro ea apologiam, viſam in Concilio Generali S. Inquiſitionis Ulixbonenſis, non ſolum toleratam, et minime diſſonam reputatam, verum et laudatam, et tacite approbatam fuiſſe, imo et Romæ nullatenus abſonam, et erroneam æſtimatam, conſtat ex epiſtolis, n. 13. 19. uſque 23. et demum in hoc Goano S. Inquiſitionis tribunali, cum P. N. eam, et primam pro ea apologiam denuntiavit, fuiſſe ſingulariter approbatam, et omnis labis expertem conſideratam, ex ipſorum S. Officii miniſtrorum narratione, et ex multorum illorum approbationibus, ac cenſuris adjunctis (plures enim earum auctores erant, et adhuc ſunt S. Officii miniſtri, et cenſores) facile clarebit.

Hinc, ex mutua utriuſque propoſitionis collatione, clare liquet, 1. Propoſitionem archiepiſcopi mutilatam et vitiatam fuiſſe multipliciter à delatore; truncavit enim clauſulam *quamvis in ſe bonis*, ex parte ſubjecti; et expunxit clauſulam finalem *ratione ſubjecti*, ex parte prædicati; ac per conſequens neque forma-

formaliter, neque materialiter, esse identicam cum propositione delata; tum ex ratione data; tum etiam quia prima propositio terminis absolutis, secunda vero terminis restrictis, traditur.

Liquet, 2. Etiam non esse identicam cum damnatis propositionibus Lutheri, et Baii, 40. et Quesnelli, 59. siquidem hi novatores operibus peccatorum minime tribuebant bonitatem aliquam moralem, realem; et ideo illa simpliciter *opera* vocitabant. Archiepiscopus autem, in propositione sua, illa opera non tantum denominative *bona*, sed et *in se bona* realiter, expresse appellat.

Liquet, 3. Etiam ex parte prædicati, archiepiscopalem enuntiationem minime coincidere cum damnatis; non enim de illis bonis operibus dicit, esse simpliciter *abominationem*, ut loquuntur hæretici, sed cum duplici restrictione; nempe, esse *abominationem Deo*, et *ratione subjecti*, peccato infecti; in eisdem terminis formalissime, quibus ipsemet Deus in Scripturis sacris de illis operibus loquitur, Is. i. *Incensum abominatio est mihi:* Prov. xv. *Victimæ impiorum abominabiles Domino:* ibid. xxviii. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis,* seu *abominatio*, ut legit Hebr. et Syr. vel *abominabilis*, ut Septuag. legunt; junctis expositorum explicationibus, signanter P. Alap. in Isai. i. 11. ubi formalissime, cum archiepiscopi enuntiatione, sic Dei nomine ait: *Quia, licet in se bonæ sint, et à me præceptæ; attamen, quod à vobis offeruntur, mihi displicent; quia vos impuro corde, plenoque peccatis, ea offertis.*

Favet etiam famosus textus (quem vener. P. Senneri in man. die 17. Mart. de operibus bonis universaliter intelligit) Isa. lxiv. *Universæ justitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ*, id est, *abominabiles*, juxta illud Esther xiv. *Illud abominer, et detester, quasi pannum menstruatæ*; et nervose roboratur ex illo D. Gregorii notabili asserto, lib. moral. c. 2. et in breviar. Rom. Dom. 2. Septuag. lect. 1. noct. 2. in illud Job, *Non justificabitur homo compositus Deo*; ubi ait; *Sanctus autem vir, quia omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicit*, &c. ubi etiam cardinalis Hugo in Job iv. *Hominis justitia, comparata divinæ, injustitia est.*

Similes, et identicæ, et fortasse notabiliores inveniuntur in concionibus catholicorum primæ classis prædicatorum, ut famosissimi P. Vieyræ serm. 6. et 10. 1. p. rosarii, venerab. P. Senneri Christ. instr. p. 2. disc. 13. § 2. n. 3. et aliorum quamplurimorum DD. in documentis laudatorum; *abominatio* namque nec semper cum peccato recurrit, sed latius patet, ut in responsione ad primam epistolam eminentissimi domini inquisitoris generalis omnino collustranda, et in apologiis, satis demonstratur. Aliter consequeretur, quod vel vera foret propositio Baiana, et Quesnelliana, *Oratio impii est novum peccatum*; vel falsa propositio Prov. xxviii. *Oratio impii est execrabilis*, seu *abominatio*, aut *abominabilis.*

Illud etiam valde notandum est circa intentionem, et formalitatem assertionis propositionis archiepiscopi; videlicet, posse dici de illis bonis operibus idem, quod ipsemet Deus de illis asserit; nempe, esse illi abominationem, &c. Unde constat, 1. Proferentem se restrixisse ad eundem sensum, quo Deus Opt. Max. de iisdem operibus in Scripturis loquitur, ac per consequens in sensu vero, catholico, et fideli. 2. Quia, cum licitum cuique fideli sit effari ea, quæ summa veritas in Scripturis effatur, et in eo sensu, quo loquitur; licuisse proculdubio archiepiscopo propriam propositionem in eodem sensu proferre. Et cum sensus similium scripturisticarum enuntiationum fidelis, et essentialiter verus, necessario sit, consequens est, propositionem illam in eodem sensu expositam, omnino et rationem consimilis veritatis induere, et omnem labem novitatis, offensionis, ac scandali, prorsus exuere; præcipue cum in ipsomet formalis concionis contextu suadeat archiepiscopus exercitium bonorum operum, etiam extra statum gratiæ; satisque de illorum operum ratione meritoria, impetratoria, satisfactoria, dispositiva, effectiva, et de præmiis congruenter illis correspondentibus, clare edoceat.

Scandalum autem, et offensio, quæ ex prolatione illius catholicæ enuntiationis asseritur resultâsse, est mere conficta, et affectata, eoque fine, ac motivis sparsa, quæ ex documentis satis deprehenduntur. Etsi, ut in epistola recitat, justificationibus quamplurium testium illa falsificata propositio, terminis ipsis vitiatis, archiepiscopo attribuitur, et adaptatur; suspectos declamat archiepiscopus, et testes, et justificationes, et omnes hos, circumstantiis notatis, notabiles conatus; omniaque alia similia, utpote notoriæ veritati contraria, suspectionis vitio laborare, licet invitus, in veritatis obsequium, modeste accusat, et extrajudicialiter recusat. Neque testes hi deponentes terminis generalibus, et absolutis, præferendi sunt testibus, terminis specificis, et restrictis, clarioribus, et distinctioribus, deponentibus, ut de jure notum est, ex l. *Ob carmen*, § fin. ff. de test. gl. in c. *In nostra*, verb. *Adversa*, Farinac. q. 65. n. 170. et 188. p. 2. de testib. et, dato quod aliqui ex ipsa potius publica adversariorum redarguitione, quam ex archiepiscopi concione, aliquid forsan offensionis, aut scandali, titubantes prælibâssent, jam penitus id cessavit, et evacuatum est, vi alterius ejusdem præsulis concionis adjunctæ; quam ex industria eodem loco publice recitavit, ob aliqualem rumorem, quem adversarii ejus, occasione literarum domini inquisitoris generalis super prædicto scandalo, spargere affectabant, ut ex attestationibus, n. 22. et 23. evincitur.

Et cum etiam de jure clare evincatur, seriam, et certam voluntatem, ac intentionem S. suæ in suis rescriptis tam gratiæ, quam justitiæ, eam esse, ut si omnino veritate non nitantur, nullatenus exequantur, ut cap. 2. 5. 20. et 31. de rescript. c. fin. de fil. presbyter. in 6. c. *Si motu*, de præbend. eod. lib. et aliis; congrue hinc deducit archiepiscopus, hanc impræsentiarum esse seriam sanctissimi domini nostri voluntatem erga apostolici sui venerabilis diplomatis adimpletionem, et benigne aditum præbere, ut de veritate edoceat; præcipue cum præsul iste hactenus coram Sanctissimo saltem plene auditus non fuerit, neque plene defensus inveniatur. Quare suppliciter, et instantissime, ad pedes ipsarum veritatis columnarum submisse provolutus, postulat, et implorat archiepiscopus, ut in veritatis et innocentiæ obsequium ad præsentem animi et sensus suæ propositionis declarationem, æque benigneque admittatur, esto illi, juxta innatam lapsæ naturæ propensionem, jucundius quidem foret, alienam propositionem, quam propriam, emendare, et corrigere.

Et hac confidentia, cum in epistola eminentissimo domino inquisitori generali pollicitus est, se libenter amplexurum quicquid super hac re S. Congregatio *finaliter* decideret, termino illo *finaliter* plane innuebat finalem, ipso plane audito, ac defenso, ac sui animi sensusque ratione reddita, decisionem; ne in illud reincidatur inconveniens, quo laudati P. Vieyræ propositiones aliquæ, cum in alieno sensu Lusitaniæ fuissent vendicatæ, et qualificatæ, et in eodem Romæ etiam damnatæ, et postea, ipso proferente audito, omnes approbatæ fuissent; interrogatus, quomodo in exposito sensu Lusitaniæ damnatus fuerit? judiciose respondit: *Me audivit, qui me non intellexit; me judicavit, qui me non audivit.*

Et quamvis propositionem delatam in sensu catholico posse aliquo pacto accipi, et sustineri, in duplici apologia demonstratur (cui valde favere videtur bulla damnatoria Baianarum propositionum, verbis illis, *Quas quidem sententias, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus*) protestatur tamen archiepiscopus, hoc non assertive, sed veluti relative, aut ostensive, et ubertatis gratia, ibidem enuntiari, ut ex ipsis apologiis palam fiet, ubi similes aliæ aliorum DD. catholicorum referuntur propositiones, ad quarum similitudinem ostenditur sensus catholicus, quo etiam accusata posset recte usurpari.

Ipse autem sensus ex eisdem apologiis constat, eum non esse, quod ipsa bona opera moralia in abstracto, et ratione sui, sint Deo abominabilia; *sed in concreto, et in sensu conjuncto cum peccato subjecti, aut suppositi ipso peccato affecti, et cum actuali ad illud affectione*, in sensu à DD. ibidem fuse laudatis exposito, et per comparationem, seu contrapositionem ad bona opera, quæ in gratia, et cum actuali unione, et imperio charitatis fiunt, ut in concione ipsa, § 3. conspicere licebit.

Ut autem ſenſus ab archiepiſcopo in illa concione apologiaque intentus magis eluceſcat, enixe rogat, ut inter varia bonorum operum genera, de quibus promiſcue juxta indigentiam materiæ locutus eſt, ſecernantur ea, quæ vere, et formaliter, bona ſunt, ab iis, quæ talia ſunt apparenter dumtaxat, et materialiter: ſi enim ſermo ſit de bonis operibus illorum peccatorum, qui nihil minus, quam de peccatis deſerendis cogitant, et inſtar mancipiorum, quæ libertatem pretio vendiderunt, catenas ſuas, et compedes amant, vel qui bona, et honeſta agunt, ſed non bene, nec honeſte, ut oportet, quia, ſcilicet, bona operantur ob pravum finem, aut concurrente alia mala circumſtantia, quæ ipſum opus vitiet, atque corrumpat, ſicuti eſt, ex. gr. eleemoſyna honoris, et inanis gloriæ cupiditate, aut ex ære alieno facta; oratio prava, et actuali erga creaturas affectu ſociata, &c. vel abſque illa animæ diſpoſitione, et puritate, quæ ad dignitatem alicujus actionis requiritur; uti eſt ſuſceptio ſacramenti, et oblatio ſacrificii incruenti ſacrilege facta; de hujuſmodi operibus, licet in ſe materialiter bonis, aſſerebat archiepiſcopus nil aliud poſſe dici, niſi quod de illis ait ipſemet Deus; videlicet, execrabilia illi eſſe, atque abominabilia; juxta illud Prov. xxviii. *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis:* et Iſai. i. *Incenſum abominatio eſt mihi.*

Quoties vero ſermo eſt de operibus bonis illorum peccatorum, qui peccant quidem fragilitate naturæ, aut impetu cupiditatis, velut torrente abrepti, ſed ſub peccati jugo gemunt inviti, cupiuntque ſervitutem et catenas exuere, et ideo bene operando divinum auxilium conſtanter implorant, aut ſaltem, dum bona opera exercent, illa etiam bene, et honeſte, ut oportet, faciunt, ita ut nullus ſit in iis malus finis, aut peccaminoſa alia circumſtantia, quæ ipſa opera inficiat, et coinquinet; de hujuſmodi operibus aperte fatetur archiepiſcopus, ea eſſe indirecte ſalutaria, proficua, et ratione ſuæ bonitatis intrinſece, vere Deo grata: quia licet vim merendi non habeant; hæc enim à ſola charitate provenit, ut ait Angel. Doctor, 2. q. 83. ar. 2. non deſtituuntur tamen virtute diſponendi ad gratiam; et inter alia multa, quæ præſtant in bonum, et utilitatem ipſius peccatoris, ſupereminet vis, quam habent, impetrandi à Deo auxilia fortiora, atque congrua; cumque efficacia impetrandi ex ſupradicto Angelico Doctore oriatur à fide, et fiducia, juxta illud Jacob. i. *Poſtulet in fide, nil hæſitans,* &c. ſi hujuſmodi bona opera exerceantur à peccatore cum magna fide, et ſpe ſupernaturali, magna ſine dubio eſſe poterit eorum ad impetrandum efficacia.

His tamen nil officientibus, quia ſubjectum, ſeu ſuppoſitum, a quo dicta bona opera procedunt, adhuc abominabile eſt ipſi Deo ob deformitatem peccati præexiſtentis, ſupernaturalem Dei imaginem ab illo eliminantis, propterea archiepiſcopus ductus verbis illis Apoſtoli (quibus in concione ipſa aſſertum ſuum comprobavit) 1. ad Cor. xiii. &c. *Si linguis hominum loquar,* &c. *Si habuero omnem fidem, ita ut,* &c. *Si diſtribuero in cibos pauperum,* &c. *charitatem autem non habuero, factus ſum, velut æs ſonans; nihil ſum; nihil mihi prodeſt;* inferebat, prædicta opera, quamvis in ſe, et ratione ſui, abſolute, et intrinſece, bona ſint, ideoque grata Deo, et proficua ipſi operanti, conſiderata tamen comparative ad ea, quæ fiunt ab homine juſto cum unione charitatis, dici poſſe quodammodo abominabilia, non quidem per ſe, et diviſim, ſed per accidens tantum, et ratione ſubjecti ſibi conjuncti, utpote peccati labe infecti. Licet enim, ex hujus conſortio, minime fiant mortifera, ſed tantum mortua; efficacia tamen illa, quam eadem opera ab ejuſdem ſubjecti charitate habere poſſent; elevandi, ſcilicet, hominem ad gradum ſublimiorem tum gratiæ in præſenti vita, tum gloriæ in futura, atque ita reddendi illum magis magiſque ſimilem Deo (qui ſane præcipuus eſt ſupernaturalium atque moralium virtutum effectus, ab ipſo Deo ſuper omnia intentus, atque ipſi ſummopere gratus) propter indignitatem illam ſubjecti, omnimode fruſtratur. Quapropter D. Proſper, explicans ſupradictos textus Apoſtoli, l. 1. de vit. contempl. c. 4. ait: *Non ad hoc ita dicit Apoſtolus, quaſi aliqua bona ſine charitate habere aliqui non poſſint, ſed quia nihil proſint habentibus ea, ſi à charitate defecerint: ſi enim deſit charitas* (ut habet D. Anſelmus etiam in ipſa concione laudatus) *fruſtra habentur cætera: ſi vero adſit charitas, habentur omnia.*

Illam tamen denuntiatam propoſitionem in illis terminis, quibus delata eſt, eſt in eodem ſenſu, quo ſanctiſſimus dominus noſter, et eminentiſſimi domini S. R. E. cardinales inquiſitores generales eam improbant etiam in præſenti libello illorum judicio ſe per omnia conformando, eam improbat ac reprobat archiepiſcopus, paratus quidem, et paratiſſimus inſuper et propriam, quam exponit, propoſitionem, ſi emendatione, aut explicatione adhuc, documentis omnibus perſpectis, indigens judicetur, explicare, aut emendare, eodem ſenſu, quo à S. ſua ſperat, et poſtulat ſuppliciter, ut edoceri dignetur.

Liceat tamen humiliter repræſentare longitudinem decem annorum ab illius propoſitionis prolatione jam elapſorum, et nunc temporis jam fere totalem illius oblivionem; et inſuper falſum ſcandali, aut offenſionis commentum ex ea ſecutum; quinimo, è contra, majus ſcandalum, notam, et offenſionem, quæ nunc ex ejus publica emendatione ſequi poteſt, poſt tot, tamque doctas apologias publice ubique, vulgari idiomate, pro illa editas, poſt generalem cunctorum, qui eas colluſtrârunt, acceptionem, pro ſana, et catholica, eam indubitanter judicantium, poſtque notam, et notoriam, in ipſamet formali concione explicationem, et individualem declarationem totius rationis meritoriæ, impetratoriæ, ſatisfactoriæ, utilitatis, convenientiæ, diſpoſitionis, et expeditionis ipſorum bonorum operum in peccato exercitorum; et denique poſt formalem, et expreſſam ſuaſionem, ac admonitionem, ut ea, peccato non obſtante, omnes peccatores proſequi, et exercere minime prætermittant; et tandem reliqua inconvenientia in epiſtola, n. 11. enarrata, quorum minimum non eſt occaſio, quæ hinc orietur, frequentium in hac regione vindictarum (ubi vindictæ et furoris ſpiritus longe lateque debacchatur): ſubditi namque adverſus prælatos (*qui quaſi ſignum ad ſagittas eorum ſunt poſiti, et multorum odiis, inſidiis, falſæ et malignæ criminationi expoſiti*; ut cap. *Qualiter, et quando,* de accuſat. diſerte traditur) ſi illorum reformationem ex munere ſuo curent, multorum odia, et hujus generis vindictas, et malignas accuſationes incurrent.

Operæ pretium etiam duxit archiepiſcopus eminentiſſimis dominis judicibus notum facere, inſectationes, quas duo prædicti patres adverſus illum concitaverunt, adhuc ab aliis factionariis ſuis moleſte proſequi; ſpinas, et tribulos, quos in toto hoc ſtatu ſeminaverunt, adhuc moleſtiſſime pungere; zizania pravæ doctrinæ, quæ in agro hujus eccleſiæ ſuperſeminârunt, adhuc nocive pullulare, et peſtifere ſerpere, ut jam S. Congregationi epiſcoporum, et regularium, forſan præſens erit ex injuſta, violentaque conſervatoria PP. Jeſuitarum in perſona reverendiſſimi Malacenſis epiſcopi, præfati archiepiſcopi ſuffraganei, nuper fictitio fundamento erecta, ipſiuſque aſſerti conſervatoris notorie exceſſivis, irregularibus, et violentiſſimis procedimentis; jam adverſus totum capitulum poſt præſulem ſuum, et reliquos primatialis ſedes beneficiatos; jam adverſus prælatos aliquos regulares, et perſonas aliquas ſæculares; jam (quod et flens dico) adverſus puſillum, et candidum gregem ſanctimonialium D. Monicæ; et tandem adverſus juriſdictionem ordinariam ſui ipſius metropolitani multipliciter ab epiſcopo ipſo uſurpatam, non ſolum in erectione proprii tribunalis in illius territorio, et publicis monitoriis, et citatoriis chartis (ut famoſos, indecentiſſimoſque libellos taceam) ne archiepiſcopi metropolitani mandata, cenſuræ, et interdicta, à regularibus, vel ſæcularibus ſervarentur, verum etiam in publica omnium ordinum collatione variis regularibus in eorum monaſteriis hujus Goanæ civitatis et inſulæ intra fines conſiſtentibus, nedum invito, imo et reluctante archiepiſcopo, et pro uſurpatione de jure procedente, ſcandaloſe ter, aut quater, temere exercita.

Mitto alia, ne multus, faſtidioſuſque fiam: et denique pro coronide eminentiſſimis dominis meis hanc piam conſiderationem ſubmiſſe obtrudit archiepiſcopus: ſi namque omnia jura clamant afflicto afflictionem

addendam

addendam non esse; quid pro tam varie, multipliciterque afflicto jura, et æquitas, multiplicatis vocibus non proclamabunt? Goæ, die 22. Novembr. 1733.

IGNATIUS Archiepiscopus Goanus,
Primas Orientis.

BREVE

Sanctissimi P. CLEMENTIS XII. *approbativum præmissarum propositionum denuntiatarum.*

XXVII. *A tergo*—Venerabili fratri Ignatio archiepiscopo Goæ. *Intus vero*—

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

INter luculenta laboris solatia, quibus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, infirmitatem nostram, cura, ac mœrore confectam, allevare non dedignatur, merito illud recensemus, quod reportamus, cum accepimus, venerabiles fratres antistites, quos cœlestis Paterfamiliàs in excolenda vinea sua coadjutores nobis dedit, eximiis apostolicæ solicitudinis argumentis adlaborare, atque iis debitæ erga hanc Sanctam Sedem, cui tam solemni sacramento obstricti sunt, reverentiæ sensibus obtemperare, ut supremis ejusdem oraculis non solum verbis, verum etiam reipsa, obsequantur. Itaque in præclara, quæ de singulari fraternitatis tuæ in nos observantia, et sacerdotali virtute tua, nobis inerat, opinione confirmati sumus, cum acceptis concionibus à te habitis, in quibus propositiones aliquas erroribus per prædecessores nostros Romanos Pontifices jam proscriptis, aliquo pacto affines, subesse nonnulli ex auditoribus suspicati fuerant, *aperte constitit*, te rejectis damnatisque sententiis minime adhærere. Quamobrem de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, ad quos easdem conciones summa cum obsequentissimi animi tui laude transmiseras, consilio post accuratissimam disquisitionem decrevimus, eas propositiones, prout in memoratis concionibus continentur, nulla censura dignas esse, atque ideo dimittendas. Hoc autem Apostolici judicii nostri testimonium, quod præcipuo Pontificiæ nostræ charitatis studio conjunctum ad fraternitatem tuam deferimus, quemadmodum certi sumus in nominis tui commendationem fore cessurum, ita tibi incitamento futurum confidimus ut, memor nos sapientibus, et insipientibus, debitores esse, in posterum diligentissime caveas, ne ulla cuilibet unquam aut offensionis occasio detur, aut suspicio offeratur. Interea fraternitatem tuam bono animo esse jubemus, atque insimul hortamur, et poscimus, ut vigilias gregis, tuæ curæ commissi, magis magisque custodire pergens, nostram quidem, atque hujus Sanctæ Sedis benevolentiam tibi amplius obstringas, meritam vero laboribus tuis divini præsidii opem, et uberem æternæ retributionis mercedem à pastorum Principe, JESU CHRISTO, consequaris. Ac fraternitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 15. Augusti 1737. Pontificatus nostri anno octavo. Pro archiepiscopo Emiseno, Nicolaus Xaverius archiepiscopus Athenarum.

Epistola gratificatoria præmisso rescripto.

BEATISSIME PATER,

XXVIII. SUpremus ille, benignusque Pater luminum, à quo omne datum optimum, atque perfectum descendit, quique post tempestatem tranquillum faciens, de illo præsumentes non derelinquit, et pariter de sua virtute gloriantes humiliat, nullam gratiorem, ac luculentiorem diem mihi fecit arridere præ illa, die sane consolationis, qua S. vestræ, utpote dignissimi quidem Vicarii sui, atque Pro-dei in terris, venerabiles, honorificas, favorabilesque literas die 15. Augusti 1737. exaratas, super quibusdam in concionibus meis propositionibus contentis, ad obsequentissimas manus meas feliciter tandem adduxit: quibus certe ineffabili consolatione, et superabundanti gaudio, à Patre misericordiarum totus perfusus, noviter expertus sum, quam bonus sit Israel Deus iis, qui recto, et sincero corde procedunt, et quam recta, veraque incedat ipsius cathedra in terris, quæ est columna, et firmamentum veritatis, quam S. vestra meritissime tenet, ac regit, et ad multos annos fauste retinere exopto, et ab ipso Deo Opt. Max. incessanter deprecor. Pro illo autem incomparabili beneficio, debita jam gratiarum actione supremo Numini rite persoluta, competentes etiam S. vestræ nunc de genu gratias ex toto corde rependere refert, certiorem pariter S. vestram reddens de mea fideli adimpletione pro salutari, quam S. vestræ benigna clementia mihi novo beneficio, monitione, insimul dispensare dignatus est. Paternalemque S. vestræ protectionem, connaturalemque clementiam pro reliquis dependentiis meis, una cum sacra, et paterna benedictione, instanter, suppliciter, ac devotissime expostulo. Goæ, 1. Novembris 1738.

BEATISSIME PATER,

Post sacrorum pedum devotissimam, ac gratificabundam deosculationem,

IGNATIUS Archiepiscopus Goanus,
Primas Orientis.

Alia consimilis epistola eminentissimo domino cardinali Ottoboni, Congregationis S. Officii præfecto.

Eminentissime DOMINE, DOMINE *mi colendissime,*

XXIX. DIE multiplici titulo mihi fausta, 10. Octobris hujus anni 1738. eminentiæ vestræ literas, die 21. Septembris 1737. exaratas, una cum sanctissimi domini nostri favorabili brevi super quibusdam propositionibus meis die 15. Augusti expedito, feliciter tandem accepi; et in eis duplicatum gaudium, tum in incomparabili humanissimæ eminentiæ vestræ epistolæ favore, tum in honorifica sanctissimi domini nostri resolutione, commendationeque, insimul expertus sum. Pro quibus et sanctissimo domino nostro, in annexa epistola, debitas grates devincto corde humilis rependo, et competentes etiam eminentiæ vestræ gratus persolvo, pro reliquis dependentiis meis singulare, ac benignum eminentiæ vestræ patrocinium suppliciter deposcens; meque totum denique eminentiæ vestræ gratissimis obsequiis sincere devoveo. Goæ, 1. Novembris 1738.

Eminentiæ vestræ humillimus, ac devotissimus cliens,

IGNATIUS Archiepiscopus,
Primas Orientis.

XXX. Hæc famosæ hujusce controversiæ felix, et placida terminatio; et plures viri doctiores prudenti reflectione ac circumspectione ponderârunt clausulas illas Pontificii rescripti; videlicet, *propositiones aliquas, erroribus jam proscriptis aliquo pacto affines:* ex qua convincitur propositiones etiam mutilatas, ac vitiatas, neque cum hæreticis identicas, neque in illis contentas, neque eisdem absolute, aut rigorose proximas, sed remote, aut aliqualiter adsimiles, seu *aliquo pacto* in sensu ab adversariis usurpato, *affines*, seu adhærentes, à nonnullis, *non judicatas*, sed *suspicatas* fuisse; et illam post *accuratissimam disquisitionem*; et aliam, *Nos sapientibus, et insipientibus, debitores esse:* necnon illam, *Bono animo esse jubemus*; et reliquas, quas omittimus, et prudentibus ponderandas relinquimus.

Hæc omnia tandem hic libuit exponere, ut si forte quis in consimilem tempestatis commotionem se incidisse sit expertus; minime viribus deficiat, aut animo fractus elanguescat, sed justitiæ, ac veritatis basi fundatus, à cœlesti sidere rectam oculorum aciem nunquam devians, duplici hac firmetur ancora, altera Paulino asserto nixa; *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis:* altera vero Isaiæ oraculo stabilita; *Nullus speravit in Domino, et confusus est:* et cum hac fiduciali confidentia à divina benignitate, quæ *salutem ex inimicis nostris* solet educere, firmiter credat, ac speret, expertus exaudire; *Erit tibi anima tua in salutem, quoniam in me habuisti fiduciam.*

ALLE-

ALLEGATIO CXL.

Super Competentia, ac Denuntiatione Revelationum ſimplicium, et ſacramentalis Sigilli Fractione.

SUMMARIUM.

I. *Series facti.*
II. *Epiſcopi ſunt notiſſimo jure exempti ab inquiſitoribus, etiam quoad inquiſitionem ſumendam.*
III. *Si inquiſitor fuerit hæreticus, poteſt adverſus eum epiſcopus informationes ſecreto ſumere.*
IV. *Etiamſi epiſcopi impediant rectum inquiſitorum officium, nequeunt hi in illos procedere.*
V. *Poſſunt tamen ſimplicem aliquam informationem ſumere, ut S. ſuam certiorem reddant; quod et epiſcopus viciſſim poteſt adverſus inquiſitores.*
VI. *Quid de inquiſitoribus regularibus adverſus eorum generales prælatos?*
VII. *Ratio fundamentalis eſt, nedum exemptio epiſcoporum, verum et ipſorum ordinaria juriſdictio, qua* inquiſitores nati *incedunt.*
VIII. *Delegatus eſt major ordinario, quantum ex vi delegationis, non vero aliunde.*
IX. *Ex ratione juriſdictionis cumulativæ nequeunt epiſcopi, et inquiſitores, adinvicem procedere, eo quod* par in parem non habet imperium.
X. *Quid de inquiſitoribus generalibus cardinalibus?*
XI. *Denuntiatio revelationum de hæreſi minime ſuſpectarum non competit inquiſitoribus, ſed ordinariis.*
XII. *Idem eſt de revelationibus ſimplicibus, errorem contra fidem non continentibus.*
XIII. *Prælati ordinarii de jure ſunt judices omnium cauſarum eccleſiaſticarum.*
XIV. *Inquiſitores autem ſunt judices delegati reſtricti contra hæreticam pravitatem, non vero contra alia crimina.*
XV. *Quid de juriſdictione privativa, vel cumulativa, inquiſitorum adverſus ſodomitas?*
XVI. *Fractio ſigilli ſacramentalis directe pertinet ordinariis, et non inquiſitoribus, niſi indirecte ratione alterius culpæ inquiſitorum judicio competentis.*
XVII. *Ut in caſu ſolicitationis, et incredulitatis ſacramenti pœnitentiæ.*
XVIII. *Aliquorum DD. placitum.*
XIX. *In dubio pro judice præſumitur; et non omnia, quæ in confeſſione aperiuntur, ſub ſigillo cadunt.*
XX. *Qualis debeat præcedere diffamatio pro prælatis denuntiandis, ex Card. Petr. et ex c.* Qualiter aliquando, *de accuſat.*
XXI. *Etiamſi revelatio ſigilli redderetur de hæreſi ſuſpecta, non poſſent procedere etiam ad proceſſum formandum adverſus epiſcopum.*
XXII. *Quod ampliatur etiam ad epiſcopum electum, et confirmatum, ſed non conſecratum; imo et ad electum non confirmatum, ſi ſit electus à Papa.*
XXIII. *Quomodo S. Officium vetare, et punire poſſit opinionem licitudinis extorſionis à confeſſariis pœnitentibus factæ pro complicis eorum peccati revelatione ſibi facienda.*
XXIV. *Finis interinus inſidiarum illarum in abſcondito paratarum.*
XXV. *Nuperæ bullæ* Suprema *ſuper confeſſariis nomen ſocii criminis à pœnitentibus extorquentibus, remiſſive.*
XXVI. *Doctrina Delr. et Vall. pro diſcretione revelationum ordinariis attinente.*

I. CUJUSDAM epiſcopi malignantes æmuli, ex mala animi affectione, eum tribunali S. Officii Ulixbonenſi, et Eborenſi, denuntiârunt; quod facile credebat, et aſſentiebatur revelationibus privatis aliquarum fœminarum Deo devotarum, conſcientias ſuas intra et extra confeſſionem ſibi aperientium; et eadem facilitate de materiis illarum revelationum cum aliquibus privatim colloquebatur, cum ſacramentalis ſigilli nota infractione, eo quod multas illarum ex ſacramentali notitia dumtaxat agnoverat. Et ut ipſius præſulis famæ, ac bono nomini, gravius ac peracerbius nocerent, has etiam denuntiationes, poſt delationem tribunali fidei Luſitano, etiam Romano ſupremæ Inquiſitionis, imo et coram Sanctitate ſua (ut fama eſt, ex ipſiſmet delatoribus dimanata) calumnioſe, et aſtute, deferre curârunt. Et quamvis inefficaces et fruſtranei redderentur vulpini hi conatus, ac geſticulamenta, ex efficaci ſuavique divinæ benignitatis providentia, novi *Achitophelis conſilium infatuantis*, et *mendaces oſtendentis, qui maculaverint illum*; attamen, cum in aliquibus ſuper hoc privatis confabulationibus, quid juris ineſſet, non ſemel propalaretur, id hic ſummatim alienæ utilitati, imo et indemnitati (ſi forte quis in ſimiles inſidiarum foveas incautus inciderit) conſulens deſcribam.

SECT. I.

Pro exemptione epiſcoporum.

II. Imprimis, quoad denuntiationem primam illius epiſcopi tribunali S. Officii, ſupremo S. R. E. cardinalium inferiori, facile obveniebat exemptio epiſcoporum, ex c. *Inquiſitores*, de hæret. in 6. ibi: *Inquiſitores hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede, ſeu alio, vel aliis quibuſlibet, deputati, de hujuſmodi crimine inquirere contra epiſcopos nequeunt, aut ejus prætextu procedere contra eos; niſi in literis commiſſionis Apoſtolicæ, qui hoc poſſint, contineantur expreſſe. Si tamen inquiſitores ipſi epiſcopos alios ſuperiores prælatos ſciverint, vel invenerint circa crimen hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere, vel ſuſpectos; id tenebuntur Sedi Apoſtolicæ nuntiare.*

Ubi gloſſ. verb. *Apoſtolicæ: Iſti inquiſitores non poterunt inquirere, etiam ut inſtructam remittant cauſam,* c. Conſtituimus, *de appellat. quia non ſolum definitio, ſed proceſſus, et inquiſitio, eſt ipſis interdicta per hoc caput.* Et expreſſe etiam per Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 5. *Cauſæ criminales graviores contra epiſcopos, etiam hæreſis (quod abſit) quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcantur, et terminentur. Quodſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra Romanam curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi metropolitanis, aut epiſcopis, à Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio, et ſpecialis ſit, et manu ipſius Summi Pontificis ſignata, ne unquam plus bis tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant; reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva. Cætera, alias, ſub fel. rec. Julio* III. *ſuper his decreta, necnon et conſtitutio ſub Innocentio* III. *in concilio generali, quæ incipit,* Qualiter, et quando; *quam ſancta ſynodus in præſenti innovat; ab omnibus obſervetur. Minores vero criminales cauſæ epiſcoporum in concilio tantum provinciali cognoſcantur, et terminentur, vel à deputandis per concilium provinciale.*

III. Suffragantur Caren. p. 1. tt. 5. § 9. n. 75. adducens Molin. d. 28. n. 19. Pal. § 2. n. 6. Souſa c. 4. n. 4. Sanctarell. c. 40. dub. 3. n. 16. ob epiſcopalis dignitatis culmen: quare hæc exemptio etiam ad epiſcopos titulares, et non conſecratos, extenditur à Petr. infr. cit. Molin. Dia. Trullench. et aliquibus. Videatur etiam Eymeric. p. 3. q. 27. et q. 30. Pegn. ad ipſum; qui tamen, licet prius conveniat cum cit. Eymeric. ab eodem devians cit. q. 30. cum redarguitione, atque improbatione, Villaroel. p. 1. q. 5. a. 4. ſic diſcurrit: *Itaque, ſi hæreticus fuerit inquiſitor, adverſus eum epiſcopus, aut alius inquiſitor, informationes ſecreto recipere poterit, ut Summo Pontifici denuntiet, ut optime docet hoc loco Eymericus,* § Crederem: *at ad capturam realem accedere non credo tutum. Quodſi manifeſtiſſima eſſet inquiſitoris hæreſis, et malitia effrænis; ut ſi contra fidem prædicaret, aut ſcriberet, aut prædicari, et ſcribi permitteret, aut hæreticos captos impunitos dimitteret, et his ſimilia perpetraret,*

traret, quæ in manifeſtum fidei detrimentum converterentur, nec facile Summus Pontifex poſſet conſuli, et interea fides periclitaretur; liceret tunc epiſcopo in inquiſitorem agere. Geminianus in c. Inquiſitores, *de hæretic. lib. 6. num. 5. Locatus repertorium, et Joannes Roxas, præcitatis locis.*

Super hac ipſius Pegn. opinione, ſic etiam tradit Azorius inſt. moral. l. 8. c. 18. *An epiſcopus habeat jus inquirendi in inquiſitorem hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi? Zanchinus, et alii, quos citat Penna in directorio inquiſitor. p. 3. comment. 79. opinantur, eum jus habere, quando crimen eſt manifeſtum. Id probant ex eo, quod epiſcopus eſt judex ordinarius, inquiſitor vero delegatus. At verius alii tradiderunt, eum non habere jus; quoniam ſicut inquiſitor nequit in epiſcopum inquirere ob reverentiam, quæ epiſcopo debetur; ita nec poteſt epiſcopus contra inquiſitorem agere, quoniam auctoritate Romani Pontificis delegatam habet poteſtatem: ac proinde auctoritatem Pontificiam dedeceret hæc actio. Ita Eymericus, et alii in director. inquiſitor. p. 3. quæſt. 30. et comment.*

IV. Accedit Souſa in aphoriſm. inquiſitor. l. 1. c. 28. n. 12. *Si impedientes officium S. Inquiſitionis fuerint epiſcopi, delegati, aut ſubdelegati Papæ, vel prælati religionum Prædicatorum, aut Minorum, quando inquiſitores ſunt eorum ſubditi, contra ipſos procedere non poſſunt inquiſitores, ſed Summo Pontifici id notificare debent,* Farinac. dict. § 5. n. 72. et 82. et alibi: *Inquiſitores non procedunt* (id eſt, non poſſunt procedere) *contra epiſcopos; eorum tamen exceſſus ad Summum Pontificem deferant: ad hoc autem proceſſum formare non poſſunt, ſed ſolum informare, Eymeric. quæſt. 27. ubi Penna commenta. 76. citato loco Farin. de hæreſ. quæſt. 186. § 5. n. 113. et 121. Molin. loco citato, n. 19. Dixi etiam citato capit. 3. n.*

V. Ubi vides, quod quamvis proceſſum formare non poſſint, etiam ad hoc, ut Summum Pontificem informent, juxta diſpoſitionem cit. c. *Inquiſitor.* de hæretic. in 6. ubi gl. cit. verb. poſſunt tamen ſimplicem aliquam informationem ſumere, ut Sanctitatem ſuam certiorem reddant, quod et epiſcopi viciſſim etiam poſſunt adverſus inquiſitores, ex extravag. Joann. II. *Cum Matthæus,* de hæret. in 6. ibi: *Volumus autem, quod diœceſani, et inquiſitores prædicti, ſuper iis, quæ negotium tangunt fidei, alii vero ſuper iis, quæ rem tangunt vel publicam, vel privatam, ſive ordinarii, ſive delegati, quacunque auctoritate fuerint, prout poſſet ad eorum officium pertinere, ſiquid per officiales, et nuntios ipſos, indebite forſan attentatum extiterit, ſe plenius informare: idque nobis ſignare ſtudeant, ut providere ſuper hoc de remedio opportuno valeamus.*

Ad quod Solorſan. de jur. Indiar. l. 3. c. 27. *Qui textus mirabilis eſt, ad ſolutionem argumenti in contrarium ex dict. bulla* In cœna Domini, *ſupra, num. 71. perpenſi. Nam et hic enixius, et ſub eiſdem verbis, quoquo modo, et quavis occaſione, procedere vetat; et nihilominus dictam notionem informativam non excludit, quæ vere ſub illo verbo* procedere, *non excluditur; cum* proceſſus *in jure citationem, conteſtationem, cauſæ concluſionem, accuſantem, accuſatum, et judicem, judiciſque definitivam determinationem deſideret: unde et nomen* proceſſus *accepit, ut notant DD. omnes, per textus ibi, in capit.* Quoniam contra falſam, *de probat. cap. 1. § 1. ubi gloſſa verb.* Legitime, *de jurament. calumn. l. 6. cap. 2. de dolo, et contum. eod. lib. cap.* Forus, *de verbor. ſignificat. gloſſ. Barret. DD. in rubr. c. de in jus vocand. et Alver. in dict. verb.* Proceſſus.

Vide etiam Card. Petram, tom. 3. in conſt. 23. Alex. IV. n. 10. *Præmittendum eſt, pro inquiſitoribus ſtare regulam, ut contra quoſcunque etiam in dignitate conſtitutos procedere valeant, iis exceptis, in quos procedere expreſſe à jure prohibentur, ut conſtat ex cap.* Ut officium, *de hæret. in 6. Hinc, primo, in cap.* Inquiſitores, *eodem, in 6. prohibentur inquirere de hoc crimine hæreſis contra epiſcopos, niſi id ſpecialiter habeant in literis commiſſionis; idemque ſtatuit Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 5. quod procedit etiam in epiſcopis titularibus, vel electis, et confirmatis, licet nondum conſecratis, Molin. de juſtit. tract. 5. diſp. 28. n. 19. Trullenc. in decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 78. Diana, p. 4. tract. 8. reſol. 21. Cum autem in cit. cap.* Inquiſitores, *dicatur, inquiſitores non poſſe contra epiſcopos inquirere, ſequitur ipſos nec de hæreſi epiſcopi cognoſcere, nec dicta teſtium recipere poſſe, et bene docet gloſſ. ibidem, verb.* Apoſtolicæ, *Monach. Archidiac. aliique ibidem; unde DD. communiter contrarium aſſerentes apud Barboſ. ibid. n. 11. Paſſerin. num. 2. Diana, cit. reſol. 21. verſ.* Verum; *Non alias recipiendi ſunt, niſi ut poſſint inquiſitores extrajudicialiter, et ſecreto, ſe informare, ut ita Sedem Apoſtolicam inſtruere poſſint.*

VI. Imo de inquiſitoribus regularibus, reſpectu procedimenti adverſus prælatos ſuos generales, dicit cit. Petr. n. 16. *Certiorare prius debere ſupremam Inquiſitionem, inſpecta quadam æquitate, et decentia.* Pro quo etiam, inter alios, adducit Caren. p. 1. tit. 5. § 9. n. 78. ibi: *Quia quamvis ordinum generales habeant in ſubditos juriſdictionem quaſi epiſcopalem, attamen non poſſunt gaudere beneficio cap.* Inquiſitores, *de hæret. in 6. quia loquitur ſpecifice de ſolis epiſcopis: ita Freit. ad Roderic. de confeſſar. ſolicit. quæſt. 12. n. 20. quicquid in contrarium Peirin. et alii, cum Diana, voluerint, reſol. 23. eorum enim dicta cenſeo ego procedere poſſe, ſola æquitate inſpecta.*

VII. Ratio fundamentalis hujus exemptionis non ſolum eſt culmen dignitatis epiſcopalis, verum etiam quia epiſcopi ſunt *inquiſitores nati,* ut inquit Petr. tom. 3. in conſt. 15. Innoc. IV. n. 5. et 13. et ex ipſomet officio, et conſtitutione Chriſti, ſunt *inquiſitores ordinarii,* ſaltem quoad ſubditos, Caren. p. 1. tt. 4. § 1. n. 2. et 3. ex c. *Ad abolendam,* de hæret. quam ſequitur Petra ibid. et inquiſitores inſtituti fuerunt in *coadjutores epiſcoporum*; et ideo delegata fuit illis juriſdictio cumulativa cum epiſcopis, ob varias epiſcoporum curas, in eorum munere coadjuvandis, Petr. cit. in c. 23. Alex. IV. n. 1. Caren. p. 1. tt. 4. n. 4. et conſtat expreſſe ex bulla, ſive deputatione Innoc. III. ap. Param. de orig. inquiſ. lib. 2. c. 1. et ex bull. 16. *Quia tunc,* Innoc. IV. pro ſuperioribus ordinis Minorum ap. Petr. to. 3. n. 2. ibi: *Ut locorum ordinarii, negotiorum varietate præpediti, coadjuvarentur per judices peritiſſimos, ac religione præſtantes.* Ex hac autem delegatione juriſdictionis (proſequitur Petr. n. 10.) facta inquiſitoribus, præſervata remanſit epiſcoporum juriſdictio, ut conſtat ex conſt. 2. Urb. IV. 27. Clem. VII. et c. *Per hoc,* de hæret. in 6. et Clem. 1. eod. tit. adeo ut inquiſitoribus cumulative tantum, non autem privative quoad epiſcopos competat, licet in Hiſpania, ſive ex conſuetudine, ſive, ut aliqui aiunt, ex privilegio, inquiſitores habeant privativam, Sanctarell. c. 40. dub. 2. Pal. p. 1. tit. 4. d. 8. pu. 13. Dia. p. 4. Caren. Delbene, &c.

VIII. Et quamvis delegatus ſit major ordinario, quantum eſt ex vi delegationis, DD. in rubr. *de offic. jud. deleg.* non tamen aliunde; imo in radice, aut in trunco, ut in Chriſto, et ejus vicario, omnis juriſdictio eſt ordinaria, et non delegata; et hæc ex illa oritur, ac pullulat, quaſi ramus è radice, vel ex trunco; et in hac ratione nobilior eſt ordinaria juriſdictio præ delegata.

Deinde epiſcopi, reſpectu exemptorum, etiam procedunt juriſdictione delegata, Caren. p. 1. tt. 4. § 2. n. 2. et tit. 5. § 7. n. 64. Et quamvis, reſpectu ſubditorum, procedant juriſdictione ordinaria, hanc etiam accipiunt immediate à Papa, ratione officii, ſicut inquiſitores per delegationem; et in hoc ſunt pares; et per inſtitutionem inquiſitorum non fuit epiſcopo ablata juriſdictio in hæreticos, Caren. tt. 4. § 7. Deinde, cum eam juriſdictionem inquiſitor accipiat cumulative cum epiſcopo; imo in Hiſpania, quamvis eam accipiat privative; taliter eam accipit, ut ſine epiſcopo decernere ad torturam, et finaliter cauſas definire non valeat, Caren. § 2. n. 9. Pal. Farin. Souſ. aphoriſm. l. 1. c. 3. in quadam paritate juriſdictionis incedunt: *Par autem in parem non habet imperium,* l. *Nam et magiſter,* ff. de recept. arbitr. c. *Inferior,* c. *Denique,* 21. diſt. c. *Innotuit,* 20. § *Quanquam,* de elect. Caren. cit. tt. 4. § 2. n. 6.

IX. Et ex hac eadem ratione nequeunt epiſcopi procedere in cauſa hæreſis adverſus inquiſitores, Caren. cit. Villaroel. cit. n. 3. niſi in caſu manifeſtæ hæreſis, de quo DD. ſupra, n. 3. In quo etiam in-

quiſitores adverſus epiſcopum procedere poſſent ad ſecretas informationes ſumendas, ut eas ad ſupremum tribunal tranſmittant, Caren. tt. 5. § 9. n. 75. cum Molin. Souſ. Sanctarel. et aliis. Sed recte diſtinguit Petr. to. 1. ad c. 2. Leon. IX. ſect. 2. n. 82. *Tamen diſtinguendum eſt: aut enim agitur de pura informatione extrajudiciali, ut Papa poſſit ſe reddere inſtructum de cauſa, ut valeat providere; et certum, quod poſſunt hoc facere inquiſitores; et ita intelligendi ſunt doctores; imo tenentur ex vi proprii muneris id agere; et liquet ex verbis ipſius text. cap.* Inquiſitores; ibi: *Si tamen inquiſitores ipſi epiſcopos ſciverint, vel invenerint circa crimen hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere, vel ſuſpectos, id tenebuntur Sedi Apoſtolicæ nuntiare: ſi enim Papa non ſolum in caſu ſententiæ, vel inventionis, vult inquiſitores denuntiare debere epiſcopos, præſupponendum eſt, poſſe ſine figura judicii invenire delicta; quod utique nequit verificari, niſi informatione aliqua præmiſſa; imo poſſunt revelationes contra epiſcopos recipere, cum nequeant cogi ad denuntiandum ſupremo tribunali: ita Paſſerin. in cap.* Inquiſitores, *num. 2. ubi alii citantur, de hær. in 6. Aut inquiſitores volunt procedere ad formationem proceſſus judicialis; et hoc non eſt eis permiſſum, etiamſi velint id facere pro referenda cauſa Summo Pontifici, et pro reddendo illum inſtructum, ut docent Farinac. cit. quæſt. 186. n. 14. A Corona, Barboſ. et alii ſupra citati, quos refert cit. Raynaldus, cap. 32. à n. 411. et ſeqq.* § 4.

Conſtet igitur, concludit Villaroel cit. art. 4. concl. 3. n. 23. epiſcopos, nedum in cauſis hæreſis, ſed et in aliis cauſis criminalibus, nullum alium judicem agnoſcere, niſi Papam dumtaxat, ex Trid. ſeſſ. 24. cit. c. 5. quod etiam concl. 4. n. 25. extendit *ad caſum urgentiſſimæ neceſſitatis*, quam dicit, *Pegnam ſomniâſſe, et nulla ratione, aut argumento fundâſſe.* Et æqua lance pariformiter diſcurrit de proceſſu epiſcopi adverſus inquiſitorem etiam hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum, ut concl. 1. n. 8. poſſe tamen epiſcopos procedere adverſus inquſitores ſubditos in alia ratione, et pro aliis defectibus, v. g. morum, et uſurpationis juriſdictionis, et incurſionis cenſurarum à lege, &c. intra ſuarum diœceſum limites; vide ſupra alleg. magn. dub. 38. et alleg. 44. et Petr. tom. 1. et 3.

X. Qui etiam, tom. 1. in c. 2. Leo. IX. ſect. 1. n. 83. etiam reſpectu cardinalium inquiſitorum circa proceſſum in epiſcopos ſic tradit: *Quoad vero cardinales Sac. Congregat. S. Officii generales inquiſitores, adeſt expreſſa facultas procedendi contra quoſcunque etiam epiſcopali, imo cardinalitia dignitate præditos, ut in bulla Pii* IV. *conſtit.* 67. *quæ incipit,* Romanus Pontifex, *anno* 1563. *licet aliqui per errorem Pio* V. *tribuant, ut advertit Cherubin. ad bullam Pii* IV. Cum nos, 69. *ſchol. 2. tom. 2. pag. 23. ita tamen, ut, completa proceſſu, reſervetur ultima ſententia Summo Pontifici, Farinac. quæſt. 186. num. 123. Paſſerin. ad cit. cap.* Inquiſitores, *num. 6.*

Hic addere cenſui (ait Petr. tom. 1. in c. 2. Leo. IX. ſect. 1. n. 79.) *caſum, qui evenit anno* 1686. *circiter, in Indiis, in epiſcopum Carthaginen. Cum enim iſte fuerit publice declaratus excommunicatus ab inquiſitore, cenſuras nullas fuiſſe protulit Sanctiſſimus Pontifex Innocentius* XI. *ut conſtat ex epiſtola cardinalis Cyba, tunc miniſtri primi ejuſdem ex oraculo, prout moris eſt Papæ, quæ epiſtola fuit ſub datum Romæ, 24. Januarii* 1687. *directa eidem epiſcopo, in qua adſunt inter cætera hæc verba:* Dichiarando di già la Santità ſua nulle le ſcommuniche de gl'inquiſitori contro di lei, per non haver'il tribunale dell Inquiſitione autorità ſopra i veſcovi, ſe non in materia di fede, e ricercandoſi anco in queſto caſo ſpecial commiſſione ſegnata dal Santiſſimo Pontefice, e valide, le fulminate da V. S. illuſtriſſima contro l'inquiſitore iſteſſo.

Et § immediate ſequenti adducit conſultum ſupremi concilii Indiarum ad regem catholicum, anno 1695. in favorem exemptionis epiſcoporum, et reſervationis eorum cauſarum ad Summum Pontificem. Ipſum vide.

Sect. II.

Pro incompetentia, ratione materiæ.

XI. Quoad ſecundam autem denuntiationem factam tribunali ſupremæ Inquiſitionis Romæ, quamvis incompetens non foret, ratione judicum, à quibus epiſcopi exempti non ſunt; attamen, ratione materiæ, multipliciter invalida, et incompetens erat; de qua Pignatell. conſ. noviſſ. loc. cit. et ſignanter conſ. 202. ibi: *Cauſæ omnes S. Officii, aut ſunt de hæreſi, aut de ſuſpicione hæreſis.*

Imprimis namque, quamvis denuntiandus veniat, qui proprias revelationes fingat, et eas aliis revelet, ut ab eiſdem ſanctus, aut Deo gratus æſtimetur, de quo Delrio, infr. cit. Valle de incant. Pignatell. to. 2. conſ. 139. et alibi; attamen qui ex levitate, vel ſimplicitate cordis, eiſdem crederet, minime denuntiandus foret, ut leviter ſuſpectus de hæreſi, vel illius fautor, ut tenent plures cit. Pignatell. qui etiam aſſerit, quod *ordinarii procedunt contra blaſphemos non hæreticales; et puniunt ſimplices ſuperſtitiones*, cit. conſ. 139. in parerg. fin. et conſ. 143. quem etiam vide conſ. 143. § *Mulieres:* alias integra oppida, et fere integræ civitates, aliquarum ſimulatarum fœminarum conſimiles revelationes confingentium, credentes, ſeu credibiles reputantes, denuntiandæ, et à S. tribunali puniendæ forent; quod tamen non experimur.

XII. Deinde, ſi hæ revelationes ſimplices quidem forent, et nihil erroris, aut ſuſpicionis contra fidem, nilque ſuperſtitionis continerent; proculdubio ordinario præſuli, et non inquiſitoribus delegatis, earum examen, delatio, atque deciſio, ſane pertineret, ex clara doctrina Carenæ *de revelationib. mulier.* p. 2. tt. 17. § 21. *Quoad mulieres, quæ ſe revelationes à Deo, ſanctis, et angelis, habere profitentur, hæ, ſi in revelationibus ſuis nihil habeant ſuperſtitioſi, erronei, temerarii, et hæretici, ſubduntur judicio ordinariorum, ut paſſim practicari in curiis eccleſiaſticis videmus: ubi vero occaſione revelationum aliquid credunt, vel docent hæretici, ſapientis hæreſim, temerarii, ſcandaloſi, erronei, et blaſphemi; tunc ſine dubio tales mulieres ſubduntur juriſdictioni inquiſitorum, prout ita in facti contingentia, in Peruenſi regno, accidiſſe teſtis eſt Martinus Delrius, diſquiſit. magicarum l. 4. quæſt. 3. ſect. 3. de revelationibus mulierum non ſanctarum, folio, mihi, 594. in impreſſis Venetiis anno* 1616. *qui omnino videatur. Diana poſt primam hujuſce operis impreſſionem viſus reſol. moral. p. 4. tract. 8. reſol.* 125. *ubi pariter concludit, poſſe inquiſitores hujuſmodi revelationes mulierum examinare; et ad hoc allegat Simanch. cath. inſtit. tit. 21. n. 25. et 29. Emmanuel de Valle de Moura in opuſculo ſecundo de incant. et empſal. ſect. 2. c. 3. n. 19. et Raphael. de la Torre, in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. q. 95. art. 2. diſp. 3.*

Corroboratur, 1. Ex conſt. 21. Leo. X. etiam pro beatificatione SS. bullar. tom. 1. § 7. ibi: *Volumus, ut lege ordinaria tales aſſertæ inſpirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, exnunc Apoſtolicæ Sedis examini reſervatæ intelligantur. Quodſi ſine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens neceſſitas aliud ſuaderet; tunc, eodem ordine ſervato, ordinario loci notificentur, ut ille adhibitis tribus . . . licentiam concedere poſſit.* 2. Ex c. *Cum ex eo*, de reliq. c. *Conqueſtus*, de fer. c. ult. de conſecrat. d. 3. Trid. ſeſſ. 25. de *invocat.* ibi: *Nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, et approbante epiſcopo*, &c. 3. Ex exemplis, rationibus, et diſtinctione adductis à ſanctiſſimo P. Benedicto XIV. de beatif. SS. l. 2. c. 1. n. 7. et 8. omnino videndo.

XIII. Prælatus namque ordinarius de jure eſt judex omnium cauſarum eccleſiaſticarum, ex c. 1. de offic. jud. ord. Pignatell. conſ. nov. 19. 38. 139. quod et efficaciter confirmatur ex ſententia data in tribunali Inquiſitionis Conimbricenſis die 23. Decembr. anni 1667. adverſus inſignem P. Antonium Vieyram Jeſuitam, ubi unus ex purgandis articulis ſibi injunctis, et objectis, hic ſane fuit, *quod abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, vel ordinarii, revelationes credulus inculcârat, ac publicaverat.*

Et quamvis in cauſis fidei hæreſim continentibus, vel ſapientibus, inquiſitores ſint etiam judices cumulative, vel privative, cum hæc reſtrictio, ablatio, vel diſmembratio juriſdictionis ordinariorum, ipſis quidem odioſa fuerit, ex regulis vulgaribus, non eſt amplianda ad alios caſus, vel cauſas, ſed potius reſtringenda ad cauſas

cauſas hæreſis dumtaxat, vel formalis, vel virtualis. Vid. ſuper alleg. 132.

XIV. Inquiſitores namque ſunt judices apoſtolici delegati reſtricti *contra hæreticam prævitatem*, non vero contra alia crimina, aut defectus mere morales, aut mere eccleſiaſticos, hæreſim non ſapientes, neque ad eam pervenientes, aut ſuperſtitionem aliquam involventes, ut tenent Valle de incantat. ſeſſ. 3. Dia. verb. *Inquiſitor*. Delrio de magia, lib. 5. Pignat. conſ. can. 54. n. 6. ex c. *Accuſatus*, § *Sanè*, de hæret. in 6. idem Pignat. conſ. noviſſ. 49. et 139. imo cognoſcunt dumtaxat de criminibus atrocioribus, et horroroſioribus, *quæ ſapiunt hæreſim manifeſte*, cum plurimis cit. Valle, et alii; et patet ex cit. c. *Accuſatus*, et cit. § *Sane*; de quo etiam cit. Pignatelli, qui in fine cit. conſ. 139. in parerg. expreſſe tenet, quod ordinarii ſua ordinaria juriſdictione cognoſcunt, et puniunt, *ſimplices ſuperſtitiones*; imo et procedunt eadem juriſdictione *contra blaſphemos non hæreticales*. Ergo, potiori jure, cognoſcere, et examinare poſſunt ſimplices revelationes hæreſim non continentes, neque manifeſte ſapientes.

Confirmatur ex auctoritate, et diſtinctione ſanctiſſimi P. Benedicti XIV. cit. § 8. lib. 2. c. 1. *Sed ne aliqua accidat ambiguitas, diſtinguendus eſſe videtur caſus à caſu; atque adeo ſeparandus caſus ſervorum Dei non adhuc beatificatorum, aut canonizatorum, à caſu beatorum, atque ſanctorum. Porro, quoad caſum ſervorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum, dicendum eſt, poſſe quidem ordinarios auctoritate ſua ordinaria proceſſum conficere ſuper virtutibus, et miraculis, uti ſupra viſum eſt; at eoſdem tamen non poſſe miracula, et oracula approbare, et ea populo proponere, vel publicare.*

XV. Nota tamen, 1. Quod Valle de incantat. ſect. 3. c. 1. n. 26. et 27. reſpectu juriſdictionis cumulative, vel privative, in Sodomitas, ſic tenet: *Inquiſitor autem, qui, prædictis, n. 14. non obſtantibus, putaverit cum domino à Cunha juriſdictionem in Sodomitas non convenire inquiſitoribus, privative ad ordinarios, videat, quo pacto ſe liberare poſſit à peccato mortali uſurpatæ juriſdictionis, quando delinquentem clericum ab ordinario eccleſiaſtico præventum, ab illius poteſtate per vim, aut per dolum, ſubtrahit, eumque judicat, cum onere reſtituendi damna illata tum ordinario, tum reo (quantum nempe huic ſaltem intererat, non judicari ab inquiſitoribus, ſed ab ordinario, qui nec morte corporali plectit, nec tortura utitur) et incurrendi cenſuram capitis* Siquis ſuadente; *imo et irregularitatem, ſi ex ſua ſententia reus mortem, aut membri mutilationem, incurrat.*

Poſito namque, quod inquiſitoribus competat prædicta juriſdictio cumulative tantum ad ordinarium, vel quod dubium ſit, an illis competat etiam privative; certum eſt inquiſitores eſſe judices incompetentes; imo et non judices, ſed privatos, in caſu, quo ordinarius cauſam prævenierit. In dubio enim de juriſdictione privativa, certum eſt eam non eſſe privativam: ſiquidem in hoc dubio non præſumitur, ordinarium privari ſua fundata, et favorabili juriſdictione, ex dictis nu. 5.

Nota, 2. Doctrinam Tamb. de jur. abbat. tom. 2. d. 13. q. 13. n. 12. pro inquiſitoribus, vel epiſcopis, aliquem innocentem de hæreſi infamantibus: *Inquiſitoribus*, ait, *ſi alicui crimen hæreſis falſo imponant (quod nunquam contigiſſe credendum eſt) et innocentes infament, præter alias pœnas, quibus pro menſura criminis puniendi ſunt, in ſententiam etiam excommunicationis majoris incurrunt; neque abſolvi poſſunt ab alio, quam ab ipſo Papa, præterquam in mortis articulo; quo caſu ſatisfactionem prius offerre debent, Clem. 1. §* Verum, *de hæret. Covarr. pract. cap. 36. n. 21. Navarr. 27. n. 100. Suar. tom. 5. diſp. 22. ſect. 3. Sayr. lib. 3. cap. 19. n. 25. Tolet. lib. 1. cap. 36. n. 1. Memor. Cleric. cap. 7. excom. 1. Ad hoc vero, ut contrahant hanc excommunicationem inquiſitores, et ſubſtituti ab epiſcopis (epiſcopi enim contrahunt tantum ſuſpenſionem ab officio per triennium, ut in eod. tex.) debent tria concurrere; primo, ut faciant contra juſtitiam; ſecundo, ut faciant ſcienter; tertio, quod faciant amore, odio, &c. prout in text. Uno horum deficiente, non incurrunt hanc cenſuram, gloſſ. verb.* Obtentu, *in d.* § Verum.

SECT. III.

Pro denuntiatione quoad fractionem ſacramentalis ſigilli;

XVI. Clarior erat incompetentiæ defectus: Quia, dato, et non conceſſo, quod aliqua in accuſatis revelationibus ſigilli fractio intercederet, certe ad Inquiſitionis tribunal hæc materia non pertinet per ſe, ac directe, ſed ordinariis; et ſolummodo ratione connexitatis alterius criminis S. Officii tribunalis directe pertinentis; v. g. ſolicitationis; eidem indirecte tantum attinere poteſt, ut expreſſe Pignatell. conſult. noviſſ. 202. § *Ordinarii*; ibi: *Negandum tamen non eſt, quod, quando crimen revelationis confeſſionis eſt conjunctum cum alio concernente etiam ipſam confeſſionem ſacramentalem, et pertinente ad Sanctum Officium, cognoſcitur, ac punitur, etiam in Sancto Officio; quatenus aggravant majorem qualitatem delinquentis, contra quem Sanctum Officium procedit ex alia cauſa ad ipſum directe ſpectante.* Et conſ. can. 54. to. 7. n. 6. Si eſt ſermo de ſimplici delicto revelationis confeſſionis, non videtur pertinere ad tribunal S. Inquiſitionis, ſed ad judicem ordinarium eccleſiaſticum, ex c. *Omnis utriuſque*, de pœnit. . . . . quia revelatio confeſſionis ſecundum ſe nec continet hæreſim, nec illius ſuſpicionem . . . . Facultas autem inquiſitorum de jure eſt tantum ad inquirendum contra hæreſim, ut alibi diximus, et habetur in c. *Accuſatus*, § *Sane*, de hæret. in 6.

XVII. Unde, præter caſum ſolicitationis, qui non crederet ſacramentis eccleſiæ vel generaliter, vel ſpecialiter ſacramento pœnitentiæ, aut obligationi detegendi peccata alteri homini in confeſſione ſacramentali, quam aliqui novatores negant, effutientes, confeſſionem Deo dumtaxat fieri debere, ex ipſa formalitate eccleſiæ Romanæ pro confeſſione edicenda, *Confiteor Deo*, &c. ut ipſemet à quadam fœmina hæretica comprobare audivi; et ratione iſtius incredulitatis ſacramentalis ſigilli obligationi aſſentiretur, neque eam ſervaret; iſte merito inquiſitoribus denuntiandus quidem veniret directe ratione primæ culpæ incredulitatis; et indirectæ, ratione ſecundæ fractionis, aut revelationis ſigilli; et inquiſitores, ratione primæ directe ad ipſos pertinentis, indirecte cognoſcerent de ſecunda, quatenus aggravantis majorem qualitatem primæ culpæ ad S. Officium directe ſpectantis, ut loquitur Pignatell. cit. Aſt abſque ſuſpicione, aut denuntiatione culpæ ad S. Officium directe attinentis, cujus ratione, vel conjunctione veluti principalis, inquiſitores acceſſorie, vel conjunctim, de ſigilli fractione cognoſcerent; neque denuntiatio S. Inquiſitionis tribunali facienda eſt, neque ab illo cognitio intentanda, juxta monitum ipſiuſmet Pignat. cit. ibid. quicquid in contrarium inſinuaverint aliqui pauci DD. apud curſ. moral. Salmantic. tr. 21. c. 4. p. 2. n. 9. ibi:

XVIII. Quartus caſus eſt: *An confeſſarii ſigillum confeſſionis violantes ſint in fide ſuſpecti? Antonius de Leon. de officio confeſſarii, tom. 1. recollect. 22. n. 12. caſu 13. necnon Quintanadvennas, tom. 2. ſingul. tract. 3. ſingul. 28. reſpondent affirmative; et conſequenter eſſe inquiſitoribus denuntiandos. Et probat ex eo, quod videntur male affici erga ſacramentum pœnitentiæ, cum abutantur notitia intra illud habita, reddantque hoc ſalubre animarum medicamentum fidelibus valde durum, et nimis odioſum: ergo ſunt in fide ſuſpecti. Sed omnino tenenda eſt contraria ſententia, quam docent Lugo de pœnit. diſp. 22. ſect. 5. § 5. num. 148. Bonacina diſp. de pœnitent. quæſt. 6. ſect. 5. pun. 1. n. 6. Molfeſius in ſumm. tom. 1. tract. 7. cap. 23. n. 68. Carena de offic. inquiſit. p. 2. tit. 17. § 23. n. 91. Diana, p. 4. tract. 8. reſol. 95. Et ratio eſt; tum quia non extat decretum aliquod Pontificium, hoc crimen inquiſitoribus reſervans; et ſic nulla adeſt de illo mentio in edictis S. Inquiſitionis: tum etiam, quia non adeſt ratio, quare ex fractione ſigilli oriatur hæreſis ſuſpicio; cum potius, experientia teſte, proveniat ex ira, inconſideratione, vel loquacitate: ergo non eſt fundamentum ad præſumendum frangentes ſigillum confeſſionis, eſſe de hæreſi ſuſpectos, et conſequenter de hæreſi denuntiandos. Excipe tamen, niſi alias haberent errorem circa obligationem hujus ſacratiſſimi ſigilli, defendentes,*

fendentes, vel non adeſſe, vel adeo ſtricte ad eam non teneri; quia tunc ut hæretici ſunt habendi, et denuntiandi. At, hoc ſecluſo, tale crimen non inducit ſuſpicionem in fide; nec illius cognitio pertinet ad inquiſitores, ſed tantum ad immediatos confeſſariorum prælatos. Hæc Salmantic. loc. cit.

XIX. Deinde, ut tenet Lacr. ad Buſemb. l. 6. p. 2. n. 1988. *Confeſſarius non præſumitur revelâſſe ſigillum; tum quia facta, præſertim illicita, non præſumuntur; tum etiam, quia, in dubio circa res concernentes forum, præſumitur pro judice, unde in dubio is, qui aſſerit, probare debet, Fag. Bardi, Schild. tr. 2. c. 5. § 3. Stoz. n.* 198. 279.

Præterea nec omnia, quæ in confeſſione patefiunt, ſub confeſſionis ſigillo clauduntur; et ad aliqua extra confeſſionem tractanda libenter, et ſpontanee, facultatem præbent pœnitentes ipſi; imo conſenſus iſte aliquando præſumitur, etiam quando de illo expreſſe non conſtat, præſertim ſi confeſſarius ſit probæ vitæ, et bonæ opinionis, de quo cit. Lacr. n. 1989. et ſeqq. et Salmantic. tr. 6. c. 14. p. 1. et ſeqq.

Confirmatur præmiſſa doctrina, 1. Ex DD. antiquis, et modernis, de cauſis et caſibus ad S. Officium, et inquiſitorum cognitionem, pertinentibus, ſuperabunde agentibus, ut Carena, Pignatelli, Palao, Fel. Pot. Fragoſ. to. 2. et alii, qui quidem, quamvis de ſolicitatione confeſſariorum late pertractent, nec verbum quidem de revelatione ſigilli, ut S. Officii cognitioni ſubjecta. Confirmatur, 2. Ex ipſis edictis S. Officii, in quibus de ſigilli fractione nec medium verbum, ut notant Salmantic. præjacta auctoritate.

XX. Neque in hoc caſu ſuffragari poterat denuntiantibus aliqua diffamatio; nam, præterquam quod hæc impræſentiarum conficta, et omni rationabili fundamento deſtituta erat; hæc infamatio in prælatis denuntiandis, ac judicandis, *debet eſſe talis*, ait Petr. cit. in conſt. 2. Leo. IX. tom. 1. n. 73. *ut ſine ſcandalo non poſſit diſſimulari, cum facile contra eos ſubditi delicta impingant, quia non poſſunt omnibus placere; et cum ex officio increpent, ſuſpendant, ligent, ob quod incurrunt odium, et invidiam multorum; et eandem diſpoſitionem cit. textus hoc demandantis præſervavit Concilium Tridentinum in cit. cap. 5. ſeſſ. 24. in quo præſcribitur forma procedendi contra epiſcopos; et ita, ut dixi, obſervatur in praxi; quia Summus Pontifex prius extrajudicialiter ſe informat à pluribus viris integris, et præſertim epiſcopis; et deinde dat commiſſiones pro proceſſu conficiendo: imo in cauſa Rhegien. Sacra Congregatio epiſcoporum communicavit capitula inquiſitorum contra archiepiſcopum, qui ſe expurgavit congruentibus, et juſtificatis reſponſionibus; unde eadem Sacra Congregatio, anno* 1699. *reſcripſit, non eſſe locum ulteriori indagini; quorum rationes late examinat Fag. in dicto in cap.* Qualiter, et quando; *præſertim quod debeant communicari capitula, ſi agatur de inquiſitione ſpeciali contra unum, et pro certis criminibus, ſecus in generali pro ſtatu eccleſiæ; et quod debent vocari ad ſe expurgandum, quia debet eſſe præſens, Raynald. cap.* 32. § 4, 5. *num.* 416. *Pyrhing. tit. de purgat. canonica,* § 6. *n.* 39. *Quæ autem ſint cauſæ majores, de quibus loquitur Concilium; vide Menoch. de arbitr. caſ.* 266. *Vener. exam. epiſc. l.* 4. *cap.* 18. *num.* 4. *Lælius Jordan. cit. tract. de epiſc. cauſ. major. cap.* 1. *et* 2. *Nempe delicta, quæ de jure requirunt depoſitionem, ſeu privationem, puta hæreſis, læſæ majeſtatis, contra Papam, vel regem, aſſaſſinii, falſificationis literarum Apoſtolicarum, agrorum depopulationis, inobedientiæ Summi Pontificis, ſimoniæ realis, ſtupri monialis, falſificationis monetæ, et aliorum, de quibus Barboſ. cit. allegat.* 112. *n.* 6.

XXI. Imo, dato, quod revelatio ſigilli ſimpliciter, et ſe ſola, redderetur hic hæreſis ſuſpecta; adhuc tamen denuntiantibus, et eorundem ultimæ iniquæ intentioni, obſtaret generalis doctrina Card. Petræ cit. tom. 1. in c. 2. Leo. IX. ſeſſ. 1. n. 76. ibi: *Sed hic occurrit dubium, an inquiſitores valeant epiſcopos punire, vel ſaltem procedere ad proceſſum conficiendum in materia hæreſis: ſed, quicquid dicant aliqui, communis eſt opinio negativa, ex text. in cap.* Inquiſitores, *de hæreticis, in* 6. *et adeſt bulla citata Pii* V. *la* 82. § 6. *ita ut requiratur ſpecialis auctoritas Papæ, Diana, par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 21. *in antiquis, p.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 51. *Barboſ. ad cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reform. Concilii Tridentini, ubi plures cumulat Molin. de juſt. diſp.* 28. *n.* 19. *Corona de Offic. S. Inquiſit. p.* 1. *tit.* 5. § 9. *num.* 75. *Caſtropal. tract.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 12. § 2. *n.* 6. *Barboſa cit. p.* 3. *de offic. et pot. epiſc. allegat.* 112. *num.* 13. *Læl. Jord. de majorib. epiſcopi cauſis ad Papam deferendis, cap.* 12. *n.* 2. *et* 14. *Et, ſtante Concilio Tridentino cit. cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matthias à Corona de pot. et dignit. cardinalitia, tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 1. *Delbene de S. Offic. dubit.* 195. *ſect.* 3. *n.* 2. *et* 15. *et ſemper hoc privilegium dignitati epiſcopali tributum fuiſſe, dicit Pegna ad Eymericum, direct. inquiſit. par.* 3. *quæſt.* 27. *coram* 76. *ita ut nec epiſcopum poſſunt inquiſitores accuſatum capere, vel tranſmittere ad Papam, ut cit. Barboſ. et à Corona.*

XXII. *Quod ampliatur etiam in epiſcopo titulari, et electo, ac confirmato, licet non conſecrato, ut plures citando docuit Barboſ. cit. allegat.* 112. *num.* 14. *et ad Concil. Trid. cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de refor. n.* 3. *ſed quid in electo, non autem confirmato? Et videtur non procedere dicta prohibitio, quia epiſcopus electus, et non confirmatus, nullam habet auctoritatem, et nec eccleſia tunc dicitur viduata, cap.* 2. *de tranſlat. nam tunc vere datur conjugium, ſi fuerit confirmatus. Sed hoc limitatur, ſi fuerit electus à Papa, à quo recepit etiam electus confirmationem, ut cit. Barboſ. dict. allegat. n.* 16. *et à Corona, docent. Plures tamen fallentias adducunt doctores ad dictam prohibitionem, ne, ſcilicet, inquiſitores poſſint procedere in epiſcopum hæreticum: et, primo, quatenus epiſcopus ſit ſuſpectus de fuga, quia tunc poterit carcerari; tamen talis facultas ſtrictiſſime eſt uſurpanda. Secundo, ſi hæreſis fuerit notoria; quod declara, ſi actu ſit timor ſubverſionis, ut ſi fideles ſeduceret, aut quem ſimilem actum patraret; non vero, quod fuerit notorie diffamatus; quia in primo caſu poterit carcerari ab inquiſitoribus, non autem in ſecundo. Tertio, Si ſpecialiter à Papa fuerit commiſſio facta. Quarto, Si aliquod damnum imminens fidei cauſaret, et mora eſſet præjudicialis, ut referunt Farinac. de hæreſi, quæſt.* 186. *à num.* 114. *Barboſ. cit. allegat.* 112. *num.* 14. *verſ.* Multipliciter; *à Corona late cit. loco, num.* 2. *et ſequen. et late etiam Paſſerin. ad cit. cap.* Inquiſitores, *à num.* 1. *cum ſeq. et num.* 5. *ubi in hæc materia tutius eſſe agendum, docet in favorem epiſcoporum.*

XXIII. Dices, Tribunal S. Officii poteſt damnare opinionem docentem, licere extorquere à pœnitentibus notitiam, ſive revelationem, criminis ſociorum, de quo infra alleg. 147. vel licere uti notitia ſub ſigilli ſacramentalis ſecreto habita: ergo etiam poterit punire ſimplex ſigillifragium. Reſp. diſtinguendo conſ. Quatenus uſum doctrinæ erroneæ, concedo; quatenus ſacramentalis ſigilli infractionem, nego. Sic S. Officium punit diaconum, non tamen ſimplicem ſacerdotem, abſque ordinarii approbatione confeſſiones audientem; hæc namque punitio ordinario competit. Et tamen poteſt prohibere, et punire doctrinam erroneam, quæ ſuaderet, licere ſimplici ſacerdoti toties quoties abſque ordinarii approbatione confeſſiones ſacramentaliter ſuſcipere.

Pariformiter, licet S. Officii tribunal vetet, et jubeat denuntiare ſacerdotes ſolicitantes; non tamen punit diaconum fingentem ſe confeſſarium, et prætextu confeſſionis ſolicitantem, neque etiam confeſſionis interpretem; ſed horum punitio ordinariis pertinet privative: ergo ſimiliter. Ratio fundamentalis eſt, quia per facta illa, qui ea patrarent, non redderentur ſuſpecti in fide, ſicut redderentur, ſi ea edocerent, de quo iterum infra. Vide etiam Fermoſin. Fiſcal. alleg. 2. n. 10. ubi diſtinguens affirmat, denuntiandum eſſe confeſſarium compellentem revelationem cum errore doctrinæ; negat vero, ſi ſimplicite recompellat.

XXIV. Exitus autem iniquarum illarum in abſcondito fabricatarum inſidiarum fuit tandem labilis cunctarum evaneſcentia; ſumpta namque prudenti, moroſaque informatione à fidei tribunalibus Luſitanis, et præſertim à Romano, compertum eſt, quod denuntiatores illi, molientes fraudes adverſus animas ſuas, ex livore odii, et per invidiam, præſulem ſuum tradere conſpirârunt, uno præcipuo conſultore, et promotore ſat-

satagente, se omnibus in scientia, ac prudentia carnali, et animali, quasi filium hujus sæculi, præsumptuose, et arroganter adeo æstimante, ut cæteros despiciens, quasi nescirent quicquam, improperaret, et expeditionem fere Caiphaziæ consimilem suggesserat. Verum, ignoscat, quæso, illis Deus; non enim quod faciebant, ponderabant.

Reliqua insperato supervenientia constabunt infr. ex allegat. 153.

XXV. Post hæc exarata pervenit ad manus meas bulla sanctissimi domini nostri Benedicti XIV. incipiens, *Suprema*, data die 7. Julii anni 1745. qua ordinariis locorum injungit, ut alacriter invigilent super observantia sigilli sacramentalis in regnis Portugalliæ, secundum denuntiationes sibi factas, et tenorem duplicis pastoralis chartæ, aliûs eminentissimi domini cardinalis patriarchæ Ulixbonensis, alterius eminentissimi domini cardinalis generalis inquisitoris, quibus jubebant tribunali S. Officii denuntiare confessarios illos, qui vel complicum revelationem à pœnitentibus extorquebant, vel quamlibet aliam circumstantiam impropriam in confessione inquirebant: qui quidem eminentissimi prælati dum à Sanctitate sua prædictarum pastoralium confirmationem Apostolicam solicitarent, pro illa consulto decrevit cognitionem hanc ordinariis locorum per præfatam bullam restituere, et committere, utpote judicibus competentibus, de quo inferius in speciali pro hac controversia allegatione 147.

XXVI. Pro puncto autem principali, vid. etiam Vall. de incant. op. 1. c. 3. sess. 2. n. 20. ubi ait cum Delr. *Donum discernendi spiritus maxime solere illis à Deo concedi, quibus officii, et dignitatis ratione incumbit animarum cura. Quare ad pastores in utroque casu semper recurrendum est.*

ALLEGATIO CXLI.

Super Editione Librorum cum sola Licentia Ordinarii, et super Notis Concioni D. Teresiæ oppositis.

SUMMARIUM.

I. *Facti eventus.*
II. *Ex Trid. dispositione ad solos ordinarios pertinet, non ad inquisitores, hæc licentia; et hæc est praxis in regnis Castellæ.*
III. *In decr. autem Concil. Lateran. sub Leon.* X. *vel sub Jul.* II. *committitur examen episcopo, et inquisitori.*
IV. *An per posteriorem dispositionem Concil. Trid. derogatum fuerit primæ Lateran.*
V. *De processu episcopi sine inquisitore quoad libros prohibitos.*
VI. *Quid dicendum specialiter in regno Portugalliæ.*
VII. *Quid ex dispositione ordinat. reg. Concionis assumptum.*
VIII. *Prima nota ex adverso objectata, et retorta multipliciter.*
IX. *Theologorum consulentium convincens responsio ad notam ipsam de proprietate chori angelici Thronorum.*
X. *Secunda nota objecta, et pariter multipliciter controversa.*
XI. *Theologorum consimilis responsio de intimo illapsu mystico.*
XII. *Tertia nota objecta, et retorta.*
XIII. *Theologorum conveniens responsio pro comparatione illius optionis D. Teresiæ,* Aut pati, aut mori; *cum affectione illa absoluta D. Mariæ Magdalenæ de Pazzi,* Pati, non mori.
XIV. *Quarta nota objectata, et lacessita.*
XV. *Theologorum demonstratio pro licita ponderatione aliquorum D. Teresiæ festivorum, ac plausibilium apophthegmatum, atque actionum; ubi de virtute eutrapeliæ.*
XVI. *Quinta nota objecta, et retorta.*
XVII. *Theologorum comprobatio pro singulari puritate D. Teresiæ per semitas impuritatis.*
XVIII. *Sexta et ultima nota refutata.*
XIX. *Theologorum responsio pro naturali efficacitate sanctissimi exercitii mentalis orationis acquisitæ, sive meditationis, quoad mentem ipsam naturaliter illustrandam.*
XX. *Judicium finale reverendissimi P. præsentati Fr. Petri Vasquesii Tinoco, illustrissimæ familiæ Dominicanæ.*

I. ANNO 1740. die 13. Februarii, à Goano portu solvens ad hanc ecclesiam Pharensem, ad quam ex benignitate regia promotus anno præcedenti, obitu eminentissimi cardinalis Pereira, prædecessoris mei, Bahiæ appuli die 7. Junii ejusdem anni, ubi humanissime me in hospitium recipientibus in conventu meæ Seraphicæ Teresiæ, ejus religiosis reformatis, adveniente ejusdem Divæ festivitate, ab eisdem religiosis invitatus die 15. Octobris in pontificalibus celebrans, concionem simul pro rostris habui: quam quidem cum elogiis subsecutis cum prior, et reliqui illius monasterii religiosi typis Hispali dare curaverint, sese opposuit quidam theologus regularis, non zelo veritatis, ut vehementia suadebant indicia, sed livore invidiæ ductus, *memorem Junonis ob iram:* et quamvis objectas notas prior Carmelita illius civitatis, et omnes doctiores magistri regulares, evidenter retuderint, ac diluerint; ordinarius moderator, ex præventa industria, concionem licentiare noluit, quin prius à tribunali S. Officii, contra stylum, licentias pro editione obtineret: præsentavit igitur prior Carmelita moderatori ecclesiastico allegationem quandam tum adversus hanc novam, et inusitatam pertensionem, tum adversus notas ex adverso futiliter objectas.

II. Imprimis, dicebat, certam, et notissimam esse dispositionem Trid. sess. 4. c. 2. de editione, et usu, sacror. libror. § *Præterea*; ibi: *Ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nunquam ullo tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et pœnis à jure statutis puniantur.* Et, § immediate quenti, *Sed et impressoribus*; ibi: *Nullique liceat imprimere, aut imprimi facere, quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis, et pecuniæ in canone Concilii novissimi Lateranensis.*

Ubi vides, non ad inquisitores, sed ad ordinarios locorum, pertinere examina, et licentias librorum edendorum, quantum est ex vi dispositionis conciliaris expresse; et hæc praxis vulgaris, et omnibus notoria in regnis Castellæ, ut ex ipsismet libris prælo traditis evincitur.

III. Attamen, cum in conciliari ipso decreto quoad pœnas innoventur, quæ concilio Lateran. sub Leon. X. (vel sub Jul. II. ut ait Alter.) statuuntur, ubi sic traditur, ap. Barb. de episcopo, alleg. 91. n. 11. *Statuimus, et ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullum librum aliquem, seu etiam quamcunque scripturam, tam in urbe nostra, quam in aliis quibusvis civitatibus, et diœcesibus, imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in urbe per vicarium nostrum, et sacri palatii magistrum, in aliis vero civitatibus, et diœcesibus, per episcopum, vel alium habentem peritiam, scientia libri, seu scripturæ hujusmodi imprimendæ, ab eodem episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis civitatis, seu diœcesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum, manu propria, subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis, et sine dilatione, imponendam, approbentur.*

Videtur, quod, saltem implicite, innovetur etiam dispositio quoad examen per episcopum, et inquisitorem faciendum; et quoad licentiam per utrumque præstandam; præsertim cum Concilium Trid. non restringeret dispositionem Concilii Later. citati.

IV. Aſt cum certa regula ſit, *poſteriora derogare prioribus*, et expreſſa Trid. diſpoſitio, ſuperius extenſa, ſit, quod *examinati, probatique ſint ab ordinario*, et expreſſe etiam innovat diſpoſitionem Concilii Later. quoad pœnas dumtaxat, tenendum eſt, quoad has tantum diſponere, atque innovare. Quæ quidem intelligentia confirmatur, 1. Ex praxi omnium regnorum, et Inquiſitionum Caſtellæ, in editione librorum, examen, et approbationem ordinariorum dumtaxat perquirentium. 2. Ex DD. infra citatis, qui de inquiſitoribus Portugalliæ loquuntur, tanquam de ſpeciali jure in hac re procedentibus. 3. Quia etiam in cit. Later. præponitur, quoad examen, epiſcopus inquiſitori, *per epiſcopum, et inquiſitorem*; et tamen in Portugallia prius deferuntur libri edendi inquiſitoribus, quam ordinariis. 4. Quia, ſicut per novam diſpoſitionem Trid. ſeſſ. 25. c. 12. de regular. *mandante epiſcopo*, corrigitur, vel abrogatur diſpoſitio c. 1. *de exceſſ. prælat.* c. *Quanto*, de iis, quæ fiunt abſque conſ. cap. c. *Cum in cunctis*, de iis, quæ fiunt à majori parte; ita ſimiliter, &c.

V. De proceſſu autem, et cognitione epiſcopi abſque inquiſitore, quoad libros prohibitos, ait Barb. cit. n. 8. *Epiſcopi abſque inquiſitore poſſunt cognoſcere, decidere, et terminare cauſas illorum, apud quos reperiuntur libri prohibiti, non ſapientes manifeſtam hæreſim*, c. Accuſatus de hæret. *Eymeric. in direct. inquiſ. q. 42. n. 1. Lauret. de Franchis, ubi ſupra, pag. 298. verſ. ad 8. et cenſuit Sacra Congregat. S. Rom. generalis, et univerſalis Inquiſitionis ſub die 2. Decembris* 1612.

Qui etiam ad cit. decr. Concil. Trid. n. 3. citans Roderiq. qq. regular. reſol. 89. *Ubi ait* (inquit) *quod dictum decretum Lateran. quantum ad licentiam ordinarii, confirmavit Tridentina Synodus in præſenti ſub eiſdem pœnis pecuniæ, et anathematis; ſubditque In Portugallia ſervare dictum decretum Lateranenſe; et in regnis Caſtellæ uſum receptum eſſe, ut ſufficiat licentia ſupremi concilii regii, juxta legem regiam, Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 8. c. 17. q. 1. ubi q. 2. idem reſolvit de quacunque ſcriptura.*

VI. Villaroel autem, in ſuo *Gubernium pacificum*, p. 1. q. 5. a. 3. n. 7. ait, *In Caſtella eſſe generalem, et obſervatum ſtylum, quod libri cum ſola licentia ordinariorum imprimantur; in Portugallia autem aliter ſervari.* Non tamen declarat, an ex conſuetudine, an ex vi privilegii, an ex alio motivo.

VII. Diſpoſitio autem ordin. reg. l. 5. tt. 102. ordinans, *Ut ne in regno, aut extra regnum, hujus vaſalli imprimi faciant opus aliquod, quin prius examinetur à palatinis ſenatoribus poſt miniſtrorum S. Officii approbationem*; nullam approbationis ordinarii mentionem faciendo; cum tamen ordinatio edita fuerit poſt Trident. Synodum, quam ſupponit, et in multis decretis ipſimet ſe conformat: ad quam Barb. in remiſſ. *Nota*, inquit, *libros non poſſe prælo mandari ultra regis facultatem, niſi prius fuerint examinati per viros ab epiſcopis et inquiſitoribus deputatos, ex conſt. Conc. Lateran. ſeſſ. 10. et Concil. Trid. ſeſſ. 4.* Videtur confirmare, quæ ſupra, infraque dicimus: 1. Quia ideo regia ordinatio expreſſam mentionem non fecit præcedentis approbationis epiſcoporum, ſive ordinariorum, quia illam expreſſam præſupponit in Concil. Trid. cui cohæret; et expreſſit approbationem inquiſitorum, quia hæc pro editione, ſive impreſſione librorum non exprimitur, imo omittitur, ac tacetur à Tridentino. 2. Quia, juxta expoſitionem cit. Barb. ſupponit approbationem epiſcoporum debere præcedere inquiſitorum conformiter ad Lateran. declarationem. 3. Quia in urbe præcedit licentia vicarii generalis, ut ordinarii, licentiam magiſtri S. palatii, et reliquas, ex ſtylo, et cit. Concil. Lateran. 4. Quia nova recopilatio quinque librorum ordinationis regiæ facta anno 1595. et publicata anno 1603. tempore regum Caſtellæ coronam hanc occupantium, poſterior quidem fuit Tridentinæ Synodo, anno 1564. editæ, et à piiſſimo rege Sebaſtiano jam admiſſæ. Ipſi autem reges Catholici, praxim Caſtellæ hac in re minime ignorantes, ſolam expreſſionem fecerunt illius approbationis, Inquiſitionis puta, quam Concilium omiſit. 5. Quia ex iis optime infertur, præventionem approbationis inquiſitorum fuiſſe introductam tempore cardinalis regis Henrici religioſiſſimi, qui munus inquiſitoris generalis nunquam à ſe abdicavit, ut infra clarius inſinuatur.

Et prout ſic, non alio privilegio, niſi conſuetudinis, ex hac introductione ortæ, hanc praxim ſtabiliri. Quinimo, me ſolicite ſatagente, et iteratis diligentiis ſæpe procurante ex ipſis ſacris tribunalis fidei Ulixbonenſis miniſtris, unde hæc juriſdictio in tribunal ipſum promanârit, an ex aliquo ſpeciali privilegio, an ex uſu tantum; nullam aliam reſponſionem categoricam accepi, quam quæ uſum ipſum inſinuabat.

Unde videtur, hunc uſum mera introductione tribunalis, abſque privilegio, inductum fuiſſe: cum enim cardinalis rex Henricus, ſecundus generalis inquiſitor in regnis Portugalliæ evaſerit per ann. 1539. ut narrat Souſ. in aphoriſm. de orig. Inquiſit. qui quidem regni habenas, deſiderato rege Sebaſtiano diſparente anno 1578. tenuit, ſimul cum inquiſitorio munere ac dignitate, uſque ad fatalem annum 1580. quo luctuoſiſſime dies ſuos finiit, et Tridentina Synodus anno 1563. menſe Decembri conſummata fuerit, et anno ſequenti publicata; nil mirum, quod prælati ordinarii, in obſequium regis inquiſitoris, qui in minoritate regis Sebaſtiani et regem et regnum regebat, propriæ juriſdictionis ſibi à Concil. Trid. datæ, vel declaratæ, notam uſurpationem vel tolerarent, vel ſaltem diſſimularent; obſervata tamen in regno Caſtellæ, et in reliquis, ubi Tridentina Synodus recepta reperitur, ejuſdem hac de re expreſſa diſpoſitione; quam quidem nunc alterare, ſuppoſita illa tolerantia, et hac privilegii ex conſuetudine non contradicta acquiſitione, Sede Apoſt. inconſulta, haud facile quis prævalebit. Quare invigilare debent ordinarii præſules in harum innovationum initio, prout tenentur, ne oblitl prudentis illius moniti, *Principiis obſta*, &c. decurſu temporis irremediabiliter deplorent ſpoliationem, quam in principio facillime vitare valebant. Et hac de cauſa excellentiſſimus Eborenſis metropolitanus ſeſe fortiter opportune oppoſuit novo, et innovato, importuno edicti Inquiſitionis ſuperaddito articulo, pendente, et verſante cauſa, et utrinque pro ea recurſu ad ſanctiſſimum P. Benedictum XIV. de quo infra allegat. 147.

Quoad concionem ipſam:

Cum autem hujuſce concionis intentum, ſeu aſſumptum, aut ſcopus foret, oſtendere beatiſſimam Tereſiam *ſingularem inter Seraphinos in amoris æſtuatione, ſingularem inter Cherubinos in ſcientiæ diſcretione, ſingularem inter Thronos in puritatis candore*; adverſus hoc ultimum diviſionis membrum, et adverſus alia in diſcurſivis comprobationibus effata, ſingulariter inſurgebat adverſarius ſugillator ſcrupuloſus; ſequentes objiciens notas, quæ pariter, ac ſingillatim inſimul retundebantur, atque elidebantur.

Prima NOTA *objectata.*

VIII. Prima igitur nota objecta in hunc modum ſeſe offerebat: *Omnes Angeli ſunt puriſſimi: ergo, abſque fundamento, Thronis puritas appropriatur.* Contra, 1. Retorquebam et ego breviter ad marginem notarum: *Omnes Angeli ſunt ſapientes, et amantes: ergo, abſque fundamento, adſcribitur Seraphinis amor, et Cherubinis ſcientia? Abſit.*

Contra, 2. Juxta tritam doctrinam P. Arriagæ, et aliorum ſocietatis DD. implicat, quod Seraphini emineant Cherubinis in amore, quin eo ipſo in ſcientia etiam illis ſuperemineant, cum *intellectus ſit radix voluntatis.* Et tamen Seraphim talis denominatur, ac commendatur ab amoris eminentia; Cherubim autem ab eminentia ſcientiæ, in qua, juxta præmiſſam doctrinam, non ſupereminet Seraphim: ergo pariformiter.

Contra, 3. Quia hæc eſt expreſſa, et formalis doctrina majoris theologiæ Coryphæi, ſocietatis Jeſu, magni, videlicet, et eximii doctoris Soarii Granat. *de Angelis*, et in ſumm. l. 1. c. 13. *At Throni ſunt Dei ſedes habituali diſpoſitione per ſpiritus puritatem.*

Contra, 4. Quia, ſicut Deus in Seraphino expreſſe, formaliter, et primario intendit amorem, et in Cherubino ſcientiam; ita, veluti *per accidens*, materialiter, et ſecundario, intendit ſcientiam in primo, et amorem

rem in secundo; ita expresse, formaliter, et primario, intendit puritatem in Thronis, vel elevationem, aut sublimitatem, eo quod Throni sint velut sedes Dei sublimes: ergo, sicut Seraphini à sublimitate amoris, et Cherubini ab eminentia scientiæ, commendantur; ita et Throni à puritatis sublimitate.

RESPONSIO *DD. ad primam* NOTAM.

IX. Huic primæ notæ objectatæ responderunt etiam theologi sapientissimi; videlicet, reverendissimus P. Fr. Antonius à Sanctissima Trinitate, prior conventus D. nostræ à Remediis Carmelitarum Reformatorum, seu Discalceatorum, et reverendissimus P. Fr. Petrus Vasques Tinoco præsentatus ordinis Prædicatorum, in philosophia laureatus in majori collegio Hispalensi D. Thomæ: et, omissis aliquibus justis censuris, atque animadversionibus adversus injustas sugillatoris censuras, ejusque impium conatum, et male affectam animi, quæ deprehendebatur, intentionem; sic tandem singularibus notis singulariter satisfaciebant.

Et, imprimis, reverendissimus prior contraponebat auctoritatem D. Dionysii, lib. 7. de cœlest. hierarch. *Thronorum vero summe excelsorum nomen declarat id, quod ab omni terrena humilitate, sive admixtione, secretum est* (per puritatem) *totis viribus in eo, qui vere Summus est, immobiliter firmiterque hæreat, divinumque adventum, sine ulla motione, atque materia, respicit, ac Deum portat.* Cui cohærere dicebat D. Thom. 1. p. q. 108. ad 6. ubi dicit, quod Throni *super terram sedes elevantur per puritatem.* Et D. Bernard. l. 5. de considerat. c. 3. ubi proprium Thronorum esse dicit. *Habere summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem, quæ exuperat omnem sensum.* Et confirmabat ex D. Eximio, l. 1. de Angel. c. 3. n. 20. *In Thronis aliqua perfectio actualis considerari possit, qua Deo sedes præparentur, per spiritus puritatem.* Et ex Gabr. Lop. Navarr. in theolog. myst. tr. 5. c. 3. identice cum rationibus in concione attactis.

Fusius reverendissimus P. Vasques modum arguendi censoris sugillans, in confirmationem veritatis propositionis notatæ adducebat formalissimas concordantias ex doctrina D. Thom. 1. p. q. 45. a. 6. ad 2. et ex cit. q. 108. a. 4. Ex quibus evidenter concludebat sequenti argumento: Magis æque conveniunt tribus Divinis Personis attributa, et opera omnipotentiæ, sapientiæ, et amoris, quam Angelis, quæ illis sunt communia; et tamen, juxta PP. et Conciliorum auctoritates, Personæ Patris, quasi speciale attributum, adscribitur *potestas*, Personæ Filii *sapientia*, et Personæ Spiritus S. *amor*: ergo pariformiter Seraphinis *amor*, Cherubinis *sapientia*, *puritas* Thronis, convenientissime, et absque nota secure, attribuetur. Confirmabat; quia, non obstante, quod omnes Angeli in hac ratione communi, et veluti generica, conveniant; *Angelus* enim interpretatur *missus*; quod est omnibus commune; attamen nomen *Angeli* proprie, et specifice, infimæ hierarchiæ adscribitur: ita similiter, &c. Similem paritatem inducebat ex sanctorum specificis hierarchiis, Doctorum, Confessorum, Pontificum, &c.

Obiter etiam notabat censorem, quasi incidentem in errorem Molinæum, qui, prop. 26. ex 68. damnatis, impugnabat communem distinctionem triplicis viæ, *purgativæ, illuminativæ, ac unitivæ*, ex D. Tho. 2. 2. q. 24. a. 9. deductam; et diversam, ac triplicem communicationem Dei cum triplici primæ hierarchiæ choro, et cum animabus fidelibus, adinstar illorum per amorem, seu voluntatem, per cognitionem, seu intellectum, et per intimum illapsum, sive contactum physicum cum substantia animæ, de quo infra prop. 2. notata.

Deinde pergebat probare *puritatem* propriissime *Thronis* attribui ex D. Dion. cit. c. 7. et ex D. Tho. 1. p. cit. q. 108. ex Scot. Alex. Alens. D. Bonav. Ægid. Rom. Innoc. V. sive Petro de Tarantasia, et ex aliis laudatis à magistro Bannes, et aliis passim. Et ex ea ratione, quod *puritas* fundamentum sit contemplationis, juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matt. v. Ad quod videndus P. Salmer. societat. Cum autem, secundum doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 108. a. 1. proprii actus vitæ contemplativæ sint duo, cognitio, et amor, ad quos puritas disponit, sive quorum puritas fundamentum, vel basis incedit; idcirco propriissime attribuitur infimo choro supremæ hierarchiæ, quæ tota versatur in Deum contemplandum, et amandum; videlicet, Thronis.

Confirmabat ex eod. D. Angelico 2. 2. q. 8. a. 7. ubi inquirens, an *munditia cordis*, quæ sextæ beatitudini competit, correspondeat *dono intellectui*, quod quidem est infimum contemplationis infusæ principium (sicut supremum est *donum sapientiæ*, voluntatis *inflammativum*; et medium, *donum scientiæ*); et quæstioni respondet, duplicem munditiam cordis distinguens; aliam intellectus; et affectionis, sive voluntatis, aliam; et utramque dicit esse depurativam illius, quod est inferius; proindeque, cum supremum contemplationis infusæ sit *inflammatio* voluntatis correspondens Seraphinis; medium vero sit donum *scientiæ*, alludens Seraphinis; et infimum sit donum *intellectus*, quatenus est cordis mundificativum, sive purificativum; consequens est, ut hæc puritas, sive munditia, propriissime Thronis competat, et tribuatur.

Ex quibus colligebat, quo sensu, et qua proprietate, intelligenda sit auctoritas supra tradita D. Dionysii, et D. Tho. 1. p. cit. q. 108. a. 5. ad 6. *Exponit autem Dionysius nomen Thronorum per convenientiam ad materiales sedes, in quibus est. Quatuor considerantur; primo quidem situm, quia super terram sedes elevantur; et sic ipsi Angeli, qui Throni dicuntur, elevantur usque ad hoc, quod in Deo immediate rationes rerum cognoscant.*

Consimiliter reliqui DD. aliarum religionum infra expressi objectam notam retundebant, alii generaliter, et implicite, concionem ab omni objectata censura immunem, et inoffensam judicantes, et proclamantes; alii specialiter, et explicite, speciales refutationes expresse superaddentes, quarum aliquæ in fine hujusce allegationis, atque confutationis, compendiose præl-babuntur.

Secunda NOTA *secundæ* PROPOSITIONI *objecta.*

X. In concione proferebatur, Deum, præter communicationem per amorem, qua Seraphinis, et per cognitionem, qua Cherubinis, animæ assimilabantur, communicari etiam per quendam *intimum illapsum* substantiæ divinæ cum substantia animæ, ad similitudinem communicationis cum Thronis, ex qua speciale gaudium animæ resultabat, ut insinuabatur in ipsissima definitione contemplationis fruitivæ: *Experimentalis notitia Dei secundum affectum per gustum, et tactum intrinsecum.* Quæ quidem criticus censor impugnabat: 1. Quia communicatio Dei cum animabus non est substantialis, sed accidentalis, mediis potentiis intellectus, et voluntatis. 2. Quia in hac communicatione nequit intercedere contactus physicus, et substantialis, sed tantum moralis, et affectivus. 3. Quia talis contactus nequit esse substantiæ Dei, qui non est corpus, nec quantitas. 4. Quia sapit errorem Molinistarum, et Illuminatorum, vulgo *Alumbrados*, animam transformari in Deum effutientium, ut Molin. p. 5. Tandem, quia definitio præposita non est conformis definitionibus DD. mysticorum, neque invenietur apud ullum.

Controversiones auctoris huic NOTÆ *oppositæ marginaliter.*

Contra, 1. Quia hæc est expressa doctrina P. Michaelis Godines, societ. JESU in pract. theolog. mystic. l. 4. c. 11. ubi ait: *Quod in unione illapsus substantia divina tanquam principium assistens, et elevans, est veluti imbibita in substantiam vitalem animæ, quæ est principium elevatum*; quod quidem exemplificat exemplo substantiæ ignis coexistentis intra poros ferri. Et § fin. sic ait: *Neque hæc illapsus unio vocanda est substantialis . . . et, si aliqui illam tactum substantialem appellant, parum refert.* Et hæc est doctrina D. Eximii infra in responsione DD. extensa.

Contra, 2. Quia ipsissima est definitio unionis passivæ fruitivæ, quæ reperitur apud medull. myst. P. Fr. Francisci à D. Thom. tr. 5. c. 1. n. 8. et apud Fr. Ant. à Spir. S. tr. 4. de via unit. s. 2. et alios.

Contra, 3. Quia hæc etiam est expressissima, et formalissima doctrina D. mystici S. Joannis à Cruce prius impu-

impugnata, ac denuntiata, ut falſa, et à veritate aberrans; et poſtea (examine lapidis Lydii, et ignis probativi in fornace, ſive catillo contradictionis præcedente) triumphaliter coronata, et canonizata, ut videre eſt in locis infra cit.

Reſponſio DD. ad NOTAM *ſecundam.*

XI. Præfatus reverendiſſimus P. prior huic notæ plene ſatisfaciebat, expreſſiſſimas, et formaliſſimas theologorum, præſertim myſticorum, adducens auctoritates; videlicet, S. Joannis à Cruce, l. 2. *Aſcenſ. montis Carm.* c. 26. et l. 2. *Noctis obſcuræ*, c. 23. et lib. *Flamma amoris*, cant. 2. ad illa verba: *O mano blanda! O toque delicado!* verſ. 34, 35. et alibi: necnon Seraphicam M. D. Tereſiam, c. 2. manſ. animæ, manſ. 7. D. Thom. Godoy, Zumel, curſ. Salmantic. et eximium Soar. lib. 12. de Trinit. c. 5. n. 12. ibi: *Videtur mihi ſatis probabile, et pie ſentire, qui dicunt talia eſſe dona gratis gratum facientis, ut vi ſua, et quaſi connaturali jure, poſtulent intimam, realem, et perſonalem præſentiam in anima per talia dona ſanctificata: quod per hanc conditionalem optimè declaratur; quia ſi per impoſſibile fingamus Spiritum Sanctum non eſſe alias præſentem intra animam, eo ipſo, quod anima talibus donis afficeretur, ipſemet Spiritus Sanctus veniret ad illam per præſentiam perſonalem, et in ea eſſet, et maneret, quamdiu gratia in illa duraret. Atque hac ratione licet nunc alias habeat illam præſentiam, ratione ſummæ immenſitatis, et potentiæ; merito dicitur nunc habere illam ſpeciali titulo ratione gratiæ, et charitatis.*

Et alibi: *Sic etiam intelligimus miſſionem Verbi Divini ad humanitatem, quam aſſumpſit; quia, licet fingeremus Verbum non eſſe per immenſitatem præſens illi humanitati, eo ipſo, quod illi hypoſtatice uniretur; ex vi unionis, et ad illam terminandam, oporteret fieri intime præſens; et ideo ratione unionis dicitur nunc eſſe in illa humanitate realiter, et intime, ſpeciali modo. Ad hunc ergo modum dicimus Spiritum Sanctum dari animæ, et ſpeciali modo eſſe in illa intime, ac realiter, ratione gratiæ ſanctificantis: nam per gratiam, et charitatem, perfectiſſima quædam amicitia inter Deum et hominem conſtituitur; amicitia vero ex ſe petit unionem inter amicos, non ſolum per conformitatem affectuum, ſed etiam per inſeparabilem præſentiam, et conventionem.*

Quibus addebat P. Alap. in Oſe. i. 10. ubi ſic inquit: *Tota ergo Trinitas ſubſtantialiter, et perſonaliter, venit ad animam, quæ juſtificatur, et adoptatur:* et paulo inferius: *Totaque Deitas, et Sancta Trinitas, quæ ſe, ſuiſque donis, ſubſtantialiter, et quaſi annexit, et incluſit, ut nos ſibi ſubſtantialiter uniat, ſanctificet, deificet, et adoptet:* et infra: *Ex hac communicatione ipſiuſmet Perſonæ Spiritus Sancti, et Divinitatis, ſequitur in anima ſumma cum eo unio, et quaſi deificatio, et conſequenter adoptio perfectiſſima, ſcilicet, non tantum per gratiam, ſed etiam per ſubſtantiam divinam.*

Et tandem ex verbis Fr. Nicolai à Jeſu Maria, in *elucidat. myſt. phraſ.* narrat, quod hæc propoſitio jam ab aliquorum zelo notata, et denuntiata fuerit fidei tribunalibus, quaſi hæreticorum propria, et Moliniſtarum adverſus canonizationem præfati D. Joannis à Cruce; ubi agitata, diſcuſſa, et finaliter approbata, jam dubitationes omnes in rem judicatam fecit abire, pro qua jam cit. Fr. Nicolaus, elucidat. myſtic. 2. p. c. 16. ſic allegabat: *Deinde in alio ſtrictiori ſenſu poteſt contactus hic ſubſtantialis Dei ad animam ſic perfectam ex doctrina D. Dionyſii, c. 4. de divinis nominibus, et D. Auguſtini, lib. 8. de Trinit. cap. 12. quos refert, et ſequitur D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 1. ubi duos effectus, ſeu duas uniones, in amore aſſignat; aliam, videlicet, unionem affectivam, per conformitatem, ſcilicet, affectuum; aliam vero effectivam, per realem, ſcilicet, et phyſicam utriuſque præſentiam: unde ſic inquit Angelicus præceptor; Duplex eſt unio amantis ad amatum; una quidem ſecundum rem, puta, cum amatum præſentialiter adeſt amanti; alia, vero, ſecundum affectum.*

Reverendiſſimus autem P. Vaſques, præmittens definitionem orationis unionis fruitivæ, *Experimentalis notitia*, &c. quam dicebat deduci ex illo Pſalmi xxxiii. *Guſtate, et videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*; tradebat doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 83. a. 1. et 7. aſferentem, orationem in communi, quoad ſubſtantiam, eſſe actum intellectus practici aliqua luce aliquod objectum cognoſcentis. Atque adeo juxta triplicitatem lucis, qua intellectus agnoſcere poteſt, tripliciter dividenda eſt ex eod. D. Tho. 1. 2. q. 68. a. 1. videlicet, ex luce naturali in orationem naturalem; ex luce theologica fidei in orationem theologicam, ſive fidelem; et luce infuſa in orationem infuſam, qualis eſt, quæ elicitur à quatuor donis intellectualibus à Spiritu S. infuſis; videlicet, à dono *intellectus*, à dono *ſcientiæ*, *conſilii*, et *ſapientiæ:* quæ quidem omnes ſubalternæ orationis ſpecies ſunt notitiæ experimentales Dei; et omnes ſecundum affectum, eo quod voluntas, cujus radix eſt intellectus, ad cujus propoſitionem voluntas ipſa ſtatim commovetur conſequenti, ac correſpondenti affectu; unde Joann. xv. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Dicitur etiam *per guſtum*, quaſi ſpecialem differentiam orationis fruitivæ: quamvis enim omnem orationem antecedat voluntas, juxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 1. et omnem comitetur amor; attamen orationem unionis fruitivæ, quæ ſpecialiter procedit ex dono *ſapientiæ*, antecedit, et comitatur iſte amor, *non quando*, et quomodo, contemplans vult, ſed quando, et quomodo, vult Spiritus S. juxta illud Joann. iii. 8. *Spiritus, ubi vult, ſpirat; et vocem ejus audis; ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat:* et tali impetu amoris, gaudii, et dulcedinis rerum leſtjum, talique inflammatione voluntatis totam, animam ſolet perfundere, ut aquæ multæ eam non valeant extinguere, et tota ſapidiſſimo guſtu Deo fruatur, cui fruitive intime unitur. Super quo videndus D. Angelicus, in 3. diſt. 35. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 1. in corpore. Et 2. 2. q. 45. a. 2. et D. Bonavent. in opuſc. ubi viam hujus unionis fruitivæ præguſtationem ſpiritualem appellat.

Et ſerm. 3. in Cant. *Et hoc ſignum iſtiuſmodi adventus ejus: Sicut ab eo, qui expertus eſt, edocemur: ignis ante ipſum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Oportet namque, ut ſancti deſiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus, qui omnem conſummat rubiginem vitiorum, et ſic præparet locum Domino. Et tunc ſcit anima, quoniam prope eſt Dominus, cum ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam, et dixerit cum Prophetа; De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, et erudivit me:* et illud; *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardeſcet ignis.*

Dicitur tandem *per tactum*: nam experientia, ut docet D. Angelicus, 1. p. q. 55. a. 5. ad 2. et q. 58. a. 3. ad 3. æque rebus materialibus, et ſenſibilibus, necnon ſpiritualibus, et intelligibilibus, adaptatur. Et cum hæc oratio ſit *unionis fruitivæ*; non perfecte unitur, neque perfecte dicitur guſtare Deum, qui illum contemplatur præſens, niſi etiam experiatur tangens, ſive per *tactum*. Sic Chriſtus diſcipulis, Luc. xxiv. *Palpate, et videte:* et Thomæ, Joann. xx. *Vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum:* quaſi non ſola faciali præſentia, et gaudio ex illa orto, plene refecti forent, et perfecta fruitione adimpleti.

Cum autem hic etiam modus fruendi Deo poſſibilis quidem ſit, nec ullam devolvat implicantiam, denegandus utique animæ non eſt; quæ ſane tunc perfecte Deo frueretur, nedum per amorem, et voluntatem, cum Seraphinis; atque per cognitionem, et intellectum, cum Cherubinis; ſed et per tactum, ſive intimum illapſum, cum Thronis. Quod et comprobari poteſt ex illo Prov. iv. 8. *Glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus:* et ex illo Pſ. xlvii. 11. *Circumdate Sion, et complectimini eam.*

Et ſponſa, quæ ſponſum *quæſivit*, et *invenit*, non ideo plene ſatisfacta, vel ſatiata eſt, niſi dum *tenuit eum* per amplexum reciprocum, *nec dimiſit*; et quæ reciproco oſculo oris ſui fruens introducitur, in ſolo mutuo amplexu plena fruitione quieſcit, dicens; *Dilectus meus mihi, et ego illi: inter ubera mea commoratur:* et gloria animæ debet eſſe omnimoda, ex illo Iſa. lxvi. *Deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.*

Deinde

Deinde prosequebatur probare proprietatem appellandi contactum hunc, *contactum substantialem.* Nam cum, juxta philosophum, 8. physic. *Agens et patiens debent esse simul, vel immediatione suppositi, vel immediatione virtutis*; et cum aliunde Deus causa sit creaturarum physica, realis, et vera, nedum in ordine naturali, verum et in ordine supernaturali; et cum accidentibus careat, de quo D. Thom. 1. p. q. 28. a. 2. nec mediis accidentibus operetur, sed immediate per propriam substantiam, videlicet, per omnipotentiam, vel per essentiam; consequens est, ut propriissime dicatur id efficere *per contactum substantialem*; quo sensu etiam omnes theologi docent, Deum esse in rebus per essentiam, sive substantiam, præsentiam, et potentiam, de quo D. Tho. 1. p. q. 7. et 8. a. 3. Videatur etiam Seraphica D. Teresia in triplici ultima *animæ mansione*; et in mansion. 5. et 6.

Neque obest, quod nihil volitum, quin præcognitum. Resp. namque, 1. cum D. Bonavent. Hoc esse proprium, et speciale hujusce orationis unionis fruitivæ. Resp. 2. cum D. Thom. Præcedere aliquam cognitionem confusam, ortam, non à dono sapientiæ, sed vel à solo habitu fidei, vel à fide simul cum dono intellectus, vel scientiæ. Cum autem homo in operibus suis tam ordinis naturæ, quam ordinis gratiæ, regulariter incipere soleat ab imperfectioribus ad perfectiora, et in hoc genere unionis et amoris sint varii gradus; idcirco ab inferioribus ad superiora ascendit, juxta illud: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*, &c. quoad perveniat ad contemplationem Seraphicam, in qua substantia Dei prius tangit substantiam animæ, et postea potentiæ cum habitibus suis: potentiæ quidem tanquam principium *quod*; habitus vero tanquam principium *quo*, aut virtutes operandi: quam quidem unionem per contactum substantialem solus Deus efficere potest, ut docet D. Tho. 1. p. q. 105. a. 3. et 4.

Ex quibus triplicem sequentem deducit conclusionem: primam: Quod in gradu contemplationis matrimonii mystici perfectissima intercedit unio substantiæ Dei, tanquam Auctoris gratiæ, cum substantia animæ, tanquam radice illarum heroicarum operationum supernaturalium. Quod probat, 1. Ex generali doctrina existentiæ Dei in rebus per essentiam, præsentiam, et potentiam. 2. Ex auctoritatibus D. Teresiæ, S. Joannis à Cruce, et aliorum DD. præcitatorum.

Secundam conclusionem, in hoc perfectionis statu, esse contactus transeuntes substantiæ Dei cum substantia animæ illam ad altissimas contemplationes applicantis. Quod, 1. Probat ex præcit. DD. auctoritatibus, et ex illo Ps. xlv. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* 2. Quia substantia divina est principium elevans, atque applicans substantiam animæ, et ejus potentias, tanquam principia proxima ad has operationes supernaturales pro aliquo priori ad illas; sunt enim harum principia: ergo per contactus substantiales, videlicet, substantiæ Dei elevantis, et applicantis substantiam animæ pro priori ad illas operationes supernaturales altissimas. Quæ quidem applicatio substantialis, non unio, sed tactus substantialis dicenda est.

Confirmabat præmissa ex Cant. v. 4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.* Quod S. Joannes à Cruce explicat de istis tactibus spiritualibus, ac substantialibus cant. 25. v. 3. *Al toque de centella:* et etiam auctoritatem D. Gregor. P. et D. Tho. apud eundem D. Joann. citatorum.

Tertiam conclusionem elicit sap. præfatus P. Vasques; videlicet, quod in his contemplationibus per cognitionem, et gaudium, solent animæ experiri hos substantiales contactus. De quo S. M. Teresia in propria vita, c. 26. et 27. et mansion. 7. c. 2. quin doctrina hæc censeatur comprehensa in 23 erroribus damnatis ann. 1696. de quibus Arbiol. detection. mystic. Non enim dicit esse visionem continuam fidei, adinstar visionis claræ Dei per lumen gloriæ; sed esse cognitionem jam clariorem, jam obscuriorem, et tactus non continuatos, sed interruptos, non beatificantes animam, sed illam inflammantes, et ad altissimam contemplationem viæ, tamen propriam, perducentes; quocirca vidend. D. Tho. 2. 2. q. 18. a. 4.

Tertia NOTA *tertiæ* PROPOSITIONI *opposita.*

XII. Dum in concione ipsa ponderarem Seraphicum ardorem Teresiani amoris, facta collatione inter illius ardentis, seriique desiderii, *Aut pati, aut mori*, expressionem, cum illa D. Mariæ Magdalenæ de Pazi, *Pati, non mori*; perfectionis majoritatem Teresiano actui tribui præ Mariano, ex majori, sive ex totali indifferentia, atque resignatione, Deo præelectionem Teresiæ actus prorsus relinquens, quæ quidem defuit in actu Mariæ Pazianæ, determinante, et præeligente *pati*, non *mori*. Quod ex noto textu Isa. lviii. 3. *Ecce, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, apposite comprobabam.

Adversarius censor præmissa omnia criticabat; 1. Quia erat odiosa comparatio, sive collatio illa D. Teresiæ cum D. Magdalena Paziana. 2. Esse contra veram theologiam, actum esse magis meritorium, ex eo quod sit magis voluntarium (et hic confundebat, et adulterabat terminos formales hujusce propositionis concionatoriæ). 3. Quia textus, *Ecce, in die jejunii vestri*, &c. loquebatur de voluntate vitiosa, adeoque non adducendum in comprobationem actus virtutis. 4. Quia hæc doctrina videtur affinis prop. 13. et 14. Molinææ.

RETORSIONES A.

Sed contra, 1. Retundebam et ego æqualiter; non effici quidem comparationem inter majorem sanctitatem unius Divæ cum alia; sed inter majorem perfectionem unius actus cum altero formaliter: quo sensu etiam passim conficiunt evangelici concionatores, et eam formaliter fecit magnus Vieyra societ. Jesu, in poemate, vulgo *Sonetto*, vernacula lingua edito, et pro scopo discipulis suis pro discursu catholico super utroque actu, et utrius majori perfectione singulariter ab illis efformando, ac edendo, ut ex ipso formali poemate, Hispano idiomate in fine exponendo, agnoscitur.

Contra, 2. Non enim dicebatur in concione, actum D. Teresiæ fuisse perfectiorem, *eo quod minus voluntatis, sive minus voluntarii habuerit* (ut confingebat sugillator); sed eo, quod *magis resignatus, et magis indifferens incesserit*, præelectionem Deo penitus reservans, illius divino beneplacito se totaliter, cum totali utrinque indifferentia, submittens.

Contra, 3. Quia in hocmet formali sensu explicat Vener. P. Segneri, societ. Jesu, textum notatum, *Ecce, in die jejunii vestri*, &c. *in mana animæ*, die 5. Junii, ubi per otium videndus.

Contra, 4. Quia communissima DD. mysticorum doctrina, atque explicatio, perfectiores esse actus, et opera, quæ minus propriæ voluntatis electionis habere, et magis indifferentiæ, ac resignationis, in divino beneplacito, continere, de quo D. Franciscus Salesius in director. religios. c. 26. et 34.

DD. satisfactio, atque refutatio tertiæ NOTÆ.

XIII. Præmissus reverendissimus P. prior præmissæ notæ triplicatæ satisfaciebat; 1. Ex practico, et trito usu concionatorum citra omne scandali periculum, has comparationes modeste facientium, præsertim in festivis Sanctarum concionibus, ad exemplar ecclesiæ ipsius in festo cujuslibet Confessoris Pontificis, illud Eccli. xliv. cuilibet singulariter applicantes; *Non est inventus similis illi.* Quod et doctrina D. Tho. firmat in 3. dist. 36. a. 2. ad 1. *Diversi Sancti diverso modo excedunt se invicem in usibus diversarum virtutum; secundum quod de quolibet Confessore Pontifice dictum est, Non est inventus similis illi*, &c. quod repetit 1. 2. q. 66. a. 2. ad 2.

2. Ex doctrina curs. theolog. Salm. scholast. to. 4. D. 23. q. 3. n. 80. ubi æquiparans dicta S. Joann. de Cruce, *Pati, et contemni*, D. Teresiæ, *Aut pati, aut mori*; D. Mariæ Magdalenæ de Pazi, *Pati, non mori*; superaddit, *Spiritus illius, qui, optione sibi data, ut præmium pro laboribus peteret, non aliud præter ipsos labores, et contemptus, postulavit pati, et contemni pro te; et illius, quæ exoptabat, non mori, sed pati; aut etiam Sanctissimæ Teresiæ dicentis, Aut pati, aut mori; quem actum, quantum ex parte ipsius (spirituum enim ponderator est Dominus) in nullo reor inferiorem præcedenti. Nunquam enim assentire potui*

acceptioni vulgari hujus divinæ ſententiæ; pro comperto habens, Seraphicam doctricem non petiiſſe, ut ſibi unum è duobus concederetur, hoc eſt, Aut pati, aut mori; ſed ſenſum illius eſſe, Paſſiones toto animo exopto, ſudores, labores, ludibria, quæ libentiſſime admittam ob amorem Sponſi mei; qui ſi hæc mihi non concedat, ſciam me illico morituram; pati pro Domino eſt mihi vita; unde ſi non patiar, moriar; quia abſentia vitæ meæ, quæ pati eſt, me rediget in cadaver.

Confirmat etiam ex illo Moyſis (Exod. xxxii.) *Aut demitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Hoc in eo ſenſu, quo deſiderium Seraphicæ Tereſiæ, foret determinatum, quoad pœnalitates: quamvis idem reverendiſſimus P. aperte fateatur primum ſenſum de æquali reſignatione, atque indifferentia, quoad utramlibet partem, juxta divinum beneplacitum in evangelio proprio inſinuato; *Ita, Pater; quoniam ſic fuit placitum ante te;* et ſecundum D. Franciſci Saleſii expoſitionem, c. 26. et 34. director. ſit D. Tereſiæ glorioſior, nobilior, reſignatior, et majoris perfectionis commendatior.

Et etiam ex D. Thom. 2. 2. q. 184. a. 1. *Dicendum, quod unumquodque dicitur eſſe perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui eſt ultima rei perfectio; charitas autem eſt, quæ unit nos Deo, qui eſt ultimus finis humanæ mentis.*

Et ex ipſamet D. Tereſiæ manſ. 3. *La verdadera union ſe puede mui bien alcanſar con el favor de N. Señor, ſi nos otros nos esforzarmos a procurarla, y con no tener voluntad, ſino atada con lo que fuere voluntad de Dios.* Cum autem voluntas magis indifferens, ſive magis reſignata, ſit magis ligata cum voluntate divina; ſequitur, quod hæc ſit magis perfecta, et magis unita.

Deinde hac alia ratione eandem veritatem confirmat; videlicet, qui operatur voluntate firmiori, et immobiliori in bono, perfectius operatur: atqui qui magis reſignatur in divina voluntate tam quoad objectum, quam quoad modum illud conſequendi, operatur voluntate firmiori, et immobiliori, imo et ſecuriori in bono: ergo perfectius operatur. Major eſt doctrina D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 6. ibi: *Quia per votum immobiliter voluntas firmetur in bonum*; facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum pertinet ad perfectionem virtutis, ut patet per Philoſophum, 2. ethic. minor autem eſt certa; et conſequentia, recta.

2. Confirmat ex alia ratione ejuſdem D. Tho. opuſc. 18. c. 10. *Nihil eſt homini amabilius libertate propriæ voluntatis: per hanc enim homo eſt etiam aliorum dominus: per hanc aliis uti, vel frui poteſt: per hanc etiam actibus ſuis dominatur. Unde, ſicut homo dimittens divitias, vel perſonas convinctas, eas abnegat; ita deſerens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipſe ſui eſt dominus, ſeipſum abnegare invenitur.*

Cum autem actus D. Tereſiæ foret propriæ voluntatis electionis magis abnegativus, quam actus D. Mariæ Magdalenæ Pazianæ; atque magis indifferens ad ſe conformandum cum divino beneplacito; utique magis perfectus, et nobilior in charitate cenſendus eſt, et magis religioſæ perfectionis proſecutivus, ſive executivus; juxta illud: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, et ſequatur me.*

3. Ad tex. Iſa. *In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*, reſpondet, non adduci tanquam rationem *à priori*, ſed tanquam argumentum *à ſimili*, ſecundum explicationem Alap. ibidem. Quare merito exclamat D. Bernard. ſerm. 71. in Cant. *Grande malum propria voluntas! qua fit, ut bona tua* (puta *jejunia*) *tibi bona non ſint; oportet proinde extra lilia fiant, qui hujuſmodi ſunt; quia nihil, quod propria inquinatum eſt voluntate, guſtavit is, qui paſcitur inter lilia.*

Et in eodem ſenſu reverendiſſimus P. Joannes Paulus Oliva ſocietatis Jeſu, digniſſimus generalis præpoſitus, et egregius Vaticani prædicator, eundem textum intellexit, tom. 6. l. 26. ſtrom. ibi: *Spirituales homines vim verbi* invenitur *diligenter notent . . . accurate inveſtiganda eſt propria voluntas, quæ ſub operibus bonis, inſtar Nili, caput occulit.* Et Frat. Ludovic. Granat. tr. de amor. Dei, c. 5. *Eſto es pues lo que llamamos propria voluntad; pues eſta manera de voluntad no es menos dañoza, que el amor proprio, ni menos difficultoza de vencer; porque como la ſumma de toda la religion Chriſtiana conſiſte en el amor de Dios, aſſi tambien conſiſte en la conformidad con ſu ſanta voluntad.*

4. Et ultimo: Quia doctrina Michaelis Molinæi, in propoſitionibus præcitatis, ſiſtit in quadam reſignatione mere negativa, omni actu poſitivo voluntatis penitus, et abſolute carente, ut conſtat ex verb. prop. 13. *Reſignato Deo libero arbitrio, et eidem Deo relinquenda eſt cogitatio de omni re noſtra, et relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.* Et prop. 14. *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut à Deo rem uliquam petat; quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, et electionis; et eſt velle, quod divina voluntas naturæ conformetur, et non quod natura divinæ.* Reſignatio autem, de qua concio loquitur, non de abnegatione mere negativa, ſed de perfecta, et Chriſtiana, quæ fit per poſitivos, atque perfectiſſimos actus charitatis divinæ, conſimiles illis Chriſti Domini: *In manus tuas commendo ſpiritum meum. Ita, Pater; quoniam ſic placitum fuit ante te,* &c.

Sapientiſſimus autem P. Vaſques reſpondet, rigorem cenſuræ ſugillatoris videri tollere è medio regulam grammatices, *Comparativum nomen*, &c. et actum prudentiæ facientis comparationem inter media, et præeligentis quod eſt melius, et aptius ad finem conſequendum, juxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 61, a. 2. imo et tollere omnes ſcientias, et ipſammet ſacram Scripturam, quæ quidem comparationibus refertæ ſunt: et videri reincidere in errorem Molinæum prop. 26. negantem triplicem viam myſticam, unam alia perfectiorem, et unicam *viam internam* ſtatuentem.

Deinde ex approbatione eccleſiæ in bulla canonizationis D. Tereſiæ approbantis, et laudantis, ſatis arduum illud votum faciendi, quod ſibi perfectius videretur, nunquam à ſanctis anteactis elicitum, collationem quidem comparativam demonſtrat. Et ex doctrina D. Tho. 2. 2. q. 184. a. 1. omnis Chriſtiana perfectio in amore conſiſtit. Aſſerere autem, quod unus actus amoris magis perfectionis habeat præ altero; nil indecentiæ, aut erroris, involvere, ſed ſolidâ veritate fundari; ſecundum doctrinam Bannes in 2. 2. q. 44. a. 6.

Progreditur ulterius oſtendens impoſturam cenſoris: aſſerere autem actum D. Tereſiæ habere minus propriæ voluntatis electionis, et eſſe magis indifferentem, magiſque reſignatum, non eſt aſſerere, ut cenſor confingit, fuiſſe magis perfectum, quia fuit minus voluntarius. Pro quo præſupponit, 1. cum D. Tho. 1. 2. q. 26. a. 2. *Omnem amorem eſſe actum complacentiæ de bono cognito.* In quo quidem tres actus, ſive tres gradus, inveniuntur: primus eſt, *Complacentiæ ſimplicis* in bono cognito. Secundus, *Deſiderii* moventis ad perquirendum objectum. Tertius, *Gaudii* de bono aſſecuto.

2. Supponit, cum eod. D. Angel. ibid. a. 4. eſſe duo amores, alium *concupiſcentiæ*, *benevolentiæ* alium. Amor autem benevolentiæ, ſive amicitiæ, tantum in nobis augetur, quantum in nobis minuitur amor proprius, ſive concupiſcentiæ, juxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 184. a. 2. cum D. P. Aug.

3. Præſupponit, cum DD. catholicis adverſus hæreticos, duplicem dari *amorem proprium*, unum *juſtificatum*, propriam convenientiam quærentem, ſecundum quod recta ratio, et divina lex permittit; et alium *depravatum*, propriam convenientiam curantem contra Dei legem, et rectam rationem, ut in laſcivo, et epulone: et hic amor proprius injuſtus eſt radix omnium iniquitatum, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 77. a. 4. et cum eod. alii.

4. Præſupponit, amorem proprium *juſtificatum* vel eſſe *ſubſtantialem*, et *eſſentialem*, ſive *ex charitate* excludentem culpas, propriam ſalutem impedientes, qui compatitur cum genere vitæ communis; vel eſſe *myſticum*, tendentem ad perfectiones divinas contemplandas, et amandas, et propriam voluntatem divinæ perfecte ſubjiciendam, ac tradendam, de quo D. Tho. 2. 2. q. 24. a. 8. et q. 144. a. 2. Et hic amor excludit etiam amorem proprium juſtificatum, quantum in hac vita ſibi poſſibile eſt.

5. Præſupponit cum eodem D. Angelico, 2. 2. q. 24. a. 7. contra Beguardos, et Biguinos, in hac vita non dari terminum augmenti amoris Dei, qui in infi-

infinitum augmentabilis est, et contrarium esse unam ex 23 propositionibus damnatis, quas recenset Arbiol. detect. myst. in fin.

Et, 6. Præsupponit, cum DD. myst. et D. Bernard. serm. 85. sup. Cant. in fin. animas pervenientes ad statum matrimonii mystici, utpote veræ sponsæ Christi, eum in bajulanda cruce comitari, et sociare exoptant; et quo ad altiorem gradum amoris, ac perfectionis ascendunt, eo ardentius pro animabus cum Christo compati anhelant.

Unde cum amor animæ in hoc gradu mystici matrimonii sit altior, et perfectior, qui in via haberi potest, ut ait D. Bernard. s. 83. super Cantic. consequens est, ut minus habeat amoris proprii, sive concupiscentiæ, quantumvis justificati, atque adeo non plus, neque alias, quam Sponso beneplacet, pati desiderat. Quare non est perfectius desiderare *pati*, *non mori*; defert namque admixtum aliquid propriæ voluntatis ex propria, et voluntaria determinatione, quamvis justificata: sed perfectius est cum perfecta indifferentia, ac resignatione, *aut pati*, *aut mori* desiderare, secundum divinum beneplacitum, *Ita, Pater*, &c. Hic enim actus, cum minus habeat propriæ voluntatis, imo evacuaverit omnem propriam voluntatem, ac determinationem, minus habet imperfectionis, et magis perfectionis, cum totus sit amor puræ amicitiæ, atque benevolentiæ. Quo super videndus S. Joann. de Cruce de amore unionis myst. D. Teres. in mans. 7. c. 3. D. Paul. ad Philip. i. 21. ad 24. *Mihi vivere Christus est*, &c. ergo recte dicitur perfectiorem evasisse actum illius amoris indifferentis, ac magis resignati, *Aut pati, aut mori*; præ illo amoris determinati, atque propriæ voluntatis electionis, *Pati, non mori*.

Neque audiendus, qui hinc inferret talem amorem libertatem tollere; hoc namque hæreticum esset. Et hoc argumento usi sunt hæretici ad impugnandum, ac calumniandum votum religiosæ obedientiæ, adversus quos D. Tho. opusc. 19. cui quidem objectioni respondetur cum D. August. et verbis Apostoli: *Non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti*. Et sane perfectior, et rationabilior est voluntas cum amore amicitiæ, ac benevolentiæ, quam cum amore proprio, et concupiscentiæ, qui quidem communis est brutis, quæ amore amicitiæ, et benevolentiæ carent, utpote proprio creaturarum rationabilium, Angelorum, videlicet, et hominum.

Quarta NOTA *quartæ* PROPOSITIONI *contrapositæ.*

XIV. Cum in exordio promisissem, concionem magis festivam, ac lætam fore, quam asceticam, et austeram, fundatus in evangelio, *Confiteor tibi, Pater*, Matth. xi. et in concord. Luc. x, 21. *Exultavit spiritu, et dixit, Confiteor*, &c. et in speciali gratia, D. Teresiæ donata, cujusdam singularis spiritus lætitiæ jucundæ, quam quidem dilectæ reformationi suæ utriusque sexus hæreditariam reliquit, ut sat notum, et notabile, omnibus equidem est; aliqua disertissima ejus apophthegmata, lepidissimasque sententias ejusdem prudentiæ, intellectus, atque discretionis donorum, quibus Cherubinis singulariter assimilabatur, comprobativas; rigidus, ac scrupulosus censor, adversus illas hac quarta fugillatione insurgebat; 1. Effutiens, omnia adducta dicta, ac facta discretionis D. Teresiæ confirmativa, posse quidem falsa incedere, et leviter assentita. 2. Esse insuper impropria doctrinæ seriæ, quam unus episcopus ovibus suis debet dispensare.

CONTROVERSIÆ A.

Sed contra, 1. (refellebam) Quia omnia recensita facta, apophthegmata, sententiæque disertissimæ Seraphicæ, et Cherubicæ D. Teresiæ aperte constabant ex fide dignissimis chronicis, et reliquis historiis Carmelicæ reformationis, ex commentariis ad epistolas ejusdem D. ab illustrissimo domino Palafox concinnatis, ex jucundo libello *Gratiæ gratiarum* à serio doctore D. Josepho Bonetta edito, et ex aliis, qui eas æque et ut veras referebant, et ut disertas, atque prudentissimas, laudabant.

Contra, 2. Quia discretio est virtus, et gratia à Deo donata; atque adeo laudari, ac mirari potest. Similiter eutrapelia etiam est virtus, qua singulariter enituit D. Teresia, et fuit specialis scopus dicti libelli *Gracias de la gracia*, præfati prudentissimi D. Bonettæ.

Contra, 3. Quia, non obstante sanctitate, serietate, prudentia, scientia, cæterisque virtutibus præmissi illustrissimi præsulis Palafox, minime improprietatem, sive indecentiam ullam invenit in commentandis, ac paraphrasiandis lepidis illis, ac gratiosis apophthegmatibus, disertisque sententiis; neque serietas etiam, virtus, ac spiritualitas præfati D. Bonettæ eum retardavit, quin majori inhærentia, atque efficacia, eas in citato libello, cum aliis referret, celebraret, et collaudaret; ubi inter alias sequentem exclamationem ad Divam ipsam dirigit: *O Diva, dulcissimum philtrum meæ captivatæ devotionis!* &c.

Contra, 4. Quia, si gravitas, virtus, ac serietas, imo et austeritas tam magnæ, prudentissimæ, sanctissimæ, modestissimæ, ac Divinæ Virginis, ei obex non fuit, neque improprium æstimavit, apophthegmata illa lepida, atque disserta, etiam in scriptis proferre; cur nobis improprium putabitur illa referre, ac repetere?

Contra, 5. Quia in exordio ipsiusmet concionis prævenitur, ac præcluditur scrupulosa hujusce notæ occasio, ut ex ea liquet.

DD. RESPONSIO *huic quartæ* NOTÆ.

XV. In unum conveniunt reverendissimi præmissi P. prior, et P. Vasques, in ostendenda veritate, licitudine, ac virtute illorum disertorum apophthegmatum; fusius tamen P. Vasques progreditur, demonstrans, similia dicta lepida, ac disserta, legi in vita D. Angelici, quæ quidem pro spirituali refectione passim, in refectoriis societatis Jesu, ipsius alumnis perlegi solent. Quinimo censuram hanc scrupulosi ferire omnes Sanctos, beatissimam Deiparam, Christum Dominum, et ipsummet Deum, qui omnes disserta apophthegmata protulerunt (de quo cit. Bonett.) demonstrat.

Deinde, ex articulo *Sanctorum communicationis*, fatendum deducit, esse quidem in ecclesia Dei Sanctos, et heroicæ, atque sublimioris sanctitatis, quæ equidem est quædam participatio, vel physica, vel formalis, divinæ sanctitatis, divinorumque attributorum, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 110. a. 3. et 4. vel moralis dumtaxat, ut tenent Scotistæ. Unum autem ex his attributis participatis est ipsamet divina majestas, gravitas, ac serietas; et, quo major fuerit sanctitas, major consequenter erit hujusce serietatis, gravitatis, ac majestatis participatio. Unde, si, contra unius episcopi serietatem atque gravitatem, reputat censor, esse referre dicta lepida, atque disserta D. Teresiæ; hæc censura potius feriet, ac percutiet ipsorum Divorum giganteam sanctitatem ea apophthegmata proferentem, quam serietatem illa referentis. Et præterea eadem censura æque transfodit omnes graviissimos DD. et scriptores tam sacros, quam profanos, præmissa apophthegmata, lepidasque sententias scribentes, plaudentes, atque celebrantes: imo ipsam sacram Scripturam, ac theologiam inurit, totumque virtutum theatrum, virtutemque ipsam cum vitio confundit, et alia innumera nociva mala, haud innoxia, perpetrat.

Distincte autem progreditur, dicens, ex D. Tho. 2. 2. q. 179. omnem vitæ Christianæ perfectionem ad duplicem reduci; videlicet, *activam*, et *contemplativam*. Prima exercet virtutes ad bonum proximorum directas. Secunda quiescit in divinarum perfectionum contemplatione. Prima quærit bonum proximi, non violenter, sed suaviter, jucunde, et grate, atque adeo comiter, et lætanter, de quo D. Tho. 1. 2. q. 32. *de lætitiæ causis*. Cui quidem maxime inserviunt, et conducunt dicta, et facta modeste lepida, atque sapienter disserta ad modestam lætitiam, imo et moderatum risum, provocantia. Unde et Sara filio suo Isaac, id est, risum, hoc nomen imposuit, Gen. xvii. et xviii. dicens: *Risum fecit mihi Dominus*. Cum enim homo si animal sociabile, huic societati plurimum juvat, et proficit virtus eutrapeliæ, affabilitatis, atque gratiositatis: quibus quidem, et similibus gratiis, ac virtutibus, quamplurimos sanctos patriarchas, et magistros spirituales, exornavit Dominus ipse ad subditos facilius, ac jucundius attrahendos

dos ac dirigendos, juxta illud Pſ. xxiv. *Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Quorum exemplis abundant hiſtoriæ eccleſiaſticæ, et cit. libell. laudatus D. Bonettæ, et D. Franciſcus Saleſius variis in locis.

De virtute autem *gratioſitatis* agit Philoſophus, 1. ethic. D. Tho. 2. 2. q. 109. uſque 113. Politicus comes Emmanuel Theſaur. in philoſoph. mor. quam equidem cum veracitate dicunt, eſſe virtutem moralem in voluntate reſidentem, moventem intellectum ipſum ad veritatem manifeſtandam methodo quidem jucunda, judicioſa, ac diſerta ad proximum attrahendum, atque ad bonum inclinandum: quod equidem exercitium ſane decet epiſcopum, et paſtorem animarum rationalium, liberarum, ac ſociabilium.

Virtus autem *affabilitatis*, et complacentiæ, quæ etiam facit hominem ſociabilem, ut inquit cit. Theſaur. cum D. Tho. 2. 2. q. 114, 115, et 116. eſt quædam virtus moralis, partim potentialis, cardinalis virtutis juſtitiæ, quæ dictis, et factis, tendit ad ſe juſte gratum proximo exhibendum; quæ tamen habet duo vitia oppoſita; per exceſſum, *adulationem*; per defectum vero, *contentionem*, aut *litigium*. Et eſt maxime neceſſaria prælatis, et patribus ſpiritualibus pro vitiis ſubditorum fructuoſe arguendis, ac corrigendis, qua ſæpe uſus eſt uterque Franciſcus Seraphicus, et Saleſius: cui appoſite facit Spiritus S. Conſilium, Eccl. xxx. *Triſtitiam longe repelle à te; non eſt utilitas in ea:* Levit. x. 19. *Quomodo potui placere Domino in cæremoniis mente lugubri?* Pſ. lxxxv. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum:* et cxviii. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatâſti cor meum:* Philip. iv. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete:* Tob. xiii. *Gaudium tibi ſit ſemper.*

Eutrapelia denique (de qua D. Tho. 2. 2. q. 168. a. 2, 3, et 4.) idem ſonat atque *bona converſatio*; et eſt quædam virtus moralis, verbis, et actionibus, animi moderativa, ad animum fatigatum modeſte levandum, et moderate lætum reddendum. Hanc generaliter practicârunt, et praxi proſequuntur omnes religiones, imo et ipſi eremiticæ vitæ PP. inſtitutores, et proſecutores; et unus ex illis D. Antonius abbas dicebat, *in exercitiis mortificationis adeo pretioſius, et principalius fore ſal diſcretionis, ſicut anima corpore pretioſior eſt.*

Hinc ſapientiſſimus P. concludenter deducit, 1. Talia dicta, et facta lepida, ac diſerta, in pluribus Sanctis prodiiſſe ex ſublimibus ac elevatis Spiritus S. donis, ex D. Tho. 1. 2. q. 68. a. 2. Virtutes enim operantur modo humano. Cum autem hic modus ſit limitatus, ac finitus; utique indiget anima altioribus donis Spiritus S. ad ſuper omnes leges humanas, et communes operandum, de quo videndus D. Tho. in 3. ſent. diſt. 34. q. 1. a. 2. quod et comprobat per ſingulas virtutes cardinales, ab inferioribus incipiendo, ſingulariter diſcurrens.

2. Ex ipſiſmet dictis, ac factis diſertis, et gratioſiſſimis Seraphicæ Tereſiæ, infert ejus Cherubicum, atque ſublimem ſpiritum, et propriæ ſalutis certitudinem. Pro quo præmittit textum ad Rom. viii. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis; ſed accepiſtis ſpiritum filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater: ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei,* &c.

Deinde probat intentum ex congruentiis ſequentibus theologicis: prima; Quia, juxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 19. a. 10. et q. 18. a. 4. revelatio abſoluta fugat, et expellit omnem timorem; et, ut etiam conſtat ex ep. ejuſdem Seraphicæ Matriarchæ Tereſiæ, qua certitudinem ſuæ ſalutis habuiſſe inſinuat cum totali antiquorum timorum carentia; ex quo virgineo ejus vultui ſpecialis, ſive ſingularis illa arridebat lætitia, qua reliquos lætificabat, et, *eructans, quod biberat*, apophthegmata illa diſertiſſima, et jucundiſſimas, lepidiſſimaſque ſententias, feſtiva, atque lætiſſima effata, ex abundantia cordis exultantis, arridens os loquebatur.

Secunda; Quia ſpes alicujus boni conſequendi gaudium, et lætitiam parit in ſpectante, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 32. a. 3. et, quo majus fuerit bonum, et firmior, atque certior ejuſdem ſpes; eo majus erit gaudium, et lætitia de illo aſſequendo. Quare in Seraphica Tereſia ſingularis illa lætitia, ac gratioſitas, qua radiabat, ſingularem ipſius ſalutis certitudinem, ac firmitatem inſinuabat; proindeque; &c.

Tertia deducitur ex ejuſdem epiſt. 20. qua hoc juramentum comminatorium cum gravi neceſſitate emittit; *Non me ſcribat Deus in libro ſuo, ſi tale cogitavi!* quod quidem juramentum comminatorium, cum prope finem ejus ſanctæ vitæ ederetur, certitudinem felicitatis contrariæ inſinuare videtur; et tandem ex ſimilibus Moyſis, et aliorum ſanctorum, læta tranquillaque certitudine.

Quinta NOTA *quintæ* PROPOSITIONI *adverſans.*

XVI. In ſingulari caſtiſſimæ Tereſiæ puritate cum Thronis exponenda, ponderans duplicem caſum ab eadem relatum in ejus vita, c. 5. et 7. duorum ſubjectorum, quos ad divinum amorem à profano in eandem dilectionem revocârat, hanc protuli propoſitionem; *D. Tereſiam puram evaſiſſe etiam per impuritatis ſemitas:* adverſus quam durus cenſor refragatur; 1. Quia D. Tereſia nunquam per impuritatis ſemitas ambulavit; conſtat enim nunquam peccatum mortale commiſiſſe, et materias impuras eam ſemper naturaliter odiſſe.

2. Quia nemo eſſe poteſt purus per impuritatis vias, aut ſemitas; ſicut nemo quit eſſe juſtus, vel ſanctus, per peccatorum, aut vitiorum tramites; et contrarium aſſerere, ſaltem æquivalenter hæreticum eſt, utpote contrarium veritati illi de fide: *Odia ſunt Deo impius, et impictas ejus*; Sap. xiv. 9. Et ſimillimum aſſerto Michaelis Molinæi, prop. 29. *Qui communicat filias confeſſionis, illas oſculetur, per halitum ſpiritus amoris Dei illis immittens.* Et prop. 39. *Turpes actus, et tactus inhoneſti, non ſunt peccata,* &c.

A. retorſivæ REFUTATIONES.

Sed contra, 1. (redarguebam has cenſuras); Quia ex contextu concionis, et ex textibus in ea attactis, atque expenſis, *Cadent in retiaculo ejus peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam,* &c. *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum: unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret: malum, quod adverſus nos cogitaverat,* &c. evincitur ſenſus ſanus, et catholicus propoſitionis notatæ: quod etiam confirmat effatum eccleſiæ; *O felix culpa!* | *O certe neceſſarium Adæ peccatum!* quatenus per illud nobis Chriſti redemptio venit.

Contra, 2. Quia durior videtur propoſitio maximi concionatoris principum, et principis concionatorum P. Vieyræ, qui de eadem D. Tereſia, ſerm. 8. tom. 4. protulit, *fuiſſe Sanctam abſque timore Dei.* Et ſerm. 5. tom. 3. ultimi judicii, aſſeverans *aliquos per vias cæli pergere in infernum.* Et tamen, poſt aliquam contradictionem, hæ propoſitiones tandem approbatæ fuerunt, et ab omni cenſura liberæ judicatæ.

Contra, 3. Quia de illo, qui impuritatis venenum, quo ei inſidiabatur, in puritatis antidotum ſibi, et aliis, converteret; in vero ſenſu diceretur, quod ſciverit eſſe purum per impuritatis ſemitas; ſicut de aliquibus Sanctis quid ſimile effatur, ut de B. Agatha virgine, et martyre, canit eccleſia, et de B. Agnete, *Carnis ſpurcitias immaculato calle tranſivi:* et de aliis; atque de ipſo Chriſto, quod *ſalutem ex inimicis noſtris*, vitam ex morte, nobis eruerit.

Contra, 4. Quia licet regales deliciæ, et mundi illecebræ, et præſertim regiarum aularum commoda, magnitudines, voluptates, blandimenta, et oblectamenta, ſint occaſio, et via ſpatioſa, et certa ad perditionem; de pluribus Sanctis canit eccleſia, quod ſancti, et immaculati evaſiſſent per ſemitas illas perditionis, et interitus, ut de S. Caſimiro, de B. Joanna Portugalliæ principiſſa, de utraque Eliſabetha regina Ungariæ, et Portugalliæ, et aliis; ſic in illarum divinorum officiorum orationibus recitans: *Deus, qui inter regales delicias, et mundi illecebras, B. N.* &c.

Contra, 5. Quia id ipſum formaliter eſt, quod canit eccleſia de immaculato candore ſponſæ; *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea*; et quod Evangelium de ſemine verbi Dei, *Spinæ ſuffocaverunt illud*; Marc. iv. 7. Luc. viii. 7. de illo grano, quod, ſuffocatione non obſtante, naſceretur, et fructificaret, in

in vero sensu poterat quidem dici, per viam interitus, seu in medio mortis, vitam obtinuisse: et, sicut ait Apost. Philip. ii. *In medio nationis pravæ, et perversæ; inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*; ita similiter de animabus justis, et impollutis, in medio populi polluta labia habentis, habitantibus, poterit effatum illud edi.

Contra, 6. Quia si scrupulosus censor minime scrupulizavit in alia consimili ejusdem concionis propositione, quod Diva nostra *fuerit sapiens per vias inscientiæ, et stultitiæ*; pariformiter neque scrupulo ullo agitari debet in propositione alia, quod *pura fuerit per impuritatis vias.*

DD. Refutatio *huic quintæ* Notæ.

XVII. Respondet reverendissimus prior, propositionem cujusvis concionis, vel etiam libri, non debere sumi in abstracto, et à reliquis avulsam, sed in concreto, et cum contextu unitam; ut sic verus illius sensus, et mens auctoris agnoscatur, et intelligatur: quare Fr. Nicolaus à Jesu Maria, in suo elucidar. myst. 1. p. c. 9. an. 8. ait: *Non solum in DD. mysticorum, ac SS. PP. libris, sed etiam in sacra Scriptura, frequenter reperiri propositiones aliquas, quæ si separatim, et ab antecedentibus, et consequentibus, avulse sumantur, non catholicum, sed erroneum sensum, et hæreticum efficere videntur; ad quarum proinde judicium non sufficit eas sic avulsas, et separatas examinare; sed necessarium est cum antecedentibus, et consequentibus, et cum totius contextus serie, diligenter conferre, ut sic earum verus sensus, ac diversitas, imo, et oppositio, quam habent cum apparenter similibus hæreticorum propositionibus, dignoscatur.*

Exempla varia apponit, præsertim singularis P. Vieyræ in variis concionibus; et consequenter concludit pro licitudine notatæ propositionis asserentis, D. Teresiam *fuisse puram per vias impuritatis*, id est, inter occasiones lubricas peccatorum, et malorum exemplorum, *quasi lilium inter spinas*, et quasi columba immaculata *singulariter vitans retiacula peccatorum*, in quibus reliqui communiter cadunt. Et adinstar triumphatoris Christi, *Medelam ferens inde, hostis unde læserat*; et ideo singularis, et unica in hac triumphi, sicut de cruce canit ecclesia, *O Crux, ave, spes unica!* qui textus in concione in comprobationem adducitur. Quæ expositio, et intelligentia omnino abhorret ab assertis propositionum Molinistarum, ut ex terminis utriusque liquet. Hæ autem heroicæ actiones ex singulari gratia, ac privilegio, à Sanctis patratæ, nequeunt reliquis exemplo inservire; temeritas namque foret heroicas Sanctorum actiones sine consimili impulsu imitari præsumere, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 4.

P. autem Vasques, 1. Ostendit in omnibus virtutibus, ac donis, duo reperiri; unum *purgativum*, in aversione à malo consistens; aliud *illuminativum*, ad actus virtutum perfecte operandos tendens; de quo D. Tho. 2. 2. q. 79. a. 1. Omnes autem virtutes sunt lilia vitiorum spinis circumsepta, quibus sese opponere primo refert, ad illa vitanda, et postea procedere ad virtutis terminum feliciter consequendum. Etsi hæc veritas catholica non est Molinismi suspecta, neque propositionis veritas notata; quippe quæ fundatur in sacro illo textu: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus.*

2. Adversus Lutheranos, et alios hæreticos, præsupponit, charitatem, cæterasque virtutes, ac dona Spiritus S. in hac vita ad gradus valde heroicos, ac perfectissimos, pervenire posse, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 24. a. 2. ad quos certe pervenerunt Sancti, ut tales ab universali ecclesia canonizati, qui fortes in bello facti sunt, et per fidem vicerunt regna, et seipsos, ac passiones suas, quas, ut *inimicos persequentes, ac comprehendentes, et, donec deficerent, non se convertentes in die belli, subtus pedes suos cadentes*, eas perfecte triumpharunt: et sic *per easdem vias difficiles*, quibus peccatores *lassati in via iniquitatis, et à via veritatis errantes lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum*; Sancti ipsi immaculato calle transeuntes, et inoffenso pede currentes, singulariter operati sunt justitiam, et secure adepti sunt repromissiones.

Pariformiter in regum palatiis, ut in aula Nabuchodonosoris, regis Babylonici, multæ sane sunt occasiones relaxationis, ac perversionis utriusque Dei legis, ut experti sunt tres pueri in fornacem jussu regis missi, ob observantiam paternarum legum, ac traditionum; qui quidem *transeuntes per ignem illæsi*, quin flamma ignis eis ne in minimo quidem noceret, vel *odor ignis* etiam in vestimentis eorum prenderet, vere proclamarentur (consumente instantanee flamma ignis impios eorum accusatores) salvi facti, et vitam invenientes per eandem interitus viam, et semitam mortis, qua alii occubuerunt. Idem, proportione habita, dici valet de Daniele in laqueo leonum illæso, eadem occasione, qua arripuerunt ejus inimicos, omnia ossa eorum comminuentes.

Ulterius ex doctrina D. Tho. quodlib. 21. q. 1. a. 3. quamvis tentatio, quæ ad perditionem ordinatur, optanda non sit, quæ autem ad victoriam defert, appeti quidem potest. Et cum eod. 2. 2. q. 97. præsupponendum, tentare Deum posse fieri verbis, vel factis, quatenus creatura absque necessitate, et proximi utilitate, affectat ac æmulatur opus aliquod super leges communes; quod solus Deus facere potest, et quale Sancti fide fundati operati sunt; quæ quidem fides est miraculorum operativa, juxta D. Tho. q. 6. de potentia, a. 9.

Hac autem fide nixa laudari et plaudi potest D. Teresia, quod per vias impuritatis pura et immaculata evaserit, quatenus ipsius pulchritudinis humanos amores in sacros Dei, et pulchritudinis felices dilectores convertit; in qua quidem conversione miratur, quod de cæco illo Evangelii Joan. ix. propter quem Christus Dominus de eadem terra, quæ aliorum oculos excæcat, collyrium fecit; quo mediante, oculos ad videndum aperuit, atque illuminavit; pro quo videndus D. Tho. 1. p. q. 105. a. 8. et 12. et q. 112. a. 2. ad 2.

Unde, si alia fœmina, non eadem fide, ac virtutibus, quibus D. Teresia, firmata, *ingrederetur in medio laqueorum* consimilis occasionis illius vitii, quod *solum fugiendo vincitur*; certe in ejus, et dæmonis *retiaculo caderet*, quin *singulariter* inoffensa *transiret*, nec cum servis Job dicere valeret, *Evasi ego solus*: sicut de Diva Teresia effari, et asseverari potest, quod per semitas, et occasiones impuritatis, quibus alii regulariter cadunt, et comprehenduntur, ipsa singulariter inoffensa ac pura evaserit. Sancti namque absque speciali impulsu Dei non ingrediuntur occasiones periculosas, ac miraculosas, ut probat D. Angelic. ex illo Rom. viii. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*: et ex illo Isai. lix. 19. *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini coegit.* Qui equidem impulsus libertatem non aufert, ut docet D. Tho. 1. 2. q. 10. a. 4.

Consimili impulsu Judith aggressa est Holofernem, Samson utramque columnam templi Dagon apprehendit, Habacuc ingressus est lacum leonum, Moyses aggressus est Pharaonem; et tandem, in lege gratiæ, plures Sancti tyrannos adierunt, increpârunt, redarguerunt, ultro se martyrio tradiderunt, per fidem regem, et regna vincentes, tyrannosque ipsos, et eorum tormenta, feliciter triumphantes; quas quidem occasiones alii absque superiori impulsu temere ingredientes, miserrime perierunt: ergo, &c.

Denique pro singulari dono castitatis Seraphicæ Teresiæ asserit, illi fuisse concessum donum illud specialis castitatis, quod B. Alana de Rupe, venerabili Fr. Simoni de Roxas, Dominicanis, stimulos carnales, et incentiva luxuriæ, minime experiendi (quibus addi possunt S. Rosa Viterbiensis Franciscana, Fr. Dominicus Rosolius Carmelita excalceatus, ejusdem Sanctæ dignissimus filius, et æmulator, et alii).

Et rationem adducit; quia cum D. Teresia fundatrix novæ religionis Carmeli, et antiquæ reformatrix etiam inter viros evaderet, quo in munere, et reformationis progressu, cum viris pluribus sæcularibus, ecclesiasticis, ac regularibus, cum sæculi principibus, et ecclesiæ præsulibus conversatura, atque jam per resistentiam in multis contradictura, jam per acquiescentiam in aliis annuitura, singularis discretionis, et intellectus dono decorata, et non vulgaris pulchritudinis naturali gratia exornata; utique decuit, et congruit, quod à divina providentia, ad illud finem, singulari

gulari dono illo caſtitatis præveniretur, atque ſtabiliretur; quod et ex monitione facta epiſcopo Thyatiræ, ii. Apocalypſ. comprobat, et ex D. Tho. 2. 2. q. 171. a. 2. et in opuſc. 64.

Corroborat hanc rationem, et æſtimationem; ex eo, quia D. Tereſia ex hac vita prope nonagenaria decedens (nata namque anno 1495. obiit in Domino anno 1582.) florem pulchritudinis, atque gratioſæ diſcretionis venuſtatem, uſque ad ſenectam quaſi juveneſcentem conſervavit; atque adeo congruentiſſimum, imo et neceſſariiſſimum ſane fuit, florem illum ſingularem gratiæ, et pulchritudinis virginis quidem prudentiſſimæ, et diſertiſſimæ in ſæculo, tot ſpinarum hæreticarum aculeis horrido, atque circumſepto, ſingularis caſtitatis liliis circumvallare, vel muro igneo clariſſimæ charitatis in circuitu concingere, ne aliquis contrarius ſtimulus, aut aculeus, eam nedum lædere, verum ne ad eam quidem prope accedere valeret.

Aliam affert congruentiam fundatam in proloquio illo, quod quælibet forma in ſubjecto apto inclinat ad media, et fines, quibus à natura ordinatur cum repugnantia ad contraria; et quo perfectior fuerit forma, eo major erit inclinatio, ac repugnantia. Unde cum, ut tradit D. Tho. 1. 2. q. 63. a. 1. alii ex naturali inclinatione ad unam virtutem, alii ad aliam valde propendant, quæ quidem naturalis inclinatio, gratia et exercitio perficitur, ac elevatur, juxta doctrinam ejuſdem D. Angelici, 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. hinc, cum S. Tereſia agnoverat ſe à Deo deſtinatam ad perdifficile illud, et arduum reformationis Carmelitanæ opus, ad quod, et ad obediendum Deo, ſummam propenſionem naturalem, et gratiam conſummatam habebat; dicendum, quod quando ad executiones à Deo ipſo mittebatur, jam ab eodem præventa erat felicis exitus ſecuritate, ac divinæ manus aſſiſtentiæ promiſſione, ut accidit Moyſi, et Jeremiæ, non obſtante utriuſque humili repugnantia.

Ulterius, ſicut divina omnipotentia, ac providentia D. Thomam, quem Deus, mediante contemplationis ſtudio, doctorem ſcholaſticum, et ſcholarum ſolem, qui omnium DD. ſententias colligeret, et in lucem proferret, ſingulari adeo caſtitate angelica donavit, ut Doctor Angelicus nuncupari mereretur; pariformiter Seraphicam Tereſiam, quam doctricem myſticam ſingularem omnium Sanctorum doctrinam myſticam in unum volumen feliciter, ac facillime redigentem, voluit efficere, angelicæ etiam caſtitatis ſingulari dono decuit exornare.

Et ſicut quo altior, et ſanctior, eſt fabrica, vel ædificium, eo altiora, ſive profundiora, ac ſanctiora ſolent eſſe fundamenta, juxta illud; *Fundamenta ejus in montibus ſanctis:* ex altitudine autem, puritate, et ſanctitate Carmeli reformati, colligenda eſt puritas, ſanctitas, firmitas, ac ſublimitas, primi illius ſolidiſſimi fundamenti, virginis, inquam, Seraphicæ, et Cherubicæ, Tereſiæ; cui gloria *Libani*, id eſt, *candidi*, data eſt; decor *Carmeli*, id eſt, *cognitionis, et circumciſionis*; et Saron, id eſt, *planitiei*, ſive ſinceritatis, plene data eſt in conſummata, et pleniſſima *puritate*, ſapienti, ac diſertiſſima *diſcretione*, continua, et circumſcripta *mortificatione*, firmiſſima, ac profundiſſima humilitate, et reliquarum virtutum plenitudine abſoluta; ob quas meruit à Deo gratiam in Seraphicam Matriarcham utriuſque ſexus ſublimiorum Sanctorum præeligendi.

Præterea ponderans illud Apoſt. 1 Timot. ii. *Mulierem autem docere non permitto*, rationem addit ex D. Tho. *Ne frequenti converſatione ad luxuriam commoveat.* Quam ſuperabundanti ergo gratia, et caſtitate, à Deo circumventa, et condecorata eſt virgo illa, quæ doctrinis ſuis, verbo et ſcripto traditis, æque efficaciter, ac ſuaviter, ad amorem Dei, odium vitiorum, ipſiuſque laſciviæ, experte commovet! Cum, ſecundum Philoſophum; *Unumquodque, in quantum eſt in ſe perfectum, poteſt alterum generare*; et qualis fuit puritas, et caſtitas illius, quæ inoffenſa evaſit notas, cenſuras, ſugillationes, et improperia, quas maxima doctoris maximi ſanctitas, et caſtitas, vitare non potuit ob inſtructionem, et converſationem ſpiritualem cum fœminis ſanctis Paula, Euſtochio, Marcella, Aſſela, et aliis; et quæ, antequam à die obitus ſui glorioſa anno 1582. quadraginta anni excurrerent, meruit anno 1622. à Gregor. XV. ſanctarum Virginum faſtis, rite, et ſolemniter adſcribi!

Obiter tandem notat, quod ſicut Angelus Gabriel Virginem Mariam gratia plenam appellans, conſequenter benedictam in mulieribus edidit; qualis erit plenitudo, et puritas, illius gratiæ, pudicitiæ, et caſtitatis, de qua nec vir, nec mulier, male ſenſit, vel maledixit, ſed omnes omnimode, atque omnino, plene benedixerunt! Tandem propoſitioni ſextæ nil reſpondet ſapientiſſimus P. Vaſques, ſuperfluum reputans aliquid ſuperaddere reſponſioni reverendiſſimi P. prioris, quæ denique reſtant exponendæ.

Sexta Nota *ſextæ et ultimæ* Propositioni *refractoria.*

XVIII. In concionis concluſione tangens contemplationis frequentiam (ad quam auditores ſuadebam, ſignanter ingenioſos Americæ ſcholaſticos) hanc propoſitionem protuli: contemplationem naturali virtute, à ſupernaturali præſcindendo, nedum clarificare intellectum, imo et quandoque intellectum ipſum dare; quod quidem ex Davidico afferto probavi; *Intellectum tibi dabo*; *inſtruam te in via hac*, &c. et ex vulgari axiomate; *Anima quieſcendo ſapit:* et ex exemplis aliquorum virorum virtute venerabilium rationis uſu quaſi carentibus, et hujuſce meditationis exercitio expeditis, et clarificatis, quales fuerunt fratres laici ipſius Carmelicæ reformationis Fr. Franciſcus à Puero Jesu, et Fr. Joannes à Jesu S. Joachim. rigidus cenſor hanc propoſitionem, quaſi falſam redarguit, oſtendere nixus, meditationem, ſive contemplationem, non habere naturalem virtutem ad dandum intellectum ipſo penitus carenti.

Lacessitationes A.

Sed, 1. Redarguebam; quia propoſitio non affirmat illud exercitium conferre intellectum, eo abſolute, vel penitus carenti, ſed *quaſi carenti*, ut in exemplis memoratis.

Contra, 2. Quia juxta doctrinam M. Soar. et aliorum ſocietatis DD. quando intellectus, et voluntas, ſupernaturaliter operantur, actus ſupernaturales producendo, naturaliter etiam operantur, producendo actus naturales; per operationem namque ſupernaturalem *non extrahuntur à ſuo etiam connaturali modo operandi.* Unde intellectus ipſe, cum actu contemplationis acquiſitæ ſupernaturalis, elicit etiam actum contemplationis naturalis. Et de hoc vere dicitur, quod clarificat, et confert intellectum.

Contra, 3. Quia philoſophi gentiles, media contemplatione naturali philoſophica, et tranquillitatis naturalis, quam illa inducit, facilius, ac perfectius, ſupernaturali gratia ſecluſa, naturales ſcientias acquiſierunt.

Contra, ultimo, adverſus omnes notas, concludebam, notorium eſſe, non fuiſſe ſcrupulum aliquem moralem, vel religioſum, qui illas dictaverat, ſed æmulum, vel politicum, illi conſimillimum, quo in India alia ſana A. propoſitio cenſurata fuit, pro qua tandem prodiit Sanctitatis ſuæ breve comprobativum ſupra extenſum.

DD. Responsio *huic ultimæ* Notæ.

XIX. Plene illi ſatisfacit reverendiſſimus prior, contemplationem diſtinguendo cum communi in *acquiſitam*, et in *infuſam.* Hæc à Deo ſupernaturaliter infunditur; illa ab anima naturaliter acquiritur: de qua ipſamet D. Tereſia in vita, c. 18. et S. Joann. à Cruce in *nocte obſcura*, c. 10. Ex quo ſequitur, quod, ſicut contemplatio infuſa ſupernaturalis contemplativum reddit ſupernaturaliter doctum, ſapientem, et intelligentem; ita contemplatio acquiſita naturalis, eundem reddat naturaliter intelligentem, doctum, ac ſapientem, à ſupernaturali gratia præciſive. Pro quo etiam facit Davidicus alius textus in concione expoſitus; *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt:* non obſtante oppoſito Chriſti teſtimonio; *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.*

Neque repugnantiam aliquam habere, addebat, quod textus præmiſſus, *Intellectum tibi dabo*, in hoc duplici ſenſu intelligitur, quod et ex Lorini expoſitione ſatis deprehenditur, ibid. S. Aug. Hieron. et aliorum. Et ſi regius vates ſuper omnes eum docentes

tes doctior, et intelligentior evaserit supernaturaliter ex supernaturali meditatione; ita et ex naturali, naturaliter intelligentior, ac doctior. Et dictum Philosophi, *Anima quiescendo fit sapiens*, in qualibet linea verificatur naturaliter, vel supernaturaliter; quies enim est medium proportionatissimum ad scientiam, vel sapientiam consequendam.

Reliqui DD. diversorum ordinum, qui has propositiones, et totam concionem ipsam probantes approbârunt, et ab omni censura immunem, ac liberam judicârunt, et ediderunt, fuerunt, præter prælaudatos, reverendissimus P. Fr. Ignatius à S. Dominico, lector theologiæ ordinis Mercenariorum discalceatorum, sive Dominæ nostræ à Mercede, redemptionis captivorum; P. Mag. Didacus de Castilla, Carmelita de Observantia, examinator synodalis, et P. provinciæ Bæticæ; P. Mag. Fr. Joannes Marin. ordinis S. Augustini de Observantia, examinator synodalis, sæpe prior, et actualis definitor ejusdem provinciæ; et tres magistri ordinis clericorum Minorum, nempe, reverendissimus P. et doctor Emmanuel Blasques, et P. Joannes Navarrete, et Joseph. Pena, exlectores theologiæ, atque exprovinciales ejusdem provinciæ Bæticæ; et alii, qui rationibus et fundamentis propositis alia etiam superaddiderunt; videlicet,

Primus, nempe P. *Fr. Ignatius, à S. Dominico*, qui ad responsiones quintæ notæ superaddit propositionem P. Francisci Lopes, societ. Jesu, qui sermone S. Alexii sic ait; *D. Petrus secutus est Deum per semitas Dei; D. autem Alexius secutus est mundum per semitas mundi.* Mundum autem, et Deum, esse adinvicem contrarios, et oppositos, veritas est, puerulis ipsis ex rudimentis fidei non ignorantibus, qui, et quot, sint animæ inimici.

Reverendissimus autem P. Fr. *Didacus de Castilla*, appendens illud Cant. iv. 3. *Vitta coccinea labia tua*, quæ verba ecclesiæ prædicatoribus adaptari asserit, ex sacris EE. specialiter laudat appositam unionem, atque alligationem oppositorum extremorum in concione, quam totaliter ab omni censura liberam, et inoffenso pede decurrendam proclamat; et digniſſimam prælo judicat, illam assimilans vino illi generoso, quo sponsa, Cant. vii. *Dignum dilecto suo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum*, vociferat.

Reverendissimus vero P. Fr. *Joannes Marin.* incipiens ab illa D. Basilii auctoritate, hom. 12. in prophet. *Auctoritas doctoris acceptum sermonem facit*; fatetur se evolvisse, ac ponderâsse non semel sermonem subjectum, tam quoad asserta mystica, quam quoad moralia, et scholastica; et, quamvis, ut lyricus canit, *Varii sunt sensus hominis, et rerum discolor usus*; se tamen in illo censura nil dignum invenire; et superfluum judicat justis de illo præmissis judiciis aliquid superaddere, cum D. Hieronymo ad August. in consimili assumptu, l. 3. dialog. *Supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii*, In sylvam ne ligna feras. *Aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut, si nova voluerimus dicere, ex clarissimo ingenio occupata sunt meliora.*

JUDICIUM *finale reverendissimi* P. VASQUES;

Pro CORONIDE.

XX. *Factus sum insipiens: vos me coegistis*, 2 Cor. xii. Incipit sic sapientissimus censor, in extensæ diffusionis excusationem, religiosa addens humilitate, se quasi angelum inferioris hierarchiæ, minime posse brevioribus conceptibus explicare, quod superioris hierarchiæ unico fortassis efficiunt. Et quamvis unico verbo concionem ipsam approbare posset, dicens; *Quod scripsit, scripsit*; attamen, quia *sapientibus, et insipientibus, debitores sumus*, operæ pretium erat responsionem dare, omnibus undiquaque facturam satis; præsertim cum jam doctor Seraphicus D. Bonaventura tempore suo conquerebatur, rarissimos esse DD. in theologia mystica versatos, in prolog. ad myst. theolog. quod et D. Joann. à Cruce confirmat, canc. 3. v. 3. § 4. et ipsamet Seraphica S. Teresia experta est; et testimonium D. Petri de Alcantara confirmavit, eidem dicens, *Tunc temporis Abulæ non adesse virum, qui res internas Sanctæ intelligeret*, cum DD. scholasticis, moralibus, et positivis, tunc abundaret.

Et ex propria experientia addit, se non vidisse spiritum elevatæ virtutis in hac tempestate, contemplationi deditum, qui aliam tempestatem persecutionum non patiatur, et sustineat, à viris alias doctissimis, minus tamen, quam par est, mysticis principiis, ac resolutionibus, instructis. Pro quo affert narrationem cardin. Cæsaris Baronii ad annum 1604. quo libri morales D. Gregorii P. publica sententia, igne comburendi jamjam addicti erant. Et Vener. P. Alphonsus de Andradè, societatis Jesu, in prologo ad doctissimam expositionem super monitis (vulgo *avisos*) S. Teresiæ, etiam tradit mystica et portentosa opera hujus Sanctæ delata fuisse S. Inquisitionis tribunali, *ex qua cete*, inquit, *vegetior, et vitalior, hic Jonas exivit.* Et hæc causa extitit, cur D. Joannes à Cruce, dum viveret, communi luci mystica opera sua, præli beneficio, non edidit.

Ex his colligit, 1. Notatam, ac censuratam concionem (etiamsi fidei tribunalibus denuntiata foret) minime suo auctori nocere: 1. Ex illius scopo, qui quidem est elogiare ac laudare Seraphicam virginem Teresiam, et ex mediis ad hunc finem proportionatissimis, et ex fine ipso novam decentiam, atque honestatem pervenustam, desumentibus.

2. Ex auctoris qualitate, et dignitate, qui ad exercitium inferiorum oratorum, in obsequium dilectæ suæ Teresiæ Sanctæ, cujus cognomine glorioſe insignitur, notam quam causari poterat, illa foret, cui *Saul inter Prophetas* occasionem dedit. Et hic commemorat etiam breve Apostolicum supra extensum favorabile, et absolutorium alterius consimilis censuræ adversus aliam propositionem A. in concione alia Goæ habita.

3. Ex ipsamet concionis apposita, formali, et bene ordinata concinnatione, necnon ex qualitate censorum, et censurarum illius: omnes namque bene intelligentes, alicujus vitiosæ passionis nebulæ expertes, eam laudare, et approbare, ut cunctis evenit, non desinent; et contrarii judicii, præter illam vitiosam nubeculam, alia non restabit causa, nisi jam præcitata mysticarum doctrinarum minus callentia, et minor practica. Et tandem omne in concione contentum saniſſimum, et securiſſimum judicans, et proclamans, ultro se extensiori pro illa defensioni, si opus fuerit, offert, dummodo notæ et censuræ per scriptum tradantur, non verbaliter tantum; ne censores, quasi aera verberantes, pro responsione cohærenti, et adæqua, audiant et observent Alciati emblema illud, cum lemmate; *Insani gladius.* Et subscribit, In collegio D. Thomæ Hispalensi, die 8. Augusti 1743. *Fr. Petrus Vasques Tinoco* præsentatus.

ASSUMPTO

Dis Teresa; *Aut pati, aut mori:*
Dis Magdalena de Pazi; *Pati, non mori.*

SONETTO

Do P. ANTONIO VIEYRA.

OU morrer, dis Teresa, *ou padecer:*
Padecer, morrer nam, dis Magdalena,
Huma, porque nam quer vida sem pena,
Outra para penar quer so viver.
Huma sim quer, outra nam quer morrer,
Ena vida, ou na morte amor ordena,
Que o viver, ou morrer seja *sob pena*
So do penar, que huma, e outra quer.
Ambas se estam compondo ao mesmo espelho:
Ambas querem, e nam querem santamente:
Quem poderà medir finesas tantas?
Mas se quereis ouvir outro conselho.
Nam queirais, nam; mas aguardai somente
Tudo, o que Deos quizer, sereis mais santas.

ALLEGATIO CXLII.

Super Vitam ponentibus pro Defenſione Myſterii immaculatæ Deiparæ Conceptionis: an tales veri Martyres æſtimandi ſint? et pro reliquis tali Myſterio attinentibus.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Qualis ſcrupulus ex parte cenſuræ.*
III. *Ex parte ſuſtentationis fundamentum primum ex fideli veritate immaculatæ et illibatæ conceptionis Deiparæ in primitiva eccleſia.*
IV. *Sicut primus Adam ex terra non maledicta, ita et ſecundus formatus eſt.*
V. *Tempore D. Jacobi celebrabatur in Hiſpania feſtum immaculatæ et illibatæ Conceptionis Deiparæ.*
VI. *In Conimbricenſi academia Fr. Franciſcus Vieyra publice dictavit hoc myſterium fide certum fuiſſe in primitiva eccleſia; non ita vero de præſenti; et quare?*
VII. *Poteſt probari, ut de fide puritas immaculatæ conceptionis ex veritate concluſionis de fide, deductæ ex præmiſſa de fide.*
VIII. *Et ex continentia implicite in Sacra Pagina:*
IX. *Et explicite ab eccleſia expoſita:*
X. *Et ex revelationibus particularibus.*
XI. *Ad verum martyrium ſufficit, quod mors ſubeatur in teſtimonium veritatis revelatæ.*
XII. *Solvuntur objectiones ex continentia literali in Scriptura.*
XIII. *Solvitur objectio contra ſenſum literalem.*
XIV. *Concluſio pro veritate martyrii, et doctrina D. Thomæ.*
XV. *Statuitur ſeries decretorum.*
XVI. *Præfertur omnibus ſententia D. Eximii, ut expeditior ad immunitatem illibatæ conceptionis Deiparæ firmandam, et auctoritatibus S. Paginæ.*
XVII. *Necnon ex patribus.*
XVIII. *Probatur etiam à ratione multipliciter.*
XIX. *Illa ſententia, et ille rerum ordo eſt præferendus, qui magis Dei amorem, ac bonitatem commendat.*
XX. *Probatur etiam cum multiplici congruentia.*
XXI. *Impoſſibilis fuit, ſaltem proxime, et ex ſuppoſitione, contractio originalis peccati à B. Virgine in hoc rerum ordine; quod et à ratione, et ab auctoritate, probatur.*
XXII. *Etiam in opinione tenente incarnationem fuiſſe unice decretam ob remedium peccati.*
XXIII. *Ex indecentiis etiam probatur.*
XXIV. *Euchariſtiæ ſacramentum fructus ventris generoſi, ſi etiam non foret ventris illibati, non adeo pulchrum, ac purum, ut de facto eſt, incederet.*
XXV. *Suppoſita poſſibilitate illibatæ conceptionis Deiparæ, indecens foret Deo moraliter originalis peccati contractio; quod validis rationibus comprobatur.*
XXVI. *Oſtenditur validitas rationis Scotiticæ,* Vel Deus potuit, et noluit, *&c.*
XXVII. *Concluditur veritas illius impoſſibilitatis pro hoc rerum ordine, ſaltem ex ſuppoſitione.*
XXVIII. *Spinæ culpæ originalis nedum pungere, ſed ne accedere quidem poterant ad immaculatam Deiparam, quam murus ignis in circuitu ambiebat.*
XXIX. *Temeritatem contrariæ opinionis præfiguravit temeritas Ozæ arcam ſuſtinentis, quaſi cadere poſſe opinantis.*
XXX. *Illicia ad definitionem myſterii, ſaltem ex cathedra.*
XXXI. *Rhythmus ad* Jesum, *et* Mariam.
XXXII. *Cenſuræ academiæ Pariſienſis, et Euſebii Amort, ſuper revelationibus, ac propoſitionibus Venerabilis Matris Agredanæ explosæ.*
XXXIII. *Auctoritates vigoroſiores auctoritati academiæ Pariſienſis contrapoſitæ.*
XXXIV. *Elogium, et anagrammata.*

Dignare me laudare te, Virgo *ſacrata!*

I. SAPIENTISSIMUS P. Sebaſtianus Riberius, congregationis oratorii Ulixbonenſis decus eximium, cum per annum 1702. quaſdam theſes theotocologicas, publice ſuſtinendas, typis dare pararet, in reviſione, S. tribunalis Inquiſitionis juſſu, præhabita, contradictionem unius ex cenſoribus paſſa eſt theſis quædam, qua ſapientiſſimus, ac piiſſimus magiſter aſſerebat *eum, qui pro immaculata Deiparæ conceptione defendenda mortem oppeteret, dignum cenſendum, qui martyrum catalogo adſcriberetur.* Cum autem per longinquum, pluſquam ſolito, tempus theſes morarentur in Inquiſitione, ſuſpicans prudens pater, qualenam hujuſce inſuetæ moroſitatis motivum evaderet; captata venia illuſtriſſimi D. generalis inquiſitoris D. Fr. Joſephi de Alencaſtro epiſcopi Leirienſis obſervantiſſimi Carmelitici ordinis obſervantis alumni, apologiam brevem, ac ſolidam edidit, pro ejuſdem, et aliarum conſimilium concluſionum veritate enucleanda, atque aperienda: et ſtatim retardatæ theſes licentiatæ pro impreſſione, ac ſuſtentatione, prodierunt, cum addito tamen præmemoratæ theſi adjungendo, videlicet, *Pie, et probabiliter, credo.* Quod quidem additamentum religioſiſſimus, ac prudentiſſimus pater, nedum ægre non tulit; quinimo ipſimet D. generali inquiſitori, ne per hoc gravaretur, ſuadenti, prompte reſpondit: *Tantum abeſſe, quod per hoc ſe minus gratum tam rectiſſimo tribunali exhiberet; quin potius eo ipſo magis eidem tribunali obſtrictum ſeſe fatebatur, et agnoſcebat*; ex nova, adeoque decoroſa tribunalis auctoritate, ad ſuam theſim nova ſecuritate ſuſtinendam, quatenus tribunal ipſum fidei, concluſionem illam, nedum expreſſe approbabat, quinimo, *et piam, et probabilem,* eſſe ſuperaddebat.

Occaſione præmiſſi facti enucleandum venit, tum cenſoris illius ſcrupuloſum motivum, tum aſſertæ concluſionis ſolidum fundamentum. Et, imprimis:

Sect. I.

Ex parte cenſuræ:

II. Scrupulus ineſſe poterat, atque oriri forſan valeret, ex doctrina Pignatell. conſ. nov. 138. *Ad eoſdem etiam inquiſitores fidei pertinet procedere in tranſgredientes decretales Pauli* V. *et Gregorii* XV. *poſt Xyſtum* IV. *in extravag.* Grave nimis, *confirmata à S. Concilio Tridentino circa conceptionem Deiparæ, tam pro parte affirmativa, quam negativa. Credit Moura, eſſe ſuſpectos de fide afferentes revelationes divinas ad favorem ſuæ opinionis. Sic enim videntur præjudicare probabilitati alterius opinionis contra decreta Pontificum. At Caſtro de juſt. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 8: *dub.* 4. *per quem etiam Carena, p.* 2. *tit.* 17. *tenet, quod qui de fide crederet conceptionem Deiparæ immaculatam, eſſet hæreticus. Refertque idem Carena ex Portello ſupremum Inquiſitionis Luſitaniæ tribunal, annuente Paulo* V. *anno* 609. *damnâſſe propoſitionem illius, qui dixerat, quod licet articulus conceptionis non eſſet de fide, erat tamen de pertinentibus ad fidem; quodque qui pro eo moreretur, eſſet vere martyr.*

Et § immediate ſequenti: *Effata autem de conceptione Deiparæ hæc ſunt: Regulares tractantes de hac materia ſervare debent conſtitutiones Xyſti* IV. *ac Pauli* V. *alias puniuntur. Diſputatione propugnantes, quod B. Virgo non ſolum non contraxit peccatum originale, ſed nec illud contrahendi proprium debitum habuit, non incident in pœnas dictarum conſtitutionum. De ipſa concionantes, propriaſque opiniones probantes, et contrariam non confutantes, non contravenient conſtitutionibus Apoſtolicis. Inquiſitores circa hanc materiam, in caſu contraventionis, ſunt executores conſtitutionum, et procedunt cumulative, non privative cum ordinariis.*

dinariis. Quisque potest in die festo Conceptionis B. Virginis emittere solemne juramentum illam tenendi, semper sine peccato, instar juramenti præstiti à diversis civitatibus Hispaniarum.

Et iterum: *Permittuntur typis evulgare meditationes, conciones, sermones, ac similia vulgaris idiomatis, in quibus asseritur conceptio B. Virginis sine peccato originali, dummodo de contraria opinione non fiat mentio. Gregorius* XV. *prohibet, ne de cætero etiam in privatis disputationibus, et colloquiis, tractetur de opinione affirmativa conceptionis; videlicet, quod B. Virgo Maria fuerit concepta in peccato originali; non intendens tamen contrariam opinionem reprobare, eique aliquod præjudicium inferre. Jussit etiam, quod in recitatione officii, ac missæ conceptionis, non alio quam conceptionis nomine quis uti posset; transgressores puniendo per inquisitores locorum pœnis in aliis Summorum Pontificum constitutionibus contentis. Paulus* V. *sub die* 31. *Augusti* 1617. *de hac materia decretum edidit. Conclusiones de hac re, etiam manuscriptæ, non debent disputari publice, nisi prius videantur à ministris S. Officii, vel ab ordinario. Inquisitores non debent assentiri, ut imprimantur asserta miracula ad favorem conceptionis B. Virginis; nempe, quod sit concepta sine peccato originali. Si vero impressa fuerint, debent colligi exemplaria, frangi typi, et impressores prohiberi, ne deinceps audeant id ipsum facere, transgressoresque severe puniri. Disputationes conclusionum de hac re debent ab inquisitoribus suspendi. Concionatores contravenientes Constitutionibus Apostolicis hac de re editis, tenentur se retractare. Alexander* VII. *constitutione sua data sub die* 1. *Decembris* 1616. *constitutiones, ac decreta à Romanis Pontificibus, et præcipue à Xysto* IV. *Paulo* V. *et Gregor.* XV. *edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus S. gratia donatam, et à peccato originali præservatam fuisse; necnon, et in favorem festi, et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam exhibiti innotavit, et sub censuris, ac pœnis in eisdem constitutionibus contentis observare mandavit.*

Vide etiam eminent. dominum cardinal. Lambertin. nunc meritissime Sum. Pontific. Benedict. XIV. in suo aureo tractatu de canonizat. l. 1. c. 42. n. 13. et 14. et Theophil. Raynand. to. 7. ibidem, et præsertim l. 3. c. 19. n. 15. ubi consimilem propositionem Portugalliæ ann. 1619. à tribunali S. Inquisitionis proscriptam tradit; et hæc forsan fuit proximior ratio scrupuli illius. Pro quo vid. etiam Viv. et Carden. in prop. 21. Innoc. XI. Casned. to. 5. d. 12. s. 5. § 3. Portel. v. *Concept.* Neuser, et alios, qui respondent damnationem illam Portugalliæ fuisse non absolute, sed respective, secundum mentem A. loquentis etiam de institutione particulari festivitatis, inconsulto Summo Pontifice. Tenent etiam Vega, Ægid. Lusitan. Losad. Pisan. Franc. Castill. Alva, Granad. et alii.

Sect. II.

Ex parte sustentationis:

III. Poterat fundamentum quidem inesse; 1. Quia in primitiva ecclesia fuit punctum de fide creditum, ac definitum, quod beatissima Virgo Mariæ præservata fuerit ab originali peccato in primo suæ conceptionis instanti, ut patet ex expressa illa definitione concilii unius apostolorum, qua sancitum est, teste S. Thesiphone, S. Jacobi apostoli discipulo, in lib. *Fundamentum ecclesiæ*, apud P. Valasq. et Macedo in *Eva*, et *Ave*, p. 2. c. 15. n. 3. et in decision. de quo etiam Bivar. in commentar. Flav. Dextr. ann. Christ. 308. comment. 1. quod *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ conceptionis, et libera ab omni culpa; et qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam.* Et in alio libro de *Essentia Dei*; idem S. Thesiphon ita ait: *Mariam non tetigit primum peccatum. Nequaquam Angelus Virgini diceret*, Ave, gratia plena! *si in originali peccato fuisset concepta.*

Quod quidem prosequitur ex illo trito simili, quo apostolorum primus in vocatione ad Achaiæ presbyteros uti consueverat, ut testatur Sur. et Jacob. de Voragine, in legend. ipsius Sancti, Bellarm. de script. eccl. sæcul. 10. Nieremb. c. 23. Platell. n. 344. et alii ap. Cavell. in rosar. et habetur in sexta synod. Hierosolymit. can. 32. videlicet,

IV. *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus Adam formatus fuit ex terra virgine, nunquam maledicta.* Vide etiam Cartagen. de arcan. Deipar. p. 1. l. 1. hom. 19. § 5. Villeg. in *Flos Sanctor.* quam etiam auctoritatem tradunt allegâsse D. Dominicum in tr. de *corpore Christi*, adversus Albigenses, de quo etiam Galatin. de arcan. Deipar. l. 7. c. 7. Canis. de Deip. l. 1. c. 7. Vinc. Bellovac. histor. l. 29. c. 96. et alii.

Accedit S. Jacobus Minor, frater Domini nuncupatus, ordinis canonici et apostolici fundator in civitate Hierosolymitana, cujus dignissimus antistes fuit, in qua et præclarum suum martyrium è templo præcipitatus consummavit, qui in suæ missæ liturgia post consecrationem recitari solita, sic aiebat (apud Cavell. cit. et habetur in synodo sexta Hierosolym. can. 32.) *Memento præcipue sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, glorioseque Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ.* Resp. chorus: *Dignum est, ut vere beatam dicamus Deiparam, omnibus modis irreprehensibilem.*

V. Pariformiter, ut scribit Flavius Dext. in chron. ann. Christ. 308. *A Jacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ, et illibatæ conceptionis Dei Genitricis Mariæ:* non conceptionis gratiæ in anima; sed conceptionis animæ in corpore in primo instanti reali illius infusionis, ut declaraverunt S. Pius V. et Gregor. XV. ap. Avendan. contrariam damnantes explicationem, de quo infra; et templum Cæsaraugustanum ab eodem D. Jacobo in obsequium Deiparæ sub hoc titulo *Immaculatæ Conceptionis* erectum fuisse tradunt Luitprand. ann. 667. Serran. l. 2. c. 14. et S. Maxim. in hymn. eidem templo dicato, sic canens:

Suoque natalitio
Conceptionis aureæ
Templo manent encænia . . .
Conceptionis hinc diem
Jacobus Hispanos docet;
Et prædicat, seu cæteri,
Quacunque labe liberam.

Sic etiam D. Marcus Evangelista, ordinis canonici in Alexandria stabilitor, in sua liturgia sic effatur; *Sanctissimæ, immaculatæ, et benedictæ Dominæ nostræ, Dei Genitricis*, apud cit. DD. et ap. Velasques in liturgia ad consecrationem sic canebant: *Hoc est corpus, et hic est sanguis, Domini, et Servatoris nostri Jesu Christi, quod, et quem, assumpsit ex Domina nostra sancta, et immaculata Virgine Maria.* Et inter Syros, atque Alexandrinos, ab eodem D. Marco conversos, imo et inter Æthiopes Abyssinos, festum Immaculatæ Conceptionis die 8. Decembris, à tempore ejusdem Evangelistæ solitum fuisse celebrari, constat ex breviario Syro, et ex calendario Alexandrino 8. Decembris, ex liturgia Abyssina apud Dextr. cit. Velasq. et Tamay ad illum, nov. 17. Ludovic. de Urret. histor. Æthiop. l. 2. c. 13. quod etiam constat ex breviar. et missali Gothico, tempore S. Isidori, et S. Ildefonsi archiepiscopi Toletan. ap. Morill. c. 14. et cit. Tamay novid. 17. et in ecclesia Græca, juxta D. Gregor. Nazianz. à Galatin. relatum, l. 7. c. 4. in ipsis primordiis jam hoc festum solemni cultu celebratur.

Præclaros hos fulgentis lucis splendores haud parum illucescere faciet tenebrosa Mahumetici Alcorani umbra; ubi ait: *Nullus de filiis Adami nascitur, quem non tangat Satan; et ideo plorat vociferans ex ejus tactu; præter Mariam, et filium ejus*, ap. Pet. Galat. 7. de arcan. c. 5.

VI. His, et aliis suffultus fundamentis, reverendissimus P. Fr. Franciscus Vieyra Eremita Augustinianus, facultatis theologiæ vesperarius, et postea primarius moderator, in alma academia Conimbricensi publice tractatum de hoc puriissimo mysterio dictavit, probans, illud jam in primitiva ecclesia de fide sancitum fuisse; nunc vero tale non esse de præsenti; eo quod impræsentiarum, post errorem Pelagii per annos Christi 400 absolute gratiæ necessitatem denegantis,

et conſequenter peccatum originale, cujus illa infallibile, et ſingulare remedium incedebat, excludentis, conſpirantibus omnibus SS. patribus, omnibuſque catholicis DD. adverſus illum, quamplurimiſque conciliis ex illo Pauli Rom. v. *Omnes in Adam peccaverunt*, definientibus explicite, nullam puram creaturam ab Adamo naturali diſſeminatione propagatam immunem fuiſſe à peccati originalis contractione, eſto implicite immaculata Deiparæ in illa generali definitione ex ſeria mente eccleſiæ comprehenſa non foret, juxta illud Eſth. xv. 13. *Non pro te, ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt:* attamen, cum hæc veritas adeo latitans, offuſcata, et tenebris obvoluta remanſerit, inde provenit, quod nunc de fide formaliter, ut definita, non æſtimetur. Ita etiam fere doctiſſ. P. Samanieg. in vita ſubtilis Scoti, l. 1. c. 7. et in ſcientificis notis ad myſt. civit. Dei, not. 11. et ſeqq.

Sect. III.

Quomodo jam nunc ſuſtineri poſſit myſterium hoc eſſe de fide.

VII. In obſequium tamen hujuſce venerabilis myſterii, et mihi præcipua, ac ſpeciali adſtricti cordis mei conſecrata devotione, adorabilis veritatis (pro qua mihi ſæpe jurata, vitam, et ſanguinem gratiſſimo ſacrificio ardenter ac libenter profundere anhelo, æmulor, exopto, atque aſpiro) modo oſtendam, quomodo ſuſtineri poſſit in ſenſu veritatis, jam nunc de fide, ſaltem per concluſionem theologicam ex duplici præmiſſa de fide deductam, hoc myſterium dici, atque æſtimari poſſe; et hoc forſan illius aſſertionis ſecundum fundamentum ineſſe quidem poterat.

Probatur igitur hoc aſſertum: 1. Quia ex duplici præmiſſa de fide, certum eſt, ſequi concluſionem de fide; imo ex una tantum præmiſſa de fide, et altera moraliter certa, ſequi concluſionem de fide, tenent communiter DD. moderni cum Scoto, Platelio, Aureol. Suar. et aliis; ſi concluſio innitatur motivo fidei, et veritas illius credatur, non ut formaliter deducta, ſed ut explicata per præmiſſas, de quo Platel. p. 3. n. 191. Viv. et alii infra cit.

Atqui ex duplici præmiſſa de fide, vel ſaltem ex una de fide, et alia certa moraliter, per rectam concluſionem ſequitur puritas originalis myſterii conceptionis: et probatur; quia de fide eſt, id quod eccleſia catholica celebrat, ut ſanctum, et immaculatum, eſſe ſanctum, et immaculatum; eccleſia namque non poteſt errare in pertinentibus fidei, religioni, ac moribus. Atqui certum, et notorium eſt, eccleſiam celebrare conceptionem Deiparæ, ut ſanctam, et immaculatam: ergo, &c.

Dices eccleſiam celebrare conceptionem gratiæ in animam beatiſſimæ Deiparæ in ſecundo inſtanti, non vero conceptionem animæ in corpus in primo reali ſuæ infuſionis inſtanti. Sed contra, 1, Quia Xyſt. IV. Paul. V. Alex. VII. et Gregor. XV. damnarunt per ſpeciales bullas ap. Avendan. in append. Platel. et alios, hanc explicationem, inſimul declarantes, ac definientes, eccleſiam in illa feſtivitate celebrare non conceptionem gratiæ in animam, ſed animæ in corpus puriſſimum Deiparæ pro primo inſtanti reali, et phyſico illius animationis, quod et Alex. VII. ann. 1662. per ſpecialem conſtitutionem, aut decretum, proſequitur apud Platelium, n. 330. ubi definit, celebrari *feſtum Conceptionis*, hoc eſt, *Sanctificationis animæ B. Virginis Mariæ primo inſtanti ſuæ creationis, atque ſuæ infuſionis in corpus*; non vero Virginis immaculatæ, ſeu ſanctificatæ, poſt primum inſtans, vel abſtrahendo à primo, aut ſecundo inſtanti, ut adverſarii cavillabantur. Pontifex autem in his rebus errare non poteſt.

Contra, 2. Quia eccleſia nedum hanc feſtivitatem permittit, et approbat, ſed illam formali, et generali præcepto præcipit celebrari die 8. Decembr. ut in extravag. *Grave nimis*, Xyſti IV. imo et omnia quomodocunque contraria prohibet, ac vetat; proindeque in damnatione præfata Alex. VII. expungitur penitus clauſula illa, quæ in decretis Pauli V. et Gregor. XV. formaliter non reprobabat contrariam ſententiam; imo aliqui ex hac Alexandrina conſtit. inferunt, nulli licere etiam privatim, et intra clauſtra, amplius loqui contra ſententiam piam, apud cit. Platel. n. 338. Vivam, et alios.

Unde, ſicut pro parte ſuſtentationis præmiſſum validiſſime inſtauratur argumentum; de fide eſt, eſſe ſanctum, et immaculatum, quod eccleſia *(quæ eſt firmamentum, et columna veritatis)* ut tale celebrat: atqui eccleſia celebrat, ut *ſanctam*, et *immaculatam*, conceptionem B. Deiparæ, non conceptionem gratiæ in animam pro ſecundo inſtanti animationis, ſed conceptionem animæ in corpus pro primo reali illius infuſionis inſtanti: ergo de fide eſt, ſanctam et immaculatam fuiſſe conceptionem animæ B. Deiparæ in primo inſtanti reali illius in corpus infuſionis. En! concluſio de fide recte deducta ex duplici præmiſſa de fide; imo, etſi ſecunda præmiſſa, non de fide, ſed moraliter tantum certa incederet, adhuc concluſio de fide eliceretur, ſi niteretur motivo illo fideli, juxta doctrinam modernorum, quam amplectuntur idem Platelius, Viv. Ovied. Rip. Lug. cum Vaſq. quam dicunt etiam eſſe D. Thom. q. 1. a. 1.

VIII. Probatur, 2. Quia de fide eſt omnis veritas in Sacra Pagina implicite contenta, et ab eccleſia explicite expoſita, ac declarata: atqui in Sacra Pagina hæc veritas implicite continetur, textibus infra productis; et ab eccleſia primitiva fuit explicite declarata, imo et definita, juxta auctoritates ſupra inſinuatas: ergo, &c.

IX. Probatur, 3. Quia, ut aliquid de fide credatur, et ut infallibilis veritatis æſtimetur, ſufficit traditio eccleſiæ, juxta illud, *Tenete traditiones, quas didiciſtis*, 2 Theſſal. ii. Traditio namque eſt ſecunda regula fidei inanimata, de quo Platel. p. 3. n. 90. Sic nullo S. Paginæ textu continetur, nullaque formali definitione conciliorum ſancitum reperitur, quod B. Virgo poſt triduum, ſicut Chriſtus Dominus, à mortuis reſurrexit, et in cœlum aſſumpta fuerit, ut bene notant aliqui ap. Duval. Platel. et alios; et tamen ſufficit ſucceſſiva eccleſiæ traditio, ad hoc, ut ejuſdem Deiparæ in cœlum aſſumptio glorioſa de fide credatur, et ut illi ſpecialis feſtivitas dicetur; ita ut, qui eam adhuc de fide eſſe abſolute negaret, ut infidelitatis reus ab eadem eccleſia puniretur: ergo pariformiter, &c.

X. Probatur tandem præcipuum intentum; quia, ut aliqua veritas de fide credatur, vel de fide ſit, ſaltem quoad ſufficientiam, non eſt neceſſe revelatio generalis facta univerſæ eccleſiæ, vel ab ea propoſita, ſed ſufficit revelatio particularis, de quo Platel. p. 3. n. 50. imo revelationes particulares eccleſiæ deſumptæ ſunt ex particularibus revelationibus, ut S. Brigittæ, S. Bernardini ſen. pro feſtivitate Sanctiſſimi Nominis Jesu, et aliorum Sanctorum, pro feſtivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Aſſumptionis B. Virginis, et aliarum, de quo illuſtriſſimus Cornei. in chronic. ſeraphic. l. 3. c. 8. Inſuper ſufficit etiam, quod ſit virtualiter, et mediate revelata, de quo idem Platel. p. 3. n. 204. et n. 18.

XI. Deinde, ut detur verum martyrium, ſufficit, quod quis mortem ſubeat in teſtimonium cujuſlibet veritatis revelatæ; vel quod mortem acceptet ex motivo honeſto, præſertim ſupernaturali. Ita Soar. Granat. qui etiam ait cum communi proloquio; *Martyrium non facit caſus, ſed cauſa. Martyrium* enim idem ſonat atque *teſtimonium*, et *martyr* idem atque *teſtis*; et prout ſic definitur ex D. Thom. 2. 2. q. 124. *Teſtimonium fidei divinæ vel in ſe, vel in opere alicujus virtutis, morte firmatum.* Quare docet etiam cit. Soar. ſufficere ad martyrium, actum voluntatis illud acceptantis elicitum à ſupernaturali fortitudine, vel ab aliqua virtute ſupernaturali, etiam ſine actuali charitatis imperio. Vide Soar. et Platel. de baptiſmo ſanguinis, et eminent. cardin. Lambertin. de canonizat. l. 3. c. 19. à n. 7. ubi ex illo, *Ad reges, et præſides, ducemini propter me*, docet ſufficere ad verum martyrium mori pro veritate fidei ſpeculativa, vel practica.

Cum autem præter traditionem eccleſiæ, et definitiones illas tempore apoſtolorum, dentur plurimæ revelationes particulares hujus myſterii; videlicet, ejuſdem S. Brigittæ, l. 6. c. 55. S. Ildefonſi, B. Amadæi, patriarchæ Aquileiæ, canonici Normandiæ, abbatis Helvini apud Cornei. chronic. ſeraphic. et aliorum apud Velaſq. Salazar. Avendan. Silveir. in opuſc. et alios; idcirco qui in teſtimonium illius veritatis, et pro illius tuitione, vitam poneret, martyrii laureola condecoraretur; præſertim cum hæc veritas jam proxime

xime definibilis incedat, etiam extra Concilium, ut docent Velaſq. Siſilinus, et alii, imo jam implicite definita extat, ut ſuperius eſt oſtenſum.

Confirmatur, 1. Quia, licet in nullo S. Scripturæ textu literaliter contineatur, B. Virginem aſſumptam fuiſſe in cœlum, ſed ex traditione tantum eccleſiæ hoc myſterium conſtet; hæc tamen ſufficeret, ut qui pro illo mortem ſubiret, ut verus martyr haberetur; et qui illud negaret, ut hæreticus damnaretur: ergo ſimiliter. Et, de facto, quod ut verus martyr colendus ſit, qui mortem oppeteret pro myſterio illibatæ conceptionis, tenent Vega, Viv. Carden. Ægid. Luſitan. Piſan. Granad. Portel. Neuſer. Loſſad. Franc. Caſtill. et alii apud cit. Caſned. tom. 4. et 5.

Confirmatur etiam ex conformi doctrina eminent. cardin. Lambertin. de canonization. l. 1. c. 42. n. 15. cum Raynald. to. 7. § 8. et ex D. Bernard. ad can. Lugdun. ep. 174. *Accepi ab eccleſia illum diem cum ſumma veneratione eſſe colendum*, &c. et ſpeciatim, l. 3. c. 19. n. 11. quatenus aſſerit, *morientem pro revelatione privata reſpiciente veritatem, vel myſterium occultum non antea patefactum, eſſe quidem martyrem coram Deo, non vero coram eccleſia:* et licet, n. 14. contrariæ opinioni adhæreat, hanc tamen, n. 12. valde probabilem inculcat cum Rayn. et Gran. ibi: *Verus martyr eſſet, qui mortem ſubiret pro tuenda veritate ſpeculativa immaculatæ conceptionis, qui prudenter eam ſibi certam exiſtimaret*, &c.

Sect. IV.

Objectiones *diluuntur.*

XII. Objicies tamen, 1. Veritas hujus myſterii non continetur literaliter in Sacra Scriptura, quæ eminenter, et implicite, continet omnem veritatem; ergo neque eſt de fide, neque, ut talis, definiri poteſt. Reſp. 1. Contineri literaliter in verbis illis, Luc. i. 28. *Ave, gratia plena! Dominus tecum.* 1. Quia non foret gratia plena, ſi pro aliquo inſtanti gratia careret, aut ea vacua incederet.

2. Quia etiam non foret abſolute gratia plena, ſi non haberet omnem gratiam; videlicet, auxiliantem, ſanctificantem, et præſervantem; et ex ipſamet S. Pagina conſtat, B. Virginem habuiſſe omnem gratiam poſſibilem, tum ſtatui viatorum, tum etiam comprehenſorum ſtatui, competentem, juxta illud Eccli. xxiv. *In me gratia omnis viæ et veritatis*; tam in corpore, quam in anima, ait Tolet. ap. Alap.

3. Quia non determinat, qua gratia plena inceſſerit; ſed indeterminate dicit *gratia plena*, ut omnem gratiam creaturæ viatrici poſſibilem comprehenderet.

4. Pariformiter, quia non determinat etiam tempus habitudinis gratiæ; non enim dicit, *quæ gratia es plena*, vel *fuiſti*, aut *eris*; ſed abſolute *gratia plena*; ut omne tempus præteritum, præſens, ac futurum, pleniſſime, et abſolutiſſime comprehendat. Quare in eodem ſenſu etiam addit abſolute, *Dominus tecum*; tempus hujuſce aſſiſtentiæ non determinans, inquiens, *Dominus tecum eſt, fuit*, aut *erit*; ſed indeterminate loquens, *Dominus tecum*, ut omnem temporis differentiam, omnemque ſtatum animationis Deiparæ abſolute penitus comprehenderet. Quare Aug. in ſermone de nat. B. Mariæ: *Dominus tecum, tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio*, &c.

5. Quia primum illud verbum ſalutativum, non *Salve*, ſed *Ave*, etiam quodammodo literaliter, in propria literarum materiali diſpoſitione nomen *Eva* inverſum ad oculum demonſtrat; quaſi ocularitер Gabriel Angelus in ſalutationis formalitate oſtendens, in *Ave*, Mariam quidem *Evæ* inverſam incedere, ſecundum eccleſiæ ſenſum in hymno, *Ave, maris ſtella!* per illa verba:

Sumens illud Ave Gabrielis ore,
Funda nos in pace, mutans Evæ nomen.

Quod et M. P. Auguſtinus proſequitur: *Auctrix peccati Eva*; *Auctrix meriti Maria*, &c. quam etiam Gabriel Archangelus ibidem gratiæ *inventricem* conclamat, inquiens: *Inveniſti gratiam apud Deum*; quatenus invenit filiis Adæ gratiam, quam in ipſo Protopatre amiſerant, juxta illud; *Inveni drachmam, quam perdideram*; Luc. xv. et ſibi gratiam præſerva-

tivam, quam nulla pura creatura humana antea adinvenerat. Unde D. Bernard. ſup. *Miſſ. eſt*, hom. 3. *Inveniſti*, ait, *quod quærebas. Inveniſti quod nemo ante te potuit invenire.*

Nam quamvis Adamus et Eva creati fuerint in gratia in primo ipſorum animationis inſtanti, non habuerunt gratiam præſervativam gravis peccati perſonalis; Beata vero Virgo præſervativam habuit tum originalis, tum actualis peccati. Similiter angeli, licet in gratia creati, et duæ eorum partes à lethali peccato, et à Luciferinæ caudæ attractione, fuerint præſervatæ, id ex meritis Chriſti prævisis obtinuerunt, et inſimul ex meritis Deiparæ immaculatæ, inſeparabilis Chriſti ſociæ cooperatricis, et corredemptricis, quæ *cum eo erat cuncta componens, et nondum erant abyſſi, et jam concepta erat*, &c. Prov. viii. unde Septuag. et alii vertunt ap. Alap. *Componens, compaginans, conſocians, cooptans, ſive adjungens*, &c.

Reſp. 2. Contineri in illo Gen. iii. *Inimicitias ponam inter te, et mulierem: ipſa conteret caput tuum:* quod juxta expoſitionem Alap. ib. in ſenſu literali, ſive *ad literam*, ſecundum opinionem Pereir. Toſtat. et aliorum, cum D. Ephrem, intelligitur de immunitate originali Deiparæ, juxta regulam de ſenſu literali S. Scripturæ infra inſinuatam. Ubi notandum, non dicere *inimicitiam*, ſingulariter, ſed *inimicitias* pluraliter; eo quod anima inimica fiat Deo primum per peccatum originale, poſtmodum vero per peccatum actuale grave: pariformiter neque dicere *conteret* cor, vel caudam, aut aliam partem corporis, ſed expreſſe, ac determinate, *caput*, quia caput, ſive *principium* introductionis Luciferini veneni in animas, eſt peccatum originale. Unde Beatiſſima Virgo in ſua immaculata conceptione contrivit caput Luciferini ſerpentis, ne in ejus ſanctiſſimam animam primam inimicitiam peccati originalis introduceret; neque conſequenter ſecundam peccati actualis inimicitiam.

Proindeque addidit, *Et tu inſidiaberis calcaneo ejus*; non pectori, aut ori, aut capiti, aut alicui ejus parti anteriori; ſed infimæ, et poſteriori, et infimo poſterioris partis articulo, nempe calcaneo, quaſi à tergo tantum, à longe, et poſterius in infimæ tantum, et exterioris partis particulam inſidias præmeditans; quin etiam ad ejuſdem Deiparæ calcaneum proxime accederet, ſed remote, et à longe dumtaxat inſidiari affectans, quaſi debitum remotum, et non proximum, per hoc etiam inſinuans. Nam per ſingularem gratiam præſervativam, *Immaculata hæc columba, una, ſpecioſa, tota pulchra*, dum *omnes alii in retiaculo* dæmonis *caderent peccatores*; *ſingulariter* ipſa fuerit donec inoffenſa *tranſierit*. Et ideo ſerpens eam à tergo calcaneo inſidiatura impetiit; nam *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*, Prov. i. 17.

Reſp. 3. Contineri etiam literaliter illo Cant. iv. 7. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non eſt in te*; quæ particula *tota* ad omne tempus, omnemque ſtatum, extenditur. Nam in eodem ſenſu, quo ſponſa dicit Sponſo; *Ecce, tu pulcher es, dilecte mi, et decorus*, Cant. i. dicit reciproce ipſi Sponſus ib. *Ecce, tu pulchra es, amica mea; ecce, tu pulchra es*; bis pulchra, tum quoad naturam, tum quoad gratiam; tum quoad ſtatum actualem, tum quoad habitualem, perſonalem, et originalem. Atqui ex eo, quod ſponſa dicit Sponſo, quod abſolute pulcher ſit, intelligitur pulcher, et ſine macula, in omni ſenſu, et in omni ſtatu, in quo *ſpecioſus eſt præ cunctis filiis hominum*: ergo, à fortiori, ex eo, quod Sponſus ſponſæ dicat expreſſius, et iterato, quod ſit *tota pulchra*, intelligetur totaliter, et abſolute in omni ſenſu, et per omnem ſtatum, ac tempus.

Neque dicas, illa verba pertinere magis ad ſenſum myſticum, quam ad literalem; literaliter enim ſupponunt pro regina filia Pharaonis, Salomonis ſponſa; allegorice vero pro Chriſto, et B. Virgine, ut tenet Alap. in prolegom. Reſp. namque, 1. Verba illa, in hoc etiam ſecundo ſenſu uſurpata, pertinere realiter, et proprie, ad ſenſum literalem, realem, et formalem: 1. Quia, ut ait id. Alap. in prolog. 3. *Sicut in parabolis, metaphoris, et allegoriis, ſic in hoc cantico, duplicem quaſi eſſe ſenſum literalem, unum grammaticalem, quem præ ſe fert ipſe cortex, ipſaque ſuperficies literæ, puta verba; alterum realem, et profundum,*

dum, qui eſt de rebus per verba metaphorica ſignificatis; ut in Apoc. Vicit Leo de tribu Juda, &c. Et ſenſus ipſe realis poteſt adhuc ſubdividi in materialem, et formalem, ut ex terminis liquet.

Reſp. 2. Librum hunc eſſe prophetiam, ut docet id. Alap. In prophetiis autem, *typus*, et *antitypus*, id eſt, *figura*, et *figuratum*, pertinent ad eundem ſenſum literalem; unde Alap. in Iſai. can. 5. *Prophetæ in ſenſu literali complectuntur et rem, quam verba proprie ſignificant, et ſimul allegoriam, quam res illa repræſentat: tuncque duplex eſt ſenſus literalis, prior quaſi hiſtoricus, poſterior quaſi propheticus*, &c. Unde prior ſenſus vocabitur literalis materialis; ſecundus vero literalis formalis, et præcipue intentatus à propheta, et à Spiritu Sancto. Eundem autem textum poſſe continere multiplicem ſenſum literalem, communis doctrina eſt cum D. Tho. de potentia, q. 4. ſenſus namque literalis definitur à Salmeyr. *Ille, quem Spiritus S. per propriam verborum ſignificationem, vel per tropos, et tranſlationes, primum ſignificare voluit.* De quo fuſius in meo tr. theologico *de republica dæmonum.*

Reſp. 3. Omiſſa opinione aliquorum ſuſtinentium in allegoriis, figuris, et ſymbolis, ſenſum literalem quidem eſſe, qui præcipue, et principaliter, intenditur à Spiritu Sancto; ut veritas de fide credatur, et ab eccleſia definibilis ſit, non eſt eſſentialiter neceſſarium, ut contineatur in ſenſu literali Scripturæ, ſed ſufficere, ut contineatur in ſenſu myſtico, ut patet ex illo Gen. i. *Creavit Deus cœlum, et terram . . . Fiat lux . . . et diviſit lucem à tenebris.* Quod omnes, cum D. P. Auguſtino de creatione, et ſeparatione Angelorum, ſaltem myſtice, et implicite, intelligunt.

Imo ſufficit eccleſiæ traditio, ut conſtat de aſſumptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ in cœlum. Et ad terminandum aſſenſum fidei privatum, ſufficit revelatio privata, qua credens et ſciat, et certus ſit, Deum per eam ſibi loqui, de quo Platelli, et nos ſuperius.

Pro quo vide etiam dicta ſupra, c. 15. n. 119. et P. Viva de fide, q. 4. ubi docet cum Vaſq. Ovied. Lug. Ripald. et D. Tho. q. 1. a. 1. et aliis recentioribus, fidem poſſe eſſe formaliter diſcurſivam, dummodo aſſenſus, ſive concluſio, nitatur motivo fidei.

Et ad præmiſſa conformiter poſſunt alii textus literaliter quidem, vel ſaltem mixte, huic myſterio adaptati, fideliter credi, atque aſſentiri; videlicet, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: Cant. viii. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Ubi de ſuſcitatione, ſive de præſervatione Deiparæ ſub umbra crucis ex meritis Chriſti loqui, ſentiunt plures ap. Hug. Alap. cum alluſione ad arborem ſcientiæ, ſub qua *mater* virginis natura, et *genitrix* Eva, per peccatum lapſæ, corruptæ, et violatæ fuerunt: nam *ipſe lignum tunc notavit*, &c. Vid. Hug. Necnon *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*; Prov. viii. Ergo neque pro primo inſtanti poſſeſſa fuit à dæmone, quæ à Domino poſſeſſa prædicatur à principio.

XIII. Objicies, 2. Contra hanc explicationem, et contra præcipuum aſſertum: Præmiſſi, et reliqui ſimiles textus etiam in ſenſu literali, vel myſtico, intelliguntur de eccleſia, vel de anima ſancta; et tamen nequeunt intelligi, reſpectu iſtarum, de immunitate, et præſervatione peccati originalis: ergo neque reſpectu etiam Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Reſpond. 1. Ex generali regula ex D. Thoma in op. de potentia, q. 4. et ex D. P. Auguſtin. l. 12. confeſſ. c. 31. *Omnis veritas, quæ, ſalva literæ circumſtantia, S. Scripturæ adaptari poteſt, eſt ejus ſenſus.* Quod tamen intelligendum eſt cum illa limitatione, dummodo ipſimet S. Scripturæ, ſanctorumque PP. auctoritatibus non contradicat, juxta aliam regulam ex D. Gregor. in regeſt. derivatam: *In intellectu S. Scripturæ reſpui non debet quicquid ſanæ fidei non reſiſtit.* Cum autem reſiſtat ſanæ fidei veritati, *in quo omnes peccaverunt*, Rom. iii. 23. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*; aſſerere, quod quælibet anima, vel tota eccleſia, immunis fuerit à peccato originali, præter animam ſanctiſſimam Chriſti, et beatiſſimam ejuſdem Genitricis; ideo de his ſolis, non autem de illis, veritas illorum textuum literaliter, vel myſtice intelligenda eſt.

Reſp. 2. Quod ſicut de eadem eccleſia vere, et fideliter dicitur, quod ſit *una, ſancta, immaculata, tota pulchra, abſque ruga*, Cant. iv. et Epheſ. v. 27. unitate, ſanctitate, puritate, et illibata pulchritudine tum fidei, tum doctrinæ, tum capitis, qui eſt Chriſtus, et præcipui, myſtici Chriſti corporis, membri, nempe Beatiſſimæ Virginis, quæ ejuſdem Chriſti reali corpori ex proprio ſanguine puriſſimam materiam miniſtravit, illumque realiter genuit; et quatenus mediatrix fuit, et eſt, inter Deum, et homines; eſt veluti collum hujuſce myſtici corporis Chriſti, capiti immediatum, et reliquis membris ſuperius, quo mediante membra ipſa cum ſupremo ſuo capite conjunguntur, ut explicat Hug. Ezech. xvi. tum denique unitate, ſanctitate, et immaculata puritate finis, ac termini, necnon tendentiæ ad illum, juxta Chriſti effatum; *Porro unum eſt neceſſarium*, Luc. x. *Sint unum, ſicut et nos*, Joann. xvii. per ſancta, et immaculata ſacramenta, &c. quæ quidem de reliquis membris ſingillatim, præter præmiſſa duo, realiter non verificantur: ita pariformiter, &c.

Conſimiliter in allegoria Apoc. xii. ſuppoſito, quod ſenſus à Spiritu S. principaliter intentatus, et literaliter quidem ſecundum præmiſſa, ſit *ſignum* illud *magnum* de Beata Virgine accipere, quæ duplici ala gratiæ, et gloriæ, ſive duplici gratia præſervante, et ſanctificante, *fugit* ſola *in ſolitudinem*, et *volans in deſertum locum*, in quem nullus alius volavit, vitavit *aquam* culpæ, *quam ſerpens ex ore ſuo miſit*, non ante, ſed poſt mulierem, quin ad eam perveniret, *ut eam trahi faceret à flumine*, ſicut traxerat *reliquos de ſemine ejus* (præter Chriſtum filium ejus, qui præſentanee, vel prævente, *raptus eſt etiam ad Deum*, et ad thronum ejus gratiæ, et gloriæ) cum quibus *abiit facere bellum* (non cum muliere illa, et illius filio ſervatis, ac præſervatis) quoad efficaciam; quamvis enim *draco perſecutus eſt mulierem* quoad conatum dumtaxat *iræ magnæ*, ulterius minime progreſſus eſt, niſi, vel à longe *calcaneo ejus inſidians*, vel *poſt eam* aquam furibundæ iracundiæ ex ore evomens; dilucide, et clare, myſterium hoc comprobatur.

XIV. Conſtet ergo, quomodo via regia aperiatur ad ſuſtinendum illibatæ conceptionis myſterium jam de fide eſſe, ſaltem implicite; et quomodo pro illius defenſione vitam et ſanguinem fundens, ut verus martyr, laureolæ martyrii dignus condecoramine prædicetur: et quomodo proxime definibile myſterium iſtud incedat, non obſtantibus aliquorum SS. PP. aliquibus ex adverſo auctoritatibus objectis, quæ benigne de debito proximo, vel remoto, explicandæ ſunt, ſicut traditur D. Thomam cuidam epiſcopo, *Fauſtino* nuncupato, apparentem dixiſſe, 3. p. *Scito, domine epiſcope, quod quando talem opinionem poſui, ſolum habui rationem ad illum ſtatum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, niſi per Filium fuiſſet præſervata; ſed Dei Filius Matrem ſuam ab originali macula præſervavit.* Ubi vides loqui de debito proximo. Vide dicta c. 15. n. 9. et ſeqq.

Et quamvis pro ſenſu, et opinione ejuſdem D. Angelici adducatur formalis ipſius auctoritas, ſic in 1. ſententia, d. 44. a. 3. ad 3. aſſerens; *Poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius poteſt eſſe in rebus creatis; puta, ſi nulla peccati contagione inquinatum ſit. Et talis fuit puritas B. Mariæ, quæ à peccato originali, et actuali, immunis fuit; ſub Deo tamen, in quantum erat in potentia ad peccandum.* Ubi debitum tantum remotum, aut proximum agnoſcit; quod quidem ſufficit ad hoc, ut verificetur indiguiſſe gratia Dei, ſive redemptione per Chriſtum, ad Rom. iii. 23. et 24. attamen in ſenſu veritatis legitur in vita Vener. fratris Dominici à Jesu Maria Ruzola, Carmelitæ diſcalceati, quod jam ſuperius, c. 15. n. 9. relatum manet; videlicet, ipſum D. Thomam in pervigilio feſtivitatis Conceptionis ſibi noctu apparentem teſtatum fuiſſe, ſe in vita opinionem minus piam profecutum fuiſſe, eo quod tunc temporis erat communior; ipſum autem ſolitum ſemper fuiſſe communiores opiniones, quamvis minus pias, minuſque probabiles, ſectari; nunc vero contrarium in verbo vidiſſe, ac intellexiſſe, quod *Omnipotens Deus* (verba

etiam

etiam ſunt eccleſiæ in oratione commemorationis Deiparæ in divino officio) *glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, et animam, ut Filii ſui habitaculum dignum effici mereretur, Spiritu S. cooperante, præparavit*; proindeque originalis maculæ eam prorſus immunem effecit. Vide reliquas auctoritates cit. c. 15. n. 10. et ſeqq.

Ex quibus clare deducitur, quod cum tempore D. Thomæ duplex circumferretur opinio; videlicet, minus pia, quam D. Thomas poſitive ſecutus fuerat, eo quod communior tunc incederet; et pia minus communis, quam, ob hanc rationem, non ex minori probabilitate poſitive non fuerat amplexatus, attamen, cum reipſa probabilis foret, et forſan in angelicæ Angelici Doctoris intelligentiæ trutina ponderoſior, atque probabilior, eſto minus communis; idcirco ſecundum eam etiam aliquoties loquebatur, et juxta illam protulit ſententias, atque auctoritates pro eadem deſcriptas, atque allatas.

Et quia hæc potius devotionis, quam neceſſitudinis ergo dicta ſunt, alia ſuperaddemus ad hujuſce illibati myſterii devotionem, amoremque erga intaminatam Deiparam augendum, ac confovendum, oſtendentes modum, viamque aperientes, qua in ſenſu aliquo veritatis poſſit demonſtrari nedum immunitas Beatiſſimæ Deiparæ à peccati originalis labe de facto, verum et de poſſibili; ita ut in hoc rerum ordine, et in hac decretorum ſerie, quæ de facto intervenit, impoſſibile foret phyſice, vel ſaltem moraliter, quod intaminata Deipara originalem maculam reapſe contraheret. Pro quo——

Sect. V.

Præmittitur ſeries decretorum de facto ad demonſtrandam implicantiam contractionis originalis maculæ in Beatiſſima Deipara, etiam de poſſibili.

XV. Prælaudatus ſapientiſſimus P. Sebaſtianus Riberius, in quibuſdam ſuis theſibus publicis, Nicæno ſymbolo fundatis, et anno 1705. prælo datis, et publice Ulyſſipone ſuſtentatis, cui actioni et ipſe interfui, ex articulo, *qui propter nos homines, et propter noſtram ſalutem*, &c. ſequentem eruebat concluſionem theologicam; videlicet——

Hoc nimirum fuit incarnationis motivum, eo modo conſideratæ, videlicet, in carne paſſibili, et mortali, quo de facto peracta fuit, et ab æterno decreta poſt præviſum abſolute Adæ peccatum, antequam ullus poſterorum Adæ, Virgine Maria excepta, videretur abſolute futurus. Et ſi vero in peccati remedium, et ex intentione ſalutis noſtræ, præfinitus ſit Chriſtus, non tantum quoad paſſibilitatis circumſtantiam, verum et quoad ipſam incarnationis ſubſtantiam iis circumſtantiis veſtitam; attamen non propter nos homines, ſed propter ipſius myſterii excellentiam prius quoad noſtrum concipiendi modum præfinitus fuit, quoad ſubſtantiam in carne venturus ex vi hujuſce decreti, etiamſi Adamus non peccaret. Unde, claritatis gratia, ſex rationis ſigna in divinis decretis diſtinguimus: in primo, ante omnem creaturam prædeſtinatus eſt Chriſtus quoad ſubſtantiam in ætate adulta, exiſtens dependenter à ſolo Deo, et in hoc ſigno angelorum, et Beatæ Virginis, ut mater ejus eſſet, ſi in infantili naſceretur ætate, prædeſtinationem promeruit. In ſecundo, prædeſtinatus eſt Chriſtus, ut Virginis Filius in ætate infantili ex ea naſciturus. In tertio, prædeſtinata eſt Adami creatio, et in hoc ſigno initum eſt pactum cum Adamo de tranſfuſione juſtitiæ, vel peccati originalis, Virgine Maria excepta, ſi communi modo generanda eſſet, et caſu, quo Chriſtus pro ipſa ſpecialiter orâſſet. In quarto, præviſum eſt abſolute Adami peccatum. In quinto, decretus eſt Chriſtus paſſibilis in adulta ætate à ſolo Deo dependens, in remedium peccati; in quo ſigno promeruit Virgini exiſtentiam in ætate infantili paſſibili ex Anna naſcituræ; Deumque pro illa oravit, ne peccatum originale incurreret. In ſexto, denique, decretus eſt Chriſtus paſſibilis naſciturus ex Virgine. Juxta quem decretorum ordinem, non humani tantum generis, ſed Beatæ Virginis redemptio, quin peccatum originale contraxerit, facile intelligitur. Cum audis, Deſcendit de cœlis, *cave Filio Dei ubique præſenti localem motum attribuas, vel cum Valentino hæretico intelligas jam materia aliqua cœleſti indutum deſcendiſſe: per id enim tantum Divini Verbi miſſio viſibilis denotatur in ratione proceſſionis fundata, junctо ſigno, ſeu operatione externa incarnationis, ad quam metaphorice tantum importat deſcenſum.*

Hunc ordinem, ſeriemque divinorum decretorum aliqualiter diverſam ponit V. Mater Maria à Jesu Agredana in ſua mirabili *myſtica Dei civitate*, p. 1. c. 4. et ſeqq. et doctiſſimus P. Samaniego in notis ad ipſam, præſertim in nota 10. et ſeqq. pro baſi ſtatuentes myſterium incarnationis primum decretum fuiſſe quoad ſubſtantiam propter ipſius myſterii excellentiam, ante Adami peccati abſolutam præviſionem; quo præviſo fuiſſe, ſecundo, etiam quoad ſubſtantiam deſtinatam per diverſum decretum *propter noſtram ſalutem*, et in ipſius peccati remedium; in quo, ut ex terminis dignoſcitur, Venerabilis Scriptoriſſa potius doctrinam Doctoris Eximii, videlicet M. Soar. Granat. quam Subtilis Scoti incarnationem, quoad circumſtantiam tantum paſſibilitatis poſt Adami peccati præviſionem decretam ſtatuentis, proſequitur, ut bene notat cit. Samanieg.

Hanc duplicis iſtius decreti quoad ſubſtantiam diſtinctionem, ſatis inſinuat præfati Nicæni ſymboli articulus; *Propter nos homines, et propter noſtram ſalutem:* quam quidem probationem abſolute efficacem appellat magn. Vieyr. tom. 4. concion. 10. Et conjunctio illa *et*, quæ eſt diſtinctorum unitiva ex l. *Siquis ita*, ff. de verb. oblig. et alii ap. Barb. dict. 90. Menoch. conſ. 497. Anton. Monach. &c. ſatis importat utriuſque decreti diſtinctionem quoad ſubſtantiam: quam etiam ſat aperte innuit Luc. i. *Viſitavit, et fecit redemptionem plebis ſuæ:* et Pſ. lxxxvi. *Homo, et homo natus eſt in ea:* quod D. P. Aug. Lyran. et alii in ſenſu literali explicant de Chriſto, qui bis natus eſt homo in eccleſia, ſive in B. Virgine. Atqui non eſt natus bis homo realiter: ergo bis homo prædefinitive: ergo Chriſtus bis prædefinitus eſt homo. 1. Ob excellentiam myſterii; 2. In remedium peccati. Conſonat ad Hebr. ii. *Decebat enim eum, propter quem* (jam præexiſtentem, et abſolute decretum ob excellentiam myſterii) *omnia* (condita, ac decreta erant) *qui multos filios in gloriam adduxerat* (ex vi primi decreti) *auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*, ex vi ſecundi decreti quoad ſubſtantiam, poſt peccati abſolutam præviſionem. Et Joan. xvii. *Clarifica, me Pater, claritate, quam habui* (in carne impaſſibili, et glorioſa) *priuſquam mundus fieret*, quam nunc in mundo non habeo, ex vi ſecundi decreti, me in carne paſſibili mittentis ad mundi ſalutem. Et Hebr. i. 6. *Cum iterum* (ex ſecundo decreto) *introduxit Primogenitum in orbem terræ, dixit, Et adorent eum omnes Angeli ejus*, ut Redemptorem, quem prius, ut Glorificatorem, jam adoraverant ex vi primi decreti.

Igitur, inſtantia, ſigna, et ſeriem divinorum decretorum ſic Venerabilis M. Agreda texit: in primo inſtanti, poſt communicationem, et productiones ad intra, ſeſe Deus ipſe, ut ſummum bonum (quod eſt *diffuſivum ſui*, ſive communicativum) cognovit ſe, ut ſumme communicabile creaturis, nedum extrinſece per amorem, et fidem, et per viſionem beatam; ſed et intrinſece per unionem hypoſtaticam; per quam ſicut foret principium phyſicum illarum per productionem; ita foret et illarum finis phyſicus per unionem; et ita verificaretur de ipſo, quod, nedum moraliter, atque intentionaliter, verum et phyſice, foret *Alpha, et Omega, Principium, et Finis*, omnium creaturarum; ſimul penetrans indecentiam omnes in individuo copulandi ſibi, non ſic vero in ſpecie.

In ſecundo inſtanti cognovit poſſibilitatem hanc intrinſecæ communicationis phyſicæ per unionem hypoſtaticam creaturis rationalibus, tam angelicis, quam humanis dabilem; et inſimul vidit, ſeu cognovit majorem illius congruentiæ, in ordine ad præcipuum finem intentum, tam pro hominibus, quam pro angelis; tum quia in angelis adæquate ſpiritualibus, ſolum gradum ſpiritus aſſumeret; in hominibus vero, ut materialibus, et ſpiritualibus, omnes gradus creaturarum omnium aſſumeret, ſiquidem *omnis creatura eſt homo*; et in anima aſſumeret, et ſibi uniret gradum ſpiritus, et in illo naturam angelicam ſpiritualem; in corpore vero gradum omnium creaturarum materialium, ſenſibilium, irrationabilium, et vegetabilium, omnia elementa in quatuor corporeis humoribus, &c.

Et hæc fuit una ex cauſis, quod *nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, ut ait Ap. Hebr. ii. 16.

In tertio inſtanti decrevit ordinem, et ſubſtantiam hujuſce intrinſecæ communicationis per hypoſtaticam unionem ſecundæ Divinæ Perſonæ cum unico naturæ humanæ individuo puriſſimo, ac perfectiſſimo, *in quo habitaret omnis Divinitatis plenitudo corporaliter*, cum quo *delicias ſuas* haberet, et medio illo *cum reliquis filiis hominum*. Et in hocmet inſtanti decreta eſt humanitas Verbi, omnibus poſſibilibus gratiis circumventa, ac diffuſe referta, vi quarum, tam anima, quam corpore, *ſpecioſus forma præ filiis hominem* incederet, quorum quidem ſupremum Caput, ſupremuſque *Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, et excelſior cœlis factus* evaderet; quique Deo immediatior, et intrinſece unitus per unionem hypoſtaticam, nunquam demiſſurus, quod ſemel aſſumeret, ſemper extaret; et qui omnium divinorum operum ad extra complementum quidem foret, et gloriam Dei, univerſique pulchritudinem nimium adaugeret, dum ſicut unus Deus pure ſpiritualis, triplici ſubſiſtentia in una natura ſubſiſtens, triaque divina ſuppoſita in unitate eſſentiæ conſtituens dabatur; ita unum daretur ſuppoſitum, ſimul divinum, et humanum, una ſubſiſtentia, et duplici natura humana, et divina, coaleſcens incederet: et ſicut in rerum natura dabantur creaturæ pure ſpirituales, ut angeli, et aliæ adæquate materiales, ut bruta; aliæ vero mixtæ ex corpore, et ſpiritu, ut homines; ita daretur una creatura divina, unuſque Deus æternus, factus in tempore creatura, qui quidem homo Deus, ſupremum Caput utriuſque reipublicæ angelicæ, et humanæ, et utriuſque eccleſiæ triumphantis, ac militantis, poſtmodum incederet; *et in ipſo beatificaretur, ac reficeretur, uterque hominis ſenſus*; videlicet, *oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate*, juxta doctrinam D. P. Auguſt. infra tranſcriptam.

In quarto inſtanti decreta, ac prædeſtinata fuit Beatiſſima Deipara, humanitati Verbi condigniſſima Genitrix, ac Mater, *ex ore Altiſſimi prodiens, primogenita ante omnem creaturam*, quæ puriſſimam, et immaculatam materiam ſanctiſſimo corpori Chriſti efformando miniſtraret, et illibato *ubere de cœlo pleno*, illud in lucem jam editum *ſola lactaret*; proindeque omnibus poſſibilibus gratiis, quas pura creatura capere poterat, circumventa, vi quarum per omne tempus, et pro omni ſuæ realis exiſtentiæ ſtatu, abſolute *gratia plena* foret, ac proclamaretur, pro quo ſemper, et pro ſemper, *Dominus cum illa* foret, et *quam Dominus etiam in initio viarum ſuarum poſſideret, antequam quicquam faceret à principio: cujus civitatis* ſanctæ *fundamenta in montibus ſanctis*, et ſuper omnes altiores ſanctitatis colles, Deus ipſe jecit, ut *fluminis* omnium gratiarum *impetus* hanc ſanctam *civitatem lætificaret*, quam *in ſui dignum tabernaculum ſanctificaret Altiſſimus*: et quemadmodum Chriſtus per naturam, anima, et corpore, *ſanctus, innocens, impollutus, et ſegregatus à peccatoribus* omnino incedebat; ita Maria ejus genitrix puriſſima, quæ *Deum, et hominem progignere meretur*, proportionaliter *ſancta, innocens, impolluta, et à peccatoribus*, omnique peccato, prorſus *ſegregata* per gratiam incederet; ex meritis Chriſti habens proportionaliter donatum per gratiam, quicquid ipſe ex vi unionis hypoſtaticæ collatum retinebat de juſtitia.

In hoc etiam inſtanti pro tertio ejus ſigno ponit Venerabilis M. Agreda decretum de cœlo et terra creandis ob amorem Chriſti, et Mariæ, et pro congruo eorundem habitationis loco; et prout ſic, etiam in hoc ſenſu bene intelligitur, quomodo Chriſtus, et ejus Sanctiſſima Mater, dicatur *excelſior cœlis* factus; et uterque de ſeipſo vere affirmet, Prov. viii. *Nondum erant abyſſi, et ego jam concepta eram . . . quando præparabat cœlos, aderam . . . . cum eo eram cuncta componens*, &c. Et, ecce! ad oculum quaſi vides, pie lector, quod, cum jam pro hoc inſtanti ante abſolutam præviſionem, ac decretum angelorum, et hominum, et ante præviſionem peccati Luciferi, et Adami, Beatiſſima Deipara prævenita, et circumventa erat omni gratia poſſibili, etiam *præſervativa*, impoſſibilis reddebatur, ex ſuppoſitione, contractio peccati Adami, ſeu maculæ originalis, reſpectu illius, quippe quæ ex gratia maternitatis, et aliis conſequentibus, et expreſſe ex ipſa gratia præſervationis, immunitatis, ac exemptionis, proxime ſecluſa manebat ab inclusione in pacto cum Adamo, ut capite totius generis humani, inito, et excluſa à lege ejuſdem poſteris directa, cui quidem meliori Eſther divinus Aſſuerus congruentius tunc diceret; *Non pro te, ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt*.

In quinto igitur inſtanti (juxta ſeriem ejuſdem Venerabilis Scriptoriſſæ) decreta eſt creatio naturæ angelicæ, adæquate ſpiritualis, in tres hierarchias diſtinctæ, et quælibet hierarchia in triplicem chorum diſtributa, ad expreſſam imaginem Trinitatis Perſonarum in una eſſentia Divina; qui quidem ſpiritualia membra forent humanitatis Chriſti deificatæ, quam ut caput colerat, et ut exiſtentiæ, et gratiarum eorum auctorem agnoſcerent, ac venerarentur, necnon et Sanctiſſimam ejus Matrem, omnium angelorum reginam, ac ſupremam imperatricem, omniumque ſimul, et collective, gratiis ſupereminentem. Et pro poſteriori ſigno hujus inſtantis vidit Deus *diviſionem lucis à tenebris*, ſive ſeparationem malorum, invidiæ peccato prævio, à bonis angelis; appellavitque *lucem* bonorum *diem*, per prædeſtinationem ad gloriam, et *tenebras* malorum *noctem*, per reprobationem, atque adjudicationem ad pœnam.

In ſexto denique inſtanti decrevit Deus creationem humanæ naturæ mixtæ ex corpore, et ſpiritu, ad exemplar D. Verbi humanati, quæ quidem imaginem gereret ejuſdem Trinitatis in una anima cum triplici potentia realiter diſtincta, et in uno compoſito, ſeu ſuppoſito, ex triplici ſubſtantia, materia, forma, et ſubſiſtentia conflato; et deſignati ſunt inſimul Adam, et Eva, in protoparentes totius generis humani, in gratia creati ex meritis Chriſti, cujus quidem capitis omnes homines *paulo minus ab angelis* membra etiam incederent, ejuſdem poſtmodum gloriæ, ſi in juſtitia permanerent, participes effecturi: prævisaque in eodem inſtanti Adami ruina, et omnium ejuſdem poſterorum in ipſo, unica ejus Sanctiſſima Matre ſingulariter excepta, utpote quæ jam antecedenter, et remote quidem præſervata, et omni poſſibili gratia præventa erat, neque in Adami pacto, aut in ipſius poſterorum, quoad hoc, collectione incluſa, decretum eſt ſecundo abſolute, et quoad ſubſtantiam, novo decreto totali, incarnatio in remedium peccati, ut qui *propter nos homines*, ut Glorificator ex vi primi decreti, quoad ſubſtantiam, *de cœlo deſcenderet*; poſtmodum *propter noſtram ſalutem*, ut Redemptor, ex vi ſecundi decreti, quoad ſubſtantiam, *homo fieret* in carne paſſibili ex *Maria Virgine immaculata*, in qua *paſſus et mortuus eſt*, ut nos vivificaret, &c.

Hic deſinit ordo, et ſeries, decretorum à Ven. Maria Agredana inſinuatorum. Et ad ultimum ultimi inſtantis ſignum videtur etiam reducenda creatio omnium illarum rerum materialium, quæ propter homines creatæ ſunt, ut deducitur ex ſeq. c. 5. et ſeqq. ejuſd. myſtic. civit. Dei; et c. 6. ex divino oraculo tradit, et præfert ſententiam tenentem incarnationem primo decretam ob excellentiam myſterii, et poſtea, ſecundo, deſtinatam in remedium peccati poſt iſtius abſolutam prævisionem per ſecundum decretum totale, quoad ſubſtantiam; ita ut, ſecundo iſto motivo deficiente, ſemper daretur Divini Verbi incarnatio, ex vi primi motivi, ac decreti, quæ eſt ſententia M. Soar. Granat.

Sect. VI.

Præfertur omnibus ſententia Doctoris Eximii, ut in ſe probabilior, et expeditior ad immunitatem illibatæ conceptionis Deiparæ explicandam, atque ad impoſſibilitatem originalis maculæ contractionis inducendam.

XVI. Cum hæc ſententia baſis ſit illius immunitatis, et conſequentis pertenſæ impoſſibilitatis, ab illius probationibus, tum auctoritatis, tum rationis, et congruentiis, exordium nobis deſumendum eſt. Et præter præjactas auctoritates, § 4. nunc efficaciores ſelegemus.

Probatur igitur, 1. Auctoritate Eccli. i. 4. *Prior omnium creata eſt ſapientia . . . ipſe creavit illam in Spiritu*

Spiritu Sancto. Ubi verbum *creata* excludit generationem æternam D. verbi, non per *creationem*, quæ creaturis temporaneis competit, sed per emanationem divinam, et æternam. Verba autem S. Scripturæ, juxta communem regulam, ex D. P. Augustino desumptam, *in suo proprio, et rigoroso sensu sumi debent, quoties aliud non obest in contrarium.* Deinde ultimæ particulæ, *Creavit illam in Spiritu Sancto*, evidenter demonstrant, loqui de sapientia incarnata, sive de creatione temporali humanitatis Christi Domini, virtute Spiritus Sancti in ventre virginali Deiparæ efformatæ. Et distinctio, ac separatio ultimæ clausulæ à prima, necnon alia consequens ibidem v. 9. *Et vidit, et numeravit, et mensus est. Et fudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum*, &c. satis insinuat distinctionem, ac diversitatem decretorum.

Prob. 2. ex Eccli. xxiv. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam . . . Ab initio, et ante sæcula, creata sum; et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, &c. Ubi aperte loquitur de requie sapientiæ humanatæ in purissimo ventre Deiparæ, quod et ex verbis *creavit, creaturam*, et *creata*, confirmatur, et ex nomine *Primogenita:* nam, secundum regulam deductam ex Conciliis Sardicense, et Ephesino, ex Hieron. Epiphan. Anselm. et Chrysosth. *Christus secundum divinitatem dicitur Unigenitus; secundum vero humanitatem dicitur Primogenitus omnis creaturæ.*

Prob. 3. Ex aliis quamplurimis locis, signanter ex 1 Cor. i. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Nota illud *factus est*, et *redemptio*, post *justitia*, et *sanctificatio.* Similiter illud Coloss. i. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa*; ex primo decreto, *qui est principium, Primogenitus ex mortuis*; ex secundo decreto, post prævisionem mortis peccati. Mitto alia.

XVII. Ex patribus probatur: 1. Ex M. P. Aug. in man. c. 5. *Deus propter hoc factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur; oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate; et sive egrediens, sive ingrediens, in ipso pascua inveniret humana natura condita ab ipso.* Ergo beatificatio tum animæ, tum corporis, fuit duplex finis, ac motivum incarnationis Dominici Verbi: atqui, si non intercederet Adæ peccatum, Deus absolute non fieret homo, et careret corpus sua beatitudine essentiali, quæ consistit in visione hominis Dei, sicut beatitudo essentialis animæ in visione entitatis spiritualis divinæ; ut constat ex Joann. xvii. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum:* ergo. Consimilem rationem adducit D. Cypr. 1. de cardin. Christi operib. c. de nativit. Christi.

2. Ex alia ejusdem D. Parentis auctoritate, de civit. Dei, l. 14. *Absurdum est dicere, Adamo non peccante, generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, ut nascerentur, peccatum fuisse necessarium.* Ex quo infert Rupertus: *Ergo idem dicendum de isto Rege angelorum, et hominum, quod, scilicet, necessarium non habuerit peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus.*

Unde quando D. Parens ait (super Genes.) *Nulla alia causa veniendi, nisi peccatores salvos facere*; loquitur de adventu, ut medicus, ex vi secundi decreti ad vulnera naturæ lapsæ curanda; quod ex contextu immediate sequenti comprobatur: *Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit causa medicinæ:* et Concil. Trid. sess. 6. c. 21. de justific. damnat negantes Christum non venisse ob alias causas, nisi *ut Redemptorem.* Et sicut illæ propositiones negativæ; *Non veni vocare justos, sed peccatores*; *non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt Israel*; et aliæ; intelliguntur cum convenienti restrictione; ita similiter, &c.

3. Ex eodem de *natura, et gratia*, c. 25. *Non dicamus, ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum.* Neque officit illud D. Ambrosii, et ecclesiæ; *O certe necessarium Adæ peccatum!* ex verbis namque sequentibus, *quod morte Christi deletum est*; constat loqui de necessitate, ut morte deleretur, vel ut à Redemptore Christo destrueretur; non vero ut Christus absolute per aliud decretum prædefiniretur. Pariformiter illud hymni pro Beata Virgine:

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio:

nomen illud augmentativum *tanto*, bene demonstrat, referri ad augmentum gloriæ Christi, ut Redemptoris; nam Christus ut *Redemptor*, et *ut Salvator*, major est seipso, *ut Salvatore* dumtaxat; similiter et gloria utrique muneri, quam uni soli correspondens.

4. Ex D. Bern. in *Salve: Propter hanc* (Mariam) *totus mundus factus est:* et ex D. Bonav. consimiliter in spec. *Dispositione tua, Virgo Sanctissima, perseverat mundus, quem et tu cum Deo ab initio fundâsti.* Et certe Galatin. et Alap. testantur, antiquos rabinos Hebræos in sensu quidem literali intellexisse, atque interpretatos fuisse textum illum, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, de Christo, et ejus Matre; quare rabbi Onkelos ait: *Amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creavit Deus cælum, et terram, vel amore Messiæ, Filii sui, cui in divinis sapientia attribuitur.*

Dices ex D. Irenæo adversus hæres. c. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Quæ quidem particula *nequaquam*, cum negativa sit, et *malignantis naturæ*, ut aiunt, negat omnem alium modum, et omne aliud motivum. Sed contra, 1. Quia particula *nequaquam* in Sacra Pagina non negat absolute, et in omni sua latitudine, omnem alium modum, præter expressum, ut patet Gen. iv. Caîmo dicenti; *Omnis, qui invenerit me, occidet me:* respondit Dominus; *Nequaquam ita fiet.* Et tamen ex ipsamet Scriptura constat, Caîmum occisum fuisse à Lamech, Gen. iv. *Occidi virum in vulnus meum.* Contra, 2. Quia etiam D. Gregor. ait hom. 11. quod *bonum opus, sine castitate, nequaquam Deo placere potest.* Quod quidem in toto suo rigore, et latitudine, falsum est. Contra, 3. Quia particula *nulla alia causa* etiam est negativa; et tamen admittit restrictiones, et nequit sumi in toto suo rigore, ac latitudine, ut patet ex auctoritate D. Par. August. supr. et ex damnatione Trid. sess. 6. can. 21. de justific. ergo similiter. Unde ad D. Iren. resp. loqui de motivo, ac decreto secundo *fiendi caro, ad salvandam carnem.* Et consimiliter explicandæ sunt aliæ aliorum SS. Patrum auctoritates.

Sect. VII.

Probatur à ratione.

XVIII. A ratione etiam probatur hæc sententia: 1. Quia *omne bonum* de se, et independenter à contrario malo, est *diffusivum*, seu *communicativum sui:* ergo summum bonum Deus de se erit sui summe diffusivum, sive communicativum independenter à summo malo, nempe peccato. Atqui hæc summa diffusio, sive communicatio Dei ad extra non est alia nisi intrinseca per unionem hypostaticam: ergo independenter à peccato congruit Deo summum bonum incarnationis per illam intrinsecam unionem cum creaturis: ergo non est consentaneum, quod non fuerit à Deo amatum, ac decretum propter se, et ob propriam excellentiam, sed tantum dependenter à summo malo, videlicet, à peccato. Est congruentia Suar.

Confirmatur; Quia independenter à peccato Deus ipse propter suam bonitatem semper se communicaret ad extra creaturis per visionem beatam, quæ est communicatio extrinseca: ergo etiam per unionem hypostaticam, quæ est communicatio intrinseca, magis perfecta, et magis vinculativa, et conglutinativa Dei cum creaturis, signanter cum humanis, quibuscum volebat habere *delicias suas*, juxta illud etiam Deuter. x. 15. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos.*

Probatur, 2. efficaciter; Quia de possibili non implicat, quod incarnatio, primo, decerneretur absolute, quoad substantiam, propter excellentiam mysterii, et postmodum prævisо peccato; secundo etiam, quoad substantiam, decerneretur in remedium illius; atqui, posita hac non implicantia de possibili, dicendum est de facto, quod ita decreta fuerit: et probatur hæc minor, 1. Ex auctoritate Aug. de lib. arb. l. 3. c. 5. *Quicquid tibi, vera ratione, melius occurrerit, hoc scias*

ſtias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. Atqui vera ratione melius occurrit, quod independenter à peccato incarnatio foret, quam non foret, imo quod foret decreta ex duplici illo motivo, quam ex ſecundo tantum, ut ſtatim oſtendetur: ergo.

Prob. 2. Eadem minor in opinione, quam moderni cum P. Viva, Granado, Ruizio, Lugo, Platelio, et aliis, probabiliorem reputant, Deum teneri moraliter ad optimum decernendum, atque eligendum; quæ quidem opinio fuit ejuſdem Aug. l. 1. de quantit. an. c. 33. *Juſtitia Summi Dei factum eſſe, ut non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, ut omnino melius eſſe non poſſint.* Et D. Dionyſii de cœleſt. hierarch. c. 5. *Ad omne inconveniens in Deo ſequitur impoſſibile; et ad omne conveniens, cui melior ratio non repugnat, ſequitur neceſſarium.* Et aliorum SS. PP. apud cit. DD. inſpiciendorum.

Inferes: Ergo omnes tres Divinæ Perſonæ decreverunt incarnari; hoc enim melius apparet *vera ratione.* Reſp. Negando illationem; tum quia non apparet melius ſimpliciter, et abſolute, ſed ſecundum quid extenſive, et reſpective tantum; tum quia tale non apparet *vera ratione* in hoc rerum ordine, ſecundum divinam intentionem; nam *magna*, optima, et mirifica *opera Domini, exquiſita* quidem ſunt, ſed *in omnes voluntates ejus*, id eſt, ſecundum omnes divinæ voluntatis intentiones in hoc rerum ordine, quo unicum individuum, unica ſubſiſtentia divina terminatum, in melius divinæ unitatis, ac ſingularitatis ſimulacrum decrevit: et ſicut unus tantum dabatur Deus in eſſentia; ita unus daretur homo Deus in una tantum ſubſiſtentia, juxta illud; *Sint unum, ſicut et nos*; et ſimplicitati animæ ſic melius conſuleretur, in unico ſuppoſito divino ſiſtentis unitæ, nec per plura vagantis diſperſæ; et ſuum unicum finem, Deum unum, unico medio Chriſto, ſive unico individuo divino, quæreret, et ſimpliciter inveniret, et ob alias divinæ intentionis rationes.

XIX. Probatur, 3. Eadem minor, ratione: Quia illa ſententia, et ille rerum ordo, aliis eſt præferenda, quæ magis commendat Dei amorem, et bonitatem: atqui ſententia ſtatuens incarnationem bis decretam quoad ſubſtantiam, magis commendat Dei bonitatem in ſe, et Dei amorem erga nos: ergo. Prob. min. Quia quicquid bonitatis amoris, et honeſtatis, AA. ſecundæ ſententiæ agnoſcunt, in ſecundo decreto incarnationis in remedium peccati, agnoſcimus et nos. Deinde fatemur, et ponimus aliud decretum abſolutum, et quoad ſubſtantiam, vi cujus, etiam deficiente peccato, *propter nos homines* honorificandos, et glorificandos, atque ſibi intime, et intrinſece copulandos, ſemper *de cœlis deſcenderet*, et homo fieret, ex puro amore, honeſtate, bonitate, atque benignitate, *cum hominibus converſaturus, et delicias ſuas habiturus:* ergo hæc opinio plus bonitatis, et amoris abſolute ponit, et agnoſcit in Deo, præ contraria; atque adeo huic abſolute præferenda eſt.

Confirmatur hæc ratio efficaciter; 1. Quia, ſicut ſeria, efficax, et abſoluta voluntas magni regis erga proprium filium, ad illum perſonaliter inviſendum, ut eum lethali infirmitate, qua laborabat, liberaret, atque redimeret, multum quidem commendaret amorem atque beneficentiam regis ipſius; etſi præter hanc voluntatem haberet aliam diſtinctam, qua abſolute et efficaciter decerneret eum ſemper viſitare, etiamſi nulla infirmitate detineretur, et independenter ab hujus prævisione ex mera bonitate, ac benignitate, ex puro amore illum honorandi, glorificandi, et ſibi intime amplexandi, atque adſtrictiſſime uniendi, ac vinculandi; multo plus incomparabiliter ejus amorem ac benevolentiam commendaret, atque extolleret: ita pariformiter, &c.

Confirmatur, 2. Quia indecens ſane videtur, quod Deus ille benigniſſimus, *cujus natura bonitas*, cujus *opus miſericordia eſt*, qui ex mera bonitate humanam naturam, poſt peccato immundam, ac fœdatam, et homines, poſtquam eos per peccatum protoparentis ſibi inimicos, rebelles, ingratos, injuſtos, dæmonis ſervos, maculatos, damnatos prævidit, adhuc eos ſibi intime et intrinſece, unire decrevit per unionem hypoſtaticam; id non efficeret, ſi naturam humanam ſemper integram, juſtitia, et ſanctitate originali permanentem, *totam pulchram, et immaculatam*; et homines ipſos ſemper gratos filios, amicos fideles, omnis maculæ originalis præſertim expertes, culpæ, ac dæmonis triumphatores prævideret, et eo ipſo, quod originalem labem non contraherent, neque alia mortali noxa macularentur.

XX. Prob. 3. A ratione, eadem ſententia, omnibus illis congruentiis, ac convenientiis, quas pro myſterio ipſo incarnationis de facto DD. omnes congerunt, quarum præcipue ſequentes ſunt: gloria totius Trinitatis: pulchritudo univerſi: complementum operum Dei ad extra: honorificentia omnium creaturarum, et rectus earum ordo; tum reverſionis phyſicæ per unionem ad idem principium, unde phyſice per productionem exierant, fluminum more, quæ *ad mare, unde exeunt, revertuntur*; tum ratione rectitudinis divinæ voluntatis, quæ recte volens manifeſtationem propriæ gloriæ, ordinate velle deberet incarnationem, ut medium ad illam propinquius, quæ eſt præcipua ratio Scoti: necnon honoris utriuſque eccleſiæ triumphantis, ac militantis, et utriuſque reipublicæ angelicæ, et humanæ, et totius corporis myſtici fidelium habentis tale caput ſimul humanum, ac divinum, et talem advocatum, taleque medium, ac mediatorem, qui faceret *utraque unum*, uniendo utramque rempublicam, ac naturam, utramque eccleſiam, novam, et antiquam, videlicet, ſynagogam, militantem, ac triumphantem, et alia hujuſmodi ſupr. et apud cit. DD. communiter.

Quæ quidem omnia omnino deficerent, ſi non daretur incarnatio independenter à peccato. Confirmatur etiam efficaciter ex abſurdis è contrario inſequendis:

Nam ſequeretur, primo, Quod felix ille innocentiæ ſtatus deterioris quidem conditionis foret, quam infeliciſſimus culpæ, et lapſæ naturæ ſtatus; atque illi amici Dei fideliſſimi, et gratiſſimi, privarentur omnibus illis donis, ac gratiis, quæ cum Deo ipſo donatæ fuerunt rebellibus, et inimicis, eo ipſo quod in Adamo peccarent; neque enim Chriſto fruerentur, nec gratiis, et meritis per Chriſtum.

2. Sequeretur, Quod Chriſto gaudendum foret de noſtro peccato, quod quidem illius exiſtentiæ occaſio extitit; imo et pro illo nobis gratias ageret, quod grave ſane abſurdum rejicit D. Anſelm. l. 1. *Cur Deus homo*, c. 18. inde probans, homines fore beatos, etiamſi angeli non peccâſſent, quoniam alias *gaudendum eſſet hominibus, quod peccaverint angeli*; et tandem concludens, *nullam animam eſſe in cœlo, quæ ſibi perſuadere poſſit, ſe ſine peccato alterius gloria non fuiſſe fruituram.* Vide alia apud DD. ſcholaſticos.

Prob. tandem, præcipua illa ratione Scoti; Quia, qui ordinate vult finem, ordinate vult medium proximius ipſi fini: ergo Deus ordinate volens finem manifeſtationis propriæ gloriæ, et excellentiæ, ordinate velle debebat incarnationem, tanquam medium propinquius, et proximius ipſi fini: *quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Rom. xiii. 1.

Sect. VIII.

Oſtenditur impoſſibilitas contractionis originalis maculæ à B. Deipara, ſaltem proxime, ſuppoſito hoc rerum ordine.

XXI. Bartholom. Medina, in 3. p. q. 31. a. 4. et Sylv. Savedr. in Deipar. veſt. 1. d. 25. aſſerunt, neque de potentia abſoluta potuiſſe Chriſtum generari, neque Beatiſſimam Deiparam illum concipere, opere virilis conſortii; ac per conſequens neque Beatiſſimam Virginem etiam de potentia abſoluta potuiſſe contrahere originalem maculam, neque illius debitum, veſt. 2: d. 21. et n. 972. addit, nulla potentia valuiſſe Deum eligere Matrem, quin illi omnem gratiam poſſibilem ad illius decentiſſimum ſtatum contuliſſet. Attamen Soar. Gran. primam opinionem impugnans, ſic concludit, to. 2. in 3. p. d. 10. ſ. 3. *Dicendum vero eſt, abſque ulla dubitatione, potuiſſe Deum hominem concipi et generari ex muliere opere viri.* Quod quidem tamen intelligi poteſt abſolute, ſecundum ſe, et præſcindendo à ſuppoſitionibus, quibuſcum procedimus. Igitur—

Sit concluſio: Beatiſſima Virgo, nedum de facto originalem maculam contraxit, ſed et de poſſibili in hoc

hoc rerum ordine illam contrahere non potuit. Ita Sparſ. to. 1. l. 1. q. 29. Velaſq. Avendan. et eſt de mente Gran. Ruiz. Lug. et aliorum ſuſtinentium, Deum moraliter neceſſitari ad optimum ſaltem formaliter, licet non ad optimum objective. Vide Samanieg. not. 11. cit.

Prob. 1. Quia in hoc rerum ordine, et in præmiſſa decretorum ſerie, incarnatio decreta eſt pro ipſius myſterii excellentia ante omnem abſolutam peccati præviſionem in tertio inſtanti; et pro ſequente inſtanti, vel, juxta aliquos, pro ſecundo ſigno ejuſdem inſtantis, quo decreta eſt humanitas Chriſti Domini, decreta etiam eſt conceptio illius Genitricis, quæ humanitati Verbi incarnati materiam ſubminiſtraret; et in hoc ſigno, vel inſtanti, præventa fuit Beatiſſima Virgo omni gratia poſſibili, etiam præſervativa: atqui peccatum Adami, imo et illius exiſtentia, nonnili pro ſexto inſtanti decreta, multo poſt exiſtentiam Deiparæ omnibus gratiis pleniſſime circumventæ: ergo ex illa ſuppoſitione, ac præventione, implicabat peccati Adami contractio ab illa.

Confirmatur hæc ratio: 1. Quia impoſſibile eſt, quod quicquid Deus abſolute, et efficaciter vult, non fiat eo modo quo vult: atqui Deus abſolute, et efficaciter voluit, quod Beatiſſima Virgo foret omni gratia poſſibili plena ac præventa pro omni ſuæ prædeſtinationis, atque exiſtentiæ ſtatu, juxta text. § 6. extenſos: ergo impoſſibile erat, quod pro aliquo tempore, inſtanti, aut ſtatu, non foret omni gratia, etiam præſervativa, circumventa, vel pro aliquo originalem maculam poſſet contrahere.

Confirmatur, 2. Quia, ad contradictionem, datur ex omni parte impotentia, implicantia, et impoſſibilitas: atqui in hoc rerum ordine, ſuppoſita prædeſtinatione plenitudinis omnis gratiæ poſſibilis pro Beatiſſima Deipara, implicaret contradictionem, quod pro aliquo inſtanti illa careret, quia prout ſic foret, et non foret, gratia plena; et pariformiter, foret, et non foret, gratia præſervationis præventa: ergo.

XXII. Prob. 2. Etiam in ſecunda opinione tenente, incarnationem fuiſſe unice decretam ob remedium peccati, ex eo, quia etiam in hac opinione Beatiſſima Virgo non fuit incluſa in pacto cum Adamo, neque lex pro originali macula contrahenda ad eam extenſa fuit, neque illam comprehendit, juxta illud, *Non pro te, ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt*; nam ex meritis Chriſti à ſolo Patre per unam actionem dependentis, prævisis, ſingulariter præſervata eſt; de quo ſupr. § 5. Sed, ſuppoſita hac immunitate, ac præſervatione abſoluta pro ſtatu reali, implicaret contradictionem, quod reipſa in generali contractione pacti, et originalis maculæ, ex ipſo diffuſæ, involveretur: ergo, &c.

Prob. 3. Ex præmiſſa generali, et probabiliori opinione, Deum moraliter neceſſitari ad optimum, ſi non objective, ſaltem formaliter, de quo ſuperius; pro qua facit illud Nazianz. l. 4. theolog. *Impoſſibile etiam dicitur, quod minime æquum eſt, rationique conſentaneum:* atqui minus æquum, et conſentaneum rationi reipſa erat, quod Dei Genitrix, gratiæ inventrix, peccati labe pro aliquo inſtanti macularetur, et fieret dæmonis, et peccati ſerva, ac mancipium. Deinde veræ rationi conſentaneum erat, et abſolute melius, et optimum, quod omni prorſus macula pro omni ſtatu, atque differentia temporis, omnino careret: ergo.

XXIII. Prob. 4. Quia juxta Apoſt. Hebr. vii. 26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, &c. Quocirca ait Primaz. ap. Avendan. *quod decentiam vocat, neceſſitatem deſignat:* atqui non foret Chriſtus innocens, immaculatus, et ſegregatus à peccatoribus, ſi genitus foret ex Matre peccati maculam pro aliqua temporis differentia contrahente: et probatur; quia ſecundum Auguſt et Richard. Victorinum, *Caro Matris, et caro Filii, una caro:* et alibi, *Caro Chriſti, caro eſt Mariæ:* nam ex eadem materia puriſſimi ſanguinis ex ſanctiſſimo Deiparæ corde in naturalem matricem deſtillato, efformatum eſt immaculatum corpus Chriſti, ut ſcribit Vener. Mat. Agreda, l. 3. p. 2. cap. 11. n. 138. ergo, ſi caro Chriſti, ſaltem in ejus Matre, maculata foret, et peccato obnoxia, etiam in Chriſto talis æſtimaretur, atque diceretur; nam, ut ait D. Thom. *Matris ignominia in Filium redundâſſet.* Et clarius Salazar. ex eodem D. Thom. ap. Avendan. *Si Mater peccâſſet, etiam Filius quodammodo deliquiſſet.* Sed hoc eſt impoſſibile in Filio innocentiſſimo, puriſſimo, et prorſus à peccatoribus ſegregato, tam corpore, quam anima: ergo etiam in ejuſdem Sanctiſſima Matre: et idcirco illo textu additur, *Excelſior cœlis factus*; ad inſinuandum, quod ſi tenebræ peccati ſolam univerſam terram obvolverunt, quin ad cœlum pervenirent; multo minus ad eum, qui *cœlis excelſior* erat, et ad eam, quæ *ſimul cum illo aderat, quando præparabat cœlos.*

XXIV. Prob. 5. Quia in hoc rerum ordine voluit Deus abſolute, et efficaciter, quod humanitas Chriſti in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento porrigeretur fidelibus ſuis per modum cibi, et potus, ad illarum ſpirituale nutrimentum, et ut in eccleſia ſua uſque ad conſummationem ſæculi conſervaretur ad eorum ſolatium, et futuræ gloriæ pignus ſecurum: et inſuper voluit, quod hoc ſacramentum foret omnium melius, pulchrius, purius, et ſpecioſius; quod quidem foret omnium miraculorum ſuorum maximum, omnium perfectionum ſuarum major, et melior perfectio, juxta illud, *Quid bonum ejus, aut quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum?*

Atqui hæc non haberet, ſi nobis non daretur, nec naſceretur ex *intacta*, atque intaminata *Virgine*; vel cum foret *fructus ventris generoſi*, gratioſi, et glorioſi, ex eodem puriſſimo ſanguine, atque ejuſdem beatiſſimi ventris illibata materia formatus, puriſſimoque beatiſſimorum uberum cœleſti lacte nutritus, non forent pariformiter, et antecedenter puræ, et immaculatæ radices, et rami, puriſſimum, et pulcherrimum fructum hunc ferentes, et alentes: et probatur hæc minor; Quia ſacramentum, quod foret fructus ventris penitus immaculati, atque originalis labis prorſus immunis, melius, pulchrius, et ſpecioſius quidem foret, quam ſacramentum ex maculata matre proveniens: ergo hoc ſacramentum de facto, ſi ejus Genitrix maculam contrahere poſſet de poſſibili, non equidem foret hoc ſacramentum, quo nullum aliud magis bonum, aut magis pulchrum, purum, ac ſpecioſius extaret. Ac per conſequens, &c.

Ubi nota, Prophetam non dicere, *Quid bonum eſt, aut quid pulchrum eſt?* de præſenti; ſed *Quid bonum, aut quid pulchrum?* ſimpliciter, et abſolute ad comprehendendum omnem ſtatum præſentem, et futurum, et omnem pro omni tempore, ac ſtatu, poſſibilem bonitatem, atque pulchritudinem. Et hac de cauſa de ventre ſponſæ Sponſus in Canticis protulit, c. vii. *Venter tuus, ſicut acervus tritici, vallatus liliis.* Nam puritas illibata ventris virginei in candida liliorum pulchritudine deſignata, murus quidem eſt vallans, atque defendens in circuitu euchariſtici tritici incorruptam puritatem: quare B. Virgo Prov. xxxi. comparata eſt *navi inſtitutoris de longe panem ſuum portanti*; de longe namque, quia ab initio, et ante ſæcula, in puriſſimo, et illibato ſanguine ſuo portavit nobis panem euchariſticum, quem quidem fortitudine gratiæ præſervativæ, et immaculatæ immunitatis ſuæ defendit, etiam et quodammodo præſervavit, à contaminatione, et corruptione amariſſimarum culpæ aquarum, ſicut navis ab aquis defendit merces, quas vehit; certum namque erat, quod ſi per poſſibile aqua culpæ navim penetraret, permearet conſequenter aduſque contaminandum panem in ea portatum, et præſertim panem, qui idem erat materialiter cum navi; et quodlibet navis naufragium, conſequenter, et panis vecti quodammodo naufragium foret, juxta auctoritates præjactas.

XXV. Prob. 5. Quia ſaltem poſſibilis erat, et minime implicatoria, immunitas B. Virginis ab omni originali macula pro omni ſui eſſe reali inſtanti: ergo de facto impoſſibilis fuit, ſive reddita eſt, actualis illius maculæ contractio. Prob. illatio; Quia, poſita illa poſſibilitate, indecens erat Deo, ſaltem moraliter, naſci ex matre originali macula fœdata, et eam ab omni peccati coinquinatione prorſus immunem non creare: atqui impoſſibile omnino eſt, Deum unicam moralem indecentiam facere; hoc enim aperte repugnat illius ſummæ ſanctitati, juſtitiæ, rectitudini, atque æquitati, et aliis divinis attributis, ac perfectionibus: ergo, &c.

Probatur illa major; 1. Quia de facto Deus creavit in gratia angelos, qui futuri erant vaſalli, ſubditi, et ſervi ſupremæ illius angelorum reginæ, et glorioſæ imperatricis: ergo indecens quidem foret eandem gratiam Dominæ denegare, quæ ſervis liberaliter data eſt. 2. Quia de facto Deus ipſe in gratia originali creavit etiam protoparentes Adam, et Evam, qui radices futuri erant illius virginalis virgæ Jeſſæ, ſuper quam, et florem pulcherrimum, ab eadem germinatum, Spiritus S. gratia, velut in condigniſſimo tabernaculo, pleniſſime requieſceret ob decentiam conformitatis puritatis radicis, et arboris, cum fructu, ac flore puriſſimo: ergo indecentia foret in Deo eandem providentiam pro puritate floris, ac fructus, non oſtendere, quam ex bonitate, ac decentia, habuit pro trunco, ac radicibus.

3. Efficaciter; Quia graviſſima quidem indecentia foret, quod rex potentiſſimus, providus, ac prudentiſſimus, dilectam ſponſam ſuam, quam ſibi copulandam crearet, feligeret, ac deſtinaret, et ab omnibus vaſallis ſuis, ut imperatricem, ac reginam ſupremam colendam, et adorandam ſervaret, turpiſſimo ſervo hoſti ſuo jurato prius adulterandam traderet, vel permitteret; ſeu prius ab illo captivandam, dominandam, ac poſſidendam, et in vilem ſervam, atque contemptibile mancipium reputandam: ſimiliter quod tabernaculum regium, ſive thronum, ac ſolium ſuum ſpecioſiſſimum, ſplendidiſſimum, puriſſimum, ac glorioſiſſimum, quem ſibi diligentiſſima cura, ſapientiſſima idea, ſolicitoque amore, zelo, et gaudio, ad oſtenſionem gloriæ ſuæ, potentiæ, majeſtatis, honoris, et honeſtatis, necnon multiplicium divitiarum ſuarum, infinitique theſauri commendationem, famam, et auctoritatem, condigne ſedendum, ac inthronizandum præparaverat, et ædificaverat; ſervo ſuo ſpurciſſimo, rebelli, apoſtatæ, et inimico jurato odioſiſſimo prius occupandum, conculcandum, conſpurcandumque ſineret, vel aſſentiret; et potens has enormiſſimas, atque exoſiſſimas indecentias præcavere, et avertere, omiſſive ſeſe haberet, ſaltem illas permittendo, et non anteacte removendo: ergo pariformiter, &c. Vid. P. Segner. in man. die 8. Decemb. Avendan. et Valaſq. cit. Et reflecte, quod etiam in triumpho Dominicæ Palmarum elegit Chriſtus *pullum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit.* Quomodo ergo thronum elegiſſet, ſuper quem infenſiſſimus ſederat Satan?

4. Quia indecens erat potentiæ, ac providentiæ divinæ, quod heroina Virgo, quam in hoc rerum ordine ad infernalis ſerpentis dirum durumque caput triumphaliter conterendum deſtinârat, cum perpetuis inimicitiis inter ipſam, et ſerpentem, et cum ſola permiſſione, ut ſerpens ipſe, quamvis aſtutus, et callidior, non niſi calcaneo ejus à longe inſidiaretur; quin ad ipſius calcanei etiam extremum perveniret; pro aliqua temporis differentia permittere, ut à ſerpente ipſo triumphata opprimeretur, ejus duris nexibus circumcingeretur, diroque veneno inficeretur, et pro aliquo inſtanti inimica Deo, amica diabolo, utriuſque inimico, reputaretur, ita ut poſſit gloriari inimicus, *Prævalui adverſus eam*, et adverſus Deum; et inſuper illa de ſeipſa nec poſſet canere, *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*; neque, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*; cum prius poſſeſſa fuerit ab utriuſque imico, diabolo: neque *tota pulchra, et immaculata*, nec *gratia plena*, nec quod ſemper cum illa pro omni tempore fuerit, et alia hujuſcemodi: ergo.

5. Quia indecens foret regi ſupremo æquiſſimo, potentiſſimo, nobiliſſimo, non ſegregare à communi lege infami (à qua ipſe ſegregatus eſt) etiam ſponſam ſuam, reginam ſupremam, cum ſponſa, ac regina moraliter æſtimetur, ac ſit una eademque perſona cum rege ſponſo, ut probat Tiraquel. de nobilit. et Macedo apologet. ex ver. jurib. ſignanter l. *Princeps*, 31. ff. de legib. l. *Fiſcus*, 6. ff. de jur. fiſc.

Pro quo etiam pulchre facit illud Aſſueri reginæ Eſtheri, xv. *Ego ſum frater tuus; noli metuere: non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt.* Et potiori jure, ſi ſponſa ſit ſimul mater regis, ut in præſenti caſu, l. *Sed ſi ex meis*, 26. § de acquir. rer. domin. l. *Propria bona*, 83. ff. de verb. ſignif. Confirmatur ex Viv. quia leges ſignate, et in actu primo univerſales poſſunt exercite, et in actu ſecundo ex diſpenſatione, vel reſervatione, aut præſervatione, non comprehendere aliquos particulares: ſic lex illa, *In dolore paries*; *In pulverem reverteris*; univerſalis pro omnibus poſteris Adæ, non comprehendit B. Virginem in actu ſecundo: et ita ſimiliter lex, *Morte morieris*, non comprehendit eam, quæ per diſpenſationem, vel præſervationem, ab ea excluſa erat.

6. Quia indecens foret, imo et injuſtum, ut tenet Viva, quod reſpublica voluntatem pupilli, longe ſapientis, ac prudentis, includeret in voluntate tutoris longe minori ſapientia, ac prudentia præditi; et per hoc certe pupillo prudentiori prorogaret injuriam: atqui Beatiſſima Virgo *prudentiſſima*, quæ fuit *ſedes ſapientiæ*, et *fons* illius, quæ ſapientia *flumina effudit, et quaſi trames immenſæ aquæ appropinquavit ad mare*, Eccli. xxiv. *de cujus plenitudine omnes homines acceperunt*; atque adeo omnes ſapientia, ac prudentia valde præcellens: ergo.

XXVI. Prob. 6. Valida illa ratione Scoti, eſto plures pluris illam non faciant: vel Deus potuit, et noluit: vel voluit, et non potuit. Aſſerere quod voluit, ſed *non potuit*; manifeſta injuria eſt illius divinæ omnipotentiæ infinitæ, et altiſſimæ majeſtati, præſertim in re, quæ penitus pendebat ab extrinſeco illius pacto libero cum Adamo inito, et à libera, et extrinſeca voluntate includendi, vel non includendi, in illo pacto omnes Adami poſteros, nullo dempto. Aſſeverare autem quod potuit, et *noluit*; indecentior injuria, atque execratior offenſa eſt, quippe quæ eſt offenſa infiniti amoris, dilectionis, et charitatis illius Dei, qui totus *charitas eſt*, et, ut *ſummum bonum*, ſumme ſui diffuſivum, et communicativum incedit, cum infinita propenſione ad ſe communicandum hominibus, et cum illis *delicias ſuas* habiturum; et potiori jure cum ſua ſanctiſſima Matre, et amabiliſſima Sponſa, cujus animæ puriſſimæ, et columbinorum oculorum pulchritudo eum *avolare*, atque extra ſe rapi *fecerunt*; et *à ſummo cælo*, atque excelſo *ſinu Patris*, ad ſinum *adoleſcentulæ*, quæ *gremio ſuo*, quem cœli capere non poterant, *virum* digne conferret, ac *circumdaret*. Mitto alia.

XXVII. Igitur in hoc rerum ordine, ſaltem ex ſuppoſitione, quod Deus, 1. Decreverit incarnationem propter excellentiam myſterii, et quod Matrem divini Verbi humanati, omni poſſibili gratia prævenire deſtinaverit, ex decentia, ſaltem; nam, ut ait D. Cypr. S. *de nativit. Chriſti*, *Matri plenitudo gratiæ debebatur*; et ulterius ex gratia præſervationis, et non incluſionis Beatiſſimæ Deiparæ in pacto cum protopatre noſtro, ac diſpenſationis in communi lege pro omnibus poſteris Adæ promulgata; clara redditur impoſſibilitas illius contractionis, nedum in actu ſecundo, verum et in actu primo proximo, et ſolum quoad debitum remotiſſimum conſideranda, et accipienda venit: quatenus debitum proximum ſuſtulit proxima iſta diſpenſatio, præſervatio, et excluſio à communi pacto; remotum abſtulit gratia maternitatis, vi cujus, neceſſarium reddebatur (etiam in opinione incarnationem poſt abſolutam præviſionem peccati, et in iſtius remedium, ſtatuente) quod pura omnino, ſancta, innocens, iminaculata, et à peccato prorſus ſegregata incederet, quæ materiam phyſice miniſtraret corpori efformando *Pontificis ſancti, innocentis, impolluti, à peccatoribus ſegregati, et cælis excelſioris*: magis remotum ex præventione, et circumventione omnis gratiæ poſſibilis pro omni temporis, atque ſtatus, differentia in opinione ponente incarnationis decretum abſolutum ob myſterii excellentiam, et ante omnem abſolutam peccati præviſionem: et ſolum remotiſſime ratione naturæ ex Adamo naturali generatione propagatum. Pro quo vid. Arr. Salazar. Viv. Avendan. Valaſq. Silveir. in opuſc. et alios.

XXVIII. En! quomodo ſpinæ originalis culpæ nequiverunt nedum pungere, verum neque accedere ad immaculatam Virginem, quippe quæ prius in igne protectionis, ac præſervationis divinæ, quo undique circumcingebatur, penitus conſumptæ perirent, quam ad illam appropinquare valerent, ſecundum illud Zach. ii. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.* Ratione vero iſtius gratiæ præſer-

præservativæ in medio ejus non solum *in gratia*, sed etiam *in gloria* collocatus, et exaltatus est Deus. En! quomodo Isa. xxvi. *Vetus error abiit*, ex collocatione *Salvatoris* tum humanati, tum eucharistice communicati in hac *nostræ fortitudinis Sionica urbe*, qua Salvator sic *positus murus*, et antemurale illius evasit, non solum debitum proximum, sed et remotum ab ea, nedum de facto, sed et de possibili, longe arcens, atque avertens.

XXIX. En! etiam hujusce animatæ *fœderis arcæ* de incorruptibilibus *lignis Sethim* divinitus *compactæ*, mundissimo auro omnium possibilium gratiarum *intus, et foris, deauratæ*, puritas, et immunitas! omnis corruptionis umbram, et omnis possibilis declinationis, vel casus, impossibilitatem adeo evidenter demonstrantis, ut contrariæ possibilitatis eventus sola opinatio, vel suspicio, judicium certe temerarium foret, et à Deo vindice, ac zelote, subitanea morte acriter merito punibile; ut in Ozæ judicio erga materialem arcam fœderis, istius spiritualis, ac præcellentioris nonnisi umbram, et typum, experientia ipsa comprobavit; sacro testante textu, 2 Reg. vi. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quòniam calcitrabant boves, et declinaverant eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate.* Si tale ergo judicium meruit temerarium umbræ, et figuræ; quale promerebitur lucis, et prototypi judicium?

XXX. *Aperiantur* ergo ecclesiæ *portæ*, et *ingrediatur gens justa*, immaculatum hoc mysterium proclamans; et quia *vetus error abiit*, proxime definibile ex cathedra, etiam extra concilium, palam prædicans, ac religiose profitens professione, atque confessione sane fideli, cum vitæ et sanguinis grata profusione in sacrificium laudis, et pro certa martyrii laureolæ felici consecutione promerenda: nam mysterium hoc, etiam extra concilium, esse proxime definibile, expresse probant Velasq. Sifilin. et alii apud Platel. c. 4. § 3. sub n. 311. Et tandem esse mysteriosam Altissimi Dei consilii providentiam, in contrarii permissione, ut realis mysterii veritas ita melius illuceseeret, et fidelium devotio ardentius intenderetur, ipsaque illibata Deipara purior, atque intaminatior ostenderetur; imo, velut sol, qui post nubila clarior apparet, ita post hanc apparentem maculam immaculata Virgo eo ipso candidior evasit; quod et in illo Num. xii. adumbratum prænoscebatur, *Maria apparuit candens lepra* (nota illud *apparuit*, et illud *candens*): aliqua namque est nota, quæ potius ornat, quam fœdat; potius quam denigrat, dealbat. Nec nova, aut insolita res est illi, qui jussit *de tenebris lumen splendescere*: quin lux ipsa ex tenebris vocata, vel inter tenebras procreata, aliquid fœdæ caliginis contraheret, quinimo idcirco *in tenebris* semper *lucens*, clarior, et purior, inter eas triumphans regnaret.

RHYTHMUS
AD
JESUM et MARIAM
IMMACULATOS:

In devincti cordis sacrificium, quondam ab A. concinnatus.

XXXI. 1. JESUS, et Maria
Sint duces in via,
Juvamen in solo,
Solamen in polo.

2. Hinc Jesum aspiro,
Mariam hinc respiro;
Positus in medio,
Quo me vertam nescio.

3. Jesus est extremum,
Hæc medium supremum;
In medio, aut in termino,
Tutissimus pergo.

4. Per semitam hanc rectam
Jesum quæram metam:
De via non deviat,
Cui Maria est pervia.

5. Uterque ut umbraculum,
Uterque ut signaculum,
Cordi meo impressum,
Et brachio est expressum.

6. O cordis affectio!
O fortis dilectio!
Mortis separatio!
Inferni æmulatio!

7. Candidus agniculus,
Is myrrhæ fasciculus;
Columba absque nota
Hæc, quæ lacte est lota.

8. Dilectus meus mihi,
Et ego ero illi,
Utriusque in amplexu,
Reciproco nexu.

9. Effundite flores,
Effluite rores,
Cœlo flante, et flente,
Amore in languente.

10. Agnellum inter lilia
Pascentem, hæc, ut filia,
Patrem lactat Mater,
Quam lacte alit Pater.

11. Tu totus amabilis;
Tu desiderabilis;
Tu principium, et finis;
Tu consumens ignis.

12. Tu Virgo illibata,
Tu virga inflammata,
Tu stella, tu immota
Luna, pulchra tota.

13. Jesus Nazarenus,
Flos sacer amœnus;
In Jericho rosa,
Maria formosa.

14. O quantum dulcedinis,
O quantum pinguedinis,
Jesu sacrum Nomen
Præstat, Numen, Omen!

15. Mare gratiarum,
Mariæ præclarum
Nomen, quantum amoris
Spirat, et decoris!

16. Quis mihi hoc indulgeat,
Ut mihi hæc sors fulgeat,
Sanguinem pro utroque
Vitam fundam quoque!

Brevis DIGRESSIO *clypeata, protectiva, ac retorsiva jaculatarum censurarum D. Eusebii Amort, adversus revelationes ven. Matris Agredanæ.*

XXXII. Post præmissa discussa, ac concinnata, forte incidi in opusculum reverendissimi D. Eusebii Amort, mei concanonici regularis Lateranensis, qui, p. 2. varias propositiones, ac revelationes Vener. Matris variæ ex aliorum nota fugillat, signanterque aliquas à nobis in fundamenta adductas, quas quidem dicit ab academia Parisiensi ann. 1696. non approbatas, eo quod *Beatissima Virgo non egeat cultu vano*, ut observat D. Bernard. in ep. ad can. Lugdun. protestans tamen insimul, *se nolle B. Virginis cultum minuere:* propositiones autem, ut erroneæ reprobatæ, quas superius pro fundamento præmisimus, sunt—

1. Prop. 9. de explicatione c. viii. Proverb. *Eo quod illa verba solum debeant intelligi de sapientia increata.* Sed contra, 1. Quia illa etiam de sapientia incarnata, et quidem literaliter, intelligunt D. Aug. D. Hier. D. Thom. D. Bonav. et reliqui DD. sententiarii cum magist. in 1. d. 28. 2. Quia proprius, et expressius in sensu literali de sapientia incarnata intelligenda videntur; 1. Ex Hebr. et Chald. pro *possedit me*, legente *creavit me.* Creare autem proprie non sapientiæ increatæ, sed creatæ convenit. 2. Ex contextu v. 31. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, nempe *per incarnationem in natura humana.* 3. Ex consonantia Eccli. xxiv. 5. in hocmet sensu, *Ego sapientia*

pientia ex ore Altiſſimi prodivi primogenita (quod juxta Aug. de ſapientia incarnata proprie dicitur; nam ſapientia increata non *primogenita*, ſed *unigenita* appellatur); et Eccli. i. ver. 4. *Prior omnium creata eſt ſapientia . . . Dominus creavit illam in Spiritu Sancto.* Vid. dicta ſupra.

Contra, 2. Quia de Beatiſſima Virgine ea intelligit ipſamet eccleſia in officio Immaculatæ Conceptionis, et in feſtivitatibus aliis. Et SS. PP. eadem nomenclatura, eademque interpretatione eam deſignant; videlicet, D. Antonius: *Primogenita antè omnem creaturam.* D. Vincent. Ferr. *Primogenita ante omnem creaturam, non in tempore, ſed in ſanctitate, et dignitate.* D. Joann. Damaſc. *Primogenita, quæ rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata ſunt, peperit*, &c.

Contra, 3. Quia ex regula generali D. Thom. in op. q. 4. a. 1. *Omnis veritas, quæ, ſalva literæ circumſtantia, Sacræ Scripturæ aptari poteſt, eſt ejus ſenſus.* Et ex D. Gregor. in regeſt. *In intellectu S. Scripturæ reſpui non debet quicquid ſanæ fidei non reſiſtit.* Et iterum, *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ ſcientiæ aditus largius aperiuntur.*

2. Prop. 12. quatenus B. Virginem vocat *reparatricem et mediatricem gratiæ.* Sed contra, 1. Quia plures SS. PP. ap. Marraci, conſimilibus nuncupationibus eam appellant; videlicet, à D. Anſelm. nuncupatur, *Reparatrix lapſorum, perditæ gratiæ, vitæ, innocentiæ*, &c. à Richard. Victor. *Reparatrix creaturæ angelicæ, atque humanæ:* à D. Bernard. *Reparatrix parentum:* à D. Albert. magn. *Reparatrix eccleſiæ triumphantis, et ordinum angelorum:* à D. Anton. P. *Reparatrix opportuna orbis perditi*, &c. Pariformiter à D. Ephr. *Mediatrix optima Dei, et hominum:* à D. Chryſoſt. *Mediatrix Dei, et hominum reconciliationis:* à D. Baſil. *Mediatrix inter Deum, et homines intercedens:* à D. German. *Mediatrix legis, et gratiæ*, &c.

Contra, 2. Quia, ſi Chriſtus eſt Mediator inter Deum, et homines, Beatiſſima Virgo etiam eſt mediatrix inter homines, et Chriſtum; imo et inter Deum: unde provenit illud effatum; *Nullus eſt, qui ſalvus fiat, niſi per te, O Maria:* et D. Anſelm. *Mediatrix natura ſuo Filio nos reconcilians:* et D. Joann. Damaſc. *Mediatrix inter Creatorem, et homines, ſupra captum mentis exorans Filium ſuum: Mediatrix inter nos, et Deum*, &c.

Contra, 3. Quia eſſe *mediatricem* B. Virginem, eſt ſane eſſe medium, quo intercedente, Verbum Divinum humanitate noſtra in ejus puriſſimo ventre veſtitum, operatum eſt ſalutem in medio terræ, gratiam nobis promerens, et dona; et Patri nos reconcilians; unde Idiota: *Mediatrix, qua mediante, divina beneficia nobis charitative donata fuerunt.* Et ſi de ſancta cruce, eo quod fuit medium, ſive inſtrumentum naturæ ſalutis, canit eccleſia: *Crux Chriſti redemit nos. O crux! Ave! ſpes unica! ſalva præſentem catervam. O crux venerabilis, quæ ſalutem miſeris attuliſti!* potiori jure quid ſimile cani poteſt de B. Virgine, quæ humanitatem genuit fructus iſtius arboris, *per quem ſalvati, et liberati ſumus.*

3. Prop. 13. *Homines fore æternum beatos, ſi viderent claritatem B. Virginis.* Sed contra, 1. Quia beatiſſima Deipara appellatur à D. Anſelm. *Beatificatrix omnium ſanctorum:* à D. Bonav. *Beatitudo vera*, &c. ap. Marrac.

Contra, 2. Quia talis aſſertio profertur per quandam analogiam, ac ſimilitudinem. Unde, ſicut D. Bonav. dixit, ſi corpus tenebroſum unius damnati ex inferno ad hunc mundum aſcenderet, *ſat eſſet universum orbem inficere*; ita, è contra, aſſeruit, ſi corpus glorioſum minimi beati in hunc mundum deſcenderet, univerſos claritate ſua raperet, attraheret, et quodammodo glorificaret.

Contra, 3. Quia notum eſt S. Dionyſii Areopagitæ devotiſſimum, atque encomiaſticum effatum, omni cenſura liberum, atque omnino immune; videlicet, ſi fides non obſtaret, pro Dea Beatiſſimam Virginem adoraret. Verbis ep. pen. ap. Carthag. to. 1. hom. 5. l. 2. *Si tua divina doctrina me non doceret, hanc veram Deam eſſe credidiſſem; quoniam nulla videri poteſt major in gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero feliciſſimus deguſtavi.*

Si ergo licuit D. Dionyſio, vero Deo ignorato, tanquam Deam, ob excellentem virtutum perfectionem, Beatiſſimam Virginem adorare; cur non licebit affirmare, altera beatitudine deficiente, à beata claritate animæ, et corporis Deiparæ in æternum quodammodo præ gaudio beatificari? Confirmatur ex ipſiſſimis verbis, atque auctoritate Dionyſiana; quoniam *nulla videri poteſt major gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego deguſtavi.* Ubi loquitur, non de guſtu experimentali claritatis glorioſæ corporis Deiparæ beatificati; ſed de guſtu experimentali naturalis pulchritudinis, et ſupernaturalium virtutum intuitiva experientia naturaliter obſervatarum. Deinde humanitati Chriſti Domini, et Beatiſſimæ ejuſdem Deiparæ, debetur cultus hyperduliæ, prope divinus, de quo cum D. Tho. Aug. Jo. Damaſc, et aliis, eminent. card. Lambertin. l. 1. de canoniz. c. 1. n. 15. De humanitate autem Chriſti jam ſupr. ex D. Aug. oſtendimus eſſe objectum beatificum oculorum corporis, n. 17.

Dubitationibus tandem à P. Amort, in 3. p. adverſus expeditionem D. Jacobi in Hiſpaniam, et apparitionem realem B. Deiparæ in columna Cæſarauguſtana, dum adhuc viveret, et adverſus alia conſequentia, plene, planeque factum ſatis, convictumque ſuit à ſapientiſſimis, ac religioſiſſimis PP. *D. Emmanuele Cayetano de Souſa*, et *D. Hieronymo Contadorio Argote*, clericis regularibus Divinæ Providentiæ, et ab aliis doctiſſimis academicis regiis, in famoſis, atque famigeratis pro hac controverſia copioſiſſimis, ac refertiſſimis editis voluminibus; in qua ultima, veraque decidendi ratio erit, ut prudenter ac nervoſe ponderat P. Argot, evidentia rei judicatæ, ac per finalem ſententiam in judicio contradictorio à Sede Apoſtolica plenaria diſcuſſione tandem deciſæ.

Neque convincens eſt ratio finalis, qua doctiſſimus Amort opuſculum ſuum concludit, inferens *non eſſe veritates certas, eo quod ſint dubiæ*; ac proinde *non eſſe promulgandas, ut indubias.* Nam, quamvis certa ſit hæc ſecunda conſequentia, prima illa illatio fallit in fundamento, quo innititur; cum fide certum ſit, omnia, quæ in S. Scriptura continentur, eſſe quidem in ſe eſſentialiter vera; cum tamen multa ſint obſcura, ac *difficilia intellectu*, ut aſſeritur 2 Petr. iii. 16. atque diverſas patientia interpretationes; proindeque, quoad nos, dubia, et incerta, quantum eſt ex vi ipſarum interpretationum. Et certe regius Vates ea abſolute appellat incerta, et occulta; inquiens, *Incerta, et occulta, ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*; non quod incerta, aut dubia forent in ſe, ſed quoad nos, et intelligentiam noſtram. Et quod *incertum* eſt, *dubium* eſt, in eo ſenſu, quo incertum eſt. Vid. Lorin. hic. Et D. Paulus Athenienſibus, ex illo *Ignoto Deo*, Act. xvii. 23. intulit; *Quod ergo ignorantes colitis*, &c. et D. Gregor. *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ ſcientiæ aditus largius aperiuntur.* Vide doctiſſimas notas ſapientiſſimi, ac religioſiſſimi Samanieg. in 1. p. myſt. civit. Dei.

XXXIII. Auctoritati autem, ac cenſuris academiæ Pariſienſis, et ejuſdem facultatis theologicæ, merito contraponimus, 1. Auctoritatem, ac judicia academiarum Hiſpanicarum, et aliarum; videlicet, Salmanticenſis, Lovanienſis, Complutenſis, &c. necnon judicia omnium theologorum ſapientiſſimæ, et ornatiſſimæ totius religionis Seraphicæ, in ſpeciali concilio ad earum examen congregatorum, atque aliarum religionum ſapientiorum magiſtrorum, quorum cenſuræ, ac judicia, in præliminaribus primæ partis tranſcribuntur, et in prologo galeato doctiſſimi P. Samaniego inſinuantur, § 11.

2. Contraponimus alia ſpecialia concilia, regia auctoritate Philippi IV. Hiſpaniarum regis ampliſſimi, nedum pro examine, et approbatione ſcripturarum, ac revelationum Ven. Mat. Agredanæ, verum et pro examinandis, appendendis, ac ponderandis cenſuris ipſis Pariſienſibus, à quibus revelationes ipſas, et omnia in ſcripturis illis Vener. Matris contenta, omnino libera, atque immunia pronuntiârunt, ut videre eſt in præfatis præliminaribus cenſuris.

3. Contraponimus infallibilem regulam ab ipſomet Chriſto Domino traditam, ad cognoſcendas veras revelationes,

velationes, ac prophetias, et eas à falſis diſcernendas, quam etiam cit. Amort, 1. p. cum D. Thom. amplectitur; videlicet, *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matt. vii. 16. Fructum autem, ac profectum ſpiritualem notiſſimum ex mirabili illius operis lectione conſequi, omnes qui eam evolvunt, experiuntur, ac palam unanimiter fatentur.

4. Contraponimus antiquam querelam Hiſpanorum adverſos Gallos, per omnia quicquid Hiſpaniæ peculiarem gloriam affert, deprimere, et ſemovere, affectantes, vel penitus id negando, vel ſaltem in dubium vertendo, ut comprobant ex notis inficiis ingreſſus D. Jacobi in Hiſpaniam, hiſtoriæ Deiparæ *do Pilar* Cæſarauguſtanæ, apparitionis Chriſti Crucifixi Alphonſo I. regi Luſitaniæ, et myſterioſæ expreſſionis quinalis armorum regni ſcuti, et aliorum, quæ paſſim ab ſcriptoribus Hiſpanis notantur.

5. Speciales apologias pro hiſtoria, ac revelationibus præfatis adverſus Pariſienſem cenſuram, præſertim à Fr. Gabriele *de Noboa*, à Fr. Joſepho *de Falces*, à Fr. Philippo *Bezerra*, et à provincia Burgenſi ſub titulo *Sagitta in ſagittarium*, editas: et mandatum ipſum regium præcipuis Hiſpaniæ academiis anno 1697. pro præmiſſis apologiis examinandis directum, quo aperte prædictam Pariſienſem *cenſuram*, *indignam* appellat, *atque Dominæ noſtræ excellentiis injurioſam*, *Venerabiliſque Matris Mariæ à Jeſu virtutibus perniciosam* proclamat, ut ex eo per formalia relato, et in Salmaticenſis academiæ approbatione expreſſe contento, clare liquet. Mitto alia.

Unam tamen ſubjungam finalem concluſionem, ac proteſtationem laudati Amort, ſic opuſculum ſuum concludentis: *Verum hæc omnia ſcripta ſint tantum animo difficultates inſinuandi, ut qui ejuſmodi revelationes legunt, aut commendant, cauti ſint, ne invehant in mentes fidelium præjudicia ante ſententiam Romanam ſupremi judicis, cujus et judicio hæc mea, aliaque omnia ſcripta ſubjicio. Ipſius autem Vener. Mariæ ſanctis moribus nil derogatum cupio, cum nec Sancti à levibus ſubinde defectibus, et illuſionibus, immunes ſint.*

In obſequium tamen prodigioſiſſimæ imaginis Deiparæ à columna Cæſarauguſtana, quæ meæ canonicæ congregationis ſingularis patrona, atque ejuſdem univerſalis ſervitutis, devotioniſque ſpeciale objectum, ſtemmaque gratiſſimum, atque ſcopus amabiliſſimus extat, hic ſupponere licebit epicam mearum philoſophicarum theſium dicationem, qua, dum philoſophicum curriculum abſolverem, in cordialiſſimi amoris mei ſyngrapham, atque aliquale debitæ gratitudinis indiculum, Herculeos labores virgineis triumphis adaptans, ad ipſius ſacræ columnæ baſim provolutus religioſe appendi: quæ ita recitabatur:

SANCTISSIMÆ VIRGINI
DO PILAR,
Veræ COLUMNÆ IGNEÆ,

Per tenebroſam noſtræ tranſmigrationis noctem nos, quaſi veros Iſraelitas, jam illuminanti; et tanquam ex Ægyptiaca ſervitute eductos, ad meliorem Promiſſionis Terram jam feliciter dirigenti.

XXXIV. DEſinat Herculeas calamus celebrare columnas,
Geſtaque Lethæis taciturna ſilentia lymphis
Demergant, valeat ne unquam quis dicere quicquam;
Prorſus et Alcidis pereat jam fama ſuperbi.
Fama per æthereas reſonet generoſior oras,
Hanc ſolam, quæ omnes *plus ultra* excelſior extat,
Factorum egregiûm rutilus ſine limite limes.
Aurea clara tuba, elato clangore per auras,
Prodigioſa ſonet; perrumpant æthera cantus.
Suſpendant celerem curſum vaga lumina cœli,
Solque micante ſua radianter ab arce coruſcans
Obſtupeat, vertatque faces, curruſque micantes;
Cunctaque jam properent, ſacrum hoc venerabile numen
Ut celebrent, plaudantque palam, et reverenter adorent,
Illius ante aliud mirantia facta ſtupenda;
Herculeis illis tanto majora ſuperbis,
Oceanus quanto rivulo ſpatioſior arcto eſt.
Si namque Alcides laceravit fortiter angues,
Quamvis adhuc illum cunabula parva tenerent;
Fortius, egregiuſque nimis, præſtantius atque,
Nondum auram ætheream capiens, jam Diva potenter,
Robore inaudito, monſtrum obtruncaverat ingens,
Serpentinâ terens minitantia colla draconis.
Si valor Herculeus potuit pulcra aurea poma
Heſperidum ex horto rutilanti carpere, durum
Cuſtodem occidens, animoſo Marte, draconem;
Clarius incolumis peccatum, Virgo, triumphans
(Quod monſtrum haud aliter melioris clauſerat horti
Oſtia) cædiſti, Paradiſia limina pandens,
Carpere ut ex ligno vitæ vitalia poma
Mortales quicunque queant, atque uſque potiri.
Herculeum robur valuit proſtrare leonem
Horriſonum Nemeæ, ſævumque, trucemque, ferumque,
Eripiens populos raptoris ab ungue minaci.
Inferni raptoris item ſuperavit acerbam
Diva potens rabiem, ſævis ex unguibus ipſis
Arripiens violenter oves, redimenſque gementes.
Extitit Alcides victor præclarior olim
Horribilis ſane, atque prope inſuperabilis, Hydræ
Intrepida virtute quiens populare furorem;
Atque fatigato valde, et certamine longo,
Haud facile egregium meruit portare triumphum,
Percutiens furibunda feræ capita ardua ſeptem.
Quam facile aſt, Virgo, potuiſti, clarior illo,
Vincere in inſtanti illud formidabile monſtrum,
Diviſum in totidem capitalia membra ſuperba!
Omnia ſane ſtupent, mirantur et undique cuncta.
Cætera quid referam? Nonne alta ſilentia geſtis
Omnibus Herculeis, cunctis et publico factis?
Hinc ergo Alcidis relegetur fama potentis,
Metaque quæque refert mortalia facta virorum,
Corruat, et pereat, ne unquam memorentur in orbe.
Attamen haud pereat; perſiſtat quælibet imo:
Stent, inquam, Herculeæ, ſtent jam ſine fine columnæ,
Et quæcunque aliquod facinus memorabile ſignat,
Inſuper has radians inſurgat ut altior iſta,
Hoc titulo PLVS VLTRA OMNES inſcripta ſupremo.

Ad baſim apponit, et fiſtit: In obſequium tandem ejuſdem immaculatæ Deiparæ conceptionis, libuit hic inſuper annectere ſequentia pura anagrammata multiplicia, quindenario, vel ter quinario numero, quaſi *novo Roſario*, concinnata, ac reſoluta ex verbis illis Angelicæ ſalutationis:

AVE, MARIA, GRATIA PLENA! DOMINUS TECUM.

Quindecim pura anagrammata ex præmiſſis verbis pure ac feliciter effformata apud Agnenſem.

1. Cano reginam jure tutam è lapſu Adami.
2. Pura unica ego ſum, Mater alma Dei Nati.
3. Ego aurum nitens, immaculata Deipara.
4. Sat pura è malo Adami Increatum genui.
5. Aula ſum tota munda, ac regina empyrei.
6. Reginam videtis à nota maculæ puram.
7. Ego ſuperna, immaculata, divina Mater.
8. Pia, munda, juſta, alma Creatorem genui.
9. Ruat anguis amare, immane caput elido.
10. Tota ſine macula Adami, pure germinavi.
11. Pergam inviolata, ac munda Mater JESU.
12. Deipara inventa ſum, ergo immaculata.
13. Digna Mater JESU, et pura à macula omni.
14. En regia tota lucida, anima ſumme pura!
15. Ergo ſine macula à vita; nam Deum parit.

NOTITIA *poſterior.*

Poſt præmiſſa jam exarata, et coordinata, nunc ad manus meas actu pervenit decretum ſanctiſſimi Benedicti XIV. actu regnantis die 5. Decembr. anni 1747. ſuper cauſa Vener. Matr. Agredanæ, et breves adnotationes ſuper illo typis Romæ mandatæ, ubi in 2. ſuper doctrina ſic traditur ——

Quod reſpicit *doctrinam*: 1. Ne unum quidem verbulum contra eam tam in literis, quam in decreto, profertur. 2. Laudantur reſponſiones, quas nos dedimus noviſſimis acerrimis animadverſionibus, quas reverendiſſimis fidei promotor, aliique cenſores contra doctrinam myſticæ civitatis exarârunt. 3. Quia doctrina hæc teterrimis obſervationibus à P. Amort

fuit impetita, et à P. Didaco Gonzales Matthæo argumentis ſolidiſſimis vindicata, hic, et non ille, *Docti* titulo à Summo Pontifice decoratur. 4. Licet approbatio doctrinæ non fuerit expreſſe definita, pluſquam tacite tamen decreta eſt: prout ſatis ſuperque declarant verba illa; *Niſi prævio iterato novo definitivo decreto.* 5. Tandem, quia à quamplurjbus, qui huic doctrinæ infenſiſſimi ſunt, ejuſdem doctrinæ examen, et judicium ad ſacrum Inquiſitionis tribunal ſpectare contenditur, ne unquam ejuſmodi infenſiſſimi homines voti ſui compotes fiant, et cauſæ gravamen hoc inferatur, judicium, et examen à ſolo Summo Potifice fieri debere decernitur verbis illis; *A nobis, aut à noſtris ſucceſſoribus, edendo.*

Quod tandem pertinet ad auctorem, ſi abſolute decretum fuiſſet, *Non conſtare opus myſticæ civitatis eſſe ſervæ Dei Mariæ à Jeſu de Agreda*; graviſſimum fateor huic operi damnum illatum eſſet; tanti enim oraculo Pontificis nimis fuiſſet confirmatum dubium illud, quod tam malis artibus à dæmone potius, quam ab homine, in univerſa Europa diſſeminatum eſt. At quando dicitur à Sede Apoſtolica, non conſtare ex eo, quod probationes omnes, quæ deduci facile poſſunt, non adhuc deductæ ſint; *Ex hactenus deductis*; declarando ulterius; quod probationes deductæ ideo adhuc non ſunt, prout oportet, inconcuſſa, quia ſumus in caſu examinis, quod fit ad effectum beatificationis, et canonizationis; prout oportet, in caſu, et ad effectum, de quo agitur; in quo caſu nullæ, quæ fieri poſſunt, diligentiæ à Sede Apoſtolica omitti debent, ad obſtruendum os loquentium iniqua; nemo eſt, qui non videat, tantum abeſſe, ut ejuſmodi decretum noceat operi, ut illi perquam maxime profit. Deductis enim probationibus, quæ à Sede Apoſtolica præſcribuntur, ſtatim ex decreto ipſius Apoſtolicæ Sedis conſtabit opus hoc eſſe ſervæ Dei; et ſtatim per conſequens profligabitur dubium illud, de quo ſupra diximus adeo eſſe operi pernicioſum. Quod quidem, ut patet, eſt beneficiorum omnium maximum; doctrina enim tam pura eſt, ac tam ſolida, ut ipſa ſeſe, nemine defendente, tueatur; at non ita auctor, contra quem exortum dubium ſolo Apoſtolicæ Sedis decreto poteſt evaneſcere. Profligato vero ejuſmodi dubio, et virtutibus ſervæ Dei in gradu heroico de more demonſtratis, quis eſt, qui non videat tantum operi ſplendorem accedere, ut ex ipſo potuerit Pontificio decreto divinum illud eſſe, et non humanum inferri? Fatentur omnes opus hoc, neque eſſe à dæmone, neque à ſerva Dei ex puris viribus naturæ: ergo vel à Deo, vel ab homine. Conſtito eſſe ſervæ Dei, conſtat non eſſe ab homine: ergo à Deo.

ALLEGATIO CXLIII.

Super Prædeſtinatorum numero Reprobos excedentium.

SUMMARIUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Ex tota collectione fidelium numerus prædeſtinatorum erit abſolute major numero reproborum.*
III. *Probatur ex S. Pagina.*
IV. *Ex rationibus.*
V. *Confirmatur ex fine creationis angelorum, et hominum.*
VI. *Et ex majori efficacia gratiæ, et ſanguinis Chriſti, quam peccati, et dæmonis aſtutiæ.*
VII. *Et ex pluribus indecentiis à contrario reſultantibus.*
VIII. *Recta ratio ſuadet, quod detur aliquod tempus futurum, quo major pars hominum Deo et virtuti inſerviat, ſicut nunc de facto vitio famulatur.*
IX. *Alia efficax ratio à paritate numeri angelorum præſervatorum in majori parte.*
X. *Auctoritas aliquorum DD. etiam moderni Joſephi à D. Benedicto laici Benedictini.*
XI. *Et illius operum cenſorum.*
XII. *Argumenta plura, in contrarium,*
XIII. *Solvuntur.*
XIV. *Probabile eſt, quod numerus prædeſtinatorum futurus ſit duplo major numero reproborum.*
XV. *Neque obſtat illud* puſillus grex, *et alii ſimiles textus.*
XVI. *Quænam ſententia ſit reipſa probabilior?*
XVII. *Quomodo gradatim excedantur chori angelici?*
XVIII. *Quam innumero angelorum numero abundet etiam hic orbis inferior?*
XIX. *Soli Deo cognitus eſt numerus prædeſtinatorum in ſuperna felicitate locandus.*
XX. *Corollaria pro utriuſque ſententiæ probabilitate.*

I. DUM anno 1712. publicas theſes theologicas, et ſcripturiſcas, ex meo tractatu *de republica dæmonum* deſumptas palam patrocinarem, occaſione ruinam angelorum quoad tertiam partem, juxta illud Apoc. xii. 4. *Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, et ejus reparationem ex illo Pſ. cix. *Implebit ruinas*, exponendi, probabilem eſſe aſſerui opinionem tenentem numerum prædeſtinatorum abſolute, ex tota hominum collectione, futurum eſſe majorem numero reproborum; quam quidem probabilitatem extrinſece, et intrinſece, fundatam oſtendebam. Conſulto tamen abſtinui ab aſſeveratione abſoluta illius eventus, eo quod prænoſcerem, in tribunali S. Inquiſitionis Conimbricenſis anno 1667. unam ex propoſitionibus magni patris Antonii Vieyræ cenſuratam, eam quidem fore. Poſtea tamen reperi in operibus Vener. fratris Joſephi à D. Benedicto fratris laici Benedictini, abſolutam aſſertionem, numerum prædeſtinatorum, ex tota hominum collectione, futurum abſolute majorem numero reproborum ſtatuentem. Cujus quidem occaſione quid juſtæ cenſuræ circa hæc induci poſſit, enucleandum venit.

II. Et imprimis, numerum prædeſtinatorum, ex collectione fidelium, futurum quidem longe majorem numero reproborum, eſt communiſſima DD. et SS. PP. opinio, quam adducunt doctores ſcholaſtici, et expoſitivi, ſignanter P. Soar. Ruiz. Granad. &c.

Pro exceſſu, et majoritate numeri prædeſtinatorum præ reprobis, ex tota hominum collectione, abſolute probabiliter ſteterunt D. Gregor. D. P. Aug. infr. cit. Magiſt. Sent. in 2. qui *tanquam certum ſupponit* (ait Soar.) *homines ſervandos æquales fere cum angelis bonis*: Hug. Bed. Alcaz. Ludolph. Carthuſian. de finali judic. Raban. et alii, quos preſſo nomine citat Alap. quatenus aſſerunt, plures homines ſalvandos eſſe, quam dæmones corruentes fuiſſe. Tenent etiam Paludan. Durand. et alii cit. à Soar. l. 1. de angel. c. 11.

III. Probatur hæc opinio, 1. Ex illo Deut. xxxii. *Statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Dei*, id eſt, *angelorum Dei*, ut vertunt Septuaginta, et alii; ad quod D. Gregor. *Quia*, ait, *tanta illuc aſcenſura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remanſit angelorum.* Ergo vel tot homines ſalvabuntur, quot angeli remanſerunt in cœlo, vel quot inde corruerunt, ad verificandum adæquate illud Pſal. cix. *Implebit ruinas*: ut exponunt communiter interpretes. Et D. P. Aug. ſic ait in enchirid. *Civitas Dei nulla civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, aut uberrima etiam copia fortaſſe regnabit*: vel ſaltem, ſicut ex angelis ſola tertia pars periit, et duæ partes ſalvæ factæ ſunt; ita in hominibus eveniet, pro quibus majores intercedunt rationes, quibus P. Vieyra ſtabiliebatur, infra propalandæ. Et ſane prima ſententia refertur à Magiſtro Sententiarum in 2. quæ etiam tribuitur D. Greg. ſup. Luc. xv. et in hoc ſenſu intelligendus eſt Fr. Joſeph. Benedictinus infra cit. Inclinat D. Anſelm. l. 1. *Cur Deus homo*, c. 18. utramque ſententiam probabilem dicens, et irreprehenſibilem; ibi: *Vel plures homines eligendi ſunt, quam ſint angeli perditi, an non: et alterum horum exiſtimamus magis quam alterum? nullum poſſe eſſe animæ periculum, nec arbitror reprehenſibilem.*

2. Ex

2. Ex Jac. ii. *Superexaltat miſericordia judicium:* cui conſonat Pſ. cxliv. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*; ex quo cum Beda multi colligunt, *plures per Dei miſericordiam ſalvari, quam per judicium damnentur.* Et in hoc ſenſu Hugo cardinalis præmiſſum textum explicat.

IV. 3. Efficaciter; Quia Apoſtolus, 1. ad Cor. xv. morti à primo Adamo cauſatæ, contraponit vitam à ſecundo Adamo, nempe Chriſto, indutam: atqui non minus, imo magis potens eſt Chriſtus ad vivificandum, quam Adamus ad mortificandum: ergo ſi mors per primum Adamum introducta ſeſe extendit ad omnes homines, vita per ſecundum adducta, cur non ſeſe extendet ſaltem quoad majorem hominum partem?

4. Ex eodem ad Rom. v. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita et per unius obeditionem juſti conſtituentur multi. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia; ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita ut gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam:* atqui abundantia delicti per legis tranſgreſſionem multos adducet in mortem; ergo ſuperabundantia gratiæ per legis obſervationem multo plures adducet in vitam æternam: aliter non ſuperabundaret gratia peccato.

V. Confirmatur, 1. Quia juxta D. Bonav. et alios PP. Deus creavit tam angelos, quam homines ad ſuæ bonitatis et miſericordiæ divitias in illis oſtendendas; atqui divina bonitas, ex natura angelica, non niſi tertiam partem permiſit perire: ergo ſimiliter. Urgeo confirmationem; quia majores et uberiores rationes cogunt Deum, ut miſeratius attendat ad naturam humanam, quam ad angelicam; tum quia illa eſt fragilioris conditionis; tum quia eſt majoris nobilitatis propter ſummam cum Deo conjunctionem per unionem hypoſtaticam; tum etiam quia pro illa mortuus eſt Chriſtus, totum ſui ſanguinis, et meritorum valorem pro illa expendens: deinde advocatum habemus apud Patrem Chriſtum fratrem noſtrum, necnon ejus, noſtramque Sanctiſſimam Matrem Mariam Virginem: ergo ſi Deus, tantum propter ſuam bonitatem, majorem partem angelorum ſalvavit, propter illam, et tot alios titulos, etiam hominum major pars ſalva fiet.

VI. Confirmatur, 2. Quia non minus efficax eſt gratia, et ſanguis Chriſti ad nos glorificandos, quam dæmonis aſtutia ad deſtruendos.

3. Quia regnum Chriſti erit ex omni parte perfectius, majus, et copioſius, regno diaboli: ergo in numero incolarum humani generis, ſicut in reliquis, illud excedet incomparabiliter: aliter gloriaretur diabolus, quod plures homines in ſuum regnum potens fuerit adducere, quam Chriſtus in ſuum; et quaſi Chriſto inſultaret, quod minus efficaces fuerint divinæ inſpirationes, quam ejus inſtigationes.

Hoc argumentum tangit etiam Vener. cit. Fr. Joſephus Benedictinus, dicens; *Divinam dedecere majeſtatem, quod majus eſſet imperium dæmonis, quam Chriſti; non enim Deus factus eſt homo, paſſus, mortuus, et ſepultus, neque ſanguinem fudit, ut in tanta hominum paucitate adimpleretur redemptio.*

VII. Confirmatur, 4. Quia indecens videtur, quod etiam divina juſtitia, et æquitas permittat plures animas in æternum perdurare in odio, et blaſphemiis ipſius Dei, quam quæ in illius laudibus, et amore permanebunt, præcipue cum omnes illas propter gloriam ſuam creaverit Deus. Hæc congruentia erat P. Vieyræ.

5. Quia cœli infinita, et immenſa magnitudo veluti ad oculum ſuadet, quantus erit numerus ſuorum civium, qui illud implebunt; et, è contra, brevitas illius arctiſſimi carceris in corde terræ intercluſi, quam parvus reſpective ad illum numerus ſuorum incolarum.

6. Quia tam apud angelos, quam homines, plus dabitur gloriæ in cœlo, quam pœnæ in inferno apud utroſque: ergo ſimiliter plus gloriam participantium.

VIII. Confirmatur, 7. Quia recta ratio ſuadere videtur, quod ſicut major pars hominum de facto nunc temporis ſervit diabolo, et ejus pompis, necnon mundi vanitatibus, et concupiſcentiis carnis et oculorum, ac per conſequens perit; ita de futuro veniet tempus, quo major pars hominum ſerviet Chriſto, ejus ſpiritui, ac virtutibus, et conſequenter ſalutem conſequetur; Deus enim inordinationes unius temporis alio feliciori ſolet emendare.

IX. Hanc etiam congruentiam tetigit ipſemet inſignis P. Vieyra, cum alia à paritate angelorum deducta, quæ prima, et præcipua illi erat, et merito: ſi enim Deus ille, cujus natura bonitas, cujus opus potentia, et cujus inclinatio miſeratio eſt, quique omnipotentiam ſuam parcendo maxime, et miſerando manifeſtat, propter ſuam bonitatem præciſe ex tota collectione angelorum abſolute, nonniſi tertiam partem periiſſe permiſit; ex tota collectione hominum fragiliorum, et uberiori meritorum ſuffragio ſuffultorum, aliarumque efficaciorum, jam ſuperius inſinuatarum, rationum pondere prævalentiori coadjutorum, cur non ſaltem majorem partem indemnem præſervabit? præſertim cum, juxta D. Paul. Epheſ. i. 10. *Omnia inſtauranda ſunt per Chriſtum in cœlis, et in terris.*

X. Auctoritate etiam probatur ex Magiſtro Sententiarum, in 2. diſt. 9. ex D. Aug. D. Gregor. Bed. Ludolph. et aliis præcitatis; quibus addendi noviſſime DD. qui cenſuras ediderunt ſuper opuſculis Fr. Joſephi à D. Benedicto, ex ordine Ciſtercienſi, Dominicano, Franciſcano, et ex ſociet. Jeſu, infra ſignati, et ipſemet Fr. Joſephus, religioſus laicus, et idiota, in celeberrimo monaſterio B. Mariæ de Monte Serrato ordinis D. Benedicti, qui plane rudis, et imperitus, ſuperne illuſtratus, varia opuſcula tum Latino, tum Hiſpano idiomate ſcripſit, et 2. p. op. 6. et 8. expreſſe tradit, numerum hominum ſalvandorum adæquaturum numerum angelorum corruentium; quod probat ex illo Pſ. cix. *Implebit ruinas*; et ex illo Joann. xiv. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt:* ex Iſa. xlix. *Deſerta tua, et ſolitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc anguſta erunt, præ habitatoribus tuis:* et ex eodem, lxi. *Et ædificabunt deſerta à ſæculo, et ruinas antiquas erigent.*

Et expreſſius, op. 8. ad illud Apoc. xxi. *Civitas in quadro poſita eſt. Et latitudo et longitudo ejus æqualia ſunt,* &c. (ubi pro *longitudine* intelligit naturam angelicam; pro *latitudine* autem naturam humanam glorificatam) palam fatetur, *numerum electorum naturæ humanæ æqualem futurum numero electorum angelicæ naturæ.* Quod tamen intelligendum videtur *proportionaliter*, modo ſupra explicato, non vero *arithmetice.*

XI. Hanc ſententiam plures DD. firmant in doctiſſimis cenſuris opuſculorum illorum; videlicet, magiſtri Joannes Baptiſta Lardito, Fr. Joſephus de Barnuevo, Fr. Dominicus Loſſada, Franciſcani; Fr. Franciſcus Sotelo, Fr. Malachias de Moyorga, Fr. Joannes Fernandes, Fr. Adrianus Menendes, Fr. Didacus Varela, et Fr. Felix Setane, Ciſtircienſes; P. Iſidorus Guelar, et P. Franciſcus de Miranda, Jeſuitæ; Fr. Ignatius Garrote, Dominicanus; Fr. Joannes Interian. de Ayala, Mercenarius; et D. Joannes de Campo Verde, clericus ſæcularis.

XII. Oppones tamen, 1. Illud Matt. vii. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam; et pauci ſunt, qui inveniunt eam.*

2. Zachar. xiii. *Partes duæ in ea diſpergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in ea.*

3. Parabolam de decem virginibus, Matt. xxv. ubi æqualis numerus reprobatur, ac ſalvatur.

4. Parabolam de ſemine, Luc. viii. cujus ſola quarta pars attulit fructum.

5. Paucos illos, qui in arca diluvio ſuperſtiterunt; et Joſue, et Caleb, qui ſoli ingreſſi ſunt promiſſionis terram, conſumpta in tranſmigratione reliqua multitudine, quorum ſoli, qui arma capiebant, fuerunt ſexcenta millia hominum.

6. Aliquas PP. auctoritates afferentium, ex centum vix unum ſalvari. Et tandem conſtat, in die mortis, ſeu potius natalis D. Bernardi, triginta millia hominum è vita migraſſe, quorum unus monachus cum ipſo Bernardo ſtatim in cœlum fuit tranſlatus, tres animæ tantum in purgatorium, reliquæ vero in infernum detruſæ.

7. Tandem, Matt. xxii. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Quod communiter interpretatur de vocatis ad fidem.

XIII. Reſpondetur ad 1. Vel loqui de perfectione evangelica, quam, Chriſto prædicante, Judæi deſpexe-

ſpexerunt; vel, quod cum in ſola Judæa tunc temporis notus Deus erat, pauci etiam erant, qui ſalvi fiebant. Et hæc reſponſio inſervit ad caſum animarum cum D. Bernardo defunctarum.

Ad 2. Reſpondetur, ſermonem eſſe de tertia parte, quæ poſt mortem Chriſti veram fidem erat aſſecutura, manente una in Judaiſmo, alia in Gentiliſmo. Ita cum D. Remigio, et Alb. Alap. et alii.

Ad 3. Reſp. cum Salmeir. per id tantum deſignari, quod ex univerſo fidelium cœtu altera pars in cœlum admittitur, altera ab illo excluditur; non vero quod æqualis ſit reproborum numerus, ac prædeſtinatorum.

Eodem modo reſpondetur ad 5. Aliter ex univerſo orbe ſeptem tantum, ut in diluvio; et ex tot millibus duo ſolummodo, ut in tranſmigratione Judæorum, ſalvi erunt; quod duriſſimum eſt.

Ad 4. Reſp. juxta interpretationem ejuſdemmet Chriſti ibidem, ſermonem eſſe de verbo Dei, quod quidem plures ſunt, qui non adimplent, quam qui perfecte obſervant.

Ad patrum teſtimonia, Reſp. Locutos eſſe ſecundum præſentem juſtitiam; plures enim ſunt peccatores, quam juſti de facto; non tamen negare, illos, ſi convertantur, fore ſalvandos. Imo veniet tempus, quo plures erunt juſti, quam peccatores, juxta dicta infra, alleg. crit.

Ad 7. Reſp. 1. Textum intelligendum eſſe de vocatione Judæorum ad legem evangelicam, quam apoſtoli dumtaxat cum aliis paucis diſcipulis ſunt amplexati. Ita Salmeir. affirmans, hanc eſſe literalem interpretationem, et patet ex contextu. Reſp. 2. Textum accipiendum eſſe in eodem ſenſu, quo Chriſtus antea in parabola vineæ, c. xx. illum protulerat; ubi *vocatos* non poſſe intelligi de reprobis, evidenter patet; nam, ut bene notat Arr. tam *vocati*, quam *electi*, omnes acceperunt *denarium*; quod, juxta commune cum D. Thom. deſignabat viſionem beatam, quoad ſpeciem. Senſus ergo eſt, vel quod gentes Judæis præferendæ erunt in electione, ut patet ex illo, *Erunt noviſſimi primi*, &c. vel quod ex prædeſtinatis pauci ſint electi inter electos; pauci enim ſunt, qui per mortificationem ab hac vita decedunt purgati. Ita P. Vieyr. tom. 2. ſerm. 22.

XIV. Stabilita autem probabilitate hujus ſententiæ, quam quidem, ut probabilem tantum, ſuſtineo, conſequens eſt etiam probabilitas alterius (præſcindendo ab eo, quod reipſa futurum eſt); videlicet, probabile eſſe, quod numerus prædeſtinatorum erit duplo major numero reproborum.

Prob. 1. A paritate angelorum; in quo ſenſu videtur accipiendum illud; *Statuit terminos populorum, juxta numerum angelorum Dei.*

Prob. 2. Ex parabola ſervorum talenta accipientium, quorum unus tantum fuit vituperatus, duo vero in gaudium Domini recepti. Et hæc parabola etiam facit pro reſolutione ſupra poſita; quæ quidem, ut magis pia, magiſque divinæ clementiæ, et bonitatis commendativa, contrariæ ſententiæ eſt præferenda.

XV. Oppon. adhuc illud Luc. xii. *Nolite timere, puſillus grex*: ad quod Beda ait; *Puſillum gregem dici ob comparationem majoris numeri reproborum.* Sed contra; Quia hanc expoſitionem non eſſe infallibilem, idem A. ſatis demonſtrat, addens; *Vel potius ob humilitatis devotionem.* Reſp. tamen, etiam in primo ſenſu, gregem apoſtolorum dici puſillum *reſpective* ad Judæos nolentes ad Chriſtum venire; et gregem fidelium dici puſillum *comparative* ad infideles, qui etiam hodie adhuc plures ſunt. Ad illud, quod etiam objiciunt, electos tritico, reprobos autem paleis comparari; reſp. Hoc tantum intelligendum eſſe, quoad ſeparationis, atque combuſtionis, et conductionis ſimilitudinem, non vero quoad numeri rationem. Tandem, Apoc. c. viii. et ix. figurate habetur, quod tertia pars hominum ſit perdenda.

XVI. Quænam autem ex præmiſſis ſententiis præ alia, ut probabilior, amplectenda ſit? Certum eſt, 1. Quod ſententia prima, de qua Magiſt. Sent. in 2. tenens, tot homines in cœlum aſcenſuros, quot illic contigit angelos remanſiſſe, non obſtante textu Deut. xxxii. *Statuit terminos populorum, juxta numerum filiorum Dei*; imo et ſecunda aſſerens, tot homines ſalvandos, quot angeli corruerunt; facile improbantur, et contrariæ communi theologorum ſententiæ demonſtrantur.

Nam, juxta communem theologorum doctrinam, cum Magiſtro Sententiarum in 2. et D. Thom. ad illum, et alibi, omnes chori angelici, quo in perfectionibus ſuperiores exiſtunt, conſequenter et in numero ſuperiores evadunt. Quod quidem probatur, 1. Ex Dan. vii. *Millia millium miniſtrabant ei, et decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; ubi ponitur major numerus incomparabilis ſuperiorum, videlicet, *aſſiſtentium*, quam inferiorum, nempe *miniſtrantium.* 2. A paritate; Quia, juxta communem opinionem, cœlum empyreum excedit in magnitudine omnes alios inferiores, et omnia elementa collective ſumpta: et primum elementum excedit cuncta inferiora, etiam collectim ſumpta: ergo ſimiliter primus chorus angelorum excedit omnes alios inferiores collectim ſumptos, et prima hierarchia duas alias ſubalternas conjunctive, atque exceſſu incomparabili.

XVII. Atqui, ſecundum etiam doctrinam communem, cum D. Thom. et Sententiariis, cum quibus et Nieremb. to. 3. infimus chorus angelorum excedit omnia individua humana, et omnes ſpecies creatas, veluti in infinitum: nam præter illos, qui pro ſingulari cuſtodia hominum ſinguli ſingulis ita ſingillatim deputantur, ut qui cuſtos inceſſit unius individui humani, alterius nullius cuſtodiam unquam exerceat, ut tenet communis ſententia, cum D. Thom. deducta ex illo Matt. xviii. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*; ex illo Pſ. xc. *Angelis ſuis mandavit de te*; et ex aliis; reſtant alii plures pro qualibet ſphæra cœleſti, pro quolibet aſtro, ut tenet Nieremberg. vel ſaltem pro principalioribus, ut fert communis cum Suario, et deducitur ex Job ix. *Sub quo curvantur, qui portant orbem*; licet non ut veri, et proprii cuſtodes, ſed ut aſſiſtrices, ac motrices intelligentiæ, et alii pro quolibet elemento, imo et pro quatuor ſaltem ventis, vel pro principalioribus, quibus Deus frequenter uti ſolet, quaſi flagellis, ad divinæ ſuæ juſtitiæ vindictam, ut claret ex Apoc. vii. viii. et alibi; et ex illo, Eccli. xxxix. 33. *Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt*; et ex Geneſ. xix. atque Exod. xii. Mat. x. et xv. et pro qualibet creata ſpecie, ut contra Cayet. tenent communiter medii cum Suar. et etiam adducitur ex Apoc. vii. 3. &c. ut notat Alap. ex familiaribus locutionibus illis angelorum ſuperiorum inferioribus cuſtodibus, vel executoribus: *Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus*, &c.

XVIII. Deinde ſuperſunt plures alii pro debito, et obſequioſo ſatellitio, et reverentiali aſſiſtentia corpori Chriſti in ſacra euchariſtia per univerſum orbem multipliciter ubicunque aſſiſtente; nam, *ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*; alii vero pro dæmonum inſidiis, nocumentis, ac maleficiis cavendis, avertendis, ac reprimendis; qui quidem multo plures eſſe quam dæmones ipſi, aperte dignoſcuntur ex 2 Paralip. xxxii. 7. *Multo plures nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Dæmones, inquam, per omnia elementa, omniaque telluris loca diffita ſparſim, diſtincteque graſſantes, ut conſtat ex diſtinctione vulgari, ac notiſſima apud Delrium, Petr. Tyræum, et alios in dæmones aereos, æthereos, infernales, aquatiles, terreſtres, campeſtres, &c. Quæ etiam diſtinctio deducitur ex Epheſ. vi. *Adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* (Mitto prope infinitos illos, qui tutelares ſunt principum, prælatorum, et aliarum perſonarum inſignium, qui ad cuſtodiam, ac tutelam ſuorum clientum aſſumuntur ex choro archangelorum, ut patet ex Gabriele archangelo in cuſtodem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ deputato, et ex communi cum D. Thom. doctrina, et omnes illos, qui ex choro principatuum aſſumuntur, ut evincitur ex Dan. x. *Princeps exercitus Perſarum reſtitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael unus ex principibus primis*, &c. et ex aliis locis, et eſt communis TT. ſententia cum D. Thom.).

Ergo, cum aliunde etiam conſtet, Apoc. xii. tertiam partem angelorum cecidiſſe; implicat, tot homines ſalvandos fore, quot angelos ex omnibus choris contigit corruiſſe, quæ eſt ſecunda ſententia; cum ſolus infimus chorus angelorum omnia individua humana, et omnes ſpecies creatas, numero incomparabiliter longe

longe excedat; et multo minus, quod tot homines ſalvandi ſint, quot angeli corruerunt, ex eadem ratione exceſſus incomparabilis.

XIX. Certum eſt, 2. Quod ſoli Deo *cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus*, ut recitat eccleſia. Attamen cum ex Sacra Pagina conſtet, quod omnia ſapienter *in numero, pondere, et menſura*, Deus ipſe fecit, ac *diſpoſuit*, Sap. xi. 21. et quod *quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt*, Rom. xiii. ex ipſo recto ordine, ac numerata, menſurataque diſpoſitione aliarum rerum, poteſt probabiliter conſimilis aliarum diſpoſitio conjectari. Hincque valde probabilem putare, accedentibus congruentiis præmiſſis, ſententiam ſtatuentem prædeſtinatorum numerum ex tota collectione hominum abſolute duplo majorem numero reproborum.

XX. Ex his ſatis conſtat hujuſce ſententiæ probabilitas; quam quidem, ut probabilem dumtaxat, hic inculcamus. Contrarium autem de majori numero reproborum ex tota collectione hominum, ut certam, communiter SS. PP. paſſim exponunt; imo in lib. 4. Eſdr. c. viii. (qui quamvis actu canonicus non ſit, talis de futuro ſperatur, et magnæ auctoritatis de præſenti incedit) ſic traditur: *Hoc ſæculum fecit Altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos . . . Multi quidem creati ſunt; pauci autem ſalvabuntur.* Et c. ix. 15. *Plures ſunt, qui pereunt, quam qui ſalvabuntur:* quod quidem primum effatum (aliter de ſecundo) non ipſius eſt Eſdræ, ſed ab angelo eidem prolatum, ac declaratum. Et hæc eſt cohærentiſſima SS. PP. ſententia, à qua non licet recedere. Nam, juxta D. Bonavent. de perfect. relig. l. 2. c. 71. *Nihil recipiendum eſt, quod ab eccleſiaſticorum doctrina magiſtrorum, et approbatorum theologorum traditione diſſonat; nec vertendum in dubium, quod ab eis univerſaliter cum teſtimoniis SS. PP. fuit rationabiliter definitum.* Ad rationes congruentiarum ſufficienter reſp. Regnum Chriſti conflatum ex angelis, et hominibus, eſſe abſolute majus, et extenſius, regno diaboli; et plures creaturas rationales abſolute ex toto illo conflato in laudes, et amorem Dei per totam æternitatem, quam in ejus odium, et blaſphemias exercendas. Sed de hoc iterum infra, alleg. critica.

ALLEGATIO CXLIV.

Super non Effluentia Sanguinis ex Vulneribus, et non Inciſionis Ferri, an naturali Virtute, an ſemper Ope Dæmonis, eveniant?

SUMMARIUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Non datur mixtum cum virtute naturali ferrum hebetandi, ac obtundendi.*
III. *Confirmatur ex ipſis artificioſis ingredientibus bulgularum.*
IV. *Virtus aliquarum radicum inſulæ Timorenſis, et Madagaſcarenſis ad ſanguinem reſtagnandum, ac detinendum, ne è vulneribus effluat.*
V. *Ipſemet effectus proveniens ex mere artificialibus, nil naturalis efficacitatis habentibus, diabolicus reputandus.*
VI. *Argumentum ex ſanguine aſinino, naturalem virtutem habente ad curandam maniam ex maleficio provenientem, ſolutum.*
VII. *Mirabilis, rarus, et forſan ſingularis caſus naturalis ſanguinis virtutis ad recognoſcenda, ac diſtinguenda oſſa cadaveris progenitoris, apud A. eventus.*
VIII. *Non inficiebat illam virtutem naturalem eſſe cognitio illius, forte dæmonis ope præhabita.*
IX. *Confirmatio ex doctrina Martini Delrio.*
X. *An ſudor Chriſti Domini in horto, et aliorum ſervorum Dei, in aliquibus fuerit naturalis, an præternaturalis, problema eſt.*
XI. *Doctrina Verricell. Pignatell. et aliorum, ſuper ſanguinatione cadaveris ad præſentiam occiſoris, ſitne à natura, vel à Deo, vel à dæmone.*
XII. *Artificioſas crumenulas illas ſuperſtitioſas vendentes, et illis utentes, niſi ex ignorantia excuſentur, denuntiandi ſunt inquiſitoribus, vel ordinario, ſi hæreſim manifeſte non ſapiat ſuperſtitioſus uſus ille.*
XIII. *An licite petatur à magico ſolutio maleficii abſque novo maleficio diſſolvendi?*
XIV. *An etiam à dæmone, pacto ſecluſo, petatur opus, quod ipſe naturaliter patrare quit?*

I. IN Braſilia, præſertim in ditione Bahienſi, ſunt aliqui homines fuſci, ex Æthiopiſſis, et Europæis, mixte progeniti, quos Latini *Hybridas*, Luſitani vero *Mulatos* appellant, qui fere publice ſolent vendere quaſdam burſulas, ſive bulgulas, vel crumenulas, alias, ut qui eas portaverint, ferro vulnerari non valeant, alias vero, ut, quamvis feriantur, nullus ſanguis defluat ex vulneribus, vel ſciſſuris. Quæritur igitur, 1. An aliquis horum effectus à natura provenire poſſit, an ſemper à dæmone? 2. An denuntiandi, tam vendentes, quam ementes eas burſulas, et eis ad illos effectus utentes?

II. Quoad primam partem primi quæſiti, certum omnino eſt, nullam dari, neque hactenus repertam eſſe, alicujus mixti aliquam virtutem naturalem, quæ ferrum naturaliter hebetare, vel obtundere valeat, ne feriat, vel ne penetret carnem, aut cutim. Quare uterque ille effectus dæmoni, ex pacto cum magico inito, tribuitur; et paſſim videmus in tribunali S. Officii reos iſtiuſmodi punire. De quo DD. infr. cit.

III. Confirmatur evidenter ex materia, ſive ingredientibus, in talibus crumenis repertis; hæc enim (ut in Bahia, velut ocularis teſtis, experimento didici) nil proportionatum, aut efficax ad effectus illos edendos præcontinent; ſunt namque, ut in illa coram me eviſcerata, et circumſpecte examinata, cornu raſuræ, ferri limaturæ, capilli, et alia ſimilia; quæ tandem combuſta intolerabilem exhalârunt fœtorem. Quæ quidem burſula nedum portantem ferro impenetrabilem reddebat, verum et viribus multis hominibus prævalentem; quatuor namque viri fortes, dum illi burſam non abſtulerunt, neque illum detinere valebant; ablata vero bulgula, ſtatim viribus emarcuit, et ceſſit.

IV. Quoad ſecundam vero primi quæſiti partem, certum eſt etiam in inſulis Timorenſi, et Madagaſcar, ſive S. Laurentii, quandam radicem reperiri, quæ quidem, quamdiu ab inſulanis illis corpori unita aſportatur, omnino impedit ſanguinis effluvium è vulneribus, quantumvis amplis, ac profundis, ut ſæpe Luſitani in præliis reciprocis palam experti ſunt. Quare effectus ille radici huic naturaliter tribuitur, ipſa experientia comprobante. Quod quidem etiam phyſice confirmat naturalis virtus lapidum illorum, qui ſanguinem reſtagnant, et ab hoc effectu vulgo *eſtanca ſangue* nuncupantur, et aliorum ſimilium, de quibus Delrio de magia, l. 1. c. 3. q. 4. Curvo Polyanth. Nieremb. to. 3. et alii.

V. Aſt, ſi talis effectus proveniat ex aliqua burſula conſimili præmiſſis, nil efficacitatis in ingredientibus præcontinens, utique diabolicus reputandus eſt, et ſubjectus denuntiationi, ſaltem illud fabricantis, juxta reſolutionem Pignatell. conſ. nov. tom. 2. c. 144.

VI. Dices ex Curvo in Polyanthea; Sanguis aſininus naturalem continet virtutem, et efficaciam adverſus maniam ex maleficio provenientem; et tamen maleficium fuit ope dæmonis confectum: ergo ſimiliter poterit in burſis illis præcontineri aliquod ens phyſicum præcontinens naturalem virtutem, quamvis à dæmone revelatam, ad effluvium ſanguinis detinendum; ac per conſequens, &c. Reſp. Iſtum effectum non eſſe dæmoniacum phyſice, et effective, qua parte provenit à naturali virtute rei phyſicæ; et ſolum improprie, et directive, vel doctrinaliter, eſt à dæmone edocente. Sic medicus, vel phyſicus, poteſt naturaliter curare ægrotum naturali applicatione herbarum, quarum naturalem virtutem à dæmone revelatam aliis agnoverat, ut de facto pulveris tormentorum bellicorum uſus, dæmone revelante cuidam magico regi Si-

narum, inventus eſt, ut illius imperii narrant hiſtoriæ. Vid. Pignatell. cit.

VII. Occaſione iſtius replicæ narrabo et ego quod mihi in inſula Goana evenit per annos 1730, plus minuſve; cum enim Indus quidam parœciæ Dominæ noſtræ *Ribandarenſis* à me licentiam ſupplicaret exhumandi cadaver parentis, in illa parochiali eccleſia ſepultum, ad ejuſdem oſſa in ſacellum publicum *Chimbelicum*, ubi ejus aſcendentes humati fuerant, tranſferenda; et me licentiam concedente, dummodo oſſa paterna à reliquis ſejungi, ac diſtingui poſſent; pergens orator cum hac facultate ad parochum, et à deſignata ſepultura omnibus oſſibus, et omnibus calvariis exhumatis, hac notabili diligentia diſtinxit:

Fecit igitur Indus ille manu dextra brevem quodam cultello inciſionem in digito manus ſiniſtræ; et ex ſanguine guttatim defluente inſtillavit guttam ſupra primam calvariam, quæ quidem guttula immota, et inalterata ſuper cranium permanſit. Quod et pariformiter, atque abſque alteratione aliqua, ſuper ſecundam, et tertiam effecit. Cum autem perveniret ad quartam, vel quintam calvariam, ſtatim ac gutta ſanguinis defluentis eam tetigit, illico eam calvaria penitus abſorbuit: et tunc proclamavit Indus; *Hæc eſt calvaria patris mei.* Et eo modo per ſingula oſſa diſcurrens, ea, quæ ſanguinem abſorbebant, ſeligebat, ut paterna oſſa, experientia hac deſignata; ea vero, quæ ſanguinem immobilem, et inalteratum conſervabant, tanquam aliena relinquebat. De quo ſtatim parochus, velut oculatus teſtis, me informaturus adivit. Cui, utpote fide digniſſimo, integram adhibere fidem non dubitavi; et aliunde, quia hæc naturalis ſympathia in naturali homogeneitate ejuſdem materiæ, ejuſdemque ſanguinis oſſis, et carnis, fundari videtur; principium et originem ducens ex illa aſſeveratione protoparentis noſtri in Evæ, ex ejuſdem coſta, formatione: *Hoc os ex oſſibus meis, et caro de carne mea.* Gen. ii.

Quem quidem caſum, cum rarus, et ſpecialis incedat, nec à me hactenus apud A. aliquem conſimilis inventus, ad generalem notitiam, et naturalium ſympathiarum naturæ expertiorem agnitionem, necnon ipſius naturæ Auctoris, qui omnia in numero, pondere, et menſura, ſapienter et coordinate conſtituit, debitam laudem, commendationem, et gloriam, ſemper animo habui publicæ curioſitati, imo et utilitati, ut nunc proſequor, exponere.

VIII. Et quamvis ipſamet illius ſingularitas præſumptionem afferat, quod hæc naturalis ſympathia revelatione dæmonis aſſecuta foret, præſertim ab aliquo Indo agricola, vel agricultore, quos *Corumbinos* vocant, qui multarum herbarum, et radicum naturalem virtutem per magiam, nedum naturalem, ſed et dæmoniacam agnoſcunt; hoc non tollit, quod illarum uſus, applicatio, et effectus, naturalis omnino eſſe valeat, præſertim non intercedente aliqua ſuperſtitioſa, et inepta mixtura verborum, et aliarum impropriarum, et nullatenus connexarum circumſtantiarum.

Accedit, quod ſubjectus Indus non erat ex genere Corumbinorum; ſed ex genere *Char-Heroum*, qui ſunt (gentiles præſertim) militiæ adſcripti; et ideo nomine iſto *Char-Heroes* nuncupati ex tempore illo, quo Bacchus ex Hiſpania ad Indos ſubjugandos cum exercitu ſuo ſe contulit (de quo Faria de Souſa): cum autem duces exercitus illius *heroes* appellarentur, et ex iis armigeros, et pueros ſelegerant ex infantibus Indorum, pueri iſti conſequenter nuncupati ſunt *Char-Heroes*, id eſt, *pueri heroum*; nam, *Char* in vernacula lingua Canarina, vel Maraſta, *puerum* ſonat.

IX. Ad noſtrum tamen rediendo inſtitutum, confirmari id ulterius poteſt ex doctrina Martini Delrio de magia, l. 4. c. 4. q. 5. ſect. 2. qui ad argumentum de probatione aquæ frigidæ ad ſagas detegendas (ab eccleſia jam damnata) qua utebantur in Germania, ſic reſpondit (l. 1. c. 3. q. 4.): 8. *Argumentum, indicium homicidii ex cadavere ſanguinante coram occiſore petitum, videtur ſoli divino miraculo adſcribendum: ergo ſentiendum ſimiliter de ſagis ſupernatantibus. Reſpondeo quid de antecedente ſentiam, hoc opere non ſemel me indicâſſe; ſed eſto, ſit adſcribendum miraculo: an eadem ratio hujus probæ? Dicis, Non probas. Ego, qui nego, diſcrimen dabo. Nulla in ſanguinis illa miſſione cauſa ſubeſt ſuſpicionis de pacto cum dæmone: nihil illic miſcetur ſuperſtitioſi: non quæritur illic à Deo ſignum; et proinde nec Deus tentatur: quæ omnia reperiri in proba frigidæ docebit ſequens ſectio.*

Et lib. 6. c. 11. ſ. 1: q. 3. ſic proſequitur: *Quin etiam in humano ſanguine vis aliqua naturalis indirecta ineſſe poteſt, ut, menſtruata muliere agros circumeunte, noxia vermina necari cenſuere Dardani ſectatores apud Columellam. Et Lud. Banairolus ſcribit, ſi menſtruo cruore domus alicujus poſtes inunguntur, dæmoniacis magorum artibus, et inſidiis, aditum omnem præcludi: et apud Mich. Iſſelt. anno* 1586. *legitur, in Livonia fuiſſe locum, ubi nimbis tonitruis, ac tempeſtatibus, dæmonia truculenter graſſabantur, niſi in lacum quendam innocuus infantulorum cruor à ruſticis infunderetur. Poſterius hoc aperte ſatanicum; priori aliquid phyſicum ineſſe poteſt, ſed indirecte agens.* Vide etiam doctrinam Verricell. infr. n. 11.

Unde deducendum quid ſanguinis humani naturali ſympathiæ, vel antipathiæ, tribuendum; quidve naturali dæmonis virtuti, aut præternaturali cooperationi, imputandum. Pro aliis autem ſanguinis naturalibus ſympathiis, aut antipathiis, vide Curvum Polyanth. tr. 2. c. 101. et DD. alios ibidem, et alibi.

X. Pro ſudore autem ſanguineo Chriſti Domini in horto Olivarum, fueritne naturalis, an ſupernaturalis? vide Calmet. to. 2. diſſert. hac. et eminentiſſimum D. cardinalem Lambertin. nunc beatiſſimum P. Benedictum XIV. de canonizat. l. 4. p. 1. c. 26. ubi in primam ſententiam inclinat, quamvis ſecundam probabilem agnoſcat, præſertim ex auctoritate D. Hilarii, et Ven. Bedæ; *Contra naturam eſt ſudare ſanguinem.* Et pro ſudore, ac lacrymis ſanguineis aliorum ſervorum Dei, eſſe à miraculis arcenda, et non inter miracula computanda, vid. cit. Lambertin. n. 7. et Pignatell. conſ. 42. to. 5. per tot. ubi ex Gaſp. Bravo tradit de comite de Niebla, qui, *Cum nimis in æſtate ſe exerceret in ludo pilæ, multoque præ æſtu uteretur frigido potu, incidit in ſanguineum ſudorem.* Ibique conſimiles alios plures caſus enarrat.

XI. Utrum vero in effuſione mirabili ſanguinis cadaveris occiſi ad præſentiam occiſoris detur cauſalitas naturalis, an ſupernaturalis Divinæ Providentiæ, an præternaturalis dæmonis, an vero ſuperſtitionis alicujus? vide in Verricelli qq. ſingular. tr. 1. q. 22. per tot. et in DD. ibid. laudat. et noviſſime in Pignatell. conſ. can. to. 2. c. 37. à n. 22. ubi n. 25. hunc effectum fallibilem Deo vindici, et ſanguinis innocentis ultori tribuit, juxta illud Gen. iv. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Poſt hæc exarata vera notitia comperi in civitate Portucalenſi, chara patria mea, actu vivere quendam notarium ſæcularem, nomine *Joannem Percrium*, cui ſæpe dormienti adeo copioſus ſudor ſanguineus naturaliter evenit, ut in ſindone inferna dorſum ſanguineo colore impreſſum perſpicue relinquatur.

Ad ſecundum quæſitum.

XII. Nedum tales crumenulas conficientes, et vendentes, verum et eiſdem ſcienter utentes, denuntiari debent; et, prout ſic, videmus paſſim miniſtros S. Officii adverſus utroſque procedere; niſi forte mere utentes ignorantia, vel levitas, aut ſimplicitas, aut alia cauſa excuſet, juxta doctrinam Carenæ, et Pignatelli conſult. nov. infr. extenſam, to. 2. c. 143. ibi: per formalia:

Mulieres autem, ac perſonæ ſimiles, quæ ex ſimplicitate, et ignorantia, committunt ſortilegium hæreticale, prius monendæ ſunt; nam ignorantia, etiam craſſa, excuſat à peccato hæreſis. Talis enim ignorans, ſi corrigi paratus eſt, non poteſt dici habere pertinaciam, quæ eſt ad hæreſim neceſſaria, ut per Alphonſum de Caſtro de juſt. hæret. punit. l. 1. cap. 9. et lib. 2. cap. 17. Ricciul. de jur. perſon. libro quinto, cap. 2. num. 10. et ſeq. Sanctarel. de hæreſ. cap. 1. dub. 5. num. 20. et 21. qui quidem dicendum tradit de ignorantia affectata, num. 22. et ſeq. niſi adſit contemptus eccleſiæ. Quod etiam aſſerunt Azor. p. 1. lib. 1. cap. 14. q. 9. lib. 8. quæſt. 4. et cap. 9. quæſt. 8. Aragon. 2. 2. quæſt. 11. art. 1. Coninch. diſp. 18. dub. 7.

dub. 7. concl. 4. et 5. Suarez de fide, disp. 19. sect. 3. à num. 3. et Farinac. de hæres. d. quæst. 179. n. 29. et seq. Si autem se correxerit, abstinendum est à denuntiatione. Si autem non se emendaverit, erit denuntiandus, ut per Genuens. in pr. cap. 18. n. 4. Caren. par. 2. tit. 9. § 7. n. 32. et Castropal. p. 1. tract. 4. disp. 2. pr. 1. n. 6. Sed hac de re vide quæ dixi in d. cons. de abusu sacramenti pœnitentiæ, ubi contrarium tradidi. Extat enim decretum S. Congregationis editum 3. Februarii 1624. tenoris sequentis; Hæreticos, vel suspectos de hæresi, scientes, et recusantes denuntiare, licet moniti, non possunt absolvi à confessariis, quamvis dicant illos correxisse, vel esse dubios, an ita sit. Ita S. Congregatio. Et quidem non pertinet ad ipsos id judicare, sed solum parere edictis S. Officii, quæ jubent denuntiare hujusmodi reos. Posse tamen competenter, etiam ordinariis denuntiari, si superstitiosus usus ille hæresim non sapiat manifeste, eo quod cognitio superstitionum non hæreticalium cumulative ad ordinarios pertineat, tenet Pignatelli, et reliqui DD. infr. cit. alleg 149.

XIII. An vero licite, et innocenter, à magico petatur solutio maleficii, si absque novo aliquo maleficio solvi possit? In meo præfato tr. *de republica dæmonum*, resolutionem affirmativam tenui, cum D. Thom. et aliis communiter ap. Delrio de magia, lib. 6. sect. 1. q. 3. de quo consule etiam moralistas.

XIV. An etiam, siquis, secluso pacto, petat à dæmone, quæ naturaliter potest efficere, ut incantet serpentes, et alia animalia; talis petitio sapiat hæresim? Negat Gemin. in c. *Accusatus*, § *Sane*, n. 6. de hæretic. in 6. repertor. inquisitor. v. *Hæresis*; Umbert. et alii apud Fragos. de regim. p. 1. l. 2. d. 4 § 10. Secus autem, si à dæmone petatur, quod in illius naturali potestate non continetur, ut mortuum resuscitare, contingens futurum prædicere, secreta cordis revelare, &c. Joann. Monach. in cit. c. *Accusatus*, Felin. Simanch. Sylvestr. et alii ap. cit. Fragos. n. 87.

Sed Pignatell. cons. nov. 54. sic tradit: *Est igitur altera sententia, quæ vult, quod hujusmodi vanæ observationes, seu sortilegia, in quibus non invocatur dæmon, nisi ad ea, quæ potest sua virtute agere, idque sine cultu, et abusu rei sacræ, non sapiant hæresim, seu non inferant suspicionem hæresis. Citatur pro illa Pegna in direct. p. 2. com. 48. sive schol. 50. qui tamen id non ait. Id vero tenere videtur Suares, d. lib. 2. de relig. cap. 19. etiamsi fiat cum pacto explicito; tenetque Clarus, § Hæresis, in fine, alios referens. Et videntur etiam tenere ii, quos largiter adducit Farinac. d. q. 181. n. 81. tenentes sortilegium ad tentandam pudicitiam non esse hæreticale.*

Hanc rem plerique doctores confuse, ac permixte tractant, non distinguentes inter sapere hæresim, et sapere hæresim manifeste. Quamplures enim inquiunt, sortilegia hujusmodi non sapere hæresim; hoc est, sentiunt, quod non sapiunt hæresim manifeste, sive non inducunt suspicionem hæresis vehementem. Ideoque videntur velle, quod simpliciter sortilegium non dicatur hæreticale, nisi sapiat hæresim manifeste.

Nos vero discrete, atque electe ita eam digerimus: Omne sortilegium aliquo modo sapit hæresim, ac reddit sortilegium suspectum de hæresi, saltem de levi; sed tamen in specie, quando invocatur dæmon sine manifesto cultu latriæ, aut duliæ, aut sine abusu rei sacræ ad ea, quæ potest sua virtute, sortilegium non sapit hæresim manifeste, neque inducit suspicionem vehementem hæresis.

ALLEGATIO CXLV.

Super Scrupulo Assertionis absolutæ, dari de facto Avem Phœnicem singularem.

SUMMARIUM.

I. *Occasio scribendi.*
II. *Dari de facto phœnicem ab auctoritate, et ratione, probatur:*
III. *Auctoritate PP. et philosophorum.*
IV. *Rationibus, et congruentiis pluribus, confirmatur.*
V. *Objectiones diluuntur, et ex miris naturalibus eventibus retunduntur.*
VI. *Et ex annatibus* bernecis, *ex anseribus arboreis, ex agnellis peponaceis, et ex aliis naturæ prodigiis.*
VII. *Objectio ex ingressu animalium in arcam Noe binorum et binorum.*
VIII. *Probabile est phœnicem non fuisse ingressam in arcam Noe.*
IX. *Et probabile talem avem eandem renasci etiam quoad formam.*
X. *Quid in hac re probabilius?*
XI. *Supposita tamen phœnicis existentia, non tamen ei concedendus est proprius, et determinatus angelus custos.*

I. QUIDAM theologus, S. Officii censor, dum, Conimbricæ remissione tribunalis quasdam theses theologiæ positivæ reviseret, in una, quæ problematice proponebatur, dari adhuc de facto avem phœnicem singularem, diebus aliquibus scrupulo non levi agitatus hæsit, quasi assertio hæc contraria foret, 1. Sacræ Paginæ absolutæ affirmationi, Gen. vii. 3. *Sed et de volatilibus cœli septena et septena, masculum et fœminam:* 2. Ibidem, 9. *Duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculum et fœmina:* et ibidem, 16. Suasione tamen prudentium aliorum DD. scrupulo abrenuntians, theses inoffensas expediit. Et cum tunc temporis meum theologicum tractatum *de republica dæmonum* texerem, agens de custodia angelorum, et supponens aliquorum opinionem, quamlibet animalium speciem suum specialem custodem habere (quam tamen non fui amplexatus, nixus illo 1 Cor. ix. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* et illam curam cujuslibet speciei particularibus angelis cujuslibet provinciæ tribuebam) non incongrue tamen excitavi quæstionem prius præsupponendam, *an daretur avis phœnix*, vel *fœnix?* (utraque namque orthographia et utroque genere ab AA. descripta reperitur): et postmodum, suppositâ illius existentia, *An haberet specialem custodem?*

II. Quoad primum quæsitum, affirmative resolvi; eo quod in illius possibilitate nil radiaret implicantiæ: atqui de facto datur plusquam sufficientissima auctoritas illius existentiam actu longe comprobans: ergo, &c. Prob. min. 1. Ex illo Job xxix. *In nidulo meo moriar, et sicut phœnix multiplicabo dies:* sic legitur in orig. Hebræo, juxta Pagninum; et quamvis nostra vulgata pro *sicut phœnix* legat, *sicut palma*, prima locutio est contextui conformior, et appropriatior; palma enim nec moritur, nec nidum habet. Deinde cum Job variis in locis resurrectionem ex mortuis prædicaverit, etiam in hoc loco phœnicis exemplo illam videtur insinuâsse.

Prob. 2. Ex verbis Christi Domini ad beatam Brigittam, revel. l. 4. c. 86. ibi: *Sicut in phœnice colligere poteris, quæ senectute gravata colligit ligna in monte altissimo, et, illis ex calore solis accensis, projicit se in ignem, et sic ab illo igne mortua reviviscit; sic anima charitatis igne*, &c.

III. Prob. 3. Auctoritate PP. Aug. Ambr. Cyrill. Clem. Epiphan. Cyprian. Zenoni Origin. Tertul. Isid. Hier. Philostrati, Sidonis, Taciti, Claud. Lactan. et omnium fere antiquorum philosophorum, ut Plinii, Senecæ, &c. Videat quis prudens, si hæc auctoritas sit, an non sit, sufficiens.

Neque obstat, quod aliqui dicunt, PP. tantum loqui, suppositâ hominum credulitate; nam aliqui eorum, quos consului, absolute loquuntur, ut Epiphanius citatus à Beyerlinch. verb. *Phœnix*; ibi: *Hoc crebra relatione, et scriptorum auctoritate, cognovimus, memoratam avem*, &c. Et inde, si hæc interpretatio valeret, pauciissimas ex illis colligeremus certitudines. Tandem extat fragmentum quoddam, teste Volaterrano, regis Æthiopiæ, ad Romanum Pontificem, affirmantis, in regno suo phœnicem esse. Et similiter Iarchus Indus apud Philostratum asserit, phœnicis historiam non esse fabulosam.

IV.

IV. Ratione etiam confirmatur illius exiſtentia: 1. Quia ad pulchritudinem univerſi videtur ſpectare, ut aliquod detur individuum naturaliter renaſcens. 2. Quia ſicut, juxta D. Epiphanium, in venenatis ſerpentibus virus omne evomentibus, dum ad aquam accedunt, voluit divina providentia nos edocere puritatem, qua ad euchariſticum potum debemus accedere; et ſicut, juxta D. Vincent. Ferr. et alios, ad facilitandum ipſius ſacramenti credulitatem ipſa providentia taliter cryſtallum fabrefecit, ut in quadam fracta particula totus homo, v. g. repræſentaretur; ita ad fidem reſurrectionis naturaliter inſinuandam congrua fuit avis phœnix naturaliter renaſcens.

3. Quia ſicut multiplicitas aſtrorum in cœleſti globo, illiuſque extenſio, divinam enarrant infinitudinem, et immenſitatem, et reliqua attributa; ita in terreſtri globo florum, plantarumque varietas, ac maris immenſitas id annuntiant: ergo ſicut in illo mundo ſuperiori datur aliquod individuum, nempe ſol, divinam exprimens ſingularitatem; ita etiam in hoc mundo inferiori aliquod congruit dari, videlicet phœnix ſingularis.

V. Objicies, 1. pro Conimbricenſibus: Phœnix eſt perfectum animal: ergo non poteſt produci, niſi per generationem perfectam; ſed hæc fit per concurſum maſculi cum fœmina: ergo. Sed contra, 1. Quia generatio Chriſti fuit vera generatio, et quoad ſubſtantiam naturalis, licet ſupernaturalis quoad modum; et tamen non habuit talem concurſum. Contra, 2. Quia perfectius animal eſt homo, et tamen abſque utriuſque ſexus concurſu accidit, ut homo generaretur: ergo. Patet hoc ex variis hiſtoriis fide dignis: 1. Ex Fr. Leonardo Bertrando in reſol. theolog. tr. 15. tradente authenticum quoddam teſtimonium, de quodam Belga nomine *Lndovico Roſel*, qui anno 1354. impleto novem menſium curſu, quendam ex proprio femore, ſeu intra propriam ſuram formatum infantulum vivum edidit, quem baptizatum eodem Ludovici nomine ſignârunt, licet brevi tempore vixit. Idem tanquam certum refert etiam P. Alva in ſuis nodis.

2. Quia, ut tradit Abul. t. 11. paradox. 1. et alii plures, Arnoldus de Villa Nova peritiſſimus medicus, humano ſemine in quoddam artificiale vas injecto, adhibitoque proportionato calore, aliiſque tranſmutativis ſpeciebus, poſt aliquos dies invenit humanum corpuſculum, ad perfectam tendens organizationem; licet, ut ultra non progrederetur, vaſculum fregerit: ergo generatio, licet requirat aliquid in proportionata matrice deciſum, non tamen illum duplicatum concurſum. Præterea, ut aliqui narrant, aliqui dæmones ſuccubi veros infantes in lucem ediderunt: deinde proles miniſterio dæmonis incubi genita, dicitur vera filia illius, à quo ſemen fuit extractum; quin detur approximatio illius ad concipientem.

VI. Deinde, ut magis naturæ prodigia mirentur, quædam ſunt aves, nomine *bernecæ*, et quædam perfectæ annates, quæ ex pomis cujuſdam arboris enaſcuntur, ut tradit Euſebius, alios citans; et, ut apud eundem narrat Delrius, et alii, *anſer arboreus* fructus eſt cujuſdam arboris in Scotia inventæ, qui decidens in aquam in perfectum convertitur anſerem. Similiterque, juxta Fulgoſium, et Fortunium, in Irlandia ex quarundam ſalicum fructibus perfectæ annates progignuntur, quæ roſtro tamdiu pendent, donec pondere preſſæ cadant in aquas, et pariter volare, atque vivere incipiunt, quibus Hiberni veſci ſolent in quadrageſima.

Præterea, ut cum Surio, et Scaligero, multi referunt, in quadam inſula non longe à Cazanenſibus Tartaris, quidam pepones naſcuntur, intus quoddam animal agno ſimillimum generantes. *Quid enim*, exclamat Sur. *præpotenti Deo difficile eſt, quem laudare et admirari debemus in operibus ſuis?* Alia quamplurima his ſimilia prodigia vide ap. Euſeb. tom. 3. in proluſion. ad doctrinam naturalem. Aliud tamen non omittam, quod P. Franciſcus Ragemon, tanquam teſtis ocularis, refert, de quodam adeo immenſo dracone è cœlo in quandam Chinæ provinciam dilapſo, qui 150 ſtorias grandes in ſui operimento exhauſit; cujus in aere formationis quæſtionem ad lectores A. remittit.

VII. Obj. 2. pro Beyerlinch. Scriptura ait, ingreſſa fuiſſe cum Noe in arcam bina et bina, tum ex volucribus, tum ex animantibus: ergo vel phœnix non datur, vel non eſt ſolitaria. Reſp. 1. Propoſitiones univerſales Scripturæ non debent accipi in tota ſua latitudine; ſic ibidem dicitur, aquam diluvii operuiſſe univerſam faciem terræ, cum omnes teneant non perveniſſe ad paradiſum; aliter Enoch periclitaretur; et ſimiliter ſic ibidem dicitur mortua fuiſſe cuncta in quibus eſt ſpiraculum vitæ, quod quidem de piſcibus habentibus vitæ ſpiraculum non loquitur; ſic etiam Paulus dicit omnes in Adam peccâſſe, et Eccleſ. *Omnia eſſe vanitates*, &c.

VIII. Reſp. 2. Probabile eſſe phœnicem non ingreſſam fuiſſe arcam; cum enim illa prope Palæſtinam habitet, in qua regione paradiſus ſitus eſt, forſan ibi detenta fuit, quoadusque aquæ minuerentur ſuper terram; ut probabile eſt de *monocodiatis*, quæ in aere natæ, ova in curvo dorſo maſculo fovente, rore veſcentes, pedibuſque carentes, ibi perpetuo vivunt, et ob id fortaſſis *aves paradiſi* nuncupantur. Quodſi aliqui dicant, multas phœnices fuiſſe aliquando viſas; reſpondendum eſt, has eſſe aliud avium genus, quæ *ſumendæ* appellantur, et apud Indos inveniuntur, quibus etiam *phœnicis* nomen ſolet aptari, eo quod phœnicis more incenſæ occumbunt, ut narrat Euſeb. to. 3. et fortaſſe ex his erat illa, quæ ex Ægypto Romam fuit allata, Q. Plantio, et Sex. Pampinio, coſſ. ibique occiſa.

IX. Tandem efficacius objici poteſt: Talis avis, cum renaſcatur eadem, eandem formam debet ſemper habere: atqui, juxta philoſophos, nulla forma naturaliter reproducitur de facto: ergo. Reſp. 1. Philoſophos expreſſe fateri, hoc eſſe valde dubium, et probabiliter tantum id aſſerere. Reſp. 2. Exceptionem unius, vel alterius, non officere generalibus locutionibus juriſtarum, et hiſtoriographorum, nec etiam philoſophorum. Sic Aſſuerus reginæ Eſther, c. xv. *Non enim pro te* (dixit) *ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt.* Et ſic Joſhua x. dicitur, *Non fuiſſe antea, nec poſtea, tam longam diem*; cum apud omnes conſtet diem judicii ſepties majorem quolibet naturali die futuram. Sic etiam Dominus Salomoni dixit, quod *in ſapientia nullus ante eum fuerit ei ſimilis, nec poſt eum ſurrecturus etiam eſt:* cum antea Adamus, et poſtea Chriſtus, Beataque Virgo, illum ſuperexceſſerint; ex quo fit, quod illæ univerſalitates non in rigore metaphyſico, ſed morali tantum, ſunt accipiendæ. Unde illud philoſophorum, quod nulla forma de facto reproducitur, accipiendum eſt de formis illis tantum, quas Deus decreverit novas ſemper producere, et nunquam reproducere; quænam hæ ſint, dicant qui noverint. Adde, probabilius eſſe, quod in reſurrectione Lazari (licet citra, vel contra agentium exigentiam, in quo tantum extitit miraculum) reproducta fuerit eademmet unio, ut idem omnino ſurgeret compoſitum; et quod etiam in reſurrectione illius coctæ coturnicis, quam D. Aldobrandus epiſcopus ad vitam revocavit, eadem forma fuerit reproducta, quia aliter neque eſſet reſurrectio, neque illa eſſet eadem, licet quoad modum ſupernaturalis; et pariformiter in reſurrectione illius canis, ſocii Venerab. Fr. Martini à D. Petro Luſitani ordinis Mercenarii, et aliorum.

X. Hæc pro probabilitate ſententiæ exiſtentiam avis phœnicis comprobantis, et pro excluſione juſtæ in illam cenſuræ pullulantis. In rei tamen veritate probabilius videtur quod P. Alap. in illud Malach. iv. 2. *Orietur vobis ſol juſtitiæ, et ſanitas in pennis ejus:* quamvis ibidem afferat elegantem Lact. Firm. de phœnice epicam deſcriptionem, tandem ſic concludit: *Hinc Ægyptii ſolem pinxerunt, quaſi avem, longas ſpargentem pennas circumquaque, eamque vocârunt phœnicem. Phœnix enim non eſt avis vera, ſed ſymbolica, puta Sol, ut oſtendi Gen.* vii. 2. *Hinc unicum dixerunt eſſe phœnicem, quia unicus eſt ſol in mundo, eumque degere Heliopoli, id eſt, in urbe ſolis, atque interire, et renaſci; quia Sol occidens veſpere, mane rurſum oritur, et quaſi reſurgit, juxta illud Ovidii Metamorph.*

Una eſt, quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet, ales.

Extat

Extat apud Lactantium, incerti auctoris elegans carmen de phœnice, in quo tota ejus historia, vel potius fabula enarratur, ubi inter cætera phœnicem vocat avem solarem.

Et infra: *Nimirum phœnix est sol, cujus cauda, pennæ, et comæ, sunt radii in longum, latum, et altum expansi, qui partim albicant, partim rubent, suoque loco in nube roscida faciunt iridem: atque pulcher, et speciosus est, æque ac magnificus, et velox in incessu, uti pavo trahens post se elegans syrma caudæ, puta radiorum longe lateque expansorum: unde in ortu eum aves, animalia, et homines salutant. Ipse sibi est pater, et filius, qui post occasum ex seipso quasi rursum oritur, et renascitur; itaque continuo suo occasu continuum sibi parit ortum, et quasi vitam æternam, cujus æque, ac resurrectionis, est hieroglyphicum. Quocirca ad hoc phœnicis symbolum videtur hic alludere Malachias, imo illud ipsum suis verbis repræsentare, dum ait*; Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. *Perinde ac nonnulli censent fecisse Jobum, cap.* xxix. 18. In nidulo meo moriar, et, sicut palma, multiplicabo dies. *Ubi Tertull. legit*, Et, sicut phœnix, multiplicabo dies. *Græcum enim* phœnix *apud Septuag. et phœnicem, et palmam, ob similem longævitatem significat. Plinius enim lib. 7. cap.* 40. *asserit, phœnicem vivere* 660 *annis. Sic et Hebr.* chol, *quod noster Job* xxix. *v.* 18. *vertit* palma, *veteres Hebræi, et moderni, R. Salomon, Tigurina, Cajetan. vertunt* phœnix. *Unde Philippus Presbyter in Job.* xxix. *Fieri, ait, potest, ut Job in similitudinem avis illius* (phœnicis) *dicat se per mortem in cinere carnis, velut in nido, pro tempore moriturum, et inde resurrecturum in gloriam, et multitudinem dicrum. Idem asserit Beda.*

XI. Supposita tamen phœnicis existentia, proprium sibi, et determinatum angelum custodem immediatum denegandum existimavi; sicut et cuilibet alteri speciei sublunari; et hoc est, quod etiam negat Cajet. Et probabam, 1. Quia tota ratio, cur PP. et AA. speciebus creatis suos custodes etiam assignant, est, quia etiam illarum bonum, ac conservatio curari debent, ne omnino pereant, et ne graviter saltem mutilentur: atqui ad hoc sufficiunt angeli tutores regnorum, provinciarum, et civitatum; ergo superfluum est alios admittere ad id primario intentos. Prob. 2. Ex PP. ex natura immediata custodia angelorum magnam nostratum dignitatem, magnumque in nos Dei amorem commendantibus: ergo non est dicendum, Deum æquali cura speciem formicarum per suos angelos protegere, atque unum hominem; et in hoc sensu intelligi potest textus apostoli 1 Corinth. ix. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Verba autem Scripturæ non unum tantum literalem sensum admittunt.

Dices: Dantur angeli, qui quatuor ventis præsunt; et tamen venti sunt longe imperfectiores multis speciebus saltem animatis: ergo saltem istis non debent etiam negari. Resp. Distinguendo majorem: qui ventis præsunt, tanquam proprii custodes, illorum utilitatem curantes, illorumque incommodum specialiter avertentes, nego; tanquam Dei ministri illis, jam ad hominum supplicium, jam ad beneficium, pro ipsius Dei nutu utentes, concedo. Imo, illo etiam dato, nil contra nos; habemus enim auctoritatem Scripturæ, quæ id satis persuadet, quam in alio casu non habemus. Et satis.

ALLEGATIO CXLVI.

Super Pacto aliquarum Personarum obsessarum, quæ sese Dæmoni tradunt, proprio Sanguine Traditionem firmantes, et super illarum ab Hæresi, et Apostasia, Absolutione, ac Remediis spiritualibus, cum utilissimis Adnotandis non vulgaribus.

SUMMARIUM.

I. *Scribendi motivum.*
II. *Controversæ difficultates, et pericula pro liberandis energumenis se dæmoni tradentibus.*
III. *Error intellectus potest aliquando fœminam, dæmonem adorantem, à ratione hæresis formalis, et à reservatione, excusare.*
IV. *Idem, quod hanc ignoret annexam excommunicationem.*
V. *Et probabiliter, si etiam ignoret reservationem.*
VI. *Idem, si interveniat metus gravis, qui ab incursione censuræ excusat.*
VII. *In casu hæresis formalis, posse hanc absolvi, quando est occulta, ex vi aliquorum privilegiorum, quæ referuntur, probabile est.*
VIII. *Quid de facultate à Trid. data episcopis? an sit revocata per B. Cœnæ?*
IX. *Fundamenta sententiæ affirmantis.*
X. *Fundamenta contrariæ negantis, quæ præfertur, multiplicia.*
XI. *Argumenta soluta; et,* 1. *Ex damnat. prop.* 3. *Alex.* VII.
XII. 2. *Ex derogatoria* Cujusvis concilii decretum *in B. Cœnæ.*
XIII. 3. *Ex declarationibus Pii* V. *Gregor.* XIII. *et aliorum.*
XIV. *Adducuntur declarationes in contrarium.*
XV. *Potest fœmina illa in casu subjecto absolvi ab episcopo in sua diœcesi, etiam ab hæresi formali occulta.*
XVI. *Ubi est tribunal Inquisitionis, potest à confessario absolvi directe à reliquis peccatis, et indirecte ab hæresi, donec obtineatur necessaria facultas.*
XVII. *Quilibet inquisitor potest coram notario auferre reservationem; qua sublata, quilibet confessor in foro conscientiæ ab ea potest absolvere.*
XVIII. *Quid, si tribunal Inquisitionis distet plusquam duas diætas, urgentibus præsertim aliquibus incommodis, aut impedimentis?*
XIX. *Probatur opinio favorabilis à jure, auctoritate, et ratione.*
XX. *Monitio, et cautela justa à confessariis observanda.*
XXI. *Aliter discurrendum probabilius de impeditis adire episcopum.*
XXII. *Non potest virtute cruciatæ absolvi ab hæresi, neque virtute cruciatæ Lusitanæ ab aliis sex casibus.*
XXIII. *Confessarius, vel exorcista, cognoscens ex confessione pactum illius fœminæ cum dæmone, nequit eam denuntiare S. Officio, neque cogere, ut seipsam denuntiet.*
XXIV. *Neque etiam extranei, qui pactum à dæmone per os patientis publicatum audierunt.*
XXV. *In casu dubio potest quilibet confessarius absolvere ab omnibus casibus reservatis in bulla Cœnæ.*
XXVI. *Similiter, si peccatum externum sit leve.*
XXVII. *Hæreticum dogmaticum tenentur omnes, etiam consanguinei conjunctissimi, denuntiare; aliter vero discurrunt aliqui de hæretico non dogmatizante.*
XXVIII. *Qui scit hæresim alicujus ratione consilii promissi, et commissi, non tenetur eum denuntiare, quia consilium respicit bonum commune. Et aliæ consequentes AA. doctrinæ.*
XXIX. *Prudens cautela Arsdekim pro non subsistentia, et non fidentia aliquorum privilegiorum apud aliquos AA. repertorum.*
XXX. *Doctrina Antonell. et Barb. pro sortilegiis hæreticalibus.*

I. SÆPE à confessariis, atque exorcistis, aliquæ personæ, præsertim fœminei sexus, reperiuntur, quæ à dæmone seductæ, vel occasione alicujus vehementis passionis eas occupantis, vel ex defectu baptismatis, se dæmoni tradunt, et cum illo paciscuntur, simul cum syngrapha traditionis et pacti confirmatoria, quem ipsæ et adorant, et cum illo commiscentur; ex vi cujus traditionis, ac commixtionis postmodum, Deo permittente, tantumque scelus vindicante, obsessæ, vel totaliter à dæmone possessæ

evadunt. Pro quarum perfecto remedio, ac libertate corporali, et ſpirituali, quamplurimas, et acerbas anguſtias, multo cum labore ac ſudore ſubire faciunt confeſſarios, et exorciſtas.

Nam callidioris ſerpentis antiqui aſtuta verſutia eas aſſidue ſolet ſuadere, ne confeſſariis pactum, aut traditionem, nec confirmationis chirographum aperiant; nec de peccatis cum ipſo, et aliis ſceleribus patratis, unquam confiteantur, una eis ſuggerens, quod confeſſarii earum ſcelera agnoſcentes, ſtatim S. Officii tribunali eas deferendas curabunt (ut etiam expertus tradit Corell. in pract. tr. 1.) et ab inquiſitoribus apprehendendas, ac in publicum theatrum protrahendas, et tandem publice comburendas fore, et alias hujus furfuris tenebroſas, ac infernales ſuggeſtiones ſubminiſtrare non deſinit. Et, de facto, cuidam fœminæ poſſeſſæ ob defectum baptiſmi ſuaſit efficaciter diabolus, ne baptiſmo acquieſceret, vel ſaltem intentionem feriam de illo ſuſcipiendo non haberet; nam certe, ſi baptiſmo aſſentiretur, S. Officii tribunali deferenda foret.

Quomodo ergo prudens, et cautus confeſſarius, atque exorciſta, ſeſe practice habebit? et quam mediam viam, ac ſecurum tramitem, inter hanc Scyllam, et Charybdim tenebit? hic inſinuabimus, prius pro confeſſariis, deinde pro exorciſtis, potius remiſſive, quam diſcuſſive agentes.

II. Ratio maximæ in hoc diſcrimine difficultatis in eo ſita eſt; quia abſolutio ab hæreſi, quæ frequenter in adorationibus, ac commerciis illis intervenire ſolet, eſt ſpecialiter reſervata Papæ per bullam Cœnæ, à qua extra mortis articulum, vel periculum, neque epiſcopi abſolvere poſſunt in Hiſpania, ſed ſoli inquiſitores, ut communiter tradunt DD. cum Caren. Pignatell. Salmantic. Corell. et aliis.

Sin autem facultatem obtinere procurent à S. tribunali ad abſolutionem in foro conſcientiæ eis impertiendam; ſtatim adeſt infernalis hoſtis, ipſis ſuggerens, confeſſarios eas tribunali S. Officii tradere cogitare; et nimium eas perterrefaciens, à confeſſione deterret, ad deſperationem inducit, atque ad obſtinationem ultimam trahit. Et non apparet via, qua confeſſarius medius tutiſſimus eat: neque AA. eam ſatis indicant, aut aperiunt. Quare per reſolutiones ſingulares rem enodare conabimur, certa ab incertis ſegregando.

Sect. I.

Reſolutiones certæ ſecundum circumſtantiarum diverſitatem.

III. *Dico igitur*, 1. Si in fœmina dæmonem adorante, aut cum illo paciſcente de rebus temporalibus, non detur error in intellectu, quod dæmon ſit Deus, vel in illo detur aliquid divinitatis, vel quod ſit adorabilis, aut ſimilis alius error contra fidem; nec in illa actu dabitur hæreſis formalis, neque reſervationem, aut annexam cenſuram incurret. Ita Viv. in prop. 3. Alex. VII. Pignatell. conſ. nov. 36. Tabien. Alter. Sanch. Reginald. et alii cum D. Anton. *Quamvis ex affectu adorans incurret excommunicationem in extrav. Joan.* XXII. *ap. direct. inquiſit. p.* 2. *q.* 45. *n.* 9. ait Pignatell. cum Aragon. Vid. etiam Caren. tit. 2. § 7. et Gob. tr. 7.

Prob. 1. Ex ipſa hæreſis definitione: *Error intellectus liber, et pertinax contra fidem, in eo, qui fidem ſuſcepit.* Ita Buſemb. cum Suar. Becan. et aliis.

2. Quia reſervatio eſt odioſa, atque adeo reſtringenda ad hæreſim formalem, et non amplianda etiam ad materialem. Ricc. in prax. crim. hæreſ. Viv. in prop. 3. Alex. VII.

3. Quia hæc videtur eſſe mens, ac benignitas Summi Pontificis reſervantis, *ne reſervatio* (ait Viv. cit.) *quæ pro bono charitatis introducta eſt, contra charitatem vergat; et poteſtas retinendi peccata, data, ut loquitur Apoſtolus, in ædificationem, eſſet in deſtructionem.* Cui addendum, et ne per hoc pœnitentiæ ſacramentum reddatur odioſum pœnitentibus.

Quam reſolutionem extendit Pignatell. ib. *ad blaſphemos hæreticales, qui licet advertenter, et ex animo, blaſphemias proferant, ſi tamen intellectu non adhæreant, credendo rem ita ſe habere, ut dicunt, non ſunt hæretici, ut ex dictis patet, ac ſentiunt Duard. Hugolin. Tolet. Antonic. &c. quæ vera ſunt in foro interiori; aliter in foro exteriori, ex c.* Accuſatus, § Hanc, *juncta gl. de hæret. in* 6. *et in c.* Firmiſſime, *eod. tit.* Vid. Pignatell. cit. §§ ſeqq.

IV. *Dico*, 2. Si in tali fœmina hæreſis materialis conjungeretur cum hæreſi formali, ſi tamen ignoraret crimini hæreſis annexam eſſe excommunicationem majorem, etiam non incurreret reſervationem Papalem in bulla Cœnæ impoſitam. Ita DD. præcitati, et infra citandi; et ſignanter Caren. cit. tit. 2. § 7. Gob. tr. 7. infr. cit.

Probatur; Quia Papa non reſervat caſus bullæ Cœnæ, niſi ratione cenſuræ annexæ, ut docent communiter DD. cit. Cum autem hæc cenſura ſit pœna, et pœna ignorata non incurratur; idcirco fœmina illa reſervationem non incurreret, et poſſet à quolibet confeſſario abſolvi pro foro interno. Ita Pignatell. Frag. Lacr. et alii, cum Gobat. tr. 7. n. 363. et tr. 3. n. 472. quamvis ignorantia foret craſſa.

Incurreret tamen reſervationem diœceſanam, quæ in aliquibus diœceſanis conſtitutionibus inducitur, ut in Goan. et in hac Algarbienſi, in quibus hæreſis reſervatur ordinariis, in illis caſibus, in quibus, ob ignorantiam cenſuræ annexæ, non manet Papæ reſervata. Hic eſt modus facilior, et expeditior hanc reſervationem diœceſanam explicandi, quam ille de hæreſi pure mentali, non ob rationem, quam aliqui afferunt; eccleſiam, ſcilicet, non poſſe reſervare peccata pure interna, ſicut neque de illis judicare: nam, cum reſervatio ſit *reſtrictio juriſdictionis*, et abſolutio illi peccato adhibenda ſit *externa*, et non proferatur, niſi ſuper peccatum in confeſſione *externe* expoſitum, ac declaratum; nequit dici, ordinarios hic reſervare peccatum pure internum; ſed ob alias rationes.

V. *Dico*, 3. Etiamſi fœmina illa, cenſuram haud ignorans, ignoraret tamen reſervationem; probabile eſt, poſſe à quolibet confeſſario pro foro interno peccatum illud hæreſis formalis abſolvi, eo quod, cum ignorantia illa, reſervationem non contraheret. Ita Lacr. Pignat. conſ. nov. 36. Gobat. tr. 3. et 4. loco cit.

Non probo hanc reſolutionem communi fundamento ſimpliciter, quod reſervatio ſit pœna; omnis autem pœna ignorata non incurritur à tranſgreſſore: nam, pro reſervatione medicinali, vel pœnali, ſpecialis adeſt ratio hujus fundamenti excluſiva; videlicet, quod cum reſervatio ſit *reſtrictio juriſdictionis*, habet ſe ex parte confeſſarii; ignorantia autem illius habens ſe ex parte pœnitentis, nil efficacitatis habet ad hoc, ut vel expediatur juriſdictio, quæ in confeſſore ad crimen illud ligata eſt; vel in illo reſultet, cum ea careat per reſervationem, aut denegationem; ſic enim aliqui, cum Buſembaum, reſervationem definiunt, *Negatio juriſdictionis.* Ita Averſ. Hurt. et Lacr. p. 2. l. 6. n. 1608.

Probatur igitur, 1. reſolutio; Quia, ut tenet Lacr. n. 1614. caſus bullæ Cœnæ reſervantur propter cenſuram annexam; ideoque initio ſemper ponitur, *Excommunicamus*, &c. Quare Gobat. ex hoc capite has reſervationes pœnales eſſe putat. *Hinc* (proſequitur Lacr.) *ſi peccans non ſciverit cenſuram eſſe annexam, aut de illa non cogitaverit, quando peccabat, non incurrit cenſuram: ergo nec reſervationem; à talibus enim pœnis excuſat ignorantia, et inadvertentia, ut dixi l.* 1. *an.* 767. *et præter ib. cit. docent Averſ. Tamb. Stoz.* &c.

Probatur, 2. Quia omnes DD. contrarii hanc opinionem practice probabilem abſolute judicant, etiamſi reſervatio non ſit pure pœnalis, ſed ſimul medicinalis, ut Dia. Quintanad. Burgh. Corell. et alii ap. Lacr. Atqui, ſuppoſita probabilitate, eccleſia confert, et dat juriſdictionem practice, ut tenent communiter DD. apud Cardenas, p. 4. in prop. 2. Innoc. XI. ergo in illo caſu ex reali, et vera probabilitate, et vero ſupplemento eccleſiæ, dicendum eſt, quemlibet confeſſarium habere practice veram juriſdictionem abſolvendi pœnitentem pro foro interno; et hæc videtur eſſe mens benigna eccleſiæ, et ejus Pontificum, Gob. tr. 7.

Confirmatur; Quia, licet non detur error in intellectu, ſi tamen non detur contumacia, non datur hæreſis formalis, neque excommunicatio illi annexa incurritur;

currit; quia pœnæ debent culpæ proportionari: atqui, ſi ignoretur reſervatio, non datur contumacia quoad illam in tranſgreſſoribus; ſolis enim contemptoribus, et contumacibus, ut pœna, imponitur; et tales non reputantur, qui eam ignorant: ergo, ſicut in primo caſu non incurritur cenſura; ita neque in ſecundo reſervatio. Ita Gob. Lug. Dia. et alii.

VI. *Dico*, 4. Si fœmina illa, propter metum incuſſum à dæmone, minas, terrores, vexationes, vel moleſtias graves, eum adoret, citra ullum errorem, aut ignorantiam in intellectu; etiam reſervationem non incurrit. Eſt communis doctrina cum cit. Lacr. n. 1614. Pignatell. cit. conſ. nov. 36. et conſ. can. 182. to. 9. Ricc. in prax. to. 1. reſ. 184. n. 5.

Probatur facile; Quia metus gravis excuſat ab incurſione cenſuræ: atqui quoties hæreſis excuſatur ab incurſione cenſuræ, excuſatur conſequenter ab incurſione reſervationis Papalis, ut tenent Suar. Tambur. Dicaſt. Dia. Caſtropal. ſaltem in probabili opinione, quod reſervatio ſit pœna; de quo ſupra: ergo, &c.

Confirmatur; Quia non datur incurſio cenſuræ, ac reſervationis Papalis, quin detur peccatum hæreſis formalis: atqui, quamvis detur error in intellectu, ſi non detur pertinacia, etiam non datur hæreſis formalis; ex c. *Ad abolendum*, de hæret. c. 2. de ſum. Trinit. c. un. eod. in 6. Clem. un. de hæret. Deinde metus, aut vis externa impellens ad dæmonis cultum, aut adorationem, vel ad aliquo modo fidem exterius negandam, excuſat à contumacia: ergo, &c.

Unde Pignat. cit. *Quapropter non modo qui, vi aut metu impellente, exterius fidem negant, non ſunt hæretici, et canone primo bullæ Cœnæ multati, ſed neque illi, qui ſponte, alia quavis de cauſa, aut dæmoni cultum præbent, aut fidei abrenuntiant, dummodo interius non aſſentiantur, ut Tabien. v.* Apoſtaſiæ, *n.* 6. *D. Anton. 2. p. ſum. tit.* 12. *cap.* 5. § 1. *Regnald. num.* 236. *et Sanches, num.* 10. *imo cum ſponte adorans dæmones, et idola, dupliciter ſe animo habere poſſit: primo modo, ut adoret ex affectu, reverentiam, ſcilicet, cordis cum exteriori veneratione conjungens; ſecundo, ut animo poſitive reluctetur, deteſteturque idolum; aſſerimus nec primo adorantem, hæreticum fieri, defectu erroris in intellectu; alterius eo cap.* 2. *col.* 6. *quamvis tales ex affectu adorantes veri ſunt idololatræ, et ſecundum aliquos incurrant excommunicationem, ac pœnas extravagantis cujuſdam Joann.* XXII. *quam refert directorium inquiſit. p.* 2. *q.* 45. *numer.* 9. *quamque alii quidam, teſte Aragon.* 2. 2. *q.* 2. *ar.* 1. *volunt non eſſe uſu receptam.*

Accedit Ricc. to. 1. reſ. 484. n. 3. ibi: *Dans pocula hujuſmodi ad effectum tantummodo captandi amorem alicujus puellæ, non ſapit hæreſim; amoris enim affectus magnus eſt, ut ſcribit Viguata de hæret. q.* 18. *unde in* § Illud, *in auct. quib. mod. nat. effic. legit. dicitur, nil furore amoris vehementius. Et Ariſt. in* 7. *ethic. dicit, quod iræ, et concupiſcentia veneris homines tranſmutant, et inſanos faciunt. Et dicit Albert. determinatum fuiſſe à curia Rom. quod talia potius adſcribenda eſſent furori, quam hæreſi, ex text. in l.* Divus, *ff. de offic. præſid. l.* Infans, *ff. ad l. Corn. de ſicar. . . . Et de jur. can. hic affectus vocatur furor, c.* Cum in juvent. *de probat. et Æneid.* IV.

Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.

Et Ovid.

Qua licet, et poſſum, luctor celare furorem.

Et ſecundum D. Aug. et D. Thom. ap. eund. *Invocans dæmonia ad amorem mulierum provocandum non dicitur hæreticus, ſed ſuperſtitioſus.*

Sect. II.

Quid tenendum in caſu hæreſis formalis.

VII. Num vero, ſi citra omnem circumſtantiam erroris pertinaciæ, vis, aut ignorantiæ, ſed cum omnimoda libertate, fœmina illa dæmonem adoraverit, et cum illo pacta fuerit, adhuc in aliquo caſu à quolibet confeſſario, vel ſaltem ab epiſcopo, ab hæreſi formali poſſit abſolvi pro foro conſcientiæ; ſed neceſſario ab inquiſitoribus facultas ſpecialis ad id ſupplicanda ſit; majus poteſt eſſe dubium: pro cujus utili, et neceſſaria reſolutione—

Supponendum eſt, 1. Certum eſſe etiam hodie concedi ſolere (teſte Arſdekim. to. 2. p. 2. c. 5. § 1.) epiſcopis Hiberniæ *privilegium abſolvendi ab hæreſi, et apoſtaſia à fide, et à ſchiſmate, quoſcunque etiam eccleſiaſticos, tam ſæculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, niſi ex locis miſſionum, in quibus impune graſſantur hæreſes, deliquerint; nec illos, qui judicialiter abjuraverint, niſi iſti nati ſint, ubi impune graſſantur hæreſes, et poſt judicialem abjurationem illuc reverſi, in hæreſim fuerint relapſi, et hos in foro conſcientiæ tantum.* Et apud eund. § 7. *Abſolvendi* (pro foro conſcientiæ) *relapſos, qui communiter habentur catholici, quoties in hæreſim inciderint, niſi eſſent notorii, et communiter pro talibus haberentur; inconſt. Xyſti* V. *&c.* Similia privilegia pro miſſionariis aliis reperies apud Verricell. in qq. moralib. et ap. Pignatell. conſ. can. 53. to. 7. pro epiſcopis *in partibus*, et conſ. 134. to. 4. pro variis miſſionariis.

Certum, 2. In compendio privilegiorum ſocietatis Jeſu, etiam legi ſequens privilegium, verb. *Abſolutio*, § 7. *Abſolvendi ab hæreſi, et à relapſu etiam in hæreſim, eos omnes, qui ſub ſocietatis obedientia vivunt, ſiquis (quod Deus avertat!) in eam incideret, etiam in Hiſpania* (nota hanc ampliationem) *facultatem conceſſit Gregor.* XIII. *die* 18. *Mart.* 1584. *ut in viv. voc. orac. pag.* 133. multo poſterius ad Conc. Trid. quod abſolutum, conſummatum, et publicatum fuit ann. 1564. quod quidem privilegium revocatum fuiſſe à Xyſto V. quoad abſolutionem hæreticorum manifeſtorum (non quoad alios) tenet Pignat. conſ. nov. 36.

In compendio autem Indico privilegiorum ſocietatis ejuſdem pro utriuſque Indiæ regionibus, verb. eod. *Abſolutio*, ſic etiam legitur: *Hanc facultatem* (abſolvendi, ſcilicet, ab omnibus reſervatis in bull. Cœn. et à conſequentibus cenſuris, et pœnis) *confirmavit, et de novo conceſſit Gregorius* XIII. 8. *Septembris* 1573. *per bullam*, Cum, ſicut accepimus: *eamque extendit ad omnes preſbyteros ſocietatis in Orientali Occidentalique India, omnibus regionibus, inſulis, et provinciis tranſmarinis, ad quas Hiſpani et Luſitani penetrant, commeantes, in eiſdem regionibus pro tempore exiſtentes: bulla edita* 6. *Januarii* 1578. *incipit*, Univerſis Chriſti fidelibus. *Hæc extenſio facta fuit primo ad decennium, poſtea ad duo decennia à prædicto Gregorio* XIII. *et conſequenter ab illius ſucceſſoribus uſque ad Benedictum* XIII. *qui bulla data* 12. *Decembris* 1729. *incipit*, Animarum ſaluti, *eam prorogavit ad duo alia decennia à fine ultimi computanda; id eſt, uſque ad diem undecimam Februarii anni* 1750. *reſtrictam tamen ad loca, ubi eſt Inquiſitionis tribunal, nec ordinarii intra duas diætas hujuſmodi abſolvendi poteſtatem habentes, et fideles inter infideles vivunt.*

Et infra ibidem: *Quod vero attinet ad abſolutionem noſtrorum, ſiquis (quod Deus avertat!) ea indigeret; facultatem abſolvendi ab hæreſi, vel ab apoſtaſia à fide, et à relapſu, provincialibus concedimus abſolute; hoc eſt, abſque eo, quod pœnitenti obligationem imponat comparendi, aut ſe præſentandi præpoſito generali: quam facultatem poterunt ſubdelegare aliis, non tamen abſolute, ſed cum ea limitatione, ut pœnitens teneatur ſe ipſi provinciali manifeſtare eo modo, quo alioquin teneretur ſe præſentare generali, ſi eſſet intra Europam.*

Conſimilem facultatem pro Dominicanis adducit Donat. to. 3. tr. 5. q. 53. et to. 1. tr. 13. q. 17. de revoc. privileg. to. 2. tr. 11. q. 18. ubi à paritate epiſcoporum erga ſuos ſubditos, vigore Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform. probat hanc facultatem in prælatis regularium erga ſuos; et late reſpondet derogatoriis B. Cœnæ, necnon declarationibus in contrarium adductis; et quamvis Urb. VIII. (ait d. q. 18.) *hæreſim excepit, cæteri Rom. Pontifices non limitaverunt; et per alios conceſſa, quoad forum animæ non video revocata.*

VIII. Certum, 3. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6. concedere epiſcopis abſolvere ſibi ſubditos à reſervatis bullæ Cœnæ, ſi ſint occulta, etiam *ab hæreſis crimine in foro conſcientiæ, eis tantum* epiſcopis, *et non eorum vicariis.* An vero per bullam Cœnæ quotannis revocetur hæc gratia, vel privilegium, verbis ibi, *Non obſtantibus cujuſvis concilii decretis*, diſcrepant AA. Revocari affirmant communiter moderni,

derni, et antiqui, quos ad numerum 47. recenſet Barb. in concil. loc. cit. quod et confirmant ex damnatione Alex. VII. prop. 3.

Negant tamen revocari quamplures etiam DD. quos idem Barb. ibid. congerit ad 21: inter quos multi primæ notæ reperiuntur, ut Fagund. Granad. Bann. Sanch. Sa, Aragon. Rodrig. Henriq. Gutierr. Souſ. Boſſ. Ant. Gom. Novar. et alii ibid. videndi; quibus addendi Torreſil. Corell. Fr. Valentin. in compilat. et foro conſcient. Fr. Angel. in breviar. Salmantic. to. 4. Candid. Pelliz. Comitol. Mareſc. Fr. Ant. à Sp. S. Lacr. ad Bużemb. Pignat. Donat. ſupra cit. et alibi, 1. p. tr. 13. de revocat. privileg. q. 17. ſignanter à n. 17. et ſeqq. Gob. Marin. &c.

IX. Fundamentum illis eſt, 1. Quia, juxta doctrinam Sanch. Henriq. Nav. Veg. Ledeſm. Sa, Molin. Felin. Menoch. et aliorum juriſtarum, decreta Concilii Trid. utpote concilii moderni, et matura deliberatione ſancita, et tantæ auctoritatis, ut habeat ſpecialem creatam congregationem pro illis explicandis, non intelliguntur derogata, niſi de illo fiat ſpecialis, et expreſſa mentio, addendo particulæ *generalis Concilii*, expreſſionem, etiam *Tridentini*; eo quod Concilii Tridentini decreta, ob ſuam excellentiam, contineant vim clauſulæ derogatoriæ ad alia decreta poſteriora contraria, niſi de illis ſpecificam habeant mentionem, ex c. *Nonnulli*, de reſcript. c. *Ex parte*, de capell. monachorum.

2. Quia *odioſa ſunt reſtringenda*, ex reg. juris, *Odia*. Unde illa derogatoria, *Non obſtantibus cujuſvis concilii decretis*, cum ſit indifferens ad concilium particulare, vel generale, indiget hac determinatione *concilii generalis*; proindeque, quatenus ea caret, reſtringi debet ad concilium particulare. Similiter hæc expreſſio, *Concilii generalis, vel œcumenici, ſeu univerſalis*, cum etiam indeterminata ſit ad Concilium generale Tridentinum, et ad aliud antecedens, vel præter Tridentinum, hæc etiam indiget ſpecificatione, ac determinatione, *generalis*, etiam *Tridentini*, ut tenent DD. cit. cum Henriq.

3. Quia, cum opinio verſaretur aliquorum DD. quos recenſent Fragoſ. et Salmantic. aſſerentium, regulares, et epiſcopos, ab omnibus caſibus bullæ Cœnæ occultis, etiam ab hæreſi, poſſe abſolvere; et *hanc opinionem fuiſſe toleratam in judicio contradictorio à Sacra Congregatione*, ideo prodiiſſe damnationem Alex. VII. ſequentis propoſitionis (quæ eſt tertia ex damnatis): *Sententia aſſerens bullam Cœnæ Domini ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, et aliorum criminum, quando publica ſunt, et id non derogare facultatem Trid. in qua de occultis criminibus ſermo eſt anno D. 1629. 17. Julii, in conſiſtorio S. Congregat. emin. Cardin. viſa, et tolerata eſt.*

Confirmatur hæc intelligentia efficaciter ex damnatione 4. propoſitionis immediate ſequentis ſuper eadem regularium pertenſa juriſdictione: *Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſque ſæculares ab hæreſi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurſa.*

4. Ex atteſtatione graviſſimorum magiſtrorum illuſtris academiæ Salmantinæ, quos conſuluiſſe teſtatur doctiſſimus curſus moral. Salmantic. inter quos tres primariæ cathedræ moderatores, unanimiter ſentientes prohibitionem, ac cenſuram Alexandri ſolum afficere illud prædicatum *anno Domini* 1629. 17. *Julii, in conſiſtorio* S. Congr. *viſa, et tolerata eſt*: non vero præcedentia. Quare Fr. Valentin. in compilat. § 23. et 24. *Dicendum eſt, eſſe falſum, quod anno, et die citato fuerit opinio relata in hac propoſitione viſa et tolerata à S. Congregatione eminentiſſ. Card. S. R. E. et juxta doctiſſimos viros, quibus aſſentiri poteſt, nihil amplius in hac damnatione declaratur; et etiam cum pluribus ita ſentit noſter curſus doctiſſimus moralis, tom. 4. tr. 18. cap. 4. punct. 2. § 11. num. 130. Unde opinio aſſerens, quod à caſibus occultis bullæ Cœnæ Domini poſſunt epiſcopi abſolvere ex vigore Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reformat. quin ipſamet bulla obſtet, indemnis manet in ſua probabilitate.*

5. Ex doctrina Pignat. conſ. nov. 124. hanc opinionem, ut probabilem, inſinuantis, quamvis contrariam amplectatur; *eo quod in bulla Cœnæ non ſit mentio expreſſa Concil. Trid. quod quidem eſt neceſſarium, ut cenſeatur illi eſſe derogatum, c.* Ex parte, *de capell. monach. ub. gloſſ. v.* Nulla mentio, *c.* Nonnulli, *de reſcript. v.* Fecerunt mention. *Nec Pius V. nec Greg. XIII. et Clem. VIII. contrarium declarârunt. Nam, ut ait Souſ. et Fagund. de illis Pontificiis declarationibus non conſtat authentice. Cumque ſit res tam gravis, et ſcientibus Pontificibus controverſa, deberet expreſſe declarari, ad tollendum laqueos animarum.* Vide etiam Marin. in hanc opinionem valde inclinantem, cum nihil dicat decernere, tr. 22. d. 11. n. 20. etſi contrarium placitum Clem. VIII. ut doctoris privati S. Franciſco Saleſio replicantis, adducat.

X. His rationibus ſuperaddo ſequentes, quæ haud inefficaces videntur. Prima eſt; Quia antecedenter ad Concilium Tridentinum cœptum anno 1545. et finitum anno 1564. jam edita erat, et publicata bulla Cœnæ vel à Gregor. XI. anno Domini 1370. vel à Martino V. qui regnare cœpit anno 1417. licet poſtmodum renovata fuerit, et denuo publicata à Paulo II. Xyſto IV. Paulo III. et tempore Alter. à Paulo V. anno 1608. pro quo vide Alter. et Fragoſ. p. 2.

Quæro igitur, an tunc jam tempore Martini V. et aliorum Tridentinum præcedentium, bulla Cœnæ habebat derogatoriam illam *cujuſvis concilii*, necne? Si habebat; ergo, cum illa tunc appellare non poterat ſuper Concilium Tridentinum, nondum exiſtens, ſed ſuper quodlibet aliud indeterminate, ita et nunc. Si non habebat, deſignandum eſt tempus, quo derogatoria illa addita eſt. Et ſi fuit ante dictum Concilium Tridentinum, currit idem argumentum, et dubitatio. Si fuit poſt Tridentini publicationem, deſignetur annus, et Pontifex, qui eam ſuperaddidit; et, poſt deſignationem, etiam tenent eædem rationes neceſſitudinis ſpecialis, et individuæ expreſſionis, ac mentionis *Concilii Tridentini*, necnon vitii, et defectus gratiæ fruſtratoriæ, ac illuſoriæ, et aliorum infra expenſorum.

Secunda eſt; Quia privilegia illa ſuperius extenſa epiſcopis, et Jeſuitis (etiam intra Hiſpaniam) aliiſque miſſionariis concedi ſolita, utique indulta fuerunt poſt Tridentinum. Quæro igitur, an mens Pontificis concedentis hæc fuit, ut ſtatim per ſubſequentem publicationem bullæ Cœnæ revocarentur, vel non? Si primum; ergo conceſſio illa fuit fruſtranea, fruſtratoria, illuſoria, et inefficax; eo quod nunquam ad actum, et exercitium, reducenda erat; quod omnino abſonum, et alienum eſt à ſeria voluntate Pontificis indulgentis. Si ſecundum; ergo ſi his privatis privilegiis poſſunt adhuc uti privilegiati, non obſtantibus derogatoriis bullæ Cœnæ; potiori jure et epiſcopi privilegio ſpeciali per Tridentinum conceſſo.

Confirmatur, et roboratur hæc ratio; Quia privilegium illud pro Jeſuitis fuit conceſſum anno 1584. à Gregor. XIII. qui fuit bullæ Cœnæ reformator: et ſi illud conceſſit, ut, non obſtantibus derogatoriis annualibus bullæ Cœnæ, gratia ſuum ſortiretur effectum; idem dicendum de privilegio epiſcopis conceſſo.

Neque obeſt, quod Xyſtus V. et Clem. VIII. in revocationibus bullæ Cœnæ addebant, *Niſi in privilegiis caſus in bulla contentis expreſſe concederentur.* Unde, cum ſubſequentes Pontifices talem limitationem omittant, dicendum eſt privilegia tollere. Ita Lacr. n. 1658. Sed contra, 1. Quia ſaltem reſpectu Pontificum Concilio Tridentino contemporalium, et illud ſubſequentium, qui illa privilegia conceſſerunt, militat ratio fruſtraneitatis oppoſitæ. Vid. Donat. cit. q. 17. et 18.

Contra, 2. Quia ſaltem tempore vitæ Pontificis concedentis privilegium valeret, ut tenet Lacr.

Contra, 3. Quia, ſi ſit in perpetuum, etiam ultra vitam, ſi ſpecialiter non derogetur. Imo videtur ſubſequentes Pontifices talem limitationem omittere ex expreſſione privilegii in Tridentino.

Tertia (quam attigit Lumb. et alii cum Salmantic. to. 4. tr. 18. c. 4. p. 2. n. 163.); Quia ex eo, quod neque in derogatoriis bullæ Cœnæ fiat expreſſio ſpecifica Tridentini, neque in damnatione prop. 3. Alex. VII. fiat expreſſa, vel explicita declaratio ſententiæ, quam adverſarii dicunt implicite damnari; ſatis, et ſecure conjicitur, mentem Pontificum fuiſſe opiniones illas, antea probabiles, indemnes omnino, et in ſua antiqua probabilitate relinquere, eas nullatenus condemnando, ſed earum examen in tempus oppor-

opportunum differendo. Unde Salmantic. loc. cit. *Et, quod mirum eſt, Alex.* VII. *duplici decreto* 45. *prohibuiſſe propoſitiones, omnes manifeſte, clare, et abſque ulla ambiguitate, aut reflexione: et ſolum iſtam, quam majori cum expreſſione debebat apponere; ſiquidem per illam graviſſimum decretum Trid. videbatur revocare pro dominis epiſcopis adeo favorabile, et pro tota Hiſpania, et omnibus regnis, in quibus receptum eſt Tridentinum, cum omnibus ſuis oneribus, et privilegiis, adeo gratioſum; et condemnare ſententiam uſque illud tempus, ut probabiliſſimam, ſecutam à tot tantiſque ſcriptoribus doctiſſimis, cum illa reflexione, et quaſi ambage, proponeret: quod manifeſte indicat ſuam mentem non fuiſſe, propoſitionem illam, et ſententiam condemnare, ſed, ne diceretur cum illa amplitudine à S. Congregatione approbatam eſſe, de medio tollere*, &c.

Quarta; Quia tertia iſta propoſitio fuit damnata ab Alex. VII. ut *ſcandaloſa*, ut tenent Salmantic. et conſtat ex formalitate damnationis: atqui non fuit damnata, ut ſcandaloſa, qua parte dicebat, non derogari facultati à Tridentino conceſſæ epiſcopis in foro interno pro caſibus occultis bullæ Cœnæ: et probatur; quia epiſcopis à jure communi competit facultas, ac juriſdictio abſolvendi ab hæreſi ex c. *Inquiſitores*, c. *Per hoc*, de hæretic. in 6. Caren. Farin. Sanctarel. Pal. tr. 4. d. 8. p. 12. Shcogar. ap. Sporer.

Et quamvis poſtea hæc facultas pro foro externo, et etiam interno, pro caſibus publicis, reſervata fuerit inquiſitoribus apoſtolicis; attamen epiſcopi, utpote inquiſitores nati, et ordinarii, ex c. *Ad abolend.* c. *Excommunicam.* de hæreſ. c. *Multorum*, eod. in 6. Piaſec. in prax. p. 2. n. 39. ex c. *Ut inquiſition.* eod. tit. in 6. ſemper in habitu, ac radice, hanc facultatem præcontinent prodeundam in actum, ſaltem in aliquibus caſibus occultis, ac difficilibus; et certum eſt in jure, quod *quælibet res de facili tranſit ad ſui primum naturalem ſtatum*, l. *Ab exordio*, &c.

Ergo non fuit damnata, ut ſcandaloſa, qua parte negabat derogationem facultatis Tridentini conceſſæ epiſcopis: ergo ſolummodo damnata eſt, qua parte regulares DD. et alii, quos lato calamo recenſet Barb. à n. 7. et ſeqq. autumantes, prælatos regulares, habentes, vel non habentes juriſdictionem ordinariam, quaſi epiſcopalem, comprehendi in hoc decreto, et omnes ſuperiores conventuales erga religioſos ſibi ſubditos: quæ quidem opinio erronea, et ſcandaloſa erat, cum ex jure certum ſit nomine *epiſcopi* non venire ſuperiores, et prælatos regulares, etiam habentes juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ex c. *Inquiſitores*, in 6. ub. gloſſ. Fragoſ. 2. p. Donat. to. 1. p. 2. q. 40. Card. Petr. et reliq. cit. alleg. præced. Et inſuper, cum Concilium dicat, *in diœceſi ſua*: ſuperiores autem regulares non habent diœceſim, ut declaravit S. Congr. ap. Barb. de epiſcopo, p. 2. alleg. 39. n. 18. et ut tenent Suar. Bonac. Dicaſt. ap. Lacr. l. 7. n. 141.

Quinta; Quia, ſicut, non obſtantibus derogatoriis bullæ Cœn. aſſerunt etiam DD. adverſarii, epiſcopos, quamvis non poſſint abſolvere ab hæreſi occulta, poſſe tamen adhuc abſolvere ab aliis criminibus in 1. can. bullæ Cœnæ contentis, nempe fautores hæreticorum, eorum libros legentes, retinentes, &c. quia reſervatio, cum ſit odioſa, reſtringi debet ad caſum expreſſum dumtaxat: ita pariformiter dicendum eſt, quod, ciſdem non obſtantibus, particula illa, *cujuſvis concilii*, reſtringenda eſt ad concilium non generale, et œcumenicum, cum hoc non exprimat; et ad aliud Concilium à Tridentino, cum hoc ob ſuam majorem, et ſpecialem auctoritatem, eo quod ſit concilium noviſſimum, celeberrimum, cum ſpeciali congregatione, pro illius decretis explicandis deputata, expreſſam, et individualem requirat mentionem ex c. *Ex parte*, de capell. monachor. c. *Nonnulli*, de reſcript. ub. gl. Ita Salmant. to. 2. vide etiam Lacr. l. 7. n. 126.

Sexta; Quia juxta doctrinam Dicaſt. Chapeau. Soar. Ugolin. Hug. ap. Lacr. p. 2. l. 6. n. 1616. et l. 7. n. 127. ex declaratione Gregor. XIII. quod etiam tenet Donat. quando datur facultas generalis abſolvendi ob omnibus cenſuris Papæ reſervatis, non intelliguntur *cenſuræ bullæ Cœnæ*, niſi Papa id exprimat: et quando datur facultas ad abſolvendum ab omnibus caſibus, et cenſuris, etiam in bulla Cœnæ contentis, non intelligitur *hæreſis*, niſi Papa de hac expreſſam mentionem fecerit, tanquam ſpeciali nota digna: ergo, pariformiter, licet in bulla Cœnæ derogetur privilegium, ſive decretum, *cujuſvis concilii*; non intelligetur concilium generale, niſi ibidem id exprimatur; et quamvis exprimeretur etiam *concilii generalis*, non intelligeretur Tridentinum, niſi expreſſe, et ſpecifice, de eodem mentio fieret ob ſuam ſpecialem auctoritatem, et excellentiam, vi cujus eſt ſpeciali, et ſpecialiſſima nota dignum.

Urgetur hæc ratio; Quia, ſicut favores ſunt ampliandi, ita et odioſa ſunt reſtringenda: atqui, non obſtante, quod abſolutio à reſervatis ſit favorabilis (ut cum communi tenet Gob. tr. 7. n. 697.) non datur extenſio illius in prima ſuppoſitione, niſi detur Pontificia expreſſio: ergo potiori jure, cum reſervatio ſit odioſa, et, ut talis, reſtringenda, non dabitur ampliatio illius in ſecunda ſuppoſitione ad concilium generale, et ad Tridentinum, niſi detur illius expreſſio Pontificia individualis.

Septima; Quia, quamvis reſervatio, ut odioſa, ſit ſtricte accipienda; attamen poteſtas ordinaria abſolvendi à reſervatis eſt favorabilis, et large interpretanda, quia reſpicit bonum commune; ita Lacr. Pal. &c. atqui hæc poteſtas competit epiſcopis jure ordinario: ergo. *Idem eſt* (proſequitur Lacr. n. 1684.) *de poteſtate delegata, quando datur, non expreſſis perſonis abſolvendis; ſi autem detur his expreſſis, eſt ſtricte interpretanda, quia non cenſetur eſſe pro bono privati, Caſtr. Pal. et conſequenter, ſi poteſtas abſolvendi à reſervatis detur confeſſario in gratiam confeſſarii, eſt large interpretanda; ſi in gratiam pœnitentis, ſtricte. Sanch. Tamb.* &c.

Octava; Quia epiſcopi, ex c. *Mulieres*, c. *Quamvis*, c. *De cætero*, c. *Ea noſcitur*, c. *Eos, qui*, de ſent. excomm. et in 6. poſſunt jure ordinario abſolvere ab excommunicatione P. reſervata, ob publicam clerici percuſſionem, *ne pro dilatatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; quam rationem, et reſolutionem extendunt Viv. cit. et reliqui DD. ad omnes excommunicationes reſervatas. Atqui derogatio illa, *cujuſvis concilii decretorum*, non comprehendit alia decreta juris communis, ut tenet Viv. in d. prop. 3. et communiter DD. ap. illum contra Sylveſtr. ergo ſaltem quoties non pateat aditus ad Summ. Pontificem, vel ejus legatum, aut delegatum, niſi cum magna difficultate (quæ ſemper eſt in mulieribus, ſecundum infra dicenda) poterit mulier illa ab epiſcopo, vel ab inferiore ſacerdote, abſolvi cum onere in prædictis canonibus expreſſo. A quo tamen poterit etiam fœmina illa exonerari, ſecundum doctrinam Salmantic. et aliorum, inferius exponendam.

Nona; A paritate doctrinæ ſtabilitæ ſupr. c. 23. n. 55. videlicet, quod, non obſtantibus derogatoriis bullæ Cœnæ, et plurimorum DD. opinione, probabilius eſt, concordias regni à Sede Apoſtolica approbatas non revocari annaliter per illas: ergo, ſimiliter, neque ſolemnius decretum famoſioris œcumenici concilii, eo quod B. Cœnæ non deroget privilegia, quæ actu, et realiter exiſtant, quale eſt illud Trident. Vide Oliv. de for. eccleſ. q. 14. et alios ſupr. cit. c. 23.

Decima; ex Donat. cit. q. 17. Quia, illis derogatoriis non obſtantibus, tenet privilegium bullæ Cruciatæ: ergo ſimiliter. Deinde bullæ Cœnæ prohibet abſolutionem *ſub prætextu*, non vero abſolute, et ex vi realis privilegii. *Prætextus* autem eſt *velamen*, ſive *ſimulatio*, l. *Prætextu*, 1. et 2. cod. de tranſact. quæ non ſtat cum realitate juris epiſcopis aſſiſtentis tum novi, tum etiam veteris, de quo infr.

Undecima; Quia probabilitas, et praxis hujus ſententiæ favorabilioris, reddit jugum Domini magis ſuave, et onus ſacramenti pœnitentiæ magis leve, quod quidem quodammodo durum, et odioſum reddit rigiditas, et conſtrictio opinionis contrariæ: ergo illa præferenda eſt, et firmiter tenendum, Summos Pontifices neque revocâſſe facultatem, à Tridentino epiſcopis pro foro conſcientiæ conceſſam, neque ſententiam eis faventem, etiam implicite, hactenus damnâſſe, ſiquidem Pontifices ſemper præ oculis habuerunt vitare id, quo pœnitentiæ ſacramentum odioſum reddebatur.

Ultima tandem ratio reflexa pro ſecura practicabilitate hujuſce ſententiæ hæc eſſe poteſt; Quia, ſuppoſita

ſita probabilitate extrinſeca tot ac talium DD. et intrinſeca tot ſolidarum rationum, ſupplet eccleſia, et confert juriſdictionem, ut eſt tritum apud DD. juriſtas, ac moraliſtas. Vid. Carden. p. 4. in prop. 2. Innoc. XI. et Donat. cit. et Pignat. conſ. nov. 117. &c. Vid. etiam Gob. tr. 7. à n. 367. et ſeqq. Deinde facultas Trid. eſt certa: revocatio vero eſt dubia. Dubium autem nequit certo prævalere. Ita Fel. Pot. p. 4. c. 5. n. 1325.

Sect. III.

Argumenta ſoluta.

XI. Arg. tamen, 1. pro Viv. in d. prop. 3. Alex. VII. Si damnaretur hæc contraria propoſitio aſſerens, ſententiam illam *non fuiſſe viſam, neque toleratam*; certe magnum pondus adderet ſententiæ contrariæ affirmanti, fuiſſe viſam, et toleratam: ergo, è contra, ex damnatione propoſitionis affirmantis *fuiſſe viſam, ac toleratam*, magnum pondus acceſſit contrariæ opinioni; atque adeo implicite damnata cenſenda eſt.

Reſpond. 1. Cum Salmantic. compilat. et ipſomet Viv. Alexandrum VII. damnâſſe directe, et formaliter, illam clauſulam complexam; *anno Domini* 1629. *die* 17. *Julii, in conſiſtorio S. Congregationis eminentiſſimorum cardinalium viſa, et tolerata eſt*; quod erat falſum: non vero damnâſſe præcedentes clauſulas, neque in eis aſſertum.

Reſp. 2. Quod, ſicut ipſe Viv. et reliqui adverſarii, quamvis ſentiant implicite damnari opinionem illam ex ipſa damnatione formali fuiſſe toleratam, non tamen ſentiunt, non eſſe tolerabilem, ſive dignam, ut toleretur, ex probabilitate, tam intrinſeca, quam extrinſeca, quas adhuc retinet: potiori jure ex formali illa damnatione directe, et formaliter cedente ſuper complexam illam, *anno Domini*, &c. non intelligetur, quoad præcedentes clauſulas damnata; videlicet, quoad facultatem à Tridentino conceſſam epiſcopis; ſed ſuam, ſicut antea, retinere probabilitatem.

Reſp. 3. Controvertendo argumentum ex Salmantic. quia ſi Pontifex damnaret nunc hanc propoſitionem; *Scientia media à D. Auguſtino, et Thoma, viſa, et tolerata eſt*; nec ideo DD. adverſantes ſcientiam mediam, dicerent implicite damnatam, et toleratam: ergo pariformiter. Vel aliter, ſi damnaretur hæc propoſitio; *Doctrina M. Soarii, et ſocietatis à Clem.* VIII. *tali die viſa, et tolerata eſt*; non damnaretur objectum materiale propoſitionis, ſed complexum formale: ergo ſimiliter.

Reſp. 4. Quia, non obſtante hac damnatione, communis eſt opinio, quod poſſunt epiſcopi (imo et ſuperiores regulares, ut contendunt compilat. Donat. et Salmantic.) abſolvere à reliquis caſibus occultis, contentis in bulla Cœnæ Domini, quinimo et à reliquis criminibus, contentis in canone 1. hæreſi excepta; ex regula, *Odioſa ſunt reſtringenda*: ergo, pariformiter, idem dicendum eſt de damnatione illa Alexandrina, intelligendam cum reſtrictione ad ſententiam, facultatem Tridentini ad ſuperiores regularium ampliantem, de quo Barb. cit. n. non vero de illa, quæ epiſcopis dumtaxat in illo Tridentini decreto comprehenſos aſſeverat, ut ſentiunt Salmantic. et alii cum ipſis.

Ad paritatem denique in argumento allatam, notam aſſigno diſparitatem: quia in primo caſu damnatio illius propoſitionis, *Non fuit tolerata*, cadebat ſupra propoſitionem objectivam, ſive ſupra objectum illius propoſitionis, nempe doctrinam illam, quam non toleratam propoſitio ipſa formalis aſſeverabat. In ſecundo vero caſu, damnatio cadit, non ſupra doctrinam objectivam materialem, ſed ſupra hoc complexum formale propoſitionis illius, quod *die illa Julii fuerit doctrina illa in conſiſtorio examinata, et tolerata*. Unde cadit formaliter ſupra affirmatum examen, probationem, ac tolerantiam in illo conſiſtorio, ut patet à pari propoſitionis ſcientiæ mediæ.

XII. Arg. 2. pro aliis apud Peliz. In derogatoria illa bullæ Cœnæ, *Non obſtantibus cujuſvis concilii decretis*; ſit ſufficiens mentio, et expreſſio Concilii Tridentini, cum non detur aliud alicujus concilii decretum, facultatem illam epiſcopis concedens, niſi præfatum Tridentini.

Sed contra, 1. Quia non ſit mentio expreſſa etiam *Concilii generalis*, quæ debebat fieri, juxta ſupra traditam communem doctrinam: terminus namque *cujuſvis concilii* indifferens eſt ad *quodlibet concilium generale*; et ad *quodlibet concilium particulare*; atque adeo non eſt mentio expreſſa, determinata, et ſpecifica concilii generalis. Deinde etiam terminus *concilii generalis* indifferens eſt, atque indeterminatus ad concilium generale ſpeciale, ſpeciali nota dignum, ob ſuam inter alia excellentiam; et ad alia concilia generalia diverſa à Tridentino, et non adeo ſpeciali, et ſpecialiſſima nota digna, ob rationes ſuperius attactas, de quibus videnda Salmantic. to. 2. et 4.

Contra, 2. Quia, non obſtante derogatoria ipſa bullæ Cœnæ, communis doctrina eſt, poſſe epiſcopos abſolvere ab aliis caſibus in bulla Cœnæ contentis, præter hæreſim, ſi ſint occulti, imo et prælatos regulares; et tamen derogatoriæ in fine bullæ Cœnæ appoſitæ cadunt ſuper abſolutiones dandas ab omnibus præmiſſis caſibus, virtute cujus privilegii per alium *præter Romanum Pontificem*, ut expreſſe habetur § 22. *Cæterum*.

Contra, 3. Quia militant omnes adverſantes rationes ſuperius adductæ de privilegiis miſſionariorum, et aliquorum prælatorum regularium, quæ videntur fruſtratoria et illuſoria, ſi quotannis revocentur per derogatorias annuæ bullæ Cœnæ, juxta ſuperius ponderata. Et obſtant etiam quæ ſuperius tradita ſunt c. 23. non obſtante, quod in derogatoriis bullæ Cœnæ fiat expreſſa mentio omnium privilegiorum, etiam per viam contractus, aut remunerationis conceſſorum.

Reſpondetur igitur, Pontificem per illam derogatoriam bullæ *Decreta cujuſvis concilii*, ſubintelligere conditionaliter, *ſi forte aliquod ſit, vel detur*; non tamen determinare, aut definire, etiam implicite, illud de facto dari; quæ regula, ac doctrina trita, et communis eſt pro omnibus derogatoriis, de quo videndi DD. infr. cit. cum Salmanticenſib. et Barb. de clauſ. uſ. freq. clauſ. 83.

XIII. Arg. 3. Difficilius, ſæpe declaratum fuiſſe à Pio V. Gregor. XIII. Clem. VIII. Tridentinum quoad eam facultatem non amplius prodeſſe epiſcopis, ob annuam derogationem bullæ Cœnæ, ut teſtantur Tolet. Gutier. Ugolin. et alii.

Sed contra, 1. Quia idem Gregor. XIII. conceſſit Jeſuitis privilegium, de quo ſupr. abſolvendi ab hæreſi, et à relapſu, etiam in Hiſpania, omnes qui ſub obedientia ſocietatis vivunt. Et non eſt dicendum, nec præſumendum, conceſſiſſe gratiam fruſtraneam, et illuſoriam. Contra, 2. Quia etiam in compendio Indico privilegiorum ejuſdem ſocietatis, Romæ typis dato anno 1730. verb. *Abſolutio*, legitur ſimile privilegium Pauli III. 16. Octobr. 1549. per bullam *Licet debitum*, Clem. VIII. 14. Julii 1604. per bullam *Dominici gregis, abſolvendi ab omnibus peccatis, etiam in bulla Cœnæ Domini reſervatis, et à conſequentibus cenſuris, et pœnis*; non obſtante annua revocatione ejuſdem bullæ omnium privilegiorum generaliter, et ſpecifice. Et ibidem § immediate ſequenti ſic legitur:

Hanc facultatem confirmavit, et de novo conceſſit, Gregor. XIII. 8. *Sept.* 1573. *per bullam*, Cum, ſicut accepimus; *eamque extendit ad omnes preſbyteros ſocietatis in Orientali Occidentaliquè India, omnibuſque regionibus, inſulis, et provinciis tranſmarinis, ad quas Hiſpani et Luſitani penetrant; commeantes, et in eiſdem regionibus pro tempore exiſtentes: bulla edita* 6. *Januarii* 1578. *incipit*, Univerſis Chriſti fidelibus. *Hæc extenſio facta fuit primo ad decennium, poſtea ad duo decennia, à prædicto Gregor.* XIII. *et conſequenter ab illius ſucceſſoribus uſque ad Benedictum* XIII. *qui bulla data* 12. *Decembris* 1729. *incipit*, Animarum ſaluti, *eam prorogavit ad duo alia decennia à fine ultimi computanda; id eſt, uſque ad diem* 11. *Februarii anni* 1750. *reſtrictam tamen ad loca, ubi non eſt Inquiſitionis tribunal, nec ordinarii, intra duas diætas, hujuſmodi abſolvendi poteſtatem habentes, et fideles inter infideles vivunt.*

Ergo, ſi tot Pontifices, alii Tridentino contemporanei, alii vero poſteriores, has gratias ſerio indulſerunt, quæ adhuc permanent, non obſtante annua revocatione bullæ Cœnæ, idem dicendum de gratia ab ipſo cit. concilio epiſcopis conceſſa; præſertim cum ſit privilegium in corpore juris clauſum, cui per poſteriores

steriores derogatorias non censetur derogatum, nisi de illo expressa, specifica, et individualis mentio fiat, juxta communem doctrinam, de qua Card. Petr. tom. 5. in const. 7. Pii II. n. 31. Menoch. de arbitr. l. 1. c. 97. ex c. *Cum ordinem*, c. *Abbatem*, de rescript. Gonsal. ad reg. 8. Cancell. gl. 9. § 2. num. 6. Et solummodo intelligenda est revocatio illa de privilegiis quoad casus occultos, ut tenent Salmantic. to. 4. tr. 18. c. 4. n. 161. et seqq.

Deinde declarationes illæ, ut dicunt Salmant. to. 2. tr. 10. c. 2. n. 56. et Sous. ac Fagund. ap. Pignatell. supra cit. vel authentice non constant (quod sufficit, ut illis irrefragabiliter non assentiatur, juxta vulgarem doctrinam, et authenticam, atque generalem S. Congregationis declarationem, de qua Lacr. et etiam Donat. in prax. et alii communiter) vel non comprehendunt facultatem illam Trident. episcopis concessam pro casibus occultis, utpote facultatem juris communis, et notæ specialis, seu specialissimæ, vel ob alias rationes (videndas ap. Salmantic. to. 4. cit. n. 163. et to. 2. tr. 10. c. 2. p. 1. an. 55. et Donat.) eam intactam, atque indemnem reliquerunt: nam, non obstantibus declarationibus ipsis, ab adversariis AA. adductis, cernimus tot alios, haud inferioris notæ DD. pro indemnitate, et permanentia gratiæ illius conciliaris adhuc acriter pugnare, et declarationibus ipsis sufficienter respondere, ut Salmantic. to. 4. etiam quoad regulares, declarationi Clem. VIII. 1601. respondent, fuisse pro universa Italia dumtaxat, et non comprehendere episcopos, ex ipsa constat. Declarationi autem, sive decreto Urb. VIII. anni 1628. vetanti confessoribus regularibus absolvere sæculares à casibus bullæ Cœnæ cum revocatione privilegiorum, respondent, præterquam quod non comprehendat etiam episcopos, loqui de absolutione respectu sæcularium, non vero regularium sibi subditorum, et loquitur de privilegiis particularibus regularium, non vero de illo, quod aliqui DD. regulares prætendunt sibi etiam competere, ut episcopis, quasi per extensionem, licet minus recte, ut superius insinuatum remanet n. 11. de quo etiam Donat. et alii.

XIV. Et to. ipso 2. c. 2. n. 56. adducunt unam declarationem (ex attestatione Comitol. et Leand.) cardinalis Carafæ, qui nomine S. Congregationis respondit, *Per bullam Cœnæ nil derogatum esse potestati, quam Concilium Trident. concedit episcopis.* Et similem declarationem ibidem afferunt cum Rodrig. cardinalis Quirogæ generalis inquisitoris ex consultatione facta in concilio Toletano anno 1587. et ita concludunt: *Quare declarationes cardinalium in oppositum, vel non sunt authenticæ, ita ut possint spoliare episcopos hac facultate, quam ipsis Trident. concessit; vel, si essent, solum illas dedissent, ut inquit Granad. innixus opinione probabili: quod non tollit probabilitatem alterius.* Et quamvis ibidem, n. 58. ex damnatione tertia Alex. VII. dubitent de mente Pontificis; postea, to. 4. loc. cit. resolutionem negativam in favorem jurisdictionis episcopalis nervose tuentur, ut supra est ostensum.

Et tandem n. 58. respondent cum Pelizar. Fagund. Becan. et Granad. derogatorias bullæ Cœnæ debere intelligi de casibus publicis, non vero de occultis; et derogatoriam illam, *etiam cujusvis concilii*, appositam fuisse ex *abundanti cautela*, et conditionaliter; videlicet, *Si forte in aliquo concilio non generali talis facultas fuerit concessa; uti similes clausulæ solent apponi in bullis Pontificiis*, &c.

Denique transcribere hic refert doctrinam cit. Donat. 1. p. tr. 13. q. 7. n. 17. et 18. ibi: *Episcopi autem prædicto jure Concil. Trid. possunt absolvere, et dispensare cum suis subditis, non obstante rigorosa bullæ Cœnæ revocatione, prout docet, multis citatis, Vivaldus in cit. loc. sui candelabri, quod jus absolvendi, et dispensandi, datum episcopis per Concil. Trid. in d. sess. 24. de reform. c.* Liceat, *non est jus novum omnino, sed renovans antiquum. Et habetur in decretis, dess. 50. cap. 21. quod incipit,* Contumaces; *et subsequenti cap.* Siquis presbyter, *cap. 110. quod incipit,* Erga Simoniacos, *caus. 1. q. 1. et in decretalib. tit. de judic. c. 4.* At si clerici; *et in 6. de sent. excommunicationis, cap. 29. quod incipit,* Nuper à vobis, *et cap.* Sacrosanct. *de sent. excommunicatio. Quæ loca oculatim legere non pigeat, ad hoc, ut cognoscas, prædictam potestatem dari episcopis ex antiquo, et novo jure Concil. Trid. et quoad hæc episcopos procedere auctoritate ordinaria, non autem jure legati, nec ex speciali commissione, prout voluit Lezana in p. 1. summ. qq. regul. cap. 18. n. 31. et 38. et in sua 3. p. verb.* Bulla Cœnæ, *n. 54. ubi gratis asserit in præcitato loco Conc. Trid. dictis episcopis, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, prælibatam impertiri facultatem, quod ibi nullatenus exprimitur, prout S. synodus exprimere solet, cum ad aliquid speciale peragendum delegat episcopos; prout in multis capitulis præcipit Concil. Trid. est videre, et patet.*

Hujusmodi ergo facultas competit episcopis auctoritate ordinaria, et jure suo, sive sit novum, vel antiquum, prout docet Joann. à Cruce de statu religionis, lib. 1. de vot. obed. c. 6. dub. 14. fol. mihi, 79. et Coriol. in dict. tract. de casibus reservatis, p. 1. sect. 1. art. 23. n. 4. ubi loquens de hoc dicit: Maxime, quia hoc decretum Concil. non censetur jus novum exorbitans ab antiquo, sed potius reducens jus ad suam antiquitatem, et naturalem statum, quem habebat.

Pro monialibus impeditis adire Pontificem, quærit Cajet. de Alexandris in confessar. monial. c. 6. § 8. q. 3. *An moniales ratione perpetui impedimenti possint etiam à casibus bullæ Cœnæ per episcopum absolvi?* R. *Non quidem ex vi* Trid. sess. 24. de reform. *c. 6. cum tale privilegium per d. bullam sit derogatum; sed ex facultate episcopis competente ex vi juris communis per textus supra citatos, qui à pluribus DD. teste Gobat. t. 1. tract. 7. n. 385. extenduntur etiam ad casus contentos in bulla Cœnæ; quia jura ob identitatem rationis, præsertim quando continent favorem, trahuntur ad casus similes, in quibus militat eadem ratio, c.* Cum dilecta, *ubi Abbas, et Decius de confirmat. utili, vel inutil. Neque repugnat, quod facultas, una via negata, altera concedatur, quando oritur à diversa causa, ut in casu nostro; nam facultas concessa per jus commune ratione perpetui impedimenti oritur à necessitate, nequis perpetuo in excommunicatione permaneat, et contingat inabsolutum decedere. Facultas vero concessa per Tridentinum non datur ex necessitate, sed ex privilegio dignitatis episcopalis, vel quia delictum mitiori pœna censetur dignum.* Quoad hæresim tamen formalem, contrarium tenet § seq.

Quær. 4. An episcopus in vim supradictæ facultatis possit absolvere moniales etiam ab hæresi occulta? Resp. Absolute non posse, contra Malett. Pelicion. et Verricel. et hoc propter hæresis gravitatem, et rigorosam ipsius reservationem. Unde non venit in generali concessione absolvendi omnes casus contentos in bulla Cœnæ, quia est speciali nota digna, ut docent viginti DD. relati à Dian. t. 9. in opere coord. tract. 7. resol. 158 quamvis contrarium cum præcitatis AA. probabile esse satis insinuet.

Nota denique, quod, quamvis tribunal S. Inquisitionis Castellanæ vetet publice sustinere opinionem episcopis favorabilem, ut asserit Marin. tr. 22. d. 11. n. 19. hoc non tollit illius practicam probabilitatem; tum quia fortassis procedit ex nimio zelo propriæ privativæ jurisdictionis conservandæ; tum quia idem Marin. ibidem dubitat de hac potestate tribunalis in prohibenda opinione, nondum ab ecclesia expresse damnata; ad id namque non extenditur jurisdictio delegata, ut clare probat Murator. infr. alleg. seq. n. 66. et 155. n. 15.

Sect. IV.

Conclusiones ex dictis, et adnotanda scitu dignissima.

XV. Concludendum est igitur, 1. Talem fœminam posse probabiliter ab episcopo in sua diœcesi pro foro conscientiæ absolvi ab illa hæresi formali occulta, ex facultate Conciliari Trid. sess. 24. c. 6. et quamvis ibi dicatur; *Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tamen* (episcopis) *et non eorum vicariis, sit permissum*; attamen Salmantic. cit. to. 2. n. 54. putant, 1. Adhuc posse delegare hanc facultatem in aliquibus casibus, eo quod ipsis competat jure ordinario. Putant, 2. (et rectius) *Forum conscientiæ non solum esse intra confessionem, sed etiam extra illam; si tamen occulte fiat, et non pro foro externo deserviat.* Dia. Soar. Sanch. Cand. Bonac.

XVI.

XVI. Concludendum, 2. In locis, ubi non eſt tribunal S. Officii, vel per pluſquam duas diætas diſtet, poſſe quemlibet confeſſarium approbatum abſolvere præmiſſam pœnitentem directe à reliquis peccatis, et indirecte ab hæreſi, ne privetur fructibus communionis, et exeat de tam peſſima captivitate, et ſtatu damnationis, quoaduſque facultatem obtineat à tribunali ab hæreſi formali abſolvendi; ut eſt communis doctrina cum Buſemb. Lug. Viv. et aliis, ſignanter Gob. tr. 7. n. 378. et ſeq.

Ubi nota, 1. Non debere confeſſarium nominare pœnitentem, neque ſexum, aut qualitatem hæreſis, ſed tantummodo petere facultatem abſolvendi pro foro interno quendam pœnitentem à crimine hæreſis formalis, de quo Corell. Fr. Valentin. Salmantic. et alii.

XVII. Nota, 2. Cum Salmantic. et Fr. Valentin. in compilat. n. 28. ad 3. prop. Alex. VII. quod, *Quilibet inquiſitor coram notario auferre poteſt reſervationem; qua ſublata, quilibet confeſſor ab ea abſolvere valet: ſatis tamen probabile eſt, quod quilibet dominus inquiſitor, etiam in foro conſcientiæ, juriſdictionem habet abſolvendi ab ea, ſi occulta fuerit. Unde etſi dominus inquiſitor non ſit ſacerdos, poteſt facultatem delegare cuilibet confeſſori, ut ſacramentaliter ab ea abſolvat; et expediet aliquando, quod ita deleget. Ita Tolet. Rodrig. Enriq. et alii, quos ſequitur, et refert, curſus moral. to. 2. tr. 10. c. 4. punct. 4. n. 61. et 62. In articulo mortis quilibet ſacerdos, et, ſi ſolum ſit hæreſis interna, etiam extra mortis articulum, quilibet confeſſor, ab ea abſolvere poteſt.* Imo Gob. tr. 7. n. 377. et 392. adducit doctrinam Lug. Comitol. et aliorum extendentium validitatem facultatis abſolvendi à reſervatis, etiam ad confeſſionem ſacrilegam.

XVIII. Conclud. 3. Quod ſi tribunal Inquiſitionis diſtet ultra duas diætas, et præfata fœmina ex gravi, et moleſta ſuggeſtione, ac vexatione dæmonis graviſſima, renuat facultati ipſi ab eodem tribunali perquirendæ, et graviſſime turbetur ex callida, duraque aſtuti ſerpentis inſtigatione, ipſi ſuadentis, ex ſupplicatione illius facultatis ſibi ultimum ſupplicium, à tribunali illo infligendum, ſubſequendum fore, et, prout ſic, potius ſibi expedire, ut laqueo ſe ſuſpendat, aquis ſe præfocet, vel præcipitio ſe collidat (ut ſæpe accidit, et ego non ſemel in aliquibus expertus ſum) et ex hac aſſidua, moleſtaque pugna graviſſime fœmina illa anguſtetur, et gravi periculo exponatur opere complendi nocumenta illa à dæmone ſuaſa; poterit à quolibet approbato confeſſario abſolvi, non ex privilegii vi alicujus, duas diætas reſpicientis, ut miſſionariis concedi ſolet; ſed ex vi gravis incommodi, et graviſſimæ neceſſitatis per epiiciam.

XIX. Probatur igitur concluſio, 1. Quia, juxta c. *Nuper*, de ſent. excom. ſacerdos inferior poteſt abſolvere à reſervatis ſuperiori, quando ſuperior adiri non poteſt, Salmantic. cit. to. 2. Buſemb. et Lacr. ad illum, n. 1599. Atqui diſtantia ultra duas diætas eſt ſufficiens impedimentum, ut ſacerdos inferior abſolvat ab hæreſi reſervata ſuperiori, quando ad id habet privilegium, ut miſſionariis ſolet concedi; ergo eadem diſtantia cum tot præfatis nocumentis, ac impedimentis pro pœnitente fœmina, ſufficiens dant fundamentum ad illam abſolvendam ſaltem per epiiciam. Confirmatur ex regula jur. apud Suar. et Viv. cit. n. 5. *Quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, niſi cum magna difficultate, et mora, poteſt inferior abſolvere pœnitentem à reſervatis ſuperiori, cum onere comparendi*, c. *Eos*, *qui*, de ſent. excom. Vid. etiam Gobat. tr. 1.

Prob. 2. Ex doctrina Salmantic. n. 63. to. 2. pag. 225. ubi, præter fundamentum ex cit. c. *Nuper*, hanc etiam rationem aſſignant: *Et ex benigna Pontificis intentione, quem non eſt credendum velle cum magno detrimento ſibi reſervationem retinere. Et quamvis in canonibus dictis ſolum fiat mentio de excommunicatione contracta ob clerici perſecutionem, quia hæc celebrior eſt, imo et frequentior; tamen ad omnes alios extendunt communiter DD. quia in omnibus eadem ratio currit. Avil. Coninch. Pal. Hugol. Cornei. &c. Et iſtam facultatem competere etiam capitulo, ſede vacante, quod in omnibus ſuccedit epiſcopo, tenent Sanch. Henriq.* &c. Vid. etiam Gob. tr. 7.

Et infra, n. 68. ſic proſequuntur: *Tertio, Eximuntur ab hoc onere comparendi mulieres, cujuſcunque ſint conditionis, quæ abſolvi poterunt à quacunque cenſura ab epiſcopo abſque onere comparendi Pontifici. Quod (licet non omnes hac univerſitate admittant) docet Navarr. l. 5. conſil. de ſentent. excomm. caſ. 14. quamvis cum formidine. Sed abſque illa Avil. 2. p. cap. 7. diſp. 3. dub. 4. videtur ſupponere. Pal. diſp. 2. punct. 5. § 5. n. 5. clarius diſp. 3. punct. 23. § 4. n. 8. Cornejo diſp. 11. dub. 2. de excomm. Et quidem de monialibus habetur, cap.* de monialib. 33. *de ſent. excomm. vel ex jure ordinario earum abſolutio remittitur epiſcopis, ſicut in cap. fin. cit. abſolutio impuberum: ſed de omnibus probatur, 1. Quia, quando impedimentum eſt perpetuum, non eſt injungenda obligatio comparendi, ut conſtat ex c.* Quamvis, 38. *de ſentent. excomm. Sed mulieres ſemper, et perpetuo, habent impedimentum, ratione cujus conceditur epiſcopis, ut eas abſolvant: nam omnes DD. aſſignant ſexus fragilitatem pro impedimento ſufficienti; et hoc manifeſtum eſt eſſe perpetuum in illis: 2. Quia, quando in c.* Quamvis, *cap.* Mulieres, *cap.* Ea noſcitur, *de ſent. excomm. conceditur epiſcopis poteſtas fœminas à reſervatis abſolvendi, non aſſignatur aliud impedimentum, niſi quia fœminæ ſunt; non quia infirmæ, valetudinariæ, nobiles, &c. ſed quia mulieres; ratione cujus Pontifices judicârunt habere ſufficiens impedimentum Romam eundi; ſed poſt abſolutionem, et ſemper remanet, quod ſint mulieres: ergo nunquam tenentur comparere; et ſic tale onus eis non eſt imponendum.*

XX. Monerem tamen confeſſarios, quod in locis, ubi adeſt tribunal Inquiſitionis, ab eo ſemper privatim facultatem fœminam illam abſolvendi peterent, eamque doceant, ac inſtruant dæmonis fraudulentas minas deſpicere, et ſolum Deum formidare, eique ſeſe totaliter tradere, et in eo firmiter, ac fiducialiter confidere, illud Jerem. xxxix. eis perenniter commemorantes; *Erit tibi anima tua in ſalutem, quoniam in me habuiſti fiduciam.*

XXI. Concludes, 4. Quod, licet probabiliter Perez, Boſſi, Dicaſtill. Dian. Gran. tenent, ex identitate rationis, impeditum adire epiſcopum pro abſolutione ipſi reſervatorum, poſſe ab inferiori abſolvi; probabilius tamen negant Navarr. Suar. Vaſq. Bonacin. et alii; à quorum ſententia, ait Viv. *in praxi non eſt recedendum, niſi forte indirecte, et cum onere comparendi abſolvatur; quia, v. g. inſtat communio, à qua ſine nota abſtinere non poteſt.* Et ratio eſt, 1. Quia facilius ab epiſcopo, vel ab ejus vicario, licentia pro abſolutione obtineri valet, vel per privilegium Cruciatæ, aut Jubilæi tandem abſolvi. 2. Quia *aliter vis omnis reſervationis plane enervaretur.* Ita Viva, qui excipit tamen caſum gravis incommodi, aut longæ moræ, *ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum.* Vide tamen Gobat. tr. 7.

XXII. Concludes, 5. Non poſſe tamen virtute privilegii Cruciatæ abſolvi ab hæreſi, quia hæreſis in omnibus bullis Cruciatæ omnium regnorum expreſſe excipitur; et in bulla Cruciatæ Luſitaniæ excipiuntur ſex alii caſus, quinque in bulla Cœnæ, alius extra illam reſervati, qui ſequentibus verſiculis continentur, et ex terminis ipſis liquent:

Falſificans, lædenſque patres, qui offendit agentes,
Appellat laicos, conſpirat, et impedit acta.

Dices: Saltem quando hæreſis manet reſervata ordinariis tantum, poterit virtute Cruciatæ abſolvi; quia, tunc eſt caſus epiſcopalis, qui virtute bullæ abſolvi poteſt. R. probabilius, negando antecedens; quia facultas bullæ Cruciatæ æque eſt pro reſervatis Papalibus, et epiſcopalibus: ergo etiam exceptio æque eſt pro utriſque, et æqualiter utroſque afficit; licet aliqui contrarium probabile putent. Vid. Corell. in pract. in prop. 4. Alex. VII.

XXIII. Conclud. 6. Neque confeſſarium, aut exorciſtam, ex ſacramentali ſigillo agnoſcentem hæreſim, et pactum illius fœminæ, poſſe eam inquiſitoribus denuntiare, neque eam cogere, ut ſeipſam denuntiet, vel præſentet; quia nemo tenetur ſeipſum prodere, imo neque id eidem ſuadere, quandoque expediet, ob infallibilia diſcrimina, ex ſuggeſtione dæmonis ſuperius expoſita; quæ, ſicut excuſant à reſernuntiatione,

vatione, juxta doctrinam ſupra traditam, ita et à denuntiatione, ex eiſdem rationibus; et quia præcepta eccleſiæ neque obligant cum graviſſimo, et infallibili incommodo, præſertim ſpirituali; neque poteſtas eccleſiæ eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem. Vid. Pignatell. cit.

XXIV. Extranei vero, qui id etiam forte audiviſſent, dæmone per os patientis obſeſſæ id publicante, vel aliquibus ſignis externis confirmante, v. g. chirographum characteribus ſanguineis deſcriptum per os energumenæ emittendo, vel per aera viſibiliter deſcendendo, etiam ad præceptum exorciſtæ, et in patientis manu conſiſtere faciendo, ut illud exorciſtæ tradere valeret (quod et ego jam non ſemel conſpexi) teſtificante dæmone, eſſe quidem ſyngraphum traditionis energumenæ, proprio ipſius ſanguine firmatam; etiam ad eam denuntiandam non tenerentur; quia cum dæmon ſit pater mendacii, ſerpens aſtutus, tortuoſus, et callidior, cujus altitudines non facile inveſtigantur, neque facile *quis revelabit faciem indumenti ejus*, Job xli. ei credendum non eſt, neque fide dignus reputandus, *cum ſemel malus, et ſemel mendax, ſemper talis præſumatur*, regul. *Semel*, 8. de reg. jur. in 6. Quare omnem ſcrupulum ſuper ea obligatione deponere debent, ſeſe energumenæ confeſſariorum judicio, ac prudentiæ remittendo. Et generaliter notitias ex levibus fundamentis, et à perſonis indignis fide, ab onere denuntiandi dejiciunt DD. ſupra cit. et ap. Viv. in prop. 5. Alex. VII. n. 14.

XXV. Conclud. 7. In caſu dubio poſſe quemlibet confeſſarium abſolvere ab omnibus reſervatis bullæ Cœnæ, et à reliquis. Soar. Lug. Filiuc. Perez, Caren. tt. 2. p. 2. § 7. contra Armill. et Cordub. Patet, 1. Quia, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*. 2. Quia, ſicut ex eo, quod *odioſa ſunt reſtringenda*, reſervatio votorum ad vota certa reſtringitur; ita et incurſio cenſuræ reſtringenda eſt, ut per peccatum dubium non contrahatur. Gob. tr. 7. n. 356. ubi ampliat ad dubietatem tam juris, quam facti.

XXVI. Conclud. 8. Omnes caſus bullæ Cœnæ, et alios reſervatos, poſſe abſolvi à quolibet confeſſario, ſi peccatum externum ſit leve, quamvis internum ſit grave. Suar. Lug. Henriq. Granad. Per. contra Turriam. Prob. 1. Quia reſervatio debet commenſurari gravitati culpæ, quæ reſervatur: atqui reſervatio, et cenſura, non cadit ſuper actum internum, ſed ſuper externum: ergo, cum hic ſit tantum leviter malus, non incurrit cenſuram, quæ eſt pœna, vel præſervatio gravis, et ſolius peccati gravis externi. 2. A paritate cenſuræ impoſitæ percuſſioni publicæ clerici; quæ, licet externe ſit levis, eſto imperata ab actu interno graviter malo, non tamen incurritur ex levitate externa percuſſionis, neque manet reſervata. Ita Viv. in prop. 3. Alex. VII. ſub n. 9. Vid. Gob. tr. 7. n. 348. et 354. requirentem nedum peccatum externum grave, ſed *valde grave*.

XXVII. Conclud. 9. Quod licet certum ſit, quemlibet abſque acceptatione perſonarum teneri denuntiare hæreticum dogmatizantem, quantumvis conjunctum, videlicet, patrem, matrem, filium, fratrem, uxorem, &c. ex Deuter. xiii. 6. *Si tibi perſuadere voluerit frater tuus, filius, uxor, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens, Eamus, et ſerviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui .... non acquieſces ei, nec parcat ei oculus tuus, ut miſereris, et occultes eum; ſed ſtatim interficies*, &c. (Nota illud *perſuadere*, et illud *prophetes*, v. 1. et ſummarium hujus cap. de *pſeudoprophetis*, ex quibus colligitur loqui de hæretico dogmatizante, Simanch. Abul. Lup. Caſtr. Alex. de Ales, et alii); attamen de aliis hæreticis non dogmatiſtis, non deſunt AA. ut ait Roncagl. et Pignatel. qui ſuſtinent, filium non poſſe parentes accuſare, vel denuntiare, eo quod naturali jure teneatur ſemper colere, ac revereri parentes.

Hi autem AA. ap. Pignatelli conſ. nov. 117. et 143. ſunt Abul. in d. c. xiii. Deuter. Simanch. de inſt. cath. tit. 29. n. 35. Alenſ. p. 3. q. 23. membr. 4. a. 2. Lup. in c. *Per veſtras*, de donat. int. vir. et uxor. n. 75. et Caſtr. l. 2. de juſt. pun. hæretic. c. ultimo. Quibus accedunt Rojas, et Valer. ap. Dia. et alii, præſertim in circumſtantiis, de quibus ipſe Pignatel. ibid. § *Ego vero*.

Ubi ſic aſſerit: *Ego vero puto cum Carena, et Duard. in bulla Cœnæ, hujuſmodi non denuntiantes regulariter eſſe tantum ſuſpectos de levi, quia ut plurimum denuntiare omittunt non in defenſionem hæreſis, ſed ex amicitia, vel alia de cauſa. Et ita etiam ait Bordon. to. 1. de denuntiand. c. 31. n. 23. Qui etiam idem affirmant de filio, et uxore, eo quod terribilitas patris, vel viri, à denuntiationis obligatione excuſaret. Id, quod in ſpecie docent Pegna d. par. 2. com. 78. verſ.* At non videtur, *Scaccia de judic. lib. 1. c. 56. n. 4. Farinac. d. q. 197. n. 53. unde, ſi quis omitteret denuntiare ob metum cadentem in conſtantem virum, nullo modo eſſet de hæreſi ſuſpectus, ut per Sanctarell. de hæret. c. 9. n. 16. Farinac. ibid. et Carenam, n. 45. Et excuſatur quiſpiam à denuntiatione, ſi metus ſit cadens in conſtantem virum cum probabili periculo mortis, vel infamiæ, vel alterius damni gravis proprii: quia ſecundum communem ſententiam metus cadens in conſtantem virum excuſat ab obſervatione legis poſitivæ, et humanæ, ut docent D. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 3. ad 2. Sot. lib. 7. de juſt. q. 2. ar. 1. ad 2. Sylveſt. v.* Metus, *q. 7. Sanctarell. d. n. 16. Homobon. de caſib. reſer. p. 2. n. 1. Peyrin. tom. 2. conſtit. 4. Gregorii* XV. § 9. *n. 28. et Dian. p. 5. tr. 9. reſ. 12. et p. 1. tr. 4. reſol. 7. Id autem, aliaque hujuſmodi intelligenda ſunt, juxta diſtinctionem, quam tradidi in memorata conſult. de abuſu ſacramenti pœnitentiæ; quod, ſcilicet, non teneatur hic denuntiare ex jure poſitivo, ſecus ex jure divino.*

Ideinque dicendum, ſiquis non ſuum grave damnum, ſed filiorum timeret. Quia pater et filii cenſentur una perſona, l. ultima, c. de impub. et ſimiliter, ſi filius timeret grave damnum patris, vel matris, ob eandem rationem, ut expreſſe docent Oſtien. in c. Cum bonum, *de ſponſali. Ibique Innoc. n. 1. Butr. n. 10. 10. Joan. Andr. n. 2. Anchar. n. 20. traditque Sanch. de matrim. l. 4. diſp. 4. n. 5. cum aliis, quos ipſe adducit. Vel quia vir et uxor ſunt una caro, ut per D. Thom. in 4. deciſ. 29. q. un. ar. 2. ad 2. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. et alii ap. Sanch. loc. cit. n. 3. ac Dia. dict. reſ. 1. 2. et 7. vel ſi timeatur grave damnum fratris, vel alterius conſanguinei, cum ſit à natura inſitus amor inter fratres, et conſanguineos, tanquam ex eodem ſanguine derivatos, ut probat Sanch. ibidem, n. 8. vel ſi timeatur grave damnum perſonæ affinis ex matrimonio; nam hujuſmodi affines ſunt veluti proprii conſanguinei, cum ſint conſanguinei alterius conjugis, et conjuges ſint veluti una caro, ut per Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 2. caſ. 135. n. 18. Præpoſit. in c. fin. de appell. et Sanch. n. 11.*

XXVIII. Conclud. 10. Quod, ſuppoſita naturali ignorantia, quæ *omnium malorum eſt mater*, gl. in c. *Fideli*, de ſum. Trinit. in 6. verb. *Ignorantia*, juris quidem naturalis et divini eſt conſilium curare, et petere à ſapientibus, et prudentibus, juxta illud Tob. iv. 19. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire:* cui conſonat Prov. iii. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ: audi, et accipe à quolibet, qui tibi dederit conſilium bonum:* et Eccli. xxxii. 24. *Sine conſilio nihil facias, et poſt factum non pœnitebit:* et iterum, Prov. xix. 20. *Audi conſilium, et ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis:* quamvis non excuſaris à denuntiando hæreticum, vel hæreſim, quam ſub naturali ſecreto ſcis, etiam juramento firmato, ut contendunt Soar. Pal. Leſſ. Pot. Salmantic. Viv. in prop. 5. Alex. VII. adverſus Fagund. Frag. Bonac. quorum opinionem dicit probabilem Corell. et compil. quoad alia crimina præter hæreſim, inquiſitoribus competentia; attamen, ſi id ſcias ratione conſilii à te requiſiti, et à te promiſſi, certe quidem excuſaris; quia conſilium reſpicit bonum commune, necnon bonum animæ, et conſcientiæ, et juri naturæ, divinoque conſonum, à paritate obligationis denuntiandi confeſſarium ſolicitantem, ſub tali ſecreto te conſulentem, juxta doctrinam Roncagl. tr. 19. de pœnit. q. 8. c. 2. quæſ. 3. reſp. 3.

Ubi ſic reſolvit: *Si vero ſolicitatio eſſet manifeſtata cauſa petendi conſilii, tunc non crederem, onus eſſe nuntiandi; quammaxima etenim orirentur damna quoad bonum commune temporale, et ſpirituale, ſi timere poſſent homines violandum ſecretum rei manifeſtæ cauſa petendi conſilii, Pal. tr. 4. d. 9. p. 10. n. 5.*

Trull. l. 1. c. 3. d. 18. n. 90. aliique, quos ſequitur Leandr. de pœnit. tr. 5. d. 13. q. 41. Carden. criſ. 2. dif. 26. Pignatell. conſ. nov. 117. citans Trimarch. et Hurt. de quo infra, alleg. 148.

Pro cujus doctrinæ clariori intelligentia obſerva diſtinctionem inter ſecretum *promiſſum*, et *commiſſum*. Primum eſt; Quod ab aliquo ſimplicitur promittitur ſervari. Secundum vero; Quod alicui traditur cum pacto antecedente illud inviolabiliter ſervandi. Roncagl. et Lacr. ad Buſemb. l. 3. p. 2. n. 1230. ubi addit, hoc etiam *ſecretum commiſſum continere obligationem juſtitiæ gravem, vel levem, prout materia eſt; quia eſt contractus promiſſionis oneroſus; ſubit enim tradens onus revelandi, petens viciſſim onus tacendi.* Et conſequenter, n. 1231. majorem, et graviorem eſſe obligationem juſtitiæ in ſervando ſecreto *commiſſo*, quam *promiſſo*, et alia, quæ ibidem reperies, et in Cardenas criſ. 2. diff. 26. n. 53. et ſeqq. et in declaratione regulæ ſocict. ſuper illa verba de revelandis ſuperiori, tanquam patri, erroribus, ac defectibus occultis alterius extra confeſſionem agnitis; declarat decretum generalis congregationis ſocict. 40. et 45. *Non intelligendum de rebus illis, quas aliquis alteri ſub ſecreto ratione petendi conſilii, ut dirigeretur, vel adjuvaretur, communicavit.* Vide Gonſal. pract. 11. et Rodrig. tr. 8. c. 6.

Hic etiam animadverte pœnam excommunicationis impoſitam in extravag. *Excommunicamus*, contra omittentes denuntiare hæreticos, non eſſe latam, ſed ferendam. Excommunicatio autem fulminata in edicto inquiſitorum, eſt lata, et non ſolum ferenda, quæ tamen non arctat exemptos ab inquiſitorum juriſdictione, pro quo vide Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 3. p. 10. n. 116. ubi etiam, n. 117. tenent cum Farinac. et Bonac. non eſſe denuntiandos homines ſimplices, et pios, proferentes aliquam propoſitionem hæreticalem: nec ſimiliter concionatores ex incuria, aut inconſideratione, aliquam propoſitionem erroneam, vel hæreticalem proferentes; *quia nequit prudenter præſumi ex animo ea dixiſſe:* et addunt; *Quæ ſi omnes, ut debent, obſervarent, credimus, plures denuntiationes omittendas fore, et proximorum famam non ſemel, ut par eſt, obſervandam.* Vide etiam in append. tom. 6. de teſtibus, ac de reis.

XXIX. Pro coronide obſerva prudentem illam cautelam Arſdekin. pro facultate abſolvendi, to. 2. p. 2. tr. 2. c. 5. *Cavendum inſuper, ne ſacerdos, aut laicus, ſine ulteriori examine, ſtatim exiſtimet ſubſiſtere quaſlibet facultates, aut privilegia, quæ in quovis auctore, aut libro notata, aut olim conceſſa reperiuntur. Sicut enim quibuſdam aliqua dantur de novo privilegia, ita etiam quædam antiqua poſteriorum Pontificum decretis non raro revocantur, aut reſtringuntur: quorum ſingula nonniſi à viris prudentia et doctrina probe inſtructis, ſatis diſcerni valent.*

Et inſuper notabilem doctrinam Salmantic. to. 4. tr. 17. c. 2. p. 8. § 6. n. 139. ibi: *Quoties factum exterius contra legem excuſatur à culpa ratione alicujus circumſtantiæ, poteſt interrogatus, etiam juridice, de illo, illud negare, intus intelligendo de facto criminoſo, ſeu peccaminoſo*; ut in caſibus ibidem figuratis abſque contraventione, prop. 26, 27, et 28. ab Innoc. XI. damnatarum. Vide etiam to. 6. tr. 29. c. 7. pu. 2. n. 19. et Fr. Valent. ad eas in compilat.

XXX. Necnon doctrinam Antonell. pro ſortilegiis, et invocationibus hæreticalibus, cohærentem, l. 6. crim. c. 21. n. 2. *Unde licet adorator dæmonis actu ipſo adorationis ſufficienter indicet errorem, cum in tali caſu tribuat dæmoni, quod ſoli Deo competit, ut d. Vulp. loc. cit. c. 37. n. 6. tamen ſi credat dæmoni honorem non deberi, non erit hæreticus, Bonac. loc. cit. d. punct. 38. n. 2. præſertim, ſi invocetur dæmon ad tentandam pudicitiam alicujus mulieris, vel ad aliud faciendum non alienum ab ejus poteſtate; tunc enim invocatur dæmon ad id, quod eſt proprium ipſius, Ricc. in prax. ſor. eccleſ. p. 1. reſol. 434. Vulp. d. c. 37. n. 8. et ſeq. Et alii apud Barb. d. p. 3. alleg. 51. n. 125. etiamſi in ipſis ſortilegiis miſceatur oleum ſanctum, aqua, candelæ, rami olivarum, aut aliæ res benedictæ; quia adhuc hujuſmodi ſortilegia hereticalia non ſunt, ſi hæc agens non habeat errorem contra fidem, ut d. Vulp. loc. cit. Hoc tamen graviſſimum eſt crimen, et contra tales, uti de hæreſi vehementer ſuſpectos, procedere poſſunt inquiſitores; tum quia hæc ad apoſtaſiam et infidelitatem pertinent; tum etiam, quia omne cum dæmone commercium, ſeu amicitia, prohibetur, Dian. p. 4. tr. 7. reſol. 10. et alii communiter.*

Item Barb. in c. *Accuſatus*, de hæret. in 6. § *Sane*, ex illo gl. verb. *Manifeſte*; ubi, *In dubio enim hoc caſu non habent juriſdictionem*; ita ait: *Notatur ad hoc, quod inquiſitores non poſſunt ſe intromittere ad cognoſcendum, an ſortilegia ſapiant hæreſim manifeſte, ut per Simanch. Navar. Eymer. q. 42. Decian. Roj. Valle*, &c. Ratio eſt, quia juriſdictio fundata in qualitate, qualis eſt inquiſitorum, hanc prius verificatam requirit, ex vulgar. Per. de man. reg. c. 7. et 22.

In dubio autem, inquit Eymer. cit. *non ſe debet intromittere inquiſitor; ſed debet tales demittere ſuis judicibus, nempe ordinariis, puniendos*, &c.

ALLEGATIO CXLVII.

Super utroque Edicto, ſive Charta paſtorali Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Patriarchæ Ulixbonenſis, et Inquiſitoris Generalis Luſitaniæ, præcipiente denuntiari S. Officii Tribunalibus Confeſſarios Complicum Criminis Revelationem in Confeſſione extorquentes, et aliam impropriam Circumſtantiam *interrogantes.*

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Epiſtola S. ſuæ directa ſuper utriuſque edicti inconvenientibus.*
III. *Poterat uterque eminentiſſimus dominus prohibere opinionem, ſiquæ irrepſerat, in edictis accuſatam, tum ex juriſdictione ordinaria, tum ex delegata.*
IV. *Probatur ſpecialiter ex parte juriſdictionis delegatæ eminentiſſimo generali inquiſitori.*
V. *Epiſcopi ex munere ſuo tenentur diœceſes ſuas ab hæreſibus expurgare.*
VI. *Per inſtitutionem inquiſitorum, non fuit epiſcopis ablata juriſdictio in hæreticos; imo illa inſtitutio, utpote odioſa juriſdictioni epiſcoporum, reſtringenda eſt.*
VII. *Præceptum illud jubens ſub formali cenſura denuntiari S. Officio confeſſarios illos, tanquam ſigilli ſacramentalis fractores, fuit exceſſivum, et multipliciter damnoſum.*
VIII. 1. *Ex materia ſigilli, quæ ordinariis per ſe, ac directe privative pertinet.*
IX. 2. *Ex variis abſurdis, et inconvenientibus, quæ inducuntur.*
X. *Datur longa diſtinctio inter confeſſarium extorquentem, et ſimpliciter interrogantem ſocium criminis.*
XI. *AA. qui aſſerunt licere confeſſario ſocium criminis interrogare ad ejus correctionem ex licentia pœnitentis.*
XII. *Opinio ſingularis Vaſq. potius loquitur propoſitive, quam reſolutorie; nec practice facit opinionem ſolide probabilem.*
XIII. *Dinumerantur varia abſurda ex obligatione illa denuntiandi inſequenda ad numerum* 11. *et ultra.*
XIV. *Solvuntur argumenta in contrarium; et primum de pertinentia, ſeu competentia Inquiſitioni fractio ſigilli ſacramentalis, ratione ſacrilegii.*
XV. *Non omne ſacrilegium, neque omnis irreverentia ſacramenti, pertinet inquiſitoribus.*

XVI.

XVI. *Sacerdos solicitans fœminam in administratione sacramenti eucharistiæ, vel extremæ unctionis, vel non sacerdos, se tale fingens, et solicitans, vel mandans solicitare in confessionario, vel actuali confessione, denuntiandus non est.*

XVII. *Sacerdos à fœmina solicitatus, habens se mere passive absque aliqua positiva activitate, probabiliter non est denuntiandus, juxta doctrinam quamplurimorum primæ notæ DD. quam sententiam M. Scar.* certiorem, *et* veriorem *dicit.*

XVIII. *Nec fœmina solicitans tenetur denuntiare confessarium solicitationi consentientem, et se mere passive habentem, quin aliquid agat, aut loquatur.*

XIX. *Lex illa pœnalis solum lata est contra confessarios, non contra pœnitentes; et in pœnalibus non valet argumentum à pari.*

XX. *Argumentum DD. Salmantic. ex const. Greg. XV. solutum multipliciter.*

XXI. *Confirmatur solutio ad hominem ex doctrina Fel. Pot.*

XXII. *Neque convincit instantia abusus Sacramenti in bulla illa pro motivo insinuati.*

XXIII. *Confirmatur ex motivo aliorum Pontificum; et à paritate abusus rei sacræ.*

XXIV. *Eodem modo discurrendum in abusu sacramentalis sigilli.*

XXV. *Frangens sigillum ex levitate, non abutitur sacramento, quod jam pertransiit; et quamvis sacrilege peccat, non redditur in fide suspectus, neque S. Officium de fractione sigilli cognoscit, nisi ratione connexitatis cum alio crimine ad S. Officii tribunal directe pertinente.*

XXVI. *Doctrina illa accusata non continetur in erroribus Illuminatorum, vulgo* Alumbrados.

XXVII. *Etiamsi sigillifragi cognitioni, ac fractioni, S. Officii subjicerentur, per id non tolleretur etiam cognitio, ac punitio ordinariorum, cum ad inquisitores non pertineret privative.*

XXVIII. *Attamen quoad crimen solicitationis præcise, aliud statuendum pro regnis Lusitaniæ ex speciali bulla S. Pii* V.

XXIX. *Esto solicitans abjuret de levi, vel de vehementi, minime tamen abjurat sigillifragus.*

XXX. *Peccata carnis non sapere hæresim manifeste, exemplo Salomonis comprobatur; neque gesta ex gravi metu, exemplo D. Marcellini.*

XXXI. *Prudens monitum, et cautela pro non facile praxi adducenda opinione præmissa de confessario solicitato, se mere passive habente.*

XXXII. *Improbatur, quod aliquando visum fuit servari in processibus aliquorum solicitantium, exprimendo in illis reorum declarationes de effectibus carnalibus secutis.*

XXXIII. *Sicut laxitas opinionum in observantia sigilli, et delationis solicitantium, reddit sacramentum odiosum pœnitentibus; ita nimia rigiditas, et constrictio illarum, illud reddit odiosum confessariis, et quandoque pœnitentibus.*

XXXIV. *Rescripta Sanctitatis suæ.*

XXXV. *Occasio secundæ epistolæ super novis attestationibus collectis, S. suæ directæ.*

XXXVI. *Novum attentatum edictum Inquisitionis, faciens novum casum privativum S. Officii, pendente recursu ad Sanctissimum.*

XXXVII. *Notanda pro hoc novo edicto.*

XXXVIII. *Diversitas declarationis Paul. V. super comprehensione damnationis Clem.* VIII. *non complexim, sed seorsim intelligenda.*

XXXIX. *Hæc nova obligatio denuntiandi solos scientes arctabat, non tamen pœnitentem ipsum, et confessarium extorquentem.*

XL. *Aliter reus teneretur seipsum prodere.*

XLI. *Ex parte confessarii denuntiatio illa est frustranea, et periculis obnoxia.*

XLII. *Diversitas in obligatione mulieris assentientis solicitationi, et hanc denuntiare tenentis.*

XLIII. *Opinio illa procedit in hypothesi, quod ex denuntiatione nulla sequatur infamia mulieri denuntianti.*

XLIV. *Transcribitur Pignatell. in confirmationem.*

XLV. *Aliæ ex aliis DD. confirmationes.*

XLVI. *Non omnis peccans cum abusu rei sacræ, est suspectus de hæresi, neque abjurat.*

XLVII. *Inquisitores sunt coadjutores ordinariorum, et procedunt cumulative.*

XLVIII. *Judices fidei tenentur simul munere advocati fungi.*

XLIX. *Inquisitor generalis (non reliqui inferiores) in Lusitania potest ex causa avocare ab episcopis causas ad fidem spectantes ex privilegio Pii* IV. *cum intelligentiis ibidem.*

L. *Ordinarii procedunt de jure, et de facto, contra superstitiones simplices, et blasphemias non hæreticales.*

LI. *Quando confessarius potest compellere pœnitentem sub denegatione absolutionis ad sibi complicem revelandum.*

LII. *Eventus ex novo edicto annuo S. Officii.*

LIII. *Substantia meæ pastoralis chartæ occasione illius.*

LIV. *Edictum illud intempestivum, et aliqualiter attentatum fuit.*

LV. *Prælati ordinarii tenentur pro posse pugnare pro suæ jurisdictionis indemnitate.*

LVI. *Non ægre, sed benigne tulit præfatam meam chartam S. Officii tribunal.*

LVII. *Justitiam pastoralis excellentissimi metropolitani agnoverunt prælati regulares, quorum aliqui non paruerunt notificationi S. Officii, ne eam publicarent.*

LVIII. *Fundamenta hujus non acquiescentiæ.*

LIX. *Inquisitores impedientes exercitium jurisdictionis ordinariæ metropolitani, censuram can.* 16. *bullæ Cœnæ incurrisse videntur.*

LX. *Confirmationes à paritate.*

LXI. *Ipsimet inquisitores agnoverunt incursus periculum, et mandatum retractârunt.*

LXII. *Novum rescriptum S. suæ, super falsis congestis attestationibus.*

LXIII. *Bulla* Ubi primum, *per formalia.*

LXIV. *Adnotationes ad illam.*

LXV. LXVI. *Nova bulla* Ad eradicandum, *et novum S. Officii edictum cum annotatis.*

I. VERSANTE anno 1745. ob nimium zelum unius, vel alterius apostolici missionarii regularis, qui certas moniales, ut perhibebatur, absolvere sacramentaliter noluerunt, eo quod literas amatorias amasiorum suorum, quibus illicite, profaneque conversabantur, sibi tradere repugnârunt, imo et eorum nomina detegere omnino renuerunt, quamvis confessarii illi pro zelo id efficerent, tum evitandi relapsus periculum, et ne veluti canes ad vomitum redirent, tum procurandi remedium efficacius ipsorum complicum, vel aliorum similium, superiori, ac potentiori manu adhibendum, media, vel amasiorum locali separatione, vel protestatione, propria ipsorum manu firmata, de non ingressu, vel reditu ad idem, sub certis pœnis, monasterium, vel alii consimili efficaci providentia; delato casu coram dominis cardinalibus patriarcha Ulixbonensi, et generali inquisitore, expedire fecit uterque pastoralem chartam, sive edictum singillatim, qua praxim, et opinionem illam damnantes, primus asserebat, neque de licentia pœnitentis posse confessarium aliquem illius culpam revelare; imo neque pœnitentem licentiam illam dare, quia, esto possent cedere jure suo, minime tamen jure, quod sacramentum ipsum habebat ad celanda peccata in actu sacramentali detecta.

Secundus vero ultra damnationem ejusdem opinionis, et illius praxis, jubebat formaliter, et expresse, in tribunalibus S. Officii denuntiari confessarios complicum criminis manifestationem perquirentes, et *circumstantiam aliquam impropriam* interrogantes, sub pœna majoris excommunionis reservatæ intra terminum præfixum triginta dierum.

Cum autem uterque dominus cardinalis ad Summum Pontificem Benedictum XIV. pro utriusque pastoralis confirmatione recurrisset, fama est, Sanctitatam suam hoc judicium protulisse; scilicet, *non recte, ac fideliter, in hac re utrique fuisse consultum, et obsecutum.* Et consequenter non confirmationem præmissæ utriusque pastoralis decrevit, sed specialem bullam ad archiepiscopos, et episcopos regnorum, et ditionum

tionum Portugalliæ direxit, quæ incipit *Suprema*, die 7. Julii ejuſdem anni expedita, qua monet ordinarios prælatos (utpote quibus ſigilli ſacramentalis fractio, et correctio de jure pertinet) ſuper hac re invigilare, et opportunioribus juris remediis pro uniuſcujuſque prudentia contra delinquentes inſectari.

Quid autem juris in his inſit? hic breviter indagandum venit.

Imprimis certum eſt, utramque præmiſſam paſtoralem chartam multipliciter injurioſam prælatis Portugalliæ, eorumque vigilantiæ, necnon maturo eorum à ſereniſſimo rege delectui, atque nationi Luſitanæ, et ejuſdem pœnitentiæ ſacramenti miniſtris evaſiſſe; ob rationes inferius in ſubmiſſa epiſtola expoſitas. Quare inter alios ordinarios præſules ad Sanctitatem ſuam hac de re tempeſtive recurrentes, ego omnium minimus, antequam præfata bulla ad manus meas perveniret, per ſequentem epiſtolam, ex actuali, qua incedebam, viſitatione Lacobrigenſi, ſic tandem recurri:

Beatissime Pater,

II. Aſſiduus, et indefeſſus, ſatis notus labor, quo vigilias ſuper gregem meum cuſtodiens noctu diuque accurate invigilo, atque inſudo, me tandem compulit, tota ampla diœceſi mea plene, ac perſonaliter viſitata, et ſecunda ipſius viſitatione, qua actu incedo, pariformiter arrepta, duplicem paſtoralem chartam, typis mandatam, inter alias edere (quas quidem ad pedes S. veſtræ provolutus pro confirmatione, vel approbatione, reverenter obtuli) in quibus omnia, quæ reformatione, aut emendatione digna inveni, provide, et opportune, corrigere curavi. Et cum nihil in eis providentiæ reperiatur pro errore, aut opinione cavenda, vel extirpanda confeſſariorum illorum, qui in paſtoralibus literis eminentiſſimorum dominorum cardinalium patriarchæ Ulixbonenſis, et generalis inquiſitoris, dicuntur cogere pœnitentes ad complices ſibi revelandos, prætextu horum emendationis, et falſa bonorum aliorum ſpiritualium zeli ſpecie; ſatis deprehenditur, nil erroris, aut opinionis in tota mea hac extenſa diœceſi, totum Algarbiorum regnum comprehendente, hactenus vel cœpiſſe, et multo minus invaluiſſe, eſſe detectum.

Qui namque in utraque præfata mea paſtorali adeo provida, ac vigilanti cautela periculoſas injuſtorum advocatorum opiniones, et alias, vel infirmare, vel eradicare opportune incubui; certiſſime, ſi vel umbram quidem illius erroris, aut opinionis, etiam apparere incipientem, forte adinveniſſem; illico in continenti me totum ad illius progreſſum cohibendum, et ſedulo conſequentias præcavendas, imo ad illius ſemina germinantia, ac pullulantia radicitus evellenda, alacriter converterem; vulpes has parvulas, vineam Domini Sabaoth clam demolientes, tempeſtive capere ſatagens, ne in pergrandes poſtmodum, ac perniciosius devaſtantes, capiendique difficiliores, excreſcerent, præſertim in materia ſacramentalis ſigilli infractionis, vel inobſervantiæ, meo ordinario judicio directe competentis.

Nec, mehercule, notitiam aliquam de errore illo, aut opinione, præhabui, quam quæ ex utriſque eminentiſſimorum præfatorum paſtoralibus literis mihi innotuit. Et quamvis ex gravi præcepto, gravique anathemate, quo eminentiſſimus dominus generalis inquiſitor jubet S. Officii tribunali denuntiare confeſſarios, complicum, aut criminis ſociorum revelationem extorquentes, vel circumſtantiam aliquam *impropriam* interrogantes, graviora incommoda, atque conſcientiarum graviſſimas perturbationes, et anguſtias ſecuturas non dubitarem, imo et fere præviderem; nil tamen pro grege meo hac de re cavendum ſtatui, eo quod in meæ diœceſis territorio neque talis error, vel opinio, neque praxis, aut doctrina, ne in minimo quidem, inoleſcere inveniatur; nil perturbationis, aut inquietudinis, ex illo ſubſequendum exiſtimavi, niſi quod ex prava, aut minus recta illius intelligentia alicubi fortaſſis poſſet oriri, cui quidem, à me cognito, opportunum remedium adhiberem.

Aſt, cum nuper in actuali, qua laboro, hujuſce civitatis Lacobrigenſis viſitatione audiſſem, à S. veſtra quaſdam literas in forma brevis archiepiſcopis, et epiſcopis horum Portugalliæ et Algarbiorum regnorum directas promanâſſe, quibus ſuadere, ac exhortari dignatur, ut ad exemplum prædictorum eminentiſſimorum cardinalium noxiam hanc novitatem pene naſcentem opprimere curent, quibuſvis juris remediis contra delinquentes miniſtros adhibitis; non dolere non potui, ac vereri, ut ex hac ſalubri, ſancta, atque paterna S. veſtræ providentia, aliqua minus recta ſuſpicio adverſus notoriam, et ipſa experientia ſat comprobatam, venerabilium archiepiſcoporum, et epiſcoporum Portugalliæ exactam vigilantiam enaſcatur: imo et contra prudentiſſimum, ac rectiſſimum delectum longe maturo, ac circumſpecto conſilio proſecutum, quo ipſi ſelecti, ac præelecti evaſerunt. Qui quidem ut veri paſtores, et epiſcopi, ſive ſpeculatores, ſuper munitiones ſuas ſtantes, gradumque figentes, quinimo reiteratis viſitationibus diœceſes ſuas peragrantes, et oves ſibi creditas ſervare, ac agnoſcere, et lupos adverſos arcere, et compeſcere conantur.

Nec facile credendum alienos præſules evidentiorem, atque clariorem notitiam alienarum diœceſum, quas non inviſerunt, neque percurrerunt, habere, quam proprios paſtores, eas, et proprias oves perſonaliter iterato inſpicientes, atque examinantes, omnibuſque de remedio commode providentes, ac proſpicientes.

Sed minora equidem hæc ſunt juſti motiva doloris: majora ſane excedunt, quæ remedium ipſum in ſcandalum, antidotum in venenum, medelam in novam plagam, vulneriſque antiqui, ſi forte præceſſit, majorem in ingraveſcentiam, verſum eſſe experimento edocent, ut ex fide digniſſima, licet ex alienis diœceſibus relatione, mihi nuperrime atteſtatum eſt. Quæ quidem, ex juſtis conſcientiæ meæ ſtimulis, S. veſtræ (capta venia) reverenter exponere, ac dicere compellor.

Dum eminentiſſimi D. generalis inquiſitoris edictum formali præcepto, atque majoris comminatione excommunicationis, jubet tribunali fidei confeſſarios illos, complicum revelationem extorquentes, vel impropriam aliquam circumſtantiam perquirentes, denuntiare, videtur multipliciter in foveam, quam vitare cupit, incidere; non enim denuntiatio illa abſque implicita, et proprii ſceleris denuntiantis, et ſocii criminis manifeſtatione, perfici valebit. Neque enim confeſſarii denuntiati propriæ defenſionis ſcutum, pro pœna, correctione, aut monitione vitanda opponere poterunt abſque conſimili, ſaltem *indirecta* pœnitentis peccati revelatione, ſacramentaliſque ſigilli aliquali fractione, et propriæ maculæ, in illius reprobatæ opinionis ſequela, manifeſtatione.

Deinde (præterquam quod nec cujuſvis *impropriæ* circumſtantiæ perquiſitio Inquiſitionis tribunali digna ſubjiciendi evadet; nec omnia, quæ in confeſſione, licet impropria, aut impertinentia, aperiuntur, vel inquiruntur, dummodo peccato connexa, aut annexa non ſint, ſub ſacramentalis ſigilli vinculo contineri videntur, ut communis theologorum fert doctrina) quiſnam erit judex competens, et idoneus ad diſcernendum, ac judicandum, qualiſnam ea impropria incedat circumſtantia? Num quilibet confeſſarius? At qui uniformi, firmoque judicio, dum quod alter improprium temere judicat, alter propriiſſimum, atque omnino neceſſarium juſte judicabit? Num quælibet pœnitens muliercula, quæ dum renuit neceſſariam circumſtantiam vel proprii, vel ſocii ſtatus, aut aliam, quæſita aperire; juſto confeſſario injuſte minetur (ut jam non ſemel evenit) ſe eum delaturam ſacro tribunali ob impropriæ circumſtantiæ perquiſitionem? Num ipſiuſmet tribunalis miniſtri, non plene certiores facti de qualitate impropriæ circumſtantiæ interrogatæ; et ex ſingularibus teſtimoniis mulierularum in cauſa propria ultro, et ex mala forſan intentione, deponentium? Et, dato, quod aliqua nobilior, et timorata matrona ex recta intentione velit conſcientiam ſuam religioſe exonerare, revelando ſocium criminis inhoneſti, in quod forte ex fragilitate incidit; quibus anguſtiis ſe undique circumſeptam non ſentiet, hinc propriæ conſcientiæ ſcrupulo agitante, fortiterque ſtimulante, hinc vero proprii pudoris, propriæque, necnon nobilis ſponſi infamiæ, et graviſſimorum,

morum, quæ inde sequi possunt, discriminum timore, non minus fortiter, si non fortius, detinente?

En, Beatissime Pater, noviter, dolenterque verificatum fidele illud oraculum, *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem!* Nec tam gravi, duroque jugo juste subjiciendæ videntur timoratæ, ac pudoratæ omnium utriusque sexus fidelium conscientiæ, ob unius vel alterius privati confessarii ignorantiam, vel imprudentiam, quæ forte alicubi, non tamen in mea diœcesi, reperta fuit. Nec certe imprudentia, aut temeritas reputabitur, si confessarius aliquis ad instantiam adolescentulæ cujusvis à pristina via prava ad Deum fideliter conversæ (quomodo fortassis evenit aliqua ex notatis revelationibus) quæ, ne ad vomitum, quem in confessione rejecerat, revertatur ut canis, ad quam quidem reversionem, ac reincidentiam, vehementer, ut sæpe accidit, à præpotenti amasio allicitur, impellitur, ac vexatur, remedium à superiori potestate pro tali vexatione, ac violentia, periculosoque lenocinio impediendo, vel cessando, nedum ex licentia pœnitentis, quinimo ad iteratas ipsius lacrymosas preces, pie, et chare quærat, ac solicitet.

Equidem, Beatissime Pater, hujusce providi, justi, atque efficacis remedii timor ex una parte, et ex alia, odium injustum, majori illius edicti intercedente rigore, et comminatione, magna ex parte majorem illorum lætitiam, atque exultationem, qui, cum impie agunt, lætantur, et exultant in rebus pessimis, conciliâsse compertum est; quatenus, quasi ex majori illius providentiæ rigore, triumphum de sceleribus suis inoffense, et absque timore patrandis, se reportâsse jactant, vel præsumunt.

Insuper ex duplicis præfatæ pastoralis providentia, ac publicatione, quamplures personæ piæ, ac devotæ, à sacramentorum frequenti perceptione, et quamplures sacerdotes ab illorum administratione perculsi, retardati, ac deterriti in tantum sunt, ut integra communitas regularis, æque pia, ac docta, quæ proximorum saluti religiosa charitate incumbebat, apud se condixerat, à frequenti sacramentorum administratione abstinere; quamvis ejus majoris prælati pietas, ac prudentia, non carnis, sed spiritus, non terrena, quam filii Agar solam exquirunt, sed cœlestis, quam qui Spiritu Dei aguntur, præcipue quærunt, eos ad gregem Domini non deserendum suaserit, et ut pro fratribus vitam ponerent, atque anathema esse, apostoli æmulatores, cupientes per infamiam, et bonam famam, in necessitatibus, in angustiis, et in omnibus, sese, ut ministros Christi exhibere, semper Deo, et proximo, in omni fortuna, etiam in seditionibus, in laboribus, in carceribus, in charitate non ficta, assidue deservirent.

Et, ex adverso, publicæ virtutis professionis vel publici osores, vel latentes insecutores, et alii filii hujus sæculi, qui prudentiores quidem, quam filii lucis sunt, semper fraudes, nedum contra animas suas, verum et contra ipsam perfectionem religiosam molientes, utriusque pastoralis tubæ, male perceptæ, sonitu citati, ad eam penitus jugulandam, vel trucidandam, animose commoveri, et audenter palam invehi non dubitant. Et publici peccatores, qui defixi semper in fæcibus suis, et veluti jumenta in stercore vitiorum suorum computrescentes, cum pravo scandalo, et malæ famæ intolerabili fœtore jacent, nec ad tubarum evangelicarum sonum sese à luto fæcis erigere, nec ad immunditias illas per sacramentorum lavacra exuendas, atque expiandas, tam facile, ut antea, pergere; nec anteacta frequentia suscipere satagent; cum ipsamet experientia doceat, unum ex efficacioribus peccatorum consuetudinariorum remediis, ut à vitiosæ consuetudinis cœno, quo defixi sunt, attollantur, et firmiter in futurum præserventur, frequentiam quidem sacramentorum pœnitentiæ, et eucharistiæ incesse.

Hæc omnia, Beatissime P. opportunum remedium, ac providentiam efficacem quantocyus exigunt, imo et cogunt: et expeditior videtur (ut minus sapiens dico) quod ipsimet eminentissimi domini cardinales vel edicta sua singillatim explicando, vel moderando, vel quid simile, quod aptius æstimetur, providendo, Achilleo more, illatum damnum tollant, et in futurum præservent. Lacobrigæ, die 28. Augusti 1745.

SANCTITATIS *Vestræ*,

Post devotissimam sacrorum pedum deosculationem,

Humillimus, et obsequentissimus servus,

IGNATIUS archiepiscopus, episcopus Algarbiensis.

Ex contentis in præmissa epistola facile est conjicere, quantum dedecoris, et præjudicii, necnon angustiarum, et incommodorum, ex praxi utriusque pastoralis chartæ consequi necesse est; et non omnia damna, et incommoda in præfata epistola recensentur, nec exprimuntur; neque nota mihi sunt, quæ reliqui prælati in epistolis suis singillatim exposuerunt; quamvis notum fuerit, ex Romana curia rescriptum fuisse eminentissimo cardinali patriarchæ Ulixbonensi, inquirendo, quot confessarios extorquentes, ac sigillifragos correxisset? et ex defectu correctionis, sibi competentis, inferendo defectum prorsus reorum, et culpæ accusatæ. Ast quoad id, quod de jure super utraque pastorali inest, revertendo:

SECT. I.

Quoad opinionis prohibitionem:

III. *Dico*, primo, Potuisse quidem valide, et licite, utrumque dominum eminentissimum cardinalem tam ratione jurisdictionis ordinariæ, quam delegatæ, illam contrariam opinionem de licitudine extorsionis socii criminum revelationis, pro confessionis integritate non necessariæ, valide, et licite damnare, et praxim illius sub præcepto, vel censura, prohibere. Vide tamen nuperrimum doctissimum Muratorium, restricte delegatam generalis inquisitoris jurisdictionem ad solas doctrinas, ac propositiones jam damnatas extendentem, de quo infra, n. 66.

Prob. 1. Pro parte jurisdictionis ordinariæ; quia episcopi sunt pastores, et custodes gregis sibi commissi, ex Ap. Paulo, Act. xx. 28. sunt etiam custodes, ex executores sacrorum canonum, c. *Dilectus*, de temp. ordin. ub. Abb. et Fagn. et in c. *At si clerici*, de judic. Gasparr. inst. can. p. 1. tit. 4. n. 187. proindeque debent ab ovibus suis omnino arcere pascua non salubria, sed mortifera, ac virulenta; qualia sunt falsæ doctrinæ dogmata, atque opiniones, quæ conformes non fuerint ecclesiæ sensui, et sacrorum canonum sanctionibus, sed illis repugnantes. Ita Villaroel, p. 2. q. 5. a. 3. Pignatell. cons. nov. 38. ex Gers. ib. *Cuilibet etiam episcopo intra fines suæ diœcesis id concedit, præsuppositа discussione matura, et dummodo non damnet, nisi puncta palam, et omnium judicio hæreticalia, vel simpliciter quidem dubia, sed peritis manifesta*, &c.

Confirmatur, 1. Ex Trid. de libris prohibitis, regul. 4. *Judicio episcopi, aut inquisitoris, stetur.* Et regul. 10. *Liberum tamen sit episcopis, aut inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis, expedire judicaverint.* Nota illam disjunctivam *aut*; et hanc clausulam *facultatem, quam habent*; per quod jam eam in illis præsupponit. Imo, juxta Pignatell. to. 11. cons. 123. et Pascuc. verb. *Inquisitor, Nequeunt inquisitores impedire ordinarios, quin publicent edicta contra hæreticos, vel alios, absque sua licentia.*

Confirmatur, 2. Quia episcopi jure suo ordinario, et delegato, possunt punire et prohibere prædicatores etiam regulares, *qui errores, aut scandala, dissemina-verint in populum*, ex Trid. sess. 5. de reform. c. 2. ergo etiam opiniones erroneas, et scandalosas citra hæresim; nam errores hæresim continentes, ubi fuerit tribunal S. Officii, ad inquisitores pertinent, secundum consuetudinem loci, alias eisdem episcopis, ex eod. Trid. ibidem.

Confirmatur, 3. Efficaciter, ex c. *Ad abolendum*, de hæret. ibi: *Quoscunque Rom. ecclesia, vel singuli episcopi, per diœceses suas hæreticos judicaverint*: ergo quilibet episcopus ex munere suo habet hanc jurisdictionem pro sua diœcesi. Accedit Pignatell. cons. nov. 36. asserens cum pluribus, *posse à solo episcopo*

definiri propoſitionem de fide pro ſua diœceſi, quam negans hæreticus reputabitur, ſi Romanus Pontifex eam confirmavit; et, ſi epiſcopus ex munere ſuo declaravit aliquem eſſe hæreticum, ille pro tali habendus eſt, ex cit. c. *Ad abolendam.*

Prob. 2. Quia certum eſt, quod inquiſitores habent juriſdictionem à Papa delegatam ad hanc librorum, et propoſitionum erronearum, maleſonantium, temerariarum, &c. prohibitionem, ut patet ex ipſo Inquiſitionis edicto, et ex doctrina Eymeric. p. 2. q. 27. atqui inquiſitoribus delegata eſt eadem juriſdictio, quam epiſcopi habent ex munere ſuo in cauſis fidei, et adverſus hæreticam pravitatem; imo epiſcopi ſimul cum inquiſitoribus in territoriis ac diſtrictibus ſuis eas cauſas judicant; ſunt namque epiſcopi *inquiſitores nati*, ut probat Villar. et alii alleg. 140. ex c. *Ad abolendam*, c. *Excommunicam.* de hæret. c. *Multorum*, eod. in 6. ergo, &c.

Unde Eymeric. cit. q. 27. et ibidem Pegna: *Epiſcopi, et inquiſitores, damnare poſſunt, et prohibere in ſuis diœceſibus libros omnes, qui continent dogmata expreſſe condemnata per eccleſiam; tametſi ab auctoribus nominatim non condemnatis. Et ratio in promptu eſt: quoniam quæ ſemel damnata ſunt, abſque nova prohibitione damnari poſſunt*, &c. Vid. Eymeric. et Pignatel. to. 1. conſ. 38. et to. 2. c. 139.

Confirmatur, 1. Argumento ab actu ad potentiam: nam ſemper epiſcopi tales errores, et libros eos continentes, de facto prohibuerunt, ut patet ex prohibitione epiſcopi Tarraconenſis apud Eymeric. cit. q. 27. ex concilio provinciali Limano in Indiis Occiduis, anno 1567. hanc juriſdictionem, et poteſtatem in epiſcopis, ſe ſolis, præſupponente apud Villaroel, *gubernio pacifico*, p. 1. q. 5. a. 3. n. 3. et ex ſubjecta paſtorali eminentiſſimi domini cardinalis Ulixbonenſis patriarchæ, opinionem illam, et ejus praxim damnantis, et vetantis, tanquam præſulis ordinarii, et ex aliis.

Confirmatur, 2. De facto, ex reali eventu in civitate, ac diœceſi Goana, pro qua anno 1737. vetante S. Officii tribunali per ſpeciale edictum varias ſuperſtitioſas cæremonias à Chriſtianis illarum partium, tum in filiorum natalitiis, tum in nuptiis, atque aliis humanis commerciis, exercitas; egomet ipſe per ſpecialem chartam paſtoralem propriam, ipſiſmet inquiſitoribus ſuadentibus, eaſdem ſuperſtitiones ex vi meæ ordinariæ juriſdictionis vetui.

IV. Pro parte autem juriſdictionis delegatæ eminentiſſimi domini generalis inquiſitoris etiam probatur ex ſupra traditis tam de jure, quam de facto, et ex eiſdem laudatis auctoribus, præſertim ex Pegna in commentar. ad cit. q. 27. Eymeric. 2. p. § *Ad hæc*; ibi: *Inquiſitores, et epiſcopi, abſque mandato ſpeciali Summi Pontificis, ex propria juriſdictione poſſunt prohibere libros, non modo ſuſpectas continentes propoſitiones, verum etiam ſcandaloſas, periculoſas, erroneas, hæreſim ſapientes, à fide quavis ratione diſcrepantes, et Chriſtianæ pietati, ac bonis moribus non conformes .... Si enim inquiſitores inquirere poſſunt, et compeſcere, ac coercere eos, qui prædictas propoſitiones auſi fuerint prædicare, ſane multo magis prohibere poterunt libros iſta continentes, qui non ſemel, aut iterum, ſed ſemper de die, de nocteque prædicant, et auribus auditorum iteratis vicibus talia dogmata inculcant.*

Ubi maxime notandum, omnes has rationes etiam recte facere pro juriſdictione epiſcoporum ſolitarie, et independenter à concurſu, vel ſimultaneitate cum inquiſitore; præſertim ſtabilita doctrina ejuſdem Eymeric. et Pegnæ; *Epiſcopos*, videlicet, *ubi agitur de fide, ordinarios quidem judices eſſe, licet dubia circa fidem definire non poſſint*, ex c. *Ad abolendam*, de hæret. Vide cit. ſolidiſſimum Murator. in nuperrimo de hac controverſia libello edito ſub titulo, *Luſitanæ eccleſiæ religio propugnata.*

V. Et ulterius ipſoſmet epiſcopos teneri ab hæreſibus diœceſim ſuam expurgare, ſub pœna depoſitionis, ſi remiſſe agant, ex c. *Excommunicamus*, 1. § *Volumus*, de hæret. *At hæc dicta eſſe volumus de his* (addit Pegn.) *qui cum poſſunt prohibere, non prohibent*; proindeque pro his inquirere poſſunt, ac debent, et teſtes examinare, etiam ſolitarie abſque inquiſitoribus, Caren. et reliqui DD. infra cit. præſertim in generali, et actuali viſitatione, atque teſtium depoſitiones, ſive inſtrumenta, inquiſitoribus remittere in locis, ubi eſt S. Officii tribunal; abſque pronuntiatione, ut tenent infra cit. DD. et cum illis conſt. Portucalenſ. in regim. tit. 12. et tit. 8. de vicar. generali.

Imo et extra viſitationem jubetur in conſt. diœceſan. hujuſce diœceſis Algarbienſ. l. 1. c. 7. et in cit. Portucalenſ. l. 1. tit. 1. c. 5. denuntiari intra terminum triginta dierum epiſcopo, vel inquiſitoribus, aut eorum commiſſariis, omnes hæreticos, et eorum fautores, et omnes aliquo errore contra fidem infectos, ex c. *Excommunicamus*, § *Adjicimus*, 13. de hæret. c. *Quapropt.* 2. q. 7. conſtit. Innoc. IV. *Licet ex omnibus*; et Nicol. V. *Noverit univerſitas*; et Greg. IX. *Excommunicam.* Farinac. de hæreſ. q. 197. n. 35. Caren. 2. p. tit. 9. § 1. Genuenſ. in prax. c. 18. Pignatell. conſ. nov. 38. 139. et 143. Piaſec. p. 2. c. 4. n. 39. et quamvis iſte loquatur in ſuppoſitione procedimenti cumulativi epiſcopi, et inquiſitoris; attamen præmiſſi loquuntur etiam in ſuppoſitione cognitionis inquiſitorum privative, quoad epiſcopos in Hiſpania, et Luſitania. Et citatis conſtit. Portucalenſ. in regim. tit. 8. de vicar. gener. cavetur, quod vicarius generalis, etiam extra viſitationem, ſumat ſecreto denuntiationes de hæreſi, et ſummarium teſtium, ſine pronuntiatione, inquiſitoribus remittat; et ſi detur periculum in mora, reum apprehendat, juxta probationis qualitatem, et S. Officio cum ipſo ſummario tranſmittat. Et citat Caren. p. 1. tit. 4. § 3. et tit. 2. § 6. n. 24. p. 3. Pal. tom. 1. tr. 4. d. 8. pu. 3. n. 6. Fragoſ. p. 2. l. 5. d. 13. § 8. n. 88. et Farin. q. 185. n. 7. Genuenſ. cit. et alios.

VI. Ratio fundamentalis hæc eſt à cit. Caren. inſinuata, p. 1. tit. 4. § 1. n. 7. quia *per inſtitutionem inquiſitorum non fuit epiſcopis ablata juriſdictio in hæreticos*; et cum illa inſtitutio odioſa quidem fuerit ordinariæ epiſcoporum juriſdictioni, reſtringenda potius venit, quam amplianda, ex reg. *Odia.* Et n. 8. ſequenti ſic tradit, *Quod inquiſitores ſine epiſcopis, et epiſcopi ſine inquiſitoribus, poſſunt* citare, *capere, tutæ cuſtodiæ mancipare, captos in compedibus ponere, et contra illos inquirere, prout eis, ſecundum Deum, videbitur expedire.* Et § 3. n. 20. aſſerens, quod inquiſitores, et epiſcopi, etiam diviſim, poterint procedere contra hæreticos, ex c. *Per hoc*, § *Verum*, de hæret. in 6. pro Hiſpania ſic limitat: *In ſola Hiſpania, et Luſitania, contrarium obſervatur: ſoli enim inquiſitores ibi formant proceſſus, et capiunt reos in cauſis fidei; et epiſcopi, ſi aliquas contra ſimiles reos habent informationes, tenentur eas tranſmittere inquiſitoribus: ita Mol. de juſt. et jur. d. 28. n. 13. Caſtr. Pal. d. pu. 13. n. 6. Unde autem id habeant inquiſitores Hiſpaniæ, vel ex conſuetudine legitime præſcripta, vel ex privilegio apoſtolico, parum refert diſcutere; hoc enim potius Hiſpanis juriſconſultis remittendum cenſeo.*

Et in his licuit aliqualiter immorari ob dubitationem, qua inquiſitor quidam in India altercavit; an etiam in actuali generali viſitatione poſſem liberas denuntiationes de hæreſi ſumere, et remittere. Connaturale namque eſt judicibus eccleſiaſticis, tum ordinariis, tum delegatis, fimbrias juriſdictionis ſuæ dilatare, et extendere; quod jam Chriſtus Dominus in evangelio præcavit, et c. *Multorum*, de hæret. in 6. infra tranſcripto inſinuatur. Vide etiam Card. Petr. tom. 5. in conſt. 17. quæ incipit *Licet*, Xyſt. IV. ſuper damnatione Petri Oxomenſis Salmantini, facta ab Alphonſo Carrillo epiſcopo Toletano, et ab ipſo Xyſto IV. approbata, atque confirmata.

Sect. II.

Quoad denuntiationem pro fractione ſigilli:

VII. *Dico*, 2. Præceptum illud ſub formalis excommunicationis cenſura jubens tribunali S. Officii, quaſi ſacramentalis ſigilli fractores, denuntiari confeſſarios illos in confeſſione ſociorum criminis revelationem inquirentes, vel aliquam *impropriam circumſtantiam* interrogantes, fuit utique exceſſivum, nimis rigoroſum,

gorosum, et multipliciter damnosum, ac variis insequendis absurdis expositum; ita ut, habita super illo speciali consultatione de mandato Sanctitatis suæ, *Omnes penitus* (verba sunt relationis) *mirati sunt nimis de excessu, ac de rigore impositæ obligationis, etiam in suppositione veritatis illius opinionis abusus.* Et specialiter informante eminentissimo domino cardinali Besozzi, ordinis Cisterciensis, et theologo quodam famoso, P. scilicet, Turani Jesuita, Sanctitatem suam uniformiter consuluerunt, in conscientia teneri, obligationem denuntiandi in figurato casu tolli facere, et mandare. Nec novum est, etiam in S. Officii ministris, fimbrias suæ jurisdictionis delegatæ dilatare, licet sub pietatis specie, intendere, ut c. *Multorum*, de hæret. in 6. *Nonnulli inquisitores per Sedem eandem contra pravitatem hæreticam deputati, metas sibi traditas excedentes, sic interdum extendunt suæ potestatis officium, ut quod in augmentum fidei per circumspectam ejusdem Sedis vigilantiam salubriter est provisum (dum sub pietatis specie gravantur innoxii) cedat in fidelium detrimentum.*

VIII. Prob. igitur, 1. Resolutio: Quia materia sigilli, et ejusdem fractionis punitio, ac coercitio, pertinet ad ordinarios privative, non vero ad inquisitores, ex c. *Omnis utriusque sex.* de pœnit. c. *Sacerdos*, de pœn. dist. 6. ad quæ Barb. Aldret. et reliqui DD. communiter, signanter Roncagl. Barb. Fragos. Pignat. cons. can. 54. Bordon. p. 1. c. 22. Delben. de offic. inquis. p. 2. dub. 6. sect. 62. et Monacel. p. 3. tit. 2. form. 1. n. 1. et terminanter Caren. p. 2. tit. 17. § 23. cum Dia. p. 4. tr. 8. resol. 95. Molf. to. 1. tr. 7. c. 23. et Per. 1. p. c. 3. Trull. to. 3. l. 4. c. 6. dub. 5. Fermos. 3. p. alleg. Fical. 2. n. 9. et 10. et aliis; est enim episcopus de jure *custos canonum*, et *executor:* Innoc. in c. *Dilectus*, de temp. ordin. ubi Fagn. Abb. in c. *At si clerici*, loc. cit. Gasparr. p. 1. tit. 4. n. 187. Monacel. cit. n. 2.

Unde quamvis opinionem illam, et ejus usum, S. Officii tribunal damnare, et vetare posset, Caren. cit. n. 93. attamen qua parte in hoc edicto D. inquisitoris generalis, tribunali suo sub præcepto, et formali censura excommunicationis illam implicitam sigilli infractionem pro punitione arrogat, ac denuntiari jubet, nedum excessum, sed et formalem, aut virtualem ordinariæ jurisdictionis usurpationem aliqualiter commisit, ex doctrina Ugolin. Alter. de censur. bull. Cœn. Fragos. 2. p. et aliorum.

Accedit, quod notant Salmantic. to. 5. de confessariis solicitantibus, § 1. cum T. Hurt. A. à Sp. S. et aliis; videlicet, *Summos Pontifices in nullo ex prædictis decretis imponere excommunicationem majorem contra omittentes denuntiationem solicitantium, quam edictum solum Inquisitionis imponit:* cum decreta Pontificia mandent dumtaxat monere pœnitentes de onere denuntiandi, ut in cit. bull. Gregor. XV. § 9. *Mandantes omnibus confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes inquisitoribus, seu locorum ordinariis prædictis*, &c. Vide reflectionem supra nuperam bullam *Sacramentum pœnitentiæ*, infra.

IX. Prob. 2. principaliter: Quia, licet, quoad extorsionem revelationis complicis, foret opinio illa, et illius praxis, damnabilis; attamen qua parte præcipit sub anathemate denuntiare S. Officio confessarios *quamlibet impropriam circumstantiam* interrogantes, nimis excessiva, rigorosa, et pernicios multipliciter incedit: et—

1. Quia illa, quam pœnitens reus putat circumstantiam impropriam, reipsa propriissima erit, et talem reputabit justus confessarius, qui judex est, et medicus; imo et omnino forte necessariam ad integritatem confessionis, et ad opportunum curationis, vel satisfactionis remedium infirmo pœnitenti adhibendum; v. g. status complicis, diuturnitatis, perseverantiæ, vel reincidentiæ, &c. Imo Soar. Lus. de pœnit. tr. 3. d. 13. s. 18. ait: *Dantur plures casus, in quibus pœnitens tenetur ex charitate complicem declarare propter bonum commune, vel propter bonum alicujus, cui imminet ruina, vel propter correctionem ipsius complicis, quem pœnitens cum spe fructus aliter corrigere nequit . . . cui si pœnitens nolit satisfacere, erit indispositus, ac proinde incapax absolutionis.*

2. Quia licet circumstantia reipsa impropria sit, et talis videatur, potest esse levis, ut si, v. g. confessarius nomen pœnitentis interroget, vel patriam, domicilium, &c. quæ quidem circumstantia, utpote levis, nequit juste, ac licite, subjici tam gravissimæ pœnæ excommunicationis majoris, tamque graviori oneri denuntiandi tribunali fidei, cum gravi rubore, ac infamia utriusque, pœnitentis, ac confessarii, Pal. Tanner. Fel. Pot. de denuntiat. p. 3. Pœna autem debet proportionari culpæ, l. *Sancimus*, 22. cod. de pœn. nam, *Pro mensura delicti erit et plagarum modus*, Deut. xxv. Et, *Quantum glorificavit se . . . tantum date illi tormentorum, et luctuum*, Apoc. xviii.

Præterquam quod illa circumstantia coram aliis reputata *impropria*, apud confessarium ipsum propriissima, et necessaria fortassis evadet; præsertim in pœnitente fœminea, quam quidem cum ex aspectu, ob observantiam modestiæ necessariam, non agnoscat; forte ex nominis, vel habitationis loci declaratione, vellet recognoscere, an sit eadem, quam forte in anteacta confessione admonuit, instruxit, vel cui remedia aliqua adhibuit.

3. Efficaciter, ex bulla noviss*i*ma *Sacramentum pœnitentiæ*, Bened. XIV. modificatoria bullæ Gregor. XV. adversus sacerdotes in confessione solicitantes, qui clausulam, *tractatus, et sermones inhonestos habuerint*, &c. modificavit, *temerario ausu habuerint*, cum tamen materia illa in tali loco, et actione, gravis sit, etiam independenter ab ausu temerario: ergo multo minus denuntianda venit quælibet circumstantia impropria, quæ in se, et ex adminiculis, levissima esse potest, de quo infr. alleg. 152.

4. Quia ex obligatione illa denuntiandi confessarium, *quamlibet circumstantiam impropriam* perquirentem, sequuntur omnia absurda, atque pernicios damna in epistola præmissa insinuata, et alia plura, quæ considerant facile obvenient. Et ulterius in damnum publicæ professionis virtutis, vitæ devotæ sequelæ, et sacramentorum frequentiæ, resultant incommoda alia, quæ adhuc infra prælibabuntur.

X. Prob. 3. Excessus idem, et rectitudinis defectus; quia, cum detur longa distinctio, ac distantia inter confessorem extorquentem, ac simpliciter interrogantem nomen complicis; et inter utentem licentia extorta, vel libere, voluntarie, et ultronee, expresseque data, nec revocata, prout loquuntur Roncaglia, Busemb. et alii, cum D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. a. 2.

Certum est apud omnes DD. moralistas, quod confessarius ex pœnitentis spontanea licentia licite possit culpam illius aliis manifestare, cum hæc obligatio in favorem pœnitentis inducta sit, et ipse juri suo, et famæ cedere possit, ob justum aliquod motivum, ut tenent DD. infra cit. quamvis Scot. asserat, etiam inductam fuisse in favorem sacramenti, de quo DD. Scotistæ.

XI. Imo licere confessario complicem, sive socium criminis interrogare ad ejus correctionem ex licentia pœnitentis faciendam, expressa est sententia magn. Soar. Fagund. Lug. et aliorum (contra Thomistas, et alios) apud Busemb. l. 6. p. 5. c. 3. n. 5. et cit. Lug. d. 16. n. 426. superaddit, *Posse aliquando pœnitentem à confessario obligari, et cogi ad manifestandum complicem extra confessionem.* Cui doctrinæ etiam addit Lacr. ad Busemb. n. 1959. ut probabiliorem opinionem D. Thomæ, D. Anton. Adr. Gers. Navarr. Suar. Henriq. Lug. Dicast. Castropal. Avers. Ills. et aliorum asserentium, ut *confessarius sine læsione sigilli possit monere, vel revelare complicem, non esse necessariam præviam complicis licentiam*, ut putant Palud. Sot. Bann. Angel. Vasq. Tamb. et alii; *sed sufficere licentiam pœnitentis; hic enim habere debet potestatem tollendi sigillum, à quo, et propter quem, solum inducta est obligatio sigilli.* Vide Lacr. cit. et insuper DD. infra laudatos notand. 9. n. 54.

Accedit Roncagl. tr. 19. q. 6. quæs. 4. ubi eandem resol. amplectitur, et fundamento contrariæ sententiæ respondet in hunc modum: R. 1. *Confessarius de licentia pœnitentis loqui potest de auditis in confessione. Ratio est; quia cum sigillum impositum fuerit in favorem pœnitentis, juxta ipsius voluntatem servandum est. Id autem magis roboratur; quia dum pœnitens impertitur licentiam confessario, intendit dare notitiam*

notitiam extraſacramentalem, ſicuti ſi de talibus peccatis cum eo locutus fuiſſet extra confeſſionem; adeoque confeſſarius nullatenus fractor eſt ſigilli, ea revelando: D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. a. 2. quem communiter theologi ſequuntur. Quorundam contraria opinio in eo fundatur, quod ſacerdos tenetur ad ſigillum ſacramentale ex jure naturali, et divino, in quo jure non poteſt pœnitens diſpenſare. At hoc fundamentum ruit, dum intelligitur pœnitens, tribuendo licentiam confeſſario de auditis in confeſſione loquendi, dari illi etiam notitiam extraſacramentalem peccatorum; quæ proinde cum ex hac ulteriori notitia extrahantur ab obligatione ſigilli; liberum omnino erit ea propalare, ſi ita concedat pœnitens; vel ſolum juxta licentiam pœnitentis de eiſdem limitate loqui. Advertere tamen eſt, quod ſi pœnitens concedat confeſſario loqui de ſuis peccatis, in ordine tamen ad confeſſionem; ut ſi concederet licentiam manifeſtandi prælato ſuum peccatum ad obtinendam facultatem abſolvendi à reſervatis, vel viro prudenti ad accipiendum conſilium, iſti ex dictis ſupra ſigilli vinculo obſtringerentur.

Reſp. 2. *Non frangitur ſigillum, ſi de licentia pœnitentis reveletur peccatum complicis, ſive hoc fiat ob publicum bonum, ſive ad ipſius correctionem. Ratio eſt; quia, quamvis etiam peccatum complicis ſub ſigillo remaneat, non tamen cadit ſub ſigillo, quatenus eſt ipſius peccatum, ſed quatenus ſpectat ad confeſſionem pœnitentis, qui illum detegendum putavit, ut proprium confiteretur peccatum; unde ſufficit ſola licentia pœnitentis, ut poſſit revelari. Addatur complicem nec ſecretum commiſiſſe, nec illi odioſam reddit confeſſionem ex tali revelatione; nam proinde evenit aliquando manifeſtanda peccata, quæ ipſe in confeſſione revelaverit. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. § 11. Lug. diſ. 23. ſect. 5. n. 138. Suar. d. 34. ſect. 3. ſect. 4. aliique, quos ſequitur Diana, p. 5. tr. 11. reſol. 24.*

Quinimo Viv. laudatus in paſtorali publica eminentiſſimi card. patriarchæ, p. 6. q. 10. et append. damnat. theſ. § 6. in iſto append. expreſſe loquitur, quando non intervenit licentia pœnitentis; verbis ibi: § 7. *Non ſecus ac habetur offenſa gravis, et non violatio ſigilli, ſeu confeſſionis revelatio, ſi confeſſarius cum eodem pœnitente de auditis in confeſſione loquetur, non obtenta prius ab eodem licentia. Et p. 6. cit. q. 10. a. 2. 2. § 3. ſic ait: Quinto, Sub ſigillo cadunt peccata complicis, quæ ſine expreſſa licentia pœnitentis revelari non poſſunt; ſicut nec objectum proprii peccati; verbi gratia, ſi filius confiteatur dediſſe venenum matri gravidæ ex pravo concubitu; quamvis enim mater non ſit complex peccati filii, non poteſt tamen revelari peccatum matris, quod eſt ſubjectum peccati filii. Imo Vaſq. quæſt. 93. art. 4. dub. 5. putat non poſſe pœnitentem dare licentiam confeſſario revelandi peccata complicis, quæ in confeſſione dicuntur; quia, quamvis pœnitens poſſit cedere juri ſuo, non poteſt tamen cedere juri ſacramenti, quod poſtulat ſecretum etiam peccatorum complicis. Verum, quia ſacramentum poſtulat ſecretum dumtaxat in favorem pœnitentis; ideo Suar. cum aliis communiter, probabilius docet, poſſe à pœnitente dari facultatem confeſſario revelandi peccatum complicis; præſertim cum poſſit illud confeſſario extra confeſſionem aperire: imo aliquando ex charitate tenetur; ſi, ſcilicet, complex ſit monendus, et corrigendus ad vitandum publicum malum; quamvis raro accidat talis caſus, ut non poſſit alia apticri via his malis occurri: ſicut rariſſime etiam accidit, ut teneatur pœnitens dare confeſſario facultatem revelandi propria peccata; ſicuti ſi parochus confiteatur ſe nunquam habuiſſe intentionem baptizandi parvulos, tenetur dare facultatem aperiendi hoc peccatum, quantum ſatis eſt ad vitandum publicum hoc graviſſimum damnum; nec hoc eſſet contra jus ſacramenti poſtulantis ſecretum; quia in his caſibus pœnitens loqueretur extra confeſſionem.*

XII. Ubi vides ex illo *Vaſq. putat* ſingularitatem opinionis Vaſqueſii inter DD. Medios, et minus probabilitatem; et hoc dixiſſe potius inſinuative, aut propoſitive, quam aſſertive, vel reſolutorie; aut id inſinuâſſe, ut de more ſuo deflecteret ab opinione magni Soar. et omnium poſteriorum, qui eum ſequuntur; ideoque dixi ſuperius communem hanc opinionem eſſe omnium DD. Subtili excepto. Et cit. etiam locus Lacr. in marginali paſtoralis eminentiſſimi D. patriarchæ adverſus illam, et pro noſtra, communique opinione facit; ſic enim reſolvit, l. 6. p. 2. n. 1752. per formalia verba ſequentia:

Poſſe tamen pœnitentem nominare complicem, ſi nec apud alium confeſſarium, nec aliter, poſſit integre confiteri, docent S. Thom. opuſc. 12. q. 6. S. Bonav. S. Anton. Suar. Vaſq. Lugo, d. 16. ſ. 7. aliique 20 graviſſimi auctores apud J. Sanch. d. 8. n. 9. E contra oppoſitum tenent Arm. Nav. Medi. Bann. Diana, et alii; quia conſervatio famæ, ad quam complex jus habet, videtur excuſare: quicquid ſit de hoc, recte docent Sot. Leand. Bann. Diana, Lugo, Averſa, q. 18. ſ. 7. et alii, cum Mendo. d. 10. q. 6. Si gravia damna timeantur à complice, et pœnitens non poſſit ea impedire, ſed ſolus confeſſarius, tenetur confeſſario manifeſtare complicem (quod, ſecundum dicta n. 1144. expedit fieri extra confeſſionem); quia cum teneatur ea impedire, et aliud medium deſit, ad hoc tenetur. Quodſi pœnitens ſpondeat impedire per ſeipſum, et confeſſarius prudentem habeat cauſam dubitandi, an id facturus ſit, non poteſt cogere, ut manifeſtet complicem; attamen differre poteſt abſolutionem, donec renuntiet ſe feciſſe, uti iidem AA. docent. Vide dicenda à num. 1958.

Et quamvis Medin. quem ſequitur Lop. dixerit, confeſſarium in actu confeſſionis aſſeverantem, ſe pœnitentem abſolvere non poſſe, niſi complicem ſibi revelet, denuntiandum quidem fore inquiſitoribus; intelligendus propter errorem doctrinæ, dicentis, *ſe non poſſe*, &c. Et Medinam redarguit Villalob. dicens, tr. 9. c. 38. n. 9. ſibi videri, P. Medinam nimia cholera agitatum id judicâſſe, cum ſenſus illius verbi, *Non poſſum*, non adeo rigoroſe ſolet uſurpari; at idem valet *Non poſſum*, atque *Nolo*: el dizir *No puedo, muchas vezes*, es dizir *No quiero*. Quo ſenſu etiam ſequitur Trull. tom. 3. l. 4. c. 6. dub. 15.

XIII. Prob. 4. Ex abſurdis, et reliquis damnis ſequendis, quorum aliqua in epiſtola præmiſſa indigitantur: et 1. eſt, Quod et perſonæ devotæ à publica profeſſione virtutis, et à ſacramentorum frequentia, hac rigoroſa providentia arcentur, ac deterrentur: et confeſſarii ab eorundem frequenti adminiſtratione, ut experientia compertum jam eſt, de quo in præjacta epiſtola.

2. Quod eſt occaſio peccatoribus in fæcibus vitiorum ſuorum diutius jacendi, et in ſtercoribus ſuis computreſcendi, et ſacramentorum remedii difficilius adhibendi, quatenus in ſua inſordeſcentia bene habiti, maleque habituati, efficax, et unicum fortaſſe peccatoribus conſuetudinariis, et habitualibus remedium, ſacramentorum pœnitentiæ, et ſacræ euchariſtiæ frequentiæ, vel contemnent, vel abjicient.

3. Quod providentia hæc *incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim:* in eandem quippe, quam evitare cupit, indirectam ſigilli revelationem, reincidere conſpicitur; non enim fœmina, v. g. confeſſarium ſocium criminis inhoneſti interrogantem denuntiabit, abſque implicita, et conſequenti tam proprii ſceleris, quam ſocii criminis implicita ſaltem, atque indirecta manifeſtatione. Inſuper nec confeſſor delatus ſeſe defendere, aut exonerare valebit, abſque indirecta ſaltem, et implicita ſigilli ſacramentalis fractione, ac revelatione: vel enim prorſus negabit materiam, de qua eſt denuntiatus cum periculo damnandi, ut negativus; vel ſi ſeſe excuſare, etiam cum veritate, voluerit, qualitatem circumſtantiæ, *impropriæ* dictæ (de qua forte denuntiatur, dum vel inſufficientem, aut inutilem, vel propriam, ac neceſſariam fuiſſe pertenderit) ſigillo defraudabit.

4. Quia fœmina nobilis, et uxorata, in caſu in præmiſſa epiſtola figurato, ſi teneretur ſub anathemate prodere confeſſarium, ſocium criminis ex fragilitate commiſſi, teneretur ſeipſam etiam implicite prodere, quod eſt contra naturale jus; et exponeretur infallibili periculo propriæ infamiæ, et probabili diſcrimini indignationis, et vindictæ zelotypi ſponſi, certitudinem, vel ſuſpicionem aliquam habentis de materia denuntiationis. In hac autem re ſuſpicio ſola, etiam male fundata, occaſio fuit quamplurium fatalium cataſtrophum, quæ in hiſtoriis reperientur.

5. Eſt

5. Est etiam occasio, quod turpes et viles mulierculæ passim occasionem quærant, et inveniant, insidiandi, ac nocendi justis, rectis, ac zelantibus confessariis illarum remedium, atque resipiscentiam recte quærentibus per necessariam, atque opportunam circumstantiam frequentiæ peccati, in illud reincidentiæ, repetitionis, ac permanentiæ, complicis status, et qualitatis, quantitatis, ac profusionis donorum, expensarum, &c. et aliarum circumstantiarum non connaturalium, imo contranaturalium, explendæ libidinis in materia luxuriæ, de quibus late fuseque tractant DD. signanter Pignatell. cons. nov. Lacr. ad Busemb. et alii, quas quidem circumstantias fortassis mulierculæ *improprias* æstimabunt.

6. Quia non facile apparet quis competens, atque idoneus judex hujusce circumstantiæ *impropriæ* judicandæ evadat? Non confessarius ipse eam interrogans, tum quia eam exquisivit, putans vel necessariam, vel convenientem, tum quia non tenetur nec seipsum tradere, nec condemnare. Non pœnitens, ob rationes datas, et in epistola insinuatas. Non confessarius alter, tum quia neque de circumstantiis, neque de fundamentis, aut de rationibus, quibus proprius confessarius circumstantiam illam perquisivit, est sufficienter instructus; et quam ille putat circumstantiam impropriam, proprius confessarius æquius fortasse propriissimam judicavit. Non denique ministri ipsi Inquisitionis non plene, ac sufficienter certiorati de qualitate, et reliquis circumstantiis, impropriæ ipsius circumstantiæ exquisitæ, præter defectus singularitatis, ineptitudinis, improbitatis, et vilitatis testium, &c.

7. Est istummet schisma, et scissuræ, quæ ex utriusque pastoralis publicatione ortæ sunt, repugnantibus omnibus regni prælatis, et quamplurimis theologis, ac viris religiosis, necnon Romæ constans demiratio, ac dissensio cunctorum consultorum à S. sua, tam intra, quam extra sacrum dominorum cardinalium collegium, ut per epistolas fide digniissimas inde huc missas innotuit.

8. Quod in epistola præjacta figuratur de fœmina ad Deum conversa, quam turpis, et potens amasius fortiter vult à via Dei retrahere, et ad vomitum totis viribus conatur reverti, et nullum aliud restat remedium, vel patrocinium, nisi confessario eum revelare, ut potentiori manu, ac protectione cum remotione solicitantis, amoveatur etiam occasio, et periculosi in solicitatione consensus, et in pristinum malum reincidentiæ: quis ergo dicere, aut cogitare audebit, hanc socii criminis interrogationem ex parte confessarii, et illius manifestationem ex parte pœnitentis esse injuriosam, vel odiosam sacramento, vel ejusdem sigillo adversantem?

9. Quia theologi non deobligant fœminam assentientem solicitationi confessarii ab obligatione eum denuntiandi; quia (inquiunt) neque in S. Officio interrogatur de effectu solicitationis; neque, quamvis confessor solicitans id fateatur, ac declaret, non in actis scribi dicunt, ut tradunt Salmantic. Roncagl. et alii cum P. Corell. in pract. tr. 6. c. 10. Azeved. de lib. 30. et alii cum Viv. in propos. 5. Alex. VII.

Sin autem hæc circumstantia interrogaretur, atque describeretur in actis, consequenter assererent, fœminam solicitationi assentientem non teneri confessarium solicitantem denuntiare; quia nemo tenetur seipsum prodere; neque cum propriæ famæ jactura criminis socium deferre, Viv. cit. n. 11. cum A. à Sp. S. Fragos. et aliis; neque præcepta ecclesiastica obligant cum tanto onere, adeoque gravi incommodo, quale præsens est, conservandæ, et consulendæ propriæ famæ, ut jure naturali, ac divino edocemur, juxta illud Eccli. xli. *Curam habe de bono nomine*; pro quo vide Fel. Pot. 3. p. c. 2. q. 6. cum Dian. Bordon. Fragos. à Sp. S. et alios: ergo pariformiter, &c.

Quare, cum in tribunali Inquisitionis Conimbricensis viderem in quibusdam privatis actis judicialibus fidei aliquos confessarios solicitantes damnari, in quorum processibus narrabantur, ex propria ipsorum confessione, effectus solicitationis in actibus carnalibus opere consummatis; eminentissimo domino inquisitori generali actuali domino cardinali Acugna præsentem feci hanc DD. opinionem, et inconveniens inde sequendum excusationis denuntiandi in fœminis solicitationi consentientibus, si praxis hæc effectus ipsos in processibus exprimendi continuaretur. Et eminentia sua mihi serio fassa est, non recte id factum fuisse, et emendatione cavendum in futurum. Num ita actum fuerit, ignoro.

10. Quia hoc onus, et obligatio proprio pœnitenti imposita reddit sacramentum pœnitentiæ quodammodo durum, et odiosum, à paritate doctrinæ Monacel. p. 3. tit. 2. fo. 1. n. 17. de processu contra confessarium sigillifragum construendo *sine strepitu, et sine publicatione, ne in plebe de hoc murmur oriatur, et confessio apud pusillos odiosa reddatur.*

11. Quia malum, quod, hac mediante providentia, vitari prætenditur, in duplum adaugetur. Nam sacramentum, quod ex illa odiosum, et onerosum pœnitentibus non fieri intentant, et confessariis, et pœnitentibus, cum illa odiosum evadit, et insinuata insequuntur damna. Mittò alia, quæ recte consideranti, directe, facileque occurrent. Novam, et efficacem confirmationem ex noviissima bulla, *Sacramentum pœnitentiæ*, ejusdem sanctissimi P. Bened. XIV. adversus onus denuntiandi circumstantiam impropriam interrogantem, infra superaddam alleg. 148.

Sect. III.

Diluuntur argumenta.

XIV. Præcipuum fundamentum in contrarium de sigillo ratione ipsius sacramenti secreti, cui pœnitens nequit cedere, vel renuntiare, jam supra, n. 11. expositum, ac solutum remanet; et infra adhuc fortasse, quod pro illo restat declarandum, enucleabitur. Nunc autem ad alia proferenda, ac breviter retundenda gradum facimus.

Objicies igitur, 1. contra primam partem resolutionis: Licet cognitio fractionis sigilli directe, et privative non pertineat S. Officio; attamen pertinet indirecte, saltem cumulative, ratione sacrilegii, et irreverentiæ factæ sacramento pœnitentiæ, et ejusdem indispensabili secreto; et prout sic videmus passim, adversus aliquos sigillifragos, S. Officium procedere; ergo, &c.

Respond. 1. Ex dictis alleg. 140. sigillum non pertinere per se, ac directe, tribunali S. Officii; posse tamen pertinere per accidens, et indirecte, ratione connexitatis cum aliquo crimine ad S. Officium directe pertinente; v. g. quando confessarius solicitans, consequenter, ut facilius solicitationis effectus consequatur, sigillum non servat, et aliquorum pœnitentium, vel complicum peccata in sacramentali confessione agnita, revelat; vel etiam quando, eo quod sacramento pœnitentiæ non credit, ejusdem sacramentale sigillum, eidem annexum, non custodit; tunc enim inquisitores, ratione connexitatis cognoscentes de incredulitate, cognoscunt etiam de sigillifragio. Quæ ratio omnino deficit in nostro casu. Et Monacell. p. 3. cit. tit. 2. expresse ait, *Confessoris ex levitate, aut ex ejus lubrica linguæ loquacitate, aut humanæ naturæ (quæ prona est ad malum) infirmitate, confessionem sacramentalem directe, vel indirecte revelantis, punitionem pertinere privative ad ordinarium.*

XV. Resp. 2. Non omnem sacramentorum irreverentiam, neque omne sacrilegium pertinere cognitioni inquisitorum, neque eidem esse denuntiabile; sed expressa dumtaxat in eorum edicto, de quo Pignatell. cons. nov. 114. 136, 137. et alibi. Sumus enim in materia pœnali, et odiosa pœnitentibus, imo et confessariis, et quamvis sacramento favorabili, simpliciter tamen, et absolute odiosa, ut contendit Ricc. p. 3. resol. 67. proindeque denuntiandi obligatio non amplianda, sed omnino restringenda ad expressa est, ut omnes DD. docent, signanter Roncagl. Fel. Pot. Fragos. Barb. Fagund. Escob. Pal. Trullench. Leand. Cozza. et alii apud nuperrimum Azeved. tribun. theolog. conf. 1. deliber. 5. et seqq. Ricc. in prax. resol. 67. p. 3.

Patet hoc evidenter; quia sacerdos in mortali peccato celebrans, sacrilegium graviissimum committit, et graviissimam injuriam eucharistiæ sacramento irrogat; et tamen denuntiandus non venit, eo quod hæc irreverentia non sit de expressis in edicto, et sit odiosa sacerdoti delinquenti. Idem est de confessario in gravi peccato confessiones recipiente, vel aliud sacra-

mentum, ſtatum gratiæ requirens, adminiſtrante; idem eſt de pœnitente ſacrilege ſe confitente, aut communicante: ergo ſimiliter.

XVI. Pariformiter ſacerdos fœminam ſolicitans in adminiſtratione ſacramenti euchariſtiæ, vel extremæ unctionis, irreverentiam, et ſacrilegium grave committeret; et tamen, etiam ſecuto effectu, deferendus non foret inquiſitoribus; eo quod bulla Greg. XV. *Univerſi*, ſolam *ſolicitationem ad turpia, et inhoneſtos tractatus in actu ſacramentalis confeſſionis, vel prætextu, aut occaſione illius in confeſſionario, aut loco ad confeſſionem audiendam electo*, comprehendit; quia, cum denuntiatio ſit odioſa delinquentibus, ac denuntiare tenentibus; amplianda utique non eſt ultra expreſſa, ſed ad hæc dumtaxat reſtringenda, ut tenet Fel. Pot. de denunt. p. 3. et reliqui DD. cit. Pro quo vid. etiam Salmantic. moral. to. 5. tr. 21. c. 4. p. 2. n. 9.

Hac eadem ratione denuntiandus non eſt (juxta commune DD. placitum) qui non eſt ſacerdos, licet talem ſe fingat: qui mandat ſolicitationem: qui eſt interpres illius: qui ex caſuali confeſſionis fœminæ cum alio ſacerdote eam ſolicitat: qui eam tactibus provocat, dum alteri confitetur: qui ſolicitat ad alia crimina, &c. de quo videndus eſt cit. Fel. Pot. Lacr. Dia. Frag. et reliqui, præſertim Pignatell. to. 1. conſ. 104. et c. nov. 117. ubi plures alios caſus à denuntiatione excuſat, quorum aliqui infra inſinuantur.

XVII. Objic. 2. Sicut onus denuntiandi eſt in favorem pœnitentis, ita et obligatio ſigilli: atqui, non obſtante, quod pœnitens poſſit juri, ac favori ſuo renuntiare, et cedere; attamen, ſi fœmina ſolicitet active, et confeſſarius conſentiat in ſolicitatione, mere paſſive ſe habens, adhuc denuntiandus eſt, ob irreverentiam ſacramenti pœnitentiæ, ut tenent cit. Fel. Pot. Eſcob. Trimanch. et alii apud curſ. mor. Salmantic. infra cit. ergo pariformiter; quamvis pœnitens poſſit cedere juri ſuo, permittens confeſſario propriæ culpæ revelationem, attamen ob reverentiam, et ſigillum proprium, debitum ſacramento, eſſentialiter ſecreto, nequit dare licentiam confeſſario proprium peccatum manifeſtandi, cum nequeat cedere juri ipſius ſacramenti.

Reſpond. 1. In doctrina Fel. Pot. confeſſarium conſentientem ſolicitationi fœminæ, adhuc eſſe denuntiandum; quia ad id datur ſpeciale præceptum ſub anathemate jubens denuntiari ſacerdotem quemlibet vel *ſolicitantem* active, vel in confeſſione *inhoneſtos tractatus habentem*, quales quidem habet conſentiens ſolicitationi activæ mulieris, eſto mere paſſive ſe teneat. At vero pro ſigillifragorum denuntiatione nullum datur etiam ſimplex præceptum.

Reſp. 2. Non obſtante opinione Fel. Pot. (quam etiam amplectuntur to. 5. tr. 21. Salmantic.) probabilem valde eſſe contrariam opinionem, quam nedum probabilem, ſed et in praxi tutam dicit Dia. p. 5. tr. 9. reſol. 56. quam etiam defendunt Bordon. in tribun. c. 23. q. 16. et in man. f. 25. q. 43. Sanctarell. de hæreſ. c. 46. Sanch. in ſelect. d. 11. Homobon. to. 2. Bonac. Peyrin. Caſtropal. Leand. Thom. Hurt. Lezan. Trullench. Boſſ. Delben. Donat. to. 3. tr. 13. q. 52. Portell. in addit. Prado. Et unus præcunctis illuſtriſſimus Acugna, tr. ſpeciali *de confeſſariis ſolicitant.* q. 11. n. 7. ubi dicit, quod *D. Franciſcus Soarius interrogatus reſpondit, hanc ſententiam certiorem eſſe, et veriorem.* Et eam ſequitur ipſe Soar. de fid. citans Pegn. et Simanch. accedit Freitas ibid. Souſ. de ſolicit. nec diſſentit Roncagl. et eam abſolute etiam tenent, adhuc poſt bull. Greg. XV. præter citatos, Fragoſ. Fr. Ant. à Sp. S. Januar. Soar. Luſit. Fagund. Avila, Megala, &c.

XVIII. In hac autem re unum certum eſt, fœminam ſolicitantem non teneri denuntiare confeſſarium mere conſentientem, et paſſive ſe habentem, quin aliquid agat, aut loquatur, neque ſeipſam; neque etiam ab aliis, talis fœmina denuntianda venit; de quo vide etiam Pignatell. to. 1. conſ. 104. ubi plura alia reperies; et Cayet. de Alex. infr. tranſcriptum, alleg. ſeq. n. fin.

Illud autem ex doctrina ipſiuſmet Fel. Pot. q. 6. et aliorum, aperte probatur, quoad primam partem; 1. Quia nemo tenetur ſeipſum prodere. Talis autem fœmina, ſi ad denuntiationem illam arctaretur, utique implicite ſeipſam traderet, ac denuntiaret.

2. Quia præcepta eccleſiæ non obligant cum gravi damno, vel incommodo.

3. Quia confeſſarius taliter mere paſſive ſe habens nil agendo, aut etiam loquendo, nec active provocat, vel ſolicitat ad turpia; nec inhoneſtos tractatus habet, ſed mere patitur, Roncagl. infr. cit. cum aliis.

4. Quia lex hæc eſt in favorem pœnitentium; ſi autem pœnitens favori ſuo ceſſit, ſibi imputetur. Deinde lex expreſſe eſt contra *ſolicitantes*, non vero contra *ſolicitatos*; et cum ſit lex pœnalis, et odioſa, non eſt amplianda, ſed reſtringenda.

5. Quia ſola denuntianda eſt ſolicitatio ſcandaloſa pœnitenti: hæc autem ſoli confeſſario ſcandalo foret, eſt ratio illuſtriſſimi Acugna.

6. Quia ex doctrina cit. Fel. Pot. c. 12. n. 580. confeſſarius tacens, et immotus manens ex puſillanimitate, quamvis conſentiat perverſitati mulieris, non eſt denuntiandus, eo quod mere paſſive ſe habeat, et ſit potius *puſillanimis*, quam *reus* (quoad pœnam conſtitutionis intellige, non vero quoad peccati maculam, quam certe per talem conſenſum contraheret); ergo ſimiliter, &c.

7. Ad hominem, ex doctrina ejuſdem Fel. Pot. ſub n. 489. quatenus negat interpretem, quamvis ſacerdotem, denuntiandum fore; *quia* (ait) *interpres ſe tenet ex parte pœnitentis, non confeſſarii*, &c. et quatenus excuſat ab onere denuntiandi, quando *non confeſſarius, ſed mulier, ſimulat confeſſionem:* ergo ſimiliter. Alias rationes vide apud cit. Acugn. et Pignat. conſ. nov. 117.

XIX. Prob. ſecunda pars; 1. Quia lex illa pœnalis ſolum lata eſt contra confeſſarios, non contra pœnitentes; et in pœnalibus non tenet argumentum *à pari, à ſimili, à contrario ſenſu*, &c. Antonel. l. 6. de judic. crim. c. 6. et terminanter, ac ſpecifice in caſu ſubjecto Ricc. p. 3. reſol. 67.

2. Quia longe diſpar eſt ratio de muliere, ac de confeſſario ſolicitante; mulier autem ſolicitans minus graviter peccaret, quam confeſſarius. Ita Roncagl. cum Dia. Graf. et Sanctarel. cui tamen rationi alia adhibenda eſt, nempe quod lex illa promulgata fuerit in favorem pœnitentis primario, et principaliter, ut conſtat ex illius expreſſo motivo: *Ne ſacerdos ſolicitando pœnitentes ad turpia, pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat*, &c. Deinde, ut ait Fel. Pot. *Bulla hæc eſt norma, et regula in hac materia; et ſoli caſus in ea comprehenſi ſunt oneris denuntiationis.*

Confirmatur efficaciter ex nova diſpoſitione, ac modificatione noviſſimæ bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, ſanctiſſimi P. regnantis, nuper ad manus meas perventæ, qua clauſulæ, *Inhoneſtos tractatus*, ſuperaddit, *Temerario auſu habuerint.* Unde non quilibet ſermones, aut tractatus inhoneſti, citra *auſum temerarium*, videntur denuntiari; de quo infra.

XX. Dices tamen, 1. pro Salmantic. Licet præjactæ rationes veræ forent ante conſtit. Greg. XV. non vero poſt illam, ſuppoſita expreſſa clauſula, *aut illicitos, et inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* Mere autem patiens, etſi non loquatur, attamen, ſi conſentiat, vere inhoneſtos tractatus habet. Unde AA. pro hac opinione laudati non loquuntur in his terminis conſtitutionis hujus Greg. XV. ſed Clem. VIII. et Pauli V.

Reſp. 1. Poſt bullam Greg. XV. hanc opinionem probabilem dicunt, et defendunt Peyrin. Homobon. Dia. Bonac. Bordon. Ant. à Sp. S. Roncagl. tr. 19. q. 8. c. 1. ubi de confeſſario nil agente, ſed mere conſentiente ſolicitationi, cum pluribus aſſerit, quæ infra tranſcribuntur.

Reſp. 2. Formalitatem prohibitionis in dicta bulla expreſſam hanc eſſe: *Solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint:* atqui verbum *ſolicitare, et provocare*, intelligitur de provocatione, et ſolicitatione *activa*, et non mere paſſiva: ergo etiam verbum *habuerint.* Ex lexic. autem conſtat, verbum *habere*, in humanis operationibus non meram paſſionem, ſed aliqualem actionem, et efficientiam importare. Et illud Matth. i. *Habens de Spiritu Sancto*; nedum Virginis

ginis consensum, sed et efficientiam, et activitatem in generatione humanitatis Christi, et unionis physicæ inter animam, et corpus, et inter Deum, et humanitatem importat: quare Alap. cum Scot. et D. Bonavent. ex Galeno: *Valde probabile est B. Virginem effective quoque concurrisse ad generationem Christi; quia sic magis fuit Mater Christi, quam si solum materiam subministrâsset.* Parcat pius lector hanc necessariam, sese offerentis obicis, præclusionem.

Et quamvis inter verbum *provocare*, et *habuerint*, intercedat disjunctio *aut*, hæc non inducit sensus diversitatem, quoad activitatem actionum provocationis, vel habitudinis tractatuum illicitorum; sed innuit distinctionem materiæ, sive rerum, ibidem expressarum; videlicet, *solicitationem*, et provocationem activam *ad turpia*, vel *sermones*, *aut tractatus illicitos* habitos, sive actos, à confessario in confessione, vel in confessionario, &c. Et certe Roncagl. cit. sic cum aliis ait: *Huic autem rationi videtur aliquibus posse respondere, quod cum sanus in pœnalibus, et odiosis, verba bullæ sunt stricte interpretanda, adeoque intelligenda de illicitis sermonibus, quorum sit A. confessarius. Præterea, juxta communem intelligendi sensum, non videtur dici A. alicujus tractatus, qui solum tractatui ab altero exposito consentit. Bordon. Sanctarell. et alii relati à Dia. ubi hanc opinionem dicit tutam, et probabilem.*

XXI. Confirmatur hoc efficaciter, 1. Ex doctrina Fel. Pot. cit. quia confessarius, qui mere audiret, et non loqueretur sermones inhonestos fœminæ in confessione, denuntiandus non foret, eo quod mere passive se haberet: et quamvis non repelleret sermones illos, et tacitus illorum prolationi assentiri videretur; attamen ex defectu actionis non diceretur *inhonestos sermones habere*, sed mere *illos pati*; et sola mera passio, et non aliqua actio in illo citato assensu, respectu illius, daretur, et multo minus *ausus temerarius*, quem modificative superaddit nupera bulla, *Sacramentum pœnitentiæ*, Bened. XIV. ergo pariformiter, si nil loquens, aut agens confessarius mere pateretur se à fœmina impudice tangi; vere dicendus non esset tractatus inhonestos habere, cum nil activitatis, vel actionis, sed meræ passionis, ex parte illius, daretur. Item ex doctrina Caren. p. 2. tit. 6. n. 35. à simili, cum reservatur casus ab episcopis exercentium sodomiam, tunc soli agentes comprehenduntur; non patientes, qui non dicuntur exercere, sed pati, ex restricta interpretatione reservationis, quæ est odiosa, Graff. de reserv. c. 11. Deinde in solicitato non consideratur tanta malitia, quanta in solicitante, qui est agens, &c.

Confirmatur, 2. Quia, ex ejusdem doctrina, confessarius consentiens solicitationi mulieris ex timore, vel pusillanimitate, denuntiandus non est, eo quod mere passive tacitus, et immotus se habuerit, et prout sic *nullo pacto est reus* (denuntiationis puta, in bulla comprehensæ, quamvis foret reus peccati) *sed est pusillanimis*, ut ait Fel. Pot. p. 3. c. 6. q. 5. n. 580. § *Vel*, 3. ergo similiter, &c.

Confirmatur, 3. Efficaciter, ex doctrina Roncagl. c. 2. et Salmantic. c. 4. § 4. *Non videri denuntiandum confessarium, si vocatus à muliere se fingente ægrotam, cum eadem solicitante peccaret; nam prætextus confessionis non fuit ex parte confessarii, quam principaliter prohibere voluerunt Summi Pontifices.* Vid. Pignat. infr. cit.

XXII. Dices, 2. Motivum hujusce bullæ Gregorianæ etiam est abusus sacramenti; ibi: *Sacramento solicitando pœnitentes ad turpia abutatur:* atqui mere passive se habens abutitur sacramento: ergo. Resp. Distinguendo maj. Est abusus talis in concreto; videlicet, *solicitando pœnitentes*, et *sermones*, *vel tractatus inhonestos* active cum illis *habendo*, concedo; est quilibet abusus mere passivus, et abstrahendo ab activitate, vel effectiva cooperatione, nego. Deinde distinguo min. Abutitur active, nego; mere passive, concedo. Imo verbum *abutitur* actionem importare videtur, et non meram passionem.

XXIII. Confirmatur hæc intelligentia, 1. Ex motivo aliorum Pontificum Gregor. XV. prædecessorum, qui quidem erat favor, indemnitas, atque inoffensa fiducia pœnitentium, ne à confessariis provocarentur, vel provocari tentarentur in confessione, eadem confessione quoad hoc abutentes; et minime fuit abusus iste superadditus à Greg. XV. sermonum, vel tractatuum inhonestorum à confessariis cum pœnitentibus in confessione habitorum: qui quidem pariformiter ad abusum provocationis, atque solicitationis ad turpia, intelligendus est. Vide Roncagl. tr. 19. q. 18. et Pignatell. cit. cons. nov. 117. § *At vero.*

Confirmatur, 2. A paritate abusus rei sacræ inquisitoribus denuntiandi ex vi edicti Inquisitionis; non enim quilibet abusus rei sacræ generice, et in abstracto, sed specifice, et in concreto, *in ordine ad maleficia*; quia edictum sic exprimit: *Si noverint, aut audiverint, personam aliquam maleficia facere, ad hunc finem re sacra abutendo, aut cum dæmone tacite, vel expresse pacisendo, invocando, aut venerando:* ergo pariformiter, &c. Unde Pignatell. cons. nov. 114. § *At quod*, sic concludit: *Ex quibus palam fit, quod suspicio hæresis, quæ inducitur ex abusu sacramentorum præcise, et absolute sumpto, non est manifesta, specialis, et tanti ponderis, quod propter illam inquisitores de hujusmodi abusu cognoscere possint, debeantque.* Vid. etiam Gob. tr. 7.

Objic. 3. Tribunal S. Officii potest damnare errorem illius opinionis, illiusque usum prohibere: ergo etiam illa utentes punire, atque adeo, ut sibi pro punitione denuntientur, mandare. Resp. cum distinctione; Tribunal S. Officii posse quidem punire illos confessarios, qua tales, errore illo, sive opinione erronea, ac damnata utentes, vel eam docentes; non vero præcise quatenus sacramentalis sigilli fractores; tum quia hoc ad ordinarios directe pertinet, ut superius ostensum remanet; tum quia sigillifragi præcise non sunt de hæresi suspecti, ex ipsa præcisa sigilli sacramentalis revelatione, sed ratione connexitatis erroris, vel alterius criminis S. Officio directe attinentis, ut supra ex Pignatell. et aliis, est demonstratum, de quo tamen adhuc infra, n. 25. Et hæc est distinctio aptanda doctrinæ Medinæ, et Lupesii, supr. n. 12.

Confirmatur; quia præcise docens, et non utens hac opinione, ab inquisitoribus puniretur quidem ob errorem, non vero ob sigilli fractionem: ergo. Neque obest, quod S. Officium puniens docentem, ac utentem opinione, quod tractatus inhonestos prætextu confessionis temerario ausu habere, non subjaceat denuntiationi; ac, per consequens, idem tenendum in utente illa opinione sigillifragii: assignatur namque nota disparitas: nam hic usus sapit hæresim, et competit directe inquisitoribus, non vero primus, juxta tradita superius, et tradenda inferius, n. 25.

XXIV. Objicies tamen adhuc, 4. Pro competentia tribunalis S. Officii adversus sigillifragos: qui sigillum sacramentale frangit, sacramento abutitur: atqui omnis abusus sacramenti, aut cujusvis rei sacræ, subjicitur S. Officio, ut constat ex identitate rationis suspectionis in fide: ergo. Resp. 1. Conformiter ad responsionem præmissam restricte datam ad abusus *provocando*, vel *solicitando*, vel *inhonestos sermones*, aut *tractatus habendo* restricte.

Resp. 2. Non quemlibet abusum sacramenti comprehendi sub onere denuntiationis, sed expressos dumtaxat in bullis, vel in edictis; aliter denuntiari debere solicitans, aut provocans in alio sacramento vel ad alia peccata à venere distincta, vel fœmina solicitans in sacramento pœnitentiæ, vel interpres, aut laicus fingens se sacerdotem; vel alii non expressi in bulla; cum tamen omnes prædicti abutantur sacramento. Ratio fundamentalis est; quia lex illa est pœnalis, cujus non debet fieri extensio, sed restrictio ad expressa. In illa autem Pontificia lege non exprimitur, nisi *sacerdos in confessione, vel illius prætextu solicitans, aut inhonestos sermones, sive tractatus habens.* Ita communiter DD. præcitati, quos laudat, et citat novissime Azeved. in tribun. theolog. deliber. 4. et 5. et Fel. Pot. loc. cit. Vide etiam Ricc. cit. resol. 67. p. 3.

XXV. Neque frangens sigillum abutitur sacramento, quod jam pertransiit, quamvis deficiat sacrilege gravi obligationi secreti ex illo orti; neque per eam infractionem redditur in fide suspectus, cum potius censeatur illud frangere ex levitate, præcipitantia, vel inconsideratione, aut ex alio motivo, quod fidei suspicionem

ſpicionem non arguit: ideoque nec à S. Officii miniſtris cognoſcitur per ſe, aut punitur, niſi ratione connexitatis cum alio crimine ad S. Officium per ſe, ac directe pertinente, vel ratione erroris, aut pravæ doctrinæ, à quo dirigatur. Quod ulterius confirmatur; quia AA. fuſe agentes de delictis ad S. Officium pertinentibus, ut ſunt Fragoſ. Pignatell. Carena, Sanctarell. Caſtr. Pal. Souſa, Delrio, Valle, et alii. De tali pertinentia ex figillo facto, nec verbum quidem effantur, ut dictum eſt alleg. 140. n. 16. quam recole.

Pariformiter doctrina communis eſt ap. Ricc. in prax. to. 1. reſol. 184. n. 5. quod etiam in delictis carnalibus venereis ob vehementiam paſſionis iſtius, et ob præcipitationem, inconſiderationem, et obcæcationem mentis, minuatur malitia illorum, ita ut cum luxuria mentem obcæcet, et ſit quædam ſpecies inſaniæ, ut tradit Valer. Maxim. et Ariſt. 7. ethic. et D. Hieronym. l. 1. adv. Jovin. et alii ap. Ricc. cit. et ſupr. alleg. 146. n. 6. tranſcriptum, excuſant aliqui apud Roncagl. à denuntiatione confeſſarium ſemel tantum ſolicitantem, non in ſacramenti deſpectum, ſed ex amore libidinis, ſuperadditis circumſtantiis ibid. videndis, tr. 19. c. 2. q. 3.

XXVI. Objic. 4. Tribunali S. Officii competit cognitio et punitio errorum ſectariorum *Illuminatorum*, vulgo *Alumbrados*, nuncupatorum: Sed tales erant confeſſarii illi complicum revelationem extorquentes: ergo. Reſp. 1. cum diſtinctione; Competit ratione erroris contra fidem, tranſeat; ratione fractionis ſigilli, nego. Reſp. 2. Negando ſuppoſitum: falſum namque eſt in 63 damnatis erroribus Illuminatorum, ſive *Alumbrados* (quorum ſecta Hiſpali anno 1623. detecta, et damnata fuit) contineri formaliter errorem iſtum inquirendi, vel extorquendi à pœnitentibus revelationem ſociorum criminis, ut ex illis conſtabit. Quare impropria fuit hæc cenſura, quam aliqui regulares opinioni huic ſe impegiſſe exorbitanter gloriantur, de quo infra, niſi forte partialiter in 23. errorum Alumbratorum in aliquibus caſibus ſigillum ſacramentale frangentium. Vid. Godin. in myſt. theolog. l. 8. c. 6. et Arbiol. Nugn. autem in addit. ad 3. D. Thom. q. 11. a. 2. diffic. 2. quærens, 5. Utrum conveniens ſit communiter, et regulariter, quod confeſſarius obliget pœnitentem ad manifeſtandam ſibi perſonam complicis, *ad hoc ſolum, quod talis perſona corrigatur?* ſic reſolvit: *Sit concluſio: per ſe loquendo, atque adeo communiter, et regulariter, non eſt conveniens talis interrogatio: et oppoſitum hujus eſt temerarium, et perniciosum, tanquam ipſius ſacramenti deſtructivum.* Vide etiam Trull. to. 3. l. 4. c. 6. dub. 15. n. 14. Poſſe tamen in aliquibus caſibus raris confeſſarium pœnitentem compellere ad complicem ſibi revelandum, tenent plures DD. infra laudati, n. 51.

XXVII. Nota tamen, quod etſi inquiſitores cognoſcerent de fractione ſigilli, et eiſdem competens foret hæc cognitio, et punitio ex vi edicti eorum, etiam expreſſe eam referentis; per id tamen non tolleretur, vel impediretur, aut retardaretur ordinariorum cognitio, ac punitio, cum etiam in eo caſu non pertineret ad inquiſitores privative, ſed vel cumulative, vel mixte, et daretur locus prævention. Probatur, 1. evidenter; Quia, præter datam rationem, culpa hæc neque ſapit hæreſim, neque ſubjectum reddit in fide, etiam leviter, ſuſpectum.

Probatur hoc etiam evidenter, 2. A paritate criminis ſolicitationis confeſſariorum, de quo ait Frag. p. 2. l. 5. d. 14. § 3. n. 3. ibi: *Nec facit pro inquiſitoribus, dicere Summum Pontificem in ſua conſtitutione contra ſolicitantes, inquiſitoribus*, Procedas, et inquiras; *quia per hæc verba noluit concedere juriſdictionem privativam tribunali Inquiſitionis ad epiſcopos, nec voluit derogare juriſdictioni ordinariorum; ſed tantum conceſſit ſacro tribunali facultatem cognoſcendi etiam de hoc crimine*, l. 2. § Quodſi à principe, ff. Nequid in locis publicis; *patet ex* c. Suggeſtum, *de decimis*, c. Cum dilectus, *de conſuetudine*, cap. Dudum, *de privilegiis. Faciunt tradita à Flaminio de confitentibus*, q. 79. à n. 41. *dicente ab omnibus receptum per juriſdictionem in particulari conceſſam à principe alicui, non cenſeri derogatum ordinarii juriſdictioni, ſed eam accumulative traditam judicari*, Roland. conſ. 48. n. 25. col. 2. Covarr. in c. Alma, p. 1. § ultimo, n. 3. de ſent. excommunic. *Etiamſi concedatur per verbum taxativum, puta, ille ſolus, vel ille dumtaxat, poſſit procedere, vel inquirere; adhuc conſequitur conceſſio cumulativa, et non privativa*, d. l. Viros ſpectabiles, c. de diverſis officiis, lib. 12. et ibi Bartol. n. 1. *Dictio namque taxativa non excludit majores judices, neque ordinarios. Proinde, cum de jure datum ſit epiſcopis inquirere de hoc crimine, et procedere contra ſolicitantes, opus erat in conſtitutione Pontificia contra ſolicitantes, ut fieret expreſſa derogatio, ne epiſcopi deinceps ſe intromitterent in hoc crimine inquirendo, cognoſcendo, ſeu puniendo. Cum ergo conſtitutio hac de re nihil loquatur, poſſunt epiſcopi, ſicut antea, de hoc crimine inquirere, cognoſcere, et punire; quoniam juriſdictio inquiſitorum eſt accumulativa, et collegata ad juriſdictionem ordinariam, cui favendum eſt, ex Vantio de nullitate ſententiæ ex defectu juriſdictionis, num. 26. poſt Alexand. in l. Titiæ* textores, ff. de legat. 1. *Ex quibus conſtat, poſſe in hoc caſu procedere epiſcopos diviſim, et condemnare. Item denuntiantes apud epiſcopos non teneri denuntiare apud fidei cenſores, ſi epiſcopi acceptent denuntiationem. Imo quamvis ſint negligentes in acceptando, ſeu in inquirendo delatores, in conſcientia non tenentur adire prætorium Sacræ Inquiſitionis, cum jam ſati fecerint præcepto impoſito denuntiandi. Vid. Jul. Clar. in praxi*, § Hæreſis, n. 6. *et Molinam de juſtit. tract. 5. diſp. 28. ubi agunt de modo procedendi, quo utuntur epiſcopi, et fidei cenſores in caſu hæreſis.*

Et § 4. immediate ſequenti ſic proſequitur: *Ex quibus concluditur, cum poteſtas cognoſcendi non ſit in favorem inquiſitorum, non eſſe privativam, ſed cumulativam; et epiſcopos in ſolicitantes habere ordinariam poteſtatem, poſſeque procedere diviſim, et condemnare: et idem poſſe inquiſitores in hoc caſu hæreſis, in quo et ipſi, et epiſcopi, poſſunt agere ſimul, et diviſim: non tamen poſſunt condemnare, niſi utrique ſimul intervenient. Secus dicendum eſt de juriſdictione conceſſa prælatis regularium in ſuos religioſos, quæ eſt privativa ad epiſcopos, cum ſit juriſdictio conceſſa in favorem perſonarum. Confert Concil. Trident. ſeſſ. 25. tit. de regularibus, c. 14. Atlas in c.* Paſtoralis, *de officio ordinar. et in c.* Cæterum, *col. 2. verſ.* Fateor tamen, *de judiciis, Felin. n. 4. verſ.* Limita ſeptimo, *in d. c.* Paſtoral. *cum iis prælatis fiat poteſtas corrigendi exceſſus ſuorum ſubditorum, et ſint exempti à juriſdictione epiſcopali, et declarat Rotta Romana, teſte Puteo, deciſ. 239. lib. 3. et conſuit congregatio die nono Julii 1573. ſuper dicto cap. 14. Menoch. l. 2. præſumpt. 18. caſu 11. et 12. et n. 22. et 23. poſt plures ibi allegatos. Confirmatur ex bullis Apoſtolicis Pauli III. fol. 34. et Clem. VII. et ex aliis Summorum Pontificum.*

XXVIII. Attamen, hac doctrina non obſtante, pro regnis Luſitaniæ quoad crimen ſollicitationis præciſe, contrarium tenent Souſa de ſolicit. (licet in aphoriſm. l. 1. c. 34. n. 47. contrarium ſtatuat) Dia. Pal. Leand. Fel. Pot. p. 3. c. 12. q. 8. n. 619. quos noviſſime citat, et ſequitur Fr. Joann. Azeved. in tribun. theologic. conf. 4. delib. 32. ex ſpeciali diſpoſitione bullæ Pii IV. *Dilecte fili.* Ubi ſpecialiter reſervat inquiſitoribus privative cauſas ſequentes; verbis ibi: *Quaſcunque cauſas hæreſis, et illius pravitatem hujuſmodi ſapientes, coram ordinariis regnorum, provinciarum, et locorum præfatorum nunc, et in futurum, inquibuſcunque ſtatu, ac terminis, pendentes, quandocunque tibi expediens viſum fuerit, ab ipſis ordinariis ad te avocandi, ac illis, ne in eis ulterius procedant, ſub cenſuris, ac pœnis eccleſiaſticis, inhibendi*, &c. Quicquid in contrarium tueatur Fagund. ex bull. Greg. XV. verba præſentis bullæ Paulinæ ſine præjudicio juriſdictionis epiſcoporum interpretari prætendens; et ita *reſpondiſſe*, aſſerit, *PP. graviſſimos ſocietatis Jeſu hac de re interrogatos.* Ipſos adi.

Attamen pro hac juſta interpretatione ſtant decreta omnium conſtitutionum diœceſanarum Portugalliæ, ſignanter Conſt. Ægytanenſ. D. Franciſci de Caſtro, inquiſitoris generalis, l. 5. tit. 2. et 3. Conſt. Algarb. l. 5. c. 2. Conſt. Portual. l. 5. tit. 3. c. 1, 2. et 3. et aliæ; de quo infra alleg. ſeq. Et poteſt reſponderi ad

privi-

privilegium Pii IV. quatenus ab ordinariis ex causa non avocatur à gener. inquisitore, ipsos cognoscere posse ordinaria potestate de solicitatione erga suos subditos.

XXIX. Nota tamen, 1. Quod licet culpa solicitationis ad turpia in confessione sapiat hæresim, et taliter solicitans abjurare debeat vel de vehementi, vel saltem de levi, juxta diversas sententias, de quibus Pignatell. cons. nov. 164. attamen frangens sigillum sacramentale confessionis neque etiam leviter est in fide suspectus, neque de levi abjurat: 1. Quia non abutitur sacramento, cum illud jam transierit, et jam antea perfectum excesserit; et quamvis sit obligatio stricta ex illo orta, non tamen est pars illius, neque etiam adintegrans. 2. Quia frangens sigillum, potius præsumitur ex levitate, inconsideratione, præcipitatione, facilitate, aut alio naturali defectu, quam ex sacrilega intentione, aut desiderio deliberato, illo abutendi, aut alia prava in sacramentum ipsum voluntate.

Neque ex hoc inferas; Ergo etiam confessor solicitans in confessione sacramentali, vel immediate antea, vel postea, non erit de hæresi etiam leviter suspectus; cum, juxta doctrinam cit. Pignatell. § *Qualis autem, suspicio talis, Confessarius potius censeatur ex libidine, quam ex voluntate abutendi sacramento pœnitentiæ, ad venerea solicitâsse.*

XXX. Confirmari potest illatio ex doctrina ejusdem Pignatell. cons. nov. 134. ubi Mouram sic rejicit: *Unde non audiendus Moura falso credens, peccata aliqua carnis enormia sapere hæresim manifestam, quem sequitur Salell.* Et alibi cons. 137. ubi exemplo Salomonis adorantis, et colentis *Astarten deam Sidoniorum*, et *Moloch deam Ammonitarum*, et alia idola concubinarum suarum, et illis thus offerentis, ut 3 Reg. xi. 5. excusat à suspicione hæresis formalis, imo et quandoque à tortura pro intentione declaranda reum, qui ex affectu libidinis, aut ex ardenti luxuria motus, consimilem actum cultus externi idolo alicui tribueret absque errore intellectus, sed ex affectu dumtaxat complacendi, aut assequendi amasiam: et in facti contingentia, in tribunali Inquisitionis Goanæ, me conjudice, judicatum est in factis cultus hæreticalis externi cujusdam sacerdotis ex motivo paris libidinis; et pariformiter eum, qui simile factum hæreticale ex gravi metu in virum constantem cadente, ut D. Marcellinus, Pontifex Maximus, instante gravi, ac potenti externa coactione, pro quo videnda. Pegn. ad Eymeric. p. 2. q. 1. Pignat. cit. cons. 134. § fin. Caren. p. 2. tit. 1. § 16. ibi: *Et generaliter ob metum fidem abnegantem non posse hæreticum dici, post Roderic. Acugn. in c.* Nunc, *aut dist. 21. late probavit D. Anton. Cabrer. Sous. in aphorism.* &c.

Et § 22. *de tortura danda super intentione in causis hæresis*, n. 103. ita ait: *Videatur Cantera sæpe cit. c. de hæret. n. 55. ubi ait, quod in Hispania, qui negaret fornicationem simplicem non esse peccatum, utique assertor esset propositionis hæreticæ; et tamen non puniretur ibi, ut hæreticus, sed tantum fustibus cæderetur; quia creditur in illis regionibus talem assertorem ex aliis causis moveri, quam ex errore in intellectu*, &c. Et sub n. 106. sic prosequitur: *Alia sunt facta, ad quæ natura proni sumus, ut est luxuria, gula, &c. et in his non ita facile præsumitur error in intellectu, sicut in primis*, &c. Videatur etiam Ricc. cit. resol. 184. n. 5. ex Arist. Viguat. et aliis, dicens, quod *ira et concupiscentia veneris homines transmutant, et insanos faciunt, et à Rom. curia determinatum fuisse, quod talia ascribenda potius furori, quam hæresi, ex l.* Divus, *ff. de offic. præsid.* Quo tamen non obstante, negatur illatio ob specialem reverentiam, et sacrilegum abusum sacramenti, antidotum in venenum vertendo, &c. ut in bulla Gregoriana narratur.

XXXI. Nota, 2. Quod quamvis opinio illa de confessario à muliere solicitato, et mere passive se habente, quin aliquid verbo, aut opere ageret, inservire possit pro excusanda obligatione denuntiationis in aliquo eventu, aut casu raro jam transacto, et ad remedium, ac levamen conscientiæ alicujus timoratæ in re jam facta, et in circumstantiis aliis à DD. ponderatis, signanter Corell. cit. P. Viva in prop. 7. Alex. VII. pro excusatione mulierum solicitationi acquiescentium ab obligatione denuntiandi; attamen quoad casus futuros omnino cavendum est, ne ad praxim temerè reducatur: ne, illius præhabita notitia, mulieres illæ *sagaces*, ac *salaces*, de quibus idem Pignatell. cit. § cons. nov. 164. viam facilem sternant, et patentem januam aperiant ad consimiles provocationes activas ex parte illarum, et mere passivas prætextatas ex parte provocatorum eisdem assentientium cum impunitate utrinque, et ad alia mala. Ponderanda tamen est nova modificatio bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, de qua infra, alleg. 152. clausulæ *aut inhonestos tractatus*, superaddentis, *temerario ausu habuerint.*

Quæ autem hic desiderantur, quære apud cit. DD. non enim præsentis nostri sunt instituti, neque etiam præmissa prælibavimus, nisi occasione excitatarum de proximo huic materiæ concernentium controversiarum. Quare hic dumtaxat adnotabimus resolutiones aliquas, quas adducit Pignatell. cons. can. 104. to. 1. n. 12. *Mulier solicitata, si non consenserit, tenetur denuntiare confessarium. Si vero consenserit, tenetur denuntiare solicitationem, ac verba, et actus turpes confessarii, et tacere suum consensum, quem non tenetur propalare, neque respondere* (nota hanc restrictionem) *etiam ad interrogata ab episcopo, vel inquisitore. Quodsi dubitet censensum posse à confessario propalari, monenda est, confessarium non posse de hoc interrogari; sique id ex se fateatur, non esse scribendum.*

XXXII. Cum tamen sæpe contrarium visum est practicari in tribunali Inquisitionis Conimbricensis, publicando in sententia solicitantium effectus pollutionis, et alios à confessariis denuntiatis declaratos, contra declarationem S. Congreg. 1624. ap. Dia. p. 4. et Antonel. l. 6. c. 6. de judic. crim. aliter discurrendum est, donec tribunal excessum hunc opportune corrigat. Neque prævalebit doctrina Azeved. et aliorum ap. illum delib. 30. videlicet, fœminam non infamari; quia neque declarationes reorum quoad effectus secutos scribuntur, et, si scribantur, sub secreto Inquisitionis manere. Sed contra, 1. Quia scribuntur, et publicantur, ut ipsemet expertus sum in tribus regularibus, et de hoc altercavi cum rectissimo inquisitore *Joanne Guedesio Coutinno.* Contra, 2. Quia fœminam nobilem, honestam, et pudoratam, majorem subire infamiam æstimavi, ex manifestatione suæ culpæ inhonestæ coram tam sancto, nobili, ac circumspecto tribunali, tamque probatis viris, quam coram pluribus aliis hominibus plebeiis. Contra, 3. Quia mulier potest dimidiare confessionem, quam integrare tenetur ex præcepto, si timeat infamiam gravem ex revelatione complicis: ergo similiter, &c.

Solicitantes in confessione (prosequitur Pignatell. n. 14. ex episcopo Leycensi.) *non sunt adstringendi ad seipsos denuntiandum . . . . Mulieres solicitantes ad turpia confessarios, qui illis postea præstant consensum, non sunt cogendæ ad eos denuntiandum; sed ipsarum arbitrio id faciendum remittitur*, &c. Vide in alleg. seq. alia huic materiæ concernentia, et Gobat. tr. 7.

XXXIII. Denique hic recte observare refert, quod si laxitas opinionum in materia observationis sigilli, et delationis solicitantis, reddit sacramentum odiosum pœnitentibus; è contra illarum rigiditas, atque constrictio illud etiam reddit odiosum confessariis; imo et quandoque ipsismet pœnitentibus; utrosque enim gravant, ac premunt.

Ad nostrum tandem rediens institutum, atque facti narrationem prosequendum, et ultimum eventum propalandum, acceptis à S. sua epistolis omnium Portugalliæ episcoporum, meæ sequenti formalitate rescripsit:

Rescriptum Sanctitatis suæ præmissæ meæ epistolæ.

XXXIV. BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem. Magno animi nostri mœrore literas à te nobis scriptas perlegimus, in quibus mala exponis, quæ ex prohibitione facta confessariis, ne à pœnitente exquirant nomen complicis peccati, et locum habitationis ipsius, derivare dicuntur. Animadvertere serio debes, Venerabilis Frater, quod à nobis nostræ literæ in forma brevis encyclicæ ad omnes ordinarios regni Lusitaniæ datæ non fuerunt, nisi postquam legimus edicta cardinalium supremi inquisitoris, et patriarchæ Lisbonensis, quibus pernicioſa praxis late exponebatur; ita ut quicquid egimus, temere profecto dici non

poſſit quod egerimus. Animadvértere quoque debes prædictas noſtras literas nihil aliud continere, quam doctrinam ſanam, et orthodoxam, à qua recedere non poſſumus, eaſque comparatas cum prædictis edictis eſſe abſque dubio moderatiores. Hæc tibi ſcripta ſint, ut verum ſtatum rerum agnoſcas; nec ea profecto reputare debes ſcripta animo, et intentione deſerendi cogitationem, per quam provideatur malis, etſi cauſam non habeant à culpa noſtra. Deus Opt. Max. lumen nobis ſubminiſtrare dignetur, ut tuto pede in re tanti momenti procedere valeamus. Noſque interea tibi, Venerabilis Frater, Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 11. Novembris 1745. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Venerabili Fratri archiepiſcopo, epiſcopo Algarbienſi (Lacobriciam).

Aliud ejuſdem ſuper eadem re reſcriptum excellentiſſimo epiſcopo Lamæcenſi.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis Frater, ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Tuas recepimus literas, quas die 22. Septembris proxime elapſi nobis ſcripſiſti: conſonat hæc tua epiſtola cum cæteris, quæ alii Luſitaniæ epiſcopi nobis ſcripſerunt; quocirca epiſtolæ tuæ eandem dabimus reſponſionem, quam cæteris dedimus; editas, videlicet, fuiſſe à nobis literas Apoſtolicas, in quibus prohibuimus confeſſariis exquirere à pœnitentibus nomen complicis, et locum habitationis ipſius, ſed poſt edicta tum cardinalis inquiſitoris, tum cardinalis patriarchæ: in quo rerum themate nemo profecto erit, qui nos rationabiliter redarguere poſſit, quod aerem verberavimus, vel quod cogitavimus de avertendo malo, quod non erat in rerum natura; nefas quippe fuiſſet prædictis edictis fidem non præſtare. Ex tua, Venerabilis Frater, epiſtola deprehendimus pericula, quæ eminent ex obligatione non à nobis, ſed ab inquiſitore generali, impoſita pœnitentibus confeſſarium interrogantem revelandi tribunalis Inquiſitionis; et quatenus ex prædicto onere mala ſequantur, quæ nobis expoſuiſti, quamvis cauſam habeant non à nobis, ſed ab aliis, certus eſſe potes, quod ſerio cogitamus, et cogitavimus, de prædictis malis avertendis; tibique, Venerabilis Frater, Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 17. Novembris 1745. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Venerabili Fratri epiſcopo Lamæcenſi.

Conſimilia erant fere alia aliis præſulibus ejuſdem Sanctiſſimi Patris, in forma brevis, encyclica reſcripta. Quibuſcum inſimul, ut fama eſt, eminentiſſimis utriuſque edicti editoribus ordo advenit, ut præmiſſa edicta revocarent, vel moderarent.

XXXV. Verum cum eminentiſſimus cardinalis patriarcha atteſtationes ab aliquibus regularibus, et parochis ſibi ſubditis colligere ſatageret ad hoc onus eludendum, et pariter ad adverſa prælatorum ordinariorum reſcripta enervanda, atque infirmanda, ad manum meam forte perveniente quorundam regularium æque irreverenti, immodeſta, atque minus vera atteſtatione, coactus ſum pro veritate, atque innocentia mea, conſcientiæ ſcrupulo acriter ſtimulante, ſequentem epiſtolam iterum S. ſuæ dirigere:

Secunda epiſtola S. ſuæ ſuper congeſtis atteſtationibus directa.

BEATISSIME PATER,

VEnerabiles S. veſtræ literas die 11. Novemb. anni proximi elapſi exaratas, quibus S. veſtra clementiſſime mihi reſcribere dignata eſt ſuper utriuſque eminentiſſimi domini cardinalis patriarchæ Ulixbonenſis, et inquiſitoris generalis, edicto, quo adverſus confeſſarios, complicum revelationem à pœnitentibus extorquentes, graviter invehebantur, utroque poplite flexo venerabundus accepi, et obſequentiſſimus perlegi: atque à Patre luminum, juxta religioſam S. veſtræ inſinuationem, opportunam lucem pro re tanti ponderis tuto pede decernenda enixe cœpi deprecari. Sed expectavimus pacem, et ecce turbatio! Nam dum hæc devote proſequi curo, notitia vera comperi, eminentiſſimum dominum cardinalem patriarcham ab aliquibus regularibus, et parochis, ſibi ſubditis, atteſtationes aliquas collegiſſe, quibus, et tot venerabilium præſulum veritatem, zelum, rectitudinem, imo et fidem, et religionem infirmare, et juſtam, ac maxime neceſſariam S. veſtræ ſupplicatam providentiam impedire, vel ſaltem retardare attentent.

In atteſtationibus ipſis multa ſane miranda, et vix credibilia reperiuntur; et, ut alia taceam, mirum quidem eſt, ut regulares, qui ſe *audaciores, et animoſiores canes Domini* eſſe gloriantur, nullum in toto hoc Algarbiorum regno domicilium, nullum monaſterium, imo, neque ullum hoſpitium habentes, ipſumque regnum, vel ejus etiam partem fortaſſe, unquam peragrantes, è propria domus reſtricta cuſtodia ad alienam tranſilientes, tam libera, ac exorbitanti, ſed affectata certitudine, interna ejus ſcire, ac diffamare præſumant, ut palam *de ſcientia* ſub juramento teſtificari non vereantur, dicentes; *Scimus etiam concionatorem regularem fuiſſe, qui ſectæ errori haud adhærens, à quodam epiſcopo concionandi exercitio, confeſſioneſque audiendi facultate, fuit privatus.* Quæ quidem teſtificatio (notoria impoſtura in caput ejus reverſa) caſum in hac mea diœceſi eventum, ut fama eſt, mordere videtur.

Et quia ſuper monitionem meam ſtans, ibique gradum figens, de illa tantum rationem reddere teneor; ut S. veſtra clare deprehendat, quantum in teſtimonio illo mentita eſt iniquitas ſibi; ex adjuncta paſtorali charta liquido conſtabit, quale procedimentum, qualeque ejus motivum, utrumque ab atteſtato diverſiſſimum adverſus regularem illum extiterit: qui à ſola concionandi facultate ob imprudentem adverſus publicam profeſſionem virtutis, ſcandaloſam, et publicam declamationem, reſtricte ſuſpenſus fuit, minime autem ob cauſam in atteſtationibus libere confictam: et ejuſdem farinæ præſumendum ſane eſt, quod de aliis forſan caſibus teſtificantur, cum ex jure ipſo ſemel malus in eodem genere mali ſemper talis præſumatur; et teſtis in uno articulo falſus adeo præſumitur falſus in aliis, ut falſitas circa unum, et in reliquis ſeparatis, totum teſtimonium inficiat. Benigne parcat S. veſtræ paterna clementia, ſi in defenſionem propriam, et veritatis, modum in aliquo excedere videar, licet ab adverſario exceſſu provocatus.

Equidem, Beatiſſime Pater, jam in prima mea epiſtola 28. Auguſti anni præteriti, S. veſtræ humiliter porrecta, vere proteſtatus ſum, et ex ipſis meis paſtoralibus chartis, prælo datis, manifeſte oſtendi, in tota mea hac ampla diœceſi, à me in prima mea viſitatione abſolute, et totaliter peragrata, et in ſecunda diligenter incepta, ne umbra quidem accuſatæ opinionis, aut ſectæ, quam teſtificantes per illam graſſari vociferent, detecta eſt, aut illius veſtigium etiam longe obſervatum: et nunc inſuper addo, quod extunc ſolicitam, ac ſolertem pro illa detegenda, ac inſectanda, in executionem ſanctiſſimæ bullæ *Suprema* hac de re editæ, perquiſitionem adhibens, illud invenire hactenus potens non fui.

Siquid in aliis diœceſibus ab eiſdem indigitatis, ipſius doctrinæ, aut erroris inventum ſit; propriis earum paſtoribus, qui ſuper greges ſuos in cuſtodiendis vigiliis frequentes ſunt, melius conſtabit. Unum tamen verum ſcio, quod in hac mea Algarbienſi diœceſi nonniſi poſt utrumque edictum præfatum editum, opinionis, aut ſectæ illius notitiam quidem habitam fuiſſe; quod et noviter confirmabitur, tum ex defectu notæ, aut ſugillationis ſuper hac re in illarum multiformi congerie, quam æmuli mei (quorum princeps canonicus, ſcilicet, Michael Attaidius, regularis illius à me ſuſpenſi propinquus eſt, à quo et ad impiam illam declamationem invitatus præſumitur) in tribunalibus S. Officii caute, et injuſte induci fecerunt, tum etiam ex carentia conſimilium modo ſolicitatarum teſtificationum, quas in hac diœceſi minime collectari uſque adeo ſum expertus, imo neque tale audivi. Et ex immodeſtiſſima libertate, exorbitantique exceſſu, congeſtarum in Ulixbonenſi patriarchatu atteſtationum, qualis veritas illis adhibenda ſit, manifeſte convincetur, dum proprii illarum AA. ſemetipſos fallentes in impropria Illuminatorum erroris cenſura tot præſules, ut ſectarios, aut ſectariorum fautores,

fautores, temere diffamare conantur, et lingua dolosa verba præcipitationis diligentes, ac seligentes, mendaces palam ostendunt, qui illos clam maculaverunt: quorum quidem exultanti congloriationi, dum sese *canes Domini, et Dominici gregis custodes, pastorumque coadjutores* iterato jactantes adversus fratres suos, quasi fide suspectos, et gregis ipsius pastores, nedum adeo acriter oblatrant, verum et *de scientia*, jurata fide, contra notam veritatem contestantes, horum famam dure, direque mordere non cessant, illosque à seipsis *persequendos, ac trucidandos* identidem promittunt (quamvis incassum, et sibimetipsis adversantes illusorie obtestentur, se *salutiferis linguis* ulcera lambere, et venena propinata extrahere curare) illud accommode quidem adaptare fas erit; *Lingua canum tuorum ex inimicis:* ex quibus tamen salutem elicere speramus cum Dei nostri suavi, salubrique providentia, qui Deus salvos faciendi utique est, tum S. vestræ, qui ipsius dignissimus equidem vicarius in terris incedit, efficaci protectione, paterno patrocinio nixi, ac confisi.

Tandem (verbo dicam) vel quid illius erroris alicubi vere acciderit, vel haud evenerit, certum omnino semper est excessivum valde, et quamplurimis damnis, atque scandalis obnoxium, esse durum illud, et suavitati jugi Domini gravissime contrarium, onus deferendi S. Officii tribunali confessarios socios criminis, vel *aliquam circumstantiam impropriam* à pœnitentibus extorquentes, ut in prima mea epistola, S. vestræ satis exposui, nuncque iterum ratifico, opportunum ac efficax remedium, illi adversanti, et inverso, imo et ipsi pœnitentiæ sacramento odioso, salubriter contraponere, opus penitus est: illudque iterum instantissime flexis genibus expostulo, atque efflagito; Phari, die 3. Februar. 1746.

Post devotissimam sacrorum pedum deosculationem,
Addictissimus, et obsequentissimus cliens,
IGNATIUS archiepiscopus, episcopus Algarbiensis.

XXXVI. Interim, dum hæc S. suæ denuo repræsentabantur, prodiit annuum edictum Inquisitionis in Quadragesima anni 1746. publicatum, quo, post articulum denuntiationis confessariorum solicitantium, etiam novo, ac distincto articulo sive paragrapho, jubentur denuntiari confessarii complicum nomina à pœnitentibus extorquentes, et ob non revelationem absolutionem eisdem denegantes, formalitate verborum sequentium: *Se sabem, que algum confessor secular, ou regular, perguntasse no acto da confissam sacramental aos penitentes os nomes dos complices do seo peccado, e o lugar, onde assistem, e se por assim lho nam declararem, lhes negassem a absolviçam.*

Id est, *Si sciant, confessarium aliquem sæcularem, vel regularem, in actu sacramentalis confessionis interrogâsse à pœnitentibus nomina complicum peccati eorum, et locum, ubi degunt, et si ob non talem declarationem eisdem absolutionem denegaverint.*

XXXVII. Quocirca notandum est, 1. Erga denuntiationem sacerdotum solicitantium, nil in hoc edicto innovari, nec superaddi, ut debebatur, novam restrictionem novissimæ bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, Sanctissimi P. Bened. XIV. editæ anno 1741. et noviter ab eminentissimo cardinali patriarcha Ulixbonensi publicata die 19. Januarii præsentis anni 1746. et totum fuisse in superaddendo præmisso articulo adversus confessarios revelationem complicum extorquentes, licet reformato, expuncta, videlicet, clausula *vel aliquam circumstantiam impropriam*, quæ edictum prius durius, atque nimis exorbitans reddebat.

Notandum, 2. Per particulam, *An sciant*; solummodo constringere *ex scientia* agnoscentes, et non sufficere ex auditu, vel ex notitia tantum probabili. Ratio est; quia præsens materia, utpote odiosa, restringenda est ad rigorem verborum. *Opinio* autem, et notitia probabilis, contradistinguitur *à scientia*. Unde videtur obligationem denuntiandi in hac materia per se, ac rigorose loquendo, solam pœnitentem de complicis notitia extortam, directe afficere, de quo infra.

Notand. 3. Particulam *et*, utpote copulativam, designare, hanc materiam hic prohiberi *complexim*, non *seorsim*, sive *copulative*, non *divisive*, aut *disjunctive*; id est, non obligari ad denuntiandum confessarium nomina complicum perquirentem dumtaxat, si, quamvis perquirat, non ob id deneget absolutionem; sed copulate et perquirentem, et ob id absolutionem denegantem. Patet ab ipsa natura conjunctionis *et*, de quo Barb. et DD. TT. et à paritate probabilis doctrinæ super damnatione Clem. VIII. erga propositionem illam; *Licere per literas, seu internuntium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, de qua vidend. Lacr. l. 6. p. 2. n. 1195. Viv. in app. ad prop. damn. § 10.

XXXVIII. Sed dices; Paulus V. declaravit, damnationem illam Clementis non complexim, seu copulate dumtaxat, sed seorsim, seu divisive, esse intelligendam: ergo. Resp. 1. Hoc ideo fuisse non ratione conjunctionis copulativæ *et*, sed ratione materiæ; ex mente Christi Domini, eo quod confessio sacramentalis sit per modum judicii requirentis præsentiam rei. 2. Adeo verum esse, particulam *et* sensum copulativum de se inducere, ut necesse omnino fuerit, quod Paulus V. in subjecta materia, istius ratione, declarationem illam ediderit. 3. Verbum *licere* prop. damnatæ importare *illicitudinem*, non vero *invaliditatem* in omni casu; nam, in casu confessionis moribundi per internuntios explicatæ posse quidem, et debere absolvi, neque casum hunc in ea damnatione comprehendi, idem Clem. VIII. expresse declaravit, his verbis respondens: *Debere neque aliter se facturum, neque id unquam suo voluisse decreto.* Vid. Viv. et Lacr. cit.

XXXIX. Notand. 4. Quod cum illa specificatio, *An sciant*, solam notitiam *de scientia*, aut ex visu, non vero ex solo auditu, rumore, aut fama, importare videatur, consequenter videtur etiam hoc onus in hac materia denuntiandi per se solum pœnitentem de socio criminis interrogatum directe afficere. Patet hoc; quia per se solus confessarius notitiam extorquens, et pœnitens extortus, et absolutione privatus de his *scientiam* habent, cum sit actus occultus, et sacramentali sigillo clausus. Cum autem confessarius non teneatur seipsum denuntiare, cum nemo seipsum prodere teneatur, ex c. *Aliquando*, de pœnis, dist. 1. et ex vulgarib. consequitur solum pœnitentem extortum, et non absolutum per se, ac directe ad eam denuntiationem afficere, ad quam tamen non tenetur; quia *præcepta ecclesiastica non obligant cum tanto onere*, Sanch. Acugn. Trull. Dia. Lezan. et reliqui ap. Fel. Pot. to. 2. p. 3. n. 493. et 599. et solum per accidens, qui ex visu et extorsionem, et absolutionis denegationem sciret, non vero qui ex auditu tantum; ex isto namque non oritur scientia, sed opinio.

XL. Notand. 5. Etiam cum hac modificatione obligationem hanc, respectu pœnitentis, nimis duram, et impracticabilem reddi, eo quod pœnitens, v. g. fœmina pudorata, talem confessarium denuntians, seipsam implicite denuntiaret, juxta superius ponderata; ad quod cum tanto onere videtur non teneri, cum præcepta ecclesiæ, ut benignæ matris, cum gravi incommodo obligare non censeantur, de quo supra; et in facti contingentia jam quædam adolescentula honesta, et pudorata, mihi intra confessionem hanc difficultatem objecit, et in illius favorem resolvi.

XLI. Notand. 6. Etiam ex parte confessoris extorquentis, et denegantis absolutionem, reddi hanc denuntiandi impracticabilem, periculis obnoxiam, imo et quoad punitionem inutilem, ac frustraneam. Si enim à duobus, vel tribus fœminis exquirat confessarius statum complicis, quem recte ad integritatem essentialem sacramenti interrogare debet; et, renuentibus illis eum aperire, præsentis edicti, male intellecti, prætextu, absolutionem deneget; et ab illis tribus mulierculis ex ignorantia, vel malitia, denuntietur; et ab inquisitoribus super hoc confessarius examinetur; quomodo se habere debet, aut se defendere?

Si se excuset, dicendo quicquid interrogâsset, ad confessionis integritatem interrogâsse, sigillum franget. Si constanter neget se nil indebite interrogâsse; præterquam quod cum hac limitata, ac restricta, sive modificata responsione, aliquid cum sigilli offensione insinuare videatur, exponitur, ut tanquam negativus, et contumax damnetur. Media alia via utrumque periculum tute evadendi, non restat, neque apparet: ergo

ergo vel non erit puniendus, vel injuſte damnabitur, vel inefficax, et illuſoria reddetur praxis illius obligationis, et quamplurimis diſcriminibus obnoxia.

XLII. Deinde poterit eadem fœmina effrons, impudens, et ſub triplici diverſo nomine mentito (ut non ſemel in alia materia accidit) triplici confeſſario diſtincto, triplices diverſas falſas extorſiones adverſum unum certum confeſſarium, ut eas tribunali deferat, revelare, et confeſſarium falſo accuſatum, ad nimis duras, moleſtaſque anguſtias inevitabiliter deferre. Hoc genere malitioſiſſimæ triplicis diverſæ denuntiationis in triplici Luſitaniæ tribunali fidei, ſub triplici mentito nomine uſus eſt medicus *Andreas Pina Trigueiros*, vel *Antonius de Meſquita, e Sà*, hujus civitatis Pharenſis ex modernis Chriſtianis partialiter deſcendens, quo totum oppidum Pacis Juliæ, vulgo *Beja*, in magnam conſternationem, cum multorum ejus oppidi incolarum, ubi ipſe etiam degebat, perſonali diſtrictione conjecit: qui tandem anno 1723. per ſententiam tribunalis Eborenſis ultimo ſupplicio damnatus eſt.

XLIII. Dices; Juxta probabilem opinionem, mulier conſentiens ſolicitationi adhuc teneretur denuntiare ſolicitationem, verba, et actus turpes confeſſarii, et tacere ſuum conſenſum, juxta doctrinam ſupr. Pignatell. quamvis exponatur periculo denuntiandi ſeipſam: ergo ſimiliter.

Reſp. 1. neg. conſequentiam. 1. Quia talis mulier denuntiando illius confeſſarii ſolicitationem, non denuntiaret implicite, neque explicite, ſuum peccatum, aut conſenſum; quem quidem nec propalare tenetur, neque ſi ab epiſcopo, vel inquiſitore, ſuper eo interrogaretur, reſpondere tenetur, ut ait cit. Pignatell. At vero in denuntiatione confeſſarii criminis ſocium, vel complicem interrogantis, ſeipſam, et peccatum ſuum, ſaltem implicite, revelaret, ac denuntiaret, ad quod minime tenetur.

XLIV. Reſp. 2. Illius opinionis AA. procedere in hypotheſi, quod ex denuntiatione confeſſarii ſolicitantis, non ſequatur, etiam implicite, revelatio conſenſus denuntiantis ſolicitatæ; quinimo, neque de illo interrogari; neque etiamſi non interrogata, cum fateatur, ejus confeſſio ſcribatur, neque in actis notetur, aut in ſententia publicetur. Ex qua hypotheſi, à contrario ſenſu deduci valet argumentum: ergo, ſi interrogetur, et ejus confeſſio ſcribatur, excuſabitur à denuntiatione, eo quod nec præcepta eccleſiæ obligent cum tanto onere, aut cum infamia, nec quis ſeipſum prodere teneatur. Contrarium tamen illius hypotheſis practicatum fuiſſe in tribunali Inquiſitionis Conimbricenſis, et reorum confeſſiones inſcriptas fuiſſe, et in ſententiarum narrativis publicatas, ſupra oſtendimus, n. 32.

Illius autem hypotheſis reſolutio confirmatur ex doctrina de Alex. in confeſſar. monial. c. 6. §. 10. q. 6. ibi: *Si confeſſarius nullum ſignum approbationis exhibeat, non eſſe denuntiandum; quia tacens neque aſſentiri, neque diſſentiri videtur, ex reg. jur. 24. n. 6. imo in odioſis, et præjudicialibus, taciturnitas habetur pro diſſenſu*, Sicul. in c. *Cura*, de jur. pat. et in dubio poſſibilis honeſti, et poſſibilis inhoneſti, ſemper capienda eſt interpretatio poſſibilis honeſti, *Sperel. dec. 174. n. 46. et 175. n. 1.* eo quod magis ceſſat in moniali obligatio denuntiandi; quia per neceſſe cogeretur ſuam turpitudinem detegere, &c. Ipſum vide.

XLV. Notanda eſt maxime doctrina Pignatell. conſ. nov. 134. § *Quoad autem ſit*; ibi: *Unde apud canoniſtas pro eodem accipitur factum hæreticale, et ſapiens hæreſim, proprie, vereque loquendo. Quare non proprie, neque vere loquitur Salelles loc. cit. poſt Mouram aſſerens, ad factum vere ſapiens hæreſim ſufficit, ut qui ſimpliciter aſſerens aliquid, quod eſt contra fidem, illud faciat. Vel enim loquitur de facto ſapiente hæreſim manifeſtam; et ſic eſt idem, quod factum hæreticale: vel de facto importante ſolum aliquid ſapiens hæreſim, aut errorem, et non hæreſim manifeſtam, ut contendit Moura ibidem; et ſic factum non dicitur ſapere hæreſim, aut reddere ſuſpectum de hæreſi. Si enim ex prolatione non eſt hæreticus, neque ex facto erit ſuſpectus de hæreſi: unde non coguntur abjurare facta illa committentes, imo nec ea aſſerentes, imo nec etiam affirmantes propoſitiones erroneas collectas ex una fide, ex alia evidenti lumine naturali, licet reputentur à pluribus hæretici præſumpti, de quo Caſtropal. in oper. mor. p. 1. tr. 4. diſp. 3. c. 2. Sanches in ſum. lib. 2. c. 8. Diana, p. 4. tr. 8. reſol. 79. Carena, p. 2. tit. 1. § 6. Bannes, in 2. 2. aliique. Præterea, ſi omnis, qui facit aliquid, quod ſi affirmaret eſſe licitum, contra fidem pronuntiaret, dicitur ſapere hæreſim à Salelles, nullus eſſet peccans, qui non eſſet ſuſpectus de hæreſi. Denique ſupervacanea, et falſa probatur hujuſmodi diſtinctio; quia ſortilegia, quæ non ſapiunt hæreſim manifeſtam, quæque abſolute dicuntur ſimplicia, et cum pacto tantum implicito, ut ſortilegium ad inquirendum vane de furtis non liberis, abſque alia circumſtantia implicante hæreſim manifeſtam, non debent affirmari, quod habeant ſaporem hæreſis, ut contendit idem Salelles ex Delrio, afferens etiam falſo Dianam, et Spinam, aliquam, dicens, ſuſpicionem probabilem, ſaltem levem, de hæreſi occulta importante; quia reperiuntur hæreſes illi oppoſitæ; ſic enim omnia peccata inducerent ſuſpicionem levem de hæreſi, ſaltem occulta, quam deberent peccantes abjurare, quod pene eſt improbabile.*

Ex qua quidem doctrina pro noſtra ſupra tradita recte licebit inferre: Ergo ſi non reddit ſuſpectum de hæreſi, facere rem illicitam contra fidem, quam tamen ſi licitam eſſe affirmaret, vel doceret, utique de hæreſi ſuſpectus redderetur; quamvis ſi id licitum eſſe doceret, aut publicaret, ut taliter ſuſpectus haberetur. Proindeque confeſſarius talia docens, eſto ab inquiſitoribus puniri poſſet, non tamen qua parte ſigillum frangeret, aut nomen complicis citra errorem interrogaret.

XLVI. Confirmatur, 1. Exemplis ſupra expoſitis, et infra exponendis, n. 51. doctrinæ de licitudine extorſionis revelationis complicum, vel uſus notitiæ ſub ſacramentali ſigillo habitæ; et inſuper diaconi, aut interpretis occaſione, ſeu prætextu confeſſionis ſolicitantium.

Confirmatur, 2. Exemplo docentis fornicationem ſimplicem licitam quidem eſſe, aut non eſſe peccatum grave, vel pollutionem voluntariam; qui quidem juſte ab inquiſitoribus animadverteretur, ſuppoſita Pontificia damnatione utriuſque propoſitionis, ac doctrinæ; non tamen ab illis puniretur, qui utramque rem illlicitam, et damnatam, citra errorem, ac erroneæ doctrinæ uſum, perpetraret. Idem viſitur in aliis exemplis, de quibus infra.

Confirmatur ex doctrina ſpecifica Trullench. to. 3. l. 4. c. 6. du. 15. n. 14. *Bordon. ſacr. tribun. c. 22. n. 49. to. 1.* Fermoſin. alleg. fiſc. 2. n. 10. dicentium denuntiandum eſſe talem confeſſarium, ſi compellens ad revelationem complicis, errorem in doctrina inducat; non ita vero, ſi ſimpliciter compellat, et abſolutionem ſimpliciter neget. Vide etiam Caren. p. 2. tit. 17. n. 97. Delben. p. 2. dub. 1. ſect. 62. et alibi; ubi ſic ait: *Inquiſitores non poſſunt procedere contra confeſſarium dicentem pœnitenti, quod ipſi revelet complicem, alias ſe non poſſe, nec velle ipſum abſolvere; quia controverſum eſt inter DD. an revelare complicem in confeſſione ſacramentali, ſit proximum infamare, contra alios oppoſitum aſſerentes.*

Aliter, ut concludit cit. Pignat. adverſus Salell. omnis quidem peccans, ut dicebamus, eſſet ſuſpectus de hæreſi, atque adeo teneretur abjurare. Quod nemo dicet: imo Jul. Clar. et Barbatia, nimis durum reputant cogere abjurare utentes ſortilegio cum interventione rei ſacramentalis citra pravum finem, de quo cit. Pignatell. conſult. 134. § penult. et conſ. 135.

Imo Caren. p. 2. tit. 17. n. 97. inquirens, *An ſubdatur foro inquiſitorum confeſſarius, qui nonvult abſolvere pœnitentem, niſi ſibi in confeſſione complicem delicti revelet*, reſolvit: in qua re bene Dia. ait, hunc confeſſarium non poſſe ab inquiſitoribus puniri. Et Bordon. 1. tom. ſacr. trib. c. 22. n. 49. pariformiter: *An confeſſarius, qui nonvult abſolvere pœnitentem, niſi ſibi revelet complicem, ſubjiciatur inquiſitoribus?* reſp. negative; Quia cogere pœnitentem ſub hac conditione, non eſt actus hæreticus, aut inducens ſuſpicionem hæreſis.

XLVII. Notand. 1. Inquiſitores eſſe coadjutores ordinariorum, et cum eis cumulative procedere, ut inquit Pignatell. conſ. nov. 136. § *Nam reſpondeb*,

et

et Petr. to. 3. in c. 16. Innoc. IV. proindeque, sicut prudentiores episcopi etiam causas sibi cumulative pertinentes, v. g. superstitionis non qualificatæ, et simplicis, v. g. incantationis, divinationis, &c. ut plurimum libenter remittunt ad inquisitores, ut majori circumspectione, et forsan commiseratione, judicentur: ut testatur Caren. et Simanch. ap. Pignat. ibid. ita inquisitores, utpote ordinariorum coadjutores, non debent istorum jurisdictioni præjudicare, eam usurpando in eis delictis, quæ minime hæresim sapiunt; et minime eisdem etiam cumulative attinet, sed directe, et simpliciter ordinariis, ut fractio sigilli, vel sacramentalis absolutionis denegatio, quando non est connexa cum crimine inquisitorum jurisdictioni pertinente.

XLVIII. Imo, cum judices fidei teneantur simul munere advocati fungi (inquit Pignat. cons. nov. 135. § 1.) sicut pro damnatione reorum magno examine, magnaque prudentia eis opus est procedere, priusquam ad reum, ut formaliter hæreticum, condemnandum deveniant; ita et pro competentia jurisdictionis, ne ordinariam usurpare, etiam apparenter exponantur; non enim debent cum jurisdictione dubia procedere, ut mihi in Indiis degenti rescripsit eminentissimus cardinalis Acugna pro casu alleg. 11. de quo etiam Pignat. cons. nov. 127. et 129.

XLIX. Notand. 8. Quod quamvis per bull. Pii IV. ap. Sous. de solicit. c. 1. et in aphorism. l. 1. c. 34. n. 48. et c. 2. n. 12. *Inquisitor generalis in Lusitania* (non inquisitores inferiores) *potest ex causa ad se avocare ab episcopis omnes causas ad fidem spectantes, etiam sub censuris, et aliis pœnis*; hoc vel intelligendum est (ut intelligit Fagund. supra laudatus, n. 23.) sine præjudicio jurisdictionis episcoporum, vel de causis dumtaxat sapientibus hæresim manifeste, vel illam manifeste continentibus; non vero de reliquis hæresim non manifeste sapientibus, ut sunt simplices superstitiones, incantationes, sortilegia, veneficia, auguria, &c. et blasphemiæ non hæreticales, de quibus omnibus constitutionibus synodalibus regnorum, et conquistarum Portugalliæ.

Probatur hæc intelligentia efficaciter ex decretis, et praxi omnium præcitatarum constitutionum, signanter Ægytanensium, l. 5. tit. 2. et 3. editarum anno 1621: ab illustrissimo D. D. Francisco de Castro illius diœcesis digniſſimo episcopo, et totius monarchiæ Lusitanæ generali inquisitore, qui regimen S. Officii per eosdem annos simul confecit, et edidit; qui expresse declarat in cit. constitutionib. l. 5. tit. 2. et 3. blasphemias non hæreticales, et simplices superstitiones supra expressas, et ibidem relatas ab ordinario judicio puniendas; et solum inquisitoribus remittendas, quando hæresim contineant, aut eam manifeste sapiant. Non autem verosimiliter credendum est, tam vigilantem, solertem, et accuratum inquisitorem generalem in suis constitutionibus illam determinationem evulgandam permissurum, si privilegium illud Pianum, etiam ad simplices superstitiones, et blasphemias non hæreticales, extenderetur.

L. Confirmatur hæc intelligentia, 1. Ex c. *Accusatus*, de hæret. in 6. § *Sane*, ibi: *Pestis inquisitores hæreticæ, à Sede Apostolica deputati, de divinationibus, aut sortilegiis (nisi hæresim sapiant manifeste) intromittere se non debent, nec punire talia exercentes, sed eos relinquere suis judicibus puniendos.*

Confirmatur, 2. Ex dispositione cæterarum constitutionum diœcesanarum regnorum Portugalliæ, signanter Portucalensium, l. 5. tit. 3. const. 1, 2. et 3. Algarbiensium, lib. 5. c. 2. et 3. Eborensium, lib. 5. Bracharensium, tit. 48. c. 2. n. 9. et tit. 49. c. 2. n. 5. et aliarum.

Confirmatur, 3. Ex praxi, et possessione inalterata, nec controversa, omnium ordinariorum regni; qui etiam post talis bullæ Pianæ expeditionem hactenus in usu semper fuerunt, et actu sunt, præfatos simplices veneficos, superstitiosos, sortilegos, incantatores, et blasphemos, judicandi, ac puniendi.

Aliter tamen, et in vero quidem sensu, responderi potest, privilegium illud Pianum non esse, ut inquisitores generales Portugalliæ absolute, et pro libitu, possint causas illas avocare, sed ex causa rationabili, et in aliquo particulari casu, ex verbis ipsius privilegii, et DD. illud referentium. Et ipse Sous. aphor. l. 1. c. 34. cum illius relatione, n. 48. sic tradit, immediate antea, n. 47. etiam pro crimine solicitationis: *Episcopi sunt etiam judices suorum subditorum solicitantium pœnitentes ad actus inhonestos in sacramentali confessione:* ut etiam dixerat, c. 1. n. 8. de solicit. et in addit. n. 18. et 19. ibidem.

Similiter, c. 2. l. 1. n. 11. ubi dicit, episcopos debere remittere inquisitoribus *omnes causas hæresis*; et n. 12. privilegium commemorat; n. tamen 3. cap. 3. immediate sequenti, sic statuit: *Episcopi in crimine hæresis, respectu suorum subditorum, ordinarii judices sunt: quoad exemptos vero, delegati.* In procedendo autem servare debent modum, quem servant inquisitores. Farinac. de hæres. q. 186. § 1. Molin. d. cit. n. 2. et 3.

Unde colligitur, quatenus dicit *omnes causas hæresis* remittendas esse inquisitoribus ab episcopis, loqui de causis manifeste hæresim continentibus, vel sapientibus; quatenus vero dicit, *Episcopos in crimine hæresis esse judices ordinarios suorum subditorum, et procedere adversus illos ordinaria sua jurisdictione*, loqui de criminibus hæresim manifeste non sapientibus, qualia sunt simplices superstitiones, et blasphemiæ non hæreticales. Et est expressa sententia DD. signanter Pignat. cons. nov. 139. *Ordinarii puniunt simplices superstitiones, et procedunt contra blasphemos non hæreticales.*

Idem tenet Caren. p. 2. tit. 7. § 3. n. 14. *Secundo, quoad blasphemias non hæreticales, illæ non spectant ad forum inquisitorum, sed sunt mixti fori, et datur locus præventioni inter judicem ecclesiasticum, et sæcularem, text. est in cap. 2. de Maled. quem ad hoc eleganter notat Socin. cons.* 119. *l.* 4. *ita communiter concludunt omnes supra allegati. Salcedo, vers.* Est quidem ex nostro, *Leon. n.* 29. *Barbos. n.* 93. *et alii, locis supra allegatis.*

Notant tamen communiter DD. quod si judex ecclesiasticus laicum prævenerit, pœnamque levem reo imposuerit, poterit judex sæcularis reum eundem condemnare usque ad condignam pœnam, Bald. in auct. Clericos, *col. 2. cod. de episcop. et cleric. latissime Salcedo loco proxime allegato, et Barb. n.* 95. *qui alios DD. allegat.*

Verum recte ex Salcedo, ubi supra, notat Barbos. hoc pœne supplementum à laico non fieri; quia ad ecclesiasticum, uti digniorem, spectat declaratio, an pœna sit condigna, necne; et semper declarabit, esse condignam, et hæc de jure communi.

Nam Romæ adest const. quædam Julii III. *quæ incipit,* In multis, *in qua delegat cognitionem omnium blasphemiarum in Deum, B. M. V. et Sanctos, ad inquisitores generales urbis, prout latius ex ipsa constitutione apparet, quæ est in bullario in ordine* 45. *fol.* 545.

LI. Notand. 9. Quamvis aliqui DD. asserant, posse confessarium compellere pœnitentem in aliquo casu, diversimode circa hanc obligationem ratiocinari, ut notat Leand. to. 1. tr. 5. d. 5. q. 65. *An aliquando possit confessarius obligare pœnitentem ad declarandum complicem? Affirmant aliqui id posse, imo debere ad hoc pœnitentem obligare; et, si renuat, negare absolutionem . . . alii autem simpliciter id absolute negant.* Ipse autem sic resolvit: *Sed clarius, et probabilius, respondeo, quod, licet raro contingere possit, ut confessarius obligare queat pœnitentem ad declarandum sibi complicem; cum ea, quæ confessarius potest cum tali notitia facere, possit ipse pœnitens immediate per seipsum, aut per alium virum prudentem, nihilominus tamen non repugnat dari casum, in quo confessarius possit obligare pœnitentem ad declarandum sibi nomen complicis.*

P. autem Marin. to. 3. theolog. tr. 22. d. 4. sess. 4. non tam obligationem imponere, quam declarare obligationem id appellat, inquiens, n. 87. *Potest dari casus, in quo confessarius non tam obliget, quam declaret pœnitenti, quod habet obligationem manifestandi complicem; et, si nolit, tunc debet negare absolutionem; quia non est dispositus.*

Similiter Card. Lugo de pœnit. d. 10. s. 8. n. 432. *Dicendum,* 5. *Non tamen repugnare dari casum, in quo possit confessarius pœnitentem obligare ad manifestandum sibi complicis nomen, non quidem quasi confessarius eam obligationem imponat, sed quia revera pœnitens*

eam habeat; et confeſſarius, qui ex ejus confeſſione hoc agnovit, admonet illum de ſua obligatione; cui ſi non velit ſatisfacere, jam merito ei abſolutionem negat; quia non invenit diſpoſitum.

Soarius autem Luſit. de pœnit. tr. 3. d. 13. ſ. 18. n. 161. ſic ait: *Dantur plures caſus, in quibus pœnitens tenetur ex charitate complicem declarare, vel propter bonum commune, vel propter bonum alicujus, cui imminet ruina, vel propter correctionem ipſius complicis, quem pœnitens cum ſpe fructus aliter corrigere nequit, niſi per confeſſarium: ergo in his caſibus poteſt confeſſarius monere pœnitentem ſuæ obligationis; cui ſi nolit ſatisfacere, erit indiſpoſitus, ac proinde incapax abſolutionis.*

Et Caſtr. Pal. to. 4. tr. 23. d. un. pu. 19. *Ex licentia pœnitentis licitum eſſe complicem corrigere, ejuſque ſpirituale bonum procurare, quando alia via obtineri non poteſt . . . nam quod corrigendus negare poſſit delictum, non obeſt: alias nunquam liceret ex ſola relatione ſocii criminis complicem corrigere, contra Aug. c.* Si peccaverit, 2. *q.* 1. *Neque enim verum eſt, non poſſe ad denuntiationem procedi, ſi licentiam tribuat; poteſt utique ad denuntiationem paternam.* Vide etiam Torreſil. in ſum. tr. 1. d. 2. c. 4. n. 247. et Fr. Ant. à Sp. S. to. 1. de pœnit. tr. 5. d. 8. ſ. 2. § 27. Soar. Granat. in 3. p. D. Thom. d. 34. ſ. 4. n. 18. et alios.

Unus tandem præ cunctis ſit D. Antonin. to. 3. ſum. tit. 14. c. 19. § 11. *Confeſſor non debet interrogare ſpecificationem perſonæ, cum qua pœnitens peccat, niſi in quantum eſt circumſtantia neceſſaria dici; ſed ſi interroget, non ex curioſitate, ſed ex charitate, ut provideat, non credo, quod male faciat; non tamen debet cogere, vel moleſtare illum ad dicendum, ſi nonvult.*

LII. His utrinque verſantibus, et recurſu ad Sanctitatem ſuam adhuc, ut ſuperius inſinuatum eſt, pendente, ante finalem, vel aliam præmiſſis ſubſequentem Supremi Paſtoris reſolutionem, publicato præfato edicto in metropolitana Eborenſi, prima Dominica Quadrageſimæ hujus anni 1746. et in hac Pharenſi civitate Dominica quarta ejuſdem, quæ incidit die 20. Martii, cum non jam ad doctrinam novus ſuperadditus articulus ſeſe reſtringebat, ſed ad factum ipſum abſolute ſpatiabatur, illud veluti caſum S. Officio privative pertinentem per legem perpetuam ante ſupplicatam deciſionem attentate ſtabiliebat: excellentiſſimus archiepiſcopus Eborenſis metropolitanus *D. Fr. Michael de Tavora*, ordinis Eremitarum D. P. Auguſtini, ſeſe fortiter huic notorio attentato oppoſuit per quandam doctiſſimam paſtoralem chartam, typis mandatam, quæ Dominica Palmarum in eccleſiis Eborenſibus, etiam regularium, publicata eſt; quam alia mea, ipſius ſuaſione, Dominica in Albis in tota hac mea diœceſi edita, notorio jure marginaliter notato, fundata, æmulatus ſum.

Et ſi primæ chartæ notitiam uterque dominus cardinalis adeo ægre tulit, ut concito omnium S. Officii miniſtrorum conſilio ſtatuerent ad Romanam curiam mittere illuſtriſſimum D. inquiſitorem Nonium Sylvium Telleſium, ex marchionibus Alegretenſibus orundum; merito verebar, ne multo ægrius ſuſtinerent ſecundam paſtoralem chartam, etſi prima moderatiorem, et cum omni debito decore, ac reverentia S. Inquiſitionis tribunalis, ob evidentes tum juris, tum DD. ad marginem notatas, atque aliqualiter extenſas auctoritates (licet eventus contrarius extiterit, de quo infra).

LIII. Nam in illis meis paſtoralibus literis, quamvis dicerem, connaturale quidem eſſe naturæ humanæ individuis, fimbrias propriæ cujuſvis juriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ ampliare, ac dilatare; in miniſtris tamen eccleſiaſticis conatus iſte potius zelo, vel pietatis ſpeciei, quam motivo alicui inordinato tribuendus erat, etiam in iis, quibus proprias metas excedere viderentur, ut cavetur Clem. *Multorum*, de hæret. præſertim miniſtri illi, qui ut inquiſitores apoſtolici *coadjutores ſunt ordinariorum, et cumulative cum illis procedunt*, Pignat. conſ. nov. 136. § *Nam reſpondeo*, Petr. to. 3. in c. 16. Innoc. IV. n. 2. et eandem ordinariorum retinent juriſdictionem, quamvis ad caſus hæreticæ pravitatis reſtrictam, Caren. p. 1. tit. 4. Villaroel. p. 1. q. 5. quæ quidem juriſdictio, quamvis *delegata*, Souſ. aphoriſm. l. 1. c. 4. n. 1. Pegn. 3. p. ad q. 45. n. 114. in aliquibus ordinariam æmulatur, *quoad utilitates juriſdictionis delegatæ*, et quaſi ordinaria reputatur, tum eo quod ſit *ad univerſalitatem cauſarum*, tum ob alias rationes à DD. inſinuatas, Pignat. cit. cum Molin. de juſt. et jur. tr. 29. qui etiam docent epiſcopos, et ordinarios locorum eſſe quidem ex officio ſuo *inquiſitores natos*, Petr. cit. to. 3. Pignatell. conſ. nov. 139. et judices fidei delegatos teneri ſimul advocati munere fungi, et magno prius examine, magnaque prudentia, tum in cauſarum cognitione, tum in juriſdictionis competentia, procedere: cum autem primum eminentiſſimi domini cardinalis inquiſitoris generalis edictum ſuper extorſione revelationis complicum per aliquos confeſſarios id juſte vetaverat, ac damnaverat vi ſuæ juriſdictionis delegatæ; ex c. *Ad abolendum*, de hæretic. Trid. reg. 4. et 10. de libr. prohibit. Pegn. ad Eymeric. 2. p. q. 27. § *Ad hæc:* quod etiam quilibet ordinarius ſingillatim in ſuis diœceſibus, virtute ſuæ ordinariæ juriſdictionis, damnare poterat, ex cit. c. *Ad abolend.* c. *Excommunicam.* de hæretic. Trid. cit. et ſeſſ. 5. de reform. c. 2. Pignat. conſ. nov. 36. et 38. et 39. Farinac. q. 197. Genuenſ. in prax. c. 18. Caren. p. 2. tit. 9. § 1.

Qua de cauſa Sanctitas ſua per bullam *Suprema*, 7. Jul. 1745. expedita, ordinariis regnorum Portugalliæ, et Algarbiorum directa, quin ſpecialiter confirmaret S. Officii edictum præfatum, ut ei ſupplicatum fuiſſe affirmabatur, totum hoc negotium ipſorum ordinariorum vigilantiæ commiſit; inquiens, *Ea propter, venerabiles fratres, quanquam de paſtorali veſtra vigilantia nihil eſt, quod dubitemus, ſupremi tamen officii quoque noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis noſtræ aperta ſignificatione, et Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris, intrinſecus acuere, et excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcunque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, et efficacioribus quibuſcunque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes miniſtros, adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pœne naſcentem opprimatis*, &c. eo quod ipſorum ordinariæ juriſdictioni hæc materia competens foret, tum ratione præfatæ opinionis (ſi qua dabatur) erroneæ, et nocivæ, tum infractione ſacramentalis ſigilli, quæ *directe* ordinariæ juriſdictioni pertinet, imo et privative ſumpta ſimpliciter, Monacell. infra cit. ex c. *Omnis utriuſque ſex.* de pœnit. c. *Sacerdos*, de pœnit. in 6. Innoc. in c. *Cum dilectus*, de temp. ordin. c. *At ſi clerici*, eod. ubi Abb. Fagn. Barb. Roncagl. p. 2. tr. 9. q. 6. Salmant. tom. 5. ſicut *indirecte* juriſdictioni delegatæ inquiſitorum, *quando crimen revelationis ſigilli eſt conjunctum cum alio concernente ipſam confeſſionem, et ad S. Officium directe ſpectante*, Pignatell. conſ. nov. 202. § *Ordinarii*, Monacel. p. 3. tit. 2. form. 1. n. 1. ubi dicit, *Cognitionem criminis fractionis ſigilli, ad epiſcopum privative pertinere; nec tribunal S. Officii in hoc ſe ingerere, niſi in caſu, quo confeſſarius crederet licitam eſſe revelationem ſecreti ſacramenti, vel aliunde eſſet de hæreſi ſuſpectus.*

Super cujus bullæ executione, nobiſcum pluribus regni Portugalliæ prælatis ordinariis recurrentibus, ſimulque ſuppliciter demonſtrantibus jam minus veritatem informationum, praxim illius aſſertæ opinionis atteſtantium, ſaltem in pluribus horum regnorum diœceſibus, et graviſſima inconvenientia, ac difficultates oriundas ex violenta duritie jubendi ſub excommunicationis majoris pœna in tribunali S. Officii denuntiare confeſſarios complicis revelationem extorquentes, vel *quamlibet circumſtantiam impropriam interrogantes*, ſic *vehementer emungendo, ſanguinem* pro lacte *elicientes*, Prov. xxx. 33. Quibus Sanctitas ſua benigne reſpondere ſingularibus literis ſuis encyclicis (narrabatur ſubſtantia reſcriptorum, prout ſupra, et promulgatio intempeſtiva novi edicti, recurſu ipſo pendente, et difficultates in illis practica executione jam experiri cœptæ): quam quidem praxim inefficacem reddebat tum obligatio confeſſarii ſeipſum tradendi, tum etiam pœnitentis complicem cum gravi propriæ famæ jacturæ periculo, excepto in formalis hæreſis crimine, Viv. in prop. 5. Alex. VII. § 1. ex c. iii. Deuter. ver. 6. Pignat. conſ. 143. (eſto Abul. Alenſ. et Lug. in

c. *Per*

c. *Per vestras*, de donat. int. vir. et uxor. Simanch. Rojas, et Valer. de hæretico dogmatizante dumtaxat id etiam intelligant); quare, etiam dato, quod casus iste ad S. Officium non privative, ut expresse tenet Monacell. cit. sed cumulative pertineret, et certum quidem foret, quod *per institutionem inquisitorum non fuit episcopis ablata jurisdictio*, Caren. p. 1. tit. 4. § 1. Sous. aphorism. l. 1. c. 3. n. 3. et c. 34. n. 47. necnon Pignatell. cons. nov. 139. et alibi, nedum quoad superstitiones simplices, et blasphemias non hæreticales, quas episcopi soli, et seorsim ab inquisitoribus, punire possunt, ex c. *Accusatus*, § *Sane*, de hæretic. Caren. p. 2. tit. 7. § 3. n. 14. Pignat. cons. nov. 139. adhuc pro parte meæ ordinariæ jurisdictionis pro eodem casu, simpliciter accepto, providere competenter poteram, ut per præsentem pastoralem, vestigiis excellentissimi mei metropolitani inhærens, providebam pro indemnitate ordinariæ meæ jurisdictionis, et pro illius possessione protestans, ad cujus defensionem in conscientia graviter eram constrictus ex juramento in ordin. consecrat. episc. Petr. 2. tom. in c. 2. Innoc. III. n. 36. necnon pro reputato attentato in novo Inquisitionis edicto perpetuo, recursu ad Summum Pontificem pendente commisso; atque in executionem præfatæ bullæ *Suprema*, declarabam, non esse intentionis meæ subditum ullum meum ad denuntiandum casum illum cogere, dum Sanctitas sua super illo ultimam resolutionem non dabat, et nunquam ullo tempore arctare ad denuntiandum ipsummet proprium pœnitentem, cui à confessario facta est complicis extorsio, et absolutionis denegatio cum gravi periculo propriæ famæ jacturæ, cum curam habere de bono nomine ab Spiritu Sancto edoceamur, Eccli. xli. 11. &c. Hæc erat in substantia pastoralis illius formalitas.

LIV. Porro, quod, pendente recursu utrinque ad Sanctissimum in hac novi S. Officii edicti publicatione, quædam manifesta species attentati irrepserit, ostendebatur, 1. Ex ipsa attentati definitione ap. Lancelot. de attentat. 1. p. in præfat. n. 20. *Attentatum, seu innovatum est omnis actus sine rationabili causa, lite, appellatione, aut his æquipollentibus pendentibus à judice, seu à parte, aut ab habentibus causam ab eis in contemptum jurisdictionis, et præjudicium partis factus, officio ejus, cujus fuit læsa majestas, imprimis, et ante omnia revocandus.* Et p. 2. de attent. appellat. pend. c. 12. ampl. 16. n. 1. id ita ampliat, *ut regula, quæ habet, quod nihil debet innovari appellatione pendente, procedat non solum in appellatione vera, et actualiter interposita, verum etiam in appellatione tacita, et præsumpta, prout est illa, quæ resultat ex arreptione itineris, seu missione nuntii ad Papam, de qua in c.* Meminimus, *et in c.* Dilecti, 2. *de appellat.* &c.

2. Ex doctrina Cabed. supposito recursu, et intendentia, ac cognitione Summi Pontificis, quæ constat ex rescriptis superius extensis: in his enim terminis ait Cabed. 2. p. dec. 8. n. 4. *Et rex cognoscens simpliciter, videtur avocare causam . . . . quando autem Papa, aut rex, avocat ad se causam aliquam, amplius de ea inferior cognoscere non potest.*

3. Ex decisione Rottæ apud Gonsal. ad regul. cancellar. dec. 128. n. 4. *Propter hujusmodi appositionem manus Summi Pontificis, inducta fuit affectio*; et ad regul. 8. gl. 52. n. 7. *Postquam Papa ad se revocat aliquod negotium, ligantur manus inferiorum, ut nihil valide in eadem causa per illos fieri possit.* Imo Salgad. de supplicat. ad Sanctissimum, 2. p. c. 22. n. 4. sic asserit: *Nec enim refert, an avocatio hujusmodi, facta per principem, sit expresse facta, necne: nam, quamvis tacita fuerit avocatio, non secus ordinarii manus virtute illius avocationis ligantur, ac si expresse facta fuisset; itaque tunc demum dicitur avocationem tacite fieri, si Papa manus apponat in aliquo negotio, vel causa.*

LV. Quod autem prælati ordinarii in conscientia tenerentur *pro posse* pugnare pro indemnitate suæ jurisdictionis, et eam defendere, et Summum Pontificem de hoc informare, probatur, 1. Ex c. 1. d. 22. *Unde non dubium est, quia quisquis cuilibet ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit.* Ubi gl. verb. *Injustitiam*; *Nec Papa debet uni ecclesiæ detrahere, et dare alteri*; ut c. *Ecce*, et c. *Nullus*, 99. dist. et can. 8. caus. 7. q. 1. *Quam periculosum sit in divinis rebus, ut quis cedat juri suo, et potestati, Scriptura sacra declarat, cum Esau primatus suos inde perdidit, nec recipere postmodum potuit, quod semel cessit.*

2. Ex juramento in ordin. consecrat. ep. ubi jurans episcopus conservare, ac defendere *jura, honores, privilegia, et auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ* (cujus jurisdictio in capite *ordinaria* quidem est, et non delegata) addit: *Et si talia à quibuscunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quanto citius potero, significabo eidem domino nostro*, &c. Hanc autem Pontificiam jurisdictionem exercent episcopi, qui successores sunt apostolorum in ordinaria auctoritate episcopali, de quo vide Petr. to. 2. in c. 3. Innoc. III. n. 38.

3. Ex epistola 65. episcopi Carnot. ad episcopum Lugdunensem, legatum à latere Sedis Ap. ubi ex D. Cypr. ap. Pax Jord. lib. 13. tit. 2. n. 32. sic scribit: *De tantillo jure, quod habet ecclesia nostra, nec volumus, nec debemus cedere, cum B. Cyprianus dicat, quam periculosum sit in divinis rebus, ut quis cedat juri suo, et potestati, Scriptura sacra declarat, Gen.* xxv. &c.

Ratio autem est, ait Pax Jord. cit. l. 3. tit. 12. n. 32. *Quia episcopi non sunt domini absoluti suæ jurisdictionis, et juris suarum ecclesiarum, sed administratores, custodes, et conservatores, de quo præstant juramentum in adeptione prælaturæ*, &c. Et facit D. Ambrosii auctoritas, ep. 33. ad Marcellinam sororem, relat. in c. *Convenior*, 23. q. 8. *Quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subjecta . . . . Pro altaribus gratis immolabor . . . . Quod sacerdotis est, faciam; quod imperatoris est, faciat imperator.* Ubi gl. verb. *Pro altaribus*, *Videtur, quod prælatus mortem debeat subire, non solum, ubi fides, vel salus ecclesiæ impugnatur; sed etiam ubi res, vel claves ecclesiæ auferuntur.* Ex quo infert cit. Pax Jord. l. 10. tit. 13. n. 137. *Quodsi pro aliis rebus, quanto magis pro jurisdictione, cum sit altioris ordinis, et nullo pretio comparari queat?*

Missam facio cujusdam scioli futilem garrulitatem, qua sugillare contendebat, quod in præjacta mea pastorali sacramentum pœnitentiæ *essentialiter secretum* appellaretur, prætextu quod poterat dari essentia sacramenti pœnitentiæ cum publicitate, ut in pœnitente publice peccata sua libere confitente. Sed contra, 1. Quia Christus Dominus hoc sacramentum per modum tribunalis instituit, ex Trid. sed non tribunalis publici: ergo secreti, in quo tantum daretur unus judex, et unus reus, qui simul est testis. 2. Quia illud instituit, non pro foro fori, sed pro foro poli, sive animæ, et conscientiæ. 3. Ex doctrina Scotistarum asserentium, neque de licentia pœnitentis posse confessorem peccatum illius revelare; eo quod sacramentum pœnitentiæ *essentialiter secretum*, et sigillum utrinque postulare. Et hinc ad contrariam rationem facile respondebatur, illam accidentalem publicationem nil officere essentiali postulantiæ secreti sacramentalis; sicut accidentalis calefactio aquæ nil officit essentiali postulantiæ frigiditatis.

LVI. Ast quamvis hæc, et præmissa, in præfata mea charta pastorali palam protenderentur, attamen S. Officii Ulixbonense tribunal eam adeo benigne recepit, ut ipsemet destinatus inquisitor Nonius Sylvius Tellesius aperte testificaretur, quod si pastoralis charta Eborensis eadem formalitate, et moderatione, ac Pharensis, edita foret, nequaquam Romam personaliter adire cogeretur. Mea namque pastoralis neque jurisdictionem super ea re, in suis terminis, S. Officii tribunali denegabat; neque asseverabat, præsens procedimentum ea intentione, ut alienam jurisdictionem usurparent, intentatum fuisse; neque disponebat ultra id, quod in casu *simpliciter sumpto*, meæ ordinariæ jurisdictioni pertinere poterat; imo prohibitionem, ac damnationem S. Officii opinionis illius reprobatæ, *justam* quidem proclamabat.

LVII. Justitiam autem quoad substantiam pastoralis excellentissimi metropolitani pro sua jurisdictionis competentia, et pro indemnitate pœnitentium, ne seipsos proderent in violentæ denuntiationis præcepto, et pro attentato S. Officii quoad eam edicto, adeo prælati ipsi regulares clare agnoverunt, ut aliqui, etiam mandato Eborensium inquisitorum notificati, ne excellentissimi Eborensis metropolitani pastoralem chartam

chartam in ipſorum regularium eccleſiis publicarent, minime paruerint; et, ſpreta inquiſitorum notificatione, diœceſani paſtoralem, juxta ipſius monitum, et merito quidem, ediderunt.

LVIII. Nam notoria eſt S. Concil. Trid. ſanctio, et juſſio regularibus ipſis directa, ſeſſ. 25. c. 12. de regular. *Cenſuræ, et interdicta nedum à Sede Ap. emanata, ſed etiam ab ordinariis promulgata, mandante epiſcopo, à regularibus in eorum eccleſiis publicentur, atque ſerventur.* Et notorium eſt etiam, Summum Pontificem eſſe ſuperiorem omnibus tribunalibus, et ipſimet ſupremæ inquiſitionis Romanæ: atque adeo in concurſu duplicis contrarii præcepti, certum eſt, quemlibet teneri potius obedire ſuperiori præcellenti, quam minus præcellenti; nam illa dignitas debet præferri in obedientia, quæ præcedit in excellentia, ex c. *Cum parat.* de appellat. Quare communis, et probabilior DD. reſolutio eſt, quod epiſcopus vocatus ſimul à rege, vel imperatore, et à metropolitano, vel à Summo Pontifice, per ſe tenetur potius his obedire præ illis; ex præcellentia dignitatis epiſcopalis dignitati regiæ, vel imperatoriæ, ex c. *Solitæ*, de major. et obed. ut reſolvunt Pignatell. to. 6. c. 13. ex n. 31. Solorſ. de jur. Indiar. l. 3. c. 6. n. 58. Cirin. nex. c. 1. à n. 62. Oliv. et alii laudati, c. 40. n. 4. ubi etiam diximus poſſe per accidens teneri obedire potius regi, quam Summo Pontifici.

LIX. Ex eadem attacta ratione conſequenter tenendum eſt, inquiſitores Eborenſes impedientes metropolitano ſuo publicationem illius juſtæ paſtoralis editæ pro ſuæ ordinariæ juriſdictionis præſervatione, ac indemnitate, cenſuram bullæ Cœnæ canon. 16. fulminatam incurrere videri. 1. Quia hæc cenſura eſt ipſiuſmet Summi Pontificis, ſupremi ſuperioris omnium tribunalium, et omnium judicum, atque dignitatum eccleſiaſticorum, ipſorumque S. R. E. cardinalium generalium inquiſitorum univerſalium, quibus inquiſitores alii particulares ſubalterni, imo et generales totius orbis ſubduntur.

2. Quia in can. illo 16. particula univerſalis *qui*, omnes judices, omneſque dignitates, Summo Pontifici inferiores comprehendit, ut docet Vogolin. et Alter. de cenſ. bull. Cœn. et cum eis Pignat. to. 6. c. 18. n. 5. ibi: *Per particulam autem illam* qui, *utpote de ſe generalem, et neminem excludentem, comprehenduntur non ſolum quicunque pollentes auctoritate laica, ſive laici ſint, ſive eccleſiaſtici, cum ii præſertim ſint, qui ſolent impedire eccleſiaſticam juriſdictionem, et per eos, ratione auctoritatis, maxime læditur eccleſiæ exemptio, ſed etiam eccleſiaſticos judices, tam ordinarios, quam delegatos, quoties ſubjecta materia non obnititur, ſi indebite, ſeu de facto, alios judices eccleſiaſticos ordinarios impediant. Secus eſt, ſi de jure, et via præventionis, aut per recurſum ad ſuperiores, aut ſi habeant, vel ſaltem probabiliter arbitrentur ſe habere, in illis cauſis juriſdictionem.*

Quin ſuffragetur doctrina Souf. aphoriſm. inquiſit. c. 28. n. 9. et Card. Petr. in c. 10. Alex. IV. n. 12. to. 3. *Quod tamen eſt intelligendum, ſi magiſtratus ſæculares hæc faciant in odium S. Officii, et animo impediendi inquiſitorum juriſdictionem: ſecus, ſi intuitu defendendi propriam juriſdictionem; veluti ſi notorium eſſet, inquiſitorem ſine juriſdictione procedere; quo caſu ipſos non incurrere pœnas cit. bullæ Pianæ, firmat Cardin. Albitius de inconſtant. in fide, c. 28. n. 10. et de aliis ad hanc bullam Pii* V. *pertinentibus.*

Reſp. enim, 1. Hanc bullam Pianam eſſe illam *Si de protegendis*, à S. Pio V. promulgatam reſtricte adverſus civitates, et dominos ſæculares, ut ex verb. ibid. ap. Eymeric. *Ut quicunque ſive privatus, ſive cuncta civitas, ſive populus, ſive dominus, comes, marchio, dux, &c. qui malis artibus prædictum officium ſubvertere, miniſtroſque functionibus diſturbare moliuntur*, &c. Canonem autem illum 16. bull. Cœnæ, eſſe generalem adverſus omnes Summo Pontifici inferiores, qui *ordinarios, quomodolibet hac de cauſa directe, vel indirecte, aut alias* (eſto non animo expreſſo, ac de propoſito) *impediunt.*

Reſp. 2. Quod ſicut excellentiſſimus metropolitanus nullo modo, etiam indirecte, impedivit tribunali S. Officii proprii edicti publicationem; ita tribunal non debebat ullo modo impedire chartæ paſtoralis metropoliticæ promulgationem; et ſemel quod hoc attentaverit, cenſuram juris non evaſerit.

Reſp. 3. Quod tribunal S. Officii, ex eo, quod caſum illum per legem perpetuam ſui edicti ſibi privative attinentem conſtituerit, jam cumulativam juriſdictionem ordinariam hac de cauſa, et ex animo, declinavit, ac impedivit, illum juriſdictioni delegatæ inquiſitorum unice, et privative ſubjiciens, cum offenſione ſaltem indirecta ordinariæ juriſdictionis. Et denuo impediens, quod ordinarius et competentiam ſaltem cumulativam ſuæ juriſdictionis, et proteſtationem pro illa, ad quam jus habebat, imo et diſpoſitionem competentem aduſque Sanctitatis ſuæ deciſionem, proculdubio, ſaltem indirecte, aut aliquo modo, ordinariæ juriſdictionis exercitium impediebat.

4. Quia, ſuppoſita affectione cauſæ iſtius Summo Pontifici, apud quem per recurſum utrinque pendebat; certum erat injuſtum attentatum ex parte tribunalis S. Officii; et juſta, ac neceſſaria erat defenſio, vel proteſtatio ſaltem, contra illud, ex parte juriſdictionis ordinariæ; proinde contrarium impedimentum, etiam indirectum, aut alias quomodolibet, cenſuræ illi, et aliis à jure, obnoxium ſuccumbebat.

5. Quia per bullam cit. *Suprema*, jam S. ſua hoc negotium vigilantiæ ordinariorum, utpote eorum juriſdictioni competens, commiſerat; et eminentiſſimus dominus card. patriarcha ſuper illo, ut ſuæ ordinariæ juriſdictioni competente, per proprium et ſpeciale edictum ſuum convenientem etiam providentiam dederat; cui quidem competentiæ directe opponebatur edictum præſens S. Officii illud ſibi privative reſervans.

6. Quia cum hoc negotium affectum erat Summo Pontifici, et ab illius deciſione pendebat, ſi hæc foret, ſaltem cumulative, favorabilis juriſdictioni ordinariæ, illi antecipate, et prævenienter adverſabatur edictum illud, præfatum caſum S. Officio privative præſervans.

LX. Confirmatur efficaciter, 1. A paritate can. 14. ubi excommunicantur, qui per ſe, vel per alios, auctoritate propria, ac de facto, prætextu gratiarum, aut privilegiorum, vel *etiam prætextu violentiæ prohibendæ, aut tollendæ*, et aliarum prætenſionum, cauſarum ſpiritualium cognitionem, curſum, vel executionem judicibus eccleſiaſticis quomodolibet impediunt, vel ad ſe avocant, licet ſint imperatores, reges, archiepiſcopi, &c. et tamen, ut hanc cenſuram effective incurrant, non prærequiritur, quod impediant in odium juriſdictionis ordinariæ; neque vitant actualem incurſionem, quod impediant prætextu propriæ ſecularis juriſdictionis tuendæ, vel conſervandæ, aut privilegiorum, vel aliarum prætenſionum, &c. ergo ſimiliter.

Confirmatur, 2. A paritate contractionis cenſuræ canon. 15. adverſus eos, *qui eorum prætenſo officio, vel quovis quæſito colore, quomodolibet, directe, vel indirecte, tacite, aut expreſſe, juriſdictioni, vel libertati eccleſiaſticæ præjudicant, lædunt, aut reſtringunt.*

LXI. Et tandem adeo certa eſt incurſio hujus cenſuræ ob illud impedimentum ab inquiſitoribus attentatum, ut per epiſtolam excellentiſſimi archipræſulis Eborenſis mihi conſtans fuerit, ipſos, re melius conſiderata, ſtatim revocâſſe notificationes illas prælatis regularibus celeriter intimari juſſas.

His autem vertentibus, Sanctitas ſua mihi per ſuum cardinalem ſecretarium, eminentiſſimum *Valenti*, reſcribere denuo dignatus eſt, ſuper atteſtationibus in præmiſſa epiſtola mea accuſatis, ea, quæ ſequitur, forma:

Rescriptum S. suæ.

Illuſtriſſime, et reverendiſſime Domine,

LXII. Accepit Pontifex Max. literas tuas ſub die 3. Februarii datas de iis, quæ pertinent ad gliſcentem corruptelam iſthic primo per edicta damnatam, poſtmodum vero per ſuam encyclicam epiſtolam, accedente Apoſtolicæ auctoritatis oraculo, reprobatam; proptereaque juſſit me, ejus nomine, dominationem tuam illuſtriſſimam certiorem facere ſibi nunquam fuiſſe in animo in ſuperius memorata epiſtola hunc potius, vel illum deſignare, quemadmodum etiam nullum

lum neque cœtum, neque societatem, neque diœcesim taxavisse, aut indigitâsse; quamobrem lætari summopere, nihil de ejusmodi corruptela in concredita tibi diœcesi ad aures tuas deveniſſe, atque confidere plurimum in pastorali tua diligentia, zelo, atque doctrina, ne unquam istum in locum obrepat; et, quatenus aliorum fraude id contingeret, radices isthic figere non possit. Respexit enim Summi Pontificis solicitudo ad commune florentissimi regni istius bonum, de cujus periculo, non levibus ex indiciis timebat; et hanc eandem ob causam libentissime animadversiones, ponderationesque tuas excepit, quippe quæ circa illud ipsum commune bonum, quod unice sibi propositum est, versabantur, earumque rationem habebit, si de hujusmodi re quidpiam in posterum consulendum, prospiciendumve fuerit. Interea vero cupit S. sua tibi certum, exploratumque esse, sermonem hic nunquam habitum de aliqua speciali persona, aut causa; et, ad communem utilitatis causam quod attinet, optat, hortaturque episcopos omnes, ut super ejus paterna catholici gregis cura, vigilantia, et charitate, conquiescant; quotiescunque enimnovis, remediis opus foret, ea diligenter exquiret, investigabitque quæ magis in Domino ad istius populi felicitatem opportuna censuerit. Confidit etiam, Lusitanos antistites divinæ charitatis nexu vinctos, consociatosque, symbolam omnes collaturos, ut communis pax, et tranquillitas diutius conservetur, et ii cohibeantur, qui eandem interturbare, aut disrumpere contenderint; quod, etsi ab omnibus censeat esse præstandum, præcipue tamen hoc sibi pollicetur ex perspecta dominationis tuæ illustrissimæ pietate, atque prudentia, cui, dum plurimum benedicit, ego omnia officia mea ex animo offero. Romæ, cal. April. 1746.

Ad officia paratissimus,

S. Card. VALENTI.

Dum tamen Summus Pontifex hac de re mature deliberare consulit, garrula scripta tum vulgari sermone, tum Latino, scioli quidam, prætextu quidem pietatis, ad populum commovendum adversus prælatos recurrentes generaliter, ac specialiter adversus pastoralem excellentissimi metropolitani, meamque oblatrantes, multipliciter sparserunt, erroribus, etiam in Latina syntaxi, in juris, moralisque theologiæ principiis scatentia, necnon propriis implicantiis, falsisque suppositionibus notorie referta; quibus tamen non officientibus, eminentissimi D. patriarchæ sumptibus, prælo data, cum prudentium nota, et offensa, et maxima prælatorum injuria per manus tradi, cursitarique cœperunt, nimium prælatorum ordinariorum, quam garrientes effutiebant, ac vocitabant irreverentiam erga S. Officii tribunal, extollentes, cui quidem forsan majorem auctoritatem, reverentiam, ac infallibilitatem in resolutionibus suis, quam ipsi supremo capiti totius ecclesiæ, immerito affectabant; cum fide certum sit, D. Paulum *in faciem restitisse* D. Petro publice *coram omnibus*, idque epistolis suis (ad Galat. ii. 11. et 12.) absque ulla irreverentiæ, seu inobedientiæ umbra, evulgâsse.

Tandem die 2. Junii optatum terminum, finemque huic gravissimæ controversiæ, et garrulis linguis, fortiter, ac suaviter imposuit, sancta, ac justa constitutione sua sequenti, qua jus suum unicuique tribuit, consequenti tenore,

CONSTITUTIO *decisiva Sanctissimi D. nostri* BENEDICTI XIV.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Delatus alias in sacramento pœnitentiæ abusus.

LXIII. UBI primum, de perversa quadam, et absurda praxi in sacramento pœnitentiæ administrando apud nonnullos confessarios in Portugalliæ, et Algarbiorum regnis introduci cœpta, non sine animi nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; prætermittere non potuimus, quin continuo datis ad venerabiles fratres eorundem regnorum ac ditionum archiepiscopos, et episcopos, apostolicis nostris literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero literarum die septima mensis Julii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas præsenti huic nostræ constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

Literis sanctissimi domini, quæ hic inseruntur, reprobatus fuerat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam benedictionem.

SUprema omnium ecclesiarum solicitudo, et divina Jesu Christi omnium pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, caritas assidue urget nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani orbis populos et nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipue regnis, et locis, peculiari quodam Apostolicæ nostræ caritatis studio, auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum fides, religio, pietas quammaxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens; qua ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, et Algarbiorum regnis, et ditionibus, quibus vos antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, et quibus pro singulari erga catholicam ecclesiam, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia meritæ debentur laudes, nuper eveniſſe non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios falsa zeli imagine seduci se passos; *sed à zelo secundum scientiam longe aberrantes; perversam quandam, et pernicioſam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo pœnitentiæ sacramento administrando, invehere atque introducere cœpisse; ut, videlicet, si forte in pœnitentes incidissent socium criminis habentes; ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen* passim exquirerent; *atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; imo etiam complicis ejusdem nedum nomen; sed habitationis insuper locum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas et erroneas sequendo, vel veras et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam pœnitentium animabus conscisceret; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: nec fieri potuit quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia nos hæc nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos filios nostros S. R. E. cardinales Nunum à Cunha in iisdem Portugalliæ, et Algarbiorum regnis generalem inquisitorem, et Thomam de Almeyda patriarcham Lisbonensem; atque utrumque solicite gliscenti malo compescendo, atque etiam eradicando adlaborâsse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud vos obscuram, et ambiguam esse sinamus; notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandemque à nobis per præsentes nostras in forma brevis literas reprobari, atque damnari,*

Relati abusus expositio.

Scandala inde exorta.

Item cardinalium inquisitoris et patriarchæ solicitudines.

Pontifex damnat relatam praxim.

damnari, tanquam ſcandaloſam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam ſacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſanctı ſigilli ſacramentalis violationem, atque ab ejuſdem pœnitentiæ ſacramenti tantopere proficuo et neceſſario uſu fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quanquam de paſtorali veſtra vigilantia nihil eſt, quod dubitemus; ſupremi tamen officii quoque noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis noſtræ aperta ſignificatione, et Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris intentius acuere, et excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcunque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, et efficacioribus quibuſque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pene naſcentem opprimatis; neque patiamini traditis curæ veſtræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus à Chriſto poſita eſt, ab eoque divinæ miſericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore noſtro ad abluendas, dealbandaſque in ſanguine ſuo animas amantiſſime invitantur. Interea, dum à zelo veſtro, ac prudentia, luculentiora nobis certo pollicemur veſtræ pietatis, et obſervantiæ argumenta, Apoſtolicam benedictionem cum uberrima cœleſtium chariſmatum copia conjunctam vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, et adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die vii. *menſis Julii* MDCCXLV. *Pontificatus noſtri anno quinto.*

CAJETANUS AMATUS.

Epiſcoporum diligentiam contra eam excitat.

Has porro nos literas in formia brevis tunc datas iterum præſentibus noſtris confirmamus, et roboramus; eaſque ab omnibus, et ſingulis fideliter, exacteque obſervari injungimus, atque præcipimus.

Confirmatio earundem literarum.

Statuentes inſuper, ac decernentes, ut quicunque, cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, et ordinis, etiam ſpeciali et individua, ad effectum, ut hiſce noſtris præſentibus comprehendantur, mentione et expreſſione digni, auſus in poſterum fuerit docere licitam eſſe hujuſmodi praxim, prout ea in relato noſtro brevi exponitur ac reprobatur; vel ſcribere, aut loqui præſumpſerit in ejuſdem damnatæ praxis defenſionem; vel ea, quæ in dicto brevi contra eandem praxim decreta ſunt, impugnare, aut in alienos ſenſus temere detorquere, ſeu interpretari; incidat ipſo facto in excommunicationem, à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate ſuffulto, niſi à nobis, vel à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Et pœnæ in docentes oppoſitum, contradicentes, male interpretantes.

Et quia non modo cavendum eſt, ut, quæ ſunt à nobis in præinſertis literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione, ſalva ſint et immunia; verum etiam nequis in ſacramenti pœnitentiæ adminiſtratione ab eorum omnimoda obſervantia unquam recedat; idcirco omnibus et ſingulis confeſſariis utriuſque cleri tam ſæcularis, quam regularis, quantumvis exempti, et quacunque ſpeciali et expreſſa mentione alias fortaſſe nominandi, graviter et diſtricte, divini interminatione judicii, atque in virtute ſanctæ obedientiæ, prohibemus, ne, conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, ſeu crimen aliquod, cujus ſocium, aut ſocios habuerint, ipſis in tribunali pœnitentiæ confiteantur, interrogare præſumant de nomine ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, vel aliis hujuſmodi adjunctis, ſive circumſtantiis, expreſſiorem magiſque individuam ejuſque complicis manifeſtationem concernentibus; eidem pœnitenti, ſi manifeſtare renuerit, ſacramentalem abſolutionem denegando: alioquin noverint ſeſe, ultra peccati lethalis incurſum, ſuſpenſioni ab officio audiendarum confeſſionum, aliiſque etiam gravioribus pœnis fore ſubjiciendos.

Et in confeſſarios contrafacientes.

Præterea quoniam contra damnatum hujuſmodi exitialem abuſum, ne cum animarum pernicie radices agat, neceſſe ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, et ultrices adverſus reos pœnas imponendi, ſtatuere, atque ordinare; omneſque ſuper hoc exorituras, vel etiam jam exortas diſſenſiones componere, et penitus amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut ſupra, licitam eſſe praxim à nobis jam reprobatam, vel in ejuſdem praxis defenſionem ſcribentes, aut loquentes, vel ejuſdem reprobationem in memorato noſtro brevi contentam impugnantes, aut perverſe interpretantes, in Officio Sanctæ Inquiſitionis prædictorum regnorum atque ditionum ſevere puniantur, et contra eos, et eorum quemlibet, in eodem officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi ſolet, qui aſſerunt, tradunt, tuentur opiniones ſcandaloſas, perniciosas, et uti tales à Sede Apoſtolica rejectas, et condemnatas.

Tam docentes, contradicentes, male interpretantes;

Similiter in eodem officio procedendum erit, et procedi volumus ac ſtatuimus contra confeſſarios quoque, ut ſupra, delinquentes, ac de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, niſi illud ſibi manifeſtet, abſolutionem denegantes: dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantiis conjunctus ſit, ac conveſtitus, quæ ſic agentem confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant.

Quam confeſſarii contrafacientes cum ſuſpicione pravi dogmatis;

Itaque contra prædictos omnes et ſingulos delinquentes tam ſæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, et congregationum regulares, cujuſcunque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, et quorum ſpecialis et nominatim mentio facienda ſit, prædictorum regnorum ac ditionum inquiſitores, poteſtate à nobis tradita, et, quatenus opus ſit, præſentium tenore de novo conceſſa, prout in cauſis fidei, juxta ſacrorum canonum formam, necnon Sancti Officii Inquiſitionis, hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, et decreta, diligenter inquirant, et procedant; et quos in aliquo ex ejuſmodi exceſſibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumſtantiis, ſuſpenſionis ab officio confeſſiones audiendi, vel etiam ab executione ordinum, privationis beneficiorum, dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ ac paſſivæ, ſi regulares fuerint, aliaſque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

In officio Inquiſitionis judicandi & puniendi;

Quicunque vero alium quemlibet aliquo ex ſupradictis modis deliquiſſe cognoverint, eum, intra terminum dierum, in edictis Sancti Officii ejuſmodi Inquiſitionis præfigi ſolitum, eidem Sancto Officio denuntiare teneantur: alioquin pœnas non denuntiantibus per eadem edicta infligi conſuetas incurrant. Veruntamen ab hujuſmodi onere denuntiandi juſtis de cauſis eximi volumus et eximimus perſonam ipſam pœnitentem dumtaxat in cauſa propria, id eſt, in caſu, quod ſuum peccatum confitens, à confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eundem confeſſarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, et Sancto Officio denuntiandis modis deliquiſſe, tunc eum et ipſe denuntiare ex iſta aliunde habita notitia teneatur.

Et eidem à ſcientibus denuntiandi.

Quod ſi confeſſarii de complicis nomine perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur, denegantis, actum contingat ejuſmodi eſſe, ut, quamvis imprudens, et malus, *ſimplex tamen quidam*, et nudus actus fuerit, id eſt, iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim in ſæpe dicto noſtro brevi reprobatam, tanquam ad licitam, eundem confeſſarium ſuſpectum reddant; tunc iſtiuſmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni ſubjectum erit; ſed de illo cognoſcere, atque in delinquentem confeſſarium, per ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, vel alias canonicas, et legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum ordinarios in ſua cujuſque diœceſi omnino ſpectabit.

Confeſſarii vero contrafacientes abſque dicta ſuſpenſione, judicandi, et puniendi erunt ab ordinariis.

Ordo procedendi contra dictos delinquentes.

Hi

Hæc procedendi regula servanda decernitur.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique judici ecclesiastico juribus assignatis, et distributis; hanc nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclytæ Lusitanæ nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia et obedientia, necnon eximia tum istius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcunque aliter, quam præsentibus nostris decrevimus et constituimus, sive in edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis ordinariorum mandatis, aut pastoralibus literis, vel decretis, antehac statuta prodierint, ea nos, quoniam post Apostolicam hanc à nobis propositam agendi, seu judicandi normam, minus necessaria fore censemus, desinere jam, et cessare, ac, veluti nunquam emanâssent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declaramus, statuimus, atque sancimus.

Et aliter à quocunque antehac statuta abrogantur.

Clausulæ pro literarum validitate et executione.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentes nostras literas, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis existant, seu alias speciali et individua mentione et expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentes, easdemque præfatas in forma brevis literas, firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, et inviolabiliter observari.

Sicque, et non aliter, in præmissis censeri, atque ita per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, et contra hæreticam pravitatem generales inquisitores, legatos quoque de latere, et Apostolicæ Sedis nuntios, aliosve quoslibet, quacunque auctoritate, potestate, et præeminentia, fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his à quoquam scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in universalibus, sive provincialibus, aut synodalibus conciliis editis generalibus, sive specialibus constitutionibus, et ordinationibus, edictis quoque prædicti Inquisitionis Officii, et quorumcunque ordinariorum, etiam episcoporum, et metropolitanorum mandatis, literis pastoralibus, sive decretis, necnon ejusdem officii, et quarumcunque ecclesiarum, etiam episcopalium, et metropolitanarum, et quorumcunque ordinum, congregationum, religionum, et institutorum, etiam Societatis Jesu, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque inquisitoribus, commissariis, aliisque officialibus, tum etiam ecclesiis, eorumque prælatis, ordinibus, congregationibus, institutis, societatibus, illorumque superioribus, et personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscunque etiam efficacissimis, et insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam motu, et Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcunque personarum, etiam regia, aliave qualibet mundana, vel ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis.

Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter, et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque hujusmodi pro plene et exacte observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra ubique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Data Pontif. anno 6. die 2. Junii 1746.

Datum in arce Gandulphi Albanensis diœcesis, anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto nonas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Adnotanda opportuna clausulis bullæ præmissæ.

LXIV. Adnotanda, 1. Clausula in præinserta bulla *Suprema*, quam præsens constitutio *Ubi primum* roborat, ac confirmat, reperta; videlicet, *complicis nomen passim exquirerent:* evidenter insinuans, posse dari aliquem casum, seu aliquos casus, quamvis raros, in quibus licitum sit complicis nomen perquirere, imo et forsan extorquere, de quibus DD. superius cit. proindeque non damnare, seu reprobare complicis exquisitionem absolutam, sive in aliquo casu raro, aut licito, sed *passim*, et frequenter, atque indiscrete.

Adnotanda, 2. Distinctio dispositionis § *Præterea*, aliqualiter diversæ à dispositione § *Similiter* immediate sequentis. Nam in primo damnantur docentes, ac defendentes licitudinem praxis reprobatæ; et subjiciuntur absolute S. Officii denuntiationi, ac punitioni. In secundo vero subjiciuntur confessarii nomen complicis extorquentes, et absolutionem, ut supra, denegantes, non absolute, sed conditionaliter; videlicet, *dummodo actus circumstantiis pravæ credulitatis*, atque adhæsionis reprobatæ praxis, quasi licite vestiatur: proindeque in primo damnatur doctrina, et subjicitur tribunali Inquisitionis ob suspicionem pravæ credulitatis, et, prout sic, contra fidem: in secundo usus illius non *simpliciter*, sed vestitus circumstantiis ejusdem suspicionis; conformiter ad clausulam meæ chartæ pastoralis declarantem actum illum sumptum *simpliciter* jurisdictioni ordinariæ equidem pertinere.

Adnotandæ, 3. Clausulæ, § *Quodsi*, clarius, et expressius actum illum *simplicem*, et *nudum*, id est, destitutum circumstantiis illis *pravæ credulitatis*, et suspicionis, expresse, non denuntiationi, neque cognitioni, aut punitioni S. Officii, sed ordinariorum loci competenter subjicientes. Quibus ordinariis etiam istius transgressionis denuntiatio fieri debet, non obstante clausula illa, *neque denuntiationis oneri*, &c. hæc enim respicit denuntiationem in S. Officio faciendam; non vero excludit faciendam ordinariis, de quibus in distincta oratione sequenti, *Sed de illo cognoscere*, &c. distincte agit.

Adnotandæ, 4. Clausulæ, § *Quicunque*, ab onere denuntiandi justis de causis eximimus personam ipsam pœnitentem, *dumtaxat in causa propria*; videlicet, ut ibidem explicatur, in casu *complicis in eodem peccato.* Per quod clare dignoscitur, quod in casu complicis, non in eodem peccato, quod pœnitens confessario confi-

confitetur, ſed in alio, vel ex notitia non ex propria confeſſione habita, adſtringit onus talem confeſſarium denuntiandi, ut ſupra.

Adnotanda, 5. Ulterius clauſula illa ibidem, *Juſtis de cauſis eximimus*: per quam innui videtur non *per ſe* ſimpliciter, et ex jure naturæ, ſed *per accidens*, et ex juſtis intervenientibus motivis, hæc ab onere denuntiandi libertas inducitur; fortaſſis ad declinandam controverſiam, vel ſalvandam opinionem de propria, vel proprii complicis denuntiatione in caſibus hæreſis formalis, vel ſapientibus hæreſim manifeſte, et caſibus hæreſim manifeſte non ſapientibus, et quando reus interrogatur juridice, vel non juridice; de quibus opinionibus vide Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 3. pu. 9. Viv. in prop. Alex. VII. et alibi.

Vel potius (quod rectius videtur) ad conſervandam auctoritatem edicti S. Officii, inſinuans illud non per ſe, ſed per accidens, et ex aliqua juſta cauſa, non valuiſſe præcipere denuntiationem à proprio pœnitente, ut præmiſſum eſt, faciendam; et hac de cauſa in d. § *Quodſi*, exprimit pœnas ſuſpenſionis ab exercitio audiendi confeſſiones, et alias canonicas ad ſalvandam conſimilem expreſſionem edicti eminentiſſimi domini cardinalis patriarchæ Uliſbonenſis.

Adnotanda, 6. Clauſula annullatoria in § *His igitur*, ubi annullat omnia, quæ in anteactis edicti S. Officii, et ordinariorum quorumvis paſtoralibus, aut decretis, *aliter, quam in præſenti duplici conſtitutione, ſtatuta ſunt, motu proprio, et ex certa ſcientia*, &c. *ac veluti nunquam emanâſſent, omnem obligandi vim amittere, de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ*, denique declarat, ſtatuit, atque ſancit. Ex quo ſequitur, quod ſi tribunal S. Officii in futurum non corrigat, ac reformet, ut par eſt, novum ſuperadditum § ſuperius tranſcriptum, n. 36. ſed illud, prout jacet, relinquat, vel prætextu novi pro hoc recurſus ad S. ſuam, vel ipſius tribunalis conſervandæ, aut ſalvandæ auctoritatis, vel alio quovis, etſi apparenter, aut realiter juſto, minime valebit, novum illud præceptum, vel nova illa lex præfati edicti, minimeque obligabit, et ad denuntiationem aliquem arctabit, aut adſtringet ultra terminos, ac limitationes in hac conſtitutione præfixas; eſt enim lex poſterior, et ſententia finalis, partibus plene undiquaque auditis, et cauſa pleniſſime undelibet agitata, et recognita, atque finaliter ex certa ſcientia pleniſſime terminata, à qua nec reſilire, nec reclamare (niſi garrulis, et cum controverſa nota, ac ſugillatione inobedientiæ, ac rebellionis) unquam licebit.

Adnotandum, 7. Per præmiſſa certe corruere omnes illas futiles rationes, quas garrientes aliqui exaggerabant à paritate legum ſæcularium, ſtatuentium, in criminibus læſæ majeſtatis humanæ poſſe, imo et debere, filios parentes, fratres fratres, et alios conſanguineos tradere, de quo ord. reg. l. 5. tit. 6. Peg. et Barb. ad illam.

Egregie enim falluntur, ac hallucinantur: 1. Quia nulla ex illis legibus cogit, neque cogere poteſt, aliquem ſeipſum prodere, eſto compellat tradere alium à ſeipſo phyſice diſtinctum.

2. Quia neque ipſa lex divina, etiam in crimine hæreſis formalis, et læſæ majeſtatis divinæ, cogit, etiam hæreticum dogmatiſtam, et aliorum ſubverſorem, ſeipſum tradere, ut conſtat Deut. xiii.

3. Quia, etiam dato, et non conceſſo, quod leges ſæculares, et humanæ, potius juris rigori, quam æquitati, proſpicientes hæc decernerent; non ideo in legibus eccleſiaſticis id etiam deceret obſervari, quippe quæ potius æquitati, et mitigationi conſulunt, quam rigori. Vide Gaſparr. inſt. can.

Adnotand. 8. Quod futilis etiam, et reconveniens erat explicatio, quam quidam ex garrientibus illis injuſtis cenſoribus conabatur adhibere, Clem. *Multorum*, de hæret. falſo, et impudenter dicens, Clementem V. in illo concilio, *adulari voluiſſe epiſcopis adſtantibus, qui ægre ferebant conjudicium inquiſitorum, ſeu judicum delegatorum in cauſis hæreſum, ut epiſcopos ſic attraheret ad annuendum perverſæ, ac damnabili intentioni Clementis adverſus Templarios conceptæ*, &c. Quæ quidem temeraria propoſitio, nedum falſa, ſed et contra producentem multipliciter retunditur ex ipſomet cap. citato.

1. Quia *æque punit epiſcopos, et inquiſitores.*

2. Quia non epiſcopi illi, ſed Pontifex ipſe Clem. V. hoc decretum condidit, et publicavit.

3. Quia etiam aderant multi inquiſitores apoſtolici, et quamplures eminentiſſimi cardinales contra hæreticam pravitatem generales inquiſitores.

4. Quia ipſemet Clem. V. erat ſupremus inquiſitor, et omnium apoſtolicorum inquiſitorum ſupremum caput; et credibile non eſt, voluiſſe præjudicare in membris juriſdictioni ab eodem delegatæ, quam in capite, et in radice, illæſam ſervare malebat.

5. Quia in capite, et in radice, juriſdictio delegata eſt eademmet juriſdictio ordinaria; in Chriſto enim, omnium juriſdictionum fonte, et in ejus vicario, omnis juriſdictio eſt ordinaria ratione officii utriuſque; et ab hac, ut à radice, pullulat, tanquam ramus, juriſdictio delegata, ex voluntate, et commiſſione Pontificis delegantis. Et in hac conſideratione nobilior eſt juriſdictio ordinaria habita ratione officii, independenter à voluntate delegante, quam juriſdictio delegata ab ea, tanquam à radice, procedens, et dependens à voluntate fallibili alterius. Licet in alia conſideratione, ratione ſpecialis delegationis, et delegantis repræſentationis, major ſit juriſdictio delegata ordinaria in aliis judicibus Summo Pontifici inferioribus; quemadmodum minimum granum ſinapis, quatenus radix, et principium oleris ab eo procedentis, nobilius eſt, quam olus ipſum, licet in extenſione, ac proceritate, minus ſane illo ſit.

Adnot. 9. Punitionem confeſſarii revelantis ſigillum ſimpliciter, de quo practicam affert practicus Monacell. p. 3. Delrio diſquiſit. mag. l. 6. c. 1. ſect. 2. et alibi, non exponi periculo revelationis ſigilli ſacramentalis (alias non deſignaretur practica pro illa): et, 1. Quia in illa non cogitur proprius pœnitens accuſare, vel denuntiare confeſſorem; ſed admittitur tertius, et teſtes diverſi; et ordinarius poteſt procedere ex officio independenter ab accuſatione; à quo proceſſu, et ſententia, poteſt appellari.

2. Quia poteſt profeſſor negare vel revelationem peccati, vel auditionem illius in confeſſione, eſto illud audierit, juxta communem doctrinam; vel poteſt oſtendere, ſe extra confeſſionem accepiſſe illud, quod revelâſſe arguitur, vel alia exhibendo, de quibus Monacel. cit.

Quæ omnia quidem non reperientur in punitione extorquentis ſocium criminis pœnitentis ab ipſomet pœnitente extorto, velit, nolit, ſub cenſura tribunali Inquiſitionis denuntiato, ut conferenti patebit.

LXV. Poſtmodum vero, reclamantibus, ut fertur, eiſdem eminentiſſimis cardinalibus, prodiit tandem alia bulla noviſſime incipiens, *Ad eradicandum*, data 28. Septembr. qua bulla præjacta *Suprema* extenditur ad univerſum orbem; et poſt ejus inibi inſertionem ſic additur:

Quoniam vero nullam paſtoralis vigilantiæ cautelam ſuperfluam eſſe dicimus, ubi de fidelium animarum pernicie, deque ſubvertenda ſanæ doctrinæ integritate, et recta ſacramentorum adminiſtratione, periculum ſubeſſe dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas eſſe pœnitentium querelas de importunis nonnullorum confeſſariorum perquiſitionibus, pro inveſtigandis complicum nominibus, aliiſque notitiis, juxta praxim in præinſertis noſtris Apoſtolicis literis relatam, atque damnatam; erroneas vero quorundam DD. hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes, et applicationes in eiſdem literis enuntiatas, aliquibus arridere; nec ſatis eliminatas reputari per ipſas præmiſſas literas, quas, utpote ad Luſitaniæ regnorum, atque ditionum, opportunitatem accommodatas, et pro iiſdem ſolummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit: ideo nos motu proprio, atque ex certa ſcientia, hujus noſtræ generalis ſanctionis tenore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis noſtræ plenitudine, eaſdem præinſertas literas iterum confirmantes, et roborantes, decernimus, et declaramus, memoratam praxim in ſeipſa, et ubique locorum, ac temporum, Apoſtolica auctoritate reprobatam, atque damnatam eſſe, et cenſeri debere; nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato noſtro brevi contentam docere, ſcribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverſe interpretari,

vel

vel ipsi actu contraire; sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et, uti tales, à Sede Apostolica rejectas, et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis apostolicis, et ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis.

Decernentes easdem præinsertas, necnon præsentes nostras Apostolicas literas, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et perpetuo fore; atque omnes ubique terrarum, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis, et tam sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum ordinum, institutorum, societatum, et congregationum regulares, quocunque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere, et arctare; ac suos ubique plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; et ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte, et inviolabiliter observari debere.

Sicque, et non aliter, per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, et contra hæreticam pravitatem generales inquisitores, legatos quoque de latere, et Apostolicæ Sedis nuntios, aliosque quoslibet, quacunque auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his à quoquam scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Postmodum tamen Dominica secunda Quadragesimæ 26. Februar. anni 1747. publicatum fuit in omnibus ecclesiis hujus civitatis Pharensis novum Inquisitionis edictum, in quo clausula illa, contra confessarios complicum revelationem extorquentes, sic tradebatur: *Si sciverint, aliquem confessarium sæcularem, vel regularem, in actu sacramentalis confessionis interrogâsse pœnitentibus nomina complicum ipsorum peccatorum, vel locum habitationis, et ob non manifestationem ipsis absolutionem denegâsse, exequendo in hoc casu bullam* Ubi primum *Papæ Bened.* XIV. Quod quidem additamentum, &c. demonstrat expresse hoc in executionem præcitatæ bullæ disponi; an ex speciali ordinatione Pontificis, supposita querela præmissa ordinariorum de intempestivo, et veluti attentato tribunalis edicto, pendente causa apud Sanctitatem suam, cui affecta adhuc comperiebatur; an ut salvetur jurisdictio ordinaria pro sigillo simpliciter; an ex alio motivo? noverint ipsimet domini inquisitores, qui pro nova declaratione bullæ ipsimet reclamârant.

In hoc etiam novo edicto nil additur juxta novam restrictionem bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, super verbis bullæ Gregor. XV. *Universi; tractatus inhonestos temerario ausu habuerint.* Si dicas, nil addi, quia novum, et antiquum edictum non jubet denuntiari, nisi solicitationem, aut provocationem, non vero sermones, aut tractatus inhonestos habitos prætextu confessionis; contra est, quia sæpe vidimus tribunal procedere adversus confessarios habentes in confessionario, aut loco confessionibus deputato, aut prætextu confessionis, quoslibet sermones, vel tractatus minus honestos, vel immodestos, etiam tantum venialiter malos aliunde, de quibus videndus Fel. Pot. cujus quidem etiam nimis rigorosæ resolutiones pro regula Portugalliæ tribunalibus insunt.

Minime tamen detulit Summus Pontifex supplicationi tribunalis S. Officii, ne ordinarii Lusitaniæ in posterum pastorales suas chartas typis traderent absque approbatione, et licentia alicujus S. Sedis Apostolicæ delegati; cum de jure, sicut independenter à delegato quolibet suas leges condere valent, ita et eas imprimi facere; de quo vide allegat. 141. et Pignatell. conf. nov. 129. et Pascuc. verb. *Inquisitor*; ibi; *Edicta curiæ episcopalis possunt imprimi absque licentia inquisitoris.* Et maxime notanda, ne dicam sugillanda, ab oculos venit hujusce prætensionis notoria incohærentia, cum tam ampla permissione ejusdem tribunalis, sive supremi ipsius capitis tot criticorum, ac satiricorum famosorum libellorum, adversus ordinariam jurisdictionem in hac controversia temere, cum gravi supremi pastoris, et totius Romanæ curiæ nota atque offensa, prælo traditorum, et per totam Europam impie publicatorum.

Et hæc sint satis pro hac molestissima controversia; ex qua tot disturbia, atque incommoda, imo et diffamationes graves, in quamplurimos ordinarios prælatos graviter scaturierunt: quæ desunt, in puncto supplebit, et exornabit famosissimus theologus *Murator*, quem actu Modenæ pro jure episcoporum solide scribentem audio.

Notitia nuperi hac de re judicii doctissimi Muratorii.

LXVI. Post hæc discussa ad manus meas opportune pervenit libellus quidam corpore pusillus, sed eruditione, ac soliditate maximus, famosi theologi præfatii Muratorii, sub titulo, *Lusitanæ ecclesiæ religio propugnata*; quo à primis radicibus, ac fundamentis, controversiam hanc colligens, atque veraciter eviscerans, post duodecim morales regulas, sive conclusiones, quas præmittit c. 1. per sequentia capita adusque decimum comprehendit totam seriem, et eventus controversiæ non minori elegantia, quam veritate, ac soliditate, rem absolvens. Et c. 2. præmittens rumorem adversus aliquos confessarios nomina complicum extorquentes (de cujus veritatis fundamento ibidem dubitat) et cautelam utriusque eminentissimi cardinalis per duplex singulare edictum, atque recursum, sive delationem ad sanctissimum patrem, bullam tandem *Suprema*, ex vi utriusque delationis emissam, per formalia transcribit.

Et c. 3. Ostendens justitiam hujus constitutionis, ponderat illius clausulas; et concludit, Pontificem non damnare sententiam asserentem, *Licere pœnitenti sponte revelare complicem, si putet revelationem cessuram in utilitatem suam, aut complicis.* Quod et auctoritate Suar. et aliorum confirmat; et auctoritatem D. Antonini subdit, qui 3. p. tit. 14. c. 19. § 11. censet, non peccare pœnitentem, sed mereri, si personam complicis revelet confessario *cum bona intentione, non ut prodat, vel se excuset, sed ut pœnitentiarius oret pro eo, vel cum secreta admonitione corrigat.* Imo, prosequitur Muratorius, qualitatem complicis investigare jure potest, ut consulat conscientiæ pœnitentis, etiamsi ex ipsa revelatione consequatur cognitio complicis: cujus quidem multiplicem casum configurat.

Capite autem 4. Altercans, *An damnatus abusus fuerit Lusitaniæ clero adscribendus?* vere ostendit, omnes ordinarios Lusitaniæ prælatos, uno eminentissimo patriarcha Ulissonensi dempto, Sanctitati suæ attestatos fuisse, nullum illius sectæ in singulari cujusque diœcesi post accuratam investigationem detectum fuisse. Et vocem esse, hoc monstrum à malevolis confictum fuisse, et plerisque persuasum, ne in ipsa quidem Ulyssiponensi civitate, ac diœcesi, vera illius vestigia fuisse deprehensa. Imo verba regiæ augustissimi Joannis V. epistolæ ad sanctissimum P. rescriptæ referens, qua laudando zelum cardinalium, et Pontificis ipsius animum mœrentem consolando; *Nihil enim*, inquit, *aliud in hac re intervenit, nisi rumor tantum, et suspicionabilis abusus.* Quod et ex facto evincebatur. Si enim eminentissimus patriarcha Ulissonensis in diœcesi sua hunc errorem serpsisse invenit, cur in nullum ex errantibus, aut illius doctrinæ disseminatoribus, animadvertit? Certe quia nullum certum detexit.

Ibidemque, quamvis asseveret omnes in eam inclinâsse sententiam, ut pastoralibus literis in publicum emissis, dejiciendum esse, *male compaginatum Inquisitionis ædificium*, id est, *edictum*; et exploratum esse sanctissimum P. *vivæ vocis oraculo declarâsse subsistere non posse obligationem denuntiationis*, et hortatum fuisse literis iteratis eminentissimum cardinalem inquisitorem generalem, *ut eandem obligationem revocaret; nullum tamen fructum ex paternis monitionibus fuisse reportatum*, ut infra prosequitur, asserit.

C. 5. *Utri partium in hujusmodi concertatione major fides adhibenda sit?* perquirens; *Nulla dubitatio est*, inquit, *quin eminentissimi patriarcha, et inquisitor, attestationes procurârint, et corraserint, ut ostenderent, et confirmarent opinionem suam.* Et post translata verba constitutionis *Ubi primum*, de gravi-

bus, ſolidiſque fundamentis ad præcedentem conſtit. promulgandam; ita concludit: Sed ſimul veriſimile eſt, non exceſſiſſe improbandam hanc praxim extra fines Ulyſſiponenſis diœceſis, ita ut ne teſtibus quidem, et quamplurimis ab epiſcoporum parte productis, ſit neganda fides. Porro inique ageret, qui univerſo Luſitanorum clero tribueret, quod pauci dumtaxat in ampliſſimis civitatibus, et populis, delinquunt. Et quicunque adeo famam exaggeravit perverſæ hujus novitatis, quaſi Luſitaniam integram, aut ejus non modicam partem infecerit, quamvis reclamantibus tot epiſcopis, et teſtibus, ſtabit ante tribunal Chriſti rationem redditurus, num veritate bene perſpecta fretus, an aliquo improbo affectu raptus, et boniſne, an falſis tabulis tantam contumeliam amplificârit, ac tam longe dilatârit.

Cap. vero 6. inquirens, *An juſte de uſurpata auctoritate conqueſti fuerint Luſitaniæ epiſcopi?* præmittit, ut certum, et omnibus notum, epiſcopos *ſucceſſores eſſe apoſtolorum*, ex illo Act. xx. 28. *Attendite vobis, et univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit epiſcopos regere eccleſiam ſuam.* Et ex ep. S. Ignatii M. ad Smyrnæos: *Omnes epiſcopum ſequimini. Sine epiſcopo nemo quicquam faciat eorum, quæ ad eccleſiam ſpectant.* Et can. 40. Apoſtolorum: *Preſbyteri, et diaconi, præter epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipſi commiſſus eſt.* Et auctoritatem D. Gregor. P. ad epiſcopum Carthagin. l. 2. ep. 47. *Sicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque eccleſiis ſua jura ſervamus.*

Deinde, quod per inſtitutionem inquiſitorum dignitas, atque juriſdictio epiſcopalis minime deliquium paſſa ſit, aſſeverat: adhuc enim, *Epiſcopus in ſua diœceſi ordinarius eſt inquiſitor, ſive inquiſitor natus, et in crimina ad religionem pertinentia ſuum pergit eſſe jus epiſcopali foro.* Quod et confirmat ex conſt. Bonifac. VIII. circa annum 1296. *Diœceſanis epiſcopis, quin et ipſi auctoritate ordinaria, vel delegata (ſi habent) procedere valeant, nolumus abrogare.* Tandem concludit ita:

Hiſce poſitis, videas, non injuria conqueſtos fuiſſe Luſitaniæ epiſcopos de contempta ſua dignitate, atque auctoritate, quando ſacræ Inquiſitionis tribunal, aut ipſis inconſultis, aut ipſis etiam repugnantibus, legem tulit novam, qua afficerentur univerſi diœceſan Luſitanarum populi. Nam quod controverſia illa ad Apoſtolicam Sedem producta fuerit, injuriam non minuit epiſcopis illatam; hæc enim illata jam fuerat ex lege inſueta, ad quam minime auditis epiſcopis Inquiſitio proceſſerat. Exigebat res nova, res tanti momenti (nempe agebatur de gravandis populis ad tot diœceſes ſpectantibus) ut ſuffragia quoque præſulum exquirerentur; et ſi forte in diſcordes ſententias animi ſcinderentur, res integra deferretur ad Apoſtolicam Sedem, cujus conſueta prudentia, ac ſuprema auctoritate, id ſtatueretur, quod omnibus ſervandum foret. Accedit, quod novas ſententias regulis fidei et morum contrarias epiſcopis in prima inſtantia damnare, et prohibere licet: quod an liceat inquiſitoribus, infra expendemus. Denique inquiſitores cum epiſcopis ad cauſas fidei conveniunt, ut docent gloſſa, et Abbas in c. *Ad abolendum*, de hæreticis, Sylveſter verb. *Hæreticus*, § 2. n. 10. Carena de hæreticis, n. 67. Decianus, Simancas, Royas, ut alios omittam. Num ergo in tanti ponderis negotio negligere, ne dicam contemnere, licuit epiſcoporum ſententiam? Et profecto quin juſtus fuerit eorum dolor, et legitima querela, dubitare nos non ſinit Pontificis ſapientiſſimi epiſtola paſtoralis, ſive decretalis. Nam is, uti præ cæteris ſcientiſſimus, quam reverentiam vel ab ipſis ſacræ Inquiſitionis miniſtris exigat epiſcopalis dignitas, non ad inquiſitorem generalem, ſed ad ipſos ſcripſit epiſcopos, eiſque ſignificavit, quid ſentiendum ea de re in poſterum foret. Neque id factum putes, quod ſuppoſitum contumelioſa accuſatione ſanctiſſimo patri fuerit, epiſcopos protervos ne ipſius quidem Sanctæ Sedis judicio frontem eſſe inclinaturos. Nam eximius Pontifex de eorum obedientia ne hilum quidem dubitans, in laudes tantummodo ſingulorum excurrit, atque eis mandat, *ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcunque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, et efficacioribus juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pœne naſcentem opprimatis*, &c. Quid aliud hoc eſt, niſi coram univerſo orbe teſtari, ſe agnoſcere epiſcopos conſtitutos à Deo ordinarios in ſuis diœceſibus inquiſitores, ac tacite eminentiſſimum inquiſitorem generalem edocere, qualis ab ipſo quoque in hocce negotio reverentia impendenda erat erga apoſtolorum ſucceſſores?

Cap. 7. Proſequitur inquirendo, *An leges de rebus novis ad dogma, et diſciplinam eccleſiæ ſpectantibus, ab Inquiſitionis Luſitanæ tribunali, inconſulto Summo Pontifice promulgatæ, obligent fideles?* Et ſtatuit, minime interdictum eſſe epiſcopis in ſua diœceſi novam aliquam opinionem, aut praxim configere, atque vetare. Quam poteſtatem tamen inquiſitori generali Luſitaniæ denegat pro damnanda opinione, et praxi interrogantium abſque juſto titulo nomina complicum. Quod probat ex l. 7. de offic. ej. cui mand. eſt jur. et ex Eymeric. q. 4. inter. 130. *Inquiſitor non eſt ordinarius judex, ſed delegatus D. N. Papæ: quia nullam habet juriſdictionem, nec in perſonis, nec in criminibus, nec in cauſis, niſi ubi, quantum, et circa quos ei confert D. N. Papa. Unde licet epiſcopi utantur poteſtate ordinaria in non exemptos, et delegata in exemptos, juxta c.* Ad abolendam, § Si qui vero, *de hæreticis*, &c. *inquiſitores tamen non ordinaria, ſed ſemper delegata utuntur, quia auctoritate Apoſtolica.*

Et ex ipſo Inquiſitionis promulgato edicto reſolvit inquiſitorum curæ dumtaxat committi invigilare, ne hæreſes, aut propoſitiones, aut actiones ad fidei doctrinam ſpectantes, et jam antea ab eccleſia damnatæ, locum habeant in grege Dominico, et ut in fontes animadvertant. Dixi, *jam damnatæ.* Neque enim eis conceſſum videtur, ut, inconſulto Summo Pontifice, aliquod novum dogma, ſive propoſitionem damnent, ita ut eorum decreta conſcientias fidelium obligent. Facultas hæc legiſlativa in iis tantummodo reſidet, quibus à Deo collata fuit, hoc eſt, plenaria in Pontifice Maximo, et Conciliis generalibus cum eodem concordibus, et partialis in epiſcopis, ſive in concilio aggregatis, ſive in ſuis diœceſibus ad avertenda è populo ſuo ſemina perverſæ doctrinæ. Quare facile inquiſitores novas propoſitiones damnando fines vicariæ fuæ poteſtatis tranſilirent, ubi ſine prævia conſultatione, et venia Summi Pontificis, id faciant, quod epiſcopi in ſuis diœceſibus poſſunt, et Chriſti vicarius Pontifex pro univerſa eccleſia facere poteſt. Excipiendam hic reor univerſalem Romanam Inquiſitionem, cujus omnia decreta de novis, atque etiam arduis rebus ſemper veneranda ſunt, et vim habere debent, quia nunquam cuduntur, niſi conſcio, et probante Papa.

Et confirmat efficaciter ex doctrina probabili docente ap. Dia. to. 6. tr. 1. reſol. 21. et ſeqq. declarationes ab eminentiſſimis cardinalibus in congregatione generali Rom. Inquiſitionis emanantes non *deciſivas* eſſe, ſed *doctrinales*, et univerſam eccleſiam minime obligare, etiamſi prodeant facto verbo cum Summo Pontifice: quid quæſo dicendum, de Luſitana Inquiſitione, ubi eadem, inconſulto Summo Pontifice, ſibi jus tribuat proſcribendi, et damnandi opiniones novas, et leges novas promulgandi, quæ totius regni conſcientias obligent? Et potiſſimum (proſequitur) uti animadvertit Pignatell. to. 1. conſ. 59. *Sacra Congregatio cenſuit, non licere epiſcopis præcipere, ut quilibet de populo denuntiare debeat crimina clericorum ſub pœna excommunicationis. Sententia autem contraria ab eodem Pignatell. plane abſurda, et periculoſa dicitur.*

Cap. 8. Agit *de obligatione denuntiandi à tribunali Luſitanæ Inquiſitionis impoſita.* Altera ſuccedit novitas, inquit ipſe, cui animos addidit Medinæ auctoritas autumantis, *puniri poſſe tanquam hæreticum confeſſarium aſſerentem pœnitenti, ut ſibi revelet complicem*, &c. Sed quis non videt nimium intercedere diſcrimen inter facientem peccaminoſam actionem, ac dicentem licere eam facere? Similiter clare oſtendit errorem hunc nimis differre ab errore illo Illuminatorum; *Non poſſe abſolvi ſolicitantes in confeſſione, niſi declarent ſolicitatas.*

Onus illud in edicto Inquiſitionis fidelibus impoſitum dicit, *inſuetum, intolerandum, atque prorſus indebitum. Eſt enim*, proſequitur, *contra jus naturale* cogere quenquam ad revelandam turpitudinem, atque infa-

infamiam suam, quæ occulta sit, et aliunde constare in judicio non possit. Nimirum natura nimis abhorret, dum vitare possit, à detegendo crimen, sive peccatum, ex quo grave damnum redundare possit in corpus, in honorem, et fortunas suas. Audi Ignatium Lupum comment. in edictum Inquisit. ubi quærit, *An quis seipsum fidei inquisitori denuntiare teneatur?* et respondet: *Negative. Ratio est, primo; Quia hic casus censetur exceptus in edicto Inquisitionis: cum nemo præsumere audeat, judicem alicui tam grave onus, quale est sui ipsius denuntiatio, imponere velle. Secundo; Quia nullus tenetur seipsum prodere, cap.* Cum non deceat, *de elect. in* 6. *juxta illud: Allegans turpitudinem suam non est audiendus, c.* Inter dilectos, *de donat. l.* Transact. *c. de transact. Tertio; Qui mandatum accipit aliquos denuntiandi excommunicatos, seipsum denuntiare non tenetur, licet commiserit delictum, ob quod alii ab eo denuntiantur.* Ita Cæsar Carena de offic. S. Inquisitionis, par. 2. tit. 9. de obligat. denuntiandi, § 7. scribit: *Sed an vigore hujus edicti quis teneatur denuntiare seipsum; dic quod non. Simanch. de cathol. instit. tit.* 42. *n.* 13. *Pegna, par.* 3. *comm.* 12. *Suar. de fide, sect.* 4. *n.* 18. *latissime Sanctarell. de hæresi, cap.* 9. *n.* 18. *qui alios allegat. Dian. var. resol. p.* 1. *tract.* 4. *resol.* 8. Hoc idem traditur à Delbene de offic. inquisit. par. 1. dubit. 19. ubi statuit: *Denuntiare judicialiter seipsum quis non tenetur, si ex denuntiatione judiciali sibi timeat gravem jacturam in vita, fama, vel re familiari; quia præcepta divina, et ecclesiastica, non obligant cum tanto rigore.* Infra hæc addit: *Si cum aliis crimen etiam hæresis commisisti, tamen, quamvis tu ab illa desistas, ex communi sententia doctorum non teneris socios criminis denuntiare, quia obligareris denuntiare teipsum, cum tamen nemo teneatur se prodere, uti docent communiter doctores,* quorum longam seriem postea texit. Adeo autem naturæ legibus conveniens est communis ista sententia, ut ne ante judicem quidem, ubi agitur de gravi malo vitando, teneatur inquisitus fateri crimen suum, quando celare possit, uti cum Angelico theologi complures sentiunt.

Et pergit dicens, quod evidentius etiam obligationis injunctæ injustitia se prodit; nam in homine, qui, pœnitentia rite peracta, absolutus est, deletum esse peccatum, ita ut tanquam innocens ejusdem peccati sit in posterum habendus. Æquumne ergo foret innocentem hanc personam pœna rursus afficere, qualis dicenda esset revelatio turpitudinis suæ ob aliena peccata; eamque punire, non ob actionem aliquam malam à se factam, quando ipsa optimam fecit, accedendo ad pœnitentiam, sed tantummodo ob ignorantiam, aut malitiam confessarii?

Imo, quoties confessarius denuntiatus interrogaretur à quæstoribus fidei de complicis nomine vestigato, is aut se tueri non possit, à revelanda confessione absterritus; et iniquum foret ei defensionis aditum præcludere; aut ad sacramentale sigillum frangendum is adigeretur, exponendo causam, cur à pœnitente complice exquisisset; ideoque sigillum solveret confessionis (Et hanc eandem rationem exposui et ego sanctissimo P. in epistola mea supra transcripta).

Quamobrem (concludit Murator.) quacunque ex parte metiaris imperatam à Lusitana Inquisitione denuntiationem, illam et juri naturali adversantem, et à mente ecclesiæ, communique theologorum decreto alienam, et ad perdendum sacramentum pœnitentiæ nimis aptam, fatearis oportet.

Cap. 9. Sugillat *alterum Lusitani edicti vitium ex obscuritate præcepti, et ex defectu potestatis.* Et quoad primam notam, aut vitium, tangit, et expendit omnia, quæ S. suæ exposui in epistola mea, quoad clausulam edicti *circumstantias improprias*, quin distinguat quid culpabile sit, quid culpa careat; cum leves, frivolæque interrogationes, ob quas nulla (saltem gravis) culpa contrahitur, gravissima excommunicationis pœna plectendæ non veniant; imo, cum in nonnullis casibus non solum liceat, sed etiam opus sit, aut præstet, in utilitatem nimirum pœnitentis, rescire qualitatem complicis; quas *opiniones veras* ipse Summus Pontifex in sua decretali agnoscit, sed *male applicatas*, &c.

Quoad secundam notam *defectus potestatis*, præmittens inter majores causas Summo Pontifici reservatas hanc *de disciplina de sacramentis* adnumerandam, quod ex c. *Majores*, de baptism. et ex Barb. de ep. p. 3. alleg. 1. Fagn. in c. *Perniciosam*, de offic. ordin. c. *Quod translation.* de offic. legat. c. 3. *Huic soli*, dist. 17. et confluentiam votorum omnium DD. canonistarum, et TT. sequentem notabilem elicit conclusionem:

Mirari ergo subit, cur tantos animos conceperit eminentissimus cardinalis inquisitor, ut manum immiserit in pœnitentiæ sacramentum, ac tantam novitatem invexerit, et quidem inconsulto penitus, et inscio Pontifice Maximo. Quin hæc appellanda sit usurpatio Pontificiæ auctoritatis, quis dubitet? Quod etiam plus dolendum est, tribuit ille sibi potestatem condendi legem, quam nec ipse Pontifex sibi tribuisset; legem, videlicet, quæ importabile jugum cervicibus fidelium imponit, eosque ab ipso pœnitentiæ sacramento avertit. Decrepita ejus ætas, qua abusi sunt nonnulli, parum prudentem præferentes zelum, illum fortassis excusset; sed nequaquam ipsos consultores, quibus egregium facinus visum fuit amplificare posse sacri illius tribunalis auctoritatem ultra limites à S. Sede præscriptos, eodemque tempore tricas, et invidiam concitare in tot pios regni illius, et ecclesiæ ministros. Obliti ii sane fuerunt, quod Clemens V. Pontifex in concilio Viennensi animadvertit, et improbavit, ut patet ex c. *Multorum*, de hæreticis, in 6.

Tandem c. 10. Quærens, *Quid actum, quid agendum in hujusmodi controversia?* sic progreditur: Ex his, quæ hactenus disseruimus, constare jam potest, quam justis titulis Lusitani episcopi insurrexerint adversus edictum, à quo non episcopali tantum, sed ipsi etiam Pontificiæ dignitati vulnus illatum fuerat, atque in non leve discrimen trahebatur populorum conscientia, et quies, imo et odium conflabatur in ipsum pœnitentiæ sacramentum. Querelas propterea suas in sinum communis patris, Summi nempe Pontificis, deposuere, firma spe adducti ex ejus celebrata doctrina, et suprema auctoritate, decretum emanaturum, quo simul religionis rebus prospiceretur, et oborta tollerentur dissidia. Delata ergo ad Romanam congregationem S. Officii ejusmodi controversia aut paucos, aut nullum ibi offendit, qui pro episcopis non steterit. Proinde Summus Pontifex, adhibitis in concilium compluribus doctissimis cardinalibus, et theologis, postquam concordia omnium vota convenire in sententiam episcoporum sensit, decretalem alteram efformavit, ac promulgavit 4. nonas Junii anno 1746.

Et post extensam bullam *Ubi primum*, et congruas ponderationes adhibitas, sic denique claudit: Piget nunc dicere, neque sine dolore dicam, alia fuit mens eminentissimis patriarchæ, et inquisitori generali; neuter enim officio suo, et expectationi Apostolicæ Sedis, respondit. Nimirum ii continuo agnoverunt nihil deesse, ut quisque intelligeret improbatum, sublatumque Romæ fuisse Inquisitionis edictum. Propterea eminentissimus patriarcha Pontificiam decretalem evulgare renuit; eminentissimus vero à Cugna, non solum à revocando edicto suo abstinuit, atque à publici juris facienda constitutione Pontificis, sed etiam se læsum arbitratus indoluit, literasque secretas dedit ad Summum Pontificem, quarum tamen nulla est habita ratio. Hunc animum satis antea expresserat purpuratus iste; nam devoluta, et pendente adhuc ante Pontificium tribunal controversia hujusmodi, cum recurrente hebdomada prima Quadragesimæ vulgandum de more fuit edictum sacræ Inquisitionis, eidem novus iste casus cum denuntiationis præcepto est additus; quod sane mirandi, et conquerendi causam dedit, utpote contra judiciorum regulas attentatum, et à reverentia erga visibilem, et supremum ecclesiæ judicem debita alienum. Quid hic prudentissimus Pontifex? Ubi eminentissimi inquisitoris aversam mentem intellexit, potuisset pro imperio agere; sed amoris et clementiæ vias pro more suo præferens ad ipsum eminentissimum non semel rescripsit, hortando, ut edictum revocaret ex non uno vitio, sed potissimum ex potestatis defectu undiquaque ruinosum; eamque in rem, uti etiam doctor privatus, et præ cæteris ecclesiasticæ doctrinæ, et disciplinæ peritissimus, grave, et indecorum sibi, minime duxit, proferre canonum et theologorum concordem sententiam in Inquisitionis tribu-

tribunali ubique obſervatam. Sed hactenus auribus ſurdis ceciniſſe fertur. Imo fama invaluit nova arma Ulyſſipone parari; libellos etiam prodiiſſe ad fulciendam perperam impoſitam pœnitentibus de complice interrogatis denuntiationis obligationem; et eo uſque proceſſiſſe nonnullorum audaciam, ut ſine deformi iſto remedio fides Chriſti in Luſitania peritura dictitetur. Eruperunt etiam qui declamarent, nihil dubitandum, quin ibi orta hæreſis altas radices jam egerit; cujus tamen ne unum quidem ſectatorem indicare poſſint, cum omnes errorem, et praxim à S. Sede damnatam execrentur. En quid poſſit, et audeat corrupta à cæcis affectibus hominum mens! Denique ſat non fuit accuſatoribus tantam piis quibuſque confeſſariis moleſtiam inferre; ſatiricis quoque, et contumelioſis ſcriptis, iiſque, nemine reſiſtente, prælo traditis, in epiſcopos tanta veneratione dignos pugnârunt, eoſdem traducendo quaſi hæreticos, aut hæreticorum fautores. Num in hoc hominum genere Spiritus Dei? Heu! quantam malorum, et ſcandalorum ſegetem peperere edicta, ſine accurato veritatis examine, atque indiſcreto tantum zelo procuſa!

Interea quid de hujuſmodi controverſia ſentiendum ſit, nihil opus habet lector, ut à me edoceatur. Tantummodo cum patribus concilii Chalcedonenſis generalis dicam; *Petrus per os Benedicti* XIV. *locutus eſt.* Nihil ultra quærendum.

Et poſtmodum proſequitur: Horreret quiſque profecto, ubi delegatum quemquam intueretur plus velle ſapere, plus velle poſſe, quam delegans. Si purpurati hujus zelo abuſus eſt aliquis ex hominibus veram ſcientiam, et prudentiam oblitis, res poſcit, ut is ad vocem Petri judicantis in rectam ſemitam ſe rurſus convertat. Ad hæc fieri nequit, quin ipſe tandem animadvertat, quantopere laudandus ſit, et præferendus rigoribus Luſitanæ Inquiſitionis moderatus, ac prudens zelus Apoſtolicæ Sedis, quæ abuſus quidem et exceſſus ad eccleſiæ jura reſpectantes, ſublatos ubique cupit, et auferendos curat; ſed imitata Deum, juſtitiam clementia, et miſericordia, temperare conſuevit. Nimius enim rigor in ipſam Chriſti religionem adeo mitem, ac ſuavem, à Deo inſtitutam, odium, dicteria, hoſtilemque animum excitat, et ab ea amplectanda Judæos, atque infideles deterret. Certe Luſitanæ Inquiſitionis zelum immodicum ſiniſtra fama deprædicat. Fortaſſis immerito. Attamen cardinalis Albitius, de inconſtantia in fide, cap. 15. n. 20. et ſequ. teſtis eſt, ſæpe ſæpius, ac præſertim ſub Clemente VIII. Urbano VIII. Clemente X. et Innocentio XI. conqueſtos fuiſſe Luſitanos de regionum illarum Inquiſitione, veluti non pauca gravamina fidelibus inferente, et ab eiſdem Summis Pontificibus remedia etiam fuiſſe, quantum ad ſe ſpectabat, appoſita: adeo verum eſt, zelum, qui ad exceſſus, et novitates nimis duras declinat, inter mala eſſe numerandum, atque ab eccleſia benigniſſima matre noſtra minime ferendum.

Hæc ille. Quæ quamvis docte, ſolide, atque eleganter diſcuſſa ſint; attamen minori, quam par erat, reverentia erga tam præexcelſos eminentiſſimæ dignitatis viros in quibuſdam clauſulis oblocuta à quamplurimis juſte ſugillata ſunt, nedum Luſitaniæ, ſed et Romæ; quamvis ab aliis ex nimio zelo adverſus immodeſtiſſimas adverſantes ſatiras pie excuſetur. Quæ tamen ex multiplici cauſa libuit per formalia tranſcribere, tum quia rarus adhuc eſt libellus ille; tum in confirmationem, ac corroborationem à nobis ſupra traditorum; tum in commendationem eorum, quæ alleg. 149. de Inquiſitionis Luſitanæ rigore, atque fallibilitate, vel infallibilitate, inſinuata ſunt; tum in veritatis ſtabilitatem, et alia non deſpicienda proficientia.

ALLEGATIO CXLVIII.

Super Executione Delationis cujuſdam Sacerdotis ad turpia in Confeſſione ſacramentali ſolicitantis in Concurſu Circumſtantiarum graviorum, ac notabiliorum, juxta communem Doctrinam.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Simplex ſacerdos ſolicitans eſt denuntiandus.*
III. *Solicitatio ad turpia in confeſſione, vel immediate antea, aut poſtea, ubicunque fiat, ſubjicitur denuntiationi.*
IV. *Non ſufficit ſe ſola emendatio nota confeſſarii ad excludendam obligationem denuntiationis.*
V. *Damna, et incommoda gravia excuſant; et qualia.*
VI. *Speciales rationes in favorem præſentis caſus.*
VII. *AA. qui, intercedente gravi damno, aut incommodo, excuſant ab onere denuntiandi.*
VIII. *Ratio fundamentalis à priori.*
IX. *Aliorum doctrina pro caſibus difficilibus obſervanda.*
X. *Mulier aſſentiens ſolicitationi, probabiliter non tenetur denuntiare, præſertim tribunalibus, in quibus ſolicitationis effectus deſcribuntur, et in ſententiis publicantur.*
XI. *Etiamſi non publicentur, non tenetur probabiliter deferre fœmina, valde nobilis, infamiam ex delatione ſubituram.*
XII. *Fit ſatis argumento Salmantic.*
XIII. *Exempla quamplurium deobligationum à conſimilibus præceptis.*
XIV. *Aliquæ rationes in confirmationem.*
XV. *Nec culpa illa maneret impunibilis apud Deum, quamvis talis maneret apud homines.*
XVI. *Mulier nobilis ſolicitata, et non aſſentiens ſolicitationi, non poſſet in fraudem legis, durante illius termino, curare affinitatem cum confeſſario ſolicitante contrahere, ut ſic evaderet onus eum denuntiandi.*
XVII. *Conſtitutio Gregoriana non comprehendit epiſcopos, et his ſuperiores, juxta aliquos.*
XVIII. *Qui reſolutionem extendunt ad epiſcopos titulares, nuntios, et generales inquiſitores Hiſpaniæ, non vero ad inferiores inquiſitores.*
XIX. *Neque ad generales religionum, quantumvis juriſdictionem epiſcopalem habeant cum territorio ſeparato, quantum ex rigore juris.*
XX. *Ex decentia tamen debent inquiſitores certiorare prius ſupremam Inquiſitionem.*
XXI. *Epiſcopus ſolicitans deferendus eſt Sedi Apoſtolicæ per ſe; per accidens vero inquiſitori generali; ſed extrajudicialiter, et per modum informationis.*
XXII. *Qua cautela in hoc procedendum, tum ex eo, quod epiſcopi* quaſi ſignum ad ſagittas multorum ſunt poſiti.
XXIII. *Cui facienda ſit denuntiatio inquiſitoris ſolicitantis.*
XXIV. *Regulæ pro ſolicitatione dubia.*
XXV. *Nequit pro praxi certa regula definiri; ſed obſervandæ circumſtantiæ, quæ innuuntur.*
XXVI. *Si ex circumſtantiis conſtet actiones eſſe indifferentes, et fieri intentione honeſta; non ſubjacent oneri denuntiationis.*
XXVII. *Rejiciuntur defendentes, non ſubjacere denuntiationi confeſſarium tangentem fœminam actione ex ſe levi, in ratione libidinis.*
XXVIII. *Obſervanda pro numero teſtium ſingularium, etiam ex nova diſpoſitione.*
XXIX. *Confeſſarius non eſt torquendus ob ſolam denuntiationem unius fœminæ.*
XXX. *Juſtum monitum, quod fœminæ denuntiantes debent obſervare.*
XXXI. *Monitum etiam prudens pro confeſſariis conſulentibus.*
XXXII. *Obſervanda pro circumſtantiis loci.*
XXXIII. *Aliud monitum pro praxi à confeſſariis obſervandum.*

XXXIV.

XXXIV. *Quid pro raris caſibus præteritis, quid pro futuris, tandem obſervandum.*
XXXV. *Nova diſpoſitio noviſſimæ bullæ* Sacramentum pœnitentiæ *Benedict.* XIV.
XXXVI. *Ex illa noviter retunditur novum edictum Inquiſitionis contra confeſſarios* circumſtantiam impropriam *interrogantes.*
XXXVII. *Concluſio pro mente illius bullæ.*
XXXVIII. *Quomodo ſacerdos denuntiatus de culpa, vel circumſtantia S. Officio non attinente, ſe debet gerere; v. g. denuntiatus de ſigillifragio, non ex prava doctrinâ, ſed ex levitate, vel iracundia, &c.*
XXXIX. *Et qui non in confeſſione, neque prætextu, aut occaſione illius ſolicitavit, ſed in aliis ſacramentis.*
XL. *Et qui in confeſſione exerceret actionem non peccaminoſam urbanitatis, aut charitatis, juxta morem patriæ.*
XLI. *Et quomodo, ſi fœmina ex falſa doctrina ſacerdotem ſolicitavit, hoc illius errorem ignorante.*
XLII. *Et quomodo ſacerdos denuntiatus à fœmina unice, quam ſolicitavit, et quæ in ſolicitatione conſenſit, nulla intercedente infamia.*
XLIII. *Quid, ſi fuerint duæ complices?*
XLIV. *Doctrina Caren. notabilis.*
XLV. *Et Salmantic. circa* infamiam, rumorem, indicium, *&c. et quando poteſt ſpecialiter inquiri abſque præcedentia infamiæ.*
XLVI. *Tranſcribitur Cayet. de Alexandr. et partialiter reconvincitur.*
XLVII. *Tranſcribitur etiam Pignat.*
XLVIII. *Monita pro omnibus.*
XLIX. *Tranſcribitur Caren. et Pignat.*
L. *Quid pro confeſſario monialium in parlatorio ſolicitante.*

I. VIRGO quædam nobilis, et modeſtiſſima, verbaliter ſolicitata in ſacramentali confeſſione à quodam ſacerdote conſanguineo ſuo in tertio gradu (erant enim conſobrini) abſque effectu aliquo, nullo ſcrupulo ſacerdotem ipſum denuntiandi agitata eſt, vel ex ignorantia illius obligationis, vel ex errore fortaſſis propinquæ conſanguinitatis, vel ex alio capite. Poſt triennium vero perfecte tranſactum, in quo fœminæ ipſi clare conſtabat de abſoluta emendatione præfati ſacerdotis, tum ex non reincidentia in ſolicitationis crimen erga ipſam, quamvis plures ſupervenerint occaſiones, tum ex reformatione, quam noverat, vitæ ſacerdotis ipſius, occaſione audiendi edictum Inquiſitionis, ſcrupulo perculſa deferendi conſanguineum, detinebatur à multiplici in contrarium ſuadente conſideratione, quæ ſibimet prudentes apparebant. Prima erat, nedum propinquitas, ſed et emendatio ſacerdotis. Secunda; Quia certo ſciebat ſacerdotem ipſum ante ſolicitationem ſibi intimatam, aliam etiam fœminam in ſacramentali confeſſione ſolicitaſſe; prudenterque timebat, quod, nova accedente iſta ipſius denuntiatione, à S. Officii miniſtris apprehenderetur, et publice puniretur. Tertia; Quia ex ſola apprehenſione rationabiliter verebatur damna graviſſima inter reliquos conſanguineos, et affines, qui nobiliores, et principaliores erant illius oppidi, præſertim inter fœminas modeſtiſſimas, et virtutis profeſſionis ſectatrices, quarum aliquas præ verecundia, ac pudore, cum fundamento ex earum verecunda conditione nimis pertimeſcebat, ne viribus fractæ, atque animo deficientes præ languore, vel vitam exhalarent, vel proximo illius periculo adigerentur.

Cum tamen ſeſe deliberare neſciret, inito conſilio cum alio, etſi prudenti, ſcrupuloſo tamen ſacerdote, etiamſi conſanguineo utriuſque in eodem gradu, qui et parochus illius, et commiſſarius S. Officii incedebat, cum jam inſtaret præfixus terminus triginta dierum, ex quo ſcrupulum denuntiandi ſubierat, delationem commiſſario tradidit, cum proteſtatione tamen conſulendi theologos, qui eam delatricem, ſi ab onere denuntiandi abſolverent, rebus ſic ſtantibus, non eſſe intentionis ſuæ, ut traditam denuntiationem tribunali tranſmitteret; et eam revocabat, injungens, ut in tali hypotheſi excuſationis ab onere denuntiandi, igni traderet delationis chartam. Cum autem commiſſarius, præter denuntiantis proteſtationem, non adſtringebatur termino aliquo præfixo, quem intra delationem tranſmittere cogeretur, opportunitatem interim habuit conſulendi certos theologos cujuſdam collegii regularis academiæ Conimbricenſis pios, ac doctos, qui familiæ illius nobilitatis, et aliarum concurrentium circumſtantiarum ſufficienter præhabebant notitiam: qui quidem, omnibus undique recte perpenſis, ac circumſpectis, in favorem excuſationis ab onere denuntiandi conſuluerunt.

II. Non curârunt theologi iſti, 1. An talis ſacerdos reipſa foret confeſſor approbatus, necne? Certum enim eſt apud omnes, etiam ſimplicem ſacerdotem in confeſſione ſacramentali, vel, prætextu illius, fœminam ſolicitantem, vel ad turpia provocantem, comprehendi in obligatione denuntiandi. Et ratio eſt, diſpoſitio ipſa bullæ Gregorii XV. *Univerſi*; quæ ſic recitat: *Declaramus, quod omnes et ſinguli ſacerdotes, tam ſæculares, quam regulares*, &c. Ita Dia. Pal. Fel. Pot. Salmantic. et alii contra Bordon. Leandr. Fagund. Souſam de ſolicit. c. 11. et alios contrarium autumantes, eo quod ſimplex ſacerdos non ſit deputatus pro confeſſionibus ſacramentalibus.

Neque obſtant verba bullæ ipſius Gregorianæ: *In actu ſacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate:* unde cum ſimplex ſacerdos nequeat audire confeſſiones ſacramentales, neque ad eas adhuc deputatus ſit; videtur non comprehendi in rigore prohibitionis bullæ hujuſce, quæ, utpote odioſa, reſtringenda potius, quam amplianda venit. Reſp. enim, 1. Simplicem ſacerdotem jam vi poteſtatis in ordine ſuſceptæ deputatum eſſe ab eccleſia ſignate ad confeſſiones ſacramentales audiendas, et illas poſſe audire in caſu neceſſitatis; imo, quamvis non licite ob prohibitionem decreti Innoc. XI. ap. Corell. et Lacr. l. 6. n. 665. *Nulli liceat*, &c. attamen valide ſuſcipiet confeſſionem ſacramentalem materiæ liberæ; videlicet, peccatorum venalium, et gravium, jam in confeſſione antea expoſitorum, de quo Salmantic. Carden. Corell. Lacr. p. 2. n. 1489.

Reſp. 2. Ex ipſis verbis bullæ, non eſſe neceſſe, quod ſequatur ſacramentalis confeſſio; ibi; *Etiam ipſa confeſſione ſacramentali non ſecuta*; ſed ſufficere, quod *hujuſmodi confeſſionis occaſione, vel prætextu, in confeſſionario, aut loco quocunque, ubi confeſſiones audiantur*, ad inhoneſta provocet, aut ſolicitet. Aliud tamen foret, ſi fœmina ſciens ſimplicem ſacerdotem facultatem, et approbationem ad ſacramentales confeſſiones excipiendas non habere, eum tamen adiret ratione conſultandi aliquos ſuæ conſcientiæ caſus, aut peccata extra confeſſionarium, et ibi à tali ſimplici ſacerdote ſolicitaretur, pro quo vid. Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. p. 3. § 2. n. 25. cum illuſtriſſimo Acugna, Henric. et aliis.

III. Non curârunt etiam, 2. An talis ſolicitatio facta fuerit *in confeſſionario, vel in alio loco ad confeſſiones ſacramentales audiendas electo*, ut loquitur bulla; nam iſtæ circumſtantiæ loci faciunt dumtaxat pro caſu, quo confeſſarii ſint *ſimulantes ibidem audire confeſſiones.* Sin autem provocatio ad inhoneſta fiat in ſacramentali confeſſione, vel immediate antea, aut poſtea, quocunque loco fiat, tenebit obligatio delationis. Ita DD. communiter. Secus, ſi locus foret communis, et indifferens; quamvis ibidem confeſſionem ſimulans mulierem ſolicitaret; v. g. monialem in locutorio; tunc enim ceſſabit onus denuntiandi. Sanch. Bord. Fel. Pot. Pignat. conſ. nov. 117.

IV. Fundamenta autem ſolida illius favorabilis conſultæ ſubſtiterunt in aliquorum DD. ſententiis practice probabilibus, vel abſolute, vel ſaltem in aliquarum circumſtantiarum gravium concurrentia, quas ſingillatim hic inducemus. Et, imprimis, non fuit ſe ſolo ſufficiens fundamentum nota emendatio confeſſarii, quæ fuit ſententia Fragoſ. Sot. Molpheſ. Nald. Frinzach. Acunh. Freit. Portel. Souſ. Lezan. Peyr. Pal. Fagund. Sylveſtr. Bord. Ledeſm. Sanch. Lug. Perin. Lup. Prad. et aliorum, cum D. Anton. et Thom. Hurtad. qui pro hac ſententia uſque ad 29 AA. recenſet, quorum aliqui tamen, ut Pignat. conſ. n. 117. Pal. Leand. Trimanch. Lup. et ipſe Hurtad. exigunt, quod nullum ſit periculum reincidentiæ; quorum quidem AA. rationes, ſive auctoritas intrinſeca, et extrinſeca, licet hanc ſententiam probabilem reddat, non tamen in praxi tutam abſolute, et ſimpliciter, ſed additis

additis aliquibus gravioribus circumſtantiis, ob rationes, et auctoritatem extrinſecam DD. contrariæ ſententiæ.

Quam tenent graviſſimi AA. apud Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. pu. 4. n. 78. videlicet, Sanctarell. Param. Azor. Bonac. Suar. Salon. Rox. Eſcob. Trull. Farinac. Caren. Bordon. à Sp. S. Valle de incant. et alii: 1. Quia hæc denuntiatio non habet pro fine adæquato ſolam emendationem, ſed etiam punitionem delinquentis. 2. Quia eſt difficillimi laboris, atque explorationis, recte judicare, vel æſtimare, quis vere reipſa ſit emendatus. 3. Quia ex contraria ſententia ampla aperientur oſtia ad eludendam, atque effugiendam denuntiandi obligationem.

V. Fuerunt ergo fundamenta ad illam favorabilem reſolutionem, præter ſcientiam certæ emendationis, et moralem certitudinem de non reincidentia, ob bonam conſtantem vitæ triennalem (quam ſufficere docet Paſſerin. l. 5. in 6. decretal. c. 18. n. 123. et Pignat. conſ. nov. 117.) reliqua damna, et incommoda toti illi nobili familiæ ex denuntiatione prudenter verita, et infallibiliter obventura, et reliquæ circumſtantiæ in facti ſpecie inſinuatæ; in quarum concurſu procedit de plano regula, *Singula, quæ non proſunt, multa collecta juvant*; et doctrina Roncagl. tr. 19. c. 2. q. 3. *Si igitur ex pravitate vitæ, et communi æſtimatione, credendum ſit confeſſarium ſolicitare ob deſpectum ſacramenti, et non ſemel eodem abuti in perniciem animarum; tunc ratione gravis, et communis damni ſpiritualis, dicerem à quocunque eſſe denuntiandum. Si vero ipſius mores, et communis hominum æſtimatio, faciant dignoſcere amore potius libidinis ſemel ſolicitâſſe; tunc putarem à prædictis non eſſe denuntiandum; tum quia ex tali denuntiatione facillime orirentur inter cognatos, et agnatos, graviſſimæ rixæ, et diſcordiæ; quæ mala unuſquiſque jus habet præcavendi, ſi jus fortius non urgeat; tum quia jus naturale vult denuntiatione non violandum mutuum amorem, ſeu reverentiam, quæ intercedere debent inter tales perſonas, ſi aliud jus validius non cogat tale jus violare. Exceptis igitur formaliter hæreticis, quoad meros ſuſpectos de hæreſi non eſſe obligationem eos denuntiandi, docent Bordon. in tribun. cap. 31. quæſ. 10. et 11. Diana coordin. to. 5. tr. 9. reſol. 11. et plures alii.*

Imo etiam de denuntiatione hæretici addit Antonell. lib. de judic. crim. c. 19. n. 2. *Addunt alii, quod ultra excommunicationem latam in edictis inquiſitorum, excommunicationem bullæ Cœnæ incurrunt, tanquam hæreticorum fautores: ſed hoc procedit, quando quis defenderet hæreticum, ut hæreticum, juxta c.* Accuſatus, § Sacerdotes, *de hæret. in 6. ſecus, ſi denuntiatio omittatur ex amicitia, conſanguinitate, metu, vel alia ſimili cauſa, ut d. Bonac. de cenſur. in p. diſp. 1. q. 2. pun. 3. n. 2. Diana, p. 4. tr. 7. reſol. 21. verſ.* Verum ego, *et alii communiter.*

VI. Neque obſtabat, quod ſubjectus confeſſarius non ſemel ſolicitaverit; prius enim aliam etiam fœminam jam citra effectum, licet etiam ſemel, ſolicitaverat. Nam certum erat, 1. Id feciſſe paulo ante, vel quaſi eodem tempore atque ſecundam ſolicitationem, quam perfecta, et certa ſecuta eſt emendatio diuturna, utpote triennalis (quæ ex jure ſufficiens videtur ex traditis per Paſſerin. et cit. Pignatell. conſ. 117. § *Fateor*) qua actu et perſeverabat; et poſt hanc ſecundam provocationem emendatio illa regulanda erat. 2. Id non feciſſe in ſacramenti contemptum, ſed ex æſtuatione, atque obcæcatione libidinis. 3. Quia denuntiatio jam facta tribunali ipſius primæ ſolicitationis, aggravatoria erat damnorum, atque incommodorum, necnon infamiarum multiplicium familiæ illi, ex proceſſu S. Officii (qui juſte, ac prudenter verebatur) inſequendorum. Vide Pignat. cit. conſ. 117.

VII. Porro, quod excuſetur à denuntiando pœnitens, inde grave damnum timens in vita, fama, et rebus temporalibus, abſolute docent Sanch. Acugn. Trullench. Lezan. Fagund. Pegn. Lug. Homobon. Pering. Leand. Dia. et alii apud Fel. Pot. qui n. 599. abſolute hanc ſententiam amplectitur, ſi prudenter inde timeat grave malum ſibi, aut ſuis conjunctiſſimis; videlicet, patri, matri, marito, filiis, ac fratribus. Pariter non tenetur confeſſarium denuntiare pater, mater, filius, frater. Tanner. Dia. Peyrin. et alii videndi ap. ipſum Pot. n. 493. et Pignat. cit. ubi diſtinguit inter ſolicitantem, abſque errore hæreſis, quem dicit non teneri præfatos denuntiare; et hæreticum dogmatizantem, quem affirmat teneri.

Curſus autem moralis Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. p. 4. n. 89. et alii plures, eandem reſolutionem amplectuntur cum hac modificatione: *Si ſolicitans ſit vir nobilis, clareque cogneſcatur, quod amore potius libidinis, quam deſpectu ſacramenti raptus, hæc ſemel patraverit, evidens eſt, quod ad repellendam injuriam ſacramento illatam non requiritur, quod denuntians ſe exponat vitæ periculo, cum pluribus aliis viis poſſit reparari; nec alias timeri prudenter poſſit, quod ex emiſſione denuntiationis graviſſimum damnum imminet eccleſiæ: ergo, ſi ſolicitatus, aut ſolicitationem ſciens, timeat rationabiliter ex tali denuntiatione ſibi imminere vitæ, exilii, infamiæ, aut alterius ſimilis damni periculum, excuſabitur à denuntiando.*

Et n. 91. et 92. contrariam opinionem ſuſtinent, quando ſolicitatio cum hæreſi conjungeretur, vel fieret in deſpectum ſacramenti, et ex omiſſione denuntiationis periclitaretur bonum fidei catholicæ. Et P. Viva in prop. 5. Alex. VII. § 11. *Quando tamen delictum non eſt hæreſis formalis, ſed ſolum ſapiens hæreſim, ut eſt ſolicitatio, poterit, v. g. fœmina excuſari à denuntiando ſolicitantem, ſi grave malum timeat, puta mortem, vulnera, jacturam famæ, honoris, aut magnæ partis bonorum; aut ſi ea proxime eventura probabile credat ſuis conſanguineis, aut affinibus, uſque ad quartum gradum. Cavendum tamen eſt, ne quis trepidet timore, ubi nullus eſt timor, ut paſſim contingit.*

VIII. Ratio fundamentalis eſt, à priori; 1. Quia præcepta humana, et eccleſiaſtica, non obligant cum gravi nocumento. 2. Quia jus naturale prævalet juri humano poſitivo. Quilibet autem homo habet jus ab ipſa natura inditum ad ſe defendendum ab omnibus gravibus nocumentis. Obſerva tamen hic propoſit. 7. ab Alexandro VII. damnatam; videlicet, *Modus evadendi obligationem denuntiandi eſt, ſi ſolicitatus confitetur cum ſolicitante; hic poteſt eum abſolvere abſque onere denuntiandi.* Super qua vide Viv. et Fr. Valentin. in compilat. moral. ubi n. 61. reperies decretum ejuſdem Alex. VII. ann. 1660. ubi in favorem S. Officii inter alia hæc *declaravit, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omnino teneri, et obligatos accedere ad denuntiandum . . . Nec poſſe illos à denuntiando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu, retrahere, aut retardare.*

Quia autem P. Viva ibid. prop. 7. n. 6. objectioni; *Neque dicas, à theologis opiniones omnes benignas præ manibus habendas, non ut iis paſſim utantur, ſed ſi forte aliquando expediat ad ſalutem animæ pœnitentis in aliquo raro caſu: in re noſtra, reperitur aliquando mulier nobilis, et verecunda, quæ nullatenus induci poteſt ad denuntiandum confeſſarium ſolicitantem; in quo caſu videtur magis charitati conſonum aliqua ex opinionibus benignis illam adjuvare, quam in ea obſtinatione, atque adeo in ſtatu damnationis, illam relinquere:*

Sic ſatisfaciens reſpondet; *Nam nemo poteſt hoc ſanum conſilium refellere; imo, hac de cauſa in confeſſario requiritur ſtudium, et doctrina, ut quoad ejus fieri poſſit, in ſalutem pœnitentis incumbat. Quod dicimus, non eſt, opiniones benignas non eſſe in praxim deducendas, juxta materiæ, et pœnitentis exigentiam; dicimus ſolum, opiniones laxas, ac tenuis probabilitatis, quæ communiter à DD. rejiciuntur, et nullo ſolido fundamento fulciuntur, ut ſunt non paucæ ex enumeratis, non deſervire ad ſalutem animarum, ſed ad fovenda ſcelera, et in ruinam etiam ipſius abſolventis,* &c.

IX. Idcirco pro aliquibus caſibus raris, ac exitus difficilis, et periculoſi, et pro uberiori hujus materiæ notitia, ſequentes adnotationes hic annectere libet.

Prima ſit, quam tenent Fagund. Fragoſ. et alii apud Bordon. et Salmantic. n. 85. aſſerentes non teneri denuntiare confeſſarium ſolicitantem, qui id ſub ſecreto naturali ſciverit. Ratio illis eſt, 1. Quia obſervatio ſecreti naturalis eſt de jure naturæ; obſervatio autem denuntiationis eſt juris poſitivi eccleſiaſtici; quod

quod quidem minus urget, quam naturale. 2. Quia bono communi univerſi, et reipublicæ naturalis, politicæ, et Chriſtianæ, omnino convenit, ac decet, ut homines hanc naturalem fidelitatem ſibi mutuo ſervandi, nunquam revelandi, quæ ſub ſecreto naturali ſibi adinvicem tradiderint, cuſtodiant. 3. Quia hæc præſumitur prudenter fuiſſe voluntas Summorum Pontificum nolentium præcepta ſua, quæ benigna ſunt, in tam arduis, duriſque circumſtantiis Chriſticolas conſtringere, ut probat illuſtriſſimus Acugna, q. 18. Vide etiam Pignat. cit. conſ. 117. § *At vero.*

Contrarium tamen tenent reliqui DD. ap. cit. Salmantic. etiamſi obſervantia naturalis ſecreti foret juramento firmata. Excipitur ſecretum naturale ortum ex ſigillo ſacramentali. Ratio illis eſt; quia bonum commune præponderat bono particulari; obſervantia autem illius naturalis ſecreti vergeret in damnum commune, quatenus ex illa ſequeretur et proſecutio, et non correctio ſerpentis mali ſolicitationis. Ita Bordon. et Salmantic. et Pot. qui tamen juſte limitant hanc reſolutionem in praxi omnino, et tuto utiliter ſervandam: *Niſi talis ſolicitatio ſit manifeſtata petendi conſilii cauſa; quia tunc debet illud ſecretum ſervari: nam oppoſitum eſt humano convictui, et rationi valde diſſonum, fideleſque deterrerentur à petendis conſiliis; quod quidem eſt contra bonum commune, majoraque afferens damna.*

Et cit. Pignat. conſ. 117. § *Limitant tamen hoc aliqui, ut non teneatur denuntiare ſolicitantem vir doctus, cum conſilii petendi cauſa ſolicitatio fuit manifeſtata; nam alias hæc obligatio cederet in præjudicium boni communis; fideles enim non auderent conſilium petere. Id fundatur in dicto decreto Alex.* VII. *quod regulares, à quibus conſilium petitur circa obligationem denuntiandi, obligat ſolum ad hoc, ut moneant, et obligent ad denuntiandum,* &c. Et citat Leand. Trull. Trimarch. et Hurt.

Cohæret etiam Fel. Pot. n. 598. *Non tenetur tamen denuntiare, qui ſcit occaſione conſilii; quia tacere quod ſcitur ratione conſilii, ſpectat ad bonum publicum, ad conſervandum, ſcilicet, opus miſericordiæ, inſtruendo ignorantes, et imperitos. Item inductum in favorem, non eſt retorquendum in detrimentum. Bordon. Sanch. et Trimarch.*

Si ergo ſolicitatio tibi manifeſtata foret cauſa petendi à te conſilii, et ſecretum tibi foret commiſſum, et à te promiſſum, tunc ſolicitantem non teneberis denuntiare; hujus enim naturalis ſecreti obſervantia pertinet etiam bono communi, de quo Roncagl. cum Pal. Trull. Leand. ſup. cit. allegat. 146. n. 28. quibus addendi Pignat. Trimarch. Hurtad. et alii.

X. Secunda ſit illa, de qua alleg. præcedenti, n. 17. de muliere ſolicitationi aſſentiente, quam non teneri deferre confeſſarium ipſius provocatorem, probabiliter docent Suar. Pegn. Simanch. Portel. Megal. et alii apud Pignat. cit. conſ. 117.

1. Quia implicite in illa denuntiatione ſeipſam deferret, ad quod nemo tenetur. 2. Quia majoris ponderis eſt onus integritatis confeſſionis, quam denuntiationis confeſſarii ſolicitantis; et tamen, ſi ex confeſſione pœnitentis confeſſarius veniat in cognitionem complicis, poteſt, imo et tenetur ex charitate confeſſionem dimidiare, cõmplicem tacendo: ergo multo magis ex propria charitate, cujus rectus ordo à ſeipſo incipere debet. Vid. etiam infr. alleg. 153. 3. Ex communi doctrina, etiam adverſariorum apud Salmantic. c. 4. § 2. n. 87. et 89. tenentium, ſaltem regulariter, grave damnum imminens, v. g. famæ, aut honoris jacturæ, vel ſibi, vel ſuis propinquis, excuſare ab onere denuntiandi. 4. A paritate doctrinæ Cayet. de Alexandr. c. 6. § 10. q. 6. infr. tranſcripta, n. fin. Vid. etiam Gob. tr. 7.

Contrarium tamen acriter tuentur Acugn. Bonac. Trull. Dia. Freit. et alii ap. Salmantic. cit. c. 4. § 1. n. 66. agnoſcentes, ac fatentes tamen difficultatis gravitatem: 1. Quia fœmina poteſt hanc obligationem abſque propriæ famæ jactura adimplere; non enim tenetur declarare ſe ſolicitationi acquieviſſe; et quamvis confeſſarius delatus id in tribunali fateretur, nec ei crederetur, nec in actis confeſſio vel declaratio ſcriberetur. 2. Quia fœmina à confeſſario ſolicitata, antequam ſolicitationi aſſentiatur, jam tenetur confeſſarium denuntiare: ergo etiam poſt conſenſum; alias commodum ſibi reportaret ex delicto. Eſt ratio Salmantic.

In hac graviſſima difficultate, ut in praxi ſecuro pede in aliquo caſu difficili, et anguſtiarum arduarum, poſſit cum conſcientiarum levamine, ac ſerenitate, tuto procedi; dico, 1. Si certum ſit, quod confeſſio, et declaratio fœminarum ſolicitationi acquieſcentium in actis ſcribatur, et poſtea in ſententiæ promulgatione publicetur (quod experientia propria in tribunali Inquiſitionis Conimbricenſis in triplici confeſſariorum ſolicitantium proceſſu vidi, et audivi ipſorum confeſſiones ad acta redigere, et eas poſtmodum in ſententiis publicare, quibus ſolicitantes ipſi fatebantur ſe certas fœminas in confeſſione provocâſſe, et tales ac tales effectus, videlicet, pollutionis, copulæ, &c. inde fuiſſe ſecutos); certum eſt, quod tales fœminæ tuto ab onere denuntiandi confeſſarios earum provocatores abſolvantur, ex rationibus ſupra traditis. Et præſertim; quia ceſſat præcipuæ rationis motivum, ac fundamentum, quod fœmina ſolicitata, abſque propriæ famæ jactura, etiam indirecta, poſſit legem, atque obligationem denuntiationis adimplere. Quod et ulterius comprobatur ex declaratione S. Congregationis ann. 1624. apud Dia. p. 4. tr. 3. 2. 31. et Antonell. l. 6. c. 6. de jud. crim. vetantis interrogari confeſſarium denuntiatum, nec denuntiantem ſuper conſenſu, et puniri denuntiantem, ſi illum imprudenter manifeſtavit. Pro quo vide etiam Pignat. conſ. nov. 117. § *At vero.*

XI. Dico, 2. Etiamſi certum foret, inquiſitores, neque de conſenſu fœminæ ſolicitatæ, neque de effectibus ſolicitationem ſequentibus interrogare, neque declarationes, etiam ſponte ſuper hac re factæ, in iplis actibus ſcriberentur; attamen fœmina, præſertim nobilis, probabiliter non adſtringeretur vinculo delationis complicis ſolicitantis; ſed impune poſſet juri naturali bonæ famæ conſervandæ providere, et malo certæ infamiæ reparando per taciturnitatem præcavere. Dixi *certæ*; quia ſaltem apud inquiſitores, et reliquos tribunalis miniſtros, famæ diſpendium, atque jacturam patietur, ut ſtatim demonſtrabitur; nam coram omnibus confeſſiones leguntur pro ſententia ferenda, et non ſoli notario, et inquiſitori patefiunt, ut ſupponit Pignat. cit. § *Nota autem*; quare huic reſolutioni favere cenſendus eſt.

Probatur facile reſolutio ex fundamentis ſupra expreſſis, quibus noviter addendum ſequens: Quia quamvis inquiſitores de ſolicitatæ conſenſu, et effectibus, non interrogent, ut tenet Pignat. cit. conſ. 117. § *Neque excuſatur*; neque ſi ſolicitantes illos exprimant, illorum confeſſiones in actibus non ſcribantur, quod tamen ex S. Officii regimine aliter evenit, et ex iis, quæ Pignat. cit. c. 117. § *Itaque pœnæ*; ibi; *Si ſolicitatio obtinuit effectum*; ſemper enim reorum ſpontaneæ declarationes ſcribuntur, quamvis non omnes in ſententiis publicentur; attamen certum eſt, 1. Quod ipſi confeſſarii ſolicitantes, ut veram, ac receptibilem confeſſionem, et miſericordiæ, quam ſolent implorare, dignam de corde emittere videantur, ſi non neceſſario, ſaltem convenienter, fateri tenebuntur peccata ſua cum omnibus circumſtantiis, quæ culpam vel minuant, vel aggravent; tum ne confeſſionis deminutæ, atque denuntiationum gradus non adæquantis, nota taxentur; tum ut fide digni æſtimentur, ore integre fatentes, quod corde retinent; et juſtitiæ probationibus adverſus illos in ſubſtantia, ac circumſtantiis, plene ſatisfacientes; alias ſubjicientur libello accuſatorio promotoris fiſcalis contra deminutiones, occultationes, et inveroſimilitudines eorum confeſſionum, quaſi eæ neque integræ, neque ex corde factæ reputari debeant, ac per conſequens neque receptibiles; et exinde augebitur in fide ſuſpicio, &c.

2. Quia ſi fœmina nobilis aſſentiens ſolicitationi confeſſarii, illum denuntiet, præſciens, quia quamvis non interrogetur de conſenſu pœnitentis, neque de effectibus conſenſum ſecutis, ipſe tamen ſponte illos declarabit (neque ullatenus ad id efficiendum impedietur) vel ad meliorem propriæ cauſæ exitum, vel ut ſic melius ipſius cordis contritrio, et reſipiſcentia innoteſcat, et indulgentius, ac miſericorditer, cum illo agatur; certum omnino eſt, quod cum certitudine ſolicitationis talis activæ ex parte confeſſarii, et certitudine denuntiationis talis pœnitentis, facile credatur conſenſus, et

effectus

effectus ſecutus ſponte à ſolicitante declaratus, et cum talibus circumſtantiis veroſimilitudinis tam eventus, quam veritatis integræ, et ſinceræ cordatæ confeſſionis; præſertim, ſi denuntians non declaret ſe renuiſſe, aut repugnâſſe provocationi (quod aſſentiens declarare vere non poterit, alias mentietur, quod non eſt licitum). Deinde plus verecundiæ, atque infamiæ patietur fœmina nobilis in aliquali famæ, atque honoris jactura, apud integrum tribunal tam nobilium, atque ſuperilluſtrium judicum, miniſtrorumque; quam integrum forum perſonarum plebis rudis, ignobilis, et infimæ: ergo talis fœmina ſemper *certæ infamiæ*, ac certæ honoris jacturæ, manet expoſita, de quo Pignat. cit. § *Neque excuſatur.*

Accedit, quod in regimine S. Officii diverſæ pœnæ deſignantur pro majori gravitate, ac deformitate qualitatis ſolicitationis; et mitius punitur ſimplex ſolicitatio ſine effectu, quam ſolicitatio qualificata cum effectibus ex illa ſecutis; mitius quæ extra, quam quæ intra confeſſionem fit, de quo Pignat. cit. § *Itaque pœnæ*; verbis ibi: *Si ſolicitatio obtinuit, vel non obtinuit effectum*, &c. et juxta horum gravitatem, ac fœditatem, augetur etiam gravitas, et acerbitas pœnarum, de quo Pignatell. conſ. nov. 134. 162. 202. et præſertim conſ. 117. Caren. p. 2. tit. 6. § 17. de pœnis ſolicitantibus imponendis, et ſeqq. Souſ. in aphoriſm. l. 1. c. 34. et l. 3. de pœnis, et in opuſc. *de ſolicitat. Nam, malitia creſcente, creſcere debet et pœna*, l. *Quicunque*, cod. de ſerv. fugit. c. *Honoratus*, 74. diſt. Matth. de afflict. conſt. Clement. n. 29. Gail. de pace public. l. 2. c. 2. n. 29.

XII. Dices pro Salmantic. cit. to. 5. tr. 21. c. 4. p. 4. n. 66. Fœmina illa ante conſenſum teneretur denuntiare confeſſarium ſolicitantem: ergo etiam poſt conſenſum; alias lucrum de ſua iniquitate reportaret, quod eſt injuſtum, ex l. *Servus*, ff. *Quod vi, aut clam*, l. *In fundo*, ff. de reivendic. c. *Cognoſcentes*, de conſtit. c. *Sedes*, et c. *Plerumque*, de reſcript. c. *Intelleximus*, de judic. et advocat. verb. *Delictum*, n. 7. Confirmatur; quia quamvis copula inter conſanguineos, vel affines, ex mera fragilitate habita, facilitare ſoleat gratiam diſpenſationis obtinendæ; non ita tamen, ſi ex induſtria, vel ex dolo, habeatur ad pertenſam diſpenſationem facilitandam, vel in ſpem illius, ut videre eſt ap. Pirrh. Corrad. in prax. diſpenſ. l. 8. c. 1. per tot. ſignanter à n. 11. et ſeqq.

Reſp. Fœminam illam ante conſenſum teneri quidem ad denuntiationem, quia commode eam exhibere poterat; *per accidens* autem, ex mutatione materiæ, poſt conſenſum ad eam non teneri; quia jam intervenit grave incommodum ex jactura propriæ famæ, et honoris, juxta præmiſſa; neque in hoc ſenſu aliquod ſequitur abſurdum de lucro ex propria iniquitate reportando, dummodo conſenſum doloſe, et de induſtria, non adhiberet ad onus delationis evadendum, ut viſitur in exemplo allato de faciliori indulgentia diſpenſationis inter cognatos, copula præcedente, dummodo de induſtria, et in ſpem facilioris indulgentiæ, non præhaberetur. Imo etiam caſu, quo de propoſito ad facilitandam diſpenſationem, et in ſpem illius, copula præceſſerit, dummodo hæc ſpes in precibus exprimatur, diſpenſari ſolet, impoſita tamen gravi pœnitentia ſalutari, ut teſtatur idem Pirrh. Corrad. ibid. n. 14. et ſeqq. quin obviet proloquium objectum.

XIII. Patet etiam ſolutionis veritas ex quamplurimis aliis exemplis, ac doctrinis, apud moraliſtas DD. trivialibus. 1. Fatigatus ex ludo pilæ non tenetur jejunare; et quamvis præſciens fatigationem ſecuturam ſeſe impotentem reddat ad obſervantiam jejunii in illa die, licet peccet à ludo non abſtinendo, attamen ad jejunium poſtmodum tunc non obligatur. Sa, verb. *Ludus*, et *Jejunium*. Et Caſtr. Pal. Sylv. Dia. Tambur. Laym. et alii apud Lacr. l. 3. p. 2. n. 1334. videndum etiam n. 1336.

2. Mulier, quia ex illicito concubitu gravidatur, excuſatur et à jejunio, et à præcepto intereſſendi ſacro, graviditatis tempore durante, ſi abſque gravi infamia ei nequeat ſatisfacere. Et pariformiter homo luxurioſus ex immoderato, frequentique uſu venereorum viribus exhauſtus, et ab eiſdem præceptis, et ab aliis oneribus, ad quæ graviter tenebatur, ex ſupervenienti, et accidentali impotentia deobligatur; quin obſit lucrum de iniquitate reportatum; et quamvis peccent contra præceptum caſtitatis, non tamen contra præceptum jejunandi, vel ſacrum audiendi. Vid. Lacr. ad Buſemb. l. 1. de legib. n. 792. et ſeqq. et l. 3. p. 2. n. 1334.

3. Qui peccatum in ſua diœceſi reſervatum confitetur in loco, ubi non eſt reſervatum, valide, et licite confitetur, et abſolvitur à quolibet confeſſore approbato, dummodo in fraudem reſervationis non diverterit, ut patet ex declaratione Clem. X. apud Lacr. p. 2. l. 6. n. 3631.

XIV. Confirmatur, 1. Ex ſuavitate jugi Domini, et ex mente pia, ac benigna Summorum Pontificum in his eccleſiaſticis decretis publicandis, et ſervandis citra grave incommodum. Confirmatur, 2. Formaliter, ac radicaliter, ſolutio ex ipſa natura præſentis obligationis intra terminum triginta dierum præfixæ; quia talis fœmina nobilis non obligatur illico deferre confeſſarium, ſed termino illo durante: ergo ſi intra illum terminum ſuperveniat aliquod impedimentum, vel damnum aliquod grave ex delatione ſecuturum, ex illis, quæ DD. communiter deſignant (quod accidere poteſt, dummodo non fieret de induſtria) deobligabitur ab onere delationis ex gravi damno ſibi, et ſuis ſuperventuro, ſecundum communem doctrinam, etiam DD. adverſantium ſuperius traditam: ergo in hoc caſu, et aliis ſimilibus, mulier illa, quæ tenebatur ante conſenſum deferre confeſſarium, imo et poſt illum in opinione adverſariorum, ſaltem poſt reſultantiam ſupervenientis damni, vel impedimenti intra terminum præfixum, abſolute non tenebitur ex timore gravis damni in fama, rebus, aut honore ſecuturi; quia materia mutata eſt; et ex mutatione illa, quæ antea tenebatur *per accidens*, poſtea non tenetur: ergo pariformiter, &c.

Neque obeſt doctrina Pot. n. 636. dicentis teneri prævenire impedimentum, quemadmodum obligatus præcepto annuæ confeſſionis, præſciens impedimentum ſuperventurum. Reſp. enim, 1. Poſſe vel ignorare obligationem prævention is, vel procedere ſine fraude, vel impedimentum, ac damnum, paulo poſt ſolicitationem reſultare. Reſp. 2. Præceptum annuæ confeſſionis ſemper obligare abſolute, etiam tranſacto tempore Quadrageſimæ; at vero præceptum denuntiandi nunquam obligavit cum gravi incommodo.

Idem verificatur in aliis exemplis apud Lacr. ad Buſemb. l. 1. n. 683. et ſeqq. cum peregrinis exeuntibus ad alienum territorium de induſtria, ut ſe à lege eximant, quos per ſe loquendo non teneri ad legem docent Sanch. Soar. Bonac. Paſqual. et alii plures ad num. ſeptemdecim; quia quamvis agant quaſi in fraudem legis, utuntur jure ſuo tempore, et loco; quo lex eos non obligat; et prout ſic favet eis reg. 55. de reg. jur. *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.*

Pariformiter in exemplis ap. eundem, l. 6. p. 3. n. 712. et ſeqq. et ap. Pirrh. Corrad. in prax. diſpenſat. l. 8. c. 4. de validitate matrimonii divertentis ad locum, ubi Concil. Trident. non eſt receptum; pro qua referuntur deciſiones S. Congreg. quando digreſſio ſine fraude fit; imo, ſi fraus intercedat, adhuc validum extare, dicunt Sanch. Pont. Leſſ. Averſ. et alii ibid. cit. n. 712. licet contrarium fuerit deciſum ab Urb. VIII. ad archiepiſcopum Colonienſem ibidem: ubi n. 454. reperies aliud conſimile decretum S. Congr. facultati Viennenſi.

XV. Inferes: Ergo talis ſacerdos manebit impunitus, et impunibilis, ob talem ſolicitationem, cum finis bullæ ſit etiam punitio delictorum. Reſp. cum diſtinctione: Impunibilis apud Deum, nego; non enim effugiet manum Domini: apud homines, concedo. Sic denuntiatio ſolicitationis certæ factæ ab uno, aut duplici teſte, licet aliunde cognita ſit ab inquiſitoribus, eſt ab illis impunibilis, in opinione Caſtr. Pal. requirentis in teſtibus ſingularibus tres omni exceptione majores ad juſtam punitionem; eo quod ſi in ore duorum ſaltem teſtium non ſingularium debet ſtare judicium; ſaltem in ore trium ſingularium debet conſtare ad pœnam, imo ad capturam, de quo Pal. p. 1. tr. 4. pu. 11. Relinquenda ergo eſt punitio in hoc, et aliis ſimilibus caſibus, tribunali divino, in quo *reddetur unicuique ſecundum opera ejus.*

XVI.

XVI. An vero mulier nobilis ſolicitata, non aſſentiens ſolicitationi, poſſit licite de induſtria inter terminum taxatum procurare affinitatem cum confeſſario ſolicitante, ut ſic onus eum denuntiandi evadat, vel eludat? Negative eſt reſpondendum ex præcitatis decretis: 1. Quia abſque gravi incommodo ante affinitatem contractam, poteſt, et debet eum denuntiare. 2. Quia ſic palam operaretur in fraudem legis; unde quemadmodum Hiſpanus è territorio ſuo, ubi Concil. Trident. receptum eſt, divertens in Gallicanum, ubi non eſt receptum, animo contrahendi matrimonium clandeſtinum, et in patriam revertendi, nulliter contraheret, ut tenent Lacr. ad Buſemb. l. 1. n. 683. et l. 3. p. 2. n. 1336. et l. 6. p. 3. c. 3. n. 712. et alii contra Sanch. Pont. Leſſ. eo quod in fraudem legis divertiſſet (ſecus, ſi ſine fraude pergeret) ita ſimiliter, &c. Et pro hoc rectè facit axioma: *Fraus, et dolus, nemini debent patrocinari*, c. *Ex tenore*, de reſcriptis. Vid. cit. Lacr. et Pirrh.

XVII. Tertia ſit: An conſtitutio hæc Gregoriana comprehendat etiam exemptos, ac privilegiatos, puta patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, etiam titulares, nuntios apoſtolicos, et alios: et quomodo, ac cui, hi denuntiandi ſint? Non comprehendere epiſcopos, et eis ſuperiores, tenent illuſtriſſimus Acugna, q. 12. Fel. Pot. Hurt. à Sp. S. Barboſ. Salmantic. Fragoſ. Petr. et alii.

Fundamentum illis eſt, 1. Quia in pœnalibus, atque odioſis, non comprehenduntur epiſcopi in quibuſvis verbis generalibus, niſi exprimantur, ex c. *Quia periculoſum*, de ſent. excommunic. in 6. c. ult. de offic. deleg. in 6. ub. gloſſ. et DD. cum Barboſ. Pignat. Bonac. atqui in illis verbis bullæ *Omnes et ſinguli ſacerdotes, cujuſcunque dignitatis, et præeminentiæ*, &c. non exprimitur dignitas *epiſcopalis*: ergo in illis non comprehenditur; atque adeo, quantum ex vi bullæ, non comprehenduntur etiani in onere denuntiandi.

2. Quia epiſcopi ne in minimo quidem, etiam in crimine hæreſis, ſubduntur inquiſitorum cognitioni, ut ex c. *Inquiſitores*, de hæret. in 6. ibi: *De hujuſmodi crimine inquirere contra epiſcopos nequeunt, aut ejus prætextu procedere contra eos*, c. *Cum Matthæus*, extravag. de ſchiſmatic. ex Trid. ſ. 24. c. 5. de reform. ubi DD. communiter cum Barb. Conſonat jus civile, l. *Item apud*, 15. § *Ait prætor*, ff. de injur. et addit Petr. to. 3. in conſt. 23. Alex. IV. inquiſitores etiam contra epiſcopos titulares neque informationes capere, neque teſtes examinare poſſe abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ commiſſione, ex Trid. cit. ſ. 24. c. 5. de ref.

XVIII. Quam reſolutionem extendunt cit. DD. nedum ad ipſos epiſcopos titulares, ſed et ad nuntios, et inquiſitores generales Hiſpaniarum, non tamen ad reliquos inquiſitores inferiores, ex cit. c. *Cum Matthæus*; ibi: *Inquiſitor hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ auctoritate Ap. deputatus, frivola occaſione quæſita, ac noſtra, et Ap. Sedis reverentia, et honore poſtpoſitis, in dilectum filium archidiaconum Forolivien. capellanum noſtrum excommunicationis ſententiam in conſultis motibus non ſine multa temeritate, duxerit proferendam . . . Nos volentes de cætero talium præſumptoribus obviare . . . diſtrictius inhibemus; et mandamus expreſſe, ne contra noſtros, et Ap. Sedis officiales, vel nuntios, aut ipſorum aliquem, qualibet occaſione, vel cauſa, abſque noſtra, et Apoſt. Sedis licentia ſpeciali . . . procedere quoque modo præſumant*, &c.

Supra quæ videndus Card. Petr. to. 3. in conſt. 23. Alex. IV. n. 14. ubi tamen n. 11. ita ait: *Cum autem, cit. c.* Inquiſitor, *dicatur, inquiſitores non poſſe contra epiſcopos inquirere, ſequitur ipſos nec de hæreſi epiſcopi cognoſcere, nec dicta teſtium recipere poſſe, ut bene docet gl. ib. v.* Apoſtolic. *unde DD. communiter contrarium aſſerentes ap. Barb. Paſſerin. Dia. non alias recipiendi ſunt, niſi ut poſſint inquiſitores extrajudicialiter, et ſecreto, ſe informare, ut ita Sedem Apoſtolicam inſtruere poſſint.*

XIX. Num vero idem dicendum de generalibus, et reliquis prælatis regularibus non epiſcopis, quamvis juriſdictionem epiſcopalem, vel quaſi epiſcopalem habeant cum territorio ſeparato, ut generales, et aliqui priores meæ congregationis canonicæ regularis S. Crucis Conimbricenſis, generales abbates Alcobatiæ congregationis Ciſtercienſis; D. prior Thomarenſis regularis Militiæ Chriſti, et alii ſimiles; negant communiter DD. tam ſæculares, quam regulares, quantum eſt de rigore juris, et ex vi bullæ; eo quod nomine epiſcoporum non comprehendantur apud Salmantic. c. 4. pu. 3. n. 31. Bordon. in tribun. c. 27. n. 27.

XX. Attamen plures DD. nedum regulares, ut Dia. Perin. Th. Hurtad. à Sp. S. et alii apud cit. Salmantic. ſed et ſæculares, ut Pegn. Zanard. Caren. Pignat. conſ. nov. 117. et alii; et unus præ cunctis ſolidiſſimus Cardinalis Petr. to. 3. in conſt. 23. Alex. IV. id admittit, non ex juris diſpoſitione, ſed ex quadam decentia, inquiens, n. 16. *Licet aliqui id limitaverint reſpectu generalium religionum, contra quos inquiſitores procedere non poſſe, ſed certiorare prius debere ſupremam Inquiſitionem, voluerunt nonnulli, quos ſequitur Dia. Peyrin. Bordon. tamen hæc limitatio jure non probatur; et cit. c.* Inquiſitores, *quo aliqui ex prælatis nituntur, loquitur ſolummodo de epiſcopis, ut ad rem advertit Freit. ad Roderic. Acugn. q. 12. et prior opinio procedere poſſet inſpecta quadam æquitate, et decentia, ut ait Caren. p. 1. tit. 5. § 9. n. 78.* Vide allegation. 140.

Confirmatur hæc reſolutio, et intelligentia, quantum ex diſpoſitione juris; quia præmiſſo c. *Inquiſitores*, verba illa, *Si tamen inquiſitores ipſi epiſcopos, alios ſuperiores prælatos ſciverint*, &c. (quæ occaſionem præbuerunt contrariæ opinioni aliquorum DD. regularium) non intelliguntur de ſuperioribus regularium; ſed de aliis prælatis, qui epiſcopis ipſis ſuperiores incedunt, ut archiepiſcopi, metropolitani, primates, et patriarchæ, ut expreſſe notatur in marginali ad gl. ibid. *Nota*, 2. *Quod appellatione prælatorum comprehenduntur epiſcopi, et ſuperiores.* Nec nomine epiſcopi veniunt ſuperiores regulares ex declarat. S. Congreg. ap. Barb. de epiſc. alleg. 39. p. 2. et aliis.

XXI. Quoad ſecundam autem quæſiti partem, videlicet, quomodo, et cui, epiſcopus ſolicitator, qui in hoc crimen forte laberetur (quod Deus Opt. Max. ſemper, et pro ſemper, avertere dignetur) denuntiandus ſit; communis reſolutio, cum cit. Acugna, q. 12. §. 6. Navarr. Pegn. Frag. Dec. Simanch. et alii ap. Pot. n. 621. et Roncagl. c. 1. r. 1. deferendum fore ad Sedem Apoſt. cujus eſt definire epiſcoporum cauſas criminales, c. *Accuſatus*, cum ſeqq. 9. q. 3. ub. Abb. et Felin. in c. *Non poteſt*, de re judicat. Simanch. et alii ex cit. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. de ref. Neſcio tamen qua cohærentia, qui ex præcitatis aſſerunt, epiſcopos non comprehendi in hac bulla Gregoriana, deſignent cui denuntiandi ſint, quantum ex vi iſtius bullæ; quicquid ſit aliunde, et in crimine hæreſis ex vi bullæ Cœnæ, quæ epiſcopos et cardinales comprehendit. Quod confirmatur à paritate excuſationis à denuntiando in partibus infidelium, ubi non ſervatur decretum S. Officii, de quo Pignat. conſ. can. 104. to. 1. ſub n. 14.

Fragoſ. tamen, et alii, qui putant epiſcopos comprehendi, dicunt deferendos eſſe generali inquiſitori, vel tribunali Inquiſitionis, ſi Summo Pontifici commode non poſſint denuntiari. Huic etiam aſſertioni, reſtrictè tamen, aſſentitur Petr. cit. to. 3. pro crimine hæreſis, dummodo denuntiatio, et teſtium examinatio, fiat extrajudicialiter, et per modum informationis Sedi Ap. remittendæ, expectando interim ſpecialem circa agenda commiſſionem; quod quidem conformius eſt diſpoſitioni cit. c. *Inquiſitores*, et Conc. Trid. jubentis expreſſe, quod *cauſæ graviores criminales contra epiſcopos ab ipſo tantum Summo Pontifice cognoſcantur, et terminentur*; attamen ſumma cautela, atque circumſpectione, in hac materia, etiam extrajudicialiter, procedendum eſt, etiam quoad reliqua interina procedimenta, de quibus cit. Petr. et Acugn. § 10. ubi ait: *Verum, cum generaliter vetetur inquiſitoribus proceſſio in epiſcopos, atque graviores criminales cauſæ, vel hæreticæ, Apoſt. Sedi reſervari jubeantur, ut ſtatuit Trid. parciſſime hac facultate uteris, ne quod factum in fidei amplificationem, fiat in miniſtrorum damnum, ut advertit optime Pegn. comment. 76.*

XXII. Suadetur ulterius hæc cautela, 1. Quia epiſcopi, utpote ſuperiores, qui *ex officio ſuo arguere, et*

increpare tenentur, frequenter odia multorum incurrunt, et *quaſi ſignum ad ſagittas eorum ſunt poſiti*, ut dicitur c. *Qualiter, et quando*, 24. de accuſat. c. *Accuſatus*, cum ſeqq. 9. q. 3. 2. A paritate inquiſitoris ſolicitantis, non generali inquiſitori, ſed Sedi Apoſt. denuntiandi, juxta aliquos infra laudatos. 3. Quia id etiam poſtulat nedum epiſcopalis dignitas, ſed et ſcandalum inſequendum, et diœceſis damnum, argum. tex. in c. *Quia periculoſum*, de ſent. excommunic. in 6. Inſuper et cauſæ gravitas, *quæ omnia cautiſſime agendum monent*; ita cit. Acugna, n. 6. Vid. dicta ſupr. alleg. 140.

XXIII. Pro denuntiatione inquiſitoris ſolicitantis, ſic tradit Fel. Pot. n. 624. *Pegna, et Eymeric. apud Leandrum cit. q. 55. qui tenent, inquiſitores numerari inter delegatos Sedis Apoſtolicæ, et ejus officiales, conſequenter docent, eſſe denuntiandos S. Sedi. Simanchas vero, qui tenet eſſe ſubdelegatos, et commiſſarios inquiſitoris generalis, docet eſſe inquiſitori generali, ſeu ſupremo tribunali Inquiſitionis, denuntiandos.* Vide etiam Clem. *Nolentes*, de hæret. in 6. § *Nullis.*

In locis autem, ubi non eſt inquiſitor generalis, neque Inquiſitionis ſupremum tribunal, inquiſitorem ſolicitantem deferendum eſſe ordinario loci, tenendum eſt; et conſtat, 1. Ex tenore bullæ Gregor. jubentis denuntiationes fieri *inquiſitoribus, ſeu locorum ordinariis.* 2. Quia epiſcopus eſt inquiſitor ordinarius in ſuæ diœceſi, Piaſec. in prax. p. 2. c. 4. n. 32. c. *Per hoc*, de hæret. in 6. c. *Ad abolendam*, c. *Excommunicam*, de hæretic. 3. Ex notatis per Salmantic. ad illam § 1. et ex traditis alleg. 140. et alibi, et ex iis, quæ Pignat. conſ. nov. 117.

XXIV. Quarta ſit pro ſolicitatione dubia, quam tenet Roncagl. tr. 19. c. 1. ubi quæſ. 4. An ſit denuntiandus confeſſarius, *quando dubium eſt, an ſolicitaverit?* ſic reſpondet: *Stando in terminis rigoroſi dubii, quando nempe non ſunt validiores rationes pro credenda ſolicitatione, quam pro ea non credenda, cenſerem non eſſe obligationem denuntiandi confeſſarium. Ratio eſt; quia jura univerſaliter volunt dubia in meliorem partem eſſe interpretanda*, cap. Eſtote, *de reg. jur. in eis benigniorem faciendam eſſe interpretationem*, cap. *fin. de tranſact. et id præſertim in pœnalibus*, reg. 49. *jur. in* 6. *et proinde, dum jura partium ſunt obſcura, volunt potius favendum reo, quam actori*, reg. 2. *jur. in* 6. *Cum autem iſta jura ſint etiam juxta lumen naturale, et bene dicatur non minus juſtius, quam tutius eſſe, dubia in meliorem partem interpretari*, leg. 153. *de reg. jur. hinc eſt in caſu veri dubii, an confeſſarius ſolicitaverit, putarem non eſſe denuntiandum, Bordon. in tribun. c.* 23. *q.* 28. *et in man. q.* 17. *Accedit, obligationem denuntiandi aliquod crimen non eſſe intelligendam de crimine, quod non minoribus rationibus credere poſſum non fuiſſe, quam fuiſſe patratum. Adhærerem vero contrariæ opinioni, quam docent plures theologi, quando, licet ſolicitatio non eſſet certa, nihilominus vehementia indicia ſuaderent adfuiſſe; ſi etenim tunc expectanda eſſet notitia omnimodo certa hujus criminis, in grave præjudicium boni communis, ſalutis animarum, reverentiæ ſacramenti, &c. poſſet in pluribus caſibus eludi lex tam neceſſaria de denuntiandis confeſſariis ſolicitantibus, Delbene, p. 2. dub.* 237. *ſect.* 3. *n.* 24. *Hinc quamvis verba dubia in cauſa fidei ſint in ſenſu catholico interpretanda, Menoch. l.* 2. *conſ.* 82. *n.* 10. *Reinald. l.* 4. *conſ.* 686. *n.* 6. *interpretantur nihilominus in ſenſu hæretico, dum valida occurrunt indicia per ea hæreſim fuiſſe explicatam, Pegna in director. comment.* 3. *verſ.* Veruntamen.

Idem tamen, c. 2. ibid. reg. 3. pro praxi ſic monet: *Veram pariter reputavi ſententiam, qua dicitur, quod quando dubium eſt, an facta, vel verba confeſſarii importent ſolicitationem, non ſit obligatio illum denuntiandi ex rationibus ſupra adductis: ultra quam quod bullæ Pontificiæ emanatæ ſunt contra ſolicitantes; ſolicitatio vero dubia non eſt dicenda ſolicitatio; ſic delictum dubium non reputatur delictum, ut probat Sanch. l.* 1. *ſum. c.* 10. *n.* 74. *At in praxi ex circumſtantiis, quod ſpeculative dubium eſt, indubium multoties apparebit. Lis, e.g. eſt inter auctores, an ſit ſolicitatio laudare pœnitentem à pulchritudine; at ni appareat finis honeſtus ita laudandi, ut ſi confeſſarius diceret mulieri ſe proſtituendo facere injuriam ſuæ pulchritudini, difficillimum erit excuſare à denuntiatione confeſſarium ita laudantem.*

Et ſupra traditæ doctrinæ valde ſuffragatur nupera bulla *Sacramentum pœnitentiæ*, Benedict. XIV. qua ſolummodo *ſermones, vel tractatus inhoneſti temerario auſu habiti*, denuntiari jubentur; et per teſtes ſingulares enorme hoc delictum puniri permittit, *dummodo præſumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant*; de quo infra, n. 28.

XXV. Attamen categorice dicendum, non poſſe quoad hoc pro praxi regulam certam definiri, ſed omnino præconſiderari debere genium, mores, et conditionem confeſſarii, imo et uſum, moreſque patriæ, tum in actionibus, tum in colloquiis, ac confabulationibus. Certum namque eſt omnino, quod laus, actio, aut locutio, quæ in uno prodiit ex animi ſinceritate, ac ſimplicitate, necnon ex genii facilitate, benignitate, et docilitate, et prout ſic abſque culpa formali; in alio poteſt procedere ex malitioſa, et prava intentione. Et actiones, quæ in una regione mere politicæ ſunt, et urbanitatis ſigna; in alia minus honeſtatis indicia reputantur: nam, ut recte, ac diſerte obſervat P. Segneri in ſuo *Confeſſario inſtructo*, aliqua ſunt peccata, quæ, regionis mutatione, etiam ſpecie mutari videntur; ex majori, vel minori horroris æſtimatione in una, quam in alia.

Sic expreſſiones aliquæ ſuaves, et nimis affectuoſæ epiſtolarum D. Franciſci Saleſii erga aliquas filias ſuas ſpirituales, quæ in ipſo perfectæ charitatis, et ſanctæ benignitatis ſigna, et effectus utique erant; in alio ſacerdote, aliaque regione, fortaſſis indicia minus honeſti amoris ab aliquibus æſtimarentur, ac judicarentur. Pariformiter actio ab ipſomet Sancto frequenter exercita offerendi benevole ſudarium ſuum pœnitentibus in actuali confeſſione ad lacrymas, vi ſanctarum ſuaſionum erumpentes, blande abſtergendas; in alio, præſertim in rigore doctrinæ aliquorum, de quibus Roncagl. c. 2. r. 2. et Bordon. et alii, ab ipſis provocativa, ac allectiva actio autumaretur.

Idem effutire poterant de frequenti charitativa attractione D. Philippi Nerii, capita pœnitentium aliquorum ad pectus ſuum blande applicantis, tum ad eos confortandos, atque animandos, tum ad firmandos, ac confirmandos in via Dei, veluti ictibus et tunſionibus vulnerati, et agitati cordis Philippi elaborandos, poliendos, atque in divino amore perficiendos. Et idem dicendum de aliis aliorum ſimilibus Sanctorum indiciis. Unde concludendum, *in terminis* noviſſimæ bullæ Benedictinæ, non eſſe denuntiandas illas actiones, quæ vel ex levitate, vel ex ſubjecti qualitate, aut regionis moribus, vel conſueta urbanitate, non reputantur *temerario auſu* factæ, ſed ex motivo aliquo ex ſuperius expreſſis, vel ſimilibus, de quibus clarius infra; imo et quæ dubiæ ſunt, et indifferentes, ſecundum DD. placitum § ſequenti.

XXVI. Quare merito Salmantic. Roncagl. Pot. et Pignat. infr. cit. etiam concludunt, quod, ſi ex circumſtantiis conſtet, actiones indifferentes, et dubias fieri pravo animo, et ex motu libidinis, tunc oneri denuntiationis ſubjaceant (ſuperadde, ſi fiant *temerario auſu*); minime vero, ſi conſtet fieri ex honeſta intentione. Exemplum ponit cit. Pot. n. 497. ſi confeſſarius *tangat manus pœnitentis ſine cauſa*: nota illud *ſine cauſa*; ex quo infertur mala intentio; bona vero, ſi cum cauſa fiat. Ratio eſt, quia ſola denuntianda eſt ſolicitatio *ad inhoneſta*. Imo ſi ille manuum contactus levis foret, et ex facilitate aliqua politica non perveniente *ad auſum temerarium*, non ſubjaceret denuntiationi, dummodo de intentione prava non conſtaret.

Unde cit. Pot. *Solicitatio igitur, quæ onus denuntiationis parit, eſt tentatio à confeſſario adverſus pœnitentem facta ad inhoneſta. Ad inhoneſta tentare dicitur provocando, invitando, aut alliciendo verbis, aut ſignis de ſe ordinatis ad actus venereos. Signa ſunt oſcula, tactus impudici, etiam ſui ipſius confeſſarii, tactus manuum pœnitentis ſine cauſa, miſſio oſculi manibus, ſtudioſa compreſſio pedis, aut oculi, et ſimilia ſigna amatoria; quibus amantes uti ſolent ad invitandum, aut alliciendum aliquam perſonam ad ſui amorem.*

XXVII.

XXVII. Non tamen adhæreo ſententiæ Souſ. Pal. Tancred. et aliorum ap. eundem, n. 498. dicentium, *Non eſſe denuntiandum confeſſarium, ſi pœnitentem tactibus ex ſe honeſtis tangat, ſolum ex circumſtantiis venialibus, et pœnitens cognoſcat confeſſarium non habere animum ulterius progrediendi, nec ipſum habere periculum conſentiendi in grave peccatum: quia excommunicatio major in edicto fulminata non fertur, nec ligat, niſi pro culpa mortali. At hoc fundamentum fuit, quia hujuſmodi actus, alias leves, eſſe graves ex circumſtantia miniſterii, probatum eſt in tom.* 1. *de voto.*

Sat commune autem eſt, quod hæ actiones, quamvis in ſe leves in ratione libidinis, fiunt graves ex circumſtantia miniſterii, et abuſu ſacramenti. Leand. Dia. Salmantic. Unde, niſi cauſa aliqua moris regionis, conſuetæ urbanitatis, vel politicæ, aut devotionis, oſculandi, v. g. manum ſacerdotis, excuſet ab auſu temerario, hanc damnatam deformitatem videntur induere. Excipe etiam, ſi, omnibus circumſtantiis perſpectis, à lethali noxa ex levitate exuantur. Vide infra, n. 40.

XXVIII. Pro numero teſtium ſingularium ſufficientium ad pœnam extraordinariam, obſerva doctrinam Pignat. conſ. nov. 117. § *Ex quibus colligitur*, et ſeqq. et Raynald. obſerv. crim. ad c. 32. ſupplet. 7. à n. 56. ibi: *Cæterum ſatis eſt, quod DD. ſupra citati unanimes, et tot bonis rationibus innixi, firment, quod de jure teſtes hujuſmodi ſingulares, ſi ſint plures, probant ad pœnam extraordinariam; et hoc, ultra citatos, volunt Freitas ad Acugnam de confeſſar. ſolicit. quæſt.* 23. *n.* 25. *Graſſetus de nece proditoria*, § 29. *n.* 297. *verſ.* At cenſeo, *P. Ludov. de Ameno, pract. crim. tit.* 17. § 1. *n.* 3. *qui ex Roder. tom.* 2. *q.* 9. *art. fin. Pegna ad Eymeric. direct. inquiſ. patt.* 3. *com.* 121. § Quoties, *Diana, p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 31. *Verricell. moral. qq. tract.* 8. *q.* 44. *n.* 17. *Petr. de Angel. de confeſſion. c.* 14. *n.* 16. *et* 37. *requirit, quod hujuſmodi teſtes ſingulares ſint plures, quam duæ, ad hoc, ut probent ad pœnam extraordinariam.*

Et ita circa hos teſtes ſingulares concludendum eſſe puto, teſteſque in caſu, de quo agitur, receptos, etſi ſingulares, ſufficere ad pœnam tamen extraordinariam, licet Bordon. in ſupra citato c. 19. *à n.* 26. *dicat, quod quatuor teſtes ſingulares, ſingularitate diverſificativa, ſufficiunt ad condemnandum etiam in pœnam ordinariam, quam opinionem cum Paſſerino dict. art.* 3. *n.* 78. *omnino rejiciendam, et à tribunalibus exterminandam eſſe puto.*

Eoque magis in hanc mitiorem eſt eundum, quotquot ſint teſtes, quia memini legiſſe in manuſcripto eminentiſſimi Cardin. Albitii in tractatu de inconſtantia in fide, lib. 1. *c.* 15. *quem mihi, cum eſſem procurator fiſcalis univerſitatis, et ſupremæ Inquiſitionis, oſtendit idem eminentiſſimus, quod illud ſacrum tribunal canonizando hanc opinionem decrevit (non obſtante conſtitutione ſanct. mem. Gregorii* XV. *contra ſolicitantes) quod torturæ repetitæ ſupponeretur ſacerdos, qui fuerat denuntiatus à viginti quinque monialibus; et quod negativus in tortura relaxaretur cum exilio, et ſuſpenſione perpetua ab auditione confeſſionum; et quod alius fuit condemnatus, et tranſmiſſus ad triremes, vel ad ergaſtulum, ſi recte memini, ex eo quia ultra plurium monialium denuntiationes fuerant penes eundem repertæ quædam literæ, quas monialibus ſcripſerat.*

Et ita etiam fuiſſe apud eum in caſu ſimili deciſum refert Ricc. in collect. deciſ. 549. *part.* 3. *et eum allegat Freitas in dict. q.* 23. *n.* 25. Sed videnda, et attendenda eſt nova diſpoſitio bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, infr. alleg. 152.

Vide etiam omnino Pignatell. to. 1. conſ. can. 104. per tot. ubi multa ſuper hac re ſcitu digniſſima, quæ apud alios non leguntur. Qui etiam ibidem, ſub n. 14. ait: *Non proceditur in S. Officio contra confeſſarium, qui extra locum, et occaſionem confeſſionis dicit mulieri ſibi confiteri volenti, ut adeat domum ſuam, et adeuntem carnaliter cognoſcit. Hujuſmodi enim caſus non eſt comprehenſus in conſtitutione contra ſolicitantes.* Et infra: *Confeſſarius, qui poſt requiſitam mulierem, an velit confiteri, et negative reſpondentem, ſolicitat ad turpia, depoſita prius ſtola, et extra confeſſionarium, non punitur in S. Officio.* Conſimilem caſum adducit Boſſ. et Delben. et idemmet Pignat. iterum conſ. nov. 117.

Contrarium tamen primæ reſolutioni tenet Fel. Pot. n. 510. ſed minus conformiter ad tenorem conſtitutionis, quæ eſt ſtrictæ interpretationis; talis namque ſolicitatio eſt extra occaſionem, et locum confeſſionis, ut patet ex terminis, et non eſt ſub prætextu, aut ſub velamine confeſſionis, quia hæc non ſimulatur; et etiam minus cohærenter ad doctrinam ipſiuſmet Pot. § præcedenti 509. In intelligentia autem decretorum Apoſtolicorum, et pro foro externo, potius ſtandum eſt juriſtis, quam theologis, ut patet ex illa famoſa declaratione S. Congregationis apud Sperell. dec. 129. n. 28.

XXIX. Inſuper idem Pignatell. ibi, conſ. 161. ſic reſolvit: *Confeſſarius autem non eſt torquendus ob ſolam denuntiationem unius fœminæ bonæ famæ, quod eam in confeſſione ad turpia ſolicitaverit. Quamvis enim Zanard. in direct. theol. p.* 3. *c.* 88. *aſſerat, confeſſarium ſolicitantem in ſacra confeſſione, poſſe torqueri ſuper dicto unius optimæ mulieris, non patientis aliquam exceptionem ex voluntariis, cum ſimus in crimine occulto; attamen hæc ſententia non eſt ita ſimpliciter admittenda; tum quia confeſſarius minime detrudendus eſt in carcerem ex unius fœminæ, quantumvis honeſtæ, denuntiatione, ut docent Royas de hæret. p.* 2. *n.* 32. *Simanch. in enchir. tit.* 25. *n.* 5. *Caren. p.* 2. *tit.* 6. *numer.* 62. *Souſ. de confeſſ. ſolic. tr.* 2. *cap.* 21. *n.* 6. *Ergo multo minus ex tali delatione torquendus eſt. Unde S. Officium non procedit contra denuntiatum ab una tantum muliere de ſolicitatione in confeſſione, quando non concurrunt alia adminicula, nempe mala fama confeſſarii, et bona mulieris, de quibus eſt certior reddenda S. Congregatio, ut fuit in ea declaratum* 23. *Julii* 1625. *et omnibus inquiſitoribus ſcriptum, ne ad denuntiationem unius mulieris procedant ad carcerationem denuntiati, niſi conſtiterit de mala fama ipſius, et redita certiore S. Congregatione,* 27. *Maii* 1627. *et* 8. *Junii* 1627.

XXX. Fœminæ autem pœnitentes obſervent juſtum monitum aliquorum DD. ne ſint nimis faciles in denuntiationibus hiſce ſacro tribunali deferendis abſque prævio viri docti, ac prudentis conſilio; ſæpe enim, præſertim inter moniales, reperiuntur, quæ ex odio, ira, et invidia, et nedum ex ignorantia craſſa, ſed et affectata, et ex mala intentione, multa denuntiant (de quo bulla noviſſima Benedict. XIV. infra inſinuata) inutiliter, inſufficienter, imo et incompetenter; multæ enim paſſim inveniuntur, quæ ſigilli infractiones, quæ per ſe competunt ordinariis, putant, ſicut et ſolicitationes ſacramentales, inquiſitoribus denuntiandas in quolibet caſu, etiam extra circumſtantiam connexitatis delicti inquiſitoribus per ſe directe pertinentis, de quo alleg. præced. et alibi. Aliæ putant dari ſigilli inobſervantiæ in materiis, quæ ſub ſacramentali ſigillo non cadunt. Aliæ quamlibet dæmonis vexationem, vel etiam quamlibet ſuſpenſionem potentiarum, in dubio mere negativo, an proveniant à Deo, à dæmone, vel à natura; ſemper in pejorem partem proclives ad tribunal deferunt, cum certa doctrina ſit, competere ordinariis locorum cognitionem revelationum mulierum, non continentium aliquid erroris, fictionis, aut ſuſpicionis contra fidem, in terminis doctrinæ Delrii, et Caren. ſupr. allegat. 140. n. 12.

Aliæ autem nimis rigidæ, et ſcrupuloſæ (ut in quodam monialium cœnobio, me ſuper hoc conſulentium, obſervavi) ſi aliquam notârunt à primitivo fervore in virtutis ſequela aliqualiter frigeſcentem, vel declinantem, præſertim ſi in neceſſario exercitio purgationis alicujus paſſivæ, illius præcipue, quæ cum paſſionum effrænatione contingit (de qua ſolidus, et lucifluus Eſquerra in clariſſima ſua *Lucerna myſtica*, tr. 6. c. 3.) ſtatim conſpirant in illam fidei tribunanalibus deferendam, vel accuſandam; et fortaſſis non deſtitutæ approbationis alicujus, vel aliquorum confeſſariorum vel æqualis rigiditatis, vel minoris prudentiæ, et practicæ peritiæ; immemores illius Apocalypſi ii. 4. *Habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuam priſtinam reliquiſti. Memor eſto unde excideris.* Et tamen ille adeo perfectus incedebat, ut Angelus ibidem nuncuparetur, et deflectiones, ac deficientiæ

ficientiæ illæ parvæ citra grave peccatum conſiſtebant, ut ex EE. et ex contextu ibidem; *Habeo adverſum te pauca*, &c.

XXXI. Examinent inſuper confeſſarii conſulentes accurate circumſtantias temporis, loci, perſonæ, actionis, bonæ famæ, aut reputationis utriuſque pro caſibus illis gravioribus, ac rarioribus; circumferuntur namque pro illis etiam ſpeciales doctrinæ præ oculis habendæ, ut illa Roncagl. pro circumſtantia temporis, tr. 19. c. 2. ref. ad q. 4. *Quoad delictum hæreſis, nunquam præſcriptio datur favore delinquentis contra judicem*, c. Sane 6. *cauſ.* 24. *q.* 2. *unde etiam poſt mortem hæreticus eſt denuntiandus*, *Bordon. in man. ſect.* 18. *p.* 31. *n.* 60. *Caren. p.* 2. *tit.* 19. *in aliis vero delictis ceſſat obligatio denuntiandi per mortem delinquentis, qui etiam tempore quinquennii præſcribit adverſus judicem, ne poſſidere poſſit contra ſuum crimen*, *Bordon. in tribun. c.* 30. *à n.* 8. *Hinc, ſi perſona ſolicitata, vel culpabiliter, vel inculpabiliter omiſit per integrum quinquennium denuntiare, excuſari poterit à denuntiatione, quando aliter non præſcribant particularia diœceſum edicta. Ex his etiam haberi poteſt, an teneatur denuntiare fœmina, quæ ab initio non percepit verba confeſſarii inducere ad turpia, ſi poſt aliquod tempus fuiſſe ſolicitatam cognoſcat: hæc excuſari non poteſt à denuntiando, ni integrum elapſum fuerit quinquennium.*

Et c. 1. R. ad q. 8. pro circumſtantia loci, et ſimulationis, idem ſic reſolvit: *Nihilominus, cum non pauci DD. putent, Gregor.* XV. *reduxiſſe deinde decretum Pauli* V. *ad terminos ſimulationis, et cum pariter verſemur in pœnalibus de ſua natura reſtringendis, videtur dicendum non carere ſua probabilitate ea opinio, quæ vult hujuſmodi confeſſarium non denuntiandum, ſi ſolicitet in confeſſionario, non ſimulando confeſſionem. Et hoc etiam confirmari poteſt, quia tunc nulla intervenit injuria ſacramenti, quam voluerunt removere Summi Pontifices, unaque curare, ne ab eo abuterentur confeſſarii in perniciem animarum*, *Lezan. in ſum. qq. regul. tit.* 1. *c.* 19. *Palauſ. t.* 1. *tr.* 4. *d.* 9. *p.* 8. *num.* 4. *Delbene, dub.* 237. *ſect.* 11. *Salmantic. tr.* 21. *c.* 4. *p.* 4. *n.* 58. *Paſſer. in* 6. *decretal. cap.* Ut Inquiſitionis, *n.* 95. *et ap. ipſos alii. Si proinde confeſſarius de inhoneſtis ageret, vel perpetraret cum pœnitente in confeſſionario, non ſimulando ullo pacto confeſſionem, quia, e. g. nullus eſſet præſens, vel ſi ita cum pœnitente pertractaret de iiſdem, ut omnes cognoſcere poſſent, nullam intervenire confeſſionem, puta, quia confeſſarius ſedet in confeſſionario, et mulier ſtat, vel ſedet, coram ipſo, &c. in iſtis, inquam, caſibus, juxta allatam opinionem, non eſſet obligatio denuntiandi confeſſarium.*

Vide tamen Fel. Pot. cum Dian. Bordon. et aliis, contrarium pro praxi ſecurius tenentem; c. 8. n. 522. ex injuria facta ſacramento, quoad locum, ejus miniſterio deputatum; quod quidem pro caſibus futuris tenendum etiam eſt, licet pro jam factis levandum benignior opinio ſequi debeat: ſed vide doctrinam Pignatell. conſ. nov. 117. infra extenſam numero 47.

XXXII. Pro quibus etiam videnda omnino eſt nuperrima bulla ſanctiſſimi P. Benedict. XIV. incipiens, *Sacramentum pœnitentiæ*, die 1. Jun. ann. 1741. expedita; qua, in prima parte occurrit, atque invehitur in falſas, ac doloſas denuntiationes adverſus confeſſarios ex ira, vel odio, vel alia indigna cauſa, aut ex impiis ſuaſionibus, promiſſis, blanditiis, minis, aut alio quovis modo incitationis datas: quas quidem ſibi reſervat, de quo etiam infr. alleg. 152.

Pariformiter ex parte loci obſervent circumſtantiam indifferentiæ, aut determinationis; v. g. ſi ſit locus indifferens, in quo accidit ſolicitatio abſque ſimulatione confeſſionis, ut parlatoria, aut locutoria monialium, ſive crates, aut tornum, quæ inſerviunt etiam ad quotidianos nuntios, et reſponſiones uſuales utrinque; aut locus determinatus ad confeſſiones ſacramentales percipiendas, ut confeſſionarium; et juxta utram harum circumſtantiarum ponderent doctrinam Fel. Pot. n. 530. et ſeqq. et n. 538. et ſeqq.

XXXIII. Obſervent etiam pro praxi denique confeſſores monitum Roncagl. reg. 4. *Occurrunt non raro tales circumſtantiæ, ut perſonæ ipſæ denuntiatæ non poſſint coram ordinariis, vel inquiſitoribus, repræſentare: evenire poteſt reſpectu conjugatæ, puellæ, &c. maxime ſi diſtent à civitate; et in his caſibus ſolent ordinarii concedere ipſis confeſſariis facultatem excipiendi denuntiationem. Ego autem ſemper ſuaderem confeſſariis, ſi fieri poſſit, ſe ab hoc onere eximere; nam accidere poteſt ex loquacitate fœminarum deinde patefieri per ipſos confeſſarios denuntiaſſe; atque ita non paucis detractionibus exponuntur, ſive etiam periculis.*

XXXIV. Hæc dixiſſe ſatis ſit pro aliquibus caſibus raris, et arduis jam tranſactis, in aliquarum conſcientiarum timore, et pudore nimis gravatarum, et graviter oppreſſarum, æquum levamen, atque vitalem, et ſalutarem reſpirationem in circumſtantiis, quibus prudentia, et Chriſtiana charitas, æque ſuadet aliqua ex præmiſſis probabilitatibus, quæ mere ſpeculativæ non ſunt, circumſpecte uti. Pro caſibus autem futuris non ſunt facile ad praxim reducendæ, ne imprudens occaſio detur injuſtæ, et effræni laxitati. Quinimo, nimius debet eſſe confeſſarius in præventione cautelarum in futurum, præ oculis habens illud regii Vatis; *Tu mandâſti mandata tua cuſtodiri nimis*: etſi, è contra, pro aliquibus etiam caſibus arduis recte adduci valeat illud ejuſdem; *Latum mandatum tuum nimis.*

Deſcendat igitur in confeſſionarium ſacerdos, juxta monitum vener. P. Emmanuelis Bernardes, in *armis caſtitatis*, quaſi angelus cœleſtis in terram, mille modeſtiæ, circumſpectionis, et ſanctæ ſeveritatis clypeis, quaſi Davidica turris, obarmatus, et munitus. Deſcendat tanquam angelus Domini in hanc ſacramentalem piſcinam, inviſibilis fere, et inſenſibilis; et motu potius ſpirituali, quam corporali, ſuaſionum, et conſiliorum ſanctorum, et efficacium, pœnitentiæ aquas commoveat, ut ne unus quidem inſanatus recedat. Nequid ore, aut opere agat, vel etiam attentet, quod ad ædificationem, et bonum pœnitentium exemplum, non inſerviat. Omni cuſtodia ſervet cor ſuum; et ſi in ſe aliquid illius ſtimuli Satanæ, quo adhuc ſpiritus Doctoris gentium colaphizabatur, naturaliter ſentiat excitari, ad intimum ſui cordis latibulum cum corde Jesu, et Mariæ illibatæ, totum ſeſe recipiat, ibique cum illis conquieſcat: intra vulnera illius amantis cordis, velut columba myſtica in caverna maceriæ, et in reliquis foraminibus myſticæ illius petræ, intrepidus, et ſecurus commoretur, meditans, et nidificans, ut columba; memor illius Auguſtiniani ſalutaris conſilii; *In omnibus adverſitatibus, ac tribulationibus, non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus, et requieſco intrepidus.*

XXXV. Poſt hæc diſcuſſa ad manus meas pervenit bulla nuperrima ſanctiſſimi domini noſtri Benedicti XIV. *Sacramentum pœnitentiæ*, ſub die 1. Jun. data, qua, in ſecunda parte confirmat conſtitutionem Greg. XV. adverſus ſacerdotes in confeſſione, vel prætextu illius, ad turpia ſolicitantes, et propoſitiones hac de re ab Alexand. VII. damnatas; declarans, et *dans facultatem, ne delictum tam enorme, et eccleſiæ Dei injurioſum, remaneat ob probationum defectum impunitum, procedendi cum teſtibus, etiam ſingularibus; dummodo præſumptiones, et alia adminicula, concurrant.* Et hæc limitatio, ſive conditio formalis, *dummodo*, non ita exprimitur in bulla Gregoriana, ſed continuative tantum; ſicut neque, quæ ſequitur, modificatio formalis, *aut cum eis illicitos, et inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint*: quæ quidem qualificata modificatio *temerario auſu*, ſicut et præpoſita, *dummodo præſumptiones, et alia adminicula, concurrant*, taliter ſuperaddi conſpiciuntur, modificationis, et claritatis cauſa, ad varias, quæ circumferebantur, dubitationes evacuandas, ac decidendas.

Et prout ſic decidere videtur denuntiandas non eſſe, 1. Actiones illas, quæ ratione politicæ, vel urbanitatis, vel naturalis affabilitatis, aut charitatis, ſecundum conſuetum patriæ, aut regionis morem, ut ſuperius, n. 25. exhibentur; imo neque aliquas ex illis, quas ex levitate, vel facilitate, Pal. Port. à Sp. S. et alii excuſant à denuntiatione; quod intellige, quando fiunt abſque *temerario auſu*, de quo infra expreſſius. Vide etiam Lacr. l. 3. p. 1. n. 887. ad Buſemb. qui § 3. ita ait: *Oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, et ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantum officii, aut moris patrii, aut amoris honeſti, vel benevolentiæ augendæ cauſa,*

cauſa, etiamſi delectatio venerea ſuboriatur (modo in ea non conſentiatur) non ſunt peccata. Leſſ. n. 56. *Fill. n.* 171. Nota illud *delectatio venerea*; et potiori jure idem ſentiendum delectatione mere ſenſibili.

2. Neque etiam actiones illas ex levitate, facilitate, vel ſinceritate, quamvis aliqualiter leviter culpabiles, vel illicitas, aut minus prudenter factas, citra tamen auſus temeritatem; pro quibus hinc inde pugnant oppoſitæ ſententiæ; videlicet, Pal. Portel. Souſ. à Sp. S. adverſus Fagund. Leand. Sanch. Trull. ap. Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. pu. 3. n. 32. Fel. Pot. to. 2. p. 2. n. 554. et ſeqq. Ratio eſt, quia abſque *temerario auſu* habitæ quidem ſunt.

3. Neque denuntianda verba illa, colloquia, laudationes, breves confabulationes, *auſus* quidem *temerarii* omnino expertes, licet impropriæ, ac impertinentes, imo minus decentes gravitati, ac ſerietati tam ſancti, divinique ſacramenti, ac judicii, dummodo ex circumſtantiis perſonarum, verborum, expreſſionum, atque inſinuationum, omnino non intelligantur factæ eſſe animo ſolicitandi ad turpia, vel *auſu temerario* habitæ; pro quibus etiam contrapoſitæ circumferuntur opiniones apud cit. Salmant. to. 5. n. 33. et 34. Fel. Pot. cit.

XXXVI. Pro quo maxime reflecte, quod ſi Summus Pontifex in præcitata bulla nonvult denuntiari ſermones, licet minus decentes, vel honeſtos, non tamen auſu temerario habitos in confeſſione; quomodo permittendum, aut tolerandum, denuntiari confeſſarium *quamlibet circumſtantiam impropriam* in confeſſione interrogantem, cum hæc interrogatio, etiam impertinens, nullum peccatum, vel poſitivam indecentiam, ſive malitiam involvere poterit? ut jubetur in nuperrimo edicto, de quo ſupra, alleg. 147. et neque in hac bulla Benedictina, neque in Gregoriana, præcipitur ſub excommunicatione denuntiari id, quod certe peccatum mortale non eſt, ut notant Salmant. imo neque abſolute denuntiari, in bulla Benedictina, quod quamvis peccatum, et inhoneſtum, non tamen eſt *auſu temerario* factum: qua prudentia, et moderatione, edictum illud alleg. 147. juſſit denuntiare confeſſarium, *quamlibet impropriam circumſtantiam* perquirentem? Merito ſanctiſſimus P. Benedictus XIV. per ſuam bullam *Suprema* monuit ordinariis ſuper hac re invigilare, quin denuntiationem illam vellet confirmare, vel utrumque edictum, ſibi ad hoc expoſitum, quin ullam cenſuræ comminationem apponeret: quare in reſcripto ſuo ſupra extenſo, n. 29. alleg. 147. *Literas ſuas, comparatas cum prædictis edictis, eſſe abſque dubio moderatiores*, aperte teſtatur.

XXXVII. Concludendum igitur eſt, quod, ex vi nuperrimæ cit. conſtitutionis *Sacramentum pœnitentiæ*, denuntiandi quidem ſunt *illiciti ſermones, et tractatus inhoneſti*, in terminis bullæ Gregorianæ, *temerario auſu*, vel mala intentione *habiti*; aliter vero, qui non ex mala intentione, neque auſu, ſive audacia temeraria, in re turpi, aut venerea, habiti fuerint.

XXXVIII. Pro uberiori complemento quæres: quomodo ſe gerere debet ſacerdos denuntiatus circa culpam, vel circumſtantiam, S. Officio non attinentem? Dico, 1. Sacerdos, qui ſigillum confeſſionis fregit, non ex credulitate pravæ doctrinæ, ſed ſimpliciter, vel ex levitate, aut imprudentia, vel ex vindicta, ſi denuntietur, poteſt etiam cum juramento negare, ſe unquam ſigillum fregiſſe, juſta reſtrictione utendo; videlicet, in terminis S. Officio ſubjectis. Ratio eſt; Quia iſta ſigillifractio facta ſimpliciter, non S. Officio, ſed ordinario pertinet, juxta bull. *Ubi primum*, § *Quod ſi*. Quando autem S. Officium interrogat de culpa non ſibi privative, ſed ordinariis competente, illegitime, et incompetenter interrogat, et reus non tenetur reſpondere, etiam juramento adſtrictus, et poteſt uti reſtrictionibus licitis, de quibus Salmantic. to. 4. Buſemb. lib. 4. *de reo*, Pignat. conſ. nov. 150. et 159.

XXXIX. Dico, 2. Pariformiter negare poteſt ſacerdos, qui non in confeſſione, neque occaſione, aut prætextu illius, ullo modo ſolicitavit, ſed in adminiſtratione aliorum ſacramentorum; videlicet, euchariſtiæ, aut extremæ unctionis, &c. ſi denuntiatus ſit S. Officii tribunali. Probatur; Quia S. Officium pro ſolis ſolicitationibus factis intra, vel occaſione, aut prætextu ſacramenti pœnitentiæ, jus habet inquirendi, et procedendi; pro reliquis autem non eſſet judex legitimus, aut juridicus, ex doctrina Salmantic. to. 4. Buſemb. l. 4. Pignat. conſ. nov. 150. et 159.

XL. Dico, 3. Si ſacerdos in confeſſione, vel immediate antea, aut poſtea, aliquam actionem urbanitatis, aut charitatis, juxta morem patriæ, in pœnitentem, nullo temerario auſu exercuit, citra ullam peccati malitiam, et ob eam, quaſi graviter malitioſam, denuntietur; poteſt eodem modo negare, et reſtrictionibus licitis uti. Ratio eſt; Quia S. Officium non habet jus inquirendi, et puniendi, niſi quod reipſa grave peccatum eſt. Imo Salmantic. cit. to. 5. c. 4. n. 32. ampliant reſolutionem, etiam ad actionem venialiter, non tamen lethaliter culpabilem. Quæ tamen intellige, juxta dicta ſupr. n. 27. quæ tam ex ſe, quam ex reliquis circumſtantiis omnibus, non graviter, ſed omnino leviter culpabilis evadat.

XLI. Dico, 4. Si fœmina ex falſa doctrina, quod, v. g. fornicatio ſimplex non ſit peccatum, ſacerdotem, vel alium virum, ſolicitavit cum effectu, ipſo tamen talem fœminæ errorem ignorante, et ex effectu libidinis dumtaxat conſentiente; quamvis fœmina ſe denuntiet, poteſt vir inquiſitus, etiam ſub juramento negare ſe tale crimen, tribunali competens, commiſiſſe: 1. Quia reſpectu viri procederet ex falſa præſumptione. 2. Quia culpa illa libidinis ex parte viri, non pertinet S. Officio, ſed ad ſummum ordinario. Idem dicendum, ſi fœmina eum ad alias inhoneſtas actiones ſolicitâſſet, à voce dæmonis, quam putâret Dei vocem, ſuaſa, eas licitas quidem eſſe, hoc tamen viro ipſo prorſus ignorante, et ex mera libidine ſimpliciter procedente. Deducitur ex communi doctrina Salmant. cit. to. 4. et 5. tr. 21. Buſemb. l. 4. dub. 7. et Lacr. ad illum, n. 1523. et reliqui DD. ex D. Thom. q. 69. a. 1. et ex Pignat. conſ. nov. 150. et 159. et à pari doctrina Pot. docentis, n. 539. non eſſe caſum denuntiationis, ſi fœmina ſola ſimulet confeſſionem extra confeſſionarium coram confeſſario genuflexa, et ibi eum ſolicitet.

XLII. Dico, 5. Quamvis ſacerdos à fœmina unica, quam ſolicitavit, et quæ in ſolicitatione conſenſit, denuntietur, ſi nulla adſit infamia, neque alius teſtis, poteſt ſimiliter crimen ſuum negare. Et probatur; Quia quamvis in crimine hæreſis ſocii criminis ſint teſtes idonei, in aliorum defectum; attamen unicus teſtis fœmineus, et jam infamis ex confeſſione propriæ turpitudinis, non facit ſemiplenam probationem, præciſa infamia, et aliis adminiculis; quia ſolus *unicus teſtis omni exceptione major facit ſemiplenam probationem*. Fœmina vero complex, præter exceptionem ſexus, patitur exceptionem complicitatis, et infamiæ, Pignat. cit. Judex autem quicunque abſque ſemiplena ſaltem virtuali probatione interrogans, non legitime inquirit. Vide Caren. p. 3. tit. 10. § 7. Salmantic. to. 4. tr. 17. et to. 5. tr. 21. c. 4. pu. 4. Pal. à Sp. S. Souſ. Fel. Pot. to. 1. p. 2. n. 1748. cum Simanch. et Pignatell. cit. conſ. nov. 150. 159. et 117.

XLIII. Imo, ſi fuerint duæ complices, citra infamiam, et alia adminicula, et denuntiationes, vel declarationes, ſint inveroſimiles, adhuc ſemiplenam probationem legalem non conficient; tum ex infirmitate ſexus; tum ex perſonarum infamia; tum ex defectu veroſimilitudinis, quæ ex c. *In fidei favor.* de hæret. in 6. requiritur præter qualitatem, et numerum teſtium habilium. Pro quo vide doctrinam Lacr. ſupr. et Caren. cit. § 8. n. 56. ubi ſic concludit:

XLIV. *Ultimo, Inquiſitores ſemper præ oculis in hac materia habere debent verba text. cap.* In fidei favorem, *de hæret. in* 6. *Poſtquam enim Pontifex dixit in favorem fidei teſtes alias inhabiles admitti, ſubdit, ſi ex veroſimilibus conjecturis, et ex numero teſtium, aut perſonarum, tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis, ſic deponentes falſa non dicere præſumitur.* Et n. 57. ſic proſequitur: *Et ſicut dicta ſociorum ſocios nominatos modis, quibus ſupra diximus, afficiunt, ita et eorum exculpationem multum reis prodeſſe contra Menochium de arbitr. jud. caſu* 474. *n.* 13. *dixerunt, Farin. d. quæſt.* 43. *n.* 12. *Oſaſc. deciſ. Pedem.* 79. *in fin. Et præſes Abnuo, in tract. reatuum, q.* 19. *n.* 116. *ubi hoc limitat, niſi contra inculpatum adeſſent claræ, et*

liquidæ probationes; quia tunc, ait, poteſt reus etiam ad mortem damnari, non obſtante exculpatione.

Pignatell. autem conſ. nov. 117. § *Deinde*, ſic ait: *Colligitur, quod ne duæ quidem mulieres honeſtæ probant ſolicitationem; quia neutra eſt omni exceptione major, et neutra ſemiplene probat, Sanctarell. Peyrin. Caren. Delbene de petit. 1. n. 10: quicquid in contrarium dixerit Param. aliique nonnulli. Cum vero aliqui exiſtiment ad plenam hujus delicti probationem ſufficere tres mulieres fide dignas; alii dicant, requiri ſolum quatuor; alii majorem numerum; res hæc arbitraria eſt judici, et niſi dicta adminiculata ſint indiciis, &c. Cumque in S. Officio non publicentur nomina teſtium, neceſſe eſt, quod probationes ſint certiores, et clariores.*

XLV. Vide tamen Salmantic. to. 5. tr. 29. in append. de judic. c. 1. pu. 10. n. 111. ubi invenies quid ſit *fama*; nempe, *Illæſæ dignitatis qualitas, vita et moribus comprobata: infamia* autem, *communis opinio voce manifeſtata, non à malevolis, ſed ab honeſtis, et probis perſonis, ex criminis ſuſpicione.* Nota omnes has clauſulas: ubi n. 115. tradunt, quod infamia, non à majori numero perſonarum ſumenda eſt, *ſed à majori numero proborum, licet alias improbi ſint numero impares.* Et quod in majoribus criminibus major infamia requiratur, quam in minoribus; et ſimiliter, quo perſonæ ſunt graviores, eo majori infamia opus eſt, ex c. *Qualiter, et quando*, de accuſat. *Rumor* autem eſt, *aliquorum paucorum aſſertio, etiam ex levibus conjecturis orta.* Indicium vero eſt, *conjectura ex probabilibus orta, à quibus poteſt abeſſe veritas, vel falſitas, non vero veriſimilitudo.* Et n. 125. aſſerunt cum Cayet. quod *abſolute præcipere, ut quis revelet ſe, excedit vires humani judicii*; et propterea, *neque judex poteſt ad inquiſitionem ſpecialem procedere, non præcedente infamia; neque reus, aut teſtis inquiſitus reſpondere tenetur*; et hanc ſententiam, ut probabiliorem, amplectuntur.

Attamen, § 3. recenſent caſus, quibus abſque præcedentia infamiæ valet judex ſpecialiter inquirere, ut in crimine læſæ majeſtatis divinæ, aut humanæ, aut quando non intenditur punitio, ſed evitatio erroris, aut damni præſentis, aut futuri, aut quando delictum eſt notorium (ſed notorietas ipſa jam eſt probatio, et jam per ſe infamat). Et n. 145. affert diſpoſitionem c. *Siquid vero*, dist. 86. *Siquid vero ad aures tuas de quocunque clerico pervenerit, quod te juſte poſſit offendere, facile non credes, neque ad vindictam te res accendat.* Et c. *Inquiſitioni*, de accuſat. *Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigant in occulto, procedendum eſt ad inquiſitionem de contentis ibidem criminibus faciendam.* Vide etiam quæ ibidem ſtatuant *de reis*, c. 7.

XLVI. Pro coronide hic opportune tranſcribendus venit Cayet. *de Alexandris* in confeſſar. monial. c. 6. § 10. in duplici quæſt. 5. videlicet, et 6. ubi ſic per formalia:

Quær. 5. An confeſſarius, ſolicitatus à moniali, ſit denuntiandus, ſi in ſolicitationem conſentiat?

Reſp. *Negant Peyrin. Bonac. Portel. Caſtropal. Hurtad. et alii apud Leand. tract. 5. de pœnit. diſp. 13. q. 20. quibus aſſentitur Bordon. Boſſ. Delben. et probabile putat Diana, par. 1. tract. 4. reſol. 10. Primo; Quia conſtitutiones Pontificum loquuntur de confeſſariis ſolicitantibus; unde, tanquam odioſæ, non ſunt extendendæ ad caſum confeſſarii ſolicitati. Secundo; Quia in præſenti hypotheſi ceſſat præſumptio, in qua fundantur dictæ conſtitutiones; ſcilicet, quod confeſſarius male ſentiat de fide: cum enim mulieris activa ſolicitatio efficaciſſima ſit ad inducendum in lapſum, ex facto ipſo conſurgit evidens argumentum, quod ex fragilitate potius, quam ex mala credentia, conſenſerit. Tertio; Quia cum raro contingat caſus mulieris ſolicitantis, de hoc non cenſetur à Pontificibus diſpoſitum, quia leges humanæ de iis, quæ frequenter accidunt, tantum diſponunt.*

Neque dici poteſt de hoc eſſe aperte diſpoſitum in conſtitutione Gregorii XV. *per illam clauſulam*, aut cum eis illicitos, et inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint. *Confeſſarius enim conſentiens ſolicitationi proprie dicitur habere ſermones, ſeu tractatus, prætextu confeſſionis. Nam reſponderi poteſt, quod cum verba illa, aut cum eis illicitos ſermones, ſeu tractatus habuerint, ſubſequantur immediate ad verba* ſolicitare, *vel* provocare tentaverint, *ab his debent recipere interpretationem, l.* Hæres palam, § Sed ſi notam, *ff. de teſtam. et notant gloſſ. Bortoſ. Surd. et Mantic. quos refert, et ſequitur Paſqual. in q. moral. jurid. q. 217. n. 8. Cum igitur verba illa* ſolicitare, *et* provocare, *importent inductionem, et provocationem activam, verba quoque ſubſequentia, ſcilicet* ſermones, et tractatus inhoneſti, *debent intelligi cum inductione, et provocatione activa; unde non poſſunt adaptari ad caſum confeſſarii ſolicitati; et potius fuerunt addita ad majorem explicationem, quam ad diverſificandam diſpoſitionem; quia dictio alternativa*, aut, *poſita poſt genus, non inducit diſpoſitionem diverſam à priori; ſed reſolvitur in expoſitivam, ſeu declarativam. Rotta part. 1. deciſ. 300. num. 26. recent.*

His tamen non obſtantibus, contrarium ſentio, cum Leand. Fagund. et aliis, ex praxi, &c. Hæc ille, qui ſtatim ad ſequens progreditur quæſitum:

Quæres, 6. An in prædicto caſu ſit denuntiandus confeſſarius, ſi ad monialis ſolicitationem nil reſpondeat?

Reſp. *Si nullum ſignum approbationis exhibeat, non eſſe denuntiandum; quia tacens, neque aſſentiri, neque diſſentiri videtur, ex reg. jur. 44. in 6. Imo in odioſis, et præjudicialibus, taciturnitas habetur pro diſſenſu. Flor. l.* Invitum, *de ſer. urb. præd. Sicul. in c.* Cura, *de jur. pat. Neque poteſt inferri conſenſus per hoc, quod ex officio, et ex circumſtantiis loci, et actus ſacramentalis, quem exercet, teneatur monialem reprehendere, non vero tacere. Nam illa taciturnitas poteſt oriri vel à timore, vel à puſillanimitate, vel ab horrore, vel à confuſione; quod ſufficit ad excludendam præſumptionem conſenſus in ſolicitatione; quia in conflictu boni, et mali, lex favet excluſioni delicti; et in dubio poſſibilis honeſti, et poſſibilis inhoneſti, ſemper capienda eſt interpretatio poſſibilis honeſti, per tradita à Sperell. deciſ. 175. n. 1. deciſ. 147. n. 46.*

Eoque magis ceſſat in moniali obligatio denuntiandi; quia per neceſſe cogeretur ſuam turpitudinem detegere. Cum enim, ad hoc, ut judex poſſit judicium ſuum efformare, debet monialis allegare in denuntiatione dictum aliquod, vel factum, aut ſignum inductivum ſolicitationis, in præſenti nihil aliud eſſet allegabile, niſi ſola taciturnitas confeſſarii. Hæc autem non poteſt inducere ſolicitationem, aut aliquod inhoneſtum præciſe, et de per ſe conſiderata, cum ſit indifferens, ſed tantum ut conjuncta cum prævia monialis ſolicitatione; unde ad effectum procedendi contra confeſſarium deponi deberet cum hac qualitate, quia ſub hac tantum ratione eſſet criminoſa. Ad hoc autem non tenetur monialis, quia non tenetur ſeipſam prodere, cap. Cum deceat, *de elect: in 6. et doctores communiter.*

Ex qua formali doctrina ad hominem contra præcedentem reſolutionem redargui poſſe videtur: Ergo ſi monialis per neceſſe cogeretur ſuam turpitudinem detegere denuntiando confeſſarium ſolicitatum, et ad ſolicitationem nil reſpondentem; pariformiter ſuam turpitudinem revelare adſtringeretur denuntiando confeſſarium in ſolicitatione conſentientem, et mere paſſive ſe habentem. Neque ratio praxis proceſſus S. Officii aliquod officit in hoc caſu; tum quia nunquam proceſſit in caſu confeſſarii mere conſentientis, et mere paſſive ſe habentis, quin aliquid ageret, quoad inhoneſtos ſermones, aut tractatus, aliqualiter effective, vel active ſe habens; tum quia praxis tribunalium juriſdictionis ſuæ fimbrias dilatare curantium, minime debet prævaleri juri naturali, et naturalibus rationibus efficacibus.

Confirmatur, 1. Ex illis opinionibus practice probabilibus, imo in praxi moraliter certis, de quibus ſupr. c. 15. et 16. quæ tamen decurſu temporis, ex clara, et efficaci ratione, tranſierunt in improbabiles; ut opinio apud omnes, ante Soarium magnum, moraliter certa in praxi de gravi illicitudine celebrandi ſacrum ante recitationem matutini, ex rubricæ miſſalis conſilio; quæ tamen ex efficaci, et evidenti ratione M. Soarii de non eſſentiali, nec neceſſaria connexione ſacri cum officio, abiit in improbabilem practice; et contrarium nunc temporis eſt moraliter certum. Similiter ante Gabr. Per. de man. reg. erat practice certum, aut ſaltem receptum, habere recurſum

sum laici pro justificato, judice ecclesiastico acta processus non remittente: at jam praxis illa ab aula recessit, et contraria generaliter inducta est ex rationibus ab eodem c. 11. expositis.

Item, ut bene notat P. Casnedi in cris. d. 1. sect. 5. ipsemet D. Thom. plures opiniones, quas in 4. sent. ut probabiliores, et communes, et fortasse sibi moraliter, ac practice certas, amplexatus fuerat, postmodum in summa expresse retractavit, de quo supr. c. 16. n. 65. Vide etiam stabilita c. 15. et 16. per tot.

Similiter communis, et recepta fuit in universa ecclesia opinio, quod D. Proculus Bononiensis, *episcopus* fuerat ex antiquis martyrologiis 1. Junii: nunc tamen ex Baron. annal. ann. 305. n. 122. ut confessor, non pontifex, habetur, et colitur. Item D. Restitutus Carthagin. episcopus 9. Decembr. *ut martyr* enuntiatur; cum tamen ex D. P. Augustin. et Gregorio Turonensi, non ut martyr, sed *ut confessor* pontifex, simpliciter celebratur. Alia exempla reperies in doctissimis notis sap. P. Samaniego ad myst. civ. Dei, p. 2. not. 15.

Confirm. 2. A pari, ex doctrina Ricc. p. 2. resol. 72. n. 3. quod pœna l. un. cod. de raptu virgin. minime locum habet, quando virgo rapit virum, ut voluit Castr. in l. *Raptores*, c. de episcop. et facit etiam Trid. sess. 24. c. 13. ubi inflicta est excommunicatio contra raptores, in qua de jure non fit extensio, c. fin. de sent. excom.

XLVII. Transcribere hic etiam congruit doctrinam Pignat. cit. cons. nov. 117. § *Sed quid*; ibi: *Sed quid dicendum, si mulier solicitata confiteatur ei, qui solicitavit?* In hoc casu, ait, confessarium non teneri admonere pœnitentem solicitatam, ut ipsum denuntiet, post Trimarch. disp. 14. num. 59. tradit Bordonus cap. 23. n. 59. quia verisimile est, Pontificem noluisse imponere tam grave præceptum confessori contra seipsum. At observandum est, quod si jam fœmina solicitata ob non factam denuntiationem est excommunicata, non potest absolvi. Si adhuc durat tempus denuntiandi, verisimile est, quod ex lege positiva, non teneatur confessarius illam admonere de obligatione denuntiandi; quia hoc esset, confessarium agere contra seipsum. Hoc habetur ex verbis illis constitutionis Gregorianæ: *Ut suos pœnitentes, quos noverit fuisse ab aliis solicitatos*. His enim Pontifex non mandat confessariis admonere pœnitentes de obligatione denuntiandi seipsos, sed alios confessarios, à quibus fuerunt solicitati. Et nihilominus, si confessarius in fraudem legis invitaret solicitatam, ut sibi confiteatur, vel suaderet, ne confiteatur alteri, vel ne denuntiet, vel etiam doceret, illam non teneri ad denuntiandum, improbe ageret, et puniri deberet in S. Officio. Hæc ille; cujus prima intelligentia confirmari potest, 1. Ex suavitate jugi Domini, et ex levitate oneris ejus; quia quamvis rectus, dulcis tamen est; quapropter delinquentibus in via leges dat non duras, neque insupportabiles, sed faciles, suaves, et mites. 2. Ex eo, quod præcepta ecclesiæ in ædificationem, non in destructionem sint. 3. Ex defectu potestatis in Summo Pontifice ad aliquid contra jus naturale, et consilia evangelica, præcipiendum. Hæc autem curam habere jubent de bono nomine, ac de propria fama.

Et § anteriori, *Unde notandum*, sic etiam asserit: *Quandoquidem ad damnandum reum in pœnam ordinariam non sufficit solicitatio dubia, aut præsumpta, sed requiritur solicitatio certa, ut per Bordon. c. 23. n. 61. existimat, quando neque sit solicitatio, si confessarius det pœnitenti donum, ut illud deferat suæ meretrici. Vel confessarius dicat pœnitenti, Accommoda mihi tuam domum, ut possim loqui cum tali muliere. Quæ tamen non placent Dianæ, resol. 45. Sed vere hæc sunt solicitationes dubiæ, ac judicandæ ex circumstantiis, quicquid contrarium probabiliter dicat Castr. Pal. d. 9. p. 4. n. 3.*

Similiter, § 3. *Subditur*, sic docet: 3. *Subditur confessarius pœnis hujus constitutionis, si in confessionario, vel loco deputato, aut electo ad confessionem audiendam, simulando confessionem, pœnitentem ad turpia solicitet. Ut autem in hoc casu solicitans subjiciatur pœnis hujus constitutionis, necesse est, ut interveniat simulatio confessionis. Hæc enim sunt illius verba: Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, &c. Neque id pugnat cum decreto S. Congregationis sub Paulo V. emanatum die 10. Julii 1614. in quo decernitur, quod S. Officium procedat contra confessarios, qui extra occasione mconfessionis in confessionario tractant de inhonestis cum mulieribus. Quod decretum ex Coriolano referunt Diana, p. 4. tr. 5. resol. 38. Caren. p. 2. tract. 6. n. 32. Quia cum solicitare in confessionario extra occasionem confessionis possit fieri simulando, et non simulando confessionem, et si fiat non simulando confessionem, non contineat abusum sacramenti pœnitentiæ, nec inferat illi injuriam; quia locus determinatus non est de per se pertinentibus ad tale sacramentum, sed ad illud mere per accidens se habet; neque alia benedictione est consecratus pro audiendis confessionibus. Quod minus distincte expressum fuit in illo decreto, distinctius expressit Gregor. XV. et sic hujus constitutionis sanctio non est contraria illi decreto, quod nec continet propositionem universalem, sed indefinitam; ad cujus comprobationem sufficit, quod comprobetur in casu, in quo intervenit abusus sacramenti pœnitentiæ, atque adeo suspicio hæresis. Servanda igitur est constitutio Gregorii, qui ex suscepto consilio, ac instituto, explicate, non autem obviam, obscure, ac supervacue, distinguit inter simulatam, et non simulatam confessionem; ac decernit hujusmodi solicitantes tunc subjici ejus legi, ac judicio S. Officii, si solicitant ad turpia, simulando confessionem sacramentalem, Castropal. d. tract. 4. disp. 6. punct. 8. n. 4. Fagund. l. 6. in decalog. cap. 12. n. 19. Lezan. in sum. c. 19. n. 34. Thomas Hurtadus, ac Bossius, quos sequitur Leander, tr. 15. disp. 13. q. 30. Bordon. d. c. 23. n. 43. ac Delbene, d. dubit. 237. sect. 11. n. 6. Advertendum tamen est, quod in id non requiritur animus simulandi, sed sufficit simulatio ex parte facti; quia, scilicet, locutio ipsa pœnitentis cum confessario reipsa est per speciem, atque adeo simulata confessio. Quod recte contra Sancium advertit etiam Bordonus, d. cap. 23. n. 46.*

Non esse autem simulatam confessionem ex eo præcise, quod pœnitens genuflexus manet ante confessionarium, tradit Leander d. disp. 13. qu. 31. quia confessarius est in aperto, et ex ejus risu, cachinnis, et verbis elatis, ac gestibus, potest extrinsecus certo apparere, quod illa non sit confessio, sed confabulatio de rebus ad confessionem minime pertinentibus, non intervenit simulata confessio. At, nihilominus, nisi oppositum certo appareat, si mulier pœnitens genibus flexis loquatur cum confessario, præsumitur confiteri; et in hac re sufficit apparens confessio; quæ si non est vera, dicenda est simulata. Ideo, si confessarius sedet in confessionario, cum fœmina ante se stante, vel sedente, illam solicitet ad turpia, non subjicitur pœnis hujus constitutionis, neque est in S. Officio puniendus; quia hæc non est confessio, ne quidem simulata, aut per speciem, ut docent DD. modo citati. Idem dicitur de confessario, qui post requisitam mulierem, an velit confiteri, et ea negative respondente, ipse, deposita stola, et à confessionario discedente, in loco ab eo remoto illam solicitat.

Contra vero ab inquisitoribus punitur confessarius, qui mulieri coram se genuflexæ, ac signo crucis munitæ, inquit, se nolle tunc ejus confessionem audire, ac interim illam ad turpia solicitat. Idemque dicendum, si muliere volente aliquid sibi communicare, confessarius eam invitat, et ducit ad confessionarium, et simulans ejus confessionem audire illam solicitat. Imo, etiamsi extra confessionem simul turpes sermones habeant, et, ut liberius de illis agere possint, conveniunt, ut adeant confessionarium; ac ibi, simulata confessione, colloquia illa turpia continuent, &c.

XLVIII. Hæc præscire omnino debet prudens confessarius pro casibus præteritis benigne judicandis, et pro futuris secure præcavendis; theologos in iis, quæ ad forum internum attinent, juristas vero in eis, quæ ad forum externum spectant, insequens. Ipsique externi fori judices memores etiam prorsus sint, quod ministri incedunt tribunalis ecclesiastici, quamvis recti, pii, ac benigni, atque adeo Dominum æmulantes, qui *dulcis et rectus* est, convenienti benignitate,

ac

ac pietate benigniores, ac favorabiliores reis opiniones, quantum par fuerit, prosequentes, causas dijudicantes, ne in inconvenientia alleg. 149. indicata reincidant; expressæ illi juris, ex sacro oraculo Prov. xxx. commendationi contravenientes: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*, c. *Denique*, 6. d. 4. ub. gloss. *Sic qui multum corrigit, offendit* . . . Et alibi dicit; *Noli esse nimis justus*, &c.

Hiscemet præsentibus diebus agnovi, aliquos pœnitentes ab aliquibus minus doctis, minusque piis sacerdotibus seductos, confundentibus damnationem doctrinæ cum reservatione culpæ, atque obligationibus utrinque resultantibus, indiscrete, atque indistincte utriusque rei usum, vel actum, denuntiare fuisse persuasos; v. g. quia damnatum reperitur ab Innoc. XI. prop. 48. asserere, fornicationem simplicem non esse peccatum, et contrarium docentem, vel tenentem, denuntiari debere; consequenter denuntiari debere eum, qui simpliciter eam fornicationem, non ut licitam, sed ut illicitam, et peccaminosam exerceret. Similiter, quia damnatum reperitur ab eodem, prop. 34. affirmare, licitum esse abortum procurare, et denuntiandum venire, qui tale asseverat; consequenter, et eum, qui aborsum curaret, vel ad eum concurreret consulendo, vel medicamen propinando, esto in hoc se reum gravis peccati agnoscendo, etiam denuntiandum ignoranter effutirent; non discernentes inter prohibitionem doctrinæ, et reservationem rei peccaminosæ; et fortassis occasionem sibi insipienter præbente reservatione materiæ, sive peccati hæresis; et prohibitione doctrinæ erroris, seu doctrinæ hæreticæ, &c. Sed de hoc infr.

XLIX. Pro confirmatione autem probabilitatis illius opinionis superius traditæ, quam amplectitur Pignatell. § 3. de necessaria *simulatione confessionis in confessionario*, ad hoc, ut solicitatio comprehendatur in terminis bullæ Gregor. refert etiam transcribere doctrinam Caren. p. 2. tit. 6. n. 30. ibi: *Secundum bullas, et decreta antiqua, talis confessarius fingens se audire confessionem, licet revera eam non audiret, solicitans fœminam in confessionario, non incurrebat pœnas inflictas per bullas illas confessariis solicitantibus: ita Sanctarellus de hæresi, cap. 46. n. 6. Conel. supra: nam illæ bullæ, et decreta, loquuntur de eo, qui abutitur sacramento pœnitentiæ: at hujus sacramenti in casu prædicto nullus adest abusus; quia ibi nulla confessio; et sequenter, nullum sacramentum: et evulgata regula est, quod non entis nullæ sunt qualitates: igitur*, &c.

Sed quoniam, succedente tempore, confessarii, ut vim constitutionum antiquarum evitarent, in confessionario confessiones mulierum fingentes se audire (quas tamen ex condicto non audiebant) fœminas ad turpia solicitabant, ob id antiquarum constitutionum rei non videbantur, ex Hieron. Rodriq. qui alios emulat in com. quæst. regul. resol. 131. num. 10. ideo, ut etiam contra istos per inquisitores procederetur in sacro supremæ Inquisitionis Romæ tribunali, decreto particulari fuit sancitum, &c.

Ex quo recte infertur, quod cum decretum Pauli V. die 10. Julii 1614. fuit, *ut in S. Officio procederetur contra hujusmodi confessarios, extra confessionem, in confessionario tamen, prætextu illius solicitantes*; et, *hoc idem*, ut ait idem Caren. ibid. *nunc optime etiam fuit à sanctissimo Greg. XV. declaratum in prædictis verbis bullæ*; sequitur, quod ea verba bullæ comprehendant tantummodo casum solicitationis in confessionario, *confessionem simulando*; ad quem sese restringunt.

Confirmatur efficaciter; Quia absque simulatione confessionis non datur suspicio hæresis, neque abusus sacramenti, juxta dicta: atqui Paulus V. ideo jussit puniri in S. Officio confessarios in confessionario extra confessionem solicitantes ob sacramenti abusum, et suspicionem hæresis inde resultantis: ergo restricte de solicitatione cum confessionis simulatione locutus est.

L. De confessario autem monialium, prosequitur Caren. ibid. solicitante monialem in parlatorio communi, in quo etiam solet earum monialium confessiones excipere, et alii etiam solent ibi indistincte cum eisdem monialibus loqui; quid dicendum? In hac re bene Sancius in suis selectis, d. 11. n. 68. in fin. ait, *talem non comprehendi sub hac constitutione*; quia locus ille proprie non potest dici confessionale, nisi solicitaret in die, quam moniales haberent destinatam pro confessionibus. Sed de hoc vide distinctiones de Alexandr. supr. n. 46.

Qui quidem de Alexandr. quæs. 9. c. 6. § 10. dum ex Nald. ait, *Sic servari in praxi à S. Inquisitione Rom.* quoad processum adversus confessarios in confessionario extra confessionem solicitantes, *etiam confessionem non simulando*; adversatur doctrinæ, et assertioni practici Pignatell. in consultis novissimis, ubi sæpe sæpius tradit praxim S. Romanæ Inquisitionis, cui quidem A. ipsa in praxi plurimum defert, et ex traditis cons. 117. § *Tertio subditur*, superius transcripto, ubi contrariam opinionem practice amplectitur; verbis ibi: *Ut autem in hoc casu solicitans subjiciatur pœnis hujus constitutionis, necesse est, ut interveniat simulatio confessionis.*

Et statim concilians dispositionem bullæ Gregorianæ cum decreto illo Pauli V. sic ait: *Quia cum solicitare in confessionario extra occasionem confessionis, possit fieri simulando, et non simulando confessionem, etsi fiat non simulando confessionem, non contineat abusum sacramenti pœnitentiæ, nec inferat illi injuriam; quia locus determinatus non est de per se pertinentibus ad tale sacramentum, sed ad illud per accidens se habet; neque aliqua benedictione est consecratus pro audiendis confessionibus. Quod minus distincte expressum fuit in illo decreto, distinctius expressit Gregor. XV.* &c. *qui ex suscepto consilio, ac instituto, explicate, non autem obscure, ac supervacue, distinguit inter simulatam, et non simulatam confessionem; ac decernit, hujusmodi solicitantes tunc subjici ejus legi, ac judicio S. Officii, si solicitant ad turpia, simulando confessionem sacramentalem, Castr. Pal. Fagund. Lezan. Hurt. Boss. Leand. Bord. Delb.* &c. supra extensi.

Confirmatur, 2. Hæc intelligentia, ac vera opinio, efficaciter; 1. Quia S. Officium in tantum procedit, ac procedere potest, adversus illos confessarios in confessionario extra confessionem solicitantes, in quantum ex abusu sacramenti sunt de hæresi suspecti: atqui si solicitatio in confessionario fiat non simulando confessionem, neque datur abusus sacramenti, neque hæresis suspicio, secundum Pignat. ibidem, *In solo casu simulatæ confessionis intervenit abusus sacramenti, atque adeo suspicio hæresis*: ergo.

Confirmatur, 2. Quia odiosa secundum se sunt restringenda: ergo multo magis, quando verba ipsa legis restricte loquuntur, ut impræsentiarum, *simulantes ibidem confessionem*; quæ quidem limitatio omnes præcedentes clausulas afficit, juxta dicta supr. n. 46. quæs. 6.

Confirm. 3. Ex illis verbis, *illicitos sermones*; quibus non obstantibus, et quod solicitatio ad alia peccata, præter luxuriam, sit illicitus sermo, seu tractatus, non tamen confessarius taliter solicitans denuntiandus venit, ex vi istius bullæ Gregor. juxta communem doctrinam, de qua Fel. Pot. to. 2. p. 3. n. 496. cum Bordon. Lezan. Dia. Roncagl. et est praxis inquisitorum, eo quod restricte loquatur de sermonibus illicitis in materia inhonesta, seu venerea, ex verbis ibi; *Illicitos, et inhonestos sermones, seu tractatus* (adde ex nova constitutione Benedict. XIV.) *temerario ausu habuerint*: ergo similiter, &c.

Confirm. 4. Ex hac nova modificatione, sive dispositione *temerario ausu*, ex qua infertur, non procedere temerarie, sive ausu temerario, confessarium, qui opinione practice probabili, qualis hæc est, procederet; neque posse damnari, ut temerariam, propositionem, quæ sufficienti auctoritate extrinseca DD. et intrinseca rationum, fulcitur: propositio namque temeraria illa est, *quæ circa doctrinam fidei, vel morum, vel dogmatum theologiæ, absque sufficienti fundamento aliquid affirmat, aut negat.* Ita Salmant. to. 7. Bordon. Carden. compilat. in prop. damn. ab Alexand. VIII. et commune DD. Nemo autem sanæ mentis negare audebit, hanc opinionem ex verbis bullæ *Universi* formaliter, et naturaliter erutam; videlicet, *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessionem, solicitare*, &c. et tot rationum naturalium, et juridicarum pondere firmatam; præsertim

de

de clauſula illa, *ſimulantes ibidem confeſſionem*, quod omnes præcedentes diſpoſitiones percutiat, ex doctrinis ſupra traditis, pluſquam ſufficienti, imo et efficaci fundamento gaudere. Quæ quidem fortius urgebunt pro caſibus jam eventis cenſurandis, ac judicandis, præſertim in tribunali pio, ac benigno, quo hi caſus benigne, et reis favorabiliter judicari, atque expediri debent, juxta ſuperius inſinuata.

Confirm. tandem, ex diſpoſitione nuperæ bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, ubi eadem clauſula repetitur: *Vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta et turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint*, &c. ubi clauſula illa, *cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem*, percutit omnia præcedentia, et ſubſequentia.

ALLEGATIO CXLIX.

Super Multiplicitate Præceptorum eccleſiaſticorum; et ſuper Fallibilitate, vel Infallibilitate Judicii Inquiſitorum; et ſuper Obligatione denuntiandi Inquiſitoribus de recto eorum Miniſterio male ſentientes; necnon ſuper Secreto ſervando à Miniſtris S. Officii, et à Reis ibi denuntiatis, vel proceſſatis.

SUMMARIUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Quoad multiplicitatem præceptorum.*
III. *Quoad infallibilitatem tribunalis S. Officii.*
IV. *Pontifices, etiam ut tales, in quæſtionibus de facto errare poſſunt, ac de errore notari; et multo magis inquiſitores.*
V. *Dinumerantur Pontifices, qui quandoque errârunt practice, ac ſpeculative, in quæſtionibus de facto ab humanis informationibus dependentibus.*
VI. *Dinumerantur etiam conſimiles errores aliquorum inquiſitorum.*
VII. *Quomodo quis impune, et inoffenſe, hos errores, et exceſſus, jugillare poterit, quin male ſentiat de recto S. Officii miniſterio, qui non bene ſentiret de non recta aliquorum miniſtrorum intentione, vel exceſſu.*
VIII. *Notantur rigiditates ac rigores dictorum decretorum, ac ſententiarum aliquorum judicum S. Officii.*
IX. *Omittitur ſpecialis relatio aliorum in cauſa propria; et inſinuatur ratio hæc ſcribendi.*
X. *Juramentum ſervandi ſecretum in rebus S. Officii non debet extendi, ſed reſtringi, et ſtricte interpretandum.*
XI. *DD. auctoritates circa hoc ſecretum.*
XII. *Secretum à reis ſervandum oritur ex juramento præſtito, quod quidem obligat juxta gravitatem, vel levitatem, materiæ, vel præjudicii.*
XIII. *Item obligatio in edicto impoſita denuntiandi reos S. Officii ſecretum revelantes.*
XIV. *Cur exactius ſervetur juramentum ſecreti S. Officii, quam in reliquis tribunalibus præſtitum?*
XV. *Impedimentum exercitii juriſdictionis ordinariæ, etiam ſubjicitur excommunicationi in bulla Cœnæ.*
XVI. *Non eſt denuntiandus reus revelans particulariter materiam non gravem, nec præjudicialem.*
XVII. *Ratione neceſſarii conſilii ad animæ, et conſcientiæ ſuæ ſecuritatem, poteſt quis, ſub ſecreto, confeſſario, vel conſultori ſuo licite, et indemne revelare ea, quæ præciſe neceſſaria ſunt ad conſcientiæ ſuæ directionem, ac ſecuritatem.*
XVIII. *Poteſt licite reus, ac teſtis, declarare ea, quæ cum ipſis acta non ſunt.*
XIX. *Imo abſque gravi peccato ea, quæ cum ipſis acta ſunt, ſi in ſe levia ſunt, et ex eo nullum præjudicium, aut nocumentum ſequatur.*
XX. *Quinimo, et quandoque abſque peccato veniali.*
XXI. *Uberior notitia ex doctrina Salmantic.*

I. IN Portucalenſi civitate, chara patria mea, nuper è vivis diſceſſit acatholicus quidam Anglus, à Gallis oriundus, nomine *Iſaac Leſtau*, vir quidem apprime inſtructus in polemicis quæſtionibus, et omnibus religioni attinentibus controverſiis; et, ut erat clari, et rationabilis ingenii, Romanæ quidem eccleſiæ veritatem, et orthodoxam fidem, ac doctrinam ſerio, nedum agnoſcebat, ſed et fatebatur; quam tamen publice amplecti, ac tandem profiteri haud expediebatur, à duobus tantummodo fragilibus catenis, ſive compedibus, detentus, atque coarctatus. Hi erant, ut ipſe palam fatebatur, primus, multiplicitas præceptorum graviter obligantium, in eccleſia Romana, ut jejunandi, intereſſendi ſacro, cum laboris carentia omnibus diebus feſtivis, præter diem Dominicam, qua Dominus *requievit ab omni opere, quod patrârat*, excommunicationum, et aliarum cenſurarum ſub lethali noxa fulminatarum, &c.

Secundus autem erat (quem et impatiens referebat) proceſſus S. Officii tribunalis ex vi generalis edicti adverſus omnes, qui detrahunt, vel male ſentiunt, de proceſſu, ac recto S. Officii miniſterio. Sic enim ratiocinabatur: Summus Pontifex eſt ſane majoris auctoritatis, ac reverentiæ, præ S. Officii tribunali; et eſt qui huic juriſdictionem, atque auctoritatem delegavit: et tamen ſcriptores, etiam catholici, paſſim taxant, ac ſugillant quamplures proceſſus, et actiones, quas aliqui Summi Pontifices, etiam ut tales, patrârunt; quin per id alicui punitioni, atque animadverſioni ſubjicerentur: quomodo ergo juſte ſubjicietur, nedum denuntiationi, ſed et animadverſioni, ac punitioni, qui fortaſſe cum fundamento notaverit alicujus miniſtri aliquem exceſſum, vel etiam ipſius tribunalis in aliquo proceſſu, vel ſententia, aut nimium rigorem, aut exceſſum, vel immoderationem, vel etiam in aliquo fundamento, errorem de facto, cui veluti homines, et non angeli, quandoque ſubeſſe neceſſe eſt? Et inſuper quod de proceſſibus iſtis appellare non permittatur, adverſus jus naturale, &c. Ut autem cum diſtinctione congrua procedamus:

SECT. I.

Quoad multiplicitatem præceptorum:

II. Dicendum eſt, 1. Eam non poſſe infirmare evidentiam veritatis Romanæ eccleſiæ, neque ſuſpicionem, vel etiam leviſſimum motivum generare valere dubitandi, quod eccleſia Romana non ſit vera, ſancta, catholica, et apoſtolica eccleſia.

Probatur, 1. facillime: Quia ſynagoga fuit vera eccleſia Dei antiqua, et lex ſcripta Veteris Teſtamenti, ſancta, et vera Dei lex, quam qui perfecte tenuerunt, ac cuſtodierunt, ſalutem à Dei ſunt conſecuti, juxta illud; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: et illud; *Lex Domini immaculata, convertens animas: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos . . . . In cuſtodiendis illis retributio multa*, &c. Pſ. cxviii.

Et tamen lex ſcripta, ſive Teſtamentum Vetus, tot præcepta moralia, cæremonialia, et judicialia præcontinebat, ut affirmativa fuerint numero 118, quot ſunt membra corporis humani; et negativa 365, quot ſunt dies in anno ſolari; quod quidem jugum, ut Paulus dixit Act. xv. 10. *Neque patres noſtri, neque nos portare potuimus*: cum tamen conſtet ex Luc. i. 6. quod Eliſabeth et Zacharias *erant juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et juſtificationibus.* Idem dicitur de David, Act. xiii. 22. de Joſue, xi. 15. de Joſia, 4 Reg. xxiii. 25. et aliis. Vid. Alap. in Act. xv.

Probatur, 2. Quia *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt*, ut Galat. iii. 19. Atqui quo mundus ad extremitatem ducitur, eo legis tranſgreſſiones, ſcelera, ſcandala, malitia, iniquitas, et omnia mala in eo ingraveſcunt;

veſcunt; ſemper enim mundus *ruit in pejus*; *et licet periculis plenus, per plures ſemitas pertrahit ad majora pericula*, ut Auguſt. deplorat, lib. confeſſion.

Ergo nil mirum, quod, abundante malitia tranſgreſſionum, ſuperabundet gratia curationum, atque præſervationum per leges. Vide hac de re Sianda in lexic. polemic. tom. 1. pag. mihi, 345. et Arſdekim theolog. tripart. to. 1. in notit. gener. dogm. verb. *Præceptum*, et alibi.

SECT. II.

Quoad infallibilitatem, vel fallibilitatem, judicii tribunalis Inquiſitionis:

III. Certum eſt, 1. Auctoritatem, atque infallibilitatem judicii Summi Pontificis, ſupremi eccleſiæ paſtoris, alteriuſque pro-dei in terra, majorem quidem eſſe, quam auctoritatem, atque infallibilitatem tribunalis S. Officii, cui ſupremus Pontifex ſuam juriſdictionem pro rebus fidei delegavit; ita tamen, ut ipſummet ſupremum tribunal eminentiſſimorum cardinalium, generalium inquiſitorum, et omnes ipſi, et reliqui inquiſitores, ſicut et reliqua eccleſiaſtica tribunalia, tam collectim, quam ſingillatim quoad ſingula membra, ſint in omnibus, et per omnia, ſubordinati ſupremo omnium capiti, ipſi, ſcilicet, Summo Pontifici, à cujus ordinaria juriſdictione, velut à fonte, omnes aliæ juriſdictiones ordinariæ, vel delegatæ, promanare, ac derivari dignoſcuntur; de quo AA. TT. ac JJ. frequenter, ut Platel. de fide, c. 1. § 4. Arſdekim, p. 1. c. 10. q. 1. et ſeqq.

Ita ut etiam generalia, et œcumenica concilia non ſint ſupra Pontificem, ſed ipſi inferiora, veluti membra capiti; tum quia ſolus Summus Pontifex habet jus convocandi concilium generale, atque ei præſidendi; tum quia concilium quantumvis generale, ſi à Summo Pontifice non convocatur, invalidum, atque illegitimum omnino eſt; et ejus decreta, quantumvis uniformiter ſtabilita, ſi ab eodem non approbentur, non ſunt infallibilia, aut irrefragabilia, cum robur omne, atque auctoritatem definitivam, ab ipſo ſupremo capite accipiant: quod patet, 1. Ex c. *Significâſti*, de elect. ibi: *Cum omnia concilia per Rom. eccleſiæ auctoritatem, et facta ſint, et robur acceperint.* Conſonat canon *Si Papa*, diſt. 40. et ipſamet ratio primatus, et vicariatus; non enim Pontifex eſt vicarius eccleſiæ, ſed Chriſti in eccleſia univerſa.

Prob. 2. Ex promiſſione infallibilitatis factæ à Chriſto ipſi Petro, ut eccleſiæ capiti: *Super hanc petram ædificabo*, &c. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*; non vero eccleſiæ, ut ab ipſo capite disjunctæ.

3. Ex conſtanti ſenſu, et praxi eccleſiæ, necnon ex reliquis, quæ ap. Platel. cit. an. 162. et Arſdekim cit. q. 1.

IV. Certum, 2. Pontificem in quæſtionibus particularibus de facto, nedum ut doctorem privatum, ſed etiam ut Summum Pontificem, errare poſſe, ſi quæſtiones illæ non pertineant ad communem eccleſiæ fidem, religionem, morumque ſanctitatem, nec ſint connexæ cum quæſtionibus juris, doctrinæ fidei, ac morum. Ita Platel. cit. n. 121. et reliq. DD. cum Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 2. aſſerente, *Pontificem, etiam ut Pontificem, et cum concilio generali, errare poſſe in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum præcipue dependent.* Vide Arſdekim cit. q. 3. Confirmatur aſſertum egregie ex permiſſione principis apoſtolorum erga aliquas obſervantias Judaicas, ob quas D. Paulus *in faciem ei reſtitit, eo quod reprehenſibilis erat*, ut legitur Galat. ii. 11.

Ex his conſequitur clare, quod ſi Summus Pontifex, ſupremum caput eccleſiæ, et ut tale, errare poteſt aliquando, et in aliquibus; multo magis inquiſitores minoris auctoritatis, et infallibilitatis; et Inquiſitionis tribunal, ut tale, in aliquibus quæſtionibus de facto, quæ ab informationibus hominum dependeant; imo poſſe aliquando cum aliquo exceſſu vel in judicandis, aut capitulandis culpis, vel in imponendis pœnis, imo cum aliquo errore in aſſumendis fundamentis, ac motivis, ut ſæpe accidit, et inferius demonſtrabitur. Unde, ſicut impune, ac citra omnem temeritatem, et irreverentiam, quis libere, et juſte notare, ac taxare poterat errorem, et exceſſum illum in Summo Pontifice, ſi intercederet, etiam ut tali; multo magis in inquiſitoribus, et illorum proceſſibus, ſi forte inibi etiam interveniret. Ratio namque miniſtrorum S. Officii non illos à ratione hominum exuit, neque angelorum naturam eis induit; proindeque tum errori in intellectu, tum paſſionibus in voluntate, manent quidem ſubjecti.

V. Quod autem plures Summi Pontifices, etiam ut tales procedentes, ſæpe erraverint tam practice, quam ſpeculative, in quæſtionibus illis de facto; vel ex deceptione, et iniqua, ac non recta hominum informatione; vel etiam ex mala animi affectione, vel rationis turbatione, aut obcæcatione, ob quæ tales eorum errores, aut actiones non rectæ ab ſcriptoribus etiam catholicis, et eccleſiaſticis, impune, ac inoffenſe ſugillatæ ſunt; patet ex fide digniſſimis hiſtoriis, atque traditionibus decerptis ex ipſorum Summorum Pontificum annalibus, atque rebus geſtis deſcriptis:

Videlicet, ex Papa Zacharia, qui, ut Pontifex, octavo ſæculo approbavit, et confirmavit damnationem, ac depoſitionem Virgilii epiſcopi Saliſburgenſis, factam per Bonifacium, primatem Moguntiæ, eo quod Virgilius ſuſtinuerit opinionem tenentem dari *antipodes*, ſive homines, qui in nobis, oppoſito orbis ſemicirculo, pedibus verſus nos inverſis, ſive pedibus noſtris ex diametro oppoſitis, ambularent; et falſam hanc opinionem declaravit Zacharias, quam etiam reprobârant D. P. Auguſtinus, et Nazianz. quocirca ſingularis P. Vieyra exclamavit: *Magnam Luſitanorum gloriam! ancoris navium ſuarum fundum reperire, ubi profundus Auguſtini intellectus fundum non invenit!* cum tamen Deuter. xxx. 4. ſic ſuadeat Moyſes: *Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus.* Cardines ſunt *poli*; *qui autem ſub uno polo degunt, antipodes ſunt degentibus ſub altero.* Ita Beyerl.

Ex iterata reprobatione, atque parata per definitionem Pontificiam, damnatione à Clem. VIII. adverſus magni Soarii, et totius Societatis doctrinam, ſignanter *ſcientiæ mediæ*; de qua eminentiſſimus cardinalis Bellarminus, tam ſanctitate, quam ſcientia forſan eminentior, quaſi futuri præſcius vaticinaverat, Pontificem definitioni, quam prætendebat, minime perventurum, ut in ipſius Soar. vita legitur, lib. 2. cap. 18.

Ex acerba etiam extinctione famoſi ordinis Templariorum à Clem. V. Avenione exiſtente, ad inſtantiam Philippi Pulchri regis Galliæ, quam etiam ſcriptores Galli injuſtam, crudelem, atque execrandam accuſant, ac proclamant; necnon ex deteſtabili tranſlatione, quamvis temporaria, Sedis Apoſtolicæ ab eodem in Avenionem; ex duriſſimo judicio, ac ſupplicio venerabilis fratris *Hieronymi Savonarolæ*, illuſtris ordinis Dominicani, cum duplici ſocio *Fr. Dominico de Peſcia*, et *Fr. Sylveſtro Maruſio*, juſſu Alexandri VII. quam nedum ſcriptores Dominicani, ſed et exteri etiam ſugillant.

Celebris etiam, ac notabilis fuit contradictio, atque inconſtantia Papæ Joannis XXII. qui, etiam ut Pontifex, opinionem tenuit de receptaculis animarum uſque ad corporum reſurrectionem, cui etiam D. Bernardus adhæſit, teſte Joann. Marlo; et poſtea bullam emiſit, qua eam opinionem revocans, animas beari in cœlo, aliaſque in inferno cruciari, ſtatim ab obitu aſſeverat. Vide Burr. et Palat.

Notabilior autem eſt reſolutio Cœleſtini tertii, in quæſtione juris, qui c. *Laudabilem*, de converſ. infidel. immerito ita ſenſit, matrimonium diſſolvi inter fideles, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, ut Alfonſ. de Caſtro, l. 1. de hæret. pun. c. 4. affirmârit, *Cœleſtinum in præſenti non poſſe ab hæreſi excuſari*, ut hic narrat Gonſal. (videant, qui pacate non ferunt ne quidem juſtam unam notam in proceſſibus inquiſitorum, qualem, et quam acrem notam inquiſitor iſte in unum Summum Pontificem impingat!) licet Innoc. III. c. *Quanto*, de divort. ubi hanc reſolutionem Cœleſtini (vel, ut aliis placet, Urb. III. in c. *De illa*, hoc tit.) reformans, contrarium decidit, eam non *definitionem*, ſed *ſenſum* appellat: *licet quidam prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur.* Cum enim tunc temporis pro utraque parte probabiles circumferrentur ſenten-

ſententiæ, reſolutionem reſcripſit, juxta unam earum, quæ ſibi, ut doctori privato, magis placuit, cum adhuc nulla daretur eccleſiæ definitio, ut nunc datur in Trid. ſeſſ. 24. de matrim. c. 5.

Et licet Gonſal. in cit. c. *Quanto*, confirmet hanc intelligentiam ex verbis ipſius Cœleſtini ibidem; *Non enim videtur nobis*; et ex verbis ipſius Urb. *Dicimus compellendum*; attamen difficultatem non evacuat, quod locuti ſunt, *ut Pontifices*; et ideo utriuſque reſolutio inter canonicas ſanctiones redacta eſt. Vide etiam Siand. to. 2. controv. 48. ſuper mutatione Vigilii Papæ, tria capitula, quæ prius mordicus ſuſtinere viſus eſt, poſtea expreſſe damnatis, quæ damnatio à 5. ſynodo confirmata fuit; et controv. 41. ſuper deceptione de facto Zephyrini Papæ approbantis prophetias Montani, et Zoſimi à Pelagio, ac Cœleſtio; necnon Damaſi à Vitali Apollinaris diſcipulo, &c. et controv. 49. et ſeqq.

Vide inſuper apud Palat. Burr. et Marin. tr. 14. de fide, hiſtoriam Papæ Formoſi, canonici Auguſtiniani, qui ex epiſcopo Portuenſi degradatus, quaſi conſpirator, à Joanne VIII. reſtitutus à ſucceſſore Martino II. poſtmodum papatum obtinuit; et à ſucceſſore Stephano VII. exhumatus, et ſacris veſtibus ſpoliatus, mutilatis digitis, in Tiberim projectus eſt, et nulliter ordinati in concilio declarati omnes ab eo initiati, qui poſtea à Joanne IX. etiam in concilio, valide ordinati, et acta Stephani in Formoſum nulla declarata ſunt. Sed iterum à Sergio III. Formoſus degradatus, in Tiberim eſt projectus; *Sergius autem, et Stephanus* (ait Bellarmin. l. 4. tom. 1.) *erravit in quæſtione facti, non juris; et ex malo exemplo, non ex falſa doctrina*, &c. Unde Div. Thom. quodlib. 9. a. 16. *In ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de poſſeſſionibus, de criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt, judicium eccleſiæ errare propter falſos teſtes.* Vid. bull. 62. *Ex commiſſi*, Clem. XI. p. 6. qua annullavit acta generalis inquiſitoris adverſus epiſcopum Carthagin. in Indiis, et hujus acta, et proceſſus revalidavit, decernens inſuper amoveri tribunal Inquiſitionis Carthaginenſis.

VI. Quod autem tribunal, etiam ipſorum eminentiſſimorum cardinalium generalium totius orbis inquiſitorum, in illis quæſtionibus de facto erraverit, ſaltem materialiter, patet ex approbatione, editione, ac permiſſione publica librorum, ac lubricarum doctrinarum virulenti Michaelis Molinoſii, et prohibitione expreſſa oppoſiti libri *Concordia inter quietem et ſpiritum* venerabilis P. Pauli Segneri, quo Molinoſias fallaces doctrinas veraciter refutabat, ac convincebat; et poſtmodum aliquo tempore tranſacto, Molinoſiis fallaciis detectis, Segneriaque veritate manifeſta, inverſa fortuna, ex formali interdictione lecturæ Molinoſii librorum, et expreſſa permiſſione adverſantis Paulinæ concordiæ lectionis, circumlationiſque licentiæ: in quibus oppoſitis, atque ſibimet adverſantibus judiciis, atque proceſſibus, neceſſe eſt fateri, quod in aliquo illorum eminentiſſimi generales inquiſitores, ſaltem materialiter, ex diverſis hominum informationibus decepti ſunt.

Lege præliminaria pro beatificatione vener. Mariæ Agredanæ, Romæ typis data 1747. et invenies, n. 6. et ſeqq. multiplicem prohibitionem S. Inquiſitionis Romanæ, et Hiſpanæ, illius librorum *cum animarum ſcandalo, ac diſſenſionibus*, ſub Innoc. XI. et prohibitionis ab eodem ſuſpenſionem, imo et revocationem ab Alex. VIII. Innoc. XI. et XII. et Bened. XIII. et alia ibidem.

Patet etiam in damnatione inſignis P. Antonii Vieyræ, Luſitaniæ, atque ſocietatis Jeſu eximii decoris, cujus propoſitiones ab ipſamet ſuprema Inquiſitione Romana, auctore inaudito, in diverſo, et alieno ſenſu uſurpatæ, et ab Inquiſitione Conimbricenſi, ex incongrua qualificatorum cenſura in reprobum ſenſum diſtortæ, prius damnatæ, poſtea veritate accuratius examinata, ab ipſiſmet eminentiſſimis ſupremis S. R. E. generalibus inquiſitoribus approbatæ tandem fuerunt; et à ſanctiſſimo P. Clem. X. an. 1675. expeditum fuit in ſingularem auctoris, et ſcriptorum ſuorum gratiam, breve honorificum infra in fine allegationis criticæ tranſcriptum: qui quidem Vieyra, dum Romæ ſibi objiceretur, quomodo cum adeo claris explicationibus, ab ipſo propriis propoſitionibus adhibitis, damnatus tandem exceſſerit à cenſoribus, nedum Luſitanis, ſed et Romanis; appoſite ad utroſque referens, diſerte reſpondit: *Me audivit, qui me non intellexit; me judicavit, qui me non audivit.*

Et ex hiſtoriis in proceſſu nullo, ac violento inquiſitoris Brixiani Fr. Jacobi, tempore Pii II. adverſus S. Jacobum de Marca, etiam inquiſitorem, et miſſionarium Apoſtolicum, in damnatione cujuſdam propoſitionis erga ſeparationem divinitatis à ſanguine diffuſo Chriſti Domini in triduo mortis, fundatæ in doctrina D. Bonaventuræ, Mayroni, et Richardi Mediavillenſ. qui quidem proceſſus fuit à Summo Pontifice annullatus, et inquiſitor ob illum damnatus, et conſtrictus ad ſatisfactionem præſtandam, veniamque flexis genibus humiliter petendam (quod et effecit) ab ipſo D. Jacobo, cujus tandem doctrina, ac propoſitio fuit ab omni cenſura libera proclamata, ſatagente epiſcopo Brixiano Meripetro, non obſtante damnatione tribunalis Barcinonenſis, qua inquiſitor fundabatur, de quo Vuading. to. 6. d. ann. 1462.

Patet etiam ab exceſſibus in aliis materiis præter doctrinalem, ut in caſibus ſugillatis ab ipſo jure, c. *Multorum*, c. *Nolentes*, Clem. de hæret. et aliis, et à DD. paſſim, ut apud Card. Petram, to. 1. in conſt. 2. Leon. IX. ſect. 1. n. 79. et quæ leguntur in vita illuſtriſſimi archipræſulis Aug. de Caſtro, qui ſæpe ſæpius conqueſtus eſt de gravibus exceſſibus tribunalis Inquiſitionis, nedum adverſus ejus juriſdictionem ordinariam, verum et adverſus ipſius præeminentiam, ac privilegia, et ab iis, quæ inſinuantur in allegationibus 11. 44. 70. 138, 139, 140. 147.

Necnon ex aliis in Inquiſitione Goana eventibus, ut cujuſdam regularis inquiſitoris, ab illuſtriſſimo inquiſitore generali tunc temporis juſte ab illo munere depoſiti ob exceſſus in procedendo cum minori, quam par erat, integritate, ac pietate; et alterius exceſſivi proceſſus, cui interfui, et non conſenſi, neque tertius inquiſitor, in quo damnatus evaſit vicarius generalis Macaonenſis, cum tamen foret voluntarie præſentatus, eo quod, volens juſte punire clericum quendam ſibi ſubditum, ob culpam foro ſuo attinentem, notificatus à S. Officii commiſſario, ne adverſus clericum illum procederet, eo quod ipſius notarius incederet; deſtitit generalis vicarius ab ulteriori proceſſu, in qua circumſtantia favorabilem ſibi habebat regiminis S. Officii diſpoſitionem, ne adverſus eum ullo modo procederetur: attamen ob unicum verbum, quod vicarius in commiſſarium protulerat, ei nimirum favorem ſecundi inquiſitoris Goani, cui maxime fidebat, improperans, damnatus eſt, tanquam juriſdictionis S. Officii turbator, et recti ejuſdem miniſterii male ſentiens; et ſententiam ſuam in aula S. Officii, ut reus in privato actu, candelam nigram manu tenens accenſam, audivit. Cum autem ego, et inquiſitor ſecundus diſſentiremur, et vota noſtra ſalva manere proteſtaremur, delata re ad generale concilium Uliſbonenſe, vota noſtra approbata, et confirmata fuerunt, et proceſſus, atque ſententia reprobata; ſed ſero, quaſi clypeus poſt vulnera; reus namque punitus, et cum infamiæ labe remanſit; ſicut et aliis ſæpe evenit.

Alium pernicioſiſſimum exceſſum ſolent S. Officii commiſſarii in Aſia patrare (quem etiam in hac Algarbienſi diœceſi quandoque eveniſſe audio) qui avocantes à propriis parœciis catalogum baptizatorum, prætextu eos S. Officii ordine ſecreto examinandi, aliqua in aliquorum damnum, eorumque puritatis, ac genealogiæ folia clam convellunt; cum ex Pignatell. et aliis, in eadem parochiali eccleſia, licet ſecreto, eos debent examinare, ut in tota Bracharenſi archidiœceſi expeditur.

Miſſam pronunc facio notabile millam inconfidentiam, atque defectum fidelitatis, quo inquiſitor quidam valde politicam, ac juridicam epiſtolam ſibi ab excellentiſſimo epiſcopo Elvenſi poſt controverſiam extorſionis complicum revelationis, de qua alleg. 147. urbane, ac fideliter deſcriptam, emergentia damna ex S. Officii edicto prudenter ponderante, typis traditam, et in publicum editam, publicis, ac ſatiricis criſibus inconfidenter ſubjecit.

VII. Qui ergo hos, et alios proceſſus notârit, aut ut exceſſivos, vel à recto aliqualiter devios, ſugillaret, nil contra edictum S. Inquiſitionis delinqueret, neque

ob

ob id juſte redargui poſſet: aliud eſt enim male ſentire de recto miniſterio S. Officii; aliud vero de obliquo, et non recto, ſed à recto deviante, aut defiectente alicujus, vel aliquorum miniſtrorum exceſſu, errore, vel defectu, cum fundamento judicare; imo ſi factum ſit publicum, publice loqui, et in ſcriptis notare ad paritatem exceſſum in Clem. *Multorum*, et *Nolentes*, expreſſe notatorum, et redargutorum, et aliorum præfatorum, qui à catholicis etiam ſcriptoribus cenſurantur. Vide ap. Gonſal. in c. *Laudabilem*, de converſ. infidel. Alfonſum de Caſtro, ſugillantem Cœleſtinum III. de hæreſi innodatum in deciſione ibidem data: et Siand. to. 2. controv. 49. *Si quis ita aſſerat, nullam merebitur cenſuram*, ex c. *A nobis*, de ſent. exc. D. Tho. quodl. 9. c. 16.

VIII. Verum quidem eſt, quod in Hiſpania, et præſertim in Luſitania, nimium, et fortaſſe plus debito, zelant inquiſitores hanc, velut mutam, aut obmuteſcentem reverentiam in obſequium tribunalis, ita ut jam in proverbium tranſierit; *Con el rey, y con la Inquiſicion, chiton*; quaſi quia in obſequium fidei captivare intellectum debemus; ita et in obſequium tribunalis fidei, intellectus, et intelligentias, nedum captivare, ſed et ſacrificare teneamur. Aſt, cum juxta ſuperius tradita, n. 3. ſententiæ, ac decreta inquiſitorum non ſint abſolute infallibilia, et irrefragabilis auctoritatis; eſto non temere, et abſque gravi fundamento, in illa obloqui non debemus, ſed cum convenienti cautela, ac debita, obſequioſaque reverentia; attamen in quæſtionibus illis, rebuſque de facto, notorio defectu, aut exceſſu intercedente, debito moderamine, atque modeſtia obſervata, inoffenſe quis adinſtar præmiſſorum jurium, atque ſcriptorum, notandum notare, ac ſugillare poterit.

" Similiter inoffenſe, inculpabiliter, juſte, ac prudenter notare valebit rigores ac rigiditates aliquarum ſententiarum, atque decretorum, quas ſæpe vidimus in tribunali (quamvis recto, dulci, et pio) quod quidem, ut tale, juxta opiniones magis pias, benignas, ac mites, reiſque favorabiliores, eos examinare, judicareque debent, ut admonent Pignatell. conſ. nov. 159. et 160. et conſ. can. 186. et 202. to. 12. Pegn. et Caren. p. 3. tit. 2. § 9. n. 38. *In examinandis reis inquiſitores humaniſſime ſe gerere debent, non autem nimis rigoroſe, et acerbe, memores ſe homines eſſe, qui et in ſimilia, et pejora cecidiſſent, niſi Omnipotentis Dei gratia adjuti fuiſſent, ut de ſeipſo dicebat D. Franciſcus*, Zanard. *Dia. reſol.* 88. occaſionem è contrario præbentes et juſtis cenſuris prudentum, et juſtiſſimis appellationibus, atque recurſibus reorum, ut præter præſignatos caſus, et ſententias, magni Vieyræ, et aliorum, nuper anno 1736. vidimus in ſententia exceſſive prolata adverſus provincialem cujuſdam religionis gravis in tribunali Inquiſitionis Ulixbonenſis, in materia opinabili ſolicitationis, pro qua probabiliſſima circumferebatur opinio in rei favorem, qui ex conjecturis dumtaxat, licet vehementibus, apprehenſus fuerat; qua tamen probabilitate non obſtante, tribunal judicando ſecundum opinionem rigidiorem unius Fel. Pot. vel alterius, ut fertur, minus benignam, et reo minime favorabilem, eum ad actionem privatam coram quamplurimis viris eccleſiaſticis, regularibus, ac ſæcularibus, educentes, in aula S. Officii, ſententiam condemnatoriam, qua ipſi graviores pœnas exterminii per quinquennium ad hoc Algarbicum regnum, privationis vocis activæ, et paſſivæ, necnon privationis in perpetuum ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationis, ac ſuſpenſionis ad tempus prædicandi, atque celebrandi, et inhibitionis, nunquam Ulyſſiponem abſque tribunalis permiſſu redeundi, infligebant, publice intimari fecerunt: cujus quidem ſententiæ cum notitiam aliquam, juxta S. Officii ſtylum, reus minime præhaberet, coactum ſe ſenſit in eadem judiciali actione merito ab eadem ſententia ad Sanctiſſimum publice appellare, eo quod non ſecundum opinionem benigniorem, ac favorabiliorem, ut ſperabat, ſe judicatum experiretur; ſed ſecundum rigidiorem, atque duriorem, *proteſtans*, ſe per hoc non de recto S. Inquiſitionis miniſterio male ſentire; ſed, utpote gravatum à rigidiori miniſtrorum judicio, recte in jure fundatam habere juſtam ab illo appellationem ad Sanctiſſimum, vel ad ſupremum eminentiſſimorum generalium inquiſitorum tribunal: à qua tamen appellatione deſtitit, moras magis pertimeſcens, et ſententiæ paruit; et poſt aliqua tempora in pœnis privativis diſpenſatus eſt, et in inhibitiva regreſſus Ulixbonenſis nonniſi anno 1741. prius in Scalabim, et tandem in Ulyſſiponem commigraturum permiſerunt, ubi adhuc vivit.

Item, nobili viro *Petro Viegas* ex oppido Montis Majoris veteris, à falſis teſtibus in tribunal Inquiſitionis de Judaiſmo delato, et capto; cum poſt aliquorum annorum decurſus, accuſationis falſitate detecta, et puritate ſanguinis comprobata, cum omnino liber, innocens, abſolutus, et ut vetus Chriſtianus, veluti triumphaliter in quadam privata judiciali actione coram ſæcularium, et eccleſiaſticorum rationabili, nobilique multitudine prodiret, poſtmodum cum ejus nepos ejuſdem nominis, *Petrus Viegas*, pro familiaris charta obtinenda ſeſe habilitare vellet, hactenus inquiſitores, et ipſemet dominus generalis inquiſitor, ei favorabiliter deferre noluerunt, neque ad ſolitas diligentias admittere, eo quod deſcendens, ac poſterus erat viri, qui, licet innocenter, atque injuſte, reus tamen fuerat in S. Officii tribunali: quaſi ſi ipſiuſmet Chriſti injuſta damnatio à ſynagogæ miniſtris, ac principibus (qui et inquiſitores, et judices fidei erant in eccleſia antiqua) eum redderet impeditum, aut inhabilem, ut ne unquam objectum foret credulitatis ſynagogæ filiis: vel miniſtri ipſi, ex illamet injuſta animadverſione, interdicti in perpetuum manerent, ne in ipſum Jeſum Chriſtum crucifixum unquam crederent; et S. Paulus ex perſecutore Chriſti, et ejus eccleſiæ, amplius in vas electionis deſignari tandem inhiberetur. Vide quaſnam diſſonantias, et abſurda!

Adſtiti etiam alteri publicæ judiciali fidei actioni in civitate Conimbricenſi, qua ad publicum theatrum deduci fecerunt quandam ruſticam adoleſcentulam virginem cholericam, et ſanguineam, per annos 1708. plus, minuſve, et ibi ut blaſphemam rigide condemnari, eo quod, cum falſo ei repente objiceretur, *corruptam eſſe*; falſam calumniam, etiam repente, irata retundens, ſanguine, et cholera agitante, qui humores in ea prædominabantur, dixit; *Se adeo virginem extare, quaſi Virginem Mariam.* Et quamvis ſtatim à quodam reprehenſa fuerit de temeritate; iterum reſpondit, ſe non facere comparationem, neque intendere æqualitatem inter unam, et aliam virginitatem; attamen in ſenſu reali, et phyſico, in defenſionem veri ſui honoris, ac pudicitiæ, verum affirmare, et certum; et cum pro hac propoſitione quamplures DD. theologi reperiantur, eam à blaſphemia excuſantes, ut Lezan. Pignat. Roncagl. qui ait tr. 7. q. 2. reg. 10. (etiam loquens de comparatione cum veritatibus fidelibus) *quia tum nemo ordinarie intelligit coæquare ſuam veritatem veritati divinæ, ſed ſolummodo ſignificare certum, et firmum eſſe quicquid aſſerit; hinc eſt, tales locutiones communiter à blaſphemia excuſari*; et accedentibus circumſtantiis illis genii, et ingenii illius adoleſcentulæ (quæ Pignatell. conſ. nov. 202. monet attendi) necnon repentinæ calumniæ, iræ, gravitatis injuriæ, et improperii publici, carentiæ conſuetudinis, vel habitus, et contumaciæ, taxatus fuit à plurimis prudentibus rigor ſententiæ illius, et pœnarum, præſertim abjurationis in publico theatro, præſignanter notata doctrina Pignatell. to. 12. conſult. 186. et 202. aſſerentis, quod, ut aliquis damnetur, ut hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, *debent verba hæreticalia ab ipſo prolata eſſe certa, clara, non ambigua, et quæ in bonum ſenſum non poſſunt intelligi.* Et to. 8. c. 143. n. 10. *Proferens blaſphemiam in B. Virginem, dummodo illi corde non conſenſerit, pœnitens, aut confitens, poteſt à confeſſario abſolvi; nec eſt cogendus ad denuntiandum, niſi habeat complices.* Et quamvis conſ. nov. 20. to. 2. dicat, *Negantem Virginitatem B. Mariæ debere abjurare publice de formali, ex conſt. Paul.* IV. certum eſt, fœminam illam, non negare, imo ſupponere Marianam virginitatem. Imo conſ. nov. 202. *de blaſphemiis*; ibi: *In hac re ſolet conſiderari à S. Officio, an fuerint prolatæ ex ira; et in utroque modo attenditur conſuetudo blaſphematoris: ſolet ira diminuere ſuſpicionem credulitatis, et intentionis.*

Similiter, dum reverendiſſimus P. magiſter Fr. Martinus Pereyra, ordinis regularis Militiæ Chriſti,

et

et almæ academiæ Conimbricenſis primarius theologicæ facultatis moderator jubilatus, in quadam concione illibatam veritatem myſterii puriſſimæ conceptionis immaculatæ adeo extolleret, ut jam quaſi de fide tenendam ſuaderet; in ejuſdem tribunalis Inquiſitione denuntiatus, et ab eodem admonitus, cum poſtea cenſoris chartam ab eodem, et ab illuſtriſſimo generali inquiſitore iterato ſolicitaret, minime obtinuit, neque etiam ordinariam expeditionem pro diligentiis habilitationis exequendis. Et neceſſe fuit, ut ejus germanus frater laicus prius habilitaretur, et familiaris chartam obtineret; et poſtea tunc reverendiſſimo candidato, ut familiaris S. Officii jam habilitati, germano fratri, licentiam pro habilitatione propria ſubeunda, et poſtmodum cenſoris chartam indulſerunt. Vide infra.

Item ſenator palatinus ampliſſimus Ferdinandus Piresius Mourâm, dum cathedraticus juris Cæſarei in academia Conimbricenſi incederet, cum juſta quædam impedimenta ex charitate dictaret cuidam reo, à tribunali Inquiſitionis jam expedito, ad recuperanda certa bona confiſcata; poſtea ſatagens chartam familiaris tribunalis illius, excluſus fuit, primo, eo quod in favorem cujuſdam in eodem rei ſupplicationem dictârat; licet poſt aliquod tempus ad diligentias admiſſus.

Notabilis fuit etiam controverſia, ac oppoſitio, qua anno 1725. regii ſenatores Ulixbonenſes maturo judicio doctiſſimi ſenatoris Alexandri Ferrerei præeunte, fortiter contradixerunt relaxationi cujuſdam *Antonii de Meſquita, e Sà*, medici, et moderni Chriſtiani, ex hac Pharenſi civitate oriundi, qui cum unus et idem in tribus tribunalibus fidei Luſitanis trinam denuntiationem, proprio nomine tripliciter mutato, adverſus aliquos Hebræos civitatis *Bejæ*, ſive *Pacis Juliæ*, anno 1722. dediſſet, comprehenſus, et convictus de falſo teſtimonio, relaxatus brachio ſæculari prodiit in publico actu Ulixbonenſi cum igneis inſignibus, quaſi hæreticus, in pœnam talionis; cujus quidem ſententiæ executioni præfatus regius ſenator, at alii ei adhærentes graviter obſtiterunt, inſiſtentes, ut proprii actus ſibi remitterentur, eo quod crimen non foret hæreſis; donec regia majeſtas, ut ſenatoribus placuerat, reo, non ut hæretico, ſed ut perjuro, mortis ſententiam executioni tradi mandavit; et merito, quia crimini falſæ teſtificationis imponitur pœna mortis naturalis ab ordin. lib. 5. tit. 54.

Item inquiſitores Luſitaniæ intentârunt nuper, ſed incaſſum, quod epiſcopi chartas ſuas paſtorales, ut typis mandarentur, S. Officii tribunalibus pro licentia impretranda ſubjicerentur; et pro reimpreſſione brevis Clem. X. in favorem magni Vieyræ formali expeditione dixerunt: *Permittimus, ut reimprimatur*: contra formalia effata Pignatell. et Paſcucci, verb. *de inquiſitore*; ibi: *Edicta curiæ epiſcopalis poſſunt imprimi abſque licentia inquiſitoris.* Et ſupr. *Inquiſitores non debent ſe ingerere in concedendis licentiis imprimendi indulgentiarum brevia, ſive illorum ſummarium, neque brevia Apoſtolica. Imo nequeunt impedire ordinarios, quin publicent edicta contra hæreticos, vel alios, abſque ſua licentia.* Similiter, *Nequeunt examinare moniales, niſi facto verbo cum epiſcopo*, &c. Ipſos vide.

Neque etiam Summus Pontifex Benedictus XIV. actu eccleſiæ Dei gubernaculum tenens, etiam in minimo detulit repræſentationi S. Officii, occaſione controverſiæ cum ordinariis Luſitaniæ, de qua alleg. 147. ſatagentis, ne ordinarii Luſitaniæ ſuas paſtorales chartas imprimi facere poſſent abſque prævio examine, ac facultate alicujus Apoſtolici delegati, et ut excellentiſſimus archiepiſcopus Eborenſis pro ſua charta paſtorali, quam ægre tribunal illud tulit, ſuper edito edicto adverſus confeſſarios, complicum pœnitentium notitiam extorquentes, ſatisfactionem aliquam, ſaltem politicam, exhiberet, de quo alleg. 147. Sicut etiam famoſo theologo *Muratorio Modenano* facultatem poſtulanti, ut pro juriſdictione ordinaria epiſcoporum hac de re ſcribere liceret, concedere noluit; quamvis ſe nimis offenſum, et acriter dolentem de tot criticis libellis adverſus ordinarios Luſitaniæ, eorumque paſtorales, impie et inique ſparſis.

Demum mihi revelatum eſt, in Inquiſitione Ulixbonenſi extare directorium quoddam à doctiſſimo inquiſitore Franciſco Barreto, qui hujuſce ſedis Pharenſis poſtea digniſſimus quidem epiſcopus evaſit, quo varia ſtatuuntur pro recto Inquiſitionis regimine; inter quæ unum continetur, quod ſi aliquis denuntiatus fuerit, quamvis poſtea à denuntiata culpa ſe purificaret, etſi aliqua alicujus propoſitio cenſurata fuerit, quamvis poſtmodum per reum à cenſura omnino libera et immunis redderetur, vel quod in alieno ſenſu uſurpata fuiſſet, vel quod in doctrinis Sacræ Paginæ, et SS. patrum, contenta, vel etiam expreſſa oſtendatur, vel per odium, aut invidiam, delatio facta fuiſſet, vel ex alio capite; neuter illorum reorum ad Inquiſitionis miniſteria, etiam ad familiarium munus, unquam admittendus ſit: quod confirmant aliqui ex caſibus ſupra relatis. Et jure merito regimen hoc, ſive particulare directorium, ſi tale eſt, à S. ſua avocatum examinari, atque emendari prorſus deberet.

Aliorum caſuum, quæ præmiſſis ſupervenit, notitiam hic ſubjungere licebit; ſunt enim qui agnoſcantur digniſſimi, et traditi à perſonis fide digniſſimis. Quorum primus non abhinc multos annos evenit. Cum enim quidam confeſſor ordinis Carmeli reformati à quadam fœmina intra confeſſionem audiret, ſibi in ſpecie juvenis ab ea ardenter dilecti, dæmonem quadam vice apparuiſſe, et rem cum illa conſummate habuiſſe, ignorante dæmonem eſſe; et cum ipſe ultra ſibi ſuaderet, pro continuatione tractus illius, ut abrenuntiaret Patri, et Filio; cui illa aſſentiente, perſuaſit ulterius, ut et B. Mariæ Virgini abrenuntiaret: cui quidem renuente, ſtatim fictus juvenis diſparuit; et tunc agnoviſſe, dæmonem fuiſſe: pergens prudens confeſſor ad tribunal Ulixbonenſe perſonaliter pro facultate obtinenda, ut ab hæreſi pœnitentem illam abſolveret; ei reſponſum fuit, ut vel fœminam declararet, vel, ut perſonaliter compareret, eidem injungeret; juſtiſſime, ac ſapientiſſime utrique inſinuationi reſtitit prudentiſſimus confeſſarius, demonſtrans cum probabili DD. quorum deſcriptum ſcholium ſecum ferebat, trita doctrina, ſi poſtulatam facultatem denegarent, ipſum pœnitentem valide, et licite abſolvere quidem poſſe; facultatem, ut eam abſolveret, ſtatim indulſerunt.

AA. autem illam doctrinam tradentes ſunt Henriq. Rodriq. Leand. Con. et alii cum Caſtrop. et dicunt de facto probabilem eſſe, Lacr. ad Buſemb. p. 2. l. 6. n. 1670. Salmant. to. 1. tr. 6. p. 4. c. 13. Diana, et alii (quamvis de jure contrarium probabilius putent).

Ratio illis eſt, 1. Quia reſervatio, quæ in ſubditorum bonum inducta eſt, in eorum diſpendium non debet retorqueri. 2. Quia quando facultas illa injuſte denegatur, conceſſa præſumitur à ſuperiore, cum eccleſiæ poteſtas ſit in ædificationem, non in deſtructionem. 3. A paritate prælati regularis, injuſte denegantis eam facultatem; quo non obſtante, pro illa vice poteſt confeſſarius inferior pœnitentem abſolvere, ex declaratione Clem. VIII. 4. Quia, ſtante hac probabilitate practica de facto, ſupplet eccleſia, et confert juriſdictionem. Vid. tamen Bonac. et cit. Lacr. et Salmantic.

Alter caſus in tribunali Conimbricenſi à quamplurimis prudentibus notatus fuit, præſertim ob plures acatholicos, qui publicæ illi actioni fidei aſtabant, qua parochus quidam ſimplex publice punitus evaſit, eo quod domeſticæ famulæ indiſcretæ devotioni ad rebelles paroxyſmos curandos formulam, non conſecratam (ab ipſa tamen conſecratam reputatam) pauliſper ad collum appendit cum effectu ſecutæ ſanitatis, potius ex imaginatione, quam ex miraculoſa operatione: et quamvis reus juramento ſæpe obteſtatus eſt, formulam illam ſacram non fuiſſe; quod et publice in theatro confirmavit; attamen in ſententiæ prolatione recitabatur, quod ſacram fuiſſe præſumebatur ex prodigioſa ſecuta ſanitate; et caſu, quod ſacra non foret, ex materiali idololattiæ expoſitione reum ipſum damnabant, ut in publico theatro ſententiam ſuam audiret, &c. Quod multis ſatius viſum fuit, ſi in privata actione ob præfatas circumſtantias puniretur; ne vel acatholicis occaſio inde præberetur ſe in errore ſuo de exiſtentia Chriſti in S. euchariſtia in ſola figura, ſive ſigno, confirmandi, vel noſtram fidem de reali præſentia irridendi. Vide tamen Pignat. conſ. nov. 34.

Hiſce adnectendus venit, quod anno 1747. in regno Neapoli eveniſſe traditur, de prævalida, acrique animadverſione, ac edictis, ordine regio in tribunal S. Officii illius regni editis ob exceſſus (ut fertur) notorios, ac notabiles juriſdictionis delegatæ. Quare abolito ex porticu tribunalis titulo, juſſit rex ipſe cauſas fidei ab epiſcopis deinceps, ſecundum jus commune, judicari, ac provideri, &c. Quod tamen non approbo, neque laudo: et ſicuti cauſam taxo, effectum magis ſugillo; de quo ulterius loqui non valeo, eo quod adhuc plenam, ac radicalem notitiam non ſuſceperim.

Notorius tandem, et longe notatus, ac ſugillatus fuit eventus ille, ſupra traditus, civitatis Pacis Juliæ, vulgo *Beja*, qua fere centum ac viginti perſonæ, præter eos, qui aufugientes evaſerunt, à S. Officio ann. 1722. apprehenſæ ſunt ex vi unius ſubjecti, *Antonii Meſquita, e Sà*, medici, triplicato teſtimonio; qui quidem ex livore invidiæ, ac odii, præcipuos illius civitatis accolas Hebræos divites, præfato modo, ac ſimulatione denuntians, occaſio fuit, quod omnes per pluſquam tres annos in carceribus detinerentur, omnium ſupellectiles, atque pannea involucra (generale illius gentis commercium) in domibus propriis, ferreis clavibus, foribus circumfixis, duro ſequeſtro ſuppoſita, tineæ, ac battæ corroſioni expoſita, miſerrime perirent.

Ex quo facto ſat conſequens reformandum videri exceſſum facilitatis illius proceſſus tribunalis ad capturam indebitam tot unius civitatis incolarum, cum tam gravi, et irreparabili illius, atque eorum jactura; et pariter defectum notabilem moræ, circumſpectionis, pauſæ, et tranquillitatis debitæ miniſtris fidei, imitari tenentibus Dominum illum, qui cum tranquillitate judicat, et non iraſcitur per ſingulos dies, quique, cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur; ut, priuſquam ad conſimiles diſtrictiones procedat, diſtricte ponderet, atque examinet, et qualitatem teſtium, et an re ipſa conſiſtant in rerum natura? Neque importuna eſſet pro hac re efficax S. ſuæ providentia. Vide citatum libellum Murator. ubi paſſim de hoc rigore, ac exceſſibus Inquiſitionis Luſitanæ conqueritur; et c. fin. affert diligentias à Card. Albitio adhibitas coram ſanctiſſimis Clem. et Urb. VIII. necnon coram Clem. X. et Innoc. XI. ſæpe ſæpius pro remediis opponendis gravaminibus ab Inquiſitione Luſitana fidelibus illatis.

IX. Nec tam ſpecialem relationem faciam de illis, quæ conſecuta fuerunt ad controverſiam, et bullam mihi denique favorabilem ſanctiſſimi P. Clem. XII. de quibus allegat. 138. et 139. tum in oratione pathetica à me in funere ſanctiſſimi P. Bened. XIII. inter pontificalia habita, quæ poſtmodum à duobus vel tribus gravibus viris ſingillatim, ac diſtincte Inquiſitionis tribunali expoſita, non inſinuatione mea, ſed devotione oratorum pro licentia (qua non indigebat) ut typis mandaretur, conſequenda; hactenus conſepulta jacet, cum nil obſtaculi præcontineret, ut ex ipſa infra expoſita conſtabit: quem etiam infelicem eventum perpeſſum eſt heroicum poëma, cui titulus erat, *Luſiphaneida*, id eſt, *Phœnicis Luſitanæ renaſcentia per glorioſam feliciſſimi Joannis* IV. *acclamationem*; a chariſſimo fratre meo Emmanuele à S. Teresia Franciſcano obſervante, concinnatum; et nuper S. Congregationis laudatoria charta, reſpectiva meæ ad limina viſitationi; quæ, quamvis jam è Roma typis tradita veniret, petita venia ab eminentiſſimo inquiſitore generali, ut iterum Ulyſſipone prælo ſubjiceretur; prætextu eam per otium perlegendi, et cum expreſſa promiſſione, quod in prima die expeditionis, cum neceſſariis, ut reimprimi poſſet, licentiis delata reſtitueretur; eſto ſæpe ſæpius de induſtria conquiſita, hactenus non prodiit, et ex propoſito ſuppreſſa eſt, in tali temporis conjunctione, qua tot famoſi libelli ſatirici, et ſacrilegi, adverſus Luſitaniæ archiepiſcopos, et epiſcopos, quaſi hæreſeos, et errorum fautores, imprimi, evulgari, atque graſſari temere permittebantur, et licentiabantur, cum nota, imo et ipſorum acatholicorum irriſione.

Vide etiam impedimentum, quod allegat. 141. inſinuatur, è Luſitania Hiſpali ſuggeſtum, ne concio D. Matriarchæ Tereſiæ à Jeſu, Bahyæ inter pontificalia à me habita, ab ordinario loci debitam licentiam luci publicæ exponendi obtineret, quin prius contra ſtylum Hiſpaniæ, tribunali Inquiſitionis, ad id antecedenter caute præventum pro conſimili licentia deneganda, dum eam patres Carmelitani, qui hanc rem agebant, ſupplicarent, induceretur.

Nec tamen caſum alium omittam, dum in generali mea viſitatione anno 1744. reperiens ſufficienti numero conteſtium teſtium quendam de ſimplicibus ſuperſtitionibus denuntiatum (quarum aliquam confeſſus eſt de plano); et quamvis meæ ordinariæ juriſdictioni illarum punitio pertineret, ex c. *Accuſat.* § *Sane*, de hæret. in 6. illas S. Officii tribunali exactius judicandas remiſi; tribunal ipſum Eborenſe mihi avocatoriam direxit, aſſeverans (contra jus expreſſum) ſuperſtitiones ipſas eidem privative pertinere. Et cum poſt competentem diſquiſitionem reum illum demittendum judicarent, vel ex tenuitate ſuperſtitionum, vel ex infirmitate teſtium, quarum aliquæ reo infenſæ repertæ fuerunt, incivilem epiſtolam cuidam commiſſario ſcripſerunt, qua illi jubebant, ut mihi intimaret, ne adverſus præfatum reum ego ipſe procederem, et ipſe commiſſarius illum è carcere meo extrahi efficeret, abſque ſolita cautela, aut limitatione, dummodo per aliud detentus non ſit. Vide quot, et quales incurialitates; quibus nec foro meo culpam aliam, qua detineri poterat, reſervabant! quare nunquam ſimilium ſuperſtitionum cauſam aliam tribunali remiſi; ſed à meo vicario judicatæ expediebantur.

De nupero autem poſt hæc ſcripta tribunalis Eborenſis proceſſu, mihi indirecte, meæque juriſdictioni ordinariæ quodammodo attinente, atque adverſante, inferius agetur in digreſſione ad calcem alleg. iſtius, vel alleg. 153.

Alium tamen exceſſum ſuperaddam; quodam enim argentario (Dominico Vieyra Portucalenſi) à quadam ſæcularis juſtitiæ executione in Caſtellam aufugiente, ibique ſacros ordines, adulterinis dimiſſoriis, recipiente, eiſque minime utente, poſtmodum in Portugalliam cum regrederetur, ab Inquiſitione Ulixbonenſi captus, publico theatro punitus fuit cum abjuratione de levi, et aliis pœnis, eo prætextu (ut videbatur) quod S. Officii familiaris incederet; quæ tamen circumſtantia inſufficiens fere omnibus viſa eſt ad hanc ordinariæ juriſdictionis notam uſurpationem.

Vide apud alios DD. alios caſus, ut ap. Fermoſin. de judic. ad c. 10. *Cum non ab homine*, q. 34. n. 8. de quadam muliere perperam damnata de hæreſi, et curiæ ſæculari tradita, ob exhibitionem poculi amatorii dumtaxat.

Hæc me ſcripſiſſe noveris ſerio, ac ſincero zelo, ut congruenti tempore hæc de via ad rectum tramitem ab his, quibus attinet, reducantur, atque ordinentur. Et tandem ſcias, quod finiente anno 1747. dum æmuli mei coram S. ſua repetitiones illas baptiſmatis, et confirmationis, de quibus ſupr. et alleg. 136. et 153. denuntiare feciſſent, in privata congregatione ſuper illis habita reſolutum fuit, *poſſe quidem jure, et facto, denuntiationum fundamenta ſubverti.* Ex quo recte ſubinferre poteris: Ergo etiam conſequenter illarum adminiſtrationum fundamenta inconcuſſa permanere.

Sect. III.

Pro ſecreto à miniſtris S. Officii, et à reis in eo tribunali, ac teſtibus ſervando.

X. Notandum, 1. Cum Bobadill. polit. to. 1. l. 2. c. 5. in omnibus tribunalibus ſervandum eſſe ſecretum; et multo magis in tribunali S. Officii; cum ſecretum ſit *præcipuus nervus* cauſarum illius, Maſſin. in praxi offic. et Caren. p. 1. tit. 8. § 10. ex c. *Statuta*, de hæret. in 6. Notandum, 2. Hanc obligationem ſecreti ab inquiſitoribus, et conſultoribus, inviolabiliter obſervandi reſultare, tum ex formula præſtiti juramenti (quod tamen epiſcopi non præſtant) tum ex lata excommunic. in conſt. S. Pii V. de qua Pignat. to. 1. conſ. nov. 123. 129, 130. et alibi to. 2. Paſcuc. in compend. verb. *de inquiſitor.* Notandum, 3. Quod juramentum eſt ſtricte interpretandum, et minime ampliandum, ob periculum perjurii, et ob onus, quod ſecum affert; et, prout ſic, regula generalis eſt, quod *juramentum non debet extendi, ſed reſtringi*, Suar. Leſſ. Leand. Pal. Sanch. Fagund. Led.

Led. et reliqui apud Salmantic. to. 4. tr. 17. c. 1. et 2. n. 77. Quibus tamen non obſtantibus, aſſerit Caren. cit. n. 66. *Si tamen epiſcopi, vel inquiſitores, revelarent hujuſmodi ſecreta S. Officii, nullam quidem cenſuram incurrerent; peccarent tamen mortaliter, ut notavit Zanard. niſi inquiſitores etiam ipſi in congregatione ſuorum conſultorum juramentum præſtâſſent ſecreti, uti eos facere debere conſtaret decreto S. Congr. ut ex literis eminentiſſimi domini cardinalis Arigonii 24. Decembr. 1611. directis inquiſitori Cremonæ, ubi etiam addit S. C. quod hoc inquiſitoribus mirum videri non debet, quia etiam eminentiſſimi domini cardinales ſupremi inquiſitores ſimile juramentum præſtant.*

XI. Quod quidem proſequuntur cit. Pignat. et Paſcuc. ſic: *Cardinales, et quicunque officiales intereſſentes congregationibus S. Officii, debent ſervare ſecretum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.* Eſt *tamen reſtricta ad ea, quæ propalantur in damnum S. Officii, vel præjudicii negotiorum.*

Poſſunt ſervando ſilentii juramentum, tuta conſcientia, communicare negotia S. Officii cum vicariis epiſcoporum, licet ipſi præſtent juramentum de non communicando ejuſmodi negotia, niſi cum ordinariis, et conſultoribus.

Poſſunt quoque conferre cum aliis inquiſitoribus per modum conſulendi ſuper negotiis S. Officii, non obſtante juramento ſilentii ſervandi.

Tenentur conſultores ſervare ſecretum, etiam cauſis finitis; non enim poſſunt revelare ea, quæ pertinent ad S. Officium, in ejus, ac teſtium præjudicium.

Et to. 11. cit. conſ. 130. ſic proſequitur idem Pignat. *Revelantes S. Officii ſecreta, et quæ dicuntur in congregationibus, præter excommunicationem, quam ipſo facto incurrunt, puniuntur, ac ſi offendiſſent propriam perſonam Summi Pontificis.*

XII. Pro ſecreto, et ſilentio à reis etiam obſervando, certum eſt, 1. Hoc quidem oriri ex præſtito juramento, et tantum obligare, quantum quodlibet aliud juramentum in quovis alio tribunali, aut inquiſitione, ut in viſitationibus eccleſiaſticis de ſecreto ſervando; et de eo diſcurri debet, juxta communem moraliſtarum doctrinam, de qua Salmantic. cit. D. Antonin. Navarr. Sanch. Pal. Fagund. apud ipſos aſſerentium, *Tale juramentum ſolummodo obligare, juxta gravitatem materiæ, ut ſi quæ tractantur ſint gravis momenti, ita ut manifeſtata notabiliter præjudicent bono communi, vel alicujus tertii, ejus manifeſtatio erit mortale. Si autem levis ſit momenti, aut leve detrimentum ex ea manifeſtatione timeatur, erit veniale peccatum.* Ratio eſt: *Quia tale juramentum obligat inſtar præcepti ſervandi juramentum: atqui præceptum ſecreti ſolum obligat juxta gravitatem materiæ: ergo.* Et ampliant reſolutionem ibid. *Etiamſi juramentum non ſolum ſit generaliter factum ſervandi ſecretum; ſed etiamſi aliquod ſpeciale ſe ſervaturum ſub juramento promiſerit.*

XIII. Certum, 2. Obligationem, quæ in generali Inquiſitionis edicto ſub excommunicationis pœna omnibus imponitur, *denuntiandi reos illos à S. Officio punitos ob culpas, quas inibi confeſſi fuerant, qui poſtea affirmant, ſe falſo confeſſos fuiſſe, quod reipſa non commiſerant; vel revelant ſecretum de illis, quæ in Inquiſitione cum ipſis acta ſunt*; graviter, vel leviter, quemlibet adſtringere, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, vel præjudicii, damni, aut impedimenti negotiorum S. Officii, ſecundum præmiſſa, atque doctrinam DD. laudatorum, et ſignanter in puncto Pignatell. Caren. p. 2. tit. 17. § 17. Farin. de teſt. q. 68.

Probatur, 1. Quia excommunicatio, quæ eſt pœna gravis, prærequirit materiam gravem, ſuper quam cadat. Ita DD. communiter, cum Sayr. Sylv. Navarr. et aliis ap. Salmantic. to. 3. de cenſur.

2. Quia mens, et intentio eccleſiæ, et Summorum ipſius Pontificum, atque eccleſiaſticorum prælatorum, non eſt tam gravi pœna animas conſtringere atque percutere, propter res tum ex ſe, tum ex effectibus, atque præjudiciis, ſimpliciter leves. Vid. Buſemb. Salmant. &c.

XIV. Certum, 3. Quod, quamvis rei, teſtes, atque miniſtri S. Officii exactius et accuratius ſervent juramentum ſecreti in rebus S. Officio attinentibus, quam in aliis, et in reliquis tribunalibus; non ideo eſt, quia juramentum S. Officii, et excommunicatio Papalis arctius et gravius obliget præciſe ex vi juramenti, aut cenſuræ; ſed quia S. Officium exactius, gravius, ac rigoroſius, punit fractionem ſecreti, in rebus ſibi attinentibus, quam reliqua tribunalia, atque judices ordinarii; et, prout ſic, tam rei, quam teſtes, et officiales, plus timent contravenire ſecreto, ac juramento præſtito in tribunali S. Officii, quam in reliquis.

XV. Neque dicas, 1. Fortaſſe gravius obligare excommunicationem pro obſervantia ſecreti in tribunali S. Officii, quam in reliquis, ob impedimentum, aut perturbationem, quæ inde forte oriretur in rectum ipſius tribunalis miniſterium. Sed contra, 1. Quia etiam datur excommunicatio Papalis reſervata in bulla Cœnæ adverſus quomodolibet impedientes, aut turbantes exercitium juriſdictionis ordinariæ: ergo, quantum eſt ex vi cenſuræ Pontificiæ, æqualiter obligat una, atque altera. Contra, 2. Quia æqualiter Deus, ſive ſupremum Numen, invocatur in teſtem in juramento ſecreti S. Officii, quam reliquorum tribunalium: ergo, &c.

Neque dicas, 2. Materias S. Officio attinentes, utpote concernentes fidem, eſſe magis privilegiatas, quam materias reliquis tribunalibus competentes, utpote mores tantum reſpicientes; proindeque juramentum ſecreti illarum fortius adſtringet. Reſp. enim, quicquid ſit de argumento; ſolum enim ex illo ſequitur, fortius obligare materialiter, ſeu ratione materiæ; non vero formaliter, ex præciſa ratione juramenti, aut cenſuræ.

Ex dictis deducentur ſequentes RESOLUTIONES:

XVI. Prima: Non eſt ſub mortali denuntiandus reus, qui revelat particulariter, quæ cum ipſo in Inquiſitione acta ſunt, ſi materia revelata non ſit in ſe gravis, neque de illa ſequatur damnum, aut præjudicium negotiorum S. Officii. Probatur, 1. Ex doctrinis, et DD. ſupra traditis. 2. Quia hæc eſt mens tam rei jurantis, quam judicis juramentum conferentis; non graviter obligandi in iis, quæ in ſe, et effectibus, levia ſunt. 3. Quia, ſi alia foret intentio jurantis, et conferentis juramentum, irrationabilis foret ſaltem ex parte conferentis, et contraria pietati, ac benignitati eccleſiæ, cujus poteſtas, non in ſpiritualem deſtructionem, ſed in ædificationem eſt.

XVII. Secunda: Si reus, vel teſtis, ratione conſilii, vel ſecuritatis ſuæ conſcientiæ, indigeat omnino confeſſarium ſuum conſulere erga res, quas in tribunali S. Officii declaravit, vel ſecum peractæ ſunt; poteſt confeſſario licite, et indemne revelare, ſub confeſſionis ſecreto, ea præciſe, quæ neceſſaria ſunt ad conſilium ipſum ſumendum, et conſcientiam ſuam ſecuram, et tranquillam reddendam. Vid. Fermoſin. de judic. ad c. *Novit*, 5. 13. q. 31. n. 23. Balb. ibid. n. 91. Trull. l. 1. c. 2. dub. 6.

Prob. 1. Ex traditis ſupra de neceſſitate, et privilegio conſilii, præſertim pro animæ ſecuritate, atque conſcientiæ tranquilla ſerenitate.

2. Quia, cum poteſtas eccleſiæ ſit in ædificationem, non in deſtructionem, non videtur dari hanc poteſtatem in tribunali S. Officii ad inducendum tam durum, ac rigidum ſecretum cum gravi animarum nocumento, anguſtiis, atque anxietatibus, quin ab iis ſaltem in ſecreto pœnitentiæ ſacramento poſſint reſpirare, ac levari. Imo, ſi talem obligationem inducere intenderet, utpote irrationabilis, nulla, et ineffi-cax foret.

3. Quia in obligatione ſtrictiſſima denuntiandi hæreticos, etiamſi ſub naturali ſecreto agnoſcantur, non comprehenditur qui ſcitur ſub ſigillo confeſſionis, vel ſub ſecreto commiſſo ratione petendi conſilii, juxta tradita ſupra, alleg 147. ergo ſimiliter intentio hanc obligationem inducendi per juramentum ſecreti non extendetur ad illa, quæ intra confeſſionem in conſcientiæ ſecuritatem, ac levamen, præciſe propalantur; neque quæ ratione neceſſarii pro illius directione ac ſecuritate conſilii, ſtricte revelantur.

4. A paritate juramenti ſecreti in aliis rebus, et actionibus; v. g. in electionibus canonicis, in ſuffragiis ſecretis pro proviſionibus beneficiorum, pro approba-

probationibus in concurſibus, et in reliquis examinibus, &c. quæ non excludunt conſultationes rationabiles, ac prudentes, pro rectitudine operationis, atque conſcientiæ ſecuritate.

XVIII. Tertia: Poteſt reus, ac teſtis, licite declarare ea, quæ revera cum ipſis acta non fuerunt, dicendo à tali vel tali examinatum, aut inquiſitum non fuiſſe, neque talia vel talia cum ipſo peracta fuiſſe, dummodo revera ita evenerit, et non mentiatur. Probatur facile: Quia præceptum, aut juramentum ſecreti eſt, ne revelent quæ cum ipſis in Inquiſitione acta ſunt: non tamen ſe extendit ad ea, quæ acta non ſint. Excipe tamen caſum, quo ex denegatione illius, quod cum ipſis actum non eſt, deveniretur in cognitionem alicujus gravis notitiæ, aut circumſtantiæ, ex qua grave præjudicium, aut nocumentum S. Officii negotiis inſequeretur. Patet ex dictis.

XIX. Quarta: Quod etiam erga ea, quæ cum ipſo acta ſunt, et ab eo exquiſita ſunt, poteſt reus ipſe, ſaltem citra peccatum mortale, revelare aliqua ex iis, de quibus inquiſitus fuit, ſi in ſe levia ſint, et nullum præjudicium, aut inconveniens, ex revelatione ſequatur, non obſtante præmiſſo juramento. Probatur eiſdem fundamentis, quibus prima præjacta reſolutio; et quia hæc prudenter interpretetur pia mens piiſſimi tribunalis, juſte nolentis ſub gravi piaculo obligare, quod tam in ſe, quam ex circumſtantiis, leve, et fortaſſe leviſſimum eſt; et hæc eſt etiam rationabilis jurantis intentio, juxta ſuperius ſtabilita.

XX. Dixi, *Saltem citra peccatum mortale*; poteſt enim dari caſus, quo nullum peccatum, etiam veniale, committat, imo actum virtutis charitatis exerceat; e. g. ſi reus, vel teſtis inquiſitus de aliquo, qui adhuc apprehenſus non eſt, declaret, vel inſinuet ei, ut ſe præſentet, vel denuntiet, antequam numerus teſtium conteſtantium accreſcat, utilitati, et proprio ipſius commodo charitative conſulendo, ſi nullum inde nocumentum ſibi, vel alteri, aut juſtitiæ præjudicium ſequatur. Cui etiam favet axioma illud: *Quod tibi non nocet, et alteri prodeſt, facere teneris.*

Imo de facto ſcio, aliquos, etiam judices, atque miniſtros S. Officii conſimiles inſinuationes abſque clara, ac totali ſecreti manifeſtatione, immediate, vel mediate aliquibus perſonis gravibus, ac religioſis, aliquando ex charitate effeciſſe: quinetiam tum Goæ, tum etiam Luſitaniæ, aliquibus aliqualiter inſinuâſſe arreptionem itineris, ac diſceſſum, vel Romam, ut inibi ſeſe præſentarent, vel alio; quorum tamen nomina utrorumque hic non exprimo, tum in reverentiam religionum, cum miniſtrorum ipſorum, qui mihi ea retulerunt.

Quinta: Poteſt reus in confeſſione confeſſario ſuo aperire ſtatum ſuæ cauſæ pro conſilio, ac directione obtinenda quoad ſecuritatem conſcientiæ ſuæ in iis caſibus, quibus licite poteſt celare complicem patrem, vel uxorem, ſi ex declaratione illorum certa ipſorum damnatio inſequatur, juxta probabiles ſententias, de quibus Pignat. conſ. nov. 143. Roncagl. Dia. Pal. et alii laudati alleg. 148.

Et adeo certa eſt in praxi hujus doctrinæ obſervantia, ut ſemper audiverim de illa conqueri dominos inquiſitores adverſus theologos, reorum damnatorum confeſſarios: quod cum ſap. P. Joſepho de Araujo, meo honorificentiſſimo compatriotæ, ac condiſcipulo, objicerem; mihi, et ipſis, diſerte reſpondit; *Illi ut canoniſtæ judicant; nos vero ut theologi conſulimus.*

Pro uberiori ſuper hac re notitia:

XXI. Obſerva hic, 1. Doctrinam Salmantic. to. 5. c. 4. p. 1. de ſuſpicione hæreſis, n. 2. *Et quidem nobis valde durum, et acerbum videtur, poſſe ab inquiſitoribus ex levibus tantum indiciis hominem catholicum de fide interrogari. Quare credimus cum Farin. n. 57. Simanch. to. 50. n. 29. Nav. n. 8. Bordon. to. 1. c. 10. n. 34. primam ſententiam* (videlicet, poſſe interrogari leviter ſuſpectum de hæreſi, ex levibus indiciis, quam tenet Rox. ex c. *Accuſat.* in 6.) *tantum poſſe procedere reſpectu hominis abjecti, et vilis; ſecus vero honeſti, bonæ famæ, aut nobilis; ac proinde has perſonas non eſſe ab inquiſitoribus ex levibus indiciis vocandas, et de fide examinandas. Ex quibus oritur, quod ob levem ſuſpicionem reus torqueri non poſſit: quia ad hoc requiritur, quod indicia ſint adeo urgentia, ut ſola delinquentis confeſſio deeſſe videatur, ut docent Simanch. Pegn. Delrio ap. Farin. loco cit. n. 141. quare ſufficit, ſi cogatur de levi abjurare: quia hoc ſat eſt ad ſufficienter prædictam ſuſpicionem tollendam. Sic, pluribus relatis, Farinacius quæſt. 187. à num. 31. et Palaus, tom. 1. tract. 4. diſp. 5. n. 10. exiſtimantes poſſe ulterius condemnari reum ad aliquam pœnitentiam, aut pœnam pecuniariam, ad reparandam, aut conſtruendam aliquam eccleſiam.*

Et quæ num. 3. ibi: *Nota hic, quod hæc vehemens ſuſpicio non eſt ſufficiens ad reum de hæreſi condemnandum, ut liquet ex c.* Accuſatus, *de hæret. in* 6. *Et ratio eſt: Quia per vehementem ſuſpicionem crimen ſufficienter non probatur: ergo non ſufficit ad reum condemnandum. Sed nihilominus ſat eſt ad cogendum illum abjurare, et imponendam ei pœnam extraordinariam, ut docent Umbert. Locat. in judic. inquiſit. verb.* Suſpicio, *Eymeric. qu.* 55. *cit. Pegn. ibi, Farinac. de hæreſ. qu.* 187. *à n.* 38.

Obſerva, 2. Tradita n. 4. ibi: *Sed nota, primo, Quod contra præſumptionem violentam regulariter non admittitur probatio directa, ſed tantum indirecta; hoc eſt, probando teſtes eſſe falſos, vel indicia non eſſe vera. Sic Pegna ad dictam quæſt.* 55. *Eymeric. comm.* 90. *Farinac. q.* 187. *n.* 50. *Nota, ſecundo, Quod, licet aliqui DD. aſſerant, hanc ſuſpicionem ſufficere ad reum condemnandum; tamen, ut recte probat Farin. n.* 46. *loquuntur de præſumptione violentiſſima: unde hodie damnare reum ob violentam ſuſpicionem, ait, Romæ in uſu non eſſe; coguntur tamen abjurare, vel ut formales hæretici, vel ut de vehementi. Ita laudatus auctor, et inſuper Delrio in diſq. magic. lib.* 5. *ſect.* 12. *Paramus, de origin. Inquiſit. lib.* 3. *q.* 4. *rubric. de expeditione proceſſus in cauſis fidei, num.* 21. *Prado, tom.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 1. *num.* 10.

Tandem hic, pro coronide, lectoris curioſitati, et noſtræ ſupra emiſſæ promiſſioni conſulendo, inſinuatam patheticam oratiunculam, in funere ſanctiſſimi D. N. Benedicti PP. XIII. inter pontificalia habitam, ſubjungere libet, ut ex ea candidus lector, num aliquid offenſionis, quod eidem, ut typis mandaretur, impedimento foret, prudenter disjudicare queat. Reſcriptum autem S. Congregationis in reſponſionem ad meam ad ſacra limina viſitationem hic etiam annectetur, ſi forte retro jam non maneat annexum.

ORATIO PATHETICA

In Funere

Sanctiſſimi D. N. BENEDICTI XIII.

IN

Civitate Goana inter Pontificalia recitata.

O Fatum (proh dolor!) O fatum, quantum fas eſt dicere, non bene factum, neque bene dictum! nam Benedictum noſtrum, felici quidem auſpicio, æternoque oraculo, nobis à cœlo fatidice datum ad ſolium, infauſto ſidere noſtris querulis ex oculis, celeriori, ac fataliori curſu è ſolo rapuiſti in cœlum! O fatum ineluctabile! *quam præceps agis omnia, fatum!*

O quam infandum, quam luctuoſum, immortalemque dolorem in beatiſſimi domini noſtri Benedicti, facto functi, intempeſtivo deceſſu, rapidoque exceſſu, ſors, et mors, utrique globo ac polo peracerbe indicunt!

Heu! cecidit corona capitis noſtri: gaudium noſtrum, gloria, et ſertum exultationis noſtræ funeſte deſiit! Senectutis eccleſiæ firmiſſimus baculus, et ſuſtentaculum, jam fractum eſt. Currus Iſrael, et auriga ejus, alter in zelo Elias, duplicatoque ſpiritu Elyſeus alter, velociorem curſum, velocius, quam par erat, irrevocabiliter finiit. Domus Dei impenetrabilis murus, et antemurale, præcipitanter corruit diſſipatum. Primarius ſummuſque ſanctuarii lapis, etſi volenter, violenter tamen avulſus eſt: qua jactura, reliqui omnes lapides, amiſſo capite ædificii, diſperſi ſunt in capite omnium platearum, et in vaſa teſtea reputati: ipſique principes inſuper facti ſunt, velut arietes,

arietes, non invenientes paſcua, eo quod non inveniunt paſtorem.

Incruento immaculati Agni peracto ſacrificio, immaculatus paſtor innocenter immolatur; et eum, qui vitæ paſcua mortalibus in vita paſtor præbuerat, mors tandem depaſcens devoravit.

Proh ſuperi! Dominicani cœli aſtrum ſplendidius decidit: univerſalis eccleſiæ ſol rutilantior occubuit: orbis univerſi elegantior flos, atque decor pervenuſtior, palleſcens emarcuit.

Neque ſol tanquam, æque incedens, ſolis adinſtar æqualibus terminis proceſſit: tarde namque ad thronum evectus, citius ad tumulum eſt dejectus. Nec præterea, ut in cordibus noſtris gemebundis dolor recrudeſcens geminaretur, ſolus occubuit ſol noſter Benedictinus; verum ejuſdem aliud firmamenti fulgentiſſimum ſidus, eminentiſſimum, videlicet, cardinalem Pipiam, una ſecum juſte ad urnam detulit, quem antea ſimul ſecum ad purpuram juſtiſſime extulerat. Nec novum, aut mirum, majores planetas minora alia ſidera ſemper circumrotare, perpetuoque, cum in exaltatione, tum in declinatione, veluti obſequioſo ſatellitio, comitari.

Et quamvis germani fratres, ortu, et obitu, nunquam ſejuncti, non tamen Caſtor et Pollux, ortum, et interitum, ſeſe inter viciſſim dividentes; ſed gemina Arctos, ſeu gemina *Urſina* conſtellatio, inſeparate aſcendens, ac deſcendens, omnium oculis manifeſte, luculenterque præradiant.

Sed quid mirum, lucifluum ſolem et diem ſuum obire, et curſum claudere, et occaſum offendere? Quid mirum radiantiora aſtra luminoſam pompam triſtiſſima noctis, vel mortis caligine obvolvere, et nitidiores flores exanimanter elangueſcere, atque intempeſtive decerpi! Quid mirum *Vincentem*, qui terreſtri in ſtadio decurſurus jam vincens, jam et coronatus exierat, ut iterum vinceret; ad metam tandem feſtinanter perveniſſe, atque in cœleſte ſolium iterum coronandum citiſſime fuiſſe avocatum!

Qui *miles in bello* alacriter, fortiterque pro Domino decertârat, jam princeps in regno celeriter, et quantocyus decuit, ut cum Domino conregnaret. Quem gyrantem ſolem à ſummo cœlo, gigantem quali, ad progreſſus egreſſum, jam ſolum, et ſalum, plene ſuſceperant viſitantem, aduſque ſummum ejus iterum revertentem, plene congruit, ut ipſummet empyreum in ſuum denique ſacrum reciperet ſinum.

Militantis eccleſiæ præfectura pro triumphantis primatu commutatur: onus tiaræ pro honore diadematis: paſtoralis baculus pro triumphanti palma: gloria infulæ pro gloria laureæ, et coronæ: imperium tandem orbis, et urbis emporium, pro ſupremo empyreo reciproce redditur.

Sortem ergo, non mortem dicas, quæ fortunatiſſimum, et beatiſſimum Benedictum noſtrum feliciter è medio noſtrum præripuit! idcirco flexo utroque poplite eam vel expoſtulans expectavit fidelis, vel expectans venerabundus adoravit. Non tam peremptus, quam præventus; non tam raptus, quam tranſlatus; non tam vitam terminanter recludens, quam ad vitam interminabiliter reſurgens, ſibimet, ipſiſque cœlicolis, eſt viſus.

Qui terreſtris ſummum orbis imperium quamvis adeptus, non adhuc tamen tot nactus erat honores, quot natus fuerat virtutibus, in cœleſti tandem regno felicius renatus, præmiis jam merita excedentibus, multo pluribus laureis redimitus evaſit, quam triumphis inſignitus exceſſerat, ut propterea, ſi cum poeta fas eſt reboare;

Tot tibi ſunt dotes, præſul, quot ſidera cœlo:

cum alio proclamare licebit;

Nulla tibi virtus, triplici haud redimita corona.

Quod ergo fando, et flendo, tremula, intercluſaque voce ob titubantes ſingultus, ac ſuſpiria, fatum non bene factum hactenus balbutiebamus, Benedictina jam ſorte undique perſpecta, beneficum fatum, jam bene factum, jamque bene dictum deinceps dicemus, ac vocitabimus.

Sanctiſſimus D. N. Benedictus in cœlo jam regnat, ſuper aſtra jam triumphat, utrique eccleſiæ feliciori jam præſidio præeſt. Benedicto, inquam, qui ſanc in nomine Domini venit, Oſanna in excelſis ſine fine jam canitur.

Non ergo condolere, ſed congaudere, non plangere, ſed plaudere, non triſtari, ſed lætari, et delectari fortunatos nos equidem decet. Chorus igitur noſter non in luctus, ſed in cantus vertatur: lamenta in congratulationes, planctus in plauſus, funera in munera, feralis tumulus in nuptialem thalamum, mœſtitiæ ſymbola in ſigna lætitiæ, lugubres tedæ, funebreſque telæ, luminoſas in faces, lætaque, et feſtiva aulæa convertantur.

O pretioſum in conſpectu Dei, et hominum, feliciſſimam mortem juſtorum! O immarceſſibilem gloriam pereffluentem, quæ etiam in ſepulcrum Juſti tui adeo exuberanter redundas, ut illud non lacrymoſum, ſed glorioſum, non funeſtum; ſed fauſtum, pariter reddas!

O Benedicte Sanctiſſime, ac Benedictiſſime, qui Benedicti, Divinique Nominis Numen, et omen, diviniſſime retines, et correſpondentis gloriæ culmen pleniſſime poſſides! tu, quem triumphantis eccleſiæ univerſalis vox, ipſiuſque futurorum bonorum aſſiſtentis Pontificis Supremi infallibile oraculum, jam Beatum glorioſiſſimum conclamat! tu, inquam, ipſa ſuprema ex arce nos adhuc in terra militantes tuere: militantis eccleſiæ, adhuc tuæ, nos milites dux ducito; oves nos paſtor paſce; gregem rege, devios dirige: pupillos nos pater protege, et reos tandem nos Sanctus juſtifica: cum Deo pacifica, ut cum illo una tecum conregnantes, in æternum tandem victuri conglorificemur. Et quia factus eſt in pace locus tuus, et habitatio tua in Sion, Jeruſalem cœleſti, quæ *pacis viſio* enuntiatur; in pace vive, in pace regna, in pace denique requieſce.

Rescriptum Sacræ Congregationis,

Perilluſtri, et Reverendiſſimo Domino,

Uti Fratri,

EPISCOPO PHARAONEN.

Perilluſtris, et reverendiſſime Domine, *uti frater,*

NON potuit luculentius Apoſtolicæ Sedi paſtoralis adminiſtrati muneris ratio reddi, quam ab amplitudine tua perfectum ſit. Primum enim tota, quæ longe lateque diffunditur commiſſa tibi diœceſis, literis tuis accuratiſſime deſcripta, et totum inſimul Algarbicum regnum antiquitus ſub Maurorum tyrannide gemens, nunc autem Luſitanorum regum pietate ſub dulciſſimo Chriſti jugo detentum, ſeſe beatiſſimo patri in conſpectum dedit; eaque loca, quæ antea profanis ritibus fuerant deturpata, jucundum ipſi fuit Chriſtiano cultu, et ſacris cæremoniis ſancta jam reddita fuiſſe recordari. Deinde, quod omnium caput eſt, gratum illi fuit audire, te regionem iſtam, in iis, quæ animarum ſalutem reſpiciunt, ita moderari, ut à clero nunc diſciplina non abſit, et neceſſaria ad gregem docendum ſervientia, non ab populo pietas, non ab templis eccleſiaſtici officii rite perſoluti obſequium; quid autem huic proſperitati plurimum conferat, neque Pontifici Maximo, neque ſacræ huic congregationi ignotum, impenſus, ſcilicet, à te labor, induſtriaque in clericalis ordinis accurato delectu habendo, atque in univerſo populo ad opera pietatis tuis concionibus, edictis, hortationibus, ac monitis, erudiendo. Quibus omnibus dubitandum non eſt maximum pondus adjungi per eam eximiam pietatem, quam præ te fers, dum ſæpius choro cum canonicis interes; ſupplicationes primus ipſe ducis; peccatorum confeſſiones excipis; euchariſticum panem ad infirmos defers; criminoſos in carceribus detentos ad reſipiſcendum conſulis; et gregem omnem ubique locorum, vel per aſperrimos ſaltus, luſtrare et inviſere non dubitas, quamvis gravem agens ætatem, multis laboribus, atque muneribus fatigatam. Accedit etiam charitas, qua tot lites, et controverſias forenſes, amice compoſuiſti; hoſtiles diſcordias ſuſtuliſti; ſponſalia injuſte diſſoluta redintegrâſti; liberalitas tandem, qua templum primarium pretioſa ſupellectili inſtruxiſti, pauperes continuo ſublevas, et infirmis, ad Moncicas Thermas undi-

undique adventantibus, victu, aliiſque medicamentis, opitulaveris. Quæ à Pontifice Maximo, et eminentiſſimis patribus, libentiſſime excepta, *nomen tibi vigilantiſſimi, tuarumque ovium amantiſſimi paſtoris meruerunt*; neque aliud in tua deſcriptione nobis deſiderandum reliquerunt, niſi ut quicquam de ſeminario diſtinctius referres, quemadmodum eventurum fore confidimus, ubi rurſus iſtius diœceſis ad nos deſcribendæ tempus recurret.

Veniendum eſt modo ad ea dubia, ac poſtulata, quæ ſparſim ſeſe offerunt in tuis epiſtolis.

Primum quidem reſpicit controverſias quaſdam canonicorum cum epiſcopo; ſecundum vero quorundam preſbyterorum, quos partim ſemicanonicos vocant, partim quaternarios contra canonicos.

Ad primum quod attinet, complectitur hoc duo capita; alterum nempe, utrum conſtitutiones ſynodales de vita, et honeſtate clericorum editæ, comprehendant omnes clericos, canonicos, et dignitates cathedralis eccleſiæ; cui quidem affirmative reſpondent ipſamet verba Tridentinæ ſynodi, *ſeſſ.* 14. *c.* 6. *de reformat.* ubi memorantur omnes perſonæ exemptæ, dignitates, perſonatus officia, ac beneficia; adeoque, ſi mandatis tuis in hac parte nonnulli parere recuſent, juris remediis utitor. Alterum vero reſpicit jus eligendi conjudices capitulares. Cum autem Tridentina ſynodus, *ſeſſ.* 25. *c.* 6. *de reform.* loquatur de eccleſiis exemptis, neque adhuc conſtet Pharaonenſem eccleſiam in hac claſſe recenſendam, non debes prorinde de tua juriſdictione dubitare, ſed congruum canonicis tempus præfigito ad ſua jura in S. Congregatione deducenda.

Ad ſecundum vero poſtulatum quod attinet, reſpiciens ſemicanonicos, et quaternarios, inter quos, et canonicos, graviſſimæ hactenus exarſerunt contentiones, ſcandala deinde nata, atque denuntiationes apud laicos judices, non diſplicuit conſilium ab amplitudine tua ſacræ huic congregationi propoſitum: verum, cum res hujuſmodi maturo egeat examine, hinc illam per tuum negotiorum geſtorem præſtabit ſingulariter promovere petitionem coram hac ſacra congregatione, quæ, prout juris eſſe cenſuerit, quid beatiſſimo patri conſulendum ſit, opportune providebit. In reliquis indultum illud, quod poſtulaveras, erogandi tenues miſſarum eleemoſynas in beneficium hoſpitalis, Sanctitas ſua tibi minime concedendum cenſuit.

Erant hæc amplitudini tuæ ſacræ congregationis nomine ſignificanda; interim vero Pontifex Maximus, in ſuæ erga te voluntatis teſtimonium, Apoſtolicam tibi mittit benedictionem: ego vero, quantum zelo, et virtuti tuæ faveam, faciam officiis meis, ut ſemper intelligas. Romæ, 2. Julii 1746.

AMPLITUDINIS *tuæ*,

Uti Fr. ſtudioſus,

A. Card. GENTILI, Præf.

I. A. FURIETUS, Secret.

ALLEGATIO CL.

Super Licitudine, vel Illicitudine, procurandi Aborſum Fœtus, Ope Dæmonis Incubi, concepti.

SUMMARIUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Certum eſt, poſſe dæmones fœminis incubare.*
III. *Proles ex dæmone incubo nata, nec ab illo generatur, nec eſt ejus filia.*
IV. *Ex homine incubo, et dæmona ſuccuba, vera proles nequit generari.*
V. *Poteſt dæmon efficere, ut virgo, talis permanens mente, et corpore, veram prolem concipiat.*
VI. *Confirmatur ex D. Thom. auctoritate.*
VII. *Ordinarie non eſt vera proles, et realis, quæ ex dæmone incubo generatur, ſed vel apparens, vel monſtroſa, et deformis.*
VIII. IX. *Comprobatur ab auctoritate, et exemplis.*
X. *Etiam quando dæmon intendit generare, et ſagæ imprægnari.*
XI. *Et ex variis caſibus.*
XII. *Necnon ex can.* Epiſcopi, 26. *q.* 5.
XIII. *Fœmina ex dæmone veram prolem concipiens, et fœtu ad veram animationem tendente, licet adhuc non animato, aborſum procurans, peccat realiter, et incurrit excommunicationem, et comprehenditur in damnatione prop.* 34. *Innoc.* XI.
XIV. *Probatur ratione.*
XV. *Quoties mors prægnantis matris imminet ab ipſo fœtu inanimato, licet directe aborſum procurare; et indirecte, animato jam fœtu; niſi probabilis ſpes adſit, quod, etiam moriente matre, fœtus baptiſmali aqua ſalutariter abluendus foret.*
XVI. *Si tamen medicina non aliter conduceret ad ſanitatem matris, niſi quatenus expelleret fœtum, illicitum foret eam adhibere.*
XVII. *Non damnatur, juxta aliquos, ab Innoc. aſſerere, licitum eſſe aborſum procurare ad evitandam infamiam communitatis, vel alicujus ſacri gynæcei; rectius tamen negatur, non licere, eſto formaliter non damnetur.*
XVIII. *Sicut etiam non damnatur, licere fœminæ per vim oppreſſæ à viro, vel à dæmone, ſtatim ſemen expellere, antequam in matricem decidat; non ita vero poſt conceptionem.*
XIX. *Si fœtus jam ſit mortuus, aut corruptus, vel monſtroſus, ita ut ad animationem non tendat, licebit directe curare illius expulſionem.*
XX. *Confirmatur ex multiplici caſu.*
XXI. *Pariformiter, quando conceptio non eſt realis, ſed apparens ex dæmonis deluſione, ut in caſibus can.* Epiſcopi.
XXII. *Confirmatur ex trita plurimorum doctrina.*
XXIII. *Enumerantur varii caſus harum dæmonum fallaciarum.*
XXIV. *Dæmon non conſentit, quod alienus proprium ſcortum, cui ut maritus incubare ſolet, aſcendat.*
XXV. *Quod ex S. Pagina, et aliis fundamentis, probatur.*
XXVI. *Cautelæ ab exorciſtis, ac directoribus ſpiritualibus, opportune obſervandæ; et prima, ex ignotæ linguæ locutione; ſecunda, ex reingreſſu, et nova dæmonis poſſeſſione, vel obſeſſione.*
XXVII. *Quid ſit* poſſeſſio, *quid* obſeſſio.
XXVIII. *Tertia, ex deliquiis, ſuſpenſionibus, ac revelationibus.*
XXIX. *Quarta, ex ſudoribus ſanguineis, qui non excedunt potentiam dæmonis, ex oſſium ſtridoribus, et aliis.*
XXX. *Quinta, ex vomitu, et inſtrumentis per vomitum ejectis.*
XXXI. *Baruf. improbatur.*
XXXII. *Sexta, pro ſuſpenſione, ecſtaſi, et raptu.*
XXXIII. *Septima, pro viſionibus, atque apparitionibus.*
XXXIV. *Cautela pro vera pace, et falſa, in apparitionibus diſtinguenda.*
XXXV. *Regulæ pro diſcernendis divinis revelationibus à dæmoniacis.*
XXXVI. *Octava, pro illuſionibus; quæ et quales ſint, deſcribuntur.*

I. EX quodam nuper eventu excitata eſt quæſtio præmiſſa; in qua, ut aſſolet, ſecundum affectuum ſuorum diverſam varietatem, in diverſas opinantes abierunt ſententias (et aliqui potius adulationi, quam ædificationi, ac ſinceræ veritati, fœde conſulentes); in qua ipſemet conſultus, pro veritate ipſa, ſequens edidi judicium.

Pro præjactæ radicali et adæquata quæſtionis deciſione, plures debent præmitti ſuppoſitiones certæ ab AA. communiter ſtabilitæ: et,

II. 1. Præ-

II. 1. Præsupponendum est, tam certum esse, posse dæmones fœminis incubare, et ex hoc concubitu veram prolem facere enasci, ut ex illo Gen. vi. *Videntes filii Dei filias hominum*, ut plures ap. Alap. cum Burgens. et Franc. Vales. asseruerint, eos *filios Dei* fuisse *dæmones, primum succubos, qui à potentissimis viris validissimum semen exceperint, quod deinde iidem, quasi incubi, in validissimas fœminas transfuderint, itaque generârint gigantes. Licet enim Pereyr. dubitet, an ex incubis dæmonibus hoc modo generari possit homo, et id ipsum neget Cyril. asserunt tamen Cardanus Cayet. et bene id ipsum probat Delrio, l. 2. disq. magic.* 15.

III. Præsupponendum, 2. Quod quamvis ex dæmone incubo, et fœmina succuba, vera proles nasci valeat, hæc tamen, nec à dæmone ipso vere generatur, nec illius filia vere dici potest. Patet prima pars; Quia *generatio est origo viventis à vivente, à principio conjuncto operante in similitudinem naturæ, mediante aliquo à se deciso.* Dæmones autem neque in similitudinem naturæ, neque medio aliquo ab ipsis deciso operantur; ut statui in meo theolog. tractat. *De republic. dæmonum.*

Secunda pars liquet; Quia seminalis substantia, media qua dæmon tunc generat, est decisa ab aliquo homine, à quo extracta per ipsum fuit. Unde proprie proles genita non dicetur filia ipsius dæmonis, sed viri illius, à quo sperma illud extractum est; sicut spica non dicitur filia agricolæ, qui eam terræ mandavit, neque agricola dicitur pater spicæ, ut recte notat D. P. Aug. 13. de Trinit. c. 8. et tales fuisse generationes Martini Lutheri, Merlini Angli, imo et Neronis, et Xacæ Japonis, tradunt DD. ap. Pignatell. cons. can. 101. tom. 4. Delr. cit. &c.

IV. Præsuppon. 3. Probabilius esse, ex homine incubo, et dæmona succuba, veram prolem progigni, atque oriri non posse. Ita cum antiquis Ægyptiis cit. Delrius, l. 2. q. 15. et alii apud Pignatell. tom. 4. cons. 101. Prob. Quia matres multa plura quam patres suppeditant ad generationem, atque organizationem. Deinde fœtus ad sui alimentum, conservationem, perfectamque organizationem, atque animationem, diuturno tempore requirit certos, ac proportionatos gradus caloris, certas officinas, determinatamque organicam symmetriam; insuperque indiget vitali illa viventis animæ vegetantis continua operatione, necnon continuata concoctione, et prope innumeris aliis naturæ arcanis; quæ omnia dæmon in assumpto corpore succubante nec efficere, nec sufficienter supplere potest, quin fœtus mutilus, informis, inutilis, atque omnino imperfectus evadat. Et exempla in contrarium adducta à Vincentio Belv. Viviar. et aliis, fallaciæ quidem fuerunt; rapientibus dæmonibus aliunde infantulos, et assumptis corporibus, apparentis partus tempore instante, occulte supponentibus.

V. Præsup. 4. Posse dæmonem efficere, ut virgo mente, et corpore talis permanens, veram prolem concipiat, non tamen sine virili semine. Ita Delrius cit. prob. *Quia potest*, ait, *virgini dormienti, et ignaræ, aliunde sumptum, verum, et fœcundum semen, sine congressu carnali, hymene, aliisve claustris virginitatis incorruptis, infundere. Ut autem in partu virginitas conservetur, hoc dæmon nequit; cum enim ad hoc vera corporum penetratio requiratur, quæ virtuti divinæ reservatur, id sine speciali miraculo fieri non potest.*

Negat tamen ibidem Delrius cum Andr. Laurentio, et recte, quod aliqui narrant de virginibus dumtaxat concipientibus ex semine prius effuso in balneo, quo ipsæ postea lotæ erant: *Sed non credo*, ait Delrius, *quia neque virtus attractiva matricis, tam à se longe, queat vim exserere; neque aqua solertiam habet, quam dæmon, spirituum evaporationem prohibendi; et semen illud, si fœcundum fuisset, fundum aquæ petiisset, et non supernatâsset; et, si aliquid ita evenit, cooperationi dæmonis utique tribuendum est*; sed vide infra, n. 23.

VI. Confirmatur ex auctoritate D. Thom. quodlib. 6. a. 8. asserentis, posse fortassis mulierem absque miraculo, et salva virginitate *omnimoda*, concipere; *Sicut*, ait, *dicitur accidisse cuidam puellæ jam pubescenti, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat; qui cum in somnio pollueretur, semen ejus ad matricem filiæ descendit, et inde puella concepit.* Quod et à dæmone præstari potest, addit Abul. in Gen. xix. quem quidem dæmonem puto præfatæ puellæ conceptioni aliqualiter concurrisse. Sed de hoc infra, n. 23. cas. 9. præsertim in occasione naturalis irritationis matricis, quæ tunc ex vi caloris, et pruritus, foras erumpit, et humorem quemcunque attrahit, ut medici aliqui attestantur; et hoc fuit solidum judicium insignis medici *Petri Brum* Angli, sed catholici Romani, in civitate Portucalensi, ab aliquibus theologis, ac religiosis viris, nuper consulti, super quodam consimili casu ibidem agitato, de quo adhuc oculares testes constant. Vide etiam medicum Francum in camp. Elys. q. 41. per tot. ubi ex Avic. et aliis, possibilitatem hujus imprægnationis, virginitatis claustro non violato, probat; et plures casus cum Zacuto, et Amato Lusitano, affert; præsertim, n. 23. notabilem casum ex quadam fœmina Turca, proprio marito prius succubante, et alteri fœminæ postea incubante, et eam ita imprægnante, &c.

VII. *Dico igitur*, 1. Quamvis ex dæmone incubo, et fœmina succubante, absolute vera proles enasci queat, et aliquando nata fuit; attamen ordinarie non ita evenit realiter, sed vel apparenter, vel monstrose, et informiter etiam quoad humani corporis organizationem; et multo minus quoad dispositiones, atque tendentiam ad animationem, seu animæ rationalis informationem. Ita nedum omnes DD. negantes absolute primam partem resolutionis, cum Plutarcho, Paracelso, Remigio, et aliis; verum et DD. catholici, qui eam sustinent cum cit. Delrio, Pignatell. Cardenas, Brognol. Nieremberg. et aliis.

VIII. Probatur, 1. Quia ex sagarum confessionibus constat, teste Nicolao Remigio, semen, quod illis dæmon infundit, esse frigidum, naturali, et opportuno calore destitutum, minimeque prolificum, vel ad generationem aptum. Accedit Delrio cit. inquiens— *Quando dæmon rem habet cum sagis, quæ dæmonem esse non ignorant, ut plurimum semen fictitium, et frigidum exhibet; ex quo concedimus prolem nasci non posse.*

Probatur, 2. Quia, juxta Delrium cit. *Rarissime accidit, quod dæmon generationem velit sequi* ex concubitu cum sagis, vel *sub certi alicujus viri specie*, vel in corpore assumpto. *Et quando non intendit generationem*, prosequitur idem ibidem, *tunc infundit aliquid seminis instar, calidum tamen, ne fraus deprehendatur.* Ergo, cum tale semen verum non sit, sed quid aliud adinstar seminis, quamvis calidum, et jam non frigidum, minime prolificum, aut generativum erit.

IX. Prob. 3. Ex Ulric. Molitore: Principium, et vis gignendi, vel à corde oritur, vel à cerebro, secundum physicos; deinde, ad conceptionem prolificam, requiritur omnino, quod fiat cum voluptate, et sensationis, vel sensualitatis vivacitate ex parte concipientis, quæ vim attractivam illius matricis excitet, atque adaptet. Atqui in semine à dæmone aliunde asportato deficit regulariter virtus cordialis, calorem temperans, prout oportet, et deficiunt spiritus genitales; tum quia deficit anima rationalis in corpore assumpto, quæ est principium productionis, atque conservationis illorum, quod quidem dæmon esse non valet; tum quia neque tale est fœmina succumbens: ergo.

X. *Dico*, 2. Etiam quando dæmon intendit generationem, et sagæ vere, et expresse, à dæmone imprægnari volunt, ac prætendunt, plerumque conceptio, et partus non evadit verus, et realis, sed fictitius, vel suppositicius. Neque proles concepta, et edita, est vera proles, quamvis mediante semine, vel aliquo adinstar seminis, generata: sed vel est frustum carnis, vel folliculus vento plenus, qualem canes molossæ, sive leporinæ, vulgo *galgas*, aut *canes Gallicæ*, naturæ irritamentum sentientes, ex vento solent concipere, et parere, ut quotidie experientia comprobat; vel sanguis grumosus, vel coagulum ex materia aliqua depravata, vel ex aliquibus humoribus coalescens. Ita cit. DD. signanter Carden. in propos. 34. Innoc. XI.

XI. Patet ex variis casibus, quos ipsi tradunt, nempe Brognol. in man. p. 1. c. 3. n. 5. de pueris illis suppositiis, qui faciem ad modum hominis senis eunuchi habentes, et corporibus nimis ponderosissimis extantes, si ab exorcista benedicantur, post aliquot

dies

dies moriuntur, quod ex experientia comprobat anni 1646. Et Martin. Delrio, cit. l. 2. q. 15. ubi refert parvulos, quos quaſi ex ſuccubis dæmonibus natos, vulgo *cambiones* appellatos, adeo lacte inſatiabiles, ut etiam quatuor nutricum rumis exhauſtis, macilentos tamen, ſed ponderoſiſſimos perſeverantes, poſt aliquot tandem annos evaneſcere. Et tales etiam afferit, quos Itali, à continuo vagitu, *vagiones* appellant, et Germani uvechſelkind, id eſt, *ſuppoſitivos*, et alios.

Patet etiam ex monſtroſis fœtibus, et effectibus irrationabilibus, et informibus, ac deformibus, de quibus Carden. in prop. 34. Innoc. XI. c. 6. n. 51. et 53. quos Hiſpani vulgo *engendros* vocant. P. Euſeb. Nieremberg. p. 3. l. 4. *de monſtris fabuloſis*, præſertim cap. 15. Vincent. Bellovac. l. 3. Magn. Olaus de reb. ſepten. l. 3. P. Bernard. nov. flor. tom. 1. et ſeqq. Mayol. die Canicul. verb. *Dæmon*, et *Saga*, et alii ap. Delrium, loc. cit. et l. 6. c. 3. Franc. in camp. Elyſ. q. 45. n. 38. Villalp. l. 2. Mag. c. 31. Torreblenc. et aliis.

XII. Confirmatur efficaciter ex can. *Epiſcopi*, 26. q. 5. ex concil. Ancyran. deducto; ibi: *Quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam converſæ, dæmonum illuſionibus, et phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe, et profitentur cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum, equitare ſuper quaſdam beſtias, et multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire . . . Siquidem ipſe Satanas mentem, quam captivam tenet, in ſomnis deludens, modo læta, modo triſtia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per quæque de via deducit: et cum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis, hoc non in animo eſſe, ſed in corpore evenire opinatur*, &c. Ergo ſimiliter reliqua plerumque per deluſionem eveniunt.

Quæ quidem verba præſentis can. maxime ſunt pro iis, quæ infra dicentur; qua de cauſa hic ea tranſcribere libuit. Ubi notandum inſuper eſt, quod quamvis Salmantic. tom. 5. tr. 21. caſ. 11. n. 170. Afferant, in hoc can. *prohiberi ſub pœna excommunicationis, nequis hujuſmodi anicularum næniis fidem præbeat*; reapſe tamen formalis ipſius cenſuræ clauſula ibi non reperiatur. Et licet quidam DD. teneant, infirmam eſſe præcitati can. auctoritatem; hoc tamen non eſt certum, cum plures pro ea pugnent; proindeque non eſt neganda abſolute, ſed explicanda, quomodo explicant Delrio, et reliqui DD. His præmiſſis, ſit——

Prima Resolutio.

XIII. In caſu primæ et quartæ ſuppoſitionis, quando fœmina ope dæmonis ex ſemine virili prolifico veram prolem concipit, et gignit, et hæc ad animationem vere, et realiter, vel ſaltem vere probabiliter tendit, ac progreditur, quamvis fœtus adhuc animatus non ſit, ſeu anima rationali non ſit informatus, ſi directe procuret aborſum; peccabit lethaliter (et peccato quidem homicidii, ſi jam fœtus erat animatus; quæ autem animatio in maſculis dicitur communiter fieri die quadrageſima à conceptione, in fœminis vero octogeſima). Ita DD. communiter.

Probatur, 1. Ex damnatione prop. 34. Innoc. XI. *Licet procurare aborſum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Et, 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali; et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: dicendum erit, in nullo aborſu homicidium committi.* Vid. Carden. Viv. Fr. Valentin. et alios ad illas.

XIV. Prob. 2. ratione: Quia, ſi fœtus jam animatus eſt, datur proculdubio homicidium; et talem aborſum procurantes, effectu ſecuto, incidunt in excommunicationem Xyſti V. à qua poteſt epiſcopus abſolvere ex moderatione Greg. XIII. Regulares autem, etiam effectu non ſecuto, in eandem incidunt. Et, ſi aborſum procurans ſit vir, homicidio ſecuto, incurrit irregularitatem, etiam in dubio facti; quam tamen pœnam ad ſolos clericos reſtringunt Salmantic. tom. 2. c. 7. pu. 3. n. 45.

Si vero fœtus adhuc non ſit animatus, ſed ad animationem tendat, adhuc peccaret ut homicida, aborſum directe procurans; quia vitam hominis proxime, et immediate impediret. Confirmatur à paritate; eo quod, ne quidem ob metum mortis, liceat directe procurare pollutionem. Ita Viv. et Carden.

XV. Qui tamen concedunt, 1. cum Vaſq. Leſſ. Nav. Filliuc. Quod quoties mors prægnantis imminet ab ipſo fœtu inanimato, liceat directe aborſum procurare; quia, prout ſic, fœtus inanimatus, et corruptus, eſſet invaſor ab intrinſeco vitæ genitricis, Sanch. Dian. Salmantic.

2. Concedunt, poſſe licite ad evitandam mortem matris periclitantis, pharmacum, v. g. ſumi, vel venam ſciſſione aperiri, directe ſalutem matris, et ejuſdem mortis evitationem intendendo; quamvis per accidens exinde aborſus fœtus animati ſecuturus prævideatur, qui tantum tunc indirecte, non directe intenditur; præſertim ſi, è contrario, et mater, et fœtus animatus, mortem oppetere prævideatur. Sin autem probabilis ſpes ſit, quod etiam moriente matre, fœtus ſalutari baptiſmatis aqua abluendus evadet; tunc, ait Lacr. cum Leſſ. et aliis, tenetur mater ſub mortali abſtinere ab omni remedio deſtructivo prolis; quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema neceſſitate ſpirituali infantis. Contrarium tamen docet Lop. et Cardub. et probabile dicit Sà apud Lacr. ad Buſemb. l. 3. p. 1. n. 822.

XVI. Si tamen medicina non aliter conduceret ad ſanitatem matris, niſi quatenus expelleret fœtum, illicitum eſſet ſumere pharmacum; quia directe intenderetur expulſio fœtus, tanquam medium ſanitatis, quod intrinſece malum eſt: hinc debet medicina habere alium effectum in ordine ad ſanitatem. Ita Lacr. n. 828. cum Lug. Delb. S. Antonin. Navar. et aliis.

XVII. Non damnatur tamen, 1. Licitum eſſe procurare directe aborſum fœtus inanimati, ſi periclitetur fama communitatis, aut alicujus ſacri gynæcei, afferunt Lumb. Torreſil. Fr. Valentin. in compilat. eſto reclament cit. Viva et Carden. cap. 6. n. 55. et cap. 7. n. 64.

Ratio illis eſt, 1. Quia propoſitio loquitur de infamia mulieris prægnantis, non vero de totius communitatis, conventus, aut ſacri gynæcei. 2. Quia condemnatio, utpote odioſa, non eſt ampliandа ad caſus ultra illius verba, ac formalitatem, ſed ad illa prorſus reſtringenda eſt. 3. Quia fœtus tunc habetur ut injuſtus aggreſſor reſpectu communitatis, cui illa conceptio matris involuntaria eſt; et licet occidere injuſtum aggreſſorem, ſi ex eo ſequatur infallibilis jactura vitæ, vel famæ. Attamen compilator recte tenet, hoc non licere, quamvis in damnatione illa comprehenſum non ſentiat.

XVIII. Non damnatur, 2. Etiam afferere, licere fœminæ, per vim à viro, aut à dæmone oppreſſæ, ſemen ab eodem decidens continuo expellere, antequam in matricem concipiatur, tanquam injuſtum caſtitatis aggreſſorem, ad infamiam vitandam. Sanch. Viva, compilat.

Prob. 1. Quia propoſitio loquitur de diligentia aborſus poſt fœtus conceptionem, et ante animationem. Hæc autem aſſertio loquitur de expulſione ſeminis deciſi ante conceptionem. Damnationes autem, ut odioſæ, ſunt reſtringendæ, et non ampliandæ.

2. Quia licet deſtruere, et excludere injuſtum aggreſſorem ad infamiam vitandam.

Per hoc tamen non ſequitur, quod poſt fœtum jam conceptum, quamvis involuntarie, ac violenter, liceat eum, quaſi injuſtum aggreſſorem, expellere curare: nam quamvis licite poſſit injuſtum aggreſſorem continuo ante invaſionem executam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere; attamen id tibi non licebit, poſt injuſtam invaſionem conſummatam; quia hæc non eſſet defenſio, ſed ultio. Ita Viv. Carden. et alii. Et quamvis compilator dicat, probabiliter poſſe hanc reſolutionem extendi ad hypotheſim fœtus jam violenter, ac voluntarie à dæmone, vel à viro concepti, citans Lumb. et Torreſill. merito ibidem advertit, præfatos AA. caſum hunc pro praxi irreſolutum reliquiſſe. An vero talis fœmina excommunicationem præfatam incurrat, probabilis utrinque circumfertur opinio.

Nota hic opportune, quod quamvis denuntiandus eſſet inquiſitoribus, qui poſt damnatam illam propoſitionem 34. Innoc. XI. doceret, aut teneret, non eſſe pecca-

peccatum aborsum illum procurare; attamen denuntiandus non foret, qui ad illum concurreret, vel illum procuraret, agnoscens id peccatum esse, et se in illo concursu, vel actione, utique peccare: quemadmodum denuntiandus veniret, qui affirmaret, fornicationem simplicem, vel mollitiem, non esse peccatum, post denuntiationem propos. 7. et 8. ejusdem; non tamen qui, peccati mollitiei conscius, talem mollitiem, vel simplicem fornicationem, exerceret. Neque obest paritas hæresis; in hac enim et doctrina damnatur, et materia peccati Papæ reservatur, ac denuntiari præcipitur; in præfatis vero sola doctrina, vel usus illius damnatur, non vero peccatum reservatur, nec denuntiari jubetur.

Secunda Resolutio.

XIX. Si fœtus, quamvis fuisset animatus, jam tamen actu sit mortuus, vel talis evadat ex corruptione, vel depravatione materiæ, ut non sit fœtus rationalis, neque ad animationem, sive infusionem animæ rationalis tendat, sed sit fœtus monstrosus, vel grumosi sanguinis, aut alterius materiæ coagulum, vel alterius generis, de quibus in secundo asserto; tunc licebit directe aborsum procurare. Ita Carden. cit. et alii, cum Gasparr. Franco, Camp. Elys. q. 51. n. 40.

Prob. 1. Quia tota ratio, totaleque motivum Pontificiæ damnationis, est, quia vel impeditur, vel destruitur naturalis animatio fœtus; quod est intrinsece malum, et naturæ intentioni oppositum: atqui in hoc casu nec datur, nec speratur, talis animatio: ergo.

2. Ex doctrina Card. cit. c. 6. n. 53. loquente de copula conjugali humana; ibi: *Neque insolitum est ex putrefacto semine generari, etiam ex copula conjugali, vivens irrationale; scimus enim ita accidisse non semel in hac provincia; ita ut natum fuerit animalculum, porcello simile, quod vulgo appellatur* engendro; *quod, uti ex utero prodiit, cucurrit velociter per terram:* ergo, potiori ratione, ex copula dæmoniaca.

3. Quia idem Cardenas, n. 51. ibidem, ita ait: *Et quidem possibile censeo, quod cacodæmon, si fiat succubus (ultra alios modos, quibus idem disponere potest) recipiat semen à viro, et postea factus incubus immittat semen in uterum fœminæ. Sed non credo, Deum talia promissurum, ut virgini Deo devotæ sic illudat Satanas, imo neque fœminæ peccatrici in ordine ad prolem humanam. Scimus aliquando contigisse, quod fœmina incubum cacodæmonem amplexa peperit. Sed quam prolem? Non humanam, sed irrationalem, et monstrosam; fortasse de genere eorum viventium, quæ ex putroris seminibus generari possunt.*

XX. Confirmatur, 1. Ex doctrina Delrii, ap. cit. Card. l. 6. *Fœmina, periculo servata, enixa est monstrosum undiquaque fœdum aspectu, quale nusquam antea (ut ferunt) inter nostrates visum. Id obstetrices, ne observatum contumelia esset familiæ, accensa ingenti pyra, certissime concremârunt. Id ita fert contigisse ann.* 1588. *Brun. in Moravia.*

2. Ex casu illius monialis, quem refert Lumb. à viris doctis approbato, de quo cit. Card. n. 54. *Illi ergo viri docti, quos suppressis nominibus refert Lumbier, fortasse ex sufficientibus indiciis cognoverunt, illum fœtum, quem sanctimonialis, Deo devota, ab incubo violento conceperat, esse non prolem humanam, sed vivens monstrum. Sic enim recte consuluissent, propinari pharmacum ad hujusmodi aborsum. Nescimus enim ipsos inductos esse ea ratione de aggressore violento castitatis.*

3. Ex doctrina Panimol. dec. 69. n. 27. referentis thesaur. dec. Pedement. 22. n. 11. ubi ait, *Loquitur de præbente poculum alicui mulieri prægnanti, quæ in periculo vitæ, ob fœtum in utero existentem, posita reperiebatur; quod impune dari possit, dum tamen in hac re medicorum consensus accedat.*

4. Ex asserto cit. Gasp. à Reyas Franc. q. 51. n. 40. ibi: *Ultimo concludimus, eam prolis lanienam, vel interemptionem, quocunque modo ex directa intentione patratam, summe accusandam esse, sive animatus, sive inanimatus sit fœtus, cum hoc ad unguem scire nemo agnoscat: tamen dicimus, fas esse usurpare remedia directe, et per se tendentia ad matris salutem tuendam, prægnito licet prolis damno, sed nonnisi indirecte, et per accidens volito: ita Laym. Comit. Nald. Dian. Azor. Moura, Sanch. Cord. Navarr. Rodr. Lop. Veg. Ban. Henriq. Bens. Arag. Sà; cum quibus omnes fere medici Christiani, et neoterici, consentiunt, ut late videri potest ap. Mox. l. 2. de ven. sect. c. 13. et innumeros alios.*

Tertia Resolutio.

XXI. Quando conceptio, et fœtus, non est realis, sed apparens ex dæmonis delusione, ut in casibus cit. can. *Episcopi*, 26. q. 5. (de quibus supra, asserto 1. et apud Delrium cit. Pignatell. cons. can. 101. tom. 4.) Et de hac delusione datur sufficiens, ac prudens probabilitas, esto non detur evidentia, quod fœtus sit, v. g. conglobatus aereus, vel folliculus venti, vel fictitius tumor, &c. licebit etiam directe procurare evanescentiam, vel resolutionem, illius fictionis, vel aerei aut ventosi tumoris, vel similis alicujus materiæ.

Probatur eisdem fundamentis; et, 1. Quia non est fœtus realis humanus, aut rationalis ad animationem tendens.

2. A patitate resolutionis doctorum virorum illorum, de quibus Lumb. et Carden. supr. n. 20. cum tamen fœtus ille realis quidem foret, et non apparens.

3. Ex alio casu puellæ ap. cit. Delrium, l. 2. q. 12. et l. 6. c. 2. q. 3. et Carden. de quo supr. n. 20. qui etiam realis, quamvis monstrosus equidem fuit.

4. Ex cit. can. *Episcopi*, hos et similes congressus dæmonis cum sagis illusiones esse, saltem plerumque, definiente, et ex cit. Franc. q. 45. n. 38.

5. Ex praxi, et experientia generali, qua sæpe sæpius hæ conceptiones, et imprægnationes, ventrisque intumescentiæ, imo, et fœtus ebullitiones, dæmonis illusiones esse, deprehensæ sunt.

6. Ex aliis superius prælibatis, et inferius insinuandis.

7. Ex doctrina Pignatell. cons. 101. tom. 4. *Si quando igitur lamiæ peperisse visæ sunt, partum vel imaginarium fuisse, vel suppositititium, credibile est.* Qua quidem fundamentali probabilitate ex generaliter accidentibus, et communi doctrina stabilita, consequitur inculpabilitas actionis; nam vera, et prudens probabilitas à culpa certe excusat; de quo DD. probabilistæ.

XXII. Confirmatur ex doctrina Lacr. ad Busemb. l. 4. de judice, tom. 1. q. 250. n. 1452. quam transcribere licebit, utpote ad consequentia necessariam: *An dæmon in congressibus sagarum repræsentare possit homines innocentes? R. Posse; quicquid contradicant Binsf. et Delrio, l. 2. q. 12. n. 5. Nam, 1. Id probant exempla, quæ Spe, d. 47. refert. Et ita, et jam, referunt Raderus in virid. SS. p. 1. § 15. et Rosignolius, cent. 2. miro 11. quomodo dæmon S. Sylvani speciem induens iverit ad cubile matronæ; et ideo S. Sylvan. episcopatu sit ejectus. 2. Deo permittente, ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis, 2. ad Corinth. xi. ver. 14. cur non, et in speciem hominis innocentis? 3. Omnes fatentur, quod dæmon se transformat aliquando in formam lupi, hirci, &c., cur non et hominis? Nec ullibi promisit Deus, se non permissurum, ut assumeret formam innocentis.*

Et superius, n. 1448. *Indicium sufficiens ad condemnationem non est præcise hoc, quod à duodecim, vel etiam pluribus sagis sit accusatus tanquam magus, et dicatur ab eis visus in saltu, &c. uti habet communissima cum Delrio, l. 5. s. 5. n. 4. neque etiam videtur, esse indicium sufficiens ad torturam, uti docet Gob. in clypeo, n. 311. contra Binsf. Delr. Less. in auct. v.* Magia, *cas. 5. et alios: imo nec ad capturam, uti habent Tann. et Spe, dub. 44. contra alios, nisi indicia alia graviora accedant: ratio est, 1. Quia sagæ sæpissime illuduntur à dæmone, et putant se vidisse in saltu, quas non viderunt; imo sæpe ipsæmet non fuerunt in saltu, quamvis putant se fuisse, comedisse, bibisse, &c. 2. Sagæ communiter flagrant odio, et sunt hostes hominum maxime innocentium, ac insuper potuerunt conjurare pro impietate, maledicentia, et impœnitentia sua; testimonium autem inimici non auditur, ne quidem in exceptis: ergo. 3. Sagæ sunt infames mendacitate, cum sint familiares discipulæ magistri mendaciorum: ergo nunquam illarum testimonio standum est, maxime in inquisitione circa crimina excepta, et occulta. Nec obstat, quod plerique dicant, in his testari*

poſſe infames; nam hoc intelligitur de infamibus, non ratione mendacitatis, ſed alterius tantum criminis, quod relinquat præſumptionem veracitatis.

Objic. 1. *Saltem denuntiationes, quæ fiunt à ſagis ad Deum per pœnitentiam rite converſis, ſufficient. R.* 1. *Unde ſcis, eſſe vere converſas, cum ſagæ communiter ſint verſipelles, et ſimulatrices? R.* 2. *Si denuntiationes fierent poſt ſigna pœnitentiæ paulo ante mortem, et extra torturam, poſſet forte tum aliquid dari denuntiationibus, uti recte Spe, d.* 45. Nihilominus. *R.* 3. *Etiam ſuppoſito, quod ſint vere pœnitentes, adhuc potuerunt eſſe deceptæ à dæmone, et putare ſe vidiſſe eos, quos non viderunt, uti ante dictum eſt, notatque iterum Spe, dub.* 46.

Objic. 2. *Communiter non procedi ex ſolis ejuſmodi denuntiationibus, ſed accedere judicium publicæ famæ. R.* 1. *Talis fama non eſt communiter probata: ergo nihil juvat, ſecundum dicenda n.* 1453. *R.* 2. *Talis fama ſæpe nata eſt ex inanibus rumoribus, vel ex impiis cauſis; tum autem etiam nihil juvat, uti dicetur eodem numero* 1453.

Inſt. Ipſæmet denuntiatæ poſtea ſe fatentur ſagas, aut etiam extra torturam de ſe referunt eaſdem circumſtantias. R, Sæpe fatentur ex vi, vel metu tormentorum: ſi tamen plura ejuſmodi indicia accedant, non nego credi poſſe; ſed tunc non credetur ad ſolas denuntiationes. Vid. Spe, d. 49.

Objic. 5. *Saltem judici licitum erit ſequi ſententiam AA. contrariorum, præſertim cum talis ſit praxis fori. R. Non licet ſequi ſententiam conjunctam cum tanto periculo injuriæ in proximum; nec praxis ſalvat, quæ eſt contra rationem naturalem. Vid. Spe, d.* 5.

Citato autem n. 1453. § 2. ſic docet Lacr. *Sola fama etiam probata, ſi non ſit ſuffulta aliis indiciis, non eſt, ſaltem ordinarie, ſufficiens ad torturam: ita, cum aliis multis, Clar. Leſſ. Delr. Spe; quia fama, ſecundum juriſtas, et TT. non probat in criminalibus, ſed habet ſe tantum inſtar accuſatoris: nemo autem torqueri poteſt, niſi accuſator aliquam adferat probationem . . . Et quamvis in crimine atroci, et excepto, atque difficilis probationis, facilius habeatur cauſa agendi contra illud per inquiſitionem; non tamen per torturam, aut damnationem.*

XXIII. Ex his conſequitur, quot fallaciæ, quotque deceptiones, reperiantur in his fœminis, à dæmone illuſis, atque vexatis; et quam parum fidendum in ipſarum confeſſionibus, ac declarationibus, etiam ſpontaneis; et multo minus, ſi metu ſint extortæ, niſi accedant aliæ veroſimiles, et omnino inſuſpectæ comprobationes: de quibus fallaciis, ac deluſionibus, videndi ſunt per otium Olaus Magn. in hiſtor. Septemtr. Petr. Tiræus de loc. infeſt. Delr. cit. l. 6. c. 2. ſect. 3. q. 3. et lib. 2. q. 12. et alibi, Bernard. nov. floreſt. tom. 1. et ſeqq. Beyerlinch. verb. *Dæmon*, *Spectrum*, et *Spiritus*, et *Monſtrum*. Gaſp. à Reyas Franco, in Elyſ. Camp. q. 30. 34. 27, 28. Nieremberg. tom. 3. et alii.

Apud quos plures notabiles caſus harum apparentium deluſionum reperiuntur. Et primus ſit præfatus S. Sylvani epiſcopi Nazareni, cujus ſpeciem induens dæmon, nobilis cujuſdam fœminæ cubile eſt ingreſſus, eamque quaſi oppreſſurus aggreſſus; ex cujus apparentis facti diffamatione, realis S. epiſcopi ab epiſcopatu dejectio ſecuta eſt, ut narrat D. Hieronym. ap. Delr. cit. l. 2. et Roſſignol. ap. cit. Lacr. n. 1452. et Horoſc. et Covarr. de vera prophetia, l. 2.

Secundus eſt B. Kunegundis, ap. cit. Delrium, n. 5. à dæmone de ſtupro diffamatæ, media apparenti ventris intumeſcentia; de qua cit. Delrius (et ap. Brugn. quid ſimile legitur).

Tertius eſt noſtræ S. Irenæ Luſitanæ in oppido *Nabantia Scalabitana*, cujus virginea alvus, à malo monacho Remigio, arte malefica, gravida apparens, prægnantem edebat, ejuſdemque virginitatis jacturam diffamabat; quæ quidem apparentia reali ſanguinis martyrio, à comite Britaldo inflicto, et nominali Scalabitani oppidi in Sanctarenum commutationi, occaſio fuit; de qua, præter patrias hiſtorias, meminit cit. Delrius, l. 2. et 6. In quadam etiam ex præcipuis Portugalliæ civitatibus actu quædam virgo vivit, mihi nota, cui venefica alia, bis ventre gravidam apparere malefice effecit.

Quartus caſus eſt, quando dæmon ſpeciem induit adoleſcentis ab aliqua fœmina ardenter dilecti, et, ſub ſpecie illa, fœminæ, veluti maritus, frequenter incubat, ex ipſoque concubitu proles fictitia gignitur, conſimilis fictioni genitoris; quam fœmina per illuſionem prius putaverat adoleſcentem amaſium eſſe, licet poſtea agnoverit dæmonem extitiſſe: de quo notabile exemplum legitur in chron. Carmel. 1. p. dilucidar. c. 20. cujus etiam meminit Ven. P. Emman. Bernard. *in armis caſtitatis*, interrog. 17. Vide etiam ſupra, n. 6. et allegation. 149.

Quintus, quem de nobili Bavaro ex aliis narrat Delrius cit. l. 2. q. 15. *Ei*, inquiens, *cum defunctam uxorem ferret impatientius, quadam nocte fœminam rediiſſe, ſeque ſuſcitatam dixiſſe, et marito convixiſſe, et ex eo liberos ſuſcepiſſe; quodque futurum prædixerat, tandem, convitiis et blaſphemiis non ſe abſtinente marito, ſubito, muliebri veſte penes illum derelicta, evanuiſſe. Dæmon S. nobili huic impoſuit, et aliunde ſubtractos furto liberos ſibi ſuppoſuit.*

Sextus, quem narrat Pignatell. conſ. can. 108. tom. 4. *de matrona, cui per annos quatuor venter maxime intumuerat, tamen cum ad extrema deveniſſet, vomuiſſe ingentem buſonem, et horrendum ſerpentem, ann.* 1608. *et quamvis A. putet, potuiſſe hos fœtus ex materia corrupta progigni*; attamen ex Uviero probabilius exiſtimat dæmones has materias veras, et naturales, aliunde acceptas, eo deferre velociſſime, et inviſibiliter, &c.

Septimus eſſe poteſt, quem cit. Pignatell. ibidem, ex Plutarch. et Delr. l. 3. p. 1. q. 4. ſ. 6. narrat, ſi forte ſit diſtinctus à primo, et alii apud eoſdem ibidem inſinuati.

Octavus eſt parvulorum illorum apud eundem Delrium, ibid. *Quos non ex incubis, ſed per fraudem quaſi ex ſuccubis dæmonibus natos, vulgo* cambiones, *et* vagiones *appellant, qui tandem poſt aliquot annos evaneſcunt.* Et talem A. arbitratur ibidem fuiſſe puerum illum, quem per Gallitiam, et Aſturias Hiſpaniæ, mendicus quidam bajulabat, et paulo poſt deprehenſus mendicus faſſus eſt, puerum, non puerum, ſed diabolum fuiſſe. Similiterque tales videntur eſſe, quos Mahometani *noſſefoglios* vocant, apud Pignatell. conſ. 101. tom. 4.

Nonus caſus eſt *nobilis, et honeſtæ puellæ, viri ignaræ, nedum incorruptæ, ſed et innocentis, quæ inventa eſt habens in utero; quod quidem vel ex miraculo, vel arte dæmonis, factum eſſe teſtantur DD.* ap. Salmantic. Scholaſtic. t. 4. tr. 13. d. 10. dubit. 6. n. 223. et Salmantic. moral. to. 5. tr. 21. p. 10. n. 187. Dico tamen, id equidem eveniſſe, non ex miraculo, ſed ex miro, et ope dæmonis, non vere, et realiter, ſed apparenter, fictitie, et præſtigialiter, ex ſuperius ſtabilitis.

Eſto aliqui, cum D. Rom. probabiliter opinentur poſſe virginem, virginitate phyſica ſervata, etiam ab homine concipere, ex vi attractiva matricis in acceſſione naturalis pruritus, aut irritamenti; et tales fertur fuiſſe conceptiones ex ſemine in balneis decidente, quod et peritiſſimus medicus Portucalenſ. *Petrus Brum* confirmavit, in quadam controverſia ex quodam nupero eventu.

Decimus ſit, quem ex Vincent. et Strengel. tom. 2. c. 43. n. 8. refert Ven. Emman. Bernard. nov. flor. tom. 1. tt. 10. c. 70. de fœmina illa marina, quam ex mari piſcatam quidam Siculus duxit, ex qua filium genuit, qui ſimul cum matre, utpote veri dæmones, poſtea evanuerunt.

Undecimus eſſe poſſunt inſtrumenta illa apparentia ab energumenis evomita, de quibus ait Baruſ. cit. n. 32. *Sæpius fateor, energumenos evomere clavos, cultellos, acus, ſoleas equinas, &c. et alia hujuſmodi viſi ſunt: ſed, peractis exorciſmis, illuſiones detectæ ſunt; et res evomitas nihil aliud eſſe, niſi ſalivam, phlegmata, et pituitas ſtomachi, compertum eſt: vel ſi vere tales erant, quales apparebant, nil facilius eſt celeritati dæmonis illa ſuppeditare, auferendo à variis officinis, ut magis adſtantes illuderet.*

Duodecimus ſit, relatus à Fr. Petro Navarro in vita Vener. Joannæ Rodrigues, ſive *de la Crus*, de fœmina illa Flandrica, quæ ex dæmone, in angeli ſpecie, concepit; et poſtea graviſſimis agitata doloribus, in manus obſtetricis quamplures horrendos, ac-

fœtidos

fœtidos vermes peperit. Plura alia quære ap. Beyerlinch. verb. *Dæmon*; et verb. *Spiritus*.

Non acquieſco tamen aſſertioni aliquorum tradentium, dæmones cum fœminis ſuccubis commiſceri, vel immediate in corpore aereo ſibi aſſumpto, vel mediantibus magorum corporibus in nocturnis conventiculis.

XXIV. Et, quoad hanc ſecundam diſtinctionis partem, non acquieſco, inquam: nam cum dæmon ſit adeo ſuperbus, zelotypus, et ſumme invidus, minime conſentiet, quod magus, vel alter homo, proprium ſcortum, cui, velut maritus, incubare ſolet, alienus aſcendat; quod quidem ex Sacr. Pagina, Tobiæ vi. confirmatur; ex dæmone illo Aſmodæo, Saræ incubo, qui ſeptem diſtinctos procos, qui eidem deſponſati fuerant, antequam ad eam pervenirent, prima nocte occidit.

Hoc exemplo infallibilis veritatis, dum ſuper quadam vexata fœmina, cui dæmon, longo tempore, quaſi maritus adhærebat, quique, ut ipſa aſſeverabat, ſæpe eam extra domum auferebat, ut cum juvene, quem ardenter diligebat, commiſceretur, ego ipſe conſulerer; reſolvi, tam extractiones illas, atque delationes extra domum, quam congreſſus, et commixtiones carnales cum juvene illo, imo, et conceptiones, et partus, quos ipſa edidiſſe fatebatur, tam ex juvene, quam ex dæmone, non reales, ſed prorſus fictitios, et apparentes, vel vehementes præſtigias, ac diabolicas, quas optime efficere ſcit, et valet, deluſiones. Vide caſum ſuperius alleg. 149. attactum.

XXV. Fundamentum 1. mihi fuit, præfatum S. Paginæ exemplum, Tob. vi. ex Sara Raguelis filia, à dæmone incubo vexata, juxta communem DD. placitum, ap. Alap. ib. et naturalis, ſummaque ipſius dæmonis, ſuperbia, zelotypia, et invidia, &c. 2. Nullum veſtigium, aut indicium; nullaque advertentia, aut reflexio; nulla perceptio, aut ſuſpicio alicujus ex ampla, quæ in ejus magna domo, familia cohabitabat, neque aliarum fœminarum, quæ intra ædes eaſdem, eadem in aula, ſimul dormientes commorabantur, quæ unquam illam, vel è domo, vel è lectulo, ſilentii tempore, etiam per aliquot intervalla abſentem, vel deficientem, inter tot ac tales nocturnas egreſſiones, ac digreſſiones repererunt. 3. Aliæ quamplurimæ dæmoniacæ præſtigiæ, ac deluſiones, apud eandem exercitæ. 4. Communis doctrina in effatis præjactis, præſertim ex cit. can. *Epiſcopi*, et Navarr. in man. c. 38. n. 11. afferente, *eſſe peccatum mortale prædicta credere, niſi aliquando, et raro, Deo id permittente.* 5. Periti, ac experti medici prudens judicium. 6. Propriæ, et certæ experientiæ ex conſimilibus fallaciis, ac præſtigiis erga eandem adoleſcentulam in eadem identica materia, atque operatione. 7. Alia plura fundamenta prudenter non evulganda.

Hæc omnino animadvertere, et præcavere debent exorciſtæ, et ſpirituales patres, ac judices, ne vel in judiciis dandis, vel in reſolutionibus, vel ſententiis conferendis, etiam hallucinentur. Et quia plures ſunt fallaciæ, in quibus præcavendis quamplurimæ debent adhiberi cautelæ, inferius convenientes exponemus; et ex iis prudens exorciſta, et ſpiritualis director, conſequentes pro opportuna ſeveritate eliciet; et præmemoratis, quæ alleg. 136. ſtabilita remanent, ad alias conſequentes progrediamur.

Cautelæ *opportunæ, ab exorciſtis, ac directoribus ſpiritualibus, obſervandæ.*

XXVI. Prima: Quod quamvis rituale Romanum, tit. *De exorcizandis obſeſ.* § 3. pariter moneat, *ne facile credat, aliquem à dæmone obſeſſum eſſe: et ſigna eſſe, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere*, &c. ad quod Baruf. attamen Pignatell. tom. 4. conſ. can. 108. refert, *quandam puellam in Bungo creditam fuiſſe energumenam, quia ſimplex admodum, et pia, ſemperque domi latuerat, et, quamvis Hetruſca, Lombardico, et Latino idiomate loquerctur, ideoque diu conjuratam. Verum, cum nihil exorciſtæ proficerent, medicus ex arte, adhibitis primum melanagogis, deinde aliis roborantibus, illam ſanitati reſtituit.*

Putarem tamen, quod fœmina hæc, plura verba Lombardica, et Latina, abſque ope dæmonis loqui, et multo minus intelligere, non poſſet. Et ſi, adhibitis medicinis, bene habuit, fortaſſe id evenit ex medicamentis indirecte operantibus, quatenus directe vel minuerunt, vel moderârunt atram bilem, quam forſan dæmon commovebat, et qua potiſſimum ad ſimiles operationes utitur, eo plane modo, quo dicitur de cithara Davidica, quæ harmonica ſuavitate directe ſedabat humores Saulis, præſertim atram bilem, et indirecte dæmonem, qui illos commovebat; et, media illa pacificatione, inefficacior reddebatur ad vexationem Sauli proſequendam. Vid. Abul. Alap. et Tirin.

Secunda: Quod quamvis vi exorciſmorum poſſeſſio finiatur, et dæmon reipſa exeat à corpore energumeni; ſæpe tamen remanet obſeſſio, quatenus dæmon iterum in domum ſuam regredi conatur, et diligentias adhibet, jam per terriculamenta, jam per voces, et apparitiones, conſenſum perquirens, et fidem liberationis perturbans, imo et prorſus amittere procurans, variiſque artibus, ſe adhuc occultum manere, et non penitus exiiſſe ſuadet, mediis doloribus, convulſionibus membrorum, ac torpedinibus, ventris tumoribus, dorſi frigoribus, et frequenter formicationibus, ſive formicinis pruritibus, et aliis, de quibus Brogn. in man. p. 3. c. 4. n. 749. et 750.

Prob. 1. Ex communi DD. doctrina, cum Brognol. p. 3. c. 4. a. 2. q. 667. *Obſeſſi proprie ſunt illi, in quibus dæmon non eſt; ſed tamen ab eo extra exiſtente, vexantur, et affliguntur; ut oſtenditur in quadam revelatione, ac viſione B. Hildegardis, relata à Delr. l. 3. p. 1. q. 4. ſ. 7. et infra, à ſimili: Sicut civitas, quæ ab hoſtibus obſidetur, etſi ab eis valde moleſtetur, non tamen ab eis poſſideri dicitur, donec illam ingreſſi eidem dominentur, ac pro voto ſuo omnia, quæ in illa ſunt, diſponant, et adminiſtrent: ſic dæmones in humanum corpus*, &c.

Prob. 2. Ex evangel. Luc. xi. 24. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine* (en realis egreſſus à reali energumeno!) *ambulat per loca inaquoſa quærens requiem* (en diligentiæ remotæ ad ingreſſum in aliquem!); *et non inveniens* (en inefficacia diligentiarum iſtarum, vel ex Dei diſpoſitione, vel ex ſubjectorum munitione!) *dicit, Revertar in domum meam* (en ex deſperatione priorum diligentiarum efficaciæ, novarum arreptio, et conatus remotus ad reingreſſum in eundem patientem!): *et cum venerit* (per acceſſum realem, et per novas diligentias proximas) *invenit eam ſcopis mandatam, et ornatam* (en inefficacia experimentalis novæ obſeſſionis per novas diligentias, ante novam poſſeſſionem!): *tunc vadit, et aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum* (en vigoroſiores adhibitæ diligentiæ proximæ cum reali obſeſſione, ante realem ſecundam poſſeſſionem!): *et ingreſſi habitant ibi* (en realis poſſeſſio cunctorum illorum octo ſpirituum, poſt reales proximas diligentias immediatas, in quibus vera obſeſſio dabatur!).

XXVII. Confirmatur; Quia obſeſſio, et poſſeſſio, in hoc contradiſtinguuntur, quod *poſſeſſio* vera duo omnino requirit: 1. Quod dæmon ingrediatur corpus patientis. 2. Quod in illud accipiat poteſtatem, tum cruciandi, tum illo utendi, velut organico inſtrumento. Ex defectu primi requiſiti, S. Job, licet varie à dæmone vexatus, non tamen fuit *poſſeſſus*. Ex defectu ſecundi, patientes dæmones adhærentes, vulgo *arrimadiços* (quos paſſa eſt Ven. Maria Vella, antonomaſtice *mulier fortis* nuncupata) non ſunt, neque dicuntur *poſſeſſi*; ſed *obſeſſi*. Ita Tyræus, et Delrio.

Obſeſſio vero eſt vexatio illa ſpecialis, proxima permanens, licet aliquando diſtracta, aut interrupta, media qua, dæmon, velut *in obſidione* (à qua nomen ſortitur) corpus energumeni, vel aliquam illius partem habet, illud realiter ingredi affectans, et realiter moleſtia aliqua afficiens, vel deluſionibus, larvis, ſentimentis, revelationibus, viſionibus, deliquiis, &c. ſeducens, ex Delr. et Brogn. &c. cit. atqui poſt realem egreſſum à corpore energumeni, dæmon in illud revertens, iterum ſolicitat, quærens ſubintrare: ergo, demiſſa poſſeſſione, poteſt remanere obſeſſio dæmonis in eodem energumeno, ſaltem ad tempus.

XXVIII. Tertia: Quod ſi perſona vexata, antea poſſeſſa, erat Deo devota, virtutiſque profeſſionis ſectatrix, curat dæmon devotionis affectum adaugere, ſenſibi-

ſibilemque teneritudinem commovere, quæ in deliquium facile decidat, ut ita patientem in vanam gloriam, ac ſuperbiam, facile faciat elevari, et conſpicientes in admirationem, varios errores, et alia mala inde ſequenda. Quare prudens exorciſta, mediis mentalibus præceptis, et aliis probatis experientiis, opportune caveat, et curet prænoſcere, an ſuſpenſiones illæ, et alia ſentimenta, à Deo, an à dæmone, vel à natura ſint, juxta monitum 1 Joann. iv. *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, &c.

Præmonitus à communi doctrina aſſerente, *Suſpectas reddi apparitiones, ſuſpenſiones, ac revelationes, et ſimilia facta perſonis energumenis, arreptitiis, phreneticis, aut furioſis, ſi atræ bilis abundantia laborent, ſi vigiliis attenuatæ ſint, vel ad decrepitam ætatem declinent, vel puer ſit, aut fœmina, quæ aliquando à dæmone decepta fuiſſet*, &c. Ita Souſ. aphoriſ. l. 1. c. 3. n. 12. cum la Torre, et Delr. l. 4. c. 1. q. 3. ſ. 2, 3. et 4. ubi n. 2. d. ſ. 2. ſic ait: *Harum arreptiarum revelationibus, vel prophetiis, nihil credendum: deluſos à quadam multos ſcribit Firmilianus*, &c.

Et poſt varia exempla tradit ſequens ex Maſſæo cad. ſ. 2. ann. 1491. *Eodem*, inquit, *anno circa feſtum Cathedræ (terribile dictu!) cœperunt dæmones habitare, et poſſidere monaſterium dominarum Querceteniium, quas annis quatuor, et menſibus totidem, miſerabiliter vexaverunt. Vidiſſes eas crebro, velut canes, per agros diſcurrere; inſtar avium, volare per aera; ſicut feles, in arbores repere, pendere de ramis, variarum animantium effingere voces, ſecreta prodere, de futuris eventibus prophetare. Denique quoties dominus Henricus Cameracenſis epiſcopus, aut dominus Ægidius Nettelet, decanus ejuſdem eccleſiæ, viri virtutum, ad exorciſmum earum accederent; En! inquiunt, cornutus ille nunc in via eſt, ut nobis comminetur: venit. Poſt multa remedia, undicunque collata, earum nomina delata Romam ab Alexandro VI. lecta fuerunt in Cœna Domini ſub divino ſacrificio; ſed nihil profuit. Joanna Potiere, quæ malorum dicitur dediſſe principium, à nono ætatis anno ludere cum diabolo cœpit, qui accuſabat eam in monaſterio* ccccxxxiv *vicibus indigne communicâſſe: ſed ille quia mendax eſt, non ſtamus verbis illius. Ipſa Cameracum adducta, quadragenaria major, in carcere periit, circa feſtum S. Martini: cæteræ poſt annos quatuor, menſe Junio, liberatæ ſunt.*

XXIX. Quarta: Quod quamvis in vitis aliquarum probatæ virtutis Dei famularum paſſim legatur, ſudores ſanguineos emiſiſſe, ut in vita Venerab. Joannæ Rodrigues, vulgo *Novum miraculum gratiæ* appellatæ, l. 5. c. 22. necnon Roſæ Mariæ Serio, et Vener. Mariæ à Jeſu Agredanæ; et etiam ſudores frigidos, ut in vita Vener. Mariæ *de la Antiga*, l. 4. c. 1. et l. 5. c. 22. in fine; hæc tamen in perſonis, quæ à dæmone vexationes paſſæ fuerunt, vel adhuc ſuſtinent, ſuſpectæ etiam dæmoniacæ fallaciæ redduntur; non enim excedunt naturalem dæmonis poteſtatem; ſicut et alia ſigna, et oſtenta; ut oſſium ſtridores, nervorum ſtrepitus, cicatrices in manibus, pedibus, ac latere, nedum apparentes, verum et reales, et alia ſimilia. Ita AA. inferius laudati.

Et, quoad ſudorem ſanguinis, patet ex expreſſa doctrina cit. Pignatell. tom. 5. conſ. 42. n. 3. ubi cum pluribus DD. reſolvit, ſudorem ſanguineum non excedere vires naturæ, atque adeo poſſe à dæmone per ſanguinis rarefactionem elici. Et n. 9. affert teſtimonium Gaſpar. Bravi, de viſu atteſtantis, *Vidiſſe in comite de Niebla, qui cum nimis in æſtate ſe exerceret in ludo pilæ, multoque præ æſtu uteretur frigido potu, incidit in ſanguineum ſudorem.*

Patet etiam ex ſolidis reſolutionibus neoterici eminentiſſimi cardinalis Lambertini, actu meritiſſimi Summi Pontificis Bened. XIV. in ſuo aureo tr. de canonizatione Sanctor. tom. 4. p. 1. cap. 26. ubi tradens probabilem opinionem Div. Hilarii, Venerabil. Bedæ, Gaſparis à Regib. Stephani Roderic. Caſt. in ſuo lib. *Quæ ex quibus*, et aliorum ſuſtinentium, ſudorem Chriſti in horto ſupernaturalem fuiſſe, et tales eſſe reliquos humanorum individuorum, eo quod, ut ait D. Hilar. de Trinit. et Bed. in Luc. *Contra naturam eſt judare ſanguinem*: quod quidem et ipſa naturalis ratio confirmare videtur, ex medicis axiomatibus, quod ſanguis, ut proprium naturæ alimentum, ab ea ſemper retinetur, et nunquam tranſpiratur; et reliquis ap. cit. Pignat.

Attamen ibidem, n. 5. reſolvit, cum D. Bernardino Sen. Cayet. Suar. Maldon. Alter. Calmet. Thuan. Jonſton. et aliis, effluentiam illam ſanguinis Chriſti, et alios conſimiles ſudores, naturales quidem fore; et pariter ſanguineas lacrymas; proindeque utroſque à dæmone etiam cauſari poſſe. Vid. præcit. DD.

XXX. Quinta: Quod, quamvis rituale Rom. § 19. exorciſtam admoneat, *ut jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſit, evomat*; attamen Pignatell. cit. conſ. 108. tom. 4. n. 3. ait (et cum illo Baruf.) *hæc per vomitum ab ægrotis emiſſa, non carere ſuſpicione fallaciæ, cum energumenis liberatis à Salvatore generis humani, nunquam evangeliſtæ meminerint de aliqua re evomita, ut Mat.* viii. xvii. *et* xviii. *Marc.* i. ii. v. *et* ix. *Luc.* iv. viii. ix. *et* xi. *imo neque in liberatis ab Apoſtolis, et à Sanctis, &c.*

Verum, § 7. cum ritualis diſpoſitione, contrarium abſolute tenet, et ad argumentum de liberatis à Chriſto, et à Sanctis, plane reſpondet, exempla quamplurima edocens, cum Delr. l. 3. ſect. 6. videlicet, *Catharinæ Buſiæ* ad aram D. Virginis Apris collis per os ejicientis acus, ſulphur, nummum argentum eroſum, clavum ferreum palmarem, priuſquam dæmones ab ea dejicerentur; et Iſabellæ Bancini plures aciculas muliebres cum globo capillorum, coram Deipara Monticellana, vomitu ejicientis: et experientia paſſim id comprobat. Neque approbare poſſum ſingulare judicium Baruf. contra ritualis conſilium, vel præceptum, et aliorum DD. monitum, *ut ſigna, vel inſtrumenta evomita comburantur*; quod tamen ipſe corrigere præſumens ait: *Quæ omnia, ſi vere evomantur, et talia remaneant, præcipit rituale. Ego vero ſatius duco, tradenda eſſe S. Inquiſitionis tribunali, ut ſuis loco, et tempore, ad relevandum corpus delicti inſerviant in cauſis S. Officii.*

XXXI. Non approbo, inquam: 1. Quia eſt ſingularis auctoritas, oppoſita communi. 2. Quia directe opponitur ritualis *præcepto*, quod Baruf. recognoſcit. 3. Quia ſi illa S. Officio revelatio, et traditio, non fiat ad defenſionem et levamen rei, forſan ex fictionibus, et impoſturis, tribunali ipſi denuntiati, et ad denuntiationem illam infirmandam, atque enervandam congrua, et neceſſaria judicetur realium ipſorum inſtrumentorum evomitorum traditio, atque expoſitio; potius graviter fortaſſis patienti præjudicare, quam prodeſſe ſane poterit, juxta ſuperius explanata allegat. 146. n. 2. Quare in ſolo caſu profectus ad rei defenſionem, et excluſionem denuntiationis factæ, aut præſumptionis contra illum, Barufaldi placitum admitterem.

XXXII. Sexta, Erga ſuſpenſiones, ecſtaſes, et raptus. Pro quibus notand. 1. Quod *ſuſpenſio*, ſive mentis exceſſus, proprie datur, quando uſus ſenſuum externorum ſiſtitur, ac ſuſtinetur, vel interdicitur, præmentis applicatione, ſive illuſtratione; *ecſtaſis* vero, quando aliquis extra ſe ponitur, vel fertur, aut elevatur, cum ſubtractione ſenſuum externorum. *Ecſtaſis* enim, Græce, idem Latine ſonat atque *elevatio*. *Raptus* vero addit violentiam ſupra ecſtaſim. Ita Eſquerr. Fr. A. Sp. S. et Em. Lambertin. l. 3. c. 49. Franc. D. Thom. in theolog. myſt. tr. 6. c. 3. Godin. in pract. l. 9. c. 7. et 8.

Notand. 2. Ecſtaſim, ac mentis exceſſum, imo et raptum, triplicem eſſe poſſe; videlicet, *naturalem, dæmoniacum, ac divinum*, ſecundum diverſum principium cujuſlibet: quorum quidem diſcretio ex ſignis, ac circumſtantiis, deſumenda eſt. Igitur, elevatio corporis à terra, præciſe, non eſt ſignum ecſtaſis *divinæ*, cum etiam in *dæmoniaca* contingere poſſit, et ſoleat, licet non cum tanta à terra evectione, atque extollentia, atque in *divina*. Si corpus ſuſtollatur, et motus aliquos indecentes exerceat, aut patiatur; ſignum eſt ecſtaſis dæmoniacæ; in divina namque, licet inſoliti, indecentes tamen motus nunquam contingunt. Lambertin. cit. n. 10.

Si in ecſtaſi quædam membrorum laſſitudo concurrat, quæ poſt ecſtaſim adhuc remaneat, ſignum eſt,

eſſe

esse naturalem, vel dæmoniacam, non vero divinam; in qua, licet lassitudo intercedat, tempore ecstasis, cessat tamen post illam. Idem ibidem, n. 8. clamores, et ejulatus, in ecstasi editi, si horrorem non inducant, non obstant divinæ ecstasi; è contra vero, si quis loquatur mente turbida, et verba indecentia, quæ ad ædificationem audientes non moveant, signum est diabolicæ operationis. Si ecstaticus elevatur quoties vult, et cessat pro libitu ab elevatione, ut de presbytero *Restituto* narrat D. P. Aug. l. 14. de civit. Dei, c. 24. demonstrat, vel esse naturalem, vel diabolicam, ut de quadam puella, ex pacto cum dæmone, narrat Delrio, l. 2. q. 25.

Ecstaticus, et raptus supernaturaliter, recordatur eorum, quæ ipsi in elevatione acciderunt; non ita vero in ecstasi naturali, et diabolica. Si tamen Deus per visionem imaginariam aliquid ecstatico revelet, vel ostendat, hic ad se rediens id potest narrare; secus vero, si per visionem intellectualem; quamvis enim hæ in memoria manent ita impressæ, ut in oblivionem abire non possint, attamen ecstaticus in se reversus, nescit ea referre, quippe *quæ non licet homini loqui.* Cit. Albert. n. 12.

Concludendum igitur est, cum eodem, ib. n. 7. pro discretione harum elevationum, examinanda etiam esse antecedentia, et concomitantia, et subsequentia quoad effectus bonos, vel malos. Bonus erit, si ecstaticus post raptum remanet humilior, devotior, et fervidior, et quasi pudore confusus, quod ab aliquibus conspectus fuisset: et si circumstantes bonos ædificationis, compunctionis, devotionis, &c. inde capiant effectus. Sed caute etiam pro his procedat examinator; nam quandoque dæmon eos etiam simulare solet, de quo infra. Sin autem ecstaticus gaudeat, quod ab aliis visus fuisset, quodam subtili vanæ gloriæ vento rapitur, et cum advertentia circumfertur, dignoscitur sane, vel à natura, vel à dæmone, ecstasim proveniisse: mediis autem convenientibus authoritativis præceptis, rem fiducialiter tandem deteget, et veritatem agnoscet.

XXXIII. Septima: Pro visionibus, atque apparitionibus, in quibus frequentiores errores intromitti solent, probet, ac examinet caute, et diligenter, exorcista fructus atque effectus earum; nam, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, ait Dominus in Evangelio; sed cum summa cautela, et animadversione, quod etiam *astutia, et altitudo Satanæ*, hos perquam maxime, et sæpe fingere solet, et quamplurimos decipere; de quo abundant exempla in historiis sacris, et profanis, quæ circumspicere licebit in Lohner; verb. *Dæmon*, § 4. n. 12. de filia illa, Deo devota, quam dæmon sub specie B. Virginis, cum duobus sociis, formam Sanctorum Dominici, et Catharinæ Senensis, assumentibus, monuit devotionem Rosarii, et austeritatem vitæ exercere, quas tandem seductor jussit omittere; et alia ibidem: necnon apud Delrium, et in chronicis fratrum Minorum, præsertim in vita S. Catharinæ Bononiensis, et B. Rufini; et quæ moderne transcribit religiosissimus Fr. Aldefonsus à Gaudiis in suis inæstimabilibus *consultationibus, ac maximis spiritualibus.*

Igitur *visio*, et *apparitio* (quæ idem sunt) si præternaturalis sit, triplex etiam est; videlicet, *corporalis, imaginaria*, et *intellectualis*. Corporalis autem, et imaginaria, potest esse vel à Deo, vel à dæmone, modis videndis apud cit. Lambertin. l. 3. c. 50. Quæ in somniis eveniunt, regulariter à præcedentibus cautis naturalibus procedunt. Pro discretione illarum tradit cit. Lambertin. sequentes regulas, n. 51. *Visiones, et apparitiones divinæ, in principio timorem aliquem, vel perturbationem inferunt; in progressu jucundæ, et delectabiles, et tranquillitatem in animam inducunt. E contra vero, dæmoniacæ, si à principio turbant, eodem modo prosequuntur; vel, si ab initio suaves apparent, in progressu turbant, et videntem turbatum relinquunt.*

Ratio diversitatis est ex D. Franc. Salesio ipsamet diversitas naturarum; et utriusque attributorum: Deus namque est *Princeps pacis, et factus est in pace locus ejus*; et etiam *in pace sunt amarissimæ amaritudines*, quæ ab eo sunt. Dæmon autem est *spiritus, et princeps tenebrarum, nequitiæ, turbationis*, &c.

XXXIV. Caute tamen procedat exorcista, et magister spiritualis, in examinanda, ac discernenda vera pace à falsa, quam dæmon sæpe confingere solet: nam S. Pagina clamat; *Pax, pax, et non erat pax.* Cum autem vera pax, ex D. P. Aug. definiatur, *tranquillitas ordinis*; si probatur, quamvis in ea tranquillitatem inveniat, non vero rectum ordinem juxta SS. patrum, et ipsius S. Paginæ normas, ac doctrinas, neque bonos effectus, vel ad ædificationem inservire; suspectam prorsus talem pacem habebit. Quomodo vero somnia divina à dæmoniacis, et angelicæ apparitiones ab utrisque, secernantur, quære ibid.

XXXV. Pro revelationum etiam discretione (quæ etiam vel naturales, vel divinæ, aut dæmoniacæ sunt) observa sequentes regulas ab eod. eminentissimo Lambertino, cit. cap. ultim. n. 5. Revelatio habetur pro *dæmoniaca*, si contineat aliquid adversans sacris literis, Apostolicis definitionibus, ecclesiæ traditionibus, unanimi SS. patrum et TT. consensui; vel si in ea aliquod malum suadetur, vel aliquid majoris boni impeditivum, vel si bona cum malis mixta. *Suspecta* est revelatio, in qua aliquid manifestatur Scripturæ, aut patribus, nullatenus consonum, et à quadam decentia tantummodo deductum: item, in qua aliqua omnino nova.

Merito tamen ipse Lambert. cum Hurtado, Delr. et Matheuc. Gravin. Osor. Torre, Aaraux, et aliis, ex revelationibus B. Brigittæ, Mariæ Magdal. de Pazzi, et Mariæ à Jesu Agredanæ, sustinet, revelationem non illico judicandam falsam, et erroneam, si aliquid novitatis contineat contra communem PP. et TT. sententiam, dummodo *aliam fidem, aut vivendi regulam, non præscribat, quæ relaxativa sit Christianæ disciplinæ, aut saluti animarum noxia, aut perniciosa.* Denique pro privatis revelationibus examinandis, et approbandis, debent observari conditiones, quas D. Jacobus in ep. sua can. c. iii. 17. commemorat, inquiens; *Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. Fructus enim justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.*

Gerson autem de probat. spirit. 1. p. signa opportuna sequenti versiculo comprehendit:

Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde, require.

Particula *quis*, potius designat personam, cui fit apparitio, vel revelatio, quam figuram, in qua illa fit; ac proinde potius inservit ad discretionem ab aliis faciendam, quam ab ipso vidente. Unde, 1. Considerandum est, si talis persona est probatæ virtutis, et sanæ mentis. 2. Si valde exercita in rebus spiritualibus; nam tyrones facile decipiuntur à dæmone, et à seipsis; similiterque mulieres facilius. Particula *quid*, designat perpendendum, quid apparitio edat, vel suadeat, ex cujus rectitudine, aut deformitate, bonæ, vel malæ apparitionis signum est deducendum, juxta dicta sub n. 112. Particula *quare*, jubet advertere fines visionis, aut locutionis; particula *qualiter*, qualitatem; particula *unde*, principia; et particula *cui*, personam. Pro quarum observationum distinctione, regulas à theologis mysticis tenebis insinuatas.

XXXVI. Octava: Pro illusionibus, quæ nil aliud sunt, quam *quædam repræsentationes cum deceptione sensuum, vel potentiarum, tam internorum, quam externorum, in rebus spiritualibus*, ut restringit Godin. infra; et possunt provenire vel à dæmone, vel à natura; à dæmone active; à natura vero etiam passive: observa; 1. Illusionem posse quidem esse in actu primo, quando solum adest principium absque actu secundo; v. g. dæmon sensus corporis deludens frustra, et absque effectu seductionis, ut quando ostendit Christo *omnia regna mundi*, sed absque deceptione ex parte Christi; vel in actu secundo, quando seductio, sive illusio, intentatum à dæmone effectum sortitur, ut expertum est in Eva dicente; *Serpens decepit me*; et 2 Petr. iii. 3. *Venient in novissimis diebus illusores in deceptione.*

Illusiones in actu primo, absque ulla effectiva deceptione, expertus est Christus Dominus in deserto, et Beatissima Virgo Maria non semel in vita, ut scribit Vener. Mat. Agredana. In actu vero secundo, cum

actuali, et effectiva deceptione, paſſi ſunt quamplures Sancti, quin ob id tales eſſe deſinerent; ut S. Simeon Stylita acquieſcens dæmoni, et pedem à columna movens, ut in currum igneum, à dæmone confictum, deſcenderet, et cum eo, Eliæ adinſtar, cœlum conſcenderet; quapropter in pœnam per reliquum vitæ ſuæ tempus pedem ſuſpenſum extra columnam tenuit; S. Roſa Bononienſis, et B. Rufinus, jam laudati; Vener. Joanna *de la Crus*, quæ dæmoni in ſpecie Chriſti aſſentiens, è religione egreſſum arripiens, immobilis manſit; Vener. Fr. Franciſcus à puerulo Jeſu, et alii. Imo Amort. in concl. ad revelat. Agred. ait, quod *nec Sancti à levibus ſubinde defectibus, et illuſionibus, immunes ſint*; et quamplurimas illuſiones dæmonis affert, quas dicit fuiſſe paſſos B. Jordan. S. Franciſcam Romanam, B. Baptiſtam de Varanis.

Porro illuſio eſt *deceptio, ſive deriſio*, ex c. *Illuſio*, Clem. un. de renunt. ub. gl. unde dari etiam poteſt in aſſenſu falſæ doctrinæ; quare D. P. Aug. de utilit. credit. c. 1. tom. 6. *Ille, qui hæreticis credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus.* Et P. Godines pract. medull. myſt. l. 8. c. 9. definit illuſionem ſic: *Eſt deceptio in rebus ſpiritualibus.* Quare in terminis hujuſce definitionis, quamvis detur repræſentatio, ſi non detur effectiva deceptio, non datur illuſio formalis, ſaltem interna. Et prout ſic Chriſtus D. *interne* non fuit illuſus à dæmone, quamvis *externe* oculi ejus materiales præſtigialem repræſentationem omnium regnorum mundi objective in apparenti repræſentatione materialiter viderent: quocirca vide Abul. in Evangel.

Ulterius, Bluteau in vocabular. verb. *Illuſio*, ſic eam definit: *Mali dæmonis præſtigiæ, ac fallaciæ.* Sed hæc tantum comprehendit dæmoniacas deluſiones reſtricte. Melior autem eſt ſequens ejuſdem definitio: *Inane, ac fallax viſum, cum mentis errore:* unde de viſu tam pro interno, quam pro externo, accipiendum eſt: reliqui DD. definiunt communiter illuſionem *moraliter*, non *myſtice*.

Pro diſtinctione tandem, ac diſcuſſione revelationum, viſionumque, obſerva notabilem doctrinam Gienn. epiſt. ſolitar. in prolog. ad l. 8. revelat. S. Brigittæ; ibi: *Periculoſum eſt, ex proviſo condemnare, vel approbare, ſpirituales viſiones, et perſonas aſſerentes ſe viſiones divinas habere, antequam ſubtiliter examinetur de qualitate ipſarum perſonarum, et etiam de modo vivendi, et de qualitate materiæ viſionum, et perſpicaciter exprobentur iſta omnia per Divinam Scripturam, et per ſcripta ſanctorum doctorum, utrum ab illuſore, an à Spiritu veritatis, infuſæ, ſive miniſtratæ ſint*, &c.

Et rationem adhibens, c. 1. ait: *Quia communiter hodie in paucis perſonis iſta theorica, et practica diſcernendi, et juſte judicandi viſiones invenitur; ideo multi, velut cæci oberrantes per invia in iſta materia, potius ex abrupto ad condemnandum ſimplices, et ſanctas perſonas Deo conjunctas, convertuntur, quam ad perfecte diſcernendum, et juſte approbandum; nihil rationabile in ſuis improvidis judiciis, et ſubitaneis dictis, allegantes, niſi quod angelus Satana ſæpe ſub angeli lucis ſpecie ſe transformat. Et proferunt in medium exempla aliquarum perſonarum ſpiritualium, quæ præteritis temporibus in ſuis viſionibus à diabolo illuſæ fuerunt, immemores tamen illorum, qui per divinas viſiones à Deo illuminati fuerunt, &c. Alii ſunt examinatores cavilloſi, qui in omnibus quærunt quid condemnent.*

ALLEGATIO CLI.

Super frivola, et incuriali Recuſatione Capituli Sedis meæ Pharenſis.

SUMMARIUM.

I. *Facti ſpecies.*
II. *Solida fundamenta ſententiæ.*
III. *Exceptio recuſationis ante omnia poni debet.*
IV. *Deficiebant inter alia ſpeciale mandatum, et præcedens juramentum.*
V. *Cui judici competat cognitio recuſationis epiſcopi?*
VI. *Alii defectus præſentis recuſationis.*
VII. *Judex recuſatus rejicit recuſationem notorie frivolam, et ſuper illa pronuntiat.*
VIII. *Et quando intentata eſt contra formam juris.*
IX. *Secundum juris can. diſpoſitionem debet fieri excluſio proceſſi totius recuſationis, quod fortius urget in prælatis.*
X. *Finis hujus cauſæ.*

I. DUM majora pars capituli mei Pharenſis, ab unico inquieto canonico ſuaſa, vel potius attracta, renueret admittere ad ſuffragandum in aliquibus capitularibus electionibus procuratorem excellentiſſimi collegii patriarchalis Ulixbonenſis pro ſuo ſpeciali intereſſe, juxta ipſius collegii judicis Apoſtolici ſententiam, et auctoritate mea in poſſeſſionem miſſis communis cellarii officialibus, ab eodem procuratore, in capituli renitentiam contumacem electis, et à me confirmatis, et auxilio fæcularis brachii ordine regio poſſeſſioni (à qua violenter, et inciviliter, de facto dejecti erant) reſtitutis, cogitavit capitulum mittere Ulyſſiponem eundem canonicum, præcipuum commotorem (ipſomet fatagente) pro convenienti ſatisfactione auguſtiſſimo regi præſtanda, de violento attentato commiſſo: cui quidem miſſioni novem capitulares proteſtantes reſtiterunt, ſicut obſtiterant, ac proteſtati fuerant, tum renitentiæ præmiſſæ aliorum, tum deturbationi poſſeſſionis prædictorum officialium. Qua quidem proteſtatione non obſtante, præfatus canonicus commotor, cum aſſeclis ſuis, eos prorata mulctârunt in miſſionis illius expenſis, privato tantum commodo, non communi, reſpicientes. De quo ad me recurrentes novem ipſi diſcordantes, et minime capitulo meo directe, ac categorice, recurſui reſpondente, ut ne ſententiam ultimam proferrem, me inciviliter, temere, et incurialiter (fortaſſis ſine exemplo) ad omnes cauſas, omnibus et ſingulis attinentes, recuſârunt. Qua tamen recuſatione, ut notorie frivola, et calumnioſa, rejecta, ſecundum juris diſpoſitionem, ſententiam tandem tuli pro recurrentibus, à qua recuſantes appellârunt; et ego appellationi detuli, cum beneplacito recurrentium, et præmiſſa quadam eorum proteſtatione, jus ſuum omni tempore ſalvante.

II. Porro ſententia illa notiſſimo jure communi, et municipali, fundabatur: 1. Quia ſuſpectiones intentatæ, non ſervata forma legis, rejiciuntur, et judex recuſatus in cauſa procedit, ordin. reg. l. 3. tt. 21. § 4. uſque ad ſententiam definitivam; cit. ordinat. Guerr. de recuſation. l. 3. c. 14. n. 4. et 5.

Recuſantes autem ſubſtantialiter formam legis non obſervârunt; 1. Quia non proteſtârunt ſuſpectionum articulos in deſignato termino adducere, ſaltem ad alias recuſationis rationes deducendas, quas in nuntiatura ſe deducere velle dicebant, contra diſpoſitionem c. *Cum ſpeciali*, 61. et alias infra citandas, et contra diſpoſitionem ordin. cit. § 4. Mend. in prax. 1. p. l. 2. c. 7.

2. Quia non jurârunt, neque jurare *ſeſe obtulerunt*, ex gl. in l. *Apertiſſime*, et in l. 4. verſ. *Nec illud*, cod. ad Trebellian. præſertim, cum allegarent, ad eorum notitiam denuo rationes ipſas perveniſſe; Fragoſ. de regim. 1. p. l. 5. diſp. 12. § 7. n. 20. Marant. de ord. judic. p. 6. membr. n. 9. Fermoſin. de judic. ad tit. de for. compet. c. 4. q. 4. n. 3. ibi: *Tale juramentum omnino præſtandum eſſe, etiamſi non petatur à parte, vel à judice, præſtari; ita ut ſi recuſatio non juretur, vel quia pars recuſavit jurare, vel quia omiſit, nulla erit recuſatio, quia tale juramentum exigitur pro forma probationis à l. regia.*

III. Deinde, cum, juxta ordin. § 2. hæc exceptio recuſationis ante aliam, quantumvis privilegiatam, poni debet, et ſemel in judicem conſentiens jam eum recuſare nequit, idcirco neceſſe omnino eſt, ut juret ſibi noviſſime ad notitiam perveniſſe, cit. ord. § 5. et DD. communiter.

3. Quia

3. Quia rationes recuſationis non offerebantur ſubſcriptæ per advocatum auditorii eccleſiaſtici, poſito quod jam ſcriptæ tradebantur; quod quidem eſſentiale eſt ex jure municipali in conſtitution. diœceſan. in regim. c. 26. et conſt. Portucalenſ. pag. 40. n. 2. Fragoſ. cit.

IV. 4. Quia duo recuſantes, et dicentes, id efficere, tanquam procuratores totius capituli, debebant habere, et oſtendere, ſpeciale ad id mandatum, ex Guerr. cit. n. 12. tale autem mandatum neque oſtenderunt, neque reipſa habebant. Et quamvis ex ſtylo iſtius capituli, quod duo ſubſcribunt, et expediunt in ordinariis deferimentis, cenſetur ab omnibus ſubſcriptum, et expeditum; id tantum evenit in ordinariis expeditionibus, quas decretum *Concors* præcedit, et in eo quod ſecretarius ſcribit, ut talis, et duo ex deputatione ſpeciali ipſiuſmet capituli ſubſcribunt: hoc autem negotium erat extraordinarium, et ſpecialiſſimum, et fortaſſis ſine exemplo, et nullum præceſſerat totius capituli decretum *Concors*, vulgo *Accordaô*; neque ſufficiebat facultas à capitulo conceſſa ipſis duobus ad ſupplicandum, et ad alias diligentias, bono juſtitiæ totius capituli attinentes, efficiendum; ad talem namque recuſationem ſpeciale mandatum omnino neceſſe erat, ab omnibus quidem, nullo contradicente, approbatum, cum multis, Guerr. cit. n. 1, 2. et 3. et eſt expreſſum in l. *Non ſolum*, 38. § finali, ff. de procurator. junct. l. 3. § *Procurator*, ff. *Quod quiſque jur.* cujus rationem cit. Guerr. n. 4. affert, et tr. 1. jud. orphanor. l. 4. c. 10.

5. Quia non præceſſerat juramentum calumniæ ad ſuſpectiones jam expreſſas, et ad eas, de quibus nuperam notitiam ſe habere teſtificabant, et debebant ſeſe in judices arbitros compromittere, ex ſanctione cit. c. *Cum ſpeciali*, 61. de appellation. et cap. 3. eod. tit. et cap. 2. de ordin. cognition. in 5. c. *Suſpicionis*, de offic. judic. legat. Gonſ. in cap. 1. de arbitr. et ſpecialiter, ac expreſſe, quando epiſcopus recuſatur; et hæc eſt praxis in hujuſce regni diœceſibus, conſt. diœceſani, c. 26. et Portucal. in regim. pag. 41. n. 5. Guerr. l. 5. c. 11. n. 3. et 4. et c. 12.

V. Et quamvis idem Guerr. l. 5. c. 1. afferat, cognitionem recuſationis epiſcopi nuntio Apoſtolico pertinere, et inſuper Peg. de compet. c. 5. n. 3. loquuntur *remiſſive*, aut *relative*, Aug. Barb. referendo, et adducendo in confirmationem cit. cap. *Cum ſpeciali*, de appellation. Ubi contrarium diſponit, reſolvendo, quod poſtquam, *et ipſa probata legitime, de recuſatoris aſſenſu, perſonæ idoneæ committat negotium recuſatus, vel ſuperiorem tranſmittat, ut in eo procedat, ſecundum quod fuerit procedendum*, &c.

Hoc ipſum reſolvit cit. Barb. vot. 24. n. 34. ibi: *Quatenus concedit ordinario facultatem remittendi cauſam ad ſuperiorem procedere, dummodo prius recuſationis articulis verificatis verificandis ſit abſolutus.*

Et n. 35. ibi: *Et ſic ſuperiorem cauſam tranſmittere ordinarius non poterit, niſi prius verificata conditione, illis verbis, ſuppoſita: at, ipſa probata, legitime; diſpoſitio enim non habet locum, niſi id, quod præſupponit, verificetur.*

Idem ſequitur Narbon. à Guerr. et Peg. in l. 59. gl. 1. n. 233. Gonſ. in d. c. *Cum ſpecial.* n. 6. ibi: *Et, probata recuſationis cauſa, judex recuſatus debet cauſam ad ſuperiorem remittere; dum tamen prius recuſationis tractatus, articulis verificatis, et verificandis, ſit abſolutus.*

Fermoſin. tom. 4. in cap. 4. de for. compet. q. 29. n. 9. loquens etiam de judice delegato: *Quod ſi judices arbitrent cauſam recuſationis, declaraverint eſſe legitimam, et juſtam; ſi judex recuſatus fuerit Pontificis delegatus, remittat tunc cauſam ad ſuperiorem.*

Et ſuperior ipſe adi debebat ad electionem præſulis recuſati, ut tenet cit. Barb. n. 34. et Narbon. n. 232. ubi expreſſe aſſerit, quod de utriuſque conſenſu poſſint, vel ad nuntium, vel ad metropolitanum recurrere, ex gl. in d. c. *Cum ſpeciali*, verb. *Recuſatoris aſſenſu*, v. *Intellectus*. Fermoſ. d. q. 29. n. 10. Boich. in d. cap. col. 2. et delegatus dumtaxat, Papæ inferior, eſt qui tenetur cauſam remittere deleganti, probata prius ſuſpicione, ut multi contendunt cum Fermoſ. cit. cum hac tamen differentia, quod in delegante, nec datur optio, nec conſenſus recuſantis, ſicut utrumque habet ordinarius ad nuntium, vel ad metropolitanum, cum recuſantis conſenſu, ut aliqui volunt, vel ſine illo, ut alii defendunt.

VI. 6. Quia ſolitam cautionem recuſantes non exhibuerunt, quæ omnino præcedere debet in recuſatione judicis ordinarii, præſertim dignitatis epiſcopalis; et hæc eſt praxis in omnibus auditoriis eccleſiaſticis, ex cit. conſt. Portucalenſ. p. 44. n. 18.

7. Ex intempeſtivitate præmiſſarum ſuſpicionum intimationis, quando acta die præcedenti recuperari juſſa fuerant, ſub pœna interdicti perſonalis, tranſacto pluſquam termino præfixo, ad proferendum ita eiſdem finalem ſententiam; quod quidem ſufficientiſſimum erat ad rejiciendas ſuſpiciones, tanquam frivolas, et calumnioſas, ex ead. ord. tt. 21. § 5. Et recuſantes, nedum injuſte, ac injurioſe, hanc recuſationem incurialem intentârunt, eo fine, ut et finalem ſententiam impedirent, ſed inſuper nova injuria, atque incurialitate, cauſam à prima naturali inſtantia arripere voluerunt, eam ad nuntiaturam deferentes.

8. Et ultimo; Quia ſtatim in ipſo contextu articulorum recuſationis debebant teſtes producere, et ipſimet articuli coram prælato recuſato proferri, et non in nuntiatura, ex ordin. cit. § 4. Phœb. p. 1. arg. 60. ita taliter, ut neque per reſtitutionis beneficium, aliæ teſtes valeant nominari, ut judicatum refert Barb. cit. n. 7. et multo minus eas poſtmodum in tribunali nuntiaturæ producere poterant, quod eſt expreſſum in cit. l. reg.

Ulterius, quod præmiſſæ ſuſpiciones notorie frivolæ, calumnioſæ, et exceſſivæ forent, oſtendebatur, 1. Ex materia falſiſſima, et affectata. 2. Ex iniquo fine illarum, et ex exceſſu expreſſo, ne ego judex evaderem in aliqua cauſa totius capituli in communi, vel alicujus illius membri in particulari, atque ex immodeſta, irreverenti, impolitica, et inurbana formalitate illarum, et ex aliis circumſtantiis.

VII. Neque obſtabat, quod judici recuſato non attinet cognoſcere, an recuſatio ſit juſta, necne. Guerr. cit. l. 1. cap. 19. n. 9. et ſeqq. Gonſ. et alii paſſim.

Reſp. enim, præfatos, et omnes alios DD. limitare, 1. Quando recuſatio eſt notorie frivola, Gonſal. in d. cap. *Cum ſpeciali*, de appell. n. 5. *Ita ut, ſi cauſa recuſationis frivola ſit, non teneatur arbitros eligere.* Et Guerr. cit. c. 19. n. 15. *Et judex non admittendo recuſationes frivolas, et fruſtratorias, de jure procedit, ut jam diximus; et contra judicem ſecundum jus procedentem, recurſus non competit.* Et n. 17. ibi: *Tum quia judex frivolas judicat cauſas, quæ judicis arbitrio committuntur, de injuſto redargui non poteſt*, &c.

Videtur enim Guerr. in tr. de mun. orphan. l. 8. c. 12. Peg. ad ord. l. 1. tt. 9. § 12. gloſſ. 15. c. 2. n. 689. et ſeqq. Oliv. de for. eccleſ. q. 17. n. 60. et quos citant conſt. Portucal. et noviſſime Sylv. ad ordin. l. 3. tit. 21. § 4. n. 6. ibi: *Si autem cauſa ſuſpicionis frivola manifeſta ſit, poteſt judex recuſatus eam non admittere, et procedere in cauſa, recuſatione non obſtante.*

VIII. Limitant, 2. Etiam non procedere, quando recuſatio intentata eſt contra formam juris, DD. cit. quæ quidem inobſervantia contraria in ſupra ponderatis contravenientiis inducta eſt.

Limit. 3. In præſenti hypotheſi, et caſu, et in circumſtantiis, ac terminis cauſæ, non debebat omitti, nec prætermitti, finalis ejuſdem ſententia ex opt. ordin. diſpoſitione, tit. 21. § 30. Sylv. ad illam ibid. n. 2. *Limita, niſi ſuſpicionis cauſa ſupervenerat de novo, poſtquam judex eſt in expeditione proceſſus:* et n. 3. Non obſtant verba textus ibi: Aindeque jure lhe veyo de novo. *Hæc enim verba non intelliguntur de cauſa ſuſpicionis de novo orta, ſed de cauſa præterita, cujus notitiam de novo habeat recuſator.*

Et futiliſſimam rationem, quam allegabant cujuſdam reſcripti, è Roma miſſi, cuidam ex diſcordantibus pro cauſa quadam in Tavirenſi civitate agitata inter devotos, ſive confratres ſanctiſſimi Roſarii utriuſque parochiæ civitatis illius: jam commiſſa erat, et executa ex die 4. Decembr. 1744. Quæ expeditio, cum notoria fuerit, et judicialis, non poterat hactenus allegari ignota, et denuo in notitiam ſuperveniens; quinimo primus judex ſynodalis, in eadem deſignatus, erat capituli decanus, unus ex recuſantibus, et

ét qui perſonaliter recuſationem intimare auſus eſt. Et in cauſis extrajudicialibus, qualis erat præſentis recurſus, non admittitur recuſatio, Guerr. l. 3. c. 16. n. 1. et ſeqq. et confirmari poterat exemplo appellationis (quæ cum recuſatione recurrit, Guerr. cit. Fermoſin. infra cit. quæſt. 29. n. 18.) quæ etiam non admittitur in cauſis extrajudicialibus, ac camerariis.

IX. Addebatur, quod ſecundum juris, præſertim canonici, diſpoſitionem, debet omnino fieri excluſio totius recuſationis procedimenti, Fermoſin. in c. *Siquis*, 4. de for. compet. q. 29. Thom. Vas alleg. 96. n. 31. Barb. ad ordin. tit. 21. § 8. n. 2. Deluc. de jud. diſc. 3. et alii communiter.

Quæ ratio fortius urget in prælatis characteris ac dignitatis epiſcopalis, Guerr. qui etiam limitat, recuſari perſonam, aut religioſum, bonæ opinionis. Quando autem ad coronæ judicium ex recuſationis rejectione competat recurſus, tractat Guerr. cit. l. 1. c. 19. Oliv. de for. eccleſ. p. 1. q. 16. Peg. ad ordin. &c.

X. Finis hujus cauſæ adhuc deſideratur; non enim appellantes hactenus appellationem ſunt proſecuti, merito ſententiam contrariam prorſus verentes.

ALLEGATIO CLII.

Super noviſſima Bulla Sacramentum Pœnitentiæ, *et conſequenti alia* Apoſtolici Muneris, *Sanctiſſimi P. Benedict.* XIV. *actu in Eccleſia Dei regnantis.*

SUMMARIUM.

I. *Occaſio ſcribendi.*
II. *Ubi publicata fuerit.*
III. *Aufert juriſdictionem à confeſſariis approbatis, præterquam in mortis articulo, confitendi pœnitentem complicem in re inhoneſta.*
IV. *Recurſus ad Summum Pontificem ſuper hac conſtit. ab aliquibus præſulibus Caſtellæ; et occaſio ſecundæ conſt.* Apoſtolici muneris.
V. *Non obligat, ubi non fuit promulgata, in opinione requirente populi acceptationem, etiam pro legibus canonicis.*
VI. *Contrariæ ſententiæ fundamenta.*
VII. *Qtomodo concilientur.*
VIII. *Prima conſtitutio, cum non per modum declarationis, ſed per modum præcepti, ſit promulgata, non obligat probabiliter, ubi publicata non fuit.*
IX. *Quod et practice probabile eſt, non obſtante ultima clauſula obligandi ubique.*
X. *Confirmatur multipliciter.*
XI. *Non abs re foret reſtringere adhuc privationem juriſdictionis confeſſariis illis, qui eo pravo fine de induſtria complicum pœnitentium confeſſiones audiunt.*
XII. *Conferuntur clauſulæ utriuſque bullæ.*
XIII. *Non eſt obligatio denuntiandi actiones illas, in quibus non intervenit* auſus, *ſive* audacia temeraria.
XIV. *Quin obſtet ratio Fel. Pot. de ampliatione Pontificum in hac materia; eſt enim odioſa, ac reſtringenda.*
XV. *Neceſſaria eſt ſimulatio confeſſionis ad inducendam obligationem denuntiationis in ſolicitatione extra confeſſionem, etiam in confeſſionario.*
XVI. *Fit ſatis objectis in contrarium.*
XVII. *In quibus verificetur, vel non verificetur, ſimulatio confeſſionis.*
XVIII. *Confeſſarius audiens confeſſionem Mariæ, et ex confeſſionario ipſo ſolicitans Martham in eadem eccleſia ſtantem, ſed confeſſionem non emiſſuram, denuntiandus non eſt.*
XIX. *Confirmatur multimode.*
XX. *Objecta quædam ſoluta.*
XXI. *Differentia triplicis loci ad confeſſiones deſtinati.*
XXII. *Non requiritur deſignatio ſpecialis; ſed ſufficit exercitium, vel electio loci.*
XXIII. *Non comprehenduntur crates, vel feneſtellæ ſacriſtiæ, vel torni volubilis, vel ſimiles aliæ ad confeſſiones non deſtinatæ; et quatenus.*
XXIV. *Ex limitatione* temerario *auſu excluſæ manent actiones cohoneſtabiles titulo politicæ, vel charitatis, &c.*
XXV. *Nemo tenetur ad denuntiationem in dubio facti, aut temeritatis, vel malæ intentionis.*
XXVI. *Argumenta oppoſita diluuntur.*
XXVII. *Confeſſor ſolicitans neque ſeipſum tenetur denuntiare, neque propriam pœnitentem ſolicitatam monere, ut ipſum denuntiet.*
XXVIII. *Qualis numerus teſtium ſingularium ſufficiat pro ſolicitantium punitione?*
XXIX. *Non præcipitur confeſſariis, ut pœnitentes denuntiationem negligentes non abſolvant, et quando non abſolvendi.*
XXX. *Lex fundata in præſumptione, hac ceſſante, ceſſat; ſed judicium erga ſuſpicionem in fide pertinet ad inquiſitores; judicium vero obligationis denuntiandi hic, et nunc, ad theologos, et juriſtas.*
XXXI. *In materiis, quæ ſpectant ad forum internum, ſentiendum eſt cum TT. ad forum autem externum cum juriſtis.*
XXXII. *Vera probabilitas practica excuſat à denuntiando, etiam in opinione probabilioriſtarum.*
XXXIII. *Reſervatur peccatum denuntiantis innoxium ſacerdotem; ſed non revocatur privilegium bullæ Cruciatæ, et jubilæi pro illius abſolutione, ſicut pro ſacerdotibus pœnitentem complicem abſolventibus.*
XXXIV. *Notanda pro revocatione juriſdictionis confeſſarii, et approbatione confeſſarii, etiam ſimplicis, in defectu approbati.*
XXXV. *Quando confeſſario ſocio criminis permittatur valide abſolutionem conferre pœnitenti.*
XXXVI. *Sufficit ſcandalum verum, quodcunque illud ſit.*
XXXVII. *Quod pro mortis* articulo *expreſſe dumtaxat diſponitur, extendi poteſt favorabiliter etiam ad mortis* periculum.
XXXVIII. *Quid tamen dicendum extra mortis articulum.*
XXXIX. *Videtur probabilius Summum Pontificem non voluiſſe ſuſpendere, vel revocare juriſdictionem confeſſarii pro omnibus peccatis etiam venialibus pœnitentis complicis.*
XL. *Poteſt directe abſolvi ab aliis peccatis.*
XLI. *Id ex doctrina communi.*
XLII. *Et in neceſſitate extra mortis articulum.*
XLIII. *Doctrina Gob. et Roncagl.*

I. SANCTISSIMUS P.D.N. Benedictus XIV. actu in eccleſia Dei feliciter regnans, ardentiſſimi zeli ſui pro gregis ſibi commiſſi reformatione indefeſſum ſtudium laudabiliter proſequens, nuperam conſtitutionem, *Sacramentum pœnitentiæ* incipientem, calendis Junii 1741. opportune edidit, qua confirmans conſtitutionem *Univerſi*, Gregor. XV. adverſus ſacerdotes in confeſſione, ſeu prætextu illius, ad turpia ſolicitantes, aliquas hujuſce clauſulas explicat, ac modificat; et inſuper occurrit falſis, ac doloſis denuntiationibus ab aliquibus pœnitentibus adverſus confeſſarios fraudulenter, imo et hoſtiliter datis, horum crimen ſibi ſpecialiter reſervans: necnon irritas ac nullas declarat confeſſiones complicum in re inhoneſta contra 6. decalogi præceptum, eo quod à confeſſariis ipſis omnem auſert juriſdictionem, articulo mortis excepto; quibus etiam, ſi contravenire audeant, excommunionis pœnam ſibi reſervatam imponit, &c.

II. Hanc igitur conſtitutionem, quamvis in regnis Caſtellæ publicata fuerit, attamen in Portugalliæ regnis, nullus, niſi eminentiſſimus D. patriarcha Ulixbonenſ. pro ſuo patriarchatu promulgari fecit, notabili quidem mora, fere quinquenniali, videlicet die 19. Januar. ann. 1746. gravibus forſan difficultatibus detentus, quæ ordinarios prælatos Caſtellæ, pro aliquibus earum ſolvendis, ad Sanctiſſimum eundem recurrere coegerunt. Quare et ipſe, quamvis tempore

tempore editionis illius Ulixbonæ, ex India renavigans, detinerer, ad hanc meam diœceſim finiente menſe Octobris ejuſdem anni perveniens, eam promulgare non curavi, ne ſingularis, nullo alio ordinario prælato edente, omnibus apparerem.

In ipſa ergo prima conſtitutione *Sacramentum pœnitentiæ*, poſt confirmationem bullæ *Univerſi*, ita ait: *Committimus et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis inquiſitoribus, et locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum univerſi orbis Chriſtiani in ſuis reſpective diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant et procedant contra omnes et ſingulos ſacerdotes, tam ſæculares, quam regulares quomodolibet exemptos . . . qui aliquem pœnitentem, quæcunque perſona illa ſit, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis, in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta et turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint.*

Et tandem quoad hanc partem mandat, ut, *Quos culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumſtantiis, ſevere animadvertant.* Et tandem, *Ne delictum tam enorme impunitum remaneat, concedit facultatem procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus; dummodo præſumptiones, indicia, et alia adminicula, concurrant.*

Et ſtatim quoad obligationem denuntiandi ſic procedit: *Meminerint præterea omnes et ſinguli ſacerdotes ad confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari, ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos, ſedulo monere, juxta occurrentium caſuum circumſtantias, de obligatione denuntiandi inquiſitoribus, ſive locorum ordinariis prædictis, perſonam, quæ ſolicitationem commiſerit, etiamſi ſacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſolicitatio inter confeſſarium et pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, aut ſolicitatio à confeſſario, non pro ſeipſo, ſed pro alia perſona, peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter confeſſarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

Adverſus autem eos, qui *innoxios ſacerdotes falſo* denuntiant per ſe, vel per alium, vel ab alio, ut impie calumnientur, procurant, animadvertit eorum peccatum reſervando ſibi, et ſucceſſoribus, niſi *in fine vitæ, et mortis articulo, quovis privilegio non obſtante.* Non tamen excipit expreſſe privilegium *bullæ Cruciatæ*, ſive jubilæi, ſicut pro abſolutione latæ excommunicationis in ſequenti exprimit diſpoſitione.

III. Quoad ſecundam tandem partem adverſus confeſſarios pœnitentium complicum, ſic ſtatuit: *Omnibus et ſingulis ſacerdotibus, tam ſæcularibus, quam regularibus, cujuſcunque ordinis, ac dignitatis, tametſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio, et indulto, etiam ſpeciali expreſſione, et ſpecialiſſima nota, et mentione digno, ſuffultis, auctoritate Apoſtolica, et noſtra poteſtatis plenitudine, interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, et deficiente tunc quocunque alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi ac inhoneſto, contra ſextum decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat; ſublata propterea illi ipſo jure quacunque auctoritate, et juriſdictione, ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſiquam impertierit, nulla atque irrita omnino ſit, tanquam impertita à ſacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus. Et nihilominus, ſiquis confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua abſolvendi poteſtatem nobis ſolis, noſtriſque ſucceſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat: declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcunque jubilæi, aut etiam bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuſlibet indulti confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc caſu, nullus confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati, et pœnitentis genere, juriſdictione, ut præfertur, careat, et abſolvendi facultate à nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro confeſſario legitimo, et approbato.*

IV. Super hac igitur conſtitutione recurrentibus aliquibus Caſtellæ prælatis pro quibuſdam dubiis enodandis, edidit idem Sanctiſſimus P. ſecundam conſtitutionem, *Apoſtolici muneris*, datam die 8. Febr. 1745. antequam eminentiſſimus D. patriarcha Ulixbon. primam promulgaret; qua *alterutræ extremæ parti, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis*, occurrens, primamque conſtitutionem confirmans, ad quæſitas declarationes ſic pergit: *Motu, ſcientia, et plenitudine poteſtatis, edicimus ac declaramus eadem conſtitutione ſingulis, ut ſupra, ſacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocunque alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, ita interdici reipſa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et abſolvere, ut ſi alius aliquis ſacerdos non defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo ſacerdos fuerit, ſive alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe ſacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertire: porro, ſi caſus urgentis qualitas, et concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius ſacerdos ad audiendam, conſtitutæ in dicto articulo perſonæ, confeſſionem vocari, et accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo, nequeat, tunc alium ſacerdotem perinde haberi cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret; ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis ſacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi ſacerdos, et ſerio animadvertat, ſore ſe reipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, vel alteri cuivis ſacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo, audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ conſtitutionis declaramus; et nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, et præcipimus. Quodſi idem ſacerdos aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur; ſi alterius ſacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ, ſacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones à Chriſto Domino ad ſacramenti pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem ſacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat; nihilominus ſacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, nobis, et huic S. Sedi, reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus, &c.*

Quid ergo juris ſuper præmiſſis inſit? Et imprimis pro obligatoria obſervantia præmiſſarum conſtitutionum:

V. *Dico*, 1. Suppoſita opinione tenente, etiam leges canonicas dependere ab acceptatione populi, ut obligent (quam tuentur DD. infra cit.) hæc conſtitutio Romæ publicata, non vero Luſitaniæ, niſi in patriarchali, non obligat in aliis diœceſibus, ubi non fuit publicata. Prob. facile: Quia quatenus non promulgatur, non acceptatur: ergo. Ita DD. ap. curſ. mor. Salmantic. to. 3. tr. 11. n. 85. et Lacr. to. 1. lib. 1. dub. 3. n. 632. et ſeqq. Roncagl. to. 1. tr. 2. c. 3. Vid. etiam Gobat. tr. 7. n. 575.

DD. autem illam opinionem tenentes ſunt Nav. Con. Menoch. Mandoſ. Gutierr. Pariſ. Valent. Sylv. Arm. Rodrig. Dubal. Becan. Leſſan. Filliuc. Regin. Bonac. Salas, Pet. ab Angelis, Ricc. Put. Garc. Gob. Sot. et alii ap. Lacr. cit. qui probant, 1. Ex D. P. Aug. c. 3. d. 4. § *Legis*; ibi: *Leges conſtituuntur, cum promulgantur; confirmantur, cum moribus utentium applicantur.* Et ex c. 2. de conſt. et ex Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 1. et ex c. 1. de novor. oper. nuntiatione, et aliis juribus. 2. De facto ab ipſa experientia, qua conſtat multas leges Pontificias, etiam in regno, vel provincia, receptas, in alia, ubi receptæ non fuerunt, minime obligare. 3. Ex epiicia; quia hæc videtur eſſe mens ſupremi paſtoris, ejuſque ſuavis regiminis, quamdiu contrarium non exprimit, vel declarat.

VI. Contrarium tamen tuentur Soar. Dia. Tap. Gran. Pal. Baſil. Lorc. Vaſq. Gordon. Monteſin. Villalob. Pont. Laym. et alii ap. Salmant. cit. n. 86. et probant, 1. Quia Summus Pontifex recipit poteſtatem ſuam immediate à Deo independenter à populis, vel à ſubditis. 2. Quia etiam de legibus civilibus, quamvis rex à populo poteſtatem accipiat, contendunt communiter DD. ex ratione legis, licet aliqua promulgatione, ut obligent, indigeant, non tamen populi acceptatione. 3. Quia alias ſequeretur, gubernium Pontificis (imo et Supremi Principis) non eſſe monarchicum, neque principem, ſe ſolo, legiſlatorem eſſe; et conſenſum populi adintegrare eſſentiam legis, quam omnino jam ſupponit, et alia abſurda. Concedunt tamen primi DD. ſine diſcrepantia, peccare quidem populum, ſi ſine juſta cauſa legem principis non acceptet; et eſt propoſitio 28. ab Alex. VII. damnata: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem.*

VII. Putarem tamen oppoſitas has ſententias amicabili fœdere conciliari cum triplici opportuna diſtinctione; ſtatuendo, 1. Si lex ſit lata per modum declarationis, vel definitionis, ſuper rebus fidei, aut moribus concernentibus, et aliis, in quibus Summus Pontifex errare non poteſt, non dependere à populi acceptatione; et Romæ promulgatam, ubique obligare; eò quod Pontifex ſe ſolo in his rebus ſit regula infallibilis, cui ſubditi omnino parere tenentur. Ita Lacr. n. 636. cum Garc. et aliis.

Statuendo, 2. In legibus autem mere præceptivis quoad alia, ſi Pontifex in illis exprimat, velle, ut obligent cum ſola promulgatione Romæ, ut ſæpe exprimit, obligare quidem omnes et ſingulos illius publicationis ſufficientem notitiam habentes. Ita Fr. Valent. in advertentiis, ac notis ad propoſit. damnat. et Salmantic. to. 3. tr. 11.

Si vero id non exprimat, tunc non obligare in illis regnis, provinciis, aut diœceſibus, ubi promulgatæ non ſunt. Quod quidem præter probationes præmiſſas ſuadetur ulterius, 1. Ex praxi; quia Pontifices, quando volunt leges ſuas eo modo obligare, id in eiſdem expreſſe inſinuant: ergo, ſi non exprimant, certum eſt talem obligationem abſque ſpeciali publicatione non intendere. 2. Quia Pontifices optime nôrunt probabiliſſimam primorum DD. opinionem, et non obſervationem multarum legum canonicarum in illa fundatam: ergo quoties non reclamant, vel adverſus eam nil diſponunt, tacite approbant, vel ſaltem permittunt. Vide Salmant. et Fr. Valentin. in for. conſc. et in compilat. in notis ad prop. Alex. VII. atque ſup. propoſ. præjactam ejuſdem Alex. necnon et Dubois ad prop. 28. Alex. VII.

Cum tamen hæc conſtitutio, *Sacramentum pœnitentiæ*, § *Ut autem*, clauſulam illam contineat, *Volumus illas, ſeu illarum exempla, ad valvas eccleſiæ Lateranenſis . . . necnon in monte Citatorio in atie Campi Floræ de urbe, ut moris eſt, affigi, et publicari; ſicque publicatas, et affixas, omnes et ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac ſi unicuique eorum, nominatim, et perſonaliter, intimatæ fuiſſent*; ceſſat omnis dubitatio quoad obligationem, quatenus ex vi expreſſi præcepti. Attamen majoris claritatis ergo, atque diſtinctionis, adhuc in diverſas partes diviſas dabo reſolutiones.

VIII. *Dico igitur*, 2. Quamvis hæc conſtitutio, *Sacramentum pœnitentiæ*, moribus ſit concernens; attamen, cum Papa in illa non procedat per modum declarationis ex cathedra, aut definitionis ſuper errore doctrinæ, ſed per modum legis, aut præcepti ſuper illicitudine actionis, et abuſus ſacramenti (præciſa clauſula præceptiva immediate præmiſſa) non obligaret, niſi ubi foret publicata juxta DD. ſecundæ ſententiæ, et expreſſam doctrinam Salmant. to. 3. quam amplectitur, et proſequitur ſolide Fr. Valentin. in compilat. in princip. in advertent. ad propoſ. damnat. n. 5. et 6.

Prob. facile, 1. Quia aliud eſt damnare errorem doctrinæ, v. g. tenentis fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum, ut in prop. 48. Innoc. XI. vel comedere uſque ad ſatietatem, ut in 8. ejuſdem; et aliud prohibere materiam ipſarum propoſitionum; videlicet, ipſam ſimplicem fornicationem, vel ipſam ſatietatem: et diverſiſſimus quidem eſt inter ſe uſus doctrinæ illius damnatæ, et uſus materiæ illius prohibitæ. Unde, ſicut, quamvis denuntiandus foret, qui poſt damnationem illam, eam doctrinam vel doceret, vel, ut licitam, practicaret; non tamen qui materiam ſimpliciter citra errorem practicaret, vel exerceret, v. g. ſimpliciter fornicando, vel comedendo uſque ad ſaturitatem, de quo ſupr. alleg. 149. ita pariformiter, quamvis pro damnatione erroris ſufficiat publicatio alicubi ex vi declarationis, ut omnes conſtringat; non ita tamen pro prohibitione materiæ, ex vi legis, ſive præcepti. Ita DD. cit. et terminanter nuperrime doctiſſimus Murator. in libello *Luſitanæ eccleſiæ religio propugnata.*

Prob. 2. Quia in tota hac conſtitutione reperitur vel promulgatio præcepti ad denuntiationem in talibus vel talibus circumſtantiis, et ſimiliter ſubtractio juriſdictionis; non vero definitio, aut declaratio ex cathedra, erroris doctrinæ.

3. Ex terminanti aſſerto cit. Fr. Valentini, n. 6. *Dicendum, quod non eſt practicare has propoſitiones damnatas, operari illud illicitum, quod illæ male docent . . . ſed uti, v. g. reſtrictione pure mentali, ſiſtendo in tenaci judicio de probabilitate opinionis illam concedentis poſt notitiam damnationis*, &c.

IX. *Dico*, 3. Non obſtante ultima clauſula præceptiva præmiſſa iſtius bullæ pro obligatione ubique; attamen probabile practice eſt, quod adhuc graviter non obligat, ubi authentice non eſt publicata. Probatur, 1. Quia practice probabilis eſt opinio, leges etiam canonicas actu graviter non obligare, ubi actu promulgatæ non ſunt, neque à populo acceptatæ. 2. Quia ex eo, quod decretum Alex. VII. pro damnatione 45 propoſitionum etiam contineat eandem clauſulam obligandi ubique; et clare conſtet, hanc eſſe voluntatem Summi Pontificis, eo quod illud decretum ſit declarativum, et veluti definitivum rerum quoad bonos mores attinentium, et quoad ſanitatem, ac puritatem doctrinæ; attamen DD. TT. et JJ. paſſim tenent, actu non obligare in Hiſpania, ex eo quod authentice non conſtet de illius publicatione ibidem, Salm. to. 4. tr. 18. c. 4. p. 1. Corell. in pract. Torreſill. in ſumma, Valentin. in compilat. et for. conſc. &c.

Atqui non ſolum non conſtat de publicatione ſubjectæ bullæ, imo certe, et infallibiliter conſtat de illius non publicatione in tota Luſitana ditione, præterquam in patriarchali Uliſbonenſi: ergo.

4. Quia hæc eſt ſeria mens Summorum Pontificum, ut leges, et reſcripta eorum executioni non mandentur, neque publicentur, ſi inde aliquod ſcandalum, vel grave inconveniens, ſequatur, c. *Cum teneamur*, de præbendis; ubi gloſſ. verb. *Scandalo: Et ſic*

ſic propter ſcandalum quandoque receditur à jure, c. *Cum olim*, de cleric. conjugat.

Atqui ex publicatione iſtius bullæ tot, tamque gravia inconvenientia ſecutura veriti ſunt omnes ordinarii prælati Luſitaniæ, ut nullus præter eminentiſſimum patriarcham præfatum eam executioni mandare adorſus ſit; imo ipſemet nonniſi poſt quadriennium ab illius Romæ promulgatione; et ipſimet præſules Hiſpaniæ pro aliquibus illius ad eundem Sanctiſſimum reclamârunt ob duriſſimum, et graviſſimum onus, quod in aliquibus æſtimârunt, ut conſtat ex bulla ſecunda, *Apoſtolici muneris*: ergo.

X. Confirmatur, 1. Quia Summus Pontifex actualis eas proprias conſtitutiones, quas voluit in Portugalliæ regno efficaciter, et infallibiliter obſervari, ſpecialiter injunxit ejus nuntio, ac legato in his regnis, ut eas ibi ſpecialiter promulgari faceret, ut in reliquis eſt effectum; non ita vero quoad hanc conſtitutionem, *Sacramentum pœnitentiæ*.

2. Quia ſcientia, et patientia ſupremi paſtoris quoad hanc non publicationem, et inobſervantiam, ſignum eſt ipſius voluntatis graviter nolentis obligare ad publicationem, et obſervationem illius.

3. Quia multæ leges canonicæ, poſtquam fuerant ſtabilitæ, abierunt in deobligationem per deſuetudinem: ergo multo magis per non uſum ab initio.

4. Quia nec aſſerendum, nec præſumendum eſt, tot, tamque graves, ac doctos horum regnorum præſules, hanc conſtitutionem hactenus non promulgantes pro ſuis uniuſcujuſque diœceſibus, gravi ſcrupulo conſcientiæ id omiſiſſe; et ego, qui omnium ultimus in omnibus quidem incedo, omnium præcedentium, et præſertim excellentiſſimi, ſapientiſſimi, ac doctiſſimi mei metropolitani veſtigia ſequens, ſecure pedem non figere, nemo proclamare præſumet.

Conſtet igitur, quod quamvis hujus conſtitutionis diſpoſitio juſtiſſima quidem fuit pro arcenda nefaria occaſione illorum confeſſariorum, qui *potius dæmonis, quam Dei miniſtros* ſeſe exhibentes, ut complices conſervent, et in eadem occaſione retineant, et hæ abſque pudore peccata turpia confiteantur, earum confeſſores privativos ſeſe conſtituunt, et majori peccatorum mole onerantes in profundum ſubmergunt; attamen pro reliquis confeſſariis, qui caſualiter, non de induſtria, ex mera fragilitate in aliquod peccatum carnis cum aliquo laberetur, durum videtur, quod maneat præpeditus complicis confeſſionem veram, doloroſam, et reſipiſcentem excipere; præſertim in aliquo caſu gravis notæ, aut infamiæ, &c.

XI. Unde non abs re foret reſtringere illam revocationem juriſdictionis abſolvendi illos pœnitentes complices, et eorum peccata inhoneſta, confeſſariis illis, qui *de induſtria illo fine aſſidue, et per longum tempus, complicum confeſſiones audiunt, eoſque abſolvunt*; non vero quoad illum, qui caſualiter unica vice ex fragilitate peccans citra conſuetudinem, et habitum, quoad ipſum pœnitentem, hujus confeſſionem valide et licite ſuſcipere poſſet, accedentibus neceſſariis diſpoſitionibus veri doloris, ac propoſiti, præſertim in aliqua gravi urgentia, et gravis infamiæ periculo, &c.

Confirmatur hujus arbitrii ſanitas, et rationabilitas, à paritate eorum, qui de induſtria cognoverunt conſanguineas, vel affines in gradibus prohibitis, ut media copula carnali facilitarent gratiam diſpenſationis ſpiritualis: quibus quidem, utpote in illius confidentiam peccantibus, diſpenſatio non conceditur, neque eis ſuffragatur; aliter vero iis, qui caſualiter tantum cognoverunt: ergo ſimiliter. Vid. Pirrh. Corrad.

Inconvenientia autem gravia erunt, 1. Copia unius tantum confeſſarii ordinarii regulariter pro monialibus, aliquibus regularibus ſubjectis, et non niſi quater in anno confeſſariorum extraordinariorum providentia, ut pro monialibus Clariſſis primæ regulæ hujus civitatis Pharenſis gaudentibus. 2. Certus confeſſarius, quem aliquæ nobiles familiæ intra proprias habitationis domus retinent. 3. Hoſpitalitas, aut commoratio longa alicujus confeſſarii in domo aliqua illuſtri, et deputatio patrisfamilias pro filiis, vel pediſſequis, ut interim, manentia illius durante cum ipſo, non cum alio, conſcientias ſuas exonerent. 4. Inſtantia jubilæi, aut magnæ feſtivitatis alicujus, et impedimentum aliquod infirmitate, vel luctu, vel alia rationabili cauſa, ad ex propriis latibus egrediendum, ad alienum confeſſarium perquirendum.

Obſerva denique doctrinam Gobat. tr. 7. n. 582. *Si illa, cum qua ſacerdos peccavit, eſt ſanguinis proxime juncta, et præ pudore non audet alteri manifeſtare ſacrilegum inceſtum, poteſt ipſe omnino excipere confeſſionem illius complicis, utpote et prætendentis illum pudorem, et valde ſerio integre reſipiſcere cœptæ.*

Conferuntur clauſulæ bullæ Univerſi, *et bullæ* Sacramentum pœnitentiæ; *et reſolutiones competentes deducuntur.*

XII. Aliquæ clauſulæ identicæ utriuſque bullæ cum aliquali diverſificatione traduntur, quæ hic veniunt conferendæ.

1. Igitur, in prima bulla, clauſula illa; *Aut cum eis illicitos et inhoneſtos ſermones, ſive tractatus, habuerint*; in ſecunda ſic modificatur: *Aut cum eis illicitos et inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint.*

2. Præcedens clauſula in prima; *Simulantes ibidem confeſſiones audire*; in ſecunda ſic ponitur, et repetitur; *Cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſiones.*

3. Hæc etiam præcedens clauſula; *In confeſſionario, aut in loco quocunque, ubi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo*; in ſecunda ſic traditur; *In confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem.*

4. Præterea ad clauſulam illam primæ, *ſive tractatus habuerint*, et ad modificationem ſecundæ, *temerario auſu habuerint*; ſuperadditur in hac expreſſio actionum prohibitarum ſequentibus verbis: *Solicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint.*

5. Facultatem primæ procedendi *teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis*; explicat ſecunda cum formali, et expreſſa conditione, *dummodo*, in hunc modum; *procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus*; *dummoao præſumptiones, indicia, et alia adminicula, concurrant.*

6. Quoad obligationem confeſſorum *monendi pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos*; de obligatione denuntiandi inquiſitoribus, vel ordinariis, quæ imponitur in prima; ſic in ſecunda diſponitur; *Teneri ſe, ac obligari ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos, ſedulo monere, juxta occurrentium caſuum circumſtantias, de obligatione denuntiandi*, &c. *Sive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam*, &c. prout ſupra tranſcribitur. Et ſtatim ſuperaddit cautelam, ne confeſſarii pœnitentibus, quos noverint *ab aliis ſolicitatos*, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi hi prius denuntiationem effective præmittant, *vel ſaltem, cum primum poterunt*, delaturi promittant. Quod quidem ab eiſdem non exigitur, ut cum juramento promiſſio fiat.

XIII. Ex præmiſſis deducitur, 1. Non eſſe obligationem denuntiandi actiones illas, in quibus non intervenit auſus, ſive audacia temeraria, et quæ ex aliquo motivo, aut titulo politicæ, vel Chriſtianæ charitatis, urbanitatis, aut benignitatis, cohoneſtari poſſunt, vel facilitatis, aut levitatis non graviter, aut audaci temeritate culpabilis, prudenter excuſari atque exculpari valent; quales ſunt, quæ alibi deſcribuntur, et conſimiles aliæ.

Prob. 1. Quia ſic diſponitur in ſecunda bulla poſteriori, quæ eſt prioris modificativa, vel reſtrictiva. Et notum eſt axioma: *Poſteriora derogant prioribus.*

2. Ex regula; *Odioſa ſunt reſtringenda.* Has autem bullas, decreta, et conſtitutiones, odioſa quidem eſſe, tenent paſſim, et expreſſe, DD. ap. Salmant. to. 5. tr. 21. Fel. Pot. to. 2. p. 3. et expreſſiſſime, ac ſpecialiſſime, Caren. p. 2. tit. 6. n. 10. et ſeqq. Ex his colligitur, conſtitutionem hanc eſſe ſtrictiſſime intelligendam, c. *Odia*, &c. Eſt enim correctoria juris, cum ante bullas Paul. IV. et Pii IV. epiſcopi ſoli de hoc crimine cognoſcerent.

3. Quia inquiſitores nequeunt procedere, niſi ob culpam gravem, ut tenent Salmantic. to. 5. tr. 21.

Pignatell.

Pignatell. ſæpius ſupr. et infr. cit. cum communi DD. illæ autem actiones, ut ſupponimus, ſunt tantum in ſe, et ex circumſtantiis, leviter malæ, et plures earum in ſe bonæ ſimpliciter.

4. Quia inquiſitores non procedunt, niſi ubi intervenit peccatum hæreſis, aut hæreſis ſuſpicio, Pignat. conſ. nov. 117. et 202. ibi: *Cauſæ omnes S. Officii aut ſunt de hæreſi, aut de ſuſpicione hæreſis.* In præfatis autem actionibus taliter cohoneſtatis, vel excuſatis, non adeſt neque hæreſis ſuſpicio.

5. Quia, licet inquiſitores in ſubjecta materia valeant procedere ex abuſu talis ſacramenti, quod eſt fundamentum utriuſque bullæ; *Sacroſancto ſacramento pœnitentiæ abutatur*, in prima; *Pœnitentiæ ſacramento nefarie abutentes*, in ſecunda; attamen iſte abuſus debet eſſe talis, quod inducat ſuſpicionem hæreſis ex gravi irreverentia tali ſacramento, Pignat. cit. conſ. 117. § *Tertio ſubditur*; quod quidem etiam ſecunda bulla exprimere videtur per verba illa, *nefarie abutentes.* In præfatis autem actionibus neque datur irreverentia gravis, aut abuſus, et multo minus *nefarius abuſus* ſacramenti, ut ex ipſis cit. alleg. 148. conſtabit.

XIV. Neque obſtat Fel. Pot. to. 2. p. 3. n. 523. afferens, Pontifices in hac materia ſemper dilatâſſe, non reſtrixiſſe onus denuntiationis. Contra enim eſt, 1. Caren. cit. n. 11. *Licet indirectè videatur hæc conſtitutio favorabilis, quia fuit promulgata, ut ſacramenta legitime adminiſtrentur, et ad obviandum animarum periculis; attamen non per hoc deſinit eſſe odioſa; alias nullæ eſſent leges odioſæ; nam cujuſcunque legis, etiam odioſiſſimæ, finis eſt favor totius reipublicæ, et ipſius bonum.*

Contra, 2. Ricc. 3. p. reſ. 65. n. 1. *Bulla eſt ſtricti juris, et non recipit extenſionem.* Et reſ. 66. n. 1. *Pluries conſultus de hoc articulo, ſemper reſpondi, mihi dubitationem facere naturam conſtitutionis, quæ, cum ſit pœnalis, et pœnarum inductiva, minime extendenda eſt, ex notabili doctr. Bald. in l.* Cum proponas, *cod. de hæredib.* &c.

Contra, 3. Pignat. cit. conſ. nov. 117. per totam, et conſ. can. 104. to. 1. Salm. cit. to. 5. c. 4. pu. 4. tr. 21. et contra eſt etiam, ad hominem, mandans, interpres, mulier ſolicitans, et alii, in quos non fit extenſio ex doctrina ipſiuſmet Pot. n. 489. et ſeqq.

Contra, 4. Efficaciter hæc nova reſtrictio ſecundæ bullæ, *Sacramenta pœnitentiæ*, quæ ideo à Sanctiſſimo P. expreſſe de induſtria inducta eſt, ut nimis laxas extenſiones aliquorum rigoriſtarum DD. provide ac prudenter coarctaret, ut ex verbis conſtitutionis *Apoſtolici muneris*, illius confirmatoriæ, expreſſe conſtat in exordio verbis illis: *Ne leges . . . aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis, perperam detorqueantur*, &c.

XV. Deducitur, 2. Ex clauſulis *Simulantes ibidem*, &c. et *cum ſimulatione ibidem confeſſiones audiendi*, neceſſario omnino eſſe hanc ſimulationem, in loco ad confeſſionem electo, ad inducendam obligationem denuntiationis.

Prob. 1. Ex expreſſa doctrina Pignat. cit. conſ. 117. verbis ſupra tranſcriptis, alleg. 150.

2. Quia ſi ſolicitatio extra occaſionem confeſſionis fiat non ſimulando confeſſionem, non continet abuſum, aut injuriam ſacramenti, neque inducit ſuſpicionem hæreſis.

3. Quia locus determinatus confeſſioni audiendæ, non eſt de per ſe pertinentibus ad tale ſacramentum, ſed mere per accidens ad illud ſe habet, neque eſt aliqua benedictione conſecratus, &c. Ita Pignat. formaliter.

4. Quia clauſula illa, *Simulantes*, et *Cum ſimulatione*, refertur ad quemcunque locum, ſive ſit confeſſionale ordinarium, ſive deputatum, aut electum pro confeſſione, ut tenent Lup. Bonac. et Bordon. apud de Alexandr. ſupr. extenſum alleg. 150.

5. Ex generali regula, *Clauſula ultimo loco poſita refertur ad omnia præcedentia*, c. *Inquiſitioni*, 7. de appellat.

6. A paritate; quia clauſulæ præcedentes regulantur ab eodem verbo *audire*: ergo ſimiliter, et conſequentes ab eadem diſpoſitione *ſimulationis.*

7. Quia eſt diſpoſitio in materia odioſa, et potius reſtringenda, quam amplianda.

8. Ex ipſo Pot. n. 529. expreſſe reſolvente: *In locis ergo ſecundi, et tertii generis* (hoc eſt, non in confeſſionali ordinario, ſed in alio) *ut in ſolicitatione habeatur onus, et caſus denuntiationis, requiritur confeſſio, vel ſimulatio confeſſionis; non ſic in loco primi generis.*

XVI. Objicitur tamen, 1. Pro eodem Pot. cit. n. 523. decretum S. Congregationis ſub Paul. V. die 10. Julii 1614. quo decrevit, ut procederetur in S. Officio adverſus confeſſarios cum mulieribus in confeſſionali extra occaſionem confeſſionis de rebus inhoneſtis tractantes.

2. Quia particula *aut*, in bull. *Univerſi*, cum ſit disjunctiva, non conjungit, ſed disjungit caſus, et particulas priores, *ſive extra occaſionem confeſſionis*, à poſterioribus, *aut in loco quocumque, ubi confeſſiones audiantur.*

3. Quia ly *ſimulantes*, cum ſit terminus reſtrictivus poſteriorum, non poteſt conjungi cum prioribus.

4. Quia ſi per poſteriores particulas habetur reſpectus ad confeſſionem, ac ejus injuriam; per priores habetur reſpectus ad injuriam loci, ſive tribunalis ſacramentalis judicii.

Reſp. ad primum, 1. Ex doctrina Pignat. cit. *Quia, cum ſolicitare in confeſſionario extra occaſionem confeſſionis poſſit fieri ſimulando, et non ſimulando confeſſionem; et, ſi fiat non ſimulando confeſſionem, non contineat abuſum ſacramenti, neque inferat illi injuriam; idcirco ad ſimulationem eam reſtricta eſt.* 2. Quia cum hæc materia odioſa ſit, etiam ipſamet diſpoſitio Paulini decreti indiſtincte loquens, reſtringendum veniret ad tractatum, extra occaſionem confeſſionis cum ſimulatione ibidem audiendi confeſſionem, ut reſtrixit Gregor. XV. et Bened. XIV. unde Pignat. cit. *Quod autem minus diſtincte expreſſum fuit in illo decreto, diſtinctius expreſſit Gregor. XV.*

Ad 2. reſp. 1. Dictionem *aut* disjungere caſus, et loca *in confeſſionario, aut loco alio quocunque*; non autem disjungere ſenſum, aut juris diſpoſitionem de ultimis clauſulis relatis ad omnia præcedentia. Reſp. 2. cum Barb. de diſtinctionibus, Quod *interdum dictio* aut *accipitur copulative, ſeu conjunctive, et requirit concurſum utriuſque*, ut hic accipitur ex c. *In omnibus*, in fin. ub. gloſſ. verb. *Aut*, 2. q. 4. et c. 2. ub. gloſſ. eod. verb. *Aut*, de confeſſis, in 6. &c.

Ad 3. reſp. 1. Ly *Simulantes*, licet terminum poſteriorum particularum, poſſe quidem conjungere eundem ſenſum, et eandem juris diſpoſitionem quoad particulas priores, quas etiam percutit modo expoſito.

Ad 4. reſp. Haberi in utriſque reſpectum ad injuriam, ſive abuſum confeſſionis vel realis, vel ſimulatæ; vel etiam ad injuriam loci, non nude ſumpti, neque abſtracte, et ſejunctim à confeſſione, vel reali, vel ſimulata; ſed conjunctim, aut concrete cum illa realiter, vel ſimulate.

Reſp. 2. Non dari injuriam quoad locum præciſe, et à confeſſionis ſimulatione, ſaltem ſeparatim, ex ſententia Pignatell. cit. Confirmantur omnes hæ reſponſiones ex nova diſpoſitione conſtit. *Sacramentum pœnitentiæ, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſiones*, et ex 2. bulla, *Apoſtolici muneris*, illius confirmatoria, quam quidem Sanctiſſimus P. ideo expreſſe, et formalitate illa, voluit apponere ad claritatem hanc clare inculcandam, et omnem adverſam dubitationem, aut opinionem auferendam, ut ex illius exordio convincitur; verbis ibi in 2. bulla: *Verum etiam leges ipſas, ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis, perperam detorqueantur.*

XVII. Deducitur, 3. Non eſſe ſimulare confeſſionem, ait Pignat. *ſi confeſſarius in confeſſionario ſedet, cum fœmina ante ſe, ſtante, vel ſedente, et eam ſolicitet ad turpia; neque, prout ſic, ſubjicitur pœnis hujus conſtitutionis, neque eſt in S. Officio puniendus.* Si vero fœmina pœnitens genibus flexis loquatur cum confeſſario, præſumitur confiteri. Pignat. cit. § *Non eſſe autem.* Ubi cum Leand. docet, quod ſi confeſſarius eſt in aperto, et ejus riſu, cachinnis, et verbis elatis, ac

ac geſtibus, poteſt extrinſecus apparere, quod illa non ſit confeſſio, ſed confabulatio de rebus ad confeſſionem minime pertinentibus, *non intervenit ſimulata confeſſio.*

Quoad vero confeſſores monialium ſolicitantes in crate, aut in locutorio indifferente, et communi ad confabulandum, et ad confeſſiones excipiendum; vide auctoritatem de Alex. ſupra tranſcriptam alleg. 150. et Pignatell. cit. conſ. 117. § *Ex quo deducitur*; ubi ait, quod ſi extrinſecus apparet, quod confeſſarius ibi non audiat confeſſionem, non ſit denuntiandus, neque puniendus; ſecus vero, ſi ſimulet earum confeſſionem audire. *Conſtito autem, quod moniales non confitentur ante locum deputatum ad confeſſionem ſtantes, vel ſedentes, nullaque exiſtente ſpecie confeſſionis, ſi ſolicitentur à confeſſariis,* non ſubjiciuntur hi denuntiationi, aut punitioni. *In dubio autem* (proſequitur Pignat. ibidem) *an adſit confeſſio vera, vel ſimulata, præſumitur pro confeſſione, ſi confeſſio fiat in loco deputato ad confeſſiones audiendas, et præcipue ſi fiat in diebus ad confeſſionem ſtatutis.*

Vide etiam Pot. n. 530. ubi cum diſtinctione ait, quod ſi crates etiam intra eccleſiam extantes, ſint indifferentes ad loquendum, et ad confeſſiones audiendas, non eſſe denuntiandum confeſſarium inibi ſolicitantem, vel ſermones, aut tractatus inhoneſtos habentem, non ſimulando confeſſionem (Quæ quidem reſolutio multo melius procedit, quando crates per ſe deputatæ ſunt ad colloquendum, licet per accidens ad confeſſiones, aut reconciliationes audiendum): ſin autem crates ſint per ſe, et ſpecialiter deputatæ ad confeſſiones; tunc ibi ſolicitans, etiam non ſimulando confeſſionem, denuntiandus foret.

XVIII. Deducitur, 4. Quod quamvis confeſſarius audiens confeſſionem Mariæ, ex confeſſionario ipſo nutibus ſolicitat, vel blanditur Marthæ diſtanti, ſed ante ſe in eadem eccleſia exiſtenti; videtur denuntiandus, ex clauſulis ſecundæ bullæ, *ſive ſignis, ſive nutibus:* Pot. tamen, n. 525. ſic diſtinguit; *Si mulier, cui facta ſunt ſigna, exiſtebat ante conſpectum confeſſarii expectans confeſſionem, quod faciliter ex circumſtantiis dignoſcitur, eſt denuntiandus, ut ſolicitator occaſione confeſſionis: ſecus vero, ſi ita non exiſtebat, vel confeſſarius ex alio loco ita ſolicitavit.* Pignat. vero, conſ. 117. § *Non vero,* abſolute negat denuntiandum, *qui ſolicitat pœnitentem, dum non ſibi, ſed alteri confitetur.* Et § *Ratio autem,* ex clauſula *Hujuſmodi.*

Ego autem etiam cum diſtinctione in ſecundo caſu proçedendum cenſeo; quod ſi confeſſarius de propoſito confeſſionale elegit, ut occaſione confeſſionis Mariæ Martham ante ſe conſiſtentem, et confeſſionem cum ipſo non emiſſuram, abſolute, vel commodius ſolicitaret, denuntiandus videtur probabiliter, ſtante rigore bullæ; quod ex terminis ipſis ſuadetur; quamvis contrarium probabilius videatur, eo quod ſic ſolicitata, non ſit pœnitens; neque, reſpectu illius, ſacramentum odioſum reddatur. Sin autem non ita elegit, et caſu Martham ante ſe ſtantem *nutibus, aut ſignis,* provocare tentavit, videtur probabile, denuntiandum non fore.

1. Ex verbis ipſius ſecundæ bullæ: *Qui aliquem pœnitentem, quæcunque perſona illa ſit, vel in actu ſacramentalis confeſſionis,* &c. atqui Martha non erat pœnitens: ergo. 2. Quia ſi confeſſor de propoſito confeſſionale non elegit ad eam ſolicitationem, per accidens ſe habuit ad illam, juxta doctrinam Pignat. cit. conſ. 117. cum eam poſſet efficere, et forſan perfecturus foret, extra confeſſionale ex caſuali conſpectu, et confrontatione mulieris. 3. Quia non verificatur aliqua ex reliquis clauſulis qualificativis ſubjectionis denuntiationi; non enim datur ſimulatio confeſſionis, neque prætextus, aut occaſio illius, reſpectu Marthæ. 4. Quia fundamentum, ac motivum utriuſque bullæ eſt favor pœnitentium, et, ne ſacramentum pœnitentiæ illis reddatur odioſum: talis autem mulier taliter ſolicitata neque eſt pœnitens, neque, reſpectu illius, confeſſio illa abſolute redditur odioſa. 5. Quia non datur, reſpectu Marthæ, *nefarius abuſus ſacramenti,* cum nullum ſacramentum detur, neque illius ſimulatio reſpective ad illam; neque confeſſarius ei *porrigit pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum,* &c. 6. Quia ex ſequentibus verbis ipſius bullæ ſecundæ, *Sive nutu, ſive tactu, ſive per ſcripturam tunc, aut poſt legendam, tentaverint,* clare conſtat loqui de pœnitente actuali, et præſenti pro confeſſione vera, vel ſimulata, aut prætextoſa, qui tangi poteſt, et cui tradi quit ſcriptura tunc, vel poſt legenda. 7. Ex doctrina Pignat. ſupr. cit. ex identitate rationis; et expreſſis cit. § *Ratio autem,* ex particula *confeſſionis hujuſmodi,* in bull. Gregor. et *in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus,* in bull. Benedict.

XIX. Confirmatur, 1. A paritate doctrinæ ejuſdem Pot. quamplures probabiliter à denuntiatione excuſantis; videlicet, eum, qui in ſcamno ſedens poſt plurium confeſſiones, mulierem genuflexam, loqui volentem, ſolicitavit, n 537. qui, prætextu confeſſionis Mariæ infirmæ, adit domum Marthæ, et ibi hanc ſolicitat, n. 115. qui ex confeſſione ſciens fragilitatem mulieris, eam poſtea domi quærit, ac ſolicitat, n. 187. ac 189. qui ſedens in confeſſionali, concionem inde auditurus, mulierem diſtantem, ſibi non confitendam, ſignis, vel nutibus, provocare tentat, à pari, n. 539. qui fœminam cum alio ſe confitentem, tactibus, vel ſignis, extra confeſſionale ſtans ſolicitat, n. 525. et alibi; qui poſuit in confeſſionario non ſacerdotem, ut mulierem confiteri venientem cum ipſo ponente, pro eo, ſufficienter diſtante, ſolicitavit, n. 491. qui audiens confeſſionem fœminæ cum alio ſacerdote, et facilitatem illius ad peccata carnis ex confeſſione ipſa agnoſcens, eam immediate poſt confeſſionem eſt inſecutus, et domi, vel in itinere, ſolicitavit, n. 492.

Inſuper qui non ſimulans confeſſionem ex parte ſui, extra occaſionem confeſſionis, licet in loco ad confeſſiones electo, et poſt confeſſiones aliarum mulierum, unam coram ſe genuflexam, et ex parte ſui confeſſionem ſimulantem, ſolicitat, n. 539. ubi ſic per formalia: *Imo, gratis dato, et non conceſſo, quod allata genuflexio ex parte mulieris ſit ſimulatio, adhuc non habetur caſus denuntiationis; quia hoc onus non ſe extendit ad plus, quam ad verba bullæ, et legis, quæ comprehendunt præſertim ſimulationem ſe tenentem ex parte confeſſarii per illa verba;* Sacerdotes ſimulantes confeſſiones audire. Et hæc ratio magnopere confirmat aſſertum noſtrum, alleg. 148. Vide etiam confirmationem ibidem ſubſequentem *de genuflexione indifferenti ad onus denuntiationis:* et vide alios caſus apud eundem oneris denuntiationis excluſivos.

Ratio fundamentalis omnium excuſationis potiſſima hæc eſt, et odioſitas materiæ, et reſtrictionis debitum ad expreſſa et formalia verba legis. Ex qua pariformis deducitur ratio in præmiſſæ reſolutionis confirmationem: quæ ulterius corroboratur ex mente ſupremi paſtoris jugum Domini ſuave reddere ſerio volentis, ne *immoderati rigoris* anguſtiæ durum illud reddant; ſicut neque, è converſo, *deteſtabilis laxitatis* nimia ſpatioſitas, *facilem deſcenſum Averni* offendat, ad quem *lata et ſpatioſa via* ducit.

XX. Dices, Confeſſarius ille in confeſſionario, vel ex confeſſionario, ſignis, vel nutibus, ſolicitavit: ergo. Reſp. Diſtinguendo antecedens, quoad primam partem: ex confeſſionario ad ſolicitationem ipſam ſpecialiter electo; nego: per accidens ſe ad illam habente; ſubdiſt. Solicitavit fœminam pœnitentem occaſione confeſſionis illius, vel cum ſimulatione, aut prætextu confeſſionis; nego: fœminam non pœnitentem, neque occaſione, aut ſimulatione, vel prætextu confeſſionis, vel cum comprehenſione alterius clauſulæ legis prohibitivæ, et reſtringendæ, utpote odioſæ; concedo.

Inferes: Ergo etiam quando confeſſarius de propoſito, confeſſiones actu excipiens, elegit confeſſionale, ut inde ſaltem commodius nutibus ſolicitaret fœminam diſtantem in eadem eccleſia cum ipſo non confitendam, à denuntiatione abſolvetur. Reſp. 1. Aſſignando diſparem aliquam rationem; quia in hoc caſu ſacerdos abutitur exercitio ſacramenti, illud uſurpans, ut medium ad ſolicitationem cum alia; et fit injuria nedum loco confeſſionis nude ſumpto, ſed ut actu veſtito confeſſionis exercitio, quo abutitur ad ſolicitationem præfatam: quod quidem non intervenit, quando caſualiter ex confeſſionario aliam ſignis, aut nutibus, provocare intendit, habente ſe per accidens ad eam ſolicitationem loco ipſo, et exercitio.

Reſp. 2. Quicquid ſit de illatione; nil enim inde ſequitur adverſus noſtrum principale aſſertum præjactum ab onere denuntiationis caſum illum deduct. 4. excuſare intendens; et ſolum opinative in aliqua conſideratione, juxta aliquorum conſequentem doctrinam, illud denuntiationi probabiliter ſubjiciens; pro qua etiam conſideranda eſt modificatio cit. bullæ *Sacramentum*; *Temerario auſu habuerint:* et reſtrictionem *Confeſſionis hujuſmodi* bullæ Gregor. pro qua vid. Pignat. cit. conſ. 117. § *Ratio autem.*

XXI. Pro differentia autem triplicis loci ad confeſſiones deſtinati, obſerva doctrinam Pot. n. 526. ubi cum Bord. n. 45. animadvertit, bullam Greg. tria loca diſtinguere, ubi confeſſiones audiantur: primus eſt, *Confeſſionale ordinarium*, quod in eccleſia collocatur, et exprimitur per priorem particulam; *In confeſſionario.* Secundus eſt locus quicunque, *ab illo diſtinctus, ubi confeſſiones audiuntur*; et exprimitur per particulas; *Aut in loco quocunque, ubi confeſſiones ſacramentales audiantur.*

Tertius tandem eſt ille, *quem confeſſarius ex ſui placito pro eo tempore, quo confeſſionem excipit, eligit:* qui quidem eſſe poteſt in ſcamno eccleſiæ, in foro, in domo, in agro, in monte, et ubique. Et exprimitur his particulis; *Seu ad confeſſionem audiendam electo:* quibus, ait, non exprimitur locus primi generis; quia leges non patiuntur clauſulam ſuperfluam, aut quæ cum aliis confundatur, ex gl. in l. *Quod metu*, &c.

Et quamvis ibidem aſſerat, vel putet, genuflexoria in ſacriſtiis pro præparatione ſacerdotum, et pro gratiarum actione deſtinata ad loca ſecundi, vel tertii generis ſpectare, quando in eis confeſſiones audiuntur; attamen § fin. concludit, in locis ſecundi, et tertii generis, ut habeatur caſus denuntiationis, requiri omnino confeſſionem, vel ſimulationem confeſſionis; cujus verba ſupra tranſcripta remanent, n. 19.

XXII. Deducitur, 5. Ex verbis bullæ Gregorianæ; *Ubi ſacramentales confeſſiones audiantur*; non requiri ſpecialem deſignationem, ſive deputationem loci illius ad confeſſiones excipiendas, ſed ſufficere exercitium confeſſionum citra talem deſtinationem, imo et electionem, ut conſtat ex disjunctiva ſequenti; *ſive ad confeſſionem audiendam electo:* attamen ex diſpoſitione poſterioris, et nuperæ conſtitutionis Benedictinæ, hæc ſpecialis deſtinatio, vel electio, requiritur ſimul cum ſimulatione confeſſionis ibidem. Patet ex verbis ibi; *In confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem.* Nota ſingula verba diſtincte.

XXIII. Ex quibus tamen, licet videatur inferendum, quod non comprehendantur in hac conſtit. crates, vel feneſtellæ eccleſiæ, vel ſacriſtiæ, vel etiam torni volubiles, vel alii non deſtinati ad confeſſiones excipiendas, ſed ad colloquendum, et paramenta, atque alia utenſilia per eos extrahenda, atque intromittenda, licet caſualiter in aliquo illorum, in caſu neceſſitatis, aliqua ſacramentalis confeſſio, aut reconciliatio forte excipi contigit (idem dic de feneſtella ad communionem monialium, vel ad ſacram euchariſtiam ipſis miniſtrandam deſtinata); attamen, cum eo ipſo, quod confeſſor in eo loco confeſſionem, vel reconciliationem illam, licet caſualem, et neceſſitatis caſu, decrevit audire, locus ipſe vere eſt, et dicitur, electus ab ipſo ad confeſſionem illam percipiendam; ac per conſequens reputandus eſt comprehenſus in diſjunctione illa, *aut electo*, poſt particulam *deſtinato.*

XXIV. Deducitur, 6. Ex modificatione *temerario auſu*, excluſas manere actiones illas, quæ cohoneſtari poſſunt titulo aliquo honeſto politicæ, vel charitatis, vel exculpari ratione levitatis, inconſiderationis, aut alterius excuſationis, de quibus hactenus dubium erat, et controverſia inter DD. de quibus ſupr. alleg. 148. n. 26. Fel. Pot. à n. 557. et ſeqq. Salmantic. to. 5. Roncagl. p. 2. tr. 19. q. 8. et Pignat. cit. conſ. 117. Unde ab onere denuntiandi excludentur actiones omnes, quæ prudenter citra temeritatem, aut audaciam temerariam, et ſine malo animo, aut prava intentione, factæ fuerint æſtimentur, et quæ non in reprobum, ſed in bonum ſenſum trahi poſſunt, ut monent Bord. et Poteſtas, n. 555. *Ut mulieres non ſint ſolicitæ ad denuntiandum, quando verba poſſunt trahi in bonum ſenſum; ſed conſulant viros doctos, et timoratos* (adde, *et præſertim prudentes*) *ne ſine cauſa confeſſarios infament; et in dubio ſe abſtineant à denuntiando*, &c.

XXV. Deducitur, 7. Neminem teneri ad denuntiationem in dubio tum materiæ, aut facti, tum temeritatis, ſeu malæ intentionis illius. Vide Roncagl. cit. reſp. 2. § fin. et Pignatell. cit. conſ. 117. § *Unde notandum*, Bordon. c. 23.

Prob. prima pars, 1. Ex præcepto utriuſque bullæ, quæ jubent denuntiari reales, et certas ſolicitationes; non dubias, et præſumptas.

2. Ex fine ipſarum denuntiationum, nempe reorum punitione: *ne delictum tam enorme impunitum remaneat*, ait bull. Gregor. et Benedict. Punitio autem certa, reipſa non exequitur pro culpa dubia, aut mere præſumpta, ex reg. 49. jur. in 6. *In pœnalibus benignior eſt interpretatio facienda*; et ex l. *Factum*, § *In pœnalibus*, de pœnis.

3. Ex verbis conſtitutionis utriuſque; *Quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos.* Quæ quidem verba et notionem, ſive notitiam certam, et realitatem ſolicitationis important, juxta Pignatell. cit. § *Verum:* quod eſt incertum, non poteſt certo cognoſci, aut prudenter credi.

4. Ex c. *Eſtote*, 2. de reg. jur. *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda. Et in dubiis benignior interpretatio eſt facienda*, c. fin. de tranſact. et id præſertim in pœnalibus, ex reg. 49. jur. in 6. et *dum jura partium ſunt obſcura, favendum eſt potius reo, quam A.* Ita Roncagl. in caſu *veri dubii*, cum Manriq. et Bordon. qui quidem univerſaliter ait, *In dubio ſolicitationis, non eſſe onus denuntiandi; quia ex una parte quiſque ſuam poſſidet libertatem, et ex alia favendum eſt reo.*

5. A pari, ex doctrina Caren. et Pignat. § *Eſt tamen*; ubi requirunt notitiam *certam* de perſona, et *ſpecialem* de delicto: quare excuſatur à denuntiando, qui habet notitiam de auditu, *ſi non recordetur à quo audivit*; vel ſi is, à quo audivit, *non eſt fide dignus*, Sanctarell. Cordub. vel ſint perſonæ leves, quia talis notitia *non parit fidem.* Navarr. Portell. Leand. Delben.

XXVI. Oppones Pot. cum Dian. contrarium ſentientem, ex qualitate criminis hæreſim ſapientis. Sed contra, 1. Quia horum DD. auctoritas non evacuat, neque elidit auctoritatem, et probabilitatem, contrariæ opinionis. 2. Quia adverſariorum illorum DD. ſententia intelligenda eſt, quando, licet ſolicitatio non ſit certa, nihilominus vehementia indicia eam ſuadent, quo pacto huic ſententiæ adhæret cit. Roncagl. 3. Quia, non obſtante qualitate criminis, et certitudine ſolicitationis ex auditu à perſonis levibus, et non fide dignis, minime obligat ad denuntiationem; *quia*, ait Pot. n. 591. cum Cordub. et aliis, *non dicitur ſcire, qui audivit à perſona levi:* ergo ſimiliter. 4. Ex diſpoſitione c. *Qualiter, et quando*, 24. de accuſat. ubi admittitur *fama non quidem à malevolis, et maledicis, ſed à providis, et honeſtis.*

Non teneri etiam ad denuntiationem, qui audivit ſolicitationem ex auditu mediato, tenet idem Bordon. ex leg. 2. ff. de aq. pluv. arc. ibi; *Quod audis, niſi ſcire diceris:* ſi principalis denuntiavit: ſi perſona denuntiata excuſatur ex probabili opinione: ſi confeſſarius ſolicitans jam è vivis diſceſſerit: eo quod ceſſet finis emendationis: ſi ſcias confeſſarium ſolicitantem jam ſe præſentâſſe, vel exoneraſſe coram inquiſitoribus; vel ſi agnoſcas ſolicitationem ratione conſilii à te poſtulati; vel ſi tibi grave damnum inde venturum prudenter timeas, &c. tenent cum Bordon. cit. Pot. à n. 591. et reliqui DD. de quo etiam ſupr. alleg. 148.

XXVII. Deducitur, 8. Quod quamvis confeſſor teneatur monere pœnitentem ſolicitatam, ut ſolicitantem denuntiet cum diſtinctionibus, atque explicationibus, in bulla Benedictina ſupra extenſa expreſſis; attamen confeſſarius ſolicitans neque tenetur ſeipſum denuntiare, neque propriam pœnitentem monere, ut ipſummet ſolicitantem denuntiet, *quantum ex vi præcepti utriuſque bullæ.* Patet, 1. Ex verbis formalibus ipſius; *Quos noverint jam ab aliis ſolicitatos:* ergo non à ſeipſo. 2. Quia non tenetur propriæ infamiæ cooperari, cum ex præcepto naturali, ac divino, *curam habere*

habere debeat de bono nomine. 3. Quia non eſt verosimile, ſummum patrem, ac paſtorem, tam durum graveque præceptum confeſſori adverſus ſeipſum voluiſſe imponere, contra illud Supremi Paſtoris: *Jugum meum ſuave eſt, et onus meum leve.* 4. Ex iis, quæ Pignat. cit. conſ. 117. § *Sed quid*, ſupra extenſo, cum Delbene, dub. 237. ſect. 12. n. 13. ubi etiam limitat, quando confeſſarius in fraudem legis ageret modo ibidem expreſſo.

Alio autem § *In hoc autem*, ibidem ait idem Pignat. quod Pontifex non imponit pœnitentibus obligationem denuntiandi confeſſarios ſolicitantes, ſed illam ſupponit; ſolum enim mandat confeſſariis, ut pœnitentes ſolicitatos moneant de hac obligatione, quam non inducit, ſed ſupponit ex dictis S. Congregationis, et S. Officii, non ex peculiari ſtatuto hujus conſtitutionis, quicquid in contrarium dicat Caren. p. 2. tr. 6. n. 127.

XXVIII. Deducitur, 9. Quoad facultatem *procedendi cum teſtibus ſingularibus*, et conditionem ibidem, *dummodo præſumptiones*, &c. (quæ quidem modificatio, non conditionaliter, ut in hac conſtitutione Benedictina, ſed continuative in conſtitutione Gregoriana ponitur) pro ſufficientia harum teſtium ſingularium ad puniendum confeſſarium ſolicitantem, neceſſe omnino eſſe vel tres, ad minus, ut vult Caſtr. Pal. et Ortiz. vel quatuor omni exceptione majores, ut tenent alii cum illuſtriſſimo Acugna; vel plures, ut alii cum Leandr. Trullench. Sanctarell. et Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. pu. 5. n. 105.

Et inſuper opus eſt, ut coadjuvetur earum teſtimonium *præſumptionibus*, *indiciis*, *et aliis adminiculis*, quorum ſimultanei concurſus neceſſitatem importat clare conditio illa, *dummodo concurrant*: nam dictio hæc, *dummodo*, conditionem importat, quando jungitur ei, quod venit implendum, antequam actus perficiatur, l. *Tais*, § Statib. de fideicom. libert. de quo Menoch. conſ. 918. et Barb. de dictionib.

Quare mulierum complicum teſtimonium ſingulare, licet numerum ternarium, aut quaternarium adæquet, non eſt ſufficiens ad condemnationem, atque punitionem confeſſarii non diffamati, ſed bona fama ſuffulti, neque adverſus ſe contrarias præſumptiones patientis; tum ex defectu iſtius conditionis verificationis, aut purificationis; tum ex defectu majoritatis omnis exceptionis, jam ratione ſexus, jam ratione complicitatis; pro quo recole tradita alleg. 248. Caren. p. 2. tt. 6. n. 60. et Pignat. cit. conſ. 117. § *Secundo eſt advert.* et ſeqq. et Salmant. cit. tr. 21. n. 105. c. 4. ubi ſic: *Cum in tam gravi negotio pedetentim progredi ſit neceſſe; et ſciamus (proh dolor!) à confeſſariis virtutibus conſpicuis, fœminas eorum amore captas, non ſemel conſenſum expoſcere, et eos ad venerea curâſſe attrahere; quarum voluptati, et turpitudini, non acquieſcentibus confeſſariis minitâſſe, eos inquiſitoribus denuntiaturas; imo et hoc ita feciſſe. Sed quid non tentaverit fœminæ præceps furor!* Vide gloſſ. in c. *Fortis*, de verb. ſignif. v. *Varium.*

XXIX. Deducitur, 10. Quod quamvis præcipiatur confeſſariis monere pœnitentes ſolicitatos, ut denuntient confeſſarios ſolicitantes, non eis tamen præcipitur, ut pœnitentes negligentes non abſolvant. Pignat. vero, § *Atque ita*, ſic diſtinguit: Si pœnitens fuit negligens in denuntiando, et jam incurrit excommunicationem reſervatam; tunc confeſſarius nequit illum abſolvere ex impedimento reſervationis (niſi forte cenſuram ignoraverit, vel privilegio aliquo, quod non ſit regularium, neque bullæ Cruciatæ, de quo vid. Salmant. Lacr. et alios ſupr. cit.)

Si vero pœnitens eſt intra terminum, v. g. triginta dierum, prius debet denuntiare, quam abſolvatur, juxta Delbene; quod tamen non præcipitur in præfatis conſtitutionibus, neque in edictis inquiſitorum, neque in decr. Alex. VII. pro regularibus; imo ex bulla Benedictina ſufficit propoſitum, et promiſſio, etiam non jurata, denuntiandi; verbis ibi; *Niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes . . . vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.* Ubi nota contra ipſum Pignat. ibidem neque inſinuari, aut committi prudentiæ confeſſarii, ut quandoque pro ſecuritate denuntiationis abſolutionem differat.

XXX. Deducitur, 11. cum Caren. et Pignat. cit. § *Advertit*, Quod quamvis vulgata regula ſit, *legem fundatam in præſumptione* (qualis eſt hæc) *ea ceſſante, ceſſare etiam ejuſdem obligationem*; attamen in his edictis S. Officii judicium diſcernendi circa ſuſpicionem de fide, quæ reſultat ex præſumptione edicti, *non competit confeſſariis, ſed inquiſitoribus.* Quod quidem verum reputo erga *judicium diſcernendi circa ſuſpicionem:* quoad judicium autem diſcernendi, atque decidendi theologice *circa obligationem denuntiandi* pro foro interno, confeſſariis theologicis et juriſtis equidem competit, atque ex eodem fundamento valde probabiles æſtimare opiniones deobligantes à denuntiando confeſſarium nedum mortuum, ſed et reipſa, vere, et perfecte emendatum; præſertim ſi unica vice ſolicitaverit ex mera fragilitate, ſaltem in aliquo caſu gravi, et arduo, ut in illo alleg. 148. quam quidem opinionem ſuſtinent abſolute, et ſine reſtrictionibus præfatis, cum D. Anton. Leand. Sot. Nald. Molphef. illuſtriſſimus Acugna, et cum illo Freit. Port. Souſ. Peyr. Leza. Caſtr. Pal. Ledeſ. Sanct. Lug. Fagund. Trull. Lup. Hurt. Prad. et fatentur ſatis probabilem etiam DD. adverſarii; videlicet, Bordon. Fel. Pot. Salmantic. tr. 21. an. 75. et probabiliſſimam judicârunt cum limitationibus præmiſſis.

Prob. 1. Ex eo quod finis legis utriuſque conſtitutionis præjactæ ſit emendatio; qua ceſſante, ceſſat ejus diſpoſitio. 2. Quia hæc eſt ſeria mens Summi Pontificis in utraque conſtitutione, ut patet ex verbis; *Ne delictum remaneat impunitum.* 3. Quia licet finis hujus legis foret etiam terror, et cautela aliorum; huic fini melius conſulitur tacendo, quam publicando culpam occultam, et vere emendatam. Excipe in tradita doctrina hæreſim formalem, quam expreſſe excipiunt DD. cit. apud Salmantic. n. 75.

XXXI. Deducitur, 12. In his, et ſimilibus materiis, in eis, quæ ſpectant *ad forum internum*, ſentiendum eſſe cum theologis; in eis autem, quæ *ad forum externum* pertinent, cum juriſtis; ut patet ex illa deciſione S. Congregat. apud Sperell. dec. 129. de novitia illa Dominicana ad profeſſionem admiſſa, non integre adimpleto probationis anno, contra diſpoſitionem c. *Non ſolum*, de regularib. in 6. ex probabili opinione D. Antonini Sylveſtr. Paludani, et aliorum graviſſimorum theologorum; qua non obſtante, moniales admittentes declaratæ fuerunt ab ordinario loci in dictam juris cenſuram, et declaratio à S. Rotta in recurſu earum approbata: *quia poterant, et debebant conſulere canoniſtas potius, quam theologos*; eo quod foret quæſtio, et materia fori externi. Pro quo vide etiam Deluc. de uſur. diſc. 1. n. 6. et annot. ad concil. diſc. 26. n. 24. et tradita alibi.

XXXII. Deducitur, 13. Quod ſi detur opinio utrinque vere probabilis practice, an tale delictum, vel factum, ſit comprehenſum in prædictis conſtitutionibus? poſſit adhærens ſententiæ probabiliſtarum (cui nos adhæremus) ſequi ſententiam practice probabilem, quam maluerit; et maxime, ſi libertati faveat. Et tunc denuntiare non tenebitur. Imo in opinione probabilioriſtarum, ſi ſententiæ ſint æque probabiles, cum in tali caſu oriatur verum dubium, et in dubio nemo denuntiare tenetur; ex dubio namque nequit naſci obligatio certa; etiam à denuntiando excuſaberis. Ita Salmantic. cit. n. 95. pro præferentia autem opinionis probabiliſtarum probabilioriſtis, vide dicta c. 16.

XXXIII. Tandem, § *Et quoniam*, reſervat ſibi ſpecialiter peccatum illorum, qui *innoxios ſacerdotes, vel innocentes confeſſarios*, per ſe, vel per alium, *impie calumniando* falſo denuntiat, vel *ſceleſte procurat*, ut ab aliis calumnietur, aut denuntietur, præter finem vitæ, et mortis articulum. Non tamen pro hac abſolutione ſpecialiter, et expreſſe revocat privilegium bullæ Cruciatæ, aut jubilæi; ſicut in diſpoſitione ſequenti pro ſacerdotibus, complices in peccato inhoneſto abſolventibus.

Sect. II.

Pro ſecunda diſpoſitione, quoad revocationem et denegationem juriſdictionis confeſſario pro ſuſcipienda confeſſione ſacramentali complicis in peccato inhoneſto.

XXXIV. Nota, 1. Summum Pontificem, § *Demum*, hos quidem confeſſarios, *dæmonis potius, quam Dei*

Dei miniſtros ibidem appellare; atque adeo eos juriſdictione abſolvendi complicem, præterquam in mortis articulo, et tunc *deficiente alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit*, penitus, et abſolute privat; et nullam declarat abſolutionem à tali collatam, et confeſſarium ipſum, taliter abſolventem, incurſum in pœnam majoris excommunicationis ſibi ſpecialiſſime reſervatæ, et nullius privilegii, etiam bullæ Cruciatæ, aut jubilæi, abſolvendæ.

Nota, 2. Per verba illa, *Deficiente alio ſacerdote*, &c. videatur excludi ſacerdotem ſimplicem, et non ad confeſſiones approbatum; hic enim eas, et confeſſoris munus, actu obire non poteſt: attamen in ſecunda bulla diſponitur, ut *ſacerdos ſimplex poſſit confeſſionem excipere*, et abſolutionem impertire pœnitenti, in mortis articulo, præferendo illum confeſſario complici, etiam ad confeſſiones actu approbato, quem quidem ad abſolutionem complici impertiendam iterum interdictum declarat.

XXXV. Nota, 3. Licet in caſu veræ infamiæ, vel ſcandali, quod oriatur, aut interſit ex vocatione alterius ſacerdotis abſentis, quaſi ſi revera deficeret, tunc non prohiberi ſocio criminis ſacerdoti, pœnitenti complici abſolutionem impertire; animadvertit tamen, talem confeſſarium *fore reum gravis inobedientiæ adverſus prædictam conſtitutionem, et obnoxium pœnis in ea latis, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula fingat, ubi non ſunt.* Si tamen non ſint omnino certa, ſed probabilia, imo et aliqualiter dubia cum fundamento, non videtur comminatas pœnas incurrere; tum quia eſt materia odioſa, et debet reſtringi; tum quia ſcandalum probabile jam ſcandalum dubium eſt, et clauſula præmiſſa illud non requirit certum; tum quia dubium ſtat cum probabilitate, neque illam, quod probabile tantum eſt, excludit, ſed neceſſario includit; tum denique, quia verba legis ſolum expreſſe infamiam, aut ſcandalum *ultro confictum* excludunt: dubium autem, cum fundamento in re, non eſt ultro confictum. Vide ſupra tradita; et tandem, qui cum tali dubio in re fundamentum habente, operatur, non temere, aut *auſu temerario*, operatur; quam circumſtantiam pro reali incurſione pœnarum, lex ipſa ultimo exprimit. Vid. etiam Gob. cit. tr. 7. n. 582.

Nota, 4. Aliam obligationem gravem ipſi confeſſario complici declarare, et *ſtricte præcipere* exequendam; videlicet, *Antevertendi, quantum in ſe erit, vel removendi, opportunis adhibitis remediis, pericula illa, ut pateat locus cuilibet alteri ſacerdoti* (etiam ſimplici, ſubintellige) *ad confeſſionem illam abſque ullius infamia, vel ſcandalo, audiendam.* Nota particulam illam *ullius*; quæ inſinuare videtur, ſufficere ſcandalum, et infamiam cujuſlibet; et non eſſe neceſſarium, quod infamia ſit ipſius pœnitentis, vel ſacerdotis dumtaxat. Quod ulterius confirmatur ex verbo ipſo *Scandalum*; quod quidem neceſſario, et præſertim, reſpicit perſonas alias ab ipſis confeſſario et pœnitente.

XXXVI. Nota, 5. Sufficere quodlibet ſcandalum verum, non fictum; vel ſcandalum ipſum vulgare ſit, quod conſiſtit in nota, vel admiratione, aut indignatione vulgi; vel theologicum, conſiſtens in occaſione alicujus ruinæ ſpiritualis cujuſvis, de quo Buſemb. l. 2. et Lacr. ad illum, n. 221. vel ſcandalum ipſum ſit puſillorum, vel etiam Phariſaicum: 1. Quia lex non diſtinguit. 2. Quia cum in hac clauſula, ſive exceptione, favorabilis ſit, amplianda venit. 3. Quia plus infamat extrinſece (ex mala pravorum hominum interpretatione, ac diſpoſitione, omnia in reprobum ſenſum contorquentium, et libere, atque effræne obloquentium) ſcandalum Phariſaicum, quam puſillorum. Cum autem ſufficiat verum periculum infamiæ, ut ſacerdos complex in mortis articulo abſolutionem licite, et valide impertire queat; dicendum eſt abſolute, id etiam poſſe, quamvis verum ſcandalum ſit Phariſaicum dumtaxat, dummodo ſit verum, et non fictum.

Nota, 6. Summum Pontificem declarare tamen validam abſolutionem impertitam à ſacerdote complice, pro mortis articulo, pœnitenti rite diſpoſito, etiamſi ſacerdos ipſe *nulla gravi neceſſitate compulſus*, nullove *infamiæ*, aut *ſcandali* periculo intercedente, *ſeſe ingeſſerit*; *cum pro formidando mortis articulo, eidem ſacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac occaſione ipſa aliquis pereat*, minime intendat: nihilominus ſacerdos ipſe auſu temerario ejuſmodi legem violans, pœnam excommunicationis, et reliquas in illa latas incurret, et incurſum eo ipſo tandem declarat. Quæ quidem pœnæ ut pro foro externo ligent, prolatione ſententiæ indigere, probabile eſt ex traditis communiter per DD.

XXXVII. Nota, 7. Quod quamvis hæc ſecunda conſtitutio loquatur expreſſe de *mortis articulo* dumtaxat, quinetiam ampliet *ad mortis periculum*; attamen de utroque probabiliter intelligenda eſt, et ampliative uſurpari.

1. Ex probabili ſententia, quam tenent P. Corell. Fr. Valentin. in for. Lacr. ad Buſemb. l. 6. p. 2. n. 1561. cum Palud. Sylv. Nugn. Medin. Suar. Vaſq. Sanch. Laym. Averſ. Con. et aliis.

2. Quia *in jure, quoad hanc rem, pro eodem ſumuntur periculum, et articulus mortis*, c. 29. *Siquis, ſuad.* 17. q. 4. c. *Eos, qui*, de ſent. excom. in 6.

3. *Quia pia mater eccleſia non præſumitur velle exponere aliquem periculo probabili damnationis.*

4. Ex vulgari regula, *Favores ſunt ampliandi*, et *Beneficia principum latiſſime ſunt interpretanda, quando non ſunt præjudicialia tertio*, ex l. 3. ff. de conſt. princip.

5. Ex mente ipſius bullæ, *ne aliquis pereat*; et ex alia bulla, *Apoſtolici muneris*, in confirmationem ac declarationem præcedentis editæ, atque ex ejus exordio, necnon ex aliis clauſulis; præſertim ex illa, *alterutræ extremæ parti, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis, occurrens.*

6. Ex doctrina Gob. tr. 7. n. 582. ſupr. tranſcripta.

Quid tamen dicendum extra mortis articulum, aut periculum, ubi conſtitutio illa publicata eſt, ut in patriarchali Ulyſſiponenſi?

XXXVIII. Reſp. 1. Dependere reſolutionem quæſiti ab examine, ac diſcuſſione, an Summus Pontifex in illa conſtitutione, *Sacramentum pœnitentiæ*, voluit ſuſpendere, vel revocare, juriſdictionem confeſſarii complicis pro omnibus peccatis, etiam venialibus ſocii pœnitentis, an pro ſolis peccatis inhoneſtis, ſexto mandamento attinentibus? ſeu, quod idem eſt, an voluerit privare talem confeſſarium juriſdictione pro peccato inhoneſto dumtaxat; an pro reliquis, etiam venialibus complicis, aut ſocii inhoneſti peccati?

Pro prima intelligentia abſoluta videtur facere clauſula illa, *Confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi*, &c. unde videtur afficere *perſonam complicem* pro abſolutione abſoluta cujuſvis peccati.

XXXIX. Pro ſecunda vero intelligentia reſtricta faciunt verba ſubſequentia; *Sublata propterea illi, ipſo jure, quacunque auctoritate, et juriſdictione, ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam:* in quibus reſtringitur ablatio juriſdictionis, non ad abſolutionem perſonæ ſimpliciter, et abſolute, ſed ad abſolutionem perſonæ *ab hujuſmodi culpa*; videlicet, *peccati turpis, et inhoneſti, contra ſextum decalogi præceptum.* Quæ quidem ſecunda intelligentia primæ præferri videtur; 1. Ex ipſis formalibus verbis. 2. Ex odioſitate materiæ, quæ, ut talis, reſtringenda eſt, et minime amplianda. Qua quidem ſecunda intelligentia ſuppoſita;

XL. Reſp. 2. In illo caſu figurato, cum ſacerdos approbatus non careat juriſdictione pro reliquis peccatis complicis pœnitentis abſolvendis, ſed tantum pro turpibus, atque inhoneſtis reſtricte; dicendum eſt, poſſe valide abſolvere directe talem pœnitentem à reliquis peccatis, ad quæ ipſius juriſdictio non eſt ablata; indirecte vero peccatum inhoneſtum complicitatis, ſi adſit neceſſitas confitendi, et periculum verum, et non fictum, gravis infamiæ, ſcandali, aut alterius damni infallibiliter inſequendi ex genere illorum, quæ licitam reddunt dimidiationem materialem confeſſionis, juxta communem ſententiam DD. infra citandorum.

Prob. 1. Quia nec ſemper obligat præceptum integritatis materialis confeſſionis; et poteſt hæc in multiplici caſu dimidiari ſecundum commune DD. placitum: et, 1. Quando datur periculum gravis infamiæ proximi, aut gravis damni corporalis, aut ſpiritualis; v. g. (ait Buſemb. l. 6. 2. p. a. 2. dub. 3. n. 5.) *Tertio, Quando ex confeſſione certi peccati, vel circumſtantiæ,*

ſtantiæ, timetur merito grave damnum proximi, vel alienum, ſive confeſſarii, ſive alterius, corporale, vel ſpirituale, poteſt id reticeri. Ratio; Quia præceptum divinum, de integritate, non obligat cum tanto incommodo; quod tantum eſſe poſſet, ut peccares confitendo; v. g. Si ſacerdos certum peccatum ſit revelaturus (intellige cum Kon. quod pœnitens ipſe non teneatur revelare). 2. Si ſciat, v. g. mulier, ex certo peccato ſibi, vel confeſſario, fore periculum ruinæ. 3. Si pœnitenti inde immineat grave damnum, vel periculum vitæ, vel famæ: in his autem caſibus videtur requiri neceſſitas confitendi; v. g. ob communionem annuam, vel ſi longo tempore alioquin eſſet differenda, Filliuc. Lug. ubi monet talia damna, aut pericula, non facile fingenda eſſe; et quidem, in religioſo, vix poſſe locum habere.

Item apud Salmant. to. 1. de pœnit. tr. 6. c. 8. pu. 5. n. 126. *An quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non poteſt hic, et nunc, confiteri, niſi detegendo peccatum, et perſonam complicis, quæ nota eſt confeſſario; v. g. ſi quis peccaverit cum ſua ſorore, quæ confeſſario nota eſt; poſſit, et debeat, integram confeſſionem facere? &c. Prima ſententia docet pœnitentem poſſe reticere peccatum, imo et debere. Ita Viguer. Dicaſt. Navarr. Bañes, Rodrig. Marſil. Villalob. Lop. Medin. Cruz, Fabr. Dia. Sot. et alii.* Et tr. de euchariſt. ibidem, c. 7. pu. 2. n. 36. et ſeqq.

XLI. 2. Ex doctrina communi DD. aſſerentium pœnitentem habentem peccatum reſervatum, et inſtante neceſſitate confitendi, poſſe inferiori confeſſario non habenti facultatem ad abſolvendum à reſervatis (ſi non pateat aditus ad ſuperiorem) vel ſola peccata non reſervata confiteri, ut tenet Pal. Franc. Soar. Luſit. Nunn. et alii apud Salmantic. vel etiam reſervata cum non reſervatis, ut docent Sot. Ledeſ. Lug. Filiuc. et ipſi Salmantic. de euchariſt. tr. 1. c. 7. n. 36. à quibus omnibus tunc abſolvitur, à non reſervatis quidem, ad quæ talis confeſſarius juriſdictionem habet *directe*; à reſervatis autem, ad quæ juriſdictionem non habet, *indirecte*; cum obligatione tamen hæc ſuperiori, vel ejus legato, vel confeſſario alteri juriſdictionem in illa habenti, directe ſubjiciendi per ſe, vel per alium, ut monent Stoz. Card. Valent. Az. Henr. Sanch. Tambor. Dicaſt. Spor. Viv. ad prop. 7. Alex. VII. et alii ap. Lacr. l. 6. p. 2. n. 1697. et 1679. ergo ſimiliter, &c.

XLII. Reſp. 3. In ſuppoſitione, quod Summus Pontifex in hac conſtitutione revocaret facultatem illius confeſſarii pro omnibus peccatis pœnitentis complicis in peccato turpi, et inhoneſto abſolute, videtur probabile, quod, inſtante neceſſitate confitendi extra mortis articulum, v. g. inſtante tempore ſatisfaciendi præcepto annuæ confeſſionis, vel communionis, vel alia conſimili, et interveniente gravi ſcandalo, aut infamia vera, oritura ex confeſſione facienda cum altero ſacerdote, poſſit tunc pœnitens valide confiteri confeſſario complici venialia, à quibus directe abſolvatur, et indirecte à peccatis inhoneſtis. Ita in ſimili caſu Gob. tr. 7. n. 359.

XLIII. Prob. 1. Quia quilibet ſacerdos habet facultatem in ordinatione ſua acceptam ad abſolvendum valide à venialibus, et à mortalibus jam confeſſis, imo et licite, data rationabili cauſa; quam Summus Pontifex non intendit revocare, neque ſuſpendere ſimplicibus ſacerdotibus per illam juriſdictionis ſubtractionem, ſed facultates, ſive approbationes, aut deputationes ſupervenientes juriſdictioni, ſive facultati ipſi generali in ordinatione acceptæ, ut conſtat ex verbis revocationis ipſius, et aliis ejuſdem conſtitutionis clauſulis; ſignanter, *Deficiente tunc quocunque alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit . . . ſublata propterea illi, ipſo jure, quacunque auctoritate, et juriſdictione . . . nulla, atque irrita omnino ſit, tanquam impertita à ſacerdote, qui juriſdictione, et facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit.*

2. Quia facultas hæc, quamvis ſit poteſtas juriſdictionis, eſt veluti dimanans à poteſtate ordinis, et illam conſequens, ex Pontificali Romano: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, et baptizare*; ubi in verbo *benedicere* continetur poteſtas abſolvendi; quod et ex rit. Rom. tit. de ſacram. pœnit. innoteſcit: *Si approbatus deſit confeſſarius, quilibet ſacerdos poteſt à quibuſcunque cenſuris, et peccatis, abſolvere.*

Confirmatur ex doctrina Buſemb. l. 6. p. 2. dub. 3. n. 1548. et ex Lacr. ad illum, n. 1549. docentium, quod hæc *poteſtas juriſdictionis*, licet à poteſtate ordinis *diſtincta, datur per ſacramentum ordinis omni ſacerdoti, à quo nec tolli poteſt.*

3. Quia, ſuppoſita vera probabilitate, eccleſia ſupplet, et confert juriſdictionem, ut eſt commune apud Carden. in prop. 2. Innoc. XI. p. 4. curſ. moral. Salmantic. to. 1. tr. 6. c. 9. pu. 4. compilat. in d. prop. et DD. laudatos alleg. 146. et alibi.

Atqui in hoc caſu datur vera probabilitas, tam intrinſeca, quam extrinſeca, &c. ergo.

Oppon. 1. Pro Salmantic. cit. de euchariſt. n. 37. negantibus cum Nunn. Ledeſ. Coninch. Regin. Lug. et aliis, pœnitentem non habentem peccata mortalia, niſi reſervata, poſſe etiam, in caſu urgentis neceſſitatis, venialia confiteri inferiori ſacerdoti, ut ab his directe abſolvatur, et indirecte à mortalibus; *quia*, inquiunt, *confeſſio venialium non videtur obligare ſub præcepto*: ergo, &c. quod etiam confirmari poteſt ex doctrina Lacr. l. 6. p. 2. n. 2039.

Reſp. 1. Quod quamvis quis non teneatur *per ſe, et directe*, ad confeſſionem venialium, tenebitur *per accidens, et indirecte*; v. g. ſi inſtet præceptum annuæ confeſſionis, vel alias à ſuperiore juſte juſſæ, vel in mortis periculo, &c. juxta doctrinam communem, de qua Buſemb. l. 6. p. 2. et S. Bonav. Aleſ. Nugn. Rhod. Averſ. et aliorum apud Lacr. ibi, n. 2038.

Reſp. 2. Etiam in caſu præmittendæ confeſſionis pro communione præcepta adimplenda, ipſoſmet DD. Salmantic. ibidem limitare: *Si tamen exiſtimas te non eſſe contritum, ſed ſolummodo attritum, obligaris ad confitendum venialia ex lege præſcribente ſancte ſuſcipiendum ſanctum ſanctorum*, &c. Lacr. autem cit. n. 2039. loquitur de *excuſatione confitendi unicum mortale ob periculum gravis damni, ſecundum Suar. et Dia.* et de obligatione per ſe confitendi venialia. Trid. etiam ſeſſ. 14. c. 5. de pœnit. quatenus ait, *non eſſe præceptum confitendi venialia*, loquitur etiam de obligatione per ſe. Imo Lug. Stephan. Caſtropal. et Gorm. conſulunt, melius eſſe tunc confiteri venialia pro abſolutione directa, et mortalia pro indirecta, ap. Lacr. ibidem.

Oppon. 2. Prohibitum eſt ſacerdoti ſimplici excipere confeſſionem etiam materiæ ſufficientis; v. g. peccatorum venialium, vel mortalium jam in confeſſione expoſitorum, ut patet ex decr. Innoc. XI. ap. Lacr. l. 6. p. 1. n. 665. et apud Corell. et Salmantic. to. 1. tr. 6. c. 4.

Reſp. 1. Non eſſe prohibitam *quoad validitatem*, ſed *quoad licitudinem*, ex verbis formalibus ipſius decr. *Nulli liceat*, vel *Non permittatur*. Ita Corell. Fr. Valentin. Carden. Sporer, et alii apud cit. Lacr. n. 1489.

Reſp. 2. Hanc abſolutionem ſecundum ſe, et ſimpliciter, illicitam, ex contingenti, et ex juſtis circumſtantiis; videlicet, ſi inſtet magnum jubilæum, vel ſolemnis communio in magna feſtivitate, ut in feria quinta majoris hebdomadæ, vel in die ſolemni Paſchatis; ſi periculoſum iter, vel navigationem arripias, citra terminos tamen mortis periculi; ſi aliquod tibi damnum grave ſequatur, aut infamia, vel aliorum ſcandalum, ex defectu communionis, vel confeſſionis, &c.

Opp. 3. Magis obligat præceptum naturale propriæ charitatis, quæ *à ſeipſo incipit*, ad propriam famam conſervandam, quam ad alienam; et tamen mulier ſolicitationi confeſſarii aſſentiens illum denuntiare tenetur, non obſtante implicita denuntiatione ſui ipſius, contra propriæ charitatis præceptum, de quo alleg. 147, 148. Ergo etiam ex conſultatione propriæ famæ, atque ex timore gravis infamiæ, nemo licite poterit deeſſe gravi præcepto integritatis materialis confeſſionis; ac per conſequens, &c. Confirmatur ex doctrina Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 4. pu. 4. n. 67. aſſerentium magis obligare præceptum integritatis materialis confeſſionis, quam denuntiationis confeſſoris ſolicitantis.

Reſp. 1. Negando illam obligationem in fœmina ſolicitationi conſentiente, juxta ſtabilita alleg. 147, 148. imo ex hoc argumento confirmari reſolutionem

ſibi traditam; eo quod magis obliget præceptum integritatis materialis ſacramenti pœnitentiæ, quam denuntiandi confeſſarium ſolicitantem. Et tamen ex præcepto naturali charitatis alienæ poteſt quis licite, imo tenetur, deficere obſervationi præcepti integritatis materialis confeſſionis illam dimidiando, ne proximus infametur: ergo multo magis ex præcepto charitatis propriæ, ne ipſe gravem infamiam incurrat.

Reſp. 2. Negando aſſertum illud Salmanticenſium; qui quamvis, ut vim iſtius argumenti enervent, negent abſolute, magis obligare præceptum integritatis materialis confeſſionis, quam præceptum denuntiationis ſolicitantium confeſſariorum; contrarium tamen verum omnino eſt: 1. Quia præceptum denuntiationis eſt tantum extrinſecum, et ab homine; præceptum vero integritatis materialis ſacramenti eſt etiam intrinſecum, et à Deo. Primum tantum à lege prohibente; ſecundum autem etiam ex natura rei, et à naturali ratione dictante, *Sancta ſancte tractanda, atque perficienda.* In primi præcepti tranſgreſſione ſola fractio legis poſitivæ humanæ intercederet abſque ulla macula ſacrilegii, vel ſacramenti nullitatis; in ſecundi vero tranſgreſſione, nedum fractio legis divinæ, ſed et legis naturalis, et malitia ſacrilegii, cum nullitate, fruſtraneitate, fœditate, atque deturpatione ſacramenti ipſius, et cum eventu contrario fini à Chriſto Domino in ipſo ſacramento intento; videlicet, aſſecutionis, et augmenti gratiæ, atque peccati expiationis, quo denuo, ac deformius, dupliciter fœdaretur, &c.

Recole tamen doctrinam Gob. tr. 7. n. 582. ſupr. tranſcriptam pro abſolutione etiam directe in circumſtantia gravis pudoris, et ſcandali, pugnantem.

Optarem tamen ego ſerio, et ſincere, ut ſanctiſſimus P. hujus conſtitutionis rigorem moderaretur, ſicuti in aliis effecit, vel eam reſtringendo ad eos confeſſarios, qui de induſtria pœnitentium complicum in re venerea confeſſiones excipiunt, ne pudoroſam confeſſionem apud alios emittant, et ab ea ſordida occaſione exurgant, vel ad ſecundam, aut tertiam reincidentiam in caſuali lubricitate ex fragilitate citra protervam contumaciam, præſertim gravi inſtante circumſtantia infamiæ, ſcandali, aut alterius ponderoſi periculi, ut ſupra inſinuatum remanet, et docet Gobat. cit. tr. 7. n. 582.

ALLEGATIO CLIII.

Opportune digreſſiva, ſive regreſſiva, partim in Conſequentiam contentorum in Alleg. 136. *erga Neceſſitatem, ac Licitudinem, Repetitionis Sacramenti Baptiſmi in prudenti Dubio Valoris illius; partim in Proſecutionem præmiſſorum Alleg.* 148.

SUMMARIUM.

I. *Occaſio reſcribendi, et materiam hanc iterandi.*
II. *Baptiſma ſub conditione iteratum improprie* rebaptizatio *appellatur.*
III. *Hæc iteratio eſt incompetens S. Officio.*
IV. *Epiſcopus de jure eſt judex ordinarius in quæſtionibus de facto contra hanc repetitionem.*
V. *Illa incompetentia ſuppoſita, certa remanet uſurpatio juriſdictionis ordinariæ, et pontificiæ, in contraria ſententia.*
VI. *Alia inſuper offenſio politica in illa ſententia reperitur.*
VII. *Sententia illa in aliquo à reali veritate deficit.*
VIII. *Quænam ſufficiant, ut licite detur reiteratio baptiſmi ſub conditione? et,* 1. Suſpicio probabilis. 2. Defectus teſtimonii. 3. Infeſtatio dæmonis. 4. Agitatio ſcrupulorum. 5. Dubium de valore ex quocunque capite. 6. Probabilia indicia excludentia certitudinem.
IX. *Alia clauſula ſententiæ notata ex non debito parendi ordinario in illis reiterationibus* ſub conditione.
X. *Adverſantes objectiones, uſque* 8,
XI. *Retunduntur, et convincuntur.*
XII. *Quid quoad confictiones?*
XIII. *Et quid quoad revelationes?*
XIV. *Et quid quoad tertiam rebaptizationem?*
XV. *Ponderantur prudentes circumſtantiæ.*
XVI. *Ad argum. de revelationibus.*
XVII. *Confeſſio rei præciſe, non damnat complicem.*
XVIII. *Ad paritatem executoris judicis ſæcularis.*
XIX. *Retorſio ex definitione conciliari.*
XX. *Baptiſmus adultorum dependet eſſentialiter ab intentione ſuſcipientis.*
XXI. *Pœnæ incurruntur à temere rebaptizante, non vero ab iterante* ſub conditione *cum probabili fundamento.*
XXII. *Hoc ſufficienter datur in baptizatis ſacerdotibus, à Judæis, et à Saracenis, deſcendentibus.*
XXIII. *Nulla ex vexatis rebaptizatis ſimulata, aut ficta quoad vexationem reperta fuit.*
XXIV. *In peccatis luxuriæ generice datur parvitas materiæ.*
XXV. *Imo et in materia ſolicitationis.*
XXVI. *Ad proceſſum S. Officii ſufficiunt inhoneſti ſermones intra confeſſionem, vel extra cum ſimulatione confeſſionis, etiam in confeſſionali.*
XXVII. *Non obſtante disjunctiva* aut, *particula* ſimulantes *refertur ad omnia præcedentia, quæ reguntur ab eodem verbo* audire.
XXVIII. *Pontifices in hac materia nec ſemper proceſſerunt ampliative.*
XXIX. *Cur clauſula reſtrictiva,* temerario auſu, *non referatur ad omnia præcedentia in diverſa oratione concepta?*
XXX. *Ultimo notanda ex doctrina Gobat. tranſcripta.*

I. CUM ex conſpiratis denuntiationibus de aliquibus baptiſmatum *ſub conditione,* ordine meo, repetitionibus (de quibus alleg. 136.) S. Officii Eborenſe tribunal ad capturam cujuſdam boni, ac recti ſacerdotis, *Petri de Souſa Lobo,* qui munere ordinarii confeſſarii monialium Immaculatæ Conceptionis oppidi Loulæi, ordinariæ meæ juriſdictioni ſubditarum, merito fungebatur, ob iteratas illas baptiſmi adminiſtrationes, licet ſuperioris juſſu adminiſtratas, tandem die 12. Maii in aula S. Officii Eborenſis Inquiſitionis, actione privata, per finalem ſententiam damnatus apparuit *in privationem perpetuam muneris confeſſoris monialium earum, et in ſuſpenſionem triennalem ab exercitio ordinum ſuorum, et in exterminium à diœceſi per octo annos cum abjuratione de levi,* &c. Qua quidem ſententia recitabatur (atque etiam in margine illius culparum elenchi, vel ſummarii) has illi infligi pœnas ob culpas *rebaptizandi varias perſonas, et aliquam earum bis, et ter, abſque fundamento attendibili, dubioque probabili*; et in proceſſu ipſo formali, addebatur (ut audientes tradiderunt uniformiter, ſed adhuc creditu difficile) quod quamvis ſe excuſare prætenderet, eo quod legitimi ſui ſuperioris juſſu baptiſmata illa reiteraſſet, *in hac materia ſuperiori illi minime parere tenebatur.* Ad cujus quidem ſententiæ fundamenta, pœnarumque exceſſum, *omnium, qui audierunt, tinnierunt ambæ aures eorum,* ex notoria incompetentia, et ordinariæ juriſdictionis uſurpatione, atque offenſione; necnon ex aliis, quæ ſeſe oculis prudentum offerunt. Igitur—

SECT. I.

Quid juris in illo judicio, ac proceſſu?

II. Dico, 1. Improprie, atque indebite, ſententia illa eas baptiſmatis *ſub conditione* repetitiones, *rebaptizationes* appellabat. Ita Pignatell. conſ. nov. 115. § *Sed an incurrat ille, qui rebaptizat temere ſub conditione, etiam mente concepta, id eſt, ſine dubio probabili? Negat communior ſententia TT. quia iſte non intendit rebaptizare, neque formaliter rebaptizat.*

Proba-

Probatur facile; Quia qui baptiſmum repetit *ſub conditione*, non rebaptizat; nam *rebaptizare* formaliter, eſt baptiſmum abſolute iterare, ſive iterum dare: atqui baptizare conditionate, non eſt abſolute baptizare: deinde qui conditionate baptizat, eo animo, eaque intentione repetit baptiſmum, ut ſi jam reipſa extet, non intendat ſacramentum efficere, ſed ſolo caſu, quod reipſa non detur: ergo cum efficientia ſacramenti ab intentione miniſtri eſſentialiter dependeat, qui conditionate baptizat, formaliter non rebaptizat, cum non repetat, neque reiteret ſacramentum, niſi caſu, quo re non exiſtat.

III. Dico, 2. Incompetenter tribunal S. Officii materiam hanc circa ſacramenti hujuſce, et aliorum adminiſtrationem, contra proprii ordinarii judicium, judicare agreſſum eſt; atque adeo cum notoria juriſdictionis ordinariæ offenſione, atque uſurpatione. Ita DD. infr. cit.

Prob. 1. Quia adminiſtratio ſacramentorum, et ſignanter adminiſtratio ſacramenti baptiſmatis, pertinet privative juriſdictioni ordinariæ, in tantum, ut, *etiam in hæreticis ſponte comparentibus, non S. Officium, ſed ordinarius, ſupplet defectum baptiſmi*, ait Pignat. conſ. nov. 36. et ratio eſt, 1. Quia *epiſcopo primo, et per ſe, competit officium baptizandi*, Barb. de par. c. 9. *deinde parocho, qui in actu curæ animarum gerit vices epiſcopi*. Barb. cit. Abr. de par. l. 2. c. 13. ſ. 3.

2. Quia epiſcopus, ex vi ſuæ ordinariæ juriſdictionis, eſt proprius miniſter ſacramenti baptiſmi in ſua diœceſi, velut Summus Pontifex in univerſo orbe, Cleric. dec. 35. de bapt. Abreno, l. 2. c. 4. q. 2. n. 50. ex c. *Ad hominem*, de auctorit. et uſ. pall. Pelag. de planct. eccleſ. l. 1. c. 50. Baruf. ad rit. Rom. tit. 2. n. 18. Trid. ſ. 22. c. 1. de ref. quare epiſcopus in diœceſi ſua non ſolum appellatur *Pontifex*, et *Summus Sacerdos*, atque *Princeps eccleſiæ* (c. *Pontifex*, q. 1. c. *Meſſan.* de elect. c. *Quia peric.* de ſent. excom. in 6. gl. in c. *Eccleſ.* 35. d.) ſed et *Pontifex Maximus* (c. *Cleros*, v. *Pontifex*, d. 21. c. 1. de ſacr. un. c. ult. 33. q. 1. Arſdek. p. 2. in notit. gener. dogm. verb. *Baptiſmus*).

IV. Prob. 3. Quia epiſcopus de jure, ex vi ſuæ ordinariæ juriſdictionis, eſt ordinarius judex in regularibus, atque ordinariis dubitationibus, quæ de facto occurri poſſunt in adminiſtratione baptiſmatis, atque illius defectibus, Cleric. cit. rit. Rom. de miniſt. bapt. et tit. de bapt. parvulor. et adultor. ibi: *Niſi rationabili de cauſa aliter epiſcopo videatur*. Ubi Baruf. et tit. 2. n. 18. Barb. cit. &c. cum Abr. de par. tr. 9. ſ. 4. et Gobat. tr. 2. n. 729. Rotar. in appar. c. 9. ſ. 7. n. 27. *In caſu ergo baptiſmi iterum conferendi, conſulat parochus ordinarium, eique caſum exponat*; utique ut judici competenti: ergo. Vid. etiam Gobat. t. 2. à n. 726.

Quod quidem jus confirmatur de facto ex omnibus conſtitutionibus diœceſanis, in quibus prælati ordinarii multa conſtituunt, ac decernunt legiſlative circa iſtius ſacramenti adminiſtrationem, et illius valoris emergentes dubitationes, ſancientes quando *abſolute*, quando *ſub conditione*, et quando taliter, vel taliter, repeti debeat, vel poſſit, &c. Et profecto, ſi aliquod de facto dubium inter parochos, aut doctos, oriretur, an hic, et nunc, tale baptiſma conferri deberet, vel repeti ſub conditione, necne? ad epiſcopum ſane, ut ad proprium judicem, præſertim in difficultate recurſus ad Sedem Apoſtolicam, juſte recurreretur, juxta DD. cit. et rit. Rom. ergo.

V. Dico, 3. Suppoſita incompetentia tribunalis S. Officii, et competentia juriſdictionis ordinariæ, certa remanet, nedum uſurpatio juriſdictionis iſtius, quinimo, et uſurpatio juriſdictionis Summi Pontificis, quatenus ſententia S. Officii judicavit animoſe, non adfuiſſe *attendibile fundamentum, aut probabile dubium*, quæ ordinarius adeſſe judicaverat, ad illas repetitiones prudenter faciendas.

Prob. prima pars; Quia *uſurpare*, eſt quaſi *uſu rapere*, vel *uſu capere*; et in materia juriſdictionis tunc datur uſurpatio, quando *aliquis contra rationem jus alienum, uſum, vel conſuetudinem, capit, invadit, præſumit, vel ſibi arrogat*; juxta Alex. Scot. Alberic. et alios, verb. *Uſurpatio*. Atqui in hoc caſu tribunal Inquiſitionis ſibi arrogavit, et uſu cepit, ac rapuit, jus ordinariæ juriſdictioni legitime, et privative, utpote in materia ſacramentorum adminiſtrationis, minime competens reſtrictæ illius delegatæ juriſdictioni, quæ tota verſatur circa hæreſim, et hæreſis notas ſuſpiciones: ergo.

Prob. ſecunda pars, 1. Quia ſolus Summus Pontifex eſt ſuperior legitimus juriſdictionis ordinariæ epiſcoporum, non vero particularia S. Officii tribunalia: atqui tribunal iſtud contra legitimum judicium competens præſulis ordinarii in materia illi privative competente, judicando non adfuiſſe fundamentum attendibile, neque dubium probabile, ſeſe illi quaſi ſuperiorem exhibuit, atque evexit: ergo uſurpavit, atque uſu rapuit, ſuperioritatem, atque juriſdictionem Summi Pontificis propriam.

Prob. eadem pars, 2. Quia etiam reſpectu juriſdictionis delegatæ Inquiſitionum particularium territoriorum, diœceſum, prælati diœceſani, ſive epiſcopi, etiam titulares, ſunt omnino exempti à juriſdictione, cognitione, ac proceſſu inquiſitorum (aliter dicendum reſpectu tribunalis Supremæ Inquiſitionis univerſalis eminentiſſimorum cardinalium, de quo ſuperius late, alleg. 140.); et nequeunt procedere, vel cognoſcere, adverſus epiſcopos, etiam ut cauſam inſtruant, vel Romam remittant, ex c. *Inquiſitores*, et Trid. ſeſſ. 24. c. 5. de reform.

Ergo, etiam dato, quod materia adminiſtrationis ſacramenti baptiſmatis aliquo modo competeret juriſdictioni delegatæ inquiſitorum, minime procedere valerent, inconſulto Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione, annullando, infirmando, vel reprobando, quod prælatus ordinarius, ab eorum cognitione, ac proceſſu, omnino exemptus, competenter ordinario ſuo jure, ac juriſdictione, approbârat, atque decreverat: ergo uſu cepit, vel uſurpavit, ſupremam juriſdictionem Summi Pontificis, vel Inquiſitionis Supremæ eminentiſſimorum cardinalium.

Confirmatur à pari; Quia ſanctiſſimus P. Bened. XIV. per ſuam providam conſtit. *Suprema*, de qua alleg. 147. ſuper edicto eminentiſſimi domini cardinalis inquiſitoris generalis Luſitaniæ, noluit illi committere curam eradicandi noxiam illam pœne naſcentem novitatem; quam quidem epiſcopis per præfatam conſtitutionem, ut ipſorum ordinariæ juriſdictioni competentem, commendat; ut ex ea liquet, ac ſolide probat nuperrimus Muratorius in ſuo doctiſſimo libello *Luſitaniæ eccleſiæ religio propugnata*, c. 6. et 7. et 9. oſtendens inſuper per edictum illud generalis inquiſitoris, uſurpatam ſane epiſcopis fuiſſe ordinariam eorum juriſdictionem, imo et Supremi Paſtoris ſuperioritatem; atque adeo juſte de hac injuria conqueſtos coram Sanctiſſimo. Quare *Sanctitas ſua* (ait ipſemet) *non ſemel eminentiſſimo cardinali generali inquiſitori reſcripſit, expreſſe jubens præmiſſum edictum nedum ex exceſſu, ſed et ex defectu poteſtatis, revocare*: ergo ſimiliter.

VI. Dico, 4. Præter offenſionem juridicam juriſdictionis ordinariæ, ſententia illa aliam offenſam politicam adverſus judicium competentis prælati ordinarii judicando fundamentum attendibile, atque dubium probabile illi omnino defuiſſe: et hoc, etiamſi tribunal illud competens foret ad eam materiam judicandum, non ut ſuperior, et per viam appellationis, aut recurſus, ſed ut æqualis per incidentiam.

Probatur; Quia hoc ſuadebat vera charitas, vera politia, atque urbanitas, et dignitati, atque auctoritati epiſcopali debita reverentia; ut ſemel quod proprius epiſcopus judicium ſuum competenter tulerit cum fundamento, quod ipſemet poſt debitum examen prudens, et ſufficiens judicavit; delegatus non ſuperior, ſed æqualis, etiamſi in eadem re competens foret, minime judicium illud infirmaret, vel annullare conaretur, præſertim rem, et neceſſitatem, non oculariter, ac præſentialiter examinando, ſicut ordinarius examinârat, ac probârat; et pro hac juſta condeſcentia, ac deferentia priori judicio, omnia jura conclamant; quatenus ſanciunt, quod *par in parem non habet imperium*, l. *Nam et magiſtr.* ff. de rec. arbitr. et quod *pro judice jura præſumant*, l. 1. ff. de offic. præſid.

præſid. et quod *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*, l. *Circa*, ff. de inoffic. teſtam. c. *Ad Apoſtolic.* 46. de regular.

Confirmatur, 1. Efficaciter, exemplo ſanctiſſimi P. Bened. XIV. in præmemorata conſtitutione *Suprema*, qui quamvis optime noverat, eminentiſſimum inquiſitorem generalem incompetentem ad ſugillatum abuſum primo condemnandum, antequam ab Apoſtolica Sede damnaretur (ut probat Murator.) et ad ordinarie providendum in ea materia ex vi ſuæ delegatæ juriſdictionis reſtrictæ; non hoc expreſſit in conſt. illa; ſed rem epiſcopis committens, tanquam ipſorum juriſdictioni competentem, *tacite in hoc generalem ipſum eminentiſſimum inquiſitorem edocuit* (ait cit. Murator. c. 6.) *qualis ab ipſo quoque in hocce negotio reverentia impendenda erat erga Apoſtolorum ſucceſſores.* Quod et iterum Sanctiſſimus Pater effecit, dum eminentiſſimus inquiſitor coram Sanctitate ſua, utrinque recurſu pendente, novum edictum S. Officii quotannis publicandum, ſua intempeſtiva damnatione inſerta edere attentavit: ipſimet generali inquiſitori bis primum accuſatum edictum revocare renuenti inſinuavit, ut novo generali edito edicto exprimeret præceptum novum de hac materia denuntianda, *in executionem quidem eſſe bullæ Pontificiæ*, Ubi primum: et hac dumtaxat moderatione contentus fuit.

Conſimilem urbanitatem, politiam, ac civilitatem in epiſcopalis dignitatis reverentiam, quam maxime ducit, auguſtiſſimus piiſſimuſque monarcha noſter Joannes V. prudentiſſime practicavit, cum ſecretarius ejus ſtatus de me apud eum conqueſtus foret, eo quod, quamvis, ex inadvertentia, ſtylo defecerim certiorem reddendi ſuam majeſtatem mei fauſti ad Indianum ſtatum adventus per medium ipſius ſecretarii, quaſi per organum proprium regiæ majeſtatis, et non per epiſtolam meam regi ipſi immediate directam, noluit benigniſſimus rex ſecretarii ſuaſioni de expreſſa, atque ſpeciali circa defectum illum animadverſione, acquieſcere; ſed humaniſſima, atque prudentiſſima politica ſecretario meam epiſtolam tradidit, ut ipſe mihi pure reſcriberet, *ſe quidem auguſtiſſimo regi epiſtolæ meæ materiam præſentem effeciſſe*, &c. ut hac prudentiſſima, et urbaniſſima providentia, et epiſcopali dignitati benigne deferret, et conſervationi ſtyli provide conſuleret.

Pariformiter in hacmet ſubjecta materia idem ſereniſſimus rex in ſpeciali, atque honorifico reſcripto ſuo eidem Summo Pontifici, circa factum, quamvis in re vel nullum, vel magnopere defectuoſum fuiſſe agnoſceret: *Nihil enim*, inquit, *aliud in hac re intervenit, niſi rumor tantum, et ſuſpicionabilis abuſus:* attamen laudat zelum cardinalium, et inſimul Pontificis ipſius animum mœrentem conſolatur, ut ait Murator. c. 5.

Confirmatur, 2. Paritate juridica: Quia eccleſia committit judicio cujuſlibet approbati exorciſtæ, et judicium veræ poſſeſſionis, vel obſeſſionis, et examen cauſæ, vel motivi dæmonis ingreſſus, et remedium, vel remedia, atque ſupplementa cauſarum illarum, ſi in aliquo defectu conſiſtat, ut conſtat ex rit. Rom. tit. *De exorcizandis obſeſſ.* § 1. 3. et ſeqq. ad quæ Baruf. tit. 90.

Ergo, ſi cauſa, vel motivum dæmonis ingreſſus foret ſubſtantialis aliquis defectus baptiſmatis, v. g. utique ex præſcripto eccleſiæ, ipſius exorciſtæ judicio competeret, defectum illum ſupplere, vel ſuppleri facere: atqui ſi exorciſta ille prudenter, et competenter, ut ſupponitur, illud ſupplementum judicaret, et inſinuaret; imprudens, et iniquum utique foret judicium alterius exorciſtæ non ſuperioris, ſed æqualis, illud infirmare, et infamare affectans, præſertim rem, ac neceſſitatem, non examinando, nec probando, ſicut primus: ergo multo imprudentius, atque iniquius, ſi judicium primum foret ipſius prælati ordinarii exorciſtarum approbatoris, ac ſuperioris, cui ipſo jure examen illud, ac judicium competit; et ſecundum judicium adverſans foret judicis incompetentis, et rem, ac neceſſitatem, ut par erat, ocularitet, atque experimentaliter, non probantis, neque examinantis.

VII. Dico, 5. Judicium illud tribunalis incompetentis, et ſine neceſſario, ac prævio examine, atque probatione editum, immediate oppoſitum competenti ordinarii judicio, illudque infirmare contendens, nedum apparet injuſtum, ſed et notorie falſum, quatenus abſolute, et indiſcrete, judicat, atque aſſeverat, omnes illas baptiſmi *ſub conditione* repetitiones adhibitas fuiſſe *abſque attendibili fundamento, dubioque probabili.*

Prima pars, quoad injuſtitiam, liquet ex dictis, et ex adhuc dicendis. Secunda autem pars probatur clare ex ipſo rerum eventu, et ex nota, ac trita DD. tam juriſtarum, quam TT. ſolida doctrina, jam attacta in cit. alleg. 136.

VIII. Et, 1. Probatur; Quia ad hanc baptiſmi repetitionem ſub conditione, *ſufficit, quod detur ſuſpicio, vel formido de probabilitate baptiſmi; et non requiritur dubium probabile de baptiſmo, nec dubium negativum*; juxta formalem et expreſſam doctrinam Fr. A. à Sp. S. conſ. ult. n. 11. et 12. et aliorum apud ipſum, et Abreni infr. cit.

2. Sufficit, quod non reperiatur teſtimonium, vel deſcriptio baptiſmatis alicujus in catalogo, ſeu libris eccleſiæ, neque alia conſtans certitudo, juxta doctrinam Barufald. in rit. Rom. tit. 12. n. 21. à Sp. S. cit. conſ. n. 11. cum Quintanad. tr. 1. ſing. 5. et aliis; ex ſumma neceſſitate iſtius ſacramenti, quod proinde profecto requirit ſummam certitudinem ex terminanti doctrina Abren. in man. miſſion. l. 2. c. 2. q. 4. n. 11. *Cum enim baptiſmus ſit ſummæ neceſſitatis ſacramentum, ſumma quoque certitudo in ejus adminiſtratione requiritur:* quod et ex exemplis alleg. 136. adductis, præſertim Joſephi da Motta archidiœceſis Bracharenſis, egregie confirmatur, et ex infra dicendis.

3. Sufficit, *ſi aliquis*, ait Lacroix, *infeſtaretur à dæmone, nec ſciretur cauſa alia, peteretque inſtanter repeti in ſe baptiſmum, rebaptizari deberet ſub conditione*, Lacr. ad Buſemb. l. 6. ex c. *Veniens*, ult. de preſbyt. non baptiz. n. 310. cum Gobat. t. 2. an. 383. Quintanad. tr. 1. ſing. 8. cum Gobat. an. 446. ubi refert caſus, in quibus, etiam *ex infeſtatione ſpectrorum, judicatum fuit, cauſam eſſe ſufficientem.* Et adeſt notabilis caſus in chronicis Carmelicæ reformationis, t. 2. l. 7. c. 25. n. 4. de vener. Catharina à Jeſu, iterum ſub conditione baptizata ex ſola dæmonis clara, et vera revelatione, de qua etiam Fr. Anton. ab Ann. in quolibet. myſt. 1. n. 26. et Salmantic. to. 5. tr. 21. p. 6. n. 66. et 68. de quadam moniali D. Bernardi ex conſilio omnium ordinis DD. rebaptizatæ Albæ in Hiſpania ex ſolo dæmonis teſtimonio de defectu baptiſmatis.

Ratio eſt; Quia quamvis dæmon ſit pater mendacii, attamen multoties vel ex Dei juſſu, vel permiſſu, veritatem effari, atque aperire ſolet, de quo abundant S. Paginæ loca, præſertim in Novo Teſtamento, de quibus Alap. in Evang. et Acta: et cum ſacramentum iſtud ſit maximæ, et ſummæ neceſſitatis, Abreno, l. 2. c. 4. q. 15. Nogueir. q. 1. ſingul. *In dubiis tutior pars eſt eligenda, quando agitur de ſalute animæ:* cum Leand. et Quintanad. tr. 1. ſing. 5. Vid. dicta alleg. 136. et Salmantic. cit. to. 5. tr. 21. n. 66. ibi: *Licet in aliis rebus non ſit dæmonibus credendum, tamen in iis, quæ vi exorciſmorum manifeſtantur, poteſt illis fides adhiberi.* Vid. etiam Delri. l. 6. c. 2. ſ. 3.

4. Sufficit, quod homo, alias non ſcrupuloſus, neque hypochondriacus, ſed prudens, longa inquietudine, ac ſcrupulis agitetur, circa valorem ſui baptiſmi, ut hoc ipſo, abſque alio fundamento, ſub conditione iterum baptizetur. Ita Lacr. l. 6. n. 313. cum Quintanad. et Gob. cit. quibus accedit Fr. Ant. à Sp. S. cit. conſ. ult. Prob. 1. Quia gravis cauſa videtur, et dubium prudens ob exempla non baptizatorum, qui ita interne ſunt agitati, de quibus cit. Quintanad. et Gobat. 2. Quia illi ſcrupuli, et dubia, et cordis anxietates, arguunt aliquale dubium, et ſuſpicionem de valore baptiſmi ſuſcepti; et judicati ſunt ſæpe à DD. ſufficiens cauſa ad iteranda baptiſmata ſub conditione, et inſpirationes Spiritus Sancti. Ita cum Quintanad. pro duplici notabili caſu cujuſdam mulieris, et cujuſdam P. ſociet. Jeſu, cit. à Sp. S. conſ. fin. n. 15.

5. Quo-

5. Quoties dubium eſt de valore baptiſmi, ex quocunque capite oriatur, nedum poteſt, ſed et debet, quiſpiam rebaptizari ſub conditione. Ita per formalia à Sp. S. cit. conſ. n. 23. Nog. q. 1. cum reliquis DD. ab eis cit. Prob. *Quia ratione dubii licite fiunt, quæ alias non fierent*, Sanch. in ſelect. d. 4. n. 44. Deinde, *Certum eſt*, ait Nogueir. cit. *Quod in dubiis ſemper magis inclinandum eſt in favorem baptizandi; nam tunc ſacramento injuria non fit, et ſaluti animæ periclitantis conſulitur*, ut docet Soar. t. 3. in 3. p. d. 22. ſ. 2. et, ut inquit Vaſq. t. 2. in 3. p. 146. c. 4. n. 31. *Major ratio habenda eſt utilitatis proximi, quam religionis debitæ ſacramento.* Et n. 7. concludit, *Cum abſolute doceant DD. quod quotieſcunque dubitatur de validitate ſacramenti baptiſmi, neceſſario baptiſmus eſt repetendus ſub conditione; quia ſacramento nulla fit injuria, et vitatur damni graviſſimi periculum*, &c.

Confirmatur ex ratione jam ſuperius attacta, et ex alia ipſius Nog. doctrina, n. 4. cum Leand. et Quintanad. tr. 1. ſing. 5. *Quando agitur de ſalute animæ, tutior pars eſt eligenda.* Unde Quintanad. cit. tr. 1. ſing. 5. n. 2. ait: *Ego cenſerem, omnes fere infantes ob mortis periculum, præcipue domi à parentibus, cognatis, obſtetricibus, aliiſve laicis viris, aut fœminis baptizatos, communiter iterum baptizandos eſſe ſub conditione.*

Et ex doctrina Tamb. c. 1. § 7. n. 3. et ſeqq. aſſerente, *Te eſſe obligatum rebaptizari ſub conditione, quoties non habes certitudinem moralem de validitate tui baptiſmi collati, etiamſi habeas opinionem probabilem, baptiſmum collatum fuiſſe validum.* Pro quo vid. etiam Con. q. 66. a. 9. dub. 1. Dia. in addit. ad 2. p. reſol. 10. Dicaſt. t. 1. tr. 2. d. 1. Abreu de paroch. l. 9. ſ. 7. Moy. to. 1. qq. ſel. tr. 1. q. 9. et alios cum Salmantic. cit. t. 5. tr. 21. p. 6. cap. unic.

6. Sufficiunt reliqua probabilia indicia excludentia ſummam illam certitudinem requiſitam pro hoc ſumme neceſſario ſacramento, juxta doctrinam cit. Abreni, et aliorum DD. ſupra laudatorum; de quibus indiciis ſat eſt dictum cit. alleg. 136. et quæ vel collectim, vel ſingillatim, juſtam cauſam dari prudenter inſinuent ad baptiſmatis iterationem; pro qua ait cit. Lacr. n. 123. *Neceſſitas, vel utilitas, ſuſcipientis eſt juſta cauſa ſic iterandi: reverentiæ autem conſulitur per conditionem appoſitam.* Hinc, c. *Si nulla*, dicit Leo Papa, *Non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.*

Atqui (ſubſumo nunc omnia ſigna, et omnes doctrinas præmiſſas) in omnibus præfatis fœminis, à me iterum ſub conditione baptizari juſſis, intervenerunt, vel collective, vel disjunctive, omnia fere præfata ſigna, et indicia, et in aliquibus earum duplicata, ac triplicata, ut in cit. alleg. 136. inſinuatum remanet, et adhuc inſinuabitur; et certa eſt regulæ diſpoſitio: *Singula quæ non proſunt, multa collecta juvant*, l. *Spadon.* ff. de excuſ. tutor. l. *Rationes*, l. *Inſtrumenta*, cod. de probat. Ergo fatendum eſt, adſuiſſe pro cunctis ſufficiens fundamentum, ut prudenter *ſub conditione* baptiſmus ipſis reiterari juberetur; et prudentiſſimam, debitam, neceſſariam, ac religioſiſſimam fuiſſe obedientiam, atque executionem rectiſſimi parochi, ſive confeſſarii ſubjecti, ex expreſſo legitimi ſuperioris ſui præcepto, atque ordinatione, in materia ſibi juridice competente, rem, ac neceſſitatem, prius mature, ac ſufficienter, examinante, et approbante; præſertim *cum judicium unius tantummodo viri docti, aliquid exacte examinantis, opinionem efficiat probabilem*, ut ex pluribus DD. probat Sanch. l. 1. ſumm. c. 9. n. 7.

IX. Dico tandem bona pace: Clauſula, ſive judicium illud in ea ſententia, ut fertur, expreſſum (licet credi difficile) reum ſcilicet in materia illa legitimo ſuperiori ſuo, cujus ille veluti illius regularis conventus parochus vices gerebat, non teneri obedire, utique *falſum*, et *errori proximum*, necnon *ſcandaloſum*, vel periculoſum, ac *ſuſpectum* minus rectæ intentionis, fuiſſe videtur poſſe notari: eſt reſolutio tripartita; et in ſuppoſitione expreſſionis illius, ſi vera fuit.

Prob. prima pars; Quia ſacerdotes in manibus ſui prælati, cum ab eo ordinantur, promittunt illi præſtare obedientiam; et ad hanc etiam tenentur parochi ratione officii, in quo vices gerunt epiſcopi, qui eſt *parochorum parochus*, et ſupremus ſuarum ovium paſtor, cui inferiores paſtores in munere ſuo de jure ſubduntur: Abb. in c. *Dormientis*, de paroch. Leo in theſ. p. 1. c. 4. Cecoper. biblioth. l. 3. c. 68. Gob. tr. 4. n. 67.

Deinde omnia S. Paginæ, ſacrorum can. et SS. patrum monita hanc cæcam obedientiam, in omnibus, quæ peccatum non involvunt, commendant: *Obedite præpoſitis veſtris, et ſubjacete eis*; Hebr. xiii. 17. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regi, ſive ducibus*, &c. 1 Petr. ii. 13. *Facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco . . . et docuerint te juxta legem, ſequeris ſententiam eorum*; Deut. xvii. 10. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, et Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, et facite*; Matt. xxiii. 2. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; Rom. xiii. 1. *Verbum patris cuſtodiens filius abſque perditione erit*; Prov. xix. 27. *Vir obediens loquetur victorias*; Prov. xxi. 28. *Obedientiam volo, non ſacrificium*; 1 Reg. xv.

Ex jure can. *Obediendum eſt etiam in dubiis*, gl. in c. *Quid culpatur*, 33. q. 1. verb. *Iniquitas*, et in c. *Summa militiæ*, ibidem; *Epiſcopi præceptum, etiam difficile, eſt adimplendum*; c. *Militare*; ibi: Igitur, *Quod Cæſar præcipit, ferendum eſt; quod imperat, tolerandum*, &c. c. *Conquerente*, de offic. ordinar. *Decrevimus, ut in eccleſiis, ſeu capellis tuæ diœceſis ad monaſterium ipſum ſpectantibus, habeas canonicam obedientiam, ſubjectionem, et reverentiam, inſtitutionem, et deſtitutionem, correctionem, et reformationem, ac cenſuram*, &c. c. *Omnes principes*, c. *Solitæ*, et reliqua de majorit. et obed. Et certum ex ipſo jure etiam eſt, quod ſubditi præſcribere non poſſint obedientiam epiſcopis, et reliquis prælatis debitam. Barb. de epiſcop. p. 3. alleg. 128. ex c. *Cum non liceat*; ibi: *Præſcriptione non obſtante*, de præſcript. gl. 4. in c. *Auditis*, eod. tit. gl. ult. in c. *Cum inter*, de conſuet. in c. 2. de pœnit. et remiſſ. in 6. &c.

Ex SS. PP. D. Gregor. l. 2. in 1 Reg. c. ii. *Vera obedientia, nec præpoſitorum intentionem diſcurrit, nec præcepta diſcernit: neſcit judicare, qui perfecte didicit obedire.* D. Bernard. c. 4. ſpec. *Verus obediens non attendit quale præcipitur, hoc ſolo contentus, quia præcipitur.* Idem de vit. ſol. *Perfecta obedientia eſt maxime in obediente indiſcreta; hoc eſt, non diſcernere, quid, vel quare præcipiatur; ſed ad hoc tantum niti, ut fideliter, et humiliter fiat, quod à majore præcipitur.*

Ergo ſacerdos ille, qui quaſi parochus illius conventus incedebat, tenebatur obedire ordinario ſuo prælato, præſertim in rebus ſui muneris, et ſui ordinarii judicio competentibus. Atqui obligationis hujuſce notæ veritati, et notoriis Sacræ Paginæ, ſacrorum canonum, atque SS. patrum veris, ac fidelibus teſtimoniis contradicebat ſententiæ illius adverſans judicium: ergo ſaltem erat errori proximum; *propoſitio* namque *erronea* ea eſt, *quæ propoſitioni theologicæ opponitur*, juxta Bordon. Propoſitio autem *theologica* eſt illa, *quæ deducitur ex una præmiſſa fideli, et ex altera naturali. Error* autem eſt id, *quod opponitur principiis, et axiomatibus communiter receptis*, Pignat. conſ. nov. 37. Propoſitio autem *errori proxima*, illa eſt, *quæ concluſioni theologicæ opponitur*; quamvis aliqua præmiſſa non ſit evidens apud omnes. Judicium autem illius ſententiæ opponitur veritati apud omnes certæ; videlicet, debito obedientiæ ſubditi erga prælatum, ſtabilitæ in teſtimoniis fidelibus S. Paginæ, ſacrorum canonum, et SS. PP.

Prob. ſecunda pars, ſcilicet, Quod fuerit etiam *ſcandaloſum*: quia doctrina, vel propoſitio ſcandaloſa eſt illa, *quæ præbet aliis occaſionem ruinæ, vel erroris, etiamſi errorem in fide non contineat.* Pignat. cit. conſ. 37. § *Scandaloſa.* Quare Alex. et Innoc. XI. damnant propoſitiones ſibi ſubjectas, *ut ſcandaloſas*, eo quod ſint Chriſtianæ diſciplinæ relaxativæ, et animarum perniciem inferentes. Vid. Fel. Pot. t. 2. p. 2. c. 6.

Atqui judicium, et aſſertum illud abſolutum, quod ſacerdos ille, etiam ut parochus, adſtrictus non erat obedire ordinario prælato in ſacramentorum adminiſtratione, paſtorali muneri ipſius parochi, et ſuperioris

paſtoris juriſdictioni, ac judicio, directe competente, anſam et occaſionem præſtat quamplurium errorum, et ſpiritualium ruinarum ingreſſui, atque intruſioni, quatenus ex illo quis obedientiæ adſtrictus, pro libitu, obligationes graves illius quovis levi, imo et frivolo prætextu declinare curabit, &c. ergo.

Deinde eſt etiam minus pia, quatenus opponitur obedientiæ patri ſpirituali debitæ; pietas namque eſt *virtus, qua debitus cultus, ac reverentia parentibus, et reliquis ſuperioribus, exhibetur*, Gonet. to. 4. Et propoſitio *impia* dicitur illa, *quæ pietati, aut miſericordiæ Chriſtianæ ſeſe opponit*, vel *quæ eſt contra Dei præcepta*, Pignat. cit. § *Impia*; vel juxta Bordon. *quæ opponitur propoſitioni piæ; quæ, quamvis non revelata, fovet religionem, fidem, charitatem*, &c.

Prob. tertia pars; videlicet, quod ſit *ſuſpectum*. Et, quoad ſuſpicionem de jure, patet, 1. Ex accuſata incompetentia, uſurpatione, et offenſione juriſdictionis ordinariæ: nam, ſi judex competens excedens metas juris, et ſuæ juriſdictionis, vel ordinis judicii, ſuſpectus redditur, et, ut talis, recuſari poteſt, Abb. in c. *Cum ſpecial.* de appellat. Barb. vot. 4. n. 102. l. 1. et vim inferre etiam extra judicium, poteſt judicari, Guerr. cit. n. 23. Per. de man. reg. c. 4. 9. et 10. quanto magis ex ſpoliatione, uſurpatione, et occupatione juris, ac juriſdictionis alienæ, ſibi omnino incompetentis?

Patet, 2. Quia ſuperiore, vel capite, ſuſpecto, inferiores judices, et tribunalia ſubalterna æque ſuſpecta conſequenter redduntur; ut cum Deciano, et Imol. tenet Lancelot. de attent. p. 2. c. 8. n. 45. ubi ex ſuſpicione ducis Albæ, proregis Neapolitani, omnia tribunalia, et civitates, quæ ſub ipſo erant, ſuſpectæ conſequenter ſunt judicatæ. Quod quidem fortius urget, ſi judices, et officiales ſubalterni ſint nominati, et proviſi ab ipſo ſuperiore ſuſpecto. Pariformiter, metropolitano ſuſpecto, cenſentur ſuſpecti regulariter omnes illius ſuffraganei, ex c. *Accedens*, l. *Ut lit. n. conteſt.* quia ſuffraganei præſumuntur partes ſui metropolitani fovere, Begnudell. cum Quar. Marant. et aliis, v. *Recuſatio*.

Supremi autem Luſitaniæ inquiſitoris in me ſuſpicio jam expoſita, et nota fuit ſupremo paſtori ex controverſia propoſitionis, de qua alleg. 138, 139. et 149. et nota omnibus eſt de præſenti ex infra dicendis. Et quod domini inquiſitores, et totum eorum tribunal recuſari poſſit; expreſſe ſuſtinent Simanch. de catholic. t. 17. n. 51. Cabed. p. 1. dec. 64. Barb. ad ordin. l. 3. tit. 21. n. 6. Cortiad. dec. 18. Fermoſin. in c. 4. de for. compet. q. 16. qui reſolutionem extendunt, etiam ad totum eminentiſſimorum cardinalium collegium, cum Farinac. fragm. 2. p. v. 723. Barb. de jur. eccleſ. c. 3. Apicell. de ſuſp. official. n. 5. Laurent. de jud. ſuſp. c. 3. quibus adhæret Guerr. l. 1. c. 4. et Begnud. cit. v. *Recuſatio*.

De facto autem etiam comprobatur, 1. Ex nota, et notoria ſuſpicione, jam à me coram Sanctitate beatiſſimi Clem. XII. oppoſita ſuper denuntiatione, qualificatione, ac cenſuris meæ concionatoriæ propoſitionis, de quibus alleg. 138. ſuper impedimentis, ne typis mandaretur oratio mea pathetica in funere ſanctiſſimi Bened. XIII. inter pontificalia habita, neque concio mea D. Tereſiæ Matriarchæ, et fratris mei poema, mihi dicatum; et noviter, ne iterum reimprimeretur in Luſitania epiſtola honorifica S. Congregationis jam Romæ impreſſa, in reſponſionem ad meam ad Apoſtolorum limina viſitationem, non ex alio capite, ut præſumitur, niſi ex ibidem erga me contentis laudibus, male quidem promeritis; et ex paſtorali charta, in jure expreſſo fundata, et à me ad oves meas directa in controverſia extorſionis nominum complicum in ſacramento pœnitentiæ; et ex repræſentatione à me, cum aliis excellentiſſimis, ac religioſiſſimis ordinariis Luſitaniæ regni prælatis, ut omnium minimo, ſanctiſſimo omnium patri, ac ſupremo præſuli exhibita; cujus quidem haud æque reputatæ injuriæ judicium ſorte *manſit alta mente repôſtum memorem Junonis ob iram*, quam tot famoſorum libellorum effrænes, atque infames ſatiræ liberrime, nemine, quorum intererat, reprimente, aut aliqualiter impediente, ſatis inculcant, et noviſſime ſuſcitavit nuperum famoſi theologi Muratorii ſolidum, elegans, verum, atque pariter efficax, ac evidens judicium; et alia attacta, atque ponderata cit. allegationibus.

Quæ tamen ſuſpicionis ratio ſpecialis graviter confirmatur ex ſuperſeſſione, qua tribunal, et eminentiſſimus generalis inquiſitor ſubſtitit in proſecutione diligentiæ ſuper iſtis rebaptizationibus anno 1743. cœptæ, et pariter deſertæ ex evidenti atteſtatione miniſtri inquirentis, et informantis; prioris, videlicet, matricis oppidi Loulæi, qui, ut ocularis teſtis aliquarum earum adminiſtrationum, vere informavit, eas repetitiones fuiſſe quidem *ſub conditione*, et à proprio ordinario juſſas: qua quidem certitudine conquieverunt; et ſolummodo poſt excitatam controverſiam de confeſſariis complicum nomina extorquentibus, pariter diligentia illa ſuſcitata, atque renovata fuit.

Prælibata autem, quoad ſugillationem clauſulæ, illius deobligationis obedientiæ inſinuativæ, dicta ſunt in hypotheſi illius expreſſionis, quam aliqui, actioni adſtantes, evulgârunt: et cum ipſius ſententiæ nullam copiam, quamvis diverſis mediis, ac viis, illam ſolicitaveram, haud aſſequi aduſque potuerim; adhuc dubito de formali illius in ſententiæ contextu inſertione, et num de ſola virtuali, et per inferentiam, aut conjecturam, audientes ipſi publicaverint. Quo tamen caſu, ſi non ad illam, ad fundamentum tamen illius redarguendum, vel aliquorum forſan conſultorum, et ad exceſſum punitionis illius, debito quidem certo parendi omnino indebitæ, parum mutatis mutandis inſervient, atque facile adaptabuntur. Præterquam certum omnino eſt (de quo certam ſcientiam habeo) obedientiam hanc à reo in ſui defenſionem, et propriæ culpæ excluſionem allegatam, in minimo quidem ei profuiſſe, ut à condemnatione, et tam acri punitione, relevaretur, imo neque ut hæc æque ſaltem mitigaretur; præſertim graviter illi ſuffragante reg. jur. 161. in 6. *Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet*. Ub. gl.

Hæc tamen invitus, et ab exceſſibus factorum illorum provocatus, ſcribere cogor: quod prudens lector animadvertat: et omnino legat alleg. 155. quaſi ſuperadditam, et conſequentem.

Sect. II.

Retunduntur, ac convincuntur, adverſantes objectiones.

X. Objicies, 1. Rebaptizationes eſſe prohibitas, et damnatas ab eccleſia, c. 106. *Rebaptizare*, c. *Non licet*, et reliq. infr. cit. de conſecr. d. 4.

2. In illis baptiſmatum repetitionibus interveniſſe abuſum ſacramenti; atque adeo ſubjectum S. Officii cognitioni, ac punitioni.

3. Interceſſiſſe fictiones revelationum ex parte unius rebaptizatæ, ad eundem finem, ut ſemel et iterum rebaptizaretur; proinde, ſaltem ratione fictionis revelationum, tribunalis S. Officii proceſſui certe ſubdebatur.

4. Quia miniſter illorum baptiſmatum aſſenſum præbuit illarum revelationum confictionibus, et ipſarum imperatis actionibus libere cooperatus eſt.

5. A pari; Quia, quando miniſtri ſæculares in executione aliqua, à ſuperiore juſſa, lædunt immunitatem, vel libertatem eccleſiaſticam, puniuntur, ac cenſuris feriuntur, ab eccleſia, quin eos excuſet juſſio, vel præceptum ſuperioris, de quo Gabr. Per. de man. reg. c. 7. n. 41. et alib. et nos ſupr. alleg. 13. et 71. ergo ſimiliter non relevaret ſubjectum ſacerdotem prælati, et judicis ſuperioris præceptum, quin ab inquiſitoribus pro illis rebaptizationibus puniretur.

6. Quia, licet baptiſmus ſit ſacramentum ſummæ neceſſitatis, et miniſter hæreticus illum potuiſſet adminiſtrare nomine et intentione ſuæ eccleſiæ, cum expreſſa excluſione intentionis eccleſiæ Romanæ; attamen Romana eccleſia vetat, ne baptiſmus ab hæreticis rite collatus iterum reiteretur, atque ut grave ſacrilegium illum damnat Leo I. in ep. 37. et 39. c. 7. Concil. Carthag. 1. can. 1. Eugen. IV. in decr. fid. Concil. Flor. et Vienn. et Clem. ult. de ſumm. Trinit. &c. apud Nog. q. ſing. 1. n. 14. et S. Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. damnat aſſerentes, *Baptiſmum collatum ab hæreticis, cum intentione faciendi quod facit eccleſia, non eſſe verum baptiſmum*: et c. *Rebapti-*

baptizare, cit. de consecr. ibi: *Rebaptizare hæreticum, omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est.* Consonant c. *Ostenditur*, c. *Hi de quibus*, c. *Sive*, c. *Non licet*, &c. et Abren. infr. cit. docet, talem baptismum administratum ab hæretico cum illa formali, et expressa exclusione, adhuc esse validum ex virtuali intentione administrandi verum baptismi sacramentum à Christo Domino institutum: ergo similiter.

7. Ex usu missionariorum Apostolicorum Orientalium, qui populos illos, quos nôrunt cum substantiali defectu baptizatos, et acriter renuentes baptismatis sub conditione repetitioni, eo quod se, ut rite baptizatos, omnino reputent, solent, etiam actu nolentes, ac renitentes, aliquo prætextu medicinæ, potationis, aut benedictionis, clam sub conditione rebaptizare, ut expertus testatur Abreno, man. missionar. to. 2. l. 2. c. 2. q. 21. n. 1. et seqq. ex monito, c. *De quibus*, de consecr. d. 4. c. *Placuit*, c. *Parvulos*, ibid.

Et tamen, quamvis baptizatus tunc actu non habebat intentionem, talem baptismi iterationem suscipiendi, imo neque actualem voluntatem, sed renitentiam, quinimo etiam neque actualem cognitionem de actuali illius receptione (cum administratio illa palliata, et dissimulata sit) illum baptismum valide, et fructuose recipit, ut tenet Abren. cit. n. 3. et seqq. cum aliis: ergo pariformiter, etiamsi una ex ipsis rebaptizatis, ex suggestione, ac metu à dæmone incusso, intentionem necessariam baptismum recipiendi non haberet, adhuc illum, illiusque effectus substantiales, reciperet ex institutione ac voluntate Christi, et ex intentione, saltem interpretativa, et conditionali, ipsius recipientis: ergo quamvis illa monialis non habuisset intentionem formalem, ut baptizaretur prima vice; attamen baptismus validus, atque fructuosus adhuc evaderet; ac per consequens cum hac certitudine morali, juxta hanc doctrinam, fuit abusus sacramenti repetitio illius, proindeque à S. Officio punibilis.

8. Ex doctrina Pignat. cons. nov. 115. *Qui rebaptizat temere sub conditione, etiam mente concepta, id est, sine dubio probabili, sive etiamsi fuerit negligens ad inquirendum, an ille, quem baptizat, fuerit prius baptizatus? communis sententia canonistarum affirmat, incurrere irregularitatem à jure canonico statutam*, Salz. ad Dias, Sayr. Maiol. Cuch. &c. esto communior sit sententia negativa theologorum. Atqui domini inquisitores, non ut TT. et pro foro interno, sed ut canonistæ, et pro foro externo, judicant: ergo.

9. Quia non videtur verosimile in unica diœcesi ex hac una causa baptismatis defectus, tot mulieres vexatas inveniri, atque adeo aliquas æstimari debuisse fallaces, atque fictitias. Confirmatur; Quia de facto aliquæ earum, quæ se à dæmone vexatas manifestabant, confictæ, ac simulatæ inventæ sunt.

10. Abusus sacramenti baptismatis subjicitur cognitioni, ac punitioni S. Officii ex Pignat. cit. cons. nov. 117. Atqui, quamvis prima reiteratio baptismi in fœmina illa, de qua infr. n. 14. licita foret ex indiciis, ac probabilitate, ab ordinario competenter approbata; attamen secunda, et tertia repetitio ejusdem sacramenti, quamvis sub conditione collati, arguebat irreverentiam, atque contemptum illius, imo et abusum: ergo subjiciebatur cognitioni ac punitioni tribunalis inquisitorum; atque adeo in his terminis, et angustiis, non tenebatur sacerdos baptismi minister proprio ordinario in reiterationibus his parere.

XI. Resp. ad 1. arg. Esse quidem prohibitas ab ecclesia rebaptizationes *absolutas*, et quæ fiunt ex aliquo errore; v. g. Armeniorum, et Anabaptistarum, docentium, omnes in ecclesia Romana baptizatos, debere iterum absolute rebaptizari, eo quod invalidum primum baptisma penitus autumabant (de quo vid. Arsdek. Siand. in controv. Lacr. et alios cit. alleg. 136.) vel etiam rebaptizationem conditionatam *temere*, et absque ullo fundamento, aut dubio probabili, collatam (de quo cit. Pignat. Abren. et Nogueir.); non vero prohibitas esse reiterationes baptismatis *sub conditione*, cum aliquo fundamento probabili; *Tunc* enim, ait, c. *Si nulla*, 13. de consecr. *non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Et c. ult. de presb. non baptis. *Non intelligitur vetitum, quod ambigitur esse factum.*

Ad 2. respondetur, In illis repetitionibus baptismi nullum sacramenti abusum interveniisse, ex doctrina Pignat. cit. cons. 115. et ex dictis cit. alleg. 136. Neque omnis abusus sacramentorum est factum hæreticale, cognitioni S. Officii pertinens, ait Pignat. cit. cons. 115. alias omne sacrilegium erga ipsa sacramenta foret factum hæreticale, et S. Officii punitioni subjectum, quod nemo dicit. Unde solum cognoscit de abusibus expresse sibi commissis, hæresim continentibus, vel sapientibus. Vid. dicta alleg. 136. et 140. et 146. et seqq.

XII. Ad 3. respondetur, Quicquid sit, quod fœmina illa aliquid finxerit, et quod ratione fictionis illius S. Officium adversus eam animadvertere posset; certum tamen erat, 1. Quod non omnia finxit; nam, præterquam quod vere vexata fuerat à dæmone ab ætate triennali, ut ejus consanguinei uniformiter contestabantur, et dæmon per os illius, et alterius energumenæ in exorcizationum occasione non semel fassus fuerat, certissime fingere non poterat neque intelligentiam interrogationum, ac præceptorum exorcistarum lingua Latina, quam nunquam didicerat, neque aliter noverat, quam in divini officii materiali recitatione, neque impulsum illum à dæmone in prima baptismi repetitione adeo vehementer illatum, ut retro quasi per saltum abire, et toto corpore cadere per distantiam plusquam duarum, vel trium canarum, cunctis adstantibus videntibus, pariterque mirantibus, fortiter efficeret, ut cit. alleg. 136. manet insinuatum.

Certum, 2. Neque fingere posse, vel per illius impostoram, aut cavillam causare, vel suscitare in reliquis bene fundatum scrupulum, quem multi merito concipiebant de baptismis, à sacerdote illo, qui eandem hanc fœminam baptizaverat, administratis, ob enormem imperitiam, ob celerrimam præcipitantiam, ob malam, et syncopatam verborum prolationem, necnon ob totalem exorcismorum præcedentium omissionem, de quibus eadem cit. alleg. et multo minus fingere poterat (in tam longa distantia, quæ datur inter crates ecclesiæ, ubi sub silentio sorori ejus suasi, ut authenticam copiam illius baptismatis descriptionis ex catalogo ecclesiæ extrahere curaret, et angulum claustri, ubi ea tunc stabat, duabus amplis domibus præter claustrum ipsum intermediis) claram, et distinctam illius suasionis perceptionem, vi cujus, à dæmone in eodem simultaneo instanti noviter, et acriter torta ululare, et vociferari cœpit; et de causa, ac motivo interrogata, statim à nemine de suasione illa nota facta, sine mora respondit, fuisse quidem cruciationem dæmonis, atque suggestionem, ne baptismo novo acquiesceret, cum notitia diligentiæ pro testimonio primi commendatæ, ut cit. alleg. 136.

Certum, 3. Minime fingere etiam potuisse (quamvis dæmon id per solitas præstigias, atque illusiones, confingere valet) cognitiones, visiones, atque præternaturales notitias, quas personæ aliæ notæ, et probatæ virtutis, tam religiosæ, quam etiam sæculares, sejunctim, ac separatim, quin aliæ aliis eas mutuo participarent, se habuisse mihi, et confessariis suis, intra et extra confessionem protestatæ sunt, tum de reali oppressione dæmonis, ipsis visibili, præsertim cum sacram eucharistiam perceptura erat, tum de necessitate baptismatis reiterationis, tum de inefficacia primæ repetitionis ex defectu debitæ intentionis ex parte recipientis, ob incussum à dæmone timorem, atque minitationes, et aliarum quamplurium diabolicarum cooperationum, quas hic exprimere non expedit, et quarum multas aliquæ personarum ipsarum se præternaturaliter agnovisse deposuerunt, earum materiæ veritatem vexata ipsa spontanee, et minime coacte, fatente.

Certum, 4. In omnibus aliis fœminis obsessis, quibus repetitionem baptismatis sub conditione adhibere jussi, præcessisse consimile examen, probationem, et necessitatis consimilia signa, ac fundamenta probabilissima, nedum proprio, sed et alieno judicio sufficientia, quinimo et aliqua superabundantia, ad illas repetitiones sub conditione prudentissime ordinandas, de quibus aliqualiter cit. alleg. 136. ex quibus evidenter infirmatur, ac redarguitur absoluta illa clausula sententiæ, ac judicii illius; videlicet, *Omnia baptismata à præfato sacerdote sub conditione collata, fuisse absque atten-*

attendibili fundamento, dubioque probabili. Judicet quis prudens inter una, et alia fundamenta, attenta præſertim notabiliſſima ratione competentiæ proprii ordinarii, illiuſque examine prævio, et conſequenti præcepto ſacerdoti ſubdito, cui debitum parendi inerat, directo; et ex parte tribunalis nota incompetentia, debiti defectu examinis pro neceſſitate, et aliis ſuperius inſinuatis.

XIII. Dices, 1. Fœminam illam palam faſſam fuiſſe, ſe ad finem, ut rebaptizaretur, varias revelationes Dei, ac dæmonis confinxiſſe, ut in ſententia, et in illius elencho, legebatur. Sed contra, 1. Quia ex eadem ſententia conſtabat, ſe præmiſſas confeſſiones non ſemel revocâſſe, ac variâſſe. Contra, 2. Quia, ſi ſententia ream hanc multiplicis impoſturæ, confictionis, atque ſimulationis ſugillabat; cur in hac ſola circumſtantia, excluſiva neceſſitatis baptiſmi ſub conditione, ei perfecte crediderunt, et firmum aſſenſum præbuerunt? Nunquid nonne et in ipſa confeſſione eadem ſugillata fictio, et impoſtura intercedere non poſſet? non et in ea ſimiliter mendax apparere, ſtante regula vulgari; *ſemel malus*, et *ſemel mendax? &c.*

Deinde, nunquid confeſſio illa metu extorta non fuiſſet, præſertim in circumſtantiis præcedentibus, ac concomitantibus, de quibus ſupra, et experta variatione, ac revocatione aliquarum confeſſionum? et cur etiam in circumſtantiis confeſſio illa affectata haud reputabitur, vel ſaltem præſumetur, ex condeſcendentia cum voluntate eam inquirentium, atque examinantium, quatenus fortaſſis eiſdem complacere voluit plane confitendo id, quod ab ipſis confitendum velle forſan putavit? Recole tradita à Lacr. de reo, l. 4. dub. 6. an. 1521. et quæ extenſa manent alibi.

XIV. Dices, 2. Saltem in tertia repetitione baptiſmatis, licet ſub conditione, intervenit temeritas, et ſuperfluitas, proindeque abuſus ſacramenti à S. Officio punibilis. Sed contra, 1. Quia, juxta doctrinam Lacr. ad Buſemb. l. 6. n. 130. § 12. ſupr. extenſa cit. alleg. 136. n. 17. repetitio formæ ſub conditione, ut quis à moleſto ſcrupulo liberetur, non inducit gravitatem culpæ, neque incurſionem pœnæ, ex Leandr. Tambur. et Gobat. Contra, 2. Quia, ſecundum ejuſdem doctrinam, n. 127. § 6. *Si ſæpe occurrat nova cauſa prudenter dubitandi de valore ſacramenti, jam ſæpius collati, poteſt, et ſecundum ſupra dicta debet, ſucceſſive ſæpius iterari ſub conditione.* Stephan. Gobat. quibus addendus à Sp. S. cit. conſ. ult. Nota illud *ſæpius collati*, et *ſæpius iterari*. Cauſa autem nova, quæ intervenit ad tertiam repetitionem prudenter adhibendam, infra propalatur. Contra, 3. Quia, ſuppoſita prudenti dubitatione nova, et inſtantia baptizandæ pro majori animi ſui ſecuritate, et conſcientiæ ſuæ ſerenitate, tenebatur miniſter ſub gravi piaculo ſacramentum repetere conditionaliter, ex doctrina Soar. Lug. Dicaſt. ap. Lacr. cit. an. 133. necnon Abr. de par. l. 9. ſ. 7. Abreno, t. 2. cum conditio illa omnem injuriam, et omnem irreverentiam, à ſacramento removebat, ſecundum DD. omnes cit.

Cauſa autem nova hæc fuit: quod dum ſecunda baptiſmatis ſub conditione reiteratione aliqua ſigna timoris, et terroris adhuc à dæmone incuſſi ederet, monita ad prolationem formæ, ut fortis in fide dæmoni reſiſteret, et veram, atque expreſſam, ſacramentum recipiendi intentionem ſerio efformaret; poſt formæ prolationem ad infuſionem aquæ interrogata, an reipſa tentionem habuiſſet, an iterum à dæmone decepta fuiſſet? reſpondit, ſibi quidem videri, ſe debitam habuiſſe tentionem: attamen ad majorem ſui animi ſecuritatem, conſcientiæque ſerenitatem, ſupplicabat, ut iterum ſub conditione forma, et aquæ infuſio, ſibi repeteretur. Quis prudens juſte hoc ei denegaret, ſuppoſita prima efficaci dæmonis deceptione, et præſentibus adhuc etiam terroribus, aliiſque circumſtantiis, ex quibus nedum poſſibilitas, ſed et probabilitas ſecundi baptiſmatis inefficacitatis, ac fruſtrabilitatis arguebatur, quæ omni facillimo negotio repetendi ſub conditione eandem formam in eodem fonte, eademque baptiſmi adminiſtrati actione, reſtaurabantur, et firmabantur; atque tam facili remedio, ac diligentia, ſecure æternæ illius animæ ſaluti, in ſacramento ſummæ neceſſitatis, provide conſulebatur?

XV. Ponderent igitur viri prudentes circumſtantias omnes facti illius, et abſque paſſionis, vel ſiniſtræ intentionis nebula judicent, ac palam edicant, num ſacerdos ille in conſcientia, etiam à prælato ordinario ſuo expreſſe non juſſus teneretur, 1. Sub mortali, aſſentiri rebaptizandæ ſupplicationi, juxta doctrinam Lacr. l. 6. an. 133. cum Suar. Lug. Dicaſtill. quibus accedit Abreno, to. 2. Nogueir. et alii cit. 2. Iterum, et ſæpius, illum repetere, *etiamſi ſæpius collatus fuiſſet*, juxta doctrinam cit. Lacr. § 6. n. 127. cum Stephan. Gobat. &c. quoties probabilis aliqua cauſa, vel probabile aliquod motivum, denuo daretur, ut impræſentiarum dabatur, de illius valore, efficacitate, vel validitate, dubitandi?

3. Suppoſita doctrina à Sp. S. cit. conſ. n. 11. et 12. quod, *Ut quis rebaptizetur, non requiritur dubium probabile de baptiſmo, nec dubium negativum; ſed ſufficit, quod detur ſuſpicio, vel formido*; an daretur hæc ſufficientia, hæc prudens ſuſpicio, vel formido ad tertiam illam repetitionem prudenter, et inculpate adhibendam, præſertim interveniente competenti judicio, et præcepto competentis judicis, ac ſuperioris prælati? Et iterum, an, ſecundum doctrinam Nogueir. cit. q. 1. ſingul. n. 3. *Semper in dubiis magis inclinandum in favorem baptizandi, et in favorem periclitantis animæ*, juxta Soar. ap. ipſum; *et quoties agitur de ſalute animæ, an tutior pars eligi debeat*, ut docet abſolute Leand. et Quintanad. tr. 1. ſing. 5. et an vera ſit fortior, et expreſſior doctrina Vaſq. t. 2. in 3. p. d. 146. c. 4. n. 31. ibi: *Major ratio habenda eſt utilitatis proximi, quam religionis debitæ ſacramento?* Cui cohæret Tann. q. 2. n. 109. præpoſ. de bapt. q. 66. a. 8. dub. 2.

4. Denique ponderanda eſt alia doctrina Quintan. tr. 1. ſing. 1. n. 7. et cit. à Sp. S. n. 8. Ut baptiſmus alicujus prudenter non iteretur, debet certitudine ſaltem morali de illo conſtare. Certitudo autem moralis ea eſt, *quæ prudenti non ſinit prudenter formidare*; ex l. 2. § *Idem*, ff. *de aqu. pluv.* et ex Ariſt. 1. et 2. *ethic.* ex quibus præcit. DD. concludunt, quoties datur fundamentum ex turbatione, vel acceleratione baptiſmum adminiſtrantis, prudenter dubitandi de recta, et efficaci illius adminiſtratione, toties dari quidem ad reiterationem illam prudenter curandam. Ex quibus colliges, an attendibile fundamentum ad eam in ſubjecto caſu præceſſerit, contra accuſatæ ſententiæ ſugillationem.

XVI. Ad 3. argumentum de revelationibus à rebaptizata confictis, facilius reſpondetur, 1. S. Officium procedere quidem contra revelationum confictores, non vero adverſus eos, qui leviter eis aſſenſum præbuerunt, ut experientia conſtat: alias procedere quidem debet et contra innumeros ſanctos, qui aſſenſum præbuerunt variis dæmonum hallucinationibus, ſimulationibus, atque confictionibus, imo et aliquarum fœminarum, quas, ut devotas mulieres, prius direxerunt, et eiſdem prius crediderunt, quamvis poſtea errorem, ac deceptionem utrinque detexerunt, de quibus ſupra, alleg. 150.

Reſpondetur, 2. S. Officium non procedere, niſi adverſus hæreſim, aut ſuſpicionem illius, de quo ſupr. Credulitas autem confeſſarii, aut directoris ſpiritualis, fictionibus illis, ex mera deceptione, vel genii facilitate, abſque alia culpabili cooperatione, neque eſt hæreſis, neque hæreſis ſuſpicio; et ad ſummum reducetur ad ſpeciem imprudentiæ, adverſus quam inquiſitores minime, et multo minus tanto rigore procedunt. Et hæc reſponſio etiam inſervit ad 4.

XVII. Ad quod inſuper reſpondetur, quod ſi pœnitens illa in confeſſione forte aliquid declaravit, quod ſacerdotem ipſum involveret, ut reum, id ipſo minime confitente, hæc confeſſio reæ, quamvis ad eam condemnandam apta, et ſufficiens foret, non tamen ad condemnandum complicem, alias non convictum. Quod quidem patet, 1. Ex traditis à Lacr. de reo, l. 4. de quo ſupr. alleg. 150. n. 22. Patet, 2. Quia confeſſio judicialis non eſt proprie probatio, à qua differt decem caſibus videndis ap. Cardoſ. verb. *Confeſſio.*

XVIII. Ad

XVIII. Ad 5. respond. Assignando multiplicem disparitatem: primam; Quia in læsione illa libertatis, atque immunitatis ecclesiasticæ datur reipsa grave peccatum sacrilegii, cum reali incursione censurarum à jure, quæ quidem non dantur in rebaptizationibus sub conditione, cum probabili fundamento ad illas. Secundam; Quia superior sæcularis non est judex competens, neque superior erga executiones sacrilegas, et ecclesiæ offensivas. Prælatus autem ordinarius est superior, et judex competens erga repetitiones baptismatum sub conditione. Tertiam; Quia officiales judicum sæcularium non tenentur illis parere in rebus, quarum executio peccatum secum devolvit, neque in illos pro illis ullam jurisdictionem, vel superioritatem, habent superiores illi sæculares. At vero parochi, et alii sacerdotes, habent debitum parendi prælatis ordinariis in rebus eorum ministeriis attinentibus, quæ illis juste præcipiuntur, et quarum executio nullum scelus devolvit, ut baptismatum illorum reiterationes sub conditione. Quartam; Quia judex ecclesiasticus est competens ad punitionem offensionum illarum sacrilegarum. Tribunal autem S. Officii est incompetens ad cognoscendum de repetitionibus baptismi sub conditione, ordinatione proprii ordinarii competentis administrati, nisi forte in aliqua ex illis intercederet vehemens hæresis suspicio, quæ ab illa ordinarii dispositione non elideretur.

XIX. Ad 6. respond. cum retorsione opportuna argumenti. Si enim, non obstante definitione conciliari, baptismos ab hæreticis collatos validos quidem esse sanciente, et opinione illa Abreni citati, jubent ordinarii, et jussit tribunal S. Officii Eborense in reductione D. Roderici Angli, nuper in hac civitate Pharensi ad religionem nostram conversi, baptismum sub conditione repeti (quod quidem eminentissimus D. Cardinalis Pereira, prædecessor meus, etiam administrari jusserat) non obstante iterata asseveratione, atque protestatione ipsius conversi, quod quamvis à ministro hæretico, baptizatus tamen fuerat, cum intentione veræ ecclesiæ, imo et Romanæ, ad quam minister ipse postmodum effective transiit; eo quod baptisma sit sacramentum summæ necessitatis, cujus quidem securitati, efficaciæ, ac validitati, omnibus modis consulendum est; et *non intervenit temeritas actionis, ubi est diligentia pietatis*; ex c. ult. de presbyt. non baptiz. potiori jure in casibus subjectis, cum tot fundamentis, atque adeo probabilibus rationibus dubitandi.

Confirmatur ex nupero mandato S. Officii Eborensis suo commissario pro abjuratione recipienda cujusdam acatholici, ad religionem nostram conversi, in domo mea instructi, quo jubebant expresse, ut commissarius ejusdem baptismum parocho committeret, cum expressa commendatione, ut baptizaretur *sub conditione*, si commissarius ipse judicaret prudenter, defectum aliquem interfuisse in illius priori baptismo, quamvis in hoc notoria usurpatio jurisdictionis ordinariæ intercesserit, cum illa ordinarii, et non S. Officii judicio pertineret, ex doctrina Pignat. cons. nov. 36. *In hæreticis sponte comparentibus, non S. Officium, sed ordinarius, supplet defectus baptismi.*

XX. Ad 7. resp. Baptismum adultorum dependere essentialiter ab actuali intentione formali, vel virtuali recipientis, sicut et administrantis, secundum commune DD. placitum, signanter Abreno, t. 2. et Abr. de par. tr. 9. et quod non habeant positivam contrariam intentionem, primæ exclusivam: cum autem Orientales, licet non habeant actualem voluntatem expressam, et formalem ex errore, et deceptione, quod actu vere, et certe, sint baptizati, habent tamen voluntatem implicitam, saltem virtualem, et interpretativam, essendi membra Christi per sacramentum baptismi, ita ut si forte reipsa non extaret, illum recipere serio vellent; idcirco hoc sacramentum valide, et effective, in opinione præcitatorum DD. suscipiunt. Vid. etiam Gobat. tr. 7.

At vero fœmina illa, vel ex dæmonis terrore, vel fallaci suggestione, vel ne illius falsa obsequia, ac promissiones amitteret, vere et libere tale sacramentum realiter noluit accipere; et nedum voluntatem implicitam, et interpretativam habuit illud recipiendi, quinimo habuit voluntatem expressam, formalem, et positivam, illud, et ejus valorem, atque effectum, non recipiendi, et positivam contrariam intentionem, exclusionem omnino illius, quam habere debebat, et quæ essentialiter necessaria erat ad valorem, et efficacitatem sacramenti.

XXI. Ad 8. resp. Ex ipsismet verbis formalibus cit. Pignat. *Qui rebaptizat temere*, id est, *audacter*, sive *temerario ausu*, absque fundamento aliquo prudenti, ex pluribus illis, quæ superius insinuata manent. Nam cum fundamento prudenti, et probabili, nedum ipsimet DD. canonistæ, verum et ipsum jus canonicum excusat à culpa, et pœna, taliter rebaptizantes, eo quod tunc *non intervenit temeritas actionis, ubi est diligentia pietatis.* Neque *intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum*; ex cit. c. *Veniens.* Et *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum*, cit. c. *Cum itaque*, et aliis juribus supr. cit.

XXII. Ad 9. resp. 1. Ex doctrina Gobat. tr. 2. n. 441. Abr. de par. l. 9. s. 7. n. 114. et Quintanad. tr. 1. sing. 4. omnes baptizatos à sacerdote è Judæis, vel Saracenis, descendente, prudenter sub conditione rebaptizari, cum, experientia, ex S. Officii processibus sit notum, tales sacerdotes (et alias personas laicas, in casu necessitatis baptizantes) non habuisse debitam intentionem, vel eo quod tali sacramento non credunt, vel ex odio, malevolentia, aut nequitia, vel ex ignorantia, aut ex aliis. Quare in constitutionibus diœcesanis Portalegrensibus, l. 1. tt. 1. c. 7. cavetur, ut iterum sub conditione baptizentur omnes, in casu necessitatis à personis ab Hebræis oriundis baptizati. Quare concludit cit. Abr. n. 117. *Unde concludo, baptismos collatos à Judæis, ac Saracenis, esto hi exterius Christianos, et catholicos se ostendant, esse dubios; prudenterque posse ac deberi pro dubiis reputari, ac reiterari sub conditione. Quare parochus prudens non formidet tales rebaptizare sub conditione.*

Cum autem totum hoc Algarbiorum regnum abundet oriundis ab Hebræis, ac Saracenis, tum ex iis, qui è regno Castellæ huc diverterunt, et adhuc divertunt; tum ex iis, qui ex arce Tangerina (Latine *Tingi Cæsarea*, sive *Julia traducta* nuncupata) Anglis prius donata, nunc vero, ab ipsis Anglis, Saracenis tradita, ordine regio sese ad hoc Algarbiorum regnum receperunt; tum denique ex illis, qui vel hinc Mazaganum navigantes, vel Gibraltarum, sive Herculeum fretum, aut alia Maurorum vicina confinia, cum Saracenis communicantes, aliquos errores contrahunt, quare in Lusitania omnes hos Tudertanos, vel Algarbienses incolas, *Mauros albos* appellant; nil mirum, quod etiam in clericis parochis aliqua illorum infectio reperiatur, ut patet ex casu 1. alleg. 136. enarrato, alia etiam accedente *Mulatismi*, sive *Æthiopismi fulvi* infectione, quæ per totum hoc regnum copiose grassatur.

Resp. 2. Parochum illum hujusce paroeciæ cathedralis, de quo alleg. 136. tam enormi imperitia, balbutientia, celeritate, ac præcipitantia, cum totali exorcismorum omissione, laborâsse, ut prudenter, ac merito, omnes de efficacia atque valore ab eo administratorum baptismatum dubitarent, et cautiores ac prudentiores omnino renuerint, ut propriis filiis, vel posteris, hoc sacramentum ipse conferret. Aliquæ autem ex præfatis vexatis ab istomet baptizatæ fuerant.

XXIII. Resp. 3. Ad confirmationem, nullam ex vexatis rebaptizatis, simulatam, ac fictam fuisse, neque talem hactenus detectam, sicut ex aliis non paucæ vexationes simulâsse repertæ sunt. Quodsi aliqua ex illis in S. Officii tribunali fassa est, se aliquas simulationes confinxisse, ut pro reali obsessa haberetur, et rebaptizationem, eo fundamento, consequeretur; non dubitamus, quod in aliquibus actionibus aliquid affectâsset, ac simulâsset, non ita vero in omnibus, cum ex narratione, ac ponderatione supra, et alleg. 136. certo constaret, absque dæmonis ope, atque cooperatione, præternaturalia signa illa edere non posset.

Ad 10. resp. Ex doctrina Lacr. Steph. et Gobat. et ex dictis supra, n. 14. neque S. Officio subjicitur reite-

reiteratio baptiſmi ſub conditione cum fundamento. Unde ſicut prima ex fundamento licita quidem fuit, et judicio ordinarii ſubjecta; ita et ſecunda, et tertia, ex nova cauſa defectus intentionis à dæmone ſuaſi; imo quoties hæc daretur, toties baptiſmus reiterari deberet ex doctrina laudata; alias remaneret paupercula fœmina illa abſque remedio, et æternæ damnationi addicta, quod nemo Chriſtianus patietur. Et in tertia reiteratione attendi debebatur ſecuritati ſacramenti, ſuppoſita inſtantia baptizatæ, et defectu intentionis in ſecunda.

Judicet ergo prudens, et candidus lector, amator quidem veritatis, perſonarum non acceptor, omniſque partialis affectionis expers, judicet, inquam, an adminiſtrationum illarum *ſub conditione* repetitiones, *omni attendibili fundamento, dubioque probabili*, prorſus caruerint? et, an in illas reprobandas, et in illarum miniſtrum, ex debito parendi proprio ordinario operantem, adeo acri, et peracerba animadverſione, atque punitione utendo, metas ſuæ delegatæ jurisdictionis, S. Officii tribunal exceſſerit, alienam uſurpando, ac lædendo; et in alienam ſegetem falcem dure mittendo, duraſque ſuſpicionis notas ob id in ſe pariter metendo? et inſuper, recordatis, quæ alleg. 148. continentur, quænam ſeſe objectent motiva, prudentius ponderent.

Sect. III.

Diluuntur argumenta contra ſententiam admittentem parvitatem materiæ in peccatis carnis, de quo alleg. 148.

In præcitata alleg. 148. inſinuavimus doctrinam aliquorum docentium, etiam in materia ſolicitationis poſſe dari culpam venialiter tantum culpabilem; cui doctrinæ adverſantur aliqua argumenta, quorum ſolutiones, qui ei adhæſerit, prænoſcere debet; et quia continent ſcitu digniſſima, hic adjungere licebit.

XXIV. Dices igitur, 1. In peccatis luxuriæ non datur parvitas materiæ; atque adeo omnia peccata illius non levia, ſed gravia reputanda ſunt. Sed contra, 1. Quia Salmantic. to. 5. tr. 21. c. 7. n. 19. Souſ. Caſtr. Pal. Tancred. et alii apud ipſos, quos etiam refert, nec tamen ſequitur, Fel. Pot. n. 498. docent, non eſſe denuntiandum confeſſarium tangentem manus pœnitentis, vel aliam in eum actionem exercentem, venialiter tantum malam, et culpabilem, de quo alleg. 148. n. 27. et 40.

Contra, 2. Quia, juxta doctrinam Buſemb. l. 3. § 3. ad quem Lacr. p. 1. cum Leſſ. et Filiuc. oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, et ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantum moris patriæ, aut amoris honeſti gratia, etiamſi delectatio venerea ſubſequatur, citra conſenſum, non ſunt peccata, ſaltem gravia, de quo ſupra alleg. 148. ſub n. 35. Vide etiam Lacr. l. 5. n. 101.

XXV. Contra, 3. Quia etiam in materia ſolicitationis extra confeſſionem, ut detur obligatio denuntiandi, requirit ſanctiſſimus pater Bened. XIV. quod ſit *temerario auſu* facta: ergo ſentit in hac re materiæ parvitatem poſſe intervenire. Quod quidem confirmari poteſt ex mente ipſiuſmet Summi Pontificis in illa modificatione, de qua infr. n. 28.

Unde dicendum cum Buſemb. et Lacr. ad illum, l. 3. n. 912. *Si luxuria ſumatur generice, prout eſt quid commune delectationi ſenſibili, et venereæ, communis ſententia eſt, dari poſſe parvitatem in materia carnis, et luxuriæ*; quod etiam proſequitur l. 5. n. 105. de delectatione carnali præſcindente à ſenſibili, et venerea. Ubi n. 93. dicit, delectationem veneream eſſe, *quæ ſentitur circa partes genitales per commotionem ſeminis, vel ſpirituum generationi deſervientium.* Et in hoc ſenſu damnatur prop. 40. ab Alexandr. VII. de delectatione carnali ſenſibili, ſed non pure ſenſibili, ſed venerea, teſte Gob. Spor. et aliis, cum cit. Lacr. n. 893. et 894. qui de delectatione ſenſibili (ea, videlicet, *quæ oritur ex applicatione ſenſus ad objectum, ſine ullâ tamen commotione partium genitalium)* aſſerit, poſſe eſſe veniale peccatum, ſi ſenſibilitas objecti, v. g. cibi, appeteretur, mere propter ſe in illa ſiſtendo, l. 5. n. 310. et ſeqq. Vid. compilat. in prop. 40. Alex. VII. ubi delectationem carnalem tripliciter diſtinguit in *veneream, ſenſualem*, et *ſenſibilem*: et vide etiam Gob. tr. 7.

XXVI. Dices, 2. Quamvis ex vi conſtitutionis Pauli, et Pii IV. atque Clem. VIII. ſola denuntietur ſolicitatio in confeſſionario; attamen ex vi conſtitutionis Gregorianæ *Univerſi*, et nuperæ Benedictinæ *Sacramentum pœnitentiæ*, ſufficit ad inquiſitorum proceſſum, ac punitionem, quod *inhoneſti ſermones, vel tractatus, in loco ad confeſſionem electo habeantur*: ergo, quamvis in ſubjecto caſu non daretur formalis ſolicitatio, ſufficiens fuit, quod intercederent verba amatoria, ſive profani amoris indicativa, ut ſubjiceretur S. Officii punitioni.

Reſp. 1. Decretum Inquiſitionis Rom. ſub Paul. V. ann. 1614. eſſe, ut *procederetur contra confeſſarios tractantes cum mulieribus in confeſſionali extra occaſionem confeſſionis de rebus inhoneſtis.* Cum autem hi tractatus extra confeſſionem poſſunt haberi, vel confeſſionem ipſam ſimulando, vel non ſimulando; poſtmodum Gregor. XV. id clarius explicavit (ut ait Pignat. conſ. nov. 117. ſupra extenſus alleg. 148.) et reſtrixit ad ſolicitationem in confeſſionario, ſive in loco ad confeſſionem electo, ſimulantes, *ibidem confeſſiones audire.* Vide omnino cit. Pignat. § *Tertio ſubditur.*

Reſp. 2. Sanctiſſimum P. Bened. XIV. in conſt. *Sacramentum pœnitentiæ* denuntiationi dumtaxat ſubjecit ſolam ſolicitationem extra confeſſionem in confeſſionario *auſu temerario* factam, non vero illam, in qua non reperitur qualitas hujuſce *temerariæ audaciæ*, quod quidem de propoſito ſtatuiſſe videtur ad moderandas multiplices rigidas, et nimis rigoroſas opiniones circa obligationem denuntiationis talium ſolicitationum, extra occaſionem confeſſionis habitarum; ſicut, è converſo, alias nimis laxas voluit corrigere, exprimendo modos ſolicitationis, *ſive verbis, ſive ſignis, nutibus, tactu, per ſcripturam*, &c.

Unde moderatio, ſive qualitas illa, *temerario auſu*, etiam appellat, et percutit ſolicitationes extra confeſſionem in confeſſionario, abſque ſimulatione confeſſionis factas; juxta ſtatuta alleg. 148. et 152. Et quoties datur opinio probabilis in hac re, non datur *auſus*, ſive *audacia temeraria*; nam propoſitio temeraria definitur, *quæ caret auctoritate, et ratione*; vel *quæ ſine ſufficienti fundamento opponitur communi DD. torrenti*, Bordon. Pot. Pal. Caſtr. *de hæreſi*: ergo, intercedente fundamento probabili, non datur temeritas.

XXVII. Sed urges: Ex doctrina Fel. Pot. ſub n. 523. particula *aut*, bullæ Gregor. cum ſit disjunctiva, diſtinguit, et disjungit caſus: ergo, ſicut particulæ poſteriores non poſſunt conjungi cum prioribus, neque ly *ſimulantes*, cum ſit terminus reſtrictivus. Reſpond. diſtinguens antecedens: Disjungit caſus, quos per illam legiſlator intendit disjungere, concedo; quos disjungere non intendit, imo per poſteriorem particulam intendit conjungere, nego.

Deinde ad allatam probationem, ſive paritatem; reſpond. eam abſolute negando: Quia priores particulæ nequeunt conjungi neque materialiter, neque formaliter; quia obſtant particulæ disjunctivæ, ſive formales disjunctiones, *ſive*, et *aut*, et formalis ſenſus à legiſlatore intentus. Particula autem *ſimulantes*, neque habet aliquam formalem, aut materialem diſjunctionem, neque aliquod obſtaculum, aut repagulum, impediens illius formalem conjunctionem, atque appellationem, ſive relationem ad priores particulas. Imo habet pro ſe regulam generalem: *Clauſula ultimo loco poſita refertur ad omnia præcedentia*, c. *Inquiſitioni*, 7. de appellat. Præſertim quia clauſulæ præcedentes reguntur ab eodem verbo *audire*; unde cadere debent ſub eadem diſpoſitione *ſimulationis.* Ita Lup. Bonac. Bordon. et alii.

Quinimo ex totali defectu alicujus disjunctionis, et ex formali ſenſu, atque intentione legiſlatoris, confirmatur efficaciter neceſſaria intelligentia: nam legiſlator ſubjecit punitioni S. Officii confeſſarios illos, utpote de fide ſuſpectos ex abuſu ſacramenti: atqui ſi non interveniat ſaltem ſimulatio confeſſionis, neque datur ſacramenti abuſus, neque ſuſpicio hæreſis; cum confeſſionale neque locus ſacer ſit, neque aliqua benedictione conſecratus, ut optime notat Pignat. conſ. nov.

nov. 117. § *Tertio subditur*, infr. extens. alleg. 248. 72. 47. omnino videndus: ergo. Et quamvis Diana asseveret, hanc esse praxim Inquisitionis Romanæ; contrarium tamen colligitur ex assertis Pignat. et Monacell. DD. praxistarum, quibus tribunalia Romana maxime deferunt. Vid. dicta alleg. 148. et Pignat. cit. cons. 117.

XXVIII. Dices, 3. pro eodem Pot. Pontifices hanc materiam semper ampliârunt, et non restrixerunt: ergo. Resp. negando illud *semper*: Quia quamvis Paul. V. eam ampliaverit ad solicitationes, etiam *extra confessionem*, Gregor. XV. et Bened. XIV. eam restrixerunt *ad simulationem confessionis*. Et quamvis idem Gregor. eam ampliaverit *ad illicitos, et inhonestos sermones*; idem Benedict. id iterum restrixit ad qualitatem *temerario ausu* habitos. Pariformiter, quamvis detur abusus sacramenti pœnitentiæ in solicitatione ad alia crimina, præter venerea, et in sermonibus illicitis, in aliis sceleribus præter inhonesta; attamen ex mente legislatorum, et ex terminis ipsis *sermones illicitos, et inhonestos*, ad hos tantum restringitur obligatio odiosa denuntiandi; et in hisce dumtaxat, ex communi DD. placitu, datur suspicio hæresis: ita similiter. Vid. tradita alleg. 148.

XXIX. Instab. Quamvis clausula restrictiva, vel modificativa, *temerario ausu*, sit ultimo loco posita, non ideo tamen restringit, vel modificat priores clausulas respicientes solicitationem intra confessionem, sed solas proximiores, videlicet, *inhonestos sermones, vel tractatus*, extra confessionem habitos: ergo similiter.

Resp. Negando conseq. et assignando disparem rationem: nam clausulæ *inhonestos sermones*, præponitur particula disjunctiva *aut*, quæ disjungit, ac secernit, tum materialiter, tum formaliter, hanc clausulam ab aliis. Priores vero clausulæ, licet habeant multiplicem disjunctivam, hæ dumtaxat disjungunt actiones, vel modos diversos solicitandi *intra*, vel *extra* confessionem, cum *occasione*, *prætextu*, vel *simulatione* illius, in *confessionali*, vel alio loco ad id *electo*; non vero disjungunt sensum, à legislatore intentum, cum sint in eadem oratione; et regantur ab eodem verbo *audire*; et ob rationes insinuatas abusus sacramenti, et hæresis suspicionis. Deinde ultimæ clausulæ, *aut inhonestos sermones*, &c. præter propriam, et specialem disjunctionem *aut*, sunt in diversa oratione, et reguntur à diverso verbo *habuerint*. Et hic inserviunt, quæ à Barb. de clausulis in genere, n. 4. et 5. *Clausula restricta ad certum verbum, vel casum, debet recipere interpretationem, et determinationem ab eo, nec debet extendi ad aliam.*

XXX. Transcribere hic apposite venit notabile judicium Gobat. tr. 7. n. 175. ibi: *Ratio, quia abstineo ab explicatione* (bullæ Gregor. XV.) *est, quia puto, non sine causa abstinuisse scriptores Germanos, Tannar. Laym. Dicast. Kive. Busemb. Habsens. . . . an quia timebant, ne commentando docerent peccare? an quia sciebant ejusmodi bullas, tametsi vere sanctissimæ sint, non esse receptas in Germania, nec sperabant receptum iri? an quia non videntur Germanæ mulieres induci posse, ut solicitatæ accedant vel ad episcopos, qui sunt magni principes, vel eorum vicarios in spiritualibus generales, qui sæpissime sunt vel simul episcopi titulares, vel canonici cathedrales, et hoc ipso majores domini, quam ut fœminæ sustineant cum his loqui de ejusmodi? an verendum, ne, si præscriptus processus observetur, forte majus scandalum oriturum ratione, tum pusillorum, tum vicinorum hæreticorum, quam fructus, qui speraretur ex denuntiatione?*

ALLEGATIO CLIV.

Super Decentia, vel Indecentia, Dignitatis episcopalis in personali Exorcizatione Obsessorum, et Confessionis sacramentalis Susceptione.

SUMMARIUM.

I. *Occasio scribendi.*
II. *Licet episcopo personaliter quandoque exorcismos obsessorum exercere; quod Christi Domini exemplo comprobatur.*
III. *Et inductione exemplorum quamplurium SS. episcoporum.*
IV. *Nedum ex charitate, sed ex justitia, tenebitur aliquando episcopus exorcismos obsessis aliquibus adhibere.*
V. *Quod et auctoritate, et ex ipso munere episcopali, convincitur.*
VI. *Videtur hunc esse ecclesiæ sensum; et ulterius diversimode confirmatur.*
VII. *Retunditur argumentum, sufficere quod episcopus id per alios efficiat.*
VIII. *Etiam ex justitia tenentur quandoque episcopi auscultare confessiones sacramentales suarum ovium, ex multiplici ratione.*
IX. *Et ex auctoritate, et ab exemplis.*
X. *Refutatur primum argumentum in contrarium.*
XI. *Refutatur secundum, ab exemplo S. Caroli Borromæi petitum.*
XII. *Confirmatur utrumque à singulari exemplo singularis Divi Francisci Salesii.*

I. QUIDAM episcopus Hispanus, ex charitate, vel etiam in exemplum aliorum, solebat frequenter confessiones suarum ovium utriusque sexus sine personarum acceptione suscipere, et quandoque aliquorum, etiam utriusque sexus, obsessorum exorcismos peragere. Quas quidem actiones aliqui in regno illo, forsan ex defectu exemplorum consimilium in ejusdem characteris episcopalis subjectis, raras reputantes, partim aliquorum præsulis illius æmulorum mordacitate, atque minus pia affectione stimulante, partim humanorum judiciorum erronea apprehensione, ac veritate suadente, actiones illas criticantes, eundem præsulem, alii *episcopum exorcistam*, alii vero *episcopum confessorem*, satirice nuncupare cœperunt. Quæ judicia tamen præsul ille generose contemnens, ab inceptis religiose haud destitit. Quid ergo juris et facti in præmissis? Et imprimis—

SECT. I.
Quoad exorcismos.

II. Dico, 1. Licuit sane præsuli illi personaliter exorcismos obsessorum aliquorum quandoque exercere. Prob. 1. Quod Christus Dominus, qui nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus (1 Petr. ii. 21.) per seipsum regulariter exorcismos edidit; nec legimus solitum fuisse illos Apostolis, vel inferioribus exorcistis, committere. Quinimo, et solitum fuisse, in exorcismis perficiendis, dæmonis resistentias retundere, et cum eo reluctante veluti luctari, et colluctari, ut Luc. xi. *Erat ejiciens dæmonium*; ad quod P. Sylveir. *Verbum* erat, *denotat, quod Dominus magna instantia, magnoque conatu, erat ejiciens dæmonium.*

Deinde Apostoli, principes, fundatores, et prima capita post Christum, lapidesque fundamentales ecclesiæ suæ, personaliter per seipsos, obsessos exorcizârunt, ut passim in eorum vitis, ac legendis, perlegitur: quorum etiam exemplorum vestigia quamplures sancti præsules sunt prosecuti, de quibus infra. Atqui quod Christus Dominus, Apostoli, et famosiores Sancti, nos præeuntes, effecerunt, licet nobis subsequentibus pariformiter æmulari: ergo. Pro quo vid. Brogn. infr. cit.

III. Prob. 2. Inductione Sanctorum ipsorum, quam Brogn. in manual. exorcist. p. 1. c. 1. a. 3. n. 38. adducit, inquiens; *Ecclesiastica narrat historia, plures episcopos huic ministerio, quantumvis laborioso, laudabiliter incubuisse, ut S. Basilius apud Amphiloquium in vita ejus; S. Gregorius Thaumaturgus apud Gregorium Nyssenum; S. Martinus Turonensis in vita ejus apud*

apud Vincentium Belvacenſem; S. Urſmarus apud Raitherium, to. 2. Surii; S. Adelelinus Sagienſis in vita S. Opportunæ; S. Maurilius Andegavenſis in vita ejus, c. 10. S. Ambroſius archiepiſcopus, ut colligitur ex exorciſmis, ac documentis ad dæmones effugandos, ab ipſo traditis; S. Ubaldus Eugubinus; S. Zenon Veronenſis; et alii multi, quos longum ac tædioſum eſſet recenſere.

Et n. 57. proſequitur: *Hujuſmodi onera ſubiere fere omnes SS. PP. ac religionum ſacrarum inſtitutores; videlicet, SS. Antonius, Benedictus, Hilarion, Bernardus, Gallus Pontius Bonevallis, Iſidorus, Petrus Santutius, Cœleſtinus, Neoterius, et alii plures abbates; S. Dominicus, aliique ejus ſectatores: quot Seraphicus P. Franciſcus ab urbe Arretii, et alibi, à pluribus energumenis deturbavit! ut recte Baretius de Baretiis in ejus vita, c. 2. quot B. Joannes à Capiſtrano, Bernardinus à Feltria, Jacob. à Marcha, et S. Ignatius à Loyola!* &c.

Quibus addendi D. P. Theotonius, primus prior regii S. Crucis Conimbricenſis cœnobii, canonicus regularis Auguſtinianus, D. Laurentius Juſtinianus Venetorum patriarcha, D. Martinus Turon. epiſcopus, D. Columbanus, D. Remigius, Gregorius Agrigentin. epiſcopus, alter Gregorius Lingonienſis, Pontius abbas Bellevacenſis, B. Germanus, S. Carolus Borromæus archiepiſcopus Mediolan. et alii videndi ap. Beyerlinch. in theatr. vit. hum. v. *Exorciſmus*; et tandem ſanctiſſimus P. Benedictus XIII. qui aliquos per impoſitionem manuum à dæmonis manutentione liberavit.

IV. Dico, 2. Nedum ex charitate, ſed et ex juſtitia, tenebuntur aliquando epiſcopi per ſeipſos alicui obſeſſo, vel poſſeſſo, exorciſmos adhibere. Colligitur ex traditis à cit. Brogn. n. 39. et à Barb. de epiſcopali munere, tit. 11. §gl. 12. n. 7. referente verba D. Petri ad Clem. *Eccleſiarum omnium curam habentes, miſericordes, et benevoli eſtote; in omni verbo, et opere, pro viribus agite . . . Hæc eſt voluntas Dei, ut benefacientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Notentur maxime hæc verba pro imprudentibus, ac ignorantibus hac de re prænotatis cenſuris, ac ſugillationibus.

Prob. 1. Quia epiſcopus tenetur, nedum ex charitate, ſed et ex juſtitia, *præbere ſe in omnibus exemplum bonorum operum*, ad Tit. ii. 7. cui obligationi minime per alios ſatisfacit. Deinde poteſt dari occaſio, vel genium erroneum aliquorum ſacerdotum, imo et parochorum, qui erronee dedignentur exorciſmos per ſeipſos exercere; in qua hypotheſi teneretur epiſcopus, ex juſta obligatione hujus boni operis exemplum præbendi, exorciſmos perſonaliter agere.

Præterea poteſt dari aliquis dæmon ſuperioris ordinis, et adeo rebellis, ut nolit ſubjici, neque obedire, niſi præceptis ſuperioris præſulis, nempe epiſcopi; nam certum eſt, dari dæmones, et ſuperiores, et nequiores aliis, et magis rebelles, ut patet ex evangelio, præſertim Luc. xi. ſicut etiam, ut certum circumfertur, dæmones magis pertimeſcere præſentiam prælatorum ob ſpecialem divinæ ſuperioritatis repræſentationem, ut conſtat ex chronicis reformati Carmeli in vita Vener. Franciſcæ à Sacramento, et in aliis. Et præſules, ut majori poteſtate gaudentes, ſic majori virtute in dæmones pollent, illoſque dæmonia multo magis verentur, quam reliquos ſacerdotes ſimplices, vel exorciſtas.

V. Quare, ſi in circumſtantiis illis præſul ipſe reputet, ad celeriorem libertatem poſſeſſi, vel obſeſſi, expedire, ut per ſeipſum ei exorciſmos adhibeat, ad id ex juſtitia utique tenebitur. Unde cit. Brogn. n. 38. *Cum epiſcopi ſint ſucceſſores Apoſtolorum, quomodo convenientius tales ſeſe exhibere poſſunt, quam Apoſtolorum mores imitando, quos energumenis liberandis, et ſolvendis dæmoniacis operibus, juxta præceptum Domini vacâſſe, ex Evangelio, et Hiſtoria Sacra, eſt certiſſimum? Præſertim cum majori poteſtate gaudentes, majori conatu tartareas poteſtates aggrediantur, quæ ſuſtinere non poſſunt manus illius applicationem, qui ſacerdotes ordinat, auctoritatem confert remittendi peccata, et ſacrificium incruentum pro vivis et mortuis offerendi; dat facultatem prædicandi verbum Dei, et regendi populum ejus; aliaque facit, quæ epiſcopali dignitati conveniunt; præcipue exorciſtis dæmones adjurandi, et è corporibus obſeſſis ejiciendi poteſtatem tradit. Mitto ædificationem, quæ ex tam ſancto opere conſurgit.*

Nota valde ultima illa verba; *Mitto ædificationem, quæ ex tam ſancto opere conſurgit*; adverſus garrulam præfatam adverſantium ſugillationem. Quibus etiam ſuffragantur alia Barb. de epiſcop. c. 2. n. 18. *Epiſcopus ſortitur nomen Militis armati, Cuſtodis, Leonis, Angeli, et aliorum, quæ à S. Gregorio Nazianzeno connumerantur in carmine ad epiſcopos; ut ſua inſuperabili poteſtate dæmonum impetus perfringat.*

VI. Prob. 3. Quia epiſcopo, quaſi parocho parochorum, Abb. in c. *Dormientis*, de paroch. Leo in theſ. 1. p. c. 4. Gob. tr. 4. ex officio ſuo, ac per conſequens ex obligatione juſtitiæ, incumbit oves ſuas à dæmonum inſultibus viſibilibus, vel inviſibilibus, tueri, juxta illud eccleſiæ in hymno D. Petri (1. die Auguſti) *Oveſque ſervat creditas, arcet lupos.* Sed hoc per eccleſiaſticos exorciſmos perficitur: ergo.

Confirmatur, 1. Ex verbis ordinationis exorciſtarum, eorum officium reſpicientibus: *Ut ſint ſpirituales imperatores ad abjiciendos dæmones de corporibus obſeſſis.* Et infra: *Poteſtatem et imperium habeant ſpiritus immundos coercendi, ut probabiles medici eccleſiæ tuæ gratia curationum*, &c. Sed medicus, et imperator, ex juſtitia tenentur munera ſua populis exhibere: ergo ſimiliter.

Confirm. 2. Ex communi theologorum aſſerto; videlicet, ex Soar. tom. 2. de religion. l. 4. de adjurat. c. 4. n. 5. *Suppoſita neceſſitate hominis à dæmone obſeſſi, vel alia ſimili, miniſtri eccleſiæ poſſunt ex officio obligari ad dæmonem adjurandum, ſeu exorcizandum; quia tenetur ſubvenire neceſſitati ſuorum fidelium per remedia convenientia, et ab eccleſia inſtituta: unum autem ex remediis pro illa gravi neceſſitate deſtinatum ab eccleſia eſt exorciſmus.*

Et ex Navarr. c. 24. n. 18. et Leſſ. de juſt. l. 2. c. 9. dub. 3. n. 94. aſſerentibus; *Epiſcopos, et parochos, ex officio obligari ad ſuorum ſubditorum defenſionem, ſecundum modum ſuæ poteſtatis, in ordine ad ſpiritualia dumtaxat.* Et cit. Brogn. n. 40. ſic exclamat: *Quot, obſeſſi à dæmone, etiam hoc noſtro ævo ſe aquis præfocârunt? quot in ignem projecerunt? quot mortem ſibi violentam intulerunt? nec alia de re à lupo fuerunt arrepti, niſi quia non habuerunt paſtorem, qui eos à lupi voracitate, ac pernicitate, tueretur. Quare epiſcopi, ne Deus de manibus eorum animas ovium ſuarum requirat, tenentur in ſuis diœceſibus invigilare, ut parochi omnes, cum neceſſitas poſtulat, exorciſtæ munere fungantur*, &c.

VII. Dices, Sufficit, quod epiſcopus per alios id efficiat; videlicet, per parochos, et alios à ſe approbatos, ac deputatos exorciſtas, ut tenet cit. Brogn. n. 39.

Sed contra, 1. Quia etiam ſufficit, ut epiſcopus per alios idoneos prædicatores verbum Dei diſſeminet, ut tenent communiter DD. theologi, ac juriſtæ; et tamen tenetur per ſe aliquando, ſaltem in ſolemnioribus ſolemnitatibus, ac Dominicis Quadrageſimæ, et Adventus, prædicare, ut ex Trid. ſeſſ. 5. c. 2. et ex S. Franciſci Saleſii doctrina, et ex nupero Concilio Lateran. cap. 3. tit. 1. ſatis convincitur: ergo.

Contra, 2. Quia epiſcopus per ſe, et non per alium, tenetur eſſe exemplar, atque bonorum operum exemplum per ſeipſum præbere; imo per ſe tenetur munus obire Medici, Imperatoris, Militis, Cuſtodis, Leonis, Servatoris, Protectoris, et aliorum, ſaltem in circumſtantiis ſupra ponderatis.

Contra, 3. Quia noſtra ſecunda præmiſſa reſolutio non eſt abſoluta, quod ſemper teneantur omni tempore, et occaſione; ſed aliquando, et reſtricte ad circumſtantias, atque hypotheſes figuratas: ergo.

Tandem in vita D. Franciſci Saleſii, l. 6. c. 20. legitur, quod in triplici parœcia dumtaxat, in una tantum viſitatione, pluſquam octingentos energumenos, vi exorciſmorum à ſeipſo perſonaliter perfectorum, à poſſeſſione dæmonis liberavit anno 1605.

Sect. II.

Quoad confeſſionum ſuſceptionem:

VIII. Quod epiſcopi etiam teneantur, nedum ex charitate, verum et ex juſtitia, ovium ſuarum confeſſiones

fessiones sacramentales aliquando audire, facile probatur eisdem fere fundamentis, et aliis superadditis.

Et, 1. Ex eadem ratione præbendi *in omnibus seipsos exemplum bonorum operum* (nota ly *in omnibus*); et ex eo, quod *Episcopi sint parochorum Parochi, Medici spirituales, Servatores, Custodes, Magistri, ac Doctores ovium sibi creditarum*, quibus ut *pastores, ac patres*, spiritualia pascua ex justitia tribuere ac ministrare tenentur per se aliquando, in circumstantiis infra explicandis.

2. Quia episcopi reservant sibi aliquos casus ab ipsis dumtaxat in confessione sacramentali absolvendos: ergo, saltem quoad hos, tenebuntur audire confessiones illorum pœnitentium, qui illos pro reservata absolutione obtinenda adierint; maxime si ab ipsis pœnitentibus pro tali confessione apud ipsos facienda expresse requirantur.

3. Quia soli episcopi dispensant in aliquibus occultis impedimentis, quæ pœnitentes in sola confessione sacramentali, et sub illius sigillo, aperire dignantur, et extra illam maxime erubescunt. Deinde pœnitentes, præsertim mulieres, in materia pudicitiæ, defectus multiplices occultos sæpe patiuntur, validitatem matrimonii, legitimationem prolis, integritatem virginalem, affinitatis contractiones, et alia hujuscemodi respicientes, necnon occultas aliquorum votorum circumstantias, ac motiva, quæ nonnisi sub confessionis sacramentalis sigillo, et proprio pastori remedium dispensationis, vel relaxationis collaturo, ob nimiam erubescentiam exponere volunt, ut D. Franciscus Salesius sæpe expertus est; et mihi, omnium minimo, non semel accidit: ergo, saltem in iis circumstantiis, si pœnitentes illæ dicerent episcopo, sese materiam habere, quam in confessione ipsi aperire oporteret, tenebitur ex justitia episcopus illam audire in sacramentali confessione.

4. Quia, juxta doctrinam traditam alleg. 153. sub n. 7. quilibet parochus (idem dicendum de parochorum parocho, servatis servandis) tenetur ex justitia cuilibet subdito, juste aliquod sacramentum petenti, illud administrare; et multo magis necessitate aliqua intercedente; Fr. Angel. in breviar. Carmelit. et alii: ergo.

IX. Prob. 2. Saltem quoad decentiam, et obligationem ex charitate, ab auctoritate Card. Deluc. in suo libro, *Episcopus practicus*, c. 10. n. 7. ubi dicit: *Inter præcepta, quæ novo episcopo injungi solent, hoc est, quod saltem in principio, et successive in Quadragesima, et Hebdomada sancta, in ipsa cathedrali, et per totam diœcesim, in generalibus visitationibus, suarum ovium confessiones auscultet, ex duplici motivo*; 1. *Ut cognoscat experimentaliter, quænam peccata graviora in illa civitate, aut parœcia, regnent.* 2. *Ex practica experientia; quod pœnitentes peccata aliqua graviora libentius episcopo, quam alteri confessario, facile aperiunt.* Et tandem palam fatetur, hanc actionem in episcopo esse valde æstimabilem, benefactam, atque laude dignam, quamvis pro exercitio illius certa regula decerni nequeat.

Et ab auctoritate anonymi in *Norma perfecti episcopi*, consider. 26. *Perpende, primarium cujuscunque diœcesis pœnitentiarium, esse episcopum ipsum: imo ferme dici posset, hunc solum esse pœnitentiarium illius, siquidem ipse totam habet plenitudinem potestatis (salva ea, quæ capiti ecclesiæ competit): quapropter excipere potest omnium confessiones, sicuti alii quorundam tantum, et non absque illius facultate.* Et quamvis adducat inconvenientia aliqua adversus frequentem auscultationem confessionum pœnitentium, et consequenter asserat, *quod esto concedi possit episcopum non teneri per semetipsum confessiones excipere*, &c. non tamen negare ad id teneri saltem ex charitate in aliquibus casibus, aut circumstantiis. Vide etiam Gob. tr. 1. n. 134. resolventem, *Tempore pestis, deficiente parocho, teneri episcopum sacramentum pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis, non vero confirmationis, per se ministrare.*

3. Probatur exemplis quamplurium SS. episcoporum; videlicet, D. Francisci Salesii, D. Ubaldi, D. Laurentii Justiniani, D. Ambrosii, D. Hugonis episcopi Gratianopolitani, D. Basilii, D. Antonini, et aliorum.

Similiter in epistola, sive rescripto S. Congregationis pro mea visitatione ad Limina, expresse in me laudatur, quod confessiones suscipiam, ut in ipsa videre licet in fine alleg. 149. Et tandem in decr. 2. Oxonienſis, concilior. to. 7. sic præcipitur: *Episcopi in publico præsentiam suam exhibere procurent: et in personis propriis confessionibus audiendis interdum intersint.*

X. Dices, 1. Ex frequenti auscultatione prælatorum erga pœnitentium confessiones, præsertim mulierum, posse sequi aliqua mala, et inconvenientia multiplicia, de quibus cit. anonym. c. 26. Sed contra, 1. Quia ex illa possunt sequi, et infallibiliter sequuntur plura, et majora bona.

Contra, 2. Quia ex omissione illius sequuntur plurima etiam mala, præsertim deficientiæ gravis episcopi huic gravi obligationi ex justitia, vel saltem ex charitate, et remedio spirituali gravi ovium sibi commissarum, saltem in aliquibus ponderatis circumstantiis.

Respond. igitur, Illa mala sequi posse contingenter, et per accidens, non vero infallibiliter, et per se. Imo, prout sic, quamvis plura, et majora forent, quam contraria bona, non teneretur præsul omittere ob ea illud, ad quod graviter ex justitia, vel ex charitate, adstrictus erat. Et huic inservit doctrina M. P. August. l. contr. mendac. to. 4. c. 9. *Si hanc peccatis aperuerimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, imo nullo limite, sed convulsis, et remotis omnibus terminis, infinito spatio cuncta intrabunt, atque regnabunt.*

Et infra ibidem: *Noli facere magnum scelus tuum, dum majus horrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum, et alienum, hoc erit tuum, illud alienum.* Episcopus igitur, qui graviter tenetur *in omnibus seipsum præbere exemplum bonorum operum*, prudentia sibi à Deo *(qui est adjutor in opportunitatibus)* donata, cavebit fraudes, dolos, simulationes, fictiones, atque illaqueationes muliebres, quæ contingenter irrepere poterunt. Imo, ut experientia propria cautus sit in discernendo verum à falso, oportebit, ut personaliter ovium suarum confessiones auscultet, cum et ipsa incarnata Sapientia utique scientiam experimentalem *didicit ex iis, quæ passus est.*

Ad auctoritatem cit. anonymi, præter verba, jam supra extensa, hic totam versari *pro cavendo periculo, ne duorum tribunalium* (videlicet, fori interni, et externi) *unum confundat, vel saltem impediat cursum alterius.* Reliqua vero, quæ ipse ponderat, facile diluuntur ex dictis. Et certe omnibus præponderat gravis obligatio *in omnibus seipsum bonorum operum præbendi exemplum.*

XI. Dices, 2. In vita S. Caroli Borromæi apud quendam ex scriptoribus illius reperiri, S. archiepiscopum non fuisse frequentem in suarum ovium confessionibus personaliter auscultandis. Sed contra, 1. Est breviarii Rom. auctoritas; ubi sic legitur: *Quo tempore pestis Mediolani grassabatur . . . eoque morbo laborantes sedulo invisens paterno reficiebat affectu, et ecclesiæ sacramenta propriis ipse manibus administrans, mirum in modum solabatur.*

Contra, 2. Quia, præter breviarii Rom. auctoritatem, in ipsius vita legitur, ipsum frequenter administrâsse sacramenta, tempore pestis illius, ægris utriusque sexus, et status, plaga illa perculsis; imo et extra illud tempus similiter, et monialibus, quas reformaverat, vel constituerat.

Contra, 3. Quia, si non frequenter, sufficiebat, quod aliquando, necessitate, aut circumstantiis urgentibus, sacramentum hoc, saltem ex charitate, administrâsset.

Contra, 4. Quia tempestate illa periculosa, ac pernicioſa, hoc sacramentum non frequentabatur, ita ut sæculares raro, et ad summum semel in anno, sacerdotes vero nunquam sacramentaliter confitebantur, erronee reputantes, ad id non teneri, semel quod aliorum confessiones audiebant, et peccata absolvebant.

5. Quia Sanctus iste, ecclesiæ maximus, et glorioſus reformator, tantum huic generali reformationi, et œcumenicæ Synodi Tridentinæ absolutioni incubuit, ut nil mirum, quod parum temporis ad aliorum confessiones suscipiendas sibi restaret.

XII. Coronet, quoad utrumque munus, hanc haud inutilem hisce temporibus dissertationem exemplum

illius clementiſſimi, atque ſuaviſſimi Divi, qui eſt corona mea, gaudium meum, ornamentum capitis mei, ſertum exultationis meæ, necnon devincti cordis mei dulciſſimus nexus, ſingulariſque, et gratiſſimis ſcopus, S. Franciſci Saleſii, qui quidem etiam poſt aſſumptionem ad promeritam altiſſimam dignitatem epiſcopalem adeo frequenter munus confeſſiones indiſcriminate ſuſcipiendi exercuit, ut ex ejus vita, lib. 4, 5. et 6. ſat eſt conſtans; et exorciſtæ officium non minori frequentia ita obivit, ut turmatim ad eum jam octoni, jam decenni, jam duodeni, imo numeroſiores energumeni undique confluerent, ut lib. 6. n. 107. Vide etiam ap. Delrium exemplum domini Henrici Cameracenſ. epiſcopi, de quo alleg. 150. ſub n. 28.

ALLEGATIO CLV.

Concernens, ac conſequens contenta Alleg. 153.

SUMMARIUM.

I. *Motivum iſtius refricationis.*
II. *Exemplar ſupplicis memorialis Sanctiſſimo oblati.*
III. *Caſus alter.*
IV. *Nimis rigoroſa punitio iſtius.*
V. *Supplicatio pro hoc ad Sanctiſſimum.*
VI. *Tertius caſus, et breve Pontificium pro illo.*
VII. *Contraventio multiplex gratiæ Pontificiæ.*
VIII. *Et ſignanter, clauſulæ* In poſterum vexari unquam ſinas, *non datur præventio, niſi per citationem, vel apprehenſionem.*
IX. *Supplicatio etiam pro hoc ad Sanctiſſimum.*
X. *Mœrens Pontificis admiratio.*
XI. *Prævenerunt Pontificem Sum. inſubſiſtentibus fundamentis.*
XII. *Princeps minime à ſe abdicare poteſt ſubditorum recurſum, ſive jus recurrendi ad ipſum.*
XIII. *Confirmatur ex bulla* Jamdudum *Bened.* XIV.
XIV. *Querimoniæ aliquorum regularium adverſus inquiſitorem generalem Caſtellæ.*
XV. *Prudenter dubitat Marin. de facultate Inquiſitionis Hiſpanæ ad intercidendam probabilem opinionem de juriſdictione epiſcoporum, ad abſolvendum ab hæreſi occulta ſubditos pro foro interno.*
XVI. *Quænam fuerit opinio D. Franciſci Saleſii in hac controverſia; et quænam Clement.* VIII.
XVII. *Qualiſnam præcipui negotii exitus?*
XVIII. *Proceſſus defectuoſus in quartanarium Eborenſem.*

I. JAM ex præcitata alleg. 153. cunctis ſat innotuit exceſſus, nimiuſque rigor proceſſus tribunalis S. Officii Eborenſis, vel potius, atque revera, Ulixbonenſis, adverſus ſacerdotem illum Petrum de Souſa Lobo, monialium S. Spiritus, vel Immaculatæ Conceptionis oppidi Loulæani, juriſdictioni ordinariæ ſubditarum, ordinarium confeſſorem, ob aliquas baptiſmatum ſub conditione reiterationes, à proprio præſule adhiberi juſſas ex matura conſideratione, et prævio convenienti examine pro earum neceſſitate, pluſquam probabili fundamento ab epiſcopo, cui privative hoc judicium de jure pertinet, prudentiumque virorum convenienti conſilio adhibito, prudenter ac juſte dijudicata.

Cum autem pluſquam integer annus excurriſſet, quin dominus generalis inquiſitor iteratis, ſupplicibuſque patientis inſtantiis, ne in minimo quidem pro pœnarum levamine detuliſſet, recurſum ad Sanctitatem S. habere cogitavit, ut ſibi vel ex gratia, vel ex juſtitia, benigne deferre dignaretur, per ſupplex ſequens memoriale Romæ, à quodam inſigni advocato in cauſis S. Officii apprime, et ſuper omnes verſato; quod quidem per formalia hic tranſcribendum duxi; eo quod evidens, licet implicita, confirmatio ſit omnium præcit. allegat. ſtabilitorum.

Memoriale, ſive ſupplicatio ad SANCTISSIMUM.

BEATISSIME PATER,

II. SAcerdos Petrus de Souſa Lobo, jam confeſſarius monialium monaſterii Sanctiſſimæ Conceptionis oppidi de Loule in regno Algarbiorum, Sanctitati tuæ humiliter exponit, quod occaſione viſitationis de anno 1742. in oppido prædicto per epiſcopum Pharaonenſem expletæ, cum ab epiſcopo oratori præceptum fuerit, ut quibuſdam perſonis, et ſignanter cuidam moniali, ſacramentum baptiſmi ſub conditione adminiſtraret, et ipſius mandatis, et, quo par erat, obſequio obtemperando ad injunctam baptiſmi reiterationem modo, et forma ſibi præſcripta devenit. Verum poſt quatuor annorum decurſum, anno ſcilicet 1746. de mandato S. Officii Ulixbonenſis in carcerem detruſus, tanquam reus reiterationis baptiſmi; tandem prævio actu fidei, publica, videlicet, abjuratione, in pœnam perpetuæ inhabilitationis ad audiendas ſacramentales monialium confeſſiones, ſuſpenſionis per triennium ab exercitio ordinum, exilii per octennium à tota diœceſi, ſeu regno Algarbiorum, damnatus extitit. Sentiit ſupra modum infelix orator ſe de tanto crimine inſimulatum; non enim in aliquod fidei delictum incidere rationabiliter credidit, ſi epiſcopi ſui juſſa hac in re executioni demandare non detrectavit. Sciebat namque, communi theologorum, et canoniſtarum ſchola docente, epiſcopalis juris eſſe inquirere, atque pronuntiare, quibus in caſibus, quibuſque concurrentibus circumſtantiis, liceat opportune, atque alicui baptiſmum ſub conditione adminiſtrare, ſeu reiterare. Sciebat teneri parochos, in contingentia caſuum, epiſcopum conſulere, ipſique dubium proponere, cum ipſe ſit judex ordinarius in dubiis, quæ circa hujus ſacramenti adminiſtrationem exoriri ſolent. Quapropter, ſi epiſcopus Pharaonenſis ſedulo, maturoque conſilio, penſatis omnibus circumſtantiis, exquiſito quoque theologorum voto probabiliter, ſive rationabili cum fundamento credidit in caſu, de quo agitur, baptiſmum ſub conditione iterum deſignatis perſonis eſſe adminiſtrandum, cæterumque ſub conditione adminiſtrari oratori præcepit, profecto ipſi nequaquam crimini factum iſtud verti poſſe videtur, vel ſaltem non datur intelligi, qualis, ex parte ipſius oratoris, ſacramenti abuſus conſiderari, qualiſve huic ſacramento illata dici poſſit injuria, exequendo mandata ſui epiſcopi, ut de fide ſuſpectus per actum fidei publice proclamaretur, aliiſque afficeretur pœnis, ac ſi de delicto fidei confeſſus, ſive plene convictus extitiſſet: in tanto itaque animi cruciatu, tantaque tribulatione poſitus, ad fontem juſtitiæ, paternæque clementiæ tuæ, pater beatiſſime, humiliter recurrit, ſupplexque inſtat commiſerandus orator, ut horrendis maculis per impactum crimen, publicam abjurationem, inflictaſque pœnas, honori, famæque ſuæ inuſtis, proſpicere digneris, gratiam abſolutionis à pœnis prædictis in caſu, de quo agitur, benigne largiendo, dum Sanctitati tuæ pedes humiliter deoſculatur.

Ex vera, ac juridica iſtius ſupplicis libelli expoſitione facile confirmatur veritas præmiſſa alleg. 153. ſtabilita erga incompetentiam tribunalis Inquiſitionis in illa re, et privatam ordinarii competentiam; inculpabilitatem ſacerdotis illius proprio ordinario ex debito parentis; notorium exceſſum, nimiamque rigiditatem punitionis à tribunali inflictæ (quam quidem Sanctitas ſua, ſupplicatione præfata audita, maxime demiratus eſt, atque dedignatus); et reliqua ex præmiſſis recte conſequentia. Et jam Sanctitas ſua valde propenſum ſeſe oſtenderat ad deciſionem directe favorabilem, nedum aſſerti rei inculpabilitati, etiam via juſtitiæ, verum et ordinariæ epiſcopali juriſdictioni. Sed efficaciter præventus ex adverſo mediata, vel immediata repræſentatione, atque expoſitione eminentiſſimi inquiſitoris Luſitaniæ, rationibus ac fundamentis infra exponendis; media alia via incedens, directam illam conceptam deciſionem, inconvenientia aliqua veritus, ac præcavens, moderatus eſt, forma inferius tradita.

ALTER

ALTER CASUS.

III. EAdem occaſione ſecundus ſupplex libellus eidem Sanctiſſimo, alterius caſus factum præcontinens, eſt oblatus. Nam cum ſacerdos quidam nobilis, ejuſdem diœceſis generalis vicarius, qui cujuſdam monialis à dæmone vexatæ in reiteratione prudenti baptiſmatis ſub conditione patrinus evaſerat, poſtmodum ad crates eccleſiæ ei alloquens, et per feneſtellam communionis, occaſione patronalem benedictionem eidem petenti dandi, manum porrigeret, et ad ejus os, ſive ad pectus, manum indebite, et illiciative dirigeret, inſimulque eidem chirographum amatorium, alteri moniali offerendum traderet; et ab iſta diverſa die vocatus ad confeſſionale, à crate prædicta diſtinctum, et ibi, non ſimulando confeſſionem, cum duo adeſſent moniales, neque occaſione, aut prætextu illius, quantum erat ex parte ſacerdotis ipſius (quod et ipſo elencho, vulgo *lyſta*, inſinuabatur; non enim exprimebatur, fuiſſe confeſſionem ſimulando, neque illius prætextu) amatoris ſermones haberent; veritus poſtea, ſe ob ea denuntiatum fuiſſe tribunali Inquiſitionis Eborenſis, conſulto duxit, ſe ſponte eidem tribunali deferre, non obſtante clara, evidenti, et efficaci doctrina Pignatell. conſ. nov. 117. § 3. *Subditur*; et aliorum theologorum primæ claſſis ſub alleg. 148. laudatorum; videlicet, Caſtr. Pal. Fagund. Lez. Thom. Hurtad. Boſſ. Leand. Bord. et alior.

Præſentatus autem per propriam ſcripturam juſſus eſt intra decem dies in tribunali comparere, ubi præmiſſam confeſſionem verbo ratificans, cum ex pura oblivione non declarâſſet prædictum conſignatum chirographum, neque quod diœceſanus prælatus aliquando in crate illa eccleſiæ aliquarum monialium ſacramentales reconciliationes, et confeſſiones auſcultâſſet (quod quidem tamen per accidens ſe habebat, neque locum illum ad confeſſiones deputatum, ſed ad alia reddebat) et tandem quod non confiteretur ſecundam collocutionem in confeſſionario fuiſſe confeſſionis prætextu ex parte ipſius ſacerdotis; tanquam deminutum reputantes, in carceribus Inquiſitionis eum recluſerunt; et libello à promotore fiſcali adverſus eum oblato, tandem ad publicum deductum, prævia abjuratione *de levi*, per ſententiam publicam *in perpetuum ad confeſſiones audiendas, atque ad miſſæ ſacrificium celebrandum inhabilitatum ediderunt*; et inſuper *per ſexennium ab exercitio ordinum, et per quadriennium ab Algarbienſi diœceſi, atque à patrati criminis loco, in perpetuum exulatum.*

IV. Omnes juſte demirati ſunt hujuſce nimium ſententiæ rigorem in reum ſponte præſentatum. Nam, juxta doctrinam Caren. p. 3. t. 8. § 7. *Sponte comparentes mitiſſime tractantur, qui præventi, ſed non vocati comparent; et inter hos mitius adhuc, qui in primis audientiis delicta ſua fatentur, quam qui id agunt teſtibus, indiciis, et interrogationibus preſſi.* Et Pignatell. conſ. nov. 147. *Comparens in S. Officio non citatus, neque vocatus, ſed indiciis præventus, ſi compareat ſciens fuiſſe præventum, gaudet in parte, non autem in toto, beneficio ſponte comparentium; quia mitius punitur, quam ſi fuiſſet convictus.* Quod iterum repetit conſ. ult. *de ſponte comparentibus.* Ubi eſt ergo *mitior* illa punitio in tam acri, ac rigoroſa præſentis rei?

Et quamvis idem Pignat. conſ. 104. tradat, quod *ſponte comparentes in S. Officio, accuſantes ſe de ſolicitatione in confeſſione valde gravi, abjurant de vehementi, removentur à loco delicti, et ſuſpenduntur omnino ab audiendis confeſſionibus*; non ſumus in caſu *de valde gravi ſolicitatione*, quæ coarctet ad abjurationem de vehementi; et de facto reus iſte tantum *de levi* abjuravit, quamvis ex ſtylo Luſitaniæ hæc abjuratio dumtaxat ſolicitantibus imponatur. Imo et ſuſpenſioni à confeſſionibus ſuperaddita eſt gravius ſuſpenſio à celebrando ſacrum in perpetuum; quod et Romæ etiam ab ipſomet Summo Pontifice notatum eſt.

Et ex certa ſcientia novimus, multiplicem fuiſſe votorum ſciſſuram in hac ſententia tam in Eborenſi, quam in Ulixbonenſi tribunali, prudentioribus, atque doctioribus judicantibus, reum præfatum non ad publicum, neque tam acriter punitum, deducendum fore; ſed in tribunali ipſo abſolvendum: imo et certo certius eſt, judicem unum ex gravioribus, qui in uno ex illis tribunalibus pro hac cauſa ſuffragium tulit, poſt publicationem ſententiæ privatim aliquibus faſſus eſt, reum illum injuſte punitum fuiſſe. Et cum inſuper inſtanter, et humillime, pro aliquo levamine poſt integrum tranſactum annum coram eminentiſſimo generali inquiſitore incaſſum ſupplicaret, ad Sanctiſſimum per ſequentem ſupplicem repræſentationem recurrit.

Supplicatio ad SANCTISSIMUM.

BEATISSIME P.

V. *SAcerdos N.* (Factum narrabat, et immediate proſequebatur quoad locum) *in crate eccleſiæ, loco tamen neque ſolito, neque deſtinato ad audiendas confeſſiones ſacramentales, neque occaſione, et prætextu confeſſionis, ſeu ſimulando audire confeſſionem ſacramentalem præfatæ monialis. Nihilo tamen ſecius vocatus poſtmodum ad comparendum in dicto S. Officio, in eoque compareus, fuit in vincula conjectus; ſubindeque, prævia publica abjuratione, quæ in illis partibus actus fidei appellatur, inhabilitatus in perpetuum ad audiendas confeſſiones ſacramentales, perficiendumque miſſæ ſacrificium, necnon ſuſpenſus per ſexennium ab exercitio ordinum, ac per quatriennium à tota Algarbienſi diœceſi, et in perpetuum à loco prætenſi patrati criminis exulatus; et ſub fundamento, quod in ſua ſpontanea remanſerit orator deminutus; tum quia in dicta ſpontanea non expreſſerit epiſcopum Pharaonenſem aliquando in dicta crate nonnullarum monialium confeſſiones ſacramentales audiviſſe; tum etiam quia ſe non accuſaverit, quod occaſione ſermonum inhoneſtorum cum prædicta moniali bilectum eidem conſignaverit, alteri moniali tradendum. Verum quia, P. Sancte, aſſertæ deminutiones nullam prorſus obtinent ſubſiſtentiam; non quidem prima; quia non probatur, nec probari poteſt, unquam enuntiatam cratem fuiſſe, et eſſe locum ſolitum et deſtinatum ad audiendas confeſſiones ſacramentales; neque talis conſtitui valuit, eo quod aliquando per accidens epiſcopus ſacramentales in ea nonnullarum monialium confeſſiones audierit, cum id efficere poſſet, quod talis in illo actu cenſeri, et conſiderari potuiſſet, neque etiam vero locum ſolitum, conſuetum, et deſtinatum ad audiendas confeſſiones ſacramentales conſtituere, quemadmodum opus eſſet ad hoc, ut, juxta præſcriptum Gregorianæ conſtitutionis, ſolicitationis crimen patratum dici valeat, ſignanter cum orator ad dictos actus, inhoneſtoſque ſermones, non proceſſerit, ſimulando audire confeſſionem memoratæ monialis. Minuſque facit altera prætenſa deminutio, quod orator occaſione dictorum inhoneſtorum ſermonum cum antedicta moniali reticuerit, eidem conſignâſſe bilectum, aliæ moniali tradendum, cum manifeſte colligitur, reticentiam hanc nonniſi ab oblivione promanâſſe; ſi namque orator abſque ulla tergiverſatione, ullaque repugnantia, de inhoneſtis colloquis, actibuſque turpibus, libere, plene, et integre ſe accuſavit, nulla profecto eſt aſſignabilis ratio, cur rem longe leviorem, qualis eſt conſignatio dicti bilecti, aliæ moniali tradendi, reticere voluerit, niſi è memoria circumſtantia iſthæc revera excidiſſet; proindeque hujus generis deminutio apta nullo pacto erat ad infringendam ſpontaneam oratoris comparitionem, cum ſatis compertum ſit, communique DD. placito receptum, ad hunc effectum expoſtulari, ut deminutiones ſint malitioſæ ſubſtantiales, quæve faciant variare judicium. Hinc, P. Sancte, orator antedictus tuos ante ſanctiſſimos pedes provolutus effuſis lacrymis humiliter exorat, ut digneris tua ſuprema, qua polles, poteſtate, cauſam hanc à tribunali S. Officii Ulixbonenſis ad te avocare; et, quatenus deminutiones non obſtare conſtiterit, beneficio ſpontaneæ comparitionis privari non potuiſſe pronunties, abſolutionem ab inflictis pœnis impertiendo; vel, ſin minus, gratiam abſolutionis à pœnis prædictis benigne largiaris, ut ita protritæ famæ, honorique ſuo proſpiciatur, cum cauſa inquiſitionis hujuſmodi, publicæque defamationis per enuntiatum actum fidei ſibi comparatæ, nedum ab epiſcopo Pharaonenſi prælato ſuo, ſed ab omnibus pœne ſibi ſanguine conjunctis ejectus, non habet modo, ubi caput ſuum reclinet.*

Hæc

Hæc providentia, quæ ſolicitabatur, via juſtitiæ, media actorum avocatione, prorſus impracticabilis, et quamplurimis obnoxia obſtaculis ſtatim viſa eſt, ipſamet monſtrante experientia, tribunal acriter repugnare his actorum remiſſionibus, regia etiam auctoritate, quam adverſus eas adire fatagit, munitum, ut jam ſub Clem. IX. vel X. cum inhibitione Inquiſitionum Luſitaniæ exercitii notabiliter evenerat. Quare via gratiæ utendum eſſe decretum fuit.

TERTIUS CASUS.

VI. Sacerdos alter parochus, qui quidem hujus judicii eccleſiaſtici Pharenſis promotor fuerat, ſuſpicans ex conſpiratione quorundam ſe delatum eſſe in tribunali S. Officii ex aliquibus ſermonibus intra confeſſionem, et occaſione illius habitis, quamvis in ſe materialiter levibus, ut ipſe autumabat, et conſequentem Inquiſitionis diligentiam in propria parœcia experiens, certior redditus, quod eum tangeret, Romam pergens, Sanctitatem ſuam perſonaliter adivit, à quo ſequens breve gratioſe obtinuit:

Breve SANCTITATIS ſuæ.

Dilecto filio noſtro Nuno à titulo S. Anaſtaſiæ preſbytero S. R. E. cardinali da Cunha, magno S. Inquiſitionis Portugalliæ, et Algarbiorum regnis inquiſitori.

BEnedictus PP. XIV. *Dilecte fili noſter, ſalutem, &c. Exponi nobis nuper humiliter fecit dilectus filius N. preſbyter, ac parochus eccleſiæ ſub invocatione S. Mariæ ſanctiſſimi Roſarii nuncupatæ, terræ de Olham Pharaonenſ. diœceſis, quod ipſe alias quædam eccleſiæ ſuæ negotia peracturus, facta ſibi, obtentaque debita abeundi poteſtate, hanc almam urbem noſtram petierat. Hic autem, cæteris confectis negotiis, ut à nonnullis etiam animi, conſcientiæque ſuæ angoribus, quibus ſe agitatum, vexatumque ſentiebat, penitus liberaretur, die 5. menſis Auguſti proxime elapſi ſupremo huic noſtro generali adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitionis tribunali ſponte ſe obtulit; à quo plenariam quidem criminum ſuorum abſolutionem in forma ſolita, et conſueta, reportavit, cum clauſula vero; Dummodo non fuiſſet in aliquo tribunali præventus. Et idem N. prout aſſerit, perſuaſum habet, ſe eidem Inquiſitionis tribunali ſincere, integre, vereque confeſſum eſſe omnia, et ſingula, quorum reus peragit, et de quibus ſine ſua ſpontanea confeſſione adverſus ipſum minime procedi poterat, cum nulla argumenta, probationeſque legitimæ eſſent; veretur tamen, ne interea abſentiæ ſuæ aliqua ficti criminis calumnia in ſeipſum excogitari potuerit ab iis, quicunque fuerint, quos forſan ſive conſulto, ſive inconſiderate offenderit. Ea propter ex eadem alma urbe noſtra patriam domum repetere cogitans, nos ſuppliciter exorari fecit, ut ſe de præmiſſis edocere, tibique commendare dignaremur. Nos itaque, attenta imprimis ſpontanea ipſius oratoris confeſſione in laudato ſupremo noſtro Inquiſitionis tribunali facta, deinde laboribus et incommodis ab eodem terra marique perlatis, tibi de præmiſſis jam inſtructo, dictum N. per haſce noſtras in forma brevis literas ab eodem tibi reddendas, ex paternæ benignitatis abundantia, commendamus, atque etiam rogamus, ut de omnibus, et ſingulis, quæ ſponte ſe prædicto tribunali noſtro aperuit, et de quibus abſolutionem obtinuit, vere abſolutum habeas, nec propter præmiſſa quomodolibet de præterito tantum, non autem de futuro tempore ſpectantia, ab iſtius tribunalis tui miniſtris in poſterum vexari unquam ſinas; ſed ipſis injungas, et mandes, ut ad nos, et idem ſupremum tribunal noſtrum, de eiſdem referatur. Interim Apoſtolicam benedictionem cum perenni incolumitate conjuncti tibi, dilecte fili noſter, peramanter impertimur: Datum Romæ,* 11. *Septembr.* 1747. &c.

VII. Cum hoc Pontificio diplomate ſe præſentavit orator eminentiſſimo inquiſitori generali Ulyſſipone, à quo, poſt aliquos brevis moræ dies, permiſſus eſt regredi inoffenſus ad eccleſiam ſuam. Sed poſt aliquod tempus juſſus eſt in Eborenſi tribunali comparere intra decem dierum terminum. Cui præcepto parens, inquiſitus, an ſimul cum brevi amplius aliud documentum ſecum portaverit, et reſpondens, quod atteſtationem confeſſionis ſuæ, quam quidem non ſtatim tradidit, eo quod Romæ ita ſibi injunctum fuerit, cum non ex neceſſitate, ſed ad cautelam eam portare curaverit, neque opus erat eam inferiori tribunali præſentare, ſuppoſita confeſſione, et abſolutione totali tribunalis ſuperioris; de præmiſſis cunctis inſtrumento facto coram notario, et à reo ipſo ſubſcripto, iterum dimiſſus eſt in pace ad parœciam ſuam reverti.

Sed, ecce! poſt aliquos menſes tertio juſſus eſt intra conſimilem terminum in eodem tribunali Eborenſi comparere; ubi atteſtationem confeſſionis Romæ factam examinantes, de aliqua deminutione eum arguere cœperunt, inquirentes *nimia exactione*, quis ei Romam pergere conſuluerit, et quomodo ſciverit præteritæ Inquiſitionis diligentiam eum involvere; inſimul redarguentes, adeptæ gratiæ narrativam veritate nixam non fore, cum jam præventus fuiſſet ab Inquiſitione Luſitana per præmiſſam teſtium perquiſitionem, et alia hujuſcemodi, ita ut promotor fiſcalis S. Officii libellum accuſatorium adverſus eum offerret, maximam vim faciens in rei intentionis deminutione, cum non ex fragilitate, ut ipſe confeſſus erat, colloquia illa intra confeſſionem, vel illius occaſione habuiſſet, ſed ex eo, quod de ſacramentis eccleſiæ male ſentiebat. Et hæc erat declaratio, vel confeſſio, quam magnopere extorquebant in pluſquam duodenis ſeſſionibus, atque examinibus cum reo ſuper ea habitis, contra doctrinam Salmant. to. 5. c. 4. pu. 1. et aliorum laudatorum alleg. 149. n. 21. et alibi.

Cum tamen iſte ſemper proteſtaretur pro indemnitate ſua, et Pontificiæ gratiæ fideli, pura, atque ſincera executione, quæ omnia præterita Romam remittere jubebat, quin de eiſdem cognoſcere, aut pro eiſdem moleſtiam reo afferre Luſitanam Inquiſitionem permitteret (quamvis reus vereretur in tam longo temporis ſpatio, quod Inquiſitio Luſitana Romam forſan denuntiationes apud eam datas tranſmiſſas habuiſſet, ut cum confeſſione ibi peracta conferrentur, et aliqua deminutio ex eiſdem deprehenderetur, pro qua novum examen ſubire Luſitaniæ cogeretur); et quod non teneretur culpas ſuas bis confiteri; et ſemel quod apud ſuperiorem plane pleneque omnes confeſſæ forent, ad nil amplius coram inferiore tenebatur, præſertim quod in tam longa diſtantia cunctarum ſpecialiter, et individualiter non recordaretur; tandem abſque ſententia, vel alio judiciali termino, poſt moram bimeſtrem dimiſſus eſt. An iterum non vocandus? Temporis curſus demonſtrabit.

VIII. Et ſane clauſulæ illi brevis, *In poſterum vexari unquam ſinas*, aperte contraventum eſt per illas ſatis moleſtas, infamiam trahentes, iteratas comparitiones, rigida, atque exacta examina, et extorſiones, necnon tam longam, ac morоſam extra propriam domum, atque eccleſiam, bimeſtrem detentionem, cum expreſſa inhibitione è civitate Eborenſi abſque expreſſa licentia non egrediendi, &c. et quoad accuſatam præventionem, inutilis, ac inefficax ex jure ipſo comparebat redargutio, cum *prævention* juridice non detur, niſi per citationem, vel apprehenſionem, Deluc. de juriſd. diſc. 50. n. 1. et miſc. d. 1. Farin. q. 7. n. 56. Carlev. de judic. to. 1. d. 2. n. 879. Gregor. dec. 27. et 94. Tondut. de prævent. Fermoſin. de for. comp. ad c. *Prepoſuiſti*, 19. q. 1, 2. et 3. et ſeqq.

Quinimo brevis ipſius clauſula, nedum quod non foret *præventus* ſimpliciter, ſed non *legitime præventus*, requirebat. Denique, ſi, ut quidam miniſter tribunalis Ulixbon. revelavit, hæ duræ moleſtiæ de induſtria factæ ſunt, ut reliqui de cætero à ſimilibus recurſibus, aut confugiis Romam adeundi arcerentur, videntur vere comprehendi in prohibitione indirecti impedimenti recurſus ad Summum Pontificem, de quo can. 13. bull. Cœn. Alter. l. 5. Sayr. l. 3. Frag. p. 14. d. 3. Navarr. Regin. et alii.

Interim, dum Eboræ detineretur, recurſum habuit ad Sanctiſſimum per ſequentem ſupplicationem vulgari idiomate, qua coram Sanctitate ſua poſt duplicem præjactam perlecta, acriter excanduit Pontifex Summus, videns ſe, et adeo ſpecialem gratiam ſuam, ac commendationem, deſpectam, ac deluſam; de qua ardenter tunc conqueſtus eſt, efficaciorem providentiam

tiam dare promittens. Porro ita ſe habebat ſupplicatio vulgari idiomate:

Supplex libellus ad SANCTISSIMUM.

BEATISSIMO PADRE,

IX. *IL ſacerdote N. parocho de la chieſa ſotto l'invocazione di S. Maria del ſantiſſimo Rozario nella terra di Oglam dioceſi di Faro nell' regno dell' Algarvie, oratore umilimo dilla Santità voſtra, con tutto l' oſſequio gli rapprezenta, come eſſendoſi nell' anno decorſo portato in Roma per alcuni ſuoi affari, ſi preſento ſotto li 5. del meze di Agoſto di detto anno in queſto ſacro tribunale del S. Officio accuzandoſi di alcuni dellito, di quale venne in ſeguito abſoluto nel forme ſolite, e conſuete. Ma ſiccome ebbe giuſto fondamento di dubitare, che ritornando a la ſua chieſa poteſſe non oſtante queſta ſpontanea eſſere moleſtato in quel S. Officio di Portugallo ſu la pretenzione, che tiene non ſe poſſa declinare da quel tribunali, ſupplico ed ottenne dalla Santità voſtra un breve comendatizio al ſignore cardinale di Acugna, generale inquiſitore ne regni di Portogallo, e dell' Algarvie, che atteſa la ſudetta ſpontanea doueſſe conſiderando, come veramente aſſoluto, ne permetteſſe a ſuoi miniſtri il moleſtarlo con queſte parole* —nec propter præmiſſa, et quæcunque alia ad præmiſſa quomodolibet de præterito tantum, non autem de futuro ſpectantia, ab iſtius tribunalis tuim iniſtris in poſterum vexari unquam ſinas—*preſcrivendoſi in oltre* —ſed ipſis injungas, et mandes, ut ad nos, et idem ſupremum tribunal noſtrum, de iiſdem referatur—*come dal breve che ſi da anneſſo. Reſtituitoſi per tanto l'oratore alla ſua chieſa parochiale, e fatto preſentare il breve ſudetto al ſignore cardinale inquiſitore generale, poco felici ne provo gl' effetti mentre doppo pochi giorni chiamato a comparire in quell' Sant' Offizio, ne venne dimeſſo con ordine de non partire dalla ſua chieſa parochiale che vale adire, doueſſe ritenerla in luogo di carcere vi citato dipoi novamente a comparire, ſi teme, che introvaſſe in oggi riſtretto in quelli carceri con forte timore de douer fari la funeſta comparſa dell' atto publico de la fede. In queſto deplorabile ſtato proſtatto a piedi della Santità voſtra le infelice oratore umilmente lo ſupplica degnarſe prendere queſti eſpedienti che nelli prezenti circunſtaze ſtimera piu neceſſarie, ed opportuni tanto per indennizzare le nagioni dell' oratore, quanto accio non rimangano vulnerati quei Britti, che competono a la ſovrana, ed ſuprema autorità di voſtra Beatitudine da miniſtri de quel Santi Offizio di Portogallo*, &c.

X. Maxime doluit Summus Pontifex, quod tam ſpeciales, et exuberantes clauſulæ tranſgredirentur, atque veluti in contemptum, per ſupervenientem inferioris tribunalis proceſſum, penitus abirent; ſicut jam doluerat, teſte Muratorio, ex defectu debitæ venerabili inſinuationi ſuæ obedientiæ, notabilique repugnantia ex parte eminentiſſimi inquiſitoris generalis in controverſia juriſdictionis Inquiſitionis, et ordinariorum, et primo edicto ejuſdem eminentiſſimi inquiſitoris; de quo alleg. 147. agnoſcens, quod controverſia iſta totalis cauſa fuerit præſentis rigoris in tres præmiſſos reos, prælato ſuo ordinario ſpecialiter attinentes: quare à præmeditata efficacia majus malum prudenter timens, et ſolicitandæ regiæ auctoritatis interventum declinans, omiſſa via juſtitiæ, per viam gratiæ ſingulis ſingillatim providere decrevit, forma inferius tranſcribenda.

XI. Præventus namque fuerat ex adverſo variis inſubſiſtentibus fundamentis; videlicet, quod quamvis ſibi, utpote ſupremo eccleſiæ capiti, libera foret primi pro tribunalibus fidei miniſtri electio, ſive deputatio; attamen ipſo electo, ac decreto, jam non liberum illi remaneret ſeſe ingerere in judicatis ab illo; proindeque, ſicut Sanctitas S. liberum exercitium juriſdictionis, ac ſententiarum ſuarum relinquebat ſacræ Rottæ, et aliarum Congregationum ſacrarum judicibus, quin ſeſe in judicatis ab ipſis etiam per reviſionem intromitteret, neque ab eiſdem ad ſe recurſus admitteret; ita pariformiter in judicatis ab Inquiſitionum inferiorum tribunalibus, neque hoſce ab eiſdem recurſus permittere, imo penitus excludere debebat; cum ab illis per illas liberas primorum miniſtrorum deputationes ſeſe ſpoliare ab illorum admiſſione, et eoſdem recurſus à ſe abdicare viſus foret.

XII. Sed fundamenta hæc, è converſo, futilia, inania, et falſa de jure oſtenſa ſunt; ipſo enim incontroverſo jure conſtat, principem minime à ſe abdicare poſſe recurſum ſubditorum, ſive jus ad illum recurrendi, cum hoc ſit veluti inhærens oſſibus regis, ut ait Portugal. de Donat. t. 2. c. 31. unde, interdicta appellatione, non intelligitur interdictus recurſus. Creſpi. p. 1. n. 77. Salg. de protect. reg. prælud. 3. n. 84. Lancelot. de attent. c. 19. et alii ſupr. cit. c. 1. n. 6.

Amplia, etiamſi pars recurſui abrenuntiaverit; non enim partis abrenuntiatio tollit, aut impedit jus, atque obligationem regiæ protectionis, nec ei quomodolibet officere poteſt. Cancer. vot. reſol. l. 3. c. 18. Salgad. de retent. bullar. 1. p. c. 1. Peregrin. de jure fiſci, l. 1. t. 1. Creſpi. p. 2. obſ. 60. n. 77. Quod etiam pari paſſu procedit in recurſibus ad Summum Pontificem, ut eſt vulgare apud DD. canoniſtas.

XIII. Confirmatur ex nuperrima bulla *Jamdudum*, Summi Pontificis, Bened. XIV. expedita die 22. Julii anni 1745. ſuper ſexdecim dubiis in controverſia juriſdictionis eccleſiæ Bracharenſ. ubi ad decimum; *Utrum, omiſſo nuntio, appellari poſſit ad Sanctiſſimum, et ab eo impetrari commiſſio per breve in partibus?* reſolutum eſt; *Ad decimum, affirmative.* Quia facultas non datur in brevi excluſive ad ipſum Summum Pontificem; quia facultates ejuſmodi concedit; *et qui* (nota) *neque volens poſſet hoc jure ſupremæ majeſtatis ſeſe expoliare.* Neque obſtare *privilegium Julii* III. quia per illud *non prohibetur, ne litigantes recurrere poſſint ad ipſum Summum Pontificem* pro obtinendis commiſſionibus, *ſed ſolummodo conceſſum fuit* ſub quibuſdam reſtrictionibus, *ut cauſæ regni non mittantur judicandæ extra regnum.*

Igitur via gratiæ procedendo Sanctitas ſua, menſe Octobris anni 1748. per ſuam ſecretariam privatam expedire fecit ordines, ſive brevia, in favorem trium præfatorum pœnitentium (ut è curia ipſa monitum fuit) ad hoc, ut à reſiduo pœnarum, quæ reſtabant, penitus abſolverentur cum clauſula; *Ex quo ſatis luerunt:* ſed adhuc, prædicto jam anno finito, nullus illarum gratiarum, ſive inſinuationum Pontificiarum effectus, vel in minimo apparuit. Qua cauſa? ignoro. Dabitur tamen infra quicquid adhuc tempeſtive apparuerit.

XIV. Hic annectere licebit, quod eodem anno, vel antea, in regno Caſtellæ, generali inquiſitori D. Franciſco Perez de Prado accidiſſe relatum eſt; de cujus juriſdictionis exceſſibus quamplures regulares coram Sanctiſſimo conqueſti ſunt, ſignanter ob abſolutam interdictionem aliquorum librorum, et correctione, ac deletione partiali, aliorum in materiis opinabilibus, et adhuc à Sede Apoſtolica non damnatis; qui quidem libri debitis præviis examinibus, ac licentiis, editi erant, et inoffenſo pede currebant; inter quos videtur fuiſſe librum eminentiſſimi cardinalis *Norris*, à ſupremo tribunali Inquiſitionis Romanæ jam approbatum; et etiam probabiles aliquas reſolutiones morales in ſolido, ac famigerato curſu Salmanticenſi, et aliis doctoribus, ut probabiles circumferebantur, vel referebantur: et à Sanctitate ſua gravites de exceſſibus illis admonitus fuit cum expreſſa animadverſione, ut incendium, quod incitaverat, maxime extinguere curaret.

Et certe, ut recte probat modernus Muratorius in *Luſitaniæ eccleſiæ religione propugnata*, c. 7. inquiſitoribus in Hiſpania, ac Luſitania, imo et in Italia (ſupremam et univerſalem ſi demas Inquiſitionem) à Sede Apoſtolica committitur invigilare, ne *hæreſes*, aut *propoſitiones*, aut *actiones* ad fidem ſpectantes, et *jam antea ab eccleſia damnatæ*, locum habeant in grege Dominico.

Dixi, jam damnatas (proſequitur): *neque enim eis conceſſum videtur, ut, inconſulto Summo Pontifice, aliquod novum dogma, ſive propoſitionem, damnent, ita ut eorum decreta conſcientias fidelium obligent.* Et hanc facultatem legiſlativam tantummodo in Pontifice Maximo, in Conciliis generalibus, et in Epiſcopis diœceſanis agnoſcit.

XV. Hinc recte P. Marin. tr. 22. d. 11. ſ. 1. n. 19. gravi ponderatione dubitat de juriſdictione tribunalis Inquiſitionis Hiſpanæ ad interdicendum, ne libris, aut theſibus publicis imprimatur probabilis opinio de facultate epiſcoporum pro foro interno ad abſolvendum ſubditos ſuos ab hæreſi occulta, de quo ſupr. alleg. 146. pet tot. et fortaſſis hæc prohibitio una extitit ex iis, quæ querelam prædictam coram Summo Paſtore adauxerunt: et quæ in nupero edicto Inquiſitionis Navartæ ann. 1745. apud P. Didacum Gondiſal. Matth. in ſuo *Bello theologico* in fine leguntur de prohibitione, atque expunctione aliquarum doctrinarum, adhuc à Sede Apoſtolica non damnatarum, quæ de libro *Quodlibeta myſt.* Fr. Anton. ab Annunt. Carmelitæ deleri jubentur: et quæ, ex to. 5. curſ. moral. Salmantic. præſertim verba illa; *Et id ipſum de alia moniali à P. provinciali noſtræ religionis, ſatis erudito, ego ipſe audivi*, tr. 22. c. 5. p. 5. n. 48. (quæ quidem ſane nec errorem continent, neque ſcandalum): et alia, quæ ulterius ibidem exprimuntur; quarum aliqua neque Molinoſios errores ſapiunt, neque præ ſe ferunt. Vide dicta alleg. 137. in cenſura libelli, *Dæmon violentus*.

Laudo tamen, quod ibidem, conformiter ad regulam 10. *Indicis expurgatorii*, vetentur *libelli ſeditioſi decretorum Pontificalium, ac S. Officii tranſgreſſores*, contra ſacram, ac venerabilem ſocietatis religionem graves injurias comprehendentes; quam quidem providentiam haud experti ſumus in Inquiſitione Luſitana erga famoſos ac diffamatorios libellos, dignitati epiſcopali, et Luſitanæ nationi, graviter injurioſos, quamvis prætextoſo velamine, ſive techna, delegatæ inquiſitorum juriſdictionis tuendæ, artificioſe tecti, de quibus alleg. 147. ex quo eventu noviter quæ ſupra alleg. 149. et 153. traduntur, confirmantur.

Et per iteratas epiſtolas regni Caſtellæ, huc emiſſas, ſcimus, eundem Sanctiſſimum P. Benedictum XIV. ægerrime quidem tuliſſe nuperas damnationes, atque prohibitiones operum eminentiſſimi cardinalis de Norris, quas tribunalia Inquiſitionum Hiſpaniæ modo ediderunt poſt exacta Sedis Apoſtolicæ accurata examina, et juſtas, atque repetitas præfatorum operum approbationes; de quibus, niſi edicta ipſa Hiſpanicæ Inquiſitionis revocentur, gravis aliqua perturbatio pertimeſcitur, eo quod in illis tribunalia inferiora judicii ſuperioris, imo et ſupremæ eccleſiæ capitis ſuperioritatem, et auctoritatem, veluti quodammodo affectare, et ſibi arrogare videantur.

Unde, quamvis cit. P. Marin. politice, et comiter, dicit, quod ſi tribunal Inquiſitionis Hiſpanæ *jubet amplecti ſententiam negativam* circa facultatem epiſcoporum pro abſolutione ab hæreſi externa occulta, et aliis caſibus bullæ Cœnæ, de quo alleg. 146. facultatem forſan *habet à Pontifice præcipiendi, alias non juberet, ne forte ſciolus aliquis diceret, non poſſe tribunal Inquiſitionis evertere ſententiam tot DD. ex religioſis familiis, Dominicana, Franciſcana, et aliis graviſſimis theologiæ, et juriſperitorum majoris notæ apud Tho. Sanch. 27. dicentium adhuc perſeverare in epiſcopis facultatem abſolvendi*, &c. ex abſoluta damnatione præfata operum Norriſiorum, ſat colligitur, abſque ipſa Pontificia facultate, fortaſſis etiam in hac materia procedere.

XVI. Et ad intelligentiam Clem. VIII. S. Franciſco Saleſio inſinuantis (dum in actuali examine reſpondet, *Poſſe quidem epiſcopos ab hæreſi abſolvere ex Tridentino Concilio) hanc non eſſe mentem ipſius Clementis, et antique tamen fuiſſe hunc articulum*; reſpondendum, Clementem utique locutum fuiſſe, non ut Pontificem, ſed ut doctorem privatum, ut ex formalibus illius verbis ſat deprehenditur.

XVII. Denique, revertendo ad finalem eventum recurſus illius ad Sanctitatem ſuam pro duplici primo præmemorato caſu, ex curia ipſa enarratum eſt, quod præcepto, ſive inſinuationi illi Summi Pontificis (de qua ſupr. n. 13. in fine) pro totali levamine, atque abſolutione reſiduarum pœnarum pœnitentibus ipſis acriter inflictarum, *Ex quo ſatis fuerunt*, eminentiſſimus inquiſitor generalis parere detrectavit, forſan eiſdem rationibus n. 11. fretus, et aliis ſuperadditis, ex antiqua affectata irrefragabilitate, et indemnitate, vel irrevocabilitate S. Officii Portugalliæ ſententiarum, cum excluſione, nedum via appellationis, ad Sanctiſſimum, nomine expreſſo, recurſus; verum et ne ſimplicis quidem via recurſus, aut humilis ſupplicationis pro pœnis minuendis, vel condonandis, etiam poſt finalem latam ſententiam, et executam. Quo jure? Alii judicent, perſpecta ſemper delegantis ſuperioritate, ac delegati inferioritate; imo animadverſa connaturali hujus piiſſimi tribunalis benignitate, qua poſt jam biennium ab animadverſione illa rigoroſa in duplicem præfatum ſacerdotem per perſonalem apprehenſionem exercita hactenus, videlicet, menſis Aprilis anni 1749. exordium, benignitatis tribunalis ipſius ſignum aliquod, præter licentiam celebrandi uni dumtaxat elargitam, apparuerit.

Poſt hæc tamen ſuperius enuntiata, eodem menſe Aprilis currente, ſecundus præfatus ſacerdos in ſecundo caſu memoratus à benignitate eminentiſſimi D. inquiſitoris generalis reſidui tantum exilii condonationem miſericorditer obtinuit, quam, qui eam ſolicitaverant, ſincere declarârunt, eminentiſſimum D. cardinalem inquiſitorem multo antea in hunc reum certe oſtenſurum fore, niſi ſibi obſtarent rationes aliquæ, n. 13, &c. ſuperius inſinuatæ. Remanſit tamen primus ſacerdos, quamvis, ſecundum præmiſſa, alleg. 153. prorſus inculpabilis, ex eadem benignitate expectans redemptionem propriam.

XVIII. Item nuper ad me certa relatione pervenit notitia nullitatum (ut aſſeritur) ac defectuum ſubſtantialium, quibus proceſſatus eſt quartanarius præfatus Eborenſis Joſephus à Cruce, in Inquiſitione Ulixbonenſi, ubi, finiente menſe Decembri 1748. in aula dictæ Inquiſitionis publice abjurare coactus eſt ob culpas, quæ illi imputabantur, revelationis ſacramentalis ſigilli confeſſionis, et extorſionis ſociorum complicum revelationis, quæ tamen impacta ſcelera conſtabant ex ſingularibus duobus vel tribus teſtibus defectuoſis (ſuper quibus etiam prætermiſſa eſt neceſſaria diligentia *de creditu*, juxta S. Officii ſtylum) deponentibus de caſibus, octo vel decem retro annos ante conſtitutionis *Suprema*, ſanctiſſimi D. N. Benedicti XIV. promulgationem, eventis, quin propriùs rei iſtius ordinarius interveniret, et quin culpa ſigilli fractionis ſimpliciter, Inquiſitionis cognitioni attineret; imo neque culpa extorſionis complicum ante prædictæ conſtitutionis, et ſubſequentis *Ubi primum*, publicationem; et quin ſuper bona vita rei, et optimis ejus moribus, neceſſaria informatio deſumeretur, reo ipſo minime culpas confitente, quinimo ſemper proteſtante, ſe in confeſſionibus, quas audiverit, nil à pœnitentibus interrogâſſe, quod juxta DD. moraliſtarum regulas interrogare non debuiſſet, quorum ſpecialem expreſſionem ex ipſa ſigilli ſacramentalis ſtrictiſſima obligatione facere non poſſe: quibus tamen, et aliis defectibus non obſtantibus, tandem reus ipſe condemnatus exceſſit, quaſi in fide ſuſpectus, in publicam abjurationem, ſuſpenſionem quinquennalem ab ordinum exercitio, et in conſimile exilium, et alias pœnas: à qua ſententia dicitur, tam ipſum, quam ejus ordinarium, ad Sanctiſſimum appellâſſe: et expectatur gravis et famigerata cauſæ hujus agitatio, de qua alii ſcribent.

Recolat tamen prudens lector quæ alleg. 147. enarrata ſunt de utraque paſtorali Eborenſi, et Algarbienſi, quæ præmiſſorum rigiditatis proceſſuum occaſio extiterunt. Cunctos Supremi Pontificis gratia illuſtret, ut intra fines ſuos ſe quiſque contineat.

FINIS.

C. XXIII 3-151

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Ignatius

Opusculum theologico iuridicum de utroque recursu

s.l. 1753

2 J.can.p. 99
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10488972-8
VD18 14599295-001